A M

Mor. 12.

Babenstuben.

<36604511020013

<36604511020013

Bayer. Staatsbibliothek

R. P. LUDOVICI BABENSTUBER,
Ord. S. Bened.

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS
SALISBURGENSIS.

ACTA

CLINICA

CLINICAL TRANSACTIONS

OF THE

MEDICO-CHIRURGICAL SOCIETY

OF

EDINBURGH.

Ad Conventum Monacensem ord. Cam. 1725.

ETHICA
SUPERNATURALIS
SALISBURGENSIS.

SIVE

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS,
Ordine & Methodo in Celeberrima, Archi-Episcopali, Benedictina Universitate Salisburgensi usitatis concinnatus.

AUTHORE

P. LUDOVICO BABENSTUBER,

Ord. S. Benedicti, ex Celeberr. Monasterio Beatiss. Virg. Ettalensis in Bavaria Superiore, SS. Theologiæ Doctore, Celsisimor. & Reverendisimor. S. R. I. Principum Archi-Episcopi Salisburg. & Episcopi Frising. Consiliario Ecclesiastico, & in memorata Universitate antehac Philosophiæ, & Theologiæ, tum Moralis, tum Scholasticæ, nec non Sac. Scripturæ Professore, Pro-Cancellario, & Vice-Rectore.

Cum Licentia & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus GEORGII SCHLüTER, & MARTIN HAPPACH.
ANNO M DCC XVIII.

Bayer. Staats-
Bibliothek
München

SANCTISSIMÆ

DEI MATRI MARIÆ,

Virgini ſine Macula conceptæ,

Univerſitatis Salisburgenſis Protectrici,
& Præſidi perpetuæ.

ECCE, Librum Tibi dedico, Dulciſſima Mater, fortè magis temerarius, quòd audeam, quàm ſecurus de gratia ex hoc tali erga Te ſtudio reportanda. Cùm enim huic Volumini argumentum ſit ea Sacræ Theologiæ portio, in qua de humanis actionibus, rectéque & Chriſtianè vivendi officiis tractatur, creberrimè memorandum, videndumq; occurrit monſtrum illud horrendum, informe, atque ingens, quod peccatum appellamus, quóque Tu nihil graviùs odiſti, nihil hoſtiliùs abominaris. Emerſit è fundo Erebi in orbem noſtrum ea diriſſima, & peſtilentiſſima larva in primis mox generis humani cunabulis, mortalésq; univerſos (ſolâ Te exceptâ) quotquot ſunt, ac fuerunt, exitiali contagio ſuo afflavit, infecit, vitiavit. Speciem igitur adeò tetram, formámq; non viſu magis quàm cogitatu terribilem ſi è conſpectu Tuo unà cum his foliis longiſſimè removerem, decentiùs fortaſſe agerem ac reverentiùs. Verùm utut hæc talia initiò, & rebus adhuc integris conſilium meum diſcutere debuiſſe videantur, jactâ tamen jam aleâ, & tranſito Rubicone, aliud perſvaderi mihi non patior; ſed Tuâ confiſus Maternâ Clementiâ ſiſto, quod vides, Opus in Univerſitate Tua Salisburgenſi majore ſui parte compoſitum, domi verò in Cœnobio Ettalenſi (ſede itidem Tuâ) tandem aliquando perfectum. Neque exiſtimo eâ ratione diſpliciturum, quòd utramque illi paginam frequenter faciat peccatum. Id enim cùm primo ſtatim, quo concipiebaris, vitæ momento penitiſſimè debellaveris, ejus conſpectus victoriæ Te potiùs reportatæ, quàm veteris inimicitiæ admonebit. Et Tu quidem, Eva ſecunda, de capitaliſſimo hoſte, cui prima ſuccubuit, triumphos agis in Patria, æternúmque ages. At nos, quoad hic vivimus, miſerabiles exules ſumus, igníque & aquâ interdicti genialis culpæ noxam luere pergimus: imò, quod triſtiſſimum eſt, eò veſaniæ devenimus, ut haud ſecùs, quàm ſi alieno delicto non ſatis calamitoſi eſſemus, propriis aſſiduè malè factis noſtra mala augeamus. O igitur, *Refugium Peccatorum* certiſſimum ac ſecuriſſimum, *ſuccurre miſeris, juva puſillamines, refove flebiles:* Hunc verò, quem immortalibus Tuis honoribus pleniſſimè conſecravi, lucubrationum mearum partum à clientela Tua non repelle.

Ad pedes Tuos proſtratiſſimus Servus

Ludovicus Babenſtuber.

Licentia

Reverendiſſimi DD. Præſidis Univerſitatis Salisburgenſis.

NOs Placidus D. G. Abbas Monaſterii Ettalenſis, Ordinis S. Benedicti in Bavaria Superiore, & Univerſitatis Salisburgenſis p.t. Præſes &c. petitam juxta ſtatuta noſtra Academica à P. Ludovico Babenſtuber ejusdem Ordinis & Monaſterii Monacho, atque in dicta Univerſitate Sac. Theologiæ Profeſſore Ordinario, Licentiam ac Facultatem hisce concedimus, ut Opus ſuum, ſcilicet *Ethicam Supernaturalem Salisburgenſem*, dummodò à Facultate Theologica pro more antea approbatum fuerit, prælo committere, ac divulgare poſſit. Actum in Monaſterio Ettalenſi, die 25. Decembr. Anno 1714.

Placidus Abbas.

Approbatio

Sacræ Facultatis Theologicæ Salisburgenſis.

NOn *eſt aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur*, Gnoma eſt Evangelica, haud obſcurè in Plm. Reverend. Religioſiſſimo, ac Clariſſimo hujus Operis Authore comprobata. Is poſtquam Univerſitatem noſtram in Philoſophicis & Theologicis Diſciplinis plusquam viginti Annis inſtar lucernæ ardentis & lucentis ſupra candelabrum illuſtraſſet ea cum gloria, & fructuum ubertate, quam, nobis tacentibus, & muti codices ejus nomine orbi litterario celebratiſſimô inſigniti, & hominum animi gnoſtico ejus lumine eruditi publica cum fama loquuntur: tandem abhinc biennio ſapientiæ ſuæ nunquam ſatis prædicandæ lucernam candelabro noſtro Academico motu proprio ſubtractam,

inter

inter ſacratiora clauſtri mœnia quaſi ſub modio abſcondit. Sed jam ſupergreditur mœnia, erumpit vel ex mediis vallibus, & montium juga pervadit ſcientiæ ejus doctrinæ fulgor vel ideo plenus ac perfectus, quia contineri neſcius, & ſui in omnes diffuſivus; dum præſens Opus orbi communicare parat nobiliſſimum ingenii ſui & tantô virô dignum partum, in quo omnes Theologicæ ſcholaſticæ & moralis radii, cum pleno Authoritatum jubare, rationum efficacia, & claritatis intenſione concentrantur. Procul hinc abeſt omne, quod Orthodoxæ Religionis principiis, morum regulis, aut S. Matris Eccleſiæ ſanctionibus adverſatur. Non poſſumus proinde non unanimi calculô & calamô conteſtari, opus hoc eſſe luce publicâ digniſſimum, candidis Lectoribus univerſæque Reipublicæ litterarum utiliſſimum, & Clariſſimo ſuo Authori maximopere glorioſum, cui ut diu vivat, diu ſcribat, & rei litterariæ luceat ſyncerisſimè gratulabundi advovemus.

P. Godefridus Khröll,
Ord. S. Bened. ad S. Petrum Salisburgi Profeſſus & Prior, SS. Theol. Doctor, Celſiſs. ac Reverendiſ. S.R.I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisburg. Conſiliarius Eccleſ. in Alma Univerſitate Salisburg. SS. Scripturæ Profeſſor Ordin. & Facultatis Theologicæ p. t. Decanus.

P. Cœleſtinus Mayr,
Ord. S. Bened in lib. & Imper. Monaſt. SS. Udalrici & Afræ Profeſſus, SS. Theol. Doctor, ejusdemq; Profeſſor Ordin. Celſiſs. ac Reverend. S.R.I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisb. Conſil. Eccleſ. & Univerſitat. Vice-Rector. mppa.

P. Gotthard. Haslinger,
Ord. S. Bened. Monaſt. Lambacenſis Sup. Auſtriæ Profeſſus, SS. Theol. Doctor, ejusdemq; in Polemicis Profeſſor Ordinarius, Celſiſs. ac Reverendiſs. S.R.I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisburgenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, mppa.

P. Alanus Pfeiffer, Benedict. Admontenſis, SS. Theol. Doctor, ejusdemq; Profeſſor ordinarius, Celſiſs. ac Rever. S.R.I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisburgenſ. Conſiliarius Eccleſiaſticus & Univerſitatis Procancellarius. mppa.

P. Ambroſius Ziegler,
Ord. S. Bened. in Monaſt. Cremifanenſi Sup. Auſt. Profeſſus, SS. Theol. Doctor, ejusdemq; in Moralibus Profeſſor Ordinarius, Celſiſs. ac Reverend. S.R.I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisburgenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus.

Ad

Ad Amicos Lectores.

QUidquid in homine laudem meretur, aut vituperium, totum ferè ſitum in moribus eſt. Mores, ſi recti, bonum, ſi pravi, malum efficiunt. Cætera, quæ nobis ſeu Fortunæ indulgentia, ſeu laboris improbi induſtria circumdat, ſunt crepera ut plurimùm parerga vanitatis, quibus & citra noxiam carere poſſumus, & citra commendationem frui ſolemus. Negari proinde à nemine poteſt, præclarè de genere humano meritos eſſe, quotquot hactenùs eam Theologiæ partem, quæ ad mores pertinet, lucubrationibus, & commentationibus ſuis excolendam ſumpſerunt. Nihil enim ad vitæ Chriſtianæ officia utilius, magísque neceſſarium iſtâ ſcientiâ cogitari, dicíque poteſt. Hæc quippe eſt optima honeſtatis Pædagoga, ſolertiſſimáque rectè & beatè vivendi Magiſtra. Quid enim vel ipſa Divinorum Speculatrix Sapientia, vel aliæ Facultates proſunt ad æternam felicitatem conſequendam, ſéque, aliósque dirigenti, ſi practica imprudentia aſſiduè cæſpitat, atque à vera honeſti ſemita deflectit; id verò absque Morali Theologia tam fieri pronum eſt, quàm euntem ſine luce per Cimmerias tenebras, ſi vel Argus ſit, aberrare viâ neceſſe eſt. Hujus tam præſtantiſſimæ doctrinæ tractationem, ſuperis bene faventibus, ſuſcipere decrevimus: Opus profectò arduum, & aleæ periculoſæ pleniſſimum: quod omnes, qui hoc argumentum diligenter versârunt, fateri ſolent ingenuè. Nam verè hîc Scyllam inter & Charybdim eſt navigandum. Periit, qui vel ad dextram plùs æquô, vel ad lævam deflexerit. Medium verò tenere curſum quàm difficile! Incedendum proinde cautiſſimè, cùm, ut hinc ſcopuloſa immoderati rigoris Acroceraunia, tum illinc exitiales diſſolutæ laxitatis Symplegadas euitemus. Hæc quippe gemina mala ſunt nobis ex æquo formidanda: Cùm enormis opinionum laxitas ſolutis Chriſtianæ diſciplinæ repagulis hominem velut effrænem equum agat in omne ſcelerum præcipitium; nimius autem rigor excutientem ſvave Chriſti jugum in deſperationis barathrum non rarò adurgeat. Utrumque hoc conſcientiarum naufragium in iſto Volumine declinare pro virili parte mea conor: Sed homo ſum nempe, & nihil humanum à me alienum puto. Unde, ſi quid, Amici Lectores, hîc deprehenderitis aut bonis moribus, aut Eccleſiæ Sanctionibus adverſum, id excidiſſe putate incogitanti, & imprudenti. Illud peculiariter in hoc Operis veſtibulo latere vos nolo, me in Tract. 8. Par. 4. Diſp. 8. a. 1. docuiſſe cum multis aliis, licitum eſſe Feriâ quintâ & Sabbatho Hebdomadis Sanctæ celebrare Miſſas privatas. Quod cùm audiam prohibuiſſe Romana Tribunalia, imò certò credam, abſtinendum erit à praxi hujus meæ ſententiæ. Demum errores Typographici, qui plurimi (ut fieri ſolet, dum Author eſt abſens) paſſim irrepſerunt, ut benignè excuſentur, rogo majorem in modum.

ELEN-

ELENCHUS

Tractatuum, Disputationum, aliorumque Titulorum in præsenti Opere contentorum.

TRACTATUS I.

De Conscientia.

Disputatio I.

De Conscientia in genere.

Articulus I.

Quid sit Conscientia? fol. 1.

Articulus II.

Quotuplex sit Conscientia? 3

Disputatio II.

De Conscientia Recta & Erronea.

Articulus I.

Quarum rerum invincibilis detur ignorantia? 4

§. I. Explicantur termini. 4

§. II. Asseritur invincibilis ignorantia facti, & Juris positivi, tam divini quam humani. 5

§. III. An detur invincibilis ignorantia Juris naturalis. 6

§. IV. An Juris naturalis invincibilis ignorantia excuset à peccato? 11

Articulus II.

De obligatione Conscientiæ Erroneæ. 15

§. I. Præmittuntur aliqua de Ignorantia Vincibili. 15

§. II. An liceat operari contra Conscientiam Erroneam? 17

§. III. An Erronea Conscientia obliget, ut secundum ipsam operemur? 20

Articulus III.

De Conscientia recta. 24

Disputatio III.

De Conscientia Dubia.

Articulus I.

An liceat operari cum Conscientia Dubia. 26

§. I. Præmittitur Definitio & Divisio Dubii. 26

§. II. Statuitur & probatur nostra & communis sententia. 29

Articulus. II.

Quomodo Conscientia Dubia sit deponenda? 31

§. I. An legitima Possessio in materia Justi- tiæ sit sufficiens titulus deponendi Conscientiam dubiam? 31

§. II. An etiam extra materiam Justitiæ in dubio sit melior conditio possidentis? 34

§. III. Aliæ Regulæ deponendi Conscientiam dubiam. 37

Articulus III.

Ex hactenus dictis varia dubia moralia resolvuntur. 38

§. I. Dubia de Lege, & Præcepto. 38

§. II. Dubia de voto, Juramento promisso. 41

§. III. Dubia circa materiam obedientiæ. 44

§. IV. Dubia Miscellanea. 47

Disputatio IV.

De Conscientia Probabili. 49

Articulus I.

De essentia probabilitatis, & sententiæ probabilis. 49

§. I. Quid, & quotuplex sit Probabilitas? 49

§. II. Quid, & quotuplex sit sententia Probabilis. 51

§. III. An authoritas unici Doctoris possit constituere sententiam probabilem? 54

Articulus II.

De usu sententiæ probabilis generatim. 56

§. I. An, & quomodo ex opinione probabili formari possit ultimum dictamen Conscientiæ? 56

§. II. An sequi liceat in praxi sententiam minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori & tutiori? 59

Articulus III.

De usu sententiarum probabilium in particulari. 66

§. I. An liceat relicta opinione propria, probabiliori ac tutiori sequi alienam minus probabilem, minusque tutam? item, an hanc liceat consulere, vel docere? 66

)( )(§. II. An

§. II. An Minister Sacramenti, vel recipiens Sacramentum licitè sequatur sententiam probabilem minus tutam relicta tutiore? 70
§. III. Quam sententiam sequi teneatur Medicus, vel Chirurgus? 72
§. IV. Quam sententiam sequi possint, vel debeant Judex, & Advocatus? 69

Disputatio V
De Conscientia Scrupulosa. 71
Articulus I.
De Causis, Signis, & Remediis generalibus Scrupulorum. 72
Articulus II.
De Remediis particularibus, & Confessario Scrupulosorum. 74

TRACTATUS. II.
De Actibus humanis. 80

Disputatio I.
De Actibus humanis in genere. 80
Articulus I.
Quid, & quotuplex sit Actus humanus. 80
Articulus II.
De Voluntario. 81
§. I. Quid, & quotuplex sit voluntarim? 81.
§. II Notabilia ex dictis. 83
§. III. De libero, & libero arbitrio. 85
Articulus III.
De Involuntario. 86
§. I. An & quomodo Conscientia causet involuntarium? 87
§. II. An, & quando Ignorantia causet involuntarium. 88
§. III. An, & quomodo violentia causet involuntarium? 90
§. IV. An, & quomodo Metus causet involuntarium? 91
§. V. Corollaria doctrinæ præcedentis. 93

Disputatio II.
De Bonitate, & Malitia Actuum humanorum. 96
Articulus I.
De Bonitate, & malitia Actuum humanorum ex objecto. 96
Articulus II.
De circumstantiis Actuum humanorum. 98
Articulus III.
An detur actus humanus indifferens in individuo? 100
Articulus IV.
An idem numero actus possit simul esse bonus & malus moraliter? 105
Articulus V.
An idem numero actus transire possit de bono in malum? 107
Articulus VI.
An actus externus superaddat actui interno novam bonitatem vel malitiam? 108

Disputatio III.
De actibus humanis malis, sive de Peccatis. 110
Articulus I.
Quid, & quotuplex sit peccatum? 110
Articulus. II.
Unde desumatur distinctio specifica peccatorum? 112
Articulus III.
Unde desumatur unitas & distinctio numerica peccatorum? 117
Articulus IV.
De peccato omissionis. 121
§. I. An omnis actus omissioni culpabili conjunctus & imcompossibilis cum impletione præcepti sit peccatum? 121
§. II. Qualem malitiam habeat actus causans omissionem? 123
§. III. Quandonam ad culpam imputetur omissio actus debiti? 125
Articulus IV.
De peccato mortali & veniali. 127
§. I. Quid sit peccatum mortale, quid veniale? & in quibus differant? 127
§. II. Utrum peccatum mortale possit fieri veniale? 130
§. III. An, & quomodo ex peccato veniali possit fieri mortale? 133
§. IV. Unde desumenda sit gravitas peccatorum? 137
Articulus V.
De subjecto peccatorum. 140
Articulus VI.
De morosis delectationibus. 141
§. I. Explicantur aliqua præscitu necessaria. 142
§. II. An morosa delectatio sit peccatum mortale? 144
§. III. Resolutiones ex dictis. 146
§. IV. Adduntur ante dictis nonnullæ quæstiones. 148
§. V. An homo carnis tentationibus teneatur positivè resistere? 153
§. VI. Quas causas venereæ delectationis vitare teneamur? 157

TRACTATUS III.
De Legibus. 160

Disputatio I.
De iis, quæ pertinent ad essentiam Legis. 160
Articulus I.
Quid sit Lex? 160
Articulus II.
Quotuplex sit Lex? 162
Articulus. III.
An promulgatio sit de essentia Legis? 163

Articulus IV.
Quanta debeat esse promulgatio Legum. 165
Articulus V.
An valor legis dependeat ab acceptatione populi? 169

Disputatio II.
De Obligatione Legis. 171
Articulus I.
An Leges humanæ obligent in conscientia? 171
Articulus II.
Quanta sit obligatio Legis humanæ? 173
Articulus III.
Circa quam materiam detur, vel dari possit obligatio Legis humanæ? 174.
Articulus IV.
Quinam obligentur lege humana? 182
§. I. An Legislator teneatur suis legibus? 182
§. II. An, & quomodo legibus teneantur pueri, amentes, & ebrii? 183
§. III. An subditi extra proprium territorium existentes obligentur legibus illius? 185
§. IV. Quomodo legibus obligentur peregrini, advenæ, vagi? 188
§. V. An, & quomodo legibus civilibus obligentur Clerici & Regulares? 191

Disputatio III.
De observatione Legum. 193
Articulus I.
Qua intentione implendæ sint Leges? 193
§. 1. Utrum ad impletionem legis necessaria sit intentio faciendi rem præceptam? 193
§. II. An necessaria sit intentio implendi legem? 194
Articulus II.
Quibus actibus implendæ sint Leges? 196
Articulus III.
Quænam excusent à transgressione legis, vel præcepti? 199
§. Unicus. An & quomodo excuset impotentia? 199
Articulus IV.
An, & quomodo excuset Dispensatio? 201
§. I. Quid, & quotuplex sit Dispensatio? 201
§. II. A quibus dispensari possit? 203
§. III. Quibus impertiri possit beneficium dispensationis? 206
§. IV. An, cessante causa Dispensationis, & ipsa cesset? 208

TRACTATUS IV.
De Censuris Ecclesiasticis, & irregularitatibus. 209

Disputatio I.
De Censuris in Communi. 209
Articulus I.
Quid, & quotuplex sit Censura? 210
Articulus II.
A quibus, & in quos ferri possit Censura? 211
Articulus III.
Ob quam causam ferri possit Censura? 214
Articulus IV.
De Absolutione à censura. 217

Disputatio II.
De Censuris in specie. 219
Articulus I.
De Excommunicatione. 219
§. I. Quid, & quotuplex sit Excommunicatio? 219
§. II. Ob quam causam incurratur, & quos effectus habeat excommunicatio minor? 221
§. III. Qui sint effectus Excommunicationis majoris? 173
§. IV. Ob quas causas incurratur excommunicatio major? 231
§. V. Quomodo intelligenda sit Excommunicatio, quæ incurritur ob percussionem Clerici? 234
Articulus II.
De Suspensione, Depositione, & Degratatione. 237
§. I. Quid, & quotuplex sit suspensio? 237
§. II. Ob quam causam, & quomodo ferenda sit suspensio? 239
§. III. Quid Depositio? Quid Degradatio? 241
Articulus III.
De Interdictio, & Cessatione à Divinis. 242
§. I. Definitio & Divisio Interdicti. 242
§. II. De effectibus Interdicti. 243
§. III. Quis ferre vel auferre possit Interdictum? 245
§. IV. De Cessatione à Divinis. 24

Disputatio III.
De Irregularitatibus. 248
Articulus I.
Quid, & quotuplex sit Irregularitas? 240
Articulus II.
De Irregularitatibus ex delicto. 250
§. I. De Irregularitate ex homicidio injusto directè voluntario. 250
§. II. De Irregularitate ex injusta & voluntaria mutilatione. 252
§. III. De Irregularitate ex homicidio, & mutilatione casuali. 253
§. IV. De Irregularitatibus ex iteratione Baptismi, abusu Ordinis, & violatione Censuræ. 255
§. R. De Irregularitate ex infamia, 258
Articulus III.
De Irregularitate ex defectu. 259
§. I. De Irregularitate ex defectu corporis & animæ. 262

§. II. De Irregularitate ex defectibus Sacramenti, natalium, & libertatis. 262
§. III. De Irregularitate ex defectu lenitatis. 264

TRACTATUS V.

De Præceptis Decalogi. 267

Disputatio I.

De Fide, Spe, & Charitate. 268
Articulus I.
De Fide. 268
§. I. An, & quomodo fides sit necessaria ad salutem? 268
§. II. Quænam necessario credenda sint? 269
§. III. Quorum mysteriorum scientia sit necessaria, & qualis? 273
§. IV. Quando, & quoties eliciendus sit actus fidei? 275
§. V. Quando, & quomodo obliget præceptum fidem externè non negandi? 277
§. VI. Quomodo, & quando obliget præceptum affirmativum fidem exterius confitendi? 281
Articulus II.
De Infidelitate. 283
§. I. Quid & quotuplex sit Infidelitas? 283
§. II. De speciebus Infidelitatis. 285
§. III. Expediuntur nonnullæ Quæstiones. 288
Articulus III.
De Spe. 290
§. I. De Natura, & Præcepto Spei. 290
§. II. De vitiis Spei oppositis. 292
§. III. An homo, cui Deus revelasset suam æternam damnationem, posset adhuc sperare salutem? 293
Articulus IV.
De Charitate. 296
§ I. De Charitate erga Deum. 296
§ II. De ordine charitatis erga proximum. 299
§. III. De dilectione inimicorum. 302
§. IV. De odio proximi. 306
Articulus V.
De actibus externis charitatis erga proximum 308
§. I. Quid, & quotuplex sit eleemosyna? 308
§. II. De obligatione subveniendi proximo per Eleemosynam corporalem. 309
§. III. Expediuntur quæstiones aliquæ residuæ de Eleemosyna. 312
§. IV. De fraterna correctione. 314
Articulus VI.
De Scandalo, & reliquis vitiis charitati oppositis. 319
§. I. Quid, & quotuplex sit Scandalum, & quale peccatum. 319
§. II. Quænam facere, vel omittere debeamus Scandali vitandi gratia? 322
§. III. De Invidia, Acedia, Discordia, Seditione, Contentione. 325

Disputatio II.

De primo præcepto Decalogi. 327
Articulus I.
De adoratione. 327
§. I. De Adoratione Dei & Christi. 327
§. II. De cultu Sanctorum. 330
§. III. De cultu sacrarum Imaginum Christi, & Sanctorum. 330
§. IV. De cultu Sacratum Reliquiarum. 336
Articulus II.
De oratione in genere. 338
Articulus III.
De Horis Canonicis. 341
§. I. De publica recitatione horarum canonicarum. 342
§. II. Quinam teneantur horas canonicas recitare privatim? 346
§. III. Quanta sit obligatio recitandi horas canonicas? 353
§. IV. Quæcam excusent à recitatione horarum? 357
§. V. Quale officium sit recitandum? 360
§. VI. Quomodo recitandum sit officium canonicum? 362
Articulus IV.
De Superstitione. 370
§. I. Quid & quotuplex sit superstitio? 370
§. II. De Idololatria. 371
§. III. De Divinatione. 373
§. IV. De vana observantia 380
§. V. De Magia, 386
§. VI. De Maleficio, 388
Articulus V.
De Irreligiositate. 392
§. I. De Tentatione Dei. 392
§ II. De Sacrilegio. 394
§. III. De Simonia. 397

Disputatio III.

De secundo Præcepto Decalogi. 401
Articulus I.
De Bhlasphemia. 402
Articulus II.
De Juramento. 404
§ I. Quid, & quotuplex sit juramentum? 405
§. II. An, & quomodo jurare sit licitum? 407
§. III. De juramento dicto. 409
§. IV. De Juramento amphibologico. 412
§. V. De obligatione juramenti promissorii. 416
§. VI. De conditionibus juramenti promissorii tacite subintellectis. 419

Arti-

Articulus III.

De Adiuratione 422
§. I. De Adiuratione generatim. 422
§. II. De Adiuratione Dæmonum. 425

Articulus IV.

De Voto. 431
§. I. Quid sit votum, & quotuplex? 431
§. II. Quænam, & quanta deliberatio ad votum requiratur? 432
§. III. De Proposito, & Promissione ad votum necessarijs: déque eo, cui fieri debet votum. 435
§. IV. De Materia voti. 438
§. V. De Obligatione voti. 443
§. VI. An, & quomodo votum reddatur irritum? 448
§. VII. Quomodo quis votô salvatur per Commutationem, & Dispensationem? 450

Disputatio IV.

De Tertio Præcepto Decalogi. 452

Articulus I.

De Auditione Missæ, causisque ab hac excusantibus. 452
§. I. De Obligatione audiendi Missam die Festo. 452
§. II. Quænam excusent ab auditione Missæ? ib.

Articulus II.

De Operibus die Festo prohibitis 456
§. I. De Obligatione vacandi ab operibus servilibus, & aliis quibusdam. ib.
§. II. De Causis excusantibus, ob quas licita sunt opera servilia festis diebus. 459

Disputatio V.

De Quarto Præcepto Decalogi. 460

Articulus I.

De obligatione liberorum erga parentes. 460

Articulus II.

De Obligatione Parentum erga liberos 464

Articulus III.

Resolvuntur nonnullæ quæstiones huc pertinentes 466

Disputatio VI.

De Quinto Præcepto Decalogi. 468

Articulus I.

An liceat aliquando occidere innocentem? 468

Articulus II.

An liceat quemquam occidere ex titulo defensionis? 471

Articulus III.

De Homicidio Casuali. 474

Articulus IV.

De Bello. 476

Disputatio VII.

De sexto & nono Præcepto Decalogi. 483

Articulus I.

De Luxuria in communi. 483

Articulus II.

De Speciebus Luxuriæ. 486
§. I. De Fornicatione. 486
§. II. De Stupro. 488
§. III. De Adulterio 490
§. IV. De Incestu. 492
§. V. De Raptu. 494
§. VI. De Peccato contra naturam. 495
§. VII. De Sacrilegio. 501
§. VIII. De Impudicitia. 503

Disputatio VIII.

De Octavo Præcepto Decalogi 510

Articulus I.

De Mendacio. 510

Articulus II.

De injurijs, quæ fieri solent in Judicio Publico. 513
§. I. De Judice. 513
§. II. De Accusatoribus & Testibus. 522
§. III. De Reo & Advocato. 525

TRACTATUS VI.

De Præceptis Ecclesiæ. 528

Disputatio I.

De Observatione Jejuniorum. 528

Articulus I.

De requisitis ad Ecclesiasticum Jejunium. 529

Articulus II.

De obligatione jejunandi. 534

Articulus III.

De causis excusantibus à Jejunio. 537

Articulus IV.

De Sobrietate, eique opposita Ebrietate 541

Disputatio II.

De Decimis.

Articulus I.

An & quanta sit obligatio solvendi decimas? 545

Articulus II.

De loco, tempore, aliisque circumstantiis decimarum solvendarum. 547

TRACTATUS VII.

De Jure & Justitia. 548

Disputatio I.

Quid, & quotuplex sit Justitia? 548

Articulus I.

Quid sit Justitia? 548
§. I. Definitio Justitiæ. 549
§. II. Objectum Justitiæ. 550
§. III. De Injustitia. 553

Articulus II.

Quotuplex sit Justitia? 554

Disputatio II.

De Jure, & Dominio, variisque modis acquirendi Dominium. 556

Articulus I.

Divisiones, & definitiones Juris, & Dominii. ib.

Articulus. II.

De modis acquirendi Dominium. 558

§. I. De modo acquirendi Dominium per occupationem. ib.

§. II. Expediuntur varia quæsita ad præsentem materiam pertinentia. 560

§. III. Quomodo acquiratur dominium rerum inventarum, quæ non habent Dominum? 563

§. IV. An Dominium rerum incertarum transeat ad inventorem? 565

§. V. De Alluvione, Accessione, Commixtione, Formatione. 566

Articulus III.

De Præscriptione. 567

§. I. An Præscriptio valeat etiam in foro interno. ib.

§. II. Exponuntur conditiones ad Præscriptionem requisitæ. 569

Disputatio III.

De Subjecto Dominii. 571

Articulus I.

An dari possit dominium ejusdem rei penès duos in solidum. ib.

Articulus II.

An usus rerum uno usu consumptibilium distinguatur à dominio? 575

Articulus III.

An homo sit Dominus vitæ & membrorum? 577

Articulus IV.

An aliquando liceat vitam exponere periculo? 579

Articulus V.

An in homine sit dominium hominis, famæ, honoris, bonorumque spiritualium? 582

Articulus VI.

In quænam bona dominium conveniat Filio familias, Uxori, Servo? 583

Articulus VII.

De Dominio Clericorum. 585

§. I. In quæ bona dominium conveniat Clericis sæcularibus? 585

§. II. An, & quo jure Clerici superflua teneantur erogare in pias causas? 589

§. III. Variæ Resolutiones ex dictis in prioribus § §.

Articulus VIII.

De Dominio Religiosorum. 594

§. I. An, & quibus Religiosis competat dominium? 594

§. II. Quomodo Religiosi acquirant Dominium? 597

§. III. Quænam sit obligatio Religiosi ex voto paupertatis? 599

§. IV. Qualem in administrandis bonis temporalibus gerere se debeat Prælatus Regularis, ne violet votum paupertatis. 603

Disputatio. IV.

De Restitutione in genere. 606

Articulus I.

De Natura, & Necessitate Restitutionis. 606

Articulus II.

De obligatione restituendi ex re accepta. 609

§. I. An quis teneatur restituere rem alienam bona fide possessam? ib.

§. II. Utrùm qui emit rem furtivam, possit illam furi reddere? 611

§. III. An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus rei alienæ? 613

§. IV. Quos fructus teneatur restituere Possessor malæ fidei? 615

§. V. Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei? 617

Articulus III.

De obligatione restituendi ex injusta acceptione. 618

§. I. Utrùm ad obligationem restituendi ex damno dato requiratur culpa Theologica? ib.

§. II. Quænam requiratur culpa Theologica ad obligationem restituendi? 620

§. III. Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in quasi Contractu? 622

§. IV. Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in Contractu? 624

Articulus IV.

An, & quando restituere teneantur cooperantes ad damnum? 628

§. I. Statuuntur quædam generalia. ib.

§. II. Quando teneatur Mandans ad restitutionem. 630

§. III. Quando ad restitutionem teneatur Consulens. 631

§. IV. Quando ad restitutionem teneatur Consentiens? 633

§. V. Quando ad restitutionem teneatur dans recursum, & participans? 635

§. VI. Quando ad restitutionem teneantur Mutus, non obstans, non manifestans? 637

Articulus V.

De Circumstantiis Restitutionis. 638

§. I. Quo ordine sit restituendum? ib.

§. II. Quo tempore, & quo loco sit restituendum? 641

Articulus VI.

De causis excusantibus à Restitutione. 642

§. I. Quomodo excuset inopia, vel impotentia? 643

§. II.

§. II. Utrùm excuſet Remiſſio creditoris, & Ceſſio bonorum? 645
§. III. de quarta, quinta, ſexta, & ſeptima cauſa à reſtituendo excuſante. 646
§. IV. De Ingreſſu Religionis, & reliquis cauſis excuſantibus. 649

Diſputatio V.

De Reſtitutione in ſpecie. 651

Articulus I.

De injuriis, & reſtitutione in bonis ſpiritualibus. 651
§. I. Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis animæ naturalibus? ib.
§. II. Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis ſupernaturalibus? 652
§. III. An teneatur ad reſtitutionem, qui retraxit aliquem ab ingreſſu Religionis, vel jam ingreſſum extraxit? 654

Articulus II.

De Injuriis & Reſtitutione in bonis vitæ & membrorum. 657
§. I. Utrùm, & quomodo liceat occidere malefactores? 657
§. II. An aliquid reſtitui debeat pro vita, membro, vel cicatrice. 660
§. III. An? & cuinam reſtitui debeat pro damnis realibus? 661

Articulus III.

De reſtitutione ex injuriis ſtupri, & adulterii. 665
§. I. Ad quid teneatur corruptor virginis, ſi non promiſit illi conjugium? 665
§. II. Ad quid teneatur corruptor virginis, ſi illi promiſit matrimonium? 668
§. III. Ad quid teneatur adulter, & adultera, ſi nata ſit proles ex adulterio? 671

Articulus IV.

De Injuriis, & Reſtitutione in honore & fama. 675
§. I. Quid, & quotuplex ſit Contumelia, & quale peccatum? 675
§. II. An, & quomodo honor ablatus debeat reſtitui? 677
§. III. De Judicio temerario. 678
§. IV. Quid ſit Detractio, & quale peccatum? 680
§. V. Reſpondetur ad varia quæſita huc pertinentia. 684
§. VI. Quando, & quomodo peccatur per revelationem ſecreti? 688
§. VII. Quando, & quomodo fama ſit reſtituenda? 691

Articulus V.

De Injuriis, & Reſtitutione in bonis Fortunæ. 694
§. I. Quid, & quotuplex ſit Furtum? 694
§. II. Quæ ſit malitia, & gravis materia Furti? 695
§. III. Quomodo per minuta furta graviter peccatur? 697
§. IV. Qualiter ex furtis domeſticorum obligatio reſtituendi oriatur? 702

Diſputatio VI.

De Contractibus.

Articulus I.

Quid ſit Contractus? 704

Articulus II.

De Promiſſione, & Donatione. 706
§. I. De Promiſſione. ib.
§. II. De Donatione. 709

Articulus III.

De Emptione & Venditione. 710
§. I. Quid ſit Emptio & Venditio. ib.
§. II. De Juſto pretio. 711
§. III. De Merce. 714

Articulus IV.

De Mutuo & Uſura. 716
§. I. De Mutuo. ib.
§. II. De Uſura. 718

Articulus V.

De Ludo, & Sponſione. 721

TRACTATUS VIII.

De Sacramentis. 723

PARS PRIMA.

De Sacramentis in communi 723

Diſputatio I.

De Definitione, Diviſione, Materia & Forma Sacramenti. 723

Articulus I.

De Definitione & Diviſione Sacramenti 723

Articulus II.

De Materia & Forma Sacramentorum 725
§. I. An omnia Sacramenta conſtent ex rebus & verbis. 725
§. II. An in Sacramentis res ſint Materia, & verba ſint forma? 728
§. III. An, & qualiter materia & forma Sacramentorum ſint determinatæ? 730
§. IV. Quænam mutatio materiæ vel formæ obſit valori Sacramenti? 731
§. V. Quid hîc tenendum, ſi mutatio formæ Sacramentalis fiat inducendi erroris cauſa? 735

Diſputatio II.

De Miniſtro Sacramentorum, 737

Articulus I.

Quis ſit, & eſſe poſſit Miniſter Sacramentorum? 737

Articulus II.
An in Ministro requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia? 741
Articulus III.
Qualis esse debeat intentio Ministri? 743
Articulus IV.
Quænam requirantur in Ministro, ut Sacramentum licitè conficiat, vel ministret? 748

Disputatio III.
De suscipiente Sacramentum. 751
Articulus I.
Quid requiratur ad validam receptionem Sacramenti? 751
Articulus II.
Quid requiratur, ut Sacramentum licitè, & fructuosè recipiatur. 752
Articulus III.
An, & quomodo Sacramenta fictè suscepta conferant gratiam remota fictione? 753

Disputatio IV.
De effectibus Sacramentorum 754
Articulus I.
De Gratia Sacramentali. 755
Articulus II.
De Charactere Sacramentali 758

PARS SECUNDA.
De Baptismo, & Confirmatione.

Disputatio I.
De Baptismo. 760
Articulus I.
De Institutione Baptismi 760
Articulus II.
De Materia Baptismi. 763
§. I. De Materia remota Baptismi 763
§. II. De Materia proxima Baptismi. 765
Articulus III.
De Forma Baptismi. 768
Articulus IV.
Quotuplex sit Baptismus. 770
Articulus V.
De Ministro, & Patrinis Baptismi 775
§. I. De Ministro Baptismi. ib.
§. II. De Patrinis Baptismi. 778
Articulus VI.
De Necessitate & subjecto Baptismi 780
§ I. De Necessitate Baptismi. 781
§. II. De subjecto Baptismi, & dispositione ad illum suscipiendum necessaria 783
§. III. An licitè baptizentur infantes infidelium invitis parentibus? 785
§. IV. An semel baptizatus possit baptizari iterum? 787
Articulus VII.
De effectibus Baptismi. 789

Disputatio II.
De Sacramento Confirmationis 790
Articulus I.
De Institutione Confirmationis 791
Articulus II.
De Materia, & Forma Confirmationis. 792
§. I. De Materia Confirmationis. 792
§. II. De Forma Confirmationis. 795
Articulus III.
De Subjecto & effectu Confirmationis. 797
Articulus IV.
De Ministro & Patrino Confirmationis. 799

PARS TERTIA.
De Sacramento Eucharistiæ.

Disputatio I.
De præsentia reali corporis & sanguinis Christi in SS. Eucharistia 803
§. I. Recensentur Hæretici reali præsentiæ Corporis Christi in SS. Eucharistia adversarii. ib.
§. II. Probatur Catholica veritas. 805
§. III. Solvuntur Objectiones. 810

Disputatio II.
De Materia Eucharistiæ. 812
§. I. Statuitur Catholica veritas. 813
§. II. Qualis panis sit Materia Eucharistiæ? 814
§. III. Quale vinum sit Materia Eucharistiæ? 817
§. IV. Utrum aqua vino mixta immediatè convertatur in sanguinem Christi? 819
§. V. Utrum aliquando liceat in una tantum specie consecrare? 828

Disputatio III.
De Forma SS. Eucharistiæ. 832
§. I. An, & quænam verba sint forma consecrationis? 832
§. II. In quibus verbis essentialiter consistat forma consecrationis panis? 735
§. III. In quibus verbis essentialiter consistat forma consecrationis calicis? 837

Disputatio IV.
De Transubstantiatione.
§. I. Asseritur existentia transubstantiationis. 844
§. II. Qualis actio sit transubstantiatio? 846
§. III. An panis & vinum per consecrationem annihiletur? 852

Disputatio V.
De accidentibus Eucharisticis. 855
§. I. An accidentia Eucharistica existant sine subjecto substantiali? 855
§. II. An Quantitas panis & vini sit subjectum aliorum accidentium, & quomodo existat? 856
§. III.

§. III. An, & quomodo ex speciebus sacramentalibus generati possit aliqua substantia? 859
§. IV. Quamdiu Corpus & Sanguis Christi maneat sub speciebus panis & vini? 863

Disputatio VI.

De Sacra Communione. 866
Articulus I.
Quinam possint suscipere SS. Eucharistiam? 866
Articulus II.
De Dispositione animi & corporis ad S. Communionem requisita. 870
§. I. Asseritur communis sententia de necessaria dispositione animi. 870
§. II. Quomodo se gerere debeat peccati mortalis sibi conscius, antequam Sacramentum Eucharistiæ suscipiat? 873
§. III. An Sacerdos denegare debeat S. Eucharistiam peccatori petenti? 876
§. IV. De Dispositione corporis ad S. Communionem requisita. 879

PARS QUARTA.

De Sacrificio Missæ. 881

Disputatio I.

De Existentia Sacrificii Missæ. 881
Articulus I.
Quid nomine Sacrificii intelligant heretici? 881
Articulus II.
Statuitur legitima definitio Sacrificii. 882
Articulus III.
De Nomine Missa. 884
Articulus IV.
Ostenditur, Missam esse verum ac proprium Sacrificium. 886
Articulus V.
Respondetur ad Argumenta hæreticorum. 889
Articulus VI.
An Sacrificium Missæ sit propitiatorium & impetratorium? 891

Disputatio II.

De Essentia Sacrificii Missæ. 893
Articulus I.
Referuntur, & refelluntur Sententiæ nobis displicitæ. 893
Articulus II.
Nostra Sententia de Essentia Sacrificii Missæ 896
Articulus III.
An Consecratio unius, vel utriusque speciei sit de essentia Sacrificii Missæ. 901
Articulus IV.
Illationes ex dictis. 903

Disputatio III.

De iis, qui offerunt, & pro quibus offertur Sacrificium Missæ: 905
Articulus I.
Quinam offerant, vel offerre possint Sacrificium missæ? 906
Articulus II.
Pro quibus ex modo viventibus possit offerri sacrificium missæ? 909
Articulus III.
Pro quibus defunctis offerri possit sacrificium missæ? 912
Articulus IV.
Utrum anima Trajani precibus S. Gregorii Magni liberata fuerit ex inferno. 913

Disputatio IV.

De valore, & fructu sacrificii missæ. 916
Articulus I.
An sacrificium missæ sit infiniti valoris 916
Articulus II.
Quosnam effectus & quomodo causet Sacrificium Missæ? 918
Articulus III.
Quomodo prosit sacrificium missæ ab uno oblatum pro pluribus, aut à pluribus oblatum pro uno? 922
Articulus IV.
An, & qualis requiratur intentio applicandi fructum sacrificii. 923

Disputatio V.

De Stipendio Missarum. 927
Articulus I.
Quo titulo sacerdotes accipere possint stipendium pro missa. 927
Articulus II.
Quodnam sit justum missæ stipendium. 930
Articulus III.
Resolvuntur varia dubia circa receptionem stipendii, & obligationem celebrandi ex illa ortam. 932

Disputatio VI.

De obligatione celebrandi Sacrificium Missæ. 937
Articulus I.
An, & quoties Sacerdos ad sacrificandum obligetur ratione ordinis. 937
Articulus II.
Qualiter ad celebrandum Missæ Sacrificium obligetur Capellanus. 941
Articulus III.
Qualiter hic obligentur Parochi, Episcopi, aliique Prælati &c. 942

Disputatio VII.

De præparatione ad celebrandum 946
Articu-

Articulus I.
De statu gratiæ necessario ad licitè celebrandum. 946
Articulus II.
Utrùm Sacerdos teneatur ante Missam recitare Matutinum officium. 951
Articulus III.
De dispositione ex parte corporis. 956

Disputatio VIII.
De Tempore celebrandi Sacrificium Missæ. 960
Articulus I.
An Sacerdos possit, vel debeat singulis diebus celebrare? 960
Articulus II.
An, & quomodo liceat eadem die plures Missas eidem Sacerdoti celebrare? 964
Articulus III.
Qua hora licitum sit celebrare Sacrificium Missæ? 967

Disputatio IX.
De Loco & vestibus sacris, in quibus celebrandum est Missæ Sacrificium. 971
Articulus I.
An Sacerdos teneatur Sacrificium Missæ celebrare in loco sacro? 971
Articulus II.
Quale requiritur Altare ad celebrandum Missæ Sacrificium? 977
Articulus III.
Qua ratione ad celebrandum requirantur vasa & vestimenta sacra? 978

Disputatio X.
De præcepto audiendi Missam. 979
Articulus I.
Asseritur, & explicatur Obligatio audiendi Missam. 979
Articulus II.
De Causis excusantibus ab Auditione Missæ. 981

Disputatio XI.
De Sacramento Ordinis. 982
Articulus I.
An, quid, & quotuplex sit Ordo? 982
Articulus II.
An omnes Ordines sint Sacramenta? 985
Articulus III.
Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Ordinis? 987
Articulus IV.
De Ministro Sacramenti Ordinis. 993
Articulus V.
De Subjecto, & Effectibus Sacramenti Ordinis. 995

PARS VI.
De Sacramento Pœnitentiæ, & Extrema Unctione. 999

Disputatio I.
De Existentia, & Necessitate Sacramenti Pœnitentiæ 1000
Articulus I.
De Existentia Sacramenti Pœnitentiæ, 1000
Articulus II
De Necessitate Sacramenti Pœnitentiæ. 1002

Disputatio II.
De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ generatim. 1004
Articulus I.
Statuitur, quæ sit Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 1004
Articulus II.
Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ. 1006
§. I. Statuitur Materia proxima. 1006
§. II. Statuitur Materia remota. 1007
§. III. An etiam peccata mortalia dubia sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ? 1010
§. IV. Corollaria ex dictis. 1017

Disputatio III.
De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 1019
Articulus I.
In quibus verbis essentialiter consistat Forma Absolutionis? 1019
Articulus II.
Qualem sensum habeant verba Absolutionis? 1021
Articulus III.
An Absolutio Sacramentalis impertiri possit absenti? 1022

Disputatio IV.
De Actu Contritionis. 1024
Articulus I.
De Contritione in genere. 1024
§. I. In quonam actu formaliter consistat Contritio? 1024
§. II. Quale propositum ad dolorem sit necessarium? 1026
§. III. Quale debeat esse propositum vitandi occasiones peccandi? 1027
§. IV. Quale propositum requiratur, in Confessione venialium? 1030
Articulus II.
De Contritione perfecta. 1031
§. I. An perfecta Contritio includat actum dilectionis Dei? 1031
§. II. Quanta debeat esse Contritio? 1033
§. III. Quando elicienda sit Contritio? 1037
Articulus III.
De Contritione imperfecta, sive Attritione 1039
§. I. An Attritio ex metu Gehennæ sit actus laudabilis & honestus? 1039
§. II. An

§.II. An Attritio intra Sacramentum sit sufficiens dispositio ad justificationem? 1042
§.III. An Attritio, ut sit sufficiens ad effectum Sacramenti, debeat esse universalis? 1047
§.IV. An aliquis dolor sufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sit insufficiens ad effectum ejusdem? 1049
§.V. De quibusdam conditionibus requisitis, ut dolor sit pars hujus Sacramenti. 1051

Disputatio V.

De Confessione. 1054

Articulus I.

De Præcepto Confessionis. 1054

Articulus II.

De Conditionibus requisitis ad Confessionem rectè instituendam. 1059
§.I. Qualiter Confessio debeat esse integra? 1059
§.II. Qnænam generatim circumstantiæ peccatorum ad integritatem Confessionis pertineant? 1062
§.III. Quænam in particulari circumstantiæ explicandæ sint in Confessione; 1065
§.IV. Quænam excusent ab integritate materiali Confessionis? 1069
§.V. Qualis integritas Confessionis sufficiat in periculo, seu articulo mortis? 1072
§.VI. Qualiter Confessionem oporteat esse fidelem? 1075
§.VII. Quomodo Confessio debeat esse secreta? 1076

Articulus III.

De Satisfactione Sacramentali. 1077
§.I. De obligatione imponendi Satisfactionem. 1077
§.II. Qualis & quanta injungi debeat Pœnitentia? 1079
§.III. De obligatione acceptandi, & peragendi Pœnitentiam. 1081
§.IV. De Commutatione Pœnitentiæ. 1083

Disputatio VI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Articulus I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ? 1085

Articulus II.

De Approbatione Confessarii. 1087

Articulus III.

De Jurisdictione Confessarii. 1089

Articulus IV.

De Reservatione casuum. 1092
§.I. Definitio, divisio, causa efficiens, & materia Reservationis. 1092
§.II. De Absolutione à Casibus reservatis. 1096

Articulus V.

De obligatione Sigilli. 1100
§.I. Qualis, & quanta sit obligatio Sigilli? 1100
§.II. Quæ sit materia Sigilli? 1103
§.III. Quinam teneantur obligatione Sigilli? 1104
§.IV. Resolvuntur nonnullæ quæstiones. 1106

Articulus VI.

De Scientia & Prudentia Confessarii. 1110

Disputatio VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Articulus I.

De Institutione, & Definitione hujus Sacramenti. 1113

Articulus II.

De Materia & forma hujus Sacramenti. 1115

Articulus III.

De subjecto, sive suscipiente hujus Sacramenti. 1117

Articulus IV.

De Ministro hujus Sacramenti. 1121

Articulus V.

De effectibus hujus Sacramenti. 1123

PARS SEPTIMA.

De Sacramento Matrimonii. 1124

Disputatio I.

De Sponsalibus. 1124

Articulus. I.

Quid sint sponsalia? 1124

Articulus II.

Explicantur conditiones ad Sponsalia requisitæ. 1126
§.I. Qualiter Sponsalia debeant esse promissio voluntaria & deliberata? 1126
§.II. Quomodo Sponsalia debeant esse promissio mutua? 1127
§.III. Quomodo Matrimonium futurum sit materia sponsalium? 1130
§.IV. Qualiter Sponsalia debeant esse promissio signo aliquo sensibili expressa? 1132
§.V. Quænam personæ sint habiles ad Sponsalia? 1133

Articulus III.

De obligatione Sponsalium. 1136

Articulus IV.

De Dissolutione sponsalium. 1139
§.I. De Causis, ob quas Sponsalia ipso Jure dissolvuntur. 1139
§.II. De Causis, ob quas à sponsalibus resilire licet. 1143

Disputatio II.

De Natura & Proprietatibus Matrimonii. 1140

Articulus I.

An Matrimonium sit per se res bona & licita? 1149

Arti-

Articulus II.

In quo formaliter consistat Matrimonium; & quomodo dividatur. 1150

Articulus III.

De Consensu Matrimoniali. 1152
§. I. Qualis Consensus ad matrimonium requiratur? 1152
§. II. De conditionibus consensui Matrimoniali adjectis. 1155
§. III. An inter Beatiss. Virg. & S. Josephum fuerit verum Matrimonium? 1159

Articulus IV.

De Matrimonio, ut est Sacramentum. 1162
§. I. De Materia, forma & Ministro hujus Sacramenti. 1162
§. II. Resolvuntur variæ Quæstiones huc pertinentes. 1164

Articulus V.

De Solennitatibus Matrimonii. 1167
§. I. Præmittuntur, quæ certa sunt. 1167
§ II. Resolvuntur variæ quæstiones de Præsentia Parochi & testium. 1168
§. III. De Denuntiationibus, & Benedictione Nuptiarum. 1173

Articulus VI.

De Proprietatibus Matrimonii 1177
§. I. De Unitate Matrimonii. 1177
§. II. De Indissolubilitate Matrimonii. 1179
§. III. De Divortio. 1182

Disputatio III.

De Impedimentis Matrimonii. 1185

Articulus. I.

De Impedimentis Matrimonii impedientibus tantum. 1185

Articulus II.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium. 1188
§. I. De impedimento erroris & conditionis servilis. ibid.
§. II. De Impedimento, Voti & ordinis. 1190
§. III. De Impedimento Cognationis. 1192
§. IV. De Impedimentis affinitatis, publicæ honestatis, & Ligaminis. 1195
§. V. De Impedimento Criminis. 1201
§. VI. De Impedimento Impotentiæ. 1203
§. VII. De reliquis Impedimentis dirimentibus, 1205

Articulus III.

Resolvuntur nonnullæ quæstiones ad prædicta pertinentes. 1207

Disputatio. IV.

De iis, quæ pertinent ad usum Matrimonii. 1209

Articulus. I.

De debito, ac licito usu Matrimonii. ibid.

Articulus II.

De Usu Matrimonii non licito. 1211

Articulus III.

De Usu matrimonii non debito. 1213

DISPUTATIO I.

De Conſcientia in genere.

Conſcientia, ſi attendatur communis & vulgaris acceptio, eſt illud internum animi teſtimonium, quo quis ſibi conſcius eſt de bene, vel malè factis, & propter illa ſibimet probatur; de iſtis verò arguitur, accuſatur & angitur. In hac acceptione ſacra quoque Scriptura de Conſcientia ſæpius loquitur, ut Geneſ. 43. *Non eſt in noſtra conſcientia, quis poſuerit eam* (nempe pecuniam) *in marſupiis noſtris.* Et Eccleſ. 7. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis.* Rom. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientia eorum.* 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hujus jam definitionem ac diviſionem ſtatuamus.

ARTICULUS I.

Quid ſit Conſcientia?

SUMMARIUM.

1. Conſcientia quid nominis? 2. Definitio Conſcientiæ. 3. Solvitur duplex Objectio. 4. Conſcientia nec eſt actus Syntereſis, nec Scientiæ Moralis. 5. Eſt actus prudentiæ, vel imprudentiæ. 6. Ad formandam Conſcientiam alii quoque habitus concurrunt. 7. Varii actus & munera Conſcientiæ.

1 IN nominis etymologia Conſcientia non omnibus eſt eadem. Nam primo, quibusdam idem ſonat, quod *cordis ſcientia*, eò quòd ſoli homini ex creaturis pateat. Et hæc ſignificatio placuit S. Bernardo in lib. de Conſcient. cap. 4. ſi tamen Bernardi eſt ille liber. Secundo, Sylveſter in Summa. verbo *Conſcientia*. n. 1. derivat à *concluſione* & *ſcientia*, ita ut Conſcientia idem ſit, ac *Concludens ſcientia*. Tertio. D. Thomas deſumit ab ordine ſcientiæ ad aliquid, & docet 1. p. q. 79. a. 13. & q. 17. de Verit. a. 2. Conſcientiam idem eſſe, ac *cum alio ſcientiam*. Dicit enim, *quòd Conſcientia addit ſupra ſcientiam applicationem ſcientiæ ad actum particularem.* Atque poſtremus hic modus explicandi eſt magis proprius, quàm reliqui, quemadmodùm poſt S. Doctorem communiter tenent Authores, teſtante Conet, de Conſc. prob. a. 1. n. 2. Et hæc de vocabulo. De re ipſa.

Dico. Conſcientia eſt *dictamen practicum intellectus dictans, quid hic & nunc agendum, vel non agendum ſit.* Explicatur definitio. Dicitur primo *dictamen*: quia Conſcientia eſt quædam intimatio, & annuntiatio æternæ legis, ceu ſupremæ morum regulæ, à qua omnis eorum honeſtas derivatur. Dicitur ſecundo *practicum*: quia finis ipſius non eſt veritas, ſed actio moralis, bona quidem, ut fiat; mala, ut non fiat. Et ideo dicitur, tertio, *quid hic & nunc &c.* ut deſignetur objectum Conſcientiæ, videlicet humana operatio ut hîc & nunc in individuo exercenda, atque adeò omnibus circumſtantiis circumdata. Additur etiam *intellectus* contra quosdam antiquos; qui ſenſerunt, Conſcientiam formaliter non tantùm conſiſtere in actu intellectûs, ſed etiam includere actum voluntatis. Ut totam definitionem adhuc clariùs percipias, habe exemplum: Sacerdos audita confeſſione pœnitentis ante abſolutionem ita ſecum, ſi non expreſsè, ſaltem implicitè, & virtualiter diſcurrit: pœnitentem, quem prudenter judico debitè diſpoſitum, licitè abſoluo: ſed hunc pœnitentem hic & nunc prudenter judico eſſe debitè diſpoſitum (dum nempe edit ſigna doloris, propoſiti &c.) ergo ipſum hîc & nunc licitè abſoluo. Concluſio hujus diſcurſus eſt ipſa, de qua loquimur, Conſcientia. Nam inprimis eſt dictamen practicum; quia dictat, intimat, ac regulat

gulat actionem moralem. Deinde versatur immediatè circa opus, scilicet absolutionem Sacramentalem, ut hîc & nunc, inspectis omnibus circumstantiis exequendam.

3 Objicies. Bonum & malum pertinent ad voluntatem: sed Conscientia dicitur bona vel mala; ergo pertinet ad voluntatem; ergo consistit in actu voluntatis. Deinde. Exstimulare & instigare ad prosecutionem boni est munus proprium Conscientiæ: sed instigare ad bonum spectat ad voluntatem; ergo &c.

Respondeo ad primum dist. mai. bonum & malum intrinsecè & subjectivè pertinet ad voluntatem, conc. extrinsecè, objectivè, vel directivè, neg. maj. atqui Conscientia dicitur bona vel mala extrinsecè, objectivè, vel directivè, quatenùs regulat & dirigit operationem bonam vel malam moraliter. Et in hoc sensu bonum vel malum dicitur etiam de intellectu practico per illud Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

In altero similiter dist. maj. instigare ad prosecutionem boni impulsivè est munus proprium Conscientiæ, neg. directivè, intimativè & præceptivè, conc. maj. atqui non hoc, sed priori modo instigare spectat ad voluntatem. Ex dictis.

4 Colligitur primò, Conscientiam formaliter neque consistere in actu synteresis, neque scientiæ moralis. Ratio primi est: quia actus Synteresis sunt prima & universalissima agendorum principia à particularibus actionum circumstantiis præcisa, v.g. *Deus est colendus. Bonum honestum est amplectendum.* Item illud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Atqui Conscientia non est principium, sed conclusio discursus practici de operatione in particulari. Ratio secundi est: quia licèt illi actus esse possint conclusiones particulares ex principiis Synteresis deductæ, non tamen regulant actionem humanam ut hîc & nunc sub determinatis in individuo circumstantiis exercendam, suntque & ipsi, ut rectè advertit Laymann, diverso respectu moralia quædam axiomata atque honestè vivendi regulæ.

5 Colligitur secundo, dictamen rectæ Conscientiæ esse actum prudentiæ, non rectæ, actum imprudentiæ. Ratio est: quia prudentia est *recta ratio agibilium.* Unde ab ejus directione provenit omnis honestas, quæ in opere sub particularibus circumstantiis exercendo reperitur. Prudentiæ quoque munus est, quis consideratis omnibus circumstantiis causæ, loci, temporis, &c. hîc & nunc licitè fieri possit, ac debeat, statuere, atque concludere. Atqui hæc conclusio est ipsissima Conscientia; ergo. Cæterum, quia solet contingere, ut Conscientia erret, illudque licitum esse pronunciet, quod re ipsa non est licium; quemadmodum videbimus disp. seq. attendi debet, num error culpabilis, an inculpabilis sit? si inculpabilis; judicium confessarii adhuc erit actus prudentiæ. Patet hoc in Confessario, qui pœnitentem prudenter absoluit etiam re ipsa indispositum, quando rationabiliter induat, eum esse dispositum. Si error sit culpabilis; dictamen Conscientiæ erit actus imprudens: veluti si Confessarius ob ignorantiam improbabilem seu vincibilem judicat, pœnitentem esse dispositum, ac dignum absolutione, dum re ipsa est indispositus.

6 Colligitur tertio, dum eliciuntur præmissæ discursus practici, ex quibus infertur dictamen Conscientiæ, varios habitus concurrere. Rem vide in exemplo. Deliberas, an tempore Quadragesimæ tibi liceat comedere carnes? atque ita discurris: is, cui ex abstinentia carnium imminet probabile periculum sanitatis, à carnibus licitè non abstinet; sed mihi ex abstinentia carnium hîc & nunc imminet probabile periculum sanitatis; ergo à carnibus hîc & nunc licitè non abstineo. In hoc Syllogismo Majorem formavit scientia moralis deductam ex illo principio: *Leges positivæ cum gravi incommodo ordinariè non obligant.* Minorem subsumpsit vel scientia experimentalis, vel medica, vel fides humana, qua Medico periculum prædicenti credidisti. Conclusionem & Conscientiam intulit prudentia.

7 Colligitur quarto, Conscientiam primariò quidem versari circa actiones futuras; secundariò tamen circa præsentes & præteritas. Ratio est quia Conscientia ceu regula morum ex suo primario munere habet dictare, num actio sit ponenda, vel non ponenda? ex quo ipso consequitur secundariò, ut vel in actuali exercitio operis, vel opere jam peracto rem bene gestam approbet, malè gestam exprobret, incuset, redarguat. Ex primo oritur gaudium, consolatio, tranquillitas animi atque excelsa in rebus adversis securitas, quam unicè tribuit illud æs triplex circa pectus, & murus aheneus

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Ex altero contrà nascitur quædam funesta tristitia, anxietas, perturbatio animi, diurna, nocturnaque formido & suiipsius & futurorum: quando ejusmodi hominem vel in profundis tenebris, dum res cæteræ placidè quiescunt,

-- -- assiduis circumvolat alis
Sæva dies animi, scelerumque in pectore Diræ.

Facile jam est actus, & varia munera Conscientiæ enumerare. Illa D. Thomas 1. p. loco in n. 1. cit. ad tria capita reducit juxta triplicem modum, quo scientiam, vel cognitionem nostram ad eas quæ agimus, applicare solemus. Aut enim recognoscimus, & judicamus, aliquid à nobis esse factum, vel non

esse

eſſe factum: aut aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum: aut aliquid, quod factum eſt, eſſe bene, vel malè factum. Si primum; Conſcientia dicitur teſtificari, ſecundùm illud Rom. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientia eorum:* & commune proverbium, *Conſcientia mille teſtes.* Si ſecundum; Conſcientia voluntatem vel inſtigat ad opus, ejúsve omiſſionem: vel ligat, id eſt, obligat, ita ut non poſſit aliud ſine peccato facere aut omittere, quàm illud, quod Conſcientia faciendum aut omittendum eſſe dictat. Et hoc ſenſu dicitur Rom. 14. *Omnè, quod non eſt ex fide*, id eſt, quod fit contra Conſcientiam, *peccatum eſt.* Aut etiam ſoluit, hoc eſt, deobligat voluntatem ab operis executione, ſive ejusdem omiſſione. Si denique tertium; Conſcientia dicitur nos commendare, accuſare, excuſare, reprehendere, remordere &c. prout nempe vel bene vel malè nos quid feciſſe, aut omiſiſſe conſtat.

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit Conſcientia?

SUMMARIUM.

1. *Diviſio Conſcientiæ in 5. membra.* 2. *Conſcientia dubia non eſt formaliter Conſcientia.* 3. *Conſcientia ſcrupuloſa reduci poteſt vel ad dubiam, vel erroneam.* 4. *Quid ſit Conſcientia bona vel mala?*

1 DIviditur Conſcientia communiùs in quinque membra, ſcilicet, in Rectam, Erroneam, Dubiam, Probabilem, & Scrupuloſam. Recta Conſcientia, quæ etiam Vera, ac Certa dicitur, eſt illa, quæ dictat eſſe licitum, quod eſt revera licitum, & illicitum, quod eſt illicitum. Erronea eſt, quæ dictat eſſe licitum, quod eſt illicitum, & illicitum, quod eſt licitum. Dubia eſt, quæ de neutra parte contradictionis judicat, ſed circa utramque ſuſpendit ſententiam. Probabilis, ſive opinativa eſt, quæ de una parte contradictionis determinatè judicat, ſed cum formidine oppoſiti. Scrupuloſa eſt apprehenſio, ſive judicium vel nulla; vel leviſſima ratione nixum, cum anxietate & formidine conjunctum, ne alicubi ſit peccatum, ubi tamen nullum eſt. De his omnibus Conſcientiis agemus deinde fuſiùs. Interim.

2 Obſervandum eſt, Conſcientiam dubiam non eſſe propriè & formaliter Conſcientiam, ſed impropriè tantùm, ac reductivè. Ratio ex dictis priori artic. eſt: quia Conſcientia formaliter eſt dictamen & regula operandi. At qui Conſcientia dubia non eſt dictamen aut regula: cùm nihil dictet, præcipiat, judicet, vel regulet; ſed intellectum conſtituat ambiguum, ac veluti pendulum inter utramque partem contradictionis: ergo Conſcientia dubia non eſt formaliter Conſcientia. Dicitur tamen Conſcientia reductivè: quia ſaltem poteſt eſſe diſpoſitio, & inchoatio quædam practicæ conſultationis, ex qua oriri atque formari ſolet conſcientia formaliter & propriè dicta.

3 Atque hinc ſatis conſtat, diviſionem Conſcientiæ in quinque relata membra ad rigorem Dialecticum non eſſe exactam. Nam & ſcrupuloſam conſcientiam vel ad dubiam, vel ad erroneam facilé reduxeris. Ad dubiam quidem, quando ſcrupuloſus ex ſuis leviſſimis fundamentis, quibus innititur, ad nullum determinatum judicium procedit, ſed anxius ſolùm atque ambiguus circa honeſtatem vel inhoneſtatem operationis fluctuat. Ad erroneam verò ſpectabit, quando ſcrupuloſus ob ſua leviſſima motiva judicat, operationem eſſe illicitam quæ revera eſt licita.

Huc addi denique poteſt diviſio Conſcien- 4
tiæ in bonam & malam, fortè Aſcetis & Verbi Divini prædicatoribus, quàm ſcholis notior. Bona Conſcientia eadem, quæ pura, munda, tranquilla, in eo reperitur, qui nullius criminis ſibi eſt conſcius, ſed integer vitæ, ſcelerisque purus ſe ipſo, rectéque à ſe factis jucundiſſimè fruitur. Talem ſibi obtigiſſe fatetur Apoſtolus Actor. 2. inquiens: *Ego, fratres, omni conſcientia bona apud DEUM converſatus ſum.* Hac Conſcientia nihil lætius in adverſis: quia, ut dicit Sapiens, *ſecura mens quaſi juge convivium*: nihil fortius in periculis. Nam &,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidam ferient ruinæ.

Nihil recti tenacius: quippe quam nec ſpes, nec metus, nec ulla crudelitatis acerbitas ab honeſti tramite unquam dimoverit. Nihil adversùs invidiam & malevolentiam infractius, dum ſui ſecura cuivis ringenti, lividóque obtrectatori intrepidè occinit illud Magni Auguſtini ad ſecundinum Manichæum: *ſenti de Auguſtino, quidquid libet: ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.* Mala econtra Conſcientia illum vexare dicitur, qui noxæ vel præſentis, vel præteritæ causâ angitur. Vocatur hæc Conſcientia immunda, inquinata, perturbata, &, ut habetur 1. ad Tim. 4. cauteriata. Nihil illâ funeſtius, crudelius, atque acerbius. Quàm ſit infelix, quem hæc domeſtica furia, hic vivus equuleus, & interna carnificina exagitat, cruciat, lancinat, ſi Deum, tuamque ſalutem amar, cave experiaris.

DISPUTATIO II.

De Conscientia Recta & Erronea.

Quia oppositorum est eadem disciplina, utramque hanc Conscientiam in præsenti placet simul exponere. Et quidem, ut incipiamus à posteriore, fatentur omnes, Conscientiam erroneam dividi in vincibiliter, & in invincibiliter erroneam; juxta qualitatem videlicet ignorantiæ, quæ vel vincibilis, vel invincibilis esse potest, & ratione cujus Conscientia errare dicitur. Verùm cùm non omnibus liqueat, quarum rerum apud homines sit invincibilis ignorantia, operæ pretium est super hoc argumento impræsentiarum differere. Sit igitur

ARTICULUS I.

Quarum rerum invincibilis detur ignorantia?

§. I.

Explicantur termini.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit ignorantia puræ negationis, privationis, & pravæ dispositionis? 2. Quid ignorantia juris & facti? 3. Quotuplex sit ignorantia juris? 4. Quid sit ignorantia vincibilis? quid invincibilis? 5. Quomodo hæ duæ sint dignoscendæ?*

1 QUædam ignorantia puræ negationis dicitur, estque curentia scientiæ in subjecto ad sciendum non apto; vel simpliciter, ut in lapide; vel pro certo tempore, statu &c. ut in infante vel amente. Et hæc est nescientia potiùs, quàm veri nominis ignorantia; ut censet D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. habetque locum in Angelis, quos cùm multa lateant, quæ nosse minimè possunt, ea nescire potiùs, quàm ignorare dicendi sunt. Cæterùm ignorantia propriè dicta, dividitur in eam, quæ est privationis; & in eam, quæ est pravæ dispositionis. Prior est carentia scientiæ in subjecto apto ad sciendum; qualis est in homine âdulto & rationis compote, dum res illas, quas scire potest, ignorat. Posterior est deceptio & error positivus in eo, qui judicat, aliter rem esse, quàm est: sicuti faciunt hæretici, Judæi &c. Differt igitur ignorantia privationis ab ignorantia pravæ dispositionis, quod hæc præter curentiam scientiæ veritatis importet adhæsionem positivam intellectûs ad falsitatem contrariam; illa verò consistat in sola curentia scientiæ, quam quis potuit, aut debuit habere.

2 Alia præterea est ignorantia juris, alia facti: quas Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. vocavit ignorantiam universalium & particularium. Ignorantia juris est, qua quis ignorat legem, vel præceptum superioris aliquid præcipientis, vel prohibentis. Ignorantia facti est, qua quis ignorat ipsam rem præceptam, ejúsve conditionem, ex qua actio moralis quoad suam bonitatem, vel malitiam dependet. V. g. si quis ignorat, lectionem libri hæretici esse prohibitam; vel abstinentiam à carnibus die Veneris esse præceptam ab Ecclesia, is habet ignorantiam juris. Si verò sciat, libros hæreticos esse prohibitos, vel abstinentiam à carnibus die Veneris esse præceptam, nesciat tamen, certum aliquem librum esse hæreticum; vel cibum, quem comedit, esse carnem, tunc laborat ignorantiâ facti.

3 Porro ignorantia juris tot modis dividitur, quot jura ignorari contingit. Jus autem ad præsens institutum est triplex; videlicet Naturale, Divinum positivum, & Humanum. Jus naturale, prout communiter, sumunt Morales Theologi, est illud dictamen, seu lumen rationis creaturæ rationali à Deo Authore naturæ inditum, quo, quid faciendum, vel omittendum sit, cognoscat. De illo dicitur Rom. 2. *Gentes, quæ legem* (scriptam nimirum) *non habent, naturaliter* (id est, ex dictamine rationis naturalis) *quæ legis sunt, faciunt.* Dicitur quandoque jus Divinum. Deus enim ipse, qui naturam condidit, juris hujus est Author & Institutor. Quòdsi referatur ad tempus sui ortus, naturale dicitur. Nam unà cùm natura nascitur, & non postea aliqua Divina, vel humana auctoritate conditur. Quocirca, licèt ejus præcepta in Decalogo inveniantur, tamen ante Decalogum lapideis inscriptum tabulis erat scriptum in tabulis humani cordis, nostræque naturæ congenitum;

Jus Divinum positivum est, quod naturæ non necessariò conjunctum ad regendos homines Deus pro tempore instituit. Tale jus erat

erat lex vetus, sive Mosaica, de cæremoniis, ritibus Sacrificiorum, ordine judiciorum &c. apud Judæos. Tale quoque est hodie lex nova, sive Evangelica, continens præcepta circa fidem, Sacrificium, administrationem, & susceptionem Sacramentorum &c. Jus humanum est illud, quod conditur auctoritate humana; eaque vel Ecclesiastica; & dicitur jus Ecclesiasticum; vel civili; & dicitur jus civile. Atque de omnibus his juribus, eorumque præceptis dari quandoque ignorantiam, nemo, quem sciam, diffitetur. Quare, ut ad id, de quo dubitatur, propiùs accedamus,

4 Nota ulteriùs, ignorantiam aliam esse invincibilem, aliam vincibilem. Invincibilis est, quæ adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem superari, ac tolli non potuit; idque ex istis capitibus, quod vel non dubitet homo de opposito, nec cogitet de ulla obligatione inquirendi: vel, quamvis ejusmodi obligatio venerit in mentem, facta tamen sufficienti inquisitione cognitio veritatis acquiri non potuerit. Exemplum habes, si rusticus v. g. legat librum hæreticum, de quo vel non dubitat, nec cogitat esse hæreticum; vel, si dubitavit, & interrogavit Parochum, hic respondit, librum non esse hæreticum. Sanè hic rusticus non potuit adhibita morali diligentia venire in cognitionem veritatis, & consequenter laborât ignorantia invincibili. Hæc ignorantia etiam dici solet antecedens: eò quòd antecedat omnem actum voluntatis, sitque proinde nec directè, nec indirectè voluntaria. Unde ulteriùs vocatur inculpabilis, justa, probabilis: quia nempe reperitur in homine citra omnem culpam, atque ex illa operans excusatur ab omni peccato: sicut infrà pluribus dicetur.

Ignorantia vincibilis est, quæ morali diligentia superari ac tolli potuisset. Solet vocari consequens: quia sequitur actum voluntatis vel directum, vel interpretativum; adeoque vel directè, vel indirectè, vel interpretativè est voluntaria. Quare præterea appellatur injusta, improbabilis, culpabilis: quæ epitheta tunc ei conveniunt, quando est circa rem cognitu necessariùm, quamque operans scire tenetur. Ex quo apparet, non omnem ignorantiam vincibilem, & quam quis vitare potuit, imputari ad culpam; sed quam potuit & debuit. Hinc ego innocenter ignoro, quid rei contineant nova heri ab aliis lecta. Nam licèt hoc scire potuissem facillimè, si placuisset interrogare; scire tamen non debui; quia nulla lege ad vitandam similium ignorantiam obligor.

Cæterùm, quæ dicta sunt hactenùs de ignorantia, debent etiam intelligi de inadvertentia & oblivione. Potest igitur oblivio & inadvertentia dividi, sicut ignorantia, in invincibilem & vincibilem: item in eam, quæ est juris, & quæ est facti, atque in alia membra antè recensita.

Ex dictis jam facilè colligitur, unde quis 5 possit dignoscere ignorantiam vincibilem & invincibilem, unamque discernere ab altera. Ut ignorantia quæpiam, sive juris sive facti, sit invincibilis, nulla cogitatio, dubitatio, vel suspicio de illa re, quæ agitur, in intellectu operantis debet actualiter præcedere. Secùs enim, siquid ejusmodi venerit in mentem, v. g. si occurrat cogitatio, rem fortè esse malam, vel periculosam; vel esse magìs expendendam: vel si oriatur dubium de ejus honestate, jam non erit ignorantia invincibilis, sed vincibilis, & culpabilis; nisi fortè adhibita quoque sufficienti diligentia veritatis notitia haberi non possit. Atque ita de hac re sentiunt Sayrus lib. 2. Clavis reg. cap. 9. n. 20. Carolus de Baccis tract. 2. parte 2. sect. 1. n. 15. Castropalao tract. 2. disp. 1. pu. 15. n. 6. & alii, quos iidem referunt. Verùm quanta debeat esse diligentia, quæ sit sufficiens ad auferendam ignorantiam, non potest certâ regulâ determinari. Quare prudentum judiciô res ista, consideratis omnibus, quæ ad tale officium, objectum, vel præceptum attinent, est metienda. His ita positis, sit.

§. II.

Asseritur invincibilis ignorantia Facti, & Juris positivi, tam Divini quàm humani.

SUMMARIUM.

5. Sententia Guilielmi Parisiensis. 7. Statuitur invincibilis ignorantia facti. 8. Et juris positivi. 9. Hæc utraque ignorantia excusat à peccato.

DAri ignorantiam invincibilem facti ne- 6 gavit Guilielmus Parisiensis, in tract. de legibus. cap. 21. ut refert Sayrus in Clavi regia, cap. 9. n. 21. eo potissimus argumento persuasus, quòd homo, ut docebat, sit obligatus non solùm ad externam veritatis inquisitionem sitam in consultando, studendo &c. sed etiam ad fundendas ejusdem inveniendæ gratiâ preces, procurandamque Conscientiæ munditiem. His præstitis, ajebat, Deum nunquam pulsurum, ut quis erret in facto particulari. Itaque in sententia Guilielmi maritus, cui loco legitimæ conjugis clàm alia supponeretur, non teneretur quidem externâ diligentiâ explorare, quænam esset ea fœmina, quando bona fide crederet esse suam; si tamen interiùs per orationem & pœnitentiam esset bene dispositus, immutaretur divinitus cor suppositæ, ut se ipsam manifestaret, ne ex ignorantia fornicatio committeretur. Verùm hæc opinio hodie caret omni Sapientûm patro-

patrocinio, falsámque esse constabit ex dicendis. Itaque

7 Dico primo. Datur invincibilis ignorantia facti. Ratio est: quia illius ignorantia est invincibilis, de quo nulla cogitatio, dubitatio, suspicio, aut saltem confusa notitia in intellectu ignorantis existit; ut vidimus in præced. §. ergo illa facti ignorantia est invincibilis, de quo nulla cogitatio, dubitatio &c. in intellectu ignorantis existit. Atqui hoc frequenter contingit; ut probat experientia. Quod sanè mirum non est. Quid enim pronius, quàm circa tot particularia & contingentia, eorumque circumstantias hominem falli penitus incogitantem? Ita, qui in venatione explodens bombardam trajecit hominem existimans esse damam, non ignoravit quidem, esse illicitum necare hominem; at ignoravit, animal, quod percussit, fuisse hominem. Sic ementi equum v.g. furtô abactum certum esse potest, emptionem rei furtivæ esse prohibitam: at idem ignorat invincibiliter, equum, quem emit, esse furtô abactum: cùm nulla in mentem veniat prudens ratio dubitandi, aut interrogandi venditorem. Sic edens, vel alteri porrigens cibum re ipsa venenatum optimè novit, vesci hujusmodi cibo, eumve præbere alteri, esse peccatum: at ignorat hîc & nunc, cibum esse venenatum, idque invincibiliter: quia nulla de hoc cogitatio, dubitatio, vel levissima conjectura occurrit.

8 Dico secundo. Datur etiam invincibilis ignorantia juris positivi tam civilis, & Ecclesiastici, quàm Divini. Ita communiter omnes Doctores. Ratio primi & secundi est: quia notitia juris positivi humani, ejusque legum, ac statutorum omnium singulis hominibus non est possibilis. Legum siquidem humanarum præcepta non ità connectuntur cum legis naturalis communibus principiis, ut ex iis inferri possint per discursum; sed potiùs dependent ex voluntate & libera ordinatione legislatorum. Aliunde autem (v.g. lectione librorum, vel interrogatione peritorum) cognitionem eorum omnium comparandi sæpe multis occasio atque facultas non suppetit. Unde facilè contingit, ut talibus aliquæ leges humanæ ne quidem in mentem unquam veniant, neculla de illis cogitatio, vel dubitatio suboriatur. Sed hoc est illas ignorare invincibiliter; ergo Ratio tertii est: quia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1, dantur infideles negativè, id est, ejusmodi, ut eis infidelitas non imputetur ad peccatum: sed isti laborant ignorantia invincibili juris Divini positivi: quippe, qui inter infideles nati ac educati ob defectum prædicationis nihil unquam audierunt de lege Evangelica; nec aliquid de fidei nostræ mysteriis percipere potuerunt.

9 Dico tertio. Ignorantia invincibilis facti, & juris positivi tam Divini quàm humani excusat à peccato. Ita communissimè DD. cum D. Thoma 1. 2. q. 76. a. 3. Ratio est manifesta: quia opus ex tali ignorantia factum non est voluntarium: ergo non est peccatum. Consequentia patet. nam *usque adeò* (ait S. Augustinus lib. de vera Relig. cap. 14.) *peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et sanè voluntarium esse de ratione peccati, est implicitè definitum à tribus Pontificibus, Pio V. Gregor. XIII. & Urbano VIII. qui damnârunt hanc propositionem Michaëlis Bay: *ad rationem & definitionem peccati non pertinet ratio voluntarii.* Prob. jam Ant. Omne voluntarium debet esse cognitum: quia nihil volitum, nisi præcognitum. Sed opus ex ejusmodi ignorantia factum non est cognitum: cùm hæc ignorantia omnem illius cognitionem removeat; ergo tale opus non est voluntarium.

Confirmatur. Opus. v.g. homicidium, ex invincibili ignorantia patratum neque est voluntarium in se, neque in causa: ergo non est voluntarium. Consequentia constat. Ant. prob. non in se; quia in se nullo modo est cognitum, non in sui causa, videlicet ignorantia; quia ista, sicut est penitus non volita, ita non potest esse causa voliti, sive voluntarii.

§. III.

An detur invincibilis ignorantia Juris naturalis?

SUMMARIUM.

10. *Triplex genus præceptorum naturalium.* 11. *Prima principia practica non possunt invincibiliter ignorari.* 12. *Neque ad longum tempus præcepta naturalia ex illis proximè deducibilia, si absolutè sumantur.* 13. 14. *An, & quomodo aliqui Gentiles ignoraverint præcepta Decalogi?* 15. *Hæc præcepta possunt invincibiliter ignorari, si cum certis circumstantiis conjungantur.* 16. *Adstruitur invincibilis ignorantia juris naturalis quoad conclusiones remotas, & probatur ejus existentia ratione.* 17. *ab experientia.* 18. *ab absurdis sententiæ contrariæ.* 19. 20. 21. 22. *Proponuntur & solvuntur Objectiones.*

10 DAri hanc ignorantiam multi negârunt antiqui Theologi, ut refert Sayrus in Clavi. lib. 2. cap. 9. n. 16. Horum sententiam præter alios recentes Theologos amplectitur P. Vincentius Contenson, eamque acriter defendit tomo 3. dissert. 6. cap. 1. Specul. 1. Verùm sententia contraria, sicut hodie communis est, ita & vera censeri debet. Quæ ut intelligatur, notandum est, juris naturalis præcepta esse in triplici differentia. Quædam sunt prima & universalissima morum princi-

pia-

pia: ut, *bonum est faciendum: malum fugiendum.* Item: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & illud. *Summum bonum est amandum.* Quædam ex his per se notis principiis immediatè, ac citra operosam investigationem facillimo discursu colliguntur; sicut ea, quæ sunt expressa in Decalogo. Demum alia ita se habent, ut ex primis principiis, vel Decalogi præceptis non nisi mediatè, remotè, per studium, atque difficilem discursum inferantur. Talia sunt: *simplex fornicatio est vitanda; injuriam tibi illatam propria authoritate ne vindica.* Hæc & similia, cùm à communibus morum principiis multùm distent, non cuivis humano Intellectui, etiam post accuratam veritatis inquisitionem clarè innotescunt; sicut vel inde colligitur, quòd constet, non solùm Ethnicos, atque indoctos, sed etiam Christianos, doctosque fuisse inventos, qui crederent, illa jure naturæ non esse prohibita. Exempla referemus paulò inferius. Nunc

11 Dico primo. Jus naturale quoad prima principia practica ab adulto rationis compote non potest invincibiliter ignorari. Ratio est manifesta: quia prima principia morum v. g. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: parentes sunt honorandi &c.* non minùs per se, & en sola terminorum apprehensione sunt evidentia, quàm prima principia Metaphysica: *quodlibet est, vel non est: totum est majus sua parte &c.* Ergo sicut hæc nemo rationis compos, penetratis terminis, ignorat invincibiliter, ita nec illa: ergo vera est assertio.

Atque hæc est ratio, propter quam SS. Patres passim dicunt, legem naturalem à Deo scriptam esse in cordibus hominum, nec ignorari posse à quoquam. Sic Augustinus in Ps. 118. conc. 25. *Nullus est*, inquit, *qui facit alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non finitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Et noster Veneb. Beda in eundem Psal. *Planissimum & apertissimum est omni homini illud præceptum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hieronymus in Epist. ad Algas. *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco justum Dei judicium est scribentis in corde humani generis: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

12 Dico secundo. Præcepta naturalia secundi generis, qualia sunt, quæ exprimuntur in Decalogo, quamvis absolutè considerata non possint ignorari invincibiliter longo tempore, possunt tamen sic ignorari, si occurrunt cum aliqua certa circumstantia.

Prima pars Concl. ostenditur. Nam licèt ea præcepta non sint prima & immediata principia juris naturalis, sunt tamen conclusiones ita immediatæ, & ex illis evidenter inferibiles, ut vel levissima diligentia, qualem in dubio nemo non tenetur adhibere, ad illarum illationem sufficiat: ergo evidens est, adhibita morali diligentia neminem rationis compotem, latere dicta præcepta; & consequenter non posse ignorari invincibiliter. Conseq. patet. Antec. declaro: Hæc propositio: *Summum bonum est amandum*, est primum principium Syntereseis, & axioma lumine naturæ notum. Fac aliquem huic veritati assentiri. Quid jam facilius homini Deum non ignoranti, quàm subsumere: *Deus est summum bonum?* hoc autem facto naturaliter & evidenter sequitur: *ergo Deus est amandus: ergo nulla blasphemia offendendus: ergo certo tempore colendus.* Sed istæ conclusiones sunt præcepta primæ tabulæ; ergo præcepta primæ tabulæ facillimè & evidenter ex primo legis naturalis principio inferuntur. Eodem modo præcepta secundæ tabulæ deducuntur ex alio principio: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quid enim? an non statim ex illo sequitur: *ergo ne occidas, ne mœcheris, ne furaris &c.* si paulùm in temet reflexus subsumas, quòd talia tibi fieri non velles?

13 Objicies. Multi Gentiles licita putarunt flagitia plurima, eaque enormia, quæ prohibentur in Decalogo; ergo istius præcepta non ita facilè deducuntur ex primis principiis practicis, sicut asserimus. Ant. ostenditur. Germani, ut refert Julius Cæsar lib. 6. de bello Gallico, olim furari credebant esse licitum. Lacedæmones quoque, ut est apud Plutarchum in vita Lycurgi, adulteria minimè existimabant prohibita. Hinc officii atque honoris contestatio erat, amicum amico suam uxorem communicare. Grammantici, gens Æthiopica, uti testatur Solinus cap. 43. histor. solas matres revereri, ac honorare; patribus verò nihil reverentiæ exhibere solebant. De Scotis narrat S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovin. eos, cùm per sylvas porcorum greges, pecorumque armenta reperissent, non in hæc, sed in pastores involasse, eorumque nates, fœminarum verò papillas abscidisse, hasque solùm ciborum delicias arbitratos. *Massagetes & Derbices* (pergit Doctor Maximus) *miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectam venerint, jugulantes devorant; rectius esse ducentes, ut à se potiùs, quàm à vermibus comedantur.* Similia narrat S. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. epist. ad Rom. Atqui hæc omnia manifestè repugnant præceptis Decalogi, eisque expressè prohibentur; ergo verum est Antec.

Respondetur, per inveteratam apud eos 14
populos peccandi consuetudinem factum
quidem

quidem esse, ut licita putaverint ejusmodi fœda atque nefanda: verùm id nostræ doctrinæ neutiquam obstare: quia ignorantia & error, in quo versabantur, erat vincibilis: nam poterant, ac debebant scire, illa opera esse mala: cùm hoc cognoscendi sufficientia in se haberent principia, ad quæ quia suapte malitia occæcati non respexerunt, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt, dicit Apostolus ad Rom. 1.

De pueris tamen usum rationis primùm adeptis, atque in illa morum seritate educatis dicendum est, eos memoratarum turpitudinum & vitiorum inhonestatem invincibiliter ignorare ad breve tempus potuisse; donec videlicet usum rationis paulatim pleniorem ac firmiorem consecuti se ipsos consulerent, quidque licitum, illicitumque esset, ex practicis morum principiis: *bonum est faciendum; malum vitandum: quod tibi non vis fieri &c.* Cujuslibet intellectui citra alienum magisterium naturaliter inditis discerent atque colligerent. Durum quippe videtur, eos pueros sub primum rationis crepusculum, ejusque lucem necdum satis firmam statim de culpabili ignorantia condemnare, si majorum, parentum, civiumque suorum moribus atque exemplis inducti scelera in objectione relata, quæ tanquam honesta prædicari ac perpetrari quotidie videbant, & ipsi approbaverint. Ad breve igitur tempus ignorari posse invincibiliter ipsa præcepta Decalogi, etiam absolutè considerata, non est negandum.

15 Jam posterior pars Conclus. n. 12. statutæ etiam probatur. Illa præcepta, quæ ex se clarè innotescunt, interdum ob circumstantias à peccato apparenter excusantes redduntur cognitu obscura: ergo potest contingere, ut aliquem intellectum lateant, & quidem longo tempore. Conseq. videtur legitima. Ant. ostenditur. Nam clarum est, mentiri esse peccatum: at non ita clarum est, id esse peccatum in necessitate ad conservandam vitam, vel suam, vel amici. Quapropter non defuerunt, qui in hujusmodi casibus id esse licitum etiam cum juramento existimarent: ut habet Vasquez apud Thyrsum Gonzalez de probabilit. Dissertat. 11. c. 5. n. 18. Clarum est, furtum repugnare justitiæ, & rectæ rationi. Verùm non omnibus statim liquet, esse prohibitum, nequis furetur malis divitibus ad largiendam eleemosynam bonis pauperibus. Similiter clarum est, semel, vel alterum, qui est innocens, occidere, facinus esse pessimum: non tamen est omnibus evidens, mortem sibi consciscere evitandi acerbissima tormenta, vel castitatem conservandi gratiâ esse culpabile. Demum, non est adeò cuivis apertum, esse peccatum interficere commilitonem in prælio gravissimè saucium, & absque spe vitæ cum morte inter maximos dolores luctantem, interficique enixè rogantem: quemadmodùm Saul 2. Reg. c. 1. rogâsse dicitur Amalecitem: *Sta super me, & interfice me.*

Dico tertio. Quoad præcepta à com- 16
munibus principiis practicis remota, seu conclusiones, quæ ex illis mediatè per operosam argumentationem inferuntur, sæpe datur invincibilis ignorantia juris naturalis. Ita communis sententia.

Probatur primo. Nullus Doctor, quantumcunque sanctus & sapiens, gaudet privilegio nunquam errandi in illis, quæ docet circa jus naturale; sicut constat experientiâ, & suadet ratio. Nam sæpe aliqua sunt jure naturæ prohibita, quorum malitia ita fugit humanam notitiam, ut viri plurimi & probi & docti existiment, esse licita, vel lege positiva solùm prohibita, aliis itidem probis & doctis oppositum sentientibus. Unde contingit, ut de eodem objecto ad jus naturale pertinente doceant opiniones contrarias. Ita D. Thomas docet, reum privatâ judicis scientiâ innocentem debere damnari ad mortem, si per allegata & probata in foro externo factus sit nocens. Alii hoc neque debere, neque posse fieri contendunt. Similiter (ut alia omittam) de pluribus contractibus est magna controversia inter gravissimos Doctores, sintne usurarii, vel Simoniaci, an non? alii affirmant, alii negant. Da igitur (quod reverà contingit) Doctores complures probos & sapienter sentire, contractum *A* esse usurarium; alios verò complures non minùs probos & sapienter sentire, contractum *A* non esse usurarium. Jam sic: in ista hypothesi alterutra sententia re ipsa est necessariò falsa & contra jus naturale: ergo alterutri Doctores re ipsa errant contra jus naturale, & consequenter versantur in ejus ignorantia.

Dices, versari quidem in ignorantia, sed vincibili. Quæso, quis ferat istud dicentem? cùm ejusmodi viri nonnisi post diligens studium, accuratam argumentorum utriusque partis discussionem, fusas quoque ad Deum preces, quod sentiunt, pronuncient ac scribant? sanè, si his præstitis nihilominùs errare in cognitione veritatis non sit errare invincibiliter, fateor, quid sit errare invincibiliter, me capere non posse.

Confirmatur primo. Siquis à pueritia audiret, Doctores pietate & sapientia præstantes judicare, contractum aliquem, qui re ipsa est injustus, esse justum ac licitum: si videret præterea, illum contractum à suis civibus communiter celebrari, talis profectò ne minimam conciperet suspicionem de iniquitate contractûs: ergo invincibiliter ignoraret ejus malitiam: ergo laboraret ignorantia invincibili actionis jure naturæ prohibitæ. Atqui

hoc

hoc sæpe contingit; ergo sæpe datur invincibilis ignorantia aliquorum, quæ jure naturali prohibentur.

Confirmatur secundo. Multi errant invincibiliter in deductione conclusionum speculativarum Physicæ & Mathematicæ, tametsi Principia utriusque scientiæ sint eis notissima; quia nempe non omnes conclusiones speculativæ sunt æqualiter vicinæ principiis, sed aliquæ multùm ab eis remotæ, & solùm ingeniis acutioribus perceptibiles: Ergo similiter errari potest invincibiliter in deductione conclusionum practicarum circa ea, quæ jure naturæ sunt vetita; quia tametsi communia principia practica sint omnibus evidentia, aliquæ tamen conclusiones ex illis deducibiles sunt valde remotæ, & non nisi magno labore, diuturna meditatione, & operosa argumentatione vix etiam à sapientibus eruuntur. Et hæc doctrina in nostro proposito, vel ideo vera est, quòd intellectus in hoc statu naturæ lapsæ ad cognitionem veritatum moralium quàm speculativarum longò sit invalidior.

17 Probatur secundo Invincibilis ignorantia juris naturalis sæpe deprehensa est, hodiéque deprehenditur in multis non modò rudibus, sed etiam doctis & sapientibus: Ergo vera est communis sententia, conseq. patet. Ant. ostenditur: Cicero quàm Latinorum eloquentissimus, tam summus Philosophus de Offic. lib. 1. illatas injurias privata authoritate ulcisci licitum esse putavit: nam, *primum*, inquit, *justitiæ munus est, ut ne quis cui noceat, nisi lacessitus iniuriâ.* Censuit præterea lib. 1. Tuscul, QQ. fas esse mortem sibi consciscere majoris miseriæ declinandæ causâ. Divinus Plato mentiri non esse vetitum credidit, quando quis ob veritatis confessionem in gravissimum discrimen coniiceretur, dixitque, in eo eventu esse utendum mendaciô tanquam helleborô. Quid? Quòd Durandus in 4. dist. 33. q. 2. fornicationem juri naturali non esse graviter contrariam existimaverit? Tenent cum P. Haunold graves Doctores, reum justè damnatum ad hauriendum venenum, ad pugionem pectori infigendum, posse; per semet exequi sententiam, suáque manu venenatum poculum ori admovere, & pugionem pectori infigere. Ecce! versantur, hic D. D. in quæstione spectante ad jus naturæ. Nemo eorum post accuratam veritatis inquisitionem, & quantumvis diligens studium dicere audet, sibi certò constare, quidnam reo jus naturale circa hanc exsecutionem vetet vel permittat: Ergo manifestum est, eos juris istius obligationem in hoc eventu ignorare invincibiliter. Nam toties aliqua obligatio ignoratur invincibiliter, quoties adhibitâ ad comparandam ejus notitiam debitâ diligentiâ adhuc non certò constat: Sed hoc contingit in casu nostro; ergo. Quod DD. in hac materia multoties experiuntur, Confessariis quoque non raro usuvenit. Nam multa audiunt ex pœnitentibus etiam adultioribus in puertia contra jus naturæ commissa, quæ antea nunquam erant confessi, & de quorum malitia post aliquod primùm tempus, & majorem judicii maturitatem concipiunt scrupulum. Tales ante ejusmodi scrupulum, ac suspicionem obortam ignorabant invincibiliter, se contra jus naturæ delinquere. Vasquez apud Sagrum in Clavi regia, lib. 2. c. 9. n. 19. refert, se nôsse rusticum quemdam, qui sibi pius ac misericors videbatur, si ægrotum cum morte luctantem in alteram partem versaret, ut citiùs ex halans animam ex maximis angoribus liberaretur. Et addit Vasquez, se facto diligenti examine deprehendisse, id hominem ex invincibili ignorantia fecisse. Idem Author narrat de quodam Roderico Diaz, qui existimans, perpetuitatem matrimonii non esse præceptam jure naturæ, filias suas abstulit primis maritis, & aliis nuptui tradidit.

Probatur tertio ab absurdis, quæ ex sen- 18
tentia contraria sequuntur. Negatâ quippe juris naturalis invincibili ignorantiâ, sequitur primo, homines rudiores non posse tutâ conscientiâ inire ullum contractum, quantumvis eum licitum censeant viri doctissimi ac sapientissimi, quando à parte rei injustus est, atque illicitus. Hoc autem quàm sit absurdum, quis non videt? Sequela constat. nam si contractus re ipsa est injustus & jure naturæ prohibitus, contrahentes id non possunt ignorare invincibiliter: Ergo nec bona fides, nec ignorantia (quippe non invincibilis, & inculpabilis) illos à peccato excusat.

Sequitur secundo, nullam quæstionem ad jus naturæ spectantem absque peccato posse resolvi probabiliter, etiam quacunque magna probabilitate. Patet sequela. Nam, si quis Doctor in ea resolutione errat, vincibiliter errat, & aliis præbet occasionem sectandi sententiam contrariam juri naturæ, atque adeo peccandi ex errore, ac ignorantia illius. Si non errat, committit se saltem manifesto periculo errandi; cùm nesciat, an sua sententia sit juri naturæ conformis, an non? Quod tamen scire & potest, & tenetur. Immo.

Sequitur tertio, Theologis omnibus vel esse penitus abstinendum à decisionibus casuum, & controversiarum ad jus naturale pertinentium; vel semper in favorem partis tutioris pronuntiandum. Si enim hujusmodi quæstiones aggrediantur resolvere, id facere nunquam poterunt, quin & se, & alios exponant periculo contra jus naturale

culpabiliter errandi. Quòdsi relicta in medio controversiarum discussione tutiorem partem semper esse tenendam pronuntient, plurimùm aggravant suave Christi jugum, & aliorum conscientias nimis arctant; quod & ipsum juri naturæ adversatur.

19 Objicies primo. Nulla ignorantia consequens est invincibilis: Omnis ignorantia juris naturalis est consequens; ergo nulla ignorantia juris naturalis est invincibilis. maj. est certa. mi. prob. omnis ignorantia, quæ oritur ex nostro peccato personali est consequens: Omnis ignorantia juris naturalis oritur ex peccato personali; ergo omnis ignorantia juris naturalis est consequens. maj. constat: Quia talis ignorantia sequitur actum voluntatis, estque voluntaria in sua causa. mi. prob. nam inprimis, quando erratur contra communia juris naturalis principia, id non aliunde procurrit, quàm quòd ratio per concupiscentiam, aliamve passionem impediatur, ne dicta principia ad particulare operabile debitè applicet. Secundaria verò hujus juris præcepta quæcunque non ignorantur, nisi propter pravas consuetudines, vel habitus corruptos, veluti docet S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 6. ergo vera est min. quæ fuerat probanda. Ita quoad substantiam Contenson.

Respondeo conc. maj neg. min. ad hujus probat. Fateor, id, quod dicitur de communibus principiis, verum esse, quando sumuntur, ut sunt in se, sive, in quantum clarè, atque explicitè innotescunt operanti; non autem, si considerentur, ut continent implicitè, confusè, atque obscurè quædam præcepta & conclusiones particulares valde remotas. Sicut enim error, vel ignorantia circa ejusmodi conclusiones non semper oritur, ut hactenùs ostendimus, ex concupiscentia, aliâve passione, ita nec error contra communia principia, quatenùs easdem dicto modo continent. De secundariis præceptis similiter constat ex dictis: Si enim sint conclusiones propinquæ communibus principiis atque ex eis facilè inferibiles, non est negandum, eorum ignorantiam absolutè spectatorum sæpenumerò provenire ex prava peccandi consuetudine, & habitibus corruptis; sicut colligitur ex solutione object. n. 13. propositæ. Quòdsi per præcepta secundaria intelligantur etiam ea, quæ à communibus principiis juris naturæ valde distant, obscura, multúmque obstrusa, verum non est, pravas consuetudines, habitúsque vitiosos esse semper in causa, quòd ignorentur. Neque id docuit S. Thomas loco cit. nam loquitur manifestè de præceptis secundariis, *quæ sunt* (ut habet in corp. artic.) *quasi conclusiones propinquæ principiis.*

20 Obiicies secundo. *Facienti, quod in se est; Deus non denegat gratiam*; ut dicit axioma Theologicum: Ergo sollicitè, ac sincerè, prout oportet, inquirenti veritatem quamcunque circa jus naturale, ejusdemque manifestationem à Deo petenti Deus infallibiliter manifestabit, juxta promissionem Christi: *Quærite; & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Ergo, quicunque laborat ignorantiâ juris naturalis, ideo laborat, quia veritatem non quæsivit, ut tenebatur; nec Deum satis ardenter oravit, ut illuminaretur. Ergo sequitur, nullam ignorantiam juris naturalis esse invincibilem; quia quælibet dicta ratione vinci, atque deponi potest à quolibet.

Respondeo, illud axioma Theologicum esse solùm intelligendum de his, quæ sunt necessaria ad salutem. Atqui non omnis notitia cujuslibet veritatis ad jus naturale pertinentis est necessaria ad salutem; consequenter immeritò asseritur, facienti, quod in se est, ad inveniendam quamcunque veritatem in iis, quæ circa jus naturæ sunt apud Doctores controversa, Deum illam revelaturum, ne erret in operando. Secùs pati jure audebo 21
dicere, veritatem Doctori Theologo facienti, quod in se est, ad eam inveniendam in quæstionibus circa jus naturæ controversis à Deo certò delectum iri, ne erret in docendo. Sed consequ. est falsum, & contra experientiam, qua constat, S. Thomam, aliosque Doctores sanctissimos & sapientissimos etiam post diligenter inquisitam veritatem, post summum studium, post fusas ad Deum preces, ne errare se permitteret, nihilominus in rebus ad jus naturæ spectantibus docere contraria, & consequenter alterutram illorum sententiam esse re ipsa falsam, jurique naturæ repugnantem, quod est formalissimè hujus juris laborare ignorantia, & quidem invincibili, ut patet ex dictis. Atque hinc etiam constat, quid ad illa verba S. Script. dicendum sit. Enimverò, si ex adducta promissione Christi non sequitur, Doctori quantumcunque sollicitè quærenti ac pulsanti teneri Deum aperire veritatem, ne contrà illam erret in docendo; etiam non sequitur, teneri manifestare veritatem ad jus naturæ pertinentem facienti diligenter inquirendo, quod in se, est, ne contra eam erret in operando. 22

Ojicies tertio. Quilibet homo tenetur observare omnia omnino præcepta naturalia ad se pertinentia: Ergo omnium eorum debet habere, vel potest habere notitiam; & consequenter nullum eorum ignorat invincibiliter. Conseq. patet: Quia potentia observandi præcepta, quæ hic supponitur, necessariò importat illorum notitiam: quod enim est nobis ignotum, vel cujus notitiam habere non possumus, etiam observare non possumus.

Confir-

Confirmatur. Opera juri naturæ adversa sunt intrinsecè mala : Ergo datur præceptum DEI prohibens, ne quis ea committat. Hoc autem præceptum est observatu possibile ; quia DEUS non jubet impossibilia. Atqui non esset observatu possibile, si homo nullam haberet de illius existentia notitiam, vel nullam acquirere diligenter indagando posset. Ergo quotiescunque homo ignorat ejus præcepti existentiam, suâ culpa ignorat: non enim ignoraret, si debitam diligentiam in inquisitione veritatis adhibuisset.

Respondeo, hoc argumentum evidentem habere instantiam in ignorantia facti, vel circumstantiæ particularis ; velut ostendo. Datur, ut omnes fatentur, præceptum DEI absolutè prohibens, ne quis accedat ad non suam : item, nequis contrahat matrimonium cum impedimento dirimente. Modò sic: quilibet homo tenetur observare præceptum de non accedendo alienam: item præceptum de non contrahendo matrimonium cum simili impedimento: ergo quilibet debet habere, vel potest habere notitiam de qualitate mulieris, ad quam vult accedere, & de impedimento dirimente matrimonium. Patet conseq. quia horum sublatâ notitiâ homines non possent semper vitare violationem dictorum præceptorum. Sicut proinde contingit, ut quis non obstante absoluta prohibitione DEI, ne similes actus fiant, accedat inculpabiliter ad non suam per ignorantiam invincibilem inductus, quòd sit sua; quemadmodum Jacob accessit ad Liam ; vel, ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente ; aut etiam bona fide consummetur ob ignorantiam invincibilem alicujus facti, v.g. quòd adhuc vivat prior maritus; ita contingit, ut quis non obstante obligatione absoluta servandi præcepta legis naturalis incidat in præceptic ujusdam particularis ignorantiam invincibilem, atque ex hac existimet, esse mentiendum v.g. propter salutem proximi ; vel furandum malis divitibus ad largiendum eleemosynam bonis pauperibus.

22 In forma dist. Ant. tenetur observare omnia præcepta naturalia, & permittitur quandoque illa transgredi materialiter, conc. & nunquam permittitur transgredi materialiter, neg. Ant. & dist. conseq. ergo omnium debet habere, vel potest habere notitiam, quando Deus non permittit eorum transgressionem materialem, conc. dum hanc permittit, neg. conseq. Atqui Deus non rarò permittit, ut homo ipsius præcepta transgrediatur materialiter, involuntariè, & consequenter absque culpa Theologica ; ut primùm vidimus in illis, qui ea violant ex ignorantia facti, vel circumstantiæ particularis; & meritò asserimus contingere in iis, qui violant jus naturale quoad præcepta valde remota à primis principiis, casusque multùm abstrusos, atque difficiles, de quibus Doctores disputant, an legis divinæ prohibitio ad illos se extendat, vel non ? sicut enim facientem, quod in se est, in inquisitione veritatis circa factum vel circumstantiam particularem Deus non tenetur illuminare; sed permittit, ut inculpatè incidat in ignorantiam invincibilem, atque adeò ex errore legem suam materialiter violet; ita neque semper tenetur illuminare facientem, quod est in se, in inquirenda veritate circa ea, quæ ad jus naturæ pertinent ; sed potest interdum permittere, ut inculpatè incidat in eorum invincibilem ignorantiam, & hac ratione aliquod dicti juris præceptum ex errore materialiter transgrediatur. Itaque potentia observandi præcepta per se loquendo, & quoties illorum transgressio imputaretur in culpam, importat quidem præceptorum notitiam; per accidens tamen, quando eorum transgressio non imputatur in culpam, estque solùm illicita materialiter, talem notitiam non importat : quia tum solùm est potentia præcepta non transgrediendi formaliter, non autem est potentia non transgrediendi tam formaliter quàm materialiter. Hæc autem, & non illa potentia exposcit præceptorum noritiam.

Ad Confirmat. Fatendum est, ejusmodi opera esse intrinsecè mala, darique præceptum ea prohibens: dico tamen, interdum contingere, ut DEI permissu intrinseca eorum malitia, unaque præcepti prohibentis existentia etiam post accuratam veritatis inquisitionem lateat operantem. Neque hinc sequitur, ejusmodi præceptum non fore observatu possibile, ut enim sit possibile, non requitur, ut homo semper habeat illius notitiam ; sed sufficit, si eam toties habeat, quoties præcepti transgressio imputaretur in culpam. Tunc autem certissimè habet, vel saltem habere diligenter indagando potest. Sicut proinde non sequitur, præceptum aliquod juris positivi non esse observatu possibile, vel Deum jubere impossibile, quando homo invincibiliter ignorat illius præcepti existentiam ; ita nil tale sequitur, quando ignorat invincibiliter, aliquod præceptum juris naturalis existere.

§. IV.

An juris naturalis invincibilis ignorantia excuset à peccato?

SUMMARIUM.

23. *Sententia Jansenii & aliorum negativa.* 24. *Eorum fundamentum ex S. Script.* 25. *Ex ratione.* 26. *Statuitur & ptobatur sententia affirmans authoritate.* 27. *Ratione.* 28. *Ab absurdis sententiæ* com-

contrariæ. 29. 30. 31. *Solvuntur argumenta oppoſita.*

23 NEgat Cornelius Janſenius Ipratum Epiſcopus lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ. cap. 2. & ſeqq. apud Gonetum in diſſertat. de probabilit. a. 7. §. 2. Negat inſuper Sinnichius in Saule Exrege, & quidam Wilhelmus Wendrochius, qui Theologum Salisburgenſem ſe finxit, in diſſertat. de probabilit. Epiſtolæ 5. Montaltii ſubnexa. His accedit Antonius Celladeus, contra quem ſcribit Terillus in lib. de Reg. Morum. Eundem errorem ante hos omnes erravit Lutherus, carpens propterea Theologos Orthodoxos in cap. 12. Geneſ. per hæc verba: *Scholaſtici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excuſabiles, tanta cæcitas eſt* (pergit ille) *in Papæ Scholis & Eccleſiis.* Luthero adhæſit Hieronymus Zanchius, cujus verba refert Gonet loco cit. *Falluntur* (inquit) *Scholaſtici, cùm talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo à peccato excuſant; quia invincibilis eſt, ut loquuntur.*

24 Ad ſuadendum hoc falſum dogma arguunt primo ex pluribus locis S. Scripturæ, ubi multa ex ignorantia facta appellantur peccata. Ita David ſuas ignorantias inter peccata refert Pſal. 24. *Delicta juventutis meæ; & ignorantias meas ne memineris.* Deinde in lege veteri ſacrificia fiebant non minùs pro ignorantia, quàm pro peccato, ut conſtat ex Levit. 4. De ſervo etiam, *qui non cognovit voluntatem Domini ſui, & fecit digna plagis*, dicitur Lucæ 12. *vapulabit paucis.* Abimelech, dum Saram voluit accipere in uxorem, invincibiliter ignoravit, eſſe conjugem Abrahæ, & tamen hoc factum ipſius vocatur peccatum, Geneſ. 20. Immò Judæi ex ignorantia crucifixerunt Chriſtum, teſtante Apoſtolo 1. Corinth. 2. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et nihilominùs reprehenduntur ab Apoſtolorum principe Actor. 3. quòd Authorem vitæ interfecerint. Demum Paulus de ſemetipſo fatetur, quòd miſericordiam DEI ſit conſecutus, quia ignorans fecerit in incredulitate. 1. ad Tim. 1.

25 Arguunt ſecundo in hunc modum argumento, quod eſt Achilles Janſenii. Quidquid eſt homini voluntarium, eſt ipſi imputabile: ſed invincibilis ignorantia juris naturalis eſt homini voluntaria: ergo eſt ipſi imputabilis. atqui ignorantia homini imputabilis eum non excuſat à peccato; quicquid enim ex tali ignorantia agit, malè agit, culpabiliter agit. Ergo invincibilis ignorantia juris naturalis non excuſat à peccato. maj. eſt certa. min. prob. quia invincibilis ignorantia juris naturalis eſt effectus & pœna peccati originalis: ergo eſt nobis voluntaria voluntate capitis. Conſeq. patet. Nam eo ipſo, quod hominibus culpa Adæ ſit hoc modo voluntaria, etiam id, quod ex ea profluit, ipſis eſſe voluntarium cenſeri debet: Sed culpa Adæ eſt hominibus voluntaria, nempe voluntate capitis; ergo &c. Ant. verò prob. quia cognitio rerum ad jus naturale pertinentium eſt homini connaturalis, eique connaturaliter debita: unde nemo illâ caruiſſet, ſi feliciſſimus ille ſtatus innocentiæ perſeverâſſet: ergo ignorantia juris naturalis ratione peccati originalis atque in pœnam illius offuſa eſt humanis intellectibus, & conſequenter vitioſa, mala atque culpabilis eſt. Et hinc apparet, inquiunt, diſcrimen, quod inter ignorantiam juris naturæ, & juris poſitivi verſatur, cur nempe illa, non autem hæc, ſit vitioſa & homini imputabilis? nam juris poſitivi cognitio non eſt humanæ naturæ connaturaliter debita: cùm legum poſitivarum inſtitutio pendeat ab extrinſeco Dei beneplacito. Eſt verò connaturaliter debita cognitio juris naturæ: eò quòd jus illud condatur cum ipſa natura, ſitque in intimis humanæ rationis viſceribus radicatum. Quapropter non juris poſitivi, ſed juris naturæ ignorantia eſt effectus & pœna peccati originalis. Verùm hæc contra breviter.

Dico. Invincibilis ignorantia juris natu- 26
ralis excuſat à peccato. Ita communiter Catholici, hodie præſertim, poſtquàm Alexander VIII. Anno 1690. die 20. Decembris oppoſitam ſententiam damnavit.

Probatur primo authoritate SS. Patrum. Chryſoſtomus homil. 13. in Epiſt. ad Tom. ita habet: *Nemo unquam ignoranter peccavit &c. ſi enim ignoranter peccaverunt, indigni utique erunt, qui pœnas darent.* S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. inquit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.* Quis autem magis invitus ignorat, quàm qui ignorantiam etiam per diligentem, imò diligentiſſimam inquiſitionem veritatis vincere non potuit? Doctor Angelicus q. 7. de pot. a. 7. ad 3. ita pronuntiat: *Dicendum, quòd ignorantia, quæ eſt omnino involuntaria, non eſt peccatum &c.* Et in 1. 2. q. 74. a. 1. ad 2. *Si defectus, inquit, apprehenſivæ virtutis nullo modo ſubjaceret voluntati, non eſſet peccatum nec in voluntate, nec in apprehenſiva virtute; ſicut patet in his, qui habent ignorantiam invincibilem.* Iterum q. 76. ita claudit corpus artic. 3. *Si ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria; ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat à peccato.* Neque diſtinguunt SS. Doctores, inter invincibilem ignorantiam juris poſitivi & juris naturalis,

ralis, sed loquuntur universim de omni ignorantia invincibili. Et sanè nullam esse causam distinguendi, statim patebit. Quare

27 Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Quidquid tollit voluntarium, excusat à peccato: omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium; ergo omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato. min. est certa: quia voluntarium definitur id, *quod est à principio intrinseco cum cognitione finis*. Consequenter voluntarium necessariò importat cognitionem: cùm nihil sit volitum, quod non præcognitum. Quidquid ergo tollit cognitionem, tollit voluntarium. Atqui omnis ignorantia invincibilis tollit cognitionem: quod enim ignoratur invincibiliter, nullo modo præcognoscitur; ergo omnis ignorantia invincibilis tollit voluntarium. Major, quam negant Adversarij apud Gonetum ubi suprà §. 1. probatur primo. Hæc propositio: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*, damnata est ab Ecclesia, ut suprà meminimus §. 2. n. 9. ergo est certissimè falsa: ergo est certissimè vera hæc illi opposita: *Ad rationem & definitionem peccati pertinet voluntarium*. Ergo quidquid tollit voluntarium, tollit peccatum, & consequenter excusat à peccato. Probatur eadem maj. secundo. Omnis actus moralis & humanus est voluntarius: omne peccatum ab homine commissum est actus moralis & humanus; ergo omne peccatum est voluntarium. mi. est certa. maj. prob. Omne liberum est voluntarium: omnis actus moralis & humanus est liber; ergo est voluntarius. Ex his Syllogismis formo hunc tertium: Quidquid aufert ab actu rationem liberi, aufert rationem peccati, & excusat à peccato: quidquid tollit voluntarium, aufert ab actu rationem liberi; ergo quidquid tollit voluntarium, aufert rationem peccati, & excusat à peccato.

Dices fortè, ad peccatum actuale satis esse liberum & voluntarium voluntate capitis; hoc autem non auferri per ignorantiam invincibilem.

Respondeo, hoc dicere esse plusquàm absurdum. Quia plusquàm certum est, ad culpam personalem requiri libertatem & voluntarium personæ actuale, ut docet expressè S. Augustinus lib. de duab. animab. cap. 11. illis verbis: *Nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propria voluntate.* Et quid multa? hæc propositio: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis*: hæc, inquam, damnata est ab Alexandro VIII. anno ac die iii num. præced. memoralis.

Probatur conclusio tertio ab absurdis. 28 Nam si vera est sententia Jansenij, sequitur primo, esse illicitum in praxi amplecti opinionem probabiliorem, immò probabilissimum, relictâ minùs probabili. Conseq. est absurdum, & communi Theologorum sententiæ adversum; ergo. Seq. maj. prob. quia fieri potest, ut opinio probabilior, immò probabilissima, sit re ipsa falsa, & juri naturæ adversa, eo ipso, quòd sit opinio; quæ est essentialiter assensus fallibilis. In hypothesi igitur, qua talis sententia supponitur falsa, eam secutus in operando non excusatur à peccato: quia revera violat jus naturale: violatio verò juris naturalis est semper peccatum, sive id jus operanti sit notum, sive ignotum, quacunque ignorantia vincibili, vel invincibili; ut docet Jansenius.

Sequitur secundo, hominem quandoque peccare necessariò & inevitabiliter. Ostenditur. Da militem v. g. cui conscientia ex invincibili errore dictet, commilitonem in pugna gravissimè sauciatum, utque interficiatur, per omnia chara orantem, sibi hîc & nunc esse occidendum. Quid agat jam, ut evitet peccatum? Si commilitonem non occidat, agit contra conscientiam, quæ præcipit, ut occidat: ergo peccat. Si verò occidat, agit contra jus naturale, quod prohibet, ne occidat; ergo iterum peccat. Sive proinde occidat, sive non occidat, peccat necessariò necessitate inevitabili.

Sequitur tertio, temeritatis ac summæ imprudentiæ reos esse, quotquot scribunt de rebus moralibus; vel tractant publica munia ad justitiam pertinentia, ut senatores, judices, causidici &c. nam, si quilibet error quantumcunque invincibilis, circa jus naturale culpabilis est, tales moraliter certi sunt, se graviter quandoque lapsuros, licèt accuratam, ne id fiat, diligentiam adhibuerint. Ergo scientes ac volentes sibi imponunt necessitatem peccandi: ergo stultè ac temere suscipiunt ejusmodi munera; quippe à nemine citra peccatum administrabilia, etiam adhibitâ quantumcunque magnâ diligentiâ. Idem valet de Medicis, Chirurgis, & aliis, qui gerunt officia, vel profitentur artes reipublicæ necessarias: cùm fieri non possit, ut hujusmodi munera exerceant sine necessitate peccandi etiam contra jus naturale, si vera est sententia, quam impugno.

Sequitur quarto, sanctissimos & sapientissimos Ecclesiæ Doctores gravissimè peccâsse scribendo & docendo, per quod tamen ingens meritum apud Deum, & insignem laudem apud homines sibi comparâsse hactenùs semper existimati sunt. Immò sequitur, ipsos in suo peccato insorduisse, eique immortuos, atque damnatos esse. Utraque sequela, quæ procul dubio est absurdissima,

probatur. SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardus, alijque Doctores de Ecclesia optimè meriti, docuerunt contradictoria, etiam in quæstionibus ad jus naturæ spectantibus: ergo alterutri non solùm ipsi errârunt contra jus naturale, sed etiam alijs, qui eos in speculatione & praxi sectantur, per sua scripta scandalum & occasionem similiter errandi atque peccandi præbuerunt; cumque erronea sua dogmata nunquam retractaverint, sequitur, ipsos in peccato obstinatos, in eoque mortuos & consequenter damnatos fuisse.

29 Neque valent aliquid fundamenta opposita. Ad loca S. Script. & inprimis ad illud Psal. 24, respondeo, regium Prophetam loqui de ignorantia primitus vincibili & culpabili. In eodem sensu accipiendum est quod dicitur de servo ignorante voluntatem Domini sui Lucæ 12. *Sed cur punitur ignorans?* (quærit Theodoretus apud D. Thomam in catena super Lucam) *quia, cùm scire potuisset* (respondet) *noluit, sed pigritans ipse fuit ignorantiæ suæ causa.* Sacrificia quoque in veteri lege offerri solebant ad expiandam ignorantiam vincibilem, ut docet S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 17. *Aliud est* (inquit ibi) *non curasse scire: quæ negligentiæ peccata etiam per Sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse.* De ignorantia Judæorum, qui Christum crucifixerunt, dubium non est, eam fuisse vincibilem. Idem dicendum de ignorantia Pauli: cùm enim esset legis peritus, ac præsens Jerosolymis, dum Christus patravit maxima miracula; audiret præterea disputationes Apostolorum, & prædicationem S. Stephani, propriâ culpâ ignoravit Christum, ac veram Ecclesiam, quam persequebatur.

Ad factum Regis Abimelech dico, illum ex ignorantia invincibili Saram voluisse accipere in uxorem, atque ideo hac sua intentione non peccâsse Theologicè. Neque refert, id opus à Deo vocari peccatum, si contigisset: nam dicitur, futurum fuisse peccatum materialiter, atque hoc ipsum, ne fieret, voluisse Deum in gratiam Abrahæ sui amici impedire. Alij, ut refert Gonet §. 3. existimant, dictam ignorantiam fuisse vincibilem, eò quod ille Rex non satis diligenter inquisierit, an Sara fuerit uxor Abrahæ; & ideo judicant, Abimelech verè ac formaliter fuisse peccaturum, si eam duxisset. Sive jam hoc, sive illud sit verum: allatum exemplum nihil favet Adversarijs. Nam si illa ignorantia dicatur vincibilis, perperam huc adducitur, & omnino præter rem; quia præsens controversia solùm est instituta de ignorantia invincibili. Si dicatur invincibilis, urget objicientes: cùm enim sit ignorantia facti, probat contra ipsos, ignorantiam invincibilem facti non excusare à peccato; quod tamen nobiscum affirmant. Et sanè cùm hoc, tum alia exempla & testimonia S. Script. loquuntur ut plurimùm de ignorantia facti, vel juris positivi, quam excusare à peccato, si sit invincibilis, etiam Adversarij fatentur.

30 Jam ut solvatur argumentum ex ratione petitum, operæ pretium est ostendere, quàm inconsequenter philosophentur Jansenistæ, dum concedunt, invincibilem ignorantiam juris positivi esse inculpabilem, idque negant de invincibili ignorantia juris naturalis; & quàm nulla sit ratio disparitatis, quam inter utramque reddere conantur. Assero igitur, etiam juris positivi notitiam à Deo semel conditi, ac promulgati, ut hominem dirigat pro statu, in quo est constitutus, esse debitam naturæ innocenti, eique nonnisi propter peccatum denegari posse. Unde, si Adam non peccâsset, non minùs omnium legum positivarum quàm naturalium scientiâ fuissemus imbuti: per ejus verò culpam factum est, ut utrimque cæcutiamus æqualiter. Cùm enim omnis miseria, & omne malum ab illo felicissimo statu debuerit exulare, etiam ignorantia juris positivi, quæ planè est magnum malum, in eo reperiri non potuit. Quod ergo inveniatur in hoc statu naturæ lapsæ, effectus & pœna peccati originalis est.

Confirmatur. Infidelitas negativa est effectus & pœna peccati originalis; veluti cum S. Augustino docet S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. sed infidelitas negativa est invincibilis ignorantia juris positivi, legis videlicet Evangelicæ; ergo aliqua invincibilis ignorantia juris positivi est effectus & pœna peccati originalis. Si aliqua, dic, quæso, cur non quælibet? nónne omnis defectus cognitionis naturæ innocenti debitæ est quædam illius miseria, & vulnus intellectûs, non minùs, quàm malitia, infirmitas, & concupiscentia sunt miseriæ & vulnera appetitûs? sed istæ omnes sunt effectus & pœnæ peccati originalis; ergo & omnis ejusmodi defectus cognitionis, sive ignorantia. Itaque vel omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato, vel penitus nulla, etiam secundùm Adversariorum principia; quia vel omnis est effectus & pœna peccati originalis, vel penitus nulla. Atqui non penitus nulla invincibilis ignorantia excusat à peccato, ut ipsi concedunt; ergo omnis excusat. In forma argumenti conc. maj. neg. min. ad hujus probat. conc. Ant. neg. conseq. quæ dum prob. neg. maj. quia, licèt ipsum peccatum originale sit nobis voluntarium voluntate capitis, quantum ad privationem gratiæ & justitiæ originalis, qua in pœnam illius spoliati sumus; non tamen omnes effectus & pœnæ ejusdem nobis esse voluntariæ censentur.

Sanè

Sanè, si vera esset illa præmissa, sequeretur primo, motus inordinatos concupiscentiæ non solùm eos, qui consensum voluntatis præveniunt, sed etiam, qui dissensui repugnant, esse formaliter & Theologicè peccata, hominique imputabilia: cùm fomes concupiscentiæ, sive appetitus sensitivi rebellio similiter ex peccato primi parentis oriatur. Sed conseq. adversatur Trid. Concilio sess. 5. cap. 5. dicenti, *concupiscentiam nocere non posse non consentientibus.* Sequeretur secundo, infidelitatem negativam esse pariter peccatum: quia & ipsa provenit ab originali peccato. Sed hoc dicere repugnat definitioni Ecclesiæ, qua summi Pontifices §. 2. n. 9. relati damnârunt hanc propositionem Michaëlis Baji: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Sequeretur tertio, amentes & phreneticos verè ac propriè peccare, dum loquuntur verba blasphema, vel turpia, vel alios verberant &c. Immo cæcus à nativitate veram culpam contraheret, quando canem abacturus, hominem fuste percuteret, quantumvis eum adesse invincibiliter ignoraret. Amentia siquidem, phrenesis, & cæcitas, ex quibus illi miseri similia committunt, numerantur etiam inter effectus & pœnas peccati originalis. Has autem tales sequelas nemo sanæ mentis admiserit; ergo nec dictum Jansenii principium, ex quo deducuntur.

ARTICULUS II.

De Obligatione Conscientiæ Erroneæ.

ERroneam Conscientiam disp. præced. artic. 2. illam esse diximus, quæ dictat esse licitum, quod est illicitum, vel illicitum, quod est licitum. Quodsi ignorantia, sive error, ex quo nascitur hæc Conscientia, sit invincibilis, vocatur Conscientia invincibiliter erronea. Si ignorantia, ex qua descendit, sit vincibilis, Conscientia vincibiliter erronea dicitur. Certum jam est, Conscientiam, quæ aliquid dictat agendum, vel omittendum per modum consilii, ideoque Consulens vocatur, nullam inducere obligationem. Procedent igitur, quæ in præsenti statuemus, de Conscientia Erronea, quæ dictat aliquid tanquam ex præcepto agendum, vel omittendum. Dico, de Conscientia Erronea. Nam Rectam & Veram obligare, idque tam positivè, quam negativè, fatentur omnes: quod etiam ex dicendis patebit. Nunc, ad rem ipsam ut veniamus, viam muniat.

§. I.

Præmittuntur aliqua de Ignorantia Vincibili.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sit ignorantia affectata, crassa, notabilis, levis?* 2. *An ignorantia vincibilis excuset à peccato?* 3. *Ignorantia primitus vincibilis fieri potest invincibilis.* 4. *Similiter impotentia implendi præceptum liberè contracta fieri potest inimputabilis.* 5. *Inæqualitas peccatorum ex ignorantia.*

1 DEscriptionem Vincibilis Ignorantiæ dedimus in hac disp. a. 1. §. 1. n. 4. Dividi illa solet in affectatam & crassam. Affectata est, dum quis datâ operâ vult ignorare, & ideo malitiosè intermittit inquirere obligationem, quò liberius peccare possit, & ne forte si sciat veritatem, à legis transgressione abhorreat: ut, si quis consulto non vult scire, an contractus *A* sit usurarius, ut cum liberius, & cum minori remorsu conscientiæ ineat. Crassa est, ad quam superandam nulla prorsus diligentia fuit adhibita: ut, siquis ex mera pigritia non inquisivit, an contractui *A* sit usurarius, vel non? Dicitur crassa: quia laborans hac ignorantia instar crassi ac pinguis hominis (inquit Castropalao) desesi & piger est in ea depellenda. Dicitur præterea supina: quia sic ignorans more hominis supine stertentis, & omnium rerum incurii, non curat amoliri ignorantiam. Ulterius Tamburinus lib. 2. Decal. c. 1. §. 7. n. 22. vincibilem ignorantiam dividit in notabilem & levem, sive tenuem. Notabilis apud ipsum est, quando quis adhibet aliquam diligentiam in inquirenda veritate, sed non tantam, quanta moraliter censetur sufficere ad inventionem illius: ut, si quis interrogat quidem, an contractus *A* sit usurarius? sed similium rerum non sufficienter peritum. Ignorantia levis seu tenuis est, quando quis adhibet diligentiam mediocrem, eamque sufficientem ad comparandam veritatis notitiam, illâ tamen minorem, quam adhibuisset, si fuisset rigidè accuratus: ut, siquis inquirat apud hominem mediocriter doctum, an contractus *A* sit iniquus? cùm potuisset consulere doctiorem. Ex his omnibus sola ignorantia affectata est directè, & in se voluntaria, reliquæ indirectè, & in causa, videlicet in omissione vel omnis diligentiæ in inquisitione veritatis, ut ignorantia crassa; vel sufficientis, ut notabilis; vel accuratioris, ut levis.

2 Atquè hinc facilè constat, vincibilem ignorantiam non tantum non excusare à culpa, sed & ipsam esse malam atque culpabilem, quotiescunque tollit notitiam rei cognitu necessariæ, & quam operans scire tenetur. Patet hoc: quia datur præceptum affirmativum,

vum, quo quilibet obligatur non ignorare ea, quæ ad implenda præcepta cætera sunt cognitu necessaria: ergo hæc voluntariè ignore, quod sit per ignorantiam vincibilem, est malum & verè culpabile. Jam verò vincibilem ignorantiam à peccato non excusare, sive opus per culpabilem ignorantiam commissum esse pariter culpabile, similiter ostendo: quia transgressio cujusque præcepti ex hac ignorantia profecta est voluntaria: ergo est culpabilis. Conseq. patet. Ant. prob. nam quidquid procedit à principio intrinseco cum cognitione & deliberatione, est voluntarium: sed transgressio præcepti ex tali ignorantia proveniens procedit à principio intrinseco cum cognitione & deliberatione, saltem virtuali & interpretativa, in quantum ignorans, licet actu non habeat scientiam, atque notitiam obligationis, eam tamen potuit ac debuit habere; vel fortè etiamnum posset habere, si vellet: ergo transgressio præcepti ex dicta ignorantia est voluntaria.

Confirmatur. Qui vult antecedens, vult etiam consequens natum ex illo sequi: sed ignorans culpabiliter vult directè, vel indirectè suam ignorantiam tanquam antecedens; ergo vult etiam violationem præcepti, quæ est consequens, & effectus inde sequi natus.

3 Potest autem contingere, ut ignorantia, quæ ab initio fuit vincibilis, evadat postmodum invincibilis, nec amplius imputari ad peccatum possit, licet imputaretur ab initio. Ostenditur. Supponamus Cajum heri ex vincibili ignorantia erroneè judicâsse, sumptionem Sacræ Eucharistiæ sub utraque specie necessariam esse necessitate medii ad salutem; hodiè verò hominem non amplius habere ullum medium eam ignorantiam depellendi, eò quòd non offerat se ullus vir doctus v. g. vel liber, quem, consulat: sicut fieret, quando subito captivus duceretur à Turcis. Quodsi hodie Cajum pœniteat hujus culpabilis ignorantiæ, ita ut eam per veram contritionem unà cum cæteris peccatis seriò retractet, ex vincibili mutatur in invincibilem, & inculpabilem. Nam inprimis hic & nunc vinci non potest à Cajo ad eam vincendam vel paratissimo. Deinde hoc ipso, quod elicita perfecta contritione justificetur, neq; ignorantia, neque aliud quidquam illi amplius imputatur ad culpam. Immò si Cajus ex tali ignorantia, vel errore desideret morti proximus Communionem sub utraque specie, hoc tale desiderium ei non potest imputari ad peccatum, tametsi quid cupiat re ipsa prohibitum. Ratio est: quia error, ex quo talis actus elicitur, non est amplius vincibilis, sed evasit invincibilis, & propter seriam retractationem deinceps inimputabilis.

4 Quod de vincibili ignorantia, etiam de impotentia implendi præceptum, quam quis liberè & culpabiliter contraxit, asserendum est, eam videlicet non amplius imputari ad novum peccatum, postquàm seriò fuit retractata voluntas, per quam fuit contracta. Declaro rem in exemplo. Petrus & Paulus Sacerdotes navigant in Indiam: dum versantur in medio mari, Paulus tædio correptus horarum Canonicarum, ne à quotidiano illarum penso assiduè molestetur, & suum, & Petri breviarium clàm projicit in Oceanum, atque adeo liberè, & procul dubio culpabiliter, aufert sibi potentiam recitandi horas Canonicas, quas tamen persolvere tenetur. Accidit postea, ut à Petro salubriter increpitus ac reprehensus resipiscat; factum seria pœnitudine detestetur; imò ab eò Sacramentaliter absolvatur. In hoc eventu impotentia recitandi horas Canonicas Paulo non ampliùs imputari potest ad culpam: quia cessavit esse voluntaria: nam efficax retractatio pravæ voluntatis, qua fuit inducta, facit, ut moraliter loquendo perinde se habeat, acsi esset necessaria, non libera. Quapropter etiam omnes omissiones recitationum, quæ inde sequuntur, evadunt involuntariæ, & inculpabiles: sicut erant culpabiles, quæ accidebant, antequàm prior voluntas retractaretur; utpote voluntariæ. Adde, quòd Paulo intercluderetur omnis via ad justificationem per contritionem, vel per Sacramentum Pœnitentiæ obtinendam, quamdiu careret breviariò; & quòd peccaret necessariò, quoties etiam invitus non recitaret, si ejus carentia non obstante prædicta retractatione adhuc imputaretur ad culpam. Sed conseq. est absurdum; ergo.

Dices. Omissio horarum, quamvis modò sit necessaria in se, Paulo tamen est libera in causa; sicut erat ab initio: ergo non minùs peccat, dum eas hodie non recitat, quàm ab initio.

Respondeo neg. Ant. nam eo tempore, quo Paulus se reddidit impotentem, omissio fuit libera in causa tàm moraliter quàm physicè existente: nunc autem, quamvis ea causa, videlicet carentia breviarii, etiamnum remaneat physicè dependenter à priori voluntate, moraliter tamen post efficacem retractationem ita se habet, acsi nunquam fuisset liberè posita, sed aliunde necessariò existeret. Quapropter omissio horarum Paulo nec voluntaria est modò, nec libera, & consequenter ad peccatum inimputabilis.

Corollarium. Quò magis, vel minùs cul- 5
pabilis est ignorantia, eò gravius, vel levius foret esset peccatum, quod ex illa admittitur. Rem clarè perspicies in hoc casu sequenti. Cajus, Titius, Quintius & Sempronius ignorant in certa vigilia, esse tunc diem jejunii, hinc carnes jubent inferri mensæ, prandentque liberaliter. Cajus ignorat ignorantiâ affectatâ; quia consultò, ne teneatur abstinere à carnibus, vel, ut vesci possit liberiùs, & citra remorsum con-

conscientiæ, non inquisivit, quamvis ad inquirendum excitaretur suborto dubio, vel suspicione, fortassis esse diem jejunii. Titius laborat hîc ignorantiâ crassâ: Nam licèt inciderit cogitatio de obligatione inquirendi, an sit dies jejunii? Nihilominus non inquisivit, idqué ex mera negligentia atque desidia. Quintius interrogavit quidem; an esset dies jejunii? Sed talem, qui similia non sufficienter sciret, v. g. puerum, vel ancillam; & ideo habet ignorantiam diei jejunii notabilem. Etiam Sempronio incidit dubium, an esset jejunium? Et ideo interrogavit vicinos, cum facilè potuisset interrogare Parochum. Hîc in levi solùm versatur ignorantia.

Si jam quæras ex me, quomodo peccent hi quatuor? Respondeo, Cajum, Titium, & Quintium peccare mortaliter; gravius tamen Titium, quàm Quintium; Cajum vero gravissimè. Sempronium dico delinquere solùm venialiter. Ratio est: Quia Cajus ignorat ignorantiâ maximè culpabili: Titius & Quintius ignorantia graviter culpabili; gravius tamen culpabili Titius: Ergo Cajus gravius peccat, quàm cæteri; Titius gravius, quàm Quintius; omnes tamen mortaliter. Consèq. constat: Quia peccatum ex ignorantia graviter culpabili est mortale; majus tamen vel minus secundùm proportionem voluntarii, quod auget vel minuit ignorantia. Tandem sempronius commisit negligentiam solùm levem in inquirenda obligatione jejunandi; atque adeo ex ignorantia leviter solùm culpabili carnibus vescitur: Ergo vescendô committit culpam solùm levem, ac venialem, quia negligentia & ignorantia levis diminuit peccatum usque ad veniale. Videatur de hac re Tamburinus lib. 1. Decal. c. 2. §. 10.

§. II.

An liceat operari contra Conscientiam Erroneam?

SUMMARIUM.

6. Objectum voluntatis est bonum & malum ut ratione cognitum. 7. Non licet operari contra Conscientiam Erroneam. 8. 9. 10. Quædam objectiones solvuntur. 11. An agere contra Conscientiam sit speciale peccatum? 12. Item, cujusnam speciei sit peccatum? 13. Modò est mortale, modò veniale. 14. 15. Quid, si conscientia proponat objectum sub ratione mali in genere? 16. Ad peccandum contra Conscientiam erroneam requiritur ablatio impedimentorum extrinsecorum. 17. Neque ex Divina dispensatione agere contra Conscientiam potest fieri licitum.

6 OBjectum, quod nostra voluntas prosequitur, est bonum, quod aversatur, est malum; & quidem utrumque non absolutè & secundùm se, sed ut ratione cognitum. Voluntas enim, cùm sit potentia cæca, nihil amplectitur, aut respuit, nisi ex directione intellectûs. Unde fit, quemadmodum docet D. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. ut voluntas toties peccet, quoties in operando à ratione discordat; idque, sive ratio erret, sive non: Quia videlicet ab immediata & proxima regula operandi, quæ est dictamen rationis, deflectit. Si itaque ratio aliquid practicè proponat ut bonum (tametsi re ipsa sit malum) & voluntas feratur in contrarium, peccat: rursus: si ratio dictet, aliquid esse malum (licèt in se sit bonum) idque voluntas amplectatur, similiter peccat: quia, quantum in ipsa est, vult malum contra prima principia Syntereseos: *Bonum est prosequendum: Malum fugiendum.* Bonum, inquam, & malum non tantùm secundùm se, sed etiam per accidens ex propositione intellectûs. Et ideo

Dico. Conscientia Erronea obligat ne- 7
gative, id est, ne contra ipsam agamus. Sive: Non licet operari contra Conscientiam Erroneam. Ita S. D. loco cit. universaliter affirmans: *omne, quod est contra Conscientiam, peccatum est.* & in fine corp. ejus artic. inquit: *Unde dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.* Item quodlib. 3. a. 27. *omnis Conscientia, sive recta, sive erronea, sive de se malis, sive indifferentibus, est obligatoria, ita, ut, qui contra Conscientiam facit, peccet.* Estque hæc sententia communis inter Catholicos.

Probat statutam Conclusionem Doctor Angelic. ex verbis Apostoli ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi ly *non ex fide* idem sonat, ac, *non ex dictamine conscientiæ*, sive, *non secundum conscientiam.* Nam ita hunc locum Scripturæ exponunt Origenes, SS. Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, & alii apud Bossium parte 1. §. 6. n. 19. Apostolus enim agit ibi de conscientia erronea quorundam Neo-Christianorum, qui putabant, idolothyta esse cibos immundos, ac sibi vetitos, sicut Judæis in Lege veteri, eisque nihilominùs vescebantur.

Ratio porrò Conclusionis est: quia agere contra præceptum Divinum, quod vel revera est, vel esse existimatur, repugnat legi, & dictamini naturali: Sed, qui operatur contra Conscientiam erroneam, agit contra præceptum Divinum, quod esse existimat; ergo operari contra Conscientiam erroneam repugnat legi & dictamini naturali; & consequenter non est licitum. maj. est certa. mi. ex eo colligitur, quòd Conscientia obliget in virtute legis Divinæ, sitque participatio & intimatio ipsius *non enim Conscientia* (inquit ite-

rum D. Thomas in 2. dist. 39. a. ult. ad 3.) *dictat, aliquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur; sed hac ratione, quia à Deo præceptum est.* Dum igitur operanti dictat erronea conscientia, esse mentiendum v. g. ut avertatur damnum proximi, isque judicat, ad mentiendum se obligari, & tamen non mentitur, agit contra præceptum Divinum, quod esse, & à quo se hic & nunc obligari existimat.

8 Obiicies primo. Dictet alicui erronea conscientia, hic & nunc esse furandum ex bonis improbi divitis ad subveniendum probis pauperibus. In hoc casu non peccat, qui furtum intermittit: ergo licitum est omittere id, quod præcipit erronea conscientia. Conseq. patet. Ant. prob. quia nemo peccat omittendo opus lege æterna prohibitum: sed furtum est tale opus; ergo.

Respondeo, in dato casu esse negandum Ant. ad probat. dist. maj. nemo peccat omittendo opus lege æterna prohibitum, quando ab intellectu repræsentatur ut prohibitum, conc. quando repræsentatur ut præceptum, neg. maj. atqui furtum, tametsi sit opus lege æterna prohibitum, nihilominùs hic & nunc in casu nostro non repræsentatur voluntati ut prohibitum, sed tanquam honestum & lege æterna præceptum.

9 Obiicies secundo. Conscientia erronea non derivatur à lege æterna: ergo non obligat in virtute illius: ergo contra illam operari non est illicitum. Utraque conseq. est legitima. Ant. inde colligitur, quòd à lege per essentiam vera & sancta non possit derivari aliquod judicium falsum & erroneum.

Respondeo dist. Ant. non derivatur à lege æterna, apparet tamen operanti hic & nunc ut derivata & obligans in virtute illius, conc. & non ita apparet, neg. Ant. & utramque conseq. ad probat. Ant. dico, nullum quidem judicium re ipsa falsum & erroneum posse derivari à lege per essentiam vera, posse tamen hic & nunc apparere operanti & repræsentari ab intellectu ut veram ac derivatam ab ea lege. Solutio sumitur ex D. Thoma, loco cit. ad 1.

10 Obiicies tertio. Conscientia erronea quandoque præcipit aliquid contrarium præcepto Dei: ergo tunc saltem non obligat, & consequenter licitè agitur contra illam. Ant. est certum. Conseq. prob. quia præceptum potestatis inferioris non obligat, quando contrariatur præcepto potestatis superioris; ut docet S. Augustinus apud D. Thomam a. 5. Ita, si aliquid jubeat Proconsul, quod prohibet Imperator, præceptum Proconsulis non obligat: atqui præceptum conscientiæ est præceptum potestatis inferioris comparatum cum præcepto Dei, quem penès est summa potestas; ergo &c.

Respondeo omisso Ant. neg. conseq. in hujus probat. dist. maj. non obligat, quando cognoscitur esse contrarium præcepto potestatis superioris, conc. quando id non cognoscitur, immò creditur esse præceptum superioris, neg. maj. Atque hinc est, quod dicit S. D. artic. cit. ad 2. *Si aliquis crederet, quòd præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendò præceptum Proconsulis contemneret præceptum Imperatoris.* Idem existima de illo, qui judicat, præceptum conscientiæ errantis esse præceptum Dei. *Nam quando ratio erronea proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis & præceptum Dei:* Ait D. Thomas loco cit. Atqui operans in nostra hypothesi judicat, præceptum conscientiæ errantis esse præceptum Dei, ergo.

11 Corollarium I. Agens contra conscientiam non committit duo peccata, unum peculiare contra præceptum non agendi contra conscientiam, & alterum contra præceptum virtutis, quod conscientia, sive vera sive erronea, dictat esse observandum. Sayrus in clavi reg. lib. 1. c. 4. n. 21. & 22. Thomas Sanchez lib. 1. Decal. c. 11. n. 5. Laymann lib. 1. tract. 1. c. 4. & alij communiter. Ratio est: tum, quia præceptum non agendi contra conscientiam est generale & inclusum in quolibet alio præcepto: ergo non habet peculiarem atque distinctam obligationem: ergo nec ejus transgressio est peccatum distinctum à transgressione alterius peccati. Tum, quia adversari dictamini conscientiæ est de ratione communi peccati: consequenter actus inde non sumit specialem rationem malitiæ. Si quis proinde contra dictamen conscientiæ die festo non audit Missam, is non est reus duplicis peccati, sed tantùm unius contra præceptum Ecclesiæ. Contrarium tenuisse perhibetur Adrianus in 4. sent. tr. de Confess. asserens, eum, qui scienter operatus est contra conscientiam, id in confessione debere exprimere.

12 Corollarium II. Agens contra conscientiam erroneam, sive vincibilem, sive invincibilem, peccat peccato illius speciei, intra quam peccari conscientia erroneè dictat. D. Thomas ubi suprà ad 3. Sanchez loco cit. Sayrus n. 19. Bossius §. 15. n. 72. Ratio est: quia voluntas amplectitur malum, sicut apprehenditur: ergo operans vult, quantum in se est, tale peccatum committere, quantum, & cujus speciei dictat esse conscientia. Quare existimans ex erronea conscientia, esse jejunandum in Vigilia Epiphaniæ, peccat contra temperantiam, si non jejunet. Qui arbitratur, esse obligationem mentiendi, ut proximum liberet ex vitæ periculo, peccat contra misericordiam, si non mentiatur. Qui

accedit

accedit ad suam uxorem credens, esse non suam, committit adulterium. Quia in omnibus his casibus operans existimat, se transgredi præcepta temperantiæ, misericordiæ, justitiæ &c. & consequenter peccare contra istarum virtutum rationem specificam.

13 Corollarium III. Quando conscientia dictat, aliquid esse agendum, vel omittendum sub mortali, tunc illud omittere, vel agere oppositum erit peccatum mortale; sive in se bonum sit, sive indifferens, sive veniale. Et hinc si credere existentiam Purgatorij v. g. conscientia prohiberet sub mortali; vel dictaret, exspuere in templo; vel proferre verbum otiosum esse mortale, peccares mortaliter, si durante tali conscientia crederes, dari Purgatorium; exspueres in templo; vel proferres verbum otiosum. Quòd si contra conscientia præcipiat, vel prohibeat aliquid sub veniali, agere contra talem conscientiam erit peccatum veniale. Et hoc etiam verum est, quando id, quod proponit conscientia ut veniale, in se sit mortale, nisi hoc proveniat ex ignorantia vincibili: Hæc enim, cùm non excuset à peccato, nequaquam efficiet, ut id, quod ex se est mortale, ratione ipsius evadat veniale. Sanchez loco cit. Sayrus n. 15. Navarrus in Manu. prælud. 9. n. 9. Ratio dictorum est: quia voluntas, sicut advertimus suprà, fertur in objectum, prout est in apprehensione. Unde, si objectum apprehendatur ut malum, idque voluntas amplectatur, quantum in ipsa est, prosequitur malum, grave, si apprehendatur ut grave; leve; si apprehendatur ut leve.

14 Quòdsi conscientia quidpiam prohibeat tanquam malum ita confusè ac genericè, ut non distinguat, an illud facere sit peccatum mortale, vel veniale, paulò operosiùs decernitur, quanta sit culpa contra talem conscientiam operari. Ejusmodi conscientia ut plurimum deprehenditur in hominibus rudibus ac rusticis, dum in Deum jurant; creaturas execrantur; die festo laborant; turpia vel impudica loquuntur &c. nam raro contingit, ut dubitent, dum similia committunt, an peccent mortaliter, vel venialiter; sed præcisè existimant, se peccare. Quodsi tamen de hoc dubitent, certum est apud omnes, illos peccare mortaliter, si, priusquam operantur, rem non examinent: quia exponunt se periculo peccandi mortaliter. Itaque præciso hujusmodi dubio, Navarrus, Valentia, Salas, & alij relati à Castropalao disp. 1. de consc. pu. 3. n. 5. existimant, operari contra talem conscientiam esse solùm veniale peccatum. Ratio est: quia voluntas amplectens malum in communi non amplectitur malum peccato veniali minus: cùm aliàs non esset commune & indifferens ad mortale & veniale. Verum (quod pace eorum, qui utuntur hoc argumento, dixerim) hinc pari jure inferre quis possit, in dicto casu ne quidem peccari venialiter, quod nemo concesserit. Ostendo: voluntas amplectens malum in communi non amplectitur malum peccato mortali minus. Patet: quia aliàs malum in communi non esset commune & indifferens ad mortale & veniale; vel esset commune, & non esset commune. Detur enim ratio, cur malum in communi non sit amplius commune, si voluntas illud amplectens eo ipso censeatur amplecti malum peccato veniali majus; maneat verò commune, si illud amplectens censeatur amplecti malum peccato mortali minus? certè tam peccatum mortali minus, quam veniali majus sunt membra dividentia, ac species subalternæ mali in communi ceu generis ad illas contrahibilis. Allato fundamento addunt, quòd apprehensio malitiæ in genere sit apprehensio malitiæ adhuc imperfectæ, & consequenter insufficiens, ut in actum, vel omissionem actus refundat gravitatem mortalem: ergo solùm refundit malitiam, seu gravitatem venialem. Et hanc sententiam Sanchez ubi suprà, n. 6. & Castropalao dicunt esse probabilem.

15 Verùm probabilius est, contra prædictam conscientiam operari esse peccatum mortale. Ita primùm citt. & præterea Sayrus, cap. cit. n. 17. Vasquez in 1. 2. disp. 59. cap. 3. Bonacina disp. 2. de peccat. q. 4. pu. 6. n. 22. Ratio est: quia, qui sic operatur sine ulteriori malitiæ discussione, quam adhibere tenetur, temerè committit se periculo peccandi mortaliter: ergo peccat mortaliter: quia exponere se periculo peccandi mortaliter est peccare mortaliter. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.*

Confirmatur. Qui statuit peccare in genere non determinans materiam, circa quam vult peccare, is peccat mortaliter; ut habent Sanchez & Bonacina: ergo pariter peccat mortaliter, qui in certa materia operatur contra conscientiam, & apprehensa ratione peccati solum generica non discernit, an peccet mortaliter, vel venialiter. Conseq. videtur legitima: quia non minùs in casu consequentis, quam antecedentis se libere quis conijcit in periculum peccati mortalis. Hanc sententiam Bossius ubi suprà n. 79. judicat esse tutiorem, quàm priorem: istam verò quotidianæ praxi magis accommodam: quia durum videtur, omnia fere peccata rusticorum, aliorumque rudium, putà turpiloquia, juramenta per Deum, imprecationes, mendacia, & similia malitiæ mortalis in Confessionali damnare: quod tamen fieri in sententia posteriori oportet. Nam id genus homines ut plurimum, dum ejusmodi peccata committunt, solùm apprehendunt, illa esse mala, & de gravitate, vel levitate eorum non cogitant.

16 Corollarium IV. Detentus in carcere, ubi non celebratur Missa, si existimet, se peccare, dum die festo non audit Missam; non peccat. Pariter, qui manu ab aliis violenter mota percuteret Clericum, non peccaret, licèt erroncè judicaret, se peccare. Sanchez. cap. cit. n. 3. Castropal. pu. 5. n. 5. Bonac. n. 24. & 26. Laymann. lib. 1. c. 1. n. 2. ubi propter paritatem rationis mox afferendæ idem docet de scrupuloso, qui involuntarias suas passiones & distractiones in oratione arbitratur esse peccata. Ratio vero istorum est: quia, ut quis agendo contra Conscientiam erroneam peccet, debet ejus actio, vel omissio actionis esse libera: atqui omissio sacri ejusmodi captivo, & percussio Clerici ad hanc violenter motæ non est libera; ergo. Et hinc Bonacina infert, eum, qui domi ægèr decumbit, peccare, quando die festo existimat; se peccare non audiendo Missam, rationem reddit ex discrimine inter captivum, de quo diximus, & ægrotum. Primus, inquit, non peccat defectu libertatis & voluntarii: secundus verò non videtur excusandus à peccato; cùm absolutè loquendò libertatem habeat audiendi Missam, quamvis eam audire non possit absque sanitatis dispendio. Verùm contingere potest, ut infirmus quoque careat & potentia, & libertate requisita ad audiendam Missam. In quo casu non minùs excusabitur à peccato, dum arbitratur se peccare non audiendò, quàm compactus in carcerem. Bossius §. 6. n. 24.

17 Corollarium V. Neque divinitus est dispensabile, ut operari contra dictamen Conscientiæ sit licitum. Ratio est: quia DEUS in re intrinsecè mala dispensare non potest: sed agere contra Conscientiam est intrinsecè malum; ergo in hoc DEUS dispensare non potest. maj. est certa. mi. prob. quia velle objectum cognitum sub ratione mali est intrinsecè malum: sed agere contra Conscientiam est velle objectum cognitum sub ratione mali; ergo agere contra Conscientiam est intrinsecè malum. maj. iterum constat. mi. ex eo patet, quod agens contra Conscientiam velit objectum cognitum sub ratione prohibiti per præceptum Divinum, quod vel revera est, vel saltem esse existimat, & quatenùs illud æternæ legi contrarium apprehendit. Deinde. Implicat, ut Deus hominem simul obliget, & deobliget. Sed hoc faceret, si daretur in nostro casu dispensatio; ergo. mi. prob. nam inprimis obligaret, eo ipso, quòd staret actuale dictamen Conscientiæ hìc & nunc prohibentis actionem, vel omissionem actionis tanquam malam & illicitam. quamdiu enim stat ejusmodi dictamen, tamdiu obligat DEUS: quia Conscientia est quædam actualis intimatio & participatio legis Divinæ hìc & nunc obligantis. Deobligaret autem per dispensationem: quia per hanc relaxatur lex, & subditus eximitur ab obligatione, atque rigore illius. Bossius loco cit. n. 21. Paulus Mezger in tract. de Consc. disp. II. a. 3. §. 3. n. 11.

§. III.

An Erronea Conscientia obliget, ut secundùm ipsam operemur?

SUMMARIUM.

18. *Conscientia Consulens non obligat,* 19. *Nec Conscientia vincibiliter errans obligat ad sui sequelam.* 20. *Perplexitas ex illa proveniens non excusat a peccato.* 21. *An dari possit medium inter operari juxta Conscientiam, & non operari contra Conscientiam?* 22. *An prohiberi possit actus dilectionis DEI?* 23. *Tenemur operari secundum Conscientiam invincibiliter erroneam.* 24. *Quomodo hæc Conscientia conformis sit legi Divinæ?* 25. *Plus obligat, quàm præceptum superioris.* 26. *Perplexitas ex eadem orta tollit libertatem peccandi.* 27. *An Conscientia erronea deponi possit pro libitu?* 28. *An opus conforme Conscientiæ invincibiliter erranti sit honestum, & quali honestate?* 29. *An agens ex invinvibili ignorantia incurrat Ecclesiasticam Censuram?*

18 VIsum est hactenùs, peccatum esse contra erroneam Conscientiam operari. Nunc explicandum est, an similiter illicitum, an vero licitum sit hujus Conscientiæ dictamini in operando se conformare? In qua re certum est, quando erronea Conscientia ex errore, seu vincibili, seu invincibili, proponit objectum ut honestum ac licitum, quod tale non est, per modum consilii, & non ut præceptum, neminem obligari, ut secundùm ejus dictamen operetur. Ita, si Conscientia erroneè dictet, non quidem præceptum, consultum tamen esse hìc & nunc furari ad dandam eleemosynam, non teneris furari. patet. nam si Conscientia etiam non erronea aliquid proponat ceu rem consilii, id non tenemur amplecti; ergo neque tenemur, dum quid simili ratione repræsentat erronea. Hoc ipso enim, quòd sit merè consulens, non habet vim obligandi: ut jam supra advertimus. Est igitur quæstio de Conscientia erronea, quæ aliquid dictat faciendum ut præceptum, vel omittendum ut prohibitum.

19 Dico primò. Conscientia vincibiliter errans non obligat positivè, id est, ut eam sequamur, & faciamus, quod præcipit, vel

vel omittamus; quod prohibet. Ita cum D. Thoma 1. pr. q. 19. a. 6. Sayrus ubi suprà n. 8. Sanchez. cap. 11. cit. n. 12. Castropal. puncto 2. n. 3. Terillus de Conscient. probab. q. 17. & alii communiter.

Probatur conclusio. Quia, qui sequitur in operando dictamen Conscientiæ vincibiliter erroneæ, peccat: ergo hæc Conscientia non obligat; ut secundùm ipsam operemur: Conseq. patet: quia nemo obligari potest ad id, quod si faciat, peccat. Ant. ostenditur. Da aliquem, cui Conscientia ex vincibili ignorantia dictet, hîc & nunc esse mentiendum. Hic, si non mentiatur, peccat, ut constat ex dictis præced. §. quia agit contra Conscientiam. Si mentiatur, peccat similiter: ergo verum est Antec. quòd peccet, prob. quia ille peccat, cui malitia mendacii est voluntaria: sed huic mentienti malitia mendacii est voluntaria; ergo peccat. maj. est certa. mi. prob. nam culpabiliter judicat, hîc & nunc esse mentiendum: ergo malitia mendacii est ei voluntaria. Ant. supp. quia, antequàm mentiebatur, tenebatur diligenter inquirere, an esset obligatio mentiendi? quod cùm non fecerit, peccat, dum judicat, dari præceptum mentiendi: quia agit temerariè, & liberè se præcipitat in periculum proximum peccandi. Conseq. prob. quia mendacium sequitur ex illa culpabili judicio, quod, cùm sit error vincibilis, neque tollit voluntarium, neque excusat à peccato; ut suprà ostendimus: ergo mendacium, ejusque malitia mentienti non desinunt esse voluntaria, sed sunt ei voluntaria in causa. Verùm contrà hæc.

20 Objicies primo. Si in prædicta hypothesi erronea Conscientia non obligat positivè, ejusmodi homo erit perplexus, sive obligatus ad contradictoria; sed conseq. est absurdum; ergo. seq. maj. constat. nam, si mentiatur, peccat. si non mentiatur, peccat: ergo, quidquid ex duobus contradictoriis elegerit, peccabit, &, quocunque se verterit, peccatum non evadet, sed necessario peccabit.

Respondeo, solum fore perplexum secundùm quid, & ex suppositione ab ipsomet liberè posita, culpabili videlicet ignorantia legis, quam potest & tenetur cognoscere, quamque ob propriæ voluntatis malitiam non vult cognoscere; non autem fore perplexum simpliciter & absolutè. Undè neque peccabit necessariò necessitate antecedente, sed necessitate solum consequente, & ipsi voluntaria. Quemadmodum ille necessariò peccat tempore Paschali, sive accedat, sive non accedat ad S. Eucharistiam, qui sciens volens peccatum mortale confiteri neglexit. Ut igitur laqueos, quibus semet implicuit, exuat, debet conscientiam ex propria culpa errantem deponere. Sylvester in summa. V. Conscientia. Sayrus loco cit. n. 10. Sanchez. loco cit. Laym. lib. 1. c. 4. n. 4. Castrop. loc. cit.

Objicies secundo. Qui obligatur ad non 21
omittendum mendacium, obligatur ad mentiendum: sed is, cui dictat Conscientia vincibiliter errans, esse mentiendum, obligatur ad non omittendum mendacium; ergo obligatur ad mentiendum. Sed hoc est obligari positivè ad faciendum id, quod præcipit Conscientia vincibiliter erronea; ergo. maj. videtur clara. mi. prob. quia obligatur ad non agendum contra illam Conscientiam: ergo obligatur ad non omittendum mendacium. Patet conseq. quia omittere mendacium est agere contra Conscientiam; ergo non omittere est non agere contra Conscientiam; ergo obligatur ad non omittendum mendacium.

Ante solutionem adverte, quando Conscientia est recta, vel invincibiliter erronea, non dari medium inter hæc duo: *Operari juxta Conscientiam*: *Non operari contra Conscientiam*. Unde, quisquis obligatur non operari contra Conscientiam, obligatur hoc ipso operari juxta dictamen Conscientiæ. Sic eo ipso, quòd sis obligatus non operari contra Conscientiam, quæ ex invincibili ignorantia dictat, hanc hostiam (quæ re ipsa non est consecrata) hîc & nunc esse adorandam, teneris operari juxta hanc Conscientiam, hostiamque adorare. Econtra, dum Conscientia est erronea vincibiliter, datur medium inter operari juxta Conscientiam, & non operari contra Conscientiam, scilicet deponere Conscientiam. Quare non eo ipso, quòd obligemur non operari contra hanc Conscientiam, obligamur operari juxta illam faciendo, quod præcipit, omittendo, quod prohibet, sed tenemur deponere Conscientiam.

Nunc in forma respondeo ad Object. omissa maj. dist. mi. obligatur ad non omittendum mendacium, nisi sit obligatus ad deponendam Conscientiam, quæ dictat, non esse omittendum mendacium, conc. si sit obligatus ad deponendam Conscientiam, neg. mi. & dist. conseq. ergo obligatur ad mentiendum, si non sit obligatus ad deponendam Conscientiam, conc. si sit obligatus, neg. conseq. atqui est obligatus, ut diximus, ad deponendam Conscientiam. In probat. mi. dist. Ant. obligatur ad non agendum contra dictam Conscientiam, & simul ad deponendam illam, conc. secus, neg. Ant. & dist. conseq. ergo obligatur ad non omittendam mendacium, si non obligetur ad deponendam Conscientiam, conc. si ad hoc obligetur, neg. conseq. Et hinc patet ad reliqua.

22 Objicies tertio. Non omne opus, quod fit juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter erràntis peccatum est: Ergo non semper peccat, qui secundùm hanc Conscientiam operatur. Conseq. constat. Ant. prob. quia elici potest actus charitatis Dei juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter errantis: Ergo non omne opus, quod fit juxta illam, peccatum est. Conseq. videtur legitima: Quia actus charitatis Dei tam non potest esse inhonestus, quàm odium Dei non potest esse honestum. Ant. prob. interdicat superior Religioso cuipiam prostratæ valetudinis sub peccato, ne durante gravissima infirmitate se se exerceat in actibus charitatis, & ita vires, præsertim capitis, adhuc magis debilitet. Supponamus jam, hominem ex vincibili ignorantia existimare, quòd ab æterna felicitate sit excludendus, nisi hic & nunc actum dilectionis Dei eliciat. Quid nunc obstat, quominùs erroneum istud dictamen diligat Deum? planè nihil. Ergo potest elici actus charitatis juxta dictamen Conscientiæ vincibiliter errantis.

Respondeo neg. Ant. ad probat. neg. rursus Ant. quod dum prob. nego, substantiam perfectæ dilectionis Dei posse prohiberi à quoquam. Prohiberi ad summum potest circumstantia talis actus, v. g. justò intensior applicatio capitis. Unde argumentum nititur falsò suppositò. Quòdsi etiam permittamus, Religiosum judiciò vincibiliter erroneò existimare, ipsammet substantiam dilectionis sibi esse vetitam, non poterit stante hoc judicio, quo culpabiliter judicat, substantiam perfectæ dilectionis esse rem Deo execrabilem, elicere talem actum, utpote incompossibilem cum omni eo, quod est Deo contrarium, cujusmodi esset in hac absurda hypothesi ipsamet inhonestas illius erroneè repræsentata. Immò tametsi esset judicium inculpabile, & error invincibilis, nec dum posset ille homo Deum supernaturaliter diligere: Ratio est: quia, ut eliciatur actus charitatis supernaturalis, necessarius est actus fidei, quo credatur, *Deum esse, & se quærentibus*, ac consequenter *diligentibus*, *remuneratorem esse*. Hic autem actus fidei stare non potest cum prædicto judicio; ergo.

23 Dico secundo. Conscientia invincibiliter erronea obligat positivè, ut eam sequamur, agendo, quod præcipit, omittendo, quod prohibet. Ita D. Thomas art. suprà cit. Authores relati, estque doctrina certa apud Catholicos. Ratio colligitur ex dictis. Quia voluntas nostra eo modo tenetur obedire legibus & præceptis, quo ipsi per intellectum repræsentatur eorum obligatio: Ergo non solùm conformare se tenetur veræ legi, seu præcepto, sed illi quoque, quod ipsi prudenter ut verum repræsentatur, licèt à parte rei verum non sit. Atqui ab intellectu per Conscientiam invincibiliter errantem voluntati hoc modo repræsentatur divinum præceptum, ejusque obligatio; ergo eidem se conformare tenetur, & consequenter sequi dictamen Conscientiæ inculpabiliter erroneæ, non ut erroneæ, sed ut veræ prudenter existimatæ. Quapropter hæc obligatio, ut appareat, erroneæ Conscientiæ convenit solùm per accidens, & ex suppositione quod credatur esse recta, cui convenit obligare per se, *Recta* (inquit D. Thomas q. 17. de verit. a. 4.) *obligat simpliciter & per se; erronea autem secundùm quid, & per accidens.*

24 Objicies. Conscientia invincibiliter erronea non est conformis legi æternæ: Ergo non tenemur eam sequi in operando. Conseq. constat. Ant. prob. quia dictamen præcipiens id, quòd lex æterna prohibet, non est conforme legi æternæ: Sed Conscientia invincibiliter erronea est dictamen præcipiens id, quod lex æterna prohibet, v. g. mendacium; ergo hæc Conscientia non est conformis legi æternæ.

Respondeo, si sit sermo de ultimo & practico dictamine Conscientiæ invincibiliter erràntis, neg. Ant. in hujus probat. dist. maj. dictamen præcipiens id, quod lex æterna prohibet tam per accidens, quàm per se, non est conformis legi æternæ, conc. quod prohibet per se, non verò per accidens, neg. maj. vel subdist. non est conforme legi æternæ ut obliganti per se, conc. ut obliganti per accidens, nego. Sed conscientia invincibiliter erronea præcipit id, quod lex æterna prohibet tam per accidens, quàm per se, neg. quod prohibet per se, non autem per accidens, immò per accidens præcipit, conc. min. &c. Lex æterna absolutè spectata, & voluntati sine errore repræsentata prohibet procul dubio, quidquid est intrinsecè malum; per accidens tamen, & ex suppositione erroneæ repræsentationis non solùm non prohibet, sed etiam præcipit id, quod est intrinsecè malum, si ab operante invincibiliter ac prudenter credatur esse bonum. Unde mendacium, etsi per se loquendo postulet prohiberi, quatenùs tamen subsistat prudenti & inculpabiliter erranti judicio, id non postulat: Neque mentiri in hoc casu peccatum est; immò erit actus formaliter honestus & meritorius, v. g. misericordiæ vel charitatis, si existimes, te ad id ex harum virtutum præcepto obligari. Nam mentiens in eo casu similem format discursum: *Illud hic & nunc licitè & obligatoriè dico, quod Deum à me dici velle prudenter judico: Sed ego prudenter judico, Deum velle, ut hic & nunc dicam falsum: Quia prudenter judico, mendacium in his circumstantiis esse à Deo præceptum;*

ergo

ergo hic & nunc licitè & obligatoriè dico falsum. Hæc conclusio est ultimum dictamen Conscientiæ invincibiliter erroneæ prudens & practicè verum, ac consequenter legi æternæ conforme, atque in ejus virtute obligatorium.

25 Corollarium. I. Conscientia invincibiliter erronea plùs obligat, quàm præceptum superioris: Et ideo subditus tenetur relictò mandatô Prælati parere Conscientiæ contrarium præcipienti. Sanchez ubi suprà n. 16. Bonac. de peccat. disp. 2. pu. 6. n. 17. Castropal. pu. 6. n. 4. Paulus Mezger loco cit. in priori §. & alii. Ratio est tum, quia, qui sequitur dictamen hujus Conscientiæ, non peccat; peccat autem, qui contra illud operatur: quod necessariò facit subditus, dum Prælato obedit. Tum, quia obligatio Conscientiæ est virtualiter obligatio legis Divinæ, atque adeo prævalere debet obligationi præcepti humani, quæ est in mandato superioris: Obedire enim Deo oportet magis, quàm hominibus, ut dicitur Actor. 4. nec legislator inferior derogare potest legi superioris. Quòdsi Conscientia subditi contraria præcepto Prælati sit vincibilis (ut plerumque contingit) præsumi debet pro præcepto Prælati, quamdiu non præcipit aliquid manifestè illicitum; eique depositâ Conscientiâ obediri. Sayrus cap. cit. n. 35. Castropal. loco cit.

26 Corollarium II. Qui per errorem invincibilem existimat, utrumque oppositorum esse peccatum: v. g. qui putat, mentiri esse contra veracitatem; non mentiri contra misericordiam, is non peccabit, quidquid elegerit de duobus extremis: Nisi fortè unum videatur majus peccatum, quàm alterum: Tunc enim tenebitur relinquere id, quod est majus; ideoque peccat, si non relinquat. Sanchez n. 14. Laym. lib. 1. tract. 1. c. 4. n. 4. Illsung Theol. pract. tract. 1. disp. 1. a. 3. n. 16. Ratio est: quia ejusmodi homo est simpliciter perplexus, nec habet sufficientem libertatem ad evitandum peccatum: Cum ei ab intellectu non proponatur ut moraliter vitatu possibile. Sive enim hoc, sive illud conetur eligere, videt, sibi malum necessariò utrobique imminere. Et hinc patet, cur peccet non eligendo minus peccatum præ majori, suppositô, quod illud diguoscat: Quia nempe ad illam electionem præditus est sufficiente libertate, & agit imprudenter contra illam regulam: *Inter duo mala minus est eligendum.*

27 Corollarium. III. Qui Conscientiam erroneam sine rationabili fundamento, solumque temere circa aliquod objectum sibi formavit, potest eam pro libitu & absque ulla nova ratione deponere. Ratio est: Quia, per quæ res quælibet nascitur, per eadem dissolvitur: Ergo sicut ejusmodi Conscientia est orta sine ratione & fundamento, ita potest sine illis dissolvi atque deponi. Si verò talis Conscientia ex fundamento, quod operanti videbatur rationabile, fuit concepta, etiam deponi non potest sine fundamento & ratione saltem probabili in contrarium. Ratio est: quia alioquin operans temere & imprudenter procedit, seque præcipitat in periculum deponendi Conscientiam veram. Et ideo operari depositâ in hunc modum Conscientiâ peccatum est, & quidem ejusdem malitiæ ac speciei, cujus est operari contra Conscientiam nondum depositam. Ita docet relatis pluribus aliis Sanchez loco cit. n. 10. & 11. Bonac. pu. 6. n. 30. Castropal. ubi suprà n. 5.

28 Corollarium IV. Actus, quo voluntas Conscientiæ invincibiliter erranti, dum dictat aliquid esse bonum, quod est peccatum, se conformat, est bonus & ejusdem honestatis, cujus sunt opera virtutis, ad quam pertinere existimatur. Ita furtum v. g. ad quod aliquis errore invincibili obligari se credit, ut possit largiri eleemosynam, est opus bonum, & virtutis misericordiæ. Sanchez cit n. 17. Bonac. n. 23. & alii. Ratio est: Quia objectum dat speciem actui humano, prout ab intellectu repræsentatur: Ergo, si objectum repræsentetur ut bonum & honestum, voluntas verò feratur in illud, prout substat ejusmodi repræsentationi, tunc actum reddit bonum ac honestum; & quidem alia honestate, quam respicit virtus, ex cujus præcepto operans obligari se arbitratur.

29 Corollarium V. Qui ex ignorantia invincibili agit, vel non agit illud, quod sub comminatione censuræ prohibitum, vel præceptum est, is non incurrit censuram, sive illa ignorantia sit juris, sive facti. Laym. lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 5. num. 7. ex communi. Et ideo non solùm, si nescias, percussionem Clerici sub pœna excommunicationis esse prohibitam; sed etiam, si nescias, esse Clericum, quem percutis, utroque casu excommunicationem effugies. Hoc idem procedit etiam in ignorantia concomitante. Nam Cajus v. g. Clericum verberans, quem ignorat esse Clericum, non incurrit excommunicationem, tametsi animô sit ita comparatus, ut nihilominus verberaret, quamvis sciret, esse Clericum, quem hic & nunc arbitratur esse Laicum. Ratio est; Quia, præterquàm quòd laborans ignorantia invincibili non censeatur esse contumax externè contra legem Ecclesiasticam, quomodocunque in affectu interno sit constitutus, etiam non

agit

agit voluntariè circa objectum, quod hîc & nunc actualiter ignorat. Oppositum tenendum est, si Cajus cognoscat, cum, quem percutit, esse Clericum, isque verè sit Clericus; non tamen ille, quem intendit percutere: v. g. si volens percutere Petrum Clericum percutiat Paulum Clericum, quem putat esse Petrum Clericum. Ratio est: quia sic sciens ac volens verè percutit Clericum, atque committit sacrilegium, propter quod lata est excommunicatio. Ludovicus de Scildere, tract. 1. de consc. cap. 2. n. 17. Bardi, de consc. dub. discept. 6. c. 8. §. 2. n. 2.

ARTICULUS III.
De Conscientia recta.

SUMMARIUM.

1. *Ultimum dictamen conscientiæ rectæ debet esse certum & infallibile.* 2. *Secus non ultimum.* 3. *Unde desumatur rectitudo conscientiæ?* 4. *Solvitur objectio.* 5. *Cur conscientia dicatur practicè, vel speculativè vera, aut falsa?* 6. *Quomodo conscientia invincibiliter erronea non sit eadem, quæ recta?*

1 REctam Conscientiam, sive ultimum dictamen practicum, in quo sita est recta conscientia, oportere esse verum, certum, & infallibile, communis est omnium ferè sententia: idque meritò. Nam inprimis omnis actus prudentiæ est verus, certus, & infallibilis: sed recta conscientia est actus prudentiæ; ergo est vera, certa, & infallibilis. mi. ostensa est suprà, disp 1. a. 1. n. 5. maj. prob. quia omnis actus virtutis intellectualis est verus, certus, & infallibilis: sed omnis actus prudentiæ est actus virtutis intellectualis; ergo omnis actus prudentiæ est verus, certus, & infallibilis. mi. tam certa est, quam certum est, prudentiam esse virtutem intellectualem. maj. ex eo constat, quòd virtus intellectualis sit, *quæ animam verum dicit affirmando aut negando*, ut habet Philosophus in 6. Ethic. & consequenter exposcit actum, & objectum verum ac certum: nam secùs confunditur cum opinione, cujus quemadmodum objectum, ita & actus incerti sunt atque fallibiles. Atque hinc planum est, certitudinem conscientiæ, quam adstruimus, esse simul objectivam & formalem. Objectiva est, quia objectum, quod dicit illicitum, infallibiliter est licitum. Formalis est, quia non patitur secum consistere ex parte assensus ullam formidinem de opposito. Deinde certitudo, & infallibilitas rectæ conscientiæ ex eo satis evincitur, quòd sit legis Divinæ participatio, à qua tanquam à sua causa exemplari derivatur & exemplatur, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba D. Thomas ita exponit: *quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est, in tantum nobis potest ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo derivatum.* Cùm proinde regula exemplaris, sive lex æterna, sit vera, certa, & infallibilis; conscientiam quoque rectam, utpote conformem suo exemplari, certam & infallibilem esse necesse est.

Hæc dicta sunt de dictamine conscien- 2
tiæ simpliciter ultimo, sive de illo, quod proximè regulat operationem honestam. Nam si sermo sit de dictaminibus prævijs, & non absolutè ultimis conscientiæ, quæque inferri solent ex principiis solùm directis circa eandem actionem particularem; sicuti pluribus explicabitur de consc. prob. certum est, illa neque semper certa esse, neque infallibilia. Vide rem in exemplo: sit conscientia dictans, licitum esse pingere in die festo. Hoc dictamen potest esse certum & infallibile, vel incertum & fallibile, juxta qualitatem videlic. præmissarum, ex quibus infertur. In hoc Syllogismo: *Omne opus non servile mihi licitum est in die festo: sed pingere est opus non servile; ergo pingere mihi licitum est in die festo*, incertum est atque fallibile. Quia est conclusio illata ex principiis solùm directis, quæ non ambo sunt certa. Nam licet *major* sit certa. *Minor* tamen est merè probabilis, & consequenter incerta & fallibilis. Formo jam alium discursum: *Omne opus, quod omnibus inspectis prudenter judico esse licitum, mihi est licitum in die festo, sed ego hic & nunc, omnibus inspectis, prudenter judico, quod pingere sit opus licitum in die festo; ergo pingere mihi licitum est in die festo.* Hæc conclusio est dictamen conscientiæ simpliciter ultimum, supponens ex natura rei illud, quod in priori Syllogismo deduximus, tanquam præmissam objectivam, estque certum & infallibile; quia infertur ex principiis reflexis certis & infallibilibus. *Major* enim est principium reflexum Syntereseos. *Minor* est cognitio experimentalis reflexa similiter certa; sicut videbimus loco cit. Ergo verum est, dictamen conscientiæ simpliciter ultimum esse certum & infallibile; secùs non ultimum, quando videlicet principia directa, ex quibus proximè deducitur, non sunt certa & infallibilia.

Sed moveri jam dubium potest; quænam sit mensura veritatis ac rectitudinis, quæ

quæ reperitur in conscientia recta? Aliqui ob fundamentum, quod num. seq. proponemus, veritatem conscientiæ desumunt ex habitudine conformitatis ad objectum. Verùm Aristoteles & Doctor Thomas eam constituunt in habitudine ad appetitum rectum. Verba Philosophi lib. 6. Ethic. cap. 2. sunt hæc: *Activæ mentis veritas est consentanea appetitui recto.* Quæ exponens Doctor Angelic. lect. 2. *bonum*, inquit, *practici intellectus non est veritas absoluta, sed veritas consequenter se habens, id est, concorditer ad appetitum rectum.* Et in 1. 2. q. 119. a. 3. ad 2. *In his autem, quæ sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti.* Mensura igitur rectæ conscientiæ est rectus appetitus finis debiti, atque vel maximè finis ultimi. Quare illud dictamen conscientiæ dicendum est rectum, quod homo sincerè affectus erga finem ultimum post omnia diligenter pensata infert ex principiis moralibus invincibiliter existimans, opus à se hîc & nunc exequendum Divinæ legi, qua rationalis creatura in finem ultimum dirigitur, esse conforme. Ratio hujus doctrinæ optimè petitur ex diferimine, quod inter judicium speculativum, & dictamen, sive judicium practicum versatur. Veritas judicii speculativi non est causa & mensura veritatis repertæ in suo objecto, sed vicissim objectum est causa atque mensura veritatis repertæ in judicio. Trá non ideo verum est, hominem esse animal rationale, quia id enuntiat de illo propositio creati intellectus; sed ipsamet propositio ideo vera est, quia homo re ipsa est animal rationale, ipsaque objectivæ huic veritati commensuratur. In judicio practico oppositum contingit: Nam veritas illius est causa & mensura veritatis, quæ est in objecto: veluti patet in artefactis: nam domus v. g. suam veritatem & rectitudinem habet per conformitatem ad regulas architectonicas, quæ sunt judicia practica, & ad exemplar ideæ, quod est in intellectu architecti: econtra regulæ, ipsaque idea non sunt veræ ac rectæ per habitudinem conformitatis ad domum regulatam ideatamque, sed per conformitatem ad finem intentum ab architecto. Cùm itaque conscientia sit judicium practicum prudentiæ, proximaque regula & mensura actuum humanorum, veritas ejus & rectitudo non ab actu, quem regulat, ejusque objecto, sed per ordinem ad intentionem debiti finis habetur.

4 Obiicies. Veritas omnis judicii enuntiativi sumitur per ordinem ad objectum: sed conscientia est quoddam judicium enuntiativum, ut est manifestum; ergo veritas conscientiæ sumenda est per ordinem ad objectum. maj. est Aristotelis lib. 1. peri herm. cap. 8. absolutè pronuntiantis: *ex eo, quod res est, vel non est, enuntiatio redditur vera vel falsa.* Neque valet, si respondeas, maj. esse veram, si loquatur de veritate omnis judicii speculativi, non autem practici, quale est conscientia. Nam contra est, quòd enuntiationes Ethicæ, Medicæ, & Theologiæ moralis sint judicia practica; quippe elicita ab habitibus formaliter practicis, & nihilominùs earum veritas desumatur penès habitudinem conformitatis ad res, sive objecta.

Ante solutionem adverte, judicium conscientiæ dupliciter esse considerandum, videlicet in præcisa ratione judicii, & quatenùs enuntiat prædicatum de subjecto: deinde sub ratione regulæ proximæ, & in quantum est actualis intimatio & applicatio Divinæ legis ad operationem particularem. In prima consideratione sequitur conditionem aliarum cognitionum speculativarum, atque ad instar earum pro suæ veritatis mensura habet objectum. In secunda consideratione, quæ est propria hujus loci, sumitur ut verè practicum, & cum habitudine ad voluntatem, qua debitus finis intenditur: atque ut sic veritatem ac rectitudinem ei competere per ordinem ad debiti intentionem finis asserimus.

Nunc in object. dist. maj. veritas omnis judicii enuntiativi, ut est præcisè enuntiativum, desumitur per ordinem ad objectum, conc. ut est regulativum proximè alicujus operationis, neg. maj. sed conscientia est quoddam judicium enuntiativum & simul regulativum proximè operationis particularis, conc. præcisè enuntiativum, neg. mi. ergo veritas conscientiæ, ut est judicium enuntiativum, sumenda est per ordinem ad objectum, conc. ut est regula proxima operandi, neg. conseq. De cognitionibus Ethicæ, Medicæ, & Theologiæ moralis dico, eas versari circa objectum in universali, nullique mutationi obnoxium, *v. g. Colere amicitiam est honestum, usura est illicita &c.* Unde tametsi sint practicæ, fortiuntur nihilominùs pro suæ veritatis mensura veritatem objecti. Aliter se res habet in judicio practico conscientiæ, quatenùs practicum est: cùm enim sit circa objectum singulare, contingens, atque mutabile ob varietatem circumstantiarum (veluti cernitur in exercitio similium actionum: *Hic & nunc est jejunandum, hic contractus à me nunc licitè celebratur &c.*) non potest ex objecto obtinere veritatem & certitudinem immobilem, qualis inveniri debet in actu prudentiæ: & consequenter eam sortitur per habitudinem conformitatis ad rectam intentionem finis.

Ex dictis colligitur ratio, quare conscientia interdum dicatur practicè vera, speculativè falsa; & econtra practicè falsa, speculativè 5

tivè vera; practicè & speculativè falsa. Practicè vera, & speculativè falsa est, quando omnibus rite pensatis dictat, actum esse conformem debitæ intentioni finis, & interim tàm actus quàm objectum secundùm se aliter se habent, quàm ipsa enuntiat. talis Conscientia fuit Jacobi accedentis ad Liam: dictavit enim ex rectâ intentione finis ultimi, studioque implendi Divinam voluntatem esse licitum hic & nunc accedere ad hanc fœminam: at objectum secundùm se non ita, ut illa enuntiavit, se habuit; cùm Lia non fuerit vera uxor. Practicè falsa, & speculativè vera est, si objectum quidem secundùm se sit tale, quale esse enuntiat; actus tamen, ejusque exercitium, quod dictat, à voluntate debitum finem intendente discordet. exemplum est in eo, qui ex culpabili ignorantia credit, jurare esse semper illicitum, & nihilominus confirmandæ veritatis gratiâ jurat. hîc Conscientia enuntiat, jurare esse licitum; quod planè ita se habet absolutè; atque adeò vera est speculativè: sed quoniam, ut est regula talis actionis, non commensuratur rectæ intentioni finis ultimi, practicè falsa est. Practicè & speculativè vera est Conscientia, quando & res ita se habet secundùm se, prout ipsa enuntiat, & actio circa rem exercenda recto appetitui finis est consona; ut, dum quis die festivo judicat, esse honestum & obligatorium audire Missam, secutusque tale judicium audit Missam. Practicè & speculativè falsa est, quando neque objectum à parte rei ita se habet: sicut enuntiat; neque ipsa debiti finis intentioni conformis est; veluti contingit in eo, qui ex vincibili errore existimat, mendacium in casu necessitatis esse licitum, actuque mentitur.

Illud tandem adverte, Conscientiam invincibiliter errantem semper esse rectam; at nihilominus in divisione Conscientiæ esse membrum condistinctum à Conscientia recta, seu vera: quia nomine Conscientiæ erroneæ venit illa omnis, quæ continet errorem, sive is practicus sit, sive speculativus: per veram autem, sive rectam intelligitur ea, quæ omnis erroris tam speculativi quàm practici immunis est. 6

DISPUTATIO III.

De Conscientia Dubia.

Tametsi Conscientia Dubia, ut suprà advertimus, non sit verè ac formaliter Conscientia; cùm Conscientiam oporteat esse judicium positivum & practicum; quorum nihil de dubio propriè dicto, sicut statim videbimus, affirmari potest; nihilominùs de illa differere ad nostrum institutum vel maximè pertinet: tum, quia communiter à Doctoribus inter membra dividentia Conscientiæ & ipsa referri consuevit hactenùs: tum, quia multa in ejus tractatione occurrunt, quæ facem ad notitiam dicendorum de Conscientia Probabili præferunt. Primum igitur, quod hic in examen vertimus, est, an licitum sit operari cum Conscientia dubia? Alterum, quibus modis, & ex quibus principiis Conscientia dubia sit deponenda? ubi plurima ad praxim utilia Corollaria deducentur.

ARTICULUS I.

An liceat operari cum Conscientia Dubia?

§. I.

Præmittitur Definitio, & Divisio Dubii.

SUMMARIUM.

1. Variæ definitiones Dubii. 2. Explicatur amplius natura Dubii. 3. Quandonam tentatus circà fidem dubitet de illa? 4. Quid sit dubium negativum, quid positivum? 5. Specialis observatio circa dubium negativum. 6. Quid sit dubium speculativum, quid practicum? 7. Refellitur Lorca improbans hanc divisionem. 8. Quid sit dubium juris, quid facti? 9. Quid dubium formale, quid objectivum? item, cur aliqui raro aliqui sæpe dubitent?

AUthores in definitione Dubii non omnes conveniunt, quamvis eorum discordia in modo loquendi solùm, non in re ipsa versari videatur. Vasquez apud Joann. de Cardenas, in Crisi Theol. parte I. disp. 6. cap. 1

cap. 1. definit, quòd sit *pendere intellectum in utramque partem contradictionis, & neutri assensum præstare.* Thomas Sanchez. lib. I. Decal. cap. 9. n. 2. ait, dubium esse, *quando intellectus pendet in æquilibrio in neutram partem potiùs inclinans.* Juxta Francisc. Bardi discept. 5. de Consc. dub. dubium est *quædam suspensio intellectus manentis in æquilibrio inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis.* Terillo. de Reg. mor. q. 50. est *vacillatio ac hæsitatio animi in utramque partem contradictionis circa quæstionem propositam, & non solutam.* Alii aliter definiunt. Nulla ex allatis definitionibus est rejicienda: quia omnes, si rite pensentur, in eundem sensum conspirant, suumque definitum ab omni alio bene discriminant.

2 Ex illis porrò tria eruuntur ad essentialem conceptum dubitationis necessaria. Primum est suspensio judicii in utramque partem contradictionis. Ita, ut dubitet intellectus, *an cæli sint liquidi?* requiritur, ut neque dicat, *cæli sunt liquidi?* neque dicat, *cæli non sunt liquidi.* Nam si alterutrum judicet, tollitur æquilibrium, hæsitatio ac vacillatio ipsius circa veritatem objecti in definitione dubii inclusa: quia jam fingitur in determinato judicio de veritate unius, & de falsitate alterius contradictorii. Secundum est cogitatio de utroque extremo contradictionis, v. g. de fluiditate, & non fluiditate cœlorum: dubitatio quippe dicit ordinem ad veritatem utriuslibet partis per modum sollicitæ inquisitionis, & velut interrogationis, utra sit vera? & consequenter respicit, an, & quænam motiva pro decisione quæstionis existant? quapropter, si intellectus de partibus contradictoriis nihil omnino cogitaret, non diceretur dubitare, & tamen verum esset, eum tam de liquiditate cœlorum, quàm de non liquiditate suspendere judicium. Tertium, quod ad rationem dubii requiritur, est, ut suspensio judicii fiat ex defectu motivi actualiter determinantis ad assensum, vel dissensum. Quando enim ista suspensio provenit ex alia causa, v. g. distractione intellectûs ad alia objecta, tollitur conceptus dubitationis propriè dictæ. Tunc igitur intellectus propriè dubitat, quando propositis ambobus contradictionis extremis ideo non præbet assensum, non dissensum alterutri, quia caret sufficienti motivo, quo ad ferendum judicium actualiter determinetur, & quia vel explicitè, vel implicitè, ac virtualiter reputat, rem esse incertam, neutramque contradictionis partem mereri, ut de ipsa feratur judicium.

3 Atque hinc obiter colliges, neminem dubitare in fide, qui circa aliquod illius mysterium tentationes patitur, dummodò argumenta, quæ apparent difficilia, vel expressè contemnat, vel non ita curet, acsi objectum propositum esset incertum, & non sufficienter dignum, ut ei prudens assensus præbeatur. Ratio est: quia hic nondum hæsitat, aut titubat modò in hanc, modò in illam contradictionis partem; aut ideo suspendit assensum, quod ullo modò reputet, se carere motivis ad illum sufficienter determinativis; sed quòd existimet v. g. præceptum de eliciendo assensu fidei hîc & nunc non urgere. Quod si econtra in tali dispositione animi ruminet argumenta mysterio fidei adversa, acsi essent alicujus momenti, & non potiùs contemnenda, etiam in conspectu argumentorum stantium pro veritate & certitudine mysterii, procul dubio propriè dubitat, dubitandoque peccat contra fidem: quia motiva fidei affectivè minoris æstimat, quam ut in illa feratur tanquam summè digna assensu, propterque ea contemnat argumenta contraria. Hujus autem dubitationis malitia adhuc clariùs conspicitur, quando insuper accedit judicium de insufficientia motivorum ad assensum fidei; quo dubitans signatè judicat, mysterium ad credendum non esse sufficienter propositum, sed esse rem incertam ac dubiam, & hoc est sine controversia peccatum infidelitatis: quia licèt hic non eliciatur dissensus positivus contra articulum fidei, elicitur tamen judicium erroneum de ejus infallibilitate, quæ est etiam de fide.

4 Ut nunc inveniatur Divisio dubii, notandum est, suspensionem judicii de partibus contradictionis ad præsens institutum posse tripliciter accidere: scilicet primo ob defectum omnis motivi tam ad assensum, quàm ad dissensum impellentis. Secundo, ob debilitatem, sive insufficientiam motivorum. Tertio, ob æqualitatem motivorum utramlibet partem contradictionis pari efficacia suadentium. Exemplum primi est, dum quis proposita quæstione, *an astra sint paria, vel impari?* neque hoc, neque illud judicare potest; quia pro neutra parte habet motivum ferendi sententiam. Exemplum secundi est, quando cuipiam examinanti conscientiam; *an heri recitaverit Complectorium, nec ne?* occurrunt quidem rationes positivæ in utramque partem, non tamen tanti ponderis, ut intellectum ad prudentem ac probabilem sive assensum, sive dissensum determinare possint. Exemplum tertii est, quando proposita quæstione, *sitne licitum pingere die festo, an non?* offerunt se argumenta utrimque probabilia, &, quantum est ex se, ad prudentem assensum aut dissensum sufficientia, ita tamen æqualia, & se mutuò elidentia, ut intel-

lectus vi illorum non magis impellatur ad affirmandum, vel negandum unum, quàm alterum; adeoque maneat in æquilibrio, & de neutro ferat judicium. Quando suspensio judicii accidit primo & secundo modo, vocatur dubium negativum: Si tertio; dicitur dubium positivum. Et hæc est prima divisio dubii.

5 Cæterùm de dubio negativo rectè advertit Bardi ubi suprà n. 6. illud, quod absque ulla ratione dubitandi oritur, in Moralibus non mereri nomen dubii, sed in Physicis solùm, aut Metaphysicis; neque Theologos, dum agunt de dubio negativo in præsenti, loqui de dubio non rationabili, in est, nulla ratione positivâ nixo. Si dicas, tale dubium non esse appellandum negativum, sed potiùs positivum, utpote ortum ex aliqua ratione positiva; respondetur, dubium negativum morale, quod solum est hujus loci, non accipere denominationem negativi à carentia omnis rationis positivæ, sed à carentia sufficientiæ ad formandum judicium reperta in ratione positiva.

6 Ulteriùs dividitur dubium in speculativum & practicum. Dubium speculativum est, quo dubitatur de re, vel actione quapiam absolutè, ac velut in genere, v. g. an licitum sit die festivo iter agere? An liceat die jejunii comedere ova & lacticinia? Dubium practicum est, quo dubitatur de actione ut hîc & nunc, pensatis omnibus circumstantiis, exercenda; v. g. an tibi hoc die festo, in hoc negotio, in hac occasione liceat iter facere? An hoc die jejunii, in hac provincia, in hac occupatione &c. Sit licitum ova & lacticina comedere?

7 Hanc dubii divisionem velut ineptam reiicit Lorca relatus à Bardi cit. cap. 1. n. 9. ex hac ratione. Dubium speculativum nunquam est aliud à practico: Ergo perperam dividitur dubium in speculativum & practicum. Conseq. patet. Ant. prob. quia illo ipso dubio, quo dubitatur circà rem, vel actionem in universum, etiam dubitatur circa rem, vel actionem singularem ac individuam sub ea ratione communi directè contentam: Ita eo ipso, quòd dubitem, an certa species contractûs v. g. sit licita, etiam dubito, an hic individuus contractus sub illa specie directè contentus sit licitus? Repugnat enim dubitare de honestate speciei, & non dubitare de honestate individui sub specie directè contenti: Et consequenter repugnat, dubium speculativum esse aliud à practico.

Verùm malè reiicitur hæc nostra divisio; cùm sit ab omnibus recepta, procul dubio non merè gratis. Ad argumentum Lorcæ respondes neg. Ant. hujus probat. dist. illo ipso dubio &c. etiam dubitatur circa rem, vel actionem individuam sub ratione communi directè contentam, quamdiu sub illa sic manet contenta, conc. quando propter specialem rationem & accessum novæ circumstantiæ non ampliùs continetur sub tali ratione communi, neg. hoc autem persæpe contingit. Omissis plurimis, sit unicum exemplum: Dubitat quidam absolutè in Quadragesima, an ob certam ægritudinem, qua premitur, liceat comedere carnes? Planè, quamdiu non occurrit specialis ratio, vel circumstantia, eo ipso, quòd dubitet universaliter de omnibus, etiam dubitat, an sibi sit licitum? Quia hæc individua comestio adhuc directè continetur sub ratione communi, de qua dubitat. Consulatur jam Medicus, isque judicet, ægrum esse talis constitutionis, ut hæc invaletudo in ipso sit sufficiens ratio excusandi ab observantia præcepti Ecclesiastici, licèt non esset in robustioribus. In hoc eventu judicium Medici, & specialis circumstantia complexionis debilioris efficiunt, ut hæc individua comestio non sit ampliùs ejusdem rationis cum aliis, quæ continentur sub dicta ratione communi; neque retineat eundem statum in intellectu ægroti, quem priùs habebat; sed certò prudenter existimetur esse licita, atque adeò non contenta sub objecto dubii, quando ante interrogationem Medici fuerat conceptum. Adde, quòd dubium speculativum non in eo differat necessariò à dubio practico, quasi objectum illius esset genus, vel species, hujus verò objectum esset singulare, vel individuum sub genere vel specie contentum, quemadmodum Lorca, videtur supponere; sed in eo, quòd dubium speculativum versetur circa rem absolutè spectatam, atque præcisam ab extrinsecis adjunctis & circumstantiis; dubium verò practicum sit circa rem, sive operationem ut vestitam omnibus circumstantiis, & ut hîc & nunc exercendam. Ex quo patet, de eodem numero ac individua re, sive operatione circa rem diversimodè spectata posse dari dubium speculativum.

8 Aliter dividitur dubium in id, quod est juris, & in id, quod est facti. Dubium juris est, quo dubitatur de lege, honestate, valore actûs &c. Hoc dubium variè solet accidere: ut primo, si dubites, an certa species contractûs sit licita? Secundo, si dubites de licititate alicujus actionis in particulari; non autem in communi, v. g. dum sciens, mendacium absolutè esse malum, dubitas, an aliquando in certis circumstantiis sit licitum? Tertio, si dubitetur, an lata sit lex, vel impositum præceptum de aliqua actione facienda, vel omittenda? An facienti hoc, vel illud statuta sit pœna; v. g. excommunicatio, suspensio &c.

Quar-

Quarto, quando dubitatur in concurſu duorum præceptorum incompoſſibilium, quodnam eorum ſit obſervandum? v. g. an tenearis die Dominica audire Miſſam, & interim non adeſſe ægroto? Quinto, dum quis dubitat, an teſtamentum, matrimonium, profeſſio &c. ſint valida? Dubium facti eſt, quo dubitatur de exiſtentia actûs, vel circumſtantiæ alicujus, v. g. an votum emiſeris; Veſperas recitaveris; tui compos exſtiteris, &c. Iam dubium his omnibus modis acceptum, quod adhibita diligenti veritatis inquiſitione deponi poteſt, vincibile; quod deponi non poteſt, invincibile dicitur,

9 Denique dubium aliud eſt formale, aliud objectivum. Formale eſt, quod in præcedentibus n. n. definivimus atque diviſimus. Objectivum eſt quælibet res, de qua dubitamus, vel dubitare poſſumus. Et quidem denominatio dubii non eſt rebus intrinſeca, ſed merè extrinſeca. Nam quælibet res in ſe eſt certa, & determinata. Quia quodlibet eſt, vel non eſt: ergo nulla res intrinſecè, & eſſentialiter dubia eſt. Provenit igitur illa denominatio à noſtra dubitatione vel habituali, vel actuali, quatenùs nempe de rebus vel actu, vel habitu, & potentia dubitamus. Quædam quoad nos ſunt neceſſariò dubia habitualiter: quædam accidentaliter. Priora ſunt illa omnia, de quibus nulla ſuppetunt argumenta, ut quæſtionem circa ipſa exortam reſolvere poſſimus. Hujuſmodi ſunt numerus arenarum, pulicum, & ſimilia. Poſteriora ſunt, pro quorum deciſione quibuſdam ſuppetunt, quibuſdam non ſuppetunt argumenta: & ideo de ipſis aliqui dubitant, aliqui non dubitant. Atque hinc etiam fit, ut homines valde ſapientes, & valde inſipientes rarò dubitent; illi verò, qui pollent ingenio, ſuntque ſciendi avidi; ſed vel ſufficienti induſtria, vel diſcendi occaſione deſtituuntur, frequentiſſimè dubitent. Nam ratio iſtorum eſt, quòd valde ſapientibus rarò deſint motiva ad ferendam fixam de plerisque rebus ſententiam: econtra valde inſipientes ac habetes? ut plurimum laborant penuriâ omnium motivorum tam ſufficientium quàm inſufficientium ad judicandum de alterutra parte contradictionis: nam & rarò de rebus incertis cogitant, & quæſtiones de illis vix unquam ſibi proponunt, multò minùs examinant; vel aliquid de earum qualitate pronuntiant. Aliter ſe res habet in tertio genere hominum. Nam iſti ob ſciendi deſiderium, quo ſtimulantur, rationes in utramque partem ſæpiſſimè diſcutiunt, ſed ſtudio, atque induſtria inſufficienti. Unde ſolent abundare motivis pro utraque parte contradictionis, ſed ad ferendam ſententiam inſufficientibus, & conſequenter inducentibus ſuſpenſionem judicii, atque adeo dubium. Ex his etiam patet ratio, cur dicere ſoleamus, eum, qui nunquam dubitat, vel omnia ſcire, vel nihil.

§. II.

Statuitur & probatur noſtra & communis ſententia.

SUMMARIUM.

10. *Quandonam ex dubio ſpeculativo oriatur practicum, & quando non?* 11. *Licet aliquando operari cum dubio ſpeculativo.* 12. *Nunquam autem cum practico.* 13. *Quomodo procedendum in deponenda conſcientia dubia?* 14. 15. *Quale peccatum ſit operari cum conſcientia practicè dubia?*

10 EX dubio ſpeculativo regulariter ac per ſe loquendo ſemper reſultat dubium practicum. Ita, qui dubitat v. g. an liceat die feſto pingere? etiam per ſe loquendo dubitat, an id ſibi hoc die feſto ſit licitum? judex, qui dubitat, an liceat condemnare eum, quem privatâ ſcientiâ ſcit eſſe innocentem, etiam dubitat, an hunc reum ſibi hic & nunc liceat hoc modo condemnare? Fieri nihilominùs ſolet, ut ob ſpecialem rationem, vel circumſtantiam ſupervenientem influxus dubii ſpeculativi, ne gignat dubium practicum, impediatur per accidens, & ex acceſſu novæ rationis, ac circumſtantiæ illud evadat practicè certò licitum, de quo ſpeculativè & in univerſali dubitatur, an ſit licitum? Ita in datis exemplis ille, qui dubitat de licititate operis pictorij per diem feſtum exercendi, poteſt practicè judicare, id ſibi licere ob magnam neceſſitatem: judex practicè poteſt formare judicium, fas eſſe condemnare ejusmodi innocentem: quia S. Thomas, aliique graves Doctores tenent, id eſſe licitum. Et ita de pluribus aliis caſibus eſt diſcurendum. Nunc

11 Dico primo. Licitum eſt operari cum dubio ſpeculativo, quando illud adhibitâ morali diligentiâ vinci non poteſt. Ita communis D. D. Ratio habetur ex dictis: quia, qui prudenter judicat, ſe licitè & honeſtè operari, is licitè & honeſtè operatur: ſed contingit, ut ſpeculative dubitans prudenter judicet, ſe licitè & honeſtè operari, veluti conſtat in prioribus exemplis; ergo licitè & honeſtè operatur.

Confirmatur. Cum judicio ſpeculativo de inhoneſtate operationis ſtare poteſt judicium prudens ac practicum de honeſtate illius, eaque licitè exerceri: ergo etiam cum dubio ſpeculativo. Conſeq. conſtat ex paritate rationis; imò à fortiori. Antec. quod infrà uberiùs declarabitur, oſtendo jàm breviter: David 1. Reg. 21. prudenter judicavit, hîc & nunc propter extremam neceſſitatem famis

famis esse licitum comedere panes propositionis; quamvis absoluto & speculativo judicio judicaverit, id laico non esse licitum. Pariter ob similem circumstantiam, & evidens periculum excidii integræ nationi imminentis Judæi 1. Machab. cap. 2. prudenter judicârunt, esse sibi licitũ Sabbathô inire prælium, quamvis absolutè & speculativè cognoverint, præliari die Sabbathi lege Mosaica esse prohibitum.

Dixi autem in concl. *Quando illud adhibita &c.* Nam, si vel nulla, vel non sufficiens diligentia in inquisitione veritatis ad vincendum ac deponendum dubium adhibeatur, dubitans non habet rationabilem causam, ob quam ab illo discordet, vel non discordet in operando, & consequenter procedit imprudenter, seque temere conjicit in periculum peccandi; immò operatur cum dubio practico, quòd ex dubio speculativo necessariò sequitur, nisi per diligentem veritatis inquisitionem speciale motivum illud variandi inveniatur.

12 Dico secundo. Nunquam est licitum operari cum conscientia practicè dubia. Ita communiter omnes. Et solet probari primo ex illo Apostoli ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Id est, quidquid non procedit ex actuali dictamine, consensu, & credulitate; quod sit licitum, moraliter malum est: sed operatio, quæ exercetur cum conscientia practicè dubia, non procedit ex actuali dictamine, consensu, & credulitate, quòd sit licita; ergo moraliter mala est. mi. constat: quia sic operantem destituit omne prudens judicium, quo judicet, se hîc & nunc licitè, atque honestè operari.

Probatur secundo ex illo Eccli 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui operans cum conscientia practicè dubia amat periculum peccati, & quidem proximum; quippe cui liberè se se exponit eligendo actionem, de qua non habet majus fundamentum credendi, quòd sit licita, quam illicita: ergo 1 in tali periculo peribit, & consequenter in illud se conjiciendo peccat. Cùm eodem præcepto, quo prohibemur admittere pravum opus, prohibemur etiam amplecti proximam occasionem illius.

Probatur tertio hac ratione: quia omnis contemptus & vilipensio Dei, ac legis divinæ peccatum est: sed omnis operatio, quæ exercetur cum conscientia practicè dubia, est contemptus & vilipensio Dei, ac legis Divinæ; ergo peccatum est. maj. est certa. mi. prob. nam; qui absolutè vult rem & operationem, sive illa sit prohibita, sive non; sive placeat Deo, sive displiceat, planè convincitur, Deum, ejusque legem contemnere, & parvi pendere. Atqui operans cum conscientia practicè dubia ita se gerit: quia ipsi perindè est, sive offendat, sive non offendat Deum; sive violet, sive non violet ipsius legem: cum liberè dubitet de utroque, nec habeat majorem rationem credendi unum quàm alterum: ergo operans cum conscientia practicè dubia contemnit, & vilipendit Deum, ejusque legem: Adeoque vera est min. præcedentis Syllogismi.

13 Facilè jam patet, in deponenda conscientia dubia non temerè, sed prudenter & cautè esse procedendum. Vel enim dubium (sive speculativum, sive practicum) conceptum fuit ex causa dubitandi rationabili, sive irrationabili? si ex causa irrationabili; contemni quidem debet, ac deponi, sed non, nisi priùs examinatâ & perpensâ causæ insufficientiâ: quo facto hæc conscientia deponitur per illud ipsum judicium, quo quis judicat, se vel non habere causam prudenter dubitandi, vel securè posse hîc & nunc operari irrationabili causâ dubitandi insuperhabitâ. Si dubium fuit conceptum ex causa, sive motivo dubitandi rationabili, deponi non debet citra alterius causæ rationabilis interventum; sed adhibenda est moralis diligentia in inquisitione veritatis: quæ si inveniri non possit, dubiumque evaserit invincibile, licitè eo stante ad operandum proceditur, quando est speculativum. Si sit practicum; alia via non restat evadendi peccatum, quàm trita illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Porro quænam causa sit rationabilis ac sufficiens ad deponendum quodvis dubium, an sola probabilitas? an etiam minor probabilitas? &c infrà videbitur. Interea sit

Corollarium I. Qui operatur cum Con- 14
scientia practicè dubia, peccat tali peccato, quale esse dubitat. Hinc practicè dubitans, an actio, quam vult exercere, sit peccatum mortale? peccat mortaliter, si eam exerceat; venialiter autem, si dubitet, an sit veniale? Rursus: qui dubitat, an peccatum à se committendum sit furtum, sacrilegium, vel adulterium? committit furtum, sacrilegium, adulterium, si operatur. Ratio est: quia tanto ac tali peccato quis peccat, quanti & qualis perpetrandi periculo se exponit: sed operans cum dubio practico exponit se periculo perpetrandi tanta, ac talia peccata; ergo. Sanchez 1. Decal. c. 10. n. 2. Sayrus lib. 1. Clavis, c. 13. n. 3. Bossius parte 2. tit. 1. §. 34. & alii. Quòdsi dubitet in genere, an sit peccatum? renendum est proportionaliter, quod dictum in simili suprà de Conscientia erronea. Consentit Sporer tract. procem. c. 1. sect. 4. assert. 11. §. 1. n. 69.

Corollarium II. Qui dubitat, an perso- 15
na, quam intendit percutere, sit Ecclesiastica, eamque nondum deposito dubio percutit, is peccat mortaliter simul contra justitiam, & reverentiam personis Ecclesiasticis debitam, teneturque hanc circumstantiam explicare in Confessione, esto, ille, qui percutitur, fortè

fortè non gaudeat privilegio Canonis. Similiter contractô matrimoniô dubius de ejus valore, si nondum adhibitâ diligentiâ debitâ ad inventionem veritatis accedat ad aliam, committit adulterium, tametsi matrimonium, de quo sic dubitat, sit invalidum. Ita docet cum aliis Bonacina disp. 2. de pec. q. 4. pu. 7. n. 4. & 5. Ratio utrobique ex dictis est: quia illo peccato quis peccat, cujus committendi periculo se exponit.

ARTICULUS II.

Quomodo Conscientia Dubia sit deponenda?

IN hoc Artic. communia principia ac regulas dubiam Conscientiam deponendi adducemus, & breviter stabilicmus: proximè verò secuturum variis dubiis moralibus tribuemus excutiendis, & qua ratione deponere illa oporteat, disquiremus. Quare sit modò

§. I.

An legitima Possessio in materia Justitiæ sit sufficiens titulus deponendi Conscientiam dubiam?

SUMMARIUM.

1. *Quæ requirantur ad dubium speculativum practicè deponendum? 2. Explicatur natura possessionis. 3. 4. Statuitur, & probatur sententia affirmans. 5. 6. Adducuntur & solvuntur argumenta contraria. 7. Quando & quomodo legitimus possessor in dubio rem possessam licitè retinere possit? 8. Ad quid teneatur possessor in initio possessionis dubius, vel in ejus progressu non sufficienter diligens in inquirendo vero domino. 9. Quid, si magis inclinet ad judicandum, rem esse alterius? 10. Quomodo gerere se debeat vendens vel donans alteri rem dubii juris? 11. Hæc regula*: In dubio melior est conditio possidentis, *malè restringitur ad solum forum externum.*

1 THomas Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. n. 7. & 8. ad dubium speculativum practicè deponendum duo requirit. Primum est, ut sufficiens diligentia ad vincendum dubium fuerit adhibita. Est autem sufficiens diligentia non solùm ea, quæ in se vincendo dubio ac inveniendæ veritati par est, sed & illa, quæ in subitis negotiis, ubi non vacat rationes utriusque partis operosius expendere, hîc & nunc est possibilis. Nam sæpe contingit, ut in repentino casûs particularis occursu intellectus statim in alterutram partem contradictionis determinari oporteat, nec possit omnis diligentia moralis, quæ aliàs fuisset adhibita in inquisitione veritatis, hic & nunc adhiberi. In quo eventu sufficit, si tanta adhibeatur, quantam & loci & temporis opportunitas adhiberi permittit. Secundum est rationabile motivum practicè variandi dubium speculativum, quod adhibita sufficienti diligentia expelli nequit. Quæritur itaque impræsentiarum, utrùm ejusmodi motivum, ac justa causa variandi ac deponendi practicè dubium speculativum, intra materiam justitiæ sit possessio? v. g. dubitas, an fundus, quem legitimè possides, sit tuus, an alterius? adhibitaque seria ac diligenti veritatis inquisitione in neutram partem te potes resolvere. Quæritur, an ob titulum possessionis, quo gaudes, prudenter judicare possis, fundum esse tuum, eumque licitè retineas?

2 Definitur autem possessio à Jurisperitis, quòd sit *detentio rei, corporis & animi, jurisque adminiculô suffulta.* Possessio, ut sit legitima, præter voluntariam detentionem rei tanquam suæ, requirit inprimis bonam fidem; quæ aliud non est, quàm credulitas, sive existimatio, qua quis prudenter sibi persuadet, rem, quam possidet, esse suam, vel saltem non alienam. Requirit præterea possessio legitima justum titulum; quales sunt donationis, emptionis, hæreditariæ successionis &c. Porrò credulitas, cujus meminimus, in initio possessionis debet esse positiva, ita ut capiens possessionem prudenter sibi persuadeat, se rem justô titulô tanquam suam possidere: si enim tunc dubitat, an non fortè res sit aliena? evadit malæ fidei possessor, & tenetur ad restitutionem; veluti cum communi D. D. tradit Paulus Mezger, tomo 2. tr. 5. disp. 12. a. 2. §. 1. n. 1. Dubium tamen invincibile cæpta jam legitimè possessione exortum non tollit, aut interrumpit bonam fidem, & ad illius continuationem sufficit, si non constet, rem esse alienam. Videatur Castropalao disp. 3. pu. 2. n. 7. Neque enim semper illa omnia, quæ sunt necessaria, ut res incipiat, sunt etiam necessaria, ut suum esse continuet. Quod patet in naturalibus: ubi sæpe requiritur quædam actio, conditio vel dispositio, ut effectus incipiat existere, quæ non requiritur, ut idem pergat existere. His positis.

3 Dico. Legitima possessio in materia justitiæ est sufficiens titulus ad dubiam Conscientiam practicè deponendam, reique, quam

quam quis possidet, retentionem, usumque honestandum. Ita adversus Adrianum, Sotum, Arragonium, Martinum de Ledesma relatos à Castropalao n. 2. & 3. docent alii communiter omnes.

Probatur primo. *In pari delicto & causa melior est conditio possidentis*, ait leg. 65. juris, in 6. atqui possidens, & non possidens versantur in pari causa, dubii videlicet juris, quod non magis uni favet, quàm alteri; ergo melior est conditio possidentis. Atqui non esset melior, si cedere re possessâ, eamve dividere teneretur: ergo licitè illam retinet, nec restituere, aut dividere tenetur.

Probatur secundo. Nemo judicum in foro externo possidentem condemnaret ad se spoliandum possessione ob dubium, an res possessa sit illius, vel alterius: ergo nec in foro interno ad hoc est obligandus. Ant. est certum. Conseq. prob. tum, quia idem judicandum est in fori utriusque tribunalibus, quando externum non nititur præsumptione, quam in foro interno constet esse falsam; veluti tradunt communiter D. D. atqui tali præsumptione hîc minimè nititur: quia supponimus, eadem omnia in utroque foro constare. tum, quia utique judex fori externi rectam & justam ferret sententiam in casu nostro pronuntians, possidentem non esse obligatum, ut se abdicet illa re, quam possidet: ergo etiam possidens rectum, justumque judicat, ac facit, dum judicat, rem esse retinendam in dubio, eamque retinet.

Probatur tertio. Quando jura partium sunt obscura, reo potiùs favendum est, quàm actori. Atqui jura partium in dubio sunt obscura; ergo in dubio reo potiùs favendum est, quàm actori. Sed reus est possidens, actor est non possidens; ergo possidenti potiùs favendum est, quàm non possidenti. Atqui non faveretur possidenti, si rem possessam teneretur tradere non possidenti; ergo tradere non tenetur: ergo rectum & justum est, ut retineat. 4

Cæterùm ratio, ob quam in pari causa sit melior conditio possidentis, hæc est potissima à priori. Ille est melioris conditionis præ altero, qui simpliciter habet jus majus ad rem illam, de cujus dominio dubitatur: atqui possessor simpliciter habet jus majus, quàm non possessor; ergo possessor est melioris conditionis, quàm non possessor. maj. est certa. mi. prob. nam possessor & non possessor in hoc sunt pares, quòd utrique faveat æqualiter jus dubium dominii, neutri magis, neutri minùs: cùm supponatur æqualis pro utroque dubitandi ratio: titulus tamen, atque jus certum possessionis favet soli possessori: ergo possessor simpliciter habet jus majus, quàm non possessor. Conseq. patet: quia possessor præter jus dubium dominii, vel proprietatis, quod etiam competit non possessori, habet insuper titulum atque jus certum possessionis: sed hoc est habere simpliciter jus majus; ergo. Porrò, cùm non sit æquum, possessorem privari hoc certo titulo ac jure per jus dubium competitoris, quod ipsi æquè favet, fit, ut non solùm in foro externo sit melioris conditionis, quàm non possessor, ac præsumatur esse rei dominus, sed etiam in foro interno Conscientiæ, cujus judicium non debet esse aliud à judicio fori externi, quamdiu non constat, præsumptionem, qua nititur, esse falsam. Itaque fundi possessor, si post diligentem veritatis inquisitionem adhuc dubitet, an fundus sit suus, vel alterius? prudenter per similem discursum dubiam Conscientiam, deponit: *illam rem licitè retineo, eaque justè utor, cujus præsumor esse dominus, & in cujus dubio jure melioris sum conditionis, quàm omnis alius competens: sed ego ob legitimam possessionem præsumor esse dominus hujus fundi, & sum melioris conditionis, quàm omnis alius competens; ergo hunc fundum licitè retineo, eoq; justè utor.*

Oppositæ sententiæ fundamenta sunt. Primum. Possessor dubitans, an res sit sua, vel alterius? exponit se periculo utendi re aliena, si illam durante tali dubio retinere, vel alienare velit: ergo nec licitè retinere, nec illâ uti potest. 5

Secundum. Is, qui non est possessor, habet idem, & æquale jus dubium proprietatis, quod habet possessor dubitans: ut ergo possessor servet æqualitatem, tenetur rem cum non possessore dividere.

Tertium. Sequeretur, conjugem quoque dubium de valore matrimonii posse hoc uti, debitumque non solùm reddere, sed etiam petere; si & ipse (quod supponitur) sit in possessione. sed consequens est contra c. *Dominus. de secund. nupt.* & c. *Inquisitioni. de sent. Excom.* ergo.

Quartum. Tutius, & à periculo peccandi remotius est restituere, quàm retinere rem dubiam: ergo possessor dubitans debet illam restituere. nam in dubio tutior pars est eligenda per c. *juvenis. de sponsal.* & c. *ad audientiam. de homicidio.* 7

Ad primum respondeo dist. Ant. exponit se periculo utendi re aliena materialiter, conc. periculo utendi re aliena formaliter, neg. habet enim, ut vidimus; motivum sufficiens practicè judicandi, rem esse suam. Adde, quòd dubium invincibile, in quo versatur, æquivaleat ignorantiæ invincibili: ergo sicut cum tali ignorantia inculpatè & citra periculum formaliter peccandi quis retinet rem alienam, ita etiam cum dubio speculativo practicè deposito.

Ad secundum respondeo, possessorem præter jus dubium proprietatis etiam habere jus certum possessionis, quo caret non possessor: & ideo ejus conditionem esse meliorem

ac

acinæqualem, ſi comparetur cum conditione & jure non poſſidentis. quare neg. conſeq. & ſuppoſitum æqualitatis.

Ad tertium reſpondeo cum Thoma Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. Laym. lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 24. & communiori DD. conc. ſep. de dubio invincibili, ac dico, cit. Canones loqui in caſu, quo pars dubitans non poſſidet bona fide: vel, quia matrimonium jam ab initio contraxit in dubio de ejus valore (quæ ſolutio valet ad c. *Dominus*) vel, quia poſt dubium exortum diligentia ſufficiens ad illud deponendum (quod valet ad c. *inquiſitioni*) nondum fuit adhibita: Ubi meritò prohibet Pontifex, ne petatur debitum, donec veritas inveſtigetur accuratiùs.

In quarto diſt. Ant. tutius eſt reſtituere, quàm retinere rem dubiam, eſt tutius comparativè, conc. adverſativè (nempe in dubio ſpeculativo & invincibili) neg. Ant. & conſeq. de ſenſu nunc datæ diſtinctionis, ac celebris effati: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, brevi dicemus plura. Interim habe.

7 Corollarium I. Qui legitimè rem aliquam poſſidere incepit, poſtea verò in continuatione poſſeſſionis dubitat, an ſit ſua, vel alterius? Tenetur ſufficienti diligentia inquirere certum dominum: Quem ſi invenire non poſſit, dubiúmque maneat invincibile, rem poſſeſſam licitè non ſolùm retinebit, ſed etiam alienabit, & abſumet. Quòdſi deinde verus dominus comparuerit, id ſolùm tenetur reſtituere; quod adhuc exſtat; vel quantum exinde factus eſt locupletior. Ita communis DD. apud Boſſium hic parte 2. tit. 1. §. 50. n. 1832. Sanchez diſp. cit. n. 12. apud Laym. loc. cit. n. 21. Ratio eſt: quia poſſeſſor ultra jus dubium proprietatis, quod eſt ei commune cum non poſſidente, habet inſuper jus certum poſſeſſionis, quo ſpoliari non poteſt citra injuſtitiam, eſtque ſufficiens titulus ad Conſcientiam dubiam practicè deponendam, remque, de cujus dominio dubitatur, retinendam. Atque hinc ſequitur, non poſſidentem, ſi durante tali dubio ante ſententiam judicis auferat rem legitimo poſſeſſori, injuſtum huic damnum inferre, tenerique ad integram reſtitutionem ejus.

Doctrina hujus Corollarii etiam vera eſt, licèt diligenter inquiſitô, & non inventô certô dominô, poſſeſſor magis inclinet ad judicandum, immò ſpeculativè probabilius judicet, rem eſſe alienam; modò de hoc non ſit moraliter certus. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. n. 9. Laym. loc. cit. Caſtropal. ubi ſuprà n. 11. & apud ipſum Salas, & Vaſquez. Ratio eſt: Quia certa & legitima poſſeſſio præponderat omnibus argumentis incertis, & non convincentibus in contrarium.

8 Corollarium II. Qui in initio poſſeſſionis ſpeculativè dubitat, aut in continuatione poſſeſſionis orto tali dubio, num res ſit ſua? omittit debitam diligentiam inquirendi veritatem, & hac ratione eſt in cauſa, ut non compareat verus dominus, tenetur ad reſtitutionem rei pro quantitate dubii. Ita communis ſententia. Caſtropal. n. 8. Paulus Mezger, ubi ſuprà. §. 3. n. 9. Ratio eſt: Quia propter ejuſmodi dubium in initio, talémque negligentiam vincendi dubium in continuatione poſſeſſionis conſtituitur malæ fidei poſſeſſor. Dixi autem, *pro quantitate dubii*: Quia, ut notat Laymann n. 22. cùm non ſit certus hic talis de vero domino, retinet adhuc jus dubium in ea re; adeoque non obligatur ad reſtituendum, niſi ſecundùm proportionem dubii juris, quod alter habere videtur.

Verùm Bonacina diſp. 1. de Contract. q. 9 2. pu. 2. n. 8. exiſtimat, hunc talem, ſi bona fide inchoavit poſſeſſionem, non teneri ad ullam reſtitutionem. Ratio eſt; quia, licèt peccaverit non inquirendo verùm dominum, eſt tamen dubium, an hac ſua negligentia damnum alteri intulerit: Cùm non ſit certum, revera fuiſſe cauſam, quòd dominus non comparuerit. Atqui dubius de damno illato non eſt obligandus ad certam reſtitutionem; ergo &c. Videtur hæc ſententia probabilis, quamvis prior in praxi ſit tutior. Illam tenet etiam Caſtropalao n. 9. Rebellus alios referens apud Bonac. loc. cit. Sporer tract. 1. præm. cap. 1. ſect. 4. §. 3. n. 76.

Corollarium III. Venditor rei ſub ejuſ- 10 modi dubio bona fide poſſeſſæ tenetur de hoc dubio monere emptorem: Similiter donator donatarium, quando adeſt moralis ſpes, fore, ut verus Dominus compareat. Ratio eſt: Quia alioquin venditor exponit ementem periculo rem emptam comparente legitimo domino amittendi. Immò cognito tali dubio emptor vel omnino non emeret, vel minori pretio emeret. Sayrus lib. 10. clav. reg. tr. 2. c. 3. n. 29. Caſtropal. n. 13. Pariter donatarius, ſi rei ſtatum edoceretur, eam fortè non acceptaret, propter peticulum damni, quod inde ſequi timeret. Boſſius ubi ſuprà, n. 1859. Volunt præterea, ut venditor ſit obligatus ejuſmodi rem vendere minoris. Ratio eſt: Quia vendit rem vitioſam, & oneratam periculô, ne verus dominus compareat, eámque ſibi vendicet. Tambur. lib. 1. Decal. cap. 3. §. 6. n. 6. Dixi autem, *quando adeſt moralis ſpes &c.* Nam, ſi venditor, aut donatarius ſit moraliter certus, alium dominum non compariturum, uterque liber eſt à ſimili onere: Quia jam nec emptor, nec donatarius morali periculo alicujus damni exponitur.

Corollarium IV. Hæc regula: *In du-* 11 *bio melior eſt conditio poſſidentis*, non tantùm habet locum in foro externo, ſed etiam in foro interno Conſcientiæ: Et conſequen-

ter legitimus possessor in dubio, quod adhibita sufficienti diligentia vincere non potuit, rem possessam tutâ Conscientiâ retinet, alienat, vel absumit. Sayrus lib. 1. clav. c. 13. n. 14. Paulus Mezger loc. cit. n. 7. cum communi DD. contra Prosperum Fagnanum, qui ad cap. *ne innitaris.* n. 191. & 195. eam regulam limitat ad solum forum externum. Ratio Corollarii ex dictis est: Quia judicium fori externi, quando non nititur falsa præsumptione, non discrepat à judicio fori interni, & consequenter possidens nanciscitur jus in Conscientia. Hoc profectò non tantùm communis D. D. sententia comprobat, sed insuper praxis quotidiana fidelium. Nemo siquidem bonæ fidei possessor, postquàm rei dubiæ dominum diligenter inquisivit, nec invenit; vel causam in judicio fori externi contra competitorem obtinuit, existimat, se esse nihilominùs obligatum in Conscientia ad cedendum re illa competitori, vel ad eam dividendam: Quorum tamen alterutrum facere omnes tenerentur, si vera esset sententia Fagnani: Quippe, cùm nec judicium fori externi, nec illa regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis, quemquam præstaret in foro Conscientiæ securum, sed unicè ista: In dubio tutior pars est eligenda. In hoc tamen conveniunt D. D. apud Bossium ubi suprà, n. 1856. possidenti bona fide rem dubiam esse abstinendum ab ejus usu, & alienatione, quamdiu durat veritatis investigatio; nisi fortè paratus sit solvere pretium illius usûs, deductis expensis, invento domino; Qui hoc pacto non esset ampliùs invitus rationabiliter ob usum suæ rei. Licitè interim hanc retinebit possessor per modum depositarii: De qua retentione similiter dominus non potest esse invitus; quippe cujus negotium hac ratione utiliter geritur.

§. II.

An etiam extra materiam Justitiæ in dubio sit melior conditio possidentis?

SUMMARIUM.

12. *Possessio etiam reperitur extra materiam justitiæ, ita tamen, ut sit debita titulo justitiæ,* 13. *Statuitur sententia affirmans,* & 14. *Probatur primo ex paritate possessionis, in materia justitiæ.* 15. *Secundo ex defectu obligationis, qui est in lege dubia.* 16. *Depellitur quædam replicatio.* 17. *An nostra sententia procedat etiam in dubio homicidii & irregularitatis?* 18. *Titulus possessionis non tollit dubium speculativum.* 19. & 20. *Possessio ad depositionem dubii sufficiens debet esse certa.* 21. *Unde cognosci possit certitudo possessionis extra materiam justitiæ?*

CErtum est, rerum non solùm earum, quæ pertinent ad justitiam, sed etiam aliarum dari possessionem. Ita Beati possident Deum: Legitimus Superior potestatem præcipiendi subditis: reus suam innocentiam in casu delictis dubii, donec probetur esse nocens. Præterea quilibet possidet suam libertatem ad licitè operandum, vel non operandum, quando nec operatio, nec omissio operationis aliqua lege est vetita. Licèt enim possessio dicatur à positione pedum, & ab initio per juris civilis interpretes sit agnita in rebus tantùm corporeis, usus tamen postea obtinuit, ut juribus quoque incorporeis accommodaretur. Hoc autem suasit paritas, immò identitas rationis. Verè etenim libertatem, innocentiam, aliásque res, quæ sunt hominis extra materiam justitiæ, habemus ac tenemus tanquam nostras, etsi non corporis, animi tamen, jurisque adminiculô sustulti. Unde, qui illegitimè tali possessione quemquam exueret, illi inferret injuriam, & peccaret contra justitiam: Possessio quippe est debita titulô justitiæ; licèt id, quod possidetur, sit objectum alterius virtutis; ut habet Joannes Sancius apud Bossium, ubi suprà §. 38. & Terillus de reg. mar. q. 57. Ita, qui alterum per vim impediret, ne largiretur eleemosynam, is non solùm peccaret contra misericordiam, quatenùs esset causa, ne opus illius virtutis exerceretur, sed etiam contra justitiam; quia læderet illud jus, quod quilibet habet, ac possidet, ne ab altero in exercitio virtutum impediatur. His positis, 12

Dico. Hæc regula: *In dubio melior est conditio possidentis,* habet etiam locum in materiis aliarum virtutum à justitiâ, putà religionis, temperantiæ &c. Estque sufficiens titulus dubiam Conscientiam practicè deponendi. Ita asserit communior & probabilior sententia apud Th. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. n. 11. Bonac. in tr. de rest. disp. 1. q. 2. pu. 2. Castropalao tr. 1. Disp. 8. pu. 6. n. 1. Bossius loc. cit. n. 1189. qui alios plurimos referunt, contra Sayrum, Azorium, Vincentium Baronium, aliosque severiores Theol. cum quibus etiam sentit Thyrsus Gonzalez in tract. de recto usu opin. probab. dissert. 7. §. 12. 13

Probatur Conclusio primo; quia intra materiam justitiæ in dubio melior est conditio possidentis; ut ostendimus in §. præced. & Authores contrarii communiter admittunt: Ergo etiam in materiis extra justitiam. Conseq. prob. nam ideo in materia justitiæ est melior conditio possidentis; quia hic, quando bona possessionem inchoavit, habet jus certum, ne tali possessione exuatur, nisi quid afferatur, quod validiùs contra ipsum urgeat, quàm quod ipsi favet contra jus dubium non possidentis. Atqui hæc ipsissima ratio valet in omni possessione 14

extra

extra materiam justitiæ; ergo etiam extra materiam justitiæ est melior conditio possidentis. maj. est certa. min. prob. quia ipsa possessio, ac jus possidendi in aliis materiis est aliquid proprium, eique competens titulô justitiæ non minùs, quàm possessio in materia justitiæ; ergo etiam possessor extra materiam justitiæ habet jus certum ne suâ possessione exuatur, nisi quid afferatur, quod fortiùs urgeat contra ipsum, quàm quod favet contra exceptiones incertas legis dubiæ, & obligationem prætentam non possidentis. Consequ. patet. Ant. ostendimus in num 12. possessio siquidem, jusque ad eam continuandam in materiis aliarum virtutum eodem modo se habent, ac possessio in materia justitiæ, esto, res illa, quæ possidetur, sit diversa: quippe quæ non intra objectum justitiæ, sed aliarum virtutum continetur.

15 Probatur Conclusio secundo. Dubitet Cajus adolescens dubiô facti, an expleverit annum ætatis 21. & consequenter etiam dubiô juris, an teneatur ad jejunandum? adhibitaque sufficiente veritatis inquisitione fluctuet ambiguus inter utramque partem contradictionis ob motiva utrimque æqualia, vi quorum neque possit dicere, se tantum ætatis explêsse, & consequenter obligari lege jejunii; neque dicere, se non explêsse, & non obligari. In ista hypothesi certum est, Cajum hactenùs pacificè possedisse plenam libertatem licitè faciendi hoc & illud, nullaque lege restrictam, & coarctatam ad jejunandum. Atqui hanc eandem libertatem adhuc plenè possidet non obstante dubio: veluti probatur: Nam Cajum nec modò obligat lex jejunii: ergo possidet eandem libertatem jejunandi, vel non jejunandi citra peccatum formale, quam possidebat ante dubium exortum. Consequ. constat. Ant. prob. quia lex dubia non habet vim obligandi: sed lex jejunandi, & omnia motiva pro ipsa stantia sunt prorsus dubia, ac incerta; ergo hæc lex non habet vim obligandi, & consequenter Cajum non obligat. mi. est certa, & supponitur. Si enim lex & motiva, quæ urgent obligationem legis, essent certa, atque indubia, quomodo Cajus in eorum conspectu adhuc posset dubitare de tali obligatione? maj. inde colligitur, quòd lex incerta non habeat majorem vim gignendi obligationem, quàm quælibet causa incerta causandi effectum: atqui causa incerta non habet vim causandi effectum; quippe qui necessariò debet esse quid certum ac determinatum; ergo nec lex incerta habet vim gignendi obligationem. Atqui hinc clarè conficitur, legem dubiam cum omnibus motivis illius obligationem suadentibus non posse prævalere adversùs libertatem certò possessam, & consequenter hujus legitimam possessionem efficere, ut in dubio conditio Caij sit melior, quàm legis jejunandi suam obligationem non possidentis; id, quod fuerat probandum.

Dices. Esto, non possideat suam obli- 16
gationem illa lex directa, de cujus existentia, vel obligatione datur dubium invincibile; semper tamen est in possessione lex reflexa, eaque certa juris Divini naturalis, quo prohibemur nos exponere periculo Deum offendendi. Cùm itaque dubius de obligatione jejunandi, de emissione voti &c. videat, se versari in periculo Deum offendendi, si non jejunet; si votum non persolvat, tenetur jejunare, votumque persolvere, ne agat contra prædictam legem, quæ è certa possessione sua deturbari non potest.

Sed contra est primo, quòd hoc idem argumentum formari possit in materia justitiæ. Nam & ibi lex naturalis prohibet, nequis se exponat periculo Deum offendendi, quod sanè non est minus in illa, quàm in aliis materiis; & tamen ad id evitandum non tenetur in dubio legitimus possessor à se abdicare rem possessam; ut fatentur nobiscum etiam communiter D. D. contrarij.

Contra est secundo, quôd nulla lex naturalis præcipiat, ut homo cedat certa possessione libertatis ob solum periculum agendi contra legem dubiam, & vi obligandi destitutam: privari namque libertate tantum malum est, quantum bonum est ipsa libertas: *Libertas* autem *omnibus rebus favorabilior est*, per reg. 122. ff. de reg. juris. Atqui lex, de qua legitimus possessor libertatis invincibiliter dubitat, non habet vim obligandi; ergo.

Contra est tertio, quòd exponere se periculo peccati tantùm materialis non sit exponere se periculo offendendi. Deum: atqui operans ex titulo possessionis contra legem incertam in dubio invincibili exponit se periculo peccati tantùm materialis; ut patet in materia justitiæ, & uberiùs declarabitur in sequentibus; ergo.

Objicies tamen ulteriùs primo. Si hoc 17
axioma: *In dubiis melior est conditio possidentis*, haberet locum in aliis materiis præter materiam justitiæ, in omni dubio liceret eligere partem minùs tutam: Sed hoc est falsum: quia alioquin existens in dubio homicidii & irregularitatis non teneretur se gerere irregularem; cùm melior esset ejus conditio propter possessionem innocentiæ. Hoc autem repugnat SS. Canonibus, ubi statuitur, ut dubius de homicidio abstineat à ministerio Altaris propter periculum irregularitatis.

laritatis. Seq. ma. constat: Nam si titulus possessionis reddit meliorem dubitantis conditionem in aliqua materia præter materiam justitiæ, non est ratio, cur id non præstet in omni; cùm non appareat, cur major efficacia ei competat in una, quàm in altera.

Respondeo neg. seq. ad probat. dico, legitimam possessionem semper efficere, ut conditio possidentis sit melior in quacunque materia, quando cætera sunt paria, & nihil occurrit illâ validiùs in contrarium: quod tamen solet contingere, quando possessioni resistit jus: in quo casu conditio possidentis non est melior; quia destituitur præsumptione juris, & causa fit dispar. Ita in dubio homicidii Pontifex constituit, ut dubitans non obstante possessione innocentiæ se gereret tanquam irregularem, idque propter reverentiam SS. Ordinum, & ministerii Altaris. Quæ tamen specialis constitutio, utpote odiosa, non debet extendi ad alios casus. Conditio proinde possidentis in dubio tunc est melior, quando cætera sunt paria: nam *in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*, dicit regula 65. juris in 6. non est autem par causa, quando jus possidenti resistit.

Dices. Ratio, ob quam Pontifex ita constituit in dubio homicidii, est illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, ut præter alios textus juris Canonici habet cap. *ad audientiam.* Hæc autem ratio est universalis, & idem suadet de quolibet alio dubio. Ergo constitutio Pontificis gratis restringitur ad solum dubium homicidii.

Respondeo cum sententiæ nostræ Authoribus, summum Pontificem prædictam regulam non esse secutum tanquam legem necessariam in eo dubio sic statuendi, sed eam attulisse tanquam prudens motivum, & optimum consilium, quo sit inductus ad illam declarationem.

18 Objicies secundo. Id, quo stante perseverat dubium, non est sufficiens ratio deponendi dubium: sed stante possessione libertatis v. g. perseverat dubium; ergo possessio libertatis non est sufficiens ratio deponendi dubium. maj. est certa. mi. prob. quia titulus ille possessionis involvitur in ipso dubio: dubitans enim, an emiserit votum, & consequenter, an illud teneatur persolvere? de hoc ipso dubitat, an non obstante possessione libertatis teneatur votô? ergo stante possessione libertatis perseverat dubium.

Respondeo, in tali casu duo dubia intercurrere. Primum est dubium speculativum, quod oritur ex motivis hinc stantibus pro emissione voti, & ex motivis illinc negantibus emissionem voti. Secundum est dubium practicum, quo dubitatur, an liceat possessori libertatis in sua possessione persistere, votumque non persolvere, non obstante priori dubio, sitne votum emissum, vel non? Fatendum est quidem, possessionem libertatis non tollere prius dubium; quia hæc possessio possidentem non reddit certum, sitne res possessa ipsius, vel alterius? At dubium posterius prudenter deponitur per titulum possessionis: hæc enim, quando possessor post diligenter examinata motiva utrimque occurrentia nihil videt ad eam elidendam satis efficax, petit continuari, donec aliquid afferatur validius contra possessorem, quam pro ipso; dum generat certam persuasionem, non esse cedendum libertate per exsecutionem voti propter motiva incerta, nec magis dubitandi, quàm voto faventia.

Iam in forma dist. maj. id, quo stante perseverat dubium tam speculativum quàm practicum, non est sufficiens ratio deponendi dubium, conc. quo stante perseverat dubium speculativum, non vero practicum, non est sufficiens ratio deponendi dubium, subdist. speculativum, conc. practicum, neg. maj. dist. mi. perseverat dubium speculativum, conc. practicum, neg. mi. &c. Ad probat. dico, in dubio speculativo, antequàm adhibeatur sufficiens diligentia in inquirenda veritate & quam diu durat veritatis inquisitio, involvi procul dubio possessionem libertatis: Quia motiva, quæ stant pro voto, simul hanc possessionem oppugnant, dubiamque reddunt: at postquàm adhibita morali diligentia possessor deprehendit, illa argumenta non esse validiora iis, quæ ipsi favent, nec aliquid occurrere urgentius in contrarium, de possessione libertatis nullum ampliùs relinqui dubium.

Objicit tertio P. Thyrsus Gonzalez ubi suprà, n. 73. Ut in materia justitiæ sit melior conditio possidentis, possessio debet esse certa & explorata: ergo pariter, ut in dubio melior esset conditio possidentis suam libertatem, hanc possessionem oporteret esse certam. Conseq. patet à paritate rationis. Ant. supponitur. Nam in lite inter Petrum & Paulum de jure ad rem, si non modò rationes utrique faventes essent æquales, sed insuper possessio esset incerta, res inter litigantes deberet dividi; quia par esset jus utriusque, ut docet Lessius lib. 2. de just. & jure, c. 6. dubit. 3. n. 10. & alii. Alqui (subsumitur) possessio libertatis in dubiis voti, jejunii &c. non est certa: quod patet: vel enim est sermo de libertate physica, vel de libertate morali, qua quis licitè potest rem facere, vel non facere? Prima libertas non sufficit, ut præbeat fundamentum præsumendi, rem aliquam homini non esse prohibitam; quia non minùs est physicè liber ad utrumlibet posito præcepto quocunque, quàm erat antè. Secunda libertas includitur in dubio, an liceat,

ceat, vel non liceat aliqua actio, v.g. comestio in die jejunii, dubitare quippe, sitne aliqua actio licita, vel illicita? est formalissimè dubitare, an homo habeat libertatem ad faciendam illam actionem impunè, & sine peccato.

20 Hoc argumentum (pace tanti viri) evidenter insto in materia justitiæ hoc modo. Dubitet Petrus de jure prædii, quod possidet. quæro, dum Petrus in hoc dubio reputat, se melioris esse conditionis ob titulum possessionis, vel est sermo de possessione physica, qua prædium sub sua potestate, ac libertate physica retinet; vel de possessione morali, qua Petrus licitè vel illicitè prædium retinet? prima possessio non sufficit, ut præbeat fundamentum præsumendi, Petrum esse verum dominum prædii; quia non minùs id physicè liberè posset retinere, si certus esset, spectare ad alium, quàm, dum de hoc non est certus. Secunda possessio involvitur in dubio Petri, an ipse sit verus dominus prædii, vel non? dubitare quippe, sisne legitimus dominus rei, quam possides? est formalissimè dubitare, an eam licitè ac justè retineas, vel non? quod est dubitare de possessione morali. Ergo à primo ad ultimum, etiam in materia justitiæ possessio, de qua potest institui quæstio, vel non est sufficiens, ut fundet præsumptionem juris, vel illa, quæ esset sufficiens, si foret certa, non est certa: idque præsertim, si sententia Adriani, Arragonii, Soti, & aliorum, quàm præced. §. rejecimus, supponatur esse probabilis. In forma conc. Enthym. neg. subsumpt. ad hujus probat. dico, nos loqui de libertate, ejusque possessione morali: quæ licèt involvatur in dubio speculativo, sicut concessum est n. præced. donec possessor rem diligenter examinaverit, hoc tamen præstito non remanet ampliùs dubia.

21 Nunc porrò supereſt, ut statuamus principia, ex quibus colligi possit, ex qua parte extra materiam justitiæ in dubio stet possessio. Multùm in hoc variant Authores. imò Tamburinus 1. in Decal. c. 3. §. 6. n. 11. & Castropalao hic disp. 3. pu. 6. num. 2. existimat, nullam in hac parte regulam universalem posse constitui, remque in variis materiis vario modo esse definiendam. Placet nihilominùs gemina via, quam apud Paulum Mezger ostendit Paulus Rosmer. Prima est; In dubiis juris & legis oportet attendere, an id, quod potest inducere obligationem, & arctare libertatem, existat, atque sit positum, antequam dubium oriebatur, vel non? si constet, esse positum ante dubium exortum, tunc lex, & obligatio est in possessione. Si id non constet, possessio stat pro libertate. Exempla adducemus in artic. proximo. Secunda est: In dubiis facti vel maximè videndum est, pro quanam parte stet præsumptio juris & fori externi. hanc regulam aliis relatis tradit etiam Francisc. Bardi, discept. 5. cap. 5. Ratio est: quia jus nihil temerè & absque rationabili causa præsumit: ergo, dum jus præsumit in favorem unius partis, rectè judicatur, possessionem, de qua est dubium, stare ab hac parte. Conseq. prob. quia pars ista nititur conjectura tam verosimili, ut habeatur pro veritate ipsa, quamdiu nulla probatio efficacior affertur. Quòd si de hoc ipso oriatur dubium, cuinam parti faveat præsumptio juris? explorandum est, quænam illarum onus probandi transferat in adversariam. hoc invento, præsumptio juris pro illa parte stare censenda est, quæ transfert prædictum onus, ut habet Bardi loc. cit. Si pro utraque parte adsit præsumptio juris, illa erit in possessione, pro qua stat validior præsumptio. hæc enim elidit minùs validam; ut docent Jureconsulti apud cit: Si non constet, quænam præsumptio sit validior, sed vel utrimque inveniantur æquales, vel etiam dubiæ, ita, ut inde non possit colligi, cujusnam partis sit possessio; præsumptio habenda est pro nulla: veluti docet cum aliis Castropal. loc. cit.

§. III.

Aliæ Regulæ deponendi Conscientiam Dubiam.

SUMMARIUM.

22. *Sensus axiomatis:* In dubiis tutior pars est eligenda. 23. 24. *In quibus casibus regulæ hujus usus sit necessarius?* 25. *De praxi regulæ:* Ex duobus malis minus est eligendum. *item de aliis tribus regulis Juris.*

22 PRæter titulum possessionis, de quo hactenùs egimus, dantur adhuc aliæ viæ dubia moralia deponendi. has inter eminet celebre axioma: *In dubiis tutior pars est eligenda.* certum est, in illo ly *tutior* non accipi comparativè ad partem tutam, ut sensus sit, ex duabus partibus, quarum una est tuta, alia tamen tutior, nos teneri sequi tutiorem relictâ tutâ; sed sumi adversativè per respectum ad partem non tutam, ita, ut pars tutior sit eadem, quæ simpliciter tuta in gradu positivo; illa verò, ad quam refertur, seu minùs tuta, sit eadem, quæ non tuta. in simili sensu dixit Apostolus 1. ad Corinth. 7. *melius est nubere, quàm uri.* ubi sensus non est, quòd uri sit bonum, saltem minus, quàm nubere; sed quòd ex illis ad invicem collatis nubere sit bonum, nempe

ad sedandam libidinem & tentationes carnis; uri verò sit malum, videatur Gonet in dissertat. de Consc. probab. a. 4. n. 190. Legitimus itaque sensus Regulæ est, quod debeamus sequi partem tutam, relictâ non tutâ. nam sequi partem comparativè tutiorem relictâ minùs tutâ, verè tamen tutâ, non est præcepti, sed consilii tantùm. Cæterùm pars adversativè tutior, sive tuta simpliciter, illa hîc dicitur, in quâ nihil mali, nullumque peccati periculum repræsentatur.

23 Jam ad rem nostram veniendo tenendum est, per dictam regulam, *in dubiis tutior &c.* necessariò deponendam esse Conscientiàm dubiam, primo, in dubio practico. Secundo, etiam in dubio speculativo, quando ad illud vincendum sufficiens diligentia nondum fuit adhibita. Tertio, dum nulla occurrit alia sufficiens ratio dubium prudenter ac practicè deponendi. Quarto, quando id jura expresse præcipiunt. Ratio est: quia exponere se periculo proximo peccati formalis nunquam est licitum: sed in omnibus his casibus amplecti partem minùs tutam est exponere se periculo peccati formalis, ut patet; ergo amplecti hic partem minùs tutam non est licitum. Supereſt igitur dubitanti hæc unica via evitandi peccatum formale, nempe eligere partem tutiorem.

24 Cæterùm in dubio speculativo, quod adhibita diligentia sufficiente vinci non potuit, nulla est obligatio eligendi tutiorem partem; ut habet communis sententia. Ratio est: tum, quia sententia hoc docens est nimis rigida, difficilis, & impracticabilis. tum, quia, ut suprà advertimus, dubium invincibile æquivalet ignorantiæ invincibili: ergo sicut invincibiliter ignorans legem non obligatur lege, ita & invincibiliter dubitans de illa. atqui post debitam veritatis inquisitionem dubius dubitat invincibiliter, an existat lex ad sequendam tutiorem partem adstringens; ergo hac non obligatur. tum, quia in ejusmodi dubio nostra libertas stat in possessione adversus legem de parte tutiore sectanda; ejusque conditio est melior.

Tertia regula dubiam Conscientiam de- 25
ponendi est hæc: *Ex duobus malis minus est eligendum.* quæ tunc habet locum, quando voluntas inter duo, quorum utrumque repugnat legi, necessariò amplecti debet alterutrum. Sit exemplum: quidam die festo inservit ægroto, eumque videt probabiliter morituum tempore, quo audienda esset Missa. quid jam agat? Si relinquat moribundum, existimat, se peccare contra præceptum charitatis: si negligat Missam, contra præceptum Ecclesiæ. nulla perseverante hoc dubio supereſt alia viâ culpam formalem evadendi, quàm eligere illud, quod prudenter apparet, minùs esse malum. cùm enim careat sufficiente libertate ad vitandum utrumque, cessat obligatio legis absolutè prohibentis etiam id, quod est minus peccatum, solàque remanet obligatio vitandi majus.

Illud porrò: *In dubiis reo potius favendum, quam actori*, reducitur ad regulam, *In dubio melior est conditio possidentis.* Hoc autem: *In obscuris minimum est sequendum*, pertinet ad regulam, *Ex duobus malis &c.* Demum, *In obscuris respicimus id, quod verisimilius est, vel plerumque fieri consuevit*, affine est regulæ: *In dubiis tutior pars est eligenda*: ut habet Paulus Mezger hic disp. 12. a. 4. §. 1. n. 8.

ARTICULUS III.

Ex hactenùs dictis varia dubia moralia resolvuntur.

§. I.

Dubia de Lege, & Præcepto.

SUMMARIUM.

1. Dubius, an lex sit lata, vel promulgata? illâ non tenetur. 2. Tenetur verò dubius, an sit aliquando recepta? 3. Probabilitas sententiæ contrariæ. 4. Lex in dubio, an sit abrogata? obligat. 5. Quidnam dicendum in dubio requisitæ ætatis, ut lex, vel præceptum obliget, vel non obliget? 6. 7. Quid in dubio sufficientis usûs rationis? 8. 9. 10. Quid in dubio, an effluxerit, vel inceperit tempus finiendi, vel inchoandi observationem præcepti? 11. Quid in dubio, an obligatio legis, aut præcepti sit gravis, vel levis? 12. Quid in dubio, an aliqua consuetudo habeat vim obligandi? 13. Quæ sint signa consuetudinis obligatoriæ. 14. Quid tenendum in concursu præceptorum simul non implebilium? vel certi cum incerto? 15. Quid in dubio, an quis obligationi satisfecerit?

Corollarium I. Qui facta diligeni veri- 1
tatis inquisitione dubitat, an lata, vel promulgata sit aliqua lex, vel impositum præceptum, vel consuetudo legitimè introducta? non tenetur tali lege, consuetudine, vel præcepto. Th. Sanchez 1. in Decal. c. 10. n. 32. Castropal. hîc disp. 3. pu. 7. n. 1. Bossius §. 39. n. 12. 13. Tambur. 1. in Dec. cap. 3. §. 7. verbis, *leges & præcepta.* Bardi disc. 6. c. 2. §. 1. aliiq; communiter. Ratio est, tum, quia, dum dubi-

dubitatur de existentia legis, præcepti, vel consuetudinis, libertas est in certa possessione; utpote omni ejusmodi dubio anterior. Atqui in tali casu dubitatur de existentia legis, præcepti, vel consuetudinis; ergo tum, quia lex non obligat, nisi sufficienter promulgata, atque proposita (idem dic de consuetudine & præcepto) sed lex, de qua sic dubitatur, non est sufficienter promulgata; Ergo. Tum, quia in simili dubio forum externum non judicat, dubitantem obligari; ergo nec in judicio fori interni est obligandus. Dum itaque dubitas, an in hac vigilia sit jejunium? an hic dies sit festivus? neque jejunare teneris tali die, neque audire Missam. Addit Sanchez n. 33. idem esse dicendum, quando constat quidem, legem vel præceptum existere; dubium tamen est, an hæc aliqua res comprehendatur sub illis: quia sic dubitare perinde est, ac dubitare, an detur lex, vel præceptum de illa re.

2 Corollarium II. Invincibiliter dubius, an lex aliquando sit usu recepta? probabiliùs tenetur ejusmodi lege. Sanchez n. 35. Castropal. n. 3. Bonac. disp. 1. de leg. q. 1. pu. 4. n. 44. Bardi. §. 2. & alii. Ratio est: quia possessio atque præsumptio non stant pro libertate, sed pro lege. Nam onus probandi, legem non esse receptam, illi incumbit, qui hoc affirmat: ergo, dum id non probat, lex manet in possessione obligationis.

3 Verum contrariam sententiam esse valde probabilem, tenet Castropal. n. 4. illam docent præterea Tambur. loc. cit. Diana parte 4. tr. 3. resol. 14. Azor, & Salas apud Sanchez. Consentit Sporer hic cap. 1. sect. 4. §. 4. n. 3. Ratio est: quia, dum est dubium, an lex sit usu recepta? dubitatur, an aliquando obligaverit, atque adeo, an fuerit aliquando vera lex? ut enim sit talis, ac verè obliget, à subditis recipi debet. Hæc sententia, ut vides, fundatur in illa, quæ docet, valorem legum dependere ab acceptatione populi.

4 Corollarium III. Certus de lege lata, sed dubitans, an sit abrogata; vel an ratione cujusdam necessitatis, vel alterius circumstantiæ ab illa sit exemptus? tenetur tali lege. Sanchez loc. cit. n. 34. Castropal. n. 6. Bossius n. 1224. Tambur. n. 2. Ratio est: quia tunc lex, ejusque obligatio est in certa possessione; abrogatio verò, & exemptio ab illa est dubia. Unde melior est conditio legis, quàm libertatis, & alleganti abrogationem, vel exemptionem incumbit onus probandi, sese exemptum, vel legem esse abrogatam. Quando proinde certus es, hoc die esse, aut hactenùs fuisse jejunium; dubitas autem, an ab hac lege sis exceptus, v. g. propter laborem itineris; vel, an lex sit modò abrogata? dubiumque non potes vincere, teneris jejunare. Idem sentiendum est in dubio, an in lege sit dispensatum? nam & hic obligatio legis est certa, & in possessione. Sanchez n. 35.

Corollarium IV. Senex dubius, an 5
compleverit annum ætatis sexagesimum? tenetur; econtrà adolescens dubius, an compleverit annum vigesimum primum? non tenetur jejunare. Ratio est: quia in primo casu lex jejunii ante dubium subortum existens, & hactenùs semper obligans est in possessione, in altero libertas adolescentis. Dubius quoque, an habeat requisitam ætatem ad suscipiendos Ordines? ab his abstinere debet, quia lex vetans eos suscipere ante præscriptos annos est certa, & in possessione; dubia verò legitimæ ætatis expletio: quæ proinde non præsumitur, sed probari debet. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 41. Castropal. pu. 8. n. 7.

Corollarium V. Si completô septen- 6
niô dubium oriatur, an puer habeat sufficientem usum rationis, atque adeò legibus sit subjectus? judicandus est habere. Ratio est: quia in obscuris respicimus id, quod plerumque fieri consuevit: præsumptio quoque nasci solet ex communiter contingentibus: atqui communiter contingit, ut pueri completô septenniô sint doli capaces; ergo. Castropal. disp. 1. de leg. pu. 24. §. 2. n. 2.

Atque ex eodem fundamento apud cit. 7
docet Joannes Sanchez, puerum, tametsi constet, ante septennium habere usum rationis, non obligari legibus positivis. Nam leges positivæ respiciunt ea, quæ communiter contingunt: Atqui puerum nondum septennem habere sufficientem usum rationis, non contingit. Quare dictæ leges non intendunt obligare ante illam ætatem, si cui fortè sufficiens usus rationis per accidens obtingerit. Obligatur tamen ejusmodi puer lege naturali, contra quam, si malitia supplet ætatem, etiam ante septennium peccare potest, de quo non est dubium.

Corollarium VI. Adhibita sufficienti 8
diligentia dubitans, an elapsa sit dies Jovis, & sonuerit hora duodecima noctis? licitè pergit comedere carnes; dubitans autem, an sonuerit duodecima in nocte Sabbathi? tenetur abstinere, donec reddatur certior. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 36. cum Th. Sanchez disp. cit. n. 40. Ratio est: quia in priori casu libertas comedentis; in posteriori præceptum abstinendi à carnibus est in possessione. Quòdsi plura sint horologia, poteris sequi, quodcunque libuerit: nisi fortè aliquòd illorum communiter sonare soleat irregulariter, & errans ut plurimùm reputetur. Castropal. pu. cit. n. 4. Cardenas in Crisi. Theol. tr. 3. de leg. disp. 28. c. 5. estque communis sententia. Ratio est: quia diversa horologia bene regulata se habent

habent inſtar ſententiarum probabilium, ex quibus quamlibet ſequi licet in praxi. Hinc etiam, qui poſt auditam duodecimam in uno horologio adhuc edit & bibit, poterit manè licitè communicare, vel celebrare Miſſam, dummodò conſtet, in alio horologio eſſe auditam poſt eſum, vel potum completum. Diana cum utroque Sanchez, & aliis, quos refert ubi ſuprà, reſol. 19. Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. 2. pu. 2. Sporer loc. cit. in n. 3.

9 Corollarium VII. Sacerdos dubitans, an ultra mediam noctem cœnando proceſſerit, ſequenti die probabiliùs celebrare non poteſt; uti nec alius communicare. Th. Sanchez ubi ſuprà, aliique multi, quos refert Cardenas cit. c. 6. n. 86. Caſtropal. n. 9. qui ait, ita communiter ſentire D. D. Ratio eſt: tum, quia in tali dubio propter reverentiam Sacramenti tutior pars eſt eligenda. Tum, quia præceptum cum jejunio naturali celebrandi vel communicandi eſt certum, adeoque in poſſeſſione; libertas autem celebraturi, vel communicaturi eſt dubia. Tum, quia dubitans an ſit jejunus? dubitat, an ſit dignus ſumptione S. Euchariſtiæ? ergo, ne ſumat indignus, probare debet, ſe eſſe jejunum: ſicut volens ſuſcipere, ſacros Ordines, probare debet, ſe impleviſſe legitimam ætatem. Atqui dubius, an ſit jejunus? non probat, ſe eſſe jejunum; ergo.

10 Nihilominùs Laym. loc. cit. exiſtimat, non improbabiliter poſſe permitti Sacerdoti, ut in ejuſmodi dubio celebret, & conſequenter non Sacerdoti, ut communicet ex ſola quoque devotione, cenſetque omnino probabile Sporer ubi ſuprà. Immò Cardenas n. 87. hanc ſententiam tenet ut probabiliorem. Ratio eſt: quia lex Eccleſiaſtica præcipiens, ut fideles S. Euchariſtiam ſumant jejuni, non videtur in dubio tam arctè velle conſtringere conſcientias: præſertim in dubio facti, quod aliunde non præſumitur, nec eſt aliquid ad Sacramenti ſubſtantiam pertinens. Accedit, quòd impedimentum dubium non poſſit tollere jus certum ad aliquid: ſed impedimentum celebrandi, vel communicandi eſt dubium; jus verò utrumque faciendi eſt certum, idque dubitans ante ſuperuentum dubii certò poſſidet; & conſequenter adhuc poſſidet durante dubio. Idem dicendum de eo, qui os eluit, aut quidpiam dentibus maſticavit, & dubitat, an quid deglutiverit, ſeque in neutram partem poteſt reſolvere. Talis enim non tenetur abſtinere à S. Communione.

11 Corollarium VIII. Quando omnibus diligenter perpenſis dubitas, an lex, vel præceptum obliget ſub peccato mortali; vel veniali? judicare potes, obligare ſolùm ſub veniali. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 4. n. 66. Tambur. ubi ſuprà, n. 3. Bardi cap. 2. §. 6. & alii. Ratio eſt: tum, quia in tali dubio lex non poſſidet obligationem ſub mortali: ergo præponderat jus libertatis: ne nimis gravetur ab illius obligatione. Tum, quia leges, quæ rectè poſſunt intelligi de pœna majori & minori, in dubio intelligendæ ſunt de pœna minori, per regul. in pœnis. de reg. jur. in 6. Ergo etiam intelligendæ ſunt de obligatione ſub culpa minori. Quando verò certum eſt, legem non obligare ſub mortali, & ſolùm dubitatur, an obliget ſub veniali, vel ad ſolam pœnam? credendum eſt, obligare ſub culpa veniali. Ratio eſt: quia lex ſuapte natura habet vim obligandi ſub culpa, niſi conſter aliunde, Legislatorem velle obligare ad ſolam pœnam. Quare in hoc dubio lex eſt in poſſeſſione obligationis ſub veniali. Ita Sanchez cit.

12 Corollarium IX. Qui poſt omnes conjecturas ſeriò examinatas dubitat, an conſuetudo introducta habeat vim obligationis, vel ſit mos puræ devotionis, & conſilii? prudenter judicare poteſt hoc ultimum. Bardi §. 7. cum aliis, quos refert. Ratio eſt: quia res odioſa, cujuſmodi eſt obligatio, admitti non debet, quamdiu non conſtat, eam eſſe certam: neque libertas ante exórtum ejuſmodi dubium conſtituta in certa poſſeſſione arctanda eſt vinculô dubiô.

13 Cæterùm conjecturas, ex quibus inferri debeat, conſuetudinem aliquam eſſe introductam non ex ſola devotione, ſed cum vera obligatione, Bardi ex P. Suarez vult eſſe ſequentes: Prima eſt, ſi ſit conſuetudo longi temporis, circa rem gravem, &, ſi inſuper à majori parte populi obſervetur. Secunda, ſi viri prudentes ac pii de illis, qui eam violant, non rectè ſentiant. Tertia, ſi ſuperiores illius tranſgreſſiones non diſſimulent, ſed reprehendant ac puniant. Quarta, ſi materia, circa quam eſt conſuetudo, Reipublicæ communi bono &c. ſit conducibilis. Addit ipſe quintam, ſi cedat in majus Dei obſequium; quam oppoſitum.

14 Corollarium X. In concurſu duorum præceptorum, quando unum eſt certum, & alterum dubium, certum eſt obſervandum. Caſtropal. pu. 8. n. 5. Tambur. loc. cit. n. 4. Ratio eſt: quia præceptum certum eſt in poſſeſſione, non verò dubium. Unde ſervus poſt debitam veritatis inquiſitionem adhuc dubitans, an hodie ſit dies feſtivus? tenetur domino facere opus ſervile: quia obligatio laborandi eſt certa, feriandi dubia. Quodſi occurrant duo præcepta, & ambo ſint certa, ſimul tamen impleri non poſſint, implendum eſt, quòd videtur magis obligare. Si hoc ipſum, attentis omnibus circumſtantiis, non conſtet, neque ſe offerat ulla ratio, ob quam unum præceptum validiùs urgeat, quàm

quàm alterum, impleri potest honestè, quòd magis allubescit. Diana parte 4. tract. 3. resol. 70. ex Granado in 1. 2. controv. 2 tract. 12. disp. 6. n. 8. Tambur. loc. cit.

Corollarium XI. Qui certò scit, legem
15 esse latam, vel præceptum impositum, dubitat verò, an ejus obligationi satisfecerit? tenetur satisfacere. Sanchez 1. Decal. c. 10. n. 12. aliisque relatis Castropal. pu. 7. n. 7. Ratio est: quia lex, vel præceptum est in certa possessione obligationis: ergo est melioris conditionis, quàm libertas: ergo impleri debet certa satisfactione; quia certa obligatio impleri non potest per satisfactionem dubiam. Et ideo inquisita sufficienter veritate adhuc dubitans, an recitaveris horas Canonicas? teneris recitare: dubius, an persolveris pœnitentiam injunctam à Confessario? teneris persolvere.

§. II.

Dubia de Voto, Juramento, Promisso.

SUMMARIUM.

16. *Quid agendum in dubio emissi voti, juramenti, vel alterius promissi cujuscunque?* 17. *Quid, si quis magis propendeat in contrarium?* 18. 19. *Quid in dubio circa sensum verborum, vel intentionem se obligandi?* 20. 21. 22. 23. 24. *Quid in dubio, an vovens, jurans, promittens habuerit sufficientem usum rationis?* 25. *Quid in dubio, an quis voverit, vel promiserit majus, vel minus?* 26. *Quid in dubio, ad quidnam tenearis vi verborum?* 27. *Quid in dubio, an materia voti sit licita?*

16 COrollarium I. Dubius, an votum, vel juramentum emiserit, vel aliquid promiserit? si post diligentem veritatis inquisitionem dubium etiamnum remaneat, nec voto, nec promissô, nec juramentô tenetur. Sanchez lib. 1. Decal. c. 10. n. 36. Bonac. tract. de contract. disp. 1. q. 2. pu. 2. §. incid. n. 3. Castropal. ubi suprà, pu. 9. n. 2. Boss. §. 45. n. 1589. Tambur. 1. Decal. c. 3. §. 7. verbo *votum*. Bardi discept. 6. c. 1. §. 1. Ratio est: quia libertas est in possessione. Neque est æquum, ut quis ob debitum incertum obligetur ad certam solutionem. Accedit, quòd votum, juramentum, promissum sint quædam veluti leges, quas homo sibimet imponit: atqui nulla lex dubia, & de qua non constat, esse latam, obligat; ut vidimus in præced. §. Ergo nec votum, juramentum, vel promissum dubium.

Hæc doctrina procedit etiam in casu, 17
quo quis magis propendet, & inclinat animô, quòd voverit, promiserit, jurayerit, quàm quòd non voverit &c. Quamdiu talis propensio intellectum relinquit intra limites dubii. Nam si opinetur, se vovisse, jurâsse, promisisse, ita, ut de contrario nullum possit rationabilem assensum elicere, tenetur votô, promissô, vel juramentô. Ratio est jam totics dicta; quia tunc votum, promissum, vel juramentum sunt in possessione. Quòdsi de utraque parte habeat opiniones probabiles, potest amplecti, quam libuerit. Videatur Sanchez loc. cit.

Corollarium II. Qui dubitat invinci- 18
biliter, an verba, quibûs utebatur, dum vovebat, jurabat, promittebat, contineant formam veri juramenti, voti, promissi, vel potiùs significent nudum propositum, vel simplicem assertionem? ad nihil tenetur. Castropal. pu. 10. n. 2. Tambur. loc. cit. n. 5. Boss. n. 1593. Ratio est: quia tunc dubium est, an votum, promissum, vel juramentum fuerit emissum? atqui in eo casu nemo tenetur; ut primùm diximus. Quòdsi constet de sensu verborum, isque non sit ambiguus, sed certò denotet votum, juramentum, vel promissum, & solùm sit dubium, an illa proferens habuerit animum se obligandi? talis tenetur votô, promissô, vel juramentô. Bonac. loc. cit. n. 4. Castropal. n. 4. Boss. n. 1595. Bardi §. 5. Ratio est, tum, quia possessio stat pro voto, juramento, vel promissô: tum, quia verba sunt signa intentionis, & nemo præsumitur dicere, quod non habet in corde, donec probetur contrarium: tum, quia probatô factô præsumuntur adfuisse omnia ad illud requisita, ut docet Sanchez lib. 1. de Sponsal. disp. 9. n. 13. apud Castropal. cit. ergo, quando constat de voto, promissô, juramento, præsumendum est, adfuisse requisitam intentionem & animum voventis, jurantis, vel promittentis. Quare, qui certus est, quòd puellæ promiserit matrimonium, voverit peregrinationem &c. tenetur puellam ducere, instituere peregrinationem &c.

Verùm Tambur. Ubi suprà n. 6. ex- 19
istimat, non esse improbabile, te neutiquam in hoc casu obligari. Cùm enim intentio se obligandi sit de ratione voti, promissi, vel juramenti promissorii, de ea dubitans reverà dubitas de substantia voti, promissi, vel juramenti, quod idem est, ac dubitare, num voveris, promiseris, vel juraveris? Unde nulla hîc stat pro voto, promisso, vel juramento possessio, sed pro libertate. Citat nominatus Author pro hac sententia Caramuelem lib. 3. Theol. moral. n.

ral. n. 1338. & Alphonſum de Leone apud ipſum.

20 Corollarium III. Dubitans, an habuerit ſufficientem uſum rationis, dum vovit, vel juravit, eò quòd eſſet ætatis admodùm teneræ, debet attendere, an votum, vel juramentum emiſerit expletò jam ætatis ſeptenniò, vel nondum expletò? ſi jam expletò, idque ipſi conſtat; tenetur voto, vel juramento: ſi nondum expleto, non tenetur. Sanchez lib. 4. in Decal. c. 1. n. 14. Caſtropal. pu. 11. n. 2. Bardi §. 6. & alii. Ratio eſt: quia completo ſeptennio pueri regulariter præſumuntur habere ſufficientem uſum rationis; non tamen ante illam ætatem completam. Unde in priori caſu præſumptio & poſſeſſio ſtat pro voto & juramento: in poſteriori pro libertate dubitantis.

21 Quòdſi omnibus penſatis ſit incompertum, an tum fuerit completè ſeptennis, nécne? judicat Sanchez loc. cit. eum teneri voto & juramento. Ratio eſt: quia raro, & vix unquam vota vel juramenta promiſſoria, ceu res maximè ſeriæ, fiunt ante ſeptennium. Quare etiam in hoc dubio ex communiter contingentibus oritur præſumptio pro completo ſeptennio, atque adeò pro valore voti & juramenti. At nihilominùs Caſtropal. n. 4. etſi hanc ſententiam cenſeat eſſe probabiliorem, judicat, etiam oppoſitam, nempe, nullam hîc eſſe obligationem voti, vel alterius promiſſionis, eſſe probabilem. Ratio eſt: quia in hoc dubio non conſtat de voto, aut juramento: cùm dubitetur de eſſentiali conſtitutivo utriusque: ergo libertas dubitantis manet in poſſeſſione. Exiſtimat hanc opinionem aliis Authoribus relatis probabilem etiam Diana de conſc. dub. reſol. 11. & tenent complures, quos refert Boſſius n. 1606.

22 Corollarium IV. Qui omnibus diligenter expenſis dubitat, an votum, vel aliud promiſſum fecerit in amentia, vel cùm eſſet ſui compos, & ſanæ mentis, aliquando tenetur, aliquando non tenetur voto, vel alia quacunque promiſſione. Tenetur, quando diligenter inquiſita veritate non conſtat, voventem, ſeu promittentem amentiâ fuiſſe correptum, antequàm votum, vel promiſſum emitteret. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 1. n. 15. & D. D. communiter apud Boſſium n. 1612. Ratio eſt: quia qualitas, quæ naturaliter ineſt, ſemper ineſſe præſumitur, niſi probetur contrarium: ſed ſanitas mentis eſt hujuſmodi qualitas: natura enim generat homines ſanæ mentis; ergo præſumitur ineſſe. Non autem tenetur, quando certum eſt, voventem ante votum vel promiſſionem editam fuiſſe in amentia, & dubitatur, an tempore, quo vovit, vel promiſit, habuerit lucida intervalla? Ratio eſt: quia amentia ſuapte natura eſt morbus perpetuus, & ideo exiſtens de præſenti præſumitur duratura omni tempore. Lucida verò intervalla, quia ſunt per accidens, non præſumuntur, niſi probentur. Boſſius cit. Quodſi tamen conſtaret, votum, vel promiſſum fuiſſe factum tempore lucidi intervalli, omnino obligaret.

Corollarium V. Quòdſi dubites, an 23
voveris, promiſeris, juraveris in ſomno, ebrietate, vel phreneſi? votum, promiſſum, juramentum præſumuntur valida, teque obligant. Sanchez, Boſſ. cit. Ratio eſt, tum, quia ſimiles actus rariſſimè fiunt tempore ſomni, ebrietatis, vel phreneſis; ſed, dum homo eſt ſui compos; unde ex communiter contingentibus præſumuntur in dubio fuiſſe facti cum ſana mente. Tum, quia ſomnus, ebrietas, & phreneſis durant brevi tempore. Hinc non præſumuntur ita permanere, ſicut amentia, ut actus cenſeatur geſtus illis durantibus. Tum, quia qualitas naturalis, ut eſt ſufficiens uſus rationis, in dubio præſumitur, donec probetur contrarium. Si verò certus ſis, te, quando vovisti, promiſiſti, jurâſti, fuiſſe ebrium, phreneticum, vel ſomnò oppreſſum, & dubites ſolùm, an fueris plenè, vel ſemiebrius? item, plenè, vel ſemiſopitus? ſive in tali phreneſi, quæ ſufficiat ad auferendum uſum rationis neceſſarium ad mortale peccatum? ad nihil obligaris. Ratio eſt: quia, dum conſtat de ſomno, ebrietate, vel phreneſi, quæ ſunt apta nata ad uſum rationis auferendum, hic præſumitur ablatus, & poſſeſſio ſtat pro libertate. Confirmat hoc Caſtropal. pu. 11. n. 7. ex P. Suarez: quia is, cui in ſomno accidit pollutio, & poſtea dubitat, an tum habuerit perfectum rationis uſum? non condemnatur peccati mortalis ob defectum perfectæ libertatis: ergo ob eundem defectum non eſt præſumendus validè voviſſe, jurâſſe, promiſiſſe, quia certus eſt, ſe id feciſſe in ſomno. Idem dic de ebrietate, & phreneſi.

Cæterùm, quando quis vovit, vel alio 24
modo promiſit in ſubita paſſione, putà, iracundiâ, vel alia perturbatione animi, & deinde dubitat, an fuerit rationis ſufficienter compos, ac liber? res paulò videtur difficilior. Nam rarò, & vix unquam ira, vel alia paſſio quantumcunque vehemens uſum rationis ita tollit, ut non ſufficiat ad bene, vel malè operandum, cùm aliàs occidens quempiam ex impetu iræ excuſaretur à peccato mortali, quod tamen regulariter non contingit. Nihilominùs ex hypotheſi, quòd vovens, aut promittens, re probè examinata, adhuc verè dubitaret, an ejuſmodi paſſio ſufficientem libertatem ſibi reliquerit? is nec voto,

nec

nec alia promissione teneretur, Castropal. loc. cit. n. 10. & apud ipsum Suarez. Idem sentit Tambur. ubi suprà, n. 21. Ratio est: quia esset dubium de substantia voti, vel promissionis, libertas autem staret in possessione.

25 Corollarium VI. Siquis immemor verborum, quibus est usus, dum vovit, vel aliter promisit, adhibita morali diligentia dubitat, an voverit, vel promiserit majus vel minus? solùm tenetur ad id, quod est minus. Sanchez lib. 4. Decal. c. 13. n. 17. Bossius plurimos referens n. 1666. Ita dubius invincibiliter, an voveris ingredi religionem aliquam indeterminatè & in genere, vel an aliquam determinatam? solùm teneris ingredi hanc determinatam, ita, ut si in istam non admittaris, à voti obligatione sis penitus liber. Item, in dubio, an voveris ingredi religionem strictiorem, vel an minùs strictam? teneris solùm ad minùs strictam. Similiter, quando dubitas, an voveris solum ingressum religionis, vel etiam emissionem professionis, teneris solùm ingredi, potesque rursus egredi ante professionem ex Ordine. Pariter, si certus sis, te vovisse castitatem, dubitas autem, an omnimodam, vel conjugalem; an temporalem, vel perpetuam? an absolutè, vel sub conditione assumpti statûs Religiosi? potes eligere, quod minus est. Et ideo in primo casu satisfacis voto, si serves castitatem conjugalem; in secundo, si temporalem; in tertio, si serves assumpto statu Religioso. Vide Bonac. disp. 1. de contract. q. 2. pu. 2. §. incid. n. 5. Dianam de Consc. dub. resol. 36, Tambur. n. 6. q. 13. & seqq. Bardi §. 6. Iterum, in dubio, an voveris dare centum, vel ducentos aureos? an vinum optimum, vel mediocre? an recitare integrum Rosarium, vel solùm tres decades? poteris pari modo eligere id, quod minus est. Ratio horum omnium, & plurium similium est: quia certa possessio stat pro libertate, quæ à dubio invincibili coarctari non debet. Adde, quod in obscuris, ut habet reg. Juris, minimum sit sequendum.

26 Corollarium VII. Memor autem verborum, quibus usus est, dum vovit, & nihilominùs dubitans, ad quidnam teneatur? resolvere se debet juxta sensum, usumque verborum, in quo communiter accipiuntur. Hinc, si vovisti Ecclesiæ calicem, non satisfacis dando ligneum, vel aheneum; sed dare teneris aureum, vel argenteum, saltem secundum cupam. Ratio est: quia nomine sacri calicis intelligitur is, qui est aptus ad celebrandum Sacrificium Missæ: atqui talis est aureus, vel argenteus, vel dicto modo semiargenteus, non verò ligneus, vel aheneus: ergo &c. Diana resol. 48. Boss. n. 1667. Tambur. n. 18. & alii. Similiter, si voveris castitatem dixisti absolutè, *voveo*, vel *promitto castitatem*, teneris in dubio, an intellexeris perpetuam, vel temporariam? servare perpetuam. Ita Sanchez n. 16. Bardi §. 9. Ratio est: quia illa verba intelligi solent de perpetuitate. Quare in dubio eorum sensus est in possessione.

27 Porrò in dubio, an materia voti, quod quis edidit, sit licita & honesta, necne? diligenter expendenda est res ipsa, vel peritiores consulendi. Quòdsi his præstitis dubium adhuc remaneat, volunt Suarez, Merolla, & alii apud Francisc Bardi §. 10. votum neque impleri posse, neque omitti, sed perendam esse dispensationem. Ratio est: quia vovens alioquin exponit se periculo peccandi: cùm enim constet, votum existere, pro illo stat possessio; & consequenter non potest licitè intermitti. Rursus, cum non constet de honestate materiæ, votum exequens est in periculo persolvendi rem Deo ingratam. Ut igitur securè procedatur, petenda est dispensatio. Et certè, nisi in hoc casu vovens recurrat ad Superiorem, non appareret, qua ratione dici possit adhibuisse diligentiam vincendo dubio sufficientem; cùm recurrere ad Superiorem sit modus illud vincendi potissimus, & tunc quidem necessarius.

Quando autem vovens versatur in talibus circumstantiis, ut votum vel exequi, vel omittere debeat eo tempore, quo urget ejus obligatio, & neque possit rationes pro utraque parte satis expendere, neque petere ab altero consilium, vel adire Superiorem, existimat Bardi, votum esse omittendum, ne illud exequendo incurratur periculum exercendi actionem Deo ingratam.

Neque dicas, etiam omittendo votum incurri periculum peccandi contra obligationem voti: respondetur enim, votum in talibus circumstantiis non obligare; quia materia dubia quoad honestatem nequit esse materia voti. Confirmatur. Dubium de honestate materiæ est formaliter dubium de substantia voti (idem dic de juramento, aut alia promissione) quia honestas materiæ essentialiter requiritur ad aliud. Sed in dubio invincibili de substantia voti nulla est ejus obligatio; prout jam sæpius est dictum; ergo nec in dubio invincibili de honestate materiæ. Videatur Castropalao pu. 12. n. 2. Tambur. n. 22.

§. III.

Dubia circa materiam Obedientiæ.

SUMMARIUM.

28. *In dubio, an res præcepta sit licita? communis sententia subditum obligat ad obediendum.* 29. *Quædam objectiones.* 30. *Solvuntur.* 31. 32. 33. 34. *Limitationes communis sententiæ.* 35. 36. *An pertinet ad Superiorem inquirere, num Superior rectè præcipiat?* 37. *Valetudinarius tenetur parere Superiori prohibenti jejunium &c.* 38. 39. *Quid agendum militi in dubio, an bellum sit justum?*

28 COrollarium I. Subditus dubitans, an res, quam præcipit Superior, sit licita, néne? in tali dubio, quando id adhibita morali diligentia vincere non potest, tenetur obedire. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 3. ubi quàm plurimos refert. Castropal. pu. 13. n. 3. estque communis sententia contra Adrianum, & Vasquez. Ratio est; quia certa præsumptio juris, adeoque possessio præcipiendi stat pro Superiore, qua spoliari non debet ob dubium subditi. Itaque licèt Superior subdito videatur præcipere quid legi Divinæ adversum, non eximitur ab obligatione parendi, donec probaverit, se esse exemptum: sed quamdiu perseverat dubium, de honestate rei præceptæ, tamdiu subditus non probat se esse exemptum: quia Superior habet jus præcipiendi non solùm ea, quæ sunt re ipsa licita; sed etiam illa, quæ non constant, esse illicita, quæque illi prudenter apparent licita. Atqui eo ipso, quòd Superior rem quampiam præcipiat, præsumendum est, eam prudenter ipsi apparere licitam, præcipientémque certò judicare, se rectè præcipere. Non autem est æquum, ut certo Superioris judicio prævaleat dubium subditi. Ut veritas hujus sententiæ magis elucear, lacessenda est aliquot objectionibus. Quare

Obiicies primo. Superior non possidet
29 jus præcipiendi ea, in quibus est periculum peccati: Sed in iis, de quibus dubitat subditus, an sint licita? est periculum peccati; ergo Superior non possidet jus illa præcipiendi: ergo subditus non obediendo Superiori non aufert jus præcipiendi; quippe quod nunquam habuit.

Secundo. Subditus invincibiliter dubius, an præceptum sit impositum? illo non tenetur; ut constat ex §. 1. n. 1. sed dubius, an res præcepta sit licita, vel illicita? est dubius, an præceptum sit impositum? quia dubitat de aliquo, quod ad essentiam præcepti est necessarium: sicut dictum est de voto in §. proximè præced. ergo dubius, an res præcepta sit licita, vel illicita? non tenetur præcepto.

Tertio. Agere illud, de quo non magis constat, sitne licitum, an illicitum? est intrinsecè malum: sed obedire in nostro dubio est ita agere; ergo in illo obedire est intrinsecè malum: ergo non potest fieri licitum propter præceptum Superioris.

Quarto. Quando exigitur aliquid, de quo dubito, an sit debitum? ad illud non teneor, donec constet, esse debitum, & urgenti debitum incumbit onus illud probandi. Atqui in casu nostro Superior à subdito quid simile exigit; quia exigit, ut sibi obediatur in re, de qua dubitatur, an sit debita ex obedientia? ergo.

Quinto. In dubio, an materia voti, vel juramenti sit honesta, nec ne? nulla est obligatio voti, vel juramenti, sicut concessum est in §. proximè cit. ergo etiam in dubio de honestate rei præceptæ nulla est obligatio præcepti, & obedientiæ.

Respondeo ad primum dist. maj. Superior non possidet jus præcipiendi ea, in quibus est periculum peccati, nisi ipsi prudenter 30
videantur carere periculo peccati, conc. si sic videantur, neg. maj. sed in iis &c. est periculum peccati, ita tamen, ut Superiori prudenter videantur carere hoc periculo, conc. ut non ita videantur, neg. vel: est periculum peccati in judicio subditi, conc. in judicio Superioris, ex quo metienda est honestas præcepti & obligationis, neg. min. &c.

Ad secundum conc. maj. neg. mi. cum sua probat. habet enim sufficiens fundamentum judicandi, rem præceptam esse honestam, judicium videlicet præcipientis. Hoc siquidem, non verò proprii capitis placitum, debet esse mensura honestatis in materia obedientiæ.

Ad tertium dist. maj. agere illud, de quo non magis constat, &c. tam in judicio practico, quàm judicio speculativo, est intrinsecè malum, conc. in judicio speculativo solùm, neg. maj. dist. mi. est agere id, de quo non magis constat &c. in judicio speculativo, conc. in judicio practico, neg. mi. &c. Cum enim judicium Superioris sit efficax, atque sufficiens motivum, ut subditus existimet, in ejusmodi dubio esse licitum hîc & nunc obedire, fit, ut præceptum Superioris reddat per avidens licitum, quod re ipsa est fortè illicitum, & quidquid de ejus inhonestate obvertatur intellectui, totum ex parte judicii speculativi se teneat.

Ad quartum dist. maj. quando ille, qui exigit, non est in possessione exigendi id ipsum,

ipsum, de quo dubitatur, an sit debitum, conc. si sit in tali possessione, neg. maj. atqui Superior est in certa possessione tuni suæ superioritatis, tum meæ subjectionis, jurisque exigendi, ut obediam in re, quam prudenter judicat esse licitam, esto, apud me oriatur dubium, an sit licita, ac debita ex virtute obedientiæ.

Ad quintum transm. Ant. (neque enim sic absolutè concessum est loc. cit.) neg. conseq. disparitas est; quia subditus in ejusmodi dubio habet securissimam regulam formandi conscientiam, certamque de honestate obedientiæ, judicium videlicet, & voluntatem Superioris, cujus est gubernare subditum in rebus dubiis. Atqui nihil tale se offert dubitanti de honestate rei votô vel juramentô promissæ in casu, quo concessum est Ant. præsentis Objectionis; sed sibi relinquitur: ergo &c.

31 Limitatur tamen nostra, & communis sententia, ut subditus non teneatur obedire primo, quando ipsi constat, superiorem quoque præcipientem dubitare, an res à se præcepta sit licita? neque debitam ad vincendum id dubium adhibuisse diligentiam. Sanchez ubi suprà n. 21, Castropal. n. 13. Ratio est: quia hîc Superiori non favet possessio præcipiendi; quippe ad ea solùm se extendens, quæ ipse prudenter credit esse licita: atqui in casu nostro non potest prudenter credere, rem, quam præcipit, esse licitam; ergo. Unde subditus ita præcipienti non solùm non tenetur, sed neque potest honestè obedire: quia prudentis non est conformare se præcepto, quod manifestè videt esse temerarium & periculosum. Quòdsi Superior conatus sufficienti diligentia vincere hujusmodi dubium quid tale præcipiat, de quo subditus dubitat, an sit licitum? hic tenetur obedire. Ratio est, quia ejusmodi dubium, cùm sit invincibile, non aufert Superiori possessionem, ac jus eam rem præcipiendi. Sicut proinde post contractum bona fide matrimonium in dubio de ejus valore, quod adhibita morali diligentia vinci non potest, unus conjunx licitè petit, alterque tenetur reddere debitum, ita in posito casu Superior licitè imperat, & subditus licitè paret; immò tenetur parere. Castropal. n. 11.

32 Non tenetur subditus obedire secundo, quando versatur in dubio facti, sive alicujus delicti, cui annexa est irregularitas, in quo sequi tenetur tutiorem partem. Ita in dubio, an commiseris homicidium? quando Superior non potens in hac irregularitate dispensare præciperet, ut celebrares, non posses celebrare. Ratio est: quia in tali dubio sequi teneris tutiorem partem, teque gerere tanquam irregularem propter præceptum Ecclesiæ, quod est in certa possessione, & in quo tuus Prælatus dispensare non potest. Quare sicut ante præceptum peccâsses, si in animum induxisses celebrare, ita & post præceptum peccares. Sayrus in Clavi, lib. 1. cap. 13. n. 38. Vera est autem præsens doctrina, quoties in dubio facti circa censuras aliquis tenetur se reputare censurâ ligatum. Tunc enim constat evidenter, rem præceptam esse illicitam. Sanchez n. 22.

33 Non tenetur obedire tertio, quando res præcepta est insuper tam ardua atque difficilis, ut subditus meritò dubitet, an illam Superior ex hoc capite possit injungere, sitque intra limites potestatis illius? hujusmodi essent v. g. longum iter, diuturna abstinentia, cruenta flagellatio. In his, & similibus non tenetur obedire subditus, nisi re maturè discussâ constiterit, superiorem ea jubendo non excedere limites suæ potestatis. Ratio est: tum, quia non videtur æquum, & quis onus extra modum grave certò subire teneatur, de quo est dubium, an possit imponi? *Jugum enim Christi suave est, & onus ejus leve.* Tale autem non esse videretur, si vellet, esse obediendum Superiori tam austera præcipienti, etiam, dum est incertum, an possit præcipere? tum, quia tanta, eaque certa rei præceptæ difficultas sumpta cum dubio de potestate præcipiendi præponderat possessioni (siqua hîc est) Superioris, & favet potiùs libertati subditi. Sayrus n. 4, Sanchez n. 23. Castropal. n. 18. Accedit, quod subditus, dum agitur de propria pelle, habeat notitiam certam & experimentalem, quodnam opus excedat, vel non excedat virium suarum facultatem, quod non ità nôsse solet Superior. Undè prudenter utitur hac sua notitia, eamque in dubio prædicto licitè præfert judicio Superioris.

34 Non tenetur, nec potest subditus obedire quarto, quando Superior aliquid præcipit, ex quo grave timetur damnum personæ tertiæ, v. g. in honore, fama, corpore, divitiis &c, veluti posset contingere, si Prælatus Religiosum juberet revelare privatum & enorme crimen sui confratris; aut, si judex inquirens in occultum delictum, reique publicæ non periculosum à testibus exigeret, ut manifestent veritatem. Ratio est: tum, quia inter duo mala minus est eligendum: atqui minus malum est semel non obedire Superiori in dubio, an justè præcipiat? quam obedire in grave præjudicium tertii. Tum, quia tertius est in certa possessione bonorum famæ, honoris, corporis &c, habet insuper certum jus, ne lædatur in illis absque manifesto titulo: ergo non est æquum; ut per tuam obedientiam, de qua dubitas, an sit licita?

in ejusmodi jure & possessione turbetur, evidentique periculo perpetuæ infamiæ, vel alterius damni exponatur. Et hæc doctrina vel maximè vera est, quando persona, de cujus crimine interrogatur, est magnæ authoritatis multumque reipublicæ utilis. Vide Sayrum loc. cit. n. 41. Quòdsi obedientia subditi cedat solùm in damnum proprium ipsius, potest in tali casu obedire, non tamen tenetur. Ratio est: quia potest jure suo cedere, non tamen tenętur. Castropal. n. 16.

35 Corollarium II. Quando Superior non est præditus eâ scientiâ, authoritate, morumque probitate, ut ipsius judicium subdito honestatem præcepti, de qua ob graves rationes prudenter dubitat, possit efficere saltem probabilem, tenetur subditus, dum commodè potest, uti consiliô doctorum hominum, seque adhibita morali diligentia de præcepti æquitate facere certiorem. Sylvester verbo *bellum* 1. q. 9. conc. 3. & verbo *obedientia*. q. 2. Castropal. n. 10. Ratio est, tum, quia obligatio inquirendi veritatem in dubio, an operatio quæpiam sit licita? est omnibus naturaliter insita, ut sic operetur prudenter. Tum, quia in dubio, an præceptum Divinum adversetur alteri præcepto naturali? tenemur studiosè inquirere, quodnam illorum sit exequendum? ergo idem præstare debemus in dubio, an præceptum Superioris sit honestum, vel contrarium alteri præcepto Divino? cùm præceptum Superioris non possit esse efficacius præcepto Divino.

Confirmatur. Subditus non est magis obligatus ad parendum Superiori, quam conjunx conjugi ad reddendum debitum: atqui conjunx dubitans de valore matrimonii tenetur, antequàm reddat debitum, inquirere rei veritatem; ergo similiter subditus dubitans de honestate præcepti tenetur, antequàm obediat, investigare, an Superior rectè præcipiat?

36 Sententia contraria, quam veriorem existimat Sanchez loc. cit. n. 19. est etiam probabilis. Ratio potissima hæc esse videtur: quia, ut docet S. Thomas q. 17. de verit. a. 5. ad 4. Subditi non est examinare Superis præcepta, sed exequi, quamdiu non constat, rem præceptam esse illicitam. Adde, quòd hujusmodi examen, & inquisitio, num Superior rectè præcipiat? cæcæ, ac simplicis obedientiæ perfectioni, quæ priscis Patribus tantopere placuit, multùm adversetur.

37 Corollarium III. Quando valetudinarius, aut alio impedimentô laborans dubitat, an teneatur jejunare, abstinere à carnibus, recitare horas Canonicas? & sic de similibus, tenetur obedire Prælato præcipienti, ut non jejunet, ut non abstineat à carnibus, ut non persolvat horas. Ratio ex dictis est: quia subditus hîc solùm versatur in dubio, an id, quod præcipitur, sit licitum? atqui in hoc dubio tenetur obedire, dum aliud nihil obstat; ergo. Neque periculum est violandi illa præcepta Ecclesiæ: quia præceptum Prælati in talibus dubiis habetur pro interpretatione legum, quia interprætatur, subditum dictis præceptis non obligari. Sanchez cit. n. 10. Castropal. n. 5.

38 Corollarium IV. Miles principi, vel reipublicæ subditus in dubio, an bellum, ad quod vocatur, sit justum? meritò paret, ac militat. Laym. lib. 2. tract. 3. c. 12. n. 8. cum communi. Ratio est: quia princeps, vel respublica est in possessione præcipiendi, & subditus in obligatione parendi, quamdiu non constat de iniquitate præcepti. Neque ad militem pertinet nôsse, vel examinare causas belli; sed potiùs præsumere, principem, seu rempublicam illud non temere & absque maturo consilio, justaque sententia decrevisse. De milite conductitio, qui postea jubetur inire bellum, de cujus justitia dubitat, idem dicendum. Ob eandem rationem carnifex mercede conductus licitè exequitur latam à judice sententiam, tametsi de ejus justitia dubitet. Nam ad ipsum non pertinet hanc rem discernere. Laym, loc. cit.

39 Hæc tamen dicta velim, si rationes dubitandi non sint admodùm graves. Quando enim adsunt indicia valde probabilia, rumoresque iniquitate belli, ita ut subdito ob graves, atque urgentes rationes dubitandi præceptum & judicium principis, vel reipublicæ non videatur sufficere ad formandam rectam conscientiam, tenebitur morali diligentia juxta suum captum belli æquitatem inquirere. Bonac disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. pu. ult. §. 2. n. 10. Castropal. pu. 14. n. 2. Rationes peti debent ex dictis in n. 33. & 34. quæ in bello, re longè gravissima, vel maximè militant. Hæc doctrina præcipuè procedit de militibus non subditis: Hos quippe necessitas obediendi in tali dubio nequaquam excusat. Debent itaque, ut licitè dent nomen, inquirere de justitia belli, quod gesturus est princeps, cui volunt militare; dubiumque speculativum de illa ex aliis principiis practicè deponere: quia aliàs temere se coniiciunt in periculnm gravissimas injurias inferendi illis, qui bellô petuntur. Videantur citt.

§. IV.

§. IV.

Dubia Miscellanea.

SUMMARIUM.

40. 41. *Quomodo procedendum in dubio legitimitatis?* 42. *Quomodo in dubio irregularitatis?* 45. *An dubius de extrema vel gravi necessitate parentum possit ingredi Religionem?* 44. 45. *An dubius de fructu correctionis teneatur proximum corrigere?* 46. 47. 48. 49. *Quid agendum Religioso Capitulari in dubio, an Novitius sit dignus suffragio ad professionem?* 50. *Quid in dubio casus reservati, vel jurisdictionis?*

40 COrollarium I. In dubio, an quis sit filius legitimus, an non? habendus est pro legitimo. Sayrus in Clavi. lib. 1. cap. 13. n. 19. Castropal. disp. 3. pu. 5. n. 3. & seqq. Tambur. 1. in Decal. c. 3. §. 7. verbô. *legitimi*; cum communi. Ratio est: quia ejusmodi homo est in possessione sui honoris, donec probetur contrarium, & hinc cum aliis legitimis potest paternam hæreditatem percipere. quòd si verò peteret, atque prætenderet hæreditatem à cæteris jam aditam, legitimitatem, ceu fundamentum suæ intentionis, probare deberet: quia alii fratres essent in certa possessione, ipseque non reus, sed actor: in dubiis autem reo potiùs favendum est, quàm actori. vide cit.

41 De expositis infantibus non ita consentiunt DD. nam una sententia, quam etiam amplectitur Paulus Mezger de Consc. dub. a. 4. §. 2. n. 14. tenet, hos esse habendos pro illegitimis, atque adeò non posse citra dispensationem ad Ordines promoveri. Ratio est: quia filii legitimi non ita solent exponi, sed plerumque illegitimi. quare ex communiter contingentibus oritur præsumptio illegitimitatis illorum. Altera sententia, quam tuentur Bardi discept. 6. cap. 7. §. 11. Tambur. loc. cit. aliique gravissimi Doctores, judicat, expositos esse habendos pro legitimis. Ratio potissimùm est: quia esse illegitimum est quædam infamia facti, eaque non levis non modò in prolem, sed etiam in parentes redundans. infamia autem, cùm præsupponat delictum, non præsumitur. immò potiùs in dubio præsumi debet, quod honestius est, sicut declarat Bald. apud Castropal. num. 1. & hæc præsumptio censenda est efficacior, quàm illa, quæ contra expositos sumitur ex communiter contingentibus. Existimo, hanc sententiam esse probabiliorem.

42 Corollarium II. Quando quis dubitat, sive dubio juris, an sit irregularis (id est, an in aliquo casu, quem incurrit, lege quapiam decreta sit irregularitas?) sive dubio facti (id est, an commiserit ejusmodi delictum, contra quod constet statutum esse irregularitatem?) non est judicandus irregularis, præterquàm in dubio voluntariè & injustè perpetrati homicidii. Sanchez. 1. in Decal. c. 5. n. 39. Tambur. loc. cit. verbo, *censura*. & alii. Ratio primæ partis est: quia nemo censendus est obligari ad pœnam legis non sufficienter promulgatæ: atqui in dubio juris & legis lex non est sufficienter promulgata; ergo. Ratio secundæ & tertiæ partis est: quia nemo censendus est irregularis, præterquàm in casibus à jure expressis: cùm enim irregularitas sit odiosa, non debet extendi ulteriùs, quàm jura expressè loquuntur. Atqui, ut quis in dubio facti censendus sit irregularis, de solo homicidio expressum est; ergo in hoc solo, & non in aliis casibus dubiis quis est censendus irregularis. Videatur Bardi discept. & cap. cit. §. 2. & 3.

Corollarium III. Filius, qui certus 43
est, suos parentes versari in extrema, vel etiam gravi necessitate, non potest ingredi Religionem. Ratio est: quia tenetur parentibus ex certa lege pietatis succurrere. Quòdsi dubitet, an sit tanta parentum necessitas? nec possit adhibita sufficienti diligentia dubium vincere, potest, si lubet, ingredi Religionem. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 20. num. 6. Tambur. loc. cit. verbis: *filii obligatio erga parentes*. Bossius §. 47. num. 1738. Ratio est: quia ejus libertas est certa, & in possessione; dubia verò obligatio succurrendi parentibus. Cæterùm, si talis vovisset ingressum Religionis, etiam teneretur ingredi in ejusmodi dubio: quia voti obligatio esset certa, & in possessione, exemptio ab illa incerta.

Corollarium IV. Qui videt, vel audit 44
suum proximum graviter peccantem; v. g. graviter detrahentem, & dubitat invincibiliter, an, si eum corrigat, quidpiam sit profecturus? non tenetur corrigere. Ratio est: quia, ut lex charitatis obliget ad correctionem proximi, debet adesse inter alias conditiones probabilis spes emendationis. nam ista est finis fraternæ correptionis. atqui, ubi desperatur consecutio finis, imprudenter adhibentur media. unde, qui dubitat de fructu correctionis, dubitat de ipsa obligatione corrigendi; adeòque manet in possessione suæ libertatis.

Cæterúm conditiones (ut de his obi- 45
ter nunc dicamus) quibus positis graviter obligat præceptum fraternæ correctionis, sunt

sunt sequentes : Prima est, ut peccatum proximi sit mortale, vel etiam graviter periculosum. Secunda, ut de hoc sis moraliter certus. procurare tamen inquirendo non teneris certitudinem, nisi fortè sis Superior. Tertia est, ut nemo alius adsit æquè, vel magis idoneus, ac tu, qui correcturus existimetur. Quarta, ut affulgeat probabilis spes, quod correctio sit profutura; sicut jam diximus. Quinta, ut locus, tempus? & occasio ad corrigendum sint opportuna. Sexta; ut tibi, vel proximo, quem vis corripere, inde non magnum, vel majus malum immineat. Quòd si vel unica ex his conditionibus deficiat, præceptum fraternæ correptionis non obligat. Lege Bonac. disp. 3. q. 4. de Charit. pu. 7. Laym. lib. 2. tract. 3. c. 7. n. 2.

46 Corollarium V. Quando dubitas, omnibus diligenter pensatis, an Novitius tui Monasterii sit dignus, ut expleto jam novitiatu admittatur ad professionem, atque adeò, an possis pro eo ferre suffragium, an non? non potes ferre suffragium, quo similem Novitium positivè reprobes, ne admittatur ad professionem. Bardi cap. 9. §. 38. Tambur. ubi suprà, verbo *Novitius*. Ratio est: quia tale suffragium continet mendacium graviter perniciosum Novitio: ergo id ferre non potes. Conseq. patet. Ant. prob. quia supponitur, te non habere in mente hoc judicium, *hic Novitius est indignus, ut emittat professionem*: ergo, dum rogatus sententiam à Superiore pronuntias hoc judicium, contra mentem pronuntias: atqui, dum fers suffragium positivè reprobativum Novitii, in effectu & re ipsa pronuntias illud judicium. Quid enim est prolatô hujusmodi suffragiô reprobare Novitium, quàm apertè judicare, vel testificari, in ipso reperiri defectum, vel impedimentum, ratione cujus sit inidoneus, vel indignus? ergo tale suffragium continet mendacium, & quidem graviter perniciosum Novitio, gravisque damni, quantum in se est, illativum.

Confirmatur. Graviter peccat, qui hominem sine justa causa retrahit vel ab ingressu, vel à professione Religionis: ergo etiam graviter, imò gravius peccat, qui absque justa causa Novitium per suam sententiam à professione rejicit: quiá illum non tantùm retrahit à consecutione tanti boni, sed etiam, quantum in se est, positivè repellit.

47 Contrarium sentit Caramuel in nostram S. Regul. cap. 60. num. 470. concl. 18. idque probat hac ratione: Major est obligatio Religiosi, cujus est ferre suffragium in Capitulo, erga suam Religionem, quàm erga similem Novitium: ergo bonum suæ Religionis præferre tenetur bono Novitii. Sed quando Novitium in prædicto dubio non reprobat suo suffragio, huic obligationi non satisfacit: quia totam communitatem Religiosam relinquit in periculo retinendi personam inhabilem; & Religioni gravem: Ergo in eo dubio tenetur reprobare Novitium.

Addi potest ex Thoma Sanchez. Novitius citra grave peccatum ex Religione egredi potest, licèt supponatur non habere justam causam egrediendi: Ergo similiter Religiosi suffragatores Novitium per sua vota possunt ex Religione dimittere, esto, non habeant justam causam id faciendi. Ant. est certum. conseq. prob. quia Religio non est magis obligata ad retinendum Novitium, quàm Novitius ad remanendum in Religione. est enim utrimque par libertas: & ideo instituitur Novitiatus, ut pars utraque probet & probetur.

Respondeo ad primum dist. Ant. major est obligatio erga Religionem, quàm erga illum Novitium, cæteris paribus, & quando res est omnino integra, conc. si cætera non sint paria, neg. atqui in casu nostro res ita se habet: Novitius enim hoc ipso, quòd fuerit admissus in Novitiatum, eumque peregerit, jus acquisivit, ut promoveatur ad professionem, si eam velit emittere, vel nisi inveniatur in ipso defectus, qui hanc promotionem impediat: ejusmodi verò defectum probare incumbit Religioni: quem si non probaverit, non poterit absque injustitia Novitium à professione repellere, sed ad summum illius faciendæ tempus differre, donec professuri habilitas melius innotescat.

Ad alterum conc. Ant. neg. conseq. cum sua probat. quia Novitius, ut diximus, acquisivit jus permanendi & professionem faciendi in Religione, quo spoliari non potest propter exceptiones dubias de sua habilitate. unde Religio ad ipsum retinendum est obligata. Novitius tamen non est obligatus, ut permaneat: quia Religioni nullum competit jus ad eum retinendum. ex quo vides, conditionem libertatis non esse utrimque parem.

Objicies contra priùs dicta decretum 48
Concilii Trident. sess. 25. cap. 16. de Regularibus præcipientis Superioribus, & peracto Novitiatu admittant ad professionem Novitios, qui habiles inveniuntur, aut è Monasterio ejiciant. Ergo in casu, quem hìc versamus, non potest professio differri; cùm per ejus dilationem Novitius neque admittatur

mittatur ad professionem, neque ejiciatur ex Monasterio.

Confirmatur. Religio meritò ad Novitiatum non admittit, sed repellit candidatum, de quo est dubium, an sit dignus, ut admittatur, vel non? Ergo etiam meritò ac justè à professione repellit Novitium, de quo est dubium, an sit dignus, ut profiteatur, vel non sit dignus?

Respondeo ad Object. neg. conseq. quia illud decretum intelligendum est cum implicita exceptione, nisi occurrerit rationabilis causa differendi professionem; qualis esset infirmitas ipsius Novitii, vel si idem in probatione minùs satisfeciisset &c. veluti docet Bardi ex declaratione Sacræ Congregationis relata à Rodriquez in quæst. Regul. tomo 3. qu. 17. a. 10.

In Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd ejusmodi candidatus nullum habeat jus; ut admittatur, sicut tamen Religio habet jus neminem admittendi in Novitiatum, qui non sit positivè dignus, ut admittatur: talis autem non est positivè dignus, esto, non debeat judicari indignus, donec probetur. Atqui Novitius in nostro casu habet jus, ut promoveatur ad professionem.

49 Itaque Religiosus in ejusmodi dubio, ne temerè procedat, tenetur, antequam ferat suffragium, diligenter investigare conditiones & qualitates Novitii, quæ sunt materia, de qua ferendum est suffragium, ac interim suspendere sententiam. Quòd si tempus illam investigationem fortè non permittat, debet sub dubio suum sensum sive scripto, sive voce viva candidè & sincerè manifestare. Bardi cit.

Corollarium VI. Qui dubitat, an peccatum, quod commisit, sit reservatum? non tenetur existimare, se incurrisse casum reservatum; vel, ut ab illo absolvatur, adire Superiorem. Paulus Mezger de Consc. dub. disp. 12. a. 4. §. 2. n. 17. & alii. Ratio est: quia reservatio, cùm sit odiosa, non debet extendi ad casus dubios, sed solùm ad certos: & aliunde factum non præsumitur, sed probari debet. Confessarius quoque adhibita morali diligentia adhuc dubitans, an casus aliquis sit reservatus? ab illo potest absolvere: quia ob fundamenta primùm posita potest prudenter præsumere, non esse casum reservatum. Quòd si verò dubitet, an habeat legitimam jurisdictionem? non potest absolvere. Rassler in tract. de Pœnit. cap. 6. §. 15. Ratio est, tum, quia est gravis irreverentia Sacramentum administrare cum manifesto periculo invaliditatis: atqui sic dubitans administraret cum tali periculo; cùm nullum & invalidum sit Sacramentum Pœnitentiæ collatum à non habente jurisdictionem. tum, quia lex prohibens, ne impertiatur absolutio à non habente jurisdictionem, est certa, & in possessione.

DISPUTATIO IV.

De Conscientia Probabili.

Hujus disputationis utramque paginam faciet licitus usus probabilitatis, & sententiæ probabilis. quod argumentum rectè tractare, ut longe difficillimum, ita & summi momenti est. Nos quidem in eo nec planè parci, nec multùm amplius versabimur: quia jam pridem viri complures sapientissimi hanc difficultatem universam ita præclarè, copioseque discusserunt, ut aliquid ultra dicere ferè sit actum agere.

ARTICULUS I.

De essentia probabilitatis, & sententiæ probabilis.

ANtequàm ad nostrum institutum veniamus, statuere oportet genuinum, atque legitimum conceptum seu definitionem cùm probabilitatis, tum sententiæ probabilis. nam dici non potest, quanta hujus ad omnia, quæ dicemus, sit futura necessitas. Itaque sit

§. I.

Quid, & quotuplex sit Probabilitas?

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

SUMMARIUM.

1. Probabile *quid nominis?* 2. *Quot modis veritas apparere possit intellectui?* 3. *Definitio Probabilitatis* 4. *& improbabilitatis.* 5. *Divisio Probabilitatis in intrinsecam & extrinsecam, quid sit extrinseca?* 6. *Quid intrinseca?* 7. *Quid sit Probabilioritas?*

HOc nomen *Probabile*, veluti notat E. 1
sparza apud Thyrsum Gonzalez de

Conſc. prob. differt. 1. §. 4. n. 17. idem ſonat, quod *approbabile*, ſive dignum, ut approbetur, ſeu commendetur. Et ideò apud veteres probabile dictum idem erat, ac dignum commendatione, ſive commendabile. Quapropter ad rem noſtram *Probabilitas* nihil eſt aliud, quàm paſſiva approbabilitas, ſeu meritum ac dignitas, qua aliquid meretur, & conſtituitur dignum, ut approbetur & commendetur: ſicut amabilitas, ſeu bonitas eſt ratio formalis, qua res quæpiam conſtituitur amabilis, vel digna, ut ametur. Ex quo ſequitur, Probabilitatem alicujus ſententiæ eſſe formaliter id, ratione cujus eſt digna, ut ab intellectu approbetur, veraque eſſe cenſeatur. Quæ res ut amplius declaretur,

2 Notandum eſt ex Terillo in tract. de Conſc. prob. q. 2. n. 13. omne verum, quod apprehenditur & apparet in intellectu, ſtimulare atque allicere cognoſcentem ad præſtandum aſſenſum. Porrò apparentia veri alia eſt evidens, alia inevidens. Evidens excludit omnem apparentiam de veritate oppoſiti, & rapit intellectum neceſſariò ad aſſenſum. Inevidens non excludit omnem apparentiam de veritate oppoſiti; & ideo non neceſſitat ad aſſenſum, ſed relinquit intellectum, ut aſſentiatur, determinabilem à libero imperio voluntatis. Rurſus, apparentia veri inevidens alia fallibilis, alia eſt infallibilis. Infallibilis non poteſt non eſſe connexa cum veritate. Apparentia veri fallibilis poteſt non eſſe connexa cum veritate, & eſt duplex; ſcilicet illa, quæ ſæpius connectitur cum veritate, quàm cum falſitate: & alia, quæ ſæpius connectitur cum falſitate, quàm cum veritate. Evidens apparentia veri conſtituit motivum ſcientificum, cui intellectus non poteſt diſſentire. Apparentia inevidens, & ſimul infallibilis conſtituit motivum fidei Theologiæ. huic motivo poteſt intellectus abſolutè diſſentire; ſed non absque nota imprudentiæ. Apparentia fallibilis, quæ ſæpius connectitur cum veritate, quàm cum falſitate, conſtituit motivum probabile, id eſt, dignum, cui intellectus aſſentiatur; ſive tale, cui poſſit prudenter aſſentiri, ita tamen, ut etiam de veritate oppoſiti poſſit prudenter formidare, omnemque aſſenſum ſuſpendere. Demum apparentia fallibilis, quæ ſæpius connectitur cum falſitate, quàm cum veritate, conſtituit motivum improbabile, id eſt, indignum, cui intellectus aſſentiatur, ſive tale, cui non poſſit, niſi imprudenter, aſſentiri, eò quòd nulla in hac apparentia affulgeat ſpes rationabilis aſſequendi veritatem, quæ eſt finis ipſius. Ex quibus jam

3 Dico primo. Probabilitas ut ſic eſt *Apparentia veri fallibilis ob ſuam magnitudinem apta ad fundandum prudentem aſſenſum.* Hæc definitio videtur manifeſtè bona debitè, quæ primùm diximus, meditanti; nec differt quoad ſenſum ab illa prolixiore Terilli, ubi ſuprà, Aſſert. 10. Probabilitas, inquit, eſt apparentia veri fallibilis adeò magna, ut illa digna ſit aſſenſu: ſeu, ut, qui abſolutè aſſentitur, ut prudens meritò laudari, nullatenùs tanquam temerarius & imprudens reprehendi poſſit. Hæc deſcriptio nobis vel ideò eſt utilis, quòd ſit ampljor noſtræ definitionis explicatio.

Definitur itaque Probabilitas à poſteri- 4
ori ceu cauſa per effectum præcipuum, nempe aſſenſum prudentem, quem propter frequentiorem connexionem cum veritate, quàm cum falſitate apta eſt parere in intellectu. Et hinc à contrario colligitur, quid ſit improbabilitas: videlicet *Apparentia veri fallibilis, ob ſuam exilitatem non apta ad fundandum prudentem aſſenſum.* Provenit hæc exilitas à frequentiori connexione cum falſitate, quàm cum veritate. inde enim fit, ut intellectus tali apparentiæ non poſſit prudenter fidere: cùm eandem ſequens facillimè aberret à ſuo fine, qui eſt veritas; immò ſæpius amplectatur falſum, quàm verum.

Dico ſecundo. Probabilitas dividitur 5
in intrinſecam, & extrinſecam. Ita omnes. Declaratur. Probabilitas extrinſeca, ſive authentica, illa dicitur, quæ fundatur in authoritate dicentis aliquid: & poteſt definiri, quòd ſit *Apparentia veri tam magna, fundata præciſè in fallibili authoritate dicentis, ut poſſit generare prudentem aſſenſum.* Cæterùm omnis authoritas duplicem includit veracitatem, quarum una eſt veracitas in cognoſcendo; altera veracitas in loquendo. prima conſiſtit in ſufficienti cognitione rerum, ex qua quis præſumitur non falli, vel errare in judicando. Secunda eſt ſyncera ingenuitas perſonæ loquentis in conformando dicta conceptibus, ne fallat mentiendo. utralibet iſtarum veracitatem deficiente tollitur authoritas ad perſuadendum rationabilem aſſenſum ſufficiens. patet hoc: nam nemo prudenter aſſentitur Dæmoni: quia non eſt verax in loquendo, quamvis ſit verax in cognoſcendo. Similiter non ſolemus adhibere fidem homini, quantumcunque probo, circa rem, cujus eſt ignarus, aut imperitus; quia non eſt verax in cognoſcendo, quamvis ſit verax in loquendo. & ideò non niſi hominibus probis & ſimul peritis prudenter credimus & aſſentimur.

Probabilitas intrinſeca eſt omnis illa, 6
quæ habetur independenter ab authoritate loquentis: & ideo definiri poteſt *fallibilis Apparentia veri ab authoritate loquentis independens, adeò magna, ut ſit apta ad fundandum prudentem aſſenſum.* Loci ac fontes,

fontes, ex quibus hauriri potest hæc Probabilitas, sunt, primo lex, ejusque explicatio, & concordia circa legem. Secundo, consuetudo, quæ est legis interpres, & vim legis ipsa obtinet. Tertio, titulus possessionis, de quo in disp. proximè præced. Quarto, necessitas. hæc enim, cùm legem non habeat, multa alioquin illicita reddere solet licita. Quinto, effectus, damna, absurda, quæ vel sequuntur, vel secutura rationabiliter videntur ad aliquam operationem. Sexto, finis, natura, proprietates alicujus objecti. Ita Paulus Mezger hic a. 2. §. 1. n. 1. & alii apud ipsum.

7 Ex dictis jam facilè deducitur, quid sit Probabilioritas, ut vocant, sive major probabilitas & quid minor. cum enim Probabilitas consistat in apparentia veritatis; quantò major, vel minor est hæc apparentia, tantò major, vel minor est Probabilitas. Illa proinde apparentia est probabilitas major, quæ plures peritos ac probos irreprehensibiliter, & ut viros doctos, probosque decet, judicantes allicit ad assensum. minor est, quæ pauciores ejusmodi viros allicit ad assensum. Quando vero duæ apparentiæ æqualiter multos alliciunt, ad assensum, constituunt probabilitates æquales: quia ex perfectione, & magnitudine effectûs præcipui, qui in præsenti est assensus causatus in intellectu prudentium, rectè colligitur perfectio & magnitudo causæ, ita, ut majoritas effectûs arguat majoritatem, minoritas minoritatem; æqualitas æqualitatem causæ, quæ hîc est Probabilitas.

§. II.

Quid, & quotuplex sit Sententia Probabilis?

SUMMARIUM.

8. *Definitio, conditiones, & proprietates sententiæ probabilis.* 9. 10. *Divisiones opinionis probabilis.* 11. *An duæ opiniones contradictoriæ possunt esse simul probabiles.* 12. *Notatur doctrina Caramuelis.* 13. *Sententia probabilis fieri potest improbabilis, & econtra.* 14. *Non omnis opinio speculative probabilis est etiam practicè probabilis.* 15. *Opinio directè non probabilis fieri potest probabilis indirectè.* 16. *Non omnis opinio probabilis quoad se, est probabilis quoad nos, & neque econtra.* 17. *Contra contradictorium alicui certum non potest reddi probabile alterum contradictorium.*

8 Dico primo Sententia probabilis rectè definitur; *Judicium fallibile qui-dem, sed rationabili motivo innixum.* Dicitur *judicium fallibile*: quod est genus in hac definitione; judicium quidem, ne confundatur cum dubio proprie dicto: fallibile, id est, opinativum, & includens formidinem oppositi, ut discernatur ab assensu scientifico, & fidei Divinæ. Dicitur *rationabili motivo innixum*: quæ particulæ sunt ultima differentiâ, quâ definitum differt ab oppositâ specie, videlicet opinione improbabili: Nomine porrò motivi rationabilis illud intelligitur, quod à prudentibus citra passionem & affectum judicantibus existimatur dignum assensu, ita, ut, qui illi præbet assensum, meritò laudari ceu prudens; neutiquam verò velut imprudens reprehendi possit. tale motivum formaliter habetur per quamlibet veram & certam probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, de quibus in priori §. Ex his.

Sequitur jam primò, motivum, quo nititur opinio probabilis, debere esse positivum, & non sufficere, ut sit probabilis, negationem fundamenti in oppositum. Nam nemo prudenter assentitur objecto hujus propositionis: *Sidera sunt partia*, licèt non habeat motivum dissentiendi.

Sequitur secundo, motivum sententiæ probabilis debere esse magnum & rationabile non solùm absolutè, sive secundùm se, sed etiam comparativè ad motiva faventia parti oppositæ, ita ut ab his non enervetur ejus efficacia, & vis trahendi ad assensum: quo modo enervari & elidi solent motiva cujuslibet hæresis comparata cum motivis fidei Catholicæ. Atque hinc

Sequitur tertiò, nullam opinionem esse probabilem, quæ repugnat vel S. Scripturæ, vel traditionibus Ecclesiæ, ejusque definitionibus: quia nemo, nisi temerè, opinari potest contrarium ejus, quod comprobat authoritas tam infallibilis.

Sequitur quarto, nullam sententiam esse probabilem, cujus contradictoria est certa, sive certitudine Metaphysica, sive Physica, sive morali. Ratio est: quia certitudo etiam moralis (nam de Physica & Metaphysica res est evidens) in aliqua sententia reperta ita evertit motiva contradictoriæ, ut eis intellectus non possit prudenter assentiri. nititur enim rationibus adeo solidis ac efficacibus, estque conjuncta cum solutione argumentorum in contrarium tam clara & robusta, ut omnem de hujus veritate rationabilem formidinem excludat. Lege de his omnibus Terillum Assert. 10. num. 41. Joan. de Carden. in Crisi Theol. tom. 1.

ttact. 1. disp. 1. item disp. 15. n. 371. & alibi. Illsung Theolog. pract. tr. 1. disp. 1. a. 6. §. 1.

9 Dico secundo. Opinio probabilis dividitur in intrinsecè, & extrinsecè; in speculativè, & practicè; in directè, & indirectè probabilem: item in probabilem quoad se, & probabilem quoad nos: & hæc demum in certò, & probabiliter probabilem. Opinio intrinsecè probabilis est, quæ nititur rationabili motivo independenter ab authoritate loquentis. extrinsecè probabilis est, quæ pro suo motivo habet authoritatem loquentis. speculativè probabilis est, quæ nititur motiuo alicujus momenti de veritate objecti secundùm substantiam, & absque omnibus circumstantiis, vel particulari exercitio spectati. practicè probabilis est, quæ habet rationabile motivum pro honestate actûs consideratis omnibus circumstantiis hîc & nunc exercendi. opinio directè probabilis illa dicitur, cujus probabilitas fundatur in ipsa natura objecti. hoc modo probabile est, inspectâ naturâ pictorii artefacti, pingere non esse opus servile. indirectè, sive reflexè probabilis est, cujus probabilitas vel sumitur ex probabilitate directa, vel ex argumentis in natura rei non fundatis, & aliunde accersitis: ita, qui ex illo fundamento quòd opus pingendi probabiliter non sit servile judicat esse probabile, quòd liceat pingere die festo, habet opinionem reflexè probabilem; quia ejus probabilitas oritur ex illa priore tanquam objecto, supra quod reflectit. Similiter subditus, cui directè probabile est, bellum esse justum, atque ad illud vocatus à principe judicat, sibi bellare esse licitum ex illo principio, quòd in incertis tutum sit obedire superiori, habet novam probabilitatem, eamque reflexam; licet fortè dicatur meliùs indirecta; cùm non fundetur in directa, sed in circumstantia extrinsecùs illi adjecta.

10 Opinio probabilis quoad se est, quæ verè, & à parte rei habet motiva ad rationabilem assensum sufficientia. Probabilitas quoad nos est, quæ talia motiva habet in intellectu assentientis. Jam verò probabilitas opinionis vel nobis est certa, ita ut non dubitemus, aut formidemus de illa; vel est nobis solùm probabilis, sive solúm innotescit probabiliter? si prius; opinio est certò probabilis: si posterius; est solùm probabiliter probabilis. Huc referri potest opinio dubiè probabilis, estque illa, de cujus probabilitate sapientes dubitant, sive de cujus probabilitate meritò dubitatur. Opinio hoc modo probabilis nil differt ab opinione tenuiter probabili: quamvis nonnulli, contra quos agit Cardenas in Crisi Theolog. dissert. 4. istam confundant cum opinione probabiliter probabili.

De cætero sicut efficacia motivorum habet alios & alios gradus, ita & opinio probabilis in ratione probabili. in supremo gradu constituitur opinio probabilissima, sive probabiliter certa. hujus motiva tantæ sunt efficaciæ, ut sententiam ei oppositam relinquant probabiliter solùm, vel omnino dubiè probabilem. Sequitur opinio probabilior, quæ nititur motivis efficacioribus: quæ & ipsa possunt esse in majori, vel minori excessu efficaciæ. Quòd si motiva duarum opinionum utrimque sint æqualiter efficacia, opiniones sunt æquè probabiles: si magis & minùs efficacia, una est magis, altera minùs probabilis. Opinio probabiliter probabilis obtinet infimum gradum probabilitatis (nam dubiè, sive tenuiter probabilis vix meretur nomen probabilis) hæc enim ob motivorum, quibus nititur, exilitatem, à pluribus judicari solet improbabilis, licèt aliqui ob motivum non leve sive rationis, sive authoritatis eam censeant esse probabilem.

Allatis divisionibus jungi potest divisio opinionis in positivè, & negativè probabilem. positivè probabilis est, quam concl. 1. definivimus. negativè, vel, si mavis, præcisivè probabilis est, quæ non habet motivum suadens assensum, sed abstrahit tam à motivo, quàm ab ejus carentia. talis est, *Turca dormit*: hæc enim in meo intellectu ita potest apparere, ut neque cogitem, illam habere motivum pro somno Turcæ, neque carentiam motivi. Ut magis declarentur, quæ hactenùs diximus, habe ulteriùs

Notabile I. Possunt duæ contradictoriæ esse simul probabiles etiam eidem intellectui. Patet hoc in omnibus ferè sententiis celebrioribus contradictoriè oppositis, quarum quælibet nititur motivis tam magnis, ut etiam collata cum motivis partis oppositæ sint digna rationabili assensu: & ideo vir doctus, pensatis utrimque talibus motivis, sæpissimè judicat, utramque sententiam esse probabilem; ergo in ipsius intellectu ambæ contradictoriæ sunt simul probabiles. 11

Inde tamen non sequitur, quod docuit Caramuel, quando una propositio est probabilis, ejus quoque contradictoriam debere esse positivè probabilem. Nam propositionem esse positivè probabilem est illam niti fundamento gravi: atqui, quòd una nitatur fundamento gravi, non infert, ejus quoque contradictoriam niti fundamento gravi. 12

sicut

Sicut enim nulla est connexio inter esse & non esse ejusdem, ita nulla est connexio inter motivum suadens rem esse, quod habet una, & inter motivum suadens rem non esse, quod habet altera contradictoria: ergo sicut non sequitur, *res est; ergo non est*; ita non sequitur, *datur motivum suadens, rem esse; ergo etiam datur motivum suadens, rem non esse.*

Et sanè probabilitatem unius extremi non arguere probabilitatem positivam oppositi, posset ostendi multis exemplis. Sufficiant duo. Sit uxor dubitans de morte mariti, & superveniat testis fide dignus, qui asseveret, ejus maritum occubuisse in prælio v. g. in hoc casu mulier habet fundamentum grave, & opinionem probabilem de morte viri; at non habet fundamentum ullum, nec consequenter opinionem probabilem de vita illius. Rursus. Si dubitet quispiam, an aliquod peccatum commiserit? eique occurrat ratio gravis, quòd non commiserit, & solùm levissima, seu potiùs scrupulus, quòd commiserit, talis habet opinionem probabilem, quòd non peccaverit, & non habet opinionem probabilem, quòd peccaverit.

13 Notabile II. Sententia semel probabilis fieri potest improbabilis. Sic olim erat probabile, absolutionem Sacramentalem collatam absenti & validam esse, & quandoque licitam: at modò post declarationem Clementis VIII. ea opinio penitus evasit improbabilis. Aliæ plures ejusmodi opiniones, ut habet Terillus q. 5. assert. 9. quondam probabiles de contractibus, modoque ineundi matrimonium hodie post novas Conciliorum atque Pontificum declarationes, aut argumenta de novo inventa carent omni probabilitate. Similiter ob motiva magni momenti, quæ antè latebant, à viris doctis delecta potest contingere, ut opinio priùs improbabilis reddatur probabilis. Eadem ratione per motiva nova prioribus superaddita sententia minùs probabilis evadit probabilior, & ob unum, vel alterum motivum de falsitate convictum probabilior fit minùs probabilis.

14 Notabile III. Dantur opiniones speculativè probabiles, quæ sunt practicè improbabiles. Nam inprimis est speculativè probabile, tactus quosdam præcisè exercitos propter delectationem, quæ ex primarum qualitatum temperamento resultat in corporibus animatis ejusdem speciei, & alterius sexûs, esse ejusdem rationis cum illis, qui in aliis corporibus inanimatis exercentur; adeoque non esse tactus libidinosos, nec graviter peccaminosos: id tamen non est probabile practicè; quia moraliter est impossibile, ejusmodi tactus exerceri sine proximo periculo delectationis libidinosæ. Deinde (ut plura omittam) est speculativè probabile, Sacramentum Baptismi confici in aqua ex sale resoluta: at non practicè; quia nullum datur rationabile motivum, quod suadeat, extra casum necessitatis ejusmodi materiam incertam, relictâ certâ, ad conficiendum hic & nunc Baptismum honestè applicari posse.

15 Notabile IV. Opinio, quæ per motiva directa non est probabilis, non rarò fit probabilis indirectè, sive per motiva indirecta. Ostenditur: Titius bona fide possidens prædium v. g. movente litem Cajo dubitat, an illud sit suum, vel non? adhibet omnem diligentiam, ut inveniat rationem probabilem, qua possit jus suum tueri? at nihil occurrit. Cajus quoque nihil probabile adducit. Quis jam dicat, esse directè probabile Titio, quòd prædium sit suum? at nihilominùs idipsum ex titulo legitimæ possessionis (qui est motivum indirectum) fit ei probabile. Ulteriùs contingit sæpissime, ut opinio directè probabilis evadat ob motiva reflexa multò probabilior. Sic in exemplo, si cuipiam consideratæ rei natura sit probabile, quòd pingere die festo sit licitum, multùm cresceret ea probabilitas, quando reflectens super illam sibi persuadet, unicuique esse licitum agere, quod prudenter credit esse licitum; vel, si cogitet, legem vetantem pingere die festo non esse sufficienter promulgatam &c.

16 Notabile V. Dantur opiniones probabiles quoad se, quæ sæpe non sunt probabiles quoad nos. Nam sæpe dantur revera motiva gravia, & ad fundandum prudentem assensum sufficientia, quæ tamen non omni intellectui, prout sunt, innotescunt: sed hoc est opinionem esse probabilem quoad se, & non esse probabilem quoad nos, id est, quoad illos, quos ea motiva latent: ergo dantur opiniones probabiles quoad se, quæ sæpe non sunt probabiles quoad nos. Similiter dantur opiniones quoad se non probabiles, sed solùm probabiles quoad nos. Hoc patet in hæreticis materialibus. Nam isti ob authoritatem & rationes hæresi faventes, quas solas accepefunt à suis majoribus, prudenter & inculpatè credunt, vera esse tradita sibi dogmata, & consequenter quoad illos sunt probabilia: cum tamen re ipsa sint improbabilissimi errores, quorum motiva collata cum motivis fidei Catholicæ omnem statim veritatis apparentiam amittunt.

17 Notabile VI. Ut opinio quæpiam fiat alicui probabilis, non sufficit, eam probari argumentis ex se validis, eique insolubilibus, quando aliunde est certus de veritate contradictorii. Ita in Philosophicis argumenta Zenonis,

nis, quibûs probat, non dari motum localem, sunt planè difficilia, multique ad ea respondere non possunt; nihilominùs nunquam efficient, ut alicui videatur probabile, non dari motum localem: quia hunc existere demonstrat concors, & certa experientia sensuum exteriorum. Similiter nemo efficiet, ut vel rusticus, si sit verè Catholicus, & infide probè instructus, credat probabiliter, non dari Purgatorium; licèt afferat rationes difficiles & rustico insolubiles; quia hic propter magnitudinem motivorum suæ fidei de existentia Purgatorij est certissimus. Neque obest huic certitudini, quòd nequeat solvere argumenta contraria; potest enim prudenter existimare, ea solvi posse ab aliis, saltem à doctis, quamvis ipse non possit solvere.

§. III.

An authoritas unici Doctoris possit constituere sententiam probabilem?

SUMMARIUM.

18. *Damnatæ cujusdam propositi. circa præsentem quæstionem laxitas.* 19. *Quinam Author sit omni exceptione major?* 20. *Statuitur nostra sententia, & probatur primo à priori.* 21. *Secundo ad hominem.* 22 23. *Solvuntur objectiones.* 24. *Aliquot Corollaria.*

18 HÆc propositio, *si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem*, hæc, inquam, est 27. inter damnatas anno 1665. ab Alexandro VII. & quidem meritò: tum, quia, ut jacet in his terminis, ostium pandit innumeris laxitatibus & morum corruptelis; ut nemo, qui sapit, non videt: tum, quia imprudentissimum est, moderni Authoris placitum tamdiu censere probabile, etiam reclamantibus cæteris penè omnibus doctis ac probis, quamdiu non damnatur à Sede Apostolica: cùm aliàs hæresis quoque, v. g. Jansseniana, eò quòd legeretur in libris Jansenii, fuisset probabilis usque ad suam condemnationem, qua illam Innocentius X. proscripsit. Sed conseq. est falsum; ergo.

19 Ante decisionem Quæst. adverto ex Ioan. Cardenas, Authorem omni exceptione majorem esse illum, contra cujus authoritatem nulla fieri potest exceptio; sive, cui nihil obiici potest, quo ejus authoritas elevetur, aut minuatur. Porrò exceptiones omnes authoritatem alicujus Doctoris infirmantes ad quatuor capita possunt reduci. Primum est, certitudo sententiæ illi, quam docet, contradictoriæ: quia, quoties una propositio est certò vera saltem moraliter, ejus opposita est certò falsa. Unde frustra contra certitudinem nititur omnis authoritas, ut ejusmodi propositionem constituat probabilem. Secundum est levitas, vel omnino nullitas fundamenti, quo nititur opinio asserta. Nam eatenùs Doctor sua authoritate tribuit sententiæ extrinsecam probabilitatem, quatenùs præsumitur habere grave motivum ad eam tradendam: atqui, dum constat, ejus fundamentum esse leve, vel nullum comparativè ad motiva partis oppositæ, non subsistit illa præsumptio: quia eliditur per notitiam de contrario; ergo. Tertium est fama, sive experientia certa, qua constat, Authorem docuisse improbabilia. Tali enim viro non prudenter fiditur: cùm meritò timere quis possit, ne, dum legit, vel audit illius sententias, incidat in aliquam improbabilem. Unde authoritas, quæ hanc exceptionem patitur, est infirma, & ad tribuendam probabilitatem insufficiens. Quartum est omissio accuratæ diligentiæ in examinandis rationibus & fundamentis utriusque partis. Et ideo, qui omissa hac diligentia docent, prout solent meri Summistæ, aut Compilatores, aut alii, qui purè transcribunt à cæteris Authoribus tradita, per se non faciunt opinionem probabilem, cùm enim de suo nihil afferant, solumque nitantur authoritate aliorum, tota probabilitas non ab ipsis, sed à Doctoribus, è quorum libris suam doctrinam sumunt, in sententias refunditur. His positis,

Dico. Unicus Author omni exceptione 20
major potest sua authoritate sententiam reddere probabilem, etiam contra communem oppositam. Ita Cardenas cit. Illsung, & alii plurimi ab ipsis relati.

Probatur primo. Opinio, quam docet unicus Author omni exceptione major, rationabili fundamento nititur: ergo est sententia probabilis: ergo unus Author facit sententiam probabilem. Utraque conseq. patet. Ant. prob. quia talis opinio nititur illo motivo, quo Author est motus, ut eam doceret: sed hoc est motivum rationabile; quia erat dignum, ut ei præstaret assensum vir doctus, probus, & omni exceptione priùs allatâ major, uti supponitur; ergo nititur motivo rationabili.

Confirmatur. Impossibile est, ut motivum, quo movetur ad docendam opinionem quampiam Doctor omni exceptione major, non sit rationabile & magnum tam absolutè, quàm relativè: ergo est impossibile talem opinionem non esse probabilem. Conseq. constat. Ant. colligitur ex dictis: quia aliàs esset, & non esset Doctor omni exceptione major. Esset, ut supponitur; non esset; quia pateretur exceptionem secundam ex illis quatuor à nobis adductis.

Proba-

Probatur secundo ad hominem contra
21 Authores sententiæ rigidæ, de qua inferiùs. Certum est, sententiam benignam, sive eam, quæ asserit, usum opinionis minùs probabilis in concursu probabilioris esse licitum, antehac fuisse communem; immò hodieque esse communem dubitari non potest. Certum est insuper, sententiam rigidam, si benignæ, quam deinde docebimus, sit contradictoria, non esse certam: quia alioquin benigna ne quidem esset probabilis, quod nec Adversarii dixerint. Est igitur sententia rigida solùm probabilis. Iam dic mihi, quo jure sit facta probabilis? planè non alio, quàm quòd aliquis eorum Authorum contra communem sententiam insurgere cœperit, & vel re ipsa, vel in ipsorum existimatione argumenta invenerit adeò solida, communemque doctrinam convellentia, ut ei meritò novum, quod probant, placitum sit præferendum. Ecce! apud Adversarios, unius, vel alterius Doctoris opinio, etiam in re maximè morali (quippe in statuenda generali regula morum) prævalet communi aliorum sententiæ, dum ille horum principia solidè convellit, suumque dogma stabilit validis argumentis. Unde, quod in aliis damnant, suomet exemplo comprobant.

Obiicies primo authoritatem Aristo-
22 telis 1. Topicor. cap. 1. dicentis: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his maximè notis.* Ergo juxta Philosophum, quod uni tantùm videtur, non est probabile.

Secundo. Plùs velle sapere, quàm omnes alii, temerarium est & præsumptuosum: sed docere sententiam singularem contra communem est plùs velle sapere, quàm omnes alii; ergo hoc est temerarium & præsumptuosum: ergo opinio talis Doctoris non est probabilis, sed potiùs temeraria & præsumptuosa.

Tertio. In rebus moralibus præferri debet novitati antiquitas: quia pro authoritate veterum Doctorum sanctitate & sapientia præstantissimorũ stat præsumptio sanioris doctrinæ contra quemcunque Authorem juniorem.

Quarto. Facilè contingit, ut quis specioso titulô viri probi ac docti alios decipiat: ergo Doctori singulari contra communem aliorum opinanti nunquam securè fidetur.

Ad I. Respondet primo Terillus q. 2.
23 n. 23. Aristotelem ideo dixisse in plurali *aut sapientibus &c.* quia etiam probabilia in plurali definivit; simili ratione, qua quis homines in plurali definiens diceret, esse *animalia rationalia.* Respondeo secundo, Aristotelem non definivisse probabilitatem definitione essentiali, sed descripsisse tantùm per id, quod communiter accidit: communiter autem accidit, ut, quod est probabile, pluribus videatur esse tale.

Ad II. Respondeo inprimis, siquid valeret hoc argumentum, sententiam rigidam fore planè temerariam & præsumptuosam: quia & ipsa cœpta fuit doceri ab uno vel altero suorum Doctorum adversùs benignam communem. Deinde dist. maj. est temerarium & præsumptuosum, si id, quod omnes alii dicunt, sit certum, conc. si incertum & fallibile, neg. maj. in rebus enim topicis consensus Authorum etiam unanimis potest esse incertus & fallibilis. Quis ergo vituperet virum magni ingenii, se veritatem acriùs investigans illorum errores detegat, validè refutet, suamque sententiam oppositam solidis argumentis stabiliat? id sanè si præstiterit, efficiet, ut singularis ipsius opinio sit digna prudenti assensu, adeoque probabilis.

Ad III. Respondeo ex Terillo, in rebus præsertim ad jus humanum spectantibus authoritatem recentiorum majorem esse debere, quàm veterum. Illi namque, non isti, sunt conscii jurium de novo conditorum, per quæ status earum rerum sæpissime variatur. Secùs dicendum de rebus, quæ sunt juris naturalis: in his enim, cùm variari non possint, sua antiquis Doctoribus integra manet authoritas. Porrò præsumptio sanioris doctrinæ stat tamdiu pro veteribus, quamdiu illam Author junior non evertit.

Ad IV. Neg. Ant. intellectum de viro, qui est omni exceptione major: quia est impossibile, ut talis, modò se gerat talem, in docendo quemquam decipiat. Porrò quinam sit Author omni exceptione major, nemo ignorabit, cui exceptiones suprà explicatæ fuerint perspectæ. Illud tandem adverto, in moralibus rarò admodùm contingere, ut unius Athor suam sententiam contra communem aliorum efficiat probabilem: quia nempe est difficillimum, ut quis omnia præstet, quæ ad id requiruntur. Unde singularis ejusmodi opinio citra magnam cautelam non est redigenda in praxim. Ex dictis facilè.

Colligitur primo, multitudinem Au- 24
thorum non omni exceptione majorum nihil facere ad probabilitatem opinionibus conciliandum. Et ideo nec tres, nec quinque, nec octo, (ne dicam unus) imò nec viginti, aut plures sufficiunt, ut sua authoritate constituant sententiam extrinsecè probabilem.

Colligitur secundo, quid respondendum sit ad hunc Syllogismum, qui circumfertur ex Caramuele: *Quidquid asserunt quatuor Authores, est probabile: sed quod unus Author faciat sententiam probabilem, asserunt quatuor Authores; ergo,*

quod

quòd unus Author faciat sententiam probabilem, est probabile. Nam, si non modò illi quatuor, qui hoc asserunt, sed etiam ille unus Author, de quo asserunt, supponantur omni exceptione majores, concedendum est totum: quia nihil contra nos infertur. Si non supponantur esse tales, neganda est major.

Colligitur tertio, Authorem, qui docuit unam, vel alteram sententiam improbabilem, si constet, quænam illa sit, posse respectu cæterarum sententiarum, quarum nulla (ut supponitur) est improbabilis, constituere probabilitatem: quia tunc cessat ratio exceptionis tertiæ, ipseque manet quoad illas sententias omni exceptione major. Unde dicta exceptio solùm valet contra Authorem, qui plures docuit opiniones improbabiles: quia in magno numero non ita facilè haberi possunt notatæ. Vide Joan. de Cardenas tract. 1. disp. 11. c. 4. n. 122.

Colligitur quarto, quàm meritò damnata sit propositio in n. 1. adducta. Loquitur enim absolutè de quocunque Authore, sive is sit, sive non sit omni exceptione major, eumque vult sufficere ad tribuendam opinioni probabilitatem.

ARTICULUS II.

De usu Sententiæ probabilis generatim.

§. I.

An, & quomodo ex opinione probabili formari possit ultimum dictamen Conscientiæ?

SUMMARIUM.

1. *Status quæstionis.* 2. *Statuitur conclusio, & ostenditur modus formandi Conscientiam ex probabilibus.* 3. *An sententia probabilis sit regula proxima operandi?* 4. *Sensus hujus propositi.* Qui operatur ex conscientia probabili, honestè operatur. 5. *An possit formari recta conscientia ex opinione probabiliter, vel solùm tenuiter probabili?* 6. 7. 8. *Proponuntur & solvuntur objectiones.*

1 ULtimum, seu practicè practicum dictamen conscientiæ debere esse moraliter certum de honestate operationis, quam dirigit, docent communissimè Theologi. Ratio est: tum, quia, ut jam pridem diximus, est actus elicitus prudentiæ, cujus assensus non possunt esse fallibiles: cùm alioquin non differret ab habitu opinionis: tum, quia est participatio legis æternæ, quæ est certa, & infallibiliter recta: immò ab illa derivatur ceu regula exemplata à regula exemplari: atqui exemplatum debet esse conforme exemplari; ergo.

Difficultas est modò, quî hæc certitudo proveniat conscientiæ ex opinione probabili? 2
sive, quomodo fieri possit, ut ex judicio fallibili, quale est omnis sententia probabilis, formetur certa & recta conscientia? Et quidem Probabilistæ; id est, Authores, qui docent, licere amplecti sententiam probabilem relicta probabiliore opposita, ceu præcipuum suæ doctrinæ fundamentum, statuunt hoc principium: *Sententia probabilis fundat prudentem assensum.* Quo semel admisso ut certo, statim apparet aliud axioma apud ipsos æquè certum: *Qui sequitur sententiam probabilem prudenter, adeòque licitè operatur.* Sed negant ista Authores rigidi, qui vocantur Probabilioristæ, vel universim, ut Merenda; vel de sententia probabili favente libertati contra præceptum, ut Contenson, & alii. Verùm his non obstantibus, contrarium est nobis certissimum.

Dico igitur. Quilibet potest ex opinione verè probabili formare prudens ac certum dictamen conscientiæ rectæ. Præscindit hæc assertio à concursu opinionis probabilioris, vel æquè probabilis, & probatur in hunc modum. Quisquis habet præmissas certas de honestate operationis, potest ex illis inferre conclusionem certam de honestate operationis, & certò prudentem: sed sequens opinionem verè probabilem habet ejusmodi præmissas; ergo potest ex illis inferre conclusionem certam de honestate operationis, & certo prudentem. Sed ejusmodi conclusio est judicium prudens, ac certum conscientiæ; ergo vera est nostra assertio. maj. est certa. mi. unàque subs. prob. & simul ostenditur modus formandi conscientiam ex probabilibus. Pono casum, in quo Pictor v. g. deliberat, an liceat pingere in die festo? hic, si opinionem, quæ dicit, opus pingendi non esse servile, teneat ut verè probabilem, ita secum, implicitè saltem ac virtualiter discurrit: *Omne opus non servile est licitum in die festo: sed pingere est opus non servile; ergo pingere est licitum in die festo.* Major est quidem certa: sed Minor & conclusio est solùm probabilis. Unde hæc nondum est judicium ultimatum conscientiæ practicè practicum; maximè, cùm non sit de operatione ut hîc & nunc exercenda. Et ideo Pictor cum reflexione tam ad probabilitatem opinionis, quàm ad conclusionem ex principiis directis illatam assumens aliud principium reflexum Syntereseos ita ulteriùs ratiocinatur: *Illud opus hic & nunc est licitum in die festo, quod prudenter judicio esse licitum: sed opus pingendi prudenter judicio esse licitum in die festo; ergo opus pingendi,*

di, seu pingere hic & nunc est licitum in die festo. & hæc demum conclusio est illud, quod quærimus, ultimum dictamen Conscientiæ certum & infallibiliter prudens deductum ex præmissis certis & infallibilibus. nam major est nota omnibus, qui penetrant terminos. quid enim licebit in moralibus, si id, quod quis omnibus consideratis prudenter judicat esse licitum, non liceat? Minor est pariter certa: quia est cognitio experimentalis de cognitionibus directis in priori discursu elicitis, & de magnitudine motivi probabilis, quo movetur, ut judicet, pingere non esse opus servile. Atque ex toto hoc discursu manifestè

3 Colligitur primo, probabilitatem, sive sententiam probabilem à nobis non statui pro regula proxima & immediata honestæ operationis, ut quidam Probabilioristæ malè supponunt, sed esse solùm principium remotum, & quoddam occasionale primordium ad inchoandam consultationem practicam, formandámque rectam Conscientiam præsuppositum. Neque enim fas est in operando sequi sententiam probabilem, nisi formidinem practicam de inhonestate operationis deposueris: hoc autem nunquam præstabis, nisi modô explicatô ad formandam Conscientiam procedas; sed ipsam mox opinionem probabilem citra ulterius examen tibi regulam operandi constituas: cùm temerè & imprudenter in periculum peccandi irruens agas mala fide, & aliunde per invincibilem ignorantiam non excuseris. Et ideo

4 Colligitur secundo ad evitandas plures æquivocationes, hanc propositionem: *Qui operatur ex Conscientia probabili, honestè operatur*, esse in uno sensu veram, in altero falsam. falsa est, si loquatur de Conscientia ut formaliter & subjectivè probabili, sive sumpta pro assensu secundùm formalem rationem suam fallibili, ac formidoloso. Ratio ex dictis est: quia Conscientia, ut sit regula honestæ operationis, debet esse certa & prudens. Vera est illa propositio, si intelligat Conscientiam probabilem, sive opinativam præsuppositivè solùm, & originativè, id est, illam, quæ oritur ex opinione probabili, licet in se, & formaliter sit certa & infallibiliter prudens citra omnem ex sua parte formidinem de opposito. Ratio est; quia Conscientia hoc sensu probabilis habet omnia, quæ requiruntur, ut sit regula honestæ operationis. Neque obstat formido relicta à judicio subjectivè & formaliter probabili præsuppositio: tum, quia non est practica, sed solùm speculativa; tum, quia memorato dictamini Conscientiæ est merè extrinseca.

Colligitur tertio, non posse formari 5
rectum dictamen Conscientiæ ex opinione solùm probabiliter probabili. Ita docent plerique Theologi & Canonistæ apud P. Paulum Mezger. Ratio est: tum, quia, ut vidimus, ad rectam & certam Conscientiam formandam ex opinione probabili debet præsupponi judicium certum & experimentale de probabilitate illius: atqui tale judicium non præsupponitur, quando opinio est solùm probabiliter probabilis, eo ipso, quòd sit incertum, an habeat motiva digna assensu. tum, quia probabilitas tam latè accepta vix differt à laxitate tam Conscientiarum, quàm opinionum, in quam meritò hactenùs insurrexerunt Authores non modò rigidi, sed etiam benigni, summique Pontifices sua decreta vibrârunt. Quod dictum est de sententia probabiliter probabili, verum est à fortiori de sententia solùm tenuiter, seu dubiè probabili. Patet igitur, non omnem probabilitatem etiam in infimo gradu sufficere, ut possit ex ea formari recta & certa Conscientia. propositionem id asserentem damnavit Innocentius XI. in decreto, quod edidit anno 1679. Nunc contra concl. nostram ita

Objicies primo. Qui se exponit peri- 6
culo peccandi, peccat: sed, qui operatur ex Conscientia probabili, exponit se periculo peccandi; quia exercet actionem, de qua non est certus, an sit licita, vel illicita? ergo, qui operatur ex Conscientia probabili, peccat: & consequenter ex opinione probabili non potest formari dictamen rectæ Conscientiæ.

Respondeo primo dist. maj. qui se exponit periculo peccandi formaliter, ille peccat, conc. periculo peccandi materialiter, neg. maj. &c. atqui operans ex Conscientia probabili exponit se periculo peccandi solùm materialiter, quatenùs fieri potest, ut objectum, quod inculpatè, & prudenter apparet licitum, sit re ipsa illicitum: veluti contingit, dum quis operatur ex Conscientia invincibiliter erronea.

Respondeo secundo conc. maj. neg. mi, cum sua probatione. potes hanc etiam distinguere, non est certus ex parte judicii directi, & remoti, an operatio sit licita, vel illicita, conc. ex parte judicii reflexi & proximi, neg. Judicium remotum & directum illud hîc dicitur, quo intellectus apprehensa magnitudine motivorum probabilium cum formidine oppositi judicat, operationem esse licitam; veluti judicat Pictor in primo Syllogismo suprà formato. Judicium reflexum est, quo intellectus supra judicium prius reflectens judicat experimentaliter, illud esse verè probabile ac prudens: & ita judicat Pictor

in Minori posterioris Syllogismi. hoc judicium est certum, & citra omnem formidinem de opposito infallibile. Esto proinde, judicium directum & remotum (quod etiam speculativum vocatur) non sit certum; certum tamen est judicium reflexum ac proximum. Atque ex his utique vides, quomodo ex opinione probabili possit deduci certa Conscientia.

Respondeo adhuc tertio ex dictis in n. 4. omissa maj. dist. mi. operans ex Conscientia formaliter & subjectivè probabili exponit se periculo peccandi, conc. operans ex Conscientia probabili solum præsuppositivè & originativè, neg. mi. &c. ex quo etiam ad probat. mi. patet solutio.

Objicies secundo. Quando una ex præmissis est incerta, etiam conclusio, quæ infertur, est incerta; quia sequitur debiliorem partem. Sed in discursu practico, per quem formatur Conscientia tanquam conclusio ex opinione probabili, una ex præmissis est incerta, nempe ipsa opinio probabilis; ergo etiam conclusio, quæ est Conscientia, est incerta.

Respondeo dist. maj. quando una ex præmissis proximis, sivè proximè influentibus in conclusionem, est incerta, etiam conclusio est incerta, conc. si una ex præmissis solùm remotis, sive remotè influentibus, est incerta, etiam conclusio est incerta, neg. maj. atqui in illo discursu practico una ex præmissis solùm remotis, ipsa videlicet opinio probabilis, est incerta. nam proximæ, ut vidimus, sunt certæ & infallibiles. effectus autem non debet sapere naturam causæ remotæ, sed proximæ. & ideo conclusio sequitur solùm debiliorem partem, quando hæc est inter causas illius proximas.

8 Objicies tertio. Qui operatur cum formidine de honestate operationis, is non habet certum dictamen Conscientiæ: sed operans ex Conscientia probabili operatur cum tali formidine: quia omnis opinio & sententia probabilis est essentialiter assensus formidolosus circa suum objectum; ergo operans ex Conscientia probabili non habet certum dictamen Conscientiæ.

Quòdsi dicas, illam formidinem esse solùm speculativam ex parte judicii remoti; non autem practicam de operatione ut hic & nunc exercenda; hanc autem certò judicari licitam: contra est, quòd implicet, judicium practicum discordare à speculativo: ergo implicat, quemquam formidare speculativè in judicio speculativo, & non formidare practicè in judicio practico. Conseq. patet. Ant. pròb. quia hoc ipso, quòd quis opinativè, & cum formidine oppositi affirmet, esse licitum pingere die festo, etiam virtualiter cum simili formidine affirmat, id esse licitum Petro, Paulo, & sibi: quia in judicio universali continetur particulare tanquam propositio subalternata: ergo implicat, ut in eodem instanti sine formidine judicet, sibi esse licitum hîc & nunc pingere in die festo: ergo implicat judicium practicum discordare à speculativo. hæc Conseq. colligitur ex priori, quæ facilè prob. quia in eodem intellectu non possunt simul stare duo judicia, unum certum, alterum incertum de eodem objecto. atqui, si dicto modo judicaret, starent simul talia judicia; ergo.

Respondeo, solutionem impugnatam esse optimam. unde illâ utens dist. maj. qui operatur cum formidine practica de honestate operationis, non habet certum dictamen Conscientiæ, conc. qui operatur cum formidine solùm speculativa, neg. maj. sed talis operatur cum formidine speculativa de honestate operationis, conc. cum formidine practica, neg. min. & conseq. Probat. min. est quidem vera, sed non ad rem; quia Conscientia probabilis, quæ immediatè dirigit operationem, non est opinio, sed judicium & dictamen certum ex opinione probabili deductum, velut ostendimus.

In impugnatione solutionis dist. Ant. si non accedat specialis & nova ratio variandi judicium speculativum, conc. si accedat & superveniat talis ratio; neg. Ant. & sic resp. ad conseq. Ad probat. Ant. dico, Ant. esse verissimum, quod mirum non est; quia illud judicium nititur motivis solùm directis, quæ non suadent, esse aliter & firmiùs judicandum de actione pingendi à Petro V. G. exercenda, quàm de omnibus: quia tamen accedunt motiva reflexa, & nova ratio certò suadens, hanc numerò actionem pingendi à Petro exercendam in die festo non contineri sub illa ratione specifica, quæ cum formidine solùm judicata est licita, fit, ut intellectus eliciat aliud judicium particulare certum ab illo universali discordans, ac sine formidine affirmans, pingere hîc & nunc Petro esse licitum. hoc autem judicium particulare non continetur sub illo universali, eo ipso, quòd objectum judicii particularis propter specialem rationem, & aliam circumstantiam non contineatur sub objecto judicii universalis. Unde neg. utraque conseq. Ad probat. primæ constat ex dictis, illa duo judicia non esse de eodem formaliter objecto. Vide, quæ diximus in simili, disp. præced. a. 1. §. 1. n. 7. de dubio speculativo.

§. II.

§. II.

An sequi liceat in praxi sententiam minùs probabilem, minúsque tutam, relicta probabiliori & tutiori?

SUMMARIUM.

9. *Quæ sententia tutior, quæ minùs tuta?* 10. *Intellectus assentiri potest opinioni minùs probabili in occursu probabilioris.* 11. 12. *Solvitur objectio P. Thyrsi Gonzalez.* 13. *Opinionum aliæ sunt circa actiones & jus, aliæ circa res & factum.* 14. *Licitum est sequi in praxi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori. Authorum de hac doctrina judicium.* 15. 16. 17. *Fundamenta nostræ sententiæ ex ratione.* 18. 19. 20. *Solvuntur aliquæ objectiones.* 21. *Quando agitur de honestate actionis, licitè amplectimur partem minùs tutam relicta tutiore.* 22. *Secùs dicendum, quando opiniones oppositæ versantur circa rem & factum, & adest speciale præceptum charitatis, justitiæ &c.* 23. *Licita est à fortiori praxis opinionis minùs tutæ & æquè probabilis.* 24. *In aliquo sensu omnes sententiæ probabiles sunt æqualiter tutæ.* 25. *Praxis benignæ sententiæ etiam in articulo mortis habet locum.* 26. *Quænam sententia sit certò probabilis?* 27. 28. *An usus sententiæ probabilis sit licitus in materia fidei?*

9 NOtandum est primo, in contradictoriis moralibus unam partem esse tutiorem; alteram minùs tutam. Pars tutior est, in qua nullum apparet periculum peccati tam materialis, quàm formalis. sic non pingere in die festo est pars tutior: quia in omissione hujus actionis nulla datur ratio formidandi, ne sit contraria alicui præcepto. Pars contrà minùs tuta est, in qua apparet aliquod periculum peccati, non quidem formalis, sed materialis. ita pingere die festo est pars minùs tuta: quia datur in hoc exercitio, si tali die suscipiatur, ratio formidandi, ne lege divina sit vetitum; eò quòd timeri possit, ne sit opus servile. Itaque sententia, sive opinio tutior est, quæ affirmat partem tutiorem; minùs tuta, quæ partem minùs tutam affirmat esse licitam. verbô: omnis opinio, quæ stat pro lege contra libertatem, solet vocari tutior; & omnis, quæ stat pro favore libertatis contra legem, dicitur minùs tuta, quamvis sit tuta simpliciter, eò quòd careat omni periculo inhonestatis formalis. Porrò inhonestas, sive malitia formalis est illa, quæ constituit actum, ut est ab operante, rectæ rationi difformem. inhonestas materialis est, quæ constituit actum, ut est in se, & secundum se, difformem legi. actus priori modo inhonestus imputatur in culpam; non autem posteriori: veluti patet in eo, qui adorat hostiam non consecratam; quam obignorantiam invincibilem judicat esse consecratam.

Notandum secundo ex communi sen- 10
tentia contra Esparzam, Laymannum, Thyrsum Gonzalez & alios, intellectum in concursu duarum opinionum, quarum una est minùs, altera magis probabilis, posse assentiri minùs probabili, illâ, quæ hic & nunc apparet probabilior, relictâ. Ratio est à priori: quia sententia probabilior suis motivis non elidit motiva sententiæ minùs probabilis; sed ea relinquit in sua efficacia: & quia non est evidens, intellectus manet à voluntate liberè determinabilis tam quoad exercitium, ita ut possit assentiri, vel non assentiri motivis sententiæ probabilioris; quàm quoad speciem, ita ut possit ex ejus applicatione assentiri, vel dissentiri tam motivis sententiæ probabilioris, quam motivis sententiæ minus probabilis.

Confirmatur ab experientia, tum in hæreticis, qui etiam, stante & agnita majore credibilitate fidei Catholicæ relatè ad credibilitatem suæ sectæ, ex determinatione pravæ voluntatis eliciunt assensum hæreticum. tum in judicio temerario, quod de aliorum improbitate multi formant, quando probabilior apparet eorum innocentia; ergo potest quis assentiri objecto minùs probabili, quando probabilius apparet oppositum. Atque hæc Confirmatio, sicut & ratio priùs reddita, probat etiam, posse intellectum assentiri opinioni probabili in concursu æquè probabilis, & multò magis probabiliori in concursu minus probabilis.

In traditam assertionem acriter insurgit 11
P. Thyrsus Gonzalez dissert. 3. c. 2. hoc ferè argumento. Implicat, ut intellectus ex duobus contradictoriis judicet esse falsum illud extremum, quod manifestè videt esse verisimilius oppositô; illud verò judicet esse verum, quod manifestè videt, esse minùs verisimile: sed intellectus ita judicaret, si assentiretur sententiæ minus probabili in conspectu probabilioris; ergo. mi. constat: quia assensum præstare alicui extremo contradictionis est illud censere verum, & oppositum censere falsum; ut patet ex teminis. maj. verò prob. quia nemo in se experitur hunc actum: *Ego credo hoc, sed video, contrarium esse probabilius & verisimilius.* Deinde. Implicat, ut is, qui judicat, colorem A esse similiorem albo, quàm nigro, judicet, colorem A esse nigrum: ergo pariter implicat, ut is, qui judicat, extremum A esse vero similius, quàm falso, judicet, idem extremum A esse falsum.

Respondes dist. maj. implicat, ut intel- 12

lectus judicet, extremum esse certò, & absolutè falsum, quod manifestè videt esse verisimilius oppositô, conc. ut judicet esse falsum apparenter, & probativè, quantum videlicet est ex vi motivi suadentis oppositum, nego. Similiter: implicat, ut illud judicet esse certò, & absolutè verum, quod manifestè videt esse minùs verisimile, conc. ut judicet esse verum apparenter & probativè, quantum est ex vi motivi suadentis esse verum, neg. maj. &, eadem distinctione applicata minori, neg. conseq. Probat. maj. itidem dist. assensum præstare alicui extremo contradictionis est illud censere verum, & oppositum censere falsum vel absolutè & certò, vel apparenter & probativè, conc. semper absolutè & certò, negatur. Nulla probabilitas est veritas, sed fallibilis apparentia veritatis. Hinc nullus assensus probabilis judicat, suum objectum esse verum absolutè, & inesse rei, sed cum aliqua restrictione, & inesse apparentis, sive, secundùm quod habet apparentiam veritatis, eo ipso, quòd sit judicium essentialiter includens formidinem de opposito. Cùm itaque probabilitas minor non impediatur à probabilitate majori sententiæ probabilioris oppositæ, quominùs sententiam minùs probabilem faciat apparere veram, & consequenter probabiliorem falsam; intellectus sæpissimè judicare potest, sententiam minùs probabilem esse veram, & probabiliorem oppositam esse falsam. Hoc autem vel ideo videri non debet paradoxum, quòd multa falsa sint probabiliora veris. Hinc enim intellectus ob motiva sententiæ minùs probabilis existimare potest, hoc determinatum objectum sententiæ probabilioris fortè etiam contineri in classe probaliorum, quæ falsa sunt. Ad probat. maj. dico, nos sæpissime experiri hunc actum: *Ego credo hoc tanquam probabile & verisimile; sed video contrarium esse probabilius & verisimilius*, in hoc sensu etiam actum in probat. adductum experimur. Ad exemplum de nigro & albo neg. conseq. nam judicans colorem A esse similiorem albo, quàm nigro, non est incertus de albedine coloris A; quia nititur experientiâ oculorum. Atqui judicans extremum A esse vero similius, quàm falso, est incertus de veritate extremi A; quia motiva, quibus nititur ejus judicium, sunt merè fallibilia, & potest tam esse falsum extremum A, quàm ejus oppositum. Hinc nulla dantur motiva, quæ suadeant, colorem A esse nigrum, quando apparet similior albo: at dantur motiva suadentia, extremum A esse falsum, quando apparet similius verò.

13 Notandum est tertio, opinionum oppositarum alias versari circa actiones & jus, alias circa res & factum. Priores sunt illæ; quæ probabiliter disputant, an aliqua actio sit præcepta, vel prohibita; licita, vel illicita? veluti faciunt istæ: *Licet pingere die Festo: non licet pingere die festo.* Posteriores differunt, quomodo in se ipso, & à parte rei aliquid se habeat? putà, an actio à parte rei sit valida, vel non? an posito tali opere sequatur tale damnum, vel non? V. G. si Medicus in utramque partem probabiliter enuntiet: *Hæc medicina est profutura patienti: Hæc medicina non est profutura patienti.* vel Judex: *Hic accusatus est nocens: Hic accusatus non est nocens.* Inter objecta dictarum opinionum plurimum versatur discriminis. Nam actionem esse licitam, & formaliter honestam non tam provenit ab eo, quod est ex se in statu reali, quàm ab eo, quod apparet inculpabiliter judicanti, sive à statu, quem habet in judicio operantis. Hinc licita est absolutio impertita confitenti, quem Confessarius bona fide & inculpabiliter judicat esse contritum, licet re ipsa non sit contritus: at econtra valor Sacramenti, magnitudo periculi, & veritas damni ad aliquam actionem secuturi non est metienda ex judicio operantis sic vel aliter existimante, sed desumenda est à statu reali, & ab eo, quòd ita se habeat à parte rei. & ideo Confessarius, tametsi existimet inculpabiliter, pœnitentem esse satis dispositum, ac dignum absolutione, nullum Sacramentum conficit, quando pœnitens à parte rei non est dispositus; eò quòd valor Sacramenti non ab existimatione ministri, sed ab institutione Christi, & reali positione omnium, quæ ipse tanquam Author Sacramentorum exegit, dependeat. His animadversis.

Dico jam primo. Licitum est in praxi 14
sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori. Si pro veritate hujus doctrinæ certare luberet authoritate, operosum non esset integrum ferè Doctorum exercitum in aciem educere. neque est dubium, nostram sententiam isthoc pugnandi genere commissam cum adversa esse hac longè superiorem, placet audire saltem aliquorum de illa judicia. Bartholomæus de Ledesma apud Richardum Archdekin, parte 3. tract. 1. pronunciat, esse verissimam, & probari ex usu universali omnium: Stephanus Spinola, esse recentiorum omnium calculô, & universali penè populorum usu confirmatam: Pasqualigus, esse certissimam, & in materia morali posse demonstrari: Terillus in Tract. de Consc. prob. q. 22. pro hac sententia refert Authores, qui sæculo proximè superiori floruerunt, omnino centum & quinquaginta: regrediens vero usque ad sæculum deci-

Respondes dist. maj. implicat, ut intel- 12
lec-

mum tertium & ultra patronos sistit ferè innumeros. ostenditque p. cit. a. n. 210. *benignam sententiam* (quæ est hæc nostra, *inspecta authoritate non solùm esse multò probabiliorem oppositâ, sed simpliciter loquendò esse humanò modò moraliter certam.* edidit autem Terillus memoratum opus Leodii, Anno 1668.

15 Nunc conclusionem tanta authoritate, Doctorúmque consensu vallatam probo primo ratione fundamentali. Nullus, qui operatur prudenter, peccat: sed omnis, qui in operando sequitur sententiam minùs probabilem, operatur prudenter; ergo nullus, qui in operando sequitur sententiam minùs probabilem, peccat: ergo licitum est in praxi sequi sententiam minùs probabilem. Totus discursus est evidens. maj. est nota ex terminis: cùm sit aperta contradictio, operationem prudenter elicitam esse peccatum. min. similiter constat, & magis declaratur in hunc modum: Omnis, qui in operando sequitur sententiam verè probabilem operatur prudenter: sed omnis, qui in operando sequitur sententiam minùs probabilem, sequitur sententiam verè probabilem; ergo omnis, qui in operando sequitur sententiam minùs probabilem, operatur prudenter. maj. constat ex suprà dictis; quia omnis sententia verè ac certò probabilis fundat prudentem assensum, & certum dictamen Conscientiæ. min. ex eo probatur, quòd motiva sententiæ probabilioris non everrant motiva, quibùs nititur sententia minùs probabilis, sed illa relinquant in sua efficacia & vi movendi; ut proinde sententia minùs probabilis nihil propter ea amittat de sua probabilitate, sed maneat verè probabilis.

Respondebis, nihil quidem amittere de sua probabilitate absolutè, adeóque manere verè probabilem, si sit sermo de probabilitate absoluta, non tamen manere probabilem comparativé ad motiva & rationes urgentiores sententiæ probabilioris cognitas ut tales.

Sed contra est communis omnium Doctorum experientia, quos ore & scripto frequentissimè testari constat, tam in materiis practicis, seu moralibus, quàm speculativis, se quidem judicare, sententiam suam propter rationes, ac responsiones à se allatas esse probabiliorem; iis tamen non obstantibus, sibi videri ac persuaderi, etiam sententiam oppositam esse probabilem. Sed hoc est sententiam minùs probabilem manere verè probabilem, etiam comparative ad motiva sententiæ probabilioris; ergo &c. Videatur Illsung hic Disp. 1. a. 6. §. 7.

Prob. concl. secundo in hunc modum. Certum est ex dictis in Disp. 2. a. 1. §. 2. & 4. 16
invincibilem ignorantiam in omni materia excusare à peccato: ergo, qui operatur ex ignorantia invincibili malitiæ, vel inhonestatis, non peccat. Atqui operans ex opinione probabili relicta probabiliori operatur ex ignorantia invincibili malitiæ & inhonestatis; ergo non peccat: ergo licite sic operatur. min. subs. prob. quia omnis probabilitas minor, quòd objectum sit licitum, etiam in conspectu probabilitatis majoris pro parte contraria connectitur cum invincibili ignorantia inhonestatis: ergo, qui operatur ex opinione minùs probabili, operatur ex ignorantia invincibili inhonestatis. Conseq. patet. Ant. ostenditur. Fac Theologos aut Canonistas in aliqua materia morali disputare, V. G. an certa species contractûs sit licita, néne; ita tamen ut post diuturnam disputationem & accuratum studium semper maneat probabile, contractum non esse prohibitum. In hoc tali casu, tam honestatem, quàm inhonestatem objecti invincibiliter, ignorari patet manifestè. nam illud ignoratur invincibiliter, quod post studium multorum annorum, & diligentissimam veritatis inquisitionem etiamnum latet humanum intellectum: Sed honestas, sicut & inhonestas talis objecti post hæc omnia etiamnum latet humanum intellectum; ergo ignoratur invincibiliter: ergo verum est Ant. quod erat ostendendum. Quòdsi loquamur de materia morali apud doctos non discussa, cognitu tamen difficili, dico eodem modo, cum, qui diligenter inquisita veritate deprehendit probabilitatem de honestate illius objecti, versari in ignorantia invincibili inhonestatis, nam ille ignorat quid invincibiliter, cui post adhibitam omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas non innotuit: sed tali homini post adhibitam omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, veritas inhonestatis non innotuit; ergo eandem ignorat invincibiliter.

At fortè non adhibuit omnem diligentiam, quam tenebatur adhibere, quia tenebatur non esse contentus mera probabilitate, sed ulteriùs investigare, ut pertingeret ad certitudinem. Verùm istud exigere ab homine est exigere quid moraliter impossibile: quia est moraliter impossibile, ut de similibus objectis inveniatur certitudo. quòdsi hoc aliquando contingeret propter diligentiam extraordinariam investigantis veritatem, id esset rarissimum: de rarissime autem contingentibus, quorum moralis possibilitas non præsumitur, imponere obligationem planè est plusquàm durum & rigidum.

17 Prob. eadem concl. tertio. Lex non sufficienter promulgata non obligat : sed, ubi datur opinio verè probabilis prò libertate contra legem, cui favet opinio probabilior, talis lex non est sufficienter promulgata; ergo non obligat, & consequenter licitum est amplecti sententiam minùs probabilem, quæ favet libertati. maj. est omnium. mi. prob. quia nulla lex est sufficienter promulgata, cujus existentia & obligatio est incerta: sed, ubi datur opinio verè probabilis contra legem, existentia legis, ejusq; obligatio est incerta; ergo, ubi datur opinio verè probabilis contra legem, lex non est sufficienter promulgata. maj. constat: quia, ut lex censeatur sufficienter promulgata, ejus existentia & obligatio ita liquidò subditis debet innotescere, ut magnam eorum partem latere non possit, nisi culpabiliter ignorare velint. mi. prob. quia est impossibile, stare certitudinem de lege cum probabilitate de non existentia, & non obligatione legis. cùm ex duabus contradictoriis, quando una est certa, non possit opposita esse probabilis ; sed debet esse certò falsa ; velut in Artic. præced. §. 3, n. 19. advertimus : ergo hoc ipso, quòd opinio favens libertati contra legem sit verè probabilis, ut supponitur, existentia & obligatio legis, cui favet sententia probabilior, est incerta.

18 Objicies nunc primo. Hæc propositio: *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non peccat*, non est certa, etiam moraliter : ergo non licet sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori conseq. constat. Ant. prob. quia istæ propositiones: *quisquis agit prudenter, non peccat*: *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, agit prudenter*, istæ, inquam, non sunt ambæ moraliter certæ: ergo nec illa ceu conclusio ex his illata: *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris ; non peccat*, est moraliter certa: Patet conseq. quia conclusio, quæ est effectus præmissarum, non potest his esse perfectior. Ant. prob. nam ista : *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non agit prudenter*, est probabilis : ergo illa secunda præmissa non est moraliter certa. Conseq. est nostra ex Artic. præced. paulò antè cit. sicut enim ibi docuimus, probabilitatem alicujus sententiæ non posse stare cum certitudine etiam morali contradictoriæ, ita vicissim tenemur dicere, ejus certitudinem non posse stare cum probabilitate oppositi. Ant. autem videtur certum : quis enim neget, propositionem, quam docent omnes Authores rigidi, qui sunt viri doctissimi & gravissimi, esse probabilem?

Respondeo neg. Ant. ad probat. neg. rursus Ant. quod dum prob. dist. Ant. est probabilis in eo sensu, quo docetur à suis Authoribus, omitto, in sensu prædictæ Minori, prout à nobis assertæ, contradictorio, neg. Ant. & dist. cons. ergo illa Minor non est moraliter certa in sensu, quo à contrariis authoribus negatur, conc. in sensu, quo à nobis affirmatur, neg. cons. Authores rigidi, quotquot benignam sententiam impugnant ; id revera non præstant in sensu, quo defenditur; sicut advertunt Terillus in Opere de Reg. mor. parte 1. pag. 54. n. 198. & Illsung tract. 1. disp. 1. a. 6. §. 9. dum enim dicunt, eum, qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non agere prudenter, vel non conveniunt nobiscum in definitione sententiæ probabilis ; vel loquuntur de sententia probabili in quocunque gradu probabilitatis ; vel de minùs probabili sumpta cum motivis solùm directis ; vel supponunt, sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris manere negativè solùm, aut absolute, non verò positivè & comparativè probabilem ; vel putant, ipsam per se sententiam minùs probabilem, judiciumque intrinsecè & formaliter formidolosum à nobis statui pro immediato principio certæ Conscientiæ, aut regula proxima operandi: quæ omnia patebunt eos Authores attentè legenti. Quis autem non videat, aliud hoc modo impugnari, aliud à nobis defendi, & argumenta, quæ in nos collimant, ferri extra metam? Itaque hæc negativa : *qui sequitur sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, non agit prudenter*, sumpta in sensu illorum Authorum non solùm est probabilis, sed certissima : at nego, eam affirmativæ, prout à nobis defenditur, esse contradictoriam.

19 Objicies secundo. Argumentum à priori, cui maximè fidit benigna sententia, procedit à particulari ad universale : ergo est fallax & sophisticum. Ant. prob. nam inde inferimus, omnibus esse licitum sequi sententiam minus probabilem, quia ejus motiva visa sunt aliis magna & gravia etiam relatè ad motiva sententiæ probabilioris : sed hoc est arguere à particulari ad universale, quia est inferre, motiva sententiæ minùs probabilis esse magna & gravia in intellectu omnium, quia talia apparuerunt in intellectu aliquorum, nempe Authorum, qui eam sententiam corruerunt.

Respondeo neg. Ant. ad probat. dico, non esse veram absolutè : quia probabilitas mi-

minor non est authentica solùm sive extrinseca; sed insuper intrinseca propter motiva ab authoritate docentium independentia, quæ possunt intellectui occurrere cum tanta efficacia & vi impellendi ad assensum, ut etiam in conspectu motivorum sententiæ probabilioris meritò videantur magni momenti & digna assensu. deinde neganda est etiam Minor. hujus probat. dist. est inferre &c. quia talia apparuerunt in intellectu aliquorum, & quia hæc apparentia simul apprehenditur ut motivum sufficiens, ob quod motiva sententiæ probabilis possint apparere magna in intellectu omnium, conc. quia præcisè apparuerunt, neg. hoc autem non est argumentari à particulari ad universale, sed est dicere, judicium aliquorum præstantium Authorum de magnitudine motivorum sententiæ minùs probabilis etiam in comparatione motivorum sententiæ probabilioris esse sufficiens fundamentum, ut omnes alii similiter prudenter judicare possint, ea motiva esse magni momenti. Secùs eodem jure culpabo Adversarios: quid enim dicerent ad similem discursum? Ideo arguitur, omnibus esse illicitum sequi sententiam minùs probabilem, quia ejus motiva sunt vilà aliquibus (certè non omnibus) levia atque exigui momenti relatè ad motiva sententiæ probabilioris: sed hoc est arguere à particulari ad universale: quia est inferre, motiva sententiæ minùs probabilis esse levia in intellectu omnium, quia sic apparuerunt in intellectu aliquorum. Sicut proinde non est sophisticum dicere: *Aliqui homines viderunt Petrum existentem in templo, & illi homines Petrum bene noverunt: ergo omnes homines, qui hoc sciunt, habent sufficiens motivum judicandi, Petrum extitisse in templo*: ita non arguit fallaciter dicens: *Aliqui homines docti & probi judicârunt, motiva hujus sententiæ esse gravia & fortia, etiam comparatâ cum motivis sententiæ contrariæ, & illi homines non solent in cognoscendo, nec in loquendo fallere vel fallii ergo omnes homines, qui hoc sciunt, habent sufficiens fundamentum prudenter id ipsum judicandi.* Sed ita nos argumentamur; ergo &c.

Objicies tertio. Quidam Philippus Cancellarius Parisiensis æternum damnatus est, eò quòd secutus fuerit sententiam minùs probabilem relicta probabiliore: ergo sententia benigna illicita & damnabilis est. Ant. continet tragica historia apud Thomam Cantipratanum lib. 1. de apib. cap. 19. ubi scribens de illo Cancellario sic habet: * agonizantem in morte Guilielmus Parisiensis Episcopus paterna sollicitudine visitavit, rogavítque eum, ut opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret. Renuit ille, experiri se velle dicens, utrùm esset damnabile beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies, cùm dictus Parisiensis Episcopus finitis matutinis orare vellet, vidit inter se & lumen quasi umbram hominis tetram nimis. elevata ergo manu consignat se, &, si ex parte Dei sit, præcipit, ut loquatur. cui respondit apparens: alienus à Deo sum, sed tamen miserabilis factura ejus. & Præsul: tu quis es? cui ille respondit: ego sum Cancellarius ille dudum miserrimus. rursùs Episcopus elato altiùs gemitu: & quomodo, inquit, tibi est sic dolenti? malè, ait, imò quàm pessimè: quia damnatus sum æterna morte. & Episcopus, heu, ait, charissime, quæ causa tuæ damnationis? tres sunt, inquit: prima est, quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi: Secunda est, quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi: tertia est, & illa gravissima omnium, quòd abominabili carnis vitio in scanialum multorum multo tempore laboravi &c. * Dubitari non potest, sententiam de simultanea pluralitate beneficiorum, quam secutus est miser Cancellarius, eo tempore fuisse probabilem, licèt opposita haberetur probabilior: quia Angelicus Doctor, qui tunc vivebat, Quodlib. 9. art. 15. ubi versat quæstionem, *an liceat habere plures præbendas?* dictam sententiam non rejicit, sed de illa loquitur, sicut loqui solet de opinionibus probabilibus. At nihilominùs Cancellarius eam sequens graviter peccavit.

Respondeo, Cancellarium ideo graviter peccasse, vel quia ex dubio speculativo de probalitate illius opinionis, quod ex nimio affectu avaritiæ vincere obstinatè noluit, cecidit in dubium practicum de licita retentione plurium beneficiorum; in quo casu debuerat eligere partem tutiorem, quod tamen non fecit; adeóque se liberè conjecit in periculum peccandi, & in eo periit, vel, quia non habuit judicium certum de licita

cita sequela ejus sententiæ, licèt crediderit, eam esse probabilem : ex quo factum est, ut etiam caruerit ultimo judicio practico moraliter certo de rectitudine suæ operationis. Carens autem ejusmodi judicio exponit se manifesto periculo peccandi, si operetur. Cæterùm aliæ objectiones quàm plurimæ, quas non vacat adducere, & solvi possunt ex hactenus dictis, & passim solutæ reperiuntur apud Authores benignos, præsertim apud Terillum, & Joan de Cardenas, qui de tota hac controversia exactissimè scripserunt. Nunc

Dico secundo. In quæstione versante
21 circa honestatem actionis licitum est sequi sententiam verè probabilem, vel probabiliorem, quamvis sit minùs tuta. Ita D.D. benigni. Ratio est primo ex dictis : quia licitum est sequi omnem opinionem verè probabilem : sed opinio, tametsi minùs tuta, est verè probabilis ex hypothesi ; ergo licitum est illam sequi. Ratio est secundo. Quia obligatio sequendi sententiam tutiorem, relictâ minùs tutâ, verè tamen probabili, aut probabiliori, vel proveniret à periculo peccati ; vel à præcepto, quod in dubiis tutior pars sit eligenda : sed nihil horum est verum : non primum ; quia illud periculum est solùm de peccato materiali, quod nemo tenetur semper, imò nec potest evitare ; veluti patet in omnibus, qui operantur ex conscientia invincibiliter erronea. Non secundum : quia illa regula non habet vim præcepti, præterquàm in casibus, quos dedimus in disp. proximè præced. a. 2. §. 3. Atqui nullus ex illis casibus habet locum in præsenti ; prout patebit ibi dicta meditanti ; ergo. Adde, quòd operans ex sententia probabili non operetur cum dubio, sed cum determinato judicio, objectum : quod amplectitur, esse licitum.

22 Dico tertio. Quando opiniones oppositæ versantur circa factum, & valorem rei, ubi adest speciale præceptum charitatis, justitiæ, vel religionis prohibens actionem conjunctam cum probabili damno temporali vel spirituali proximi, vel nullitate Sacramenti, tenemur sequi sententiam tutiorem. Ita communiter Authores tam benigni, quàm severi.

Ratio concl. est : quia sententia minùs tuta in his casibus non est practicè probabilis : ergo sequi tenemur tutiorem. Conseq. patet. Ant. prob. nam sententia practicè probabilis est, ex qua potest formari certa conscientia de honestate, & deponi practica formido de inhonestate operationis : sed hîc sententia minùs tuta non est talis ; ergo. maj. est certa. mi. prob. quia formalis inhonestas & practica formido in his casibus oritur ex proximo periculo damni inferendi tertio, vel invaliditatis Sacramenti &c. Ergo, quamdiu operans non est certus, ne ex sua actione sequatur tale damnum, vel invaliditas Sacramenti ; tamdiu non potest formare certam Conscientiam de honestate illius. Atqui operans ex sententia minùs tuta non potest de hoc esse certus : quia eventus realis damni, sive realis invaliditatis non dependet ab ipsius judicio, sive directo, sive reflexo ; sed à positione, vel non positione causarum & requisitorum à parte rei.

Confirmatur. Lex charitatis, justitiæ, & religionis est certa, & in certa possessione obligationis ; dubium verò, an tu sequendo partem solùm minùs turam ejusmodi obligationi satisfacias : ergo conditio legis est melior, quàm tuæ libertatis : ergo non habes sufficientem rationem deponendi practicum formidinem, quamdiu partem tutiorem non sequeris.

Ex dictis inferes jam primo, licitum 23
esse usum seu praxim opinionis minùs tutæ, & æquè probabilis. Ratio est facilis : quia argumenta, quæ evincunt, licitum esse sequi sententiam minus probabilem, multò magis evincunt, licitum esse sequi sententiam æqualiter probabilem.

Inferes secundo, siquis ly *tutum* ve- 24
lit accipere pro eo, quod excludit periculum formalis peccati, non dari sententiam probabilem magis, vel minùs tutam, sed omnes esse æqualiter tutas. Ratio est : quia quælibet sententia verè probabilis æqualiter excludit periculum hîc & nunc DEUM offendendi.

Inferes tertio, etiam in articulo mor- 25
tis esse licitum sequi sententiam minùs, verè tamen ac certò probabilem, relicta probabiliori & tutiori. Ita Diana parte 2. tract. 13. resol. 9. & alii, quos refert Sporer de Consc. prob. sect. 3. n. 50. Item Paulus Mezger tract. 5. disp. 14. a. 8. §. 3. n. 11. Ratio est : quia articulus mortis non facit, ut id, quod est semel licitum, sit illicitum : ergo, si usus ejusmodi sententiæ fuit licitus & certò prudens in vita, talis quoque erit in articulo mortis. Confirmatur : vel sententia minùs probabilis est remota à periculo Deum offendendi, vel non ? si non ; ergo nunquam licuit eam sequi reliquo tempore vitæ : quod esse falsum patet ex dictis. Si est remota ; ergo sicut eam secutus DEUM nunquam offendisti in toto vitæ decursu, ita neque offendis in ultimo momento, quando secundùm illam operaris. Et ideo, qui tenes sententiam probabilem D. Thomæ

Thomæ circumstantias notabiliter aggravantes intrra eandem speciem nunquam explicuit in Confessionibus præcedentibus, etiam non tenetur explicare in ultima. Clericus, qui secutus sententiam probabilem habuit simul plures præbendas, in articulo mortis non est adigendus ad resignandum &c.

26 His modò expositis restant duæ quæstiones in præsenti utiliter resolvendæ. Prima est; unde cognosci possit, an aliqua sententia sit certò probabalis, necne?

Respondeo ex Terillo, tres regulas de hac re posse constitui. Nam primo, quotiescunque omnes, vel plurimi asserunt, sententiam esse probabilem; nec quisquam contradicit; vel, si pauci quidam contradicant, aliorum rationes reliquerunt insolutas, nec rationes convincentes pro contrario attulerunt, talis sententia est certò probabilis. Secundo. Opinio communis, quæ frequenter docetur in Scholis, & invenitur in Authoribus, tamdiu censeri debet certò probabilis, quamdiu nemo negat esse probabilem, vel affert argumenta convincentia de opposito. Ratio hujus & prioris regulæ est: quia certitudo probabilitatis tamdiu manet in possessione, quamdiu per rationes oppositas non evertitur. Tertio. Homini illiterato & indocto illa opinio potest esse certò probabilis, quàm ei ut veram, vel certò probabilem suadet vir doctus & probus, nec aliud quidquam occurrit in contrarium. Ratio est: quia eadem authoritas, quæ sufficit homini rudi ad prudentem fidem, etiam sufficit ad formandum prudens judicium de certitudine probabilitatis: atqui authoritas viri docti & probi sufficit homini rudi ad prudentem fidem; ergo:

27 Secunda quæstio est, an usus sententiæ probabilis etiam habeat locum in eo, qui est incertus de veritate suæ fidei? Status difficultatis ita potest proponi: Quidam infidelis, sive hæreticus ob argumenta Catholicam Religionem suadentia dubitare ac formidare incipit, ne fortè secta, quam hactenùs tenuit, sit erronea? adhibitoque veritatis studio eò deducitur, ut ipsi mysteria nostræ fidei appareant, non quidem evidenter credibilia, attamen magis credibilia, seu probabilia, quàm sectæ suæ dogmata, quæ ei adhuc, licèt minùs, videntur probabilia. Laymann, Bannez, & (saltem pro articulo mortis) Thomas Sanchez docent, talem esse obligatum ad sectam suam relinquendam, fidemque nostram, quæ apparet ipsi probabilior, amplectendam. Ratio est, tum, quia lumen naturæ dictat, eam religionem esse tenendam, quæ cæteris est verisimilior: tum, quia in medio ad salutem tam necessario, ut est fides, eligi debet pars tutior, ne exponamur periculo errandi. Econtra Castropalao, & Cardenas in Crisi Theolog. dissertat. 5. aliique apud Illsung talem liberant ab ejusmodi obligatione. Ratio est: quia secundùm D. Thomam 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. & communem Theologorum, ut infidelis teneatur amplecti fidem Catholicam, requiritur in illo evidentia credibilitatis, qua ejus intellectus ita reddatur convictus de falsitate erroris contrarii, & de veritate nostrorum dogmatum, ut manifestè videat, suam sectam esse improbabilem & incredibilem; sed talis evidentia de fide Catholica dari non potest in eo, cui error oppositus adhuc apparet probabilis atque credibilis; sicut contingit in casu nostro; ergo non tenetur illam amplecti. Deinde, non video, quomodo doctrina illorum Authorum non incurrat damnationem propositionis 21. inter proscriptas ab Innocentio XI. ita sonantis: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis: immò cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus DEUS.* Sanè notitia de veritate fidei Catholicæ, quam in casu nostro habet infidelis, non transcendit limites probabilitatis; adeòque est probabilis solùm notitia revelationis Divinæ. Notitia quoqe probabilis, aut probabilior Divinæ revelationis non excludit formidinem, ne non sit locutus DEUS: ergo hic infidelis habebit assensum fidei supernaturalem stantem cum tali formidine.

Quid ergo agendum huic homini? Re- 28
spondeo, illum teneri ad procurandam sibi certitudinem studiosiùs investigando veritatem fidei; quam etiam propter ejus signa atque indicia manifestissima, quæ cunctis sunt obvia in DEI Ecclesia, inveniet infallibiliter, unde nulla hîc praxis sententiæ probabilis, vel probabilioris; quia ignorantia veritatis, quæ hîc intervenit, est vincibilis, qualis non est in opinionibus probabilibus circa alias materias morales. cæterùm in articulo mortis tenetur precari à DEO illustrationem intellectûs; & certam notitiam veritatis, quam obtinebit procul dubio. facit enim, quod tunc in se est. facienti autem, quod in se est ex viribus gratiæ DEUS non denegat gratiam, ut habet axioma Theologicum. Quòd si moribundus eam illustrationem à DEO petere negligat, infidelitas ipsi imputabitur ad culpam. ita Cardenas dissert. 14. cap. 7. num. 103. Ad rationem primæ sententiæ respondeo, lumen

naturæ in hoc casu dictare, ut diligentiùs investigetur veritas: quia certa hujus notitia circa negotium religionis haberi potest ab omnibus, qui degunt inter fideles. In articulo mortis autem, ubi non vacat ampliùs rem examinare operosiùs, jubet recta ratio illustrationem intellectûs, & lumen fidei à DEO petere. In eligenda parte, quæ videtur tutior, hîc non est sistendum, sed ulteriùs tendendum ad certitudinem. immò neutra earum partium potest apparere tuta.

ARTICULUS III.

De usu sententiarum probabilium particulari.

JUvat nunc explorare, quomodo ea, quæ de legitimo usu Probabilitatis dicta sunt generatim, habere se debeant in praxi quotidiana. Quare discurrendo per materias particulares damus Ministrum Sacramenti, Medicum, Judicem, & Advocatum, quidque cuilibet in suo statu ac conditione circa probabilium opinionum electionem sit licitum, vel illicitum: inquirimus & per plura Corollaria ex dictis in priotibus deducimus. de aliis quibusdam generibus hominum mox in seq. §. differemus.

§. I.

An liceat relicta opinione propria, probabiliori ac tutiori sequi alienam minùs probabilem, minùsque tutam? item, an hanc liceat consulere, vel docere?

SUMMARIUM.

1. *Licitum est relictâ propriâ sententiâ sequi alienam minùs probabilem, minùsque tutam; immò etiam consulere.* 2. *Quid, si expressè rogeris tuam sententiam?* 3. 4. 5. *Quid hic liceat; vel non liceat Professori Publico?* 6. 7. *Quid Confessario?* 8. *Quomodo peccet Confessarius non absolvendò pœnitentem, qui sequitur opinionem suæ contrariam?* 9. *Subditus tenetur obedire, licet probabiliter, vel probabiliùs existimet, rem præceptam esse illicitam.* 10. *Quid si existimet, in aliquo casu se non esse obligatum ad obediendum?* 11. *Impugnatio doctrinæ num.* 9. *assertæ.* 12. *An subditus teneatur obedire Superiori, quem putat, non esse legitimè electum &c.*

1 COrollarium I. Quilibet licitè sequitur opinionem probabilem aliorum relicta propria probabiliori ac tutiori. Thomas Sanchez 1. in Decal. c. 9. num. 14. Castropal. de Consc. opin. disp. 2. pu. 2. num. 2. Bonac. disp. 2. de peccat. qu. 4. pu. 9. num. 4. estque communis sententia. Ratio est: quia sequens opinionem aliorum verè probabilem prudenter agit non minùs, quàm illi, qui eam sequuntur ut propriam: potest enim prudenter judicare, motiva talis sententiæ etiam esse digna rationabili assensu, atque adeo ex illa formare certum dictamen Conscientiæ. Hinc Doctor Theologiæ moralis, vel alius, à quo petitur consilium potest respondere secundùm sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, non solùm propriam, sed etiam alienam. Sayrus in clavi reg. lib. 1. cap. 6. n. 4. & 11. Bonac. loc. cit. n. 6. Diana parte 2. tract. 13. resol. 14. Bardi discept. 4. c. 20. & alii. Ratio est: quia quilibet alteri licitè suadet, quod ipsemet licitè sequitur. Neque enim quis tenetur magis curare alterius Conscientiam quàm suam. Atqui ejusmodi sententiam consultus ipsemet licite sequitur; ut constat ex priori §. ergo. Neque sequitur, respondentem ex aliorum sententia loqui contra propriam mentem: quia vel potest assensum de probabilitate suæ sententiæ omnino suspendere; vel cum dissensu speculativo de licita sequela alienæ sententiæ habere assensum practicum de licititate illius, atque secundùm hunc eam consulere: quod non est loqui contra mentem.

2 Cæterùm tradita mox doctrina eatenùs limitanda est, ut non habeat locum, quando quis expressè interrogatur, quid ipsemet ex sua propria sententia teneat? vel quid sit tutius & probabilius? in tali enim casu vel penitus abstinere debet à responsione; vel tenetur respondere secundùm propriam, & probabiliorem tutiorémque sententiam. Ita ex Joan. à S. Thoma docet Paulus Mezger tract. 5. disp. 14. a. 9. §. 2. n. 4. Bardi loc. cit. n. 5. Ratio est: quia aliàs interrogantem deciperet, & peccaret contra veracitatem ac fidelitatem. Valet igitur prædicta doctrina, quando consultans aliud non exprimit, sed præcisè interrogat, quid liceat? vel utrùm ad aliquid obligetur? v. g. an liceat inire talem contractum? an teneatur restituere? talis enim præsumitur esse solùm sollicitus, quid citra imprudentiam ac culpam in re fa-

re favorabili à se fieri ; vel utrùm ab obligatione honestè excusari possit ? non autem, quid ille, quem consulit, absolutè sentiat, vel censeat esse probabilius ac tutius ? immò, ut vult Tambur. 1. in Decal. cap. 3. §. 4. n. 15. in tali casu non solùm quis licitè potest, sed etiam tenetur respondere secundùm partem interroganti favorabilem, posito, quòd velit respondere. Ratio est : quia ille hoc ipsum interrogare præsumitur, an nempe sit aliqua via favorabilior, quam liceat citra periculum peccati tenere in operando ? ergo, si talem scit consultus, tenetur manifestare : secùs enim non agit bona fide.

3 Sed quid de illis hîc sentiendum, qui non contenti resolutione unius Doctoris, dum est minùs grata, adeunt alium & alium, donec inveniant, qui respondeat favorabiliùs, & ad utilitates ipsorum accommodatiùs ?

Respondeo cum distinctione. vel enim talis eo animo adit alium & alium, ut paratus sit amplecti cujuscunque sententiam, quibuscunque demum fundamentis nitatur, modò sit ipsi favorabilis ; vel ita est comparatus, ut invenire quidem cupiat, qui grata respondeat, illum tamen sequi non velit, nisi ejus sententia probabili fundamento nitatur ? Si primum, censeo, veram esse doctrinam Navarri, & Adriani, qui, ut refert Bardi, absolutè tenent, talem esse in malo statu & graviter peccare ; scilicet propter grave periculum errandi, in quod ex nimio affectu propriæ accommoditatis se temerè conjicit. Si secundum ; licitè agit ; quia utitur jure sibi à natura concesso prudenter amovendi obligationem sibi ab aliis impositam. Ita Sanchez loco cit. n. 24. Castropal. n. 6. Bardi discept. cit. c. 19. Monent tamen hi Doctores, non leve hîc esse periculum, ne talis inordinato affectu abreptus audiendi sibi commoda consulto vel non manifestet omnes circumstantias ad decisionem quæstionis cognitu necessarias, vel minùs fideliter utriusque partis momenta referat.

4 Corollarium II. Doctor, vel Professor publicus non tenetur docere ea, quæ ipsi videntur probabiliora, sed satisfacit suo muneri, dum docet etiam minús probabilia, quamdiu non prævidet, inde scandalum exoriturum. Sanchez n. 26. Castropal. num. 7. Tambur. num. 16. Ratio est : tum, quia obligatio habendi pro qualibet opinione motiva probabiliora foret nimis onerosa : cùm sæpe, quod heri apparuit probabilius, hodie appareat minùs probabile : atque hinc fieret, ut quis sæpissimè teneretur revocare sententiam, quam dictavit è cathedra. tum etiam, quia quilibet docendo sententiam verè probabilem prudenter se gerit, eo ipso, quòd intellectibus auditorum ingerat motiva digna prudenti assensu, eisque viam ostendat prudenter se gerendi. atqui docens sententiam minùs probabilem docet sententiam verè probabilem ; ergo.

5 Corollarium III. In materiis fidei, vel morum scienter, vel ex culpabili ignorantia docere falsa & improbabilia est peccatum mortale. ita cit. Ratio est : quia sic docens dat auditoribus ansam periculosam errandi in rebus ad animæ salutem pertinentibus, eosque graviter decipit. Mortaliter quoque peccaret, qui in materiis etiam levioris momenti, v. g. Logicæ, vel Rhetoricæ, communiter doceret improbabilia. Sanchez loco cit. Castropal. num. 8. Ratio est : tum, quia non satisfaceret suo officio, quod est docere vera, refutare falsa : tum, quia discipulis, quorum intellectibus errores inseminaret, esset graviter injurius. & ideo teneretur restituere, hoc est, errores tollere & dedocere. Dixi, *si ita communiter doceret.* nam una, vel altera vice id facere non videtur continere gravem malitiam, propter levitatem materiæ.

6 Corollarium IV. Etiam Confessarius licitè respondet pœnitenti juxta sententiam alienam contra propriam, modò illa sit verè, & practicè probabilis. Est communis doctrina, & sequitur ex dictis. Hinc interrogatus à consitente Confessarius, an teneatur ad restitutionem ? an sit obligatus ad jejunandum ? &c. licitè respondet, non teneri, non obligari, quomodo scit, dari sententiam probabilem id docentem, quamvis eam ipse non teneat. Immo, quando sunt duæ sententiæ, una rigida obligans v. g. ad jejunium, altera benigna excusans à jejunio, videtur etiam obligatus, ut respondeat secundùm benignam ; sicut colligitur ex dictis in num. 2. licèt ipse teneat rigidam. Optimè tamen in his casibus agit Confessarius, quando non dicit quidem, esse obligationem jejunandi, restituendi &c. suadet tamen hoc ipsum hortandô ad tutiora & perfectiora, ostendendô occasionem meriti & similia.

7 Corollarium V. Omnis Confessarius, sive ordinarius, sive delegatus, tenetur absolvere pœnitentem ex opinione probabili operantem, quamvis ipse sequatur contra contrarium : veluti contingeret, si Confessarius judicaret, contractum aliquem esse usurarium, quem tamen Titius v. g. probabiliter judicaret, non esse usurarium, eumque contra sententiam Confessarii vellet ini-

re. in hoc casu Titio non potest denegari Sacramentalis absolutio. Navarr. in Manuali, cap. 26. num. 4. Sayrus in clavi, lib. 1. cap. 9. à num. 23. Sanchez loc. cit. num. 29. Laym. lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 2. n. 10. Diana ubi suprà resol. 11. Castropalao pu. 4. n. 2. Bardi cap. 21. num. 5. & alii, estque communis sententia. Ratio est: quia Confessarius audita confessione tenetur absolvere quemlibet pœnitentem rectè dispositum: sed sequens sententiam probabilem, etiam contrariam persuasioni Confessarii est rectè (si aliud nihil obstet) dispositus; ergo Confessarius tenetur eum absolvere.

8 Cæterùm quale & quantum sit peccatum tali pœnitenti negare absolutionem, non ita liquet. Sayrus existimat, id non semper esse peccatum mortale, eò quòd Confessarium ab hoc sæpe excuset bona fides, &, ut addit Vasquez relatus à Bardi, Zelus propriæ opinionis. Adstipulatur Thomas Sanchez credens, ob parvitatem materiæ posse contingere, ut committatur peccatum veniale tantùm, putà, si confessio foret admodùm brevis, vel de meris venialibus: censet enim, pœnitenti tunc non inferri gravem injuriam, nec injungi grave onus, si cogatur confessionem repetere apud alium Confessarium. Joannes Sanchez apud Castropal. num. 5. dicit, esse peccatum mortale, quando pœnitens confessius est mortalia. Castropalao tenet, Confessarium, si credat, pœnitentem non obstante contradictione suæ sententiæ esse rectè dispositum, isque nolit consentire in denegationem absolutionis, probabiliùs committere peccatum mortale, si non absolvat, sive confessio sit de mortalibus, sive de venialibus tantùm. Ratio ipsius est: quia tunc Confessarius etiam confitentem solùm venialia (de mortalibus enim videtur res certa) privat magnô beneficiô Sacramenti, ad quod habet jus: ergo infert illi gravem injuriam, & graviter peccat. Ant. probat. nam si quis ex voto teneretur confiteri, solùmque haberet peccata venialia, procul dubio graviter peccaret, si non confiteretur. ex quo videtur colligi, esse materiam gravem tam adigere pœnitentem ad iterandam confessionem etiam venialium tantùm, quàm ad carendum fructu, ac beneficio illius. Neque refert, privationem ejusmodi beneficii, ac damnum à pœnitente facilè reparari posse venialia rursus confitendô alteri: nam, præterquàm, quòd hæc reparatio respectu negantis absolutionem sit merè per accidens, in metienda gravitate damni non debet attendi, qua ratione damnificatus id possit reparare, sed ejus natura, ut est in se. Hic modus sentiendi, licèt videatur paulùm severior, præplacet mihi, saltem per se loquendo.

Corollarium VI. Quando Superior pro- 9
babiliter existimat, id, quod præcipit, esse licitum, subditus tenetur obedire etiam contra propriam sententiam, qua probabiliter, vel omnino probabilius judicat, rem præceptam esse illicitam. Sayrus c. 12. à. n. 2. Sanchez 6. in Decal. c. 3. n. 6. Laym. loc. cit. n. 11. Sporer de Consc. prob. assert. 8. §. 4. n. 46. & est communis sententia. Probatur. Quotiescunque certum est, Superiorem justè præcipere, subditus tenetur obedire: sed certum est, Superiorem præcipientem juxta sententiam probabilem justè præcipere; ergo subditus ita præcipienti tenetur obedire. maj. constat. mi. ostenditur: quia Superior hoc ipso, quòd sit Superior, habet certum jus & possessionem præcipiendi non solùm id, quod est re ipsa licitum, sed etiam id omne, quod non constat esse illicitum, & quod ipsi prudenter apparet esse licitum; prout diximus in disp. proximè præced. a. 3. §. 3. Atqui in casu nostro non constat, id, quod præcipitur, esse illicitum; immò Superiori prudenter apparet esse licitum: ergo Superior habet certum jus & possessionem id præcipiendi: ergo certum est, Superiorem præcipientem juxta sententiam probabilem justè præcipere.

Quòdsi subditus habeat opinionem 10
probabilem oppositam opinioni probabili, vel etiam probabiliori Superioris, non quidem de ipsa re præcepta, quòd sit illicita, sed quòd ipse in aliquo casu parere non teneatur, tunc potest quidem obedire, non tamen tenetur. docent ita Sayrus ubi suprà, num. 6. Sanchez num. 7. & aliis relatis Castropal. pu. 6. n. 1. Ratio primi est: tum, quia subditus tamdiu licitè potest obedire Superiori, quamdiu non constat; eum injustè præcipere: atqui in simili casu non constat, Superiorem injustè præcipere; ergo. tum, quia licitè relicta propria sequi potest sententiam probabilem Superiois. Ratio secundi est: quia hîc jus & possessio præcipiendi ex parte Superioris non sunt certa, eo ipso, quòd sit opinio probabilis negans, subditum esse obligatum ad obediendum, ipseque Superior solùm probabiliter existimet, subditum esse obligatum: ergo non est certum, quòd Superior justè præcipiat, sed solùm probabile: & consequenter subditus probabiliter solùm tenetur obedire, & probabiliter non tenetur: adeòque non auferrur ipsi jus, ac libertas sequendi utramlibet sententiam probabilem, sive suam, sive Superioris.

Verùm suppositâ veritate hujus doctri- 11
næ surgit argumentum satis robustum contra sententiam communem num 9. afferram probans,

probans, ejus quoque oppositam esse probabilem. In forma sic arguitur: subditus probabiliter existimans, quòd non teneatur obedire, non tenetur obedire, ut primùm ostendimus: sed subditus, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire; ergo subditus, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, non tenetur obedire. mi. prob. nam inprimis non videtur, unde quis rationabiliùs opinari possit, nullam esse obligationem obediendi, quam ex probabili inhonestate materiæ præceptæ. Deinde, dum est probabile subdito, quòd non teneatur obedire, possessio præcipiendi ex parte Superioris non est certa, sed solùm probabilis: ergo etiam, dum est illi probabile, rem præceptam esse illicitam, possessio præcipiendi est solùm probabilis: sicut, dum est certum, rem præceptam esse licitam, possessio præcipiendi est certa, &, dum est certum, rem præceptam esse illicitam, possessio præcipiendi est nulla. Atqui ubi possessio præcipiendi ex parte Superioris est incerta, & solùm probabilis, subditus probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire; ergo ille, cui est probabile, rem præceptam esse illicitam, probabiliter existimat, quòd non teneatur obedire.

Confirmatur primo. Superior nunquam fuit in possessione præcipiendi rem illicitam: ergo, dum est probabile, rem præceptam esse illicitam, etiam est probabile, Superiorem non habere jus eam præcipiendi: sed, dum est probabile, Superiorem non habere jus præcipiendi, subditus probabiliter non tenetur obedire; ergo, dum est probabile, rem præceptam esse illicitam, subditus probabiliter non tenetur obedire.

Confirmatur secundo. Quando quis existimat probabiliter, peccatum à se commissum non esse mortale, aut jam semel esse subjectum clavibus, illud non tenetur confiteri; veluti probat pluribus relatis Sanchez 1. in Decal. c. 10. n. 76. Ergo similiter existimans probabiliter, rem præceptam esse illicitam, non tenetur eam exequi. Conseq. prob. tum, quia præceptum Superioris non est credendum obligare strictiùs, quàm præcepta Christi & Ecclesiæ: tum, quia ideo verum est anteced: quòd propter opinionem probabilem confitentis præceptum de integritate materiali confessionis respectu talis peccati sint solùm in possessione probabili & incerta; ergo. Judico, hanc sententiam esse satis probabilem. Eam defendit Castropal. pro cit. à n. 5. cum pluribus aliis, quos refert. Communis tamen oppositа in praxi est semper suadenda. Vis tota utriusque in eo videtur sitâ, quòd una velit, Superiorem habere jus certum præcipiendi non solùm ea, quæ sunt certò licita, sed etiam illa omnia, quæ non sunt certò illicita: altera verò contendat, Superiorem habere jus certum præcipiendi ea tantùm, quæ sunt certò licita.

Dices. Si subditi ducti opinione probabili aut probabiliore circa inhonestatem materiæ præceptæ possent non obedire, sive excusarentur ab obediendo, ingens confusio in qualibet communitate frequenter oriretur inter Superiorem & subditos; nec possent Superiores quidquam præcipere, nisi evidenter constaret, id esse licitum, idque ipsum subditis esset perspectum.

Respondeo ex Castropal. Indicatam confusionem vel æquè timendam esse in casibus, quibus subditus probabiliter existimat, se non esse obligatum ad obediendum; quod Authores oppositi non concesserint; vel neutiquam esse timendam in casu objecti præsentis; cùm non sit ita frequens, & quilibet ex communitate licitè utatur jure suo. Neque sequitur, Superiores ea solùm posse præcipere, quæ evidenter constat esse licita: nisi fortè supponas, ea solùm posse præcipere, circa quæ subditi obedire tenentur: quod ipsum negatur, in hac sententia.

Corollarium VII. Subditus probabiliter existimans, Superiorem non esse legitimum, eò quòd opinetur, non esse legitimè electum, & confirmatum, v. g. tenetur præcipienti obedire. Idem dicendum est, quando est utrimque probabile, an res præcepta excedat potestatem, vel jurisdictionem Superioris. Sanchez 6. in Decal. c. 3. n. 29. Ratio est: quia Superior (ut supponitur) est in legitima possessione Superioratûs: ergo tamdiu reputandus est legitimus Superior, quamdiu oppositum non est certum: ergo non est æquum, ut subditus credat, ipsum non legitimè præcipere, seque ab obligatione parendi esse solutum. Nihilominùs etiam contraria sententia probabilis est, quam aliis relatis tenet Castropalao n. 8. Ratio est: quia nunc possessio præcipiendi non est certa, sed solùm probabilis propter sententiam probabilem subditi. Atqui, dum jus & possessio præcipiendi est solùm probabilis, subditus, licèt possit, non tenetur obedire: veluti ostendimus n. 9. & 10. Ergo.

§. II.

An Minister Sacramenti, vel recipiens Sacramentum licitè sequatur sententiam probabilem minùs tutam relicta tutiore?

SUMMARIUM.

13. *Quæ sententia hic tutior, quæ minùs tuta?* 14. *Circa essentialia Sacramenti tenetur minister sequi sententiam tutiorem.* 15. *Quod tamen intelligendum est extra casum necessitatis.* 16. *Depelliatur instantia.* 17. *Minister extra necessitatem sequens sententiam minùs tutam circa essentialia Sacramentorum peccat mortaliter.* 18. *Etiam recipiens Sacramentum tenetur hic sequi sententiam tutiorem.* 19. 20. *Solvitur duplex objectio.* 21. *Confessarius non absolvit licitè cum jurisdictione merè probabili.* 22. *Quando Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis in casu opinionis probabilis de ipsa?*

13 ILla sententia hîc dicitur minùs tuta, quæ Sacramentum exponit periculo frustrationis, vel invaliditatis: tutior econtra dicitur, quæ Sacramentum non exponit tali periculo, v. g. opinio asserens, Baptismum collatum in lixivio esse validum est minùs tuta: quia, dum non est certum, Baptismum in ejusmodi materia collatum esse validum, periculum est, ne, si conferatur, invalidè conferatur. Opinio verò asserens, Baptismum collatum in lixivio non esse validum, est tutior: quia secundùm hanc operans nullum creat periculum valori Sacramenti, ut est clarissimum. Hoc animadverso, sit.

14 Corollarium VIII. Quando opiniones versantur circa essentialia Sacramenti, non licet ministro relicta tutiore sequi probabilem minùs tutam, sed tenetur sequi tutiorem. Ita communis DD. præsertim hodie post decretum Innocentii XI. anno 1679. die 2. Martii editum. Ratio ex dictis artic. præced. §. 2. n. 22. est: quia sententia probabilis minùs tuta hîc non est practicè probabilis: ergo tenemur sequi tutiorem. Conseq. patet. Ant. prob. quia sententia exponens Sacramentum periculo invaliditatis non est practicè probabilis: sed sententia probabilis minùs tuta exponit Sacramentum periculo invaliditatis; ut constat; ergo non est practicè probabilis. maj. prob. nam nulla sententia contraria certæ legis obligationi est practicè probabilis; sed sententia exponens Sacramentum periculo invaliditatis est contraria certæ legis obligationi; ergo non est practicè probabilis. maj. est clara. mi. prob. nam inprimis est certa lex religionis, qua jubemur sancta tractare sanctè, & in re tanti momenti operari secundum institutionem Christi; adeoque cavere periculum eam frustrandi. Deinde est certa lex charitatis, qua tenemur vitare damnum proximi, non minùs spirituale quàm temporale. Demum est certa lex justitiæ, saltem respectu illius, qui est minister ex officio, ne invalidè, & cum periculo frustrationis fidelibus administretur Sacramentum. Atqui sententia probabilis minùs tuta his omnibus est contraria; ergo. Et hæc doctrina præs. Coroll. intelligenda est extra casum necessitatis, & quando sententia tutior est practicatu possibilis: secùs enim locum habet.

15 Corollarium IX. Dum urget necessitas, & tutior sententia deduci non potest in praxim, minister licitè sequitur sententiam probabilem minùs tutam: v. g. quando infans est in articulo mortis, & non adest aqua certò naturalis, in promptu tamen est lixivium, baptizandus est infans in lixivio sub conditione, ut, si fortè materia sit valida, consequatur vitam æternam. Est communis & certa sententia. Ratio est: tum, quia salus animæ, quæ est finis Sacramenti ceu medii, præferri tunc debet valori ejusdem: nam finis est principalior quàm media. Tum, quia reverentiæ Sacramenti satis cavetur per adjectam conditionem. Immò (ut rectè advertit Cardenas in Crisi dissert. 2. cap. 1. n. 5.) ipsa necessitas aufert omnem irreverentiam. Sic Sacerdotem loqui inter celebrandum procul dubio est irreverentia: at urgente necessitate, ut quid postulet requisitum ad Sacrificium, cessat omnis irreverentia, si loquatur. Similiter currere in templo est irreverentia: at quando ferociens taurus, vel ursus irrumpit, salutem in pedibus quærere non est irreverentia.

16 Dices. Confessarius probabiliter existimans, pœnitentem esse verè contritum, vel attritum, eum licitè absolvit; atque adeò licitè sequitur hanc suam opinionem probabilem de dispositione pœnitentis. Modò sic: hæc opinio versatur circa substantiam Sacramenti; quia versatur circa dolorem, qui est pars essentialis illius. Est insuper minùs tuta; quia exponit Sacramentum periculo frustrationis: si enim esset à parte rei falsa, pœnitens absolveretur invalidè. Atqui hanc opinionem minister licitè sequitur, etiam extra casum necessitatis; ergo licitè sequitur opinionem probabilem minùs tutam in administra-

ministratione Sacramenti extra casum necessitatis.

Respondeo ad formam argumenti conc. maj. ejusque probat. dist. mi. hanc opinionem minister licitè sequitur non relicta tutiore, conc. relicta tutiore, neg. mi. ergo licitè sequitur opinionem probabilem minùs tutam &c. non relicta tutiore, conc. relicta tutiore, neg. conseq. Quando sententia tutior circa dispositionem pœnitentis non est electu possibilis, non peccat minister, si in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sequatur probabilem minùs tutam, etiam extra casum necessitatis; veluti comprobat praxis Ecclesiæ: quia tunc non relinquit sententiam tutiorem: neque enim dicimus relinquere, quod est impossibile, sed quod est in nostra potestate, & quod possumus eligere. Atqui non est semper in potestate Confessarii eligere sententiam tutiorem circa dispositionem pœnitentis: quia de hac ut plurimùm habere potest cognitionem solùm probabilem, ex asseveratione videlicet pœnitentis, & aliis signis externis fallibilibus. Et sanè, si teneretur amplecti partem tutiorem, vix unquam absolutè posset absolvere: cùm ferè nunquam possit esse certus de sufficienti dispositione pœnitentis.

17 Corollarium X. Peccat mortaliter primo, qui extra necessitatem confert Baptismum in lixivio, cerevisia, aqua rosacea, vel ex sale resoluta. Secundo, qui baptizat infantem in digito, vel alia parte corporis minima; vel in solis capillis; vel circumdatum pelle secundina. Tertio, qui baptizat in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*: vel: *ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque.* Quarto, qui ministrat Sacramentum Confirmationis sine balsamo. Quinto, qui consecrat in alio pane quàm triticeo; vel in vino congelato, dum est congelatum. Sexto, qui in consecratione calicis utitur his solùm verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, cæteris omissis. Ratio est: quia omnes sententiæ, quæ asserunt, his modis validè confici ea Sacramenta, sunt minùs tutæ, quàm oppositæ, & solùm speculativè probabiles; atque adeò extra casum necessitatis impracticabiles, propter rationes in num. 14. adductas. Lege Joan. de Cardenas loc. cit. c. 5. à num. 42.

18 Corollarium XI. Etiam recipiens Sacramentum, quando sententiæ versantur circa valorem illius, tenetur sequi tutiorem relicta probabili minus tuta. Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 27. sect. 6. quem cum aliis multis sequitur Cardenas c. 4. à n. 28. Ratio est: quia minister in administratione Sacramenti tenetur sequi sententiam tutiorem relicta probabili minus tuta, ut hactenùs vidimus: ergo etiam recipiens Sacramentum. Conseq. prob. nam ideo tenetur minister, quia sequendo minùs tutam exponit Sacramentum periculo invaliditatis, quod extra necessitatem, & quando tutior est practicabilis, omnino est illicitum, sed etiam recipiens sequendo probabilem minùs tutam exponit Sacramentum simili periculo; ergo etiam recipiens tenetur sequi sententiam tutiorem relicta probabili minùs tuta.

Obiicies primo. Sententia asserens, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficere attritionem, etiam cognitam ut talem, est minùs tuta, quàm sententia requirens contritionem perfectam. Pariter sententia docens, non esse obligationem explicandi circumstantias merè aggravantes in confessione, est minùs tuta, quàm opposita; & tamen quis solùm attritus, aut non confessus circumstantias merè aggravantes licitè recipit Sacramentum Pœnitentiæ: ergo recipiens Sacramentum licitè sequitur sententiam probabilem minùs tutam relicta tutiore. 19

Respondeo, eam sententiam, quæ asserit, attritionem sufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, esse certam; veluti clarè habetur ex definitione Concilij Trid. sess. 14. cap. 4. ubi de attritione pronuntiat, illam, *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se perducere peccatorem ad justificationem nequeat; tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponere.* Docet hanc certitudinem etiam Suarez cum pluribus aliis relatus à Paulino Berti in additionibus ad clav. reg. Sayri post cap. 7. lib. 1. Unde ea sententia non est minus tuta, quàm opposita, loquendo adversativè; quia non exponit Sacramentum ulli periculo invaliditatis; sed solùm comparativè. Illa porrò opinio, quæ requirit attritionem cognitam ut contritionem, non requirit ad validè, sed ad licitè recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Similiter sententia requirens explicationem circumstantiarum merè aggravantium non versatur circa valorem Sacramenti: nam, siquis ex oblivione naturali, vel ignorantia invincibili taceat ejusmodi circumstantias, validè confitetur, non minùs, quàm oblitus confiteri unum peccatum mortale, si reliqua confiteatur: quod verum non esset, si expressio earum circumstan-

cumstantiarum esset de valore Sacramenti.

20 Obiicies secundo. Minister magis obligatur procurare valorem Sacramenti, quàm recipiens: ergo non sequitur, si peccet minister in ejus administratione, etiam peccaturum recipientem. Ant. prob. nam Sacramenta sunt instituta in favorem recipientium, non ministrantium: ergo recipientes possunt licite cedere hoc favore, non autem potest minister minùs accuratum se gerere in ejus administratione.

Confirmatur. Minister in essentialibus requisitis ad Sacramentum, materia videlicet, forma, & intentione, non habet ullam difficultatem practicandi sententiam certam, & tutiorem; potest autem recipiens circa illa habere maximam difficultatem, v. g. pœnitens circa elicientiam doloris, integritatem confessionis &c. ergo licèt minister rationabiliter obligari possit ad praxim sententiæ tutioris, non potest tamen sic obligari recipiens.

Respondeo ad object. omisso Ant. neg. conseq. nam etiam Religiosus magis obligatur servare castitatem quàm secularis; uterque tamen peccat, si eam violet; iste quidem minùs, at ille magis. Ad probat. Ant. rursus omisso Ant. neg. recipientem posse cedere favore Sacramenti, ex hypothesi, quòd velit recipere Sacramentum. Nam eo ipso, quòd velit recipere Eucharistiam v. g. censetur etiam velle augmentum gratiæ (in quo consistit ejus favor) quod confert ex opere operato. Neque putandum est, favores, qui fidelibus ex receptione Sacramentorum proveniunt, esse instar favorum humanorum, qui etiam præstitis ad sui impetrationem necessariis obsequiis vel acceptari possunt, vel recusari. Accedit, quòd Christus Sacramenta instituerit ad communicandum fidelibus fructum suæ Passionis: Unde fideles eo ipso, quòd velint suscipere Sacramenta, graviter peccant contra institutionem & intentionem Christi, quando illa ex sua parte exponunt periculo invaliditatis.

Ad confirmat. dico, difficultatem practicandi sententiam certam, vel tutiorem ex parte recipientis, siqua occurrat, vel non esse tam magnam, ut eum excuset à tali praxi; vel non esse circa valorem Sacramenti; vel non esse majorem illâ, quam ex sua parte in multis casibus pati potest minister.

21 Corollarium XII. Sacerdos habens jurisdictionem solum probabilem non absolvit licitè. Ratio est: quia absolvens cum jurisdictione solum probabili exponit Sacramentum periculo invaliditatis: ergo non absolvit licitè. Conseq. constat: quia Sacramentum exponere tali periculo non est licitum. Ant. prob. nam, si opinio, qua probabiliter existimat, se habere jurisdictionem, à parte rei sit falsa, absolvit sine jurisdictione: ergo absolvit invalidè. Atqui non est securus, ne illa opinio sit re ipsa falsa; & neque aliunde est certus de jurisdictione; sicut supponitur; ergo. Cardenas dissert. cit. c. 6. a. 3. n. 137.

22 Corollarium XIII. Quando Sacerdos habet opinionem verè probabilem, & quam ut talem communiter recipiunt sapientes, circa jurisdictionem, unàque titulum putatitium à legitimo Superiore collatum, tunc licitè absolvit. Ratio est: quia Sacerdos ex tali opinione potest formare certam conscientiam de honestate absolutionis ita discurrendo: Opinio verè probabilis, qua modò existimo, me habere jurisdictionem, vel est à parte rei vera, vel falsa? si vera; Sacramentum non expono periculo; quia absolvo validè. Si falsa; tunc est error communis, tam doctis, qui hanc opinionem admittunt ut veram, quàm indoctis, qui, quod asserunt docti, credunt. Atqui in errore communi, si accedat insuper titulus putativus, Ecclesia certissimè supplet defectum jurisdictionis; veluti tradunt communiter D. D. apud Joan. de Cardenas, a. 6. n. 160. & seqq. Ergo certissimum est, me habere jurisdictionem; ergo certissimum est, me ex hoc capite licitè & validè absolvere.

§. III.

Quam sententiam sequi teneatur Medicus, vel Chirurgus?

SUMMARIUM.

23. *Medicus, vel Chirurgus tenetur ægroto adhibere medicinam certam, si possit.* 24. *Si non possit, tenetur adhibere probabilem.* 25. *An liceat Medico experiri in ægroto vim pharmaci dubii.* 26. *Quid, si salus patientis sit penitus desperata?* 27. *Ex medicinis probabilibus adhibendæ sunt probabiliores.* 28. *Cautela pro illis, qui adsunt ægrotis.*

23 Corollarium XIV. Medicus, vel Chirurgus tenetur, dum potest, ægroto adhibere medicinam certam (id est, talem, quæ videtur sanitatem certò allatura) relicta probabili, & dubia. Sayrus in clavi, lib. 1.

lib. 1. c. 10. n. 7. Sanchez lib. 1. in Decal. c. 9. n. 39. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15. Bardi discept. 4. c. 30. & DD. communiter. Ratio est: tum, quia lex certa charitatis obligat Medicum, ut proximo graviter indigenti ferat opem securam: quod planè non faceret, si relictâ certâ adhiberet medicinam probabilem vel dubiam. Tum, quia ratione officii, & taciti contractus, qui inter ipsum & ægrotum intercedit, tenetur omni meliori ac securiori modo illius saluti prospicere: sub hac enim, & non alia conditione æger præsumitur se tradere Medico. Nam quis prudenter suam salutem crederet Medico, de quo ipsi constaret, quòd relictis certis, ac tutioribus pharmacis utatur incertis, & dubiis?

24 Corollarium XV. Quando nullum habetur medicamentum certum, Medicus adhibere tenetur probabile, id est, tale, quod probabiliter esse profuturum existimat. Sanchez cit. n. 42. Castropal. pu. 9. n. 2. Quòd si nullum adsit probabile, tenetur adhibere dubium, sive tale, de quo dubitat rationabiliter, an sit salutiferum? modò sit certus, id non obfuturum. Ratio horum est: quia relinquere infirmum sine omni remedio repugnat charitati, & officio Medici. Nam applicato simili pharmaco fieri potest, ut convalescat: si non applicetur, in gravius fortè periculum vitæ conjicietur: & quia supponitur, medicamentum non obfuturum, æger per ejus applicationem non exponitur periculo. Castropal. loc. cit.

25 Corollarium XVI. Graviter peccat Medicus, dum pharmacum dubium præbet ægro, etiam desperatæ salutis, ut experiatur, an sit salubre, vel noxium? Sayrus n. 6. Sanchez n. 38. Castropal. n. 3. Ratio est: tum, quia nemini licet comparare scientiam cum alterius pernicie. Tum, quia sic operans exponit se periculo, ne tali pharmaco accelleret mortem patientis: immò periculum hujus accelerationis ipsi sit indirectè voluntarium, quia liberè ponit causam illius.

26 Corollarium XVII. Non potest Medicus licitè adhibere medicamentum omnino dubium, an sit salubre, vel noxium? tametsi salus ægroti sit penitus conclamata. Castropal. n. 5. & plurimi ab eo citati. Ratio est eadem proportionaliter, quæ prioris Coroll. quia nimirum Medicus applicans medicamentum, de cujus salubritate nullam habet probabilitatem, quantum est in se, sine necessitate exponit se periculo mortem infirmi accelerandi: ergo non est licita talis medicamenti applicatio. Igitur in hoc casu (inquit Sayrus) pars tutior est eligenda à Medico, scilicet, ut infirmum potiùs Divinæ providentiæ, quàm tali medicinæ relinquat. Cæterùm, quando habet spem utcunque probabilem quòd illud medium sit profuturum, id licitè applicat: quia probabilis spes vitæ præferenda est moraliter certæ morti, quæ non adhibito tali remedio supponitur. Neque tunc Medicus est in morali periculo, ne mortem infirmi acceleret. Nam licèt contingat, ut medicina re ipsa sit noxia, id non imputatur illi ad culpam; quia in ejus applicatione prudenter se gessit. Et hîc locum habet illud Galeni: *Interfice audacter.* Sayrus n. 10. Laym. loc. cit.

Corollarium XVIII. Inter pluta pharmaca, quorum alia sunt minùs probabiliter; 27
alia probabiliùs profutura, Medicus tenetur applicare probabiliora, ac tutiora, relictis minùs probabilibus, minúsque tutis. Sanchez ubi suprà n. 41. Laym. loc. cit. Bonac. disp. 2. de pecc. q. 4. pu. 9. n. 22. Tambur. l. in Decal. c. 3. §. 4. n. 17. Illsung tract. 1. disp. 1. a. 7. §. 2. n. 79. & communiter DD. Ratio est: quia ad id obligat tam lex charitatis, quàm tacitum pactum cum ægro initum, ut omni meliori ac securiori via prospiciat ejus saluti; sicut est dictum in n. 23. atqui hoc non præstat, nisi applicandô probabiliora & tutiora pharmaca, quando sunt in promptu; ergo. Quodsi occurrant plura remedia æqualiter probabilia, nec adsit aliquod probabilius, vel certum, Medicus applicare potest utrumlibet. Ratio est: quia hac ratione prudenter se gerit, omnique meliore modo, quo tunc potest, patientis saluti consulit. Tambur. cit.

Corollarium XIX. Sæpe graviter pec- 28
care possunt, qui inserviunt, vel assistunt ægroto, quando relictis, quas Medicus præscripsit, medicinis, alias pro suo arbitratu adhibent, quantumvis jam conclamato: vel poscenti vinum, aquam &c. Præbent, ut ejus desiderio satisfaciant. Villalobos apud Castropal. n. 10. Ratio est: quia sine necessitate & ratione urgente infirmum exponunt manifesto periculo mortis, saltem citiùs obeundæ. Unde nihil obstat, quòd aliunde supponatur certò brevi moriturus: licèt enim hoc ita se habeat; non tamen est certum, æquè citò morituram, si non bibat potum à te porrectum; vel non sumat tuam medicinam, quàm si bibat, vel sumat; ergo per intempestivam tuam misericordiam saltem exponitur periculo moriendi citiùs.

§. IV.

Quam sententiam sequi possint, vel debeant Judex, & Advocatus?

SUMMARIUM.

29. *Quæstionum alia juris, alia facti.* 30. *Quid hic Judici tenendum in causis criminalibus?* 31. *Quid in civilibus?* 32. *Quid, si argumenta partium utrimque*

sint æqualia? 33. Quid, si partes sese vincant alternatim? 34. Advocatus licitè patrocinatur causæ minùs probabili. 35. 36. Limitatio communis sententiæ. 37. Cautela pro Advocato.

29 DIfficultas procedit in causis criminalibus, & civilibus: item, in quæstionibus tam facti, quàm juris. Quæstio facti est, qua quæritur de existentia rei, vel actionis, in qua fundatur jus: V. G. an institutio hæredis, vel legatio verè extiterit? an sis proximus consanguineus defuncti? Quæstio juris est, qua quæritur, an etiam supposito facto quis majus jus habeat, quàm alius, ipsique magìs faveant leges: V. G. an ad te potiùs quàm ad alium pertineat hæreditas, vel legatum? Modò sit

30 Corollarium XX. In causis criminalibus Judex amplecti potest & debet opinionem minùs probabilem, quando hæc reo est favorabilis. Ita docent, etiam post Decretum Innoc. XI. Lumbier, Filguera apud Joan. de Cardenas dissert. 3. c. 3. n. 26. Sporer de consc. prob. c. 1. sect. 3. assert. 11. §. 3. n. 61. Paulus Mezger hîc a. 10. §. 3. n. 10. Ratio est: quia in his causis propriè locum habet illa regula juris, quòd *reo potiùs favendum sit, quàm actori*, reo, inquam, qui propriè sic dicitur in criminalibus, ut notat Tamburinus: nam in civilibus ille, qui in jus arcessitur, propriè conventus appellatur. Accedit, quòd secundùm juris dispositionem in his causis ad condemnandum reum requirantur *probationes luce meridiana clariores*: sed tales non adsunt, quamdiu defensio rei adhuc manet probabilis; ergo. Unde, quando summa sedes damnavit hanc propos. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*, non est credibile, eam suum decretum extendisse ad minorem probabilitatem faventem reo in criminalibus: quia non est credibile, eam velle, ut quis ad certam pœnam, capitis, exilii, vel alterius, condemnetur ob crimen adhuc non certum, & de quo non est omnino convictus. Itaque reus actore non demonstrante (inquit Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 16. ad finem) absolvi debet, non quidem pronuntiando, ipsum innocentem esse, sed, crimen de eo demonstratum non fuisse. Atqui, dum ejus defensio est adhuc probabilis, actor non demonstrat; ergo.

31 Corollarium XXI. In causis civilibus, sive quæstio sit de facto, sive de jure, Judex tenetur judicare secundùm sententiam, quæ omnibus inspectis est probabilior, jurique conformior. Th. Sanchez. 1. in Decal. c. 9. n. 47. Laym. loc. cit. Tambur. 1. in Decal. c. 3. §. 4. n. 5. & 9. Illsung hîc a. 7. §. 3. n. 81. & alii, estque communis sententia. Ratio fundamentalis sumitur ex ipso officio Judicis, qui ideo ceu viva lex, & jus animatum est constitutus à republica, ut inter partes litigantes procuret æqualitatem, & ferat sententiam secundùm merita causarum: ergo illi parti tenetur rem adjudicare, quæ habet majora merita suæ causæ: sed evidens est, partem, quæ in judicio pro se adducit argumenta fortiora & probabiliora, habere majora merita suæ causæ, quàm partem adversam; ergo secundùm illam tenetur judicare, eique id, de quo litigatur, addicere.

Corollarium XXII. Quando Judex omnibus pensatis existimat, neutram partem 32
vincere, eò quòd afferant pro se argumenta æqualiter utrimque probabilia, non potest pro suo libitu adjudicare rem, cui maluerit. Laym. Tambur. Illsung citt. Ratio est: quia Judex non potest salva æquitate inducere inæqualitatem, ubi jura partium sunt æqualia: atqui rem adjudicandò alterutri litigantium induceret inæqualitatem; quia uni tribueret totum, alteri, qui haberet æquale jus, omnino nihil. Accedit, quòd ferre sententiam pro Titio V. G. est affirmare, Titium in judicio vicisse. Sed quomodo hoc affirmabit Judex sine palpabili mendacio, quando videt; Cajum collitigantem fuisse Titio in probando æqualem? Vel itaque debet partes inducere ad compositionem; vel rem, de qua litigatur, inter litigantes dividere; vel, si res sit indivisibilis, eam dare uni cum obligatione, ut alteri secundùm æstimationem dimidii satisfaciat.

Corollarium XXIII. Si Judex non pot- 33
est discernere, quænam pars habeat pro se rationes & probationes efficaciores, eò quòd modò istæ, modò illæ appareant ipsi probabiliores, ita ut litigantes se probabiliter mutuò vincant; similiter sentiendum est cum Villalobo, Coninck, & Suarez apud Castropal. p. 10. n. 4. & aliis, rem à Judice non posse adjudicari alterutri litigantium, sed esse dividendam, aut illis modis utrique satisfaciendum, quos in Coroll. proximè priori adduximus. Ratio est: quia ideo ex dictis non potest rem uni adjudicare, quando constat, probationes esse æqualiter probabiles, quòd jura partium sint æqualia: sed etiam in hoc casu nostro jura partium sunt æqualia; ergo &c.

Corollarium XXIV. Advocatus licitè 34
patrocinatur causæ minùs probabili relicta probabiliore. Ita communissimè DD. Ratio petitur ex ipso officio Advocati. Nam iste à republica in hunc finem est constitutus, ut Judici pro suo cliente repræsentet rationes, ex quibus, quid secundùm jura & æquitatem sit à se definiendum, cognoscat: atqui

atqui huic muneri satisfacit Advocatus patrocinandô causæ etiam minùs probabili; ergo.

Confirmatur. Actor, cui assistit Advocatus, jus habet suam causam etiam minùs probabilem in judicio tuendi: ergo hoc idem licitè facit per Advocatum: nam *hoc quis potest per alium, quod potest facere per se ipsum*, juxta regul. juris 68. in 6. ergo Advocatus nomine clientis, cujus est veluti vicarius per jura constitutus, licitè tuetur causam minùs probabilem.

Neque sequitur, Advocatum hac ratione suadere Judici, ut ferat sententiam pro causa minùs probabili: quia non est intentum Advocati, Judicem inducere ad judicandum pro sua parte ut minùs probabili; sed solùm illi proponere momenta causæ, ut examinet, & videat, an possit pro ea ferre sententiam: namsæpe contingit, ut probationes & argumenta, quæ Advocato videntur minùs probabilia, à Judice rem accuratiùs ponderante censeantur esse probabiliora & validiora.

35 De cætero non displicet sententia Soti, Malderi, Arriagæ, & aliorum, quos refert Bardi, doctrinam Corollarii primùm asserti eatenùs limitantium, ut non habeat locum, quando agitur de vita Rei, pro quo adsunt rationes probabiliores à supplicio capitis liberantes. Ratio est: quia tunc assistere contra Reum causæ minùs probabili videtur adversari charitati proximo debitæ, quæ jubet adjuvare proximum, quantum in nobis est, vel saltem non obesse eidem, quando agitur de auferenda ipsi vita. Quod de vita sentiunt relati Authores, meritò extendit Bardi ad illa quoque, sine quibus vita vel omninò non conservari, vel cum quibus nonnisi ægrè conservari potest: cujusmodi sunt amissio omnium bonorum, lethalia vulnera, &c.

36 Dices. Advocatus non peccat contra justitiam defendendo tunc causam minùs probabilem, sed habet jus eam defendendi; ergo nec peccat contra charitatem.

Respondeo neg. conseq. fieri enim potest, ut quis agendo secundùm justitiam peccet contra charitatem. Exemplum est in eo, qui sciens pretium certarum mercium cras, aut perendie diminutum iri, ejusmodi merces, ne damnum patiatur, vendit hodie pretio currente cuipiam ignoranti futuram diminutionem pretii. Hic talis venditor non peccat contra justitiam; peccat tamen contra charitatem, quando merces sunt in magna quantitate, ita ut emptor gravissimum hinc damnum patiatur: velut advertit Lessius lib. 2. de just. cap 21. dub. 5.

Sed instas. Interest boni publici puniri delicta: ergo, licèt videat Advocatus, rationes, quæ militant contra reum, esse minús probabiles, quàm oppositas, non agit contra charitatem utendò iis rationibus contra reum in favorem boni publici.

Respondeo, non minùs interesse boni publici servari vitam civis, quàm delictum puniri. Quando igitur Advocato suppetunt rationes efficaciores pro servanda vita alicujus civis, non apparet, posse ab ipso citra læsionem charitatis urgeri illas coram Judice, quas videt vitam & sanguinem civis petere.

37 Porrò, si Advocatus defendendam suscipit causam minùs probabilem ex parte sui clientis, de hoc ipso clientem monere tenetur. Ita Bardi, Sanchez, & alii. Ratio est: quia cliens audito hoc tali causæ suæ statu fortè litem non est prosecuturus. Atque hinc Advocatus clientem celans veritatem tenetur eidem resarcire expensas, aliaque damna, quæ passus est in progressu causæ, à quo, cognita veritate, abstinuisset. Nam dissimulandô periculum perdendi litem decipit litigantem, adeóque peccat contra justitiam, & consequenter obligatur ad restitutionem. Quòd si Advocato post adhibitam sufficientem diligentiam utrumque videatur probabile; licèt clientem habitâ notitiâ causæ fuisse, & non fuisse litigaturum, ad nihil tenetur: quia nemo est obligandus ad restitutionem, cui non constat de damno à se illato: atqui tunc Advocato non constat de damno illato; ergo.

DISPUTATIO V.

De Conscientia Scrupulosa.

Etsi Conscientia Scrupulosa facilè reduci possit ad alias Conscientiæ species hucusque disputatas, ac proinde non videatur poscere tractationem separatam; quia tamen instar horrifici spectri multis in via salutis occurrere, terrorémque solet incutere, operæ pretium est importunæ grassatrici larvam seorsim detrahere. Itaque breviter de scrupulorum causis, signis, ac remediis disseremus.

ARTICULUS I.

De Causis, Signis, & Remediis generalibus Scrupulorum.

SUMMARIUM.

1. Quid scrupulus, quid scrupulosus? 2. Causæ scrupulorum intrinsecæ. 3. Et extrinsecæ. 4. Varia signa scrupulorum. 5. Afferuntur octo remedia scrupulorum generalia.

1 SCrupulus, à quo Conscientia vocatur Scrupulosa, est inanis quædam suspicio ex levi, vel nullo fundamento proveniens, conjuncta cum anxietate animi ac formidine, vel credulitate, quòd subsit alicubi peccatum, ubi nullum subest. Scrupulosus est, qui levi ejusmodi suspicione agitatur. Cæterùm Scrupulus non solùm potest esse de peccato præsenti, sed vel maximè de præterito, & futuro. Exemplum scrupuli de peccato præsenti est, si ex levissimo motivo credas, te hîc & nunc illicitè S. Eucharistiam sumere: de præterito, si ex simili fundamento suspiceris, te consensisse tentationi; non recitâsse aliquam horam Canonicam: de futuro, si inaniter tibi persuadeas, te esse obligatum ad repetendam aliquam horam; ad iterandam Confessionem; ad omittendam celebrationem Missæ &c.

2 Causæ, sive radices scrupulorum aliæ sunt ex parte animi, aliæ ex parte corporis. Ex parte animi sæpe est primo inflexibilis quædam proprii judicii tenacitas & superba pervicacia, qua monita prudentûm respuuntur, eorumque consiliis non acquiescitur. Et hæc radix est omnium periculosissima, difficillimeque curantur, qui ex hoc capite evadunt scrupulosi. Secundo est nimius amor sui ipsius: ex quo fit, ut quis cautelâ nimis immoderatâ fugiat quæcunque peccata metu pœnarum post hanc vitam subeundarum. Hinc maxima sollicitudo, perturbatio, anxietas, & demum mille scrupuli. Tertio est ignorantia, ob quam quis nescit distinguere judicium practicum à speculativo, tentationem à consensu; culpam & obligationem levem à gravi &c. Ex parte verò corporis scrupulos generare solet temperamentum cum excessu melancholicum; quod est timiditatis, ac suspicionum seminarium. Deinde læsio potentiæ imaginativæ: quando enim ista non ritè fungitur suô officiô, sæpe intellectus apprehendit ut mala & illicita, quæ talia non sunt.

3 His accedunt causæ scrupulorum extrinsecæ. Prima est Deus ipse, qui non rarò in pœnam certi peccati, præsertim superbiæ, vel ob majus bonum virtutis, & incitamentum ad perfectionem sinit hominem esse scrupulis obnoxium. Secunda est malus Dæmon. Hic enim, ut homini tædium virtutis ingeneret, cúmque à multis bonis impediat; immò in desperationem demum præcipitet, scrupulos non rarò immittit, & leves quaslibet obligationes, earúmque transgressiones immensùm exaggerat. Tertia est conversatio, & familiaritas cum scrupulosis. Nam habet hoc omnis societas, ut sua sive bona, sive mala reddat sociis communia. Quarta est lectio librorum, in quibus præcepta Dei, & Ecclesiæ cum nimio rigore ubique in severiorem partem exponuntur, prætermissa interpretatione benigniori, & rationabili epikia. Huc pertinet usus Confessarii, ac directoris scrupulosi. Nam talis non rarò scrupulos, quibus ipse laborat, etiam conscientiis subditorum inseminat. Lege Sayr. in Clavi, lib. 1. cap. 14. Laym. de Consc. scrup. cap. 6. n. 1. Tambur. lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 8. n. 1.

4 Cæterùm generale signum scrupulosi hominis est, si quis deprehendatur vel in una aliqua materia, vel in pluribus crebrò suspicari, vel timere, ne peccet, aut, ne peccaverit; idque sine rationabili causa, &, ubi nullum subest peccatum. Alia plura scrupulorum indicia afferunt Busenbaum lib. 1. c. 3. Joseph. Rossellus de praxi depon. consc. c. 11. ut: si quis de rebus etiam certis, notis, & ipsi hactenùs indubitatis frequenter dubitet. Si post auditum viri docti & probi consilium necdum sit animo composito, sed alium & alium consulat, nullius tamen monitis acquiescat. Si ex levi apparentia novæ rationis crebro varier, judicium de aliqua re, V. G. de lecto, vel non lecto aliquo psalmo, versu &c. in recitatione breviarii. Si illa, quæ antea non habeat pro peccatis, modò habere incipiat. Si peccata, quæ jam semel fuit ritè confessus, identidem in confessione repetat, quasi ea prima vice non satis exposuisset, vel de illis non sufficienter doluisset &c. Si agat perturbatè, inconstanter, & cæco quodam modo in externis operibus versetur, eáque nunc intermittat, nunc iterum resumat &c. Si occurrente alicujus præcepti executione, V. G. recitatione horarum, ita sit anxius, atque perplexus, ut penè ineptire, & è mentis potestate exire videatur. Si miris modis, exoticis gestibus, & extraordinariâ cautelâ peccata, & quas-

vis

vis leves imperfectiones fugiat: V. G. suspirando; percutiendo pectus, signando se cruce; in cœlum suspiciendo.

5 Inter generalia scrupulorum remedia primum, & omnium præsentissimum; immò maximè necessarium est, ut scrupulosus, si liberari ab hac sua miseria velit, se penitus subjiciat directioni & consilio Confessarii, vel alterius viri docti ac probi, paratus illius monitis atque judicio prorsus acquiescere. Nam, si aliter sit animo comparatus, & Confessario non verè obediat in operando, nec conetur obedire, omnis alia opera in eo curando frustra consumitur, & ideo dixit Valentia apud Tambur. ubi suprà; hoc primum remedium continere omnia remedia scrupulorum. Quod vel maximè verum est, quando scrupulositas ex prima radice, quam in n. 2. attulimus, fuit exorta; nam frangi ante omnia debet proprii judicii pervicacia, quod fieri non potest, nisi quis alieno judicio se totum in operando subjiciat. Hoc autem facto cætera remedia suam efficaciam facillimè exserunt. Neque existimet scrupulosus, se versari in periculo peccandi, dum contra suum judicium in omnibus sequitur judicium alterius: debet enim credere certissimè, Confessarii, vel alterius viri probi & docti consilium respectu scrupulosi facere 8 sententiam probabilem; immò opinionem Confessarii ex se minùs probabilem in concursu scrupuli, & respectu scrupulosi ob pericula, quæ secum trahunt scrupuli, fieri probabiliorem ac securiorem: & consequenter scrupulosum licitè, honestè, & citra ullum periculum peccandi formaliter, relicto proprio judicio, & contra scrupulum se sententiæ Confessarii in operando conformare.

Secundum remedium est obstare principiis, & scrupulum, quamprimùm se menti insinuat, instar impuræ suggestionis repellere, & conversis ad alia objecta cogitationibus, animosè contemnere. Nam & hîc est in mora periculum; & quanto diutiùs cogitando volvitur scrupulus, tanto magis invalescit, & imprimitur animo: ex quo fit, ut deinceps difficiliùs expellatur. Expedit proinde, scrupulosum nunquam vacare à negotiis, ne scrupulos ruminandi tempus suppetat, Laym. loc. cit. n. 2.

Tertium est operari contra scrupulum. Hoc enim non modò licitum, sed etiam laudabile; immò quandoque necessarium esse docent Sayr loc. cit. n. 1. Th. Sanchez 1. Decal. c. 10. à n. 80. & Authores communiter. Atque id quidem licitum est; quia cum scrupulo, qui vel nullo, vel levissimo solùm fundamento nititur, stat optimè dictamen certum conscientiæ de honestate actionis illi oppositæ. Est laudabile; quia omnes sapientes judicant, inanes ejusmodi ac frivolas dubitationes esse penitus exstirpandas: quod expeditissimè fit, dum agendo contrarium illis obviàm itur. Est insuper necessarium: quia sæpè contingit, ut scrupuloso grave damnum ex suis anxietatibus & perplexitatibus imminеat, si non agat contra illas. Itaque si scrupulus dictat, repetendam esse confessionem, eò quòd aliquam circumstantiam peccati omiseris, noli repetere: Si dictat, exspuendo in terram se peccare, exspue sæpius de industria.

Quartum est, ut scrupulosus sibi proponat exemplum aliorum hominum proborum, sibique persuadeat, eorum vitam, agendique consvetudinem posse cæteris esse vivendi regulam. Quare, quod illi agunt, sine formidine peccati, vel licitè agi posse existimant, à se quoque licitè agi posse arbitretur. Sylvester v. Scrupulus. q. 4. Laym. loc. cit. Quòd si scrupulosus sit vir doctus, etiam se ipsum sibi repræsentet, qualem se nempe gereret, si de simili casu consuleretur ab aliis, & consilium, quod daret se consulentibus, sequatur ipse. Nam frequenter contingit, ut ejusmodi viri sint aliis clementes, ac lenes, sibi ipsis verò nimiùm rigidi.

Quintum est, ut, quando dubitat scrupulosus, an id, quo angitur, sit scrupulus, vel verum dubium? judicet, esse merum scrupulum. Habet enim hoc præsumendi ac judicandi sufficiens fundamentum, quòd sciat, se esse scrupulosum: ergo jam habet opinionem probabilem, vexari se scrupulo solùm: Atqui hanc talem opinionem licitè sequitur; ergò licitè credit, id non esse verum dubium, sed scrupulum, atque ut talem à se prudenter deponi. Bonac. disp. 2. de pecc. q. 4. pu. 8. n. 3.

Sextum est, ut, quando scrupulosus est talis ex causa naturali, ejusmodi causa tollatur. Nam causâ sublatâ tollitur effectus. Unde, si scrupolositas fuit orta ex complexione melancholica, vel abundantia humorum, sumat scrupulosus pharmaca; utatur honestis recreationibus, & consortio hilarium amicorum: caveat tamen societatem scrupulosorum, ne magis inficiatur. Sylvester q. 4. Bonac. loc. cit. Tambur. n. 11.

Septimum est, ut de æterna beatitudine, de bonitate, de misericordia & amabilitate Dei frequenter discurrat, ac meditetur, aliisque similibus occupetur, quæ cùm ad fiduciam in Deo collocandam, tum ad tranquillitatem animi conducunt. Illa autem, quæ terrorem incutiunt, metúmve ingerunt, V. G. extremi judicii, vel inferni, penitus & legere & meditari omittat. Similiter à lectione Authorum rigidorum prorsus abstineat.

Octavum est crebra oratio cùm ipsius scrupulosi, tum aliorum pro ipso, ut Deus, qui lux est, & fons omnis sapientiæ, illustret gratiæ suæ radiis caligantem intellectum, & funestas scrupulorum tenebras, ab ipso Dæmone fortè inductas, dispellere dignetur.

ARTICULUS II.

De remediis particularibus, & Confessario scrupulosorum.

SUMMARIUM.

1. *Quomodo curandi sint scrupuli de consensu tentationibus præstito? 2. Quomodo scrupuli de confessionibus præteritis? 3. Quomodo scrupuli de recitatione Breviarii? 4. 5. 6. Monita ad Confessarium scrupulosi. 7. Quomodo tractare oporteat scrupulosos laxæ conscientiæ?*

1 QUidam anguntur plurimùm ex dubitatione, an alicui tentationi, V. G. blasphemiæ, infidelitatis, impudicitiæ &c. consenserint; atque adeò mortaliter peccáverint? tales, si sint timoratæ conscientiæ, & ob metum offendendi Deum patiantur scrupulos ejusmodi; judicare debent atque præsumere, quòd non consenserint. Ita præcipiunt communiter DD. Ratio est: quia scrupulosus nunquam debet judicare, se peccâsse mortaliter, nisi id certò etiam sine ulteriori examine videat. Laym. ubi suprà, Tambur. n. 7. & alii. Nam peccata mortalia sunt se ipsis tam manifesta timoratis conscientiis, ut ea primo statim aspectu deprehendant: atqui in casu nostro scrupulosus non videt certò, se peccâsse mortaliter; ergo non debet hoc judicare. Oportet proinde scrupulosum ab omni sui examine circa assensum tentationibus præstitum abstinere: quia non est sufficiens ad rationes, quæ fortè occurrunt, debitè expendendas, eò quòd etiam maximè leves ac frivolæ ipsi appareant gravissimæ, & quantò accuratiùs pergit omnia discutere, tantò profundiùs aliis atque aliis anxietatibus implicetur. Castropal. pu. 2. n. 2. Illsung tract. 1. disp. 1. a. 5. n. 3.

2 Alii econtra molestissimè vexantur propter confessiones præteritas, putántque, se nunquam rectè, atque integrè fuisse confessos: vel, quòd numerum, aut circumstantias peccatorum non satis explicaverint; vel, quòd non sufficienter de peccatis doluerint, eáque emendandi propositum efficax non elicuerint. Hinc omnes illas confessiones volunt repetere, novásque generales de tota vita instituere. Hujus generis scrupulosus confessiones præteritas nullo modo debet repetere, aut confessionem generalem instituere; sed certo credere, quod rectè & integrè fuerit confessus, quando ad hoc præstandum vel ex suo, vel ex Confessarii probabili judicio visus est mediocrem saltem diligentiam adhibuisse. Ita DD. citt. & alii passim. Ratio est: quia non minùs à præcepto confessionis excusat manifestum periculum magni mali, vel grave incommodum alioquin obligatos, quàm ab aliis præceptis: ergo tametsi scrupulosus antecedenter fortè non impleviſſet præceptum confessionis vel tacendò aliquam circumstantiam, vel non satìs dolendò &c. ab illo per repetitionem earum confessionum implendo excusatur propter gravia incommoda, magnasque anxietates exinde de novo secuturas. Nam fac, scrupulosum confessiones priores repetere, vel generalem instituere, dubitabit de hac novissima confessione iterum, & angetur scrupulis, an & ipsa sit facta cum sufficiente dolore, debito examine &c. atque adeo in novum Labyrinthum priore intricatiorem conjicietur. Castropal. n. 4. Illsung loc. cit. Tambur. n. 8. Et ideo rectè dixit Emmanuel Saa V. *dubium*. n. 5. scrupulosum non teneri fateri, nisi quæ possit jurare & fuisse peccata mortalia, & se nunquam fuisse confessum.

3 Sunt præterea quàm plurimi, qui graves patiuntur scrupulos in recitando Breviario, ac proferenda forma Sacramentorum; dum existimant, se absque debita intentione, vel attentione recitâsse, verba protulisse; vel ea non integrè protulisse &c. hinc nullus apud eos finis de novo recitandi, & pronuntiandi. Qui ita sunt constituti, debent & ipsi unicè sequi consilium viri docti & probi, & quidquid hic judicat ad implendum præceptum sufficere, fideliter amplecti: nam ipsi in scrupulorum tenebris non sunt apti, ut, quid agendum, vel non agendum sit, perspiciant: ab alio proinde se regi ac duci instar cæcorum sinant, necesse est. Non credant, se quidquam omisisse in recitatione Breviarii, licèt non penitus sint certi de aliqua hora, vel psalmo recitato, modo sibi sint conscii de sua consuetudine horas aliàs integrè recitandi. Accedit, quod ejusmodi homines hoc ipsum magno studio sollicitè caveant, ne, dum recitant, quid omittant. Quomodo ergo est credibile, eos quidquam omisisse? Ad intentionem quod attinet, sibi persuadeant, satis esse virtualem, vel exercitam, qualis est, dum Breviarium in manus accipiunt, & recitare incepturi eluce se signant, ita dispositi, ut interrogati, quid hîc & nunc agere vellent? responderent, se obligationi recitandi horas velle satisfacere. D. Paulus Mezger hîc §. 2. n. 11. Cæterùm distractiones inter recitandum non existimet gravi-

graviter obesse, nisi cum plena advertentia, datáque opera mentem ad alia diverterint. Ita citt.

4 Confessarius ante omnia diligentiam adhibere debet, ut cognoscat, an, & in quibus suus pœnitens sit verè scrupulosus. nam prima Medici cura est nosse & morbum & statum morbi in ægrotante: atqui Confessarius respectu scrupulosi se habet ut Medicus; ergo. id autem non difficulter cognoscet ex signis scrupulorum, quæ suprà attulimus. deinde exigat à scrupuloso, ut spondeat, se stare velle in omnibus judicio sui Confessarii, ejúsque consiliis penitissimè obsequi: nam secùs lavabit Æthiopem, & omnem medelam applicabit incassùm. obtenta hac assecuratione curet, ut scrupulosus remedia hactenùs præscripta deducat in praxim. & ideo serio inculcet ipsi obligationem agendi contra scrupulos, eosque deponendi ex judicio Confessarii; propter gravissima damna, quæ tam saluti animæ quàm corporis solent accersere scrupuli. consulat cordatè, & citrà hæsitationem resolutè: nam alioquin etiam pœnitens Confessarii fluctuationem animadvertens in parendo hæsitabit. Monet præterea Tambur. n. 16. Confessarium, ne consilii sui rationes ac motiva scrupuloso regulariter manifestet: cùm constet experientiâ, majores inde scrupulos ejusmodi hominibus advenire: quippe, qui difficillimè à rationum sibi datarum examine, cui tamen pares non sunt, abstinere solent.

5 Dubia præterea explicet in meliorem partem, atque in favorem ipsius scrupulosi; veluti suadent Th. Sanchez 1. Decal. c. 10. n. 84. Bonac. ubi suprà. Tambur. n. 14. & alii. Quia contra scrupulum, qui levissimo nixus fundamento omnia in majus extollit, stat præsumptio; atque adeò contra ipsum judicari debet in favorem scrupulosi possidentis suam libertatem; quia ejus conditio est melior, non minùs, quàm in dubio. Hinc, si scrupulosus dubiter, an peccaverit; vel peccatum commissum fuerit confessus? nec permittat eum ulteriùs examinare conscientiam; nec ejusmodi peccata dubia confiteri. Quod si scrupulosus credat credulitate quantumvis levi, se non commisisse aliquod peccatum &c. habeat pro certo, illum non commisisse: Quia hujusmodi credulitas in scrupuloso æquivalet certitudini morali. Bonac. loc. cit. minutiores quoque interrogationes, & quæ fortè in aliis pœnitentibus essent necessariæ prætermittat. Tambur. cit.

Persuadeat denique scrupuloso, ut nihil 6
habeat pro peccato mortali, nisi certissimè sciat esse tale; sive agatur de peccato præterito, sive de futuro; immo nisi audeat jurare, esse peccatum mortale, illúdve commisisse. Quin etiam quandoque scrupulis nimiis absorpto non credat, tametsi paratus foret jurare, se commisisse, vel non fuisse confessum: quia compertum est, ejusmodi homines tam esse obstinatos, ut auderent jurare, dummodò Confessarius permitteret confessionem priorem repetere: quod facere neutiquam debet, licèt rogetur importunissimè. Bossius parte 3. tit. 1. §. 54. à n. 2078. qui, quod hîc dictum de mortalibus, etiam extendit ad venialia peccata. Non sinat scrupulosum multa loqui de suis scrupulis, &, si velit eos etiam extra confessionem proponere consilii capiendi causâ, discursum abrumpat, & sermonem avertat aliò. Quin immò conantem suas dubitationes aperire debet quandoque asperè reprehendere, &, ne aperiat, vel confiteatur, detetrere. Nam oportet hîc uti mediis non modò dulcibus, sed etiam amaris. Bonac. ubi suprâ.

De cætero nonnulli sunt scrupulosi laxæ 7
conscientiæ, & solùm anxii de peccatis commissis, an nempe illa ritè fuerint confessi? de committendis autem incurii, immò ad illa faciles. Tales, ut videtur Sylvestro V. *scrupulus*, sunt æternæ damnationi propinqui. Certè difficillimè curantur: neque aliud ferè pro illis suppetere videtur remedium, quàm ut à Confessario ad Dei timorem, ad crebras confessiones, ac communiones adducantur. Tambur. n. 17. Nihilominùs, si sint verè scrupulosi, non debent tractari severè, ut alii interdum pœnitentes in peccata effrænes; sed possunt cum eis remedia hactenùs præscripta benevolè, &, prout prudentia dutaverit, discretè communicari. Bonac. cit. & alii passim. Secùs enim, si habeantur asperiùs, facilè propter molestiam, quam in sui correctione percipiunt, & propter laxitatem conscientiæ, quæ laborant, omnem Confessarii curationem (ut dicit Tamburinus) diffugient peribuntque.

TRA-

TRACTATUS II.

De Actibus humanis.

Homo æternam beatitudinem, ad quam conditus est, nonnisi rectis atque honestis actionibus suis consequitur. Nam istæ sublimes sunt illi passus, quibus imus ad astra: neque enim ad Deum (ut dicit alicubi S. Augustinus) venitur pedibus, sed affectibus: sicut è contrario actiones malæ, seu peccata sunt gressus illi distorti, quibûs toto cælo aberratur, & ad Orcum properatur. De actibus proinde humanis cùm in genere, tum in specie de inhonestis, seu peccatis, impræsentiarùm disputabimus.

DISPUTATIO I.

De Actibus humanis in genere.

ARTICULUS I.

Quid, & quotúplex sit Actus humanus?

SUMMARIUM.

1. *Quinam actus hominis, qui humani. Definitio Actûs humani. 2. Actus humanus alius elicitus, alius imperatus. 3. Deliberatio rationis alia latè, alia strictè dicta.*

1 EX actibus, qui ab homine procedunt, alii dicuntur actus hominis, alii actus humani. Actus hominis est omnis operatio, quæ convenit homini etiam secundùm gradum genericum, eíque cum cæteris animálibus communis est. Tales sunt crescere, comedere, progredi &c. Actus humanus propriè ille dicitur, qui est ab homine quà tali, sive, qui convenit homini secundùm gradum specificum, & quatenùs in perfectione differentiali superat animalia cætera. Actus humanus ita sumptus dividitur in humanum quoad substantiam, & in humanum quoad modum. Actus humanus quoad substantiam est, qui convenit homini ut operanti secundùm gradum specificum & differentialem; ut risus, fletus, motus voluntatis primò primus &c. Actus humanus quoad modum est omnis operatio, quæ ab homine procedit secundùm modum operandi naturæ rationali proprium, nempe vel cum cognitione perfecta finis, & absque indifferentia, ut amor, & fruitio beatifica; vel cum indifferentia & libertate; ut intentio finis, electio mediorum ad illum consequendum &c. Si actus humanus hoc secundo modo accipiatur, tunc est proprie hujus loci, nósque de illo sub hac sola consideratione deinceps agemus. rectè autem definitur ex D. Thoma 1. 2. q. 1. a. 1. in c. *Actio, cujus homo est dominus, sive, que ex deliberata voluntate procedit.*

2 Porrò actio duobus modis à voluntate potest procedere, scilicet elicitivè, & imperativè. & ideo actuum humanorum alius vocatur elicitus, alius imperatus. elicitus est, qui à voluntate immediatè physicè procedit, inque ea recipitur, velut intentio, electio &c. actus imperati sunt operationes aliarum potentiarum, quatenùs actualiter subjiciuntur motioni voluntatis: ut ambulare, comedere, ridere &c. qui quidem actus, tametsi ea proprietate, de qua hîc loquimur, humani non sint, quatenùs à suis potentiis proximè procedunt, rationémque præveniunt, tales tamen sunt, datámque antè definitionem sibi vendicant, quatenùs ex deliberatione, & libero voluntatis imperio mediatè procedunt; veluti notat Paulus Mezger tract. 4. disp. 1. a. 1. n. 7. Et inde habetur, actiones infantium & amentium, V. G. ridere, flere, loqui &c. non esse actus humanos: nam etsi, fiant ab homine, non tamen fiunt ab homine ut rationis & libertatis in deliberando & eligendo actualiter compote.

3 Deliberatio verò rationis nunc sumitur latè, nunc strictè. strictè sumpta est prævia consultatio & inquisitio de mediis ad finis consecutionem idoneis. latè sumpta significat actum intellectûs proponentem voluntati objectum cum indifferentia & sufficienti lu-

mine

mine ad discernendum inter bonum & malum. Hæc utraque deliberatio dividitur in formalem, & virtualem, sive interpretativam. formalis est, qua quis actu deliberat. virtualis est, dum quis obligatus & potens deliberare non deliberat, & nihilominus judicat, hîc & nunc aliquid esse agendum, vel omittendum: veluti contingit in eo, qui peccat ex ignorantia vincibili. Quælibet ex allatis deliberationibus sufficit ad denominationem actus humani: & ideò ly *voluntas deliberata* in illius definitione idem sonat, ac voluntas regulata per deliberationem, sive latam, sive strictam; sive formalem, sive virtualem.

ARTICULUS II.

De Voluntario.

EX definitione actus humani facilè colligitur, intellectum & voluntatem esse illius principia: item, rationem genericam, in qua omnes actus humani conveniunt, esse voluntarium: quod enim ex deliberata voluntate procedit, est vel maximè voluntarium. itaque hujus cùm definitionem, tum multiplicem divisionem in præsenti artic. afferemus: varias deinde doctrinas, quæ ex dicendis pullulabunt, subjiciemus. liberum denique, quod est præcipua species voluntarii, breviter explanabimus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium?

SUMMARIUM.

1. *In quo sensu hic accipiatur voluntarium?* 2. *Affertur & asseritur definitio voluntarii.* 3. *Excluduntur a ratione voluntarii motus cognitione destituti.* 4. *Item actus intellectus omnium primi.* 5. *Actus necessarii amoris & fruitionis beatificæ sunt perfectissimè voluntarii.* 6. *Motus vero voluntatis primò primi imperfectè tantum.* 7. *Quid de operationibus quibusdam brutorum?* 8. *Declarantur per exemplum variæ conditiones voluntarii.* 9. *Adducitur & explicatur multiplex divisio voluntarii.*

1 HOc nomen *Voluntarium* aliquando accipitur strictiùs, ita, ut idem significet, quod *liberum*: aliquando accipitur pro objecto volito, quod vocatur voluntarium objectivum; vel pro omni eo, quod habet conformitatem & convenientiam cum appetitu sive elicito, sive innato. Nos autem hoc loco sumimus voluntarium propriè pro spontaneo motu voluntatis seu appetitûs vel elicito, vel imperato, à quo etiam effectus subsecuti denominari solent voluntarii. Et in hoc sensu

2 Dico primo. Voluntarium est, *quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.* Ita Philosophus 3. Ethicor. c. 1. & D. Thomas 1.2. q 6. a. 1. & 2. Ratio est: quia voluntarium sic definitum rectè distinguitur ab utroq; extremo sibi adæquatè oppositò, videlicet involuntario, & non voluntario: ergo sic bene definitur. Ant. ostenditur: nam involuntarium, & non voluntarium, sive involuntarium negativum provenit vel ex ignorantia, vel ex violentia: istæ quippe sunt causæ illorum: si ex ignorantia, tunc non est cum cognitione finis: si ex violentia, tunc non est à principio intrinseco: utrumque autem horum prædicatorum, ut vidimus, convenit voluntario: ergo rectè distinguitur tam ab involuntario, quàm à non voluntario. Porrò cognitio, quæ in data definitione voluntarii importatur, non est cognitio finis secundùm se, ac velut in abstracto, sed finis, & simul eorum, quæ sunt ad finem, carúmque circumstantiarum, quibûs afficitur operatio, quæ fit propter finem, ita, ut secundùm qualitatem cognitionis sit qualitas voluntarii in actione repetti.

3 Infertur nunc primo, motus naturales gravium & levium; item motus animæ vegetativæ, ut sunt augmentatio, diminutio &c. non esse voluntarios. Ratio est: quia procedunt à suis potentiis independenter à cognitione.

4 Infertur secundo, neque actus intellectûs omnium primos, & qui præveniunt imperium voluntatis, esse voluntarios. Ratio est: quia nullo modo sunt actus voluntatis, nec eliciti, ut patet; nec imperati ex cognitione finis.

5 Infertur tertio, etiam actus necessarios amoris, & fruitionis beatificæ esse voluntarios. Ratio est: quia perfectè participant definitionem voluntarii: nam & procedunt ab intrinseco principio, & ex perfectissima cognitione finis, quæ est visio beatifica.

6 Infertur quarto, motus necessarios voluntatis, qui dicuntur primò primi, esse voluntarios imperfectè tantùm. Ratio est: quia licèt sint à principio intrinseco, non tamen ab illo procedunt cum perfecta, sed solùm cum imperfecta cognitione finis.

7 Infertur quinto, quasdam operationes brutorum animalium esse similiter imperfectè voluntarias. Ita D. Thomas a. 2. cit. Ratio est: quia etiam bruta operantur cum intrinseca propensione in finem, & cum cognitione illius imperfecta per sensum, & æstimationem naturalem, ut dicit S. D.

8 Infertur sexto, quando Lucretia se ipsam occidit, ut homicidium hoc illi fuerit voluntarium, fuisse necessarium primo, ut nemo alius manum ejus ad confossionem impelleret. Secundo, ut sciret, se esse hominem, & non crederet invincibiliter, se esse bestiam. tertio, ut cognosceret, instrumentum, quo utebatur, esse idoneum ad occidendum, nec inculpatè existimaret esse paleam, vel arundinem. quarto, ut sciret, se transfodere Lucretiam, & non putaret invincibiliter, se percutere alium hominem: quæ addo, ut hoc si facinus non solùm ut simplex homicidium, sed etiam ut suicidium esset voluntarium. Ratio omnium colligitur ex dictis; quia voluntarium non solùm excludit vim exteriorem, sed insuper exposcit sufficientem cognitionem, ita ut qualitas voluntarii mensuretur penès qualitatem cognitionis. Vid. Laym. lib. 1. tract. 2. c. 1. n. 1.

9 Dico secundo. Voluntarium dividitur in voluntarium perfectum, & imperfectum: in necessarium, & liberum: in formale, seu actuale: habituale & virtuale: in elicitum, & imperatum: in physicum, & morale: in expressum, & tacitum, sive interpretativum: in voluntarium in se, sive directum, & in alio, sive indirectum.

Voluntarium perfectum est, quod procedit ab intrinseco cum perfecta; imperfectum, quod procedit cum imperfecta cognitione finis: ut motus voluntatis primò primi. Necessarium est, quod procedit à voluntate ut determinata ad unum; liberum, quod procedit à voluntate indifferenti ad utrumlibet: de quo plura in §. 3. Formale est, quod procedit à voluntate ut actu & exercitè influente. Habituale est, quod semel actu posuit, seu voluit voluntas, & non retractavit: quo modo intentio quæpiam dici solet habitualiter perseverare, quamdiu non est retractata.

Voluntarium virtuale est, quod pendet ab actu voluntatis præterito non retractato, qui tamen permaneat in aliquo suo effectu, vel determinatione. Ut hoc voluntarium clariùs intelligas, habe exemplum; Sacerdos vult celebrare Missam: venit in sacristiam; induit paramenta; incipit Sacrificium: interim tamen jam ab egressu ædium penitus distractus est, & quidem per totam Missam. Huic Sacerdoti, celebratio fuit voluntaria formaliter, quamdiu intentio celebrandi in voluntate physicè extitit: postquàm verò hæc physicè præteriit propter intervenientes distractiones, non tamen fuit retractata, & reliquit aliquem effectum, scilicet progressionem in templum, sumptionem paramentorum &c. eidem reddita est celebratio voluntaria virtualiter. Atque hinc facilè colligitur, ad voluntarium virtuale requiri primo, ut actus semel elicitus ac positus non retractetur: secundo, ut in se sit præteritus. tertio, ut aliquem post se reliquerit effectum, seu determinationem in operante: & quarto, prout advertit Laymann ubi suprà, c. 3. n. 4. ut operans maneat constitutus, in illa dispositione animi, secundùm quam ipsius operatio cadere possit sub potestatem liberi arbitrii. & ideo, si Sacerdos celebrandi causâ domo egressus incideret in amentiam, vel ebrietatem, itaqua dispositus verba consecrationis pronuntiaret, hæc talis operatio non esset virtualiter voluntaria; quippe non subjecta humanæ rationis potestati.

Voluntarium elicitum est omnis actus voluntatis ab illa procedens cum cognitione finis, eique physicè inhærens. quales iterum sunt intentio, electio &c. Voluntarium imperatum sunt actus aliarum potentiarum, putà, intellectûs, locomotivæ &c. ad imperium voluntatis exerciti.

Voluntarium physicum est, quod physicè; morale, quod moraliter & imputativè procedit à voluntate. Hoc subdividitur in voluntarium propria, & in voluntarium aliena voluntate. Morale propria voluntate est actus præteritus non retractatus, ita tamen, ut secundùm æstimationem prudentium in aliquo effectu perseveret, donec aut relaxatione, aut alio modo dissolvatur. taliter voluntaria sunt vota, promissiones & contractus; quia ratione obligationis, quam pariunt, tamdiu manent moraliter, quamdiu hæc non relaxatur, vel aliter aufertur. Voluntarium morale aliena voluntate est, quod quidem procedit à voluntate alterius suppositi, hîc & nunc tamen habetur pro actu voluntatis propriæ. hoc modo actus procuratoris censetur voluntarius principali; voluntas patris reputatur voluntas filii impuberis; voluntas tutoris voluntas pupilli; voluntas Prælati voluntas Religiosi; voluntas Adami voluntas posterorum.

Voluntarium expressum est, quod verbis, vel aliis signis ex instituto significetur. Sic, quando superior expressis verbis aliquid præcipit, vel prohibet, dicimus, eum ita velle expresse. Voluntarium tacitum est, quod citra verba, vel alia signa propter factum aliquod, vel omissionem facti fictione juris, & prudentûm judicio censetur à voluntate procedere. hoc modo peccata subditorum sunt voluntaria Superiori, quando illa dissimulat, cùm tamen teneatur, & facilè posset impedire. Ad istud voluntarium spectat illa regula juris 43. in 6. *qui tacet, consentire videtur.* nam sæpe ex ejus silentio, qui loqui & posset, & deberet, internus animus rationabiliter præsumitur. sensum hujus regulæ & explicationem (nam universalis non est) lege apud Laym. loc. cit. n. 3.

Volun-

Voluntarium directum, sive in se est, quidquid per se intenditur, elicitur, imperatur, vel admittitur à voluntate; sive deinde ab operante procedat immediatè, ut furtum à furante; sive mediatè; ut mors à propinante venenum. Unde ex directo voluntario operaris, si deliberatè odisti inimicum; si vis occidere; si occidi imperas; si occidere volenti consentis &c. Voluntarium indirectum, sive in alio, quod etiam voluntarium in causa dicitur, est illud, quod quidem per se non intenditur, elicitur, vel imperatur à voluntate, ex aliquo tamen per se, & directè intento necessariò consequi prævidetur; ideóque operanti censetur voluntarium, eíque moraliter imputatur.

Hoc voluntarium duobus modis potissimùm solet accidere. Primo, quando quis voluntariè directè exercet aliquam actionem, ex qua prævidet, vel propriâ experientiâ condocefit, secuturum esse talem effectum. Exemplum est, quando videns, in ebrietate tibi esse consuetudinem rixandi, verberandi, blasphemandi &c. te nihilominùs inebrias, tunc enim rixa, homicidium, & verba blasphemiæ in ebrietate prolata tibi indirectè sunt voluntaria, licèt similia, cùm esses sobrius, per se non intenderis, immò nolueris. Secundo modo accidit idem voluntarium: quando quis directè & culpabiliter omittit aliquam actionem, qua posita effectus non fuisset secutus, prævidetur autem secuturus ex ejus omissione, tunc enim effectus ejusmodi adscribitur omittenti tanquam causæ morali. Hac ratione voluntarius est interitus militum annonæ curatoribus in exercitu, qui, cùm possent & deberent, providere de necessario commeatu, id facere intermittunt.

§. II.

Notabilia ex dictis.

SUMMARIUM.

10. *Actus voluntatis physicè præteritus remanere potest virtualiter, & habitualiter.* 11. *Ut effectus sit voluntarius in causa, prævideri debet secuturus.* 12. *Nec sufficit, illum potuisse impediri, sed requiritur insuper obligatio impediendi.* 13. *Effectus physicè voluntarius potest moraliter esse non voluntarius.* 14. 15. 16. *Effectus ortus ex causa liberè posita, nec retractata probabiliter non imputatur ad culpam, dum non amplius impediri potest.* 17. *Sed præfertur sententia opposita, tanquam probabilior.* 18. *Solvitur argumentum contrarium.* 19. 20. *Illationes circa obligationem confitendi omissiones & effectus ortos ex causa liberè volita.*

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

NOtabile I. Voluntas, intentio, consensus alicujus, dum physicè non ampliùs est, dupliciter permanere potest: primo, virtualiter? quod tunc contingit, quando vi voluntatis in se adhuc existentis positus est aliquis effectus, ex quo ad ulteriùs agendum procedimus. Hac ratione, dum quis statuit peregrinari Romam, & vi hujus intentionis accinxit se itineri, illudque incepit, voluntariè proficiscitur Romam, licèt, dum comedit, dormit, vel iter facit, Romæ non recordetur: quia nempe voluntas illuc eundi, quam in principio habuit, semper remanet ratione alicujus effectus à se causati. Simile exemplum habes in Sacerdote, qui animô celebrandi vadit in Ecclesiam &c. ut in priori §. vidisti. Secundo dicitur permanere voluntas ex eo præcisè, quòd non fuerit retractata, & quamvis non exstet ullus effectus vi illius productus. Ita, dum quis voluit baptizari, confirmari, vel sacramentaliter absolvi, eamque voluntatem non retractavit, censetur adhuc velle, quamvis repentè privatus usu rationis non ampliùs recordari possit sui propositi: & ideo validè ac licitè baptizatur, confirmatur, & absolvitur: ex quibus appareret, in suscipiente hæc Sacramenta sufficere intentionem habitualem. Vid. Castropal. tr. 2. disp. 1. pu. 2. 10

Notabile II. Ut effectus vi operationis, aut vi omissionis tanquam causæ secutus sit voluntarius, operans prævidisse, vel advertisse debuit, ejusmodi effectum exinde secuturum, vel grave saltem fore periculum, ut sequatur. Ratio est: quia, quod nulla modo cognitum est; nullo modo est volitum & voluntarium, nec in se, nec in causa. Laym. c. 3. n. 5. Et ideo, dum quis ignarus, quanta sit fortitudo vini, bibit sedandæ sitis gratiâ, non peccat, licèt evadat ebrius; quippe qui hanc ebrietatem non prævidit. 11

Notabile III. Ut effectus indirectè sit tibi voluntarius, non sufficit, te eum posse impedire, & non velle impedire, sed insuper requiritur, ut tenearis impedire vel non ponendo causam, vel jam positam auferendo. cùm aliàs planè sequeretur, omnia peccata Dæmonum & hominum esse Deo voluntaria: qui utique & impedire ea potest, & consultò non vult impedire. talem verò sequelam ut absurdam piæ aures condemnant. Itaque si existas in navi V. G. eáque te & nauta colludentibus submergatur, soli nautæ interitus navis est imputandus, qui & poterat, & solus (ut supponitur) tenebatur impedire naufragium; quamvis & tu potuisses. Sayrus l. 2. clavis. cap. 2. n. 3. Tambur. 1. Decal. c. 2. §. 2. n. 2. & alii. 12

Notabile IV. Solet accidere aliquando, ut effectus inordinatus sit indirectè physicè voluntarius, non tamen moraliter, nec imputetur ad culpam, licet imputaretur, si esset directè voluntarius. Do exemplum. 13

Confessarius, dum audit confessiones fœminarum, vel pro necessaria instructione legit casus conscientiæ circa materiam luxuriæ, prævidet, ex his actionibus probabile periculum libidinosæ delectationis, vel pollutionis in somno secuturæ; & consequenter similes turpitudines sunt ipsi indirectè voluntariæ. Anne propterea ad culpam imputandæ? neutiquam sanè: quia sequuntur ex actionibus honestis, quas Sacerdos ejusmodi non solùm non tenetur intermittere, sed etiam ratione officii exercere est obligatus. Quòd si verò tales effectus directè, ac per se intenderet, pro cul dubio graviter peccaret. Laym. ubi suprà. Sporer hîc Sect. 3. §. 3. n. 24.

14 Notabile V. Effectus, vel omissio proveniens ex aliqua actione, sive causa liberè posita, probabiliter non imputatur ad culpam, quando non est ampliùs in potestate arbitrii, nec impediri potest, licèt voluntas actum suum liberum, ex quo causa fuit posita, ante existentiam omissionis vel effectûs non retractet. Homo proinde non peccat eo tempore, quo ebrius V. G. occidit alium, sed priùs peccavit, etiam peccato homicidii, quando prævidens periculum homicidii secuturi se nihilominùs inebriavit. Similiter, qui manè in die festo se inebriat, vel somno committit prævidens, se Missam non auditurum, non peccat contra præceptum Ecclesiæ, dum re ipsa Missam omittit ebrius, vel dormiens, sed tunc, quando se inebriat, vel somno committit. Ita Laym. loc. cit. Tambur. n. 3. idem tenent Vasquez, Amicus, & alii, quos refert Reding. tom. 2. qv. 11. a. 1. controv. 3. n. 1. Ratio est: quia, ut cuipiam quid imputetur ad culpam, debet id posse impedire, ac facere oppositum tempore, quo ipsi imputatur: sed ebrius vel dormiens v. g. non potest tempore ebrietatis, vel somni impedire effectum, vel omissionem actus præcepti, ac facere oppositum ejus, cujus antea causam liberè posuit; ergo nihil ejusmodi illi tunc potest imputari ad peccatum.

Confirmatur. Ut quid alicui rectè imputetur ad culpam, debet esse in ea dispositione animi, ut sit capax alicujus moralitatis, ejusque actiones, aut omissiones cadere possint sub potestatem liberi arbitrii: Sed ebrius vel dormiens non est in tali dispositione animi; ergo &c. Itaque homicidium, & omissio Missæ in simili casu sunt quidem effectus peccati antecedentis, non tamen peccata formaliter; quia nihil in se continent moralitatis. Atque hinc

15 Inferunt aliqui primo, eum, qui regulam v. g. è tecto projecit, prævidítque manifestum vel probabile periculum hominem in platea stantem occidendi, non teneri in confessione explicare, utrùm homo revera fuerit occîsus, nécne, sed satis esse, si dicat, se projecisse regulam prævisо manifesto, vel probabili periculo hominis occidendi. Rationem afferunt: quia solùm tenemur confiteri peccatum, non autem effectus peccati: atqui mors re ipsâ secuta non est peccatum, sed effectus peccati antecedentis non ampliùs constitutus in arbitrio priùs ponentis causam illius; nec impedibilis ab ipso, quamvis maximè vellet impedire.

Inferunt secundo, quod de voluntario 16
indirecto dictum est in n. 14. etiam rectè extendi ad voluntarium directum, vel expressum. Et ideo, quando ex tecto projicis regulam cum directa intentione hominem occidendi, vel inimico lentum venenum propinas, non peccas, peccato sive interno, sive externo, quando ille post aliquot dies, aut menses moritur; sed tunc solùm peccas, quando regulam projicis, aut venenum propinas. Tambur. loc. cit. & alii. Ratio est: quia eventus mortis re ipsa secutæ non est ampliùs in potestate tui arbitrii. Hoc tamen nihil obstare volunt, quo minùs incurras tunc excommunicationem, idque etiam, licèt ante secutum effectum te pœnituerit peccati. Ratio est; quia mors postea secuta est quædam consummatio peccati in ordine ad pœnam juris, esto ipsa non imputetur ad peccatum. Lege Laym. ubi suprà.

Dixi datâ operâ, in n. cit. *probabiliter* 17
non imputatur &c. quia probabilior videtur sententia opposita, quam aliis relatis Authoribus tenent Castropalao, tract. 2. disp. 1. pu. 3. n. 6. Reding. loc. cit. n. 2. & seqq. Illsung. tract. 2. disp. 1. a. 1. n. 10. quibuscum sentit etiam Paulus Mezger tract. 6. disp. 18. a. 2. n. 3. & seqq. Ratio est: quia, ut quid alicui imputetur ad culpam, sufficit esse voluntarium in causa: sed effectus, vel omissio externa actus præcepti proveniens ex aliqua actione, sive causa liberè posita est quid voluntarium in causa, etiam eo tempore, quo non est ampliùs in potestate arbitrii, nec impediri potest, quando voluntas actum liberum, ex quo causa fuit posita, non retractavit re adhuc integra, ut supp. hoc ipso enim, quòd quis liberè voluerit causam, censetur etiam voluisse effectum; immò tamdiu velle, quamdiu liberam volitionem causæ non retractat: sicuti tamdiu quis velle censetur receptionem Sacramenti, quamdiu liberam ejus volitionem antea elicitam non retractat. Consequenter effectus, vel omissio, de quibus hîc agimus, meritò imputantur ad culpam, etiam eo tempore, quo non ampliùs sunt in potestate arbitrii, nec impediri possunt.

Confirmatur. Si omissio Sacri V. G. in casu, qui n. 14. fuit adductus, non esset moraliter mala tempore somni, vel ebrietatis, sed esset tantùm effectus causæ moraliter malæ, sequeretur, etiam voluntatem omittendi non

esse

esse malam, immò esse licitam. Nam eatenùs aliqua voluntas est mala, quatenùs fertur in objectum malum: atqui voluntas omittendi non ferretur hîc in objectum malum; cùm omissio non esset mala. Deinde, velle effectum tantùm alicujus causæ peccaminosæ est licitum: sic mulier licite desiderat partum prolis ex adulterio conceptæ: sic licitè quis desiderat sanitatem, vel nutritionem ex carnibus, quas vel furtô ablatas, vel contra prohibitionem Ecclesiæ comédit &c. Atqui omissio sacri tempore somni, vel ebrietatis esset tantùm effectus peccati, ut vult adversa sententia; ergo. Conseq. autem admittere, quàm sit absurdum, quis non videt?

18 Ad fundamentum contrarium respondeo dist. maj. debet id posse impedire, ac facere oppositum &c. potentia antecedente, conc. potentia consequente, neg. maj. sed ebrius, vel dormiens non potest impedire effectum &c. ac facere oppositum, non potest hæc potentia consequente, conc. potentia antecedente, neg. mi. & conseq. cùm enim carentia potentiæ consequentis (ut vocant Thomistæ Scholastici) sit ab ipsa voluntate liberè inducta, nihil officit voluntario libero: & ideo lex obligat hominem, etiam, dum non potest eam implere, si per ipsum stetit, quòd non possit.

Ad Confirmat. dicitur, ut quid alicui hic & nunc imputetur ad culpam, sufficere, si ab initio fuerit capax moralitatis, ejúsque actiones, aut omissiones ceciderint sub potestatem liberi arbitrii, idque, quod tunc voluit, postea non retractaverit. Atqui hoc totum in casu nostro supponitur de ebrio, vel dormiente; ergo.

19 Infertur jam primo, omissiones hujusmodi, & effectus ortos ex causa liberè volita, si libera volitio ante eorum eventum non retractetur, esse in confessione explicandos, nec satisfacere eum, qui præcisè dicit, se liberè dedisse causam omissioni Sacri, homicidio, pollutioni nocturnæ 7. Ita Castropalao, loc. cit. n. 7. Paulus Mezger n. 10. & alii communiter. Ratio est: quia non supposita retractatione tam omissiones, quàm effectus positivi manent voluntarii in causa, & imputantur ad culpam eo quoque tempore, quo non ampliùs sunt in potestate liberi arbitrii, nec impediri possunt.

20 Infertur secundo, nullam esse obligationem in confessione exprimendi memoratas omissiones & effectus, quando eorum libera volitio, antequàm ponerentur, fuit retractata. Ita Castropal. loc. cit. referens Azorium, & alios. Ratio est: quia per retractationem interrumpitur moralis influxus voluntatis in easdem omissiones & effectus; adeoque desinunt esse voluntaria in causa. At nihilominùs Laymann, cui consentit Sporer, existimat, ordinariè explicandum esse, an effectus peccati, V. G. homicidium, re ipsa evenerit: tum, ut Confessarius judicare possit de magnitudine periculi, cui se operans exposuit: tum propter contractam obligationem restitutionis, Ecclesiasticæ censuræ, irregularitatis &c.

§. III.

De libero, & libero arbitrio.

SUMMARIUM.

21. *Triplex acceptio liberi.* 22. *Asseritur existentia liberi arbitrii.* 23. *Quid sit liberum arbitrium.* 24. *Libertas alia exercitii, alia specificationis.*

Liberum in triplici potissimùm sensu accipitur. 21 Nam primo est liberum à servitute, eaque vel civili, vel morali. Liberi à servitute civili olim renuntiabantur servi V. G. quando manumittebantur: qui etiam liberti vocabantur. Liberi à servitute morali, quæ est peccatum, dicuntur ab Apostolo Rom. 6. homines justi, illis verbis: *liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* Secundo, est liberum à coactione, sive spontaneum: estque id omne, quod procedit à principio intrinseco cum cognitione citra vim, & violentiam. Ita liberi sunt omnes actus voluntatis eliciti, quantumvis necessarii: cùm omnes sint necessarii, nec possit ad illos eliciendos quis ulla vi cogi, juxta dictum S. Anselmi: *nemo invitus potest velle; quia non potest velle nolens velle.* Tertio est liberum à necessitate naturali: & hoc est propriè hujus loci. definiri potest esse *id, quod, positis omnibus ad se faciendum requisitis, ita sit, ut potuerit non fieri, vel ejus oppositum fieri.* ex qua definitione constat, de ratione liberi à necessitate esse, ut procedat à principio quodam indifferenti ad utrumlibet, id est, tali, quod ex se non sit magis determinatum ad unum, quàm ad aliud, V. G. non magis ad amorem, quàm ad odium; non magis ad actionem, quàm ad omissionem ejusdem, ita quidem, ut stantibus omnibus requisitis ad agendum actio possit omitti, vel fieri contrarium.

Dari in homine liberum arbitrium, seu 22 libertatem, & consequenter actus liberos à necessitate, est veritas fidei definita in variis Conciliis, & etiam in novissimo Trid. sess. 6. de Justific. can. 5. contra Lutherum & Calvinum dicentes, liberum arbitrium peccatô Adami fuisse prorsus extinctum. Ratio, quæ præter alias communiter affertur, est hæc à posteriori: Si homo non haberet liberum arbitrium, nulla essent ejus merita, vel demerita; frustra ferrentur ei leges; imponerentur præcepta; suggererentur consilia, monitra &c. seq. est absurdissima, & contra sensum

totius humani generis; ut pulchrè ostendit S. Augustinus in lib. de duab. anim ab. c. 11. Patet verò seq. maj. nam inprimis nemo est laude vel præmio dignus ob factum, quod non potuit inrermittere: nec vituperari quis justè, puniríue potest ob facinus, quod non potuit non patrare. Deinde frustra lex præcipit, ut quid faciam, si id facere non est in mea potestate; & frustra præcipit, ut quid omittam, si id facio necessariò, ita ut non possim non facere. Tandem, inania sunt consilia, exhortationes, monita &c. Ad quid persuadendum, vel dissuadendum, ad cujus oppositum inevitabili, ac fatali necessitate sum adactus. Atqui sublato libero hominis arbitrio res ita se haberet; ergo &c.

23 Est autem liberum arbitrium sive libertas juxta S Augustinum lib. 2. de peccat. merit. *facultas innata animæ rationali, qua homo potest eligere unum præ alio, vel unum, idemque acceptare, vel non acceptare.* Sive, ut aliis placet, est *intellectualis substantiæ potestas, positis omnibus ad agendum requisitis, agendi & non agendi, vel oppositum agendi.* Definita jam libertas reperitur formaliter in sola voluntate: in intellectu autem reperitur radicaliter; veluti communiter sentiunt Doctores. Et quidem solam voluntatem esse formaliter liberam, inde patet, quòd illa sola in suo proprio objecto, videlicet bono particulari, inveniat objectivam indifferentiam, non verò intellectus, vel alia potentia: nullum quippe est bonum particulare, cui non admixta est aliqua ratio mali, sive inconvenientis, ita, ut partim trahat appetitum, partim retrahat à sui prosecutione. Secùs se res habet in objecto intellectûs: hoc enim perfectè cognitum non relinquit indifferentiam ad assensum vel dissensum, vel omissionem utriusque; sed planè determinat ad alterutrum. Quòdsi objectum imperfectè cognoscatur, & appareat dubium, tunc intellectus hæret inter assensum & dissensum. Si appareat probabile, tunc ambiguitas ipsius tollitur per impulsum voluntatis. At nihilominùs libertas intellectui convenit radicaliter, quatenùs nempe formalis indifferentia voluntatis radicatur in judicio indifferenter proponente objectum. voluntas enim, ceu cæca potentia, ideo fertur in objectum indifferenter, ac liberè, quia illi ab intellectu partim sub ratione boni, partim sub ratione deficientis à bonitate; adeoque partim ut appetibile, & partim ut respicibile proponitur. Dicitur intellectus etiam liber participativè, in quantum ipsemet vicissim dependet à voluntate, ejusque imperio ac liberæ applicationi subjicitur. ita, quòd intellectus hoc potiùs objectum consideret, quàm aliud; vel credat firmiter aliquod mysterium supernaturale; vel assentiatur objecto probabili, provenit vel maximè ab imperio & libera motione voluntatis. Ex eadem quoque ratione actus aliarum potentiarum evadunt participativè liberi, morales, boni, mali, meritorii ac demeritorii.

Libertas est duplex, scilicet exercitii, 24
quæ dici solet libertas contradictionis; & libertas specificationis, sive contrarietatis. Prior est facultas, sive indifferentia ad agendum & non agendum, V. G. ad amandum & non amandum. Hanc libertatem habet homo in hac vita circa omnia prorsus objecta: quia nullum omnino objectum ita proponitur voluntati exercitè prosequendum in hac vita, ut non etiam omissio prosecutionis aliqua gaudeat bonitate: nam ipsam quoque beatitudinem non semper actualiter appetimus; immo nec expedit semper appetere.

Libertas contrarietatis est facultas, sive indifferentia hoc agendi, & contrarium agendi circa objectum, V. G. circa Deum eliciendi amorem, & odium; circa mysterium aliquod supernaturale assensum, & dissensum, qui sunt actus contrarii, & specie diversi. Hujusmodi libertate homo gaudet, dum est in hac vita, circa omnia bona particularia: quia nullum est particulare bonum, in quo intellectus viatoris non reperit aliquam rationem mali, sive inconvenientiæ respectu appetentis, tali loco, tali tempore &c. nam & ipsum Deum; cujus natura bonitas est, potest quis apprehendere ut sibi malum, puta, ut vindicem suorum scelerum, atque ex hoc capite odisse. Cæterùm circa bonum, sive beatitudinem in communi, & abstractè consideratam voluntas non est libera quoad specificationem, sed solùm quoad exercitium. Ratio primi est: quia in bono, seu beatitudine sic considerata nihil potest apparere mali, ratione cujus sit odibilis: consequenter voluntas eam potest solùm amare, non verò odisse. Ratio secundi est: quia contingit, ut aliquando cogitemus de beatitudine, aliquando non; veluti constat experientiâ: ergo etiam aliquando ipsam appetimus, aliquando non appetimus.

ARTICULUS III.

De Involuntario.

OMne voluntarium, ut ex ejus definitione constat, procedere debet tum à principio intrinseco, tum ex cognitione. Quatenùs procedit à principio intrinseco habet

habet pro suis hostibus violentiam, & metum. quatenùs est secundùm cognitionem, impeditur ab ignorantia, & sæpe à passione concupiscentiæ. Quæ proinde quatuor communiter dicuntur causæ involuntarii. Earum nunc quamlibet seorsim explicabimus. incipiamus ab ultima.

§. I.

An & quomodo Concupiscentia causet involuntarium?

SUMMARIUM.

1. Quid intelligatur hic nomine Concupiscentiæ. ejus divisio in antecedentem & consequentem. 2. Concupiscentia consequens nec tollit nec minuit voluntarium. 3. Non semper dedecet viros etiam sanctos. 4. Concupiscentia antecedens voluntarium liberum aliquando minuit, vel omnino tollit. 5. Motus primo primi ex passione concitati non sunt peccaminosi. 6. Peccata ex passione facta sunt leviora aliis. 7. Contractus, promissiones &c. ex spe, vel amore orta subsistunt.

1 NOtandum est, concupiscentiam hîc sumi pro passione appetitus sensitivi circa bonum; eáque vel pertinente ad appetitum concupiscibilem; veluti pertinet amor, desiderium, gaudium; vel pertinente ad appetitum irascibilem; ut ira, spes, audacia, excepto timore, seu metu, de quo inferiùs specialiter differemus. Concupiscentia alia vocatur antecedens, alia consequens. Antecedens est, quæ ex apprehensione boni sensibilis naturaliter exurgens, omnemque rationis deliberationem præveniens citra consensum voluntatis existit in parte sensitiva; proindéque nec meriti, nec demeriti, seu peccati secundùm se capax est. Consequens est, quam voluntas deliberatè, & ex proposito excitat, ac imperat, vel prævie excitatam admittit, & acceptat. Nunc

2 Dico primo. Passio, seu concupiscentia consequens neque tollit, neque minuit voluntarium; sed solùm est signum majoris, sive intensioris actus voluntatis. Ratio primi, & secundi est: quia effectus ut effectus nihil potest in suam causam: sed concupiscentia consequens quà talis est effectus voluntarii, utpote imperata, vel excitata ab actu libero voluntatis; ergo. Ratio tertii sumitur ex S. Thoma, 1. 2. q. 77. a. 6. ubi sic ait de concupiscentia: *signum est magnitudinis ejus,* (peccati videlicet) *quia demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quòd, quantò quis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tantò magis peccat.* Hæc D. Thomas. Exemplum habes in eo, qui magnum excitat in se desiderium vini, ut postea bibat intemperantiùs; vel iram vehementem, ut atrociùs invadat inimicum. Et est eadem ratio de passione excitata ad bene seu virtuosè operandum. hinc enim actus virtutum evadunt ferventiores ac intensiores.

3 Ex quo proinde colligitur, passiones consequentes non dedecere viros sapientes; immo nec sanctos. Ita contra Stoicos docet D. Thomas 1. 2. q. 24. a. 2. estque communis sententia. Ratio est: quia amor & ita instar cotis acuunt, & concitant animum, ut se, & potentias subjectas alacriùs & ferventiùs applicet ad opera virtutum.

4 Duo ulteriùs secundo. Concupiscentia antecedens voluntarium imperfectum auget; perfectum verò (intelligo liberum) aliquando minuit; vel omnino tollit. Ita cum D. Thomâ 1. 2. q. 6. a 7. communiter Theologi. Ratio primi est: quia, quò intensior est actus voluntatis circa aliquod objectum, eò magis est voluntarius, saltem in ratione voluntarii imperfecti: sed actus voluntatis operantis ex impulsu alicujus passionis est intensior, quàm, si nulla passione moveatur; ergo. Præmissæ constant experientiâ. nam milites V. G. spe prædæ, vel amore vindictæ incitati; & amatores turpi libidine stimulati etiam molestissima quæque jucundissimè, multoque libentiùs, ac proinde magis voluntariè, perferre solent, quàm, si tales passiones abessent. Ratio secundi & tertii est: quia, quod aliquando minuit, aliquando tollit, deliberationem rationis, aliquando minuit, aliquando tollit voluntarium liberum: sed concupiscentia antecedens aliquando minuit, aliquando penitus tollit deliberationem rationis; ergo. maj. est certa. mi. inde ostenditur, quòd soleat contingere, ut passio vehemens turbet intellectum, nec sinat eundem considerare sufficienter omnes circumstantias, motivaque occurrentia pro utralibet parte; sed rapiat ad ea magis pensanda, quæ favent parti, ad quam ipsa inclinat. ubi verum est, quod dicitur, *unumquemque judicare de rebus, sicut affectus est.* Immò potest etiam passio, V. G. ita, tam esse vehemens, ut omnino obscuret atque obnubilet lumen rationis, eáque solùm motiva proponere sinat intellectum, quæ illud suadent, in quod ipsa fertur. In quo casu voluntas non agit ex deliberatione rationis, & cum indifferentia, sed cum determinatione ad unum, naturaliter, ac necessariò; adeoque non liberè; sicut in ebriis & amentibus.

5 Corollarium 1. Motus vitiosi voluntatis primo primi ex passione surgentes tamdiu non sunt peccaminosi, quamdiu illos ratio non advertit. Ratio est: quia tamdiu non sunt liberi. Quamprimùm verò supervenit rationis advertentia, evadunt peccaminosi, nisi ratio quantocyùs contradicat. Ratio est: quia tum

tunc sunt voluntarii voluntario non tantùm imperfecto, sed etiam libero. immò passio ipsa ex antecedente transit in consequentem & fit voluntaria, saltem interpretativè. Paulus Mezger tr. 4. Disp. 7. a. 3. n. 6.

6 Corollarium II. Leviora sunt peccata, quæ fiunt ex passione aliqua, quàm facta sine passione, & ex sola malitia: juramenta quoque, vel vota ex impulsu passionis alicujus edita faciliùs relaxantur. Castropal. tr. 2. disp. 1. pu. 5. n. 2. Ratio est: quia sunt minùs libera. Confirmatur ex communi persuasione hominum. nam minùs deliberatè egisse, & aliqua venia dignum judicamus eum, qui aliorum precibus, vel blanditiis inductus, vel vehementi libidini & tentationi succumbens peccavit, quàm, qui ex mera perversitate propria in malum consensit. Laym. hîc c. 5. n. 3.

7 Corollarium III. Contractus initi ob magnam spem lucri, vel ex magno affectu amoris erga quidpiam, sunt validi: promissiones quoque, donationes, legata, hæreditates obtentæ precibus atque blanditiis sunt servandæ, & implendæ. Ratio est: quia similia ex una parte fiunt maximè sponte ac voluntariè: ex altera verò parte adest sufficiens libertas. Castropal. n. 3. Tambur. 1. Decal. c. 2. n. 3. Atque hinc, si uxor suis blanditiis inducat maritum, ut faciat testamentum in favorem ipsius, validum est testamentum. Thomas Sanchez, & alii apud Castropal. n. 4.

§. II.

An, & quando Ignorantia causet involuntarium?

SUMMARIUM.

8. 9. Quædam hîc ob oculos habenda. 10. *Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.* 11. *Consequens causat involuntarium secundùm quid* 12. *Concomitans causat involuntarium negativè.* 13. *Idem actus diversa ratione potest esse voluntarius & involuntarius.* 14. *Cur ignorantia concomitans non causat voluntarium saltem secundùm quid?* 15. *Ignorantia consequens minuit peccatum.* 16. *Nisi sit affectata.* 17. 18. 19. 20. 21. *Qualiter ignorantia excuset à pœna?*

8 REcurrendum hîc est in tract. præcedentem, ubi disp. 2. a. 1. §. 1. varias definitiones ignorantiæ dedimus & explicuimus: quas modò suppono, ne sæpius eadem dicere necesse sit. Nôsse præterea oportet, quæ ead. disp. a. 2. §. 1. de ignorantia vincibili specialiter attulimus.

9 Notanda est etiam illa divisio, qua ignorantia dividitur in eam, quæ est causa operis; & in eam, quæ non est causa operis, sive concomitantem. Prior est illa, quæ si abesset, actus non fieret: adeóque tanquam removens prohibens, scilicet actualem cognitionem objecti, est in causa, ut fiat actus. V. G. si explodens bombardam occidisti amicum, quem putabas esse feram: adeóque ignorabas esse hominem tibi amicum, ex ignorantia tanquam causa occidisti: si enim non ignorâsses, nequaquam occidisses. Posterior est, quæ licèt abesset, actus nihilominùs fieret, ita ut mere per accidens se habeat, & neque sit causa, neque effectus ejusdem. ita, si inimicum, quem quærebas ad necem, occidisti, existimans esse feram, non ex ignorantia, sed cum ignorantia occidisti. licèt enim non ignorâsses nihilominùs occidisses. Nunc . . . . . .

10 Dico primo. Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter. Ita D. Thomas 1. 2. q. 6. a. 8. Ratio ex S. Doctore est: quia hæc ignorantia est causa operis, & causat effectum omnino repugnantem virtuali saltem & interpretativæ voluntati operantis. hic enim est ita dispositus, ut actus vel effectus nullo modo sequeretur, si adesset ejus notitia. Atqui causare effectum omnino repugnantem virtuali saltem & interpretativæ voluntati operantis est causare involuntarium simpliciter; ergo.

11 Dico secundo. Ignorantia consequens, sive vincibilis, licèt non causet involuntarium simpliciter, causat tamen involuntarium secundùm quid. Ita rursus D. Thomas loc. cit. Ratio primi est primo: quia, quod fit ex tali hac ignorantia, est à principio intrinseco cum cognitione & deliberatione, saltem virtuali, & interpretativa, in quantum ignorans, licèt actu non habeat scientiam & notitiam, eam tamen potuit, aut etiam debuit habere: adeoque cum hac ignorantia subsistit ratio voluntarii simpliciter. Ratio est secundo. quia volens antecedens etiam vult consequens natum ex illo consequi: ergo, cùm ignoranti vincibiliter sua ignorantia indirectè saltem sit voluntaria, etiam effectus, qui ex illa sequitur, est ipsi indirectè voluntarius.

Ratio secundi est. quia, quod repugnat alicui voluntatis inclinationi, rectè dicitur involuntarium, saltem secundùm quid. Atqui sæpe fit, ut actus, vel effectus proveniens ex ignorantia vincibili repugnet alicui voluntatis inclinationi: quemadmodùm ex eo colligitur, quòd illos, qui operantur ex hac ignorantia, postea facti pœnitere soleat: nam dolet, se occidisse amicum, qui ex vincibili ignorantia occidit, existimans esse feram. consequenter actus, vel effectus proveniens ex ignorantia vincibili potest esse involuntarius secundùm quid.

12 Dico tertio, Ignorantia concomitans causat involuntarium negativè tantùm, id est, non voluntarium. Ita communis sententia

cum

cum D. Thoma artic. cit. Ratio est: quia hæc ignorantia neque tribuit actui, vel effectui, ut sit voluntarius; neque, ut sit involuntarius privativè, vel contrariè. non primùm; quia in actu vel effectu invincibiliter ignorato non est locus voluntario: atqui actus & effectus hîc supponitur invincibiliter ignorari. non secundum; quia nihil causat repugnans alicui voluntatis inclinationi: veluti patet in eo, qui cum hac ignorantia occidit inimicum: nam illius inclinationi nequaquã repugnat ea occisio, saltem in casu, quem n. 9. indicavimus.

13 Corollarium I. Potest actus, quem causat ignorantia antecedens, esse voluntarius quoad substantiam, & involuntarius quoad circumstantiam, vel effectum aliquem invincibiliter ignoratum. Ita explosio bombardæ in amicum, quem invincibiliter putas esse feram, tibi quidem voluntaria est in ratione explosionis, aut etiam fericidii, non tamen in ratione homicidii: ut talis enim tibi prorsus est involuntaria. Notat tamen D. Paulus Mezger, ejusmodi actum quoad substantiam non causari propriè ex ignorantia.

14 Corollarium II. Ignorantia concomitans non causat voluntariũ etiam secundùm quid, licèt voluntas operantis ita sit disposita, ut revera poneret effectum, si haberet illius scientiam v.g. licèt voluntas occidentis inimicum, ac putantis inculpabiliter esse feram, ita sit disposita, ut etiam occideret, si sciret esse inimicum. Ratio est: quia ad voluntarium etiam secundùm quid necessaria est aliqualis cognitio, seu advertentia: quæ tamen non habetur, dum adest ignorantia concomitans.

15 Corollarium III. Ignorantia consequens, sive vincibilis etsi non excusat à peccato, illud tamen minuit, nisi sit affectata: Ita cum D. Thoma 1.2. q. 76. a. 4. communiter DD. Ratio primi est: quia, qui vult antecedens, etiam vult consequens natum ex illo consequi; ut diximus in n. 11. cùm proinde ignorans vincibiliter velit indirectè saltem suam ignorantiã, indirectè quoque vult ejus effectum, scilicet peccatum, à quo adeò non excusatur per ignorantiam tanquam causam. Ratio secundi est: quia eatenùs opus malum imputatur ad peccatum, quatenùs est voluntarium: ergo sicut magis imputatur, quod est magis, ita minùs imputatur ad peccatum, quod est minùs voluntarium. Atqui opus ex ignorantia vincibili est minùs voluntarium, (nempe indirectè solùm) quàm factum ex scientia (quod est directè voluntarium) ergo minùs imputatur ad peccatum.

16 Dixi tamen, *nisi sit affectata*. hæc enim ignorantia ex magna propensione voluntatis ad malè agendum profecta tam voluntarium, quàm peccatum potiùs auget, quàm minuit: voluntarium quidem, non quoad libertatem, sed quoad inclinationem, & delectabilitatem agendi: peccatum verò; quia hujus talis ignorans ita censetur se addicere, ut etiam ab omni impedimento ac remora id conscisccndi studeat esse expeditus, ipsúmque adeò frænum rationis, hoc est, cognitionem obligationis, & conscientiæ remorsum, quo Deus hominem, ne labatur in peccatum, aut, ne lapsus relabatur, continet, malitiosè excutere, prorsus, ut illi impii, qui dixerunt apud S. Job. c. 21. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: quod procul dubiò includit majorem præcepti contemptum, novúmque addit malitiæ augmentum; vel omnino novam speciem malitiæ, sicut probabiliter docent Thom. Sanchez, & Azor relati à Reding to. 2. q. 4. a. 4. contr. 2. n. 17. & Castrop. tract. 2. disp. 1. pu. 16. in fine. His explicatis addenda est.

Quæstio I. qualiter invincibilis ignoran- 17
tia excuset à pœna? Respondeo. Invincibilis ignorantia, sive juris statuentis pœnam, sive facti, excusat ab omni pœna. Ratio est facilis: quia pœna non decernitur, nisi propter culpam: ergo cessante culpa nullus est locus pœnæ. Atqui supposita ignorantia invincibili cessat culpa; sicut in tr. præc. disp. 2. a. 1. n. 9. docuimus; ergo. Et ideo, qui percutit Clericum invincibiliter ignorans legem Ecclesiasticam sub pœna excommunicationis id prohibentem, is non incurrit excommunicationem. Eandem pœnam similiter non incurrit, qui quidem habet notitiam ejus legis, ignorat tamen invincibiliter, eum, quem percutit, esse Clericum.

Quæstio II. qualiter ignorantia vincibilis 18
juris, vel facti excuset à pœna? Respondeo. Vincibilis ignorantia juris vel facti, si est crassa, aut supina, non excusat à pœna jure statuta etiam gravi, nisi statuta sit in scienter ac temerè peccantes. Ita communis sententia. Fundamentum sumitur ex cap. 2. *de constit. in 6.* ubi Pontifex ignorantes eximit à pœnis, quas statuerunt Ordinarii, nisi earum ignorantia fuerit crassa ac supina. quæ exemptio multò magis habet locum in pœnis à Pontifice statutis; quippe quas homines faciliùs, & minori sua culpa ignorare supponuntur. Ratio verò est: quia pœnæ à jure statuuntur in eos, qui legem transgrediuntur cum enormi contemptu & contumacia: atqui non ita transgredi censentur ignorantes ignorantiâ non crassâ ac supinâ; quippe qui aliqualem saltem diligentiam ad comparandam legis notitiam adhibuerunt: censentur autem ita transgredi ignorantes ignorantiâ crassâ; quia nullum prorsus scientiam legis comparandi studium adhibuisse supponuntur.

Dixi: *nisi statuta sit &c.* nam si pœnâ 19
decreta sit per similes formulas: *Qui scienter, temerariè; ausu temerario contra fecerit; vel contra facere ausus fuerit, vel præsumpserit &c.* tunc etiam ignorantia crassa seu

supina, non autem affectata excusat à pœna: velut ex communi Doctorum tradunt Laym. tract. 4. c. 20. n. 2. Castrop. pu. 18. n. 1. Reding loc. cit. n. 38. & alii. Ratio est: quia nulla ignorantia, præter affectatam, sufficit, ut quis dicatur non ignoranter, sed scienter & ausu temerario legem transgressus. nam sola ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, & continet dolum apertum, cum quo manifesta temeritas, præsumptio, & audacia est conjuncta, ut loquitur Reding. Quòdsi ignorantia legis vincibilis quidem, sed levis sit, æquum est, ut pœnam minuat; sicut culpam minuit, & venialem efficit. Et ideo, si legis transgressori certa pœna decreta est, eam judex in casu talis ignorantiæ vel debet omnino condonare; vel mitiorem arbitrium imponere, ut habet Laym. n. 3.

10 Quæstio III. an, & qualiter excuset à pœna ignorantia solius pœnæ? Respondeo. Qui scit legem esse latam, aut factum aliquod lege prohibitum, licèt ignoret, pœnam esse decretam legis ejus transgressoribus, nihilominùs non culpæ tantùm, sed etiam pœnæ reus efficitur, si legem transgrediatur, dummodò eadem pœna non sit censura quæpiam Ecclesiastica, vel nimiùm gravis & enormis. Ita ex communi sententia Molina, Sanchez, Laym. quos refert & sequitur Sporer tr. 1. procem. c. 2. sect. 4. n. 39. contra Navarr. Castropal. Illsung, & alios, quorum opinio etiam probabilis est.

Ratio verò nostræ responsionis ista redditur: quia ex communi sensu generis humani firmatissimum est, justæ legis transgressorem justè puniri pœnâ aliquâ, sive ea sit lege decreta, sive arbitratu judicis statuatur. Ergo, qui legem voluntariè transgreditur, hac ipsa tali transgressione censetur implicitè consentire in pœnam aliquam subeundam, esto ignoret, esse lege decretam, vel aliunde determinandam.

21 Dixi in responsione, *nisi eadem pœna &c.* quia inprimis ad incurrendam censuram necessaria est in delinquente contumacia contra legem Ecclesiæ: contumacia autem non rectè supponitur in eo, qui pœnam ignorat (intellige ignorantiâ non crassâ vel affectatâ) esto legem cum comminatione tantæ vel tantæ pœnæ quid præcipientem aut prohibentem non ignoret. Deinde, si pœna est valde gravis, & enormis, multúmque excedens magnitudinem delicti, in eam ignorans nullo modo consentire præsumi potest prudenter, si legem transgrediatur. Et ideo, si peregrinus venationem feratum exerceat per regionem transiens, ubi id sub pœna mortis, aliáve gravissima prohibitum est, nequaquam tantâ pœnâ afficiendus est, quando illam ignoravit, tametsi legem prohibentem non ignoraverit.

§. III.

An, & quomodo violentia causet involuntarium?

SUMMARIUM.

22. *Explicatur definitio Violenti.* 23. *Differentia* violenti *à* coacto, necessario, & involuntario. 24. *Violentum aliud simpliciter, aliud secundum quid tale.* 25. *Voluntas in solis actibus imperatis pati potest violentiam.* 26. *Violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter.* 27. *Vis illata non excusat à peccato, nisi debitis modis resistatur.* 28. *Statuitur regula ad dignoscendum, quanta fieri debeat resistentia.* 29. *Baptismus adulto violenter collatus est invalidus.*

22 Violentum definivit Aristoteles 3. Ethic. c. 1. esse *id, cujus principium est extra, passo non conferente vim.* ubi ultimæ particulæ non solùm negativè, sed etiam positivè debent intelligi, ita ut sensus definitionis sit: violentum est, quod fit à principio extrinseco in aliquo subjecto non solùm non cooperante, sed etiam renitente, ac resistente actioni illius principii.

23 Dari potest violentum in rebus tam cognoscentibus, quàm non cognoscentibus & hinc distinguitur primo à *coacto*: istud enim supra violentum addit cognitionem, & dicitur propriè de solis cognoscentibus: nam lapis v. g. sursum jactatus licèt dicatur pati violentiam, non tamen dicitur cogi: dicitur verò cogi homo, aut aliud animal, quando per vim ad certum locum trahitur, eive alligatur. Distinguitur secundo à *necessario*: quia hoc datur in quolibet actu determinato ad unum, quantumvis sit à principio intrinseco, atque vel maximè voluntarius: veluti patet in fruitione & amore beatifico. Distinguitur tertio ab *involuntario*: nam istud causari etiam potest ab ignorantia, nec petit procedere ab extrinseco principio.

24 Porrò violentum aliud est tale simpliciter, aliud secundùm quid. Violentum simpliciter est, quod provenit à principio extrinseco, passo totis viribus resistente. Violentum secundùm quid est, quod quidem provenit ab agente extrinseco, ita tamen, ut passum non omni possibili ac debito conatu resistat; atque adeò vel formaliter, vel interpretativè cooperetur.

25 Suppono præterea cum receptissima doctrina, voluntatem in actibus elicitis, ut in amore, odio, desiderio &c. non posse pati violentiam; posse autem in actibus imperatis potentiarum externarum: fit enim, ut ejusmodi potentiæ moveantur ab agente extrinseco ad actus inclinationi voluntatis contrarios,

trarios, vel impediantur, ne exerceant actus à voluntate imperatos: ut, si tibi per vim aperiantur oculi ad videndum turpia, vel pedes ligentur, ne accedas Ecclesiam. Sed hoc est voluntatem pati violentiam in actibus imperatis; ergo &c. Nunc

26 Dico. Violentum simpliciter tale tollit omne voluntarium, immò causat involuntarium simpliciter, & excusat ab omni peccato. Ita communis & certa omnium sententia. Ratio est: quia, quod fit ab agente purè extrinseco contra inclinationem voluntatis non modò nihil cooperantis, sed etiam pro viribus renitentis, est involuntarium simpliciter, & consequenter excusatum ab omni peccato: atqui, quod fit per violentiam simpliciter talem, ita fit ab agente extrinseco: ergo quod fit per violentiam simpliciter talem, est involuntarium simpliciter, & excusatum ab omni peccato. Agnovit hoc S. Augustinus *in cap. de pudicitia.* 32. *q.* 5. relatus, ubi ait: *corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas.* & *in cap. ad Deum. ibid. tantùm enim in mente valet integritas castitatis, ut, illâ inviolatâ, neque in corpore possit pudicitia violari, cuius membra potuerint superari.* Ex dictis

27 Infertur primo, non excusari à peccato eum, qui violentiam sibi illatam non repellit illis viribus ac modis, quibus hîc & nunc potest & teneatur impedire actum ab aggressore intentatum. Reding q. 4. a. 1. controv. 2. n. 9. Paulus Mezger tract. 4. disp. 7. a. 1. n. 13. post Sayrum in Clavi lib. 2. c. 2. n. 4. & alios. Ratio est: quia effectus ex causa vel omissione quapiam secutus censetur interpretativè voluntarius non impedienti, cùm posset & teneretur impedire. neque talis tunc patitur violentiam simpliciter. Atque hinc

Infertur secundo, quando puellæ V. G. stuprum infertur, etiam non consentienti, immò illibenti, eáque non resistit exteriùs; cùm tamen possit, ac debeat resistere; stuprum illud esse ipsi indirectè voluntarium, & ad culpam imputari; esse autem violentum simpliciter, & involuntarium, si non teneatur resistere exteriùs. Quod, idem dicendum est de eo, qui violenter adigitur ad sacrificandum idolis, & non resistit. Sayrus loc. cit.

28 Ut autem statuere possis, quanta in adductis, aliisq; casibus adhibenda sit resistentia ad impediendum aliquem actum illicitum violenter intentatum, observare juverit regulam, quam ex Curiele, Martinez, & Corneio afferunt. Reding loc. cit. Paulus Mezger n. 14. Illa in hoc consistit. Attendere videlicet oportet, an quis actum ejusmodi teneatur impedire præceptô affirmativô, vel negativô. si affirmativo tantùm, non statim peccat, qui non adhibet omnem resistentiam possibilem; sed sufficit adhibere convenientem, habita ratione damni & materiæ. Unde, si puella, cui vis adversus pudicitiam infertur, prudenter existimet, se non consensuram, tenetur quidem viribus corporis aggressorem repellere, quantùm potest; non tamen tenetur ei repugnare cum jactura vitæ & famæ: quia tunc obligatur præceptô affirmativô tantùm custodiendi suam integritatem. Contrà verò, si obligatio impediendi actum intentatum oriatur ex præcepto negativo, tunc omnibus modis moraliter possibilibus ac licitis repugnare debet vim patiens, ut ejusmodi actum impediat, idque adeò, ut si quidpiam sibi licitum ac possibile non præstet, quo præstito actus fuisset impeditus, eidem hic talis actus censeatur voluntarius, & ad culpam imputetur. Sic mulier in casu pudicitiæ per vim violandæ, si probabiliter timeat de futuro consensu, tenetur non solis viribus corporis, quantùm potest, repugnare, sed etiam cum periculo amittendi famam & vitam repellere petulantem aggressorem: quia tunc præceptô negativô non fornicandi obligatur ad evitandum & impediendum actum intentatum. Ad similem resistentiam præceptô negativô non adorandi sculptile obligatur ille, qui compellitur adorare idolum, ejve thus adolere.

Infertur tertio, quando adultus baptizatur 29 per violentiam, invitus & reclamans, invalidum esse Baptismum. Ratio est: quia ad validam susceptionem Baptismi in adulto necessaria est voluntas & intentio saltem habitualis eum suscipiendi: atqui in casu posito deest intentio etiam habitualis: nam & ista tollitur per violentiam. Paulus Mezger n. 12.

§. IV.

An, & quomodo Metus causet involuntarium?

SUMMARIUM.

30. *Definitio metûs, & differentia à violentia.* 31. *Metus alius ab intrinseco, alius ab extrinseco proveniens.* 32. *Item, alius levis, alius gravis.* 33. *Quænam mala sint digna gravi metu?* 34. *Metus gravis aliter explicandus pro foro conscientiæ, aliter pro foro externo.* 35. *An etiam metus reverentialis sit gravis?* 36. *Quod metu fit, simpliciter est voluntarium, secundùm quid involuntarium.* 37. *Pœnitentia ex metu gehennæ est purè voluntaria.*

METus est *instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidatio,* sic 30 enim definitur l. 1. ff. *de eo, quod metûs causâ.* Differt à violentia, quod istâ physicè & effectivè impellat ad actum voluntatis inclinationi repugnantem, ille verò

moveat objectivè & moraliter, objiciendo videlicet imminens aliquod malum, cujus evitandi gratiâ quis aliquid facit, quod alioquin non feciſſet. Unde metu fieri illud dicitur, quod quis mali declinandi causâ facit, alioquin non facturus, ut habet Laym. n. 2.

31 Dividitur metus primo in eum, qui dicitur proficiſci ab intrinſeco, & in eum, qui ab extrinſeco incutitur. Prior eſt, dum quis ad evitandum malum vel à cauſis naturalibus, vel fortuitis impendens, agit, quod aliàs nollet agere: v. g. ſi mercator, ut evitet naufragium, merces in mare projiciat: ſi ſupremô ſupplicio afficiendus, ut evadat mortem, ſpondeat matrimonium puellæ, quam aliàs non duceret. Metus ab extrinſeco dicitur, qui à cauſa libera, ſeu alio homine directè incutitur, ut alter agat, quod aliàs non ageret. Et poteſt hic metus incuti vel juſtè, vel injuſtè. juſtè incutitur à perſona, quæ habet jus, & obligationem incutiendi: ut, ſi magiſtratui Eccleſiaſticus poſt contracta ſponſalia volentem reſilire comminando excommunicationem ad contrahendum matrimonium compellat. injuſtè incutitur ab eo, qui nullum habet jus incutiendi: ut, ſi latro minetur mortem, ni numeres, vel promittas pecuniam.

32 Dividitur metus ſecundo in levem & gravem. Levis, qui etiam vocatur injuſtus, improbabilis, & cadens in virum inconſtantem, eſt ille, qui ob leve aliquod malum vel imminens, vel intentatum concipitur, quoque turbari, ac terreri ſolent homines leves tantùm, delicati, puſillanimes, & inconſtantes: ex quo fit, ut declinandi minoris mali causâ eligant majus: ut, ſi avarus ob metum amittendi pecuniam velit potiùs pati jactutam honoris: vel ſi quis metu brevioris ſomni frangat jejunium. Metus gravis, qui etiam juſtus, probabilis, & cadens in virum conſtantem appellatur, eſt ille, qui ob grave malum imminens, vel intentatum, quo etiam viri fortes, & magnanimi meritò terreri ſolent, concipitur, utque id avertatur, ad electionem minoris mali compellit: ut, ſi incidens in latrones, ne occidatur, tradat pecunias.

33 Porrò mala gravia, quorum metus cadere in virum conſtantem ſolet, gravisque cenſetur, ſunt ferè ſequentia, videlicet: mors, mutilatio, atrox cruciatus corporis, ſervitus, exilium, captivitas, diuturnus carcer, gravis infamia, violentum ſtuprum, injuſta excommunicatio, amiſſio omnium bonorum, vel notabilis partis: amiſſio honoris, famæ, aut honorifici ſtatûs, hisque æqualia; ſive ea propriæ perſonæ, ſive valdè conjunctæ, ut uxori, parenti, filio &c. ſint inferenda. Et iſta quidem ita ſe habent: regula tamen univerſalis ad diſcernendum metum gravem & levem ſtatui non poteſt; ſed prudentûm judiciô eſt definiedum, utrùm, & quænam in particulari exiſtant alia mala, quorum metus cenſeri mereatur gravis, diligenter conſideratis circumſtantiis, ac inprimis, ut docet Laym. cum pluribus aliis loc. cit. n. 5. perſonæ qualitate, ſcilicet ſexu, ætate &c. nam malum, quod reſpectu viri judicaretur leve, poteſt reſpectu fœminæ, vel adoleſcentis eſſe grave.

34 Illud præterea cum eodem Laym. Caſtropal. & Reding. eſt advertendum, metum cadentem in conſtantem virum aliter explicandum eſſe pro foro conſcientiæ, ſive in ordine ad evitandam culpam, aliter pro foro externo ſive in ordine ad evitandam obligationem ex promiſſione, aut contractu. In illo quippe non poteſt dici metus cadens in conſtantem virum, qui excuſet à culpa, niſi ſit majoris mali, quàm ſit illud, quod metus causâ eligitur; hinc metus mortis v. g. quo quis movetur ad negandam fidem Catholicam, non excuſat à culpâ; quia mors, quæ metuitur, eſt minus malum, quàm abnegatio veræ fidei. In foro externo autem ad evitandam obligationem ex promiſſione, aut contractu ſufficit, ſi ſit metus ejusmodi mali, quod graviter lædat operantem in ſua libertate, tametſi, dum cedit tali metui, peccet mortaliter. Exemplum eſt in illo, qui ex metu injuſtæ mortis inferendæ contrahit, imò etiam conſummat matrimonium: iſtud enim cenſeri debet irritum, poſito, quòd metus præſens & nondum depoſitus ſit cauſa conſenſus in matrimonium & copulam: mortaliter tamen peccat, niſi excuſet ignorantia, qui ob talem metum conſentit in copulam: hæc enim eo caſu eſt fornicaria.

35 Specialis difficultas eſt de metu reverentiali, an videlicet ſit gravis, & cadat in virum conſtantem? Dicitur metus reverentialis, quo filius metuit offenſionem parentum; pupillus tutoris; ſubditus ſuperioris; uxor mariti. De hoc ſentiendum eſt juxta doctrinam diſtinctionis, quam tradit Caſtropal. pu. 7. n. 6. & ex illo Tambur. 1. Decal. c. 2. §. 5. n. 8. metum ſcilicet reverentialem ſumi poſſe vel ſecundùm ſe, & prout importat illum pudorem, verecundiam, erubeſcentiam; vel, ut quidam loquuntur, confuſionem, quam pati ſolet filius, ſubditus &c. quando ob denegatam obedientiam increpatur à parente; vel ſuperiori: vel prout conjungitur cum rationabili præviſione aſperioris tractationis; diuturnæ indignationis, continuæ exprobrationis; aut diminutionis notabilis in diſtributione bonorum, &c. In priori acceptione hic metus, eſt ſolùm levis: quia ejusmodi pudor ac verecundia, quæ citò tranſit, non eſt malum tanti momenti, ut timeri ab homine cordato meritò debeat. In poſteriori acceptione metum reverentialem eſſe gravem, præter citt. docent complures: quia reverâ ejusmodi auſteritas, indignatio, averſio ac ſimilia etiam virum conſtantem

ſtantem rationabiliter conturbare, affligere, atque terrere poſſunt. His ita explicatis.

36 Dico. Id, quod metu fit, eſt ſimpliciter voluntarium; ſecundùm quid tamen involuntarium: ideóque dici ſolet voluntarium mixtum. Ita cum D. Thoma 1. 2. q. 6. a. 6. communiter Theologi. Ratio primi eſt: quia, quod procedit ex deliberata ratione & efficaci intentione finis, eſt ſimpliciter voluntarium: ſed quod metu fit, procedit ex deliberata ratione & efficaci intentione finis; ergo, quod metu fit, eſt ſimpliciter voluntarium. maj. conſtat ex definitione voluntarii. min. patet in projectione mercium ex metu naufragii: mercator quippe ſciens volens; atque ex efficaci intentione evadendi mortem merces in mare projicit. Ratio ſecundi eſt: quia, quod metu fit, cum inefficaci ſaltem reniſu, & reluctantia voluntatis fit: mercator enim non ſine averſione & nolleitate conditionata merces projicit: hoc autem ſufficit ad involuntarium ſecundùm quid; ergo &c.

37 Objicies. Ex hac doctrina ſequitur contra definitionem Concilii Trident. ſeſſ. 14. can. 5. cum; qui de ſuis peccatis dolet propter metum gehennæ, non elicere actum laudabilem ſeu honeſtum: quia ille actus ita elicitus vitiatur ratione voluntatis conditionatæ non dolendi de peccatis, ſi abeſſet periculum gehennæ.

Reſpondeo neg. ſeq. maj. unà cum cauſali. licèt enim, quæ metu fiunt, habeant adjunctum nolleitatem, ſintque adeò involuntaria ſecundùm quid, quando malum, ex cujus metu quis operatur, non cauſatur ex ipſo affectu & voluntate operantis; ut patet in exemplo tradentis latroni pecunias ex metu amittendi vitam; non tamen habent adjunctum ejusmodi nolleitatem, quando malum, ex cujus metu quis operatur, ab ipſo affectu & voluntate operantis cauſatur: tunc enim repugnat; ut quis ex metu talis mali operetur efficaciter, & non ſimul deponat illum affectum, ex quo infallibiliter cauſatur. Atqui pœnitens in caſu noſtro cognoſcit, periculum, malúmque gehennæ ſibi imminere ex proprio peccaminoſo affectu cauſatum; ergo repugnat, ut ex metu ejusdem efficaciter operetur, & non hoc ipſo deponat affectum erga illud objectum peccaminoſum, utpote radicem & infallibilem cauſam iſtius mali; atque ſic dolor ille non ſolùm ſimpliciter, ſed purè ſit voluntarius. Jam verò ex hypotheſi, quòd pœnitens habeat reverà voluntatem conditionatam non deſiſtendi à peccato, ſi gehenna non eſſet, dolor erit ſerviliter ſervilis; ut loqui ſolemus; adeóque debita honeſtate morali carebit.

§. V.

Corollaria doctrinæ præcedentis:

SUMMARIUM.

38. *Nullus metus per ſe loquendo excuſat à peccato.* 39. *Præcepta naturalia negativa obligant in quocunque metu.* 40. *Aliud ſentiendum de præceptis naturalibus affirmativis.* 41. *Præcepta Divina aliquando non obligant in gravi metu.* 42. *Quandonam ceſſet obligatio alicujus præcepti Divini.* 43. *Præcepta humana non ſemper obligant in gravi metu.* 44. 45. *Reſpondetur ad duas objectiones.* 46. *Contractus, promiſſiones, & vota metu facta ſunt valida de jure naturæ.* 47. *Reſpondetur ad fundamentum ſententiæ oppoſitæ.* 48. 49. *Quænam de contractibus, donationibus, votis &c. metu factis diſpoſuerint leges humanæ?*

COrollarium I. Nullus metus, quantumvis gravis, per ſe loquendo excuſat à peccato; illud tamen minuit. Ratio eſt: quia, quod in actione aliàs mala relinquit voluntarium, & quidem liberum ſimpliciter, etiam relinquit peccatum in ratione peccati ſimpliciter; & ſimiliter, qui minuit voluntatium, etiam minuit peccatum: atqui metus, ut vidimus in §. proximè præced. præſtat utrumque; ergo. Dixi de priore parte *per ſe loquendo*. nam per accidens interdum excuſat metus, vel, quia turbando judicium rationis obſtat deliberationi; vel, quia gravitas mali imminentis eſt tanta, ut hìc & nunc ceſſet alicujus præcepti obligatio; veluti cum Reding obſervat Paulus Mezger tract. 4. diſp. 7. a. 2. n. 12. & pluribus dicetur in ſequentibus. 38

Corollarium II. Tranſgreſſiones præceptorum naturalium negativorum, qualia ſunt, quibùs prohibetur adoratio idolorum; occiſio innocentis; fornicatio; invalida adminiſtratio Sacramenti &c. nullo metu mali, etiam mortis, aut alterius graviſſimi, excuſantur ita, ut non ſint peccata mortalia. Caſtropal. hìc diſp. 1. pu. 13. n. 3. Reding. q. 4. a. 2. controv. un. n. 20. eſtque communis ſententia: quæ habetur ex cap. *Sacris de his, quæ vi, metusve causâ fiunt.* Ratio eſt: quia actus his talibus præceptis oppoſiti ſunt intrinſecè mali, qui nullo caſu, adeòque nec ullo metu, excuſari poſſunt, vel ſeparari à malitia. 39

Corollarium III. Quæ fiunt ex metu mortis contra præcepta naturalia poſitiva, probabiliter excuſantur aliquando à peccato. Ita Sotus, Navarrus, Joan. à S. Thoma; Ildephonſus Baptiſta, quos refert; & ſequitur Paulus Mezger loc. cit. n. 15. Ratio eſt: quia per iſta præcepta non prohibentur actiones intrinſecè malæ, ſed præcipiuntur actiones intrinſecè bonæ, & ſecundùm moralem honeſta- 40

tem necessariæ: cumque hæc necessitas semper quidem, non tamen pro semper, obliget, fieri potest, ut propter aliquam circumstantiam occurrentem, v. g. mortis inferendæ, transgressio ejusdem non imputetur ad culpam. Hujus exemplum habes suprà in §. 3. n. 28. de puella, quæ citra periculum proximum consensûs negativè permittit sui defloorationem, quam non nisi cum probabilem futuræ vitæ suæ jactura impedire posset.

41 Corollarium IV. Præcepta Divina, sive positiva, sive negativa, aliquando non obligant in gravi metu. Ita Ildephonsus Baptista, Vasquez, Sanchez, Castropalao, quos refert & sequitur Reding loc. cit. n. 23. Utraq; pars Corollarii constat exemplis, quæ S. Scriptura suppeditat. Nam inprimis (ut plura omittam) præceptum affirmativum de pueris octavo die circumcidendis, per 40. annos non obligavit Israëlitas; eó quòd circumcisi propter laborem itineris de vita fuissent periclitati. Josue 5. Deinde præceptum negativum, quo laicis prohibiti erant panes propositionis, non obligavit ad abstinendum ab illis Davidem & socios, cùm extrema necessitate famis premerentur. 1. Reg. 21. veluti Christus Dominus ipse significat Matth. 12.

42 Cæterùm, ut dijudicari possit, in quibusnam casibus particularibus ob gravem metum cesset obligatio alicujus præcepti Divini, præcipuè attendi debet, an ejusmodi præceptum respiciat particularem ac propriam utilitatem operantis; vel, an respiciat bonum commune. Si primum; tunc non obligat cum vitæ, vel alterius gravis mali periculo: veluti patet in præcepto de materiali integritate Confessionis; item, in præcepto Confessionem præmittendi Communioni &c. Si secundum; tunc servandum est præceptum, tametsi propterea servanti immineat grave malum, aut mors ipsa. Ejusmodi præceptum est illud de sigillo Confessionis, non violando: item de consecratione facienda sub utraque specie, & utramq; sumendi in Sacrificio: de conficienda Eucharistia in pane triticeo, & vino vitigineo. hæc præcepta obligant etiam in discrimine cujuscunque gravis mali: quia bonum commune Religionis per illa intentum debet præferri cuivis incommodo aut damno particulari. Castropalao pu. 13. num. 7. Reding n. 26. & seqq.

43 Corollarium V. Præcepta humana, tam Ecclesiastica, quàm civilia, non semper obligant ad sui observationem in gravi metu mortis, vel alterius mali gravis. Hoc est contra Cajetanum, Henriquez, Alensem, & Durandum apud Salmanticenses tr. 11. de legib. cap. 2. pu. 7. n. 123. Ratio verò nostra est: quia Legislator quidem Divinus, qui est absolutus dominus vitæ ac bonorum omnium cujuscunque creaturæ, posset per suas leges ac præcepta semper obligare subditos etiam cum periculo vitæ: sed non potest sic obligare ob rationem contrariam Legislator humanus. Et ideo non teneris solvere Decimas, audire Missam, aut jejunare cum periculo salutis corporalis per cap. *Consilium. de observat. jejunii.* Sed contra

Objicies primo ex ratione. Lex justa, hoc 44
ipso, quòd sit justa, ordinatur ad bonum, commune eaq; præcipit, quæ facere expedit bono communi: ergo semper obligat, etiam cum damno particularium quocunque. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quia non omnia, quæ sunt conjuncta cum damno particularium quocunque, semper, & in omni casu justè præcipi possunt à Superiore, seu Legislatore humano; idque ob rationem à nobis adductam. Neque expedit semper bono communi omnia talia in omni casu præcipi.

Objicies secundo varia exempla. Nam 45
primo: contrahere matrimonium cum consanguinea nonnisi jure positivo prohibitum est, & tamen non potes contrahere, licèt impendeat periculum mortis. Secundo. Communicare cum excommunicato non potes, etiam in gravi metu; citra peccatum, quamvis id solo jure Ecclesiastico sit interdictum. Tertium. Ne quis celebret absque vestibus sacris; similiter solo jure Canonico præceptum est: & nihilominùs peccat Sacerdos, quando sic celebrat, licèt ad hoc gravi metu compellatur. Quartum. Lex clausuræ Moniales obligat etiam in gravissimo morbo, ac vitæ periculo; cujus tamen foris remedia supperterent. Quintum. Carthusianus, licèt certò prævideat, se moriturum, nisi carnes comedat, tenetur sub peccato mortali vi suæ Regulæ non comedere.

Ut ad ista respondeatur, ob oculos habere oportet doctrinam in n. 42. traditam: quia vel maximè procedit in præceptis ac legibus humanis. Nunc ad primum respondeo neg. non posse aliquem tunc contrahere matrimonium cum consanguinea, esto, non possit habere animum id consummandi. Neque refert, quòd se exponat fortè periculo consummandi: hoc ipsum quippe non imputatur ei ad culpam ob urgentissimum metum gravissimi mali; ut docent Salmanticenses loc. cit. num. 132.

Ad secundum similiter neg. non posse quem ex gravi metu licitè communicare cum excommunicato. Videtur quidem obstare cap. *Sacris. de his, quæ vi.* ubi dicitur, ob communicationem cum excommunicato ex metu factam incurri excommunicationem: sed hoc intelligendum est, ut explicat Castropal. de communicatione, quæ cederet in contemptum Religionis, aut legis Ecclesiasticæ.

Ad tertium respondent Bonacina, Salus, Valentia, Suarez & alii apud Castropal. ubi suprà,

prà, n. 9. si absit scandalum, & contemptus, posse Sacerdotem, ut evitet mortem sibi intentatam, celebrare sine vestibus sacris; eò quòd leges humanæ non obligent cum tanto dispendio. quod procul dubio verum est, nisi aliud expostulet ratio boni communis; sicut in præsenti expostulare credo: quia celebrare in vestibus sacris pertinet ad observandum ritum communem; adeòque respicit bonum commune Ecclesiæ.

Ad quartum respondeo, legem clausuræ vel maximè respicere bonum communis disciplinæ; ideòque servandam esse à Monialibus etiam in gravissimo morbo, ac vitæ periculo inde exorto. Videantur Salmanticenses n. 133. & 134. ubi afferunt etiam casus exceptos, in quibus licitum est Monialibus clausuram frangere.

Ad quintum similiter respondeo, Carthusiano in ejusmodi casu abstinendum esse à carnibus, tametsi ex tali abstinentia se moriturum certò prævideat: quia plurimùm interest boni communis, ac splendoris Carthusianæ Religionis abstinentiam adeò sacram in suo toto rigore conservari, nullumque dari aditum relaxationi ejusdem ob particularis damni, aut mali periculum (de quo tamen ipso non semper haberetur certitudo) à particulari Religioso obtensum. Ex his igitur, aliisque similibus casibus sufficienter constat, præcepta humana aliquando obligare in gravi metu, aliquando non obligare. obligant enim, quando illa observari interest boni communis: non obligant, quando propriam utilitatem operantis respiciunt; sicut dictum est de præceptis Divinis cit. n. 42.

46 Corollarium VI. Omnes contractus, etiam matrimoniales, promissiones, ac vota ex metu gravi, etiam ad similia extorquenda injustè incusso facta, ex se, & stando in jure naturali sunt valida. Ita Sayrus in Clavi reg. lib 2. c. 2. n. 10. Castrop. pu. 8. n. 4. & apud ipsum Th. Sanch. l. 4. de matr. disp. 8. n. 4. & disp. 14. n. 2. aliique plurimi, quibuscum sentiunt etiam noster Reding, ubi suprà. n. 34. & seqq. Paulus Mezger n. 10. contra Molinam, Rebellum, Basilium Pontium, Dianam, & Tamburinum, quos refert, & sequitur Sporer hîc sect. 4. n. 56. Ratio nostra est: quia cum metu gravi quocunque stant omnia, quæ ad substantiam contractûs sunt necessaria, videlicet justus titulus dati & accepti, donati, promissi, ac similium; & voluntarius consensus. Idem cum proportione verum est de promissionibus & votis. Adde, quòd voluntarium mixtum, & ex metu sufficiat ad peccatum mortale: cur ergo non sufficiat etiam ad contractum & votum?

47 Objicies. Evidenter repugnat juri naturali & rationi, ex injuria oriri justitiam, seu jus quodpiam, ita ut quis per injuriam, quam alteri infert, sicut infert, qui metu injustè incusso extorquet promissionem, vel consensum, alteri imponat obligationem etiam naturalem justitiæ: ergo fatendum est, exactionem, & acceptionem rei, sive actionis alicujus, quam se daturum, seu præstaturum consensit metum passus, intrinsece, adeòque ipso jure naturali esse injustam & invalidam; non minùs quàm furtum & rapinam; & consequenter metum inferenti nullum omnino competere jus ad rem, vel in re. Atqui, ubi nullum jus in uno, nulla quoque est obligatio in altero: & rursus, ubi nulla est obligatio, nulla etiam est promissio, & nullus contractus.

Confirmatur. Quæ quis ab altero accepit per donationem & consensum metu extortum, ea tenetur restituere; ut habet communis omnium sententia: ergo signum est, vi consensûs metu extorti in accipientem non transferri dominium; & consequenter esse consensum intrinsecè irritum, & ex natura rei invalidum.

Respondeo ad Object. justitiam, seu jus in casu metûs injustè incussi non oriri ex injuria, nisi per accidens, sed oriri ex natura promissionis validæ, seu contractûs validi, qualem in præsenti subsistere ostendimus, non obstante metu quocunque. Qui proinde exigit, vel accipit quidpiam ab altero sibi promissum, sive dictum ex metu in hunc finem injustè incusso, justè ac validè exigit, aut accipit, quantum est ex vi promissionis, aut contractûs: tenetur tamen illud mox reddere metum passo, eumque in pristinum statum restituere; veluti deinde docebimus.

Ad Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. sicut enim retines dominium rerum tuarum, quas Petro promisisti, licèt easdem tenearis Petro dare, si is promissionem acceptavit; ita acquiris dominium rei, quam alter tibi voluntariè donat, licèt, ut donet, per metum injuriosè incussum efficias.

De cætero fatendum est, jus & dominium, quod quis per donationem, aut contractum metu extortum acquirit, parum afferre commodi. nam donationes, sicut & venditiones, ac transactiones, per potentiam extortæ jubentur infirmari in *l. ult. C. de his, quæ vi.* circa contractum quoque conceditur jure positivo metum passo beneficium rescissionis, ita, ut ipso nolente stare contractu, irritari possit contractus; ipso autem stare volente, is, qui metu extorsit contractum, resilire nequeat. 48

Per dispositionem præterea legum positivarum in æquitate naturali fundatam ipso facto nulli sunt actus ex metu gravi ad extorquendum consensum incusso profecti, qui sequuntur. Primo matrimonium. *ex cap. Veniens. de Sponsal.* quod etiam ad sponsalia extendit Sanchez l. 4. de matr. disp. 19. Secundo. 49

Votum

Votum solemne in Religiosa professione. *ex cap. 1. de his, quæ vi, metusve causa fiunt.* Vota simplicia metu extorta, non quidem jure positivo, sed traditione & consuetudine Ecclesiæ vim legis habente esse irrita docet Castrop. pu. 8. cit. n. 5. ad 5. Tertio. Promissio, vel solutio dotis. *ex l. si mulier. 21. §. si dos. ff. de eo, quod metus causâ.* Quarto. Jurisdictio data, vel prorogata ex metu. *l. 2. ff. de judiciis.* Quinto. Datio tutoris. *ex l. 1. §. ult. de authorit. tutor.* Sexto. Absolutio ab excommunicatione. *ex cap. un. de his, quæ vi metusve causâ. in 6.* Septimo. Testimonium in testamento metu extortum. *l. 4. ff. de testamentis.*

DISPUTATIO II.

De bonitate, & malitia Actuum humanorum.

ARTICULUS I.

De bonitate, & malitia Actuum humanorum ex objecto.

SUMMARIUM.

1. *Quinam actus humanus sit moraliter bonus, quinam bonus?* 2. *Regulæ morum aliæ remotæ, aliæ proximæ.* 3. *Quid hic intelligatur nomine objecti.* 4. *Objectum dat speciem actui ut substans judicio practico rationis.* 5. *Species essentialis actui humano provenit ex objecto.* 6. *Quomodo tolerantia passionis aut mortis specificet actum fortitudinis.* 7. *Actus externus dat speciem interno ut est in intentione.* 8. *Quodnam sit objectum hujus actus,* volo honestè vivere &c. 9. 10. *Corollaria.*

1 NOtandum est primo, honestatem, seu bonitatem moralem actionis humanæ aliud nihil esse, quàm conformitatem, & commensurationem illius cum regulis morum; econtrà inhonestatem, seu malitiam moralem aliud non esse, quàm difformitatem, & repugnantiam, seu disconvenientiam actionis cum eisdem regulis. Unde actus moraliter bonus idem est atque actus conformis & commensuratus; actus verò moraliter malus idem est atque actus difformis ac repugnans regulis morum. nam inde habet actus humanus, ut sit honestus, seu moraliter bonus, unde habet, ut deceat naturam rationalem, eique sit specialiter conveniens laude ac præmio dignus: & inde habet, ut sit inhonestus, seu moraliter malus, unde habet, ut dedeceat naturam rationalem, eique quà tali sit disconveniens, vituperiô & supplicio dignus. Sed prius ex eo habet, quòd sit conformis & commensuratus; posterius autem ex eo habet, quòd sit difformis & repugnans regulis morum: ergo ex eisdem quoque capitibus habet, quòd sit moraliter bonus aut moraliter malus.

2 Notandum secundo, duas potissimúm esse regulas morum; unam remotam & extrinsecam; alteram proximam & intrinsecam. Regula remota est lex Dei æterna, à qua omnes cæteræ leges derivantur; de quibus suo loco disputabimus. Regula proxima est dictamen nostræ conscientiæ, ex quo ceu radio æternæ legis in nos immisso circa agenda & omittenda dirigimur & illuminamur, juxta illud Psal. 4. *signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* de hac regula tract. præced. egimus.

3 Notandum tertio, nomine objecti hîc intelligi id, ád quod actus humanus ex natura sua per se primò ordinatur. Ita sublevatio alienæ indigentiæ est objectum actûs largiendi eleemosynam: quia iste actus ad hunc finem per se & ex proprio modo tendendi ordinatur, licèt præterea possit ab operante ad alios fines extrinsecos, sive bonos sive malos, ordinari. verbô: per objectum hîc intelligitur finis operis, non operantis præcisè.

4 Notandum quarto, objectum non tribuere speciem actui in genere moris, ut est in se à parte rei, sed prout substat cognitioni & practicæ repræsentationi intellectûs. Patet hoc in adoratione v.g. Hostiæ non consecratæ, quam adorans invincibiliter existimat esse consecratam. nam objectum hujus actûs est adorabilitas hostiæ, minimè profectò, ut est in se (ut sic enim est nulla) sed invincibiliter & prudenter existimata, practicèque hîc & nunc repræsentata. ubi vides, adorationem specificari moraliter, esseque actum honestum religionis, haud sanè ex objecto ut existente secundùm esse physicum, sed prout repræsentato & existente in practico judicio intellectûs.

His præmissis,

5 Dico. Actus humani speciem essentialem bonitatis & malitiæ accipiunt ex objecto. Ita communiter D.D. cum D. Thoma. 1.2. q. 18. a. 2. Dixi, *speciem essentialem.* nam de specie accidentali videbimus in seq. artic. Colligitur veritas statutæ conclusionis etiam ex S. Script. Oseæ 9. ubi dicitur de peccatoribus: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* & ex S. Aug. tr. 2. in Joan. dicente: *si terram diligis, terra es: si Deum diligis, quid dicam? Deus eris.*

Proba-

Probatur etiam ratione D. Thomæ in hunc modum: sicut se habet forma naturalis ad compositum in specificando intrinsecè, ita se habet objectum ad actum in specificando extrinsecè: sed forma naturalis composito tribuit speciem primam & essentialem intrinsecè; ergo objectum tribuit actui speciem primam & essentialem extrinsecè. Neque juvat dicere, objectum quidem tribuere speciem in esse naturæ, non tamen in esse morali. Nam contra est, quòd, sicut actus humanus subjectivè est in genere tam morali, quàm naturali, ita objectum ejusdem objectivè sit in genere morali & naturali: ergo sicut objectum, si spectetur in esse naturali, tribuit actui speciem naturalem, ita etiam tribuit speciem moralem, si spectetur in esse morali.

6 Obiicies primo authoritatem D. Thomæ in 2. 2. q. 124. a. 3. ubi docet, actum fortitudinis speciem suæ honestatis non accipere ab objecto, quod est tolerantia passionis, vel mortis, nisi accedat aliquis finis extrinsecus altioris virtutis, v. g. religionis, aut justitiæ.

Respondeo, S. Doctorem aliud non velle, quàm quòd objectum fortitudinis exigat finem extrinsecum alterius virtutis tanquam conditionem, ita ut non exerceat rationem specificativi, nisi tali conditione & connotato posito: ex quo nihil contra nos colligitur.

7 Obiicies secundo. Actus externus non dat speciem bonitatis vel malitiæ actui interno: sed objectum actus interni est actus externus. Nam objectum hujus actus, *volo furari*, est ipsamet actio externa furandi. ergo objectum actui interno non dat speciem: maj. inde colligitur, quòd ipse actus externus omnem, quam habet, bonitatem vel malitiam accipiat ab actu interno. Quomodo ergo poterit dare?

Respondeo neg. maj. ejus probat. dist. actus externus bonitatem vel malitiam formalem, & ut positus in executione accipit ab actu interno, conc. bonitatem, vel malitiam objectivam, & prout existens in intentione, nego. tribuit igitur, ut est in intentione, speciem bonitatis vel malitiæ, eamque vicissim accipit in ordine executionis ab actu interno.

8 Obiicies tertio. Hic actus: *volo honestè vivere*, habet pro objecto indeterminatè & generatim materiam omnium virtutum: & iste: *volo peccare*, habet pro objecto indeterminatè & generatim materiam omnium vitiorum: ergo neuter accipit speciem ab objecto. Consèq. prob. quia sequeretur, priorem actum esse in specie omnium virtutum, & posteriorem in specie omnium vitiorum: neque enim esset major ratio, ob quam spectarent ad unam speciem potiùs, quam ad omnes.

Respondeo neg. mai. quia objectum formale specificativum prioris actus est ultimus finis naturæ rationalis quà talis, quem eliciens hunc actum sibi proponit: objectum verò posterioris actus est ultimus finis inordinatus, proprium videlicet commodum inordinatum. Unde materiæ virtutum & vitiorum omnium, quæ in confuso attinguntur, habent se materialiter solùm, & appetuntur omnes sub una ratione formali finis ultimi. Ex quibus ad reliqua patet solutio.

Corollarium I. Actus internus, & actus externus in genere moris non faciunt numerum, sed computantur pro eodem. Sic propositum furandi, v. g. ipsaque externa actio furti, qua adimpletur, sunt unicum peccatum. Laym. hìc c. 7. n. 6. Contenson to. 3. dissert. 5. c. 1. specul. 1. & alii communiter. Ratio est: quia uterque actus respicit atque attingit idem objectum, sive materiam externam; externus quidem immediatè; internus autem mediante externo. Hinc sufficit in Confessione exprimere actum externum, dicendo v. g. te furatum esse equum: nam hoc ipso satis innotescit Confessario malitia propositi & voluntatis internæ, quæ in actionem externam ceu forma in subjectum derivatur: cùm utique, qui furatur, velit furari. Cave tamen, ne inferas: ergo vicissim sufficit in Confessione explicare actum internum tacendo externum. Nam licèt is omnem formalem atque essentialem rationem malitiæ in se contineat, sine actu tamen externo, per quem materialiter perficitur, ac velut extenditur, censetur quodammodò imperfectus: quia nempe finem suum proximum non est assecutus. Laym. cit. 9

Corollarium II. Tametsi efficax actus voluntatis, sive propositum bene vel malè agendi executioni non mandatum, eò quòd decrat opportunitas exequendi, non minorem habeat seu bonitatem, seu malitiam essentialem; quàm si opere fuisset completum; & consequenter æquale præmium essentiale, vel supplicium mereatur apud Deum; quia tamen actus externus est quædam consummatio & extensivè perfectio actus interni, ideo per illum hujus bonitas, vel malitia materialiter & extensivè augetur. Atque ob hanc causam contingit, ut martyrium in voto, sive proposito efficaci voluntatis, quamvis sit dignum eadem gloria essentiali, qua dignum est martyrium in re, sive opere consummatum, gloriam accidentalem Martyribus propriam, scilicet laureolam, non consequatur. Lege D. Thomam in 4. dist. 49. q. 5. a. 1. & 4. 10

ARTICULUS II.

De circumſtantiis Actuum humanorum.

SUMMARIUM.

1. Circumſtantiæ actui humano tribuunt aliquam ſpeciem bonitatis vel malitiæ moralis. 2. Septem ſunt circumſtantiæ. 3. Ex his aliæ mutant ſpeciem, aliæ aggravant vel minuunt bonitatem vel malitiam. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Declarantur ſingulæ circumſtantiæ. 12. Cur circumſtantia loci, & non item temporis ſacri tribuat novam ſpeciem?

1 CErtum eſt apud omnes, actum humanum præter ſpeciem, quam habet ab objecto, moralem quoque bonitatem, vel malitiam trahere ex circumſtantiis. Patet hoc in ſacrificio Caini, quod Geneſ. 4. Deo diſplicuit propter circumſtantiam odii erga fratrem: item in largitione eleemoſinæ facta ob finem vanæ gloriæ, quam Chriſtus reprehendit Matth. 6.

2 Porrò circumſtantiæ juxta D. Thomam aliud non ſunt, quam particulares humanarum actionum in genere moris conditiones, ſive accidentales affectiones: quæ ſeptem communiter numerantur in ſequenti verſiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

3 Ex his aliæ bonitatem, vel malitiam actionis augent, vel minuunt intra eandem ſpeciem; eaque propter dicuntur aggravantes, vel minuentes; aliæ verò afferunt actui peculiarem ſpeciem bonitatis, vel malitæ propter ſpecialem conformitatem vel diſformitatem, quam gerunt ad regulas morum: ideoque vocantur ſpeciem mutantes. Id autem præſtant dupliciter. Nam interdum circumſtantia ita affert actioni novam ſpeciem bonitatis vel malitiæ, ut illi propriam ſpeciem, quam habet ex objecto, relinquat: ita largitio eleemoſynæ facta ob finem Deo ſatisfaciendi pro peccatis eſt in duplici ſpecie virtutis, videlicet miſericordiæ & pœnitentiæ: in priori quidem ratione objecti; in poſteriori autem propter circumſtantiam *Cur*. aliquando verò ita mutat ſpeciem actionis, ut propriam illius bonitatem ex objecto deſtruat, & ad ſpeciem malitiæ transferat: ſic largitio eleemoſinæ facta ob vanam gloriam perdita bonitate virtutis miſericordiæ mutatur in opus vanæ gloriæ. Placet nunc breviter totum ſeptenarium circumſtantiarum ſingillatim exponere. Itaque

Circumſtantia *Quis* ſignificat qualitatem, ſive conditionem perſonæ operantis. 4
Hæc actui malo ſæpe novam ſpeciem malitiæ confert. ita fornicatio conjugati non ſolùm eſt peccatum contra caſtitatem, ſed etiam contra juſtitiam: fornicatio perſonæ voto caſtitatis obſtrictæ unà cum malitia contra caſtitatem inſuper continet malitiam ſacrilegii contra religionem. Similiter injuria parenti à filio, principi, prælato, magiſtratui illata à ſubdito peccatum eſt non ſimpliciter contra juſtitiam, ſed etiam contra virtutem pietatis, & obſervantiæ: & ſic in pluribus aliis. Hæc eadem circumſtantia interdum malitiam operis ſolùm auget intra eandem ſpeciem. Sic cæteris paribus gravius eſt peccatum hominis fidelis, quàm infidelis; docti, quàm indocti; Deo accepti, quàm non accepti; Epiſcopi, Prælati, Religioſi, Clerici, quàm ſubditi, ſecularis, vel laici. Graviùs quoque peccat, qui veniam ſæpius conſecutus in idem peccatum relabitur: nam relapſus ejusmodi habet implicitè ſibi conjunctam circumſtantiam ingratitudinis. Porrò quod circumſtantia perſonæ actui malo, id etiam præſtat bono, dum iſti quoque adiicit aliquando novam ſpeciem bonitatis, aliquando auget bonitatem intra eandem ſpeciem. Exemplum prioris eſt, dum Parochus ex officio concionatur, vel audit Confeſſiones: ubi ſimiles functiones præter ſpeciem, quam habent ex objecto, contrahunt inſuper ſpeciem virtutis juſtitiæ. Exemplum poſterioris eſt, ſi vir magnæ dignitatis, vel excellentis doctrinæ aliis ob humilitatem ſe poſtponat, vel ſubiiciat: ſi pauper det eleemoſinam &c.

Circumſtantia *Quid*, ſive *circa quid*, 5
ſignificat conditionem, qualitatem, vel quantitatem objecti, ſeu materiæ, circa quam verſatur actio. Hæc circumſtantia actui malo ſæpe conſciſcit novam ſpeciem malitiæ; ut fornicationi cum aliena uxore ſpeciem injuſtitiæ; furto rei ſacræ, vel percuſſioni clerici ſpeciem ſacrilegii. Interdum verò actionis malitiam intra eandem ſpeciem auget: veluti contingit, ſiquis injuriâ afficiat hominem innocentem, aut ſanctum; ſi locô unius aurei furetur decem. Eadem circumſtantia actui bono dat interdum novam ſpeciem bonitatis: ita, ſi pauperi Sacerdoti intuitu Sacerdotii præbeas eleemoſynam; non ſolùm opus miſericordiæ, ſed etiam religionis exerces. Aliquando etiam bonitatem operis intra eandem ſpeciem auget: ut,

ſi erga

si erga viduas, pupillos, peregrinos &c. humanitatem, ac liberalitatem tuam exhibeas; si pauperi locô denarii largiaris aureum.

6 Circumstantia *Ubi* significat qualitatem loci, videlicet sacri, profani, publici, privati &c. hæc actui malo novam speciem malitiæ persæpe tribuit. Sic fornicatio & furtum commissa in templo præter malitiam incontinentiæ & injustitiæ contrahunt ratione loci sacri malitiam Sacrilegii. Sic peccata in loco publico, & coram multis patrata, v. g. adulterium, turpiloquium, immanis blasphemia, malitiam scandali ordinariè sibi habent annexam: quæ proinde in Confessione necessariò est explicanda, unàque numerus scandalizatorum, quoad fieri potest declarandus. Rarò tamen ista circumstantia peccatum notabiliter aggravat intra eandem speciem; velut advertit Layman. Potest hoc autem contingere in materia injustitiæ, v. g. in detractione, vel calumnia publicè coram pluribus alteri irrogata. Quod idem ex opposito fieri potest in actu bono, ut nempe hæc circumstantia augeat bonitatem illius; veluti notat hic Sporer.

7 Circumstantia *Quibus auxiliis*, sive *per quæ*, significat media, & instrumenta peccandi (vel etiam honestè agendi, de quo nulla difficultas) quibus homo utitur: eaque vel sunt instrumenta propriè dicta, ut arma speciali lege prohibita, vel ad cruciandum exquisita, quibus inimicum invasisti: vel alii homines jussu, consilio, promissis &c. in peccati societatem tracti: ubi præter malitiam peccati, ad quod alios inducis, contrahis insuper malitiam scandali. Huc pertinent etiam occasiones voluntariæ peccatorum, istæ malitiam aggravant solùm: imò constituunt idem numerô peccatum, quando quis ex efficaci proposito peccandi exponit se periculo peccandi, & statim peccat. Aliud est, si non statim, sed post aliquod moræ intervallum periculo succumbens ex nova intentione peccet: tunc enim duo committit distincta peccata.

8 Circumstantia *Cur*, sive *propter quid*, quo nomine finis operantis intelligitur, est omnium potissima, teste D. Thoma in 1. 2. q. 7. a. 4. Est autem finis operantis ille, quem operans actioni suæ pro libitu præfigit. Finis operis est, quem opus sive actio ceu suum objectum ex natura sua respicit. Sic in largitione eleemosynæ facta ob finem satisfaciendi pro peccatis finis operis est sublevatio alienæ indigentiæ: hanc enim ut objectum suapte natura respicit ea largitio. Finis operantis est satisfactio pro peccatis: nam ad istam largitio non ex sua natura, sed ex largientis beneplacito extrinsecè & accidentaliter ordinatur. Hinc finis operantis vocatur extrinsecus; operis intrinsecus.

9 Cæterùm modi, quibus actio referri solet ad finem extrinsecum, octo omnino cogitari possunt. Primus est, actum ex objecto bonum referre ad finem bonum. Secundus, actum ex objecto bonum referre ad finem malum. Tertius, actum ex objecto bonum referre ad finem indifferentem. Quartus, actum ex objecto indifferentem referre ad finem bonum. Quintus, actum ex objecto indifferentem referre ad finem malum. Sextus, actum ex objecto malum referre ad finem bonum. Septimus, actum ex objecto malum referre ad finem malum. Octavus, actum ex objecto indifferentem referre ad finem indifferentem.

Primo modo actus novam speciem bonitatis ex fine adipiscitur. Hinc dans eleemosynam, ut Deo satisfaciat pro peccatis, opus exercet non solùm misericordiæ, sed etiam pœnitentiæ. Secundo modo finis malus actum, qui ex objecto bonus esset, reddit omnino malum, & amissa potiùs ratione circumstantiæ transit in objectum, & tribuit actioni primam, unicamque speciem malitiæ. Quapropter eleemosyna data ob vanam gloriam neutiquam opus virtutis misericordiæ, sed vitiosum vanæ gloriæ est. Tertio modo actus secundùm speciem evadit indifferens, eò quòd finis, à quo actus in genere moris quoad speciem dependet, sit indifferens. Exemplum habes in eo, qui præcisè sumptibus parcendi gratiâ jejunat. Quarto modo finis actui tribuit primam, unicam, & essentialem speciem bonitatis, atque iterum non retenta proprietate circumstantiæ induit in genere moris rationem objecti. Hinc iter facere v. g. voti persolvendi gratiâ est opus virtutis religionis. Quinto modo finis similiter transit in objectum, & confert actui primam, unicam, & essentialem speciem malitiæ: veluti patet in itinere fornicandi causa suscepto: id enim est opus luxuriæ. Sexto modo finis actui nihil tribuit bonitatis, sed relinquit totaliter malum. Et ideo, dum furaris, ut præbeas eleemosynam, minimè facis opus bonum misericordiæ, sed malum intra genus injustitiæ. Cujus ratio petitur ex discrimine inter bonum & malum morale in præsenti materia diligenter ob oculos habendo. Nam *bonum*, ut dixit S. Dionysius c. 4. *de Div. Nom. ea integra causa, malum ex quovis defectu.* Hoc est: ut actio sit bona moraliter, objectum, finem, cæterasque circumstantias omnes bonas esse oportet, &, si eorum vel unicum à bonitate deficiat,

actio jam non erit bona moraliter, sed mala penitus & vitiosa. Septimo modo finis actioni superaddit novam malitiam, eamque vel numero, vel specie distinctam, prout nempe malitia ipsius vel numero, vel specie differt à malitia, quam actus habet ex objecto. Ita, qui Cajo furatur instrumenta furandi, ut illis utatur ad furandum Titio, committit duo peccata contra justitiam solo numero distincta: qui verò furatur fornicationis causâ, committit duo peccata specie distincta, unum contra justitiam, & aliud contra castitatem. De octavo modo quid sentiendum, & an locum habeat in nostris principiis, videbimus in sequent. artic.

10 Circumstantia *Quomodo* significat modum, quo fit actio. Tales modi sunt major, vel minor intensio magis vel minùs voluntarium &c. Hæc circumstantia in actibus bonis bonitatem, in malis auget malitiam intra eandem speciem: sicut enim dolor v. g. de peccatis intensior magis Deo placet, quàm remissior, ita peccatum quodcunque cum majore intensione, vehementia, deliberatione &c. commissum magis displicet, estque magis abominabile, quàm culpa citra similes modos patrata. Eadem circumstantia interdum actui malo affert novam speciem malitiæ. Patet hoc in furto violento, quod præter speciem injustitiæ habet ex modo, quo fit, malitiam rapinæ: patet insuper in omni peccato, quod committitur ex formali legis contemptu, ubi præter malitiam ex objecto haustam reperitur etiam malitia formalis inobedientiæ.

11 Circumstantia *Quando* sumi potest vel pro mora temporis, qua durat actio; vel pro qualitate temporis, puta sacri, vel non sacri. In priori sensu bonitatem vel malitiam actûs accidentaliter auget. Nam utique melior est, cæteris paribus, contritio durans per semihoram, quàm per semiquadrantem: & eò deterior est libidinosa delectatio, quò diuturnior. In posteriore acceptione hæc circumstantia actionem moralem nec meliorem reddit, nec deteriorem. Hinc largitio eleemosynæ facta die festo est ejusdem bonitatis coram Deo, cujus est facta die feriali. Similiter in die festo, vel Dominico se inebrians non peccat gravius, quàm si alio die non sacro se inebriet. Multò verò minùs circumstantia temporis actui novam speciem tribuit: veluti docent Navarr. in M. n. c. 6. n. 11. Laym. hic c. 9. in fine, & alii communiter. Quod intellige per se loquendo: nam siquis ex directa intentione honorandi vel inhonorandi tempus sacrum aliquod opus exerceat, tunc actio illius contrahit novam speciem bonitatis, vel malitiæ intra, vel contra virtutem religionis.

Dices. Circumstantia loci sacri tribuit actui peccaminoso novam speciem malitiæ, nempe sacrilegii, etiam per se loquendo: ergo similiter circumstantia temporis sacri. 12

Respondeo ex Laymanno, disparitatem esse, quòd locus tanquam res permanens consecrationis & sanctitatis moralis per se capax sit; atque adeo omne externum pravi operis exercitium illi secundùm rectam rationem repugnet. Atqui tempus solùm dicitur sacrum per accidens ratione actionum sanctarum, quæ exerceri in eo solent ac debent: cùm enim sit res transiens, non est per se capax consecrationis atque moralis sanctitatis. Cæterùm de his omnibus circumstantiis fusior erit sermo in tract. de Pœnit. ubi de obligatione eas confitendi agemus. Nunc ulterius sit

ARTICULUS III.

An detur actus humanus indifferens in individuo?

SUMMARIUM.

1. Quæstio procedit de actu humano deliberatè exercito. 2. Item de indifferentia ad bonum & malum intra ordinem naturalem. 3. Ac rursus de actu humano vestito omnibus circumstantiis. 4. 5. 6. Ostenditur Authoritate & ratione, dari quidem actus humanos secundùm speciem, non tamen in individuo indifferentes. 7. Occurritur solutioni P. Vasquez. 8. Aliaratio statutæ sententiæ ex D. Thoma. 9. 10. 11. Refelluntur variæ solutiones. 12. Explicatur Authoritas S. Hieronymi. 13. Ex quonam præcepto teneatur homo suos actus ordinare in finem honestum. 14. An supposita saltem ignorantia invincibili præcepti, vel sequela sententiæ Scotisticæ dari possit actus indifferens? 15. Improbatur responsio P. Gonet. 16. Nostra resolutio. 17. 18. Solvitur duplex objectio. 19. Dari ne possit pura omissio libera in individuo indifferens. 20. 21. 22. 23. Illationes ex dictis.

NOtandum est primo, quæstionem procedere de actibus humanis, qui ex deliberata voluntate, sive liberè exercentur: quia actus indeliberatos, sive non liberè elicitos aut exercitos, neque bonos esse, neque malos moraliter, certum est 1

apud

apud omnes: cùm enim desit eis libertas, quæ est fundamentum & radix moralitatis, etiam deest bonitas & malitia moralis, quæ sunt species moralitatis, ex eodem capite iidem actus non propriè, sed latè tantùm indifferentes dici possunt: nam indifferentia propriè dicta est etiam species moralitatis; sicut in Theolog. scholastica docui; adeóque & ipsa in solis actibus liberis reperiri potest.

2 Notandum est secundo, ea, quæ in præsenti statuemus, intelligenda esse de indifferentia ad bonitatem & malitiam moralem ordinis naturalis. nam, si loquamur de bonitate & malitia morali relatè ad ordinem supernaturalem, negari non potest, dari actus humanos, qui neque sint boni, neque mali; neque meritorii, neque demeritorii, etiam in individuo. Exemplum est in opere Eleemosynæ; quod exercet homo infidelis ex naturali fine misericordiæ: istud quippe est actus moraliter bonus ac honestus honestate naturali; sed quia non procedit ex gratia supernaturali, in illo ordine nec bonum est, nec malum; neque ullum meretur præmium, aut supplicium.

3 Notandum est tertio, actum humanum posse dupliciter considerari: scilicet primo, in statu essentiæ, sive secundùm habitudinem specificam ac essentialem, quam dicit ad objectum: secundo in statu existentiæ, & in individuo, sive, prout hîc & nunc exercetur à parte rei, & vestitur omnibus circumstantiis, quæ ad ejus existentiam concurrunt. Quærimus itaque, an actus humanus, v. g. ambulatio, in hac secunda consideratione possit esse indifferens, ita, ut neque sit bonus, neque malus moraliter? ad quod antequàm respondeam.

4 Dico primo. Dantur actus humani ex sua specie, sive secundùm habitudinem specificam indifferentes. Ita communis ferè omnium sententia, quam ex D. August. *lib. 2. de serm. Dom. in monte. cap. 20. & 28.* docet D. Thomas in 1.2. q. 18. a. 8. Ratio est: quia actus humanus sumit speciem moralem ex objecto, quatenùs subsante regulis morum, quarum alia est præceptiva, alia prohibitiva, alia permissiva: ergo sicut actus, qui tendit in objectum præceptum, vel prohibitum, estque conformis, vel difformis regulæ præcipienti, vel prohibenti, secundùm suam speciem est bonus vel malus moraliter, ita & actus, qui tendit in objectum quatenùs à lege & ratione permissum, estque conformis regulæ permittenti, dici debet, & est secundùm suam speciem indifferens moraliter. Atqui dantur actus humani tendentes in objectum quatenùs à lege & ratione permissum, eidemq; legi permittenti conformes; quales sunt levare de terra festucam, deambulare, exire in agrum, & similes: ergo dantur actus humani secundùm suam speciem indifferentes moraliter.

Confirmatur. Dantur quidam actus humani, ut habet communis sententia; qui ex sua specie ideò solùm boni moraliter sunt, quia præcepti, & ideo solùm mali, quia prohibiti; ut loqui, scibere, canere &c. sed nisi hujusmodi actus ex sua specie essent indifferentes moraliter, non essent ideò solùm boni moraliter, quia præcepti, aut ideo solùm mali, quia prohibiti, ut patet; ergo &c. Nunc

Dico secundo. Nullus datur actus humanus indifferens in individuo. Ita D. Thomas q. cit. a. 9. contra Scotum, Vasquez, & alios, esseque communem ferè sententiam Patrum testantur Salmanticenses tract. 11. disp. 7. dub. 2. n. 16. 5

Probatur primo ex S. Script. Eccles. ult. illis verbis: *cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium*, ubi S. Hieronymus, *quidquid à nobis*, inquit, *gestum est, stabit sub judice, & ancipitem spectabit sententiam.* Modo sic; Quidquid à nobis in hac vita deliberatè agitur, de illo in supremo judicio feretur sententia: sed illud omne, de quo in supremo judicio feretur sententia, vel bonum est, vel malum moraliter; ergo quidquid à nobis in hac vita deliberatè agitur, illud vel bonum est, vel malum moraliter: & consequenter nullum ex nostris operibus est indifferens moraliter. maj. in hoc discursu patet ex authoritate adducta, & min. ex eo, quòd de solis operibus bonis, vel malis futurum sit judicium & ferenda sententia, nempe, ut unusquisque recipiat, prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum.

Probatur secundo ratione D. Thomæ. 6
Finis actui creaturæ rationalis quà talis, sive actui verè humano debitus est bonum honestum & consonum rectæ rationi. Jam sic: vel actus humanus secundùm speciem & ex suo objecto indifferens, v. g. ambulatio, ordinatur in exercitio ad bonum seu finem honestum, vel non? si ordinatur, est bonus moraliter; quia conformis ordini rectæ rationis: si non ordinatur, est malus moraliter; quia rectæ rationis ordini difformis, & à fine sibi debito deficiens. & consequenter nunquam dari potest actus humanus, qui non sit bonus, vel malus moraliter:

Respondet Vasquez, actum ejusmodi 7
non ordinatum in finem honestum nec bonum esse, nec malum, sed non bonum, idque negativè solùm, eò quòd nulla sit obligatio actui ex objecto indifferenti semper finem honestum adjungendi, sed possit illum homo exercere ob solam delectationem, vel naturæ commoditatem; adeòque hunc talem actum esse indifferentem etiam in exercitio.

Sed contra est, quòd homo, dùm operatur ex consilio & deliberatione, prout hîc operati supponitur, teneatur operari ut homo, non verò ut animal præcisè: ergo tenetur operari secundùm exigentiam & inclinationem naturæ rationalis, per quam operatur. Sed inclinatio naturæ rationalis est in ordine ad bonum rationis & finem honestum: & consequenter, si non ita operatur vel formaliter vel virtualiter, actus ille non solùm negativè, sed etiam privativè erit non bonus moraliter, adeoque malus & inhonestus. Deinde: actum ex objecto indifferentem deliberatè exercere ob solam delectationem est deliberatè invertere ordinem nostris operationibus liberis à Deo Authore naturæ præscriptum: ergo homo non potest ejusmodi actum ob solam delectationem liberè exercere absque inordinatione & morali defectu. Conseq. patet. Ant. tradit D. Thomas in 1. 2. q. 4. a. 2. ad 2. dicens: *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes*; nempe, ut istæ suaviùs & faciliùs exercerentur. adeoque delectatio non debet esse finis operationis, sed operatio debet esse finis delectationis: & consequenter, qui deliberatè exercet actum aliquem ob solam delectationem, is deliberatè invertit ordinem operationibus liberis à Deo Authore naturæ præscriptum.

8 Prob. Secundo conclusio alia ratione D. Thomæ. Omnis actio otiosa est mala moraliter: sed actus, quem Authores contrarii vocant indifferentem in individuo, est actus otiosus; ergo est malus moraliter. maj. prob. omne verbum otiosum est malum moraliter, ut constat ex S. Script. apud Matth. cap. 12. ergo etiam actio otiosa. Conseq. est legitima, & quidem à fortiori. cùm enim opus quid majus & pretiosius sit, quàm verbum, pejus est cæteris paribus opus otiosum quam verbum otiosum. unde S. Hieronymus in Psal. 16. *Si de verbis otiosis*, inquit, *redditur ratio, quantò magis de operibus, quæ majoris momenti sunt.* mi. etiam prob. nam actio non dicitur otiosa ex eo; quòd in nullum, aut malum finem proximum ordinetur; sed quia non ordinatur in finem debitum: atqui actus ille indifferens non ordinatur in finem debitum, qui est bonum honestum & rationi consonum; ergo est actio otiosa.

9 Ad hoc argumentum respondent aliqui primo apud Magnif. P. Pettschacher de moralit. Act. thesi 17. negando, verbum otiosum esse malum moraliter, idque constare ex illo Matth. 12. ubi dicitur, de omni verbo otioso reddendam esse rationem in die judicii: hoc enim, ajunt, non esse intelligendum de judicio condemnationis, sed discussionis tantùm.

Sed contra est primò, quòd Christus sibi voluerit ostendere, blasphemiam esse graviter puniendam in die judicii, eò quòd de omni quoque verbo otioso in eodem esset reddenda ratio: sed hoc argumentum esset nullum, si verbum otiosum non esset moraliter malum; ergo.

Contra est secundo, quòd absque sufficienti fundamento supponatur, in die judicii quidquam examinandum, nisi vel in ordine ad pœnam, vel in ordine ad præmium. cùm proinde verbum otiosum non sit examinandum in ordine ad præmium, examinabitur in ordine ad pœnam; & consequenter est moraliter malum.

Contra est tertio, quòd pecunias superfluè & inutiliter profundere sit peccatum, nempe prodigalitatis: ergo etiam tempus vanis ac otiosis verbis terere erit peccatum otiositatis. Conseq. inde patet, quòd tempus sit aliquid pretiosius pecuniâ: consequenter si hanc inutiliter expendere moraliter malum est, à fortiori moraliter malum erit illud otiosè transigere.

Respondent alii secundo, verbum quidem otiosum esse quid moraliter malum, non tamen actionem; sive opus otiosum. quia verbum, inquiunt, cùm sit manifestativum conceptûs animi, propriè convenit homini quà rationali; adeòque verè exigit ordinari ad finem consentaneum naturæ rationali quà tali; ad quem proinde finem si non ordinetur, sicut otiosum, ita & moraliter malum erit. Jam verò non quælibet actio externa, ut ambulare, sputa jacere, dentes scalpere, ex se propriè rationalis est, sive convenit homini propriè quà rationali; adeòque non quælibet exigit ordinari ad finem naturæ rationali quà tali consentaneum, sive honestum.

10 Ita tamen nullius momenti sunt. Nam inprimis non minùs in opere otioso vanè occupatur potentia, ac tempus inutiliter prodigit, quàm in verbo. Deus quoque non minùs exigit, ut conformiter rectæ rationi nos geramus in agendo, quàm in loquendo. Si ergo verbum otiosum est moraliter malum, eique debetur ordinatio in finem honestum, cur non idem tenendum de actione sive opere otioso? præsertim cùm opus quid majus & pretiosius sit, cæteris paribus, quàm verbum? Deinde, quælibet actio, & non tantùm locutio, quatenùs humana est, & ex deliberata ratione procedit, propriè convenit homini quà rationali, & consequenter exigit ordinari in finem consentaneum naturæ rationali quà tali.

11 Respondent rursus alii tertio negando, actum indifferentem esse otiosum. licèt enim (inquiunt) non ordinetur ad finem honestum, ordinatur tamen ad aliquam commoditatem naturæ: quod sufficit, ut non dici possit otiosus.

Sed

Sed hæc quoque solutio facilè rejicitur. Vel enim ejusmodi commoditas naturæ supponitur regulata per rationem; vel est commoditas consistens præcisé in bono sensibili & delectabili sine ordine ad rectam rationem? Si hoc, tunc actus jam est otiosus, & moraliter malus; quia non refertur in finem naturæ rationali quà tali debitum, qui non potest esse aliud bonum, quàm honestum. Si illud prius dicatur, actus erit honestus & moraliter bonus; quia verè refertur in finem conformem rectæ rationi, adcóque honestum.

12 Objicies primo authoritatem S. Hieronymi in Epist. 89. ad S. August. ubi docet, ambulare, exspuere, &c. nec esse bonum, nec malum: *sive enim feceris*, inquit, *sive non feceris; nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Neque dicas, S. Patrem solùm velle, quòd actus, quorum ibi meminit, non sint ex sua specie determinatè boni aut mali, sed indifferentes: nam ly *feceris* (inquit Vasquez) denotat exercitium actionis in individuo, & consequenter juxta S. Hieronymum illi actus sunt etiam in individuo indifferentes.

Respondeo, solutionem impugnatam esse legitimam. Licèt autem ly *fueris* denotet actum exercitum in individuo, rectè tamen intelligitur S. Doctor de illis operibus secundùm id individuale, quod habent ab objecto: ex hac enim præcisè parte verum est, præditos actus, sive fiant, sive non fiant, neque bonos esse, neque malos; licèt interim ex fine & aliis circumstantiis debeant habere bonitatem aut malitiam moralem, suppositò, quòd exerceantur liberè.

13 Objicies secundo. Nullum datur præceptum obligans hominem, ut omnem suum actum dirigat in finem honestum: ergo prima ratio nostræ sententiæ est nulla. Ant. prob. primo. quia illud præceptum vel esset positivum, vel naturale. non priùs; quia id neque ex S. Script. neque aliunde habetur. non posteriùs; quia ad nullum pertinet ex præceptis Decalogi, ubi continentur præcepta naturalia. Prob. secundo. quia constat ex praxi fidelium, quòd de similibus actibus, quales sunt sputa jacere, nares emungere, Barbam fricare &c. nullum sibi faciant scrupulum, neque de illis se accusent in Confessionali, licet non referant in finem honestum: ergo signum est, non dari tale præceptum. Prob. tertio. quia sic eodem jure dici potest, hominem esse obligatum, ut omnem suam operationem referat in finem honestum etiam supernaturalem: cùm natura rationalis de facto non solùm sit ordinata ad finem honestum naturalem, sed etiam supernaturalem. Sed hoc est nimis rigidum, & moraliter impossibile; ergo.

Respondeo neg. Antec. ad primam probat. dico, esse præceptum naturale aliorum præceptorum naturalium, quæ in Decalogo continentur, veluti quoddam præambulum, reducíque ad præceptum diligendi se ipsum: homo quippe, quia est præditus natura rationali, ac modo operandi elevato supra naturam & modum operandi brutorum, tenetur diligere hanc suam dignitatem, & operari ut homo.

Ad secundam probat. respondeo, ea, quæ ibi memorantur de praxi fidelium, inde provenire, quòd ejusmodi operationes ut plurimùm sint indeliberatæ, & præcisè ex impulsu naturæ procedentes. Adde, quòd tales actus ab homine justo facillimè in Deum referantur, saltem virtualiter.

Ad tertiam probat. nego sequ. quia hominem esse ordinatum in finem honestum naturalem habetur ex intrinsecis principiis naturæ rationalis; esse verò ordinatum sive elevatum in finem supernaturalem est ab extrinseco Dei decreto, qui non præsumitur tam gravem obligationem naturæ humanæ voluisse imponere.

14 Dices. Tametsi admittatur illud tale præceptum, possunt tamen aliqui ejus obligationem invincibiliter ignorare: tales autem non exercent actum moraliter malum; quia ignorant invincibiliter malitiam illi conjunctam. sed neque exercent actum moraliter bonum; quia volunt & putant se exercere actum indifferentem. Imò potest quis licitè sequi sententiam opositam scoti, utpote verè probabilem, quæ negat existere hujusmodi præceptum. talis utique non operabitur inhonestè: quia sequitur sententiam verè probabilem totius Scholæ Scotisticæ. sed neque operabitur honestè: quia non intendit, ut supponitur, fidem honestum, sed indifferentem: consequenter exercebit opus in individuo indifferens.

Respondet P. Gonet, illud tale præceptum posse quidem invincibiliter ignorari secundùm rationem speculativam, non tamen secundùm rationem practicam: nam principia generalia, sive speculativa ea sint, sive practica, non posse invincibiliter ignorari ab ullo homine, quantumvis barbaro ac stupido. præceptum autem omnes actiones humanas deliberatas dirigendi in finem honestum, seu nunquam sistendi in bono delectabili tanquam in fine, esse principium quoddam generale synteresis & prudentiæ. At alterum respondet, non esse

esse licitum sequi sententiam minùs probabilem (qualem supponit esse hanc Scotistarum) in concursu probabilioris (qualem judicat esse nostram, & meritò quidem) sed esse obligationem amplectendi probabiliorem.

Sed ista solutio nobis placere non potest propter doctrinam in priori Tractat. Disp. 4. assertam. inprimis enim ibid. a. 2. §. 2. ostendimus, sequi in praxi sententiam minùs probabilem relicta probabiliore esse licitum. Deinde in cod. §. n. 16. docuimus, quando concurrunt duæ sententiæ oppositæ probabiles circa honestatem, vel inhonestatem objecti, seu materiæ, semper intervenire ignorantiam invincibilem honestatis aut inhonestatis: ergo etiam intervenit ignorantia invincibilis præcepti, quando sunt duæ sententiæ probabiles, quarum una negat, altera affirmat dari præceptum. sed in præsenti sunt duæ sententiæ probabiles, nempe una Scotistarum negans dari præceptum referendi omnes actiones liberè exercitas in finem honestum, altera Thomistarum & aliorum affirmans dari hoc tale præceptum; ergo intervenit ignorantia invincibilis ejusdem præcepti; eaque non tantùm secundùm rationem speculativam, sed etiam secundùm rationem practicam; sicut non tantùm secundùm rationem speculativam, sed etiam secundùm rationem practicam intervenit invincibilis ignorantia honestatis aut inhonestatis objecti in concursu sententiarum probabilium oppositarum circa easdem; ut ex dictis loco cit. colligitur.

16 Aliter proinde respondeo cum P. Pettschacher, & Paulo Mezger, in facta hypothesi tam ignorantiæ invincibilis, quàm sequelæ sententiæ oppositæ, operationem fore simpliciter honestam. nam licèt operans utrobique in judicio remoto & speculativo, sive in actu signato existimet, se facere opus indifferens; hoc ipso tamen, quòd in judicio practico & proximo judicet, se licitè & prudenter operari, sitque hoc, quod est objectum esse licitum & conforme regulis prudentiæ, ipsi proximum motivum operandi, amplectitur in actu exercito motivum verè honestum, adeóque exercet actionem bonam & honestam.

17 Objicies tertio. Datur actus indifferens secundùm speciem: ergo etiam in individuo. Ant. constat ex num. 4. conseq. prob. quia quælibet species, debet existere in aliquo individuo; neque id, quod alicui convenit ex specie, eidem auferri potest per contractionem ad individuum.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. non enim negamus, actum moralem, qui ex objecto & secundùm speciem est indifferens retinere specificam indifferentiam, etiam cùm ponitur in individuo; sed contendimus, stante ac manente hac tali indifferentia, actum ex aliis principiis determinari ad bonum vel malum. Accedit, quòd hæc objectio Patris Vasquez probet nimium, nempe, quòd omnis actus secundùm speciem indifferens manere debeat indifferens in individuo, ita ut non possit aliunde reddi bonus aut malus: nam illa indifferentia specifica ex objecto accepta semper manere debet, nec unquam amitti potest in individuo.

Objicies quarto. Potest aliquis operari ex fine exercendi libertatem præcisè: sed talis operatio esset actus indifferens in individuo; quia finis, quem respiceret, nempe exercitium libertatis, neque esset bonus, neque malus moraliter. 18

Respondeo neg. mi. ad probat. dicitur, exercitium libertatis, si propter illud præcisè fiat operatio una vel altera vice, honestari posse & esse finem honestum; secùs, si fiat sæpiùs; tunc enim induceret otiositatem, adeoque inhonestatem.

Objicies quinto. Dari potest omissio pura libera indifferens in individuo: ergo etiam dari potest actus ita indifferens. Conseq. valet ob identitatem rationis. Ant. prob. nam siquis omittat actum bonum non debitum, V. G. preces alicujus Confraternitatis, idque sine aliquo fine honesto, hæc talis omissio non est bona; uti per se constat: sed neque est mala; quia aliàs homini imputaretur ad culpam omissio operis, ad quod nullo præcepto, aut lege obligatur. 19

Confirmatur. Omissio furti V. G. data occasione furandi, non est bona; quia juxta D. Thomam sine actu aliquo voluntatis non datur bonitas moralis. Sed neque est mala; quia utique non furari, dum id fit absque malo fine, malum non est.

Respondetur ad object. primo, juxta plurimorum sententiam non posse dari omissionem liberam, absque actu, qui sit aliquo modo causa ejusdem, & à quo (utpote necessariò vel bono vel malo in individuo) reddatur bona, vel mala. Unde neg. Anteced.

Respondetur secundo cum aliis conc. Ant. negat. conseq. quia rationes nostræ sententiæ non procedunt de purè omittente actum. Nam inprimis præceptum finem honestum respiciendi obligat hominem operantem tantùm, non verò obligat non operantem: atqui purè omittens non operatur; adeóque non obligatur omissionem suam dirigere in finem honestum.

Deinde pura omissio non est obnoxia otiositati, sicut est actus: nam potest aliquis, dum omittit auditionem sacri V. G., ad quam non tenetur, occupari in alia actione æquè bona moraliter, imò meliore.

Respondetur tertiò & meliùs cum Godoyo & Paulo Mezger neg. Ant. ac dicendo, omnem puram omissionem esse vitiosam, cùm enim omne exercitium voluntatis, ipsi quà rationali proprium subjaceat regulis naturæ rationalis quà talis, homo non solùm, quando suam libertatem exercet operando, sed etiam, quando, eandem exercet non operando, sive omittendo, tenetur tendere in finem naturæ rationali quà tali proprium, qui est finis honestus: & consequenter pura quoque omissio vitiatur vitiô otiositatis, quando non exercetur propter finem honestum. Ad probat. Anteced. dico, illam omissionem esse malam. neque absurdum est, homini imputari ad culpam omissionem operis, ad quod nullo præcepto aut lege tenetur, quando ejusmodi omissionem exercet cum defectu alicujus circumstantiæ, quam tenetur adjungere; quemadmodum in casu nostro omittens tenetur omissioni adjungere circumstantiam finis honesti, eamque non adjungere supponitur. Atque hinc ad Confirmat. dicitur, omissionem furti, sive non furari tunc esse malum, non quidem ex suâ specie, sed ob defectum circumstantiæ finis honesti, quâ homo quodvis exercitium suæ libertatis vestire tenetur. Ex dictis

Infertur primo, fricare Barbam, scabere caput, scalpere dentes, ambulare, expuere &c. si ad rectam humani corporis dispositionem, aliúmve honestum finem videantur necessaria, inque eisdem debita moderatio ac mensura servetur, esse actus verè honestos. Ratio est eadem, quæ de aliis, quibus saluti ac rectæ constitutioni corporis moderatæ prospicimus. nam pertinet ad aliquam partem temperantiæ, seu speciem modestiæ, vel ad amorem naturalem, quem homo habet erga se ipsum; & proprium corpus.

Infertur tamen secundò, eosdem actus ut plurimùm non esse materiam voti. Ratio est: quia materia voti debet esse quid melius, & non impeditivum majoris boni: hoc autem ut plurimùm non sunt memorati actus: quamvis enim exercere eosdem sit bonum, ab illis tamen mortificationis gratiâ abstinere plerúmque melius est. sicut proinde carnibus vesci intra limites temperantiæ, licèt sit bonum & honestum; non est per se materia voti, quia melius est ab eis propter Deum abstinere, ita nec ambulare, expuere &c. sunt materia voti ex eodem capite.

Infertur tertio, memoratos actus, quando deliberatè exercentur absque justa necessitate, aut utilitate, atque adeo in nullum finem honestum ordinantur, esse moraliter malos & peccaminosos, materiámque sufficientem Confessionis sacramentalis. Ratio est: quia sunt superflui & otiosi non minùs quàm verba, quæ absque ordinatione in debitum finem proferuntur, dici solent otiosa, & tanquam materia sufficiens à timoratis explicari in Confessione. Cæterùm quia iidem actus plerúmque indeliberatè ex sola imaginatione procedunt, & in praxi difficulter deprehenditur, quandonam absque justa necessitate & ordinatione in debitum finem exerciti sint; regulariter sunt materia dubia: sicut meritò advertunt Salmanticenses.

Infertur quarto, puram omissionem liberam alicujus operis indebiti, V. G. auditionis Missæ, si qua detur, esse similiter materiam Confessionis. Ratio est: quia est otiosa, adeóque moraliter mala & peccaminosa. Dixi: *si qua detur*. nam regulariter loquendo nunquam datur omissio libera sine aliquo actu voluntatis vel directè, vel indirectè, vel mediatè ad illam termino, qui sit causa vel occasio ejusdem; quod fatentur illi quoque Authores, qui docent, puram omissionem liberam esse possibilem. Solùm enim contendunt esse possibilem physicè, aut metaphysicè.

ARTICULUS IV.

An idem numero actus possit simul esse bonus & malus moraliter?

SUMMARIUM.

1. Status Quæstionis. 2. 3. 4. Statuitur & asseritur sententia negativa. 5. 6. 7. Solvuntur objectiones. 8. Idem numero actus potest esse in duplici specie bonitatis, vel malitiæ moralis.

ACtio humana, quæ ab operante ordinatur in malum finem, aliáve malâ circ-

circumstantiâ vitiatur, simpliciter mala est, quamvis objectum ipsius sit bonum: neque de hoc dubitant Theologi. Unde solùm est quæstio, an saltem secundùm quid actus ex fine malus possit esse bonus ex objecto, vel vice versa actus malus ex objecto possit esse bonus ex fine, aliáve circumstantia?

2 Dico primo. Impossibile est, ut idem numero actus habeat species oppositas moralitatis, unam simpliciter, alteram secundùm quid. Colligitur satis clarè ex D. Thoma in 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2. & 3. Ratio ex dicendis in proximè seq. artic. est: quia specificativum bonitatis & malitiæ moralis adeò sibi opponuntur, ut ne successivè quidem eidem numerô actui voluntatis possint convenire: ergo est impossibile, ut unus idémque actus sit simul moraliter bonus & malus.

Neque dicas, hac ratione probari quidem, eundem actum non posse esse simul malum & bonum simpliciter, non autem, quòd actus simpliciter malus non possit esse simul bonus secundùm quid: nam contra est, quòd bonitas & malitia actus consistant in indivisibili, non minùs quàm veritas & falsitas: quia bonitas indivisibiliter est commensuratio actûs cum objecto ut vestito omnibus circumstantiis, quas dictant regulæ rationis. unde si vel unica earum circumstantiarum deficiat, actus jam erit difformis regulis rectæ rationis, & consequenter omni bonitate morali destitutus: quippe cùm ampliùs subsistat dictamen practicum & prudens judicium honestatis; quod tamen ad moralem bonitatem necessàrio prærequiritur. Sed jam ulteriùs

3 Dico secundo. Idem numerô actus non potest esse bonus ex fine, & malus ex objecto; vel malus ex fine, & bonus ex objecto. Ratio primæ partis est: quia, dum objectum est malum, finis desinit esse bonus; quia tunc movet ad electionem mali objecti & medii, & consequenter non potest actui tribuere aliquam bonitatem. Ratio secundæ partis est: quia tunc actus objectum, quod esset ex se bonum, ordinat ad finem malum, idque appetit tanquam medium relatum in finem malum & ut causam finis mali in executione, & consequenter est actus totus malus.

4 Dico tertio. Non potest idem numerô actus esse bonus ex objecto, & malus ex circumstantia. Ratio est: quia, dum actus vitiatur ex mala circumstantia, bonitas objectiva destruitur: transit enim circumstantia in rationem & conditionem objecti, quod aliter non fit, nisi illud informando & communicando suam malitiam: Atqui non potest actus habere bonitatem ex objecto, quando bonitas objectiva destruitur; ergo.

5 Objicies primo. Largitio eleemosynæ ex fine vanæ gloriæ est actus virtutis misericordiæ: ergo est actus moraliter bonus, & quidem non obstante malitia derivata ex fine malo. Ant. ex eo prob. quòd per ejusmodi largitionem frequentatam augeatur habitus misericordiæ. nam docet experientia, hominem inde reddi faciliorem ad dandam eleemosynam.

Respondeo neg. Anteced. ad probat. dico, hominem ejusmodi actibus frequentatis reddi solùm faciliorem negativè, quatenus videlicet removentur impedimenta ex parte subjecti remorantia largitionem; non autem positivè, quasi intrinseca quædam confortatio & augmentum inde habitui tribuatur. hoc autem non est augeri habitum ipsum.

6 Objicies secundo. Actus procedens ex motivo virtutis supernaturalis est honestus ex objecto: sed potest dari actus procedens ex motivo virtutis supernaturalis, qui tamen imperetur ex fine venialiter malo: ut dum aliquis intendit suscipere Sacramentum quôpiam ex fine placendi Superiori, Confessario &c. ergo dari potest actus honestus ex objecto, licèt imperetur ex fine malo.

Respondeo conc. maj. neg. mi. ad probat. dico, actum internum voluntatis in eo casu non esse ex motivo supernaturali; adeóque minimè supernaturalem, & moraliter bonum ex hoc capite. Atque hinc licet in suscipiente Sacramentum ex fine venialiter malo sufficiat interna voluntas ad valorem & effectum illius ex opere operato (dum nempe aliunde non ponit obicem) eidem tamen non potest tribuere ullam bonitatem & dignitatem moralem ex opere operantis.

7 Objicies tertio. Per actum ex fine malum potest impleri præceptum: ergo dari potest actus moraliter bonus non obstante finis malitia. Anteced. constat. conseq. probat. nam utique actus, quo impletur aliquod præceptum, est moraliter bonus: tum, quòd Missam V. G. præceptam audiens ex fine vanæ gloriæ meliùs agat, quàm qui non audit: tum, quòd ille actus, nisi esset bonus ex objecto, haberet duplicem malitiam, quod admitti non potest.

Respondeo conc. Anteced. neg. conseq. ad hujus probat. dico, actum præcisè impletivum præcepti, si sit externus, ut est auditio Missæ, non debere esse bonum formaliter, sed sufficere, si sit materialiter bonus;

bonus; sive & verè ponatur quoad substantiam physicam, quæ pertinet ad materiam virtuti præceptæ. Ad primam probat. ulteriorem dico, talem non melius, sed minùs malè agere, quàm alium. Ad secundam neg. seq. hîc enim non est alia malitia objecti, quàm quæ in illud ex fine vel alia circumstantia refunditur.

8 Ex dictis facilè colliges, unde proveniat, ut unus, idemque numerô actus possit esse in duplici specie bonitatis, aut etiam malitiæ moralis? inde nempe, quòd unus, idemque actus possit esse conformis vel difformis rationi duobus modis, aut pluribus, qui nullam inter se habeant oppositionem. Sic, quando aliquis dat eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, actus est conformis rectæ rationi ex parte objecti, & simul ex parte finis, ad quem ordinatur. Similiter, dum quis occidit, ut furetur, actus est difformis rectæ rationi ex parte objecti, & simul ex parte finis. Regredere, si lubet, in artic. 2.

ARTICULUS V.

An idem numerô actus transire possit de bono in malum?

SUMMARIUM.

1. Quæstio procedit de solo actu interno voluntatis. 2. Fundamenta sententiæ affirmantis. 3. Eligitur & probatur negativa. 4. Respondetur ad instantias oppositas. 5. Idem numerô actus externus potest ex bono reddi malus moraliter.

1 QUæstio non procedit de actu externo, qui imperatur à voluntate; sed de actu interno elicito voluntatis; an nempe eidem secundùm individuam & numericam entitatem invariato bonitas & malitia moralis succesivè convenire possit, sive an possit transire de bono in malum?

2 Pro sententia affirmativa adduci solent variæ instantiæ. Prima est. Idem numerô motus voluntatis primò primus transire potest de necessario in liberum; de non morali in moralem; de non malo in malum: ergo etiam idem numerô actus voluntatis transire potest de bono in malum.

Secunda est. Idem numerô actus charitatis, qui erat in via, manet & continuatur in patria: ergo idem dici poterit de actu bono transeunte in malum. Conseq. tam hujus, quàm prioris instantiæ indè prob. quòd utrobique Antec. ideo sit verum, quia tantùm propositio & repræsentatio objecti variatur, & non ipsum objectum: sed hoc idem & nihil aliud contingit, dum actus voluntatis transit de bono in malum; ergo

Tertia est. Potest idem numerô actus intellectûs transire de vero in falsum propter solam extrinsecam mutationem objecti; ergo etiam idem numerô actus voluntatis potest transire de bono in malum per accessum unius inordinatæ circumstantiæ. His tamen non obstantibus,

3 Dico, Idem numerô actus non potest successivè esse bonus & malus, sive transire de bono in malum. Ita Sotus, Reding & alii contra Capreolum, Cajetanum, Vasquez & alios. Ratio est, quia mutato objecto formali motivo & specificativo mutatur entitativè actus voluntatis: sed quoties actus voluntatis transit de bono in malum, toties mutatur objectum specificativum ipsius; ergo etiam toties mutatur entitativè actus voluntatis; & consequenter idem manens idem quoad entitatem non potest transire de bono in malum. maj. constat. min. prob. quia objectum specificativum actûs boni est bonum honestum directè movens voluntatem ad sui prosecutionem: hoc autem objectum non amplius respicit actus voluntatis, quando transit de bono in malum, sed respicit bonum sensibile habens conjunctam inhonestatem objectivam seu difformitatem cum regulis morum; quod quidem ratione suæ delectabilitatis directè, ratione verò inhonestatis indirectè tantùm evadit volitum: ergo quando actus voluntatis transit de bono in malum, mutatur objectum specificativum ipsius.

Confirmatur. Non potest actus voluntatis de malo transire in bonum: ergo neque de bono in malum. Conseq. videtur bona, & Ant. certum; quia voluntas respectu actus mali non tantùm se habet ut principium efficiens, sed etiam ut principium deficiens, ità ut is in ipso suo fieri deficienter tendat in objectum quatenùs objectivè difforme regulis rationis. Unde est impossibile, ut voluntas eliciat actum bonum, nisi modo contrario se habeat in eodem eliciendo. Hoc ipso autem non manebit eadem entitas actûs mali.

Ad primam instantiam respondeo conc. Ant. neg. conseq. ratio disparitatis est in primis, quòd objectum specificativum motûs primò primi, dum transit de non morali in moralem; de non malo in malum, non mutetur propriè, sed potiùs compleatur & perficiatur, quatenus accedente deliberatione rationis se habet ut finis formalis completè specificativus; cùm priùs in modo specificandi se habeat imperfectè, & tanquam finis materialis

terialis tantùm. Atqui objectum specificativum actûs boni, dum transit in malum, propriè & formaliter mutatur; ideoque actus bonus ex vi sui objecti formaliter motivi contrariatur actui malo, & consequenter hoc succedente destruitur. Deinde necessitas & libertas non pertinent ad speciem actûs humani, sicut bonitas & malitia, sed ad modum accidentalem tendendi in objectum. Unde secundùm variationem judicii circa idem formaliter objectum possunt successivè convenire eidem numerô actui; secùs autem bonitas & malitia moralis. Ex quibus

Ad secundam instantiam conc. Ant. neg. conseq. quia diversitas propositionis & regulationis, cui substat actus charitatis in via & in patria, non inducit diversitatem formalem objecti; ideoque manet idem specie & numero actus tam in esse naturæ, quàm in esse moris. Aliter se res habet in casu consequentis, ut constat ex ratione concl. ex quibus ad probat. utriusque conseq. omissa maj. neg. mi.

Ad tertiam instantiam inprimis neg. Ant. quia in Philosophia docui contrarium, ut alii quàm plurimi Authores. Deinde dato Ant. neg. conseq. disparitas iterum ex dictis est; quòd per accessum inordinatæ circumstantiæ mutetur formaliter objectum specificativum actûs voluntatis; id autem non contingat respectu actûs intellectûs, semel veri in materia contingenti, dum transit in falsum; sicut explicant, quibus placet illa sententia.

Ex hactenùs traditis facilè colliges, actum externum & imperatum voluntatis posse eundem numero in esse naturæ transire de bono moraliter in malum moraliter. Ratio est: quia bonitas vel malitia moralis advenit naturæ actûs externi per extrinsecam denominationem ab actu interno voluntatis: unde licèt illæ varientur, ipsa tamen naturalis entitas operis externi non variatur. Exemplum habes in cœna, quæ ante mediam noctem ex honesto fine cœpta continuatur ultra mediam noctem cum advertentia obligationis ad jejunandum, quæ tunc incipit: hæc quippe cœna fuit initio moraliter bona, postea verò evadit moraliter mala.

ARTICULUS VI.

An actus externus superaddat actui interno novam bonitatem vel malitiam?

SUMMARIUM.

1. *Exponitur status quæstionis.* 2. *Quinam teneant sententiam affirmantem.* 3. *Præfertur negans, & prob. cùm Authoritate.* 4. *Tum ratione.* 5. *Admittitur tamen, actus externos superaddere bonitatem vel malitiam secundum quid.* 6. 7. 8. *Respondetur ad objectiones.*

1 NUlli dubium est, quin actus etiam externi à voluntate imperati moraliter boni vel mali sint: cùm id apertè constet tam ex S. Script. quàm ex Decalogo, ubi aliqui horum actuum laudantur, aliqui vituperantur; alii præterea præcipiuntur; alii prohibentur. Illud solùm non ita liquet, an bonitas vel malitia moralis memoratorum actuum sit participata tantùm ab actibus internis, ita ut ab horum bonitate vel malitia per extrinsecam denominationem, & non ab intrinseca tanquam propria ipsis conveniat?

2 Actum externum denominari bonum vel malum intrinseca denominatione per bonitatem vel malitiam propriam & distinctam à bonitate vel malitia actûs interni, à quo imperatur, docet Alensis parte 4. q. 77. membro 3. a. 5. Scotus in 2. dist. 42. q. 4. & quodlib. 18. a. 3. quem sequuntur Scotistæ communiter. Sed oppositum sentit cum suis discipulis & Recentioribus D. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4.

Dico proinde. Actus externus nullam 3
supperaddit actui interno novam bonitatem vel malitiam simpliciter & in ordine ad pœnam vel præmium essentiale. Favet huic sententiæ S. Scriptura omnibus iis locis, in quibus efficax voluntas interna, ne prodeat in opus externum, impedita pro ipso opere externo reputatur & acceptatur, sive ad meritum sive ad demeritum: ut Genes. 22. in Abrahamo voluntas immolandi filium. Lucæ 21. affectus pauperis viduæ offerentis duo minuta. Math. 5. internus consensus in opus externum luxuriæ.

Favet etiam authoritas SS. Patrum, ut Augustini lib. de duabus anim. c. 10. dicentis, *Nonnisi voluntate peccatur.* Chrysost. de Abrahamo homil. 47. *Quantum ad voluntatem cruentaverat dexteram Patriarcha, perfectumque obtulerat sacrificium.* Cypr. tr. de oper. & eleemos. *Viduam cum videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinans & considerans, non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit: Vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.* Anselmi lib. de Conc. Virg. c. 4. Actiones, quas facit injusta voluntas,

luntas, vocemus peccata, quia in voluntate, quâ fiunt, est peccatum.

Suffragatur deinde ratio primo. Quia
4 actus externus non est liber, nisi per extrinsecam denominationem ab actu libero interno voluntatis: ergo neque aliter est bonus vel malus moraliter. Ant. constat: quia membra externa & potentia executiva imperio voluntatis subsunt despotice, nec gaudent ullâ indifferentiâ sibi propriâ. Conseq. inde prob. quôd moralitas, adeoque & bonitas, & malitia, quæ sunt species, radicetur in libertate, nec magis aut perfectius quàm hæc, convenire possit actibus externis.

Secundo: Quia suppositâ sententiâ contrariâ sequeretur, posse aliquem invitum spoliari præmio essentiali: sed consequens est absurdum: cùm dona gratiæ non sint subjecta externæ violentiæ aut nutibus alicujus arbitrii. Seq. verò patet: nam utique potest quis sæpe impediri violenter ab actu virtutis externo, cui juxta Theologos adversos bonitas moralis & acceptabilitas ad præmium essentiale ratione sui & intrinsecè convenit: sed hoc est invitum posse spoliari præmio essentiali; ergo.

His tamen non obstantibus fatendum
5 est cum Paulo Mezger & aliis, actus externos addere actibus internis bonitatem vel malitiam secundùm quid, & in ordine ad præmium vel pœnam accidentalem; ut constat in Martyrio, ubi laureola, quæ est præmium illius accidentale, non tribuitur propter voluntatem internam quantumcunque efficacem subeundi mortem, quæ est Martyrium in voto, sed propter Martyrium in re, ipsoque opere externo consummatum. Vide, quæ diximus suprà artic. 1. n. 10. Atque hinc in Concl. dictum est: *nullam superaddit novam bonitatem vel malitiam simpliciter &c.* Sed jam

Obiicies primo authoritatem S. Augu-
6 stini lib. 13. de Trinit. cap. 5. dicentis: *Mala voluntate sola quilibet miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur.* Quæ verba, cùm nequeant intelligi de miseria pœnæ (nam cupiens implere, nec tamen potens implere pravum desiderium potiùs plus patitur pœnæ, quàm potens implere) intelligi debent de miseria culpæ: & consequenter juxta S. Augustt. actus malus externus supra actum internum addit aliquam malitiam non præhabitam, ratione cujus implens pravum desiderium fit miserior, quàm ille, qui non potest implere.

Respondeo verbis adductis opponendo alia ex eod. S. Patre. Nam lib. 1. de lib. arb. cap. 3. ita habet; *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.* In Epist. porrò 29. scribit: *Non, quid afferatur à nobis ad colendum Deum, sed, quâ mente afferatur, attendit Deus. Affectus est, qui pretium rebus imponit.* Ex quibus clarè colligitur, juxta S. Augustt. non minus malitiæ vel bonitatis moralis esse in solo actu efficaci voluntatis interno, quàm si accedat etiam externus, si nempe de bonitate vel malitia simpliciter loquamur. Quare ne S. Doctor sibi contrarius esse videatur, testimonium ab Adversariis prolatum hoc sensu accipiendum est, ut opere adimplens malum desiderium efficiatur miserior, tum, quia actus internus conjunctus externo solet esse intensior aut diuturnior: tum, quia actus externus post se relinquit miserias malorum effectuum, quas non relinquit actus internus: tales effectus sunt scandala, censuræ Ecclesiasticæ, obligatio restituendi, major proclivitas ad malum, reatus majoris pœnæ accidentalis &c. ut habet Paulus Mezger to. 2. tr. 4. disp. 9. a. 7. n. 7.

Obiicies secundo. Actus interni & 7
externi distinctis præceptis prohibentur: nam in Decalogo prohibetur alio præcepto concupiscentia v.g. uxoris alienæ, & alio ipsum opus externum adulterii: ergo signum est, iisdem actibus convenire distinctas malitias. Respondeo neg. conseq. neque enim propter distinctas & peculiares malitias actus interni & externi prohibentur distinctis præceptis; sed quia homines faciliùs ac crebriùs labuntur in peccata etiam interna tantùm.

Obiicies tertio. Actus externus actui 8
interno tribuit speciem bonitatis, vel malitiæ: ergo pro priori ad actum internum, & independenter ab eodem habet bonitatem, vel malitiam moralem. Conseq. patet; cùm enim nihil det, quod non habet, hoc ipso, quod quidpiam det aliquid, illud habere supponitur.

Respondeo, actum externum tribuere interno speciem bonitatis vel malitiæ objectivè tantùm, & tanquam objectum; adeoque independenter ab illo habere bonitatem vel malitiam moralem objectivam, non tamen formalem; sed hanc accipere extrinsecè, sive per extrinsecam denominationem à bonitate vel malitia ipsiusmet actus interni.

DISPUTATIO III.

De actibus humanis malis, sive de Peccatis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit peccatum?

SUMMARIUM.

1. Nomen peccati varie accipitur. 2. Definitio peccati. 3. Solvuntur quædam objectiones. 4. Varia prædicata & epitheta peccati. 5. Ejus multiplex divisio.

1 NOmen peccati non uno modo accipitur: cùm accipi possit figuratè & propriè. Figuratè seu metonymicè accipitur primo pro pœna, vel effectu peccati: quo sensu dicitur Levitici 20. *Portabunt ambo peccatum suum.* Secundo pro causa, vel occasione peccati. Ita Moyses Deut. 9. de vitulo aureo dicit: *peccatum vestrum* (id est causam peccati vestri) *quod feceratis, accipiens igne combussi.* Tertio accipitur pro utroque simul, nempe & pro causa, & pro effectu peccati. Sic Apostolus Rom. 7. concupiscentiam appellat peccatum, eò quòd ortum trahat à peccato originali, & inclinet in peccatum. Quarto accipitur pro hostia & sacrificio, quibus expiatur peccatum: veluti Oseæ 4. de Sacerdotibus dicitur, *peccata populi mei comedent*, hoc est, victimas & hostias, quæ offeruntur pro peccatis. Iam verò propriè accipitur peccatum pro actu deviante & aberrante à sua regula, & quidem in præsenti pro actu voluntatis deviante à regulis morum, sive deinde sit actus formaliter, sive reductivè, æquivalenter, & interpretativè, ejusmodi in moralibus sunt etiam omissiones peccaminosæ.

Peccatum ita propriè acceptum rectè definitur dictum, factum, vel concupitum con-
2 tra legem æternam. Ita D. Thomas 1. 2. q. 71. artic. 6. ex S. August. lib. 22. contra Faust. cap. 27. Ratio est: quia sic legitimè exprimitur tota essentia definiti. Nam inprimis per particulas *dictum, factum, concupitum* significatur substantia actus peccaminosi, quæ se habet tanquam materiale. Debent enim illa vocabula non intelligi de re & objecto, quod dicitur, fit, vel concupiscitur, sed de actu ipso dictionis, factionis, & concupiscentiæ. Deinde per ly *contra &c.* significatur id, quod est formale in peccato, scilicet repugnantia cum lege æterna.

Obiicies tamen primo. Peccatum veni-
3 ale non est contra, sed præter legem, ut dicit D. Thomas: ergo non convenit illi tradita definitio. Secundo. Non sola lex æterna, sed etiam recta ratio est regula humanorum actuum: ergo peccatum non rectè definitur per repugnantiam cum sola lege æterna. Tertio. Multa sunt ideo peccata, quia prohibentur lege humana & temporali tantùm. Quomodo his talibus convenit prædicta definitio? Quarto. In nostra definitione nulla fit mentio voluntarii, & aversionis ab ultimo fine, quæ tamen sunt de essentia peccati: ergo hujus essentia per illam non explicatur adæquatè. Quinto. Concupiscere, & dicere est quoddam facere; cùm sint peccata commissionis: ergo sufficiunt in definitione peccati istæ particulæ, *factum contra legem æternam.*

Respondeo ad primum, 5. Doctorem ideo solùm sic dicere de peccato veniali, quia non est perfectè contra ordinem aut finem legis, qui est charitas: cùm neque ordo legis evertatur, neque charitas destruatur per peccatum veniale. Cæterùm D. Thomas nuspiam docet, quòd peccatum veniale non sit contra legem hoc sensu, quasi non sit actus æterna lege prohibitus.

Ad secundum conc. Ant, neg. conseq. tum, quòd repugnantia peccati cum recta ratione magis pertineat ad considerationem Philosophi moralis quàm Theologi; repugnantia verò ejusdem cum lege æterna sit propriè considerationis Theologicæ; quippe cùm peccatum inde obtineat rationem injuriæ & offensæ contra Deum. Tum, quòd lex æterna ceu regula prima & universalissima omnem aliam regulam eminenter contineat, perque illam tanquam sui participationem intimetur creaturæ rationali. Hinc nullam in definitione peccati fuit opus facere specialem mentionem de recta ratione.

Ad tertium respondeo, neminem posse transgredi humanam legem justè latam, quin hoc ipso transgrediatur legem æternam. Licèt enim antecedenter ad legem humanam lex æterna non extendatur ad materiam ab illa præceptam vel prohibitam, extenditur tamen suppositâ dispositione legis humanæ. Unde hoc ipso, quòd aliqua sint prohibita lege humana, sunt etiam prohibita lege æterna, quæ existit in mente Divina, & legi humanæ vim obligandi tribuit.

Ad quartum dist. nulla fit mentio explicitè, conc. implicitè, neg. nam inprimis nihil fit formaliter contra legem, nisi fiat voluntariè: quia soli actus contrarii & liberi sunt materia legis. Deinde, qui declinat à lege æterna Dei, hoc ipso deflectit, seque

avertit

avertit à fine ultimo, & quidem efficaciter per peccatum mortale, inefficaciter per peccatum veniale.

Ad quintum neg. conseq. quia majoris claritatis gratiâ oportuit distinguere in nostra definitione actus internos ab externis, præsertim ad refellendum duplicem errorem in hac materia. nam veteres quidam Rabbini, ut refert Paulus Mezger, existimârunt, actus internos non esse peccata: alii econtra dixerunt, actibus externis nec bonitatem, nec malitiam moralem convenire.

4 Porrò peccato, ceu monstro multiformi, diversa nomina tribuuntur juxta diversas habitudines & comparationes, quas importat. Dicitur itaque primo *prævaricatio* & *inobedientia* per comparationem ad regulam & legem æternam, cui adversatur. Dicitur secundo propriè *peccatum* per comparationem ad finem, à quo deviat; quia peccatum, ut habet D. Thomas 1. 2. q. 21. a. 1. consistit in actu deviante à debito ordine ad finem, propter quem agitur. Dicitur tertio *culpa* per habitudinem ad principium liberum defectuosè operans: quia esse culpam competit ratione imputabilitatis: atqui soli agenti libero actio est imputabilis in vituperium. Dicitur quarto *malum* per ordinem ad subjectum: quia hoc privat non solùm debito ordine ad suum finem, sed etiam universis bonis gratiæ & virtutum supernaturalium infusarum, si fidem & spem excipias. Dicitur quinto *reatus* relatè ad effectum, scilicet pœnam, cui peccatorem reddit obnoxium: nomine reatûs enim intelligitur obligatio passiva ad sustinendam pœnam à judice taxatam. Dicitur sexto *demeritum* per ordinem ad præmium, quo privat operantem. Dicitur septimo *offensa*, *injuria* per ordinem ad Deum, quem offendit, & intentativè lædit. Dicitur denique *dictum ore, factum opere, & concupitum corde &c.* per habitudinem ad instrumenta, quibûs patratur. Omnia hæc peccati nomina, si rectè expendantur, facilè ad definitionem ejus à nobis traditam revocantur. His expositis ad varias peccati divisiones convertimur. Itaque

5 Peccatum dividitur primo in originale & personale. Originale est, quod per originem sive generationem ab Adamo in posteros transfunditur. Personale est, quod propria peccantis voluntate committitur. De originali hîc nihil, sed de personali tantùm agimus. Dividitur secundo in actuale, quod est actus malus difformis regulis morum; & in habituale, quod est macula à peccato actuali præterito in anima relicta; de qua itidem nullum erit nobis negotium. Dividitur tertio in mortale & veniale. Mortale est & dicitur, quod animæ mortem infert; scilicet privationem gratiæ & charitatis, ac insuper inducit reatum pœnæ æternæ. Veniale est, quod solùm diminuit fervorem charitatis, & non nisi pœnæ temporalis reatum inducit. Dividitur quarto in peccatum commissionis & omissionis. illud est actus positivus præcepto contrarius: istud voluntaria omissio actûs præcepti.

Dividitur quinto in peccatum carnale & spirituale. Peccata carnalia sunt, quæ in delectatione carnali, ut gula & luxuria; spiritualia, quæ in delectatione spirituali, id est, mentali perficiuntur, licèt eorum objecta possint esse aliquid etiam corporeum sive materiale. talia peccata sunt superbia, invidia, avaritia &c.

Dividitur sexto in peccatum cordis, oris, & operis. quæ divisio sumitur ex diversis gradibus, per quos peccata ad sui consummationem ascendunt. nam inprimis peccatum concipitur cogitatione; postea manifestatur ore; demum completur opere.

Dividitur septimo in peccatum contrà Deum, proximum, & se ipsum. Peccata contra Deum dicuntur, quæ contrariantur illis virtutibus, quibûs rectè disponimur ad Deum per nostras actiones attingendum: talia sunt peccata blasphemiæ, impœnitentiæ, desperationis &c. quæ repugnant virtutibus Theologicis, nec non Pœnitentiæ & Religionis. Peccata contra proximum vocantur, quæ adversantur illis virtutibus, quibûs rectè disponimur erga proximum. talia sunt homicidium, furtum &c. quæ opponuntur justitiæ ac partibus ejusdem. Peccata contra nos ipsos dicuntur, quæ illis virtutibus sunt contraria: per quas in moderatione passionum nostrarum rectè disponimur erga nos ipsos. & hæc sunt peccata luxuriæ, gulæ, timiditatis &c, quæ contrariantur temperantiæ, fortitudini &c.

Dividitur octavo in peccatum ex infirmitate, ignorantiæ, & malitiæ. Ad primum genus referuntur, quæ ortum habent ex gravi tentatione appetitûs sensitivi. Ad secundum, quæ ex ignorantia vincibili & culpabili proficiscuntur. Ad tertium, quæ nulla passione aut ignorantia interveniente ex sola malitiosa voluntatis determinatione perpetrantur.

Dividitur denique peccatum in proprium & alienum. Illud est actus ipsius peccantis. Istud est quidem actus alterius suppositi, nobis tamen imputatur ratione consilii, suasionis &c. Hæ sunt potissimæ divisiones peccati: sed quia certum est, aliquas earum esse solùm accidentales, ideo sit

ARTI-

ARTICULUS II.

Unde desumatur distinctio specifica peccatorum?

SUMMARIUM.

1. *Species peccati alia physica, alia moralis.* 2. *Malum sub ratione boni per se intendi potest.* 3. *Diversitas præceptorum ex parte rei præceptæ, & ex parte principii.* 4. *Specifica distinctio peccatorum sumitur ex objectis.* 5. 6. *Solvitur objectio.* 7. *Etiam ex præceptis diversis ex parte rei præceptæ oritur formalis diversitas peccatorum,* 8. *Non tamen præceptis diversis ex parte præcipientis tantùm.* 9. 10. 11. 12. 13. *Solvuntur objectiones.* 14. *Unde specie differant peccata omissionis?* 15. *Peccatum commissionis in genere moris non semper distinguitur essentialiter à peccato omissionis.* 16. *Sicuti nec peccatum mortale & veniale.* 17. *Semper tamen sic distinguuntur peccatum per excessum & peccatum per defectum.* 18. *Violans duo vota simplicia &c. unum specie,* 19. *Violans autem votum simplex cum solemni &c. duplex specie peccatum committit.* 20. 21. 22. 23. *Infertur resolutio variorum casuum circa præsentem materiam.* 24. *An per occultam seminis effusionem polluatur Ecclesia?* 25. *item, an per impudicos tactus?*

1 NOtandum est primo, quæstionem præsentem non procedere de differentia specifica peccatorum physica, sive in genere entis, quo sensu agitatur à Philosophus; sed de distinctione specifica eorundem in genere moris, sive in esse morali: quam sanè exactè nôsse magni momenti est tum ad propriam, tum aliorum conscientiam dirigendam.

2 Notandum secundo ex D. Thoma 1. 2. q. 18. a. 4. ad 1. & q. 19. a. 1. ad 1. bonum apparens, quod revera malum est, specificare actum malum voluntatis; & consequenter malum sub apparentia boni posse per se intendi & dare speciem actibus voluntatis. Verba S. D. ex loco posteriùs cit. sunt ista: *dicendum, quod voluntas non semper est veri boni, sed quandoque est apparentis boni, quod quidem habet rationem alicuius boni, non tamen simpliciter convenientis ad appetendum: & propterea actus voluntatis non est bonus semper, sed aliquando malus.*

3 Notandum tertio, præceptorum alia esse diversa ab aliis ex parte rei præceptæ, alia ex parte præcipientis & principii. Prioris generis sunt, quibûs præcipiuntur actus ad diversa virtutum motiva pertinentes: veluti fit in præcepto jejunandi, & audiendi Missam die festivo: quorum primo præcipitur actus pertinens ad motivum temperantiæ, & altero actus pertinens ad motivum religionis. Posterioris generis sunt, quæ ab alio & alio Superiore aut legislatore imponuntur. ex quo orta est divisio præceptorum in præcepta juris Divini, naturalis, Ecclesiastici, civilis &c. His animadversis,

4 Dico primo. Specifica distinctio peccatorum sumitur ab objectis eorum specie distinctis. Ita D. Thomas in 1-2. p. 72. a. 1. quem in hac sententia communiter sequuntur Theologi. Ratio sufficiens & facilis esse videtur ex disp. proximè præced. art. 1. quia ab eo rectè sumitur specifica distinctio peccatorum, à quo specificantur: atqui peccata specificantur ab objectis: ergo distinctio specifica peccatorum rectè sumitur ab objectis eorum. maj. constat. mi. ex eo prob. quòd actus humani speciem accipiant ab objectis; velut ostendimus loco cit. sed peccata sunt actus humani; ergo.

5 Objicies. Vel distinctio specifica peccatorum sumitur ab objectis in esse naturæ spectatis, vel ab eisdem prout considératis in genere moris. Neutrum dici potest. Non primum: quia, sicut ab objectis, prout in esse naturæ spectatis, species physica solùm, ita & distinctio specifica physica solùm, non verò moralis, de qua procedit præsens quæstio, desumitur. Non secundum: quia objecta, quatenùs in genere moris spectantur, sunt objectivè mala moraliter, à quibus ut talibus non potest sumi species: cùm species in præsenti sumatur ab illo, quod per se intenditur: atqui objectum objectivè malum moraliter, sive malitia objectiva ejusdem non potest intendi per se; quia nemo ad malum intendens operatur, ut docet S. Dionysius. 4. de Divin. Nom. Adeoque specifica distinctio peccatorum nullatenùs ab objectis desumitur.

Respondeo, specificam distinctionem peccatorum, de qua loquimur, sumi ab objectis prout objectivè moraliter malis. Ad probat. in contrarium nego, ab objectis ita spectatis non posse sumi speciem. quod dum similiter prob. conc. maj. dist. mi. objectivè malum non potest per se intendi sub apparentia mali, conc. sub apparentia boni, neg. ut autem malitia objectiva transfundatur in actum, satis est, quòd per se intendatur sub apparentia bonitatis.

6 Dices. Volitio furandi v. g. fertur primariò in bonitatem physicam, quæ reperitur in furto: ergo in malitiam objectivam non fertur primariò, sed ad summum secundariò, atqui

atqui ab eo, in quod actus fertur secundariò, non sumitur ejus species; ergo species moralis non sumitur ab objecto ut objectivè moraliter malo. Utraque conseq. est legitima. Ant. ex eo facilè constat, quòd is, qui vult furari, non velit per se primò difformitatem objectivam cum lege, sed vel utilitatem rei alienæ, suæque ex illa necessitatis sublevationem, vel delectabilitatem ejusdem. subsumpt. quoque facilè patet: tum, quòd specificatio cujuslibet actus sit ab eo, in quod fertur primariò: sive ab objecto primario, tum, quòd ideo peccatum juxta D. Thomam non specificetur à privatione, quia intentionem peccantis non terminat per se & primariò.

Respondeo, volitionem furandi (idem est de aliis actibus peccaminosis) debere considerari, prout est in genere physico, & prout est in genere moris. prout est in genere physico, fertur primariò in bonitatem physicam tanquam in objectum motivum & terminativum. prout est in genere morali, fertur in malitiam objectivam per se, non quidem primariò, sed secundariò; adeòque non tanquam in objectum motivum, sed ut in objectum terminativum; idque non sub apparentia mali, sed sub apparentia boni. Et licèt concedatur, ad tribuendam speciem bonitatis esse necessarium, ut bonitas objectiva comparetur ad actum tam motivè quàm terminativè, id tamen non est necessarium in objecto tribuente speciem malitiæ, sed sufficit, quòd terminativè se habeat; idque ob discrimen omnibus notum inter bonum & malum, dum scilicet illud petit oriri ex integra causa; istud verò consurgit ex quolibet defectu. In forma conc. enthym. dist. subs. ab eo, in quod fertur actus secundariò, non sumitur ejus species primaria, conc. secundaria, neg. & hinc ad primam probat. dico, specificationem quidem primariam actûs esse ab eo, in quod fertur primariò, specificationem tamen secundariam ab illo posse fieri, in quod fertur secundariò. Cùr proinde in casu nostro specificatio primaria actûs sit specificatio physica, & secundaria sit specificatio moralis, illa quidem est à bonitate physica objecti, in quam is fertur primariò, ista tamen oritur à malitia objectiva, in quam fertur secundariò. Ad secundam probat. respondeo, malitiam objectivam, licèt supponatur consistere in privatione, posse nihilominùs sub apparentia boni per se terminare habitudinem actûs, eique tribuere speciem malitiæ tanquam specificativum extrinsecum. quod D. Thomas minimè negat, sed solùm vult, privationem non dare speciem actui intrinsecè, sive per modum differentiæ intrinsecæ.

7 Dico jam secundo. Etiam ex diversitate præceptorum, si sint diversa ex parte rei præceptæ cognoscitur ac rectè sumitur formalis diversitas peccatorum. Ita D. Thomas ubi suprà artic. 2. Ratio est: quia peccata præceptis taliter diversis opposita habent diversas deordinationes & repugnantias cum distinctis motivis virtutum. tunc autem peccata specificè distinguuntur; ut patet ex priori concl.

8 Dico tertio. Ex præceptis diversis ex parte præcipientis tantùm non oritur diversitas specifica peccatorum. Ratio est: quia distinctio specifica motûs non desumitur ex parte principii, sed ex parte termini: atqui actus humanus, adeòque & peccatum, est quidam motus seu tendentia in objectum; ergo distinctio illius specifica non desumitur ex parte principii, quod in præsenti est præcipiens, sed ex parte termini, scilicet objecti. Itaque distinctio ex parte præcipientis est solùm materialis, non formalis & specifica.

9 Objicies primo. Quatenùs actus est difformis legi, eatenùs habet malitiam peccati: ergo, quando difformis est legibus specie distinctis, habet distinctas specie malitias. sed lex divina & humana v.g. sunt leges specie distinctæ, licèt non sint diversæ ex parte rei præceptæ: ergo actus his legibus difformis est in duplici specie malitiæ.

Confirmatur. Peccatum inobedientiæ contra legem & præceptum Divinum specie differt à peccato inobedientiæ contra legem humanam; quia nempe sunt leges specie distinctæ: ergo etiam alia peccata contra legem Divinam specie differunt à peccatis contra legem humanam ex eodem capite.

Respondeo ad Object. dist. Ant. quatenùs actus est difformis legi, ut est regula actus humani, eatenùs habet malitiam, conc. quatenùs est difformis legi, ut est actus legislatoris præcisè, neg. Ant. ergo, quando difformis est legibus specie distinctis, ut sunt regulæ actûs humani, habet distinctas specie malitias, conc. legibus specie distinctis, ut sunt actus legislatoris, neg. conseq. sed lex Divina & humana sunt leges specie distinctæ in posteriori consideratione, conc. in priori neg. mi. & conseq. Nam leges illæ, licèt sint à diversis legislatoribus, adeòque diversæ speciei, prout ab ipsis; quia tamen non afferunt de se motiva & honestates diversarum virtutum, fit, ut in ratione regulæ actûs humani non distinguantur specie, & consequenter in actu ipsis difformi non reperiuntur diversæ specie malitiæ.

Ex quibus ad Conf. conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd respectu peccati inobedientiæ præceptum & lex sive Divina, sive humana non habeant se ut actus legislatoris præcisè, sed pertineat ad objectum, sitq; termi-

terminus ad quem: quod non est in aliis peccatis; quippe respectu quorum lex est terminus tantùm à quo receditur; ac proinde non induit illis distinctionem specificam.

10 Obiicies secundo. Dantur peccata specie distincta, licèt opponantur eidem motivo virtutis, ex quo prohibentur: ergo contra doctrinam à nobis assertam datur specifica distinctio peccatorum, quamvis præcepta, quibûs prohibentur, non procedant ex diversis motivis formalibus. Consèq. patet. Ant. prob. primo. Non audire sacrum die festivo, & non recitare horas Canonicas sunt peccata specie distincta, & tamen prohibentur ex eodem motivo formali religionis, quod est cultus Divinus. Secundo. Furtum & rapina opponuntur eidem præcepto, vel, si opponuntur diversis, opponuntur secundum idem motivum justitiæ. Atqui furtum & rapina specie distinguuntur, ut docet Doctor Thomas 2. 2. q. 66. a. 4. ergo &c.

Respondeo neg. Ant. ad primam probat. dico, non audire sacrum, & non recitare horas prohiberi quidem ex eodem genericè, non tamen ex eodem sed ex diverso specificè motivo formali religionis. Nam cultus Divinus est motivum genericè unum, & non specificè atomè, sed distinguitur specificè cultus penès diversitatem materiæ: & licèt ista diversitas objectiva materialiter se habeat respectu habitûs religionis, ad actus tamen illius formaliter se habet, adeoque sufficit, ut in peccata eisdem opposita refundatur malitia specificè diversa. Atque hinc ad secundam probat. respondeo, furtum & rapinam opponi diversis præceptis secundùm idem genericè motivum justitiæ, non tamen secundùm idem specificè atomè: cùm enim dominus rei sit aliter invitus, dum ei, quod suum est, aufertur ignoranti, quod fit per furtum; & aliter, dum ipsi aufertur res scienti & videnti per violentiam, quod facit rapina; ex alio specificè motivo justitiæ prohibetur furtum, ex alio rapina.

11 Obiicies tertio. Non eo ipso, quod quidpiam præcipiatur aut prohibeatur ex diversis specie motivis, peccatum contrahit diversas specie malitias: ergo secunda concl. nostra non subsistit. Ant. prob. primo. Nam jejunium Quadragesimale ab Ecclesia præcipitur non solùm ex motivo abstinentiæ, sed etiam ex motivo religionis, & tamen nemo dixerit, fractionem ejus jejunii habere duas specie malitias. Secundo. Da Superiorem præcipere Religioso subdito jejunium ex motivo conservandi castitatem. In hoc casu jejunium præcipitur ex duplici motivo specificè distincto, scilicet castitatis & abstinentiæ; & nihilominus peccatum oppositum, si Religiosus non jejunat; non est in duplici specie malitiæ. Tertio. Omittere auditionem Missæ die Dominico, in quem incidit festum alicujus Sancti, similiter non est peccatum in duplici specie malitiæ, licèt opponatur præceptis procedentibus ex diversis specie motivis: cùm die Dominico sacrum audire præcipiatur ex motivo latriæ; in solemnitatibus autem Sanctorum ex motivo duliæ, quæ sunt motiva specie distincta; sicut & ipsa latria & dulia specie distinguuntur juxta D. Thomam 2. 2. q. 25. a. 1. & q. 103. a. 4.

Respondeo neg. Ant. ad primam probat. dico, motivum religionis in præcepto jejunii Quadragesimalis non esse motivum proximum & operis, sed remotum & finem extrinsecum Ecclesiæ præcipientis. Atqui ex motivis proximis specie distinctis, non ex remotis, petenda est distinctio specifica malitiæ.

Ex quibus ad secundam probat. dico similiter, motivum castitatis esse tunc motivum remotum Superioris præcipientis, non autem proximum, & operis: nam istud est motivum abstinentiæ. Et ideo Religiosus in eo casu non jejunans non peccat contra castitatem, sed contra abstinentiam.

12 Quòdsi jam nósse cupias, quandonam aliquid præcipiatur ex motivo intrinseco ac proximo alicujus virtutis, & quando ex motivo extrinseco & remoto, respondeo ex Godoyo to. 1. in 1. 2. disp. 27. §. 5. n. 39. regulariter loquendo actum præcipi vel prohiberi ex motivo illius virtutis, ad quam pertinet intrinsecè, vel quia eidem intrinsecè opponitur, vel quia illius honestatem immediatè & ratione sui participat: atque sic accipi debere præceptum, nisi oppositum colligatur ex verbis legislatoris, aut aliis circumstantiis. Quòdsi ex istis nihil constare possit, standum esse communiori judicio sapientium.

13 Ad tertiam probat. dico, si audire Missam tali die præcipiatur tam ex motivo duliæ, quàm ex motivo latriæ, illam non audire esse peccatum in duplici specie malitiæ. Si verò præcipiatur ex motivo latriæ tantùm, tunc esse peccatum unius speciei. Ratio solutionis sufficienter colligitur ex dictis. Quidnam verò sentiendum sit absolutè de hoc præcepto, non est ita perspicuum. Verius tamen videtur, tam in solemnitatibus Sanctorum, quàm diebus Dominicis auditionem Missæ præcipi ex motivo ejusdem virtutis, videlicet latriæ: tum, quia ita censet pars major Theologorum, teste Godoyo citato, quòd in Missa, licèt celebretur in festis, Sanctorum sacrificium Deo offertur, & non Sanctis sicut & templa non ædificantur Sanctis ratione sui, sed ratione Dei in Sanctis habitantibus. Undè non audire Missam in hypo-

hypothesi prædicta non est contra duliam, sed contra latriam. Ex hactenùs dictis.

14 Inferes primo, specificam distinctionem peccatorum omissionis itidem oriri ex objecto saltem indirectè, scilicet ratione actuum oppositorum. Paulus Mezger to. 2. disp. 19. a. 1. n. 10. Ratio est: quia negatio & affirmatio reducuntur ad idem genus, & privationes speciem accipiunt à formis oppositis. Sed peccatum omissionis est privatio actûs præcepti, qui suam speciem accipit ab objecto: consequenter etiam peccatum omissionis speciem accipit mediatè & indirectè ex illo ipso objecto.

15 Inferes secundo, peccatum commissionis & omissionis in genere physico quidem semper esse diversa, in genere moris tamen per se loquendo non semper distingui essentialiter. Salmanticenses to. 4. tract. 13. disp. 8. dub. 1. n. 2. & 4. Paulus Mezger loco cit. n. 13. Ratio prima est: quia positivum & privativum distinguuntur sicut *esse* & non *esse*, inter quæ nulla datur convenientia physica, aut entitativa: sed peccatum commissionis est quid positivum, peccatum omissionis consistit in privatione actûs præcepti; ergo. Ratio secundi est: quia hæc peccata possunt habere oppositionem cum eodem motivo formali proximo ejusdem virtutis. Ita auferre alienum, quod est peccatum commissionis, & non reddere suum, cui debetur, quod est peccatum omissionis, exercent oppositionem cum eodem motivo proximo justitiæ servandi, æqualitatem inter jus unius & debitum alterius, ex quo illa & prohibet auferre, & præcipit reddere alienum: atque adeo in genere moris non differunt specie.

16 Inferes tertio, peccatum mortale & veniale aliquando differre, aliquando non differre specie essentiali. D. Thomas 1. 2. q. 72. a. 5. Ratio est: quia aliquando habent, aliquando non habent idem objectum formale. Habent, quando peccatum veniale est tale ex defectu sufficientis deliberationis; sicut delectatio libidinosa sine sufficienti advertentia; vel ex parvitate materiæ, ut furtum rei modicæ. Nam delectatio illa habet idem objectum formale, quod habet delectatio cum plena deliberatione admissa, & furtum modicæ quantitatis habet idem objectum formale, quod habet furtum summæ gravis. Non autem habent, quando peccatum veniale ex genere suo tale est, ut v. g. verbum otiosum, quod habet objectum formaliter diversum à contumelia, quæ ex genere suo peccatum mortale est.

17 Inferes quarto, peccata per excessum & defectum commissa, cujusmodi sunt v. g. peccata prodigalitatis & avaritiæ, semper distingui specie. D. Thomas q. cit. a. 8. Ratio est: quia semper exercent diversam repugnantiam cum diversa rectitudine & honestate virtutis, cui per extremum opponuntur; sicut in dato exemplo prodigalitatis & avaritiæ peccata opponuntur liberalitati.

18 Inferes quinto, non jejunantem aliquo die Quadragesimæ, in quem incidunt quatuor tempora cum vigilia alicujus Sancti: violantem duo vota simplicia, aut duo juramenta de eadem materia unum tantùm specie peccatum committere. Godoyus disp. cit. §. ult. n. 41. Ratio est: quia omnes obligationes, quæ hic violantur circa eandem materiam, procedunt ex eodem formali motivo.

19 Inferes sexto, eum, qui votum solemne & simplex transgreditur; aut votum & juramentum simul violat; aut opus ab Ecclesia præceptum, Deoque simul editô votô promissum non exequitur, diversa specie peccata committere in Confessione quoad hoc necessariò aperienda. Ratio primi est: quia votum solemne & simplex specie differunt, ut tradit D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. 2. quæst. 2. ad 3. peccata autem opposita actibus specie distinctis, etiam ad eandem virtutem pertinentibus, specie differunt, ut communiter conceditur, & patet in homicidio & furto, quæ eidem virtuti justitiæ; in peccatis prodigalitatis & avaritiæ, quæ eidem virtuti liberalitatis; in peccatis contra votum & juramentum, quæ eidem virtuti religionis opponuntur, & tamen inter se specie distinguuntur per repugnantiam cum actibus earundem virtutum specie distinctis. Sententia contraria, quòd nempe transgrediens votum simplex & solemne non committat peccata specie distincta, etiam probabilis est, sicut probabile est hæc vota non distingui specie essentiali. Vide Godoyum loco cit. Ratio porrò secundi & tertii membri est: quia peccata opposita actibus ejusdem virtutis specie diversis sunt specie diversa: votum autem & juramentum sunt actus virtutis religionis specie diversi: similiter exequi opus ab Ecclesia præceptum, ac Deo simul voto promissum, v. g: audire Missam die Dominico, involvit rectitudines intra limites religionis specie diversas: consequenter peccata opposita sunt itidem specie diversa, vel potiùs sunt unum peccatum cum duplici malitia specie distincta.

20 Inferes septimo, Franciscanum duplex specie peccatum committere, si non jejunat die Veneris, in quem incidit vigilia v. g. S. Bartholomæi. Sayrus in clavi reg. lib. 2. c. 5. n. 15. Bonacina de peccat. pu. 3. n. 7. Godoyus n. 43. & alii contra Cajetanum & Martinez. Ratio est: quia peccat contra præceptum Ecclesiæ impositum ex

motivo virtutis temperantiæ : peccat insuper contra votum, quod ex motivo religionis emisit. Nam Franciscanus ex voto tenetur jejunare feria sexta. Sed hoc est committere duplex specie peccatum ; quia est agere contra duplicem obligationem ex duplici motivo formali provenientem.

21 Inferes octavo, quando Prælatus sub præcepto formali & virtute obedientiæ præcipit jejunium v. g. aliunde debitum ex præcepto Ecclesiæ, Religiosum subditum transgrediendô præceptum triplex peccatum specie distinctum committere, nempe unum contra temperantiam, alterum contra religionem, & tertium contra obedientiam. Godoyus loco cit. n. 44. referens Cajetanum & alios. Ratio primi est : quia præceptum Superioris facit actum, quem præcipit, materiam necessariam virtutis, ad quam pertinet : si proinde præcipiat jejunare, id erit opus temperantiæ, & consequenter non jejunare erit peccatum intemperantiæ. Ratio secundi est : quia subditus ex fide Deo per votum data tenetur Prælato parere in omnibus, quæ is prudenter præcipit. si ergo non pareat, peccat contra religionem. Ratio tertii est : quia Prælatus in tali casu jejunium suô præceptô intendit facere materiam obedientiæ specialis, idque ex hujus motivo formali præcipit : consequenter subditus non jejunando committit peccatum inobedientiæ specialis. Hinc aliter sentiendum, quando Superior tunc jejunium præcipit absolutè : cùm enim Religiosus non peccet contra specialem obedientiam, nisi transgrediendo præceptum ex contemptu illius, vel impositum in virtute & sub motivo formali obedientiæ, præcepto jejunii tunc absolutè lato duo solùm peccata, unum contra temperantiam, alterum contra religionem, committit.

22 Inferes nono, Sacerdotem beneficiarium omittendo horas Canonicas non duo specificè distincta, sed unum tantùm committere peccatum. Bonac. pu. cit. n. 13. Castropal. de pecc. disp. 3. pu. 1. n. 2. & alii apud Godoyum n. 47. Ratio est : quia, licèt ad recitandum obligetur & ratione ordinis sacri, & ratione beneficii, utraque tamen obligatio ipsi imposita est ex eodem formali motivo religionis : adeoque non recitando peccat solùm contra religionem. Neque obstat, talem beneficiarium teneri ad restitutionem fructuum, si non recitet : ex quo colligi videtur, non recitando horas peccare etiam contra justitiam. Nam dicitur, obligationem illam restituendi non esse ex jure naturali, aut Divino, sed ex jure Ecclesiastico tantùm idque à tempore Concilii Lateran. sub Leone X. celebrati, ut videre est apud Azorium to. 1. lib. 10. c. 14. q. 2.

Inferes decimo, voluntariam effusionem 23
seminis in Ecclesia, sive notoriam sive occultam, continere duplicem malitiam specie distinctam. Bonac. n. 9. Godoyus n. 48. eodemque teste communiùs Theologi. Ratio est : quia talis effusio repugnat & virtuti castitatis, & præcepto Ecclesiæ ex motivo religionis eam prohibentis in loco sacro, cui specialiter est debita reverentia : consequenter est peccatum non tantùm incontinentiæ, sed etiam sacrilegii, quæ utique specie differunt. Ob eandem rationem idem sentiendum est de voluntaria effusione sanguinis in loco sacro, quòd nempe sit peccatum non tantùm injustitiæ, sed etiam sacrilegii.

Dices cum P. Vasquez. Voluntaria 24
effusio seminis in Ecclesia ideo prohibetur præcepto Ecclesiastico, quia per illam violatur Ecclesia : sed hæc ratio non procedit in effusione occulta ; cùm per istam non violetur aût polluatur Ecclesia ; ergo non prohibetur præcepto Ecclesiastico : consequenter non est peccatum contra religionem, sed contra castitatem tantùm.

Respondeo primo neg. causalem maj. ut necessariam & unicam. Nam ratio sufficiens prohibitionis Ecclesiasticæ est etiam specialis indecentia specialiter repugnans reverentiæ locis sacris debitæ, cujusmodi indecentia in quibusdam peccatis reperitur, quamvis per illa non violetur Ecclesia, in qua committuntur : ut patet in furto facto in Ecclesia, quod sanè prohibetur præcepto Ecclesiastico ex motivo religionis, quamvis per illud non violari censeatur Ecclesia.

Respondeo secundo neg. mi. quia per occultam effusionem seminis pollui Ecclesiam, patet ex c. *significasti nobis.* De adulteriis, ubi Pontifex ob adulterium occultum in Ecclesia commissum, quod mulier confessa erat, jubet eandem Ecclesiam expiari, quod utique non juberet, nisi supponeret per illud adulterium fuisse violatam sive pollutam.

De tactibus impudicis in loco sacro 25
exercitis absque seminis effusione probabiliùs dicitur, in eisdem non contineri malitiam sacrilegii. Sayrus in clavi, lib. 2. c. 5. n. 13. Bonac. loc. cit. & alii, quos refert Godoyus n. 50. Ratio est : tum, quòd malitia sacrilegii non inficiat actum peccaminosum, nisi supposita lege Ecclesiastica, qualis tamen de tactibus impudicis non exstat. Tum, quòd his actibus per se non polluatur Ecclesia. Quæ de tactibus modò diximus, etiam de aspectibus & verbis impudicis intelligenda sunt à fortiori ; quippe quibus minor inesse videtur irreverentia.

ARTI-

ARTICULUS III.

Unde desumatur unitas & distinctio numerica peccatorum?

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis exponitur. 2. Fundamenta unitatis & distinctionis numericæ communia inter Doctores. 3. Quot modis interrumpantur actus peccaminosi? 4. Pluritas objectorum ejusdem rationis fundat pluritatem malitiarum purè numericam. 5. 6. Solvuntur Objectiones. 7. Alterum fundamentum distinctionis numericæ est interruptio moralis. 8. Quando una voluntas peccandi censeatur interrupta? 9. 10. & seqq. deducuntur variæ resolutiones practicæ circa interruptionem, aut continuationem actuum. 16. 17. Quid de Sacerdote, qui in peccato mortali sæpiùs celebrat, vel absolvit? 18. Consilium salubre pœnitentibus. 19. In Confessione exprimi debet numerus objectorum.

1 NOtandum est primo, quæstionem procedere de pluralitate purè numerica, ex quo capite nempe peccata specificè indistincta sint plura numero; idque rursùs non in genere physico, sed in genere morali: quod idem intellige de unitate; undenempe actus realiter distincti unum numerò in genere moris peccatum constituant? Quæ profectò probè nôsse ad Sacramentalem Confessionem debitè expediendam summè necessarium est. Unde

2 Notandum secundo, de duplici fundamento esse dubium inter Doctores, an sufficiat, ut ratione illius vel plures physicè actus moraliter unum, vel unus physicè actus sit moraliter multiplex numerò peccatum? Primum est multiplicatio objecti absque multiplicatione physica actus tendentis in illud: veluti dum quis unico ictu occidit plures homines; vel unico desiderio plura concupiscit. Secundum est interruptio actuum, quibus aliquis versatur circa objectum inhonestum. De qua ulteriùs

3 Notandum est tertio, tribus modis fieri posse interruptionem actuum. Primo, per retractationem prioris voluntatis peccaminosæ, ita tamen, ut peccans postea relabatur in peccatum priùs retractatum. Secundo, non quidem positiva retractatione, liberè tamen à mala voluntate desistendo, & animum per aliquod tempus applicando, ad quid aliud. Tertio, non quidem deliberatè desistendo, sed per distractionem indeliberatam ab extrinseco causatam, v. g. à somno, ebritates &c.

4 Dico primo. In eodem physicè actu tot sunt malitiæ numerò distinctæ, quot sunt objecta actûs ejusdem rationis, ita tamen, ut nullam inter se habeant moralem unitatem, connexionem, aut subordinationem. Azorius lib. 4. c. 4. q. 3. Filliuc. tract. 21. c. 8. n. 19. Paulus Mezger disp. 19. a. 2. n. 1. & communiter nostri Salisburgenses.

Ratio est: quia idem physicè actus habet plures specie malitias, quando objecta illius sunt specie distincta; ut constat ex Artic. præced. ergo similiter idem physicè actus habebit plures numerò malitias, quando objecta ejusdem sunt plura numero in sensu explicato. Conseq. est bona à paritate rationis: quia malitia actûs attenditur penès ordinem ad objectum rectæ rationi dissonum. Itaque qui uno ictu occidit decem homines, committit decem numerò homicidia in Confessione explicanda, cò quòd decem distincta jura, quorum singula singuli habent in suam vitam, hoc modo violet. Sed contra.

Obiicies primo. Eadem ablatione eidem furari 10. aureos est unum tantùm numerò peccatum: ergo similiter occidere unico ictu decem homines est unum tantùm numerò peccatum. Ant. communiter admittitur. Conseq. prob. quia non minùs in collectione 10. aureorum continentur plures quantitates graves, quarum singulæ sufficerent ad unum numerò furtum grave, quàm in 10. occisis plures læsiones graves, quarum singulæ sufficerent ad unum numerò peccatum grave contra quintum præceptum Decalogi: ergo si nihilominùs in casu antecedentis non sunt plures numerò malitiæ furti, etiam in casu consequentis non erunt plures numerò malitiæ homicidii. 5

Confirmatur primo. Petrus v. g. cui fur aufert 10. aureos, habet jura numerò distincta ad singulos aureos; sicut singuli homines, qui occiduntur unico ictu, habent singuli jura numerò distincta ad suam vitam: ergo si læsio priorum jurium non contrahit plures numerò malitias, neque læsio posteriorum plures contrahet.

Confirmatur secundo. Volens dare eleemosynam decem mendicis non contrahit in tali voluntate decem honestates misericordiæ numerò distinctas: ergo etiam volens occidere decem homines non contrahit in ejusmodi propositio decem malitias injustitiæ numerò distinctas.

Respondeo ad object. conc. Ant. neg. conseq. in hujus probat. dist. Ant. in collectione 10. aureorum continentur plures quantitates graves eodem modo per se completæ, sicut singulæ læsiones graves in 10. occisis, neg. non eodem modo per se completæ, conc. Ant. & neg. conseq. Quantitates illæ non sunt objecta

ćta ita per se completa, ut nullam inter se habeant moralem unitatem; cùm in æstimatione morali per se sint aptæ ad integrandum unum aliquod totum in ratione quanti majus: & neque per accidens sunt completæ; quia non existunt moraliter separatæ ab aliis sed conjunctæ eisdem. Atqui singulæ occisiones, vel singulæ mortes sunt objecta ita per se completa; ut in æstimatione morali non sint aptæ ordinari ad unam aliquam læsionem totalem in ratione læsionis, aut damnificationis gravioris integrandam. Atque hinc

Ad primam Confirmat. neg. ly *sicut* in Anteced. nam jura illa Petri ad singulos aureos sunt jura solùm partialiter plura inter se numerô distincta; jura verò occisorum sunt singula per se completa: cùm nullum eorum ex se comparetur ut pars quæpiam ad constituendum cum altero unum jus totale.

Ad secundam Confirmat. respondeo, ibi debere attendi intentionem volentis. hinc si intendat unam tantùm honestatem, ita ut numerus accipientium materialiter solùm & per accidens se habeat, tunc erit una simpliciter & formaliter bonitas seu honestas in illa voluntate, æquivalenter tamen multiplex, utpote re ipsa æquivalens decem largitionibus eleemosynarum. Quodsi per se directè intendat singulas honestates singularum largitionum, tunc illa voluntas habebit decem bonitates morales formaliter distinctas.

6 Objicies secundo. Idem indivisibilis actus non est capax plurium numerô malitiarum: ergo falsa est nostra sententia. Antec. prob. primo, quia idem subjectum non potest recipere plures formas physicas etiam accidentales solo numero distinctas: ergo neque poterit idem actus tanquam subjectum recipere simul plures formas morales sive malitias solo numero distinctas. Secundo. quia stante ejusmodi capacitate non posset determinari, quot malitiæ essent in illo actu, quo quis vellet interimere integram familiam, aut evertere integram arcem, vel navem, in qua versantur multi homines, quorum determinatus sive certus numerus ignoratur. Tertio. quia hinc sequeretur, eum, qui vellet occidere infinitos homines, in tali sua voluntate contracturum infinitas malitias.

Respondeo neg. Antec. ad primam probat. conc. Antec. neg. conseq. nam inprimis actus ejusmodi licèt sit unus physicè, est tamen multiplex moraliter; adeòque capax plurium formarum moralium, aut malitiarum solo numero distinctarum. Deinde ex aliis principiis sumitur unitas & distinctio numerica in moralibus, & ex aliis in rebus physicè. Accedit, quòd ab aliis, qui non sunt Thomistæ, absolutè negetur Anteced. hujus probat.

Ad secundam probat. dico, in eo actu tantum fore numerum malitiarum, quantus esset numerus hominum non invincibiliter ignoratus: quia scilicet tot essent objecta illius malæ voluntatis per se completa, quot personæ, quas vellet tollere de medio. Neque refert, quòd illæ personæ sint partes unius familiæ; adeoque non videantur singulæ habere jus completè distinctum à jure totius in vitam: cùm enim unitas familiæ sit solùm ex fictione juris, non tollit in personis singulis familiam constituentibus rationes jurium completè distinctorum in suam vitam; sicut explicat Paulus Mezger n. 2.

Ad tertiam respondeo, tunc unam tantùm formaliter contractum iri malitiam; interpretativè tamen & æquivalenter infinitam: cùm infinitas personarum non categorematicè, sed syncategorematicè solùm repræsentaretur in intellectu volentis omnes occidere.

Dico jam secundo. Toties sunt plura numerô peccata tam interna, quàm externa, quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur. Ita communis sententia. Ratio est: quia toties peccata multiplicantur numericè, quoties destruitur moralis unitas ipsorum: sed toties destruitur moralis unitas peccatorum, quoties interrumpitur moraliter voluntas peccandi; ergo toties peccata multiplicantur numericè, quoties interrumpitur moraliter voluntas peccandi. maj. est certa, mi. prob. nam voluntas est principium, ex quo actus tam interni quàm externi dependent in esse morali & voluntario: ergo ipsâ mutatâ, & distinctâ individualiter, quod fit per moralem interruptionem, actus quoque cæteros, sive internos sive externos mutari, & individualiter distingui, adcóque moralem unitatem amittere necesse est. 7

Et ista quidem regula, quàm modò pro concl. statuimus, nullam haberet difficultatem, si satìs constaret, quandonam voluntas peccandi censeri debeat moraliter interrupta. Ubi breviter tenendum ac dictis in n. 3. addendum, id toties contingere, quoties actus voluntatis nec in se formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec in prudenti æstimatione hominum moraliter perseverat: veluti primo, dum plures actus successivè exercentur circa plura objecta completè & totaliter distincta. Secundo, dum prior voluntas revocatur, vel per pœnitentiam retractatur. Tertio, dum quis deliberatè cessavit ab aliquo actu. Dixi *deliberatè*. nam licèt per cessationem naturalem & involuntariam, sive ea fiat per somnum, sive per distractionem ad alia, actus interrumpatur physicè, non tamen videtur interrumpi moraliter. hoc ipso enim, quòd animus involuntariè distrahatur ad alia, eáque distractione finita redeat ad objectum involuntariè omissum, remanet interpretativè eadem moraliter voluntas; cùm non appareat, per quidnam interea sit mutata 8

mora-

moraliter. Unde; qui post declarationem morosam ex aspectu fœminæ deliberatè conceptam somnô corripitur, ac deinde post somnum ad eandem delectationem redit, unum numerô peccatum committit. Quarto non perseverat moraliter prior voluntas, quando inter plures actus nullo voluntatis affectu antecedenter connexos tanta intercedit mora temporis, ut judiciô prudentûm meritò discontinuari videantur. Quinto, quando actiones externæ etiam subordinatæ aut dependentiam ex se habentes ita exercentur, ut ex intentione operantis assumantur, ac si non essent subordinatæ aut dependentes: veluti fit in impudicis tactibus, dum exercentur absque intentione fornicandi: ubi licèt ad eosdem postea sequatur fornicatio, constituunt distinctam malitiam in Confessione specialiter exprimendam. Ex dictis jam

9 Colliges primò, non quamlibet interruptionem physicam sufficere, ut actus discontinuetur in genere moris. Sic enim largitio eleemosynæ dicitur unus moraliter actus, licèt per salutationem amici prætereuntis physicè sit interrupta. Sic etiam una Missa dicitur, licèt inter unam & alteram partem intercedat concio. Sic denique est una moraliter cœna vel comestio, licèt intra id tempus quis surgat, ut famulo nuntium quoddam committat perferendum, vel, ut scribat brevem epistolam. Talis proinde non censetur bis comedere, dum expedito simili negotio mensæ se reddit. Ratio est: quia mora temporis ad moralem interruptionem sufficiens metienda est judiciô prudentûm: atqui prudentes non judicant quamlibet moram temporis ad moralem interruptionem humanæ actionis sufficere; ut patet in exemplis adductis; ergo.

10 Colliges secundo, eum, qui ex intentione occidendi inimicum arma expedit, domo egreditur, inimicum quærit; imo iter conficit aliquot dierum; in hospitiis prandet, pernoctat, obvios salutat, ad alia obiter divertit, non committere plura numerô peccata in Confessione exprimenda, sed unum tantùm homicidii. Bonac. de pecc. Disp. 2. q. 3. 4. pu. 2. n. 6. Tambur. in Meth. exped. Conf. lib. 2. c. 1. num. 35. Sporer Tract. 1. cap. 4. Sect. 3. n. 21. Ratio est: quia singulæ actiones recensitæ exercentur in virtute unius actûs voluntatis adhuc virtualiter permanentis, & ordinantur ad consummandum unum illud opus; neque interrumpuntur per voluntatem contrariam; veluti supponitur.

11 Colliges tertio, eum, qui continuo quidem tempore, sed habitualiter tantùm perseverat in prima voluntate, in quantum illam præcisè non retractat, non efficere, ut actus internus & opus externum sint unum numerô peccatum. Paulus Mezger disp. cit. a. 2. num. 5. Ratio est: quia alioquin sequeretur, illum, qui primo anni die habuisset voluntatem furandi V. G. eamque toto anni tempore intermedio non retractatam seu revocatam exequeretur ultimo die, commissurum unum numerô peccatum: quod admittere judicio prudentûm planè adversatur.

12 Colliges quarto, eum, qui furatur eodem tractu temporis integram bibliothecam; vel abigit integrum gregem ovium; vel incendit integram domum, aut etiam sylvam, in singulis his damnificationibus unum solùm peccatum mortale committere. Bonac. loco cit. n. 1. Sporer loco cit. Paulus Mezger loco cit. n. 2. & alii. Ratio est: quia singuli libri ad unam bibliothecam; singulæ oves ad unum gregem; singula conclavia ad unam domum; singulæ arbores ad unam sylvam tanquam partes ad totum aliquod pertinent ac referuntur: adeóque licèt in esse physico & materialiter sint plura objecta, formaliter tamen & in esse morali unicum constituunt. Atque ita tenendum est proportionaliter in aliis quoque actionibus, quarum materiæ judiciô prudentûm in unum moraliter objectum coalescere censentur.

13 Colliges quinto, eum, qui in eodem colloquio eidem sæpius detrahit, vel pluries pejerat ad eandem falsitatem confirmandam, vel ex eodem impetu iræ pluries blasphemat, pluries contumelias in proximum effundit, aut eundem pluribus verberibus contundit, unum peccatum detractionis, perjurii, blasphemiæ, contumeliæ, injustæ percussionis committere. Bonac. num. 11. Tambur. ubi suprà à n. 50. Illsung cum aliis pluribus, quos refert. Tract. 2. disp. 2. a. 5. n. 65. Ratio est: quia in istis vi primæ voluntatis, quæ virtualiter perseverat, prima actio externa moraliter continuatur & unitur cum posterioribus, ita ut omnes vel unam detractionem, vel unum perjurium, vel unam blasphemiam, vel unam contumeliam, vel unam percussionem constituant.

14 Colliges sexto, obligatum ad recitandum breviarium, si illud omittat uno die, unicum tantùm peccatum committere; si verò omittat toto anno, plura, imo tot peccata committere, quot dies in uno anno continentur. Tambur. Meth. exped. Conf. lib. 2. c. 2. n. 12. referens Navarr. & alios. Illsung n. 67. Ratio est: quia hora Canonica unius diei ordinatur ad aliam, ita ut omnes constituant unam moraliter & totalem orationem: econtra officium unius diei non ordinatur ad aliud, vel alia, ut cum illis constituant unam aliquam orationem completam; sed quodlibet seorsim est totum aliquod officium Divinum ex intentione Ecclesiæ diei suo affixum.

&

& consequenter prior omissio unum moraliter objectum, posterior verò plura & distincta moraliter objecta respicit.

15 Sed quid sentiendum de eo, qui vult omittere officium Canonicum, non tamen omittit re ipsa? Respondeo similiter, eum, qui unico actu vult omittere officium unius diei, unum numerô peccatum committere, volentem verò unico actu omittere officium totius anni, tot peccata numerô distincta committere, quot officia diebus per integrum annum fluentibus sunt affixa. Dissentiunt ex parte Tambur. n. 13. & alii existimantes, volentem omittere officium totius anni unicum tantùm numerô peccatum committere. Sed nostra responsio clarè deducitur ex principio, quod in n. 4. pro concl. statuimus. Id ipsum in simili tenet Azorius loco ibidem cit. dicens, volentem unica voluntate non audire Missam tribûs diebûs festis, vel non jejunare tribûs diebûs jejuniorum, vel non observare tria vota, quibûs est obstrictus, committere in qualibet ejusmodi una voluntate tria peccata.

16 Colliges septimo, Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis scienter celebrat Missas, excipit Confessiones, tot committere peccata mortalia sacrilegii, quot Missas celebrat, & pœnitentes successivè absolvit. Quoad priorem partem Corollarii neminem video nobis contrarium: quia revera quælibet celebratio Missæ est unum aliquod totale ministerium sine subordinatione aut connexione ad aliud ex parte objecti. Secundam partem apud P. Illsung loco cit. n. 64. docent Moya, Oviedo, Dicastillo contra plures alios, quos idem nominat. Docet etiam Paulus Mezger, ubi suprà, n. 10. Ratio est: quia tot sunt in præsenti sacrilegæ administrationes distinctæ, quot sunt Sacramenta integra & completa: atqui tot sunt ejusmodi Sacramenta, quot Confessiones excipiuntur & pœnitentes absolvuntur. nam singulorum pœnitentium Confessio & absolutio constituit unum adæquatum & completum Sacramentum Pœnitentiæ; ergo tot sunt Sacrilegæ distinctæ administrationes Sacramenti Pœnitentiæ, quot Confessiones excipiuntur & pœnitentes absolvuntur. mi. est certa: quid enim positis Confessione & absolutione deest ad esse completum Sacramenti Pœnitentiæ? maj. iterum constat ex dictis in n. 4. quia multiplicatis numericè objectis in sensu ibid. explicato non possunt non multiplicari numericè in esse morali actus peccaminosi, sive in esse Physico multiplicentur, sive non multiplicentur.

17 Respondet Sporer ubi suprà n. 22. omnes illas absolutiones, ut modò actu continuo successivo fiunt, ad unum moraliter pertinere ministerium absolvendi. hoc enim ministerium ex natura sua non determinare sibi certas personas; quin potiùs postulare per modum sacri tribunalis communis, ut omnibus ad tribunal accedentibus jus dicatur.

Sed contra est, quòd actiones, quæ habent objecta nullo modo connexa, aut coordinata, nequaquam pertineant ad eandem numerô functionem ministerii absolvendi. Atqui objecta administrationum illarum seu absolutionum nullam habent inter se connexionem aut coordinationem; cùm per quamlibet earum pronuntietur nova, distincta, & completa sententia super alium & distinctum pœnitentem. Neque probat aliquid, quòd actu continuo successivo & absque interruptione peragantur. nam si hoc sufficeret ad tribuendam unitatem moralem illis administrationibus Sacramenti Pœnitentiæ, dicerem ego, Sacerdotem in peccato mortali legentem in Nativitate Domini eadem intentione, eodemque tractu temporis continui tres Missas, non nisi unum peccatum mortale committere: quod certè nemo concesserit. si dicas cum Authore cit. celebrationes illas Missarum esse distinctissima ministeria ad invicem per modum unius minimè ordinata; hoc idem ego dicam de administrationibus Sacramenti Pœnitentiæ; cùm sit eadem utrobique ratio. De cetero licèt ministerium absolvendi ex se non determinet sibi certas personas, hujus tamen naturæ est, ut tanquam actio judicialis per modum sententiæ toties perficiatur & compleatur individualiter, quoties circa certum aliquem reum exercetur.

Colliges jam octavo, consultissimum 18
esse, quod monet Card. de Lugo apud Paulum Mezger n. 7. ut pœnitens in confessione exprimat probabilem moram temporis, quando deprehendit; se diutiùs in aliquo peccato interno, V. G. odii, libidinosæ delectationis &c. fuisse occupatum. Ratio est: quia valde difficile est, ut homo longiori tempore ita sit defixus in unum aliquot objectum, ut non aliquando deliberatè ab ejus cogitatione & affectu se avertat; adeóque actum moraliter interrumpat.

Colliges nono, in Confessione ex- 19
primendum esse probabilem numerum objectorum, circa quæ pœnitens peccavit. Ratio est; quia malitia moralis toties multiplicatur in actu voluntatis, quoties opus volitum, ceu objectum illius, est multiplex. Unde non satisfacis dicendo simpliciter, quòd habueris voluntatem non jejunandi, si habuisti voluntatem non jejunandi per totam Quadragesimam, cùm una omissio jejunii nullam habeat moralem connexionem cum altera. Similiter, si pluribus scandalum dedisti, vel injuriam detrahendo, vel damnum furando intulisti, non satisfacis dicendo simpliciter, te scandalum dedisse, damnum, vel injuriam intulisse,

sed

sed debes insuper exprimere probabilem numerum personarum, quibus scandalum dedisti, damnum intulisti, injuriam irrogâsti &c. quia videlicet jura, vel damna singulatum personarum nullam habent inter se moralem connexionem. Bonac. ubi suprà n. 2. & §. un. num. 42. Paulus Mezger n. 8: contra Tambur. in Meth. exped. confess. lib. 2. cap. 1. à. n. 63. & alios.

ARTICULUS IV.

De peccato omissionis.

PEccatum omissionis, ut supponitur ex a. 1. n. 5. aliud nihil est, quàm voluntaria omissio actûs præcepti. De quo tria nunc breviter disputabimus. Primum erit, an omnis actus omissioni culpabili conjunctus sit peccatum? Secundum, qualem malitiam habeat actus, qui est causa omissionis? Tertium, quo tempore ad culpam imputetur omissio actûs præcepti? Illam quæstionem, an detur, vel dari possit pura omissio libera & culpabilis sine omni actu voluntatis? Scholasticis relinquimus.

§. I.

An omnis actus omissioni culpabili conjunctus & incompossibilis cum impletione præcepti sit peccatum?

SUMMARIUM.

1. *Duplex conjunctio actûs cum omissione peccaminosa.* 2. *Actus conjunctus per modum causæ &c. sit malus malitiâ omissionis,* 3. *non tamen conjunctus concomitanter solùm.* 4. 5. *An semper malum moraliter, quod sit tempore indebito?* 6. *Quandonam actus supponens efficacem voluntatem omittendi vitietur ex omissione?* 7. 8. 9. 10. 11. *Quinque Corollaria.*

1 NOtandum est, actum tam externum quàm internum dupliciter solere conjungi omissioni peccaminosæ. Primo, ut in eandem influat per modum causæ, motivi, vel occasionis: veluti si ludendi gratiâ omittas sacrum præceptum. Secundo, ut respectu illius se habeat merè concomitanter: quod tunc accidit, quando omissio aliunde, sive ex alio capite sequeretur, tametsi ille actus non conjungeretur? v. g. si tædiô pluviarum efficaciter decreveristi manere domi tempore, quo deberes esse in Ecclesia, & interim, ne sis otiosus, horam studendò comburis.

2 Dico primo. Actus priori modo conjunctus omissioni culpabili redditur malus per malitiam omissionis, licèt ex objecto supponatur bonus vel indifferens. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia id, quod à voluntate assumitur ceu formalis, vel virtualis causa peccati, est moraliter malum: sed quoties actus aliquis dicto modo influit in peccatum, toties assumitur à voluntate tanquam formalis vel virtualis causa peccati; ergo est moraliter malus.

Confirmatur. Eodem præceptô, quo obligamur ponere actum, etiam jubemur removere causas, ex quibus prævidemus secuturam omissionem actûs: ergo rectè colligitur, actum, qui cum omissione conjungitur per modum causæ, motivi, vel occasionis reddi propterea moraliter malum.

3 Dico secundo. Actus omissioni culpabili posteriore modo, id est, concomitanter solùm conjunctus, & efficacem omittendi voluntatem supponens nullam exindè malitiam contrahit, quàmvis sit incompossibilis cum actu præcepto. Ita cum plurimis relatis Godoy tr. 1. in 1. 2. disp. 22. §. 1. n. 3. Filliuc. tr. 21. c. 7. q. 6. n. 267. Laym. tr. 3. c. 4. n. 3. Reding. to. 2. q. 11. a. 1. controv. 2. Paulus Mezger disp. 18. a. 1. n. 2. Ratio est: quia actus nullatenùs influens in omissionem culpabilem non vitiatur ex illa: sed actus concomitanter solùm conjunctus nullatenùs influit in omissionem culpabilem; ergo talis actus non vitiatur ex omissione culpabili. maj. videtur certa: quia actus conjunctus omissioni culpabili nonnisi ratione influxûs in illam per modum causæ vel formalis vel virtualis contrahit malitiam. mi. inde constat, quòd omissio illa sequatur vi alterius causæ & efficacis voluntatis præsuppositæ, & sequeretur, tametsi actus, de quo loquimur, non poneretur: ergo nullatenùs influit in omissionem.

4 Objicies primo. Quod sit tempore indebito, est malum moraliter: sed studium, quod instituitur tempore audiendi Sacrum, licèt ad ejus omissionem concomitanter solùm se habeat; sit tempore indebito; ut patet; quia sit tempore, quo est obligatio faciendi quid aliud: ergo ejusmodi studium est moraliter malum. maj. inde constat, quòd tale opus vitietur ex circumstantia temporis.

Respondeo dist. maj. quod sit tempore indebito privativè vel contrariè, est malum moraliter, conc. tempore indebito negativè, neg. maj. & sic dist. mi. neg. conseq. Illud opus sit tempore indebito privativè aut contrariè, quod sit tempore, quo est prohibitum, ne fiat. Illud sit tempore indebito negativè, quod sit tempore, quo neque præceptum est, ut fiat, neque prohibitum, ut non fiat. Atqui studium in

nostra hypothesi non est prohibitum tempore audiendi Sacrum; quod ostenditur: vel enim esset prohibitum ratione sui, vel ratione omissionis tanquam causa ipsius. non ratione sui; quia ex se & objecto est opus honestum, non ut causa omissionis; quia ad illam se habet solùm concomitanter & per accidens. consequenter studium, de quo loquimur, non fit tempore indebito privativè vel contrariè: atque adeo fit solùm tempore indebito negativè.

5 Contra tamen instabis hoc modo. Illud omne prohibetur tempore audiendi Sacrum, quod impedit auditionem Sacri tunc præceptam, estque cum eadem incompossibile: sed studium impedit auditionem Sacri, estque cum illa incompossibile; ergo prohibetur tempore audiendi Sacrum, & consequenter fit tempore indebito privativè aut negativè.

Respondeo dist. maj. illud prohibetur &c. quod impedit auditionem Sacri formaliter & moraliter, conc. quod impedit illam materialiter & physicè; neg. maj. sed studium impedit auditionem Sacri materialiter & physicè, estque cum illa incompossibile incompossibilitate materiali & physica, conc. impedit formaliter & moraliter, estque incompossibile incompossibilitate formali & morali, neg. mi. & conseq. Sensus solutionis est, quòd quidem actus studii inferat omissionem Sacri propter naturalem impossibilitatem simul studendi & audiendi Sacrum; non tamen ex vi voluntatis connectentis eundem cum omissione; adeoque non formaliter & moraliter.

6 Objicies secundo. Ex nostra sententia sequitur, Clericum navigantem in mari, si post decretum efficax toto navigationis tempore non recitandi horas breviarium in mare projiciat, non peccare in hac tali projectione: sed conseq. est contra omnes Theologos; ergo. seq. maj. prob. nam illa projectio ex hoc solo capite esset peccatum, quia influeret in peccaminosam omissionem horarum: atqui non influit in illam sive ut causa formalis sive ut virtualis; ergo. maj. constat ex dictis. mi. prob. quia ideo studium in facta à nobis priùs hypothesi non influit in omissionem Sacri, quia supponit decretum efficax non audiendi Sacrum, vi cujus decreti illa omissio sequeretur, licèt studium non interveniret. sed etiam projectio breviarii supponit decretum efficax non recitandi horas, ex quo veluti causâ sufficiente sequeretur omissio earum, quamvis ipsa non interveniret; ergo projectio breviarii non influit in omissionem horarum.

Respondeo, omissis aliorum solutionibus, ex Godoyo, projectionem breviarii posse comparari vel ad omissionem recitationis moraliter certissimè futuram ex vi decreti efficacis, v. g. ad omissionem horarum primæ diei, ubi nulla est spes retractandi decreti: vel ad omissionem recitandi non certò moraliter futuram; qualis est omissio pro diebus sequentibus, ubi nempe nec decretum tanta certitudine & firmitate perseveraturum videtur, ut nulla sit spes de revocatione ejusdem. Si comparetur ad omissionem primam; sentio, ipsam inde non vitiari, nec influere in illam; ut rectè probat objectio. Si verò comparetur ad posteriores omissiones, vitiatur ex illis: cùm enim respectu illarum nullam supponat aliam causam influentem existere physicè, nec certò moraliter, propter revocabilitatem decreti tunc moraliter sperabilem, ipsa in prædictas omissiones influere censenda est.

Dices. Per projectionem breviarii Clericus necessitatur physicè ad primam omissionem recitationis: cùm tamen ex vi voluntatis efficacis non necessitetur physicè ad illam: sed hoc sufficit, ut dicta projecto influat in primam omissionem; ergo Respondeo, hoc non sufficere: cùm enim supponamus, tunc efficax decretum adhuc perseverare certò moraliter, jam vi ejusdem de facto impeditur recitatio, ita ut nulla alia causa influat in ejus omissionem.

7 Ex dictis colligitur primo, eum, qui post firmum decretum non audiendi Sacrum somno se tradit prope horam duodecimam v. g. qua infiat præceptum audiendi, non peccare somno se tradendo. Godoyus §. ult. n. 20. Paulus Mezger. n. 10. Ratio est, quia non est verosimile intra tam breve tempus talem mutaturum illud firmum propositum. ut proinde somnus non censeatur tollere potentiam moralem implendi præceptum, sed aliunde ablatam supponere.

8 Colligitur secundo, obstrictum votô castitatis peccare, si, postquàm efficaciter statuit votum illud non servare, ducat uxorem. Godoyus loco cit. Reging. n. 6. Ratio est: quia matrimonium, quod init, est medium ad plures actus voto castitatis adversos positivè conducens, cujus influxus in eos actus nequaquam tollitur per voluntatem efficacem præcedentem non servandi votum.

9 Colligitur tertio, eum, qui facto efficaci proposito non restituendi distrahit bona, ex quibus erat restituendum, peccare illa distrahendo cit. Ratio est: quia, licèt tunc non vitietur distractio ex omissione restitutionis veluti prima ob firmitatem propositi certò moraliter futura, vitiatur tamen ex omissione faciendæ restitutionis pro longiori tempore, quo non est certum moraliter, propositum adhuc perseveraturum.

10 Colligitur quarto, votô obligatum ad studendum eo tempore, quo domi non est occupatus, teneri ad studendum durante firmo decreto omittendi Sacrum. Godoyus n. 21. Ratio est: quia actus studii tanquam opus

pus honestum est materia ex se voti capax; nec aliunde vitiatur ex omissione Sacri; ut supponitur ex dictis; ergo talis tunc tenetur ad studendum.

Colligitur quinto, non peccare ludentes, ambulantes, vel canentes cum illo, qui post efficax propositum non audiendi Sacrum lusui, ambulationi, vel cantui se tradidit. Godoyus loco cit. Ratio est: quia ipse non peccat ludendo, ambulando, vel canendo: ergo nec alii peccant: nam eatenùs solùm peccarent, quatenùs ad lusum, ambulationem, vel cantum peccaminosum concurrerent. 11

§. II.

Qualem malitiam habeat actus causans omissionem?

SUMMARIUM.

12. *Referuntur sententiæ.* 13. *Statuitur, actum, qui causat omissionem, esse in eadem specie malitiæ cum omissione.* 14. *Qualiter actus causans omissionem sit circumstantia vitiosa?* 15. 16. 17. *Solvuntur obiectiones.* 18. *Per se loquendo non est obligatio in Confessione explicandi actum, qui est causa omissionis peccaminosæ.* 19. *Potest tamen esse obligatio per accidens.*

12 PRima sententia docet, actum ex se bonum aut indifferentem, qui est causa vel occasio omissionis culpabilis, duplicem contrahere malitiam; unam nempe ex omissione, quam causat, & alteram ex contrarietate ad virtutem, cujus esset actus, nisi causaret malam omissionem. Ita studium v. g. quod est causa omittendi Missam die festo, juxta hanc sententiam non tantùm est contra religionem, sicut ipsa omissio, sed etiam est peccatum contra virtutem studiositatis. Tenent hanc sententiam Suarez & alii apud Godoyum sine nomine relati. Secunda sententia est, actum memoratum affici una tantùm malitia morali, eaque ejusdem speciei, in qua est omissio causata, & repugnante virtuti, ex cujus motivo præcipitur opus omissum. Unde studium causans omissionem Sacri præcepti est tantùm contra religionem, & non contra studiositatem, & sic de aliis. Ita Sayrus in clavi. lib. 2. c. 6. n. 14. Bonac. de pecc. disp. 2. q. 4. pu. n. 26. Filliuc. tr. 21. cap. 7. q. 7. num. 270. Laym. tract. 3. cap. 4. num. 4. Reding. q. 11. a. 1. contr. 1. num. 7. & alii Scholastici communiter.

13 Dico proinde. Actus positivus, qui est causa omissionis culpabilis, habet unam tantùm specie malitiam, eamque indistinctam à malitia omissionis, quam causat. Ratio est: quia actus ex se bonus aut indifferens, qui est causa omissionis Sacri v. g. opponitur soli præcepto audiendi Sacrum: ergo habet unam solùm, & ejusdem specie malitiam, quæ est in omissione Sacri. Consequenter colligitur: quia, ut haberet duplicem ac specie distinctam malitiam, deberet duplici præcepto opponi. Ant. verò prob. nam actus ille ideo solùm est malus, quia est causa omissionis Sacri: sub hac autem ratione sufficienter prohibetur præceptô, quo præcipitur auditio Sacri: sicut enim isto directè præcipitur Sacrum, ita directè prohiberur omissio ejusdem, & indirectè id omne, quod est causa omissionis: ergo actus, de quo loquimur, opponitur soli præcepto audiendi Sacrum.

Confirmatur ex communi praxi fidelium, qui in confessione se accusantes de Sacro non audito nunquam solent explicare motiva, propter quæ omiserunt Sacrum, an nempe ex affectu studii, lusûs, ambulationis, &c. quod utique facere tenerentur, si tales actus haberent distinctam malitiam à malitia omissionis; cùm juxta Concilium Tridentinum & omnium Catholicorum sententiam pœnitens in confessione teneatur exponere numerum peccatorum & omnes circumstantias speciem eorum mutantes: qualis circumstantia in opinione adversa planè esset finis studii v. g. propter quem omitteretur Sacrum.

Dices fortè, studium, ob quod omittitur Sacrum (idem cogita de aliis actibus omissionem culpabilem causantibus) non esse circumstantiam vitiosam mortaliter, sed venialiter tantùm, esto mutet speciem: adeòque non esse necessariò exprimendum in confessione. Sed contra est, quòd Authores adversi contendant, studium ejusmodi contrariari virtuti studiositatis intra propriam hujus materiam; tum, quòd illi desit circumstantia temporis debiti; tum, quòd suscipiatur ex nimio affectu, quem corrigere ad studiositatem pertinet: Atqui circumstantia illa temporis sub gravi peccato tunc observanda est: nimius quoque affectus erga studium; cùm per illum præferatur studium impletioni præcepti tunc graviter obligantis, grave peccatum est: & consequenter eo studio vel peccatur mortaliter contra studiositatem, vel nullo modo peccatur contra eam virtutem. 14

Objicies primo contra concl. Actus ex se bonus non potest influere in peccatum: ergo ut studium sit causa omissionis culpabilis, debet in illo præsupponi malitia; & consequenter præter malitiam omissionis habebit adhuc aliam. 15

Respondeo dist. Ant. si actu gaudeat illa bonitate ex se debita conc. si illâ actu non gaudeat, subdist. non potest influere in peccatum ex se, & ex meritis proprii objecti, conc. non potest per accidens, in quantum à voluntate assumitur tanquam impedimentum alterius actus præcepti, neg. Ant. & conseq. Itaque actus studii in nostra hypothesi non accipit ex suo objecto bonitatem moralem; cùm hujus derivatio in ipsum impediatur per malitiam omissionis causatam. Porrò licèt actus de se bonus nequeat esse per se causa mali effectus & eventus, potest tamen esse per accidens.

16 Obijcies secundo. Studere tempore indebito est contra studiositatem: sed studere tempore sacri præcepti est studere tempore indebito; ergo est contra studiositatem Respondeo dist. maj. studere tempore indebito intra materiam studiositatis est contra studiositatem, conc. tempore indebito propter oppositionem studii cum actu præcepto alterius virtutis, neg. maj. & sic dist. mi. neg. conseq. Igitur dum quis per studium voluntariè assumptum impeditur, ne audiat Sacrum die Dominico, illa circumstantia temporis non vitiat studium intra propriam materiam studiositatis; cùm non supponatur studere plùs, quàm oportet; sed tempore, quo non oportet propter oppositionem studii cum adimpletione præcepti religionis.

17 Obiicies tertio. Peccatum commissionis habet distinctam malitiam à malitia peccati omissionis: sed actus studii causans omissionem Sacri est peccatum commissionis; quia opponitur præcepto negativo non impediendi Sacrum: ergo habet distinctam malitiam à malitia omissionis Sacri.

Ante solutionem advertendum est duplex dari peccatum commissionis, unum, quod opponitur præcepto negativo formaliter & explicitè tali, nempe ex speciali motivo distinctæ virtutis; & alterum, quod opponitur præcepto negativo implicitè incluso in præcepto affirmativo, & respicienti motivum ejusdem virtutis. Hoc supposito dist. maj. peccatum commissionis oppositum præcepto negativo formaliter & explicitè tali habet distinctam malitiam à malitia peccati omissionis, conc. peccatum commissionis oppositum præcepto negativo implicitè incluso in præcepto affirmativo, neg. maj. sed actus studii causans omissionem Sacri est peccatum commissionis oppositum præcepto negativo implicitè incluso in præcepto affirmativo (præcipiente videlicet auditionem Sacri, & hoc ipso implicitè prohibente impedimenta ejusdem) conc. oppositum præcepto negativo explicitè & formaliter tali, neg. mi. & conseq.

18 Ut nunc ad praxim accommodes doctrinam traditam, infer ex dictis, neminem per se loquendo esse obligatum, ut in confessione explicet actum, qui est causa omissionis culpabilis. Ratio est: quia ille actus nullum constituit peccatum sive specie, sive numero distinctum à peccato omissionis. Et hoc verum est de actu tam externo, quàm interno causante ejusmodi omissionem.

Neque dicas; actum externum etiam in aliis peccatis non constituere novam malitiam, eamve superaddere actui interno, & nihilominùs esse exprimendum in confessione: ergo idem dicendum in casu præsenti: nam respondeo, actum externum non quidem superaddere novam malitiam actui interno, ejus tamen malitiam complere per modum comolementi individualis, ut alibi suppono: adeoque explicandum esse in confessione; cùm sine ipsius mentione non explicaretur completè peccatum; sicut tamen completè explicatur omissio culpabilis, licèt non exprimatur actus, qui eandem causavit. Accedit, quòd ex institutione Christi constet, esse obligationem confitendi non solos actus internos, quibus volo furari, occidere &c. sed etiam externos furti, homicidii & similes. Atqui nihil tale habetur ex institutione Christi circa actus, qui sunt causa omissionis culpabilis.

Dixi autem, *per se loquendo.* Nam 19
per accidens potest esse obligatio in pluribus casibus, ut primo, quando actus causans omissionem ex objecto malus est: v. g. si furandi causâ Sacrum omittas. Sed de tali actu in præsenti non erat sermo. Secundo, quando quis tam inordinatum gerit affectum erga opus aliquod, v. g. venationem, ut propter illud paratus sit quamlibet Dei legem transgredi. Nam hic talis affectus habet specialem repugnantiam cum charitate erga Deum. Laym. loco cit. Paulus Mezger artic. 1. n. 9. Tertio, quando voluntati omittendi opus præceptum ipsa omissio externa non adæquatur: v. g. si re ipsa semel tantùm omisisti Missam volens toto anno omittere: tunc quippe ea voluntas toties omittendi debet specialiter exprimi: quia multiplicitas objecti plures numerò malitias refudit in propositum omittendi; cùm tamen in externa omissione una tantùm reperiatur. Quarto, quando actus omissioni conjunctus aufert potentiam præceptum implendi etiam impostcrum: veluti contingit in Clerico breviarium in mare projiciente, de quo in præc. §. tunc enim actus propter ejusmodi impotentiam sæpiùs implendi præceptum à se inductam contrahit novam malitiam. Citt. Dixi, *impostcrum.* quia actus observantiam præcepti reddens impossibilem de præsenti tantùm nullam exinde contrahit

specialem malitiam; velut explicavimus in exemplo memorato.

§. III.

Quandonam ad culpam imputetur omissio actûs debiti?

SUMMARIUM.

20. *Exponitur status Quæstionis.* 21. *Peccato omissionis peccatur tum, quando ponitur causa omissionis,* 22. *tum, quando omittitur opus præceptum, etiam impeditâ potentiâ ponendi idem opus.* 23. *Ut omissio imputetur in peccatum, sufficit esse liberam in causa.* 24. *Quid hic sentiendum de votis, & formis Sacramentorum inebrietate &c. pronuntiatis?* 25. 26. 27. 28. 29. *Corollaria ex dictis.*

20 Hîc omnes Theologi in eo conveniunt, quòd asserant, tempore instantis præcepti affirmativi imputari ad culpam non solùm dedisse causam omissioni, sed etiam omissionem ipsam, quando tunc homo adhuc potest implere præceptum & omissionem vitare: idque facilè patet ex eo, quòd in tali casu nihil desit hujusmodi omissioni, ut sit verè peccatum. Sed quoniam omissio potest accidere illo tempore, quo non est amplius in potestate hominis ponere actum præceptum, sicque impedire omissionem, oritur difficultas, quo tempore in simili casu omissio imputetur ad culpam: an nempe, quando liberè posita est causa illius? an, quando de facto non ponitur actus externus, qui est præceptus? Dixi, *actus externus*: quia non procedit quæstio de voluntate interna omittendi; sed de omissione externa. Status quæstionis claritatis causâ proponitur in exemplo. Cajus die festo probè gnarus se teneri audire missam liberè somno se tradit, unaque prævidet, per somnum ligato usu rationis sibi oblatum iri potentiam moralem satisfaciendi præcepto. Dormit nihilominùs in utramque aurem etiam totâ illâ horâ, v. g. decimâ, qua sola adhuc restat copia audiendi Sacrum. Quæritur modò, an Cajo omissio Sacri ad culpam imputetur, ita ut peccet peccatô omissionis, quando liberè dat causam omissionis eundô dormitum? vel tempore, quo actualiter dormit, quamvis tunc nequeat audire Missam? Primum asserunt Vasquez, Alvarez, Granadus & alii apud Godoyum disp. 24. n. 2. Secundum tenent Sotus, Cajetanus, Medina, Curiel, Valentia, Suarez, Serra, Gonet, quos refert & sequitur Reding, q. 11. a. 1. contr. 3. n. 2.

21 Dico primo. Quando liberè ponitur causa omissionis, peccatur peccatô omissionis inchoativè. Ita Godoyus n. 3. Ratiô est: quia tunc peccatur peccatô omissionis inchoativè, quando liberè ponitur id, quod initiat peccatum omissionis formaliter tale: sed quando liberè ponitur causa omissionis culpabilis, liberè ponitur id, quod initiat omissionem tam externam quàm internam; ex quibus coalescit unum peccatum omissionis formaliter tale; ergo tunc peccatur peccatô omissionis inchoativè, quando liberè ponitur causa omissionis culpabilis.

22 Dico secundo. Etiam illo tempore peccatur peccatô omissionis, quo fit omissio operis præcepti, licèt omittens tunc nequeat implere præceptum, v. g. ratione somni vel ebrietatis. Ita Authores secundo loco relati, & alii post D. Thomam. 1. 2. q. 76. a. 2. ad 3. & in 2. 2. q. 79. a. 3.

Probatur hac ratione. Ut aliquid sit verè peccatum & imputetur ad culpam, sufficit esse voluntarium in causa: sed externa omissio, de qua loquimur, est voluntaria in causa etiam illo tempore, quo non amplius vitari potest; ergo tunc verè est peccatum & imputatur ad culpam. mi. est certa: quia supponimus, omittentem, quando somno v. g. se tradidit prævidisse ex illo probabiliter secuturam omissionem Sacri; adeòque voluisse somnum saltem interpretativè, prout est causa omissionis. maj. constat in exemplis: sic enim homicidium in ebrietate prævisum; pollutio in somno eveniens ex lascivis cogitationibus præcedentibus sunt verè peccata, quamvis sint voluntaria in causa solùm.

Confirmatur. Certum est, Cajum in casu priùs formato peccare peccato externo omissionis: ergo vel peccat peccato formali & completo omissionis, quando causam ponit, & liberè somno se tradit; vel illo tempore, quo actu dormiens Sacrum non audit. Conseq. constat. Ant. inde habetur; quòd Cajus peccet contra præceptum affirmativum audiendi Sacrum, & teneatur in foro pœnitentiæ se accusare non tantùm de voluntate omittendi, vel causa omittendi liberè posita, sed etiam de ipsa omissione. Atqui non peccat peccato formali & completo omissionis, quando liberè ponit causam omissionis, sed peccat peccato omissionis inchoativè; ut diximus in priori concl. immò tunc peccat potiùs peccato commissionis contra præceptum negativum virtualiter inclusum in præcepto affirmativo audiendi Missam; ut patet ex dictis in præced. §. n. 17. ergo superest, ut peccet peccato formali & completo omissionis illo tempore, quo actu dormiens non audit Missam.

23 Objicies primo. Omne peccatum actuale debet esse actu liberum: sed omissio Sacri in somno accidens non est actu libera; ergo

ergo non est actuale peccatum. maj. videtur certa: quia omne peccatum eatenùs peccatum est, quatenùs est voluntarium & liberum: consequenter non potest esse peccatum actuale sine libertate actuali. mi. prob. tum, quia ad liberum actuale exigitur, ut sit actu in potestate hominis: sed omissio memorata non est actu in potestate hominis. Tum, quia absque actuali judicio indifferenti non datur actuale liberum: sed in somno non est ejusmodi judicium. Tum, quia illa omissio solùm esset actualiter libera per extrinsecam denominationem ab actu voluntatis intrinsecè libero: atqui in somno non datur actus voluntatis intrinsecè liber; ergo &c.

Respondeo dist. maj. omne peccatum actuale debet esse actu liberum libertate in se, vel in causa, conc. libertate in se, neg. maj. sed omissio Sacri in somno accidens non est actu libera, libertate in se, conc. libertate in causa, neg. mi. & conseq. Ex quo patet ad probat. maj. Ad primam probat. mi. dico, ad liberum quidem actuale libertate in se exigi, ut sit actu in potestate hominis, non tamen ad liberum in causa: ad hoc enim sufficere, quòd fuerit in potestate hominis ponere vel non ponere causam. Ad secundam dico similiter, absque actuali judicio indifferenti non dari actuale liberum in se, dari tamen sine illo actuale liberum in causa, & per extrinsecam denominationem ab ipsa: ad hanc quippe libertatem sufficere, quòd actuale judicium indifferens præcesserit liberam voluntatem ac positionem causæ. Ad tertiam probat. conc. maj. dist. mi. in somno nullus datur formaliter actus voluntatis intrinsecè liber, conc. nullus datur virtualiter, nempe in aliquo suo effectu, neg. existit enim virtualiter libera volitio ipsius somni tanquam causæ omissionis, quia comparatur ad illam tanquam effectus relictus.

Sed instas hæc contra. Qui non habet potentiam implendi præceptum, illi non est liberum implere præceptum, nec peccat id non implendo; cùm ad impossibile nemo teneatur: sed in somno vel ebrietate nullus habet potentiam implendi præceptum; ergo tunc non est liberum implere præceptum, nec quisquam peccat id non implendo.

Respondeo dist. maj. illi non est liberum implere præceptum, nisi per ipsum steterit, quòd nunc non habeat potentiam illud implendi, conc. si hoc per ipsum steterit, neg. maj. sed in somno nullus habet potentiam implendi præceptum, ita tamen, ut per non habentem steterit, quòd non habeat, conc. ut non steterit per ipsum, neg. mi. & conseq. nam *etiam te lex obligat* (dicitur apud Paulum Mezger) *cùm non potes, si per te stetit, quòd non potes.* Atqui in casu nostro per dormientem vel ebrium stetit, quòd nunc non habeat potentiam implendi præceptum; cùm sciens & volens in ejusmodi statum se conjecerit, in quo prævidit, opus debitum sibi fore impossibile.

Objicies secundo. Vota in ebrietate e- 24
missa non valent; uti nec formæ Sacramentorum tempore somni vel ebrietatis pronuntiatæ, licèt quis prævideat, se in ebrietate vota editurum; vel priùs habeat intentionem formas Sacramentorum proferendi etiam supra debitam materiam, & faciendi, quod facit Ecclesia. Ergo etiam omissio præcepti facta tempore somni vol ebrietatis non valet ad peccatum, nec imputari potest ad illud.

Respondeo neg. parit. quia inprimis ad valorem voti, ut aliunde suppono, exigitur formalis & directa voluntas se obligandi; qualis non adest, dum ejusmodi verba votum sonantia à dormiente vel ebrio materialiter solùm proferuntur. Ad peccatum autem sufficit voluntarium indirectum, virtuale, & in causa. Deinde ex institutione Christi non constat, ipsum prolationem verborum voluntariam in causa solum elevâsse ad esse Sacramenti: veluti consentiunt omnes Theologi. Demum, quomodo dormiens aut ebrius habet moralem certitudinem debitæ materiæ, qualem Christus requisivit in ministro conficiente Sacramentum? Ex dictis

Colliges primo, illum non peccare 25
peccato omissionis contra præceptum audiendi Missam, qui die Dominico ludo se dat, pergitque ludere toto tempore instantis præcepti absque advertentia futuræ omissionis. Ratio est: quia tunc omissio non est voluntaria. Voluntas enim non fertur in incognitum. Atque hinc ex eodem capite neque contra temperantiam, neque contra præceptum Ecclesiæ peccat, qui citra advertentiam in ebrietatem incidit, & tempore ebrietatis omittit Missam, cujus omissionem non prævidit. Bonac. disp. de pecc. q. 4. pu. 4. n. 6.

Colliges secundo, neque illum pecca- 26
re peccatô externô omissionis, sed internâ solùm voluntate omittendi, qui primam voluntatem omittendi seriò retractavit, & non habet ampliùs in sua potestate omissionem impedire. Reding n. 4. Ratio est: quia per retractionem primæ voluntatis abrumpitur moralis influxus voluntatis in illam omissionem, quæ proinde definit esse voluntaria in causa. Et ideo Clerico, qui ex voluntate non recitandi horas breviarium in mare projecit, posteaque seriò doluit de tali projectione, sequens omissio horarum non imputatur ad peccatum.

Colliges

27 Colliges tertio, quæ de omissione diximus, ob paritatem rationis esse extendenda etiam ad positivos effectus voluntarios in causa. Unde in confessione non tantùm debet exponi causa mala, ex quâ secutus est effectus malus, sed etiam ipse effectus, qui in causa fuit prævisus, vel prævideri debuit. Non igitur satisfacis, si te accusas de solis cogitationibus lascivis, quæ causæ fuerunt impurorum motuum in somno secutorum, sed debes exprimere ipsos quoque motus, in quibus consummatur impuritas in voluntate inchoata, ut habet præter alios Paulus Mezger a. 2. n. 11. Vide, quæ in rem præsentem suprà disp. 1. a. 1. §. 2. diximus

28 Colliges quarto, irregularitatem homicidis voluntariis decretam incurrere eum, qui dormiens aut ebrius suâ culpâ alium opprimit & occidit. Godoyus ubi suprà n. 64. Ratio est: quia sic occidens revera peccat peccato homicidii tam operè externo, quàm interna voluntate. Neque obstat Clement. *Si furiosus, de homicid.* ubi habetur inter alia, dormientem non incurrere irregularitatem; si quem occidat dormiens: nam dicitur, hoc intelligendum esse de eo, qui inculpabiliter incidit in somnum (idem cogita de ebrietate; aliave mentis alienatione) & absque prævisione homicidii futuri. Qui tenent, homicidium in somno, aut ebrietate perpetratum in se ipso non esse peccatum, sed tantùm in causa, hîc dissident, dum alii affirmant ejusmodi homicidam fieri irregularem, alii negant. Priores dicunt; ad incurrendam hanc irregularitatem sufficere homicidium voluntarium in causa; si effectus re ipsa sequatur. Posteriores requirunt insuper culpam in ipso opere exteriori: quæ tùm juxta istam sententiam in hoc tali homicidio non adsit, negant incurri irregularitatem. Vide Godoyum n. 65.

29 Colliges quinto, eum, qui ex proposito occidendi venenum propinavit Clerico, non incurrere excommunicationem Clericidatum, si ante mortem Clerici serio ac vero dolore id factum detestetur. Ita docent Tannerus, Innocentius, Tabiena, quos ex Castropalao idem tenente refert & sequitur Godoyus n. 66. contra Azorium, Vasquez & alios. Ratio redditur ex n. præced. quia licèt hic talis peccaverit dando causam mortis, ob interventum tamen pœnitentiæ non peccat peccato externo occisionis, sive externè inferendo mortem. Atqui excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum exterius. Talis proinde, cùm non sit voluntarius pro Clericida, non incurrit excommunicationem in foro conscientiæ, quamvis in foro externo debeat se gerere ut excommunicatum, sicut etiam ut irregularem.

ARTICULUS IV.

De peccato mortali & veniali.

ALiqua peccata esse mortalia, aliqua venialia, fide Catholicâ sanctum est; tum, quia dantur peccata cum gratia justificante compossibilia, de quibus intelligitur illud Proverb. 24. *Septies in die cadit justus.* quæ non possunt esse nisi venialia. Tum, quia dantur peccata reatum pœnæ æternæ inducentia juxta illud Christi apud Matth. cap. 5. *Qui autem dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hæc autem peccata esse mortalia nullus ignorat, qui rectè sapit. Supposito proinde, quòd existat hoc duplex genus peccati, aliquas de utroque quæstiones in præsenti resolvemus. Quare sit,

§. 1.

Quid sit peccatum mortale, quid veniale? & in quibus differant?

SUMMARIUM.

1. Unde peccatum mortale appelletur mortale. 2. Peccatum mortale aliud ex genere suo, aliud ex accidente. 3. Cur peccatum aliquod dicatur veniale. 4. Divisiones peccati venialis. 5. 6. Asseruntur & declarantur variæ differentiæ peccati venialis à mortali. 7. Quænam sit differentia primaria. 8. 9. 10. Corollaria dictorum. 11. Unde colligi possit, an peccatum aliquod sit mortale, vel veniale. 12. Addimentum de peccatis mortalibus ex genere suo.

1 PEccatum mortale est ac dicitur, quòd ob suam gravitatem dissolvit gratiam & amicitiam cum Deo, peccatoremque æternæ pœnæ reum constituit. Ex quo patet, cur appellétur *mortale*: sic enim dicitur, quia ex anima tollit radicem vitæ supernaturalis, scilicet gratiam sanctificantem, eidemque mortem spiritualem infert, juxta illud, quod ait Sapiens cap. 16. *Homo per malitiam occidit animam.* Et Apostol. ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Et rursus ad Roman. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.*

2 Duplex autem est peccatum mortale. Nam aliud dicitur mortale ex genere suo; aliud ex accidente. Mortale ex genere sive objecto suo est,

est, quod ex specifica sua ratione, quam haurit ex objecto sive materia propria, seclusâ alterius speciei malitia, Deum directè lædit; vel proximo; vel ipsi operanti gra- grave incommodum affert: ut blasphemia, furtum, ebrietas. Mortale ex accidente dicitur ille actus, qui ex objecto venialis aut indifferens contrahit per accidens malitiam mortalem, v. g. ratione contemptus, vel periculi incidendi in peccatum mortale; velut inferiùs explicabimus.

3 Veniale peccatum est, quod ob suam levitatem non tollit gratiam & amicitiam cum Deo; quamvis minuat fervorem charitatis, & peccatorem constituat dignum pœna temporali. Atque hinc dicitur *veniale*, quia salvo principio vitæ spiritualis, quod est gratia, languorem & infirmitatem affert animæ facilè curabilem, ideoque veniam facilè consequitur. Laym. tr. 3. c. 5. n. 1. & alii. De his peccatis accipitur illud Proverb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum: purus sum à peccato?* & illud Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.*

4 Peccatum veniale triplex est, nempe veniale ex genere suo: veniale ex parvitate seu levitate materiæ: veniale ex imperfectione actûs. Primum est, quod absolutè spectatum ex objecto seu materia, circa quam versatur, non habet eam malitiam, ut vel Deum directè lædat, vel proximo, aut ipsi operanti grave incommodum afferat. Talia sunt v. g. cogitatio vana, verbum otiosum, mendacium jocosum. Alterum, quod ex genere suo mortale est, ideo veniale reputatur, quia non est credibile, illum graviter peccare, qui in re levi regulas morum transgreditur, v. g. furando decem asses, edendo buccellam panis in die jejunii &c. Tertium est, quod similiter ex genere suo mortale ita committitur, ut ob defectum plenæ deliberationis & advertentiæ gravitas ejus non sufficienter apprehendatur: veluti contingit, dum quis proximo in materia gravi detrahit, id tamen non plenè advertit: vel dum alterum ex subita ira percutit &c.

5 Cæterùm inter peccatum mortale & veniale plures versantur differentiæ, quæ ferè ex dictis deducuntur. Prima est, quòd mortale destruat charitatem & gratiam; non autem veniale. Secunda, quòd per mortale homo simpliciter avertatur à Deo, & rationem finis ultimi constituat in creatura; secus per veniale. Tertia, quòd mortale inferat animæ mortem spiritualem, non tamen veniale. Quarta, quòd inordinatio inducta per peccatum mortale sit ab intrinseco irreparabilis, utpote tollens radicem & principium veniæ: talis autem non sit inordinatio peccati venialis. Quinta, quòd peccatum mortale fundet reatum pœnæ æternæ; veniale autem reatum pœnæ temporalis. Sexta, quòd mortale sit simpliciter contra legem, & veniale secundùm quid.

6 De hac differentia notandum est ex Salmanticensibus, & Paulo Mezger, esse simpliciter contra legem dupliciter posse intelligi: primo ex parte ipsius legis, quando videlicet observantia legis est necessaria ad consequendum finem ultimum. Secundo ex parte actûs, si nempe actus importet efficacem repugnantiam cum lege, & omnes conditiones actus perfectè humani. Peccatum mortale esse utroque modo contra legem simpliciter, patet: non enim tantùm est tendentia efficax & deliberata in objectum dissonum legi & rationi, sed etiam lex, cui adversatur, est necessaria ad consecutionem finis ultimi. Peccatum veniale ex parvitate materiæ vel levitate objecti non est simpliciter contra legem ex parte legis. Veniale ex imperfectione deliberationis non est simpliciter contra legem ex parte actûs. Solum proinde peccatum mortale est simpliciter contra legem sumendo ly *simpliciter* utroque modo: veniale verò, cùm in quolibet ejus genere alteruter modus deficiat, comparatè ad mortale est contra legem secundùm quid.

7 Hoc animadverso, dum quæritur, quænam ex differentiis inter peccatum mortale & veniale n. 5. statutis sit primaria & præcipua? respondeo, probabiliùs esse postremam sive sextam. Cumque ab hac non sit diversa secundo ibi loco adducta, quidquid de una, etiam de altera tenendum est. Tuentur hanc sententiam Salmanticenses tr. 13. de pecc. disp. 19. dub. 1. n. 13. Medina, Alvarez & alii ab ipsis citati. Illam probo jam ratione eorundem. Quia illa differentia est prima & principalior, per quam immediatiùs dividitur genus, & quæ magis se habet per se ad rationem superiorem, quæ dividitur: sed per differentiam prædictam immediatius dividitur genus, quod est peccatum ut sic, & nihil ipsâ magis se habet per se ad rationem superiorem hujus divisi; ergo est differentia prima & principalior. maj. constat ex Logica. mi. prob. nam peccatum secundum rationem communem ad mortale & veniale definitur per contrarietatem ad legem, ut patet ex a. 1. n. 2. Hoc autem, quod est esse contra legem, immediatè dividitur per talem vel talem modum contrarietatis ad legem, nempe per esse contra legem simpliciter vel secundùm quid: sicut ad cõmunem rationem animalis, secundùm

quam

quam definitur *vivens sensitivum*, nulla differentia se habet magìs per se, aut illam dividit immediatiùs, quàm talis vel talis ratio seu modus sentiendi; ergo, &c.

Confirmatur. Peccatum ex sua communi ratione per se primo habet esse contra legem: ergo peccatum, quod est tale simpliciter, scilicet mortale, per se primo est contra legem simpliciter, & peccatum, quod est tale secundùm quid, sicut est veniale, est per se primo contra legem secundùm quid. Consèq. prob. quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & secundùm quid ad secundùm quid; ut loquitur communis regula, quam Salmanticenses dicunt esse universaliter veram in iis, quæ sunt per se, licèt fallat multoties in iis, quæ sunt per accidens. Ex hactenus dictis.

8 Colligitur primò, peccata venialia ex suo genere talia specici differre à peccato mortali; non tamen venialia ex parvitate materiæ, vel imperfectione deliberationis. Bonac. q. 3. pu. 4. n. 2. Paulus Mezger disp. 25. a. 1. n. 3. & alii communiter. Ratio primi est: quia peccati venialis ex genere, v. g. verbi otiosi, materia & objectum non est ex se objectivè grave vel mortale: adeoque non pertinet ad eandem speciem, in qua est peccatum mortale. Ratio, secundi est ab oppositò: quia illa peccata venialia habent idem objectum objectivè grave, quod habet mortale. Et ideò furtum rei levis est æquè peccatum injustitiæ ac furtum rei gravis. Similiter concupiscentia semideliberata est æquè peccatum luxuriæ ac plenè deliberata. Quod si tamen attendatur habitudo operantis ad finem ultimum, quodlibet peccatum veniale essentialiter diversum est à mortali quocunque. Nam mortale avertit hominem ab ultimo fine & infinito bono: veniale verò peccatum continet deordinationem circa ea, quæ sunt ad illum finem: ex quo capite peccatum mortale & veniale quasi infinitè distant, ut habet D. Thomas 1. 2. q. 72. a. 5. ad 1. & q. 87. a. 5. ad 1.

9 Colligitur secundò, peccatum mortale & veniale non differre in eo, quòd veniale sit contra consilium, mortale contra præceptum, ut aliqui docuerunt. Bonac. pu. 2. n. 2. Filliuc. tr. 21. c. 6. n. 244. Ratio est: tum, quòd etiam veniale sit contra præceptum, nec possit intelligi sine hac tali contrarietate esse peccatum. Tum, quòd alioquin sequeretur, eos peccare, qui non amplectuntur illa, quæ sunt de consilio, ac proinde nulli esse licitum, v. g. usum matrimonii, cùm hic repugnet consilio virginitatis.

10 Colligitur tertio, neque illorum sententiam simpliciter & absolutè veram esse, qui asserunt, in eo differre peccatum mortale & veniale, quòd illud sit contra, hoc præter legem. Filliuc. loco cit. Bonac. n. 3. Laym. ubi suprà n. 2. Ratio est: tum, quòd omnis actus moraliter malus repugnet rectæ rationi, sitque adeo contra legem Dei saltem æternam: sed peccatum veniale est actus moraliter malus. Tum, quòd furripiendo, v. g. tres crucigeros quis peccet contra septimum præceptum Decalogi peccato veniali, non mortali: consequenter peccatum veniale est contrà præceptum. Accedit, quod peccatum veniale participet communem definitionem peccati ex S. Augustino traditam superiùs art. 1. n. 2. in qua repugnantia cum lege æterna tanquam formale definiti clarè exprimitur. Illud tamen cum Salmanticensibus ubi suprà n. 10. Bonac. Laym. locis citt. & aliis Doctoribus concedo, peccatum veniale esse præter legem, quatenùs non est contra finem legis, scilicet charitatem & amicitiam cum Deo. Imò dici potest, peccatum veniale non esse contra legem per hanc intelligendo legem Dei præcipuam, cujus observantia ad salutem sit simpliciter necessaria.

11 De cætero, an peccatum aliquod sit mortale, vel veniale, possumus cognoscere primo ex modo loquendi S. Scripturæ. Nam quæ in S. Scriptura abominabilia, exécranda, Deo exosa, digna morte, causámve mortis aut mortem afferre, vel à regno cœlorum excludere dicuntur; item quibus pœna æterna, vel saltem mors temporalis intentatur; vel additur particula comminatoria *væ*, ea certò mortalia sunt.

Secundo, ex traditione Ecclesiæ & communi Doctorum consensu. Cùm enim Ecclesiæ, ejusque Doctoribus in hac re credendum sit, utique sequitur, illa habenda esse pro peccatis mortalibus aut venialibus, quæ ex traditione Ecclesiæ & communi Doctorum judicio censentur esse mortalia vel venialia.

Tertio, ex qualitate materiæ. Nam si materia est necessaria ad conservandam charitatem Dei & proximi, peccatum, quod circa illam versatur, erit mortale, si non est necessaria, erit veniale. Item, si materia est gravis, præceptum obligat graviter, sive sub mortali, nisi aliud constet de intentione legislatoris; si est levis, obligat leviter; veluti videbimus in tr. de legibus.

Quarto, ex qualitate deliberationis (posita nempe obligatione legis & gravitate materiæ) considerando & examinando, an perfecta sit, sive cum pleno usu rationis; an imperfecta & absque pleno usu rationis; qualis esse solet in semi-ebriis, aut semidormientibus. Si priori modo se habeat deliberatio, peccatum est mortale; si posteriori

steriori, est veniale. Videantur Sayrus in clavi. lib. 2. cap. 14. à n. 27. Filliuc. tr. 21. c. 6. à n. 246. Bonac. disp. 2. q. 3. pu. 3. n. 5. & alii.

12 Addendum est denique, peccata, quæ contra virtutes Theologicas; item, quæ contra justitiam, vel religionem, vel temperantiam, præcipuè in re venerea, committuntur, esse mortalia ex suo genere: quæ verò contra bonum proprium committuntur, esse ut plurimùm venialia. Talia sunt v. g. inutilis & vana concupiscentia, vana oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas cultûs & vestitûs, immoderatus risus, consumptio temporis, impatiens responsio &c. Azor. to. 1. lib. 4. c. 9. q. 8. Filliuc. n. 249. Sporer tr. 1. proœm. c. 5. sect. 1. n. 7.

§. II.

Utrùm peccatum mortale possit fieri veniale?

SUMMARIUM.

13. Quænam requirantur ad peccatum mortale. 14. 15. 16. Corollaria ex dictis. 17. Unde quis possit colligere, an, & qualiter tentationi consenserit. 18. Non in omnibus peccatis datur parvitas materiæ. 19. 20. 21. 22. 23. In quibus peccatis detur, aut non detur parvitas materiæ. 24. Unde colligi debeat, materiam esse gravem, vel levem. 25. 26. 27. 28. Illationes ex dictis. 29. Peccatum mortale fit veniale ob imperfectionem actus. 30. Et parvitatem materiæ. 31. 32. 33. Corollaria ex dictis.

13 NOtandum est primo, ad peccatum mortale tria requiri. Primum ex parte intellectus est plena advertentia malitiæ & perfecta deliberatio. Ratio hujus requisiti est, tum, quia non videtur cadere in Divinam bonitatem æternis suppliciis addicere hominem, qui non plenè advertit malitiam peccati: tum, quia, si quælibet advertentia etiam imperfecta & deliberatio semiplena sufficeret ad mortale peccatum, nimis ardua, nimisque difficilis redderetur via salutis contra illud Christi, *jugum meum suave est, & onus meum leve.* apud Matth. cap. 11. Alterum requisitum est ex parte voluntatis perfectus consensus. Nam similiter non est credibile, optimum Deum homini adeo graviter ad culpam imputare malum actum, in quem cum libertate imperfecta tantùm & non plenè expedita consentit, ut eum propterea æterna damnatione dignum agnoscat. Tertium requisitum est gravitas materiæ, saltem ut plurimùm. Quia, ubi materia est levis momenti, culpa non nisi levis ac modica reputatur ut plurimùm. Quando verò & quænam materia sit levis aut gravis, postea declarabimus. Interim

Ex dictis colliges primo, non peccare 14
illum, qui dic ab Ecclesia prohibito etiam deliberatè vescitur carnibus, si de prohibitione Ecclesiæ nihil cogitet. Bonac. de pecc. disp. 2. q. 2. pu. 3. n. 3. Laym. lib. 1. tr. 3. c. 50 n. 13. Ratio est: quia ad peccatum non sufficit advertentia ad solum actum, sed requiritur etiam advertentia malitiæ. Nam eatenus quis peccat formaliter, quatenus amplectitur deliberatè peccatum quà tale: hoc autem non facit, qui ad malitiam actûs non advertit; sicut in casu nostro non advertit, qui nihil cogitat de prohibitione Ecclesiæ; cùm voluntas non feratur in incognitum.

Colliges secundo, quando aliquis actus 15
duas malitias continet, operansque unam tantùm advertit, cum non duo, sed unum peccatum committere. Sic tempore jejunii comedens cum excessu & periculo sanitatis, idque advertens, sed nesciens esse diem jejunii, peccat solùm contra temperantiam, & non contra præceptum jejunii. Similiter socium percutiens, quem ignorat inculpabiliter esse Clericum, cùm re ipsa sit Clericus, peccat quidem peccato injustitiæ, non tamen peccato sacrilegii. Ratio horum est: quia, cùm nihil volitum, nisi cognitum, homo non consentit in actum prohibitum, nisi secundùm malitiam cognitam. Bonac. n. 9.

Colliges tertiò, non peccare mortaliter 16
eos, qui non plenè excitati è somno pollutionem patiuntur, inque ea tunc delectantur. Ita ex Cajetano & Amico Reding to. 2. q. 10. a. 2. contr. 3. n. 8. Ratio est: quia hi tales nondum plenè sui compotes imperfectum tantùm præbent consensum in pollutionem.

Cæterùm qui dubitat, an tentationi 17
cuipiam vel peccato perfectè vel imperfectè consenserit, is conscientiæ suæ ex sequentibus conjecturis, non quidem certis, sed probabilibus, poterit consulere. Prima conjectura est. Qui nondum attigit annum ætatis septimum, ac dubitat, an habuerit plenam libertatem, præsumere potest, quòd non habuerit, & consequenter non plenè seu perfectè consenserit. Quod idem præsumere illi licet, qui dubitat, an fuerit è somno perfectè excitatus, aut ebrietatem dissuserit. Castropalao tract. 2. disp. 2. pu. 6. n. 5. ex Thoma Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 1. n. ult. Secunda est. Qui animum obfirmavit efficaci ac sæpius iterato proposito nunquam peccandi mortaliter, judicare potest, se non plenè consensisse. Quæ enim valdè & sæpe detestati fuimus, ea facilè cum certitudine cognoscimus, quando voluntate perfectè deliberata amplectimur. Castropalao loco cit. Reding n. 9. Sporer tr. 1. proœm. c. 5. sect. 2. n. 12. Tertia est. Qui 01

facilè

facilè execui potuit peccatum, & tamen non fuit executus, idque, dum sui compos est, pro viribus abominatur, prudenter creditur, quòd non plenè consenserit. Ita præter citt. Bonac. n. 19. Filliuc. tr. 21. c. 6. n. 251. Ratio est: quia, si voluntas exequendi fuisset plenè deliberata, non fuisset facilè mutata. Quarta est. Quando dubitans de perfecto consensu est homo timoratæ conscientiæ, & à peccato valde abhorret, ita ut communiter dissentiat, non plenè consensisse putandus est. Nam ex communiter contingentibus sumitur fortissima præsumptio & probabilitas. Deinde, qui à malo quopiam valde abhorret, non facilè obliviscitur, quando in illud incidit, ait Bonac. loco cit. Atque hinc aliud sentiendum est de homine, qui tentationibus frequenter solet succumbere, suæque salutis modicam curam gerit: nam talis in dubio potiùs perfectè consensisse existimandus est. Castropal. Bonac. Reding, Sporer locis citt. Sayrus in clavi regia. lib. 8. cap. 7. n. 6. His adde ex Filliuc. loc. cit. signum imperfecti consensus esse, si motum pravum, postquam animus advertit, cum rectæ rationi adversari, voluntas statim repellat: solùm porrò perseverantiam delectationis non esse signum sufficiens consensûs; quia appetitus rebellis est, & non statim obediat rationi. Sed jam ulteriùs.

18 Notandum est secundo, non in omnibus peccatis dari parvitatem materiæ; nôsse autem, in quibus detur aut non detur, rem esse magni momenti. Et quamvis Castropalao disp. cit. pu. 7. n. 2. existimet, in statuendo, ubi detur, vel non detur parvitas seu levitas materiæ, unicè attendendum esse ad communem sensum Ecclesiæ & fidelium, alii tamen Theologi alias regulas solent præscribere. Juvat audire illam, quam ex Suarez, Thoma Sanchez, & Haunoldo congerit Illsung tr. 2. disp. 2. a. 2. n. 9. in hunc sensum: In illis peccatis non habet locum parvitas materiæ, per quæ immediatè ac directè imputatur Deo imperfectio, aut defectus perfectionis; vel quorum materia, nisi in omni casu esset gravis, genus humanum ad peccandum maximè alliceret cum maximo damno ejusdem; vel quorum malitia in quacunque materia æqualiter præjudicat fini à lege sub gravi culpa intento. Hanc regulam universalem, quam judico sufficientem, aut breviter declarem exemplis, ex illa

19 Infero primo, in peccatis infidelitatis, desperationis, odii Dei, formalis contemptûs Dei, periurii assertorii, blasphemiæ, simoniæ naturalis non dari parvitatem materiæ. Bonac. disp. cit. q. 3. pu. 3. n. 11. Castropal. pu. 7. n. 2. Sporer loco cit. à n. 15. Ratio est: quia per quodlibet horum peccatorum in actu exercito Deo tribuitur vel carentia alicujus perfectionis, vel positiva imperfectio. Nam si negas vel minimam veritatem divinitus revelatam, Deo directè tribuis defectum veracitatis infinitæ. Si desperas, Deo tribuis defectum infinitæ bonitatis & potentiæ. Si Deum odisti, Deo tribuis defectum infinitæ amabilitatis. Si Deum contemnis formali contemptu, Deo tribuis aliquam vilitatem, ratione cujus mereatur contemni. Si pejeras perjuriô assertorio, Deo tribuis fallacitatem testimonii. Si blásphemas, Deo tribuis vituperabilitatem aliquam. Si committis simoniam, Divinæ dignitati & excellentiæ à Deo ultimo fine in rem sacram transfusæ tribuis æstimabilitatem & commutabilitatem pro pretio per contractum, qui intendit æqualitatem inter datum & acceptum.

Infero secundo, dari parvitatem materiæ in violatione juramenti promissorii, & voti, & in sacrilegio. Sporer n. 23. & 24. Illsung n. 10. Ratio est: quia, licèt per hæc peccata irrogetur Deo specialis irreverentia, nulla tamen tribuitur imperfectio, vel carentia perfectionis, sed tantùm non præstat homo, ad quæ præstanda ipsum Divina perfectio commovere debuerat, nempe ad exequendum opus juramento aut voto promissum; vel ad debitum cultum & reverentiam rei sacræ, vel loco sacro exhibendum. 20

Infero tertio, in peccato luxuriæ non dari parvitatem materiæ; adeòque omnem etiam minimam in hac materia delectationem, plenè deliberatè quæsitam vel acceptatam, esse peccatum mortale. Ita communissimè Theologi. Ratio ex regula statuta est: quia materia hujus peccati, nisi in omni casu esset gravis, genus humanum ad peccandum maximè alliceret, idque propter maximam proclivitatem appetitus sensitivi in hujus generis delectationes, & propter ipsam naturam venereæ delectationis, quæ tantam cum sensu habet sympathiam, ut summum sit semper periculum, ne homo vel minimâ admissâ progrediatur ad majorem. Certè nemo hîc metam, quam non transiliat, sibi potest prosigere sine evidenti temeritate & periculo. Sententiam contrariam, teste Illsung, usque adeò prohibuit Claudius Aquaviva Præpositus Generalis V., ut nullus è Societate etiam ut tolerabilem, multo minùs ut probabilem, tradere, aut aliis consulere, vel sibi quoquo modo placere significare possit. 21

Infero quarto, in violatione jejunii naturalis ante sumptionem S. Eucharistiæ similiter non dari parvitatem materiæ. Sporer n. 16. Illsung n. 12. & alii. Ratio est: quia violatio hujus jejunii in quacunque materia 22

materia æqualiter opponitur fini legis, qua tunc graviter prohibetur quæcunque comestio & potatio. Finis enim legis est, *ne cæleſti & ſpirituali cibo terreſtris præponatur*, quemadmodum loquitur concilium Matisconense II. can. 6. sive autem multum, sive parum comedas, aut bibas ante Communionem, jam cibum terrestrem cæleſti & ſpirituali præponis, quod est æqualiter in qualibet materia violare memoratam legem, qua jejunii naturalis observatio tùm graviter præcepta est.

23 Infero quinto, dari parvitatem materiæ in peccatis contra justitiam. Ita recepta ab omnibus & certa sententia. Patet hæc illatio vel maximè in furtis: cum nemo existimet, eum, qui homini locupleti aufert unum aut alterum denarium, auferre materiam gravem, & ad peccatum mortale sufficientem. Ratio ex nostra regula petitur ab oppoſito: quippe quæ neque tota, neque ſecundùm aliquod sui membrum applicari potest omni peccato injustitiæ; quemadmodum consideranti patebit. Et hæc quidem de his.

24 Sed alia nunc loci hujus quæstio occurrit, unde videlicet colligi debeat, quænam materia sit gravis vel levis? Respondeo id esse colligendum ex ſpeciali fine Legislatoris immediatè intento, ita, ut, si materia præcepti graviter conducat ad finem intentum, ejus transgressio sit peccatum grave, licèt eadem materia in esse physico & ſecundùm ſe ſpectata sit levis; si leviter conducat ad finem
25 intentum, transgressio præcepti sit peccatum leve seu veniale, licèt materia ſecundùm ſe sit gravis. Ita Suarez, Vasquez, Thomas, Sanchez, quos refert & ſequitur Castropalao ubi suprà n. 4. deinde Laym. lib. 1. tr. 4. c. 14. n. 3. Salmanticenses tract. 11. qui est de Legibus, cap. 2. pu. 2. n. 24. Reding de pecc q. 10. contr. 3. n. 5. Sporer n. 27. & alii. Ut hæc doctrina illuſtretur exemplis,

25 Infero primo, protoparentes nostros mortaliter peccâſſe comedendo de pomo vetito. Ratio est; quia, licèt unicum pomum sit absolutè res levis, nec peccaret graviter contra præceptum Ecclesiæ, qui comederet in die jejunii extra statuta tempora; fuit tamen materia gravis in ordine ad finem à Deo prohibente tunc intentum, qui erat protestatio ſubjectionis ipſi debitæ in illo ſtatu maximè neceſſaria.

26 Infero ſecundo, licèt aqua in Sacrificio Miſſæ calici infundenda ſit modiciſſima, Sacerdotes nihilominùs ſub mortali obligari, ut illam infundant. Ratio est; quia in ordine
27 ad myſticam ſignificationem, quæ per hanc infuſionem in tremendo Sacrificio ab Eccleſia intenditur, est gravis materia.

27 Infero tertio, Superiorem Religioſum poſſe graviter prohibere ſubditis, ne quis eorum ingrediatur domum alicujus ſæcularis, vel cubiculum aliorum Confratum. Ratio est: quia non ingredi (licèt ingredi de ſe ſit res levis) valde potest conducere tùm ad vitandum ſcandalum aut periculum peccandi, tùm ad conſervandam obſervantiam regularem & communem diſciplinam Religionis, quam Superior Religioſus in ſuis præceptis intendit.

28 Infero quarto, fieri poſſe, ut eadem materia reſpectu unius legis ſit gravis, reſpectu alterius ſit levis. Ratio est; quia eadem materia ad finem hujus Legislatoris multùm, ad finem alterius parùm conducit. Exemplum habes in pomo, quod dedimus n. 25. Vide, ſi placet Authores in n. 24. relatos, quorum aliqui, ac præſertim Caſtropalao, duo monent hîc eſſe obſervanda. Primum, an res præcepta multùm vel parùm conducat ad finem Legislatoris, colligendum eſſe ex circumſtantiis; nullam enim hîc aliam poſſe præſcribi certiorem regulam. Secundum, in dubio, an materia multùm ſive graviter conducat ad finem intentum, finisque ipſe ſit gravis? præſumi debere, multum conducere, finemque eſſe gravem. Nam præſumptionem ſtare pro communiter contingentibus: non autem imponi præceptum, niſi raro fortaſſis, ob finem non gravem, deque materia non graviter neceſſaria. His jam explicatis,

29 Dico primo. Peccatum ex genere ſuo mortale ſæpe fit veniale ob imperfectionem actûs, ſive deliberationis & conſenſûs. Ita communis ſententia cum D. Thoma 1. 2. q. 88. a. 6. Ratio ſumitur ex n. 13. quia plena advertentia ſeu deliberatio, & perfectus conſenſus ita neceſſariò requiruntur ad peccatum mortale, ut, ſive utrumque, ſive alterutrum deſit, non maneat mortale; & conſequenter efficiatur veniale: niſi forte teneas, nullum dari poſſe peccatum veniale ex imperfectione actûs, ſed vel nullum eſſe, vel mortale, velut inſinuat apud Caſtropal. pu 6. n. 2. Joan. Sanchez in diſp. ſelect. diſp. 18. quod tamen certæ omnium aliorum ſententiæ adverſatur.

30 Dico ſecundo. Peccatum ex genere ſuo mortale redditur etiam veniale ob parvitatem materiæ. Ita rurſus communiter Doctores. Ratio hæc eſto; quia circa materiam levem non potest dari obligatio gravis: ergo, ubi materia est levis, non potest eſſe peccatum niſi ſolùm veniale (loquor autem de materia levi ſeu parva non præciſè physicè, ſed moraliter, juxta dicta n. 24. & ſeqq.) Conſeq. pa- 31
tet. Ant. prob. ut circa materiam aliquam detur obligatio gravis, finis hanc imponentis debet eſſe grave bonum: ſed circa materiam levem finis ab imponente obligationem intentus non potest eſſe grave bonum; quia a-

liàs

liàs ejusmodi materia non esset, imò potiùs esset, & simul non esset levis: ergo circa materiam levem non potest dari obligatio gravis. Aliquis ex his

31 Colligitur primo, mortaliter peccare illum, qui per intervalla Psalmos aliquot ex eodem officio Canonico omittit: qui eodem die jejunii sæpiùs quid modicum comedit: qui eodem die festo sæpiùs per breve tempus laborat. Ratio est: quia plurium ejusmodi transgressionem parvæ materiæ censentur moraliter coalescere in unam gravem materiam.

32 Colliges secundo, non peccare mortaliter illum, qui diversis diebus festivis per breve tempus operi servili insistit: qui in diversis officiis Psalmum recitare negligit: qui in tota Quadragesima quotidie parum quid extra statuta tempora comedit. Ratio est: quia in his casibus parvæ materiæ non coalescunt moraliter in unam gravem, sed manent divisæ. Vid. Sanchez lib. 1. moral. c. 4. Laym. lib. 1 tr. 3. cap. 5. n. 7.

33 Colligitur tertio, si voviſti, singulis diebus Sabbathinis daturum te eleemosynam parvam in honorem v. g. B. Virginis; vel quotidie recitaturum orationem Dominicam, ita ut quodlibet horum operum sit onus affixum dici, eaque finita extinguatur obligatio, nunquam te mortaliter, sed semper venialiter peccaturum, tametsi votum toto anno violes. Vasquez, Sanchez, Suarez, Soto, quos refert & sequitur Laym. cap. cit. n. 8. Ratio est similiter: quia illæ materiæ parvæ, cùm nullam inter se habeant dependentiam, non uniuntur, aut coalescunt in gravem aliquam. Atque hinc contrarium ob contrariam rationem tenendum est cum cod. Laym. quando similia vota non sunt onus affixum dici, diesque solùm præfigitur tanquam terminus, ultra quem executio non differatur; tunc enim peccabis mortaliter, si longo tempore votum violes.

§. III.

An, & quomodo ex peccato veniali possit fieri mortale?

SUMMARIUM.

34. *Status quæstionis exponitur.* 35. *Idem numero actus in genere moris nequit ex veniali fieri mortale peccatum.* 36. *Per nullam sui multiplicationem peccata venialia possunt constituere unum mortale.* 37. *Solvitur objectio de pluribus minutis furtulis.* 38. *Peccatum veniale aliquando directè, aliquando indirectè disponit ad mortale.* 39. *Peccatum ex objecto veniale nunquam fit mortale, nisi accedat aliqua circumstantia mutans speciem.* 40. 41. *& seq. Afferuntur & variis exemplis declarantur modi, quibus per additionem circumstantiæ veniale mutatur in mortale.*

IN hac quæstione quatuor dubia involuntur breviter expedienda. Primum est, an idem numerò actus in genere moris invariatus fieri possit ex veniali mortalis? Dixi *in genere moris invariatus*, quia eundem actum in genere physico invariatum posse ex venialiter malo successivè fieri mortaliter malum, facilè patet: nam idem physicè actus voluntatis à principio venialiter peccaminosus propter imperfectionem deliberationis, accedente postmodùm plena advertentia ac libertate transit in mortaliter peccaminosum. Alterum dubium est, an venialia peccata per sui multiplicationem eò usque ascendere possint, ut denique pertingant ad malitiam & quantitatem peccati mortalis? Tertium est, an peccatum veniale possit esse dispositio ad mortale? Quartum, an ratione circumstantiarum speciem mutantium veniale peccatum fieri possit mortale?

34

Dico primo. Idem numerò actus in esse moris non potest ex peccato veniali fieri peccatum mortale. Paulus Mezger tr. 6. qui est de pecc. disp. 25. a. 2. n. 2. Ratio est: quia hoc ipso, quòd ex peccato veniali fiat mortale, mutatur moralitas actûs: ergo non potest idem numerò actus in esse moris manens idem ex peccato veniali fieri mortali. Conseq. est nota. Ant. prob. quia, quando mutatur voluntarium, mutatur moralitas actûs: nam moralitas essentialiter radicatur in voluntario libero. Sed eo ipso, quòd ex peccato veniali fiat mortale, mutatur voluntarium; ergo eo ipso, quòd ex peccato veniali fiat mortale, mutatur moralitas actûs. mi. prob. quia in actu, dum adhuc erat peccatum veniale, supponitur adfuisse libertas tantùm semiplena; dum autem est postea peccatum mortale, adest plena libertas: sed hoc est mutari voluntarium; ergo &c.

35

Dico secundo. Non possunt peccata venialia, quantumcunque multiplicata, ascendere ad malitiam peccati mortalis. Bonac. de pecc. disp. 2. q. 3. pun. 4. n. 22. Filliuc. tr. 21. cap. 6. n. 253. & relatis aliis Reding q. 10. quæ est de pecc. a. 2. contr. 2. concl. 1. Paulus Mezger loco cit. & alii. Ratio est: quia individua generis & ordinis inferioris, quantumcunque multiplicentur, nunquam pertingunt ad rationem individui, quod est generis & ordinis superioris: veluti patet in exemplis. Sic enim accidentia, quantumcunque multiplicentur, nunquam pertingunt ad lineam substantiæ. Sic entia materialia, quantumcunque multiplicata, nunquam ascendunt ad perfectionem entis alicujus

36

spiritualis. Sic actus naturales, quantumcunque supponantur crescere quoad multitudinem, nunquam æquabunt perfectionem alicujus actus supernaturalis. Atqui peccata venialia sunt generis & ordinis inferioris; ergo, quantumcunque multiplicentur, nunquam pertingunt ad gravitatem peccati mortalis, quod est in genere & ordine superiore.

37 Contra conclusionem modò assertam objici solet ex tr. de jure & just. illud de pluribus minutis furtulis, quæ singula sunt peccata solùm venialia, & nihilominùs ille, qui ea committit, quando denique pervenit ad gravem materiam, peccat etiam mortaliter: adeoque videtur ex pluribus minutis & venialibus peccatis posse denique integrari ac resultare peccatum mortale.

Sed respondendum est, quando per minuta furta pervenitur ad notabilem & gravem materiam, non peccari mortaliter hoc sensu, quasi ex malitiis furtulorum præcedentium venialibus tanquam partibus integrantibus resultet una aliqua malitia mortalis seu furtum mortale; sed quia fur advertens ad gravitatem damni illati in ultimo furto peccat mortaliter. Nam ultimi furti hujus materia, quamvis secundùm se sive seorsim spectata sit res levis, quatenùs tamen accipitur cum connotatione ad materias omnium furtorum præcedentium, cum quibus gravem materiam constituere supponitur, sic est sufficiens ad gravem & mortalem injuriam.

38 Dico tertio. Peccatum veniale potest esse dispositio ad mortale, aliquando directa, aliquando indirecta. D. Thomas 1. 2. q. 88. a. 3. Sayrus in clavi, lib. 2. c. 14. n. 17. Paulus Mezger loco cit. Conclusio habet tres partes. Ratio primæ est: quia peccata venialia minuunt vires hominis justi ad superandas tentationes & difficultates, quæ in observantia præceptorum occurrunt, necessarias; cùm diminuant fervorem charitatis & abundantiam divinorum auxiliorum, &c. Sed hoc est aliquo modo disponere ad peccandum mortaliter; ergo. Ratio secundæ partis est: quia voluntatem per peccatum veniale directè disponi ad peccatum mortale aliud non est, quam eandem per actus imperfectos ob defectum plenæ advertentiæ, vel leviter culpabiles ob levitatem materiæ disponi ad actus perfectos & graviter culpabiles ejusdem generis vel speciei; sed hoc aliquando fit; ergo. Ratio tertiæ partis est: quia peccata ex genere suo venialia nullam dicunt subordinationem aut inclinationem ad peccata mortalia; cùm ab eisdem specie distinguantur: consequenter ad illa disponunt solùm vel minuendò fervorem charitatis; vel generandò habitus vitiosos; vel augendò peccantis affectum erga res creatas, ut denique propter illas præcepta etiam graviora transgredi non vereatur: sed hoc est indirectè disponere ad peccatum mortale; ergo.

39 Dico quarto. Peccatum ex objecto sive genere suo veniale nunquam fit mortale, nisi addatur aliqua circumstantia speciem mutans. Suarez lib. 3. de legib. cap. 20. n. 6. Filliuc. ubi suprà n. 252. Castropal. pu. 9. §. 4. n. 1. Reding. loco cit. Ratio est: quia peccatum veniale ex objecto neque per frequentationem actuum, neque per ullam intensionem gradualem extrahitur extrà lineam levis mali in genere moris: nec aliunde apparet, ex quo capite possit contrahere gravem malitiam, nisi per additionem circumstantiæ speciem mutantis.

40 Quatuor autem modi sunt, quibùs talis aliqua circumstantia veniale peccatum vertit in mortale. Primus est ratione finis, idque dupliciter, scilicet primo, dum quis operatur ex intentione mortaliter mala. Exemplum est in eo, qui ludens cum muliere profert jocosum mendacium, ut eam ad fornicandum provocet. Secundo, si quis affectui ex se venialiter solùm inordinato usque adeo indulgeat, ut sit paratus committere potiùs mortale peccatum, quàm ab ejusmodi affectu desistere. Exemplum in eo, qui die festo mavult non audire Missam, quàm vanam cum amico confabulationem abrumpere. Hîc talis ultimum finem virtualiter saltem aut interpretativè constituit in re venialiter illicita, quæ est summa perversitas. Debet autem, ut peccatum mortale incurratur, ille affectus potiùs peccandi mortaliter esse actualis, & non sufficit merè habitualis; quia non imputatur ad culpam id, ad quod committendum quis habitualiter tantùm paratus est. Bonac. ubi suprà n. 3.

41 Secundus modus est ratione contemptûs. Ubi notandum est, duplicem esse contemptum, nempè alium generalem, quem etiam virtualem, imò & materialem appellant: alium specialem seu formalem. Prior in omni peccato imbibitur, nec habet malitiam distinctam à transgressione legis; quicunque enim agit contra legem, contemnit legem posthabendò ejus observantiam proprio arbitrio ac commodo. Posterior, sive formalis contemptus est, qui procedit ex formali ac directa intentione despiciendi & vilipendendi personam aliquam, ejusve præcepta & consilia. Atque de hoc contemptu hic sermo est, non de priori, per quem peccatum veniale non transire in mortale, sed manere immutatum, planè constat. Transire autem immortale ratione contemptûs formalis, colligitur ex malitia, quam is habet

bet specialem ac specie distinctam à transgressione legis vel præcepti. Nam si contemptus hic versetur circa Deum, ciusque præcepta & consilia, erit peccatum contra religionem: quæ quemadmodum præcipit, ut Deo exhibeatur debitus cultus & honor, ita prohibet, ne contemnatur. Si autem feratur in parentes, erit peccatum contra pietatem ex eadem ratione: quia pietas obligat ad reverendum parentes; sicut etiam consanguineos. Si tendat in legislatorem humanum despiciendô ejus præcepta & consilia, erit peccatum contra observantiam eisdem debitam. Si concipiatur adversus alias personas minorem, quàm merentur, de illis habendo æstimationem, erit peccatum contra justitiam: quia quilibet habet jus ad honorem, reverentiam & æstimationem commensuratam qualitati suæ personæ. Vid. Castropal. pu. cit. §. 2. n. 3. ex hac doctrina.

Sequitur jam primo, quamlibet transgressionem, licèt in se quid minimum videatur; imò licèt ex se nequidem culpa sit, sed solùm omissio consilii, esse mortale peccatum, si procedat ex Dei contemptu. Suarez ubi suprà n. 23. Sayrus cap. cit. n. 15. Bonac. n. 10. Ratio est: quia est summa irreverentia directè intendere Dei contemptum, aut aliquo signo indignam de Deo æstimationem ostendere. Neque datur hic ulla paryitas materiæ, ut satis patet ex §. præced. n. 19. Atque hinc mortaliter peccas, dum profers mendacium leve aut verbum otiosum ex formali intentione Deum offendendi etiam leviter; vel dum omittis votum edere recitandi ter in hebdomade orationem Dominicam ex hac causa formaliter intenta, ne facias id, quod nosti Deo magis placere. 42

Sequitur secundo, omnem transgressionem præcepti, etiam de re in se levi, esse peccatum mortale, quando procedit ex contemptu Prælati seu Superioris formaliter; quatenùs Prælatus vel Superior est. Suarez num. 24. Castropalao num. 6. Bonac. loco cit. Reding. ubi suprà num. 10. Ratio est, quia sic contemnitur, quatenùs habet potestatem & authoritatem, & quatenùs repræsentat Deum, ejusque vices gerit. Unde hic contemptus redundat in Deum ipsum, convenienter verbis Christi apud Lucam cap. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et Apost. ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* 43

Dixi, *quatenùs Superioris formaliter, &c.* Nam si Prælatus seu Superior contemnitur solùm, quatenùs talis homo est, defectibus prudentiæ, eruditionis, &c. obnoxius, fieri potest, ut ob materiæ levitatem quis venialiter solùm peccet, si ex hoc tali contemptu ejus præcepto patere renuat. 44

Quod idem procedit, si quis ob indignationem erga superiorem, & ad ostendendam amaritudinem animi non vult implere illius voluntatem. Hoc tamen valdè periculosum esse ait Suarez. Imò nullus modus Superiori resistendi ex contemptu personæ caret magno periculo contemnendi ipsam potestatem ejusdem. Et ideo ex tali quoque contemptu non obedire practicè loquendo plerumque peccatum mortale esse meritò docet Lessius cum aliorum communi assensu, ut refert Sporer in tr. 1. proæm. cap. 7. n. 60.

Sequitur tertio, illum non peccare mortaliter, qui transgreditur præceptum ex contemptu rei præceptæ tantùm, eò quòd judicet esse quid exigui momenti, & cujus parùm interfit.: quale est v. g. jocosè mentiri, vel quid modicum comedere tempore prohibito. Suarez n. 22. Bonac. n. 9. Laym. lib. 1. tr. 3. c. 7. n. 6. Sporer n. 62. Ratio est; quia hic talis non vilipendit auctoritatem Legislatoris aut Prælati, sed legis vel præcepti materiam re ipsa levem, ut supponitur. Ex alia tamen circumstantia tunc posses peccare mortaliter contemnendò transgressionem secundùm se levem, nempè si contra doctrinam fidei existimares, peccatum veniale non esse puniendum à Deo, vel quid simile, ut habent Suarez & Bonac. locis citt. 45

Sequitur quarto, tametsi multæ leges ac regulæ variorum Ordinum non obligent sub mortali ad sui observantiam, eas tamen non posse contemni absque peccato mortali. Sayrus ubi suprà. Laym. n. 5. ex D. Thoma in 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. Ratio est: quia contemptus legis, præcepti, regulæ, consilii redundat in eorum auctorem, nempè Legislatorem, Prælatum vel Superiorem. Nam hujus auctoritatem ac potestatem eo ipso vilipendis, quòd ejusdem aliquod præceptum, ordinationem, aut statutum vilipendas. Unde, qui obfirmatò per contemptum animô conciperet propositum non ingrediendi religionem aliquam, ejusque regulam amplectendi, peccaret mortaliter, quamvis profiteri statum religionis sit opus meri consilii. *Quamvis enim*, (ait Cajetanus apud Sayr.) *Non displiceat Deo te non sequi consilium ejus, displicet tamen ei, quod tu promittis* (adde, *vel proponis*) *non servaturum suum consilium.* 46

Sequitur quinto, committentem ex consuetudine multa peccata venialia, v. g. jocosa mendacia, non peccare mortaliter ex capite contemptus. Suarez n. 8. Bonac. n. 14. Ratio est: tum, quia consuetudo non est contemptus, & per frequentationem actuum, quam connotat, per se solùm auget extensivè numerum peccatorum. Tum, quia aliàs sequeretur, habentem consuetudinem otiosè loquendi, vel jocosè mentiendi esse in statu peccati mortalis, 47

quod

quod planè non videtur admittendum. Illud tamen verum est, quod ex D. Thoma notat Suarez, consuetudinem posse disponere ad contemptum, eumque paulatim generare, convenienter ad illud Proverb. 18. *impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

48 Tertius modus est ratione scandali, dum nempe prævidetur, vel prævideri debet, peccatum veniale (idem cogita de opere indifferenti, quod speciem peccati habet) si committatur, grave damnum seu ruinam spiritualem proximo causaturum, & tamen committitur. Tunc enim superadditur actui aliquid graviter repugnans charitati, ut omnes fatentur. Atque hinc.

49 Colligitur primo, fieri posse, ut Clericus vel Religiosus coram sæcularibus immodicè ridendo, vel familiariùs alloquendo personam alterius sexûs graviter peccet. Sayrus n. 16. Sporer cap. 5. n. 34. Ratio est: quia licèt hæc, aliàque similia secundùm se considerata sint solùm venialia, vel etiam indifferentia, ratione personæ tamen, à qua fiunt, & scandali, quod inde probabiliter sequi prævidetur, contrahunt mortalem malitiam.

50 Colligitur secundo, in malo statu versari & à peccato mortali non excusandum esse Religiosum, qui in Monasterio, quoties lubet, silentium rumpit, aliorum cubicula ingreditur, in choro circumspicit, vel absque licentia epistolas scribit, in horto spatiatur, per officinas artificum vagatur. Castropalao pu. 9. §. 4. n. 3. cum Thoma Sanchez lib. 6. in Decal. c. 4. n. 18. & seqq. Ratio est: quia hic talis dissoluto suo modo vivendi grave scandalum præbet aliis ex communitate, damnúmque non mediocre infert bono religiosæ disciplinæ. Unde neque dignus est, ut toleretur in cœtu religiosorum; cùm mores ac vitam suam nequaquam ita componat, ut statui, quem profitetur, non plurimùm noceat. Sed plura de scandalo dabimus suo loco. Interea.

51 Quartus modus est ex parte periculi, non quidem remoti, sed proximi incidendi in peccatum mortale. Nam ob tale periculum non solùm veniale peccatum, sed etiam opus ex se indifferens evadere mortale, manifestè probatur: cùm enim eodem præcepto, quo tenemur peccatum mortale non admittere, teneamur morale ac proximum ejus vitare periculum, ne, dum hoc non vitamus, prolabamur in illud, is, qui non vitat dum potest, planè convincitur velle peccatum, in cujus periculo voluntariè persistit. Illud autem censetur esse periculum proximum, in quo homines similis conditionis constituti frequenter inducuntur in peccatum mortale. In tali periculo est, qui domi suæ alit concubinam; aut etiam alibi, ita tamen, ut ea frui possit pro libitu, ut habet Castropal. pu. cit. §. 3. n. 2. tibi etiam addit, si quis semel aut iterum quidem peccavit in aliqua occasione vel periculo, sæpiùs verò restitit, ita ut non peccaverit, tunc eam occasionem seu periculum non videri proximam & moralem peccati mortalis. Verùm de occasione peccandi, eamque vitandi obligatione pluribus agamus alibi.

52 Ex modò dictis inferes primo, si quis certò prævideat, se inebriandum, horas Canonicas omissurum, in fornicationem, aliudve peccatum mortale lapsurum, si in potu excesserit etsi venialiter tantùm, mortaliter peccare similem in bibendo excessum contendo. Mortaliter itidem peccat, qui utitur colloquiis & conversationibus, de se quidem non malis, saltem mortaliter, attamen ita comparatis, ut in iisdem sæpiùs mortaliter se labi experiatur. Peccat autem peccato ejusdem speciei, cujus proximo periculo se exposuit, eamque speciem in Confessione exprimere tenetur. Sporer n. 33. ex communi doctrina.

53 Inferes secundo cum Thoma Sanchez, Bonac. & aliis, ut refert Sporer n. 43. illum quoque mortaliter peccare, qui habet propositum committendi omnia peccata venialia, & sola mortalia vitandi. Ratio est: quia talis voluntarie se constituit in proximo ac morali periculo peccandi mortaliter: nam peccata venialia disponunt ad mortale; ut suprà n. 38. ostendimus.

54 Verùm Castropalao, Granadus, Salas, Tamburinus, quos refert & sequitur Sporer loco cit. molliori via incedunt existimantes, talem per se loquendò non esse damnandum peccati mortalis. Ratio est: tum, quòd venialia per se loquendò non sint dispositiones proximæ ad mortale: cùm multi, qui venialia declinare minimè studeant, lapsum in mortalia evitent. Tum, quòd in ejusmodi homine proposito committendi omnia venialia conjungatur propositum non committendi ullum mortale, eoque firmetur & retineatur voluntas, ne graviter labatur: quo fit, ut, quod ex una parte accipitur damnum, resarciatur ex alia. Ex quibus ad argumentum contrarium constat solutio: licèt enim peccata venialia disponant ad mortale, non tamen disponunt proximè per se loquendò, quod confirmatur: vel enim contendis, omnia venialia collectivè, vel omnia distributivè sumpta proximè disponere ad peccatum mortale? neutrum potest subsistere. non primùm; quia utique nullus dari poterit casus, in quo committantur omnia venialia simul sumpta. non secundum; quia sequeretur, quodlibet veniale in qualibet materia esse proximam dispositionem ad peccatum mortale: quod prorsus absurdum est. Dictum est autem in relatione & probatione hujus sententiæ *per se loquendò*. Nam excipiendum est haud

haud dubiè propositum committendi etiam illa peccata venalia, quæ per accidens, & in certis circumstantiis sunt proxima occasio & dispositio ad mortale; qualia sæpè dari satis patet ex dictis hoc §.

§. IV.

Unde desumenda sit gravitas peccatorum?

SUMMARIUM.

55. Ostenditur, non omnia peccata esse æqualia in gravitate. 56. Gravitas essentialis peccatorum oritur ex eorum objectis. 57. Eadem quoque superadditur à circumstantiis speciem mutantibus. 58. 59. 60. Ostenditur, tantò gravius esse peccatum, quantò præstantiori virtuti opponitur. 61. Peccata contra Deum sunt omnium gravissima. 62. Quid de peccatis oppositis eidem virtuti. 63. 64. Solvuntur objectiones. 65. Statuitur, gravitatem accidentalem peccatorum esse sumendam ex circumstantiis solùm aggravantibus. 65. 66. & seqq. Illationes ex dictis.

55 Fide certum est, non omnia peccata esse æqualia in gravitate, sed unum alio esse gravius, atque majus. Dicitur enim Threnor. 4. *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Et Joan. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Ezech. 16. *Vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratiùs agens ab eis.* Quibus textibus, aliisque passim in S. Script. occurrentibus inæqualis peccatorum gravitas manifestè exprimitur.

Sed neque desunt rationes Catholicam hanc veritatem apertè comprobantes. Prima est à posteriori: Quando pœnæ peccatorum sunt inæquales, etiam ipsa sunt inæqualia: sed pœnæ peccatorum sunt inæquales; ergo & peccata sunt inæqualia. Maj. est certa: quia inæqualitas pœnæ supponit inæqualitatem delicti seu culpæ, quemadmodum exigunt & dictant regulæ justitiæ vindicativæ. Mi. est de fide, & habetur ex illo Matth. 11. *Tyro & Sidoni remissiùs erit in die judicii, quam vobis.* Et Lucæ 20. *Hi accipient damnationem majorem.* Et Deuter. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Constat præterea ex praxi humanorum tribunalium, graviori supplicio vindicari parricidium quàm furtum, bestialitatem quàm simplicem fornicationem &c.

Secunda ratio est à priori: quia species, ut docent cum Aristotele communiter Philosophi, se habent sicut numeri. Unde, quemadmodum dati nequeunt duo numeri in ratione numeri specificè distincti æquales, ita nec duæ species æquales. Constat autem ex suprà dictis in artic. 2. existere plurima peccata specificè distincta in ratione peccati: adeóque dantur peccata, quæ non possunt esse æqualia in ratione peccati, & consequenter sunt inæqualia in gravitate & malitia. His contra veteres quosdam cùm Stoicos, tum hæreticos, præmissis, ut ad id, quod quærimus in præsenti, accedamus, sciendum est, duplicem esse gravitatem peccati, scilicet essentialem quoad speciem, & accidentalem quoad intensionem, vel extensionem moralis malitiæ. Nunc de utraque principia & regulas discernendi unam ab alia statuemus. Itaque.

Dico primò: Gravitas essentialis pec- 56
catorum oritur ex eorum objecto. Ita communis sententia cum D. Thoma, in 1. 2. q. 73. a. 3. Ratio sumitur ex dictis in cit. a. 2. disp. præsentis: quia ex illo oritur essentialis gravitas peccatorum, ex quo oritur specifica & essentialis differentia malitiæ ipsorum: sed ista oritur ex objecto; ergo ex objecto oritur essentialis gravitas peccatorum. Itaque tantò gravius est peccatum secundùm specificam & essentialem rationem malitiæ, quantò objectum in se habetur gravius, sive magis repugnans rectæ rationi. Atque hinc statim

Sequitur primò, ex circumstantiis spe- 57
ciem mutantibus essentialem gravitatem superaddi peccatis. Bonac. disp. 2. quæ est de pecc. q. 4. pu. 1. n. 7. Castrop. disp. 3. de pecc. pu. 4. n. 3. Ratio est: quia hæ tales circumstantiæ transeunt in naturam objecti, veluti tradit communis doctrina de actib. hum. Unde non minùs ab ipsis, quàm objecto sumitur species essentialis, adeóque & gravitas essentialis peccatorum. Itaque adulterium v. g. est peccatum essentialiter gravius quàm simplex fornicatio; quia in illo malitiæ fornicationis additur circumstantia injuriæ erga conjugem mutans speciem & importans novam oppositionem cum virtute justitiæ.

Sequitur secundò, cæteris paribus illud 58
peccatum esse simpliciter & quoad speciem gravius, quod opponitur præstantiori virtuti. Sayrus in clavi. lib. 2. c. 7. n. 6. Godoyus to. 1. in 1. 2. disp. 31. n. 2. Paulus Mezger to. 2. tr. 6. disp. 20. a. 3. n. 3. Ratio est: quia illud peccatum est gravius, quod habet objectum magis contrarium rectæ rationi: sed peccatum oppositum præstantiori virtuti habet objectum magis contrarium rectæ rationi, quàm peccatum oppositum virtuti minùs præstanti; ergo est gravius quàm istud.

Cæterùm, ut valeat hæc regula, in oppo- 59
sitione peccatorum cum aliqua virtute præstantiore tres conditiones debent adesse. Prima est, ut ambo peccata, inter quæ fit comparatio, virtuti eodem modo opponantur. Secunda est, ut oppositio utrimque exercea-

tur circa objectum primarium. Tertia est, ne oppositio cum virtute inferiore includat oppositionem cum virtute superiore.

Atque hinc defectu primæ conditionis omissio sacri præcepti est peccatum multò levius quàm furtum & homicidium. Licèt enim opponatur præstantiori virtuti, scilicet religioni, eidem tamen indirectè solùm ac mediatè opponitur; cùm immediatè opponatur determinationi temporis ab Ecclesia ad Dei cultum præfixi. Atqui furtum & homicidium directam exercent oppositionem cum virtute justitiæ. Defectu secundæ conditionis odium proximi est minùs grave peccatum quàm infidelitas: quia, tametsi odium proximi habeat oppositionem cum virtute charitatis, quæ est simpliciter præstantior fide, cui opponitur infidelitas, illa tamen oppositio est tantùm circa objectum secundarium charitatis, quod est proximus; cùm tamen oppositio infidelitatis sit respectu objecti primarii, scilicet veritatis Divinæ. Defectu tertiæ conditionis furtum in gravitate malitiæ excèditur ab adulterio, quia hoc præter oppositionem cum castitate habet simul oppositionem cum superiore virtute justitiæ in illa inclusam. Vid. Paulus Mezger loco cit.

Notandæ sunt autem illæ particulæ, quas
60 in n. 58. addidimus, *simpliciter*; *cæteris paribus*. Nam fieri potest; ut aliquod peccatum ex suo objecto & specie levius propter accidentales circumstantias in æstimatione morali longè majorem malitiam contrahat, dignumque multò graviori pœnâ judicetur, quàm aliud, quod simpliciter ex objecto & specie est gravius: veluti patet in peccato latrocinii, deprædatione integræ villæ &c. quæ propter circumstantias moralem æstimationem augentes, damnâque in bonum commune redundantia censentur esse peccata longè graviora, quàm blasphemare, licèt istud simpliciter ex objecto & specie sit gravius. Nam & argentum quoad speciem & materiam est auro ignobilius ac inferius, & tamen per aliam & aliam additionem quantitatis in æstimatione morali ejus valor ita potest crescere, ut non solùm æquet, sed etiam excedat valorem auri. Vid. Castropal. loco cit.

61 Sequitur nunc tertiò, per se loquendo peccata contra Deum esse omnium gravissima: & quidem primariò illa, quæ sunt contra Deum immediatè; ut odium DEI, infidelitas, desperatio: secundariò verò illa, quæ sunt contra Deum mediatè; ut idololatria, blasphemia, impœnitentia, sacrilegium. Priora ideo dicuntur esse contra Deum immediatè, quia repugnant virtutibus Theologicis, quarum actus immediatè ac directè respiciunt perfectionem aliquam Divinam tanquam objectum formale motivum. Posteriora dicuntur contra Deum mediatè; quia repugnant virtutibus moralibus Religioni & Pœnitentiæ, quarum actus directè pro motivo formali respiciunt honestatem aliquam creatam, licèt indirectè respiciant Deum ipsum. Ratio verò sequelæ est: quia juxta D. Thomam q. cit. a. 4: tantò gravius est peccatum, quantò majori opponitur bono virtutis: sed peccata contra Deum opponuntur majori bono virtutis, quàm alia quæcunque; ergo. Ex eodem principio inter peccata contra proximum graviora sunt, quæ lædunt substantiam hominis, ut homicidium, quàm illa, quæ nocent in bonis externis, ut detractio, furtum &c. hanc priora repugnant majori bono, quàm posteriora. Mezger n. 6.

Sequitur quartò, inter peccata opposita 62
eidem virtuti illud esse gravius, quod repugnat actui perfectiori talis virtutis. Ratio est: quia habet objectum magis repugnans rectæ rationi, sicut ille actus habet objectum magis conforme rationi. Exemplum D. Thomas 2. 2. q. 27. a. 7. adducit in odio amici, quod docet esse gravius peccatum quàm odium inimici; quia opponitur præstantiori actui charitatis, scilicet dilectioni amici: & q. 119. a. 3. in peccato avaritiæ, quod docet esse gravius peccato prodigalitatis; quia opponitur largitioni pecuniarum, quæ est actus perfectior liberalitatis, quàm earum retentio, cui opponitur prodigalitas.

Objicies primò: Fidem negare absque 63
periculo mortis aut cruciatûs ab extrinseco intentati est majus peccatum, quàm eandem negare instante tyranno, mortemque vel tormenta minitante, licèt fidem profiteri coram ejusmodi tyranno sit præstantior actus virtutis, quàm eandem profiteri extra omne periculum mortis & cruciatûs: ergo falsum est, illud peccatum esse gravius, quod opponitur præstantiori virtuti, aut actui præstantiori ejusdem virtutis. Ant. non tantùm tradit S. Hieronymus ad Galat. 1. sed etiam colligere est ex D. Thoma in 2. 2. q. 142. a. 3. ubi dicit; *Intemperantia est maius vitium quam timiditas ex parte materiæ. Nam timiditas refugit pericula mortis, ad quæ vitanda inducit maxima necessitas conservandæ vitæ: inteimperantia autem est circa delectationes, quarum appetitus non adeo necessarius ad vitæ conservationem.* Ex quibus ita licet discurrere: quia ad actum intemperantiæ circa delectationes corporales nulla inducit necessitas vitæ conservandæ, talis actus est peccatum gravius, quàm peccatum timiditatis, ut docet D. Thomas: ergo similiter, quia ad fidem negandam absque dominatione tormentorum nulla inducit necessitas vitæ conservandæ, tunc fidem negare est gravius peccatum, quàm eandem negare intentato cruciatu tormentorum, ubi urget dicta necessitas.

Respon-

Respondeo neg. Ant. quia fidem negatè jubente & minitante tyranno opponitur non tantùm fidei, sed etiam fortitudini; eam verò negare nullo instanti mali periculo à tyranno intentate opponitur fidei tantùm. Unde prius peccatum est essentialiter gravius quàm posterius. Ad probat. ant. dico: S. Hieronymum loqui de excessu accidentali: qui enim fidem negat extra periculum tormentorum, id facit magis voluntariè, quàm eam negans in tali periculo: adeoque gravius peccat gravitate accidentali. Similiter D. Thomas aliud non vult, quàm Intemperantiam esse gravius peccatum accidentaliter, quàm peccatum timiditatis: tum, quòd facilius vitari possit, quàm peccatum timiditatis: magis enim urget ad actum timoris periculum mortis, quàm delectatio ciborum, v. g. ad actum intemperantiæ: tum, quòd magis voluntariè, & cum pleniori rationis judicio committatur: nam mortis periculum utique magis perturbat judicium rationis, quàm delectatio reperta in edendo ac bibendo. Ex quibus patet ad discursum ex verbis D. Thomæ deductum. Nam conceditur, actum intemperantiæ esse peccatum accidentaliter gravius, quàm peccatum timiditatis, ob rationem jam dictam; non tamen conceditur, esse gravius essentialiter; cùm ejus excessus non proveniat ex parte objecti specificantis. At verò fidem negare in periculo mortis aut tormentorum esse gravius peccatum essentialiter, quàm negare extra tale periculum inde colligitur, quòd primum repugnet tam fidei, quàm fortitudini; secundum verò fidei tantùm: adeoque excessus gravitatis in illo sumatur ex parte objecti specificantis.

63 Objicies secundò. Quamvis diligere inimicum sit perfectior actus charitatis, quàm diligere amicum, nihilominùs odium amici est gravius peccatum, quàm odium inimici, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 27. a. 7. ergo falsum est, inter peccata opposita eidem virtuti illud esse gravius, quod repugnat perfectiori actui talis virtutis, velut in n. præced. deduximus. Suppositum Ant. traditur à S. August. in Enchyrid. cap. 73. ubi docet, diligere inimicum esse perfectorum filiorum Dei; diligere autem amicum esse etiam charitatis imperfectæ.

Respondeo, juxta D. Thomam loco cit. diligere amicum esse actum substantialiter perfectiorem & majoris meriti, quàm diligere inimicum: eo quod amicus sit proximior Deo & amanti; Deo quidem, quia malus non est; amanti vero ob titulum amicitiæ cum ipso. Quia tamen in diligendo inimicum reperitur major difficultas, hinc ejus dilectionem esse actum perfectiorem accidentaliter & majoris meriti, quàm dilectionem amici. Atque sic etiam se habent odium amici & inimici in gravitate malitiæ, ut nempe odium amici sit peccatum secundùm se & substantialiter gravius quàm odium inimici, & istud sit accidentaliter gravius, quàm odium amici. Sed

64 Dico jam secundo. Gravitas accidentalis peccatorum desumitur ex circumstantiis intra eandem speciem merè aggravantibus. Ita D. Thomas in 1. 2. q. 73. a. 7. quem sequuntur hic communiter Theologi. Ratio est: quia gravitas accidentalis peccatorum rectè desumitur à principio, quod in genere moris est accidentale respectu actûs humani: atqui ejusmodi principium respectu actûs humani est quælibet circumstantia merè aggravans intra eandem speciem; cùm illæ, quæ non merè aggravant, sed mutant speciem malitiæ, transeant in conditionem objecti; sicut in n. 57. advertimus. Et hinc

65 Sequitur primò, illum gravius peccare, qui carnes comedit in Vigilia S. Matthiæ incidente in feriam 4. temporum Quadragesimæ, quàm alium, qui carnes comedit in simplici die jejunii. Ratio est: quia peccat contra plura præcepta accidentaliter distincta, ex quo peccatum accidentaliter aggravatur.

66 Sequitur secundò, gravius peccare prodigum, qui bona sua non tantùm expendit in fines indebitos, sed etiam, cui non debet, ubi non debet, quando non debet &c. Ratio est: quia sic expendendò actus afficitur pluribus circumstantiis intra eandem speciem malitiæ afferentibus propriam gravitatem. Paulus Mezger n. 11.

67 Sequitur tertio, multò gravius esse peccatum furari 100. aureos, quàm furari 10. abducere integrum gregem, quàm abducere unam aut alteram ovem. Ratio est: quia gravitas peccati augetur ex majori quantitate objecti, ut omnes fatentur.

68 Sequitur quartò, peccati gravitatem intensivè augeri tam ex majori conatu & intensione voluntatis, quàm ex intentione pejoris finis extrinseci. Ratio primi est: quia peccatum tantò est gravius intensivè, quantò magis est voluntarium: est autem tanto magis voluntarium, quanto intensior est voluntas peccandi. Ratio secundi est: quia finis extrinsecus, cùm sit causa actûs humani, tanto graviorem affert malitiam peccato, quanto est pejor. Sayr. in clavi lib. 2. cap. 7. n. 8. Mezger n. 13.

69 Sequitur quinto, gravitatem peccati etiam crescere juxta dignitatem seu conditionem personæ, contra quam peccatur. Ratio est: quia malitia objectiva est major, quando offenditur & læditur persona dignior, quam dum læditur persona minùs digna. Gravitas

autem peccati augetur juxta quantitatem & gravitatem objecti, sive malitiæ objectivæ. Atque hinc præsens doctrina non habet locum, quando conditio personæ est impertinens respectu alicujus peccati: quia ejusmodi conditio est extra objectum illius: quare furtum v. g. non aggravatur ex eo, quòd fiat homini nobili, principi &c. tunc enim injuria non ita propinquè respicit conditionem personæ, sicut respicit in inhonoratione, vulneratione &c. ubi fit primò, ut graviora sint peccata, quibus læduntur personæ Deo conjunctiores ratione virtutis aut officii, ut homines sancti, Sacerdotes & similes. Fit secundò, ut gravius quis peccet offendendo personam sibi magis conjunctam vel necessitudine naturali, vel perceptione beneficiorum. Fit tertiò, ut gravius sit peccare in personam publicam, v. g. Regem, Principem, Judicem, quàm in personam privatam. Fit quartò, ut gravior sit injuria, quæ irrogatur personæ ob doctrinam, eruditionem, resque gestas celebri, quàm illata personæ famâ parùm notæ, aut penitus illaudatæ. Sayr. n. 12. Mezger n. 14.

70 Sequitur sextò, peccata posse aggravari etiam ex conditione personæ peccantis. Ex hoc enim capite provenit, quòd peccata ex malitia & perfecta deliberatione commissa tantò sint graviora, quantò persona peccans est major in virtute, donisque à Deo acceptis. D. Thomas q. proximè cit a. 10. ubi hoc probat quadrupliciter, primò; quia hujusmodi homo facilius potest resistere tentationibus ad peccandum allicientibus: & ideo, dum peccat, majoris in cavendo negligentiæ arguendus est. Secundò: quia talis ex plena deliberatione peccando ostendit se Deo magis ingratum; quippe à quo plura, majoráque beneficia accepit, quàm alius. Tertiò: quia fit, ut peccatum habeat specialem repugnantiam cum excellentia & dignitate personæ: veluti patet, dum princeps violat justitiam, qui tamen ex institutione Reipublicæ debet esse custos justitiæ. Quartò: quia peccatum hominis virtuosi, vel in aliquo gradu altiori collocati solet esse conjunctum cum scandalo plurium, magisque reprehendi ab hominibus, quàm peccatum alterius, qui est inferioris conditionis. Aliter tamen sentiendum est de peccatis ex subreptione aut infirmitate naturæ provenientibus: ista namque eò sunt leviora, quò persona peccans est in virtute excellentior. Ratio est: quia talia peccata ab homine virtuoso committuntur cum minori negligentia: cùm eo ipso, quòd sit virtuosus, adhibeat plus diligentiæ ad illa evitanda, quàm alius.

ARTICULUS V.

De subjecto peccatorum.

SUMMARIUM.

1. *Præsens difficultas procedit de subjecto proximo.* 2. *Peccatum secundùm rationem voluntarii recipitur in voluntate.* 3. *Sicut etiam secundùm formalem malitiam.* 4. *Peccatum formaliter sumptum non subjectatur in sensibus, vel potentiis externis.* 5. *Subjectatur tamen in ratione, & appetitu sensitivo.* 6. *Solvitur objectio.*

1 DUbium non est, subjectum remotum peccati esse creaturam rationalem. Unde sermo nobis erit de subjecto proximo, sive potentiis animæ. Ubi rursus convenit inter omnes, peccatum, prout spectatur in esse physico, posse subjectari in potentiis etiam externis, imò & in membris: ita aspectus impudicus in oculo, illicita ambulatio in loco motiva & membris residet. Difficultas proinde procedit de peccato spectato moraliter, id est, secundùm rationem tam voluntarii, quàm formalis malitiæ & deformitatis, an nempè subjectetur in potentiis à voluntate distinctis, putà in ratione, appetitu sensitivo &c.

Supponitur enim tanquam certum primò, omne peccatum quoad rationem voluntarii esse intrinsecè in voluntate tanquam subjecto: quod facilè ostenditur. Nam omne peccatum eatenùs est voluntarium, quatenus à voluntate procedit elicitivè vel imperativè, directè vel indirectè. Si est à voluntate elicitivè, tunc consistit in ipso actu immanente ejusdem. Si imperativè, tuuc in actu practico imperii, à quo dependet, includitur itidem ejusmodi actus voluntatis. Si est à voluntate directè, tunc ita est propter actum voluntatis formaliter vel virtualiter influentem. Si indirectè, tunc iterum est propter aliquem actum voluntatis tanquam causam vel occasionem omittendi, vel certè propter liberam cessationem & suspensionem actûs præcepti, quem voluntas hîc & nunc omittit, si nempe est pura omissio libera. Omnibus his modis, ut vides, voluntarium est intrinsecè in voluntate. 2

Supponitur secundò, voluntatem esse subjectum peccatorum, etiam quoad rationem formalem malitiæ. Cùm enim in voluntate per se primò reperiatur formaliter libertas & voluntarium, ejusdem quoque proprium 3

est

est versari circa finem, & quidem ultimum. Consequenter ratio liberæ deordinationis à debito fine, quæ est formalis malitia peccati, minime reperitur in actibus voluntatis: adeoque voluntas est subjectum peccatorum etiam quoad rationem formalem moralis malitiæ. Quibus suppositis

4 Dico primò. In membris, vel potentiis sensitivis externis, sicut & in loco motiva non subjectatur ullum peccatum formaliter sumptum. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia in subjecto peccati quoad formale dari debet aliqua indifferentia aut libertas, saltem imperfecta & participata: atqui in membris & memoratis potentiis nulla datur ejusmodi libertas aut indifferentia: quia inprimis membra, tanquam mera instrumenta ad operandum ordinata, subjiciuntur serviliter despotico rationis imperio; ideòque nec habitus alicujus seu virtuosi seu vitiosi sunt capacia. Deinde prædictæ potentiæ ex sua propria ratione determinatæ sunt ad unum, suósque actus necessariò necessitate naturæ exercent: & ideo nec ipsæ sunt capaces habituum.

5 Dico secundo. Ratio, sive intellectus, & appetitus sensitivus sunt subjectum peccati quoad rationem formalem malitiæ ejusdem. Probatur in hunc modum: Tunc illæ potentiæ sunt subjectum peccati formaliter, sive quoad moralem malitiam, quando earum actus ex proptia ratione ipsarum possunt esse inordinati: sed actus tam intellectûs quàm appetitûs sensitivi, sive sensualitatis, ut vocat S. Thomas, possunt esse inordinati ex propria ratione utriusque; ergo intellectus & appetitus sensitivus sunt subjectum peccati formaliter. Maj. ex eo constat, quòd peccata intellectûs & sensualitatis sint actus immanentes. Unde, si deordinatio ipsorum refundi potest in principium, à quo vitaliter & immanenter procedunt, rectè colligitur, ea non tantùm quoad rationem physicæ entitatis, sed etiam quoad rationem formalis deordinationis subjectari in memoratis potentiis. Mi. prob. quia inprimis dirigere voluntatem & esse radicaliter indifferentem ac liberum convenit intellectui ex propria linea & ratione: consequenter erroneum dictamen ipsius, vi cujus voluntas deficit à fine ultimo & lege æterna, est actus inordinatus ex propria ratione potentiæ intellectivæ. Deinde appetitus sensitivus, qui frœnô justitiæ originalis destitutus inclinat in bonum delectabile, habet ex propria ratione turbare judicium rationis, ejusque imperio obniti. Sed hæc est quædam inordinatio reperta in motu & actu appetitus sensitivi; ergò etiam in actu appetitus sensitivi reperitur inordinatio ex propria ratione ejusdem potentiæ.

Confirmatur. In intellectu & appetitu sensitivo dantur habitus vitiosi, in illo nempe habitus infidelitatis, hæresis, erroris, imprudentiæ &c. in isto habitus intemperantiæ, iræ & similes: ergò etiam in eisdem potentiis reperiuntur actus vitiosi secundùm rationem quoque formalem malitiæ. Conseq. prób. quia non tantùm actus, sed etiam habitus sunt moraliter vitiosi: ergo si habitus quoad moralem vitiositatem recipiuntur in dictis potentiis, etiam actus in eisdem recipientur.

6 Objicies. Ideo membra externa non sunt subjectum peccati quoad formalem malitiam, quia carent libertate: ergo nec aliqua potentia interna præter voluntatem est subjectum formalis malitiæ, quia similiter nulla earum non caret indifferentia & libertate. Respondeo neg. supp. conseq. quia in intellectu datur indifferentia saltem radicalis: in ratione quoque inferiori & appetitu sensitivo reperitur participata quædam & imperfecta indifferentia propter conjunctionem cum natura rationali. *Nam per hunc modum* (ait S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 3. ad 1.) *appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habet quamdam excellentiam, scilicet, quod natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntarii, & per consequens subjectum peccati.* Aliud est de membris & sensibus externis; nam nihil istorum habet indifferentiam aliquam participatam etiam imperfectam, sed subjiciuntur imperio rationis penitùs despoticè, ita ut eidem obluctari non possint, sicut tamen potest appetitus sensitivus, qui propterea non despoticè, sed politicè imperio rationis subjectus esse dicitur à Theologis.

ARTICULUS VI.

De morosis delectationibus.

DE his delectationibus ut hoc loco disputemus, suadet cùm materiæ connexio, tùm aliorum exemplum; ut diligenter & operosè disputemus, impellit magna utilitas, imò necessitas cognoscendi, quæ de hoc argumento in praxi quotidie occurrunt. Quare sit

§. I.

Explicantur aliqua præscitu necessaria.

SUMMARIUM.

1. *Definitio morosæ delectationis.* 2. *Non est morosa delectatio, quando delectamur de modis mirificis sive artificiosis actionum malarum.* 3. *Morosa delectatio debet esse de re mala apprehensa ut præsente.* 4. *Motus sensualitatis alii primo, alii secundo primi, alii plenè deliberati.* 5. *Quid apud Theologos sit ratio superior, quid inferior.* 6. *Neque fomes concupiscentiæ, neque ejus motus indeliberati sunt peccata mortalia.* 7. 8. *Ostenditur, eosdem motus etiam non esse peccata venialia.* 9. *Corollarium de motibus primo, & secundo primis &c.*

1 MOrosa delectatio rectè definitur à Filliucio tract. 21. cap. 8. n. 276. quod sit simplex complacentia rei illicitæ, deliberata, & sine intentione illam opere perficiendi. Dicitur *simplex complacentia*, ut significetur, illam esse affectum voluntatis inefficacem, quo quidpiam præcisè placet aut displicet. Dicitur *rei illicitæ*, quod intellige in quacunque materia: quamvis communiùs hîc sermo sit de delectatione circa objectum illicitum in re Venerea. Hinc excluditur etiam delectatio de ipsa cogitatione, vel modo aliquo, aut circumstantia rei illicitæ, quæ absolutè possunt esse objectum bonum & honestum. Dicitur *deliberata*. Quia sine plena advertentia & deliberatione non potest esse peccatum mortale, quale tamen esse debet, si materia sit illicita & gravis. Cum deliberatione autem semiplena & imperfecta non est nisi peccatum veniale. Indicatur etiam hâc eâdem particulâ, delectationem non vocari *morosam* à morâ temporis, quam quis consumit in illa. Potest enim diu persistere, & tamen non esse morosa, si nempè voluntas non consentit: & potest fieri, ut sit morosa, licèt duret per unicum instans, si voluntas in ipsam consentit. Dicitur proinde morosa à mora rationis & voluntatis post plenam advertentiam adhuc morantis ac negligentis eam reprimere, cùm tamen posset & deberet reprimere. Additur demum *sine intentione &c.* quia accedente intentione exequendi rem illicitam jam non est simplex delectatio, sed affectus efficax importans consensum in ipsum opus, qui est peccatum distinctum à peccato morosæ delectationis, eaque multo gravius, & solet appellari delectatio *operosa*. Ex modo dictis

Colliges primo, non esse morosam de- 2
lectationem, qua quis delectatur de mirabilibus modis furandi, alienam sponsam rapiendi: victoriam obtinendi in bello & conflictu injusto. Laym. lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 3. Castropal. tr. 2. qui est de pecc. disp. 2. pu. 10. §. 1. n. 3. & alii ab his relati. Ratio est: quia morosa delectatio, qualem hîc descripsimus, debet esse de re mala seu illicita: atqui in nostra hypothesi delectatio non est de re mala, sed de aliqua ratione boni reperta in opere malo, scilicet de ingeniosa inventione, subtili dexteritate artificiosa, solertia & similibus. Per accidens tamen fieri potest, ut de talibus delectari sit delectari morosè, putà, si fiat otiosè, vel cùm periculo consensûs in ipsam rem malam,

Colliges secundo, delectationem moro- 3
sam esse de re mala, non quatenus futura, sed quatenùs apprehensa ut præsente. Filliuc. n. 279. Paulus Mezger tr. 6. disp. 21. a. 3. n. 1. Ratio est: quia si esset de re quatenùs futura, jam non sisteret intra limites simplicis complacentiæ, & non adesset consensus in solam delectationem, quod communiter requirunt Theologi, sed etiam desiderium peccandi & consensus in ipsum opus; adeoque esset delectatio operosa. Sic ille, cui simpliciter placet fornicatio cum aliqua fœmina delectabiliter repræsentata, ita ut non habeat voluntatem exequendi ipsum opus, tunc quidem peccat peccatô morosæ delectationis; sed quamprimùm progreditur voluntatem fornicandi de futuro, adeóque concipit desiderium ipsiusmet operis, peccat peccato delectationis operosæ.

Porrò ex præced. artic. constat, etiam in 4
appetitu sensitivo locum habere peccatum secundùm rationem formalem malitiæ, & consequenter motus sensualitatis, sive concupiscentiæ, quos inter vel maximè reperitur delectatio de rebus illicitis, posse esse peccaminosos. Hinc quæstio oritur, an homo per ejusmodi motus peccare possit sine influxu voluntatis? Ad quam ut respondeatur,

Notandum est, motus sensualitatis, quo nomine non solùm veniunt motus libidinosi carnis, sed etiam alii, ut motus iræ, timoris, qui ab appetitu sensitivo procedunt, esse in triplici differentia. Nam primo aliqui dicuntur primo primi, hoc est, maximè primi, suntque illi, qui vel ex suggestione mali dæmonis, vel ab extrinseco per visum, auditum, &c. vel ex naturali dispositione & infirmitate excitati omnem rationis deliberationem præveniunt; ut proinde in hominis potestate non sit eos cohibere vel impedire. Secundò, alii motus vocantur secundo primi, nempe illi, qui quidem perfectam rationis deliberationem antecedunt, sequuntur tamen considerationem ac de-

deliberationem imperfectam: quo fit, ut cum consensu semiplenè deliberato exerceantur; quemadmodum evenire solet in semiebriis, semidormientibus; imò etiam in sobriis & vigilantibus; sed animum propter vehementiam passionis, vel distractionem aliquam &c. non ita compositum ac præsentem habentibus, ut ad id, quod agunt, vel saltem ad actionis malitiam plenè advertant, ejusve periculum satis apprehendant. Tertiò; sunt alii motus, qui plenam atque perfectam rationis deliberationem sequuntur; ita ut eorum malitiam non solùm plenè advertat intellectus, sed etiam voluntas pleno consensu amplectatur.

5 Ulteriùs notandum est, intellectum nostrum à Theologis secundùm diversa munia distingui in rationem superiorem & inferiorem, eisque ex parte voluntatis correspondere portionem superiorem & inferiorem. Ratio inferior est, quæ ex humanis tantùm & temporalibus motivis, putà commoditatis ac delectabilitatis, judicat de aliquo actu, v. g. esse comedendum, esse inimicum occidendum, eò quòd sit utile aut delectabile. Ratio superior est, quæ secundùm rationes æternas honestatis, vel inhonestatis de actu fert sententiam: v. g. non esse comedendas carnes, die Veneris, eò quòd repugnet præcepto Ecclesiæ; non esse occidendum inimicum, eò quòd adversetur legi charitatis: esse comedendum, eò quòd comedere moderatè, suo loco ac tempore, honestum sit. Ut voluntatis consensus sit moraliter bonus, debet elici secundùm rationes æternas; ut sit moraliter malus sive ad culpam imputabilis, debet elici præter aut contra considerationem antecedentem rationum æternarum, ita ut voluntas magis patiatur se moveri rationibus delectabilis aut utilis, quàm honesti; sicut explicat & ex D. Thoma deducit Laym. lib. 1. tr. 3. cap. 5. n. 13.

6 Supponendum est præterea tanquàm fide certum ex Trid. Concil. sess. 5. in dect. de pecc. orig. contrà hæreticos nostri temporis, neque fomitem concupiscentiæ, id est, habitualem inclinationem appetitus sensitivi in motus inordinatos, neque ipsos motus ejusdem, qui vel omnem rationis advertentiam præveniunt, vel quos inviti patimur, esse peccata mortalia. Ratio sufficiens est à priori, quòd nihil sit peccatum mortale, imò nec veniale, nisi sit voluntarium: sed neque fomes concupiscentiæ, neque memorati motus sunt nobis voluntarii; imò sæpissimè sunt involuntarii: ergò non sunt peccata. Vid. Paulus Mezger tr. 6. disp. 21. a. 2. n. 4. & seqq. Nunc ad quæstionem in n. 4. motam

7 Respondeo. Motus sensualitatis independenter ab omni actuali vel interpretativo voluntatis consensu, sive ut prævenientes omnem actualem motionem ejusdem non sunt peccata etiam venialia. Ita contra Cajetanum, Salmanticenses, Gonetum & alios alii Theologi. Deducitur ex S. Script. Matth. 15. & Marci 5. ubi dicitur, quòd *illa solà coinquinent hominem, quæ exeunt ex corde*, hoc est, voluntate: adeòque; quod voluntarium non est, sicut non sunt prædicti motus, non possit imputari ad culpam. Unde & S. Augustinus in lib. de duab. animab. dicit: *Non nisi voluntate peccatur.* Huc etiam facit doctrina Concilii Trid. loco cit. definientis, *concupiscentiam, quæ in baptizatis manet, non nocere non consentientibus.* Atqui noceret non consentientibus, si vera esset sententia adversa; ergo &c.

Probatur etiam responsio ratione S. Thomæ in 2. dist. 24. q. 3. a. 2. Omne peccatum est actus moralis, sive humanus: sed motus appetitus sensitivi absque influxu aliquo voluntatis non est actus moralis; ergo motus appetitus sensitivi absque influxu aliquo voluntatis non est peccatum. Maj. constat. Mi. prob. quia juxta relatum S. Doctorem actus humanus sive moralis ille est, qui ex deliberata voluntate procedit; adeóque, qui est ab homine, ut homo & dominus est suorum actuum: sed absque omni exercitio & influxu voluntatis nullus actus est ab homine, ut homo & dominus est suorum actuum; ergo absque influxu voluntatis nullus actus est moralis, sive humanus: & consequenter nec motus sensualitatis erit actus moralis absque ejusmodi influxu.

8 Respondent, ut motus sensualitatis sint morales & ad culpam imputabiles, satis esse, quòd sint à voluntate ut influere ac movere potente, quamvis non sint ab ipsa ut exercitè influente. Illud autem fieri inquiunt, quando ratio eos motus advertit quidem, sicque voluntatem constituit in potentia eisdem resistendi, ista tamen actu neque consentit neque resistit.

Sed contrà est primò, quòd ad actum moralem & humanum, qui sit imputabilis ad peccatum, non sufficiat dominium voluntatis merè habituale & potentiale, sed requiratur dominium exercitum & actuale: atqui voluntas præcisè ut potens influere ac movere est solùm constituta in dominio habituali & potentiali; ergo non sufficit, ut actus sit moralis & ad peccatum imputabilis, quòd voluntas sit potens movere & influere, sed requiritur, ut exercitè influat.

Contrà est secundò, quòd voluntas potens & obligata resistere motibus sensualitatis & non resistens interpretativè consentiat;

sed

sed quoties in sensualitate est peccatum, toties voluntas potest & debet resistere illius motibus inordinatis; prout etiam fatetur Gonet; ergo quoties in sensualitate est peccatum, toties voluntas interpretativè consentit: & consequenter in appetitu sensitivo nunquam datur peccatum absque consensu saltem interpretativo voluntatis.

9 Ex dictis habetur, motus primo primos, quorum meminimus in n. 4. nec esse peccata mortalia, nec venialia; motus autem secundo primos esse peccata venialia; motus demum plenè deliberatos nunc esse peccata mortalia, nunc venialia. Ratio primi ex n. 6. est, quòd motus primò primi nullo modò sint nobis voluntarii. Ratio tertii & secundi est, quòd motus plenè deliberati sint perfectè voluntarii ac liberi; motus verò secundo primi sint solùm imperfectè liberi: ergo illi quando versantur circa materiam graviter illicitam, peccata mortalia, si circa leviter prohibitam, erunt peccata venialia: isti ob imperfectionem advertentiæ & deliberationis erunt peccata venialia, licèt materia, circa quam occupantur, sit graviter prohibita & illicita.

§. II.

An morosa delectatio sit peccatum mortale?

SUMMARIUM.

10. *Delectatio alia est de cogitatione rei malæ, alia de re mala cogitata, alia de modo rei malæ.* 11. *Quid delectatio sensibilis, quid rationalis.* 12. *Delectatio de cogitatione, vel modo rei illicitæ ingenioso &c. non est peccatum per se loquendo.* 13. *Potest tamen esse per accidens.* 14. *Notatur & exponitur specialis hic difficultas in materia luxuriæ.* 15. *Delectatio voluntaria de re mala cogitata semper est mala mortaliter, venialiter.* 16. *In materia verò luxuriæ ejusmodi delectatio semper est mala mortaliter.*

10 PRæsens quæstio institui potest primò de delectatione circa cogitationem rei malæ. Secundò, de delectatione circa rem malam cogitatam. Tertiò, de delectatione circa aliquam circumstantiam, aut modum delectabilem rei malæ. De cogitatione rei malæ, v. g. fornicationis, delectamur, quando formale motivum delectandi est ex ipsa cogitatione tanquam objecto pulchro & jucundo. De re mala cogitata delectamur, quando formale motivum delectandi ex ipsa re est, v. g. in fornicatione, ita ut cogitatio sit solùm conditio applicans & proponens rem cogitatam. De modo rei malæ, v. g. furti, delectamur, quando formale motivum delectandi est ex modo delectabili, quo committitur opus prohibitum. Sic in Comicis exhibitionibus, ubi repræsentantur ingeniosa furta, solemus delectari, non quòd placeat ipsum opus injustitiæ; sed quod placeat modus furandi ingeniosus.

11 Ante resolutionem nôsse quoque oportet discrimen inter delectationem sensibilem, & delectationem rationalem. Sensibilis est, quæ ex imaginatione operis illiciti ac delectabilis oritur in appetitu sensitivo, éstque conjuncta cum aliqua alteratione, vel immutatione corporis per motum spirituum vitalium circa cor, vel eorum, qui humanæ generationi serviunt in partibus interioribus, quando nempe delectatio est Venerea. Delectatio rationalis est, quæ post objectum delectabile ab intellectu propositum oritur in ipsa voluntate & appetitu rationali, éstque actus complacentiæ vel de cogitatione rei, vel de re ipsa cogitata, vel de modo aliquo ejusdem, aut circumstantia quæcunque. Quamvis autem certum sit, has delectationes realiter distingui, propter naturalem tamen connexionem ac sympathiam, quam habent inter se voluntas & appetitus sensitivus, planè difficillimum est eas ita separare, ut datâ unâ non detur re ipsa & surgat altera. Nobis sufficit, eas posse separari in ratione voluntarii, ut certè possunt. Sæpè enim delectatur appetitus invita ac reluctante voluntate secundùm portionem superiorem: sæpè quoque delectatur voluntas de re quapiam, quam refugit, & à qua abhorret appetitus sensitivus.

12 Dico primo. Delectari de cogitatione, vel aliquo modo ingenioso aut artificioso delectabili rei illicitæ nullum est peccatum per se loquendo. Ita communis. Ratio est: quia voluntariè delectari de re non mala non est malum: sed delectari de cogitatione, vel modo quopiam mirabili ac delectabili rei malæ seu illicitæ est delectari de re non mala; ut patet; ergo non est malum.

Confirmatur. Deus & angeli de facto gaudent de perfecta cognitione, quam habent, non tantùm bonorum, sed etiam malorum operum, quæ facimus; imo & modorum quorumcunque, quibus ea facimus: ergo de cognitione similium delectari non est malum.

13 Dictum est autem in concl. *per se loquendo*. Nam per accidens fieri potest, ut ejusmodi delectatio sit peccaminosa, idque primò ratione finis mali, si ad talem ordinetur. Tunc enim malitia finis refunditur in

in delectationem; sicut refunditur in quamlibet aliam actionem ex specie sua bonam, v. g. in auditionem Missæ, in largitionem eleemosynæ dum fiunt furandi aut fornicandi gratia; ut constat ex disp. præced. a. 2. n. 8. & 9. Eadem delectatio fit mala secundo ratione moralis periculi, ne transeat ad ipsum opus seu rem illicitam: quod periculum præcipuè imminet ex cogitatione rerum obscœnarum; magis tamen ex aspectu externo, quàm sola cogitatione similium: nam aspectus multò celeriùs imaginationem commovet, vehementiúsque libidinem excitat. Atque hinc D. Antoninus & plures alii Theologi, uti testantur Salmanticenses tr. 13. qui est de pecc. disp. 11. dub. 2. n. 28. docent absolutè, esse peccatum mortale videre turpia, quod non docent de aspectu duelli, pugnæ injustæ & similium. Tertiò fit mala hæc ejusmodi delectatio ratione scandali: ut, si vir gravis & religiosus ejus capiendi causâ coram pusillis spectet ludum theatralem, in quo obscœna repræsentantur: tunc enim haud dubiè illis scandalum præbet, qui simul adsunt, quamvis ipse nullum de cærero supponatur incurrere alterius peccati periculum. Vide Salmanticenses à n. 26. & ea, quæ §. præced. n. 2. diximus.

14 Etsi verò doctrina conclusionis nunc assertæ & expositæ communiter recepta sit, in praxi tamen difficillimum esse judicatur decernere, sitne delectatio de cogitatione, aut modo tantùm rei illicitæ, an de re ipsa illicita, dum versamur intra genus Venereum: nam de aliis non apparet tanta difficultas. Aliqua tamen signa traduntur ab Authoribus, quæ ad formandum in hac materia prudens judicium servire possunt, & ad existimandum, delectationem esse de cogitatione tantùm aut modo rei turpis. Primum est, si expressam habeas displicentiam operis inhonesti, & interroganti, an placeat? Mox responderes, id minimè placere. Secundum, si cogitatio de re illicita oriatur ex causa vel occasione honesta ac licita, qualis sunt exceptio Confessionum, lectio necessaria ad aliorum instructionem, studium casuum, artis Medicæ &c. ubi nihil refert, si delectatio oriatur in appetitu sensitivo: quia præsumeris eidem non consentire: quod non præsumeris, si cogitatio oriatur ex causa insufficiente, vel omninò mala, v. g. ex colloquio inutili, lectione vana, curiosa &c. Tertium, si perinde afficiaris erga elegantiam aut artificium repertum in objecto turpi, acsi illud videres, legeres &c. in re indifferenti aut honesta. Nam si magis te delectet ars vel elegantia rei turpis quàm honestæ non minus artificiosæ vel pulchræ, meritò censeris non tam de cogitatione, aut modo rei turpis, quàm de ipsa re turpi cogitata delectari. Hinc merito non excusantur à consensu in ipsam delectationem libidinosam, qui sub prætextu elegantis styli legunt libros obscœnè scriptos, vel sub prætextu artificii Musici cupidè audiunt inhonestas cantiones; cùm tamen libros honestos ac pios, sicut & cantus de rebus sacris, etiam elegantiores fastidiunt, aut saltem minori aviditate legunt, vel audiunt. In eodem peccato hærere putandi sunt, qui frequentiùs ac libentiùs loquuntur de obscœnis partibus corporis, earúmque morbis, medicinis, tegumentis, aliisque ad eas pertinentibus, quàm de cæteris membris, dum nempè dant operam studio artis Medicæ, aut libros legunt, in quibus agitur de similibus. Vid. Castrop. tr. 2. disp. 2. pu. 10. §. 1. n. 5. Salmantic. loco cit. n. 25. & 27. Sporer. tr. 1. proœm. cap. 6. sect. 4. n. 30. Paulus Mezger tr. 6. disp. 21. a. 4. n. 3.

Dico secundò. Consensus in delectatio- 15
nem de re mala cogitata semper est malus, & quidem pro qualitate objecti peccatum vel veniale, vel mortale. Sic delectatio voluntaria v. g. de officioso mendacio, aut immoderata comestione peccatum veniale est: delectatio verò voluntaria de fornicatione v. g. ebrietate, aut homicidio peccatum mortale est. Ita communiter DD. Catholici cum D. Thoma 1. 2. q. 74. a. 8. Ratio concluf. est: quia consentire in delectationem de objecto illicito est consentire, ut inclinatio appetitûs conformetur ejusmodi objecto, ac proinde hauriat ex illo speciem & qualitatem malitiæ: atqui in hoc consentire abhorret à recta ratione; ergo &c.

Confirmatur. Delectatio & operatio ad idem genus reducuntur. Hinc ad justitiam v. g. pertinet non solùm operari justa, sed etiam delectari de operibus justis: ergo quemadmodum deliberatè delectari de opere honesto & laudabili honestum & laudabile est, ita è contra deliberatè delectationem capere ex opere inhonesto, turpi, & illicito inhonestum, turpe, illicitum & vituperabile est.

Dico tertiò. Consensus in delectationem 16
de re Venerea extra statum matrimonii est semper peccatum mortale, sive ea delectatio sit sensibilis, sive rationalis tantùm; hoc est, sistens in sola voluntate. Ita rursus communis & receptissima sententia. Ratio est: quia delectatio Venerea, sive oriatur in appetitu sensitivo, sive sistat in voluntate, graviter repugnat rectæ rationi. Nam inprimis illa, quæ oritur in appetitu sensitivo, sive sensibilis, importat commotionem spirituum humanæ generationi servientium naturâ suâ tendentem ad actum generationis media expulsione seminis inchoandum. Hoc autem appetere extra statum matrimonii, sicut est contra institutum naturæ, ita gravem habet deformitatem regulis rectæ rationis adversam. Altera verò delectatio, quæ manet & peragitur intra voluntatem, est causa proxima per se incitativa ad motus libidinosos: eóque illam absque gravi necessitate & utilitate deliberatè admittere gra-

ve semper peccatum est. Præterea; omnis affectus, quo voluntas deliberatè amat opus mortaliter malum, est mortaliter malus: sed delectatio rationalis de opere Venereo est talis affectus, tametsi sistere supponatur in voluntate; ergo &c.

§. III.

Resolutiones ex dictis.

SUMMARIUM.

17. *An & quomodo licitum sit aliquando delectari de pollutione &c.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Quæ circa delectationem morosam prohibita, aut licita sint conjugatis.* 25. *An licitum sit delectari de ideo malis, quia prohibitis?* 26. *Discrimen inter desiderium & delectationem.* 27. *Nunquam est licitum delectari de ideo prohibitis, quia malis.* 28. *Solvitur objectio quædam Castropalai.* 29. *Quale sit peccatum gloriari de opere malo?*

17 Resolutio prima. Nullo quidem modo licitum est delectari de pollutione, vel concubitu fornicario etiam inculpabiliter, v.g. in somno, vel amentia, contingentibus; licitum tamen est aliquando delectari de effectu ex iisdem secuto, v. g. de sedatione tentationis, solutione naturæ &c. Castropal. tr. 2. disp. 2. pu. 10. § 2. n. 10. plures referens: estque communis sententia quoad utramque partem. Ratio primæ est: quia talis delectatio est causa per se incitativa ad motus libidinosos & pollutionem novam. Ratio secundæ partis est: quia tunc objectum delectationis non est malum. Ob quam eandem rationem docent idem Castropal. n. 11. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 8. n. 8. Sporer tr. 1. proœm. cap. 6. sect. 4. n. 34. & alii ab his relati, licitum esse etiam desiderare, ut pollutio metè naturalis & omninò involuntaria in somno eveniat, dummodò desiderium non sit adeò intensum, ut probabiliter causet ejusmodi pollutionem; neque sit periculum consensûs in eam voluptatem.

18 Resolutio secunda. Conjugibus post emissum votum castitatis non est licitum delectari de copula antè legitimè exercita, vel post exercenda. Thomas Sanchez, Basil. de Leon., Vasquez, quos refert & sequitur Castropal. n. 12. Ratio est: quia, licèt ea delectatio non sit illicita ex objecto, illicita tamen est ob votum castitatis: hoc enim supposito ac subsistente probibita est omnis carnalis delectatio illis, qui eo ligantur, & quamdiu ligantur. Quòd si unus solùm conjugum castitatem voverit absque consensu alterius; adeòque non deobligetur à redditione debiti; putant aliqui, memoratam delectationem illi conjugi non esse prohibitam; eò quòd copula ipsa, cujus potest esse causa & initium, non sit prohibita. Sed longè melius dicitur, eam delectationem in illo quoque casu esse prohibitam conjugi ratione voti: nam vi hujus tenetur ex sua parte abstinere ab omni delectatione carnali, à qua abstinere potest sine injustitia erga alterum conjugem: sed potest ab illa delectatione abstinere sine injustitia; ergo tenetur. Neque refert, copulam, cujus delectatio potest esse initium, non esse prohibitam; quia ipsa non redditur illicita ratione copulæ, sed ratione voti. Vid. Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 44. n. 25. Castropal. loco cit.

19 Resolutio tertia. Conjugatis per se loquendo licita est delectatio morosa, cùm de copula carnali inter se se, tum de cogitationibus, aspectibus, colloquiis, osculis, amplexibus, ac tactibus quibuscunque. Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 7. n. 32. Sanchez de Matr. lib. cit. disp. 45. n. 33. Sporer ubi supra n. 43. Ratio est: quia delectatio de rebus licitis est licita: sed copula carnalis, & cætera, quæ memoravimus, in conjugatis sunt licita; ergo & delectatio de illis est licita. Mi, quod attinet ad copulam, omnibus perspicuè vera est. De tactibus, osculis, aspectibus &c. similiter patet: cùm enim sint media aut dispositiones ad copulam tanquam rem licitam naturaliter tendentes, ipsa quoque sunt licita.

Dixi autem *per se loquendo*, propter casus aliquos exceptos. Primus est, quando uterque, vel alteruter conjugum vovit castitatem, de quo in n. 18. diximus, estque hìc discurrendum proportionaliter. Secundus est, quando aspectus, oscula, tactus & similia non animò coeundi, sed solius delectationis gratiâ exercentur: tunc enim venialem culpam continent tanquam excessus in re aliàs licita. Tertius est, quando prævidetur manifestum periculum pollutionis in alterutro conjuge, si osculo petatur, vel turpiter attrectetur: quemadmodum fieri potest in loco, ubi non statim exerceri potest copula. Tunc enim ejusmodi osculum vel tactus mortale peccatum erunt. Tactus tamen ob justam causam v.g. medendi, etiam in memorato periculo excusari possunt ab omni peccato: quod idem cogita de aspectibus. Quartus est, quando practicè dubitatur de valore matrimonii: quia sic dubitanti copula, & alii actus ad eandem ordinati non sunt liciti, nisi petantur à comparte, quæ supponitur esse in bona fide circa valorem matrimonii: consequenter neque delectatio de talibus erit licita non suppositâ petitione. Si uterque conjunx versatur in eo dubio practico, neutri licet petere, uti per se constat. 20

Resolutio quarta. Quando abest periculum pollutionis, probabilius est, non peccare mortaliter conjugem, si absente altero conjuge, delectetur de copula cogitata ut præsente. Ratio est: quia matrimonium efficit, ut in conjugato hæc delectatio non sit de objecto illicito, graviter saltem. Filliuc. tr. 21. cap. 8. n. 294. ubi refert pro se Paludanum, Cajetanum, Armillam & alios, monetq; conjugibus, ne indicant in peccatum mortale, consulendum esse, ut abstineant ab ejusmodi delectationibus; cùm & tutius sit, & facilè in eas, si assuescant, labantur etiam soluto matrimonio. 21

Resolutio quinta. Conjunx mortaliter peccat, si in actu conjugali sibi imaginetur aliam personam carnaliter dilectam, atque in ea delectetur. Sanchez de Matrim. lib 9. disp. 17. n. 6. Sporer ubi suprà n. 44. Paulus Mezger tr. 6. disp. 21. a. 4. n. 18, estque sententia ab omnibus recepta. Ratio est: quia talis delectatur de altera persona tanquam præsente loco conjugis: sed hoc est delectari de objecto hic & nunc mortaliter illicito; ergo &c. Addit tamen Sanchez, purgari posse à peccato mortali eam delectationem, si in sola personæ pulchritudine sistat: tunc enim perinde fore, acsi talis de pulchritudine arboris v. g. delectetur, ut excitetur ad actum conjugalem. Verùm propter summam difficultatem cohibendi delectationem intra eos limites, id nemini permittendum, sed vehementer dissuadendum est, ut idem meritò admonet. 22

Resolutio sexta. Neque viduis de copula exercita, neque sponsis de copula exercenda tempore matrimonii delectari est licitum, sive ea delectatio sit voluntatis tantùm, sive etiam appetitûs sensitivi. Sayr. in clavi reg. lib. 8. cap. 7. n. 24. Filliuc. n. 295. Castropal. ubi suprà n. 7. Paulus Mezger n. 16. & alii communiter. Ratio est: quia licèt objecta hujus delectationis, quatenus repræsentantur ut præterita aut futura, non sint illicita, quatenùs tamen repræsentantur ut præsentia, sic continent gravem turpitudinem contra rectam rationem; cùm de præsenti excitent delectationem, quæ naturâ suâ vel incitat, (si est rationalis) vel tendit (si est sensitiva) ad motus libidinosos, actumque generationis inchoandũ: quod viduis non amplius, sponsis nondũ est 23

lici-

licitum. Atqui illa objecta, quatenus terminant delectationem, practicè repræsentantur ut præsentia, licèt speculativè apprehendantur ut præterita vel futura: quia delectatio non respicit objectum ut præteritum aut futurum, sed quatenùs vi apprehensionis redditur præsens.

Unde nihil refert, si dicas: Actus conjugalis præteritus, de quo vidua, & futurus, de quo sponsus delectatur, est licitus: ergo & delectatio de eodem est licita: cùm juxta Aristot. 10. Ethicor. cap. 3. & cap. 5. operatio & delectatio habeant eandem bonitatem. Respondetur enim ex Castropal. n. 8. & Paulo Mezger loco cit. dist. ant. actus conjugalis præteritus, vel futurus est licitus relatè ad statum præteritum vel futurum, conc. relatè ad statum præsentem, quem habet in imaginatione vel intellectu, neg. ant. ergo & delectatio de eodem actu est licita, neg. conseq. quia neque est licita relatè ad actum conjugalem quatenùs repræsentatum sub statu præsenti, ut primùm vidimus; neque relatè ad eundem quatenùs repræsentatum sub statu præterito vel futuro; cùm non respiciat suum objectum quatenùs futurum vel præteritum. Ad authoritatem philosophi dicitur, illam valere, si operatio sub eo statu, sub quo est objectum delectationis, habeat bonitatem: atqui operatio, de qua loquimur, nempè copula conjugalis in non conjugatis, pro statu præsenti, sub quo est objectum delectationis, non habet bonitatem, licèt habuerit pro statu præterito, & habitura sit pro statu futuro, sub quibus non respicitur à delectatione.

Resolutio septima. Non est peccatum
25 mortale delectari de iis absolutè & secundùm se, quæ ideò tantùm sunt mala, quia vel lege positiva, vel voluntariò voto prohibita. Filliuc. n. 286. Castropal. n. 22. Laym. tr. 3. cap. 6. n. 9. Paulus Mezger n. 12. & Theologi communiter. Ratio est: quia in similibus fit, ut intellectus præscindat ab extrinseca prohibitione, objectúmque ita præcisum repræsentet voluntati, & hæc in illud quatenus ita repræsentatum feratur per simplicem delectationem. In quo sanè statu repræsentationis sicut objectum nullam, ut vides, involvit malitiam, ita nullam potest tribuere delectationi; quæ proinde non erit moraliter mala, nisi fortè ex aliqua circumstantia vitietur. Quare, ut rem illustremus exemplis, qui videns in Quadragesima ægrotum vesci carnibus, delectatur de esu carnium absolutè & præscindendò à conditione temporis prohibiti, non peccat contra præceptum Ecclesiæ: quia esus carnium in hac abstractione nullam importat malitiam objectivam. Similiter Religiosus votò paupertatis adstrictus, si visò acervò pecuniæ sibi cogitatione repræsentet ejus possessionem, ac potestatem propria authoritate de illa disponendi, secundùm se, & abstrahendo à conditione statûs Religiosi ac voti, inque ea sic repræsentata delectetur, non peccat contra votum paupertatis: quia objectum hujus delectationis nullam continet malitiam repugnantem obligationi voti. Aliud longè est, si ejusmodi objecta, quæ solo jure positivo, aut voto voluntario sunt prohibita, sine abstractione sumantur cum omnibus suis conditionibus, in quibus posita hîc & nunc prohibitioni immediatè subsant; ut esus carnium in Quadragesima respectu sani, nec aliunde exempti; possessio & elargitio pecuniæ independens à voluntate superiorum in Religioso quatenùs ex voto profitente paupertatem: nam de objectis ita constitutis nullo modo licitum est delectari: quia prout sic, cùm absolutè connotent prohibitionem, mala sunt & illicita. Vid. Laym. loco cit. Salmanticenses tr. 13. qui est de pecc. disp. 11. dub. 2. n. 21.

Sed objicies contra nostram doctri- 26
nam. Non est licitum desiderare & efficaciter velle esum carnis in Quadragesima, tametsi desiderans nolit eas comedere; quatenùs sunt prohibitæ: ergo nec licitum erit eo tempore delectari de esu carnium. Respondeo: neg. conseq. disparitas redditur ex discrimine, quod est inter voluntatem efficacem, & simplicem complacentiam seu delectationem. Nam illa sequitur conditionem operis ut exequendi; adeòque tendit in objectum cum omnibus suis adjunctis seu circumstantiis: è contra simplex delectatio, cùm non sit voluntas executiva, sequitur conditionem objecti, ut est in apprehensione, quæ aliquando præscindit ab uno vel altero eidem adjuncto. Igitur voluntas efficax comedendi carnes in Quadragesima mala est; quia tendit in opus ut exequendum, quod ut tale non potest non importare malitiam: delectatio autem dari potest absque omni culpa; quia ferri potest in substantiam comestionis secundùm se, & prout apprehensam absque extrinseca legis Ecclesiasticæ prohibitione, ubi nullam importat malitiam objectivam.

Resolutio octava. In materia gravi sem- 27
per peccatum mortale est delectari de objecto jure naturæ prohibito. Ita Lessius, Sanchez, Corduba, Vasquez & alii, quos refert & sequitur Reding. to. 2. q. 13. a. 1. contr. 1. Ratio est: quia, quæ jure naturæ prohibentur, ut furtum, homicidium, blasphemia & similia, cùm secundùm se & extrinsecè mala sint, atque rectæ rationi repugnent, secundùm se, & ab intrinseco prohiberi exi-

exigunt, neque per ullam rationis abstractionem ab hac exigentia, ac proinde neque ab objectiva malitia, separari possunt, salva eorum substantia. Et consequenter de similibus delectari non potes, quin delecteris de iisdem quatenus substantibus prohibitioni legis naturalis; & involventibus malitiam objectivam. Vid. Salmanticenses loco cit. n. 20.

28 Objicit Castropal. ubi supra. Licitum esse potest furtum in gravi necessitate: similiter licitum est homicidium publica authoritate factum. Si ergo quis delectetur de horum actuum substantia, non sequitur, eum delectari de illis, quatenùs mali sunt: cùm & boni & mali esse possint secundùm diversas circumstantias, in quibus fiunt. Atque hinc ille quoque non est damnandus culpæ mortalis, qui fingens se ducem in bello injusto delectatur de strage hostium à se edita & similibus.

Respondeo, quod attinet ad furtum in gravi, & non extrema necessitate, negandô, id esse licitum. Cùm sententia hoc asserentium sit propositio 36. inter damnatas ab Innoc. XI. de quo plura in tract. de Jure & Just. Sed nempe Castropalao scripsit ante hanc damnationem. Deinde, quamvis daremus, furtum in gravi necessitate posse esse licitum, tamen hoc exemplum ad rem non esset; quia furtum, quatenus potest esse licitum, non substat prohibitioni juris naturalis, ut patet in illo, quod fit in extrema necessitate. Similiter nec homicidium, quatenùs est occisio hominis publicâ authoritate exercenda, subest legi naturæ prohibenti, sed quatenùs est occisio privatâ authoritate exercenda. Sed neque homicidium ut sic (idem cogita de furto) & quatenus præscindit à circumstantiis, in quibus fieri potest, jure naturæ prohibitum est; sicut prohibita est infidelitas, aut blasphemia: cùm aliàs nunquam fieri posset licitè. Quare nec istud, nec illud exemplum conducit ad intentum. Qui in bello injusto delectatur de strage hostium à se edita, quatenus illa mala hostibus, & damnifera est, planè damnari meretur peccati mortalis: quod non meretur, si delectetur tantùm de strategemate, astúque bellico, quo hostibus cladem intulit, ut constat ex §. præced. n. 12. & ex §. 1. n. 2.

Resolutio nona. Jactantia seu gloriatio
29 de opere malo, quatenùs id malum est, semper est peccatum mortale, si opus graviter malum est, v. g. fornicatio, homicidium, ebrietas. Laym. ubi suprà, n. 9. Paulus Mezger n. 13. Ratio est: quia hujusmodi gloriatio continet voluntariam complacentiam & approbationem gravis peccati; quæ haud dubiè graviter repugnant rectæ rationi.

Dixi autem, *de opere malo, quatenus id malum est.* Nam gloriari de aliquo peccato sub aliquo modo illius secundùm se non malo non est graviter illicitum: quia in ejusmodi gloriatione non includitur complacentia & approbatio malitiæ. Unde non peccat mortaliter, qui gloriatur v. g. de corporis viribus, quibus alterum superavit in epotandis calicibus, ebriumque in symposio reliquit: vel proximo die Veneris quatuor libras carnis athleticè, ac magno gustu comedit: vel inimicum unico pugno, aut ictu prostravit. Dixi rursus, *si opus graviter malum est.* Nam de opere venialiter malo gloriari, v. g. de jocoso mendacio, utique non transcendit culpam venialem.

§. IV.

Adduntur antè dictis nonnullæ quæstiones.

SUMMARIUM.

30. *Conditionum appositarum rei illicitæ alia tollit, alia non tollit malitiam.* 31. 32. *Non est mortale peccatum de re mortaliter mala delectari sub conditione auferente malitiam.* 33. *Plerumque tamen est peccatum veniale.* 34. 35. *Ejusmodi delectatio peccatum mortale est, si conditio apposita non tollit malitiam.* 36. 37. 38. *& seqq. Explicatur difficultas, an delectatio morosa contineat omnes malitias operis externi?* 45. *An sit peccatum tristari de bono?*

QUæstio prima. An sit mortale peccatum desiderare rem mortaliter malam, & illicitam, vel de illa delectari sub conditione, si illicita non esset? Ante responsionem nota, dupliciter ad præsens institutum habere se posse conditionem appositam rei illicitæ. Primò ita, ut verè auferat ejus malitiam: quemadmodum solet accidere non tantùm in iis, quæ jure positivo solùm prohibita sunt; v. g. *Vellem hodie carnes comedere, nisi esset dies ab Ecclesia interdictus: eras non audirem Missam, nisi præcepisset Ecclesia:* sed etiam in iis, quæ jure naturæ sunt prohibita: nam & hujus generis multa cohonestari possunt per appositam conditionem: v. g. *Si judex essem, malefactorem istum occiderem: si haberem à Deo potestatem prædandi, vellem prædari &c.* Secundo ita potest se habere conditio, ut non verè auferat malitiam operis prohibiti: v. g. *Si volare possem, hominem istum occiderem: nisi Sacerdos essem, vellem fornicari.* In quo exemplo tol-

30

tollitur malitia sacrilegii, sed non tollitur malitia simplicis fornicationis. Nunc

31 Respondeo primo. Quando conditio apposita verè aufert malitiam, tunc non est peccatum mortale desiderare rem mortaliter malam sive illicitam, deque eadem delectari sub tali conditione. Ita communis sententia. Ratio est: quia nonnisi voluntas rei malæ est mala: sed desiderium ejusmodi inefficax & simplex delectatio, quæ fertur in objectum sub conditione verè auferente ejus malitiam, non est voluntas rei malæ; ergo non est mala. Atque hinc

32 Sequitur, non esse mortale peccatum, si conjugatus dicat, *ducerem aliam uxorem, si ista esset mortua*: vel Religiosus, *ducerem uxorem, nisi voto castitatis essem adstrictus*: vel Clericus: *omitterem breviarium, si non essem in sacris Ordinibus constitutus.* Ratio est: quia in his, aliisque similibus conditio adjecta verè aufert malitiam objectivam operis volit.

33 Dixi autem, *non esse peccatum mortale.* Nam plerumque ejusmodi velleitates & conditionata desideria, sicut & delectationes, non ordinantur ad debitum finem, ac proinde sunt actus otiosi & venialiter mali. Unde sa verbo *Peccatum* meritò periculosa, & Cajetanus eod. Verbo fatuas & diabolicas tentationes appellat. Maximè verò cavendum est in materia luxuriæ, nequis animum talibus hypothesibus pascat diutiùs: cùm fieri facilè posset, ut excitarent turpes motus & inchoatam saltem pollutionem non absque periculo consensûs.

34 Respondeo secundo. Quando conditio apposita malitiam ex parte solùm aufert, vel omnino nullam, tunc mortale peccatum est opus ex se mortaliter malum sub tali conditione desiderare, vel in eo delectari. Cajetanus, Sanchez, Armilla & alii, quos refert & sequitur Filliuc. tract. 21. cap. 8. n. 298. Deinde Laym. lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 11. Sporer tr. 1. Pœnit. c. 6. sect. 3. n. 20. Paulus Mezger tr. 6. disp. 21. a. 4. n. 15. Ratio primi est: quia licèt tunc conditio adjecta auferat unam malitiam gravem operis, illud tamen relinquit sub alia, adeoque graviter prohibitum: v. g. in illo exemplo: *nisi Sacerdos essem, vellem fornicari*, conditio tollit malitiam sacrilegii, sed non tollit malitiam simplicis fornicationis, ut diximus in n. 30. Ratio secundi est: quia conditio adjecta, quæ non aufert malitiam objecti, perinde se habet respectu illius, acsi non esset adjecta: ergo sicut objectum supponitur esse objectivè graviter malum, graviterque prohibitum tali conditione non adjectâ, ita etiam tale manet illâ adjectâ. Deinde velle opus intrinsecè malum sub conditione, si non esset malum, aliud non est, quàm optare, ut licita sint, quæ ipso jure naturæ probibentur, nullaque circumstantia honestari possunt, utque adeò ordo & lex naturæ immutetur. Sed ista optare haud dubiè graviter inordinatum ac malum est; ergo.

35 Ex quibus sequitur, mortaliter peccare illum, qui ex animo ac seriò dicit, *vellem blasphemare, fornicari, ulcisci injuriam, si esset licitum, nisi peccatum esset.* Ratio est: quia hujusmodi conditio impossibilis non aufert malitiam objecti intrinsecè mali. Voluntas quoque per talem velleitatem optat arguitivè, ut lex naturalis, rerumque naturæ invertantur. quod pejus est, quàm v. g. velle fornicari, aut homicidium committere. Dixi tamen, *si seriò dicat.* nam si hoc tali modo loquendi quis tantùm intendat significare (ut aliquando contingit) voluntatis suæ vel appetitûs sensitivi inordinatam propensionem, cujus pondere traheretur in consensum circa tale objectum, nisi absterreret legis Divinæ recordatio, tunc meritò excusatur à gravi peccato; cùm non habeat desiderium aut complacentiam operis mali, sed potiùs reprimat ejusmodi affectus. Vid. Paulus Mezger, & Laym. locis citt. ubi posterior adducit aliud exemplum in Religioso v. g. qui dicit: *Nisi Religiosum essem, hunc percuterem.* Hic enim, si verbis istis aliud non significet, quàm animi commotionem se non esse superaturum, nisi Religiosus esset, non peccat: peccat autem, si se ipsum sibi per imaginationem repræsentandò tanquam secularem delectationem capiat ex cogitata percussione hominis, idque vindictæ causæ.

36 Quæstio secunda. An delectatio morosa habeat omnes species malitiæ, quas habet opus externum?

Statum quæstionis ita declaro. Cajus v. g. ex cogitatione de Sempronia sibi consanguinea, & alterius conjuge incidit in delectationem veneream de copula cum illa. In quo opere ultra malitiam simplicis fornicationis datur duplex alia, scilicet malitia incestus ex circumstantia consanguinitatis, & adulterii ex circumstantia uxoris alienæ. Simile quid esset, si Cajus delectaretur de copula cum Titia consanguinea moniali, seu votô castitatis adstricta. Tunc enim in opere illo externo, præter malitiam fornicationis ei propriam, esset malitia incestûs ex memorata circumstantia consanguinitatis, & malitia sacrilegii ex circumstantia voti castitatis. Quæstio nunc est, an morosa hujusmodi delectatio Cáli contineat omnes malitias recensitas, ita ut non tantùm sit in specie simplicis fornicationis, sed etiam in specie incestûs, & adulterii,

vel sacrilegii, sicut esset opus externum, aut propositum efficax de illo?

Ante responsionem advertendum est, in formato casu accessum ad Semproniam (idem est de Titia) Cajo dupliciter posse apparere in intellectu, nempe vel cum ignorantia aut oblivione circumstantiarum consanguinitatis, voti &c. vel cum expressa scientia earumdem, idque vel ita, ut hæ tales circumstantiæ se se habeant ut ratio motiva delectationis, & accessus ad Semproniam specialiter delectet, eò quòd sit consanguinea, aut conjugata: vel ita, ut eæ circumstantiæ non moveant, sed concomitanter solùm se habeant, accessusque ad Semproniam ideo solùm delectet, quia est mulier blanda, pulchra, elegans &c. Si circumstantiæ prædictæ moveant ad delectationem (quod rarò usuvenire existimo) non habet locum præsens difficultas; quia certum est, eas tunc tribuere delectationi suas malitias; sicut certum est non tribuere, dum invincibiliter ignorantur, vel ob naturalem oblivionem animo non occurrunt. Procedit igitur quæstio in hypothesi, in qua tam opus externum, quam persona Semproniæ, ejusque status cognoscuntur â Cajo; circumstantiæ tamen non se habent ut motiva delectationis, sed eidem adsunt concomitanter tantùm. Quibus præmissis,

37 Respondeo primo. Probabile est, delectationem veneream in sensu declarato intellectam non contrahere species circumstantiarum ex parte objecti se tenentium, sed esse in unica specie fornicationis simplicis. Ita Azorius lib. 4. cap. 6. q. 3. Vasquez in 1. 2. disp. 112. Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 7. n. 19. & 20. Filliuc. ubi suprà n. 301. Castropal. tr. 2. disp. 2. pu. 10. §. 4. plures referens. Bonac. in tr. de Matrim. q. 4. pu. 8. n. 18. Paulus Mezger disp. suprà cit. a. 8. n. 4. & alii.

Ratio sumitur ex §. præced. n. 26. quia in hoc differt simplex complacentia & delectatio à desiderio & voluntate efficaci, quòd ista sequatur conditionem operis ut exequendi; adeoque tendat in objectum cum omnibus suis adjunctis & circumstantiis, in quibus ponitur à parte rei: cùm econtra simplex delectatio sequatur conditionem seu statum objecti, quem habet, ut est in apprehensione. Atqui accessus ad Semproniam, qui in præsenti est objectum delectationis, prout est in apprehensione, non afficitur necessariò illis circumstantiis consanguinitatis & conjugii, sed voluntati repræsentari potest ut præcisus ab utraque, & cum sola malitia sibi propria, quæ est malitia simplicis fornicationis. Ergo delectatio, quæ sequitur statum objecti, nempe accessûs ad Semproniam, prout est in hac tali apprehensione, non fertur in objectum ut affectum memoratis circumstantiis speciem mutantibus, sed in illud ut repræsentatum sine iisdem, & cum sola malitia fornicationis simplicis: & consequenter non est delectatio de copula incestuosa aut adulterina, sed solùm de copula fornicaria simpliciter.

Confirmatur. Sicut Cornelia v. g. poterat esse sine conjugio & voto castitatis, ita Cajus eam potest apprehendere, quia apprehendat ut conjugatam, vel votô castitatis adstrictam; quamvis vi alterius cognitionis non ignoret esse conjugatam, vel votô adstrictam. Ergo etiam potest apprehendere copulam cum illa ut sic apprehensa, deque eadem copula delectari ut sic apprehensa. Atqui delectatio de hac tali copula non est delectatio de copula adulterina, vel sacrilega; quia copula, prout est in apprehensione Caii, ab utraque hac malitia præscindit, retenta objectivè sola malitia propria fornicationis simplicis: & consequenter est delectatio ejusdem speciei, cujus esset, si Cornelia esset fœmina re ipsâ soluta, vel nullo voto adstricta: sed tunc esset in specie simplicis fornicationis tantùm; ergo & in nostro casu.

Confirmatur iterum. Non eo ipso, quòd res in se sit mala, delectatio est mala; quia sistere potest in aliqua ratione boni, quæ inest rei malæ, v. g. in modo ingenioso ac delectabili, quo committitur furtum, raptus sponsæ &c. Ergo similiter, licèt res mala pluribus malitiis mala sit, ut in dato exemplo accessus ad Semproniam vel Titiam; non sequitur, delectationem quoque esse malam omnibus iis malitiis; quia ferri potest in unam tantùm, nempe in aliam, quæ existit in apprehensione, non item in alias, quæ non apprehenduntur.

38 Cæterùm Authores assertæ nunc sententiæ apud Bonac. n. 19. duos casus, in quibus ea non procedat, excipiunt. Primus est, dum conjugatus morosè delectatur de complexu non suæ. Cùm enim non corpus tantùm, sed etiam internum affectum videatur obligâsse conjugi, in ejusmodi delectatione peccat non tantùm contra castitatem sed etiam contra justitiam, cujus obligationem in contractu Matrimonii sibi imposuit.

Hanc tamen rationem Castropal. ubi suprà n. 4. difficilem esse judicat in sententia asserta, juxta cujus doctrinam delectatio non contrahit necessariò omnes malitias objecti, sed illas tantùm, cum quibus ab intellectu repræsentatur voluntati. Cum proinde conjugatus possit præscindere à circumstantia conjugii, seque sibiipsi quasi solutum repræsentare, non apparet, quo pacto eadem circumstantia delectationi tunc

ttribuat

tribuat malitiam injustitiæ. Quod verò dicitur, conjuges se obligâsse ad abstinendum à delectationibus etiam internis circa personas alienas, facilè negatur: tum, quòd ejusmodi delectationes alteri conjugi sint per se incognitæ; adeoque nullius injuriæ illativæ: tum quòd neuter conjugum ratione earum patiatur aliquod detrimentum in usu matrimonii utrimque debito.

Secundus casus est, quando is, qui de rebus obscœnis delectatur, emisit votum absolutum castitatis. Nam hoc tale votum ex intentione voventis ad actus etiam internos extenditur; adeoque vovens eo ipso, quòd turpi delectatione violet castitatem, violat præterea votum, & peccat contra religionem. Aliud est de eo, qui votum restrinxit ad abstinendum ab opere externo tantùm: hic enim non peccat contra religionem, dum internè delectatur, sed tantùm contra castitatem.

Verùm & hæc doctrina ex dictis facilè impugnatur. Licèt enim votum absolutum castitatis ad actus etiam externos extendi supponatur, poterit tamen vovens præscindere à circumstantia voti, ac se ipsum repræsentare sibi tanquam absolutum ab obligatione voti; sicut conjugatus potest præscindere à circumstantia conjugii, seque ipsum apprehendere tanquam solutum. Deinde, si circumstantia personæ sacræ aut voto castitatis obstrictæ, quæ se tenet ex parte objecti, cogitatione ab isto separari potest, ut planè potest in hac sententia; cur non pariter ita separari possit eadem circumstantia, quando afficit operantem? Imò cur ita separari potest circumstantia conjugii afficiens operantem, ut ex Castropalao audivimus; & non similiter circumstantia voti castitatis? Itaque Authores memorati casus istos vel non excipere, vel esse excipiendos aliter probare deberent.

39 Respondeo jam secundo. Multò probabilius est, delectationem morosam in genere luxuriæ contrahere omnes species malitiarum, quas in se continent circumstantiæ ex parte objecti seu operis externi se tenentes: ut proinde delectatio de complexu v. g. consanguineæ conjugatæ non sit tantùm in specie simplicis fornicationis, sed etiam in speciebus incestûs & adulterii. Ita communis sententia apud Azorium ubi suprà, Filliucium n. 300. Bonac. loco cit. Salmanticenses tr. 13. qui est de peccat. disp. 11. dub. 3. n. 54. & alios, qui eandem ita referunt & sequuntur.

Ratio est primo. Quando ab intellectu apprehenditur opus turpe cum circumstantiis graviter illicitis, v. g. accessus ad mulierem alienam, eamque consanguineam & conjugatam, tunc non tantùm malitia primaria ipsiusmet objecti, sed etiam unaquæque ex ejusmodi circumstantiis est ratio integrè sufficiens, propter quam voluntas tale objectum, respuere, affectumque erga illud reprimere debeat; ergo, ubi non reprimit, aut cohibet affectum, sed actu delectationis fertur in illud objectum, delectatio non tantùm ab objecto, sed etiam à memoratis circumstantiis accipit speciem malitiæ. Ant. constat. sicut enim quælibet earum circumstantiarum est sufficiens ratio, propter quam objectum prohibeatur, ita etiam est sufficiens ratio ac titulus, propter quem voluntas ab illo refugere, delectationemque cohibere teneatur. Consequentia ostenditur: quia ad hoc, ut non tantùm objectum malum, sed etiam circumstantiæ speciem malitiæ tribuant delectationi, non est necessarium, ut ipsa malitia earum moveat ad illam; cùm nemo respiciens ad malum operetur; imò nec possit operari ex motione mali quà talis; sed sufficit, si sit ratio, propter quam voluntas meritò cohibere debeat affectum erga tale objectum, & tamen non cohibeat, sed iisdem circumstantiis insuperhabitis per delectationem feratur in illud perinde, acsi nulla pravâ circumstantiâ esset vestitum: tunc enim voluntati circumstantiæ & objectum ut ratione earum prohibitum interpretativè & virtualiter esse volita reputantur; & consequenter omnes eorum malitiæ in delectationem refunduntur.

Confirmatur efficaciter. Circumstantia personæ, v. g. sacræ, quæ delectatur odscœnè, tribuit speciem delectationi, licèt non moveat ad illam, quia ab intellectu apprehenditur ut ratio sufficiens retrahendi voluntatem à delectatione capienda ex objecto turpi, & tamen non retrahit: ergo similiter circumstantia personæ ex parte objecti delectabilis se tenens tribuit speciem delectationi, quamvis non moveat ad illam, nec sit expressè volita; quia ab intellectu apprehenditur ut ratio sufficiens retrahendi voluntatem ab eadem delectatione, & non retrahit. Ant. constat: quia nemo dicere audebit delectationem veneream personæ sacræ aut votô castitatis obstrictæ esse solùm in specie fornicationis simplicis ratione objecti, & non etiam in specie sacrilegii ratione voti afficientis delectatum. Nemo præterea dixerit prudenter, ejusmodi circumstantiam habere se ut motivum ad delectandum: quid enim huc conferat esse Religiosum, esse votô castitatis obligatum? imò talis fortè mallet tunc esse liber ab hujusmodi vinculo. Jam verò conseq.

seq. valet à pari, quamdiu non reddi potest disparitas: quam certè nullam video. Vid. Salmanticenses n. 55.

40 Ratio est secundo. Quia delectatio venerea non ideo tantùm est mala, quia ejus objectum est malum & graviter illicitum, sed etiam, & vel maximè, quia ex natura sua est causa proxima per se incitativa ad motus libidinosos & opus externum, ut suprà §. 2. n. 16. diximus: quo sanè fit, ut, qui deliberatè delectatur delectatione interna de opere turpi externo, se se proximo ad hoc procedendi periculo exponat. Omnibus porrò notum est, peccatum esse proximo peccati periculo se se exponere, & quidem peccatum ejusdem speciei, cujus committendi quis periculo se se exponit. Cùm proinde per delectationem internam quis se se exponat periculo proximo labendi in opus venereum exterius, rectè conficitur, eam delectationem esse peccatum ejusdem speciei, cujus est opus externum; & consequenter esse in specie non tantùm simplicis fornicationis, sed etiam in speciebus incestûs, sacrilegii, & adulterii, si opus externum inquinetur his pluribus malitiis.

41 Colligitur jam primo, quo pacto solvendum sit fundamentum sententiæ oppositæ. Respondetur enim neg. min. nam, cùm Cajus, ut supponimus ex statu quæstionis in n. 36. non tantùm non invincibiliter ignoret eas conditiones & circumstantias personæ, sed etiam expressè cognoscat, & nihilominùs malit delectari de accessu ad personam eisdem affectam, quàm non obstante earum notitia voluntatem à delectatione retrahere; ipsæ quoque implicitè & interpretativè censentur voluntariæ, atque adeò in objecto ejusdem delectationis contentæ. Ad primam Confirmat. neg. Cajum in nostra hypothesi posse apprehendere Corneliam, quia apprehendat implicitè saltem ut conjugatam vel votô castitatis adstrictam. Ad secundam neg. conseq. suppositò, quòd nulla earum malitiarum invincibiliter ignoretur, imò omnes expresse cognoscantur vi alterius cognitionis speculativæ ab eo, qui delectatur: tunc enim omnes implicitè saltem existunt in apprehensione practica operis externi, atque adeò delectationem de illo inficiunt.

42 Colligitur secundo - quando quis delectatur de accessu ad non suam vagè & absque determinatione sive ad certam personam, sive ad certum statum, consanguinitatis, conjugii &c. tunc eam delectationem non esse in alia specie quàm fornicationis simplicis. Ratio est: quia tunc objectum cogitatum nullis afficitur circumstantiis, & consequenter nullam earum, sed suam ad propriam tantùm malitiam, quæ est simplicis fornicationis, tribuit delectationi.

43 Colligitur tertio, in specie adulterii, aut sacrilegii esse illam delectationem, qua quis delectatur de complexu mulieris repræsentatæ tanquam conjugatæ, aut monialis sine determinatione personæ. Ratio est: quia talis, ut delectetur, specialiter sibi objiciendò illum aliquem statum, & nihil aliud determinandò satis ostendit, ad delectandum se moveri ratione statûs, ita ut specialiter delectet esse mulierem conjugatam, aut religiosam. Hanc autem talem delectationem inde fieri adulterinam aut sacrilegam nulli dubium est. Vid. Salmanticenses n. 53.

44 Colligitur quarto, circumstantias personæ, circa quam fuit delectatio venerea, in Confessione explicandas esse. Ita Authores communis sententiæ: imò hoc idem suadent etiam patroni oppositæ. Ratio est: quia juxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. illæ circumstantiæ in Confessione sunt explicandæ, quæ speciem peccati mutant: sed circumstantiæ personæ, de quibus hîc loquimur, mutant speciem peccati, scilicet morosæ delectationis: nam circumstantiæ consanguinitatis eidem tribuit novam specificè malitiam incestûs, circumstantia conjugii malitiam adulterii, circumstantia Religionis aut voti malitiam sacrilegii &c.

45 Quæstio tertia. An à contrario peccatum sit tristari de bono, sicut gaudere seu delectari de malo? Antequàm respondeatur, advertendum est, quædam ista esse bona, ut secundùm se nullam habeant admixtionem mali, molestiæ, aut laboris; ut amare Deum, cumque videre, aut prædestinatum esse: quò etiam pertinent honestates quarumlibet virtutum in abstracto acceptæ: ut colere justitiam, parere majoribus, miserari miseros &c. Alia rursus ita esse bona & honesta, ut admixtam habeant aliquam rationem molestiæ, laboris ac difficultatis, ut jejunare, audire Missam; horas recitare, & regulariter loquendò actus quarumlibet virtutum, prout in exercitio solent occurrere. Nunc

Respondeo. Tristari de bonis primi generis semper est peccatum; non autem tristari de bonis secundi generis. Salmanticenses n. 58. Ratio primi partis est: quia consentire in tristitiam de illis talibus objectis est consentire, ut voluntas habeat aversionem à bono quà tali, ac repugnantiam cum illo secundùm rationem boni. Hoc autem non minùs adversatur re-

ctæ

ctæ rationi, quàm consentire, ut inclinatio appetitûs habeat conformitatem cum objecto malo. Vide suprà in §. 2. quæ n. 15. diximus. Ratio secundæ partis est: quia hujusmodi tristitia non est necessariò de bono, secundùm quod est bonum, sed potest sistere in sola molestia, difficultate, aut labore, qui conjungitur bono: sicut, dum quis delectatur de furto artificioſè commisso, delectatio non fertur in furtum ipsum, sed sistit in modo artificioso concomitante furtum. Sic autem tristari de molestia, difficultate, ac labore repertis in aliquo bono non est illicitum.

§. V.

An homo carnis tentationibus teneatur positivè resistere?

SUMMARIUM.

46. *Quid sit voluntatem negativè se habere erga motus carnis.* 47. 48. 49. *Refertur cum suis fundamentis sententia negativa.* 50. 51. *Refertur similiter sententia affirmativa.* 52. *Quid resistentia efficax, quid inefficax.* 53. *Negativè se habens erga turpes motus peccat mortaliter, si nullo modo resistat.* 54. *Non tamen ita peccat, dum resistit inefficaciter saltem.* 55. *Solvitur instantia.* 56. *Non positivè resistere turpibus motibus peccatum mortale est.* 57. 58. *Respondetur ad argumenta utriusque sententiæ à. n.* 47. *relatæ.* 59. *Corollaria ex dictis.*

46 POstquàm intellectus plenè advertit, carnales motus vel sponte, vel ex obscœni objecti cogitatione aut imaginatione excitatos, voluntas tripliciter se potest habere. Nam vel positivè resistit applicando media his motibus reprimendis idonea: vel positivè eisdem consentit; vel neque consentit positivè, neque dissentit, sed permissivè aut negativè se gerit absque ullo conatu eos efficaciter reprimendi. Et hoc posterius ideo, quòd vel suspendat tunc omnem actum; vel quòd actus, quem exercet, neque sit consensus in delectationem, neque dissensus efficax, sed vel volitio permittendi illam, vel quædam ejusdem simplex displicentia: vel quòd periculum subsit, ne ex conatu resistendi tentationes adhuc vehementiores oriantur: vel quòd de constantia sua & firmitate confisa contemnat memoratos motus tanquam passiones involuntarias ac insufficientes ad se inclinandam.

Quando voluntas positivè resistit modò indicato, non peccat, sed meretur potiùs. Quando positivè consentit, haud dubiè peccat, & quidem mortaliter. Quando negativè se habet, nec adest probabile periculum consensûs, similiter non peccat, si adsit honesta & rationabilis causa illos motus permittendi; qualis est, dum quis ex conatu resistendi prudenter metuit graviores tentationes. Quamvis enim præceptum, *Non concupisces*, quatenùs illo prohibentur omnes venereæ delectationes extra matrimonium, sit negativum; adeoque obliget semper & pro semper; quatenùs tamen eodem præcipitur positiva resistentia in obscœnos motus exercenda, sic est affirmativum, & non pro semper, sed pro tunc obligat, quando vel est periculum consensûs, vel absque incommodo, causâque excusante servari potest, ut sapienter advertit Paulus Mezger to. 2. disp. 21. a. 6. n. 7. De suspensione omnis actûs voluntatis nihil attinet hic dicere: putamus enim, casum illum esse moraliter impossibilem, quidquid sit de possibilitate physica aut metaphysica. Itaque tantùm relinquitur dubium, an quis solâ animi & constantiæ confidentiâ nixus, ac velut ex contemptu istorum motuum absque peccato mortali possit non resistere positivè, seque proinde habere negativè erga eosdem?

Prima sententia docet, quando abest 47
periculum consensûs, tunc habere se negativè non esse peccatum mortale. Ita S. Bonaventura, Cajetanus, Adrianus Gerson, Corduba, Navarus, Th. Sanchez, Alvarez, Castropalao. & alii plures, quos referunt & sequuntur Salmanticenses tr. 13. qui est de pecc. disp. 20. dub. 5. n. 180. ubi etiam ostendunt, huic sententiæ plurimùm favere D. Thomam q. 15. de verit. a. 4. ad 10. qui idem S. Doctor q. 7. de malo, a. 6. ad. 6. ut refert Reding hic q. 13. a. 2. contro. 2. dicit, in eo casu peccari solùm venialiter: sic enim habet ibi: *Tripliciter potest ad motum illicitum sensualitatis se habere ratio. Uno modo ut resistens; & tunc nullum est peccatum, sed est meritum coronæ. Aliquando autem se habet ut imperans, puta cum ex proposito motum concupiscentiæ illicitæ excitat: tunc, si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet neque ut prohibens, neque imperans, seu consentiens: & tunc esse peccatum veniale.* Ex hæc de Authoritate.

Nunc eadem sententia suadetur etiam 48
ratione. Primo. Inordinatio in motibus appetitus sensitivi reperta, secluso periculo consensûs, non est mortaliter mala; ergo non tenetur quis eisdem positivè resistere sub peccato mortali. Conseq. prob. quia non potest esse major obligatio vitandi malum, loquendo per se, quàm est malum ipsum, quod vitari debet, sed commensuratur

furatur cùm illo, ita ut, si malum sit grave, obligatio illud vitandi ac repellendi sit gravis, si leve, sit levis. Ant. inde ostenditur, quòd in motibus appetitûs sensitivi nequeat esse mortalis malitia sine actuali influxu voluntatis: cùm proinde supponamus in præsenti deficere hunc talem influxum, secluso nempe periculo consensûs, non apparet, unde eisdem motibus proveniat mortalis malitia. Quod confirmatur. Nam appetitus sensitivus, quando in ipsum non influit voluntas movendô per consensum, non agit ut liber simpliciter, sed tantùm secundùm quid; adeoque libertate insufficiente ad mortalem malitiam, quæ non habet locum nisi in actu simpliciter libero.

49 Prob. secundo. Motus libidinosi in hoc statu naturæ lapsæ ex hujus infirmitate facillimè oriuntur, ita & omnes coërcere est impossibile, aliquos difficillimum: ergo non est cogitandum de Divina bonitate, quòd hominem eò usque arctatum esse velit, ut eos motus non solùm non admittere, sed etiam positivè resistendô ac repugnandô coercere teneatur. Ant. constat experientiâ. Conseq. prob. quia hoc aliud non esset, quàm æternam hominum salutem summis periculis velle expositam: quod utique non cadit in Divinam bonitatem.

Confirmatur. Si homo eos motus, quoties posset, deberet positivè reprimere, teneretur ad hoc præstandum adhibere media nimis dura & difficilia. Nam deberes v. g. si ex tali vel tali situ, quo cubares in lecto, motus ejusmodi surgerent, situm talem mutare sub mortali peccato; imò lectum relinquere, teque verberare, quamdiu adverteres carnis lascivientis insultus. Deberes etiam sub mortali vitare causas similium motuum excitativas, v. g. omne commercium, alloquium, imò & aspectum fœminarum. Si enim teneris motus illos reprimere jam excitatos, à fortiori teneberis impedire, ne excitentur. Hæc prima sententia.

50 Secunda sententia tenet, esse peccatum mortale in facta hypothesi se habere negativè ad turpes motus. Ita Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 7. n. 5. Valentia 1. 2. disp. 6. q. 4. pu. 3. Vasquez disp. 108. cap. 2. Azor. lib. 4. cap. 6. q. 5. Lessius lib. 4. de Jure & Just. cap. 8. n. 117. & alii, quibus ex nostris Salisburgensib. subscribunt Reding hîc q. 13. a. 2. contro. 2. n. 13. Schapperger in spec. Theol. cap. 1. à n. 4. Paulus Mezger ubi suprà à n. 11.

Probatur ratione, primo. Tametsi voluntas suspendat formalem consensum in delectationem veneream, quando post plenam rationis advertentiam non reprimit obscœnos motus, in eandem tamen consentit interpretativè: sed hoc sufficit ad peccatum mortale; ergo tunc peccat mortaliter. maj. facilè ostenditur: quia ad consensum interpretativum sufficit, quòd voluntas possit & teneatur quidpiam facere, & non faciat: cùm proinde voluntas non tantùm possit (ut supponitur) obscœnos motus reprimere, sed etiam teneatur reprimere (quia aliàs ne quidem venialiter peccaret non reprimendô) & tamen non reprimat, in eosdem, delectationemque inde ortam interpretativè consentit. mi. ex eo constat, quòd in moralibus interpretativus consensus æquivaleat formali ac directo, ut habet recepta doctrina. Sicut ergo voluntas, si formaliter ac directè consentiret, à peccato mortali excusari non posset, ita nec excusari potest, dum interpretativè consentit.

Confirmatur primo. In voluntate, ceu regina potentiarum inferiorum, est naturalis obligatio compescendi appetitum sensitivum, eaque omnia (quantum habet in sua potestate) impediendi & excludendi à suo supposito, quæ ex eodem appetitu orta per se ac naturâ suâ sunt inductiva in peccatum mortale. Sed hujusmodi sunt motus libidinosi concupiscentiæ; quippe qui propter innatam sibi cum voluntate sympathiæ connexionem ex natura sua habent allicere ac incitare ad turpem consensum extra statum matrimonii graviter illicitum.

Confirmatur secundo. Si delectatio ex obscœnis motibus esset venialiter solùm mala, vel esset propter parvitatem materiæ, vel propter imperfectionem advertentiæ. Neutrum dici potest. Non primum; quia in hoc genere non dari parvitatem materiæ jam suprà in a. 4. §. 2. n. 21. docuimus. Non secundum; ut patet ex statu quæstionis; ubi supponimus plenam rationis advertentiam.

Probatur eadem sententia secundo. 51
Non minùs tenemur resistere motibus delectationis venereæ, quàm repellere alienos tactus in partibus obscœnis: sed hos repellere tenemur sub peccato mortali, etiam secluso periculo consensûs in delectationem; ergo motibus illis resistere tenemur sub peccato mortali. mi. constat. neque videtur contrarium posse asseri citra grande inconveniens in hac materia. maj. autem ex eo liquet, quòd delectatio eorum motuum secundùm se non minùs repugnet rectæ rationi, quàm illa, quæ percipitur ex alienis tactibus: consequenter non debuit prohiberi sub minori obligatione. Et hæc pro secunda sententia.

Antequam statuamus, quid in pra- 52
xi hîc teneri tutâ conscientia possit,

notare

notare oportet, fieri posse, ut negativè se habens ad insurgentes carnis tentationes voluntariè omittat vel omnem resistentiam tam efficacem, quàm inefficacem, vel solùm efficacem. Resistentia efficax est, per quam applicantur media ad hujusmodi tentationes reprimendas idonea: quorum alia sunt ordinaria, ut oratio, & animi ac phantasiæ ad alia cogitanda diversio; alia extraordinaria, ut flagra, cilicia, jejunia &c. Resistentia inefficax consistit in actu displicentiæ, quo voluntati displicet turpis delectatio, ita ut simplici affectu eam cupiat abesse. Quæ displicentia licèt inefficax sit ad depellendos motus appetitûs sensitivi; cùm non determinet ad ulla media eos reprimendi; est tamen efficax ad impediendum voluntatis consensum: huic enim formaliter & directè opponitur.

53 Dico nunc primo. Si negativè seu permissivè se habens ad turpes motus concupiscentiæ voluntariè omittit omnem resistentiam tam efficacem quam inefficacem per simplicem displicentiam, tunc peccat mortaliter. Ita omnes Authores pro secunda sententia in n. 50. citt. Ratio est: quia, si homo plenè advertens motum appetitûs sensitivi in objectum inhonestum non eliciat in voluntate actum saltem displicentiæ, exponit se manifesto ac proximo periculo voluntariæ approbationis seu consensûs. Licèt enim simpliciter fieri possit, ut voluntas objectum delectabile sibi propositum nec approbet, nec improbet aliquo suo actu, id tamen, præsertim, dum objectum vehementer allicit, ut allicit delectatio venerea, est valde difficile, & moraliter vix non impossibile: unde homo tunc semper in proximo ac probabili versatur consentiendi periculo. Ex quo etiam patet, Authores adversos sententiæ suæ repugnanter addere illam exceptionem, *quando abest periculum consensûs*: cùm in tanta objecti delectabilitate, tamque naturali in illud voluntatis proclivitate non tantùm non dissentire, sed ne quidem simplicem displicentiam elicere sit ipsissimum probabili consentiendi periculo se committere. Sola animi aut constantiæ confidentia, quæ in tali casu potiùs temeritas est, planè non tollit hoc periculum.

54 Dico secundò. Qui negativè se habet ad motus libidinosos, non peccat mortaliter, si eisdem resistat inefficaciter saltem, hoc est, eliciendò actum simplicis displicentiæ. Ita Laym. lib. 1. tr. 3. cap. 2. n. 7. Sporer tr. 1. procem. cap. 6. sect. 2. n. 15. Paulus Mezger loco cit. n. 13. Ratio est: quia per actum displicentiæ, licèt non repellatur turpis delectatio motuum carnalium, impeditur voluntatis consensus in illam: cùm impossibile sit voluntatem consentire consensu, sive formali, sive interpretativo, in rem aliquam, cujus habet actualem displicentiam: sic enim idem simul placeret & displiceret. Atqui impedito voluntatis consensu non est mortaliter malum negativè seu permissivè se habere ad delectationem motuum carnalium, ut rectè probat prima ratio primæ sententiæ; ergo &c.

55 Dices. simplex & inefficax displicentia non tollit voluntarium simpliciter; ut patet exemplô mercatoris merces in mare proiicientis, cui simpliciter voluntaria est ea projectio non obstante displicentia ejusdem: ergo simplex displicentia obscœnæ delectationis non impedit, quominùs eadem sit simpliciter voluntaria, si à voluntate non reprimatur, dum facilè reprimi potest. Respondeo dist. Ant. simplex displicentia conditionata non tollit voluntarium simpliciter, conc. absoluta nego, vel subdist. non tollit omne voluntarium simpliciter, conc. non tollit aliquod neg. nam in nostro casu licèt simplex displicentia non tollat sive impediat voluntarium permissivum, quo voluntariè permittitur turpis delectatio, impedit tamen voluntarium formale positivum, scilicet formalem consensum in eandem delectationem. Unde ad instantiam de mercatore habetur disparitas. Nam ille habet displicentiam conditionatam tantùm circa non projectionem mercium; cum qua displicentia omnino stat absoluta, formalis & efficax voluntas proiiciendi illas: atqui in nostra hypothesi negativè se habens ad commorionem libidinosam appetitûs sensitivi habet displicentiam absolutam, & voluntatem non consentiendi, & tantùm non habet voluntatem eam commotionem reprimendi. Jam verò cum displicentia absoluta commotionis carnalis non stat absoluta & efficax voluntas eandem retinendi.

56 Dico tertiò. Obscœnis motibus sine justa causa, dum facilè potes, non positivè resistere veniale peccatum est. Ratio est: quia juxta omnes Theologos hi tales motus præter influxum voluntatis ex infirmitate naturæ & rebellione sensualitatis insurgentes continent aliquam inordinationem repugnantem rectæ rationi, secundùm quam voluntas tenetur gubernare appetitum sensitivum. Cùm verò ostensum sit, secluso per absolutam displicentiam periculô consensûs, eam inordinationem non esse gravem & mortalem, supereſt, esse levem ac venialem: & consequenter illos motus non repellere positivè resistendô, sed permittere esse peccatum veniale. Vid Sporer loco cit. n. 16.

Sententia nostra ternis nunc conclusionibus asserta præcipuè utilis esse potest timoratis & scrupulosis conscientiis. Nam universaliter, quamvis sit practicè probabilis, non puto præferendum secundæ in num. 50. & 51. relatæ cum suis fundamentis. Hæc enim multò tutior est, atque hoc ipso omnibus cõscientiæ securitatem amantibus consulenda.

57 Ad ejus tamen argumenta respondeo, & quidem ad primum neg. maj. ad hujus probat. dico, aliud esse interpretativè consentire in omissionem reprimendi motus obscœnos, sive (quod idem est) in permissionem eorumdem; & aliud consentire interpretativè in motus ipsos permissos, seu non repressos. Concedimus igitur voluntatem tunc interpretativè consentire in omissionem reprimendi eos motus sensualitatis; at negamus, ita consentire in ipsosmet motus & delectationem: quia suppositâ ac stante eorumdem formali absoluta displicentia in voluntate non habet locum in ipsos consensus etiam interpretativus. Cæterùm voluntas interpretativè consentiendo in permissionem motuum peccat venialiter tantùm; sicut venialiter tantùm peccaret, si in eandem formaliter ac directè consentiret: quia sub veniali tantùm peccato tenetur eos reprimere & non permittere.

Dices. Cui voluntaria est aliqua omissio, seu permissio, etiam voluntarius est effectus inde secutus, ita ut, qui consentit in illam, etiam consentiat in istum: sed continuatio seu persistentia turpium motuum in appetitu sensitivo est effectus omissionis reprimendi illos, eademque omissio negativè se habenti est voluntaria interpretativè, sicut concedimus; ergo etiam continuatio & persistentia motuum est ipsi hoc modo voluntaria. Respondeo, maj. esse veram, quando influxus voluntarii, quo voluntaria est omissio, non impeditur per voluntatem contrariam, quominùs transeat ad effectum omissionis. Atqui in casu nostro influxus voluntarii interpretativi, quo voluntaria est omissio reprimendi turpes motus, per voluntatem contrariam absolutæ displicentiæ impeditur, ne transeat ad ejus effectum, qui supponitur esse continuatio & persistentia eorumdem motuum.

Ad primam Confirmat. respondeo, voluntatem quidem obligari ad compescendum ac gubernandum appetitum sensitivum, tum reprimendo ejus motus illicitos, tum impediendo, ne per eosdem motus trahatur ac inducatur ad illicitum consensum; non tamen utramque hanc obligationem esse gravem & sub peccato mortali, sed tantùm posteriorem. Unde qui priori obligationi non satisfacit reprimendò eos motus, dum potest reprimere, peccat venialiter tantùm. Posteriori autem satisfacis elliciendò formalem absolutum actum displicentiæ ac improbationis: quia hac ratione sufficienter caves periculum, ne memorati motus te trahant atque inducant in consensum mortaliter illicitum, quamvis ex natura sua habeant allicere ac incitare ad illum.

Ad secundam Confirmat. constat ex n. præced. inordinationem motuum obscœnorum, secluso per actum displicentiæ periculo consensûs, non esse gravem seu mortalem. Licèt autem in ejusmodi delectationibus non detur parvitas materiæ per ordinem ad voluntatem positivam, & consensum datur tamen per ordinem ad voluntatem solùm permissivam, ut habet Paulus Mezger n. 14.

In secundo argumento ejusdem sententiæ dist. maj. non minùs tenemur resistere &c. & eodem modo, neg. diverso modo, conc. nam motibus delectationis venereæ ex infirmitate naturæ ac præter intentionem voluntatis insurgentibus, de quibus hic loquimur, tenemur sub peccato mortali resistere resistentia inefficaci saltem per simplicem displicentiam; tactus autem alienos in partibus obscœnis tenemur sub peccato mortali positivè repellere, eisque efficaciter resistere: tum, quia turpes ejusmodi tactus, tametsi ponamus abesse periculum consensûs, regulariter non exercentur sine periculo pollutionis: tum, quia secluso quoque periculo pollutionis in illo, qui patitur eos tactus, idem periculum pollutionis, cum consensu & prava intentione adhuc superest ex parte alterius, qui tactus exercet: tenemur autem gravi præcepto charitatis, dum commodè possumus, aliena damna & peccata impedire. Tum denique, quia hoc ipsum, quòd turpes motus hîc supponamus præter influxum voluntatis naturaliter esse excitatos, videatur diminuere obligationem resistendi: ut patet exemplô pollutionis, quam secluso periculo consensûs non teneris reprimere, si naturaliter fuit excitata: tenereris tamen, si alius in te excitaret, omnibus modis depellere.

Etiam ad argumenta primæ sententiæ 58
respondeo. Authoritas D. Thomæ nobis favet apertè. Nam & docet ibi negativè se habere ad motum illicitum esse peccatum veniale, & hoc docere supposita resistentia inefficaci meritò intelligitur. Ad primum ex ratione, ejusque confirmat. Fatemur, omnia esse vera, quæ ibi dicuntur: supposito tamen, quòd absit periculum consensûs, adeoque deficiat influxus voluntatis,

debet

debet subsistere: quod fieri non potest, nisi per resistentiam saltem inefficacem simplicis displicentiæ. Ad secundum respondeo, Deum nunquam permittere, ut tentemur ultra id, quod possumus mediô auxiliô gratiæ ipsius; adeoque omnes motus libidinosos naturaliter exortos post plenam rationis advertentiam à nobis & posse debere coërceri per actum simplicis saltem displicentiæ, ne voluntatem trahant ad consensum. Hoc autem non est æternam salutem hominum summis periculis exponi, sed ex periculis eripi. Tunc potiùs æterna salus exponitur periculo, quando voluntati ita frænum laxatur in opinione opposita, ut negativè se habens ne quidem inefficaciter per actum displicentiæ teneatur resistere pravis motibus. Ad Confirmat. inde constat solutio, quòd, ut quis evitet peccatum mortale, non sit necessaria positiva repressio motuum carnalium, sed sufficiat resistentia inefficax per actum displicentiæ, ut in n. 54. ostendimus. Quas porrò causas eorumdem motuum vitare teneamur, dicemus in seq. §.

59 Ex dictis colligitur primo, post plenam advertentiam inordinatorum motuum hominem sub peccato mortali obligari ad statim eliciendam displicentiam, seu improbationem eorundem, si non resistit positivè. Ratio est: quia, nisi statim eliciat ejusmodi actum absolutæ improbationis, probabili proximo periculo se committit positivæ approbationis atque consensûs: imò jam consentit interpretativè tanquam *tenens & volens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt*, ut ex S. August. lib. 12. de Trinit. dicit Doctor Thomas 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3.

Colligitur secundo, non ampliùs esse curandos turpes motus ab eo, qui eosdem per media idonea reprimere fuit conatus, si nihilominùs perdurent ratione contradicente. paulus Mezger ubi suprà n. 16. Ratio est: quia tunc perseverantia talium motuum eos patienti non est voluntaria, nec adscribenda jam voluntati, sed rebellioni fomitis.

§ VI.

Quas causas veneræ delectationis vitare teneamur?

SUMMARIUM.

60. *Variæ causæ delectationis veneræ.* 61. *Voluntaria pollutio semper est peccatum mortale.* 62. *Occurritur instantiæ de expulsione fœtûs.* 63. *Vitanda est etiam causa honesta, dum subest proximum periculum consensûs.* 64. *Causa turpis intra genus luxuriæ sub mortali peccato vitari debet.* 75. 66. 67. 68. *Illationes ex dictis.* 69. *Secluso periculo consensûs nulla est obligatio vitandi causam veneræ delectationis necessariam, vel convenientem corpori.* 70. *Resolutiones ex dictis.* 71. *Quid de causa peraminosa extra genus luxuriæ?*

60 Variæ sunt causæ, in quibus prævideri possunt obscœni motus, vel pollutio secutura. Nam aliquæ sunt necessariæ, honestæ, utiles, v. g. audire confessiones, mederi corporibus, legere libros de luxuria tractantes ad comparandam eruditionem, juvandum proximum in via salutis &c. Aliquæ sunt indifferentes, v. g. equitare, comedere calida &c. Aliquæ sunt peraminosæ, idque vel mortaliter, vel venialiter; vel intra vel extra genus luxuriæ. Aliquæ demum proximè, ac per se influunt, ut impuri tactus & oscula; aliæ remotè & per accidens concurrunt, ut crapula. Vid. paulus Mezger. tr. 6. disp. 21. a. 7. n. 1.

61 Nunc antequàm provehamur ulteriùs, supponendum est tanquam certum, voluntariam pollutionem semper esse peccatum mortale contra naturam, nullòque casu, etiam ad vitam servandam, esse licitum directè intendere aut procurare quòcunque modo vel causâ adhibita hanc naturæ resolutionem, quia semper habet intrinsecam repugnantiam cum fine & bono naturæ, quæ in seminis emissione unicè bonum prolis per legitimam generationem intendit. Sed neque mitiùs sentiendum est de motibus venereis extra statum matrimonii voluntariè admissis vel procuratis: nam & isti sunt semper inchoata mollities vel fornicatio. In statu matrimonii iidem motus toties sunt peccata mortalia, quoties à conjugibus voluntariè admittuntur aut excitantur cum probabili periculo pollutionis.

62 Verùm in contrarium opponitur non contemnenda instantia. Nam licitum est, inquiunt, matri directè expellere fœtum nondum animatum, quando ex ejusdem retentione periclitatur de vita, neque aliud ad hanc conservandam habet remedium: ergo etiam pro conservatione vitæ aut sanitatis licitum erit aliquando directè expellere semen per pollutionem. Bonitas conseq. videtur manifesta. Nam si fœtum, qui multo vicinior est generationi prolis, quàm semen, ob finem memoratum licitum est etiam directè abigere, à fortiori licita erit directa expulsio seminis. Anteced. tanquam sententiam probabiliorem tradit

dit Sanchez lib. 9. de matr. disp. 20. n. 9. ubi ait, esse communem, nec ullum se invenisse Authorem, qui dissentiat. Tenent etiam Salmanticenses ac multipliciter protegunt tract. 13. qui est de peccat. disp. 10. dub. 6. §. 3. & 4. Neque putes, obstare huic sententiæ decretum Innocentii XI. damnantis hanc prop. 34. *Licet procurare abortum ante animatum fœtum, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*, ostendit enim Cardenas in Crisi Theol. dissert. 22. eam non comprehendi in adducta damnatione.

Respondeo tamen primo, neg. Ant. cujus oppositum hodie esse certum asserit Illsung tr. 4. disp. 3. n. 63. idque præsertim ob memoratum decretum Innocentii. Nam profectò, si semel admittatur, directam procurationem abortûs in aliquo casu non illicitam, difficulter dabitur ratio, cur non sit licita propter quamcunque gravissimam necessitatem vita vel famæ propulsandam: quod tamen in producta propositione reprobavit Innocentius. Accedit, quòd propter diversas Medicorum sententias planè incertum sit, quo tempore fœtus accipit animam rationalem. Quando ergo practicè erit probabile, directam expulsionem fœtûs non esse homicidium, adeoque licitam?

Respondeo secundo transmissa illius sententiæ probabilitate conc. Ant. neg. conseq. disparitas ex Salmanticensibus ista redditur, quòd emissionem humani seminis natura unicè ordinaverit ad conservandam speciem media generatione legitima; non autem ad commodum individui, à quo exercetur. Unde, dum exercetur ita, ut legitima generatio subsequi nequeat, fit injuria speciei, & agitur contra finem unicum à natura intentum: adeoque nec ita exerceri licitè potest propter conservationem individui; quippe cujus bonum tanquam particulare postponi debet bono speciei tanquam universali & diviniori. Jam verò expulsio fœtûs ceu determinati & distincti suppositi, quando gravissimè oppugnat vitam matris ante animationem, non est actio contraria alicui fini à natura unicè intento, sed est potiùs justa defensio propriæ salutis tanquam contra injustum aggressorem jure naturæ permissa: idque præsertim, quòd nulla sit spes fore, ut mortua matre ejusmodi fœtus in lucem vivus perveniat; cujus proinde in utero retentio meritò saluti matris postponi potest. Si hæc disparitas non quietat animum, accipe aliam à posteriori, quam reddit Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 17. n. 15. in eo sitam, quòd in emissione seminis delectatio sentiatur adeò vehemens, ut, si illam natura in aliquo casu concederet extra conjugalem copulam, evidentissimum esset periculum, ne homines æstu libidinis excæcati passim excogitarent causas ejusdem emissionis, easque sibi persuaderent esse justas. Hinc autem fornicationes, adulteria, aliaque luxuriæ nefanda flagitia nunquam tot, quin plura, in præjudicium boni communis orientur. Atqui similia non sunt timenda, dum conceditur matri de vita periclitanti directa expulsio fœtûs tanquam remedium unicè necessarium. Verùm de his satis in præsenti.

63 Dico jam primo. Quando subest probabile & proximum periculum consensûs, tunc obligamur sub peccato mortali vitare quascunque causas etiam honestas motuum carnalium, nisi excuset necessitas. Ita certa sententia. Ratio est: quia eadem obligatione, qua tenemur vitare peccatum, tenemur vitare proximum periculum ejusdem: quia *qui amat periculum, peribit in illo*. Et ideo Sacerdos, cui per experientiam constat, quòd in audiendo confessiones consentire soleat in turpes delectationes, tenetur abstinere ab auditione confessionum. Paulus Mezger loco cit. n. 4.

Dixi autem, *nisi excuset necessitas*. Quemadmodùm excusat v. g. dum quis officium, quo fungitur, non potest abdicare sine gravi suo incommodo: ut fieri potest in Parocho, qui ex officio tenetur excipere confessiones: item in Chirurgo, qui ex professo inspicit & palpat nuda corpora, nec haberet, unde viveret, si officium suum relinqueret. Hi tales, si animum prævie obfirment ad non consentiendum, Divinumque implorent auxilium, licitè exercent, non obstante periculo consensûs, quæ ab ipsis exerceri postulat susceptum officium. Quia qui non temerè, sed necessitate compulsus, & ex bono fine fungitur officio ejusmodi sibi periculoso, non tam censetur eligere, quàm pati invitus periculum peccati, atque efficere, ut idem periculum ex genere suo proximum nonnisi pro remoto sit habendum.

64 Dico secundo. Quando causa, in qua prævidetur impurus motus, aut pollutio, graviter peccaminosa, ac turpis est in genere luxuriæ, eam sub peccato mortali vitare tenemur. Cajetanus, Navarr. Medina, Vasquez & alii, quos refert & sequitur Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 7. num. 4. in fine. Reding q. 13. a. 2. contr. 3. Paulus Mezger n. 5. Ratio est: quia eadem lex naturalis, quæ graviter obligat ad non procurandam effusionem seminis ac turpem commotionem, etiam graviter obligat ad non ponendas & vitandas causas earum per se ac notabiliter

tabiliter influentes : sed tales sunt causæ in genere luxuriæ graviter malæ ac turpes; ergo &c. Unde

63 Infertur primo, solutis sub peccato mortali abstinendum esse à tactibus, amplexibus, osculis, aspectibus libidinosis, hoc est, ad delectationem veneream captandam ordinatis, tametsi supponantur non esse valde obscœni. Sánchez lib. 9 de matr. disp. 46. n. 7. & de aspectibus n. 21. Ratio est : quia sunt causæ per se notabiliter excitativæ libidinosorum motuum, atque irritativæ spirituum genitalium.

66 Infertur secundo, ipsos quoque turpes motus, aut pollutionem, sive in vigilia, sive in somno consequantur ad memoratas causas antecedenter positas, esse peccata mortalia. Ratio est : quia sunt effectus objectivè graviter mali in genere luxuriæ, iidemque in causa voluntarii. Nam, ut meritò ait Cajetanus in sum. verbo *Pollutio*, qui vult illas illicitas, periculosas, & sibi notas causas pollutionis propriæ, convincitur velle culpabiliter ipsam pollutionem, quæ carum est naturalis effectus.

67 Infertur tertio, quando aspectus, amplexus, oscula, & tactus non exercentur, in partibus obscœnis, nec animô libidinosô, sed ex joco, levitate, aut curiositate; nec etiam sæpiùs repetuntur, aut diutiùs continuantur, turpes motus inde consecutos non excedere peccatum veniale; & consequenter obligationem ab iisdem abstinendi non esse gravem & sub mortali. Castropal. apud Reding loco cit. n. 12. Paulus Mezger n. 8. Ratio est : quia tunc ejusmodi actiones non censentur notabiliter influere in obscœnos motus : cùm raro ad eos excitandos sufficiant.

68 Infertur quarto, nullam esse obligationem abstinendi à tactibus, amplexibus, osculis, quæ fieri solent civilitatis causâ, vel in signum amicitiæ, ex consuetudine patriæ, modò absit probabile ac proximum periculum consensûs in delectationem, quæ prævidetur inde secutura. Ratio est : quia similia tunc exercere est honestum ac licitè, ut habet D. Thomas communiter receptus, 2. 2. q. 154. a. 4. consequenter nulla est obligatio ab eisdem abstinendi.

69 Dico tertio. Quando causa, ex qua oritura prævidetur turpis commotio, vel pollutio, est necessaria, vel conveniens corpori, aut animo, nemo tenetur illam vitare, vel removere, secluso nempe periculo consensûs. Ita communis sententia. Ratio est : tum quòd prosequenti jus suum non imputetur effectus præter intentionem & per accidens subsecutus : sed, qui ponit, vel non removet ejusmodi causam, prosequitur jus suum, & effectus sequitur præter intentionem ipsius. Tum, quia aliàs homines in mutua vitæ societate plurimis commodis tam spiritualibus, quàm corporalibus carere deberent. Cùm multis ab audiendis confessionibus, medendo corporibus, legendis libris &c. esset abstinendum. Unde

70 Resolves primo, Nemo tenetur abstinere à casta & honesta collocutione cum mulieribus, ab equitatione, à comestione calidorum, à moderato potu vini, à situ commodiore in lecto, à studio casuum conscientiæ de rebus turpibus, ab excipienda confessione similium, aliáve honesta ac permissa occupatione quacunque, licèt inde fœda commotio aut pollutio prævideatur secutura. Reding n. 9. Paulus Mezger n. 9. Ratio est: quia talis prosequitur jus suum, nec supponitur adesse aliqua causa ita influens in turpem effectum, ut non potiùs naturali impulsui & infirmitati sit adscribendus.

Resolves secundo. Qui libenter suscipiunt officia Confessarii, Chirurgi, aliaque similia periculosa, susceptaque libenter exercent eò quòd gaudeant de oblata sibi occasione hauriendi turpem delectationem, in malo statu versantur, tenenturque sub mortali peccato pessimum hunc affectum deponere, & abstinere ab omnibus ejusmodi functionibus, quantumvis aliàs licitis & honestis, in quibus animum libidinosè pascere cogitant. Schapperger in spec. Theol. cap. 3. pag. 370. Ratio est : quia hi tales officii sui exercitia ex se minimè mala, imò licita, referunt ad finem mortaliter malum.

71 Dico quarto. Quando causa, in qua secutura prævidetur venerea delectatio, est peccaminosa, sive graviter sive leviter, extra genus luxuriæ, ab illa non abstinere non est grave peccatum intra illud genus, licèt sit peccatum leve seu veniale. Sanchez lib. 9. de matr. disp. 45. n. 15. & 16. Reding n. 10. & alii. Ratio primi est : quia causæ turpis delectationis extra genus luxuriæ constitutæ, v. g. liberalior comestio, vel potatio, aut ebrietas, nonnisi remotè & indirectè concurrere censentur. Atqui ordinariè non est gravis obligatio vitandi quascunque causas remotas & indirectas objecti illiciti : id enim nimis esset difficile.

Ratio secundi est : quia meritò pro notabili inordinatione habetur naturæ ad eam delectationem in memoratis causis prævisam proclivi fomentum addere. Hinc laudatissimè ac optimè fecerit quilibet puritaris

ratis ſtudioſus, ſi, quantùm commodè poteſt, vitare conetur cauſas etiam remotas & per accidens iſtius paſſionis, utpote continentis magnam inordinationem, & ex natura ſua ad malum incitantis. Paulus Mezger loco cit.

TRACTATUS III.
DE LEGIBUS.

Regulam internam ac proximam humanarum actionum dedimus in primo tract. ubi dictamen ac judicium Conſcientiæ explicavimus. Nunc ſubjungimus Regulam remotam atque externam, quæ in legibus poſita eſt. Leges enim præſcribendo, quæ facienda, quæque omittenda ſint, homines ſubditos dirigunt, ne errent in via ſalutis, eosque in officio honeſtatis continent. Breves quidem erimus in hoc tractatu, nihil tamen eorum, quæ ad noſtrum inſtitutum pertinent, negligemus.

DISPUTATIO I.
De iis, quæ pertinent ad eſſentiam Legis.

ARTICULUS I.
Quid ſit Lex.

SUMMARIUM.

1. *Lex unde dicta.* 2. *Lex aliquando metaphoricè, aliquando propriè accipitur.* 3. *Definitio legis & analyſis ejusdem.* 4. *Conditiones ſeu proprietates legis.* 5. *An peccet, qui non obſervat legem injuſtam, aut inutilem?* 6. *Injuſta eſt lex de tributo ab omnibus æqualiter pendendo.* 7. *Religioſus ante externum præceptum non tenetur obedire Prælato.* 8. *Aliquæ leges in executione ita reſpiciunt bonum particulare, ut in intentione principaliter referantur in bonum commune.*

1 AD nominis etymologiam quod attinet, legem *à ligando* dictam eſſe judicat D. Thomas 1. 2. q. 90. a. 1. eò quòd proprius effectus legis ſit ligare, ſeu obligare ad ſui obſervationem. Cui derivationi conſonat S. Scriptura, quæ leges vincula apellat Jerem. 2. *Confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea.* S. Iſidorus autem lib. 5. Etym. cap. 3. legem *à legendo* eſſe dictam arbitratur: quòd inde colligit, quia lex ſcribi, ac publicè proponi ſolet, ut ab omnibus legatur. Denique Cicero lib. 1. de legibus ſimiliter *à legendo* deducit, ita tamen; ut hoc verbo *delectus* ſignificetur, *quia nos*, inquit, *delectùs vim in lege ponimus.* Quaſi nempe lex ſit lecta vivendi regula & norma honeſtarum operationum. Quod placuiſſe videtur Auctori Q. Q. novi teſtam. q. 15. apud S. Auguſt. to. 4. inquien.i: *Lex à legendo dicta eſt, ut de multis quid eligas*, ſcias. Non conſtat certò, quænam ex his etymologiis ſit legitima: ſed parùm refert.

2 Quantùm ad rem ſignificatam, lex aliquando ſumitur pro efficacia virtutis Divinæ, & neceſſitatis naturalis, quæ in rebus inde reſultat. Quo pertinet phraſis S. Script. Proverb 8. *Legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Item: *certa lege & gyro valabat abyſſos.* Sumitur etiam pro naturali inclinatione ad operandum: qualis etiam eſt illa in appetitu ſenſitivo, quam Apoſtolus Rom. 7. legem membrorum, legem peccati, Doct. Thomas 1. 2. q. 91. a. 6. legem fomitis apellat. Nos omiſſis ejusmodi metaphoricis acceptionibus legis, ejus

ejus nomine hîc intelligimus regulam quamdam humanorum actuum in bonum commune directivam. In quo sensu de illa

3 Dico. Lex est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ita definit D. Thomas, 1. 2. q. 90. a. 4. Bonitas definitionis patebit, si rectè declarentur termini. Dicitur lex *ordinatio*: quia ordinat, dirigit, præscribit, quid sit agendum, vel omittendum. Dicitur *rationis*: quia hæc ordinatio provenit à ratione, sive intellectu, estque formaliter actus intellectûs, licèt præsuppositivè importet actum voluntatis, quo Legislator intendit obligare subditos. Dicitur *promulgata*: nam ut lex obligat, sciri debet; & quia publicum atque commune præceptum est, publica quoque intimatione, quam promulgationem vocamus, debet innotescere. Dicitur *ab eo, qui curam communitatis habet*, ut indicetur causa efficiens legis, quæ ille est solus, cui competit obligandi potestas: atqui hæc competit illi tantùm, qui curam habet communitatis, & authoritatem publicam, eamque præceptivam; quia hic solus exercere potest in communitatem actus jurisdictionis, quos inter vel maximè est legislatio. Dicitur denique *ad bonum commune*: per quod significatur legis causa finalis: cùm enim feratur à potestate, seu persona publica, quà publica est, debet respicere bonum publicum communitatis.

4 Cæterum conditiones seu proprietates legis sex communiter afferuntur ex S. Isidoro lib. 1. Etymol. cap. 21.

Prima est. Lex debet esse honesta. Hinc leges illæ, quæ inducunt ad quid inhonestum, & repugnans rectæ rationi ac legi Divinæ, nullo modo sunt observandæ, ut habet D. Thomas 1. 2. q 96. a. 4. estque per se manifestum: quia sicut dicitur Act. 4. *obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Secunda est. Lex debet esse justa, id est, servata æqualitate proportionis subditis secundùm eorum vires, ac facultates imposita. Aliùs nullam habet vim obligandi in conscientia, ut docet D. Thomas loco cit.

Tertia est. Lex debet esse observatu possibilis, idque non tantùm physicè, sed moraliter, attentis videlicet naturis, ac moribus hominum, consuetudine patriæ, qualitate loci & temporis subditis accommodata atque conveniens. Talis lex non esset, quæ jejunium Quadragesimale præciperet in solo pane & aqua; vel quæ civibus omnia convivia prohiberet, ait Vasquez apud Laym. tr. 4. cap. 1. n. 4.

Quarta est. Lex debet esse necessaria & utilis. Secùs enim absque rationabili causa restringit libertatem hominum eorumque arbitrium ligat, ut loquuntur Salmanticenses tr. 11. qui est de Legib. cap. 1. n. 15.

Quinta est. Lex debet esse lata ob bonum commune, & citra respectum privati commodi; veluti tradit D. Thomas communiter receptus 1. 2. q. 90. a. 2. Atquè hinc Sotus apud Salmanticenses n. 10. infert, tyrannum esse principem, si ad suum commodum, non ad bonum commune, leges ferat. Aristoteles quoque pridem dixit 4. Politic. 5 cap. 3. tertiam speciem tyrannidis esse, cùm quis ad propriam utilitatem, non ad utilitatem subditorum gubernat.

Sexta est. Lex debet obligare constanter & perpetuò, ita nempe ut ejus vis obligativa ob continuam successionem communitatis non extinguatur, nisi vel à Legislatore, ejusve successore revocetur, vel consuetudine abrogetur, vel Reipublicæ fiat inutilis. Atque in hoc differt lex à præcepto, sive mandato. Istud enim, quia imponitur personis singularibus; cum iisdem plerumque expirat; sicut etiam per mortem mandantis vel præcipientis. Laym. loco cit n. 5. Conditiones autem jam recensitæ ita sunt necessaria, ut, si vel unica earum desit, lex non sit. Vid. Salmanticenses n. 18. Ex dictis habe

Corollarium primum. Non peccat, 5
qui legem injustam & inutilem communitati non observat, secluso scandalo, aliove inconvenienti. Bonac. de Legib. disp. 1. q. 1. pu. 1. n. 9. Castrop. cad. disp. de Legib. pu. 1. n. 4. & alii. Ratio est: quia talis lex non obligat in conscientia; imò non est vera lex. In dubio tamen, sitne lex injusta, vel inutilis? præsumi debet esse justam & utilem, adeòque obligare ad sui observationem. Bonac. n. 11. Castropal. loco cit. & aliis relatis Salmanticenses n. 15. Ratio est: quia tunc certa possessio stat pro lege, & solùm est dubium, an subditus ab ejus observatione excusetur.

Secundum. Quando Princeps lata lege 6
imponit tributum ab omnibus æqualiter pendendum, ita ut tantùm exigat a paupere, quantum à divite, v. g. decem aureos à singulis, injusta est lex. Similiter injusta est lex, qua ita taxatur pretium frumenti, ut una pars subditorum servare debeat taxationem, alia non debeat, nisi rationabilis causa ejusmodi discrimen faciendi existat. Laym. loco cit num. 4. Ratio est: quia talis lex non fertur secundùm æqualitatem proportionis servandæ inter onera & facultates subditorum.

Tertium. Religiosus ante exter- 7
num præceptum, quo ipsi voluntas Prælati & intentio obligandi intimatur, non tenetur

ex voto obedientiæ facere, quod aliunde colligit Prælatum velle, ut faciat. Ratio est: quia, ut ait D. Thomas Q. 23. de verit. a. ult. apud Sylvestr. V. *obedientia*. Q. 12. Voluntas Prælati non est regula nostræ voluntatis, ut Divina, sed ejus præceptum. Optimè tamen fecerit obedientiæ studiosus, si voluntatem Superiorum quomodocunque sibi notam strenuè exequatur, & non expectet externum atque expressum præceptum.

8 Quartum. Quando aliquæ leges videntur respicere bonum solummodò particulare quorumdam hominum ex communitate, ut leges latæ pro pupillis, minoribus, militibus, &c. non statim inferre licèt, eas destitui quinta conditione ex enumeratis. Ratio est: quia licèt in executione respiciant bonum particulare certarum personarum, quoad intentionem tamen principaliter respiciunt bonum commune, quatenùs videlicet bonum partis est bonum totius communitatis, cui maximè expedit ejusmodi leges in favorem similium personarum esse conditas. Bonac. loco cit. n. 1. & 2. Castropal. n. 7. Illsung tr. 1. disp. 2. a. 1. n. 1. Sic etiam leges tributorum & vectigalium, quamvis proximè & in executione cedant in bonum principis, redundant nihilominùs etiam in bonum reipublicæ: cùm eo fine tributa pendantur principi, ut rempublicam gubernet, defendat, & conservet. Laym. loco cit. n. 5. Salmanticenses n. 13.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Lex.

SUMMARIUM.

1. *Divisio Legis in Divinam & humanam, & utriusque subdivisiones.* 2. *Dividitur præterea Lex in affirmativam & negativam.* 3. *Actus proprii Legis sunt imperare, vetare, permittere, & punire.* 4. *Quomodo Lex differat à præcepto, privilegio, & consilio?*

1 Dico primo. Lex immediatè dividi potest in Divinam & humanam. Rursus Divina in æternam, naturalem, & positivam. Positiva in veterem & novam. Humana deinde in Ecclesiasticam, civilem, & jus gentium. Lex Divina dicitur, quæ immediatè à Deo est. Humana est, quæ immediatè statuitur voluntate seu authoritate humana. Lex æterna, si magis propriè accipiatur, aliud non est, quàm ipsamet increata ratio & ordinatio existens in mente Dei determinans, quid agendum, vel omittendum sit, cum intentione creaturas rationales ad sui observationem obligandi. Ab hac lege, ceu fonte & origine totius honestatis, omnes aliæ leges derivantur, eique convenit illud Divinæ Sapientiæ, Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Lex naturalis est dictamen illud, seu lumen rationis creaturæ rationali ab Authore naturæ inditum, quo honestum ab inhonesto discernit, quidve faciendum, vel omittendum sit, intelligit. De hac lege verum est illud ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem* (Scriptam nimirum) *non habent, naturaliter* (id ex solo dictamine rationis naturalis) *quæ legis sunt, faciunt.* Lex Divina positiva est, quæ ex natura rerum non necessariò provenit, sed ad regendas creaturas rationales à Deo accidentaliter constituitur. Talis fuit lex Mosaica de cæremoniis, ritibus Sacrificiorum, ordine judiciali apud Hebræos. Et hæc erat Lex vetus, sive antiquum Testamentum. Talis quoque est hodie Lex Evangelica, quam Christus Dominus, abrogatâ Mosaicâ, toti humano generi servandam denuntiavit atque proposuit, continentem præcepta circa fidem, sacrificium, administrationem ac receptionem Sacramentorum, &c. Atque hæc est lex nova, sive novum Testamentum. Lex Ecclesiastica, sive Canonica est, quæ fertur à Legislatore Ecclesiastico, ut à Papa, Concilio, &c. in bonum spirituale subditorum. Lex civilis est, quæ fertur à Legislatore sæculari, v. g. à Rege, vel Imperatore, in bonum civium temporale. Jus gentium est, quod non ab uno aliquo Supremo Magistratu, vel Principe, sed à diversis gentibus ac regnis usu ac consuetudine propter communes necessitates fuit introductum. Hoc jure, quod est lex quædam media inter legem naturalem & civilem, constituta sunt bella, commercia, servitutes, fœdera, legatorum admissiones, &c. quæ recensentur in cap. *Jus Gentium.* dist. 1.

2 Dico secundo. Lex dividitur præterea in affirmativam, & negativam. Item, in præceptivam, sive absolutè obligatoriam, purè pœnalem, & mixtam. Lex affirmativa est, quæ bonum præcipit, v. g. lex jejunii. Negativa est, quæ malum prohibet, ut lex de non furando. Affirmativa obligat quidem semper, sed non pro semper: ità lex, qua jubemur honorare parentes, semper quidem est lex, non tamen obligat, ut omni, sed ut suo tempore parentes honoremus. Negativa lex obligat semper & pro semper; ut illa Decalogi: *Non mœchaberis.* Lex præceptiva est, quæ absolutè & citra adjectionem pœnæ ali-

aliquid præcipit, vel prohibet: quemadmodum videmus in præcepto audiendi Missam die festivo. Purè pœnalis est, quæ sub conditione exerciti alicujus actus directè pœnam vel mulctam imponit: v. g. si dicat: qui frumentum ex provincia evexerit, pendat 10. aureos. Mixta est, quæ simul actum prohibet, & pœnam statuit; idque vel sub disjunctione, v. g. aut frumentum non evehito, aut 10. aureos pendito; & vocatur lex disjunctivè mixta; vel copulativè, ita ut actus prohibeatur, eique pœna taxetur sine disjunctione: v. g. frumentum ex provincia non evehito sub pœna 10. aureorum: & hæc dicitur lex copulativè mixta. Istæ sunt potissimæ divisiones legis. Nos ex instituto hîc solùm agemus de lege humana. Ex dictis cùm in præsenti; tum in priori artic.

3 Colligitur primo, à D. Thoma in 1 2. q. 92. a. 2. rectè assignati quatuor actus proprios legis, scilicet imperare, vetare, permittere, & punire. Ratio est: quia, cùm lex sit directiva actuum humanorum, ejus actus multiplicantur secundùm diversitatem actuum humanorum. Jam vero actus humani alii sunt boni, alii mali, alii indifferentes. Circa primum genus lex versatur imperando, circa secundum vetando, circa tertium (in quo D. Thomas collocat etiam actus partìm bonos, & partìm malos) occupatur permittendo. Et quoniam subditi multoties, ut obediant legi, inducendi sunt metu pœnæ, ad legem pertinet intentare pœnas, & transgressores punire.

4 Colligitur secundo, quomodo lex differat à præcepto, consilio, & privilegio. Nempe à præcepto differt, quòd per se respiciat bonum commune, sitque naturâ suâ perpetua, quorum neutrum reperitur in præcepto. A privilegio similiter differt, quòd non, sicut istud, per se respiciat personas privatas, & sæpiùs referatur in bonum privatum. A consilio differt, quòd & habeat efficaciam obligandi, & per se referatur ad bonum publicum: quæ non conveniunt consilio: non primum, ut ex se patet; non secundum; quia consilium datur à privato alteri quoque privato sine respectu ad bonum publicum. Vid. Paulus Mezger to. 2. disp. 31. a. 1. n. 16.

ARTICULUS III.

An promulgatio sit de essentia Legis?

SUMMARIUM.

1. *Quid sit promulgatio.* 2. *Duplex acceptio promulgationis.* 3. 4. *Statuitur promulgationem activè acceptam esse de essentia Legis.* 5. *Solvuntur Objectiones. Non est necessarium, ut Lex promulgetur in scripto.* 7. *Aliud est promulgari Legem, aliud divulgari.* 8. *Invalidè contrahit, qui contra legem, qua contractus irritatur, contrahit.* 9. *An conscius Legis de vilius vendendo proximè promulgandæ peccet vendendo carius?*

1 PRomulgationem rectè definiunt Salmanticenses tr. 11. de Leg. cap. 1. n. 75. quòd sit *intimatio exterior communitati solemniter facta, qua subditi possint moraliter loquendo venire in notitiam legis.* Juxta quam definitionem requiritur primo, ut promulgatio immediatè fiat ad totam communitatem. Cùm enim lex sit communis regula, per se immediatè respicit communitatem, cui proinde immediatè, ut habeat efficaciam obligandi, per promulgationem debet applicari. Unde si quis subditorum acquireret privatam notitiam legis, antequam promulgaretur communiter, illâ tunc nondum obligaretur. Requiritur secundo talis modus intimandi, vi cujus subditi singuli, non quidem actu perveniant, attamen moraliter pervenire possint in cognitionem legis. Ita enim petit suavis ac humana ratio subditos dirigendi per leges, ut easdem non difficulter, sed modo accommodato hominum convictui & conversationi scire possint. Requiritur tertio, ut promulgatio fiat solemniter, hoc est, certis, iisque publicis cæremoniis juxta morem patriæ, ac voluntatem Principis ferentis legem. Fieri autem solet voce præconis, addito clangore tubarum, affixione edicti in loco publico, &c. Cæterum priusquam aliquid hîc concludamus.

2 Notandum est promulgationem accipi solere dupliciter, scilicet activè & passivè. Activè accepta significat ipsum imperium Legislatoris, quod est actus ejusdem formaliter quidem immanens, virtualiter tamen transiens, quatenùs efficaciter causat & connotat aliquod signum manifestativum legis. Promulgatio passivè accepta est hoc ipsum tale signum, in quo relucet imperium & intimatio obligativa Legislatoris, v. g. Scriptura publicè affixa, vox præconis, ut antè meminimus. Cùm itaque certum sit apud omnes, nullam legem obligare in actu secundo nisi legitimè promulgatam, ut adeò promulgatio pertineat ad substantiam legis in actu secundo obligantis per modum regulæ & mensuræ actualis subditis applicatæ, oritur quæstio in epigraphe articuli indicata. Pro cujus resolutione. Dico.

3 Dico. Promulgatio active accepta est de intrinseca constitutione legis Ita Reding q. 16. a. 2. contra 3. n. 6. Paulus Mezger to. 2. disp. 31. a. 2. n. 4. & alii Salisburgenses frequenter cum D. Thoma in 1. 2. q. 90. a. 4. Ratio est: tum, quòd essentiale sit legi habere efficaciam obligandi: sed in esse habentis efficaciam obligandi constituitur formaliter per promulgationem; ergo, tum, quòd lex per essentiam sit intimatio & publica vox principis ceu personæ publicæ: sed inesse talis publicæ vocis constituitur intrinsecè per promulgationem; ergo. Tum denique; quia lex essentialiter est regula & mensura actualis in actu secundo mensurans actiones subditorum: sed in quantum talis formaliter essentialiter importat promulgationem; ergo, &c.

4 Dixi autem in concl. *promulgatio active accepta.* Cùm enim lex formaliter & in recto sit ordinatio & impetium legislatoris, necesse est, ut illa, quæ sunt de intrinseca constitutione legis, se teneant ex parte legislatoris, quod de promulgatione activa solùm, & non de passiva, affirmari potest. Nam ista ceu signum manifestativum legis, moraliter reperitur ex parte subditorum. Itaque hæc promulgatio passiva non ingreditur intrinsecam constitutionem legis: licèt negari non possit, eam esse requisitum quòdpiam essentialiter connotatum, sine quo promulgatio activa subsistere atque intelligi nequeat. Vid. Mezger loco cit.

Objicies primo. Lex juxta D. Thomam 5 est mensura, promulgatio verò applicatio ejusdem ad subditos: sed applicatio præsupponit, non constituit id, cujus est applicatio; ergo. Secundo. Promulgatio pertinet ad actum secundum legis: ergo præsupponit essentiam legis, ejusque virtutem obligatoriam. Nam actus secundus essentiæ præsupponit eandem constitutam in actu primo. Tertio. Actus prudentiæ non constituitur in sua ratione essentiali per aliquam sui manifestationem seu promulgationem: sed lex est actus prudentiæ existentis in principe; ergo. Quarto. Promulgatio est actus transiens, lex est aliquid permanens: ergo non potest intrinsecè constitui per promulgationem. Quinto. Lex æterna dabatur ante omnem promulgationem; quippe cùm non minùs ipsa, quàm aliæ leges in tempore primùm sit promulgata.

Respondeo ad primùm, promulgationem esse quidem applicationem legis inchoativè & inadæquatè acceptæ pro mensura & regula apritudinaliter tantùm mensurante, non tamen esse meram applicationem legis completè & adæquatè acceptæ, sive pro regula actu mensurante & habente efficaciam formalem actualem obligandi; sic enim esse intrinsecum constitutivum legis. Ad secundum conc. Ant. neg. conseq. ad hujus probat. Dico, eam esse veram, quando essentia non est de genere actus secundi: atqui essentia legis est de genere actus secundi, ut potè regula & actualis locutio publica principis; adeòque non per actum primum, sed per actum secundum regulandi ac mensurandi, ad quem intrinsecè pertinet promulgatio, constituitur. Ad tertium dico, legem esse actum prudentiæ non qualemcunque, sed qui sit imperium politicum actu obligans subditos, atque in esse talis intrinsecè constitui per promulgationem. ad quartum dist. priorem part. Ant. promulgatio est actus transiens actu; conc. tam actu quam virtute, neg. nam manet in effectu à se relicto, putà in Scriptura, memoria, moribus hominum, &c. Ad quintum dist. lex æterna dabatur ante omnem promulgationem sub inadæquata & inchoativa ratione legis, conc. dabatur sub adæquata & completa ratione legis, neg. Ex dictis.

Resolves primo. Non est necessarium, 6 ut lex in scripto promulgetur. Ratio est: quia etiam voce, alióve signo communitati sufficienter denuntiari potest. Unde dixit Aristoteles lib. 10. Ethicor. cap. 9. *Scriptæne sint leges, an non scriptæ, nihil referre videtur.* Neque obstat authoritas S. Isidori lib. 5. Ethym. cap. 3. dicentis, *legem esse constitutionem scriptam*: & Justiniani in Institut. de jure nat. gent. & civili *legem* vocantis *jus scriptum.* Hæc enim non ideo dicuntur, quòd de substantia legis sit promulgari in scripto; sed quòd lex plerumque in scriptum redigatur, ut, propagatâ ad posteros quoque memoriâ, perpetuò conservetur inviolata. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 2. n. 2.

Resolves secundo. Aliud est legem 7 promulgari, aliud divulgari. Primum fit per publicam propositionem, seu denuntiationem, quam in n. 1. descripsimus Secundum fit per applicationem memoratæ promulgationis ad notitiam vel aures subditorum, qui propter absentiam aut legere, aut audire promulgationem non potuerunt. Lex, ut habeat efficaciam obligandi, non exigit per divulgationem innotescere omnibus ac singulis; sed, quam primùm sufficienter promulgata est, ut ejus notitia ab una parte communitatis deferri possit ad aliam, ex sua parte & quantùm est de se, obligat omnes ac singulos, etiam illos, quibus nondum innotuit; quamvis isti, quamdiu versantur in invincibili ignorantia, non peccent legem transgrediendò. Bonac. tr. de legib. disp. 1. q. 1. pu. 4. n. 9. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 10. n. 3. Salmanticenses tr. 11. cap. 1. n. 77. & alii.

Resolves tertio. Qui legem aliquam 8 sufficienter promulgatam, qua irritatur con-

contractus aliquis, invincibiliter ignorat, non peccat quidem celebrandò ejusmodi contractum; invalidè tamen contrahit. Ratio est: quia licèt ignorantia invincibilis ignorantes excusset à culpa, non tamen reddit habiles ad actum, ad quem ex jure sunt inhabiles: sicut nec ipsum actum reddit validum, quem lex reddit irritum ac invalidum. Bonac. multos referens n. 20. Salmanticenses n. 78.

9 Resolves quarto. Conscius pragmaticæ publicandæ de frumento viliùs vendendò probabiliùs non peccat, nec tenetur ad quidpiam refundendum, si ante illius publicationem cariùs vendat, ut priùs, emptore non monito de tali lege promulganda. Bonac. n. 22. Castropal. n. 2. Reding ubi suprà n. 7. contra Felinum, Farinacium & alios, qui talem fraudis in damnum proximi arguunt. Ratio nostra est: quia hujusmodi venditor frumentum tanti vendit, quanti revera tunc valet, etsi minoris sit valiturum facta legis publicatione. Unde nullam cuiquam infert injuriam. Imò utitur jure suo damnificationem ex frumenti retentione obventuram avertendi. Quòd si ita vendat frumentum post publicationem legis, etiam inscius ejusdem, tenetur ad refundendum excessum pretii majoris à lege prohibiti: quia accepit, quod ipsi non debebatur ab emptore; esto propter ignorantiam excusetur à culpa, & ad restitutionem non teneatur ex acceptione formaliter injusta. Castropal. n. 9. Bonac. Salmanticenses locis citt.

ARTICULUS IV.

Quanta debeat esse promulgatio Legum.

SUMMARIUM.

1. *Status Quæstionis* 2. *Leges Imperatoriæ promulgari debent in singulis Provinciis.* 3. *Non tamen Leges civiles non Imperatoriæ.* 4. *Nisi alicubi constet de opposito vel ex jure, vel consuetudine.* 5. *Quid de Legibus municipalibus?* 6. *Leges Imperatoriæ primùm obligant post lapsum duorum mensium à promulgatione.* 7. 8. 9. *Illationes ex dictis* 10. *Ut obligent Leges Pontificiæ, sufficit promulgatio Romæ facta.* 11. 12. 13. 14. *Quod probatur quadrupliciter.* 15. 16. 17. 18. *Solvuntur Objectiones.* 19. *Ex privilegio vel consuetudine ad Leges Pontificias necessaria esse potest promulgatio in singulis Diœcesibus.* 20. *Lex Pontificia Romæ promulgata statim obligat omnes fideles.* 21. *Nisi Legislator quid aliud exprimat.* 22. 23. 24. 25. *Illationes ex dictis.*

1 QUantitatem promulgationis considerare oportet tum ex parte locorum, tum ex parte temporis. Atque sic quæstio instituitur primò, in quibus locis leges promulgari debeant, ut vim habeant obligandi? Secundo, an, & quantus post publicationem factam lapsus temporis requiratur, ut
2 lex obliget subditos? Pro resolutione.

Dico primo. Leges Imperatoriæ, ut vim obligandi habeant, promulgari debent in singulis Provinciis Imperio subjectis. Ita communiter Doctores. Fundamentum est: quia ita statutum habetur in ipso jure Imperiali, Authenticâ. *Ut factæ novæ constitutiones* collat. 5. Ubi licèt textus expresse loquatur de solis Legibus Testamentariis; à Jurisperitis tamen, quibus in sua scientia meritò credendum, universaliter extenditur, ad omnes Leges Imperatorias. Vid. Suarez lib. 3. de Legib. cap. 16. a. n. 10.

Accedit duplex congruentia. Prima est: quia hoc modo lex meliùs potest innotescere subditis, & faciliùs tolluntur, ac evitantur magna incommoda, jurgia, & lites, quæ ex ignorantia legis propter promulgationem factam in loco distantissimo oriri possent. Secunda est: quia Imperator non habet curiam stabilem ac immobilem; cùm facilè modò hìc, modò alibi, prout exigunt negotia, soleat existere: quo fit, ut lex in ejus solùm curia non possit satis certò & universaliter promulgari, idque præsertim respectu regnorum ac Provinciarum valdè dissitarum, quarum indigenæ linguâ & moribus esse dissimiles, & non multam inter se communicationem habere solent.

3 Dico secundo. Ad leges civiles non Imperatorias Regum & Monarcharum, quibus subsunt Regna & Provinciæ moribus ac legibus dissonæ, non requiritur promulgatio in singulis Regnis & Provinciis, ut vim obligandi obtineant, nisi alicubi oppositum constet ex jure vel consuetudine; vel Legislator ipse declaret, se nolle, ut lex obliget, nisi post publicationem in singulis Regnis & Provinciis. Ita plurimi DD. quos referunt & sequuntur Salmanticenses tract. 11. de Legib. cap. 1. num. 87. Ratio est: quia facta unica solemni promulgatione in Metropoli aut Curia legi nihil deest ad obligandum sive ex jure naturæ, sive ex jure positivo requisitum. Nàm inprimis ex natura rei lex, ut obliget

get, non exigit nisi unam solemnem & communem promulgationem: cùm etiam Authores adversi fateantur, ejusmodi Legislatorem hac tali unica promulgatione posse obligare subditos quoscunque, si hoc in lege exprimat. Deinde Princeps Imperatori non subjectus non tenetur observare Authenticam num. 2. productam. Sed neque ex alio jure humano aliquam de majori publicatione dispositionem exstare supponimus. Talis itaque lex sine ulteriore promulgatione sortitur suos effectus, quam primùm in notitiam illius veniant subditi.

4 Dixi autem, *nisi alicubi oppositum constet*, *&c.* quia propter paritatem rationis & æquitatem naturalem, in qua fundatur memorata Authentica, etiam in Legibus Regum ac Principum Imperio non subjectorum, qui habent plura Regna, pluresque Provincias, eadem quantitas promulgationis ex parte locorum usu ac consuetudine recepta est, quæ in Legibus Imperialibus. Et quidem de praxi Regni Galliæ Augustinus à V. M. apud Paulum Mezger to. 2. tr. 8. disp. 34. a. 3. n. 7. de praxi Regnorum Lusitaniæ & Arragoniæ testantur Gordonus, Martinez, Granadus apud Salmanticenses loco cit. n. 81. Videatur etiam Bonac. de Legib. disp. 1. q. 1. pu. 4. n. 16.

5 Corollarium. Ut leges municipales civitatum particularium; item leges unius Provinciæ, vel etiam unius parvi Regni aut Ducatûs vim obligandi obtineant, sufficit unica solemnis publicatio facta in Curia, vel præcipua Civitate, alióve loco secundùm morem Patriæ consueto. Ita unanimis omnium sententia, teste Suarez lib. 3. de Legib. cap. 16. n. 7. Ratio est: quia ejusmodi promulgatione facta lex jam ita est comparata, ut moraliter devenire possit ad notitiam omnium, qui sunt in toto territorio seu districtu. Authentica quoque *ut factæ novæ constitutiones*, & ratio, quæ ad illam edendam movisse creditur, solùm procedit de legibus, quæ ab uno Legislatore feruntur pro pluribus Regnis seu Provinciis.

6 Dico tertio. Leges Imperatoriæ non obligant, nisi post elapsos duos menses à die factæ promulgationis. Ita communiter DD. Habetur rursus in memorata sæpiùs Authentica. Et ratio est: quia statuere hunc ipsum temporis post factam promulgationem visum fuit conveniens, ut hoc modo omnis imparitas, confusio, & querimonia populorum latè diffusorum evitetur, inquit Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 2. num. 4. Ex quibus.

7 Infertur primo, illum non peccare, qui agit contra legem ante bimestre elapsum, quamvis sciat, eam in Curia Imperatoris, vel Metropoli esse solemniter promulgatam. Suarez cap. 18. n. 5. Salmanticenses loco cit. n. 92. Reding Q. 16. a. 2. contr. 3. n. 10. contra Bartholum, Sylvestrum & alios, qui existimant, talem in conscientia teneri tunc legem observare, licèt non puniatur per jus civile, dum eandem non observat. Ratio illationis est: quia spatium illud duorum mensium ex intentione Legislatoris non solùm statuitur pro foro externo, sed etiam ad suspendendam obligationem legis, ita ut lex non obliget ante hoc tempus elapsum; quemadmodùm clarè loquitur prædicta Authentica illis verbis: *Sancimus, si scripta fuerit hujusmodi lex, hanc post duos menses dati ejus temporis valere.* Quid enim est legem recenter latam valere post duos menses, nisi legem post duos menses, & non priùs, habere efficaciam obligandi?

8 Infertur secundo, illud spatium duorum mensium à die publicationis non obtinere in legibus municipalibus, ac similibus, quarum in n. 5. meminimus, quasi & istæ post elapsum hoc tempus primùm obligent. Ratio est; quia illa Authentica de solis legibus Imperatoriis loquitur, nec præter eam exstat aliqua dispositio juris circa dilationem obligationis legum ultra diem factæ publicationis. Itaque leges illæ, si non exprimunt aliam determinationem temporis, statim obligant post promulgationem.

9 Infertur tertio, legem ab Imperatore latam cum expressa voluntate, ut obliget ante elapsum bimestre, omnino obligare intra hoc tempus. Ratio est: quia Imperator ceu Supremus Princeps derogare potest juri communi positivo; adeòque potest, si velit, per legem suam obligare ante duos menses; sicut etiam potest obligationem suspendere diutiùs quàm ultra duos menses. Vid. Suarez n. 3. & 9. Reding n. 11. & 12.

10 Dico jam quarto. Ut Leges Pontificiæ habeant vim obligandi omnes Christianos, sufficit una promulgatio Romæ facta, nisi quid aliud in eisdem legibus exprimatur. Ita communior & probabilior sententia, quam tenent plerique Theologi, ac nominatim Suarez de Legib. lib. 4. cap. 15. n. 3. Azor. to. 1. lib. 5. cap. 3. q. 3. Bonac. ubi suprà. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 12. n. 2. dicens hanc sententiam esse certam. Laym. loco cit. Salmanticenses n. 86. Reding n. 14. Paulus Mezger ubi suprà n. 10. contra Sotum, Medinam, Navarrum & alios, quibus ex nostris Salisburgensibus adhærent P. Engl, P. Francisc. Schmier, D. Gletle & alii.

11 Prob. statuta concl. primo. Quia neque ex natura rei, neque ex jure positivo ad vim obligatoriam harum legum requiritur alia promulgatio, quàm Romæ solem-

solemniter facta: ergo hæc sufficit. Consequatur: non enim est aliud caput, ex quo desiderari possit major promulgatio. Ant. ostenditur. Non ex natura rei; quia natura legis plus non exigit, quàm ut semel authenticè promulgetur in curia Legislatoris, unde postea in notitiam subditorum devenire possit; ut patet exemplis legum, quarum in num. 5. meminimus. Non etiam ex jure positivo: tum, quòd nulla exster Ecclesiastica constitutio, quæ majorem promulgationem requirat: tum, quia constitutio illa Novellæ 66. tantum disponit de Legibus Imperatoriis, nec potuit modum aut formam præscribere Legibus Pontificiis vel Ecclesiasticis.

Prob. secundo. Quia dantur de facto
12 Leges Pontificiæ, multáque decreta ac bullæ, quæ Romæ tantùm aut saltem non in omnibus Provinciis promulgatæ obligant in tota Ecclesia. Sic regulæ Cancellariæ Romæ tantùm promulgantur, & tamen secundùm illas causæ omnes quorumlibet Christianorum in toto orbe existentium definiuntur, quod certè justum non esset, si leges istæ non obligarent. Sic constitutiones Bullæ Cœnæ non solent, nisi Romæ publicari, & tamen ubique terrarum obligare censentur. Sic Decretis Fidei Concilii Trid. omnes Christiani stare tenentur, quamvis speciali aliqua promulgatione non fuerint promulgata in singulis provinciis.

Prob. tertio. Quando Pontifices
13 volunt, ut aliqua sua lex promulgetur in singulis Episcopatibus seu Provinciis, hanc suam voluntatem specialiter declarant; veluti patet ex cap. 13. *de pœnit. & remiss.* & ex Bulla Pii V. *de Oblig. Concil. Trid.* Ergo signum est, quando in suis legibus nihil tale exprimunt, sufficere promulgationem Romæ factam.

Prob. quarto. Tota Ecclesia est pro-
14 prie & perfectè unum corpus mysticum, unaque Respublica sub uno summo pastore & capite; ergo maximè congruum est existimare pro toto hoc tali corpore sufficere unam promulgationē Legum Romæ factam tanquam in Metropoli hujus talis Reipublicæ. Huc etiam facit, quòd Sedes Pontificia fixa sit Romæ, & Pontifex non migret ex una Provincia in aliam, ut solent Principes sæculares. Quare ex ea Sede accommodatissimè influit tanquam caput in totum corpus Ecclesiæ, estque ob eandem causam Romana curia locus maxime aptus & sufficiens ad promulgationem requisitam ac sufficientem Legum Ecclesiasticarum. Pontifex, ait Joannes Monachus apud Azorium, pedes plumbeos habet, nec potest per Provincias discurrere, sed immobilis dat, ut cuncti alii moveantur. Nunc autem.

Objicies primo. Lex naturâ suâ est jussio quædam & allocutio publica ad totam 15
communitatem directa; ergo ita debet esse comparata, ut apta sit per se percipi à tota communitate. Atqui lex Romæ promulgata non est apta per se percipi à tota communitate Christiana: tum, quòd Curia Romana non laboret, ut lex Lex Romæ promulgata aliis innotescat: tum, quòd privatam notitiam legis is, qui eam habet, non teneatur communicare aliis. Unde Cajetanus 1. 2. q. 90. a. 4. ralatus ab Azorio scripsit: *Quòd si Romæ nova Lex promulgatur, & nec curia ipsa procurat, ut promulgatio ad Ecclesias Cathedrales adveniat; nec Prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesiis, accusari nec apud Deum, nec apud homines ignorantiæ possunt absentes nescij.*

Respondeo conc. Enthym. neg. subs. quia tum propter confluxum omnis generis mortalium ex toto orbe Romani venientium, tum, quòd Principes Catholici & Metropolitani Legatos & Agentes suos ibidem habeant, qui eisdem omnia, quæ à Sede Apostolica emanant, nuntiant, ac ipsi deinde subditis, quantum eorum interest, nota faciunt, tantùm abest, ut lex Romæ promulgata non sit per se apta percipi ab universa communitate Christiana, ut potiùs videatur moraliter impossibile, eam in aliqua provincia orbis Christiani non innotescere; esto Romana Curia, ut hoc fiat, non laboret; nec alii communiter, qui habent privatam notitiam, eam communicare teneantur. Cajetanus verbis citt. plus non dicit, quàm excusari à peccato ignorantes Legem Romæ promulgatam, si ea propter negligentiam & injuriam Pastorum ad illorum notitiam non deveniat: quod libenter concedimus. Sed quid hoc pro sententia opposita?

Objicies secundo. Quando Jus Civile
non adversatur Juri Canonico contrarium 16
disponenti, servari solet ab Ecclesia: veluti deducitur ex cap. 1. *de Novi operis nunt.* ubi dicitur: *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita Sacrorum Canonum statuta constitutionibus Principum adjuvantur.* Quod idem ha- 11
betur in cap. *Si in adjutorium.* Dist. 10. ubi & Glossa ait: *Ubi desunt Canones, Leges citari possunt.* Sed Jus Civile in re præsenti non adversatur Juri Canonico; cum nulla ex hoc dispositio de modo promulgandi leges afferri possit in medium: ergo servari debet Jus Civile. Atqui secundùm Jus Civile ex Constitutione Novel. 66. ut obligent Leges Imperatoriæ promulgari debent in singulis Provinciis; ergo hoc idem observari debet in Legibus Ecclesiasticis: idque tantò magis, quantò per plures mundi plagas, pluraque Regna, quàm Romanum Imperium, dilatata est Romana Ecclesia.

Re-

Respondeo dist. maj. Jus Civile tunc servari solet ab Ecclesia in causis & judiciis forensibus, conc. in modo ferendi ac promulgandi Leges universales, neg. Neque plus evincunt sive illa regula ex cit. c. 1. sive alii textus adducti. Nam modus ferendi leges universales in Ecclesia, ut pote pertinens ad propriam potestatem & actionem Hierarchæ Ecclesiastici, quid longè gravius est, quàm ut aliqua dispositio Juris Civilis ad illum sit extendenda. Et quamvis fortè propter majorem amplitudinem Ecclesiæ quàm Romani Imperii videri potuerit magis expedire, ut Leges Pontificiæ etiam in Provinciis promulgarentur, ob aliasi amen causas oppositum visum est congruentius. Recordare, quæ in n. 14. diximus.

17 Dices. In cap. *Cùm infirmitas de Pœnit. & Remiss.* expressè statuitur, Medicos non teneri lege, qua jubentur infirmos ante omnia monere & inducere ad accersendos Sacerdotes, antequàm eadem per Prælatos locorum fuerit publicata: ergo Jus ipsum Canonicum promulgationem legum in singulis Provinciis exigit.

Respondeo primo, argumentum huic esse simile: Concilium Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matr. legem, qua irritatur matrimonium clandestinum, promulgari jussit in singulis non tantùm Provinciis ac Diœcesibus, sed etiam Parochiis: ergo leges Canonicæ in singulis non tantùm Provinciis, sed etiam in singulis Parochiis promulgari debent. Quam conseq. tanquam à particulari ad universale etiam adversarii non admittunt.

Respondeo secundo, Innocentio III. talem illius legis promulgationem visam esse necessariam, tum propter pœnam, quæ in transgressores ibi decernitur: tum præcipuè, quia in eadem agitur de re maximi momenti, circa quam nulla debet posse prætendi ignorantia. Unde non rectè hinc sumitur argumentum ad alias leges. Alias solutiones, si desideras, vide apud Paulum Mezger ubi suprà n. 11. ad 4.

18 Dices iterum. Quamvis *Novella* illa 66. sit particularis, nempe de Legibus testamentariis tantùm præscripta, nihilominùs ob paritatem rationis ad reliquas leges civiles extenditur: ergo etiam cit. cap. *cùm infirmitas*, quamvis sit particulare, ac de Medicis tantùm disponat, ob rationis paritatem ad alias quoque Leges Ecclesiasticas extendendum est.

Respondeo inprimis neg. supp. conseq. quòd sit paritas rationis; quia contrarium satis constat ex dictis. Respondeo deinde, Novellam 66. extendi ad alias leges civiles non tam ob paritatem rationis, quàm ob verba rubricæ ac tituli, quæ loquuntur universaliter pro omnibus legibus, adeòque universalitatem in textum quoque refundunt, ejusque authoritatem obtinent. Atqui nihil tale invenitur circa cap. *cùm infirmitas.*

Dico quinto. Fieri potest ob aliquod 19
privilegium, vel consuetudinem alicubi introductam, ut Leges Pontificiæ ante non obligent, quàm in singulis Diœcesibus fuerint promulgatæ. Laym. ubi suprà n. 7. Paulus Mezger n. 12. & alii. Ostenditur Argumento, quod dicitur ab actu ad potentiam. Nam inprimis testantur Authores Hispani & Galli, utriusque Nationis Regibus esse privilegium, vi cujus Pontificia diplomata non tantùm non obligant ante publicationem in ipsorum ditionibus, sed ne publicari quidem possunt sine Regio consensu. Deinde Leges Pontificiæ, quibus irritantur contractus, inferuntur censuræ Ecclesiasticæ, aufertur jurisdictio, v. g. fori Pœnitentialis ac similes, ex benigna quadam interpretatione non censentur obligare in nostra Germania ante publicationem factam in Diœcesibus. Denique Concilium quoque Tridentinum (si demas Decreta Fidei) non obligat in iis partibus, in quibus non est promulgatum.

Dico sexto. Lex Ecclesiastica post fa- 20
ctam Romæ promulgationem statim incipit obligare in tota Ecclesia, ita ut non differat suam efficaciam in lapsum determinati temporis, v. g. duorum mensium, ut Lex Imperatoria, nisi quid aliud exprimat Legislator. Ita Azor. to. 1. lib. 5. cap. 3. q. 8. Suarez de Leg. lib. 4. cap. 15. n. 17. Bonac. to. 2. disp. 1. de Leg. q. 1. pu. 4. n. 25. Castrop. de Leg. tr. 3. disp. 1. pu. 12. n. 3 dicens, statutam concl. non solùm esse probabiliorem, sed certam. Eandem sententiam tenent Reding to. 2. q. 16. a. 2. contr. 3. à n. 14. Illsung tract. 1. disp. 2. a. 1. n. 3. & alii.

Ratio est: tum, quia lex publicè ac solemniter promulgata jam habet rationem imperii politici, & quidquid ad pariendam in subditis obligationem est necessarium: consequenter statim obligat: nisi aliter se velle declaret Legislator. Tum, quia Romæ Legem Pontificiam non servantes statim post promulgationem & adhuc ante elapsos duos menses puniuntur, quemadmodùm testatur Navarrus apud Azor. Suarez, Bonac. Castropal. locis citt. Tum, quia Legislator, dum legem condit, eamque solemniter promulgat, & nullum constituit certum tempus, ex quo velit, ut incipiat obligare, hoc ipso videtur velle, ut statim obliget, prout sonant verba, quibus conscripta est, vel prout ex natura rei postulat obligare. Neque rursus obtrudas constitutionem illam ex Novella 66. ubi ad inchoandam obligationem Legum Imperalium lapsus duo-

duorum mensium post promulgationem assignatur: nam quemadmodùm illa Authentica non est acceptata à Pontificibus quantùm ad iterandam promulgationem legum in provinciis, ut suprà ostendimus; ita nec acceptata est quantùm ad dilationem obligationis earum post lapsum duorum mensium à facta promulgatione.

21 Dixi autem in concl. *nisi quid aliud exprimat Legislator.* Cùm enim obligatio legis pendeat ab intentione Legislatoris, hoc ipso, quòd is declaret, se non intendere ante certum tempus obligare, lex non obligat ante elapsum tale tempus, ut ex n. 6. patet exemplo legum imperialium, & decretorum Concilii Trid. quæ non obligârunt, nisi post tres menses à facta promulgatione, quos ad inducendam obligationem eisdem Pius IV. præfixit. vid. Bonac. & Castropalao locis citt., Ex dictis

22 Infertur primo, Legem Ecclesiasticam in eo quoque differre à lege Imperatoria, quòd subditus Ecclesiasticam intra spatium duorum mensium post publicationem Romæ factam scienter non observans peccet; non verò peccet intra illud tempus non observans Legem Imperatoriam solemniter promulgatam, tametsi habeat notitiam promulgationis, ac videat, legem ab aliis subditis observari. Bonac. n. 18. Laym. ubi suprà n. 5. Ratio est: quia lex Imperatoria intra illud spatium temporis nullam parit obligationem; parit autem lex Pontificia in omnibus subditis, quamprimùm de ejus promulgatione habent notitiam sufficientem, quocunque modo, etiam revelatione Divina, vel ope Angelica, acceptam.

23 Infertur secundo, Confessarium à peccatis reservatis validè absolvere virtute privilegii sibi concessi, sed jam revocati, quamdiù bona fide ignorat legem, qua revocatum est privilegium, esse promulgatam. Navarr. Vasquez, Sotus, Salas, Molina, & alii, quos refert & sequitur Bonac. n. 20. Videatur etiam Sayr. lib. 3. clavis, cap. 5. n. 13. Ratio est: quia propter magna incommoda, quæ aliàs sequerentur, Superior non censetur velle, ut lex revocans habeat effectum, antequàm sufficienter innotescat.

Infertur tertio, Bullas Pontificias, quibus aliquæ sententiæ Authorum damnantur tanquam, scandalosæ, temerariæ &c. & practicari prohibentur, Romæ promulgatas statim obligare omnes, quibus sufficienter innotescunt, quamvis non publicentur in Diœcesibus. Paulus Mezger ubi suprà n. 15. Ratio est: quia fideles tenentur se conformare judicio Summi Pontificis ex cathedra quid definientis ac declarantis, quamprimùm illius sufficientem habent notitiam: sed Pontifex damnans sententias ut scandalosas, temerarias &c. definit & declarat esse tales ex cathedra tanquam viva fidei ac morum regula, quæ errare non potest; ergo. Confirmatur. Post solemnem canonizationem alicujus Sancti Romæ factam teneor ejusmodi hominem habere pro Sancto, quamprimùm illa canonizatio mihi sufficienter innotescit, etiam nulla facta promulgatione in provinciis: ergo etiam teneor illam propositionem habere pro falsa, scandalosa, temeraria &c. quam Summus Pontifex ut talem declaravit ac damnavit ex cathedra, quamprimùm ejusmodi declaratio mihi sufficienter innotescit, quamvis Romæ tantùm fuerit publicata. 24

Infertur quarto, hanc nostram sententiam; quatentendimus, leges Pontificias post factam Romæ promulgationem statim obligare incipere, non esse duram ac nimis difficilem, ut quibusdam videtur. Ratio est: quia fideles non peccant, si leges Pontificias non observent, quamdiu bona fide ignorant esse latas ac promulgatas: sic autem ignorare possunt alii ultra duos, alii ultra tres, alii ultra quatuor menses &c. Sed neq; pœnis in transgressores statutis subjacent, si prætendant ac probent legis ignorantiam. Aliunde quoque eadem nostra sententia magis quàm opposita commendat authoritatem Summi Hierarchæ, ejúsque absolutam independentiam à quacunque humana potestate aç modo leges ferendi & publicandi. 25

ARTICULUS V.

An valor Legis dependeat ab acceptatione populi?

SUMMARIUM.

1. Refertur sententia affirmativa. 2. 3. Statuitur & probatur negativa tam de Lege Ecclesiastica, quàm civili. 4. Respondetur ad fundamenta opposita. 5. Limitatio nostræ sententiæ. 6. 7. & seqq. observantur quædam in praxi utilia.

1 SEntentiam affirmativam tàm de lege Ecclesiastica, quàm Civili multi tuentur, ut *R. P. Babenstuber Theol. moralis.* refert Suarez lib. 4. de leg. cap. 16. n. 1. Collegium Salmant. tr. 11. qui est de leg. cap. 1. n. 98. & 101. Laym. tr. 4. cap. 3. n. 1. & alii. Fundamentum hujus sententiæ apud Bonac. de Leg. disp. 1. q. 1. pu. 4. n. 27. in eo consistit, quòd leges sub hac tacita conditione ferantur, ut vim habeant obligandi, si à populo fuerint acceptatæ, usuque receptæ. hoc enim, inquiunt, rationabiliter præsumitur de benignitate Legislatorum, ne subditos plùs æquo gravare videan-

deantur. Arguunt præterea ex illo dicto Gratiani communiter recepto in §. *leges.* cap. 3. dist. 4. *Leges constituuntur, dum promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* ac demum ex eo, quòd multæ constitutiones Pontificiæ non obligent, idque ex nullo alio capite, quàm quòd usu non sint receptæ. Verùm contra

2 Dico primo. Nulla lex Ecclesiastica quoad vim obligandi dependet ab acceptatione populi. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia lex Ecclesiastica immediatè fertur vel à Summo Pontifice, vel ab alio Prælato Ecclesiastico. nullus verò horum in exercitio potestatis legislativæ, vel quoad ipsam hanc potestatem dependet à consensu vel approbatione subditorum; quippe quam non ab ipsis, sed à Christo vel immediatè (quo modo Sum. Pontifex) vel mediatè (quo modo alii Prælati) accepit: consequenter lex, quam condit, est valida independenter à consensu & acceptatione populi.

3 Dico secundo. Neque Leges civiles Principis, vel absoluti Magistratus ab acceptatione populi dependent quoad valorem obligandi. Ita rursus communis Theologorum. Ratio est: quia vel Princeps, & Magistratus potest obligare subditos ad acceptationem legis à se conditæ, vel non potest? si non; tunc ejus potestas gubernativa non est suprema & absoluta, sed ligata atque dependens à libitu parendi vel non parendi subditorum. Si potest, clarum est, ad legis valorem non requiri eorum consensum; quippe cui totus jam valor legis præsupponitur.

Confirmatur. Ut justum Superioris præceptum obliget, non requiritur acceptatio subditi; imò subditus illud tenetur acceptare: ergo similiter, ut justa lex obliget subditos, non requiritur ex parte ipsorum acceptatio. Conseq. valere videtur à fortiori: cùm major sit vis legis ad obligandum quàm præcepti.

4 Ad fundamentum opinionis adversæ respondetur, populum non posse illum modum conditionatum ferendi leges rationabiliter præsumere; tum, quia contra bonum commune derogaret potestati legislativæ: tum, quia in translatione omnis potestatis gubernativæ in Principem, vel Magistratum censetur se abdicâsse etiam libertate respuendi justas leges. Ad illud Gratiani dico, sensum esse, leges per usum & acceptationem populi firmari, non quidem firmitate juris, sed facti, ac secundum perfectionem accidentalem, quatenus ex usu, suique exercitio obtinent, ne vigor obligandi per non usum, vel contrariam consuetudinem elanguescat. Ad ultimum neg. causalis. nam ideo constitutiones ac Bullæ quædam Pontificiæ non obligant, quia propter obortas difficultates vel ipse Pontifex urgere noluit earum observantiam; vel quia per contrariam consuetudinem contra easdem legitimè fuit præscriptum.

Cæterum illud adhuc notare oportet, si in 5
regno aliquo Principi à populo tradita sunt gubernacula sub ea conditione, ut ipsius leges & statuta non obligent, nisi addito consensu & acceptatione subditorum, tunc leges ab ejusmodi Principe latas non habere vim obligandi, nisi à majore parte populi acceptentur, tametsi legislator expressè intendat obligare independenter ab acceptatione seu consensu populi. Ratio est: quia tunc potestas leges ferendi collata Regi non est obligativa independenter à consensu Regni. vid. Salmant. ubi suprà n. 96. qui tamen adduut, tum dependentiam Principis à subditis non esse in acceptandis legibus jam conditis & promulgatis, sed in ipsis legibus condendis, eò quòd populus in translatione suæ potestatis elegerit formam Reipublicæ mixtam ex monarchia & aristocratia, vel democratia. Sed jam ulteriùs observanda sunt quædam ad praxim utilia.

Primum est. Episcopi, præsertim Metro- 6
politani, ex officio tenentur leges à Sum. Pontifice recenter conditas, ac Romæ promulgatas in suis diœcesibus promulgare, utque in usum dededucantur, procurare, saltem postquàm eas ex Romana Curia acceperunt authenticè transmissas cum mandato expresso vel tacito, ut publicari & observari curent. Quod idem incumbit Ducibus & Gubernatoribus provinciarum circa leges Imperatorias, vel Regias, postquàm ipsis authenticè à Legislatoribus fuerunt transmissæ. Sayrus in clavi reg. lib. 3. cap. 5. n. 14. Laym. ubi suprà n. 2.

Secundum. Si major pars populi legem 7
promulgatam non recipiat & observet, idque sciat Legislator, attendendum est, an connivеat, & non urgeat legis observationem; vel an ad istam compellat per executores, puniatque transgressores? In primo casu censetur legem revocare tanquam difficilem, subditisque incommodam. In secundo quilibet legem tenetur servare, quamvis major pars communitatis recuset. Ratio hujus est: quia in ejusmodi dissensione ratio naturalis dictat, cuilibet membro capitis sui imperium debere esse potius, qua libitum, ductúmq; reliquorum membrorum. vid. Suarez ubi suprà n. 12. Laym. n. 3.

Tertium. Si nesciat Legislator, legem non 8
recipi, nec observari, tunc legis obligatio durat, donec legitimum præscriptionis tempus decurratur: hoc autem elapso cessat ejus obligatio. Ratio est: quia si lex jam recepta, usuq; confirmata per contrariam consuetudinem abrogari potest juxta cap. ult. *de consuet.* multò magis recèns conditæ, & non receptæ derogari per non usum potest: cùm ante receptionem habeat minorem firmitatem. Suarez n. 9. Laym. n. 4. Sayr. n. 15. Reding q. 16. a. 2. contr. 4. n. 9.

Quar-

9 Quartum. Qui paratus est legem legitimè promulgatam recipere, eamque data occasione etiam observat, excusatur ab illius obligatione, etiam ante tempus præscriptionis expletum, per epickeiam, si alii plerique ex communitate non recipiant, nec recepturi existimentur. Ratio est: quia non videtur æquum, ut quis solus, vel cum paucis quibusdam aliis teneatur longo tempore
? servare legem communiter non receptam. Laym. num. 3. Salmanticenses ubi suprà n. 107.

10 Quintum. Quando communitas ob justam causam arbitratur, novam quampiam constitutionem aut legem bono publico non esse convenientem, tunc poterit supplicare Legislatori, ut eam revocet, ac interim, dum exspectatur responsum, legis observationem suspendere, & ita se gerere, ac si lex lata non esset. Bonac. ubi suprà n. 41. Laym. n. 7. & plures alii apud Salmanticenses n. 111. Ratio est: quia sic exigere videtur suavitas humanæ gubernationis, ne subditi premantur onere legis, donec Legislator mentem suam magis explicaverit. Verùm alii, licèt concedant, communitatem dicto modo supplicare posse, probabilius existimant, legem obligare totò illo tempore, si possit observari absque scandalo, aut gravi perturbatione rerum. Ratio est: quia licèt populus supponatur habere justam ac gravem causam supplicandi pro revocatione legis, fieri potest, ut Legislator habeat causam adhuc justiorem ac graviorem denegandi revocationem: consequenter non adest sufficiens fundamentum præsumendi, Legislatorem intra illud tempus nolle obligare. Aliunde quoque supplicatio non habet effectum suspensivum, sicut appellatio. Dixi, *si possit observari &c.* secùs enim ex benigna interpretatione subditi prudenter possunt præsumere, Legislatorem non velle, ut lex tunc obliget. Vid. Suarez n. 8. Castropal. de leg. tr. 3. disp. 1. pu. 13. n. 14. Salmanticenses loc. cit. Quòdsi jam Princeps auditis ac perpensis rationibus supplicationis taceat, nec urgeat observationem legis, probabiliùs eam revocare censetur: quia, si adhuc haberet animum obligandi per legem, subditos ad ejus observationem inducere conaretur. Castropal. n. 15. Salmantic. n. 112. qui tamen hoc limitant, nisi ex conjecturis colligatur, Principem hac tali dissimulatione uti, non ut tollat, sed ut suaviori modo firmet legem, subditosque ad ejus observationem inducat. Si verò Princeps non obstantibus, quæ in supplicatione adducuntur, rationibûs, significet, se persistere in sententia, parendum erit, nisi apertè constet, legem esse iniquam. Laym. n. 7.

DISPUTATIO II.

De Obligatione Legis.

ARTICULUS I.

An Leges humanæ obligent in conscientia?

SUMMARIUM.

1. Cuinam placuerit sententia negans. 2. Statuitur & probatur affirmans de Lege tam civili quam Ecclesiastica. 3. 4. Declaratur, ad quidnam in conscientia obligent Leges humanæ. 5. Differentia inter Leges & simplices constitutiones. 6. Quid de Regulis Sacrar. Religionum? 7. 8. Quid de Legibus tributorum & vectigalium?

1 LEgem naturalem & Divinam obligare in conscientia, ita ut contrà facientes peccent coram Deo, reatumque pœnæ incurrant; apud omnes, qui rectè sapiunt, certissimum est. De lege tamen humana tam Ecclesiastica, quàm civili Gerson in tract. de vita spirit. lect. 4. alphab. 62. affirmâsse perhibetur, eas ex se non obligare in foro conscientiæ; sed solùm, quatenùs declarant legem Divinam. Verùm contrà

2 Dico primo. Lex humana tam Civilis quàm Ecclesiastica potest obligare subditum, quatenùs est lex humana, in conscientia, id est, sub peccato. Hæc concl. est certissima, eamque hodie tenent cum D. Thoma in 1.2. q. 96. a. 4. omnes Doctores unanimiter. Solet autem ostendi ex variis locis S. Scripturæ: maximè tamen ex Apost. ad Rom. 13. ubi dicitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: & redditur ratio: *non enim est potestas, nisi à Deo &c.* ac tandem subjungitur: *ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* ubi ly *propter conscientiam* idem significat, ac propter obligationem conscientia; quemadmodùm advertit Cardenas in Crisi Theol. tr. 3. disp. 22. c. 3. n. 34. Et hic locus Apost. specialiter loquitur de Prin-

Principibus seu Legislatoribus sæculatibus. De potestate verò Ecclesiastica dicitur Matth. 18. *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* ubi clarè significatur, peccare illum, qui non obedit potestati Ecclesiasticæ, & consequenter ad obediendum ejus præceptis ac legibus obligari in conscientia. Plura, si lubet, S. Script. testimonia in rem præsentem expensa vide apud Sayr. in Clavi. lib. 3. cap. 6. à n. 4.

Probatur statuta veritas etiam ratione. Quia Legislator humanus condendô legem non præcisè declarat legem Divinam, sicut putavit Gerson, sed legis illius æternæ, & naturalis obligationem determinat ad novam materiam, in qua antea non obligabat, v.g. ad abstinendum à carnibus certis diebus, ad vendendum frumentum determinatô pretiô, aliasque actiones similes, de quibus antea nihil præscriptum erat lege Divina aut naturali; idque facit potestate à Deo ceu primo Legislatore accepta; sicut causæ secundæ naturales producunt suos effectus mediâ virtute, quam habent à Deo ceu causa prima sibi tributam. Sicut ergo causæ secundæ, licèt non agant nisi dependenter à causa prima, verè & per se producunt novos effectus, ita etiam Legislatores humani, quamvis non ferant leges, nisi per potestatem à primo Legislatore acceptam, ac dependenter ab illo, verè tamen atque per se, & quatenùs sunt Legislatores humani, novis suis legibus conferunt vim obligandi in conscientia. In Confirmationem accedit, quòd potestas legislativa ut plurimùm inutilis esset & inefficax, si non pareret obligationem in conscientia. certè metus pœnarum impositarum parùm proficeret ad continendos in officio subditos; cùm mille modi & artes suppeterent transgressoribus easdem evadendi aut eludendi. Unde bono communi minimè esset consultum.

3 Dico secundo. Omnis humana lex, si est vera lex, obligat in conscientia vel ad actum, de quo primò disponit, vel ad subeundam pœnam, quam adjicit, si violetur. Ita communis doctrina inter Catholicos. Ratio est: quia omnis vera lex fertur à Superiore quà tali, sive quatenùs Superior est, & in quantum habet non solùm potestatem, sed etiam intentionem obligandi in conscientia: ergo actu sic obligat. Conseq. inde colligitur, quòd Superiori quà tali justa præcipienti parendum esse jubeat tam lex Divina, quàm naturalis. Atque hinc oritur.

4 Corollarium primum. Lex præceptiva obligat in conscientia ad actum præceptum, v.g. ad auditionem Missæ; lex purè pœnalis ad pœnam: disjunctivè mixta indeterminatè vel ad actum, ejúsve omissionem, vel ad pœnam, v.g. vel ad non evehendum frumentum, vel ad pendendum 10. aureos. Lex copulativè mixta obligat determinatè ad actum, & ad pœnam, si violetur. Ratio desumitur ex intentione legislatoris, qui lege præceptiva intendit obligare ad actum; lege purè pœnali ad pœnam; disjunctivè mixta ad alterutrum; copulativè mixta ad utrumque determinatè. vid. Paulus Mezger to. 2. tr. 8. disp. 35. a. 1. n. 4.

Secundum. Si dentur aliquæ sanctiones latæ quidem ab habente legitimam po- 5
testatem verbis præceptivis *jubemus*, *mandamus &c.* ita tamen, ut in eisdem exprimatur, legislatorem nolle obligare subditos in conscientia, tunc ejusmodi sanctiones non sunt veræ ac propriæ leges, uti nec consilia, sed simplices constitutiones, seu ordinationes. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. pu. 7. §. 2. n. 5. Castropal. tr. 3. disp 1. pu. 14. n. 5. Mezger n. 6. & alii. Ratio est: quia, si essent veræ leges, obligarent; si essent consilia, non intimarentur verbis præceptivis: atqui non obligant, ut significat legislator; intimantur quoque verbis non suasoriis, sed præceptivis: ergo neque sunt veræ leges, neque consilia. Restat igitur esse simplices quasdam ordinationes ac regulas directivas, cujusmodi sunt multa statuta Religiosorum Ordinum, Congregationum, Academiarum &c. sicut de primis statim audiemus.

Tertium. Plurimæ constitutiones & 6
regulæ Sacrarum Religionum, ac Ordinum non obligant in conscientia ad actum, quem præscribunt. D. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. & quodlib. 1. a. 9. S. Antoninus 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 3. Thomas Sanchez lib. 6. in Decal. c. 4. n. 11. ubi etiam refert alios complures. Salmanticenses tr. 11. de legib. cap. 2. pu. 1. n. 6. Reding q. 16. a. 3. contr. 2. Paulus Mezger n. 9. Francisc. Schmier de Jure leg. cap. 1. sect. 3. §. 5. Ratio est: tum, quia quædam illarum sunt purè pœnales, adeóque obligant ad solam pœnam, si violentur; tum, quia quædam se habent tantùm per modum simplicis statuti & ordinationis. Unde nec sunt propriè leges, sed regulæ merè dirigentes. & hoc quidem D. Thomas expressè sentit de nostra Regula Benedictina: & loquens de abstinentia à carnibus ibi præscripta dicit in cit. a. 20. *abstinere à carnibus non ponitur in Regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam.* Quare per se loquendo non peccat Religiosus ejusmodi regulas transgrediendô: contingit tamen, ut peccet per accidens ex directa, vel indirecta oppositione transgressionis cum aliquo voto professionis: v. g. si ex contemptu vel formali, vel virtuali; vel contra speciale præceptum Superioris in virtute S. obedientiæ; vel absque ulla rationabili causa transgrediatur regulare statutum.

Quar-

7 Quartum. Leges tributorum & vectigalium, quando instructæ sunt debitis conditionibus, obligant in conscientia ad eorum solutionem. Sylvester verbô *Gabella* 3. n. 21. & eodem verbô 4. q. 5. Sayrus in clavi. lib. 9. cap. 16. n. 30. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 3. n. 5. Paulus Mezger loco cit. n. 8. estque communior sententia. Colligitur satis clarè ex illo Apost. ad Rom. 13. *reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ratio verò est: quia æquitas naturalis postulat, ut Magistratibus & Principibus tanquam custodibus, defensoribus, & pastoribus reipublicæ (quo ultimo nomine etiam vocantur potestates sæculares apud Ezech. cap. 34.) præbeantur redditus ad sustentationem congrui propter labores, onera, & curam boni communis. *quis enim* (ait Apost. 1. Corinth 9.) *pascit gregem, & de fructu ejus non comedit?* Justum est igitur, inquit Sayrus, ut illi à grege lac, hoc est, tributum aliquod sumant. Ego lanam quoque concedo; pellem verò minimè: quamvis enim tondere liceat quandoque subditos, nunquam tamen licet deglubere.

Monent autem Sylvester loco cit. & alii apud Laym. defraudatorem tributi & vectigalis, maximè noviter impositi, in confessionali non esse facile condemnandum gravis peccati, vel ad restitutionem obligandum; uti nec ad pœnam subeundam ante judicis sententiam: cùm enim multæ requirantur conditiones, ut ejusmodi onera justè imponantur, facilè contingit, ut subditus rationabiliter dubitans de justitia legis probabiliter existimet, illâ se non teneri. Et hoc præcipuè locum habet in forensibus, & externis, qui sæpe ob solum transitum alieno principi magnum vectigal pendere debent. Accedit, quòd opinio docens, leges, quibûs imponuntur tributa & vectigalia, esse merè pœnales, sit etiam probabilis. Vid. Joan. Cardenas tract. 1. disp. 16. cap. 6. n. 66.

ARTICULUS II.

Quanta sit obligatio Legis humanæ?

SUMMARIUM.

1. *Unde dignosci debeant materia gravis & levis.* 2. *Lex humana obligat sub peccato, modo veniali, modò mortali.* 3. *In materia levi non potest obligare graviter, potest tamen in materia gravi obligare leviter, sive sub veniali peccato.* 4. *Transgressio humanæ Legis ex formali contemptu semper mortale peccatum est.* 5. *Transgressio præcepti de re tam materialiter quam formaliter levi nunquam peccatum mortale est.* 6. *Aliud sentiendum, si res levis fiat formaliter gravis.* 7. *Unde colligi possit, Legem aliquam obligare sub mortali.*

1 NOtandum est ex tract. proximè præced. disp. 3. a. 4. n. 24. & seqq. in discernenda materia gravi & levi, circa quam datur obligatio legis, non esse præcisè attendendum ad intrinseca prædicata rei cadentis sub legem vel præceptum; sed vel maximè considerandum esse, quo fine, & ratione quarum circumstantiarum Legislator fuerit permotus, ut hoc vel illud præciperet. Contingit enim, ut materia suapte naturâ seu materialiter gravis per ordinem ad finem à Legislatore intentum, eò quôd cum isto non habeat magnam, & necessariam connexionem, sit formaliter levis: & econtra, ut res ex se & materialiter levis ratione finis & aliarum circumstantiarum fiat formaliter gravis. Exemplum primi esse potest jejunium in aliqua Religione certis profestis præceptum. Exemplum secundi est commestio pomi Adamo in paradiso prohibita; item infusio aquæ modicissimæ in calicem sacrificantibus præscripta, de quibus loco cit. n. 25. & 26. meminimus.

2 Dico jam primo. Lex humana obligat sub peccato, modò veniali, modò mortali, si hoc qualitas materiæ patiatur. Ita communis. Ratio sufficiens colligitur ex dictis in 1. a. quia lex humana efficaciam obligandi habet ex lege æterna & naturali, qua jubemur obedire Superioribus. Ergò sicut lex æterna Dei, & naturalis obligat nunc leviter, & sub veniali; nunc graviter, & sub mortali peccato, si ferat conditio materiæ, ita & lex humana.

3 Dico secundo. Lex humana in materia levi non potest obligare sub mortali; potest verò in materia gravi probabiliùs obligare sub veniali tantùm. Ratio primi est: tum, quia materia levis non videtur capax tantæ obligationis: tum, quia nec lex Divina, aut naturalis obligat sub mortali; veluti patet in præcepto non furandi, vel non mentiendi, ubi furtum modicæ quantitatis, & mendacium de re levis momenti sunt peccata venialia solùm. Lex autem humana, ut sit rationabilis, conformari debet legi Divinæ & naturali, à quibus vis ejus obligativa derivatur. Sayrus lib. 3. clavis. cap. 7. n. 14. Bonac. de Leg. disp. 1. q. 1. pu. 7. §. 4. n. 13. Laym. tr. 4. cap. 14. n. 2. Ratio secundi est: quia in moralibus *actus agentium non operantur ultra eorum intentionem.* arg. l. *non omnis, ff. si certum petetur:* neque obligat lex ultra mentem legislatoris.

latoris. unde sicut potest vel omnino non obligare, sed similem materiam proponere sub mero consilio, vel obligare sub mortali, ita potest etiam obligare sub veniali tantùm, si ad finem à se intentum sic expedire judicaverit. Vid. citt. ac præterea Salmanticenses de Leg. tract. 11. cap. 2. n. 20. Reding. q. 16. a. 3. contr. 1. n. 26. Paulus Mezger tr. 8. disp. 35. a. 4. n. 16. qui postremus meritò advertit, ex hypothesi, quòd Legislator leviter obliget in materia gravi, tunc materiam non esse gravem formaliter, & in ratione medii, sed materialiter & in esse rei tantùm. Qua distinctione observata conciliari posse videntur sententiæ hîc oppositæ, si, dum nostra loquitur de materia materialiter gravi, & in esse rei, adversa intelligatur de materia gravi etiam formaliter & in ratione medii ad finem intentum. Ex dictis habetur.

4 Resolutio primæ. Qui legem humanam transgreditur ex perfecto & formali contemptu illius, hoc est, ex pura malitia, ut nempe ostendat, se nolle subjici legitimo Superiori, eumque se parvi pendere, peccat mortaliter, tametsi transgressio fiat in re levi. Ita cum D. Toma 2. 2. q. 105. a. 1. & q. 186. a. 9. communiter DD. Ratio est: quia per ejusmodi contemptum graviter læditur charitas, gravisque injuria Legislatori irrogatur. Ex quo ulteriùs infert Mezger n. 3. eum, qui proponeret omnia peccata venialia committere, peccaturum mortaliter: talis enim non haberet aliud motivum ejusmodi propositum concipiendi, quàm meram suam libidinem violandi præcepta Dei peccata venialia prohibentis. Adde, quòd in collectione omnium venialium contineantur occasiones proximæ etiam mortaliter peccandi sub mortali prohibitæ. Vide tamen, quæ tract. præced. disp. 3. a. 4. n. 54. diximus.

5 Resolutio secunda. Non peccat mortaliter transgrediens præceptum de re tam materialiter quam formaliter levi, licèt Superior præceperit sub mortali, v. g. nequis frangat silentium, ne comedat, nucem, ut claudat ostium &c. Sayrus, Bonac. loc. cit. & alii comuniter. Ratio est: quia materia non est capax gravis obligationis. Talis nihilominùs tamen peccat venialiter: licèt enim levitas materiæ impediat obligationem sub mortali, non tamen impedit obligationem sub veniali: & volens obligare plùs quàm potest, censetur etiam velle obligare, quantùm potest. Bonac. cit. Suarez de Leg. lib. 3. cap. 25. n. 6.

Resolutio tertia. Peccat verò mortaliter 6 transgrediens præceptum sub gravi obligatione impositum, quando res præcepta secundùm se quidem levis evadit formaliter gravis ratione alicujus circumstantiæ, v. g. scandali, communis disciplinæ &c. Ratio est: quia materia est capax gravis obligationis. Si Religiosus à Prælato potest obligari sub mortali; ne frangat silentium; ne loquatur certæ personæ; ne intret talem vel talem domum &c. quando ratione alicujus circumstantiæ ita videtur expedire. Sayr. loc. cit. Laym. ubi suprà n. 3.

Cæterùm, si quæras, unde colligi pos- 7 sit, legem aliquam (idem est de præcepto) obligare sub mortali? respondeo, id potissimùm colligi ex sequentibus, scilicet primo ex gravitate materiæ: nisi aliunde constet, Legislatorem circa eam velle obligare sub veniali tantùm. Secundo, ex gravitate pœnæ adjunctæ, v. g. excommunicationis, depositionis, maledictionis æternæ, exilii perpetui, mortis &c. Tertio, ex gravitate verborum magnam in se vim habentium: cujusmodi sunt: *jubemus, obligamus, interdicimus, in virtute S. obedientiæ, vel vi voti, aut juramenti: stricte præcipimus, graviter mandamus &c.* Tertio, ex usu, consuetudine, vel communi prudentium & timoratorum judicio. Hinc, quia omnes probi obligationem legis de jejunio Ecclesiastico, de abstinentia à carnibus, de Communione annua judicant esse gravem & sub peccato mortali, fideles sic obligari nemo prudenter dubitare potest. Vid. Bonac. ubi suprà n. 30. Salmantic. n. 16.

ARTICULUS III.

Circa quam materiam detur, vel dari possit obligatio Legis humanæ?

SUMMARIUM.

1. Materia Legis humanæ sunt actiones humanæ. 2. 3. Lex humana non potest absolutè præcipere omnes actus omnium virtutum. 4. Sicuti nec prohibere omnia peccata. 5. Etiam actus indifferentes possunt esse materia Legis. 6. Peculiaris difficultas de Actibus internis. 7. Actus humani purè interni neque Lege civili. 8. 9. Neque Ecclesiastica directè præcipi vel prohiberi possunt. 10. 11. 12. & seqq. Respondetur ad fundamenta contraria. 20. Actus interni per se connexi cum externis, vel ad moralem eorum substantiam necessarii Lege humana indirectè præcipi vel prohiberi possunt. 21. 22. & seqq. Resolutiones practicæ ex dictis. 27. Actus internus per accidens tantùm conjunctus externo non est materia Legis humanæ.

OMnes in eo consentiunt, quòd materia 1 legis humanæ tam civilis quàm Ecclesiasticæ

siasticæ sint actiones humanæ. Constat enim, circa illas versari legem præcipiendò bonas seu honestas, prohibendò malas seu inhonestas. Sed quoniam variæ sunt actiones humanæ, de quibus in præsenti potest moveri dubium, ut distinctiùs procedamus, aliquot conclusiones statuemus. Itaque

2 Dico primo. Quamvis lex humana præcipiat actus omnium virtutum, non tamen præcipit absolutè, nec potest præcipere omnes actus omnium virtutum. Ita communis cum D. Thoma in 1. 2. q. 96. a 3. Ratio primi est: quia nulla est virtus, quæ non habeat actus facilè observabiles, in que bonum commune ordinabiles. Hos autem tales actus meritò ac justè præcipiunt leges humanæ. Ratio secundi est: quia absolutè obligatum esse ad omnes eos actus nimis esset difficile, ac supra vires morales fragilitatis humanæ: sunt enim aliqua virtutum opera valdè ardua, v. g. Evangelica paupertas, perpetua virginitas & similia, quæ absolutè præcipere nequaquam expediret bono communi; sed præstat ea relinquere sub consilio. Laym. tr. 4. cap 4. n 2. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 5. n. 5. Salmantic. tr. 11. cap. 1. pu. 5. n. 64.

3 Dixi autem, *absolutè præcipere &c.* nam sub aliqua conditione, vel suppositione subditis voluntaria Ecclesia interdum præcipit opera consilii. Ita Clericis in majoribus imponit obligationem castitatis servandæ, si nempe in tali ordine velint constitui: quæ conditio illis est voluntaria. Similiter supposito delicto potest in ejus vindictam & correctionem delinquentibus præcipere opera dura & aspera Pœnitentiæ, qualia absolutè non præcipit. Suar. l. 4. de leg c. 11. n. 2.

4 Dico secundo. Lex humana non potest prohibere omnia peccata. Ita D. Thomas q. cit. a. 2. Sayr in clavi. lib. 3. cap 3. n. 5. Suarez n. 3. Salmanticenses n. 62. & alii communiter. Ratio est: quia attenta fragilitate hominum in communitate viventium, qui plerumque majori numero sunt in virtute non perfecta, prohibitio adeò generalis plus incommodi, quàm commodi afferret reipublicæ. Unde prudentis Legislatoris est mala minora nonnunquam permittere, ut evitentur majora. Quæ tamen permissio, ut cum Lud. Engl. advertit Paulus Mezger, nequaquam est approbativa sed tantùm pœnæ dissimulativa, quâ positiva prohibitio & pœnalis coërcitio negativè intermittitur. Neque dicas, omnes actus malos lege naturali & Divina prohiberi; ergo etiam lege humana esse prohibendos: nam lex naturalis & Divina attendit ad bonum uniuscujusque in particulari; lex verò humana attendit, quid bonum sit, & expediat toti communitati, quà tali. quia verò, attenta fragilitate hominum, expedit communitati quædam minora mala permitti, non potest esse conveniens omnia lege humana prohiberi. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu 5. n. 2.

Dico tertio. Etiam actus ex se indifferentes 5
possunt esse materia legis humanæ. Sayr. n. 4. Bonac n. 4. Salmantic. n. 65. Ratio est: quia inprimis ejusmodi actus positivè permitti possunt. Deindę, quatenùs conducunt ad finem honestum à Legislatore intentum, præcipi, quatenùs à consecutione finis retrahunt, prohiberi possunt Sic in exemplo abstinere ab opere servili, quod ex se est indifferens, præcipi potest in honorem alicujus Sancti, & esse actus Religionis. Econtra noctu plateas obambulare armatos, quamvis ex se sit indifferens, si videatur incommodum quieti publicæ, lege, tanquam actio mala, prohiberi potest.

Et ista quidem, quæ hactenùs concluſimus, 6
intellecta de actibus externis, non videntur habere difficultatem. Quæstio haud paullò operosior est de actibus humanis internis, an nempe possint esse materia humanarum legum, illisq; præcipi vel prohiberi? Ante resolutionem nota ex Paulo Mezger tr. 8. disp. 34. a. 2. n. 2. actum internum quatuor modis se posse habere. Primo ita, ut sit planè internus ac abditus intra voluntatem & intellectum, quemadmodum actus charitatis erga Deum, oratio mentalis, aliaque secreta cordium, ut vocantur in tr. de Angelis. Secundo ita, ut per se connectatur cum actu externo tanquam effectus, vel causa, vel principium ejusdem: veluti cum quolibet actu externo liberè exercito connectitur interna voluntas ceu causa ipsius Tertio, ut cum opere externo conjungatur vi legis Divinæ, vel naturalis tanquam necessarius ad substantiam talis operis in esse morali constituendam: quod sæpe contingit: sic enim videmus, vi legis Divinæ ad substantiam confessionis Sacramentalis esse necessarium dolorem internum, & ad Sacramenti administrationem requiri intentionem Ministri, haud sanè, ut hæc utraque actio in esse physico, & materiali, sed in esse morali constituatur. Quarto, ut prorsus per accidens conjungatur cum opere externo; & tanquam disparatè se habens ad ejus substantiam: qualiter se habet ad substantiam orationis vocalis intentio orandi in satisfactionem pro peccatis, vel propter vanam gloriam &c. Nunc

Dico quarto. Legislator civilis non potest 7
per se & directè præcipere, vel prohibere actus purè internos. Ita cōmunis & receptissima sententia. quæ sumitur ex l. *cogitationis pœnam.* ff. *de pœnis.* Ratiò verò est: quia potestas Legislatoris politici imediatè ortum habet à populo, qui non potest conferre jurisdictionem super illa, quæ sunt omninò extra cognitionē suam, ac proinde etiam extra forum suum Sed actus merè interni sunt omninò extra cognitionem populi; ergo. Accedit huc optima rei hujus declaratio ex D. Thoma in 2. 2. q. 104. a. 5. ubi refert Senecam lib. 3. de benefic. quia

nempe

nempe unus homo non subjectus est alteri homini secundùm animam, sed secundùm corpus. *errat enim* (ait Seneca) *si quis putat, servitutem in totum hominem descendere: pars enim melior excepta est: corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis; mens sui juris est.* quasi diceret, quantùm ad actus mentis homo non subjacet naturaliter potestati alterius, subjacet tamen quoad actiones corporis, sive exteriores: nam in his, non in illis, homines inter se communicare possunt tanquam utilibus vel noxiis bono reipublicæ.

8 Dico quinto. Neque lege Ecclesiastica directè præcipi, vel prohiberi potest actus purè internus. Ita rursus communis sententia cum D. Thoma in 1. 2. q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9. & alibi. Contrarium præter Glossam in Clement. 1. §. *Verùm. verbo, eo ipso*, Adrianum, Rosellam, Medinam, Albertum Pighium, quos refert Suarez lib. 4. de leg. cap. 12. num. 3. tuetur Joan. de Cardenas in Crisi Theol. dissert. 34. a. 2. 3. & 4. ac novissimè ex nostris Francisc. Schmier in tr. de Jure Leg. cap. 1. n. 57. referens D. Gletle & alios.

Probatur statuta concl. primo ex eo, quòd neque in S. Script. habeatur aliquod indicium, potestatem præcipiendi aut prohibendi actus merè internos datam esse Legislatori Ecclesiastico; neque ipsi summi Pontifices eandem potestatem sibi vendicent; sed potiùs fateantur, occulta interiora extra forum suum existere: cùm tamen circa alia jurisdictionem suam passim explicent atque asserant. Sed neque ostendi potest lex aliqua hucusque lata ab Ecclesia de actibus memoratis. Ergo magnum argumentum est, in Ecclesia non esse potestatem eos præcipiendi vel prohibendi. Ant. constabit ex solutionibus objectionum inferiùs afferendis.

Probatur secundo hac ratione. Finis intrinsecus & proximus legis humanæ non tantùm civilis, sed etiam Ecclesiasticæ est bona constitutio externa ac sensibilis communitatis quâ talis. Ergo conveniens fuit, ut Christus Ecclesiæ daret potestatem legislativam super illos tantùm actus morales, qui per se, tanquam media ex se proportionata, conducunt ad eum finem. Atqui actus simpliciter interni nihil per se conducunt ad bonam constitutionem externam ac sensibilem communitatis quà talis; ergo Ecclesiæ non est data potestas legislativa circa actus purè internos. Ant. hujus discursus ex eo deducitur, quòd gubernatio externa ac sensibilis, quâ homines intra suam communitatem reguntur invicem per leges, debeat habere finem intrinsecum ac proximum sibi proportionatum, qui alius non est, quàm bona constitutio itidem externa ac sensibilis communitatis quà talis, vi cujus videlicet illa se bene habeat exteriùs vel ad felicitatem naturalem ac civilem, quatenùs est corpus aliquod politicum; vel ad supernaturalem, quatenùs est congregatio fidelium. Jam verò subsumpt. etiam ostenditur: quia actus merè interni propter suam insensibilitatem per se ipsos communitati sensibili quà tali nec prodesse possunt, nec obesse: cùm nulla secundùm illos sit communicatio sive membrorum communitatis inter se, sive cum capite, sive hujus cum membris. Unde hi tales actus & secreta cordium sicut non pertinent ad ordinem hujus universi, uti supponitur ex tract. de Ang. ita nec pertinent ad communitatem sensibilem quà talem, sed ad privatam uniuscujusque salutem, vel damnationem, ut habet Suarez loco cit. n. 7.

Confirmatur. Si Legislator Ecclesiasticus haberet potestatem, sive jurisdictionem fori externi in actus merè internos, etiam haberet eandem jurisdictionem in hominem fidelem quatenùs exercentem actus merè internos: sed Legislator Ecclesiasticus non habet jurisdictionem fori externi in fidelem quatenùs exercentem actus merè internos; ergo nec habet ejusmodi jurisdictionem in actus merè internos. maj. constat penetranti terminos. mi. prob. quia eatenùs Legislator Ecclesiasticus habet jurisdictionem fori externi in subditum fidelem, quatenùs is est membrum corporis Ecclesiæ: sed homo quatenùs exercens actus merè internos non est membrum corporis Ecclesiæ; ergo Legislator Ecclesiasticus non habet jurisdictionem fori externi in hominem quatenùs exercentem actus merè internos. maj. est certa: quia in illos, qui sunt extra Ecclesiam, nihil potest Ecclesiasticus Legislator. mi. prob. nam eatenùs homo fidelis est membrum corporis Ecclesiæ, quatenùs unitur corpori Ecclesiæ: sed homo quatenùs exercens actus merè internos non est homo quatenùs unitur corpori Ecclesiæ; ergo quatenùs exercens actus merè internos non est membrum corporis Ecclesiæ. maj. iterum est innegabilis. mi. prob. quia eatenùs homo unitur corpori Ecclesiæ, quatenùs inter ipsum & reliqua membra cum toto intercedit communicatio: sicut quodlibet membrum hominis eatenùs unitur corpori humano, quatenùs inter ipsum & reliqua membra cum toto datur mutua communicatio entitatum & influxuum. Sed inter hominem quatenùs exercentem actus merè internos; & inter reliqua membra cum toto nulla intercedit communicatio; ergo homo quatenùs exercens actus merè internos non unitur corpori Ecclesiæ. mi. rursus prob. quia communicatio cum membris & toto sensibili, quale est corpus Ecclesiæ, debet esse sensibilis, sive per actus sensibiles: hæc enim sola censetur humana, saltem in ordine ad com-

communitatem humanam; cùm communicatio secundùm operationes insensibiles societati insensibili seu spirituali, cujusmodi est Angelica, conveniat. Atqui inter hominem quatenùs exercentem actus merè internos, & inter reliqua membra cum toto nulla est communicatio sensibilis, ut patet: ergo nulla est communicatio.

9 Probatur tertio alia ratione D. Thomæ ex 1. 2. q. 91. a. 4. in hunc modum. Si Legislator Ecclesiasticus haberet potestatem præcipiendi, vel prohibendi actus merè internos, hoc ipso haberet etiam potestatem de illis judicandi per sententiam à se proferendam: sed hanc talem potestatem non habet Legislator Ecclesiasticus; ergo nec illam habere dicendus est. min. non possunt bene negare Adversarii: tum, quia expressè asseritur in cap. *Sicut tuis.* & cap. *tua nos.* de Sim. ubi dicit ipse Legislator Summus in Ecclesia: *Nobis solùm datum est de manifestis judicare.* quod idem sumitur ex cap. *erubescant.* dist. 32. tum, quia judicium per sententiam hominis supponit cognitionem causæ: atqui actus merè interni sunt omnino extra cognitionem humanam; ut constat ex 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Restat igitur, ut probemus maj. quod ita præstamus: quia licèt absolutè non repugnet, illas potestates inveniri separatas, juxta rei naturam tamen, & Dei providentiam ordinariam leges ferre, & secundùm leges judicare ad eandem potestatem pertinet, estque moraliter necessarium, ut idem sit Legislator, ut Judex, legumque vindex in transgressores earum, idque non solùm per ipsasmet leges statuendo pœnam ipso facto incurrendam, sed per sententiam cum prævia cognitione causæ ac delicti, sicut & pœnæ legibus statutæ: quod totum confirmat praxis ipsius Ecclesiæ; & constat inductione in quacunque particulari potestate legislativa propriè dicta, quæ de facto in humana societate reperitur.

10 Objicies primo. Christus potuit Vicario suo, nempe Summo Pontifici, relinquere potestatem præcipiendi, vel prohibendi actus merè internos: ergo de facto reliquit. Ant. passim admittitur ab Authoribus nostræ sententiæ. Conseq. prob. quia, quam potestatem Christus reliquerit Legislatori Ecclesiastico, rectè colligitur ex illo Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram &c.* & ex illo Joan. ult. *pasce oves meas &c.* quæ verba cùm utrobique sonent generaliter, & absque restrictione ad actus externos, etiam generaliter intelligenda sunt: quia Principis concessionem amplè interpretari oportet.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quæ inprimis ideo non valet, quia deducitur affirmativè à potentia ad actum. Deinde ex eo, quòd generalitas adductorum textuum sit intelligenda tum de omni potestate necessaria ad convenientem Ecclesiæ gubernationem, quæ est potestas legislativa; tum de potestate fori interni, quæ non est legislativa. Licèt autem hæc posterior potestas versetur circa actus etiam merè internos, non tamen illa prior, sed meritò restringitur ad actus externos & sensibiles, uti probavimus.

11 Urgebis. Potestas præcipiendi actus merè internos vel maximè necessaria est ad convenientem Ecclesiæ gubernationem: tum: quia salus æterna animatum non actu apparatu externo, sed interna sanctitate obtinetur: tum, quia jus & obligatio pascendi fideles non tam circa corpora, quàm animas occupatur. Respondeo, actus merè internos propter suam insensibilitatem per se ipsos nihil conducere ad Ecclesiæ gubernationem sensibilem quà talem, ut satis ostendimus: consequenter potestatem eos præcipiendi ex hoc capite nequaquam esse necessariam. Cæterùm salus æterna utique non tantùm per actus internos, sed etiam per externos, quatenùs informantur, ad moraliter significantur per internos, meritoriè acquiritur. Opera quoque externa conjuncta internis haud dubiè multùm promovent sanctitatem internam. Porrò tota obligatio & potestas pascendi fideles circa animas occupatur, aliter tamen & aliter. nam quatenùs est legislativa & fori externi, respicit operationes animarum exteriores ac sensibiles tantùm: quatenùs autem est fori interni, sic potest versari circa actus animarum etiam purè internos & insensibiles; imò istos respicit potissimè; quia per eos maximè ordinatur homo ad Deum, inque eisdem consistit interna sanctitas singulorum fidelium, propter quam maximè data est à Christo hæc portio juris sive potestatis pascendi.

12 Objicies secundo. Potestas Ecclesiastica habet pro fine beatitudinem internam & supernaturalem: ergo etiam ad obtinendam hanc beatitudinem habet opportuna media. Atqui hæc media non sunt alia, quàm actus interni, à quibus externi totam merendi aut demerendi vim accipiunt: ergo actus interni cadunt sub dispositionem Ecclesiasticæ potestatis.

Respondeo, hoc argumentum multipliciter posse refelli. Nam primo, cùm potestas Ecclesiastica non soleat alios actus præcipere, quàm illos, qui sunt media ad obtinendam beatitudinem supernaturalem opportuna: talia verò media, ut vult objectio, sint soli actus interni, sequitur, potestatem Ecclesiasticam non alios actus præcipere, quàm internos; quod apertè repugnat praxi & experientiæ. Secundo. Quòd soli actus interni, & non etiam actus externi sint media opportuna ad obtinendam beatitudinem supernaturalem, eo ipso videtur provenire juxta eandem objectionem, quòd

quòd actus externi totam vim merendi accipiant ab internis. hoc autem non subsistere paret exemplô ipsorum actuum internorum, qui totam vim merendi habent ex meritis Christi, & tamen sunt media idonea ad obtinendam beatitudinem æternam. Sicut proinde non solus Deus omnia efficit, sed etiam agentia creata quædam efficiunt, licèt omnem virtutem efficiendi a Deo habeant, ita nec soli actus interni, sed etiam externi sunt meritorii vitæ æternæ & consequenter media opportuna ad eandem consequendam, licèt totam vim merendi ab actibus internis accipiant. Tertio demum, adhibetur hæc distinctio: potestas Ecclesiastica habet pro fine beatitudinem supernaturalem, pro fine proximo, sive intermedio, neg. pro fine mediato & ultimo, subdist. beatitudinem ut procurandam modô proportionatô communitati sensibili quà tali, conc. modô improportionatô, neg. per actus autem merè internos procurare beatitudinem æternam est procurare modô improportionato communitati sensibili quà tali.

Neque dicas, hac ratione nullum ex parte causæ finalis fore discrimen inter potestatem Ecclesiasticam & Civilem; nam & istam mediatè ordinari ad beatitudinem supernaturalem tanquam finem ultimum. respondetur enim negando, potestatem Civilem (etiam prout est in principibus fidelibus) ex se, & ex vi naturæ suæ ordinari sive extendi etiam mediatè ad felicitatem supernaturalem ut finem ultimum, licèt verum sit, ipsos Legislatores fideles in ferendis suis legibus non tantùm posse, sed etiam ex parte debere respicere finem supernaturalem, ipsumque actum ferendi legem in eundem ordinare: quod tamen potestati huic legislativæ est aliquid merè extrinsecum & præter exigentiam: sicut præter exigentiam virtutis acquisitæ, v. g. temperantiæ, est per extrinsecum imperium charitatis in finem supernaturalem ordinari. Et ratio est: quia potestas civilis, prout nunc reperitur in principibus Christianis, in se non est major, aut alterius naturæ, quàm fuit in principibus Ethnicis: sicut virtus acquisita in fideli & infideli, in justo & injusto non est alterius naturæ: ergo sicut virtus acquisita nec in fideli nec in infideli ex se eixgit ordinari in finem supernaturalem, ita nec potestas legislativa civilis, sive in fideli, sive in infideli reperta id exigit. Aliud est de potestate Ecclesiastica: hæc enim utpote spiritualis ac supernaturalis, ex natura sua exigit, ordinari in beatitudinem æternam tanquam in finem ultimum; quemadmodùm hoc exigunt virtutes supernaturales, sive per se infusæ. Vid. Suarez lib. 3. de leg. cap. 11.

14 Objicies tertio. Potestas legislativa exerceri potest etiam circa illos actus, de quibus Legislator non potest cognoscere: ergo fundamentum, quod n. 9. ex D. Thoma adduximus, non subsistit. Ant. prob. primo in actibus mixtis, hoc est, conflatis ex internis & externis, qui præcipi possunt à Legislatore humano, licèt actus interni associati externis cognitionem ejusdem effugiant. Secundo in actibus occultis, qui non minùs, quàm manifesti & præcipi & puniri possunt, esto de illis non detur cognitio. Tertio in legibus pœnalibus, quarum plurimæ in transgressores ipso jure constitutæ nullam cognitionem causæ præsupponunt.

Unde non juvat, si dicas, potestatem legislativam debere esse conjunctam cum potestate coactiva seu punitiva; hanc autem non posse exerceri sine prævia causæ cognitione. Nam rursus ostenditur non unâ instantiâ, has potestates sine absurdo separari. Prima est in lege naturali, quæ solas consequentias sine vi punitiva constringit. Secunda in summo principe, qui lege propria quoad vim directivam tenetur, pœna tamen, si illam transgrediatur, non est obnoxius. Tertia in personis Ecclesiasticis, quæ certis quibusdam legibus civilibus ita obligantur, ut tamen pœnas in foro civili statutas non incurrant, si dictis legibus non obtemperant.

Respondeo ad Object. neg. Ant. ad cujus primam probat. dico, actus quidem internos in actibus mixtis, qui præcipiuntur, ratione sui non esse cognoscibiles à Legislatore humano, esse tamen cognoscibiles ratione actuum externorum, per quos redduntur sensibiles: ut patet in Sacramento Pœnitentiæ, ubi actus interni doloris & propositi redduntur sensibiles per externam confessionem. Sed plura de his audiemus inferiùs.

Ad secundam dico, de actibus occultis per accidens tantùm non dari cognitionem, nempe ob defectum sufficientis testimonii, per se tamen & simpliciter esse ab homine cognoscibiles, sicut sunt sensibiles. Dices: Quod per accidens non est cognoscibile, per accidens non est præceptibile & punibile: sicut, quod est per se incognoscibile, per se est impræceptibile & impunibile: ergo, quia actus occulti per accidens sunt incognoscibiles, ut nos concedimus, etiam per accidens sunt impræceptibiles & impunibiles, ut loquitur & arguit Caramuel in Theol. fundam. num. 476. & seq. Respondeo neg. Ant. nam id, quod est per accidens, non tollit id, quod est per se: & consequenter actus occulti, quamvis per accidens sint incognoscibiles, manent per se cognoscibiles, adeoque directè præceptibiles, ita ut neque per accidens reddantur impræceptibiles. lex enim in sua materia attendit, quod est per se, non, quod est per accidens.

Ad tertiam dico, quamvis in ejusmodi legibus nulla intervenire supponatur causæ cognitio,

cognitio, omnes tamen actus, circa quos versantur, talis esse conditionis, ut Legislator per se loquendo possit de illis cognoscere & judicare; cùm omnes sint sensibiles.

15 Jam ad illas quoque instantias, quibus probari videtur potestatem legislativum quandoque separari à potestate coactiva, respondeamus. Ad primam dicitur, legem naturalem in Deo supremo Authore suo non separari à potestate coactiva seu punitiva: nam ipse utique est cognitor & vindex omnium transgressionum, quibus lex naturalis violatur. Ad secundam dicitur, obligationem, qua princeps teneatur observare propriam legem; non ab ista proficisci directè, sed à lege naturali; ut infrà videbimus: legem autem naturalem non destitui potestate coactiva seu punitiva in principe; ut primùm diximus. Ad tertiam dicitur similiter, illam obligationem Clericis directè ac immediatè incumbere non ex vi directiva legum civilium, sed ex lege naturali. Ex quibus adeò patet, duas hasce postremas instantias nostræ potiùs favere sententiæ, dum manifestè ostendunt, legem respectuum lorum, in quos non habet vim coërcitivam seu punitivam, etiam non habere vim per se directivam ac ordinativam, atque proinde eorum actus neque præcipere, neque prohibere posse.

16 Objicies quarto. De facto exstant variæ leges & ordinationes, seu dispositiones Pontificum & Ecclesiæ de actibus purè internis. Nam primo in Concil. Trid. sess. 13. in decr. de S. Euchar. universis Christi fidelibus interdicitur, ne aliter credant &c. quàm ibidem fuit definitum. Secundo. Damnantur variæ propositiones de actibus merè internis, ut videre est in decreto Innoc. XI. quod anno 1679. die 2. Martii fuit editum. Tertio. Alexander VII. proscripsit hanc propos. *qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; adeòque re ipsa præcepit contritionem, vel attritionem, quæ sunt actus purè interni. Quarto. Ecclesia remittit culpas merè internas per absolutionem Sacramentalem. Dispensat in votis etiam purè internis & mentalibus. Reservat peccata merè interna. Remittit pœnas debitas pro peccatis etiam internis per indulgentias. Excommunicat aliquando propter actum merè internum, v. g. propter hæresim mentalem, quemadmodùm ex multis decretis probare conatur Medina apud Suarium lib. 4. de leg. c. 11. n. 2. aut etiam propter solam voluntatem accusandi Prælatum in Curia, ut constat ex Clement. 1. *de statu Monach.* Privat fructibus beneficii Clericum, qui illud recepit absq; intentione intra annum suscipiendi Sacerdotium; ut habetur in cap. *Commissa* §. *cæterùm. de elect. in* 6.

Confirmatur. Prælati Regulares possunt præcipere actus merè internos, v. g. orationes purè mentales: ergo idem poterit etiam Summus Pontifex. Ant. notum est omnibus, quibus nota sunt statuta & regulæ Ordinum Religiosorum. Conseq. prob. tum; quia Prælati Regulares omnem virtutem præcipiendi habent à potestate Summi in Ecclesia Legislatoris. tum, quia Christiani per susceptionem Baptismi non minùs se se subjiciunt foro ac fini Summæ Sedis, quàm Religiosi per sacram professionem se se subjiciunt potestati suorum Prælatorum.

Respondeo ad object. neg. exstare aliquam ejusmodi legem, seu dispositionem de actibus merè internis, quæ pertineat ad forum externum. Ad primam probat. in contrarium respondeo, Concil. Trid. ibi declarare doctrinam fidei aliunde certam, nihil autem præcipere, vel prohibere. Ad secundam probat. nego, ullam propositionem versantem circa actum merè internum prohiberi prohibitione propriè dicta, & quæ sit actus potestatis legislativæ quà talis, addòque similiter; ejusce generis decreta esse præcisè declaratoria juris Divini ac humani, vi quorum tales propositiones jam aliunde non merentur fidem aut patrocinium.

17 Dices. Esto, tales sententiæ jam aliunde prohibitæ sint, videlicet jure Divino; quid obstat, quò minùs aliis quoque juribus, & consequenter etiam jure Ecclesiastico prohibeantur? Deinde, quòd hujus generis sententias non amplius tutâ conscientiâ vel docere, vel tenere liceat, ex Authoritate Ecclesiastica pendet, hoc ipso, quòd hâc præcisâ ut probabiles adhuc procederent. Respondeo nihil obstare, quando hujusmodi sententiæ continentur intra sphæram aliorum quoque jurium: sententiæ autem, quæ versantur circa actus merè internos, utpote & ipsæ actus merè interni, ut supponitur, non continentur intra sphæram juris, seu jurisdictionis Ecclesiasticæ. Cæterùm, quod dicitur, sententias ab Ecclesia proscriptas præcisâ ejusdem Authoritate adhuc processuras ut probabiles, si fermo sit de legitima & non spuria probabilitate, nullo modo subsistit: quia malè supponitur, ejusmodi sententias ante proscriptionem fuisse probabiles; ità ut per hanc primùm amiserint suam probabilitatem. nam sententiæ, quotquot hactenùs damnavit Ecclesia, vel nunquam fuerunt probabiles, vel, si fuerunt aliquando probabiles, adhuc ante damnationem desierunt esse probabiles, propter debilitatem, vel potiùs nullitatem argumentorum, quibus nitebantur, in eisdem deprehensam; ut proinde propter ipsam suam improbabilitatem jam præsuppositam damnari meruerint. Certè nunquam auditum est hactenùs, Ecclesiam damnâsse aliquam

quam sententiam verè probabilem, vel spoliâsse vera probabilitate. Confirmatur. Non pendet ex Authoritate judicis, ut hac secluſa reus, quem pronuntiat esse dignum capitali ſupplicio, v.g. non ſit dignus hoc tali ſupplicio, ſed innocens: manet enim dignus propter delictum, ſive à judice damnetur, ſive non damnetur ut dignus: ergo nec pendet ex Authoritate Summi Pontificis, ut ipsâ præcisâ, ſententia, quam is declaravit improbabilem, & indignam aſſenſu & praxi fidelium &c. ſit probabilis; quia jam ante declarationem independenter ab Authoritate Eccleſiaſtica fuit improbabilis propter inſufficientiam motivorum ac rationum, quibûs uni vel alteri Doctorum niti videbatur; imò propter eandem inſufficientiam aliunde præſuppoſitam & à Pontifice agnitam meruit declarari ut improbabilis &c.

18 Sed jam ad tertiam probat. reſpondeo, ibi non directè, ſed indirectè præcipi dolorem internum tanquam neceſſarium ex lege Divina ad veram Sacramentalem Confeſſionem: quod non adverſari noſtræ ac communi doctrinæ ex proxima concl. conſtabit. Ad quartam reſpondeo, abſolutionem Sacramentalem non pertinere ad poteſtatem Eccleſiæ legislativam, ſed ad jurisdictionem fori interni, quam ad actus etiam merè internos extendi non eſt dubium. Quæ eadem reſponſio valet ad illa de diſpenſatione, Reſervatione, & Remiſſione pœnarum pro peccatis per conceſſionem indulgentiarum. De excommunicatione falſum eſt, eam aliquando ferri propter actum purè internum: nam inprimis jura, quæ loquuntur de peccato hæreſis, intelligenda ſunt de hæreſi, quæ aliquo modo prodit in actum externum; ſicut ex communi Doctorum habet Suarez ubi ſuprà n. 13. In Clement. 1. autem excommunicantur Monachi propter acceſſum ad curiam, quatenus is procedit ex animo & voluntate accuſandi Prælatum; adeóque directè puniri actum externum, indirectè internum tanquam per ſe connexum ceu cauſam illius. Demum in cap. *commiſſa.* directè præcipitur ſuſceptio Sacerdotii, & indirectè intentio id ſuſcipiendi: præcipitur enim ſuſceptio voluntaria, ad quam utique per ſe neceſſaria eſt voluntas ſuſcipiendi. Potes etiam dicere cum Paulo Mezger tr. 8. diſp. 34. a. 2. num. 6. nihil ibi præcipi, ſed ſolùm concedi beneficium ſub conditione intra annum ſuſcipiendi Sacerdotium, ita ut deficiente hac conditione dominium fructuum non acquiratur.

19 Ad Confirm. Reſpondeo primo, ſi Prælati Regulares poſſent præcipere actus merè internos, ſubditos haud dubiè fore obligatos ad obediendum quod tamen D. Thomas (quem certè non latuerint regulæ & ſtatuta Religionum, ſaltem ipſius ævô vigentium) manifestè negat in 2. 2. q. 104. a. 5. illis verbis: *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolum Deo.* Reſpondeo ſecundo diſt. Ant. poſſunt ejusmodi actus præcipere ſuppoſito voto Religioſi, quo is ſe liberè ſubjecit Prælato in omnibus licitis & honeſtis, conc. hoc tali voto non ſuppoſito, neg. Ant. ergo etiam Pontifex poteſt præcipere, ſuppoſito eodem tali voto conc. non ſuppoſito, neg. conſeq. nam ſecluſo voto Pontifex nec ipſe poteſt præcipere Religioſo purè interna, nec alteri dare poteſtatem præcipiendi. Poteſtas quippe præcipiendi Prælatorum fundatur in voluntate voventis, & pacto, ſeu promiſſione ejusdem, ideòque vocatur poteſtas jurisdictionis voluntariæ: & quia votum principaliter Deo fit, etiam de actu merè interno fieri poteſt, utpote de meliori bono & poſſibili: Suppoſito proinde tali voto, & dependenter ab illo, tum Prælatus immediatus; tum Pontifex Religioſo poſſunt præcipere actum merè internum. An verò de facto votum obedientiæ ex intentione voventium ſe ſe extendat etiam ad purè interna, colligi debet ex Regula uniuscujusque Religionis, velut ex D. Thoma obſervat Suarez n. 15. Jam verò poteſtas Eccleſiaſtica, de qua hîc loquimur, non fundatur in voluntate ſubditorum, ſed in inſtitutione Chriſti, qua inſtituit ſuam Eccleſiam tanquam Hierarchiam viſibilem, adeòque non niſi modo viſibili, & per actiones ſenſibiles gubernandam. Unde non urget illud de ſuſceptione Baptiſmi: neque enim Chriſtiani in illa aliter ſe ſe ſubjiciunt foro ac fini ſummæ Sedis, quàm prout conforme eſt memoratæ inſtitutioni Chriſti, ad quam nihil conducunt actus merè interni & inſenſibiles. Et iſta quidem de actibus merè internis, quæ placuit paulò fuſiùs diſputare propter nonnullos, qui hodie ſententiam oppoſitam plùs æquô extollere videntur. Nunc ulteriùs.

Dico ſexto. Actus internos vel per ſe 20
connexos cum externis, vel neceſſarios ad eorum valorem & moralem ſubſtantiam, ut in n. 6. explicuimus, Lex humana indirectè poteſt præcipere vel prohibere. Ita Suarez n. 9. & ſeqq. Salmantic. tr. 11. de leg. cap. 1, n. 69. Reding. q. 16. a. 2. contr. 14. & DD. communiter. Ratio eſt: quia ad rectam gubernationem ſive Politicam ſive Eccleſiaſticam pertinet, ut actus internos modis memoratis conſideratis poſſit præcipere vel prohibere: ergo vera eſt aſſertio. Ant. prob. quia ad humanam gubernationem pertinet præcipere, vel prohibere actus externos: ergo etiam illos, ſine quibus actus externi non poſſunt ſubſiſtere, ſive in eſſe pyhſico, ſive in eſſe morali: quemadmodùm

modùm nulla actio externa liberè exercita potest subsistere etiam in esse physico sine interna voluntate eam exercendi : nullus contractus in esse valoris moralis sine animo se obligandi : nulla administratio Sacramentorum sine intentione faciendi, quòd facit Ecclesia &c. Ex quibus oritur

21 Resolutio prima. Quando Ecclesia præcipit, ut fideles diebus festis, vel Dominicis audiant Missam, tunc præcipit insuper actum internum alicujus devotionis. Similiter, dum injungit Clericis, Beneficiatis, Religiosis recitationem Officii Canonici, etiam obligat ad internam attentionem. Ratio est : quia Ecclesia illas actiones præcipiens præcipit verum Dei cultum, & veram orationem : atqui ad verum Dei cultum est necessaria devotio interna ; ad orationem attentio ; ergo &c. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 5. n. 9. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 6. n. 3. Hinc sequitur, audientem Missam sine omni devotione, recitantem breviarium sine attentione peccare contra præceptum Ecclesiæ.

22 Secunda. Dum fideles lege Ecclesiastica obligantur ad Confessionem annuam, etiam indirectè eâdem obligantur ad actus internos doloris & propositi non peccandi de cætero : item ad subjicienda clavibus omnia peccata mortalia etiam merè interna atque occultissima. Suarez n. 10. & 11. Bonac. itidem n. 10. & 11. Ratio est : quia dolor internus est de substantia, expressio cujuslibet peccati mortalis de integritate Confessionis Sacramentalis. Quare non satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui fictè, id est, absque dolore & non integrè, tacitô culpabiliter internô peccatô, confitetur : peccatóque non solùm contra præceptum Divinum, sed etiam contra Ecclesiasticum.

23 Tertia. Qui tenetur ex lege, vel præcepto Superioris administrare Sacramentum, v. g. baptizare, celebrare, absolvere &c. tenetur eadem lege vel præcepto etiam habere intentionem baptizandi, celebrandi, absolvendi idque faciendi, quod facit Ecclesia. Suarez n. 9. Castropal. loco cit. & alii. Ratio est : quia ejusmodi intentio ad confectionem Sacramenti necessariò requiritur.

24 Quarta. Quotiescunque potestas sive Ecclesiastica, sive civilis, præcipit, ut celebretur aliquis contractus, v. g. venditionis, aut etiam matrimonii, etiam præcipit indirectè, ut habeatur internus consensus & voluntas sese obligandi. Suarez, Castropal. locis citt. Ratio est : quia ille consensus, illaque voluntas requiruntur ad substantiam talium contractuum.

Quinta. Qui habet propositum omittendi Missam die festo, peccat contra præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam. Similiter, qui habet propositum comedendi carnes die jejunii, peccat contra præceptum jejunii Ecclesiastici. Bonac. n. 13. Ratio est : quia, dum lex prohibet omissionem, vel actum aliquem externum, simul prohibet actum internum illi correspondentem, & cum sui observatione incompossibilem : sed memorata proposita sunt actus incompossibiles cum observatione legis ; ergo lege prohibentur tanquam moraliter mala propter oppositionem ad ipsam. Accedit, quòd actus externus sit objectum actus interni, eique tribuat speciem moralitatis : & consequenter, dum unus prohibetur, etiam alterum prohiberi necesse est. 25

Sexta. Qui in dictis jam casibus peccat contra præcepta Ecclesiæ, potest etiam incurrere censuras, vel alias pœnas ipso jure impositas non servantibus ejusmodi præcepta. Suarez n. 13. Ratio est, tum, quia illa peccata non sunt purè interna, sed externa, ut omissio orationis vocalis, administrationis, vel susceptionis Sacramenti sensibilis, quamvis per accidens sint occulta propter fictionem orationis, vel Sacramenti &c. tum etiam, quia Ecclesia punire potest peripsammet legem omnes transgressiones contrarias operibus à se præceptis sub obligatione peccati mortalis, modò pœna sit apta, & commensurata culpæ. 26

Dico jam septimo. Quando actus internus tantùm per accidens conjungitur cum externo, nulla lege humana præcipi, vel prohiberi potest. Suarez n. 14. Castropal. ubi suprà n. 4. Salmanticenses loco cit. Paulus Mezger tract. 8. disp. 34. a. 2. n. 8 & alii. Ratio est : quia talis actus nec directè, nec indirectè præcipi vel prohiberi potest. Non directè, quia nullum actum internum directè cadere sub legem humanam satis constat ex præcedentibus. Non indirectè : quia nec in esse physico, nec in esse morali habet aliquam connexionem cum actu exteriori directè præcepto vel prohibito. Confirmat nostram sententiam usus Ecclesiæ, quæ, licèt in necessitatibus occurrentibus præcipiat fidelibus, ut preces ad Deum fundant, ut jejunent, ut eleemosynas largiantur, nihil tamen præcipit de habenda speciali intentione, aut fine præfigendo his talibus operibus. nam qui in simili casu oraret, jejunaret, eleemosynas daret propter finem etiam malum, v. g. propter vanam gloriam, non peccaret contra legem Ecclesiasticam : Ergo signum est, lege Ecclesiastica nunquam præcipi actum internum per accidens tantùm cum externo conjunctum. 27

ARTICULUS IV.
Quinam obligentur lege humana?

DE variis hominum generibus hæc quæstio potest institui. Primo, de ipso Legislatore. Secundo, de infantibus, pueris, amentibus, ebriis. Tertio, de peregrinis, advenis, & vagis. Quarto, de subditis extra territorium existentibus. Quinto, de personis Ecclesiasticis respectu legum civilium. De quibus omnibus, ut distinctior sit tractatio, hunc artic. in paragraphos secabimus.

§. I.

An Legislator teneatur suis legibus?

SUMMARIUM.

1. *Legislator alius absolutus, alius non absolutus.* 2. *Materia quarumdam Legum communis est Principi & subditis.* 3. *Quid vis directiva Legis, quid coactiva?* 4. *Legislator indirectè obligatur suis Legibus.* 5. *Quo sensu Princeps in Jure dicatur solutus esse Legibus.* 6. *Princeps Legem suam in gravi materia transgrediens peccat mortaliter.* 7. *Peccat etiam contra eandem virtutem, contra quam peccant subditi.* 8. *An Princeps teneatur Legibus municipalibus provinciarum subjectarum?*

1 NOtandum est primo, duplicem in præsenti considerandum esse Legislatorem, nempe alium singulatem & absolutum, qui solus legem ferre potest communitati, ut Papa, Imperator, Rex, Episcopus &c. & alium non absolutum, qui solus non potest ferre legem, sed cum aliis, inter quos ipse primas tenet, quemadmodùm Dux Venetus inter Senatores; Metropolitanus inter Episcopos; Prælatus in Capitulo &c. Atque istos posteriotis generis Legislatores obligari communibus legibus latis in suis cœtibus, respectu quorum sunt veri subditi non minùs, quàm alij, recepta ab omnibus doctrina est.

2 Notandum est secundo, aliquas leges continere materiam tam principi, quàm subditis communem, ita ut usus & observatio earum principem æquè deceat ac subditos. Tales leges sunt v. g. quæ taxant pretia rerum, præcipiunt jejunium Ecclesiasticum, aut Confessionem annuam. Et de hoc quidem genere legum procedit præsens quæstio. Nam aliæ leges, quæ versantur circa materiam subditis propriam, non cadunt in principem, nec obligant eundem: unde princeps non tenetur lege, qua jubetur, nequis noctu incedat armatus; vel, nequis induatur vestibus holosericis: quia observatio similium legum dedecet statum & dignitatem principis, estque conveniens, ut caput reipublicæ non in omnibus sit ejusdem conditionis cum corpore, sed quandoque quid habeat præ cæteris membris eximium.

Notandum est tertio, efficaciam, seu 3
vim directivam legis esse, qua lex obligat in conscientia, sive sub peccato ad sui observationem; coactivam verò esse illam, per quam transgressor legis impositâ pœnâ coërcetur, eidémque pœnæ redditur obnoxius. Quoad hanc efficaciam coactivam Legislatorem non subjacere legi à se conditæ, ita ut, si eam violet, puniri, pœnáque impositâ ad illius observantiam compelli possit, certum est omnibus. cùm principi, qui superiorem vel judicem non habet, à nemine pœna possit infligi. Quæstio proinde solùm est de vi directiva, an nempe princeps Legislator in conscientia sit obligatus observare legem à se latam, ita ut illam transgrediendo peccet, non minùs, quàm subditi? Ad quam nunc quæstionem

Dico. Legislator obligatur suis legibus, 4
non quidem directè; sed indirectè. Ita Sayrus in clavi. lib. 3. cap. 4. n. 3. & 10. Salmantic. tr. 11. qui est de Legibus, cap. 3. n. 37. 40. & 42. Reding q. 16. a. 3. contr. 4. Paulus Mezger tr. 8. disp. 35. a. 5. §. 1. & alii conformiter ad mentem D. Thomæ in 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. & lib. 3. Politic. lect. 9. Conclusio involuit tria membra. Ratio primi est: quia lege Dei æterna & naturali princeps in servanda lege sua jubetur se conformare communitati, idque agere exemplativè, quod aliæ partes communitatis agunt subjectivè. nam ipse non minùs ex lege naturali obligatur suô exemplô procurare bonum publicum, quàm suâ obedientiâ subditi. Et ideo Christus Matth. 23. reprehendit superiores, qui multa præcipiunt, & non faciunt: *alligant enim*, inquit, *onera, & digitô suô nolunt illa movere.* Confirmatur. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens*, ait S. August. lib. 3. Conf. cap. 8. ergo etiam caput, quod est pars præcipua reipublicæ, videlicet princeps, turpe est, totique indecorum, si cum reliquis membris in observatione legum non congruit.

Ratio secundi est: quia lex, quatenùs directè obligat, est imperium principis politicum, quod exerceri non potest nisi à superiore in subditos. cùm proinde princeps respectu sui nec superior sit, nec subditus, lex respectu ipsius non habet vim directè obligandi. Neque dicas, principem ferre leges ut ministrum Dei, & per potestatem ab ipso acceptam, sicque esse superiorem ad se ipsum ut personam

singu-

singularem, séque lege sua directè obligare. Nam contra est, quod eadem ratione dicere quis posset, Sacerdotem se ipsum posse Sacramentaliter absolvere: cùm enim in absolvendo agat ministrum Dei, & utatur potestate ab ipso accepta, liceret existimare, datam illi esse jurisdictionem in se ipsum, ut est peccator: quod planè nullus affirmaverit. Deinde, licèt Superior imponat præcepta particularia ut minister Dei, illis tamen non obligatur: ergo nec legibus communibus propterea obligabitur.

Ratio tertii est: quia princeps directè obligatur à lege naturali, ut se conformet subditis in observatione suæ legis, ex hypothesi, quòd eam rationabiliter tulerit: ergo indirectè obligatur sua lege. Ant. constat ex dictis. Conseq. inde prob. quòd hac ratione lex à principe lata sit occasio, ut in ipsum obligatio eam servandi aliunde, videlicet ex lege naturali, resultet. sed hoc est principem sua lege obligari indirectè; ergo. Ex dictis

Resolues primo. Quando dicitur in l. *Princeps*. ff. de leg. & alibi, principem solutum esse legibus, & esse supra leges, id intelligendum est quoad potestatem coactivam, non autem quoad potestatem directivam saltem indirectam. quod indicant verba l. *Ex imperfecto*. C. de Testam. *licèt lex Imperii* (ita nominat dignitatem Imperatoriam.) *solemnibus juris Imperatorem solvit, nihil tam proprium Imperatori est, quàm legibus vivere.* ubi clarè recognoscitur obligatio directiva legum. *Est etiam princeps supra legem* (ait D. Th. loco cit.) *in quantum, si expediens fuerit, potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore.*

6 Secundo. Princeps transgrediendô suam legem in gravi materia peccat mortaliter, etiam præciso scandalo. Suarez. lib. 3. de leg. cap. 35. n. 8. Laym. tr. 4. cap. 9. n. 3. Reding loco cit. n. 7. & alii apud ipsum n. 6. Paulus Mezger n. 12. contra Lessium, Azorium, Bonacinam, Castropalaum, Illsung, Salmanticenses & alios. Ratio est: quia omnis lex in materia gravi obligat graviter: ergo, qui ejus obligationem violat in materia gravi, peccat graviter. Confirmatur. Subditi non ex alio capite peccant graviter violando legem humanam, quàm quòd eam transgrediantur in materia gravi: ergo idem dicendum de Legislatore violante propriam legem in materia gravi. Sententia opposita in eo fundatur, quòd existimet, principem ad observandas leges suas obligari solùm ex quadam honestate & decentia, adeóque non graviter, quamvis materia ex se gravis sit, modò absit scandalum, vel aliud inconveniens extrinsecum. Verùm istud fundamentum non subsistere constat ex n. 4.

7 Tertio. Princeps non observans legem à se latam peccat contra eandem virtutem, contra quam peccant subditi. Suarez. Laym. Reding, Mezger locis citt. Ratio est: quia lex positiva justè atque legitimè lata materiam, quam observandam determinat, constituit in certa specie virtutis ceu medium necessarium ad honestatem ejusdem: consequenter, quicunq; talem legem transgreditur, peccat contra virtutem, sub cujus motivo aliqua materia præcipitur. Atque hinc Rex v. g. si contra legem à se conditam cariùs vendat frumentum, peccat contra justitiam. Papa, si non jejunat in Quadragesima, contra temperantiam; si omittit Breviarium, vel Missam die festo, peccat contra religionem.

Quarto. Princeps superior non tenetur 8
servare statuta, seu leges municipales provinciarum sibi subjectarum, in quibus fortè moratur, aut peregrinatur. Suarez n. 14. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 24. §. 1. n. 6. Ratio est: quia ejusmodi leges latæ sunt per potestatem & jurisdictionem inferiorem: consequenter non habent vim obligandi illum, qui in eisdem locis habet jurisdictionem superiorem. Hanc resolutionem non vult procedere Bonacina 11
disp. 1. q. 1. pu. 6. n. 26. quando hæ tales leges sunt confirmatæ ab ipsomet principe. Sed ista limitatio non est necessaria: quia princeps non confirmat hujusmodi leges pro tota sua republica, sed tantùm pro determinato loco. Unde nulla est urgens ratio existimandi eisdem subjici caput reipublicæ. vid. Suarez loco cit.

§. II.

An, & quomodo legibus teneantur pueri, amentes, & ebrii.

SUMMARIUM.

9. *Ex duplici capite fieri potest, ut quis non peccet contra Legem.* 10. *Infantes & pueri ante usum rationis non obliganter humanis Legibus.* 11. *Infantes, & perpetuò amentes non possunt puniri propriè.* 12. *An infantibus & perpetuò amentibus* 21
licitè præbeantur carnes diebus jejunii? 13. *Item, an ebriis, aut invincibiliter ignorantibus?* 14. *Pueri rationis usum adepti obligantur humanis Legibus quoad culpam.* 15. *An obligentur etiam quoad pœnam?* 16. *Quid in dubio, an puer habeat sufficientem usum rationis?*

9 NOtandum est ex Castropalao tr. 3. disp. 1. pu. 24. §. 2. n. 10. & Salmanticensibus tr. 11. cap. 2. n. 158. dupliciter fieri posse, ut quis non peccet contra legem. Primo, quia est absolutus ab illa, sub eaque non comprehensus: quemadmodùm omnes infideles non baptizati sunt absoluti à legibus Ecclesiasticis. Secundo, quia licèt com-

comprehendatur sub obligatione legis, seu præcepti, cjus tamen transgressio in culpam non imputatur propter impedimentum aliquod extrinsecum. Qui priori modo non peccat, excusari dicitur à lege seu præcepto. Qui posteriori modo non peccat, dicitur solùm excusari à transgressione culpabili, non verò à lege ipsa seu præcepto imposito. Nunc

10 Dico primo. Infantes, pueri ante usum rationis, & perpetuò amentes non obliganstur humanis legibus. Ita communis & certa doctrina apud Laym. tr. 4. cap. 10. n. 1. Paul. Mezger tr. 8. disp. 35. a. 5. n. 20. Ratio est: quia solus homo rationis capax subjicitur legi: nam lex est regula rationalis humanorum actuum. sed infantes, & perpetuò amentes, qui æquiparantur infantibus; non sunt rationis capaces; ergo non subjiciuntur legibus. Dixi, *perpetuo amentes.* nam, qui per intervalla tantùm delirant, à legum obligatione non sunt absoluti, quamvis earum transgressio tempore amentiæ ipsis nequeat imputari in culpam, sitque non formalis, sed materialis tantùm transgressio.

11 Corollarium primum. Infantes, & perpetuò amentes propter excessus commissos puniri proprie non possunt. Laym. n. 2. & Molina ab ipso relatus. Ratio est: quia omnis pœna propriè dicta supponit culpam: sed in similibus personis nulla est culpa; ergo. Neque refert, si dicas, infantes tempore interdicti privari Ecclesiasticâ sepulturâ; consequenter subjacere pœnis Ecclesiasticis: respondetur enim cum Azorio lib. 5. cap. 11. q. 4. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 6. n. 7. privari Ecclesiasticâ sepulturâ in pœnam aliorum tantùm, qui suo aliquo delicto eam privationem meruerunt; vel etiam propter incapacitatem loci. Advertit tamen Laym. castigari, atque coërceri non solùm posse, sed etiam debere amentes, si alios verberent, blasphement, turpia loquantur &c. ut hac ratione absterreantur à simili insolentia, ac veluti bestiæ arceantur, ne noceant.

12 Secundum. Pueris ante usum rationis, & perpetuò amentibus licitè præbentur carnes diebus jejunii; & injunguntur opera servilia diebûs festivis. Laym. loco cit. Salmanticenses tract. 11. cap. 3. pu. 4. n. 48. Ratio est: quia leges Ecclesiasticæ similia prohibentes non comprehendunt tales personas. Unde quis licitè potest esse causa, ut faciant id, quod facere nulla lege prohibentur. Cæterùm irritare perpetuò amentes ad blasphemandum, vel verberandum alios &c. non est licitum. Ratio est: quia tales actiones secundùm se jure naturæ prohibitæ non possunt non apparere liberè instiganti ad illas ut malæ ex objecto: adeóque in ejusmodi casu imputantur eidem tanquam agenti principali per ministerium amentis tanquam instrumenti cujusdam. Vid. citt. Accedit, quòd ob rationem jam adductam nulla reddi possit honesta causa ad similia quemquam instigandi aut irritandi.

Tertium. In ebriis, aut etiam invincibiliter ignorantibus doctrina Corollarii prioris non procedit. Ratio est: quia hi tales subjecti sunt legibus Ecclesiasticis, quamvis per accidens earum transgressio pro tempore ebrietatis, aut ignorantiæ eisdem non imputetur in culpam. Itaque licèt ebrius in ebrietate, aut ignorans esse diem Veneris comedendo carnes die Veneris non peccet coram Deo, tu tamen peccas, si illas subministres, vel ad comedendum allicias, aut incites. Th. Sanchez 1. Decal. c. 12. n. 16. Laym. loco cit. Salmantic. n. 49. Castropal. n. 12. Illsung tract. 1. disp. 1. a. 2. n. 19. Reding q. 16. a. 3. contr. 5. n. 7. De amentibus ad tempus eadem quidem videtur esse ratio: quia tamen amentia morbus est gravissimus, ad cujus curationem carnes præ reliquis cibis utiles sunt, ac necessariæ, eisdem licitè præbentur in diebus jejuniorum. Sanchez, Laym. citt.

13

14 Dico secundo. Pueri rationis usum adepti (quod communiter contingit completô septenniô ætatis) humanis legibus tam civilibus quàm Ecclesiasticis obligantur quoad culpam, si illarum materia puerili ætati sit accommodata, sive consentanea. Ita communis sententia contra S. Antoninum, Henriquez, & alios apud Salmanticenses n. 51. Ratio est: quia lex, tanquam generale mandatum, obligat omnes obligationis capaces: sed pueri rationis usum consecuti sunt capaces obligationis legum humanarum; sicuti sunt capaces obligationum legis naturalis, & Divinæ; ergò, nisi expressè constet esse exceptos, obligantur illis legibus.

15 Dixi autem primo *quoad culpam.* quia probabile est, pueros ante pubertatem, (quæ in masculis annô decimô quartô, in puellis annò duodecimô absoluto adesse censetur) non subjacere legi Ecclesiasticæ quoad pœnam, exceptâ excommunicatione, quæ ob gravem percussionem Clerici incurritur. vid. Castropal. n. 8. & 9. Illsung n. 18. In foro etiam civili pueros nos puniri ob delicta, quæ in ætate infantiæ proxima commiserunt, ostendit Laym. n. 5. Dixi secundo, *si materia sit accommodata &c.* quia legum quarumdam materiæ puerili ætati vel ob judicii immaturitatem, vel virium corporalium imbecillitatem, non ita congruunt, ut eisdem statim obligentur, & ex hoc capite non teneantur statim post obtentum rationis usum præcepto Communionis annuæ, vel jejunii, quamvis teneantur quotannis confiteri, audire Missam diebus festis, abstinere à carnibus diebus jejuniorum. hæc enim satis eorum ætati censentur congruere. vid. Laym. n. 4. Salmantic.

mantic. n. 52. Bonac. ubi suprà n. 8. Mezger n. 21. & alii.

16 Corollarium. Si completô septenniô dubium oriatur, an puer habeat sufficientem usum rationis, atque adeo legibus sit subjectus? Præsumendus est habere. Ratio est: quia præsumptio fieri debet ex communiter contingentibus: atqui pueros completô septenniô esse doli capaces communiter contingit; ergo. Castropal. n. 3. Atque ex hoc eodem fundamento apud eundem docet Joan. Sanchez, puerum, tametsi constet ante septennium habere usum rationis, non obligari legibus positivis. Nam leges positivæ respiciunt ea, quæ communiter contingunt: atque puerum nondum septennem habere usum rationis non communiter contingit. Unde ejusmodi leges non intendunt obligare ante illam ætatem, si cui fortè usus rationis per accidens obtigerit. Obligatur tamen talis puer lege naturali; contra quam proinde, si malitia supppleat ætatem, etiam ante septennium peccare potest. Mezger n. 20.

§. III.

An subditi extra proprium territorium existentes obligentur legibus illius.

SUMMARIUM.

17. *Præsentia in territorio proprio alia physica est, alia moralis.* 18. *Subditus tam physicè quàm moraliter absens non obligatur legibus sui territorii.* 19. 20. *& seqq. Resolvuntur multi casus.*

17 HÆc quæstio non procedit, si leges, quæ obligant in proprio territorio, sint communes alieno territorio, aut vigeant utrobique. Nam certum est, absentem tunc eisdem obligari, nec ullam dari causam, quæ ipsum excuset. Quæritur itaque de legibus proprio solùm territorio impositis, ibique tantum vigentibus. Notandum est etiam, subditum posse dupliciter esse præsentem in suo territorio, physicè nimirùm & moraliter. Physicè præsens est, quando intra illud existit secundùm suam personam. Moraliter præsens esse censetur ratione alicujus actionis, omissionis, vel damni à se causati intra territorium. Ita Parochus v. g. extra diœcesim vagus, si omittat agere, quæ ex officio Parochiali incumbunt agenda, moraliter præsens est in diœcesi propter culpabilem ejusmodi omissionem, & effectum intra territorium indè secutum. Quibus præmissis,

18 Dico. Subditus tam physicè quàm moraliter constitutus extra suum territorium non tenetur legibus ejusdem. Suarez lib. 3. de leg. cap. 32. n. 3. Castropal. tr. 3. disp. 1. pn. 24. §. 5. n. 1. Laym. tr. 4. cap. 11. n. 1. Salmantic. tr. 11. cap. 3. n. 62. Reding. q. 16. a. 3. contr. 6. concl. 1. cum communi & recepta sententia. Quæ inprimis sumitur ex c. 2. de constit. in 6. & l. ult. ff. de jurisd. ubi dicitur, *extra territorium jus dicenti impunè non paretur.* Deinde probatur hac ratione: quia lex, cùm stabilem atque perpetuam obligationem habere debeat, immediatè afficere censetur locum, seu territorium Legislatoris, indéque in subditos ibi existentes transire: cùmque aliunde jurisdictio Legislatoris coarctetur limitibus suæ ditionis seu territorii, sequitur, eos tantùm comprehendi ipsius legibus, qui existunt intra territorium. Atque hinc lex differt à sententia & præcepto: nam ista proximè cadunt in personas subditas, earúmque ossibus, ut loc. cit. loquitur Laym. cohærent, quocunque terrarum discesserint. Ex dictis jam multos casus licet resolvere.

19 I. Parochus v. g. extra diœcesim vagabundus, eaque non præstans, quæ suis Parochianis ex officio præstare deberet, peccat contra leges diœcesanas, ideoque ab Episcopo puniri potest. Ratio est: quia licèt physicè sit extra diœcesim, adest tamen moraliter ratione omissionis culpabilis, & effectûs intra territorium Episcopale consummati. Similiter, si quis in alieno territorio existens explosâ bombardâ v. g. interimat concivem intra proprium territorium versantem, is tenetur legibus sui territorii contra injustos homicidas latis, pœnisque subjectus est ibi peculiariter statutis. Ratio est: quia propter delictum in proprio territorio completum censetur moraliter præsens. Ex eodem capite, si positum sit statutum, ne quis eat in provinciam peste infectam, vel ne quis exerceat mercaturam extra territorium, peccabit civis incola proficiscens in provinciam pestiferam, vel mercaturæ causâ ex proprio territorio absens: quia nempe damnum, vel periculum damni, quod ex ejusmodi itinere, vel mercimonio respublica patitur, intra territorium creatur. Vid. Castropal. n. 13. Laym. n. 3. Reding à n. 14. Mezger tr. 8. disp. 35. a. 5. n. 25.

20 II. Prælati Regulares, qui jurisdictionem in suos habent ratione obligationis personalis contractæ ex voto obedientiæ, adeoque non ratione territorii, possunt suos Religiosos præceptis, sententiis, statutis ubicunque terrarum existentes obligare; immò in alieno territorio citare, excommunicare, propriáque auctoritate fugitivos retrahere. Laym. n. 2. referens Sylvestr. verbô *Excommunicatio* 2. n. 15. cum hac ratione: quia totus mundus est eis (Prælatis nimirùm Regularibus) pro territorio.

21 III. Si Episcopus sub pœna excommunica-

nicationis, aliáve censura interdicat Clericis lusum alearum, v. g. Clerici extra diœcesim ita ludentes non ligantur ejusmodi statutô, nec pœnam transgressoribus decretam incurrunt. Et idem dicendum, si ludant aleis intra diœcesim in loco exempto. Ratio hujus est: quia locus exemptus in ordine ad jurisdictionem Episcopi habetur pro loco extra diœcesim sito. Sylvester V. cit. n. 12. Laym. n. 5. Salmantic. n. 64. & alii passim. Similiter, si quis die, quo est jejunium in suo territorio, existat in alio loco non sui territorii, ubi tunc non est jejunium, vel in loco exempto, is non tenetur jejunare. Item, non teneris audire Missam, vel abstinere ab opere servili, si die intra tuum territorium festo existas alibi, ubi non est dies festus. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 6. n. 62. Laym. loco cit.

22 IV. Tradita mox doctrina non tantùm vera est in legibus alicui territorio propriis, sed etiam in legibus juris communis, si earum observantia vigeat in proprio, non autem in alieno territorio, ubi aliquis peregrinatur aut hospitatur. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 12. n. 28. Bonac. n. 61. Laym. n. 4. Ratio est: tum, quia leges obstringunt personas non absolutè, sed constituras in locis, in quibus observantur, usúque sunt receptæ. Atqui in loco, ubi hospes, vel peregrinus in casu nostro existit, lex, sive statutum commune non observatur, uti supponitur; ergo. Tum etiam, quia, ut dicit Laym. in alieno territorio tunc datur quasi privilegium locale, quo omnes ibi versantes licitè frui possunt. Quam rem ut declaremus exemplis

Inf. primo, alienigenæ primis quatuor diebus Quadragesimæ Mediolani existenti licitum esse vesci carnibus, quamvis in proprio territorio id sit prohibitum. Ratio est: quia Mediolani communis lex Ecclesiastica de jejunio illis diebus non viget. Inf. secundo, licitum esse peregrino in Belgio Sabbathis intra Nativitatem & Purificationem occurrentibus carnes, & in regno Hispanico Castellæ diebus Sabbathinis more incolarum extima & intestina animalium comedere. Ratio est eadem, quæ prioris illationis. Inf. tertiò, si in eadem civitate sint duæ Parochiæ, sitque in Parochia A dies jejunii, vel festus, non autem in Parochia B, eò quòd in ista non eadem lex, sive communis consuetudo vigeat, Parochianum Parochiæ A se conferentem in Parochiam B. non teneri in hac jejunare, vel ab opere servili abstinere. Ratio est: quia doctrina præcedens ob identitatem rationis etiam extenda est ad diversas Parochias. Vid. Sanchez. Laym. Bonac. Castropal. locis citt.

23 V. Non est illicitum etiam animô declinandi vim legis in proprio territorio, vel Parochia dominantis proficisci in territorium, vel adire Parochiam, ubi lex non observatur, ut quis ab ejus obligatione se reddat exemptum. Et ideò, si in diœcesi Salisburgensi v. g. sit dies jejunii, vel festus, non autem in diœcesi Passauiensi, potest diœcesanus Salisburgensis ire in diœcesim Passauiensem, ibique securâ conscientiâ carnes comedere, & opera servilia exercere. Sanchez ubi suprà n. 35. Suarez lib. 2. de festis, cap. 13. n. 6. Bonac. n. 64. Castropal. n. 3. Reding. ubi suprà n. 8. Paulus Mezger n. 27. Salmanticenses n. 63. Illsung. tr. 1. disp. 2. a. 2. n. 23. Ratio est: quia talis utitur jure suo, quod habet, egrediendi ex proprio territorio: neque enim hoc ei legi prohibetur. Postquam autem egressus est in locum, ubi lex non obligat, neque ipse obligatur. Unde nulla in lege hîc propria fraus committitur: *quia nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur.* per reg. 55. ff de reg. jur. Iste proinde talis in aliud territorium transitus solùm est fuga quædam obligationis, quæ quia legi (quippe non prohibita) non adversatur, ex se est indifferens, finemque ex fine adjuncto vel bona vel mala moraliter. Sanchez loco cit. Sententia contraria, quam docent Sayr. in clavi. l. 7. c. 3. n. 12. Laym. n. 9. & alii ab ipso relati, videtur magis pia, & in praxi omninò suadenda,

VI. Qui habet casus in propria diœ- 24
cesi reservatos, vel ob certam causam Parocho proprii domicilii confiteri non vult, potest in aliam diœcesim, ubi illi casus non sunt reservati, & ad alium sacerdotem abire hâc intentione, ut ibidem confiteatur & Sacramentalem absolutionem obtineat: non tamen potest ex proprio territorio, ubi Concilium Trident. est receptum, se conferre in aliud, ubi non est receptum, ut contrahat matrimonium sine Parocho & testibus. Prior pars sequitur ex dictis in n. præced. & docetur à Castropal. loco cit. n. 4. Salmantic. Paulo Mezger locis citt. Ratio posterioris est: quia sic expressè sub irritatione actûs declaravit Urbanus VIII. in Brevi Authentico ad Archiepiscopum Colonienſem anno 1627. edito, quemadmodum refert Card. de Lugo in respons. moral. lib. 1. dub. 37. apud Paul. Mezger, & Illsung locis citt. Authores, qui tenent contrarium, vel scripserunt ante hujus Brevis editionem, vel id receptum non esse crediderunt.

VII. Civis Salisburgensis v. g. die S. 25
Virgilii, qui sub præcepto festus est pro sola civitate, non verò pro diœcesi, discessurus post prandium extra civitatem tenetur audire Missam, & ab opere servili se continere solùm tempore matutino, dum adhuc ver-

versatur Salisburgi, non autem tempore pomeridiano, quando existit alibi, velut supponitur. Mezger n. 28. Ratio est: quia præceptum audiendi Missam extenditur ad solum tempus antemeridianum; præceptum verò non faciendi opus servile viget divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. Dum ergo civis eo toto tempore existit Salisburgi, quo urget ibi præceptum audiendi Missam, tenetur audire: quia verò per mediam solùm partem diei versatur in loco legi ab opere servili abstinendi subjecto, & per alteram mediam partem in loco talis obligationis immuni, etiam solùm per unum diei dimidium, scilicet ante prandium, tenetur non laborare serviliter, non autem per alterum dimidium; id est, à prandio.

VIII. Si Cajus v. g. mane ex proprio
26 loco domicilii, in quo est dies festus, vult discedere in alium locum, ubi non est dies festus, Missaque solùm unicâ horâ determinatâ ibi, unde cogitat discedere, celebratur, tenetur ante discessum audire Missam. Ita communiter DD. apud Castropal. ubi supra n. 6. Ratio est: quia præceptum affirmativum obligans pro determinato tempore obligat similiter ad præveniendum impedimentum suæ obligationis: sed in casu posito præceptum obligat pro determinato tempore v. g. horâ sextâ, & Cajus prævidet suo discessu impeditum iri impletionem obligationis: ergo tenetur prævenire, illâque horâ audire Missam. Quòd si in eo loco, unde Cajus manè est abiturus, legi soleant successivè plures Missæ, v. g. ab hora sexta usque ad duodecimam, veluti contingit in civitatibus & Ecclesiis collegiatis, facienda est talis distinctio: vel Cajus ingredietur alienum territorium tempore, quo domi existens legem audiendi Missam posset implere, vel tempore, quo domi existens non amplius posset implere? Si hoc secundum, tenebitur ante profectionem audire Missam: quia impedimentum implendi præceptum sibi prævidet imminere, dum adhuc est obligatus, atque in proprio territorio existit. Si primum; non tenebitur: quia tempore, quo egreditur ex suo territorio, nondum est proximè obligatus ad legis impletionem: nam posset, si domi maneret, auditionem Missæ differre usque ad horam v. g. decimam, vel undecimam: hoc autem tempore jam ingreditur aliud territorium; uti supponimus, & à præcepto audiendi Missam est liber. Sanchez ubi suprà n. 32. Castropal. n. 8. Mezger loco cit. Salmantic. n. 67.

Probabilis est etiam illorum sententia,
27 qui in dictis primùm casibus Cajum absolutè excusant ab impletione præcepti. Ratio est: quia præceptum audiendi Missam pro nulla determinata parte temporis matutini obligat absolutè, sed pro qualibet conditionatè, si nec ante, nec post quis obligationi satisfaciat; vel ab eadem eximatur. Atqui Cajus prævidet, se ab obligatione præcepti exemptum iri per ingressum alieni territorii: ergo. Unde non tenetur expectare occasionem audiendi Missam, eave oblatâ uti, sive plures in eo loco, unde discedit, successivè leguntur, sive unica tantùm, modo tempore adhuc matutino veniat in locum, ubi non est dies festus. Vid. Authores citt.

Dices. Quis prævidet impedimentum implendi aliquod præceptum, tenetur illud prævenire implendô præceptum, dum potest: sed Cajus tunc præceptum ejusmodi impedimentum, & quidem à se ipso liberè ponendum: ergo. Respondetur ex Castropalao, duplex dari genus impedimentorum implendi præcepta. Nam alia penitus liberant, alia solùm excusant ab obligatione. Quæ liberant, ut dispensatio v. g. non tenemur prævenire, vel auferre, etsi possimus. Hinc, si prævideres, tibi tempore ultimæ Missæ impertitum iri dispensationem in præcepto audiendi Missam, non esses obligatus eam dispensationem prævenire, Missamque priori tempore audire. Quæ solùm excusant, ut infirmitas, ignorantia, oblivio, & similia, non est licitum procurare, ut quis ab impletione legis eximatur; sed, si prævideantur, per executionem operis præcepti præveniri debent. Jam verò egressus è loco, ubi lex obligat, non est hujus, sed prioris generis impedimentum. Quare Cajus id licitè non prævenit: cùm nullo jure sit obligatus ex suo territorio non discedere; imò jus habeat discedendi. Verùm, quidquid de his sit, fatendum est, ea, quæ in n. præced. diximus, esse magis timorata, & in praxi tutiora.

IX. Salisburgensis Hallino, ubi fortè 29
non est jejunium, rediturus in suam urbem Hallini licitè vescitur, etiam carnibus, tametsi eo die venturus sit domum, ubi in honorem alicujus Sancti celebratur jejunium. Ratio est: quia tamdiu non tenetur lege suæ patriæ, quamdiu abest. Potest præterea domi iterum comedere, non tamen carnes. Ratio discriminis est: quia præceptum jejunii obligat indivisibiliter pro omnibus diei partibus, adeò, ut, qui illud vel justâ, vel injustâ causâ per unam diei partem non servat, servare eo die non possit amplius, nec consequenter teneatur: atqui Salisburgensis in casu nostro præceptum jejunii pro aliqua parte diei non servat; ergo. Econtra præceptum abstinendi à carnibus obligat divisibiliter pro qualibet parte diei, ita, ut, quamvis illud una parte diei, non serves, possis, & consequenter tenearis servare aliis partibus diei. Sanchez ubi suprà n. 33. Illsung. n. 26. & alii.

Similiter abiturus Salisburgô Hallinum, ubi non est jejunium, Salisburgi, ubi fortè est jejunium, mane licitè jentat, ac meridie prandet, modò certus sit, se eo die Hallinum venturum. Ratio est: quia talis est certus, se intra tempus, quo domi urgeret præceptum jejunandi, alibi, ubi non urget, ab obligatione liberatum iri. Tenetur nihilominùs Salisburgi abstinere à carnibus, idque propter rationem priori n. adductam: quia obligatio abstinendi à carnibus est divisibilis pro qualibet parte diei. Vid. citt. ad præterea Reding. q. 16. a. 3. contr. 6. n. 11. Mezger ubi suprà n. 29.

30 Denique satis probabile est, Hallinô, ubi non est jejunium, reversum eo die Salisburgum, ubi est jejunium, non esse obligatum ad jejunandum domi, quamvis Hallini, unde reversus est, jejunium non fregerit, & consequenter adhuc servare possit. Idem dicendum de illo, qui existens adhuc in territorio immuni à lege jejunii nondum complevit annum 21. complevit verò redux eo die domum, ubi urget obligatio jejunii. Docet hanc sententiam Castropal. ubi supra n. 11. & apud ipsum Joan. Sanchez, eamque approbat Illsung. n. 24. Ratio est: quia hoc ipso, quòd præceptum jejunii obliget indivisibiliter pro toto die, respicit omnes illius partes ut unum ac individuum objectum; atque adeò vel toto die, vel nulla ejus parte obligat: atqui revertentem non obligat toto die; sicut supponitur; ergo. Confirmatur. Salisburgô iturus Hallinum nulla diei parte tenetur jejunare, quia non tenetur omni parte diei, videlicet vesperi, quando existet Hallini, ubi non est jejunium, ut vidimus in n. præced. ergo similiter Hallinô revertens Salisburgum nulla diei parte tenetur jejunare, quia non tenetur omni parte diei, putà mane, quando adhuc versatur Hallini.

§. IV.

Quomodo legibus obligentur peregrini, advenæ, vagi?

SUMMARIUM.

31. *Referuntur variæ sententiæ.* 32. *Qui animo vel perpetuò, vel ad longum tempus inhabitandi venit in alienum territorium, tenetur ejus legibus.* 33. *Advenæ & peregrini, qui non animo inhabitandi versantur in alieno territorio, non obligantur legibus illius propriis.* 34. *Afferuntur casus excepti.* 35. *Respondetur ad argumenta sententiæ tertiæ ex relatis in n.* 31. 36. 37. *Duo corollaria.* 38. *Vagi obligantur legibus locorum, in quibus reperiuntur.*

31 IN hac quæstione, quantùm attinet ad peregrinos, variæ sunt sententiæ. Prima absolutè negat, quemquam obligari legibus loci, nisi in eo habeat fixum & perfectum domicilium, ità docere Paludanum, Medinam & alios perhibet Suarez lib. 3. de leg. cap. 33. n. 2. Secunda dicit, legibus loci obligari exteros seu peregrinos, qui ita in eo manent, ut sal em quasi domicilium contrahant; non verò illos, qui brevi solùm tempore ibi versantur, aut illac transeunt. Ita plurimi apud Salmanticenses tr. 11. qui est de leg. cap. 3. n. 58. Tertia sententia est, advenas & hospites legibus territorii, quamdiu in illo commorantur, obligari, sicut obligantur incolæ, scilicet & sub culpa, & quoad pœnam, quamvis ea commoratio sit solùm per modum transitûs, modò duret tempore legum obligationi opportuno. Ita cum pluribus Suarez n. 3. ubi affirmat, esse communem sententiam Juris interpretum in l. *cunctos populos*, C. *de sum. Trinit.* & in cap. *à nobis*, 1. de sent. Excom. Quantùm attinet ad vagos, id est, illud genus hominum, qui nullibi fixum habent domicilium, Sayr. in clavi. lib. 3. cap. 4. n. 8. Laym. tr. 4. cap. 12. n. 7. & alii quidam apud Salmantic. n. 60. idem docent, quod de peregrinis. Cæteri tamen authores inter utrosque statuunt discrimen, ut deinde videbimus.

32 Dico nunc primo. Qui in alienum territorium veniunt animô vel perpetuò, vel ad longum tempus inhabitandi, ejus legibus & consuetudinibus obligantur. Ita Salmantic. n. 54. & 55. Reding. q 16. a. 3. contr. 7. n. 1. & 2. Mezger tr. 8. disp. 35. a. 5. n. 39. estque communis & certa sententia quoad utramque partem. Ratio primæ est: quia statim quis obligatur legibus loci alieni, in quo acquisivit domicilium: Nam ratione domicilii jam est subditus tanquam incola, & non amplius peregrinus. Atqui domicilium eo ipso quis acquirit, quòd in aliquo loco moretur animô perpetuò inhabitandi, ex l. *domicilium ff. ad municipalem.* Ratio secundæ est: quia tales, licèt in loco, in quo morantur, non acquirant domicilium, acquirunt quasi domicilium; ideoque forum ibi sortiuntur. Sunt autem paria sortiri forum, & subjici legibus loci. Atque ita studiosi v. g. ad Academias studiorum causâ venientes tenentur legibus & consuetudinibus loci illius; quia ibidem quasi domicilium figunt. Extendit hoc Laym. n. 1. etiam ad illos, qui certi negotii, vel negotiationis causâ per tempus aliquantò brevius, v. g. aliquot menses, vel septimanas fixam alicubi habitationem statuerunt, aut saltem conduxerunt. Quod tamen, ut advertit Paul. Mezger loco cit. non est intelligendum de legibus injungentibus onera propriè dictam subjectionem supponentia; cùm istæ obligent solos

solos subditos propriè tales. Quare studiosi, aliæve id genus personæ non tenentur suscipere tutelas, vel alia munera sustinere reipublicæ, in qua degunt ad tempus: quia non sunt subditi propriè tales.

33 Dico secundo. Advenæ & peregrini, dum in alieno territorio versantur non inhabitandi animo, sed ad breve tempus hospitandi, vel transeundi causâ, non obligantur legibus & statutis ejus loci propriis ac specialibus, præterquam in casibus infra excipiendis. Ita probabilior sententia, quam tuentur Sayr. ubi suprà n. 15. Thoin. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 38. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 6. n. 36. Laym. n. 4. Salmantic. n. 58. Reding. n. 8. Illsung. tr. 1. disp. 1. 2. 2. n. 2. Mezger n. 34. contra Navarr. Suarez, Salas, Castropal. Covarruiam & alios. Ratio est: quia ut quis obligetur legibus alicujus loci, necesse est, ut subjiciatur jurisdictioni illius, ibique forum acquirat, atqui ejusmodi personæ non subjiciuntur jurisdictioni loci alieni, nec forum ibidem acquirunt; ut constat ex *l. hæres absens. ff. de judiciis.* ergo illius legibus non obligantur.

34 Dixi autem primò, *non obligari legibus propriis ac specialibus.* Nam legibus juris communis certum est obligari, tametsi eædem in proprio domicilio constitutos fortè non obligarent. Cùm enim immunitates, & exemptiones à legibus, quæ omnes obstringunt, sint veluti privilegia localia, iisdem gaudere non possunt, qui absunt. Unde peccat Castellanus, si, dum extra regionem suam peregrinatur, intestina & extima pecudum comedat diebus Sabbathinis, quamvis id ipsi domi suæ sit licitum. Similiter peccat civis Mediolanensis ad limina Apostolorum profectus, si Romæ carnes comedat quatuor primis diebus quadragesimæ: quia cùm hi tales sint absentes, non possunt frui privilegiis localibus patriæ, à qua absunt. Vid. Laym. n. 2.

Dixi secundo, *præterquam in casibus &c.* Nam primo peregrini obligantur illis legibus particularibus alieni territorii, quarum observantiam ratio boni publici tam ab advenis, quàm ab incolis exposcit; ut v. g. ne importent in provinciam hujus vel illius generis libros, merces, arma &c. Ratio est: quia potestas legislativa hominibus data est ab Authore omnium legum, ut conservetur bonum commune: adeòque, si salus ejusdem dependeat ab obligatione tam advenarum, quàm incolarum, tam illi, quàm isti lege tenebuntur. Secundò obligantur iidem servare leges, quibus certæ solemnitates & conditiones pro celebrandis contractibus præscribuntur in alieno loco, ubi contrahunt. Ratio est: quia ex titulo contractus, vel quasi contractus ibi forum sortiuntur. *per cap. fin. de foro com-*

pet. l. 19 §. 1. & 2 ff. de judic. Vid. Reding. ubi supra n. 15. & 16. Mezger n. 32. & 33. Tertiò obligantur peregrini legibus locorum particularibus, quando ex earum non observatione oriretur scandalum. Ratio est: quia tunc naturali scandalum vitandi præcepto quilibet advena ibi existens incolis se se conformare tenetur. Quarto. Obligantur legibus, juxta quas in alieno territorio, ubi delinquunt contra jus naturale, vel commune, delicta puniuntur. Salmantic. n. 60. Ratio est: quia etiam ex titulo delicti ibi forum sortiuntur, & magistratui talis loci subjiciuntur, juxta *cap. fin.* cit.

Ex dictis nunc facilè respondebimus ad 35
argumenta tertiæ sententiæ in n. 31. relatæ, in quantum ea nobis adversatur. Objiciunt autem pro illa primo authoritatem S. Ambrosii apud S. August. in epist. 118. ad Jan. scribentis: *Cum Romam venio, Sabbathum jejuno: cum Mediolani sum, non jejuno: sic & tu, ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Et refertur c. *quisquis*, dist. 41. ubi glossa ait: *Nota, quod quilibet conformabit se sociis suis in cibis, & in moribus.* Secundò. Advenæ & peregrini puniuntur in alieno territorio, si ibi delinquant: ergo subjiciuntur jurisdictioni illius. Tertiò. Ex nostra sententia sequitur, peregrinos omnibus omninò legibus esse solutos: cùm neque obligentur legibus proprii territorii, ut diximus in priori §. neque legibus alieni, in quod veniunt, ut in præf. docemus: ergo sunt prorsus exleges: quod certe est contra rectam gubernationem. Quartò, Peregrinus, dum abest tempore etiam modico, non obligatur legibus suæ patriæ: consequenter æquitas postulat, ut obstringatur legibus & consuetudinibus alienæ terræ. Nam, *qui sentit commodum, sentire debet & onus*, per reg. 55. in 6. Quinto. Quando lex territorii, per quod transit peregrinus, etiam viget in ipsius patria, tunc illâ obligatur: ergo similiter aliis quoque legibus alieni territorii obligari dicendus est: cùm non appareat ulla vera disparitas. Sexto. Peregrini obligantur quibusdam legibus prohibitoriis loci, in quo peregrinantur, v. g. ne quis noctu arma ferat; ne frumentum evehat; ne viator ultra triduum in oppido commoretur. Tenentur præterea advenæ in celebrandis contractibus servare leges & consuetudines loci peregrini, in quo contrahunt, ut ipsi fatemur in num. præced. cur igitur eximuntur à cæteris?

Respondeo ad primum, S. Patrem illis verbis vel afferre consilium tantùm, non præceptum: vel indicare quidem præceptum, sed in periculo scandali, qui est casus exceptus in n. præced. vel loqui de peregrinis

non statim abituris, sed animó inhabitandi in loco alieno commorantibus.

Ad secundum respondeo, peregrinos ratione delicti sortiri forum in terra hospita, sicque jurisdictioni ejusdem fieri subjectos: quem casum similiter excepimus loco cit.

Ad tertium neg. seq. quia inprimis obligantur legibus generalibus, & patriæ cum loco, in quo peregrinantur, communibus. Deinde obligantur etiam legibus illis particularibus, quæ ob bonum publicum communitatis, in qua hospitantur, specialiter latæ sunt, pacificámque exterorum cum incolis communicationem respiciunt: quarum loco cit. in 1. exceptione meminimus.

Ad quartum neg. conseq. ac dico cum Salmantic. n. 61. eam regulam tunc habere locum, quando onus ex propria institutione cum commodo connexum est; sicut cum beneficio Ecclesiastico connectitur onus & obligatio recitandi horas Canonicas; non autem procedere, quando nulla est talis connexio, sed onus & commodum sunt disparata; sicut contingit in proposito. Atque hinc etiam Novitii fruuntur commodis & privilegiis Religionum, & tamen non obligantur ad onera & incommoda earumdem.

Ad quintum neg. rursus conseq. disparitas est, quòd peregrinus existens in territorio, ubi non vigent leges suæ patriæ, gaudeat privilegio quasi locali; non autem hoc gaudeat, quando eædem in utroque territorio leges dominantur. Legibus porrò peregrini loci peculiaribus ideo non stringitur, quia (præterquam, quòd ejus jurisdictioni non sit subjectus) favores ampliari, odia verò restringi oportet. Atqui gravari oneribus legum præcisè in commodum alienæ reipublicæ est sanè odiosum; at esse ab illis exemptum est favorabile. Immò, ut habet Illsung ubi suprà n. 21. falsum est ant. quando obligatio legis tam proprii, quàm alieni territorii privata, & merè localis est, ut supponitur; quia peregrinus nec sui, nec alieni territorii jurisdictioni subjectus est: & consequenter nec hujus, nec illius legibus obligatur.

Ad sextum respondeo, ejusmodi leges specialiter latas ob bonum reipublicæ, in quem venit peregrinus, à nobis in num. præced. fuisse exceptas, ejusque exceptionis rationem adductam: Leges quoque & consuetudines contractuum ibidem similiter fuisse exceptas. Ex dictis nunc habetur

36 Corollarium I. Peregrinus veniens Salisburgum die S. Virgilii, qui hic loci festus est, non tenetur (remotò scandalo) audire Missam, vel à servilibus operibus abstinere, quamvis totum diem hic mansurus sit. Similiter studiosus Salisburgensis diœcesis, in qua non est jejunium, transiens per Passauiensem, in qua tunc fortè est jejunium, non tenetur jejunare. Laym. tr. 4. cap. 12. n. 4. Reding n. 11. Mezger n. 34. & alii. Ratio est: quia ut tales ad similia tenerentur, deberent esse subjecti jurisdictioni illius loci, in quo hospitantur, vel per quem transeunt: atqui non sunt subjecti; ergo.

Corollarium II. Sacerdos Latinus tran- 37
siens per Ecclesiam Græcam non tenetur consecrare in fermentato, ut ibi fieri solet, quamvis possit, si malit. Eodem modo sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam non tenetur consecrare in azymo; potest tamen, si velit. Bonac. ubi suprà n. 63. Laym. n. 6. Mezger loco ci. Ratio est: quia peregrinus paria legibus, dum abest, solvitur: & alioquin, ut antea vidimus, non adstringitur legibus alienis locorum, per quæ transit, vel in quibus ad breve tempus moratur: consequenter est ei liberum, vel observare consuetudines, ac ritus patrios, vel alienis se conformare. Illud tamen advertit Laym. si apud Latinos inveniatur Ecclesia Græca, ut Romæ, tunc Sacerdotem Latinum in ea consecrare volentem teneri ad ritus Romanæ Ecclesiæ: quia Græci habent privilegium veluti personale, ut ibi consecrare liceat in fermentato.

Dico jam tertio. Vagi obligantur legi- 38
bus, & consuetudinibus locorum, in quibus reperiuntur. Thomas Sanchez lib. 1. Decal. cap. 12. n. 23. Bonac. n. 54. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 24. §. 4. n. 3. Salmantic. n. 60. & DD. communius. Dicuntur autem vagi, qui nullibi habent fixum domicilium, sed huc vel illuc divertunt; quibus illi quoque sunt accensendi, qui prius domicilium relinquentes quærunt, ubi constituant aliud. Neque refert, si certam sedem animò jam destinaverint: quia quamdiu illam actualiter non fixerunt, vagis sunt annumerandi.

Nunc ratio concl. est: quia rectæ gubernationi planè dissentaneum esse videtur, ut in humana societate quis vivat omni lege particulari solutus; sed ita res se haberet in vagis, si non obligarentur legibus locorum, in quibus vagantur; ergo. Cùm igitur id genus homines nullibi habeant fixum domicilium, ideo sola præsentanea habitatione illud sortiuntur in loco, in quo reperiuntur, ejusque proinde legibus subjiciuntur.

Confirmat sententiam nostram communis consuetudo, qua vagabundi puniri solent, ubicunque deprehenduntur, etiam propter delicta in alio territorio commissa. Ubi tamen quæstio movetur, an judex vagum à se captum remittere teneatur ad judicem loci, in quo delictum fuit commissum, si petatur remissio ejusdem? Probabilius existimo cum Castropal. n. 5. Reding, n. 19. & aliis, esse remittendum, idque (contra Farina-

nacium) sive tales judices sint sub uno, sive sub diversis Principibus. Ratio est: quia rei puniuntur propter statuendum exemplum, & reparationem damni illati per scandalum; cumque hoc datum sit ibi, ubi commissum fuit delictum, & non alibi, ibi quoque punitionem fieri oportet, sive domicilium in eo loco acquiratur, sive non acquiratur. Neque videtur ejusmodi reus judici loci, in quo non est commissum delictum, esse subjectus, nisi in defectum judicis loci, in quo fuit commissum. Accedit, quòd delictum in loco, ubi commissum est, facilius probari possit.

§. V.

An, & quomodo legibus civilibus obligentur Clerici & Regulares?

SUMMARIUM.

39. *Exponitur status quæstionis,* 40. *Clerici Legibus civilibus non obligantur directè.* 41. *Obligantur tamen eisdem indirectè secundùm vim directivam.* 42. *Solvitur objectio quædam Castropalai.* 43. *Clerici Legibus civilibus quoad vim coactivam nullo modo obligantur.* 44. *An Clericus in materia gravi transgrediens legem civilem peccet mortaliter?* 45. *Clerici non possunt puniri à Magistratu civili, etsi violent legem civilem.* 46. *Clerici non comprehenduntur legibus civilibus; quæ in pœnam alicujus criminis reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum &c.*

39 HÆc quæstio non procedit de legibus, quæ libertati ac immunitati Ecclesiasticæ sunt contrariæ, sacrisque Canonibus, & statui Clericali, vel Regulari repugnant: cujusmodi sunt, quæ de bonis, aut personis Ecclesiasticis speciatim decernunt præcipiendo, vel prohibendo. Quia certum est, Clericos (idem est de Regularibus) his talibus legibus, utpote injustis, neutiquam obligari, quemadmodum satis constat ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 20. de Reformat. Difficultas est igitur de legibus civilibus, quæ statum Ecclesiasticum non dedecent, & ob communem felicitatem reipublicæ, in qua versantur Clerici, conduntur: quales sunt v. g. quæ prohibent noctu ferre arma, exportare frumentum è provincia; vel, quæ taxant pretia rerum vendendarum, præscribunt modum ædificandi, testandi, contrahendi.

40 Dico primo. Ecclesiastici neque vi coactiva, neque directiva legum civilium directè obligantur. Suarez lib. 3. de leg. cap. 34. n. 12. Azorius to. 1. lib. 5. cap. 12. q. 3. Laym. tr. 4. c. 13. n. 6. Reding. q. 16. a. 3. contr. 8. Mezger tr. 8. disp. 35. a. 5. n. 18: & alii, estque hæc sententia, quantùm ad vim coactivam, seu punitivam, omninò certa. Ratio est: quia magistratus civilis nullum habet jus, aut potestatem supra personas Ecclesiasticas; quippe in altiori statu, gradúque vitæ constitutas: veluti constat ex cap. *Ecclesia de Constit.* ubi dicitur, *quòd Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas.* Quod idem habetur in Concil. Lateran. sess. 9. in Bulla *supernæ dispositionis*, ubi ait Leo X. *Cum à jure tam divino, quàm humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Atqui modus directè obligandi vi coactiva, ac directiva legis supponit in obligante jus & potestatem supra obligatum; ergo.

Dico secundò. Clerici legibus memo- 41
ratis secundùm vim directivam obligantur indirectè; quoad vim coactivam autem nullo modo obligantur. Et quidem Clericos illis legibus obligari quoad vim directivam, dubium non est: cùm enim sint veri cives ac membra reipublicæ, in qua degunt, naturalis æquitas postulat, ut in iis, quæ necessaria sunt ad communem felicitatem totius corpotis politici, cæteris membris sese conforment. Nam *turpis est omnis pars suo universo non congruens*, inquit S. Augustinus lib. 3. Conf. c. 8. ut supra in §. 1. n. 4. audivimus. Neque salus communis subsistere potest incolumis sine partium conformitate quoad illa, quæ ad communem reipublicæ gubernationem sunt necessaria. Confirmatur. Qui sentit commodum, sentire debet & onus; ut ait reg. 55. in 6. sed Clerici sentiunt commoda & privilegia reipublicæ; ergo par est, ut sentiant onera communia legum, ac obligationum, quæ illorum statui & immunitati non repugnant.

Cæterùm Clericos legibus illis non obligari directè, hoc est, præcisè ex virtute earumdem legum, aut potestatis legislativæ civilis, sed indirectè solùm, tenent Azor, Vasquez, noster Engl, Gletle & alii, quos refert & sequitur Paulus Mezger loco cit. estque teste Laym. expeditior ac probabilior sententia. Ratio est: quia naturalis æquitas postulat, quemadmodum ante diximus, ut cives, ceu membra reipublicæ, concurrant ad conservationem totius corporis politici, rectámque ejus gubernationem non impediant: cùm ergo Clerici sint veri cives ac membra reipublicæ, ex lege naturali ad idem tenentur. Atqui conservatio, rectáque gubernatio reipublicæ stare non potest, nisi Clerici in observatione dictarum legum sese conforment cæteris civi-

civibus; ergo ex lege & æquitate naturali tenentur se conformare. Sed hoc est Clericos legibus civilibus obligari indirectè, in quantum videlicet illis semel rationabiliter latis obligatio observandi in ipsos ex lege naturali resultat; quemadmodum in §. cit. de Legislatore diximus: ergo obligantur indirectè. Eadem obligatio in has personas etiam derivatur ex jure Pontificio. Nam Sum. Pontifex approbat, quòd Ecclesiastici fiant membra, ac cives reipublicæ. Similiter approbat leges civiles libertati & immunitati Ecclesiasticæ non adversas: immo secundùm eas in foro Ecclesiastico vult judicari, ubi canones deficiunt, ut constat ex c. *innotuit. de arbit.* & c. 1. *de novi oper. nunt.* Consequenter Clerici etiam ex voluntate summi Pontificis ejusmodi legibus obstringuntur: quod iterum est obligari indirectè; ergo.

42 Dices cum Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 24. §. 6. n. 6. Omnia membra, partésque reipublicæ subjiciuntur potestati legislatoris civilis: sed Clerici sunt vera membra, partésque reipublicæ, uti fatemur; ergo subjiciuntur potestati Legislatoris civilis: ergo Legislator civilis po est illis leges imponere, adeoque directè obligare: maximè, cùm nullo jure sive Divino, sive humano, sint exempti à gubernatione politica principis sæcularis. Respondeo dist. maj. omnia membra reipublicæ non privilegiata subjiciuntur potestati Legislatoris civilis, conc. privilegiata, neg. maj. atqui Clerici sunt membra reipublicæ privilegiata. Porrò illorum exemptio à potestate laica patet ex textibus suprà adductis, aliisque plurimis apud Authores legendis. Mezger n. 19.

Quoad vim coactivam seu punitivam
43 Clericos nullo modo obligari legibus civilibus certum est ex cap. *At si Clerici c. Clerici. c. Qualiter de judiciis. c. Sæculares. de foro compet. in* 6. & aliis. Quamvis enim potestatem directivam per se loquendo oporteat esse conjunctam cum potestate punitiva, quemadmodum supp. ex dictis in artic. præced. à Christo tamen, vel ejus Vicario potestas punitiva per privilegium transferri potuit in judicem Ecclesiasticum, ita ut coram isto Clerici conveniri debeant, si leges transgrediantur etiam civiles: atque ita de facto translatam esse constat ex cit. cap. *Clerici.* & c. *Qualiter de judiciis.* Vid. Illsung. tr. 1. disp. 2. a. 2. n. 29. Ex dictis habetur

Corollarium I. Clerici transgrediendo
44 in gravi materia leges civiles, quibus tenentur, peccant mortaliter. Mezger num. 18. contra Bonac. & nostrum Pettschacher existimantes, peccare venialiter tantùm. Ratio est: quia ad bonam gubernationem & conservationem reipublicæ conformitas membrorum ac civium in observatione legum necessariò requiritur: consequenter obligatio legis naturalis de servanda ejusmodi conformitate non est solius honestatis & decentiæ, sed etiam necessitatis; adeoque gravis & sub mortali. Neque refert, quòd sit obligatio indirecta tantùm: nam & Legislator indirectè tantùm obligatur suis legibus, & nihilominùs obligatur sub mortali, ut dictum est in cit. §. 1. n. 6.

II. Clerici neque incurrunt pœnas le- 45
gibus civilibus decretas, neque puniri ob earum transgressiones à magistratu civili possunt. Atque adeò, si legem civilem violent, ejusque rei querela ad proprium judicem Ecclesiasticum fuerit delata, ab hoc condigna pœna delinquentibus est imponenda, sive illa ipsa, quæ lege civili imposita est transgressoribus laicis, sive alia arbitraria, eáque mitior, prout videbitur Suarez ubi suprà, n. 18. Laym. n. 4. Reding. n. 10. Ratio est: quia magistratui civili nulla competit potestas coercitiva, vel coactiva in tales personas. Atque hinc, si Clericus contra legem civitatis noctu armatus incedat, non potest ei judex sæcularis auferre arma; sicut nec aliquid eripere in compensationem, si vectigalia non solvat; sed conveniendus est coram judice Ecclesiastico. Reding. loco cit. Suarez n. 16. & 17.

III. Quando leges civiles infirmant con- 46
tractum, testamentum; vel ad contrahendum, testandum inhabiles reddunt personas in pœnam commissi criminis, Clerici his talibus legibus non comprehenduntur. Suarez lib. 4. defens. fid. c. 16. n. 21. Navarr. consil. 43. de constit. n. 5. quos refert, & sequitur Laym. n. 5. cum communi sententia. Ratio est: quia ejusmodi leges sunt pœnales, & continent vim coactivam. Comprehenduntur tamen iidem legibus infirmantibus, quæ pœnales non sunt, sed certam formam contrahendi, vel testandi præscribunt, ita ut actus aliter foret irritus. Ratio sumitur ex generali consensu & approbatione juris Canonici; nisi in illo speciatim aliquid in contrarium statutum esse reperiatur; ut habet Suarez apud Laym. loco cit.

DISPUTATIO III.

De obſervatione Legum.

In hac diſp. explicandum venit primo, qua intentione; ſecundo, quibus actibus implendæ ſint leges? tertio, quænam excuſent à peccato, ſi leges non obſerventur?

ARTICULUS I.

Qua intentione implendæ ſint Leges?

§. I.

Utrùm ad impletionem legis neceſſaria ſit intentio faciendi rem præceptam?

SUMMARIUM.

1. *Alia eſt intentio faciendi rem præceptam, alia ſatisfaciendi præcepto.* 2. *Ad ſatisfaciendum obligationi legis neceſſaria eſt intentio faciendi opus præceptum.* 3. *An dormiens, vel ebrius,* 4. *An metu impulſus,* 5. *An vi coactus exequendo opus præceptum ſatisfaciat obligationi?* 6. *Quid de eo, qui Breviarium recitat addiſcendi ſolùm, vel legendi cauſa?* 7. *An requiratur aliqua intentio ad ſatisfaciendum præceptis negativis?*

1 OBligationi legis cujusdam ſatisfacturus duplicem habere poteſt intentionem, unam præſtandi opus præceptum; alteram obligationi ſatisfaciendi per talis operis executionem. V. G. Miſſam die feſto auditurus poteſt habere intentionem audiendi Miſſam, quod eſt res præcepta; & inſuper intentionem præcepto, ac legi Eccleſiaſticæ ſatisfaciendi. Prior eſt actus voluntatis directè reſpiciens honeſtatem operis, quod eſt in præcepto. Poſterior eſt actus voluntatis tendens in executionem ejusdem operis ſub motivo formalis obedientiæ, eſtque adeò actus non tantùm materialis, aut prior; ſed formalis obedientiæ. Nunc cum recepta apud omnes ſententia.

2 Dico. Ad ſatisfaciendum obligationi legis, aut præcepti neceſſaria eſt intentio faciendi id, quod eſt præceptum. Ratio eſt: quia actus, per quos ſatisfaciendum eſt legibus, & ſervanda præcepta, debent eſſe humani, morales, ac liberi, & debent opera præcepta præſtari humano modo: ſed absque intentione prædicta actus noſtri non poſſunt eſſe humani, morales, ac liberi; atque adeò opera præcepta non præſtari humano modo; ergo. Ex quibus oritur

3 Reſolutio I. Qui dormiens, vel ebrius, ſuique quocunque modo impos die feſto intereſt Miſſæ, vel recitat horas Canonicas, aliámve orationem ex voto, vel alio præcepto debitam, non ſatisfacit legi Eccleſiaſticæ de audienda Miſſa; uti nec obligationi recitandi Breviarium, orationémve aliam &c, Laym. tr. 4. c. 4. n. 8. Bonac. diſp. 1. q. 1. pu. 10. n. 3. Caſtropal. tr. 3. diſp. 1. pu. 17. n. 7. Reding q. 16. a. 3. contr. 3. n. 2. Ratio eſt: quia non exercet actionem humanam, moralem, ac liberam: cùm neſciat, quid agat, nec intendat præſtare opus præceptum. Talis proinde, poſtquam ad mentem rediit, aliam tenetur audire Miſſam, horasque, & orationem repetere.

4 II. Qui ex metu, quantumvis gravi, opus præceptum exequitur, ſatisfacere cenſendus eſt. Ratio eſt: quia metus voluntarium non tollit ſimpliciter, ſed ſecundùm quid ſolùm diminuit; adeoque non impedit, quominùs ejusmodi opus exerceatur modo humano. Hinc Laym. n. 12. Bonac. n. 5. Salmantic. tr. 11. cap. 2. pu. 8. n. 142. docent, puerum ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, dum metu verborum à pædagogo, vel parentibus adactus Miſſam die feſto attentè audit, tametſi habeat expreſſam intentionem non audiendi, ſi pædagogus, vel minæ virgarum abeſſent. Quia videlicet Miſſam adhuc audit liberè & humano modo. Peccat nihilominùs affectu interno contra præceptum Eccleſiaſticum; cùm habeat actualiter intentionem ſaltem conditionatam id non obſervandi; Eccleſia autem directè præcipiendo voluntariam auditionem Miſſæ indirectè ſimul prohibeat omnem intentionem, propoſitum, & voluntatem contrariam non audiendi. Similiter, ut docent Azorius to. 1. lib. 10. cap. 12. q. 9. Bonac. n. 8. & alii, ſatisfacit, qui ex gravi metu Sacramentalem pœnitentiam, vel votum perſolvit: quia metus, ut jam alibi dictum eſt, non tollit

tollit voluntarium, & intentionem præstandi id, quod quis præstare tenetur.

5 III. Ille tamen non satisfacit, qui omnino invitus, & ex absoluta violentia operatur. Unde, qui prorsus reluctans per vim detinetur in loco, in quo Missa celebratur, non implet præceptum Ecclesiæ: similiter, qui vi coactus Parocho suo solvit decimas, non satisfacit præcepto eas solvendi. Azor. loc.cit. Bonac. n.7. Castropal. n. 5. Salmantic. n. 104. & alii. Ratio est: quia opus ex præcepto, seu lege præstandum non est quid necessarium, & quod omitti nequeat, sed quid liberum, & in potestate præstantis constitutum. Tale autem non est, quod à coacto & simpliciter invito exercetur. Dices. Si coactè solvens decimas non satisfaceret præcepto, sequeretur, esse obligatum ad iterum solvendum; sicut obligatur ad iterum audiendam Missam die festo, qui coactus interfuit. Sed conseq. admitti nequit: cùm non appareat, quo jure Parochus post decimas re ipsa semel receptas possit exigere alias. Respondeo neg. seq. quia ita solvens decimas per executionem illam materiam jam extinguit debitum præstandi alias, quamvis secundùm affectum internum transgrediatur formaliter legem, seu præceptum Ecclesiæ. Aliud est de auditione Missæ. Ut enim per istam extinguatur debitum iteratæ auditionis, non solùm debet esse præsentia merè materialis hominis in loco, ubi Missa celebratur, sed moralis, adeoque formalis impletio præcepti; ut satis constat ex intentione Ecclesiæ. Magis eluceset hoc discrimen ex dicendis in ultima resolutione.

6 IV. Recitans horas Canonicas etiam cum sufficiente attentione, si id faciat solùm legendi, vel addiscendi causâ, non satisfacit præcepto. Idem sentiendum de eo, qui ideò solùm interest Missæ, ut pascat oculos turpibus, aut curiosis aspectibus; cum altero colloquatur, vel præstoletur amicum. Sanchez 1. Decal. c. 13. n. 3. Ratio est: quia urrobique deest intentio exercendi opus præceptum. Docet præterea ibidem Sanchez, & ex ipso Bonac. n. 4. siquis existat in templo, ut det operam sacræ meditationi, & ibi casu incipiat celebrari Missa, persistentem in sua meditatione, dum durat Missa, non satisfacere præcepto Ecclesiastico, Ratio est: quia talis non habet intentionem audiendi Missam; sed est solùm in templo, ut meditetur. Hanc tamen sententiam cum Castropal. n. 7. & Reding ubi suprà n. 4. restringendam esse existimo, nisi inter meditandum ille advertens à Sacerdote inchoari Missam attentionem suam ad hanc quoque applicet. Hoc enim præstito adest intentio audiendi Missam implicita aut virtualis; quæ sufficit: quia non requiritur expressa & formalis.

7 V. Intentio, de quâ hucusque diximus, solùm est necessaria ad implenda præcepta affirmativa; non autem ad implenda præcepta negativa. Castropal. n. 4. Reding n. 5. & alii. Ratio petitur ex discrimine versante inter hæc præcepta, quòd affirmativa ad sui impletionem exigant actionem, eamque moralem, seu liberam; secùs verò negativa: quæ proinde sola omissione actionis prohibitæ citra omnem intentionem implentur. Ita hoc ipso, quòd non fureris, quòd non occidas, imples præceptum non furandi, non occidendi. Ejusdem quoque intentionis necessitas solùm adstruitur pro impletione formali legum, vel præceptorum. Nam, si loquamur de materiali executione operis, sæpè contingit, ut satisfiat obligationi absque actione propriè humana ac libera. Ita si dormiens decimas ex sola imaginatione portet in horreum Parochi; aut vi coactus pendat tributum, is & legi decimarum, & legi tributi in effectu satisfacit, ita ut nec alias decimas, nec aliud tributum solvere teneatur. Ratio est: quia, sicut homo inculpabiliter & materialiter legem quandoque violat; ut patet in eo, qui ex ignorantia invincibili retinet rem alienam, ita citra laudem materialiter implere potest. Laym. ubi suprà n. 10.

§. II.

An necessaria sit intentio implendi legem?

SUMMARIUM.

8. *Voluntas facientis opus præceptum potest erga impletionem legis negativè se habere, vel eandem positivè nolle.* 9. *Negativè se habens ad impletionem obligationis, dum præstat opus præceptum, satisfacit legi.* 10. *Leges & præcepta obligant ad obedientiam materialem tantùm.* 11. *Ignorans esse diem festum, dum audit Missam die festo, satisfacit præcepto.* 12. *Solvitur instantia de obligatione Justitiæ.* 13. *Etiam ille satisfacit obligationi legis, qui opus præceptum exequitur cum expressa voluntate non satisfaciendi.* 14. 15. *Occurritur duplici objectioni.* 16. 17. 18. *Resolutiones ex dictis.*

8 QUando homo exequitur opus lege præceptum, dupliciter animô potest esse comparatus. Primo ita, ut ad legis impletionem merè negativè se habeat, scilicet nec volendo, nec nolendo eam implere: veluti

fit

fit, dum quis ignorans, vel non cogitans esse diem festum v. g. Missam audit. Secundo ita, ut sciat quidem, se obligatum esse ad satisfaciendum legi per certum aliquod opus, habeat tamen positivam voluntatem non satisfaciendi, dum tale opus hic & nunc exequitur. Exemplum est, dum quis primo manè Missam ex sola devotione audit animô tunc non satisfaciendi legi Ecclesiæ: vel, dum quis recitat horas Canonicas positivè intendens legi non satisfacere ea recitatione, sed alia ac repetita. Quærimus igitur, an talis satisfaciat obligationi legis, ita, ut non teneatur de novo audire Missam, aut recitare horas animô satisfaciendi? In qua quæstione quæ statuemus, etiam de quovis alio præcepto, voto, juramento, sicut & pœnitentiâ impositâ à Confessario, intelligi volumus.

9 Dico primo. Qui modo explicato negativè se habens exequitur opus præceptum absque intentione legi satisfaciendi, nihilominùs satisfacit. Ita Azor. to. 1. lib. 7. c. 2. q. 6. Thomas Sanchez lib. 1. Decal. c. 13. n. 9. Laym. tr. 4. n. 7. Salmantic. tr. 11. cap. 2. n. 145. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 10. n. 9. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 17. n. 8. Reding q. 16. a. 3. contr. 3. n. 6. & alii communiter. Ratio est: quia satisfacere legi, vel præcepto est liberè exequi opus præceptum: sed carens intentione satisfaciendi nihilominùs exequitur liberè opus præceptum; ut supponitur; ergo satisfacit.

10 Obiicies. Audire Missam v. g. dum urget præceptum, non tantùm est actus religionis, sed etiam obedientiæ; cùm aliud sit audire Missam ex devotione, aliud ex præcepto. Sed ad exercendum actum obedientiæ requiritur cognitio præcepti, & voluntas illud implendi; ergo. Respondeo dist. alteram part. maj. est etiam actus obedientiæ materialis, conc. obedientiæ formalis, neg. nam leges & præcepta non obligant ad executionem operis ex motivo obedientiæ, sive, ut illud quis exequatur, quia præcipitur, sed solùm obligant, ut liberè exerceatur id: quod præcipitur; quod est obligare ad obedientiam materialem tantùm. Cognitio autem præcepti & voluntas id implendi requiruntur ad actus formalis obedientiæ.

11 Corollarium. Qui immemor legis, aut præcepti rem præceptam liberè exequitur, v. g. qui ignorans, vel non cogitans esse diem festum devote audit Missam, non tenetur, postquàm venit in memoriam legis, ad quid aliud de novo præstandum, ut ejus obligationi satisfacit. Bonac. n. 10. Azor. loc. cit. Castropal. loc. cit. & alii. Ratio est: quia talis per liberam executionem operis præcepti jam satisfecit obligationi, quamvis propter ignorantiam vel oblivionem id non intenderit. Atque hinc in dato exemplo, postquàm auditâ jam Missâ cognovisti esse diem festum, non teneris, licèt adhuc possis, audire novam Missam; imò nec opus est, ut velis satisfactum esse præcepto per auditionem Missæ præteriti. Ex eodem capite voto, juramento, præcepto confessionis Paschalis; obligationi persolvendi pœnitentiam Sacramentalem satisfacit, qui voti, juramenti, temporis Paschalis, vel pœnitentiæ à Confessario impositæ immemor, quod vovit, vel juravit, liberè exequitur; confitetur tempore paschali; peragit pœnitentiam injunctam à Confessario. Ratio sumitur ex dictis: quia talis liberè exequitur opus, quod vel lex, vel præceptum, vel ipsemet sibi injunxit. Vid. Bonac. n. 11.

12 Dices. Si cuipiam ex justitia deberes centum aureos, & immemor hujus obligationis totidem ex liberalitate donares, non satisfaceres præcepto justitiæ, nec debitum ejus extingueres: ergo nec satisfaci præcepto Ecclesiastico audiendi Missam, voto, juramento &c. qui immemor obligationis absque intentione satisfaciendi ex devotione solùm exequitur opus præceptum, ex voto, vel juramento &c. debitum. Respondeo cum Castropal. n. 10. aliis apud Reding loco cit. neg. conseq. quia obligationi justitiæ satisfit per solutionem debiti: solutio autem debiti, ut distinguatur à donatione liberali, necessariò importat cognitionem obligationis & debet procedere ex voluntate saltem virtuali, ac generali satisfaciendi. Quæ ratio specialis in obligatione justitiæ non habet locum in aliis, utpote ad sui implerionem non exigentibus nisi obedientiam materialem, quæ tota salvatur per liberam executionem operis præcepti, ac debiti, absque ulla cognitione alicujus obligationis, & intentione satisfaciendi.

13 Dico jam secundo. Ille quoque legi satisfacit, qui opus præceptum liberè exequitur etiam cum expressa intentione non satisfaciendi per illud. Ita probabilior sententia, quam tenent Thomas Sanchez lib. 1. Decal cap. 13. n. 13. Laym. ubi suprà. Castropal. n. 12. Salmantic. loco cit. Reding n. 7. Illsung tr. 1. disp. 2, a. 2, n. 34. contra Navarr. Azorium, Medinam & alios apud Castropal. n. 11. Ratio est: quia, cùm leges & præcepta obligent solùm ad substantiam operis præcepti, non est in potestate operantis, ut per illud non satisfaciat, si liberè ac modo humano exequatur. Unde voluntas, qua vult non satisfacere, est inefficax, & insufficiens ad impediendam intentionem efficacem, ex qua per executionem ejus, quod præceptum est, obligationi re ipsa satis-

satisfacit; sicut voluntas non conficiendi Sacramentum est ineffícax in eo, qui habet intentionem faciendi; quod facit Ecclesia: cùm, sicut facere, quod facit Ecclesia, est ipsissimum conficere Sacramentum, ita liberè exequi opus lege præcriptum sit re ipsa legem implere.

14 Neque obstat traditæ doctrinæ primo régula juris, quod actus non operentur ultra intentionem agentium: sed operans in nostro casu habet intentionem non satisfaciendi; ergo. Nam respondetur, eam regulam esse veram, quando actus, & effectus est in potestate agentis: quòd hic non contingit: quia implere, vel non implere præceptum, si semel exequeris opus præceptum, non est amplius in tua potestate, sed imples necessariò, necessitate videlicet consequente, tametsi nolis implere, cùm protestatio contraria facto nullam vim habeat.

15 Neque obstat secundo hæc instantia: qui obstrictus debito justitiæ dat centum aureos, quos debet, cum expressa intentione non solvendi dicens, creditori, se nolle solvere, sed donare velle, non satisfacit obligationi justitiæ, sed manet obligatus ut antea; ergo similiter, qui habet intentionem non satisfaciendi obligationi legum, manet adhuc obligatus, quamvis liberè exequatur opus præceptum. Nam redditur disparitas, quòd obligatio justitiæ proveniat ex propria voluntate obligati, qui, quemadmodum ab initio liberè se constituit debitorem, ita porrò manere debitor liberè potest. Atqui obligatio satisfaciendi legibus, & præceptis provenit ex intentione legislatoris, vel præcipientis, quæ, cùm solùm extendatur ad operis substantiam, à subdito non potest extendi ulteriùs, sed opere præstito extinguitur.

16 Resolves ex dictis primo. Die festo Missam audiens etiam cum expressa intentione tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiastico, sed aliam postea Missam in hunc finem audiendi revera adimplet præceptum, ita ut non teneatur aliam Missam audire. Laym. ubi suprà n. 7. Castropal. loco cit. Imò dum Missam audis animò neutiquam implendi præceptum, nec audiendi aliam Missam, quamvis adhuc posses, nihilominùs satisfacis præcepto. Vid. Bonac. ubi suprà n. 20. Ratio horum est: quia tunc præstatur, quidquid ab Ecclesia præcipitur. In posteriori tamen casu per effectum internum transgrediendi præceptum gravi-ter peccas vel peccato ejusdem speciei cum peccato externo contra præceptum Ecclesiæ, vel saltem contrario præcepto naturali Divino, quo quisque obligatur ad obediendum legi, & legislatori. Bonac. loco cit. & alii apud ipsum.

17 Resolves secundo. Qui horas Canonicas recitare incepit, putatque, id se minùs devotè præstare, ac ideò constituit postea repetere, satisfecit, tametsi non repetat. Sanchez ubi suprà n. 16. Laym. loco cit. Ratio ex dictis est, quia lex aliud non præcipit, quam voluntariam operis executionem; consequenter, qui opus voluntariè exequitur, satisfacit præcepto: sed, qui in nostro casu recitavit horas, voluntariè executus est opus præceptum; ergo satisfecit. Nec tenetur deinde quidquam repetere, modò non fuerit voluntariè distractus. Illud tamen advertit Laym. siquis in ea persuasione animi maneat, qua falsò existimat, se obligationi non satisfeciße, peccaturum esse, nisi vel errorem deponat, vel horas repetat: quod idem dicendum de auditione Missæ & similibus. Ratio est: quia talis operaretur contra conscientiam erroneam: quod nunquam vacare culpâ jam pridem ostendimus.

18 Resolves tertio. Etiam ille satisfacit, & desinit esse obligatus, qui pœnitentiam sacramentalem, votum, juramentum persolvit animô non satisfaciendi. Sanchez n. 17. Bonac. n. 21. Castropal. n. 14. Ratio est: quia similia obligant ad modum præceptorum: ergo sicut præcepta, ut hactenùs vidimus, implentur sola operis injuncti voluntaria executione, ita & votum, juramentum, & obligatio pœnitentiæ. Quantùm ad votum tamen attinet, dissentit Suarez apud Castropal. loco cit. docens, eum, qui audit Missam nolens satisfacere voto, ex quo tenetur audire, sed intendens aliam audire, non satisfacere obligationi voti; eò quod hac ratione tacitè proroget, seu renovet votum; cùm obligatio voti ab ipso dependeat; adeoque pro libitu eam sibi de novo possit imponere. Verùm licèt hoc sit probabile, probabilius tamen videtur, talem voto satisfacere; præstat enim, quidquid vovit. Neque per illam voluntatem, qua tunc non satisfacere vult voto de novo facit votum, quamvis possit; sed solùm intendit prioti voto per aliud novum opus à se præstandum satisfacere. Sanchez n. 18. Castropal. loco cit.

ARTICULUS II.

Quibus actibus implendæ sint Leges?

SUMMARIUM.

1. Per actum etiam moraliter ma-lum obligatio legis impleri potest. 2. 3.

4. Qui jejunat, audit Missam &c. ob vanam

vanam gloriam &c. satisfacit obligationi legis aut præcepti. 5. Possunt per unicum actum impleri plures obligationes. 6. 7. Quæ doctrina declaratur exemplis. 8. Eadem tamen non procedit in materia justitiæ. 9. Quid de eo, qui eleemosynam ex voto debitam dat extremè indigenti? 10. Eodem tempore per diversos actus possunt impleri plura præcepta. 11. Illationes ex dictis.

1 TRia hìc breviter expediemus. Primum est, an per actum moraliter malum obligationi legis vel præcepti satisfieri possit? Secundum, an quis unico actu pluribus obligationibus possit satisfacere? Tertium, an quis per plures actus, qui exercentur eodem tempore, satisfacere possit pluribus legibus aut præceptis.

Dico primo. Potest per actum ex fine, vel alia circumstantia moraliter malum & vitiosum satisfieri obligationi legis vel præcepti. Ita contra S. Antonium, & Majorem relatos à Reding q. 16. a. 3. contr. 3. n. 9. communis sententia. Ratio est: quia sola substantia actus humani est materia legis, vel præcepti; non autem modus, nisi sit necessarius ad moralem bonitatem ejusdem actûs. Unde licèt actus reddatur ex modo vitiosus, adhuc retinet substantiam operis præcepti; atque adeò per ejus executionem impletur obligatio. Dixi, *nisi sit necessarius &c.* secùs enim non sola substantia, sed etiam modus actionis humanæ præcipitur: veluti patet in præcepto audiendi Missam, annuæ Confessionis &c. ubi etiam præcipitur modus earum actionum, putà devotio, attentio, dolor internus &c. Vide, quæ diximus in disp. præced. a. 3. à n. 20.

Inferes nunc primo, eum, qui jejunat ob vanam gloriam, audit Missam, ut videat, vel videatur libidinosè ab amica, implere præceptum & jejunandi, & audiendi Missam, quamvis hæc opera ex circumstantiis sint vitiosa & moraliter mala. Th. Sanchez lib. 1. Decal. c. 14. n. 1. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 9. n. 1. Castropal. tr. 3. disp. 1. pu. 28. n. 2. Azor. to. 1. lib. 7. cap. 6. q. 1. Salmantic. tr. 11. c. 2. n. 147. Reding n. 10. illsung tr. 1. disp. 2. a. 2. n. 36. Ratio est: quia prava circumstantia, per quam actio extrinsecè vitiatur, non obstat, quominùs illa retineat suam objectivam honestatem, quæ sola est objectum legis, vel præcepti. Econtra, qui recitat horas Canonicas sine attentione, audit Missam sine omni devotione interna; confitetur absque dolore, non satisfacit. Vid. citt. Ratio est: qua devotio, attentio, dolor sunt modi necessarii ad honestatem istarum actionum, atque de intrinseca ratione operum præcepto-

2

rum: ergo qui citra hos modos hìc operatur, non exequitur rem præceptam.

Inferes secundo, obligatum ex pœnitentia Sacramentali, voto, juramento ad largitionem eleemosynæ, vel auditionem Missæ, satisfacere voto, juramento, & pœnitentiæ, quamvis hæc opera exerceat ob vanam gloriam. Ratio est: quia similia, ut diximus artic. præced. n. 18. obligant instar legum, & præceptorum, adeoque ad solam substantiam actionis. Castropal. n. 4. & alii communiter. 3

Sed dices. Per actus religionis, qualis est votum, offertur utique res Deo grata. Quomodo ergo satisfieri potest ejusmodi obligationi per exhibitionem actûs peccaminosi, quo nihil apud Deum abominabilius? Deindè Confessarius injungit opus satisfactorium pro peccatis: sed actus vitiosus non est satisfactorius; ergo &c. Respondeo, per votum offerri Deo rem ex se gratam, ac honestam; item à Confessario injungi opus de se satisfactorium: fieri tamen interdum, ut talia extrinsecè vitientur ob pravam circumstantiam; quod non obstat, quominus obligationi utriusque satisfiat; quia adhuc retinent suam honestatem intrinsecam ex objecto, sub qua sola sunt materia voti, & pœnitentiæ. Nam finis extrinsecus utriusque, qui tunc non obtinetur, non cadit sub illas; sicut nec finis extrinsecus legis cadet sub legem, ut habet commune axioma. Alias, qui in die jejunii lautè & opiparè cœnaret, servatâ de cætero formâ jejunii, non satisfaceret legi Ecclesiasticæ; qui non procuraret finem ejus extrinsecum, qui est carnis macceratio: sed conseq. est omnino falsum; ergo &c. 4

Dico secundo. Possunt per unicum actum impleri simul plura præcepta, pluresque obligationes, quoties id voluntas præcipientis concedit. Sanchez ubi suprà n. 5. Bonac. n. 4. Salmantic. n. 149. Castropal. pu. 19 n. 1. ubi testatur, in hac sententia ferè omnes convenire. Et plane constat ex quotidiana praxi, obligatum ad horas Canonicas ratione ordinis & beneficii unica recitatione utrique obligationi satisfacere. Ratio desumitur ex voluntate Legislatoris, vel Superioris. Cùm enim obligatio legis vel præcepti ex illius intentione pendeat, neq; ultra eandem extendatur, si non intendat plures actus, sed concedat, ut uno actu pluribus obligationibus satisfiat, clarum est, ita posse satisfieri. Cæterùm quandonam Legislator consentiat, ut pluribus obligationibus satisfiat uno actu, vel exigat, ut id præstetur per plures, colligi debet ex circumstantiis. Et quidem in casu dubio regulariter judicandum est, distinctis obligationibus non satisfieri nisi per 5

plures & distinctos actus: nam ita communiter velle solent Legislatores: interpretatio autem legis fieri debet ex communiter contingentibus. Sanchez loco cit. Castropal. n. 3.

6 Corollarium I. Si Dominica, & festum incidant in unam diem; non teneris audire duas Missas. Item, si vovisti jejunare in vigilia v. g. Pentecostes, uno jejunio implesne simul obligationem voti, & præcepti Ecclesiastici. Hæc certa sunt, patentque ex dictis & quotidiana praxi.

11. Cui Confessarius injunxit duo rosaria recitanda, si fecit votum illa quotidie recitandi, is non satisfacit præcepto Confessarii per unicam utriusque recitationem ex voto, sed tenetur recitare alia duo. Pariter, si Confessarius cuipiam imponeret absolutè duo jejunia v. g. is non satisfaceret obligationi inde contractæ, si jejunaret in duabus Vigiliis, aut feriis 4. temporum, quibus aliunde tenetur jejunare. Sanchez n. 6. Salmantic. n. 151. Castropal. n. 4. & alii. Ratio est: quia Confessarius, nisi vel ipse aliud exprimat, vel suadeant circumstantiæ, præsumendus est obligare ad opus aliunde non debitum, utpote magis satisfactorium.

7 III. Quòdsi Confessarius dicat, singulis diebus hujus mensis audito Missam non tantùm Ecclesiæ, sed etiam Confessarii præcepto satisfacis, quamvis diebus festivis tunc incidentibus unam solùm Missam audias, Sanchez, Castropal. Salmantic. locis citt. Bonac. ubi suprà n. 7. Ratio est: quia rationabiliter præsumitur, Confessarium te non obligâsse ad duas Missas die festo audiendas, nisi hoc ipsum expresserit; cùm sit grave onus vel ex eo capite, quòd sit alligatum diei, imò certæ parti diei, ita ut non possis, quando placuerit, satisfacere, sicut aliis obligationibus.

8 IV. In materia justitiæ non potest unico actu satisfieri diversis obligationibus. Unde Cajus, si Titio debet centum ex contractu v. g. & iterum centum ex injusta damnificatione, non satisfacit utrique obligationi numerando semel centum. Ratio est: tum, quia eadem res pluribus justitiæ titulis deberi non potest. Quando enim rem per translationem juris jam feci esse alterius titulo v. g. donationis, non est amplius in mea potestate eam facere ipsius ex alio titulo justitiæ. Tum ex discrimine inter debita realia justitiæ, & legalia, ut voti, pœnitentiæ &c. quia in illis attenditur æqualitas rei ad rem: quæ sanè æqualitas non salvatur per solutionem unicam: quis enim dicat semel centum esse æquale debitis pluries centum? in debitis verò legalibus spectatur intentio Legislatoris, ac præcipientis, qua is unum, idemque opus pro pluribus obligationibus implendis acceptare & potest & solet. Vid. Sanchez n. 5. Castropal n. 1. Bonac. n. 4. Reding, ubi suprà n. 13. Illsung n. 35.

9 V. Qui ex voto, vel præcepto Confessarii dare tenetur eleemosynam, eamque dat extremè indigenti, probabilius & voto, & obligationi pœnitentiæ satisfacit. Sanchez n. 6. & aliis relatis Castropal. n. 8. Ratio est: quia in tali casu non urget præceptum misericordiæ; adeoque datur una solùm obligatio vel voti, vel pœnitentiæ. Nam obligatio misericordiæ non est absoluta, sed hypothetica, 1
sive ex suppositione, quòd non possimus aliâ viâ indigentis necessitati subvenire: atqui in casu nostro potest indigentis necessitati alia ratione subveniri, videlicet eleemosynâ debitâ ex voto, vel præcepto confessarii; & consequenter non debetur ex præcepto misericordiæ alia distincta eleemosyna. Confirmatur. Debitor bonorum incertorum, & pauperibus ex justitia restituendorum satisfacit obligationi justitiæ ea dandò extremè indigenti: ergo similiter, qui debet pauperibus ex voto, vel pœnitentia, satisfacit voto vel pœnitentiæ dandò rem debitam supremè indigenti. Pariter, qui simili pauperi tantum pecuniæ daret mutuum, quantum tenebatur dare ex misericordia, ad nihil teneretur amplius ex præcepto misericordiæ: ergo etiam, qui dat rem debitam ex voto, vel pœnitentia, non obligatur ad dandum quid ulteriùs ex præcepto misericordiæ: & consequenter obligatio misericordiæ (utpote hîc nulla) non obstat impletioni voti, vel pœnitentiæ; ut volunt Medina, Suarez, & alii apud Castropal n. 7. Vid. Sanchez loco cit. Ratio dictorum jam est reddita: quia nempe præceptum misericordiæ non obligat, quando pauperibus aliis modis succurritur.

Dico nunc tertio. Potest quis eodem 10
tempore per diversos actus implere plura præcepta, quando unus actus non impedit alium. Ita communis sententia. Ratio est: quia ille implet præceptum, qui præstat rem præceptam: sed potest quis eodem tempore per diversos actus, dum unus non impedit alium, præstare res pluribus præceptis præceptas; ergo potest eodem tempore per plures actus implere plura præcepta. mi. inde prob. quòd in præceptis quoad executionem compossibilibus nullibi præscribatur diversitas temporum. Atque hinc

Sequitur primo, te posse eodem tempo- 11
re audire Missam in festo præceptam, & simul recitare horas Canonicas, atque adeò duobus præceptis satisfacere. Nam præstas eodem tempore diversa opera præcepta distinctis præceptis, quorum neutrum impedit alterum. Bonac. ubi suprà n. 8. Castropal pu. 20. Reding n. 16. Sequitur secundo, eum, qui teneatur audire duas Missas, aut etiam tres, posse

illas

illas simul audire, quando eodem tempore celebrantur in duobus, vel tribus altaribus. Sanchez num. 12. aliique ab ipso relati.

ARTICULUS III.

Quænam excusent à transgressione legis, vel præcepti.

QUatuor potissimum causæ existunt, ob quas à transgressione legis, vel præcepti quis solet excusari; videlicet ignorantia, metus, impotentia, & dispensatio. De metu & ignorantia jam satis dictum est in priori tract. disp. 1. a. 3. §. 2. 4. & 5. Quare supereſt, ut de impotentia & dispentatione hic breviter agamus.

§. Unicus.

An, & quomodo excuset impotentia?

SUMMARIUM.

1. *Impotentia alia est physica, alia moralis.* 2. *Quid sit res individua, quid dividua?* 3. *In materia præcepti quædam se habent accidentaliter.* 4. *Impotentia non tantum Physica, sed etiam moralis excusat à transgressione legis.* 5. *Teneris servare principale, si non possis accidentale, rei præceptæ.* 6. 7. *Quid de impotentia servandi præceptum circa rem individuam?* 8. *Quid itidem circa rem dividuam?* 9. 10. 11. *Corollaria dictorum.* 12. *Quo sensu accipiendum sit illud:* Major pars trahit ad se minorem.

1 NOtandum est primo, impotentiam implendi legem aliam esse physicam, aliam moralem. Physica est, quando quis opus lege præceptum nullo modo exequi potest. Ita detentus in carcere habet physicam impotentiam audiendi Missam: cæcus habet physicam impotentiam recitandi horas Canonicas. Impotentia moralis est, quando quis absolutè quidem potest implere legem, non tamen absque gravi incommodo: veluti contingit, dum quis in die festo non potest interesse Missæ absque periculo gravis damni proprii, vel alieni, infamiæ, morbi &c.

2 Notandum est secundo ex Th. Sanchez 1. decal. c. 19. n. 4. legem, vel præceptum posse versari vel circa rem individuam, vel dividuam. Res individua dicitur, quæ commodè dividi non potest, aut solet; nec in ejus parte salvatur substantia præcepti. Exemplum est in præcepto jejunii unius diei, vel auditionis Missæ uno die: nam si partem aliquam substantialem de materia istorum præceptorum auferas, in reliquis non amplius servari potest eorum substantia. Econtra res dividua illa dicitur, quæ commodè potest, ac solet dividi, ratioque præcepti, sive substantia illius non minùs salvatur in parte, quàm in toto; nec una pars pendet ab altera. Exemplum habes in præcepto septem horas Canonicas quotidie recitandi; item in præcepto jejunandi per totam Quadragesimam: nam in qualibet hora Canonica, & in qualibet die Quadragesimæ subsistit ratio præcepti Ecclesiastici: quia recitatio singularum horarum, & jejunium singulorum dierum est quid dividuum ab aliis ac independens.

3 Notandum est tertio, quædam in materia præcepti se posse habere accidentaliter, quibus ablatis neutiquam tollatur principale. Exemplum est in sacrificio Missæ, ubi illa, quæ à Consecratione usque ad Communionem à Sacerdote peraguntur, necessaria & substantialia censentur; cætera verò sunt accidentariò connexa, eisque ablatis adhuc subsistit substantia sacrificii. Nunc

4 Dico primo. Impotentia implendi legem, vel præceptum, sive physica sit, sive moralis, excusat à transgressione ejusdem, id est, à peccato. Ita omnes. Ratio est aperta: quia ad impossibile nemo tenetur: & impossibilium non est obligatio. *l. Impossibilium.* Quare illud solum hìc in dubium præcipuè vocatur, an, qui non potest legem aut præceptum implere totum, teneatur implere quoad partem? De quo

5 Dico secundo. Qui non potest in re præcepta servare id, quod est accidentale, tenetur nihilominùs servare principale, si possit. V. G. qui die festo venit ad Missam in eo loco unicam, cùm cœpta jam est præfatio, tenetur audire Missæ reliquum. Sanchez n. 6. Laym. tr. 4. c. 19. n. 5. Ratio est: quia principale non trahitur ab accessorio. Et licèt ejusmodi præceptum quoad substantialia materiæ fortè sit individuum, quoad accidentalia tamen est dividuum, ita ut ab illis separatum adhuc censeatur mortaliter integrum.

6 Dico tertio. Quando præceptum est circa rem individuam, tunc excusatus à parte illius substantiali etiam excusatur à servando toto. V. G. qui prævidet in die jejunii, sibi post meridiem esse duplicem refectionem capiendam, is etiam jentare manè licitè potest. Item qui nequit, adeo-

adeoque non tenetur recitare partem substantialem rosarii, quod vovit, etiam non tenetur recitare reliquum. Sanchez, Laym. citt. Bonac. disp. 2. q. 8. pu. 1. n. 6. Desiderius Schapperger in spec. Theol. cap. 1. n. 5. Ratio est? quia impletio præcepti de re individua respicit indivisibiliter totum: adeoque præstari non potest nisi in toto: atqui, dum quis excusatur à parte substantiali, impletio præcepti non amplius præstari potest in toto; ergo nullo modo præstari potest.

7 Quòdsi pars rei præceptæ, quam exequi non potes, ita sit modica, ut eâ scienter neglectâ adhuc censearis implere præceptum moraliter integrè, si præstes reliquum, præstare teneberis. Habe exemplum. Cajus jejunare non potest, nisi manè frustillum panis, vel modicum quid offæ comedat. Is revera, si certò existimet, sibi stomachum esse tam fortem, ut per reliquum diei possit perferre jejunium, jejunare tenebitur. Quia à panis frustillo, vel modica offa abstinere vel ideo pars exigua præcepti jejunii est, quòd tale quid culpabiliter comedens, atque de cætero abstinens, non debeat argui peccati mortalis. Cùm itaque Cajus in re modica solùm non servet præceptum jejunii, nihil obstat, quominùs illud adhuc impleri possit quoad substantiam: consequenter sic tenetur implere. Laym. n. 6.

8 Dico quarto. Quando præceptum est circa rem dividuam, tunc ille, qui nequit servare unam partem, tenetur servare alteram. Laym. n. 7. Schapperger loco cit. Ratio est: quia cum impotentia servandi unam partem rei tali præceptô præscriptæ stat potentia illud servandi quoad substantiam: quippe cujus tota ratio adhuc saluatur in alia parte: hîc enim *utile per inutile non vitiatur*: cùm separari possit ab utili. Clariora fient, quæ diximus hucusque, in exemplis mox subiiciendis.

9 Corollarium I. Qui vel culpabiliter anticipiat, vel ob justam causam debet anticipare prandium in die jejunii, tenetur postea nihilominùs jejunare per reliquum diem, si potest. Ratio est: quia temporis determinatio circa sumendum prandium sub meridiem, vel hora ante meridiem est accidentale tantùm & secundarium requisitum ad formam jejunii: quo proinde ablato non tollitur potentia implendi præceptum quoad substantiam. Sanchez loco cit. Laym. n. 5.

10 II. Obligatus ex voto, vel præcepto ad visitanda limina Apostolorum v. g. si sciat, se illo pervenire non posse, non tenetur ad partem itineris, quam potest conficere. Similiter, siquis amisit breviarium, tametsi omnes Psalmos matutini novem lectionum sciat memoriter, non tenetur eos recitare, quando nescit lectiones cum responsoriis. Laym. n. 6. Bonac. loco cit. Ratio est: quia in istis casibus pars præcepti, quæ non potest impleri, est substantialis, eaque ablata præcepto non potest satisfieri quoad substantiam. Aliud sentiendum est de matutino trium lectionum. In hoc enim tenens memoriter omnes Psalmos, & nesciens lectiones cum responsoriis non excusatur à recitatione Psalmorum. Ratio est quia hic pars, quæ nescitur, non censetur notabilis, & consequenter illius omissio non tollit moralem integritatem matutini.

11 III. Qui non potest recitare matutinum & laudes, tenetur nihilominùs recitare horas minores, si possit. Item, qui nequit in die jejunii abstinere à duplici refectione, debet tamen abstinere à carnibus, si possit. Rursus, qui non potest jejunare omnibus diebus Quadragesimæ, tenetur jejunare tot diebus, quot potest. Bonac. n. 7. Laym. n. 7. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 1. a. 6. n. 41. Schapperger n. 6. Ratio est: quia lex recitandi horas Canonicas respectu singularum horarum; item lex jejunii respectu singulorum dierum Quadragesimæ est dividua: nam in singulis horis ratio orationis Canonicæ, & in singulis diebus Quadragesimæ servari potest ratio jejunii Ecclesiastici. Similiter abstinentia à bina refectione, & abstinentia à carnibus sunt partes constitutivæ jejunii ab invicem dividuæ.

12 Dices major pars trahit ad se minorem, ut sonat commune principium: ergo, qui propter impotentiam excusatur à præstanda majore parte rei præceptæ, etiam excusatur à minore: & consequenter, qui non tenetur ad recitandam v. g. majorem partem breviarii, neque tenetur ad aliquam minorem. Respondeo, principium in Ant. adductum huc malè applicari, ut patet ex propositione 54. ab Innoc. XI. proscripta, quæ eodem nitebatur: nempe, *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit minorem.* Hæc enim regula procedit de majori parte personarum in aliquid communi consensu conspirantium, ut constat ex l. 19. ff. ad Municipalem, & ex cap. 1 *De his, quæ fiunt à majori parte Capituli*: & immeritò transfertur ad majorem partem objectorum: quia falsa est, quando materia, sive objectum alicujus obligationis est dividuum, ita ut in quavis ejusdem parte seorsim finis per obligationem intentus obtineri possit partialiter saltem, isque sic ab eadem exigatur; quemadmodùm solidè ostendit Illsung loco cit. & patet ad oculum in materia

materia justitiæ : qui enim debet mille, nec potest solvere nisi centum, vel quinquaginta, non excusatur à solutione centum, vel quinquaginta, licèt non possit solvere majorem partem debiti. Unde potiùs hîc locum habet illud : *Qui non potest solvere totum, quod debet, solvat, quod potest.* Quæ tamen propositio ut valeat, requiritur, ut pars præcepti, quam servare quis potest, sit ei certa : nam si certò quidem scias, te non posse jejunare per majorem partem Quadragesimæ, vel non posse recitare majorem partem officii Canonici, dubites autem, quot diebus jejunare, vel quantum horarum recitare possis, tunc ab observatione præcepti penitus excusaris, & neque recitare quid est ex breviario, neque jejunare in aliquo die Quadragesimæ teneris. Ratio est : quia propter ejusmodi dubium non potest obligatio dividi, quin ampla perplexitatibus ac scrupulis via pandatur. Vid. Laym. & Illsung locis citt.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo excuset Dispensatio?

HÆc quæstio plura involuit ad nostrum institutum pertinentia, quæ breviter per aliquot paragraphos explicabimus. Primum est, quid, & quotuplex sit dispensatio? Secundum, à quo? Tertium, quibus imperiri possit? Quartum, an, cessante causa dispensationis, & ipsa cesset;

§. I.

Quid, & quotuplex sit Dispensatio?

SUMMARIUM.

1. *Varia acceptio Dispensationis.* 2. *Definitio Dispensationis.* 3. *Differentiæ ejusdem ab Absolutione, Indulgentia, Licentia, & Privilegio.* 4. *Quomodo Dispensatio se habeat erga Abrogationem & Derogationem Legis.* 5. *Improbatur communis quædam definitio Dispensationis.* 6. *Divisio dispensationis in totalem & partialem.* 7. *In tacitam & expressam.* 8. 9. *Notabilia circa Dispensationem tacitam.* 10. *Alia Divisio Dispensationis in directam & in indirectam.*

1 NOmen *dispensatio* ex primaria institutione distributionem, seu administrationem significat. Dispensator enim, cujus actus est dispensatio, in Latini Sermonis proprietate pro administratore domûs vel familiæ accipitur, quæ acceptio etiam in S. Script. veteris Testamenti non infrequens est, ut Genes. 43. & 44. & 3. Reg. 18. In novo autem Testamento hæc vox translata est ad significandam distributionem munerum, actionum, ac bonorum spiritualium. Atque sic Apostoli, eorumque successores 1. Cor. 4. & 1. Petri 4. dicuntur dispensatores mysteriorum Dei. Distributio quoque indulgentiarum dicitur dispensatio thesauri in Extrauag. *Unigenitus de pœnit. & remiss.* Immò etiam prædicatio Evangelii dicitur dispensatio, ut ex 1. Cor. 9. constat. Nunc autem ulteriùs dispensatio tam à Juris peritis, quàm à Theologis usurpatur pro actu, quo quis ab obligatione legis eximitur. In quo sensu, qui est unicè hujus loci, de illa

Dico primo. Dispensatio rectè defi- 3
nitur *juris alicujus relaxatio.* Ita Suarez lib. 6. de Leg. cap. 11. n. 7. Castropal. tract. 3. disp. 6. pu. 1. & alii ab utroque relati. Placet hæc brevis & rotunda definitio: quia aptiùs, quàm quævis alia, videtur explicare suum definitum. In illa *relaxatio* ponitur loco generis: quia dispensatio in eo, quòd sit relaxatio, convenit cum absolutione à censuris, indulgentia Ecclesiastica, & quavis alia relaxatione alicujus vinculi. Cæteræ particulæ obtinent rationem differentiæ, perque illas

Differt dispensatio primo ab absolu- 2
tione à peccatis & censuris: quia absolutio non datur contra jus, sicut dispensatio; sed secundùm jus; adeoque nullum jus per illam relaxatur. Differt secundo ab indulgentia Ecclesiastica: quæ quidem est relaxatio alicujus vinculi & reatûs, non tamen juris: nam & ipsa non est contra, sed secundùm jus; quia non solet concedi nisi implentibus certas conditiones jure Ecclesiastico præscriptas. Differt tertio à simplici licentia seu facultate; quia per hanc revera non solvitur obligatio; sed conceditur operatio, ut exerceatur juxta modum à lege præscriptum: v. g. conceditur Religioso, ut egrediatur ex suo monasterio, ingrediatur Monasterium Monialium; donet quid alteri, haud sanè, ut hac ratione eximatur ab obligatione legis prohibentis; sed ut similia faciat juxta tenorem & rigorem legis. Itaque per facultatem non tollitur per se obligatio, sed impletur potiùs. Differt quarto à privilegio: quia istud, quemadmodum non semper est contra jus, ita non est semper relaxatio juris: dispensatio autem est semper contra jus, ut pote *vulnus contra integritatem severitatis*, ut vocat S. Augustinus in cap. *ipsa pietas*, 23. q. 4. Quòd si privilegium fuerit con-

contrarium juri, idem erit, quod dispensatio. Vid. præter Authores citt. Laym. tr. 4. cap. 22. n. 1. Salmantic. tract. 11 cap. 5. n. 6. & 7. & alii. Ex dictis

4 Colligitur jam primo, dispensationem nequidem in genere proximo convenire cum abrogatione, & derogatione legis. Ratio est: quia abrogatio & derogatio sunt ablatio, seu cassatio legis, illa ex toto, ista ex parte; adeòque non sunt relaxatio tantùm, sicut dispensatio: quia relaxatio significat, vinculum legis per dispensationem non tolli, sed laxari, ac remitti tantùm, ita ut rigor ejus mitigetur, aut suspendatur; vigor autem retineatur. Suarez n. 12. Castropal. n. 7.

5 Colligitur secundo, quid sentiendum sit de communi illa definitione dispensationis, nempe, est *relaxatio juris communis cum causæ cognitione, facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi.* Nam inprimis dispensatio cadere potest non in solum jus commune, sed etiam in statuta, ac leges alias quascunque, licèt in jure communi non comprehendantur. Deinde, ad validam ac veram dispensationem non semper requiri cognitionem causæ, postea videbimus: quare in ejus definitione non sunt ponendæ particulæ, *cum causæ cognitione.* Demum, neque illa verba sunt addenda: *facta ab eo, &c.* quia id totum, quod significant, jam satis intelligitur ex particula *relaxatio.* Si enim relaxatio non fiat ab habente potestatem, eo ipso non erit relaxatio. Accedit, quòd non sit major ratio exprimendi in definitione dispensationis causam efficientem, quàm materialem, & conditiones ad ejus valorem requisitas: sed istæ non exprimuntur; ergo nec illa videtur exprimenda. Suarez n. 7. Castropal. n. 2. Nunc autem

6 Dico secundo. Dispensatio dividitur primo in totalem, & partialem. Prior est, qua tota legis obligatio relaxatur; veluti contingit, dum in lege dispensatur tam quoad culpam, quam quoad pœnam: Posterior est, qua legis obligatio ex parte solùm relaxatur. Talis dispensatio est illa, qua remittitur obligatio ad pœnam, & non ad culpam; vel ad culpam & non ad pœnam. Simile exemplum est in irregularitate, dum quis dispensatur ad Ordines minores, non ad majores; vel ad unum beneficium, non ad aliud recipiendum. Salmantic. n. 8. Paulus Mezger tr. 8. disp. 36. a. 4. n. 3.

7 Dico tertio. Dispensatio dividitur secundo, & celebriori divisione in tacitam, & expressam. Expressa est, quæ exhibetur signis evidentibus, cujusmodi sunt verba voluntatem dispensantis sufficienter manifestantia, quorum tamen nulla habentur in jure determinata, neque opus est ad valorem dispensationis, ut impertiatur in scripto, nisi id ipsum in jure expressè statuatur. Tacita dispensatio est, quæ ex obscurioribus signis, putà facto, vel actione aliqua habentis potestatem dispensandi colligitur. Exemplum talis dispensationis est, si Episcopus, aut Prælatus Religiosus subdito irregulari, quem scit esse irregularem, det litteras dimissorias ad Ordines suscipiendos, vel concedat, ut confessiones excipiat. cùm enim similia à tali subdito exerceri non possint, sine dispensatione, nec præsumendum sit, Superiorem præcipere, vel concedere quid illicitum, jurique repugnans, tacitè dispensare in irregularitate meritò censetur. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 4. à n. 2. Castropal. loco cit. Laym. n. 7. Mezger n. 4.

8 De hac tamen tacita dispensatione notandum est primo ex communi DD. sententia, ad eam non sufficere voluntatem præsumptam, vel ratihabitionem Superioris de futuro. Ratio est: quia voluntas Superioris per dispensationem à lege quemquam eximentis est præsens, vel antecedens actum, & non solùm talis, quæ erit, vel esset. Confirmatur. Ad obligationem legis imponendam non sufficit voluntas Superioris futura, vel conditionata, qua vellet obligare, si sciret hoc aut illud: ergo etiam ad relaxandam obligationem legis non sufficit ejusmodi voluntas. Itaque, ut quis in gradu prohibito legitimè contrahat cum consanguinea, non sufficit, quòd præsumat, Pontificem dispensaturum. Similiter, ut Sacerdos jurisdictione carens absolvat à peccatis, non sufficit, quòd prudenter credat, Episcopum collaturum jurisdictionem, si causas facti sciret; vel illud ratihabiturum, si sciret. Salmantic. n. 12. Neque dicas: ad licentiam Superioris, ut subditus v. g. Religiosus excusetur à transgressione voti paupertatis in usu rei temporalis, sufficit voluntas Superioris præsumpta, aut ratihabitio de futuro: ergo hæc eadem sufficiunt ad dispensationem tacitam. Respondeo namque neg. conseq. & paritatem: quia simplex licentia, ut constat ex num. 3. non est contraria, sed potiùs favorabilis legi; adeòque non restringi, sed potiùs extendi meretur, ut valeat cum voluntate Superioris etiam præsumpta, vel ratihabitione futura. Jam verò dispensatio, ceu vulneratio juris, est contraria legi, & consequenter strictæ interpretationis de voluntate Superioris præsente tantùm, & actualiter existente in illo.

9 Notandum est secundo, probabiliùs tacitè dispensare Superiorem, quando videt subditum agere quid lege prohibitum, & non contradicit, licèt facilè possit. San-

chez

chez n. 26. Suarez lib. 6. de Leg. cap. 13. n. 21. Castropal. disp. 6. pu. 12. num. 3. Salmanticenses ubi suprà n. 15. & alii. Ratio est: tum, quia regulam 43. in 6. qui tacet, consentire videtur: quod vel maximè procedit, si ex officio loqui tenetur, nisi consentiat. tum, quia Superiori ex officio incumbit impedire peccatum subditi, si facilè possit ita ut graviter delinquat non impediendò. Atqui non potest, si tacet, aliter impedire peccatum, nisi dispensandò. consequenter, ne grave in ipso delictum præsumatur, dispensare censendus est.

Objicies. Ex silentio & dissimulatione Superioris plus non colligitur, quàm ipsum permissivè se habere: sed Superiorem permissivè se habere circa actionem subditi non est dispensare; quia ad dispensationem non sufficit voluntas permissiva, sed requiritur positiva; cùm sit positiva concessio alicujus beneficii. Respondeo, maj. esse veram, quando Superior non potest facilè corrigere subditum contradicendò, aut retrahere per positivam resistentiam à transgressione legis. tunc enim ideò solùm tacet, vel dissimulat, ut alia incommodá, quæ ex correctionis difficultate sequerentur, evitet: adeoque permissivè solùm se habet. Cæterum facultas facilè & absque incommodo corrigendi subditum, ejusque peccatum impediendi in tali casu, dum non probatur, neutiquam præsumi debet; sed potiùs præsumendum est Superiorem permittere tantùm, non positivè concedere factum: tunc enim Superiores sæpius permittere solent, quàm concedere, idque ob frequens periculum ne subitanea correctio aut contradictio subditos exasperet, atque insolentiores efficiat; sicque plus damni, quàm commodi afferat.

10 Dico quarto. Dispensatio dividitur tertio in directam, sive immediatam, & in indirectam, seu mediatam. Directa est, quam Legislator impertit subditis. Indirecta est, quia idem seipsum eximit ab obligatione legis: quod duobus modis contingit: primo, quando totam communitatem eximit à lege, v. g. jejunii, vel festi: tunc enim hoc ipso ad observantiam suæ legis à lege naturali non ampliùs obligatur pro illo casu. Secundo, quando alteri, v. g. Confessario, dat facultatem dispensandi circa suam personam. Vid. Mezger ubi suprà n. 5.

§. II.

A quibus dispensari possit?

SUMMARIUM.

11. *Potestas dispensandi alia ordinaria, alia delegata.* 12. *Omni Legislatori competit potestas dispensandi in sua Lege.* 13. 14. 15. *Sequelæ ex dictis.* 16. *Extra casus exceptos Prælatus inferior non potest dispensare in Lege Superioris.* 17. *Solvitur Objectio.* 18. 19. *Duplex illatio.* 20. *Casus excepti, quorum in num.* 16. *Facta est mentio.* 21. *Dispensatio impertita sine justa causa valida quidem est, non tamen licita.* 22. *Quale peccatum sit dispensare sine justa causa.* 23. *Dispensatio inferioris in Lege Superioris sine justa causa invalida est & illicita mortaliter, si Lex graviter obliget.* 24. *Quomodo peccet subditus sine justa causa petens Dispensationem.*

11 POtestas dispensandi duplex est, nempe ordinaria, quæ convenit alicui ex vi sui muneris & officii; & delegata, quæ ex concessione habentis illam jure ordinario convenit. Potestas dispensandi purè delegata non potest subdelegari ab habente illam; quia ipse talem potestatem dispensandi non accepit ut dominus, seu principalis, sed potiùs ut minister & executor habentis potestatem ordinariam. cujus tamen doctrinæ limitationes, vide apud Salmanticenses, tract. 11. de Leg. cap. 4. num. 52.

12 Dico nunc primo. Omnis Legislator potest in lege à se lata dispensare. Ita communiter DD. Ratio est, quia obligatio legis dependet à voluntate Legislatoris. Ergo sicut ex ejus voluntate vigorem obtinet respectu omnium, ita etiam potest amittere respectu alicujus. nam per easdem causas quid dissolvitur, per quas ponitur, sive instituitur. Quod dictum est de Legislatore, intelligi debet etiam de ejus tum Successore, tum Superiore. Nam ille reputatur eadem persona cum Legislatore, inque eandem potestatem succedit. hic autem habet jurisdictionem altiorem, cui subordinatur jurisdictio Legislatoris tanquam inferioris. Ex statuta nunc generali regula.

13 Sequitur primo, Summum Pontificem dispensare posse non tantùm in legibus à se latis, sed etiam in legibus tam Conciliorum Generalium, quàm aliorum Pontificum Antecessorum. Castropal. tract. 3. disp. 6. pu. 4. num. 2. Salmanticenses, tract. 11. cap. 5. num. 30. Ratio primi est: quia obligatio legis dependet à voluntate Legislatoris; estque ejusdem potestatis ligare & solvere per cap. *Inferior.* dist. 21. & cap. *Cùm inferior*, de Majorit. &

Obed. Ratio secundi est quia Summus Pontifex comparatur ad illa Concilia ut caput & Superior. Ratio tertii est: quia idem tanquam Successor habet eandem authoritatem, quam habebant Pontifices antecedentes.

14 Sequitur secundo, Summum Pontificem posse dispensare in qualibet lege humana lata ab Apostolis, v. g. in lege præscribente jejunium Quadragesimale; observationem diei Dominicæ? item in lege prohibente ordinari bigamum, &c. D. Thomas Quod lib. 4. a. 13. Suarez de Leg. lib. 6. cap. 14. Bonac. de Leg. disp. 1. q. 2. pu. 1. n. 8. Castropal. Salmantic. locis citt. Ratio est: quia Summus Pontifex in potestate jurisdictionis neque Petro, cujus est Successor; neque cæteris Apostolis est inferior, licèt eisdem in aliis prærogativis & gratiis cedere supponatur.

15 Sequitur tertio, Episcopum, vel Archiepiscopum posse dispensare in omnibus legibus Synodi Diœcesanæ. Suarez de Leg. lib. 6. cap. 15. n. 8. Bonac n. 5. & alii. Ratio est: quia ejusmodi leges, & constitutiones dependent à solo Episcopo tanquam Superiore & Legislatore, nam cæteri Sacerdotes & Clerici non adsunt in Synodo, ut ipsi aliquid auctoritativè statuant, & decidant, sed ut res adhibitô eorum consiliô accuratiùs ac suaviùs ordinentur. Atque hinc Episcopus legibus Synodalibus non adstringitur quoad vim coactivam. Advertit etiam Castropal. n. 3. Episcopum nondum consecratum, modo electus sit, & confirmatus, in illis legibus posse dispensare, quia potestas dispensandi non est potestas ordinis, sed jurisdictionis.

16 Dico secundo. Prælatus inferior in lege Superioris, quamvis ab hoc non expresse prohibeatur, aut reservetur dispensatio, jure ordinario dispensare non potest, exceptis casibus, quos postea referemus. Ita probabilior & communior sententia contra S. Antonin. Sotum, Covarruviam, & alios docentes, Prælatum inferiorem posse dispensare in lege Superioris, quoties ea dispensatio non est reservata, aut interdicta. Ratio est: quia inferior non potest mutare jura Superioris, nisi ei tacitè, vel expresse concedatur ab ipso talis potestas; quemadmodùm habetur in cit. cap. *Cùm inferior* & Clement. *Ne Romani. de elect. & electi potest.* Atqui inferior posset mutare jura Superioris, si dispensare posset in ejus legibus; ergo, &c.

17 Objicies. Quidquid Papa potest in tota Ecclesia, id potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi per Sacros Canones, vel ab ipso Papa prohibeatur; quemadmodum colligitur ex cap. *Nuper. 29. de sentent. Excom.* Quando proinde non limitatur jurisdictio Episcopi, extendere se potest ad omnes casus, etiam Papales.

Confirmatur. Legislator Superior sæpe reservat dispensationem in lege à se lata: quoties ergo non reservat, signum est, quòd dispensationem in illa relinquat arbitrio inferioris. ad quid enim alias reservaret, si etiam tunc, quando non reservaret, aut prohiberet, eam nollet impertiri ab inferiore?

Respondeo ad object. cum P. Illsung, illud axioma non esse universaliter verum, ac præsertim hoc loco malè applicari; cum sensus ejus legitimus solùm sit, quod in illis, quæ non sunt juris communis, & majoris momenti, idem possit Episcopus in sua Diœcesi, quod Papa in tota Ecclesia. Neque evincitur aliquid ex cit. cap, *Nuper.* quia ibi sermo est de facultate absolvendi ab Excommunicatione Episcopis concessâ, quando non est reservata; à qua facultate vel ideo maximè non rectè sumitur argumentum ad facultatem dispensandi, quòd per dispensationem vulneretur ipsum jus Superioris quatenus obligatorium subditi; per absolutionem econtra tollatur solùm aliquis reatus merè personalis ad pœnam luendam. Vid. Reding, q. 17. a 2. contr. 1. num. 4.

Ad Confirmat. respondetur, Superiorem Legislatorem nihilominùs dispensationem in suis legibus sibi reservare non frustra: quia hoc facit, tum ad majorem cautelam, ut inferior tantò minùs præsumat dispensare in illis legibus: tum, ut magis declaret voluntatis suæ efficaciam: tum ut easdem leges à potestate generali dispensandi fortè alicui inferiori concessâ per specialem reservationem iterum extrahat, sibique soli vendicet relaxandas. Illsung. tr. 1. disp. 2. a. 4. n. 46.

Ex dictis 18 infertur, neque Episcopum; neque Archiepiscopum posse dispensare in lege Concilii Provincialis pro tota Provincia. Suarez lib. cit. cap. 15. num. 4. & 5. Sanchez de matrim. disp. 17. à num. 35. Castropal. disp. cit. pu. 4. num. 10. & 11. Salmanticenses ubi suprà num. 34. Reding num. 5. & alii. Ratio est: quia tam Archiepiscopus, quàm quilibet Episcopus est inferior Concilio Provinciali; in quo votum decisivum competit omnibus Prælatis congregatis. Neque dicas, Archiepiscopum esse caput Concilii Provincialis: licèt enim sit caput quoad jus illud congregandi, ac præsidendi, non tamen est caput quoad jurisdictionem. Atque hinc etiam ab Archiepiscopo datur appellatio ad Synodum Provincialem tanquam ab inferiore ad Superiorem, tenenturque ejus legi-

legibus ex vi coactiva tam ipse, quam cæteri Episcopi. Dixi autem, *pro tota provincia.* Nam in sua Diœcesi possunt dispensare in ejusmodi legibus, nisi sint specialiter reservatæ. Suarez. n. 4. cit. Salmantic. n. 33. ubi testantur, sic obtinere consuetudinem legitimè introductam.

19 Infertur ulteriùs, Summum Pontificem non posse dispensare in Canonibus Apostolorum, quos iidem à Christo Auctore acceptos tanquam ministri promulgârunt Ecclesiæ: v. g. de Baptismo parvulorum, Confirmatione Baptizatorum, cultu & veneratione Sacrarum Imaginum, invocatione Sanctorum Cœlitum, perpetua Virginitate Deiparæ, indissolubilitate vinculi Matrimonii, suffragiis mortuorum, aliisque pluribus. Ratio est: quia ejusmodi canones sunt juris Divini, in quo Papa, tanquam inferior, dispensare non potest. Azor. to. 1. lib. 5. cap. 15. q. 4. Laym. tract. 4. cap. 22. num. 3. Salmanticenses num. 30. & Theologi communiter.

20 Sed jam ad casus exceptos, in quibus Prælatis inferioribus competit potestas dispensandi in legibus Superioris, convertimur. Primus est, si lex feratur verbis expressè concedentibus potestatem dispensandi Prælatis inferioribus. Secundus, si verba legis tacitè concedant ejusmodi potestatem: veluti contingit, dum in lege impersonaliter dicitur, dispensari posse. hæc enim verba, nisi referantur ad inferiorem, inutiliter, & sine effectu adduntur: cùm Superiori aliunde, & per se conveniat potestas dispensandi. Tertius, si materia, circa quam lex versatur, sit levis: quia in levibus semper ad Superiorem recurrere plusquàm molestum esset. Quartus, si casus, in quibus dispensandum est in lege, frequenter occurrant. Nam & hîc militat ratio primùm reddita. Atque hinc Episcopi dispensare possunt tum in votis & juramentis Summo Pontifici non reservatis, tum in præceptis Ecclesiæ. Imò propter frequentem necessitatem & impotentiam adeundi Episcopum etiam Parochi, non quidem jure ordinario, sed ex privilegio, vel consuetudine, dispensare possunt in legibus jejunii, & celebrationis Festorum. Quintus est secundùm aliquos apud P. Illsung, quando lex non est lata pro tota Ecclesia, sed pro una tantùm provincia, vel Diœcesi. Sicut enim tunc lex, inquiunt, non est universalis, ita neque ad universalem & supremum Legislatorem pro dispensatione est recurrendum. Sextus est, quando sic urget necessitas, ut moram non patiatur, nec facilè conveniri possit supremus Legislator. Hoc tamen Laym. ubi suprà num. 4. ex communi DD. apud cit. Illsung negat procedere in legibus matrimonium dirimentibus nondum in facie Ecclesiæ contractum, sed primùm contrahendum. Affirmant autem Thomas, Sanchez, Vasquez, Salas, Gaspar Hurtado, Pontius, quos ex Castropal. id ipsum tenente refert, & sequitur cùm Joan. de Cardenas in Crisi Theol. parte 1. disp. 57. cap. 3. a. 1. idem Illsung tract. 1. disp. 2. a. 4. num. 47. Septimus est, quando inferior per consuetudinem legitimè præscriptam obtinuit facultatem aliquam dispensandi in quibusdam legibus Superioris. Octavus demum, quando dubitatur, an casus dispensatione indigeat, quanquam tunc declaratio legis potiùs, quàm dispensatio locum habere videtur. Vid. Castropal. ubi suprà pu. 5. Salmantic. à n. 37. Reding à n. 6. Illsung loco cit. Paulus Mezger tr. 8. disp. 36. a. 4. n. 9. qui n. 10. advertit cum aliis, potestatem in recensitis casibus dispensandi Prælatis inferioribus concessam non esse delegatam, sed ordinariam: cum sit annexa dignitati & officio; atque ideo & transeat in successores, & aliis delegari possit.

21 Dico jam tertio. Legislator, ejusve successor, vel æqualis in dignitate sine justa causa validè quidem, non tamen licitè dispensat in sua lege. Ita communis sententia quoad utramque partem concl. Ratio primæ est: quia vis & obligatio legis totaliter dependet à voluntate Legislatoris: ergo quemadmodùm posset legem non ferre, & latam penitus abrogare absque causa; vel ab initio statuere, ut hos aut illos non obligaret, ita poterit quemlibet pro libitu validè, nulla existente causa, per dispensationem ab illa eximere. Ratio secundæ est: quia ad legitimum usum potestatis legislativæ pertinet in pari causa opera & obligationes æqualiter distribuere, ne quasi per acceptionem personarum, favorisque inæqualis exhibitionem subjectio subditis onerosa, querelisque obnoxia gubernatio reddatur. Peccat igitur Legislator, quando absque rationabili causa dispensat in sua lege: quia agit contra rectam rationem.

22 Sed quale peccatum sit hujusmodi dispensatio, mortale, an veniale? non convenit inter DD. Esse mortale ex genere suo affirmant Suarez lib. 6. de Leg. cap. 18. n. 9. Reding q. 17. a. 2. contr. 3. à n. 6. Paulus Mezger n. 7. & alii ab his relati. Nititur hæc sententia inprimis Authoritate Concil. Trid. sess. 24. cap. 5. de Reform. ubi graviter prohibetur, ne dispensatio impertiatur sine causa. Nititur deinde hac ratione: quia ita dispensans agit contra justitiam commutativam, legalem, & distributivam. Contra primam; quia ex officio tenetur non impertire dispensationem imprudenter ac temerè. contra secundam; quia ejusmodi

dispensatio multum officit bono communi, ad quod leges ordinantur, contra tertiam; quia absque causa, & mere pro libitu alios ab onere legis eximere, alios sub illo relinquere est acceptio personarum. Atqui peccatum contra justitiam est ex genere suo mortale: ergo, etc.

Econtra esse peccatum veniale tantùm docent Thomas, Sanchez lib. 8. de matr. disp. 18. n. 7. Laym. tract. 4. cap. 22. n. 13. Castropal. disp. 6. pu. 8. §. 1. num. 5. Salmantic. n. 66. Illsung n. 52. & alii. Ratio est: quia Legislator in lege sua dispensans utitur jure suo, haud secùs, ac si quis prodigat suam pecuniam. ergo quemadmodùm peccatum prodigalitatis ex genere suo est veniale tantùm, ita etiam peccatum, quod est dispensatio sine causa. Ad authorit. Trid. respondent, eam prohibitionem procedere vel ex præsumptione gravium scandalorum, aliorumque inconvenientium ex dispensatione irrationabili orientium, de quibus postea; vel de dispensantibus sine causa in legibus Superioris, quos mortaliter peccare brevi videbimus. Ad rationem positivam respondent, Legislatorem teneri quidem ex officio non impertire eo modo dispensationem, non tamen sub peccato mortali, nisi gravia inde incommoda oritura prævideat. Negant præterea, talem dispensationem bono communi multùm officere per se loquendo. Concedunt denique, committi tunc acceptionem personarum; at negant illam esse peccatum plusquàm veniale, nisi gravis inde injuria inferatur alteri: qualis non infertur per se loquendo ex eo, quòd aliqui ab onere legis eximantur, alii non eximantur: v. g. quòd aliqui in Quadragesima non teneantur jejunare, alii teneantur. Cæterum gravia inconvenientia dispensationis justâ causâ destituta essent, si subditi, quibus impertiretur, inde occasionem sumerent legem gravitet contemnendi: item, si magna propterea in communitate oriretur offensio & animorum turbatio: qualis timenda esset in Ecclesia, si cum Sacerdote absque ulla causa in lege cœlibatûs v. g. dispensaretur. Vel, si communi onere, v. g. tributo vel obsequio aliquibus sine justâ causa remisso, alii plùs gravarentur, &c. Et hæc posterior sententia videtur probabilior quàm prior, quæ haud dubiè est valdè probabilis.

23 Dico quarto. Inferior absque justa causa in lege Superioris non tantùm invalidè dispensat, sed etiam mortaliter peccat, si lex obliget sub mortali, idque ipse sciat. Ita communis sententia. Conclusio procedit de casibus, in quibus juxta dicta n. 20. inferior potest dispensare in lege Superioris, sive hanc potestatem habeat ex delegatione, sive jure ordinario. Ratio primæ partis est: quia Superior non præsumitur inferiori dedisse potestatem in lege sua dispensandi, nisi sub conditione justæ causæ: consequenter nulla est ipsius dispensatio, si justâ & rationabili causâ destituatur. Ratio Secundæ partis est: tum, quia inferior tunc sibi usurpat jurisdictionem inconcessam. tum, quia subdito, cum quo dispensat, præbet occasionem transgrediendi legem, qua tenetur, & quidem sub gravi peccato.

His addendum est ex Laym. n. 12. Bonac. num. 16. Salmanticenses num. 72. 24
& aliis, etiam subditum peccare mortaliter, quando sciens non adesse justam causam dispensandi instanter postulat dispensationem in lege graviter obligante. Ratio est: quia cooperatur peccato mortali dispensantis. Imò docent Salmanticenses, mortaliter quoque peccare subditum, quando sciens non esse causam dispensandi petit dispensationem ab inferiore Prælato, qui bona fide existimat esse causam dispensandi. Ratio est: quia in materia gravi est graviter illicitum aliquem scienter inducere in peccatum etiam materialiter sumptum.

§. III.

Quibus impertiri possit beneficium dispensationis?

SUMMARIUM.

25. *Status Quæstionis.* 26. 27. *Prælatus secum ipso dispensare potest, nisi id expresse sit prohibitum.* 28. *Quatuor Corollaria.* 29. 30. *Ordinarius loci dispensare potest cum vagis, non tamen cum peregrinis.* 31. *An Archiepiscopus aliquando dispensare possit cum subditis suorum Suffraganeorum?* 32. *Episcopus non potest dispensare cum Religiosis exemptis.*

QUæstio non procedit de indirecta, sed 25
de directa dispensatione, de qua divisione dispensationis suprà in n. 10. diximus. Quæritur proinde primo, an Prælatus secum ipso possit directè dispensare? Secundo, an cum vagis & peregrinis? Tertio, an Archiepiscopus possit dispensare cum subditis suorum Suffragancorum? Quarto, quisnam dispensare possit cum Religiosis exemptis? Ad quæ ut singillatim respondeamus,

Dico primo. Omnis Prælatus, qui 26
habet potestatem dispensandi cum subditis, etiam secum ipso dispensare potest, nisi id expresse sit prohibitum. Ita probabilior sententia, quam tenent S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Suarez, & alii, quos refert & sequitur Reding, q. 17. a. 2.

contr.

contr. 2. num. 3. & videtur idem sentire D. Thomas in 2. 2. q. 185, a. 8. in fine corp. dicens, *Prælatos secum dispensare*, scilicet in observantiis quibusdam regularibus, ut ibi habet. Ratio est: quia non repugnat, aliquem in se ipsum exercere actum jurisdictionis purè voluntariæ: sed dispensatio est actus jurisdictionis purè voluntariæ; ergo. mi. constat: quia dispensatio neque est actus jurisdictionis coactivæ, neque contentiosæ, neque condemnativæ, aut absolutivæ per sententiam; adeòque est actus jurisdictionis purè voluntariæ. Maj. inde ostenditur, quod, licèt jurisdictio coactiva, contentiosa, aut per modum sententiæ exigat distinctionem personalem inter eum, qui illam exercet, & eum, circa quem exercetur (cùm nemo seipsum possit cogere; vel sibiipsi jus dicere tanquam parti & parti; vel in seipsum pronuntiare sententiam condemnando, aut absolvendo) ejusmodi tamen distinctionem non exigat jurisdictio purè voluntaria. Atque hinc Pontifex potest sibiipsi immediatè ac directè concedere indulgentias; quia hæc concessio est actus jurisdictionis voluntariæ.

27 Dixi autem, *nisi id expressè sit prohibitum*: sicut prohibitum est per Sacros Canones in materia ambitiosa & fraudibus subjecta: ut patet ex cap. *Per nostras, de jure Patronatûs.* & cap. fin. *de Institut.* ubi dicitur, eum, qui beneficium conferre potest, non posse seipsum instituere. Idem constat ex Clement. 2. *de reb. Eccl. non alienand.* ubi probatur unio alteri Ecclesiæ facta de consensu Episcopi & Capituli; secùs autem, si ipsi Capitulo facta fuerit unio; quia in proprio facto, ut ait Glossa, in materia ambitiosa nemo sibi jus dicere potest.

28 Ex dictis colligitur primo, conclusionem statutam non tantum de dispensatione in legibus, sed etiam de dispensatione in votis & juramentis procedere. Ratio est eadem: quia etiam dispensatio in votis & juramentis est actus jurisdictionis voluntariæ. Colligitur secundo, neminem posse seipsum absolvere à censuris, vel peccatis. Ratio est: quia absolutio est actus jurisdictionis vel contentiosæ, vel saltem per modum judicii & sententiæ. Colligitur tertio, neminem secum ipso posse dispensare in irregularitate contracta per sententiam. Ratio est: quia hæc non est propriè dispensatio, sed absolutio. Aliud est de irregularitatibus, quæ ipso jure incurruntur. nam licèt istis ligatus quis supponatur ex potestate coactiva, solvi tamen ab eisdem potest per potestatem directivam ac jurisdictionem voluntariam. Colligitur quarto, facultatem dispensandi secum ipsis modò assertam Prælatis extendi ad regulares, nempe Abbates, Generales, Provinciales, Rectores, & illos, qui in absentia eorum vices gerunt. Ratio est: quia omnes isti habent jurisdictionem quasi Episcopalem; nec debent esse deterioris conditionis, quàm subditi, cum quibus dispensare posse supponuntur. Vid de his Castropal. tract. 3. disp. 6. pu. 7. § 1. Salmanticenses, tract. 11. cap. 5. pu. 5. Reding contr. cit. Illsung tract. 1. disp. 2. a. 4. n. 49.

Dico secundo. Tametsi loci Ordi- 29
narius dispensare possit cum vagis, non tamen potest cum peregrinis. Prior pars concl. est certa: quia vagi ubique locorum, in quibus pro tempore existunt, ratione præsentaneæ habitationis sortum non tantùm conscientiæ, sed etiam externum sortiuntur, ac Superioribus subduntur. Posteriorem partem tanquam probabiliorem docet Reding n. 7. & quantum ad dispensationem in votis, juramentis, aliisque impedimentis singularibus, Castropal. n. 6. Fundamentum sumitur ex eo, quod Congregatio Cardinalium Trid. Concilii interpretum sess. 24. cap. 6. ut refert Garzia de benefic. par. 2. cap. 10. declaraverit, forenses & peregrinos posse absolvi ab Ordinario loci, non tamen posse dispensari cum illis.

Putant quidem aliqui, eam declaratio- 30
nem esse intelligendam de illis peregrinis, qui transeunter solum in aliquo loco existunt, & non etiam de aliis, qui longiori tempore, majori scilicet anni parte, studiorum, aut negotiorum causa in loco quopiam commorantur: eò quòd tales ratione diuturnæ habitationis acquirant quasi domicilium, idque etiam in ordine ad effectus jurisdictionis spiritualis. Sed contra est primo, quòd tam relata, quàm alia declaratio Cardinalium, ut videre est apud Castropal. num. 7. de hoc ipso casu expresse loquantur. Contra est secundo, quòd ejusmodi peregrinus ab Episcopo loci, in quo habitat, non possit ordinari sine licentia proprii Episcopi, ex cap. *Cùm nullus, de temp. ordinat. in* 6. Ergo signum est, illum ratione quasi domicilii non esse subditum Episcopo loci; atque adeo nec posse ab eodem beneficium dispensationis in votis, v. g. vel juramentis recipere.

Dico tertio. Archiepiscopus non 31
potest dispensare cum subditis suorum Suffraganeorum, nisi in casu appellationis, per quam causa ad ipsum deducta est, eò quòd Suffraganeus dispensare noluerit. Ita Castropal. disp. cit. pu. 7. §. 3. Reding. num. 8. & alii ab his relati. Ratio est: quia Archiepiscopus nullam habet jurisdictionem in subditos suorum Suffra-

Suffragancorum, nisi in certis casibus à jure concessis, quemadmodùm dicitur in cap. *Pastoralis Offic. Ordin.* & cap. 1. *de foro compet. in* 6. Illi autem casus sunt tres, nempe primus, dum alicujus Suffraganei Diœcesim visitat. Secundus, quando ex necessitate supplet negligentiam Suffraganei Episcopi. Tertius, quando causa ad ipsum per appellationem devolvitur. In primo casu Archiepiscopo conceditur quidem jurisdictio ad absolvendum non tamen ad dispensandum. In secundo casu, dum urgente necessitate imploratur ejus auxilium, habet quidem facultatem dispensandi; sed quia hæc talis imploratio est quædam quasi appellatio, ideo meritò ad casum appellationis reducitur: in quo casu Archiepiscopum posse dispensare cum subditis suorum Suffragancorum, communis habet sententia ex capite 1. *de offic. legati* & cap. *duo. de offic. Ordinarii.*

32 Dico quarto. Cum Religiosis exemptis dispensare potest eorum Prælatus regularis, non autem Episcopus. Ita Suarez, Sanchez, Navarrus, Castropal. quos refert, & sequitur Reding n. 11. Ratio est: quia jurisdictio, quæ erat in Episcopo, per exemptionem non extinguitur, sed transfertur in Prælatum rei, vel personæ exemptæ. Atque hinc Prælatis regularibus jurisdictio quasi Episcopalis competit in suos subditos. Consequenter eadem in subditos ipsis competit jurisdictio & facultas ad dispensandum, quæ ante exemptionem competebat Episcopo. Prælatus igitur regularis cum exemptis suis dispensare potest; Episcopus non potest: huic enim potestas dispensandi per exemptionem subtracta est.

§. IV.

An, cessante causa Dispensationis, & ipsa cesset?

SUMMARIUM.

33. *Triplex status dispensationis.* 34. *Delegatus invalidè dispensat, si post indultum dispensandi ipsi concessum cesset justa causa.* 35. *Cessat dispensatio, si, antequàm sortiatur effectum, cesset ejus causa finalis.* 36. *Sequelæ ex dictis.* 37. *Dispensatio ultimum suum effectum sortita non cessat cessante causa.*

33 ANte resolutionem notandum est ex P. Suarez lib. 6. de Leg. cap. 20. n. 2. triplicem statum dispensationis posse considerari. Primus est, quando indultum dispensandi jam quidem concessum est, sed dispensatio nondum collata. Secundus est, quando dispensatio jam est collata, ejus tamen effectus & utilitas nondum executioni mandata. Tertius est, quando dispensatio jam ultimum effectum & utilitatem suit sortita. Hoc notato, quæritur, si causa, ob quam fuit petita, vel collata dispensatio, penitus cesset, utrum ipsa quoque cesset, ac vim suam amittat?

Dico primo. Delegatus ad dispen- 34
sandum non potest validè dispensare, si post indultum sibi concessum ita cesset justa causa dispensandi, ut non ampliùs revivi-scat. Ita Suarez n. 13. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 30. n. 12. Laym. tract. 4. cap. 22. n. 14. Bonac. disp. 1. q. 2. pu. 10. §. 1. n. 3. Ratio est, quia mandatum ad dispensandum est conditionatum, nempe sub conditione, *si preces veritate nitantur*: ergo delegatus non potest illud exequi, nisi preces veritate nitantur. Atqui preces non nituntur veritate, quando cessat causa, ob quam delegatus accepit mandatum ad dispensandum; ergo. Itaque si Sempronia pauper suscepit prolem ex locuplete consanguineo, & allegato dotis defectu, ac susceptione prolis, postulavit à Papa dispensationem in impedimento consanguinitatis; Papa verò commisit Ordinario, ut precum veritate examinata, dispenset cum Sempronia, ejusque consanguineo, Ordinarius non potest dispensare, quando proles, antequàm dispenset, moritur, & Sempronia hæres v. g. ab extraneo instituitur. Quia nempe re adhuc integrâ cessavit tota causa, ob quam postulata fuit dispensatio, & Episcopo imposita commissio ad eam impertiendam. Neque refert, quod causa tunc saltem substiterit, cùm Papa concessit indultum ad dispensandum: hoc enim non sufficit; sed requiritur, ut etiam subsistat tempore, quo inferior concessam sibi facultatem vult exercere. Vid. Suarez loco cit. Bonac. n. 4. Quòd si tamen in ejusmodi casu aliquo causa cesset per aliquod tempus, & postea reviviscat, tunc poterit dispensare delegatus redeunte causa: quia per ejusmodi cessationem causæ temporalem facultas dispensandi non fuit sublata, sed suspensa tantùm. citt.

Dico secundo. Dispensatio proba- 35
biliùs cessat, si, postquam obtenta est, non sortiatur effectum, antequam cesset ejus causa finalis. Ita Sanchez disp. cit. num. 14. cum aliis pluribus, quos ibi refert. Bonac. n. 5. Ratio potissima esse videtur, quòd dispensatio quoad totum suum valorem dependeat à voluntate Superioris. Jam verò Superior non censetur velle, ut dispensatio à se concessa subsistat, si, antequàm sortiatur effectum, cesset causa, ob quam fuit concessa; quia

non

non præsumitur ab obligatione legis velle quemquam eximere non subsistente justa causa; cùm recta ratio dictet, tunc partem debere se toti quoad observationem legis conformare. Confirmatur. Ut valeat dispensatio impertita per delegatum, non sufficit, quòd causa subsistat tempore, quo Papa dat indultum aut mandatum ad dispensandum, sed requiritur, ut etiam subsistat tempore, quo delegatus dispensandô exequitur mandatum: ergo præterea requiritur, ut causa subsistat etiam tempore, quo dispensatio jam impertita sortiri debet effectum. Ant. constat ex n. præced. pro conseq. pugnat paritas rationis, ob quam Papa non aliter concedit indultum dispensandi, nisi sub hac conditione, si preces veritate nitantur, hoc est, si causa justa sibi narrata subsistat non tantùm tempore, quo ipse concedit indultum, sed etiam tempore, quo dispensandum est.

36 Ex his sequitur primo, si Episcopus ex indulto Pontificio cum Titio ob paupertatem parentum in irregularitate dispensavit ad Ordines, Titium nec validè, nec licitè posse uti hac dispensatione, Ordinesque suscipere, si ante eorum susceptionem parentes ad pinguiorem fortunam pervenerunt. Sequitur secundo, eum, qui propter aliquam infirmitatem obtinuit dispensationem in jejunio, vel abstinentia à carnibus, manere adhuc obligatum ad jejunandum, & abstinendum à carnibus, si cesset infirmitas. Sequitur tertio, Caio nihil prodesse dispensationem in voto castitatis obtentam in ordine ad contrahendum matrimonium propter periculum incontinentiæ, si cessat hoc periculum, & quamdiu cessat. tunc enim neque potest dissolutô primô matrimoniô, aliud inire, neque debitum petere: Ratio horum omnium est: quia ubique cessare supponitur totalis causa finalis dispensationis, propter quam fuit obtenta. Vid. Bonac. loco cit. ac præterea num. 6. & seqq. Sententia contraria etiam probabilis est, præsertim in casibus, in quibus Superior validè dispensare potest sine causa, ut ait idem Bonacina. Illam cum multis à se relatis docent Salmanticenses tract. 11. qui est de Leg. cap. 5. n. 90.

Dico tertio. Dispensatio semel ob- 37
tenta, suumque effectum ultimum sortita non cessat, nec vim suam amittit amplius, quamvis cesset causa, ob quam fuit impertita. Ita communiter DD. Quare, si ob paupertatem parentum dispensationem in irregularitate obtinuisti ad suscipiendos Ordines, eisque jam susceptis, cesset paupertas parentum, non cessat propterea illa dispensatio. Ratio est: quia factum legitimè non debet retractari, quamvis postea casus eveniat, à quo non potuit inchoari. per reg. *Factum.* 73. de reg. jur. in 6. Quòd si autem effectus sit divisibilis, tumque dispensatio nondum omnem sortita, tunc causâ cessante cessat quoad illum effectum, seu partem effectus, quam nondum sortita est. Sic v. g. si ob certam infirmitatem obtinuisti dispensationem ad comedendum carnes in Quadragesima, & transactâ hujus mediâ parte, cessavit infirmitas, cessat dispensatio respectu dierum subsequentium, & teneris tunc abstinere à carnibus. Bonac. num. 11. Salmanticenses n. 87.

TRACTATUS IV.

De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.

Quia Censura pœna quædam Ecclesiastica est, magnam habet affinitatem cum materia de Legibus, ad eandem quippe potestatem pertinet ferre leges, & Legum transgressores dignis pœnis coërcere, atque intra observantiæ oleas aberrantes revocare. Quare meritò præsentem tractatum hic suscipimus; quamvis alii ob alias causas itidem non improbandas differant ultra tractatum de Sacramentis. Adjungimus explicationem Irregularitatum; quia magnam præseferunt convenientiam cum Censuris.

DISPUTATIO I.

De Censuris in Communi.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Censura?

SUMMARIUM.

1. *Quadruplex acceptio Censuræ.* 2. *Definitio Censuræ, & analysis ejusdem.* 3. *Illationes ex dictis.* 4. *Triplex Censura, nempe: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.* 5. 6. *Accidentales divisiones Censurarum memoratarum.* 7. *Unde dignosci possint Censuræ latæ, & Censuræ ferendæ sententiæ.*

1 NOmen *Censura* in quadruplici potissimùm significatione accipitur. Nam primo, significat dignitatem censoriam apud veteres Romanos celebrem, qua unus quidam fulgebat, cujus erat in civium mores inquirere, & in pravos animadvertere; quique Censor vocabatur. Secundo, significat correctionem ipsam, & quasi censionem, qua indigni ab honoribus arcebantur. Tertio, per translationem apud Authores Ecclesiasticos significat sententiam correctivam Judicis Ecclesiastici. In quo sensu dicere solemus, subjicio omnia mea censuræ Ecclesiasticæ. Hæc est censura in talem, vel talem librum. Quarto, propriè ad nostrum institutum significat pœnam quamdam spiritualem à Judice Ecclesiastico propter aliquod crimen contumacibus impositam. In qua acceptione de illa

2 Dico primo. Censura est pœna Ecclesiastica, Spiritualis, & Medicinalis fori exterioris, privans usu aliquorum bonorum spiritualium, ut à contumacia recedatur. Ita definit Filliuc. tract. 11. cap. 1. num. 4. Dicitur *pœna* loco generis: quia in hoc convenit cum aliis, quæ non sunt censura quamvis sint pœna. Dicitur *Ecclesiastica*, ut significetur causa efficiens censuræ, persona videlicet Ecclesiastica. Dicitur *Spiritualis*: quia est pœna animæ, prohibetque per se primo usum rerum spiritualium: in quo differt à pœnis civilibus, quæ sitæ sunt in solis rebus, corporeis & temporalibus, v. g. confiscatione bonorum, exilio, carcere, &c. Dicitur *medicinalis*: quia est ordinata ad spiritualem salutem delinquentis. Dicitur *fori exterioris*: quia, sicut deinde videbimus, ferens censuram pollere debet jurisdictione fori externi: & ideo pœnæ in foro pœnitentiæ latæ non dicuntur censuræ. Dicitur *privans usu*, ut indicetur effectus censuræ. sic excommunicatio, v. g. privat usu Sacramentorum, suffragiis communibus Ecclesiæ, &c. Dicitur *aliquorum*: quia non privat omnibus bonis spiritualibus: neque enim privat charactere, gratia sanctificante, virtutibus, earumque actibus, & similibus, quæ sunt propria, atque privata, sed quibusdam publicis, ac communibus, quorum exempla, primùm dedimus. Dicitur, *ut à contumacia recedatur*. Nam iste est finis censuræ, quæ neutiquam vergere debet in perniciem animæ, sed ad resipiscendum, & exuendam obstinationem in delicto, propter quod infligitur, salubriter compellere. Et ideo reus, quam primùm desinit esse contumax, à censura est absolvendus; sicut colligitur ex cap. *Ex litteris, de constit.*

3 Ex definitione censuræ sic declarata sequitur primo, peccatum mortale non esse censuram. Ratio est: quia, tametsi hominem privet multis bonis spiritualibus, putà, gratiâ & charitate, reddatque indignum usu S. Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum; non est pœna Ecclesiastica. Imò nullo modo est pœna, sed culpa tantùm. Bonac. de censur. disp. 1. q. 1. pu. 1. n. 3. Salmantic. tract. 10. cap. 1. n. 2.

Sequitur secundo, depositionem & degradationem non esse censuras. Ratio est: quia non sunt pœnæ medicinales, atque eo fine constitutæ, ut reus à criminis contumacia resipiscat, sed solùm, ut puniatur delictum, etiam merè præteritum; imò quandoque jam emendatum. Et ideo sunt pœnæ perpetuæ, per absolutionem non auferibiles, sicut auferuntur censuræ. Laym. tract. 5. par. 1. cap. 1. n. 3.

Sequitur tertio, etiam cessationem à Divinis non esse censuram. Ratio est: quia similiter non imponitur ad frangendam contumaciam delinquentis, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiæ illatam. Bonac. n. 4. Filliuc. ubi suprà n. 7.

Sequitur quarto, neque irregularitatem esse censuram. Ratio est: tum, quia non omnis irregularitas est pœna; ut constat in ea, quæ oritur ex defectu. tum, quia tametsi sit pœna; veluti patet in illa, quæ incurritur ob delictum; non tamen est pœna midicinalis, sed vindicativa, atque ex se perpetua. quapropter nec tollitur per absolutionem, sicut censuræ; sed per dispensationem. Filliuc. n. 8. Salmantic. num. 15. Bonac. loc. cit. Atque hinc

Sequitur quinto, quando in Jubilæis, vel Privilegiis datur potestas absolvendi à censuris, non comprehendi irregularitatem.

laritatem. Ratio est: quia potestas absolvendi non est potestas dispensandi, per quam solam tolli potest irregularitas. Filliuc. n. 9. ubi testatur, ita habere stylum Romanæ Curiæ, ut nunquam concedatur facultas auferendi irregularitatem, nisi exprimatur. Addit etiam ex P. Suarez, neque per Bullam Cruciatæ, in qua solum datur facultas absolvendi à censuris, dispensari posse in irregularitate.

Sequitur sexto, dum quis per censuram Ecclesiasticam privatur aliquo bono temporali, v. g. convictu humano, habilitate percipiendi fructus beneficii, &c. id fieri secundariò tantùm, & per ordinem ad spiritualia. Ratio est: quia pœna spiritualis, quam infligit Ecclesia, per se primò, ac principaliter versatur circa res spirituales; circa temporales autem solùm ut relatas ad spirituales. Laym. num. 1. Illsung tract. 7. disp. 1. q. 1. a. 1. n. 5.

4 Dico secundo. Censura est triplex, videlicèt Excommunicatio, suspensio, & Interdictum. Ita communis apud Laym. cap. 2. n. 1. Ratio est: tum, quia Innocent. III. in cap. *Quærenti de verb. signific.* interrogatus, quid nomine censuræ intelligetet? solùm tres istas species enumeravit. tum, quia Degradationi, Depositioni, Cessationi à Sacris; itemque Irregularitati ex delicto, quas aliqui inter censuras computant, definitio censuræ, ut primùm vidimus; non convenit.

5 Porrò unaquæque ex dictis censuræ speciebus accidentali divisione dividi solet in eam, quæ est *à jure*, & in eam, quæ est *ab homine*. Censura à jure est quæ per legem vel statutum fertur contra omnes subditos, qui certum aliquod crimen commiserint. Censura ab homine dicitur, quæ per præceptum, vel sententiam Superioris, aut judicis infligitur. Unde in eo potissimùm hæ censuræ differunt quòd censura ab homine expiret cum vita, vel officio eam ferentis, ita ut nemo deinceps illam possit incurrere, quamvis antè obstringat ligatum, donec absolvatur; econtra censura à jure nec per mortem ferentis, nec per depositionem officii extinguatur, sed duret perpetuò, non minùs quàm lex, vel statutum, donec revocetur. Laym. n. 2.

6 Rursus quælibet censura dividitur in eam, quæ est *sententiæ latæ*, & in eam, quæ est *sententiæ ferendæ*. Censura latæ sententiæ est, quam reus ipso facto, seu criminis perpetratione ante judicis sententiam incurrit. talis est censura cap. *si quis suadente Diabolo*. Nam statim, ut quis percussit Clericum, incidit in excommunicationem sine omni judicis sententia, vel declaratione. Censura ferendæ sententiæ est, quam reus non ipso facto, seu delicto, sed per actualem primùm judicis condemnantis sententiam, instar alterius pœnæ, incurrit.

7 Cæterùm, ut dignoscantur censura latæ, & censura ferendæ sententiæ, attendi vel maximè debent verba, quibùs censura fertur. Censuram latæ sententiæ indicant sequentes loquendi formulæ: *Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus eum, qui tale delictum admiserit. Qui hoc fecerit, sciat, se excommunicatum, suspensum, &c. Excommunicationi subjaceat. Prohibemus sub excommunicatione, suspensione, ipso jure, ipso facto incurrenda.* Censura ferendæ sententiæ hujusmodi verbis significari solet: *Qui hoc fecerit, excommunicetur; ab officio suspendatur. Prohibemus sub interminatione excommunicationis, sub pœna suspensionis, &c.* Quod si verba videantur ambigua, tunc censura habenda est potiùs ferendæ, quàm latæ sententiæ, standumque regulâ 49. juris in 6. *in pœnis benignior facienda est interpretatio.* quod tamen intellige, nisi aliunde constet de intentione Legislatoris hanc enim oportet attendere, quomodocunque exprimatur. Ejusmodi verba dubia à nonnullis esse censentur, *excommunicatus sit. Anathema sit.* Adhuc alias regulas discriminandi istas censuras adducunt Bonac. ubi suprà n. 6. Filliuc. à n. 15.

ARTICULUS II.

A quibus, & in quos ferri possit Censura?

SUMMARIUM.

1. Potestas ferendi Censuras alia ordinaria, alia delegata. 2. 3. Quinam jure ordinario ferre possint Censuras. 4. Quinam potestate delegata. 5. Conditiones necessariæ, ut quis capax sit potestatis ferendi censuras. 6. Statuitur generaliter, in quosnam ferri possint Censuræ. 7. Pagani, Judæi, Catechumeni non possunt affici censuris; possunt autem hæretici & Schismatici. 8. 9. An mortuo possit infligi Censura? 10. Quid de amentibus, ebriis, dormientibus? 11. Summus Pontifex non potest ligari aliquâ Censurâ.

1 ALiud est censuras instituere, aliud imponere, ferre, aut infligere: sicut aliud est Sacramenta instituere, aliud conficere, & administrare. Instituere censuras propriè ad Papam pertinet. Imponere, aut ferre, an, & quinam alii possint? modò inquirimus. Est autem potestas ferendi censuras duplex, videlicet

delicet ordinaria, & delegata. Ordinaria est illa, quæ competit alicui ratione officii, vel dignitatis, in qua est constitutus. Delegata est, quæ competit ex concessione, vel commissione illius, qui habet potestatem ordinariam. Nunc

2 Dico primo. Omnis, & solus Superior Ecclesiasticus jurisdictione fori externi præditus potest jure, seu potestate ordinaria ferre censuram. Ita communis apud Laym. tr. 5. par. 1. c. 3. Ratio est: quia Superior Ecclesiasticus habens jurisdictionem in foro externo est institutus ad Christianam disciplinam servandam per leges, præcepta, & sententias: ergo necessarium est, ut illa omnia possit, quæ ad hunc finem sunt necessaria. Atqui posse ferre censuras est necessarium; quia alioquin gubernatio talis Prælati esset inermis & infirma, si non posset contumaces coërcere propositis pœnis, atque in officio continere, ergo debet posse ferre censuras.

3 Itaque censuras jure ordinario ferre potest primo Sum. Pontifex respectu quorumcunque fidelium, seu baptizatorum. Secundo, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, eorumque Vicarius Generalis. Tertio, Cardinales, Legati à latere. Quarto, Vicarius Capituli, vel Capitulum sede vacante. Quinto, Concilia generalia & provincilia. Sexto, Abbates, Priores, Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum. Septimo, Generales, Provinciales, Præpositi, Rectores, Priores, Quardiani, aliique Superiores locales respectu suorum subditorum. Vid. Salmantic. tr. 10. cap. 1. à n. 28. Reding q. 20. a. 3. contr. 1. à n. 3. Illsung tr. 7. disp. un. q. 1. a. 1. n. 2. Parochi tamen, ut cum aliis docent Salmantic. & Reding citt. quia nullam in foro externo habent jurisdictionem, non possunt ferre censuras in suas oves.

4 Dico secundo. Potestate delegata ferre censuras possunt omnes, quibus eadem ab habentibus ordinariam committitur, modò illius fuerint capaces. Ita communiter DD. Ratio petitur ex natura potestatis ordinariæ, quæ habet id sibi peculiare, ut possit alteri delegari: consequenter potestas delegata ferendi censuras erit in eo, cui confertur ab habente ordinariam. Ille tamen non poterit rursus alteri delegare, seu, meliùs loquendò, subdelegare, nisi ex speciali commissione, ut, quandò est delegatus Papæ. Filliuc. tract. 11. cap. 2. n. 35.

5 Cæterùm ut persona quæpiam sit capax potestatis ordinariæ, vel delegatæ ad ferendum censuras, necesse est primo, ut sit homo viator. Ratio est: quia homo extra viam non est capax jurisdictionis exercendæ in Ecclesia militante. hæc enim per ministros in ea viventes gubernari debet. quapropter nec homo beatus, nec Angelus potest infligere censuras. Necesse est secundo, ut habeat usum rationis. Ratio est: quia impos rationis non potest exercere actum humanum, cujusmodi est actus jurisdictionis, quo infligitur censura. Et ideo neque puer ante usum rationis, neque perpetuò amens, vel stolidus prædictam potestatem potest recipere. Necesse est tertio, ut sit baptizatus. Ratio est: quia Baptismus, sicut est janua in Ecclesiam, ita & fundamentum jurisdictionis Ecclesiasticæ. Necesse est quarto, ut sit Clericus, saltem initiatus primâ tonsurâ. Ratio est: quia prima tonsura honem reddit habilem ad Ecclesiasticam jurisdictionem. Atqui potestas ferendi censuras pertinet ad jurisdictionem. Hinc neque Laïcus, neque fœmina de jure ordinario potest habere potestatem ferendi censuras. Dixi, *de jure ordinario*. nam, quid fieri possit per auctoritatem absolutam Summi Pontif. circa tales personas, lis est inter DD. Necesse est quinto, ut non sit Clericus conjugatus. nam neque hic ad negotia Ecclesiastica debet admitti: juxta cap. *janè de Clericis conjug.* tametsi quatuor minores suscepisset, Ecclesiæ serviret, habitum & tonsuram deferret, atque adeo privilegiò tam canonis, quàm fori gauderet. Vid. de his Filliuc. à n. 36. Bonac. tract. de Censur. disp. 1. q. 1. pu. 2. à n. 3. Laym. ubi suprà. Salmantic. cap. 1. cit. pu. 5. Reding contro. cit. à. n. 9.

6 Dico tertio. Censura ferri potest in omnes & solos homines baptizatos, viatores, usu rationis præditos, & in Ecclesia Superiorem habentes. Ita communis apud Laym. cap. 4. Ratio primi, & secundi est: quia Ecclesia in homines non baptizatos, & in eos, qui in terra non ampliùs existunt, sed jam sunt in termino, non habet jurisdictionem. Ratio tertii est, tùm generaliter; quia carentes usu rationis legibus ac præceptis obligari non possunt: tum specialiter; quia tales personæ puniri non possunt propter contumaciam in delicto; cùm non possint delinquere. atqui censura fertur solùm propter contumaciam delinquentis. Ratio quarti est: quia potestas ferendi censuras pertinet ad jurisdictionem coërcitivam, quæ solùm exerceri potest à Superiore in subditos, & inferiores: cùm par in parem, vel superiorem non habeat imperium, aut vim punitivam. Vid. Laym. cap. cit. Bonac. pu. 4. Filliuc. cap. 5. Salmantic. pu. 13. Ex modò dictis oritur

7 Corollarium I. Pagani, Judæi, Catechumeni non possunt affici censuris Ecclesiasticis; possunt autem hæretici, apostatæ, atque Schismatici. Ratio primi est: quia tales jurisdictioni Ecclesiæ non sunt subjecti. carent enim Baptismo, qui est janua ad subjectionem Ecclesiæ. Hinc Judæus, v. g. vel

Turcà,

Turca, quando percutit Clericum, non incurrit excommunicationem. Filliuc. n. 129. Ratio secundi est: quia hi omnes per Baptismum subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiæ: quæ proinde eosdem ad fidem, vel obedientiam, à qua recesserunt, per suas pœnas potest compellere. Bonac. n. 6. Filliuc. loco cit. Laym. n. 1. Illsung ubi suprà, n. 4.

8 II. Mortuo non potest in se, ac directè infligi censura. Ratio est: quia Ecclesia in mortuos non habet jurisdictionem directam. dicitur enim Matth. 16. *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Sed ille, qui est mortuus, non dicitur esse super terram; ergo non potest ligari. Unde Titius excommunicationem, si in ipsum lata est sub conditione, ut, nisi intra mensem satisfecerit, eam incurrat, non incurrit, quando ante elapsum mensem sine proposito satisfaciendi moritur. Similiter Titius, qui mandavit Caio, ut occidat Clericum, non est habendus pro excommunicato, si ipso jam mortuo Caius occidat Cle-
9 ricum. Laym. n. 2. Bonac. n. 3. Salmantic. n. 163. & 165.

Dices. Hæretici etiam post mortem anathemate percelli possunt, ut ostendit Gratianus apud Laym. loco cit. Deinde, Ecclesia publicum peccatorem mortuum privare potest sepulturâ & fidelium suffragiis; veluti fecisse legitur S. Gregorius. Præterea, mortuus in excommunicatione potest absolvi: ergo etiam excommunicari: ergo in mortuos ferri possunt censuræ. Denique, Ecclesia mortuis potest applicare & concedere indulgentias: ergo etiam poterit eos excommunicare, cùm non minùs applicatio & concessio indulgentiarum sit actus jurisdictionis, quàm inflictio excommunicationis.

Respondeo, anathema interdum sumi pro execratione, detestatione, vel maledictione: in quo sensu etiam accipitur, dum vibratur in mortuos. Ex altero plus non sequitur, quàm Ecclesiam circa mortuos habere jurisdictionem indirectam, quatenùs præcipit vivis, ut à talibus sepeliendis, publicisque precibus pro iisdem offerendis abstineant, quod est excommunicare impropriè ac indirectè. Similiter Ecclesia mortuum potest absolvere indirectè solùm, concedendò videlicet, ut eum fideles sepeliant in loco sacro, publicas preces & sacrificia pro ipso offerant. Bonac. n. 1. Laym. loco cit. Salmantic. n. 165. Demum Ecclesia concedit & applicat indulgentias pro mortuis ex thesauro suo per modum suffragii, ut Deo pro illorum pœnis inde præstetur solutio: in quo nullum exercet actum jurisdictionis in mortuos: sicut nullum exercet fidelis privatus, dum pro alio fideli, in quem nullam habet jurisdictionem, applicat opus satisfactorium. Verbò: Ecclesia tunc exercet actum jurisdictionis in thesaurum indulgentiarum; sed non in mortuos, quibus idem applicatur. Salmantic. loco cit. 10

Corollarium III. Amentes, ebrii, dormientes incurrunt censuras ob delictum, etiam tempore amentiæ, ebrietatis, vel somni perpetratum, quando illud, dum erant adhuc præditi usu rationis, prævidertunt secuturum, vel inchoârunt, nec impedire, aut revocare voluerunt. Unde Titius, v. g. si adhuc sui compos præcepit Caio, ut percutiat Clericum, incurrit excommunicationem tempore amentiæ, somni, vel ebrietatis si Caius mandatum tunc exequatur. Ratio est: quia tales censentur, sufficienter esse contumaces & delinquere contra legem, quæ factum prohibet sub censura: ad quam contrahendam tempore usûs rationis aliud non deerat, quàm consummatio delicti: hæc autem contingit tempore somni, ebrietatis, vel amentiæ. Laym. n. 3. Salmantic. n. 167. Bonac. n. 8. Hinc aliud dicendum de tali aliquo, si ante perpetrationem delicti sibi redditus sufficienter impedirct, ne sequeretur: tunc enim deesset delictum, saltem completum, ob quod lata est censura. Bonac. loco cit. 11

IV. Summus Pontifex non potest ligari ullâ censurâ. Ratio est: quia neminem habet in terris Superiorem se, per cap. *cuncta per mundum.* 9. *quæst.* 3. Confirmatur. Papa neque ligari potest censurâ ab homine, neque à jure. Non illâ; quia non datur homo seu judex in terris, qui ipso sit superior in hoc foro externo spirituali. Non istâ; quia nullum jus humanum quidquam potest in ipsum. Et quamvis legibus suis obligetur quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, seu correctivam, ex qua fertur censura. Sed neque à se ipso Papa potest affici censurâ. quia nemo in se ipsum exercere potest actum jurisdictionis coactivæ, aut contentiosæ, ad quam pertinet ferre censuram. Vide, quæ diximus in tract. proximè præced. disp. 3. a. 4. num. 26. Quòd si tamen Papa laberetur in hæresim, tunc illum à Concilio Generali excommunicari posse docent cum aliis Salmanticenses n. 159. Ratio est: quia Papa in hæresim incidens ipso facto desineret esse Papa, & Concilium esset ipso superius, à quo proinde judicari ac puniri posset: velut etiam colligitur ex cap. *Si Papa dist.* 40.

ARTICULUS III.
Ob quam causam ferri possit Censura?

SUMMARIUM.

1. Finis Censuræ est correctio illius in quem fertur. 2. Propter peccatum merè internum nulla ferri potest Censura. 3. Non potest ferri Censura gravis, nisi ob peccatum grave seu mortale. 4. Sequelæ ex dictis. 5. Ut peccatum mereatur Censuram, debet esse contra aliquod præceptum Ecclesiæ, ab eaque specialiter prohibitum sub comminatione Censuræ. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Corollaria practica. 12. Actus peccati, propter quod incurritur Censura, debet in suo genere esse perfectus & consummatus. 13. 14. 15. 16. Corollaria.

1 CAusa finalis ex parte inferentis censuram debet esse correctio, seu emendatio illius, cui infertur, ita ut, quemadmodùm comminatio censuræ ordinatur ad præservandum hominem à delicto, ejus actualis illatio ordinetur non præcisè ad punitionem Rei, sed ad pœnitentiam & emendationem ex eodem eliciendam. Unde fit, ut, obtento hoc fine, per absolutionem rursus tolli debeat censura. quamvis non debeat necessariò omitti, quando per accidens propter hominis incorrigibilitatem prævideatur memoratum finem non obtenturа. Sed nos in præsenti non de finali, sed de morali, seu meritoria causa censuræ agemus: quam debere esse culpam gravitati hujus pœnæ spiritualis proportionatam apud omnes in confesso est. Quæ res ut distinctiùs explicetur,

2 Dico primo. Nulla censura Ecclesiastica ferri potest propter peccatum merè internum. Bonac. de Cens. disp. 1. q. 1. pu. 3. n. 4. Filliuc. tract. 11. cap. 6. n. 162. Layman tract. 5. cap. 5. n. 1. Salmanticenses tract. 10. cap. 1. n. 136. Reding q. 20. a. 3. contro. 2. n. 6. estque communis doctrina. Ratio est: quia Ecclesia in peccata merè interna nullam habet jurisdictionem fori externi; ut ex tract. præced. disp. 2. a. 3. supponitur. Atqui ferre censuras est actus jurisdictionis fori externi; ergo. Ex quo sequitur, eum, qui malè sentit circa unum, vel alterum articulum fidei, suamque pravam opinionem nullo actu externo manifestat, non incurrere excommunicationem latam contra hæreticos. Bonac. n. 5. Salmantic. n. 137. Quòdsi actus non sit purè internus, sed vel complementum actus externi, vel necessarius adesse physicum, vel morale illius, dubium non est, propter omissionem talis actûs interni ferri posse censuram. Ratio est: quia in actus internos hoc modo consideratos Ecclesia habet jurisdictionem fori externi, eosque præcipere potest; ut vidimus loco cit. Et ideo excommunicari potest, qui officium Canonicum recitat sine attentione, vel confitetur sine dolore interno. Filliuc. n. 166.

Dico secundo. Censura gravis ferri 3
non potest, nisi propter peccatum mortale. Ita communis. Ubi nota, censuram aliam esse gravem, aliam levem, sive majorem, aut minorem; sicut peccatum aliud est grave, aliud leve. Propter peccatum igitur mortale dicimus posse ferri censuram gravem, seu majorem, non autem propter veniale. hoc enim puniri potest censurâ levi tantùm, seu minori, v. g. levi suspensione, vel levi interdicto. Nunc ratio concl. est: quia pœna debet esse proportionata delicto: sed, si censura gravis ferretur propter aliud peccatum, quàm mortale, non esset pœna proportionata delicto: cùm enim peccatum veniale sit culpa solùm levis, non meretur prohiberi, nisi sub pœna levi.

Ex quibus sequitur jam primo, invalidam esse majorem excommunicationem, 4
majorem suspensionem, vel grave interdictum ob peccatum veniale latum. Ratio est: quia peccatum veniale non est capax alicujus tantæ pœnæ. Filliuc. num. 159. & 160. Bonac. n. 7. Sequitur secundo, eum, qui leviter percutit Clericum, non incurrere excommunicationem canonis, quamvis affectus & intentio interna, ex qua proficiscitur ea percussio, sit mortaliter peccaminosa. Ratio est: quia peccatum, ut propter illud incurratur gravis censura, qualis est excommunicatio Canonis, debet esse mortale non tantùm quoad actum internum voluntatis, sed etiam quoad substantiam operis exterioris. Atque levis percussio Clerici non est ejusmodi opus sufficiens ad peccatum mortale; ergo. Bonac. loco cit. & alii communiter.

Dico tertio. non sufficit gravitas pec- 5
cati quantumvis magna, ut propter illud censura feratur, nisi sit peccatum contra præceptum aliquod Ecclesiasticum, & ab Ecclesia specialiter prohibitum sub comminatione censuræ. Ita Salmantic. cum aliis pluribus, quos referunt n. 120. Reding n. 8. Ratio est: quia censuræ institutæ sunt ad frangendam & curandam contumaciam ac inobedientiam, per quam reus Ecclesiæ monentis ac præcipientis auctoritatem spernere censeatur. Atqui hæc talis contumacia & inobedientia non potest subsistere in peccato, quod non est contra præceptum Ecclesiæ, ab eaque specialiter prohi-

prohibitum ſub comminatione cenſuræ; ergo. Hinc oritur

6 Corollarium I. Neque excommunicatio, neque alia cenſura incurritur propter peccatum ſola lege naturali, aut Divina prohibitum. Ratio eſt: quia reus peccati non etiam ſpecialiter prohibiti jure Eccleſiaſtico nequit intelligi contumaciter ſpernere auctoritatem Eccleſiæ. Laym. ubi ſuprà n. 2. Salmanticenſes loco cit.

7 II. Nulla cenſura ferri poteſt propter peccatum merè præteritum, & non conjunctum cum præſenti contumacia. Laym. n. 3. Reding n. 9. ex communi. Ratio eſt: quia cenſura eſt pœna non qualiscunque, ſed medicinalis ad emendandum ac ſanandum peccatorem inſtituta: conſequenter infligi non poteſt, dum morbus, ſeu plaga peccati non amplius exiſtit, ac planè ceſſavit. tunc enim ſupponitur delinquens jam emendatus & ſanitati redditus. Atqui, dum abeſt contumacia, peccatum commiſſum non intelligitur ampliùs exiſtere: quia non intelligitur continuari moraliter; ergo.

8 III. Excommunicatio, vel alia quæcunque cenſura ab homine nunquam infligenda eſt ſine præcedente monitione, & comminatione. Ita communiter DD. Ratio eſt: quia cenſura ferri non poteſt, niſi in eos, qui contra Eccleſiam ſunt contumaces: pro talibus autem non ſunt habendi, niſi, qui, audita monitione, & comminatione cenſuræ, parere detrectant. Ex quo deducitur, ejusmodi cenſuram, ſi in aliquem abſque omni monitione, & comminatione feratur ob peccatum merè præteritum, non modò injuſtam, ſed etiam invalidam eſſe. Cæterùm ea monitio, ut juſtè feratur cenſura, de jure debet eſſe trina, interjectô duorum ſaltem, vel trium dierum intervallô. quamvis ſufficiat etiam unica, quando præfigitur tantum temporis ſpatium, quantum pro trina ſufficeret. Hæc autem monitio, ſive trina, ſive una, facienda eſt ad reum perſonaliter, niſi malitiosè latitet: in hoc enim caſu ſatis eſt, ſi citatio, & comminatio cenſuræ fiat ad ejus domum, valuas Eccleſiæ, vel alium locum publicum, unde ipſi poſſit innoteſcere. Quòdſi hoc modo citatus contumaciter non comparear, etiam abſens cenſurâ affici poteſt. Porrò canonica hæc monitio ſolùm requiritur ad cenſuram infligendam ab homine: ut enim incurratur cenſura juris, vel ſententiæ cujuscunque pro culpa futura, ſufficit, legem, aut præceptum generale, vel ſpeciale judicis cum comminatione cenſuræ fuiſſe latum: quia hac ratione ſatis admonentur ſubditi. Vid. Reding q. 20. a. 3. con. r. 1. à n. 23. Laym. ubi ſuprà n. 4. & 5. qui monet, ſi quis excommunicationem, aliamve cenſuram ipſo facto contraxit, illum, antequam declaretur, aut denuntietur, à judice citandum, & audiendum eſſe. Addit præterea n. 6. ex Suarez, Couar. & Cajetano, etiam in cenſura à jure, ſi non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ, non poſſe ſtatim procedi contra reum, licèt convictum & manifeſtum, ſed præmittendam eſſe canonicam monitionem, eamque trinam per ſe loquendo.

IV. Qui ex ignorantia non craſſa, ſeu 9
ſupina agit contra id, quod ſub comminatione cenſuræ præceptum, vel prohibitum eſt, is non incurrit cenſuram, ſive illa ignorantia ſit juris, ſive facti. Ita communis apud Laym. n. 7. Quare non ſolùm ſi neſcias, percuſſionem Clerici ſub pœna excommunicationis eſſe probibitam, ſed etiam, ſi neſcias, eſſe Clericum, quem percutis, utroque caſu cenſuram effugies. Quod idem procedit etiam de ignorantia concomitante. nam Caius v. g. Clericum cædens, quem ignorat eſſe Clericum, non incurrit excommunicationem, tametſi animo ita ſit comparatus, ut nihilominùs cæderet, quamvis ſciret eſſe Clericum; imò optet eſſe Clericum, quem hîc & nunc arbitratur eſſe Laïcum. Colligitur communis hæc doctrina ex cap. 2. *de conſtit. in* 6. ubi ignorantes ab omnibus ſententiis, ſeu ſtatutis pœnalibus quorumcunque Ordinariorum excipiuntur, *dum tamen eorum ignorantia craſſa non ſit, aut ſupina.* Inter Ordinarios autem computatur etiam Papa, utpote Ordinarius Ordinariorum. Ratio verò Corollarii eſt: quia, ut quis cenſuram incurrat, requiritur contumacia contra auctoritatem Eccleſiæ quid præcipientis, aut prohibentis ſub comminatione tantæ pœnæ. Atqui in ignorante ignorantiâ non craſſâ, aut ſupinâ non datur ejusmodi contumacia; niſi forte ſit ſermo de ignorante ignorantiâ etiam affectatâ, ſeu directè volitâ: quæ tamen, cùm æquiparetur ſcientiæ, huc non pertinet, nec quemquam excuſat à cenſura.

Cæterùm ratio primùm reddita videtur ſolùm valere, dum ſupponitur (omiſſâ 10
ignorantiâ affectatâ) præter craſſam, ſeu ſupinam nullam dari aliam ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem; non autem, ſi admittatur alia ignorantia vincibilis, quæ non ſit craſſa, aut ſupina; & tamen ſit mortaliter culpabilis; qualem plures admittunt, nosque cum Tamburino in tr. 1. diſp. 2. a. 2. n. 1. & 5. admiſimus. Unde plurium ſententia eſt, delinquentem cum hac tali ignorantia non ſubjacere alicui cenſuræ. Ita Sanchez lib. 9. de matr. diſp. 32. num. 31. & alii apud Salmanticenſes ubi ſuprà num. 196. Ratio ſumitur tum ex cit. cap. *ut animarum*,

ubi omnes ignorantes, quorum ignorantia non est crassa aut supina, à vinculis censurarum excipiuntur: tum ex eo, quòd ignorantia minùs culpabilis, quàm crassa, aut supina, conjuncta sit cum aliqua diligentia in inquirenda veritate; ut locis citt. exposuimus; ut proinde cum illa delinquens non videatur contumaciter (saltem gravi contumacia) contemnere autoritatem Ecclesiæ. Hanc sententiam Salmanticenses, num. 197. judicant esse speculativè probabilem: putant tamen, practicè loquendo vix inveniri ignorantiam mortaliter culpabilem non crassam, aut supinam. Verùm alii meliùs docent, suppositâ ejusmodi ignorantiâ incurri censuram. Ratio est: quia ex ignorantia mortaliter culpabili transgrediens præceptum Ecclesiæ sub gravi censura latum committit gravem negligentiam in comparanda notitia obligationis aliàs publicæ, ac per se ipsam de se semper admonentis quoscunque subditos. Ergo quamvis non sit contumax formaliter & directè, contumax tamen est virtualiter, ac indirectè, quod sufficit, ut incurratur censura. Accedit, quòd, sicut Deus propter ignorantiam illam mortaliter culpabilem justè possit ac velit hominem æternâ pœnâ plectere, ita non sit ratio, cur non possit & velit Ecclesia suis pœnis coërcere & castigare. Vid. Filliuc. ubi suprà n. 262. & 263. Salmantic. loco cit.

11 V. Non incurrit censuram lege, vel præceptò intentatam, qui hoc, aut illam transgreditur ex gravi metu mortis, infamiæ, &c. esto non semper excusetur à peccato mortali; quemadmodùm contingit, quando lex, quæ violatur, non tantùm Ecclesiastica, sed etiam naturalis est. Ita qui metu gravi adactus occideret Clericum, non incurreret excommunicationem, licèt peccaret mortaliter. Bonac. disp. 1. q. 2. pu. 3. n. 2. Laym. n. 9. Salmantic. n. 204. cum pluribus, quos referunt. Filliuc. n. 269. contra nostrum Reding ubi suprà contr. 3. n. 9. Ratio est quia, licèt supponamus, metum non excusare à gravi peccato contrà legem naturalem, & etiam Divinam, ut in dato exemplo; excusare tamen potest ac solet à peccato, ut est contra legem humanam, ex qua pendet censura: & consequenter, qui ex tali metu peccat, non meretur puniri pœnâ legis humanæ, qualis est censura; quia non meretur puniri pœnâ annexâ legi, contra quam non formaliter peccat. Deinde Ratio ex dictis est: quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia & interpretativus contemptus: atqui in illo, qui ex gravi metu peccat, alioquin non peccaturus, non censetur esse contumacia, vel contemptus Ecclesiasticæ potestatis; ergo, &c.

12 Dico quarto. Actus peccati, propter quod incurritur censura, debet in suo genere esse perfectus, & consummatus, nisi aliud expressè significent verba legis. Ita communis. Ratio est: tum, quia lex non obligat ultra intentionem Legislatoris per verba expressam: tum, quia præsens materia est odiosa, quam strictè interpretari & restringere oportet. Dixi tamen, *nisi aliud expressè, &c.* Nam si verba legis significent intentionem puniendi etiam affectum & conatum, tunc ad censuram incurrendam non requiritur actus in suo genere completus; sicut n. 16. videbimus. Ex dictis resolves sequentia.

13 I. Non incurrit censuram canonis, qui explodit bombardam in Clericum, & globo prætervolante aberrat. Ratio est: quia non adest actio consummata per effectum, qualis principaliter prohibetur sub censura excommunicationis: sub hac enim prohibetur percussio Clerici, sive violenta in Clericum injectio manuum. Atqui dicto modo aberrans non censetur in Clericum violentas manus injicere. Filliuc. tr. 11. cap. 6. n. 173.

14 II. Si Titius Caium vulneret non lethaliter, & hic moriatur vel ob malam curationem, vel aliam causam contingenter occurrentem, Titius non ligatur censurâ, si qua lata sit in homicidas, tametsi Caius non esset mortuus, si vulnus non accepisset à Titio; imò licèt iste vulneraverit ex intentione occidendi. Ratio est: quia sub censurâ hîc prohibetur consummata interfectio hominis, seu homicidium, & non qualiscunque vulneratio ex se insufficiens ad causandam mortem. Imò Titius neque tunc incurreret censuram, si Caius ab ipso lethaliter vulneratus mortem evaderet per miraculum. Ratio est: quia lex sub censura prohibens homicidium debet intelligi de homicidio cum effectu ultimo: hic autem non sequitur, sed impeditur in nostro casu. Filliuc. n. 174. ex communi.

15 III. Quando incestus sub pœna excommunicationis est prohibitus, eam Titius non incurrit, licèt cum consanguinea exerceat turpes tactus, oscula, &c. Ratio est: quia nomine incestûs sub ejusmodi pœna prohibiti intelligitur actus carnalis cum consanguinea per copulam consummatus. Salmantic. n. 144. cum aliis, quos referunt.

16 IV. Mandans, vel consulens homicidium, v. g. non ligatur censurâ homicidis intentatâ, nisi mors sequatur. Similiter, dum fertur excommunicatio in eum, qui mandat, vel suadet injustam electionem, vel dat suffragium indigno, illam censuram non incurrit, nisi effectus sequatur, scilicet electio indigni. Ratio horum est: quia mandatum, consilium, & suffragium

sine

ſine effectu ſecutò non eſt actio completa & conſummata in genere homicidii, Injuſtitiæ &c. Bonac ubi ſuprà n. 15. Reding cit. q. 20. a. 3. contr. 2. n. 10. & 11. Hic tamen placet, quod aliqui notant, attendendum eſſe, utrùm in mandantes, conſulentes &c. excommunicatio feratur principaliter, & per ſe, vel accèſſoriè tantùm? In primo caſu incurrunt excommunicationem, tametſi effectus non ſequatur. Exemplum habetur in cap. 1. *de homicid. in* 6. ubi excommunicantur mandantes homicidium fieri per Aſſaſſinos, qui incidunt in hanc pœnam etiam homicidiô non ſecutô, eò quòd ſub cenſura æque principaliter prohibeatur tale mandatum, ac ipſum homicidium. In ſecundo caſu non cenſentur incurrere excommunicationem. Quòdſi dubium oriatur, ad mandatum, vel conſilium; æquè principaliter prohibeatur, præſumendum eſt prohiberi ſolùm accèſſoriè: quia in pœnis mitior ac benignior interpretatio facienda eſt. Vid. Bonac. loco cit.

ARTICULUS IV.

De Abſolutione à Cenſura.

SUMMARIUM.

1. Cenſura tolli non poteſt, niſi per legitimam abſolutionem. 2. Quinam abſolvere poſſint à Cenſura juris non reſervata. 3. An etiam Parochus? 4. Quinam abſolvere poſſint à Cenſura juris reſervata. 5. Obſervanda in praxi. 6. 7. Quis à Cenſura ab homine ſpecialiter, uti & generaliter lata, poſſit abſolvere? 8. Varii modi abſolvendi à Cenſuris. 9. Quæ ſint conditiones ad validam abſolutionem à Cenſuris requiſitæ tum ex parte ipſius abſolutionis, tum abſolventis, tum ejus, qui abſolvitur.

1 SUpponendum eſt ex communi doctrina, propriè dictam cenſuram alio modo non tolli, quàm legitimi judicis abſolutione. Et quidem, quòd tollatur per abſolutionē, apertè conſtat ex illis Chriſti verbis, *quæcunque ligaveris, vel ſolveris &c.* in quibus continetur Eccleſiaſtica poteſtas ſicut ligandi, ita & ſolvendi. Quòd autem alia ratione tolli nequeat, oſtenditur: vel enim tolleretur per deſtructionem ſubjecti, vel per ceſſationem cauſæ. Non per primam; quia etiam mortuus in cenſura v. g. excommunicatione, Eccleſiæ ſuffragiis, & ſepultura ſacra carere debet. Non per ſecundam; quia neque tollitur per mortem ferentis, ſive ſit à jure, ſive ab homine; cùm pœna ſemel legitimè impoſita tranſeat in rem judicatam. Neque per emendationem delinquentis, ſeu depoſitionem contumaciæ; quia, licèt contumacia ſit cauſa, ut feratur cenſura, ejus tamen duratio non eſt menſura durandi reſpectu cenſuræ, ita ut non duret diutiùs. Unde ſicut ablatâ culpâ: quæ eſt cauſa pœnæ; adhuc durat pœna, ita etiam ablatâ contumaciâ adhuc durat cenſura. Itaque à primo ad ultimum ſupereſt, ut cenſura per ſolam abſolutionem tollatur.

2 Dico jam primo. A cenſura juris non reſervata poteſt abſolvere quilibet Epiſcopus proprius, & omnis, qui habet jurisdictionem Epiſcopalem. Ita communis ſententia. Quæ probari ſolet ex cap. *Nuper. de ſent. excom.* ubi licèt ſermo ſit de ſola Excommunicatione, eaque minore, tamen à Doctoribus inde collecta eſt regula generalis pro Excommunicatione etiam majore, & omnibus cenſuris. Ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd abſolutio à cenſura non reſervetur in jure, poteſtas abſolvendi videatur conceſſa ab Authore canonis etiam aliis. Dixi autem in concl. *Epiſcopus proprius*, nempe ille, qui eſt Epiſcopus Diœceſis, in qua reus habet ſuum domicilium. Hoc enim eſt fundamentum jurisdictionis. Dixi rurſus, *& omnis, qui habet jurisdictionem Epiſcopalem*: ut eandem poteſtatem extenderem ad Superiores Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum; item ad Vicarium Epiſcopi; Capitulum ſede vacante; Abbates exemptos. Filliuc. tract. 11. cap. 9. n. 282.

3 An etiam Parochus, aut alius Sacerdos, qui poteſt abſolvere à peccato mortali, poſſit eò ipſo abſolvere à cenſura eidem annexa, ſi non ſit reſervata? non convenit inter Authores. Negant Covarru. Durandus, Paludanus, Tabiena, D. Antoninus apud Salmantic. tract. 10. cap. 2. n. 43. Ratio eſt: quia, ſicut ad ferendam cenſuram, ita etiam ad abſolvendum ab illa requiritur jurisdictio fori externi: atqui hac tali jurisdictione tam Parochi, quàm alii Sacerdotes deſtituuntur; ergo. Affirmant tamen communiùs alii, idque ob rationem cap. *Nuper.* in priori num. adductam, quæ idem probat de Parochis, & Sacerdotibus Confeſſariis, quod de aliis. Ad fundamentum oppoſitum dicitur, illos deſtitui quidem jurisdictione fori externi ordinaria, habere tamen delegatam ex delegatione juris, idque ad unum duntaxat actum ſolvendi, non autem ligandi. Vid. Filliuc. à n. 283. Salmantic. n. 44. Reding q. 20. a. 3. contro. 4. à n. 12. Illſung tract. 7. diſp. 1. a. 3. n. 17.

4 Dico ſecundo. A cenſura juris reſervata ille poteſt abſolvere, qui eam tulit, &non

& non alius, nisi sit ejus Superior, vel successor, vel delegatus. Ita recepta ab omnibus, & certa sententia. Ratio est, quia ejusdem est solvere, cujus est ligare: ergo, qui ligavit per censuram, potest ab illa absolvere. Quòd verò alius non possit, nisi Superior, vel successor, vel delegatus, facile patet: quia lator censuræ per reservationem ab omnibus aliis aufert, nec cuiquam alteri concedit facultatem absolvendi.

5 Hìc tamen observandum est primo, quamvis Episcopi à censuris Papæ reservatis possint absolvere quosliber impeditos adire Papam, id tamen aliter non posse, nisi cum impositione obligationis se postea præsentandi Papæ. Observandum est secundo, in articulo mortis nullam attendendam esse reservationem, sed quemlibet Sacerdotem tunc quoslibet posse absolvere ab omni censura sive juris, sive hominis; dummodo, qui absolvuntur, antea jurati promittant, quod, si convaluerint, velint se præsentare illi, ad quem potestas absolvendi de jure spectat; utpote aliàs in censuram relapsuri, Reding n. 18. & n. 19. Observandum est tertio, illi, cui concessa est facultas absolvendi à casibus reservatis, qui censuras habent annexas, etiam concessam esse facultatem absolvendi ab istis. Ratio est, quia, ut pœnitens tunc absolvatur à peccatis reservatis, prius absolvi debet à censuris; consequenter, qui habet sibi concessam facultatẽ absolvendi à peccatis reservatis, eo ipso habet etiam facultatem absolvendi à censuris eisdem annexis. Salmantic. n. 38.

6 Dico tertio. A censura ab homine, si specialiter, hoc est, per sententiam particularem contra determinatam personam, lata sit, ille potest absolvere, qui eam tulit, vel Superior, vel successor in officio; vel ejus delegatus, & nemo alius. Ita rursus communis DD. Ratio est: quia inprimis tres priores omnes habent æqualem potestatem & jurisdictionem in eum, qui censurâ est ligatus: ergo quemadmodum possent ligare, ita etiam possunt absolvere. Cùm ejusdem facultatis sit ligare & solvere. Deinde, quòd possit delegatus, facilè patet: quia hujusmodi potestas est delegabilis more alterius jurisdictionis ordinariæ. Quòd verò nemo alius possit absolvere, evidentissimum est.

7 Dico quarto. A censura ab homine, si generaliter, id est, per modum sententiæ generalis, præcepti, vel statuti, lata sit pro cavendo delicto in futurum, omnis ille potest absolvere, qui potest à censura juris nemini reservata, scilicet quivis Episcopus proprius, Parochus, & sacerdos, qui potest absolvere à moralibus. Ita probabilior sententia: quam tenent Laym. tract. 5. par. 1. cap. 7. n. 3. Salmantic. n. 11. & alii, quos referunt. Deinde Reding n. 10. Illsung ubi suprà. Ratio est: quia censura hoc modo lata se se habet ad instar censuræ à jure latæ, & solùm in eo differt, quòd mortuo ferente expiret; dum econtra censura juris adhuc durat post mortem statuentis. Ergo, quantum attinet ad potestatem absolvendi à tali censura, meritò idipsum sentitur, quod de potestate absolvendi à censura juris: præsertim, cum hæc materia sit favorabilis, quam oportet ampliare, quantum res ipsæ permittunt. Salmantic. loco cit.

8 Dico quinto. Absolutio à censura variis modis impertiri potest. Ostenditur. Nam primo impertitur purè & simpliciter: v. g. *absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem causam.* Secundo, sub conditione pendente in futurum: v. g. *si satisfeceris intra mensem.* Qui tamen modus, teste Laym. non est usitatus. Tertio, ad cautelam, si nempe certum non sit, aliquem incurrisse censuram, sed suspicio, vel dubium: tunc quippe absolvi solet sub conditione: v. g. *absolvo te à censura excommunicationis, si indiges, vel, si eam incurristi ob tale crimen.* Solet etiam, quando nulla adest suspicio contractæ censuræ, absolutio à censuris permitti absolutioni Sacramentali: nempe, *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis &c.* idque ad vitandam irreverentiam, si fortè pœnitens occultâ censurâ esset irretitus. Idem fieri constat ante collationem Ordinum ad vitandam irregularitatem ordinati: ante electionem, vel collationem beneficii Ecclesiastici, vel privilegii ad vitandam illarum invaliditatem. Impertitur quarto ad reincidentiam, idque duobus modis, primo ad certum effectum, v. g. ut excommunicatus testari possit. Quamvis hæc talis absolutio sit potiùs dispensatio quædam, ut actus subsistat non obstante impedimento censuræ. Secundo, cum certa conditione, quam nisi absolutus intrà præfixum tempus adimpleat, in eandem, vel potiùs similem censuram relabatur. Et hæc est propriè dicta censura ad reincidentiam: cùm in priori reus simpliciter non liberetur; adeoque nec propriè reincidat in censuram. Vid. Laym. n. 8.

9 Dictis addendum est primo, ex parte ipsius absolutionis, ut sit valida, nullam requiri certam verborum formulam; sed sufficere ea signa, quibus apertè significetur, reum à censura absolvi. Quamvis propter communem usum sine verbis, aut scripto; sicut nec sine ritu præscripto in cap. *A nobis.* 28. *de sent. Excommunic.* non sit conferenda hæc absolutio. Quod posterius tunc saltem observari debet, quando non est merè pœnitentialis, sed publicè ac solemniter

ad satis-

ad ſatisfactionem Eccleſiæ præſtandam impertitur. In gravibus quoque delictis, v. g. incendii, percuſſionis Clerici, ex communi DD. ab eo, qui abſolvendus eſt, exigi debet juramentum de tali facinore non ampliùs committendo. Reding à n. 25. Illſung n. 22.

Addendum eſt ſecundo, ex parte abſolventis requiri primo, ut ſit Clericus. Ratio eſt: quia poteſtas ligandi & poteſtas ſolvendi ſervant inter ſe quandam æqualitatem: ergo ſicut ligare non poteſt, niſi Clericus, ita nec abſolvere: & ſicut ad ligandum ſufficit ordo Clericatûs, ita etiam ſufficit ad abſolvendum à cenſura, modo adſit jurisdictio, eaque non impedita. Secundo, ut abſolutionem impertiat citra gravem metum, aut vim ſive à reo, ſive ab alio ad illam extorquendam injuſtè illatam. Secùs abſolutio erit nulla ex jure poſitivo ſaltem. cap. un. *de iis, quæ vi &c. in* 6. Tertio, ne erret in cauſa principali, quæ per ſe neceſſaria eſt ad valorem abſolutionis: nempe, ne per errorem exiſtimet, reum ſatisfeciſſe parti læſæ, vel propoſitum ſatisfaciendi habere; cùm tamen id fictè ſolùm præſeferat. Ratio hujus requiſiti eſt: quia abſolvendis non præſumitur procedere irrationabiliter, & in defectu cauſæ principalis velle cenſuram remittere. Unde ſuppoſito ejusmodi errore, dum abſolvit, involuntariè, adeoque invalidè, abſolvit.

Addendum eſt tertio, ex parte recipientis abſolutionem ferè nullam ad ejus valorem requiri aliam conditionem, quàm ut adimpleat conditionem, quando abſolutio ab aliqua dependet in futurum. Decet equidem ob majorem cenſuræ reverentiam, ut non conferatur abſolutio humiliter non petenti, vel abſenti; validè tamen conferri poteſt tam abſenti, quàm etiam invito: cùm non ſit major ratio, cur quis abſens & invitus poſſit cenſurâ puniri, & non etiam abſolvi. Poteſt etiam irretitus pluribus cenſuris abſolvi ab una, & non ab altera: quia nulla habet cum altera neceſſariam connexionem. Vid. Filliuc. à n. 317. Illſung à n. 19. & alii.

DISPUTATIO II.

De Cenſuris in ſpecie.

ARTICULUS I.

De Excommunicatione.

In hoc artic. inquiremus primò, quid ſit Excommunicatio, & quotuplex? ſecundo, ob quam cauſam incurratur, quosque effectus habeat excommunicatio minor? Tertio, qui ſint effectus Excommunicationis majoris? Quarto, ob quas cauſas incurratur excommunicatio major? Quinto, quomodo intelligenda ſit excommunicatio, quæ incurritur ob percuſſionem Clerici? ſit igitur

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio?

SUMMARIUM.

1. *Triplex communicatio fidelium.* 2. *Definitio Excommunicationis.* 3. *Ejus diviſio in majorem & minorem.* 4. *Excommunicatio major eſt pœna Eccleſiaſtica omnium graviſſima.* 5. *Quam cautè & tardè procedendum ad eam infligendam.* 6. *Anathema non differt eſſentialiter ab Excommunicatione majori.* 7. *Excommunicatus, alius tolerantus, alius non toleratus.* 8. *Reſolutiones ex dictis.*

NOtandum eſt cum Filliucio tract. 12. cap. 1. n. 4. Laym. tract. 5. par. 2. cap. 1. n. 2. triplicem dari communicationem fidelium; videlicet purè internam, purè externam, & mediam, ſive mixtam. Purè interna conſiſtit in fide & charitate, per quam fideles & inter ſe, & cum Chriſto myſticè copulantur: ratione cujus communicationis unus fidelis alteri poteſt à Deo impetrare ſpecialia beneficia, eique, ſi capax ſit, proprias ſatisfactiones applicare. Communicatio purè externa conſiſtit in ſocietate politica, convictu, colloquio, commerciis. Mixta

est; quæ in actionibus exterioribus, vel cæremoniis consistens interiorem, seu spiritualem fructum ex propria institutione continet. Huc spectant usus Sacramentorum, publica Ecclesiæ suffragia, Sacrificia, satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ per indulgentias fidelibus justis applicari solent.

2 Dico primo. Excommunicatio in communi rectè definitur, *Censura Ecclesiastica privans Ecclesiastica communione fidelium.* Ita Filliuc. n. 3. In qua definitione *censura ecclesiastica habet* rationem generis. Per reliquas particulas definitum differt à suspensione & interdicto. Nam suspensio tantùm privat Ecclesiastico ministerio; interdictum verò solùm rebus Divinis, vel officiis; ut suis locis videbimus. Dicitur autem *communione fidelium*, non qualicunque, sed *Ecclesiasticæ*; quia Excommunicatio non privat alia communione, quàm illa, quæ dependet ex voluntate & potestate Ecclesiæ; quemádmodùm dependent communio purè externa, & mixta; & non dependet purè interna: quæ proinde non privat, nec potest privare excommunicatio.

3 Dico secundo. Excommunicatio rectè dividitur in majorem, & minorem. Sumitur hæc divisio ex cap. De Presbyter. 17. q. 4. & cap. Nemo Episcop. 11. q. 3. Excommunicatio major est, quæ privat hominem omni Ecclesiastica communione. Minor est, quæ privat aliqua Ecclesiastica communione; scilicet participatione Sacramentorum.

4 Ex tradita jam definitione colligitur, excommunicationem majorem esse pœnam Ecclesiasticam omnium gravissimam. Nam privat simpliciter omni jure communicandi cum aliis fidelibus licitè & honestè. Atque hinc vocari solet *mors*, *gladius Episcopi*, *virga ferrea*, *nervus Ecclesiasticæ disciplinæ.* Quibûs nominibûs non meretur exaggerari minor excommunicatio; cùm secundùm quid solùm, nempe quoad usum passivum, seu receptionem Sacramentorum, privet communione fidelium. Unde etiam habetur, nomen *Excommunicatio* esse analogum; atque adeò absolutè prolatum pro principali analogato, quod est major excommunicatio, esse accipiendum; nisi in materia subjecta, vel ex adjunctis aliquando constet contrarium. Filliuc. n. 8.

5 Gravitas hujus pœnæ, quæ est major excommunicatio, in causa est, ut ad eam infligendam tardè procedi debeat, atque tunc primùm, quando per monitiones, comminationes, ac plerumque alias leviores pœnas & censuras nulla delicti emendatio obtineri potuit; dummodò tamen aliqua spes fructûs tunc quoque affulgeat, si non ad reum emendandum, saltem ad bonum publicum promovendum. Nam alioquin omnis censura intermittenda erit. Laym. n. 6. ubi ex eadem gravitate hujus censuræ deducit, Collegium, Capitulum, & quodvis aliud corpus politicum simul ac collectivè excommunicari non posse, quando non omnes in ejusmodi communitate sunt rei; licèt singuli in illa possint excommunicari, quando singuli sunt rei culpæ, inque ea contumaciter persistunt.

6 Ab excommunicatione majori anathema non differt essentialiter, sed accidentaliter solùm ratione majoris solemnitatis, quæ in eo ferendo adhibetur. Nam Episcopo in quemquam ferente anathema pulsantur campanæ, circumstant duodecim Sacerdotes cum totidem candelis ardentibus, quas in detestationem excommunicati humi abiiciunt, ac pedibus conculcant. Unde dum in cap. *Engeltrudam* 3. q. 4. dicitur, excommunicationem esse quid diversum ab anathemate, id intelligendum est de diversitate accidentali; nisi malis intelligere de excommunicatione minori. Laym. n. 7. Salmantic. tract. 10. cap. 3. n. 2.

7 Cæterùm excommunicatus excommunicatione majore alius dicitur toleratus, alius non toleratus. Quorum diversitatem ut intelligas, sciendum est, antiquo jure omnes excommunicatos fuisse vitandos; quamvis eo discrimine, ut, si publicè fuissent excommunicati, publicè vitarentur; si privatim, privatim vitarentur ab illis, qui haberent notitiam excommunicationis. Nunc verò post constitutionem Concilii Constantiensis, quæ incipit, *Ad evitanda scandala*, duo tantùm genera excommunicatorum, qui vitandi, adeoque non tolerati, sunt, numerantur, nempe nominatim excommunicati ac denuntiati, & notorii percussores Clericorum. Reliqui omnes excommunicati habentur pro toleratis, nec quisquam eos, quantum est ex vi præcepti censuræ, tenetur vitare; quamvis aliunde ex jure Divino & naturali quis possit ad hoc obligari: veluti contingit, dum est periculum perversionis, vel scandali, si non vitetur excommunicatus; vel, dum spes affulget, fore, ut subtracta communicatione criminis sui pudorem concipiat & resipiscat, ut ex Avila & Soto notant Salmantic. n. 11. Ex dictis jam resolves sequentia.

8 I. In Germania, Gallia, Anglia, Belgio, aliisque provinciis passim censetur licita; & est licita Catholicis communicatio cum hæreticis. Ratio est: quia licèt notorium sit cùm per cap. *Excommunicamus, de hæret.* tum per Bullam Cœnæ, eos ob hæresim esse excommunicatos, non tamen sunt nominatim excommunicati, ac publicè denun-

denuntiati. Filliuc. tract. 13. cap. 4. n. 63. Laym. cap. 4. n. 4. Salmantic. n. 11.

II. Quamvis Cajus v. g. sit nominatim excommunicatus, vel publicè constet, ob enorme aliquod delictum excommunicationem incurrisse; non teneris eundem vitare, priusquàm denuntietur excommunicans. Ratio est: quia ad obligationem vitandi in cit. constit. Concil Constant. non sufficit, quòd quis notoriè sit excommunicatus, aut etiam nominatim per sententiam (quod fit exprimendo nomen proprium, vel aliter describendo personam, ut de illa dubitare non liceat) sed insuper requiritur, ut sit publicè denuntiatus. Atque hinc, ut infert cum aliis Bonac. disp. 2. q. 2. pu. 1. §. 1. n. 2. Si dicat Papa, excommunicamus Titium & omnes ejus complices, solum Titium vitare teneris, non verò complices, quamvis sint notorii. Eò quòd respectu illorum sententia sit solùm generalis, & non specialis contra determinatam personam: ut proinde non sint nominatim excommunicati. Similiter, siquis citetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nisi compareat, non est vitandus, quamvis non compareat: quia nondum est denuntiatus excommunicatus.

III. Non teneris vitare excommunicatum, qui privatim, v. g. in conclavi, vel consistorio Judicis coram litigantibus, fuit denuntiatus. Ratio est: quia debet esse denuntiatus denuntiatione publica, ad quam requiritur, ut sententia legatur in aliquo loco publico, v. g. in templo, tempore concionis; vel affigatur ad valvas Ecclesiæ, aliúmve locum celebrem; vel aliter in notitiam publicam deducatur, prout fert consuetudo regionis. Bonac. loco cit. Filliuc. n. 68. Salmantic. n. 13.

IV. Non teneor vitare eum, qui coram me solo percutiens Clericum incurrit excommunicationem canonis *siquis suadente*. Ratio est: quia non teneor vitare percussorem Clerici nisi notorium, idque notorietate non tantùm juris, putà per confessionem illius in judicio, vel per sententiam judicis; sed etiam notorietate facti, ita ut factum ipsum *nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*: ut dicitur in cit. constit. Atqui coram me solo percutiens Clericum non est percussor notorius; ergo. Cæterùm, quot testes requirantur ad notorietatem facti, relinquendum est judicio prudentùm, attentis qualitatibus loci, temporis, ac ipsorum testium &c. Salmantic. n. 17. Bonac. n. 5.

§. II.

Ob quam causam incurratur, & quos effectus habeat Excommunicatio minor?

SUMMARIUM.

9. Cur hæc excommunicatio dicatur Minor? 10. Ejus definitio & effectus. 11. Grave peccatum est in Minori excommunicatione absque justa causa Sacramenta suscipere. 12. Alius effectus indirectus Minoris Excommunicationis. 13. Propter solam culpabilem communicationem cum excommunicato incurritur minor Excommunicatio. 14. Quinam possint absolvere ab Excommunicatione minori.

DAri hanc speciem excommunicationis habetur ex cap. *cum excommunicato*, & seqq. cap. fin. *de Clerico excommunic. ministr.* & aliis juribus. Dicitur minor vel respectu causæ moraliter motivæ; quia ob minorem culpam incurritur; vel respectu effectuum; quia privat paucioribus bonis, quàm excommunicatio, quæ major dicitur. De hac minori excommunicatione breviter explicabimus primo, quos habeat effectus. Secundo, ob quam causam incurratur. Tertio, quis ab ea possit absolvere. 9

Dico primo. Excommunicatio minor est *censura Ecclesiastica privans usu passivo, sive susceptione Sacramentorum.* 10
Ex hac definitione communiter recepta habetur, unicum effectum, saltem per se, & directum, minoris excommunicationis esse, quòd privat excommunicatum usu passivo Sacramentorum. Nam alii duo, qui adduntur, sunt indirecti, & ex consequenti. Primus est, quòd hac excommunicatione irretitus, peccet; venialiter saltem, si citra necessitatem Sacramenta administret. Quòd probant ex cap. *si celebrat.* ubi Pontifex dicit, talem peccare. Non autem peccare mortaliter, colligitur ex ratione, quam reddunt: quia indecens esse videtur, eum, cui susceptio Sacramentorum prohibita est tanquam indigno, Sacramenta administrare: nam violatio alicujus decentiæ præcisè regulariter quid leve solùm existimatur. Atque ita docent Bartholom. Medina, Covar. Avila, Ægid. Suarez apud Laym. tract. 5. par. 2. cap. 3. n. 4. Verùm rectiùs videtur dici oppositum, videlicèt, talem neque venialiter peccare: quia negatur, in ejusmodi statu administrare Sacramenta importare aliquam indecentiam, dummodò minister ad id præstandum aliunde sit rectè dispositus. Unde Pontifex in cit. cap. intelligendus est de administratione Sacramentorum, quam debet præcedere susceptio alicujus, ut in Episcopo conferente Ordines Sacros, & in Sacerdote, qui in Missa sacram Eucharistiam distribuit. Talis enim licèt non peccet, quatenùs ministrat, attamen peccat, & quidem graviter, quatenùs suscipit Sacramentum in excom-

excommunicatione. Ex quo obiter etiam colligitur, per relatum cap. contra Authores oppositos posse probari plus quàm ipsis gratum est. Cùm enim administratio Sacramenti non minùs sit gravis materia, quàm susceptio; sicut suscipere aliquod Sacramentum in excommunicatione minore peccatum mortale est, ut postea videbimus; ita etiam mortale erit administrare: quod iidem negant. Vid. Filliuc. tract. 13. cap. 2. n. 23. & 24. Bonac. disp. 2. q. 3. n. 4. Salmantic. tract. 10. cap. 3. n. 159. Illsung tract. 7. disp. 1. q. 2. a. 1. n. 20. Itaque probabilius est, administrationem Sacramentorum non esse prohibitam per excommunicationem minorem.

11 De cætero graviter peccat ejusmodi excommunicatus, si absque justa causa Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonii, vel extremæ Unctionis suscipiat. Ratio est: quia hoc ipsi graviter, utpote in materia gravi, prohibitum est. Validè tamen quodcunque Sacramentum suscipit, etiam pœnitentiæ Sacramentô non exceptô (ut aliqui excepérunt) si id ex causa à peccato mortali excusante, adeoque contritionem saltem imperfectam non impediente suscipiat. Ratio est: quia jure tantùm prohibetur, non autem irritatur Sacramentorum susceptio Salmantic. n. 157. Illsung n. 25. Cæterùm sive illa administret, sive suscipiat; non incurrit irregularitatem; cùm id nullo jure statutum inveniatur.

12 Secundus effectus indirectus excommunicationis minoris est, quòd illâ excommunicatus ad beneficium Ecclesiasticum eligi non debeat. Ratio est: quia omne beneficium Ecclesiasticum ex sua institutione ordinatur ad sacros Ordines suscipiendos, Missam celebrandam &c. à quibus cùm directè repellatur minore excommunicatione ligatus, ut vidimus n. 10. indirectè & ex consequenti repellitur à receptione beneficiorum. Et quamvis in illo cap. *si celebrat* Pontifex loquatur de sola electione; propter identitatem tamen rationis idem dicendum de præsentatione & collatione beneficii, ut communiter tenent DD. Mortaliter proinde peccant eligentes, præsentantes, conferentes beneficium excommunicato excommunicatione minore, sicut & ipse excommunicatus id recipiens: quia in re gravi transgrediuntur præceptum Ecclesiæ. Bonac. n. 7. Salmantic. n. 160. cum aliis, quos referunt. Ejusmodi tamen electio, præsentatio, & collatio non est ipso jure irrita, sed irritanda per sententiam: quia Pontifex in cit. cap. dicit esse irritandam: qui modus loquendi propriè non significat, esse declarandam ipso jure, & facto irritam, ut aliqui explicant; sed esse reprobandam, & cassandam mediante sententia. Reding q. 20. a. 4. contr. 9. n. 4. Salmantic. n. 161. Illsung. n. 27. Porrò nulla pœna propter talem electionem, præsentationem &c. licet scienter factam ejusmodi excommunicato, incurritur; quia non constat, aliquam in jure esse designatam.

Dico secundo. Excommunicatio minor hodie propter solam culpabilem communicationem cum excommunicato non tolerato, sive vivo, sive mortuo, incurritur. Ita unanimis DD. consensus. Habetur ex cap. *excommunicatus*. cap. *cum excommunicato*, & aliis. Advertendum est autem ex communi doctrina apud Bonac. n. 2. ut incurratur hæc excommunicatio, non requiri communicationem cum excommunicato mortaliter malam, sed sufficere venialiter malam. Hæc eadem censura absolutè decerni potest etiam ab homine; quemadmodum olim fuit in usu, ut vel propter hoc ipsum prohibitæ communicationis, vel aliud peccatum præteritum, partialis excommunicatio à S. Synaxi, vel etiam oratione, & mensa alicui infligeretur; quod passim in Regula nostri S. Ordinis notare licet. Quamvis hodie talem modũ excomunicandi non amplius vigere videamus. Laym. ubi suprà n. 5. 13

Dico tertio. Absolvere ab excommunicatione minore potest non tantùm Episcopus, & quilibet proprius Sacerdos; sed probabiliùs etiam omnis alius, qui habet potestatem absolvendi à venialibus. Prima pars concl. patet ex cap. *Nuper de sent. excom.* Secundam part. quæ controversa est, præter D. Thomam loco citando, tenent Navarr. Toletus, Diana, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmantic. n. 166 contra Filliuc. Reginald. Henriq. Coninch. & alios. Prob. ex D. Thoma in 4. dist. 18. q. 2. a. 5. quæst. 1. in corp. illis verbis: *a minore excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere à peccato participationis.* Atqui à peccato participationis, sive communicationis cum excommunicato, propter quod incurritur minor excommunicatio, si sit peccatum solùm veniale (quale per se loquendo sufficit ad ferendam hanc censuram, quando est tale ob parvitatem materiæ, & non propter imperfectum usum rationis) potest absolvere quilibet Sacerdos etiam simplex, sive non approbatus; ergo etiam potest absolvere à minore excommunicatione, illâ saltem, quæ propter peccatum veniale incurritur. Quod nobis sufficit: neque enim contendimus (quod tamen docent Diana & alii apud Salmantic. citt.) posse absolvere à minori excommunicatione contracta per peccatum etiam mortale; cujusmodi esse posset communicatio in sacris cum excommunicato vitando. 14

Confir-

Confirmatur. Quando concessum est unum, etiam concessum esse censetur aliud, sine quo illud haberi, sive exerceri non potest: cùm proinde simplicibus Sacerdotibus concessa sit potestas absolvendi à peccatis venialibus, eademque potestas exerceri non possit in illa peccata, quando habent adjunctam excommunicationem minorem, nisi priùs ab hac absolvatur pœnitens; eisdem hanc quoque potestatem absolvendi concessam esse dicendum est.

§. III.

Qui sint effectus Excommunicationis majoris?

SUMMARIUM.

15. 16. *Primus effectus Excommunicationis majoris est privari usu passivo Sacramentorum.* 17. 18. 19. 20. *Secundus, privari communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus &c.* 21. 22. 23. 24. 25. *Tertius, privari usu activo Sacramentorum.* 26. 27. 28. *Quartus, exclusio à communione in Divinis officiis cum aliis fidelibus.* 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Quintus, inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica.* 35. 36. *Privatio communicationis forensis.* 37. 38. 39. 40. *Privari usu jurisdictionis Ecclesiasticæ.* 41. 42. *Privari Ecclesiasticâ sepulturâ.* 43. 44. 45. *Privari communicatione civili sive politica.*

15 PRimus effectus est. Excommunicatio privat usu passivo, sive receptione Sacramentorum. cap. *cum illorum.* cap. *siquem. de sent. excom.* Hinc omnis excommunicatus, sive toleratus, sive non toleratus sit, peccat mortaliter, dum recipit aliquod Sacramentum; quia in re gravissima agit contra prohibitionem Ecclesiæ. Et hic effectus excommunicationis obtinet per se loquendo. Nam excusat aliquando probabilis ignorantia, sive juris, sive facti; periculum mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ bonorum, scandali, alteriusve gravis damni. Quia Ecclesia non censetur obligare per aliquam suam censuram cum incommodis adeò gravibus. Bonac. disp. 2. q. 2. punc. 2. §. 1. n. 4. Laym. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 3. n. 41.

16 Quamvis autem illicitè, ut modò vidimus; non tamen invalidè, etiam extra casus memoratos, recipit Sacramenta, qui scit, se esse excommunicatum. Ratio est; quia valor Sacramentorum dependet ex institutione Christi; adeoque per jus Ecclesiasticum impediri non potest. Et hoc intelligendum est de validitate quoad substantiam, non quoad fructum. Nam certum est, ejusmodi excommunicatum, si loquamur de effectu, seu fructu, Sacramenta invalidè recipere. Dum enim recipit, peccat mortaliter, adeoque ponit obicem gratiæ, quæ est effectus illorum. Excipitur autem Sacramentum Pœnitentiæ, ita ut, qui conscius suæ excommunicationis, & Ecclesiasticæ prohibitionis illud absque necessitate recipit, etiam quoad substantiam invalidè recipiat. Ratio est: quia est indispositus ad absolutionem recipiendam. Vel enim tacet in confessione, se accedere in excommunicatione; & sic confessio non est formaliter integra; vel, si non taceat, non habet sufficientem dolorem & propositum; quia non sufficienter dolet de hoc ipso peccato, quod tunc committit accedendo in ejusmodi statu. Bonac. n. 3. & alii ab eo relati. Sed nihilominùs, si excommunicatus in casu necessitatis, v. g. ad evitandam infamiam, vel cum ignorantia inculpabili, seu juris, seu facti, bona fide peccata confiteatur, dicendum est, cum valide absolvi, dummodò cætera, quæ ad essentiam hujus Sacramenti sunt necessaria, non deficiant. Ubi neque illud obstat, quòd excommunicatio sit fortè reservata; vel Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, à qua non potest absolvere, tamen ex malitia absolvat à peccatis. Bonac. n. 2. Salmantic. n. 43.

Secundus effectus. Excommunicatus 17
privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus, fructuque indulgentiarum, quæ fidelibus ex communi Ecclesiæ thesauro solet applicari. Ita omnes. Ratio est: quia Ecclesia ceu Domina, vel saltem dispensatrix istorum bonorum spiritualium, sicut probis fidelibus & obsequentibus ea largiri, ita inobedientibus & contumacibus tanquam indignis justè denegare potest, imò de facto denegat, ut tantô damnô perculsi resipiscant. Ex quo colligitur, eum, qui applicat pro excommunicato publica suffragia, v. g. horas Canonicas; vel orationes Missæ, peccare mortaliter. Ratio est: quia agit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi graviter interdicentis fidelibus, ne publicè orent pro excommunicato, vel communia suffragia applicent. Bonac. n. 4. & alii.

Sed quid, si excommunicatus jam resi- 18
puit à contumacia, neque stat per illum, quominus absolvatur; an ne pro tali quidem publicè orare, & communia suffragia licet offerre? Respondeo, probabilius non licere. Ita Filliuc. tract. 12. cap. 2. n. 45. Bonac. §. 2. Salmantic. n. 54. Reding q. 20. a. 4. contr. 1. n. 12. contra Navarr. Reginald. Sayr. & alios. Ratio est: quia semel excommunicatus manet excommunicatus, quamdiu non absolvitur, licèt per internam pœnitentiam resipuerit, seque coram Deo in gratiam restituerit: ergo manet etiam subjectus effectibus

bus excommunicationis, & quidem omnibus; cùm nulla sit ratio, cur hos, & non illos sustinere cogatur. Ex quibus proinde patet, neque pro tali excommunicato esse licitum publicè orare, & communia suffragia applicare. Neque existimes, repugnare pietati Matris Ecclesiæ velle, ut quis maneat privatus tantis bonis spiritualibus, si Divinam jam recuperavit amicitiam. Nam sæpe, cessantibus etiam culpis, reatus ad pœnam secundùm rectam rationem perseverat, estque convenientissimum, ut à pœna Ecclesiastica nemo liberetur, nisi auctoritate Ecclesiæ, quæ eam inflixit. Quare sicut non repugnat pietati Ecclesiæ hujusmodi excommunicatum excludere ab usu passivo, & activo Sacramentorum, ita nec repugnat excludere à communibus suffragiis, & orationibus.

19 Excipere tamen à doctrina tradita oportet preces, & sacrificium publicum feriæ sextæ Parasceues. Tunc enim publicè orare licet pro excommunicatis, Missamque offerre eo modo, quo solet celebrari illo die. Ratio est: quia Ecclesia quoad hæc eo die, ut imitaretur Christum, qui tunc publicè oravit pro inimicis, potuit dispensare; quodque de facto dispensaverit, patet ex Collecta illius Sacrificii *pro hæreticis, & schismaticis*, quos constat esse excommunicatos. Filliuc. n. 38. Salmantic. n. 52.

20 Denique advertendum est, orationes privatas, suffragia particularia, & virtutum opera licita offerri pro excommunicato etjam vitando. Rationem ex D. Thoma reddunt Salmanticenses n. 56. quòd ista non sit communicatio in bonis spiritualibus, sed actus misericordiæ, & eleemosynæ spiritualis. Quemadmodum ergo Ecclesia lege excommunicationis non prohibet dari excommunicato eleemosynam corporalem, ita nec prohibet spiritualem. Potest insuper Sacerdos tanquam persona privata pro excommunicatis orare in publicis precibus; imo eam ipsam sacrificandi actionem prout pendentem à merito privato operantis offerre; vel eorum peculiariter in Memento meminisse. Licèt enim tunc gerat personam Christi, aut Ecclesiæ, non tamen deponit personam privatam, sed etiam gerit: adeoque potest etiam ex sua propria intentione, suoque nomine orare pro excommunicatis, Missamque, in quantum est opus proprium, offerre. Bonac. §. 3. n. 6. Salmantic. loco cit.

21 Tertius effectus. Excommunicato sub mortali prohibita est administratio, sive usus activus Sacramentorum. Ita communis & certa sententia. ex cap. *si celebrat. de Cler. exc. minist.* Ratio est: quia Ecclesia ab hoc ministerio publico, quod ipsi Christus commisit, justè arcere potest indignos & contumaces, & quidem sub peccato gravi, utpote in materia gravi.

Tria tamen sunt capita, ex quibus excusari potest excommunicatus, ut non peccet Sacramenta administrando. Primum est ignorantia probabilis, sive juris; sive facti: putà, si inculpabiliter nesciat, se esse excommunicatum; vel excommunicato usum activum Sacramentorum esse prohibitum. Secundum, gravis necessitas, sive aliorum, ut in articulo mortis; sive propria: ut, si per vim, aut gravem metum compellatur ad ministrandum; vel in periculo mortis sit constitutus: tunc enim sibiipsi poterit ministrare S. Eucharistiam vel celebrando, vel sumendo ex præconsecratis. Tertium est periculum scandali aliorum, quod sequeretur, si non administraret. Filliuc. cap. 3 n. 68. 22

Cæterùm excommunicato tolerato, sive non vitando administrationem Sacramentorum non esse ita prohibitam ex vi censuræ, sicut vitando, Authores rectè deducunt ex illis; quæ circa excommunicatos Concilium Constantiense statuit in Extravag. *ad evitanda*: quippe secundùm quam alii fideles licitè communicare possunt etiam in Sacramentis cum excommunicato non vitando. Unde non solùm recipere ab eo, sed etiam petere Sacramenta possunt, quantum est ex vi censuræ. Atqui, si fideles ex eo capite licitè petere, & licitè recipere possunt Sacramenta à ministro quopiam, hic etiam licitè dare potest; ut est evidens

Ejusmodi tamen excommunicato non est licitum se ingerere, & irrequisitum offerre ad ministranda Sacramenta. Ratio sumitur ex cit. *Extravag.* quia nullus ipsi pro sua parte favet jure Ecclesiastico concessus est. Si tamen ita pertineat ad favorem requirentis, aut exigat moralis necessitas, vel utilitas, ut hic talis excommunicatus conficiat Sacramenta, tunc conficiet sine peccato. Ita Parochus v. g. taliter excommunicatus, si teneantur Parochiani audire Missam, nec sit alius, qui celebrat, licitè celebrat, quando ad hoc requiritur. Imo hoc idem licitum est etiam Sacerdoti non Parocho, si fortè rogetur, aut invitetur ad celebrandum. Filliuc. n. 72. Salmantic. n. 36. 23

Porrò quamvis communis doctrina sit apud Laym. cap. 4. n. 5. peccare fideles, dum citra necessitatem, vel magnam utilitatem petunt ab excommunicato tolerato sibi administrari Sacramenta, si nempe alius in promptu sit non excommunicatus, qui æquè utiliter id præstare possit, probabile tamen (imò probabilissimum juxta Bonac.) est, illos non peccare, sive excommunicatus sit propius Parochus, sive alius Sacerdos; sive ex se paratus sit ad- 24

sit administrare, sive non. Ratio est: tum, quia petens utitur jure suo. Tum, quia Concilium Constantiense absolutè concessit facultatem comunicandi cum talibus excommunicatis tam in rebus sacris, quàm politicis: consequenter neque is, qui petit à tali Sacramentum quodcunque, neque sic excommunicatus, si administret, peccat, quantum est ex vi censuræ. Laym. loco cit. Bonac. n. 4. & alii ab his relati.

25 Aliud verò sentiendum est de excommunicato vitando. Nam petens, aut recipiens extra casum necessitatis à tali Sacramentum graviter peccat, veluti docent communiter Authores. Ratio est: quia agit contra prohibitionem & obligationem censuræ in materia gravi. Sacramenta tamen ab excommunicato vitando administrata valida sunt omnia, excepto Sacramento Pœnitentiæ. Ratio est: quia Sacramenta toties sunt valida, quoties adest materia & forma debita cum intentione ministri: sed hæc adsunt omnia, dum excommunicatus etiam vitandus administrat; sicut supponitur; ergo. Sacramentum Pœnitentiæ ideo excipitur, quia ad hoc validè administrandum præter potestatem ordinis etiam requiritur jurisdictio, qua caret excommunicatus vitandus. Vid. Bonac. §. 4. n. 1. Unde confessio coram tali facta est repetenda, & simul exprimendum à pœnitente peccatum, quod commisit petendo id Sacramentum ab excommunicato non tolerato. Talis Confessio est etiam invalida, tametsi pœnitens ignoret, ministrum esse excommunicatum: quia jurisdictio, quæ in eo deficit, est necessaria ad validam absolutionem. Valida tamen esset in articulo mortis, si abesset omnis alius Sacerdos non taliter excommunicatus. Valida quoque esset absolutio à tali excommunicato impertita in casu, quo ex errore communi, ac titulo colorato haberetur, pro legitimo Confessario. Tunc enim defectum jurisdictionis suppleret Ecclesia. Laym. cap. 2. n. 5. Bonac à n. 2. Salmantic. n. 23.

26 Quartus effectus. Excommunicato prohibitum est cum aliis fidelibus communicare in Divinis officiis. Ita communiter DD. ex cap. *sicut Apostoli*. cap. *nuper de sent excom.* & aliis juribus. Ratio est: quia excommunicato vi censuræ prohibita est absolutè communio fidelium: consequenter etiam communio in officiis Divinis. Et hoc intelligendum est de excommunicato non tantùm vitando, sed etiam non vitando. Nam & isti, quatenùs hujusmodi officia cedunt in ipsius favorem, prohibitum est in eisdem participare cum aliis.

27 Cæterùm nomine Divinorum officiorum, seu rerum sacrarum, hîc intelligitur primo Sacrificium Missæ. Secundo, septem horæ Canonicæ. Tertio, publica processio. Quarto, omnis publica oratio, vel benedictio, quæ ex Christi vel Ecclesiæ institutione peragitur solemniter à ministris ad id ordinatis: cujusmodi sunt solemnis benedictio aquæ, palmarum, candelarum; item consecratio Chrismatis, & similia. Laym. cap. cit. n. 6. Filliuc. cap. 4. n. 85. Ex dictis resolves sequentia.

I. Mortaliter peccat excommunica- 28
tus, non solùm, si audiat Missam, sed etiam, si aliis Divinis officiis, quæ recensuimus, interfit, cáve exerceat. Ratio est: quia in re gravi transgreditur prohibitionem Ecclesiæ. Neque existimes, excommunicatum toleratum quoad hoc esse melioris conditionis. Nam licèt aliis fidelibus Concilium Constantiense privilegium concesserit communicandi cum talibus excommunicatis tam in Sacramentis, quàm in aliis Divinis, ipsis tamen non concessit favorem communicandi cum fidelibus. Bonac. pu. 3. §. 2. n. 1. Filliuc. n. 88.

II. Mortaliter quoque peccant alii, qui cum excommunicato vitando simul interfunt officiis Divinis, nisi excuset ignorantia, vel levitas materiæ, vel quid simile. Ratio est: quia cum illo participant in Divinis, quod est graviter prohibitum, & ex genere suo peccatum mortale. Bonac. §. 1. n. 9. Salmantic. n. 70. Reding q. 20. a. 4. contro. 3. n. 2. Dixi autem, *cum excommunicato vitando*. Quia toleratum fideles non tenentur vitare, & consequenter non peccant, quando cum tali interfunt rebus Divinis.

III. Si excommunicatus vitandus ingrediatur Ecclesiam, dum ibi peraguntur Divina, non eo animo, ut interfit, sed solùm, ut transeat; vel privatim, atque seorsim oret, non peccant, qui pergunt interesse; uti nec Sacerdos, & alii ministri quando officium continuant. Ratio est: quia in tali casu non censentur moraliter communicare cum excommunicato. Idem esset dicendum, si contingeret, ut excommunicatus vitandus audiret Missam in uno altari, & ego legerem Missam in alio altari, eamque fideles audirent: in hoc enim casu neque ego, neque alii fideles teneremur Missam relinquere. Filliuc. n. 90. Bonac. loco cit. n. 16.

Sed quid agendum Sacerdoti legenti Missam, quam audire præsumit hujusmodi excommunicatus? Respondeo, observari debere sequentia. Monendus est excommunicatus, ut exeat. Si nolit exire, debet expelli, vel exportari, licèt sit Clericus: neque enim idcirco quis incurrit excommunicationem canonis; cùm licita sit defensio Ecclesiasticæ jurisdictionis & censuræ. Quòdsi nulla vis adversùs contumacem quidquam proficiat, Missaq; jam cœpta sit, celebrans eam debet abrum-

pere nondum inchoato Canone. Si Canonem inchoavit, potest vel prosequi Missam, omnibus exeuntibus, præter ministrum altaris; vel abrumpere propter utriusque sententiæ probabilitatem. Si jam consecravit, perficere debet sacrificium usque ad sumptionem calicis inclusivè. Rursus deinde monendus est excommunicatus, ut recedat: qui si nolit, etiam Sacerdos ab altari debet recedere, & ea quæ restant de Missa, in Sacristia, vel alio decenti loco absolvere; vel omnino omittere, si desit ejusmodi locus. Vid. Laym. ubi suprà. Filliuc. loco cit. Quòd si quis auderet impedire, ne excommunicatus admonitus recederet à Missa, is incurreret excommunicationem Papæ reservatam. Sacerdos quoque coram excommunicato vitando celebrans non solùm peccaret mortaliter, & minorem excommunicationem incurreret, sed etiam interdictum contraheret, quo prohiberetur ab ingressu Ecclesiæ. Reding n. 3.

IV. Qui ante excommunicationem obligabatur ad horas Canonicas recitandas, sive titulô Ordinis, sive beneficii, sive professionis religiosæ, non solùm potest, sed etiam tenetur recitare privatim, quando est excommunicatus. Ita communiter D D. Ratio primi est: quia privata recitatio horarum nullam importat communicationem cum fidelibus: ergo nullum habetur fundamentum dicendi, eam cuiquam esse prohibitam per excommunicationem. Ratio secundi est: quia excommunicatio, utpote pœna quædam, non debet delinquenti conferre favorem, & tollere obligationem; alioquin ex suo delicto potiùs commodum reportaret. Dices. Beneficiatus, quamdiu excommunicatus est, non percipit fructus beneficii: ergo non tenetur recitare officium Canonicum. Cur enim onus sentiat, qui commodum non sentit? Respondeo, propriâ ipsius culpâ accidere, ut privetur fructibus beneficii: adeoque sibiipsi debere imputare damnum, quod sentit. Cæterùm excommunicato recitanti horas privatim non est licitum dicere *Dominus vobiscum*, saltem sub veniali (nam à mortali excusat levitas materiæ) sed ejus loco debet dicere, *Domine exaudi orationem meam.* Ratio est: quia illa salutatio significat publicæ personæ, putà Diaconi, vel Sacerdotis, sacrum communicationem cum populo, quam excommunicato Ecclesia interdicit. Salmantic. n. 62. Reding n. 5. & alii. Aliqui tamen ut Navarrus, Avila, Castropal. apud eosdem Salmantic. excusant ab omni peccato: quia dicunt, illa verba nullam importare communicationem cum aliis, sed esse privatam orationem pro illis; sicut hæc in Invitatorio Matut. *Venite exultemus, adoremus &c.*

V. Excommunicatus ad recitandum officium Canonicum, vel defunctorum, vel B. V. non potest adhibere socium, sed debet solus recitare. Colligitur ex cap. *excommunicatos.* 11. q. 3. & ratio est: quia excommunicato prohibita est omnis communicatio non tantùm purè externa, sed etiam mixtâ: & consequenter etiam communicatio in officiis Canonicis, aliisque orationibus persolvendis. Cæterùm, secluso scandalo & contemptu, non peccat mortaliter excommunicatus, si adhibeat socium, qui secum recitet: quia hujusmodi privata communicatio non videtur materia gravis. Filliuc. n. 93. Bonac. §. 2. n. 4. qui etiam excusant Capellanum, aut famulum, qui ratione muneris, vel famulatûs inserviunt excommunicato Domino in recitatione officii Canonici: imò & ipsum Dominum excommunicatum excusant, si Capellanum, vel famulum tunc adhibeat.

VI. Quilibet excommunicatus cum aliis fidelibus potest interesse concioni. Filliuc. n. 86. Bonac. n. 10. Salmantic. n. 71. & alii communiter. Habetur ex cap. *responso. de sent. excom.* & ratio est: tum, quia concio non computatur inter Divina officia, quæ excommunicato sunt prohibita. Tum, quia communicatio, quæ tendit ad emendationem & salutem excommunicati, non censetur eidem prohibita. Concio autem tendit ad correctionem & salutem excommunicati. Quare nec concionator concionem omittere, aut abrumpere, nec auditores recedere tenentur, quando vident adesse excommunicatum, etiam vitandum. Vid. Salmantic. loco cit.

Quintus effectus. Excommunicatus inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica. Ita decernitur in cap. *postulâstis. de cler. exc. ministr.* Idque docent communiter Theologi. Et ideo collatio beneficii facta excommunicato, item præsentatio, electio, institutio, confirmatio; impetratio litterarum ad beneficia vacatura ipso jure nullæ sunt. Ratio est: quia beneficium datur propter officium; adeoque supponit in eo, cui datur, capacitatem exercendi actus officio annexos. Atqui excommunicatus non habet ejusmodi capacitatem; cùm eidem adempta sit communicatio fidelium, sine qua nullum officium, aut munus Ecclesiasticum exerceri potest. Debet autem, ut monet Suarez apud Laym. tract. 5. par. 2. cap. 2. n. 7. dicta inhabilitas propter identitatem rationis extendi ad quamlibet dignitatem Ecclesiasticam, quæ habet jurisdictionem, exceptâ Papali. Eadem tamen inhabilitas tollitur, dum Papa confert beneficium excommunicato sciens esse excommunicatum. Tunc enim præsumitur dispensare, vel absolvere eundem ad effectum, ut beneficium consequatur; adeoque jure suo habilem reddere. 29

reddere. Nam qui vult aliquid, censetur etiam velle, quod est necessarium ad illud. Vid. Salmantic. n. 96. Cæterùm de præsenti effectu excommunicationis supersunt nonnullæ quæstiones, ad quas breviter respondendum.

30 Quæstio prima. An ignorans invincibiliter, vel probabiliter, se esse excommunicatum, vel ab excommunicatione non absolutum, validè recipiat beneficium collatum; ipsaque collatio, præsentatio, & electio in ordine ad illud sit valida? Respondetur negativè, idque ex communi sententia apud Salmantic. n. 97. Ratio est: quia, licèt ejusmodi ignorantia excuset à culpa, inhabilitatem tamen præcedentem in ignorante non aufert, nec reddit actum validum, qui aliàs erat invalidus.

31 Quæstio secunda. An excommunicatus sit inhabilis etiam ad pensiones? Ante responsionem distinguere oportet inter pensiones. Nam una est spiritualis, utpote fundata in titulo spirituali, sive ob spirituale ministerium conferri solita, v. g. concionatori, Episcopi coadjutori, Parochi cooperatori. Altera est pensio temporalis, seu laica, quæ fundatur in titulo temporali, sive confertur propter obsequium aliquod temporale, v. g. liberis propter egregiam operam parentum in bello præstitam. Tertia denique est pensio mixta: quæ licèt non conferatur propter ministerium spirituale, in eo tamen, cui confertur, statum clericalem supponit, daturque plerumque loco beneficii, Clerico v. g. resignanti, permutanti, lite cedenti, sustentationem sufficientem non habenti; ut habet Laym. n. 8. Nunc

Respondeo. Quamvis excommunicatus sit incapax pensionis merè spiritualis; capax tamen est pensionis laicæ, & probabiliter etiam mixtæ. Laym. loco cit. Salmantic. n. 105. & 106. Ratio primi est: quia hæc pensio non minùs quàm beneficium datur propter spirituale officium: ergo sicut excommunicatus non est capax beneficii Ecclesiastici, quia non potest præstare officium, ita nec capax est pensionis spiritualis. Ratio secundi est: quia licèt pensio mixta affinitatem aliquam habeat cum beneficio, propriè tamen beneficium non est, nec habet annexum officium, quod præstare nequeat excommunicatus. Ratio tertii est: quia hoc genus pensionis rationem potiùs temporalis stipendii obtinet, quàm beneficii, à cujus natura plurimum recedit.

32 Quæstio tertia. An excommunicatus ipso jure priuatus sit fructibus sui beneficii? Respondeo negativè cum Bonac disp. 2. q. 2. pu. 4. §. 2. n. 2. Sanchez lib. 3. de matr. disp. 51. n. 12. Laym. n. 9. Salmantic. n. 112. Reding q. 20. a. 4. contr. 4. concl. 3. contra Sayr. Suarez, Filliuc. & alios. Debet autem intelligi nostra responsio, si excommunicatus officium annexum beneficio vel per se, vel per alium exerceat. Secus enim ex naturali obligatione justitiæ ante omnem sententiam judicis tenetur ad restitutionem fructuum: quippe qui juxta c. ult. de rescript. non dantur, nisi propter officium. Nunc ratio statutæ sententiæ est: quiæ Authores adversi nituntur decisione, quæ habetur in cap. *Pastoralis. §. Verùm de Apellat.* illis verbis: *Illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur., cui Ecclesiæ communio denegatur.* Sed hæc verba, si rectè expendantur, non significant, excommunicatum ipsu jure aut facto privatum esse fructibus, sed potiùs denotant privationem faciendam à judice per sententiam. Cùm proinde in pœnis benignior prævalere debeat interpretatio, non est ratio sufficiens asserendi, excommunicatum ipso jure ante judicis sententiam esse privatum fructibus beneficii legitimè possessi.

Quæstio quarta. An lapsus in excom- 33
municationem validè acceptet beneficium, ad quod ante excommunicationem fuit legitimè electus? Respondeo negativè cum Laym. n. 11. Reding contr. cit. concl. 1. Ratio est: quia excommunicatus, dum excommunicatio durat, nullum jus potest acquirere in bonis Ecclesiasticis: atqui jus acquireret in beneficio, si acceptatio in casu posito esset valida; ergo &c. In hoc discursu negant mi. Salmantic. & alii Adversarii. Eam tamen manifestè probat Reding ex c. *si tibi absenti. de præbend. in* 6. ubi sic statuitur: *si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras.* In quibus apertè supponitur, per collationis ratihabitionem (idem cogita de electionis ratihabitione) sive, ut Glossa ibi loquitur, acceptationem acquiri jus in beneficio. Sicut proinde excommunicatus invalidè eligitur ad beneficium, eique invalidè confertur beneficium, ita etiam invalidè acceptatur ab illo. Interim fatendum est, sententiam contrariam, quæ placet gravissimis Doctoribus, est valdè probabilem. Vid. Bonac. pu. cit. §. 1. n. 9. Filliuc. c. 5. n. 120. & 121. Salmantic. n. 108.

Sed quid agendum, petet aliquis, si 34
durante excommunicatione fui electus, aut præsentatus ad beneficium, idque post obtentam absolutionem acceptavi. Possumne retinere illud, vel non? Respondeo, te probabilius non posse retinere. Bonac. n. 10. Salmantic. n. 109. Ratio est: quia similiter

nulla fuit talis acceptatio, utpote rei, ad quam, dum tibi conferebatur, eras inhabilis per excommunicationem. Electio quoque, aut præsentatio, quæ debuerat esse titulus validæ acceptationis, fuit nulla, nec tractu temporis convaluit. c. *Non firmatur. de Reg. Juris in 6.* Accedit, quòd alioquin præsens effectus excommunicationis ferè inaniter esset institutus: cùm quilibet excommunicatus acceptationem beneficii collati tempore excommunicationis differre posset, donec absolveretur. Verùm his non obstantibus probabile est, te validè tunc posse acceptare, justè possidere, ac retinere, beneficium, dummodo electores, aut præsentator tempore acceptationis perseverent in prima sua voluntate. Ratio est: quia per ejusmodi continuationem primæ voluntatis, ejusve perseverantiam prior electio, aut præsentatio ratificari & approbari videtur, idque tempore, quo rursus es habilis ad beneficia Ecclesiastica. Vid. citr. Cæterùm, quæ dicta hucusque sunt de inhabilitate excommunicati ad beneficia, non solùm de excommunicato vitando intelligi debent, sed etiam de tolerato; cùm nec iste communicare possit in officio; sitque proinde incapax beneficii, quod datur propter officium.

35 Sextus effectus. Excommunicatio privat communicatione forensi, hoc est, impedit, quominùs excommunicatus exercere possit actiones ad forum judiciale pertinentes. Ita communiter D D. Ratio generalis est: quia excommunicato prohibita est omnis humana communio: ergo etiam forensis; quæ inter humanas præcipua est, ac magni momenti inter homines. Atque hinc excommunicatus nec judex, nec actor nec advocatus, nec testis, nec tabellio esse potest, etiam in causis civilibus. Quapropter pars adversa contra excommunicatum semper potest excipere. Id nisi faciat, nec judex eum repellat, valida sunt omnia, quæ in tali judicio aguntur, quamvis sit excommunicatus non toleratus. Aliud dicendum, si judex ipse sit excommunicatus non toleratus. Cùm enim in eo statu careat jurisdictione, vel saltem privatus sit usu ejusdem, omnia ipsius acta censentur irrita. Bonac. q. cit. pu. 7. n. 2. Laym. ubi suprà n. 14.

36 De cætero, quamvis nullus excommunicatus possit esse actor in judicio, ut diximus; quilibet tamen ibi conveniri & contrarere potest ut reus, seque contra ea, quæ obiiciuntur, defendere. Ratio est: tum, quia non favor, sed incommodum excommunicati est ab aliis posse conveniri in judicio, ab ipso autem non posse conveniri aliquem. Tum, quia aliàs non solùm multi suis utilitatibus privarentur, sed ipse excommunicatus ex suo delicto commodum reportaret. Tum, quia defensio est juris naturalis; à qua proinde neminem arcere vult Ecclesia. Neque tenetur excommunicatus comparere in judicio per procuratorem, ut plures contendunt cum Salmantic. sed potest respondere personaliter & per se ipsum causam suam defendere, quemadmodùm docent Sayrus, Suarez, Filliuc. Coninck, & alii, quos refert & sequitur Bonac. n. 8.

Septimus effectus. Omnis excommunicatus, sive toleratus sit. sive non, privatur usu jurisdictionis Ecclesiasticæ; suntque acta per illum non solùm illicita, sed etiam invalida. Ratio est: quia præcisi à corpore Ecclesiæ non possunt exercere ea, quæ intra corpus Ecclesiæ, & nomine illius geruntur: sed excommunicati sunt præcisi à corpore Ecclesiæ; ergo. Accedit, quòd exercitium jurisdictionis sit præcipua communicatio in Ecclesia: quæ proinde excommunicatis multò magis, quàm alia quævis, prohibita est. Atque ex his 37

Infertur primò, excommunicationem, absolutionem, dispensationem, largitionem indulgentiarum, concessionem facultatis administrandi Sacramentum Pœnitentiæ factam ab Episcopo excommunicato esse invalidam. Ratio est: quia isti sunt actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quos non potest exercere excommunicatus. Invalida quoque est collatio beneficii, & præsentatio ad illud ab excommunicato facta: tum, quia per has actiones alteri jus acquiritur ad beneficium, quod ipsi dare non potest excommunicatus: tum, quia excommunicato prohibita est omnis communicatio fidelium: atqui collatio beneficii, & præsentatio ad illud notabilis, eaque Ecclesiastica communicatio est; ergo &c. Vid Laym. ubi suprà n. 13. Salmantic. n. 84. ubi eandem doctrinam ex communi D D. extendunt ad electionem, excepta electione Summi Pontif. Hæc enim valida esset, licèt eligentes tunc fuissent excommunicati; quemadmodùm constat ex Clem. *ne Romani. §. cæterùm. de elect. in 6.* & ratio est, ut evitentur pericula schismatum, aliorumque incommodorum in Ecclesia. 38

Infertur secundo, excommunicatum mortaliter peccare, si tempore excommunicationis actum jurisdictionis exerceat. Bonac. ubi suprà n. 3. Salmantic. n. 81. Filliuc. tract. 12. c. 6. n. 143. & alii communiter. Ratio est: quia sibi usurpat jurisdictionem, à cujus usu pro eo tempore abstinere deberet, idque in materia ex genere suo gravi. Ob levitatem tamen materiæ fieri posset, ut talis peccaret venialiter solùm: v. g. si concederet licentiam in re parui momenti. Salmantic. loco cit. 39

Denique

40 Denique circa præsentem excommunicationis effectum advertere oportet, excommunicatum toleratum usu jurisdictionis privari quoad se tantùm, sive quatenùs cedente in favorem ipsius. Nam, si excommunicatum ejusmodi uti jurisdictione cedat in favorem aliorum hoc ab eo requirentium, tunc ea & licitè & validè is utitur. Ratio est: quia, sicut alii cum tali excommunicato licitè communicant, ab eoque licitè petunt, ut fungatur officio suo in favorem ipsorum, ita idem licitè fungitur; adeoque licitè exercet suam jurisdictionem. Multa quoque in Ecclesia orirentur incommoda & inconvenientia, si acta eorum, qui ab eadem publicè tolerantur, tanquam irrita rescindi deberent. Vid. Filliuc. n. cit. & seq. Laym. loco cit, Salmantic. n. 82. & alii ab eisdem relati. Itaque omnes actus jurisdictionis, qui exerciti ab excommunicato non tolerato sunt illiciti & invalidi, licitè & validè tunc exercentur ab excommunicato tolerato. Quòdsi hujusmodi excommunicatus se se ultrò & irrequisitus ingerat actibus jurisdictionis, graviter peccat, ut habet Bonac. loco cit. & alii. Validè nihilominùs tunc quoque procedit, modò nulla contra ipsum fiat exceptio. Salmantic. loco cit.

41 Octavus effectus. Excommunicatus, qui nec ante, nec post mortem fuit absolutus, privatur Ecclesiasticâ sepulturâ. Patet ex cap. *sacris de sepultur.* & Clement. I. *eod. tit.* Ratio est: quia quibus vivis non communicamus, etiam mortuis non debemus communicare: sepelire autem in loco sacro est aliquo modo communicare in Divinis. Atque hinc, siquis ante absolutionem ab excommunicatione mortuus fuit, etiam cum signis contritionis, ac deinde casu sepultus in loco sacro; seu benedicto, ejus cadaver exhumandum est, si possit discerni ab aliis, ac procul Ecclesiastica sepultura abiiciendum. Sed nec divina sunt ibi peragenda, aliive fideles sepeliendi ante reconciliationem. Si ossa non possint discerni ab aliis, fieri nihilominùs debet reconciliatio. Atque tunc primùm in eo loco celebrari potuerunt Divina, aliique fideles sepeliri. Salmantic. n. 74. ubi addunt excommunicatum, qui decessit, editis ante mortem signis pœnitentiæ, absolvendum esse, ac deinde sepeliendum: sepultum verò ante absolutionem non esse exhumandum, sed absolvendum, postquàm id hæredes petiverint.

Hæc autem omnia intelligenda sunt de excommunicatis vitandis tantùm. Nam tolerati, quos constat piè ac inter signa pœnitentiæ esse mortuos, in loco sacro sepeliri possunt. Laym. tract. 5. per 2. cap. 4. n. 9. Filliuc. ubi suprà n. 106. Salmantic. n. 73. Reding q. 20. a. 4. controvers. 1. n. 18. Illsung. tract. 7. disp. 1. q. 2. a. 1. n. 41. & alii. Ratio est: quia cum excommunicatis toleratis communicare possumus, dum vivunt, ut constat ex Concil. Constantiènsi; ergo etiam post mortem.

Respondebis in eo Concil. illam tantùm communicationem permitti fidelibus, quæ in ipsorum, non vero in excommunicatorum præcisè utilitatem cedat. Atqui communicationem per Ecclesiasticam sepulturam cedere præcisè in utilitatem excommunicatorum, qui sepeliuntur: ergo &c. Verùm in hac responsione neg. mi. cùm enim de hoc ipso dubium sit inter Authores, an licita sit communicatio in excommunicatorum utilitatem cedens, ejus permissio servit ad evitandos scrupulos à communicatione cum excommunicatis provenientes; quod est cedere in utilitatem etiam fidelium. Vid. Illsung loco cit. Monent autem Salmanticenses loco cit. convenientius esse excommunicatos toleratos, si signa contritionis dederint, priùs absolvere, quàm sepeliantur; idque tum ob reverentiam censuræ: tum, ut auferatur omnis dubitatio, an eisdem prosint Ecclesiæ suffragia. Quòdsi tales decesserint impœnitentes, sacrâ sepulturâ honorandi non sunt: quia ob statum damnationis, in quem abierunt, incapaces sunt orationum ac suffragiorum Ecclesiæ, propter quarum participationem fideles in loco sacro sepeliuntur. Laym. loco cit.

Corollarium. Mortaliter peccant, 42
qui excommunicatum vitandum inabsolutum sepeliunt in loco sacro, etiamsi signa pœnitentiæ ediderit. Bonac. disp. 2. q. 2. pu. 3. §. 3. n. 2. Ratio est: quia graviter delinquunt contra præceptum Ecclesiæ id graviter prohibentis: quemadmodùm clarè constat ex gravitate pœnæ in tales statutæ. Incurrunt enim excommunicationem majorem, à qua non possunt absolvi, nisi præstita satisfactione ad arbitrium Episcopi, velut habetur in Clement. 1. *de sepultur.* Porrò nomine sepelientium in præsenti veniunt non illi tantùm, qui corpus in sepulturam immittunt, & terrâ cooperiunt; sed probabiliùs etiam illi, qui mandant, & procurant, ut sepeliatur in loco sacro? veluti docent Filliuc. ubi suprà n. 111. Salmantic. n. 80. Reding n. 21. & alii: cùm enim qui manibûs cadaver in tumulum demittunt, terraque obtegunt, homines plerumque rudes, ac censuræ ignari sint, ejus comminatio, nisi ad mandantes & procurantes extenderetur, ferè inutilis & effectu cassa redderetur. Cæterum, qui funus excommunicati comitantur, vel portant, vel cantu prosequuntur, sive Clerici, sive Laici; vel sepulchrum fodiunt,

licèt non incurrant excommunicationem majorem, à gravitamen peccato, sicut etiam à minore excommunicatione propter communicationem publicam, eamque solemnem & graviter scandalosam non sunt excusandi. Salmanticenses, illsúng locis citt.

43 Nonus effectus. Omnis excommunicatus excommunicatione majore, etsi toleratus sit, privatur omni communicatione civili seu politica fidelium. Ita colligitur ex cap. 2. *de except.* c. *nuper.* c. *si aliqnando.* c. *si quem.* de sent. excommun. & aliis juribus. Ratio petitur ex natura hujus censuræ, quæ ab Ecclesia sic instituta fuit, ut ea ligatus non possit communicare cum aliis fidelibus (quorum nomine hîc veniunt omnes baptizati) nec alii (si sit vitandus) cum ipso, idque in casibus sequenti versiculo comprehensis:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Ubi per *os* intelligitur osculum, amplexus, & quodvis aliud benevolentiæ signum per verba, nutus, litteras, nuntium, vel munera exhibitum. Per *orare* significatur omnis communicatio in Divinis, de qua jam diximus à n. 26. Per *vale* prohibetur omnis honorifica salutatio, & probabiliùs etiam resalutatio. Excommunicato quippe non licet salutare alios: si verò illicitè quemquam salutat, non habet jus, ut resaluretur; sed in pœnam delicti tali humanitate privandus est: ut habent Bonac. q. cit. pu. 6. §. 2. n. 2. Salmantic. n. 134. contra Henriq. & Filliuc. qui judicant, resalutare excommunicatum, eidemque rescribere non esse prohibitum; eò quòd ista non sint signa benevolentiæ, sed solutio debiti etiam inimico facienda. Hoc tamen non subsistere jam vidimus. Plures apud Laym. ubi suprà n. 16 & Salmantic. loco cit. probabiliter existimant, licitum esse honoris causâ excommunicato, v. g. Episcopo, Prætori excommunicato, assurgere, caput detegere, loco cedere. Sed contrarium probabilius est: quia hæc revera sunt signa benevolentiæ, & quædam in actibus externis communicatio. Vid. cit. Vox *communio* vetat omnem communicationem negotiorum, exercitiorum: stabilem quoque cohabitationem, & contractus quoscunque. Qui tamen validi sunt, quando ineuntur durante excommunicatione, inducuntque obligationem tam ex parte excommunicati, quàm ex parte aliorum, quibuscum ipse contrahit. Licèt enim Ecclesia prohibeat contractus cum excommunicato, eos tamen velle irritos, si fiant, non constat: imò in jure Ecclesiastico supponitur potiùs esse validos; quemadmodum ostendunt Salmantic. n. 136. Reding contro. 7. n. 5. & 6. quamvis non sine exceptionibus. Particula *mensa* interdicit omni convictu, cibo, ac potu communi per modum societatis: qualis non esse censetur, dum quis præter intentionem & casu incidit in idem hospitium, domum, balneum; imò etiam lectum, in quo est excommunicatus. Laym. loco cit. Salmantic. n. 135.

Sed jam difficultas est de communi- 44
catione tam excommunicati cum aliis fidelibus, quàm fidelium cum excommunicato non tolerato, quale sit peccatum? ad quam respondeo, ejusmodi communicationem in civilibus & politicis, si absit contemptus est scandalum, regulariter esse solum peccatum veniale. Filliuc. cap. 8. n. 196. Bonac. pu. cit. §. 1. n. 2. & 5. Ratio est: quia communicatio hæc in civilibus ut plurimùm est circa res levioris momenti. Dixi autem *in civilibus.* Quale enim peccatum sit communicatio in Divinis, constat ex n. 28. Dixi *regulariter.* Quia talis communicatio, si fiat frequens per multiplicatos actus, potest esse mortaliter peccaminosa. Ratio est: quia licèt singuli actus communicationis sint materia levis; multiplicati tamen, & moraliter inter se connexi per modum unius objecti voliti constituunt materiam gravem. Quemadmodùm fieret, siquis statuisset longo tempore sæpius communicare. Quia communicatio cum excommunicato etiam in politicis non ex suo genere, sed ob parvitatem materiæ, indeliberationem actûs &c. peccatum veniale est. Suarez, Villalob. Coninck, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmantic. n. 127.

De cætero licitum esse aliquando fi- 45
delibus communicare cum excommunicato non tolerato, & huic vicissim cum fidelibus, affirmant communiter D D. idque in sequentibus casibus. Primo. Si ita suadeat notabilis utilitas corporalis, aut spiritualis, tum nostra, tum etiam ipsius excommunicati. Hinc licet hortari excommunicatum, ut resipiscat; petere ab eo consilium, si non sit alius, à quo æquè bene haberi possit; exigere restitutionem &c. Secundo. In vita conjugali. Nam si alteruter, vel uterque conjugum est excommunicatus, licitum est illis nihilominùs petere & reddere debitum; imò in aliis omnibus rebus, ut in mensa, gubernatione domûs, &c. communicare; nisi fortè excommunicatio ob crimen concedens diuortium fuerit contracta. Tertio. Siquis alteri subjectus est: ut filii parentibus; Clerici Episcopo; Religiosi Prælato; mancipia, famuli, ancillæ Dominis; milites Ducibus. Omnes hi tales, sive ipsi, sive superior eorum excommunicatus sit, liberè inter se communicare possunt. Quarto. Dum laboratur ignorantiâ vel juris, vel facti, tametsi

etsi ea vincibilis ; modò non crassa , aut affectata sit. Unde nemo tenetur ad abstinendum à communione alterius , nisi moraliter certus sit , ipsum esse excommunicatum. Quinto. Dum urget gravis necessitas vel propria excommunicati , vel aliena , eaque vel spiritualis , vel temporalis. Et certè , cùm ob magnam utilitatem permissa sit communicatio , de qua loquimur; multò magis ob gravem necessitatem permissa est. Vid. Laym. cit. n. 16. & 17. Bonac. ubi suprà à n. 7. Salmantic. à. n. 139. Reding contr. 8. à n. 7. Illsung disp. 1. q. 2. a. 1. §. 2. Casus nunc adducti hoc versu comprehenduntur:

Utile , lex , humilis, res ignorata, necesse.

§. IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio major?

SUMMARIUM.

46. Tres classes Excommunicationum. 47. Quinam primæ classis. 48. Quinam secundæ, 49. Quinam tertiæ classis excommunicatione excommunicentur. 50. An, & quomodo Bullæ Cœnæ recepta sit in Germania? 51. Absolvens quampiam illegitimè ab excommunicatione Bullæ Cœnæ & ipse excommunicatur. 52. In privilegio absolvendi ab omnibus Censuris non comprehenditur absolutio ab excommunicatione Bullæ Cœnæ. 53. Quænam requirantur, ut excommunicationem incurrant scienter retinentes , legentes &c. libros hæreticorum &c.. 54. 55. 56. 57. 58. Resolutiones practicæ de hac materia.

46 JAm tempore Doctoris subtilis tanta fuit multitudo delictorum , ob quæ major excommunicatio incurrebatur , ut omnia referre esset difficillimum. *Quandoque erat possibile dicere numerum.* (scribit ille in 4. dist. 25. q. 1.) *immò erat parvus numerus, quando fuerunt Decretales compilatæ sub Gregorio IX. sed hodie quis numerare sufficiat?* Neque nos igitur numerare audemus , præcipua tantùm & usitatiora memoraturi. Placet autem exemplô Filliucii in Instruct. pro Confessar. cap. 2. a. 5. §. 1. omnes excommunicationes , adeoque & crimina, ob quæ statutæ sunt, ad tres classes revocare. Itaque prima classis comprehendit excommunicationes nemini reservatas. Secunda reservatas Papæ extra Bullam Cœnæ , sive in corpore juris, sive in Bullis Pontificiis. Tertia reservatas Papæ in Bulla Cœnæ.

47 Excommunicatione primæ classis excommunicantur præcipuè 1. Qui occupant bona Ecclesiarum vacantium. 2. qui compellunt personas Ecclesiasticas , aut bona Ecclesiarum subtmittunt Laicis. 3. Qui sepeliunt hæreticos , excommunicatos , interdictos. 4. Qui contrahunt in gradibus prohibitis , vel cum monialibus , vel persona sacra , aut religiosa. 5. Qui impediunt visitatores Monialium , si admoniti non desistant. 6. Qui imprimunt , imprimi mandant , vendunt libros sine approbatione Superiorum. 7. Qui rapiunt mulieres , earumque raptoribus præbent auxilium. 8. Qui mulieres cogunt ingredi Monasteria , vel impediunt earum ingressum , vel ne librè contrahunt matrimonium. 9. Qui procurant abortum fœtûs animati. 10. Ecclesiastici , qui alienant bona Ecclesiastica , vel ultra triennium hypothecant. 11. Religiosi , imò & Sacerdotes sæculares , qui audiunt Jus civile , vel Medicinam. 12. Personæ publicæ , quæ statuta condunt contra libertatem Ecclesiasticam. 13. Eædem , si non adjuvant Episcopos in clausura Monialium. 14 Doctores & Professores cujusque Facultatis , qui non faciunt professionem fidei in manibus Ordinarii.

Excommunicatione secundæ classis ex- 48
communicantur 1. Incendiarii. 2. Qui effringunt , ac insuper spoliant Ecclesiam. 3. Qui communicant in eodem crimine reservato cum excommunicatis à Papa. 4. Qui absoluti sunt ab excommunicatione reservata sub conditione , & illam non implent. 5. Clerici , qui excommunicatis à Papa , neque toleratis Sacramenta ministrant. 6. Violantes interdictum Papale. 7. Simoniaci reales : item committentes Simoniam confidentialem. 8. Qui duellum ineunt , vel ad aliud cooperantur , v. g. suadendo. 9. Qui rapiunt bona Ecclesiastica. 10. Qui violant immunitatem Ecclesiasticam quantùm ad fugientes in Ecclesiam. 11. Percussores Clericorum , aut percussionem mandantes &c. 12. Dantes vel accipientes aliquid ob ingressum Religionis.

Excommunicationem tertiæ classis in- 49
currunt 1. Schismatici , hæretici , & eorum fautores , legentes , retinentes , imprimentes , sicut & defendentes eorumdem libros contra Religionem scriptos. 2. Apellantes à Papa ad futurum Concilium. 3. Piratæ discurrentes per mare Pontificium , eorumque fautores , & receptatores. 4. Surripientes bona in mari naufragantium. 5. Imponentes , augentes , exigentes nova pædagia , gabellas &c. absque sufficiente au horitate. 6. Falsificantes litteras Apostolicas. 7. Arma, aliave instrumenta bello idonea deferentes ad infideles. 8. Qui impediunt , ne Romanæ curiæ victualia , aliave necessaria importentur. 9. Qui offendunt accedentes ad Romanam se-

dem,

dem, vel ab ea recedentes, vel in curia commorantes. 10. Qui offendunt Romipetas & peregrinos in Urbem venientes, ibive commorantes, aut inde discedentes. 11. Qui offendunt, aut vexant Cardinales, Sedis Apostolicæ Nuntios, vel alios Prælatos. 12. Qui offendunt ad Romanam Curiam accedentes negotiorum causâ. 13. Qui à gravamine, vel executione futura litterarum Apostolicarum appellant ad potestatem Laicam. 14. Qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, earumve cursum, & executionem litterarum Apostolicarum impediunt. 15. Qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sæculare tribunal, & statuta condunt libertati Ecclesiasticæ adversa. 16. Qui Prælatos Ecclesiasticos ab exercitio suæ jurisdictionis impediunt. 17. Qui usurpant jurisdictiones, fructus, & proventus pertinentes ad Sedem Apostolicam, aliasve Ecclesias, vel eorum sequestratores agunt absque legitima Superiorum licentia. 18. Qui imponunt decimas, collectas, aliaque onera personis Ecclesiasticis. 19. Judices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt. 20. Qui occupant bona & terras Romanæ Ecclesiæ, ejusque supremam jurisdictionem usurpant. Et istæ quidem excommunicationes continentur in Bulla, quæ Cœnæ Domini dicitur, quia nempe singulis annis in die Cœnæ Domini promulgari solet. Cirqua quas

50 Advertendum est primo, multas earum (idem judica de aliis Censuris) non ligare in Germania; quia vel receptæ non sunt, vel per usum contrarium abrogatæ; veluti docet Lud. Engl. in Man. Paroch. libel. 1. p. 3. Imò Becanus 2. 2. cap. 15. q. 2. n. 6. apud Laym. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap 5. n. 2. testatur, *Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ provinciis non esse usu receptam.* Saltem non quoad omnia (inquit idem Laym.) apud nos receptam esse, satis constare videtur.

51 Advertendum est secundo, illum, qui absque legitima potestate, aut probabili excusatione quemquam absolvere ab excommunicatione Bullæ hujus præsumpserit, excommunicationis sententiam & ipsum incurrere. Reding q. 20. a. 4. contr. 9. n. 1. qui tamen addit n. 36. hanc talem excommunicationem hodie non esse reservatam, saltem extra Italiam.

52 Advertendum est tertio, in privilegio seu facultate absolvendi ab omnibus censuris alicui concessa non censeri comprehensas excommunicationes Bullæ Cœnæ; quemadmodùm nec in potestate à censuris Bullæ absolvendi generatim concessa censetur comprehensa absolutio ab hæresi, nisi specialiter exprimatur. Laym. loco cit. Ratio est: *quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie concessurus.* ut habet reg. 81. in 6. Atqui censuræ Bullæ, interque eas excommunicatio ob hæresim specialiter reservari solent.

53 Advertendum est quarto, inter relatas excommunicationes Bullæ valdè præcipuam esse primam, quatenùs extenditur etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum, de religione tractantes, vel hæresim continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiritur primo, ut Author libri sit hæreticus, sive recentior, sive aliquis ex veteribus ab Ecclesia damnatis. Permittuntur tamen scripta Origenis & Tertulliani: quamvis errores contra fidem contineant, idque tum propter eruditionem, tum quia nullum ex illis jam periculum in fide timetur. De quo videndus est Azorius lib. 8. cap. 16. q. 16. Requiritur secundo, ut liber hæresim expressè contineat; vel de religione tractet ex professo, nempe vel Sacram Scripturam interpretando, vel Theologicas quæstiones discutiendo, de mysteriis fidei, de cultu Dei, vel Sanctorum disputando. Requiritur tertio, ut, qui legit, retinet &c. ejusmodi librum, sciat, illius Authorem esse hæreticum, utque præterea non ignoret lectionem, retentionem &c. talium librorum sub pœna excommunicationis ab Ecclesia esse prohibitam. Requiritur quarto, ut legatur materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale. Neque enim nisi ob peccatum mortale quis affici potest pœnâ excommunicationis. De his conditionibus, quæ ex textu ipsius Bullæ colliguntur, agit Laym lib. 2. tr. 1. c. 15. à n. 1. Nunc in rem nostram resolves sequentia.

54 I. Hac excommunicatione non excommunicatur primo, qui hæreses Scriptoris hæretici libro Authoris Catholici insertas legit, etiam animô addiscendi eos errores: Bonac. q. 5. pu. 4. n. 18. Laym. loco cit. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 4. n. 71. Ratio est: quia non legit librum hæretici. Ecclesia quoque non punit affectum, sed factum legentis. Non excommunicatur secundo, qui in libro Authoris Catholici, vel alio hac Bulla non contento, legit adjecta scholia, sive notas Authoris hæretici. Laym. n. 2. Ratio est: quia ejusmodi liber non censetur esse partus hæretici, qui adjecit scholia, sed Catholici, qui scripsit eundem. Limitat tamen Suarez apud Laym. loco cit. *Nisi tales, vel tam copiosi essent commentarii, ut jam censeretur liber potiùs ex eis, quàm ex textu constare.* Non excommunicatur tertio, qui legit librum Authoris non baptizati,

baptizati, tametsi manifestas hæreses contineat, aut de Religione tractet. Salmantic. loco cit. Ratio est: quia talis non legit librum hæretici. Ob eandem rationem Ugolinus, de Graffis, & Sanchez, quos refert & sequitur Laym. loco cit. idem docent de eo, qui legit, aut imprimit librum Catholici Scriptoris, vel qui publicè Catholicus existimatur, apertis hæresibus inquinatum. Non excommunicatur quarto, qui legit concionem, vel epistolam hæretici, seorsim editam, in qua hereses continentur, vel de Religione agitur. Bonac. loco cit. & apud ipsum Sanchez 2. Decal. c. 10. n. 29. Ratio est: quia hæc propriè & usitatè loquendo non sunt liber. Oportet autem verba legis pœnalis propriè ac strictè accipere. Non excommunicatur quinto, qui legit unam vel alteram tantùm lineam. Azor. ubi suprà q. 3. Laym. n. 5. & alii contra Tolet. Ratio est: quia non minùs in præsenti, quam in aliis rebus excusat parvitas materiæ à peccato mortali. Neque dicas, etiam in unico versiculo perfectam hæresim posse contineri: respondetur enim cum Laym. in lege, præsertim pœnali, non id, quod raro, sed quod plerumque contingit, spectari; rarò autem, & non plerumque, contingere, ut ex particula libri hæretici tam modica grave periculum creetur ligenti. Non excommunicatur sexto, qui ex ignorantia, etiam crassa, legit librum ignorans esse hæretici, vel continere hæresim, vel tractare de Religione. Bonac. n. 8. Laym. n. 4. & alii. Ratio est: quia, quotiescunque ad pœnam incurrendam lex requirit scientiam, sicut requirit in præsenti, excusat ignorantia, etiam crassa. Addit etiam Laym. ad hanc censuram non requiri pravam legentis intentionem, sive affectum concipiendi hæresim, sed sufficere etiam solam curiositatem.

55 II. Excommunicatur primo, qui alterum, v. g. famulum, jussu suo legentem audit librum Authoris heretici in hac Bulla legi prohibitum. Azor. loco cit. q. 4. Laym. n. 6. & alii. Ratio est: quia licèt hic talis non legat per se ipsum, legit tamen per alium, cujus operâ & ministeriô utitur. Unde non ideo incurrit excommunicationem, quòd famulum legentem audiat (quippe quam nec alii, qui fortè adsunt, & tantùm audiunt, incurrunt) sed quòd per famulum legat: quod rem moraliter æstimandô perinde est, acsi per se ipsum legeret. Contrarium docent Bonac. n. 11. Filliuc. tract. 16. cap. 3. n. 45. aliisque ab his relati: qui licèt famulum non excusent à peccato mortali & excommunicatione (sicut non debet excusari, nisi fortè legat gravi metu adactus) excusant tamen dominum: quia putant Bullam loqui de legente propriè tantùm: quia lis non est, qui curat, ut alius sibi legat. Verùm dubitari non potest, talem quoque verbis Bullæ comprehendi: cùm alioquin nihil esset facilius, quàm in fraudem legis agere, & pœnam excommunicationis effugere. Itaque non habet locum in præsenti stricta verborum interpretio: quia de mente Legislatoris non potest dubitari rationabiliter. Vid. Laym. loco cit.

III. Excommunicatur secundo, qui librum hæretici, sive in sua, sive in aliena 56
domo; item, sive suo, sive alieno nomine; sive ut legat, sive ut non legat, per notabile spatium temporis retinet, vel asservat. Ita communis. Ratio est: quia Pontifex simpliciter prohibet, ne habeantur à quoquam ejusmodi libri, eosque vult penitus non esse in rerum natura. Dixi autem, *per notabile spatium temporis*. Sicut enim ex dictis in n. 54. parvitas materiæ, ita etiam parvitas temporis excusat. Itaque non excommunicatur, qui talem librum retinet unâ v. g. vel duabus horis, ut docet Bonac. n. 15. vel etiam uno, vel duobus diebus, ut judicat Sanchez apud eundem, quamvis adsit opportunitas eum consignandi Superiori: quia retentio unius vel duorum dierum hîc censetur modica. Hinc illi quoque excusantur, qui hujusmodi librum etiam longiori tempore, donec opportunitas tradendi offeratur, apud se retinent. Bonac loco cit.

IV. Excommunicantur tertio, qui librum ab hæretico hæreticè scriptum impri- 57
mendum tradunt; qui imprimendum suscipiunt; qui typos ordinant; qui prælum tractant. Laym. n. 7. Ratio est: quia nomine imprimentium, ad quos extenditur præsens excommunicatio, intelliguntur omnes, qui ad impressionem libri propinquè cooperantur: sed omnes recensiti propinquè cooperantur; ergo. Addendi ex Bonac. n. 16. videntur, qui chartas humectant; ex Filliuc. n. 46. qui impressionem corrigunt.

V. Excommunicantur quarto, qui libros hæreticos, quatenùs opera sunt hære- 58
ticorum, verbô, vel opere laudant, affirmandô, non esse pravos, non esse igni, aut inquisitori tradendos; vel re ipsâ impediendo, ne comburantur, aut in manus inquisitorum deveniant. Quòd idem extenditur ad eos, qui hujusmodi libros defendunt disputationis gratiâ. Laym. loco cit. Filliuc. n. 47. Bonac. n. 17. Ratio est: quia juxta Bullam excomunicantur, qui defendunt quomodolibet. Hinc Bonacina meritò videtur excusandus, qui laudat stylum & ingenium Authoris: talis enim non dicitur defendere librum hæreticum, quatenùs est hereticus. Atque hæc de præsenti materia explicata intelligi debent,

quantùm est ex vi Bullæ Cœnæ Domini, & abstrahendo ab aliis prohibitionibus diversorum Pontificum, quas videre est apud Salmantic. ubi suprà, n. 73.

§. V.

Quomodo intelligenda sit Excommunicatio, quæ incurritur ob percussionem Clerici?

SUMMARIUM.

59. *Recitatur cap.* Siquis suadente. 60. 61. 62. 63. *Quinam intelligantur per particulam* siquis? 64. 65. 66. *Quinam intelligantur nomine Clerici?* 67. 68. 69. 70. *Quinam nomine Monachi?* 71. 72. 73. *Quid significent verba*, manus violentas injecerit? 74. 75. 76. 77. *Quænam excusent ab ista Excommunicatione?* 78. *Percussio Clerici alia levis, alia gravis, alia enormis.* 79. *Quinam à præsenti Excommunicatione possint absolvere?* 80. *Quid in dubio de qualitate percussionis?*

59 Inter excommunicationes Papæ reservatas extra Bullam Cœnæ valde frequens est undecima, quam §. præced. n. 48. in 2. classe retulimus. Continetur illa in can. *siquis suadente*. 17. q. 4. his verbis: *Siquis suadente Diabolo, in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat: Et nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo; donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Hanc excommunicationem per aliquot quæstiones declarare operæ pretium est.

60 Quæstio I. Quinam intelligantur in cit. can. per particulam *siquis?* Respondeo, intelligi omnes baptizatos usu rationis præditos (excepto Papa) si causam, ob quam lata est hæc censura, præbuerint. Quod idem extenditur etiam ad mandantes, consulentes, consentientes, ratum habentes, non impedientes, si ex officio tenebantur impedire. Ratio est: tum, quia hoc expressè colligitur ex jure Ecclesiastico apud Laym. tract. 5. par. 2. c. 5. n. 6. Tum, quia hic Canon favorabilis est pro honore statûs Ecclesiastici; adeoque liberaliter accipiendus. Ex quibus

61 Infertur jam primo, Clericum ipsum, vel Monachum, qui se malitiosè occidit, aut vulnerat, incurrere excommunicationem Canonis. Bonac. disp. 2. q. 4. pu. 2. n. 4. Laym. n. 5. Ratio est: quia hæc excommunicatio incurritur, propter percussionem injuriosam statui Ecclesiastico, in cujus favorem hic Canon est promulgatus, & quo cedere non potest persona privata: atqui ejusmodi occisio, vel vulneratio est percussio injuriosa statui Ecclesiastico; ergo. Atque hinc non excusatur ab hac excommunicatione, qui Clericum vel Monachum percutit etiam volentem & consentientem: quia ejusmodi consensus est inanis & nullus.

62 Infertur secundo, mandantem, aut consulentem, si mandatum, seu consilium seriò revocaverit, eamque revocationem mandatario, aut ei, cui dedit consilium, efficaciter proposuerit, præstando ex sua parte, quidquid potuit, ut illum ab executione averteret, non incurrere excommunicationem, quamvis executio percussionis sequatur. Salmantic. tract. 10. cap. 1. n. 150. Paulus Mezger tract. 8. disp. 39. a. 4. n. 8. & alii. Ratio est: quia nemo ligatur censurâ Ecclesiasticâ, nisi rebellis & contumax; sed in facta hypothesi mandans, aut consulens non est rebellis & contumax; ergo non ligatur censurâ Ecclesiasticâ.

63 Sed quid, si revocatio mandati, aut consilii executori non innotuit? Respondeo, probabiliùs neque in hoc casu excommunicationem incurri à mandante, aut consulente. Ita complures, quos referunt, & sequuntur Salmantic. n. 153. Ratio est: tum quia, supposita seria retractatione voluntatis non ampliùs influit moraliter in actum, aut omissionem actûs, qui antecedenter liberè dedit causam eorum. Tum, quia censura Ecclesiastica est pœna medicinalis ordinata ad sanandos & emendandos peccatores: adeoque non habet locum in jam sanatis & emendatis. Atqui in nostro casu mandans aut consulens supponitur jam sanatus & emendatus per seriam retractationem & detestationem delicti. Tum, quia excommunicatio, & alia quævis censura, ut incurratur, requirit contumaciam in subjecto: sed, qui malitiosam voluntatem retractavit, modisque omnibus, quibus potuit, ejus effectum impedire conatus est, jam non est contumax; ergo. De cætero notant Salmantic. n. 158. Si consulens existimet, eum, cui dedit consilium, insuperhabita sua revocatione ac dehortatione facinus executurum, eum ex justitia obligari ad monendum, si utiliter fieri potest, percutiendum, aut lædendum, ut sibi caveat: secùs enim à censura non fore immunem, eò quod damnum proximi, in quod aliquatenùs influxerat, non omnibus modis, quibus posset, impedire conaretur. Mandatarium autem, cui constat de efficaci revocatione mandati, si nihilominùs credatur progressurus ad executionem, jam suæ malitiæ potest relinquere mandans: lædendum tamen, ut docent iidem Salmanticenses, ex charitate, si commodè atque utiliter potest, monere tenetur de parata pernicie.

Quæstio

64 Quæstio II. Quinam intelligantur nomine *Clerici?* Respondeo, omnes, etiam in minoribus tantùm constitutos; imò primâ tantùm tonsurâ initiatos, dummodo, qui in sacris non sunt, habitum Clericalem & tonsuram deferant, ac præterea alicui Ecclesiæ inserviant, vel in aliquo seminario Clericorum, aut in schola quapiam, vel Universitate studiorum causâ versentur, quemadmodum ex Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6. deducitur. de quo vid Paul. Mezger ubi suprà, n. 1. & 2.

65 Cæterùm plures ex Clericis excipiuntur, ut non gaudeant privilegio Canonis, scilicet primo conjugati, si fuerint bigami, aut viduas, vel corruptas duxerint, matrimoniumque consummaverint. Tales enim in cap. un. *de bigamis*, in 6. dicuntur nudati omnibus privilegiis clericalibus. Secundo, Clerici degradati realiter: quia proprius effectus degradationis est deiicere à statu Ecclesiastico in statum laicalem sicque dejectum exuere omni privilegio personis Ecclesiasticis concesso. Dixi, *degradati realiter*. Nam degradati verbaliter tantùm non privantur privilegio Canonis vel fori, ut in prox. a. videbimus. Tertio, qui objecto habitu Clericali enormibus delictis (hoc est, seditioni, vel latrociniis, & iniquis bellis) se immiscent. c. *perpendimus de sent. excommunic.* Quarto, qui similiter dimisso habitu Ecclesiastico negotiis se ingerunt sæcularibus, terque ad moniti ab Episcopo non emendantur. c. *contingit. de sent. Excommunic.* Quintò, qui per annum exercent artem ignominiosam histrionis, mimi, aut parasiti. Quia hi tales ipso jure amittunt omnia privilegia clericalia. Immo, si ter admoniti ab Episcopo non resipiscant, amittunt ante annum elapsum. c. *un. de vita & honest. Cleric. in* 6.

66 Corollarium. Non excusatur ab excommunicatione, qui percutit Clericum quantumvis excommunicatum, suspensum, depositum, aut irregularem. Ita cum communi Bonac. disp. 2 q. 4. pu. 1. n. 3. Ratio est: quia neque excommunicatio, aliave censura, neque depositio, neque irregularitas extrahit quemquam ex statu Clericali, aut privet privilegio Canonis. Ille tamen non incurreret hanc excommunicationem, qui percuteret ordinarum ante Baptismum, vel vi absolutâ promotum ad Ordines absque intentione suscipiendi aliquem eorum. Ratio est: quia in utroque casu invalida est ordinatio: adeoque ordinatus non gaudet privilegiis clericalibus, nisi fortè in posteriori liberè susceperi primam tonsuram. Vid. Bonac. loco cit.

67 Quæstio tertia. Quinam intelligantur nomine *Monachi?* Respondeo, omnes Ordinum approbatorum Religiosos utriusque sexûs, etiam eorum Conversos & Conversas, tametsi in quibusdam Religionibus non emittant professionem propriè dictam. Item Novitios: hi enim, cùm sint in via ad susceptionem Religionis, pro Religiosis computantur in favorabilibus, eorumque gratiis, & privilegiis frui sinuntur. Vid. Filliuc. tract. 14. cap. 1. n. 14. Bonac. n. 6. Laym. ubi suprà, n. 4. Paulus Mezger n. 5.

68 Dubium tamen est primo de Tertiariis S. Francisci, vel S. Dominici, an habendi sint pro personis Ecclesiasticis, atque adeò earum privilegiis gaudeant? Loquimur de illis Tertiariis, qui solùm addicti sunt Religioni, cui vel bona sua offerunt, vel etiam habitum & Regulam suscipiunt. Nam alii, qui editis tribus votis essentialibus vivunt sub regula & jurisdictione Ordinis, verè Religiosi, adeoque personæ Ecclesiasticæ sunt. Circa illos igitur utendum est distinctione Leonis X. apud Rodriq. to. 2. qq. regul. q. 65. a. 5. quam refert Laym. loco cit. quod, si in domibus propriis habitent, sæcularibus omnino personis annumerari debeant. Si verò collegialiter vivant, habitumque gestent, & votum aliquod expressum ediderint, gaudere eos oporteat privilegiis fratrum Ordinis, cui ut tertiæ regulæ habitum gestant.

69 Dubium est secundo de Eremitis. Circa quos itidem distinguendum est. Vel enim sub obedientia Prælati alicujus imitantur vitam religiosam (licèt tria vota substantialia non emittant) suntque dicati alicui loco sacro; vel absque speciali obligatione Ecclesiastica hinc inde vagantur? Si primum; computari merentur inter personas Ecclesiasticas: si secundum; id non merentur. Filliuc. Laym. Paulus Mezger. locis citt.

70 Dubium est tertio de Religiosis apostatis, & ejectis, an gaudeant privilegio Canonis? Ad quod respondeo affirmativè cum Diana ac Bordono, quos refert & sequitur Paulus Mezger n. 6. Ratio est: quia in nullo jure habetur expressum, hos tales (licèt etiam habitum & tonsuram exuerint) privilegiis personarum Ecclesiasticarum esse privatos. cap. 1. *de apostatis*, quod fortè obstare videtur; quia apostatis à Clericatu infligens varias pœnas adimit etiam privilegium Canonis, stricte interpretari oportet: quia in odiosis nomine Clericorum, de quibus agit dictum cap. non comprehenduntur Religiosi; veluti habet Abbas in cap. 1. *ne Clerici, vel Monachi.*

71 Quæstio quarta, quid hîc significetur per *manus violentas injecerit?* Respondeo, significari externam læsionem corporalem, sive illa fiat immediate, puta

manibus, pedibus, dentibus &c. sive mediatè, hoc est, mediante aliquo instrumento, ut sclopeto, baculo, gladio &c. sive eadem in ipso corpore, sive in adjacentibus, scilicet vestibus, equo &c. proximè recipiatur. Neque enim requiritur ad læsionem sive afflictionem istam percussio, aut physicus attactus corporis, sed sufficit, si sit actio exterior & corporalis injuriosa, seu contumeliosa: ejusmodi etiam sunt, Clericum vel Religiosum arrepta veste violenter extrahere, aut trahere ad aliquem locum, per vim vestibus exuere; in publica, vel privata custodia attinere; persequi fugientem, ut in fossam vel fluvium incidat &c. Hæc enim omnia violenta manuum injectio complectitur. Laym. n. 5. Salmantic. tr. 10. cap. 4. n. 26. Paulus Mezger n. 10. & DD. communiter. Qui etiam unanimiter tenent, memoratam injectionem manuum debere in genere injuriæ esse mortaliter peccaminosam. Ratio est. quia censura excommunicationis supponit culpam mortalem sacrilegii ceu proprium objectum: idque ipsum indicant verba, *suadente Diabolo*.

72 Colligitur nunc primo, non incurri excommunicationem à percutiente Clericum, si habeat quidem intentionem lædendi graviter, ac mortaliter peccaminosam, re ipsa tamen lædat valdè modicè. Ratio est: quia objectum hujus censuræ, utpote gravis pœnæ, est peccatum mortale externum gravis ac violentæ invasionis personæ Ecclesiasticæ. Atqui tale peccatum non est, nisi, præter internum affectum mortaliter peccaminosum, externa quoque læsio & violentia esse gravis supponatur. Laym. loco cit. Mezger n. 11.

73 Colligitur secundo, illum excommunicari, qui Clericum conspuit, aquâ, pulvere, lutô conspergit, equum, cui is insidet, occidit, vulnerat, percutit, aut retentô frænô sistit &c. Ratio est: quia licèt per similes actiones Clericus non lædatur graviter in corpore, gravem tamen injuriam patitur in honore, qui contumelioſè lædituꝛ: quod ad incurrendam excommunicationem Canonis sufficere constat ex c. *nuper de sent. excom.*

74 De cætero plures causæ existunt ab ista excommunicatione excusantes. Eas Reding q. 20. a. 4. contro. 9. fol. 500. à. n. 4. ad quatuor generatim capita reducit. Primum caput illa constituunt, quæ excusant à peccato mortali sacrilegii, scilicet primo parvitas materiæ. Ob hanc pueros v. g. primâ tonsurâ initiatos, dum in rixa se invicem pugnô percutiunt, ita etiam ut sanguinem naribûs effundant, non excommunicari existimant: quia plerumque hæc talis injuria inter illos levis esse censetur. Salmantic. n. 28. Secundo, imperfectio deliberationis, vel ignorantia. Hinc excommunicationem non incurrit, qui ex subita passione ante sufficientem advertentiam malitiæ; vel in ebrietate; vel ex joco, aut ludi causâ; vel in tenebris non agnoscens circumstantiam personæ Clericum percutit, etiam graviter. Reding n. 5. Mezger n. 13.

Secundum caput est titulus defensionis, 75
dum nempe quis, ut defenderet suam, vel alienam salutem, honorem, famam, pudicitiam, aut bona fortunæ Clericum invasorem percussit. Filliuc. tract. 14. cap. 1. n. 22. Bonac. disp. 2. q. 4. pu. 4. n. 1. Reding loco cit. Unde mulier licitè percutit Clericum non solùm verbis, sed etiam facto conantem pertrahere ad turpe flagitium, si alia ratione nequeat eum repellere. Similiter excommunicationi non subjacet, qui Clericum ex ædibus v. g. injustè occupatis ui exturbat, si non possit eas aliter recuperare. Bonac. loco cit. ubi tamen monet cum aliis, cavendum esse in ejusmodi casibus, ne scienter ac deliberatè excedatur moderamen inculpatæ tutelæ.

Tertium caput est titulus correctio- 76
nis. Magistro quippe vel Præceptori licitum est disciplinæ causâ discipulum Clericum in minoribus constitutm vincire, ac moderatè castigare etiam verberibus. Imò Prælatus & Præceptor Ecclesiasticus ita punire potest etiam in majoribus constitutum, prout nempe ratio culpæ, & qualitas personæ postulat, & approbat consuetudo, ait Reding n. 7. Porrò in cap. *universit. de sentent. excom.* prohibitum est Abbati regularis disciplinæ causâ Monachum percutere per alium, sed debet hoc facere per se ipsum, nisi aliud necessitas postulet: tunc enim hoc tale negotium alteri quidem committendum erit, sed Clerico, vel Monacho, & non laico. Vid. Laym. n. 9. Mezger loco cit.

Quartum caput est difficultas compes- 77
cendi justum dolorem, ac reprimendi impetum vindictæ in eo, qui Clericum deprehendit cum uxore, matre, sorore, aut filia sua turpiter agere. Ad quod sufficit, si actum quemcunque impudicum circa ejusmodi personam exerceat. Imò sufficere, si solus cum sola reperiatur in loco suspecto, accedentibus etiam aliis circumstantiis, quæ suspicionem moveant, docent Sylvester, Suarez & alii, quos refert & sequitur Laym. n. 8. Itaque maritus v. g. Clericum cum uxore sua turpiter inventum percutiens in continenti peccat quidem, sed excommunicationem

tionem canonis non incurrit, licèt etiàm occidat. *c. si verò 1. de sent. excom.* Dixi *in continenti.* Nam, si post elapsum spatium temporis, quo dolor sedari potuit, occidat, non excusatur ab excommunicatione: sicut neque tunc excusatur, si ex occulto studiosè insidiatus est, ut deprehensum posset occidere. Ad illum quoque non pertinet hujus capitis excusatio, qui cum aliis, quàm memoratis, consanguineis; putà cum avia, vel nepte, turpiter agentem occidit. Laym. loco cit. Salmantic. ubi suprà n. 31.

78 Quamvis autem hæc excommunicatio sit reservata Papæ, ut constat ex n. 59, dantur tamen varii casus, in quibus absolvere ab illa potest etiam Episcopus. Pro quo notandum est ex Paulo Mezger n. 14. percussionem Clerici aliam esse levem, aliam gravem, seu mediocrem; aliam enormem. Percussio levis dicitur, quæ pro tali habetur judicio prudentûm comparata cum aliis, quamvis absolutè sit mortaliter peccaminosa, ceu sufficiens ad incurrendam excommunicationem. Percussio enormis est, in qua ad mutilationem corporis, vel copiosam effusionem sanguinis ex illato vulnere proceditur; vel in personam magnæ dignitatis, ut Episcopum, aut Abbatem, violentæ manus injiciuntur; ut habetur in c. *cùm illorum* 32. *de sent. excom.* Percussio gravis sive mediocris est, quæ de utraque memorata aliquid participat: ut, si copia capillorum evellatur, inflictò colaphò dens frangatur &c. Potest autem sola quoque circumstantia personæ percussæ levem percussionem mutare in enormem. Ita si alapam infringas simplici Clerico, eúmve capillis trahas, levis erit percussio: quæ ipsa tamen enormis esset, si ita tractares superiorem, Prælatum, vel Episcopum.

Igitur ab excommunicatione præsenti; 79
si percussio fuit enormis, aut gravis, potest absolvere regulariter solus Papa, quique vices ejus gerit, Legatus à Latere. Idem potest Legatus Missus, sive Nuntius Apostolicus, sed tantùm circa subditos existentes in provincia suæ legationis. Legati Nati hîc plus non possunt, quàm alii Ordinarii, nisi speciale à Papa privilegium habeant. Filliuc. tract. 15. c. 1. n. 34. Mezger n. 15. Episcopus autem potest absolvere 1. quotiescunque percussio est levis. 2. Quandocunque excommunicatus ob rationabile impedimentum non potest adire Papam, vel ejus Legatum. 3. Si percussio sit occulta, tametsi foret enormis. 4. Si percussores sint impuberes, mulieres, moniales. 5. Si viri sint magnæ potentiæ, postquam de statu eorum certior factus fuerit Sum. Pontifex. 6. Si Clerici in commune viventes se invicem verberaverint. 7. Si Religiosus Clericum sæcularem percusserit, non tamen enormiter. Mezger n. 16. De cætero, quid in hac parte circa suos Religiosos possint Prælati ac Superiores Regularium, ipsique subditi Regulares ad excipiendas confessiones exposiri, petendum est ex eorum privilegiis.

Corollarium. Si consideratis personæ 80
læsæ, temporis, ac loci circumstantiis, dubitet Episcopus, sitne levis, gravis, an enormis percussio? Meritò declarabit, non esse gravem, aut enormem, atque adeo ab eadem absolvet. Bordonus, Laym. quos refert & sequitur Mezger n. 14. Ratio est: tum, quia *in obscuris minimum est sequendum*, per reg. 30. in 6. *& in dubiis magis faciendum est reo, quam actori.* Reg. 11. in 6. tum, quia Prælatus in dubio non debet se spoliare jure suo. Nam in dubiis melior est conditio possidentis suam jurisdictionem.

ARTICULUS II.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

HAs pœnas Ecclesiasticas in unum jungimus. Quamvis enim neque Depositio, neque Degradatio censura sit Ecclesiastica, quia tamen utraque cum suspensione magnam affinitatem & connexionem habet, visum est, eas disputatione ab illa non esse separandas.

§. I.

Quid, & quotuplex sit suspensio?

SUMMARIUM.

1. *Definitio Suspensionis.* 2. *Differentiæ ejusdem ab aliis pœnis Ecclesiasticis.* 3. *Suspensio alia totalis, alia partialis.* 4. *Suspensus ab officio non hoc ipso suspensus est à beneficio.* 5. *Uti nec econtra.* 6. *Similiter suspensus ab Ordine non hoc ipso suspensus est à Jurisdictione.* 7. *Sicuti nec econtra.* 8. *Non est prohibitum communicare cum suspensis.*

Dico primo. Suspensio est *censura, qua* 1
Clerico prohibetur usus potestatis Ecclesiasticæ. Sic reipsa communis & bona definitio. Dicitur primo *censura*, loco generis. Quia in hoc convenit Suspensio cum excommunicatione, & Interdicto. Quamvis etiam in hoc ipso exerceat aliquam ra-

tionem differentiæ. Inde namque differt à Depositione, Degradatione, & Irregularitate, quæ non sunt censuræ. Intelligitur præterea, neque eum, cui Confessarius, vel Abbatissa ob justam causam interdixit, ne celebret; neque eum, cui propter peccatum mortale, in quo existit, fas non est celebrare, absolvere &c. propriè dici suspensum, sed prohibitum. Atque hinc talis non incurrit irregularitatem, si similes actus illicitè exerceat. Dicitur ulteriùs *Clerico*, ut significetur subjectum proprium hujus censuræ, quod sunt soli Clerici primâ saltem tonsurâ initiati: soli namque Clerici potestatis Ecclesiasticæ, hoc est Ordinis, vel jurisdictionis spiritualis, vel beneficii Ecclesiastici sunt capaces. Quare dum Prætor ab officio Prætoris, Advocatus à munere advocationis suspenditur, non putandi sunt hâc nostrâ affici censurâ: quia nequidem personæ Ecclesiasticæ sunt, multò minùs Clerici. Similiter, dum Abbatissa quæpiam aliqua jurisdictione impropriè dicta, seu potiùs dominio privatur, solùm impropriè suspenditur: quia licèt sit persona Ecclesiastica, non tamen est constituta in ordine Clericali. Dicitur denique, *prohibetur usus potestatis Ecclesiasticæ*, ut intelligas, per suspensionem non auferri ipsum officium seu potestatem Ordinis, jurisdictionis, aut jus beneficii Ecclesiastici, sed usum tantùm, & exercitium impediri. Vid. Laym. tract. 5. par. 3. cap. 1. n. 1. Bonac. disp. 3. pu. 1. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 5. n. 2. & 3.

2 Per easdem particulas Suspensio primò differt rursus ab Irregularitate, Depositione, & Degradatione. Nam prima privat Ordine suscipiendo: duæ posteriores privant officio & beneficio simpliciter; suspensio verò privat præcisè usu illorum. Differt secundo ab Excommunicatione minore: quia hæc privat usu passivo tantùm Sacramentorum; Suspensio verò usu activo. Differt tertiò ab Excommunicatione majore: quia licèt hæc etiam privet usu seu exercitio potestatis Ecclesiasticæ: non tamen privat, quatenùs est usus ejusdem, sub qua ratione privat Suspensio; sed quatenùs est communicatio cum fidelibus. Differt quartò ab Interdicto: quia istud similiter privat functionibus potestatis Ecclesiasticæ, non quatenùs sunt usus ejusdem, sed quatenus sunt bona spiritualia laicis quoque personis communicabilia. Salmantic. n. 4. Reding. q. 20. a. 5. àn. 1. Illsung. tract. 7. disp. 1. q. 2. a. 2. n. 56.

3 Dico secundo. Suspensio dividitur in totalem & partialem. Totalis alia est talis simpliciter; alia secundùm quid. Totalis simpliciter est, quæ simul suspendit ab officio & beneficio. Hæc Suspensio duplici modo ferri potest. Primo, ita, ut exprimatur prohibitio tam ab officio, quàm à beneficio. Secundo, absolutè & indefinitè citra ejusmodi expressionem. Tunc enim suspensio, quando ex adjunctis, nulla limitatio colligi potest, censenda est totalis simpliciter: quia propositio indefinita æquivalet universali, ut ex Henriq. & Ægidio Conink notat Laym. n. 2. Suspensio totalis secundùm quid illa dicitur, quæ privat usu potestatis Ecclesiasticæ in certo genere, videlicet officii vel beneficii. Totalis suspensio ab officio est, qua quis ab omni spirituali officio tum ordinis, tum jurisdictionis, & Ecclesiasticæ administrationis suspenditur. Totalis à beneficio est, qua quis ab omni administratione Ecclesiastici beneficii, fructuúmque ex eo perceptione suspenditur. Partialis suspensio est, per quam vel ab ordine tantùm, vel ab aliquo actu ordinis, v. g. actu ordinandi, vel sacrificandi: vel à jurisdictione tantùm, aut certo quodam actu jurisdictionis, seu quasi jurisdictionis, v. g. à collatione beneficii, voce suffragii: vel denique à certo beneficio, vel parte beneficii quis impeditur. Vid. Laym. loco cit. Ex dictis habetur

Corollarium I. Qui suspensus est ab officio, non eo ipso suspensus est à beneficio. Filliuc. tract. 17. cap. 2. n. 20. Bonac. pu. 2. n. 10. Salmantic. n. 20. & alii communiter. Unde suspensus ab officio, etiam ob crimen gravissimum, potest percipere fructus beneficii, dummodo vel per se (quoad concessum est) vel per alium ejus onera exequatur. Ratio est: quia suspensio ab officio & suspensio à beneficio sunt pœnæ diversæ, & potest una mandari executioni sine altera. Accedit, quòd verba, quæ odium ac pœnam continent, non debeant extendi ultra id, quod sonant. Cùm proinde suspensio ab officio loquatur sine mentione alterius pœnæ, non est ultrà extendenda. Addendum est tamen ex Laym. & Salmantic. eum, qui ob grave crimen suspensus est ab officio in perpetuum, privandum esse beneficio. 4

Corollarium II. Qui suspensus est à beneficio, non ideo ab officio quoque censeri debet esse suspensus. Unde non solùm potest, sed etiam tenetur officio suo satisfacere, jurisdictionémque, vel administrationem ratione officii competentem exercere, ut antea. Ita cum communi sententia Laym. n. 3. Salmantic. n. 18. Quare suspensus à beneficio privatur sola perceptione fructuum beneficii ac temporali administratione ejusdem. Neque existimes, æquum non esse, ejusmodi suspensum carere fructibus beneficii, & nihilominùs obligari ad 5

præ-

præstanda ejus onera, v. g. ad celebrandum, recitandas horas &c. cùm enim ante suspensionem ad ista fuerit obligatus, non debet ipsi pœna & delictum patrocinari, ut deobligetur, ne ex sua contumacia commodum reportet. Itaque sibi imputare debet damna, quæ patitur. Interim tamen talis non privatur commodo, quod provenit ex voluntariis oblationibus fidelium propter onera personalia: cujusmodi sunt anniversaria, stipendia Missarum & similia, quæ non sunt fructus beneficii. Unde aliud est de distributionibus quotidianis. Nam istæ fiunt titulo beneficii. Filliuc. cap. 3. n. 44. Imò concedunt DD. Clericum suspensum à beneficio, si pauper sit, & aliunde sustentari nequeat, ali posse ex memoratis distributionibus, vel aliis beneficii fructibus. Vid. Bonac. ubi supra.

6 Corollarium III. Suspensus ab Ordine non debet censeri suspensus à jurisdictione, si hæc nullam includat functionem Ordinis. Bonac. n. 4. Salmantic. n. 16. Reding ubi suprà, contr. 1. n. 14. Ratio est: quia Ordo non solùm distinctus, sed etiam separabilis est à jurisdictione. Aliunde quoque pœnas non oportet extendere, aut trahere ab uno casu ad alium similem. Itaque suspensus ab Ordine potest ferre censuras, ab his absolvere, eligere: cùm actus isti non sint Ordinis, sed jurisdictionis. At non potest sacramentaliter absolvere à peccatis: quia hæc absolutio non solùm est actus jurisdictionis, sed etiam Ordinis. Et ideo dixi, *si jurisdictio nullam includat &c.*

Dices. Jurisdictio Ecclesiastica fundatur in Ordine: ergo hoc ipso, quò cuipiam prohibeatur exercitium Ordinis, etiam prohibetur exercitium jurisdictionis: cùm ablatô fundamentô auferatur id, quod in eo fundatur. Respondeo primo neg. Ant. quid pro fundamento jurisdictionis sufficit prima tonsura, à qua, qui suspenditur ab Ordine, non suspenditur: cum juxta probabiliorem sententiam D. Thomæ non sit Ordo. Respondeo secundo neg. conseq. quia usus, sive exercitium jurisdictionis non fundatur in exercitio Ordinis, nisi sermo sit de absolutione sacramentali; sed fundatur in Ordine ipso, qui non tollitur, etiamsi actus ipsius prohibeatur.

7 Corollarium IV. Suspensus à jurisdictione non hoc ipso suspensus est ab Ordine. Reding loco cit. Illsung. tract. 7. disp. 1. q. 2. a. 2. n. 58. Ratio ex præcedentibus est: quia sicut dari potest jurisdictio sine Ordine & vicissim, ita dari potest suspensio à jurisdictione sine suspensione ab Ordine. Intelligenda est autem hæc doctrina, nisi functio Ordinis supponat jurisdictionem; sicuti fit in absolutione sacramentali à peccatis. Unde licèt suspensus à jurisdictione possit Missas celebrare, aliáque facere, quæ sunt Ordinis, non tamen potest absolvere à peccatis.

Quæres, an fidelibus prohibitum sit 8
communicare cum suspensis in iis, quæ illis prohibita sunt per suspensionem? Respondeo, id nullo jure esse prohibitum, etiam, si suspensi denuntiati sint. Laym. ubi suprà n. 7. Salmantic. n. 14. Ratio est: quia suspensio privat quidem usu potestatis Ecclesiasticæ, quatenùs est usus, non tamen, in quantum est communicatio cum fidelibus, sub qua ratione privat excommunicatio, velut ex n. 2. constat. Itaque licitè audis Missam, quam celebrat Sacerdos ab Ordine suspensus. Licitè quoque, si absit scandalum, peccata confiteris suspenso ad excipiendas confessiones aliunde parato. Dixi, *aliunde parato.* Lex enim charitatis postulat, ne ipsonte non volentem ad violationem censuræ inducamus.

§. II.

Ob quam causam, & quomodo ferenda sit suspensio?

SUMMARIUM.

9. Suspensio non incurritur, nisi propter aliquod peccatum. 10. Suspensio gravis, ut incurratur, requirit culpam gravem. 11. Incurri potest etiam propter culpam alienam. 12. Ob quænam in specie delicta incurri soleat suspensio? 13. Eadem Censura ferri potest ob culpam merè præteritam. 14. 15. Ut licitè feratur, dari debet in scripto. 16. Quinam absolvere possint à suspensione? 17. Quale peccatum sit exercere actum per suspensionem prohibitum.

SUpponitur tanquam certum apud omnes, 9
censuram suspensionis non incurri, nisi propter aliquod peccatum. Quia nempe ad pœnam propriè dictam requiritur delictum: Sed suspensio, de qua loquimur, est pœna propriè dicta, qua directè adimitur alicui usus potestatis Ecclesiasticæ; ergo. Videndum est modò, quodnam & quale debeat esse delictum.

Dico primo. Suspensio gravis non pot- 10
est incurri, nisi ob culpam mortalem. Laym. tract. 5. par. 3. cap. 3. n. 2. Filliuc. tract. 17. cap. 4. n. 63. Salmantic. tract. 10. cap. 5. n. 44. & alii communiter. Ratio est: quia pœna debet esse commensurata culpæ. Cùm proinde suspensio gravis sit pœnæ gravis, requirat culpam gravem, adeoque mortalem. Dixi, *suspensio gravis*: qualis est, qua quis suspenditur ab officio, à beneficio,

cio, ab ordine, à jure eligendi, beneficia conferendi, alióve munere magnæ æstimationis. Nam levis suspensio, cujusmodi est, per quam quis privatur v. g. distributionibus unius diei, vel electione semel duntaxat, propter culpam levem quoque, seu venialem imponi potest. Vid. citt. Confirmatur exemplô excommunicationis, quæ, si gravis, sive major sit, non nisi propter culpam mortalem; si levis, sive minor, etiam propter culpam venialem solùm incurri potest; ut habet recepta sententia, & constat ex suprà dictis, a. 1. §. 2. n. 13.

11 Dico secundò. Suspensio (idem cogita de interdicto) incurri potest etiam propter culpam alienam. Salmantic. cum pluribus, quos referunt n. 46. contra Navarr. Sotum, Cajetanum & alios. Habere autem locum potest statuta concl. in casu, quo tota aliqua communitas, v. g. Collegium, suspenditur, non verò, dum suspenditur determinata persona: tunc enim suspensio ab illo solo incurritur, cujus culpa est propria. Nunc ratio concl. est: quia suspensio non privat bonis spiritualibus quatenus pertinentibus ad commodum particulare ipsiusmet suspensi, sicut excommunicatio, sed privat usu potestatis Ecclesiasticæ quatenus per se pertinente ad bonum commune; cui persæpè multùm consulitur, si propter delictum Superioris, v. g. Rectoris, Decani, subditi arceantur à consuetis ministeriis. Fit enim hac ratione, ut ille confundatur ac resipiscat, dum videt; ob suam culpam etiam innocentes gravari. Advertendum tamen est ex Salmantic. n. 47. hanc talem suspensionem respectu innocentium in communitate non esse propriè censuram, sed inhabilitatem quandam, instar irregularitatis; ad exercendos actus, à quibus suspenduntur.

12 Cæterùm in specie multa ab authoribus delicta recensentur, ob quæ suspensio solet incurri. Nam primo suspenduntur, qui sine licentia recipiunt sacros Ordines ab alieno Episcopo, vel à proprio, sed in aliena Diœcesi; vel ab excommunicato non tolerato, suspenso, interdicto, irregulari: vel ante ætatem legitimam; vel extra tempora destinata ab Ecclesia; vel per saltum; vel non servatis temporum interstitiis; vel sine titulo mensæ; vel cum vinculo matrimonii rati; vel simoniacè: Secundò suspenduntur assistentes matrimonio sponsorum alterius Parochiæ; vel illud benedicentes sine illius Parochi licentia, à cujus Episcopo, & non à proprio petere debent hujus suspensionis absolutionem; ut patet ex Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. Hæc omnia Illsung. tract. 7. disp. 1. q. 2. a. 2. n. 6. Reliqua, cùm sint plurima, non vacat adducere. Vid. Bonac. disp. 3. pu. 5. Reding. q. 20. a. 5. contro. 1. corollar. 3.

13 Dico tertio. Suspensio ferri potest ob culpam etiam meré præteritam, idque vel in perpetuum; vel ad certum tempus, v. g. triennium; vel donec reus satisfecerit, restituerit; vel ad beneplacitum Superioris. Laym. ubi suprà n. 3. Salmantic. n. 6. & alii; constatque ex usu & praxi. Ubi tamen notandum est, ob defectum contumaciæ suspensiones, quæ his modis feruntur, non esse propriè censuras, sed meras pœnas spirituales.

14 Dico quartò. Quamvis ad valorem Suspensionis nulla requiratur certa verborum formula, ut tamen ab homine feratur debito modo ac licitè, danda est in scripto, expressâ ibi causâ, ob quam feratur. Ratio primi est: quia nulla talis forma habetur à jure determinata. Itaque sufficiunt quæcunque verba, vel etiam Scriptura, quibus voluntas Superioris subditum suspendendi declaretur. Ratio secundi est: quia ita vult cap. 1. *de sent. excom. in* 6. Debet insuper præcedere canonica monitio, sine qua suspensio est nulla, eamque ferens illâ omissâ suspenditur ab ingressu Ecclesiæ per mensem ex cap. *Sacro de sent. excom. in* 6.

15 Corollarium. Quando Prælatus solo verbo dicit Sacerdoti subdito, suspendo te, v. g. à celebratione Missarum, non videtur esse suspensio propriè dicta, sive censura suspensionis, sed simplex tantùm prohibitio. Salmantic. n. 8. Ratio est: quia nemo præsumitur velle peccare, quamdiu aliunde non constat de ejus voluntate. Prælatus autem solo verbo quemquam suspendendô peccaret, nisi Religio habeat privilegium suspendendi aliter, quàm in scripto.

16 Quantùm ad absolutionem à suspensione, habe sequentia. Ab illa, quæ est lata ut propriè censura, potest absolvere Episcopus, si Papæ non sit reservata. Non possunt autem absolvere Parochi, vel Sacerdotes simplices, ne quidem in foro conscientiæ, nisi gaudeant privilegio. Quare ligatum suspensione vel ad Episcopum, vel pro foro conscientiæ ad Regularem hoc absolutionis privilegio gaudentem debent remittere. Quòd si suspensio sit lata ut pura pœna (sicut fieri diximus n. 13.) tunc ab eo solùm relaxari, ac tolli potest jure ordinario, qui tulit, & non ab inferiore. Dixi, *jure ordinario*. Nam ex privilegio etiam tolli potest ab aliis. Vid. Illsung. tract. 7. disp. 1. a. 2. n. 61. & 62. Formula absolutionis à suspensione est hæc: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad executionem tui muneris, ordinis, vel ad beneſi-*

neficium tuum, in nomine Patris &c. Hæc tamen verba licèt teſte Laym. regulariter adhiberi debeant, non ſunt neceſſaria ad valorem abſolutionis. Nam ſi diceret abſolvens: *Abſolvo te à ſuſpenſione, revoco, relaxo ſuſpenſionem*, ſatis eſſet.

17 Quæres demum, quale peccatum ſit exercere actum per ſuſpenſionem prohibitum? Reſpondeo, eſſe peccatum ex ſuo genere mortale. Filliuc. cap. 10. n. 176. & 177. Bonac. ubi ſupra pu. 4. n. 1. & alii communiter. Ratio eſt: quia ſuſpenſus exercendo ſimilem actum transgreditur præceptum Eccleſiæ in re gravi ex genere ſuo. Fieri tamen poteſt ob parvitatem materiæ, ut excuſetur à mortali: v. g, ſi ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ modico ſolùm tempore ibi commoretur, dum peraguntur Divina officia.

§. III.

Quid Depoſitio? Quid Degradatio?

SUMMARIUM.

18. *Definitio tum Depoſitionis, tum Degradationis.* 19. *Degradatio alia verbalis, alia realis.* 20. *Quænam crimina digna ſint Depoſitione, aut Degradatione?* 21. *Degradatus in Sacris conſtitutus non excuſatur à recitatione Horarum, & ſervanda caſtitate.*

18 DEpoſitio eſt pœna Eccleſiaſtica, per quam perſona Eccleſiaſtica propter enorme crimen removetur ab ordine, jurisdictione, vel beneficio in perpetuum, & ſine ſpe remiſſionis. Degradatio eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ Clericus ab omni officio, ac beneficio Eccleſiaſtico depoſitus Clericorum inſuper privilegiis per ſolemnem ſententiam in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis exuitur. Ita ambas deſcribit Laym. cap. 5. n. 1. & 3. Differunt à ſuſpenſione, primo, quòd ſuſpenſio ſit cenſura, non verò ipſæ. Secundo, quòd ſint pœnæ de jure ordinario irremiſſibiles; ſecùs ſuſpenſio. Tertiò, quòd ſuſpenſio non priver privilegiis clericalibus; priver verò ſaltem Degradatio. Quarto, quòd auferant reo ipſum jus radicale, ſeu titulum beneficii, aut jurisdictionis; non item ſuſpenſio. Differunt inter ſe in eo potiſſimùm, quòd Degradatio, quatenus fieri poteſt, Clericum extra gradum, ac ſtatum Clericalem collocet, privétque privilegiis Canonis, & fori: quod non præſtat ſimplex depoſitio. Unde percutiens degradatum non incurrit excommunicationem; incurrit autem percutiens depoſitum. Degradatus quoque recidit ſub jurisdictionem magiſtratûs ſæcularis, adeò, ut ab hoc inſtar laici capi, incarcerari, ac puniri poſſit ſupplicio etiam capitali: ſecùs ſe res habet in eos, qui eſt ſimpliciter depoſitus. Hic enim adhuc manet immunis à poteſtate fori civilis.

19 Degradatio eſt duplex, nempe *verbalis*, & *realis*. Verbalis, ſive ſententionalis eſt authentica ſententia, per quam reus ab omni ordine, officio, beneficio, & privilegio clericali removetur. Hujus requiſita ſolemnitas habetur in cap. 2. *de pœnis in* 6. Degradatio *realis*, quæ etiam *actualis*, atque *ſolemnis* appellatur, eſt, per quam Clericus jam anteà verbaliter degradatus, adhibita certa ſolemnitate ac cæremonia omnibus veſtibus, & ornamentis Clericalibus, omniquè privilegio Clericali ſpoliatur. Ex quo patet, hanc Degradationem realem aliud re ipſa non eſſe, quàm ſolemnem executionem Degradationis verbalis. Illud quoque inter has Degradationes verſatur diſcrimen, quòd realis ſit actus ordini Epiſcopali ex inſtitutione Eccleſiæ annexus; verbalis autem ſit actus ſolius jurisdictionis. Unde illa à ſolo Epiſcopo conſecrato; iſta ab Epiſcopo etiam confirmato, vel ab alio etiam non Epiſcopo, v. g. Vicario generali, ex commiſſione exerceri poteſt. Laym. n. 5. Salmantic. tract. 10. cap. 5. n. 58.

20 Crimina enormia Depoſitione digna habentur in caſibus à jure expreſſis. Nec propter alia infligi poteſt hæc pœna, niſi magna ſint, juxta c. *Tuæ. de pœnis.* Hæc autem quamvis à nonnullis enumerentur: meliùs tamen, quænam ita puniri debeant, Judicis arbitrio relinquitur. Degradatio porrò ferri non poteſt, niſi ob crimen aliquod graviſſimum, idque ſolùm in caſibus, in quibus poſt illam Clericus traditur brachio ſæculari. Eorum præcipui, qui in jure exprimuntur, ſunt quatuor. Nempe primus, hæreſeos manifeſtæ, ſi in ea reus pertinaciter perſeveret. Secundus, falſationis litterarum Apoſtolicarum. Tertius, Sodomiæ frequentatæ. Quartus, calumniæ & contumeliæ gravis in proprium Epiſcopum, ſi ex parte delinquentis incorrigibilitas accedat. Vid. Laym. n. 6. Filliuc. tract. 18. cap. 8. n. 207. & 208. Reding. q. 20. a. 5. contr. 2. concl. 1. & 2.

21 Corollarium. Degradatus, ſive degradatione verbali, ſive reali, ſi ſit in ſacris conſtitutus, tenetur recitare horas Canonicas, & ſervare caſtitatem, ut antea. Filliuc. n. 191. Bonac. diſp. 4. pu. un. n. 5. Salmantic. n. 60. Ratio eſt: quia Degradatio non aufert characterem Ordinis, & conſequenter nec eximit ab oneribus Ordini annexis. Præſertim, cùm nemo ex ſua culpa debeat reportare commodum, vel occaſione pœnæ, quam luit ob proprium delictum, relevari ab obligatione aliunde contracta. Quòd ſi talis ma-

matrimonium contrahat, illicitè, & invalidè contrahit: primum; quia prohibetur vi voti castitatis; secundum; quia ratione sacrorum Ordinum est inhabilis. Validè tamen (licèt illicitè) consecrat, si sit sacerdos: validè quoque ordinat, si sit Episcopus: quia nempè adhuc retinet characterem Ordinis. Horas recitare potest cum aliis, si non sit excommunicatus, nec dicat *Dominus vobiscum*, ut notat Bonac. loco cit.

ARTICULUS III.

De Interdicto, & Cessatione à Divinis.

NOmen Interdicti non eodem modo accipitur in jure. Nam in c. *Pastoralis de caus. possess.* Dicitur fuisse formata quædam, & solemnis conceptio verborum, quibus Prætor quid fieri jubebat, vel prohibebat. Extat porrò titulus *de interdict. & releg.* ubi sumitur pro prohibitione tantùm & pœna, per quam aliquis patriâ, vel aliis bonis privatur. Nobis autem significat hîc specialem quandam prohibitionem Ecclesiasticam bonorum spiritualium per modum pœnæ medicinalis alicujus delicti. In qua acceptione cùm magnam habeat affinitatem cum Cessatione à Divinis, de ista quoque breviter agemus.

§. I.

Definitio & Divisio Interdicti.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quid sit, & quotuplex sit Interdictum.* 4. *An interdicta civitate interdicta sint etiam suburbia?* 5. *Quænam comprehendantur sub Interdicto locali alicujus Ecclesiæ?* 6. *Quid de celebratione Officiorum Divinorum in civitate interdicta?* 7. *An interdicta communitate omnes illius personæ censeantur interdictæ?* 8. *Quinam interdicti intelligantur interdicto populo?*

1 DIco primo. Interdictum est *Censura Ecclesiastica prohibens usum rerum sacrarum, quatenus à fidelibus haberi possunt.* Salmantic. tract. 10. c. 6. n. 1. Reding. q. 20. a. 6. n. 1. Dicitur primo *Censura Ecclesiastica.* Quæ est genus commune Interdicto cum suspensione & Excommunicatione. Dicitur, *prohibens usum rerum sacrarum*, ut significentur effectus Interdicti: in quibus convenit materialiter saltem cum Excommunicatione, quæ privat iisdem rebus, imò pluribus. Dicitur, *quatenus à fidelibus, &c.* in quibus Interdictum differt tum à Suspensione, quæ privat usu quorumdam spiritualium, sub ratione usûs, sive secundùm quod sunt exercitium potestatis Ecclesiasticæ: tum ab Excommunicatione, quæ privat usu bonorum spiritualium, quatenùs est communicatio cum fidelibus. Interdictum quippe prohibet usu rerum Divinarum, quatenus sunt bona quædam possidenda à fidelibus citra aliquem respectum mutuæ communicationis, vel potestatis Ecclesiasticæ.

2 Dico secundo. Interdictum aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum. Locale est, quod immediatè & directè afficit locum, & non personas, ita ut illis in alio loco usus rerum Divinarum non sit prohibitus. Personale est, quod immediatè ac directè afficit personas, eisque adhæret, quocunque devenerint, ita & usu Divinorum ubique priventur. Mixtum, quod etiam Deambulatorium vocatur, est illud, quod non tantùm afficit personam, sed etiam quemcunque locum, quem illa fuerit ingressa, ait Illsung tract. 7. disp. 1. q. 2. n. 63. ita ut eadem præsente ne quidem aliis in eo loco existentibus concedatur usus Divinorum.

3 Porrò Interdictum tam locale, quàm personale aliud est generale aliud speciale. Generale est, quo vel locus generalis, v. g. regnum, provincia, urbs: vel quo communitas, v. g. Collegium, Capitulum, Academia &c. interdicitur. Speciale, vel particulare est, quo vel certus locus particularis, unus, vel plures, v. g. Parochialis Ecclesia, vel plures ejusdem civitatis Ecclesiæ; vel persona particularis una, vel plures, v. g. Episcopus, vel Consules civitatis afficiuntur. Denique Interdictum aliud est totale, quo omnium, quantùm fieri potest, rerum Divinarum usus; aliud partiale, quo aliquarum solùm usus prohibetur. Vid. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 1. à n. 2. Bonac. disp. 5. pu. 1. n. 2. Salmantic. ubi supra à n. 2. Reding. n. 2. & 3. Illsung loco cit. Ex dictis

4 Inferes primo, interdicta civitate interdicta censeri etiam suburbia & ædificia continentia. Ita habetur ex cap. *Si civitas de sent. excom. in* 6. Et ratio est: quia accessorium sequitur conditionem principalis: atqui suburbia & loca continentia se habent ut accessoria respectu civitatis interdictæ. Accedit, quòd aliàs sententia Interdicti nullius esset roboris: cùm facilè quilibet ex urbe in ea loca egrederetur ad participanda Divina. Salmantic. n. 9. Reding. a. cit. contr. 1. n. 3.

5 Inferes secundo, sub Interdicto locali etiam speciali alicujus Ecclesiæ comprehendi ca-

capellas & cœmeterium contiguum. Habetur iterum ex cap. *Si civitas.* Ratio eſt: quia iſta ſunt, vel cenſentur veluti partes Eccleſiæ. Hinc aliud cogitandum de alia Eccleſia contigua quidem, non tamen quaſi acceſſoria interdictæ. Reding n. 5.

6 Inferes tertio, interdicta civitate, neque intra, neque extra Eccleſias civitatis intra civitatem licitum eſſe celebrare Divina officia; eſſe verò licitum extra has Eccleſias, v. g. in privatis oratoriis, quando ipſæ ſolùm ſunt interdictæ. Ratio eſt: quia Interdictum civitatis eſt generale, ſe extendens ad omnia loca ejusdem: Interdictum verò, in quo ſupponuntur Eccleſiæ, eſt ſpeciale, ſeque extra illas non extendi. Laym. n. 2.

7 Infertur quarto, interdicta communitate quapiam omnes perſonas cenſeri interdictas, ex quibus illa coaleſcit, ſive Clerici, ſive Religioſi, ſive laici, ſive abſentes, ſive præſentes ſint, quando fertur Interdictum. Ratio eſt: quia Interdictum, quod fertur in totam communitatem, nullum haberet effectum, ſi non comprehenderet ejus partes: cùm poſſent iſtæ Divinis intereſſe non obſtante Interdicto. Omnes igitur perſonæ communitatis tunc interdicuntur, niſi aliquæ excipiantur à judice, vel exceptæ ſint per privilegium. Bonac. n. 19. Salmantic. n. 10. & 11. Neque refert, in communitate ſæpe reperiri plures innocentes, quos Interdicto, ceu pœnæ cuidam ſpirituali, ſubjacere æquum eſſe non videatur. Nam dicitur innocentes, ſive eos, qui ſuâ culpâ Interdicto cauſam non dederunt, per accidens tantùm ligari hâc cenſurâ; quia ſunt in loco, ſive ex communitate interdicta: atque ideo nec puniri propriè, ſed damnum pati per accidens. Vide, quæ ſuprà in a. præc. n. 11. de ſuſpenſione diximus.

8 Infertur quinto, interdictô populô non interdici peregrinos, aut exteros; ſicuti nec Clericos & Religioſos. Salmantic. n. 15. & 16. Ratio eſt: quia nec peregrini & exteri, v. g. ſtudioſi, aut mercatores; nec Clerici & Religioſi ſunt partes populi. Verùm quærat aliquis, an interdicto Clero alicujus urbis interdictæ intelligantur etiam perſonæ Religioſæ? Reſpondeo negativè cum Bonac. n. 11. Salmantic. n. 17. Reding n. 9. & aliis. Ratio eſt: quia licèt Religioſi nomine Clericorum veniant in favorabilibus, non tamen in pœnalibus & odioſis. Diverſum quippe conſtituunt corpus politicum, quod diſtinctis legibus & conſtitutionibus regitur. Confirmatur. Interdicto Clero non intelligitur interdictus populus; quia nomine Cleri non veniunt Laici; ſimiliter interdictis Religioſis non cenſentur interdicti Clerici ſæculares, ut docent cum aliis Authores citt. ergo etiam interdictis iisdem Clericis non cenſentur interdicti Religioſi. Excipiuntur tamen duo caſus. Primus eſt, ſi Interdictum fertur ſub nomine generali perſonarum Eccleſiaſticarum: quia Religioſi ſunt verè perſonæ Eccleſiaſticæ. Secundus eſt, ſi Religioſus obtineat beneficium ſæculare in ejuſmodi urbe ſegregatus à ſua communitate: quia tunc verè eſt pars Cleri ibidem interdicti.

§. 11.

De effectibus Interdicti.

SUMMARIUM.

9. *Interdictum non ſemper accipitur ſecundùm omnes ſuos effectus.* 10. *Quænam prohibeantur per Interdictum abſolutè latum?* 11. *Tempore Interdicti licitus eſt uſus Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ notari tamen debet limitatio.* 12. 13. *Illicitus verò eſt uſus Extremæ Unctionis, & collatio Sacramenti Ordinis.* 14. *Sacramentum Matrimonii tunc non eſt prohibitum.* 15. *Quænam veniant nomine Divinorum Officiorum per Interdictum prohibitorum?* 16. *An Concio quoque ſit tunc prohibita?* 17. *Quænam Clericis & Religioſis tempore Interdicti conceſſerit Bonifacius VIII.* 18. *Ad quosnam hic extendatur privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ?*

9 SUſpenſio & Interdictum in eo quoque differunt ab Excommunicatione majore, quòd reperiri poſſint vel cum omnibus ſuis effectibus, vel cum aliquibus tantùm, prout viſum fuerit judici Eccleſiaſtico, utente etiam poteſtate ordinaria; Excommunicatio autem jure ordinario ſeparari non poſſit ab aliquo ſuo effectu, ſed ferri debeat cum omnibus. Itaque attendenda ſunt verba Interdicti, eumque pœnam ſignificent, ſtrictè & juxta proprietatem accipienda. Quòd ſi tamen Interdictum abſolutè & ſimpliciter abſque limitatione feratur, (ut communiter fit, præſertim in Interdictis generalibus) intelligendum eſt quoad omnes effectus: cùm nulla ſit ratio, cur de uno potiùs quàm de aliis accipiatur. Salmantic. tract. 10. cap. 6. n. 26. & 27. Nunc

10 Dico. Per Interdictum abſolutè latum prohibetur uſus tam activus quàm paſſivus quorumdam Sacramentorum: item uſus Divinorum officiorum & activus & paſſivus: ac demum Eccleſiaſtica ſepultura. Ita communis poſt Bonifacium VIII. qui tres iſtos effectus enumerat in cap. *Alma mater. de ſent. Excom. in* 6. Unde non amplius audiendi ſunt, qui inter effectus hujus cenſuræ præter alia recenſuerunt privationem ingreſſûs in Eccleſiam. Hæc enim pri-

privatio est solùm effectus Interdicti cujusdam specialis, non generalis, & absolutè lati.

11 Dixi autem de primo effectu, *quorumdam Sacramentorum.* Nam aliqua in jure excipiuntur. Sic primo tempore Interdicti, & in Ecclesia interdicta ministrari potest Sacramentum Baptismi tam parvulis quàm adultis, idque cum omnibus solemnitatibus aliàs consuetis. Secundo, ministrari potest etiam solemniter Sacramentum Confirmationis: imò in hunc finem sacrum Chrisma in die Cœnæ Domini consecrari. Tertio, omnibus administrari potest Sacramentum Pœnitentiæ, exceptis duntaxat iis, qui Interdicto causam dederunt, nisi de delicto satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem præstiterint. Quarto, in Interdicto ministrari potest Sacramentum Eucharistiæ in probabili mortis periculo constitutis, atque ad eos deferri solemniter cum lumine, campanula, & fidelium comitatu. Vid. Filliuc. tract. 18. cap. 2. à n. 30. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 2. n. 1. Salmantic. ubi suprà à n. 33. Reding. q. 20. a. 6. contr. 2. à n. 2. Illsung. tract. 7. disp. 1. q. 2. à n. 64. Meritò tamen ex Laym. loco cit. advertendum est primo. Susceptionem Sacramentorum Confirmationis, Eucharistiæ, sicut & Pœnitentiæ (de quo jam monuimus) non concedi ab Ecclesia personis, quæ causam dederunt Interdicto, priusquam Ecclesiæ satisfecerint: imò nec iis, quæ speciali interdicto ligantur. Secundò, ministris Ecclesiæ interdictis speciali Interdicto non esse licitam alicujus Sacramenti administrationem, extra casum necessitatis, antequam absolvantur: quia non est casus jure exceptus, ut personaliter interdicti Sacramenta administrent, extra necessitatem. Et ista quidem sunt quatuor Sacramenta, quorum usum tempore Interdicti non esse prohibitum jure Ecclesiastico, certò constat. Quantum attinet ad reliqua,

12 Infertur primo, tempore Interdicti non posse ministrari Sacramentum extremæ Unctionis, nisi illud ministrans, vel suscipiens, munitus sit speciali privilegio, quemadmodum teste Illsung. n. 67. pro se, suisque familiaribus muniti sunt Religiosi mendicantes. Ratio est: tum, quia hujus Sacramenti non est tanta obligatio, quanta Eucharistiæ, scilicet ex præcepto Divino: tum, quia neque est adeò necessarium, sicut eadem Eucharistia. Cùm utique magis sit necessarius ad pugnam cibus, quàm unctio membrorum. Quòd si tamen infirmus aliud Sacramentum recipere nequeat, docent gravissimi Theologi apud Salmantic. n. 45. ipsi licitè ministrari extremam Unctionem, etiam specialiter interdicto. Ratio est: quia tunc extrema Unctio subit veluti vices Sacramenti Pœnitentiæ, & potest de attrito facere contritum. Unde sufficiens adest necessitas eam conferendi: gravis autem necessitas ab omnis censuræ observatione excusat. Salmantic. Illsung locis citt. Reding. n. 7.

Infertur secundò, etiam Sacramentum 13
Ordinis tempore Interdicti ministrari non posse. Ratio est: quia eo tempore non est licitum Sacramenta suscipere propter illa, quæ jure sunt excepta: atqui Sacramentum Ordinis nullibi excipitur; ergo. In casu tamen necessitatis, ac penuriæ ministrorum, quæ tanta esset v. g. ut Sacramenta jure excepta absque novis Sacerdotibus neque commodè administrari, neque aliquis ad locum non interdictum pro recipiendis Ordinibus mitti posset, iidem conferri possent in loco interdicto, etiam personis interdictis. Vid. Bonac. disp. 5. pu. 3. §. 3. n. 3. Laym. ubi suprà. Illsung loco cit.

Infertur tertio, juxta communem sen- 14
tentiam tempore Interdicti, vel inter personas interdictas, etiam specialiter, confici posse Sacramentum Matrimonii, modò id fiat sine benedictionibus. Ratio est: tum, quia per Interdictum (aut etiam cessationem à Divinis) eorum tantùm Sacramentorum participatio prohibetur, quæ ex dispensatione seu ministratione Ecclesiæ conferuntur; atqui tale non est Sacramentum matrimonii; quippe cujus ministri sunt ipsi contrahentes. Tum, quia matrimonium per se, & ex natura sua est contractus politicus, cui ratio Sacramenti est quid accessorium ex institutione Christi: ergo quemadmodum alii contractus non sunt prohibiti aliquo Interdicto Ecclesiæ, ita nec matrimonium in ratione contractûs; & consequenter nec in ratione Sacramentis cùm accessorium sequatur conditionem principalis, & hoc permisso etiam illud censeatur permissum. Vid. Laym. loco cit. Salmantic. n. 47. Reding. n. 15. Illsung n. 68. Neque dicas, hoc Sacramentum in jure non esse exceptum, sicut alia, quæ licitum est participare tempore interdicti; & consequenter subjacere prohibitioni: respondetur enim, non fuisse opus aliqua exceptione; cùm prohiberi non potuerit. Dixi tamen, *modo id fiat &c.* Licèt enim benedictiones nuptiarum sint accessoriæ matrimonio, adeoque hoc concesso & ipsæ videantur concessæ; quia tamen continentur inter Divina officia, quæ sunt alter effectus Interdicti, probabilius est, eas tempore Interdicti esse omittendas, quemadmodum ex Sanchez & Castropalao docet Reding. n. 16.

De secundo effectu Interdicti adverten- 15
dum est, nomine officiorum Divinorum hîc intelligi illa, quæ de se Ordinem sacrum requirunt, vel à solis Clericis ex institutio-

ne

ne Christi vel Ecclesiæ peraguntur; hæc enim, & non alia, tempore Interdicti sunt prohibita. Atque hinc prohibentur tunc sacrificium Missæ, Benedictiones olei, Chrismatis, fontis Baptismalis, Ecclesiæ, vestium sacrarum, aquæ benedictæ, nuptiarum: item consecratio altaris; recitatio horarum Canonicarum; imò & Officii B. Virg. sicut & Litaniarum, si fiat in Ecclesia & loco publico cum solemnitate consueta nomine Ecclesiæ, etiam à Monialibus. Unde non est prohibitum similia recitare privatim.

16 Dices. Ex dictis sequitur, etiam concionem esse prohibitam tempore Interdicti; cùm de se requirat Ordinem sacrum. Respondeo neg. seq. quia per Interdictum illa solùm munia exerceri prohibentur, quæ ex se ad laudes Deo dicendas ordinantur: quod de concione affirmari non potest: quippe quæ ex se ad instruendum populum, & non ad aliud, ordinatur.

17 Cæterùm Bonifacius VIII. in cap. *alma Mater. de sent. Excom. in* 6. concedit tempore Interdicti localis generalis omnibus Clericis & Religiosis facultatem quotid: celebrandi Missas, aliáque Divina officia peragendi, eisque assistendi in quibuscunque Ecclesiis vel Monasteriis; servatis tamen quatuor conditionibus, nempe, ut ista faciant januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissâ, & interdictis exclusis. In eodem cap. suspenditur Interdictum locale generale, ut Divina officia celebrari possint in festivitatibus Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptione B. Virginis. Quam concessionem deinde Martinus V. & Eugenius IV. extenderunt ad festum Corporis Christi, totámque Octavam ejusdem: & Leo X. ad festum Immac. Concept. in tota Hispania, uti testantur Salmantic. ubi suprà n. 61. his igitur diebus licitum est Sacrificium Missæ, cæteraque officia Divina celebrare, & quidem sine ulla limitatione alia, nisi, ut illi, qui Interdicto causam dederunt, Altari non appropinquent, nempe vel oblationis accipiendæ, vel S. Eucharistiæ sumendæ causâ, ut explicant Suarez & Coninck apud Laym. cap. cit. n. 2.

18 Tertius effectus, qui est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, adeò generalis est, ut etiam ad corpora infantium & perpetuò amentium extendatur: at non ad Clericos, quo nomine hîc veniunt omnes personæ Ecclesiasticæ gaudentes privilegio fori & Canonis. Nam hi omnes in loco interdicto sepeliri possunt, sine pulsu tamen campanarum, & Ecclesiastica solemnitate, si neque interdicti sint personaliter; neque causa Interdicti extiterint; neque illud vialaverint; uti habetur in cap. *Quod in te. de Pœnit. & Remiss.* Vid. Illiung ubi suprà, n. 80.

§ III.

Quis ferre, vel auferre possit Interdictum?

SUMMARIUM.

19. *Qui jure ordinario possunt excommunicare, vel suspendere, etiam possunt ferre Interdictum.* 20. *Ob quam, & quorum culpam ferri possit Interdictum?* 21. *Quinam absolvere possint ab Interdicto locali?* 22. *Interdictum personale latum in Communitatem hac dissoluta tollitur, non autem locale destructo loco.* 23. *Quinam absolvere possint ab Interdicto personali speciali?* 24. *Quomodo tollatur Interdictum latum pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione?* 25. *Qualiter peccent violantes Interdictum?*

SUpponenda hîc sunt, & ad utramque partem motæ quæstionis accommodanda, quæ disp. præced. a. 2. & 4. de potestate ferendi Censuras, atque ab iis absolvendi generatim explicuimus. Unde opus non est in præsenti, ut prolixiùs disputemus.

Dico primo ad priorem partem Quæst. 19
Qui jure ordinario excommunicare, vel suspendere possunt, iidem eodem jure ferre possunt Interdictum personale, aut locale in personas, vel locum suæ jurisdictioni subjectum. Ratio est eadem huc applicanda, qua usi sumus de Censur. in gen. a. 2. cit. n. 2. Notat autem ex Suarez, Sayro & aliis Reding. q. 20 a. 6. contro. 2. corollar. 1. Prælatos Religiosorum posse quidem ferre Interdictum personale in sibi subjectos, non tamen locale, saltem attenta consuetudine, nisi in populum gaudeant jurisdictione quasi Episcopali.

Illud in præsenti omninò planum esse 20
videtur, Interdictum generale, imò & speciale locale, nunquam esse ferendum, nisi ob culpam mortalem communitatis, vel capitis, putà Prælati, Rectoris, Principis &c. Ratio est: quia est pœna gravissima, ipsáque excommunicatione extensivè gravior, utpote innocentes quoque, saltem indirectè, complectens. De Interdicto speciali personali docent aliqui, illud infligi posse ob culpam etiam venialem. Ratio ipsorum est: quia hoc Interdictum non privat majoribus bonis, quàm excommunicatio minor: ergo cùm hæc, etiam illud ferri potest ob culpam venialem. Amplectimur hanc sententiam, si loquatur de Interdicto speciali personali, quod ad breve tempus, & in ordine ad unum vel alterum tantùm effectum,

v.g. ingressum Ecclesiæ per unum mensem, infligitur, quodque ad imitationem Suspensionis Interdictum leve dicere possumus. Quòd si sermo sit de eodem Interdicto ut secum afferente omnes suos effectus, negamus, eo posse quemquam puniri, nisi ob culpam mortalem. Falsum est enim, illud non privare pluribus ac majoribus bonis, quàm excommunicationem minorem. Vid. Salmantic. tract. 10. cap. 6. n. 22. Illud tamen communiter concedunt Doctores teste Reding. loco cit. de Interdicto personali speciali, illud authoritate ordinaria ferri posse in debitorem pecuniariam, ut hac ratione ad solvendum compellatur. Interdictum tamen locale generale, aut personale generale, aut etiam locale speciale nec licitè, nec validè ferri potest ob similem causam, nisi contrarium doceat consuetudo. Vid, rursus Salmantic. àn. 23. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 3. n. 4. Reding loco cit.

21 Dico secundo. Ab Interdicto locali, sive illud generàle sit, sive speciale, sicut etiam à personali generali, ille solus potest absolvere, qui habet jurisdictionem fori externi in locum, vel communitatem interdictam. Ratio est: quia, sicut latio Interdicti cujuslibet localis, & personalis generalis est actus jurisdictionis contentiosæ, ita & ablatio. Atque hinc Religiosi, qui habent privilegium absolvendi à Censuris, nihil possunt circa hæc Interdicta: quia neque locus, neque communitas, quibus eadem immediatè ac primariò inhærent, Pœnitentiæ tribunali, in ordine ad quod concessa sunt ejusmodi privilegia, subjici possunt. Laym. cap. 5. n. 2. Salmantic. n. 93. Reding. coroll. 3. n. 10.

22 Corollarium. Interdictum personale latum in communitatem, hac dissoluta, tollitur absque alia relaxatione, non verò Interdictum locale diruto loco, v.g. civitate, aut Ecclesia. Ratio primi est: quia Interdictum communitatis immediatè ac primariò afficit communitatem: neque est, in quo remaneat, eâ dissolutâ. Quamvis ille, ob cujus culpam latum fuit Interdictum, adhuc perseveret esse interdictus: quia respectu hujus Interdictum est speciale personale. Bonac. disp. 5. puncto ult. n. 3. Salmantic. n. 94. Ratio secundi est: quia, destructis ædificiis, solum ipsum ac superficies, in qua stabant, adhuc retinet censuram Interdicti. Et ideo Ecclesia ibidem de novo ædificata eidem Interdicto subjaceret. Laym. n. 4. Reding. loco cit. n. 11.

23 Dico tertio. Interdictum personale speciale, si absolutè & sine reservatione latum sit, à Parocho, aut alio quovis exposito Confessario post satisfactionem, aut satisfaciendi cautionem auferri potest. Ratio est: quia hoc tale Interdictum prohibet à perceptione Sacramenti Pœnitentiæ, ut suprà in §. 2. n. 11. vidimus; idque non minus quàm excommunicatio: ergo sicut excommunicationem non reservatam, ante absolutionem à peccatis, tollere potest quivis expositus Confessarius; sicut colligitur ex arg. cap. *Nuper de sent. excom.* cujus in disp. præced. a. 4. n. 2. & 3. meminimus; ita etiam tollere potest Interdictum personale speciale non reservatum.

Dico quarto. Interdictum, quod latum 24
est pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, tollitur elapso hoc tali tempore, vel adimpleta conditione citra ullam absolutionem. Ratio est: quia Censura neque ligat ultra intentionem ferentis, neque ampliùs, quàm per verba exprimitur. Bonac. n. 1. Laym. n. 1. Reding coroll. cit, n. 9.

Quæres denique, quale peccatum sit 25
violare Interdictum? Respondeo, esse aliquando mortale, aliquando veniale, pro gravitate, vel levitate materiæ. Sic, qui Sacramenta administrat, aut recipit, vel celebrationi Divinorum assistit contra prohibitionem Interdicti, non excusandus est à peccato mortali; cùm revera in materia gravi violet Interdictum. Econtrà si Laicus interdictus parti Divini officii non notabili interfit, vel Clericus actum quempiam Ordinis alicujus minoris exerceat, ob parvitatem materiæ non peccat, nisi venialiter. Reding. controv. cit. coroll. 2.

§. IV.

De Cessatione à Divinis.

SUMMARIUM.

26. Unde dicta sit Cessatio à Divinis? 27. Quid sit ista Cessatio? 28. 29. 30. 31. Enumerantur & declarantur ejus effectus. 32. Ob quale crimen indici possit Cessatio à Divinis? 33. Ad quid teneatur, qui eidem indicendæ causam dedit?

CEssatio à Divinis In pluribus convenit 26
cum Interdicto, estque eidem valde similis. Unde meritò de ipsa, post illud jam explicatum, hîc agimus. Dicitur autem *Cessatio* à Divinis: quia tempore, quo durat, Ministri Ecclesiæ cessant à publica celebratione Divinorum officiorum, & administratione Sacramentorum. Non incongruè quoque dici solet *suspensio organorum*, juxta illud Psal. 136. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Nam & hoc erat cessare à Divinis officiis. Sed hæc denomine. De re ipsa

Dico primò. Cessatio à Divinis est sim- 27
plex prohibitio, vi cujus ministri Ecclesiæ abstinere debent à celebratione Divinorum offi-

cio-

ciorum, administratione Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura in aliquo loco. Ita Filliuc. tract. 18. cap. 7. n. 150. Bonac. disp. 6. pu. 1. n. 2. Salmantic. tract. 10. cap. 6. n. 101. & alii communiter. Dicitur *simplex prohibitio*: quia non fertur in personas per se, nec eas afficit moraliter per modum pœnæ, sicut Censura. Dicitur, *vi cujus ministri Ecclesiæ &c.* ut denotentur effectus Cessationis, de quibus postea disseremus. Dicitur, *in aliquo loco*: quia omnis Cessatio est localis, tametsi propriè non interdicat locum, nec afficiat eundem: ut proinde, qui celebrat in loco, in quo est Cessatio, non incurrat Irregularitatem. Fertur autem hæc Cessatio ab Ecclesia in signum gravissimi mœroris ac doloris concepti ex gravissima injuria ipsi, aut honori Divino illata, ut hac ratione injuriosus resipiscere, injuriámque debita satisfactione reparare cogatur. Differt in eo quoque ab Interdicto, quòd istud ferri nequeat, quin personam quampiam determinatam, quæ nempe ipsius causa fuerit, directè ac specialiter afficiat: quod tamen non fit in Cessatione. Et quamvis porrò Censura non sit, in ea tamen ferenda præmittere oportet monitionem, aliásque servare conditiones præscriptas in cap. *Cùm medicinalis. 1. de sent. Excom. in 6.* Vid. Reding. q. 20. a. 6. contr. 3. n. 3.

28 Dico secundo. Cessatio à Divinis habet tres effectus; scilicet privationem Divinorum officiorum; privationem Sacramentorum; privationem Ecclesiasticæ sepulturæ. Patet ex concl. præced.

29 Primum effectum existimat Navarrus cum aliis, ut refert Reding. n. 4. relaxari posse per cap. *Alma mater. de sent. Excom. in 6.* ita ut Clerici januis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis possint persolvere Divina officia in loco, in quo est Cessatio; sicut in loco interdicto posse diximus § proximè præced. n. 17. Verùm longè meliùs asseritur oppositum cum Salmantic. aliisque plurimis: quia à diversis ad diversa non est bona illatio, sive extensio. Illa quoque exceptio per cap. *Alma Mater.* cùm correctoria sit juris communis, debet esse strictæ interpretationis. Illud tamen conceditur Clericis vi cap. *Permittimus. de sent. Excom.* ut semel per hebdomadem in ejusmodi loco celebrent ad renovandas formulas Eucharistiæ, & pro infirmis asservandas. Sed huic celebrationi solus Sacerdos celebrans cum ministro interesse potest. Testantur etiam Covarruvias, & Castropal. apud Reding loco cit. consuetudine receptum esse, ut privilegium illius cap. *Alma Mater.* tempore Cessationis à Divinis extendatur ad festivitates Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, atque tunc suspendatur Cessatio quantùm ad officia Divina publicè celebranda.

Circa secundum effectum advertendum 30
est ex cap. *Non est vobis. de sponsal.* tempore cessationis licitè administrari Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum viatici. Et testantur iterum Covarruvias & Castropal. quibus accedunt Salmantic. n. 107. ex consuetudine tacitè approbata ab Ecclesia, omnia Sacramenta, quæ tempore Interdicti licite administrantur & recipiuntur, etiam tempore Cessationis licitè administrari & recipi.

Tertium effectum non infert Cessatio 31
ratione sui, sed quia ut plurimùm conjuncta est Interdicto. Nullum enim juris textum reperiri, ajunt Salmantic. n. 108. in quo Cessationi à Divinis privatio Ecclesiasticæ sepulturæ tribuatur tanquam effectus. Et ideo, si illa sola feratur, possunt ejus tempore omnes in loco sacro sepeliri, nisi alicubi obstet consuetudo contraria. Quòd si feratur conjuncta Interdicto, omnes in loco sacro sepeliri possunt, sive laici sive Clerici, quibus id vel ex jure communi, vel ex privilegio Bullæ, vel alterius rescripti competit tempore Interdicti. Hæc enim prohibitio non à Cessatione, sed ab Interdicto præcisè provenit. Salmantic. loco cit.

Crimen, propter quod indici potest Ces- 32
satio, debet esse gravissimum, publicum, & contumaciter perseverans contra bonum commune Ecclesiæ, v. g. immunitatem ejusdem. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 6. n. 5. Salmantic. n. 109. Quæ de causa efficiente Cessationis, ejusdemque relaxatione hic dici possent, facilè deducuntur ex §. præc.

Illud denique animadvertendum est, 33
eum; qui post debitam monitionem, suô delictô causam dedit Cessationi indicendæ, obligatum esse ad compensandum omnia damna innocentibus inde secuta, putà distributiones, stipendia Missarum, aliáque hujusmodi Clericis tempore Cessationis non obvenientia. Mulctandus est insuper hic talis arbitrio Judicis in aliqua quantitate in augmentum Divini cultûs convertenda. Salmantic. n. 111. ubi etiam addunt, ex cap. *Si Canonici. de offic. Ordin.* eos, qui Cessationem indicunt sine sufficienti causa, privari omnibus fructibus, quos tempore Cessationis deberent recipere; teneríque præterea resarcire damna parti læsæ inde consecuta.

DISPU-

v.g. ingressum Ecclesiæ per unum mensem, infligitur, quodque ad imitationem Suspensionis Interdictum leve dicere possumus. Quòd si sermo sit de eodem Interdicto ut secum afferente omnes suos effectus, negamus, eo posse quemquam puniri, nisi ob culpam mortalem. Falsum est enim, illud non privare pluribus ac majoribus bonis, quàm excommunicationem minorem. Vid. Salmantic. tract. 10. cap. 6. n. 22. Illud tamen communiter concedunt Doctores teste Reding. loco cit. de Interdicto personali speciali, illud authoritate ordinaria ferri posse in debitorem pecuniariam, ut hac ratione ad solvendum compellatur. Interdictum tamen locale generale, aut personale generale, aut etiam locale speciale nec licitè, nec validè ferri potest ob similem causam, nisi contrarium doceat consuetudo. Vid, rursus Salmantic. àn. 23. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 3. n. 4. Reding loco cit.

21 Dico secundo. Ab Interdicto locali, sive illud generale sit, sive speciale, sicut etiam à personali generali, ille solus potest absolvere, qui habet jurisdictionem fori externi in locum, vel communitatem interdictam. Ratio est: quia, sicut latio Interdicti cujuslibet localis, & personalis generalis est actus jurisdictionis contentiosæ, ita & ablatio. Atque hinc Religiosi, qui habent privilegium absolvendi à Censuris, nihil possunt circa hæc Interdicta: quia neque locus, neque communitas, quibus eadem immediatè ac primariò inhærent, Pœnitentiæ tribunali, in ordine ad quod concessa sunt ejusmodi privilegia, subjici possunt. Laym. cap. 5. n. 2. Salmantic. n. 93. Reding. coroll. 3. n. 10.

22 Corollarium. Interdictum personale latum in communitatem, hac dissoluta, tollitur absque alia relaxatione, non verò Interdictum locale diruto loco, v.g. civitate, aut Ecclesia. Ratio primi est: quia Interdictum communitatis immediatè ac primariò afficit communitatem: neque est, in quo remaneat, eâ dissolutâ. Quamvis ille, ob cujus culpam latum fuit Interdictum, adhuc perseveret esse interdictus: quia respectu hujus Interdictum est speciale personale. Bonac. disp. 5. puncto ult. n. 3. Salmantic. n. 94. Ratio secundi est: quia, destructis ædificiis, solum ipsum ac superficies, in qua stabant, adhuc retinet censuram Interdicti. Et ideo Ecclesia ibidem de novo ædificata eidem Interdicto subjaceret. Laym. n. 4. Reding. loco cit. n. 11.

23 Dico tertio. Interdictum personale speciale, si absolutè & sine reservatione latum sit, à Parocho, aut alio quovis exposito Confessario post satisfactionem, aut satisfaciendi cautionem auferri potest. Ratio est: quia hoc tale Interdictum prohibet à perceptione Sacramenti Pœnitentiæ, ut suprà in §. 2. n. 11. vidimus; idque non minus quàm excommunicatio: ergo sicut excommunicationem non reservatam, ante absolutionem à peccatis, tollere potest quivis expositus Confessarius; sicut colligitur ex arg. cap. *Nuper de sent. excom.* cujus in disp. præced. a. 4. n. 2. & 3. meminimus; ita etiam tollere potest Interdictum personale speciale non reservatum.

24 Dico quarto, Interdictum, quod latum est pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, tollitur elapso hoc tali tempore, vel adimpleta conditione citra ullam absolutionem. Ratio est: quia Censura neque ligat ultra intentionem ferentis, neque ampliùs, quàm per verba exprimitur. Bonac. n. 1. Laym. n. 1. Reding coroll. cit, n. 9.

25 Quæres denique, quale peccatum sit violare Interdictum? Respondeo, esse aliquando mortale, aliquando veniale, pro gravitate, vel levitate materiæ. Sic, qui Sacramenta administrat, aut recipit, vel celebrationi Divinorum assistit contra prohibitionem Interdicti, non excusandus est à peccato mortali; cùm revera in materia gravi violet Interdictum. Econtrà si Laicus interdictus parti Divini officii non notabili interfit, vel Clericus actum quempiam Ordinis alicujus minoris exerceat, ob parvitatem materiæ non peccat, nisi venialiter. Reding. controv. cit. coroll. 2.

§. IV.

De Cessatione à Divinis.

SUMMARIUM.

26. Unde dicta sit Cessatio à Divinis? 27. Quid sit ista Cessatio? 28. 29. 30. 31. Enumerantur & declarantur ejus effectus. 32. Ob quale crimen indici possit Cessatio à Divinis? 33. Ad quid teneatur, qui eidem indicendæ causam dedit?

26 CEssatio à Divinis In pluribus convenit cum Interdicto, estque eidem valde similis. Unde meritò de ipsa, post illud jam explicatum, hîc agimus. Dicitur autem *Cessatio* à Divinis: quia tempore, quo durat, Ministri Ecclesiæ cessant à publica celebratione Divinorum officiorum, & administratione Sacramentorum. Non incongruè quoque dici solet *suspensio organorum*, juxta illud Psal. 136. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Nam & hoc erat cessare à Divinis officiis. Sed hæc de nomine. De re ipsa

27 Dico primò. Cessatio à Divinis est simplex prohibitio, vi cujus ministri Ecclesiæ abstinere debent à celebratione Divinorum officio-

ciorum, administratione Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura in aliquo loco. Ita Filliuc. tract. 18. cap. 7. n. 150. Bonac. disp. 6. pu. 1. n. 2. Salmantic. tract. 10. cap. 6. n. 101. & alii communiter. Dicitur *simplex prohibitio*: quia non fertur in personas per se, nec eas afficit moraliter per modum pœnæ, sicut Censura. Dicitur, *vi cujus ministri Ecclesiæ &c.* ut denotentur effectus Cessationis, de quibus postea disseremus. Dicitur, *in aliquo loco*: quia omnis Cessatio est localis, tametsi propriè non interdicat locum, nec afficiat eundem: ut proinde, qui celebrat in loco, in quo est Cessatio, non incurrat Irregularitatem. Fertur autem hæc Cessatio ab Ecclesia in signum gravissimi mœroris ac doloris concepti ex gravissima injuria ipsi, aut honori Divino illata, ut hac ratione injuriosus resipiscere, injuriámque debita satisfactione reparare cogatur. Differt in eo quoque ab Interdicto, quòd istud ferri nequeat, quin personam quampiam determinatam, quæ nempe ipsius causa fuerit, directè ac specialiter afficiat: quod tamen non fit in Cessatione. Et quamvis porrò Censura non sit, in ea tamen ferenda præmittere oportet monitionem, aliásque servare conditiones præscriptas in cap. *Cùm medicinalis.* 1. *de sent. Excom. in* 6. Vid. Reding. q. 20. a. 6. contr. 3. n. 3.

28 Dico secundo. Cessatio à Divinis habet tres effectus, scilicet privationem Divinorum officiorum; privationem Sacramentorum; privationem Ecclesiasticæ sepulturæ. Patet ex concl. præced.

29 Primum effectum existimat Navarrus cum aliis, ut refert Reding. n. 4. relaxari posse per cap. *Alma mater. de sent. Excom. in* 6. ita ut Clerici januis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis possint persolvere Divina officia in loco, in quo est Cessatio; sicut in loco interdicto posse diximus § proximè præced. n. 17. Verùm longè meliùs asseritur oppositum cum Salmantic. aliisque plurimis: quia à diversis ad diversa non est bona illatio, sive extensio. Illa quoque exceptio per cap. *Alma Mater.* cùm correctoria sit juris communis, debet esse strictæ interpretationis. Illud tamen conceditur Clericis vi cap. *Permittimus. de sent. Excom.* ut semel per hebdomadem in ejusmodi loco celebrent ad renovandas formulas Eucharistiæ, & pro infirmis asservandas. Sed huic celebrationi solus Sacerdos celebrans cum ministro interesse potest. Testantur etiam Covarruvias, & Castropal. apud Reding loco cit. consuetudine receptum esse, ut privilegium illius cap. *Alma Mater.* tempore Cessationis à Divinis extendatur ad festivitates Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, atque tunc suspendatur Cessatio quantùm ad officia Divina publicè celebranda.

Circa secundum effectum advertendum 30
est ex cap. *Non est vobis. de sponsal.* tempore cessationis licitè administrari Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum viatici. Et testantur iterum Covarruvias & Castropal. quibus accedunt Salmantic. n. 107. ex consuetudine tacitè approbata ab Ecclesia, omnia Sacramenta, quæ tempore Interdicti licite administrantur & recipiuntur, etiam tempore Cessationis licitè administrari & recipi.

Tertium effectum non infert Cessatio 31
ratione sui, sed quia ut plurimùm conjuncta est Interdicto. Nullum enim juris textum reperiri, ajunt Salmantic. n. 108. in quo Cessationi à Divinis privatio Ecclesiasticæ sepulturæ tribuatur tanquam effectus. Et ideo, si illa sola feratur, possunt ejus tempore omnes in loco sacro sepeliri, nisi alicubi obstet consuetudo contraria. Quòd si feratur conjuncta Interdicto, omnes in loco sacro sepeliri possunt, sive laici sive Clerici, quibus id vel ex jure communi, vel ex privilegio Bullæ, vel alterius rescripti competit tempore Interdicti. Hæc enim prohibitio non à Cessatione, sed ab Interdicto præcisè provenit. Salmantic. loco cit.

Crimen, propter quod indici potest Ces- 32
satio, debet esse gravissimum, publicum, & contumaciter perseverans contra bonum commune Ecclesiæ, v. g. immunitatem ejusdem. Laym. tract. 5. par. 4. cap. 6. n. 5. Salmantic. n. 109. Quæ de causa efficiente Cessationis, ejusdemque relaxatione hìc dici possent, facilè deducuntur ex § præc.

Illud denique animadvertendum est, 33
eum, qui post debitam monitionem, suô delictô causam dedit Cessationi indicendæ, obligatum esse ad compensandum omnia damna innocentibus inde secuta, putà distributiones, stipendia Missarum, aliáque hujusmodi Clericis tempore Cessationis non obvenientia. Mulctandus est insuper hic talis arbitrio Judicis in aliqua quantitate in augmentum Divini cultûs convertenda. Salmantic. n. 111. ubi etiam addunt, ex cap. *Si Canonici. de offic. Ordin.* eos, qui Cessationem indicunt sine sufficienti causa, privari omnibus fructibus, quos tempore Cessationis deberent recipere; tenerique præterea resarcire damna parti læsæ inde consecuta.

DISPU.

DISPUTATIO III.

De Irregularitatibus.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas?

SUMMARIUM.

1. *Quid in præsenti significet Irregularitas.* 2. *Definitio Irregularitatis, & analysis ejusdem.* 3. *Nulla Irregularitas incurritur extra casus in Jure Pontificio expressos.* 4. *Solus Papa, vel Concilium generale est causa efficiens Irregularitatis.* 5. *Etiam prima Tonsura hic venit nomine Ordinum.* 6. *Propter actum merè internum nemo fieri potest irregularis.* 7. *An beneficium Ecclesiasticum validè conferatur irregulari?* 8. *An Beneficia ante Irregularitatem possessa auferantur eadem superveniente?* 9. 10. 11. *Divisiones Irregularitatis.*

IRregulare dicitur, quidquid caret regula 1
præscripta, sive constituitur extra regulam debitam. Irregularitas autem est ratio formalis, per quam quid formaliter denominatur irregulare. In præsenti, prætermissis aliis acceptionibus, ex usu Ecclesiæ significat inhabilitatem quandam hominis fidelis ad susceptionem Ordinum, vel exercitium jam susceptorum. In quo sensu de illa

Dico primo. Irregularitas est impedi- 2
mentum Canonicum primò & per se impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum; secundariò verò ac consequenter usum eorumdem. Ita communis definitio apud Filliuc. tract. 19. cap. 1. n. 2. Laym. tract. 5. par. 5. cap. 1. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 7. n. 1. Reding. q. 20. a. 7. n. 1.

Dicitur primo, *impedimentum* loco generis. In hoc enim convenit definitum cum aliis impedimentis suscipiendi Ordines, quæ non sunt Irregularitas: ut defectus Baptismi, & defectus masculini sexûs. Dicitur secundo *Canonicum*, hoc est jure Canonico, à Summo Pontifice, & non immediatè à Christo, statutum. Per quam particulam Irregularitas distinguitur ab impedimentis memoratis, aliisque ex jure positivo Ecclesiæ non provenientibus, cujusmodi sunt peccatum mortale, amentia, surditas, cæcitas &c. Dicitur tertio, *primò & per se impediens susceptionem Ordinum &c.* in quantum videlicet sunt Sacramentum Ordinis: per quod Irregularitas differt tum ab Excommunicatione, quæ privat susceptione Ordinis, quatenus est communicatio cum aliis fidelibus; tum ab Interdicto, quod privat Ordine, quatenùs est officium quoddam Divinum: tum à suspensione, quæ per se non privat susceptione Ordinis, sed exercitio ejusdem; ideoque solùm ad Clericos in Ordine jam constitutos extenditur. Per accidens tamen privat etiam susceptione aliorum Ordinum: quia æquum non est aliquem initiari Ordine, à cujus exercitio est suspensus. Dicitur quartò, *secundariò ac consequenter usum.* irregularitas enim, quando supervenit Ordinis susceptioni, eámque amplius impedire nequit, impedit saltem, quod potest, scilicet usum Ordinis susceptí. Ex dictis.

Colligitur primo, nullam incurri Irre- 3
gularitatem, nisi in casibus Jure Canonico, seu Pontificio expressis. Salmantic. n. 3. Illsung tract. 7. disp. 1. q. 1. a. 4. n. 74. estque communis sententia. Ratio est: quia ita expressè habetur in cap. *Is, qui de sent. excom. in* 6. ubi decernitur, eum, qui scienter in Ecclesia per sanguinis vel seminis effusionem polluta celebrat, non fieri irregularem; eò quòd hoc in jure non sit expressum. Unde non valet, si arguas: qui celebrat in Ecclesia interdicta, fit irregularis: ergo etiam, qui celebrat in Ecclesia polluta. Neg. enim conseq. nam de casu Antec. expressum est in jure, ut audivimus; non autem de casu Conseq.

Colligitur secundo, præter summum 4
Pontificem, aut Concilium generale nullam dari causam efficientem Irregularitatis. Bonac. disp. 7. q. 1. pu. 2. n. 1. Filliuc. cap. 2. n. 33. Salmantic. n. 7. & alii communiter. Ratio est: quia impedimentum Canonicum statuere, quale est Irregularitas, ad illum solum pertinet, qui habet potestatem condendi jus commune Canonicum; quemadmodum apertè constat ex cit. cap. *Is, qui*, ubi dicitur, nullam esse Irregularitatem, nisi in jure habeatur expressa. Atqui præter summum Pontificem, aut Concilium Generale authoritate Pontificis congregatum, nemo habet potestatem condendi jus commune Canonicum; ergo &c.

Colligitur tertio, particulam *Ordinum* 5
in definitione positam debere sumi in ea amplitudine, ut, præter septem gradus, etiam primam tonsuram comprehendat. Bonac. pu. 1. n. 4. Salmantic. n. 2. Illsung n. 76.

Ra-

Ratio est: quia, quamvis prima tonsura, si strictè loquamur, Ordo non sit, sed dispositio ad Ordines; in Jure tamen Canonico venit nomine Ordinis, argum. cap. *cùm contingat. de æt. & qual.* Dum proinde in definitione Irregularitatis dicitur, quòd impediat susceptionem Ordinum, nomine Ordinum intelligitur etiam prima tonsura, prout nempe communiter accipitur Ordo in Jure Canonico; per quod constituta est Irregularitas. Et ratio est: quia per se impedito à consecutione finis meritò prohibetur susceptio dispositionis ac medii ad illum finem per se ordinati. Irregularis autem impeditus est à susceptione aliorum Ordinum tanquam fine, ad quem tonsura ceu dispositio ac medium per se ordinatur.

6 Colligitur quarto, propter nullum actum merè internum posse inferri Irregularitatem. Et ideo non incurrit Irregularitatem, qui habet voluntatem occidendi, aliaque crimina perpetrandi, ea tamen opere externo non exequitur. Ratio est: quia Ecclesia non judicat de internis, ejusque jurisdictio non extenditur ad actus pure mentales; quemadmodum cum communi sententia ostendimus in tr. proxime præced. disp. 2. a. 3. n. 8. & 9. Nulla proinde datur Irregularitas mentalis. Neque refert, in Bullis quibusdam, vel privilegiis conferri facultatem dispensandi super Irregularitatem mentalem: nam hoc nomine intelligenda est Irregularitas per accidens occulta, quæque in judicio probari non potest. Vid. Salmantic. n. 13.

7 Colligitur quinto, invalidam esse collationem beneficii factam irregulari, ad cujus functiones is redditus est inhabilis. Ita communior & tutior sententia. Quæ deducitur ex cap. 2. *de Cleric. pugnante in duello.* & Concil. Trid. *sess.* 14. *de Reform.* cap. 7. ubi prohibitum est, ne conferatur irregulari beneficium Ecclesiasticum. Qui Canones in re præsenti, uti testatur Suarez apud Reding ubi suprà contro. 1. n. 4. obtinente sic usu & consuetudine, optima legum interprete, non de nuda prohibitione, sed actuali invaliditatione intelliguntur. Ratio quoque est: quia invalidè confertur beneficium inhabili ad illud: sed irregularis est inhabilis ad beneficium: cùm non possit fungi officiò, propter quod datur beneficium; ergo &c. Accedit, quod ex parte Superioris Ecclesiastici deficiat voluntas conferendi: quippe, qui præsumitur velle conferre beneficium secundùm Canones, adeoque non habenti impedimentum Canonicum illius. Sententia contraria asserens, ejusmodi collationem beneficii esse quidem illicitam, & contra Canones, ideoque invalidandam; non tamen ipso jure invalidam sive irritam, valdè probabilis est. Ratio est: quia collatio beneficii nunquam censeri debet ipso jure aut facto irrita, nisi afferri possit jus aliquod expressum, quo id evincatur, argum. cap. *si soli. de conces. præb. in* 6. atqui nullum in præsenti afferri potest jus expressum; ergo. Confirm. Irregularitas ipsa non incurritur, præterquam in casibus jure expressis; ut in n. 3. audivimus: ergo nec effectus aliquis eidem tribuendus est, nisi in jure habeatur expressus. Atqui in nullo jure habetur expressum, collationem beneficii factam irregulari esse irritam; ergo. Vid. Laym. n. 3. Salmantic. à n. 34. cum plurimis aliis, quos referunt & sequuntur.

8 Colligitur sexto, beneficia ante possessa non auferri actu per Irregularitatem supervenientem. Ratio ex dictis est: quia nullus effectus Irregularitatis est astruendus, nisi in jure habeatur expressus: atqui in jure non habetur expressus hic effectus Irregularitatis, quòd ipso jure aut facto per ipsam auferantur beneficia ante possessa; ergo. Vid. Salmantic. n. 25. Reding. n. 5. Illsung ubi suprà n. 77.

Dices. In cap. 1. *de homicid. Assassinus.* in cap. *cum secundum leges. de Hæret. in* 6. *Hæreticus*: in cap. *Si quis Episcopus.* 1. *q.* 1. Simoniacus ipso jure privatur beneficiis. Confirm. ex Concil. Trid. sess. 14. *de Reform.* cap. 7. ubi decernitur, eum, qui voluntarium homicidium fecit, debere perpetuò carere omni Ordine, Officio, & Beneficio Ecclesiastico. Sicut proinde hic talis ipso jure & actu privatur omni Ordine, ita etiam privatur omni Officio & Beneficio Ecclesiastico. Respondeo ad productos Canones, eam privationem beneficiorum non ex vi Irregularitatis, sed ex speciali ratione criminis qualificati esse inductam. Ad Confirmat. dic, verba Concilii esse explicanda juxta subjectam materiam, nempe de privatione actuali, quoad susceptionem, vel usum Ordinis; de privatione verò inducenda per sententiam Judicis quoad Officium, vel Beneficium. Salmantic. n. 26. Illsung loco cit. Itaque beneficiatus, si contracta Irregularitate nequeat impetrare dispensationem, potest Beneficium resignare in favorem tertii, idque etiam suppositâ accusatione de Irregularitate, & pendente lite: quia ante sententiam condemnatoriam adhuc retinet titulum & jus in Beneficium. Reding loco cit.

9 Dico jam secundo. Irregularitas dividitur primo in eam, quæ *ex Delicto*, & in eam, quæ *ex Defectu* contrahitur. Cæterùm qualia sint illa delicta, quique alii defectus habentes annexam Irregularitatem, in proximis articulis videbimus. Illud in-

interea ex communi sententia advertendum est, Irregularitatem non incurri propter culpam tantùm venialem: cùm enim gravissimum afferat secum incommodum, ob levem culpam, qualis est peccatum veniale, nunquam imponi debet.

10 Dico tertio. Irregularitas dividitur secundo in totalem, & partialem. Totalis, sive propriè dicta est, quæ per se suscepti-one omnium Ordinum, & consequenter omnium exercitio privat: quemadmodum se habet illa, quæ à laicis incurritur. Partialis Irregularitas est, quæ ab homine jam ordinato in Clericum contrahitur, eúmque non omni ministerio Ordinis privat, sed aliquo tantùm; vel solùm susceptione Ordinis superioris. Ita Diaconus, qui sinistrum oculum amisit, impeditur à susceptione Sacerdotii, in suo tamen Ordine ministrare non prohibetur. Similiter Sacerdos, cui pollex, vel medietas palmæ cum duobus minoribus digitis abscissa est, redditur quidem inhabilis ad celebrationem Missarum; non tamen ad alia munera Sacerdotis, v. g. ad Confessiones audiendas. Laym. tract. 5. par. 5. cap. 1. n. 7. ubi ex Abb. in cap. 2. *de Cler. ægrot.* regulam affert in præsenti observandam: Quòd deformitas vel debilitas superveniens Clerico reddit eum inhabilem tantùm respectu illius officii, quòd ob talem infirmitatem ritè exercere nequit.

Dico quarto. Irregularitas dividitur ter- 11
tio in temporalem, & in perpetuam. Temporalis est, quæ elapso tempore, pro quo statuta est, per se ipsam definit: ut illa v. g. quæ ex defectu ætatis, vel ex morbo, aut infamiæ facti contrahitur. His enim cessantibus cessat etiam Irregularitas inde contracta. Perpetua est, quæ ex dispositione Juris per Professionem Religiosam, vel per dispensationem hominis in foro externo habentis jurisdictionem ordinariam, vel delegatam aufertur. Primo modo sola Irregularitas ex defectu natalium orta tollitur, idque ex parte tantùm, putà ad suscipiendos Ordines, manente inhabilitate ad Prælaturas & dignitates. Secundus modus, per dispensationem nempe, tollendi Irregularitatem soli Papæ competit, & cui ipse commiserit. Ex jure tamen novo Concilii Trid. possunt Episcopi quoque dispensare in Irregularitatibus ex delicto, non deductò tamen ad forum contentiosum; dummodò non sit homicidium directè & in se volitum. Quid in hac re possint Prælati Regulares, unicè constare debet ex privilegiis Ordinum à Summo Pontifice concessis. Vid. Salmantic. ubi suprà, n. 59. Illsung n. 80.

ARTICULUS II.

De Irregularitatibus ex delicto.

IRregularitatis, quæ ex delicto provenit, octo species in Jure habentur. Prima est ex injusto, eoque directè voluntario homicidio. Secunda, ex injusta & directè voluntaria mutilatione. Tertia, ex homicidio, aut mutilatione casuali. Quarta, ex iteratione Baptismi. Quinta, ex violatione Censurarum. Sexta, ex illegitima susceptione vel usurpatione Ordinum. Septima, ex culpa, cui annexa est infamia. Octava, ex crimine enormi, ac notorio, quod mereatur depositionem, aut degradationem. Quas species per sequentes Paragraphos breviter declarabimus.

§. I.

De Irregularitate ex homicidio injusto directè voluntario.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit homicidium directè voluntarium? 2. 3. 4. Quinam præsentem speciem Irregularitatis non incurrant? 5. An eandem incurrat procurans abortum? 6. Item an homicidium exequenti cooperantes physicè, vel moraliter? 7. Quinam tollere possint hanc Irregularitatem?*

NOtandum est, homicidium directè vo- 1
luntarium, propter quod hæc species Irregularitatis contrahitur, esse illud, quod committitur vel ex intentione formali & expressa occidendi; vel ex positione causæ inseparabiliter conjuncta cum morte secutura itidem formaliter & expressè volitæ: cujusmodi est venenum, lethale vulnus &c. Atque sic D. Thomas in 2. 2. q. 64. a. 8. homicidium directè voluntarium distinguit ab homicidio casuali, sive indirectè voluntario, quòd hoc solùm in causa (nempe non penitùs immediata ac proxima) sit volitum, illud autem vel in se, vel in causa proxima, & cum effectu mortis adeò inevitabiliter connexa, ut practicè loquendo impossibile sit velle ejusmodi causam, & non velle hunc talem effectum. Addendum est insuper, ut homicidium inducat præsentem Irregularitatem, voluntatem id perpetrandi debere esse spontaneam, idque ad excludendum homicidium, quod quis voluntariè committit excedendo moderamen justæ defensionis:

talis enim non dicitur habere voluntatem occidendi spontaneam, sed quasi necessariam, & ab alio occasionatam. Vid. Filliuc. tract. 20. cap. 1. n. 2. & 5. Salmantic. tract. 10. cap. 8. n. 1. 2. & 3.

2 Corollarium I. Qui alterum invadit animô leviter tantùm vulnerandi, non incurrit hanc speciem Irregularitatis, si præter intentionem graviter vulneret, aut omnino occidat. Bonac. disp. 7. q. 4. pu. 8. n. 18. Salmantic. n. 3. Ratio est: quia hic talis non habuit expressam voluntatem occidendi. Dixi tamen, *hanc speciem &c.* cùm enim lethifera ejusmodi percussio voluntaria sit quodammodo in causa, quam percutiens vitare & potuit & debuit, incurrit Irregularitatem homicidii casualis.

3 Corollarium II. Neque ille contrahit hanc Irregularitatem, qui alteri venenum propinavit, aut vulnus lethale inflixit animô occidendi; quando vel per artem, vel per miraculum fuit impeditum, ne mors sequeretur. Filliuc. n. 6. Salmantic. n. 4. Ratio est: quia hæc Irregularitas statuta est pro homicidis voluntariis: atqui attenta proprietate verborum, ad quam pœnas coarctare oportet, vulnerans, aut venenum porrigens dici non potest homicida, nisi mors sequatur; ergo &c. Imò talis nec alterius speciei Irregularitate fit irregularis. Ratio est: quia in jure nulla habetur expressa Irregularitas propter conatum occidendi, sed propter occisionem hominis, seu homicidium.

4 Corollarium III. Ille quoque Irregularitatem homicidii voluntarii probabiliùs non incurrit, qui in subita rixa hominem interimit, quod ante non intenderat. Salmantic. n. 6. Reding q. 20. a. 7. contro. 3. coroll. 1. n. 3. Ratio est: quia juxta Concil. Trid. *sess.* 14. *cap. 7. de Reform.* homicidium voluntarium est, quod per insidias ex industria committitur: sed qui repentinâ irâ in rixa correptus hominem occidit, non dicitur occidere per insidias ex industria; uti nec ex proposito, & dolo, inito consilio, quod ad homicidium voluntarium requiritur in cap. *Sicut dignum. de homicid.* §. 2. ergo non committit homicidium voluntarium: & consequenter non incurrit Irregularitatem illius. Fatendum tamen est, eundem incurrere Irregularitatem homicidii casualis: de qua in §. 3. agemus.

5 Corollarium IV. Qui procurat abortum secuto effectu, redditur irregularis, si fœtus sit animatus anima rationali; secus, si non sit animatus. Bonac. n. 27. Filliuc. n. 19. & 20. Ratio primi est: quia talis verè ac propriè dictum perpetrat homicidium. Ratio secundi est è contrario: quia, licèt hoc tali facto impedias generationem hominis, non tamen occidis hominem in rerum natura existentem; nec consequenter incurris Irregularitatem homicidii. Non ignoro, Sixtum V. in aliqua sua Constitutione Irregularitatem extendisse ad procurantes abortum etiam fœtus inanimati: sed dicitur cum Filliuc. n. 21. eam Constitutionem à Gregorio XIV. esse revocatam, atque intra terminos juris communis reductam.

6 Corollarium V. Præter exequentem homicidium præsentem Irregularitatem contrahunt mandantes, consulentes, consentientes, ac physicè cooperantes. Vid. Salmantic. n. 7. 10. & seqq. Et quidem de mandante & consulente constat: quia isti, licèt non physicè, attamen moraliter sunt causa directa & efficax homicidii. Quod idem senti de consentiente in homicidium ipsius gratiâ faciendum, réque ipsa factum, scientérque nec impediente, nec prohibente homicidam: qui idcirco, quod existimet, se gratum præstare obsequium, facinus alacriter, ac majori animô exequitur. De cooperantibus physica cooperatione directè ad homicidium tendente, si id expressè intendant, itidem patet: quia revera sunt ejusdem voluntariæ & directæ causæ. Sed quid de non Impediente homicidium, cùm possit impedire? Respondeo, etiam talem effici irregularem hac Irregularitate, si ex justitia teneatur impedire, & non impediat ex odio, & directa intentione, ut alter occidatur. Ratio est, quia sic committit peccatum homicidii verè ac propriè accepti tanquam causa moralis illius, & contra justitiam. Dixi primo, *si ex justitia &c.* nam si ex charitate solùm teneatur impedire, non impediendo non peccat peccato homicidii, quod est peccatum injustitiæ, sed contra charitatem tantùm. Dixi secundo, *ex odio & directa intentione &c.* si enim non impedit ex aliquo timore humano, vel negligentia, vel avaritia, ut fieri solet, ideoque non directè intendit mortem alterius, erit irregularis Irregularitate homicidii casualis. Vid. Filliuc. àn. 128. Bonac. ubi suprà n. 37. & 41.

7 Tollitur hæc Irregularitas per dispensationem Summi Pontificis: cùm ille in eodem dispensare possit, ut nemo dubitat? quia omnis Irregularitas introducta est jure Ecclesiastico. Episcopus autem dispensare non potest: quia Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* postquam Episcopis concessit potestatem absolvendi ab omnibus casibus, 01
& censuris occultis; ac dispensandi in Irregularitatibus, Irregularitatem ortam ex homicidio voluntario excepit. Urgente tamen necessitate, & quando est difficilis recursus ad Papam, existimant cum aliis pluribus, Salmantic. n. 16. posse Episcopum dispensare, ut ejusmodi homicida ministret in Sacris, si homicidium sit occultum.

Ratio est: quia non est credibile, Summum Pontificem in ejusmodi hanc dispensationem sibi velle reservatam: adeoque meritò præsumitur ejus potestatem tunc concedere etiam Episcopis.

§. II.

De Irregularitate ex injusta & voluntaria mutilatione.

SUMMARIUM.

8. *Qualis hic intelligatur mutilatio?* 9. *Quid veniat nomine membri per mutilationem abscissi?* 10. *An fiat Irregularis, qui sibiipsi membrum abscindit?* 11. *Qui pedem, manum, linguam alterius abscindit, irregularis efficitur.* 12. *Non fit irregularis, qui alteri digitos, auriculas, nasum abscindit.* 13. *Quid de illo, qui membrum alicujus reddit inutile?* 14. *Item de illo, qui parato quempiam occidere consulit mutilationem?* 15. *In præsenti Irregularitate præter Papam dispensare potest etiam Episcopus.*

8 NOtandum est primo, mutilationem, quæ in ordine ad incurrendam Irregularitatem æquiparatur homicidio, non in eo consistere, quòd quis vulneraverit, sanguinem fuderit, vel membrum inutile reddiderit; sed in eo solùm, quòd membrum alicui absciderit: quemadmodum ex cap. *sicut urgeri.* 1. q. 1. aliisque juribus colligitur.

9 Notandum secundo, nomine membri, ex cujus abscissione Irregularitas contrahitur, juxta probabiliorem sententiam, intelligi talem solùm partem corporis, quæ in eo proprium officium, atque distinctum à functionibus aliarum partium obtineat; ut manus tangendi, pes ambulandi, auris audiendi, oculus videndi &c. quam acceptionem membri approbare videtur Apostolus 1. ad Corinth. 12. dum scribit: *In uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent.* Unde aliæ partes, quæ jam memoratis conjunctæ sunt, easque adjuvant in suis functionibus, non veniunt nomine membri; atque adeo illarum abscissio non inducit Irregularitatem.

10 Corollarium I. Non tantùm, qui alteri, sed etiam, qui sibiipsi membrum injustè abscindit, irregularis efficitur. Filliuc. tract. 20. cap. 1. n. 13. Salmantic. tract. 10. cap. 8. n. 20. Ratio est: quia etiam sibiipsi membrum abscindens verè se mutilare dicitur: adeoque ex hac tali mutilatione non minùs, (imò potiori jure ob majorem criminis atrocitatem) incurrit Irregularitatem, quàm ex mutilatione alterius. Dixi, *injustè abscindit.* Nam, si hoc faciat ob justam causam, putà ad conservandam vitam totius corporis, non fit irregularis; sicut non fit, dum alteri ob similem necessitatem, sic exigente arte Chirurgica, brachium v. g. abscindit. Incurrit autem Irregularitatem, qui zelô castitatis castrat se ipsum, aliáve ratione mutilat: quia zelus hic non est bonus, nec secundùm scientiam, cap. *Si quis abscidit.* & cap. *hi qui d. 55.* Filliuc. loco cit.

11 Corollarium II. Irregularis efficitur, qui pedem, manum, aurem, membrum virile, mamillam mulieris, linguam amputat, vel oculum eruit. Ratio est: quia quodlibet istorum est propriè membrum cum peculiari operatione. Qui alterutrum tantùm ex testiculis abscindit, probabiliùs non fit irregularis, benè autem, qui utrumque. Ratio est: quia singuli non exercent diversas functiones, sed ambo simul concurrunt ad eandem; adeoque singuli non sunt membra, sed pars membri. Vid. Salmantic. n. 23.

12 Corollarium III. Non tamen fit irregularis, qui alicui digitum, vel digitos, vel auriculam, vel labia, vel nasum abscindit; vel dentes excutit; vel capillos etiam omnes, totámque barbam evellit. Ratio est: quia hæc omnia non sunt verè membra, sed vel partes membri, ut digiti manûs; vel instrumenta membri, ut dentes maxillæ; vel tutelæ & ornamenta organorum & corporis, ut auricula, nasus, capilli, barba &c. Salmantic. & alii, quos iidem referunt & sequuntur n. 24. Hîc tamen advertendum est, ad incurrendam irregularitatem sufficere aliquando voluntariam mutilationem secundùm aliquam partem, dum eam quis peragit in se ipso, quæ non sufficeret, si in alio faceret. Qui enim vel partem digiti, ne dicam digitum, sibiipsi volens abscinderet, irregularitatem incurreret, ut ex Concil. Tribur. cap. 33. & ex c. 6. dist. 55. ostendit. Filliuc. n. 14. & tamen non incurreret, si alteri abscinderet. Nam jura considerant specialem atrocitatem, quam continet mutilatio suiipsius.

13 Corollarium IV. Qui alicujus membrum, v. g. manum, non quidem abscindit, ita tamen debilitat, ut inep.um sit ad munere suo fungendum, non fit irregularis. Filliuc. n. 11. Bonac. disp. 7. q. 4. pu. 8. n. 11. Salmantic. n. 25. Ratio est: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; atqui in jure nullibi habetur expressum, quòd fiat irregularis, qui membrum alicujus debilitat; sicut tamen habetur expressum de mutilante; ergo &c. Sed quid dicendum, siquis debilitatum ac inutile hujusmodi membrum abscindat? Judico talem esse irregularem, si id (sicut supponitur) injustè faciat. Ratio est: quia verè mutilat hominem secundùm vivum aliquod membrum ipsius. Unde contrarium

rium ob rationem contrariam sentiendum de eo, qui abscindit membrum omnino aridum ac emortuum: hic enim talis non abscindit membrum humanum, sive continuum humano corpori, sed contiguum tantùm, atque præditum forma partiali cadaveris: & consequenter non est propriè mutilator hominis. Vid. Filliuc. n. 16. & 17. Salmantic. n. 27. & 25.

Corollarium V. Etiam ille non contra-
14 hit præsentem Irregularitatem, qui parato quempiam occidere consulit mutilationem, ut eum hac ratione retrahat ab homicidio. Ratio est: quia qui parato facere majus malum, suadet minus malum, non peccat; cùm proponat præcisè materiam minoris mali, ut alterum avertat à majori malo. Unde suò consiliò non influit moraliter, ut alter committat mutilationem, sed, ne committat homicidium. Filliuc. n. 102. Bonac. n. 19. Salmantic. n. 18. Aliud dicendum est cum Bonac. cit. de eo, qui alteri, ut illum retrahat à majori malo, v. g. homicidio, cooperatur ad faciendum minus malum; uti ad præscindendum brachium, pedem &c. talis enim verè influit in actionem malam, ob quam alter fit irregularis; adeoque & ipse fit irregularis.

Observandum est denique, in præsenti
15 Irregularitate præter Papam dispensare posse Episcopum, si sit occulta. Colligitur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* ubi
16 Episcopis conceditur facultas dispensandi in omnibus Irregularitatibus, quæ ex delicto occulto præveniunt, excepta illa, quæ provenit ex homicidio voluntario. Cùm proinde mutilatio, si propriè & strictè loquamur, (sicut loquendum est in pœnalibus, tanquam odiosis) non sit homicidium, Irregularitas inde proveniens non comprehenditur sub memorata exceptione; & consequenter Episcopis non est ablata potestas in illa dispensandi. Filliuc. n. 51. Salmantic. n. 28. cum pluribus aliis.

§ III.

De Irregularitate ex homicidio, & mutilatione casuali.

SUMMARIUM.

16. Duplex homicidii casualis acceptio. 17. Eventus homicidii prævideri potest ex operetam licito, quàm illicito. 18. Ob homicidium omnino casuale non incurritur Irregularitas, sed ob non omnino casuale. 19. Exercens opus licitum, ex quo timet, ne sequatur homicidium, non contrahit Irregularitatem, si moralem diligentiam adhibeat, ne sequatur, licèt re ipsa sequatur. 20. 21. 22. Resolutiones practicæ. 23. Qui exercet opus prohibitum tanquam periculosum, redditur irregularis, si mors inde sequi soleat ut plurimum, secus, si raro sequatur, adhibeaturque sufficiens diligentia, ne sequatur. 24. Corollarium de Clerico, ex cuius pugna, aut venatione mors alicujus sequitur. 25. Dans operam rei aliunde prohibitæ, quàm quia periculosa, non fit irregularis, secuto homicidio. 26. Quid de Irregularitate, quæ incurritur ob excessum moderatæ tutelæ in justa sui defensione?

NOtandum est primo, homicidium ca- 16
suale aliud dici simpliciter, & omnino; aliud non simpliciter & omnino casuale, sed veluti mixtum ex voluntario & involuntario. Omnino casuale seu fortuitum est, quod nec directè, nec indirectè intenditur ab operante. Non omninò casuale est, quòd licèt directè & in se non intendatur, indirectè tamen in causa, ex qua probabiliter secuturum prævidetur, intentum ac volitum censetur.

Notandum est secundo, actionem sive 17
opus, ex quo tanquam causa quis prævidet, vel timet eventum secuturi homicidii, aliquando esse licitum, v. g. exercitium artis chirurgicæ; aliquando illicitum, idque vel ideo, quòd sit prohibitum tanquam periculosum, mortisque illativum, vel ex alio capite; quemadmodum tempore Interdicti v. g. prohibitum est pulsare campanas. Porrò utriusque generis opus exerceri potest vel ita, ut sufficiens moraliter adhibeatur diligentia in præcavendo homicidio; vel ita, ut talis diligentia non adhibeatur. Quæ jam dicta, quæque dicenda erunt de homicidio casuali, etiam de mutilatione intelligere oportebit proportionaliter.

Dico nunc primo. Ob homicidium 18
omnino casuale non incurritur Irregularitas; sed ob homicidium non omnino casuale, seu volitum in causa. Prior pars constat ex cap. *Lator.* & ex cap. *Dilectus. de homicid.* & ratio est: quia ejusmodi homicidium in esse homicidii nullo modo est peccaminosum; utpote nullo modo volitum; consequenter non inducit Irregularitatem, quæ ex delicto dicitur. Neque refert, ut notat Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 10. n. 1. plures citans, utrùm actio occisoris ex se fuerit licita, vel illicita? Cùm etiam respectu illicitè operantis homicidium possit esse fortuitum, si de ejus eventu vel nunquam cogitaverit, vel, licèt cogitaverit, certò tamen certitudine morali sibi persuaserit, nullum subesse periculum. Posterior pars est certa & communis sententia DD. quæ habetur in Jure Can. tum cap. *significásti.* 1. tum

cap. *Dilectus.* de homicid. & alibi. Ratio quoque est: quia homicidium istud indirectè voluntarium est verum homicidium, atque in esse talis peccatum ejusdem speciei cum homicidio directè voluntario: atqui ob verum & peccaminosum homicidium incurritur Irregularitas; ergo.

19 Dico secundo. Qui exercet opus licitum, ex quo timet, ne sequatur homicidium, non fit irregularis, si adhibeat sufficientem diligentiam, ne sequatur, licèt re ipsa sequatur: fit autem irregularis, si talem diligentiam non adhibeat. D. Thomas in 2. 2. q. 64. a. 8. ad 3. Filliuc. tract. 20. cap. 3 n. 54. & 55. Bonac. disp. 7. q. 4. pu. 7. n. 8. Salmantic. tract. 10. cap. 8. n. 30. estque communis sententia. Ratio primæ partis est: quia tunc homicidium neque directè, ut patet; neque indirectè est voluntarium: cùm enim opus, ex quo sequitur, sit licitum, non potest intelligi esse voluntarium, nisi in omissione diligentiæ debitæ; qualis tamen omissio hic non supponitur. Ratio secundæ partis est ex contrario: quia tunc homicidium est indirectè voluntarium in omissione diligentiæ, quam operans ad vitandum ejus periculum adhibere tenebatur. Ex dictis resolvuntur sequentia:

20 Adhibita cura ac diligentia sufficienti ad evitandum mortis, aut mutilationis eventum, non fit irregularis. Primo, qui discipulum, aut filium castigandi causâ moderatè verberavit; quamvis puer propterea in morbum inciderit, ac mortuus fuerit. Secundo, qui equitando equum ferocem contrivit infantem in via jacentem. Tertio, qui pulsando campanam dejecit malleum, eóque hominem infrà agentem occidit. Quarto, qui leonem, v. g. aut ursum ferocem probè ligatum custodit; sed is nihilominus solito irritatior vincula rumpit, ac hominem dilacerat. Quintò, qui tectum reparans tegulas, aut lapides dejecit, eisdemque transeuntium quempiam obtrivit. Sexto, peritus Medicus, vel Chirurgus, si ex remedio, quod applicavit, mors infirmi sequatur. Ratio horum omnium, aliorumque similium est: quia danti operam rei licitæ, suppositâ morali diligentia, cujus meminimus, eventus mortis nec directè, nec indirectè est voluntarius, sed omnino casualis. Aliter ob contrariam rationem sentiendum est, si ejusmodi diligentia fuit omissa: tunc enim in omnibus casibus recensitis incurritur Irregularitas. Vid. Salmantic. n. 31. & 32. qui tamen n. 30. advertunt, non quamcunque culpam in omissione diligentiæ commissam sufficere ad incurrendam hîc Irregularitatem, sed requiri gravem & mortalem; eò quòd Irregularitas, quæ ex delicto dicitur, habeat rationem pœnæ, & quidem gravis; quæ non nisi ob culpam gravem incurritur. Vid. præterea Filliuc. n. 61. Bonac. n. 27. Laym. ubi suprà n. 4. Reding. q. 20. a. 7. corollar. 1. n. 6.

Cæterùm ex præcedente doctrina ulteriùs colligitur primo, Clericum, vel Monachum, qui artem Chirurgicæ exercet, citra incisionem, vel adustionem, non fieri irregularem secuto homicidio, si sufficientem diligentiam adhibuit, ne sequeretur. Ratio est: quia tunc homicidium ex ejusce artis exercitiô, illi æquè licitô ac laico, consecutum merè casuale est. Dixi, *citra incisionem, vel adustionem.* Quia per has exercere Chirurgicam Monachis, & Clericis quibuscunque in sacro Ordine constitutis specialiter prohibitum est in cap. *Sententiam. Ne Clerici, vel Monachi.* idque sub pœna Irregularitatis. A qua proinde nulla diligentia in præcavendo homicidio adhibita, talem Chirurgum redit immunem. Excipitur tamen casus necessitatis, putà, si præter Clericum non adsit alius Chirurgus, qui memoratam curationem homini periclitanti adhibeat; tunc enim, exigente ipso jure naturali, eam Clericus licitè & absque periculo Irregularitatis exercet. Laym. n. 3. Salmantic. n. 32. Notat autem idem Laym. ex Molina tract. 3. disp. 75. Illam prohibitionem Canonicam artis Chirurgicæ ex cap. *Sententiam* non esse extendendam ad Clericos in minoribus Ordinibus, tametsi beneficiati sint: cùm jus de illis nihil exprimat. 21

Colligitur secundò, non fieri irregularem illum, qui ægroto bona fide aliquid subministrat vel in levamen, vel in remedium, existimans minimè obfuturum: aut qui eundem revolvit in lecto, & in aliud latus vertit, ut facilius somnum, vel quietem aliquam, vel cibum capiat, quamvis inde mors accelereturr, modò ipse ex sua parte, ne hoc fieret, moralem diligentiam adhibuerit. Ita communiter DD. apud Bonac. ubi suprà n. 12. Ratio ex dictis est: quia tunc præstanti hujusmodi licitum obsequium acceleratio mortis omnino casualis est. Atque hinc etiam Religiosi erga infirmos, quibus inserviunt, sine scrupulo exercere possunt similia humanitatis & compassionis officia. Salmantic. n. 33. 22

Dico tertiò. Exercens opus prohibitum, quia periculosum, fit irregularis, si ex illo mors sequi soleat ut plurimùm; non autem, si mors inde sequatur rarò, dummodò idem adhibeat diligentiam moraliter sufficientem, ne sequatur, licèt nihilominùs sequatur. Ita plures alios referens Bonac. n. 9. Salmantic. n. 38. Ratio primæ partis est: quia moraliter rem æstimanti nunquam videtur sufficiens adhiberi posse diligentia, ne sequatur mors ex opere, ex quo sequi solet ut plurimùm, ita ut raro non sequatur. Consequenter mors ex 23

tali

tali opere secuta illud exercenti non potest non esse voluntaria directè vel indirectè. Ratio secundæ partis est: quia tunc operanti mors secuta nec directè est voluntaria, uti supponitur; nec indirectè in opere periculoso; quia periculo satis occurritur per diligentiam moraliter debitam, ne ex illo sequatur ejusmodi effectus.

24 Corollarium. Clericus, qui pugnat in prælio, explodit tormentum bellicum in arcem, ubi magna est multitudo hominum; vel ignem subdit cuniculo ad arcem evertendam, fit irregularis morte alicujus secuta: non autem fit irregularis, si ex hastiludio, aut venatione aprorum, vel ursorum, quam exercet, mors alicujus sequatur, dummodò debitam diligentiam ad cavendum talem eventum adhibeat. Ratio est: quia opera prioris generis sunt adeo periculosa, ut mors alicujus, aut aliquorum ut plurimùm sequatur ex illis; non autem ita sunt periculosa opera posterioris generis; cùm rarò contingat, ut quis in simili ludo, aut venatione occidatur. *Vid.* Salmantic. loco cit.

25 Dico quarto. Qui dat operam rei illicitæ, non ideo prohibitæ, quia est periculosa, sed ex alio capite, non incurrit Irregularitatem, secuto homicidio, si debitam diligentiam adhibeat, ne sequatur. Filliuc. n. 69. Salmantic. n. 34. & alii. Exemplum esset, si quis tempore Interdicti campanam pulsaret, eáque subitò decidens infrà stantem contereret: vel si Religiosus contra prohibitionem Regulæ equitandô puerum in via jacentem conculcaret, etiam præstitâ cautelâ moraliter sufficiente contra talem eventum. Ratio verò Conclus. est: quia, licèt hujusmodi opus sit malum, & peccaminosum, non tamen est malum in ratione homicidii, sed merè casuale.

26 Ad præsentem Irregularitatem ex homicidio casuali etiam illa pertinet, quæ incurritur, dum quis in justa sui, rerúmque suarum defensione interimit iniquum aggressorem per excessum moderatæ cautelæ. Unde iidem, qui dispensare possunt in Irregularitate homicidii casualis, etiam in ista dispensare possunt. In illa autem dispensare possunt non tantùm Papa, sed etiam Episcopi, si delictum sit occultum. Ita deducitur ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* Revide, quæ in §. proximè præced. n. 15. diximus.

§. IV.

De Irregularitatibus ex iteratione Baptismi, abusu Ordinis, & violatione Censuræ.

SUMMARIUM.

27. *Tam culpabiliter rebaptizans, quàm rebaptizatus incurritur Irregularitatem.* 28. 29. 30. 31. *Resolutiones ex dictis.* 32. *An ex iteratione Confirmationis, aut Ordinis similiter contrahatur Irregularitas?* 33. *Item, an contrahatur aliquando ob indignam susceptionem Baptismi?* 34. *Furtivè se ordinandis immiscens, dum ordinatur, fit irregularis, ut non possit ad Ordinem altiorem promoveri.* 35. *Irregularis fit etiam Clericus, qui in Ordine, quo caret, scienter & solemniter ministrat.* 36. 37. 38. *Illationes ex dictis.* 39. *Ille præterea Clericus fit irregularis, qui exercendò actum proprium Ordinis violat Censuram majoris Excommunicationis, vel Suspensionis, vel Interdicti.* 40. 41. 42. 43. 44. *Illationes ex dictis.* 45. *Quis dispensare possit in Irregularitatibus hoc §. expositis.*

27 Dico primo. Ex culpabili iteratione Baptismi, sive solemnis ea sit, sive occulta, incurritur Irregularitas tam à rebaptizante, quàm à rebaptizato. Ita communis sententia. Habetur in cap. *Ex litterarum, de Apostatis.* cap. *Confirmandum.* dist. 50. & aliis juribus, saltem comparatè ad rebaptizatum, & rebaptizanti ministrantem. Nam contrà rebaptizantem non est in jure expressa Irregularitas. Omnes tamen Doctores, quibus etiam, teste Laym. consentit consuetudo, ad ipsum quoque eandem pœnam extendunt. At minùs rectè aliqui extendunt ad parentes, compatres, aliosque cooperantes. Nam cap. illud *ex litterarum*, quo nituntur, loquitur solùm de Acolytho; adeoque extendendum venit ad illos solùm, qui iterationi Baptismi ex officio inserviunt, quemadmodum notat Bonac. disp. 7. q. 3. pu. 3. n. 1. Cæterùm asserta Irregularitas, quantum ad Acolythum ministrantem, ipsumque rebaptizantem non nisi partialis est, ita ut nequeat ad superiores Ordines promoveri. Laym. tract. 5. par. 5. c. 1. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 8. n. 60. Eandem tamen respectu rebaptizati esse totalem docet idem Laym. loco cit. n. 2. Ex dictis resolves sequentia.

28 I. Infans, qui ante usum rationis rebaptizatur, non efficitur irregularis. Filliuc. tract. 20. n. 165. Laym. loco cit. Bonac. n. 2. Salmantic. n. 62. Ratio est: quia rebaptizari infanti non potest imputari ad culpam. Neque obstat primo, si postea doli capax ratificet sui rebaptizationem: quia hæc talis ratihabitio subsequitur rebaptizationem, ob quam statuta est Irregularitas. Neque obstat secundo cap. *Qui in qualibet.* 1. q. 7. ubi dicitur rebaptizatos in qualibet ætate manere irregulares: quia intelligendum est de qualibet ætate doli capace. Bonac. Laym. locis citt.

29 II. Rebaptizans, aut rebaptizatus ex igno-

ran-

rantia inculpabili sive facti, qua nempe ignoratur, Baptismum jam esse collatum; sive juris, qua ignoratur, iterationem Baptismi esse prohibitam, non fit irregularis. Bonac. n. 3. Laym. loco cit. Filliuc. loco cit. Ratio est: quia hujusmodi ignorantia sicut excusat à delicto, ita etiam præstat immunitatem ab Irregularitate supponente delictum, quemadmodum hæc præsens supponit. Quòd si talis non ignoret legem, qua prohibetur iteratio Baptismi, ignoret vero pœnam Irregularitatis, ab ista non est immunis; sicuti constat ex iis, quæ suprà in tract. 2. disp. 1. a. 3. n. 20. docui cum aliis.

30 III. Qui rebaptizat sub conditione, quamvis temere & absque debita inquisitione, sitne Baptismus antea collatus, vel non? Non incurrit Irregularitatem. Laym. loco cit. Filliuc. n. 181. Ratio est: quia baptizatum baptizans sub conditione, *si non es baptizatus &c.* revera non baptizat: quia adjecta conditio, si subsit, suspendit ac impedit actum. Oportet autem leges pœnales intelligere cum effectu, sive de delicto in sua specie consummato. Sed quid, si baptizans sciat esse baptizatum? Bonac. n. 4. docet, neque in hoc casu contrahi Irregularitatem, sed oppositum, quod asserit Filliuc. n. 182. videtur verius. Nam licet verba formæ exterius prolata sonent conditionem, intentio tamen vix videtur tunc esse conditionata, nisi nugatorie; cùm baptizans ipse videat, eam non posse transire in absolutam per purificationem conditionis, utpote impossibilis. Erit igitur intentio absoluta (si tamen seria, aut non omnino nulla) saltem ex præsumptione: cùm ejusmodi conditio moraliter habeatur pro non adjecta.

31 IV. Irregularis efficitur rebaptizans & rebaptizatus ex metu cadente in virum constantem, si vel ille habeat intentionem rebaptizandi, vel iste iterum suscipiendi Baptismum. Bonac. n. 7. Filliuc. n. 169. Laym. loco cit. Salmantic. ubi suprà n. 61. Ratio est: quia talis revera committit delictum, propter quod statuta est præsens Irregularitas. Cùm enim nec metus, nec vis cadant in voluntatem, in hoc casu non excusant. Nam illis etiam positis potes adhuc velle vel nolle baptizare, velle vel nolle baptizari. Dixi, *si vel ille habeat &c.* Nam qui (etiam extra vim aut metum) rebaptizaret, aut rebaptizaretur absque animo conficiendi, vel recipiendi Sacramentum Baptismi, non fieret irregularis: quia hæc Irregularitas contra illos tantùm statuta est, qui seriò & ex animo Baptismum iterant. Vid. Salmantic. loco cit.

32 Quæres jam primò, an etiam ex iteratione aliorum Sacramentorum characterem imprimentium, nempe Confirmationis & Ordinis contrahatur Irregularitas? Respondeo negativè contra Navarrum, Vgolinum & alios. Ratio est: quia nulla inducitur Irregularitas, nisi in jure sit expressa: atqui in jure non est expressa Irregularitas contra iterationem alicujus Sacramenti distincti à Baptismo; ergo. Dices. Ubi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio: sed eadem ratio, nempe detestatio hæreticorum asserentium Baptismum posse iterari, quæ movit Ecclesiam ad statuendam Irregularitatem, etiam procedit circa Confirmationem & Ordinem; ergo &c. Respondeo, illud axioma, & argumentum à paritate rationis non valere in pœnalibus, & præsertim in Irregularitate. Bonac. n. 8. Salmantic. n. 63.

Quæres secundo, an aliquando Irregula- 33
ritas incurratur ob indignam susceptionem Baptismi? Respondeo, id contingere in duobus casibus. Primus est, dum quis ab hæretico sic declarato Baptismum suscipit. Constat ex cap. *Afros*, & cap. *Qui in qualibet*. Excusat tamen ab hac Irregularitate ignorantia, necessitas, aliáve ratio, quæ à culpa excusat. Atque hinc infantes ab hæreticis baptizati non sunt irregulares. Secundus casus est, dum quis Baptismum differt usque ad ægritudinem & mortis periculum. Ex cap. *Si quis* dist. 57. Ratio est: quia in eo, qui usque ad tale tempus tergiversatur intrare per ostium Ecclesiæ, non præsumitur esse vera & voluntaria fides. Talis proindè non est ordinandus, nisi id vel exigat raritas hominum ad Sacerdotium promovendorum; vel ipsius studium, ac fides probabilis reddatur post Baptismum, sicque sinistra suspicio aboleatur. Vid. Laym. n. 3. & 4. Bonac. à n. 11. Salmantic. n. 65.

Dico nunc secundo. Qui furtivè, hoc est, 34
ignorante Episcopo per dolum se ordinandis immiscens, ordinatur, irregularis efficitur, saltem quoad illum effectum, ne ad ordinem superiorem promoveri possit. Ex cap. 1. *de eo, qui ordinem furtivè suscepit.* Si Episcopus ante ordinationem furtivum ejusmodi accessum sub excommunicatione prohibuit, tunc dispensare non potest cum taliter ordinato, præterquam, si idem Religionem postea ingressus in ea aliquamdiu vixerit laudabiliter. Quòd si tamen crimen maneat occultum, Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* Episcopo absolutè concedit potestatem dispensandi. Vid. Laym. tract. 5. par. 5. cap. 3. n. 1. Salmantic. n. 75.

Dico tertio. Irregularitatem incurrit Cle- 35
ricus, si in ordine, quem non habet, ministret scienter & solemniter: v. g. si Diaconus ita Missam celebret, nuptias benedicat, absque Sacerdotis commissione baptizet. Ita communiter Doctores ex cap. 1. & 2. *de Clerico non ordin. minist.* Dixi autem primo *Clericus*. Licet autem Laicus exercendo actum propriis ordinis, v. g. solemniter baptizando, graviter pec-

peccet, Irregularitatem tamen non contrahit; cùm id nullo jure habeatur expressum. Vid. Laym. n. 3. Dixi secundo *scienter*, id est, cum sufficienti notitia & quòd careat tali ordine, & quòd carenti exercere illum sit prohibitum. nam probabilis ignorantia sive hujus, sive illius, excusat ab Irregularitate, sicut excusat à culpa. Dixi tertio *solemniter*, id est, tanquam ex officio, cum cæremoniis, & ornamentis propriis ejus ordinis, cujus actum exercet: qualia sunt stolâ v. g. & manipulus, hic respectu Subdiaconatûs, illa respectu Diaconatûs. Vid. Salmantic. n. 74.

36 Infertur jam primo, neque Clericum inferiorem Subdiaconô, neque inferiorem Diaconô fieri irregularem, si in officio solemni ille Epistolam, hic Evangelium canat etiam dalmaticâ indutus, modò prior manipulum, posterior stolam non deferat. Bonac. disp. 7. q. 3. pu. 6. n. 1. Laym. n. 2. Ratio est: quia neuter exercet actum ordinis solemniter. ad hoc enim requiruntur propria ornamenta ordinis, quale respectu Subdiaconi est manipulus, respectu Diaconi stola. Itaque solùm officio cantorum funguntur: id quod aliquando licitè fieri probat consuetudo quarumdam Ecclesiarum, præsertim Regularium, ubi in defectum Subdiaconi & Diaconi Clerici in minoribus constituti tanquam cantores adhibentur, superpelliceo, vel dalmática induti ad cantandam Epistolam, vel Evangelium, vel Passionem Domini. Vid. Laym. loco cit.

37 Infertur secundo, Clericum Diacono inferiorem non fieri irregularem, si, tanquam Diaconus sit, stolâ indutus prædicare præsumit in Ecclesia. Ita communis apud Laym. n. 3. Ratio est: quia prædicare non est exercere actum ordinis. Talis nihilominùs peccat, dum stolâ insignis in ejusmodi actu refert Diaconum, cùm non sit. Cæterùm, an Parochi Clericos Diacono inferiores ad prædicandum in Ecclesia licitè interdum exponant, petendum est ex recepta cujusque Diœcesis consuetudine.

38 Infertur tertio, irregularem fieri Clericum Sacerdote inferiorem, si aliquem seriò & Sacramentaliter absolvat, vel Sacramento Extremæ unctionis impertiat. Bonac. num. 4. Salmantic. loco cit. Ratio est: quia exercet actum proprium ordinis, quem non habet. Dices ex Sylvestro *v. Confessor.* 1. Contra absolventem Sacramentaliter in jure non habetur expressa Irregularitas. nam in cap. 1. *de Clerico non ord. ministr.* dicitur: *Siquis baptizaverit, vel aliud Divinum officium exercuerit &c.* Atqui nomine Divini officii non intelligitur absolutio Sacramentalis. Consequenter Clericus in nostro casu non fit irregularis. Respondeo cum Navarro, & Soto, quos refert & sequitur Bonac. loco cit. nomine Divini officii in præsenti materia juxta communem Doctorum sensum intelligi etiam absolutionem Sacramentalem: adeòque Irregularitatem, de qua hîc locuti sumus, in jure satis haberi expressam.

Dico ulteriùs quarto, Clericus, qui exercet aliquem actum proprium ordinis, ita ut dicatur violare censuram majoris excommunicationis, vel suspensionis ab ordine, vel interdicti personalis, aut localis, irregularis efficitur. Constat ex Jure Canon. tit. decret. *de Cler. excom. ministr.* cap. 1. *de sent. & re jud. in* 6. cap. *is, cui. de sent. excom. in* 6. Cæterùm ut Clericus incurrat hanc Irregularitatem, tria requiruntur. Primum est, ut exercendo actum ordinis peccet mortaliter. unde quidquid ipsum excusat à peccato mortali, etiam ab Irregularitate excusat. Secundùm est, ut actus, quem in censura exercet, sit proprius ordinis, id est, ab alio, qui talem ordinem non habet, exerceri non possit. Tertium est, ut exercitium ordinis sit ipsi secundùm substantiam prohibitum, & non præcisè secundùm modum accidentalem. Vid. Laym. ubi suprà n. 4. Ex quibus 39

Infertur primo, hanc Irregularitatem non incurri ob exercitium minoris alicujus ordinis. Bonac. pu. 5. n. 1. Laym. loco cit. contra Suar. Vgolinum & alios. Ratio est: quia contra rigorem juris consuetudo jam obtinet, ut actus minorum ordinum à laicis quoque exerceantur etiam solemniter. 40

Infertur secundo, Parochum non fieri irregularem, si in censura assistat matrimonio, fieri tamen irregularem, si benedicat nuptias. Bonac. n. 7. Laym. loc. cit. Salmant. n. 69. Ratio est: quia matrimonio assistere non est, nuptias benedicere est actus ordinis. Unde universaliter observandum, Clericos non fieri irregulares, quando censurâ ligati præstant ea (quamvis illicitè) quæ jurisdictionis tantùm, non autem ordinis officia esse censentur. 41

Infertur tertio, irregularem esse Sacerdotem, qui animô seriô, dum est in censura, Sacramentaliter absolvit, quamvis occultè, aut celebrat absq; præscriptis cæremoniis. Bonac. n. 6. Salmantic. n. 68. Ratio est: quia hi tales actus sunt adeò proprii ordinis Sacerdotalis, ut nequidem sine solemnitate exerceri possint à non Sacerdote. Dixi, *qui animo serio.* nam si non habeat intentionem absolvendi, vel conservandi, sed materialiter tantùm proferat verba formæ, non fit irregularis: quia tunc non exercet actum ordinis. Bonac. loco cit. 42

Infertur quarto, Episcopum suspensum à Pontificalibus non fieri irregularem, quando celebrat Missam cum apparatu Episcopali. Laym. loco cit. ex Covat. Sylvestro, & Avilla. Ratio est: quia actus celebrandi non est ei prohibitus secundùm substantiam, sed secundùm solemnitatem accidentalem 43

tantùm. Contrarium tenuit Angelus V. *Suspensio* 3. n. 3. Illud tamen Salmantic. n. 71. & alii ex cap. *Illud. de Cler. excom. ministr.* affirmant, irregularem fieri Episcopum, qui censurâ ligatus coram se celebrari auctoritativè jubet. hæc tamen Irregularitas ibi non exprimitur. unde potiùs auctoritate Doctorum, quàm jure scripto eam niti ex Coninck notat Laym. loco cit.

44 Infertur quinto, ligatum aliqua censura non fieri irregularem, si in choro solemniter canat Divinum officium modò id non faciat tanquam Hebdomadarius cum *Dominus vobiscum*. Bonac. n. 3. Salmantic. n. 69. Ratio est: quia ita canere non est actus alicuius ordinis, cùm hoc modo canant etiam alii, qui non habent ordines, v. g. Moniales. Dixi, *modo id non faciat &c.* secùs enim erit irregularis: quia sic agere Hebdomadarium habetur ex consuetudine pro munere solius Presbyteratûs, aut Diaconatûs.

45 Quæres demum, quis dispensare possit in his Irregularitatibus, quas in præs. §. exposuimus? Respondeo, præter Papam posse dispensare etiam Episcopum, si delictum sit occultum. Habetur ex Concil. Trid. sess. illa 24. cap. 6. *de Reform.* De illa tamen, quæ incurritur ob furtivam susceptionem ordinis, vide, quæ suprà n. 34. monuimus.

§. V.

De Irregularitate ex infamia.

SUMMARIUM.

46. *Quid, & quotuplex sit infamia.* 47. *Ob infamiam, sive juris, sive facti illa sit, contrahitur Irregularitas.* 48. 49. *Quibus modis tollatur infamia, eique annexa Irregularitas?* 50. *Quid de dispensatione in Irregularitate ob infamiam contracta?*

46 INfamia, quæ significat bonæ famæ, sive existimationis privationem, seu diminutionem, alia est juris, alia facti. Infamia juris, quæ etiam legalis dicitur, triplex est, nempe alia ex delicto proprio, quod ex constitutione juris infamiam habet annexam; alia ex delicto alieno; alia ex officio. Infamia ex delicto proprio duplex est: alia, quæ per judicis sententiam, qua ob certum crimen aliquis infamis pronuntiatur, incurritur. Tale est crimen homicidii, adulterii, proditionis, falsi, rapinæ: item furti, injuriarum, doli mali. Laym. tract. 5. par. 5. cap. 4. n. 1. ubi etiam docet, huic infamiæ illos quoque subjacere, qui actione directa pro socio, tutelæ, mandati, depositi ob intervenientem dolum; vel de calumnia per iniquam accusationem illata; vel de prævaricatione condemnati sunt.

Alia infamia ex delicto proprio est, quæ ob certum aliquod crimen, si notoriè committatur, ante judicis sententiam incurritur. Tale crimen committit primo, qui lenocinium, id est prostitutionem maris, vel fœminæ, exercet, idque ex consuetudine. Secundo, qui sponsalia, vel matrimonium cum duabus contrahit. Tertio, qui publicè usurarium profitetur. Quarto, qui non implet juramentum promissorium. Quinto, qui hostiliter persequitur Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Sexto, rapit mulierem, vel rapienti favet, aut cooperatur. Septimo, qui in duellum descendit, vel descendentis patrinum agit. Octavo, qui contra proprios parentes armatur. Nono Clericus, qui Episcopum suum invadit, eique insidias struit. Decimo, qui in notoria hæresi, & apostasia versatur: pluresque alii, qui jure Civili & Canonico pro infamibus habentur; quemadmodum videre est in cap. *Infames.* 6. q. 1. cap. *Constituimus.* 3. q. 5. Quibus addendi sunt ex communi Doctorum consensu apud Laym. loco cit. Sodomitæ voluntarii; non vim passi. Vid. Salmant. à n. 81.

Infamia juris ex delicto alieno sic dicitur, quia redundat in personam conjunctam illi, à qua crimen fuit commissum. Hac infamia laborant primo filii, & nepotes eorum, qui in Cardinales violentas manus injiciunt. Secundo, filii eorum, qui de crimine læsæ majestatis condemnati sunt. Tertio, filii notoriæ meretricis, quamvis conjugatæ. Quarto, filii & nepotes hæreticorum, si via virili descendunt, si viâ fœminea; filii, & non nepotes. Ad hoc autem est necessarium non tantùm, ut notoriè constet, parentes fuisse hæreticos, sed etiam, ut manifestum sit, eos decessisse in hæresi. per cap. *Statutum felicis. de Hæret. in* 6. Salmantic. num. 83.

Infamia ex officio, vel vili conditione personæ contrahitur inprimis ab histrionibus, id est, illis, qui in publicis obscœnis spectaculis agunt, ut habetur in l. 1. & 2. ff. *de iis, qui notantur infamia*, cap. *Aliquantos.* dist. 51. & cap. 1. causa 4. quæst. 1. Deinde ab eo, qui cum muliere publicis ejusmodi spectaculis mancipata matrimonium contraxit. cap. *Si quis viduam, aut ejectam.* dist. 34. Demum in nostra Germania carnificum, quorundam lictorum filii ob vile parentum officium pro infamibus habentur, adeò ut non solùm à publicis dignitatibus, sed etiam à mechanicis tribubus secludantur. Vid. Laym. ubi suprà. cum quo etiam notandum est, omnes infamias jure civili constitutas à jure quoque canonico receptas & approbatas esse, nisi aliqua ab eodem specialiter fuerit sublata: cujus exemplum habetur in cap. ult. *de secundis nuptiis.*

Infamia facti (quam etiam populariter ac vulgariter appellant) illa est, quæ vel ex publica commissi criminis evidentia, vel etiam communiter vul-

gata

gata opinione, apud viros graves ac prudentes contrahitur. Dixi, *apud viros graves &c.* Nam si constet, homines, à quibus ortus fuit rumor criminis, esse tantùm leves & imprudentes, non debet censeri contracta infamia. Quia vanæ voces hominum non sunt audiendæ. *l. Decurionum, C. de pœnis.* Quibus præmissis,

47 Dico. Infamia, sive juris, sive facti sit, Irregularitatem inducit. Ita communiter DD. ex cap. *Infames.* 6. q. 1. cap. *Qui in aliquo.* dist. 51. cap. *Omnipotens de Accusat.* Ratio est: quia ob sanctitatem ac puritatem ministerii Ecclesiastici meritò judicatur esse indecens ad sacras illius functiones admittere homines criminis alicujus infamiâ maculatos. Hæc porrò Irregularitas non tantùm reddit aliquem inhabilem ad suscipiendos ordines, sed etiam ad ministrandum in jam susceptis, ut docent Castropal. Avila, & Coninck, quos referunt & sequuntur Salmantic. tract. 10. cap. 8. n. 76.

48 Illud nunc supereſt, ut de modis, quibus infamia, eique annexa Irregularitas tollitur, agamus. Infamia facti tollitur inprimis per Baptismum. Sicut enim per hoc Sacramentum tolluntur omnia peccata, ita etiam tollitur, quidquid ortum habet ex peccatis, in quantum peccata sunt. Filliuc. tract. 19. c. 8. n. 225. Bonac. disp. 7. q. 3. pu. 1. n. 6. & alii communiter. Tollitur deinde per emendationem facti, si hæc æquè notoria sit, atque fuit factum ipsum. Sublatâ autem taliter infamiâ cessat Irregularitas absque dispensatione. Ratio hujus doctrinæ est: quia cessante causa cessat effectus. cap. *Cùm cessante. de Appellat. & per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvitur.* cap 1. de Reg. Juris. Vid. Laym. ubi suprà n. 10. Salmantic. n. 85. Unde infamis infamiâ facti potest supposita vitæ emendatione & ordines suscipere, & in susceptis ministrare sine dispensatione. Bonac. n. 7. Laym. loco cit.

Aliter sentiendum est de infamia juris. 49
Hæc enim ut tollatur, necessaria est dispensatio ejus, qui eandem crimini annexuit. Ita communis sententia. Ratio est: quia hæc talis infamia habet rationem pœnæ perpetuæ per sententiam legitimi magistratûs decretæ: consequenter tolli non potest, nisi auctoritate ejusdem magistratûs. cùm ad eandem jurisdictionem pertineat ligare & absolvere. Atque hinc Judæus, aut Gentilis ante Baptismum jure nostro civili infamis, etiam post Baptismum maneret infamis, & consequenter irregularis, donec impetraret dispensationem. Vid. Salmantic. n. 86.

Summus Pontifex dispensare potest in 50
Irregularitate ob infamiam, etiam durante ipsa. Ratio est: quia Irregularitas est infamiæ jure Pontificiò annexa. Indecens tamen hoc foret, si faceret absque gravissima causa. Salmantic. n. 87. Potest etiam Pontifex tollere infamiam jure Canonico introductam. illam verò, quæ ex jure Civili habetur, auferre potest magistratus civilis, & consequenter tollere quoque indirectè Irregularitatem annexam: cum ablato fundamento Irregularitatis ipsam quoque tolli necesse sit. Filliuc. n. 224. Bonac. n. 6. Laym. loc. cit. Porrò Episcopus, quamvis non possit dispensare, ut infamis ad ordines superiores admittatur, potest tamen, ut in jam susceptis ministret, quando delictum, ob quod factus fuit infamis; minus est adulterio, atque ipse egit pœnitentiam. Ita colligitur ex cap. *At si Clerici. de Judiciis,* & tradunt præter alios Bonac. loco cit. Salmantic. loco cit. Reding q. 20. a. 7. contro. 3. n. 8. Demum Irregularitatem, quæ ob delictum parentum, aut ex officio incurritur, tolli per ingressum Religionis tenent iidem Salmanticenses.

ARTICULUS III.

De Irregularitate ex defectu.

ETiam hujus Irregularitatis octo species recensentur. Prima est, quæ provenit ex defectu corporis. Secunda, ex defectu animæ. Tertia, ex defectu Sacramenti. Quarta, ex defectu libertatis. Quinta, ex defectu natalium. Sexta, ex defectu ætatis. Septima, ex defectu lenitatis. Octava ex defectu fortunarum, seu ratione paupertatis. De quibus ut breviter agamus, sit

§. I.

De Irregularitate ex defectu corporis, & animæ.

SUMMARIUM.

1. *Statuitur Regula cognoscendi, quando nam ex defectu, aut vitio corporis contrahatur Irregularitas.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Variæ resolutiones.* 8. *Ad defectus corporis, quibus Irregularitas inducitur, reducitur etiam defectus ætatis.* 9. *Ob quos defectus animæ contrahatur Irregularitas?* 10. *Quid de Irregularitate Neophytorum?* 11. *Quid de Irregularitate, quam invehit paupertas?*

DIco primo. Omnis defectus aut vitium corporis, quod vel impedit exercitium 1

tium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, inducit Irregularitatem. Hæc est communis regula in præsenti materia, constatque ex *tit. decret. de corpore vitiatis.* cap. *Presbyterum. de Cler. ægrot.* & vera est, quocunque modo contractum sit hujusmodi vitium, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, sive ex causa naturali, sive accidentali. Ratio verò: quia ipsum naturale lumen prudentiæ dictat, non esse ad ordines, eorumque usum quemquam promovendum, qui vel nequit exercere Ordines, vel, si exerceat, horrorem incutit præsentibus. Ex dictis resolvuntur sequentia.

2 I. Irregularis est, qui caret brachio, vel manu; vel manum habet mancam, aut digito carentem ad elevandam & frangendam hostiam necessario, cujusmodi est pollex aut index. Item cæcus, surdus, vel gradiendi, aut standi facultate destitutus. Deinde nanus, cui natura brachia dedit ad ministerium Altaris nimis curta. Laym. tract. 5. par. 5. cap. 7. n. 1. Salmantic. tract. 10. n. 67. Ratio est; quia hi tales vel omnino non possunt, vel non congruè possunt exercere ordines. De surdo, cui surditas supervenit post legitimam ordinationem, concedunt Authores citt. cum Bonacina, eum posse admitti ad ea munia, quæ non requirunt auditum; adeòque, si Sacerdos sit, posse celebrare secretò, licèt non audiat ministrum respondentem. Mutus, sive is careat linguâ, sive eâdem loqui non possit, haud dubiè irregularis est: balbus tamen, aut blæsus, nisi valde magnam in loquendo patiatur difficultatem (quod judicio Episcopi relinquitur) ordinari potest. Filliuc. tract. 19. n. 170. Salmantic. loco cit.

II. Irregularis est, cui aures, vel nares abscissæ sunt; sicut habet communis sententia: nisi aurium deformitas capillaturâ tegi possit, ait Laym. loco cit. Irregularis quoque est, qui altero pede caret, vel non nisi scipione nixus, aut ligneo pede fultus ad altare potest accedere, ibique sacras functiones exercere. Bonac. disp. 7. q. 2. pu. 2. n. 15. Ratio est: quia hæc notabilem afferunt deformitatem & indecentiam. Ob quam eandem rationem irregularis est, qui faciem habet ustulatam, aut maculatam: itemque gibbes, si gibbus, quem gerit, sit valde enormis. quod ipsum cum Majolo Bonac. n. 9. docet de illo, cui venter est nimis tumidus & turgidus.

4 III. Irregularis est omnis hermaphroditus. Filliuc. n. 162. Salmantic. n. 65. Ratio est: quia vel æquè pollet utroque sexu, vel magis inclinat ad sexum virilem, vel magis ad fœmineum? Si primum; absolutè loquendo non est vir; adeòque ordo ei collatus esset nullus, ut habet communis sententia apud Filliuc. loco cit. Si secundum; validè quidem ordinabitur; quia simpliciter vir est; ob indecentiam tamen, & monstruositatem ab exercitio suscepti ordinis arcendus est. Si tertium; itidem invalidè ordinatur; adeòque potiùs incapax ordinis dici meretur, quàm irregularis. Vid. præter citt. Laym. loco cit. Bonac. n. 13. ubi docent etiam cum aliis, professionem Religionis factam ab hermaphrodito esse nullius valoris.

IV. Irregularis est luscus, sive oculô dextrô, sive sinistrô, quando notabilis deformitas accedit, quemadmodum constat ex cap. *Si Evangelica.* dist. 55. Quòdsi absit hujusmodi deformitas, non erit irregularis, si visu careas in oculo dextro: imò nec eris, si careas in sinistro, qui dicitur canonicus; dummodò dextro canonem possis legere absquo deformi conversione faciei ad quod deservire potest accommodatio Missalis, vel specialis Canonis extra Missale. Salmantic. n. 68. 5

V. Irregulares sunt leprosus, paralyticus, phreneticus, amens, arreptitius, morbô caducô laborans, lue Gallica infectus, si hoc foris appareat. Ratio est: quia hæc talia mala corporis vel notabilem debilitatem virium ac facultatem ad exercitium ordinum necessariarum, vel deformitatem cum horrore conjunctam, & quidem perpetuam ac moraliter incurabilem afferunt. Vid. Bonac. à n. 16. Laym. n. 2. Filliuc. à n. 181. Salmantic. n. 73. Atque hinc in veram, stabilem, seu habitualem amentiam lapsus non solet ordinari, tametsi convaluisse videatur, quemadmodum cum Navar. & Suarez. advertit Laym. loco cit. quod idem de epileptico, seu morbum caducum passo notat etiam Bonac. n. 22. constatque ex cap. *Maritum*, & cap. *Communiter. dist.* 33. Ratio est: quia tales nunquam creduntur tam perfectè recuperâsse sanitatem, ut sint extra morale periculum relabendi in pristinam miseriam. Quòdsi tamen judiciô Episcopi (ad quem pertinet rem istam examinare) integrè convaluisse censeantur, communis est sententia, antea ordinatos admitti posse ad celebrandum. Sacerdoti quoque, si in lepram incidit, non est prohibenda celebratio, quando sine scandalo privatim celebrare potest. Laym. n. 3. ubi hoc idem cum aliis docet de epileptico, si rarò cadat, spumasque non evomat. Sed addendus est ei socius sacerdos, qui Missam prosequi posset, si ille morbo redeunte deficeret. Cæterùm arreptitius, sive à Dæmone possessus admitti non debet ad celebrandum. Verum tamen est, posse admitti ex dispensatione Episcopi, si constet ipsum à Dæmone per spatium unius anni non fuisse vexatum; sicut habetur in cit. cap. *Communiter. dist.* 33.

VI. Non est irregularis, qui citra propriam culpam caret membro aliquo occulto, v. g. genitalibus. Ita communis apud Laym. n. 5. Ratio est: quia privatio membri occulti neque 7

impedit

impedit exercitium ordinum, uti supponitur; neque conjuncta est cum notabili deformitate. Dixi, *citra propriam culpam.* Nam, qui causam culpabilem præbuit, ut sibi abscinderetur membrum occultum v.g. à marito deprehendente ipsum in adulterio, is videtur esse irregularis, si veram mutilationem passus est. Ita Laym. loco cit. Bonac. n. 33. Filliuc. n. 177. & alii. Sed contrarium tenent Tolet. Castropal. Pellizarius, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses n. 70. Ratio est: quia hujusmodi Irregularitas non habetur in jure expressa. textus enim, ex quibus ea colligi videtur, loquuntur de illo tantùm, qui per se, vel per alium ex suo jussu sibi tale membrum amputavit, idque ex indignatione, vel Zelo indiscreto. Aliunde quoque nullum inde impedimentum exercendi ordines, aut notabilem deformitatem oriri supponitur. His addi potest ex Castropalao & Pellizario apud Salmantic. citt. neque illum esse irregularem, qui se castrat, vel castrari sinit vocis conservandæ causâ. Ratio est: quia id non facit ex indignatione, aut indiscreto Zelo castitatis: quorum alterutrum ad incurrendam Irregularitatem requiritur in cap. *Qui partem.* cap. *Siquis abscideri.* dist. 55. sed tu vide, quæ suprà in artic. præced. n. 10. doçuimus.

8 Ad defectus corporis, ex quibus diximus incurri Irregularitatem, reducitur defectus ætatis, qui similiter Irregulatitatem inducit, ut constat ex cap. *finali, de temp. ordin.* hæc tamen Irregularitas non est perpetua, sed cessat absque dispensatione, quando adest ætas requisita. cæterùm durante illa dispensare potest Summus Pontifex. Quænam porrò sit legitima ætas comparatè ad singulos ordines, videbimus in tract. de Sacram. Ord. Ex ætate quantumcunque senili, per se loquendo neminem fieri irregularem, satis constat ex cap. *quicunque.* dist. 77. idque meritò; cùm ætas senilis aptior sit ad ordines, quàm alia quæcunque. Filliuc. n. 176.

9 Dico jam secundo. Etiam defectus ex parte animæ, scilicet defectus scientiæ, & defectus usûs rationis, inducunt Irregularitatem. Ita communiter DD. Et quidem ad defectum scientiæ quod attinet, conclusio constat ex cap. *Illiteratos.* dist. 36. ubi dicitur, tales non esse ad ordines promovendos, sicut corpore vitiatos; quos verè irregulares esse ex dictis supponitur. Naturalis præterea ratio dictat, nullum esse admittendum ad munus aliquod, qui ignorat necessaria ad illud exercendum. Quanta verò requiratur scientia in eo, qui ordinandus est, exponemus in tract. de Ord. Cæterùm hæc Irregularitas ex defectu scientiæ non tantùm impedit susceptionem ordinum, sed etiam usum eorundem, sive mala, sive bona fide susceptí sint: quia est Irregularitas simpliciter, sicut illa, quæ inducitur ex corporis vitio: cumque non sit ex culpa, sed ex defectu, non potest ab illa excusare bona fides. Eadem tamen Irregularitas non est perpetua, sed acquisitâ sufficienti scientiâ, in cujus defectu unicè fundatur, tollitur absque ulla dispensatione. Durante verò illo defectu Papa dispensare potest, ut eo laborans ordines recipiat, dummodo in eisdem non ministret, antequàm acquisiverit scientiam necessariam. vid. Salmantic. n. 78. Altera pars concl. de defectu usûs rationis itidem patet ex jure Canonico nempe cap. *Maritum. dist.* 33. quamvis propriè loquendô, ut meritò dicit Filliuc. ubi suprà n. 186. hunc defectum patientes non tam sint irregulares, quàm ex natura rei inhabiles. Unde in hac Irregularitate, quamdiu durat idem defectus, neque Summus Pontifex dispensare potest: quamvis possit illo cessante. Episcopus tamen non potest; uti docent Suarez, Bonac. & Castropal. quos referunt, & sequuntur Salmantic. n. 80.

Ad præsentem Irregularitatem ex defectu 10
animæ etiam illa reducitur, quam contractam habent Neophyti, hoc est noviter ad fidem conversi, sive ex Judæis, sive Mahumetanis, sive Ethnicis. Hos tales Ecclesia cap. 1. & 2. dist. 48. & alibi in jure Canon. voluit esse irregulares, *ne in superbiam elati in judicium incidant Diaboli*, ut loquitur Apostolus 1. ad Tim. 3. Ordinari tamen possunt, idemque ad benefica, vel officia publica promoveri ex dispensatione Summi Pontificis; non tamen alterius Prælati, præterquam illius, cui Pontifex in aliquo particulari casu facultatem dispensandi concessit. Bonac. q. 2. pu. 1. n. 6. Docet autem Filliuc. n. 184. neophytum esse irregularem ad omnes ordines, utque ad majores promoveatur ante decem annos à suscepto Baptismo, opus esse dispensatione Papæ; ut ad minores, probabiliter sufficere judicium Episcopi. Post elapsum decennium promoveri potest de jure communi, sicut alii, si aliunde reperiatur habilis: quia tunc non amplius reputandus est pro neophyto, sive recenter converso ad fidem. Bonac. n. 5.

Ad Irregularitates demum, quæ ex de- 11
fectu corporis contrahuntur, illam revoco, quam paupertas, seu defectus bonorum temporalium inducit sæculari non habenti, unde congruè sustentetur, quamdiu in tali statu versatur. Ratio est: quia hic talis non habet titulum à Trid. sess. 21. c. 2. *de Reform.* requisitum ad ordinationem. Et ideo juxta cap. *Sanctorum.* dist. 70. irritam ordinationem acciperet: quod intellige, quantùm ad exercitium ordinum. vid. Filliuc. à n. 199.

§. II.

De Irregularitate ex defectibus Sacramenti, natalium, & libertatis.

SUMMARIUM.

12. *Quid, & quotuplex sit bigamia?* 13. *Quinam sint illegitimi?* 14. *Quinam patiuntur defectum libertatis?* 15. *Omnis bigamus est irregularis.* 16. 17. 18. 19. *Corollaria ex dictis.* 20. 21. *Resolvitur duplex quæstio.* 22. *Quid de dispensatione in Irregularitate ex bigamia?* 23. *Etiam omnes illegitimè nati sunt irregulares.* 24. *Tales tamen ut sint, debent esse certi, quòd sint illegitimi.* 25. *Quibus modis tollatur hæc Irregularitas?* 26. *Quid in eadem Irregularitate auferanda possit Episcopus?* 27. *Qui defectum libertatis patiuntur, ut in n.* 14. *notatum est, non possunt fieri Clerici, vel ordinari.*

12 NOtandum est primo, triplicem esse bigamiam; scilicet veram, interpretativam, & similitudinariam. Vera, seu propriè dicta est, si vir cum duabus legitimis uxoribus matrimonium consummavit. Interpretativa est, quæ secundùm interpretationem, seu fictionem juris bigamia censetur. Hujus tres modi afferti solent. Primus est, siquis viduam, quæ matrimonium consummaverat, vel ab altero corruptam duxit. Secundus, siquis accessit ad propriam uxorem postquàm eadem adulterium commisit. Tertius, siquis cum una validè, & postea cum altera invalidè matrimonium contraxit, & consummavit. Bigamia similitudinaria est, siquis post professionem in Religione init matrimonium & consummat. vid. Filliuc. tract. 19. n. 97. Laym. tract. 5. par. 5. cap 6. a. n. 2. Reding q. 20. a. 7. contr. 3. coroll. 2. à n. 18.

13 Notandum est secundo, illegitimum esse omnem illum, qui non est ortus ex legitimo matrimonio, sed ex fornicatione, stupro, incestu, vel adulterio. Qui natus est ex meretrice, manzer; qui ex soluto, & concubina domi retenta, filius naturalis; qui ex adultero & soluta, nothus; qui ex coitu damnato, v. g. incestuoso, vel sacrilego; spurius appellatur. Filliuc. n. 133. & seqq. Bonac. disp. 7. q. 2. pu. 3. n. 1.

14 Notandum est tertio, defectum libertatis (ut de hac sermo est in præsenti) pati inprimis verum servum, seu mancipium; quippe quod sui juris non est, sed in domini potestate constitutum. Eundem defectum patiuntur præterea servi originarii, sive adscripitii, ut vocantur, qui dominis suis non tantùm ratione possessionum, sed etiam personaliter obligati sunt: cujusmodi adhuc hodie multos reperire est in Germania. Patiuntur demum & alii, qui ratione possessionis, vel muneris cujusdam sæcularis, & administrationis suæ domino obligantur. vid. Laym. n. 1. 2. & 3.

Dico nunc primo. Omnis bigamus, bi- 15
gamiâ sive verâ, sive interpretativâ, sive similitudinariâ, est irregularis. Ita communiter DD. ex cap. 1. 2. & 3. *de Bigamis.* cap. *Acutiùs.* dist. 26. & ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 17. *de Reformat.* Ratio potissima est: quia bigamus inidoneum se reddidit ad bene repræsentandam conjunctionem Christi unius cum Ecclesia unicâ, ac Virgine: quam conjunctionem Christi cum eadem per carnis assumptionem in nova lege significat matrimonium consummatum. Unde etiam defectus hujus significationis defectus Sacramenti appellatur. vid. D. Thomas in Suppl. 3. p. q. 66. a. 1. in corp. Filliuc. n. 95. Bonac. q. cit. pu. 5. n. 3. Laym. n. 1. Salmantic. tract. 10. cap. 9. n. 25. Reding loco cit. n. 18. Illsung tract. 7. disp. un. a. 4. n. 86. Ex dictis

Colligitur primo, non esse bigamum, 16
adeóque nec irregularem præsenti Irregularitate, illum, qui contraxit cum una, eáque mortuâ ante consummationem matrimonii iterum contraxit matrimonium cum virgine & consummavit. D. Thomas a. cit. ad 3. Bonac. n. 5. Laym. n. 2. Ratio est: quia ad bigamiam requiritur matrimonium cum duabus consummatum, & non sufficit duplex matrimonium, unum ratum, & alterum consummatum. Multò autem minùs sufficiunt plura cum pluribus sponsalia, tametsi subsecuta fuerit copula, ut habet communis sententia apud Bonac. loco cit.

Colligitur secundo, nihil referre ad ex- 17
cusandum à bigamia, eique annexa Irregularitate, sive mulier volens corrupta, sive vim passa fuerit. Item, sive vir bona fide putaverit esse integram, sive scivetit esse viduam vel aliter corruptam. Ita ex communi Laym. n. 5. Ratio est: quia, ut inquit D. Thomas q. cit. a. 3. ad 3. præsens *Irregularitas non est pœna inflicta, sed defectus quidam Sacramenti: & ideo non oportet, quòd semper sit voluntaria bigamia ad hoc, quòd Irregularitatem causet.* Atque hinc

Colligitur tertio, irregularem esse mari- 18
tum, qui post adulterium uxoris accedit ad illam, tametsi ad reddendum debitum à judice per censuras compellatur, eò quòd vel lis adhuc pendeat, vel non sufficienter probatum sit adulterium. D. Thomas a. cit. ad 4. Bonac. n. 12. Salmantic. n. 35. Ratio est: quia licèt talis invitus supponatur accedere, nihilominùs interpretativè bigamus efficitur, ejúsque caro dividitur, & perfecta significatio Sacramenti tollitur, idque non minùs, acsi sponte uxorem adulteram cognosceret.

Colli-

19 Colligitur quarto, non esse irregularem ex bigamia interpretativa illum, qui ante matrimonium cum una sæpiùs fornicatus fuit, aut plures concubinas habuit; uti nec illum (idque potiore ratione) qui duxit mulierem non ab alio, quàm à se ipso ante matrimonium cognitam. Bonac. n. 7. Laym. loco cit. & habetur ex cap. *Quia circa. de Bigamis.* Ratio verò est: quia hoc tale matrimonium non laborat defectu Sacramenti: quippe in quo verè reperitur maritalis conjunctio viri cum unica ab alio carnaliter non cognita; & consequenter perfecta significatio Sacramenti.

20 Sed quæstio nunc est primo, siquis priùs cum una validè, postea cum altera invalidè; vel cum duabus invalidè contraxit matrimonium & consummavit, an incurrerit bigamiam interpretativam & Irregularitatem? Affirmat quoad utramque partem cum Navarro Valentia tomo 4. disp. 7. q. 19. pu. 3. colum. 1831. Contrarium tamen videtur probabilius: quia, ut docent Coninck, Henriquez, Suarez, quos refert, & sequitur Laym. n. 5. nulla ejusmodi Irregularitas pro memoratis casibus satis ostendi potest ex Jure Canonico. Nam in cap. *Nuper*, & cap. *ult. de Bigamis*, quæ afferri solent ad eam asserendam, agitur de Clerico in sacris constituto, qui in clericatu uxorem duxerat, & ante clericatum fuerat conjugatus. De laicis autem, qui invalidè contraxerunt, sive cum altera uxore, sive cum utraque, nihil exprimitur, quòd tanquam bigami repellendi sint. Neque fas est, quod ibi de Clerico disponitur, extendere ad laicos: cùm materia, in qua versamur, sit strictæ interpretationis.

21 Quæstio est secundo, an Clericus in sacris, si matrimonium contrahat, Irregularitatem bigamiæ similitudinariæ incurrat? Ratio dubitandi est: quia hujusmodi Clericus per votum solemne, quod annexum censetur ordini sacro, non minùs est Deo consecratus, & ad perpetuam continentiam obligatus, quàm professus in Religione approbata. Respondeo, Clericum in sacris, si priùs uxorem non habuit, contrahatque matrimonium cum virgine, & consummat, incurrere quidem Irregularitatem, sed non bigamiæ similitudinariæ. Laym. n. 6. deinde Hurtad. & Tanner. apud Salmantic. n. 36. quamvis ipsi teneant contrarium, saltem quoad posteriorem partem Responsionis nostræ. Hujus prima pars communis est apud DD. constatque apertè ex cap. 1. *Qui Clerici, vel voventes*, & cap. *Sanè Sacerdotes, de Cleric. conjug.* Ratio posterioris est: quòd in titulis Decretalium, quibus agitur de illegitimo matrimonio Clericorum, nuspiam fiat mentio inde contractæ bigamiæ: adeoque signum est nullam contrahi. Dictum est autem, *si prius uxorem non habuit &c.* nam si ante Clericatum fuit uxoratus, ac deinde in sacris ducat alteram quamcunque, vel si ante non fuit uxoratus, & in sacris ducat viduam, ex bigamia similitudinaria irregularis efficitur, juxta citt. cap. *Nuper*, & cap. *ult. de Bigamis.* vid. Laym. loco cit.

Papa dispensare potest in omni Irregula- 22
ritate, quæ contrahitur ex bigamia. Ratio est: quia, sicut aliæ, ita etiam hæc species Irregularitatis solo jure humano est introducta: atqui in jure humano Summus Pontifex plenissimè dispensare potest; ergo. Ita D. Thomas in Supplem. 3. p. q. 66. a. 5. in corp. Valent. ubi suprà. Salmantic. n. 38. Dices. Bigamiam, eique annexam Irregularitatem instituit Apostolus 1 ad Tim. 3. illis verbis: *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse: Diaconi sint unius uxoris viri*: ergo est juris Divini, in quo Papa dispensare non potest. Respondeo, Apostolum illud præceptum tulisse tanquam particularem Episcopum, non ut Apostolum promulgâsse tanquam à Deo latum. In legibus autem Episcoporum dispensare potest Summus Pontifex. Bonac. ubi suprà n. 14. Salmantic. loco cit. Episcopus dispensare potest in bigamia similitudinaria, v.g. si sacerdos virginem duxit. Ita habetur ex cap. 1. *Qui Clerici vel voventes*, & cap. *Sanè Sacerdotes 2, de Cler. conjug.* vid. Valent. loco cit. colum. 1832. Bonac. n. 15. Salmantic. n. 41. Reding q. 20. a. 7. contr. 3. coroll. 2. n. 20.

Dico jam secundo. Omnes illegitimè 23
nati sunt irregulares. Ita communiter DD. ex cap. 1. *de fil. Presbyt. extra.* & *in* 6. aliisque juribus. Introducta est hæc Irregularitas partim in detestationem paternæ incontinentiæ; partim, quia esse illegitimum est moralis quædam nota turpitudinis valde dedecens statum Clericalem; partim, quia periculum est, ne hujusmodi filius paternæ incontinentiæ existat imitator. Vera est autem statuta concl. etiam de illegitimis occultis: quia jura absolutè significant illegitimos esse irregulares, minimè distinguendo inter occultos & notorios. Ita ex communi Bonac. q. cit. pu. 3. n. 2. Salmantic. n. 43.

Porrò illegitimus non fit irregularis, nisi 24
certus sit, se esse illegitimum. Quamdiu enim est dubius de illegitimitate, tamdiu manet in possessione sui honoris, & non tenetur se gerere tanquam illegitimum. Accedit, quòd in jure non sit expressum, aliquem in dubio legitimitatis esse reputandum pro irregulari. Nulla autem contrahitur Irregularitas in jure non expressa; ut sæpe jam dictum est. Ex quibus etiam sequitur, expositos, quorum parentes ignorantur, non esse reputandos pro illegitimis & irregularibus: cùm de natalibus eorum meritò dubitetur: fit enim multoties,

ut

ut parentes etiam conjugati, ob paupertatem & impotentiam alendi, filios exponant. Salmantic. n. 44. ubi eandem doctrinam confirmant ex Bulla quadam Gregorii XIV. anno 1591. edita in gratiam Confraternitatis cujusdam pro expositis, in qua habetur, omnes expositos reputandos esse pro legitimis & puri sanguinis, habilibusque ad Ordines, beneficia ac dignitates qnascunque.

25 Tollitur autem Irregularitas ex defectu natalium primo per subsequens matrimonium, si parentes tempore, quo filius natus est, validè poterant contrahere. Ratio est: quia benignitate Juris Canonici tunc matrimonium retrotrahitur, prolemque ante susceptam reddit legitimam non minùs, quàm si ex vero matrimonio fuisset procreata. cap. *Tanta. Qui filii sint legitimi.* Tollitur secundo per professionem in Religione approbata. cap. 1. *de Filiis Presbyt.* Neque obstat, quòd Sixtus V. hoc jus in constitutione sua contra illegitimos irritaverit: nam eandem postea abrogavit Gregorius XIV. ac reduxit intra terminos juris communis. Advertendum est tamen, illegitimum per professionem fieri quidem habilem ad omnes ordines, sed non ad prælaturas, & dignitates, sive intra, sive extra Religionem: quod expressè habetur in cit. cap. 1. Tollitur tertio per absolutam legitimationem Summi Pontificis. Dixi, *Summi Pontificis.* nam alius ab ipso, sive sit Imperator, sive alius Princeps sæcularis; sive Comes Palatinus, non potest illegitimos legitimare in ordine ad effectus Canonicos. Tollitur quarto per dispensationem ejusdem Pontificis. cùm enim lege Ecclesiastica sit introducta, tolli potest per dispensationem Principis Ecclesiæ. Notabile est autem discrimen inter legitimationem & dispensationem. Nam legitimatio illegitimum reddit habilem ad omnia non minùs, quàm si verè esset legitimus: dispensatio verò reddit habilem ad aliquos tantùm actus, seu effectus. Unde illa, ceu beneficium Principis, lata, hæc, tanquam relaxatio legis communis, strictæ interpretationis est, & ideo, quando impertitur ad ordines, id tantùm de minoribus intelligi debet: similiter, quando confertur ad ordines quoscunque, non eo ipso ad beneficia quoque conferri existimanda est: demum quando conceditur ad beneficium, ad unum tantùm esse concessa judicatur. Vid. Filliuc. tract. 19. cap. 5. à n. 149. Bonac. ubi suprà n. 14. Salmantic. à n. 47. aliique ab his relati.

26 Sed quæstio superest, quid in hac Irregularitate auferenda possit Episcopus? Respondeo, Episcopum posse dispensare quoad ordines minores, & beneficium simplex; non autem quoad ordines sacros, beneficium curatum, aut dignitatem aliquam. Ita communiter DD. ex cap. 1. *de Filiis Presbyt. in 6.* & aliis juribus. Controversum tamen est, utrùm Episcopus tunc saltem dispensare possit, etiam ad ordines sacros, & beneficium curatum, quando Irregularitas orta est defectu natalium occulto? Affirmat Avila cum aliis, quos idem refert apud Salmantic. n. 52. eamque sententiam probabilem censet præter alios Laym. tract. 5. par. 5. cap. 5. n. 2. Ratio est; quia in Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* Episcopis data est facultas dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus: atqui præsens Irregularitas provenit ex delicto parentum, quod hîc supponitur occultum; ergo &c. Verùm probabilior est sententia negativa, quam tenent Laym. loco cit. Bonac. n. 15. Salmantic. loco cit. aliique ab his relati. Ratio est: tum, quia facultas dispensandi in impedimento ex delicto proveniente supponit, delictum esse proprium illius, cum quo dispensatur. tum, quia hæc Irregularitas, licèt supponat delictum paternum, proximè & immediatè oritur ex defectu personali; & ideo ab omnibus inter Irregularitates ex defectu, non ex delicto, recensetur. tum, quòd eadem Irregularitas contrahi possit absque ulla culpa parentum: quemadmodum fieret in casu, quo proles susciperetur ex personis in amentia copulatis.

Dico jam tertio. Non possunt in Clerum assumi, sive ordinari, qui modis in n. 14. memoratis defectum libertatis patiuntur, quamdiu patiuntur. 27 Hæc concl. quantùm ad servos propriè dictos seu mancipia patet ex tota dist. 54. & lib. 1. decret. *de servis non ordinandis.* Quantùm ad servos originarios habetur ex cap. *Admittuntur*, & cap. *Generalis*, ead. dist. 54. Quantùm ad tertium genus hominum, cujus in cit. n. meminimus, colligitur ex cap. un. *de obligatis ad ratiocinia*, & cap. 3. illamet dist. 54. Ratio verò est: quia personæ dominorum obsequiis mancipatæ, vel aliquo munere sæculari obligatæ non satis expeditæ sunt ad serviendum Deo in officiis spiritualibus. Tales proinde citra consensum dominorum expressum vel tacitum, plenamque libertatem ab obligationibus munerum, quæ gerunt, ac redditas rationes, postquam ea deposuerunt, ordinari non debent. vid. Laym. cap. 8. à n. 1. Bonac. pu. 4. n. 2. Salmantic. à n. 59.

§. III.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

SUMMARIUM.

1. *Ministri Ecclesiæ imitari debent mansuetudinem Christi.* 2. *Irregularitatem præsentem contrahunt, qui in bello iusto suis manibus aliquem hostium occidunt, vel mutilant.*

3. *Eam*

3. *Eam tamen non contrahunt, qui ob necessariam defensionem injustum aggressorem ita tractat.* 4. 5. *Corollaria ex dictis.* 6. *Hanc eandem Irregularitatem incurrunt, qui in judicio justo ad mortem, vel mutilationem concurrunt. qualis debeat esse hic concursus.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Quænam personæ in judicio contrahant istam Irregularitatem?* 13. *Quid de Confessario?* 14. *Duæ illationes ex dictis.* 15. *Solus Papa in Irregularitate ex defectu lenitatis dispensare potest.*

1 QUicunque ordines suscipiunt, ad altaris ministerium deputantur, in quo repræsentatur Passio Christi mansuetissimi & lenissimi; quippe qui *tanquam ovis ad occisionem ductus est*, &, *cum pateretur, non comminabatur.* Quare sacri ministri in hoc Dominum imitari debent: quod cùm non sufficienter præstent, qui nulla adacti necessitate humanum sanguinem fundunt per mutilationem vel occisionem, etiam licitam, ideo defectum mansuetudinis, ac lenitatis pati dicuntur; eisque jure Ecclesiastico decreta est præsens Irregularitas, ut statim videbimus.

2 Dico primo. Omnes, qui in bello justo ex auctoritate publica propriis manibus hostium aliquem occidunt, vel mutilant, irregulares efficiuntur ob defectum lenitatis. Ita recepta ab omnibus sententia: quæ habetur ex cap. *Siquis.* dist. 51. & aliis juribus. Dixi, *in bello justo.* Nam, qui in bello injusto faciunt alterutrum, illi non hujus, sed alterius speciei Irregularitatem contrahunt; sicut eo artic. præced. §. 1. & 2. constat. Dixi, *propriis manibus.* quia cæteri milites, qui pugnæ interfunt, neminem tamen hostium occidunt, vel mutilant, tametsi vulnerent, non fiunt irregulares; idque juxta cap. *Petitio de homic.* Et hoc est speciale juris novi privilegium, ideo concessum, ne homines metu Irregularitatis à bellis etiam justis absterreantur, & ne nimis multi absque culpa Canonicum hoc impedimentum contrahant: quemadmodum præter alios notant Salmantic. tract. 10. cap. 9. num. 19. Unde nec Duces, nec alii quicunque, etiam Clerici, qui sua præsentia, aut cohortatione animum addunt pugnantibus in bello justo, fieri irregulares dicendi sunt: ut habent iidem Salmantic. loco cit. & Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 8. n. 2.

3 Dico secundo. Qui ob necessariam Reipublicæ, vel hominis innocentis defensionem ex obligatione charitatis, pietatis, aut justitiæ mutilat, vel occidit iniquum aggressorem, irregularis non efficitur. Ita Sylvester, Molina, Cajetanus & alii, quos refert & sequitur Laym. cap. 9. n. 2. Ratio est: quia defectus mansuetudinis, ob quem in homicidio, vel mutilatione licita incurritur Irregularitas, non habet locum in eo, qui lege charitatis, pietatis, aut justitiæ per se & simpliciter obligatur ad occidendum iniquum aggressorem Reipublicæ, vel hominis innocentis: cùm alioquin unam virtutem alteri esse contrariam fateri cogeremur. Confirmatur. Si in ejusmodi casu justæ defensionis ex occisione iniqui invasoris incurreretur Irregularitas, homines istius metu passim avocarentur ab observatione præceptorum pietatis, charitatis, & justitiæ: ergo non est credibile, Ecclesiam velle, ut tunc cuipiam adhæreat macula Irregularitatis.

4 Corollarium I. Multò minùs irregularis efficitur, qui ob necessariam propriæ vitæ, vel corporis defensionem hominem mutilat, vel occidit, quàm si id faceret ob defensionem proximi innocentis. Ratio est: quia naturalis obligatio charitatis, qua priùs ac potiùs tenemur conservare nos, quàm proximum, multò minùs admittit defectum mansuetudinis. Cæterùm absolutè loquendo talem non effici irregularem expressè habetur in Clement. *Si furiosus. de homicid.*

5 Corollarium II. Neque ille fit irregularis, qui ad defensionem famæ, & honoris, rerumque suarum occidit iniquum aggressorem. Filliuc. tract. 20. cap. 5. n. 146. & 149. & seqq. aliique plurimi, ut videre est cùm apud eundem, tum apud Laym. n. 3. & Bonac disp. 7. q. 4. pu. 6. num. 10. quos hìc ipse quoque sequitur. Ratio est: tum, quia hujusmodi occisio non tam est homicidium, quàm defensio. tum, quia fieri potest, ut propter inevitabilem necessitatem seque, suosque conservandi majoris virtutis opus esse videatur occidere aggressorem, quàm jacturam pati bonorum memoratorum. tum, quia in jure nihil habetur expressum, quòd ex hoc capite contrahatur Irregularitas. Nam cap. *Interfeciſti*, & cap. *significasti 2. de homicid.* quæ afferri solent, intelligere oportet de occidente absque justa necessitate, & non servato moderamine inculpatæ tutelæ. In Clement. autem *si furiosus.* nihil statuitur de casu præsenti, sed tantùm suppeditatur argumentum à sensu contrario, quod in hac materia nullius valoris est. In contraria sententia sunt Abbas, Molina, Sylvester, Avila, & alii, quos refert & sequitur Laym. loco cit.

6 Dico tertio. Ex defectu lenitatis illi quoque irregulares efficiuntur, qui in judicio justo ad mortem, aut mutilationem hominis concurrunt activè, efficaciter & proximè, per actionem ex naturâ suâ ad id ordinatam. Ita communissima sententia. Quæ probari solet ex cap. *Sententiam. Ne Clerici, vel Monachi.* cap. *Ex litteris. de excess. Prælat.* & aliis juribus.

Dixi autem primo, *in judicio justo.* Quia, si reus non servato ordine juris contra legis præscriptum occidatur, aut mutiletur,

jam non Irregularitas ex defectu lenitatis, sed ex delicto voluntarii homicidii aut mutilationis incurritur. Dixi secundo, *ad mortem vel mutilationem:* quia ad incurrendam hanc Irregularitatem non sufficit quæcunque læsio, etiam cum effusione sanguinis, qualis est flagellatio v. g. sed requiritur mors vel abscissio membri, & quidem in effectu actualiter secuta, idque vel cum effusione sanguinis, sive sine illa. Salmantic. tract. 10. cap. 9. num. 1. Dixi tertio, *concurrunt*, ut judex ferens sententiam, notarius eam scribens, ministri exequentes &c. Dixi quarto, *active*, quod intellige ex parte occidentium: quia non fit irregularis, qui merè passivè se habet, & ex parte ejus, qui occiditur, quemadmodum Confessarius hortans eundem, ut fateatur veritatem, vel acquiescat justæ sententiæ, quam differre non potest, nisi per appellationem injustam. Laym. ubi suprà, cap. 7. num. 4. & alii apud ipsum. Dixi quinto *efficaciter*: hinc adjuvans, v. g. comportans ligna, ut comburatur hæreticus jam suffocatus: non fit irregularis, uti nec assistens supplicio præcisè ut spectet: quia nempe non influunt cum effectu aliquo in occisionem. Bonac. ubi suprà num. 12. & 16. Dixi sexto *proximè*, ut excusentur ab Irregularitate remotè tantùm cooperantes, v. g. opifices, qui furcam ædificârunt, funes, scalam confecerunt &c. ex communi Laym. num. 2. Dixi septimo *per actionem ex natura sua &c.* quia aliàs effectus eidem per accidens solùm conjungitur, qui non imputatur danti operam rei licitæ.

7 Itaque præsenti Irregularitate irregulares sunt primo judex ferens sententiam, & assessor eandem sua authoritate approbans: ex cap. *Aliquantos.* dist. 51. Dices. Judex v. g. ex obligatione justitiæ fert sententiam mortis in noxios: ergo in ipso non habet locum defectus lenitatis, si vera sunt, quæ diximus num. 3. Respondeo, eam obligationem judici (idem est de carnifice, aliisque ministris justitiæ proportionaliter) non convenire per se, & simpliciter, sed ex hypothesi muneris sponte ac voluntariè assumpti: adeoque non excludi ab ipso defectum mansuetudinis. Laym. cap. 9. num. 2. Ab eadem tamen hac Irregularitate immunis est Prælatus Ecclesiasticus, qui habens jurisdictionem temporalem constituit judicem & ministros, ut causam sanguinis cognoscant, ferant sententiam, eamque exequantur, etiam pro casu particulari, & addito mandato, ut secundùm ordinem juris, & dispositionem legum procedant, modò non præcipiat, ut reus pœnâ mortis, aut mutilationis afficiatur. ex cap. ult. *ne Clerici vel Monachi*, in 6. Filliuc. tract. 19. cap. 9. n. 241. Laym. cap. 7. num. 4. Salmantic. ubi suprà, num. 5. Reding q. 20. a. 7. contr. 3. corollar. 2. num. 22.

Irregularis est secundo accusator, vel 8
denuntiator, quando vi denuntiationis secuta fuit mors, vel mutilatio denuntiati. ex Glossa in cap. *Ex litteris.* verbo, *ne judicent.* Quòdsi tamen hujusmodi accusator sit Clericus, & passus injuriam in sua, vel consanguineorum persona usque ad quartum gradum causam agat civiliter, & expressè protestetur, se sanguinis vindictam non postulare, immunis erit ab Irregularitate. ex cap. 2. de homic. in 6. & cap. *Sententiam.* Filliuc. num. 247. Reding num. 23. Ratio est: quia aliàs pravis hominibus daretur ansa quaslibet injurias liberè & impunè inferendi Clericis: quippe qui metu Irregularitatis deterriti ipsos nunquam in judicium arcesserent. Eandem immunitatem ab Irregularitate in laicis quoque habere locum, si dicto modo protestentur, docet Filliuc. n. 248. Cæterùm memorata protestatio adeò necessaria est, ut accusator, qui eam omittit, etiam ex naturali oblivione, non effugiat Irregularitatem, sententiâ sanguinis effectum sortitâ. Salmantic. n. 15. qui etiam notant num. 12. solum accusatorem in causa propria ex concessione juris, & non alios, qui ad pœnam sanguinis concurrunt, per illam protestationem excusari ab Irregularitate.

Irregularis est tertio testis voluntarius, 9
quando ipsius testimonium ad pœnam sanguinis cooperatur. Ita communis sententia apud Filliuc. num. 253. Dixi, *testis voluntarius*, cujusmodi est, qui vel ultro se offert, vel rogatus ab accusatore dicit testimonium. nam qui testificatur metu compulsus, vel præceptô Superioris, vel ipso jure naturæ in aliquo casu obligatus, non contrahit Irregularitatem, tametsi ex ipsius testimonio reo mors sequatur. Bonac. pu. 3. num. 8. Salmantic. n. 12. Reding n. 24. contra Filliuc. num. 254. & alios. Ratio est: quia non videtur credibile, Ecclesiam hoc impedimentum Canonicum pro illis etiam instituisse, qui metu compulsi, vel dictis modis obligati obediunt. Quod de teste dictum, de advocato quoque intelligendum est, servata proportione. Salmantic. loco cit.

Irregularis est quarto advocatus, si reus, 10
contra quem stat in judicio, de crimine convictus occidatur, vel muriletur. Ratio est: quia influxum moralem præstat valde urgentem in sententiam, ejusque executionem. Filliuc. n. 257. Reding n. 25. Quòdsi advocatus in causa sanguinis reum defendat, idque negligenter & inscitè, ut idem propterea morti adjudicetur, quàm aliàs evasisset, itidem irregularis efficitur, sed Irregularitate homicidii casualis. Bonac. n. 6. Salmant. n. 4.

Irregu-

11 Irregularis est quinto consiliarius, ex cujus consilio judex movetur ad ferendam sententiam sanguinis. Ita communiter DD. apud Reding n. 26. Quod tamen intelligendum est, si hujusmodi consilium datum fuerit in aliquo casu particulari, ita ut Doctor consultus à judice, quam pœnam mereatur hic talis reus, responderit, mereri pœnam mortis vel mutilationis. Nam si in genere tantùm interrogetur in causa sanguinis, quid agendum, quid licitum, vel illicitum sit? ipseque itidem in genere declaret jus ac doceat veritatem, non redditur irregularis, quamvis judex audito tali sermone occasionem arripiat procedendi ad sententiam sanguinis, eamque ipsa executio consequatur. Bonac. q. 4. pu. 1. n. 6. Addit Reding ex Castropal. & Hurtado, consultorem probabiliter non fieri irregularem, si judex non juridicè, sed privatim petat consilium, & instar alterius cujuslibet personæ instruatur de justitia.

12 Irregularis est sexto Notarius, qui depositiones testium, & sententiam judicis scribit tanquam officialis justitiæ, non tamen famulus Notarii transcribens ejus autographum. Irregulares præterea sunt carnifex, & omnes, qui reum deferunt ad supplicium; item, qui judicem comitantur ad carcerem tanquam ministri: non autem spectatores: sicuti nec Confessarius, qui instigat equum, quo reus ad patibulum vehitur, licèt hujus mors inde acceleretur: vel qui dicit carnifici, ipsum posse jam fungi suo officio. Ratio est: quia Notarius, & ministri, quorum meminimus, ita cooperantur ad pœnam sanguinis, ut propterea jure habeantur pro irregularibus, non verò alii. Vid. Reding n. 28.

13 Sed quid de Confessario, qui judici præciperet, etiam comminandò denegationem absolutionis, ut certum in particulari malefactorem puniat pœnâ sanguinis, quam idem secundùm leges commeruisse supponitur? In hoc casu prima sententia affirmat, talem Confessarium fore irregularem. Ita Sayrus, Avila, Henriquez & alii apud Salmantic. n. 8. Ratio petitur ex dictis: quia efficaciter & proximè ad mortem Rei cooperatur. Secunda sententia negat fore irregularem. Ita Pellizarius, Castropalao, Vasquez & alii, quos loco cit. referunt & sequuntur Salmanticenses judicantes, hanc sententiam esse veriorem. Ratio est: quia jura, quæ præsentem irregularitatem statuerunt, expressè loquuntur de ministris justitiæ causam cognoscentibus, aut exequentibus sententiam sanguinis: ergo non sunt extendenda ad alios. Unde ad fundamentum sententiæ oppositæ patet solutio.

Ex quibus infertur primo contra id, quod 14
ex communi doctrina attulimus in num. 11. idem, quod de Confessario dictum est modò, de consultore quoque esse dicendum, licèt de reo quopiam in particulari interrogatus responderit esse capitali supplicio, vel mutilationis afficiendum. Inf. secundo, Confessarium etiam tunc non fieri irregularem, quando pœnitentem obligat ad manifestandum coram judice delictum morte dignum, ad cujus manifestationem is jure naturæ tenetur. Vid Salmantic. & Reding locis cit.

De Irregularitate, quæ modis expositis 15
provenit ex defectu lenitatis, plures existimant, in ea non solum Papam, sed etiam Episcopum posse dispensare. Ratio ipsorum est: quia Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* Episcopis facultatem concessit dispensandi in omnibus Irregularitatibus, exceptâ illâ, quæ provenit ex homicidio voluntario, eoque injusto. Sed meritò dicitur, solum Papam, non verò Episcopos posse dispensare: quia Concilium concedens Episcopis eo loco facultatem dispensandi expressè loquitur de illis tantùm Irregularitatibus, quæ oriuntur ex delicto. Atque ita docent Bonac. Avila, Castropal. & alii, quos referunt, & sequuntur Salmantic. n. 23. Idem tenet Reding n. 31.

TRACTATUS V.

De Præceptis Decalogi.

NOmine Decalogi intelliguntur illa decem præcepta, quæ Deus tulit in monte Sinai, Moysique tradidit lapideis tabulis insculpta. Unde & Deuter. 4. vocantur *decem verba, quæ* Dominus *scripsit in duabus tabulis lapideis*. Inde quoque ortum habet celebris divisio, qua horum præceptorum alia primæ, alia secundæ tabulæ nominantur. Porrò Decalogus, quemadmodum S. Augustinus q. 140. super Exodum, & S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 3. observant, aliarum omnium legum summa quædam atque epitome est facileque ad illum omnes vel antecedenter, ut principia contenta in conclusionibus, vel consequenter, ut conclusiones contentæ in principiis, revocari possunt; sicut pulchrè deducit noster Sayrus in Clavi reg. lib. 4. cap. 2. Cæterùm omnia præcepta Decalogi, præter tertium & quartum, explicitè negativa sunt, hoc est, prohibentia; implicitè tamen sunt etiam affirmativa, seu præcipientia. Ita negativum est pri-

mum: *Non habebis Deos alienos coram me*, includitque hoc affirmativum: *Habebis me solum verum Deum.* Quod idem cum proportione verum est in secundo, quinto, & aliis negativis. Similiter affirmativa: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*: &, *Honora patrem* &c. continent negativa: *Ne diem Sabbathi profanè violes*: *Ne patrem &c. inhonores* Præcepta affirmativa obligant semper, sed non pro semper: sic obligat v.g. quartum præceptum cujus modò meminimus; quod nunquam obligare desinit: at idem non obligat, ut semper, sed ut certo tempore, dataque occasione parentes honores. Econtra negativa præcepta obligant semper & pro semper: sic nulla est differentia temporis, in qua liceat blasphemare, quod in secundo præcepto prohibetur. Ratio horum est: quia præcepta affirmativa præcipiunt agere bonum, negativa prohibent agere malum: atqui quodvis bonum quovis exequi tempore neque necesse est, neque possibile: econtra quodvis malum quovis tempore possumus non agere, nec unquam licet agere. Quibûs in limine breviter expositis, sit

DISPUTATIO I.

De Fide, Spe, & Charitate.

Cùm primô Decalogi præceptô cultus DEI præcipiatur, qui ad Religionem pertinet; *Deus* autem *maximè colatur fide, spe, & charitate*, ut docet S. Augustinus lib. 1. Enchirid. eò quòd *nemo colat Deum nisi credens in Deum, sperans ab eo bonum, eumque diligens*; meritò ante declarationem ejus præcepti à Theologis Moralibus præsens disputatio instituitur.

ARTICULUS I.

De Fide.

§. I.

An, & quomodo Fides sit necessaria ad salutem?

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Fides.* 2. *Necessitas alia medii, alia præcepti.* 3. *Salus alia prima, alia secunda.* 4. *Fides habitualis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.* 5. *Fides verò actualis omnibus & solis adultis ratione utentibus.* 6. *Fides necessaria est ad salutem tam primam, quam secundam.* 7. *Fides actualis est etiam necessaria necessitate præcepti.* 8. *Cur aliquando ad salutem non sit necessarius Baptismus, aut Sacramentum Pœnitentiæ in re, semper autem ita necessaria sit Fides actualis?*

1 NOtandum est primo definitio fidei, nempe, quòd sit virtus supernaturalis inclinans intellectum ad credendas res à Deo revelatas propter ipsius auctoritatem. Ita habet Bonac. hîc disp. 3. q. 2. pu. 1. & quoad substantiam communis DD. Dicitur autem, *virtus supernaturalis*: quia fides, de qua hîc agimus, est donum DEI excedens vires naturæ, & non quid acquisitum, ut fides humana, sed habitus infusus. Dicitur, *inclinans intellectum*: quia non in voluntate, sed in intellectu tanquàm subjecto reperitur. Dicitur, *ad credendas res a Deo revelatas*, ut significetur objectum materiale, circa quod versatur fides, quod sunt mysteria à DEO revelata. Dicitur, *propter ipsius auctoritatem*: ista namque est objectum, sive motivum formale, quo fides in suis assensibus nititur.

2 Notandum est secundo, necessitatem respectivam in ordine ad consecutionem finis aliam esse medii, aliam præcepti. Necessarium necessitate medii hîc illud esse dicitur, sine quo, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisso, vel non habito, homo secundùm legem Dei ordinariam salutem consequi non potest. hac ratione Baptismus ipsa susceptus infantibus ad salutem est necessarius. Necessarium necessitate præcepti est, quo culpabiliter omisso, vel non habito homo quidem salvari non potest, potest autem, si id omittat, vel non habeat inculpabiliter. taliter necessaria est restitutio rei alienæ: nam si culpabiliter non restituas, salutem non consequêris: si verò ex oblivione, vel impotentia, adeoque inculpabiliter non restituas, id saluti tuæ nihil oberit.

Notan-

3 Notandum est tertio, salutem à Theologis dividi in primam, & secundam sive ultimam. Prima salus est gratia justificationis, per quam homini tribuitur jus ad gloriam, seu beatitudinem. in quo sensu salus accipitur ad Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem.* & ad Tit 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Secunda salus est ipsa beatitudo: & in hoc sensu accipitur Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* His explicatis,

4 Dico jam primo. Fides habitualis omnibus tam infantibus, quàm adultis est necessaria necessitate medii ad salutem. Constat ex S. Script. ad Hebr. 11. ubi absolutè dicitur, *sine fide impossibile est placere Deo*: quæ verba, cùm de actu fidei intellecta verificari non possint in infantibus, intelligi debent de habitu. Ratio verò est: quia nullus omnino hominum salutem consequi potest, nisi ejus anima supra vires naturæ sit elevata, quod ex parte intellectûs ejusdem fit per habitum supernaturalis cognitionis, seu fidei, ex parte voluntatis autem per habitum supernaturalis dilectionis, seu charitatis.

5 Dico secundo. Aliquis actus fidei internus omnibus adultis ratione utentibus est necessarius necessitate medii ad salutem. Ita communis Catholicorum, estque de fide, tum ex illo Marci ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*, aliisque Script. locis; tum ex Concil. Trid. sess. 6. *de Justif.* cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Ratio insuper est: quia Deus de via ordinaria adultos non justificat, nec ad vitam æternam perducit, nisi per proprios actus tendant in ipsum tanquam finem ultimum supernaturalem. hoc autem præstare non possunt sine actu interno fidei: finis quippe priùs debet esse cognitus (quod in præsenti fit per fidem actualem supernaturalem) quàm quæsitus & intentus. Ex his

6 Infertur primo, fidem esse necessariam ad salutem tam primam quàm secundam. Ratio est: quia inprimis sine fide habituali nullus omnino gratiam justificationis, nec consequenter gloriam; sine actuali autem nullus eas adultus consequitur.

7 Inf. secundo, fidem actualem esse insuper necessariam ad salutem necessitate præcepti. Ratio est: quia Marci ult. condemnatur, qui non crediderit: ergo non credendo violat præceptum credendi: quod intellige de eo, qui potest & tenetur credere. Accedit, quòd omnia, quæ necessaria sunt necessitate medii, etiam necessaria sint necessitate præcepti respectu adultorum: cùm quilibet teneatur adhibere media simpliciter necessaria ad salutem. Bonac. ubi suprà n. 4.

Inf. tertio, licèt Baptismus & Sacramentum Pœnitentiæ in re non sint necessaria necessitate medii ad salutem in adultis, sed sufficiant aliquando in voto, ita tamen esse necessariam in re fidem actualem, sive actum fidei. Ratio discriminis est: quia susceptio Baptismi, & Sacramenti Pœnitentiæ virtualiter continetur in actu dilectionis, aut contritionis præsuppositi: ideoque eliciens hunc talem aliquem actum dicitur habere Baptismum & Pœnitentiam in voto. Atqui actus fidei non ità continetur in alio actu ptiori supernaturali: quia, ut audivimus ex Concil. Trid. *est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Ergo non potest haberi in voto, sed solùm in re. Unde negandum est etiam suppositum adductæ instantiæ. Castropal. tr. 4. disp. 1. pu. 8. n. 2. 8

§. II.

Quænam necessariò credenda sint?

SUMMARIUM.

9. *Fides actualis alia explicita, alia implicita.* 10. 11. *Explicitè credere, Deum existere, & esse remuneratorem bonorum operum necessarium est necessitate medii ad salutem.* 12. *Non fuit ita necessaria ante legem gratiæ.* 13. *Uti nec post adventum Christi nondum satis divulgato Evangelio, Fides explicita in Christum & SS. Trinit.* 14. *Eadem tamen Fides explicita necessaria est facta necessitate medii post Evangelium sufficienter divulgatum.* 15. *Solvitur Objectio.* 16. *Probabilitas sententiæ contrariæ valde magna.* 17. *Adultis necessitate præcepti necessarium est explicitè credere articulos Symboli Apostolorum.* 18. *Articulus de Communione Sanctorum immeritò excipitur.* 19. *Quænam alia fideles explicitè credere teneantur?* 20. *Non sufficit credere in communi, quæ credit Ecclesia Catholica.*

9 SUpponendum est, fidem actualem aliam esse explicitam, aliam implicitam. Fides explicita est, per quam aliqua fidei veritas in particulari, in se ipsa, & propriis terminis significata creditur: v. g. quòd Deus sit Trinus in Personis, quòd Christus habeat duas voluntates. Fides implicita est, per quam aliquod mysterium creditur non in se ipso, & propriis terminis cognitum, sed in alio, in quo implicitè continetur. v. g. qui credit, quidquid credit Ecclesia, is credit implicitè mysteria Trinitatis & Incarnationis: quia in cumulo veritatum à Deo revelatarum, quas credit Ecclesia, implicitè continentur.

10 Dico primo. Omnibus necessitate medii ad salutem necessarium est, & semper fuit, fide explicita credere, quòd

Deus sit, & quòd sit remunerator bonorum operum; auctorque donorum supernaturalium. Ita communiter Catholici ex illo Apostoli ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Ratio verò hæc redditur: Quia nullus prudenter tendere potest in certum aliquem finem, quin eundem explicitè cognoscat, eumque à se obtineri posse credat: atqui finis, in quem homo tendit per spem, & charitatem, ut salutem consequatur, est Deus, & quidem ut Author donorum supernaturalium; ergo necessarium est homini, ut Deum quatenùs Auctorem supernaturalem explicitè cognoscat, atque ad eundem à se perveniri posse credat. Deinde: sublata fide explicita in Deum, ut remuneratorem, tollitur etiam spes præmiorum, sicut & veniæ à Deo obtinendæ: tollitur præterea omnis cogitatio de immortalitate animæ, ac sollicitudo de vita futura. Unde fieret, ut nemo Deum toto corde quæreret, vitamque suam componeret, ut oportet, ad salutem obtinendam. Meritò proinde hanc fidem explicitam Deus voluit esse medium necessarium ad salutem.

11 Dices. Fieri potest, ut quis cognita per fidem Dei bonitate eundem immediatè diligat super omnia, & statim moriatur citra fidem, aut cognitionem Dei ut remuneratoris. Hic talis utique salvaretur: atqui salvaretur sine fide explicita Dei ut remuneratoris; ergo. Respondeo, casum hunc esse quidem absolutè possibilem, non tamen in hypothesi, in qua hîc loquimur, præsentis providentiæ, juxta cujus leges, ut ostendimus, fides explicita in Deum ut remuneratorem est medium necessarium ad salutem.

12 Dico secundo. Ante legem gratiæ non fuit necessaria necessitate medii ad salutem fides explicita Christi & SS. Trinitatis. Ita communis, & traditur à D. Thoma in 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. Ratio sufficiens est: quia si hæc mysteria explicitè credere fuisset necessarium necessitate medii, Deus illa tunc non obscurè sub figuris, sed clarè hominibus promulgari ac proponi jussisset: præsertim cùm ea explicitè credere fuisset etiam necessarium necessitate præcepti, quod non obligâsset sine explicita notitia illorum. Atqui non constat memorata mysteria tunc fuisse clarè proposita hominibus, saltem communiter; quia ut Apost. 1 Corinth. 10. etiam de Judæis loquitur, *omnia in figura contingebant illis.* & Galat. 3. *antequam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Dixi, *saltem communiter*: nam in particulari plurimis eorum temporum Sanctis Patribus communicata erat clara & explicita Christi venturi cognitio. Unde D. Thomas in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæst. 1. dicit: *Post peccatum ante Christum majores habebant fidem Redemptoris explicitè, minores implicitè.* Atque hanc fidem saltem implicitam tunc fuisse necessariam ac sufficientem ad salutem, tradit idem S. Doctor loco cit. ex 2. 2. illis verbis: *Siqui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in Divina providentia, credentes, Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos.* Similiter in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. quæst. 2. ad 3. inquit: *Salvabantur fide implicita Redemptoris, implicando fidem suam in cognitione Dei.* Quoniam verò in mysterio Christi involvitur mysterium SS. Trinitatis, fides implicita Christi, per quam salvati sunt homines eorum temporum, fuit etiam fides implicita SS. Trinitatis.

Dico tertio. Neque post adventum 13
Christi ante sufficientem divulgationem Evangelii fides explicita in Christum & SS. Trinitatem fuit necessaria necessitate medii ad salutem, sive primam sive secundam. Ita Sotus, Canus & alii, quos refert & sequitur Valentia to. 3. disp. 1. q. 2. pu. 4. colum. 402. quod idem à fortiori tenent omnes Authores in concl. proximè statuenda nobis adversi. Ostenditur exemplo Cornelii Centurionis, qui Actor. 10. antequàm in Christum explicitè crederet jam revelatum, dicitur fuisse *vir religiosus & justus, cujus preces & eleemosynæ ascendissent coram Deo.* Et verè fuisse justum indicat D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3. ubi & ait, illum habuisse fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate: ideoque, ut eum in fide plenius instrueret, missum esse Petrum. Quod idem habet D. Augustinus q. 84. in Levitic. & lib. de Prædest. Sanctor. cap. 7.

Dico quarto. Post Evangelium in orbe 14
sufficienter divulgatum fides explicita Christi & SS. Trinitatis necessaria est necessitate medii ad utramque salutem. Ita cum D. Thoma in 2. 2. q. 2. a. 7. & 8. Valentia loco cit. Filliuc. tract. 21. cap. 1. n. 24. Bonac. q. 2. de fide, pu. 2. n. 6. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 2. & alii apud Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 8. n. 5. deinde ex Salisburgensibus Schapperger in Speculo Theol. cap. 2. dub. 1. n. 3. Paulus Mezger tract. 10. disp. 18. a. 2. n. 12. Quam sententiam multis testimoniis cùm S. Scripturæ tum SS. Patrum probat Valentia loco cit. Ratione autem suadetur sic primo: Quia fides in Christum est fundamentum nostræ salutis, ut ipse indicavit Paulo Actor. 26. illis verbis: *ut accipiant remissionem peccatorum & sortem inter Sanctos per fidem, quæ est in me.*

Ergo

Ergo conveniens est, ut saltem in statu legis Evangelicæ post sufficientem ejusdem prædicationem nemo adultus salvetur explicita fide Christi destitutus. Secundo. Quia ante promulgationem ac divulgationem Evangelii sufficiens & necessaria necessitate medii fuit fides in Christum implicita: ergo iisdem suppositis ita necessaria est fides explicita. Conseq. prob. quia sicut status gratiæ perfectior est statu naturæ & legis antiquæ, ita requirit perfectiorem cognitionem & fidem Mediatoris, quæ est fides Christi explicita. Tertio. Quia hoc maximè cedere videtur in gloriam Christi (ad quam salus omnium hominum ordinata est) si dicatur, post sufficientem Evangelii prædicationem neminem secundùm leges præsentis providentiæ justificari & salvari posse sine fide explicita tam personæ ejus per notitiam Incarnationis, quàm Redemptionis per notitiam passionis ac mortis. Porrò eisdem his argumentis probatur eadem necessitas explicitè credendi mysterium SS. Trinitatis: cùm Christus, utpote unigenitus Patris & conceptus virtute Spiritus Sancti, explicitè cognosci, credique nequeat, quin explicitè cognoscatur & credatur numerus Divinarum personarum. vid. D. Thomas in cit. a. 8.

15 Objicies. Si vera est sententia nunc asserta, multos per eam cœlo excludi, imò extra omnem viam salutis collocari necesse est: ergo tolerari non potest. Ant. ostenditur. Nam primo. Qua ratione salutem consequi poterunt homines simplices, & omnino rudes, qui vix nomina tantorum mysteriorum sciunt apprehendere; præsertim, si à nativitate surdi ac muti sunt; quos tamen fidelibus annumeramus? Secundo. Quid dicemus de infidelibus, quibus Evangelium necdum innotuit? hi tales fidem explicitam de memoratis mysteriis certè non habent. *quomodo enim credent ei, quem non audierunt*? Rom. 10. Fides autem implicita si fortè habeant, non sufficit, ut nos asserimus. Unde ergo instructi sunt mediis ad salutem necessariis ac sufficientibus? Tertio. Da puerum v. g. qui in moderno statu legis Evangelicæ natus inter infideles, nec baptizatus, in sylvis & inter feras educetur, ubi nullam habeat occasionem quidquam audiendi de aliquo ex fidei articulis. Hic puer usum rationis adeptus, si se in Deum tanquam debitum finem suum convertat, juxta doctrinam D. Thomæ ac Thomistarum gratiam justificantem à peccato originali consequitur; imò & vitam æternam, si ita justificatus immediatè moriatur. Sed ista falsa sunt, si fides explicita Christi & SS. Trinitatis est necessaria necessitate medii ad salutem. cùm plusquàm manifestum sit, huic tali puero eam fidem deficere.

Respondeo neg. Ant. ad hujus primam probat. dico, vix repertum iri inter Christianos hominem adultum ac doli capacem, præditumque explicita cognitione Dei ut Remuneratoris, qui non sub propria aliqua ratione dicta mysteria possit apprehendere, ac discere saltem quoad substantiam, hoc est, quòd sit unus Deus & tres Personæ: quòd Filius Dei pro nobis homo factus & passus sit. Siquis tamen ob ingenii stupiditatem ne quidem hoc modo capere posset eadem mysteria, ajo, talem æquiparandum amentibus ac infantibus, qui cum fide habituali salvantur: sicut eisdem æquiparandus esset, qui articulum de Deo ut Remuneratore non caperet.

Ad secundam probat. respondeo, Deum homini facienti, quod in se est, non denegare suam gratiam, ut est receptum axioma Theologorum: ejusmodi proinde infidelibus, si suppositâ cognitione veri Dei (cujus non datur invincibilis ignorantia) rectè vivendô secundùm legem naturalem faciant, quod in se est per auxilium gratiæ, Deum non denegaturum ulteriora auxilia & media ad salutem, sed inter illa largiturum etiam fidem explicitam mysteriorum ad salutem creditu simpliciter necessariorum; adeòque & Incarnationis, & SS. Trinitatis; idque vel per internam inspirationem revelandô illa, vel fidei prædicatorem hominem, vel etiam Angelum submittendô. Quæ quidem gratis non asseri non solùm probant mirabilia exempla recentibus his sæculis ex India & America nuntiata, sed etiam in Sacris litteris expressa. sic enim ad Cornelium missus est Angelus, ac deinde Petrus, Actor. 10. ad eunuchum Candacis Philippus, Actor. 8. ad Macedones Paulus, Actor. 16. Omnes hi infideles, cùm observandô legem naturalem facerent, quod in se erat, admirandis Divinæ Providentiæ modis necessaria ad salutem mysteria fidei edocti sunt.

Ad tertiam respondeo neg. mi. puer enim, 16
si mediô primô auxiliô gratiæ, quod tunc habet juxta illam D. Thomæ sententiam, faciat, quod in se est, articulorum illorum explicitè creditu necessariorum à Deo revelationem obtinebit, sicque per explicitam eorumdem fidem ad gratiam justificationis, & peccati originalis remissionem perducetur.

Sententia nostræ contraria, quòd fides explicita de Christo & SS. Trinitate nequo suppositâ jam sufficienti divulgatione Evangelii necessaria sit necessitate medii ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, etiam valde probabilis est. Illam tenent graves sanè DD. ac nominatim Sotus, Serra, Suarez, Lugo, Martinon, Reding & Pettschacher relati à Paulo Mezger, ubi suprà. Tenent præterea Castropal. tract. 4. disp. 1. pu. 9. n. 7. Illsung tract. 3. disp. un. de fide. a. 1. n. 32. Viva in

prop.

prop. 64. ab Innoc. XI. proscripta, n. 10. & alii. Fundamentum potissimum est, quòd illa necessitas medii neque ex natura rei, neque ex S. Script. sufficienter colligatur. Non ex natura rei; quia aliàs fides explicita Christi & SS. Trinitatis etiam ante promulgationem Evangelii fuisset necessaria necessitate medii ad salutem, quod neque Authores adversi dixerint, ut satis constat ex n. 12. Non ex S. Script. quia textus, qui inde afferri solent, vel solùm significant ea fide explicita præditos salvari; adeoque non negant alios, qui laborant ignorantia invincibili eorum mysteriorum, salvari posse sine illa per fidem implicitam: vel solùm excludunt à salute incredulos, hoc est, illos, qui post prædicatum sibi Evangelium ac sufficienter proposita mysteria credere detrectant: vel loquuntur de necessitate præcepti tantùm, idque respectu illorum, quibus Evangelium annuntiatum est. Easdem interpretationes patiuntur etiam testimonia SS. Patrum.

Confirmatur. Certum est, promulgationem fidei Christianæ, quamvis facta fuerit in potissimis mundi partibus, necdum ad omnes prorsus populos ac terras penetrâsse. Modò sic: Imperceptibile est, qua ratione, post promulgatum nunc Evangelium in potissimis orbis partibus, imposita fuerit necessitas perfectioris fidei in Christum hominibus existentibus in aliis orbis partibus, ad quas Evangelii promulgatio nondum pervenit, quàm fuit imposita ante Evangelium nullibi promulgatum. Atqui ante Evangelium adhuc nullibi promulgatum, ac præcisa speciali revelatione mysterii Incarnationis, nemini fuit imposita necessitas in Christum credendi explicitè, sed sufficiebat fides implicita; ut patet ex n. 12. ergo neque hodie imposita est ea necessitas illis hominibus, in quorum terris necdum prædicatum est Evangelium, sed sufficiet ad salutem fides implicita, quamdiu laborant ignorantia invincibili ejusdem mysterii.

17 Dico quinto. Omnibus adultis necessitate præcepti ad salutem necessarium est explicitè credere articulos in symbolo Apostolorum contentos, saltem secundùm substantiam, ita ut eosdem vero aliquo conceptu, licèt imperfecto & confuso, apprehendant & credant. Ita receptissima sententia cum D. Thoma in 2. 2. q. 1. a. 8. & S. August. serm. 181. de temp. Prob. primo ex Catechismo Romano S. Pii V. ubi habetur: *Quæ primum Christiani homines tenere debent, illa sunt; quæ SS. Apostoli Divino Spiritu afflati duodecim Symboli articulis distinxerunt.* Secundo. ex usu & traditione Ecclesiæ, quæ nullum adultum ad Baptismum (in quo editur fidei professio) admittit, nisi sufficienter instructus sit in rebus fidei, & explicitè credat articulos in eo symbolo contentos. Tertio, ratione: Tum, quia contenta in illo Symbolo publicè circumferuntur in Ecclesia, & omnibus tanquam explicitè credenda proponuntur. tum, quia omnes ejusdem articuli habentur pro primis rudimentis veræ fidei. tum, quia in Ecclesia admittenda est scripta aliqua regula, ad quam recurrat populus Christianus, ut scire possit, quænam explicitè credere teneatur. Atqui nulla brevior & accommodatior assignari potest, quàm Symbolum Apostolorum. vid. Valentia to. 3 disp. 1. q. 2. pu. 4. à colum. 412. Filliuc. tract. 22. cap. 2. n. 34. Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 9. n. 2. Reding to. 9. q. 3. a. 1. contr. 2. a. n. 26.

Inter articulos memorati Symboli excipere solent Authores Communionem Sanctorum, docentque, eam nec explicitè scire, nec explicitè credere teneri Christianos. Rationem afferunt: quia vix docti, nedum rude vulgus, percipiunt, quid velit hic articulus. Verùm haud immeritò contrarium tenent Castropal. tract. 4. disp. 1. pu. 9. n. 5. Sporer tract. 1. cap. 1. n. 12. Ratio ex oppositò redditur: quia substantiá hujus articuli non superat captum vulgi. nam communiori, eoque plano sensu significat communicationem bonorum spiritualium, putà meritorum, orationum, ac suffragiorum inter membra triplicis Ecclesiæ, triumphantis, militantis, & purgantis: quam communicationem neque rusticos ignorare videmus: cùm communiter & ab invicem, & ab aliis petere soleant, ut pro se oretur, suasque vicissim orationes offerant. Quòdsi aliquis inveniretur ita hebes ac bardus, ut neque substantiam Communionis Sanctorum (idem senti de aliis, quæ in eodem symbolo continentur) posset percipere, is à præcepto explicitè credendi excusaretur ob impotentiam, ut habent idem Castropal. pu. cit. n. 10. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 3. n. 18. & alii. 18

Dico sexto. Quamvis per se loquendo sufficeret ad salutem credere explicitè omnes articulos Symboli Apostolici, per accidens tamen alia præterea fideles explicitè credere tenentur. Valentia q. cit. pu. 5. Laym. n. 3. Schapperger in Speculo Theol. cap. 2. dub. 2. n. 10. Ratio primi est: quia Symbolum Apostolorum est *brevis* quidem, sed *& perfecta fidei Christianæ confessio*, ut loquitur S. Leo serm. 11. de Passione: adeoque, quantum est ex vi ipsius præcepti fidei, per se loquendo sufficeret explicitè credere omnes articulos in eo comprehensos. Ratio secundi est: quia præter eos articulos multa occurrunt honestè vivendi causâ ad salutem necessaria, quæ ex præcepto credenda sunt. Hinc inprimis omnes fideles explicitè credere tenentur ea, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum omnibus necessariorum: ut, quòd in Baptismo 19

homo

homo ſpirituali quodam modo regeneretur per gratiam, eumque ſuſcipiens obligetur ad fidem & Chriſtianam religionem. Item, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ conferatur remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum. Item, quòd in S. Euchariſtia verè ac ſubſtantialiter contineatur Chriſtus Dominus, & ſub illis ſpeciebus jam non exiſtat panis, ſed Chriſtus; quem proinde adorare ibi oporteat. De reliquis Sacramentis idem obſervandum eſt proportionaliter. Demum in omni hominum ſtatu & fuit, & eſt credere neceſſarium animam hominis eſſe immortalem, liberô arbitriô præditam, æternæ beatitudinis capacem. Vid. Valent. & Laym. loco cit.

20 Corollarium. Ad ſatisfaciendum præcepto fidei non ſufficit in communi credere, quæ credit Eccleſia Catholica, non deſcendendo ad myſteria particularia. Sententia id aſſerentium communiter notatur ut erronea, teſtibus Laym. loco cit. & Reding, ut ſuprà, n. 22. Adſtipulatur Gregorius XI. in Director. Inquiſit. 1. p. q. 10. hær. 8. relatus apud eundem Reding, ubi damnat iſtam prop. *Laici, non tenentur ad aliquem articulum fidei explicitè credendum, ſed ſufficit illis iſta concluſio in genere, quòd credunt omne illud, quod Sancta DEI Eccleſia credit.*

§. III.

Quorum myſteriorum ſcientia ſit neceſſaria, & qualis?

SUMMARIUM.

21. *Articuli Fidei ſciri poſſunt quoad ſubſtantiam, quoad modum, & quoad difficultates occurrentes.* 22. *Omnes fideles adulti explicitè nôſſe tenentur myſteria Symboli Apoſtolorum.* 23. *Quinam hæc myſteria primo ſaltem, qui ſecundo, qui tertio modo ex memoratis n. 21. ſcire teneantur?* 24. 25. *Quænam ultra dicta myſteria fideles explicitè ſcire teneantur.* 26. *An, & qualis ſit obligatio articulos Symboli Apoſtolici, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, & Orationem Dominicam diſcendi memoriter?* 27. 28. *Corollaria ex dictis.* 29. *Praxis agendi cum Pœnitente ignorante, quæ ſcire tenetur.*

21 NOtandum eſt, tripliciter ſciri poſſe articulos Fidei, videlicet primo, ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt, id, quod ſimpliciter, etſi confusè & generaliter ſignificatur vocibus: ut in articulo Trinitatis v. g. ſignificatur, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum, non plures Deos. Secundo, ſciri poſſunt ſecundùm modum, hoc eſt, eam declarationem, quam communiter habent adjectam in Catechiſmis, præſertim in Romano. Tertio ſciri poſſunt ſecundùm difficultates, ſeu controverſias, quæ circa eosdem ſolent occurrere, ut nempe reddi poſſit ſufficiens ratio credendorum, præſertim contra hæreticos. Vid. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 55.

Dico primo. Omnes fideles adulti ne- 22
ceſſitate præcepti explicitè ſcire tenentur myſteria contenta in Symbolo Apoſtolorum. Ita communis Doctorum. Ratio eſt: tum, quia illa omnia explicitè credere tenentur, ut in præced. §. oſtendimus; ergo etiam explicitè ſcire. tum, quia quilibet habere tenetur notitiam eorum, quæ propriè pertinent ad ſuum officium & ſtatum: cùm proinde, quæ propria ſunt legi Evangelicæ, ſtatuique hominis Chriſtiani, potiſſimùm contineantur in Symbolo Apoſtolorum, eorum notitiam homo Chriſtianus ſibi comparare tenetur.

Dico ſecundo. Quamvis fideles rudio- 23
res ſatisfaciant præcepto, ſi myſteria Symboli Apoſtolici ſciant primo modo, hoc eſt, ſecundùm ſubſtantiam, ſicut in n. 21. expoſuimus; Parochi tamen, curati, Confeſſarii, Concionatores ſecundo modo; imò Epiſcopi, Prælati, & Doctores etiam tertio modo illa ſcire tenentur. Filliuc. n. 36. nec videntur re ipſa aliud ſentire cæteri Doctores. Vid. Laym. lib. 2. tr. 1. cap. 9. n. 2. Sporer tract. 2. cap. 2. n. 14. Schapper in Spec. Theol. cap. 2. n. 11. Paulo Mezger tract. 10. diſp. 18. a. 2. n. 16. Ratio primi eſt: quia communis ac rudis populus Chriſtianorum non magis explicitè ſcire tenetur eos articulos, quàm credere: atqui tenetur credere ſecundùm ſubſtantiam ſolùm; ut in præced. §. vidimus; ergo & ſcire. Ratio ſecundi eſt: quia hi tales tenentur rudiores docere, eisque explanare memoratos articulos: quod præſtare non poſſunt, ut oportet, ſine illa cognitione explicatiore. Ratio tertii eſt: quia hi debent eſſe parati ad reddendam rationem ejus fidei, quæ eſt in ſubditis, eamque defendere contra hæreticos, ut habetur ex 1. Petri 3. & Pauli ad Tit. 1. & Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 22. cap. 2.

Dico tertio. Ultra myſteria Symboli A- 24
poſtolorum fideles tenentur explicitè ſcire, primo petitiones Orationis Dominicæ. Secundo, præcepta Decalogi & Eccleſiæ. Tertio, Sacramenta ex jure Divino neceſſaria, quæ ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia. Ita communis Theologorum. Vid. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 3. Filliuc. num. 51. Bonac. Diſp. 3. q. 2. pu. 2. num. 13. Laym. num. 3. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 1. à. num. 5. Caſtropal. tract. 4. diſp. 1. pu. 10. à. num. 3. Reding, q. 3. à. 1. contro. 3. à. num. 32. Sporer tract. 2. in Decal. cap. 2. ſect. 2. Ratio univerſaliter eſt: quia quilibet explicitè nôſſe debet ea, quæ pertinent ad ipſius ſtatum aut officium: atqui omnia,

omnia, quæ modò scienda esse statuimus, pertinent ad statum & officium hominis Christiani; ergo &c. Sed

25 Quæritur nunc primo, an non & aliorum quatuor Sacramentorum explicita notitia sit necessaria necessitate præcepti? Respondeo, non esse necessariam singulis fidelibus, sed illis tantùm, qui ea suscipere volunt, vel administraturi sunt. Ita ex communi Suar. & Lugo Card. quos refert & sequitur Reding n. 38. Ratio est: quia adultis incumbit gravis obligatio suscipiendi, consequenter & sciendi priora tria Sacramenta. Atqui nulla est obligatio reipsa suscipiendi cætera quatuor Sacramenta: adeòque nec obligatio comparandi explicitam eorum notitiam, nisi quis velit illa suscipere, vel administrare.

26 Quæritur secundo, an, & quali obligatione fideles teneantur discere memoriter articulos Symboli Apostolici, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, orationem Dominicam? Ratio quærendi est, quia exstant decreta Juris Ecclesiastici, teste Bonac. n. 14. imò & recepta consuetudo hæc addiscendi memoriter; cumque ea decreta rigidè loquantur, videtur, obligationem hanc esse gravem & sub mortali. Respondeo, quamvis optimi consilii sit ista callere memoriter, nullam tamen esse obligationem, saltem sub mortali. Filliuc. Bonac. Laym. locis citt. Ratio est: quia nullâ asserti potest sufficiens ratio gravis obligationis ad discendum memoriter. Sufficit igitur, si quis prædicta calleat quoad substantiam, ita ut interrogatus de singulis aptè respondeat. Dixi, *saltem sub mortali:* quia plusquàm crassum veniale est (nisi hebetudo, & nimia debilitas memoriæ excuset) ista non discere memoriter: quod ipsum (quamvis non plus, ita interpretante consuetudine) evincunt textus Juris Canonici, qui id præcipiunt. De salutatione Angelica communiter affirmant Doctores apud Filliuc. loco cit. nullam esse obligationem addiscendi illam. Card. tamen de Lugo, ut refert Reding ubi suprà, n. 49. non excusat à peccato veniali illum, qui hanc salutationem omnibus fidelibus familiarem discere negligit, eò quòd ipsa consuetudo eandem recitandi in orbe Catholico ubique recepta videatur induxisse addiscendi obligationem sub veniali saltem. Nescientem formare signum Crucis itidem peccati venialis reum esse docet Sanchez cit. contra Sylvestrum, Tabienam & alios, qui damnârunt mortalis. Ratio est: quia non videtur res gravis, & capax tantæ malitiæ.

27 Corollarium I. Fideles mortaliter peccant, si non addiscant, quæ scire & credere necessarium est ad salutem. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia negligentia, quæ committitur, in comparanda istorum notitia, aversatur præcepto Fidei graviter (utpote in re gravi) & sub mortali obliganti. Hîc tamen à peccato etiam veniali excusantur, qui vel tempore, quo similia potuissent addiscere, non habuerunt, qui doceret: vel de obligatione sciendi nihil audierunt; imò nec dubium, aut scrupulum de illa unquam conceperunt: quod planè contingere testatur Sanchez ubi suprà, num. 20. Ratio hujus excusationis est, tum ignorantia invincibilis, tum impotentia addiscendi. Et certò constat experientiâ (quod meritò dolendum) ob negligentiam, inscitiam, atque superbiam Pastorum, qui Catechismum & articulos fidei vel explicare nesciunt, vel fastuosè dedignantur, fideles etiam inter fideles quandoque in maxima rerum ad salutem pertinentium ignorantia versari. Atque hinc oritur

Corollarium II. Peccant mortaliter 28 Pastores animarum (idem senti de parentibus respectu liberorum) qui curæ suæ commissos, si ignari sint eorum, quæ ad fidem & salutem requiruntur, culpabiliter non instruunt Filliuc. num. 54. Laym. ubi suprà num. 4. Sanchez num. 15. qui etiam testantur, eos ad hoc præstandum Ecclesiasticis quoque censuris compelli posse. Ratio est: quia in re gravissima obligationi suæ non satisfaciunt. Vid. Sporer ubi suprà, §. 4. hanc doctrinam etiam ad illos specialiter extendens, qui ejusmodi indoctos, aut ignavos Pastores scienter promovent.

Quæritur tertio, quid agendum sit Con- 29 fessario, quando deprehendit pœnitentem ignorare, quæ scire tenetur? Ante responsionem nota primo, pœnitentem esse incapacem absolutionis, qui omnia prorsus fidei mysteria ignorat, quamdiu ignorat, licèt inculpabiliter ignoret. Ratio est manifesta: quia ob talem ignorantiam caret fidei explicita etiam Dei unius, & Remuneratoris, necessaria necessitate medii ad justificationem, uti certum supponitur ex §. præced. num. 10. ergo est incapax justificationis, sed incapax justificationis est etiam incapax absolutionis.

Nota secundo, non esse absolvendum, qui ignorat mysteria, quorum fides explicita probabiliter necessaria est necessitate præcepti tantùm ad justificationem, ita ut etiam probabile, vel probabilius sit esse necessariam insuper necessitate medii, qualis est fides explicita SS. Trinitatis, & Incarnationis, ut in cit. §. num. 14. & 16. constat. Ratio est: quia Confessarius talem absolvendo Sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret. Nam si re ipsa vera sit (ut esse potest) sententia asserens necessitatem medii, fides illa explicita requiritur ad valorem Sacramenti, quæ tamen in ignorante memorata mysteria locum non habet in qua proinde hypothesi absolvens invalidè absolvit. Nota

Nota tertio, neque illum esse absolvendum, qui culpabiliter ignorat alia mysteria fidei ab omnibus explicitè scienda & credenda necessitate præcepti, licèt non necessitate medii, ut Symbolum Apostolicum, præcepta Decalogi &c. Ratio est: quia talis, quamdiu similia per culpabilem negligentiam ignorat, in statu mortalis peccati est constitutus adeoque indispositus ad absolutionem. Jam

Respondeo, quando Confessarius probabiliter deprehendit, pœnitentem ignorare, quæ sub peccato mortali scire tenetur, debet interrogandò explorare, an revera ita sit? Ratio est: quia Confessarii est cavere, ne Sacramentum administret incapaci, aut indigno, quod in tali casu fieri posset facillimè; ut constat ex modò dictis. Quòdsi proindeadvertat, pœnitentem versari in ignorantia culpabili; hortari debet, ut de illa subjecta clavibus doleat cum firmo proposito addiscendi. Id si ab eo impetraverit, absolvere potest, quando est ignorantia eorum, quæ scitu ac creditu necessaria sunt necessitate præcepti tantùm. Si non impetraverit, non poterit absolvere; utpote voluntariè perseverantem in ignorantia graviter culpabili; adèoque indispositum ad absolutionem. Si verò deprehendat, confitentem nescire vel aliquid ex sua parte necessarium ad valorem Sacramenti, v.g. dolorem de peccatis; vel explicitè scitu & creditu necessarium necessitate medii ad justificationem certò, vel probabiliter, tenetur illum instruere, nec potest priùs absolvere, quà didicerit. Vid. Sanchez, ubi suprà, num. 21. Filliuc. à. n. 55. Bonac. num. 16. Reding num. 107. Sporer §. cit. num. 15. Illsung tract. 3. disp. un. a. 1. num. 34. Viva, in prop. 65. ab Innoc. XI. prohibita, & alii.

Porrò si confitens mysteriorum fidei ignarus in gravi infirmitate, vel articulo mortis versatur, non tenetur Confessarius eum docere omnia, etiam illa, quorum notitia & fides explicita est necessaria necessitate præcepti, sed sufficit illa tantùm docere, quæ sunt necessaria necessitate medii; qualia sunt, Deum esse, & esse Remuneratorem supernaturalem; & probabiliùs mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Homo namque in eo statu vix capax est prolixioris doctrinæ: ideòque frustra ferè defatigaretur, si plura proponerentur. Quoad alia proinde curandum est Confessario, ut infirmus, vel moribundus doleat de negligentia præterita, si fuit graviter culpabilis, concipiatque propositum addiscendi, quæ adhuc ignorat; quamprimùm fuerit moraliter possibile. Sanchez num. 23. Filliuc. num. 58. Reding n. 109. Sporer loco cit. Demum in casu, in quo infirmus credit quidem explicitè Deum esse, & Remuneratorem esse, sed ob imminentem mortem non vacat ampliùs eundem instruere de mysteriis SS. Trinitatis & Incarnationis, absolvendus est sub conditione. Ratio est: quia probabile est, fidem explicitam istorum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii: ergo etiam probabile est, sine hac fide moribundum tunc esse capacem absolutionis adeoque validè absolvi. Viva loco cit. num. 9.

§. IV.

Quando, & quoties eliciendus sit actus internus Fidei?

SUMMARIUM.

30. *Obligatio eliciendi actum Fidei aliæ directa, alia indirecta & per accidens.* 31. *Obligatio per accidens toties urget, quoties actus Fidei est necessarius ad impletionem alterius præcepti.* 32. *Sequelæ ex dictis.* 33. *Omittens actum Fidei & Contritionem, ad quam tenetur, non fit reus duplicis peccati.* 34. *Omnes adulti obligantur directè ac per se elicere actum Fidei, quamprimùm eis articuli credendi sufficienter fuerunt propositi.* 35. *Quandonam mysteria Fidei censeri debeant sufficienter proposita?* 36.37.38. *Corollaria ex dictis.* 39. *Probabilius est, extra tempus in num.* 34. *designatum non urgere ampliùs obligationem directam eliciendi actum Fidei.* 40. *Pœnitens, dum examinat conscientiam, non debet esse sollicitus de impletione præcepti affirmativi Fidei.* 41. *Vindicatur nostra sententia à damnatione Pontificia.*

HÆc quæstio procedit de obligatione 30
tam directa, & per se eliciendi actum fidei, quàm de indirecta, & per accidens. Obligatio directa, & per se dicitur, quæ ex ipsamet virtute fidei, ejusque motivo oritur. Indirecta, & per accidens est, quæ alunde, id est, ex alia virtute, ejusque præcepto consurgit. Res clara fiet exemplis. Obligaris v. g. actum contritionis elicere: hoc præstare nequaquam potes, nisi credas, Deum tibi posse peccata remittere: consequenter, ut verè conteraris, actum hunc fidei elicere teneris, sanè non vi præcepti fidei, sed pœnitentiæ. Et hoc est obligari indirectè & per accidens. Econtra, dum urget gravis tentatio contra fidem, actum fidei, quem tum juxta communem sententiam teneris elicere, non aliunde teneris elicere, quàm ex ipsa virtute fidei, ejusque præcepto; adeoque directè & per se obligaris.

31 Dico jam primo. Toties indirectè & per accidens obligamur elicere actum internum fidei quoties sine illo implere non possumus aliud præceptum, quod obligat, ut hîc & nunc impleatur. Ita rectè Card. de Lugo, quem refert & sequitur Sporer, tract. 2. in Decal. cap. 2. n. 20. Ratio est: quia tunc actus fidei se habet ut medium necessarium ad finem: ergo, dum urget obligatio ponendi finem, qui in præsenti est impletio præcepti, etiam urget obligatio ponendi actum fidei.

32 Ex quibus sequitur, ita per accidens obligare præceptum de actu interno fidei, Primo, dum quis amissam gratiam tenetur recuperare per contritionem, ut jam diximus; vel per attritionem cum Sacramento. Secundo, quoties eliciendi sunt actus supernaturales Spei, Charitatis, Religionis. Tertiò, quoties Sacramentum aliquod est suscipiendum, vel administrandum. Quarto, dum infestat tam gravis ac vehemens tentatio contra Spem, Charitatem, Castitatem, aut etiam virtutem, ut revera superari non posse videatur sine scuto Fidei. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 2. à. n. 9. Castropal. tract. 4. disp. 1. pu. 12. n. 2. & alii. Ratio horum est: quia in omnibus istis casibus fides actualis vel supponitur; vel alio modo est necessaria. Quam quidem non oportet semper esse expressam & signatam; sed sufficit etiam implicita atque confusa; velut ex Card. de Lugo. habet Sporer cap. cit. n. 21.

33 Corollarium. Qui tenetur elicere actum contritionis v. g. & neque hunc, neque actum fidei elicit; is non fit reus duplicis peccati, sed unius tantùm contra præceptum contritionis. Ratio est: quia, cùm præceptum fidei in eo casu non obliget per se, sed solùm per accidens ratione præcepti contritionis, quod impleri non potest sine actu fidei, solùm delinquitur contra unam virtutem, videlicet. Pœnitentiæ, cujus tum præceptum per se obligare supponitur. Et ideo talis satisfacit in Confessione, si dicat, se non elicuisse contritionem, dum tenebatur elicere. Sanchez lib. 2, Decal. cap. 1. n. 3. Bonac. n. 9. Castropal. loco cit. Reding q. 3. a. 1. contr. 3. à. n. 66.

34 Dico secundo. Omnes adulti tam non baptizati, quàm baptizati tenentur ex præcepto fidei directè ac per se obligante elicere actum fidei, quamprimùm ejusdem mysteria & articuli illis sufficienter sunt propositi. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia assensus fidei est quidam cultus & reverentia, quæ exhibetur Divinæ authoritati aliquid nobis proponenti & testificanti. Dictat autem recta ratio, hanc talem reverentiam non solùm esse debitam, sed etiam, esse statim exhibendam Divinæ authoritati sufficienter propositæ, ita ut sit gravis irreverentia, si non statim exhibeatur. Confirmatur in exemplo. Si cui fortè Rex occurreret, is utique statim teneretur exhibere reverentiam eidem præsenti, & enormiter peccaret contra leges civilitatis, nisi statim exhiberet: ergo similiter (si parva licet componere magnis) dum nobis primùm occurrit Divina Authoritas per sufficientem sui propositionem, statim tenemur eidem ita propositæ & objectivè præsenti exhibere cultum ex præcepto fidei debitum, scilicet internum assensum: & contra idem præceptum graviter peccamus, nisi statim exhibeamus. Rationem adductam, præsentemque Confirmat. ex Card. de Lugo habet Reding n. 83. eaque existimo expeditiùs probari directam obligationem fidei, quàm aliis, quibûs uti solent alii.

35 Porrò adulto non baptizato, aut infideli, fides, sive mysteria fidei tunc sufficienter proposita esse censenda sunt, quando rationibus, miraculis, vitæ sanctitate ea tenentium, sectæ contrariæ confutatione, certisque signis ac notis ita comprobatur, ut recta ratio judicet, illa esse unicè vera, & sectam contrariam falsam. Sanchez n. 6. Bonac. n. 8. Quæ, eadem doctrina extendenda est ad fideles baptizatos, ab infantia tamen inter infideles nutritos ac educatos: quippe, qui eâdem ignorantiâ veræ fidei, qua infideles, laborare existimandi sunt: ideòque eadem fidei propositio, ut credere teneantur, illis facienda est, quæ infidelibus. Idem Sanchez n. 7. Baptizatis autem inter fideles educatis tunc fides censenda est sufficienter proposita, quando post convenientem instructionem ejus mysteria apprehendunt tanquam à Deo revelata. Vid. Sporer ubi suprà n. 17.

36 Corollarium I. Quamvis pueri baptizati, ac inter fideles enutriti post acquisitum rationis usum obligentur ad statim eliciendum assensum fidei, si hunc ut necessarium ad salutem apprehendant, in praxi tamen vix contingit, ut peccent non eliciendo. Ratio est: quia ipsis hæc obligatio vix unquam venit in mentem: maximè, quia, ut ait Sanchez, sæpè non proponuntur illis mysteria fidei tanquam aliquid Divinæ authoritatis, sive tanquam à Deo dictum. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 1. n. 8. Sporer loco cit.

37 II. Quamdiu hæreticus judicat, suam sectam esse credibiliorem, aut æquè credibilem, sive probabilem, ac fidem Catholicam, tamdiu non tenetur huic assentiri; imò ne quidem potest prudenter. Ratio est: quia nullus tenetur assentiri mysteriis fidei, antequàm ipsi sufficienter sint propositæ: atqui huic tali mysteria fidei nostræ necdum sufficienter sunt propositæ; ergo &c. Laym. lib. 2, tract. 1. cap. 10. n. 3.

III. Quan-

38 III. Quàndo infidelis ob argumenta religionem noſtram ſuadentia formidat, ac dubitat, num fortè in errore verſetur, veritatem tenetur indagare ulteriùs. Id ſi facere intermittat, à peccato non excuſabitur. Ratio eſt: quia ad præceptum fidei implendum, ac dubium de re tanti momenti deponendum tenetur adhibere media neceſſaria. Caſtropal. ubi ſuprà n. 9. Porrò quid agendum ſit, ſiquis adhibito veritatis ſtudio ulteriori exiſtimet, myſteria noſtræ fidei eſſe credibiliora, ſeu probabiliora, quàm ſectæ ſuæ dogmata, quæ ipſi adhuc, licèt minùs, videntur probabilia, in tract. 1. diſp. 4. a. 2. à n. 27. expoſuimus.

39 Dico tertio. Poſt elicitum ſemel aſſenſum fidei tempore, quod in n. 34. deſignavimus, hoc præceptum Fidei probabiliùs per ſe & directè non amplius obligat. Ita Tambur. loco cit. à n. 9. Card. de Lugo, quem refert & ſequitur Sporer n. 18. ubi teſtatur ità communiter docere Theologos recentiores. Ratio eſt: quia nullum aliud tempus aſſignàri poteſt, quo iſtud præceptum affirmativum per ſe ac directè obliget quoad aſſenſum internum; veluti ſtatim oſtendemus diſcurrendo per tempora illa, quæ aſſignari ſolent ab Authoribus.

Primum eſt articulus mortis: quia tunc fidelis, inquiunt, tenetur ſe contra infeſtiſſimas tentationes Dæmonis per actus fidei munire. Sed quis non videat, hanc eſſe obligationem per accidens ex neceſſitate aliarum virtutum, quæ tunc in ſuis actibus ad reſiſtendum Dæmoni auxilio Fidei indigere ſupponuntur? Secundum tempus aſſignatur, in confuſo hoc complexo, *ſaltem aliquoties in vita.* Hinc alii dicunt, iſtud præceptum per ſe obligare ſaltem ſemel in anno; alii diebus Dominicis & Feſtis; alii aliter, ut refert Sanchez lib. 2. Decal. cap. 1. n. 3. Verùm iſtæ deſignationes nimis incertæ ſunt ac diſcordes: ſed nec ullum in iisdem apparet fundamentum obligationis per ſe. De obligatione per accidens ratione aliorum actuum, quos fidelis per annum, vel totam vitam exercere debet, nullum poteſt eſſe dubium, ut patet ex n. 31. & 32. Tertium tempus eſt, quando quis gravem tentationem patitur contra ipſam fidem, ſive univerſim, ſive circa particulare aliquod myſterium, ita quidem, ut ſit proximum periculum ſuccumbendi, niſi eliciatur aſſenſus contrarius. Neque hoc tempore, quamvis paſſim ac communiter aſſignetur, urgere videtur obligatio per ſe. Nam inprimis hic caſus vix eſt moralis: cùm in ejusmodi tentationibus periculum ſuccumbendi multò expeditiùs evitari ſoleat mentem aliò obfirmatè divertendo, quàm per actus contrarios poſitivè colluctando: cùm experientia doceat, tentationes inde irritari potiùs atque intendi, quàm ſupprimi, præſertim in ſcrupuloſis. Deinde etiam dato caſu dico, præceptum affirmativum eliciendi tunc aſſenſum fidei obligare ſolùm per accidens & indirectè ratione præcepti negativi de fide non abneganda: contra quod proinde, non contra illud, peccabit tentatus, ſi in eo periculo non eliciat actum fidei. De aliis temporibus nulla eſt difficultas. vid. Tambur. à n. 11. Ex dictis

Colligitur primo, non eſſe neceſſarium, 40
ut Confeſſarius pœnitentem interroget, aut pœnitens ſe ipſum examinet, an præcepto affirmativo de interno actu Fidei ſatisfecerit? Card. de Lugo, quem referunt & ſequuntur Reding q. 3. a. 1. contr. 3. n. 69. Sporer loco cit. Ratio eſt: quia licèt huic præcepto non ſatisfaciat integrè fidelis ſemel tantùm eliciendò aſſenſum internum fidei, ſed teneatur aliquoties elicere, tamen moraliter loquendo non contingit, ut homo Chriſtianus, qui fidem Chriſtianam ſemel toto corde amplexus eſt, in eaque poſtea habitualiter citra ullam de ejusdem veritate dubitationem perſeverat, non ſæpiùs repetat actus fidei tum per ſe, tum per accidens, v. g. dum orat, audit Miſſam, ſuſcipit Sacramentum aliquod &c.

Colligitur ſecundo, noſtram ſententiam 41
nullo modo ſubjacere damnationi propoſitionis 17. ac Innoc. XI. proſcriptæ: *Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere:* vel illius ultimæ: *Sufficit illa myſteria* (nempe SS. Trinitatis & Incarnationis) *ſemel credidiſſe.* Ratio eſt: quia in noſtra hac ſententia non negamus obligationem ſæpiùs eliciendi actum Fidei, ut negant Authores earum Propoſitionum; ſed negamus obligationem directam & per ſe ſæpiùs eliciendi. Qualem obligationem exiſtere ex Cenſurâ illa Pontificia non conſtat, ſed ſolùm, quòd non ſufficiat ſemel tantùm credere in vita, aut actum Fidei elicere. vid. Viva, in prop. 1. ab Alexandro VII. prohib. n. 9.

§. V.

Quando, & quomodo obliget præceptum Fidem externè non negandi?

SUMMARIUM.

42. *Negatio Fidei alia directa, alia indirecta. Confeſſio Fidei alia materialis, alia formalis.* 43. *In nullo unquam caſu licitum eſt negare Fidem.* 44. 45. 46. *& ſeqq. quinam peccent contra præceptum non negandi Fidem.* 53. 54. 55. 56. *Quinam non peccent contra idem præceptum.* 57. 58. *Peſſimum quorundam Politicorum principium, & deteſtabilis praxis aliquorum Catholicorum per terras hæreticorum, proficiſcentium &c. improbatur.*

42 POstquàm explicuimus, quæ ad internum actum Fidei ex necessitate præcepti exercendum pertinere videbantur, ad externam jam Fidei professionem procedimus. De hac duo præcepta exstant, quemadmodum fatentur omnes Catholici, scilicet negativum unum, affirmativum alterum. Negativum obligat ad non negandam Fidem: Affirmativum ad eam confitendam. Duobus autem modis negatio Fidei potest contingere. Primo directè, dum quis negat, Fidem Catholicam, aut aliquod ejus mysterium esse verum, vel necessarium. Secundo indirectè, ut, dum aliquis negat, se esse Catholicum, Christianum, vel Papistam, id est, se Fidem Romanam profiteri, idque sive voce, sive scripto, aliove signo, vel actione exteriore Fidei contraria præstet. Rursus præterea confessio Fidei alia est materialis, alia formalis. Materialis fit per signa exteriora, quæ ut plurimùm consistunt in adimpletione aliorum præceptorum, putà audiendi Missam, suscipiendi SS. Eucharistiam &c. Formalis fit per voces, v. g. per vocalem pronuntiationem Symboli Apostolorum, vel vocalem contestationem, qua quis proclamat, se esse Christianum. Et quidem præceptum affirmativum, quamvis sæpiùs obliget, ut in seq. §. videbimus; sufficienter impletur per confessionem materialem. vid. Cardenas in Crisi Theol. dissert. 12. cap. 1. n. 1. & 2. Jam de negativo

43 Dico. Præceptum negativum non negandi Fidem obligat semper & pro semper, ita ut in nullo unquam casu licitum sit negare Fidem, vel externè aliquid agere eidem contrarium. Ita communiter Catholici: Et constat, tum ex conditione præcepti negativi omnibus nota: tum ex S. Script. Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo:* & Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua &c.* tum ex hac ratione: quia negare Fidem est dicere mendacium intrinsecè malum, pernicioſum, & Divinæ veritati graviter injurioſum: sed hoc nunquam est licitum; ergo. mi. est certissima. maj. ex eo patet, quòd Fidem negans vel dicat, Divinam veritatem falli, vel neget, res Fidei esse divinitus revelatas. Ex quibus adeò vides, hoc præceptum graviter & sub peccato mortali obligare. Nunc ad praxim resolves sequentia.

44 I. Peccat contra istud præceptum primo, qui etiam fictè tantùm, & verbotenus Fidem negat, aut falsæ religionis sectatorem simulat. Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 11. n. 1. Castropal. tr. 4. disp. 1. pu. 13. n. 2. Ratio est: quia licèt talis internam Fidem non amittat, mentitur tamen in re gravissima, utpote contra veritatem nobis divinitus revelatam, Deumque verè negat coram hominibus.

II. Peccat secundo, qui dicit, se esse Ma- 45
hometanum, Calvinistam, Lutheranum, Judæum: item, qui dicit, se non esse Christianum, Catholicum, aut Papistam. Ratio est: quia talis in primo casu dicit, à Fide Catholica se esse alienum, eo ipso, quòd asserat, aliam religionem se profiteri: hoc autem est negare Fidem orthodoxam. In posteriore casu negat similiter Fidem, saltem indirectè. Atque hoc modo deliquit Petrus, quando negavit, se nôsse Christum, ejusque esse discipulum. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 3. n. 17. & 18. Castropal. num. 3.

III. Peccat tertio, qui sacrificat idolo, ei 46
thus adolet, vel genu flectit, quamvis hæc faciat fictè solùm, & animô simulandi. Bonac. n 20. Castropal. pu. 16. n. 3. Laym. n. 3. Paulus Mezger tract. 10 disp 19. a. 3. n. 6. Ratio est: quia hoc est profiteri exteriùs cultum idoli, quem similes actiones per se, ex usu, & consuetudine Gentilium significant: hoc autem vel maximè veræ Fidei contrarium est. Confirmatur. Qui de Fide interrogatus illam negaret verbotenus tantùm, gravissimè peccaret: ergo similiter peccat ejusmodi actiones, de quibus meminimus, exercens, quamvis non habeat animum colendi idolum. Nam facta hæc verbis æquivalent Fidem negantibus.

Dices. Abrogato jam Judaismo Apos- 47
tolus circumcidit Timotheum, seque ipsum Judaicè purificavit. Deinde Elisæus Propheta licentiam dedit Naaman Syro genu flectendi coram idolo in templo Remmon; adeoque fictè adorandi. Denique Jehu finxit, se velle adorare Baal, ut inde occasionem nanciscereturfacilùs comprehendendi atque occidendi omnes sacerdotes illius; laudatur que hoc ejus factum à Deo 4 Reg. 10. Ex quibus colligi videtur, falsam religionem simulare non esse semper illicitum. Respondeo ad primum, cæremonias antiquæ legis tempore, quo easdem tunc observabat Apostolus, nondum fuisse mortiferas, esto, fuerint mortuæ, ut loqui solent Theologi; adeoque ob finem honestum illis aliquamdiu licitè uti potuisse. Ad secundum dico, Prophetam non dedisse Naaman licentiam genu flectendi in honorem idoli, vel adorandi illud, sed ad præstandum officium politicum Regi idolum adoranti, atque super Naaman, cùm adoraret, inniti assueto. Ad tertium dico, Deum in illo facto Jehu non laudâsse, quòd simulaverit adorationem Baal, sed quòd omnes sacerdotes Baal occiderit. vid. Valent. to. 3. disp. 1. q. 3. pu. 2. col. 436. Paul. Mezg. n. 7. & 8.

IV. Peccant quarto occulti Catholici, 48
dum metu pœnarum sumunt cœnam hæreticorum, quos inter versantur. Laym. n. 4. ex communi DD. Ratio est: quia licèt ejusmodi cœna absolutè & præcisè spectata sit res indifferens, nec plus significet, quàm

cœna

cœna in caupona; tamen per circumstantias personarum, loci, temporis, verborum &c. determinatur, ut sit signum religionis hæreticæ; atque adeo citra simulationem pravæ hujusmodi sectæ à fidelibus sumi non possit.

49 V. Peccant quinto fideles, quando obediunt hæretico Principi præcipienti omnibus subditis, etiam sub gravissimis pœnis, ut accedant conventus hæreticos. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 4. n. 27. Bonac. ubi suprà, n. 22. Laym. n. 6. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 1. n. 11. Sporer tract. 2. in Decal. cap. 2. n. 39. & alii. Ratio est: tum, quia tale præceptum directè tendit ad conciliandum augmentum & authoritatem hæresis: tum, quia similium conventuum, seu concionum frequentatio est res ex se apta ad fideles paulatim pervertendos; imò etiam ad confirmandos in sua secta infideles, dum vident ritus suos à disparis quoque religionis cultoribus celebrari: quod proinde graviter scandalosum est. Neque refert primo, si Princeps in edicto asseveret, se aliud non intendere, quàm civilem obedientiam, nec velle quemquam cogere, ut à sua religione desciscat: nam re ipsa contrarium velle videtur; maximè, cùm suorum obedientiam aliis modis, qui nunquam desunt Principibus, exercere possit. Neque refert secundo, si aliquis publicè protestetur, se ad ejusmodi conventus accedere, non ut hæreticam sectam profiteatur, sed solùm, ut satisfaciat Principi ita jubenti: quia hæc talis protestatio vel nihil proderit ad evadendam pœnam, vel saltem non omne scandalum, proptiæque salutis periculum auferet; quemadmodum pluribus ostendit Sanchez loco cit. ubi etiam testatur, Paulum V. Catholicis Anglis ita bis rescripsisse.

50 VI. Peccant sexto Catholici ad occultandam Fidem utentes signis, aut vestibus ex se protestativis pravæ religionis. Ita communiter DD. Hic adverte, signa vel vestimenta ad præsens institutum esse in triplici differentia. Nam alia sunt distinctiva gentis à gente. hujusmodi est chlamis talaris, & cidaris albâ fasciâ turbinata, in quibus incedunt Turcæ, atque ab aliis populis dignoscuntur. Alia sunt primò & per se distinctiva sectæ à secta, id est, instituta ad dignoscendos homines unius sectæ ab hominibus alterius sectæ. talia sunt flavus pileus Judæorum Romæ degentium, & annulus flavus in pallio existentium Francofurti. Alia sunt primò & per se protestativa sectæ, id est, ex sua institutione, vel consuetudine significantia professionem certæ religionis: ut sunt imago v.g. Mahometis in pileo, vel clypeo, qua professio Mahometismi; ornatus sacerdotalis, quo professio Judaismi significatur. De signis ac vestibus primi generis consentiunt DD. ea posse gestari ab homine Catholico ad Fidem occultandam, Ratio est: quia hæc gestare non est negare veram Fidem, & falsam profiteri, sed ad summum simulare, quòd quis ex tali sit nationè, esto, alii decipiantur existimantes, ita indutum profiteti religionem Turcicam, Anglicanam &c. similis enim deceptio ob justam causam, v. g. securitatem itineris, licitè permittitur. De secundo genere iterum communior sententia concedit, Catholicum ex gravi causa, v. g. ad evadendum periculum mortis, & quando non urget præceptum Fidem extemè confitendi, illis signis & vestibus uti posse. Ratio est: quia consideratis circumstantiis usus similium minimè arguit aliquem desciviisse à Fide: nam omnes, qui talem nôssent, judicarent, sic esse indutum præcisè ad evadendum periculum. vid. Castropal. tract. 4. disp. 1. pu. 17. n. 3. De tertio proinde genere procedit præsens resolutio. Ratio est: quia gestatio similium meritò judicatur esse quidam cultus & honoratio falsæ religionis. quis enim non censeat aliquid venerationis sectæ cuipiam accedere, ejusque existimationem crescere, quando plures illius symbolis, ac tesseris ornati incedunt? Accedit, quòd citrà scandalum hoc fieri vix unquam posse videatur. Castropal. loco cit. Nihilominùs ob gravissimam causam prædicta signa gestare esse licitum probabiliter docent Sanchez ubi suprà num. 20. Laym. n. 4. Tambur. n. 7. Sporer n. 35. & 36. & alii.

51 VII. Peccant septimo, qui coram Parocho hæretico matrimonium contrahunt. Castropal. n. 14. Tambur. n. 13. & alii. Neque refert, si contraxerint antè, vel contracturi sint postea coram Parocho Catholico. Ratio est: quia sic authoritas hæretici ministri, & consequenter doctrinæ ejusdem augetur. Concutritur etiam ad ritus hæreticos, qui tunc intervenire solent. Licitum tamen est contrahere coram magistratu civili hæretico; modò vel antea ritu Catholico fuerit contractum, vel postea contrahatur. Ratio est: quia hoc solùm est parere præcepto politico, ut constet, matrimonium iniri civiliter. citt.

52 VIII. Peccat octavo, qui interrogatus de Fide sua, seu publica, seu privata authoritate, utitur restrictione mentali, vel loquitur obscurè, aut verbis ambiguis, ita ut juxta mentem & sensum interrogantis videatur ac præsumatur Fidem negare. Castropal. pu. 14. n. 3. Sporer n. 31. Ratio est: quia hic talis meritò censetur Fidem negare exterius, quod per se & intrinsecè malum est. Exemplum esset, si apud Lutheranos interrogatus, an sis Evangelicus? responderes affirmativè, intelligendô per Evangelium non sectam illam novam, sed veram religionem juxta verum ac legiti-

mium sensum Evangelii. vel, si in Anglia interrogatus, an sis fidei regiæ? responderes, te esse, intelligendo per Fidem regiam, non illam, cujus hodie cultores sunt Angli hæretici, sed antiquam Regum Catholicorum &c.

53 IX. Non peccat contra præceptum Fidem non negandi primo, qui negat se esse Christianum apud illas gentes, quibus hoc nomen non significat religionem, sed nationem; sicut refertur de Indis Occidentalibus, qui nomine Christiani Hispanum intelligebant. Unde ibi negare, quòd esses Christianus, idem erat ac negare, quòd esses Hispanus, & solùm leve mendacium. Idem tenendum de eo; qui interrogatus; an sit Sacerdos, Clericus, Monachus? an audiverit, vel celebraverit Missam? an abstineat à carnibus die Veneris? & his similia, respondet negativè. Ratio est: quia hoc solùm est negare statum, vel consuetudines, & actiones suas tales, sine quibus omnibus possit haberi Fides; adeoque non est negare Fidem. Sanchez cap. cit. n. 10. & 12. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 3. n. 5. & 25. Castropal. pu. 13. n. 4. Tambur. cap. cit. §. 3. n. 3. & alii. Neque refert, quòd hæreticus similia interroget animô Fidem tuam explorandi: quia hanc eidem non negas, sed statum, munus, actionem &c. sine quibus omnibus possis esse Catholicus. Castropal. cit.

54 X. Non peccat secundo, qui non seriò, sed joci causâ pravam religionem simulat, ejusque ritus & actiones exercet: quemadmodùm in Comœdiis interdum fieri videmus. Ratio est: quia hoc neque est profiteri fidem falsam, neque negare veram; sed potiùs falsam irridere, & negationem veræ repræsentare spectatoribus, veluti si Pictor repræsentaret in tabula: quod nulla lege prohibetur. Sanchez n. 15. Castropal. pu. 16. n. 3. Tambur. n. 6. Valent. to. 3. disp. 1. q. 3. pu. 2. colum. 433.

55 XI. Non peccat tertio, qui concionibus, vel cæremoniis hæreticorum interest animô notandi, ac confutandi errores eorumdem. Similiter nec ille peccare dicendus est contra præsens præceptum negativum, qui templum hæreticorum ingreditur, ut spectet, quæ ibi geruntur, tanquam Comœdiam; vel aliud negotium politicum tractet, v. g. inserviat Principi cuipiam, aut quid simile. Valent. col. 438. Bonac. n. 21. & 27. Ratio est: quia hoc est materialiter solùm adire templa & functiones infidelium, non autem formaliter, ut eisdem communicare censeamur. Hic tamen aliunde peccare posses, nempe ratione scandali aliorum, vel ob periculum propriæ perversionis, vel præceptum Ecclesiæ similia prohibentis. Bonac. n. 11. cit.

56 XII. Non peccat quarto, qui degens inter hæreticos die interdicto carnes comedit, ne, si ab ipsis cognoscatur esse Catholicus, de vita vel fortunis periclitetur. Bonac. n. 23. Laym. ubi suprà n. 5. Tambur. n. 8. Sporer n. 40. & alii. Ratio est: tum, quia carnes comedere die interdicto secundùm se non est signum pravæ sectæ: cùm id ob varias causas Catholici licitè facere soleant. tum, quia præceptum Ecclesiasticum in tali necessitate non obligat. Neque obstat, quòd sectarii ex tali comestione conjicere soleant, aliquem à Fide Catholica esse alienum: nam, ut superiùs monui, similem eorum deceptionem ex gravi causa fas est permittere: præciso tamen scandalo, & Religionis contemptu. Verùm ex circumstantiis contingere posset, ut comestio carnium die interdicto fieret signum falsæ fidei professivum. Exemplum accipe. Conveniunt in Quadragesima ad eandem mensam aliqui Lutherani, & quidam Catholicus. illi ad explorandam hujus Fidem pronuntiant: qui hostis est Fidei Pontificiæ, ex hoc ferculo sumat carnes & comedat. In hoc casu graviter peccat Catholicus contra præceptum non negandi Fidem, si comedat absque protestatione; secùs, si protestetur, videlicet, hoc non debere esse signum explorandæ religionis; cùm multi etiam Pontificii in Quadragesima ob legitimas ipsorum judicio causas vescantur carnibus. vid. Laym. loco cit. Castropal. pu. 17. n. 10. Monent porrò Doctores, si Catholico inter Lutheranos versanti propter abstinentiam à carnibus die Veneris v. g. nihil grave sit timendum, sed aliqua tantùm à præsentibus irrisio, tunc esse abstinendum. Ratio est: quia id, quod timetur, est levius, quàm ut possit à præcepto Ecclesiæ tam gravi excusare: imò potiùs honorificum est Catholico quàm ignominiosum ea propter irrideri.

57 Ex dictis colligitur primo, pessimum esse illud moderni temporis Politicorum, aliorumque de re Catholica pravè sentientium principium, cuivis licitum esse Fidem negare exteriùs, & alienæ religionis vacare exercitiis, modò corde & animo in Fide exteriùs negata firmiter persistat. Ratio est: quia hoc eodem principio quondam usi sunt Priscillianistæ, aliique hæretici ad probandum, licitum esse Christiano tormentis excruciato externa voce negare Christum, dummodò eundem in corde retineat. Quorum væsaniam pridem jam refutârunt Tertull. in Scorp. c. 1. S. August. lib. contra mendac. c. 2. & alii Patres.

58 Colligitur secundo, abominabilem esse praxim quorundam Catholicorum, qui, dum per

per terras hæreticorum peregrinantur, vel negotiantur, à magistratu hæretico recipiunt salvos conductus, & litteras, in quibus significatur, ipsos esse ejusdem religionis, vel juramentum religionis præstitisse. Ratio est: quia hi tales procurando, & acceptando ejusmodi publica testimonia de professione falsæ religionis virtualiter negant Fidem Catholicam, sicut olim Libellatici apud S. Cyprianum, epist. 52. de quibus vid. Salmantic. to. 7. tract. 17. disp. 7. n. 54.

§. VI.

Quomodo, & quando obliget præceptum affirmativum Fidem exteriùs confitendi?

SUMMARIUM.

59. *Datur præceptum Divinum Fidem exteriùs confitendi.* 60. *Hoc præceptum per se, & non per accidens, solùm obligat.* 61. *Plurium præceptorum obligationes sæpe cadunt supra eandem materiam.* 62. *Declaratur, quandonam fidelis teneatur Fidem confiteri exteriùs.* 63. 64. *& seqq. Resolvuntur varii casus.* 70. *Etiam ex præcepto Ecclesiastico certæ personæ certis temporibus tenentur Fidem externè confiteri.* 71. *An violans istud præceptum peccet contra unam tantùm virtutem?*

59 DAri ejusmodi præceptum Divinum certum est apud omnes Catholicos ex illo Apostoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Nam quod necessarium est necessitate medii ad salutem, cadit sub præceptum affirmativum Divinum: sed Fidem externè confiteri necessarium est necessitate medii ad salutem; ut modò audivimus ex Apostolo; ergo cadit sub præceptum affirmativum Divinum; & consequenter existit ejusmodi præceptum de externa confessione fidei.

60 Dico nunc primo. Istud præceptum per se, & ratione Fidei, & non solùm per accidens ratione aliarum virtutum obligat ad externam confessionem Fidei. Ita ex communi Thomistarum docent Salmantic. to. 7. tract. 17. disp. 7. n. 3. & seqq. consentit Valentia to. 3. disp. 1. q. 3. pu. 1. Ratio est: quia Fides per se inclinat ad exhibendum ac conservandum honorem & cultum debitum Deo ut testificanti de mysteriis credendis; sicut Religio per se inclinat ad cultum debitum DEO ut supremo omnium Domino: ergo præceptum Fidei per se obligat ad actum, quo honor Deo debitus ut testificanti de mysteriis credendis exhibetur & conservatur: atqui ejusmodi actus vel maximè est externa Fidei confessio; ergo præceptum Fidei, de quo loquimur, per se obligat ad externam confessionem Fidei.

Corollarium. Licèt ad externam confessionem Fidei quis obligetur ex præceptis aliarum virtutum, putà charitatis, religionis &c. id tamen non impedit, quominùs specialiter, & per se obligetur ex præcepto Fidei. Ratio est: quia sicut in aliis, ita etiam in præsenti plurium præceptorum obligationes secundùm diversas rationes ac fines cadere solent supra eandem materiam. In quo proinde tali casu non confiteri Fidem exteriùs multiplex peccatũ est contra rationes speciales prædictarum virtutum. Salmantic. loc. cit. n. 4. 61

Dico secundo. Fidelis præcepto Divino & naturali toties Fidem externè tenetur confiteri, quoties id vel honor Deo debitus, vel salus animæ propriæ, vel proximi videtur exigere. D. Thomas 2. 2. q. 3. a. 2. quem hic communiter sequuntur Theologi cæteri. Ratio est: quia id habet quælibet virtus, ut ejus actus sit in præcepto, quando incipit esse necessarius ad finem charitatis erga Deum, erga se ipsum, erga proximum. Nam *Finis præcepti est charitas*, 1. ad Tim. 1. Atqui in casibus indicatis externa Fidei professio incipit esse necessaria ad finem charitatis; cùm illam tunc omittens neque erga Deum, neque erga seipsum, neque erga proximum censere possit habere charitatem; ergo &c. Ex quibus nunc varia licet resolvere. 62

I. Interrogatus ab eo, qui prædituς est auctoritate publica, de sua Fide, tenetur eam confiteri, quamvis ex ejusmodi confessione mors, exilium, carcer, aut quævis tormenta subeunda impendeant. Ita communiter DD. Ratio est: quia alioquin DEO magis honor ipsi debitus subtraheretur. Nam Deo & Christo vel maximè gloriosum est, suæ Fidei veritatem tanti fieri ab homine, ut eam insuperhabito mortis, vel alio quovis periculo profiteri coram Principibus & sæculi Magistratibus audeat: estque præterea hic talis honor tunc Deo debitus ut testificanti de mysteriis credendis. Adde, quòd ejusmodi confessio in augmentum & confirmationem Fidei magnopere cedere soleat. Vid. Valent. to. 3. disp. 1. q. 3. pu. 2. dub. 3. Filliuc. tract. 22. n. 63. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 3. n. 7. Salmantic. n. 7. Reding q. 3. a. 2. contr. 3. n. 28. Paulus Mezger tract. 10. disp. 19. a. 3. n. 15. 63

II. Quòdsi privatus hæreticus, aut alius infidelis sciscitetur, quam Religionem profitearis? non teneris fateri, per se loquendo; sed potes vel tacendo, vel alio modo eludere interrogantem, dicendo v. g. *quid ad te? quis te constituit judicem?* dummodò caveas, ne interveniat mendacium, vel restrictio mentalis. Valent. Salmant. Reding, Mezger locis citt. Filliuc. n. 64. Sanchez lib. 2. 64

Decal. cap. 4. n. 6. Laym. lib 2. tract. 1. cap. 11. n. 3. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 3. §. 2. n. 3. & alii. Ratio est: quia tunc neque Divino honori, neque saluti, sive tuæ sive proximi, timendum est periculum ex omissa confessione Fidei. Dixi autem, *per se loquendo*. Nam si vir esses admodùm gravis, tacere, vel dissimulare Fidem non posses de illa rogatus etiam ab homine privato, si ex tua taciturnitate, vel dissimulatione magnum aliquod scandalum, aut ludibrium Religionis orituruum prudenter existimares. Ratio est; quia in istis circumstantiis honor Divinus & salus proximi externam Fidei confessionem exposceret.

65 III. Si in Anglia v. g. potestas publica per edictum generaliter vocaret Fideles ad Fidem suam coram tribunali manifestandam, vel præciperet, ut, qui tenerent Religionem Catholicam, certas notas, ex quibus constare posset esse Catholicos, in vestibus gestaren, nemo teneretur obedire. Bonac. n. 8. Castropal. to. 1. tract. 4. de Fide, disp. 1. pu. 14. n. 2. Tambur. n. 6. & alii. Ratio est: tum, quia præcepta humana, cujusmodi continetur in tali edicto, non obligant cum periculo certo tanti mali, quantum hic timendum esset obedientibus. Tum, quia, ut quis teneatur coram magistratu manifestare suam Fidem, interrogari debet nominatim, & in particulari? atqui dum ita generaliter vocantur omnes, nemo propriè interrogatur, ut advertit Suarez, quem refert Cardenas in Crisi Theol. dissert. 12. cap. 3. a. 3. Tum denique, quia in dictis casibus non procedit ratio nostræ Conclus. cùm non appareat, quidnam sive ad Divinum honorem, sive ad salutem proximi, vel propriam talis obedientia magnopere conferat. Quodsi tamen ejusmodi essent circumstantiæ, ut ex simili manifestatione sperari posset magnus Dei honor alioquin periclitaturus; vel inde penderet spiritualis proximi salus, Fideles tenerentur obedire. Castropal. Tambur. citt. Imò à contrario ob eandem rationem tenereris te occultare, si ad Dei, & Ecclesiæ honorem, proximique salutem sic expedire crederes.

66 IV. Qui videt, à Turca, hæretico, aliove infideli Sacram Eucharistiam v. g. sacras imagines, sacras virgines violari, tenetur eos, si potest, cohibere, seque Catholicum esse manifestare etiam cum vitæ periculo. Ratio est: quia honor Divinus, & veræ Fidei authoritas hic exigunt, ut serventur indemnes. Filsiuc. ubi suprà n. 74. Bonac. n, 13. Sporer tract. 2. in 1. præcept Decal. cap. 2. n. 25. in fine. Dixi, *si potes*. cur enim obligeris, præsertim cum tanto tui periculo, quando vides, te nihil profecturum? Imò universaliter, quando ex confessione Fidei coram infidelibus nulla speratur secutura utilitas, sed potiùs oritura inter illos timetur major ira, indignatio, sævitia &c. in res & personas Christianorum, seu sacras, seu profanas, intermittenda est ejusmodi confessio tanquam imprudens, & indiscreta, imò temeraria potiùs. Vid. D. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. ad 3. Bonac. n. 11. Laym. n. 2.

V. Non est illicitum per se loquendò, 67
dum imminet persecutio, publicam de Fide interrogationem, ac vexationem declinare fugiendò. Ita contra Tertull. omnes Catholici. Constat inprimis non solùm ex doctrina Christi apud Matth. 10. *Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, sed etiam exemplo, cùm & ipse non semel eos, à quibus ad necem poscebatur, fugisse legatur in Evangelio. Constat insuper exemplis plurium Sanctorum, quæ referuntur tum in S. Script. tum in historiis Ecclesiasticis, ut videre est apud Salmantic. ubi suprà n. 13. Constat deinde ex ratione: quia tantùm abest, ut ejusmodi fuga secundùm se sit quædam negatio seu proditio Fidei, ut sit potiùs virtualis ejusdem confessio: cùm omnes ex ea colligant, fugientem esse Catholicum: cur enim fugeret, si talis non esset? Castropal. pu. 15. n. 1. Salmantic. loco cit. & alii.

Dixi, *per se loquendò*. Nam ratione circumstantiarum personæ, officii &c. sæpe est illicitum fugere tempore persecutionis: quod vel maximè obtinet in pastoribus animarum, qui gravissimè peccant, si tali tempore deserant suas Ecclesias, cum periculo, ne ipsis absentibus oves à Fide deficiant. Ratio est: quia in tanta necessitate non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia tenentur præesse subditis; imò, si res postulet, vitam & sanguinem pro eorum salute profundere. Nam ista boni pastoris nota est, per quam discernitur à mercenario, Ioan. 10.

VI. Siquis esset illius conditionis, ut 68
ejus opera utilis quidem foret fidelibus, dum sævit persecutio, non tamen necessaria, tunc licitè fugeret; quamvis etiam licitè remaneret, si luberet. Constat ex dictis. Quodsi ipsius præsentia plus noceret quàm prodesset bono Religionis; vel si conscius propriæ imbecillitatis prudenter timeret, ne Fidem negaret tormentorum acerbitate victus; vel si videret, vitam suam bono universalis Ecclesiæ esse maximè necessariam, talis etiam fugere, aut se se occultare teneretur. Ratio est: quia sic, iterum exigit honor Dei, & salus tum propria, tum proximorum. Castropal. n. 3. Tambur. n. 6. Sporer ubi suprà n. 28.

VII. Etsi tacens coram tyranno, dum 69
de sua Religione examinatur, per se loquendo censeatur negare Fidem, per accidens tamen

tamen ejusmodi taciturnitas talibus circumstantiis potest esse vestita, ut non ampliùs sit signum negationis Fidei. Exemplum habes in eo, qui interrogatus tacet, & osculatur Crucifixum; vel jugulum offert, ut ostendat paratum se mori pro Fide: vel etiam, si Tyranno minante acerbissima tormenta rideat & rideat ejusmodi minas contemnens. In his, & similibus casibus taciturnitas non est signum timoris, aut negationis Fidei, sed virtualis confessio. Vid. Cardenas, ubi suprà, cap. 2.

70 Dico nunc tertio. Etiam præcepto positivo Ecclesiæ tenentur certæ personæ certis temporibus Fidem externè profiteri. Constat ex Concil. Trid. sess. 24. *de Reformat.* cap. 12. ubi omnes provisi de beneficiis curam animarum habentibus; item provisi de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus jubentur intra duos menses à die adeptæ possessionis publicam Fidei professionem facere. Quod decretum Concil. Trid. Pius IV. in constit. quæ incipit, *Injunctum*, etiam ad Prælatos Regularium extendit. Quamvis Sanchez lib. 2. Decal. cap. 5. n. 4. moneat, hanc extensionem non in omnibus Religionibus esse receptam. Porrò Pius V. in motu proprio, qui incipit, *In Sacrosanctæ*, decrevit, ut eandem Fidei professionem facere teneantur Doctores, Magistri, Regentes & Professores quatumcunque artium, tum Clerici, tum Laici, adjecta excommunicatione latæ sententiæ, & privatione omnium beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram sine prævia professione Fidei promovere ausi fuerint. Vid. Laym. ubi suprà n. 7.

Corollarium. Quando Præceptum Ec- 71
clesiasticum in prædictis casibus obligat ad professionem Fidei faciendam, eam omittens peccat non solùm contra obedientiam Ecclesiæ præcipienti debitam, sed etiam contra ipsam virtutem Fidei. Card. de Lugo, quem refert & sequitur Reding, q. 3. a. 2. contr. 3. n. 33. Ratio est: quia vi præcepti Ecclesiastici fit, ut actus virtutis, qui illo præcipitur, cadat sub moralem obligationem talis virtutis: quemadmodùm videmus in abstinentia à carnibus v. g. die Veneris, ad quam præceptum Ecclesiæ obligat sub specifico motivo virtutis temperantiæ, ita ut contra hanc peccet, qui eo die non abstinet à carnibus, & simul contra obedientiam. Verùm de hac doctrina, qualiter subsistat, vide, quæ tract. 2. disp. 3. a. 2. n. 11. 12. & 21. diximus.

ARTICULUS II.

De Infidelitate.

FIdei opponitur Infidelitas. Unde postquàm de illa disseruimus, de hac quoque paucis agemus, memores, oppositorum eandem esse scientiam. Infidelitas generali divisione dividitur in negativam & privativam. Negativa est carentia Fidei in eo, qui vel nihil unquam audivit de Fide, vel destituitur sufficienti cognitione mysteriorum ejusdem. Privativa (quam etiam positivam vocant) est carentia Fidei in eo, qui mysteriis Fidei etiam sufficienter propositis assentiri pertinaciter detrectat. De qua (prætermissâ hic negativâ) sit.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Infidelitas?

SUMMARIUM.

1. Affertur & declaratur definitio Infidelitatis. 2. Non omne peccatum contra Fidem est Infidelitas. 3. Errans contra Fidem ex ignorantia culpabili, etiam crassa, non est infidelis. 4. Infidelitas est formaliter peccatum commissionis. 5. Deliberatè dubitare de aliquo articulo Fidei est peccatum Infidelitatis. 6. Quanta sit gravitas peccati Infidelitatis. 7. Cur fideles damnati gravius puniantur in inferno, quàm infideles? 8. Species infidelitatis sunt Paganismus, Judaismus, & Hæresis. 9. Solvitur objectio. 10. Recensitæ species differunt essentialiter. 11. Catholicus incidens in hæresim non potest deinde incidere in Judaismum, vel Paganismum formaliter. 12. Ex speciebus Infidelitatis Hæresis intensivè, & Paganismus extensivè est pessima.

1 DIco primo. Infidelitas privativa, seu potiùs contraria, est voluntarius error intellectûs contra Fidem renitentis cum pertinacia. Ita Salmantic. to. 7. tr. 17. disp. 9. dub. 1. n. 2. Paulus Mezger tract. 10. disp. 20. a. 1. n. 1. & colligitur ex D. Thoma in 2. 2. q. 10. a. 1. & 3. Dicitur autem *error* loco generis, in quo convenit cum infidelitate negativa. Dicitur *voluntarius*, per quod differt ab infidelitate negativa; nam ista non est error voluntarius; quippe conjuncta cum invincibili ignorantia. Dicitur *intellectûs*, ut significetur, infidelitatem secundùm suam formalem rationem, qua fidei opponitur, recipi in intellectu; & ideo dicitur *contra Fidem*, ut oppositio con-

contraria, juxta cujus naturam infidelitas ex intellectu expellit Fidem, judicetur. Dicitur *cum pertinacia*: quæ est prava quædam affectio voluntatis, qua quis sciens & prudens se versari in errore, eum nihilominùs tenet: sicut pluribus deinceps declarabitur. Ex definitione sic expositâ.

2 Infertur primo, non omne peccatum contra Fidem esse infidelitatem & Fidem destruere. Salmantic. n. 5. Mezger n. 2. Ratio
1 est: quia infidelitas formaliter est erroneus dissensus intellectûs circa mysteria Fidei, & hujus assensui contrariè oppositus: atqui non omne peccatum contra Fidem est ejusmodi dissensus; veluti constat tum in negatione solùm externa Fidei, tum in ignorantia culpabili mysteriorum ejusdem. Et hæc peccata committunt fideles, quin desinant esse fideles: quod de negatione externa patet in Petro Apostolo, qui ita Christum negavit, & tamen non amisit Fidem: de peccato ignorantiæ verò statim constabit. Nam

3 Infertur secundo, errantem contra Fidem ex ignorantia culpabili, quantumvis crassa ac supina, non esse infidelem. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 7. n. 20. Suarez, Card. de Lugo, quos refert & sequitur Reding q. 6. a. 1. contr. 1. n. 11. Paulus Mezger n. 3. & alii. Ratio est. quia talis non est pertinax in suo errore: cùm non repugnet agnitæ veritati Fidei ex prava affectione voluntatis intellectum in ejus obsequium captivare renitentis; sed potiùs sit paratus errorem suum relinquere, si ab Ecclesia contrarium teneri resciverit. Hinc aliud sentiendum de eo, qui sic errat per ignorantiam affectatam, conjunctamque cum implicito contemptu Fidei vel Ecclesiæ. Veluti cùm rusticus v. g. obligatus accedere concionem, vel catechesim, in qua explicantur mysteria Fidei, datâ operâ non accedit, eò quod vel similia parvi æstimet; vel quòd in suis erroribus liberiùs perseverare velit. Hic talis non videtur excusabilis à positivo peccato infidelitatis: cùm judicet virtualiter saltem & in genere, Fidem ad salutem sibi non esse necessariam, quod est hæ-
1 reticum. Vid. Spoer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 3. n. 14.

4 Infertur tertio, infidelitatem formaliter esse peccatum commissionis, non omissionis. D. Thom. ubi supra a. 1. in corp. Ratio est; quia infidelitas consistit in erroneo, eoque voluntario judicio contra Fidem: atqui ejusmodi judicium sonat commissionem, non omissionem; ergo. Unde sequitur, eum, qui omittit exercere actum Fidei tempore, quo obligatur exercere ejus præceptô affirmativô, peccare quidem, sed non peccatô infidelitatis; sicut non peccat peccatô odii Dei, qui omittit actum dilectionis Dei tempore, quo ad illum obligatur præceptô affirmativô charitatis, quamvis haùd dubiè peccet. Mezger n. 4.

5 Infertur quarto, in peccato infidelitatis existere eum, qui de aliquo articulo Fidei deliberatè dubitat. Ita communis sententia, quam præter alios docent Sanchez cap. cit. n. 12. Salmantic. ubi suprà, n. 4. Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 13. n. 5. Reding n. 17. Mezger n. 5. & colligitur ex cap. 1. *de hæreticis*, ubi dicitur; *dubius in Fide infidelis est*. Dices. Qui dubitat, is neque dissentit veritati Fidei, neque assentitur falsitati contrariæ, sed negativè se habens suspendit omne judicium: ergo non errat positivè contra fidem, & consequenter non est infidelis. Respondeo neg. Ant. intellectum de dubitante deliberatè. Licèt enim talis quasi negativè se habeat quantum ad extrema, circa quæ versatur ipsius dubium, positivè tamen judicat, saltem implicitè, materiam sui dubii esse dubiam & incertam; adeoque habet judicium erroneum de infallibilitate Fidei, quæ est similiter una ex veritatibus Fidei. Monent tamen Salmantic. ut ejusmodi dubium sit peccatum infidelitatis, ac Fidem destruat, debere esse conjunctum cum pertinacia; uti per se patet.

6 Infertur quinto, peccatum infidelitatis, quamvis non sit gravissimum eorum, quæ contra virtutes Theologicas committuntur, gravius tamen esse omnibus, quæ virtutibus moralibus opponuntur. D. Th. q. cit. a. 3. Ratio primi est: quia odium Dei, quod adversatur charitati, omnium confessione excedit in gravitate peccata contra virtutes Fidei ac Spei Theologicæ. Ratio secundi ex S. D. est: quia peccatum tanto est gravius, quanto magis hominem à Deo avertit: sed peccatum infidelitatis hominem maximè avertit à Deo; cùm etiam veram illius cognitionem removeat, quod non præstant alia peccata; ergo.

7 Objicies. Fideles damnati graviùs puniuntur in Inferno, quàm infideles, ut habet Urbanus Papa in cap. *Scimus*, 12. quæst. 1. ergo signum est, infidelitatem non esse peccatum gravius aliis, quæ à fidelibus communiter perpetrantur contra virtutes morales, putà religionem, justitiam, temperantiam &c. Respondeo neg. conseq. quod enim fideles graviùs puniantur, non accidit propter excessum gravitatis in peccato aliquo contra virtutem quampiam moralem per se repertum; sed propter circumstantias ingratitudinis, scandali, ac similes.

8 Dico secundo. Infidelitas adæquatè dividitur in tres species, nempe in Paganismum, Judaismum, & Heresim. Ita D. Thom. q. cit. a. 5. & alii Theologi communiter. Ratio est; quia tot species vitii rectè assignantur, quot modis contingit ipsum repugnare

repugnare virtuti: sed infidelitatem repugnare fidei contingit tribus modis, quorum unus efficit Paganismum, alter Judaismum, tertius Hæresim; ergo tres istæ species rectè assignantur. maj. constat: quia non ob aliam rationem statuuntur duo vitia extrema virtuti morali contraria, quàm quia duobus modis contingit vitium repugnare virtuti, scilicet per excessum & per defectum. mi. ostenditur. Nam vel infidelitas repugnat fidei objectivè nondum susceptæ, & tunc est Paganismus: vel susceptæ in figura, & tunc est Judaismus: vel susceptæ secundùm ipsam manifestationem veritatis, & tunc est Hæresis.

9 Objicies. Species infidelitatis sunt plures, quàm tres adductæ: ergo divisio non est adæquata. Ant. prob. Nam primo, Atheus nequidem credit dari Deum: quod tamen credunt alii infideles. Secundo, Mahomethani neque sunt Pagani, neque Judæi, neque Hæretici; quia credunt in unum Deum, & neque vetus, neque novum Testamentum recipiunt. Tertio, Apostata pariter nec est Paganus, nec Judæus; quia dissentit Fidei in manifestatione Evangelii receptæ: sed neque est Hæreticus; quia contradicit omnibus Fidei veritatibus. Quarto, Antichristus cum suis sequacibus non erit Paganus; quia vetus Testamentum, ejusque promissiones admittet. Non erit Judæus; quia non credet, aut sperabit Messiam venturum. Non erit Hæreticus; quia novum Testamentum non recipiet.

Respondeo neg. Ant. ad primam & secundam probat. dico, Atheos & Mahometanos esse referendos inter Paganos: quia ratio formalis Paganismi in eo consistit, quòd repugnet Fidei objectivè numquam susceptæ; quod etiam in Atheismo, & Mahometismo reperitur. Ad tertiam dico, Apostatas esse hæreticos: quia apostasia repugnat Fidei semel susceptæ in manifestatione Evangelii: superaddit tamen Hæresi circumstantiam aggravantem, ut habet D. Thom. 2. 2. q. 12. a. 1. ad 3. Quando apostasia est propriè talis, sive totalis derelictio Christianismi, tunc specialiter exprimi debet in Confessione propter terminum ad quem transit, scilicet Paganismum, vel Judaismum, ut monent Salmantic. dub. 2. n. 20. Ad quartam respondent aliqui, Antichristum futurum esse Judæum, utpote recepturum vetus Testamentum, & à Judæis pro vero Messia agnoscendum. Sed melius respondetur cum Salmantic. n. 18. futurum esse Paganum. Nam licèt aliquamdiu, ut Judæos sibi conciliet, simulaturus sit Judæum usurpandò ritus & cæremonias legis Mosaicæ, revera tamen, & interno dissensu tam vetus quàm novum Testamentum repudiabit.

Dico tertio. Recensitæ tres species Infidelitatis differunt essentialiter. Ita Salmantic. n. 21. Reding q. 6. a. 1. contr. 2. à n. 16. Paul. Mezder tr. 10. disp. 20. a. 1. à n. 9. & alii. Ratio est: quia habent diversa objecta formalia: nam alius est error & repugnantia objectiva contra Fidem ut nullatenùs receptam; alius contra fidem ut receptam in figuris veteris Testamenti; & alius contra fidem ut receptam in manifestatione Evangelii: sed ista sunt objecta formalia Infidelitatum prædictarum; ergo. Plura de his legè, si lubet, apud Scholasticos. 10

Dices. Fieri potest, ut Catholicus successivè incidat in Hæresim, Judaismum, & Paganismum. In hoc casu omnes istæ Infidelitates repugnant fidei semel susceptæ in manifestatione Evangelii: ergo Judaismus & Paganismus non differunt essentialiter ab Hæresi. Respondeo neg. talem posse incidere in Judaismum, vel Paganismum formaliter: nam omnis hæc Infidelitas successivè contracta est Hæresis ob rationem in objectione indicatam. Dicitur tamen ejusmodi Apostata modò Judæus, modò Paganus propter diversitatem materialem errorum, quos successivè amplectitur. 11

Corollarium. Si species Infidelitatis inter se conferas, deprehendes, ex illis Hæresim intensivè esse peccatum gravissimum, Paganismum verò extensivè; ut habet D. Th. 2. 2. q. 10. a. 6. Ratio primi est: quia Hæresis est magis voluntaria, quàm aliæ Infidelitates, eò quòd pugnet contra Fidem melius atque perfectius cognitam. Ratio secundi est: quia Paganismus negat plures veritates fidei, quàm Hæresis & Judaismus: ergo quoad extensionem materialem dicendus est Infidelitas maxima. 12

§. II.

De speciebus Infidelitatis.

SUMMARIUM.

13. *Quid sit Paganismus.* 14. *Observanda circa communicationem fidelium cum Paganis.* 15. *Quid sit Judaismus. Ubi etiam de communicatione cum Judæis.* 16. *Quid Hæresis.* 17. *Quid pertinacia Hæresi essentialis.* 18. 19. *& seqq. resolvuntur varii casus.*

QUot & quæ sint species Infidelitatis, jam constat ex priori §. operæ pretium nunc est de unaquaque in particulari disserere. Itaque Paganismus est Infidelitas fidei nullo modo susceptæ repugnans. Satis colligitur ex dictis loco cit. Neque refert, quòd Pagani, præsertim Turcæ, nonnulla credant, quæ nos credimus, v. g. existere unum Deum, 13

futuram resurrectionem mortuorum &c. quia non credunt quatenùs divinitus revelata, sed quatenùs prædicta & prædicata à suo Mahumete, ita ut formale motivum credendi non sit auctoritas Dei revelantis, sed impii Mahumetis. Quod idem proportionaliter senti de aliis Paganis: nihil enim credunt de nostræ Religionis mysteriis tanquam à Deo revelatum, sed ex aliis motivis, dum aliqua credunt. Dicuntur autem Pagani, quia militiæ Christi nullo modo adscripti; sicut, qui in pagis habitabant militiæ profanæ non accensi, olim Pagani dicebantur, ut ait Illsung tract. 3. disp. uu. a. 1. n. 41. vel quia edictò Imperatorum Christianorum urbibus excluſi in pagis & villis suos Deos venerabuntur, ut habet Filliuc. tract. 22. cap. 4. n. 113.

14 De communicatione Fidelium cum Paganis breviter tene sequentia. Primo; Fidelibus sub peccato mortali tam jure Divino positivo, quàm Ecclesiastico interdicta est communicatio cum Paganis in iis rebus, quæ ad Religionem pertinent, putà in dogmatibus, ritibus Sacrorum, cæremoniis Ethnicis. Nam dicitur 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum gentibus.* Ratio est: quia taliter communicans utitur signis, vel exercet actiones, quæ per se significant protestationem falsæ religionis; adeoque abnegat veram Fidem; ut constat ex a. præc. n. 50. Secundo, similiter prohibitum est Fideli cum Paganis inire matrimonium. Ratio est: quia Sacramentum esset invalidum ob impedimentum dirimens, quod dicitur disparitas cultûs. Tertio, nullo jure Fidelibus est interdictum communicare cum Paganis in actionibus civilibus quibuscunque, dum abest periculum subversionis.

15 Judaismus est Infidelitas repugnans Fidei susceptæ in typo, & figuris antiqui Testamenti. De communicatione Fidelium cum Judæis jus Ecclesiasticum constituit sequentia. Primo, nemini seu Clerico, seu laico licitum est cum Judæis habitare. Secundo, nec aliquem ex eorum Medicis adhibere infirmitatis curandæ causâ. Tertio, nec medicinas ab eis paratas recipere. Quarto, nec eorum azyma comedere. Quinto, nec eidem cum illis convivio interesse. Sexto, nec eodem balneo uti. Quæ ultima duo intellige, si formaliter per modum societatis & ex condicto conveniatur; secus, si per accidens & præter intentionem. Septimo, nec in domibus eorum agere nutricem infantium. Octavo, nec agere famulum. Nono, nec servitute subiici. Decimo, nec legata in testamentis eisdem relinquere. Undecimo, nec publica officia inter Christianos committere. Vid. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 31. Filliuc. cap. 5. à n. 126. Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 17. n. 1. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 5. n. 2. Castropal. disp. 2. pu. 9. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 10. n. 6. Finis istarum prohibitionum est, tum, ut conservetur Religionis Christianæ dignitas; tum, ut caveatur periculum perversionis, quod ex nulla re magis, quàm ex perfidissimæ hujus gentis familiaritate Fidelibus timendum est. Quòdsi huic fini ab Ecclesia intento graviter contraveniatur, mortale; si leviter, veniale peccatum committitur. Unde procul dubio gravissimè peccat, qui tempore Paschali cum Judæo azyma comedit: econtra venialiter tantùm peccare censendus est, qui citra contemptum prohibitionis & contumaciam cum Judæo semel comedit cibos non discretos. Laym. loco cit. Immo propter necessitatem, aliamve rationabilem causam contingere potest, ut communicatio cum Judæis nequidem venialiter mala sit, ut cum aliis advertit idem Laym. Ratio est: quia, sicut aliæ leges Ecclesiasticæ non obligant urgente casu gravis necessitatis, vel alia rationabili causa, ita nec istæ.

16 Hæresis generatim est hominis Christianam Religionem professi error contra aliquam Fidei veritatem. Quando talis error provenit ex ignorantia, vel alio errore citra pertinaciam voluntatis obfirmatæ in eo persistere, tunc dicitur Hæresis materialis. Dum accedit insuper pertinacia, dicitur Hæresis formalis: de qua hîc propriè sermo erit, & definitur ex D. Th. 2. 2. q. 11. a. 1. quòd sit voluntarius & pertinax error intellectûs contra aliquam vel plures Fidei veritates in eo, qui Christianam Religionem profitetur. Vid. Filliuc. cap. 6. n. 152. Reding q. 6. a. 3. contr. 1. n. 7. Paulus Mezger tract. 10. disp. 20. a. 2. n. 1. Dicitur *voluntarius error intellectûs*, in quo convenit cum aliis speciebus Infidelitatis. *Error* significat existimationem, sive assensum internum falsum. Ly *voluntarius* denotat, quòd, sicut ad Fidem requiritur pia voluntatis affectio, ita ad Hæresim necessaria sit prava ejusdem ad res Fidei affectio. Ly *intellectûs* indicat subjectum proximum Hæresis cum Fide commune: cùm contraria sint circa idem subjectum. Dicitur deinde *contra aliquam vel plures &c.* si enim repugnaret omnibus Religionis Christianæ articulis, Paganismus esset, vel Apostasia totalis, quam ab Hæresi secundùm circumstantiam accidentalem differre in n. 9. ex D. Thoma audivimus. Dicitur *in eo, qui Christianam Religionem profitetur*, scilicet externa professione secundùm aliquos Christianæ Religionis articulos, quos errans proprio arbitrio, suoque libitu sibi sumit credendos, non ex determinatione Ecclesiæ, & influxu Fidei Theologicæ. Dicitur *pertinax*. nam ratione pertinaciæ vel maximè

maximè distinguitur ab Hæresi materiali, estque communis doctrina ex S. August. epist. 162. & lib. 18. de Civit. Dei, cap. 5. pertinaciam ita esse de ratione formalis Hæresis, ut absque illa nec dari, nec intelligi possit.

17 Cæterùm pertinacia in eo consistit, quòd quis articulis Fidei, & motivis credibilitatis sufficienter propositis ac agnitis, ita ut de veri ate illorum prudenter dubitare nequeat, nihilominùs teneat contrarium, idque nolit relinquere, etiam propter quamcunque auctoritatem, nisi fortè manifestè convictus. Ex quibus apparet, ad pertinaciam minimè requiri aliquam moram temporis: cùm ejusmodi prava obstinati judicii determinatio fieri possit in instanti. Filliuc. n. 154. Tambur. ubi suprà §. 4. n. 3. Mezger n. 4. Ex dictis resolves sequentia.

18 I. Qui ob ignorantiam etiam vincibilem & culpabilem erroneè sentiret, Spiritum Sanctum procedere à solo Patre, is non esset Hæreticus. Ratio est: quia non resisteret Authoritati Ecclesiæ cum pertinacia: quippe quæ non habet locum in ignorante, de quo loquimur. Tambur. n. 4. Reding contr. 2. n. 25. Mezger n. 5. & alii. Vide tamen, quæ in §. præced. n. 3. diximus.

19 II. Si quis econtra assereret, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere (qui est articulus Fidei) non obstante, quod erroneè sibi persuaderet, Ecclesiam credere oppositum, is foret formalis Hæreticus. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 30. Filliuc. n. 177. Mezger n. 6. Ratio est: quia pertinaciter se opponeret Authoritati Ecclesiæ, eamque judicaret non esse infallibilem, & suo assensu dignam.

20 III. Cathechumenus, qui à Fide animô susceptâ deficit, non est propriè Hæreticus. Ratio est: quia Hæreticus propriè loquendô est, qui ab Ecclesia, cujus membrum per Fidei professionem in Baptismo est factus, pertinaciter dissentiendô recedit; atqui Catechumenus nunquam est factus membrum Ecclesiæ formaliter & completè, licèt inhoativè; ergo. Sanchez n. 34. Laym. ubi suprà cap. 13. n. 1. qui ait deinde, talem Catechumenum non differre essentialiter ab Hæreticis. Filliucius n. 156. & 157. distinguit, & negat esse Hæreticum coram Ecclesia, utpote non subjectum ejus jurisdictioni; concedit verò, esse Hæreticum coram Deo. Qua eadem distinctione in n. 158. utitur de fictè, id est, invalidè baptizato, vel ob defectum materiæ legitimæ, vel intentionis ex parte Ministri, si nempe à Fide deficiat.

21 IV. Qui revelationi Divinæ sibi privatim factæ, & cujus habet sufficientia indicia, pertinaciter dissentit, Hæreticus est. Sanchez n. 32. Castropal. disp. 3. pu. 2. n. 13. & alii. Ratio est: quia licèt Ecclesia hujusmodi revelationem nec illi, cui fit, nec aliis communiter credendam proponat, omnibus tamen credendum proponit, Deum in dicendo esse veracem, quem præcipuum Fidei Catholicæ articulum talis virtualiter saltem negat; quippe qui Dei dictis fidem non habet, cùm teneretur habere. Aliter cum Corduba docet Laym. n. 6. negans, talem propriè loquendô esse Hæreticum. Ratio est: quia in nullo Fidei dogmate contumaciter recedit ab Ecclesia. Neque enim negat, Deum in dicendo esse veracem; sed solùm negat, revelationem suam esse à Deo, quod tamen sufficientibus indiciis cognoscere posset. Talis proinde non debet appellari Hæreticus, aut censeri subjectus pœnis Hæreticorum. Tu senti hîc, meâ pace, quod lubet.

22 V. Negans conclusionem Theologicam ex præmissis, quarum una de Fide, altera naturalis, illatam non est Hæreticus. v. g. non est Hæreticus, qui concessis his præmissis, *Omnis homo est risibilis: Christus est homo*, negat conclusionem, *ergo Christus est risibilis*. Ratio est: quia similem propositionem non negat ex prava affectione ad veritatem Fidei, vel cum pertinaci repugnantia; sed quia vel existimat, eam non rectè deduci ex præmissa revelata; vel naturalem non esse omnino universaliter veram; vel quia non satis penetrat terminos & bonitatem illationis; hac enim probè perspecta impossibile est negare conclusionem. Sanchez n. 33. Laym. n. 7. Castropal. n. 10. At nihilominus in foro externo talis præsumitur esse Hæreticus. Ratio est: quia, qui contradicit consequenti, etiam præsumitur contradicere antecedenti: atqui antecedens in casu nostro includit articulum Fidei; ergo.

23 VI. Qui sectam Lutheri, Calvini &c. quam sunt professi, relinquere cupiunt; si adhibito examine constet, eos ignorantia invincibili, probabili, vel saltem mortaliter non culpabili laborâsse, post sufficientem instructionem, editamque coram testibus, si fieri possit, Fidei professionem, absolvi possunt à locorum Parochis, nisi quid aliud exigat consuetudo Diœcesis. Laym. n. 4. Ratio est: quia non sunt formales Hæretici, nec Fide, quam in Baptismo susceperunt, destituti; quippe quæ non amittitur, nisi errandô pertinaciter.

25 VII. Nulla est obligatio in Confessione exprimendi qualitatem Hæresis, in quam quis fuit lapsus. Ratio est: quia licèt malitiæ Hæreseos crescere possint secundùm circumstantias

stantias aggravantes, perfectioris cognitionis; libertatis &c. in omnibus tamen Hæresibus sunt ejusdem speciei. Ita aliis relatis tenet Diana to. 1. tract. de Circumst. resol. 46. Reding. q. 6. a. 3. contr. 1. n. 7. & 8. Aliis tamen placet contrarium.

§. III.

Expediuntur nonnullæ Quæstiones.

SUMMARIUM.

25. *An Pagani vi compelli licitè possint ad Fidem Catholicam?* 26. *An Judæi inter Christianos tolerandi?* 27. *An Hæretici tolerandi?* 28. *An Ecclesia habeat jus puniendi Hæreticos?* 29. *Hæretici propter susceptum Baptismum subjecti sunt Ecclesiæ.* 30. *Hæreticos vi compellere ad Fidem Catholicam est licitum.* 31. *In peccato Infidelitatis non datur parvitas materiæ.* 32. *Quomodo fiat, ut Hæretici veritati Catholicæ sufficienter perspectæ dissentiant?* 33. *Quid, & quotuplex Apostasia?* 34. 35. *Quid Schisma?* 36. *Schisma aliud purum, aliud coniunctum Hæresi.*

25 QUæritur primo, an Pagani à Christianis Principibus compelli possint ad suscipiendam Fidem? Respondeo, non posse, sive subditi sint, sive non sint. Ita D. Thom. in 2. 2. q. 10. a. 8. & DD. communiter. Ratio est: quia actus Fidei, ejusque professio debet esse libera: cogi autem, minisque, aut metu suppliciorum ac mortis ad eam compelli repugnat libertati. Atque hinc

Infertur primo, Principem in Paganos non posse bellum suscipere, ut eos ad ejurandam infidelitatem compellat. Ratio est: quia credere vel non credere illis debet esse liberum. Accedit, quòd nunquam auditum fuerit, Ecclesiam hoc tali medio fuisse usam ad conversionem Paganorum. Vid. Azorium to. 1. lib. 8. cap. 24. q. 6.

Infertur secundo, Paganos (idem cogita de aliis infidelibus) donis, beneficiis, officiis, obsequiis licitè allici ad Fidem Catholicam. Ratio est: quia hæc talia nihil derogant humanæ libertati. Unde mulier fidelis cum Pagano matrimonium potest contrahere sub conditione, si Baptismum suscipiat, ut habet Sylvester V. *Judæus*. q. 6. Lata eadem conditione Princeps Christianus Paganos subditos eximere potest à tributis, vectigalibus, aliisque oneribus; vel mortem meritos vitâ donare. Azor q. 2. Filliuc. tract. 22. cap. 4. n. 115.

Infertur tertio, Paganos subditos à Christiano Principe compelli posse ad Fidei prædicationem audiendam. Ratio est: quia hoc non est compellere ad Fidem amplectendam: cùm etiam post auditam prædicationem relinquatur eis liberum eligere utrumlibet. Confirmat hoc Filliuc. n. 117. exemplô Judæorum, qui Romæ certo tempore Doctorem Christianum audire compelluntur, idque jussu Gregorii XIII. & Nicolai III.

Quæritur secundo, an inter Christianos tolerandi sint Judæi? Respondeo, posse tolerari. 26 Patet ex Jure Canonico, quod in cap. *consuluit de Judæis* permittit, ut Judæi veteres suas synagogas restaurent, non autem novas ædificent: & in cap. *Qui sincerè*. dist. 45. ut ferias ac festivitates suas liberè celebrent. Ratio est: quia ritus Judaici sunt figura & umbra veritatis Evangelicæ, eique testimonium suppeditant: ergo conveniens est eos tolerari inter Fideles. Vid. D. Th. in 2. 2. q. 10. a. 11.

Quæritur tertio, an Hæretici tolerandi? 27 Respondeo, non esse tolerandos per se loquendo. D. Thom. loco cit. Ratio est: quia non minùs Reipublicæ Christianæ suis hæresibùs pernicioſi & exitiales sunt, quàm alii, qui non tolerantur. Dixi, *per se loquendo*. Nam per accidens, quando ipsos tolerare ad majus malum evitandum, vel majus bonum obtinendum existimatur esse necessarium, tolerari possunt: quemadmodum tolerari in nostra Germania experimur.

Quæritur quarto, an Ecclesia habeat 28 potestatem puniendi Hæreticos? Respondeo ex communi & certa Catholicorum sententia affirmativè. Habetur in Concil. Constant. sess. 15. ubi contrarium inter errores Ioan. Huss damnatur: & in cap. *Ad abolendum. Extra. de Hæretic.* & in Bulla Leonis X. ubi articuli Lutheri damnantur. Ratio quoque est: quia potestas legislativa in omni republica rectè instituta non solùm debet esse directiva, sed etiam coërcitiva, seu punitiva: ergo etiam potestas legislativa Ecclesiæ tanquam reipublicæ rectissimè institutæ debet esse talis. Conseq. patet. Ant. inde fit evidens, quòd malè consultum esset reipublicæ, si potestatem directivam haberet inermem, ac destitutam auctoritate puniendi delicta subditorum, quibûs bonum commune perturbatur. Cùm proinde ex omnibus peccatis nullum magis quàm Hæresis turbet communem tranquillitatem & pacem Ecclesiæ, huic convenire, & esse jus puniendi Hæreticos planè asserendum est. Cæterùm de pœnis Hæreticorum vid. Valent. to. 3. disp. 1. q. 11. pu. 3. Azor. lib. cit. cap. 10. 12. & 13. Filliuc. cap. 7. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 5. Reding q. 6.

q. 6. a. 3. contr. 5. Francisc. Schmier in tract. de Delict. par. 2. cap. 3. sect. 1. à n. 30. & alii passim de eisdem scribentes.

29 Objicies. Ecclesia non habet jus puniendi eos, qui non sunt membra ipsius, ut patet ex illo 1. ad Cor. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt?* sed Hæretici non sunt membra Ecclesiæ; ergo &c. Confirm. Credere est liberum: ergo nemo debet puniri, quòd non credat. Respondeo ad Object. dist. ma. non habet jus puniendi eos, qui non sunt membra ipsius, nec aliunde subjecti, conc. si sint aliunde subjecti, neg. maj. & sic dist. mi. neg. conseq. Licèt enim Hæretici non sint propriè membra Ecclesiæ; cùm nequidem influxum Fidei à Christo capite accipiant; propter characterem tamen Baptismi & professionem Fidei in illo verè subjecti sunt Ecclesiæ. Ex quo patet ad auctoritatem Apostoli: nam loquitur de illis, qui omnino foris sunt, nempe de Judæis & Paganis, qui nunquam Ecclesiæ se subjecerunt. Ad confirm. dico, ex illa potiùs sequi contrarium: cùm libertas in credendo arguat, culpabilem, adeoque & pœnâ dignum esse, qui non credit. Etiam abstinere à furtis & adulteriis est liberum. Anne igitur nemo puniri debet, quòd ab his non abstineat?

30 Corollarium. Hæretici pœnis tam spiritualibus, quàm corporalibus compelli possunt ad Fidem Catholicam. Azor. cap. 13. Bonac. disp. 3. q. 2. pu. 7. n. 1. Reding contr. 3. n. 18. Ratio est: quia jure sic compelluntur ad præstandum & exsolvendum id, quod promiserunt, si sponte præstare nolint: atqui Hæretici in Baptismo promiserunt Fidem Catholicam, ejusdemque tenendæ obligationem susceperunt; ergo ad eam tenendam jure ac meritò compelluntur. Ex quo patet longè aliam esse rationem de Infidelibus non Baptizatis, quos diximus ad Fidem compelli non posse: cùm enim Christo nomen nunquam dederint, aut Fidei Catholicæ professionem promiserint, non metu pœnarum, sed propriæ voluntatis libertate convertendi sunt.

31 Quæritur quinto, utrùm in peccato Infidelitatis detur parvitas materiæ? Respondeo, non dari, sed omnem plenè deliberatum errorem contra Fidem esse peccatum mortale. Ratio est: quia per quamlibet Infidelitatem proprium judicium præfertur primæ veritati, quæ est appretiabilis super omnem veritatem: atqui per hanc talem proprii judicii prælationem gravissima semper injuria primæ veritati irrogatur; ergo. Reding contro. 2. ne 32. Paulus Mezger tract. 10. disp. 20. a. 2. n. 15. qui tamen concedunt, alia quædam peccata contra Fidem, quæ non sunt ipse formalis error, posse ex levitate materiæ esse venialia: hujusmodi esset, siquis levem negligentiam committeret in addiscendo articulos Fidei: vel in concione unam alteramve circumstantiam falsam in re levi sacræ historiæ adjiceret.

Quæritur sexto, quomodo fieri possit, 32
ut Hæretici post veritatem Catholicam sufficienter propositam ac etiam perspectam dissentiant, suisque erroribus, quos sciunt esse errores, assentiantur? Respondeo, hoc fieri, quòd *alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque sui gratiâ*, ut loquitur S. August. lib. de util. cred. cap. 18. obstinata voluntate intellectum mox avertant à consideratione motivorum veritatis, ac eorum velut obliti eundem malitiosè determinent, ut totus ad motiva errorum incumbat. Ubi certum est, quòd stante actuali agnitione veritatis Catholicæ, & falsitatis suorum errorum neque his assentiri, neque illi dissentire possint, sed tum primùm, quando intellectum dicto modo à motivis veritatis averterunt, & ad motiva errorum converterunt.

Quæritur septimo, quid & quotuplex sit 33
Apostasia? Respondeo, triplicem esse Apostasiam, scilicet à Fide, ab Obedientia, ab Ordine sacro, vel Religione. Ita D. Th. in 2. 2. q. 12. à 1. Apostasia à Religione est, dum quis à Religiosi Ordinis instituto criminosè ac universim recedit sine proposito revertendi. Unde non est Apostata primo, qui cum licentia Prælati egreditur, vel ab Ordinis observantia liberatur: aut secundùm Canones ad Episcopatum evehitur: quia nempe non recedit criminosè. Nec secundo, qui sine licentia Prælati ab Ordine, quem professus est, transit ad alium laxiorem Religionis Ordinem: quia non recedit universim, sive ab omni Religionis instituto. Nec tertio, qui animô ad tempus vagandi egreditur, licèt habitum quoque penitus abjiciat: quia retinet propositum revertendi. Vid. Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 16. n. 1. Apostasia ab Ordine sacro est, cùm quis tali Ordine initiatus dimisso habitu ad statum laicalem propriâ temeritate se transfert. Ex quo patet minoribus tantùm Ordinibus initiatos, dum redeunt ad statum laicalem, non fieri Apostatas: quamvis privilegio canonis & fori non gaudeant amplius. Laym. loco cit. Franc. Schmier ubi suprà n. 72. Apostasia ab obedientia est, cùm quis Superioribus justa præcientibus se se opponit obedire præfractè detrectans. Hujus species præcipua est Schisma, de quo postea. Apostasia à Fide, quæ sola simpliciter & absolutè Apostasia dici meretur juxta D. Thom. loco cit. illa est, qua quis penitus recedit à Fide Catholica, quam est professus. Hujus Apostasiæ reis in jure eædem pœnæ decretæ sunt, quæ Hæreticis; ut patet ex cap. *contra Christianos*, 13.

de Hæretic. in 6. idque meritò; cùm omnis Apostata à Fide sit etiam Hæreticus, licèt non econtra: differt enim hæc Apostasia ab Hæresi tanquam extensius à minùs extenso. Vid. Valent. ubi suprà q. 12. pu. 1. Laym. n. 2. Tambur. §. 9. n. 1.

34 Quæritur octavo, quid sit Schisma? Respondeo, Schisma esse peccatum, quo aliquis se separat ab unitate Ecclesiæ, quatenùs hæc est unum quoddam corpus mysticum ex diversarum conditionum Fidelibus tanquam membris tum inter se, tum cum uno capite, nempe Summo Pontifice Christi Vicario, connexis constitutum. Valent. disp. 3. q. 15. pu. 1. Laym. tract. 3. cap. 11. n. 4. Cæterùm ille per Schisma se separat ab unitate corporis Ecclesiæ, qui renuit se gerere ut membrum hujus corporis in una, vel pluribus actionibus spiritualibus ad hoc idem corpus pertinentibus; adeoque non vult subesse visibili capiti corporis Ecclesiæ, aliisque ejus membris, quatenùs illi capiti subjecta sunt, communicare; sed vult agere seorsim ab hoc corpore, & esse independens ab ejus capite, ut explicat Valent. loco cit. colum. 933.

35 Corollarium. Non est Schismaticus, qui Summo Pontifici obedire recusat propter apparentem sibi rei præceptæ difficultatem ac molestiam: vel quòd specialem adversùs ejus personam gerat offensam, minimè tamen contra ipsam potestatem Pontificiam rebellis: vel quòd probabiliter existimet, hunc non esse verum Pontificem, aut saltem rationabiliter dubitet. Ratio est: quia per inobedientiam ex his capitibus procedentem aliquis se non separat à Summo Pontifice quà tali, sive prout est caput visibile Ecclesiæ. Vid. Azor. tomo 1. lib. 8. cap. 20. q. 4. Laym. loco cit. Valent. colum. 936.

36 Schisma aliud dicitur purum, aliud conjunctum Hæresi. Purus Schismaticus est, qui, licèt credat omnes articulos Fidei, tamen ex malitiosa voluntate renuit Summo Pontifici esse subjectus; vel unitus reliquis membris Ecclesiæ. Hujusmodi Schismaticus non solùm gravissimè peccat, sed etiam, si opere externo talem se gerit, ipso facto excommunicatus est, aliasque pœnas Ecclesiasticas incurrit. Non purè Schismaticus, sed simul Hæreticus est, qui & separat se modis expositis à capite, vel reliquis membris Ecclesiæ, & pertinaciter negat aliquem articulum Fidei, v. g. Summum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ, vel Ecclesiæ Sanctæ communionem; ideoque se segregat. Talis Schismaticus subjacet omnibus pœnis in Hæreticos constitutis. Vid. Laym. n. 5. Tambur. ubi suprà n. 3. Puri Schismatici non diu manent tales; sed, nisi maturè resipiscant, in Hæresin quoque cadere solent. Imò rem moraliter attendendò vix dabitur Schismaticus, qui non simul Hæreticus sit: quia, ut ait S. Hieronymus in cap. 3. Epist. ad Tit. *nullum Schisma non sibi aliquam confingit Hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.*

ARTICULUS III.

De Spe.

§. I.

De Natura, & Præcepto Spei.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Spei, ejusque analysis.* 2. 3. *Spes habitualis omnibus omnino hominibus, actualis omnibus adultis ad salutem est necessaria necessitate medii.* 4. *Datur præceptum naturale & positivum, negativum & affirmativum Spei.* 5. *Præceptum negativum nunquam non obligat.* 6. *Affirmativum obligat per se sub initium usus rationis.* 7. *Per accidens obligat, quoties obligatio alterius præcepti impleri non potest sine actu Spei.* 8. *Omittere contritionem unà cum actu Spei non est duplex peccatum.* 9. *Spes habet adjunctum timorem, eumque vel filialem, vel servilem.* 10. *Datur præceptum de utroque hoc timore: quod tamen non est speciale.*

PRætermissis multiplicibus Spei acceptionibus huc nihil pertinentibus, ejus nomine cum Doctoribus Theologis intelligimus virtutem quandam infusam, qua speramus æternam beatitudinem, aliaque bona supernaturalia futura. Hujus virtutis meminit S. Script. 1. Petri 1. inquiens: *regeneravit nos in Spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conservatam in cælis*: & alibi sæpe. Qua supposita acceptione,

Dico primo. Spes est virtus supernaturalis, qua voluntas fertur in Deum ceu suam beatitudinem, obtentu quidem arduam, Divinô tamen auxiliô consequibilem. Ita Valentia to. 3. disp. 2. q. 1. pu. 1. colum. 595. Paulus Mezger to. 3. tract. 10. disp. 21. a. 1. n. 22. & alii. Dicitur Spes *virtus supernaturalis* loco generis, ut suprà de Fide. Dicitur, *qua voluntas fertur*, ut indicetur, Spem subjectivè reperiri in voluntate. Dicitur, *in Deum &c.* quæ particulæ significant terminum, sive objectum formale *quod* terminativum Spei. Dicitur, *obtentu arduam & consequibilem*: quia arduitas boni, 1

boni, ejusque assequibilitas, seu probabilis futuritio sunt essentialia connotata in objecto terminativo Spei. Dicitur, *auxilio Divino*: quia istud activè sumptum, id est, Deus ut auxiliator, esse objectum motivum, seu formale *quo* Spei. Data est autem hæc definitio per ordinem ad objectum primarium: objectum quippe secundarium Spei Theologicæ est quodlibet aliud bonum supernaturale absens, arduum, & auxiliô Divinô assequibile. Nunc breviter de hujus virtutis obligatione ut agamus, tanquam certum

2 Suppono primo, Spem habitualem omnibus omnino hominibus, ad salutem esse necessariam necessitate medii. Ratio est eadem, quæ de Fide habituali. Nam sicut sine habitu Fidei nulli infunditur gratia justificationis, ita nec sine habitu Spei: atqui nullus omnino hominum salutem consequi potest illâ gratiâ destitutus; ergo nec sine habitu Spei.

3 Suppono secundo, etiam Spem actualem, sive aliquem actum Spei omnibus adultis esse necessariam necessitate medii ad salutem. Ratio est: quia, ut videmus in a. 1. n. 5. Deus adultum neque justificat, neque salvat, nisi per proprios actus tendat in ipsum ceu finem suum ultimum: sed hoc fieri nequit sine Spe actuali, qua summum bonum per Fidem cognitum, & in S. Scriptura promissum bene operantibus nos consequi posse confidimus; ergo.

4 Suppono tertio, dari præceptum Spei cùm naturale, tum positivum, idque non modò negativum, sed etiam affirmativum; ut facilè deducitur ex dictis: nam quid quid adulto est necessarium necessitate medii ad salutem, illi insuper est necessarium necessitate præcepti naturalis; sed actus Spei adulto est necessarius necessitate medii, ut vidimus; ergo. Præceptum verò positivum apertè colligitur ex S. Script. Psal. 4. *Sperate in Domino*: & ad Tit. 2. *Exspectantes beatam Spem*, & alibi sæpius. Nunc

5 Dico secundo. Præceptum negativum Spei obligat semper & pro semper. Ratio est: quia hoc præcepto duo prohibentur, nempe, nequis desperet, &, ne quis præsumat (nam utroque modo gravis injuria Infertur Deo auxiliatori; ut postea videbimus) sed nunquam est licitum desperare, aut præsumere; ergo nunquam est licitum agere, quod prohibetur præceptô Spei negativô; sed hoc est idem præceptum obligare semper & pro semper; ergo.

6 Dico tertio. Præceptum affirmativum directè ac per se obligat ad eliciendum actum sperandi sub initium usûs rationis, nempe quamprimùm homini usum rationis adepto Deus ut ultimus finis & beatitudo per proprios actus, & Divinum auxilium consequibilis sufficienter proponitur. Ita communiter DD. præsertim Thomistæ. Ratio est eadem proportionaliter, quam in a. cit. n. 34. reddidimus de præcepto affirmativo Fidei. Nam actus sperandi est cultus quidam & reverentia, quæ exhibetur Deo pollicenti nobis æternam beatitudinem, suumque auxilium ad eam obtinendam. Dictat autem recta ratio, hanc talem reverentiam & esse debitam, & statim exhibendam Deo sic nobis sufficienter proposito, ita ut gravis sit irreverentia eam non statim exhibere. Cæterùm post semel elicitum tunc actum Spei probabilius hoc præceptum non amplius in vita obligat per se ac directè, idque ex eodem fundamento, quo circa præceptum Fidei a. cit. n. 39. usi fuimus. Vide ibi dicta, & applica proportionaliter.

Dico quarto. Per accidens toties teneris elicere actum Spei, quoties obligat præceptum alterius virtutis, quod sine actu Spei impleri non potest. V. G. dum urget præceptum orationis, contritionis: nam vera oratio stare non potest sine Spe impetrandi id, quod quis à Deo petit; nec verâ contritio sine Spe veniæ & misericordiæ Divinæ. Per accidens quoque teneris elicere actum Spei, quando pulsaris tam gravi tentatione contra aliam quamcunque virtutem, ut revera putes te succubiturum, nisi Spe firma Divini auxilii muniaris. Rationem horum omnium colliges a. cit. n. 31. 7

Corollarium. Omittens contritionem unà cum actu Spei non contrahit duo peccata, sed unum tantùm contra præceptum Pœnitentiæ. Ratio est: quia præceptum Spei tunc obligat solùm per accidens ratione contritionis, quæ sine actu Spei exerceri non potest. unde talis in Confessione solùm tenetur se accusare de non elicita contritione. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 33. n. 2. Castropal. tract. 5. disp. un. pu. 4. n. 2. & alii. Simile quid habes de Fide, loco cit. 8

Actus Spei adjunctum sibi habet Timorem. Nam eo ipso, quod quis speret bonum futurum, consequens est, ut timeat malum oppositum. Timor ad præsens institutum, isque honestus, est duplex; filialis nempe, & servilis. Filialis ille est, quo quis ideo timet Deum offendere, quia ipsum amat; sicut ingenuus filius ideo veretur offensam parentum; quia ipsi chari sunt. Servilis est, quo quis Deum offendere timet propter pœnas peccatoribus constitutas, sibique infligendas, si offendat; servorum quippe est metu pœnarum, fustuarii, scuticæ &c. commoveri ad obediendum Dominorum mandatis. 9

De utroque hoc timore dari præceptum, dubitari non potest. Et quidem de filiali intelligendum est illud Deuter. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis* 10

ejus, & diligas eum &c. De servili illud Math. 10. & Lucæ 12. *Eum timete, qui, postquam occiderit corpus, habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam.* Verùm difficultas est, an ejusmodi præceptum timendi Deum sit speciale, ita ut ejus transgressio sit speciale peccatum; vel potiùs generaliter imbibitum in præceptis aliarum virtutis Charitatis, Pœnitentiæ &c. Verius existimo cum Sanchez loco cit. n. 3. non esse speciale præceptum. Constat ex praxi communi hominum, etiam tenerrimæ conscientiæ, qui de omissione horum timorum in Confessione se nunquam accusare solent, uti nec Confessarii interrogare. Et demus, esse speciale præceptum: nemini propterea movendus esse scrupulus: nam vix continget aliquando, ut quis illud non aliquoties in vita adimpleat. Quis enim invenietur, nisi omnino sceleratissimus sit, qui non interdum vel amore Dei, vel metu gehennæ à peccato abhorreat atque abstineat; vel ob hæc motiva de criminibus doleat?

§. II.

De Vitiis Spei oppositis.

SUMMARIUM.

11. *Spei opponuntur Præsumptio & Desperatio.* 12. *Affertur & declaratur definitio Præsumptionis.* 13. *Præsumptio est peccatum mortale.* 14. *In Spiritum Sanctum.* 15. *Quandonam conjuncta sit cum hæresi?* 16. *Exponitur natura Desperationis.* 17. *Desperatio ex genere suo mortale peccatum est.* 18. *An possit aliquando esse licita?* 19. *Conjuncta est aliquando cum hæresi, aliquando non.*

11 SPei duo vitia opponuntur, præsumptio, & desperatio. Illa opponitur secundùm excessum; ista secundùm defectum; sicut prodigalitas per excessum avaritia per defectum opponitur liberalitati. Et hæc quidem sunt peccata commissionis contra præceptum Spei negativum: nam datur præterea peccatum omissionis, id est, omissio actûs sperandi, dum urget præceptum affirmativum: de quo in præced. §.

12 Dico primo. Præsumptio est actus voluntatis, quo quis bona supernaturalia vult aliter obtinere à Deo, quam hic esse obtinenda constituit. Dicitur, *actus voluntatis:* quia recipitur in eodem subjecto proximo, quo Spes. Dicitur, *bona supernaturalia:* quia habet idem objectum, quod Spes; primarium nempe est æterna beatitudo: secundarium cætera bona supernaturalia, ut gratia, justificatio, remissio peccatorum &c. ceu media ad consequendam beatitudinem. Dicitur, *aliter obtinere &c.* quòd variè contingit: ut primo, dum quis confidit, se vitam æternam consecuturum ex se ipso, seu propriis naturæ viribus. Secundo, dum sperat, gloriam cælestem sibi obventuram sine bonis operibus. Tertio, quando quis ideo libentiùs ac sæpius peccat, quod judicet, Deum esse tam bonum & misericordem, ut sibi nihilominùs parsurus sit; adeoque expectet ab ipso specialem gratiam ad pœnitentiam saltem in fine vitæ agendam.

Corollarium I. Præsumptio, quocunque 13
ex modis indicatis contingat, semper peccatum mortale est, nisi defectus plenæ deliberationis excuset. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 33. n. 7. Castropal. tract. 5. disp. un. pu. 6. n. 2. Redingto. 10. q. 2. a. 2. contr. 2. n. 3. & DD. communiter. Ratio est: quia per illam summa irrogatur injuria Divinæ Providentiæ, Bonitati, & Misericordiæ: estque in materia gravissima, utpote propriæ salutis, modique tenendi in illam.

II. *Præsumptio* (sunt verba D. Thomæ 14
2. 2. q. 21. a. 1.) *est propriè species peccati in Spiritum Sanctum: quia scilicet per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur à peccato.* Itaque peccatum præsumptionis Spiritum Sanctum ab anima hominis specialiter excludit, dum media quoque ipsa ac dispositiones, sine quibus secundùm legem ordinariam Spiritus Sanctus peccatores non justificat, suâ malitia removet. Et hoc est commune omnibus peccatis in Spiritum Sanctum, quæ ideo dicuntur irremissibilia, haud sanè, quòd absolutè remitti à Deo nequeant; sed quia id raro atque difficilè contingit; ut docet idem S. D. 2. 2. q. 14. a. 3. qui eadem Q. a. 2. sex hujusmodi peccata enumerat: ea sunt *Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Obstinatio, Impugnatio veritatis agnitæ,* & *fraternæ charitatis Invidentia.* His ceu omnium aliorum peccatorum mensura addi debet *Odium Dei:* quippe quod directè opponitur charitati Divinæ, quæ Spiritui Sancto specialiter appropriatur. Vid. Laym. lib. 2. tract. 2. cap. 2. n. 3.

III. Quando Præsumptio oritur ex er- 15
roneo dictamine intellectûs signatè judicantis, gloriam cælestem obtineri posse sine bonis operibus; sicuti docet cum gregis sui hara Lutherus; vel per proprias vires naturales sine auxilio supernaturalis gratiæ, ut sensit Pelagius; tunc contrahitur insuper Hæresis. Quòdsi ejusmodi pravum judicium non præcedat Præsumptionem, eaque ex negligenti solùm consideratione v. g. rerum ad fidem pertinentium proficiscatur, præsumens non incidit in Hæresim. Sanchez loco cit. Castropal. n. 4.

Dico secundo. Desperatio recte describitur, quòd sit actus voluntatis, quo quis 16
efficaciter

efficaciter renuit æternam beatitudinem prosequi, eò quòd appareat obtentu nimis ardua; vel nunquam futura; vel impossibilis. Dicitur, *actus voluntatis*: nam & ipsa, utpote contrariè oppositа Spei, in voluntate reperitur. Dicitur, *quo quis efficaciter renuit*, ut intelligas; Desperationem non consistere in mera omissione Spei, sed in positiva nolitione, & efficaci recessu à prosecutione beatitudinis: sicut Spes, cui directè contrariatur, consistit in efficaci accessu atque tendentia ad illam. Dicitur, *æternam beatitudinem &c.* quia, ut modò dictum, recedit ab eodem termino, ad quem accedit, & tendit Spes. Dicitur, *eo quod appareat &c.* ut retegantur fontes, ex quibus oriri solet aut potest desperatio. Nam desperans vel sibi persuadet, viam mandatorum Dei esse nimis arctam, rigidam, difficilem, vitæque voluptatibus contrariam: vel blasphemè judicat, Deum cæteroqui potentem, & aliis misericordem, sibi uni tam esse rigidum & austerum, ut neque parcere, neque auxilia velit largiri: vel existimat, sua peccata esse majora atque immaniora, quàm ut Deus ea possit remittere: veluti censuit impius Cainus, quando dixit Genes. 3. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Et hæc judicia sunt ordinariæ radices Desperationis. Extraordinaria esset certa cognitio futuræ suæ damnationis ex Divina revelatione accepta: de qua postea.

17 Corollarium I. Desperatio est peccatum ex suo genere mortale, atque gravissimum in Spiritum Sanctum. Ita omnes DD. Ratio est: tum, quia versatur in materia gravissima, cujus non datur parvitas: tum, quia maximè injurium est Divinæ Misericordiæ: tum, quia plenissimè repugnat Spei, dum hominem & à fine illius, & à mediis, eorumque applicatione totaliter avertit. Atque hinc inter alia peccata est maximè periculosum, ut judicat D. Th. 2. 2. q. 20. a. 3. & S. Isidorus de sum. bono, lib. 2. cap. 14. ubi ait: *Perpetrare flagitium mors animæ est: desperare autem est descendere in infernum.*

18 Objicies. Desperatio in aliquo casu potest esse licita: ergo non est semper peccatum mortale, imò nec veniale. Ant. prob. nam ille, cui Deus revelâsset suam æternam damnationem, licitè desperaret de consequenda beatitudine: hoc enim est prorsus rationabile, ut quis nolit prosequi finem, quem se minimè obtenturum certissimus est, ut quilibet esset in ea hypothesi. Hæc objectio facilè solvitur à nonnullis, qui negant ejusmodi revelationem esse possibilem. Verùm, quia omnes DD. cæteri nullam in ea reperiunt repugnantiam, respondetur paulò operosius. Certum videtur, ejusmodi hominem non amplius obligatum iri ad sperandum præcepto Spei affirmativo: nam actus Spei esset illi impossibilis ob defectum prudentis judicii de probabili futuritione æternæ salutis. Et ideo desperatio negativè sumpta pro non sperare, sive omissio actus sperandi foret licita. De positiva Desperatione dico similiter, eam in tali hypothesi fore licitam, si proprie accipiatur, nempe pro dejectione animi, tristitia, & deliberato recessu voluntatis à prosecutione beatitudinis cognitæ ut sibi impossibilis, aut nunquam obtinendæ, & absque blasphema detestatione, vel odio Dei, vel beatitudinis secundùm se. Hinc in argumento conc. Ant. ejusque probat. dist. conseq. ergo Desperatio non est semper peccatum pro statu præsenti, & lege Dei ordinaria, quamdiu nempe beatitudo prudenter judicari potest futura & obtinenda, conc. in alia hypothesi, & dispositione Dei extraordinaria, ubi beatitudo non possit prudenter judicari futura & obtinenda; veluti contingeret in casu revelatæ damnationis, neg. conseq. Doctrina autem Corollarii intelligi debet standò in præsenti Dei Providentia.

19 Corollarium II. Desperatio aliquando conjuncta est cum Hæresi, aliquando non. Conjuncta est, quando desperans actualiter & signatè judicat, Deum non esse infinitè misericordem; sua peccata esse irremissibilia; vel consecutionem beatitudinis etiam per Dei gratiam non esse possibilem. Ratio est: quia hæc judicia sunt erronea contra Fidem, adeoque hæretica, accedente pertinacia. Duo proinde peccata tunc committuntur specie distincta, unum desperationis, alterum Hæresis, in Confessione specialiter exprimenda. Non conjuncta est Desperatio cum Hæresi, quando desperans habet quidem imprudens, ac temerarium judicium, sed non contra veritatem Fidei: ut, dum existimat, se non esse prædestinatum: Deum sibi nunquam parsurum: vel, si practicè judicet, desperare sibi expedire, & esse utile ad jucundiùs atque liberiùs peccandum. Ratio est; quia similia judicia non sunt hæretica. Sanchez ubi suprà. Laym. cap. cit. n. 5.

§. III.

An homo, cui Deus revelasset suam æternam damnationem, posset adhuc sperare salutem?

SUMMARIUM.

20. *Deus ordinariè loquendò nulli reproborum revelat in particulari damnationem suam æternam.* 21. *Ad actum Spei necessarium est prudens dictamen de beatitudine futura.* 22. 23. *Homo revelata sibi æterna damnatione sua non posset amplius sperare beatitudinem.* 24. *Occurritur*

currit triplici responsioni. 25. Solvuntur objectiones.

20 NOtandum est primo ex D. Thoma, q. 23. de Verit. a. 8. ad 2. cùm secundùm modernam ac ordinariam providentiam omnes viatores teneantur motu Spei Theologicæ tendere ad salutem æternam, Deum nulli in particulari revelare suam damnationem futuram: *quia talis revelatio* (inquit S.D.) *cogeret eum desperare*, non coactione simpliciter necessitante ad actum desperationis, sed in quantum afferret necessitatem non sperandi cum gravissima tentatione ad desperandum, cui difficillimè resisteretur, ut explicant Salmanticenses to. 7. tract. 18. disp. 5. dub. 2. n. 32. Unde si Deus cuidam reproborum defacto revelaret suam damnationem, non teneretur eam revelationem credere in sensu absoluto, sed posset interpretari *per modum Prophetiæ comminatoriæ, quæ intelligitur suppositâ conditione meritorum*, ut habet idem S. D. loco cit. Quòd si Deus non tantùm diceret, *æternùm damnaberis*, sed etiam adderet, sensum hujus revelationis esse absolutum, tunc jam procederet ultra limites providentiæ communis ac ordinariæ, & casus revelationis pertineret ad potentiam, providentiamque extraordinariam. Et circa hanc talem absolutam revelationem vertitur præsens Quæstio.

21 Notandum est secundo, ad actum Theologicè sperandi æternam beatitudinem simpliciter necessarium esse dictámen intellectûs prudenter judicantis, eandem beatitudinem, non solùm esse absolutè possibilem, sed etiam futuram, seu practicè & exercitè consequibilem: tum, quòd objectum Spei essentialiter connotans propositionem intellectûs sit bonum non præcisè possibile, sed futurum, haud sanè, quasi reipsa semper sit eventurum, sed, quòd eventurum attenta præsenti dispositione causarum prudenter existimetur. Tum, quòd actus Spei sit motus efficax voluntatis circa assecutionem finis; adeoque non respiciat eundem solùm secundùm se, & quantùm ad bonitatem quasi in abstracto, sed secundùm realem existentiam ut exercitè ponendam, ac proinde ut futuram; & consequenter dependeat à dictamine intellectûs bonum ita proponentis. Quibus notatis,

22 Dico. Homo, cui Deus revelâsset suam æternam damnationem, non posset actu Spei Theologicæ sperare beatitudinem. Ita communiter Thomistæ Scholastici, quibus alii plures consentiunt. Et colligitur apertè ex D. Thoma tum loco cit. ex Q. 23. de Verit. tum ex 2. 2. q. 18. a. 3. ubi docet, damnatos, non posse sperare beatitudinem, eò quòd nequeant sibi eandem proponere ut futuram. Quæ ratio etiam procedit de viatore, cui Deus revelâsset suam damnationem, estque ipsissima, qua jam

Prob. statuta Conclusio in hunc modum: Qui destituitur requisito simpliciter necessario, ut possit sperare, non potest sperare: sed suppositâ revelatione damnationis homo destituitur requisito simpliciter necessario, ut possit sperare beatitudinem; ergo eandem non potest sperare. maj. est evidens. mi. prob. quia suppositâ ejusmodi revelatione homo reprobus destituitur dictamine prudentiali, seu prudenti judicio, quo judicet, beatitudinem esse sibi probabiliter futuram: atqui hoc tale judicium est requisitum simpliciter necessarium, ut quis possit sperare, sive ex parte actûs primi sperandi beatitudinem; ergo suppositâ revelatione damnationis quis destituitur requisito simpliciter necessario, ut possit sperare beatitudinem. mi. constat ex n. 21. maj. facilè ostenditur: quia repugnat, cum, qui certissimus est, beatitudinem suam non esse futuram, prudenter judicare, esse probabiliter futuram; cùm certitudo de uno contradictorio elidat omnem probabilitatem alterius contradictorii, quemadmodum in tract. 1. hujus Operis. disp. 4. passim advertimus: atqui suppositâ Divina revelatione damnationis, eaque agnitâ ac creditâ, homo certissimus est suam beatitudinem non esse futuram; ergo &c.

Confirmatur primo. Damnati non possunt ampliùs sperare beatitudinem; quia certissimi sunt, eam non esse futuram, esto cognoscant, esse absolutè possibilem: ergo nec viator reprobus revelatâ sibi à Deo suâ damnatione sperare potest beatitudinem, quia certissimus est de non futuritione illius, esto cognoscat, esse absolutè possibilem. 23

Confirmatur secundo. Non potes actu Spei Theologicæ tibi sperare unionem hypostaticam, aut gloriam æqualem gloriæ B. V. quia non potes formare prudens judicium de futuritione istorum objectorum; idque ideo, quia tibi constat, Deum decrevisse ac revelâsse oppositum: ergo similiter revelatâ damnatione æternâ non potest quis Theologicè sperare beatitudinem; quia non potest prudenter judicare esse futuram, idque ideo, quia ex Divina revelatione certissimus est de opposito.

Confirmatur tertio. Juxta S. Augustinum lib. 21. de Civit. cap. 15. non possemus orare pro salute reproborum (ceu consequenter sperare illam) si certò nôssemus, quinam essent ii reprobi; haud sanè, quòd eorum salus non esset absolutè possibilis; sed quia non possemus de futuritione illius formare prudens judicium, quale ad orationem quoque, ut sit laudabilis, & non præsumptuosa, requiritur: ergo nec posset sperare salutem reprobus, cui Deus revelâs-

set

set æternam damnationem, quamvis non ignoraret, esse absolutè possibilem; quia non posset de ejus futuritione formare prudens judicium, utpote repugnans Dei testimonio oppositum revelantis.

24 Respondent primò, posse hominem revelationi futuræ damnationis dissentire, adeoque formare judicium de futuritione contrarii. Respondent secundò, beatitudinem facta revelatione damnationis adhuc esse futuram in auxiliis gratiæ à Deo non denegandis, & consequenter sperabilem, non quidem in se, sed prout ejus etiam in auxiliis. Respondent tertio, hominem tunc posse salutem sperare potentia antecedenti, sive in sensu diviso, esto non possit potentia consequente, sive in sensu composito: sicut in principiis Thomistarum homo physicè prædeterminatus ad amorem potest non amare potentia antecedente & in sensu diviso, licèt non possit potentia consequente & in sensu composito. Posse autem potentia antecedente est verè ac simpliciter posse.

Contra primam ex his responsionibus est, quòd posset quidem dissentire, sed non hisi imprudenter; adeoque & judicium formare non nisi imprudens de futuritione suæ salutis. Judicium autem imprudens utique inceptum est ad regulandum supernaturalem actum Spei Theologicæ. Contra secundam est: tum, quòd impossibili reddito actu primario virtutis nequeant subsistere reliqui actus: cùm proinde sperare beatitudinem in se sit actus primarius Spei Theologicæ, isque in nostra hypothesi redderetur impossibilis, prout conceditur in hac responsione; eam sperare in alio itidem esset impossibile. Tum, quòd ille, qui certissimus est, auxilia non forte continuanda usque in finem vitæ, nec fortitura ultimum effectum, non possit formare prudens judicium de beatitudine etiam prout futura in auxiliis: atqui supposita revelatione damnationis homo certissimus est, auxilia non fortitura effectum; ergo &c. tum denique, quòd præsens quæstio à Theologis instituatur de Spe Theologica beatitudinis in se. Contra tertiam responsionem est, quòd carens aliquo ex requisitis ad sperandum ex parte actus primi se tenentibus non possit sperare potentia antecedente: sed habens accedens revelationem suæ damnationis caret ejusmodi requisito, nempe judicio prudentiali de futuritione beatitudinis, quod est intrinsecum complementum actus primi ad sperandum; cùm voluntas non sit proximè expedita & completa ad objectum quodpiam motu Spei appetendum, nisi illud præsupposithivè tanquam probabiliter futurum repræsentetur ab intellectu. Unde nihil juvat instantia de physica prædeterminatione ad amandum: illa enim, cùm non sit requisitum aliquod ex parte actus primi, sed mera reductio ejusdem ad actum secundum, nec tribuit, nec aufert aliquid de potentia antecedente, sive in sensu diviso, ad oppositum.

Objicies primo. Homo supposita revelatione 25
suæ damnationis adhuc posset obtinere beatitudinem, quia adhuc præditus esset libero arbitrio & instructus auxiliis sufficientibus: ergo eandem posset etiam sperare. Secundo. Facta revelatione prædestinationis ad salutem potest aliquis adhuc timere damnationem æternam: veluti timuit Apostolus 1. Corinth. 9. quando scripsit: *Castigo corpus meum, ut in servitutem redigam, ne forte aliis prædicaverò, ipse reprobus efficiar*: ergo etiam facta revelatione damnationis homo adhuc posset sperare beatitudinem. Tertio. Revelatio peccati futuri non tollit obligationem illud evitandi: ergo etiam revelatio futuræ damnationis non tollit obligationem sperandi beatitudinem; & consequenter nec potentiam sperandi. Quarto. Talis homo teneretur nihilominùs ad observantiam mandatorum: ergo etiam teneretur ad observantiam præcepti Spei; nam teste D. Thoma per Spem præmii inducitur homo ad observantiam mandatorum: consequenter non amisisset potentiam sperandi. Quinto. posset Deus alicui revelare damnationem meritorum propter futurum peccatum desperationis: sed in ista hypothesi homo adhuc posset sperare beatitudinem: secus enim necessitaretur ad desperandum, & desperatio esset, & non esset peccatum: esset, quia Deus propter illam hominem damnaret: non esset, quia non foret libera, sed ex necessitate orta.

Respondeo ad primũ conc. am. neg. conseq. quia ad actum Spei non sufficit absoluta possibilitas objecti, sed insuper requiritur probabilis futuritio ejusdem. Ad secundum neg. Ant. ad hujus probat. dico, vel Apostolum, quando ita scripsit, nondum habuisse certam revelationem suæ prædestinationis, vel illis verbis solùm voluisse ostendere, castigationem carnis esse sibi necessariam, eò quòd sua prædestinatio per illam ex Dei decreto sortiri deberet effectum. Unde illud, *ne reprobus efficiar*, accipiendum est negativè, ac si diceretur, ne mea prædestinatio effectu suo frustretur, juxta aliud nempe Dei decretum conditionatum. Ad tertium conc. Ant. neg. conseq. quia revelatio futuri peccati nihil tollit ex parte actus primi (in quo fundatur obligatio vitandi peccata) necessarium ad observantiam præcepti: atqui revelatio futuræ damnationis tollit prudens judicium de probabili futuritione beatitudinis necessarium ex parte actûs primi ad sperandum. Ad quartum neg. conseq. licèt enim Spes præmii sit medium inductivum ad observantiam præceptorum, non tamen est unicum, ac simpliciter necessarium; cùm

cùm illa ratione suæ honestatis objectivæ sufficienter movere, & ratione obedientiæ Deo debitæ obligare ad sui observantiam possint. Ad quintum conc. maj. neg. mi. cum probat. ejusdem tantùm enim necessitaretur ad non sperandum, ita ut necessariò omitteret actum Spei: adeoque liberè desperare & desperando peccare posset. Sicut damnati peccant per odium Dei, quamvis eundem ex charitate diligere nequeant, eamque dilectionem necessariò omittant. Et ista quidem satis de quæstione hac speculativa. Quem plura delectant, adeat Scholasticos, præsertim Salmanticenses to. 7. tract. 18. disp. 5. dub. 2.

ARTICULUS IV.

De Charitate.

NOmen Charitatis apud linguæ Latinæ Authores generatim significat amorem honestum, eumque gratuitum erga illos, qui vicissim amare possunt gratuitò. Unde Cicero lib. 1. de nat. Deorum, sub finem inquit: *Prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex eis capiuntur. Hominum charitas & amicitia gratuita est.* In qua acceptione etiam Theologi hîc loquuntur de Charitate, dum per eam intelligunt principium quoddam habituale illius amoris honesti ac gratuiti, quo Deum & proximum prosequimur.

§. I.

De Charitate erga Deum.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Charitatis.* 2. *Datur præceptum negativum & affirmativum Charitatis erga Deum.* 3. *Deus super omnia diligi potest intensivè, & appretiativè.* 4. *Deus ex præcepto Charitatis diligendus est super omnia appretiativè, & non intensivè.* 5. *Triplex modus peccandi mortaliter contra præceptum Charitatis Dei.* 6. *Diligere Deum propter æternam gloriam tanquam finem principalem est illicitum.* 7. *Mortale peccatum est finem ultimum in hac vita temporali constituere.* 8. *Odium formale Dei est omnium peccatorum maximum.* 9. *Præceptum Charitatis per se & graviter obligat ad Deum frequenter diligendum, dilectionemque non diu differendam.* 10. *Quàm non sit difficilis hæc obligatio.* 11. 12. 13. *Præceptum diligendi Deum per se obligat in primo instanti usûs rationis, & in articulo mortis.* 14. 15. *Idem præceptum per accidens obligat, quoties obligatio alterius præcepti sine actu dilectionis impleri nequit.*

1 CHaritas rectè describitur Virtus supernaturalis, qua voluntas Deum diligit tanquam summum bonum propter se, & proximum propter Deum. Dicitur *virtus supernaturalis* loco generis: in hoc enim convenit cum Fide & Spe. Dicitur, *qua voluntas*, ut agnoscas subjectum proximum, in quo Charitas recipitur. Dicitur *Deum*: quia Deus est objectum primarium hujus virtutis. Dicitur; *diligit tanquam summum bonum propter se*; ut indicetur tam ratio formalis, *quæ* quàm ratio formalis *sub qua*, sive motivum diligendi Deum. Dicitur, *& proximum propter Deum*: quia proximus est objectum materiale secundarium Charitatis. De hujus nunc obligatione erga Deum in præsenti; erga proximũ in sequentibus Paragraphis differemus.

2 Et quidem existere præceptum negativum Deum nunquam habendi odio, atque adeo semper & pro semper obligans, manifestum est. Similiter de præcepto affirmativo, eoque speciali diligendi Deum super omnia, dubitari non potest, hodie præsertim, postquam Alexander VII. damnavit hanc Prop. *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ubi Pontifex existentiam præcepti specialis de dilectione Dei evidenter supponit; sicut & Spei & Fidei. Idem colligitur ex damnatione 5. 6. & 7. Propositionum inter prohibitas ab Innocentio XI. Patet ex S. Script. Matth. 22. Lucæ 10. ubi præceptivè dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis.* Et addit Christus apud S. Matth. hoc esse primum & maximum mandatum. Et sanè, si speciale exstat præceptum Spei, ac Fidei, ut vidimus in Articulis præcedentibus; cur non & Charitatis omnium virtutum excellentissimæ?

3 Cæterùm duobus modis Deus diligitur super omnia, scilicet intensivè, & appretiativè. Intensivè diligis Deum super omnia, quando actus, quo diligis, est intensior, vehementior, atque tenerior, quàm omnis alius amor, quo res cæteras prosequeris. Appretativè, sive æstimativè diligis super omnia, quando Deum, ejusque amicitiam majoris æstimas, quàm omnia bona cætera, esque ex amore ipsius ita animô comparatus, ut, si vel Deus, vel alia cuncta, quæ non sunt Deus, relinquenda essent, illa potiùs quàm Deum relinqueres, sive offenderes. Uterque hic modus diligendi frequenter deprehenditur in amore, quo creaturas prosequimur, cùm sæpe contingat,

tingat, ut quis amicum intensiùs, ardentiùs, ac tenerius diligat, quàm patrem aut matrem. Quod si tamen alterutrum fieri deberet, ut vel amicus, vel parentes essent relinquendi, mallet relinquere amicum, & amicitiam dissolvere, quàm parentes deserere, eisdémque non succurrere. In hoc casu amicus quidem intensive plùs diligitur, quàm parentes; parentes vero plus appretiative, sive secundùm appretiationem, vel æstimationem, quàm amicus.

4 Dico jam primo. Præcepto charitatis erga Deum præcipitur, ut Deus diligatur super omnia appretiative, non autem intensive. Ita communiter DD. ex quibus vid. Valent. to. 3. disp. 3. q. 4. pu. 1. Filliuc. tract. 22. cap. 9. n. 282. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 35. n. 2. Bonac. de charit. q. 4. pu. 1. n. 2. Castropal. tract. 6. disp. 1. pu. 2. n. 5. Ratio primi est: quia ille amor præcipitur præcepto charitatis, qui ex se efficaciter movet ad observantiam omnium aliorum præceptorum: nam finis istorum est charitas: sed hoc præstat amor Dei appretiativus: quia, qui Deum sic amat, paratus est omne id exequi, quod Deum præcipere, & ad illius amicitiam conservandam necessarium esse cognoverit: ergo præcepto hoc charitatis præcipitur amor Dei appretiativus. Confirmatur. Summum Bonum, propter quod omnia cætera sunt diligenda, non potest, nisi præposterè, postponi alicui minori bono: ergo omnibus est anteponendum. Sed Deus est summum bonum; ergo est omnibus anteponendus: ergo super omnia appretiandus, sive appretiativè diligendus.

Ratio secundi est: quia non videtur conforme Divinæ bonitati, cujus jugum suave est, & onus leve, illud præcipere, quod hominem plurimis ac maximis scrupulis redderet obnoxium: hoc autem contingeret, si ille modus Deum amandi esset præceptus: cùm nemini satis constare posset, an Deum aliquando cum sufficienti intensione amaret? nam ut plurimùm illa gradualis perfectio actuum internorum vel omninò nos latet, vel difficillimè discernitur. Sanchez. Bonac. locis citt. Itaque, dum jubemur Deum diligere ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus, id non dè dilectione secundùm intensionem, sed secundùm æstimationem & appretiationem est accipiendum. In quo sensu etiam intelligi debet illud Christi apud S. Matth. cap. 10. *Qui amat patrem vel matrem plus quàm me, non est me dignus*: nempe, qui amat plus secundùm appretiationem.

5 Corollarium I. Contra præceptum charitatis tribus modis peccatur mortaliter. Primo, per omissionem actûs dilectionis, quando præceptum ad eundem eliciendum obligat: de quo paulò post. Secundo, Deum diligendo aliter, quàm debet diligi: quod tunc contingit, quando vel non diligitur magis appretiative, quàm res cæteræ; vel non principaliter propter se. Tertio, per positivum & formale odium. Atque hinc oritur

II. Non est licitum amare Deum pro- 6
pter æternam gloriam tanquam finem principalem, ita ut ipsum alioquin non amares, si ea spes præmii abesset. Ratio est: quia hic amor est mercenarius, eorúmque proprius, qui præstant obsequia solius mercedis gratiâ. Unde, qui Deum sic diligit, non diligit appretiative super omnia; sed se ipsum, & mercedem beatitudinis. Licitum tamen est Deum diligere propter vitam æternam tanquam finem minùs principalem, causámque secundario impulsivam, ita ut Deum nihilominùs diligeres, tametsi spem gloriæ non conciperes; minùs tamen prompte atque alacriter. Sanchez n. 3. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 2. n. 4. Ratio est: quia talis amor, ejusque objectum ultimatò refertur in Deum ceu summum bonum super omnia dilectum.

III. Mortaliter peccat, qui finem ultimum 7
in hac vita temporali constituit ita comparatus, ut desideret perpetuò vivere hanc vitam, Deóque cœlum relinquere, si terram sibi relinquat. Bonac. loco cit. n. 3. Castropal. ubi suprà n. 6. Ratio est: quia commoda præsentis vitæ præferre æternæ gloriæ, summóq; bono, ac ultimo rerum fini maxima perversitas est.

IV. Odium formale Dei peccatum est 8
omnium maximum. Ratio est: quia in hoc peccato per se, ac directe importatur aversio ab ultimo fine, quæ in aliis peccatis participative tantùm, & per modum generalis conditionis involvitur. Vid. D. Th. 2. 2. q. 34. a. 2. Dices. Summum bonum est objectum solius amoris: ergo nemo id potest odisse: ergo non datur odium formale Dei, qui est summum bonum. Respondeo, Deum, dum repræsentatur voluntati ut summum bonum, non posse haberi odio: quia tamen interdum apprehendi solet ut author quorumdam effectuum, quos tanquam sibi malos inordinata voluntas, aversatur, cujusmodi sunt variæ calamitates præsentis vitæ, inflictio pœnarum &c. contingit, ut sit objectum odii. S. D. q. cit. a. 1.

Dico secundo. Præceptum charitatis 9
per se, & graviter obligat ad frequenter eliciendos actus dilectionis Dei, diúque non differendos. Ita Cardenas in Crisi, dissert. 4. cap. 2. a. 2. aliique plurimi, quos ibi citat. Paulus Mezger tract. 10. disp. 22. a. 4. n. 7. Colligitur multipliciter ex S. Script. Sufficiant ejus verba, quæ habentur in Deuter. cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis se-*

dens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Quibus verbis utique frequens exercitium diligendi Deum urgenter satis inculcatur.

Ratio porrò Concl. est: quia intermisso frequenti exercitio dilectionis Dei observantia reliquorum præceptorum fit homini moraliter impossibilis: ergo obligatur ad frequens exercitium illius. Conseq. patet: quia est gravis obligatio impediendi hanc talem impossibilitatem. Ant. prob. Nam intermissa frequenti intentione finis executio multorum, præsertim, dum sunt multùm ardua, fit homini moraliter impossibilis: sed frequens exercitium dilectionis Dei est frequens intentio finis, videlicet ultimi; & observantia aliorum præceptorum est executio mediorum; ergo intermisso frequenti exercitio dilectionis Dei observantia aliorum præceptorum fit homini moraliter impossibilis. Mi. constat. Maj. prob. Nam docet experientia, eò facilius ac promptius media, quantumvis ardua, mandari executioni, quò frequentius, efficaciùs, atque ferventiùs finis appetitur & intenditur: at econtra, quò tepidiùs, ineffaciùs & infrequentiùs finis intenditur ac desideratur, eò majores difficultates in executione mediorum inveniri, ergo planum est, homini, nisi amore, desiderio, & intentione finis ad superandas difficultates frequenter excitetur, executionem mediorum denique fieri difficillimam, ac moraliter impossibilem.

Dices. Hæc sententia fidelibus onus imponit importabile, eosque scrupulis ac dubiis involvit innumeris, an satis frequenter Deum diligant, an non? Dum nemini constat, quanta hæc esse debeat frequentia, ut satisfiat præcepto. Respondes nostram conclusionem à similibus abesse longissimè. Onus namque, quod imponit, suavissimè, ac velut insensibiliter portant fideles timorati, suæque salutis non incurii, cùm Deum sæpissimè diligant, etsi non advertant, se diligere. Quoties enim aliquid agunt, quia Deus vult; quia Deo placet; ut Deo placeant, etiam in ordine ad aliud præceptum implendum; vel quoties aliquid omittunt, eò quòd videant, id à Deo prohiberi, Deo displicere, toties operantur ex motivo charitatis, atque adeo actus dilectionis Dei exercent. Imò, dum attentè ac devotè dicunt Orationem Dominicam, non dicunt sine actibus charitatis, quos in prioribus tribus petitionibus contineri cuilibet eas rectè consideranti facilè constat. Illi autem, qui attentè & devotè, ut debent, recitant Officium Canonicum, quàm multos in eo reperiant actus dilectionis Dei, quis non videat? Nemo proinde, qui suæ conscientiæ invigilat, de sufficienti istorum actuum frequentia debet esse anxius; cùm fieri vix posse videatur, ut eos non exerceant plusquam frequenter. De cætero, quæ mora temporis requiratur, ut quis diu differre dilectionem Dei, ejusque præceptum violare censendus sit, judiciô prudentis, ut sæpe in aliis materiis, est determinandum. Cardenas loco cit. n. 18. judicat, integrum mensem hîc esse tempus multum, atque notabile, idque propter præcepti, quod Christus dixit omnium primum, & mâximum, summam dignitatem. Negari tamen non potest, multos excusari à peccato, tametsi exercitium diligendi Deum diu differant, propter invincibilem inadvertentiam, & ignorantiam præcepti de frequentatione illius. Et ista quidem de tempore inter primum instans usûs rationis, & articulum mortis intermedio. Nam

Dico tertio. Tempus determinatum, quo præceptum dilectionis Dei per se obligat, sunt primum instans usûs rationis, & articulus mortis. 11

Prima pars Concl. est D. Thomæ 1. 2. q. 89. a. 6. & Thomistarum, quos sequuntur Laym. cap. 2. n. 6. Sporer tract. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 5. sect. 2. n. 34. Illsung tract. 3. disp. un. a. 3. à n. 69. & alii. Ratio est: quia id exigit status & conditio viatoris, ut finem viæ tunc intendat, sibique præfigat, dum illam primo ingreditur: sed homo tunc propriè incipit esse viator, quando sufficientem rationis usum est consecutus, viámque vitæ moralis primo ingreditur, ergo ad ejus statum & conditionem pertinet, finem viæ, qui hîc alius esse non debet, quàm Deus ipse, intendere, sibique præfigere. Sed Deus ac ultimus finis non aliter intenditur, quàm per actum charitatis; ergo.

Confirmatur ex Regula Juris, *l.* 14. *ff. de Reg. Juris. In omnibus obligationibus, quibus dies non apponitur, præsenti die debetur.* Cùm proinde præceptum diligendi Deum super omnia, quoad tempus ac diem obligationis omninò indeterminatum sit, intelligendum est obligare præsenti tempore, quamprimùm videlicet homo plenum rationis usum adeptus fit capax hujus obligationis, eámque de Deo, Deique bonitate sufficienter illustratus seu instructus sibi incumbere animadvertit.

Alteram partem Concl. docent Cardenas to. 2. disp. 49. cap. 4. n. 29. & 34. Sporer n. 35. Illsung n. 69. cit. ac præsertim à n. 72. qui etiam n. 79. alios Authores refert. Reding. to. 10. q. 5. a. 2. contr. 2. n. 23. Ratio est: quia articulus mortis, id est, tempus, quo instat periculum vicinæ mortis, non minùs est opportunum atque conveniens ad exercitium dilectionis Dei, quàm primum instans usûs rationis. Nam sicut in isto homo auspicatur viam ad ultimum finem, ita absolvit in postremo vitæ momento, 12

finis-

finique ultimo per reliquum tempus operosè quæsito appropinquat: ergo sicut sub primam rationis auroram maximè conveniebat, terminum viæ per actum charitatis intendere, sibique præfigere, ita maximè convenit eidem sub vitæ occasum amandó perfectè conjungi. Mors quippe est janua ad æternam unionem cum summo bono perfectè continuandam in patria, quæ imperfectè solùm incepit in via.

13 Dices. In fine vitæ premunt do ores, incumbunt angores ac terrores innumeri: neque tam urget deliberatio de agendis, quàm ratio reddenda de actis; imò sæpenumerò vel morbi violentiâ, vel fati celeritate usus rationis absorbetur. Quis ergo dicat, hoc tempus esse opportunum, ut voluntas adstringatur præceptó exercendi actum tam generosum, cujusmodi est amor Dei super omnia? Respondeo, tria potissimùm occurrere, quæ articulum mortis efficiant tempus maximè opportunum voluntati ad amorem Dei. Primum est, quòd tunc bona terrena & re ipsa proximè deserenda cernantur, & eorum vanitas, brevitas, falsitas per vitæ transactæ spatium propriis experimentis comperta vivaciùs repræsentetur; adeóque homo tunc longè faciliùs avertatur ab impedimentis præcipuis Divinæ charitatis, qualia sunt inordinati affectus erga res terrenas. Secundum, quòd eo tempore ultimus finis ac beatitudo nostra non tantùm ut bonum perfectè satiativum, sed etiam ut proximè possidendum voluntati (modò ipsa velit) proponatur. Hoc autem rursus eam magis expedit ab impedimentis Deum amandi; ac præstat, ut majori amoris impetu feratur in tantum bonum, idque super omnia æstimet, speret, desideret, cum detestatione vitæ præteritæ, & offensarum in Deum commissarum. Tertium, quod voluntatem tunc vehementiùs, quàm aliàs, excitet ad amorem Dei grata memoria beneficiorum innumerabilium, ac maximorum ab ejus bonitate & clementia per vitæ transactæ decursum collatorum, longéque majorum per totam æternitatem conferendorum. Qui per morbi violentiam, vel fati celeritatem (idem cogita de terroribus atque angoribus) usu rationis everruntur, haud dubiè ob impotentiam non adstringuntur isto præcepto: adstringuntur proinde illi moribundi, qui in hoc statu sui sunt compotes, sibique præsentes (ut communiùs contingit), & dum sibi sunt præsentes.

14 Dices iterum. Demus in mortis articulo obligare præceptum diligendi Deum. Quid tum? Obligabit non per se, & ex specifico motivo charitatis Theologicæ, de quo quæritur; sed per accidens, nempe vel ex virtute Pœnitentiæ imperantis conversionem à peccatis, vel ex præcepto diligendi se ipsum, quod itidem obligat ad removenda impedimenta salutis æternæ, procurandámque securitatem ejusdem. Respondeo, præceptum diligendi Deum obligare tunc quidem exmotivis tum Pœnitentiæ, tum charitatis erga se ipsum, sed obligare præterea ex motivo specifico charitatis erga Deum. Nam suppositа per actum Fidei repræsentatione Divinæ bonitatis ut super omnia appretiabilis, cáque stante, surgit ex connaturali exigentia appretiabilitatis, ejusque proprio merito obligatio tunc Deum amandi amore charitatis Theologicæ: quemadmodum etiam de obligatione ad actum Fidei Theologicæ diximus in a. 1. n. 34. Ante omnia proinde providendum est ab animarum curatoribus, ut moribundos ad eliciendum actus amoris Dei suaviter disponant. Cæterùm præter hæc gemina tempora à n. 11. constituta nullum aliud, quo præceptum charitatis Dei per se obliget, ex sufficienti fundamento determinari posse existimo: quemadmodum examinanti argumenta Doctorum alia tempora designantiùm patebit.

15 Dico quarto. Per accidens toties obligat præceptum charitatis Dei, quoties urget aliud præceptum sine actu dilectionis Dei non implebile. V. g. dum urget præceptum contritionis perfectæ: quæ sine actu jam dicto haberi nequit; vel dum instat obligatio resistendi gravissimæ tentationi contra virtutem quamcunque moraliter certò prævalituræ, nisi ad præsidium dilectionis Dei confugeretur. Ratio hujus Concl. petenda est ex dictis de Fide & Spe.

§. II.

De ordine charitatis erga proximum.

SUMMARIUM.

16. *Datur præceptum diligendi proximum.* 17. *Non tenemur proximum diligere æqualiter ut nos ipsos.* 18. *Quinam intelligantur nomine proximi?* 19. *Triplex genus bonorum, quæ nobis, & aliis velle possumus.* 20. *Statuitur debitus ordo Charitatis erga nos & proximum.* 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Variæ resolutiones practicæ.* 27. *Juxta rectum ordinem Charitatis unus ex proximis magis diligendus est, quam alius.* 28. 29. 30. *Corollaria ex dictis.* 31. *Quoad bona corporis ac temporalia persona publica magis diligi debet, quam quævis privata.*

16 EXistere præceptum diligendi proximum manifestè constat. Nam dicitur Matth. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et 1. Joan. cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Hoc præceptum, quatenùs affir-

mativum est; præcipit primo ordinem inter personas diligendas servandum. Secundo, dilectionem inimicorum. Tertio, opera misericordiæ, scilicet eleemosynam & corporalem, & spiritualem. Ut negativum prohibet primo, odium proximi. Secundo scandalum. Tertio, injurias, damna & mala quæcunque alteri inferenda. De quibus postremis alibi; de cæteris nunc, & quidem primo de ordine Charitatis, agendum. Ubi

17 Notandum est, primo, quando præcipitur Matth. 22. ut proximum diligamus, sicut nos ipsos, per particulam *sicut* non significari æqualitatem dilectionis, sed similitudinem. Neque enim tenemur proximum diligere, quantùm nos ipsos, sed similiter, atque nos ipsos diligimus, nempe dilectione vera, syncera, solida, qua nos ipsos diligimus, bonum eidem optando, ac pro viribus, si opus fuerit, præstando; malum nolendo, imò, si fieri potest, & res postulat, averiendo ac propulsando. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 44. a. 7.

18 Notandum secundo, nomine *proximi* intelligi quamlibet creaturam intellectualem, quæ nobiscum participat capacitatem Divinorum bonorum & æternæ beatitudinis. Itaque proximi nostri sunt Angeli, homines viatores, ac beati in cœlo: item animæ in purgatorio: non autem dæmones, homines damnati, vel creaturæ rationis experites. Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 2. n. 7. Bonac. Q. 4. de Charit. pu. 3. n. 1. *Nec refert*, ait D. Th. loco cit. *utrum dicatur proximus, vel frater, ut habetur 1. Joan. 4. vel amicus, ut habetur Levit. 19. quia per omnia hæc eadem affinitas designatur.*

19 Notandum tertio, bona, quæ vel nobis ipsis, vel proximo velle possumus, esse in triplici genere. Nam primo sunt bona spiritualia; putà, æterna beatitudo, gratia & virtutes. Secundo bona corporalia, quorum nomine veniunt vita & sanitas corporis. Tertio bona æterna, fama, honor, divitiæ. Nunc

20 Dico primo. Ordine Charitatis post Deum quilibet tenetur maximè diligere primo seipsum secundùm bona spiritualia, secundò, proximum secundùm bona spiritualia; tertio, seipsum secundùm bona corporis; quarto, proximum secundùm bona corporis; quinto, se ipsum secundùm bona externa; ac deinde proximum. Ita cum D. Th. communis sententia. Ratio ex S. D. 2. 2. q. 26. a. 4. petitur: tum, quia dilectio, qua quis seipsum diligit, se habet ut exemplar dilectionis proximi: hunc enim jubemur diligere sicut nos ipsos: exemplar autem debet esse potius quàm exemplatum. Tum, quia homini motivum diligendi se ipsum est, quòd sit particeps Divinorum bonorum; diligendi verò proximum, quòd sit socius in hac tali participatione: hoc autem, quòd quis in se ipso habeat eam participationem, propior atque vicinior est ratio diligendi, quàm quòd alius in eadem sit socius. Charitas igitur incipit à nobis, & nobis primò vult bona, deinde proximo. Ex quibus jam resolves sequentia.

I. Nunquam est licitum committere 21
ullum peccatum propter salutem proximi, vel etiam totius communitatis, tametsi daretur casus, in quo proprium alicujus peccatum ad alienam salutem videretur esse necessarium. Ita unanimiter Theologi cum D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. ad 5. ubi ait, propter ejusmodi finem ne quidem venialiter peccare esse licitum. Ratio est: quia velle, vel procurare sibi detrimentum animæ, quod secum affert quodvis peccatum, repugnat ordini charitatis. Unde Christus Matth. 18. dixit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Accedit, quòd implicet in terminis, ut nota S. D. loco cit. aliquando licitum esse ex charitate committere peccatum: quia, quod licet, non est peccatum, &, quod est peccatum, non licet. Vid. Valent. to. 3. disp. 3. q. 4. pu. 3. colum. 737.

II. Quando proximus versatur in extre- 22
ma necessitate salutis spiritualis, teneris ei succurrere etiam cum evidenti periculo vitæ. Hic nota, triplicem esse necessitatem spiritualem, levem, gravem, extremam. Levis est, quam proximus citra tuum auxilium facilè; gravis, quam difficulter; extrema, quam te non adjuvante vel omnino non potest superare, vel cum tanta difficultate, ut censeatur superatu moraliter impossibilis. Duo præterea, ut memorata jam obligatio stringat, tibi debent esse moraliter certa. Primum, neminem esse præter te, qui proximo succurrat. Secundum, fore, ut tuum auxilium prosit. Vid. Castropal. to. 1. tract. 6. disp. 1. pu. 9. n. 1. Nunc ratio nostræ doctrinæ est: quia juxta ordinem statutum charitatis præceptum profundendi vitam pro salute proximi, ne sit frustraneum, aliquando obligat: nam dicitur 1. Joan. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Atqui non alio tempore, quàm extremæ necessitatis; ergo. Mi. prob. Quando proximus non est in extrema necessitate, prudenter sperare possumus, ejus saluti aliter consultum iri: ergo non est credibile, jus conservandi vitam, quo homini nihil naturalius, cedere legi charitatis, quando non adest extrema proximi necessitas. Cùm hoc legis Evangelicæ suavitatem minimè decere videatur. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 26. a. 5. Valentia pu. cit. affert. 5. Bonac. q. 4. de charit. disp. 3. pu. 4. à n. 2. Castropal. n. 3. & 9. Atque hinc resolves.

III. Quan-

III. Quando tibi constat, Petrum in peccato mortali constitutum tempore somni, v. g. vel phrenesis interemptum iri vel à se ipso, vel ab alio, teneris, si potes, id impedire, etiam cum propriæ vitæ periculo. Pariter, dum vides infantem non baptizatum luctari cum morte, aliúmque neminem, qui baptizet, adesse, baptizare teneris, etsi discrimen capitis inde incurras. Ratio est: quia in utroque casu proximus patitur extremam necessitatem salutis. Bonac. n. 2. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 3. n. 3. Castropal. n. 4. Reding to. 10. q. 5. 2. 2. contro. 3. n. 14. & 15. Econtra non tenemur navigare in Indiam, ut convertamus infideles, aut Petrum, qui properat ad mœchandum, retrahere cum vitæ nostræ periculo, vel gravi damno honoris aut divitiarum. Ratio est: quia nec Indi, nec Petrus versantur in extrema necessitate salutis. Bonac. loco cit. Castropal. n. 9. Reding n. 22.

24 IV. Quando proximus patitur gravem necessitatem spiritualem, obligaris ad illi succurrendum saltem cum levi tuo damno alicujus boni temporalis: non autem sic obligaris, dum patitur necessitatem solùm levem. Ita Suarez, Coninck, Emanuel Sa, Valentia, quos refert: & sequitur Castropal. n. 11. Ratio est: quia bonum spirituale & superioris ordinis, dum graviter periclitatur, præferre oportet cuivis jacturæ levi boni temporalis: secùs, si sit necessitas solùm levis: hanc enim proximus æquè facilè per seipsum superare potest, quàm tu ei succurrere.

25 V. Quibus non tantùm ex lege charitatis, sed etiam ex officio incumbit curare aliorum salutem spiritualem, nempe Pastoribus, Superioribus &c. illi tenentur etiam in non extrema, sed in gravi quoque necessitate constituris adesse cum propriæ vitæ corporalis periculo. Bonac. n. 5. Valent. pu. cit. colum. 745. Laym. loco cit. Castropal. n. 12. Reding n. 23. & alii communiter. Ratio est: quia similes accedente alio titulo magis obligantur, quàm illi, quos obligat solà charitas: sed isti obligantur succurrere proximo in extrema necessitate salutis cum periculo vitæ propriæ; ergo illi sic obligantur etiam in necessitate gravi. Quocirca Parocho non licet fugere tempore pestis, vel ingruentis hæresis, nisi fortè alium subrogetad fungendum officio suo idoneum. Sed neque licitum est tunc temporis renuntiare officio Parochi, nisi in promptu sit alius idoneus, qui illud velit suscipere & exequi: quia boni Pastoris est animam suam dare pro ovibus suis, ut dicit Christus Joan. 10.

26 VI. Non est licitum in æquali periculo mortem oppetere, præcisè, ut conservetur vita alterius. Valent. colum. 740. Castropal. pu. 8. Reding n. 7. Ratio est: quia hoc adversatur ordini charitatis suprà statuto: quemadmodum docet S. Augustinus lib. de Mendacio, cap. 6. ubi ait: *Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, jam non diligit proximum sicut seipsum, sed plus quàm seipsum, quod doctrinæ regulam excedit.* Dixi, *præcisè &c.* quando enim accedit alia specialis ratio, ut, si is, pro quo occumbis, sit amicus, benefactor, persona publica, vel bono publico multùm utilis, mori, ut talis servetur, erit honestum. Ratio est: quia in similibus casibus non diligis proximum plus quàm te ipsum, sed honestatem virtutis, v. g. fidelitatis, gratitudinis, pietatis præfers tuæ vitæ, quod haud dubiè licitum est. Vid. Castropal. loco cit. Atque hinc rectè & virtuosè se gerit, qui in æquali vitæ periculo inservit amico peste infecto, vel in communi naufragio tabulam cedit: ut etiam in materia de homicidio doceri solet.

Dico secundo. Rectus ordo charitatis 27
postulat, ut inter ipsos proximos unus diligatur magis, quàm alter. Ita D. Tho. 2. 2. q. 26. a. 6. communiter DD. Intelligenda est autem præsens conclusio de dilectione non solùm effectiva, quæ consistit in extrinseca collatione beneficiorum, sed etiam de affectiva, sive formali & interna. Ratio D. Thomæ est: tum, quia odium quorundam proximorum gravius peccatum est, quàm aliorum; veluti colligitur ex S. Script. Levit. 20. ubi is, qui maledixerit patri, vel matri, mori jubetur, non autem, qui alteri: ergo sequitur, dilectionem quorundam proximorum oportere esse majorem, quàm aliorum. Tum etiam, quia naturalis rationis dictamine docemur instituere selectum inter diligendos, magisque diligere nobis conjunctos, quàm non conjunctos, & inter conjunctos, conjunctiores. Cùm proinde inclinatio charitatis perficiat inclinationem naturæ tanquam illi apta & proportionata, sequitur, non tantùm ex dictamine & inclinatione naturæ, sed etiam ex charitate magis diligendos esse nobis conjunctos, & inter hos conjunctiores, quàm non conjunctos, aut minùs conjunctos. Atque hinc oritur

Corollarium I. In bonis, quæ ad natu- 28
ram, & vitæ corporalis conservationem pertinent, consanguinei præ cæteris sunt diligendi. Et quidem primò omnium succurrendum est uxori, si quam habes: quia hæc reputatur una caro cum viro. Secundo, liberis. Tertio, parentibus, & ex his patri præ matre: quia pater, ut ait D. Th. q. cit. a. 10. habet excellentiorem rationem principii nostri esse; adeóque nobis excellentiori modo conjunctus est, quàm mater. Quarto, fratribus, sororibus, aliisque sanguine conjunctis. Quinto, non consanguineis, priùs tamen domesticis ac familiaribus. Vid. Laym. cit. cap. 3. n. 6. Dicta tamen hæc velim primò, manendò extra su-

premam necessitatem: in hac enim parentes sunt omnibus anteferendi. Ratio est: quia esse, quod à parentibus accepimus, beneficium est omnium maximum: adeòque æquissimum est, ut eis potiùs esse, qui nobis dederunt, quàm aliis conservemus. Secundo, cæteris paribus. Nam si pater v. g. justò sit rigidior, sævus, crudelis &c. econtra mater admodum beneficia filio tam in iis, quæ ad corporis, quàm quæ ad animæ salutem pertinent, patri procul dubio præferri debet. Ratio est: quia id meretur titulò singularis beneficentiæ superadditò naturalis conjunctionis vinculo. Bonac. pu. 5. n. 2. Castropal. pu. 10. n. 14. qui posterior etiam notat, ordinem charitatis inter personas primo, secundo, tertio loco nominatas invertere non esse peccatum mortale. Ratio est: tum quòd excessus conjunctionis non videatur gravis: tum, quòd ille ipse ordo sit aliqualiter controversus inter DD. aliis matrem patri, aliis liberos uxori anteponendos esse contendentibus.

29 Corollarium II. In rebus, quæ ad civilem communicationem pertinent, concives; in bellicis commilitones aliis sunt præferendi. Ratio est: quia cæteris paribus civis civi, commilito commilitoni conjunctior est, quàm aliis. Quòd si verò quæstio instituatur de auxiliis spiritualibus, censeo, potiorem rationem habendam esse eorum, qui nostri secundùm spiritum patres, fratres, sorores esse reputantur, ita, ut patri spirituali, v. g. Prælato, in necessitate spirituali existenti succurrendum sit præ filio, filio præ cæteris, qui non sunt filii &c. D. Tho. q. cit. a. 8. ad 2. Valent. pu. 5. colum. 754. Bonac. n. 4. Laym. loco cit. Reding ubi suprà, n. 30. Ratio est: quia non minus conforme est rectæ rationi servare ordinem charitatis inter conjunctos spiritualiter quoad bona spiritualia, quàm inter conjunctos corporaliter quoad bona corporalia & temporalia. Contrarium tenent Suarez & Coninck, quos sequitur Castropal. n. 7. existimantes, patrem carnalem patri spirituali, filium carnalem spirituali in necessitate etiam spirituali esse anteponendum. Sed audiendi non sunt: quia in bonis spiritualibus conjunctior est pater spiritualis, quàm carnalis, item filius spiritualis, quàm carnalis &c.

30 Corollarium III. Non transgreditur ordinem charitatis sibi præferens proximum in illis bonis, quæ sub præcepto non tenetur sibi velle, vel procurare, sed quæ solùm sunt de consilio. Unde nihil contra charitatem tibi à te debitam admittis, si dignitatem v. g. aut beneficium recuses, ut alteri obtingat: item, si ingressum Religionis differas, vel prorsus intermittas propter alterius utilitates. Valentia pu. 3. assert. 1. Laym. loco cit. Castropal. pu. 7. n. 5. Ratio est: quia charitas, ejúsque ordo non obligat, ut illa bona magis velim mihi, vel alteri, quæ non teneor velle absolutè: sed bona memorata non teneor velle absolutè; ergo charitas non obligat, ut illa magis velim mihi, vel alteri: & consequenter liberum est velle mihi, vel alteri; item mihi magis, vel alteri. Mi. est certa. Maj. ex eo constat, quòd obligatio volendi quid magis supponit obbligationem volendi absolutè; sicut obligatio solvendi huic magis creditori, quàm alteri supponat in debitore obligationem solvendi absolutè. Ex quibus illud etiam conficitur, ut quis pluribus prodesse, vel saluti proximorum diutiùs consulere possit, licitum esse optare dilationem ipsius beatitudinis; veluti constat exemplò Apostoli ad Philipp. 1. scribentis: *Coarctor, è duobus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo; multò autem magis necessarium manere in corpore propter vos.* Ubi vides, Apostolum propter utilitatem proximorum voluisse ad tempus carere ipsa quoque beatitudine animæ; quia scilicet ex charitate erga se ipsum minimè tenebatur eam sibi velle etiam pro illo tempore. Atque huc etiam pertinent, quæ in hac re de SS. Martino, & Ignatio Lojola in ipsorum Officiis leguntur.

31 Hucusque dicta procedunt de ordine charitatis servando inter proximos, qui sunt personæ privatæ. Nam si quæstio instituatur, utrùm persona publica magis diligi debeat, quàm quælibet privata? Respondendum est affirmativè. Ratio est: quia ejusmodi personam diligere perinde est atque diligere ipsam communitatem seu rempublicam: atqui communitas magis diligi debet, quàm quilibet privatus in ea inclusus; ergo etiam persona publica, quæ repræsentat communitatem, magis diligi debet, quàm privata. Quod tamen intellige quoad bona corporis ac temporalia. Nam quoad bona spiritualia, quæ quis ex præcepto sibi velle tenetur, unusquisque se ipsum magis debet diligere, quàm totam etiam communitatem. Vid. Valent. pu. cit. assert. 4. & pu. 5. circa finem. Bonac. ubi suprà.

§. III.

De dilectione inimicorum.

SUMMARIUM.

32. *Tenemur inimicos ex charitate diligere.* 33. *Ex quibus capitibus inimici nobis non sint contrarii.* 34. *Præceptum charitatis obligat ad communia dilectionis signa inimicis exhibenda, non autem ad specialia, per se loquendo.* 35. *Obligat tamen interdum etiam ad specialia.* 36. 37. 38. *Resolutiones practicæ ex dictis.* 39. 40. *Inimico petenti veniam tenemur ex animo condonare offensam,*

sam, eamque non ulciſci privata authoritate. 41. *Tenemur præterea condonationem offenſæ declarare ſignis externis.* 42. *An, & quando ſit obligatio petendi veniam ab offenſo?* 43. *Uter duorum, qui ſe mutuò offenderunt, prior teneatur reconciliationem quærere, aut petere veniam?* 44. *An ſtatim poſt acceptam injuriam ſit danda venia petenti?* 45. *An teneamur ſalutare inimicum non reſalutaturum?* 46. *Qualem ſe gerere debeat Confeſſarius inimicorum?*

32 CErtum eſt, jure tam naturali, quàm Divino eſſe præceptum, ut inimicos ex charitate diligamus. Nam & ipſi ſunt verè noſtri proximi, id eſt, ejusdem nobiſcum naturæ conſortes, & æternæ beatitudinis capaces. Et quidem præceptum Divinum expreſsè habetur in S. Script. Matth. 5. ubi Chriſtus dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, quæ oderunt vos.* Quia verò aliunde ſupponitur, Chriſtum in lege gratiæ nullum tuliſſe morale præceptum, quod non eſſet lege naturæ ſancitum, præter illa, quæ ad Sacramenta pertinent, planè conficitur, præceptum diligendi inimicos eſſe inſuper juris naturalis.

33 Neque dicas, cuilibet rei eſſe connaturale odiſſe ſuum contrarium; ſicut ovis odit lupum, aqua ignem &c. ſed inimici ſunt nobis contrarii; ergo. Nam reſpondeo, in inimicis tria eſſe conſideranda. Primum, quòd nobis malè velint, & ex mala voluntate noceant. Secundum, quòd ſint homines, noſtræque naturæ conſortes. Tertium, quòd donorum ſupernaturalium, & cœleſtis beatitudinis ſint capaces. Propter primum ex his, utpote quid peccaminoſum, non ſunt diligendi, ſed digni odio. Diligendi ſunt tamen ex ſecundo & tertio capite, in quorum neutro nobis contrarii ſunt, ſed in primo tantùm. Vid. Azorius to. 2. lib. 12. cap. 3. q. 1. Nobis jam incumbit, in quonam hæc dilectio, quæ tam graviter præcipitur, conſiſtat, & quorſum ſe extendat? declarare.

34 Dico proinde primo. Præceptô charitatis omnes obligamur, ſaltem dum ſumus homines privati, ad exhibendum inimicis noſtris communia dilectionis ſigna, ac beneficia; non autem ſpecialia per ſe loquendo. Ita D. Thomas 2. 2. q. 25. a. 8. & 9. quem communiter ſequuntur DD. Ratio primæ partis eſt: quia illa, quæ omnibus communiter debentur, non exhibere inimico, planè indicat vindicationem injuriæ privatis perſonis illicitam, ut conſtat ex illo Levit. 19. *Non quæres ultionem, neque eris memor injuriæ civium tuorum.* Atqui communia dilectionis ſigna ſunt, quæ cuivis Chriſtiano à quovis Chriſtiano ejusdem ſtatûs & conditionis communiter debentur, ut concivi à concive, cognato à cognato, &c. Ratio ſecundæ partis eſt: quia ſimilia hoc ipſo, quòd ſint ſpecialia, non teneris exhibere communiter omnibus, tametſi non ſint inimici: ergo nec inimico. Nam iſte non eſt melioris conditionis, quàm alii: imò eſt deterioris propter diſſolutam amicitiam.

Dixi autem, *per ſe loquendo.* Quia 35
interdum occurrunt circumſtantiæ, in quibus inimico non exhibere ſpecialia ſigna amoris eſt externè declarare odium illius, eique præbere ſcandalum, vel miniſtrare fomitem indignationis ac iræ diutiùs & pertinaciùs alendæ. Exemplum eſſet vel maxime, ſi inimicitia, quæ tibi cum Cajo incrcdit, foret notoria, túque omnes alios in publico conventu præſentes ſalutares præter Cajum, quem tamen ante inimicitiam ſemper ſalutare ſolebas. Quid enim, quæſo, aliud ſive Cajus, ſive cæteri judicare tunc poſſent, quàm te manifeſtandi odii causâ ſaluratiönem Caji omittere? Vid. Caſtropal. to. 1. tr. 6. diſp. 1. pu. 6. n. 5. Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 3. n. 12. Ex dictis habes

Corollarium I. Quando oras pro tota 36
civitate, vel in omnes illius pauperes elecmoſynam diſtribuis; omnes cognatos ad convivium invitas; omnes in vicinia, vel communitate occurrentes ex conſuetudine ſalutare aſſoles, ſolum inimicum ab iſtis non licet excludere. Azor. ubi ſuprà, q. 3. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 4. n. 2. Caſtropal. n. 4. Ratio eſt: quia hæc ſunt communia dilectionis ſigna, vel beneficia, à quibus ſi ſolùm excludas inimicum, externe declaras, te illum odiſſe, & illatam injuriam ulciſci, quod privato eſſe interdictum in n. 34. audivimus. Dixi, *privato*, hoc eſt, tali, cui nullum jus vindicandi, aut puniendi competit. Nam aliud tenendum de parente, Prælato &c. qui ſubditis ſuis, à quibus offenſi ſunt, communia amoris ſigna, vel beneficia juſte interdum ſubtrahunt ad tempus punitionis, ac correctionis causâ. Laym. loco cit. Coninck apud Caſtrop. n. 7. & alii. Cæterùm quale peccatum ſit, hæc talia inimicis illicite non exhibere, colligendum eſt ex qualitate materiæ, vel mali, quod inde provenit inimico. Certum proinde eſt, eſſe peccatum mortale, quando levitas materiæ non excuſat.

Corollarium II. Non teneris per ſe lo- 37
quendo inimicum obviam factum ſalutare alloqui, ægrotum inviſere, mœſtum conſolari, vel hoſpitiô excipere. Ratio ex dictis eſt: quia non tenemur inimicis exhibere ſpecialia ſigna dilectionis: ſed ſalutare, alloqui &c. ſunt ejusmodi ſigna ſpecialia; ergo. Quemlibet tamen animó paratum eſſe oportere ad ſimilia inimico præſtanda in caſu neceſſitatis docet D. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. juxta illud

illud Proverb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Vid. Azor. q. 4. Laym. loco cit. Tambur. ubi suprà n. 11. & 25.

Dixi rursus, *per se loquendo.* Quia possunt accidere aliquæ circumstantiæ, ut planè pecces, quando inimicum tibi occurrentem non salutas, veluti primo, si antea semper salutare solebas. Secundo, si inimicus sit superior. Tertio, si plures, quos inter inimicus, occurrant, túque omnes salutes, excepto inimico. Quarto, si non modò non salutes, sed insuper aspicias vultu præter morem truci, pileum in ejus præsentia capiti fastuosè ac ferociter inprimas &c. Ratio est: quia in his, aliisque similibus casibus denegare humanitatem salutationis censetur esse signum odii, vindictæ, contemptûs. Præbet præterea scandalum, sive occasionem spiritualis ruinæ tam inimico, quàm aliis, quæ fortè adsunt. Castrop. n. 5. Tambur. n. 12. Illud præterea addendum: Quando quis sperat prudenter, familiariter alloquendo, salutando, aliáve signa specialia humanitatis exhibendo inimicum placandum, atque in gratiam rediturum esse, tenetur hæc ipsi exhibere, si possit absque magna animi difficultate, ac molestia. Bonac. q. 4. de charit. pu. 3. n. 3. Tambur. n. 26. Ratio est: quia bonum spirituale cujuslibet proximi in gravi necessitate, qualem hic pati videtur, procurare tenemur cum aliquo nostro, licèt non cum gravi, incommodo.

38 Corollarium III. Quando quis inimicum sibi graviter infensum, à quo salutatur non resalutat, peccat mortaliter. Bonac. n. 4. Tambur. n. 14. Ratio est: quia, dum deposita ex parte salutantis inimicitiâ vicissim salutare omittis, hominem graviter contristas, eique grave scandalum & occasionem in inimicitia perseverandi subministras. Neque enim hoc inurbanitati tuæ, sed maximo odio atque contemptui imputabit. Meritò tamen excipitur casus, in quo salutans esset te multùm inferior, & quem nec ante inimicitiam resalutare solebas: tunc enim denegatio reciprocæ salutationis neque est signum contemptûs, neque causa scandali. Vid. Azor. q. 5. Bonac. loco cit. Castropal. n. 6.

39 Dico nunc secundo. Inimico petenti veniam, ac testanti, se verè & ex animo dolere, quòd nos offenderit, tenetur itidem ex animo & vera charitate condonare offensam, eámque non ulcisci privatâ authoritate. Ita ex communi Valentia to. 3. disp. 3. q. 3. pu. 2. Laym. ubi suprà, n. 3. Et patet ex illo Matth. 18. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris &c.* Et Lucæ 17. *Si reversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me; dimitte illi.* Ratio verò est: quia alioqui gravissimum scandalum præbebitur non tantùm inimico veniam petenti, sed etiam aliis proximis, si ejusmodi rancorem & ignoscendi difficultatem cognoscant.

Dixi autem primo, *ex animo condonare* 40 *offensam.* Hoc est, nullum rancorem aut odium erga offendentem in animo retinere. Quia ne injuriam in phantasia atque memoria habeas, præsertim, si multùm fuit atrox, valde difficile; imò non ratò impossibile est. Unde nemo ad hoc obligatur. Vid. Laym. loco cit. Dixi secundo, *non ulcisci privatâ authoritate.* Quia licèt quis cum inimico petente veniam rediverit in gratiam, eum nihilominus coram competente Magistratu accusare potest actione tam civili, quàm criminali; illâ quidem, ut damnum illatum compensetur, vel pro injuria satisfiat parti læsæ; istâ verò, ne crimina cum pernicie Reipublicæ maneant impunita. Valentia, Laym. locis citt. Bonac. n 5. Tambur. n. 9. Castropal. n. 8. & 9. Ratio primi est: quia quilibet jure petit, quod jure debetur, & Judex procurare tenetur. Neque refert, si inimicus offerat plenam satisfactionem, damnique reparationem arbitrio prudentûm extra judicium præstandam: quia non est necesse, ut læsus sit illâ contentus; sed quemadmodum Judex compensationem potest juridicè præscribere, ita læsus, ut lædenti juridicè præscribatur, petere potest. Ratio secundi est: quia actorem depositâ (sicut suppono) inimicitiâ, non odium, non privatæ vindictæ cupiditas movet ad inimicum criminaliter accusandum, sed amor publicæ justitiæ, ut sceleratus puniatur. Ex hoc autem motivo quemquam in jus arcessere honestum & licitum est. Bonac. Castrop. locis citt. Quare hujusmodi accusatori ab actione injuriarum, litisque prosecutione nolenti desistere Confessarius non potest denegare absolutionem, quando is protestatur, se neutiquam odio adversarii, sed amore justitiæ in suo proposito persistere. Castropal. n. 9. Fatendum tamen est, rem esse periculosam instituere actionem, præsertim criminalem, contra inimicum, qui ultrò paratus est satisfacere: cùm pauci hac in re solam justitiam, & non simul privatæ ultionis affectum sequantur. Unde in praxi regulariter suadendum est læso, ut compensatione & satisfactione ultronea inimici veniam rogantis, judiciúmque deprecantis velit esse contentus. Vid. Bonac. Laym. locis citt. Tambur. n. 21.

Corollarium. Qui inimico veniam pe- 41
tenti condonat offensam, tenetur hanc ei condonationem etiam per signa externa declarare. Ratio est: quia, si vel per se, vel per alium humiliter petenti veniam non exhibeas aliqua signa benevolentiæ, juxta qualitatem,

vel

vel conditionem personæ, quibus simultatem depositam, amicitiámque redintegratam esse ostendas, id odio & rancori tuo in illum tribuetur. Castropal. n. 7. Tambur. n. 18. Hoc tamen limitant isti Authores, unáque Coninck ab eis relatus, nisi fortè Superior sis ejus, qui veniam petit: tunc enim punitionis & correctionis causâ potes aliquantùm differre externam reconciliationem, signáque benevolentiæ, ut subditus magis apprehendat gravitatem delicti, culpámque efficaciùs emendet. Et ratio limitationis est: quia ejusmodi procrastinatio reconciliationis in Superiore non est argumentum odii, sed amoris erga subditum: cùm ordinetur in ipsius bonum. Singulari tamen hîc opus esse prudentia monet Tambur. loco cit. ne per hunc emendationis modum subditus plus æquo exacerbetur.

42 Quæritur jam primo, an, & quando, qui alterum offendit, teneatur ab eo petere veniam? Respondeo, tunc solùm teneri, quando offensa est gravis, nec aliud medium reconciliationis vel supersit, vel omnibus pensatis conveniens est: ut primo, si offensus id rationabiliter exigat. Secundo, si judex, aut Superior injungat. Tertio, si alicubi ita moribus introductum sit, ut in sacris Religionibus. Quarto, si offensus sit Superior, pater, maritus, dominus comparatè ad offendentem. Ratio est: quia adhibere medium ad obtinendum finem est in præcepto, quoties id fuerit necessarium: sed petitio veniæ in his casibus est medium necessarium ad procurandam reconciliationem, & non in aliis; ergo in his est adhibenda, licet non in aliis. Vid. Sporer tract. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 6. n. 39.

43 Quæritur secundo, quando duo se mutuò offenderunt, uter prior reconciliationem quærere, aut, si opus fuerit, veniam petere teneatur? Respondeo, cæteris paribus illum teneri, qui prior offendit. Ratio est: quia priùs offensus, ceu prior tempore est potior jure ad exigendam satisfactionem. Dixi, *cæteris paribus.* Nam, qui vel multo graviùs offendit, vel longè inferioris conditionis est, priùs tenetur curare, ut alteri reconcilietur, quamvis posteriùs offenderit. Filliuc. tract. 28. cap. 1. n. 27. Bonac. n. 6. Sporer n. 40. In dubio, uter priùs alterum offenderit, standum est arbitrio Confessarii, vel alterius boni viri, ut habet Azor. to. 2. lib. 12. cap. 3. q. 10.

44 Quæritur tertio; an statim post injuriam illatam teneamur dare veniam petenti? Respondeo, non teneri, antequam sufficiens prudentis arbitriô tempus fuerit elapsum. Ratio est: quia nimis difficile, ac suprà humanæ fragilitatis conditionem esse videtur, recenti adhuc vulnere, & injuria, præsertim atroci, & necdum sedata perturbatione animi, positivam reconciliationem inire. Itaque offensus aliquamdiu negativè se gerere potest erga offendentem deliberatum ipsius odium excludendo, & reconciliationem positivam differendo: cujus tunc dilatio non pro signo odii, sed humanæ potius infirmitatis habenda est. Vid. Azor. q. 7. Filliuc. n. 25. Tambur. ubi suprà, n. 22. Sporer, n. 44. Cæterùm elapso sufficienti tempore haud dubiè tenemur dare veniam petenti; ut satis constat ex dictis: quod tamen intellige, si debito modo petat: nam fictè, vel frigidè, vel superbè petenti veniam dare non tenemur, ut habet Azorius loco cit.

Quæritur quarto, an quis teneatur salu- 45
tare, vel alloqui inimicum more solito, quem prævidet non resalutaturum, vel responsurum? Respondeo, non teneri, quando id moraliter certò prævidet. Ratio est, tum, quia salutando vel alloquendo exponeret se periculo gravius irascendi, vel insurgendi in non respondentem: tum, quia inimicus sibi imputare debet omissionem salutationis, vel alloquii, eò quòd ita se gerat, ut alter sit moraliter certus, ab ipso denegatum iri resalutationem, aut responsionem sibi debitam. Tambur. n. 15. Sporer, n. 35. Dixi, *quando moraliter certò prævidet.* Nam si probabiliter solùm existimet non resalutaturum, aut responsurum, vel de hoc dubitet, inducendus est, ut semel saltem amicè saluter, vel alloquatur. Quòd si ille reciproce exhibeat signa ejusmodi benevolentiæ, habet salutans aut alloquens, quod sibi gratuletur: lucratus est enim inimicum suum: si non exhibeat; illud saltem lucri reportabit, ut deinceps à salutando, vel alloquendo sit excusatus. Sporer loco cit.

Quæritur quinto, qualiter se gerere de- 46
beat Confessarius inimicorum? Respondeo, Confessarius sine gravissimo sacrilegio non potest absolvere pœnitentem, quem videt nolle proximo reconciliari ex animo; aut eidem comunia signa charitatis exhibere. Ratio in promptu est: quia talem absolvere est absolvere vel maxime indispositum. Quod si asseveret pœnitens, se ex animo ignoscere inimico, non tamen posse oblivisci offensam, cautus debet esse Confessarius in credendo, & interrogare, qualiter non possit oblivisci? An hoc solùm sensu, quod offensam seu injuriam propter horrorem & atrociam suam non possit delere ex memoria? Vel etiam, quòd animo volvat vindictam, eámque privatam, adeoque injustam? Si primum; credat, & absolvat: si secundum; nequaquam debet absolvere. Vid. Sporer. n. 47.

§. IV.

De *odio proximi.*

SUMMARIUM.

47. *Odium aliud* inimicitiæ, *aliud* abominationis. 48. *Præcepto negativo charitatis prohibetur odium* inimicitiæ *contra proximum.* 49. *Odium* abominationis *aliquando est licitum & laudabile.* 50. *Odisse proximum odio inimicitiæ ex suo genere mortale peccatum est.* 51. *An licitum sit propter bonum spirituale alteri velle mala pœnæ temporalis?* 52. *An liceat aliquando desiderare mortem alterius?* 53. *Item, an eandem liceat optare Turcis, Hæreticis, aliisque hostibus Ecclesiæ, vel Reipublicæ?* 54. 55. *Demum, an liceat sibiipsi aliquando optare mortem?*

47 QUemadmodum charitas, sive amor est duplex, nempe unus *amicitiæ*, vel *benevolentiæ*; & alter *concupiscentiæ*, ita & odium. Nam aliud est odium *inimicitiæ*, sive *personæ*: aliud *abominationis*, sive *qualitatis*. Rursus: sicut amore amicitiæ personæ, quæ nobis placet, bonum volumus, quatenùs ipsi absolutè bonum est; ita odium inimicitiæ illud vocatur, quo personæ, quæ nobis displicet, malum volumus, quatenùs absolutè ipsi est malum. Et sicut amore concupiscentiæ alterum amamus, non quatenùs absolutè, & secundùm se, sed quatenùs nobis est bonus, ita odio abominationis aversamur personam non secundùm se ipsam, sed secundùm malum ipsi adjacens, in quantum illud vel nobis, vel alteri, vel communitati adversatur.

48 Dico nunc primo. Præcepto negativo charitatis prohibetur odium inimicitiæ contra proximum. Habetur ex S. Script. 1. Joan. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et, ne quis existimet, se nihil adversùs hoc præceptum delinquere, dummodo signa odii exteriùs non ostendat, dicitur Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*: & Proverb. 26. *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.* Ratio verò concl. est: quia præceptô charitatis prohibetur, quidquid charitati opponitur: sed odium inimicitiæ directè opponitur charitati virtutum omnium maximæ; ergo.

49 Dico secundo. Odium abominationis contra proximum aliquando est licitum & laudabile. Patet inprimis ex eo, quòd Deus quoque hoc modo habeat odio peccatores: juxta illud Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem &c.* si nempe nos impediant à Divino obsequio, sicut exponit D. Th. 2. 2. q. 34. a. 3. ad 1. & ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.* Patet deinde ex eo, quòd ejusmodi odium in Sac. Script. commendetur: ut Psal. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfectô odiô oderam illos, & inimici facti sunt multi.* Perfectum proinde ac bonum est istud odium, quo proximum abominamur, ut malus & peccator est.

Atque hinc ratio statutæ concl. colligitur: Quia non omnes qualitates, quæ reperiuntur in proximo, possunt esse objectum amoris, sed frequenter merentur odium: ergo proximum secundùm eas odisse, quod contingit per odium abominationis, non modò non prohibitum, sed etiam licitum & honestum est, idque non minùs, quàm honestum est amare proximum secundùm ea, quæ in ipso bona & amore digna sunt. Ant. constat in peccatoribus, v. g. injustis, avaris, hæreticis, fornicatoribus & similibus, quorum qualitates, scilicet flagitia & scelera, vel maximè dignæ sunt odio. Et profectò, si Deo, qui charitas est, odio sunt impius, & impietas ejus, ut dicitur Sap. palam est, odium abominationis, quo aversamur malos, ut revera mali sunt, esse bonum vel laudabile. Verùm etsi hæc ita se habeant, cavendum tamen est, ne odium istud non præcisè sistat in malo, quod aversatur in proximo, sed ad personam quoque ejusdem extendatur, præsertim, quando est inimicus: sic enim degenerabit in odium inimicitiæ. Vid. Valent. to. 3. disp. 3. q. 11. pu. 1. Sporer tract. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 6. n. 5.

50 Corollarium I. Proximum odisse odio inimicitiæ, sive velle malum, ut ei malum est, ex genere suo peccatum mortale est. Ita omnes DD. Constat ex S. Script. locis in n. 48. productis, & ex illo 1. Joan. 2. *Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est.* Ratio verò est: quia, quod immediatè repugnat charitati, eámque directè destruit, grave & mortale peccatum est: sed odium inimicitiæ ita repugnat charitati, eámque destruit; ergo. Cæterùm non tantùm ob imperfectionem voluntarii, sed etiam ob levitatem materiæ accidit, ut sit veniale peccatum: v. g. dum quis proximo leve quoddam malum, cujusmodi est levis irrisio, modica jactura pecuniæ &c. ex aliquali ejusdem aversione exoptat. Bonac. de Charit. q. 4. pu. ult. §. 1. n. 6. Castropal. disp. 4. pu. 1. n. 4.

51 Corollarium II. Propter bonum spirituale proprium, vel alienum licitum est alteri affectu inefficaci velle mala pœnæ temporalis. Bonac. n. 7. Castropal. n. 9. Cardenas dissert. 10. cap. 1. n. 7. Ratio est: quia hujusmodi affectus procedit juxta debitum ordinem charitatis bo-

bonum ſpirituale præferendo bono temporali tanquam inferiori : aliunde quòque non ſpecificatur ab actu externo , ſicut voluntas efficax ; ſed à fine , qui hîc eſt honeſtus : adeoque non eſt affectus inordinatus. Unde licitè prædonibus & furibus optamus furcam, honeſtè gaudemus de capitali ſupplicio homicidæ ; non quatenùs ſunt ipſis mala , ſed in quantum ſunt opera juſtitiæ vindicativæ, ac pœnæ ſceleſtis publica authoritate inflictæ. Similiter fas eſt à Deo petere punitionem hominum malorum peccatis eorum commenſuratam. Licitum eſt præterea gaudere de morte pernicioſi hæretici , v. g. eò quòd deinceps nullum ab ipſo periculum perverſionis fidelibus creandum ſit. Potes denique homini aſſiduè graviter peccanti optare morbum , vel jacturam pecuniarum, ut à vita ſcelerata deſiſtat. Imò potes filio inefficaciter deſiderare mortem , quando prævides eſſe ſeducendum , vel in enormia peccata lapſurum. Caſtropal. Cardenas citt.

52 Corollarium III. Non peccat contra charitatem , qui mortem alicujus inefficaciter deſiderat, ut evitet magnum aliquod nocumentum , quod ex ejus vita ſibi , conſanguineo , propinquo , vel amico impendet ; dummodò bonum , quod nocumentum impendens impediret , non ſit levioris momenti , quàm vita illius , cujus mors deſideratur: quia rectus ordo charitatis non patitur , ut vita proximi poſtponatur commodis levioris momenti , quàm ipſa eſt. Hinc peccat ille filius, qui patri exoptat accelerationem mortis , ut citiùs adire poſſit pinguem hæreditatem : quia nempe acceleratio ſucceſſionis, ipſâque ſucceſſio in bonis paternis, quæ impeditur per vitam patris , eſt bonum minoris æſtimationis , quàm vita patris , ejúsque prolongatio. Ecóntrà pater licitè deſiderat deſiderio inefficaci mortem generi filiam ipſius aſſiduè , & citra ſpem emendationis aſperrimè tractantis. Cùm enim filiam teneatur magis diligere , quàm generum , & ſalus filiæ etiam temporanea , quæ propter ſævitiam diuturniorem generi periclitatur , non ſit bonum levioris momenti , quàm vita generi , hujus mortem , ut malum filiæ evitetur, inefficaciter deſiderare honeſtum eſt. Cardenas n. 9. Atque hinc velut à fortiori oritur

53 Corollarium IV. Licitum eſt optare mortem Turcis , Hæreticis , aliisque hoſtibus Eccleſiæ , aut Reipublicæ , ne veram Religionem , Deíque cultum , & communem omnium felicitatem evertant. Ita ex communi Viva par. 2. damnat. Theſ pag. 43. n. 21. Ratio eſt : quia finis , cujus gratiâ his talibus optas mortem , non tantùm non levioris , ſed etiam majoris momenti bonum eſt , quàm vita eorumdem. Neque refert , quòd ejusmodi infidèles ac hoſtes cùm morte temporali mortem quoque æternam prævideantur ſubituri : quia ex propria culpa in tali ſtatu verſantur ; & bonum , quod ex interitu ipſorum temporali ſecuturum ſperatur , præſtantius eſt : ſicut præſtantius eſt bonum Reipublicæ , quàm vita Rei , quem Judex licitè ad mortem condemnat quamvis obſtinatè impœnitentem.

Corollarium V. Graviter peccant , niſi 54
excuſet inadvertentia , qui mortem ſibi exoptant ad evadendas leves quasque & quotidianas vitæ hujus miſerias. Viva loco cit. ex Granado & aliis contra Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 3. n. 34. Ratio eſt : quia tales ſibi optant majus malum , ut liberentur à minoribus , quod eſt contra rectum ordinem charitatis. Dixi autem primo , *niſi excuſet inadvertentia* : quia frequenter accidit , ut homines impatientes ex ſubita quadam animi intemperie ob leves etiam moleſtias mortem ſibi optent : qui proinde ex capite imperfectæ deliberationis à mortali peccato excuſandi ſunt. Dixi ſecundo , *ad evadendas leves miſerias*. Quia ſi mala, quæ pateris , tam gravia ſunt , ut reddant vitam ipsâ morte deteriorem , ad illa abjicienda velle mori licitum eſt. Nam , ut dicitur Eccli. 30. *Melior eſt mors , quàm vita amara*. Itaque tunc optas tibi minus malum, ut libereris à majoribus. Ex quo eodem capite licitè deſideras mortem , ne Deum offendas amplius ; vel , ne diu exules à cœleſti patria dicens cum Pſalmiſta : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt* ! vel cum Apoſtolo : *Cupio diſſolvi , & eſſe cum Chriſto*. Viva loco cit.

Dices. Nemo propter evitandas vitæ 55
hujus ærumnas licitè poteſt ſibi , vel alteri necem velle inferre , vel re ipſa inferre: ergo neque optare. Reſpondeo neg. conſeq. & paritatem. Quia optare , vel ſimplici affectione ſibi , vel aliis deſiderare mortem eſt actus internus inefficax , qui ſpeciem ſuam ſumit à ſolo motivo , propter quod elicitur: hoc autem in caſu noſtro honeſtum eſt. At velle inferre , & multò magis re ipſa inferre, eſt actus efficax , qui ſpeciem ſuam ſumit non tantùm à motivo , ſeu fine , ſed etiam ab actu & opere externo , quod in præſenti eſt inhoneſtum & illicitum , videlicet ſuicidium , vel mors alteri propria ac privata authoritate inferenda. Vid. Bonac. de charit. q. 4. pu. ult. n. 11. Tambur. loco cit.

ARTICULUS V.

De actibus externis charitatis erga proximum.

ETsi varii sint actus externi charitatis, præcipui tamen, qui huc pertinent, illi habentur, quibus alienam miseriam & indigentiam sublevamus, & generaliter nomine eleemosynæ comprehenduntur. Pro quorum explicatione sit

§. I.

Quid, & quotuplex sit eleemosyna?

SUMMARIUM.

1. *Acceptiones Eleemosynæ.* 2. *Definitio Eleemosynæ, & analysis ejusdem.* 3. *Quarum virtutum actus sit eleemosyna?* 4. *Eleemosyna alia corporalis, alia spiritualis.* 5. *An sepelire mortuos sit opus misericordiæ?*

1 E*Leemosyna* nomen Græcum est, & idem significat, quod apud Latinos *Misericordia.* Itaque nomine Eleemosynæ intelligimus in præsenti misericordiam, non quidem habitualem, sed actualem, qua cujuspiam miseriam sublevamus. In hoc tamen sensu acceptum id vocabulum adhuc dupliciter usurpari solet, nimirum primo, pro re ipsa, qua alicujus necessitati subvenitur, ut pro cibo, veste, pecunia. Secundo, pro actu, per quem ei subvenitur. Et quidem in S. Script. pro re ipsa accipitur Lucæ 12. illis verbis: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Et Actor. 3. *Rogabat autem, ut Eleemosynam acciperet.* Pro ipso actu accipitur Tobiæ 3. *Eleemosyna à morte liberat*, aliisque locis, cùm ipsum opus Eleemosynæ commendatur. Hæc posterior acceptio pro actu magis propria & ad nostrum institutum est. In qua proinde

2 Dico primo. Eleemosyna est *opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Ita definit D. Thomas 2 2. q. 32. a. 1. Dicitur *opus*, hoc est, actus, sive operatio quædam. Dicitur, *datur aliquid*, ut comprehendatur Eleemosyna tam corporalis, quàm spiritualis. Quamvis communiter loquendo intelligi soleat Eleemosyna corporalis tantùm. Dicitur *indigenti*, scilicet alteri; quia nemo erga se ipsum propriè exercere potest actum Eleemosynæ, sed erga proximum tantùm. Unde, quando S. Augustinus in Enchir. cap. 76. scripsit, *cum qui vult Eleemosynam ordinatè dare, à se ipso debere incipere, & eam sibi primò dare*, locutus est impropriè, sumptâ Eleemosynâ pro qualicunque actu, quo quis suæ ipsius necessitati consulit. Dicitur *ex compassione*, ut significetur actus interior misericordiæ, ex quo procedit Eleemosyna. Dicitur *propter Deum*: quia sermo est de Eleemosyna, quatenùs à charitate erga Deum imperatur, vitámque æternam meretur. Vid. Valentia to. 3. disp. 3. q. 9. pu. 1. colum. 786. Filliuc. tract. 28. cap. 3. n. 55. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 6. n. 3.

Infertur jam primo. Eleemosynam esse 3
formaliter immediatè actum virtutis misericordiæ. Ratio est: quia illius virtutis est actus immediatè, ex cujus formali motivo immediatè procedit: sed Eleemosyna procedit immediatè ex formali motivo misericordiæ, quod est, ut subveniatur indigentis necessitati; ergo. Inf. secundo, Eleemosynam mediatè, scilicet mediante affectu misericordiæ, esse etiam actum charitatis. Ratio est: quia ex eo, quòd per charitatem alteri, qui miseriam patitur, velimus bonum, sequitur compassio & voluntas eam miseriam sublevandi: ex ista porrò voluntate sequitur ipsa sublevatio, quæ est Eleemosyna. Inf. tertio, Eleemosynam esse præterea actum imperatum charitatis. Ratio est: quia ab ipsâ ordinatur in finem supernaturalem, sicut actus quarumlibet aliarum virtutum. Inf. quarto, dari posse Eleemosynam, quæ sit actus virtutis moralis, putà misericordiæ, etiamsi non procedat ex charitate. Colligitur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ratio est: quia peccatores, in quibus non est charitas supernaturalis, ex naturali compassione & honestate naturali tantùm misericordiæ sublevant alienam indigentiam. Vid. Valent. col. 787.

Dico secundo. Eleemosyna est duplex, 4
nempe corporalis, & spiritualis. Ita cum D. Th. 2. 2. q. 32. a. 2. communissimè DD. Ratio est: quia, quemadmodum miseria, sive indigentia, in qua proximum versari contingit, alia est bonorum spiritualium, quæ ad salutem animæ; alia corporalium, quæ ad salutem corporis referuntur, ita rectè Eleemosyna alia dicitur corporalis, alia spiritualis. Utrumque genus D. Th. loco cit. & alii Theologi memoriæ causâ his versibus complectuntur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

In primo versu recensentur Eleemosynæ corpo-

po-

porales; in secundo spirituales: ubi advertendum est, verbum *Consule* non tantùm significare illam Eleemosynam spiritualem, qua datur consilium indigenti, sed etiam illam, qua docetur ignorans. Quatuordecim proinde in recitatis versibus continentur Eleemosynæ, seu opera misericordiæ, ex quibus septem corporalia, septem sunt spiritualia: quemadmodum vulgo etiam traduntur in Catechismis Catholicis. Præter has Eleemosynas haud dubiè dantur aliæ: quæ tamen facilè ad ipsas reducuntur, ut ostendit D. Th. loco cit. Unde non est necesse in eis numerandis ascendere ultra duplicem septenarium, quem recensuimus.

5 Objicies. Sepultura mortuorum non est opus virtutis misericordiæ: tum, quia Christus Matth. 25. illam prætermisit, & reliquas tantùm commemoravit Eleemosynas corporales: tum, quia sepultura nihil videtur ad hominem jam mortuum pertinere: ut indicat illud Christi apud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius, quod faciant*, scilicet, quod vestrâ interfit. Ergo sunt pauciores, quàm septem Eleemosynæ corporales. Respondeo neg. Ant. cujus contrarium esse de fide pluribus ostendit Valentia q. cit. pu. 2. Cæterùm Christus non ideo prætermisit sepulturam, quòd judicaverit, non esse opus misericordiæ, sed quòd illa solùm enumerare voluerit, quæ sunt evidentioris necessitatis, ut ait D. Th. a. cit. ad 1. Licèt autem sepultura per se ac directè non prosit defunctis, prodest tamen per accidens, excitando videlicet apud vivos illorum memoriam, ut orent pro animabus eorum, si necdum satis expiatæ in Purgatorio detineantur. Unde Bannez, & Turrianus, quos refert & sequitur Bonac. de chárit. q. 4. pu. 6. n. 1. docent, cum peccare mortaliter, qui mortuum non sepelit, dum potest sine gravi suo incommodo, nec adest alius, qui sepeliat. Nam grave opus misericordiæ non præstat, dum præstare vel maximè obligatur. Illud Matth. 10. explicat S. August. in lib. de cura pro mort. cap. 6. inquiens, Christum ideo ita dixisse, *quoniam, quidquid facere permissi essent, nihil, quo minueretur Christiana felicitas fieret; nihil inde ad sensum post mortem viventium perveniret; nihil ad detrimentum ipsorum corporum, quo minùs integra resurgerent, pertineret.*

§. II.

De obligatione, subveniendi proximo per Eleemosynam corporalem.

SUMMARIUM.

6. Præceptum subveniendi proximo per Eleemosynam corporalem 7. Bona corporalia alia sunt necessaria ad naturam, alia ad statum. 8. Necessitas incorporalibus alia est extrema, alia gravis, alia communis. 9. In quibus casibus nulla sit obligatio dandi Eleemosynam. 10. De necessariis naturæ nemo tenetur largiri Eleemosynam. 11. Proximo extremè indigenti succurrendum est etiam de necessariis statui. 12. Ex eadem classe bonorum subveniendum est graviter indigenti, si modicum solùm detrimentum sequatur. 13. Gravi necessitati laboranti succurrì debet ex bonis naturæ & statui superfluis. 14. 15. 16. 17. 18. Resolutiones practicæ. 19. 20. Statuitur & explicatur obligatio dandi Eleemosynam in communibus necessitatibus. 21. Per superflua statui intelliguntur superflua statui præsenti.

6 SUppono primo, existere præceptum non modò naturale, sed etiam Divinum positivum proximi necessitatem sublevandi per corporalem Eleemosynam. De præcepto naturali constat ex illo principio Syntereseos, quod tibi vis fieri, & alteri feceris; item, ex præcepto naturali diligendi proximum, quod impleri minimè potest, si eidem in necessitate corporali constituto non succurramus. Divinum præceptum in S. Script. sæpissimè inculcatur: sufficiat locus ex Matth. 25. ubi Christus in extremo judicio æternæ damnationis sententiam in illos pronuntiaturum se comminatur, qui largiri Eleemosynam neglexerint: *Esurivi enim, & non dedistis mihi &c.* Ex quo etiam colligitur, hoc præceptum ex suo genere obligare sub mortali peccato. Quod idem patet ex illo 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?*

7 Suppono secundo, ex bonis corporalibus alia esse necessaria ad naturam, alia ad statum. Illa sunt, quæ præcisè requiruntur ad conservandam vitam & suam, & suorum. Ita, quæ ad suum, sibique conjunctorum statum requiruntur. Quòd si quis ultra necessaria ad sustentationem vitæ habeat insuper alia bona, ea dicuntur superflua naturæ: & hæc quidem, si etiam redundant ultra requisita ad conservationem statûs, dicuntur superflua naturæ & statui: secùs superflua naturæ, & non statui.

8 Suppono tertio, necessitatem, quam in bonis corporalibus pati potest proximus, communiter dividi in extremam, gravem, & communem. Necessitas extrema, ut est hujus loci, illa dicitur, quæ à causa naturali intrinseca, vel extrinseca injustè illata aliquem in proximo mortis, vel mali morti æqualis, vel si nilis periculo constituit. Necessitas gravis est, ob quam aliquis existit in proximo periculo

incidendi in magnam miseriam, v. g. jacturam notabilis partis bonorum, amissionem dignitatis, gravem morbum: vel, si quis re ipsa incidit in similem calamitatem. Breviùs loquendô illa dici potest necessitas gravis, quæ vitam reddit miseram, & nimis molestam. Cardenas in Crisi Theolog. dissert. 9. cap. 1. n. 5. Necessitatem communem idem Author ibid. n. 7. vocat eam, ex qua aliquod incommodum sequitur in necessariis ad vitam & statum, quod tamen non reddit vitam nimis miseram & molestam juxta conditionem & statum patientis. In tali necessitate versantur ordinariè pauperes ostiatim mendicantes in magnis civitatibus, & quando abundat annona.

9 Suppono quarto, non obligari quempiam ad faciendam Eleemosynam primo, quando ad id non habet facultatem, vel absolutè ob defectum mediorum, vel propter circumstantias, quæ obstant, quominùs talis, huic tali, tali tempore, tali modo &c. possit succurrere. Secundo, si suppetente quidem facultate succurrendi, ignoret proximi necessitatem, eô quòd vel nemo occurrat miserorum, vel de nullo ipse quidquam inaudiat. Tertio, si vel certum, vel probabile est, aliquem alium in tali necessitate subventurum. Ratio primi est: quia nullus obligatur ad faciendum id, quod non potest, saltem morali modo. Ratio secundi est: quia non possum sublevare necessitatem, quam nescio. Ad inquirendum autem, quinam proximorum patiantur necessitatem, non obligat præceptum Eleemosynæ. Ratio tertii est: quia, cùm aliquis alius subventurus est proximo, tunc is non indiget ope alterius; adeoque in ordine ad hunc alterum non est constitutus in necessitate. Unde & D. Th. 2. 2. q. 32 a. 5. ad 3. affirmat, tunc sub mortali peccato esse obligationem dandi Eleemosynam, *quando apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat.* Quod idem tenent communiter alii DD. Vid. Valent. to. 3. q. 9. pu. 4. à col. 805.

10 Dico nunc primo. De necessariis naturæ nemo tenetur largiri Eleemosynam. Ita D. Th. q. cit. a. 6. Ratio est: quia ordo charitatis postulat, ut quis suam, suorúmque vitam & incolumitatem anteponat vitæ & incolumitati alienæ. Excipit tamen ibid. S. D. nisi persona patiens necessitatem sit ejusmodi, ut ab ejus salute salus Ecclesiæ vel Reipublicæ sustentetur: cùm enim bonum commune præferendum sit bono proprio, huic tali personæ in necessitate etiam non extrema de necessariis naturæ succurrere oporteret. Imo Card. in Crisi Theol. disp. 20. cap. 1. n. 13. peccati mortalis damnat eum quoque, qui de necessariis naturæ non succurreret extrêmè indigenti, quando modicum solùm inde detrimentum pateretur.

Dico secundo. Extremam naturæ ne- 11
cessitatem patienti subveniendum est per Eleemosynam etiam de necessariis personæ sive statui conservando. Ita Azor. to. 2. lib. 12. cap. 7. q. 5. ubi ait, esse communem sententiam. Deinde Valent. pu. cit. col. 809. Filliuc. tract. 28. cap. 3. n. 67. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 6. n. 4. Paul. Mezger tract. 10. disp. 22. a. 5. n. 8. Ratio est: quia similiter ordo charitatis exigit per se loquendo, ut vitam proximi propriæ dignitati præferamus, ut præter citt. advertunt Castropal. tr. 6. disp. 2. pu. 2. n. 5. Cardenas cap. cit. n. 12.

Dixi, *per se loquendo*. Nam, si id fieri non posset sine amissione status, ita ut vita deinde redderetur oppidò misera, non existimandum est, hoc charitatem præcipere: quia id esset obligare ad sustinendum malum fortè gravius, quàm illud, quo quis egentem per Eleemosynam liberaret: cùm sæpissimè homines nobiles vitâ mallent, quàm suo, suorúmque statu excidere. Castropal. n. 6.

Dico tertio. Proximo in gravi necessi- 12
tate constituto subveniendum est ex bonis ad statum necessariis, si modicum solùm eorum detrimentum inde sequatur. D. Th. a. cit. in corp. Laym. n. 5. Mezger n. 10. & alii communiter. Ratio est: quia id jubet lex charitatis, ut liberatio proximi ex gravi miseria levi ac facilè reparabili detrimento propriorum bonorum præferatur: veluti, si videas, cum modico damno tui status à te impediri posse, ne proximus sua dignitate, fama, bonis, libertate miserabiliter exuatur. Aliud foret, si propterea notabile damnum in propriis bonis deberes subire: hoc enim meritò æquipararetur gravi necessitati alienæ.

Dico quarto. Pauperi gravi necessitate 13
laboranti quilibet sub peccato mortali tenetur succurrere ex bonis naturæ & statui superfluis. Ita communis & certa sententia, quam Cardenas ubi suprà a. 2. & seqq. authoritate & ratione fusè probat. Ratio ex illo desumpta hæc esto: Quilibet, ut impleat præceptum charitatis, tenetur proximum diligere opere & veritate: sed qui pauperi graviter indigenti non succurrit ex bonis naturæ & statui superfluis, proximum non ita diligit; ergo non implet præceptum charitatis. Maj. constat ex illo 1. Joan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Min. prob. Nam ut quis proximum dicatur diligere opere & veritate, debet reipsa sublevare indigentis miseriam, quando id potest absque ullo detrimento: sed, qui gravi necessitate presso non succurrit ex memoratis superfluis, non sublevat

vat reipsa indigentis miseriam, quamvis id possit absque ullo suo detrimento: cùm nemo, qui dat superfluum, patiatur detrimentum; ergo talis proximum non diligit opere & veritate. Confirmatur. Extrema necessitas indigentium datur rarissimè: ergo præceptum Eleemosynæ ad illam restringere est ejus obligationem efficere rarissimam: sed hoc contrarium est modo loquendi S. Script. quæ frequenter homines, ac multos damnat ob ejus præcepti transgressionem, utique pariter frequentem atque multiplicem. Atqui transgressio præcepti de Eleemosyna ad casum extremæ necessitatis restricti non potest esse frequens & multiplex; ergo &c. Ex dictis resolves sequentia.

14 I. Homini condemnato à Magistratu, ut fame moriatur, nemo tenetur præbere alimenta. Bonac. q. 4. de charit. pu. 6. n. 17. Castropal. ubi suprà, n. 9. Ratio est: quia extrema necessitas, quam hic talis patitur, non est à causa naturali intrinseca, vel ab extrinseca injustè illata, sed justè, sicut supponitur. Deinde, licitum est velle, ut sententia justè lata sortiatur suum effectum: ergo etiam licitum est ejus effectum non impedire. Demum: damnatus licitè potest non comedere: ergo alter licitè potest non dare ad comedendum. Non enim potiùs obligatur ad dandum, quàm ille ad comedendum. Nihilominùs in tali casu, sicut condemnatus ob jus conservandi vitam potest cibum sumere, ita quilibet licitè submini-
15 strare potest, nisi sit minister justitiæ, vel id à Judice sit specialiter prohibitum. Bonac. Castropal locis citt.

II. Si latro Titio minetur mortem, nisi numeret 100. aureos v.g. quos tamen miser non habet, nec aliunde sperare potest, præterquam à Cajo, hic eâ pecuniâ Titium redimere tenetur, tametsi sit inter necessaria statui: dummodo damnum inde subeundum non sit statui valde perniciosum. Cardenas disp. cit. cap. 1. Sporer tract. 3. in 4. Præcep. Decal. cap. 6. n. 51. Viva Thes. damnat. p. 2. prop. 12. n. 6. Ratio peti debet ex n. 11. Accedit, quòd pati aliquod detrimentum status non grave, aut perniciosum non censeatur medium extraordinarium aut moraliter impossibile proximo succurrendi: ergo ad illud assumendum datur obligatio misericordiæ in ejusmodi casu extremæ necessitatis.

16 III. Quando proximus periculosè decumbit, non teneris magnam pecuniæ summam expendere ad accersendos Medicos longè dissitos, comparanda pharmaca exquisitissima, magnique pretii, tametsi moraliter certus esses, ægro tum eorum virtute fore restituendum, réque ob tales sumptus de statu non periclitaturum. Laym. ubi suprà n. 4. Castropal. n. 8. Sporer loco cit. Ratio est: quia neque proximus, si esset dives, teneretur magnam summam expendere in ejusmodi media extraordinaria; sed satisfacit præcepto charitatis erga se ipsum, si adhibeat modos ac media communia & ordinaria. Ex eadem ratione, si proximo mors immineat ab inimico certò inferenda, nisi magna pecuniæ summa v.g. ter, vel quater mille aurei, pro ejus vita expendantur, non teneris expendere, quamvis nullum inde statui tuo detrimentum obventurum videas. Accedit, quòd aliàs facilè contingeret, ut passim inimicus alterum inimicum in potestatem redigeret, eique capto mortem minaretur, nisi grandis pro ipso pecunia penderetur à civibus: quòd certè in magnum Reipublicæ detrimentum cederet. Castropal. loco cit. Excipit Sporer, si persona in ejusmodi necessitate constitura sit conjunctissima, ut filius, aut pater: hunc enim à filio, illum à patre censet esse redimendum etiam aliquot millibus aureorum, si statui vel sunt superflui, vel non valde necessarii.

IV. Mortaliter peccat Advocatus, quan- 17
do patrocinium pauperis, quem nemo alius defensurus est in judicio, non suscipit gratuitò, dum miser versatur in gravi periculo, v.g. ne injustè damnetur ad triremes, ad publicam flagellationem &c. si careat omni patrono. Sylvester verbo *Advocatus* n. 11. Laym. n. 5. Bonac. n. 9. qui hanc sententiam extendit etiam ad Medicum & Chirurgum, si operam suam indigenti, nec habenti, unde solvat, non præstent gratuitò. Ratio verò colligitur à simili: nam sicut, qui negat subsidium ex bonis superfluis proximo graviter indigenti, cum non diligit opere & veritate, ita nec ille, qui denegat alia auxilia citra suum detrimentum præstabilia. Aliud dicendum esset, ut habet Sylvester loco cit. Si Advocatus ipse (idem cogita de Medico, & Chirurgo) esset tam pauper, ut gratis patrocinari non possit.

V. Si proximi necessitas, ut sublevetur; solùm indigeat usu rei, & non ipsa re, satisfacis præcepto Eleemosynæ rem commodando, postea cessante necessitate restituendam. V.g. quando Cajus à prædonibus spoliatus, vel sauciatus indiget equo, vel vestibus, ut domum revertatur, non teneris ei vestes, aut equum donare, sed satis est, si commodes. Laym. n. 6. Castropal. pu. 4. n. 1. Reding to. 10. q. 7. a. 2. contr. 2. n. 36. Ratio est: quia charitas præcipit, ut necessitatem proximi sublevemus in ea re, qua indiget: atqui in casu nostro indiget solo usu rei, & non ipsa re; ergo &c.

Dico quinto. Quamvis etiam in com- 19
muni necessitate sit gravis obligatio dandi Eleemosynam ex bonis naturæ & statui superfluis; non tamen dandi determinatè huic,

vel

vel illi pauperi Eleemosynam petenti. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 32. a. 5. Prima pars colligitur ex S. Script. Lucæ 11. *Verum tamen, quod superest, date Eleemosynam, & ecce, omnia munda sunt vobis.* Et 1. ad Tim. 5. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere.* Ratio verò est: quia videtur inordinatio planè gravis, fluxis opibus ita esse addictum, ut neque, dum abundant, velis ex iisdem succurrere indigentiæ proximi ad Dei imaginem, & eandem tecum beatitudinem conditi, licèt facilè, & absque ullo detrimento possis. Dives igitur, qui propositum habet nunquam subveniendi pauperibus communem necessitatem patientibus; ideoque universim mendicos Eleemosynam petentes repellit, in malo statu esse meritò censetur. Secundam partem expressè tradit D. Th. Quodlib. 8. a. 12. illis verbis: *Quamvis* (dives) *teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare; sed tenetur distribuere, secundùm quod sibi visum fuerit opportunum.* Itaque juxta S. D. datur obligatio dandi etiam respectu singulorum pauperum stipem roganrium: sed hæc obligatio non est gravis; ergo est levis saltem, & sub veniali. Quod tamen intellige, nisi adsit rationabilis causa hic & nunc, huic, vel illi pauperi roganti Eleemosynam nihil dandi: nam, qui hujus justam causam habet. v. g. propositum commodiore loco, vel tempore, vel magis indigentibus largiendi, omnino non peccat.

20 Dices. In communibus necessitatibus moraliter impossibile est non dari, qui pauperibus subveniant. Unde quilibet in particulari prudenter sibi persuadere potest, ejusmodi necessitatem pauperum ab aliis sublevatum iri: atqui stante hac tali persuasione nulla est obligatio dandi Eleemosynam; ut suprà in n. 9. notavimus; ergo in communi necessitate nemo in particulari ad id obligatur. Respondeo fundamentum hujus objectionis & oppositæ sententiæ nobis vel maximè prodesse. Cùm ideo detur illa moralis impossibilitas, quia quilibet tenetur, & quidem sub mortali peccato, identidem subvenire pauperibus in memoratis necessitatibus: cùm sublata hac tali obligatione facile quilibet renueret dare Elemosynam, nec quisquam subveniret pauperibus: adeoque rueret principium prudentis illius persuasionis, fore, ut ab aliis subveniatur. Charitatis causâ, si lubet, distingue illud: moraliter impossibile est in communi necessitate non dari, qui pauperibus non subveniat, suppositâ obligatione subveniendi, eáque gravi, conc. sic impossibile est hac obligatione non suppositâ, neg. Cæterùm in praxi, ut advertit Laym, n. 5. Confessarius nulli diviti, qui pauperes in communi necessitate per Eleemosynam sublevare monitus, id facere detrectat, facilè negare debet absolutionem à peccatis. Tum, quia non est certum apud Doctores, qualis, & quanta sit obligatio pauperibus subveniendi in communi necessitate. Tum, quia moraliter vix continget, ut diviti non sit in promptu causa, saltem in speciem, quæ ipsum excuset, quòd Eleemosynam dare non soleat.

Ex dictis colligitur, meritò prohibitam 21
esse ab Innocentio IX. hanc propositionem duodecimam: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* Nam licèt prima ejus pars vera esset, si intelligeretur de superfluo statui tam præsenti, quàm futuro & altiori, ad quem facilè possent ascendere sæculares, falsa tamen est, si de superfluo statui præsenti tantùm intelligatur; sicut communiter intelligitur, juxta doctrinam D. Th. 22. q. 32. a. 5. ad 3. ubi notat, superflua esse, *quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet,* (subjungit) *quòd consideret ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum. Hoc enim esset de crastino cogitare: quod Dominus prohibet Matth. 6. sed debet dijudicari superfluum & necessarium secundùm ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt.* Atque hinc altera quoque pars propositionis, quòd vix aliquis teneatur ad Eleemosynam, quando tenetur ex superfluis statui tantùm, falsitatis convincitur: cùm enim plurimi abundent divitiis, adeoque habeant superflua statui præsenti, plurimi tenentur ad faciendam Eleemosynam non tantùm in gravi, sed etiam in communibus proximi necessitatibus, quando ad id tenentur ex superfluis statui tantùm. Vid. Viva par. 2. in prop. 12.

§. III.

Expediuntur quæstiones aliquæ residuæ de Eleemosyna.

SUMMARIUM.

22. *An omnibus egentibus danda sit Eleemosyna?* 23. *An excludi possint ex civitatibus pauperes peregrini?* 24. *An dari possit Eleemosyna ex illicitè acquisitis?* 25. *Quinam facere possint Eleemosynam?* 26. *An fingens se pauperem lat dominus acceptæ Eleemosynæ?* 27. 28 *An gratis dari teneamur proximo, quod eidem damus extremè indigenti?*

QUæritur primo, an omnibus egentibus 22
danda sit Eleemosyna? Respondeo contra

Wi-

Wiclephum, qui censuit, peccatoribus non esse dandam Eleemosynam, omnibus proximis indigentibus esse dandam, sive iidem justi, sive peccatores, sive qualescunque sint. Ratio est: tum, quòd Deus ipse etiam improbis necessaria affatim suppeditet juxta illud Jobi 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum: cum ipse dederit omnia in manibus eorum.* tum, quòd hoc ipsum præcipiatur Proverb. 25. & Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus* (quamtumvis peccator) *ciba illum, & si sitit, potum da illi.* Neque juvat errorem Wiclephi illud Eccles. 12. *Da misericordi, & non suscipias peccatorem: benefac humili, & non des impio.* Dicitur enim cum D. Thoma, 2. 2. q. 32. a. 9. ad 1. inde plus non colligi, quàm quòd peccatori aut impio non sit subveniendum, quatenùs est peccator, & impius, id est, ut per hoc in malitia sua foveatur: quod est certissimum; nequaquam tamen obstat, quominùs peccatori sit subveniendum, ut homo est & proximus.

23 Dices. Si omnibus indigentibus præbenda est Eleemosyna, quomodo excusari possunt à peccato, qui pauperes peregrinos civitatibus suis excludunt, vel expellunt, ne in illis mendicent? Respondeo, posse excusari, quando id faciunt primo, ne hujusmodi homines, si robusto sunt corpore, otiose dedant; sed expulsi victum labore comparent. Secundo, ne morbos, hæreses, corruptelas, proditiones, seditiones, aliave mala secum importent. Tertio, ut pauperes domestici præferantur exteris, quando utrisque ob annonæ difficultatem satisfieri non potest: nam & hoc ordo Charitatis postulat. Vid. Laym. lib. 2. tr. 3. c. 6. n. 3. Bonac. disp. 3. de Charit. q. 4. pu. 6. n. 19. Quòdsi memoratæ, vel similes causæ non adsint, certum videtur, illos non posse excludi absque peccato non tantùm contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam: quia habent jus vitæ subsidia mendicandô ubique conquirendi. Bonac. loco cit.

24 Quæritur secundo, an dari possit Eleemosyna ex illicitè acquisitis? Ante responsionem notandum est ex communi doctrina, acquisitionem posse dupliciter esse illicitam, seu turpem, ut alii loquuntur. Nempe primo ob aliquam tantùm circumstantiam actûs, & veluti accidentaliter: quo modo acquiruntur lucra v. g. lenonum, meretricum, histrionum. Secundo ratione propriæ injustitiæ ac turpitudinis, sive per se, ut est talis acquisitio, putà per furtum, usuram, donationem extortam, ludum fraudulentum, Simoniam, ac similes modos. Nunc respondeo, ex illicitè acquisitis primo modo posse dari Eleemosynam, non autem ex acquisitis secundo modo. Ita D. Thomas q. cit. a. 7. & alii communiter. Ratio primæ partis est: quia eorum, quæ illicitè acquiruntur ratione alicujus circumstantiæ, datur verum dominium in acquirente, & libera potestas de illis disponendi: ergo nihil obstat, quominùs ex ipsis fieri possit Eleemosyna. Advertit tamen Laym. n. 7. Ecclesiam similium oblationes ad altare, vel pro Missæ Sacrificio non acceptare, idque tum ob reverentiam rerum sacrarum: tum ob vitandum scandalum: tum ad imitationem legis veteris in Deuter. cap. 23. prohibentis *offerri mercedem prostibuli in domo Dei.* Ratio secundæ partis est: quia Eleemosyna facienda est in bonis propriis, juxta illud Proverb. 3. *Honora Dominum de tua substantia*: atqui bona per se illicitè acquisita non sunt propria acquirentis, aut in ejus justo dominio, sed eorum, à quibus acquisivit, eisque restituenda. Ergo ex iisdem non potest fieri Eleemosyna. Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, qui facit omnia bona communia. Excipitur etiam, quod acquisitum est per Simoniam: hoc enim, qui dedit, meretur amittere, ut ait D. Th. a. cit. ad 2. in pœnam scilicet delicti, nec habet jus ad illud recuperandum: ergo non debet ipsi restitui, sed dari Ecclesiæ, in cujus injuriam commissa est Simonia, in pios usus; atque adeo distribui poterit in pauperes. Docet præterea Medina apud Valentiam to. 3. disp. 3. q. 9. pu. 5. dandum esse pauperibus, quod pro iniqua sententia, vel falso testimonio turpiter acquisitum est.

25 Quæritur tertio, quinam facere possint Eleemosynam? Respondeo, omnes illos & solos posse, qui liberam habent rerum suarum administrationem; vel certè consensum expressum, aut rationabiliter præsumptum eorum, penes quos est dominium rerum, & libera administratio. Vid. Valent. q. cit. pu. 6. Filliuc. tr. 28. c. 4. n. 93. Azor. to. 2. lib. 12. c. 10. Atque hinc sequitur, nec filium familias, nec uxorem, nec Religiosum, nec servum posse facere Eleemosynam sine consensu expresso, vel rationabiliter præsumpto eorum, quibus sunt subditi: veluti declarat D. Th. q. cit. a. 8. in solut. Argum. & docent alii communiter. Quod etiam confirmate licet ex S. August. Epist. 199. ad Ediciam, ubi scribit: *Mulieri conjugatæ non licet dicere, facio de meo, quod volo: nam & ipsa non est sui, sed capitis sui, id est, viri sui.* Hoc tamen, quantum ad filios, uxores, & servos attinet, intelligendum est in rebus, in quibus sunt subditi aliorum potestati: nam si proprii quid habeant, ut, si uxor habeat bona paraphernalia, filius castrensia, vel quasi castrensia, poterunt ex iis moderatas Eleemosynas facere independenter à consensu alterius cujuscunque. Valent. loco cit. Verùm plura de his personis occurrent in tract. de Jure & Just.

Quæritur quarto, an fingens se pauperem,

perem, cùm non sit, fiat Dominus Eleemosynæ, quam accipit? Respondeo, non fieri dominum. Ita Medina, Cajetanus, Sotus, Vasquez, Navarrus, Castropal. apud Reding to. 10. q. 7. a. 2. contro. 4. n. 8. Ratio est: quia largitio Eleemosynæ est liberalis quædam donatio essentialiter respiciens pro motivo sublevationem pauperis: cùm ergo re ipsa is, cui datur Eleemosyna in casu nostro, non sit pauper, ejus largitio ex parte largientis ob bonam fidem, qua credit esse pauperem, apud Deum quidem obtinet meritum Eleemosynæ, ex parte accipientis tamen propter errorem substantialem ab ipso causatum in existimatione dantis est donatio à parte rei nulla & invalida: adeoque fictus ejusmodi pauper non fit dominus rei datæ, sed tenetur eam vel restituere domino, quem ita decepit, vel dare alteri verè pauperi ex rationabiliter præsumpta intentione domini. Contrariam sententiam tuentur Lessius, & Coninck apud eundem Reding: quia putant, hanc talem deceptionem non importare errorem substantialem. Sed ad hoc jam patet ex dictis.

27 Quæritur quinto, an, quod proximo damus extremè indigenti, teneamur dare gratis? Ante resolutionem advertere oportet duplicem modum extremæ necessitatis seu indigentiæ. Primus est, si extremè indigens re aliena habeat alibi bona, ex quibus pro ea possit satisfacere; vel saltem probabilem illorum spem ex successione, proprio labore, aut arte statum suum non dedecente. Secundus est, si extremè indigens nec hîc, nec alibi, nec in re, nec in spe probabili habeat, unde quid reddat pro re sibi data. Nunc

Respondeo: Quando proximus extremè indiget priori modo, non tenemur, quod damus dare gratis: tenemur verò dare gratis, quando extremè indiget posteriori modo. Ratio primæ partis est: quia in ejusmodi casu proximus non patitur extremam necessitatem absolutè loquendo. Neque enim reipsa pauper est, qui habet alibi bona, quæ vendere, vel oppignorare potest. Spes præterea probabilis acquirendi bona pretiò æstimabilis est. Itaque taliter indigenti dives non tenetur donare rem, qua indiget, sed potest illi dare mutuò, vel vendere dilata solutione, vel concedere adjecta conditione reddendi, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. Vid. Valent. 4. cit. pu. 4. col. 811. Filliuc. cap. 3. n. 80. Bonac. disp. 3. de Charit. q. 6. pu. 6. n. 15. Laym. ubi suprà n. 6. Reding a. cit. contr. 2. n. 35. Confirmatur exemplô Tobiæ cap. 5. qui Gabelo indigenti pecunias mutuò dedit, non donavit. Et Josephi, qui Ægyptiis fame laborantibus non donavit frumentum, sed vendidit, ut habetur Genes. 41. Uterque tamen opus misericordiæ exercuit, juxta illud Psal. III. *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat.* Et Eccli. 29. *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. Fœnerare* (id est, da mutuò) *proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Ratio secundæ partis est: quia nomine Eleemosynæ, cujus præceptum urget in ejusmodi necessitate, in S. Script. à SS. Patribus, & DD. communiter intelligitur donatio, sive absoluta largitio, qua subveniatur proximi indigentiæ: ergo non satisfacit præcepto Eleemosynæ, qui non dat gratis; sed mutuò, vel sub conditione solvendi, aut reddendi rem datam, si pauper ad pinguiorem fortunam pervenerit.

Dices. Præceptum Eleemosynæ o- 28
bligat ad sublevandam proximi indigentiam: potest autem sublevatio hæc fieri vel mutuandô, vel donandô: ergo idem præceptum non nisi disjunctivè ad alterutrum, nempe vel ad dándum mutuò, vel ad dandum gratis seu donandum: & consequenter satisfacit præcepto Eleemosynæ in extrema proximi necessitate non tantùm ille, qui dat gratis, sed etiam, qui dat mutuò. Respondeo, præceptum Eleemosynæ obligare ad sublevationem alienæ indigentiæ gratuitam. Undè alii modi sublevationis non gratuiti, qualis est mutuatio, quamvis procedant ex misericordia, sintque opera ejusdem, non tamen sunt opera Eleemosynæ. Itaque falsum est, quòd præceptum Eleemosynæ obliget disjunctivè in sensu objectionis: nam obligat determinatè ad dandum gratis. Vid. Azor. to. 2. par. 2. lib. 12. c. 9. q. 1. Valent. loco cit. Filliuc. n. 79. & 81. Bonac. loco cit. Reding loco cit.

§. IV.

De fraterna Correctione.

SUMMARIUM.

29. *Definitio fraternæ correctionis, ejusque analysis.* 30. 31. *Adstruitur præceptum fraternæ correctionis.* 32. *Hoc præceptum obligat sub mortali peccato ad corrigendum proximum in mortali, vel morali ejusdem periculo constitutum.* 33. *Quomodo obliget ad corrigendum propter peccatum veniale?* 34. *Quinam potissimùm obligentur hoc præcepto?* 35. 36. 37. 38. *Illationes ex dictis.* 39. *Non omnes, qui correctione indigent, corrigendi sunt æqualiter.* 40. *Quænam circumstantiæ adesse debeant, ut obliget præceptum istud fraternæ correctionis.* 41. 42. 43. 44. 45. *Resolutiones practicæ.* 46. *Quo ordine institui debeat fraterna correctio.* 47. *An peccatum fratris per secretam monitionem jam emendatum liceat indicare Prælato?*

Ex

EX ſeptem operibus miſericordiæ ſpiritualis poſteriora quatuor non indigent ſpeciali declaratione: priora verò, quatenùs per illa proximus à peccatis abſtrahitur, ad fraternam Correctionem pertinent. Nomine hujus Correctionis, ſive Correptionis (ſumuntur enim à Theologis promiſivè hæc vocabula) aliud non intelligitur, quàm conveniens ſermo, vel admonitio, qua quis proximum à peccato revocare conatur. Unde à Valent. to. 3. diſp. 3. q. 10. pu. 1. col. 837. deſcribitur, quòd ſit *actus tum Miſericordiæ, tum Charitatis, quo quis ſubvenit neceſſitati ſpirituali proximi, enitens eum à peccati malo ad virtutis bonum revocare per convenientem aliquem & idoneum ad id ſermonem.* Dicitur, *Actus Miſericordiæ*? quia reſpicit formale objectum hujus virtutis, nempe ſublevationem alienæ miſeriæ, & quidem ſpiritualis. Dicitur etiam *actus Charitatis*: quia ab hac imperatur verbò: eſt actus Miſericordiæ elicitivè, Charitatis autem imperativè, quemadmodum ſuprà in §. 1. n. 3. de Eleemoſyna generatim advertimus. Dicitur præterea, *quo quis ſubvenit neceſſitati ſpirituali proximi, &c.* ut indicetur differentia inter Correctionem fraternam & Correctionem juridicam in eo conſiſtens, quòd juridica per ſe & primariò ordinetur ad bonum non ipſius delinquentis, ſed aliorum, qui per peccatum unius læduntur & ſcandalizantur; econtra fraterna Correctio, de qua hîc agimus primariò & per ſe reſpiciat bonum proprium ipſius delinquentis. Unde illa propriè eſt actus Juſtitiæ, utpote ordinata ad bonum commune. Hæc autem eſt actus Miſericordiæ & Charitatis, ut jam dictum eſt; ac inſuper conſtat ex illo Pſal. 140. *Corripiet me juſtus in Miſericordia.* Dicitur demum *per convenientem aliquem & idoneum ad id ſermonem*, quibus ſignificatur, fraternam Correctionem fieri poſſe variis modis, ſcilicet vel monendo, vel reprehendendo, vel hortando, vel docendo, vel indicando etiam peccatum alicui alteri. Valent. colum. 839.

30 Dico nunc primo. Proximum correctione indigentem corrigere tenemur ex præcepto Divino, humano, & naturali. Ita DD. communiter. Et quidem præceptum Divinũ proponitur Eccleſ. 19. illis verbis. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci: aut, ſi feceris, ne iterum addat facere. Corripe proximum, &c.* Et Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Quod idem legitur apud Lucam cap. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum.* In quibus locis *ſi peccaverit in te*, idem eſt, ac, *ſi peccaverit ſcienter te, vel coram te*, quemadmodum communiter exponunt Patres teſte Azorio, to. 2. par. 2. lib. 12. cap. 14. q. 1. Præceptum humanum habetur in Jure Can. cap. *Providendum.* cap. *Conſentire.* diſt. 83. cap. *Facienti.* diſt. 86. cap. *Tam Sacerdotes.* 24. q. 3. Præceptum naturale deducitur tum ex illo principio, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*: tum ex eo, quòd proximo teneamur ſubvenire per Eleemoſynam in neceſſitate corporali: ergo multò magis ad idem tenemur per Correctionem in neceſſitate ſpirituali, quæ majoris ponderis eſt, quàm corporalis. Sed

Objicies. Qui peccat, præſertim ex malitia, eſt ſponte miſer & in neceſſitate ſpirituali: cùm peccatum ſit ei voluntarium: ergo nemo tenetur illum liberare ex miſeria peccati. Conſeq. patet à ſimili. Nemo enim avaro patienti famem, aut nuditatem, tenetur largiri Eleemoſynam corporalem; quia talem neceſſitatem voluntariè, & ſuapte malitia tolerat: ergo ob ſimilem rationem nemo tenetur ſubvenire peccatori per Eleemoſynam ſpiritualem. Reſpondeo conc. Ant. neg. Conſeq. Nam licèt peccatum peccatori ſit voluntarium, horret nihilominus miſer reatum pœnæ neceſſariò conjunctum. Deinde, ab illo ipſo voluntario, quod eſt in peccato, proximum tenemur avertere. licèt enim is citra noſtrum auxilium poſſit à ſe removere malum peccati, ſæpiſſimè tamen difficulter poteſt; tum propter paſſionum vehementiam, propriæque naturæ fragilitatem; tum propter peccati illecebras, & pravam peccandi conſuetudinem, ad quam proinde ſuperandam difficultatem proximus ſpirituali noſtro auxiliò vel maximè indiget, ut nempe eodem modo adjutus vel in peccatum, cujus periculum ipſi impendet, non conſentiat, vel à peccato, in quod conſenſit, & lapſus eſt, reſurgat. Vid. Laym. lib. 2. tr. 3. c. 3. c. 7. n. 1. Caſtropal. diſp. 3. pu. 1. n. 4. Et hinc ſolvitur inſtantia de avaro: Nam iſte, quamvis ſimiliter indigeat Eleemoſyna ſpirituali, ſicut alius peccator, non tamen indiget alterius bonis corporalibus, ſed ſuis: cùm ei tamen deſit, quod habet, quàm, quod non habet. 31

Dico ſecundo. Præceptum fraternæ Correctionis obligat ſub peccato mortali ad corrigendum proximum, qui verſatur in peccato mortali, vel in morali periculo ejusdem. Ita communis. Ratio eſt: quia eſt gravis obligatio virtutum Charitatis & Miſericordiæ, ad quas pertinet iſtud præceptum, ſublevandi proximum in extrema, vel gravi neceſſitate conſtitutum: atqui proximus nunquam conſtitutus eſt in graviori neceſſitate, quàm dum peccat mortaliter, vel verſatur in morali periculo ita peccandi: cùm quodvis peccatum mortale ſit mors animæ & vitæ ſpiritualis exterminium: ergo eſt gravis obli- 32

ergo est gravis obligatio tunc proximum sublevandi, id est, corrigendi, emendandi, & à tanto malo revocandi. Et hæc quidem ita se habent: contingit tamen aliquando, ut quis ob passionem timoris, verecundiæ, pusillanimitatis gravitatem hujus obligationis non apprehendat; vel in ejusmodi perturbatione animi constitutus sibi videatur ad corripiendum delinquentem minùs idoneus. in quo simili casu proximum non corrigere est solùm veniale peccatum. Vid. D.Th. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3.

33 Dico tertio. Proximum ob simplex peccatum veniale probabiliùs tenemur corrigere sub veniali. Ita Valent. q. 10. pu. 2. col. 856. Filliuc. tr. 28. c. 5. n. 118. Laym. n. 3. Castrop. pu. 3. n. 3. & relatis aliis Reding to. 10. q. 8. a. 3. contr. 3, n. 13. Dixi, *ob simplex peccatum veniale.* Nam si peccatum veniale sit ejusmodi, ut ex illo immineat proximo morale periculum peccandi mortaliter, tenemur eundem corrigere etiam sub peccato mortali, ut satis constat ex n. proximè præced. Jam ratio concl. est: quia etiam peccatum veniale est quædam miseria, & quidem re ipsa major quàm quodvis incommodum corporale. Lex autem tam Charitatis, quàm Misericordiæ exigit, ut quamvis miseriam proximi, etiam non magnam in suo genere, impediamus, aut tollamus: si nempe cum fructu, & citra nostrum incommodum facillimè possimus. quæ duæ conditiones cùm rarò simul inveniantur in Correctione venialium proximi, ideo rarior est ejus obligatio, ut judicant Laym. Filliuc. locis citt. Frequentior tamen & major esse debet eadem obligatio inter Religiosos: his enim ob majorem perfectionem, quam profitentur, etiam culpæ veniales, præsertim crebræ, notabile damnum spiritûs afferre solent. Singulis ergo Confratribus pro virili allaborandum, quando spes est alicujus fructûs, ut leves quoque, attamen noxias, transgressiones præceptorum inter se impediant. Vid. Reding. n. 14.

34 Dico quarto. Omnes quidem homines usu rationis præditi obligantur præceptô fraternæ Correctionis; magis tamen illi, quibus ratione officii, vel gubernationis specialis de salute aliorum cura incumbit. Ita communis & certa sententia. Ratio primæ partis est: tum, quia in locis S. Script. n. 30. productis hæc Correctio commendatur omnibus sine exceptione, idque præsertim Matth. 18. illis verbis, *si peccaverit in te frater tuus &c.* nam omnes homines aliorum fratres sunt, saltem ratione naturæ. Tum deinde, quia omnes tenentur observare præcepta, quæ sunt de jure naturali: atqui præceptum fraternæ Correctionis est juris naturalis; sicut præceptum Eleemosynæ corporalis; ergo, &c. Ratio secundæ partis est: quia hi tales habent peculiarem necessitudinem cum subditis ratione officii, qualem non habent alii: ergo singulari, adeoque majori studio, quàm alii, eorum salutem curare tenentur. Quod confirmatur ex gravissimis minis, quæ Prælatis ac Superioribus suos negligentibus intentantur in S. Script. præsertim Ezechiel 33. & 34. ubi inter cætera eisdem exprobratur: *Quod infirmum fuit, non consolidâstis; & quod ægrotum, non sanâstis: quod confractum est, non alligâstis, &, quod abiectum est, non reduxistis; &, quod perierat, non quæsistis, &c.* Notandum est autem contra Cajetanum, hanc majorem obligationem in Superioribus non solùm ex justitia, sed etiam ex ipsa Charitate provenire. Vid. Valent. pu. 3. col. 861. Filliuc. tr. 28. c. 5. n. 121.

Ex dictis infertur primo, etiam homines 35
peccatores quoscunque obligari præceptô fraternæ Correctionis. Ratio est: tum, quia per peccatum nemo eximitur ab obligatione præceptorum Divinorum. Tum, quia existentes in peccato mortali obligantur præceptô Eleemosynæ corporalis: ergo etiam præceptô Eleemosynæ spiritualis. Dices. Peccator publicus, aut notus illi saltem, quem is vult corrigere, est ineptus ad fructuosè corrigendum: veluti constat ex S. Script. ubi reprehenduntur peccatores, qui alios audent corripere, ut Psal. 49. *Quare tu enarras justitiam meam, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam.* Et Matth. 7. *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Atqui ineptus ad impletionem præcepti non obligatur præceptô; ergo. Respondeo, ejusmodi peccatorem esse solùm ineptum ineptitudine consequenti, ut loqui solemus in Schola, ipsique voluntaria, quæ non tollit obligationem ad actum præceptum. Potest autem peccator hanc ineptitudinem, seù imporentiam excutere, seque reddere aptum vel per pœnitentiam, vel per debitam humiliationem coram eo, qui est corrigendus, fatendô illi propriam indignitatem, atque ostendendô compatiendi affectum. Vid. Valent. colum. 858. Filliuc. n. 123. Reding n. 12. Porrò ex locis S. Script. plus non colligitur, quam peccatorem non debere alium corrigere modo perverso, putà objurgandô, jactandô se meliorem, exprobrandô peccatum; vel absque prævia, si non pœnitentia, saltem sufficienti humiliatione. Ex quibus etiam planum est à fortiori, peccatorem occultum minimè excusari ab hac obligatione: cùm ejus peccatum nihil obstet prudenti spei secuturi fructûs. Reding loco cit.

Infertur secundo, peccatorem, ut satis- 36
faciat præcepto Correctionis, non obligari ad agendam pœnitentiam de proprio peccato.

Ratio

Ratio est: quia nihilominùs potest implere hoc præceptum quoad substantiam actûs, ut jam vidimus; quod satis est, ut eviter novum peccatum contra idem præceptum: sicut hoc ipsum satis est, ad evitandum novum peccatum contra præceptum Eleemosynæ spiritualis. Ita Sotus, & Bannez, quos refert & sequitur Valentia, colum. 859. Undè etiàm colliges contra Cajetanum, neque Concionatorem, neque Judicem, dum in statu peccati mortalis reprehendunt, aut corripiunt alios, peccare mortaliter. Ait quidem Cajetanus, magnam esse indecentiam, sacras ejusmodi actiones exercere in statu peccati mortalis. Sed contra est ex communi Doctorum, quod tales actiones neque ex institutione Christi annexæ sint Ordinibus Sacris, neque aliunde collocatæ in eo gradu Diviniorum operationum, ut ob suam dignitatem instar actionum sacramentalium gratiæ causatricum exerceri nequeant sine magna indecentia ab homine extra statum gratiæ constituto. Vid. Reding n. 15. Quòd si tamen ejus peccatum, qui potest & tenetur alterum corrigere, esset publicum, & scandalosum, nec posset auferri scandalum, nisi per publicam pœnitentiam; adeóque hac ratione impediretur fructus correctionis in extremè indigente illâ, tunc correcturus teneretur ad eum finem agere pœnitentiam: quia nempe teneretur se constituere in statu ad proximi correctionem idoneo. Valent. col 860. Reding n. 13. & alii apud eundem.

Infertur tertio, Prælatos ac Superiores
37 esse obligatos non tantùm ad corripiendum peccata subditorum, quæ ipsis communiter ac citra inquisitionem occurrunt, sed etiam ad inquirendum in defectus eorum. Valent. loco cit. Bonac. de Charit. q. 4. pu. 7. n. 2. & alii ab ipso relati. Ratio petitur ex majore obligatione, quæ talibus ex officio suo incumbit. sunt enim pastores & vigiles animarum. *quæ* autem *potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit?* inquit S. Gregor. lib. 2. Registri, Epist. 52. In
38 qua tamen re Cajetanus apud Valent. cit. utilissimè monet, opus esse maximâ prudentiâ, *ne multa suspicio præcipitem & exosum Prælatum reddat; neve contrà incuria multiplicationem pariat peccatorum occultorum; &c.*

Infertur quarto, Prælatum, si subditi fa-
38 ciem omissâ culpabiliter ejus Correctione neglexit, in Confessione non satisfacere dicendo, se neglexisse Correctionem proximi, quem poterat, & debebat corrigere, sed debere insuper explicare obligationem sui officii, nisi aliunde ea notâ sit Confessario. Ratio est: quia graviter deliquit non tantùm contra Charitatem & Misericordiam, sed etiam contra Justitiam. Valent. col. 862. Castrop. disp. 3. pu. 7. n. 8. Reding n. 11. Illsung tr. 3. disp. un. a. 6. n. 104. Quod de Prælato & Superiore dictum est modò, intelligi etiam debet de patre, marito, domino. Quamvis quod ad dominum attinet, respectu famulorum ex salario deservientium, Joan. Sanchez apud Reding loco cit. non agnoscat in eo memoratam obligationem Justitiæ; eò quòd horum talium actiones non sint specialiter subordinatæ domino, aut curæ ejusdē subjectæ.

Dico quinto. Omnes, qui indigent Cor-
39 rectione, corrigendi sunt; aliter tamen & aliter. Ita communis DD. Ratio est: tum, quia Correctio præcipitur in genere, ut Eccl. 19. *Corripe proximum.* 1. Thessal. 5. *Corripe inquietos.* tum, quia omnibus, qui indigent, tenemur subvenire per Eleemosynam corporalem: ergo etiam per Eleemosynam spiritualem. Dixi verò, *aliter & aliter.* Nam omnis, qui corrigi debet, vel est superior, vel inferior, vel æqualis. Inferiorem plerumque oportet priùs increpare, ac postea manuetè hortari, ut monet Apostolus ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Æquali verò adhibenda est amica commonitio, ut præscribit idem Apostolus 2. ad Thessal. 2. *Nolite quasi inimicum æstimare, sed corripite ut fratrem.* Vid. Laym. lib. 2. tr. 3. c. 7. n. 2. Superior denique humiliter rogari debet, non objurgari, ut iterum jubet Apostol. 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quod tamen limita, nisi peccatum Prælati, aut Superioris sit publicum, idemque in fide, aut moribus perniciosum: tunc enim publicè redargui debet à subdito. Vid. D. Th. 2. 2. q. 33. a. 4. Valent. pu. 4. Laym. loco cit. Filliuc. tr. 28. cap. 6. n. 125. Reding. contro. n. 2. & 3.

Dico sexto. Præceptum fraternæ Correc-
40 tionis, utpote affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed solùm pro aliquo tempore, concurrentibus quibusdam circumstantiis. Ita cum D. Th. communiter DD. debent autem concurrere sequentes circumstantiæ. Prima est, ut peccatum proximi sit mortale, vel etiam veniale, sed graviter periculosum. Secunda, ut corrigere volenti certò moraliter constet proximum versari in tali peccato, vel morali periculo illius. Tertia, ut nemo alius adsit æquè, vel magis idoneus, qui correcturus existimetur. Quarta, ut probabilis spes affulgeat, quòd Correctio sit profutura, & frater per illam emendandus. Quinta, ut locus, temptis, & occasio ad corrigendum sint opportuna. Sexta, ut correcturo, vel corrigendo ex Correctione non magnum, vel etiam majus malum immineat. Ex quibus circumstantiis si vel unica deficiat, præceptum Correctionis non obligat, ut habet communis DD. sententia apud Paulum Mezger, to. 3. tract. 10. disp. 22. a. 5. n. 15.

41 Infertur jam primo, non esse obligationem corrigendi proximum, cujus peccatum est dubium. Ratio est: quia obligatio fraternæ Correctionis supponit in corrigente scientiam, id est, moralem certitudinem de alterius peccato, juxta illud Christi apud Matth. cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, id est, sciente te, ut in n. 30. explicavimus. Accedit, quòd alioqui facilè contingeret, ut quis proximo objiceret peccatum non commissum; adeoque &inaniter corrigeret, & ab innocente odium atque indignationem reportaret. Vid. Valent. pu. colum. 844. Reding contro. 3. n. 16.

42 Inf. secundo, quando adest magis idoneus ad corrigendum, vel æquè idoneus, actu, isque non existimatur correcturus, tunc tibi incumbere obligationem corrigendi Ratio est: quia proximus versatur in necessitate spirituali, nec habet præter te quemquam, cujus operâ ex illa liberetur. Bonac. disp. 1. q. 4. pu. 7. n. 6. Filliuc. ubi suprà n. 144.

43 Inf. tertio, omittendam esse Correctionem in dubio, sitne profutura, an obfutura corripiendo? Ita ex communi DD. Reding n. 22. Ratio est: quia Correctio, ut prudenter instituatur, debet supponere judicium probabile saltem de futura emendatione proximi, ceu fine, ad quem unicè ordinatur: atqui in dubio memorato non habet locum ejusmodi judicium, ut est evidens; cùm implicet contradictionem, dari in intellectu judicium probabile de futura emendatione, & simul suspensionem ejusdem judicii, qualis est dubium, de quo loquimur.

44 Hic tamen excipiendus est casus, quo peccator in articulo mortis constitutus de salute æterna supremè periclitatur. Huic enim tali adhibenda est fraterna Correctio, tametsi æqualiter dubitetur, sitne profutura, an obfutura? Ita Suarez, Bonac. Bannez, Castropal. quos refert & sequitur Reding n. 24. Ratio est: quia malum, quod proximo imminet prætermissa Correctione, est irreparabile: illud autem, quod ex dubio Correctionis even u timendum, abunde compensat qualiscunque spes etiam dubia avertendi illud malum æternum & irreparabile. Unde dictat recta ratio, ab hoc evitandum tanquam majus, permittendum esse alterum tanquam minus malum.

45 Inf. quarto, proximum non statim, ut peccavit, esse semper corrigendum. Ratio est: quia interdum laudabiliter expectatur opportunitas alterius temporis, ut Correctio fructuosiùs instituatur. cùm enim finis ejus sit spiritualis utilitas proximi, præceptum ipsius minimè violatur, dum differtur in tempus, quo omnibus consideratis proximo futura est utilior. Valentia, ubi suprà, col. 846. Filliuç. n. 138. Bonac. n. 9.

46 Restat quæstio, quo ordine instituenda sit fraterna Correctio? Respondeo, servandum esse ordinem à Christo Matth. 18. præscriptum, nempe primo, ut delinquens secretò corripiatur: *Corripe eum inter te, & ipsum solùm*: quod tamen intellige, si delictum non sit publicum; quemadmodum de delicto Superioris in n. 39. indicavimus. Secundo, ut coram testibus corrigatur, postquam privata & secreta correptio fructu caruit: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum.* Tertio, ut his prioribus modis nihil proficientibus denuntietur Prælato, ab ipso corrigendus. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Cæt. observatio hujus ordinis non est in præcepto pro omnibus casibus, sed patitur exceptiones, ut primo, si delictum sit ejusmodi, ut vergat in damnum communitatis, nisi statim innotescat Prælato, seu Superiori: v. g. si quis proditionem moliatur in Principem, vel civitatem; hæresim spargat. tunc enim immediatè indicandum est Superiori. Secundo, si delictum cedat in majus damnum alicujus, aliquorum, quàm est damnum in qualicunque fama, quod proximo imminet apud Superiorem: v. g. si alteri struat capitales insidias, & necem machinetur: quia tunc vita præferenda est, de qua periclitatur alter. Tertio, si prævideatur, delinquentem non emendandum adhibitis testibus, emendandum verò, si Prælato denuntietur: quia tunc inutilis esset advocatio testium; adeoque illâ prætermissâ denuntiare licet Prælato. Quarto, sicui certò constaret, proximum ob majorem profectum spiritualem esse contentũ, ac velle, ut quodvis ipsius delictum statim manifestetur Superiori. In quo casu, prætermissa secreta monitione, & advocatione testium rem immediatè significare Superiori licitum est: quia tunc proximus renuntiavit juri suo, quod habebat, ut in sui correctione consuetus ordo servaretur. Vid. Valentia pu. 5. à colum. 870. Filliuc. cap. 7. n. 149. Bonac. n. 15.

47 Illud denique juvat dictis addere dubium, an, si frater per secretam monitionem jam fuerit emendatus, liceat nihilominùs ejus peccatum indicare Prælato, ut eò sit tutior à relapsu? Respondeo, non licere. Ita contrà Richardum, Valent. colum. 883. post Adrianum, Sotum & alios, quos refert. Deinde Filliuc. n. 157. Bonac. n. 16. Sanchez lib. 6. Decal. cap. 16. n. 49. & n. 60. Reding contro. 5. n. 10. & 11. & alii. Colligitur inprimis ex illis Christi verbis: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*: quasi dicat, nihil supereſt amplius, nec ultra procedendum, postquam frater admonitioni tuæ acquievit. Deinde ratio est: quia quilibet meritò magni facit bonam sui existimationem apud suum

ſuum Prælatum ſeu Superiorem: ergo eandem nequaquam lædere aut minuere licet apud Prælatum, quando id ad finem Correctionis non eſt neceſſarium; ſicut non eſt neceſſarium, quando proximus per ſecretam admonitionem jam eſt emendatus. Neque enim ob qualecunque bonum ſpirituale proximi licitum eſt ei damnum inferre in bonis temporalibus; ſed ob tale, quod ad ſalutem ſit neceſſarium; qualis non eſt ordinariè loquendo illa major ſecuritas à recidiva. Quid enim diceres, ſi bona fortunæ tibi eriperem, daremque pauperibus hoc prætextu, ut eorum pro te ad Deum preces procurarem? Vid. Valent. loco cit. Verùm his non obſtantibus, ſententia Richardi locum habere poteſt primo, quando proximus probabiliter exiſtimatur relapſurus, niſi lapſus ejus præteritus manifeſterur Superiori. Secundo, quando proximus expreſsè conſentit in ejusmodi manifeſtationem delicti jam emendati. Vid. Reding n. 10. & 12.

ARTICULUS VI.

De Scandalo, & reliquis vitiis Charitati oppoſitis.

PEccata Charitati directè, vel indirectè, & conſecutivè oppoſita ſunt, Odium, Invidia, Acedia, Diſcordia, Seditio, Contentio, Schiſma, & Scandalum. De Odio tum Dei, tum proximi in artic. 4. de Schiſmate in artic. 2. diximus. Nunc de Scandalo, cujus explicatio magni momenti eſt; poſtea de Invidia, &c. agemus.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Scandalum, & quale peccatum?

SUMMARIUM.

1. *Scandalum quid nominis.* 2. *Affertur & reſolvitur definitio Scandali.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Diviſio Scandali, ejusque ſubdiviſiones, quæ per illationes practicas fusè declarantur.* 9. *Scandalum activum ex genere ſuo peccatum mortale eſt.* 10. *Scandalum directum eſt ſpeciale peccatum contra Charitatem.* 11. *Quid de Scandalo indirecto?* 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Corollaria practica.*

1 NOmen ſcandali, quod ex Græco eſt, interpretatur S. Hieronymus in cap. 15. Matth. v. 12. ubi ſcribit: *Quia crebrò teritur in Eccleſiaſticis Scripturis Scandalum; breviter dicamus, quid ſignificet... Nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere.* Atque hinc ſumptâ metaphorâ Scandalum & in S. Script. & à Theologis vocatur, quidquid in hac vita, tanquam viâ, qua ad patriam contendimus, ab aliquo ita fit, aut dicitur, ut alteri ſit occaſio ruinæ ſpiritualis, ſcilicet peccati. Et hæc quidem de vocabulo. De re ipſa

2 Dico primo. Scandalum eſt *dictum vel factum minùs rectum, præbens occaſionem ruinæ.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 42. a. 1. quem ſequuntur communiter Theologi circa hanc definitionem. Dicitur in illa *dictum vel factum.* quia ſola operatio externa, non autem interna alterius (quippe cùm penitus lateat) nos ad peccandum movere atque inducere poteſt. Porrò nomine dicti, vel facti intelligenda eſt etiam externi operis externa omiſſio. Dicitur, *minus rectum*, ut comprehendantur tam ea, quæ ſecundùm ſe ſunt peccata, quàm illa, quæ habent ſpeciem mali, ait S. Th. loco cit. ad 2. quia, ut alteri præbeatur occaſio peccandi, ſufficit in actione alicujus reperiri nonnullam ſimilitudinem ſeu ſpeciem peccati. Dicitur, *præbens occaſionem*, id eſt, cauſam imperfectam, & aliqualiter motivam ad peccatum. Unde non eſt de ratione ſcandali, ut proximi peccatum reipſa ſequatur, ſed ſufficit, quòd ſuapte natura ſit inductivum ad peccatum; vel quòd peccatum probabiliter ſecuturum prævideatur. Dicitur, *ruinæ*, ſubintellige *ſpirtualis*, videlicet peccati, quod eſt effectus Scandali.

3 Dico ſecundo. Scandalum eſt duplex, *Activum* nempe & *Paſſivum.* Scandalum Activum eſt illud ipſum, quod modò definivimus. Hoc iterum dividitur in *Directum*, & *Indirectum.* Scandalum directum eſt, quando per ſe, & directè intenditur pec- 9
catum alterius, ideſt, quando dedita operâ aliquid fit, ut alter in peccatum inducatur: v. g. quando adulter blanditiis, muneribus, &c. ſollicitat alienam ad adulterium. Hoc Scandalum rurſus fieri poteſt dupliciter. Primo ita, ut illud præbens intendat proximi peccatum formaliter, & quatenùs peccatum, mors animæ, ac Dei offenſa eſt. Secundo ita, ut quis directè intendat actum proximi, non quatenùs formaliter malus, Deique offenſa, ſed quatenùs delectabilis, & utilis eſt. Si primo modo fiat, vocari poteſt Scandalum directum quoad formale: quod eſt omnium graviſſimum, & planè Diabolicum. Si ſecundo modo, dicatur Scandalum directum quoad materiale, in quo ſimiliter grandis malitia reperitur: nam licèt in illo directè quæratur delectatio ſolùm, vel utilitas quædam temporalis, ut, dum quis alterum invi-

invitat ad intemperanter compotandum, ad secum furandum, &c. nihilominùs, quia ruina spiritualis cum ejusmodi actu inseparabiliter connexa est, hæc ipsa indirectè intenditur. Scandalum indirectum est, quando indirectè solùm, & interpretativè præbetur occasio peccandi, putà, dum quis exercet aliquam actionem, quam cognoscit esse aptam, ut per eam proximus hîc & nunc inducatur in peccatum, illamque nihilominùs non intermittit: v.g. dum quis coram adolescentibus loquitur, vel cantat impudica; vel die vetito carnes comedit coram aliis, quibus non dicit, se habere licentiam.

4 Scandalum Passivum est ipsa spiritualis ruina, sive peccatum, in quod occasione dicti, vel facti alterius labitur proximus. Dividitur in *Datum*, & *Acceptum*. Datum, quod etiam Scandalum pusillorum vocatur, est illud, quod oritur ex Activo, seu dicto, vel facto alterius re vera malo, vel speciem mali præseferente, atque adeo suapte naturâ in peccatum inductivo. Tale est libidinosa delectatio ob alterius turpiloquium: contemptus status Clericalis ob fœminam in domo Clerici habitantem, ac populo suspectam. Scandalum Acceptum, sive Pharisaicum est, quod non oritur per se ex scandalo activo, sed ex mera malitia hominis, qui alterius dictum, aut factum perversè interpretatur (sicut olim Pharisæi interpretari solebant dicta, & facta Christi) atque ex eo temerè occasionem spiritualis ruinæ arripit: sicuti se gerit, qui alterum audit laudari, eique propterea invidere incipit.

5 Ex dictis infertur primo, divisionem Scandali in Activū, & Passivum esse analogicam, quatenùs nomen Scandali, quod propriè ac principaliter convenit Scandalo Activo, attribuitur etiam Scandalo Passivo, idque propter ordinem, quem habet ad Activum tanquam effectus ad aliqualem sui causam. Valentia to. 3. disp. 3. q. 18. pu. 1. colum. 10004.

6 Inf. secundo, dari quandoque Scandalum activum sine passivo, & passivum sine activo: item, activum & passivum simul. Exemplum Primi est, dum quis virginem sollicitat ad flagitium, & illa non consentit: vel, dum Caius instigat Titium ad furtum committendum; & Titius committere detrectat. Exemplum secundi est, dum quis ob proximi rectè facta movetur ad invidiam. Tertii demum, dum quis alteri suadet furtum, & persuadet. Vid. D. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4.

7 Inf. tertio, Scandalum passivum Pharisaicum in eo differre à Scandalo pusillorum, quòd in hoc ruinam spiritualem quis patiatur, vel quia fragilis est; ut ille, qui ex ornatu mulieris etiam licito labitur in pravum desiderium: vel quia ignorat, actionem proximi, quæ ipsi occasio ruinæ, esse licitam: sicut ille, qui videns Catholicum die Veneris vesci carnibus cum coram aliis proclamat hæreticum ignarus, id homini per dispensationem licere. Econtra, quòd in Scandalo Pharisaico ruina spiritualis unicè proveniat ex pravo affectu illud sumentis ex actione proximi in malam partem perversè accepta. Castropal. disp. 6. pu. 1. n. 1. Reding to. 10. q. 10. a. 2. n. 4.

Inf. quarto, fieri aliquando, ut quis peccet coram aliis, & tamen non præbeat Scandalum: quando videlicet præsentes vel ita sunt probi, & in virtute constantes, ut non sit probabile, quemquam eorum ad peccatum inductum iri; vel ita perversi, & ad omne, vel idem scelus parati, ut neutiquam alieno exemplo, sed suapte nequitia in ruinam trahantur. Exemplum est, dum quis coram hominibus valde temperantibus se inebriat; vel inspectantibus illis furatur, quos similiter furari velle cognoscit. Itaque peccans coram aliis tunc solùm committit Scandalum, quando peccat coram illis, quos attentis omnibus circumstantiis probabiliter credit suo malo exemplo commotum iri ad peccatum, alioquin non peccaturos. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 6. n. 8. Bonac. de pecc. disp. 2. q. 4. pu. 2. §. un. n. 43.

9 Dico jam tertio. Scandalum activum ex suo genere peccatum mortale est: potest tamen esse veniale propter parvitatem materiæ. Ita communis. Ratio primi est: quia Scandalum directè opponitur præcepto negativo Charitatis, ne quis proximo noceat, & multò magis, ne quis eum inducat ad peccatum, quod est malorum omnium maximum. Et colligitur manifestè ex verbis Christi valde terribilibus apud Matth. c. 18. *Væ homini illi, per quem Scandalum venit.* Itaque mortaliter peccat, qui alteri præbet occasionem ruinæ mortalis, sive hanc directè sive indirectè intendat, nisi fortè ob imperfectionem deliberationis excusetur. Ratio secundi est: quia peccatum veniale in genere damnorum spiritualium est solùm quid leve, & ruina parva: ergo ad illud inducere proximum non est grave peccatum. Et hoc etiam verum est, quando directè intenditur, & quidem per actum mortaliter peccaminosum: ut patet à simili: nam si quis committeret fornicationem rem levissimam furandi causâ, furtum esset solùm veniale peccatum, licèt fornicatio foret mortale. Sanchez n. 10. Bonac. n. 10. Reding a. cit. contro. 1. n. 13.

10 Dico quarto. Scandalum activum directū est speciale peccatum contra Charitatem proximi; ideóque specialiter exprimendum in Confessione, quando est occasio ruinæ mortalis. Ita rursus communis sententia. Ratio est: quia præbens hoc modo Scandalum intendit directè damnum spirituale proximi: ergo violat præceptum Charitatis, quo id vel maximè prohibetur. Deinde peccat eo peccato, quod ille, quem inducit, committit: v. g. qui alte-

alterum inducit ad furandum, reus est furti: quia inductio ad peccatum repugnat eidem virtuti, cui repugnat peccatum.

11 Dixi, *Scandalum activum directum.* quia de activo indirecto lis est apud DD. sitne speciale peccatum contrà Charitatem, an non? Negant Paludanus, Durandus, Vasquez, Azorius & alii apud Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 13. num. 5. Refertur pro eadem sententia D. Thomas sed de ejus mente non satis constat. Docent igitur illi Autores, eum, qui aliquo suo actu indirectè, ac sine intentione ruinæ spiritualis proximum inducit ad peccandum, v. g. ad furandum non committere speciale peccatum Scandali, quod repugnat Charitati; licèt peccet duplici peccato contra justitiam, uno proprio, & altero alieno, in dato exemplo. Ratio est: quia species in moralibus sumitur ab eo, quod est per se intentum, & non ab eo, quod est per accidens, & præter intentionem. Atqui peccatum proximi, ejusque malum spirituale in facto casu non per se intenditur; ergo &c. Verùm sententia contraria uti communior, ita longè probabilior est. Eam tenent Navarrus, Major, Sylvester & alii, quos refert & sequitur Laym. loco cit. Valent. tomo 3. disp. 3. q. 18. p. 2. colum. 1008. Tambur. in Opusc. de Conf. lib. 2. cap. 1. §. 17. Sporer tract. 5. in Decal. cap. 1. num. 16. Ratio est: quia in aliis materiis moralibus, in quibus peccatum specificatur à nocumento, vel damno illato, ad contrahendam speciem talis peccati sufficit voluntarium indirectum, vel interpretativum. Nam verè committit peccatum detractionis, qui temerè dicit aliquid, ex quo damnum sequitur proximo in fama, quamvis id indirectè solùm intendere censeatur, in quantum non abstinet à sermone, ex quo illud secuturum prævidet. Verè quoque committit peccatum sacrilegii, qui fornicatur in loco sacro, licèt non directè, sed indirectè solùm velit injuriam & irreverentiam loci sacri, quatenùs eam non impedit abstinendo ab ejusmodi actu cùm possit & teneatur abstinere: & sic de aliis. Ergo etiam in materia Scandali ad contrahendam ejus malitiam specificam sufficit voluntarium indirectum.

Confirmatur primo. Qui citra necessitatem exercet aliquam actionem secundùm se non malam, sed ideo tantùm, quia alter inde Scandalum accepturus est, verè committit speciale peccatum Scandali, ut etiam concedunt Authores contrarii; licèt non intendat directè proximum inducere in peccatum: ergo idem dicendum est de eo, qui absque directa intentione ruinæ spiritualis exercet actionem secundùm se malam, ex qua illam proximo secuturam prævidet. Quia actio per hoc, quòd sit aliunde mala, non impeditur, quo minus ex alio capite possit simul esse in alia specie peccati. Confirmatur secundo. Si vera esset sententia opposita, sequeretur, speciale peccatum Scandali tarissimè committi ab hominibus; cùm directa & formalis intentio alterum in spiritualem ruinam præcipitandi, ceu planè Diabolica, tarissimè reperiatur in hominibus. Sed conseq. videtur adversari S. Scripturæ, quæ de hoc peccato sæpius loquitur, certè non tanquam de eo quod rarò committatur ab hominibus; quemadmodum notavit Valent. col. 1009. Ad fundamentum contrarium dic, speciem in moralibus, licèt non desumatur ab eo, quod est præter omnem intentionem, tam directam, quàm indirectam, atque hoc sensu per accidens; desumi tamen etiam ab eo, quod indirectè saltem intenditur. Nunc ex dictis habetur

Corollarium I. Non satisfacit in Con- 12
fessione, qui alterum directè induxit ad grave peccatum, si dicat, se proximo præbuisse grave Scandalum; sed tenetur etiam explicare ipsammet inductionem ad peccatum, addendo, se proximi ruinam directè ac formaliter intendisse. Tenetur præterea exprimere peccatum, ad quod alterum induxit, Bonac. ubi suprà, num. 9. Sporer n. 18. Paulus Mezger to. 3. tract. 10. disp. 22. a. 5. num. 20. Ratio est: quia reum se fecit duplicis peccati, videlicet Scandali, quod specialiter repugnat Charitati; & illius peccati, ad quod alterum induxit, v. g. furti, sacrilegii, fornicationis. Nam sicut virtutes directè obligant, nequis in propria persona admittat aliquid ipsis oppositum, ita indirectè obligant, ne quid eis contrarium à nobis causetur in altero.

II. Etiam ille, qui alterum indirectè 13
suo pravo exemplo induxit ad peccatum, v. g. furti, non satisfacit in Confessione, si præcisè dicat, se fuisse furatum gravem summam, sed tenetur addere, se pravo hoc exemplo induxisse præterea alterum, ut similiter furaretur. Ratio est: quia Confessarius audiens Cajum v. g. esse furatum, non hoc ipso colligit, etiam Titium fuisse furatum, idque furtum imputari simul Cajo; quod tamen nosse debet Confessarius; cùm prout causatum à Cajo in Titio sit distinctum peccatum Caji, saltem numero, si non specie. Consequenter, ut Confessarius cognoscat, Cajum dupliciter peccâsse, debet is pravum hoc suum exemplum exprimere. Vid. Laym. ubi suprà, num. 6. Tambur. num. 102. Sporer num. 17.

III. Qui dedit Scandalum, tenetur in Con- 14
fessione insuper explicare numerum eorum, qui per illud fuerunt inducti ad peccandum,

vel probabiliter induci potuerunt. Quòdsi hoc non possit (ut plerumque contingit) debet saltem addere pluralitatem personarum, dicendo v. g. scandalo fui pluribus, multis, plutibus. Ratio est: quia peccatum Scandali multiplicatur numericè juxta numerum eorum, qui scandalizantur. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 6. n. 8. Bonac. n. 42. Sporer n. 19. Mezger n. 21.

15 IV. Fieri potest, ut operatio secundùm se venialiter solùm mala evadat peccatum mortale ratione Scandali, quod per illam præbetur. Ratio est: quia possunt esse tales circumstantiæ, in quibus proximus etiam per peccatum alterius veniale possit induci in ruinam mortalem: v. g. si Religiosus loquatur verbum jocosum coram fœminis; vel siquis mulieri in autem dicat verbum amatorium advertente ejus marito valde Zelotypo: unde magna deinceps inter conjuges dissensio probabiliter oritur prævidetur. Vid. Laym. cap. 13. n. 1.

16 V. Qui complicem habuit peccati, v. g. luxuriæ, furti, cumque ipse induxit jussu, consilio, blanditiis &c. hoc explicare debet in Confessione; item, an invitum, vel paratum, aut facilè consentientem induxerit? Sanchez n. 14. Castropal. disp. 6. pu. 3. n. 4. Sporer n. 20. Ratio est: quia non hoc ipso, quòd Confessario manifestetur tale peccatum, etiam censetur manifestata inductio proximi ad illud: nam fieri potest sine inductione. Deinde, quamvis gravius peccet, qui invitum, quàm qui paratum inducit ad peccandum; cùm ille & voluntatem & actum peccati causet in altero; nihilominus & iste peccat peccato Scandali, utpote causans in proximo actuale saltem exercitium peccati, quod hîc & nunc omiteret proximus, si abesset inductio. Advertit tamen Sanchez loco cit. quando vir fœminam ad fornicandum induxit paratam, non esse necessarium, ut explicet circumstantiam hujus Scandali: quia Confessarius ex communiter contingentibus præsumit, virum induxisse. Debet tamen explicare fœmina, quando virum induxit, & vir, quando invitam induxit. Ratio est: quia non communiter contingit, ut virum fœmina inducat, aut vir invitam inducat. Unde id nequit innotescere Confessario, ut oportet, nisi explicetur. Vid. Filliuc. tract. 28. cap. 10. n. 231. Laym. n. 6.

17 VI. Qui alterum pravò exemplò induxit ad furtum, homicidium &c. non tenetur ad restitutionem pro illo. Laym. loco cit. Castropal. n. 2. Sporer n. 21. Ratio est: quia licèt taliter inducens peccaverit contra Charitatem respectu ejus, quem induxit, non tamen peccavit contra justitiam respectu illius, qui damnum patitur: nam iste non habet jus te obligandi, ut intermittas actionem, ex qua alter sumere potest occasionem inferendi damnum. Aliud sentiendum est de eo, qui proximum jussu, hortatu, consilio ad actionem damniferam induxit: de quo tamen in tract. de Just. & Jure.

§. II.

Quænam facere, vel omittere debeamus Scandali vitandi gratiâ?

SUMMARIUM.

18. *Nunquam est licitum proximi peccatum impedire exercendo actionem intrinsecè malam.* 19. 20. *Ob justam causam licitum est exercere actionem bonam, aut indifferentem, ex qua proximi peccatum prævidetur secuturum.* 21. 22. & *seqq. Resolutiones practicæ.*

18 ACtiones nostræ, ex quibus proximus occasionem peccandi accepturus prævidetur, vel sunt intrinsecè malæ, ut furari, fornicari; vel ex se bonæ, & honestæ ut jejunare, audire Missam: vel indifferentes, ut remos ducere, arma, aut tormenta bellica convehere &c. Ubi supponitur tanquam certissimum, ob impediendum proximi peccatum in nullo unquam casu esse licitum exercere actionem intrinsecè malam, etiam venialiter solùm; cùm nunquàm facienda sint mala, ut eveniant bona: ex eodem quoque capite certissimum est, ob memoratum finem nunquam esse licitum intermittere actionem, quam intermittere, sive non exercere est intrinsecè malum pro omnibus circumstantiis. Nunc

19 Dico. Actionem bonam, aut indifferentem, ex qua proximus prævidetur Scandalum accepturus, licitum est exercere, dummodò non exerceatur ex intentione proximum inducendi in peccatum, nec sine rationabili causa; sitque impossibile, moraliter rem æstimandò, peccatum impedire sine gravi incommodo. Ratio est: quia positis his conditionibus proximus nullo jure nos obligare potest ad abstinendum ab ulla actione secundùm se honesta, aut permissa, quamvis ipso inde possit arripere ansam peccandi; sed sibi, suæque pravæ dispositioni imputare debet, si ruat.

20 Cæterùm quæ causa in præsenti sit rationabilis, seu justa, ob quam liceat peccatum proximi non impedire intermittendo actionem aliquam, sed potiùs materialiter cooperari ad illud, non potest una ac simplici regulâ definiri. Nam inprimis tantò gravior causa requiritur, quanto gravius est peccatum proximi, quod prævidetur secuturum. Deinde gravior causa requiritur, quando nostra actio propinquè, quàm si remotè

motè tantùm deserviat ad peccatum proximi: item gravior, si peccatum proximi sit contra justitiam, quàm, si sit contra alias virtutes: gravior quoque, si secluſa noſtra actione non æquè facilè alii ſupponantur idem acturi, quàm ſi paſſim alii eodem modo peccato proximi eſſent cooperaturi. ſimiliter gravior, ut permittatur ſcandalum puſillorum, quàm Phariſaicum: quod plerumque curandum non eſt. gravior præterea cauſa requiritur, quando timetur ruina plurium, eaque gravis, quàm unius, vel paucorum; præſertim, ſi certò prævideatur. Denique gravior debet adeſſe cauſa, dum quis minus habet juris ad aliquam operationem, v. g. ad petendum Sacramentum minùs neceſſarium, quàm magis neceſſarium. Quibus animadverſis, reſolvuntur jam ſequentia.

21 I. Chriſtiani captivi ob gravem metum licitè remigant in triremibus Turcarum, aut hæreticorum contra Catholicos: item licitè contra eosdem arma, tormenta bellica comportant, propugnacula ædificant. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 5. aliisque relatis Viva, Theſ. damn. par. 2. pag. 128. num. 1. Ratio eſt: quia ejusmodi actiones ex ſe ſunt indifferentes, & habent in tali caſu omnes conditiones, quibus honeſtentur, in num. 19. adductas, ut conſideranti patebit. At iidem non poſſunt licitè, ne ob metum mortis quidem, ignem admovere tormentis bellicis ad internecionem Catholicorum. Ratio eſt: quia hæc talis actio eſt intrinſecè mala, ut conſtat.

22 II. Fœmina advertens, ſe turpiter amari à quopiam, quoties in ejus oculos incurrit, mortaliter peccat, quando data opera citra ullam utilitatis aut neceſſitatis rationem, ſed ex mera levitate aut vanitate eidem ſe conſpiciendam objicit. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 6. num. 17. Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 4. num. 27. Sporer tract. 5. in 5. præcept. Decal. cap. 1. num. 35. Ratio eſt: quia graviter repugnat legi charitatis ſcienter non omittere opus etiam ex ſe indifferens, quod quis videt eſſe moraliter connexum cum periculo gravis ruinæ proximi, quòdque absque ullo ſuo incommodo omittere poteſt. Atqui fœmina in caſu noſtro ſcienter non omittit ejusmodi opus; ergo &c. Neque juvat dicere, fœminam tunc nullatenùs intendere turpem ſui amorem: quamvis enim ſupponatur non intendere formaliter, ita tamen res ſunt comparatæ, ut non poſſit non intendere virtualiter & interpretativè. Dixi, *quando datâ operâ &c.* Nam ſi adeſt neceſſitas, aliavè honeſta cauſa prodeundi in publicum, v. g. ut inviſat vicinas, ne videatur inurbana; ut veniat in templum, interſit publicæ ſupplicationi; tunc licitè utitur jure ſuo egrediendi domo, quamvis turpis amator ex ejus conſpectu labatur in peccatum. hæc enim occaſio lapsûs ex propria potiùs malitia ipſius acceptatur, quàm datur à fœmina. Unde iſta ne quidem ſemel aut aliquoties, ut aliqui volunt, tenetur intermittere auditionem Miſſæ, etiam die feriali, ad ejusmodi ſcandalum evitandum: quemadmodum docent Cajetanus, Navarrus, Azor, & Corduba, quos refert & ſequitur Illſung tract. 3. diſp. un. a. 6. n. III.

III. Nemo peccat, dum ſplendidè ſe 23
ornat pro ſtatûs ſui conditione & more regionis, modò id faciat bono fine, quamvis ſit periculum ſcandali vagi & indeterminati. Ita Navarrus cap. 23. Man. num. 18. & DD. communiter. Ratio eſt: quia quilibet, ſeu mas ſeu fœmina, habet jus ad ornatum veſtium, qui eſt ſecundùm conditionem ſtatûs & conſuetudinem patriæ, eoque privari eſſet valde grave: ergo non eſt exiſtimandum, ſuavem Charitatis legem obligare, ut quis ab eodem abſtineat ad impediendum peccatum alienæ concupiſcentiæ. Cæterùm in caſu probabilis periculi, ne determinata perſona ob ejusmodi veſtium ornatum ſpiritualiter ruat, ab eodem abſtinendum eſſe ex lege Charitatis, ſi fieri poſſit absque difficultate, notat ex Navarro & aliis Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 11. Porrò à cultu laſcivo & notabili nuditate corporis de ſe nata ſcandalum parere, mulieribus ſub mortali abſtinendum, ac denegandam eſſe abſolutionem Sacramentalem, niſi abſtinere promittant, docet Paulus Mezger to. 3. tract. 10. diſp. 22. a. 5. num. 22. Alii tamen fœminas, quæ ſic nudatæ incedunt, ubi talis conſuetudo jam viget, excuſant à mortali: quamvis fateantur, eas, quæ primitus ejusmodi veſtitum introducunt in aliquam provinciam, excuſari non poſſe. Vid. Laym. loco cit. Sporer n. 39.

IV. Res ita indifferentes, ut ad bo- 24
num vel malum uſum adhiberi poſſint, licitè venduntur, quando conſtat, non eſſe adhibendas ad malum uſum, quando verò conſtat, eſſe ſic adhibendas, tunc attendendum eſt, an proximè ad malum uſum, ſeu peccatum deſerviant, vel remotè tantùm? Si primum; ut licitè vendantur, non ſufficit ſolus metus patiendi jacturam lucri ex venditione obtinendi, ſed requiritur adhuc alia gravior cauſa. Si ſecundum; tunc ad licitam venditionem ille metus jacturæ ſufficit. Ex quo capite à peccato excuſantur caupones & laniones, dum vendunt, vel apponunt carnes, aut vinum illis, quos norunt, legem temperantiæ & jejunii transgreſſuros,

resque ejusmodi facilè ab allis pretiô comparaturos. Nam si ipsi non venderent, aliis vendentibus, homines ab eorum tabernis aut macellis absterrerentur, quod cederet in magnum detrimentum. Ob eandem causam excusantur publicis meretricibus vestimenta vendentes, aut domum locantes; hæc enim remotè tantùm ad earam flagitia deserviunt. Vid. Illsung ubi suprà, num. 112. Viva, Thes. damnat. par. 2. prop. 51. num. 6. Cæterùm usuratiis alienigenis domum vendere, aut locare jurè Ecclesiastico prohibitum est per cap. *Usurarum. de Usur. in* 6. Sed quid tenendum in dubio, an proximus re vendita, v. g. vino, gladio, veneno, sit bene, an malè usurus? Respondeo ex Th. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 17. quem sequitur Viva num. 7. Si dubium sit negativum taliter, ut nulla occurrat prudens ratio dubitandi, adeoque æquivaleat meræ ignorantiæ, tunc licitè ejusmodi res indifferentes proximo vendi, aliòve modo suppeditari. Si verò dubium sit negativum hujus conditionis, ut suppetat ratio prudenter dubitandi de futuro malo usu (quod Authores citt. vocant dubium positivum) tunc aio, talia vendi non posse absque sufficienti causa: quæ tamen non debeat esse tam gravis, quanta esse deberet, si certò constaret de malo usu ementis. De veneno aliter distinguit Sanchez docens, si tale sit, ut deservire possit necessariis usibus reipublicæ, v. g. ad confectionem colorum; vel medicinarum; tunc quidem vendi posse, sed iis tantùm, qui ad hujusmodi bonos fines usuri prudenter existimantur. At non vendi posse illud venenum, quod non serviat nisi ad occisionem hominis, ostendit etiam ex jure Civili.

25 V. Filii parentibus, famuli dominis suis licitè obediunt in actionibus ad eorum peccata remotè ordinatis. Unde licitè coquunt cibos vetitos, ministrant mensæ eos edentium; sternunt lectum concubinæ, ferunt munuscula & urbanas salutationes &c. Ratio est: quia ad honestandam in his obedientiam sufficiens causa est debitum subjectionis. Quod tamen idem debitum non sufficit in aliis actionibus proximi peccato propinquioribus; sed requiritur præterea metus gravissimi mali, v. g. mortis, valde enormis percussionis, aut vulnerationis; mendicitatis miserrimæ. Ita quantum ad hoc posterius cum aliis probabiliter Illsung num. 113. qui postea num. 114. docet, ob metum similium malorum à peccato mortali excusari posse actiones, quarum meminit prop. 51. ab Innoc. XI. prohibita, nempe: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stupranda virginem, & multoties ei inserviit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter &c.* Ratio est; quia hujusmodi actiones ex se sunt indifferentes, & non intrinsecè malæ; sicut non intrinsecè mala remigatio captivorum fidelium, ad quam iidem metu mortis in pugna contra Christianos adiguntur à Turcis. Verùm probabilius videtur, eas actiones esse intrinsecè malas; adeoque non excusabiles à peccato mortali ob metum etiam quemcunque; sicut non est excusabile scienter ferre litteras concubinæ ad peccatum invitatorias, vel ad hunc finem agere internuntium. Ita Viva in prop. cit. num. 4. ubi docet ex Th. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 7. etiam actiones ex se, & secundùm esse physicum indifferentes habendas esse pro intrinsecè malis, quoties hîc & nunc sunt proximè ordinatæ ad peccatum. Atqui actiones, quæ continentur in ea propositione, ita ordinatæ sunt ad peccatum; ergo &c. Ex quibus patet ad illud de remigatione fidelium: hanc enim concedunt non esse intrinsecè malam, eò quòd non sit cooperatio ad peccatum admodum propinqua, ut habet etiam Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 5.

VI. Licitum est non auferendo occa- 26
sionem peccandi permittere proximi ruinam, quando is aliunde ad peccandum paratus est. Castropal. tòmo 1. tract. 6. disp. 6. pu. 5. & alii ab eodem relati. Ratio est: quia talis permissio honestari potest ex duplici capite. primo, si finis illius sit, ut deliquens deprehensus in flagranti, ut dici solet, efficaciùs emendetur. debet autem adesse rationabilis spes emendationis; quemadmodum de conditionibus fraternæ correctionis diximus. Secundò, ut avertas à te majora mala ac damna, quæ alioquin à proximo inferrentur; ita nempe, ut permissio unius peccati futura sit impedimentum plurium, vel majorum. Atque hinc domini famulis, parentes filiis possunt non auferre occasionem furandi, quando sciunt, ipsos ex se paratos ac propensos esse ad furandum, ut deprehensi & puniti imposterum desistant. Ratio est: quia tunc licitè permittitur unum peccatum, quando est medium ad impedienda plura. Bonac. de peccat. q. 4. pu. 2. §. un. num. 31. Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 4. n. 2.

Cæterùm probabile est, non esse licitum similibus ultrò offerre occasionem furandi, v. g. in mensa proponere pecunias, aperire cistam &c. Ratio est: quia hoc non tam videtur esse permissio peccati, quàm positivus concursus ad illud. Sanchez lib. 10. de matr. disp. 12. n. 53. Sa verbo

pecca-

peccatum; n. 7. Nihilominùs etiam probabile est, hoc esse licitum. Docent ità Laym. ubi suprà, Illsung cit. a. 6. n. 116. & videtur expressè idem sentire D. Thomas Q. 13. de malo. a. 4. ad 19. illis verbis: *Pro aliquo incommodo vitando potest homo licitè uti malitiâ alterius, aut materiam ei non subtrahere, sed præbere.* Ratio est: quia hoc non est formaliter cooperari ad peccatum, sed illud materiam subministrandô permittere; non quidem eo fine, ut fiat peccatum, sed ut gravius aliquod peccatum impediatur. Verùm, quia non facilè contingit, ut peccatum mortale minus sit medium unicè necessarium ad impediendum majus, vel multiplicius, restringenda videtur hæc doctrina ad materiam & occasionem peccandi per furtum veniale. Quòdsi tamen peccatum mortale foret ejusmodi medium, hujus quoque materiam suppeditare, absque alia cooperatione, esset licitum: de quo vid. Illsung loco cit.

§. 111.

De Invidia, Acedia, Discordia, Seditione, Contentione.

SUMMARIUM.

27. *Quid sit Invidia.* 28. *Invidia ex genere suo est peccatum mortale.* 29. *Non omnis tristitia de bono alterius est Invidia.* 30. *Quid sit Acedia.* 31. 32. *& quale peccatum.* 33. *Quid sit Discordia.* 34. *Aliquando est peccatum veniale tantùm, aliquando omnino nullum.* 35. *Quid sit Contentio.* 36. *Tribus modis per Contentionem veritas impugnari potest.* 37. *Eadem ex suo genere mortale peccatum est.* 38. *Quid, & quale peccatum sit Seditio.*

27 INvidia rectè definitur, quòd sit tristitia de bono alterius, quatenùs illud est diminutivum propriæ excellentiæ. Unde ille peccat peccato Invidiæ, qui tristatur de gradu, doctrina, gloria, alióve bono ab altero obtento, quatenùs existimat, suam hinc dignitatem, doctrinam, honorem, gloriam, vel aliud bonum diminui vel decrescere. Ita communiter DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 36. a. 1. Hoc idem peccatum directè ponitur Charitati. hæc enim gaudet de bono proximi; Invidia verò de illo tristatur, eoque proximum carere optat. Ex quibus

28 Colligitur primo, Invidiam ex genere suo esse peccatum mortale. D. Thomas q. cit. a. 2. & 3. Ratio est: quia contrariatur virtutibus præstantissimis & maximè necessariis, scilicet Charitati & Misericordiæ; quamvis prior contrarietas sit præcipua. Fieri tamen potest, ut Invidia sit peccatum veniale solùm, tum ob imperfectionem consensûs, tum ob parvitatem materiæ; ut accidit in pueris, qui de levibus quoque æqualium bonis tristitiam concipere solent. Porrò autem, quamvis Invidia ex superbiâ & inanis gloriæ cupiditate oriatur, tamen & ipsa est origo & mater aliorum peccatorum, scilicet odii, susurrationis, detractationis, exultationis in adversis, & afflictionis in prosperis proximi. Unde meritò inter peccata capitalia numeratur. Vid. Valentia to. 3. disp. 3. q. 13. pu. 2. prop. 2. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 10. num. 1. Filliuc. tract. 28. cap. 8. num. 182. Bonac. q. 4. de Charit. pu. ult. §. 2. n. 5.

Colligitur secundo, non omnem tristi- 29
tiam de bono alterius esse Invidiam: ut primo, cùm tristamur de aucta potentia & opibus proximi, eo quòd videatur hinc occasionem acceptutus nocendi nobis, vel aliis. Hic affectus non est Invidia, sed timor, isque frequenter bonus, Vid. Laym. num. 2. Secundo, cùm quis tristatur de bono alterius, quòd videat, id sibi deesse. Hæc affectio juxta Aristotelem lib. 2. Rhetoric. cap. 11. & D. Thom. cit. a. 2. Zelus & æmulatio est, à quibus multùm differt Invidia: quippe per quam quis tristatur, non quòd careat bono alterius, sed de ipso bono alterius, quatenùs minuit propriam excellentiam. Valent. pu. 1. colum. 919. Accedit, quòd Zelus, & æmulatio præsertim si versetur circa bona animi, sit laudabilis; cùm discendi ac proficiendi studium excitet; ideòque commendetur ab Apost. 1. Corinth. 12. dicente: *æmulamini charismata meliora*: & cap. 14. *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia.* Invidia autem in nudo unquam casu potest esse laudabilis. Laym. num. 2. Bonac. num. 1. Tertio, non est Invidia, sed nemesis & indignatio juxta Philosophium lib. cit. cap. 9. dum quis tristatur de bono alieno, quatenùs id obvenit illi, qui est eo indignus. Ex hoc capite non tristatur de bono alieno invidus, sed ideo, quòd putet per bonum alienum minui bonum proprium, ut patet ex dictis. Tristari de bono alieno, quatenùs id humana potestate adversùs justitiam, seu distributivam, seu vindicativam, obvenit: vel prout eodem ad peccandum abutitur indignus, laudabile est, ut præter alios habet Laym. loco cit.

Acedia ex D. Thoma a. 2. cit. & Caje- 30
tano ibidem rectè describitur à Valentia q. 12. pu. 1. quòd sit tristitia voluntatis seu appetitûs de bono aliqualiter Divino & nostro, existimato ut malo proprio propter adjunctam difficultatem illud obtinendi, afferens proinde incuriam & negligentiam actionum

piarum & salutarium. Breviùs apud Laym. cap. 9. n. 2. peccatum Acediæ aliud non est quàm tristitia animi de gratia Dei acquirenda, conservanda; seu de gloria cælesti obtinenda per actiones nostras cum labore ac difficultate junctas.

31 Acedia ex suo genere peccatum mortale est, idque Charitati oppositum ac insuper inter vitia capitalia referendum. Ratio primi est: quia versari potest circa materiam gravem; quemadmodum fit, dum quis tristatur de bono Divino quod per actiones sub peccato mortali præceptas obtineri & procurari debet. Ratio secundi est: quia directè opponitur gaudio de bono Divino ut nostro, saltem per apprehensionem spei. Atqui hoc gaudium est Actus Charitatis; ergo. Ratio tertii est: quia ex Acedia alia peccata oriuntur: quæ sex numerari solent ex sententia S. Gregorii lib. 31. Moral. cap. 31. nempe Malitia, id est, odium & detestatio ipsorum spiritualium. Rancor erga eos, qui ad bona spiritualia suis hortationibus exstimulant. Pusillanimitas erga bona spititualia propter arduitatem eorum. Desperatio beatitudinis obtinendæ. Torpor in observatione præceptorum Divinorum. Evagatio mentis ad alia illicita, quæ sua oblectatione tædium pellant. vid. Valentia pu. cit. colum. 914.

32 De cætero fatendum est, non tantùm ob imperfectionem deliberationis, sed etiam ob parvitatem materiæ fieri posse, ut Acedia sit peccatum veniale tantùm. Unde Reginaldus & Toletus apud Bonac. q. 4. pu. ult. §. 3. excusant à mortali eum, qui de re spirituali tristatur, non secundùm se, sed potiùs ob aliquam circumstantiam temporis, aut loci: v. g. quòd hodie potiùs, quàm cras, sit jejunandum; hac hora potiùs quàm alia, habeatur concio; nam ejusmodi circumstantia objecto tristitiæ accidens videtur esse materia levis. Addo ex Valent. Filliuc. & Bonac. cit. Acediam esse peccatum veniale tantùm, quoties actio, quæ ex illa omittitur, præcipitur sub veniali tantùm.

33 Discordia juxta D. Th. 2. 2. q. 37. a. 1. est dissensio voluntatis à voluntate proximi circa bonum Divinum vel proximi, quod quis tenetur velle ex charitate. Eam esse peccatum mortale ex genere suo, quantum est ex parte ejus dissentientis, qui tale aliquod bonum non vult, patet ex S. Script. Proverb. 6. ubi post sex, quæ odit Dominus, additur septimò is, *qui seminat inter fratres discordias.* Patet insuper, esse peccatum contra Charitatem: quia adversatur peculiari actui Charitatis, qui est pax & concordia cum proximo.

Porrò licèt Discordia ex dictis sit peccatum mortale ex genere suo, per accidens tamen fieri potest, ut vel veniale tantùm sit peccatum, vel omnino nullum. Veniale est, quando destituitur plena deliberatione; vel versatur circa bonum exigui momenti. Nullum omnino peccatum est, siquis probabiliter existimet, id, quod alter vult, non esse bonum, sed id, quod ipse vult. Item, siquis invincibiliter ignorer, id, quod alter vult, esse bonum. vid. Valent. q. 14. pu. 1. Laym. cap. 11. n. 1. Filliuc. tr. 28. cap. 9. n. 194. 34

Contentio est altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam: ut, siquis cum altero verbis contendat ex intentione contradicendi iis, quæ fide Catholica credenda sunt. vid. D. Thomas 2. 2. q. 38. a. 1. Ex adducta descriptione habetur primo, non esse peccatum Contentionis, quando aliquis cum altero verbis contendit animô defendendi veritatem contra falsam assertionem illius. Cavendum tamen est, ne ex aliquâ malâ circumstantiâ vitietur ejusmodi altercatio. Habetur secundo, neque illum peccare peccato Contentionis, qui cum altero disputat vel exercitii causâ, vel, ut exploret ejus doctrinam. Ratione modi tamen etiam in his culpa inveniri potest. Filliuc. n. 196. Bonac. pu. ult. §. 4. n. 4. 35

Notandum est autem, per Contentionem tribus modis posse impugnati veritatem. Primus est, dum quis contendit adversùs veritatem agnitam à se. Secundus, dum quis rem propositam sic impugnat, ut non curet, veráne sit, an falsa? Tertius, dum quis impugnat rem propositam, etsi possit ac debeat scire esse veram. quo modo se gerunt Hæretici. Qui primo modo contendit adversùs veritatem, is eandem formaliter, qui secundo & tertio, virtualiter voluntariè impugnare dicitur. vid. Valent. q. cit. pu. 2. 36

Contentionem omnibus his modis acceptam ex genere suo peccatum mortale esse, patet ex S. Script. ad Galat. 5. ubi operibus carnis, spiritui contrariis, & à regno cœlorum excludentibus *contentiones* numerantur. Et ad Rom. 1. ubi inter eos, quos DEUS tradidisse memoratur in reprobum sensum, recensentur *pleni invidia, homicidio, contentione &c.* Idem peccatum esse contrarium Charitati, inde patet, quòd sit dissidium quodpiam à proximo in bono veritatis, quod eidem, ceu sæpe necessarium, velle, & aliquando, pro ratione circumstantiarum, communicare tenemur. Valent. loco cit. Cæterùm, non obstantibus, quæ dicta sunt, fieri potest, ut Contentio sit peccatum solùm veniale, nempe primo, si non 37

sit

sit plenè deliberata. Secundo, si sit circa veritatem exigui momenti. Filliuc. n. 198.

38 Nomine Seditionis intelligitur dissensio civium. Quam ex parte eorum, qui per ipsam adversantur bono pacis politicæ, esse peccatum mortale ex genere suo, manifestò constat: quia politica pax & unitas civium in eodem Reipublicæ corpore magnum profectò bonum est. Dixi, *ex parte eorum &c.* nam illi, qui in seditione defendunt bonum pacis resistendo ejus perturbatoribus, utique non sunt arguendi alicujus peccati. Unde nec propriè seditiosi vocantur. Portò Seditio est peccatum mortale non qualecunque, sed speciale contra Charitatem: quippe cujus paci specialiter repugnat, & aliter, quàm peccata, cum quibus habet similitudinem, ut pluribus ostendit Valentia q. 17. pu. 2.

DISPUTATIO II.

De primo præcepto Decalogi.

Præmisimus modò, quæ de virtutibus Theologicis in rem præsentem præmittenda duximus. Nunc ad ipsam primi præcepti explicationem venimus. Hujus materia propria, ut affirmativum est, sunt actus Religionis: ut negativum est, prohibet vitia Religioni opposita. Est autem Religio, prout hîc sumitur, virtus moralis, qua Deo tanquam omnium Creatori, ac Domino debitus cultus exhibetur. Ejus actus immediatus, isque præcipuus est devotio, qua nos DEO promptos offerimus ad serviendum, idque omne præstandum, quod ad ejus cultum & honorem pertinet. Actus deinde mediati sunt ipse cultus Dei cùm internus, tum externus: cujusmodi actus decem enumerantur ex D. Th. 2. 2. à q. 81. nempe Adoratio, Oratio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, Laus Dei. Quibus omnibus si præmittatur Devotio (ut præmittitur à S. D.) actus Religionis universim sunt undecim. Vitia Religioni adversa versantur in duplici differentia. nam alia opponuntur secundùm excessum, ut superstitio cum suis speciebus: alia secundùm defectum, ut Irreligiositas cum suis. Nostrum est in præsenti tractare præcipuè de Adoratione & Oratione; ac deinde de vitiis Religionis oppositis.

ARTICULUS I.

De Adoratione.

§. I.

De Adoratione Dei & Christi.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Adoratio.* 2. *Divisio Adorationis in Latriam, Duliam, & Hyperduliam.* 3. *Solus Deus cultu Latriæ est adorandus.* 4. 5. *Etiam Christus ut homo adorandus est cultu Latriæ.* 6. *Et quidem absoluto.* 7. *Humanitas Christi non est adorabilis solo cultu Hyperduliæ.* 8. *An præscindi possit à personalitate Verbi?* 9. *Sanctissimum Nomen JESU adorandum est cultu Latriæ respectivo.*

NOtandum est primo ex S. Damasceno, Orat. 1. de Imag. Adorationem esse notam, seu significationem submissionis erga alterius personæ dignitatem, quæ definitio quatuor importat meritò habenda ob oculos. Primum est internum judicium intellectûs, sive existimatio de alterius excellentia & dignitate. Secundum est ex parte voluntatis affectus & propositum externè significandi talem existimationem. Tertium est ipsa externa significatio jam dictæ existimationis, scilicet signum & nota quædam submissionis, v. g. genu flexio. Quartum est differentia Adorationis à glorificatione & honoratione in eo consistens, quòd Adoratio sit erga solos superiores, secùs glorificatio & honoratio, 1

ratio, quâ etiam inferiores affici possunt. Nam etiam DEUS glorificat & honorat Sanctos suos, quando ob ipsorum merita & intercessiones exhibet nobis beneficia, operatur miracula &c. Omnis Adoratio est glorificatio & honoratio, sed non econtra. Cæterùm essentia Adorationis formaliter sita est in tertio eorum, quæ nunc ex definitione ejusdem evolvimus.

2 Notandum est secundo, Adorationem dividi in Latriam, Duliam, & Hyperduliam: & rursus quamlibet ex his in absolutam & respectivam. Latria est cultus soli Deo ob supremam excellentiam debitus. Dulia est cultus Sanctis debitus propter sanctitatem sive excellentiam ex suprema Dei excellentia participatam. Hyperdulia est cultus creaturæ debitus propter excellentiam & sanctitatem singularem, qua cæteris creaturis supereminet. Et hæc Adoratio, ut videbimus, Beatissimæ Virgini competit. Quando aliquid adoratur propter excellentiam & sanctitatem sibi intrinsecam, dicitur Adoratio absoluta: si propter excellentiam & sanctitatem non sibi, sed alteri inexistentem, ad quod importat respectum, dicitur Adoratio respectiva. Atque sic datur Latria, Dulia, Hyperdulia absoluta, & respectiva.

3 Dico jam primo. Solus Deus adorandus est cultu Latriæ. Patet ex definitione hujus cultûs: quem jure ac meritò à nobis DEO exhiberi, confirmati potest, tum ex eo, quòd, quemadmodum ex duplici natura, scilicet spirituali & corporali compositi sumus, ita conveniens sit, ut per utriusque generis operationes protestemur, nos omnia Deo debere. tum, quòd piis ejusmodi corporis gestibus externis insit magna vis excitandi ac fovendi internum affectum erga Deum, ut docet S. August. lib. de cura pro mort. hab. cap. 5.

5 Dico secundo. Etiam Christus ut homo adorandus est cultu Latriæ. Ita communiter Catholici. Ratio est: quia Christus ut homo, sive humanitas Christi unita Verbo Divino, adorari debet eodem cultu, quo adoratur Verbum Divinum: sed Verbum Divinum adoratur, & debet adorari cultu Latriæ; ergo etiam Christus ut homo. mi. est innegabilis nisi fortè neges, Verbum Divinum esse Deum: quod tamen contra Trinitarios aliunde supponitur. maj. prob. ex Concil. Ephes. Anathem. 8. ubi sic legimus: *Siquis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Dei Verbo, quasi alterum alteri, & non potiùs una adoratione honorificat Emmanuelem, secundùm quod factum est caro Verbum, anathema sit.* Item in 5. Synodo (quæ est 2. Constantinopol.) can. 9. *Siquis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio DEI Ecclesiæ traditum est, anathema sit.* Hæc plana sunt, & apertè asserunt nostram maj.

Objicies. Nulla creatura adorari potest cultu Latriæ: sed Christus secundùm humanitatem est creatura; ergo Christus secundùm humanitatem non potest adorari cultu Latriæ. Ita quidam Danæus Calvinista apud Valentiam. Respondeo dist. maj. nulla creatura adorari potest cultu Latriæ ratione sui, conc. ratione Divinitatis, quam habet vel sibi intrinsecè unitam, vel speciali modo respicit, neg. maj. sed Christus secundùm humanitatem est creatura, habens Divinitatem, ejusque excellentiam sibi intrinsecè unitam, conc. non habens Divinitatem sibi intrinsecè unitam, neg. mi. & conseq.

Dico tertio. Christus ut homo adorandus est cultu Latriæ absoluto. Ita D. Thomas 3. p. q. 25. a. 2. Colligitur ex testimoniis S. Script. ad Philipp. 2. *Exaltavit illum* (nempe Christum hominem) *ut in nomine JESU omne genu flectatur &c.* Ad Hebr. 1. *Cùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem, honorem, & gloriam &c.*

Probatur etiam ratione. Quia illi debetur cultus Latriæ absolutus, cui intrinsecè inest Divinitas: sed humanitati Christi intrinsecè inest Divinitas; ergo humanitati Christi, sive Christo ut homini, debetur cultus Latriæ absolutus. maj. inde fit manifesta, quòd illa sit Latria absoluta, qua res quæpiam adoratur propter excellentiam Divinam eidem intrinsecè inexistentem; ut patet ex n. 2. mi. in tract. de Incarn. disp. 3. de Quidditate ejusdem ostendimus. Confirmatur. Si corpus S. Petri v. g. nunc vivificaretur à sancta ejusdem anima, ratione physicæ ac intimæ unionis mereretur coli absoluto cultu Duliæ: ergo similiter humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ, vi cujus ipsi intrinsecè inest Divinitas, colenda est absoluto cultu Latriæ.

Dico quarto. Humanitas Christi nunquam adorari potest solo cultu Hyperdulliæ. Ratio in præsenti sufficiens sumitur ex usu & perpetua consuetudine Ecclesiæ, quæ Christum, etiam ut hominem hucusque semper adoravit cultu latreutico. neque enim in communi oratione ad ipsum aliquando dicere audita est, *ora pro nobis*, sed semper, *miserere nobis.* Et certè S. Joan. Damasc. lib. 3. Fid. Orthod. cap. 8. & lib. 4. cap. 3. accuratè exponit. quomodo humanitas Christi ex mente Ecclesiæ adorari debeat; nullus tamen meminit alterius Adorationis

seu cultûs, quàm Latriæ. Concilia quoque num. 4. relata simpliciter definiunt, Christum adorandum esse Adoratione, qua adoratur Verbum.

8 Objicies. Humanitas Christi potest à Personalitate Verbi præscindi citra ullam injuriam, vel periculum errandi; quia *abstrahentium non est mendacium*, ut docet Philosophus 1. Physicor. tex. 8. atqui humanitas Christi ut sic præcisa est digna adorari; ergo ut sic potest adorari: non cultu Latriæ; ergo alio quodam cultu inferiore.

Confirmatur. Sancti possunt adorari Adoratione distincta ab illa, quæ Deo, & Christo ut subsistenti in Verbo debetur; quia habent excellentiam propriam distinctam ab excellentia Divina: ergo etiam humanitas Christi, prout ornata gratia habituali, & virtutibus supernaturalibus, potest adorari Adoratione distincta ab illa, quæ ipsi competit ut subsistenti in Verbo; quia habet excellentiam quandam propriam distinctam ab excellentia Divina.

Respondeo ad Object. humanitatem Christi, quatenùs in se habet sanctitatem creatam, prout de illa hîc debet esse sermo, non posse à personalitate Verbi ita præscindi, ut non concipiatur implicitè saltem existens existentiâ increata; adeoque digna cultu Latriæ; & consequenter non posse intelligi dignam cultu Hyperduliæ, quin simul intelligatur digna cultu Latriæ, ac proinde inadorabilis solo cultu Hyperduliæ.

In Confirmat. nego causalem Ant. ut adæquatam. Non enim ideo præcisè adorantur Sancti Adoratione distinctâ ab illa, quæ Deo & Christo debetur, quia habent propriam & distinctam excellentiam; sed insuper, quia eandem habent ut separatam ab excellentia eminentiori & Divina, eidemque non cunjunctam in eodem supposito. Atqui excellentia creata humanitatis Christi propria conjungitur & subordinatur excellentiæ Divinæ in eodem supposito, ita ut sine hac non possit intelligi ac proponi voluntati tanquam objectum Adorationis.

De cætero concedimus, eundem actum Adorationis, qui ratione sanctitatis increatæ tanquam motivi principalioris & specificativi formalis est cultus Latriæ, quatenùs respicit sanctitatem humanitatis Christi creatam ceu motivum minùs principale, esse cultum Hyperduliæ; adeoque secundùm diversas sui formalitates consideratum obtinere duplicem honestatem, unam Latriæ, alteram Hyperduliæ. Itaque solùm negamus humanitati Christi ratione sanctitatis creatæ competere Adorationem Hyperduliæ, quæ non sit simul Adoratio Latriæ. Verùm de his plura Scholastici.

Dico quinto. Sacratissimum nomen 9
JESU colendum, adorandumque est cultu Latriæ respectivo. Ita communiter Catholici contra Calvinistas, præsertim Puritanos: qui in hoc ipsos sanè Dæmones impietate superant, quos *illius* (nominis) *solo vel sonitu, vel aspectu ceu fulmine quondam agi in fugam, ejusque terrore ac metu gloriam & reverentiam profiteri*, testatur S. Chrysost. homil. 7. in Epist. S. Pauli ad Philipp.

Prob. autem Concl. primo apertis testimoniis S. Scripturæ velut ad Philipp. 2. *ut in nomine JESU omne genu flectatur &c.* quo certè nihil aliud, quàm cultus Latriæ designatur. Psal. 110. *Sanctum & terribile Nomen ejus.* Si Sanctum; ergo & adorabile. Psal. 71. *Benedictum Nomen majestatis ejus in æternum.* Psal. 60. *Psalmum dicam Nomini tuo.* Psal. 28. *Afferte Domino gloriam Nomini ejus.*

Prob. secundo ratione. Quia ille cultus est respectivus, quo quidpiam colimus seu adoramus, non propter se, sed propter dignitatem alicujus personæ, quam repræsentat, vel significat. Atqui nomen *JESU* hoc tali cultu est adorandum; ergo est adorandum cultu respectivo, non Duliæ, aut Hyperduliæ; quia in illo Christus ipse colitur & adoratur; ergo Latriæ. maj. supponitur ex dictis mi. inde prob. quòd nomen Jesu sit nomen proprium non minùs, quàm Moyses, Elias, Petrus, Paulus, nobisque significet Filium Dei, suppositum Divinum, caput omnium prædestinatorum, quodque præcipuum est generis humani Redemptorem ac Salvatorem; quemadmodum declaravit Gabriel Angelus Matth. 1. dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: ergo meretur adorari illo cultu, quo quidpiam adorare solemus propter dignitatem personæ, quam significat.

Prob. tertio ex continua consuetudine & praxi Ecclesiæ. Videmus enim, ubicunque vera Religio viget, omnes omnium statuum, ordinumque homines, summos, infimos, medioximos, huic sacerrimo Nomini reverenter assurgere, genua flectere, caput detegere; illud in periculis & adversis casibus inclamare; numismatibus impressum, sacris vestibus intextum, signis & imaginibus insculptum, in labaris & vexillis pictum gestare &c. ac publicæ venerationi exponere. Pudeat ergo Calvinistas, si quid frontis sua illis reliquit impudentia; contra monitum Apostoli, contra testimonium cœlestium, terrestrium, & infernorum; imò contra decretum æterni Patris Nomini *JESU*, quod est super omne nomen, cultum & venerationem abrogare.

§. II.

De cultu Sanctorum.

SUMMARIUM.

10 *Quinam negent; Sanctos esse colendos.* 11. *Ostenditur, Sanctos piè coli, & adorari.* 12. *Exponuntur textus S. Scripturæ.* 13. *Beatissimæ Virgini Mariæ debetur cultus Hyperdulia.*

10 SAnctos esse colendos negant ambo hæresiarchæ nostrorum temporum Lutherus & Calvinus, aliique sectarii. Nam primo, inquiunt, in S. Script. Adoratio soli Deo appropriatur, uti colligitur ex illo Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et ex illo 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Secundo. Cùm Lycaones, ut habetur Actor. 4. adorarent Paulum & Barnabam, id ambo vehementer recusârunt. Tertio. Petrus Actor. 10. cùm à Cornelio adoraretur, id prohibuit dicens: *Surge, & ego ipso homo sum.* Similiter & Angelus Apocal. 19. prohibuit, ne adoraretur à Joanne. Quarto. Mardochæus Esth. 3. detrectabat genu flectere Amano. Quinto. Non est de fide, hunc numerò hominem, qui dicitur Sanctus, esse in cœlo: ergo neque de fide est esse adorandum. Verùm hæc nihil moratur veritas Catholica.

11 Dico primo. Sancti piè coluntur & adorantur. Ita omnes Catholici. Et constat ex traditione Ecclesiæ ab ejus primordiis ad nos usque propagata: idque continetur in libris SS. Patrum; & definitum in Conciliis, ut in 7. Synodo gener. Act. 7. & in Trid. sess. 25. de Invocat. & Venerat. &c. *Sanctos Dei*, inquit S. Thomas 3. p. q. 25. a. 6. *in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios & amicos, & nostros intercessores.*

Probatur eadem Catholica veritas ratione in verbis D. Thomæ contenta, nempe: Ille rectè colitur & adoratur in quo reperitur singularis quædam dignitas & excellentia supernaturalis: sed in Sanctis Cælitibus, sive iidem sint homines, sive Angeli, reperitur ejusmodi dignitas & excellentia: ergo rectè coluntur. maj. constat ex num. 1. ubi ex S. Damasc. docuimus, Adorationem seu cultum aliud non esse, quàm notam seu testificationem submissionis erga personæ alterius dignitatem & excellentiam. mi. inde fit manifesta, quòd Sancti ratione gratiæ habitualis, quæ in ipsis reperitur, sint membra Christi, filii, & amici Dei, quæ utique est singularis dignitas & excellentia.

In confirmationem huc addi possunt exempla S. Scripturæ, ex quibus constat, tam Sanctos Angelos, quàm homines fuisse frequenter adoratos. Sic Angelos Abraham Genes. 18. Lot Genes. 19. Josue cap. 5. Manue Judic. 13. Saul animam Samuelis 1. Reg. 28. Abdias Eliam 3. Reg. 18. filii Prophetarum Elisæum 4. Reg. 2. adoratse perhibentur.

12 Ad textus S. Script. ab hæreticis primo loco adductos respondeo, illis solùm probari, quòd Adoratio & honoratio Latreutica sit Dei propria; non verò Adoratio inferioris Speciei, scilicet Dulia, vel Hyperdulia, quam Sanctis hominibus & Angelis exhibemus. Ad secundum dico, non esse mirum, quòd Paulus & Barnabas ibi noluerint adorari à Lycaonibus; cùm adorarentur tanquam Dii. Ad tertium dic, Petrum id prohibuisse modestiæ & humilitatis causâ. Angelum verò Apocalypticum idem prohibuisse Joanni; tum, ut significaret, quantum dignitatis naturæ humanæ per unionem hypostaticam accessisset; tum, ut doceret, quantum venerationis mereatur dignitas Apostolatûs, qua cluebat Joannes. Ad quartum respondet, Mardochæum ab illa genuflexione abstinuisse, ne scandalum præberet; cùm modus hic adorandi soli Deo tunc temporis exhiberi soleret. Ad quintum, si sermo sit de homine authenticè canonizato, censeo, probabiliùs esse de fide, quòd decesserit in gratia & sit in Cœlo: si de homine beatificato; id saltem esse moraliter certum. Certitudo autem moralis de sanctitate alicujus sufficit, ut quis prudenter ei possit exhibere cultum religiosum: neque est necessarium, ut sit certum certitudine fidei, ipsum esse adorandum & colendum.

13 Dico secundo. Beatissima Virgo, & Dei Mater Maria post Christum colenda & adoranda est super omnes homines & Angelos: adeoque eidem debetur cultus, quem Hyperduliam nominamus. Ita tota Ecclesia Catholica contra Bezam, aliosque sectarios Mariomastyges. Ratio est: quia B. Virgo excellentiâ sanctitatis, & donorum gratiæ supernaturalium superat omnes Angelos & puros homines, ergo meretur cultum, inferiorem quidem cultu, quo adoratur Christus, attamen superiorem cultu, quem exhibemus Angelis, & puris hominibus cæteris quibuscunque. Atqui cultus ejusmodi superior est cultus Hyperduliæ, ut patet; ergo &c. Ant. præsentis discursus certissimum est, idque post alios latè deducit Paulus Mezger to. 4. tract. 14. disp. 15. a. 4.

§. III.

De cultu sacrarum Imaginum Christi, & Sanctorum.

SUMMARIUM.

14. *Errores Hæreticorum.* 15. *Sententiæ quorumdam Catholicorum.* 16. *Asseritur,*

ritur, & probatur, Sacrarum Imaginum usum in Ecclesia esse rectissimum. 17. *Respondetur ad Objectiones.* 18. *Adstruitur, Sacras imagines esse colendas propter prototypa.* 19. 20. *Solvuntur Objectiones.* 21. *Contenditur, Sacras imagines eodem cultu esse honorandas, qui debetur prototypis.* 22. 23. 24. 25. *Solvuntur variæ instantiæ.*

14 MUlti hæretici tum veteres, tum recentiores omnem prorsus rejiciunt usum imaginum aliquo modo religiosum: qui idcirco Iconomachi, sive Iconoclastæ dicuntur. Tales sunt, ut antiquissimos omittamus, Wiclephus, Carolstadius, Calvinistæ &c. Alii hæretici admittunt quidem imagines, sed ad usum memoriæ tantùm, & non, ut ipsæ cultu quopiam, præsertim Latriæ, afficiantur. Ita Lutherani.

15 Aliqui ex Catholicis, ut Durandus, Alphonsus de Castro, quamvis defendant, usum imaginum esse bonum, easque in veneratione habendas: negant tamen, propriè honorari debere tanquam venerationis terminum: sed volunt, illas præcisè servire nobis per modum motivi, ut prototypon solum veneremur. Alii præterea. ut Picus Mirandulanus, & Catharinus apud Valentiam to. 4. disp. 1. q. 24. pu. 2. negant, imagines tanquam venerationis terminum eodem cultu affici debere, quo prototypa. Ut contra hos omnes imaginibus Christi & Sanctorum legitimus honos asseratur,

16 Dico primo. Usus sacrarum imaginum rectissimus est ad religionem & pietatem tum excitandam, tum fovendam. Prob. primo Authoritate & exemplo Dei ipsius, quo vel jubente, vel approbante aliquas imagines factas esse constat, & in rebus, vel locis sacris positas. Præcepit enim Moysi Exodi 25. *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte Oraculi: Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.* Salomon etiam ex Divino instinctu in templo *sculpsit Cherubim &c.* ut legitur 3. Reg. 6.

Prob. secundo ex antiquissimo usu Ecclesiæ. Nam inprimis Christus ipse caput ejusdem, tribus linteis sui imaginem impressit: quorum primum Abagaro Regi Edessæ misit, uti testatur Nicephorus, Evagrius, & S. Damascenus. Secundum S. Veronica accepit; quod etiamnum asservari Romæ, & in sacra hebdomade populo spectandum proponi constat. Tertium habetur Taurini, estque illa sindon, qua corpus Christi in triduo mortis jacuit involutum. unde illud totum, ut erat plagis, vulneribus, & cruore oppletum, exhibet expressum. Celebris est etiam illa Christi imago, quam fecisse perhibetur Nicodemus, quæque à Judæis olim percussa & transfossa tantum sanguinis effudit, ut suppositam hydriam impleverit. Hæmorroissa præterea, quam Christus sanavit Matth. 9. foteti suo imaginem posuit; quam postea confractam esse à Juliano Apostata narrat Pozomenus lib. 5. cap. 20. S. Lucas itidem pinxit imagines Christi, & Beatissimæ Virginis, teste Nicephoto, lib. 6. c. 16. Memorat insuper Eusebius lib. 7. c. 14. Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Salvatoris imagines depingi solitas, seque vidisse aliquas antiquas. Idem in vita Constantini scribit de aliis imaginibus eorundem Apostolorum, quas Papa Sylvester ostenderit Constantino, cùm in quiete Petrus & Paulus illi visi essent. S Augustinus quoque affirmat in lib. de consensu Evangelist. cap. 10. *pluribus in locis Petrum & Paulum simul cum Christo* suo tempore *pictos esse visos.* Imò multò antiquior Tertullianus in lib. de Pudicit. meminit picturarum Christi *in calicibus cum ove perdita, & revecta ab eo in humeris.* Atque hunc sacrarum imaginum. tum Christi, tum Sanctorum, antiquissimum usum ab Apostolorum jam tempore citra ullam interruptionem, veluti per manus traditum Ecclesia Catholica toto orbe diffusa ad nos usque propagavit, hodieque pari pietatis affectu ac studio servat & retinet, hæreticis nequicquam frendentibus & ringentibus.

Prob. tertio statuta veritas ex definitionibus Ecclesiæ, quæ habentur in variis Conciliis, ut in 7. Synodo, ubi præsertim Act. 6. plurima testimonia antiquitatis in rem præsentem producuntur. Item in Synodo 8. can. 3. In Concil. Rom sub Gregorio III. & in Concil. Trid. sess. 25. ubi limpidissimis verbis declarat, *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam &c.* Omitto Concilia particularia, in quibus idem usus reperitur stabilitus.

Porrò usum sacrarum imaginum ad excitandam, fovendamque infidelibus pietatem & religionem esse accommodatissimum, facilè deprehenditur. Nam primo, Naturæ nostræ contentaneum est, ut per sensibilia ad ea, quæ sensu percipi nequeunt, ducamur. quæ causa fuit, quòd Deus etiam in veteri Testamento tot figuras mysteriorum futurorum instituerit. Secundo. Imagines hominibus illiteratis sunt vice librorum, dum, ut notavit Magnus Gregor. epist. 53. ad Secundin. quod legentibus scriptura, hoc præstat idiotis pictura cernentibus. Tertio. Vehementer movent & incitant ad affectum & imitationem etiam viros eruditos. Certè in Synodo 7. Act. 2. & 4. habetur, Gregorium Nazianzenum sæpe flevisse ad aspectum imaginis, in qua immolatio Isaici repræsentabatur. Atque hinc est, quòd S. Basilius in homil. de 40. Martyribus suaserit, ut illorum heroum historia & martyrium depinge-

pingeretur propter exemplum. Quarto. Usus imaginum est quædam veluti contestatio amoris erga prototypum. quam ob causam etiam Plato in lib. 11. de Repub. censuit, pingi debere imagines præstantium virorum. Quinto denique idem usus est quædam protestatio externa Catholicæ fidei. Sed jam tempus est, ut Sectarios audiamus.

16 Objiciunt illi primo. Sacra Script. prohibet usum imaginum Exodi 20. *Non facies tibi sculptile &c.* imò eundem usum passim irridet. deinde, licèt non prohiberet, saltem nuspiam præcipit. Secundo. S. Epiphanius, ut ipse scribit ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, velum quoddam, ubi erat imago Christi, in aliqua Ecclesia laceravit. Tertio. Concilium Francofordiense, & libri Carolini, ut vocantur, à Carolo Magno editi damnant imagines. Quod idem præstat Concilium Elibertinum cap. 36. declarans: *Placuit in templis picturas esse non debere, ne quando, quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Quarto. Sancti Irenæus lib. 1. cap. 24. & Augustinus lib. de hæresib. hæresi 7. hæreticos Carpocratianos damnant propter usum imaginum. Quinto. Ecclesia Romana pingit, fingit, fundit, sculpit imagines Dei & Angelorum: quod est contra S. Scripturam Deut. 40. Isaiæ 40. v. 18. & seqq. Actor. 17. v. 29. & contra rationem: quia spiritualia, ut sunt Angeli, & maximè Deus, modo corporeo figurare aut effigiare absurdum est.

Respondeo ad primum, ibi prohiberi, ne ita fiant & habeantur imagines, ut reputentur pro numine divino, juxtà stultitiam Gentilium, quam S. Scriptura frequenter irridet. Porrò extremæ dementiæ est colligere, aliquid esse illicitum, eò quòd non præcipiatur in S. Scriptura. nam, quæso, ubi præcipit S. Scriptura, ut Deo quid voveamus, aut per invocationem testimonii Divini curemus? nullibi sanè, estne propterea illicitum vovere, jurare? Deinde, ut ad hominem loquamur, nullibi præcepit S. Scriptura, ut Beza Calvino succederet in ministerio Genevensi. eratne hoc illi propterea illicitum?

Ad secundum non desunt, qui negant id factum Epiphanii, & authoritatem epistolæ, saltem quoad eam partem in qua narratur, putantque esse laciniam ab Iconoclasta quopiam assutam. Deinde, mirum non est, illam imaginem in Ecclesia pendentem à S. Patre fuisse conscissam: quia erat profani hominis ducta pictura, inquit Contensonius: qui & refert, S. Martinum in simili corpus cujusdam ob crimina suspensi, & pro Martyre vulgò habiti è sacro altari exturbari curâsse.

Ad tertium respondeo, imagines à Concilio Francofordiensi fuisse damnatas, saltem prout nunc sunt in usu Ecclesiæ, & prout revera fuerunt approbatæ in VII. Synodo, esse meram fabulam sectariorum. Imò si etiam daremus in illa Synodo Provinciali, seu Nationali fuisse quidpiam decretum adversus usum imaginum, id nullius esset authoritatis contra septimam illam & œcumenicam Synodum Nicænam, in qua idem cultus fuit definitus. Porrò libri illi Carolini, ait Contensonius, ab Iconoclasta quopiam fuêre compositi, & à Carolo Cæsare missi ad Adrianum Papam, ut Apostolicô decretô proscriberentur. atque hinc, teste eodem Authore, exstat opus illius Pontificis Carolo inscriptum, in quo libri memorati nervosè & accuratè confutantur. Concilium Elibertinum potiùs favet sacris imaginibus: quippe quas ideo tolùm pingi vetuit in parietibus, ne grassante tunc persecutione Ecclesiarum Paganorum ludibriis exponerentur, & loco debitæ venerationis injurias atque blasphemias reportarent. Quòdsi idem Concilium etiam reverà damnâsset usum sacrarum imaginum, id meritò non curaretur; cùm enim Provinciale tantùm fuerit, errare potuit.

Ad quartum dico, S. Irenæum non damnâsse Carpocratianos, quòd sacris imaginibus uterentur, easque colerent; sed quòd colerent ritibus Ethnicis & superstitiosis. cujus rei fidem facit S. Epiphanius hæresi 27. ubi refert, Carpocratianos habuisse occultè quasdam imagines, atque asseruisse, eas esse Christi Jesu, sub Pontio Pilato factas, illasque *cum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum Philosophorum imaginibus collocatas adorâsse, & Gentilium mysteria perfeciisse*, hoc est, eisdem sacrificâsse, cultumque exhibuisse tanquam numinis quidpiam in se habentibus. Eodem modo respondetur etiam ad authoritatem S. Augustini.

Ut ad quintum respondeatur, advertendum est ex Cajetano apud Dominic. Viva, par. 3. Thess. damnat. prop. 25. n. 14. tripliciter fieri posse imagines Dei Unius & Trini. Primo, ut ponantur ad repræsentandam ipsam Divinitatem, prout in se est, quasi illa oculis exhiberi possit visibilis. Secundo, ut repræsentent Deum, non secundùm se, sed secundùm figuram quampiam, in qua hominibus apparuisse dicitur in S. Script. v. g. si pingatur tanquam *antiquus dierum*, qualis apparuit Daniel. 7. vel etiam Spiritus Sanctus in specie columbæ; sicut apparuit Matth. 3. Tertio, ut repræsentent Deum secundùm perfectionem aliquam cujusdam alterius rei, per cujus analogiam nos in cognitionem Divinæ perfectionis ducimur; veluti dum pingitur triangulus ad significandam unitatem essentiæ, & Trinitatem personarum.

qua

qua eadem ratione pingi solent Angeli ut pulchertimi juvenes ad significandum, quòd non senescant, sintque perfectâ naturâ præditi. Sic etiam Christus in figura agni repræsentatur ad significandam innocentiam, & mansuetudinem ejusdem. Atque hoc secundo & tertio modo Romana Ecclesia pingit, fingit &c. imagines Dei & Angelorum: quod neque advertatur S. Scripturæ, neque rationi; quamvis utrique adverletur primus modus; uti per se patet. In locis porrò indicatis prohibentur & irridentur imagines & simulachra facta ad adorandum cultu latriæ absoluto, quo fine fiebant à Gentilibus, stolidissimè existimantibus, illis inesse Divinitatem aliquam.

18 Dico secundo. Sacræ imagines colendæ sunt, & in veneratione habendæ propter prototypa. Ita fides Catholica definita in Conciliis, Romano sub Gregorio III. rursus in Romano sub Stephano VII. In Synodo VII. seu Nicæna II. act. 7. in Trid. sess. 25. in decr. de Reliquiis & Venerat. Sanctor.

Probatur ratione S. Basilii, quem refert S. Damascenus lib. 5. Fidei, cap. 17. & citata Synodus Nicæna: Quia *honor imaginis* (inquit ibi Basilius) *refertur ad ipsum prototypum.* Ergo ex iisdem testimoniis & rationibus, quibus suprà probavimus, Christum, ejusque Sanctos, tum Angelos, tum homines esse colendos atque adorandos, rectè concludimus, eorumdem imagines esse in veneratione habendas, & sacro aliquo cultu honorandas.

Confirmatur. Deus vel maximè est colendus, ut ipsum lumen naturæ dictat: Christus præterea ut homo, & Sancti Cœlites sunt colendi; ut in præced. §. docuimus: ergo etiam eorumdem imaginibus aliquis honor & cultus est impertiendus. Conseq. prob. quia honor imaginibus exhibitus, cùm sit respectivus; redundat ac derivatur in personas, quarum sunt imagines; sicut honor vel contumelia, quæ statuæ Cæsaris exhibetur, in personam ipsiusmet Cæsaris redundat: quemadmodum notavit S. Ambrosius Serm. in Psal. 118. inquiens: *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique feciſſe videtur injuriam.* Sed contra

19 Objiciunt hæretici primo testimonia S. Script. ut illud Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo, & quæ in terra deorsum, & eorum, quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles.* Et illud Levit. 26. *Non facies tibi idolum &c.* Et illud Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & coluerunt, & servierunt magis creaturæ quàm Creatori.* Quibus videtur damnari omnis usus & cultus imaginum.

Jam pridem ac sæpius respondêrunt Catholici, his, aliisque similibus S. Scrip. locis tantùm prohiberi cultum earum imaginum, quæ vel ipsæ in se & ratione sui mactentur honoribus Divinis; vel per quas aliæ creaturæ ut Dii colantur. Quorum cùm neutrum in veneratione imaginum à nobis committatur, nihil ad nos pertinent hujusmodi loca Script. sed ad idololatras Gentiles, quibus utroque hoc modo solenne fuit abuti imaginibus.

Objiciunt secundo. Omnis ille cultus, etiam veri Dei, est propriè idololatria, qui sine Dei verbo & mandato exercetur, licèt optima intentione colendi verum Deum: sed talis est cultus, quem Catholici exhibent imaginibus Dei; ergo est propriè idololatria. maj. in qua sita est difficultas, continetur in doctrina Calvini, lib. 1. Instit. cap. 11. ubi præfractè contendit, Israëlitas, cùm adorarent in deserto vitulum, non creaturam aliquam, sed ipsum verum Deum in eo visibili simulachro adorare voluisse, & ideo solùm commisisse idololatriam, quòd id sine Dei verbo & mandato fecerint.

Respondeo neg. maj. nam vera & propriè dicta idololatria est ille solùm *cultus, quo Divinus honor alicui creaturæ tribuitur, sicut Deo;* quemadmodum tenent omnes Doctores Catholici apud Valentiam, to. 3. disp. 6. q. 11. pu. 1. In qua definitione vides, ad rationem idololatriæ duo esse necessaria: primum, ut creaturæ exhibeatur honor Divinus: secundum, ut is honor exhibeatur creaturæ, sicut Deo. alterutro horum ablato non subsistit conceptus idololatriæ. apud Catholicos autem, dum colunt imagines Dei aut Christi, semper abest alterum: licèt enim iisdem imaginibus exhibeamus honorem Divinum, nempe latriam; non tamen eundem exhibemus illis, ut Deo; quia non ordinamus hunc talem cultum ad imagines ipsas secundùm se, sed ad Deum, vel Christum, qui soli secundùm se & ratione sui sunt termini cultus Divini; imagines verò tantùm ratione ipsorum: quas proinde honore Divino respectivè solùm, id est, latriâ respectivâ afficimus.

De cætero longè falsissimum est, quod contendit Calvinus loc. cit. cùm manifestè ex S. Script. ostendi possit, Israëlitas non verum Deum in simulachro illo vituli, sed simulachrum ipsum ceu Divinitate aliqua præditum adorâsse. Quid enim sonabat Exodi 32. illo clamor eorum ad vitulum: *isti sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, quàm ipsos à vera tunc religione defeciſſe ad superstitionem Ægyptiorum simulachra ipsa pro Diis habentium? testatur hoc planè S. Stephanus Actor. 7. eam historiam repetens, & inquiens: *Cui* (Moysi) *noluerunt obedire Patres nostri, sed repulerunt, & aversi*

sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos. Quod idem colligitur ex iis, quæ Deus 1 Reg. 8. ad Samuelem de hac gente dixit: *Audi vocem populi hujus; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos: juxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, usque ad diem hanc; sicut dereliquerunt me, & servierunt DIIS ALIENIS, &c.*

Huc etiam facit illa exprobratio apud Prophetam Amos cap. 5. *Numquid hostias & Sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israël? Et portâstis tabernaculum MOLOCH vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis &c.* In quem locum S. Hieronymus, *ex eo tempore*, inquit, *quo aurum in caput vituli transformârunt, dicentes: Hi sunt Dii tui &c. omnia, quæ fecerunt, non Deo* (nota hoc) *sed idolis fecisse monstrantur.* Et quid multa? Psalmista Psal. 106. cùm memorâsset, *fecisse illos vitulum in Horeb, & adorâsse sculptile, & mutavisse gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum;* continuò subjecit: *Et obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* Ex quibus planè perspicuum redditur, Israëlitas in aureo vitulo nequaquam verum Deum per imaginem (ut stultissimè somniat Calvinus) sed vanum idolum more Ægyptiorum adorâsse, & ideo commisisse idololatriam; non autem ob eam causam, quòd sine Dei verbo & mandato adoraverint.

Objiciunt tertio ex eodem Calvino Authoritatem S. Augustini in Psal. 113. ubi sic ait: *Quis autem adorat, vel orat intuens simulachrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet?* ubi Augustinus, inquiunt, apertè significat, eos, qui colunt simulachra, seu signa & imagines, revera in iisdem tanquam Diis collocare spem; ac proinde esse idololatras.

Confirmant ex eo, quòd non omnes ejusdem Christi, aut ejusdem Sancti imagines eodem, pariqueestudio & solennitate veneremur. Nam aliam votivis peregrinationibus honoramus, aliam non honoramus; coram alia sacrum facimus, coram alia non facimus &c.

Respondeo ad Objectionem, hanc Authoritatem S. Augustini pugnare contra ipsum Calvinum. Nam ex illa manifestò constat, olim gentiles simulachra habuisse pro Diis, quod ipse impudentissimè negat, teste Valentia q. cit. pu. 6. cùm utique intuentes simulachra adoraverint. Deinde S. Pater non vult absolutè, neminem omnino posse intuendo in simulachrum adorare, quin eo ipso illud habeat pro DEO; sed invehitur in quosdam gentiles, qui ita venerabantur simulachra, & imagines, ut facto ipso ostenderent, ea se præponere prototypis, put Soli vel Mari, ut ibi subjungit. De his proinde agens S. Augustinus ait: *Quis autem* (istorum hominum, intellige) *adorat, vel orat intuens simulachrum &c.*

Ad Confirmat. respondeo, ex eo, quòd alias imagines pro aliis habeamus in honore, ineptissimè colligi, eas à nobis Deos reputari. Cùm ideo solùm id faciamus, quòd luculentâ experientiâ doceamur, frequentiùs in hoc, quàm in illo loco; item frequentiùs hanc quàm illam imaginem venerantibus Deum esse peculiariter propitium, atque præclara largiri beneficia.

Objiciunt quarto. Homo est perfectior imago Dei, utpote viva; quàm quælibet pictura aut statua; & tamen non adoratur propter prototypon: ergo nec aliæ imagines, sive Dei, sive Christi, sunt adorandæ.

Respondeo conc. ant. neg. conseq. Cùm enim homini (idem judica de Angelis) & propter dignitatem naturæ rationalis, & propter excellentiam gratiæ & virtutum aliunde debeatur cultus absolutus, periculum esset, si permitteretur adorari propter prototypon, ne motus adorantium sisteret in illo, in quantum est res quædam, & non ferretur in Deum, cujus est imago; adeoque daretur occasio idololatriæ. Tale autem nihil timendum est in veneratione imaginum inanimatarum; quia propter defectum proptiæ dignitatis & excellentiæ in illis omnibus manifestum est, eas non propter se, sed propter rem, cujus sunt imagines, adorari.

Dico jam tertio. Imagines sacras ita 20
opottet venerari, ut ipsæ sint verè suo modo terminus venerationis, & non præcisè excitativum quodpiam venerationis soli prototypo exhibendæ. Sententiam contrariam Valentia judicat esse periculosam. Ratio Conclusionis sufficiens est, quòd Concilia, quorum in n. 6. meminimus, absolutè definiant imagines esse venerandas. Hoc autem planè significat, imagines ipsas oportere suo modo esse terminum venerationis. quid enim absolutè proponitur ut venerandum, nisi ad quod aliquo modo terminatur veneratio?

Dico quarto. Sacræ imagines eodem 21
cultu venerandæ sunt, quo veneramur prototypa. Ita D. Thomas 3. p. q. 25. a. 3. quem sequuntur Capreolus, Cajetanus, Valentia, Labat, Contensonius & alii. Probatur verbis & ratione S. Doctoris loco cit. ubi sic habet: *Duplex est motus animæ in imaginem; unus quidem in ipsam imaginem, secundùm quod res quædam est; alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius: & inter hos duos motus est hæc differentia; quia primus motus, quo*

quo quis movetur in imaginem, ut res quædam est, est alius à motu, qui est in rem: secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus & idem cum illo, qui est in rem. Sic ergo dicendum est, quòd imagini Christi, in quantum est res quædam (puta lignum sculptum vel pictum) nulla reverentia exhibeatur: quia reverentia nonnisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, quòd exhibeatur ei reverentia solùm, in quantum est imago, & sic sequitur, quòd eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Christo: cùm ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quòd ejus imago sit adoratione Latriæ adoranda. In quibus planè continetur ratio luculenta statutæ conclusionis.

Ejus substantia in forma sic potest proponi. Illo cultu venerandæ sunt sacræ imagines, qui eisdem debetur, in quantum repræsentant prototypon: sed imaginibus, in quantum repræsentant prototypon, debetur cultus, qui exhibetur prototypo; ergo sacræ imagines venerandæ sunt eodem cultu, qui exhibetur prototypo. maj. prob. ex eo, quòd imagines non sint venerandæ aliquo cultu, qui ipsis debeatur, ut res quædam sunt. nam ut præcisè res quædam sunt, nullam continent excellentiam supra venerantem; cùm ipsæ sint inanimatæ, ille animatus & natura rationali præditus: adeoque imaginibus, ut res quædam sunt, nullus debetur cultus. Superest igitur, ut sint venerandæ eo cultu, qui eisdem debetur, quatenùs sunt formaliter imagines: atqui imagines sunt formaliter imagines, in quantum repræsentant prototypon; ergo venerandæ sunt illo cultu, qui ipsis debetur, in quantum repræsentant prototypon. mi. prioris Syllogismi itidem prob. nam imago reduplicativè, ut imago est, sive in quantum repræsentat prototypon, idem est quod prototypon, ita ut ab eodem absolutè sumpto non distinguatur nisi penès diversum modum essendi, scilicet in esse entitativo, & repræsentativo; simili ferè modo, quo species intelligibilis est ipsum objectum in esse intelligibili. Atqui illis, quæ sunt idem cum prototypo, debetur cultus, qui exhibetur prototypo; ergo imaginibus, in quantum repræsentant prototypon, debetur cultus, qui exhibetur prototypo.

Pro majori robore formati argumenti non possum non exscribere verba Synodi VII. apud Contensonium, in quibus doctrina nostra manifestè traditur, simulque Authoritas Magni Basilii laudatur. Igitur in Act. 4. ad rem nostram hæc legere est. *Hoc sanè rerum natura docet, quòd honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia---- Non enim, qui in foro regiam imaginem diligentius intuens, Regemque illam dicens duos Reges fatetur, nimirum ipsam imaginem, & eum, cujus est imago. Neque si quis in tabula pictum indicaverit, dixeritque, ecce Regem; ob id primum & verum exemplar, ipsum scilicet Regem, appellatione privavit: profectò videtur magis honorem Regis per ejuscemodi Confessionem stabiliviſſe ---- Divinus Pater Basilius, veluti Lampas & Doctor Ecclesiæ Christi, honorem imaginum ad ipsum exemplar primum redire testatus est. Unde & B. Pater judicavit, non esse duas adorationes, sed unam ipsius imaginis, & primi exemplaris, cujus est imago.* Hæc procul dubio multum virium addunt nostræ sententiæ. Sed jam contra

Instabis primo. Possumus imaginem 22
pro libitu considerare, ut rem aliquam sacram, & dignam reverentiâ, absque eo, quòd quidpiam cogitemus de prototypo: ergo tunc possumus imaginem venerari cultu distincto à cultu prototyp.

Respondeo inprimis neg. Ant. quia repugnat, ut imaginem, quatenùs imaginem apprehendamus dignam cultu, quin de prototypo cogitemus, saltem in actu exercito, licèt fortè in actu signato id non faciamus: imago quippe, ut imago, in esse repræsentativo est ipsum prototypon: unde si imago Regis loqui posset (ait S. Athanasius in serm. 4. contra Arianos) diceret: *Ego & Rex unum sumus* (repræsentativè) *ego enim in illo sum, & ille in me.* Deinde, quando apprehendis imaginem ut rem aliquam sacram, & reverentiâ dignam, vel apprehendis illam secundùm se, vel quatenus repræsentativam prototypi? Primum non potes dicere; cùm enim imagini secundùm se, sive ut res quædam est, nulla conveniat excellentia, non potest illa ut sic intelligi dignâ veneratione. Si dicas secundum, quod planè oportet dicere, id ipsum dicis, quod nos dicimus.

Instabis secundo. Quando Sanctos co- 23
limus, aut honoramus propter DEUM, vel legatos propter Regem aut Principem, cultus ille vel honor ita refertur ad Sanctos, vel ad legatos tanquam ad terminum, seu objectum suum, ut à Deo, vel Principe penitùs abstrahamus: ergo similiter colere poterimus imagines propter prototypon ad illas referendo cultum, quin eundem referamus ad prototypon.

Respondeo primo neg. Ant. posito, quòd Sanctos aut legatos colamus aut honoremus, quatenus repræsentant DEUM, aut Principem. Et in hac tali hypothesi ista instantia militat pro nobis.

Respon-

Respondeo secundo neg. conseq. & paritatem: quia Sancti, aut legati habere possunt in se propriam aliquam excellentiam, aut etiam dignitatem à DEO vel Principe participatam, propter quam terminent cultum aut honorem exhibitum absque relatione ad DEUM vel Principem tanquam terminum vel objectum. Atqui imagines repræsentativæ DEI, aut Christi vel Sanctorum, prout res quædam sunt, nullam in se habent excellentiam, per quam constituantur dignæ cultu & reverentia; ergo &c.

24 Instabis tertio. Imago Christi v. g. non est ipse Christus, nisi secundùm quid, & æquivocè: ergo non est illi exhibendus cultus latriæ, nisi æquivocè.

Respondeo neg. conseq. licèt etiam imago Christi non sit ipse Christus in esse physico & entitativo, est tamen verè Christus in esse repræsentativo, & consequenter eodem cultu quo ad substantiam veneranda, qui debetur Christo. Neque motus venerantis imaginem sistit in modo essendi, quem habet Christus in illa, sed fertur ulterius in ipsum Christum repræsentatum.

25 Instabis quarto. Phantasmata, species intentionales; imò & figuræ Christi v. g. à Dæmone formatæ ad illudendum, perfectiori modo repræsentant, quàm imagines artefactæ. Atqui illas nemo dixerit esse colendas; ergo nec istæ erunt colendæ.

Respondeo, nullam esse paritatem, quantùm attinet ad Phantasmata & species; tum, quòd cultus externus solùm dirigatur ad rem externam, cujusmodi non sunt species & Phantasmata, utpote intra potentiam abdita: tum, quòd species & Phantasmata sint signa formalia, mediaque incognita, quo non possunt ullo modo esse termini adorationis; sicut tamen esse possunt imagines artefactæ, utpote media objectiva & cognita.

Quantùm verò attinet ad imaginem Christi phantasticam à Dæmone formatam, si quis ignoraret à Dæmone esse formatam, eamque adoraret, ut repræsentativam Christi, utique non peccaret, peccatô idololatriæ. A quo eodem Vasquez apud Contensonium excusat etiam adoratorem conscium orcinæ fraudis, qua Dæmon ejusmodi figuras ad vendicandum sibimet cultum latriæ exhibere solet; dummodò ipsius intentio in prototypon, & neutiquam in Dæmonem artificem dirigeretur. Et ratio hujus Authoris est: quia licèt Dæmon tunc esset in tali imagine, ipsi tamen nullo modo sive affectus servitutis, sive exterior nota adorationis exhiberetur. Alii tamen aliter discurrunt. Quidquid sit: ordinariè & per se loquendo nihili faciendæ sunt imagines phantasticæ etiam Christi & Sanctorum, ne locus detur impostoris & deceptionibus maligni Spiritus nimiùm quantùm frequentibus in hoc genere.

§. IV.

De Cultu Sacrarum Reliquiarum.

SUMMARIUM.

26. *Quænam veniant nomine Sacrarum Reliquiarum.* 27. *Asseritur, Reliquias Christi & Sanctorum esse in veneratione habendas.* 28. *Eædem Reliquiæ colendæ sunt cultu respectivo.* 29. *Solvuntur Objectiones Sectariorum.* 30. *Instrumenta Dominicæ Passionis adoranda sunt cultu Latriæ respectivo.* 31. *Depellitur objectio ex absurdo.* 32. *Quid de Crucibus factis ad similitudinem Crucis, in qua Christus pependit?* 33. *Quid de particulis illius primæ Crucis, aliorumque Passionis instrumentorum?*

26 INtelligenda est epigraphe præsentis §. de Reliquiis seu Christi, seu Sanctorum. Nomine Reliquiarum Christi veniunt lignum Crucis, sudarium, particulæ sanguinis, & similia, quæ ostendi solent. Reliquiæ Sanctorum sunt sanguis, ossa, cineres, vestes eorum &c.

27 Dico primo. Reliquiæ Christi & Sanctorum in veneratione habendæ sunt. Hæc conclusio est de fide. Et constat universim ex definitionibus Ecclesiæ, Sanctorum reliquias esse colendas: ut patet ex Synodo VII. Act. 3. & 7. & ex Lateran. sub Innocentio III. & ex Trident. sess. 25. aliisque anterioribus apud Valentiam, tomo 4. disp. 1. q. 24. pu. 3. Quam eandem veritatem confirmat perpetua praxis & consuetudo Fidelium.

Ratio verò est primo. Quia DEUS ipse honorat Sanctorum suorum reliquias, patrandô videlicet per illas, aut ad illarum præsentiam miracula: ergo & nos easdem honorare oportet. Conseq. utique non negaveris. Ant. ostenditur ex S. Scriptura. Nam 4 Reg. 2. Deus Eliæ palliô stitit & divisit aquas Jordanis. Rursus 4. Reg. 3. ad præsentiam cadaveris Elisæi suscitavit mortuum. Actor. quoque 19. per cinctoria & sudaria Pauli Apostoli sanavit ægrotos. Idem Ant. suadent monumenta historiarum plena miraculis, quæ Deus fecit per Sanctorum suorum reliquias, quibus fidem abrogare nonnisi stolidè pertinacis ingenii est. Imò siquis in hoc genere minùs credendum existimat auribus, oculis saltem credat, dum quorumdam Sanctorum corpora & arida ossa odorato liquore, & salutari oleo perfusa atque manantia monstrantur.

Ratio

Ratio est secundo; quam ex S. Augustino, lib. 1. de Civit. DEI, cap. 13. reddit D. Thomas 3. p. q. 25. a. 6. in hæc verba: *Qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipso post mortem relinquuntur, veneratur; non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, putà vestes, & similia. Manifestum est autem, quòd Sanctos Dei in veneratione habere debemus; tanquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescunque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus; & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa & organa Spiritus Sancti in eis habitantis & operantis; & sunt corpori Christi configuranda per gloriosam Resurrectionem.*

28 Dico secundo. Reliquiæ Christi & Sanctorum colendæ sunt cultu respectivo, illæ quidem Latriæ, istæ verò Duliæ. Ratio est eadem quæ de imaginibus in §. præced. n. 18. Quia nempe ille cultus est respectivus, quo quidpiam prosequimur, non propter se, sed propter dignitatem alicujus personæ, ad quam importat specialem respectum: Atqui tali cultu colendæ sunt reliquiæ Christi & Sanctorum, illæ quidem propter dignitatem ipsius Christi; istæ verò propter dignitatem & excellentiam Sanctorum, ad quam dicunt suo modo specialem habitudinem; ergo &c.

29 Objiciunt sectarii primo. Christus Lucæ 11. reprehendit Scribas & Pharisæos, quòd ædificarent, novisque structuris ac sculpturis exornarent monumenta Sanctorum, nempe Prophetarum: ex quo aperte constat, Christum improbâsse cultum, qui cadaveribus, atque ossibus Sanctorum exhibetur. Respondeo, Christum non ideo præcisè reprehendisse eos homines, quòd ita honorarent cineres Prophetarum occisorum; sed, quòd eo facto plausum apud populum, & immortalem gloriam captarent, nomina sua monumentis inscribendo, insignia appendendo &c.

Objiciunt secundo. In Epistola Catholica Judæ Apostoli dicitur, Michaëli intercessisse altercationem cum Sathana, dum iste volebat, ut corpus Moysis defuncti revelaretur, ille verò resistebat. Ex quo proinde colligitur, instinctu Diaboli fieri, ut Sanctorum cadavera fidelibus adoranda proponantur.

Respondeo, accommodatè ad nostrum propositum hic ingestam esse mentionem de corpore Moysis. colligitur enim ex cap. ult. Deut. Deum illud corpus Angelorum ministeriò sepeliri voluisse: ex quo meritò infertur, non esse à Deo prohibitum Sanctorum corpora honore prosequi. De cætero ob specialem rationem factum est, ut corpus Moysis maneret absconditum, ne videlicet eundem Judæi in idololatriam oppidò propensi tanquam Deum adorarent. quòd cùm minimè ignoraret Diabolus, contendit, Judæis esse revelandum, ubi esset cadaver Moysis, ut haberent occasionem idololatriæ.

Objiciunt tertio. Concilium Elberitanum can. 4. prohibet, ne interdiu cerei, accendantur ad sepulchra Martyrum, eò quòd *non inquietandi sint Spiritus Sanctorum.* Respondeo ex Reding, in eo Concilio prohibitam esse accensionem cereorum, quatenus ex vana quadam Gentilium superstitione fiebat. illi namque accensis facibus, & quibusdam incantationibus animas defunctorum evocare solebant, atque hoc sensu inquietare: quemadmodum anima Samuelis 1. Reg. 28. per Pythonissæ incantationem evocata dicebat: *Quare inquietâsti me, ut suscitarer?*

Objiciunt quarto. In ossibus & cineribus Sanctorum nihil superest, quod ad eosdem pertineat, præter materiam primam. hæc autem non est ampliùs veneratione digna; cùm informetur jam ab alia forma, sitque in alio toto substantiali. Respondeo, ejusmodi materiam primam etiam sub alia forma constitutam adhuc retinere ordinem moralem in judicio prudentum, ac veluti jus ad iterum habendam animam Sancti per gloriosam resurrectionem; idque sufficere ad fundandam adorabilitatem respectivam. Ex dictis

Sequitur primo, Crucem ipsam, in qua 30
Christus pependit; clavos, quibus Cruci fuit affixus; lanceam, qua latus ejus perfossum; spongiam, per quam potatus; titulum Crucis; columnam, ad quam alligatus est, cum flagellis cæderetur, aliaque passionis Dominicæ instrumenta tactu, vel sanguine Christi consecrata, cultu Latriæ respectivo esse adoranda. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 1. pu. 3. num. 6. & alii communiter. Ratio est: quia hæc omnia inter reliquias Christi numerantur. quod idem à fortiori de particulis sanguinis ejusdem, quæ in quibusdam locis asservantur, tenendum est, ubi tamen nolim supponas, ejusmodi particulas Verbo adhuc esse hypostaticè unitas: de quo vid. Paul. Mezger to. 4. tr. 14. disp. 8. a. 3. n. 5.

Dices. Ideo Crux, aliaque recensita es- 31
sent honoranda cultu Latriæ respectivo, quia tactu, vel sanguine Christi fuerunt consecrata, sicque specialem habitudinem ad Christum important! sed hæc ratio est nulla: quia sequeretur, etiam B. Virginem esse honorandam cultu Latriæ respectivo: quippe quæ Christum novem mensibus in utero portavit; adeoque magis consecrata est per Christi contactum, quàm omnia & singula instrumenta Passionis. Sed conseq. admitti non potest, & negatur à S. Thoma 3. p. q. 25. sæpius cit. a. 5.

Confirmatur. Si Crux, & cætera instrumenta Passionis ob contactum Christi adoranda essent cultu Latriæ respectivo, etiam asinam, quæ Christum vexit in die Palmarum, sic adorare oporteret, si viveret: quod idèm dic de manu Malchi, qua is Christo alapam intregit; de labiis Judæ proditoris &c. Sed hæc sunt absurdissima; ergo.

Respondeo ad Object. rationem illam nostram habere locum, si cætera sint paria, & aliud nihil obstet: sicut tamen in præsenti obstat periculum erroris & idololatriæ: cùm enim B. Virgo in se ipsa, sive secundùm propriam intrinsecam dignitatem sit capax alterius cultus excellentis, qui Hyperdulia dicitur, periculum esset, ne coleretur Latriâ per se, sive absolutâ, si coli permitteretur Latriâ per illud, sive respectivâ. Ita D. Thomas loco cit. ad 3.

In Confirmat. neg. seq. quamvis enim contactus Christi sit causa sufficiens Adorationis, aliquando tamen nec expedit, nec decet adorare, quod Christum tetigit. Unde asina, quæ Christum portavit, non esset adoranda, si viveret; cùm non deceret, & esset per se ridiculum religiosum cultum exhibere asinæ. Similiter non decet adorare manum Malchi, aut labia Judæ; quia fuerunt instrumenta viva Passionis Dominicæ cum scelere & impietate conjuncta. Sed neque expedit; quia, si adorarentur, censerentur adorari ipsi homines scelerati. Atqui neutrum horum capitum obstat, quominùs adorari possint Crux, & cætera instrumenta Passionis separata, quæ Christum tetigerunt; ergo.

Sequitur secundo, etiam illas Cruces, 32
quæ in similitudinem ejus Crucis, in qua Christus pependit, formari solent ex variis materiis, esse adorandas Latriâ respectivâ. Bonac. ubi suprà num. 7. & DD. communiter. Ratio est: quia licèt hæ tales Cruces non sint consecratæ per contactum, aut sanguinem Christi, ut reliquiæ; sunt tamen imagines Christi in prima illa Cruce expansi: atqui imagines Christi adorandæ sunt cultu Latriæ respectivo; ut ostensum est in priori §. ergo &c.

Sequitur tertio, etiam singulas particu- 33
las primæ Crucis, aliorumque Passionis instrumentorum esse adorandas cultu Latriæ respectivo; non tamen particulas aliarum Crucium, quæ ad imitationem illius primæ formantur. Ratio primi est: quia licèt illæ particulæ non ampliùs habent figuram Crucis, alteriusve instrumenti, singulæ tamen retinent rationem reliquiarum Christi. Ratio secundi est: quia particulæ aliarum Crucium, postquàm amiserunt figuram Crucis, non ampliùs repræsentant Christum in Cruce morientem: aliunde quoque non sunt reliquiæ Christi.

ARTICULUS II.

De Oratione in genere.

SUMMARIUM.

1. *Variæ definitiones Orationis.* 2. *Nostra definitio ejusdem.* 3. *Divisio, & subdivisio Orationis.* 4. *Oratio est necessaria ad salutem necessitate medii & præcepti.* 5. *Quando præceptum orandi obliget per se, & quando per accidens.* 6. *Datis conditionibus debitis, Oratio vim habet infallibilem impetrandi.* 7. *Quinam, præter Deum, orandi sint, aut orari possint.* 8. *Solis creaturis, iisque rationalibus convenit orare.* 9. 10. *Omnis homo in præsenti vita, quamvis peccator sit, potest, ac debet orare.* 11. 12. 13. 14. *Illationes ex dictis.* 15. *Pro omnibus orandum est, qui necdum in termino sunt vitæ præsentis.* 16. *Necessaria ad salutem in Oratione petenda sunt absolutè, cætera sub conditione.*

Et quidem ad primum quod attinet, variæ definitiones seu descriptiones Orationis solent afferri, prout nempe variæ sunt conditiones seu proprietates eidem convenientes. Hinc dicitur aliquando Unio cum Deo; quia ex charitate, qua cum Deo conjungimur, proficiscitur. dicitur Ascensio mentis in Deum: quia convenit, ut animus orantis omnibus rebus terrestribus sit excelsior, & ad Deum elevetur. Dicitur etiam colloquium cum Deo: quia per eam cum Deo familiariter, ut solet amicus cum amico, conversamur. Verùm his prætermissis, ut clatiùs explicetur natura Orationis, quatenùs est hujus loci,

1 DE hoc breviter inquiremus quid, & quotuplex sit? Item, an sit necessaria? an sit efficax & qualiter? quis sit orandus? quibus, pro quibus, & quid sit orandum?

Dico primo. Oratio rectè definitur, 2
quòd sit actus rationis practicæ desiderium animi coram Deo explicantis, ut aliquid ab ipso impetretur. Ita Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 1. ex D. Thoma, 2. 2. q. 83. a. 1. Dicitur, *Actus rationis*: quia Oratio est actus intellectûs, supponens tamen actum voluntatis moventis. nam Oratio est quædam petitio

ritio cōvenienter ad illud Christi apud S. Marc. cap. 11. *quidquid orantes petitis.* petitio autem est locutio, qua desiderium nostrum illi manifestamus, à quo aliquid speramus. locutio porrò spectat ad intellectum. Additur *practicæ:* quia nempe per Orationem desideria nostra non ita præcisè DEO pandimus, ut cognoscat, sed, ut cum moveamus ad rem, quam desideramus, præstandam. Cæteræ particulæ ex se sunt perspicuæ.

3 Dico secundo. Oratio dividitur universim in mentalem tantùm, & in mentalem vocalemque simul. Oratio mentalis, sive interna tantùm est illa, quæ consistit in meris actibus internis intellectûs & voluntatis citra vocem, vel aliud signum externum, per quod manifestetur. Oratio mentalis & vocalis, sive interna & externa simul est, quæ non solùm consistit in actibus elicitis intellectûs & voluntatis, sed insuper exteriè per voces exprimitur. Unde patet, Orationem vocalem tantùm non esse membrum dividens Orationis in communi: ut enim vocalis Oratio sit verè Oratio, essentialiter habere debet adjunctam devotionem internam, intentionem, & aliquam attentionem ex parte intellectûs; sicuti pluribûs infrà dicemus. Oratio vocalis dividitur in privatam, & publicam. Privata est, quam quis proprio motu, suoque nomine ad Deum effundit vel pro se, vel pro aliis, eamque vel jam priùs formatam, ut est Oratio Dominica, vel, quam format ipse orans. Oratio publica, dicitur, quæ publica Authoritate Ecclesiæ fuit instituta, quæquæ in persona, ac nomine totius Ecclesiæ à Ministris ad id deputatis offerrur. Tales Orationes sunt, Missa, Horæ Canonicæ, Officium B. Virginis, & Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, Graduales &c.

4 Dico tertio. Oratio homini viatori est necessaria necessitate non solùm præcepti, sed etiam medii ad salutem. Prima pars Dicti habetur ex verbis Christi apud S. Lucam cap. 11. *Petite, & dabitur vobis.* Matth 28. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Similia passim ocurrunt plura in S. Scripr. novi Testamenti. Ratio petenda est ex suavi ac salubri Dei dispositione ita ordinantis atque volentis, ut ea, quibûs indigemus, non aliter ab ipso consequi possimus, quàm si per humilem subjectionem petamus. Ratio secundæ partis est: quia inter convenientiâ media, per quæ nos Deus vult obtinere vitam æternam, est etiam Oratio; quippe sine qua neque observantiam suorum mandatorum vult nobis obvenire: quemadmodum agnoscit S. Augustinus in lib. de nat. & grat. cap. 43. neque finalem perseverantiam, ut idem S. Pater docet lib. 2. de hoc dono, cap. 16. inquiens: *Constat, Deum alia non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparâsse, sicut usque in finem perseverantiam.*

Cæterùm tempora, quibûs præceptum 5
Orationis per se, & ex virtute Religionis obligat, determinari non possunt. Certum tamen est, nos obligari, ne nimis diù ab orando desistamus, utque frequenter oremus. nam utrumque inculcat S. Script. Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* 1. ad Thess. 5. *Sine intermissione orare.* Ratio est: quia vix ullum est tempus, quo non egeamus speciali Dei gratiâ & auxilio inter tot necessitates & pericula animæ & corporis. Quapropter curandum est, ne per longum tempus (prudentis arbitriô metiendum) Oratio differatur.

Per accidens autem, & saltem ex lege Charitatis esse obligationem orandi volunt DD. communiter in sequentibus casibus. Primo, quando gravis tentatio est superanda. Secundo, si eximium aliquod beneficium ad salutem necessarium, v. g. illuminatio circa res fidei, sit homini à DEO impetrandum. Tertio, dum imminet propriæ mortis periculum. Quarto, si communitas, sive respublica versetur in magno periculo, ad quod avertendum DEI singulare auxilium implorandum esse videatur. Quinto, ut habet Sylvester verbô *Oratio*, q. 8. Navarrus, Suarez, apud Laym. ubi suprà, num. 3. si proximus in spirituali necessitate sit constiturus, cui aliter non posse succurri existimes. quæ tamen obligatio aliis non immeritò rara esse videtur. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. pu. 3. Filliuc. tract. 23. cap. 2. à num. 43. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu 1. num. 12. Cæterùm, quæ jam diximus, intelligenda sunt de obligatione orandi omnibus communi: quia ex variis præceptis particularibus haud dubiè contingit, ut sæpius orare teneamur, putà ex voto, pacto, injunctione Confessarii &c.

Dico quarto. Quando adsunt debitæ 6
conditiones, Oratio vim habet infallibilem impetrandi à Deo id, quod petitur per illam. Constat ex promissione Christi apud Marc. cap. 11. *Dico vobis, omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis:* & apud Matth. cap. 21. *Omnia, quæcunque petieritis in Oratione credentes, accipietis.* Porrò conditiones, ut Oratio gaudeat hac tali efficacia, ex D. Thoma, 2. 2. q. 83. a. 15. quatuor assignantur. Prima est, ut petatur res ad salutem necessaria, vel utilis. quia Christus vim Orationis ad impetrandum infallibiliter efficacem tunc fore promisit Joan. 16. siquid petierimus Patrem in nomine ipsius. petere autem in nomine Salvatoris, qui est Christus, est petere

necessaria ad salutem: quemadmodum pulchrè intelligit S. Augustin. tr. 102. in Joan. & tract. 73. Secunda est, ut quis oret pro se ipso. quia, ut Deus largiatur, quod per Orationem petitur, homo ad id recipiendum debet esse dispositus: dispositio autem propria est in libera potestate orantis, non item dispositio alterius, pro quo orat. unde difficilius censetur impetratu, quod quis à Deo pro alio, quàm quod pro se petit. Tertia est, ut Oratio sit pia, scilicet conjuncta cum devotione, firmaque fiducia impetrandi rem petitam. hanc conditionem exigit S. Jacobus cap. 1. Epist. *Postulet autem in fide nihil hæsitans &c.* Quarta est, ut perseveranter oremus, id est, non statim desistamus ab Oratione, quando nos non exaudiri putamus; sed sæpius, iterum atque iterum & instanter oremus: sicut monet Apost. ad Coloss. 4. *Orationi instate.* & Christus ipse Lucæ 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.*

7 Dico quinto. Absolutè & terminativè orandus est solus Deus: respectivè tanquam patroni & intercessores orandi ac invocandi sunt beati in cœlo tam Angeli, quàm homines: orari quoque possunt, saltem impropriè, homines sancti & justi in terris existentes: non autem ullo modo animæ in Purgatorio. Ratio primæ partis est: quia solus Deus est absolutus & supremus author omnium bonorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ desiderare possumus. Nomine Dei autem venit etiam Christus Dominus; quia verus Deus est. Ratio secundæ partis est: quia per Sanctorum intercessionem, merita, ac preces impetratur apud Deum, ut nostræ orationes sortiantur effectum, ait D. Thomas; q. cit. a. 4. Ex quibus apparet, Orationem, qua Deum oramus, esse actum Latriæ, adeoque multùm differre ab ea, quam ad Sanctos Cælites fundimus, utpote actum Duliæ, aut Hyperduliæ. Ratio tertiæ partis est: quia etiam justi in terra degentes ob amicitiam, qua gaudent cum DEO, suis precibûs hoc aut illud donum ab eo nobis impetrare possunt. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. pu. 7. colum. 1701. ubi etiam ostendit, ejusmodi Orationem, qua vivos apud nos rogamus, ut Deum pro nobis orent, esse actum virtutis Observantiæ, & non nisi impropriè nominari Orationem. Ratio quartæ partis est ex D. Thoma, a. cit. ad 3. quia illi, qui sunt in Purgatorio, non cognoscunt nostras necessitates, aut ea, quæ hîc dicimus, vel cogitamus; sicut tamen in Verbo cognoscunt beati in cœlo. unde vana & otiosa foret Oratio ad eosdem directa. Vid. Valent. loco cit. Filliuc. tract. 23. cap. 2. n. 61. Verùm alii tenent contratium, quod puto esse probabile. Ratio illorum est: tum, quia animæ in illo statu nostras miserias & necessitates cognoscunt saltem in genere. Unde & possunt orare in genere pro omnibus, qui ipsis benefaciunt. tum, quia credibile est, Angelos Custodes Orationes nostras ipsis referre, eisque nostras necessitates aliis modis à DEO manifestari. Addunt, ex S. Scripr. constare; animas antiquorum Patrum, cùm essent in limbo, pro populo orâsse; quemadmodum colligitur ex Jerem. cap. 15. & Machab. ult. quo posteriore loco dicitur de eodem Jeremia defuncto: *Hic est, qui multum orat pro populo.* Si animæ in limbo pro aliis orare, adeoque & ipsæ utiliter orari potuerunt, cur animæ in Purgatorio non possint? Vid. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 4. §. 2. num. 6. Valent. pu. 6.

8 Dico sexto. Orare convenit solis creaturis, iisque rationalibus. Ita D. Tho. q. cit. a. 10. Ratio est: quia Oratio est actus rationis, per quem quis Superiorem precatur ad aliquid ab eo impetrandum: ergo illis tantùm convenit, qui & habent rationem, per quam, & Superiorem, quem precari possint. Atqui hæc duo simul in solis creaturis, iisque rationalibus reperiuntur: Deo namque, Divinisque personis nihil est superius: bruta verò animalia carent ratione: Ergo orare solis creaturis, iisque rationalibus, scilicet Angelis & hominibus, convenit. Neque obstat illud Psal. 146. *Qui dat escam pullis corvorum invocantibus:* quia hæc invocario accipienda est metaphoricè, prout significat naturale quoddam desiderium, quo omnia creata suo modo appetunt percipere Divinam beneficentiam, ut explicat S. Doctor a. cit. ad 3. Similiter illud Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis &c.* accipitur metaphoricè pro eo, quod est postulare facit.

9 Dico septimo. Omnis homo, quamdiu vivit vitam præsentem, potest & debet orare, quoties obligat præceptum orandi juxta dicta in num. 5. Ratio est: quia homo vel justus est, vel peccator. Si justus est, indiget Oratione ad impetrandam gratiam perseverandi in bono. Si peccator est, similiter indiget Oratione ad obtinendam gratiam & remissionem peccatorum.

10 Neque obstat primo illud dictum cæci apud Joan. cap. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit:* respondetur enim ex S. Augustin. tract. 44. fuisse dictum hominis nondum penitus illuminati in fide, nisi malis dicere, esse intelligendum de peccatoribus, ut peccatores sunt, atque adeo, si malè petant. Neque obstat secundo, quòd peccatores sint extra statum gratiæ, qui videtur necessarius ad utiliter orandum. nam dicitur, efficaciam impetrativam Orationis

tionis non propriè niti statu gratiæ (sicut nititur virtus merendi) sed Misericordiâ Divinâ: hanc autem vel maximè ad peccatores respicere. vid. Valent. pu. cit. Ex dictis

11 Infertur jam primo, Sanctos in cœlo regnantes non orare pro se. Ratio est: quia non habent opus Oratione ad aliquid pro se impetrandum. Eosdem autem pro nobis orare fide certum est, sicut fide certum est, illos rectè & utiliter invocari à nobis: quemadmodum præter alios fusè ostendit Valent. pu. 7. & docet Concil. Trid. sess. 25. de Invocat. & Venerat. &c.

12 Inf. secundo, damnatos non posse orare propriè loquendo. Ratio est: quia Oratio est petitio non qualiscunque, sed pertinens ad virtutem Religionis: adeoque procedens ex bono, pioque affectu erga Deum: atqui hic talis affectus non habet locum in damnatis: unde licèt aliquid petere possint (quemadmodum Job 1. & 2. Sathan petiit à Deo, ut permitteret tentari Job, & dives epulo Lucæ 16. ut Lazarus mitteretur ad fratres suos &c.) orare tamen non possunt. Valent. pu. 6.

13 Inf. tertio, animas Purgatorii orare pro se ipsis, ut per medium aliquod à Divina providentia constitutum inde liberentur. Constat inprimis ex S. Gregor. lib. 4. Dial. ubi tradit, eas animas etiam ab hominibus in terra degentibus auxilia petere. Ergo etiam à Deo petunt, saltem ut excitet viventes ad auxilia ferenda. Deinde ratio est: quia animæ agnoscunt & experiuntur sua supplicia, atque ex illis liberari desiderant: nec aliunde quidquam obstat, quominùs hoc tale suum desiderium per humilem Orationem Deo repræsentent. Valent. loco cit. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 1. n. 5. An autem pro aliis quoque orent, vel non, colligendum est ex dictis in n. 7.

14 Inf. quarto, etiam Christum, ut homo est, pro nobis orare Patrem suum cælestem. Colligitur ex S. Script. 1 Joan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*: item, ad Hebr. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* & Joan. 14. *Ego rogabo Patrem &c.* Aliqui tamen eam intercessionem & interpellationem Christi pro nobis aliud non esse existimant, quàm continuam repræsentationem, seu exhibitionem passionis ac meritorum suorum. Unde ajunt, Christum peracto Redemptionis negotio nihil jam novi à Deo Patre pro nobis petere: idque in causa esse, quòd Ecclesia in Orationibus ad Christum non dicat, *Ora pro nobis.* Quamvis alii hoc refundant in periculum scandali, ne videlicet fideles in Orationibus ad Christum directis ejus humanitatem cultu Hyperduliæ honorent, omissâ Latriâ. vid. Laym. n. 6. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 1. n. 3.

Dicto octavo. Pro omnibus est orandum, qui nondum sunt in termino hujus vitæ. Ita communis apud Filliuc. tract. 23. cap. 2. n. 62. Ratio est: quia his omnibus licitè optamus beatitudinem, & alia bona tum spiritualia, tum etiam temporalia: ergo etiam licitè ista pro ipsis à DEO petimus, Dixi, *qui nondum sunt in termino.* Nam beati non indigent ampliùs, nostris precibus: damnati verò illis juvari non possunt. possunt tamen juvari animæ Purgatorii, & peccatores etiam maximi, dum sunt adhuc viatores. Quòd si de quopiam nobis constaret, ipsum esse reprobatum à Deo, non esset pro illo orandum: quia sperare non possemus prudenter, ei preces nostras pro futuras: sicut colligitur ex S. Augustino, lib. de corrept. & gratia. cap. 15. 15

Dico nono. Absolutè petenda sunt in Oratione necessaria ad salutem, virtutes nempe & dona supernaturalia: sub conditione tamen tacita vel expressa petenda sunt etiam bona naturalia & temporalia. Ratio primi est: quia illa petenda sunt absolutè, quibûs non possumus malè uti, quæque ex se conducunt ad consecutionem vitæ æternæ: sed ita se habent virtutes ac dona supernaturalia: ergo. Ratio secundi est ab opposito. Nam bonis naturalibus ac temporalibus possumus malè uti, & nobis sæpenumerò sunt exitialia: ergo semper petenda sunt sub conditione, nempe, si nobis futura sint salutaria. vid. Valent. pu. 5. Filliuc. n. 46. & n. 50. Laym. n. 8. Et ista quidem de Oratione in genere. Nunc esto 16

ARTICULUS III.

De Horis Canonicis.

INter alia, quibûs Ecclesia militans in hac valle lacrymarum absentiam cælestis Sponsi consolatur, meritò principem locum sibi vendicat Psalmodia Canonica. Nihil eâ suavius, nihil ad desideria eollium æternorum explicanda accommodatius. Variis nominibus Ecclesiastica hæc Oratio insignitur. Nam dicitur *Horæ Canonicæ*; quia pro certis horis, & quidem per Sacros Canones est constituta. Dicitur *Officium Divinum*: quia continet Divinas laudes, estque id munus & obsequium, in quo Clerici præcipuè occu-

occupati & exerceri debent. Dicitur *Pensum*: quia est opus, solutio, ac veluti tributum Deo quotidie pendendum. Dicitur denique *Breviarium*: quia est summa quædam & compilatio eorum, quæ ad DEI laudem, & gratiarum actionem, nostramque institutionem pertinent. De hoc jam pulcherrimo orandi genere per sequentes Paragraphos disseremus.

§. I.

De publica recitatione Horarum Canonicarum.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Officii Divini cum sua analysi.* 2. *In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus Officium Divinum publicè recitari debet.* 3. 4. 5. 6. *Corollaria ex dictis.* 7. *Publica recitatio Officii Divini peragi debet in templis.* 8. *Si absque justa causa extra Chorum, vel templum fiat, mortaliter peccatur.* 9. *Quo tempore publicè recitandum sit Officium.* 10. *Quale peccatum sit invertere præscriptum ordinem temporis.* 11. *An tardè in Chorum veniens teneatur supplere, quod jam recitatum est?* 12. *In recitatione publica Officii omittere partem notabilem mortale peccatum est.* 13. *Quænam in recitatione publica sit pars notabilis.* 14. 15. 16. 17. 18. *Expediuntur nonnullæ quæstiones huc pertinentes.*

1 Officium Divinum, quod ordinariè Horas Canonicas, seu Breviarium vocamus, rectè describitur ex Filliuc. tract. 23. cap. 3. n. 87. & Bonac. de Hor. Canonic. disp. 1. q. 1. pu. 1. n. 1. quòd sit certa ratio laudandi & orandi DEUM mente & voce, singulis diebus, ac horis definitis, ab Ecclesia instituta. Dicitur *certa ratio*: quia est coordinatio precationum ac laudationum non qualiscunque, sed quædam determinata, & ab omnibus servanda, qui ad id obligantur. Dicitur *laudandi & orandi Deum*: quia duo continentur in Officio Divino, videlicet laudes Dei ob accepta beneficia, & preces pro accipiendis. Dicitur *mente & voce*: quia est Oratio vocalis. unde non satisfaceret, qui sola mente oraret, vel sola voce; sed utrumque requiritur. Dicitur *singulis diebus, ac definitis horis.* quia est onus singulis diebus, ac veluti statis horis annexum. Dicitur *ab Ecclesia instituta.* quia hanc talem formam laudandi atque orandi DEUM coordinavit & præscripsit mater Ecclesia; cujus etiam nomine adhibetur. unde, qui privatim quoque recitat, non debet omittere Dominus *vobiscum*, *oremus*, *benedicamus* & similia, quæ toti Ecclesiæ dicuntur.

2 Dico nunc primo. In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus Horæ Canonicæ publicè recitandæ sunt à personis ad id destinatis. Constat cùm ex receptissima consuetudine; tum ex jure Ecclesiastico id præcipiente in cap. *dolentes. de celebrat. Missar.* & *Clement. prima*, eod. tit. Et ratio est: quia, ut dicit D. Thomas Opusc. 19. cap. 1. *Orationibus & Psalmis vacare in Ecclesia est quoddam opus publicum ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum.* Quem finem ut obtineret Ecclesia, merito judicavit esse necessariam recitationem publicam officii Divini in locis, in quibus solet esse major concursus populi, majorque solemnitas in Dei obsequiis adhiberi. Atqui ejusmodi loca sunt Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, & Regulares; ergo &c. Ex his

3 Colligitur jam primo, esse gravem obligationem & sub mortali peccato recitandi quotidie officium Divinum publicè in Ecclesiis memoratis, in quibus viget consuetudo ita recitandi. Ratio est: quia finis, quem Ecclesia in hac recitatione publica obtinere intendit, est gravis, ejusque præceptum de materia gravi. Dixi, *in quibus viget &c.* quia in pluribus Ecclesiis ea obligatio vel ex parte, vel ex toto per contrariam consuetudinem est ablata; idque vel ob tenuitatem stipendiorum; vel ob paucitatem ministrorum; vel ob eorundem occupationem in aliis negotiis & muneribus Ecclesiæ utilibus & necessariis. Vid. Filliuc. tract. 23. cap. 4. q. 5. & 6. Salmanticenses to. 4. tract. 16. cap. 1. pu. 1. n. 3.

4 Colligitur secundo, Prælatos & Superiores Ecclesiarum, in quibus est consuetudo officium Divinum publicè recitandi, sub mortali peccato obligari ad curandum, ut quotidie ita recitetur. Ita communiter DD. Ratio est: quia hi tales ex officio & graviter obligantur ad invigilandum, ut communitates, quibus præsunt, ea præstent, ad quæ eædem graviter obligantur: atqui communitates Ecclesiarum, de quibus hîc sermo est, graviter obligantur ad Divinum officium quotidiè publicè recitandum; ut vidimus; ergo. Quòdsi Prælatus in hac parte muneri suo desit, quilibet alius ex communitate tenetur pariter sub gravi peccato curare, ne unquam omittatur publica recitatio memorati officii: quia deficiente cura superiorum obligatio officiorum communitatis devolvitur ad singulas personas ejusdem, ut habent communiter DD. Vid. Salmantic. num. 4. Sporer de Hor. Can. cap. 1. n. 16.

5 Colligitur tertio, nullum Religiosum in par-

particulari esse sub peccato mortali obligatum ad Horas cum aliis in choro recitandas. Ratio est: quia nullum fundamentum hujus obligationis habetur sive ex lege aliqua scripta, sive ex consuetudine. Non ex primo capite; quia *Clement. 1. de celebrat. Missar.* quæ adduci solet, solùm significat, esse talem obligationem in communitate. Alii verò textus non de Religiosis, sed de Clericis beneficiariis loquuntur. Sed neque ex secundo capite: quia in Religionibus non datur consuetudo cum tanta obligatione. Itaque singuli Religiosi esse in choro & cum aliis præsentibus psallere debent ex sola vi suæ regulæ, seu constitutionum, vel ex dispositione & præcepto Prælati, quæ regulariter non sub peccato mortali, sed sub pœna potiùs obligare solent. Filliuc. n. 139. Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 4. n. 1. Bonac. de hor. Can. disp. 2. q. 1. pu. 1. n. 9. Salmantic. n. 5. Dices. Clerici sæculares ad chorum deputati tenentur singuli sub mortali interesse; ergo etiam singuli Religiosi ad chorum deputati. Respondeo neg. conseq. quia ejusmodi Clerici ob beneficium, quod recipiunt propter officium, bonaque Ecclesiastica, ex quibus aluntur hac conditione, ut Horas Canonicas in choro psallant, non tantùm ex Religione, sed etiam ex Justitia ad id obligantur, quæ obligatio ex suo genere gravis est. Hæc autem non ita se habent circa Religiosos: quippe qui non ideo ex bonis Ecclesiæ, & fidelium eleemosynis aluntur, ut officium Divinum recitent, sed ut Deo serviant, prout exigit ipsorum institutum.

6 Colligitur quarto, quando in aliquo Monasterio sunt adeo pauci Religiosi, ut non quatuor saltem commodè convenire possint in Choro, tunc nullam esse obligationem publicè recitandi officium Divinum. Ratio est: quia pauciores, quàm quatuor, non censentur sufficere ad constituendam communitatem Religiosam, cui incumbat ea obligatio. Salmantic. n. 6. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 12. Sporer de Hor. Can. cap. 1. §. 2. n. 18. Admittunt tamen iidem Authores & alii, eidem obligationi communitatis satisfieri posse, si quaternarius requisitus compleatur ex Novitiis, vel etiam hi soli in Chorum conveniant. cùm enim Novitii in favorabilibus reputentur pro Religiosis, onera communitatis, quæ ab ipsis sustinentur, à Religiosis sustineri censentur. Et ista quidem de Religiosis. De Clericis ad Chorum deputatis rigidiùs sentiendum est. hos enim, etsi tres, aut etiam duo tantùm essent, non fore deobligatos à publica recitatione Horarum, communis habet opinio. Ratio est: quia hi tales Beneficiarii ob pactum saltem implicitè initum cum fundatoribus ex justitia tenentur servare Chorum, quoties & quamdiu alternatio canentium aliqua ratione servari potest: sed hæc à duobus vel tribus servari potest, ergo. vid. Tambur. & Sporer locis citt.

Dico secundo. Ad publicam recitatio- 7
nem Officii Divini requiritur, ut peragatur in templis ad hoc munus destinatis. Ita communis. Habetur ex Jure Ecclesiastico, præsertim Clement. 1. de celebrat. ubi dicitur, in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis esse devotè psallendum. Ratio indicata est suprà in n. 2. Constat præterea ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, Officium Divinum publicè semper esse recitatum in templis.

Corollarium. Mortale peccatum est, 8
nisi justa causa excuset, Officium Divinum communiter recitare alibi, quàm in Choro, vel templo. Ratio est: quia ejusmodi recitatio graviter adversatur intentioni fundatorum & præcepto Ecclesiæ. Dixi, *nisi justa causa excuset.* cujusmodi causa est primo gravis necessitas, ut, si periculum sit, ne templum collabatur, vel, si grassante persecutione Canonici in Ecclesia congregari nequeant. Secunda est consuetudo, qua alicubi introductum est, ut certa aliqua die, vel festivitate Officium in oratorio privato, vel Capitulo recitetur. vid. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 5. à n. 1. Salmantic. pu. 2. num. 8.

Dico tertio. In recitatione publica 9
Officii Divini illud tempus servari debet, quod vel particularis aliqua constitutio, vel laudabilis mos & consuetudo præscripsit. Ratio est: quia ita tenet hodierna praxis Ecclesiarum. quamvis enim ex jure communi horæ ita designatæ habeantur, ut Matutinum cum Laudibus à Solis occasu usque ad ortum; imò proximè post mediam noctem dicatur; Prima verò post ortum Solis, Tertia, Sexta, & Nona ante prandium, sive circa meridiem, Vesperæ post meridiem, præterquam in Quadragesima; Completorium prope noctem; hodie tamen Matutinum cum Laudibus (ut nihil jam dicamus de cæteris horis) in solis ferme Monasteriis (imò neque in his omnibus) retinet tempus mediæ noctis; sed in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis ad Solis occasum, vel summo manè decantari solet. vid. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 3. n. 6. Salmantic. n. 7. Sed hinc oritur

Quæstio prima. Quale peccatum sit 10
in Choro sine rationabili causa invertere ordinem temporis præscriptum pro recitatione Horarum, v. g. recitare Matutinum post Horas minores, Primam, vel Sextam post meridiem? Prima sententia affirmat, peccare mortaliter tum Prælatum ejusmodi inver-

inversionem pefmittendo, tum alios ad eandem concurrendo. Ita Azorius, Suarez, Filliucius, Sotus, Villalobos & alii, quos referunt & sequuntur Salmantic. n. 11. Ratio est: tum, quia in Choro invertere ordinem temporis præscriptum ad recitandas Horas continet deformitatem notabilem; utpote in re valde gravi. tum, quia Ecclesia gravissimè præcipit, & quidem sub pœna Excommunicationis in cap. 1. *de celebr. Missar.* ut statutis temporibus in Choro recitentur Horæ Canonicæ. Secunda sententia negat id esse peccatum mortale, secluso scandalo, aliave circumstantia. Ita Valent. disp. 6. q. 2. puncto 10. col. 1740. Bonac. q. cit. pu. 3. n. 7. & pu. 4. n. 5. Laym. loco cit. & alii. Ratio est: quia hæc circumstantia temporis non ingreditur substantiam materiæ præceptæ, unde neque præcipitur primariò, sed secundariò tantùm veluti quid accidentale, cujus proinde variatio ex suo genere est res levis, & non continet gravem deformitatem. Fatendum tamen est, ratione scandali faciliùs in hac re mortaliter peccari posse. Et hanc sententiam judico esse præferendam. Ad primum fundamentum oppositæ jam patet ex dictis. Ad secundum dic, in illa Clement. 1. præcipi Superioribus, ut subditos ad devotè psallendum in Choro Officium Divinum compellant, etiam per Censuras Ecclesiasticas; de circumstantia verò temporis nihil præcipi, nisi fortè secundariò; adeoque non sub peccato mortali. Dictum est autem in quæst. *sine rationabili causa.* Nam si talis aliqua interveniat, consueta Horas in Choro recitandi tempora immutare ne quidem veniale peccatum erit, ut omnes fatentur. Talis porrò causa esset v. g. si communitas ad honestam aliquam recreationem ire vellet, ideóque primo manè omnes Horas uno temporis tractu recitaret; vel, si insignis concio, vel processio habenda esset, & propterea Vesperæ in Quadragesima ultra aliquot horas post meridiem differrentur &c. vid. Salmantic. n. 9.

11 Quæstio secunda. Si Clericus, vel Religiosus tardè in Chorum veniat, Horâ jam inchoatâ, an teneatur postea supplere, quod in ea recitatum est? Respondeo, teneri, si in Hora jam multùm processum est: non teneri, si parùm, v. g. in Matutino per unum, vel duos Psalmos, processum est. Nam sicut in auditione Missæ, ita etiam in Officio Canonico omissio modici æstimari non solet. Accedit vel maximè, quòd ob societatis vinculum alii cantantes defectum socii supplere censeantur. Laym. cap. 5. n. 7. Salmantic. n. 12. qui posteriores hoc idem docent de eo, qui ob aliquod accidens, v. g. fluxum sanguinis è naribus, impeditur, ne pergat in psallendo, ideoque exit è Choro, sed postea revertitur.

Dico quarto. In recitatione publica 12
vel omnes Horas Canonicas per integrum diem naturalem, vel unam integram Horam, vel partem notabilem totius Officii omittere peccatum mortale est. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia omittere Horas Canonicas vel ex toto, vel secundùm partem notabilem extra Chorum peccatum mortale est, ut nemo non fatetur: ergo similiter peccatum mortale erit hæc omittere in Choro.

Sed jam difficultas oritur, quænam in 13
recitatione publica sit pars notabilis Officii Canonici? Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 13. n. 3. Salmantic. pu. 3. n. 17. existimant, unum integrum Psalmum esse partem seu materiam notabilem, adeoque sufficientem, si voluntariè omittatur, ad peccatum mortale, esto, non sit pars notabilis comparatè ad Officium, dum recitatur privatim, sive extra Chorum. Ratio est: quia recitatio publica est gravior & dignior quàm privata: consequenter minor pars in illa, quàm in hoc, censenda est notabilis. talis autem pars, inquiunt, est integer Psalmus. Confirmatur. Quia verba Canonis in Missa sunt quid gravius & dignius, quàm ea, quæ sunt extra Canonem, minor quantitas illorum sufficit ad peccatum mortale omissionis, quàm istorum, ut tenet communis sententia. unde licèt omissio Epistolæ, vel Evangelii v. g. non censeatur esse peccatum mortale, omissio tamen partis æquivalentis, aut etiam dimidiæ in Canone, haud dubiè peccatum mortale est. Ergo similiter, quia recitatio publica Officii Divini quid gravius & dignius est, quàm recitatio privata, in illa minor quantitas est pars notabilis & sufficiens ad peccatum mortale, quàm in ista: & consequenter licèt extra Chorum quis recitans Horas non peccare mortaliter supponatur omittendo voluntariè integrum Psalmum, peccabit tamen mortaliter communitas, si omittat in Choro.

Verùm Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 5. pu. 1. n. 3. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 12. & alii contendunt, circa præsentem difficultatem idem esse sentiendum in recitatione publica, quod in privata. Rationem reddit Tamburinus: quia non est diversum præceptum quoad substantiam illud, quo tenemur recitare in Choro, ab eo, quo tenemur privatim: ergo nec est diversa gravitas, vel levitas quoad ejus materiam. Sed facilè respondetur ex Salmant. etiam præceptum, quo Sacerdos tenetur in Missa dicere verba Canonis, non esse diversum à præcepto dicendi cætera: ergóne nulla in eis diversitas quoad gravitatem, vel levitatem? minimè sanè. Videtur itaque procedendum ex alio fundamento ac

dicen-

dicendum, recitationem publicam Officii Divini ratione solemnitatis ac cæremoniarum esse quidem graviorem & digniorem, quàm recitationem privatam; sicut gravior ac dignior est publica seu solemnis celebratio Missæ, quàm privata; ipsum tamen Officium, quod publicè recitatur, non esse gravius ac dignius illo, quod privatim recitatur: adeoque, seclusâ circumstantiâ scandali, aut aliâ, nullam esse rationem asserendi, minorem partem sufficere ad peccatum mortale omissionis, dum Officium recitatur in Choro, quam dum recitatur privatim. Confirm. Licèt solemnis celebratio Missæ sit gravior ac dignior, quàm celebratio privata, partes tamen Missæ utrobique sunt æqualis gravitatis & dignitatis, ita ut nulla sit notabilis, aut levis in una, quæ non sit notabilis aut levis in altera: ergo similiter licèt publica recitatio Officii Divini sit dignior & gravior, quàm privata, partes tamen Officii utrobique retinent eandem gravitatem ac dignitatem, ita, ùt, quæ notabilis aut levis est in una, sit etiam notabilis aut levis in altera. Ex his proinde judico, secundam hanc sententiam esse firmiorem primâ, quæ haud dubiè tuta est, & aliquando consulenda, ait Bonacina. Sed nunc operæ pretium est nonnullas quæstiones hujus loci resolvere.

14 Quæritur primo, an occupatus in ministeriis ad Chorum pertinentibus, v. g. in pulsando organum, vel campanas; tollendo folles organi, transferendo libros, vel luminaria, prunas afferendo, thus parando, thurificando; Lectiones, Responsoria, Antiphonas canendas relegendo, ne erret, &c. satisfaciat obligationi recitandi, si interim partem aliquam Officii nec cantavit, nec audiit? Respondeo, satisfacere, nec teneri ad quidquam postea repetendum. Ita Azorius par. 1. lib. 10. cap. 13. q. 20. Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 5. n. 7. Sporer de Hor. Can. cap. 2. n. 98. & alii communiter. Ratio est: quia totus Chorus, in cujus ministerio occupatur, pro illo canit, ejusque vicem supplet. Confirmatur. Qui Missæ inservit, eique cooperatur parando rem necessariam, audire censetur: ergo etiam, qui modis recensitis Officio in Choro cooperatur, canere censetur. Hinc aliud est de eo, qui aliis in Choro canentibus Confessiones excipit: tenetur enim repetere, quæ omisit: quia Confessiones audire non est cooperari Officio Canonico.

15 Quæritur secundo, an suppleri debeant à recitantibus in Choro illa, quæ solis organis Musicis cantantur? Respondeo, debere à singulis submissa voce suppleri. Ita communis. Ratio est: quia solius organi, aut alterius instrumenti sonus non est Oratio, nec attendens ad eundem dici potest cum veritate ad Orationem attendere. Aliud est, dum aliquis in Choro clara voce pronuntiat, quæ organò pulsantur, vel ipsi Musici simul cantant: tunc enim sufficit istos attendere, & nihil est necessariò supplendum. Vid. Salmantic. tr. 16. qui est de Hor. Can. cap. 1. pu. 3. n. 20. Bonac de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 1. n. 13. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 4. n. 14. Sed contra sententiam communem procedit Sanchez lib. 7. Consilior. Moral. c. 2. dub. 16. ubi negat, aliquid eorum, quæ instrumentis Musicis canuntur, esse supplendum, traditque post Navarrum, Sotum & alios, Organœdum non esse obligatum ad repetendum, quod pulsavit. Ratio ipsius est: quia Ecclesia ejusmodi sonum organicum acceptat pro vocibus, & pro parte Divini Officii. Hæc sententia non est improbabilis; imò valde probabilem esse ait, Trullenchus apud Salmantic. loco cit. Illud certum esse tradit Sporer. 99. si Antiphona tantùm, aut Versus, Canticum, Magnificat Musicaliter cantetur, præsentes satisfacere præcisè attendendo.

Quæritur tertio, an satisfaciat obliga- 16
tioni recitandi, qui recitat partem suam, sed non attendit, nec audit partem alterius Chori? Respondeo, non satisfacere. Bonac. n. 20. Salmantic. n. 24. & alii. Ratio est: quia licet suam partem recitet, aliam tamen partem non facit suam per auditionem, quæ in locum pronuntiationis ab ipso faciendæ deberet succedere, ut totum Officium recitare censeretur. Adeoque non recitat totum Officium, quod tamen recitare tenetur. Sed quid si attendat, quantum potest, & tamen non audiat partem alterius Chori; vel quod ipse surdus, aut surdaster sit; vel strepitus fiat in Choro? Respondeo, probabiliùs neque tunc 8 1
satisfacere, nisi partem alterius Chori saltem in confuso percipiat. Bonac. loco cit. & alii. Ratio est, tum, quia juxta communem sententiam surdus cum socio recitans non satisfacit, eò quòd non communicet cum illo audiendò partem ipsius: sed etiam in nostro casu recitans non communicat cum altero Choro; ergo. tum, quia revera non recitat totum Officium, sed partem tantùm; cùm alteram partem non faciat suam per auditionem, quæ in locum pronuntiationis deberet succedere. Neque refert, quòd faciat, quantum potest, si re ipsa non ponat, quod ad recitationem in Choro est necessarium. Contrariam sententiam, quæ probabilis est, præter Tambur. §. cit. n. 13. tenent Salmantic. loco cit. & alii apud ipsos. Ratio præcipua est: quia talis in Choro moraliter assistit Officio, quodque ipse recitat, cæteris communicat: & quia aliunde per ipsum non stare supponitur, quominùs partem, quam alii recitant, suam faciat audiendò, totus

Chorus communicat, utpote corpus quoddam mysticum omnibus membris sua communicans, & supplens defectum cujuslibet in particulari, nisi per ipsum stet, quominùs suppleat. Excipit tamen Tamburinus omnino surdum, sicut & omnino cæcum; quia ille non censentur recitare, vel moraliter assistere ad recitandum id, quod nullatenùs audire potest, hic verò nequidem suam partem recitare potest.

17 Quæritur quarto, an submissa voce recitans ita, ut ab altera parte Chori audiri non possit, satisfaciat? Prima sententia, quæ est Cajetani & aliorum apud Salmantic. num. 25. negat satisfacere. Rationem reddit: quia non cantans, sed tantùm submissâ voce recitans suam partem non communicat eandem cantantibus in altero Choro. Sed melius dicitur cum alia sententia, talem satisfacere præcepto recitandi, & nihil teneri reperere, dummmodo pars Chori, in qua ipse est, recitare audiatur, ipseque alios audiat. Ita Filliuc. tract. 26. cap. 6. n. 195. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 1 n. 16. Tambur. loco cit. n. 15. & plures alii, quos referunt, & sequuntur Salmantic. loco cit. Ratio est: quia non tantùm recitat suam partem, sed etiam communicat in parte alterius Chori illi eandem communicantis; quamvis ipse non communicet illi suam partem. Dictum est autem *satisfacere præceptorecitandi*. non enim satisfacit debito servitio Ecclesiæ exigentis ab ipso, si Canonicus est ad Chorum deputatus, ut recitet Officium quomodocunque, sed publicè, atque adeo clara voce, & psallendo cum aliis. Unde etiam nullas potest distributiones percipere. Bonac. n. 17. Tambur. loco cit.

18 Quæritur quinto, an sit obligatio recitandi in Choro Officium B. Virg. Officium defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales iis diebus, quibus illorum recitatio præscribitur? Respondeo, respectu illorum, qui Breviario Romano utuntur, nullam esse obligationem. Ita omnes DD. qui post Bullam Pii V. dicto Breviario præfixam scripserunt. Ratio est: quia Pontifex in ea Bulla sustulit eam obligationem, ut legenti patebit. Excipe tamen primo Officium B. Virg. in illis Ecclesiis, in quibus est universalis consuetudo illud Officium recitandi. Ratio est: quia Pius nihil immutavit circa hanc talem consuetudinem, sed voluit potiùs in memorata Bulla, ut observetur. Itaque peccatum mortale erit in ejusmodi Ecclesiis non recitare communiter illud Officium. Cœterùm, qui in Choro tenentur recitare, non tenentur extra: quia vi talis consuetudinis obligatur sola communitas, & non personæ singulares. Unde nec in Choro qui existens tenetur recitare cum aliis, quando videt hoc ab ipsis sufficienter præstari sine suo concursu. Excipe secundo Officium defunctorum in die Commemorationis eorum. Ratio est: quia istud Officium habetur pro parte Officii Canonici ejus diei. Unde etiam privatim, sive extra Chorum recitari debet: &, qui illud cum Officio diei omittit, unum tantum admittit peccatum mortale; quia tunc utrumque Officium per modum unius præcipitur. De Litaniis omnium Sanctorum in die S. Marci & diebus Rogationum idem sentiendum est. Nam & ipsæ reputantur pro parte Officii ejus diei. Hinc etiam recitari debent privatim ab omnibus, qui tunc publicæ processioni non interfuerint. Imò addit Gavantus in Rubr. Breviarii, sect. 6. c. 16. ex declaratione Sacræ Congregationis teneri privatim recitare etiam illos, qui interfuerunt quidem processioni, sed non cecinerunt. At certè, ait Sporer, hæc declaratio non servatur in Germania. Vid. de his omnibus Salmantic. pu. 3. c. 1. à n. 21. Laym. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 3. Tambur. lib. 2. cap. 5. §. 2. à n. 13. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 2. n. 16.

Verùm contra secundam hanc nostram exceptionem plures excipiunt, nec ullam agnoscunt obligationem sive Officium defunctorum, sive Litanias recitandi, privatim saltem, diebus memoratis: quia negant, ista esse partem Officii illarum dierum. Confirmant ex eo, quòd Pius V. absolutè liberet Sacerdotes à recitatione Officii defunctorum. Unde, si Rubrica Breviarii nihilominùs præscribat hoc Officium & Litanias dictis diebus, putant, eam esse merè directivam. Tambur. non audet hanc sententiam damnare improbabilitatis. Vide ipsum n. 14. Imò esse probabilem satis clarè indicant Salmantic. n. 23. Cæterùm, qui non utuntur Breviario Pii V. tenentur in his omnibus servare consuetudinem sui loci, ac Ecclesiæ, eoque modo, quo consuetudo ab ipsis recepta est.

§. II.

Quinam teneantur Horas Canonicas recitare privatim?

SUMMARIUM.

19. *Omnes Clerici in Sacris constituti tenentur recitare privatim Horas Canonicas, si publicè non recitent.* 20. 21. 22. 23. 24. *Sequelæ practicæ.* 25. *Memorata obligatio recitandi incumbit etiam Religiosis professis ad Chorum deputatis, etiamsi non sint constituti in Sacris Ordinibus.* 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Resolutiones practicæ.* 32. *Refellitur sententia memoratos professos eximentium ab onere recitandi privatim.* 33. *Ejusmodi Religiosi toties peccant mortaliter, quoties omittunt Horas*

Canq-

Canonicas recitare privatim, quas non recitarunt in Choro. 34. *Ad Horas Canonicas similiter tenentur omnes Beneficiati, etiam non initiati Sacris Ordinibus, si Beneficium sponte susceperint, & ex illo fructus annuos percipiant.* 35.36.37.38. *Quinam ex talibus Beneficiatis excusentur à recitatione Horarum.* 39. *An eodem die teneatur recitare pluries, qui habet plura Beneficia?* 40. *An teneatur recitare, qui habet Beneficium tenue?* 41. *Quodnam Beneficium censendum sit tenue?* 42. *Quid de habente substitutum, seu Vicarium?* 43. *Quid de habente Capellaniam non sacram?* 44.45. *Expediuntur duæ aliæ quæstiones huc pertinentes.*

19 TRia sunt genera personarum, de quibus hæc quæstio instituitur, scilicet primo, Clerici majoribus ordinibus initiati, qui sunt Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri. Secundo, Religiosi professi ad Chorum deputati. Tertio, Beneficiarii Ecclesiastici. De quibus omnibus ut breviter disputemus,

Dico primo: Omnes Clerici in majoribus ordinibus constituti tenentur recitare Horas Canonicas. Ita omnes DD. Ratio melior reddi non potest, quàm antiquissima, universalissima & receptissima in tota Ecclesia consuetudo, qua hæc obligatio respectu dictarum personarum fuit legitimè præscripta. cùm ex nullo jure scripto, quantum attinet ad recitationem privatam, de qua hîc agimus, sufficienter ostendi possit. Intelligitur autem statuta Conclusio de iis, qui memoratos Ordines sponte suscipiunt, aut saltem per liberum exercitium Ordinis coactè susceptis annexas eidem obligationes consentiunt, ut habent Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 29. num. 7. Castropal. to. 2. tr. 7. disp. 2. pu. 1. §. 1. n. 1. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 1. a. 1. n. 1.

20 Sequitur jam primo, Clericos in solis minoribus constitutos non obligari ad recitandas Horas Canonicas. Suarez tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. n. 10. Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 4. num. 5. Filliuc. tract. 23. c. 5. n. 145. & alii communiter. Ratio est: quia consuetudine universali, cujus meminimus, non comprehenduntur hi tales Clerici; imò potiùs consuetudo est in contrarium. Sed neque jus aliquod, quo obligantur, ostendi potest. Tradunt insuper Authores citt. eosdem nec ad Officium B. V. vel Psalmos Pœnitentiales, vel alias certas preces recitandas esse obligatos, ut nonnulli docuerunt. quod tamen intellige, nisi alicubi talis obligatio consuetudine speciali fuerit introducta: hanc enim observare tenerentur.

Sequitur secundo, Clericum in majoribus constitutum obligari ad recitationem Ho-

21 rarum, tametsi excommunicatus, suspensus, interdictus, imò & degradatus sit. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 8. n. 11. Laym. n. 4. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 3. n. 3. Salmantic. tr. 16. cap. 2. pu. 1. n. 4. Ratio est: quia propter similia non desinit esse constitutus in Sacris Ordinibus, quod est fundamentum hujus obligationis. neque ullo privilegio eximitur ab onere his Ordinibus annexo: cùm aliàs commodum ex suo debito reportaret. aliunde quoque privata recitatio Divini Officii ejusmodi pœnis non adversatur.

Sequitur tertio, etiam damnatos ad tri- 22
remes, aut captos à Turcis manere obligatos ad Officium Horarium, nisi ob impotentiam, vel aliam legitimam causam excusentur. Azor. par. 1. lib. 10. c. 5. q. 6. Bonac. n. 4. Ratio est: quia neque in tali statu desinit fundamentum hujus obligationis. Verùm alii hos miseros eximunt ab hoc onere, tum, quia planè videtur alienum à benignitate matris Ecclesiæ tantopere afflictis addere afflictionem, eosque tam gravi obligationi velle subjectos: tum, quia non modicè adversaretur decori Ordinis Ecclesiastici, si in tanto squalore, hominumque colluvie statum suum eo genere orandi manifestarent. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 4. Salmantic. loco cit. ubi plures referunt.

Sequitur quarto, Subdiaconum v. g. qui 23
ex dispensatione Papæ duxit uxorem, adhuc obligari ad Horas Canonicas, nisi fortè etiam in hoc ipso obtinuerit dispensationem. Azor. q. 5. Bonac. n. 5. Ratio est: tum, quia dispensatio est odiosa, adeoque strictè explicanda: tum, quia talis maritus adhuc retinet characterem indelebilem Ordinis, propter quem contraxit eam obligationem. Addit Azorius, Græcos Sacerdotes esse matrimonio junctos, & nihilominùs cogi præstare Divinum Officium.

Sequitur quinto, Clericum statim obli- 24
gari ad onus Breviarii, quamprimùm suscepit Subdiaconatum. Bonac. pu. 5. n. 9. Sporer de Hor. C. c. 1. n. 6. Ratio est: quia obligatur ob Ordinem Sacrum; ergo illo suscepto statim obligatur. nam posità causâ ponitur effectus. Debet autem tò *statim* non accipi Mathematicè aut physicè, sed moraliter, id est, de tempore non immediatè physicè, sed immediatè moraliter succedente horæ Ordinationis. Sed dubium est, an recentissimus ejusmodi Subdiaconus teneatur recitare Officium totum illius diei, quo est ordinatus? Respondeo cum communi sententia, teneri tantùm ad Horas correspondentes tempori, quod sequitur post Ordinationem. Unde, si ordinatus est manè circa Nonam, tenetur solùm ad Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium. si circa undecimam vel meridiem, tenetur ad

solas Vesperas & Completorium. Vid. Sporer loco cit. Salmantic. n. 6. De inceptione obligationis ad Horas Canonicas ratione Beneficii, vel Professionis Religiosæ eadem sentienda sunt.

25 Dico secundo. Ad Horas recitandas privatim, si non recitent in Choro, obligantur præterea omnes Religiosi professi utriusque sexûs ad Chorum deputati; adeoque & mares etiam non constituti in Sacris Ordinibus. Ita communissima & vera sententia. Optima ratio, aliis prætermissis, in hunc modum formatur: Consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta obligat instar legis, ut habet omnium sententia: sed apud Religiosos memoratos est ejusmodi consuetudo recitandi Officium Divinum privatim, si non recitent in Choro; ergo eosdem obligat ad ita recitandum. min. ostenditur. Nam inprimis esse consuetudinem recitandi privatim, quis neget? eam verò esse rationabilem, patet; cùm sit de re sancta & vel maximè honesta: esse demum legitimè præscriptam, & introductam per sufficiens tempus, quod planè immemoriale est, nemo prudenter dubitare potest. Vid. Valent. 2. 2. to. 3. disp. 6. q. 2. pu. 16. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. Filliuc. tr. 23. cap. 5. à n. 149. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 2. n. 1. Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 4. n. 2. Salmantic. tr. 16. cap. 2. n. 19. Illsung tract 5. disp. 1. q. 1. a. 1. n. 4. & alii passim. Nunc resolves sequentia.

26 I. Mortaliter peccant Religiosi professi quicunque ad Chorum deputati, quoties vel partem notabilem Officii Divini, vel totum Officium sine causa sufficienter excusante non recitant privatim intra tempus præscriptum, quando id non præstant in Choro. Ratio est: quia legitima consuetudo obligat instar legis; adeoque graviter & sub mortali in materia gravi. Atqui consuetudo recitandi Officium Divinum est legitima, & circa materiam gravem; ergo obligat graviter, quoscunque obligat. Salmantic. loco cit.

27 II. Si daretur Religio Choro addicta, de qua sufficienter constaret, non esse in ea consuetudinem, ut singuli Horas recitent privatim, quando non recitant in communi, sive in Choro, eandem professi, quamdiu non essent in Majoribus, non tenerentur privatim recitare sub aliquo peccato. Ratio est: quia tantùm obligantur vi consuetudinis: ergo ubi ista non daretur, etiam obligatio non daretur. Sanchez, lib. 7. Consilior. cap. 2. dub. 3. Salmantic. n. 20.

28 III. Prælati regulares circa professos in Majoribus non constituros ob justam causam, v. g. studia litterarum, aliave negotia, dispensare possunt, ut teneantur recitare Horas Canonicas. Bonac. num. 9. Salmantic. loco cit. Sporer de Hor. Can. cap. 1. n. 14. Ratio est: quia obligatio recitandi respectu illorum decendit solùm ex præscripta consuetudine, non verò ex lege aliqua Superiorum, in qua non posset dispensare inferior. Neque refert, quod Prælati non soleant dispensare circa hanc obligationem: quia facultas quid faciendi citra aliorum injuriam non amittitur per non usum, adeoque illâ uti licet, si libet.

29 IV. Ad Horas Canonicas non tenetur Novitius ante professionem, neque Conversus ante, vel post professionem, quod idem dic de Novitia & Conversa in Monasteriis Monialium. Ratio est: quia Conversi non sunt Religiosi ad Chorum deputati. Novitii autem non sunt verè Religiosi, & in odiosis æquiparantur sæcularibus: adeoque non tenentur ad onera Religionis per se loquendo. Ab eadem obligatione Horarum immunes sunt Religiosi Societatis Jesu non constituti in Sacris: item Religiosi militares, & hospitalarii, quia nempe non sunt Religiosi ad Chorum deputati. Bonac. n. 7. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 7. §. 1. n. 6. & alii communiter.

31 V. Religiosus, qui in Religione, quam nunc profitetur, ad Horas obligatur, non amplius obligatur, postquam transivit in aliam, quæ non est addita Choro. Exemplum esset, si quis ex Canonico Regulari S. Augustini fieret Jesuita. Ratio est: quia consuetudo non obligat, ubi non est recepta: atqui in posteriore Religione consuetudo recitandi Horas non est recepta; ergo. Bonac. n. 3. Salmantic. cap. cit. pu. 2. n. 9. Quod idem dic de Religioso ad Chorum deputato, si authoritate Superiorum ad statum Conversorum transferatur; nam etiam in hoc statu non est recepta ea consuetudo. Azor. 1. par. lib. 10. cap. 6. q. 7. Suarez lib. 4. cap. 17. n. 7.

32 VI. Quamvis Religiosus ad Chorum deputatus, cui per dispensationem Summi Pontificis licitum est in perpetuum vivere extra Monasterium, nihilominùs teneatur ad recitationem Horarum, non tamen tenetur, si ex eadem dispensatione contrahat Matrimonium. Ratio est: quia in primo casu non aufertur à tali fundamentum obligationis, quod est esse in statu Religiosi professi ad Chorum; aufertur autem in secundo casu: quia tunc Pontifex dispensat in voto castitatis, quod est de essentia status Religiosi; adeoque dissolvit hunc statum, & mutat Religiosum in non Religiosum. Vid. Salmantic. pu. cit. n. 9. & 10. & alios ab iisdem relatos. Religiosum fugitivum, sicut etiam ejectum per sententiam; imò & damnatum ad triremes obligatione recitandi Horas adstrictum manere docent probabiliùs Suarez n. 9. Laym. lib. 4. tr. 1. cap. 4. n. 2. quia nempe hi tales manent verè Religiosi ad Chorum deputati, &c.

consequenter adstricti obligationibus Religionis, quibus proinde, si commodè possunt, satisfacere tenentur.

32 Nunc juvat audire sententiam contrariam nostræ, quæ asseritur, Religiosos professos ad Chorum deputatos, sacrisque non initiatos non obligari ad Horas Canonicas privatim recitandas. Eam tanquam probabilem non pauci tuentur apud Salmantic. n. 17. quibus addendus est etiam Sporer. de Hor. Can. cap. 1. n. 14. Igitur in favorem ejus sententiæ sic arguitur, primo. Ut consuetudo habeat vim legis obligantis sub peccato, debet esse introducta ab habentibus authoritatem condendi legem: sed consuetudo recitandi privatim Horas Canonicas, de qua loquimur, non est à talibus introducta, utpote orta à juvenibus privatis, imò & mulieribus, quibus nulla potestas legislativa competit; ergo. Secundo. Eadem consuetudo introducta est ex mera devotione, & sine animo contrahendi aliquam obligationem sub peccato; sicut consuetudo salutandi B. Virginem ad pulsum campanæ: ergo sicut hæc, aliæque similes non obligant sub peccato, ita nec illa, saltem sub mortali. Tertio. Consuetudo introducta à multitudine existimante per errorem, aut ignorantiam, se obligari ad hæc vel illa, non obtinet vim legis, sed detecto errore vel ignorantia tollitur. Atqui nostra consuetudo sic introducta est; cùm habuerit authores personas idiotas erroneè judicantes se obligari ad privatam recitationem Horarum, si in Choro non recitâssent. Quarto. Sicut lex dubia non obligat, ita nec consuetudo. Atqui plures & graves Doctores dubitant de consuetudine, quam asserimus, tum, an revera existat, tum, si existat, an sit introducta ex animo contrahendi obligationem sub peccato, præsertim mortali? Quinto. Tantum onus absque ullo expresso præcepto vel titulo assignabili imponere sub mortali peccato est intolerabile, ait Sporer. Consuetudo autem vim legis habens à DD. assignata supponitur tantùm, non probatur, neque ulla ratione probari potest.

Respondeo ad primum neg. maj. quam esse falsam inde patet, quòd aliàs nullæ communitates subjectæ supremo principi, sive Ecclesiasticæ, sive civiles, possent introducere consuetudinem obligantem per modum legis; quia nempe non possunt condere legem, sed solus princeps potest. Consequens autem repugnat experientiæ. Sufficit igitur ad introducendam consuetudinem per modum legis, quòd communitates, sive virorum sive fœminarum, capaces sint gubernationis passivæ per legem, quia non introducunt illam ex vi propriæ Authoritatis, sed ex consensu superioris tacito vel expresso. Vid. D. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ad 3.

Ad secundum respondeo neg. Antec. Nam tres conditiones communiter à Doctoribus requiruntur, ut consuetudo quæpiam censeatur introducta ex animo contrahendi obligationem. Earum prima est, ut materia sit gravis, & populus circa illam continua & non interrupta observatione operetur. Secunda, ut Superiores graviter reprehendant, aut puniant eos, qui non observant talem consuetudinem. Tertia, ut homines prudentes & timorati malè sentiant de non observantibus ejusmodi consuetudinem; vel populus communiter scandalizetur, eò quòd existimet, consuetudinem non posse negligi sine peccato. Omnes istæ conditiones in consuetudine, de qua nobis sermo est, inveniuntur.

Ad tertium respondeo neg. mi. quamvis enim ii, qui hodie observant hanc consuetudinem, fortè errent suo modo, in quantum nesciunt, unde suam obligationem acceperit; primi tamen auctores, quibus debet originem & vim obligandi, gratis arguuntur erroris aut ignorantiæ; cùm potiùs existimandum sit, sicut in aliis rebus, ita etiam in hac consuetudine ex instinctu Spiritus Sancti processisse, & ex certa scientia, seque obligare voluisse, sive aliunde obligati essent, sive non essent: de quo non ita operosè curabant, sicut hodie curant subtiles obligationum osores, sed sequebantur, quod sanctius atque perfectius esse videbatur.

Ad Quartum respondeo, consuetudinem, de qua loquimur, existere, illos tantùm non videre, qui sponte claudunt oculos; licèt Cajetanus verbo *Horæ Canonicæ* dicat, se de illa nihil scire; quod sanè mirum est. Jam verò suppositâ existentiâ consuetudinis, negantibus, eam esse introductam ex animo contrahendi obligationem, id probandum incumbit. Sed quando probabunt Authores oppositi? nos quidem sic esse introductam in responsione ad 2. ostendimus ex conditionibus ad id requisitis; quas si, ut par erat, expendissent, qui in hac parte hujusque dubitârunt, fortè nunquam dubitâssent. Quidquid sit, eorum dubitatio non adimit moralem certitudinem communissimæ sententiæ nostræ.

Ad Quintum patet ex dictis, nos illud onus recitandi sub peccato mortali non imponere absque titulo assignabili, cùm assignemus consuetudinem: quam habere vim legis non præcisè supponimus, sed probavimus.

Corollarium. Religiosus professus ad 33
Chorum & in sacris non constitutus mortaliter peccat, si vel semel omittat recitare privatim Horas Canonicas, quas in Choro non recitavit, verbo: toties peccat mortaliter, quoties omittit. Hoc est contra Aragonium & alios apud Salmanticenses, tract. 16. cap. 2. punct. 2. n. 18. qui docent, hanc obligationem

tionem non esse tam rigidam, ut ejusmodi Religiosus peccet mortaliter semel, aut iterum Divinum Officium omittendo. Ratio Corollarii est: quia vel consuetudo recitandi est talis, ut æquivaleat legi, aut præcepto, vel non est talis? si primum; etiam per unicam omissionem ejusmodi professus peccabit mortaliter, non minùs, quàm Clericus constitutus in Sacris, qui itidem non nisi ex consuetudine obligatur ad recitationem Horarũ. Si secundum: non peccabit mortaliter, tametsi frequenter, imò semper omittat recitare; quia nullam obligationem sive legis, sive præcepti, sive consuetudinis transgreditur. Accedit, quòd Religiosis juvenibus non sit aperienda janua ad quærendos prætextus emanendi è Choro, & simul omittendi Officium Divinum etiam extra Chorum. Vide Suarez lib. 4. de Horis Can. c. 17. n. 6. Filliuc. tr. 23. cap. 5. n. 152. Salmantic. loco cit.

34 Dico tertio. Ad Horas Canonicas denique tenentur omnes Beneficiati, qui habent & possident Beneficium sponte susceptum; & ex eo annuos fructus percipiunt, vel moraliter certò percepturi sunt, tametsi in Sacris Ordinibus non sint constituti. Ita communis. Ratio est: tum, quia quilibet tenetur ad Officium, propter quod ipsi datum fuit Beneficium: atqui Beneficium datur propter Officium, in quo continentur etiam Horæ Canonicæ. tum; quia ita receptum est usu & consuetudine Ecclesiæ & conforme intentioni fundatorum. tum, quia ita habetur in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. & in Bulla 138. Pii V. editâ anno 1572. Ex his deducitur

35 Corollarium I. Non tenetur recitare Horas, qui Beneficium suscepit invitus, & metu etiam reverentiali coactus, nisi postea reddítus ejus liberè percipiat. Salmantic. c. 2. pu. 3. n. 26. Illsung tr. 5. disp. 1. a. 1. n. 2. Ratio est: quia non apparet, qua æquitate talis ad hoc onus obligari possit. Confirm. Propter Ordinem coactè susceptum non obligatur quis ad pensum Horarium ut suprà n. 19. notavimus: ergo nec propter Beneficium coactè susceptum. Dixi tamen, *nisi postea &c.* quia per liberam receptionem fructuum censetur ratificare collationem Beneficii, adeoque & consentire in obligationem eidem annexam.

36 Corollarium II. Non tenetur ad Horas, qui gaudet solo titulo Beneficii. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 19. Laym. lib. 4. tr. 2. cap. 5. n. 3. Filliuc. tract. 23. cap. 5 n. 159. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 31. & alii contrà Navarrum. Ratio est: quia non censetur quis habere propriè Beneficium, antequam illud possideat: ergo neque censeri debet ad Horas obligari: hanc quippe obligationem, cùm sit grave onus, non extendere, sed potiùs restringere oportet ad eos, qui habent verè & propriè Beneficium. Adde, quòd talis non vivat de altari; ergo nec tenetur servire altari. Addenda est tamen nostræ sententiæ hæc restrictio: dummodò ipse Beneficiatus non sit in culpa, quominùs possideat, fructusque percipiat. Nam si id proveniat vel ex malitiosa ipsius tergiversatione, vel negligentiâ, tenebitar ad recitandum; cùm non debeat illi sua culpa prodesse, aut propter eandem Ecclesia privari suo servitio. Suarez n. 7. & 8.

Corollarium III. Qui Beneficium possidet, & nullos ex eo fructus percipit inculpabiliter, neque per ipsum stat, quominùs percipiat; imò neque postea percepturus est, is non tenetur interim recitare Officium Canonicum. Laym. n. 4. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 4. n. 25. Salmantic. n. 43. Ratio est: quia talis non habet Beneficium secundùm omnem effectum: nam Beneficium est jus percipiendi fructus. Dixi, *imò neque postea &c.* quia, si moraliter certus sit, se fructus postea percepturum, v. g. si certò speret, se in lite, quæ est de fructibus Beneficii, fore victorem; tenetur recitare. Ratio est: quia censetur habere completè Beneficium, & spes tàm certa fructuum conjuncta cum possessione Beneficii, meritò reputatur digna hoc onere. Laym. num. 3. Filliuc. n. 161. 37

Corollarium IV. Quando duo litigant de eodem Beneficio, quod neuter possidet, neuter est obligatus ad Officium Canonicum. Bonac. 26. Castropal. to. 2. tr. 7. disp. de Orat. pu. 1. §. 2. n. 25. Tambur. ubi suprà. Ratio est: quia neuter habet propriè & in rigore Beneficium. Neque obstat, si alteruter habeat titulum, ac spem obtinendi causam: quia hinc non sequitur, alterutrum litigantium habere jus certum in Beneficium: nam jus acquiritur per justam & pacificam possessionem. Sola autem spes non tribuit jus. Quare ejusmodi Beneficium in tali eventu habendum est quasi pro vacante. Bonac. loco cit. Quòdsi unus litigantium agat malâ fide, & alterum injustè impediat à possessione Beneficii, is tenetur ad recitandum. Ratio est: quia Ecclesiam injuriosè privat debito obsequio: quod proinde ipse tenetur præstare in compensationem injuriæ. Vid. Suarez n. 10. 38

Corollarium V. Qui habet plura Beneficia, non tenetur pluries eodem die recitare Officium Divinum. Suarez tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 18. num. 7. Filliuc. cap. cit. n. 155. estque communis sententia. Ratio à priori est: quia Ecclesia id nuspiam præcepisse invenitur. Consuetudo quoque in contrarium satis declarat, Ecclesiam esse contentam, si talis Bene- 39

Beneficiatus semel recitet idem Officium per diem. Confirmatur. Qui habet plures Ordines Sacros, vel Beneficium & Ordinem Sacrum, satisfacit, si semel eodem die recitet idem Officium: ergo similiter satisfacit, recitando semel, qui habet plura Beneficia. Certè multiplicatio titulorum non semper multiplicat obligationes, quamvis eandem augeat, ut ex pluribus titulis impleri debeat. Vid. Suarez loco cit. Dices. Qui habet duas Capellanias v. g. quarum quælibet postulat duas Missas per hebdomadem, non satisfacit, si legat duas tantùm, sed tenetur duplicare, ac legere quatuor: ergo similiter habens duo Beneficia, quorum unum quodque exigit Officium Canonicum per diem, tenetur id duplicare, atque adeo bis recitare. Respondeo conc. Antec. neg. conseq. ratio discriminis petenda est ex diversa institutione, & voluntate Ecclesiæ volentis, ut pluralitas ejusmodi Capellaniarum induceret pluralitatem obligationum, non ita pluralitas Beneficorum; quemadmodum ostendit quotidiana praxis sic interpretans mentem Ecclesiæ. Vid. Filliuc. n. 156.

40 Corollarium VI. Etiam illi tenentur ad Horas, qui habent Beneficium tenue. Ita communis sententia apud Laym. ubi suprà, n. 4. Ratio ex dictis est primo. Quia Beneficium etiam tenue est verum Beneficium: & consequenter sibi habet annexum onus recitandi Horas; cùm jura indistinctè omnibus imponunt hanc obligationem, qui habent Beneficium. Neque dicas, id esse intelligendum de Beneficio congruo, & sufficienti ad sustentationem Beneficiati: nam contra est, quòd ejusmodi restrictio non inveniatur in jure; imò potiùs oppositum inde colligatur; quia in cap. Clericus 1. dist. 91. Clerico Beneficiato, si ab Ecclesia sua commodè sustentari nequeat, dicitur, ut sibi victum & vestitum quærat ex agricultura, vel artificio quopiam, salvâ tamen sui Officii & Horarii pensi persolutione. Ratio est secundo. Quia Beneficiatus sponte suscipit Beneficium tenue, ac sciens, esse tenue: ergo etiam suscipit onus annexum; sicut ille, qui sponte suscipit Ordines Sacros, etiam suscipit onera eorum, esto, nullum inde temporale commodum expectet: consequenter non minùs, quàm iste, ad recitationem Officii obligatur. Confirmatur. Scienti ac volenti non fit injuria: ergo Beneficiatus nullam patitur injuriam, dum propter Beneficium tenue scienter ac liberè susceptum obligatur ad Horas recitandas: sicut nullam patitur injuriam, qui sciens ac volens duxit uxorem tenuiter dotatam, si eandem alere teneatur. Ratio est tertio. Quia habens Beneficium quantumvis tenue reputatur in jure, reputatur pro vero ac propriè tali Beneficiato, gaudetque iisdem honoribus, privilegiis, & exemptionibus, quibus gaudent Beneficiati cæteri: ergo non apparet ratio, ob quam ab eorum oneribus liberè & immunis esse censeatur. Vid. Azor. lib. 10 cap. 3. q. 3. Valent. tomo 3. disp. 6. q. 2. pu. 10. §. 7. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 21. à num. 3. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 4. n. 17. Salmantic. tr. 16: cap. 2. pu. 3. n. 48. Filliuc. tract. 23. c. 5. n. 181.

Verùm his non obstantibus probabilis est etiam sententia contraria asserentium, habentem Beneficium tenue non teneri ad Horas Canonicas. Tribuitur illa principaliter Soto lib. 10. de just. q. 5. a. 3. quem alii multi graves Authores hodieque sequuntur. Ratio est: quia obligatio recitandi Horas in Beneficiatis ortum habet ex justitia propter redditus, quos ex Beneficio percipiunt: ergo si redditus sint nimis exigui ac insufficientes, non videtur æquum, propter eos à Beneficiato tam grave onus exigere. Accedit primo, quòd parum pro nihilo reputetur: consequenter, qui tenue ac modicum habet Beneficium, nullum habere censetur. Accedit secundo, quòd juxta Apost. 1. ad Cor. 9. Qui altari deserviunt, cum altari participent, & de Altari vivere debeant, cùm proinde habens Beneficium tenue simpliciter non vivat ex redditibus Altaris sive Ecclesiæ, non tenetur eidem servire per recitationem Horarum. Vid. Sanchez lib. 2. Consil. c. 2. dub. 66. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 24. Sporer de Hor. Can. cap. 1. n. 26. & alii ab his relati.

Cæterùm, dum quæritur, quodnam 41
Beneficium dicendum sit tenue, non eodem modo respondent Authores, ut videre est apud Salmantic. num. 47. & Tambur. n. 25. Communior tamen opinio est, illud Beneficium esse tenue, quod non suppeditat tertiam partem sustentationis alicujus vulgaris Clerici: v. g. si ad congruam sustentationem talis Clerici sufficiunt 30. aurei, & Beneficium non subministrat 10. Ubi tamen ad evitandas æquivocationes notandum est nomen congruæ sustentationis ita esse accipiendum in præsenti materia, ut per illud intelligantur quidem, quæcunque ex prudentûm judicio sunt necessaria, ad victum, vestitum, habitationem, medicinas, aliaque hujusmodi, quæ sibi postulat vita moderata Clerici sortis mediocris; non tamen ea insuper, quæ sunt necessaria ad alendos consanguineos, putà pauperes parentes, fratres, nepotes: item ad salaria seu stipendia famulitii dignitati ac nobilitati, in qua constitutus est, convenientis: cùm hac ratione facilè contingeret, ut recipiens quotannis ex Beneficio 100. aureos ad Horas non obligaretur:

gatetur: quod utique admittendum non est. Vid. Sanchez lib. 2. Consil. cap. cit. dub. 67. Viva, par. 1. Thes. damnat. prop. 20. n. 8. Quando proinde ex suo Beneficio quis recipit quotannis tertiam partem congruæ sustentationis in sensu declarato, is non dicitur habere Beneficium tenue; adeoque tenetur recitare Horas: sicut ille quoque tenetur, qui habet plura Beneficia tenuia, quæ ipsi simul sumpta præstant tertiam saltem partem sustentationis. Tambur. n. 25. Sporer n. 27. Sed quid, si Beneficium à prima collatione fuit pingue, aut saltem sufficiens ad alendum Beneficiatum, postea verò adeo minuuntur ejus redditus, ut notabilem partem sustentationis non præbeant amplius? Respondeo, si ejusmodi diminutio reddituum citra culpam Beneficiati accidit fortuito casu, vel hostium incursione, neque spes est fore, ut brevi tempore plus proveniat ex Beneficio, nullam probabiliter esse obligationem recitandi Officium, quandiu perseverat ea reddituum exilitas. Dixi tamen, *citra culpam Beneficiati.* Secùs enim manebit obligatio: quia non est æquum, ut Ecclesia ob ejus culpam suo servitio careat. Vid. Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 5. num. 5. Tambur. n. 26. Sporer n. 28.

42 Corollarium VII. Qui habet substitutum seu Vicarium ad sustinenda Beneficii onera, cui propterea vel omnes fructus, vel pars eorundem conceditur, tenetur nihilominùs recitare Officium. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 20. num. 13. Filliuc. tract. 23. cap. 5. à n. 164. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 2. pu. 4. à n. 19. Ratio est: quia obligatio recitandi personalis est, & afficit quamlibet personam, quæ habet verum Beneficium: atqui talis habet verum Beneficium; ergo. Neque refert, si ipse per se non recipiat ejus fructus: nam recipit alter nomine ipsius.

43 Corollarium VIII. Non tenetur ad Horas, qui habet Capellaniam non sacram, id est, quæ conferri solet à Laicis sine authoritate Episcopi. Item nec Vicarius Beneficii uniti alicui Ecclesiæ: neque Coadjutor Beneficii cum spe futuræ successionis. Ratio est: quia isti non sunt verè ac propriè Beneficiati. Tenentur econtrà, qui habent Capellaniam sacram, sive collativam, id est, quæ authoritate Episcopi confertur: item, qui habent Beneficia manualia, sive ad nutum Superioris amovibilia: præterea, qui habent præstimonia, quorum nomine veniunt Beneficia quædam simplicia, eademque compossibilia cum possessione aliorum Beneficiorum, nec residentiam requirentia. Demum, qui habent Beneficium in commendam, hoc est, administrationem sive temporaneam, sive perpetuam Beneficii, cum perceptione fructuum, licèt titulum non habeant. Ratio est: quia hi omnes habent vera Beneficia. Ita cum aliis Tambur. n. 19. & 20.

Sed quæres adhuc primo, an, si in 44
aliqua Ecclesia consuetudine introductum sit, ut novis Canonicis primo vel altero anno redditus, aut distributiones subtrahantur, idque eo fine, ut vel Canonicis antiquioribus aurescant, vel ad fabricam Ecclesiæ applicentur, iidem Officium Divinum recitare teneantur? Respondeo, stante hac tali consuetudine, quam supponimus esse justam, duas esse sententias. Prima affirmat esse obligatos. Ita Azor. lib. 10. cap. 4. q. 4. Suarez ubi suprà n. 11. Filliuc. n. 171. Bonac. n. 22. Salmantic. tr. 16. cap. 2. pu. 3. n. 45. & alii ab his relati. Ratio est primo: quia scientes ac volentes acceptant Beneficium connexum cum obligatione recitandi, etsi prævideant, primo vel altero anno esse carendum redditibus: ergo quemadmodum ob ejusmodi carentiam pro eo tempore non eximuntur ab assistentia in Choro, aliisque oneribus Beneficii, ita nec à recitatione Horarum. Ratio est secundo: quia talis subtractio fructuum non cedit in damnum novorum Canonicorum. Nam si applicentur fabricæ, aliud nihil patiuntur Canonici, quàm quòd id, quod per partes totâ vitâ dandum esset in eum finem, primo anno detur simul, adeoque cum immunitate ab hoc onere imposterum: quo fit, ut per reliquam vitam parcendò expensis fabricariis primus ille annus sufficienter resarciatur. Si verò iidem fructus obtingant cæteris Canonicis, cùm jus ac spem habeat similiter participandi de fructibus primi anni Canonicorum postea ingredientium, hoc ipso spem habet recuperandi, quod ab initio non percepit. quæ sane spes ac jus sufficiunt ut ad recitationem obligentur. Vid. Salmanticenses, loco cit. Secunda sententia negat, ejusmodi Canonicos pro eo tempore obligari ad recitandum. Ita Laym. lib. 4. tract. 2. cap. 5. n. 4. Tambur. ubi suprà n. 28. Sporer de Hor. Can. cap. 1. n. 24. & alii. Ratio est: quia tunc perinde se habent, ac si non essent Canonici, idque citra suam culpam: qui enim servit Altari, vivit de Altari. Neque obstat, quòd ab initio consentiant in prædictam consuetudinem, & Beneficium acceptent cum onere illo carendi tum redditibus, tum etiam distributionibus: hoc enim faciunt valde violenter, & ideo tantùm, ne excludantur à cohsecutione Beneficii. Sed neque certum est, quòd per reliquam vitam fructus primi anni sint percepturi: cùm fieri possit, ut interim moriantur, vel Canonicatum resignent; ideoque nihil eorum fructuum unquam percipiant. Vid. Laym. loco cit. Hanc sententiam probabilem esse judico, primam tamen probabiliorem.

Quæ-

Quæres secundo, an recitare teneatur
45 Officium, qui habet animum non percipiendi seu retinendi fructus Beneficii? Ratio dubitandi est: quia obligatio recitandi inde incumbit Beneficiariis, quòd fructus recipiant in stipendium & mercedem laboris: ergo in eo, qui proponit non facere fructus suos, sed distribuere v.g. inter paupetes, cessare videtur omnis obligatio recitandi. Respondeo, talem obligari ad recitandum. Ratio est: quia sic exigit finis primariò intentus ab Ecclesia in institutione omnium Beneficiorum, qui fuit Divinum servitium per recitationem Horarum exhibendum: cui intentioni graviter adversatur non recitans, etsi nolit fructus Beneficii percipere. Confirmatur. Habens Benficium Parrochiale tenetur gerere curam animarum in eo contentam, etsi velit omnes fructus inde provenientes distribuere pauperibus; quia nempe propter illam per se est institutum Beneficium quà Parrochiale: ergo similiter in nostro casu &c. Ad rationem dubitandi dicitur, obligationem recitandi non fundari in sola perceptione fructuum; aliàs certè contra omnium sententiam sequeretur, neque illum teneri
1 ad recitandum, qui ob suam culpam fructus non percipit: cùm nullum supereset fundamentum obligationis, undecunque demum non perceptio fructuum proveniret. Vid. Salmantic. tract. 16. cap. 2. §. 2. ubi referunt, & sequuntur Card. de Lugo lib. 5. Respons. Moral. dub. 6. n. 2.

§. III.

Quanta sit obligatio recitandi Horas Canonicas?

SUMMARIUM.

46. Sententia quorundam Veterum. 47. Omittens totum Officium Canonicum, vel partem ejus notabilem peccat mortaliter. 48. 49. Omnes Horas ejusdem diei omittere unum tantùm peccatum est. 50. Qualiter omittens integrum Breviarium accusare se teneatur in Confessione. 51. Interna voluntate toties quis peccat mortaliter, quoties vult omittere Officium Canonicum vel totum, vel secundùm partem notabilem. 52. 53. Pars notabilis Breviarii, seu materia gravis probabilius est integra Hora parva, vel pars æquivalens Horæ parvæ. 54. Obligatus ad recitandum Horas Canonicas ratione Beneficii, & non recitans tenetur restituere fructum. 55. 56. & seqq. Corollaria ex dictis.

46 INventi sunt quidam veteres, qui nullam agnoverunt obligationem sub culpa mortali saltem. Nam refertur opinio cujusdam Henrici Anglici, qui dixit apud Angel. verbo *Horæ* 1. n. 10. non esse peccatum mortale etiam integrum unius diei Officium Canonicum omittere, dummodò id non fiat vel ex contemptu, vel ex tædio rerum Divinarum, vel ex consuetudine. Eadem sententia, quam tacitè approbare videtur Angelus loco cit. tribuitur Artagonio, Rodriquez & aliis: de quo vid. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 5. pu. 1. n. 1. Quodsi relata sententia subsisteret, idem dicendum esset de obligatione restituendi fructus: cùm enim hæc restitutio per modum pœnæ statuta sit ab Ecclesia in Beneficiatos recitare negligentes; pœna autem gravis, ut est ista, supponat culpam gravem, hac cessante ex parte etiam voluntariè omittentium, obligatio quoque restituendi cessaret. Sed contra

Dico primo. Obligatus ad recitandum 47
Divinum Officium mortaliter peccat, si illud vel totum etiam pro uno die, vel partem ejus notabilem voluntariè omittit recitare, licèt absit contemptus, tædium, vel consuetudo. Ita communiter DD. Ratio est: quia, qui præceptum violat in materia gravi, mortaliter peccat: sed omittendo vel totum Officium, vel partem notabilem ejusdem quis violat præceptum recitandi in materia gravi: ergo mortaliter peccat. Confirmatur. Qui, per integrum diem festum, vel per notabilem ejus partem laborat serviliter: item, qui Missam, vel notabilem illius partem omittit die festo, peccat: ergo similiter peccat mortaliter, qui integrum Officium Canonicum, vel notabilem partem voluntariè non recitat. Ant. est certum apud omnes, abstrahendo à causis excusantibus, de quibus suo loco. Conseq. patet, quia utrobique est per ratio.

Sed jam difficultas oritur primo, an omit- 48
tere omnes Horas Canonicas unius diei sint septem peccata, vel unum tantùm? Loquimur de peccatis externis & consummatis omissionibus. Prima sententia asserit, esse septem peccata, sicut essent septem, si septem diebus singulæ Horæ omitterentur. Ita Cajetanus, Lessius, Toletus & alii, ut ex Merolla refert Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 9. Ratio est quia tot sunt omissioni opposita præcepta recitandi per diem, quot sunt Horæ Canonicæ; sicut sunt tot præcepta jejunandi in Quadragesima. Secunda, eaque probabilior tenet, esse unum tantùm peccatum, gravius tamen, quàm si una solùm Hora, v.g. Prima, omitteretur. Ita Suarez to. 2. de Rel. lib. 4. c. 25. n. 18. Filliuc. tr. 23. cap. 7. n. 248. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 5. pu. 1. n. 8. Tamb. loco cit. Salmantic. tr. 16. c. 3. pu. 4. n. 22. & alii communius. Ratio sumitur ab opposito: quia singulæ Horæ sunt partes unius Officii, ordinanturque ad unicum & individuum pensum ejusdem diei, quod unico proinde præcepto præcipitur: ergo omissio omnium

Horarum unius diei est solùm violatio unius præcepti, & consequenter unicum peccatum. Quòd autem hoc gravius sit peccatum, quàm omittere unam solùm Horam, facilè patet: quia excessus ille quantitatis est circumstantia valde notabiliter aggravans. Confirmatur. Graviùs peccat, qui die festivo omittit integram Missam, quàm qui notabilem partem: item graviùs peccat laborans serviliter tota die Dominica, quàm duabus vel tribus horis: similiter graviùs peccat, qui simul aufert 100. aureos, quàm, qui unum, vel alterum: ergo. idem tenendum est in nostro casu. Sed

49 Objicies in favorem prioris sententiæ, primo. Qui per integram aliquam hebdomadem Quadragesimæ non jejunat, is committit sex peccata: quia omittit sex jejunia: ergo etiam omittens eodem die totum Breviarium commit septem peccata: quia omittit septem Horas Canonicas. Secundo. Qui per septiduum quotidie unam Horam omitteret, v. g. hodie Matutinum, cras Primam, & sic deinceps, committeret septem peccata: ergo etiam tot committit, qui tot Horas uno die omittit. Tertio. Singulæ Horæ sunt orationes distinctis temporibus juxta præscriptum Ecclesiæ recitandæ: ergo earum omissio constituit distincta peccata. Quarto. Recitatio cujuslibet Horæ est impletio præcepti, & quidem distincti; cùm Horæ nullam inter se habeant connexionem, possitq; præceptum persolvendi unâ impleri seorsim ab aliis: ergo singulorum omissio est præcepti distincti violatio.

Respondeo ad primum conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd illa sex jejunia non ordinentur ad constituendum unicum numerò jejunium, sed affixa sint distinctis diebus. Atqui Horæ Canonicæ constituunt unicum numerò officium intra eundem diem ex præscripto Ecclesiæ recitabile. Et hinc ad secundum conc. Ant. neg. rursus conseq. quia in priori casu violantur septem obligationes totidem, singulisque diebus affixæ; secùs in casu posteriore. Ad tertium dico, singulas Horas esse quidem distinctas orationes, sed ordinatas per modum partium ad integrandum unum totale officium Canonicum. Et quamvis recitandæ sint diversis, statisque temporibus ejusdem diei, si tamen omnes successivè uno tractu temporis recitentur, satisfit præcepto quoad substantiam. Ad quartum dist. Ant. recitatio cujuslibet Horæ & impletio partialis præcepti, conc. impletio totalis, neg. unde etiam cujuslibet omissio est solùm violatio præcepti in partem. Certè si hoc argumentum valeret, dicere possem, illum quoque sæpius peccare mortaliter, qui per integrum diem Dominicum laborat serviliter, & quidem toties, quot partes notabiles diei impendit operi: quod tamen admitti non potest. Ex dictis etiam patet ad fundamentum primæ sententiæ in n. præced. adductum.

Corollarium. Qui omisit integrum Officium Canonicum unius diei, non tenetur in Confessione dicere, omisi semel integrum officium, vel, omnes septem Horas Canonicas, sed satisfacit in nostra probabiliori sententia, si dicat, graviter peccavi per omissionem Officii Divini. Lugo de Pœnit. disp. 16. Salmantic. ubi suprà. Tamb. in Meth. exped. Conf. lib. 2. c. 2. §. 4. n. 12. Spor. de Hor. Can. c. 2. n. 92. Ratio est; quia omittendo omnes Horas unum tantùm commisit peccatum. Accedit, quòd juxtà probabiliorem sententiam suo loco asserendam circumstantiæ merè aggravantes, etiam notabiliter, non sint materia necessaria Confessionis: sed ille excessus quantitativus materiæ præceptæ, nempe totius Officii, supra singulas partes est circumstantia merè aggravans intra eandem speciem; ergo &c. Dixi, *in nostrâ sententiâ*. Nam, qui tenet contrariam, tenetur dicere, se omnes septem Horas omisisse: quia nempe septem peccata mortalia numerò distincta commisit. Imò tenetur hoc idem dicere, qui amplectitur nostram sententiam, si asserat cum P. Suar. & aliis, circumstantias notabiliter aggravantes esse in Confessione necessario explicandas. 50

Et ista quidem de externa seu consummata omissione Horarum. Nam loquendo de interna, sive de voluntate omittendi, toties quis peccat mortaliter, quoties vult non recitare totum Officium, vel notabilẽ partem ejusdem. quod tamen intellige, si tales voluntates sint moraliter interruptæ. Sanch. l. 7. Consil. c. 2. dub. 12. Bon. de Hor. Can. disp. 1. q. 5. pu. 1. n. 7. Ratio est: quia toties proponit violare præceptum in gravi materia. Unde, qui per aliquam diem, mensem, vel integrum annum non recitavit Horas, earumq; per tale tempus sæpius recordatus sæpius positivè noluit recitare, non rectè confitetur dicendo, per unum diem, mensem, vel integrum annum omisi Breviarium; sed tenetur exprimere, quoties memor suæ obligationis voluerit eidem non satisfacere. Sanchez loco cit. referens Navarrum & alios. 51

Oritur difficultas secundo, quænam dicenda sit pars notabilis Officii quam quis omittens peccet mortaliter? Variè in hac re opinantur Authores. Navar. unum Psalm. vel Lectionem; Azor. & Bald. tertiam partem parvæ Horæ; Suar. Thom. Sanch. Reginald. Diana dimidiam parvam Horam; Bon. & Castr. integram parvam Horam censent esse partem notabilem, & materiam sufficientem ad peccatum mortale, si omittatur. Quidam apud Tamb. docet, omittere integram Tertiam, Sextam, vel Nonam non esse peccatum mortale. Omitto alias sententias tum nimis laxas, tum nimis strictas, & dicendum existimo cum cit. Tambur. lib. 1. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 10. Sporer ubi suprà Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 5. n. 39. & aliis, integram Horam parvam, aut ex Matutino, vel 52

vel Laudibus partem æquivalentem parvæ Horæ esse materiam gravem, minorem verò parvâ Horâ esse materiam levem. Ratio est: quia rem moraliter æstimando recitatio integræ Horæ parvæ satis notabiliter, recitatio partis illâ minoris non satis notabiliter conducere videtur ad finem Ecclesiæ præcipientis, ut statis diei intervallis Deo peculiaris cultus, idque in memoriam certorum mysteriorum hoc genere orationis exhibeatur.

Atque hinc moraliter peccare censendus est, qui omittit unam integram ex Horis; videlicet vel Matutinum & Laudes; vel Primam, vel Tertiam, vel Sextam, vel Nonam, vel Vesperas, vel Completorium. Ratio est: quia quælibet istarum est pars notabilis totius Officii Canonici. At non est peccatum mortale omittere unum Psalmum, Lectionem, vel quid simile minus Horâ parvâ. Ratio est ab opposito: quia istæ non sunt partes notabiles. De cætero illum, qui omittit Vesperas Sabbath Sancti, Tambur. n. 11. non audet damnare peccati mortalis, licèt sint integra Hora. Rationem reddit, quia hæ Vesperæ sunt extraordinariè breves, & aliunde eo die præcesserunt in Ecclesia orationes valde prolixæ. Itaque putandum est hoc die, tantæ præsertim lætitiæ & indulgentiæ, omittentem Vesperas non gravitet violare finem, & præceptum recitandi.

53 Objicies contra dicta. Qui non recitat integram Horam, mortaliter peccat in nostra sententia; sed, qui omittit dimidium Horæ, vel dimidium dimidii ejusdem, non recitat integram Horam; ergo qui omittit dimidium Horæ, aut etiam dimidium dimidii, mortaliter peccat. Respondeo dist. maj. qui non recitat integram Horam, hoc est, ullam partem Horæ, peccat mortaliter, conc. qui non recitat integram Horam, id est, aliquam partem, quâ prætermissâ Hora moraliter solùm censetur non integra, neg. maj. & sic dist. mi. neg. conseq. Ad hoc igitur, ut non recitans integram Horam dicatur peccare mortaliter, non sufficit omittere partem, quâ omissâ non ampliùs Hora moraliter habetur pro integra, sed requiritur, ut physicè integram, id est, secundùm omnes partes omittat. Vid. Illsung loco cit.

54 Dico secundo. Obligatio recitandi Officium Divinum insuper tanta est, ut, qui illam habent ratione Beneficii Ecclesiastici, teneantur restituere fructus pro rata omissionis Horarum, si elapso semestri post aditam Beneficii possessionem Officium culpabiliter non recitaverint. Ratio redditur: quia hæc pœna decreta est in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. statuimus. cumque deinde dubitaretur, an hoc usu esset receptum? Pius V. anno 1571. 11. Kal. Octobr. Constitutionem edidit, qua illud decretum Concilii Lateran. innovat, confirmat, & declarat. ut videre est apud Salmant. tr. 16. c. 2. pu. 4. n. 50. Illsung disp. 1. q. 1. a. 7. a. 34. & alios. Atque hinc

Colligitur primo, memoratam obligatio- 55
nem restituendi fructus incumbere Beneficiatis non recitantibus etiam ante sententiam declaratoriam Judicis. Ratio est: quia, quod alienum est, & injustè retinetur, restituendum est in foro Conscientiæ ante quamcunque sententiam: sed fructus illi sunt alieni, & à Beneficiatis non recitantibus injustè retinentur, ut expressè habetur in decreto cit. ergo. Accedit vel maximè, quòd sententiam oppositam proscripserit Alexander VII. in propos. earum, quas damnavit. Neque dicas, legem hanc pœnalem, cùm velit, ut reus pœnam exequatur in seipsum, non esse proportionatam humanæ fragilitati, adeoque nec rationabilem. Nam inprimis necessariò hunc talem executionis modum debuit exigere; cùm alioquin vix ulli unquam fructus restituerentur à non recitantibus. quis enim probabit juridicè, nisi cum summa difficultate, aliquem Horas non recitâsse privatim? Deinde eadem lex non est verè pœnalis; cùm solùm velit, ut Beneficiatus non aliter faciat fructus suos, nisi sub conditione, si Horas non omittat. Viva, par. 1. Thes. damnat. propos. 20. à n. 3.

Colligitur secundo, Beneficiatum, qui ante 56
elapsos sex menses post obtentam Beneficii possessionem omittit recitare Horas, non teneri intra id tempus aliquid restituere. Ratio est: quia Concilium Lateran. loco cit. obligationem restituendi imponens expressè dicit, *si post sex menses Officium Divinum non dixerit &c. fructus suos non faciat, sed ad fabricas Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur*: pro ipsis autem sex mensibus nihil tale constituit. Similiter Pius V. quamvis in cit. Bulla dicat, Beneficiatum primis illis sex mensibus non recitantem peccare mortaliter, ad restitutionem tamen fructuum intra illud tempus perceptorum non obligat. Bon. de Hor. Can. disp. 1. q. 5. pu. 2. n. 8. & 9. Castrop. to. 2. tr. 7. disp. 2. pu. 7. n. 2. Salmantic. ubi suprà, n. 52.

Colligitur tertio, neque illum Beneficia- 57
tum teneri ad restitutionem fructuum, qui Horas ex ignorantia invincibili, vel bona fide, vel ex legitimo impedimento non recitavit. Ratio est: quia hæc obligatio restituendi introducta est sub conditione, si Divinum Officium omittatur culpabiliter: ergo ubi non est culpabilis omissio ejusdem Officii, nulla est obligatio restituendi: atqui in casibus indicatis non est culpabilis omissio; ergo. Bonac. n. 4. aliique ab ipso relati.

Colligitur quarto, illos quoque non obli- 58
gari ad quid restituendum, si non recitent, qui alio titulo, quàm Beneficii, tenentur recitare, putà ratione Ordinis sacri, vel consuetudinis in

Religione Choro addicta. Ratio est: tum, quia Concilium Lateranense, & Bulla Pii V. loquuntur de solis habentibus Beneficium: tum, quia hi tales nullos percipiunt fructus propter onus recitandi: ergo par non est, ut ex non recitatione sentiant idem incommodum, quod sentire debent, qui ex recitatione sentiunt commodum. Bonac. n. 3.

59 Colligitur quinto, ad restitutionem fructuum obligari illum, qui Officium Divinum uno die non recitatum à se altero die supplet. Ratio est: quia hic talis eo die, quo Horas omisit, jám non satisfecit præcepto recitandi; ergo jam contraxit obligationem subeundi pœnam ab Ecclesia impositam. Confirmatur. Non satisfacit præcepto jejunandi, vel Missam audiendi, qui non jejunat, non audit Missam die præscripto, licèt habeat animum jejunandi, vel audiendi Missam altero die, reque ipsa jejunet, vel audiat tunc Missam: ergo neque satisfacit præcepto recitandi Officium, qui non recitat die præscripto, licèt habeat animum recitandi Officium ejus diei altero die, & re ipsa tunc recitet. Conseq. patet: quia sicut obligatio jejunandi, vel audiendi Missam est affixa diei, ita & obligatio recitandi Officium. Ita Valentia, Sylvester, & alii, quos refert & sequitur. Bonac. n. 5. Contrarium, quod etiam probabile est, tenent Salmant. n. 65. cum pluribus, quos ibi nominant. Ratio est: quia ejusmodi Beneficiatus supplendo Officium omissum rependit æquale pro debito: ergo non tenetur amplius ad quid restituendum. Deinde Capellanus v. g. qui ex titulo Capellaniæ tenetur celebrare hodie, non tenetur restituere, modò cras, aliòve die celebret: ergo similiter non tenetur restituere, qui hodie omittit Officium Canonicum, modò id ipsum cras suppleat. Denique. Licèt Officium heri omissum recitans hodie non satisfaciat amplius, imò nec possit satisfacere præcepto recitandi quatenùs heri obliganti, satisfacit tamen obligationi restituendi fructus, si ponamus v. g. ipsum hesternum Officium applicare per modum suffragii pro animabus in Purgatorio: præsertim, cùm probabile sit, huic obligationi restituendi satisfieri etiam per eleemosynas, Missas, aliaque pia opera pro eisdem animabus postea applicata, ut habent Suarez, Quintanadvennas & alii apud Salmant. n. 60. & 66. Respondet tamen prior sententia ad Primum, Ecclesiam singula Officia affixisse singulis diebus, nec acceptare ejusmodi æquale, utpote contra ipsius institutionem propria authoritate repensum; idque patere in jejunio & auditione Missæ. Ad alterum omisso Antec. negat Conseq. quia non constat, illud onus celebrandi ex intentione fundatorum, aut lege aliqua ita affixum esse diei, ut transeat cum ipso die, sicut idem de onere recitandi constat ex institutione Ecclesiæ. Ad tertium dicit, inde probari, talem fortè satisfacere obligationi restituendi juris naturalis, siquam contraxit; non tamen probari, satisfacere obligationi restituendi impositæ jure positivo Ecclesiastico: ut non obscurè indicat Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 29. n. 11.

Colligitur sexto, ad restitutionem fructuum 60
obligari Beneficiatum, qui Horas recitat absque ulla attentione, idque voluntariè & animo liberè ad alia distracto. Ratio est: quia per talem recitationem non satisfacit præcepto Ecclesiæ. illa enim præcepit recitationem, quæ sit oratio. de substantia autem orationis est attentio. Unde sine hac recitans perinde se gerit, ac si non recitet, seu planè omittat. atqui omittens Officium non tantùm non satisfacit præcepto Ecclesiæ, sed etiam tenetur fructus restituere; ergo idem dicendum de recitante materialiter solùm & absque attentione. Suar. c. 30. n. 14. Filliuc. tr. 23. cap. 10. n. 231. & alii, quos refert & sequitur Bonac. n. 17. Nihilominùs sententiam contrariam tanquam probabilem multi tuentur, imò esse communiorem ac longè probabiliorem asserit Sporer de Hor. Can. c. 2. n. 88. Ratio est: quia lex Ecclesiastica imponens obligationem restituendi fructus, utpote odiosa, non debet extendi ultra proprietatem verborum, sed potiùs restringi intra proprietatem eorum. Atqui Concilium Later. & Bulla Pii V. in quibus imponitur ea obligatio, expressè loquuntur de *non recitante*, *non dicente*, *omittente* Officium Divinum, qualis non est propriè loquendo, qui recitat quantumcunq; voluntariè distractus: recitat enim suo modo. Confirmatur ex Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. quia ejusmodi etiam merè externa prolatio precum ab Ecclesia institutarum utilis est tum ad ædificandum populum; tum ad aliquid à Deo impetrandum, quatenùs nomine & jussu Ecclesiæ ordinatè ac decorè peragitur, idq; non minùs, quam pulsatio organorum Musicorum, quibus sacri Hymni & Psalmi decantantur. Quamvis igitur per recitationem omni attentione requisita destitutam non satisfiat obligationi recitandi Officium, evitatur tamen obligatio restituendi fructus non recitantibus imposita. Vid. Salmantic. ubi suprà, num. 57. Laym. Sporer locis cit.

Colligitur septimo ex sæpius nominata 61
Constitutione Pii V. qualiter pro rata omissionis Officii facienda sit restitutio? Beneficiatus, qui omittit totum Officium alicujus diei, tenetur restituere omnes fructus, quos intuitu Officii percipit illo die. Qui omittit Matutinum, vel cæteras Horas recitatò Matutinò, tenetur restituere dimidium fructuum. Qui omittit unam tantùm Horam à Matutino distinctam, tenetur restituere sextam partem fructuum ejusdem diei. Ita expressè Pius loco cit. Potrò hæc restitutio

fieri

fieri potest vel ad fabricam Beneficii, v. g. ad reparandas ædes, in quibus habitat Beneficiatus; vel ad meliorandos, aut emendos agros, ut fructus Beneficii augeantur: nam etiam talia nomine fabricæ intelliguntur: vel potest eadem restitutio fieri fructus erogando in pauperes. imò potest eos Beneficiatus retinere sibiipsi, si etiam est pauper. Ita communiter DD. deducunt ex eadem Bulla Pii V. vid. Bonac. pu. 4. à n. 1. Filliuc. à n. 324. Salmantic. à n. 60.

§. IV.

Quænam excusent à recitatione Horarum?

SUMMARIUM.

62. *Infirmitas impediens attentionem in orando, excusat à recitatione Horarum.* 63. 64. 65. 66. *Resolutiones practicæ.* 67. *Excusat etiam gravis occupatio. qualis hæc esse debeat.* 68. 69. 70. 71. *Resolvuntur varii casus.* 72. *Excusat præterea impotentia, sive intrinseca illa sit, sive extrinseca.* 73. 74. 75. 76. 77. *Resolvuntur iterum plures casus.* 78. *Demum excusat Dispensatio. quis possit dispensare.*

62 EXcusat primo infirmitas, quæ impedit, ne oratio peragatur attentè; sicut fit in gravi dolore; vel quæ ex pronuntiatione tot verborum notabiliter ingravesceret. Sanchez lib. 7. Consil. cap. 2. dub. 45. Ratio est: quia non videtur credibile, matrem Ecclesiam cum tanta severitate hoc pensum Horarum à nobis exigere, ut in ejusmodi infirmitate nolit condescendere humanæ fragilitati. Quando dubium oritur, an recitatio Horarum sit notabiliter obfutura sanitati, necne? standum est judicio Medici, vel alterius viri prudentis & experti. Si Medicus ipse dubitat de statu invaletudinis; nec adest Superior, qui in dubiis dispensare possit, judicare potest infirmus, se non teneri ad recitandum. Ratio est: quia non tenetur se periculo gravis damni exponere. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 6. pu. 1. n. 4. & 5. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. n. 13. Quando timetur periculum levis tantùm incommodi, infirmus tenetur recitare; quia tam grave præceptum obligat saltem cum levi incommodo. Atque hinc resolves sequentia.

63 I. Non excusat levis dolor stomachi, capitis, vel pectoris, vel etiam aliquando febris quartana, aut tertiana; quæ non solent hominem tota die vexare, ut non supperat tempus recitandi Divinum Officium. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. n. 19. Bonac. n. 2.

64 II. Postquam morbus ægrotum deseruit, & vires adhuc sunt multùm imbecilles, is non statim tenetur recitare Horas, sed potest hoc per aliquot dies intermittere. Sanchez dub. cit. n. 5 & ex eodem Tambur. loco cit. Ratio est: quia hæc imbecillitas adhuc censetur infirmitas. & videtur valde credibile, matrem Ecclesiam convalescentibus per aliquod tempus vacationem à Divino Officio indulgere. Quòdsi talis existimet, se esse tam validum, ut possit celebrare Missam, ceteroqui per id tempus, esto, non recitet Horas, hoc enim, inquit Tambur. suavitati Ecclesiæ tribuere omnino debemus. qui etiam monet, dies hujusmodi quietis ab Officio numerari debere judicio prudentis attenta proportione ad gravitatem præteritæ infirmitatis & difficultatis præsentis.

65 III. Quamvis ægrotus bonam diei partem colloquiis, & familiaribus eorum, à quibus invisitur, confabulationibus consumat; imò etiam libros animi recreandi gratiâ legat; inde tamen non sequitur, eum ad recitandum Breviarium obligati. Sanchez n. 4. referens multos juniores Magistros. Ratio est: quia ejusmodi lectiones, & colloquia ægros voluptate afficiunt, cumque non sint negotia seria, non augent infirmitatem; imò diminuunt: econtra recitatio Horarum est res seria, gravat caput, & suapte naturâ molestiam affert.

66 IV. Oculis laborans, vel luscus, si timeat rationabiliter, ne vim videndi legendo paulatim deperdat, non tenetur ad lectionem Horarum. Tambur. loco cit. Ratio est: quia non tenetur se conjicere in periculum tanti damni. Dixi, *ad lectionem*. quia, utrùm teneatur recitare ex memoria, si calleat, deinde examinabimus. Cæterùm in his omnibus ac similibus securissimè procedet infirmus, si propriæ imaginationi, quæ levia quælibet incommoda frequenter plùs æquò exaggerat, non nimiùm credat, sed utatur consiliis timorati Medici, vel Superioris, vel Confessarii, vel alterius viri prudentis ac probi, eisque obtempetet: quemadmodum monet Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 6. n. 41.

67 Excusat secundo gravis occupatio. Hæc autem talis esse debet, ut vel non potuerit præveniri; vel nequeat prætermitti sine scandalo; aut gravi proprio, vel alterius damno; ac insuper, ut ceteum recitationem Horarum non compatiatur. Sanchez ubi suprà, dub. 52. Salmantic. tract. 16. cap. 3. pu. 6. n. 37. Ratio petitur ex benignitate matris Ecclesiæ, de qua non est credibile, quòd velit ad Horas cum tanto gravamine obligare. Hinc resolves:

68 I. Qui tota die occupatus esset in excipienda Confessione alicujus existentis in articulo necessitatis & periculi de salute æterna: vel tota die laboraret in sedandis gravibus inimicitiis, tumultibus, aut rixis ad arma concurrentium; vel in tollendo gravi scandalo, ita ut præcisè suppeteret tempus necessarium ad prandendum, vel cœnandum, is non teneretur recitare Officium Canonicum. Sanchez, Salmant. locis citt. Laym. lib. 4. tract. 1. c. 6. n. 1. Ratio est: quia præceptum humanũ affirmativum non obligat cum tanto rigore, quin benignã in dictis casibus interpretatione admittat.

69 II. Si cuipiam per recitationem Horarum tantum temporis subtraheretur, ut non posset se sufficienter præparare ad concionandum coram frequenti populo; vel expedire omnes pœnitentes ad confitendum confluentes, quos non esset integrum dimittere ad alium Confessarium, vel differre sine gravi ipsorum jactura, ut fieret tempore Jubilæi, talis similiter non teneretur recitare. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. n. 34. Laym. Illsung locis citt. Ratio est: tum, quia hæ tales occupationes sunt graves, iisque conditionibus affectæ, ut ad excusandum, prudenter censeantur sufficere. tum, quia præceptum recitandi Horas non obligat fortiùs, quàm præceptum audiendi vel legendi Missam: sed hoc non obligat in nostris casibus; ergo nec illud Sanchez n. 4.

70 III. Qui prævidet ejusmodi occupationem cum recitatione Horarum incompossibilem sibi superventuram, tenetur ad recitandum anticipatè, si potest. v. g. qui summo manè animadvertit, se per totum tempus subsequens occupatum iri in excipiendis Confessionibus, nec quidquam diei super fore ad recitandas Horas, is tenetur prævenire, & totum Officium recitare manè. Suarez n. 36. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 6. pu. 2. n. 2. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. n. 20. Ratio est: quia obligatio hujus præcepti durat tota die, & per omnes diei partes, & præterea impleri potest certa diei parte, ut supponitur; ergo tunc impleri debet. Confirmatur. Qui prævidet die festo, se non posse audire Missam ultimam, quæ celebratur v. g. horâ decimâ, nec ullam aliam præter primam, quæ habetur horâ sextâ, is tenetur audire Missam manè horâ sextâ: ergo similiter, qui prævidet, se non posse recitare Officium Divinum, nisi tempore matutino, tenetur recitare manè.

71 IV. Beneficiatus, aut alius ad Horas Canonicus obligatus non potest voluntariè suscipere aliud Officium, vel munus, quod videt cum earum recitatione non fore compossibile. Suarez ubi suprà n. 33. Bonac. n. 3. Filliuc. tract. 23. cap. 9. q. 8. & 9. Salmantic. ubi suprà, n. 38. Ratio est: quia voluntariè suscipiens ejusmodi munus vel negotium, eique ultro se ingerens hoc ipso censetur implicitè velle omittere Horas. Quod tamen limita cum citt. Authoribus, nisi munus sive actio, quæ suscipitur, sit graviter necessaria, vel existimetur hic & nunc esse majus bonum, quàm recitatio Divini Officii. tunc enim licitè suscipitur. ita licitè suscipis procurationem moribundi, vel munus concionandi, quando concio citrà contemptum Religionis, vel scandalum aliorum, vel propriam infamiam omitti non potest, tametsi videas, tales functiones cum recitatione Horarum non posse consistere. Hinc etiam colligitur, propter solum litterarum studium neminem reddi exemptum ab Officio Canonico, undecunque demum ad hoc obligetur. Ratio est: quia id neque dicto modo est necessarium, neque incompossibile cum oratione. Illsung ubi suprà.

72 Excusat tertio impotentia, sive ea sit intrinseca, quæ nempe oritur ex defectu corporali intrinseco; sive extrinseca ob defectum alicujus conditionis aut medii extrinseci ad recitandum necessarii. Ratio est manifesta: quia impossibilium non est obligatio. l. Impossibilium. ff. de Reg. Juris. Unde resolves.

73 I. Qui Horas non callet memoriter, & inculpabiliter caret Breviario, quia v. g. casu illud amisit, vel domi reliquit; nullumque aliud habere potest, is non obligatur ad recitandum. Ratio est: quia habet physicam extrinsecam impotentiam. Sanchez p. 2. Consil. lib. 7. cap. 2. dub. 51. Tambur. §. cit. n. 2. & alii passim. Quòdsi Breviariò careas culpabiliter, ut, quia studiò projecisti in profluentem, peccas, non solùm, dum projicis, sed insuper, quoties recitare omittis. Ratio est: quia & carentia libri, & omissiones inde secutæ tibi sunt voluntariæ. Quòdsi culpæ, ex qua Breviario cares, te pœniteat, nec habeas aliud adminiculum memoriæ ad recitandum, non peccas, dum non recitas. Ratio est: quia retractata illa priori voluntate ac culpa omissiones, quæ sequuntur, non amplius reputantur voluntariæ, & impotentia recitandi perinde se habet moraliter, ac si citra tuam culpam accidisset. Sanchez loco cit. Salmantic. n. 40.

74 II. Carens Breviariò, cæcus, vel oculis graviter laborans, si totum Officium, vel magnam partem illius calleat memoriter, tenetur recitare. Sanchez in Consil. Moral. lib. 7. cap. 2. dub. 46. Castropal. tr. 7. disp. 2. pu. 6. n. 11. Salmantic. n. 39. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 6. n. 41. & alii. Ratio est: quia hic nullam habet impotentiam implendi præceptum, sed commodè potest implere: ergo implere tenetur. Illud tamen, sicut testatur Illsung cit. communiter fatentur DD. cæcum, vel carentem Breviariò, si Officium, vel magnam partem illius non sciat memoriter, non esse obligatum, ut discat memoriter. Ratio est: quia hoc communiter est nimis difficile, & medium extraordinarium, quod hîc adhibere nemo tenetur.

III. Qui

75 III. Qui non potest recitare totum Officium, aut majorem partem illius, potest autem minorem, v.g. integram Horam, tenetur hanc recitare. Bonac. ubi suprà n. 7. Suarez cap. cit. n. 27. Laym. lib. 4. tr. 1. cap 6. n. 2. Illsung loco cit. Viva p. 2 damnat. Thes prop 54. & habetur ex decreto Innocentii XI. quo proscripsit am indicatam prop. nempe: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia pars major trahit minorem.* Ratio verò est: quia licet singulæ Horæ ordinentur ad unum totale Officium, quælibet tamen per se est oratio Canonica, & per quamlibet intenditur ab Ecclesia & obtinetur partialiter finis præcepti. Ergo meritò quis non excusatur à qualibet divisibiliter recitanda, si potest recitare. Confirmatur. Qui non potest solvere totum, quod debet, tenetur solvere tantum, quantum potest, quando hoc est quid separabile. nam qui debet centum, & non potest solvere centum, potest tamen decem, tenetur solvere decem: ergo, qui non potest persolvere integrum pensum Horarium, potest tamen Horam unam vel alteram, v.g. Vesperas aut Completorium, tenetur istas recitare, utpote invicem separabiles; cùm præceptum non solùm sit de integro Officio, sed etiam de singulis Horis recitandis. vid. Viva loco cit. n. 7. Illud procardicon: *Major pars trahit minorem* huc malè accommodatum est ab Authoribus sententiæ prohibitæ: cùm solùm sit intelligendum de majori parte personarum, seu suffragiorum in aliquid communi consensu conspirantium; quemadmodum colligitur ex l. 19. ff. *Ad Municipalem.* & cap. 1. *De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.* Cæterùm de eo, qui neque integram Horam potest recitare, potest tamen Psalmos, orationes, vel alias partes illius, existimat Suarez cap. cit, n. 10. ad hæc recitanda non esse obligatum. Ratio est: quia ista ut sic non sunt Horæ Canonicæ, aut Officium Divinum; adeoque non præcipiuntur divisibiliter, sicut integræ Horæ. Alii tamen, quos inter est Illsung loco cit. haud immerito sunt rigidiores, & dicunt, eum, qui tantum ex Officio Canonico recitare potest quantum satis est ad omissionem mortalem, ad illud recitandum obligari. Ita, qui potest recitare omnes Psalmos Matutini, non autem Lectiones, ob defectum libri, tenetur recitare Psalmos Ratio est: quia licet Psalmi præcisè non sint integra Hora, sunt tamen pars notabilis totius Officii, vel magnæ Horæ. Ille verò, qui non posset recitare partem Officii notabilem & sufficientem ad omissionem mortalem, sed non notabilem tantum, & ad eam malitiam insufficientem, ad hanc non teneretur, ut præter alios habet Illsung loco cit. Ratio est: quia talis pars non censetur æstimabilis comparatè ad finem præcepti.

76 IV. Qui solus non potest recitare Officium, posset autem cum socio, si haberet, tenetur adhibere socium, si commodè habere potest. Suarez ubi suprà n. 13. Laym. loco cit. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 6. pu. 2. n. 14. Salmantic. tr. 16. cap. 3. pu. 6. n. 44. Illsung loco cit. & DD. communiter. Ratio est: quia hic commodè potest implere præceptum Deinde, qui obligatur ad finem, etiam obligatur ad procurandum medium necessarium, quando id absq; novo & extraordinario onere habere potest. cùm proinde hic obligetur ad recitationem Horatum, & socius sit medium necessarium, isque facilè haberi possit, ut supponitur, tenetur hunc adhibere. Confirmatur. Qui tenetur audire Missam, & caret vestibus, quas tamen facilè habere potest commodatas ab alio, tenetur illas ad hunc finem acceptare, ut docet Viva ubi suprà n. 17. similiter, ut idem habet ex Card. de Lugo, qui in carcere detentus accipit à Judice facultatem exeundi ad audiendam Missam, tenetur ea facultate uti diebus festivis: ergo idem dicendum in nostro casu. Unde non juvat, si dicas cum aliquibus, recitare cum socio esse privilegium, quo nemo teneatur uti. quando enim usus privilegii necessarius est ad satisfaciendum alicui præcepto, tenemur illo uti. Dixi autem, *si commodè habere potest.* quia, si non nisi stipendio, vel magno sumptu socium potest acquirere, non tenetur procurare, ut cum eo recitet: quia hoc modo recitare esset onus extraordinarium, & valde difficile.

77 V. Surdus non tenetur adhibere socium, sed planè excusatur à recitando; si solus non potest recitare. Suarez n. 17. Ratio est: quia ineptus est ad recitandum cum socio: tum, quia necessariò omittit omne id, quod alter recitat; & ipse non audit, adeoque non facit sibi commune: tum, quia non potest commodè respondere, nisi vel conjectando, quandonam alter versus suos finiat, vel sollicitè observando motus labiorum ipsius; ad quam diligentiam tanquam nimiam præceptum non obligat: præsertim cùm non videatur moraliter adhiberi posse cum debita decentia & decore. Similiter surdaster, qui non potest audire alterum, nisi deformiter clamantem, non tenetur recitare cum socio, tametsi solus non possit recitare. Ratio est: quia id socio nimis grave esset & molestum. neque putandum est, præceptum Ecclesiæ hunc talem recitandi modum exigere. vid. Suarez loco cit.

78 Excusat quarto Dispensatio. Potest autem dispensare Summus Pontifex. Ratio est: quia hæc obligatio recitandi Horas est juris humani positivi, in quo Papa dispensare potest. Addit Bonac. q. cit. pu. 3. n. 11. validam esse Summi Pontificis dispensationem, tametsi dispenset sine causa. Episcopi & Abbates in hac obligatione non possunt dispensare per se loquendo, & in perpetuum. Bonac. n. 2. Sanchez lib. 7. Consil. cap. 2. dub. 33. Ratio est:

est: quia præceptum recitandi Horas est Concilii generalis & Juris communis Possunt tamen isti dispensare ad tempus cum suis subditis, dum adest justa causa dispensandi ut habent idem Sanchez, Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 8. n. 24. & 26. Salmantic. ubi suprà n. 41. Si loquamur de Religiosis Choro addictis, & non habentibus Ordines sacros, Prælatus facilius dispensare potest, ut suprà in §. 2. n. 28. cum aliis concessimus. Denique in similibus tam Episcopi, quàm Superiores Regulares consultissimè agunt, si attendant, quæ & quanta potestas ad dispensandum vel ex consuetudine, vel privilegio sibi competat. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 6. n. 42.

§. V.

Quale Officium sit recitandum?

SUMMARIUM.

79. *Exponitur status quæstionis.* 80. *Ex jure antiquo recitandum est Officium juxta Breviarium in Diœcesi, vel Ordine approbatum & receptum.* 81. *Ex jure novo autem juxta Breviarium Romanum à Pio V. editum.* 82. 83. 84. 85. *Corollaria practica.* 86. *Quale Officium recitare debeat habens duo Beneficia in distinctis Ecclesiis, ubi est diversus modus recitandi?* 87. *Non est licitum recitare unum Officium particulare pro alio.* 89. *Probabilius tamen non est peccatum mortale extra Chorum, licèt fiat aliquoties.* 90. 91. *Duo Corollaria.* 92. *Mortaliter autem peccaret, qui frequenter, vel constanter absque justa causa recitaret unum Officium pro alio.* 93. 94. 95. *Resolutiones practicæ.*

79 BIceps hæc quæstio est. procedit enim tam per comparationem variarum formarum recitandi seu Breviariorum inter se, quàm de eodem ritu ejusdem Breviarii relatè ad varia tempora, ad hos vel illos dies; ad hos vel illos Sanctos, an nempe tali tempore & die de tali Sancto, aut Mysterio, aut de feria recitandum sit Officium, sicut ibi notatur? Et quidem ad primum quod attinet loqui possumus vel de jure communi, vel dè jure speciali Pii V. de quo postea. Circa secundum diversæ sunt sententiæ, quemadmodum refert Viva p. 1. Thes. damnat. propos. 34. n. 2.

80 Dico primo. Omnes Clerici ad Horas recitandas obligati tenentur eas, stando in jure communi antiquo, recitare juxta Breviarium in sua Diœcesi vel Ordine approbatum & receptum. Sumitur hæc conclusio ex cap. *De iis.* cap. *Placuit*, dist. 12. cap. *Convenit*, de Consecr. dist. 5. & Clement. 2. *de Celebrat. Missar.* Ratio verò est: quia ubi non obligat aliquod jus novum ac speciale ad utendum Breviario Romano, quilibet non solùm potest, sed etiam tenetur servare ritum suæ Diœcesis vel Ordinis. Nam unusquisque debet conformari eorum consuetudini, cum quibus vivit, sicut concludit D. Thomas Quodlib. 1. a. 13.

81 Dico secundo. Omnes Ecclesiasti ex jure novo tenentur recitare Horas secundùm formam Romani Breviarii à Pio V. editi, & à Clemente VIII. reformati, illis exceptis, in quorum Ecclesiis, vel Monasteriis 200 annis ante hoc Breviarium Pii V. aliud Breviarium fuit institutum, vel consuetudine approbatum. Ita habetur in Bulla ejusdem Pii edita anno 1568. & Romano Breviario præfixa, additurque, *neminem ex his, quibus hoc dicendi munus necessariò impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse*: ex quibus apertè sequitur, esse mortale peccatum Horas recitare juxta aliud Breviarium quàm Romanum, ubi istud receptum est.

82 Corollarium I. Mortaliter peccat, qui vel semel recitat Horas juxta aliud Breviarium, quàm Romanum, nisi ipse pertineat ad Ecclesiam vel Monasterium, ubi adhuc viget legitimè usus Breviarii proprii & antiqui. Ita Salmantic. tract. 16. cap. 1. pu. 4. n. 28. contra Caramuel. Vasquez, Dianam & alios, qui putant, semel, bis, aut ter id facere non esse mortale. Sed ratio nostra est: quia in alio Breviario respectu talis non continetur Officium Canonicum: ergo juxta illud recitans non recitat Officium Canonicum. Atqui vel semel non recitans Officium Canonicum peccat mortaliter, supposito nempe, quod recitare obligetur. Hinc oritur.

83 Corollarium II. Qui caret Breviario Romano, non tenetur recitare juxta aliud, si forte habeat. Salmant. loco cit. Ratio est: tum, quia respectu talis in alio Breviario non datur Officium Canonicum. nam Pontifex omnia alia Breviaria abrogavit. tum, quia Pius V. in relata Constitutione asserit, neminem eorum, qui juxta Breviarium Romanum recitare tenentur, *nisi hac sola forma satisfacere posse.* Si satisfacere non possum, ut quid recitare obligor tali modo?

84 Corollarium III. Quibus concessum est juxta dicta in n. 81. uti alio Breviario quàm Romano, illis non est licitum propria Authoritate illud aliud proprium relinquere, & uti Romano. Ita Suarez, Vasquez, Lessius, Valentia & alii, quos refert & sequitur Bonacina de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 1. n. 3. Ratio est: tum, quia in Clement. 2. *de Celeb. Missar.* dispensatur, ut domesticis comensalibus Cardinalium & Episcoporum liceat Horas Canonicas recitare eo modo, quo recitant ipsi Cardinales & Episcopi: quæ dispensatio utiq; non fuisset necessaria, si cuilibet liberum esset relinquere Breviarium proprium, & recitare juxta Romanum, vel aliud quodcunque. tum, quia Pius V. in sua illa Constitutione non sustulit respectu

respectu talium obligationem juris antiqui circa recitationem Horarum, sed reliquit in statu pristino: ergo quemadmodum ante eam Constitutionem non poterant amplecti aliam formam recitandi, ita nec modò possunt. Dixi autem, *non esse licitum propria Authoritate*, quia Pontifex concedit illorum Ecclesiis facultatem relicto Breviario antiquo recitandi juxta Breviarium Romanum, *dummodo Episcopus & universum Capitulum in eo consentiat.* Addit tamen, semel acceptato Breviario Romano non posse ampliùs ad prius Breviarium redirì sine licentia Papæ: quia tunc prius illud censebitur irritatum.

85 At nihilominùs probabile est, secluso scandalo posse Clericos & Religiosos memoratarum Ecclesiarum privatim recitare Horas ex Romano Breviario. Bonac. n. 5. Laym. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 2. Salmantic. ubi suprà n. 26. referentes Lessium, Suarez, Castrop. & alios. Ratio est. tum, quia Pius V. in Bulla cit. ad relinquendum antiqui moris Breviarium & recipiendum Romanum exigens consensum Episcopi & Capituli expresè loquitur de recitatione in Choro; adeoque videtur concedere extra Chorum absque tali consensu esse licitum uti Romano Breviario. tum deinde, quia recitando Officium juxta Breviarium Romanum aliquis se conformat Ecclesiæ Romanæ, quæ est omnium Ecclesiarum mater eique hanc talem conformationem non displicere meritò præsumitur. Et hæc sententia vel maximè potest procedere tum de Clericis & Monachis, quamdiu in Academia quadam versantur, in qua usus Romani Breviarii viget: tum de illis Clericis, qui nulli Ecclesiæ serviunt, utpote ad titulum patrimonii ordinati. Vid. Laym. loco cit.

86 Quæri hîc solet, ecquod Officium recitare teneatur Clericus habens duo Beneficia in distinctis Ecclesiis, in quibus modus recitandi est diversus? Respondeo, esse obligatum ad recitandum juxta morem Ecclesiæ, in qua residet. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. c. 23. n. 8. Filiuc. tr. 23. c. 7. n. 221. Bonac. n. 9. Ratio est: quia potentius ac fortius est vinculum, residentiæ & domicilii, quàm Beneficii, præsertim cùm talis tempore absentiæ non præsumatur obligari ad serviendum Ecclesiæ illius Beneficii. Accedit, quod generaliter loquendo expediat vivere moribus & legibus eorum, cum quibus versamur.

87 Dico tertio. Officium Divinum recitandum est secundùm designationem temporum, dierum ac festorum, quæ habetur in Breviario, ita ut non liceat unum Officium particulare recitare pro altero. Ita communis. Ratio est: quia hoc est de forma recitandi, quam in Bulla sæpius nominata præscripsit Pius V. ad illam enim pertinet etiam distributio Officii per tempora, dies, & festivitates. Atque hinc omnes fatentur, eum peccare, qui scienter absque legitima causa recitat Officium pro Officio, v. g. pro Officio Dominicæ vel Feriæ Officium de Sancto, aut econtra, etsi magna controversia sit, quantum peccatum talis committat? de quo

Dico jam quarto. Probabiliùs non est pec- 89
catum mortale etiam aliquoties extra Chorum recitare unum Officium pro alio, quando illud retinet formam cõmunem & ordinariam Officii Canonici. Laym. ubi suprà, n. 4. Tamb. lib. 2. in Dec. c. 5. §. 2. n. 20. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 1. a. 2. à n. 7. Sporer de Hor. Can. c. 2. n. 119. Viva p. 1. Thes. damnat. prop. 34. & alii. Ratio est: quiâ sic recitans unum Officium pro alio non violat legem Ecclesiasticam recitandi quoad substantiam, sed tantùm quoad formam aliquam accidentalem, seu modum, de quo non constat esse graviter intentum à lege, sive ad finem aliquem proprium graviter ordinatum: ergo non est dicendus peccare gravitèr. Consequ. est bona, & patet in simili de interruptione & transpositione Psalmorum ejusdem Officii etiam notabili, per quas, ut infrà videbimus, non peccatur mortaliter, quia nempe forma aliqua accidentalis tantùm, ac modus debitus per easdem non observatur. Ant. autem prob. exemplô legentis unam Missam pro alia, v. g. die Dominica Missam de aliquo Sancto, cùm legenda esset Missa de Dominica. Hic talis non violat quoad substantiam legem illam Pii V. contentam in Bulla Missali præfixa, ac præcipientem in virtute obedientiæ, ut Missa legatur secundùm formulam, ritum, ac modum in Missali descriptum, dummodò Missa, quam legit pro alia, contineat formam & ritum Missæ communem, & non extraordinarium. Ergo idem sentiendum in casu nostro de recitante unum Officium pro alio, dummodò illud contineat formam Officii non extraordinariam, sed communem & ordinariam.

Corollarium I. Non est peccatum mortale 90
pro uno Officio recitare aliud etiam notabiliter brevius, si id rarò contingat. Illsung n. 7. Ratio est: quia Officia etiam notabiliter breviora retinent formam à lege primariò intentam, scilicet formam communem & usitatam Officii Canonici: ergo recitans Officium notabiliter brevius, v. g. de Sancto, cùm recitandum esset de Dominica, satisfacit primariæ intentioni legis, illaq; mutatio in brevius est solùm materialis vel accidentalis; & consequenter sic recitans nonnisi fraudem venialem in legem committere censendus est.

Corollarium II. Mortaliter tamen peccat, 91
nec satisfacit præcepto, qui recitat Officium Resurrectionis, aut Pentecostes alio quocunque die extra earum Octavas. Ita cõmunissima sententia præsertim hodie post præscriptam ab Alexandro VII. hanc prop. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

Et ratio est: quia forma illa Officiorum Paschatis & Pentecostes unum tantùm nocturnum ex tribus Psalmis habentium est extraordinaria, & à communi, & usitato ritu valde diversa. Confirmatur. Nemo unquam asseruit, satisfacturum præcepto recitandi Vesperas eum, qui Vesperas Sabbathi sancti ex uno tantùm brevissimo Psalmo, aliisque paucis additis constantes recitaret pro Vesperis aliarum dierum. ergo similiter ob rationis paritatem dicendum non est, eum satisfacere præcepto recitandi totum Officium, qui extra Octavas Paschatis & Pentecostes recitat Officium, pro his festivitatibus assignatum. Vid. Viva n. 7.

92 Dico quinto. Qui absque justa causa frequenter, vel constanter recitaret unum Officium pro alio, peccaret mortaliter. Ita communis sententia. Ratio est: quia frequens ejusmodi mutatio unius Officii in aliud pro libitu exercita contra legem tam graviter præcipientem, ut Officium recitetur juxta formam in Breviario præscriptam, non potest non continere virtualem, eumque gravem contemptum ejusdem legis. Ergo licèt non sit prohibitum sub mortali semel, iterum, vel aliquoties recitare absque justa causa unum Officium pro alio, ut supp. ex n. 89. ita tamen prohibitum est recitare frequenter: sicut sub mortali prohibitum est Canonico à Choro abesse frequenter, esto, non sit ita prohibitum, abesse semel, & iterum. Confirmatur. Si homines scirent, aliquem ad Horas Canonicas obligatum longo tempore, vel quotidie pro libitu mutare unum Officium in aliud, certè offenderentur, & scandalizarentur. Superiores quoque, præsertim Regulares, haud dubiè graviter animadverterent in talem subditum. Demum, vix ulli Confessarii absolverent, si morem hunc præposterum recitandi Officium confiteretur, & ab eo nollet desistere. Ex quibus patet, hunc talem communi hominum sensu & judicio esse reum peccati mortalis. Nunc resolvere licet sequentia.

93 I. Qui ob rationabilem causam unum Officium recitat pro alio etiam brevius semel, aut iterum aut raro, satisfacit præcepto, & nequidem peccat venialiter. Ratio est: quia rationabilis causa sufficienter excusat ab observatione præcepti Ecclesiastici circa rem sub veniali tantùm prohibitam. atqui Officium recitare pro Officio semel, aut iterum, aut raro non est prohibitum nisi sub veniali peccato; ergo. Cæterùm causæ rationabiles plures enumerantur, ut, impotentia aliqua, vel notabilis difficultas circa recitationem Officii proprii, conformitas, societas in orando, singularis devotio erga aliquem Sanctum, vel festivitatem quampiam. Quamvis, quod attinet ad ejusmodi devotionem, credendum sit, Sancto gratius exhiberi obsequium, dum in honorem ipsius recitatur Officium diei currentis, quàm hoc omisso, Officium ipsius proprium. Imò reperitur teste Sporer apud Gavantum in Rubric. Breviarii, sect. 1. cap. 5. tit. 2. declaratio Cardinalium, qua id prohibetur. Vid. Illsung, ubi suprà n. 15. Sporer, n. 120.

II. Qui sive datâ operâ, sive inadver- 94
tenter recitavit Officium pro Officio, non tenetur postea repetere Officium prætermissum, dummodò Officium, quod recitavit, non fuerit ritus extraordinarii juxta dicta in n. 91. Azor. to. 1. lib. 10. cap. 10. q. 2. deinde Sylvester, Cajetanus, Lessius apud Laym. lib. 4. c. 5. n. 4. Ratio est: quia satisfecit præcepto Ecclesiastico quoad substantiam, esto non satisfecerit quoad modum. Sed quid, si per errorem incepi recitare hodie Officium alterius diei, & post aliquot primùm Horas recitatas errorem adverto? Respondeo, sufficere, si errorem corrigas in Horis, quæ restant, & nec requiri, ut repetas ab initio. Lugo in Respons. moral. lib. 5. dub. 8. ubi etiam docet probabiliùs, eum, qui per errorem hodie recitavit de Sancto diei crastinæ, debere cras iterum recitare idem Officium de eodem Sancto, ne videlicet bis erret, & mutet Officium.

III. Haud dubiè rectè agit & consultò, 95
qui, dum non potest recitare Officium longius hujus diei, potest autem recitare brevius alterius diei, recitat hoc brevius. Ratio est: quia sic præcepto satisfacit quoad substantiam. Neque dicas, hinc sequi, talem etiam obligari ad recitandum ejusmodi Officium brevius: cùm quilibet teneatur implere præceptum, si possit: negatur enim seq. quia legum positivarum obligatio communiter tam rigida non est, ut, quando non potest impleri modo ordinario, debeat impleri modo extraordinario, qualis in præsenti est mutatio Officii. Ita Navarrus, Sanchez, Diana apud Illsung n. 13. quos & ipse sequitur.

§. VI.

Quomodo recitandum sit Officium Canonicum?

SUMMARIUM.

96. *Præceptum Innoc. III. in c. Dolentes. de celebr. Missar.* 97. *Officium recitandum est integrè.* 98. 99. 100. 101. *Resolutiones practicæ.* 102. *Recitandum est etiam sine interruptione.* 103. *An, & quale peccatum sit interrumpere Divinum Officium?* 104. *Recitandum est præterea ordinatè.* 105. 106. 107. 108. *Sequelæ practicæ.* 109. *An sit peccatum mortale celebrare Missam ante recitatum Matutinum?* 110. *Recitandum est ulteriùs tempore, quod vel à jure, vel consuetu-* 96

ſuetudine præfixum eſt. 111. 112. 113. *Reſolutiones caſuum.* 114. *Quid de loco recitationis privatæ?* 115. *Recitandum eſt denique cum debita intentione, & attentione.* 116. *Quomodo differant intentio, attentio, & devotio?* 117. *Attentio alia ſuperficialis, alia litteralis, alia ſpiritualis.* 118. *Refertur ſententia negantium hic eſſe neceſſariam attentionem internam.* 119. *Aſſeritur affirmativa.* 120. *& reſpondetur ad fundamenta contraria.* 121. 122. 123. 124. 125. 126. *Corollaria ex dictis.*

96 Hic audiendus eſt ante omnia Innoc. III. in cap. *Dolentes. de Celebrat. Miſſar.* ubi ait: *Diſtrictè præcipimus in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudiosè celebrent pariter & devotè.* ubi duobus illis adverbiis *ſtudiosè* & *devotè* totum modum recitandi comprehendit: nempe, ut reciterur integrè, ſine interruptione, ordinatè, tempore præfixo, cum debita intentione & attentione. Itaque Officium Divinum.

97 Recitandum eſt primo integrè, hoc eſt, ita, ut non modò nihil omittatur, ſed etiam omnia verba pronuntientur intelligibiliter, ſyllabæque non abſcindantur, mutilentur, aut proferantur cum ſyncopa. Ratio eſt: quia in cit. cap. *Dolentes*, ut audivimus, graviſſimè præcipitur, ut Officium Divinum non tantùm devotè, ſed etiam ſtudiosè recitetur. Atqui non recitatur ſtudiosè, quando recitatur cum indicatis omiſſionibus, mutilationibus, abbreviationibus, ſed negligenter, perfunctoriè, oſcitanter; ut patet, ergo. Nunc reſolves

98 I. Qui malè recitant ſyncopando, & contrahendo ſyllabas, degluttendo dictiones, inchoando ſuos verſus, antequam alter, cum quo recitant, ſuos abſolvat, mortaliter peccant, niſi parvitas materiæ excuſet; nec ſatisfaciunt præcepto, ſed tenentur, quæ ita recitârunt, repetere. Filliuc. tract. 23. cap. 6. q. 9. Bonac. de Hor. Can. diſp. 1. q. 3. pu. 2. §. 1. n. 2. & 3. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. à n. 4. Ratio eſt: hi tales violant præceptum in re gravi. Quando materia, in qua hîc exceditur, parva eſt judicio prudentis, peccatur venialiter ſolùm. Imò, quando talis mutilatio, omiſſio, vel abbreviatio verborum, aut ſyllabarum provenit ex inadvertentia, naturali balbutie, linguæ præcipitantia, vel etiam conſuetudine quodammodò in naturam verſa, ne quidem veniale peccatum eſt. Filliuc. n. 242. Tambur. n. 6.

99 II. Integrè recitat, qui cum ſocio recitat. Ratio eſt: quia nihil omittit, licèt non pronuntiet, quod recitat ſocius: hoc enim ipſum quoque facit ſuum, dum audit. Et quidem hunc modum recitandi eſſe honeſtum & laudabilem, confirmat praxis Eccleſiæ, & communis omnium ſententia. Addendum eſt autem, quod jam indicavi, ſic recitantem, ut ſatisfaciat, debere attentè audire partem, quam recitat ſocius: ſecùs enim utriusque oratio non fit utrique communis, & conſequenter non reputabitur integrè perſolvi totum Officium. Niſi ita doceremus, ait Tambur. n. 8. liceret dimidiam partem Officii canere, aliam dimidiam eodem tempore canente ſocio, quod eſſet præceptum Eccleſiæ notabiliter eludere.

III. Satisfacit, qui recitat cum ſocio, ſi. 100 ve hic obligatus ſit ad recitandum, ſive non ſit, v. g. cum diſcipulo, vel famulo. Ratio eſt: quia ut ego tunc ſatisfaciam meæ obligationi, ſufficit, quòd ſocius ſuam partem ita pronuntiet, ut totam poſſim percipere, eamque audiendo mihi facere communem, ſive ex obligatione id faciat, ſive liber ab illa. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 25. Filliuc. cap. 7. n. 241. Ex eodem capite non requiritur, ut ſocius ſit attentus ad illa, quæ recitat, dummodò ita pronuntiet, ut alter attentè audire poſſit. Vid. citt. & Bonac. n. 6.

IV. Poſſunt Officium Divinum privatim 101 recitare tres, quatuor, vel plures ſimul. Ratio eſt eadem, quæ de duobus in n. 99. Advertendum tamen eſt, non eſſe tunc licitum ità recitare, ut unus pronuntiet unum verſum, alter alterum, tertius tertium &c. ſed eſſe recitandum alternatim, ita ut duo tantùm Chori fiant recitantium, ſive plures ſint ex parte unius, ſive pauciores. Ratio eſt: quia ſic habet uſus & ptaxis Eccleſiæ in Choro, quam extra Chorum in privata recitatione imitari debemus. Bonac. n. 10. Ethæc intelligenda ſunt de recitatione Pſalmorum. Nam ad Lectiones, Reſponſoria, Anthiphonas, Capitula, Orationes quod attinet, ſatis eſt, ſi unus recitet, & cæteri audiant: cùm id etiam fieri ſoleat in Choro. Suarez n. 3. Tambur. n. 10.

Recitandum eſt ſecundo ſine interrupti- 102 one. Non intelligitur hîc interruptio Horæ ab Hora; quia hanc eſſe licitam nimis quam certum eſt; ſed interruptio partis à parte ejusdem Horæ. Nunc ratio aſſertionis eſt: tum, quia eſt indecens cœptam ad Deum orationem ſine cauſa abrumpere, & ad alia diverti; ſicut eſt indecens id facere in audientia principis humani: tum, quia unitas orationis, quam Eccleſia præſcripſit in ſingulis Horis, non eſt negligenda. huic autem unitati adverſatur interruptio. Bonac. n. 26. & DD. communiter.

Sed quæſtio nunc oritur, an, & quale 103 peccatum ſit Officium Divinum interrumpere? Reſpondeo primo, ſine juſta cauſa interrumpere interruptione non notabiliter longa eſſe peccatum veniale. Sanch. lib. 4. Conſil. 1. c. 2. dub. 19. Neque puto quemquam in hoc

dissentire. Ratio est: quia est quædam irreverentia, ac indecentia cœptum cum Deo sermonem sine causa interrumpere. Repugnat insuper unitati morali orationis, & consuetudini Horas recitandi. Cæterùm Bonacina n. 30. modicam & valde brevem interruptionem excusat ab omni peccato, tametsi fiat absque justa causa: quia parùm reputatur pro nihilo, neque discontinuatur oratio moraliter loquendo per duo vel tria verba impertinentia, quæ ejus partibus interjiciuntur.

Respondeo secundo, etiam interruptionem notabilem & per longum tempus sine justa causa factam probabilius non esse peccatum mortale per se loquendo. Ita communis sententia. Ratio est: quia licèt physicè loquendo ob magnam interruptionem non maneat Hora continua, moraliter tamen propter intentionem prosequendi & persolvendi intra eandem diem, quod deest (quæ intentio hîc supponitur) censetur esse una, atque integra recitatio ejusdem Horæ, & consequenter impletio præcepti quoad substantiam. Unde neque tenetur quis repetere priora, quando facta interruptione ad recitandum revertitur, tametsi animo repetendi interrupisset. Consultum tamen est, si interruptio fuit longa, repetere ab initio Psalmi vel Nocturni. Vid. Sánchez loco cit. Bonac. num. 28. & seqq. Laym. lib. 4. tract. 1. cap 5. num. 7. Filliuc. ubi suprà, num. 239. Tambur. num. 11. Spoter de Hor. Can. cap. 2. num. 136 Dixi autem *per se loquendo.* Nam si accedat mortalis aliqua circumstantia, ut, si interruptio fiat cum gravi scandalo præsentium, vel verba valde turpia & obscœna interserantur, interrumpens haud dubiè peccati mortalis est condemnandus. Bonac. num. 29. Quòdsi interruptio fiat ex justa causa, v. g. itineris, supervenientis negotii, Charitaris, aut etiam affabilis humanitatis, omni culpa vacabit, sive brevis ea sit, sive longa. Idem Bonac. n. 30. in fine. Tambur. loco cit.

104 Recitandum est tertio ordinatè, id est, juxta ordinem ab Ecclesia præscriptum: qui talis est, ut priùs recitentur Matutinum & Laudes: deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Ratio est: quia præceptum recitandi Horas non solùm impleri debet quoad substantiam, sed etiam quoad modum, qui in eo præcipitur: ad modum autem hujus præcepti pertinet ordo memoratus: ut patet per cap. 1. de Celebr. Miss. ergo &c. Fatendum est tamen, hunc ordinem, saltem extra Chorum, non præcipi nisi secundariò tanquam circumstantiam minoris momenti, & sub hac tacita conditione, nisi quid aliud postulet justa causa. Vid. Bonac. pu. 4. n. 2. Atque hinc

105 Sequitur primo, illum non peccare mortaliter, qui ordinem Horarum non servat, recitando v. g. Vesperas ante Matutinum, Primam ante Laudes, ultimum Psalmum ejusdem Horæ ante primum, licèt hoc faciat sine causa. Unde nihil tenetur repetere. Ratio est: quia implet præceptum quoad substantiam: ordo enim, quem negligit, non est de essentia Officii Divini, neque graviter præceptus. Peccat tamen venialiter: imò si hoc faciat ex justa causa, ne quidem venialiter. quod enim fit ex justa causa, rationabiliter & inculpabiliter fit. Vid. Filliuc. n. 232. Bonac. loco cit. Tambut. §. 3. n. 12. Unde ulteriùs

106 Sequitur secundo, te non peccare, quando ab amico, vel Superiore invitatus ad recitandam primam, recitas cum ipso Primam ac cæteras Horas; quamvis nondum recitaveris Matutinum, idque postea primùm recites. Ratio est: quia hîc justam habes causam variandi ordinem. Filliuc. loco cit.

107 Sequitur tertio, eum, qui recitans Tertiam v. g. recordatur, se nondum recitâsse Primam, vel Matutinum, posse pergere in Tertia cum intentione recitandi Matutinum & Primam. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 24. n. 4. Bonac. n. 4. Ratio est: quia inadvertentia, ex qua primitùs incepit recitare Tertiam, est sufficiens causa à cessatione excusans.

108 Sequitur quarto, posse aliquem sine scrupulo ullius peccati manè recitare Horas, quando tunc secum non habet Breviarium, sed solùm Diurnale, ac postea recitare Matutinum, quando tempore pomeridiano habebit Breviarium. Tambur. loco cit. Ratio est: quia illa carentia Breviarii & opportunitas recitandi Horas videtur causa sufficiens. His addo ex eodem capite, eum, qui memoriter scit Psalmos, & non habet Breviarium, posse, dum opportunitas recitandi, occurrit, recitare Psalmos, & postea Lectiones: imò etiam posse econtra, si habet Breviarium, & non potest tunc totum recitare Officium, dicere Lectiones, Capitula, Hymnos, & Orationes, ac postea Psalmos recitare. Vid. Salmantic. tr. 16. c. 3. pu. 2. n. 10. Bonac. n. 5.

109 Hîc occurrit illa quæstio, an sit peccatum mortale celebrare Missam nondum recitato Matutino? Affirmârunt complures, quos refert Suarez cap. cit. n. 6. Bonac. n. 11. Fundamentum est: tum, quia ita habet consuetudo, ut Matutinum dicatur ante celebrationem Missæ: tum, quia celebrationi Missæ non præmittere saltem Matutinum in rubricis Missalium vocatur defectus: tum, quia interdum petitur privilegium ad celebrandum ante recitationem Matutini: tum, quia aliàs Clerici sumerent occasionem differendi Matutinum.

Verùm

Verùm ista non obstant. Unde ad quæstionem respondeo negativè. Ratio est: quia Matutinum neque est necessaria dispositio ad celebrationem Missæ, neque habet connexionem, vel ordinem ad illam. Imò videtur esse major connexio & ordo Matutini ad Primam, quàm ad Missam; & tamen non peccat mortaliter, qui Primam recitat ante Matutinum; sicut etiam non peccat mortaliter, qui in Quadragesima quoque recitat Vesperas, antequam legat Missam, tametsi consuetudine sit receptum, ut Missa legatur ante Vesperas: ergo nec peccat mortaliter, qui legit Missam ante recitatum Matutinum. Ad fundamenta in contrarium patet solutio. Ad primum dic, illam consuetudinem non esse receptam sub gravi obligatione; uti nec rubricas Missalium, in quibus non præmittere Matutinum Missæ vocatur defectus. ex quo solutum habes & secundum. Ad tertium dic, illud privilegium peti ad vitandos scrupulos, vel ad effugiendum peccatum veniale, quod committi fatendum est, quando absque justâ causa Matutinum non recitatur ante celebrationem Missæ; quia saltem est contra rubricas Missalis. Accedente autem justa causa nequidem veniale peccatum est legere Missam ante Matutinum. Ad quartum respondeo, occasionem illam fore acceptam, non datam, neque æquum esse, ut propter paucorum abusum introducatur gravis obligatio, ubi neque lex, neque materia id exigit. vid. Suarez n. 7. Filliuc. ubi suprà, à n. 235. Bonac. loco cit. Et hæc breviter de præsenti quæstione, quam fusiùs & magis ex instituto tractabimus infrà, ubi de Sacrificio Missæ disputabimus.

110 Recitandum est quarto eo tempore, quod vel à jure Ecclesiastico, vel à consuetudine præfixum est. Ita omnes. Tempus autem recitandi Divinum Officium incipit à media nocte diei præcedentis, & durat usque ad mediam noctem inclusivè diei sequentis. Ita communiter DD. Ratio est: quia Divinum Officium singulis diebus recitandum est, ut constat ex cap. *Dolentes. de Celebr. Missar.* ex Concil. Lateran. & ex Bulla Pii V. in prioribus sæpe nominata. Atqui juxta communem usum Ecclesiæ dies incipit à media nocte diei præcedentis, & durat usque ad mediam noctem subsequentis, ita ut includat 24. horas, quæ simul sumptæ sunt unus dies naturalis; ergo intra hoc tempus recitandum est Divinum Officium. Ex quibus resolves

111 I. Non satisfaceret præcepto, qui hodie ante mediam noctem recitaret Primam, aut alias Horas minores diei crastini. Azor lib. 10. cap. 9. q. 5. Bonac. n. 3. Salmantic. tract. 16. cap. 3. pu. 3. n. 13. Ratio est: quia obligatio recitandi Officium crastinum est affixa diei crastinæ, & nondum existit hodie: ergo non potest impleri hodie; sicut non potest impleri hodie obligatio jejunandi, vel audiendi Missam ex præcepto Ecclesiæ affixa diei crastinæ, adeoque hodie non existens. Neque obstat, quòd in festis celebrioribus sæpe recitentur die præcedente Vesperæ de festo diei subsequentis: quia negatur, illas Vesperas esse partem Officii diei subsequentis, ad quem honorandum ac solemnizandum Ecclesia geminas preces Vespertinas instituit. Bonac. n. 2. Dixi autem, *qui Primam aut alias Horas &c.* excipitur enim Matutinum cum Laudibus, quod anticipari, hoc est, recitari posse sub vesperum diei præcedentis constat ex consuetudine jam pridem introducta. Sed quæstio est, quanam id hora liceat? Nonnulli apud Tambur. Lib. 2. in Decal. cap. 5. §. V. n. 2. existimant, licitum esse recitare tribûs horîs ante occasum Solis; alii tribûs horîs post meridiem: alii intra tertiam & quartam pomeridianam: alii jam horâ secundâ post meridiem. Judico cum eodem Tambur. n. 3. has omnes sententias esse probabiles, & quemlibet posse amplecti, quam maluerit. Ratio est: quia juxta receptam consuetudinem licitum est Matutinum cum Laudibus diei sequentis recitare, quando dies præcedens inclinat ad occasum: sed hoc probabiliter contingit quolibet tempore ex illis, quæ designant adductæ opiniones; ergo. Illud tamen non audemus asserere, quod asserit nonnemo apud Salmantic. n. 15. nempè in Quadragesimâ, ubi Vesperæ ante meridiem recitantur, posse statim horâ undecimâ recitari Matutinum cum Laudibus diei sequentis.

II. Non peccat mortaliter, qui privatim 112
recitat Horas intra eundem diem naturalem, quacunque parte diei recitet, idque sine justâ causa. Sanchez lib. 7. Consil. cap. 2. dub. 36. n. 1. Bonac. n. 4. Salmantic. n. 14. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 4. n. 35. Ratio est: quia talis implet præceptum quoad substantiam, quæ in eo consistit, ut Horæ recitentur. quòd verò recitentur hac vel illa diei parte, est modus quidam & circumstantia non adeò necessaria. At venialiter peccare eum, qui absque justa causa notabiliter invertit tempus Horarum intra eundem diem, v. g. dicendo Matutinum & Laudes, vel Primam & Tertiam post meridiem, fatendum est cum Authoribus citt. & aliis. Ratio est: quia in jure Ecclesiastico præcipitur, ut Horæ debitis diei partibus persolvantur, idque vel ideo, ut oratio sit magis continua. Quòdsi adsit justa causa, nequidem veniale peccatum est etiam notabiliter dicto modo invertere tempus recitandi. Justa verò causa esse potest major devotio, vel probabile periculum supervenituræ occupationis, vel etiam commoditas. Hinc extra omnem culpam es, si totum Officium differas

differas post meridiem, cò quòd tempus antemeridianum tibi sit aptum ad studia non item pomeridianum. Sanchez n. 3. Vesperæ in Quadragesima extra Chorum licitè dicuntur post meridiem, licèt cap. *Solent.* de Consecr. dist. 1. & Rubrica Breviarii velint, esse dicendas ante comestionem meridianam: quia loquuntur de recitatione in Choro. Sanchez n. 3. Illsung loco cit.

113 III. Non satisfacit præcepto recitandi, qui Officium hodiernum recitare incipit ante mediam noctem, idque absolvit post mediam noctem. Azor. lib. 10. cap. 9. q. 6. Salmantic. n. 17. estque commune inter DD. Ratio est: quia quodlibet Officium recitari debet illo die, cui est affixum per legem Ecclesiasticam: sed talis hodiernum Officium non recitat die, cui est affixum cùm recitet partim hodie, partim cras; ergo. Dices. Qui ex justitia pro stipendio v. g. tenetur legere Missam, eamque incipit paulò ante meridiem, & finit post meridiem, is satisfacit obligationi, quamvis prohibitum sit jure Ecclesiastico, nequis Missam legat post meridiem: ergo etiam satisfacit obligationi recitandi Officium, qui illud incipit ante, & absolvit post mediam noctem. Respondeo neg. conseq. quia juxta communem & receptam DD. sententiam obligatio recitandi Officium diei currentis finitur in puncto mediæ noctis, ita ut elapsa media nocte recitare aliquid residium de Officio diei præcedentis nihil prosit ad satisfaciendum præcepto. Atqui obligatio legendi Missam ante meridiem non censetur tam rigidè affixa ei tempori, ut nullam patiatur extensionem ultra meridiem, quemadmodum suo loco videbimus. Illud de Matutino adhuc notandum est, siquis id velit dividere à Laudibus (quod licitum & honestum est) non esse opus, ut absolvatur cum oratione, præterquàm in nocte Natalis Domini; imò nec oportere Laudibus præmittere Pater Noster; cùm nulla hæc præcipiat vel consulat Rubrica, ut docet Gavantus apud Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. n. 11.

114 De loco recitationis privatæ nihil habetur expressum in aliquo jure Ecclesiastico. Unde huic obligationi in quovis loco satisfieri potest. Et quamvis aliqui dixerint apud Salmantic. n. 11. esse peccatum veniale absque justa causa recitare in locis immundis, nempe ob aliquam indecentiam, quæ hinc intervenire videtur, verius tamen est, nullam in ejusmodi recitatione culpam contineri, idque conformiter S. Scripturæ Psal. 102. dicenti: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Et certè, si dignum & justum est, nos Deo non tantùm semper, sed etiam ubique gratias agere, ut canitur in Præfatione Missæ, cur non similiter dignum ac justum sit ubique & absque ulla exceptione alicujus loci Deum orare & laudare? *Omnia munda mundis*, scribit Apostolus ad Tit. cap. 1. Porrò sedere, dum standum, stare, dum flectendum est, itidem non erit peccatum, si absit contemptus: quia non præcipitur, sed consulitur, & sic ordinatur majoris devotionis gratiâ. Tambur. §. 6. n. 2. & 4. Salmantic. loco cit. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 4. n. 34.

Recitandum est quinto Divinum Officium cum debita intentione & attentione. Ita omnes. Ratio est: quia actio humana & humano modo exercenda non potest subsistere sine intentione exercendi illam; ut constat ex communi doctrina de Legibus: sed recitatio Divini Officii est ejusmodi actio; ergo. Deinde oratio necessariò importat attentionem, ut pluribus monstrabimus paulò post. hæc quippe si absit, proferuntur quidem verba materialiter, quod etiam facere potest psittacus, sed non oratur: atqui recitatio Officii Divini, quam præcipit Ecclesia, est oratio; ergo &c. 115

Itaque in eo, qui tenetur recitare Officium Divinum, ut satisfaciat huic obligationi, necessaria est intentio seu propositum orandi; vel laudandi Deum, aut saltem præstandi per recitationem, quod præstandum ex munere injuncto incumbit. Et ideo non satisfacit præcepto, qui Horas addiscendi solùm, vel curiositatis gratiâ legit ex libro. Eadem tamen intentio non debet esse necessariò expressa aut formalis, sed sufficit virtualis & implicita, quam ille habere censetur, qui Breviarium in manus sumit, ut oret, vel faciat id, quod aliàs facere solet, vel tenetur facere. qualem intentionem ad validam quoque Sacramentorum administrationem sufficere communis doctrina est. Sed necesse non est, ut sit intentio implendi præceptum, dummodò ex ejus determinatione fiat opus præceptum. Hinc satisfacit, qui recitat animô etiam non satisfaciendi; quemadmodùm suprà in tract. 3. disp. 3. a. 1. §. 2. docuimus.

Difficultas haud paulò major est de attentione, quænam requiratur ad recitationem Officii Canonici? Antequam ad eam respondeatur, nota ex Thoma Sanchez lib. 7. Consil. cap. 2. dub. 28. differre inter se hæc tria, intentionem, attentionem, & devotionem. Nam intentio est propositum recitandi, Deumque recitando orandi. unde consistit in actu voluntatis. Attentio est advertentia ad id, quod recitatur ita, ut mens interiùs concipiendo loquatur intus hoc idem, quod lingua sonat externè: verbô, ut mens nostra concordet voci nostræ, quemadmodum dicitur in nostra S. Regula, cap. 19. Quare attentio est actus intellectûs. Devotio sumitur aliquando propriè, aliquando communiter. propriè sumpta est actus voluntatis, quo quis constituitur paratus ac promptus 116

ptus ad ea, quæ ad Divinum obsequium pertinent; ut docet D. Thomas 2. 2. q. 82. a. 1. Communiter sive vulgariter sumpta consistit in illa interna & spirituali refectione, recreatione, & consolatione, quam orans in se percipit, & quæ provenit ex ipsa oratione tanquam effectus ejusdem. Hanc talem devotionem sibi utique non speret, qui Horas recitat planè inattentus. Sed neque prior illa locum habet in eo, cui abest omnis interna Attentio. quomodo enim voluntatem habet promptè faciendi, quod ad Dei servitium pertinet, qui nihil minùs, imò longè alia cogitat, quàm de Divino servitio?

117 Ulteriùs autem attentio, quæ ad orationem vocalem, cujusmodi recitatio Divini officii esse debet, pertinere potest, triplex est, videlicet superficialis, litteralis, & spiritualis. Superficialis est, qua attenditur ad sola verba, ut omnia rectè & ordine pronuntientur, & nihil omittatur. Litteralis est, qua attenditur ad sensum & significationem verborum. hæc attentio, ut patet, non potest reperiri in Monialibus Choro addictis & linguam Latinam non callentibus. Spiritualis est, qua attenditur ad finem orationis, Deum inprimis, qui in oratione colitur & adoratur: item ad alias res sacras, vel mysteria significata, & pios affectus circa illa, sive hujusmodi affectus oriantur ex sensu verborum, sive aliunde, vel denique ad rem, quæ in oratione petitur, ut sunt gratia, remissio peccatorum, vita æterna, liberatio à tentationibus &c. Attentio spiritualis est omnium præstantissima. Litteralis est præstantior, quàm superficialis. Demum unaquæque harum attentionum potest esse vel actualis, vel virtualis, vel habitualis. Actualis consistit in actu formali intellectûs hîc & nunc attendentis seu advertentis. Virtualis est, quæ remanet ex actuali, qua in principio attendisti, in aliquo effectu illius, fortè in specie quadam intentionali, ut explicat Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 3. n. 22. Habitualis aliud non est, quàm actualis præterita & non retractata.

118 His animadversis, una sententia ut communiter refertur, docere videtur, ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de recitatione Horarum non requiri sub peccato mortali ullam attentionem internam intellectûs, sed satisfacere præcepto eum, qui, dum recitat, ita se gerit, ut scienter non exerceat aliquam actionem externam suapte natura impeditivam omnis attentionis, nempe spiritualis, litteralis, & superficialis, esto de cætero recitet inter perpetuas distractiones voluntarias quascunque. Hæc sententia compluribus tribuitur, quos refert Sporer de Hor. Can. cap. 2. n. 71. Ratio potissima est primo. Quia attentio interna neque est necessaria ad substantiam physicam, neque moralem veræ orationis vocalis: ergo ab Ecclesia præcipiente etiam veram orationem non præcipitur. Conseq. constat, quia Ecclesia non potest præcipere actum internum, nisi necessarius sit ad actum externum, ut suprà in tr. 3. disp. 2. a. 3, Ant. ostenditur. Nam, qui orationem Dominicam v. g. incipit cum intentione pronuntiandi ac petendi, quidquid in ea continetur, is revera Deo petitionem suam, earumque rerum desiderium, quæ per verba significantur, repræsentat humano modo, licèt nihil ampliùs cogitet inter pronuntiandum de illis verbis & sensu eorundem. Ergo talis verè ac propriè orat. Confirmatur. Quia coram principe humano recitat sermonem vocalem, quem scit esse accommodatum ad aliquid petendum, idque facit ex intentione manifestandi suam indigentiam, is verè dicitur orare principem, quamvis animo sit distractissimus: ergo idem judicandum de eo, qui ita se gerit coram Deo. Ratio est secundo. Quia non debet in hac materia constitui gravis obligatio, quando id non exigit certa aliqua lex. atqui nulla est certa lex obligans ad internam attentionem: cùm cap. *Dolentes*, quo maximè nititur sententia adversa, vel loquatur de sola devotione externa, vel contineat merum consilium: addit enim Pontifex, dum agit ibi de interna devotione inter recitandum à Clericis observanda hanc clausulam: quantum eis Deus dederit. Ratio est tertio. Quia illa attentio interna est difficillima, resque obnoxia infinitis scrupulis: ergo non est credibile, eam sub gravi peccato præcipi ab Ecclesia, cujus jugum oportet esse suave, sicut jugum Christi. Ratio est quarto. Quia hanc sententiam à pluribus jam sæculis tradiderunt, hodieque tradunt viri omni genere scientiarum ac virtutum præstantissimi, idque non ex levibus quibusdam fundamentis, aut obiter tantùm, sed perpensis & examinatis etiam rationibus sententiæ adversæ, nullo hactenùs edito Ecclesiæ decreto, quo id prohibeatur: ergo censeri debet sententia verè probabilis.

Verùm his non obstantibus, sententia 119
opposita, quæ ad satisfaciendum præcepto recitandi requirit attentionem internam, idque sub mortali peccato, sicut communis est, ita & vera esse planè videtur, atque in praxi omnibus modis retinenda. Vid. Valentia to. 3. disp. 6. q. 2. pu. 10. colum. 1734. & seqq. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 26. Filliuc. tract. 23. cap. 8. n. 254. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 2. n. 4. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. n. 10. Sporer de Hor. Can. cap. 2. n. 76. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. a. 3. n. 22. Ratio est primo. Quia recitatio Horarum, per quam satisfit præcepto recitandi, debet esse oratio: sed recitatio omni interna attentione

tione destituta non est oratio; ergo per eam non satisfit præcepto. maj. prob. quia Ecclesia præcipiens recitationem Horarum non aliam præcipit, quàm quæ sit oratio vocalis. unde eædem Horæ ex sua institutione Horæ orandi vocantur, juxta illud Actor. 3. *ad horam orationis nonam.* Ecclesia quoque profitetur, se per septem Horarum recitationem implere velle illud Davidicum Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* & illud, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* sed ista non implentur per recitationem, quæ non est oratio; ergo Ecclesia non aliam recitationem præcipit, quàm quæ sit oratio, adeoque ejus præcepto non satisfit, nisi per hanc talem recitationem. mi. etiam prob. quia attentio interna est de substantia orationis, ut habet communis Doctorum sententia. Est enim oratio *ascensus quidam, sive elevatio mentis in Deum,* ut patet ex illo Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu,* scilicet, non labiis tantùm, & materiali vocificeratione, sed & mente sive attentione spiritus. Confirmatur. Oratio vocalis est quædam adoratio, sive cultus Dei externus: ergo necessarium est, ut fiat in Spiritu & veritate, hoc est, non tantùm externa pronuntiatione verborum, sed etiam mentis attentione, conformiter ad illud 1 Corinth. 14. *Orabo Spiritu, orabo & mente.* Ratio est secundo. Quia omnes fatentur, nemine dempto, ad recitandum Officium Canonicum, prout præceptum est ab Ecclesia, necessariam esse intentionem recitandi saltem virtualem: cùm actualem nemo possit prudenter exigere, & habitualis non sufficere supponatur. Ergo etiam necessaria est attentio saltem virtualis. Conseq. inde patet, quòd intentio virtualis nequeat subsistere sine attentione virtuali, remota semel actuali, quam itidem nemo requirit ut in se formaliter perseverantem: ergo hoc ipso necessaria est etiam attentio saltem virtualis. Ant. autem ostenditur. Attentio virtualis tunc solùm desinit, quando vel formaliter, vel interpretativè revocatur. Priori modo revocatur, dum recitans Officium in progressu recitationis advertit ac videt, se non attendere, sed alia cogitare cum attentione incompossibilia, id non tantùm non curat, sed etiam formali positivo actu vult ita pergere in recitando. Altero modo revocatur attentio virtualis, quando talis, dum videt se non attendere, sed esse animô distractum ad alia cum attentione incompossibilia, id præcisè non curat, sed negligit, & interim pergit recitare: hoc enim est interpretativè velle non attendere, adeoque revocare voluntatem attendendi. Atqui utrolibet hoc modo tunc unà revocatur intentio virtualis recitandi, seu orandi; quia velle inter distractiones cum attentione incompossibiles verba Horarum pronuntiare est velle non orare. Adeoque hoc ipso, quòd desinat attentio virtualis, etiam definit intentio virtualis. vid. Suarez n. 13. Illsung a. cit. §. 4. Confirmatur. Intentio recitandi Horas, prout præceptum est ab Ecclesia, aliud non est, quàm propositum voluntatis Deum hoc tali modo orandi ac colendi, atque adeo ponendi integrè & ordine veram orationem tanquam actum humanum & moralem, qui actus, ut manifestè patet, non potest poni modo humano & morali cum debita integritate ac ordine, nisi cognoscatur ejusmodi integritas & ordo: hæc autem cognitio est ipsissima attentio actualis, quæ nisi unà cum intentione orandi virtualiter saltem perseveret, oratio, de qua loquimur, continuari non potest modo humano, sicut ita inchoari non potuit sine eisdem formaliter præhabitis. Ergo hoc ipso, quòd ad recitationem Horarum, prout præcepta est ab Ecclesia, necessariâ sit intentio, etiam necessaria est attentio interna, nec potest sine hac illa subsistere.

Nunc ad primum ex fundamentis oppo- 120
sitæ sententiæ respondeo neg. Ant. est enim attentio interna simpliciter necessaria ad substantiam moralem seu formam veræ orationis religiosæ cujuscunque; adeoque ab Ecclesia præceptibilis saltem indirectè, ut constat ex tract. de Leg. loco illo cit. Ad probat. Ant. dico, talem verè ac propriè orare, licèt de verbis illius precationis Dominicæ nihil ampliùs cogitet explicitè & actualiter, modò cogitet implicitè ac virtualiter ex vi primæ intentionis omnia rectè ac ordine pronuntiandi; quia sic habet attentionem superficialem saltem virtualem. Quòd si nec implicitè ac virtualiter quidquam ampliùs cogitet, ita ut careat etiam attentione superficiali virtuali, tunc nego, talem orare verè ac propriè. Ad Confirmat. neg. similiter, ejusmodi supplicem verè orare principem, si animô usqueadeo sit distractô, ut careat omni attentione etiam superficiali, scilicet ad verba, ut ea rectè & ordine eloquatur, ut decet coram principe. Neque refert, quòd princeps ipse judicet, se verè orari; in hoc enim decipitur; quia apud nos, qui ignoramus aliorum internas cogitationes, nemo censetur habere in ore, quod non habet in corde, donec probetur contrarium. Unde nec princeps judicaret, se verè ac seriò orari, si sciret, coram se verba absque omni prorsus interna attentione deblaterari. Verùm in praxi id fieri vix posse existimo. Ad secundum conc. maj. neg. mi. obligat enim tum lex naturalis verè orandi, tum positiva Ecclesiastica. In cap. *Dolentes* non contineri merum consilium, ex eo patet, quòd Pontifex dicat, *præcipimus in virtute obedientiæ, ut Officium Divinum studiosè celebrent & devotè.* Quæ verba utique sonant præceptum,

ceptum, & non consilium. Sed neque sermo hîc amplius est de devotione solùm externa; quia hæc jam satis præcipi ur in verbis præcedentibus, *hæc & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus*, ubi prohibentur actiones devotioni etiam exteriori repugnantes. Ad tertium neg. Ant. quia non requiritur attentio spiritualis, aut litteralis, sed sufficit superficialis, eaque virtualis saltem, in defectu actualis; hanc autem attentionem virtualem habere non est difficile. Ad quar um respondeo, pro sententia adversa multos quidem citari, re ipsa tamen fortè nec ullum docere eandem: cùm nullus ostendi possit ex illis, qui dicat, ad orationem vocalem, & ad satisfaciendum præcepto quoad substantiam non esse necessariam ullam attentionem internam etiam superficialem, eamque virtualem saltem, quemadmodum pluribus accuratè expendit Illsung ubi suprà §. 3. & 4. quod & ante ipsum præstiterunt Salmantic. tract. 16. qui est de Hor. Can. cap. 3. pu. 5. à. n. 28. Imò nec posse à quoquam negari, nisi inconsequenter, necessitatem omnis attentionis internæ etiam virtualis in defectu actualis, satis constat ex secundo argumento nostræ sententiæ. Itaque, omnibus pensatis, de probabilitate sententiæ adversæ (si fortè à quoquam docta est, aut docetur) nemo sibi blandiri potest.

121 Ex dictis colligitur primo, quod jam indicavimus, ad satisfaciendum præcepto recitandi officium Canonicum sufficere attentionem superficialem, sive eam, *qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret*, ut describit D. Thomas 2. 2. q. 83. a. 13. Salmantic. n. 29. & communissimè DD. Ratio est: quia per hanc attentionem conjunctam debitæ intentioni sufficienter salvatur oratio vocalis quoad substantiam, & devotio ab Ecclesia præcepta. Neque ostendi potest ullum jus, sive Divinum, sive humanum, quo plus aliquid hîc requiratur. Exemplum manifestum est in Monialibus, aliisque idioma, in quo recitant, non intelligentibus, quos satisfacere cum attentione superficiali nemo diffitetur.

122 Colligitur secundo, Ecclesiam ne quidem potuisse præcipere aliam attentionem in recitatione Horarum, quàm superficialem. Salmantic. n. 31. Ratio est: quia Ecclesia non potest præcipere actum internum non necessarium ad substantiam actus externi, vel non necessario connexum cum illo, quemadmodum suprà in tr. 3. disp. 2. a. 3. ex communi sententia docuimus: sed neque attentio spiritualis, neque litteralis est necessaria ad actum externum orationis vocalis, aut necessario connexa cum illo, & sola attentio superficialis ita se habet; ergo hanc solam & non aliam Ecclesia potuit præcipere. Dices. Ecclesia præcipit orationem, quæ sit elevatio mentis ad Deum: talis autem elevatio non salvatur per attentionem merè superficialem, utpote compossibilem cum distractione mentis ad alia. Respondetur ex D. Thoma a. cit. ad 1. ut quis mentem in Deum elevare dicatur; satis esse, quòd ad recitandum accedat animò orandi ac habendi memoratam attentionem, nempe ad verba, *ne in eis erret*, esto de cætero mente distrahatur ad alia.

Colligitur tertio, per multas distrac- 123
tiones etiam voluntarias non impediri attentionem sufficientem ad satisfaciendum præcepto recitandi Horas. Ratio est: quia multæ distractiones animi ex se compossibiles sunt cum attentione superficiali saltem virtuali. Neque enim mens hominis est adeo limitata, ut is, dum se vestit v. g. aut caput lavat, aut florem carpit, nequeat simul attendere ad verba, ne erret in eorum pronuntiatione: cùm similes actiones non ita vehementer occupent hominem, ut avertant ab omni cogitatione alterius rei. Vid. Salmantic. n. 30. Neque refert, si ejusmodi distractiones sint voluntariæ. Hinc enim non sequitur, quòd magis avocent animum ab attentione ad verba, quàm involuntariæ; ergo sicut istæ quàm plurimæ non sunt incompossibiles cum intentione & attentione virtuali, ut omnes fatentur, ita nec voluntariæ. Illsung ubi suprà, §. 5. n. 30.

Colligitur quarto, neque attentionem 124
spiritualem sine attentione superficiali, sive ad verba, sufficere ad satisfaciendum præcepto recitandi. Suarez de Religione lib. 3. cap. 4. n. 19. Filliuc. tract. 23. cap. 3. n. 77. Illsung. loco cit. Ratio est: quia recitatio per quam satisfaciendum est præcepto Ecclesiæ, debet esse oratio vocalis: atqui recitatio cum attentione spirituali, & sine attentione ad verba saltem virtuali, non est oratio vocalis, sed materialis tantùm prolatio verborum; ergo &c. Talis proinde, postquam ex sua meditatione ad se rediit, tenetur repetere, quæ absque attentione ad verba recitavit.

Colligitur quinto, illum non satisfa- 125
cere præcepto, qui recitat Officium distractus per distractiones incompossibiles cum omni attentione interna, sive ejusmodi distractiones sint voluntariæ, sive involuntariæ. Illsung n. 32. Ratio est: quia similiter ejusmodi prolatio verborum non est oratio vocalis, utpote destituta attentione necessaria. Quare, qui intenso litterarum studiò v. g. abreptus recitat Horas absque ulla attentione etiam virtuali, tenetur postea repetere.

partem ita recitatam, esto non peccaverit in admittendo ejusmodi distractionem.

126 Colligitur sexto, illum non peccare mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, qui inter recitationem Officii Divini voluntariè admittit ac fovet distractiones compossibiles cum attentione superficiali, saltem virtuali. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. n. 12. Illsung n. 31. Ratio est: quia tunc recitans Officium manente, ut supponitur, attentione ac intentione virtuali, æquè ponit omne id, quod ad substantiam orationis ab Ecclesia præceptæ requiritur, quàm si ejusmodi distractionibus implicaretur involuntariè: ergo non peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiæ. Dixi autem, *qui admittit &c. distractiones compossibiles.* Nam si deliberatè exercet tunc actiones cum ea attentione incompossibiles, quales sunt v. g. legere, scribere, confabulari, idque per notabilem partem Officii, & absque animo postea quid repetendi, non excusari poterit à peccato mortali contra præceptum Eccelesiæ. Ratio est: quia sic interpretativè saltem vult non recitare, adeoque in gravi materia non observare præceptum Ecclesiæ. Interea dubium non est, sicut in aliis, ita & hîc, si materia sit levis, posse peccari venialiter tantùm. Vid. Suarez lib. 4. cap. 26. n. 18. Bonac. de Hor. Can. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 2. n. 9.

ARTICULUS IV.

De Superstitione.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Superstitio?

SUMMARIUM.

1. Superstitio unde dicta. 2. Definitio Superstitionis, ejusque declaratio. 3. Divisio, & subdivisio Superstitionis. 4. Quinam committant Superstitionem cultus pernicioſi. 5. Quinam Superstitionem cultus Superflui.

1 NOmen *Superstitio* juxta Ciceronem lib. 2. de Nat. Deor. originem suam debet Ethnicis, qui Diis suis plus nimiô immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent; idcoque *Superstitioſi* vocabantur. Alii cum Lactantio lib. 4. Divin Instit. cap. 28. ductum esse putant ab illis, qui abjecto cultu antiquiorum Deorum colebant superstitem memoriam majorum suorum: vel inde, quòd homines nimiùm timerent Deos supernè impendentes, ac veluti superstantes, ut vult Lucretius apud S. Isidorum lib. 8. Etymol. cap. 3. qui hanc Etymologiam improbans sentit, *Superstitionem* dictam esse à *Superstatuo*, vel *Superinstituo*: quia Superstitio est superflua observantia in cultu super statuta, seu institura Majorum. Verùm hanc descriptionem rejicit Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 1. n. 1. judicans, per eam aptè quidem declarari significationem vocis, non tamen derivationem vocis. Quidquid sit, de re ipsa

2 Dico jam primo. Superstitio est vitium Religioni oppositum per excessum, quo vel Deo cultus indebitus, vel creaturæ cultus Deo debitus exhibetur. Ita colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 92. a. 1. & aliis DD. Dicitur *oppositum per excessum*, haud sanè secundùm circumstantiam *quantum*; cùm nihil possit esse secundùm se nimium in materia Religionis; sed secundùm aliàs circumstantias; ut ex decursu patebit. Differt autem per has particulas Superstitio à vitio Irreligiositatis, quæ cum suis speciebus Religioni per defectum opponitur, ut infrà videbimus. Dicitur, *cultus indebitus exhibetur*, nempe ex parte modi colendi Deum: debet enim is esse prudens vel moderatus. Dicitur, *vel creaturæ cultus Deo debitus*: quod fit, quando pro fine habetur creatura, cui Divinus cultus exhibetur, & dicitur Superstitio ex parte rei cultæ.

3 Dico secundo. Superstitio generatim est duplex; utraque tamen in varias species subdividitur. Ita rursus D. Th. 2. 2. q. 92. a. 2. communiter receptus. Declaratur. Nam omnis Superstitio consistit vel in cultu veri DEI, vel in cultu falsi Dei, seu creaturæ. Prior vocatur Superstitio cultûs indebiti, sive ex parte modi colendi verum DEUM. Posterior dicitur Superstitio cultûs falsi, & generaliter Idololatria appellari potest. Hæc porrò Superstitio, quæ etiam ex parte rei cultæ dicitur, tres species sub se comprehendit, scilicet Idololatriam expressam, seu strictè & specificè sumptam, & Divinationem, & vanam observantiam: quæ Idololatriæ tacitæ, sive implicitæ dici possunt. His adduntur Magia, & Maleficium tanquam species à tribus recensitis diversæ. Superstitio autem in cultu veri DEI distinguitur in Superstitionem perniciosam, & superfluam.

Prior

Prior est, dum mendacium committitur in ipso cultu veri Dei ita, ut in eodem specialis malitia mendacii & falsitatis involuatur. Posterior significat specialem cultum, qui secluso speciali mendacio inanis & nimius est. Exempla utriusque statim videbis.

4 Corollarium I. Superstitionem cultus pernicioſi committit primo, qui hoc tempore Deum colit cæremoniis antiquæ legis, circumcisione v. g. vel immolatione agni. His enim significatur, Incarnationem Filii Dei adhuc futuram, ac nondum fuisse: quæ est falsitas injuriosa Divinæ veracitati, adeoque pernicioſa. Secundo, Laicus, qui Deum colit tanquam publicus minister Ecclesiæ, v. g. celebrando Missam, absolvendo &c. nam hic intervenit fictio & falsitas ex parte colentis, utpote exercentis ministerium, quod ipsi non est commissum. Tertio, qui fidelibus colendas proponit falsas reliquias, vel prædicat falsa miracula ad confirmationem fidei facta per aliquam imaginem: vel qui fingit, hæc & illa esse sibi divinitus revelata; sive id faciat lucri, sive devotionis augendæ causa. Quarto, qui immutat formam aut materiam alicujus Sacramenti; vel propria authoritate quædam instituit observanda, acsi ab Ecclesia ipsa ad Dei cultum essent ordinata. Quinto, qui in concione, ut populum commoveat ad pios affectus, historiam aliquam, vel sententiam refert tanquam repertam in S. Scriptura, ubi tamen non reperitur. Omnis hic talis cultus ex suo genere mortale peccatum est ob gravē irreverentiam, quam Deo infert. Tid. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 37. n. 2. & 9. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 1. Tambur. lib. 2. in Decal. c. 6.

5 Corollarium II. Superstitionem superflui cultus committit primo, qui ante Solis ortum orat adhibendo certum numerum cereorum cum certo colore ac situ. Item, qui offert gallinam albam potiùs, quàm nigram. Similiter, qui audit Missam potiùs à Sacerdote, cui nomen Ioannes, vel statura Christi, quàm ab alio. Ratio est: quia ejusmodi cæremoniæ & circumstantiæ sint penitus inanes, nec quidquam conferunt ad devotionem spiritûs. Secundo, qui jejunat die Dominica, cùm tamen aliis diebus non jejunet: vel, qui in honorem Beatiss. Virg. non net, suit, aut lavat die Sabbathi; exercet tamen alia opera servilia. Item, qui in Missa, vel Officio Canonico aliquid addit non præscriptum in Rubricis Breviarii vel Missalis, v. g. pluries Alleluja, quando semel est dicendum; vel Credo, aut Gloria, dum non sunt dicenda: vel, qui facit in Missa signum Crucis, ubi non notatur esse faciendum. Ratio est: quia hæc & similia sunt præter aut contra consuetudinem Ecclesiæ, adeoque superflua & inania. Sanchez n. 4. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 1. n. 5. Bonac. n. 4, & alii. Neque refert, si talia dicantur fieri ex devotione: nam hæc ipsa corrigi debet, atque à vanis ejusmodi ritibus purgari. Illud tamen fatendum est, hanc Superstitionem superflui cultûs, secluso contemptu & scandalo, esse peccatum veniale tantùm. Sanchez n. 10. Laym. loco cit. Ratio est: tum, quia ob levitatem materiæ non importat gravem irreverentiam: tum, quia bona intentio, ex qua similes superfluitates Divino cultui immiscentur, malitiam diminuit, & multùm excusat. Quòdsi cultus superfluus sit actio insuper ex se prava, vel turpis, v. g. oblatio rei furtivæ; immolatio hominis; turpis & notabiliter lascivus cantus, sive vocalis, sive instrumentalis, in templo, is à peccato mortali non videtur excusabilis. Laym. loco cit.

§. II.

De Idololatria.

SUMMARIUM

6. Idololatria unde dicta. 7. Definitio Idololatriæ, & actus ad eam concurrentes, 8. An sit idololatricum in theatro invocare Jovem scenicum? 9. Neque in cultu Sacræ Eucharistiæ, 10. neque in cultu Sanctorum, 11. aut Sacrarum Imaginum & Reliquiarum committitur Idololatria. 12. Idololatria alia perfecta, alia imperfecta, alia simulata. 13. Idololatria aliquando est, aliquando non est conjuncta cum Infidelitate.

6 NOmen *Idololatriæ* juxta communem usum loquendi significat omnem cultum falsorum Deorum, putà hominum mortuorum, Dæmonum, Solis, Lunæ, Astrorum, & similium, quæ Gentiles colebant cum idolis, id est, vanis imaginibus, seu rerum quæ non sunt, cujusmodi erant Numina; quæ repræsentabant. Atque hinc imagines Christi & Sanctorum non dicuntur idola; quia repræsentant veras res, verum Christum, verós Sanctos. Nunc de re ipsa

7 Dicó primo. Idololatria strictè sumpta, & prout constituit primam speciem Superstitionis, rectè definitur Superstitio, qua Divinus honor tribuitur creaturæ alicui, sicut Deo. Ita omnes Catholici, teste Valentia, tomo 3. disp. 6. q. 11. pu 1. Ex qua definitione facilè colligitur, sicut ad cultum veri Dei, ita ad idololatriam tres actus præcipuè concurrere. Primus est existimatio, sive oppinio aliqua Divinitatis concepta de idolo, sive re, quæ honoratur. Secundus est affectus internus reverentiæ, quo quis idolo tanquam Numini se se submittit. Tertius est exhibitio signi externi, per quam significatur illa interna submissio, & recognitio

gnitio Divinæ excellentiæ. Vid. Filliuc. tract. 24. cap. 2. n. 23. Ex his

8 Sequitur primo, non esse Idololatras actores eos in theatris, qui, ut scenæ, & spectatorum oblectationi serviant, alterum actorem, qui Jovem repræsentat, implorant, eique supplicant, & alias coram eo cæromonias Gentilibus consuetas exercent. Valent. q. cit. pu. 3. Sayr. in clav. Reg. lib. 4. cap. 4. n. 7. Ratio est: quia consideratis omnibus actionis circumstantiis meritò præsumuntur non habere intentionem sive explicitam, sive implicitam ejusmodi ritus exhibendi creaturæ tanquam Deo, sed potiùs irridendi.

9 Sequitur secundo, nullam reperiri Idolatriam in cultu Sacræ Eucharistiæ, ut impudenter calumniantur temporum nostrorum hæretici. Ita habetur definitum in Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. nempe: *Siquis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriæ, etiam externo, adorandum; & ejus adoratores esse Idololatras, anathema sit.* Et ratio est: quia cultus ille Divinus non substantiæ panis (quam nullam ibi agnoscimus) sed per se Christo vero Deo, ut in Sacramento continetur, à nobis exhibetur, quamvis per accidens redundet ad species Sacramentales, quatenùs continent eundem Christum. Si dicant Sectarii, nos falsò supponere, Christum esse præsentem in Eucharistia, remittendi sunt ad Theologos nostros Polemicos, & ad ea, quibûs infrà suo loco veritatem hujus præsentiæ sufficienter adstruimus.

10 Sequitur tertio, etiam cultum Sanctorum longè abesse à Superstitione Idololatriæ. Ratio est; quia hic cultus, neque ex natura sua, neque ex lege aut consuetudine; neque ex mente Catholicorum, a quibus Sanctis exhibetur, censeri potest Divinus, ut fusè ostendit Valent. q. cit. pu. 5. imò si Divinus quoque esse supponatur, à Catholicis tamen certè non exhibetur alicui Sanctorum, sicut Deo; cùm nemo eos veneretur hoc animo, ut eisdem existimationem Divinitatis propriam conciliet, sed ut illorum excellentiam à Deo participatam, sicut decet, suscipiat. Vide, quæ suprà a. 1. §. 2. docuimus.

11 Sequitur quarto, nullam committi Idololatriam à colentibus Sacras Imagines & Reliquias. Ratio est: quia sicut ipsis Divis Cælitibus non exhibetur cultus Divinus, ut n. præc. audivimus, ita nec eorum imaginibus; quippe quæ coluntur cultu respectivo, ut ejusdem generis, quo coluntur illi, quorum sunt imagines. Ex quo ipso patet, cultum, quo Sancti coluntur à Catholicis, eisdem non tribui sicut Deo: quæ est altera conditio ad Idololatriam necessaria. Unde nec refert, si dicas, imagines Christi, sicut & Crucem, aliaque instrumenta Passionis, coli à nobis cultu Latriæ, qui est cultus Divinus: respondetur enim, illa non coli eo cultu absolutè, sicut Christus & Deus, sed respectivè tantùm. Quod attinet ad Reliquias Sanctorum, eadem proportionaliter ratio est, quæ de imaginibus. Nam sicut imaginibus eundem cultum exhibemus, quem exhibemus Sanctis, ita & Reliquiis eorum. Atqui cultus, quem exhibemus Sanctis, non est Divinus, nec exhibetur eisdem sicut Deo; ut primùm dictum est; ergo idem dicendum de cultu Reliquiarum. Vid. quæ docuimus a. cit. §. 4. ac præterea Valent. q. cit. pu. 6. Sayrus ubi suprà, n. 9.

12 Dico secundo. Idololatria est triplex, scilicet perfecta, imperfecta, & simulata. Ita Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 4. & 6. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 1. n. 5. Idololatria perfecta est, qua quis cultum exhibet idolo, quia falsò existimat, id esse Deum. Imperfecta est, qua quis sciens idolo, sive cuicunque alteri creaturæ nullam inesse Divinitatem, nihilominùs ex pravo effectu, v. g. odio adversus Deum, vel cupiditate quid obtinendi à Dæmone, aliave creatura eidem cultum externum sicut Deo exhibet. Simulata, quam etiam impropriam vocant, illa est, qua quis ob metum tyranni v. g. vel populi externum cultum DEO debitum, exhibet idolo, absque eo, quòd recognoscat in illo Divinam excellentiam, vel habeat internam affectum colendi ipsum. Ex quibus

13 Inferes primo, Idololatriam aliquando conjunctam esse cum infidelitate, aliquando non esse conjunctam. Ratio est: quia Idololatra aliquando existimat erroneè, creaturam, quam adorat; esse Deum, aliquando id non existimat. Si primum, Idololatria illius conjunctam habet infidelitatem: si secundum, non habet conjunctam. Inferes secundo, Idololatriam quamcunque, etiam simulatam, esse peccatum mortale gravissimum. Ratio est: tum, quia, quantum in ipsa est, aufert Deo honorem, eumque transfert in creaturam: tum, quia est mendacium perniciosissimum contra Religionem, & sæpe contra externam professionem Fidei. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 37. n. 21. Laym. loco cit. Inferes tertio, Idololatriam imperfectam esse gravius peccatum, quàm perfectam. Ratio est; quia imperfecta committitur ex mera malitia; non item perfecta; cùm aliquo modo excusetur ob ignorantiam. Laym. loco cit. Inferes quarto, neque metum mortis, aut mali cujuscunque excusare à peccato Idololatriæ. Ratio est: quia creaturæ tribuere cultum Divinum intrinsecè malum est. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 2. n. 4.

§. III.

§. III.

De Divinatione.

SUMMARIUM.

14. *Divinatio quid nominis.* 15. *Definitio Divinationis cum suo analysi.* 16. *Malitia Divinationis in quo consistat?* 17. *An superstitiosum sit à Dæmone petere notitiam rerum, quas idem naturaliter comprehendit?* 18. *Divinatio alia importat pactum expressum, alia tacitum cum Dæmone.* 19. *Qui ad comparandam notitiam rei occultæ utitur vanis mediis, non excusatur per protestationem, quòd nullam intendat societatem cum Dæmone.* 20. *Variæ species Divinationis.* 21. *Divinatio per expressam Dæmonis invocationem instituta semper peccatum mortale est.* 22. *Solvitur objectio.* 23. *Quamvis Divinatio cum pacto implicito ex genere suo peccatum mortale sit, aliquando tamen efficitur veniale.* 24. *Divinatio per pactum expressum, & Divinatio per pactum tacitum sunt ejusdem speciei moralis.* 25. 26. *& seqq. An omnes prædictiones Astrologicæ sint prohibitæ?* 31. 32. *An licita sit Divinatio Physiognomica?* 33. *An licitum sit interrogare Cingaros?* 34. *An licita sit conjectio ex somniis?* 35. *Unde dignosci possint somnia divinitus immissa à Dæmoniacis?* 36. 37. *& seqq. An, & qualiter licitus sit usus sortium?*

14 VOx *Divinatio* attenta significatione, quam habet ex prima institutione, non solùm in malam, sed etiam in bonam partem accipi potest: cùm aliud non significet, ut tradit Cicero lib. 1. de Divinatione, quam præsensionem qualemcunque & scientiam rerum futurarum. Verùm in S. Scriptura & apud Scriptores Ecclesiasticos ubique malè audit *Divinatio*, & nunquam in bonam partem accipitur, quemadmodum S. Hieronymus in cap. 3. Michææ animadvertit.

15 Dico primo. Divinatio rectè definitur, significatio occultorum ex pacto cum Dæmone. Ita breviter & rotundè definit Delrius lib. 4. disquis. magic. cap. 2. q. 1. & cum ipso Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 3. n. 1. Dicitur *significatio*: quia non consistit in sola mentis interna notitia, sed signis insuper, & verbis exterioribus perficitur: in quo ipso distinguitur à scientia, quæ per vanã observantiam acquiritur. Dicitur *occultorum*, hoc est, procul remotorum ab humana cognitione, sive ea sint futura, sive præsentia, sive præterita. Neque enim Divinatio habet aliam materiam, quàm Prophetia. Dicitur, *ex pacto cum Dæmone*, ut Divinatio discernatur tum à Prophetia, quæ divinitus infunditur, tum à naturali conjectatione, quæ per disciplinam & humanam observationem gignitur.

16 Corollarium I. Malitia Divinationis in eo consistit, quòd homo, ut comparet rerum cognitionem, qua vel opus habet, vel cujus appetitu ducitur, neglecto Deo, ad Dei, hominumque infensissimum hostem Diabolum pro instructione se conferat. quod quemadmodum ipsi Diabolo æmulanti Divinitatem per furtum Divinationis honorificum est, ita in Dei contumeliam & contemptum cedit. Talis enim profitetur, se Diaboli ope indigere, eidemque se subjicit instruendum sicut discipulus magistro, acsi alius nemo esset, à quo doceri, aut æquè commodè, doceri posset: quemadmodum se gessit Ochozias lib. 4. Reg. cap. 1. ubi illi exprobratum est: *Nunquid, quia non erat Deus in Israël, mittis, ut consulatur Beelzebub Deus* Accaron? quam eandem subjectionem Diabolus acceptat tanquam apertum consensum & cooperationem ad usurpandam Divinam excellentiam. Adeoque ejusmodi subjectio & consultatio vel maximè importat malitiam Superstitionis & irreverentiæ Religioni contrariam.

Corollarium II. Non ille tantùm com- 17
mittit peccatum Divinationis verè ac propriè, qui à Dæmone petit certam cognitionem earum rerum, quas nõsse ac revelare Dei proprium est, ut sunt actiones liberè futuræ, vel internæ cogitationes, aut affectiones; sed etjam ille, qui ex ipso haurire desiderat aliarum quoque rerum, quas idem naturali facultate potest comprehendere, cognitionem, eamque vel certam, v. g. quinam fecerit furtum, vel homicidium, quod est occultum; vel conjecturalem & probabilem, puta de effectibus futuris ex libero hominum arbitrio dependentibus. Ita Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 8. n. 16. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 9. Laym. ubi suprà, n. 2. & colligitur ex D. Th. 2. 2. q. 95. a. 2. dicentis, *ad superstitionem pertinere, cùm aliquis assumit auxilium Dæmonum ad aliquid faciendum, vel cognoscendum.* Ubi universaliter loquẽs nihil distinguit inter cognitionẽ occultarum rerum Dei propriam, & non propriam, quasi illa esset materia Divinationis, ista non esset. Ratio verò est: quia Dæmon occasione honoris, qui ipsi, dum consulitur de rebus occultis etiam non superantibus ejus naturalem facultatem & scientiam, præ Deo habetur, aliquid usurpare affectat de Divina excellentia, nempe prærogativam quandam Divini magisterii in docendo res ab hominum cognitione remotas. Ad hanc autem talem excellentiæ Divinæ usurpationem homo consulens Dæmonem, ejusque ope contra Dei voluntatem consisus planè cooperatur; adeoque agit superstitiosè contra religionem Deo debitam.

Dico secundo. Divinatio dividitur in ; 8
Divinationem, quæ fit per invocationem, sive pactum expressum cum Dæmone, ut doceat occulta: & in eam, quæ continet tacitam in-

vocationem Dæmonis, pactumque cum eodem similiter tacitum; vel interpretativum. Hæc divinatio contingit, quandocunque homo notitiam rei occultæ procurat, seu procurare seriò conatur medio, quod ad eam indicandum naturaliter prorsus inutile, atque ineptum est. Dæmon namque, cùm advertit, aliquem hujusmodi vanitatibus, esse deditum, eisdem illico se immiscet, ut hominem doceat aliqua sibi cognita, illique ignota, eumque sic irretiat, & alliciat ad majora audenda. Unde qui vanis ejusmodi vacat inquisitionibus, meritò præsumitur velle doceri à Dæmone; quippe qui ob perversissimam hominibus nocendi voluntatem ac studium promtissimè præsto est illis, qui respiciunt *ad vanitates & insanias falsas*. Quemadmodum hunc locum Psalmi 39. ad hoc propositum interpretatur D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 2.

19 Atque hinc sequitur, non excusari eum, qui hujusmodi mediis ac signis suapte naturâ vanis & inutilibus utitur, eisque certam fidem adhibet propter diuturnam multorum experientiam, qua constet, ea communiter bonum habuisse successum, quamvis apud se protestetur, se nullam cum Dæmone societatem intendere, aut ipsius operâ cognitionem rei occultæ velle comparare. Nam protestatio facto contraria non excusat. Talis autem re ipsa agit contra suam protestationem: cùm enim seriò, ac certò confidat, se rei cognitionem adepturum ex signo, quod illam naturaliter indicare nullo modo potest, planè convincitur ejusmodi cognitionem ab alio quopiam sibi communicandam expectare. Atqui certum est, vana hujus generis media ac signa neque à Deo instituta esse ad manifestationē occultorum; neque bonos Angelos quidquam revelare citra Dei jussum ac voluntatem: de qua nihil constat in præsenti. Quid ergo superest, nisi talem per ejusmodi signa velle doceri à Dæmone? Vid. Laym. ubi suprà n. 3.

20 Quodlibet adductorum generum Divinationis in varias species dividitur. Et quidem Divinationis, quæ fit cum expressa invocatione Dæmonis, novem recensentur species, pro diversitate signorum, quibûs Dæmon hujusmodi superstitiosos solet docere. Prima dicitur Præstigium. Cùm videlicet Dæmon variis apparitionibus se hominibus conspiciendum objicit. Secunda, Divinatio per somnia: quæ est, dum in somnis expectatur revelatio ignotorum à Dæmone. Tertia, Necromantia, cum adhibito sanguine, certisque carminibus evocati mortui videntur resurgere, loqui, docere &c. Quarta, Divinatio per Pythones, id est, homines arreptitos, quibûs Dæmon ad docendum utitur. Quinta, Geomantia, cùm Dæmon docet per signa apparentia in corporibus terrestribus; putà in ligno, metallo, lapide &c. Sexta, Hydromantia; cùm per signa apparentia in aqua. Septima, Æromantia, cùm per signa apparentia in aëre. Octava, Pyromantia, cùm per signa apparentia in igne. Nona, Aruspicium, cum per signa apparentia in extis animalium ipsis Dæmonibus immolatorum idem docet occulta.

Jam verò alterius Divinationis per invocationem & pactum implicitum seu tacitum, duæ inprimis species quasi subalternæ assignantur. Prima est, per quam vanè procuratur occultorum cognitio ex dispositione, quæ aliàs inest corporibus. Secunda est, per quam eadem cognitio quæritur ex aliquibus, quæ homines ipsi consultò faciant, ut ejusmodi cognitionem comparent. Prima species dicitur Genethlia, cùm ex motu & positu siderum cum natalibus hominum collatis quæritur humanorum affectuum cognitio, & eventuum contingentium. Secunda est Augurium, cùm ex garritu avium, vel vocibus quorumcunque animalium; aut etiam ex sternutationibus hominum. Tertia, Auspicium, cùm ex volatu avium, aut motu quorumlibet aliorum animalium. Quata, Omen, cùm ex vocibus hominum præter intentionem prolatis. Quinta, Onirocritica, cùm ex somniis. Sexta, Physiognomia, cùm ex signis totius corporis humani. Septima, Spathulamantia, cùm ex signis Spathulæ. Octava, Metoposcopia, cùm ex fronte. Nona, Chiromantia, cùm ex signis manuum quæritur rerum occultarum cognitio. Alterius porrò speciei quasi subalternæ duæ tantùm species ex D. Thoma referuntur. Prima & quædam Geomantia: quia per illam ex protractione punctorum quæritur cognitio. Secunda est Divinatio per sortes: quæ in eo consistit, quòd quis ex signis in plumbo liquefacto, & in aquam projecto resultantibus; vel ex electione festucæ de duabus oblatis; vel schedulæ scriptæ, aut non scriptæ; vel ex jactu taxillorum &c. notitiam occultorum procurat. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 12. pu. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 12. & 13. Qui fusiorem harum omnium specierum tractationem desiderat, adeat Delrium lib. 4. disquis. mag. tota q. 6. & 7. nobis ad praxim non videtur necessaria: de aliquibus tamen plura dicere non pigebit paulò inferiùs. Interea

Dico tertio. Divinatio, quæ per expressam invocationem Dæmonis instituitur, 12
semper peccatum mortale est. Ita communis & certissima sententia. Ratio est: quia per hanc Divinationem perversè & nefariè initur commercium cum hoste humani generis, ac Dei ipsius infensissimo adversario: quod maximè malitiosum est. Neque potest aliquis inter fideles excusari per ignoran-

gnorantiam: cùm malitia sit nimis manifesta, & ubique doceatur; hoc tale cùm Dæmone commercium esse rem prorsus detestabilem. Procedit autem nostra doctrina, sive Dæmon in hac Divinatione invocetur verbo & voce, sive facto; dum nempe quis sciens nonnisi Dæmonem docere per aliquod signum, illud nihilominùs usurpat. Vid. Valent. q. cit. pu. 4. Sanchez n. 17.

22 Objicies. Qui instrui petit in scientiis, vel de rebus præteritis aut futuris ab homine quantumcunque scelerato, Deique inimico, non peccat: uti nec ille, qui petit medicinam à Medico impio: ergo neque peccat, saltem mortaliter, qui doceri petit à Dæmone, idque etiam expresse & cum pacto explicito, dummodò hoc sit gratuitum, ita ut non vicissim promittatur Dæmoni aliquod obsequium illicitum; & dummodò per ejusmodi doctrinam nemini injustum damnum inferatur.

Confirmatur. Constat ex historiis, viros etiam Sanctissimos non horruisse uti operâ Diaboli, ad portandam v. g. sarcinam, tenendam candelam, ædificandum templum, vel aliud servitium: imò etiam ad discendum occultas veritates: quod idem sæpenumerò fit in exorcismis, sive adjurationibus Dæmonum. Ergo consulere Dæmonem, vel interrogare de rebus occultis, præsertim iis, quas idem naturali facultate ac sagacitate habet perspectas, non est peccatum, saltem mortalis malitiæ, ut nos existimamus.

Respondeo ad Object. conc. Ant. (nisi fortè talis homo & ipse operâ Dæmonis utatur in docendo aut curando) neg. conseq. disparitas est, quia Instructio, sive opera, quæ ab homine quocunque exhibetur alteri homini, est medium à Deo ordinatum ad depellendam ignorantiam, aliamve miseriam, & non cedit, vel dirigitur in odium & contemptum Dei. Atqui instructio, vel auxilium Diaboli non est ejusmodi medium, & directè tendit & ordinatur ab ipso in odium Dei ejusque contemptum: cùm hostis ille antiquus & publicus Dei & hominum in omnibus, quæ homini præstat, etiam in speciem bonis & utilibus, unicè intendat imminuere honorem Dei, & homini nocere immediatè, vel mediatè: quod totum quoque verum est, sive pactum cum ipso initum sit oneroſum, sive gratuitum.

Ad Confirmat. respondeo, non esse mirum, quæ allata sunt in Anteced. fuisse, aut esse licita; quia cesserunt in contemptum & ignominiam ipsius Dæmonis, in Dei verò honorem cogentis illum obedire hominibus etiam in obsequiis vilissimis, idque ad deprimendam superbiam elatissimi Spiritus, & dicendam veritatem contra ejus mendacitatem, cum damno quidem ipsius, sed cum incremento Divinæ gloriæ, & utilitatis spiritualis animarum fidelium. Aliud longè est de iis, quæ dicuntur in consequente. Unde neg. conseq.

Dico quarto. Divinatio includens in- 23
vocationem Dæmonis, seu pactum tacitum ex suo genere peccatum mortale est; efficitur tamen veniale, primo, propter ignorantiam saltem non crassam, & affectatam. Cùm malitia hujus Divinationis, esto secundùm se gravis sit, non ita omnibus appareat, sicut malitia Divinationis importantis pactum expressum. Secundo, propter imperfectionem Superstitionis, quando videlicet certa fides non adhibetur, sed solùm timor quidam, aut suspicio concipitur, fortè eventum ita futurum, sicut indicat vani signi prænotio. Tertio, propter defectum seriæ intentionis, ut, siquis levitatis aut joci causâ per vanum aliquod signum inquirat rem occultam. Tunc enim non committitur verè Superstitio, sed vanitas quædam venialis. Vid. Valent. ubi suprà, & pu. 3. Sanchez à n. 19. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 3. n. 4. Propter parvitatem tamen materiæ hæc superstitio, si seriò fiat, nunquam excusari potest à peccato mortali; quia includit formalem DEI contemptum, in quo non habet locum parvitas materiæ. Quod etiam à fortiori vel maximè procedit de Divinatione per pactum expressum cum Dæmone. Vid. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 1. n. 284.

Dico quinto. Divinatio per pactum 24
expressum, & Divinatio per pactum tacitum, sive implicitum, sunt ejusdem speciei moralis intra genus Superstitionis. Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 10. n. 1. Sanchez n. 14. Filliuc. tract. 24. cap. 3. n. 72. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 3. n. 19. contra Valentiam & alios. Ratio est: tum, quia in utraque eadem formaliter inhonestas Superstitionis Religioni opposita invenitur: tum, quia tacitum & expressum in moralibus non solent actus speciem distinguere: ut patet, omissis aliis, in Professione tacita & expressa, quæ sunt ejusdem speciei. Itaque non aliter differunt, quàm perfectum & imperfectum, completum & incompletum intra eandem speciem. Cæterùm in Confessione nihilominùs explicandum est, si pactum expressum cum Dæmone interceſſit: quia Divinatio cum tali pacto solet habere adjuncta alia peccata gravissima, qualia sunt abjuratio Baptismi, & apostasia à Christo: idololatria erga Dæmonem, per genuflexionem, sacrificium &c. addita blasphema professione perpetui erga eundem obsequii, & ipsius reciproca promissione

promissione instruendi hominem sibi mancipatum, ut habent Suarez cap. 8. à n. 22. Delrius lib. 4. cap. 2. q. 1. Laym. Bonac. locis citt. quæ haud dubiè declarare oportet in Confessione. Illud quoque advertendum est, diversitatem signorum, aut instrumentorum, quæ adhiberi solent ad divinandum, non causare differentiam specificam in genere moris. Unde quemadmodum furta auri, argenti, fructuum, librorum, vestium, aliarumque rerum pretio æstimabilium non differunt specie in genere moris, ita nec Divinationes, sive fiant per aërem, sive per ignem, sive per aquam, sive per sortes &c. sic differunt, esto differant in genere naturæ & materialiter. Suarez cap. 10. n. 2. Bonac. n. 20. Quare eam diversitatem signorum non est opus explicare in Confessione. Nunc superest, ut nonnullas quæstiones de quibusdam speciebus Divinationis resolvamus.

25 Quæritur autem primo, an omnes prædictiones Astrologicæ, sive ex astris, sint illicitæ? Antè responsionem notandum est, duplicem esse Astrologiam. Prima dicitur Naturalis, cujus munus est situs ac motus astrorum observare, utque sit utilis humano generi, ex eisdem effectus naturales prænuntiare, tum eos, qui inde necessariò eventuri sunt, ut eclipses; tum eos, qui contingenter eventuri; qui nempe per concursum aliarum causarum impediri possunt: cujusmodi sunt pluviæ, siccitas, serenitas aëris, sterilitas agrorum, morbi animalium &c. Altera est Astrologia Judiciaria, per quam ex aspectu astrorum eventus ex libero arbitrio pendentes prædicuntur; vel effectus præteriti, aut præsentes occulti denuntiantur: v. g. Titium commisisse furtum, aut homicidium occultum; Cajum contracturum matrimonium cum divite & pulchra, Mævium cum paupere & deformi; gladio, igne, ruina ædium perituros.

26 Respondeo jam primo. Non est illicitum per se loquendo ex aspectu astrorum prædicere effectus naturales, sive iidem necessariò, sive contingenter sint eventuri. Ita cum D. Th. 2. 2. q. 95, communiter DD. Et sumitur ex Bulla Sixti V. 21. *Cæli & terræ &c.* contra Astrologiam Judiciariam, ubi circa principium post damnatas ejus prædictiones de eventibus fortuitis, excipitur prædictio effectuum necessariò, vel frequenter proveniendum ex causis naturalibus; nec non & infrà prædictio eorum, quæ ad agriculturam, navigationem, & rem Medicam pertinent, cujusmodi sunt æstus, frigus, serenitas, venti, procellæ, & similia. Ratio verò est: quia memorati effectus non sunt per se occulti, sed habent causas hominibus notas, per quas proinde cognosci possunt; illæ autem causæ sunt cœli & astra; sicut supponitur. Ergo quemadmodum alios effectus investigare per suas causas non est per se illicitum, ita nec istos.

Dixi tamen, *per se loquendo*, idque propter effectus non necessarios. Nam isti, cùm per intercursum aliarum causarum multipliciter impediri possint, ac soleant, sunt valde incerti. Potissimùm verò incerta est conjectatio temperamenti ac inclinationis, quæ ex aspectu astrorum, observato puncto nativitatis cujusque hominis instituitur. Nam punctum illud sive momentum nativitatis ob rapidissimum cœli motum, aliaque impedimenta deprehendi certò non potest. Deinde, ad temperamentum prolis non minus, imò magis conferre potest conceptio quàm nativitas: ergo, si ad ferendum de futura pueri complexione & inclinatione judicium observandus est aspectus siderum in nativitate, multò magis observandus esset aspectus eorum in conceptione occurrens. Atqui hunc aspectum & punctum conceptionis deprehendere impossibile est Mathematicis; ergo nihil in hac re judicare possunt iidem cum firmo fundamento; sed ad summum tenuissimâ conjecturâ; quæ vix pertingat ad suspicionem quandam, ut ait Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 11. n. 9. Itaque Astrologi nati pueri temperamentum, ac naturæ propensionem, aliosque effectus non necessariò eventuros majore certitudine asseverantes, quàm aspectu astrorum consequi possunt, non excusantur à peccato. Non tamen peccant peccato Divinationis contra Religionem; cùm nullum pactum cùm Dæmone intercedat, sed temeritatis, imprudentiæ, aut mendacii venialis, nisi redundaret fortè in grave alicujus præjudicium: tunc enim esset peccatum mortale. Suarez n. 5. & 12. Sanchez lib. 2 in Decal. cap. 38, n. 29. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 3. n. 5.

27 Respondeo secundo. Ex astris prædicere futura contingentia, quæ pendent ex libero arbitrio, vel effectus meræ fortuitos, prorsus illicitum est. Ratio est; quia prohibetur tum in S. Script. Isaiæ 47. *Stent, & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* Et ad Galat. 4. *Dies observatis & menses, & tempora, & annos: timeo vos.* Tum in Jure Ecclesiastico, cap. *Illos*, 26. q. 2. cap. *Non liceat.* 26. q. 5. & alibi: ad præterea in cit. Bulla Sixti V, tum denique in Jure Civili, ut patet ex l. 2. 5. & 7. *Cod. de Malefic. & Mathem.* & l. *Mathematicos. Cod. de Episc. Audient.* Multa quoque contra hujusmodi Divinationem scripserunt SS. Patres, ut videre est apud P. Suarez n. 15. idque meritò. Quia ejusmodi prædictio vel fundatur in astris, & con-

& constellationibus tanquam in causis quibusdam naturalibus, vel tanquam in signis tantùm. Si primum; actum est de libertate hominis, & omnia ejus opera inevitabili necessitati subjiciuntur: quod hæreticum est. Effectus quoque fortuiti non amplius sunt fortuiti; cùm jam non proveniant ex fortuito causarum concursu à Mathematicis incognoscibili, sed ex unica determinata causa. Si secundum; quæro, ex cujus institutione astra significent futura libera, aut effectus fortuitos? An ex institutione DEI, vel boni Angeli? Certè non: cùm nullum hujus institutionis habeatur fundamentum in S. Script. quid ergo supereſt, nisi ut dicatur, esse signa Diaboli expresso, vel tacito cum hominibus pacto instituta? Vid. Suarez n. 17. Laym. loco cit. Sanchez n. 30.

28 Corollarium I. Futura libera & effectus fortuitos ex astris prædicere absolutè, etiam tanquam probabiliter tantùm, & non certò eventuros, superstitiosum est. Suarez n. 31. Sanchez n. 33. Delrius, disquis. mag. lib. 4. cap. 2. q. 3. Filliuc. tract. 24. cap. 4. n. 92. & 93. Habetur ex Bulla illa Sixti V. ubi statuitur, ut contra quid tale prædicentes ex astris inquiratur, & procedatur, *etiamsi id se non certo affirmare asserant, aut protestentur.* Ratio est: quia ex solis astris non potest hauriri cognitio etiam probabilis talium futurorum. Nam si inde comparari nequit judicium probabile de indole & naturali propensione hominis, sed tenuissima solùm conjectura, quomodo comparabitur probabile judicium de actibus liberè eliciendis? Itaque similia prædicens tanquam probabiliter futura ex tacito pacto cum Dæmone ea nôsse velle censetur.

29 Corollarium II. Tametsi non sit superstitiosum, nec jure aliquo antiquo prohibitum inclinationem pueri nati, actus hominis liberos, & effectus fortuitos ex aspectu astrorum prædicere manendo intra limites tenuissimæ conjecturæ, de qua in n. 26. meminimus; id tamen prohibitum est à Sixto V. in Bulla sæpius adducta. Sanchez n. 34. Sporer tract. 2. in præcept. 1. Decal. cap 9. n. 16. & alii. Ratio primi est: quia tenuissima illa & qualiscunque conjectura ex aspectu astrorum hauriri posse videtur. Nec ostendi potest aliqua ejus prohibitio ex jure antiquo. Ratio secundi est: quia Sixtus, postquam ibi excepit conjectationes pertinentes ad agriculturam, navigationem, & medicinam, quæ itidem non nisi dubiæ sunt, absolutè interdicit prædictiones eventuum fortuitorum, & actionum ex humana libertate pendentium. Et ratio hujus prohibitionis est: quia etiam hic modus ex astris prædicendi ea futura valde perniciosus est Reipublicæ, multisque superstitionum periculis expositus propter naturalem curiositatem tum prædicentium, tum audientium.

Respondeo tertio. Superstitiosum est 30
& omninò prohibitum res occultas, seu præteritas, seu præsentes, v. g. furtum, thesaurum, virginitatem, ex aspectu astrorum investigare. Ita Suarez n. 27. Delrius cap. cit. q. 7. sect. 4. Sanchez n. 36. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 3. n. 4. Ratio est: quia hæc talia occulta non possunt ab homine cognosci ex astris; cùm nullam ex eorum dispositione, aut influxu habeant dependentiam, sive prærerita illa sit, sive præsens: ergo talis investigatio involvit pactum implicitum, eique Dæmon se immiscet, ut ostendat ea, quorum cognitio desideratur. Confirmatur ex Jure Can. cap. *Ex tuarum. de Sortileg.* ubi nonnemo, qui per astrolabium conatus fuerat furem occultum detegere, etiam sine intentione Dæmonem invocandi, gravissimè peccâsse dicitur, idcóque per annum ab Altaris ministerio fuit suspensus. Itaque mortaliter peccat, qui vel ipse immediatè, vel per alium sive Astrologum, sive Magum, quem consulit, hanc memoratorum investigationem instituit: cùm sciri non possint, nisi ope Dæmonis. Vid. Sanchez loco cit.

Quæritur secundo, an licita sit Divi- 31
natio Physiognomica? Ante resolutionem sciendum est, duplicem distingui Physiognomiam, sicut notatum est de Astrologia. Una est Philosophica, sive naturalis, per quam ex corporis dispositione, membrorúmque habitudine, ac proportione, vultûs quoque, ac manuum lineamentis primùm de corporis valetudine & temperamento; ac consequenter de hominis etiam ingenio, animique propensione fit conjectatio. Altera est Divinatoria, sive Astrologica, ut vocat Sanchez; per quam ex eisdem signis corporis prædicuntur prospera vel adversa fortuna, longa, vel brevis vita, divitiæ, paupertas, nuptiæ, status vitæ, aliique eventus vel fortuiti, vel à libera hominis electione dependentes. Quò etiam pertinet judicium de præsentibus hominis moribus, sitne fur, homicida, mœchus &c. Nunc

Respondeo. Etsi conjectationes & præ- 32
dictiones Physiognomiæ Philosophicæ sint licitæ; malæ tamen & prohibitæ sunt conjectationes Physiognomiæ Astrologicæ. Ita communis. Ratio primi est: quia illa, quæ Physiognomia naturalis conjectat, ex signis indicatis probabiliter cognosci possunt. Dixi, *probabiliter.* Nam certò inde cognosci non possunt. Et ideo non est licitum ea venditare pro certis. Ratio secundi est: quia memorati eventus & effectus nullam prorsus habent

naturalem connexionem cum illis signis, ut probabiliter saltem, quacunque etiam tenuissima probabilitate, inde cognosci possint. Ex quo colligitur manifestè hujus generis Physiognomos in suis conjectationibus ac prædictionibus niti pacto cum Dæmone, saltem implicito. Vid. Azor. to. 1. Instit. mor. lib. 9. cap. 16. Delr. lib. 4. disquis. mag. cap. 3. q. 4. Sanchez à n. 44. Bonac. ubi suprà n. 11.

33 Ex his colligitur, non esse licitum interrogare Ægyptios, seu Cingaros, ut vocantur, de prospera, vel adversa fortuna. V. g. Ratio est: quia de his nulla cognitio probabilis, etiam tenuissima probabilitate, haberi potest naturaliter. Excusatur tamen à peccato mortali, qui interrogat curiositatis, vel joci, aut irrisionis gratia, ut ferè contingit. Bonac. loco cit. At non excusatur, qui interrogat animo firmiter credendi, vel cum gravi scandalo præsentium. Sanchez n. 48.

34 Quæritur tertio, an licita sit conjectatio ex somniis? Ut resolutio evadat distinctior, notandum est, triplicis generis esse somnia. Nam primò, sunt naturalia, quæ nempè ex causis naturalibus proveniunt, v. g. ex cogitationibus, aut occupationibus tempore vigiliæ habitis: vel ex constitutione corporis, temperamento, aut commotione humorum. Secundo sunt ea, quæ à Deo immittuntur: quorum exempla habemus in Gedeone Judic. 7. in Daniele, cap. 2. in Josepho & Magis Matth. 1. & 2. Tertio sunt diabolica, sive quæ à diabolo, hominis phantasiam commovente excitantur.

Respondeo primo. Somnia naturalia observare est licitum, non tantùm, quatenùs bonam vel malam corporis constitutionem, sed etiam, quatenùs bonam, vel pravam aliquam affectionem animi indicant. Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 13. n. 6. Delr. q. 6. concl. 3. Sanchez n. 49. & 50. Sporer tr. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 18. Ratio est: quia hæc somnia revera talia significant suo modo naturaliter. Atque hinc nemo improbat usum Medicorum, qui ex qualitatibus somniorum conjectare solent de humoribus corporis, déque prædominio, & abundantia alicujus in ægrotis. Constat etiam ex Cassiano, collat. 22. priscos illos Monachorum magistros diligenter investigâsse causas somniorum aliquorum, ut nempe remedia præscriberent adversus iram, odium, timorem, libidinem &c. ex quibus somnia proficisci conjiciebant. Fatendum tamen est, conjectationem ex somniis naturalibus, nisi accedant multæ aliæ circumstantiæ, esse plurimùm fallibilem, & vix pertingere ad tenuem probabilitatem. Vid. Suarez à n. 7.

Respondeo secundo. Illicitum & superstitiosum est ex somniis naturalibus conjectare futura contingentia libera, vel effectus merè fortuitos. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 95. a. 6. communis sententia. Ratio est: quia somnia non habent vim naturalem hæc talia significandi: sed neque habent vim significandi ea ex institutione Divina, ut supponitur: ergo aliud non superest, quàm conjectantem expectare illa, vel acceptare tanquam signa instituta atque immissa dormienti à substantia quadam intelligente, quæ non sit Deus, sed quænam est ista, nisi malus Dæmon? Ex quibus vides, hanc talem conjectationem ex somniis necessariò involvere pactum cum Dæmone; adeoque ex suo genere esse peccatum mortale. Fatendum tamen est, sæpe excusari à mortali, cùm propter ignorantiam & simplicitatem, tum propter fidem non certò sed dubiè tantùm adhibitam somnio, ita ut ad cautelam tantùm quis semel aut iterum ex eo dirigat suas actiones. Vid. Laym. lib. 4. tr. 10. c. 3. n. 6.

Respondeo tertio. Quando adsunt indicia sufficientia, somnium esse à DEO, ei fides adhibenda est necessariò: at nullo modo, dum constat, vel probabile, aut suspicio est, id esse à Dæmone. Prima pars est certissima. Quis enim fidem non adhibeat Deo loquenti? Atqui Deum loqui aliquando per somnium, testatur ipsemet Num. 12. dum ait: *Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Quod idem ostendunt exempla in n. præced. memorata. Accedit, quòd Deus ideo immittat somnia, ut ea observemus, útque eadem nos doceant, moneant, corrigant, ait Delrius q. cit. post concl. 5. Secunda pars colligitur ex illo Eccl. 34. *Nisi ab Altissimo fuerit missa visitatio, ne des insomniis cor tuum.* Ratio verò est: quia, qui fidem adhibet talibus somniis, Diabolum vult esse suum magistrum, eique credit sicut discipulus; adeóque societatem cum illo tacitè profitetur. Ergo mortaliter peccat peccato Divinationis superstitiosæ. Vide, quæ suprà n. 16. docuimus. At non constat mihi, inquies, somnium esse potiùs à Diabolo, quàm à Deo. Respondeo id nihil referre. Nam hoc ipso, quòd eidem tunc fidem adhibeas, voluntariè te exponis proximo & evidenti periculo deceptionis, ésque ita constitutus rem moraliter judicando, ut perinde habeas, sive à Deo, sive à Dæmone instruaris: quod haud dubiè Religioni erga Deum adversatur.

Cæterùm discernere à Divinis somnia Dæmoniaca pertinet ad Confessarios, & alios, quibus incumbit curare animas. 35 De qua

qua re ait Delrius eadem esse observanda, quæ in dignoscendis revelationibus Divinis à falsis observantur. Lege ipsum, si placet, lib. 4. disquis. magic. cap. 1. q. 3. per 5. sectiones. Peculiariter tamen ad præsens institutum ex Valentia, to. 3. disp. 6. q. 12. pu. 3. duo considerare operæ pretium est. Nempe primum. An somnium impellat ad bonum, vel ad malum, sive quid indiscretum? Si ad quid malum, vel indiscretum, somnium à Dæmone est. Si ad quid bonum; absque temeritate putare quis posset, somnium esse à Deo. Verùm humiliter, & cum timore, magnáque circumspectione eidem obsequendum est: cùm & Dæmon fallere soleat specie, ac umbra virtutis, séque *transfigurare in Angelum lucis.* Secundum est, quo quis post somnium sit habitu animi? Si sentiat, se esse perturbatum, minúsque promptum ad opus spirituale ac bonum; indicio est, somnium esse à Dæmone. Si econtra advertat, se promptiorem & alacriorem esse ad opera spiritualia, existimare potest, esse somnium à Deo immissum. Sed omninò, addit Valentia, discretio spirituum necessaria est, & petenda à Deo. Denique in dubio, utrùm somnium sit à Deo, vel à diabolo, tutissimum est illud tanquam à Diabolo immissum cavere & contemnere, ut docet Delrius lib. cit. cap. 3. q. 6. post. 5. concl.

36 Quæritur quarto, an licitus sit usus sortium? Ante resolutionem notare oportet, triplex esse genus sortium: nempe divisorium, consultatorium, & divinatorium: sortes divisoriæ sunt, quæ adhibentur, ut cognoscatur, quid cuique tribuendum sit in electionibus, hæreditatibus, litibus &c. Consultatoriæ sunt, per quas indagatur Divina voluntas, ut sciatur, quid agendum, vel omittendum, aut cavendum sit. Divinatoriæ sunt, quibus aliqui cognitionem occultorum solent comparare. Ita communiter Doctores cum D. Thoma, 2. 2. q. 95. a. 8. Nunc

37 Respondeo primo. Sortes divisoriæ licitæ sunt, præterquam in casu per jus humanum interdicto. Ita communis. Ratio est: quia istud sortilegium aliud non est, quàm contractus quidam fortunæ, in quo partes ad rem aliquam jus habentes ex mutuo consensu subeunt æqualem conditionem acquirendi, vel perdendi. Sed in hoc tali contractu nulla per se malitia includitur, ut patet; ergo nec in isto sortilegio, seu sortibus divisoriis: & consequenter ex se licitæ sunt. Ex quibus

38 Sequitur primo, non esse licitum uti sortibus in electionibus Ecclesiasticis; esse verò licitum in electionibus sæcularibus. Ratio primi est: quia id prohibitum est jure Ecclesiastico, in cap. *Ecclesia. de sortil.* ubi concludit: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Ratio secundi est: quia quoad electiones sæculares id nullibi reperitur interdictum. Licèt enim verba cit. cap. sonent generaliter, intelligi tamen debent juxta subjectam materiam, nempe electiones Ecclesiasticas, de quibus sermo præcesserat. Vid. Suarez de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 12. n. 5. & 15. Sayrus in Clavi reg. lib. 4. c. 5. n. 20. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 57. & 58. Filliuc. tract. 24. cap. 4. n. 99. & 101.

Sequitur secundo, tempore pestis, aut persecutionis, quando lis aliter dirimi nequit, mitti posse sortes inter Clericos, Religiosos, sicut & Medicos, aliósque ministros necessarios, quinam infirmorum, aut animarum curam in se suscipere debeat. Quod idem dicendum est, quando circa æquè pauperes conveniri non potest, cuinam eleemosyna sit eroganda, ut habet S. August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 28. Ratio est: quia in his casibus vel maximè locum habet illud Proverb 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat.* Vid. Suarez n. 17. Sanchez n. 59. Sayr. loco cit. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 3. n. 12.

Sequitur tertio, quando plures ob crimen aliquod sunt morte digni, nec expedire videtur omnes puniri, forte definiri posse, quis illorum sit occidendus. Sanchez n. 60. Bonac. loco cit. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. 3. n. 8. Delrius lib. 4. cap. 4. q. 1. Ratio est: quia hujusmodi sortitio ex se licita est, nec ullo jure prohibita; imò praxi recepta in militia. Ait etiam Delrius, in certo periculo communis naufragii posse ex omnium consensu per sortes dijudicari, quis ex navi sit ejiciendus.

39 Respondeo secundo Sortes consultoriæ raro sunt licitæ. Sanchez n. 85. Bonac. n. 14. & alii. Ratio est: quia Deus non vult, ut ad voluntatem suam indagandam utamur hoc tali medio, sed doctrina Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, vel consiliò virorum piorum & prudentium. Dixi, *raro esse licitas.* Nam interdum licitæ sunt concurrentibus certis conditionibus. Earum prima est necessitas. Quia hac deficiente, dum nempe suppetit aliud medium indagandi Divinum beneplacitum, uti sortibus esset tentare Deum. Secunda est, ut sortes ad Deum mittantur cum debita reverentia: quod ratio naturalis dictat. Tertia est, ne consilia Divina, quæ explorantur, convertantur ad res vanas, ad terrena negotia, & sæcularia lucra. Quarta est,

est, ut adhibeantur circa debitam materiam, nempe non circa electiones Ecclesiasticas: quia hoc est specialiter prohibitum ab Ecclesia, ut in n. 38. diximus. Vid. Sanchez & Bonac. locis citt. & alii.

40 Respondeo tertio: Sortes Divinatoriæ nunquam sunt licitæ. Ratio est: quia semper includunt invocationem Dæmonis, seu pactum cum illo saltem implicitum, utpote media ex se improportionata, & minimè ordinata à Deo ad manifestationem occultorum. Unde etiam graviter prohibitæ sunt in Jure Can. cap. *Si quis Episcopus.* & cap. *Sortes*, 26. q. 5. sicut etiam in Bulla Sixti V. contra Astrologos. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 8.

§. IV.

De vana observantia.

SUMMARIUM.

41. *Vana observantia quid, & quotuplex sit.* 42. *Quid sit ars notoria?* 43. *An licitus sit usus scientiæ operâ dæmonis acquisitæ?* 44. 45. *Quid sit observatio sanitatum, & unde dignosci possit?* 46. 47. *& seqq. Plurima deducuntur in praxi utilia.* 52. *Agitur ulterius de vana observantia, quatenus per illam adhibentur media naturalia insufficientia tanquam sufficientia.* 53. *Quid, si adhibeantur artificialia ut artificialia?* 54. *Quid in dubio, an medio applicando insit virtus naturalis?* 55. *Quid in dubio, an in medio sit vis Divina, vel diabolica?* 56. *Nunquam est licitum uti causâ ad procurandum aliquem effectum, si certò constet esse superstitiosam.* 57. *Quid sit observatio eventuum?* 58. 59. 60. *Quinam arguendi sint hujus superstitionis?* 61. *Omnes vanæ observantiæ eventuum & aliæ ex genere suo sunt peccata mortalia; contingit tamen, ut sint venialia tantùm.*

41 VAna observantia dicitur illa superstitio, qua per media inutilia, minimè à Divina providentia constituta procurantur variæ commoditates & corporum immutationes, quas à sola Dei providentia & potentia exspectare oporteret. Valentia to. 3. disp. 6. q. 13. pu. 1. Filliuc. tract. 24. cap. 4. n. 136. Vana autem dicitur hæc observantia, quia vel frustratur effectu intento; vel, si non frustratur, saltem admixta habet aliqua vana & inutilia ad consecutionem effectus. Porrò à Divinatione in eo differt, quòd Divinatio tota referatur ad cognitionem rerum singularium occultarum modo indebito consequendam; Observantia verò referatur ad obtinendas alias commoditates, sive animi, sive corporis ea sint, ut sanitas; prorogatio vitæ; scientia rerum universalium & similia: imò etiam ad nocumenta his commoditatibus contraria alteri inferenda: nam & hîc contrariorum est eadem disciplina. Sunt autem tres species vanæ observantiæ: nempe Ars notoria, Observantia sanitatum; & Observantia eventuum. Ad quas species cæteræ revocari possunt, sive fiant cum invocatione expressa, sive tacita Dæmonis. Quemadmodum enim Divinatio, ita & vana Observantia alia est cum expressa, alia cum tacita invocatione Dæmonis. Nunc de speciebus indicatis nonnullas quæstiones excitabimus.

Quæritur primo, quid sit Ars notoria? 42
Respondeo esse illam, per quam certis verbis, aliisve signis adhibitis variæ scientiæ & doctrinæ absque labore comparantur. Hanc artem ajunt esse familiarem Anabaptistis: eos tamen ejurata hæresi redditos Fidei Catholicæ mox relabi in pristinam ignorantiam. Eandem speciem observantiæ ex genere suo peccatum mortale esse dubitari non potest. Ratio est: quia continet tacitam invocationem Dæmonis, seu pactum cum illo, eique tribuit, quod est Dei proprium: nam infundere scientiam est Dei proprium, & superat naturalem facultatem Dæmonis.

Corollarium. Licitum est uti scien- 43
tiâ, quam quis operâ Dæmonis acquisivit, de effectu & virtute naturali alicujus rei, dummodò conservatio, aut usus ejusce scientiæ non requirat actualem concursum Dæmonis. Ita Valent. q. cit. pu. 2. Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 15. n. 24. & cap. 17, n. 1. & 2. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 42. n. 20. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 4. n. 6. & alii. Ratio est: quia talis cognitio seu scientia ex se bona est, & peccatum, quo male acquisita est, jam transiit, nec ullum in scientia remanente vitium causavit. De usu pecuniarum, aliorumque fortunæ bonorum ope Dæmonis acquisitorum citra alicujus injuriam idem sentiendum est, si constet, esse vera, & non tantùm ficta & apparentia, ait Suarez n. 2. cit.

Quæritur secundò, quid sit observa- 44
tio sanitatum? Respondeo, esse superstitionem, qua per benedictiones, incantationes, insufflationes, scripturas, ligaturas, & similia, quæ juxta veram Philosophiam vim naturalem medendi non habent, sanitas, & immunitas à vulneribus hominum, aliorumque animalium corporibus; item incolumitas & conservatio aliis quoque rebus ad utilitatem hominum pertinentibus, procuratur. Vid. Sayrus in clavi reg. lib. 4. cap. 6. n. 4. Bonac. n. 7. Laym. lib.

lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 6. Hanc quoque observantiam ex genere suo esse peccatum mortale, certum est apud omnes. Ratio est: quia, quæ in illa adhibentur, non sunt veræ causæ memoratorum effectuum, nec habent virtutem proportionatam ad eosdem producendos. Ergo signum est, in ea contineri pactum cum Dæmone. Excusant tamen à mortali tum ignorantia, tum animus non agendi seriò, aut certam fidem adhibendi, tum cautela, qua non nisi semel, aut iterum hæc talis observatio sub spe incerta, seu potiùs timore effectus futuri usurpatur. Vid. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. n. 26. item, quæ in §. præced. n. 23. diximus de Divinatione.

45 Hæc superstitio, quatenùs in ea vanæ preces, benedictiones scripto, aut voce adhibentur, ex quatuor potissimùm circumstantiis dignosci potest. Prima est, si verba, quæ adhibentur, inepta & ignota sunt. Nam eo ipso videntur referri ad Dæmonem ea intelligentem. Quod idem existima de scriptis characteribus ignotis, siqui tales immisceantur. Secunda est, si interserantur falsa, apocrypha, aut incerta, v. g. de febri, aut spasmo Christi. Quia talibus valde delectatur, ac libenter utitur pater mendacii. Neque credendum est, virtutem aliquam inesse incertis, quæ certis negata est. Tertia est, si effectus procuretur vanus & inutilis: ut, si annulus ferreus super filum positus moveatur, sacris quibusdam verbis pronuntiatis. Cùm enim nec à Deo, nec à bono Angelo exspectari possit affectus vanus, signum est, intervenire operationem Dæmonis, cui maximè gratum est honorari verbis sacris. Quarta est, si vis & efficacia precum constituatur in aliqua conditione inutili tanquam necessaria, ut, si tali hora, tot vicibus, in tali charta, vel talibus characteribus scribi debeant. Vid. Valent. ubi suprà. Sanchez lib. cit. cap. 40. n. 22. Filliuc. tract. 24. cap. 6. n. 142. Dixi autem, *tanquam in conditione necessaria*. Quando enim inutilis talis modus in precibus concomitanter tantùm se habet, eúmque adhibens agnoscit esse inutilem & inefficacem, & solùm ex vanitate & levitate quadam usurpat, non erit superstitio. Valent. loco cit. Sanchez n. 23. Ex dictis.

46 Deducitur primo, superstitiosum esse, in festo S. Stephani v. g. equis sanguinem mittere: circa templum S. Leonardi ter jumenta circumducere: ex primo nummo imagini Crucifixi die Parasceves oblato annulum conficere ad morbum contractionis nervorum depellendum: herbas in festo S. Joannis Baptistæ colligere, si hujusmodi circumstantiæ adhibeantur tanquam per se efficaces ad impetrandum effectum, scilicet. sanitatem, aut incolumitatem propriarum rerum. Ratio est: quia ejusmodi circumstantiis nulla inest per se efficacia ad obtinendum à Deo effectum, qui intenditur. Dixi, *si hujusmodi circumstantiæ &c.* Nam, qui eas adhibet tantummodò, ut vel se ipsum magis excitet ad devotè orandum propter præsentiam rerum suarum circa templum Sancti; vel ad honorandum diem Sancto festivum; vel ad recolendam memoriam Crucifixi, non committit superstitionem; imò nec aliud peccatum, nisi fortè scandali propter alios, qui putant esse superstitionem. Quod tamen scandali periculum non est timendum, ubi omnes simplici animo iis circumstantiis utuntur, sicut advertunt Valènt. loco cit. & Sanchez n. 31. Rectè tamen monet Delrius lib. 3. disquisit. p. 2. q. 4. sect. 2. petenti consilium, num sibi liceat talia facere, suadendum esse, ut non faciat. Nam saltem res est suspecta.

47 Deducitur secundo, licitum esse ad avertendum morbum, vel aliud nocumentum è collo gestare tum Sanctorum reliquias, tum Sacra verba, ut Evangelium S. Joannis, aut versus aliquos Psalmorum in brevibus, ut vocantur, dummodo non adjungatur aliqua vana circumstantia, vel quid aliud absonum aut mendax. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 96. a. 4. Valent. loco cit. Sayr. in clavi Reg. lib. 4. cap. 6. n. 6. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 4. n. 11. & alii. Ratio est: quia, qui talia gestat, eo ipso Deum, aut Sanctos tacitè orare, vel invocare videtur: quod utique pium, & honestum est. Dixi, *dummodo non adjungatur aliqua vana circumstantia &c.* cujusmodi sunt, quòd verba sic, vel sic sint scripta, in charta virginea, oriente Sole, allegata sint gestanti à persona virgine, tot, vel talibus filis: item, quòd reliquiæ sint in capsula triquetra, vel rotunda potiùs, quàm alterius figuræ. Præterea, quòd præter lignum Crucis inscripta habeantur alia; vel etiam barbara quædam & incognita Dei, vel Angelorum nomina sint addita: demum, quòd portentur simul imagines, quæ neque sunt Christi, neque Sancti alicujus noti.

48 Deducitur tertio, superstitionis reas esse vetulas, quæ certis orationibus, admixtis verbis nulli intelligibilibus, additisque inepris cæremoniis inhalationis, suffitûs, oscitationis, benedicunt circulis virgineis pro parturientibus, vel morbo laborantibus. Ratio est: quia ex vanis hujusmodi circumstantiis ac ritibus apertè colligitur pactum cum Dæmone. Eadem ferè loco

habendi sunt homines incantatores, & incantatrices, dum super morbos, aut vulnera certas preces, & sacras adjurationes recitant. Licèt enim nihil mali committant, si legitimas preces & adjurationes absque vana circumstantia pronuntient, ut Deus prodesse velit applicatas medicinas naturales; quia tamen plerumque superstitiosa admiscent, ut notat Sanchez n. 39. nonnisi cautissimè adhibendi sunt: imò nequaquam adhibendi, quando citra applicationem medicinæ naturalis solis precibus suis & adjurationibus, quantumcunque sacris, morbos vel vulnera curare nituntur: nam certum est, talibus non inesse virtutem naturalem ad curandum. Virtus autem supernaturalis non præsumitur, nisi ostendatur. Aliunde proinde curatio expectetur necesse est. Vid. Sanchez loco cit. Filliuc. tract. 24. c. 6. à n. 151. Sporer tr. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 28.

49 Deducitur quarto, superstitiosos esse primo, qui faciunt oblationem ex rebus mendicandô acquisitis, existimantes esse majoris efficaciæ ad consequendum effectum. Secundo, qui sibi persuadent, Crucem ex eleemosynis emptam, vel factam sanctiorem esse, vel efficaciorem. Tertio, qui Divis Cælitibus offerunt ceram, aliámve materiam eidem immiscentes capillos hominis, vel animalis ægri. Quarto, qui ad impetrandam pluviam per publicam præcessionem Sancti alicujus imaginem in flumen projiciunt, vel, donec pluat, in ripa relinquunt expositam. Quinto, qui gestant amuleta, ligaturas, & involucra falsis characteribus inscripta; vel glutiunt certas schedas, ut fiant invulnerabiles, impenetrabiles, invisibiles; vel, ne occumbant subita morte; ut sibi concilient fortunam, benevolentiam hominum, & similia. Ratio est: quia in his omnibus deprehenditur aliqua ex vanis circumstantiis in n. 45. memoratis. Vid. Delr. lib. 3. disquis. par. 2. q. 4. sect. 7. Sporer loco cit. & alii.

50 Deducitur quinto, quo loco habenda sint sequentia. Nam primo, Cassiodorus in Psal. 115. scripsit, *multis efficax remedium in variis malis fuisse trinam recitationem hujus versic. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Secundo, Chirurgi, ut sistant sanguinem, pronuntiant illud Christi in Cruce: *Consummatum est.* Alii sistunt recitando ex Psal. 50. illum versic. *Libera me de sanguinibus &c.* Tertio. Aliqui contra pericula lapsuum in equitatione secum portant talerum S. Georgii imagine insignitum: vel equum ascendentes pronuntiant illud: *Os non comminuetis ex eis.* Quarto. Quidam à morbo caduco liberant in aurem insusurrando: *O creatura Dei, memento Creatoris tui.* Quinto. Canes à latrando statim desistunt, quando contra illos pronuntiatur: *In camo & fræno maxillas eorum constringe:* quod aliquando attonitum se vidisse Sporer testatur. Respondeo, primum esse sic intelligendum, ut Deus non ipsi trinæ recitationi, sed ter recitantium devotioni erga Sanctissimam Trinitatem eos effectus retulerit. Ad secundum dico, chirurgos non esse damnandos superstitionis, si sacra ejusmodi verba devotè pronuntient cum fiducia prudenti à Deo, & Christo impetrandi talem effectum; esse autem damnandos, si pronuntient hinc infallibiliter expectando effectum. De tertio dico similiter, id esse liberum à superstitione, si fiat in honorem S. Georgii Martyris ex intentione, & cum spe probabili per ejus apud Deum merita eam immunitatem à lapsibus impetrandi: esse autem superstitiosum, si talis effectus inde expectetur infallibiliter. Ad quartum dico, si verba illa immurmurentur submissè, & cum infallibili spe effectûs tanquam ex opere operato, id certò esse superstitiosum: at non esse superstitiosum, si inclamentur alta voce, & ea intentione, ut epilepticus illis auditis ad se revertatur, Deumque invocet, & remedium petat. Ex quo patet, similia clamare in aures equi, vel alterius jumenti ægrotantis esse superstitiosum inexcusabiliter. Ad quintum dico, id etiam esse superstitiosum, nisi similiter ex intentione proferentium sit simplex invocatio Divini auxilii. Tunc enim nulla vanitas admiscetur. Vid. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. n. 47. & 48. Sporer ubi suprà

Deducitur sexto, rem esse plenam pes- 51
simæ superstitionis ad impetrandos per Missæ Sacrificium certos effectus adhibere ritus & cæremonias impertinentes tanquam necessarias: putà, ut legantur tot Missæ, non pauciores, diebus continuis, certis horis, ab uno, duobus, tribus determinatis Sacerdotibus, talis nominis, talis staturæ, accensis tot candelis, hoc colore, hac magnitudine, hac forma &c. ita ut vel unica ex iis circumstantiis omissa censeatur actum esse de efficacia Missarum. Ratio est: quia nihil vanius est, quàm certò credere, efficaciam Sacrificii Missæ esse alligatam ejusmodi circumstantiis. Unde hæc superstitio etiam damnatur à Concil. Trident. sess. 22. in decreto de observandis & vitandis in celebr. Missæ. Huc etiam pertinet sceleratissima praxis eorum, qui solent nummos, aliásve res, imò sacras quoque reliquias infra mappam altaris abscondere, ut super easdem certo numero Missæ legantur ad obtinendos certos effectus, etiam quandoque infandos. Vid. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. n. 40. Sporer loco cit. qui tamen advertunt,

tunt, non esse illicitum adhibere certum numerum Missarum, aut candelarum ex devotione erga aliquod mysterium, v. g. quinque in honorem quinque vulnerum Christi; vel in honorem Sanctorum, v. g. duodecim in honorem duodecim Apostolorum, novem in honorem totidem chororum Angelicorum: dummodò in tali numero, tanquam necessario, vis aliqua, vel efficacia non constituatur. Qua ratione honestatur etiam usus triginta Missarum S. Gregorii, qui triginta diebus orari curavit pro defuncto: quem usum esse licitum docent Sayrus in clavi, lib. 4. cap. 6. n. 7. Sanchez n. 41. Filliuc. tract. 24. cap. 6. n. 156. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 4. n. 16. & alii.

52 Sed nunc ulteriùs agendum de vana observantia, quatenus per eam ad effectus aliquos extraordinarios adhibentur media naturalia insufficientia tanquam sufficientia ad illos procurandos. Certum est, si adhibeatur causa naturalis ad effectum intentum sufficiens, nullam esse superstitionem in usu talis causæ, utpote pertinente ad Magiam naturalem omnium judiciò licitam: esse verò superstitionem, si causa adhibita sit insufficiens, vel non operetur absque concursu Dæmonis: tunc enim intervenit pactum cum Dæmone & effectus pertinet ad Magiam diabolicam. Verùm cognoscere, num adhibeatur causa insufficiens, atque adeo committatur superstitio, hoc opus, hic labor est.

Non potest enim id sufficienter constare primo ex eo solùm, quòd non intelligatur, etiam à sapientibus, quomodo causa, quæ adhibetur, virtutem habeat ad effectum intentum: cùm experientia plusquam notum sit, variis rebus mirabiles inesse virtutes, quarum tamen à nullo mortalium reddi potest sufficiens ratio. Neque secundo ex eo, quòd effectus sit adeo præstans, ut causa adhibita non videatur habere sufficientem proportionem ad eundem procurandum: quia multi præstantissimi effectus à causis naturalibus, debitè applicatis, solent procedere. Neque tertio ex eo, quòd is, qui adhibet ejusmodi causas, sit homo scelerate vitæ; vel proponat sibi malum finem in applicatione causæ. Nam inprimis potest contingere, ut talis operetur ex gratia gratis data à Deo, quam habere locum etiam in peccatoribus patet ex illo Matth. 7. *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus?* Deinde nihil obstat, quò minùs aliquis abuti possit virtute naturali aut supernaturali gratis data, ad malum finem. Ex his igitur capitibus non potest satis dignosci superstitio vanæ observantiæ, ut ob rationes interfertas docent Valent. to. 3. disp. 6. q. 13. pu. 2. Sanchez n. 42. qui proinde alias notas, & quasi regulas statuunt, ex quibus dignosci debeat. Prima est vanitas & inutilitas alicujus circumstantiæ tanquam necessariæ ad procurandum effectum adhibendæ: ut, si certi ritus præscribantur, qui fieri debeant certis horis, ad certum stellarum situm, cum certo numero crucium, candelarum &c. vel, si admisceantur verba, nomina, characteres ignoti. Secunda est modus operandi: ut, si causam quis applicet in loco à distanti à passo, ut juxta veram Philosophiam impossibile judicetur causam operari in passum tam dissitum. Unde aliud est, quando sunt diversæ sententiæ, sitne hoc impossibile, an non, quemadmodum advertit Delrius lib. 3. disquis. q. 5. Tertia est conditio effectûs exspectati, quem nempe constat superare vires causæ naturalis, nec posse, nisi à bono, vel malo spiritu procedere, accedente præterea aliqua vana circumstantia, quæ suadeat, eum à bono spiritu expectari non posse: ut, siquis à statua motum, vel responsum promittens addat minas absurdas, nisi effectus sequatur. Quarta est communis experientia docens, frustra insumi studium & operam ad procurandos præstantes quosdam effectus per quædam media & causas. Ex quo capite non immeritò damnantur labores Chymicorum res viliores in aurum, aut aliam rem pretiosiorem transmutare conantium. Damnati sunt autem gravissimè à Joanne XXII. in Extravag. *Spondent de crimine falsi.* Quatuor his regulis dignoscendi hanc superstitionem juvat addere tres alias ex Delrio lib. cit. q. 8. quas laudat Sanchez n. 43. Prima est, si effectus ad sui procurationem exigens motum localem non oriatur ex illo, sed subito appareat: ut, siquis faciat in momento apparere flumen, exercitum, mures, aut quid aliud. Secunda est, si constet, effectum esse supra activitatem causarum naturalium applicatarum: ut suscitare mortuum, curare cæcitatem verè talem. Tertia est, si id, quod visum est, non permaneat, sed statim evanescat: ut, dum quis lacerare, aut vorare videtur equum, qui mox incolumis sistitur.

Corollarium I. Superstitiosum est ad 53
procurandos effectus extraordinarios adhibere artificialia, quatenùs sunt artificialia ut imagines, quas vocant Astronomicas, annulos, characteres, numeros Arithmeticos &c. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2. Valent. ubi supra, Sanchez n. 50. Delrius lib. 1. disquis. cap. 3. q. 1. & alii. Ratio est: quia hujusmodi artificialia secundùm se non possunt esse principium alicujus alterationis in corporibus. Nam tale principium est naturalis potentia de prædicamento qualitatis agenti immutabiliter indita. Atqui figu-

figura artificialis non est ejusmodi potentia: cùm ad libitum artificis varietur, invariata rei substantia, ejusque virtute naturali. Sed neque potest aliquod artificiale esse alterationis principium ob impressam aliquam virtutem cœlestem: cùm enim opus artificiale ut tale sit voluntarium, eidem cœlum nihil imprimit, sicut nihil imprimit voluntati, à qua illud procedit.

54 Corollarium II. In dubio, an rei ad sanandum v. g. applicandæ, vel applicatæ insit vis naturalis, non statim judicari debet, esse quid superstitiosum. Sanchez n. 44. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 6. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. n. 62. & alii. Ratio est: quia mirabiles, eæque innumeræ sunt virtutes rerum naturalium propriæ, putà lapidum, herbarum, metallorum &c. quæ nos penitus latent, & quarum non possumus reddere rationem convenientèm: ergo facillimum est errare in judicando, effectum non procedere à virtute agentis naturalis, sed à Dæmone; cùm facillimum sit eum procedere à causa illa naturali, cujus vim non intelligimus. Imò in ejusmodi dubio licitè præsumitur, effectum provenire ex viribus causæ naturalis: cùm enim ex sæpius contingentibus constet, naturam in suis operibus esse valde potentem & mirabilem, in dubio relinquenda est velut in possessione suarum virium. Suadet tamen Laym. loco cit. volenti adhibere talem causam dubiam, ut expresè protestetur, si ulla vis diabolica ex quocunquè pacto subsit, se nolle consequi effectum. Quod etiam advertit Sanchez n. 25. quamvis neget, talem protestationem esse licitam, aut excusare, quando constat, rem, quæ adhibetur, secundùm se vanam & inutilem esse ad procurandum effectum: tunc enim protestatio est contraria facto.

55 Sed quid tenendum, quando certum est quidem, causam applicatam, v. g. charulam scriptam, non habere virtutem ullam naturalem ad producendum effectum, dubitatur autem, an eidem causæ insit virtus Divina ex gratia gratis data, vel diabolica? Respondeo ex communi sententia apud Tambur. n. 68. esse præsumendum intervenire pactum saltem tacitum cum Dæmone, & ex hujus virtute & operatione effectum procedere. Ratio ex D. Th. a. cit. in c. est: quia talis causa suapte natura impotens producere effectum non potest adhiberi tanquam causa; adeoque necessarium est eam adhiberi tanquam signum. Atqui non tanquam signum, quo posito Deus operatur; quia sola Sacramenta & Sacramentalia sunt ejusmodi signa, quantùm nunc constat in Ecclesia; & alia adstruenti incumbit ostendere, quo jure vel autoritate adstruat. Ergo superest, ut adhibeatur tanquam signum pacti cum Dæmone. Vid. D. Th. loco cit, Sanchez ubi suprà, Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 33. & alii. Et quidem præsumptio memorati pacti tunc fortissima esse debet, quando adhibens ejusmodi causam est homo sceleratus & improbus. Quamvis enim mala vita operantis non sit argumentum planè efficax ad probandum, illum virtutem producendi effectus extraordinarios habere à Dæmone, ut in n. 52. notavimus, magnum tamen præbet indicium: sicut contra eximia sanctitas magnum præbet indicium, eam virtutem esse à Deo, quemadmodum observat Sanchez n. 42. & n. 44.

56 Corollarium III. Quando certum est, procurationem effectûs per aliquam causam esse superstitiosam, ea nunquam licitum est uti, etiam ob quamcunque necessitatem, & adhibita quacunque protestatione in contrarium. Ratio est manifesta: quia superstitio est intrinsecè mala; adeoque in nullo casu honestabilis. Neque juvat protestatio, utpote ipsi facto contraria. Nam perinde est, acsi dicas: scio equidem, si medium istud adhibeam, non Deum, aut naturam, sed Dæmonem operari, eo tamen adhibito nolo uti operâ Dæmonis. Quæso, quid stultius & nugacius? Cæterùm in dubio, an causa quæpiam habeat efficaciam naturalem, eam semel aut iterum adhibere, secluså expectatione certa effectûs, non esse peccatum mortale superstitionis, meritò docet Tambur. n. 70. Sporer n. 34. & alii. Ratio est: quia tunc vel actus est imperfectus, vel non continet grave periculum commercii diabolici, aut alterius inconvenientis notabilis. Imò non desunt probati Authores, quos refert & sequitur Tambur. n. 72. ab omni peccato liberantes eum, qui ob justam causam necessitatis ad pellendum morbum, strumam, rupturam, vel quid simile adhibet remedium ejusmodi dubium, addita protestatione, cujus n. 54. meminimus: quod idem docet Sporer loco cit. testans, se id aliquoties practicare debuisse. Nunc ulteriùs

57 Quæritur tertio, quid sit observatio eventuum? Respondeo, esse superstitionem, qua quis ex observatione rerum impertinentium mala vel bona, sibi vel aliis eventura conjicit, ideóque aliquid facit, vel omittit. V. g. si manè domo egressus & virgini occurrens ominëris, diem tibi fore sterilem, ideoque negotiationem intermittas: occurrens verò meretrici, præsagias diem fore fertilem, prosperum, & lucri plenum: quemadmodum nonnulli do-

delirabant tempore S. Chrysostomi, ut patet ex ipsius homil. 21. ad Pap. Antioch. Cæterùm malitia hujus superstitionis inde deprehenditur, quòd signa, quæ in ea observantur, nullam vim habeant seu naturalem seu supernaturalem ad annuntianda ejusmodi prospera vel adversa: & consequenter talium præcognitio ut ex signis omnino vanis, cooperante Dæmone, hauriatur. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 96. a. 3. ubi etiam varia exempla ex S. August. memorat; ut, *si membrum aliquod salierit; si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenit: limen calcare, cùm ante domum suam aliquis transit: redire ad lectum, siquis, cum se calceat, stet: staverit: redire domum, si procedens offenderit &c.*

58 Hujus superstitionis arguendi sunt primo, qui observant tempora, dies, ac horas, quasi horæ quædam ac dies essent fausti, quidam infausti. Quod tanquam vanum & superstitiosum prohibetur cap. *Non observetis*, 26. q. 7. Sic autem observant primo, qui die Martis, tanquam inauspicato, nolunt agere aut incipere negotium quodcunque. Secundo, qui nolunt die Veneris ungues præscindere, aut nere die Sabbathi ad honorem B. Virg. cùm tamen alia exerceant tunc opera servilia. Tertio, qui intra horam undecimam & duodecimam meridianam nolunt proficisci. Quarto, qui aquæ benedictæ Dominicis quatuor temporum majorem vim tribuunt ad quosdam effectus, quam benedictæ aliis Dominicis. Quinto, qui servant ova die Parasceves vel Paschatis parta, acsi vim haberent extinguendi incendia eisdem injecta. Sexto, qui certis diebus olera scopis tangunt, ne ciniphes, erucæ, campe, aliave insecta noceant. Hæc omnia sunt vana & superstitiosa. Vid. Delrius lib. 3. disquis. par. 2. q. 4. sect. 6. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 4. n. 15. & 16. Sporer n. 25. & alii. Excusantur tamen à superstitione, qui persuasi naturali observatione motus & influentiæ cælestis certis temporibus herbas colligunt, vel ligna cædunt pro ædificiis, vel navibus; vel medicinam sumunt purgandis corporibus &c. Ratio est: quia certis temporibus aptior est cæli dispositio ad similia, quàm aliis. Delrius sect. cit. Sanchez n. 17. Filliuc. tract. 24. cap. 6. n. 140.

59 Arguendæ sunt secundo mulierculæ, quæ nuptiarum cupidæ certis diebus, & adhibitis certis ritibus ac precibus conantur procurare notitiam obventuri mariti. Quæ vesania potissimùm regnat noctibus SS. Andreæ, Thomæ, Natalis Domini, Trium Regum, & Joannis Baptistæ. Ratio est: quia in ejusmodi mediis nulla prorsus est virtus naturalis, aut supernaturalis ad effectum intentum. Sanchez, Sporer locis cit. Ejusdem furfuris est, quod in Brabantia usitatum scribit Delrius q. cit. sect. 9. ubi, siquis febri laboret, jubent prorsus nuduni se soli exorienti opponere, ac simul cer o numero orationes Dominicas, & salutationes Angelicas recitare: quibus præstitis, ajunt, liberatum iri à febri. Hæc propter fœdam & inverecundam circumstantiam haud dubiè Asmodæo auctore fiunt.

Arguendi sunt tertio, qui alios, si re- 60
citent certas orationes, vel portent reliquias, reddere conantur securos à subita morte, ab hoc, aut illo periculo, vel infortunio; item de favore hujus, aut illius personæ &c. Ratio est, quia non constat, Deum ulli orationi, aut ritui, vel signo externo annexuisse vim infallibilem conferendi bonum aliquod temporale. Cùm enim id generis bona nobis obvenire aliquando expediat, aliquando non expediat, cum humili & indifferenti resignatione voluntatis, atque sub conditione, si ad Dei gloriam, nostramque salutem spiritualem conducant, non verò absolutè, & cum certa expectatione, petenda sunt. Sayrus lib. 4. clavis Reg. cap. 6. n. 8. Suarez tomo 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. cap. 15. n. 9. & 10. Sanchez n. 20.

Denique advertendum est, omnes has 61
species vanæ observantiæ eventuum, aliasque innumeras, quæ passim recensentur ab Authoribus, & occurrunt in praxi, ex suo quidem genere esse peccata mortalia, utpote virtuti Religionis contraria; contingere tamen, ut sint tantùm venialia, idque primo propter ignorantiam, saltem non crassam & affectatam. Secundo, propter imperfectionem superstitionis, dum nempe quis certam fidem non adhibet similibus. Tertio, propter defectum seriæ intentionis, ut, siquis levitatis, aut joci gratiâ his vanitatibus det operam. Unde non est damnandus peccati plusquam venialis, qui citra indubitatam fidem mali eventûs, sed solùm ex suspicione, vel timore aliquo, aut etiam animo jocandi intra horam undecimam & duodecimam non vult iter agere, vel die Martis domo egredi, vel negotium aliquod inchoare, idque semel aut iterum. Vid. Sanchez n. 15. & quæ diximus suprà de Divinatione hoc artic. §. præced. n. 23.

§. V.

De Magia.

SUMMARIUM.

62. *Quid sit Magia universim*, 63. *Definitio Magiæ superstitiosæ.* 64. *Magia superstitiosa (de qua sola hic agitur) ex suo genere peccatum mortale est.* 65. *Crimina alia Magiæ socia.* 66. *Quænam Magi possint circa elementa?* 67. *Quæ circa hominum corpora?* 68. *Quæ circa animas hominum?* 69. *Opera Magorum non sunt miracula.* 70. *Sagæ seu striges physicè & realiter à Dæmone transferri possunt de loco in locum.* 71. *An re ipsa sic transferantur aliquando, disputatur, & eligitur sententia affirmans.*

62 HAnc speciem superstitionis aliqui confundunt cum vana observantia: nobis tamen lubet de illa tractare tanquam de specie distincta, quemadmodum faciunt Toletus, Lessius, & alii apud Filliucium tract. 24. cap. 7. quos & ipse sequitur. Notandum est autem Magiam universim loquendo esse artem seu facultatem quandam virtute creata, non tamen supernaturali, efficiendi mira quædam & insolita, quorum ratio communem hominum sensum, atque captum transcendit, ut habet Delrius lib. 1. disquis. cap. 2. Nos tamen in hac universalitate non loquemur: quippe quibus utramque paginam faciet sola Magia superstitiosa, seu Diabolica: de qua proinde

63 Dico primo. Magia est ars seu facultas vi pacti cum Dæmone initi, per signa aliqua efficiendi mira. Vid. Delrius loco cit. Filliuc. n. 162. Dicitur *vi pacti &c.* quia tota efficacia hujus Magiæ nititur tacito vel expresso pacto cum Dæmone ejusdem auctore & institutore, ut habet S. August. lib. 21. de civit. cap. 6. Dicitur *per signa aliqua.* Quemadmodum enim Magia naturalis causis naturalibus, ita Magia superstitiosa utitur causis moralibus seu signis, quibus ex pacto allicitur Dæmon, ut faciat, quæ magus petit: quo fit, ut ipsa signa videantur operari mirabilia. Valde autem delectantur Dæmones ejusmodi signis: nam & illis honorantur, & eorundem usus ab ipsis institutus maximè noxius est humano generi. Dicitur *efficiendi mira*: per quæ Magia distinguitur ab aliis speciebus superstitionis: nempe, quòd pro fine habeat effectionem mirabilium, idque solùm ad ostentandam hominibus vim suam talia faciendi. Filliuc. loco cit.

64 Dico secundo. Magia, de qua loquimur, peccatum mortale est ex suo genere. Ratio est: quia continet societatem cum Dæmone, sicut & pactum cum ipso expressum, vel tacitum. Excusari tamen potest ob ignorantiam, vel inadvertentiam tacitæ invocationis, aut pacti cum Dæmone. Nam sæpe hæc solùm interveniunt in istâ superstitione, sicut in aliis. Quòdsi alicui simile opus aggressuro occurrat suspicio latentis mali, is haud dubiè abstinere ab illo tenetur, donec, quid rei subsit, à viro sapiente edoceatur. Filliuc. n. 179.

65 Cæterùm Magia alia quoque gravissima crimina habere solet adjuncta, de quibus magi interrogandi sunt à confessariis. Eorum primum est hæresis, qua sibi persuadent, Dæmonem non esse damnatum; multa posse sine permissione: eundem Divino honore esse afficiendum. Secundum est apostasia: cùm sæpe Christum abnegent; Baptismo & Confirmationi renuntient. Tertium idololatria: quia Diabolum adorant tanquam Deum, eique se dedunt, transcribunt, & mancipiant. Quartum blasphemiæ in DEUM & Sanctos. Quintum sacrilegia, quibus profanant Sacramenta, aliasque res sacras, dum eas suis incantationibus, aliisque nefandis ritibus intermiscent. Sextum luxuria, ut nefariæ commixtiones cum Dæmone. Septimum injustitia per damna aliis illatas, dum necant infantes, perdunt animalia, sternunt segetes &c. Filliuc. n. 180.

66 Porrò autem, cùm opera artis magicæ fieri soleant vel circa elementa, vel circa hominum corpora, vel circa animas eorumdem, operæ prætium est, quænam in his tribus magi, vel potiùs Dæmones nomine magorum possint, breviter declarare. Itaque circa elementa possunt tria præcipuè: scilicet primo, excitare tempestates, grandines, fulmina, tonitrua, ventos, eisque evertere fruges, arbores, animalia &c. Secundo, possunt efficere inundationes, ac terræ motus; nec non incendia, ruinas ædificiorum & similia. Tertio, possunt transferre integras segetes, integra pomaria ex uno loco in alium, idque vel transplantatis singulis arboribus, vel simul translata superficie terræ ad certam altitudinem. Quo autem pacto hæc talia efficiant, facilè intelligitur ex communi doctrina Theologorum, quòd omnia corpora inferiora, quantum ad motum localem obediant Dæmonibus, salvo ordine naturæ. Constat præterea, tanta eosdem pollere celeritate movendi corpora, vel tempore brevissimo quodvis transferre possint, quocunque velint. Igitur ad excitandas tempestates nihil

eis

eis facilius, quàm nubes ex aliis regionibus collectas in locum, quò magi volunt, compellere, ibique sistere, ut vel in pluvias, resolvantur, vel inducto frigore in grandines dutatæ decidant. Simili ratione proportionaliter etiam cætera, quorum meminimus, expeditè perficiunt.

67 Circa hominum corpora possunt sequentia. Primo, possunt ea celerrimè transferre de loco in locum etiam distantissimum: quod docent innumeræ experientiæ in sagis & strigibus. Secundo, possunt illa variè transformare, nempe, vel extrinsecè mutando figuram, & ex vaporibus aliam, v. g. lupi, circumponendo: vel substituendo veram bestiam lupi, homine ita repentè ex oculis sublato, ut idem præsentibus verè in lupum videatur conversus: vel ità, ut Dæmon ipse induat formam bestiæ, ac interim homini per alium Dæmonem sopito somnium immittat, quasi ipse passus metamorphosim migrasset in bestiam: vel ita, ut ex sola humorum commotione homini exterius repræsentetur ejusmodi aliena forma & species. Tertiò, possunt Dæmones inferre occultos morbos instillando ignota venena, eaque sic temperando, ut lentè operentur. Neque difficile est illis impedire vim medicamentorum, & omnem humanæ curationis solertiam reddere irritam. Solent præterea in corpora ingerere alia noxia, ut ligaturas pilorum, fragmenta vitrorum, crustas ovorum, clavos, acus & similia. Quarto, possunt curare morbos, illos videlicet, ad quos curandos dantur naturalia remedia, quæ ipsi exactissimè nôrunt; vel, qui ab ipsis dependent. Facili quoque negotio impediunt vulnera, & mortem ex eisdem secuturam, dum vel ipsi excipiunt ictus jux à humanum corpus, & frangunt telorum impetum; vel cohibent sanguinem, ne è venis effluat; vel aliis modis avertunt vitæ pericula, si Deus permittat. Quinto, possunt effodere latentes thesauros, qui Dæmonibus omnes sunt cogniti; & extrahere divitias in mari abditas. Quæ tamen Deus rarò permittit, quantum enim hoc incentivum ad omne malum esset? Sexto, possunt hominem reddere invisibilem, idque vel transferendo ipsum aliò ità subitò, ut circumstantes non advertant; vel interponendo aliquod corpus instar veli: vel interjiciendo aliam figuram, ut ille non agnoscatur: vel impediendo in præsentibus spiritus visorios, ne concurrant ad visionem talis objecti. Septimo, possunt magi in homines tum immittere Dæmones, tum inde expellere, idque vel ex pacto inter æquales sic volentes, vel ex pacto cum potentiore, cui alii obtemperant. Vid. de his Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 16. Sayrus in clavi Reg. lib. 4. cap. 6. à n. 14. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. n. 4. Filliuc. tract. 24. cap. 7. à n. 171. & alii.

Circa animas hominum conjunctas cor- 68
poribus Dæmones, & ope ipsorum magi omnia possunt, quæ ex dispositione corporis & imaginatione pendent. Hinc possunt incitare ad amorem, ad odium, ad libidinem. Potest enim Dæmon facere, ut objectum amandum semper observetur phantasiæ per modum convenientis, ac simul concitentur humores ad effectum amoris. Quod idem proportionaliter de affectu odii dicendum. Filliuc. n. 176. Circa animas à corporibus separatas Dæmones, adeoque & magi, nihil possunt, exceptis animabus damnatorum, quibus Dæmones secundùm mensuram Divinæ justitiæ supplicia infligunt. Unde non possunt easdem excitare ab inferis, ut appareant viventibus. Quod idem multò minùs possunt circa animas Purgatorii. Ex quo sequitur, spectra illa, quæ magi suis evocationibus apparere faciunt, esse Dæmones, & non animas horum aut illorum, quales se fingunt. Filliuc. n. 177. Neque obstat illud, quod 1. Reg. 28. de Samuele narratur: nam si verè apparuit anima Samuelis, id non factum est vi artis magicæ, sed ex peculiari ordinatione Divina ad majorem terrorem & confusionem impii Saulis, ut præter alios docet Suarez cap. cit. n. 18.

Corollarium I. Quamvis opera ma- 69
gorum mira videantur, quia insolita & viribus humanis superiora sunt, non sunt tamen vera miracula. Ratio est: quia miraculum propriè & Theologicè est illud, cujus effectio simpliciter excedit totam virtutem causarum naturalium, estque rarum & insolitum: atqui opera artis magicæ nunquam excedunt totam virtutem causarum naturalium: cùm omnia perficiantur vel motu locali, vel applicatione activorum & passivorum naturalium, iisque modis, quorum meminimus, & aliis similibus. Suarez n. 8. Delrius lib. 2. disquis. magic. q. 7. Sanchez n. 5.

Corollarium II. Nihil impedit, quo- 70
minùs sagæ seu striges à Dæmone verè & corporaliter brevissimo tempore transferantur ad loca distantissima, si Deus permittat. Ratio est: quia neque obstat gravitas humani corporis; cùm tanta sit vis Dæmonis moventis quidpiam, ut etiam montes locò movere posset: neque motus ipse, quantumcunque celer & rapidus, superat agilitatem virtutis Angelicæ. Delrius lib. cit. cap. 2. q. 16. Et hæc quidem de eo, quod fieri potest.

Quæstio disputabilior est, an re- 71
ipsa aliquando contingat ejusmodi physica & corporalis maleficarum translatio?

Prima sententia id negat, aitque, nocturnos lamiarum conventus esse merè imaginarios, easque non verè transvehi in alia loca, sed sola cogitatione animi, & Diabolica illusione. Ita post Lutherum & Melanchthonem multi Acatholici; imò & Catholici quidam, præsertim Jurisconsulti tum Canonici, tum Civiles. Fundamentum est primo ex cap. *Episcopi*, 26. q. 5. ubi manifestè contra fidem errare dicuntur, qui credunt, striges verè transferri de loco in locum. Secundo. quia conventus sagarum nomine IESU pronuntiato solent evanescere: quod non fieret, si in iis essent personæ corporatæ: quippe quæ non possunt evanescere: ergo signum est, esse phantasticas. Tertio. Quia experientiâ constat, maleficas ad iter nocturnum ceromate magico injunctas aliquando non translatas, sed jacentes fuisse repertas eodem loco, quo se inunxerant. Quarto. Quia, si mulierculæ hujusmodi re ipsa, & non sola illusione phantasiæ huc & illuc veherentur, facilè effugerent ex carceribus, sicut facilè (ut nos quidem volumus) corporaliter intrant clausa cubicula, cellas vinarias &c. Atqui rursus experientiâ constat, eas hac ratione nunquam elabi ex carceribus; ergo &c.

Secunda sententia, quæ est communis & verissima, id affirmat, docens, sagas sæpissimè à Dæmone transportari verè de loco ad locum, & corporaliter nefariis conventibus interesse. Quam sententiam optimè probant innumeræ experientiæ, æque adeo testatæ & manifestæ, ut illis fides abrogari non possit sine protervia. Vid. de his Sprenger in Malleo malefic. par. 2. q. 1. cap. 3. Binsfeld. de Confess. Malefic. à pag. 202. Delrius lib. 2. disquis. lib. 2. cap. 2. q. 16, & lib. 5. sect. 16. ubi à pag. 809. sententiam oppositam esse perniciosam reipublicæ & Ecclesiæ copiosè ostendit. Conantur enim ejus patroni obtinere, ne saga ulla morte plectatur, ut ex Ponzinibii, Wieri, & aliorum scriptis manifestum est. Et sanè constat, judices quosdam iisdem deceptos dimisisse lamias vel impunitas, vel minùs punitas, quàm oportuerat, eò quòd opinarentur, omnia, quæ confiterentur, esse illusoria, nec gravem pœnam mereri. Imò compertum est, alicubi illa tantùm magorum puniri scelera, quibûs hominibus, vel brutis nocuerint; injurias verò ab ipsis Deo illatas per idololatriam, blasphemias, sodomiam &c. tanquam merè illusorias, insuper haberi, & non curari.

Ad primum ex fundamentis adversis respondeo, in illo canone, qui est Achilles sententiæ contrariæ, non damnari eos, qui credunt, sagas verè localiter transferri, sed, qui credunt, iis modis transferri, qui ibi memorantur, nempe virtute Dianæ, quam mulierculæ quædam credebant esse Deam, & per veros equos, aliasque bestias ab eadem Diana formatas, & per aëra missas: item cum verâ transformatione corporum in alia corpora: qui omnes sunt errores contra fidem. Vid. Azorius to. 1. lib. 9. cap. 25. q. 3. Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 27. Sayrus in clavi Reg. lib. 4. cap. 6. n. 13. Delrius loc. cit. circa finem. Ad secundum dico, sagas, quæ conventibus interfunt, nunquam evanescere, sed præstrictis intuentium oculis à suis Dæmonibus celerrimè asportari: atque sic dici evanescere largè & impropriè, hoc est, desinere videri: sicut explicat Delrius lib. 2. disquis. q. 16. & ex eo Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. n. 6. Addi potest cum quibusdam, illum Canonem esse conditum à Concilio Aruyrano, quod, utpote Provinciale tantùm, errare potuerit. Ad tertium dico, sententiam nostram non velle, maleficas semper transferri verè & realiter, ita ut nunquam id fiat per illusionem phantasiæ; sed contendere, eas frequentissimè transferri realiter. Quòd autem hoc non semper contingat, in causa est, quòd vel Deus id interdum non permittat; vel Diabolus, quando ipsi utilius est, pactum non servet, sagasque decipiat eas loco non movendo. Cæterùm in dubio, fueritne transvectio illusoria, an vera ac physica? hanc esse præsumendam, docet Suarez n. 25. cùm videatur fieri regulariter, altera veluti per exceptionem. Ad quartam dico, vel Deum non permittere, ut elabantur ex carceribus ope Dæmonis, ne scelera earum nefandissima maneant impunita; vel ab ipso Dæmone, acsi pacti immemor esset, tandem deseri miseras, sicque, experimentô suô, quamvis serò nimis, condoce fieri, fidendum non fuisse patri mendaciorum.

§. IV.

De Maleficio.

SUMMARIUM.

72. *Definitio Maleficii.* 73. *Ejus præcipuæ species sunt Philtrum, & Veneficium.* 74. *Assignantur remedia contra effectus Maleficii certò licita.* 75. 76. *Et seqq. an, & quando liceat uti operâ Maleficii ad solvendum Maleficium?* 80. *An liceat destruere signa, quibus positis fiunt Maleficia?* 81. *Item, an liceat ad dissolvendum pactum Diabolicum ponere signa contraria?* 82. *Unde colligi*

ligi possit, aliquam personam esse Maleficam? 83. *De quibus Maleficum examinare debeat Confessarius?* 84. *Quid agendum Maleficio de pecunia, quam à Dæmone accepit?*

72 Dico primo. Maleficium est ars, sive potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone. Ita Sayrus in clavi Reg. lib. 4. cap. 6. n. 23. Filliuc. tract. 24. cap. 8. n. 181. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. n. 1. & alii communiter. In qua definitione omnia sunt communia, definitio cum Magia præter particulas *nocendi aliis*, per quas differt ab eadem, utpote non ad nocendum, sicut maleficium, sed ad ostendendam Dæmonis potentiam ordinatâ.

73 Dico secundo. Maleficii duæ sunt præcipuæ species; nempe maleficium amatorium, quod etiam philtrum nominant per translationem; & veneficium. Primum est, quo maleficiutuntur ad carnalem amorem, aut etiam odium excitandum. Hinc sæpe oriuntur jurgia, dissidia, & rixæ inter conjuges. Ubi tamen advertendum est, huic maleficio nullam inesse vim cogendi voluntatem ad amandum, vel odio habendum, sed tantùm ad commovenda ope Dæmonis in imaginatione phantasmata, quibus voluntas hominis afficiatur ad amorem vel odium alicujus. Unde talis non excusandus est à peccato, quamvis dicat, invitè se amare, vel odisse hanc, aut illam personam: semper enim ad hæc liberam retinet voluntatem. Filliuc. n. 184. Secundum maleficium est, quod adhibetur ad inferenda aliis damna, sive in propria eorum persona, occidendo, immittendo ægritudines, dolores, sterilitatem; sive in eorum rebus, evertendo v. g. vineas, segetes, ædes, necando animalia &c. Hæc talia non faciunt ipsi malefici, sed Dæmones per signa sibi noia allecti & advocati. Filliuc. n. 183.

74 Remedia certò licita contra effectus maleficii sunt, Primo. Oratio cum firma fide, addita spe, & pura conscientia, ad quam maximè necessarius est usus Sacramentorum. Secundo. Opera misericordiæ, jejunii, humilitatis, ac præcipuè Sacrificium Missæ. Tertio. Invocatio Sanctissimi Nominis Jesu, usus signi Crucis, SS. Reliquiarum, imaginum, numismatum, & similium. Quarto. Exorcismi Ecclesiæ: sicut & aspersio aquæ benedictæ, quæ multum huc confert. Quinto. Remedia naturalia, quæ petuntur ab arte Medica. Verùm ista parùm proficiunt, quando effectus maleficii in sui conservatione pendet à malefico, & à Dæmone, cùm hic omnem eorum efficaciam impedire possit. Vid. Sayr. n. 27. Filliuc. n. 188. & 189. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 5. n. 10.

Sed dubium est primo, si homo aliquis vel bestia maleficiò torqueatur, an liceat maleficum ad illud solvendum accersere? Respondeo primo. Nunquam est licitum maleficum accessere, ab eoque petere, ut maleficium alio maleficio dissolvat, etiamsi ille ad hoc sit paratus. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia maleficium est actio intrinsecè mala, & nunquam cohonestabilis quocunque honesto fine præfixo. Atqui nunquam est licitum ab altero petere actionem intrinsecè malam, etiam parato ad illam: sic enim nunquam est licitum petere à meretrice usum corporis, etiamsi parata sit ad fornicandum, vel à sicario interfectionem inimici, etiam parato ad homicidia: Quia petens non obstante hac tali præparatione animi ex parte illorum, à quibus petit, est causa moralis, quòd saltem hic & nunc ista in individuo mala actio perpetretur, quæ aliàs non perpetraretur. Vid. Sayrus n. 26. Ex his 75

Sequitur ulteriùs primo, quando constat quidem, maleficium solvi posse modo licito, sed simul constat, talem modum esse ignotum maleficò, non esse licitum ab eo petere solutionem maleficii. Ratio est: quia tunc maleficus non potest maleficium solvere modo licito, quippe quem ignorat; sed tantùm illicito, quod ab eo petere non licet. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 41. n. 6. Filliuc. n. 191. Batdi de Conc. discept. 6. cap. 2. §. 20. n. 2. Sequitur secundò, neque esse licitum petere ab alio maleficò, ut solvat maleficium ejus, qui id induxit, nisi constet, illum posse solvere modo licito. Ratio est: quia contra talem est præsumptio, quòd utatur malis suis artibus: adeoque petere ab eo, ut solvat maleficium, est implicitè petere, ut solvat alio maleficio. Sanchez n. 8. Filliuc. loc. cit. Sequitur tertio, peccare judices, dum cogunt maleficum, ut certa quadam benedictione auferat maleficium. Ratio est: quia illa benedictio est quædam cæremonia à Dæmone institura involuens pactum cum ipso. Sanchez n. 10. 76

Respondeo secundo. Qui certò, aut probabiliter sibi persuadet, maleficum posse modo licito solvere maleficium, id licitè ab eo petit, licèt probabiliter, aut etiam certò sibi persuadeat, id hominem non facturum modo licito, sed illicito per novum pactum cum Dæmone. Ita Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 18. n. 10. Sanchez n. 13. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. n. 7. & alii. Ratio est: quia talis tunc petit rem, quam alter licitè præstare potest, imò tenetur præstare petenti, utpote habenti jus petendi: 77

ergo neque inducit maleficum ad malum, nec præbet moralem occasionem ejusdem; quia utitur jure suo, estque per accidens, quòd ille usurus sit suâ malitiâ. Confirmatur. Licitè mutuum petis ab usurario, & juramentum ab infideli, quamvis prævideas, nec illum daturum mutuum sine usuris, nec hunc juraturum nisi per Deos suos; quia nempe rem petis ex se bonam, aut indifferentem: quam si illi præstent illicitè, ipsis est imputandum: te quippe excusat necessitas in præsenti, ut non censearis moraliter cooperari peccato. Ergo idem tenendum in casu nostro.

Neque refert primo: quòd maleficus modum illū solvendi maleficium forte à Dæmone fuerit edoctus: nam arte bona, quam malè didicit, bene uti potest, ait Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 9. Neque refert secundo, quòd in S. Script. gravissimè prohibitum sit consulere maleficum: quia in casu nostro non consulitur maleficus ut talis formaliter, sed ut homo quidam in tali materia expertus, & licito modo potens malum auferre. Sporer tr. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 43. & alii. Cæterùm à Dæmone petere, ut cesset vexare maleficio, nunquam est licitum: quia ejusmodi petitio involvit societatem, & quemdam cultum illius. Per imperium tamen, vel objurgationem dicere ad Dæmonem, *abi hinc, cessa malè facere &c.* non est illicitum: cujus ratio patet ab opposito. Vid. Suarez n. 5. Sanchez n. 17. Filliuc. ubi suprà n. 193.

78 Respondeo tertio. Quando dubitatur de voluntate futura malefici, an nempe usurus sit medio licito, quod scire supponitur, licitum est ab eo petere solutionem maleficii: at non est licitum, quando dubitatur de ipsius scientia & potestate tollendi maleficium per medium aliquod licitum. Ratio primæ partis est: quia opus, quod tunc petimus à maleficio, ex se malum non est, & potest honestè exerceri: ergo nihil obstat, quominùs liceat illud petere honestè exercendum ab eo, qui fortè malè exerciturus est, si ex parte nostra adsit urgens causa & necessitas petendi. Quod idem probant instantiæ de mutuo & juramento in n. præced. adductæ. Ita docent Suarez n. 9. Bardi ubi suprà n. 6. plures referens. Ratio secundæ partis est: quia, cùm constet esse maleficum, & non constet, eum posse maleficium solvere citra usum artis suæ, præsumendum est non posse: nam sæpius malefici id non possunt, quàm possunt, ut post alios notat Suarez loco cit. Confirmatur. Qui dubitat, an maleficus licitè solvere possit maleficium, eo ipso dubitat, an ab ipso licitè petere possit ejus solutionem; cùm, si stante dubio petat, periculo peccati se exponat. Sed in ejusmodi dubio non est licitum petere solutionem maleficii; ergo &c. Vid. præter citt. Sanchez n. 7. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 5. n. 8. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 9.

Corollarium. Quando aliquis, de 79
quo dubitatur, sitne maleficus, an non, ultro se offert ad tollendum maleficium, non est utendum ejus operâ, antequam certo, aut probabiliter cognoscatur, ipsum id posse facere modo licito. Unde, si examinatus (debet enim examinari) quam rationem tollendi maleficii teneat, nolit manifestare, omnino repellendus est. Ratio est, quia hinc satis colligitur, ipsum ignorare remedia licita, & usurum illicitis. Ad minimum res manet maximè dubia. Vid. Delr. disquis. mag. lib. 6. cap. 2. sect. 1. q. 2. Laym. loco cit. Bardi n. 8.

Dubium est secundo, an liceat destru- 80
ere signa, quibus positis fiunt maleficia? Ante resolutionem sciendum est, pacta inter Dæmonem & maleficum certis quibusdam signis firmari solere, ut, quamdiu signum permanet, teneatur Dæmon malefacere ex vi pacti; destructo autem signo vel deobligetur, vel etiam teneatur cessare à malefaciendo. Talia signa sunt v. g. nodi ligularum, glomi capillorum, sera clausa, olla, vel quid aliud sub limine ædium terræ infossum. Respondeo. Tam malefico, quàm cuicunque alteri licitum est hæc talia signa destruere, si, ubi sint, deprehendantur, vel in manus deveniant. Ita communis sententia: quàm fusè probant, & vindicant ab objectionibus. Delrius lib. 6. disquis. magic. cap. 2. sect. 1. q. 3. Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 17. à n. 9. Ratio potissima est: quia per ablationem, & destructionem ejusmodi signorum nec pactum, nec amicitia cum Dæmone confirmatur, nec ullus ei honor exhibetur; imò potiùs solvitur pactum, & amicitia ipsius, seu societas repudiatur & contemnitur. Suppohimus enim, illum, qui destruit hæc signa, id facere animò dissolvendi pactum, non autem servandi, vel confirmandi. Vid. Sanchez n. 19. Filliuc. tract. 24. cap. 8. n. 194. Confirmatur. Maleficus ex justitia, alius verò ex charitate aliquando tenetur tollere maleficium, quo vexatur proximus; ergo etiam tenentur adhibere medium, quo licitè possunt tollere maleficium. Sed ejusmodi medium est destruere signa maleficii; ergo tantùm abest, ut non liceat destruere, ut etiam sit obligatio destruendi.

His addendum est, licitum quoque 81
esse ex intentione dissolvendi pactum initum cum Dæmone apponere signum positivè contrarium, modò sit res ex se bona, aut saltem

saltem indifferens. Suarez n. 16. Sanchez n. 25. Filliuc. n. 195. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 41. & alii passim. Ratio est: quia licitum & honestum est auferre occasionem mali, sive sibi, sive proximo inferendi: atqui apponens ejusmodi signum illud non intendit, ut supponitur, quàm auferre occasionem mali, scilicet signum, quo perseverante Dæmon ex pacto nocet; ergo &c. Itaque si Dæmon cum maleficò pepigisset, se tamdiu nociturum tali homini, quamdiu corpus ejus lotum non fuerit, vel quamdiu is Cruce se non signaverit, licitè lavaretur, seque Cruce signaret, modò id fieret præcisè animô dissolvendi pactum, & non animô avertendi malum per medium quatenus præscriptum à Dæmone. Suarez, Filliuc. locis citt. ex eodem capite honestatur praxis Judicum, qui maleficos torquendos, ne iidem ad tormenta sint insensibiles, vestibus exui, lavari, eisque pilos abradi curant: quia nempe pactum cum Dæmone potuit iniri tali conditione, ut ad nudationem corpori, ejusque lotionem, & capillorum rasionem vis ejus cessaret. Tambur. lib. 2. Decal cap. 6. §. 2. n. 13. Sporer loco cit. Similiter, quando te saga tetigit, manuque demulsit, eam licitè repercutis. Hoc enim facto noxa avertitur ob solutum pactum cum Dæmone. In dubio, an signum positivè contrarium sit superstitiosum, non licet id apponere, nisi fortè præmissa potestatione, cujus suprà meminimus in §. 4. n. 54. ut concedit Lessius relatus à Sanchez & Filliucio locis citt. qui tamen dissentiunt.

82 Cæterùm personam aliquam esse maleficam, aut aliis Diabolicis superstitionum artibus imbutam cognoscì potest primo, ex propria confessione dicentis, se opus aliquod, vel plura damnatæ disciplinæ ope Dæmonis exercuisse, vel exercere. Secundo, ex confessionibus aliorum, qui ejusdem criminis sunt consortes, aliosque nominant. Tertio, si apud aliquem reperiatur chirographum, quo Dæmoni se transcripsit, ejurata Christi fide. Quarto, si quis stigmate quopiam, quo maleficæ & malefici notati esse solent, insignitus deprehendatur. Quinto, si apud aliquem inveniantur venena, bufones, hostiæ, membra humana, imagines cereæ, cæque acubus transfixæ. Sexto, siquis, vel siqua alicui malum fuerit minata, quem deinde morbo, aut fascinatione correptum esse constet. Septimo, si testes contra aliquem producti asserant, se eum vidisse veneno, aut unguento quopiam linire animalia, quæ postea mortua reperta fuerint: quod idem intelligendum de infantibus, & aliis, quibus simili ratione exitium attulerit. Vid. Valent. tomo 3. disp. 6. q. 13. pu. 4. §. 2. Sayr. in clavi Reg. lib. 4. cap. 6. n. 24. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 5. pu. 5. n. 12.

Confessarius malcficum (idem pro- 83
portionaliter intellige de divinatore mago &c.) debet interrogare primo, an societatem & pactum iniverit cum Dæmone, eique promiserit abnegationem Dei, Christi, Religionis, &c. Nam pactum ejusmodi & nefarium commercium pœnitens dissolvere & ejurare tenetur, antequam absolvatur. Dissolvitur autem pactum agendo seriam pœnitentiam patrati flagatii. Unde non est opus, ut maleficus curet sibi reddi chirographum à Dæmone, in quo fortè se ipsi subscripsit. Quòdsi ipse maleficus apud se habeat chirographum, vel ejus exemplar, debet comburere, vel aliis modis destruere. Idem est de libris, schedis, nodis, ligaminibus, aliisque instrumentis damnatissimæ artis. Suarez ubi suprà, n. 4. Sanchez cap. 40. n. 53. Bonac. n. 11. Debet interrogare secundo, an Sathanæ exhibuerit cultum Divinum, eumque adoraverit; vel inhonoraverit S. Eucharistiam, reliquias, vel alias res sanctas? his enim ordinariè solent abuti ejusmodi homines. Tertio, an crediderit v. g. Dæmonem non esse damnatum, nostra Sacramenta suscipientibus nihil prodesse? hinc enim colligere est, in pacto cum Dæmone etiam hæresim intercessisse. Quarto, an maleficium confecerit ex rebus sacris, eisque ad malos ejusmodi effectus vim inesse crediderit? nam hic præter sacrilegium iterum intervenit hæresis. Quinto, an peccaverit cum Dæmone peccato luxuriæ? Sexto, an, & qualia per sua maleficia aliis damna intulerit? hæc enim tenentur resarcire malefici, sicut & auferre maleficia, si possint sine novo maleficio. Vid. Sayrus ubi suprà. Bonac. loco cit. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 9. n. 47. & alii.

Sed quid agendum maleficò, quæret 84
aliquis, de pecunia, quam à Dæmone accepit? Respondeo, si constet, eam à Dæmone alicui alteri surreptam esse, restitui debere illi, cui surrepta est: quia ob rapinam Dæmonis non cessavit esse dominus. Si id non constet, retineri posse; quia fieri potuit, ut Dæmon eam extraheret è fundo maris, vel depromeret ex thesauro, cujus nemo amplius esset dominus. Suarez n. 3. Sanchez cap. 41. n. 2. Bonac. loco cit. Qui etiam monent, ne tales pecuniæ (idem est de aliis fortunæ bonis à Dæmone acceptis) expendantur, aut aliis dentur, antequam constet esse veras pecunias. Solent enim Dæmon illudere dando pecunias apparentes

tantùm

tantùm, quæ postea evanescunt, vel in carbones & quid simile convertuntur. Quòdsi maleficus, magus, aut divinator alicui operam suam præstitit accepta mercede, ad hujus restitutionem in foro conscientiæ non tenetur, idque etiam in casu, quo res ab ipso postulata non evenit. Ratio est: quia opera & diligentia, quam secundùm artis suæ præcepta, ut supponitur, adhibuit, est pretio æstimabilis. Neque obnoxium est restitutioni acceptum pro opere turpi. Ita Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 96. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 4. n. 8.

ARTICULUS V.

De Irreligiositate.

HActenùs disputavimus de vitiis Religioni contrariis per excessum. Nunc differendum est de vitiis eidem virtuti contrariis per defectum; quæ generali nomine Irreligiositatis comprehenduntur, suntque Tentatio Dei, Perjurium, Sacrilegium, & Simonia. Et quidem de Perjurio in 2. Præcepto sermo erit: de reliquis hoc artic.

§. I.

De Tentatione Dei.

SUMMARIUM.

1. *Tentatio alia dicitur seductionis, alia probationis.* 2. *Definitio tentationis Dei, ut hic sumitur.* 3. *Dividitur illa in expressam, & in implicitam, sive interpretativam.* 4. *Ob rationabilem causam à solo Deo expectare effectum non est tentare Deum.* 5. *An sit tentare Deum coram hæreticis petere miracula ad confirmandam Fidem?* 6. *Quid de illo, qui Martyrio se offert sine justa causa?* 7. *Quid de purgatione ferri candentis, aut aquæ ferventis?* 8. *Tam interpretativa, quam formalis Dei tentatio mortale peccatum est ex suo genere.*

1 DUplex in S. Scriptura tentatio invenitur: una seductiouis, seu inductionis ad peccatum, altera probationis, sive experimenti. Prima in Deum neque activè cadit; quia *ipse neminem tentat*, ait S. Jacob. cap. 1. epist. neque passivè, ut per se patet. Secunda tamen tentatio activè sumpta DEO tribuitur iis locis, quibus dicitur tentâsse Abraham, Tobiam, Job, & populum suum. Quo sensu intelligitur illud Deuter. 13. *Tentat vos Deus, ut palam fiat, utrùm diligatis eum.* Atque hæc tentatio, ut passivè Deo tribuitur, sive Deum à nobis tentari, est peccatum, de quo nunc agendum. In quo sensu

2 Dico primo. Tentatio Dei est dictum, vel factum, quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, vel alia quadam perfectione prædituS. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 97. a. 1. Sanchez & alii communiter. Definitio est clara, ejusque sensus magis patebit ex sequentibus.

3 Dico secundo. Tentatio Dei dividitur in formalem, sive expressam, & in implicitam, sive interpretativam. Tentatio formalis est, quando quis expresse dubitans de aliqua perfectione Dei aliquid dicit, vel facit animo explorandi eandem. Exemplum est, siquis dubitans de aliquo articulo fidei petat fieri miraculum, ut patefiat veracitas Dei loquentis: vel, siquis in puteum se præcipitet experturus, an Deus ita sit misericors, ut ipsum submergi non sinat. Tentatio implicita est, quando quis expresse quidem non dubitat de aliqua Dei perfectione, neque intendit de illa capere experimentum, petit tamen, vel agit aliquid, quod ad nullum alium finem, quàm ad explorandam quandam Dei perfectionem suapte naturâ referri posse videtur. Hoc autem contingit dupliciter, scilicet primo, quando media naturalia sive ordinaria sine causa prætermittuntur, & effectus à solo Deo exspectatur: ut, si periculosè decumbens respuat medicinam, & à solo Deo sanitatem temere expectet. Vel, si homo rudis & illitteratus, aut alius absque præparatione concionari velit sperans, à Deo sibi conceptus & verba suggestum iri. Secundo contingit, quando quis sponte, & citra utilitatem aut necessitatem se conjicit in periculum, ex quo nullatenùs, aut vix eripi potest, nisi per miraculum v. g. siquis relicta scala vellet ex turri per aërem descendere; idque cum respectu aliquo ad Deum expectando ab ipso auxilium, aut medium extraordinarium: quem respectum ad hanc quoque speciem tentationis meritò requirunt Suarez to. 1. de Relig. lib. 1. cap. 3. n. 4. Sanchez cap. cit. n. 2. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 5. n. 6.

4 Corollarium. Non est tentatio Dei etiam interpretativa, quando homo ob rationabilem

tionabilem causam utilitatis, aut necessitatis, prætermissis mediis Divinæ Providentiæ ordinariis, aliquid facit à solo Deo expectans effectum. Ita D. Thomas a. cit. ubi id declarat optimo exemplo: nempe, si quis equum sine peculiari causa incitat ad cursum, ideo incitare creditur, quòd velit experiri velocitatem equi: secus, si id faciat, ut hostem effugiat. Similiter ergo, quando aliquis in suis actionibus aut petitionibus effectum à solo Deo expectat ob rationabilem causam, non erit tentatio Dei; erit autem, interpretativa saltem, si nulla subsit talis causa. Atque hæc est regula ad judicandum in variis casibus, utrum Deus tentetur. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 14. pu. 1. Sanchez n. 1. Hinc

5 Infertur primo, Deum tentari ab illo, qui petit fieri miracula coram hæreticis ad confirmandam fidem; vel etiam coram gentilibus, quando inde non est spes conversionis eorum. Ratio est: quia in priori casu nulla urget necessitas; cùm talibus non desint alia signa, & notæ sufficientes veræ fidei in Ecclesia Dei. In posteriori autem casu nulla est, ut supponitur, spes prudens utilitatis. Quòdsi viri sancti aliquando similia petiisse legantur, credendum est, ex speciali Spiritus Sancti impulsu petiisse. Vid. Suarez n. 13. Sanchez n. 10.

6 Infertur secundo, tentationem Dei esse, martyrio se temerè & citra justam causam offerre. Ratio est: quia tunc imprudenter ex præsumptione, seu nimia confidentia extraordinarium Dei auxilium, vel fructus toleratæ mortis expectatur. Sanchez n. 15. Laym. loco cit. Porrò justa causa martyrii esse censetur, quando id est in præcepto, vel de consilio: tunc autem martyrium est in præcepto, quando est necessarium ad fidem, vel salutem spiritualem multorum conservandam; vel blasphemias vitandas: de consilio est, quando ex eo nihil præter Dei gloriam & fidei exaltationem consequitur. Sanchez loco cit. Ad exempla Sanctorum, qui ultro tyrannos provocâsse narrantur ad mortem ipsis inferendam, dic, ut suprà, id eosdem ex peculiari instinctu Spiritus Sancti, adeoque ob justam causam fecisse. Quæ enim causa justior, quàm ita velle Spiritum Sanctum?

7 Infertur tertio, purgationem illam, qua quis à crimine objecto se purget ferro candenti, aut aqua ferventi, meritò prohibitam esse in Jure Canonico, cap. *consuluisti.* 2. q. 5. & alibi. Ratio est: quia de crimine, vel innocentia alicujus sufficienter constare potest per alia media ordinaria & suavia, qualia decent humanam gubernationem, scilicet per probationes testium, per juramentum & similia: neque conveniens est hominem exponi tanto periculo. Itaque talis purgatio cùm humanæ gubernationi non sit accommodata, nec expediens bono communi, illius usus tentatio Dei est, saltem interpretativa. Vid. Doct. Thomas, 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. Valent. ubi suprà. Sayrus in clavi Reg. lib. 4. c. 7. n. ult. Sanchez n. 12. Suarez n. 8 Laym. n. 4. & alii. Neque obstat primo, quòd Deus ipse similem purgationem instituerit. Num: 5. ubi præcepit mulierem de adulterio suspectam purgari aquis maris ænei, per quas, si nocens esset, femur putresceret. Respondetur enim, tum quidem fuisse licitam eam purgationem miraculosam ob expressam Dei voluntatem; postea verò id præceptum, utpote judiciale, cessâsse: adeoque hodie in judiciis non illo, aut alio simili, sed ordinario & humano modo delicta esse inquirenda. Valent. Sayr. locis citt. Neque obstat secundo, quòd memoratæ purgationes à Deo variis miraculis sæpe sint confirmatæ, quemadmodum legere est apud Delrium lib. 4. disquis. magic. cap. 4. q. 4. sect. 3. & seqq. nam respondetur, ea miracula vel accidisse in quibusdam casibus, in quibus ex speciali inspiratione ipsius Dei uti licuit iisdem purgationibus; vel, quia Deus hac ratione favere voluit innocentiæ, etiamsi homines id peterent modis ineptis ex ignorantia, vel invincibili, vel etiam crassa, non tamen absque bona intentione operantes. Suarez n. 16. Sanchez loco cit.

8 Dico tertio. Non tantùm formalis, sed etiam interpretativa tentatio Dei ex genere suo mortale peccatum est. Ratio primi est: quia ex dubitatione quadam expressa velle explorare Divinam perfectionem manifestè cedit in Dei irreverentiam & despectum excellentiæ ejusdem. Unde graviter prohibitum est Deut. 6. & Math. 4. *Non tentabis Dominum DEUM tuum.* Vid. Valent. loco cit. Sanchez n. 5. & alii communiter idem docentes. Neque hîc locum habet parvitas materiæ, ut quemquam excuset à peccato mortali, sed solus quandoque defectus sufficientis deliberationis, ut dicit Sanchez loco cit. Ratio secundi est: quia etiam per interpretativam tentationem gravis irreverentia Deo inferri potest: tum, quia est implicita saltem aut virtualis petitio, ut Deus contra ordinem suæ providentiæ absque necessitate operetur, tum, quia fit per opus, quod suapte natura nonnisi ad explorandam aliquam Dei perfectionem referri posse videtur. Vid. Suarez n. 7. Sanchez loco cit. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 287. Fatentur tamen

Authores, hanc tentationem frequenter esse peccatum solùm veniale, tum propter imperfectionem actus, ignorantiam, simplicitatem, inconsiderationem: tum propter levitatem periculi, cui tentans se exponit, ut, siquis in levi morbo nolit uti medicinis sanitatem temerè expectans à Deo, non expressè tamen petita curatione miraculosa. Sanchez loco cit.

§. II.

De Sacrilegio.

SUMMARIUM.

9. *Primæva acceptio Sacrilegii.* 10. *Definitio Sacrilegii, ejusque declaratio.* 11. *Sacrilegium aliud personale, aliud locale, aliud reale.* 12. *Sacrilegium personale quatuor actionibus committitur.* 13. *Clericus in Majoribus, qui fornicatus est, debet in Confessione exprimere circumstantiam Ordinis sacri.* 14. 15. *Exponitur, quænam, si fiant in loco sacro, Sacrilegia censeantur.* 16. *Sacrilegium reale quinque actionibus comitti solet.* 17. 18. 19. *& seqq. Resolutiones practicæ.* 24. *Sacrilegium ex genere suo mortale peccatum est.* 25. *In Confessione exprimenda est materia, circa quam patratum est Sacrilegium.* 26. *Sacrilegium aliquando est etiam peccatum omissionis.*

9 SAcrilegium ex primæva nominis Etymologia idem est, quod furtum rei sacræ. Unde propriè sacrilegi dicuntur, qui res sacras surripiunt. Postea tamen idem vocabulum extentum est ad significandam quamlibet injuriam, seu violationem rei sacræ; adeoque omne peccatum contra Religionem dici potest Sacrilegium, ita ut comprehendatur hoc homine etiam injuria quæcunque Deo immediatè illata. Verùm quemadmodum hoc loco per rem sacram non Deus, sed creaturæ aliqua lege, & publica auctoritate ad Dei cultum destinatæ intelliguntur, ita etiam Sacrilegium est illud tantùm peccatum, quo ejusmodi creaturæ indignè ac impiè tractantur. Quapropter

10 Dico primo. Sacrilegium est violatio rei sacræ, ut sacra est. Ita communis Doctorum cum D. Thoma, 2.2. q. 199. a. 2. ubi ait: *In sacrilegio invenitur specialis ratio deformitatis, qua scilicet violatur res sacra per aliquam irreverentiam.* Dicitur in definitione *Violatio*, per quam particulam Sacrilegium convenit cum aliis peccatis. Dicitur, *Rei sacræ*, id est, publica auctoritate, consecratione, vel deputatione Divino cultui dicatæ, ut sacrilegium distinguatur à tentatione Dei, à blasphemia, & aliis peccatis, quibus Deus immediatè in se ipso, & non in re sibi dicata, læditur. Dicitur, *ut sacra est*, quia malitia sacrilegii non in eo sita est formaliter quòd repugnet substantiæ rei, quæ dicitur sacra, sed in eo, quòd repugnet cultui Divino, ad quem est destinata, & ratione cujus denominatur sacra. Unde, cùm dubitatur de usu rei cujusdam sacræ, an sit Sacrilegium? attendendum est, an ejusmodi usus repugnet cultui, ad quem res est destinata: sicuti monet Valentia to. 3. disp. 6. q. 15. pu. 1.

11 Dico secundo. Sacrilegium est triplex, nempe contra personam, contra locum, & contra alias res cultui Divino dicatas: sive, Sacrilegium personale, locale, & reale, ut communiter loqui solemus. Ita omnes D D. cum D. Th. q. cit. a. 3. Instituitur autem hæc divisio secundùm triplex genus rerum specialiter sacrarum, eamque esse adæquatam & sufficientem ex eo constat, quòd nec plura, neo pauciora includat, quàm quæ habent rationem sacrilegii. Si fortè quis dicat, sacrilegium committere illum, qui violat tempus Deo dicatum, vel abutitur Sacra Scriptura, ut deinde dicemus; hæc tamen non videri comprehendi in data divisione: respondetur, hæc, aliaque similia contineri omnia sub tertio genere, quod est Sacrilegium reale. Imò de violatione temporis negandum est, esse propriè Sacrilegium. Sed nunc operæ pretium est singula membra divisionis seorsim declarare.

12 Itaque Sacrilegium personale est violatio personæ sacræ, id est, per sacram ordinationem, vel per statum Religionis, ejusve aliquam participationem ad cultum Dei dicatæ, ut habet Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 3. Porrò sacrilega hæc violatio consistit in quatuor actionibus. Prima est violenta manuum injectio in Clericum, vel Religiosum contra privilegium canonis, *si quis suadente*, 17. q. 4. quia Ecclesia hoc tale privilegium concessit iis personis ex motivo Religionis, quatenùs Deo sacratæ sunt. Secunda est personas Ecclesiasticas pertrahere ad forum judicii sæcularis. Tertia est, ab eisdem personis exigere gabellas & tributa. Ratio est: quia Ecclesia tum per immunitatem istarum personarum à tributis, tum per privilegium fori vult Deo exhiberi cultum. Quare, qui contra facit, hoc ipso violat easdem personas, ut sacræ sunt. Quarta est opus luxuriæ exercitum à persona, vel cum persona per sacrum aliquem Ordinem, vel per votum solemne Religionis approbatæ ad

Dei

Dei cultùm luxuriæ oppositum dicata. Hoc enim opus à persona sic sacrata, vel cum illa commissum non tantùm est peccatum infidelitatis irreligiosæ, sed etiam specialis sacrilegii, ut habet communis sententia contra Suarez, Sanchez & alios. Vid. de his omnibus Valent. ubi suprà, Bonac. tomo 2. disp. 3. q. 6. pu. un. Laym. n. 3. & 4. Filliuc. tract. 24. cap. 9. à n. 224. Sporer tr. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. n. 27. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 297.

13 Infertur primo, Clericum in majoribus constitutum, vel Religiosum professum, qui fornicatus est, non satisfacere in Confessione dicendo, violavi votum castitatis, sed teneri etiam exprimere circumstantiam Ordinis sacri, vel statûs Religiosi. Ratio est: quia præter peccatum luxuriæ duo alia commisit, nempe unum violationis voti, & alterum sacrilegii propriè dicti. Laym. n. 4. Sporer loco cit. Infertur secundo, tam personam, quæ adversus proprium votum fornicatur, quàm alteram, quæ ejus turpitudinis complex est, quamvis ipsa non sit pervotum Deo dicata, sacrilegium committere. Ratio est: quia utraque violat personam sacram, una propriam, altera alienam. Laym. n. 3. cum communi. Infertur tertio, violare votum castitatis privatum, sive ab Ecclesia non acceptatum, non esse sacrilegium propriè dictum. Ratio est: quia non est violatio luxuriosa personæ sacræ: cùm persona non constituatur sacra, nisi per professionem Religionis, vel susceptionem sacri ordinis. Laym. n. 4. Illsung loco cit.

14 Sacrilegium locale est violatio loci sacri seu religiosi. Locus sacer generaliter omnis ille dicitur, qui ad usum pium ac religiosum publica authoritate est destinatus, Deoque dicatus. Quo nomine comprehenduntur omnes Ecclesiæ cum suis Capellis; cœmiteria quoque; sicut & Monasteria & Xenodochia Episcopi authoritate erecta. Ubi advertendum est, non quemlibet ex his locis sacris esse objectum idoneum cujuslibet sacrilegii localis: de quo vid. Tambur. in Meth. exp. Cont. lib. 2. cap. 7. §. 5. n. 39. & latè Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 15. Cæterùm, quæ fieri in loco sacro prohibita sunt, ita ut, si fiant, sacrilegia censeantur, ad tria capita revocari possunt, ex Suarez to. 1. de Relig. lib. 3. cap. 2. quem sequitur Filliuc. ubi suprà à n. 235. Primum est exercere actum in Ecclesia, quo ipsa polluitur. Secundum, uti Ecclesia ea communi quodam & vulgari loco ad exercendum in ea actum profanum. Tertium, violare immunitatem loci sacri. Ad hæc capita tanquam genera subalterna revocantur omnes species sacrilegii localis.

15 Et quidem sub primo capite comprehenduntur quinque actus. Primus est quæcunque culpabilis occisio hominis, sive ea voluntariâ sit, sive casualis, ut habet Suarez cap. cit. n. 2. Secundus est effusio humani sanguinis, scilicet violenta. cap. un. *de consecr. Eccles.* in 6. Tertium est effusio humani seminis. de quo Sanchez disp. cit. Quartus est sepultura excommunicati non tolerati cap. *consuluisti de consecr. Eccles.* Quintus est sepultura hominis infidelis non baptizati. cap. *Ecclesiam. de consecr. dist.* 1.

Ad secundum caput septem actus reducuntur. Primus est cognitio, aut placitum, sive sententia judicii sæcularis, præsertim criminalis. cap. *decet. de Immunit. Eccles. in* 6. Secundus est negotiatio, sive mercatura, ut habetur in eodem cap. quos etiam Christus exercere in templo prohibuit Matth. 21. quando omnes vendentes & ementes inde ejecit: *quia domus orationis est*. Tertius est furtum, & quidem cujuscunque rei, etiamsi non sit sacra, nec tradita Ecclesiæ in custodiam, vel pignus, aliove modo ibi deposita: ut habet communis & probabilior sententia, quam sequuntur Valentia to. 3. disp. 6. q. 15. pu. 1. Filliuc. tract. 24. cap. 9. n. 237. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 6. pu. un. n. 17. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 18. & alii. Unde, qui crumenam v. g. alteri surripit in templo, non furtum simplex, sed qualificatum sacrilegii committit, eamque qualitatem in Confessione exprimere tenetur. Quartus est seditio, cum qua conjungi solent profanæ conclamationes & tumultuosi impetus. ex cit. cap. *decet.* Quintus est vana & à fortiori fœda & profana confabulatio quæcunque: quod intellige tempore Divinorum Officiorum, juxta idem cap. Sextus est instituere sæcularia concilia, seu parlamenta, ut vocantur in cod. cap. Septimus est celebrare convivia: quod fieri prohibetur in Ecclesiis per cap. *Non oportet.* 2. dist. 42. Vid. Laym. n. 11.

Ad tertium caput pertinent tres actus. Primus est violenta effractio Ecclesiæ, ejusque spoliatio. cap. *Sacrilegium.* cap. *quisquis.* 17. q. 4. Vid. Bonac. à n. 10. Secundus est materiam diruræ Ecclesiæ ad usus profanos convertere. cap. *ligna. de consecr. dist.* 1. Tertius est violenta abstractio personæ ex loco sacro, in quem tanquam in asylum confugit. cap. *diffinivit.* cap. *inferior.* 17. q. 4. & aliis juribus. Quæ tamen intellige extra casus per alia jura exceptos: de quibus vid. Bonac. disp. cit. q. 7. §. 3. Illsung. tr. 5. disp. 2. q. 4. a. 3. & alii.

16 Sacrilegium reale est violatio rei sacræ, id est, publica authoritate ad cultum Divinum dicatæ, seu deputatæ, distinctæ tamen à personis & locis sacris.

Quinque ferè actus hoc sacrilegium complectitur. Primus est abuti Sacramentis, quod fit ea scienter invalidè, aut indignè, hoc est, in statu peccati mortalis cognito, administrando, vel recipiendo; aut indignis conferendo; aut per contemptum conculcando, projiciendo &c. Secundus est profanare vasa sacra & ornamenta, scilicet calices, vestes sacras &c. Tertius est inhonorare imagines & reliquias sacras, quatenùs ex usu Ecclesiæ etiam ad cultum Divinum referuntur, & non præcisè ad Sanctos tanquam partes, aut aliquid eorum. Quartus est abuti S. Scripturâ ad confirmandos errores, ut solent hæretici: item ad jocos, risus, cantus lascivos &c. Quintus est non solvere Ecclesiæ decimas: nam & istæ authoritate publica ad cultum Divinum censentur deputari. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 99. a. 3. Valent. pu. cit. Filliuc. n. 241. Laym. à. n. 12. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. à n. 29. Ex dictis resolves sequentia.

17 I. Novitius, qui nulla adhuc vota emisit, non committit Sacrilegium, quando peccat contra castitatem vel solus, vel cum persona complice non sacra: nec tenetur in Confessione exprimere circumstantiam. Novitiatûs: quod idem intellige de constituto in minoribus tantùm. Filliuc. n. 233. & 234. Tambur in Meth. exp. Conf. lib. 2. cap. 7. §. 5. n. 33. Ratio est: quia nec ille ante professionem Religionis, nec iste ante susceptionem Ordinis sacri est persona sacra, aut luxuriosè violat personam sacram.

18 II. Honestum ac decens est causas Ecclesiasticas in Ecclesia agere. Laym. n. 8. Ratio est: quia in cap. *decet de Immunit. Eccles. in* 6. ubi prohibentur, imò etiam invalidantur actus judiciales in Ecclesia exerciti, sermo tantùm est de judiciis secularibus. Sacri quoque Canones non tantùm permittunt, sed etiam monent, ut causæ Ecclesiasticæ tractentur in Ecclesia, quemadmodum ex cap. ult. 2. q. 2. observat Suarez tomo 1. de Relig. lib. 3. cap. 4. n. 10.

19 III. Actus jurisdictionis voluntariæ, etiam seculares, ut dispensationes, provisiones pupillorum &c. validè fiunt in Ecclesia. Azor. to. 2. lib. 9. cap. 9. q. 3. Suarez n. 13. Laym. n. 9. Ratio est: quia in cit. cap. *decet*, non est sermo, nisi de actibus jurisdictionis involuntariæ. Idem actus in Ecclesia etiam licitè fiunt, si ad pietatem, & honorem Ecclesiæ spectent, eisque Divina officia non impediantur.

20 IV. Licitum est in Ecclesia conferre gradus Doctoratuum. Suarez n. 15. Laym. loco cit. Ratio est; quia collatio graduum neque est placitum, neque actus jurisdictionis contiosæ, neque ullum aliud involvit ex se indecens, ratione cujus per legem aliquam inveniatur prohibita. Quod idem declarat consuetudo gravissimarum Academiarum, teste eodem Suarez. Si tamen fieret cum perturbatione Divinorum officiorum, aliave circumstantia indecente pro tali loco, haud dubiè fieret illicitè.

V. Ludi honesti, tragœdiæ, aut co- 21
mœdiæ, quæ ad pietatem movere possunt, licitè exhibentur in templis. Suarez lib. cit. cap. 6. n. 4. Laym. n. 10. Ratio est: quia talia nullam continent irreverentiam repugnantem cultui Divino, ad quem locus sacer est deputatus. Neque obstat, quòd in cap. *Cum decorem, extra. de vita & honest. Clericor. ludi theatrales, & spectacula: in quibus introducuntur monstra larvarum &c.* prohibeantur: nam hæc prohibitio ab omnibus rectè intelligitur de ludis turpibus & inhonestis.

VI. Non committit sacrilegium, qui 22
existens in templo habet animum furandi, fornicandi, vel occidendi, modò non intendat similia patrare in templo. Idem est de eo, qui in templo delectatur de furto, homicidio, vel fornicatione, modò non delectetur de similibus ut commissis in templo. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 6. pu. un. n. 18. & alii. Ratio est: quia sanctitas loci internis actibus non violari censetur. Dixi, *modò non intendat, delectetur &c.* quia intentio & delectatio specificantur à motivo; adeoque tunc erunt intra speciem Sacrilegii, esto sint actus merè interni. De actibus externis furandi, occidendi, fornicandi jam constat ex dictis eos esse sacrilegia, dum exercentur in Ecclesia. His enim sanctitas loci verè violatur etiam externa violatione. Unde alia peccata externa, quæ non specialiter repugnare censentur cum sanctitate loci, ut confabulatio, detractio, risus &c. in templo, non sunt sacrilegia, modo cultus Divinus per illa non impediatur. Vid. Bonac. loco cit. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. n. 28.

VII. Si judex contra reum ex loco 23
sacro sacrilegè abstractum procedat per sententiam condemnatoriam, tenetur eidem, vel hæredibus restituere omnia damna, quæ intulit. Valent. tomo 3. disp. 6. q. 15. pu. 1. referens Turrecrematam & Victoriam. Ratio est; quia judex non habet jus, ut tunc procedat contra reum extra locum sacrum; nam reus habet jus ad hoc, ut restituatur in locum sacrum? sicut patet ex cap. *sicut antiquitus*, 17. q. 4. ergo judex non juridicè, sed iniquè & privata auctoritate reum condemnat, & consequenter damna eidem illata resarcire tenetur.

Dico

24 Dico tertio. Sacrilegium est peccatum mortale ex suo genere. Ratio est: quia continet gravem irreverentiam in Deum, & res Divino cultui dicatas. Ita communiter D. D. Fieri tamen potest non tantùm ob imperfectionem voluntarii, sed etiam ob parvitatem materiæ, ut sit peccatum veniale: cujusmodi est levis percussio Clerici, leve furtum in templo, nudus & non necessarius attactus Sacrorum instrumentorum, quæ Sacram Eucharistiam immediatè attingunt; à laico, vel fœmina exercitus, ut calicis, patenæ &c. Vid. Bonac. n. 19. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. §. 3. n. 300.

25 Non satisfacit in Confessione, qui dicit, se toties, vel toties Sacrilegium commisisse, sed tenetur insuper exprimere materiam, circa quam commisit sacrilegium. Bonac. loco. cit. Ratio est: tum, quia non omnia sacrilegia sunt ejusdem speciei: tum quia Sacrilegium habet plurimum sibi conjuncta alia peccata, quod ex qualitate materiæ colligi debet: tum, quia materia ceu objectum sacrilegii constituit actum sacrilegum in suo esse individuali; quod explicandum est in Confessione. Porrò inter sacrilegia realia omnium gravissimum est, quod contra Sacram Eucharistiam committitur, quemadmodum docet Doct. Thomas 2. 2. q. 99. a. 3.

26 Quamvis autem Sacrilegium plerumque sit peccatum commissionis, interdum tamen potest esse peccatum omissionis. Exempla sunt, si ministri Ecclesiæ sacrum fontem Baptismalem non servent immunem à sordibus, si sacra vasa, & instrumenta ad Sacrificium necessaria purgare, lavare &c. negligant. De quibus loquitur cap. 2. de *Custodia Eucharistiæ*, ubi habetur: *sunt, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam vasa ministerii, & vestimenta Ministrorum; ab pallas altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus sint horrori.* Vid. Filliuc. tract. 24. cap. 10. n. 263. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 14. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 300.

§. III.

De Simonia.

SUMMARIUM.

27. *Nomen & origo Simoniæ.* 28. *Definitio Simoniæ cum sua analysi.* 29. *Quænam concurrere debeant, ut committatur Simonia.* 30. 31. *& seqq. Deducuntur varia Corollaria.* 37. *Simonia alia mentalis, alia conventionalis, alia realis.* 38. *Item, alia Juris naturalis, alia Juris positivi Ecclesiastici. Enumerantur Simoniæ Juris positivi.* 39. *Simonia ex genere suo mortale peccatum est.* 40. *An, quid & cuinam restitui debeat ex Simoniacè acceptis?*

27 SImoniæ nomen & originem in novo Testamento Simon Magus dedit, quando Actor. 8. potestatem dispensandi dona Spiritus Sancti emere ab Apostolis conatus est. Et quamvis hoc vitium re ipsa species quædam Sacrilegii sit, ut ex dicendis manifestè constabit, ob intricatissimam tamen, subtilissimamque malitiam suam seorsim, ac peculiari opera explanari solet, idque uberrimè, præsertim à Juris Canonici interpretibus, utpote materia maximè Canonica. Nos illa, quæ intra terminos Theologiæ Moralis videbuntur scitu necessaria, ea, quæ nobis hucusque placuit, brevitate trademus.

28 Dico primo. Simonia definitur, studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita communiter D. D. ex D. Thoma, 2. 2. q. 100. a. 1. Dicitur *voluntas*, tum, ut appareat in sola quoque voluntate interna hoc vitium posse consistere citra executionem operis exterioris. Tum, ut significetur, ejus subjectum esse voluntatem, sicut Religionis ceu virtutis contrariæ. Dicitur *studiosa*, hoc est, deliberata: sicut enim cætera peccata, ita etiam Simonia deliberationem arbitrii exigit. Atque hinc excluduntur motus animi indeliberati, vel ex ignorantia inculpabili procedentes. Dicitur *emendi aut vendendi*: quæ verba juxta D. Thomam a. cit. ad 5. accipienda sunt latiùs, ut comprehendant omnem contractum non gratuitum sive is sit vera emptio, vel permutatio, sive locatio, sive contractus innominatus, qui ad eosdem reducatur. Additur ab aliis *pretio temporali*, ut intelligatur, non committi propriè Simoniam, si detur spirituale pro spirituali, v. g. sacer calix pro alio sacro calice, reliquiæ pro reliquiis; quia malitia Simoniæ in eo consistit, quòd res spiritualis comparetur temporali; perinde, acsi tam vilis sit, ut rei terrenæ prætio æstimari, aut æquari possit. Dicitur ulteriùs, *aliquid spirituale*. quod hic non accipitur pro incorporeo, sed pro supernaturali, hoc est, ex natura sua ordinato ad salutem animæ, & finè supernaturalem. In qua acceptione triplex est spirituale, nempe spirituale per essentiam, ut gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti; virtutes supernaturales, & gratiæ gratis datæ. Spirituale causaliter, ut Sacramenta, & Officia Ecclesiastica ad hominum salutem relata. Spirituale per effectum, sivè effectivè, ut actus ipsi gratiarum, ordinum, & Ecclesiasticorum Officiorum. Dicitur demum, *vel spiritu-*

ali annexum. quod iterum triplex est, nempe vel antecedenter, ut ornamenta, sacra vasa, templa, Sacramentalia &c. Vel concomitanter, ut labor corporis in administratione Sacramentorum, & Ecclesiasticorum Officiorum susceptus, Vel consequenter, ut beneficia Ecclesiastica, jus Patronatûs, pensiones, jura eligendi, præsentandi, nominandi & similia. Vid. Filliuc. tract. 45. cap. 1. n. 3. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 8. n. 2. & 2. Salmanticenses to. 4. tract. 19. cap. 1. pu. 1. n. 4.

29 Ex hac declaratione definitionis manifestum est, ut committatur peccatum Simoniæ, necessariò debere concurrere, primo, materiam, quæ sit res spiritualis, vel spirituali annexa. Secundo pretium temporale, sive illud sit pecunia, sive quid aliud pretio æstimabile commensuratum rei spirituali, sive sacræ quà tali. Tertio pactum, sive explicitum, sive implicitum, aut virtuale, vi cujus alterum sibi quis intendat reddere obligatum ad dandum spirituale pro temporali. Potest autem duplex cogitari pactum, primum justitiæ, quod infert debitum & obligationem propriam hujus virtutis. Secundum amicitiæ, hoc est, obligatorium ex benevolentia, & gratitudine, aut etiam ex fidelitate. Res præterea temporalis potest in intellectu alicujus apparere dupliciter, primo, tanquam pretium rei spirituali commensuratum. Secundo, non tanquam pretium, sed ut motivum ad obtinendam vel dandam rem spiritualem idque vel intrinsecum, & finale, seu specificativum actûs; vel extrinsecum, & impulsivum, seu occasionale; quod quidem ad actum impellat, cum tamen non specificet, ut explicat Viva damnat. Thes. par. 2. prop. 45. & 46. Exemplum est, dum quis peccati mortalis sibi conscius, imminente naufragio actum contritionis elicit. In hoc actu talis pro intrinseco motivo habet Divinam bonitatem super omnia appretiabilem; cùm aliàs non esset perfecta contritio: ad eundem tamen impellitur, & extrinsecè movetur à metu mortis; quippe quem hic & nunc non eliceret, si talis metus abesset. Ex dictis

30 Colligitur jam primo, spectatâ naturâ rei commutare rem spiritualem cum spirituali in materia Beneficiorum, v. g. unum Beneficium Ecclesiasticum cum altero commutare, absque consensu Summi Pontificis, non esse Simoniam. Laym. n. 7. Ratio est: quia in ejusmodi commutatione deficit pretium temporale. Eadem tamen commutatio propter similitudinem cum vera Simonia prohibita est à SS. Canonibus, eisdemque frequenter pœnis puniri solet, ut tradit Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 302.

31 Colligitur secundo, ad Simoniam non esse necessarium pactum justitiæ, sed sufficere pactum amicitiæ, in quod deducatur naturalis obligatio gratitudinis, vel gratuita compensatio rei spiritualis per temporalem tanquã debita. Suarez to. 1. de Relig. lib. 4. cap. 45. n. 11. Laym. n. 9. Illsung n. 303. Viva loco cit. n. 2. Ratio est: quia hæc talis nova obligatio, quæ vi pacti superadditur naturali obligationi gratitudinis, vel fidelitatis, est pretio æstimabilis: ergo ad Simoniam sufficit ejusmodi pactum amicitiæ. Confirmatur primo. Si Cajus Titio v. g. equum donaret sub conditione, ut & ipse ex gratitudine donet quid æquivalens, re ipsa equum non donaret, sed venderet: ergo similiter vendere censebitur rem spiritualem, qui eam confert alteri sub conditione in pactum deducta, ut pro eadem ex gratitudine rependat rem temporalem. Confirmatur secundo. Si locus hic esset ejusmodi pactis ex gratitudine obligatoriis, omnes Simoniæ possent reddi licitæ. Nam posset Episcopus v. g. dicere, dono tibi Beneficium, si ex gratitudine redones centum aureos: quæ tamen propositio se ipsam destruit & falsificat, ut no at Suarez loco cit. cùm revera in communi æstimatione nulla tunc fieret donatio gratuita, sed venditio & emptio Beneficii Ecclesiastici, quidquid verba sonarent in contrarium. Ex eodem capite omnes quoque usuræ reddi possent licitæ; ut consideranti patebit.

32 Colligitur tertio, non esse Simoniam temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali exhibere titulo gratitudinis solius. Ita communis sententia, de qua vid. Suarez n. 4. Laym. n. 8. Ratio est: quia, quod exhibetur gratuitò, non est pretium, sed opponitur pretio. Aliunde quoque honestum & laudabile est pro accepto beneficio vel obsequio honesto se præstare gratum. Atque hinc Episcopo gratis absque stipendio inserviens, ut illum sibi reddat obligatum ex titulo gratitudinis, & non ex pacto, ad conferendum Beneficium Ecclesiasticum, non committit Simoniam, etiamsi intentionem ac spem suam, aut præstita obsequia Episcopo significet. Illsung loco cit. Ob periculum tamen affectûs Simoniaci, ejusve præsumptionem talia non rarò prohibentur jure Ecclesiastico, ut habet Laym. loco cit.

33 Colligitur quarto, non evitari Simoniam, quando datur temporale pro spirituali, licèt dicatur non dari tanquam pretium, sed tanquam motivum, sive id sit intrinsecum, & principale, sive extrinsecum, secundarium, aut impulsivum, modò detur animô alterum obligandi ad conferendum spirituale. Suarez lib. cit. cap. 44. Viva ubi

suprà n. 8. & constat apertè ex damnatione Innocentiana propositionis 45. & 46. Ratio verò est: quia dans temporale ex intentione alterum obligandi ad conferendum spirituale practicè loquendo id non facit absque pacto tacito, aut implicito, saltem, quando temporale est alicujus momenti. Motivum quoque & pretium tunc in morali æstimatione nonnisi verbis differunt. Quare, qui Episcopo dat notabilem summam pecuniæ, aut rhedam cum equis, vel quid aliud suo valore aptum natum moraliter inducere ad retribuendum Beneficium Ecclesiasticum, idque facit animô ad hoc ipsum obligandi, veram Simoniam committit, quamvis det tanquam motivum, & nolit dare tanquam pretium. Homines enim temporalia magnæ æstimibilitatis regulariter non solent dare gratis, & ex motivo liberalitatis. Aliter res se habet, dum quis Episcopo dat temporale non magni momenti, v. g. esculenta, & poculenta, vel aliud munusculum: hæc enim talia, cùm non sint apta moraliter inducere ad conferendum Beneficium, censetur dare omnino gratis. Vid. Viva n. 6.

Colligitur quinto, quamvis Simonia
34 sit accipere quid temporale tanquam pretium pro susceptione ad statum Religiosum; non tamen esse Simoniam quid accipere, vel exigere pro sustentatione. Prima pars Collectionis certa est apud omnes, & traditur à D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. ubi ait: *pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium.* Ratio verò est: quia status Religiosus tam in ingressu, quàm in professione est res spiritualis. Secundam partem tenent Sylvester, Navarrus, Castropal Bonac. Sanchez, & alii, quos referunt & sequuntur Salmanticenses to. 4. tract. 19. cap. 2. pu. 7. n. 53. Ratio est: quia onus sustendandi personam in Monasterio non est materia Simoniæ; utpote quid temporale est pretiô æstimabile; sicut onus sustentandi conjugem & familiam in statu Matrimonii: ergo sicut intuitu hujus oneris licitum est exigere & recipere dotem à puella, ita etiam licitum est Monasterio exigere & recipere temporalia bona à volente ingredi, aut profiteri Religionem. Et hæc ratio procedit de Monasterio quolibet etiam opulento. Et validè confirmatur exemplis Sacerdotum divitum, aliorumque Ecclesiasticorum, quibus non obstat sua opulentia, quin pro Missis, aliisque functionibus spiritualibus aliquid temporale ex pacto recipere possint titulô sustentationis; quemadmodum infrà de Sacrific. Missæ videbimus. Textibus Jurium pro sententia opposita Suarii, Laymanni, & aliorum afferri solitus objicitur consuetudo contraria, videntibus & consentientibus Prælatis Ecclesiæ introducta, ac permissa ob justas causas, præsertim in Monasteriis Monialium Vid. Salmantic. n. 55.

Colligitur sexto, non esse Simonia 35
cum pro doctrina Theologiæ Scholasticæ, vel Moralis, vel Interpretationis Sacræ Scripturæ mercedem accipere. Valentia tomo 3. disp. 6. q. 16. pu. 2. Filliuc. tract. 45. cap. 4. n. 26. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ult. n. 30. Salmantic. cap. cit. pu. 6. n. 43. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 307, estque communis sententia. Ratio est: quia instructio ejusmodi discursiva, quamvis de rebus supernaturalibus sit, per se, & ex fine intrinseco non ordinatur ad felicitatem supernaturalem, aut commovendam voluntatem, sed solùm ad illuminandum intellectum. Unde nihil refert, si tam Doctor, quàm discentes operam suam ex particulari intentione ordinent ad finem supernaturalem: nam particularis ejusmodi ordinatio non constituit illam intra genus materiæ spiritualis, pretioque inæstimabilis. Illsung loco cit. Ex quibus ulteriùs

Colligitur septimo, etiam pro Re- 36
sponso, seu Consilio morali mercedem accipi posse. Laym. n. 32. Salmantic. n. 45. Illsung n. 308. Ratio est: quia ejusmodi Responsum per se ac directè aliud non est, quàm Doctoralis quædam instructio; licèt per accidens conducat petentibus ad tranquillitatem conscientiæ, & assecurationem salutis; imò recipiatur ob hunc talem finem. Pari ratione Ludimagistri pro operâ pueris tradendi atque explicandi Catechismum licitè exigunt mercedem; quia non solent rudimenta fidei tradere modo exhortatorio ad movendam voluntatem, aut nomine Dei tanquam Ministri Verbi Divini, sed per modum simplicis doctrinæ ad captum aliquem audientium, eorumque intellectum & memoriam exercendam. Vid. citt. ac præterea Suarez tomo 1. de Relig. lib. 4. cap. 18. n. 24.

Dico secundo. Simonia dividitur in 37
mentalem, conventionalem, & realem. Simonia mentalis est non ea tantùm, quæ in nudo internæ voluntatis proposito vendendi, aut emendi rem spiritualem consistit, diciturque purè mentalis, sed etiam illa, quæ in opus externum transit cum intentione alterum obligandi ex justitia ad reddendum spirituale pro temporali, vel temporale pro spirituali, absque ullo pacto externo; ideoque mixtè mentalis dicitur. Exemplum est, siquis citra ejusmodi pactum famuletur Episcopo, ut eum obliget ad Beneficium conferendum: vel econtra, si Episcopus intendat per collationem Beneficii tanquam

tanquam mercedem ex justitia debitam compensare temporalia famuli obsequia. Simonia conventionalis est, qua per mutuam pactionem expressam, vel tacitam convenitur de commutanda re spirituali pretio temporali, vel econtra, idque vel ita, ut neutra pars contrahentium ad traditionem rei pactæ procedat; & dicitur Simonia conventionalis pura: vel ita, ut alterutra tantùm, & non utraque pars ad eandem traditionem executivè progrediatur; & dicitur Simonia conventionalis mixta. Huc pertinet Simonia confidentiæ, sive confidentialis, quæ in eo consistit, quòd quis alteri conferat Beneficium, ut illud sibi, vel alteri amico suo resignet, vel certam partem fructuum ejusdem pendat. Simonia realis est, qua contractus mutua traditione rei ex utraque parte contrahentium etiam completur. Vid. Laym. n. 67. Sporer tract. 2. in 1. præc. Decal. cap. 10. à n. 39. Illsung n. 312.

38 Adhuc alia divisio Simoniæ est in eam, quæ est Juris Divini, sive naturalis, & in eam, quæ est Juris positivi, sive Ecclesiastici. Prior dicitur prohibita, quia mala est, utpote ex se juri naturali ac Divino repugnans. Posterior dicitur mala, quia prohibita est; cùm ex natura rei non sit Simonia, sed solùm ex Ecclesiastica prohibitione. Est autem Simonia juris naturalis omnis illa, qua res de se ac propriè spiritualis emitur aut venditur pretio temporali, cum intentione servandi aliquo modo æqualitatem. Simonia juris positivi est, qua vel res non propriè spiritualis, sed solùm remotè, aut accidentaliter annexa rei spirituali; vel non ex vero pacto intendente aliquo modo æqualitatem, commutatur prætio temporali. Vid. Laym. n. 61. Illsung n. 311.

Tales autem Simoniæ positivæ sunt 1. Venditio Beneficiorum, secundùm id, quod in ipsis temporale est, putà quoad jus percipiendi fructus. 2. Venditio Officiorum Ecclesiæ extrinsecè tantùm ad res sacras ordinatorum, v. g. Sacristæ, Oeconomi, Thesaurarii, Advocati Ecclesiæ. 3. Oblatio pecuniæ alicui facta, ut suadeat alteri collationem Beneficii. 4. Pactio de resignando Beneficio, vel solvenda pensione, si alter Beneficium tibi impetret. 5. Permutatio, & resignatio Beneficiorum: item reservatio pensionis ex Beneficio resignato; sicut & in casu permutationis Beneficiorum æquatio fructuum &c. si fiant sine Authoritate Superioris: hac quippe accedente licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam sponte oblati, pro examine ad Parochiam, ex Trident. sess. 24. cap. 18. item, pro collatione Ordinum, pro prima Tonsura, litteris Dimissoriis ex eod. Trid. sess. 21. cap. 1. ubi tamen excipitur decima pars aurei pro Notario; si salarium ei nullum sit constitutum, & consuetudo permittat accipere. 7. Exactio pecuniæ pro susceptione in statum Religionis, etiam titulo sustentationis; nisi tenuitas Monasterii, vel contraria consuetudo excuset: de quo vide, quæ n. 34. diximus. De Simonia hac solius juris positivi tradunt Valentia tomo 3. disp. 6. q. 16. pu 5. Laym. n. 66. & alii, eam non esse propriè & univocè Simoniam. Ratio est: tum, quòd Ecclesia hoc nunquam asserat, sed solùm dicatur esse Simoniam, quia subjacet pœnis Simoniæ, tum, quia Ecclesia materiam hujus Simoniæ, ex se non spiritualem, relinquit in suo esse temporali, ejusque venditionem aut emptionem solùm prohibet ob quemdam Dei cultum & reverentiam. Quando res verè spiritualis commutatur pro temporali citra ullum pactum veri nominis intendens aliquo modo æqualitatem, similiter constat, tali commutationi non convenire propriè definitionem Simoniæ. Contrarium cum pluribus aliis tenent Salmantic. to. 4. tract. 19. cap. 1. pu. 2. à n. 13.

Dico tertio. Simonia ex genere suo 39
peccatum mortale est. Ita omnes Theologi. Ratio est: quia res sacras & spirituales commutare cum temporalibus, easque terreno pretio coæquare Deo, ut Authori illarum speciali, gravissimè injurium est: Est autem hoc crimen propter ambitionem & avaritiam, ex quibus nascitur, frequentissimum, & Ecclesiæ perniciosissimum. Unde etiam gravissimis pœnis punitur, ut videre est apud Salmantic. tr. cit. cap. 4. Filliuc. tr. 45. cap. 13. Laym. à n. 68. Illsung à n. 314. & alios passim. Neque locum habet in isto vitio parvitas materiæ, ut quis ex eo capite à peccato mortali excusetur. Quia in quacunque materia reperitur hoc, quod est rem spiritualem æquiparari rei temporali ordinatæ ad finem infinities inferiorem. Hæc autem est semper gravis malitia. Unde solùm ob inconsiderationem, vel ignorantiam venialiter culpabilem facti, vel juris, fieri potest, ut Simonia sit peccatũ veniale. Filliuc. cap. cit. n. 13. Salmantic. n. 8.

Nunc restat, ut ad illam quæstionem 40
respondeamus, an, & quid ex Simoniace acceptis, & cuinam, restitui debeat? Ante resolutionem advertendum est, hanc quæstionem instituisse tam de obligatione restituendi ex jure naturali, quàm positivo Ecclesiastico. Jus naturale tunc solùm obligat ad restitutionem Simoniacè acquisitorum, quando per eorum acquisitionem etiam justitia commutativa, & non tantùm religio fuit læsa. Nam restitutio est actus proprius solius justitiæ commutativæ, non verò religionis, aut alterius virtutis. Jus econtra positivum obligare potest ad reddendà, quæ quis Simoniacè

Simoniacè accepit sine læsione justitiæ : cùm hanc obligationem in pœnam Simoniaci delicti æquissimè potuerit imponere. Nunc

Respondeo primo. Nullo jure tenetur quis restituere spirituale Simoniacè acceptum, excepto Beneficio. Ita communis. Ratio est: quia neque tenetur jure naturali; cùm dandô pretium pro spirituali non peccaverit contra justitiam, sed contra religionem tantùm. Neque jure positivo; quia Canones, ex quibus id colligi posse videntur, communiter intelliguntur de rebus beneficialibus. Accedit, quòd multæ res spirituales, ut absolutio Sacramentalis, collatio Ordinum, & aliæ, restitui non possint. Quo ergo jure erit obligatio restituendi? Quare, qui Simoniacè comparavit reliquias Sanctorum, grana benedicta, numismata indulgentiarum, jus Patronatûs, licentiam eligendi Confessarium, & similia, non tenetur quidquam horum dimittere. Vid. Salmantic. pu. 3. à n. 22. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. n. 47. & alii. Dixi, *excepto Beneficio.* Cùm enim hujus collatio irrita, ac nulla fuerit per cap. *Ex insinuatione*, & *Extravag. cum detestabile. de Simonia.* dimittendum est ante omnem Judicis sententiam. Fructus quoque inde percepti debent restitui, vel compensari, si fuerint consumpti, scilicet cum mala fide. D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Respondeo secundo. Pretium pro re spirituali acceptum jure naturæ restitui debet, nondum secuta ejus rei collatione, seu traditione. Ita rursus communis & certa sententia. Ratio est: quia, qui illud accepit, nullum habet titulum retinendi; cùm non præstet, nec licitè præstare possit id, pro quo est datum. Dixi, *nondum secuta &c.* nam re spirituali jam collata, seu tradita, si illa sit Beneficium, vel sacra ordinatio, vel admissio in Religionem; pretium receptum, non quidem ex jure naturali; cùm supponamus, non fuisse receptum contra justitiam commutativam; sed ex jure positivo restituendum est, ut constat ex cap. *de hoc autem. de Simonia.* & cap. *Veniens. eod. tit.* & cap. *si quis dator.* 1. *quæst.* 3. Dixi, *si sit Beneficium &c.* quia circa alias res spirituales nullum exstat jus positivum, quo expressè præcipiatur restitutio pretii Simoniacè accepti, ut tradunt Salmantic. n. 28. Sed neque ex jure naturæ ostendi potest obligatio restituendi; quia acceptio Simoniaca pretii non est contra justitiam, sed contra Religionem. Quamvis fieri possit, ut aliunde committatur simul peccatum injustitiæ; ut, si Parochus v. g. qui ex justitia tenetur, gratis administrare Sacramenta, administrat pro accepto pretio; quod procul dubio ex naturali jure restituere tenetur. Vid. Salmantic. loco cit.

Respondeo tertio. Simoniacè acceptum pro Beneficio, aliâve re spirituali, si collatio non est secuta, illi restitui debet, à quo datum est: re verò tradita, Simoniâque utrinque completa, probabiliùs restituendum est Ecclesiæ, & non danti. Ratio primi est: quia, qui dedit ejusmodi pretium, id non donavit, nec habuit voluntatem ejus dominium in accipientem transferendi absolutam, sed conditionatam, si spirituale ab ipso obtinuerit: adeoque hac conditione non impleta adhuc habet jus in pretium à se datum. Ratio secundi est: quia Ecclesia utrumque hac restitutione punire intendit; tam dantem, quàm accipientem. Et ista quidem intelligenda sunt de pretio dato pro Beneficio, vel collatione Ordinis. Nam datum pro ingressu Religionis restituendum est danti, idque non nisi post sententiam Judicis, si Simoniacè professus in aliud Monasterium transferatur. Nam si maneat in priori, hoc ad nihil restituendum obligatur: quia onus alendi personam, quod sustinet, est pretio æstimabile. Vid. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. ult. n. 4. Salmantic. n. 31.

DISPUTATIO III.

De secundo Præcepto Decalogi.

HOc præcepto omnis Divini Nominis inhonoratio, quæ fit verbis, prohibetur. Sicut autem Nomen Dei quatuor potissimùm modis honorari potest, nempe primo, id sæpe cum reverentia pronuntiando. Secundo, invocando & laudando. Tertio, per illud jurando. Quarto, vovendo, ac promittendo; ita quatuor etiam modis, sive peccatis oppositis illud Sanctissimum Nomen inhonorari contingit. Et quidem de primo modo nihil occurrit speciale, quod explicatione indigeat. Itaque de cæteris in præsenti tractabimus: qui sunt, blasphemare, temerè jurare, vovere ac promittere, & non servare.

ARTICULUS I.

De Blasphemia.

SUMMARIUM.

1. *Quo sensu hic accipiatur nomen* Blasphemia. 2. *Definitio Blasphemiæ, & declaratio ejusdem.* 3. *Modi potissimi, quibus committitur Blasphemia.* 4. *Blasphemia ex suo genere mortale peccatum est.* 5. 6. 7. *& seqq. Resolutiones practicæ.* 11. *Quales contumeliæ sint ex contemptu Dei in cœlum spuere, dentibus frendere &c.* 12. *An in confessione explicari debeat qualitas Blasphemiæ?* 13. *An omnes Blasphemiæ sint ejusdem speciei?* 14. *Quænam inquirere debeat Confessarius ex pœnitente, dum dicit absolutè, se blasphemâsse.*

1 BLasphemia Græcum vocabulum idem sonat, quod nocens dictum. Unde omne maledictum, quo honor & dignitas alterius impetitur, vel diminuitur, Blasphemia appellari potest, ut notant Valent. to. 3. disp. 1. q. 13. pu. 1. Filliuc. tract. 25. cap. 1. n. 8. Verùm communis jam usus obtinuit, ut Blasphemia non accipiatur tam ample, sed solùm pro verbo, quo aliquid de excellentia Divinæ majestatis detrahitur. Quod etiam advertit S. Augustinus lib. 22. de morib. Manich. cap. 11. inquiens: *Vulgò etiam Blasphemia non dicitur, nisi cum quis mala verba de Deo dicit.* Dequia

2 Dico jam primo. Blasphemia est verbum maledictionis, convitii, vel contumeliæ adversus Deum. Quæ definitio colligitur ex D. Thoma, 2. 2. q. 13. a. 1. Dicitur *verbum*, quia est peccatum consistens in locutione, eaque vel interna, id est, mentali tantùm, & vocatur Blasphemia cordis, sive mentalis, vel externâ simul, & vocatur Blasphemia oris, sive vocalis. Dicitur *convitii*, quia, ut ex S. August. loquitur D. Thomas loco cit. blasphemare est contumeliam, vel aliquod convitium inferre in injuriam Creatoris. Dicitur *adversus Deum*, ut significetur, Blasphemiam opponi cultui Divino, & esse peccatum laudi Divinæ repugnans.

3 Committitur autem Blasphemia potissimùm modis sequentibus. Primo, dum Deo tribuitur, quod ei non convenit, imò repugnat: ut, quando quis ipsum appellat injustum, crudelem, mendacem, invidum, rerum humanarum incurium. Secundo, dum Deo negatur, quod illi convenit: ut, quando dicis, ipsum hoc, aut illud non posse facere, quod tamen potest, vel non debuisse facere. Tertio, dum creaturæ tribuitur, quod est proprium Dei. Quo modo peccant molles & lascivi amatores, dum personam, quam depereunt, appellant Deum, omne bonum, suam beatitudinem &c. Quarto, dum dicuntur quidem de Deo vera, sed irreverenter, nempe vel per modum contemptûs, vel indignationis, v. g. jurando per corpus & sanguinem Christi ex indignatione, vel ira contra Deum. Quinto, dum convitia, & contumeliæ jaciuntur in Divos cœlites. Quia omnis injuria, quæ isti afficiuntur, etiam in Deum redundat, cujus iidem sunt speciales amici. Vid. Filliuc. cap. cit. à n. 12. Sayrus in Clavi reg. lib. 6. cap. 13. n. 3.

Dico secundo. Blasphemia ex genere 4
suo peccatum mortale est, idque gravissimum. D. Thomas q. cit. a. 2. & DD. communiter. Et colligitur ex gravitate pœnæ, quæ in blasphemos decernitur Levit. 24. ubi dicitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Ratio verò est: quia istud peccatum ex natura sua in summam Dei cedit injuriam. Neque fieri potest veniale ob parvitatem materiæ, sed solummodò ob imperfectionem deliberationis & advertentiæ. Unde etiam mortaliter peccas, si verba blasphema ex joco proferas, nisi hoc ita contingat, ut jocus censeatur tollere omnem irreverentiam, atque adeo totam rationem blasphemiæ. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 32. n. 40. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 6. pu. 3. n. 2. Ex dictis resolvuntur sequentia:

I. Blasphemat, qui Deo maledicit, sive 5
imprecatur aliquod malum, v. g. pereat Deus, sit miser, sit maledictus. Item, qui dicit, diabolum esse Deo fideliorem, plus posse quàm Deum: Deum non omnia rectè ordinâsse: in mundi creatione quædam aliter fieri oportuisse, & similia. Ratio est; quia his modis loquendi vel aliquid Deo tribuitur, quod ipsi non convenit, vel aliquid negatur, quod convenit. Qui iidem modi blasphemandi, quia falsum de Deo significantes cum hæresi similitudinem gerunt, blasphemiæ hæreticales vocantur. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 6. n. 7. Quod si præterea de Deo quis talia credat interno assensu, & non tantùm ex ira & desperatione verbaliter effutiat, blasphemiam committit etiam hæreticam, estque hæreticus. Sayr. loco cit.

II. Blasphemat similiter, qui verbis in- 6
juriosè usurpat aliquid ex corpore Christi, vel alias res sacras, v. g. dicendo: perdat te Dei sanguis, vulnera, mors, passio Dei, Sacramenta, chrisma Dei. Ratio est, quia cùm ista neutiquam ad perdendum, sed ad salvandum nos sint ordinata, homines communiter apprehendunt, illis ita abuti esse ma-

gnum

gnum contemptum & inhonorationem Divinæ bonitatis. Laym. n. 12. Cæterùm multi, qui proferunt ejusmodi verba blasphema, id faciunt inadvertenter; & materialiter tantùm; quia non attendunt, quid significent: & tunc à gravi peccato excusantur propter imperfectionem cognitionis & voluntarii. Laym. loco cit. Formulas porrò blasphemandi communiores, & Germanis proprias recenset & explicat Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. sect. 3. §. 3. quem vide.

7 III. Qui sæpè præferendo verba blasphema contraxit illorum consuetudinem, tenetur sub mortali dare operam, ut eam deponat. Ratio est: quia ejusmodi habitus inclinat ad verba blasphemiæ, hominémque constituit in morali periculo blasphemandi, saltem materialiter: ergo, tenetur conari pravam ejusmodi consuetudinem exstirpare, ne subsequentes verborum blasphemiæ ipsi maneant indirectè, sive in causa, voluntariæ. Laym. loco cit. Quòd si autem post adhibitum conatum in deponenda tali consuetudine nihilominùs labatur, tunc quidem non peccat; eò quòd ejusmodi verba naturali quodam impetu effusa non amplius sunt voluntaria, nec in se, nec in causâ; utpote jam retractatâ; peccavit tamen aggravatè, & quasi dupliciter, dum deliberatè frequenter blasphemans, aut etiam pejerans animadvertit, sibi pravam consuetudinem ingenerari, quæ deinceps futura sit causa juramentorum, & blasphemiarum sequentium, saltem materialiter. Unde non satisfacit in Confessione dicendò, blasphemavi deliberatè circiter trigesies, sed tenetur addere, quòd continuò iterando blasphemias consuetudinem blasphemandi sibi quodammodo naturalem induxerit. Laym. lib. 1. tract. 2. cap. 3. n. 6.

8 IV. Non excusatur à peccato mortali, qui verba blasphemiæ profert, etiam animo non inhonorandi Deum, sed ad demonstrandam iram suam, vel ad terrendos subditos, ut promptiùs obediant, vel ad alium ejusmodi finem, ita ut similia verba velit esse prolata materialiter solùm, & tanquam non significativa. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 295. Ratio est: quia præceptum Religionis prohibet, quidquid ex se aptum est ad Dei cultum, & honorem imminuendum. Cùm proinde verba blasphemiæ ex se apta sint ad pariendum sensum in audientibus, quem ex communi usu, hominúmque consuetudine habent, externo Dei cultui adversum, ea proferre, etiam cum interna in contrarium protestatione, præcepto Religionis repugnat: nam similis protestatio est facto contraria. Confirmatur. Mortaliter peccat, qui coram tyranno negat fidem, ut periculum capitis evadat, tametsi habeat intentionem proferendi verba materialiter tantùm: ergò etiam peccat mortaliter, qui ob fines memoratos cum simili intentione effundit verba blasphemiæ. Advertendum est tamen cum cit. Authore, ista procedere in circumstantiis, ex quibus prudenter judicari possit, verba blasphemiæ non accipi merè materialiter. Nam circumstantiis ita se habentibus, ut audientes prudenter existimare possint, ejusmodi verba à proferente non accipi nisi materialiter, is à peccato mortali excusandus est.

9 V. Blasphemat insuper, qui in Sanctos est maledicus & contumeliosus. Ratio est: quia, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 13. a. 1. ad 2. *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Id tamen intelligè de contumeliis & maledictis in Sanctos formaliter, & quatenùs Sancti sunt, adeoque cum habitudine saltem virtuali ad Deum. Nam si contumelia jaciatur in Sanctos, non ut Sancti sunt, sed, ut homines quidam fuerunt in terris degentes, quibus nunc status beatitudinis accidentaliter est additus, non committitur blasphemia, sed peccatum contra Duliam: v. g. Si Sanctum Petrum appelles calvum, Carolum Borromæum naſonem, Crispum, & Crispinianum sutores &c. quæ, si dicantur ex joco, vel levitate, venialia; si ex odio, contemptù, vel indignatione in Sanctos, mortalia peccata erunt. Vid. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. n. 27. Filliuc. tract. 25. cap. 1. n. 19. Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 6. n. 10. Sporer tract. 2. in 1. præcept. Decal. cap. 10. n. 14. Ex eadem porrò ratione, qua contumeliæ in Dei Sanctos sunt blasphemiæ, etiam probra, vel maledicta, quæ in Dei Sacramenta, resque sacras profunduntur, pro veris blasphemiis habenda sunt. Nam quemadmodum similium cultus & veneratio, ita & inhonoratio, quæ eidem irrogatur, respectiva est, atque in Deum omnis sanctitatis Authorem redundat. Sanchez n. 22. Laym. loco cit. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 13. n. 3.

10 VI. Non est blasphemia proximò maledicere, & imprecari mala, v. g. Dæmonem, mortem, fulmen, grandinem, furcam, rotam &c. Ratio est: quia similia maledicta non solent effundi in hominem tanquam in aliquid Dei, sed ad manifestandam iram & indignationem. Et quia ordinariè talia dicuntur ex subita commotione, inadvertentia, & defectu seriæ voluntatis, communiter peccatur venialiter tantùm. Hoc patet ex eo, quòd homines ejusmodi maledici, dum se reflectunt & interrogantur, num serio exoptent proximò talia mala? Plerumque id negant, dicantque, se non ita sensisse ex animo, imò dolenter laturos, si quid simile proximo eveniret.

Quod vel maximè habet locum, quando illi, quibus iratus sic imprecatur, ab eodem amantur. Quòd si tamen aliquis deliberatè ac seriò desideraret proximo gravia hujusmodi mala, is utique peccaret mortaliter contra charitatem. Si verò mala essent solùm levia, peccaret solùm venialiter. Vid. Sayr. n. 7. Bonac. to. 2. disp. 3. q. 6. pu. 3. n. 4. Sporer cap. cit. n. 25. in Appendice. In ira diaboli nomen usurpare, si absit imprecatio, non est peccatum per se loquendo: illud tamen assiduè in ore habere non multùm decet Christianos, ajuntque Authores, ratione scandali posse grave peccatum esse. Sed ulterius nunc

11 Quæritur primo, quales contumeliæ sint præ contemptu Dei in cœlum spuere, vel dentibus frendere, vel pugnum, aut medium digitum illuc protendere? Respondeo, esse blasphemias, & quidem oris. Ratio est: quia non tantùm per verba formalia, sed etiam per scripturam, aliáque signa externa verbis æquivalentia possumus loqui adversùs Deum maledicta. Illsung tract. 5. disp. 3. a. 2. n. 293.

12 Quæritur secundo, an omnes blasphemiæ sint ejusdem speciei? Respondeo, in ratione blasphemiæ probabilius esse omnes ejusdem speciei. Azor. to. 1. lib. 9. cap. 28. dub. 10. Sayrus in clavi Reg. lib. 6. cap. 13. n. 4. Bonac. q. cit. pu. 4. n. 1. Filliuc. tract. 25. cap. 1. n. 25. Illsung. tr. 5. disp. 3. a. 2. n. 294. & alii. Ratio est: quia omnes conveniunt in eadem ratione formali inhonorandi Nomen Divinum, ac derogandi ejusdem gloriæ, licèt inter illas detur quænam varietas materialis quantum ad modum, quo committi solent. Confirmatur. Omnia perjuria; item omnes hæreses sunt ejusdem speciei: ergo etiam omnes blasphemiæ, sive in Deum, sive in Sanctos, résque sacras. Dixi autem, *in ratione blasphemiæ.* Quia ratione circumstantiarum speciem mutantium, putà, scandali, perjurii, idololatriæ, odii Dei, infidelitatis, hæresis, & similium, sæpissimè blasphemiæ inter se specie differunt. Vid. Bonac. Illsung locis citt.

13 Quæritur tertio, utrùm in Confessione explicari debeat qualitas blasphemiæ? Respondeo, esse explicandam quando habet ex circumstantiis aliam specificam malitiam sibi adjunctam. Ratio est: quia, licèt cum probabiliori sententia D. Thomæ, suo loco asserenda, teneamus, circumstantias aggravantes peccatorum non esse materiam necessariam Confessionis Sacramentalis, certum tamen est, materiam necessariam esse circumstantias speciem mutantes. Vid. Illsung loco cit. Unde, qui commisit blasphemias hæreticas v. g. vel perjurio conjunctas, tenetur hoc exprimere in Confessione, & non satisfacit dicendo præcisè, blasphemavi toties, vel toties: quamvis satisfaciat, si nullam ejusmodi circumstantiam inter blasphemandum addiderit.

Cæterùm in praxi, dum pœnitens con- 14
fitetur, absolutè dicendo, se blasphemâsse, Confessarius duo plerumque debet inquirere: Primum, quo modo, aut quibus verbis blasphemaverit? Si advertat, verba esse dubia, ita ut accipi possint pro blasphemia, & non pro blasphemia, accipere debet pro non blasphemia, ut tradit cum aliis Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 4. n. 19. Ratio est: quia verba in dubio nunquam sunt accipienda, ut significent delictum; quippe quod nunquam præsumitur, nisi sufficienter constet de illo. Secundum est, an verba blasphema (si verè sunt talia) protulerit ex formali, ac directa intentione inhonorandi Deum? Ratio est: quia hæc talis intentio non rarò provenit ex odio, saltem abominationis, erga Deum: quod est peccatum specie distinctum à blasphemia. Ita Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 6. n. 12. Quia tamen, ut idem notat, interdum ex ira tantùm, aut tædio, aut desperatione provenit ejusmodi intentio, expedit, ut Confessarius pœnitentem, si is fateatur, se expressam habuisse intentionem suis maledictis Deum inhonorandi, ulteriùs examinet, ob quam causam in eam perversitatem fuerit inductus? Quòd si pœnitens neget, se directè intendisse Deo maledicere; sed solùm homini, vel jumento, cui fuerat iratus, nihilominùs tractari debet ut blasphemus, dummodò apprehenderit vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ verbis blasphemiæ exprimitur. Vid. idem Laym. loco cit. Cæterùm in jure nullæ sunt pœnæ latæ contra meros blasphemos, ait Tambur. n. 26. quænam autem ferendæ sint à Judice, ad forum externum pertinet examinare.

ARTICULUS II.

De Juramento.

JUramentum inter præcipuos actus Religionis est numerandum. Nam, qui jurat, palàm profitetur, Divinam veracitatem esse summè infallibilem, sibique omni alio testimonio esse potiorem: quod Deo vel maximè honorificum est, ut ostendit D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 4. & agnoscit Aristoteles 1. Metaph. ubi dicit, juramentum esse honorabilissimum. De hoc igitur actu Religionis in præsenti tractabimus.

§. I.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Juramentum?

SUMMARIUM.

1. *Juramentum unde dictum.* 2. *Definitio Juramenti cum sua analysi.* 3. 4. *& seqq. Corollaria practica ex dictis.* 9. *Juramentum aliud verbale, aliud reale, aliud inixtum.*

1 JUramentum juxta D. Thomam 2. 2. q. 89. a. 1. à jure derivatum est, eò quòd jure introductum sit, ut homines dicta sua, atque facta Divinô testimoniô confirment. Aut etiam, quia id, quod juratur, pro lege habendum est, & velutî jus sanctè servandum. Ciceroni, & Latinis ipsô antiquioribus fuit ignota vox *Juramentum*, sed loco illius dicebant *Jusjurandum*, aut *Sacramentum*, eò quòd jurare sacra quædam, & *religiosa affirmatio sit*, ut ait Cicero lib. 3. de Officiis. Et hæc de nomine. De re ipsa

2 Dico jam primo. Juramentum est invocatio Dei in testimonium alicujus rei. Ita cum D. Thoma loco cit. communiter DD. Dicitur *invocatio*: quæ duplex est, nimirum expressa, quando Deum immediatè in se ipsô vocamus in testem; quemadmodum vocavit Apostol. 2. Cor. 1. dicens, *testem Deum invoco in animam meam*: & tacita, sive implicita; quando nempe juramus per creaturas, quatenus eædem ordinem habent ad Deum. Solet autem hic ordo præcipuè attendi in creaturis, ex quibus Deus, ejúsque perfectio maximè relucet, v. g. ex creatione cœli & terræ Divina Omnipotentia. Unde est illud juramentum Moysis Deuter. cap. 4. *Testes invoco cælum & terram*: cujus sensus est, testem invoco illum, qui suâ potentiâ creavit cœlum & terram. Dicitur *Dei*. Nam qui auctoritatem solùm humanam ad aliquid confirmandum advocat; vel ad falsorum Deorum testimonium provocat, non verè jurat, nec ad quidpiam tenetur ex vi juramenti. Dico, *ex vi juramenti*: quia talis aliunde, putà ex justitia, aut fidelitate, tenetur præstare, quod additô ejusmodi perversô juramentô promisit, si res ex se non est illicita: cùm utile per inutile non vitietur. Imò potest oriri obligatio ex conscientia erronea, qua promittens aliquid cum simili putativo juramento sibi persuadet, quod verè juraverit. Vid. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 1. n. 2. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 1. n. 2. Dicitur, *in testimonium &c.* ut indicetur finis juramenti, qui est dictis fidem facere, & alterum de re jurata præstare securum: quod aptius fieri non potest, quàm recurrendo ad testimonium Dei, qui solus nec falli potest, nec fallere. Quare de ratione juramenti est, ut jurans Deum vel inse, vel in suis creaturis invocet in testem, id est, cupiat, ac velit, quantum in ipso est, ut Deus testetur, ac manifestet tanquam veram, & à se ipso cognitam, sive in hac, sive in altera vita, quandocunque placuerit, rem illam, de qua jurat. Vid. Filliuc. tract. 25. cap. 2. n. 38. Laym. n. 1. Ex dictis

3 Colligitur primo, ad juramentum tria concurrere, scilicet intellectum, voluntatem, & linguam. Ratio est: quia intellectus proponit necessitatem, vel utilitatem jurandi: voluntas autem addit intentionem jurandi, verúmque Deum in testem invocandi: lingua denique juramentum sermone externo complet, quod in ordine ad homines etiam per scripturam, vel alia signa fieri potest: nam in ordine ad Deum, cui juratur, perinde ac votum, etiam sola mente compleri potest. Filliuc. n. 39.

4 Colligitur secundo, orationem non esse juramentum. Ratio est: quia licèt per orationem invocetur Deus, non tamen invocatur in testimonium, sed in auxilium, utque ea, quæ petuntur, misericorditer largiatur. Salmanticenses to. 4. tr. 17. cap. 2. pu. 1. n. 3.

5 Colligitur tertio, similes modos loquendi, *Deus scit: coram Deo loquor: Deus aliquando testabitur &c.* non esse juramenta. Ratio est: quia accepti, ut sonant, non significant, peti à Deo, ut testimonium perhibeat veritati; sed solùm dicitur per illos, Deum scire, & aliquando testaturum. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 2. a. 1. n. 45. Quòd si tamen ejusmodi voces quis proferat cum vera intentione Deum vocandi in testem, negari non potest, iisdem significari verum juramentum mentale. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 2. n. 7. Bonac. n. 6. & alii.

6 Colligitur quarto, non jurare Concionatores, quando in confirmationem eorum, quæ dicunt, adducunt testimonia Dei loquentis in S. Scriptura. Ratio est: quia id non faciunt animo Deum vocandi in testem, sed præcisè referunt, quæ Deus dixit. Deinde: *Aliud est testimonio Dei uti jam dato, quod fit, cùm aliquis auctoritatem sacræ Scripturæ inducit; & aliud est testimonium Dei implorare ut exhibendum, quod fit in juramento*, ait D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 1. ad 1.

7 Colligitur quinto, ut deprehendatur in foro conscientiæ, an quis verè juraverit, omnino ac semper attendendum esse ad intentionem jurantis, sive is verbis sit usus juramentum significantibus, sive aliis. Itaque proferens verba (quæcunque denium) vel intendit positivè Deum vocare in testem; vel hoc positivè non intendit; vel omninò præscindit, hoc est, nec intendit, nec non intendit invocare Divinum testimonium? Si primum, certo est juramentum; si secundum, certo non est juramentum. Si tertium, rursus non est

juramentum. Qui enim abstrahit ab invocatione & non invocatione Dei, Deum non invocat. Tradit hanc regulam cognoscendi juramentum Tambur. lib. 3. Decal. cap. 1. §. 3. n. 6. & Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 1. n. 9. quâ observatâ, non est necessarium expendere formulas juramentorum pro diversitate populorum ac regionum propè innumerabiles. In juramento, quod fit per creaturas, attendi solet, an sint tales, ut in eis specialiter eluceat Dei bonitas, ejusque in nobis memoria excitetur; vel tales, ut in eis nihil Divinæ bonitatis seu perfectionis speciatim eluceat? Si prius; censetur verum juramentum, v. g. dum juras per cœlum, per terram, per templum. Ratio est: quia ejusmodi creaturæ censentur adduci in testimonium cum ordine ad Deum. Sic, quandò juratur per cœlum, intelligitur is, qui in cœlo habitat; dum per terram, is, cujus ipsa scabellum dicitur; dum per templum, is, qui in eo adoratur. Si posterius, non censetur verum juramentum: v. g. si dicas: *Juro per meam barbam, per meum equum.* Ratio est: quia creaturæ hujusmodi ignobiliores non in testimonium cum ordine ad Deum, sed per ludum & jocum adduci præsumuntur. Bonac. ubi suprà n. 4. Salmantic. n. 14. Quod si tamen constaret adducentem creaturam, quantumcunque vilem, habuisse serium animum jurandi, verum juramentum edidisset, ut satis patet ex dictis, & notavit Bonac. loco cit. Dixi ab initio, *in foro conscientiæ*. Nam in foro externo judex attendere solet ad verba prolata. Hæc si significant certo juramentum, pronuntiabit te reum juramenti: si id non significant, te absolvet ab obligatione. Tambur. n. 9.

9 Colligitur sexto, quando aliquis sacramentaliter confitetur, se cum mendacio jurâsse per animam, per conscientiam suam &c. Confessarium non statim debere prorumpere ad eum condemnandum de perjurio citra ulterius examen, sed interrogare, an intenderit verè jurare per ejusmodi verba, vel invocare Divinum testimonium; vel juxta consuetudinem se graviter obligare, (nam hoc esset implicitè verum juramentum) vel quid simile? Si neget, vel dicat, se nihil tale habuisse in animo, tunc non est reus perjurii: si fateatur, reus est perjurii. Tambur. n. 10. qui tamen monet, quando pœnitens confitetur, se jurâsse cum mendacio, & usus fuit verbis ad Deum clarè relatis, v. g. per Deum, per Sacramenta Dei, non esse ampliùs interrogandum, an habuerit intentionem invocandi Deum in testem? Nam, nisi planè sit rudis, non ignoraverit, his verbis invocationem Divini testimonii significari, dum iisdem est usus, seque id verè invocâsse. Similiter, quando confitens est homo cultus, probè instructus, vel doctus, & dicit, se jurâsse cum mendacio, non est examinandus, an Deum vocare voluerit in testem? Nam similes, quia probè intelligunt, quid sit juramentum, de hoc non solent se accusare, nisi verè juraverint. Quòd si pœnitens sit adeo rudis, ut ignoraverit, quid sit jurare, quod sæpe deprehenditur in rusticis, mulierculis, ac pueris; non censendus est jurâsse. Quomodo enim juraverit, qui nescit, quid sit jurare? Cùm nihil sit volitum, nisi cognitum. Tambur. Sporer, locis citt.

Dico nunc secundo. Juramentum di- 10
viditur potissimùm primo, in verbale, reale, & mixtum. Secundo, in judiciale, & extrajudiciale. Tertio, in invocatorium, seu contestatorium, & in execratorium, seu imprecatorium. Quarto, in assertorium, & promissorium. Juramentum verbale est, quod verbis; reale, quod actione quadam corporali peragitur, v. g. erectione digitorum, contactu Evangeliorum, Crucis, sceptri &c. Mixtum est, quod simul verbis, & actione corporali perficitur: unde & juramentum corporale vocatur. Juramentum judiciale est, quod certo quodam ritu, ac formâ coram Judice, vel Notario exhibetur. Extrajudiciale est, quod absque certa forma fit inter privatos. Juramentum invocatorium est, quo quis Deum simpliciter in testem vocat, dicendo, v. g. *Juro per Deum; testor Deum; per Deum, res ita se habet.* Execratorium est, quo quis Deum non solùm vocat in testem, sed etiam in judicem, ac vindicem, si falsum sit, quod jurat: v. g. si dicas: *Ita me Deus amet; adjuvet; sit mihi propitius.* Nam sensus est: si non ita res se habet, ut affero; Deus me non amet; non adjuvet; non sit propitius. Simile juramentum est: *puniat me Deus; faciat, ut hinc sanus non ampliùs surgam; ut peream subitanea morte; ut me rapiat, discerpat diabolus; æternùm damner; super animam meam &c.* Qui falsum jurat juramento imprecatorio, non modò perjurus est, & peccat contra Religionem, sed insuper peccat contra charitatem propriam, quando seriò, & ex animo sibi malum imprecatur. Quod tamen cùm non facilè contingat, (quis enim sibimet tam immaniter infestus?) non videtur necessarium, ut Confessarius tale perjurium confitentem de hac circumstantia interroget. Juramentum assertorium est, quo utimur ad affirmandum, vel negandum quid præsens, aut præteritum, v. g. *Juro per Deum, à Cajo occisum fuisse Titium.* Promissorium est, quo utimur ad actionem vel omissionem futuram actionis affirmandam. Hoc juramentum subdividitur in promissorium latè, & strictè acceptum. Prius est, quo præcisè juramus, nos aliquid facturos, absque tamen vera promissione:

quò

quò etiam pertinet juramentum comminatorium, v. g. *per Deum, ego te mactabo.* Posterius est, quod continet veram promissionem, sive factam Deo, & vocari potest votum juratum; sive factam homini, & est promissio jurata. Violator juramenti, in quo est promissio Deo facta, committit duplex peccatum contra Religionem, nempe unum perjurii, & alterum sacrilegii. Nam & abutitur divino testimonio ad confirmationem falsi, & datam Deo fidem non servat. Similiter violans juramentum continens promissionem homini factam duplicis peccati reus efficitur; perjurii nimirum, & injustitiæ contra jus promissorii, quod hic acquisivit ex promissione. Vid. Sayrus lib. 5. clavis Reg. cap. 2. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. Bonac. to. 2. disp. 4. pu. 2. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 2. pu. 2. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 2. a. 1.

§. II.

An, & quomodo jurare sit licitum?

SUMMARIUM.

10. *Error quorumdam dicentium, jurare Christianis nunquam esse licitum,* 11. *Statuitur & probatur, id esse licitum & honestum.* 12. *Respondetur ad fundamenta contraria.* 13. *Ad juramentum licitum requiruntur tres conditiones, nempe veritas, justitia, & judicium.* 14. *Qualiter in jurando peccetur ob defectum justitiæ.* 15. *Qualiter ob defectum judicii.* 16. *Juramentum assertorium, in quo deficit veritas, semper mortale peccatum est.* 17. *Mortale quoque peccatum est jurare, rem esse certam, de qua jurans dubitat, an ita se habeat.* 18. *An aliquando liceat exigere juramentum ab eo, quem pejeraturum esse constat?* 19. *Quid de inducente quemcumque impium ad jurandum de re falsa, quam inductus bona fide putat esse veram?* 20. *Quomodo homines simplices aliquando excusentur a peccato perjurii.*

10 MAnichæi, Wicleffistæ, & Anabaptistæ, ut refert Sayrus lib. 5. clavis Reg. cap. 3. n. 1. docuerunt, omne juramentum Chri-
11 stianis esse prohibitum, neque ullam ob causam jurare licitum. Favent in speciem verba Christi Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Et illa Jacobi 5. *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, &c.* Ratio quoque esse potest, quia illicitum est rem quampiam Divinam ordinare ad res humanas; sed juramentum est res Divina, quia includit testimonium Dei; ergo juramentum ad res humanas ordinare, est illicitum. Id autem contingit, quando juratur; quia juratur ad firmandos contractus, terminandas lites &c. Verùm oppositum est veritas Catholica. Hinc

Dico primo. Jurare est licitum & hó- 11
nestum. Constat inprimis ex S. Script. Deut. 6. ubi dicitur: *Illi soli servies, ac per nomen illius* (Dei nempe) *jurabis.* Psal. 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Rom. 1. *Testis enim mihi est Deus.* Ad Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Quibus verbis, aliisque alibi, Apostolum jurâsse manifestum est. Deinde ratio est: quia per juramentum veritas & authoritas Dei appretiatur supra omnem aliam veritatem & authoritatem: quod vel maximè ad cultum ac venerationem Dei pertinet. Unde juramentum esse actum Religionis, mox in principio præsentis Artic. advertimus.

Ad verba S. Script. respondetur, in eis- 12
dem solùm prohiberi, ne passim, & facilè, & temerè absque necessitate juretur. Nam, ut rectè notat Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 3. n. 1. juramentum, quamvis si licitum ac bonum, ex illo tamen genere bonorum est, quæ bona sunt posita necessitate; sicut est usus medicinæ, quæ solùm adhibetur salubriter, dum urget necessitas. Ad rationem in contrarium respondeo cum Sayro n. 3. ex intentione jurantis ordinari quidem invocationem Divini testimonii ad confirmationem creatæ veritatis, resque humanas, per habitum tamen Religionis principaliter, ac ultimatò referri ad Dei cultum & reverentiam? hoc autem non esse illicitum: sicut non est illicitum Sacrificium Missæ celebrare ad impetrandam salutem corporalem; cùm hæc eadem celebratio referatur ultima ò in cultum Dei.

Dico secundo. Ut juramentum sit lici- 13
tum, debet habere tres conditiones, quas vocant comites juramenti, videlicet, veritatem, justitiam, & judicium. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2, 2, q. 89. a. 3. & colligitur apertè ex illo Jeremiæ cap. 4. *Jurabis, vivit Dominus in veritate, judicio, & justitia.* Fit autem juramentum cum justitia, si auctoritas Dei non adhibeatur ad confirmationem rei illicitæ. Cum judicio fit, quando juratur ex aliqua justa causa, necessitate, & cum debita reverentia. Cum veritate fit, quando Deus vocatur in testem rei, quam jurans rectè cognoscit, vel prudenter existimat esse veram, sive deinde res, quam affirmat, sit præsens, sive præterita, sive futura. Vid. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 2. pu. 4. n. 34. Cæterùm ex gravitate, vel levitate injuriæ & irreverentiæ, quæ per defectum conditionum recensitarum Deo infertur in jurando, colligenda est gravitas, & levitas malitiæ in juramento; ita ut sit peccatum mortale, quando injuria est gravis, veniale, quando est levis. Atque hinc

Infertur primo, ex defectu justitiæ pec- 14
care

care mortaliter illum, qui jurat, se facturum quidpiam mortaliter malum, v. g. se fornicaturum, aliquem occisurum. Ratio est: quia infert Deo gravem irreverentiam, dum ipsum vocat in testem rei, quæ est legi Divinæ gravitèr contraria, & à qua sub mortali peccato tenetur abstinere. Peccat verò venialiter, qui jurat, se commissurum aliquod peccatum veniale, v. g. leve mendacium, leve furtum. Ratio est ab opposito: quia irreverentia, quæ Deo infertur ipsum vocandò in testem rei venialiter malæ, non censetur gravis, sed levis tantùm. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 4. à n. 26. Bonac. ubi suprà n. 9. Salmantic. pu. 5. n. 57. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 1. §. 4. n. 5. Similiter peccat venialiter, qui jurat, se facturum aliquid contra consilia Evangelica, v. g. se non ingressurum Religionem, non daturum eleemosynam. Ratio est: quia solùm est levis irreverentia, se obligare per Divinum testimonium ad non faciendum id, quod Deus non præcepit. Sanchez n. 30 Salmantic. n. 58. qui idem docent de juramento, quo quis jurat rem indifferentem. Ex dictis colligi potest, eum, qui proximum graviter infamat, addito juramento, dicens v. g. *Juro per Deum, hunc esse adulterum*, committere duplex peccatum mortale, unum detractionis, & alterum gravis irreverentiæ in Deum, cujus testimonio abutitur tanquam medio ad iniquè nocendum proximo. Undetenetur utramque malitiam specialiter exprimere in Confessione. Bonac. Tambur. locis citt.

15 Infertur secundo, ex defectu judicii, si hoc solum desit, jurare communiter esse tantùm peccatum veniale. Sanchez n. 35. Salmantic. n. 37. & alii. Ratio est: quia Deo non irrogatur gravis irreverentia, sed solùm admittitur quædam vanitas & superfluitas: ut, quando juratur absque necessitate, vel ex levitate, vel consuetudine. Potest nihilominùs etiam hìc peccari mortaliter, quando negligentia, quam jurans admittit in inquisitione veritatis, vel exstirpatione consuetudinis est magna. Et ideo in statu peccati mortalis versari censendi sunt, qui habent consuetudinem jurandi sine attentione, sitne verum, vel falsum, quod jurant, eámque deponere negligunt. Ratio est: quia versantur in periculo proximo pejerandi, vel falsò jurandi. Salmantic. loco cit.

16 Infertur tertio, juramentum assertorium, in quo est defectus veritatis, semper esse peccatum mortale. Unde, quoties jurans vel scit, vel existimat non esse verum; vel dubitat, an sit verum, quòd certò jurat, toties peccat mortaliter illo peccato, quod præcipuè perjurium vocatur. Suarez to. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. n. 2. Sayrus lib. 5. clavis Reg. cap. 4. à n. 14. Sanchez cap. cit. n 6. Bonac. n. 5. Salmantic. n. 38. Illung tract. 5. disp. 1. q. 2. a. 2. n. 50. Viva parte 2. damnat. Thes. in prop. 24. n. 5. aliique communiter. Ratio est: quia sic jurans adducit Deum in testem falsi, vel saltem exponit se periculo adducendi Deum in testem falsi, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere agendò patronum falsitatis: quæ est gravissima adversus Deum irreverentia. Neque excusat à mortali ulla levitas materiæ, vel finis quantumcunque de se sanctus & necessarius. Nam Deum vocare in testem mendacii semper est gravis injuria, abstrahendò à quavis materia, itáque intrinsecè malum, ut in nullo casu honestari possit. Hinc tale juramentum etiam tunc est peccatum mortale, quando fit joci causâ, ut docent Sanchez n. 7. Salmantic. n. 40. Bonac. Viva locis citt. & alii communissimè, cum D. Thoma, 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. Ratio est: quia malitia specifica juramenti falsi in eo consistit, quòd Deus adducatur in testem falsitatis: sed hoc non minus contingit, dum juratur ex joco, quàm ob finem seriò intentum; ergo. Quare non minùs graviter peccat, qui joci causâ falsò jurat, se non fricâsse barbam, quàm qui jurat, se non patrâsse homicidium, si verè patravit. Sayrus n. 15. Sola proinde imperfectio deliberationis hìc excusare potest à mortali peccato.

17 Infertur quarto, illum quoque peccare mortaliter, qui rem, de qua dubitat, an ita se habeat, jurat esse certam, tametsi sit certa: vel, qui jurat, rem esse dubiam, quam scit esse certam: vel, qui jurat, rem esse veram, quam putat esse falsam, tametsi à parte rei sit vera. Bonac. loco cit. Salmantic. n. 41. Ratio est: quia in omnibus istis casibus deficit veritas ad juramentum requisita: quippe quæ non tam sumitur ex ipso statu objecti à parte rei, sive ex re jurata materialiter spectata, quàm formaliter ex ipso animo jurantis, & ex statu, quem res jurata habet in cognitione jurantis. Unde quocunque modo res jurata se habeat in se, si jurans de illa aliter pronuntiat, quàm sit in ejus cognitione, haud dubiè falsò jurat. Sayr. loco cit. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 1. §. 4. n. 1. Cæterùm, qui jurat de re sibi dubia, quòd sit dubia, non pejerat. Ratio est: quia sic verum jurat; v. g. si dicas, *dubito, vel suspicor ita esse*, addito juramento. Bonac. n. 6.

18 Infertur quintò, esse graviter illicitum exigere juramentum ab illo, quem esse pejeraturum constat exigenti, nisi adsit justa causa exigendi. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 8. Bonac. q. cit. pu. 11. n. 2. & alii. Ratio est: quia sicut quilibet tenetur ipse non pejerare, ita etiam tenetur impedire, ne alius pejerer, quando potest impedire citra suum damnum, vel aliud incommodum. Dixi proinde, *nisi adsit justa causa exigendi*: quando enim sic suadet justa causa, vel necessitas, licitè exigitur. Ratio est: quia non peritur, nec intenditur,

ditur, ut proximus pejeret, sed ut juret, quod licitè præstare potest. Unde si ille nihilominùs pejeret, malitia perjurii unicè refunditur in malitiam pejerantis: nam petens juramentum tunc non censetur moraliter causa perjurii: quia utitur jure suo. Vid. quæ disp. præced. a. 4. § 6. n. 77. diximus, Itaque judex ratione officii, & quilibet privatus sui juris tuendi, vel obtinendi causâ licitè exigunt juramentum ab illis, quos suâpte malitiâ perperam juraturos esse existimant, imò sciunt. Sanchez n. 7. Bonac. loco cit.

19 Sed quid, si Petrus v. g. inducat Paulum ad jurandum de aliqua re, quam Paulus ex ignorantia inculpabili putat esse veram, Petrus autem scit, esse falsam? Respondeo, Petrum peccare peccato perjurii, Sanchez n. 10. Tambur. cap. cit §. 6. n. 3. Bonac. n. 3. & alii. Ratio est, quia licèt Paulus propter bonam fidem peccet solùm materialiter, Petrus tamen sciens ac volens utitur hac ejus actione, ut Deum in testem falsi adducat. Confirmatur. Ut formalis malitia actûs, ad quem quis alterum inducit, imputetur inducenti, sufficit ejusmodi actum esse materialiter malum, sive ob ignorantiam, sive defectum libertatis in eo, quem inducit, ut, dum quis inducit amentem ad conculcandam sacram imaginem; ebrium ad blasphemandum, vel fornicandum: sed in casu præsenti actus juramenti respectu inducti ad illum est materialiter malus; ergo ejus formalis malitia imputatur inducenti. Vid. Viva ubi suprà, n. 15.

20 Illud denique advertendum est, simplices quosdam à mortali peccato perjurii excusari posse ob inconsiderationem, & incuriam aliquam, ex qua fit, ut usurpent formulas juratorias, v. g. *per animam meam, puniat me Deus, si verum non est*, nec apprehendant, jurare esse quid grave, vel vocare Deum in testem; licèt cognoscant, hos tales modos loquendi dici juramentum; sed soltùm apprehendant aliquam rationem malitiæ in confuso, cámque non magni momenti. Vid. Bonac. q. cit. pu. 3. n. 5. Salmantic. cap. 2. pu. 5. n. 39.

§. III.

De Juramento ficto.

SUMMARIUM.

21. *Tribus modis in Juramento potest accidere fictio.* 22. *Juramentum fictum aliud est cum dolo, aliud sine dolo.* 23. *Jurare sine animo jurandi nunquam est licitum.* 24. 25. *Jurare falsum sine animo jurandi non tantum in materia gravi, sed etiam in materia levi peccatum mortale est.* 26. 27. *Jurare verum sine animo jurandi non est peccatum mortale, quantum est ex vi Religionis.* 28. *In Juramento promissorio non habere animum se obligandi non est semper mortale peccatum.* 29. 30. *Jurare cum intentione jurandi, sequè obligandi, sed non servandi non est excusabile à mortali peccato.* 31. *Juramentum promissorium duas veritates includit, unam de præsenti, alteram de futuro.* 32. *Juramentum fictum cum dolo parit obligationem servandi, quod juratum est.* 33. *Corollarium.*

21 NOtandum est primo, tripliciter committi posse fictionem in juramento, scilicet primo, dum quis jurat sine animo jurandi. Secundo, dum quis habet quidem animum jurandi, sed non habet intentionem se obligandi per juramentum. Tertio, dum jurans habet tam animum jurandi, quàm se obligandi, non tamen habet animum præstandi, quod promisit in juramento. His addendus est quartus modus, qui in eo consistit, quod jurans, ut proximum decipiat, utatur in jurando vocibus æquivocis, vel amphibologicis. De hoc modo in seq. §. sermo erit.

22 Notandum est secundo, juramentum fictum aliud esse cum dolo, aliud sine dolo. Fictum cum dolo est, cujus fictio adversatur juri, quod alter ratione oneris alicujus in se suscepti habet, ne jurans edat juramentum solummodò fictum, vel amphibologicum. Fictum sine dolo est, quando is, cui juratur, non habet tale jus. Dolus namque non est qualiscunque fictio, aut mendacium, sed est fictio injusta, ait Illsung tract. 5. disp. 1. q. 2. a. 3. n. 56. His animadversis, inquirimus de juramento ficto, cujus sit malitiæ, & an pariat aliquam obligationem?

23 Dico primo. Nunquam est licitum jurare sine animo jurandi. Ita unanimis omnium sententia. Ratio est: quia sic jurans nunquam excusari potest à mendacio saltem. Mentitur enim, qui dicit, juro, nolens jurare: sicut mentitur, qui dicit, promitto, dono, si careat animo promittendi, aut donandi. Atqui mendacium in nullo casu est licitum; ut sentiunt omnes rectè sapientes, & tradit Innocentius III. cap. *Super eo. de Usur.* ubi dicit: *Ne pro vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri.* Accedit, quòd hoc tale juramentum non tantùm sit contra veracitatem, sed etiam contra virtutem Religionis; utpote Divini Nominis in vanum usurpatio, quæ secundo hoc Decalogi præcepto prohibetur. Confirmatur. Finis juramenti est firmare humana fœdera & verba: sed finis hic planè rueret, cum ingenti Reipublicæ detrimento, si aliquando esset licitũ jurare sine animo jurandi. Quis enim in humana societate utò fidere posset amplius alterius asseverationi,

aut promissioni cuicunque demum juratæ; si juranti excipere liceret contra promissarium, sibi defuisse animum jurandi?

24 Dico secundo. Jurare falsum sine animo jurandi in materia gravi mortale peccatum est. Ita communis & certa. Ratio est, quam reddit Suarez to. 2. de Relig. lib. 3. cap. 17. n. 3. quia sic invocatione externa Deus adducitur ad confirmandum falsum: quæ est gravis irreverentia, & magnus abusus Divini Nominis. Confirmatur. Thus adolere idolo sine animo adolendi, aut verba blasphemiæ proferre sine animo blasphemandi, sed ex metu, aut vana ostentatione in magnam cedit Dei irreverentiam, & à peccato mortali inexcusabilem: ergo idem dicendum est, dum quis Deum exterius adducit ad testificandum falsum sine animo jurandi. Dices. Proferre in alterum verba imprecationis, quantumcunque diræ, sine animo imprecandi non est peccatum mortale, putà secluso scandalo: ergo etiam jurare falsum sine animo jurandi non erit mortale peccatum. Respondeo neg. conseq. quia, si in imprecatione invocetur Nomen Dei, non invocatur ad testificandum, sed ad causandum alteri malum: quæ invocatio si solum oretenus, & non ex animo fiat, neque Deo, neque proximo est graviter injuriosa. Aliter se res habet in invocatione ad testificandum falsum sine animo invocandi; ut ostensum est:

25 Dico tertio. Etiam in materia levi jurare falsum sine animo jurandi mortale peccatum est. Hæc assertio non est passim obvia apud Authores. Eam tamen docet Viva parte 2. damnat. Thes. in prop. 25. n. 6. pro eadem referens Vericellium p. 1. quæst. Moral. tr. 1. q. 12. concludentem, se non audere asserere, sententiam contrariam esse probabilem. Ratio sumitur à simili in Idololatria, & Blasphemia, aut etiam infidelitate, in quibus non datur parvitas materiæ, quæ à mortali quemquam excuset, tametsi desit animus internus immolandi Idolo, blasphemandi, aut diffidendi in eo, qui fidem negat exterius: ergo nec dabitur parvitas materiæ in perjurio quocunque, etiam apparenti, quale est juramentum de re falsa sine interno animo jurandi. Confirmatur. Quamvis gravius peccet, qui Idolo litat, blasphemat, fidem externè negat etiam cum animo interno litandi, blasphemandi, fidem negandi, quàm peccet alius, cui deest ejusmodi animus, tamen nec iste unquam excusabitur à peccato mortali: ergo similiter nunquam excusabitur à peccato mortali, qui pejerat sine animo jurandi, licèt gravius peccet, si pejerat cum animo jurandi.

26 Dico quarto. Jurare verum sine animo jurandi non est peccatum mortale. Ita communiùs Theologi contra Cajetanum, cujus oppositam sententiam Suarez ubi suprà n. 6. censet probabilem, quamvis nimis rigidam. Ratio est: quia illud mendacium, quod profert ita jurans, neque Deo est graviter injuriosum, neque homini ullo modo. Non Deo; cùm invocetur, non ad confirmandum falsum, sed verum. Non homini; quia supponitur, id fieri extra quemcunque casum, in quo homo ex ficto ejusmodi juramento aliquod damnum patiatur. Neque dicas, hoc tali juramento illudi Divino Nomini, idque externè saltem assumi in vanum: licet enim hoc sit quædam irreverentia, non tamen est irreverentia gravis, sicut non est irreverentia gravis jurare verum sine necessitate, sive ad confirmandum propositum committendi peccatum veniale, ut dictum est suprà in n. 14. & 15.

27 Intelligenda est autem statuta conclusio, ut facilè apparet, quantum est ex vi Religionis. Nam certum est jurare verum sine animo jurandi posse ex alio capite esse peccatum mortale: ut, si Judice, vel Superiore justè præcipiente quis juret sine animo jurandi: aut etiam ad firmandum gravem, justumque contractum, vel promissionem. Nam in his casibus tenetur quis sub mortali verè & ex animo jurare. Vid. Suarez n. 5. Viva n. 7.

28 Dico quinto. In juramento promissorio jurare sine animo se obligandi quamvis sit illicitum; non tamen semper mortale peccatum est. Ratio primæ partis est: quia virtus Religionis per se exigit, ut jurans juramentô promissoriô subeat obligationem reddendi verum factis ipsis, quod promittit adducendo Deum in Promotorem, & sponsorem ejusce veritatis futuræ: cùm ista obligatio vel sit de essentia juramenti promissorii, vel saltem proprietas inseparabiliter connexa. Ratio secundæ partis est: quia fictum ejusmodi juramentum tunc solùm est peccatum mortale, quando includit falsitatem assertionis de præsenti: quod ipsum tamen, ut facilè apparet, non habet, ut promissorium, sed, ut simul assertorium est. Vid Suarez n. 10. Sanchez lib. 3. in Decal. cap. 10. n. 8. Imò re benè spectata juramentum promissorium cum expresso animo se non obligandi non est verum, sed apparens tantùm juramentum; sicut juramentum, quod fit cum animo non jurandi; cùm habeat adjunctam conditionem secum incompossibilem: quis enim intelligat juramentum promissorium non productivum obligationis. Itaque de hoc juramento in præsenti idem tenendum est, quod de juramento edito sine animo jurandi. Viva n. 13. Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. c. 1. n. 134. Schapperger in spec. Theol. cap. 3. dub. 2. §. unico, n. 5. Dixi autem, *cum expresso animo*. Nam, qui non excludit po-

positive animum promittendi, vel se obligandi, scitque, quid sit jurare, censetur velle omnia ad juramentum necessaria, adeoque velle promittere, séque obligare, quando deliberate & cum animo jurandi præfert verba juramentum promissorium significantia. Sporer, Schapperger locis citt. Tambur. lib. 3. Decal. c. 3. §. 2. n. 4.

29 Dico sexto. Jurare cum intentione jurandi, téque obligandi, sed non servandi, quod juratum est, nunquam excusari potest à mortali peccato. Ita communiter Theologi, éstque omnino certum. Ratio est: quia hoc tale juramentum est verissime perjurium assertorium, & invocatio Divini Nominis in testimonium falsitatis: adeoque patitur defectum veritatis, in quo nulla datur parvitas materiæ, quæ excuset à mortali peccato; quemadmodum suprà n. 16 ostendimus. Vid. Suarez n. 7. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 7. n. 6. Tambur. cap. cit. §. 1. & alii passim.

30 Objicies. Non est peccatum mortale habere intentionem non implendi, seu non servandi id, quod sine peccato mortali potest non servari: sed juramentum promissorium in materia ex se levi potest sine peccato mortali non servari; sicut in materia levi sine peccato mortali potest non servari votum: ergo non est peccatum mortale habere intentionem non servandi juramentum promissorium in materia levi; & consequenter falsa est statuta modo conclusio. Confirmatur. Non servare, sive non præstare, quod juratum est, non est semper peccatum mortale: ergo nec semper peccatum mortale est jurare cum intentione non præstandi, quod juratur.

Respondeo ad Object. maj. esse falsum, quando ex intentione non servandi sequitur, Deum vocari in testem mendacii: hoc autem sequitur ex intentione non servandi juramentum promissorium. Nam jurans tunc & formaliter mentitur (cum verba sonent, ipsum habere intentionem præstandi rem promissam) & Deum adducit in testem sui mendacii.

Unde in Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. quia non præstare, quod in juramento promissum est cum intentione præstandi, non est mentiri, sed infideliter agere, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. dicens; *Qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id, quod gerit in mente: si verò non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere, per hoc, quod animum mutat.* Adeoque juxta D. Thomam, qui non præstat, quod cum intentione præstandi juratus promisit, non facit Deum testem mendacii, sed infideliter agit circa rem sub authoritate Divina promissam: ubi dari posse parvitatem materiæ, non minùs quàm in non impletione voti, dubium non est: Jam verò jurans cum intentione non præstandi, quod jurat, semper mentitur propriè & formaliter, Deúmque in testem sui mendacii adducit: quæ est gravis irreverentia in omni casu & materia.

Corollarium. Juramentum promissorium 31
includit duplicem veritatem: unam *de præsenti*, scilicet animo implendi & exequendi rem promissam: & alteram *de futuro*, id est, de ipsa re, sive opere, quod promittitur, adimplendo. Defectus veritatis *de præsenti* in hoc juramento semper peccatum mortale est, sicut in juramento assertorio; non item defectus veritatis *de futuro*. Ratio est: quia juramentum promissorium quoad veritatem *de præsenti* non differt ab assertorio; sed in utroque Deus æqualiter ac proprie in testem adducitur, ut proinde jurans sine animo implendi rem juratam proprie & formaliter mentiatur, Deúmque in testem sui mendacii adducat, atque adeo proprie perjurus sit. Jam verò quantum ad veritatem *de futuro* res longè aliter se habet; cùm Deus in juramento promissorio ad promissionis implendæ confirmationem non adducatur ut testis, (aliàs toties in testimonium falsitatis adduceretur, quoties postea etiam ob justam causam non impleretur promissio) sed solùm ut sponsor, qui suâ authoritate stabiliat voluntatem exequendi promissum, ipsámque promissionem reddit credibilem: ad eum modum, quo Princeps, in cujus præsentia sponsalia celebrantur, suam authoritatem interponit. Ex quo patet violatorem istius juramenti non committere peccatum perjurii, sed infidelitatis & alterius speciei, adversus Deum irreverentiæ, quæ pro gravitate, vel levitate materiæ peccata mortalia, vel venialia esse possunt. Vid. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 4. n. 23. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 14. n. 6.

Dico septimo. Juramentum fictum 32
quodcunque, si dolosum sit, parit obligationem ad servandum, quod juratum est, ex virtute justitiæ. D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. Sanchez lib. cit. cap. 10. n. 14. Filliuc. tract. 25. cap. 6. n. 155. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 3. §. 2. n. 8. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 2. a. 3. n. 56. Ratio est: quia sic jurans alteri propriè dictam injuriam intulit, quam non potest compensare & reparare, nisi præstando id, quod præstare debuisset, si verè & syncerè jurâsset. Dixi *si dolosum sit*. Nam quod editum est sine dolo, nullam habet annexam obligationem sive justitiæ (per se loquendo, & secluso alio damno emergente) sive

Religionis; cùm supponamus, non fuisse juramentum, nisi verbotenùs. Juvat audire D. Thomam in 3. dist. 39. q. 1. a. 3, quæst. 3. ubi ad rem nostram ait: *Si autem simpliciter juret absque dolo, tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundùm suam intentionem: sed in foro contentioso, ubi intentio ignoratur, obligatur, secundùm quod verba communiter accipi solent.* De cætero fatendum est, si juramento ficto cum dolo defuit solus animus non præstandi rem juratam, jurantem contraxisse obligationem tam justitiæ; ut patet ex dictis; quàm Religionis; quia verè juravit: cùm intentio implendi, quod juramentô promittitur, non sit de essentia juramenti; sicut intentio implendi contractum, non est de essentia contractûs. Vid. Sanchez n. 5. Tambur. n. 7.

33 Corollarium. Qui puellæ jurat sine animo jurandi, aut se obligandi, quòd velit eam ducere, si usum corporis sui concedat, tenetur eam ducere, si ipsa sic inducta consentit. Illsung loco cit. Ratio est: quia puella propter promissionem sibi juratam concedens usum corporis, & ex sua parte subiens onus, quod procus exigit, habet jus, ut idem seriò, & cum vero juramento se obliget ad futurum matrimonium, déque hoc ipso reddat securam & certam: ergo obligatur ille ex sua quoque parte, non quidem obligatione Religionis, cùm juramentum sit nullum; sed obligatione justitiæ ad præstandum id ipsum, quod esset præstandum, si verè juraret. Sed plura de his in Tractatu de Jure & Just.

§. IV.

De Juramento amphibologico.

SUMMARIUM.

34. *Restrictio mentalis alia est purè, alia non purè mentalis.* 35. *Sine justa causa nunquam est licitum uti amphibologiâ.* 36. *Ex justa causa etiam in Juramento licitum est uti restrictione non purè mentali.* 37. *Quænam hic sit justa causa?* 38. *Usus restrictionis purè mentalis semper est illicitus.* 39. *Solvitur objectio.* 40. 41. 42. 43. 44. 45. *Resolutiones ex dictis.* 46. *Quid hic liceat reo criminis capitalis, si juridicè interrogetur?*

34 AMphibologia moralis, quæ hujus loci est, potissimùm consistit in restrictione mentali, ut vocatur. Ea duplex est, nempe purè mentalis, & non purè mentalis, sive realis & externa. Restrictio purè mentalis accidit, quoties verba secundùm se spectata, seclusis omnibus circumstantiis, significant falsum, sive quid aliud, quàm id, quòd loquens habet in mente, quamvis prout conjuncta cum eo, quod loquens intrà se retinet, habeant sensum verum. Exemplum est, si quis dicat, se vidisse Cæsarem, intelligendo intra se, quod viderit in statua expressum. Restrictio non purè mentalis est, quoties verba ex se quidem habent unum significatum, ex circumstantiis tamen & adjunctis determinantur ad significandum quid aliud: ut proinde, licèt secundùm se possint esse falsa, quatenùs consignificant simul cum circumstantiis, possint esse vera. Exemplum est, si Judex pronuntiet, Petrum esse innocentem, quem tamen privatâ scientiâ scit esse nocentem: nam circumstantiæ significant, Petrum à Judice haberi pro innocente juridicè, hoc est, secundùm allegata & probata.

Ad restitutionem non purè mentalem cum S. Viva & aliis reducendus est usus duplicis scientiæ, scilicet communicabilis, & incommunicabilis, quatenùs ex circumstantiis colligitur, verba esse accipienda, spectata tantùm scientia communicabili loquentis. Exemplum est, si Confessarius interrogatus, an aliquid sciat de peccato pœnitentis? Respondeat, se nihil scire: tunc enim ex circumstantiis apparet, ipsum nihil scire, quatenùs homo est, sive spectatâ scientiâ extra sacramentali, quæ sola communicabilis est. Sæpe etiam nomine restrictionis non purè mentalis Doctores intelligunt æquivocationem. Quamvis in rigore aliter esset loquendum. Nam æquivocatio propriè habetur, quando verba ex se habent duplicem sensum: ut, si quis dicat: *Petrus non est in triclinio*, ubi ly *non est* ex vi significationis accipi potest pro *non comedit*, vel pro *non existit*, & propositio in uno sensu esse vera, in altero falsa. Restrictio verò non purè mentalis in eo sita est, quòd verba, quæ de se unam tantùm significationem habent, ratione circumstantiarum habeant aliam. Sed quicquid sit: quæ in ordine ad praxim statuemus de una, etiam statuemus de altera. Vid. Viva par. 2. damnat. Thesium, in prop. 26. & 27. n. 3.

Dico primo. Sine justa causa nunquam 35
est licitum uti aliqua ex amphibologiis expositis, sive intra, sive extra juramentum. Ita certa apud omnes sententia. Ratio sumitur ex D. Thoma, 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1. ubi dicit: *Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus.* Atqui (subsumitur) non sibi invicem crederent, nec possent credere, si passim absque justa causa licitum esset loqui, & jurare amphibologicè; cùm semper nescirent, in quo sen-

sensu alter loqueretur, & omnia duplicitatibus fallaciisque essent obnoxia: quod manifestè vergeret in eversionem humani convictus & commercii. Vid. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 2. pu. 8. n. 107.

36 Dico secundo. Ex justa causa licitum est uti, etiam in juramento, restrictionibus non purè mentalibus. Ita communis. Ratio est: quia, dum verba habent ex se duplicem sensum, vel unum ex se, & alium ex circumstantiis, potest quis absque mendacio illa proferre in uno sensu, quem vult, & concipit, esto audientes, aut is, cui, vel coram quo loquitur, vel jurat, in alio sensu accipiant. Cumque adsit justa causa, sic amphibologicè verba proferendi, id licitè facit. Confirmatur. Juramentum, quod editur cum restrictione non purè mentali, dum adest justa causa, habet omnes tres conditiones, quibus positis juramenta sunt licita. Nam inprimis habet *veritatem*; quia jurans conformat verba sensui in mente à se determinato ex iis, quos secundùm se, vel ex circumstantiis habent: adeoque minimè mentitur. Deinde habet justitiam; quia supponimus, id neque edi in præjudicium alterius, neque ad voluntatem in malo confirmandam. Habet denique *judicium*, scilicet discretionis, ob justam causam occultandi veritatem. Hanc enim non semper manifestare tenemur, sed licitè aliquando prudenti dissimulatione celamus, ut ex S. August. docet D. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4. Adeoque omnibus consideratis licitum est juramentum ejusmodi amphibologicum.

37 Quæritur autem, quænam sit justa causa, ob quam licitus sit, sive intra, sive extra juramentum, usus restrictionis non purè mentalis? Respondeo, justam causam esse, quoties uti hac tali restrictione necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares conservandas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut hìc & nunc occultatio veritatis censeatur medium expediens ad ejusmodi finem aliquem honestum. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 6. n. 19. Salmantic. n. 109. Sporer tract. 3. in 2. Præcept. Decal. cap. 1. n. 109. Viva ubi suprà n. 14. Neque dicas, hac ratione nos incidere in prop. 27. damnatam ab Innoc. XI. in qua eædem causæ honestandi usum amphibologiæ recensentur. Respondetur enim, in illa prop. doceri, per recensitas causas honestari usum amphibologiarum universim, ac etiam cum restrictione purè mentali, quod nos minimè asserimus, sed doctrinam nostram coarctamus ad usum restrictionis non purè mentalis: velut etiam ex dicendis amplius patebit.

38 Dico tertio. In nullo unquam casu licitum est uti restrictione purè mentali. Hæc assertio hodie non ampliùs vocari potest in dubium, ut statim videbimus. Ratio illius est: quia restrictio purè mentalis est verè mendacium: ergo, qui illa utitur, vere ac formaliter mentitur, & consequenter etiam perjurium committit, si juramentum superaddat. Atqui in nullo unquam casu licitum est mentiri; ergo nec uti restrictione pure mentali aliquando est licitum. Ant. hujus discursus prob. primo ex Decreto Innocentii XI. ubi per damnationem proposit. 26. non solùm proscribitur usus restrictionis pure mentalis, sed etiam declaratur, eam esse revera mendacium, & juramentum illi additum esse perjurium. Prob. secundo hac ratione. Quia mendacium aliud nihil est, quàm locutio difformis menti loquentis: sed in restrictione pure mentali semper intervenit ejusmodi locutio; ergo nunquam purgari potest à mendacio. Maj. constat. Mi. ostenditur: Nam quoties verba neque secundum se, neque ratione circumstantiarum exprimunt objectum, prout est in mente loquentis, tunc eorum prolatio est difformis menti proferentis, esto, prout conjuncta cum eo, quod mente retinetur, veritatem exprimant. hoc enim, quod mente retinetur, ad locutionem, quatenùs directam ad audientem, ut eidem manifestetur judicium, quod loquens habet de objecto, quódque hic vult manifestare, impertinens est. Atqui hæc talia fiunt in restrictione pure mentali; ergo &c.

Confirmatur. Eadem inconvenientia, quæ in humana societate sequerentur, si ob justam causam licitum esset mendacium, sequerentur, si ob similem causam licitum esset uti restrictione purè mentali: ergo quemadmodum in nullo casu licitum est mentiri, ita etiam in nullo casu licitum est uti restrictione purè mentali. Consq. patet. Ant. ostenditur. Nam, si darentur justæ causæ, ob quas licitum esset mendacium, tolleretur omnis fides tum humana ad commercium & convictum civilem necessaria, tum Divina & Catholica. Humana quidem: quia tunc nullus esset sermo inter homines, nulla asseveratio etiam jurata, cui fidere quis posset; cùm cuilibet liberum esset verbô & scriptô dicere & jurare, quæ vellet, candida pro nigris, & pro candentibus atra. Divina verò tolleretur: quia, si homini ob justam causam liceret proferre mendacium, etiam Deo liceret. Hoc ipsum quoque licitum esset Prophetis, Apostolis, Evangelistis, & Doctoribus Ecclesiæ quibuscunque; sicque tota Fides Catholica everteretur. Atqui omnis hæc fides similiter tolleretur, si darentur justæ causæ, ob quas licitum esset uti restrictionibus purè mentalibus, ut pluribus deducunt Salmantic. ubi suprà à n. 126.

39 Objicies. Omnibus pensatis, eadem inconvenientia sequi videntur ex usu restrictionis non purè mentalis, quæ modo secutura

esse contendimus ex usu restrictionis purè mentalis: ergo vel utraque est rejicienda, vel neutra, quod est contra dicta in præcedentibus. Ant. prob. quia semel admisso usu restrictionis, etiam non purè mentalis, similiter nullus esset sermo inter homines, nullaque asseveratio, quantumcunque jurata, cui fidere quis posset: cùm nunquam scirent audientes, quo sensu loquens verba proferret: imò nec scirent fideles, quo sensu Deus in sacra Scriptura, Sancti Patres in libris, Doctores in cathedris, Concionatores in pulpitis loquerentur: adeoque fides non tantùm humana, sed etiam Divina everteretur.

Respondeo neg. Ant. unà cum probat. vel enim loquitur objectio de usu restrictionis non purè mentalis ob justam causam, vel absque justa causa? Si hoc posterius; nemo illâ uti potest sine peccato; sicut nemo jurare potest sine peccato, dum non habet justam causam jurandi; adeoque prudenter fiditur, quantum est ex hoc capite, cuilibet testanti, asseveranti, juranti; cùm nullus præsumatur tunc uti restrictione etiam purè mentali; sicut nullus præsumitur velle peccare, saltem communiter, & nisi aliunde id sufficienter colligatur. Si verò illud prius; tunc audientes à propria potius inadvertentia, incuria, insciția, vel etiam pravitate, quàm à loquente, decipiuntur. Cùm enim verba habeant duplicem sensum, vel ex se utrumque, vel unum ex se, & alium ex circumstantiis loci, personæ, temporis, modi interrogandi &c. audiens illis solerter attentis devenire posset in notitiam sensus, in quo loquens ea profert. Sibimet proinde imputet, si decipiatur, non fallaciæ loquentis. Nam iste jus habet proferendi verba in sensu, quo voluerit, & ob justam causam potest loqui in uno à se determinato, quamvis audientes ea accipiant in alio. Ex quo nullum periculum conscisceitur fidei Divinæ, vel humanæ, sicut tamen conscisceretur ex licito usu restrictionis purè mentalis, ubi neque ex verbis prolatis, neque ex circumstantiis colligi posset sensus à loquente intentus. Vid. Salmantic. n. 133. & 134. Ex dictis resolves sequentia:

40 I. Christus Dominus nunquam locutus est cum restrictione purè mentali. Ratio est manifesta: quia Christus nunquam locutus est, nec potuit loqui, cum mendacio: sed loqui cum restrictione pure mentali est loqui cum mendacio; ergo. Unde testimonia S. Script. quæ in contrarium afferri solent, explicari debent de restrictione non pure mentali. Illorum primum habetur Joan. 7. ubi Christus rogatus, ut ascenderet ad diem festum, respondit: *Non ascendam ad diem festum hunc*: & tamen postea ascendit; ubi illud, *non ascendam*, non posset verificari, nisi addito *manifestè* in mente Christi retento; quem tamen sensum verba non habere videbantur. Secundum est Joan. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod Christus dicebat de templo sui corporis, Judæi autem accipiebant de templo Hierosolymitano, nec poterant in alio sensu accipere, ajunt objicientes. Tertium est Joann. 11. *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum.* Discipuli *autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret*: cùm tamen Dominus de dormitione mortis loqueretur: quod similiter non apparet, quomodo ex verbis prolatis audientes potuerint colligere. Quartum est ex Matth. 24. & Marci 13. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi solus Pater.* Quæ sententia non videtur posse verificari, (cùm Christus haud dubiè sciverit diem supremi judicii) nisi cum restrictione in mente retenta, *ad revelandum aliis.* Ad primum ex his testimoniis dicitur, verba illa ex circumstantiis satis denotâsse, Christum non ascensurum publicè, id est, cum aliis in publico comitatu, nam hoc modo ut ascenderet, volebant ejus fratres, sive consanguinei: ad quorum proinde petitionem respondit, *non ascendam*, nempe hoc modo, quo vos petitis. Postea quippe ascendit *non manifestè, sed quasi in occulto*, ait Evangelista, quod priùs non negaverat, se facturum. Ad secundum dicitur similiter, ex circumstantiis facilè conjici potuisse, Christum loqui de templo sui corporis: sicut revera conjecerunt Apostoli præsentes, qui, ut notat Evangelista, post Resurrectionem recordati sunt, quòd de eo templo fuerit locutus. Judæi tamen odio excæcati in Dominum id non advertterunt, sed putârunt, ipsum loqui de templo Hierosolymitano. Ad tertium dicitur eodem modo, Apostolos ex circumstantiis facilè colligere potuisse, quòd Christus de morte Lazari loqueretur: nam si de dormitione somni fuisset locutus, utique excitari à quovis alio potuisset. Ex Divina tamen permissione factum est, ut illi putarent, Dominum loqui de dormitione somni. Ad quartum dicitur, eam restrictionem non fuisse pure internam; cùm Apostoli sensum illum ex circumstantia personæ loquentis facilè potuerint advertere. Nam sæpius audierant ex Christo, ipsum esse Deum, & manere apud Patrem: ex quibus pronum erat judicare, Dominum non absolutè nescire diem ac horam extremi judicii, sed non scire in ordine ad manifestationem externam, sive scientiæ communicabili; utpote quam, quatenùs Legatus ad docendum nos Divina mysteria, non acceperat à Patre. Vid. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 13. n. 7. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 2. pu. 8, n. 119. Sporer. tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 1. n. 106. Viva part. 2. damnat. Thes. in prop. 26. & 27. Similibus

modis

modis explicandi sunt etiam alii textus S. Script. ambigui & amphibologici.

41 II. Testis illegitime, sive non juridice interrogatus de delicto Rei, etiam cum juramento negare potest se scire, subintelligendo, *ita ut tenear manifestare.* Ratio est: quia ex circumstantiis personæ tum interrogantis, tum interrogatæ, forique, in quo fit interrogatio, non nisi de eo, quod quis respondere, & manifestare tenetur, interrogari præsumitur. Imò ob hanc eandem rationem etiam juridicè interrogatus dicto modo respondere potest primo, si ex alio capite non tenetur ferre testimonium, putà, si propterea notabile ipsi damnum immineat. Secundo, quando id, quod exterius factum est contra legem, ratione alicujus circumstantiæ excusatur à culpa. Exempla sunt, si quis hominem occidit jure propriæ defensionis, vel, quòd ex invincibili ignorantia putaverit esse feram. Item, si quis rem alienam in certi debiti compensationem surripuit. In his casibus potest juridicè interrogatus negare, quòd Reus hominem occiderit, rem alienam surripuerit: quia judex nonnisi de facto criminoso interrogare præsumitur, quale hîc nullum revetà datur. Quod de teste dictum est, de Reo quoque ipso intelligi debet. Vid. Salmantic. n. 139.

42 III. Debitor, qui aliqua bona abscondit, eò quòd illis indigeat ad sustentandam vitam, potest à Judice interrogatus sub juramento, an bona quædam habeat abscondita ad satisfaciendum creditoribus, jurare, se nulla bona habere, subintelligendo, *quæ Judici manifestare teneor.* Ratio est: quia justa intentio Judicis interrogantis est de bonis, quæ interrogatus manifestare tenetur, secundùm quam intentionem verum respondet. Ob eandem rationem, qui fisco, vel tributis, aut gabellis aliquid ex vera necessitate subtraxit, jurare potest, se nihil subtraxisse, subintelligendo, *quod dare tenerer.* Similiter Religiosus, aut Clericus portans vel vehens quidpiam, ex quo tamen gabellam non tenetur solvere, ab exactore interrogatus dicere potest, addito juramento, nihil porto, vel veho mecum, intelligo, *ex quo tibi gabellam solvere debeam.* Præterea Clericus apud Judicem sæcularem de crimine, quod verè commisit, accusatus, jurare potest, se illud non commisisse, subintelligendo, *ita ut coram tali judice fateri tenear.* Vid. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 6. n. 29. & 31. Salmantic. n. 140. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 4. §. 2. Sporer, ubi suprà n. 121.

43 IV. Qui puellæ promisit matrimonium, estque ob justam causam immunis ab obligatione contrahendi, potest, si coram Judice conveniatur, negare additò juramentò, se fœminæ matrimonium promisisse, subintelligendo; *ita ut debeam cum illa contrahere.* Similiter, qui gravi metu coactus, vel absque ullâ intentione se obligandi dixit mulieri, *accipio te in meam*, si postea de his sub juramento interrogetur à Judice, negare potest, se talia verba dixisse, subintelligendo, eo sensu, quo Judex arbitratur, nempe, quòd eam in matrimonium libero consensu acceperit. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 14. n. 8. Sporer n. 122. Præterea fœmina, quæ certò scit, matrimonium à se cum Cajo initum esse nullum, & adigitur vel à Judice Ecclesiastico, vel à Confessario ad cohabitandum cum illo, jurare potest, se velle cohabitare, intelligendo cohabitationem sibi licitam, quæ sola est juxta debitam intentionem compellentis. Salmantic. n. 141.

V. Qui interrogatur, an veniat ex loco, 44
qui falsò putatur peste infectus, revera tamen non est, potest jurare quoque, se inde non venire, intelligendo, tanquam ex loco peste infecto, qualis existimatur. Suarez to. 2. de Relig. lib. 3. cap. 9. n. 7. Sanchez n. 35. Laym. loco cit. Salmantic. Sporer, locis citt. qui omnes Authores cum plerisque aliis etiam concedunt, tametsi locus sit peste infectus, inde venientem, si tam celeriter transivit, ut certò credat, se nihil luis contraxisse, posse jurare, quòd illac non transiverit, subintelligendo, *ita ut aliquid contagii inde hauserit.* Quòd si verò moram id loci traxerit, tenetur hoc fateri citra ambiguitatem, quamvis existimet, se nihil mali contraxisse: tunc enim semper est periculum contagionis, &, nisi certus sis, nullum subesse periculum, semper justa est interrogatio custodum, ut sonat in suis verbis. Salmantic. loco cit. Imò sæpè justa est intentio interrogantium, utrùm viatores quamcunque moram, longam, aut parvam, in loco infecto traxerint, ait Laym. loco cit. cùm facilè contingat, etiam non advertentem peste corripi in corpore, vel vestibus, præsertim si aër infectus est. Plura exempla allatis similia passim est legere in Authoribus.

VI. Confessarius, dum à Tyranno ur- 45
getur, ut manifestet peccatum Pœnitentis, potest juratus negare, se habere notitiam illius. Ratio est: quia spectatis circumstantiis, quòd ita negans sit Confessarius, verba significant, ipsum non habere notitiam peccati, quatenùs homo est, sive notitiam communicabilem. Ubi nulla est restrictio purè mentalis. Quod confirmatur exemplò Christi Domini, qui, ut audivimus in n. 40. absque hac tali restrictione verissimè dixit, se non scire diem judicii, nempe scientia communicabili. Quòd si Tyrannus ulteriùs instet interrogando Confessarium, an aliquid de tali peccato sciat ut Confessarius, sive scientia Sacramentali

mentali licitè incommunicabili? Potest ille ac debet iterum asserere, se nihil scire, etiam spectata hac tali scientia: quia ex circumstantiis colligere est, Confessarium tunc loqui, quatenùs homo est, & secundùm scientiam extrasacramentalem, relatè ad quam verè nihil scit, quod spectet ad scientiam Confessarii, ut Confessarius est, nempe ad scientiam Sacramentalem. Vid. Viva ubi suprà, n. 3. & 13.

46 Quæritur demum, an Reus criminis capitalis, si juridicè interrogetur, sitque spes evadendi, possit cum juramento negare delictum? Negant quàm plurimi cum D. Thoma 2. 2. q. 69. a. 1. éstque hæc sententia communis. Ratio illius potissimùm est: quia subditus tenetur obedire Superiori in omnibus, quæ idem justè & legitimè præcipit: sed Judex respectu Rei est Superior; ergo Reus eidem, in iis, quæ justè & legitimè præcipit, tenetur obedire. Atqui Judex justè & legitimè, ut supponitur, præcipit Reo, ut apertè ac syncerè fateatur delictum; ergo tenetur in hoc obedire & fateri. Confirmatur ex eo, quòd sublata hac tali obligatione fatendi crimina homines ob spem impunitatis multò audaciores redderentur ad delinquendum: quod cederet in grave detrimentum Reipublicæ. Sed nihilominùs etiam plures affirmant, posse tunc Reum sine peccato, saltem mortali, negare delictum, etiam cum juramento. Inter illos sunt Card. de Lugo to. 2. de Just. disp. 40. sect. 1. n. 15. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 4. §. 3. n. 5. & etiam post damnatas propositiones Busembaum lib. 4. cap. 3. dub. 7. in edit. Colon. Anno 1685. Cassianus à S. Elia, Amphibol. 1. cap. 7. n. 119. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 1. n. 115. Cardenas in Crisi Theol. dissert. 19. n. 81. & seqq. Mezger to. 3. tr. 13. disp. 47. a. 4. n. 5. Ratio satis efficax redditur: quia nimis difficile, & supra naturæ vires, atque adeo moraliter impossibile appareat, ut quis contra se ipsum testimonium dicat, quo dicto subeundum instet capitale supplicium; ergo nulla humana potestas, per se loquendo, & secluso pacto, ad hoc præcipiendum se potest extendere, & consequenter neque potestas Judicis, quantumvis legitimè & juridicè interrogantis. Itaque juxta hanc sententiam probabilem Reus in dicto casu crimen negare potest juratus cum restrictione non pura, scilicet negando, id à se commissum, *ita ut teneatur fateri, quamdiu est spes evadendi.* Quòd si spes ista decollavit, cessat ratio adducta. Fundamento prioris sententiæ occurritur negando, Judicem esse legitimum Superiorem in ordine ad rem tam arduam præcipiendam. Ad Confirmat. dicitur, obligationem illam etiam sub mortali, non magnopere conducere ad bonum Reipublicæ: cùm Rei ut plurimùm timore peccati non moveantur ad confessionem criminum: moveantur autem plerique metu tormentorum, quorum comminatio, sicut & inquisitio testium sunt viæ in hac parte providendi Reipublicæ, absque eo, quòd necessarium sit Reos ad fatendum crimina obligare sub mortali peccato. Quod dictum est de periculo capitis seu vitæ, extendunt iidem Authores ad quodcunque aliud genus gravis pœnæ, ut exilii, triremium, amissionis bonorum, perpetuæ infamiæ, & similium malorum, ad quæ à nobis avertenda, perinde atque ad mortem propulsandam, naturali jure armamur. Vid. Tambur. loco cit. n. 6.

§. V.

De Obligatione Juramenti promissorii.

SUMMARIUM.

47. *Quænam circa præsentem obligationem observanda.* 48. 49. 50. *Juramentum de opere mortaliter, vel venialiter malo, aut indifferenti, quatenus indifferens est, nullam parit obligationem.* 51. *Quid si opus illicitum, vel indifferens, mutatis circumstantiis, evadat honestum, vel utile?* 52. *Juramentum de opere honesto, minus tamen bono, in Dei honorem præcisè factum non parit obligationem, quando oppositum est melius.* 53. *Juramentum de opere honesto editum in utilitatem alterius hominis semper obligat.* 54. *Corollarium.* 55. *Quid, si is, in cujus gratiam juratum fuit, rem juratam inique acceptet, vel juramentum ipsum iniuriosè extorserit?* 56. 57. 58. 59. *Resolutiones practicæ.*

47 AD hanc obligationem melius intelligendam duo observari debent, scilicet materia, circa quam editur Juramentum, & conditiones in juramento implicitè involutæ. Nam his deficientibus juramentum non obligat; cùm nulla conditionata promissio habeat vim, quamdiu non transit in absolutam per impletionem conditionis requisitæ. Itaque de materia Juramenti.

48 Dico primo, Juramentum de opere patrando, quod continet malitiam vel mortalem, vel venialem, non parit obligationem. Ita communis & certa doctrina. Ratio est: quia, ut dicitur in cap. *Quanto, de Jurejur. Juramentum institutum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis.* Consonat Reg. 58. *in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum, juramentum &c.* Aliunde quoque etiam in terminis videtur absurdum, dari obligationem faciendi rem illicitam.

49 Dico secundo. Neque ex juramento de facienda, vel omittenda, re indifferenti, quatenùs indifferens est, & ad nullum finem ordinata, oritur obligatio. Ita communis. Ratio est: quia actio humana, ejusve omissio, secundùm se, sive ex objecto indifferens, si in individui-

dividuo ad nullum finem referatur, manet otiosa; adeoque moraliter mala, ut habet probabilior sententia: ergo non potest esse materia juramenti obligatorii; ut patet ex n. præced. Vid. Suarez to. 2. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 1. Filliuc. tr. 25. cap. 7. n. 180. & 182. Sayr. lib. 2. Clavis Reg. cap. 7. n. 3. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 4. n. 2. Laym. lib. 4. tr. 3. c. 6. n. 3. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 2. a. 4. n. 58. & alii. Neque dicas, sententiam, qua asseritur, actum in individuo indifferentem non esse peccaminosum, niti sua probabilitate: & consequenter juxta hanc saltem esse materiam juramenti obligatorii, respondetur enim neg. conseq. sicut enim juramentum non est vinculum iniquitatis, ita neque est vinculum obligans ad viam minùs securam vitandi iniquitatem sive peccatum. Suarez loco cit. Deinde dato etiam, actum ejusmodi in individuo non esse malum, concedi tamen debet, bonum non esse, aut utilem. Juramentum autem non obligat ad actum, qui bonus non est, nec utilis: consequenter, abstrahendo quoque à priori principio, actus indifferens non est materia Juramenti promissorii.

50 Quare, si jurâsti v. g. te festucam levaturum; ad ædes alicujus non accessurum; cum tali persona, in tali domo non lusurum, non teneris servare juramentum: quia id, quod jurâsti, est indifferens, adeoque vanum, & otiosum, aut saltem non bonum, aut cuiquam utile. Quòdsi verò actio, sive omissio actionis ex se indifferens ad finem honestum, vel alterius utilitatem referatur, tunc, quia induit honestatem virtutis alicujus, evadit materia capax juramenti obligatorii. Unde, si jurâsti, te ædes alicujus non ingressurum, non lusurum, non locuturum cum tali persona, peccati vitandi causâ: vel, te
52 non accessurum alicujus tabernam, apothecam, molendinum in gratiam Titii, in cujus utilitatem cedit; te ista non accedere, teneberis juramentô. Sayr. Bonac. Laym. loc. citt.

51 Huc addendum cum eodem Laym. & Illsung ubi suprà, non obligare juramentum de opere indifferenti, vel illicito, licèt postea ex mutatione circumstantiæ fiat utile & honestum. Ratio est: quia juxta Regul. 18. Jur. in 6. *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.* Atqui juramentum, de quo loquimur, ob defectum materiæ, ab initio non subsistit: ergo. Atque hinc, si jurâsti sine causa rationabili, te has ædes nunquam ingressurum, postea-que emergit justa causa nunquam ingrediendi; eò quod habitet ibi persona, quæ præbere possit occasionem peccandi, non teneris ab ingressu earum ædium abstinere virtute juramenti; utpote ab initio vani & irriti, esto tenearis ex alio cap. Similiter, qui votô castitatis obstrictus alicui cum juramento absolutè promisit matrimonium, non tenetur postea, obtenta dispensatione voti, inire matrimonium; quia promissio illa ab initio fuit irrita. Dixi tamen, *qui absolutè promisit*: nam si promissio supponatur fuisse tantùm conditionata ab initio, haud dubiè obligabit impletâ conditione: cùm facta sit pro eo tempore, quo implenda erit conditio. Illsung loco cit.

Dico tertio. Juramentum de opere honesto quidem, sed minùs bono, in Dei præ- 52
cisè honorem emissum non obligat, quando oppositum rei juratæ est melius, eivè aliud opus melius substituitur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2. Suarez de Relig. tomo 2. lib. 2. cap. 12. n. 11. Sanchez lib. 3. Decal. cap. 9. n. 11. Laym. ubi suprà n. 5. Illsung n. 59. & alii. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam, seu conditionem promissionis cui adjungitur: ergo, quemadmodum votum de opere, cujus contrariè oppositum est melius, vel de opere, quod in aliud melius opus commutatur, non obligat, ita nec juramentum de illo obligat. Confirmatur. Tam votum, quàm juramentum de opere in Dei præcisè honorem faciendo censentur implicitè conditionata, nempe, nisi opus promissum aut juratum in opus melius commutetur: ergo facta hac tali commutatione neutrum obligat. Illsung loco cit. Itaque, qui juravit v. g. se peregrè iturum ad limina Apostolorum, vel sepulchrum S. Jacobi, posteaque statuit ingredi Religionem, idque facere non potest, nisi juratam peregrinationem intermittat, non tenetur peregrinari, sed licitè Religionem ingreditur: quia non violat hac ratione fidem suæ promissionis, sed operi promisso aliud melius substituit. Sayr. lib. 5. Clavis Reg. cap. 7. n. 3.

Dico quarto. Juramentum de opere 53
honesto in gratiam, vel utilitatem alterius hominis, Ecclesiæ, vel totius alicujus communitatis editum semper obligat, nec potest in aliud opus quantumvis melius pro jurantis arbitrio commutari. Ita communiter DD. Probatur ex recepta Regula Juris in cap. *Quamvis pactum, de pactis, in* 6. cap. *Cum contingat de Jurejur.* nempe: *Juramentum homini præstitum servandum est, quotiescunque sine peccato, sive salutis dispendio servari potest.* Et hoc intelligi debet, ut notat cum aliis Laym. n. 6. non tantùm de juramento proprie promissorio ab homine acceptato, sed etiam de eo, quod sine promissione editum; imò solo quoque interno animo conceptum est, quodlibet enim ob Nominis Divini reverentiam ex virtute Religionis parit obligationem.

Corollarium. Qui juravit, se Titio do- 54
naturum decem, etsi videat, se majori fructu

eos posse erogare in pauperes], tenetur tamen juramentô, donec Titius obligationem ejus sponte remittat. Ratio est: quia edito semel juramento in favorem vel utilitatem Titii, non est amplius in arbitrio ejus, qui edidit, rem juratam mutare in aliud opus, etiam melius. Neque dicas: opus Deo juratum mutari potest in aliud melius pro arbitrio jurantis; ergo etiam opus homini juratum: cùm juramentum non arctiùs obliget erga hominem, quàm erga Deum: respondetur enim discrimen esse in eo, quòd Deus hac tali commutatione præsumatur esse contentus; & intuitu operis melioris, ceu magis accepti, remittere obligationem. atqui homo non meritò præsumitur esse contentus; si pro opere ipsi utili præstetur aliud, absolutè quidem melius, sed minùs utile: hoc enim non præsumi potest esse æquè, vel magis acceptum. Laym. loco cit. Illsung ubi suprà, n. 60.

55 Dico quinto. Quando res jurata in alterius commodum non est intrinsecè mala, sed accedente certo fine & causa honestabilis, juramentum de illa factum obligat, licèt is, cui fuit juratum, ejusmodi rem injustè acceptet; vel juramentum ipsum per injuriam, metum injustum, vel dolum extorserit, dummodò dolus non induxerit errorem substantialem. Tota hæc Conclusio communis est inter Authores, teste Illsung n. 61. Ratio illius quoad omnes partes est eadem, quæ proximè prioris: quia omne juramentum editum in gratiam alterius servandum est, quando sine propriæ salutis dispendio servari potest: atqui juramentum tali modo editum servari potest sine propriæ salutis dispendio; ergo. Per dispendium porrò salutis intelligitur peccatum etiam veniale: quia saltem disponit ad perdendam salutem, &, quamdiu non est deletum, impedit consecutionem ejusdem. De cætero excipiendum est juramentum de contractu matrimonii, ad quem ineundum quis metu injusto fuit adactus. nam tale matrimonium, licèt accedat juramentum, non redditur validum, sed manet irritum, juxta cap. 2. *de eo, qui duxit, &c.* Nunc ex dictis resolves sequentia.

56 I. Qui injusto mutuatori juratus promisit usuras, tenetur eas solvere. Suarez lib. 2. de Relig. cap. 9. n. 7. & 8. Sanchez lib. 3. in Decal. c. 11. n. 5. Laym. c. 7. n. 1. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 2. n. 69. & alii contra Cajetanum, & Valentiam. Habetur in cap. *Debitores. de Jurejur.* & ratio est: quia, licèt fortè promissio & juramentum fuerit illicitum, non tamen fuit de re illicita, sed de re licita, & quæ sine peccato præstari potest, scilicet usuræ solutio.

57 II. Qui metu adactus latroni v. g. promisit addito juramento pecuhias, itidem tenetur eas solvere. D. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. & q. 98. a. 3. ad 1. Salmantic. loco cit. Laym. n. 2. traditurque expressè in cap. *Si verò de Jurejur.* cap. *Ad audientiam. de his, quæ vi &c.* Ratio est, quia hoc tale juramentum nihil continet saluti animæ contrarium, sed licitè, honestèque servari potest. Ubi tamen notandum est cum Laym. loco cit. & Illsung n. 62. ita metu adactum posse, facta solutione, pecunias solutas in judicio repetere, petendo restitutionem in integrum. Ratio est: quia, licèt promiserit juratus, se daturum pecunias, non tamen promisisse censetur, se non repetiturum in judicio: cùm juramentum, præsertim iniquè extortum, ad plus non obliget, quàm secundùm strictam interpretationem promissum est. Unde etiam, si hoc ipsum juravit latroni, nempe se non repetiturum in judicio, tenetur quidem intermittere hanc actionem civilem, non tamen prohibetur eundem accusare de crimine, ut publicè vindicetur & puniatur. Si etiam accusationem criminis juramentô sibi interdixit, licitum adhuc manet denuntiare, ut ex officio Judex procedat: quia juramentum non fuit de non denuntiando, sed de non accusando. Si denique juravit, se neque denuntiaturum, tunc non obligatur juramentô, utpote de re illicita, quod intellige, si denuntiatio necessaria esse videatur ad publicam, & aliis etiam perniciosam latronis injuriam avertendam; aut etiam criminis emendationem in foro Ecclesiastico. Et potest tunc denuntians restitutionem latroni imperatam acceptare, si vim passus aliquid solvit, etiam cum juramento non repetendi. Vid. Suarez cap. cit. num. 18. Laym. loco cit. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 2. 4. n. 62.

58 III. Qui juravit tyranno, vel latroni, à quo injuste detinetur, se rediturum in carcerem, si demittatur, tenetur redire, tametsi certo prævideat, post talem reditum sibi mortem esse subeundam. Ita Suarez cap. 10. n. 14. & 15. Sanchez cap. cit. n. 32. Filliuc. tr. 25. c. 6. n. 167. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 9. n. 2. Laym. n. 3. Salmantic. cap. cit. pu. 9. n. 75. Illsung loco cit. contra Vasquez, Navarrum, Dianam & alios. Ratio est: quia, supposita semel promissione, talis reditus est opus magnæ veracitatis & fidelitatis: quod proinde exerceri potest absque periculo æternæ salutis: ergo nihil obstat, quominùs juramentum de illo sit obligatorium. quod tamen intellige, si hujusmodi captivus prævideret illud periculum mortis, quando juravit. nam si postea primùm cùm, esset redeundum, id cognoscat, vel advertat, non obligatur juramentô: quia ad objectum tam notabiliter mutatum ejus intentio se non extendisse præsumitur.

sumitur. Vid. Suarez n. 16. Salmantic. n. 73. Confirmatur. Qui detentus in carcere injustè juravit, se non fugiturum, prævisso periculo mortis, si maneat, tenetur servare hoc tale juramentum; quia potest servare sine peccato. Atqui moraliter idem est non fugere, dum facilè potes, ac redire: siquidem redeundo te restituis in statum, in quo antè fueras; ergo. Suarez n. 15. Laym. loco cit. Unde etiam notat cum aliis Illsung loco cit. quamvis juramentum, quo Christianus aliquis se Turcis obligavit ad redeundum in captivitatem, per se loquendo, propter vim injustè illatam, remitti posset, remitti tamen nec solere, nec debere, tum ob scandalum & probrum Christianæ Religionis, tum alia majora mala evitanda. Eadem ratione, si captivus Turcis jurâsset, se centum v. g. aureos daturum pro redemptione, teneretur libertati redditus solvere hoc lytrum. Salmantic. n. 74.

59 IV. Qui juratus promisit, se daturum Caio lapillum, quem scivit esse gemmam magni pretii, obligatur ad dandum, tametsi errore inductus, vel dolosâ simulatione Caii deceptus putaverit, hominem esse pauperem, cùm sit dives; dummodò sublevationem pauperis sibi non præfixerit pro fine liberalitatis promissæ. Laym. n. 5. Illsung n. 63. Ratio est: quia hic talis error, vel dolus tantùm versatur circa conditionem, vel circumstantiam accidentalem rei promissæ. Quòdsi verò promittens lapillum nescivisset esse gemmam, vel donationem intendisset ut formalem sublevationem alienæ indigentiæ, tunc error esset substantialis, & juramentum irritum: quia deficeret consensus in rei substantiam: nam si promittens non fuisset in tali errore, non promisisset & jurâsset. In similibus demum casibus, ut meritò advertunt Authores citt. attendi debet intentio jurantis: cùm actus agentium, præsertim obligatorii, non extendantur ultra intentionem eorum.

§. VI.

De conditionibus Juramenti promissorii tacitè subintellectis.

SUMMARIUM.

60. *Omne Juramentum promissorium, etiam absolutè factum, implicitè involuit aliquas conditiones.* 61. 62. 63. 64. 65. *Afferuntur & declarantur illæ conditiones.* 66. *Resolvuntur varii casus.* 67. *Qualiter obliget Juramentum de servando statuta alicujus Collegii, Universitatis, vel alterius Communitatis.* 67. *Quomodo obliget Juramentum Medicorum se obligantium admonendum infirmos de Confessione peccatorum.* 69. *An consuetudo jurandi hominem constituat in statu peccati mortalis?*

60 IN omni juramento promissorio, quamvis absolutè factum esse videatur, juxta communem doctrinam aliquæ conditiones includuntur, quibus positis subsistit, non positis, non subsistit ejus obligatio: sicut colligitur ex cap. *Quemadmodum. de Jurejur.* quæ conditiones ferè omnes, ut advertit Illsung tr. 5. disp. 1. q. 2. a. 4. n. 64. deducuntur ex sequenti principio: *Omne juramentum sequitur naturam actûs, super quem cadit.* cùm enim sit aliquid accessorium actui promissionis, aut propositi, in eo locum habet illa Juris Regula 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Unde extensio obligationis in juramento pensanda est penès obligationem promissionis, ita ut æquè sit ampla, non magis, non minùs. Sunt autem conditiones illæ sequentes præcipuè.

61 Prima est: *Si potuero.* Ratio est: quia ad impossibile nemo obligatur. quod intelligendum est de impossibili impossibilitate non tantùm physica, seu naturali, sed etiam de impossibili impossibilitate morali: qua nempe quid facere non possumus sine ingenti difficultate & incommodo. Quòdsi tamen, dum jurâsti, ejusmodi difficultatem, sive impossibilitatem moralem habuisti perspectam, ad illam quoque exantlandam te obligâsse censeris: quemadmodum cum P. Gobat docet Sporer tr. 3. in 2. Præcept. Decal. c. 1. n. 77. unde, si visa tali impossibilitate jurâsti, te iturum in militiam v. g. vel servaturum infirmis, teneris servare juramentum. Si una pars rei promissæ reddatur impossibilis, & altera maneat possibilis, hæc erit servanda: quia *utile per inutile non vitiatur*, si ab inutili separari possit, & sine dependentia ab illo promissum fuerat, ut ex communi docet Laym. lib. 4. tr. 3. cap. 9. num. 4. Sporer loco cit. quæ eadem doctrina habet locum, si una pars rei promissæ sit licita, altera illicita, veluti contingit in promissione prodiga, cujus executio quoad partem, in qua nulla est prodigalitas, est licita, quoad partem verò, quæ excedit, est illicita, saltem venialiter: adeoque promissio non quidem quoad hanc, sed quoad illam partem obligat: quia sine peccato impleri potest. Suarez to. 2. de Relig. lib. 2. c. 23. n. 8. Salmantic. to. 4. tr. 17. c. 2. pu. 5. n 71.

62 Secunda conditio est. *Salvo jure & auctoritate Superioris.* Ratio est: quia, cùm Deus imposuerit homines super capita nostra, & subditorum voluntates subjecerit voluntati Superiorum, illorum promissiones juratas noluit cedere in horum præjudicium, sed voluit eisdem esse integrum juramenta sibi præjudicantia

judicantia irritare, vel ob justam causam relaxare, vel in illis dispensare, vel quomodolibet circa ea aliter disponere. Sumitur hæc conditio ex Jure Ecclesiastico, cap. *venientes.* cap. *ad nostram* 3. *de Jurejur.* & cap. *non est de voto.* ubi dicitur: *Non est dicendus voti transgressor, qui, quod vovit, authoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere.* quod idem ob eandem rationem tenendum de Juramento. Vid. Laym. loco cit.

63 Tertia conditio est. *Nisi is, in cujus gratiam juratum est: obligationè remittat.* Ratio est: quia omnis obligatio juramenti promissorii pendet ex voluntate promissarii, sive creditoris. Quare si hic obligationem vel non acceptet, vel acceptatam remittat, saltem tacitè aut virtualiter, is, qui juravit, ad nihil præstandum tenetur. Vid. Suarez cap. 34. n. 3. Ex quo patet, te non peccare contra juramentum, quod honoris causa edidisti dicendò ad alterum, v. g. per Deum, non præcedam, non sedebo prior, licèt præcedas, aut prior sedeas, dum ille ad hoc instat & urget: quia hac ratione censetur cedere jure suo, & obligationem remittere. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 16. n. 2. Illsung, ubi suprà, n. 68. & alii.

64 Circa hanc tertiam conditionem notandum est, juramentum promissorium tripliciter posse fieri in gratiam hominis. Primo ita, ut non intendatur ejus utilitas, sed solus honor Dei, ac salus propria jurantis: ut, dum quis juratus promittit Confessario, se Religionem ingressurum, talem occasionem peccandi vitaturum &c. Secundo ita, ut directè spectetur ejus utilitas, ut, si jures Titiæ, te non aliam ducturum in uxorem, nisi ipsam. Tertio, ita, ut principaliter quidem Deum, ejusque honorem respiciat; simul tamen secundariò utilitatem certi cujusdam hominis: v. g. si ex virtute charitatis aut misericordiæ commotus jures, te pauperi puellæ huic dotem daturum, certo Monasterio prædium donaturum. In primo ex his modis jurandi ille, cui juratum est, non potest promissorem à sua obligatione absolvere, ut docet D. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. in secundo autem & tertio certum est cessare obligationem juramenti, si persona, in cujus utilitatem emissum est, eam remittat, vel beneficium respuat, aut acceptare nolit. Sed dubium est de hoc tertio modo, si hæc talis persona beneficium quidem non respuat, tanquam sibi non acceptum, nolit tamen ad id præstandum obligari jurantem, sed in ejus gratiam remittat obligationem, utrùm hoc ad juramenti relaxationem sufficiat? Affirmant Navarrus, Henriquez, Sanchez apud Laym. n. 5. quorum sententiam idem ait esse probabilem. Ratio est: quia Deus ejusmodi juramentum, seu votum juratum acceptat in ordine ad voluntatem hominis, in cujus utilitatem editur, ergo hoc ipso, quòd voluntati hominis nolentis obligari promittentem satisfactum sit, etiam Deo, & obligationi erga Deum satisfactum esse censentur. Negant verò Suarez lib. cit. cap. 39. n. 8. Laym. loco cit. Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 1. n. 80. & alii ab his relati. Ratio est: quia Deus talem promissionem acceptavit. sicuti facta est, scilicet principaliter ad suum honorem & cultum, solùm verò secundariò ad utilitatem hujus hominis, seu personæ: ergo licèt per illam condonationem, seu remissionem obligationis factum sit, ut homini nihil amplius debeatur vi juramenti, non tamen factum est, ut Deo non maneat debitum illud opus misericordiæ vel charitatis ipsi promissum, quod homo non respuit, sed acceptat, ut supponitur.

Quarta conditio est. *Si res in eodem* 65 *statu permanserint*, sive, *notabiliter mutatæ non fuerint.* Sumitur ex variis Canonibus Juris Ecclesiast. quos commemorat Suarez cap. 34. n. 4. Ratio est: quia notabilis mutatio circumstantiarum aliud quodammodo objectum constituit, ad quod jurantis intentio verosimiliter se non extendit. sic præsumitur: quippe, qui censetur jurâsse de rebus in eo statu, in quo erant, dum jurabat. Porrò mutatio hæc æstimanda est prudentis arbitrio, spectatis ejus qualitate & quantitate, aliisque eodem pertinentibus, ut ex Cajetano & Molina monet Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 2. n. 22.

Ex statuto jam principio varios casus li- 66 cet resolvere. Nam primo qui cuipiam matrimonium juratus promisit, non tenetur eam ducere, si postea fornicata est, vel morbum incurabilem, aut notabilem deformitatem contraxit: sicut habetur in cap. *Quemadmodum.* de Jurejur. Secundo. qui gratuitò quid promisit, revocare potest suam promissionem, etiam juratam, si promissarius ante ejus executionem se se exhibeat ingratum. Sanchez n. 32. Tertio. qui juravit, se non nociturum inimico, quocum in gratiam rediit, immunis est ab obligatione hujus juramenti, si de novo graviter ab illo offendatur. Laym. loco cit. Idem est, si talis publicè proscribatur, data omnibus potestate eum occidendi. Quarto. qui juravit, se non alienaturum bona Ecclesiastica, solvitur juramentô, quando oboritur necessitas, aut magna utilitas. Laym. cap. cit. n. 2. Quinto. qui juravit, se castigaturum filium, aut servum, potest ei parcere, si veniam delicti roget, vel se emendaverit. Illsung, tract. 5. disp. 1. q. 2. a. 4. num. 68. Sexto. qui juravit, se non revelaturum secretum sibi commissum, posteaque deprehendit, se illud celare non posse sine gravi damno proprio, vel alieno, non peccat contra juramentum, si revelet. Sanchez lib. 3. in Decal cap. 17. n. 25.

Bonac.

Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 16. n. 2. Septimo. Ministri publici, si jurârunt, se fore contentos stipendiô lege taxatô; item mercatores, pistores, si jurârunt, se servaturos taxationem pretii, ponderis, &c. tamdiu tenentur juramentô, quamdiu taxatio manet justa, si desinit esse justa, non tenentur ampliùs. Sanchez cap. 14. n. 14. Laym. loco cit. Ratio horum omnium est: quia ubique intervenit notabilis mutatio rerum & circumstantiarum.

67 Hactenùs dictis operæ pretium est nonnullas Quæstiones addere. Prima est: qualiter obliget juramentum servandi statuta alicujus Collegii, Universitatis, vel alterius communitatis? Respondeo, attendendam esse qualitatem statutorum, intentionem Legislatoris, loci consuetudinem, & communem interpretationem. Hinc ad observationem statutorum gravis momenti, quæ ita accipiuntur, quasi sub mortali obligent, juramentum graviter, & sub mortali obligat. Ad statuta verò levioris momenti; vel, quæ ita accipi solent, ut sub veniali tantùm culpa, vel solùm ad pœnam subeundam obligent, sub veniali, vel sub nulla culpa, sed ad solam pœnam obligat. Vid. Sanchez c. cit n. 2. & 4. Laym. loco cit. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 2. pu. 7. n. 78. Quare si Rector Academiæ, vel Universitatis sub obligatione præstiti juramenti præcipiat studiosis, ut intersint Sacrificio Missæ, vel processioni publicæ, transgressores non peccant plusquàm venialiter, secluso tamen contemptu præcepti: cùm materia sit levis, spectato fine præcipientis. Sicut econtra in ordine ad eundem finem est materia gravis, dum Rector sub memorata obligatione quempiam vocat pro gravi quadam causa decidenda: ut proinde absque justa causa non comparens non sit excusandus à peccato mortali contra Religionem præstiti juramenti. Sanchez n. 6. Salmantic. n. 81. Quod idem meritò dicendum videtur de eo, qui in nostra Universitate examinatus jurâsset, more consueto, se Gradum non velle, nisi hîc, suscipere, præterquàm, si ad alibi suscipiendum specialem à nobis licentiam obtinuerit, ac deinde, hoc juramento insuperhabito, alibi susciperet Gradum quemdam Academicum. Nam revera, spectata intentione Superiorum Universitatis, qui hoc genus juramenti introduxerunt, materia est gravis & magni momenti.
68

Quæstio secunda est, quomodo intelligendum sit juramentum illud, quo Medici se obligant ad monendum infirmos, ut confiteantur? Ante responsionem sciendum est, Innocentium III. in cap. *cùm infirmitas. de pœnit. & remiss.* strictè jubere, ut vocati ad infirmum ante omnia eundem admoneant de facienda Confessione peccatorum. Quod præceptum postea innovavit S. Pius V. in Motu proprio, *suprà grègem Dominicum*, edito anno 1566. addiditque duplex aliud præceptum: primum, ne Medici, post memoratam admonitionem, ultra tertium diem invisant infirmum, nisi Confessarius testetur, ipsum fuisse confessum, nec judicet eidem ob justam causam longius tempus esse indulgendum, secundum, ut iidem, dum gradu Doctoratûs initiantur, vel ad artis suæ praxim admittuntur, jurent, se hoc decretum Pii V. observaturos. Nunc

Respondeo primo. Ambo illa decreta, ubi usu recepta sunt, neque per contrariam consuetudinem abrogata, obligant sub peccato mortali. Ita communiter DD. apud Salmantic. pu. cit. n. 90. Ratio est: quia Pontifices utuntur verbis præceptivis, idque circa rem oppidò gravem, & sub pœnis gravissimis: adeoque intendunt obligare graviter.

Respondeo secundo. Memorata decreta obligant, dum morbus, quem patitur infirmus, est gravis, vel morale periculum, ne fiat gravis. Sanchez lib. cit. c. 16. n. 7. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. 16. n. 10. Salmantic. loco cit. contra alios, qui vel docent obligare in morbis quibuscunque, vel in illis tantùm, qui periculum vitæ afferunt. Ratio responsionis est: quia ex una parte durum videtur, Medicos ad eam monitionem obligare sub mortali, dum morbus non est gravis, vel non est morale periculum, ut fiat gravis: ex alia parte, dum morbus est plusquàm gravis, sive periculosus, Medicus ex jure Divino, & naturali tenetur infirmum admonere, ut confiteatur, sicut ipse infirmus ex eodem jure tunc confiteri tenetur: ergo Medicus tunc non tenetur admonere ex jure positivo Pontificum. Prob. conseq. quia Pontifices voluerunt Medicos obligare ad ejusmodi admonitionem in tali aliquo casu, in quo aliunde, sive ex alio præcepto non obligarentur. Atqui talis casus in præsenti alius non est, quàm dum morbus est gravis, vel periculum, ne fiat gravis; ergo.

Colligitur jam primo, hæc decreta Medicos obligare solùm, quando spes est, saltem probabilis, admonitionem esse profuturam. Bonac. loco cit. Ratio est: quia sicut præceptum fraternæ correctionis non obligat ad correctionem inutilem, ut vidimus suprà in disp. 1. a. 5. n. 40. ita nec illa decreta obligant ad admonitionem inutilem. Colligitur secundo, Medicum satisfacere obligationi, sive per se, sive per alios admoneat infirmum, ut confiteatur. Sanchez n. 8. Bonac. loco cit. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 5. n. 51. Ratio est: quia finis decretorum est, ut infirmus Sacramenta Ecclesiæ percipiat: atqui hic finis obtineri potest, sive Medicus per se ipsum, sive

per alium admoneat; ergo. Colligitur tertio, decretum S. Pii non obligare Medicum ad deferendum ægrotum in probabili periculo mortis, aut gravis nocumenti ex ejus absentia imminentis, quamvis idem pertinaciter renuat confiteri. Sanchez n. 10. & 11. Bonac. loco cit. Ratio est: quia præceptum humanum non obligat ad quid repugnans præcepto charitatis: atqui tunc deserere infirmum, eique in tanta necessitate corporali non subvenire repugnat præcepto charitatis; ergo.

Respondeo tertio. Juramentum Medicorum, de quo loquimur in præsenti, eos solùm obligat, secundùm quod decretum Pii V. est in usu, & consuetudine receptum. Sanchez n. 15. Salmantic. n. 91. Tambur. loco cit. Ratio est: quia, cùm hoc juramentum sit de servando eo decreto, non aliter obligat, quàm prout obligat decretum: estque universalis regula apud Tambur. n. 50. juramentum de servanda aliqua lege, vel statuto, etiam in individuo, sic esse intelligendum, quòd fuerit editum sub ea conditione, quàm lex vel statutum, seclusò juramentô, habet sive ex se, sive ex consuetudine. Itaque ubi decretum Pii V. est usu receptum, obligat juramentum secundùm ea, secundùm quæ receptum est idem decretum: ubi non est receptum, (sicut non esse receptum in Hispania testantur Salmantic. loco cit.) Secundùm nihil obligat juramentum.

69 Quæstio tertia est: an consuetudo jurandi constituat hominem in statu peccati mortalis. Ante resolutionem notandum est ex Bonac. q. cit. pu. 16. n. 2. triplici modo dari posse consuetudinem jurandi. Primus est, dum quis habet consuetudinem jurandi, sed non mentiendi. Secundus, dum quis habet consuetudinem jurandi, & mentiendi, sed non conjungendi mendacium cum juramento. Tertius, dum quis habet consuetudinem jurandi & mentiendi unà cum consuetudine juramento conjungendi mendacium.

Respondeo nunc primo. Consuetudo jurandi, sed non mentiendi non constituit jurantem in statu peccato mortalis. Ratio est: quia actus jurandi, qui ex tali consuetudine procedunt, non sunt mortaliter mali: ergo consuetudo non constituit hominem in statu peccati mortalis. Conseq. patet: quia consuetudo non constituit aliquem in statu moraliter pejori, quàm sunt actus ejusdem. Ant. inde ostenditur, quòd iidem actus non sint perjuria, sed solùm juramenta sine necessitate, quæ constat non esse peccata, nisi venialia. Vide, quæ suprà §. 2. n. 15. diximus. Unde nec peccat mortaliter, qui talem consuetudinem non conatur deponere: cùm ratione illius non censeatur esse in periculo proximo peccandi mortaliter. Bonac. n. 3. & alii.

Respondeo secundo. Neque consuetudo jurandi & mentiendi, sed non conjungendi mendacia cum juramento constituit jurantem in statu peccati mortalis, aut sub mortali obligatum ad eandem exstirpandam. Sanchez lib. 3. in Decal. c. 5. n. 10. Salmantic. pu. 9. n. 154. contra Valent. Bonac. & alios. Ratio est eadem, quæ responsionis præced. quia actus utriusque illius consuetudinis sunt solùm venialiter mali: & consequenter utraque inclinat ad actus solùm venialiter malos; atque adeo neutra constituit consuetudinarium in morali occasione proxima & periculo peccandi mortaliter. unde si aliquando juret falsum, id erit per accidens, & non ex vi consuetudinis, utpote non inclinantis ad conjungendum mendacium cum juramento, sed aliunde evenit, sicut quilibet alius lapsus in peccatum.

Respondeo tertio. Consuetudo jurandi & mentiendi, mendaciumque juramento conjungendi constituit jurantem in statu peccati mortalis. Hinc talis etiam sub peccato mortali tenetur conari exstirpare ejusmodi consuetudinem. I a communis. Ratio est: quia hæc consuetudo inclinat jurantem ad conjungenda juramenta cum mendacio, eumque evidenter exponit proximo periculo frequentissimè pejerandi: Qui autem voluntariè versatur in proxima occasione seu periculo peccandi mortaliter, is est in statu peccati mortalis, peccatque mortaliter, quoties in illo se constitutum advertit, seque inde non conatur eripere. Vid. Suarez lib. 3. de Juram. cap. 6. n. 6. & 8. Sanchez n. 11. Bonac. n. 4. Salmantic. n. 155.

ARTICULUS III.

De Adjuratione.

Adjuratio cum Juramento habet affinitatem quandam non tantùm in voce, sed etiam in invocatione Divini Nominis. Unde convenienter hoc loco de illa sermo instituitur: quod à nobis fiet breviter. qui prolixiorem tractationem desiderat, adeat Authores in progressu citandos.

§. I.

De adjuratione generatim.

SUMMARIUM.

1. *Verbum* adjurandi *variè accipitur.* 2. *Explicatur, quid sit Adjuratio,* 3. *Adjuratio alia imperativa, alia deprecativa.* 4. 5. *Adjuratio differt ab Oratione,*

tione, & Juramento. 6. *Adjuratus ex vi Adjurationis nullam contrahit obligationem.* 7. *Adjuratio facta cum debitis conditionibus est actus honestus.* 8: *Quænam sint illæ conditiones?* 9. *Creaturæ irrationales secundùm se non possunt adjurari, possunt tamen in alio.*

1 VErbum *adjurandi* non in eodem semper sensu accipitur. Nam primo idem quandoque significat, quod verbum *jurandi*, ita ut præpositio *ad* solummodò denotet vehementiam quandam & firmitatem juramenti. Secundo, *adjurare* aliquando idem significat, quod ad jurandum inducere, sivè quidpiam postulare sub juramento. Tertio demum, adjurare idem est, atque obtestari, aut imprecari per sacram invocationem. Vid. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. de Adjurat. cap. 1. n. 1. Nos, omissis prima & secunda acceptione, disputabimus in tertia: in qua

2 Dico primo. Adjuratio rectè describitur, actio, per quam persona quæpiam inducitur imperativè, vel deprecativè, ad aliquid faciendum, aut omittendum, invocatione alicujus rei sacræ. Sumitur ex D. Th. 2. 2. q. 90. a. 1: aliisque DD. quos refert, & sequitur Filliucius tract. 24. cap. 8. n. 200. Dicitur *Actio*, id est, contestatio quædam. Dicitur, *per quam persona quæpiam inducitur*, quia id, quod adjuratur, debet habere naturam intellectualem, ut Deus, Angeli, Sancti, Dæmones, & homines. Dicitur; *imperativè vel deprecativè*: quibûs indicatur, duobus modis fieri posse adjurationem, nempe, ut una sit imperativa, altera deprecativa, sive obsecrativa; ut postea pluribus declarabitur. Dicitur, *ad aliquid faciendum, aut omittendum.* quemadmodum enim, qui jurat, tenetur ratione Divini honoris ac nominis aliquid facere vel omittere, ita etiam, cùm aliquem adjuramus, illud ab eo contendimus, ut ob eundem Dei honorem, vel alterius, cujus auctoritatem interponimus, aliquid faciat, vel omittat. Dicitur, *invocatur alicujus rei sacræ*: quæ sunt Deus, Angeli, & Sancti, non solùm in cœlo jam regnantes, sed etiam viatores, qui justi reputantur.

3 Dico secundo. Adjuratio est duplex, scilicet imperativa & deprecativa. Ita omnes. Imperativa est, qua velut imponimus necessitatem alicui, ut ob honorem Dei, vel altetius, per quem ipsum adjuramus, aliquid faciat, vel omittat. Deprecativa est, qua quempiam ad idem hortando, vel rogando inducere conamur. Imperativè adjuravit Christum Princeps Sacerdotum. Matth. 26. dicens: *adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Deprecativè Apostolus Paulus adjuravit interdum eos, ad quos scribebat: ut ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei &c.* Pauperes quoque, dum propter amorem ac honorem Dei petunt eleemosynam, re ipsa adjurare in hunc modum videntur eos, à quibus petunt. Ex dictis

Colligitur primo, adjurationem non esse orationem. Ratio est: quia per orationem petimus aliquid à Deo: atqui per adjurationem, ut adjuratio est, non petimus aliquid à Deo, sed propter Deum. Neque dicas, posse nos Deum adjurare petendo aliquid ab ipso propter ipsum: hanc autem adjurationem non distingui ab oratione: respondetur enim, tunc adorationem conjungi quidem cum oratione, aut esse eandem materialiter, distingui tamen ab illa formaliter. Vid. Suarez ubi suprà, n. 4. Filliuc. n. 101. Sanchez lib. 2. in Decal c. 42. n. 1. 4

Colligitur secundo, adjurationem etiam à juramento differre. Ratio est: quia in juramento Deus adducitur ut testis veritatis, in adjuratione verò interponitur ut timendus, vel amandus ab eo, qui adjuratur, ut nempe illius timore, vel amore inducatur ad id, quod petitur. quæ sunt rationes valdè divetsæ, ut patet. Neque audiendus hîc est Valentia, dum to. 3. disp. 6. q. 8. pu. 1. docet, in omni juramento promissorio intervenire adjurationem. sicut enim adjuratio separari potest à juramento promissorio, ita hoc juramentum separari potest ab adjuratione: cùm quis possit non interposito Divino nomine simpliciter ab altero petere, ut se obliget religione juramenti: sicut in contractibus & judiciis fieri solet. Vid. Suarez n. 10. Sanchez loco cit. 5

Colligitur tertio, adjuratum ex vi solius adjurationis nullam contrahere obligationem præstandi id, quod ab eo petitur. Suarez lib. cit. c. 4. n. 16. Sanchez n. 14. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. un. n. 6. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 8. §. 1. n. 3. Ratio est: quia adjuratio per se sumpta non est introducta in hunc finem, ut pariat obligationem, sed solùm, ut ex commemoratione Divini nominis adjuratus timorem ejusdem, aut amorem concipiat, indèque ad id, quod ab ipso petimus, præstandum permoveatur. Dixi autem; *ex vi solius adjurationis.* quia in adjuratione imperativa, qua adjuratur inferior à Superiore, fieri potest, ut inferior, seu subditus teneatur obedire, dum nempe constat, Superiorem imponere præceptum præstandi rem, quæ ab illo petitur. Ubi vides, obligationem illam non ex adjuratione, sed ex præcepto adjurationi conjuncto oriri. 6

Dico tertio. Adjuratio est actus licitus & honestus, si fiat cum debitis conditionibus. Ita omnes cum D. Thoma. 2. 2. q. 90. a. 1. & constat primo ex 7

S. Script.

S. Script. ubi adjuratio interdum authoritate Dei quoque fiebat, ut Num. 5. ubi de muliere suspecta de adulterio dicitur: *Et adjurabis eam.* Constat secundo ex ratione: quia permovere quempiam ad aliquid nomine Dei, alteriusve rei sacræ interposito cedit in honorem Dei, vel alterius rei sacræ. Constat tertio ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua nihil ita quotidianum est, quàm orationes concludere adjuratione, *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, frequentissimasque adjurationes immiscere Litaniis, Benedictionibus, &c.

8 Dixi tamen, *Si fiat cum debitis conditionibus.* Nam quia adjuratio speciem quandam juramenti præsefert, easdem proportionaliter, quas ipsum ad sui honestatem conditiones exigit, scilicet *veritatem, justitiam, & judicium.* Ad *veritatem* requiritur primo, ut, dum quis adjurat per Deum, intelligat verum Deum. Hinc adjuratio per falsum Deum, v. g. per Jovem, vel Mercurium, esset mortale idololatriæ peccatum. Suarez n. 6. Tambur. n. 4. Requiritur secundo, ut adjurans habeat intentionem obtinendi id, quod petit interposito Dei nomine. Hujus tamen requisiti defectus est peccatum veniale tantùm: cùm enim Deus non adducatur ut testis, sicut in juramento, nulla intervenit gravis erga Deum irreverentia. Suarez n. 7. Sanchez n. 5. Requiritur tertio, ut subsistat causa, quam quis allegat, dum quid petit ab altero ipsum adjurando. Undè peccat, qui fingens se pauperem petit eleemosynam propter amorem Dei. Ejus tamen peccatum non est nisi veniale contra Religionem: quia inducere quempiam ad bene operandum, etiam inductione includente leve mendacium, qualem hîc supponimus, non est gravis irreventia erga Deum. Tambur. loco cit. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 1. n. 165. *Justitiæ* adjurationis in eo consistit, ut res, quæ petitur, sit licita: nam si res, quæ sub invocatione Divini nominis petitur, aut imperatur, opus illicitum sit, Deo fit injuria, eaque gravis & mortalis; si opus graviter illicitum, non gravis, sed venialis, si opus non graviter illicitum esse supponatur. Sanchez num. 5. Tambur. n. 5. Qui hoc idem docent de adjuratione circa materiam illicitam; si fiat per Sanctos, etiam sistendo in illis, & respiciendo solam eorundem dignitatem, ac propriam excellentiam. Nam, si adjuratio fiat per Sanctos cum respectu ad Deum, sive quatenùs in eisdem relucet Divina excellentia, perinde est, ac si per Deum fieret, ait Sanchez loco cit. Quòdsi quis alterum adjuret per hominem, v. g. per vitam patris, amici, consanguinei, ad patrandum opus sive mortaliter, sive venialiter illicitum, hæc talis adjuratio non contrahit specialem malitiam supra illam, quæ est in opere, ad quod inducit adjuratum: quia hujusmodi adjuratio vix dici meretur adjuratio, nec pertinet ad Religionem. Suarez n. 8. Sanchez, Tambur. locis citt. Denique ad *judicium* adjurationis duo maximè pertinent. Primum est, ut adjuratio fiat non temerè, & absque justa causa necessitatis, aut utilitatis. Nam secùs nomen Dei assumitur in vanum, Sanctique similiter, dum eorum auctoritas tunc interponitur, inhonorantur: quæ non possunt excusari à culpa, saltem veniali. Vid. Suarez n. 9. Sanchez loco cit. Tambur. n. 6. Sporer, loco cit. Secundum est, ut sola adjuratione imperativa adjuretur, qui est capax imperii, & non alterius communicationis, ut Dæmon: & similiter, ut sola adjuratione deprecativa adjuretur, qui non est capax imperii, aut subditus, ut Deus, & Sancti. Quòdsi persona adjuranda tam imperii, quàm deprecationis capax sit, utroque modo licitè adjurari potest, prout placuerit adjuranti. Suarez loco cit.

9 Corollarium. Creaturæ irrationales secundùm se non possunt propriè adjurari. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 90. a. 3. Ratio est: quia res, quæ secundùm se adjurari possunt, debent posse moveri moraliter, obsecratione, petitione, aut imperio ad aliquid faciendum, vel omittendum; atqui creaturæ irrationales non possunt ita moveri; cùm nequeant percipere petitiones & imperia, utpote non perceptibilia, nisi per intellectum & rationem. Vid. Suarez cap. 2. num. 12. Itaque creaturas irrationales adjurare per se, seu directo ad ipsas sermone, acsi intelligerent, non est licitum, sed vanum, adeoque peccatum veniale. Sanchez num. 37. Tambur. loco cit. Potest tamen aliquando, ut addit idem Tambur. esse mortale, propter pactum expressum, vel tacitum cum Dæmone. Exemplum est in illa adjuratione locustarum, aut vermium fruges populantium, in qua instituunt accusatorem, & advocatum, auditisque partibus pronuntiant sententiam, &c. tanquam, si cum locustis, aut aliis ejusmodi noxiis bestiolis judicio coram Prætore contenderent. qui tantus vanorum rituum apparatus non videtur fieri citra pactum saltèm tacitum cum Dæmone. Sed fortè aliquando excusari à mortali tales possunt propter ignorantiam.

Dixi autem, *non posse adjurari secundùm se.* Nam in alio licitè adjurantur. Cùm enim creaturæ irrationales nobis non noceant sine ordinatione, aut permissione Dei, sæpe verò à Dæmonibus moveantur, ac incitentur in nostram perniciem, Deo id permittente, abigi, fugarique possunt

per

per adjutationèm Dei, vel Dæmonis. Et hoc modo dicuntur adjurari in alio, quatenùs nempe adjuratur alius à quo ipsæ moventur, ut explicat Suarez loco cit. Quandó credimus, ejusmodi creaturas ad nocendum nobis moveri à Deo, adjurandæ sunt obsecrando Deum, ut id malum avertat. Quando moventur à Dæmone, adjurandæ sunt imperando Dæmoni, ut desistat ab inferenda pernicie, & nocere desinat. Solet tamen Ecclesia in exorcismis utroque modo procedere, nempe & obsecrando Deum, & imperando Dæmoni; quia nobis non satis constat, an à Deo moveantur ad nocendum eæ creaturæ, an à Dæmone. Sanchez loco cit.

§. II.

De Adjuratione Dæmonum.

SUMMARIUM.

10. *Dæmones nequaquam sunt adjurandi, ut quidpiam, faciant, vel omittant Divini honoris causâ.* 11. *Licitum est eosdem adjurare imperativè, ne hominibus noceant.* 12. *Debet tamen in ejusmodi adjuratione caveri omnis societas vel pactio.* 13. *Dæmonem adjurare, ut nobis opem ferat, semper illicitum est, quamvis abesse supponatur societas & pactum cum illo.* 14. *Solvuntur Objectiones.* 15. *Potestas Dæmonem adjurandi solemniter solis Exorcistis competit in Ecclesia.* 16. *Parochus urgente necessitate Parochiani tenetur vel per se, vel per alium adjurare Dæmonem obsidentem.* 17. *Corollaria ex dictis.* 18. 19. *& seqq. Varia pro praxi exorcizandi advertenda.* 27. *An Dæmoni, si ex obsesso egressurus aliquid petat, sit satisfaciendum?* 28. *An licitum sit à Dæmone petere signum egressionis ex obsesso?* 29. *An Exorcista Dæmonem amandare possit in infernum, aut locum desertum?* 30. *Unde proveniat, quòd Dæmones per adhibitos exorcismos non semper ejiciantur.*

10 ANtequàm in hoc argumento ad ea, quæ disputationi obnoxia esse videbuntur, aggrediamur, aliqua apud omnes certa statuere oportet. Itaque certum est primo, Dæmones nequaquam esse adjurandos animô inducendi eos ad aliquid faciendum, vel omittendum Divini honoris causâ. Ratio est: quia hoc frustra ab illis obtinere conaremur, utpote tanta voluntatis perversitate obstinatus, ut, quidquid agunt, ex capitali odio Dei agant. Ex quo fit, ut moraliter loquendo nullum opus, saltem quod ad homines pertineat, exercere possint nisi malitiosè ad obsecurandam, aut diminuendam, quantum in ipsis est, Dei gloriam. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 3. pu. 2. colum. 1908.

Certum est secundo, licitum esse Dæmones adjurare in Dei nomine, per imperium arcendo illòs tanquam hostes, ne hominibus spiritualiter aut corporaliter noceant. Ratio est: quia ad hoc Ecclesia spiritualem potestatem accepit à Christo, ut patet ex Lucæ cap. 10. *Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Et ibidem: *Ecce, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et Marci ult. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Qua potestate Ecclesia continuò utitur in Exorcismis, quos irridere tanquam quid superstitiosum, quemadmodum irridunt Sectarii, hæreticum est. Vid. Valent. loco cit. Suarez lib. 4. qui est de Adjurat. cap. 2, n. 6. Dices. In definitione Adjurationis, ejusque declaratione, quam dedimus n. 2. docetur, nos ab eo, quem adjuramus, contendere, ut quidpiam faciat, vel omittat ob honorem Dei, vel alterius, per quem adjuramus. Quomodo ergo Ecclesia dici potest adjurare Dæmonem, si is, ut priori n. diximus, nihil facit in Dei gloriam & honorem? Respondeo, dici adjurare propter similitudinem quandam & analogiam, quæ in eo sita est, quòd, quemadmodum homines, quos adjuramus, impellimus ad quidpiam operandum propter nomen Dei, ejusque gloriam, ita Dæmones in virtute & potestate nominis Divini recedere compellimus, quamvis non ita, ut iidem propter Dei honorem aliquid faciant. Valent. colum. 1909. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 42. n. 15. 11

Certum est tertio, neutiquam esse licitum Dæmones adjurare, sive imperativè, sive deprecativè, ineundò simul cum eis aliquam societatem, vel pactum, quo adjurans se se obliget ad subjiciendum se illis, vel ad acquiescendum eorum consiliis, &c. Ratio est: quia hoc communi fidelium sensu damnatur ut scelleratum, cùm pertineat ad Apostasiam, sitque contrarium fidei Deo datæ in Baptismo, vi cujus quilibet manet obstrictus ad renuntiandum Diabolo, & omnibus operibus ejus. Apostolus quoque id vel maximè prohibet 1. ad Corinth. 10. cùm dicit: *Nolo vos socios fieri Dæmoniorum.* Quibus præmissis, 12

Dico jam primo. Neque imperando, neque deprecando licitum est adjurare Dæmonem, ut nobis opem ferat, v. g. in cognitione rerum occultarum, curatione morborum, avertendo grandines, aliisque officiis, licèt in ejusmodi adjuratione nulla societas, nec ullum pactum intervenire supponatur. Ita communis & certa sententia. 13

Quæ probatur ratione : & quidem primo ostenditur non esse licitum ob ejusmodi finem adjurare Dæmonem præcipiendo. Quia nempe ad hoc neque habemus potestatem à Deo, neque ex nostræ naturæ viribus : ergo id nullo modo possumus, & consequenter inanis & stultus est conatus id faciendi. Ant. quoad primam partem ex eo constat, quòd Christus non dederit Ecclesiæ potestatem & virtutem in Dæmones, nisi ad eosdem pellendos, & coërcendos, juxta illud Marci ult. *In nomine meo Dæmonia ejicient*, & illud Lucæ 10. *Dedi vobis potestatem calcandi &c. & nihil vobis nocebit.* quibus Dominus declaravit Apostolis, ad quid dederit eis potestatem, de cujus efficacia ibi gloriabantur; nempe ad ejiciendos, & coërcendos Dæmones, & non ad alium finem. Idem Ant. quoad secundam partem manifestum est : quia in naturalibus longè inferiores sumus, quàm Dæmon quicunque etiam infimus: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*, ait Job cap. 41. Quòd autem non liceat ad quid simile obtinendum adjurare Dæmonem deprecando, itidem ostenditur : Quia Dæmon à nobis cogi non potest ad ullum genus officii, ut ex dictis patet : ergo quidquid officii ab ipso homines obtinere conantur deprecandò, ille, si tale quid confert, sua sponte confert. Atqui nihil, quod Dæmon sua sponte in nos confert, officii, vel obsequii licitum est nobis ab eo recipere, vel optare : quia quicquid idem sua sponte in nos confert, hostili in nos & in Deum animo confert. quæ autem is tali animo confert, nec acceptare possumus, nec optare citra læsionem charitatis erga nosmetipsos, & fidei Deo datæ, vi cujus illi contra hunc hostem perpetuò militare debemus. Vid. D. Th. 2. 2. q. 9. a. 2. Valent. pu. cit. colum. 1912. Sanchez cap. cit. n. 19. Suarez lib. 4. de adjurat. cap. 2. n. 7. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 8. §. 2. à n. 8. Sed

14 Objicies jam primo. Licitum est ex Dæmone tanquam ex servo Dei & nostro, & tanquam ex hoste, remedia & subsidia ad salutem corporis, aliasque vitæ commoditates accersere, imperando, & cogendo : cùm Lucæ 10. generaliter dicatur: *Dæmones subjiciuntur nobis* : & Lucæ 1. Zacharias cecinerit, *Salutem ex inimicis.* Secundo Virtus naturalis Dæmonum pertinet ad ordinem naturalem, qui totus in nostrum usum est conditus : ergo meritò videmur naturaliter habere jus illos compellendi ad varia officia nobis commoda intra eundem ordinem. Tertio. In universo nihil debet esse otiosum & inutile: sed multa herbarum genera, multaque alia per se utilia essent otiosa & inutilia, si de illis non liceret instrui à Dæmonibus, qui talium habent notitiam. Quarto. Non sequitur, nos inire societatem, aut pactum cum Dæmone, quando quidpiam, quod habet in sua potestate, ab ipso petimus, etiam obsecrando: cùm nihilominùs retinere possimus firmum animum illi repugnandi in omnibus, quæ contra salutem nostram machinantur. Quinto. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1. licitum est propter aliorum utilitatem aliquid quærere ex Dæmone sponte occurrente. ergo idem licebit, si ille non ultrò se offerat, sed sui invocationem exspectet. Sexto. Docet usus quotidianus, eos, qui circumstant exorcizantem, citra magnum scrupulum varia quærere ex energumeno : quos tamen omnes nemo ausit condemnare peccati mortalis.

Ad primam ex his Objectionibus jam constat ex n. præced. potestatem in Dæmones non esse traditam, nisi ad fugandos & coërcendos eosdem, ne noceant : imò neque hanc potestatem esse traditam omnibus in Ecclesia, postea videbimus.. Illud ex cantico Zachariæ certè ineptè huc adducitur; cùm ibi sermo sit de salute spirituali tantùm, quam nobis Christus sua passione & morte ex potestate Dæmonum ereptis attulit. Ad secundam respondeo neg. conseq. cùm enim Dæmones intellectu & voluntate, quibus operantur, sint nobis naturaliter superiores, nullam habemus ex natura facultatem eosdem ad quidquam in nostri gratiam faciendum cogendi, aut compellendi. Ad tertiam respondeo neg. mi. licèt enim non omnes res & virtutes naturales eorum reducantur in nostros usus, omnes tamen habent aliquem usum in universo, quatenùs nempe pertinent ad ejus ordinem & pulchritudinem. Ad quartam respondeo, etiam supposito, quòd in ejusmodi commercio nulla cum Dæmone societas, aut pactum ineatur (quod in praxi vix habere videtur locum) nihilominùs petere ab illo quidpiam, quod sponte præstaturus sit, illicitum est, & quædam inchoatio Societatis & pacti cum eo : nam hoc denique spectat Diabolus per suam gratuitam operam. Ad quintam respondeo, Ant. esse verum, quando ejusmodi quæstio pertinet ad arcendum & repellendum Dæmonem ab hominibus, sicque in utilitatem aliorum, adde, & peculiarem Dei gloriam cedit. quia revera tunc quoque hostiliter cum illo agitur, ejusque superbia calcatur & cogitur ad aperiendam veritatem. neque enim sponte dicit, quod ad Dei gloriam pertinet. Et sic intelligendus est D. Tho. loco cit. Ad sextam respondeo, ejusmodi interrogationes, quando fiunt de rebus curiosis, inutilibus, & ad Dæmonis expulsionem nihil conducentibus, esse culpabiles, & vitandas. Notat tamen Cajetanus apud Valent. ubi suprà colum. 1916. eas communiter esse tantùm venialiter malas : quia videlicet

licet ex levitate, aut vanitate quadam, ac veluti obiter, adeoque citra perfectam deliberationem, fiunt.

15 Dico secundo. Potestas adjurandi, & adjurando expellendi Dæmones non competit omnibus, sed solis ministris rite ordinatis in Ecclesia, scilicet Exorcistis. Ita communis sententia: quam tenent post D. Thomam 3.p.q.71.a.4. Valent. columna 1914. Suarez lib. 4. de adjurat, cap. 2. n. 10. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 42. n. 18. Filliuc. tr. 24. cap. 8. n. 208. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. un. n. 7. Delrius post lib. 6. disquis. Magic. in anacephal. monito 10. & alii. Ratio est: quia alii vel haberent hanc potestatem ex propria natura, vel à Deo, vel vi pacti cum ipso Dæmone? Primum asserere stultum est, cùm virtus naturalis Dæmonis sit longè Superior, ut n. præced. notavimus. Tertium est superstitiosum, & probis omnibus abominabile. Secundum qui sibi arrogat, tenetur id ostendere; aliàs habendus erit pro temerario, & mendaci deceptore. Imò si ad usurpandam hanc potestatem se ingerat, timere debet, ne Dæmon illi respondeat: *Jesum novi, & Paulum scio: tu autem quis es? & insiluit &c.* quemadmodùm in simili refertur Actor. 19. Itaque ea potestas solis Clericis competit habentibus Ordinem Exorcistarum hoc ipso fine institutum in Ecclesia. Verùm hæc intelligenda sunt de adjuratione solemni ac publica secundùm formam ab Ecclesia institutam in Exorcismis. Nam privata, cùm non sit actus Ordinis Ecclesiastici, sicut publica, à quolibet fideli exerceri potest: quia Marci ult. generaliter dicitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo &c.* Et quidem si Dæmon visibiliter seu corporaliter aliquem obsidet, modoque extraordinario re ipsa expellitur, id ad gratiam miraculorum pertinet, ideoque sine speciali instinctu Spiritus Sancti exerceri non debet. Quòdsi obsessio sit invisibilis, vel valdè occulta, tum quilibet fidelis uti potest adjuratione privata: sicut, dum quis à Dæmone tentatur, potest ipsum adjurare per Deum & Sanctos, ut abeat & desistat à tentatione. Suarez n. 11. Sanchez loco cit. Filliuc. n. 209.

16 Dico tertio. Pastor animarum seu Parochus, suppositâ necessitate Parochiani obsessi, tenetur non tantùm ex Charitate, sed etiam ex justitia vel per se ipsum, vel per alium Exorcistam adjurare Dæmonem obsidentem, juxta formam & ritum Ecclesiæ. Suarez cap. 4. n. 5. Sanchez n. 4. Filliuc. n. 202. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 8. §. 2. n. 22. Brognolus to. 2. Alexic. disp. 4. parte 1. a. 3. §. 7. Ratio est: quia tales Ministri Ecclesiæ tenentur ex officio subvenire necessitati spirituali suorum fidelium per remedia convenientia; & ab Ecclesia instituta. Atqui unum ex remediis pro gravi illa necessitate Stygiæ obsessionis ab Ecclesia institutum est adjuratio per Exorcismum; ergo, &c. Confirmatur. Medici à Republica constituti tenentur ex justitia, quoties necessitas postulat, ægrotantibus afferre remedia corporalia ad recuperandam salutem corporalem: ergo multò magis ex justitia tenentur Pastores animarum in necessitate memoratæ obsidionis fidelibus subditis opitulari per remedia spiritualia; cùm fidem in gravissima & animæ & corporis necessitate versentur. Vid. Brognoli, §. 8.

Ex dictis tamen colligitur primo, obli- 17
gationem exorcizandi Dæmonem non currere, nisi desit aliud remedium, v. g. aquæ benedictæ, aliarum orationum, Agnorum Dei &c. Tambur. loco cit. Colligitur secundo, ad contrahendam eandem obligationem esse necessarium, ut adjuraturus prudenter judicet, se posse suis adjurationibus opem ferre obsesso: cùm nemo obligari possit ad faciendum quid in utilitatem alterius, quando non habet prudentem spem de tali utilitate obtinenda. Ejusmodi tamen prudens judicium putat Tambur. vix posse cadere in Exorcistam, nisi admodum peritum; & prospero contrà Dæmonem experimento comprobatum. Colligitur tertio, eum; qui non est Pastor animarum, in necessitate obsessi teneri ex charitate succurrere per adjurationem Dæmonis, quando id potest sine magno suo incommodo: quemadmodum præscribunt regulæ generales de præcepto Charitatis. Colligitur quarto, eos; qui ex officio tenentur adjurare Dæmones obsessores Energumenorum, idque facere negligunt, obligari ad resarcienda omnia damna, quæ ex ipsorum negligentia sequuntur. Ratio est: quia graviter peccant contra justitiam. quod similiter confirmari potest exemplo Medicorum, qui contra obligationem sui officii graviter negligentes sunt in subveniendo ægrotantibus. Vid. Brognol. §. 7. & 8. citt.

Nunc ulteriùs pro praxi exorcizandi, 18
sive adjurandi Dæmones in obsessis varia advertenda sunt. I. Ante omnia diligenter examinandum est, utrùm homo verè à Dæmone obsideatur: ne videlicet remedium Ecclesiæ voluntariè ac temerè exponatur periculo frustrationis. Ut autem homo verè obsideri à Dæmone dicatur, duo sunt necessaria. Primum est, ut in ipso homine Dæmon personaliter existat. Secundum, ut potestatem aliquam in eum, in quo existit, acceperit, vi cujus possit illum affligere, torquere, aliave molestiâ afficere. Ita Petrus Thyræus lib. de Dæmoniac. parte 1. cap. 2. & ex eo Sanchez ubi suprà n. 6. Defectu primæ conditionis neque S. Job, neque S. Antonius dici potuerunt

tuerunt obsessi, quamvis innumera à Dæmonibus fuerint perpessi. Defectu secundæ Judas quoque non rectè dicitur fuisse obsessus, quamvis in ipsum post acceptam buccellam ingressus fuerit Diabolus; sicut testatur Sacra historia: quia nempe non constat, Dæmoni datam fuisse potestatem cum vexandi & exagitandi. Cæterùm non est semper credendum, sive Exorcistis, sive personis asserentibus, se obsideri à Dæmone, nisi adsit signum efficaciter convincens, rem ita se habere: quia sæpe utrique decipiuntur, nisi omnino sint impostores. Sanchez n. 9. & alii apud ipsum. Porro de signis, ex quibus cognosci potest, aliquem esse Dæmoniacum, consulendi sunt Delrius lib. 6. disquis. Magic. cap. 2. sect. 2. Thyræus parte cit. à cap. 22. usque ad 27. Brognol. to. 2. Alexic. disp. 4. a. 5. per totum. Inter alia signa sunt maximè convincentia, si arreptitius loquatur idiomate antea sibi ignoto, aut ita loquentem Exorcistam intelligat. Si canat, scribat, legat, aliaque opera artium exerceat, quæ priùs non calluit. Si è loco, in quo existit, dimoveri nequeat, etiam à robustissimis. Sanchez loco cit. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 8. §. 2. n. 1.

19 II. Quando Exorcistæ satis constat de obsessione Dæmoniaca, opus est, ut ante certamen cum tam diro hoste spiritualibus armis se muniat. Ante omnia verò arripiat *Scutum Fidei*, *quo* juxta Apostolum ad Ephes. 6. *possit omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et certè Christus Matth. 17. discipulis interrogantibus, quare nos non potuimus ejicere illum? causam reddidit, *propter incredulitatem vestram.* Conscientiam præterea à peccatorum maculis mundam habeat; in oratione ad Deum, ejusque ardenti amore; ferventi recitatione Symboli; jejuniis quoque, & aliis carnis afflictionibus per aliquot dies se exerceat. Ratio est: quia ejicere Dæmones res sancta est, adeoque sanctè tractanda. Et licèt ejusmodi præparationes non censeantur simpliciter necessariæ, sine illis tamen sæpe parum, aut nihil adversùs Dæmonem proficit Exorcista. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 14. n. 5. Thyræus parte 3. cap. 38. & 39.

20 III. Personam quoque Energumenam seriò hortetur Exorcista, ut pœnitentiam, & Confessionem peccatorum instituat, & orationibus insistat, cum firma fide ac confidentia in Deum, fore, ut ex merito Passionis Christi liberetur à Dæmonis tyrannide. Ratio est: quia licèt Exorcismi ex opere operato habeant vim expellendi Dæmones, sicut Sacramenta habent vim producendi gratiam, ut ex D. Thoma colligit Sanchez n. 16. & docet apud ipsum Sotus, requiritur tamen ad obtinendum talem effectum, ut etiam obsessus sit bene dispositus. Vid. Brognolus disp. illa 4. parte 3. cap. 3. ab artic. 2. ubi latissimè de hac dispositione tractat.

IV. Exorcista ad expellendos Dæmones adhibeat Exorcismos in Ecclesia, seu Roma- 21
na, seu Diœcesana sua, usitatos. Delrius in Anacephal. lib. 6. Disquis. Magic. monito 10. Laym. loco cit. Ratio est: quia peculiares exorcizandi formulæ ac ritus, diversi à communibus Ecclesiæ formulis & ritibus solent esse suspecti; ut etiam advertunt Sanchez n. 35. Filliuc. tr. 24. cap. 8. n. 217. Quare ejusmodi formulæ diligenter examinandæ sunt ab Episcopis, & non facilè permittendæ, nisi judicio piorum & doctorum virorum sint approbatæ. Delrius loco cit.

V. Licitum est Exorcistæ Dæmonem in- 22
terrogare illa, quæ pertinent ad ipsum ex corpore pellendum. Valent. to. 3. disp. 6. q. 8. pu. 2. col. 1915. Thyræus c. 46. n. 23. Sanchez n. 23. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. un. n. 8. Tambur. lib. 3. in Decal. c. 8. §. 2. n. 4. & alii. Ratio est: tum, quia hoc non est inire societatem cum Dæmone, sed potiùs ab eadem recedere: tum, quia licitum est imperare Dæmoni, ut exeat: ergo etiam licitum est imperare ut manifestet, quæ pertinent & conducunt ad exitum ipsius. Atque hinc licet interrogare primo, *nomen*, sicut interrogavit Christus Marci 5. quia conveniens est, ut ei nominatim præcepta injungantur. Secundo, *causam ingressus*, ut eâ sublatâ, si tolli potest, minuatur Dæmonis in hominem potestas, & ipse facilùs ejiciatur. Tertio, *numerum obsidentium.* nempe an sit unus, vel plures in eodem corpore? ut constet; cum quot hostibus pugna ineatur. Thyræus, Sanchez, Bonac. Tambur. locis cit. quibus adde Delrium lib. 6. Disquisit. Magic. cap. 3. pag. 1028. Filliuc. tract 24. n. 212. Hæc tamen omnia vehementer improbat Brognolus disp. cit. par. 1. a. 5. q. 2. 3. & 4. quod mirum, cùm teste Sanchez in Sacerdotali Romano Exorcistæ illa omnia, ut interrogent, moneantur.

VI. Licitum quoque est imperativè 23
interrogare veritatem aliquam, cujus notitia ad peculiarem Dei gloriam, & præsentium utilitatem pertinet, quando id Exorcista expedire prudenter judicaverit. D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1. Deinde Cajetanus, Tabiena, Sotus, quos refert, & sequitur Sanchez n. 24. Ratio est: quia, tunc hostiliter agitur cum Dæmone, ut in n. 14. ad 5. object. diximus. Addunt tamen Cajetanus, & Tabiena, id non esse faciendum, nisi à viris Sanctis, imò Sanctissimis, ut ait Sotus, qui à Deo potestatem habeant Dæmonem adigendi, ut similes veritates manifestet.

VII. Cavendum est Exorcistis, ne in- 24
ter adjurandum, utpote negotium maximè serium & sanctum, cum Dæmone jocentur:

item,

item, ne superfluos, longosque cum eo sermones misceant. Delrius post lib. cit. in Anacephal. monito 10. Sanchez n. 26. Tambur. n. 4. Ratio redditur ex Delrio: quia Dæmon ex ejusmodi colloquiis plerumque aliquid lucri reportat: cùm enim multi adesse soleant illa audientes, spiritus perversissimus utitur occasione aliquos Fidei, vel morum errores spargendi, aut saltem impetrandi, ut faciant aliqua superstitiosa, vana, ôtiosa. In more quoque habet innocentes tunc diffamare, & nocentium occulta crimina revelare, ut cæteri de illis malè suspicentur. Imo quosdam dictis suis ad carnalia, quosdam ad avaritiam, aliaque peccata instigat. Bonos demum fingit se timere, ut ad superbiendum incitet. Quare Exorcista imitetur exemplum Christi apud Lucam cap. 4. & paucis jubeat Dæmonem tacere, eique nec causam præbeat, nec potestatem garriendi.

25 VIII. Non est prohibitum Exorcistæ Energumenum alapis, & flagellis cædere, si id faciat moderatè, & in contemptum Dæmonis. Thyræus 3. par. de Dæmoniac. cap. 46. n. 31. Sanchez n. 30. Filliuc. tr. 24. cap. 8. n. 215. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. un. n. 12. Ratio est: quia fieri potest, ut Dæmon videns se usque adeo contemni & confundi, ex contumeliarum impatientia, discedat ab obsesso, tanquam domicilio superbiæ suæ minùs idoneo. Confirmat hoc fides historica, qua constat alapis, & flagellis, fumo quoque & sputis Dæmones fuisse ejectos. Vid. Thyræus, & Sanchez locis citt. Dixi autem primo, *si id faciat moderatè*. quia minimè probanda est imprudens quorumdam immoderatio, qui alapis, pugnis, flagellis & similibus adeo crudeliter sæviunt in Energumenos, ut tortores potiùs & carnifices, quàm Exorcistæ esse videantur. Vid. Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 30. sect. 3. Brognolus artic. cit. q. 21. Dixi secundo, *in contemptum Dæmonis*, quia similia non alia ratione, possunt conducere ad liberationem Energumeni, quàm quòd Dæmon perspiciat, ea cedere in suam contumeliam, opprobrium, & irrisionem. cùm enim sit spiritus incorporeus, superstitiosum esset adhibere actiones corporeas existimandò illis aliam vim inesse ad eum, expellendũ saltem directè.

Atque ex his colligitur primo, licitum esse nomen Dæmonis scribere in papyro, sicque scriptum comburere. Ratio est: quia id fit in contemptum Dæmonis. Sanchez n. 33. ubi etiam dicit, ita faciendum esse haberi in Sacerdotali Romano. Colligitur secundo, non esse superstitiosum Energumeno adhibere herbas medicas, aliasque medicinas. Ratio est: quia hæc non adhibentur ea persuasione, quasi vim habeant adversus Dæmonem immediatè, sed contra morbum, vel ad expellendos ac dissipandos malignos humores & dispositiones corporis, quibus Dæmon utitur in vexandis hominibus. Bonac. loco cit. Sanchez n. 31, Moneat tamen Filliuc. n. 216. & idem Sanchez, præstare hæc talia Energumeno applicari à Medico, quàm ab Exorcista. Colligitur tertio, vanum esse ac superstitiosum Dæmoni sub pœna Excommunicationis præcipere ut exeat. Ratio est: quia Dæmon est incapax Excommunicationis. Neque refert, quod id videatur docere Romanum Sacerdotale: nam dicitur, Excommunicationem ibi non sumi propriè, sed pro execratione, & maledictione. Sanchez n. 32. Filliuc. loco cit. Similiter vanum & nugatorium est Dæmoni terminis judicariis præcipere, ut nunc exeat, & iterum se judicio tali die sistat. Ratio est: quia Exorcista non est judex Dæmonis. Vid. citt. & Delrius post lib. 6. Disquisit. Magic. in Anacephal. monito 10. Colligitur quarto, non esse licitum alapis, aut flagellis cædere Energumenum, aliasque corporis molestias eidem inferre, si petat aut præscribat Dæmon. Ratio est: quia hæc talia eatenùs solùm possunt conducere ad liberationem Energumeni, quatenùs cedunt in contemptum & confusionem Dæmonis obsidentis, ut dictum est: atqui hoc ipso, quòd Dæmon ea fieri velit, non est credendum, illa cedere in ipsius contemptum & confusionem: quis enim sibi persuadeat, Dæmonem quidpiam præscribere, vel petere, ut fiat, si vergere id videat in sui despectum & opprobrium? Ergo similes actiones nullam tunc habent utilitatem ad finem intentum, & consequenter vanè & superstitiosè adhibentur.

IX. Exorcista non potest licitè præcipere Dæmoni superiori, ut in suo egressu Dæmones inferiores pellat è corpore, dum nempe plures, ut non rarò contingit, obsident eundem hominem. Ita Sotus, Suarez, Lessius, quos refert & sequitur Sanchez n. 21. quibus adde Brognolum disp. 4. parte 1. c. 3. a. 5. q. 13. contra Sylvestr. Verbo. *Adjuratio*. q. 5. Tambur. lib. 3. in Decal. c. 8. §. 2. n. 11. & alios. Ratio est: tum, quia Christus nullibi dedisse invenitur Ecclesiæ suæ potestatem ejiciendi Dæmones per alios Dæmones: ergo nec Exorcista habet potestatem ad eum finem utendi eorum operâ. tum, quia Exorcista hoc tale præceptum imponendò videtur quodammodò dissidere adjurationibus Ecclesiæ tanquam insufficientibus ad inferiores Dæmones expellendos, ac judicare, ad hoc sibi opus esse auxiliò Dæmonis superioris. tum, quia tale præceptum est superfluum. Si enim per adjurationem pelli potest Dæmon superior, etiam pelli potest inferior quicunque demum. Vid. Brognol. loco cit.

Ultra hæc amplius quæritur primo, an Dæmonis desiderio, si ex obsesso 27

egressurus aliquid petat, liceat satisfacere? Respondeo distinguendo: vel id, quod petit Dæmon, est malum, & iniquum, vel ex se bonum, aut non malum. Si malum, v. g. ingressus in alium hominem, id utique Exorcista non potest concedere sine peccato. Si non malum, ut non cruciari novis supplicîis, potest concedere, non tamen tenetur. Ita Thyræus disp. de Dæmoniac. par. 4. cap. ult. Sanchez n. 36. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. pu. ult. num. 13. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 8. §. 2. n. 14. Ratio est: tum, quia licitum est Exorcistæ uti mediis licitis celeriùs expellendi Dæmonem: atqui tale medium aliquando esse potest satisfacere ejus petitioni non iniquæ; ergo. tum, quia tale quid concedere non est cum Dæmone agere amicô animô, sed adhibere idoneum medium accelerandi egressum ejus ex corpore obsesso. Verùm summa hîc opus est cautelâ, & multò consultius Dæmonis petitionibus in nulla re acquiescere.

28 Quæritur secundo, an licitum sit petere signum à Dæmone, quo testetur, se egredi ex obsesso, & non ampliùs regressurum? Respondeo, esse licitum. Ita Thyræus disp. cit. par. 3. cap. 46. Sanchez n. 28. Filliuc. tr. 24. cap. 8. n. 213. Bonac. n. 14. Delrius lib. 6. disquisit. Magic. cap. 3. Tambur. n. 8. contra Sotum, qui ait, id esse superstitiosissimum, & nullo modo ferendum: eò quòd Dæmon sit pater mendacii, ac proinde nec ipsi, nec signis ipsius fides adhibenda. de hoc fundamento postea videbimus. Interim data responsio prob. primo ex Sacerdotali Romano, ubi Exorcista docetur ejusmodi signum petere. sunt autem talia signa extinguere lampadem v. g. rumpere vitrum, vel quid simile. Probatur secundo: quia exhibitio talis signi conducit ad expulsionem Dæmonis: nam inde possumus cognoscere, an discesserit ex homine, vel non: sine opus ulteriori exorcizatione, an non? Ergo licitè eam petit Exorcista. Ad rationem Soti dicitur, illâ probari nimium, nempe quòd nunquam liceret interrogare Dæmonem de ulla re: cùm ille nunquam mutet pellem suam, sed semper maneat idem pater mendacii. Sed conseq. est contra dicta in n. 22. & n. 23. quamvis enim Dæmon sit mendacissimus, per Exorcismos tamen aliquando cogitur tum manifestare veritatem, tum præstare alia, quæ ad ipsum expellendum conducunt. De cætero fatendum est, Dæmonem dato ejusmodi signo non esse coactum ad non redeundum: sed, si non redeat, inde provenire, quòd vel ipse non velit, vel quòd ex alia causâ impediatur. Ita Sanchez, Bonac. locis citt. quamvis, ut iidem Authores docent cum Abulensi 1. Reg. 16. q. 41. obtento signo securiores simus de discessu Dæmonis, ejusque reditu non futuro, quàm eo non obtento.

Quæritur tertio, an Exorcista possit Dæmonem amandare in infernum, aut locum desertum? Respondeat affirmativè Thyræus cap. cit n. 23. Delrius loco cit. Sanchez n. 27. Tambur. n. 15. & alii. Addit tamen Delrius, & cum eo Tambur. id non licere Exorcistæ, nisi sub spe Divinæ ratificationis: nam ejectionis, ait Delrius, habemus promissionem, exilii illius exempla quædam, non tamen promissionem. Sed mihi cum Brognolo ubi suprà q. 14. & 15. dicendum videtur, neutrum posse Exorcistam. Ratio est: quia nec potest potestate naturali, nec supernaturali, seu Divina. non naturali, utpote longè inferiori comparatè ad quemcunque Dæmonem, ut suprà in n. 13. dictum est. non Divina & supernaturali: cùm ex nulla Auctoritate sacra constet, Deum, aut Christum promisisse, se Divina virtute sua præstò futurum Exorcistæ non tantùm ad Dæmones ejiciendos ex obsessis, sed etiam ad ejiciendos in locum, quemcunque ille designaverit: quod probè advertit Delrius. Imò satis constat ex locis S. Script. quibùs probatur, concessam esse Ecclesiæ potestatem in Dæmones, eandem potestatem restringi ad Dæmonum expulsionem, & non concedi ad quid aliud. Confirmatur ex Tostato q. 16. in cap. 10. Matth. dicente: „ Potestas data Apostolis „ super Dæmones non fuit absoluta, ita ut „ possent, quidquid vellent, super Dæmones; „ sed solùm, ut possent eos ejicere. Ergo, infero, nec potestas, quam ab Ecclesia habent Exorcistæ, est absoluta. vel data ad quid aliud, quàm ad Dæmones ex corporibus ejiciendos: cùm Exorcistis ab Ecclesia non communicetur potestas major, quàm à Christô fuit communicata Discipulis in Evangelio. Atqui memorata potestas esset data ad quid aliud, si vi ejusdem Exorcistæ possent Dæmones etiam in infernum mittere, vel in loca deserta relegare, saltem sub spe Divinæ ratificarionis; ergo &c. Non me præterit, ab Angelo Raphaële alligatum fuisse Asmodæum in deserto Superioris Ægypti, ut narratur Tob. 8. Verùm id factum est vel virtute Divina speciali, vel naturali, si Raphaël fuit Angelus Superior Asmodæô: quorum nihil affirmari potest de Exorcista. Unde nec illud obstat, quòd Dæmones interdum à viris sanctis alligati fuisse memorentur.: dicitur enim, id factum ab illis ex speciali Dei instinctu, ejusque singulari auxilio ob maximam eorundem sanctitatem. Vid. Brognol. q. 14.

29

Quæritur quarto, unde proveniat, quòd Dæmones adhibitis Exorcismis non semper ejiciantur? Respondeo, in varias causas id refundi solere. Prima est defectus debitæ præparationis ad pugnam cum

30

Dæmone

Dæmone ineundam ex parte Exorciſtæ. Vid. quæ diximus in n. 19. Secunda eſt, quòd hoc interdum mereantur peccata Energumenorum, ut Dæmones non ſtatim expellantur, ſed tum primùm, quando ab his diutiùs vexati ſat pœnas luerunt. Tertia eſt itidem ex parte Energumenorum defectus fidei ac ſpei libertatem conſequendi. nam orantes Deum, aut ejus beneficia expectantes magnâ eadem obtinendi fiduciâ niti oportet. Quarta eſt, quòd Deus ex occulto judicio propter majorem utilitatem ſpiritualem animæ; vel in aliorum exemplum, vel propter aliud Eccliſiæ commodum nonnunquam velit relinquere homines in poteſtate Dæmonum, etiam illos, qui citra ſuam culpam ab illis obſidentur. Vid. Thyræus cap. 48. Sanchez n. 16. Bonac. to. 2. diſp. 4. q. 1. pun. ult. n. 7. Laym. lib. 5. tr. 10. cap. 14. n. 6. & alii.

ARTICULUS IV.

De Voto.

NOmen *Voti* tripliciter accipi poteſt: nempe primo, pro deſiderio, affectu voluntatis, vel precatione ad aliquem directa. Sic dicitur Proverb. 31. *Quid dilecte votorum meorum?* hoc eſt, deſideriorum. & in Canone Miſſæ: *tibique reddunt vota ſua*, id eſt, pia deſideria, affectus, ac preces, Secundo, pro materia, ſive re promiſſa, ut 1. Paral cap. 29. *Lætatusque eſt populus, cùm vota ſponte promitterent.* & Pſal 49. *Redde altiſſimo vota tua*, id eſt, rem, quam promiſiſti. Tertio, pro ipſa actione promittendi, qua quis Deo ſe devincit ad aliquid faciendum vel omittendum: ut Eccleſi. 5. *Si quid voviſti Deo, ne moréris reddere: diſplicet enim et infidelis & ſtulta promiſſio: multoque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Et in hac tertia acceptione, quæ ſola huc pertinet, de Voto diſputabimus.

§. I.

Quid ſit Votum, & quotuplex?

SUMMARIUM.

1. *Definitio Voti.* 2. *Ad Votum non requiruntur verba, aliave ſigna externa.* 3. *Votum eſſentialiter & in recto conſiſtit in promiſſione:* 4. *Diviſio Voti.* 5. *Declarantur ſingula membra dividentia ejusdem.*

1 DIco primo: Votum eſt *promiſſio deliberatè Deo facta de meliore bono.* Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 88. a. 1. & 2. Ex qua definitione quinque conditiones ad verum votum neceſſariæ deduci ſolent. Prima eſt deliberatio ex parte intellectûs cognoſcentis, ac ponderantis onus, & obligationem, quam vovens ſibi vult imponere. Secunda eſt propoſitum, ſive intentio promittendi, ſeque obligandi, & exequendi promiſſum. Tertia eſt ipſa promiſſio, quæ eſt actus intellectus practici, & quædam locutio practica, qua quis Deo ſe obligat. Quarta eſt is, cui fit talis promiſſio, nempe Deus. cùm enim votum juxta D. Thomam q. cit. a. 5. ſit actus Religionis & Latriæ, ad Deum dirigatur neceſſe eſt. Quinta eſt apta materia, quæ debet eſſe res Deò grata. De hac, & cæteris conditionibus, ut clariùs procedamus, in aliis §. §. agemus. Interim

Infertur primo, ad votum non eſſe neceſſaria verba, aliave ſigna externa. D. Thomas q. cit. a. 1. in corp. Ratio ipſius eſt: quia licèt promiſſio, quæ ab homine ſit homini, fieri non poſſit, niſi per verba, vel alia ſigna exteriora, Deo tamen fieri poteſt promiſſio per actum merè internum: nam ipſe *intuetur cor*, ſicut *homo ea* tantùm *videt, quæ parent*, ut dicitur 1. Reg. 16. Frequenter tamen vota verbis externis exprimuntur, idque conformiter ad illud Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*: tum, ut vovens ipſe majorem in ſe affectum exciter erga Deum: tum ad conteſtandum alios, ut non ſolùm propter timorem Dei; ſed etiam propter reverentiam hominum præſtetur, quod promiſſum eſt, ut habet idem S. D. 2

Infertur ſecundo, quamvis ad votum plures actus concurrant, ipſum tamen eſſentialiter & in recto conſiſtere in ſola promiſſione, quam diximus eſſe actum intellectus & locutionem practicam. Ratio eſt: quia votum, ut docet D. Thomas q. cit. a. 10. eſt lex quædam privata, qua quis ſponte ſe reddit Deo obligatum ad aliquid faciendum vel omittendum. Lex autem eſſentialiter & in recto conſiſtit in actu intellectûs, ut ſuprà in tract. 3. diſp. 1. a. 1. num. 3. ex eodem S. D. oſtendimus; quamvis præſuppoſitivè importet actum voluntatis, quo Legislator intendit imponere obligationem. Vid. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 1. n. 8. 3

Dico ſecundo. Votum dividitur potiſſimùm, in abſolutum & conditionatum: in ſolemne & ſimplex; in reale & perſonale; 4

nale : in necessarium & liberum : in externum & internum : in reservatum & non reservatum. Dixi, *dividitur potissimum*: non enim me præterit, dari adhuc alias divisiones : sed cùm sint levioris momenti, omittuntur.

5 Declarantur jam singula membra dividentia. Votum absolutum est, quod sit sine ulla conditione adjecta : ut, si dicas, voveo peregrinationem. Conditionatum est, quod editur cum certa conditione, ita ut vovens non velit esse obligatus, nisi hac posita : v.g. voveo peregrinationem; si sanitatem recuperavero. vel, voveo gestationem cilicii, si in hoc peccatum lapsus fuero. quod votum pœnale dicitur.

Votum solemne est, quod non tantùm ex intentione voventis, sed etiam ex speciali acceptatione Ecclesiæ perpetuitatem, & maximam firmitatem habet : sicut explicat Castropal. tr. 15. disp. 1. pu. 10. n. 2. Talia vota sunt solùm votum castitatis Ordinibus Majoribus annexum, & vota Professionis in statu Religioso. Votum simplex est omne aliud, quod non ex speciali acceptatione Ecclesiæ perpetuitatem & firmitatem habet, esto fiat quibusdam cæremoniis & solemnitatibus Ecclesiasticis. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 2. n. 95. Votum solemne voventem reddit inhabilem ad matrimonium contrahendum. qui quidem effectus est voti solemnis, sed non solius: nam etiam vota simplicia, publica & privata, Religiosorum Societatis Jesu id ipsum efficiunt, & matrimonium contrahendum dirimunt; ut habetur in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente*.

Votum reale est, quo res externa, v. g. pecunia, calix, eleemosyna, vel quid simile pretiò æstimabile promittitur. Personale est, quo aliqua actio hominis, vel cessatio actionis vovetur : ut peregrinatio, jejunium, abstinentia à lusu. His addendum est votum mixtum ex reali & personali: cujusmodi est illud, quo voves peregrinationem v. g. Oettinganam cum oblatione certæ pecuniæ, tabulæ, ceræ, &c.

Votum necessarium, sive commune est, quo vovetur res ex præcepto debita; atque adeo omnibus necessariò ex lege communi servanda. Liberum, sive singulare est, quo promittitur res non præcepta, nec omnibus communiter ad salutem necessaria, sed præcisè subjacens consilio. Votum externum est, quod signis quibusdam exterioribus exprimitur, idque vel coram testibus extraneis; & dicitur publicum; vel sine testibus extraneis, esto non sine domesticis; & dicitur privatum. Votum internum est, quod sola mente concipitur. Votum reservatum est, in quo solus Summus Pontifex dispensare potest. Non reservatum est, in quo alii quoque dispensare possunt. Vid. Filliuc. tract. 26. cap. 2. à n. 69. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 2. n. 2. Illsung à n. 95.

§. II.

Quænam, & quanta deliberatio ad Votum requiratur?

SUMMARIUM.

6. *Sententia quorundam Juristarum.* 7. *Talis deliberatio sufficit ad vovendum, qualis sufficit ad peccandum mortaliter.* 8. *Qualiter votum imprudens Deo displiceat.* 9. *Ad valorem voti requiritur & sufficit libertas, quæ requiritur & sufficit ad peccatum mortale.* 10. *Debet tamen hac libertate actus promissionis constitui liber formaliter, aut virtualiter.* 11. *Cur libertas in causa sufficiat ad peccatum mortale, & non etiam ad votum?* 12. 13. *& seqq. Resolutiones practicæ.*

ALiqui Juristæ, ut ex Soto referunt Valent. to. 3. disp. 6. q. 6. pu. 1. & Sayrus in Clavi Reg. lib. 6. cap. 4. n. 8. docent, ad votum necessariam esse deliberationem adeo plenam, ut sit matura & diuturna, in qua nempe vovens omnia exactè perpendat, quæ circumstant operationem, quæque ipsum à vovendo vel absterrere, vel ad vovendum movere possint. Nam obligatio voti, inquiunt, gravissima est; cùm quis eà Deo obstringatur in perpetuum, idque sub pœna mortis æternæ. Adeoque meritò ad eandem contrahendam exigitur memorata deliberatio. Quid nobis placeat, statim patebit.

Dico primo. Ad votum sufficit talis 7
deliberatio, qualis sufficit ad peccatum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio est : quia ad essentiam seu valorem voti eadem deliberatio sufficit, quæ sufficit, ut sit actus verè & perfectè humanus, seu moralis : sed ad hoc sufficit deliberatio illa communis, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; ergo &c. Confirmatur primo. Deliberatio, quæ sufficit ad se obligandum reatu æternæ damnationis, etiam sufficit ad obligandum se Deo vinculò promissionis : sed ad prius sufficit deliberatio, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; ergo etiam ad posterius sufficere dicenda est. Confirmatur secundo ex SS. Canonibus. Sic in cap. *Dudum. de convers. conjug.* Significatur, votum editum calore iracundiæ, quæ non abstulit usum rationis, fuisse validum; cùm tamen ejusmodi iracundia haud dubiè impediverit plenissimam & exactam deliberationem. Rursus in cap. 2. *de Voto*, validum fuisse censetur votum peregrinationis Hierosolymitanæ, quod in pueruli & tenera

nera ætate, facilitate potiùs, quàm arbitrio discretionis conceptum est. Præterea in cap. *sunt, qui opes.* 17. q. 4. quidam, qui tumultuario mentis impulsu opes quasdam Ecclesiæ contulerant, sacrilegii damnantur, si donationem revocaverint: & consequenter validè donâsse censentur, etsi maturam, & diuturnam illam deliberationem non præmiserint. Vid. Valent. loco cit. col. 1762. Sayr. n. 10. Suarez lib. 1. de voto. cap. 9. à n. 4. Laym. tr. 4. cap. 1. n. 3. Tambur. lib. 3. Decal. cap. 10. §. 1. n. 1. Salmantic. to. 4. tr. 17. cap. 1. pu. 1. à n. 9. Ad rationem oppositæ sententiæ respondetur, eâ solùm probari, quòd juxta regulas prudentiæ ad votum requiratur major deliberatio, quàm ad alias communes actiones; & quidem eò major, quò gravius est votum. Quòdsi in hoc defectus aliquis interveniat, attendendum est, an tanta sit indeliberatio, ut usum libertatis simpliciter impediat, vel non? Si hoc posterius; votum adhuc erit validum: si prius; erit invalidum. Suarez n. 10.

8 Objicies. Votum cum defectu deliberationis, etiam relinquente usum libertatis simpliciter, imprudens & peccaminosum est: ergo non acceptatur à Deo; quippe cui *displicet stulta promissio*: & consequenter non est validum & obligatorium. Respondeo neg. conseq. licèt enim tale votum non placeat Deo quoad imprudentiam, & quoad rationem peccati, si quam inde contrahit, nihilominùs; si fit cum deliberatione, qualem in n. præced. requisivimus, acceptatur quoad obligationem. Suarez n. 15. Salmantic. n. 14. Tambur. n. 2.

9 Dico secundo. Spectato jure naturæ ea libertas ad valorem voti requiritur ac sufficit, quæ requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter, ita tamen, ut per illam actus promissionis constituatur liber formaliter, aut virtualiter. Ita rursus communis DD. Et quidem hanc talem libertatem sufficere, præterquàm, quòd videatur per se clarum, testatur expresè Glossa in cap. *Mulier.* 32. q 2. dicens, libertatem sufficientem, ut Diabolo devincti simus, etiam sufficere, ut Deo obstringamur. Quòd autem eadem libertas requiratur, nec sufficiat minor quæpiam, aut semiplena, inde ostenditur: quia votum obligare graviter vel leviter non desumitur à majori, vel minore libertate, sed tantùm à gravitate, vel levitate materiæ: ergo signum est, tantam libertatem requiri ad essentiam voti ex parte materiæ levis, quanta requiritur ad essentiam voti gravis. Atqui ad essentiam voti gravis requiritur libertas, quæ requiritur ad peccandum mortaliter; ergo etiam ad essentiam voti levis requiritur: & consequenter ad essentiam voti absolutè requiritur. Vid. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 3. a. 1. n. 77.

Dixi autem, *ita tamen, ut per illam, &c.* quia ad substantiam voti intrinsecè requiritur directa intentio se obligandi: atqui hæc talis intentio non subsistit, nisi actus promissionis sit formaliter, vel saltem virtualiter liber; ergo. Unde votum, quod quis prævidet, se editurum in ebrietate, reque ipsa tunc edit, non est validum: quia libera volitio ebrietatis nec formaliter, ut patet, intendit obligationem operis melioris, nec virtualiter, hoc ipso, quòd non præcesserit intentio ejusdem actualis seu formalis; quam omnis intentio virtualiter perseverans debet supponere. Vid. tract. 2. disp. 1. a. 2. de Voluntario. 10

Objicies, Libertas, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, etiam sufficit ad validè vovendum, ut diximus n. præced. Sed libertas, seu voluntarium in causa sufficit ad peccandum mortaliter, ut patet in homicidio, quod quis ante ebrietatem prævisum committit in ebrietate; ergo etiam sufficit ad valorem voti: & consequenter votum potest subsistere sine actu formaliter aut virtualiter libero. 11

Confirmatur. Qui liberè suscipit Ordines Sacros, quos cognoscit necessariò esse connexos cum voto castitatis, hoc ipso censetur liberè vovere castitatem: ergo similiter, qui prævidet votum à se edendum in ebrietate idque edit in hoc statu, cum sufficiente libertate edit.

Respondeo ad Object. dist. maj. illa libertas etiam sufficit ad votum, si includat directam intentionem se obligandi conc. si non includat, neg. maj. atqui libertas in causa præcisè non includit in casu nostro hanc talem intentionem; adeoque licèt sufficiat ad peccandum mortaliter, non tamen sufficit ad validè vovendum. Quòd autem de valore voti sit directa intentio se obligandi, facilè colligitur ex ipsa natura obligationis, præsertim valde gravis secundùm se, qualis est voti: quam nemo sibi vult ipse imponere, nisi ex plenè deliberata ac directa voluntate, quæ supponat cognitionem itidem directam ejusdem. Unde ad illud de homicidio in ebrietate redditur disparitas: ad peccandum namque non est necessarium directè & formaliter velle malitiam, vel actum ut malum, sed sufficit ita velle actum, cui conjuncta est malitia; ad votum autem necessarium est directè ac in se velle actum sub ratione promissionis, & importantis obligationem. Accedit, quòd malum imputatur ex quocunque defectu. Votum autem, cùm sit bonum, exigit perfectiorem & cognitionem & voluntatem: atque hinc non consurgit ex voluntate solùm indirecta in

causa, sicut malitia peccati; sed requirit voluntatem aliquam propriam ac directam promittendi, & se obligandi. Vid. Suarez lib. 1. de voto, cap. 10. Ad Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. quia, qui habens sufficientem cognitionem præcepti imponentis obligationem castitatis, omnibus Ordines suscipientibus vult suscipere Ordines, implicitè saltem censetur velle subire eam obligationem. Atqui non ita quis censetur velle subire obligationem voti cum ebrietate per se non connexi, sed ex imprudentia solùm & indeliberatione eidem adjungendi. Vid. Illiung n. 87. Ex dictis resolves jam sequentia.

12 I. Neque votum factum ex repentino motu voluntatis, qui primò primus dicitur, neque factum ex motu, quem secundo primum appellant Theologi, est validum. Ratio primi est: quia votum voventi debet esse liberum: sed votum, quod editur ex motu voluntatis primò primo non est liberum; cùm ejusmodi motus non sint in nostra potestate, & præveniant omnem deliberationem. Ratio secundi est: quia ad valorem voti requiritur tanta deliberatio & libertas, quanta requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter: atqui libertas semiplena motus secundo primi, licèt sufficiat ad peccandum venialiter non sufficit ad peccandum mortaliter; ergo neque ad validè vovendum sufficit. Quare, qui subitâ irâ percitus, aliâve passione rationis usum seu præveniente, seu perturbante obrutus, jurat vel vovet v. g. se non ampliùs lusurum, nullam inde contrahit obligationem non ludendi. Vid. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. c. 4. n. 9. Sanchez lib. 4. in Decal. c. 1. n. 2. Cæterùm vovere cum libertate semiplena semper peccatum veniale est: quia in tali voto, sive sit de re gravi, sive levi, semper proceditur imprudenter, quod à peccato veniali excusari non potest, quamvis ad mortalem malitiam non ascendat. Sanchez n. 9. Tambur. lib. 3. in Decal. c. 10. §. 1. n. 3.

13 II. Falsa est regula, quæ traditur in Summa Angelica, V. *Votum*, ad discernendum, quando in vovendo non adfuerit deliberatio sufficiens: nempe: *Quotiescunque, transactâ angustiâ, seu periculo, pœnitet facti eum, qui vovit.* Ratio falsitatis est: tum, quia sæpe fit, ut quem voti pœniteat, etiam post longam deliberationem emiserit: nemo tamen dixerit, hanc talem deliberationem non fuisse sufficientem, & votum invalidum. tum, quia subsequens pœnitudo solùm arguit, votum non fuisse editum ex deliberatione omnino plena & perfecta, consideratis omnibus, quæ ad actionem pertinere possunt; non tamen arguit, fuisse editum ex deliberatione insufficienti. Vid. Valent. to. 3. disp. 6. q. 6. pu. 1. colum. 1793. Suarez ubi suprà cap. 9. n. 11. Sayr. loco cit.

Quodsi veram ac certam de hoc regulam petas, respondet rectè Suarez n. 13. nullam dari posse, sed opus esse prudentis arbitrio, & præcipuè spectandam rationis advertentiâ.

III. Qui ex actuali proposito votum 13
Religionis, seu Professionem emittendi accessit ad altare, os ad loquendum aperuit, verbaque Professionis coram Prælato recitavit ex scripto, validè vovit, quamvis animo prorsus fuerit distractus ad alia, & de nulla re minùs, quàm de voto tunc actualiter cogitaverit. Sanchez n. 6. Laym. lib. 4. tr. 4. c. 1. n. 4. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. n. 5. Tambur. cap. cit. §. 2. n. 1. Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. n. 12. Ratio est: quia ita vovens, licèt tunc caruerit voluntate, seu proposito actuali, non tamen caruit proposito, seu intentione virtuali ratione effectuum ex formali & actuali proposito primitus concepto causatorum. Atqui virtualis intentio sufficit ad valorem voti; sicut sufficit ad validè administranda Sacramenta, aliàsque humanas actiones præstandas.

IV. Votum, quod emittitur ex metu 14
à causis naturalibus incusso, ut morbo, naufragio, & similibus, validum est. Sayrus cap. cit. n. 16. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 3. n. 4. Filliuc. tr. 26. cap. 1. n. 10. & alii communiter. Ratio est: quia tale votum concipitur ex sufficienti libertate; nec ullâ ad id injuriâ vovens adigitur. Quòdsi extrinsecâ violentiâ hominis ad vovendum quis compellatur, votum similiter est validum, dummodò vis illata non tendat directè ad extorquendum votum. Quare validè vovisti, quando ad vovendum te compulit inimicus necem violenter intentandò, ut injuriam à te illatam ulcisceretur. Ratio est: quia adest sufficiens libertas, nec aliud quidquam intervenire supponitur, quo votum irritetur. Si verò directè metus inferatur, ut votum extorqueatur, votum jure naturali vel Divino similiter validum est, utpote factum ex sufficienti libertate; jure tamen positivo Ecclesiastico irritum est, sicut pluribus ostendit Illsung tract. 4. disp. 1. q. 3. a. 1. num. 81. & tradunt Authores citt. Unde frater, cui frater minatur mortem, nisi repudiata hæreditate voveat ingressum Religionis, invalidè edit hoc votum, spectato jure positivo, & ad nihil tenetur.

V. Quando votum, quod emittitur, 15
conjunctum est errori circa substantiam, vel aliquid essentiale illius ignoratur, invalidum est. Filliuc. n. 18. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 3. §. 2. n. 2. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 1. n. 5. Tambur. lib. cit. cap. 13. n. 2. Ratio est: quia deficit voluntarium ad essentiam voti necessarium: cùm nihil sit ita contrarium libero consensui, sicut error. est autem de ratione voti, ut fiat ex libero consensu. Unde,

Unde, si quis existimaret, votum non inducere obligationem, idque in hoc errore emitteret, invalidè emitteret: quia vis obligandi, quam ignoraret, est de essentia voti. Idem est, quando erratur in objecto, sive materia voti: nam & hæc est de substantia voti. Atque ideo non valet, nec obligat votum, quod promisisti certum aliquem calicem tuum existimans esse argenteum, cùm sit aureus: vel ingressurum te certum aliquod Monasterium putans, esse Ordinis S. Augustini, cùm sit Ordinis Carthusianorum. Illud porrò adverte cum Tambur. num. 3. si ignoras id, quod de substantia voti est, voves tamen, prout res in se est, & prout alii vovent, te voto obligari. Ratio est: quia sic implicitè consentire censeris in voti substantiam.

16 VI. Si error in voto versetur circa qualitatem, vel circumstantiam illius magni momenti, ita ut in ipsum voti objectum redundent, votum erit similiter nullum. Si verò circumstantia, vel qualitas ignorata sint exigui momenti, & non tantæ considerationis, votum est validum. Suarez lib. 1. de voto cap. 11. n. 11. Filliuc. n. 18. & 19. Laym. loco cit. Tambur. n. 4. Bonac. n. 4. Illsung n. 82. Ratio est: quia, dum ignoratur circumstantia magni momenti, censetur ignorari ipsa substantia, adeoque in voto deficere voluntarium: ignoratâ verò circumstantiâ levioris considerationis substantia voti ignorari non censetur. Hinc, si vovisti ingredi Religionem Carthusianorum, vel Minimorum ignorans, eos Religiosos continuò abstinere à carnibus, votò non teneris: quia qualitas, sive circumstantia, quam ignorâsti, est gravis momenti, votique objectum planè immutat. Teneris econtra votô, quo promisisti eleemosynam pauperi Caio, putans, eum esse Sacerdotem, quem tamen deprehendis postea, non esse Sacerdotem. nam hæc circumstantia non censetur tam gravis, ut error circa illam votum immutare possit: vovisti enim ex motivo misericordiæ erga pauperem, quod motivum subsistit, sive is sit Sacerdos, sive non sit. Cæterùm in dubio, an qualitas sit tanti momenti, ut redundet in substantiam, standum est judicio viri prudentis, & præcipuè attendenda intentio, ac finis voventis, quem is de facto habuit. Vid. Tambur. n. 8. Illsung n. 84.

17 VII. Votum, quod editur ex errore circa causam finalem, est irritum. Sanchez lib. 4. Decal. cap. 2. num. 42. Tambur. n. 10. Bonac n. 5. Illsung n 83. Ratio est: tum, quia votum censetur fieri sub hac tacita conditione, si causa finalis, ac motiva subsistat: hac ergo non subsistente, neque votum subsistit. tum, quia finis intentus pertinet ad essentiam promissionis; quippe quæ & ipsa non minùs, quàm cæteræ actiones humanæ, speciem à fine desumit. Quare, si mater v. g. vovit eleemosynam ad impetrandam à Deo sanitatem filio absenti, ad nihil tenetur, quando filius tempore, quo factum est votum, vel jam erat mortuus, vel non erat infirmus: quia nempe non subsistit causa finalis, quæ fuit filio recuperare sanitatem. Bonac. num. 9. Quòdsi error contingat in causa solùm impulsiva, quæ nempe non directè & per se intenditur, sed est solùm excitatio, & quædam velut occasio voti edendi, votum erit validum. Bonac. n. 13. Tambur. loco cit. Ratio est: quia causa impulsiva non est de voti substantia, eaque non subsistente causa finalis, & consequenter votum, adhuc subsistit. Unde teneris ire Oettingam, si hoc vovisti occasione amici, quem ibi invisere cupiebas, licèt is tempore voti emissi jam sit mortuus; quia visitatio amici non fuit causa finalis, sed solùm impulsiva ad votum, nam licèt intuitu amici eam peregrinationem voveris libentiùs, non tamen vovisti propter amicum. Cæterùm ut dignoscatur, causane finalis sit, an impulsiva? attendi debent circumstantiæ, & præsertim animus voventis à prudenti considerari, ut habet idem Tambur. n. 14.

§. III.

De Proposito, & Promissione ad Votum necessariis: déque eo, cui fieri debet Votum.

SUMMARIUM.

18. Quomodo differant propositum & promissio. 19. Ad votum non sufficit solum propositum. 20. Propositum nullam inducit obligationem, etiam sub veniali. 21. 22. & seqq. Resolutiones practicæ. 26. Votum soli Deo faciendum est. 27. Quomodo intelligi debeant vota, quæ Sanctis interdum fieri audimus.

18 NOtanda est primo differentia inter propositum, & promissionem. Propositum est voluntas aliquid faciendi, solumque procedit ex deliberatione, sitne res facienda, an non? Promissio eidem voluntati superaddit aliam voluntatem, nempe se alteri obligandi, & procedit ex deliberatione circa obligationem acceptandam, sibique imponendam. de quo latissimè agit Valent. to. 3. disp. 6. q. 6. pu. 1.

Notandum secundo, voventem quoad animum, seu voluntatem tripliciter posse esse constitutum. Primo, ut verbotenùs solùm voveat cum positivo animo non promittendi,

mittendi; nec se obligandi. Secundo, ut habeat quidem animum promittendi, seque obligandi, sed cum voluntate non implendi promissum. Tertio, ut habeat animum promittendi, & adimplendi promissum, sed absque animo se obligandi: quia vel non recordatur hic & nunc, voto annexam esse obligationem, licèt id sciat habitualiter: vel, quia versatur in errore existimans, votum non parere obligationem, quam proinde non vult suscipere: vel, quia intelligit quidem, votum esse obligatorium, obligationem tamen non vult sibi
19 imponere, sed vult eam separare à promissione. Vid. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 1. pu. 1. n. 19. 20. & 24.

Dico jam primo. Quamvis ad valorem voti sit necessarium propositum, non tamen sufficit. Conclusio communissima est quoad utramque partem. Ratio primæ est: quia propositum est voluntas deliberata aliquid faciendi: sed ejusmodi voluntas est necessaria ad votum; ergo. Ratio secundæ partis est: quia votum inducit obligationem voventi; quod ei non potest competere ex simplici proposito quantumvis firmo. nam hujus natura est variabilis ab illo, qui proponit quidpiam facere, ita ut id licitè possit non facere, juxta illud: Sapientis est mutare consilium. Oportet igitur, ut accedat alia voluntas, quæ secum importet promissionem, estque illa, qua quis alteri se obligare intendit. Vid. D. Thomas, 2. 2. q. 88. a. 1. Suarez tract. de voto. lib. 1. cap. 2. n. 3. Valent. pu. cit. in resp. ad 2. Sayr. lib. 4. clav. Reg. cap. 1. n. 6. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 11. n. 18. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 1. n. 2. Salmanticenses, num. 16. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 11.
20 num. 2. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 1. n. 75.

Objicies. Quamvis propositum non sit votum, inducit nihilominùs aliquam obligationem, saltem sub veniali: quia mutatio boni propositi ex perfecta deliberatione concepti, dum fit absque causa, importat aliquam levitatem animi cum damno quodam spirituali: ergo non fit absque culpa, saltem contra virtutem constantiæ: & consequenter tale propositum reddit hominem obligatum ad perseverandum in ipso, & exequendam rem propositam. Confirmatur primo: verbis Christi apud Lucam cap. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est Regno Dei*: sed, qui proponit, jam mittit manum ad aratrum; ergo, &c. Confirmatur secundo ex cap. *Consulti. Extrau. de Regular.* ubi quidam, qui proposuit ingredi religionem, & induit habitum, jubetur in illa permanere.

Respondeo ad Object. neg. Ant. ad hujus probat. dico, ejusmodi levitatem animi aliud non esse, quàm defectum diligentiæ in procuratione majoris boni, ad quem evitandum inclinat quidem constantia, sed sub nulla culpa, & sub consilio tantùm; sicut virtutes ad actus etiam supererogatorios, quorum nulla est obligatio, frequenter inclinare neminem prætcrit. Neque refert, quòd talis mutatio aliquando fiat sine causa; adeoque sit actus otiosus: quia hinc non sequitur esse culpam venialem, quòd sit contra constantiam; sed quòd ex generali & communissima doctrina omnis actus humanus in individuo exerceri petat propter finem honestum: quæ est consideratio longè alia, ut suo loco vidimus. Ex quibus proinde neg. utraque Conseq. Atque ideo mutationem simplicis propositi nullam ex se importare culpam, docent probabiliùs Authores citt. & 21
alii apud Salmantic. n. 18. Ad primam Confirmat. respondeo ex D. Thoma a. cit. ad 3. neg. mi. verba S. D. sunt: *Qui manum mittit ad aratrum, jam facit aliquid: sed ille, qui solum proponit, nondum aliquid facit. Sed quando promittit, jam incipit se exhibere ad faciendum, licet nondum impleat, quod promittit: sicut ille, qui posuit manum ad arandum, nondum arat; jam tamen posuit manum ad arandum.* Ad secundam Confirmat. respondeo ex Soto apud Valent. Pontificem usurpâsse nomen propositi pro voto, quatenùs communitèr dici solet, votum esse propositum promissione firmatum. Imò Jus Ecclesiasticum nobis apertè favet in cap. *Litterarum. de Voto*, ubi dicitur, eum, qui proposuit mutare statum, *si ulterius non processit*, non peccare, nec frangere votum, etiamsi mutet propositum. Ex dictis resolves jam sequentia.

I. Nullum est votum, quod quis edit 21
animò positivò non promittendi, nec se obligandi. Ita ex communi Salmantic. n. 19. Ratio est: quia de essentia voti, utpote actus humani & moralis, est intentio vovendi: sed, qui vovet animò positivò non promittendi, seque obligandi, non habet intentionem vovendi; cùm promittere, & se obligare sit idem de substantia voti. Talis proinde verbis tantùm & illusoriè vovet. *Promissio quandoque fit ore, & non corde, & talis apud Deum non est votum*, ait D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 1. quæst. 1. ad 2.

II. Valet votum, quod editum est 22
animò non exequendi opus promissum. Ita communis. Ratio est: quia suppositâ verâ promissione, veroque animo promittendi, & se obligandi, naturaliter sequitur obligatio voti, estque omnino independens & separabilis ab intentione implendi promissum; sicut in simili de obligatione Juramenti promissorii diximus artic. præced. n.

32.

22. Confirmatur. Potest in Legislatore esse animus obligandi per legem, absque eo, quòd velit executionem ejus, ad quod intendit obligare: quemadmodùm Deus Genes. 22. impositio præcepto obligare intendit Abrahamum ad immolandum filium, & tamen non voluit, ut ea immolatio executioni mandaretur. Cùm proinde votum sit lex quædam privata, potest vovens ceu Legislator illud ita concipere, ut velit esse obliga us absque eo, quod habeat animum standi promissô. Confirmatur ulteriùs. Qui sponsalia iniyit absque animô contrahendi Matrimonium, tenetur contrahere. Similiter, qui suscipit Ordines Sacros animô promittendi castitatem, seque ad eam obligandi, cum intentione tamen perseverandi in concubinatu, verè obstringitur votô castitatis. Præterea: qui in Religioso Ordine profitetur absque animo servandi vota, & perseverandi in Religione, tenetur nihilominùs vota servare & perseverare, ut ex communi tradunt Salmantic. n. 21. ergo vera est hæc nostra resolutio.

23 III. Qui scit, votum inducere obligationem, sed ad eam, dum vovet, non advertens negativè se habet, nempe nec volendo, nec positivè nolendo obligari, verum votum emittit. Sanchez de Matr. lib. 1. disp. 9. n. 2. Salmantic. n. 23. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 1. num. 6. & alii communiter. Ratio est: tum, quia qui vult antecedens, vult etiam consequens, saltem implicitè: consequens autem ad votum, quod vult talis, est obligatio ejusdem. tum, quia sciens, quid sit votum, censetur vovere juxta naturam illius, eoque modo, quo communiter voveri solet: adeoque virtualiter vult obligationem, quæ ex natura voti necessariò sequitur.

24 IV. Invincibili errore existimans, votum non importare obligationem, non contrahit obligationem, si vovcat durante hac tali existimatione. Sanchez loco cit. Tambur. n. 7. & ferè omnes, uti testantur Salmantic. loco cit. Ratio est: tum, quia nemo imponit sibi obligationem, nisi velit eandem: talis autem non vult ullo modo obligationem: nihil enim volitum, quod incognitum & invincibili errore ignoratum. tum, quia hic non intendit verè promittere: nam eo ipso, quòd ignoret obligationem tanquam quid essentialiter connexum cum promissione, etiam ignorat qualitates veræ promissionis; & consequenter sicut illam non intendit, ita nec istam.

25 V. Invalidum & nullum est votum ejus, qui promittit, positivè nolens se obligare. Suarez lib. 1. de voto. cap. 3. n. 7. & 10. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 1. n. 27. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 1. n. 13. Tambur. n. 3. Salmanticenses, n. 25. Ratio est: quia volens inire contractum, si apponat contradictionem repugnantem substantiæ contractûs, quem vult inire, inaniter, & irritè contrahit: ut patet in eo, qui vellet inire Matrimonium, & nollet perpetuitatem, vinculum, & obligationem illius essentialiter annexam. Ergo similiter, qui vult vovere, & positivè non vult obligationem voti, irritè vovet, sive nullum facit votum; quia vult qualitatem, aut conditionem, scilicet separationem obligationis, repugnantem essentiæ voti. Confirmatur. Lex non habet veram rationem legis, si Princeps nolit illâ obligare subditos: ergo etiam votum non habet veram rationem voti, si vovens nolit sibi obligationem illius imponere, nam & votum est lex quædam privata, ut n. 22. notavimus. Dices. Qui ad Ordines Sacros accedit sciens, illis annexum esse votum castitatis, sed positivè non vult ad castitatem se obligare, is tenetur nihilominùs servare castitatem: ergo votum aliquando obligat positivè nolentem ejus obligationem. Respondeo neg. conseq. talis enim non tenetur ad servandam castitatem ex vi voti, sed ex statuto Ecclesiæ, quæ potest etiam invitum ac positivè nolentem reddere inhabilem ad Matrimonium, prout de facto reddit in casu nostro. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 1. n. 4. Bonac. n. 8. contra Toletum, & alios asserentes, talem obligari votô castitatis.

26 Dico jam secundo. Votum soli Deo fieri debet. Ita communis. Quæ sumitur inprimis ex definitione voti, in qua dicitur *promissio Deo facta*. Deinde ex ratione: quia votum, ut docet D. Thomas, 2. 2. q. 88. a. 5. est cultus religiosus, sive Latriæ. per votum enim homo profitetur, in Deo esse rerum omnium providentiam, inque ipso solo collocandam spem auxilii, dum urgent angustiæ humanarum necessitatum: quod vel maximè cedit in honorem Divinæ excellentiæ. Atqui cultus Latriæ soli Deo est exhibendus; ergo &c.

27 Objicies. Etiam Sanctis, imò & Prælatis Religionum fieri audimus vota, ut dum Beatissimæ Virgini, Sancto Petro, aliive Cœliti promittitur peregrinatio, recitatio Rosarii, &c. Ergo non soli Deo fieri debet votum. Respondeo, vota, quæ Divis Cœlitibus fieri audimus, ita intelligi debere communiter, quòd fiant propriè Deo, sed in memoriam, vel honorem alicujus Sancti, ad eum modum, quo Sanctis dedicari dicuntur templa & altaria. Quodsi tamen ex singulari intentione aliquis non Deo, sed Sancto cuidam aliquid promitteret ad contestãdam ejus sanctitatem & excellentiam,

is votum abusivè solùm & impropriè dictum ederet. quamvis de cætero ejusmodi promissio esset actus honestus Duliæ, aut superduliæ. Porrò formulæ profitendi quarundam Religionum, in quibus dicitur: *voveo Deo, B. Mariæ, & Sanctis*, in eum sensum explicandæ sunt, quasi dicatur: voveo Deo, coram B. Virgine, & Sanctis, tanquam testibus & advocatis. Prælatus autem exprimitur, vel itidem tanquam testis, vel tanquam Minister nomine Dei acceptans votum. Vid. Suarez lib. cit. cap. 16. n. 5. & 17. Sayr. num. 11. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 1. num. 6. Tambur. ubi suprà cap. 14. Salmantic. cap. cit. à n. 28. Illsung tr. 5. disp. 1. q. 3. a. 1. §. 6.

§. IV.

De Materia Voti.

SUMMARIUM.

28. *Materia voti alia proxima, alia remota.* 29. 30. *Nulla actio moraliter mala potest esse materia voti.* 31. *Solvuntur Objectiones.* 32. 33. 34. 35. *Sequelæ ex dictis.* 36. *Quomodo actus indifferens possit fieri materia voti.* 37. 38. *Illationes ex dictis.* 39. *Materia voti debet esse in potestate voventis.* 40. 41. 42. 43. *Agitur de voto nunquam peccandi, etiam venialiter.* 44. 45. *Quid de voto, cujus materia partim turpis, partim honesta; partim possibilis, partim impossibilis?* 46. *Resolutiones Casuum.* 47. *Invalidum est votum disjunctivum de materia, cujus una pars apta, altera inepta.* 48. *Votum quoque de re quapiam contra prius votum validum est invalidum.* 49. *Materiam voti oportet esse de meliori bono.* 50. *Religiosus invalidè vovet Religionem laxiorem, si profiteatur strictiorem.* 51. 52. *An Matrimonium possit esse materia voti?*

28 MAteria voti alia proxima dici potest, alia remota. Proxima rectè vocatur actio aliqua humana, in quam proximè cadit promissio: quemadmodum materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ dicitur confessio, & Baptismi ablutio; quia forma Sacramenti immediatè cadit super illam, vel quia est id, quod cum forma proximè constituit Sacramentum. Materia remota est objectum, sive res, circa quam actio humana ceu materia proxima versatur: sicut rursus ob eandem proportionaliter causam aqua, & peccatum dicuntur materia remota Sacramenti, illa Baptismi, hoc Pœnitentiæ. Porrò ut sequentem tractationem intra certos limites concludamus, explicabimus primo, utrùm votum esse possit de re mala? Secundo, an de re indifferenti? tertio, an esse debeat de re, quæ sit in nostra potestate? quarto, an esse possit de materia partim bona, partim mala; partim possibili, partim impossibili? quinto, quid tenendum de materia partim apta, partim inepta voti disjunctivi? sexto, quid de voto contrario priori voto?

Dico jam primo. Actio moraliter 29
mala non potest esse materia voti. Ita omnes DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 88: a. 2. Ratio est: quia materia voti debet esse aliquid Deo acceptum: sed actio moraliter mala non est Deo accepta, utpote injuriosa eidem; ergo nequit esse materia voti. Confirmatur. Quia impossibile est, aliquem obligari ad peccandum; sed, si actus moraliter malus esset materia voti, vovens obligaretur ad peccandum, utpote opus votô promissum; ergo &c. Ex quibus

Sequitur primo, conclusionem sta- 30
tutam procedere tam de peccatis mortalibus, quàm venialibus, & tam de actibus intrinsecè malis, ut furto, homicidio &c. quàm de malis, quia prohibitis; cujusmodi sunt non jejunare, communicare sæpius in die: item, tam de actu maloex objecto, quales sunt non dare eleemosynam, non mutuare, &c. quàm de actu malo ex fine, vel aliis circumstantiis, ut, dum quis largitur eleemosynam fornicandi, vel injuriam ulciscendi gratiâ. Ratio universalis est: quia nihil istorum Deo placet; & consequenter nec votum de illis est acceptabile. Homò præterea hæc omnia, utpote moraliter mala, vitare tenetur. quomodo ergo ad ea per votum obligari poterit? Vid. Suarez lib. 2. de voto cap. 4. num. 2. & 3. Filliuc. tract. 26. 2. num. 48. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 2. n. 6.

Objicies primo. Jephte non pec- 31
cavit, quando voti implendi causâ occidit innocentem filiam, quamvis occiderit contra jus naturale. Secundo. Qui voveret immoderatas vigilias, jejunia &c. teneretur servare tale votum, vel petere dispensationem, & tamen ejusmodi opera ob circumstantiam excessûs essent illicita & mala. Tertio. Validum esset votum, quo quis ex affectu erga honestatem continentiæ promitteret, se non ampliùs peccaturum, nisi cum tali determinata fœmina, ut tenet Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 6. num. 22. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 4. §. 1. n. 3. & tamen hoc votum includit actum intrinsecè malum, scilicet fornicandi cum tali fœmina. Quarto. Validè quis voveret jejunare Die Dominica juxta cit. Bonac. num. 6. & alios, quamvis id prohibeatur

beatur cap. *Ne quis jejunet de Consecr. dist.* 3. cap. *Si quis tanquam.* & cap. *Sacerdos* 26. *q.* 6.

Ad Primum respondent aliqui, Jephten illam cædem filiæ commisisse ex ignorantia invincibili persuasum, votum illud ad immolationem filiæ quoque se se extendisse: ideoque non peccâsse quidem formaliter, sed materialiter; votum tamen re ipsa fuisse irritum. Verùm D. Thomas a. cit. ad 2. sentit, Jephten peccâsse, nec esse cur excusetur: probabiliter tamen de illo delicto egisse pœnitentiam. Ad secundum respondeo, tale votum non obligare quoad excessum, sed quoad partem moderatam tantùm; ideoque quoad hanc esse servandum; utpotè licitum & bonum: cùm utile per inutile non vitietur, ut habet regula *Utile*. de regul. juris in 6. Ad tertium respondeo, illud tale votum futurum esse invalidum, si includeret positivam voluntatem peccandi cum tali determinata fœmina. Quòdsi de ea voluntate non constaret; votum posset esse validum; quia fortè vovens se vellet obligare ad non peccandum cum aliis præscindendo ab obligatione non peccandi cum hac determinata; quod esset objectum voti bonum, & ex fine honesto continentiæ. Vid. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 1. pu. 2. n. 63. Ad quartum respondeo, concedendo, illud votum esse validum, & negando, jejunare die Dominica esse adhuc prohibitum aliquo jure. Nam in textibus citt. fuit prohibitum propter Manichæos, qui in contemptum Dominicæ Resurrectionis die Dominica jejunium instituerant: quorum vesania cùm jam sit abolita, memorata prohibitio non ampliùs obligat.

32 Sequitur secundo, invalidum quidem esse votum de re, quam Superior prohibuit; non tamen esse invalidum, si sit de re licita, & non prohibita emissum ab eo, cui vovere prohibitum est. Sanchez ubi suprà n. 3. Bonac. n. 2. Ratio est: quia prius votum versatur circa materiam illicitam, posterius circa licitam. Ex quo etiam capite ille, qui vovit, se nunquam facturum votum sine consilio & approbatione Confessarii, tenetur voto, quod postea edit contra consilium Confessarii, si sit de re licita, esto peccet contra primum votum de non vovendo, nisi id appobet Confessarius. Cæterùm, quale peccatum sit vovere rem malam, atque illicitam, dubitant DD. Plerique respondent, tale quid vovemem dupliciter peccare, videlicet contra virtutem, cui malum opus opponitur, & contra Religionem: & quidem mortaliter, quando res est mortaliter mala, venialiter, dum est venialiter mala: nisi fortè quis opus venialiter malum voveat, quasi Deo placeat & acceptum sit; hanc enim fore irrisionem Dei, & peccatum blasphemiæ mortalis, tradit cum aliis Sanchez n. 9.

Sequitur tertio, nullum esse votum 33
etiam de re secundùm se bona, cui vovens adjungit finem mortaliter, aut venialiter malum, ita ut talis finis se teneat ex parte rei promissæ, sicut contingit, dum vovens per rem promissam intendit obtinere quid malùm. Sanchez n. 13. Bonac. n. 7. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 2. n. 3. Salmantic. n. 66. Laym. lib. 4. tract. 4. c. 2. num. 7. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. n. 46. & alii communiter. Ratio est: quia sic res redditur mala ob pravum ejusmodi finem, Deoque ingrata. Votum hac ratione invalidum esset, quo quis voveret eleemosynam ad impetrandum per illam felicem successum furti, homicidii, adulterii &c. vel vanam apud alios gloriam. largitio quippe eleemosynæ propter talem finem exercenda est actio blasphema, Deoque injuriosa, quasi ipse peccatis bonum successum impertiatur.

Sequitur quarto, validum esse votum de 34
re secundùm se bona ob finem malum, quando hic solùm se tenet ex parte voventis, seu voti, & nullo modo afficit rem promissam, ita nempe, ut vovens intendat quidem obtinere malum finem per ipsum vovendi actum, sed non per opus, aut rem promissam. v. g. si quis coram multis voveat magnam eleemosynam, peregrinationem, ædificationem templi, &c. ut id audientes vanam de ipsius virtute existimationem, vel admirationem concipiant, validè vovet. Ita Authores cit. Ratio est: quia res promissa non redditur illicita, nec à pravo fine ullatenùs inficitur, sed solùs vovendi actus ad illum ordinatur, ex quo fit meriti vacuus, & saltem venialiter malus.

Sequitur quintò, similiter validum esse 35
votum ex affectu erga rem bonam, ut bona est, emissum, licet ea res conjunctam habeat malam causam. v. g. si voveas peregrinationem, ut incolumis evadas ex duello, vel bello injusto; ut non deprehendaris in furto; ut prolem suscipias ex adulterio, validè voves. Laym loco cit. Tambur. n. 5. Sporer n. 50. Ratio est: quia, licèt bellum injustum, duellum, furtum, adulterium sint mala, tamen, his positis, conservari incolumen, non infamari, suscipere prolem revera sunt Dei beneficia, ad quæ proinde impetranda votum potest emitti: cùm hoc minimè cadat super prædicta mala, sed illa bona, quatenùs secundùm se bona sunt.

Dico secundo. Quamvis actus indiffe- 36
rens ut talis non possit esse materia voti; esse tamen potest ratione boni finis adjuncti. Ita communis cum D. Thoma 2. 2. q. 88. a. 2. Ratio primi est: quia actus indifferens

in

in individuo exercendus, prout respiceretur à voto, semper est malus moraliter ex defectu boni finis, juxta sententiam veriorem D. Th. quam hîc supponimus. Actus autem moraliter malus non potest esse materia voti; ut constat ex dictis; ergo. Deinde tametsi demus, actum in individuo indifferentem non esse malum, quia tamen prorsus inutilis est ad Divinum obsequium & honorem, non potest esse Deo acceptus. Ratio secundi est: quia, si addatur à vovente finis honestus, actus fit bonus moraliter, & Deo acceptus. Ad hoc tamen (quod meritò observandum est) non sufficit, si pro libitu voventis actus indifferens ordinetur ad finem honestum, ad quem minimè conducit, sed debet in ejusmodi actu esse proportio aliqua & convenientia cum tali fine: quia aliàs ordinatio ad finem honestum imprudens, perque eam nulla honestas accedit actui. Vid. Suarez lib. 2. de voto. cap. 4. n. 7. Salmantic. ubi supra n. 57. Sanchez n. 5.

37 Infertur jam primo, invalida esse vota, non ampliùs conscendendi arborem, ex qua quis decidit, idque in honorem alicujus Sancti: non præscindendi ungues die Sabbathi in honorem Beatissimæ Virg. agitandi tauros in honorem ejusdem: qui est ludus Hispanis notus. Suarez loco cit. Sanchez n. 5. & 13. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 15. §. 2. n. 8. Ratio est: quia hæc talia nihil in se habent utilitatis, aut convenientiæ, ut ad Dei, vel Sanctorum honorem quidquam conferre possint: quod tamen requiri, ut actus indifferens reddatur apta materia voti, constat ex dictis. Unde memoratæ actiones, aut omissiones ex illa relatione ad honorem Dei & Sanctorum nullam honestatem contrahunt, nec ullo modo ad Religionem pertinent.

38 Infertur secundo, invalida similiter esse vota non nendi, aut fila ducendi die Sabbathi in honorem Beatissimæ Virg. non vescendi capite vitulino in honorem S. Joan. Baptistæ decollati; non comedendi in festo S. Laurentii carnes assas; cùm tamen vovens integrum sibi relinquat aliis operibus servilibus eo die vacare, vel aliis carnibus vesci. Sanchez à n. 6. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 4. §. 2. n. 4. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 2. n. 8. Tambur. n. 9. Sporer n. 51. & alii. Ratio est: quia tales abstinentiæ, nisi accedat aliqua honesta circumstantia, sunt vanæ & inutiles ad honorandos Sanctos; imò potiùs superstitiosæ. Dixi tamen, *nisi accedat, &c.* quia hæc talia habent capacitatem, ut propter aliquam circumstantiam pertineant ad aliquam virtutem, ac proinde Deo, & Sanctis fiant honorifica. Ita si persona vovens adverteret, per nimium affectum nendi se retardari ab oratione aliisque exercitiis spiritualibus, & ideo id opus sibi interdiceret, illud intermittere pertineret ad virtutem Religionis. Similiter, si vovens in memoratos cibos peculiari appetitu ferretur, seque ab eisdem continere vellet mortificationis causâ, ea continentia pertineret ad virtutem abstinentiæ: & consequenter validè voveretur. Vid. Tambur. n. 9. Atque in hunc modum salvatur etiam valor voti nunquam ludendi, si nempe id bono fine concipias, v. g. ut hac tali oblectatione abdicata sis expeditior ad vacandum Dei obsequiis, vel, ut bonorum prodigalitatem, aliáve damna evites. Laym. loco cit.

39 Dico tertio. Materia voti debet esse in potestate voventis: Ita omnes. Ratio est: quia impossibilium nulla est obligatio: sed, quod non est in potestate voventis, est impossibile, vel absolutè, vel respectu voventis; ergo nulla est de illo obligatio: ergo & nullum votum. Atque hinc voveri non possunt actiones necessariæ, quales sunt nutriri, crescere, & hujusmodi: quia non sunt in nostra potestate. ex quo etiam patet, rem, quæ est in alterius potestate, non posse esse materiam nostri voti: quia materia nostri voti debet esse in nostra potestate, non in aliena.

40 Corollarium. Non valet votum illius, qui promittit, se per totam vitam non peccaturum, etiam venialiter. Ratio est: quia ejusmodi votum est de re moraliter impossibili, utpote humano modo incognoscibili, innumerisque scrupulis & perplexitatibus obnoxia, tametsi sermo sit de omnibus peccatis etiam venialibus non collectivè, sed distributivè acceptis: nam sic quoque accepta per totam vitam evitare solùm est impossibile in communi & in confuso, quod non sufficit ad materiam voti; quamvis sufficiat, ut homo illa teneatur evitare. Vid. Valent. tomo 3. disp. 6. q. 6. pu. 2. colum. 1796. Filliuc. tract. 26. cap. 2. n. 46. Laym. cap. cit. num. 2. Salmanticenses, ubi suprà n. 82.

41 Objicies primo. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest, ut docet S. August. lib. 3. de lib. arb. ergo cùm homo juxta nos non possit moraliter per totam vitam vitare omnia peccata venialia, non peccat, dum non vitat omnia. Respondeo, ut homo non vitandô peccata venialia censeatur peccare, non esse opus, ut habeat potentiam vitandi omnia collectivè, sed sufficere, quòd habeat potentiam moralem vitandi omnia distributivè & seorsim, sive in particulari: neque enim omnia se offerunt vitanda simul, & collectivè, sed divisivè, atque in particulari.

Dices. Homo tenetur vitare omnia peccata venialia etiam collectivè: ergo, cùm

cùm nemo teneatur ad impossibilia, necessarium est; ut omnia peccata venialia collectivè vitare possit. Respondeo neg. Ant. licèt enim in S. Script. præcipiatur absolutè & in communi, ut non peccemus, id tamen intelligendum est ratione singulorum peccatorum divisim; quia, ut jam dictum est, semper se offerunt vitanda distributivè, non autem collectivè. Instabis. Potest homo vitare omnia peccata venialia divisivè: ergo potest illa vitare etiam collectivè sumpta. Conseq. prob. cùm enim collectio omnium nihil sit aliud, quàm singula simul sumpta, si homo evitâsset omnia peccata venialia divisivè, etiam evitâsset illa collectivè. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. ad probat. dico, in ea falsò supponi, quòd omnia peccata venialia actu evitata faciant sensum divisivum: nam unum evitatum cum omnibus aliis facit sensum collectivum. sed tunc homo non aliter evitâsset quodlibet veniale, nisi ut sumptum cum omnibus aliis: ergo.

42 Objicies secundo. Qui facit, quantum potest, non peccat, etiam venialiter; sed homo semper potest facere, quantum potest; ergo homo semper potest non peccare venialiter; & consequenter semper potest evitare peccata venialia, adeoque se obligare ad vitanda omnia. Respondeo, hoc argumentum esse merum sophisma: quia in eo transitur à sensu distributivo in maj. ad sensum collectivum in mi. & Consequenti. Charitatis causâ potes distinguere min. homo semper potest facere, quantum potest, ly *semper potest* accipiendo in sensu distributivo, conc. in sensu collectivo, neg. suppositum: supponitur enim potentia, quæ nulla est: ergo homo semper potest non peccare venialiter, ly *semper potest* accipiendo in sensu distributivo, conc. in sensu collectivo, neg. suppositum &c.

43 Dices. Ergo ille, qui votum, cujus in n. 40. meminimus, emisisset, teneretur ex vi ejusdem saltem vitare peccata venialia, quantùm posset, nempe in sensu distributivo, prout in particulari quodlibet seorsum vitandum occurreret. Respondeo neg. illatum. Ita Valent. & Salmantic. locis cit. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 5. n. 10. contra Navarrum, Bonacinam & alios. Ratio responsionis est: quia illud votum est omnino nullum: consequenter ad nihil quis tenetur ex vi ipsius. Unde non valet sequens instantia: Siquis voviſſet, per totum annum se jejunaturum, & postea non posset omnibus diebus jejunare, teneretur nihilominùs jejunare diebùs, quibùs posset: ergo similiter in nostro casu teneretur quis ex vi voti illius vitare peccata, saltem quæ posset, & quantum posset vitare. Respondetur enim neg. conseq. disparitas est: quia votum illud de jejunio, utpote materiâ secundùm se possibili, esset validum, & consequenter ex vi ejusdem voti teneretur postea homo præstare de jejunio promisso, quidquid posset. Atqui in nostro proposito votum ob moralem impossibilitatem sui objecti fuit simpliciter nullum: ergo ex vi talis voti homo non potest obligatus ad aliquid.

Dico quarto. Quando materia partim 44
est honesta, partim turpis, partim possibilis, partim impossibilis, validum est votum quoad partem honestam, & possibilem, nisi constet de intentione contraria voventis. Ita communiter DD. Ratio est: quia vovens sua promissione, quantum in ipso est, intendit se obligare ad totum, quod promittit: hoc ipso autem, quòd promittat totum, promittit & partes: ergo si totum non est servatu possibile, vel ob suam inhonestatem Deo non acceptum, obligabitur ad partem, quæ est possibilis & honesta. Confirmatur. Hoc tale votum æquivalet pluribus votis: ergo sicut, si essent re ipsa plura, invalidum esset votum de re impossibili, aut inhonesta: validum verò esset votum de re possibili & honesta, ita dum unum æquivalet pluribus, invalidum est, quatenùs extenditur ad partem rei impossibilem, aut turpem, validum verò, quatenùs versatur circa partem possibilem & honestam.

Dixi tamen, *nisi constet* &c. nam voluntas & intentio voventis, à qua pendet tota obligatio voti, vel maximè inspicienda est. Unde, qui vovit jejunium totius Quadragesimæ expressè volens non obligari ad partem, nisi possit totum, non tenetur ad partem possibilem, si totum non possit. Similiter, qui vovit eleemosynam ex pecunia partim justè per exercitium honestæ alicujus artis, partim furtò comparanda expressè nolens se obligare, si copiam furandi non habuerit, non tenetur quidquam dare ex lucro honestè acquisito, si nihil furando potuit acquirere. Quòdsi omnibus consideratis non constet de intentione voventis, spectari debet conditio materiæ, nempe, an id, quod est possibile, & honestum, possit separari ab eo, quod est impossibile, aut turpe: item, an impossibile vel turpe sit accessorium; possibile verò aut honestum sit principale, vel econtra. tunc enim ob defectum notitiæ de mente voventis judicandum erit votum obligare, vel non obligare juxta exigentiam materiæ. Vid. Filliuc. tract. 26. cap. 2. à n. 41. & à n. 63. Quando verò dubium est de qualitate materiæ, & etiam de intentione voventis, procedi debet juxta ea, quæ in tract. 1. disp. 3. a. 3. §. 2. de dubiis circa vota docuimus. Ut modò dicta magis declarentur, resolvuntur sequentes casus.

I. Qui vovit dare pauperibus duos au- 46
reos, vel jejunare duos dies, & potest u-

num tantùm dare aureum, unum tantùm diem jejunare, tenetur dare unum aureum, jejunare unum diem. Laym. lib. 4. tract. 4. num. 3. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 1. n. 9. Ratio est: quia in utroque voto pars possibilis materiæ est separabilis ab ea, quæ est reddita impossibilis. II. Qui vovit jejunium, & non potest abstinere à carne, non tenetur esse contentus una tantùm refectione, quamvis possit. Illsung loco cit. Ratio est: quia in forma jejunii apud fideles usitati una pars non est separabilis ab altera. III. Qui vovit jejunare in pane & aqua, & bibendo vinum hanc partem voti reddidit impossibilem, tenetur adhuc servare jejunium Ecclesiasticum. Laym. loc. cit. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. num. 70. Ratio est: quia jejunium censetur voviſſe principaliter, illum autem modum in pane & aqua solùm accessoriè, nisi quid aliud constet de intentione voventis. IV. Qui vovit, se peregrinaturum in cilicio, si postea emergente impedimento peregrinari non possit, neque cilicium gestare tenetur. Bonac. to. 2. disp. 4. q. 2. pu. 4. §. 4. num. 6. Laym. Sporer locis citt. Ratio est: quia ruente principali, ruit etiam accessorium, quamvis non vice versa, ut primùm vidimus. Atqui gestatio cilicii in voto, de quo loquimur, fuit quid accessorium tantùm; ergo. Plura similia vide, si lubet, apud citt. & alios.

47 Dico quinto. Votum verè disjunctivum de materia, cujus una pars est apta, altera inepta, est invalidum. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 10. num. 17. Bonac. pu. cit. §. 5. num. 1. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 1. num. 83. Itaque invalidum est votum, quo quis vovet, se non peccaturum mortaliter, vel venialiter: vel, se ingressurum Religionem, aut furaturum. Ratio est: quia in voto disjunctivo obligatio cadit supra utramque partem materiæ, relicta tamen voventi libertate eligendi utramlibet: cùm proinde in nostro proposito vovens non possit eligere partem ineptam, seque ad eandem obligare, votum quoad neutram erit obligatorium ac validum. Dixi tamen, *votum verè disjunctivum*, ita nempe, ut vovens verè intendat ad neutram partem se obligare determinatè, sed disjunctivè ad unam, vel alteram, prout verba sonant, per quæ tale votum exprimitur. Nam interdum attenta intentione voventis votum non est verè disjunctivum, sed solùm verbotenùs: quod fit in duplici casu. Primo, quando sensus à vovente intentus est conditionalis quoad partem aptam materiæ: v. g. dum quis vovet, se vindictam sumturum propria authoritate de inimico, vel Religionem ingressurum, quod votum non est unum propriè disjunctivum, sed duplex potiùs, alterum absolutum de sumenda vindicta, idque invalidum, & alterum conditionale, idque validum, & obligans ad rem honestam, purificata illa conditione. Secundo idem fit, quando vovens dubitat, an utraque pars materiæ sit apta, ideòque disjunctivè promittit, ut postea, re meliùs explorata, certificatus, quæ pars sit apta, id est, honesta, aut possibilis, eandem eligat: quo facto votum obligabit. Vid. Sanchez num. 20. & 21.

Dico sexto. Votum, vel promissio de re quapiam contra prius votum validum est invalida. Ratio est: quia promissio de re illicita nullam inducit obligationem: sed promissio de re aliqua contra prius votum validum est promissio de re illicita; quia est de re non præstabili citra præjudicium prioris voti; ergo. Atque hinc, qui vovit castitatem, & postea cuidam promittit matrimonium, invalidè promittit. Similiter, invalidè promittit homini calicem, qui eundem priùs jam DEO promisit. Vid. Bonac. pu. cit. §. 6. 48

Ex dictis demum relinquitur, materiam voti, ut sit apta, debere esse de meliori bono. Nam præterquam, quòd id exigat definitio voti communiter recepta, etiam ratio evincit: quia nempe votum debet esse de re DEO grata: atqui non esset de re DEO grata, si esset promissio faciendi minùs bonum, omisso majori: quia sic vovens re ipsa se obligaret ad non faciendum oppositum, quod majus ac melius est; adeoque sibi ipsi poneret impedimentum præstandi, quod DEO est honorificentius. Hoc autem non potest DEO esse gratum. Unde ad clariùs intelligendam hanc voti conditionem notandum est ex Sanchez, Tambur. & Sporer, nomine melioris boni hîc non venire opus alio præstantius quo modocunque, sed præstantius suo per se opposito, id est, contradictorio, ita ut non solùm actu excludat, vel impediat opus digniius, sed etiam aptitudine, ut scilicet in illud commutari non possit. Notandum ulteriùs, illud bonum oportere esse melius non quocunque alio opere (cùm aliàs nullum votum esset validum, nisi de opere omnium optimo, quod est impossibile) sed melius eo, quod vovens, dum vovet, actu habet, vel possidet. Atque hinc 49

Infertur primo, validum esse votum, 50 quo Laicus vovet Religionem laxiorem; invalidum verò esse votum Religiosi professi ſtrictiorem Religionem, dum vovet laxiorem. Ratio primi est: quia status Religionis etiam laxioris ex se est sufficiens materia voti, & quamvis sit absolutè loquendo impeditivus majorum bonorum,

bonotum, non tamen impeditivus boni majoris, quo vovens actualiter gaudet, dum vovet. Ratio secundi est ab oppositò: quia scilicet tunc Religio laxior votô promissa est impeditiva & exclusiva majoris boni, quo vovens actualiter gaudet quia majus bonum est vivere in Religione observante, quàm in non ita observante. Vid. Tambut. lib. 3. in Decal. cap. 15 §. 1. num. 6. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. num. 52.

51 Infertur secundo, Matrimonium, ordinariè saltem, non esse materiam voti. Ita omnes DD. apud Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 2. num. 12. Ratio est: quia non est de meliori bono, sed per se exclusivum majoris boni, nempe cælibatûs & continentiæ. Neque dicas: Matrimonium est materia juramenti promissorii? ergo etiam voti: respondetur enim neg. conseq. quia ad materiam hujus juramenti sufficit, quòd sit accommodata naturæ promissionis, cui adjungitur. sicut proinde promissio facta homini ad sui valorem non exigit materiam, quæ sit de meliori bono, sed sufficit, si sit illi bona & commoda, ita nec juramentum exigit ejusmodi materiam. Atqui materia voti, & promissionis DEO soli factæ debet esse de meliori bono; quale non est matrimonium; etiam ratum tantùm, & non consummatum. quamvis enim contractus matrimonii non excludat facultatem continentiæ in statu Religioso amplectendæ, excludit tamen alios status continentiæ, putà in simplici cælibatu, vel sacro ordine. nam ponamus, quempiam ad professionem Religionis esse inhabilem, is certè vi contracti matrimonii erit impeditus ab utroque illo statu meliori continentiæ, si uxor ipsius se continere nolit. Vid. Laym. num. 13. Filliucius tract. 26. cap. 2. num. 62. Accedit, quòd plerumque non possit quis citra culpam & injuriam contrahere matrimonium animô postea profitendi Religionem, deserta & decreta uxore, quemadmodum cum Suarez & aliis docet Laym. loc. cit.

52 Dixi tamen, *ordinariè saltem.* quia in casibus quibusdam exceptis tale votum potest esse validum, adeoque matrimonium esse materia voti. Primo nempe, dum quis ex justitia tenetur quampiam ducere, ut, si virginem, vel honestam viduam data fide nuptiarum cognovit. Secundo, si matrimonium existimetur Reipublicæ maximè utile futurum ad pacem inter Christianos Principes sanciendam; ad hæreticos, aut infideles convertendos; ad Catholicam Religionem in aliquo regno, aut provincia conservandam. Tertio, si quis ex suppositione, quòd esset ducturus uxorem, voveret, se non ducturum aliam, quàm paupetem Semptoniam ad sublevandam ejus inopiam; vel non aliam, quàm hanc meretricem, ut eam liberet ex periculis salutis æternæ. Quarto, si cui ob corporis fragilitatem, inveteratamque peccandi consuetudinem consultum sit amplecti statum matrimonii. Hoc tamen votum Lessius & alii meritò dicunt, non esse validum absolutè, sed solùm ex suppositione, nempe supposito, quòd vovens nolit alia remedia incontinentiæ adhibere. unde si mutata hac voluntate velit amplecti, statum Religionis v. g. usitatisque ibi remediis continentiæ consulere, cessabit voti illius obligatio; cùm jam melius sit ipsi non ducere uxorem, quàm ducere. Vid. de his casibus Laym. num. 12. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 1. pu. 2. à num. 38. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 8. num. 51. Tambur. ubi suprà §. 4. n. 4. & seqq.

§. V.

De Obligatione Voti.

SUMMARIUM.

53. *Quinam negaverint, vota obligare sub peccato.* 54. *Votum obligat sub peccato.* 55. *estque ejus obligatio ex suo genere gravis.* 56. *potest tamen esse levis in materia levi.* 57. *Imò etiam in materia gravi, si vovens intendat se obligare leviter solùm.* 58. *An in materia levi se possit quis per votum obligare graviter, sive sub mortali?* 59. *Exponitur, quo tempore vota implere oporteat.* 60. 61. 62. *Corollaria practica.* 63. 64. 65. *Resolvitur, & per varios casus declaratur quæstio, an votum obliget alios quoque à vovente?* 71. *Agitur de interpretatione votorum.* 72. *Resolvuntur varii casus.* 73. *Qualis sit obligatio voti conditionati.*

53 VOtum aliquo modo esse obligatorium satis constat ex ejus definitione, quam suprà num. 1. dedimus, & exposuimus. esse verò obligatorium sub peccato, præsertim, si sit perpetuum, varii negârunt ex antiquis hæreticis, ut notat Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. pu. 4. Idem negant omnes sectarii nostri temporis, auctore Luthero, qui in lib. de vot. Monastic. censuit, vota non obligare diutiùs, quàm ea homini servato volupe sit: quod planè idem est atque omnino non obligare. Sed & Erasmum Roterodamum in lib. de matrim. Christiano votis vel parum, vel nihil tribuere observat idem Valentia. Contra hos errores

54 Dico primo. Votum omnino obligat sub peccato ad præstandum id, quod ipso promissum est. Ita fides Catholica. nam constat manifestè ex variis locis Sac. Script. ut Proverb. 20. *Ruina est homini vota retractare.* in quæ verba D. Hieronymus damnationem ait eum incurrere, qui votum violat. Et Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. nam requiret illud Dominus Deus tuus: quòd si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem; quoniam primam fidem irritam fecerunt.* qui locus intelligitur de viduis, quæ volendo nubere votum castititatis violaverant. Plures ejusmodi Authoritates non opus est adducere.

55 Dico secundo. Obligatio voti ex suo genere est gravis, & sub peccato mortali. Ita omnes Theologi cum D. Thoma in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. ubi dicit: *Qui votum rite factum prætermittit, mortaliter peccat; quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.* In cap. quoque *Licèt.* de *voto* dicitur, ejus solutionem esse necessariam, *ut sine dispendio salutis prætermitti non possit.* Et quid multa? cùm veritas ista apertè habeatur in Sac. Script. ex illo Proverb. 20. & 1. ad Timoth. 5. priori num. cit. Sed insuper accedit ratio ex D. Thoma, 2. 2. q. 88. a. 3. quia magis obligatur homo ad fidem servandam Deo, quàm alteri homini: cum ergo homo habeat obligationem gravem per se, & sub mortali servandi fidem datam alteri homini; ut omnes admittunt; etiam habebit talem obligationem DEO servandi fidem datam per votum.

56 Dico tamen tertio. Obligatio voti ob levitatem materiæ potest esse levis, & sub veniali tantùm. Ita communiter DD. Ratio est: quia votum est lex quædam privata, quam vovens ipse sibi imponit: adeoque obligat ad modum aliarum legum, sive Divinarum, sive humanarum. Atqui aliæ leges non obligant graviter in materia levi, sed leviter & sub veniali solùm; cùm materia levis non sit capax obligationis gravis, & sub mortali: ergo nec votum obligat graviter in materia levi. Dari autem in voto, sicut & juramento promissorio, parvitatem seu levitatem materiæ, colligitur ex dictis in tract. 1. hujus oper. disp. 3. a. 4. num. 20. & n. 24. ubi generale principium statuimus, ex quo deduci possit ac debeat, quænam materia sit gravis, aut levis.

57 Dico quarto. Etiam supposita gravitate materiæ potest obligatio voti effici levis ex intentione voventis, qua ille vult se obligare solùm leviter, & sub peccato veniali. Ita Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto. cap. 4. num. 7. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 30. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 2. num. 3. Salmantic. to. 4. tract. 17. cap. 1. num. 109. Filliuc. tract. 26. cap. 3. num. 80. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. num. 87. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 1. 2. 3. num. 101. & alii. Ratio sumitur ex dictis: quia vovens ceu legislator quidam privatus sibi ipse liberè imponit obligationem præstandi Deo id, quod est de meliori bono. legislator autem humanus etiam in materia gravi potest obligare non graviter, sed solùm leviter, & sub peccato veniali, ut habet probabilior sententia, teste Mezger to. 2. tract. 8. disp. 35. a. 4. num. 16. cùm tota vis obligandi, quam habet lex, mensuretur ex intentione legislatoris. Sicut proinde vovens liberè potuit votum penitus non edere, ita liberè potest obligationem voti, quod edit in materia gravi, sua intentione determinare ad peccatum grave, vel restringere ad peccatum leve seu veniale.

Confirmatur. Vel est possibile voventem in materia gravi se obligare leviter seu sub veniali tantùm, vel non est possibile? Si primum; certè tunc erit possibile, quando vovens expressè vult se non obligare, nisi sub veniali. Si secundum; non erit verum votum, & illo modo obligatorium: quia vovens vult solùm obligari sub veniali: quod in facta hypothesi dicitur impossibile.

58 Dices. Non potest quis in materia levi per votum se obligare graviter & sub mortali: ergo nec potest in materia gravi se obligare leviter. Confirmatur. quia ex nostra doctrina sequitur, Clericum posse voto castitatis, & Religiosum votis Religionis se leviter obligare. sed conseq. repugnat communi omnium sensui; ergo &c.

Respondeo ad Object. conc. Ant. neg. conseq. tum, quia materia levis non est capax obligationis gravis, sicut tamen materia gravis est capax obligationis tam levis, quàm gravis. tum, quia non est utile homini ad materiam levem obligari graviter; & ideo Deus non acceptat votum, quo quis graviter se vult obligare ad rem levem; cùm sit promissio imprudens: est autem utile homini ad rem gravem, quæ Deo præstari potest sine obligatione, obligari leviter, si nolit obligari graviter. In Confirmat. neg. seq. quia nostra doctrina de illis tantùm votis intelligenda est, ad quorum valorem Ecclesia non requirit voluntatem graviter se obligandi; atqui talem voluntatem requirit ad vota, quæ eduntur in susceptione majorem Ordinum, vel professione Religiosa. Unde hæc eadem vota irrita sunt, quando citra voluntatem se graviter obligandi emittuntur. vid. Sporer n. 89. Illsung n. 102. Nunc alia, quæ ad obligationem voti pertinent, per aliquot quæstiones expediamus.

Quæri-

59 Quæritur autem primo, quo tempore vota implere oporteat? Respondeo primo. Quando vovens certum tempus præfixit executioni voti, tenetur id exequi eo tempore, nec potest executionem differre ulteriùs sine peccato. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 14. n. 1. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 4. estque communis doctrina. Ratio est: quia vovens, ceu Legislator suus, sibi ipse imposuit obligationem implendi votum determinato tempore: ergo tunc implere tenetur. Sed quid, si vovens prævideat, se tempore præfixo impeditum iri? respondent Sanchez n. 18. Laym. loco cit. & alii, tunc votum debere impleri ante illud tempus, ne contra promissionem fiat dilatio ultra terminum præfixum, sive finem executionis differendæ.

Respondeo secundo. Quando aliquis voto dandæ eleemosynæ v. g. vel Religionis ingrediendæ absolutè facto nullum tempus præfixit, tunc debet illud exequi, cùm primùm commodè potest. Ità D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. Valentia to. 4. disp. 6. q. 6. pu. 4. colum. 1823. Salmantic. cap. cit. pu. 5. n. 128. & alii communiter. Ratio est: quia id habet omnis absoluta & non limitata promissio, ut statim patiat obligationem, adeoque ejus impletio statim exigi possit ab eo, cui facta est. Atqui Deum, cui facta est voti promissio, statim exigere ejus impletionem, constat ex S. Script. Deuter. 23. verbis in n. 54. adductis. Cæterùm illud *statim*, sive, *cùm primùm* intelligi debet moraliter pro primo quôque tempore, quo vovens judicio prudentûm & bonorum videtur citra notabile incommodum exequi posse, quod promisit. neque enim præsumitur voluisse obligari ad executionem voti tempore notabiliter incommodo, & dum habet rationabilem causam differendi. Atque hinc existit

60 Corollarium I. Licitè differtur votum sine definito tempore editum, si spes sit, fore, ut postea commodiùs, utiliùs, ac devotiùs impleatur. Sanchez n. 8. Laym. n. 5. Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 2. n. 112. Ratio est: quia hoc pertinet ad potestatem commodè implendi votum, estque rationabilis causa differendi; cùm cedat ad majorem DEI gloriam & honorem. Quare, si vovisti peregrinationem v. g. ad ædem aliquam sacram, licitè eam differs, usque dum incidat festum aliquod, aut processio illuc instituatur. Si vovisti eleemosynam, ejus largitionem differre potes in tempus majoris necessitatis, vel caritatis annonæ &c. Sporer loco cit.

61 Corollarium II. Qui nullo præfixo tempore vovit ingressum Religionis, expectare potest, donec ætate & viribus corporis provectior ad rigorem Ordinis, laboresque perferendos evadat idoneus; vel in studiis litterarum excultior: & hoc præsertim, quando in Religione, quam vovit, non esset commoditas vacandi studiis. Sanchez n. 9. ubi laudat Cordubam, quòd dixerit, eum, qui vovit Religionem Minorum duodecim annos natus, posse ingressum differre usque in annum ætatis decimum septimum, vel decimum octavum. quamvis ipse non approbet tantam dilationem in eo, qui vovit ingressum Ordinis non ita rigidi: cùm ad ferenda onera talis Ordinis minor ætas sufficiat.

62 Corollarium III. Quando per vovens stat, quò minùs statim exequatur votum, dum moraliter potest in sensu autè exposito, peccati reus efficitur. Ita communis & certa doctrina. Ratio sufficienter colligitur ex n. 59. ad 2. resp. Illud solum difficile est statuere, quandonam ob dilationem voti quis debeat censeri peccare mortaliter, si nullum ejus executioni tempus præfixit; ut modò supponimus, & habet omnimodam commoditatem sine ulla rationabili causâ differendi.

Mihi in præsenti, prætermissis aliorum modis dicendi obscurioribus, placet doctrina Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 12. §. 3. à n. 10. quem sequitur Sporer à n. 116. Doctrinæ ejus substantia in his consistit. Vel homo vi voti Deo se obligat ad obsequium temporale solùm præstandum, vel ad obsequium quoddam perpetuum? Si primum; dilatio per tempus quantumcunque notabile nunquam excedet culpam venialem, modò absit periculum, ne voti executio penitus omittatur. Ratio est: quia ejusmodi vota, v. g. peregrinandi, jejunandi, tametsi differantur, adhuc integrè impleri possunt. ex mora quoque temporis, in qua est vovens tanquam debitor, nullum Deo creditori damnum accrescit; sicut accrescere solet debitori humano. Itaque non appatet, ex quo capite dilatio talium votorum etiam maximè notabilis debeat censeri plusquàm venialiter culpabilis. Si secundum; omnino certum est, executionem non posse notabiliter differri sine peccato mortali. Ratio est: quia tunc vovens per notabilem dilationem Deo notabilem partem subtrahit obsequii debiti; tantoque notabiliorem, quanto diuturnior est dilatio. Quòdsi jam quæras; quænam hîc dilatio censeri debeat notabilis, & ad mortale peccatum sufficiens? respondeo cum Autoribus citt. considerandam esse ætatem, in qua quis votum emisit. Si vovisti ingressum Religionis v. g. anno ætatis 15. vel 16. diversque per tres, vel quatuor annos, non videris damnandus peccati mortalis: damnandus es autem, si vovisti post annum vigesi-

mum quintum, vel trigesimum. imo si vovisti iam quadragenarius, dilatio ultra sex menses ad mortale peccatum sufficit. Ratio horum est: quia anni, qui per priorem dilationem subtrahuntur servitio Divino totius vitæ ab adolescentia in senectutem, videntur parva materia: at nequaquam videri potest parva materia tempus, quod per posteriores dilationes de tanta ætate detrahitur. vid. Tambur. locó cit.

63 Quæritur secundo, an votum obliget etiam alios à vovente? Respondeo primo. Votum personale, v. g. jejunandi, peregrinandi, Religionem ingrediendi, non obligat nisi personam voventis. Ita communiter DD. Ratio est: quia per ejusmodi vota solùm promittuntur actiones personales, quæ à sola persona voventis præstandæ sunt. Unde si tali aliquo voto nondum persoluto vovens moriatur, ad id non tenetur hæres. vid. Less. lib. 2. de Just. cap. 40. dubit. 10. n. 62. Bonac. disp. 4. q. 2. pu. 5. §. 2. n. 3. Laym. lib. 4. tr. 4. cap. 3. n. 6. Atque hinc resolves.

64 I. Liberi non obligantur votô parentum eos Religioni offerentium, nisi, postquam annos discretionis attigerint, consenserint, idque tale votum ratum habuerint. alioquin jure reclamare possunt. Ratio est: quia susceptio statûs Religionis à filiis præstanda est actio personæ alterius, ad quam non potest obligare votum parentum; cùm non habeant illam in sua potestate. in his enim, quæ ad statum vitæ pertinent, vel maximè quisque est sui juris. Less. num. 63. Laym. num. 7.

65 II. Non potest quis vovere, alium jejunaturum, Missam auditurum, peregrinaturum &c. Ratio est: quia non factum alterius, sed proprium tantùm quis habet in sua potestate. Unde ne prorsus irritum sit tale votum, ita accipiendum est, quòd vovens aliud non promiserit, quàm se, quantum poterit curaturum, ut alter liberè faciat, ad quod ipsum cogere non potest. sic enim vovens jam non alienum, sed proprium factum promisit. Et hoc modo explicandum est etiam votum, quo promittitur alienus ingressus Religionis, de quo in resolut. præced. Less. Laym. locis citt.

66 III. Qui vovit, se jejunaturum, aut peregrinaturum, non satisfacit obligationi voti, si curet, ut alius suo loco hæc præstet, sed tenetur per se ipsum jejunare, peregrinari. Ratio est: quia hoc tali voto, cùm personale sit, factum proprium promisit: ergo non, nisi facto proprio, satisfacere potest. Bonac. §. 3. n. 1. Laym. n. 8. & alii communiter. Unde nec tenetur alium substituere, qui exequatur hæc talia opera, si ipse factus est impotens, etiam culpabiliter, ut habet communis sententia. nam sola ipsius persona obligabatur, quæ cùm incidente impotentia jam excusetur, ad nihil aliud tenetur. Aliud esset, si, dum vovebat, intendisset se obligare ad implendum per alium, dato casu, quo per se non posset. tunc enim teneretur implere per alium. vid. Less. n. 64. Laym. n. 9. Sporer tract. 3. in 2. Præcept. Decal. cap. 2. n. 126.

Respondeo secundo. Votum reale, quod 67
ante mortem persolutum non fuit, obligat hæredem. Ita communiter DD. Colligitur inprimis ex cap. *Si hæredes. de testam.* ubi dicitur, *hæredes, qui jussa testatoris non impleverint, esse interdicendos hæreditate.* Deinde ratio est: quia hæres succedit in bonis, actionibus, & juribus defuncti: ergo etiam in oneribus, quæ hæreditatem attingunt, cujusmodi sunt debita & obligationes reales. Confirmatur. Hæres tenetur solvere, quæ testator promisit hominibus: ergo etiam tenetur solvere, quæ idem promisit Deo.

Corollarium I. Obligatio, qua hæres 68
obligatur ad solvenda vota realia defuncti, non est ex virtute Religionis, sed ex virtute Justitiæ. Laym. n. 12. Tambur. lib. 3. in Decal cap. 12. §. 4. n. 2. Sporer n. 133. Ratio primi est: quia Religio solum voventem ob promissionem voti adstringit. Ratio secundi est; quia hæres eo ipso, quòd adeat hæreditatem, acceptat, præter commoda, etiam onera defuncti: adeoque ex tacito pacto defuncto adstringitur, ut ea sustineat: & consequenter etiam vota solvat.

Corollarium II. Hæres non tenetur 69
solvere vota defuncti, nisi ex eo, quod deductis aliis debitis, & expensis funeris &c. de hæreditate superest. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 15. n. 36. Laym. n. 13. Tambur. n. 3. Ratio est: quia de hoc solo defunctus poterat disponere vovendo, vel legando ad pias causas. Unde si vota excedant vires hujus portionis superstitis, hæres ea solvere tenetur pro rata tantùm.

Respondeo jam tertio. Votum mix- 70
tum partim obligat, partim non obligat hæredem. Less. n. 67. Laym. n. 14. Ratio est: quia obligat, quatenùs reale, non obligat, quatenùs personale est. Quare si defunctus vovit peregrinationem Lauretanam, & offerre calicem, hæres tenetur quidem mittere calicem, non tamen tenetur procurare, aut ipse suscipere peregrinationem. Imò neque tenetur sumptus itineris, quos defunctus feciisset, in pios usus conferre: cùm sint accessorii voto quà personali; adeoque hoc extincto non ampliùs debeantur. aliud tamen esset, si defunctus vovendo intendisset; ut suum votum per alium impleretur: tunc enim adhuc deberentur sumptus

itineris,

itineris, ſicut adhuc deberetur ipſa voti impletio. Leſſ. loco cit.

71 Quæritur tertio, qua ratione vota interpretari oporteat? Reſpondeo primo. Votum vel maximè interpretandum eſt ſecundùm expreſſam, vel præſumptam intentionem voventis. Ratio eſt: quia obligatio voti eſt voluntaria: ergo in tantum quis obligatur voto, in quantum ſe voluit & intendit obligari.

Reſpondeo ſecundo. Si de intentione voventis non ſatis conſtet, præſumendum eſt, voviſſe ſecundùm communem & uſitatam acceptionem verborum, quibus fuit uſus; velleque id, quod promiſit, exequi, prout exigit ejus natura, communisque hominum, aut Eccleſiæ conſuetudo. Ratio eſt: quia quisque promittens, niſi aliud conſtet, creditur ſecundùm communem uſum ſe obligare voluiſſe.

Reſpondeo tertio. Obligatio voti, quantùm id patitur propria & uſitata verborum ſignificatio, ſemper magis reſtringi debet, quàm extendi. Ratio eſt: quia quivis, quando non conſtat, quòd voluntariè ſuſceperit majorem obligationem, relinquendus eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, & judicandum, quòd non ſuſceperit. Vid. de his reſponſionibus, ceu communibus quibusdam regulis interpretandi vota, Sanchez lib. cit. cap. 11. à n. 29. Bonac. diſp. 4. q. 2. pu. 6. à n. 1. Laym. n. 3. Tambur. cap. 15. §. 6. n. 1. Illſung tract. 5. diſp. 1. q. 3. a. 3. n. 107. Sporer cap. cit. à n. 90.

72 Sed juvat doctrinam traditam illuſtrare reſolutione aliquot caſuum. Itaque primo. Qui vovit recitare Roſarium, ad tertiam ſolùm partem Pſalterii ſe obligavit. Ratio eſt: quia hæc pars communiter nomine Roſarii intelligitur. Satisfacit etiam vovens tali obligationi, ſi cum ſocio recitet: quia hic quoque modus recitandi jam eſt uſitatus inter fideles. Tambur. n. 5. Illſung n. 108.

Secundo. Quæ vovit virginitatem abſque addita limitatione aliqua, non ſolùm obligatur ad evitandum primum actum eidem repugnantem, ſed etiam ad quemcunque deinceps, licèt per primum actum virginitatem amiſerit. Ratio eſt: quia his verbis: *vovea virginitatem*, ex uſu loquendi ſignificatur promiſſio perpetuæ caſtitatis excludentis omnem voluptatem veneream. D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. illis verbis: *Mulier, quæ vovit virginitatem, ſi poſtea corrumpatur, debet ſervare, quod poteſt, ſcilicet perpetuam continentiam.* Et dicit Suarez apud Illſung, hunc eſſe omnium hominum ſenſum.

Tertio. Qui vovit peregrinationem ad locum aliquem ſacrum, non tenetur id votum implere itinere pedeſtri, ſed poteſt equeſtri. Ratio eſt: quia & hæc ſecundùm uſitatum ſenſum, & rigorem verborum peregrinatio eſt. Sanchez n. 32. Bonac. n. 16. Imò ſatisfacis huic tali voto peregrinationem ſuſcipiendò propter alios fines partiales, v. g. ad paſcendam curioſitatem, exercendam negotiationem, exigendam ſolutionem mercedis. Ratio nempe eſt: quia omnes ejusmodi fines non impediunt, quò minùs in tali itinere, accedente pio quodam actu interno, ſalvetur natura piæ peregrinationis. vid. Tambur. n. 3. Illſung loco cit.

Quarto. Qui per integrum menſem v. g. vovit quotidie jejunare, non tenetur jejunare diebus Dominicis, & Die Nativitatis Domini, ſi intra id tempus celebretur. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 37. n. 20. Tambur. n. 11. Illſung loco cit. Ratio eſt: quia cenſetur voviſſe jejunium eo modo ſervandum, quo inſtituit Eccleſia, ubi dies Dominici ſemper excipiuntur, ſicut & Dies Nativitatis. Aliud eſſet ſentiendum, ſi vovens hos ipſos dies voto ſuo expreſsè includiſſet, tunc enim illis quoque teneretur jejunare. Tambur. n. 13.

Quinto. Qui vovit aliquid indeterminatè, ſive in quantitate, ſive in qualitate, ſive in individuo, ſatisfacit dando in quacunque etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo, niſi conſuetudo, vel aliæ circumſtantiæ quid aliud exigant. Itaque, qui vovit eleemoſynam indeterminatè, dare poteſt quamcunque ſtatum ſuum non dedecentem. Qui vovit dare vinum Eccleſiæ ad Sacrificia, dare poteſt mediocre Sacrificio aptum, & aliàs in tali Eccleſia adhiberi ſolitum. Qui ex duabus vaccis v. g. vovit dare unam, poteſt dare, quam maluerit. Tambur. §. 7. Sporer ubi ſuprà n. 98. Ratio eſt: quia obligatio voti ita explicanda eſt, ut potiùs reſtringatur, quàm extendatur. Vovens quoque, dum ex pluribus indeterminatè promiſit unum, tacitè ſibi reſervâſſe cenſetur libertatem offerendi, quod ipſe maluerit. Dixi, *niſi conſuetudo &c.* nam ſiquis minimè pauper calicem voviſſet Eccleſiæ, non ſatisfaceret offerendo ſtanneum, ſed teneretur offerre ſaltem argenteum: quia ita habet conſuetudo, ut, niſi aliud ſuadeat paupertas, non conficiatur calix ex metallo, quod eſt inferius argento. Illſung loco cit. Plura ejusmodi exempla vide, ſi placet, apud Sanchez lib. 4. in Decal. à cap. 11. ubi latiſſimè diſſerit. Bonac. pu. 6. cit. Tambur. §. 6. & 7. Vide etiam, quæ nos pridem diximus ſuprà in tract. 1. diſp. 3. a. 3. §. 2. de Conſc.

Quæritur quarto, qualiter obliget votum conditionatum? Reſpondeo, votum 73

condi-

conditionatum non obligat cessante conditione, dummodò vovens ipse non malitiosè impediverit eventum conditionis. Ratio est aperta: quia vovens non voluit obligari, nisi posita conditione. Dixi; *dummodò ipse non malit.osè &c.* nam qui vovit peregrinationem v. g. si approbet illam Confessarius, ac postea dolis, vel mendaciis circumenit Confessarium; itaque effecit, ut non approbaret, probabiliùs votó obligatur perinde, acsi conditio illa esset impleta. Ita Sanchez lib. cit. cap. 23. n. 47. & alii apud ipsum. Sporer num. 147. Ratio est: quia tunc vovens ita ac invitò præsumitur fuisse constitutus: *Promitto hoc Deo, si per quid aliud mihi involuntarium non fiat, quò minùs exequar:* consequenter, dum impletur hæc conditio, vovens obligatur votó: impletur autem in casu nostro eadem conditio: quia revera per nullam aliam causam voventi involuntariam fit, quò minùs is votum exequatur. Verùm contraria sententia est valde probabilis. eam tenent Suarez lib. 4. de voto. cap. 17. n. 20. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 6. n. 4. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 3. n. 116. Ratio est: quia votum conditionatum non obligat, nisi transeat in absolutum impletâ conditione: sed in casu nostro non transit in absolutum; cùm non impleatur conditio; ergo &c. Neque refert, conditionem non impleri ex malitia voventis. nam vovens liberè se nolle obligare potuit ad illud omne removendum, ex quo obventurum esset impedimentum circa impletionem conditionis etiam aliunde prohibiti. Accedit, quòd incertum sit, etiamsi malitia voventis abfuisset, utrùm conditio, utpote suapte natura contingens, non aliunde fuisset frustrata suo eventu.

§. VI.

An, & quomodo Votum reddatur irritum?

SUMMARIUM.

74. Homo per legem Ecclesiasticam impediri potest, ne validè voveat. 75. Irritatio votialia directa, alia indirecta. 76. Qui habet potestatem dominativam in voluntatem alterius, omnia illius vota directè validè irritare potest. 77. 78. & seqq. Declaratur regula tradita per plures resolutiones practicas. 82. 83. Quinam vota indirectè irritare possint? 84. Obligatio votorum indirectè solum irritatorum reviviscunt, quando desinunt præjudicare alteri.

74 NOtandum est primo, omnem quidem hominem viatorem, si satis maturô judicio præditus sit, validè vovere posse, quatenùs est ex parte ipsius; fieri tamen interdum, ut aliunde impediatur, nempe à lege Ecclesiastica requirente ad valorem voti qualitatem, seu conditionem aliquam, naturali alioquin jure non requisitam. cùm enim civilis potestas civilibus promissionibus & contractibus præscribere soleat certam formam, sive conditionem, sine qua valorem non habeant, cur idem non faciat aliquando potestas Ecclesiastica in promissionibus votorum?

Notandum est secundo, duplicem esse 75
irritationem votorum, videlicet directam, & indirectam. Irritatio directa, sive propriè dicta est, quando is, qui habet potestatem dominativam in voluntatem voventis, tollit obligationem voti in perpetuum. Indirecta & minùs propria est, qua is, qui habet dominium aut jurisdictionem in res, vel actiones voventis, suspendit, aut impedit obligationem voti, ejusve executionem, quatenùs & quamdiu eadem obligatio, aut executio voti præjudicat dominio, vel jurisdictioni ipsius. De utraque hac irritatione nunc breviter agemus.

Dico primo. Omnis ille, cujus pote- 76
stati dominativæ subjecta est alterius voluntas, potest istius sui subditi vota, qualiacunque illa sunt, pro libitu, sine ulla causa validè irritare directè. Ita communiter DD. Ratio est: quia omnia vota, quæ ab hoc tali eduntur, pendent ex consensu alterius: ut proinde vel ex natura rei, vel ex Juris dispositione imbibant hanc tacitam conditionem, *Nisi Superior dissenserit.* quare si iste voto intellecto pronuntiet, id esse nullum, cessabit ejus obligatio, ita ut nunquam revìviscat, tametsi Superior suam irritationem retractet, tribuatque facultatem illud exequendi. An illicitè agat & peccet Superior irritando votum sine causa, fortè dubitari possit. Sed dicendum cum Lessio de Just. lib. 2. cap. 40. dubit. 12. n. 70. talem non excusari à peccato veniali: quia impedire velle absque causa alterius bonum opus sapit aliquàm displicentiam ipsius operis. Nunc ex dictis resolves

I. Pater omnia vota liberorum impube- 77
rum, sive realia, sive personalia, directè irritare potest. Ita clarè habetur in cap. *Mulier.* 32. *q.* 2. idemque sentiunt communiter DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 88. a. 8. Ratio est: quia propter immaturitatem judicii impuberum (nempe marium usque ad annum 14. expletum, fœminarum usque ad annum 12. expletum) Jura voluerunt eorum vota esse, subdita voluntati patris, eisdemque hanc tacitam conditionem inesse: *Nisi pater dissenserit.* Atque hæc procedunt, etiamsi cuipiam adhuc intra tempus impubertatis perfectus usus judicii obtingat: cùm

cùm jura loquantur absolutè, neque Doctores hîc agnoscant aliquam exceptionem. Vid. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 35. Laym. tr. 4. cap. 7. n 10. Less. lib. 2. de Just. cap. 40. dubit. 14. Bonac. disp. 4. q. 2. pu. 7. §. 2. n. 16. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 4. n. 123.

78 II. In defectum patris vota impuberum irrita reddere potest avus paternus; & in defectum hujus tutor, siquis eis datus sit. Imo idem potest mater, non tantùm si tutrix est, sed etiam in defectum tam tutoris, quàm patris & avi. Ratio est: quia hoc tali ordine, tantòque tempore, quanto durat impubertas, etiam dominio memoratorum, subjecta est voluntas liberorum. Et quidem matri, cæteris deficientibus, naturali jure competit dominium in liberos. Vid. Laym. Illsung locis citt. Non desunt etiam, qui existiment, in defectum omnium aliorum etiam Magistrum, herum, vel quemcunque, sub cujus gubernatione impubes existit, posse hujus vota directè rescindere. quod Laym dicit esse probabile: Less. rationi consonum: Sanchez tamen cap. cit. n. 84. ait, se non audere id approbare: quia nulla est sufficiens ratio his talibus potestatem dominativam in ejusmodi impuberem adstruendi.

79 III. Prælatus Religiosus omnia vota Religiosi sibi subditi directè irritare potest, exceptis votis, quæ ipse status Religionis exigit, & voto strictiorem Religionem ingrediendi. Ita cum D. Thoma a. cit. ad 3. & 4. communis sententia apud Laym. n. 6. Ratio est: quia propter meliorem gubernationem Religiosi in vita spirituali ex dispositione Juris omnibus illius votis inest hæc tacita conditio: *Nisi Prælatus contradixerit:* ut satis constat ex praxi, & usu Religionum. dicitur etiam in cap. *Si Religiosus. de Elect. in* 6. *Cùm velle & nolle* (Religiosus) *non habeat, sed ex illius, quem Dei vice super caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat &c.* Dixi autem, *omnia vota*, ut includerem etiam vota de operibus præceptis: cùm fieri possit, ut ista quoque potiùs impediant, quàm juvent profectum spiritualem in statu Religionis: adeoque expediat Religiosum non gravari eorum obligatione. quod idem dic de votis operum supererogationis Regulæ consentaneorum. Vid. Filliuc. tract. 26. cap. 8. n. 242. Dixi, *sibi subditi.* quod intellige vi Professionis Religiosæ: quo modo cùm non sit subditus Novitius, ejus vota non potest directè irritare Prælatus. Dixi, *exceptis votis &c.* sicut enim Prælatus non potest facere, ut sublatis ejusmodi votis maneat quis Religiosus talis Religionis, ita nec eorum obligationem auferre potest. Dixi, *& voto strictiorem Religionem ingrediendi.* quia in professione Religionis hæc conditio subintelligitur: nisi eam in quid melius commutare placuerit. Vid. Sanchez lib. cit. cap. 33. n. 2. Filliuc. Laym. locis citt.

IV. Maritus non potest directè irritare 80 ullum votum uxoris. Less. ubi suprà dubit. 15. n. 89. Bonac. §. cit. n. 10. Laym. n. 12. Filliuc. n. 235. Sporer tract. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 3. n. 27. Illsung n. 126. & alii. Ratio est: quia ad directam irritationem votorum alicujus requiritur potestas dominativa: qualis non competit marito in uxorem: quippe quæ non est subjecta viro, sicut Religiosus Prælato, aut impubes patri, sed ut socia minor socio majori ex contractu matrimonii tantùm: adeoque in illis tantùm, quæ spectant ad communem vitæ societatem, usum corporis, educationem prolis, & administrationem familiæ. Authores contrarii, ut Sotus, Rosella, Sanchez, quorum sententia satis probabilis est, potissimùm nituntur authoritate S. Script. Num. 30. ubi dicitur: *Uxor in domo viri cùm se voto constrinxerit & juramento, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet, quodcunque promiserat. si autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea.* Sed rectè respondetur, eam legem fuisse cæremonialem, vel judicialem, pertinentem ad Politiam populi Israëlitici; atque adeo cessâsse per mortem Christi; nec ullam ampliùs vim habere.

V. Abbatissæ quoque & matres spirituales Monialium non minùs omnia istarum vota directè irritare possunt, quàm Prælati omnia vota suorum Religiosorum. Ita probabiliùs Suarez lib. 6. de voto cap. 7. n. 19. Sanchez n. 19. & 20. Filliuc. n. 243. Bonac. n. 26. & alii. Ratio est: quia etiam Abbatissis per votum obedientiæ ita subjiciuntur voluntates Monialium, ut in eas habeant potestatem dominativam, utque illarum vota includant hanc tacitam conditionem: *si Abbatissa non contradixerit:* sicut diximus de votis Religiosorum. 81

Dico jam secundo. Omnes illi possunt vota irritare indirectè, quibus subjectæ sunt res & actiones voventium, ceu materiæ votorum, ita ut habeant jus in easdam. Ita communis & certa ex D. Thoma 2. 2. q. 88. a. 8. Ratio est: quia jus naturæ docet, neminem posse quidquam alteri promittere in præjudicium tertii: adeoque is, cui subjecta est materia voti, potest ex eodem jure naturali ejusmodi præjudicio occurrere suspendendô obligationem promissionis sibi præjudicantis, quatenùs & quamdiu præjudicaverit. Vid. Sanchez lib. cit. cap. 24. n. 28. 82

Atque hinc potest primo pater indirectè irritare vota liberorum puberum in sua potestate existentium, quæ liberam & expeditam familiæ gubernationem impediunt, suntque in causa, ut filius, vel filia nimis 83

abstrahatur ab obedientia & cura patris. D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 8. ad 2.

Potest secundò uxor irritare vota mariti, quæ viderit vergere in suum præjudicium. Talia essent vota dandi copiosam eleemosynam ex bonis dotalibus; instituendi longinquam peregrinationem; nimiùm abstinendi; cubandi seorsim, & similia. Quod autem, hîc potest uxor, potest vicissim maritus in votis uxoris. Extenditur etiam hæc utriusque potestas ad vota edita ante matrimonium, quando non possunt servari sine præjudicio alterutrius. Filliuc. n. 237. & 238.

Potest tertio dominus, vel domina irritare vota servorum, sive propriè dictorum, sive tantùm famulorum, sive ante, sive intra tempus servitutis fuerint emissa, quando vident, ea præjudicare domesticis obsequiis: sicut præjudicare possunt vota frequentioris jejunii, prolixæ orationis: at non votum castitatis, aut brevis orationis. Less. ubi suprà num. 89. Non posse autem dominos vota servorum irritare directè, inde constat, quod habeant tantùm dominium utile in illos, quod non sufficit ad directam irritationem. Illsung ubi suprà n. 128.

Potest quarto Prælatus hoc modo irritare vota Novitiorum, quando executio præjudicat exercitiis probationis. unde non potest irritare eorum vota realia: quia non præjudicant functionibus Novitiatûs. Less. cap. cit. dubit. 13. num. 80. ubi tamen addit, ejusmodi vota commutari posse in opera Religionis à Prælato vel Confessario; imò juxta quosdam ab ipso Novitio; cùm sit commutatio in quid apertè melius. in eo tamen casu obligatum iri vi voti ad ea opera, in quæ facta fuerit commutatio. Plura de similibus passim Authores.

84 Advertendum est denique, vota indirectè tantùm irritata reviviscere, & obligare, quando desinunt præjudicare alteri. Unde, qui vovit dare eleemosynam singulis hebdomadibus toto vitæ suæ tempore, tenetur hoc modo dare, postquàm ei, qui votum indirectè irritaverat, materia ejusdem voti non ampliùs subjecta est. Sanchez lib. cit. cap. 26. n. 1. Bonac. ubi suprà n. 36. & alii communiter. Ratio sumitur ex discrimine inter directam & indirectam irritationem, quòd per illam prorsus extinguatur obligatio voti; per hanc autem suspendatur tantùm; ut proinde cessante prohibitione illius, qui irritaverat, aut subjectione ad eundem, reviviscat, viresque pristinas exserat.

§. VII.

Quomodo quis votô solvatur per Commutationem, & Dispensationem?

SUMMARIUM.

85. *Quid sit commutatio Voti* 86. *Ad commutationem operis promissi in manifestè melius non requiritur Authoritas Superioris.* 87. *Limitatio hujus doctrinæ.* 88. *Declaratur, in quibus casibus ad commutationem Voti requiratur Authoritas Superioris.* 89. *Quænam requiratur causa ad commutationem Voti, tum ut licitè fiat, tum ut validè.* 90. *Quotquot habent potestatem dispensandi in Votis, habent etiam potestatem commutandi illa; sed non econtra.* 91. *Quid sit dispensatio Voti.* 92. *Quibus conveniat potestas dispensandi, tum ordinaria, tum delegata.*

COmmutatio voti definitur, quòd sit 85
substitutio operis honesti loco alterius votô promissi, manente eadem obligatione. Filliuc. tract. 26. cap. 10. num. 280. Triplex autem est ejusmodi commutatio. Prima est operis votô promissi in melius. Secunda in æquale diversi generis. Tertia in minus.

Ut opus votô promissum mutetur in 86
manifestè melius, non requiritur authoritas Superioris: sed potest ita commutari propria voventis authoritate. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 49 num. 4. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 19. Filliuc. num. 282. Illsung tract. 5. disp. 1. q. 3. a. 6. n. 149. & DD. communiter. Ratio est: quia, ut dicitur in cap. *Pervenit.* 2. *de Jurejur. Non frangit promissum, etiam justum, qui in melius illud commutat.* Deinde opus majus est Deo gratius qui proinde id acceptat loco minoris. Hinc, quando vovisti dare Ecclesiæ linteamen v. g. potes id nemine requisito mutare in oblationem calicis, vel alterius rei pretiosioris.

Limitant hanc doctrinam Filliuc. Illsung 87
& alii, ut non habeat locum, quando commutatio certi voti ab Ecclesia specialiter prohibita est: sicut prohiberi constat in votis Summo Pontifici reservatis, horum proinde objecta non licet mutare, etiam in eviden-ter meliora, præterquàm in ingressum Religionis. Pariter, quando opus minus bonum cedit in utilitatem tertii, isque in id jus acquisivit, non licet illud mutare in melius propria authoritate: cùm id fieret in præjudicium alterius. citt.

Requiritur autem in commutatione vo- 88
ti Authoritas Superioris Ecclesiastici primo,

quan-

quando opus, in quod fit commutatio, est paulò minùs bonum. Quòdsi opus sit notabiliter minus, tunc in tali commutatione intervenit dispensatio. Filliuc. n. 283. Requiritur secundo in dubio circa æqualitatem boni operis. Requiritur tertio, quando fit commutatio in bonum æquale. Probabile tamen est, posse quemlibet suò arbitrió commutare votum in opus manifestè æquale. Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 16. §. 5. n. 14. pluresque alii, quos refert & sequitur Sporer tr. 3. in 2. præcept. Decal. cap. 3. n. 83.

89 Porro quamvis ad commutationem voti in opus manifestè melius, adeoque DEO gratius, nulla alia causa requiratur; si tamen fiat commutatio in opus æquale, aut minus, debet adesse aliqua causa, tam ut licita sit, quàm ut valida. Ita Laym. n. 22. & alii communiter. Sufficit autem ad commutationem in opus æquale quævis causa, ob quam videatur expedire, ut votum sic commutetur. cujusmodi causa sufficiens communiter censetur, si petens commutationem existimet, se materiam operi promisso subrogatam majori cum fructu & alacritate Deo exhibiturum. Illsung num. 152. Quod attinet ad commutationem voti in opus inæquale & notabiliter minus, cùm sit partialis dispensatio, & à nemine facultatem dispensandi non habente fieri possit; attendendæ sunt eædem causæ, quæ requiruntur & sufficiunt ad dispensationem: de quibus postea. Sporer num. 119.

90 Potestatem commutandi vota habent omnes, qui habent potestatem dispensandi in illis: at non econtra, qui habent potestatem commutandi, habent eo ipso potestatem dispensandi. licèt enim illi, cui concessum est majus, censeatur esse concessum & minus ejusdem generis; non tamen econtra: *minus* autem *est votum commutare, quàm in voto dispensare*, ait D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 10. quamvis utrumque sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Constat etiam, in Bulla cruciatæ conferri facultatem commutandi vota sine facultate dispensandi in iisdem: sicut communiter docent expositores ejus Bullæ apud Salmanticenses to. 4. tract. 17. cap. 3. pu. 14. num. 127. Potestatem præterea commutandi vota habent illi, quibus eam ordinaria potestate gaudentes delegârunt; quemadmodum Sum. Pontifex tempore Jubilæi omnibus Sacerdotibus approbatis delegare solet.

Dispensatio voti definitur, quòd sit ab- 91
soluta condonatio obligationis ex voto contractæ, nomine DEI facta. Bonac. disp. 4. q. 2. pu. 7. §. 4. num. 1. & DD. communiter. Non valet dispensatio sine justa causa impertita. Causæ verò sufficientes potissimæ sunt. Prima. Imperfectio actus, ex qua votum processit. Secunda. Notabilis difficultas exequendi votum. Tertia. Bonum Ecclesiæ, vel commune Reipublicæ. Quarta. Damnum spirituale, vel corporale voventis.

Potestas ordinaria dispensandi in votis 92
suorum subditorum convenit omnibus Prælatis, qui habent jurisdictionem in foro externo: quemadmodum habet Summus Pontifex respectu omnium fidelium in omnibus votis. Episcopi, Archiepiscopi respectu suorum subditorum in omnibus votis summæ Sedi non reservatis. Deinde Abbates habentes propriam Diœcesim. Prælati Regulares exempti respectu suorum Religiosorum, etiam Novitiorum, ut docent plurimi, quos refert & sequitur Illsung num. 144. Nullam tamen potestatem dispensandi habent Abbatissæ, etiam in votis suarum Monialium professarum: cùm nulla eis competat jurisdictio ad hoc requisita. Ordinariam denique potestatem dispensandi habere dicuntur Pœnitentiarius Summi Pontificis, & Legatus à latere; utpote annexam officio eorum. Delegata potestate dispensandi soli ferè gaudent Religiosi. Et quidem Innocentius VIII. omnibus Mendicantibus impertiit potestatem dispensandi in omnibus votis, in quibus potestate ordinaria dispensare possunt Episcopi, excepto voto peregrinandi ultra duas dietas, hoc est, ultra viginti leucas. Benedictini autem, & qui gaudent eorum privilegiis, possunt ex concessione Martini V. dispensare in omnibus votis Papæ non reservatis. Sed quænam sunt reservata? respondeo: hæc quinque: videlicet, votum Religionis approbatæ, votum castitatis perpetuæ, vota peregrinationis in terram sanctam; peregrinationis ad limina Apostolorum, & ad S. Jacobum Compostellam. Vid. Illsung num. 144. & num. 145.

DISPUTATIO IV.

De Tertio Præcepto Decalogi.

Hoc præcepto jubebantur olim Hebræi sanctificare Sabbathum, ut habetur Exodi 20. Nunc præcipitur Christianis observatio Festorum, tum Dominicalium, quæ, abrogatô Judæorum Sabbathô, in memoriam Resurrectionis Christi; tum aliorum, quæ immediatè in honorem Sanctorum; vel ad celebrandas Dei laudes, recolendaque beneficia Mater Ecclesia instituit. Tria porrò ad observationem Festorum pertinent: videlicet auditio Missæ: abstinentia ab operibus servilibus, & abstinentia ab actionibus quibusdam forensibus. De qua proinde triplici obligatione præsens Disputatio suscipitur.

ARTICULUS I.

De Auditione Missæ, causisque ab hac excusantibus.

§. I.

De obligatione audiendi Missam die Festo.

SUMMARIUM.

1. Aliqui negâsse videntur, dari in Ecclesia præceptum audiendi Missam. 2. Datur hoc tale præceptum. 3. 4. 5. & seqq. Deducuntur plurima consectaria practica. 14. Assertô præceptô obligantur sub mortali omnes fideles adulti usu rationis præditi. 15. 16. & seqq. Corollaria ex dictis.

1 ARguuntur aliqui Authores, etiam Catholici, quòd negaverint, dari in Ecclesia præceptum audiendi Missam. Ii sunt Angelus, Rosella, & Turrecremata relati à P. Suarez to. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 1. Verùm, ut judicat idem Suarez, hi Authores non omnio negant præceptum, sed male declarant. Quidquid de hoc sit,

2 Dico primo. Datur præceptum Ecclesiasticum legi naturali & Divinæ Decalogi conforme, quo fideles tenentur audire Missam, id est, eidem interesse morali, sive humana præsentia, intentè & attentè omnibus diebus festis. Ita communis & certa omnium doctrina. Desumitur tum ex cap. *omnes fideles*, & cap. *Missas. de consecrat. dist.* 1. tum ex consuetudine & praxi Ecclesiæ. Atque hinc statim.

3 Sequitur primo, infideles, & non baptizatos, etiam Catechumenos, non esse obligatos ad audiendam Missam. Ratio est: quia non sunt subjecti præceptis Ecclesiasticis. Bonac. de Sacram. disp. 4. q. ult. pu. 11. num. 9. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 1. Salmantic. to. 1. tract. 5. cap. 6. pu. 1. num. 1.

4 Sequitur secundo, amentes, dormientes, aut ebrios, quando existunt in Ecclesia, ubi celebratur Missa, non audire Missam. Ratio est: quia non interfunt, nec possunt interesse, humanô modô. Quare neque illi, qui tales habent sub cura, vel custodia, tenentur eos adigere, ut rei Divinæ interfint. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 17. Bonac. n. 2.

5 Sequitur tertio, eum, qui sciens tali hora celebrari Missam in templo animum domi applicat ejus mysteriis, non audire Missam; sicut nec illum, qui tempore Missæ versatur in templo, sed animô voluntariè prorsus distractô. Ratio est: quia prior non interest Missæ corporaliter seu physicè, sed tantùm mentaliter: posterior solùm corporaliter, non mentaliter: cùm tamen hæc utraque præsentia requiratur ad Missam humano modo audiendam. Bonac. n. 3. & 4.

6 Sequitur quarto, præcepto audiendi Missam satisfacere illum, qui in templo post columnam, vel extra templum ob ejus angustias assistens colligit ex signis & gestibus aliorum intrà præsentium, quibus moraliter conjungitur, quid in ara fiat. Ratio est: quia & ipse aliquo modo præsens est physicè & moraliter. Tambur. num. 12. Salmantic. pu. 2. num. 23. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 1. a. 1. num. 155. Imò, teste eodem, secundùm plurimos sufficienter præsens est, qui ex vicina domo etiamsi intercedat via publica, ait Tambur. cernere potest,

Sacer-

Sacerdotem in proximo templo sacrificantem. Aliud sentiendum, si distantia sit notabilis: quod arbitriô prudentis metiendum est. Tambur. n. 14.

7 Sequitur quinto, illum quoque satisfacere, qui, dum inseruit Sacerdoti celebranti, brevi mora recedit è templo ad campanas pulsandas, vinum, thus, aliaque necessaria ad Sacrificium afferenda. Salmantic. n. 21. Illsung n. 156. Ratio est: quia propter brevitatem temporis, quo abest, & quidem ipsius Sacrificii causâ, cum intentione redeundi non censetur moraliter interrumpere physicam præsentiam.

8 Sequitur sexto, etiam cæcum, vel surdum posse, & consequenter teneri audire Missam. Ratio est: quia ille auditu, hic visu immediatè, vel perconjecturas ex actionibus aliorum præsentium potest advertere, quid agat in ara Sacerdos: quod sufficit ad moralem præsentiam. Bonac. n. 19. & 20. Illsung n. 157. qui tamen posterior notat ex Castropalao, aliud tenendum esse de eo, qui cæcus & surdus simul est: quia nempe non apparet, quomodo hic talis exercere possit moralem præsentiam. qui proinde hoc ipso eximitur ab obligatione audiendi Missam.

9 Sequitur septimo, meritò censeri non audire Missam eum, qui toto illo tempore confabulatur, litteras, nova, aliudve profanum legit, aut scribit, licèt advertat per intervalla, quid agatur in altari. Ratio est: quia ejusmodi actiones externæ continuatæ non censentur compossibiles cum morali præsentiâ; quippe, quæ naturâ suâ animum divertunt ab attentione etiam virtuali ad Missæ Sacrificium. Bonac. n. 24. Filliuc. tract. 5. cap. 7. n. 216. Salmantic. pu. 4. n. 50. Sporer tract. 3. in 3. præcept. Decal. cap. 4. n. 13. Illsung n. 158. Quòdsi tamen tales actiones interruptim exerceantur, v. g. nunc colloquendo, nunc advertendo, quid agatur in Missa, non obstant, quominùs satisfiat præcepto quoad substantiam. Ratio est: quia sic interpolatæ non impediunt moralem præsentiam & attentionem necessariam. Filliuc, Salmantic. Illsung locis citt. Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 3. n. 2. Sporer n. 17.

10 Sequitur octavo, satisfacere præcepto audiendi Missam, qui sub ista recitat horas Canonicas; Pœnitentiam injunctam in Confessione; vel aliam orationem ex obligatione persolvendam. Filliuc. loco cit. Tambur. n. 16. Sporer n. 16. Laym. loco cit. & alii communiter. Ratio est: quia attentio requisita ad audiendam Missam non minùs consistit. cum orationibus ex obligatione recitandis, quàm cum voluntariis: ergo sicut has recitans sub Missa non impeditur, quominùs impleat præceptum, ità nec recitans illas. Aliunde verò constat, una, eademque actione, & eodem tempore duobus præceptis satisfieri posse. Atque ex his oritur ratio, cur is, qui Sacramentaliter confitetur majori, vel magno tempore, dum Missa celebratur, non satisfacere censeatur? quia nempe Confessio Sacramentalis suapte natura distrahit animum ab attentione ad ea, quæ aguntur in Missa, & impedit moralem præsentiam. vid. Salmantic. n. 46. ubi pro contraria sententia referunt Castropal. quam sententiam non esse improbabilem tenet Illsung loco cit. saltem si Confessio sit brevis, & non fiat cum tanta applicatione animi, ut excludat attentionem sufficientem: quæ saltem debet esse virtualis.

11 Sequitur nono, fideles non esse obligatos ad audiendum tres Missas in Nativitate Domini. Bonac. n. 10. & alii apud ipsum. Ratio est: quia Ecclesia plus non præcipit, quàm auditionem Missæ die festo: atqui audiens unam Missam absolutè audit Missam; ergo. Dices. Parochus tenetur in Natali Domini celebrare tres Missas: ergo ejus subditi tenentur tres audire. Respondeo primo neg. Ant. licèt enim Ecclesia concedat, ut quilibet Sacerdos eo die celebret tres Missas, nulli tamen præcipit. Respondeo secundo neg. conseq. disparitas est, quia Parochus ad hoc tenetur, tum, ne fideles defraudet debitis suffragiis & fructu devotionis; cùm ut plurimùm omnes velint audire tres Missas illo die. tum, quia facilè potest incurrere periculum scandali, si tunc non legat tres Missas. Similis autem ratio nulla urget in aliis fidelibus. Bonac. loco cit.

12 Sequitur decimo, neminem per se loquendo & ordinariè teneri audire concionem die festo. Ratio est: quia nullibi exstat præceptum Ecclesiæ de auditione concionis, sicut exstat de auditione Missæ. Filliuc. tract. 27. cap. 8. n. 132. Laym. cap. 4. n. 2. Fagundez tract. in 1. præcept. Eccl. lib. 2. cap. 1. n. 10. & DD. communiter contra Angelum *V. Feriæ n.* 42. qui etiam n. 45. malè docuit, omittendam esse potiùs Missam, quàm concionem, si utraque audiri non possit. Dixi tamen, *per se loquendo.* quia potest esse gravis obligatio per accidens, quatenùs unusquisque tenetur ex charitate erga se ipsum addiscere necessaria ad salutem, quæ explicantur in concionibus.

13 Sequitur undecimo, fideles satisfacere præcepto audiendi Missam, quocunque in loco audiverint, extra privata oratoria. Ita hodie communis & certa sententia, sicut testatur Illsung n. 163. quidquid contra con-

tendat Marchantius in Candelabro Mystico. Ratio est: tum, quia sic obtinet communis jam consuetudo. quamvis haud dubiè deceat, ut aliquoties per annum in Ecclesia propriæ Parochiæ fideles Missam audiant, sicuti monet Concil. Trid. sess. 22. in decreto *de observand. in celebr. Miss.* tum, quia Ecclesia solùm præcipit auditionem Missæ, non autem locum, in quo sit audienda: ergo hoc ejus præceptum in quovis loco per se loquendô impletur. Dixi tamen; *extra privata Oratoria.* nam in his, si sint Laicorum, vel Clericorum sæculatium Episcopo inferiorum, audientes Missam, præter Dominum, ejusque familiam, ac hospites, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, probat Illsung ex Declarationibus Pontificiis.

14 Dico secundo. Præceptum die festo audiendi Missam obligat sub mortali, & quidem omnes adultos baptizatos usu rationis præditos. Ratio primi est: quia præceptum de re gravi ex suo objecto obligat sub mortali: sed præceptum audiendi Missam est de re gravi; ergo. Et confirmatur ex communi usu & persuasione fidelium, qui hoc præcepto graviter, & sub mortali se obligari universim existimant. Ratio secundi est: quia hoc præceptum est universale: ergo obligat omnes obligationis capaces; cujusmodi sunt omnes & soli fideles adulti usu rationis præditi. Ex quibus jam deducere licèt

15 Corollarium I. Quamvis infantes, & pueri necdum septennes non obligentur hoc præcepto, obligantur tamen pueri post septennium ætatis completum, & graviter peccant non audiendo Missam die festo, nisi illos excuset ignorantia præcepti. Ratio est: quia exacta illa ætate præsumuntur habere usum rationis; atqueadeo subjiciuntur præceptis non solùm naturalibus, sed etiam positivis, & Ecclesiasticis ipsorum ævo convenientibus: inter quæ meritò computatur præceptum audiendi Missam. Vid. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 10. Bonac. ubi suprà, num. 8.

16 II. Peccat, qui partem aliquam Missæ sine justa causa non audit. Ratio est: quia ex præcepto Ecclesiæ Missa integra audiri debet, nempe ab Introitu usque ad Sacerdotis Benedictionem saltem, per can. 47. Concil. Agath. & c. *cùm ad celebrandas, dist.* 1. *de consecrat.* Peccat autem talis mortaliter, si pars, quam omittit, sit notabilis; venialiter, si exigua. Porrò communis Doctorum sententia est apud Laym. cap. 3. n. 3. non omittere partem notabilem, & consequenter non peccare mortaliter illum, qui adest, dum incipit Epistola, vel etiam Evangelium usque ad Communionem inclusivè. Imò levem solùm materiam esse probabiliter judicant multi, ut refert Illsung n. 160. si quis tantùm omittat ea, quæ Offertorium præcedunt; vel tantùm, quæ Communionem sequuntur. Certè duriusculum videtur, inquit Laym. loco cit. eum mortalis peccati damnare, qui circa Offertorium venit ad Missam, ipsumque & omnia, quæ sequuntur; attentè audivit.

III. Qui præsens non est, dum Sacer- 17
dos consecrat, est tamen præsens cæteris partibus Missæ, satisfacit præcepto, quod idem dic de eo, qui non est præsens Communioni, est tamen præsens cæteris partibus. Ratio est: quia, licèt Consecratio in nostra sententia sit formaliter tota essentia Sacrificii, potest quis amplecti sententiam dicentium, essentiam Sacrificii consistere in Communione: ergo talis non est dicendus omisisse Sacrificium Missæ. Quòdsi nec tempore Consecrationis, nec tempore Communionis esses præsens, non satisfaceres, licèt audires cætera; quia nullo modo esses præsens Sacrificio. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. n. 3. Sporer tr. 3. in 3. præcept. Decal. cap. 4. n. 21. Meliùs tamen sentiri mihi videntur, qui negant illum satisfacere, qui alterutram, nempe vel Conservationem, vel Communionem audire omittit, quamvis audiat cætera. Ratio est: quia, licèt non certò constat, in quanam earum actionum sita sit essentia Sacrificii, certum tamen est, eam, quam omittens audire haberet pro parte non essentiali, inter partes integrales esse præcipuam, adeoque notabilem. Ita Coninck, Nunnus, Henriquez, Bonac. Castropal. quos referunt & sequuntur Salmantic. to. 1. tract. 5. cap. 6. pu. 1. n. 4. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 1. a. 1. num. 160.

IV. Non videtur satisfacere, qui serius 18
veniens ad primam Missam audit in secunda deinde partem solummodò neglectam: v. g. qui veniens ad Consecrationem in prima Missa deinde in secunda audit ea tantùm, quæ antecedunt Consecrationem. Ita Suarez to. 3. de Sacram. disp. 88. sect. 2. Fagundez tract. in 1. præcept. Eccl. lib. 2. cap. 6. n, 12. Tambur. n. 10. Illsung n. 161. & alii. Ratio est: quia diversorum Sacrificiorum partes ad singula Sacrificia per intentionem Ministri individualiter determinatæ non possunt coalescere in unum Sacrificium: sicut diversæ partes diversorum Officiorum Canonicorum, quæ sunt affixa singulis diebus, non possunt coalescere in unum Officium Canonicum pro eadem die recitandum. Et hæc sententia est probabiliot. Oppositam tamen, quæ affirmat, hoc modo satisfieri præcepto, sustinent complures admodùm graves Doctores. quapropter censenda est probabilis. Vid. Salmantic. num. 7.

V. Mi-

19 V. Minimè satisfacit præcepto, qui duas Missæ partes, vel omnino plures, simul audit à diversis celebrantibus: v. g. ab uno Sacerdote à Consecratione usque ad finem, & ab alio tunc simul celebrante ab Introitu usque ad Consecrationem. Ratio est: quia Missa est quædam res successiva, quæ suas partes simul habere non potest. Ergo ex natura Missæ est impossibile, ut constituatur ex partibus eodem tempore simul existentibus, sicut deberet constitui in casu proposito. Sed neque exstat aliquod privilegium, vel indulgentia Ecclesiæ fragmenta diversarum Missarum dicto modo consarcinata pro una integra Missa acceptantis. Sententiam eorùm, qui dixerunt, talem satisfacere, damnavit Innocentius XI. in 53. prop. Cæterùm illud non videtur negandum, satisfacturum suæ obligationi, qui tenetur plures Missas audire, si illas audiat simul à pluribus v.g. tribus, Sacerdotibus in diversis altaribus eodem tempore celebrantibus. Ratio est: quia audiens simul tres Missas verè tres integras Missas audit. nec ille, qui imposuit obligationem audiendi, exegit, ut eis esset præsens successivè; sicut supponitur. vid. Illsung n. 162. Viva parte 2. damnat. Thes. prop. 53. num. 5.

§. II.

Quænam excusent ab auditione Missæ?

SUMMARIUM.

20. *Duo capita causarum excusantium, nempe impotentia, & quodvis motivum rationabile.* 21. *Ex alterutro horum capitum excusantur excommunicati, vel interdicti.* 22. *Non habentes facultatem audiendi, nisi à Sacerdote notoriè excommunicato, vel notorio concubinario.* 23. *Ægroti, carcere detenti.* 24. *Custodientes castra, urbem, gregem &c.* 25. *Viatores.* 26. *Procul dissiti à loco Sacrificii.*

20 CAusæ ab ista obligatione excusantes ad duo capita universim reduci possunt. Primum est impotentia, eaque vel absoluta, sive animi, sive corporis; vel moralis fundata in notabili difficultate, damno, incommodo proprio, vel proximi; tum in corpore, tum in bonis; vel etiam in honore, quod ex auditione Missæ probabiliter eventurum timetur. Ratio est: quia impossibilium nulla est obligatio. nec Ecclesia, ceu benevola mater, fideles intendit hîc obligare cum notabili incommodo. Alterum caput est quodvis rationabile motivum, ex quo quis bona fide existimat, se excusari. Ratio est item: quia, cùm obligatio audiendi Missam tota sit suavis & humana, causa quælibet etiam mediocriter gravis, ab illa excusare ob benignitatem Ecclesiæ censetur. vid. Filliuc. tract. 5. cap. 7. à n. 224. Bonac. disp. 4. q. ult. pu. ult. Salmantic. tom. 1. tract. 5. cap. 6. pu. 5. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 1. a. 1. §. 3.

21 Itaque ab auditione Missæ excusantur primo, excommunicati, vel interdicti. Ratio est: quia tales patiuntur impotentiam spiritualem, sive animi, eosque Ecclesia non solùm habet pro excusatis, sed etiam arcet ab auditione Missæ. Neque peccat contra istud præceptum, qui negligit procurare absolutionem ab ejusmodi censura, ut ea obtenta possit audire Missam. Ratio est: quia vi ejusdem hujus præcepti non obligatur ad tollendum ejusmodi impedimentum aliquod audiendi Missam, licèt etiam facilè posse supponatur. Bonac. n. 22. Salmantic. n. 53. multique alii ab his relati.

22 Excusantur secundo, qui non possunt audire Missam ab alio Sacerdote, quàm notoriè excommunicato, vel notorio concubinario. Ratio est: quia tunc juxta cap. *vestra*, & cap. ult. *de cohabit. Cleric. & mulier.* & cap. *præter*, *dist.* 32. in justam detestationem sceleris fideles licitè abstinere possunt à sacrificio talis Sacerdotis. Nemo tamen tenetur abstinere, nisi Sacerdos sit notorius percussor Clerici, vel nominatim denuntiatus, tanquam excommunicatus vitandus, ut ex jure novo Concil. Constantiens. in Extravag. *Ad evitanda* docent cum aliis Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 4. n. 4. Sporer tract. 3. in 3. præcept. Decal. cap. 4. n. 26.

23 Excusantur tertio ægroti, carcere detenti, & regulariter omnes, quibus propter debilitatem corporis è lecto, vel ædibus ad alia negotia æqualis, vel minoris laboris, quàm est auditio Missæ, exire non est integrum. Laym. n. 3. Salmantic. n. 58. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 2. n. 3. Imò si talis aliquis habeat privilegium Sacrificii celebrandi in ædibus suis super altari portatili, ad hoc non obligatur. Ratio est: quia nemo tenetur uti privilegio contra legem communem. Laym loco cit. Salmantic. n. 61. Sporer n. 27. & alii. Addunt Salmantic. ex Bonac. Filliucio, & aliis, non teneri quem audire Missam, si ad hoc opus sit celebrantem conducere. Ratio est: quia hoc est medium ad satisfaciendum obligationi extraordinarium non contentum in præcepto: adeoque nulla est obligatio eodem utendi.

24 Excusantur quarto, qui sunt in navigatione; qui custodiunt castra, urbem, gregem, infantes, domum: qui inserviunt ægrotis, vel coquere debent, aut quid aliud ejus-

ejusmodi peragere, quod omitti non potest. Item, qui non habent vestes suo statui convenientes: qui timent gravem offensionem dominorum, conjugis, parentum, si Missam audiant. Deinde uxores vestigia verberum in vultu gerentes: prægnantes quoque ex occulto crimine, quod fortè in auditione Missæ ab aliis unà præsentibus notaretur. vid. Laym. loco cit. Salmantic. à n. 71. Ratio est: quia omnes hi tales laborant impotentia vel physica, vel morali; vel habent aliud sufficiens motivum, ob quod prudenter existimare possunt, se non obligari. De famulo ait Suarez apud Laym. si frequenter, & quasi ordinariè, sine causa justæ necessitatis per obsequia sibi injuncta impediatur ab auditione Missæ, debere eum, oblata opportunitate, tale ministerium abdicare, & famulatum suum alteri domino locare, apud quem Ecclesiæ præcepta servare possit. quod etiam docent Salmantic. n. 75.

25 Excusantur quinto viatores, quando, si Missam audirent, majores expensas in protectionem facere cogerentur; vel socios itineris ad sublevationem sumptuum, ostensionem viæ, sui, suorumque securitatem, aut etiam solatium longi itineris necessarios deberent amittere. Idem est, siquis occasionem navigandi esset amissurus, si in audienda Missa se detineret. Laym. loco cit. Salmantic. n. 69. Illsung ubi suprà n. 164. Quòdsi nulla te urgeat accelerandi necessitas, ante abitum debes audire Missam, nisi fortè existimes, occasionem audiendi in itinere tibi non defuturam. Laym. loco cit. Sporer n. 28. Ratio dictorum est: quia Mater Ecclesia non præsumitur filios suos obligare cum notabili difficultate vel incommodo.

Excusantur sexto procul dissiti à loco 26
Sacrificii. Ubi non tam habenda est ratio longinquitatis distantiæ, quàm personarum, sexûs, ætatis, tempestatis, consuetudinis &c. Regulariter loquendo distantiam unius leucæ, id est, horæ, volunt sufficere ad excusandum respectu peditum. Rustici tamen homines corpore validi, in tempestate serena, ob distantiam unius horæ non excusantur ab auditione Missæ: quod etiam patet ex consuetudine. Imò nec sesqui, vel duplicis horæ distantia eis videtur tribuere ordinariam, & ferè semper emanendi licentiam, ut habet Illsung loco cit. gravis tamen peccati, ut idem judicat, non sunt arguendi, quamvis sæpius emaneant.

ARTICULUS II.

De Operibus die festo prohibitis.

§. I.

De Obligatione vacandi ab operibus servilibus, & aliis quibusdam.

SUMMARIUM.

1. *Quænam opera servilia, quæ liberalia, quæ naturalia.* 2. *Omnes fideles tenentur sub mortali per totum diem festum vacare ab operibus servilibus.* 3. *Aliqua tamen ejusmodi opera tunc licita sunt ipso jure & consuetudine.* 4. 5. 6. *& seqq. Corollaria practica.* 10. *Prohibentur etiam Jure Ecclesiastico in diebus festis Mercatus, Placitum, & Juramentum.* 11. *De Mercatu attendi debet mos, & usus patriæ.* 12. *Quid intelligatur nomine Placiti.* 13. *Quodnam Juramentum sit prohibitum die festo.*

1 Opera propriè servilia dicuntur illa, quæ vel immediatè in utilitatem corporis efficiuntur, vel corporis potiùs, quàm animi viribus, & à vulgaribus communiter hominibus exercentur: ut arare, fabricari, lignari, coquere, suere &c. Opera his opposita dicuntur liberalia, quippe immediatè ad excolendum animum ceu liberam partem hominis ordinata, dignaque exerceri ab hominibus etiam non vulgaribus: ut concionari, studere, docere, cantare, scribere &c. Hæc inter dantur quædam opera veluti media, quæ naturalia dicuntur, suntque communia cunctis hominibus: ut venari, piscari, iter facere.

Dico jam primo. Hoc tertio præcepto, & quatenùs modò determinatum est ab Ecclesia, obligantur omnes fideles per totum diem festum sub peccato mortali vacare ab operibus servilibus, exceptis illis, quæ jure, vel consuetudine permissa sunt. Patet hoc Dictum ex illo Levit. cap. 23. *Omne opus servile non facietis in eo.* quod ab Ecclesia universaliter receptum esse ostendit usus, & praxis omnium fidelium. Cumque hæc obligatio ex virtute Religionis ad debitum Dei, Sanctorumque cultum sit imposita, procul dubio gravis est ex suo genere, ejusque in notabili quantitate transgressio mortale peccatum. quamvis negari à nemine possit; hîc parvitatem materiæ excusare à mortali. Hinc unâ horâ per diem festum, si absit scandalum, facere opus servile est solùm veniale peccatum, ut habet Suarez communiter receptus to. 2. de Relig. lib. 2. de festis. cap. 31. Imò per duas horas laborare serviliter non esse peccatum mortale docet communis jam sententia, quam refert, & sequitur Tambur. lib. 4. in Decal. c. 3. §. 2. n. 1. Sporer tr. 3. in 3. præcept. Decal. cap.

cap. 4. n. 58. Ratio est : quia spatium duarum horarum comparatione totius diei constantis ex 24. horis judicatur esse modicum tempus, & pars non notabilis. Itaque ultra duas horas laborans serviliter non videtur excusandus à peccato mortali, nisi justa aliqua causa interveniat.

3 Dixi autem, *exceptis illis &c.* nam ipso jure & consuetudine licita sunt die festo etiam opera servilia, quæ ad quotidianum usum, & humanæ vitæ necessitatem pertinent quæque commodè non possunt, vel solent differri, vel anticipari : qualia sunt coquere, lectos sternere, vestimenta purgare & similia. Quòdsi opera servilia sint ejusmodi, ut commodè possint, ac soleant differri, vel anticipari, diebus festis illicitè exercentur, tametsi ad quotidianum usum, & vitæ necessitatem referantur. Itaque non licet die festo, vel Dominico vestes sarcire, calceos consuere, panes pinsere &c. Vid. Sporer n. 42. Quantum verò in similibus permittat consuetudo, patebit ex dicendis.

4 Corollarium I. Opus ex se liberale, v. g. studere, docere, scribere, canere, non fit servile, dieque festo illicitum, quando exercetur propter mercedem, vel lucrum. Unde, quæ licitè exerceri possunt die festo sine mercede, vel lucro, etiam licitè exerceri possunt illorum gratiâ. Sayt. lib. 7. clav. reg. cap. 2. num. 13. Bonac. disp. 5. q. un. pu. 2. num. 26. Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 2. n. 4. Fagundez in 1. præcept. Eccl. lib. 1. cap. 10. num. 3. Ratio est : quia merces, vel lucrum non mutat naturam operis, & respectu illius se habet per accidens. Alioquin reprehensione digni & culpabiles essent Professores artium & scientiarum, dum festis diebus occupantur in parandis prælectionibus, scribendis consiliis &c. lucri, vel salarii gratiâ ; quod tamen asserere (sicut asseruit Panormitanus, & Angelus apud Laym. loco cit.) repugnat consuetudini, & communi persuasioni fidelium. Confirmatur. Opera servilia non desinunt esse servilia, dum fiunt gratis, & sine mercede : erga nec opera liberalia desinunt esse liberalia, dum fiunt propter mercedem, aut lucrum. Illud quoque impertinens esse censeri debet ad rationem operis servilis, utrùm fiat cum defatigatione, & magna contentione virium, vel non ? an brevi, vel longo rempore ? quia nihil horum mutat naturam operis.

5 II. Licitum est die festo scribere imò etiam transcribere, sive id fiat propter mercedem, sive gratis. Sayrus num. 14. Filiuc. tract. 27. cap. 9. à num. 163. Laym. num. 3. Castropal. de Observat. Festor. disp. 2. pu. 5. à num. 3. Tambur. cap. cit. §. 1. num. 6. Ratio est : quia scriptio ad artem Grammaticam pertinet, quæ prima est inter liberales. quod idem dic de transcriptione : nam & hæc quædam scriptio est. Licitum quoque est exarare notas Musicas. cùm hoc pertineat ad Musicam, quæ & ipsa inter artes liberales numeratur. Lineas tamen his notis subjiciendas seorsim ac per se ducere videtur esse prohibitum : cùm censeatur esse aliquid mechanicum. Quòdsi fiat per accidens ad notas statim, & de præsenti formandas, non est illicitum quia tunc se habet tanquam quid accessorium ad scriptionem notarum, quæ est licita. Tambur. n. 7. Sic etiam Typographis licet ordinare characteres, non tamen prelò exprimere : hoc enim est opus servile, non illud. Laym. loco cit.

6 III. Pingere die festo probabiliùs illicitum est. Ita communis sententia, quam sequuntur Filliuc. n. 168. Sayr. n. 16. Bonac. ubi suprà, n. 25. Fagundez lib. cit. cap. 11. n. 10. Castropal. n. 7. Reding to. 11. q. 8. a. 2. controv. 2. n 11. Ratio est : quia id, quod per se ac immediate intenditur ab arte pictoria, est efformatio imaginis, vel figuræ in materia externa, nempe in tela, vel tabula. Quòd autem ex tali efformatione oriatur aliqua voluptas animi, & excitetur memoria rei repræsentatæ, merè per accidens est ; sicut hoc idem per accidens est in opere artis sculptoriæ, aut fusoriæ. Unde longè alia ratio est de actione scribendi : hæc enim, tanquam expressio ipsorum conceptuum, & quædam externa locutio, per se primo refertur ad instruendum, & excolendum animum. Pingere itaque ex suo genere opus servile est. Verùm in praxi nihilominùs locum habere potest sententia contraria Laym. loco cit. & aliorum, quam approbat Tambur. n. 8. & sequitur Sporer ubi suprà, n. 45. contendens, pingere citra magnum apparatum die festo non esse prohibitum, quia probabile est, id non esse opus servile, & pictores passim sibi persuadent, suam artem esse liberalem : in quo non videntur reprehendendi. Dixi, *citra magnum apparatum* : qualis fere consistit in contritione, & mixtione colorum ; in edolatione tabularum, præparatione telarum, penicillorum : nam ista censentur servilia. Similiter tingere pannos ; colorare asseres ; dealbare parietes sunt opera servilia.

7 IV. Venari, piscari, aucupari die festo illicitum est, nisi permittat præscripta consuetudo. Fagundez à n. 16. Castropal. n. 9. Laym. n. 6. Reding n. 14. Ratio est : quia istæ actiones sunt serviles ; utpote ad usum corporis, ejusque utilitatem immediatè & per se ordinatæ ; cùm videamus easdem à brutis quoque animantibus exerceri. Dixi, *nisi permittat &c.* quia satis constat, scientibus & tolerantibus Ecclesiæ Pastoribus, jam invaluisse

consuetudinem venandi, piscandi, & aucupandi diebus festivis. Unde hæc talia tunc erunt licita; modò absit scandalum, quod ex strepitu, & tumultu eorum oriri aliquando potest.

8 V. Extra casum necessitatis, vel magnæ utilitatis bellare die festo permissum non est Filliuc. n. 175. Laym. loco cit. Fagundez n. 22. Castropal. n. 11. Reding num. 15. Ratio est: quia de se inter opera servilia refertur. Nihilominùs consuetudo etiam cruentam hanc artem ita jam cohonestavit, ut saltem absque peccato mortali liceat pugnare, militares exercitationes, lustrationes, & similia instituere diebûs festis, quamvis id nulla suadeat necessitas, vel utilitas. Eadem consuetudo licita reddit die festivo exercitia artis digladiandi, quamvis naturâ suâ servilia sint. Fagundez Castropal. locis citt. Reding n. 16.

9 VI. Non adversatur præsenti præcepto die festo iter facere, pedibus, equo, curru, navi, lectica &c. Filliuc. n. 170. Bonac. ubi suprà. Castropal. n. 12. Fagundez n. 9. Laym. n. 5. Tambur. n. 11. Reding n. 18. Ratio est: quia non est opus servile, sed naturale, & omnibus hominibus commune, sicut etiam ludere, saltare, cantare cantu tam instrumentario, quàm vocali non est opus servile. Plaustra tamen, currus, aut jumenta onusta agere operibus servilibus accensetur. hinc, sale quid inchoate die festo non est licitum: quamvis semel inchoatum continuare, si commodè abrumpi nequeat, non sit prohibitum. Laym. Tambur. locis citt. Reding n. 19. Hoc ipso quoque, quòd modis indicatis liceat iter facere, etiam licebit præstare opera, quæ ad id necessaria & conducentia, v. g. equos parare, curruì jungere, lecticam portare, in flumine, vel lacu remos ducere &c. quia accessorium sequitur naturam principalis. Laym. cit.

10 Dico ulteriùs secundo. Præter opera servilia Jure Ecclesiastico prohibitæ sunt in diebus festivis aliæ tres actiones non serviles: scilicet Mercatus, Placitum, & Juramentum. Ita communiter DD. ex cap. 1. & ult. *de Feriis.* quibus adstipulantur etiam ex civilibus *l. penult. ff. de Feriis.* & l. 1. 2. 3. & *ult. Cod. eod. tit.* Aliqui existimant, Juramentum posse reduci ad placitum; ut proinde duo tantùm genera actionum non servilium sint prohibita die festo. de quo vid. Filliuc. cap. 10. num. 177.

11 Mercatus sumitur tripliciter. Nam primo significat universales nundinas, quæ semel, vel bis toto anno ad publicum commercium celebrantur. Secundo nundinas de quibusdam rebus usualibus, quæ vulgò mercatus hebdomadalis dicuntur, & semel, vel bis in hebdomade instituuntur. Tertio ipsum actum mercandi. quo sensu complectitur omnes contractus emptionum, vel venditionum, locutionum, permutationum &c. Primus mercatus usu jam involvit etiam diebus festis. Secundus, licèt fortè alicubi non permittatur die festo, & ipse tamen per consuetudinem passim increbruit. Attendendus est igitur in præsenti mos & usus patriæ. Tertius, quamvis Jure Canonico sit prohibitus, magna tamen ex parte itidem per consuetudinem ejusmodi prohibitioni derogantem die festo ipse quoque videtur permissus. Unde constat, passim tunc fieri privatas emptiones, locationes &c. Monet autem Laym. ipsis etiam nundinarum diebus curandum esse, ut negotiationes ac nundinationes saltem non exerceantur ante rem Divinam peractam. Vid. de his Fagundez lib. cit. cap. 12. à n. 4. Castropal. pu. 6. n. 5. Filliuc. cap. 10. à n. 179. Laym. num. 6. Reding n. 9.

12 Nomine Placiti comprehenditur omnis actio, seu strepitus judicialis: nempe citatio Rei, seu partis, formatio processûs, pronuntiatio sententiæ, ejusque executio, in causis omnibus civilibus & criminalibus, à quocunque Judice sive Ecclesiastico, sive sæculari suscipiantur. Omnes istæ actiones die festo non tantùm illicitæ sunt, nisi adsit legitima excusatio, qualis esse potest casus necessitatis vel pietatis; sed etiam invalidæ. Licitum tamen est excommunicare, dispensare, Judicem privatim informare, Advocatum consulere, consilia conficere, eligere. Ratio est: quia talia non requirunt strepitum forensem. Vid. Laym n. 7. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 4. §. 2. à n. 4. Filliuc. à n. 185. Reding à n. 16.

13 De Juramento certant DD. an omne sit prohibitum die festo per *cap. 1. de Feriis?* Aliqui cum Panormit. affirmant. Alii cum Cajetano eam prohibitionem ad solum juramentum judiciale restringunt. Placet via media dicentium, illo jure prohibita esse non sola juramenta judicialia, quæ certò sunt prohibita; sed etiam extrajudicialia; non tamen omnia. Ratio est: quia in cit. cap. prohibentur mercatus, & judicium forense: ergo etiam prohibetur juramentum, quo firmatur hæc utraque actio prohita. sed juramentum assumptum ad firmandam actionem judicialem est judiciale, & assumptum ad firmandum mercatum est extrajudiciale; ergo prohibetur juramentum judiciale, & extrajudiciale. Quòd verò nullum aliud juramentum, extrajudiciale, & consequenter non omne juramentum extrajudiciale ibi prohibeatur, inde colligitur, quòd verba ejus prohibitionis intelligi debeant juxta subjectam materiam, quæ sunt solum placitum seu judicium, & mercatus, & consequenter sola juramenta his accessoria. Vid. Fagund. cap. 13. n. 29.

n. 29. Castropal. pu. 8 num. 3. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 1. a. 2. n. 169. Reding n. 13. Schapperger in Speculo Theol. cap. 3. pag. 396. Ex dictis infertur, in omnibus casibus, quibûs exerceri potest actio judicialis, vel celebrari contractus die festo, etiam posse præstari juramentum ad firmandos ejusmodi actus necessarium. Ratio est: quia concesso principali, etiam concessum esse censetur accessorium, quod in præsenti est juramentum. Castropal. n. 4. Reding loco cit. Schapperger pag. 397.

§. II.

De causis excusantibus, ob quas licita sunt opera servilia festis diebûs.

SUMMARIUM.

14. 15. 16. *Excusat necessitas tum privata, tum publica, tum proximi, sicut & pietas in eundem.* 17. *Excusat etiam pietas in Deum, sive cultus Divinus.* 18. *Excusat præterea consuetudo.* 19. *Quando causa excusans est dubia, peti debet à Superiore licentia faciendi opus servile die festo.*

14 EXcusat primo necessitas privata, saltem mediocriter gravis, conservandi, vel sustentandi vitam, tum suam, tum suorum. Ratio est: quia Ecclesia non intendit obligare ad vacandum à servilibus cum tanto gravamine: sed locum relinquit regulæ Juris: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Unde primo, excusantur pauperes, qui se; suamque familiam alere nequeunt, nisi laborent diebûs festis. modò tamen audiant Missam, laborentque secretò, ac sine scandalo. Secundo, agricolæ, dum metunt, vel fœnum congregant, vel aliter laborant ruri ob metum pluviarum, grandinum &c. Tertio, servi, & ancilla à dominis laborare jussi, idque detrectare ob metum gravis incommodi sui non audentes. Quod tamen si frequenter ac veluti per consuetudinem jubeantur, tenentur ejusmodi dominum relinquere, oblata opportunitate alicui alteri famulandi, sicut suprà in a. præced. n. 24. de auditione Missæ monuimus. Tales quoque licitè diebus festis (quod idem dic de aliis pauperibus) vestes suas resarciunt, etiam quantocunque tempore. nam aliis diebus vel non possunt, vel non sinuntur id facere. Quarto excusantur coctores laterum, vel calcis, & multò magis vitriarii, ac similes opifices, vel artifices, quorum opera semel inchoata interrumpi non possunt citra notabile damnum. Quinto sartores, & sutores, dum post mediam noctem profestorum in multum diem laborare coguntur, ut absolvant vestes promissas. Vid. Filliuc. tract. 27. cap. 11. n. 210. & 211. Bonac. disp. 5. q. un. pu. 3 n. 13. Laym. lib. 4. tr. 7. cap. 4. n. 2. Reding to. 11. q. 8. a. 2. controv. 4. n. 8.

Excusat secundo, necessitas publica. 15
Ratio est: tum, quia Ecclesia non censetur velle obligare cum incommodo publico: tum, quia necessitati publicæ multò magis est occurrendum, quàm privatæ. Atque sic excusantur primo, qui reficiunt fontes, pontes, vias, aggeres fluminum, aliave ad publicum usum pertinentia, quorum reparatio, seu restauratio sine magno incommodo differri non potest. Secundo, qui occasione publicæ lætitiæ v. g. de adventu, vel ortu principis, conficiunt vestes, struunt tabulata, ornant theatra, expediunt arma, aliaque similia præstant, quæ diebus prioribus parari non poterant. nam communia lætitiæ signa edere est etiam inter necessaria Reipublicæ. Excusantur tertio, qui Reipublicæ provident de victu, aliisque necessariis die festo, quæ commodè anticipari non possunt. Quarto, qui parant, vel comportant tormenta bellica, agunt fossas, ducunt valla ad defensionem patriæ. Vid. Fagundez de primo præcept. Eccl. lib. 1. cap. 14. n. 2; Filliuc. n. 212. & 213. Reding n. 9. & 10. Illsung tract 5. disp. 2. q. 1. a. 2. n. 171. Sporer tract. 3. in 3. præcept. Decal. cap. 4. n. 50.

Excusat tertio, necessitas proximi, & 16
pietas in illum. Ratio est: tum, quia dicitur Oseæ 1. Deum plùs velle misericordiam, quàm Sacrificium, quo loco utens Christus Matth. 22. docet, licere die Sabbathi benefacere proximo, quando id exigit ejus necessitas, dictatque pietas. tum, quia præceptô charitatis tenemur proximum diligere, sicut nos ipsos. cùm proinde ob propriam, etiam licebit ob proximi necessitatem die festo opus servile facere. Atque hinc primo, licet tunc laborare ad restinguendum incendium in alterius ædibus exortum. Secundo, licitum est Chirurgis, & Pharmacopolis medicinas conficere, quibûs tunc indiget infirmus. Tertio, licitum est diebûs festis tondere, vel radere barbas; maximè eorum, qui propter occupationes aliis diebûs non possunt accedere tonstrinam, ut rustici, opifices & similes. Quarto, licita sunt opera misericordiæ corporalia, ut sepelire mortuos, visitare infirmos, vestire nudos &c. Quinto, universaliter licita sunt omnia opera servilia, quibûs vel salus, vel vita proximi est defendenda. Vid. Filliuc. n. 214 & 215. Castropal. de Observat. Festor. disp. un. pu. 10. n. 3. Fagundez à n. 19. Sporer tract. 3. in 3. præcept. Decal. cap. 4. n. 52.

Excusat quarto, pietas in Deum, sive 17
cultus Divinus. Ratio est: tum, quia dies festi ad colendum Deum sunt instituti: ergo

opera, quæ ad Dei cultum ordinata sunt, non prohibentur his diebus. tum etiam, quia similia opera potiùs habenda sunt pro spiritualibus, quam corporalibus & servilibus. Notandum est autem, quædam opera immediatè, vel proximè ad cultum Divinum servire: quædam solùm remotè eundem respicere. Opera primi generis licita sunt die festo; non verò secundi. Itaque licitum est gestare Crucem, labara, statuas in publicis processionibus; pulsare organa, & Campanas. nam ista immediatè atque per se respiciunt DEI cultum. Præterea templum verrere, adornare, parietes templi aulæis vestire, hostias conficere, quamvis præveniri potuissent, probabiliter ob propinquitatem aliquam cum rebus sacris die festo excusantur à peccato mortali. Similiter sepulchrum Christi, ejusque præsepe exstruere: item, aras, molesque artificiosas erigere ad exponendam S. Eucharistiam; vel ad hunc finem vias publicas ornare; vel scenam exhibitioni sacræ præparare die festo non est peccatum mortale, quamvis unum quodque eorum sit veniale, si anticipari potuit. Ratio est: quia hæc habent aliquam propinquitatem ad res sacras. Unde, dum fiunt die festo, excusantur à peccato mortali, non tamen à veniali, si tunc fiant sine justa causa. Vid. Filliuc. n. 217. & 218. Castropal. n. 1. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 3. §. 2. à n. 3. Sporer loco cit. At minimè licitum est die festo ligna cædere, lapides, calcem, cæmenta comportare ad Ecclesiam, vel aram exstruendam, nisi id exigat notabilis Ecclesiæ necessitas. nam istæ actiones remotè se habent ad actualem Dei cultum. Filliuc. Castropal. Sporer locis citt.

Excusat quinto consuetudo. Ratio est: 18
quia ista, si sit rationabilis, habet vim excusandi in omnibus præceptis & legibus humanis. Ex consuetudine proinde licitum est diebus festis molere, coquere vel præparare cupedias etiam non necessarias, ut placentas, tortas, & similes cibos artificiosos. item emere, ac vendere, etiam publicè, saltem post tempus Sacrorum. denique circa vesperum festi parare materiam diebus sequentibus elaborandam, ut solent opifices. Similes consuetudines sunt propè innumeræ: quas proinde omnes investigare recensere nimis quàm operosum & prolixum esset. Optimè quisque fecerit, si, quid in patria sua usu ac moribus receptum sit, attendat. Vid. Tambur. à n. 21. Laym. lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 2. Sporer n. 56.

Quando aliqua ex causis excusantibus 19
hactenùs allatis moraliter saltem certa est (sicut esse debet, ut vim habeat in præsenti) non est opus petere licentiam, seu dispensationem à Superiore, sed tunc solùm, quando prudentis judicio est dubia, & non satis sufficiens, ut per se ipsam tollat obligationem. In hoc itaque casu recurrendum est ad Episcopum, vel in ejus absentia ad Parochum, ut dispenset, sicque faciat certò licitum in opus servile die festo incumbere. Laym. loco cit. Bonac. Disp. 5. q. un. pu. 3. n. 21. Sporer n. 57. Confessarius hîc plus non potest, quàm interdum declarare, sitne justa causa excusationis, an non. Laym. cit.

DISPUTATIO V.

De Quarto Præcepto Decalogi.

Inter Præcepta secundæ tabulæ primum locum obtinet hoc affirmativum. *Honora patrem tuum &c.* Exodi 20. Præcipitur illo principaliter, atque primariò pietas in parentes carnales. Secundariò deinde pietas in eos, qui nobis sunt locô parentum, vel majores nostri. Observantia præterea erga Superiores, & Gratitudo erga benefactores. Ex opposito autem prohibentur omnia istis contraria.

ARTICULUS I.

De Obligatione liberorum erga Parentes.

SUMMARIUM.

1. Genera officiorum pietatis erga parentes. 2. Liberi tenentur amare parentes. 3. 4. & seqq. in quibus casibus contra assertam obligationem liberi graviter peccent. 7. An filius ad sublevandam egestatem parentum teneatur non ingredi Religionem, vel egredi jam ingressus? 8. Obligationes filii ob dictam causam egressi post professionem. 9. An filius teneatur ex propriis solvere patris debita, si nulla ipsi bona reliquit

reliquit ? 10. *Liberi tenentur revereri parentes.* 11. 12. 13. 14. *Casus, in quibus liberi graviter peccent contra jam dictam obligationem.* 15. *Liberi tenentur parentibus obedire in omnibus, in quibus sunt illis subditi; & quamdiu sunt.* 16. 17. *& seqq. Deducuntur sequelæ practicæ.*

1 Officia pietatis, quæ vi quarti hujus præcepti tenentur liberi exhibere parentibus, ad tria capita reduci possunt. Primum est Amor. Secundum Obedientia. Tertium Reverentia. Decernemus igitur & declarabimus, quia amor, quæ obedientia, quæ reverentia illis, qui nos carnaliter genuerunt, debeatur. Itaque

2 Dico primo. Liberi tenentur amare parentes, id est, illis bene velle, eos non odisse, & omne malum, omnemque injuriam ab eisdem propulsare. Ratio est: quia omnes proximos, etiam inimicos, qui nobis mala vel cupiunt, vel re ipsa inferunt, diligere tenemur: ergo etiam, & quidem à fortiori, parentes, qui nobis sunt maximè proximi, & à quibus tam multa bona accepimus. Absit tamen, ut in amore nostro parentes Deo præferamus: cùm id prohibeat Christus Matth. 9. illis gravissimis verbis: *Qui amat patrem aut matrem plùs, quàm me, non est me dignus.*

3 Contra assertam obligationem filius mortaliter peccat primo, si parentes odio habeat illis seriò ac deliberatè volendò aliquod grave malum animæ vel corporis: vel gaudendo de tali malo ipsorum. Sayrus lib. 7. Clavis reg. cap. 5. n. 7. Filliuc. tract. 28. cap. 1. n. 5. Bonac. disp. 6. q. un. p. 3. n. 3. Ratio est: quia graviter repugnat lumini naturæ illis, qui nos maximo amore prosequuntur, seriò, & ex animo malè velle.

4 Peccat secundo mortaliter, qui parentes suos torvis oculis aspicere, vel ita asperè alloqui solet, ut eos odisse videatur, etsi fortassis internè diligat. Sayr. n. 8. Bonac. loco cit. Ratio est: quia parentibus non solùm debetur amor internus, sed etiam externus, sive externa significatio amoris. Pietas erga parentes nequidem vultu lædenda est, ait S. Ambrosius apud Sayr. loco cit. Accedit, quòd ejusmodi cruda liberorum inhumanitas parentes valdè contristare soleat.

5 Peccat mortaliter tertio, qui parentibus in necessitate spirituali non succurrit, vel positivè impedit bonum illorum spirituale. Exempla sunt, si filius suâ negligentiâ in causa est, ut pater, aut mater moriantur sine Confessione peccatorum, aliisve Sacramentis, quibus procurari solent moribundi. Si eos sine justa causa prohibeat, ne Testamentum condant; ne pia legata, vel eleemosynas faciendas relinquant, aliáve pro salute animæ disponant. Si, quando est hæres, eorundem legata, debita, aut alia, quæ in Testamento, vel ultima voluntate ordinarunt, cùm primùm fieri potest, non persolvat, vel exequatur, aut omnino exequi intermittat. Sayr. n. 14. Bonac. pu. 5. n. 2. Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 2. §. 2. n. 5. & 6. Sporer tract. 3. in 4. præcept. Decal. cap. 5. n. 9. Ratio est: quia filii tenentur parentes diligere; cui obligationi nequaquam satisfaciunt, imò gravitèr adversantur, quando in memorata necessitate eorum bonum spirituale vel deliberatè non procurant, vel injustè impediunt.

6 Peccat mortaliter quartò, qui pro viribus suis non sublevat gravem necessitatem parentum corporalem: qualis est, dum vel mendicando, vel exercendo artem, officium, laborem statui suo indecorum coguntur victum quærere. Sayr. n. 15. Bonac. loco cit. Tambur. n. 10. Sporer loco cit. & alii communiter cum D. Thoma, 2. 2. q. 101. a. 2. & q. 122. a. 5. ad 3. Ratio est: quia jus naturæ dictat, cuilibet nobis benefacienti esse reciprocè benefaciendum à nobis, idque maximè in necessitate. quis autem secundùm Deum erga nos beneficentior, quàm parentes? *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses; & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Eccl. 7. Quòdsi parens exercitiò artis, vel muneris statum suum non dedecentis sustentare se possit, aut filius non aliter succurrere, quàm exercendò artem statui suo indecoram, cessat memorata obligatio. Ratio est: quia in prioti casu patens non censetur pati gravem necessitatem: in posteriori filium meritò excusat tantùm incommodum: vid. Tambur. n. 11. Sed nunc ulteriùs

7 Quæstio oritur primo, an filius, ut sublevet paupertatem parentum, teneatur non ingredi Religionem, vel egredi jam ingressus? Respondeo primo, si paupertas, sive necessitas parentum sit extrema, filius non potest ingredi Religionem, sed tenetur eis subvenire manendo extra Religionem, etiamsi vovetit ingredi. Ita D. Thomas q. cit. a. 4. ad 4. Sayr. cap. 6. n. 3. Filliuc. tr. 28. cap. 1. n. 8. Bonac. n. 4. & 5. Sporer loco cit. Ratio est: quia obligatio præcepti Divini naturalis, ex quo liberi tenentur subvenire parentibus, præferenda est cuivis operi voluntario & libero, quantumcunque laudabili & sancto. Votum quoque, cùm sit de re alteri obligata, scilicet parentibus non est licitum id hoc tali casu. Sayr. cit.

Respondeo secundo. Filius jam ingressus, vel professus Religionem, invitis parentibus ob extremam suam necessitatem, tenetur egredi ad illis subveniendum. Ita Valentia to. 3. disp. 7. q. 1. pu. 2. colum. 2086. Filliuc. n. 9 Bonac. n. 7. & DD. communiter. Ratio est: quia utique filius Religiosus debet tunc præstare parent-

parenti, quod teneretur præstare cuivis alteri proximo: sed cuivis alteri in extrema necessitate constituto teneretur subvenire, etiam invitô Prælatô, si posset, & nemo alius vellet subvenire.

Respondeo tertio. Filius in gravi necessitate parentum non tantùm non potest ingredi Religionem, sed etiam tenetur egredi jam professus, si aliter eisdem subvenire nequeat. Ita Lessius de Just. lib. 2. cap. 41. dubit. 3. n. 34. Valent. colum. 2088. Filliuc. n. 9. Sporer loco cit. Ratio primi est: quia tunc similiter urget jus naturæ, ut succurrat parentibus. quod idem dic de parente, si filius talem necessitatem patiatur. Ratio secundi est: quia non poterat ingredi Religionem, nec profiteri, obligatione subveniendi pauperibus jam contracta. Less. loco cit. ubi etiam advertit, & docent alii, erga fratres & sorores non esse hanc obligationem differendi, aut omittendi statum Religionis, vel egrediendi ex illa, ut eis subveniatur in gravi necessitate: cùm inter illos nulla sit dependentia, sicut inter parentes, & liberos.

Respondeo quarto. Si parens post professionem filii primùm incidit in gravem egestatem, filius non tenetur egredi in sæculum; imò nec potest citra licentiam Prælati. Ita D. Thomas loco cit. Less. Filliuc. Sporer locis citt. Bonac. n. 7. Ratio est: quia res semel tradita potestati alicujus non potest tradi alteri sine consensu ejus, in cujus jam potestate est, nisi id exigat extrema necessitatis. unde, si Ecclesiæ donâsses summam pecuniæ, non posses eam auferre propria auctoritate, ut ex ea subvenires patri in gravi tantùm necessitate existenti. Atqui filius, ejusque obsequia per sacram professionem jam sunt tradita Religioni, & potestati Prælati: ergo. Bonac. loco cit.

8 Cæterùm filius post professionem Monasterio egressus ad subveniendum parentibus tenetur retinere habitum Religionis, nisi fortè in eo non possit subvenire. Tenetur insuper servare vota substantialia Religionis, aliaque ejus præcepta majoris momenti. Ratio est: quia per ejusmodi egressum non eximitur ab obligationibus contractis in professione: quæ valida est, etiamsi emissa fuerit existente jam necessitate parentum, sive extrema, sive gravi tantùm, ut ex communi advertunt Salmantic. tom. 4. tract. 15. cap. 3. pu. 3. n. 50. Tenetur denique sublata necessitate parentum statim redire in Religionem, seu Monasterium, ubi professus est. Ratio est: quia cessante causa vivendi in sæculo non est ei licitum ibi vivere ulteriùs. Sayr. n. 19. Filliuc. n. 10. Bonac. n. 9.

9 Quæritur secundo, an filius, cui pater nulla bona reliquit, teneatur ex propriis solvere ejus debita, v. g. pecuniam mutuam à patre acceptam, præsertim illam, ex qua sustentatus fuit idem filius? Respondeo, non teneri. Ita Tambur. lib. 5. Decal. cap. 1. §. 2. num. 7. Sporer n. 11. ex communi Theologorum. Ratio est: quia obligatio solvendi mutuum est personalis, cùm igitur non filius, sed pater mutuum acceperit, filius non habet obligationem solvendi illud. Huc accedit specialiter, quod pater naturali jure teneatur alere filium, isque jus habeat exigendi à patre alimenta: ergo obligatio solvendi pecunias mutuò acceptas ad alendum filium unicè cadit in patrem, & nunquam in filium.

Dico jam secundo. Omnes liberi tenen- 10
tur suis parentibus exhibere convenientem reverentiam. Patet hoc Dictum tum ex verbis ipsius Præcepti: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* tum ex jure naturæ, cui hoc præceptum Decalogi innititur. Potest autem reverentia alicui exhiberi tam actu interno, quàm actu externo. Reverentia interna præcipuè in eo sita est, quod quis alterum recognoscat tanquam superiorem, majorem, aut excellentiorem; & consequenter timorem quemdam reverentialem erga eundem concipiat. Externa consistit tum in verbis, ut nempe de tali aliquo honorificè loquamur: tum in aliis signis & factis externis: cujusmodi sunt caput detegere, assurgere, locum nobiliorem cedere; ab omni injuria, damnoque eidem inferendo se continere &c. Omnibus his modis tenentur filii revereri parentes. Ex quibus

Infertur primo, mortaliter peccare fili- 11
um, qui parentes percutit etiamsi levis sit percussio. Ratio est: quia Exodi 21. dicitur: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Percussio quoque ex se levis, dum parentem illâ petit filius, gravis injuria & irreverentia communi hominum judicio existimatur. Quod idem dicendum est, si filius non percutiat quidem, sed tamen manum deliberatè elevet ad percutiendum. Sayr. lib. 7. clavis reg. cap. 5. n. 2. Filliuc. cap. cit. n. 17. Bonac. pu. 2. n. 4. Tambur. n. 12.

Infertur secundo, eum quoque peccare 12
mortaliter, qui ex deliberato animo parentes suos verbis contumeliosis proscindit, probris, convitiis lacerat, & ad notabilem iracundiam provocat. Ratio est: quia in materia gravi hoc quartum præceptum transgreditur. Unde illud Exod. 21. & Levit. 20. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: Patri, matrique, qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum.* Idque procedit, sive parentibus vivis quis maledicat, sive defunctis. Sayr. n. 3. Bonac. n. 3. Tambur. n. 13. Dixi, *deliberatô animô.* nam propter imperfectionem deliberationis ejusmodi irreverentia in parentes aliquando excusari potest à peccato mortali. Dixi, *ad notabilem iracundiam provocat*, quod intellige per verba ex se provocativa ad gravem iracundiam. nam si verba

ex

ex se non sint talia, & pater illis autis tamen graviter irascatur, eò quòd sit extraordinariè cholericus, tunc non peccati mortaliter à filio, docet ex Toleto Sayr. loco cit. contrarium tamen tenet Bonac. n. 4.

13 Infertur tertio; peccati mortalis reum esse filium, quem pudet suorum parentum; ita ut cum aliquo contemptu eorum existimet, sibi fore dedecori, si pro filio illorum habeatur: quod sanè sæpe contingit, quando tenues, vel pauperes natales sortiti ad dignitates evehuntur. Ratio est: quia ejusmodi fastus & contemptus in filio gravitet contristare solet parentes. Unde etiam talibus filiis graves pœnas imprecatur S. Scriptura: ut Proverb. 19. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.* Proverb. 30. *Oculum, qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Potest tamen filius, dum exteriùs tantùm & absque contemptu aut odio interno dissimulat suos parentes, vel negat esse suos, quandoque excusari à mortali peccato; nempe, dum id facit ad evitandum grave aliquod suum damnum, quod incurreret, si parentes noscerentur: vel erga parentes infami aliquo crimine notatos, ut hæresi, proditione, & hujusmodi; vel publico supplicio affectos. Vid. Sayr. n. 4. Filliuc. n. 6. Bonac. loco cit. Tambur. n. 17. Sporer tract. 3. in 4. præcept. Decal. cap. 5. n. 31. ubi non audet assentiri Tamburino inter causas à mortali excusantes recensenti etiam metum erubescentiam filii. sed neque ego assentiri audeo; cùm nequaquam videatur tam grave incommodum.

14 Infertur quarto, filium non posse sine peccato mortali in judicio accusare parentes, sive civiliter, sive criminaliter etiam de crimine verè perpetrato ab ipsis. Sayr. n. 5. Filliuc. n. 17. Tambur. n. 14. Sporer n. 32. Ratio est; quia ob reverentiam parentibus jure naturæ debitam id omni lege prohibitum est, sicut & testem agere contra eosdem. Excipitur tamen casus læsæ majestatis Divinæ, scilicet hæresis, & humanæ per conjurationem in Principem, vel proditionem ejusdem. At potest nihilominùs filius à patre injustè læsus, v. g. alimentis privatus, nudè ac simpliciter implorare officium Judicis. ad hoc enim remedium confugere tunc jus naturæ permittit.

15 Dico tertio. Liberi tenentur parentibus obedire in omnibus rebus, in quibus, & quamdiu illis sunt subditi. Ità omnes DD. communiter. Præcipitur quoque ab Apostolo ad Ephes. 6. scribente: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino.* Patet insuper exemplò Christi, qui *erat subditus illis*; id est, parentibus, Luçæ 2. Et demum ex eo, quòd mandata parentum habeant vim legum non minùs, quàm præcepta Principum. vid. Bonac. pu. 4. n. 1. Atque hanc obligationem ex genere suo esse gravem & sub mortali; ità ut filius semper peccet mortaliter, quando in re gravi circa ea, in quibus est subditus parentibus, deliberatè non obedit, certum est apud omnes: idque manifestè colligitur ex gravissima pœna, qua Deus puniri jussit ejusmodi filium, Deuter. 21. nam dicitur ibi: *Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri.* Hinc

Sequitur jam primo; filium mortaliter 16
peccare, si non obediat in iis, quæ pertinent ad domesticam gubernationem, quando nempe materia est gravis, idque præsertim, si parere detrectet ex contemptu, vel contumacia. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 104. a. 5. Sayr. n. 9. Filliuc. n. 20. Bonac. pu. 4. n. 2. Tambur. n. 18. Intelligenda autem hæc sunt, sicut, & sequentia, si parens expressè ac serio præcipiat: nam si solùm admoneat, vel hortetur filium, quamvis iteratò, isque non obsequatur, non erit peccatum mortale speciale inobedientiæ specialiter exprimendum in Confessione, & poterit esse solùm veniale, vid. Tambur. loco cit. Sporer n. 14.

Sequitur secundo, similiter peccare fi- 17
lium, si non obediat in his, quæ pertinent ad bonos mores, & salutem animæ: ut, si contra prohibitionem patris non relinquat ptava consortia, meretrices, ganeas, impudica specula, sive comœdias, ludos veritos &c. Ratio est: quia, quantum ad disciplinam morum filius subjectus est patri; adeoque graviter peccat in his præcipienti non obediendo, nisi fortè excusét parvitas materiæ. vid. Sayr. n. 10. Filliuc. Bonac. Tambur. locis citt. Sporer n. 18.

Sequitur tertio; non esse immunem à 18
peccato mortali filium, si volens inire matrimonium ducat uxorem se indignam, contra voluntatem patris, vel absque justa causa nolit eam ducere, quam parens ducendam præcipit: præsertim, quando per tale matrimonium subveniretur gravi cuidam necessitati: v. g. si tollerentur capitales inimicitiæ inter familias; si parens magno ære alieno liberaretur. Ratio est: quia tunc quantum ad materiam matrimonii censentur liberi subjecti parentibus. vid. Sayr. n. 12. Filliuc. loco cit. Sporer n. 26. Dixi, *absque justa causa*: nam tali aliqua subsistente filius non tenetur hîc obedire parentibus: ut, si puella esset ex impari familia; si valetudinaria; deformis, stupida, immorigera. Dixi; *si ducat indignam*: quia neque filius, si ducat dignam, neque filia, si nubat indigno contra voluntatem parentum peccat mortaliter, si nullum grave incommodum inde sequatur. imò

imò ne venialiter quidem peccant, si priùs à parentibus facultatem petierint, etsi non impetraverint. Filliuc. loco cit. Sporer n. 27.

19 Sequitur quarto contra Sanchez lib. 4. de Matrim. disp. 23. n. 9. liberos non peccare mortaliter, quando in eligendo, aut ineundo matrimonio consilium parentum petere negligunt. Ratio est: quia non apparet, unde tam gravis oriri debeat obligatio ad petendum præcisè consilium, quod nemo sequi tenetur. Deinde, si consilio opus sit, nonne filius, aut filia id exigere potest ab aliis prudentioribus, quàm sint parentes? ad quid ergo tunc consilium parentum? Fatendum quidem est, decens esse, ut in tali negotio requirantur, ac consulantur parentes; sed quemquam ad hoc teneri sub mortali, non credo, esse hactenùs sufficienter probatum. vid. Tambur. §. 3. n. 6. Sporer n. 25.

20 Sequitur quinto, filium, aut filiam non teneri obedire parenti in rebus pravis & malis. v. g. si pater præcipiat filio, ut furetur, mentiatur, hæreticorum conciones audiat: vel mater filiæ, ut suam pudicitiam prostituat. Ratio est: tum, quia in istis liberi non sunt parentibus subditi. tum, quia hîc Deo talia prohibenti obediendum est, non hominibus præcipientibus. tum, quia nullus Legislator potest quemquam obligare ad aliquid jure naturali, vel Divino prohibitum: ergo nec parens: nisi fortè ob supervenientem justam causam cessante prohibitione cesset malitia rei prohibitæ; quod tamen hîc non supponitur. vid. Sayr. n. 11. Bonac. loco cit.

Sequitur sexto, liberos non peccare, dum 21
non obediunt parentibus in eligendo, & amplectendo statu vitæ. Ita communissimè DD. Ratio est: quia in eligendo vitæ statu quilibet naturaliter liber est, & esse debet: unde parentes nihil habent, quod hîc præscribant; sed graviter peccant, quando filios compellunt directè, vel indirectè ad aliquem statum, sive is sit Matrimonii, sive Clericatûs, sive Religionis. Quare si filius animadvertat, se vocari à Deo ad Clericatum, vel Religionem, potest insciis, & non consultis parentibus amplecti ejusmodi statum. Imò melius facit totam rem celandò parentes, quando timet, ne directè, vel indirectè ab iisdem impediatur. Quòdsi cognito hoc tali proposito ex carnali affectu, aliáve injusta causa repugnent, filius, aut filia non patiatur se dimoveri ab eo, quod semel elegit, sed dictum sibi putet illud S. Hieronymi ad Heliodor. *Per calcatum perge patrem; per calcatam perge matrem; ad vexillum Crucis evola. summum genus pietatis est in hac re esse crudelem.* vid. Sayr. Bonac. locis citt. Sporer à n. 19.

ARTICULUS II.

De Obligatione Parentum erga liberos.

SUMMARIUM.

1. Cur nulla de Obligatione parentum erga liberos mentio fiat in Decalogo? 2. Parentes graviter obligantur ad liberos diligendos & conservandos. 3. 4. & seqq. declaratur ampliùs hæc obligatio per Corollaria practica. 7. Parentes sub gravi peccato tenentur liberos honestè educare, bonisque moribus imbuere. 8. 9. 10. Amplior declaratio hujus obligationis. 11. Graviter peccant parentes, dum filiis, aut filiabus non relinquunt liberam electionem statûs vitæ.

1 DE hac obligatione nulla fit expressa mentio in 4. Præcepto Decalogi, sicut fit de obligatione liberorum erga parentes. nam multò fortior est naturalis parentum inclinatio ad curam prolium, quàm istarum ad honorandos parentes. unde sicut non opus fuit ferre præceptum de amore sui, sed de amore proximi, cùm ad amorem sui sufficienter inclinet natura ipsa, ita mirum non est, quòd nullum fuerit latum præceptum diligendi liberos; quale tamen ferre necesse fuit de honore & amore exhibendo parentibus. Nunc pro explicanda obligatione parentum

2 Dico primo. Parentes graviter obligantur ad liberos diligendos, & conservandos. Ratio petitur ex ipsis visceribus juris naturalis, & titulo generationis, qui est omnium fortissimus. cùm videamus etiam bruta animalia hinc instigari, ut fœtus suos diligant, eisque conquirant & subministrent necessaria ad vivendum, donec ad eum statum pertigerint, in quo sibiipsis possint prospicere. Atque ex his

2 Colligitur primo, graviter peccare patrem, quando absque justa causa filio, etiam spurio, denegat alimenta. Veniunt autem nomine alimentorum victus, vestitus, habitatio, lectus, medicinæ, & quæ pertinent ad disciplinas, honestasque artes addiscendas, ut ex communi DD. habet Filliuc. tract. 28. cap. 2. n. 27. Hæc igitur omnia à patre debentur filio, juxta conditionem & statum illius, ac morem patriæ. ubi vides, alimenta deberi liberis non tantùm secundùm naturam, sed etiam secundùm statum: quia secundùm utrum-

utrumque sunt eis necessaria ad vitam congruè & honestè agendam; & consequenter præbenda à patre: nisi aliunde suppetant. Quod addo: quia, si filius, aut filia sit dives, vel aliis modis sibi consulere facile possit, pater non tenetur dare alimenta. Quia jus naturæ minimè dictat, cuiquam esse ab alio prospiciendum de alimentis, quando vel ipse habet, vel facilè procurare potest. Bonac. in præs. disp. 6. q. un. pu. 2. §. 1. n. 2: Tambur. lib. 5. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 1. Quando pater est Clericus, tunc etiam ex fructibus Ecclesiasticis, si aliter non possit, spurios suos alere tenetur. Cùm enim jure naturali obligetur alimenta præstare liberis, nec habeat, unde præstet, præterquam in bonis Ecclesiasticis, sicut supponitur, ex his præstare debet. Filliuc. n. 31. Tambur. n. 6.

3 Colligitur secundo, tantopere patrem obligari ad alendum filium, ut ea obligatio etiam se extendat ad casum, quo filius authoritate Principis, vel Reipublicæ proscriptus, vel potestate Ecclesiastica excommunicatus est. Filliuc. n. 29. & 34. Bonac. loco cit. Sporer tract. 3. in 4. præcept. Decal. cap. 5. n. 41. Ratio est: quia edictum Principis, vel censura Ecclesiastica non tollit obligationem jure naturæ impositam: atqui obligatio alendi filium jure naturæ patri imposita est; ergo. Ob eandem rationem pater alere tenetur filium ejectum ex Monasterio vel Apostatam, aut hæreticum: quia nempe neque professio Religiosa, neque ullum crimen extinguit obligationem naturalem alendi filium in necessitate.

4 Colligitur tertio, parentes mortaliter peccare, quando absque justa causa prolem hospitalibus, vel locis publicis exponunt. Sayr. lib. 7. clavis Reg. cap. 7. n. 5. Bonac. n. 6. Sporer loco cit. Ratio est: tum, quia videntur prolem deserere, & à se abdicare, quod graviter repugnat naturali pietati: tum, quia probrosum & ignominiosum reputatur esse expositum, & ali in domo hospitali, sive orphanotrophio: Dixi, *absque justa causa*, scilicet veræ necessitatis, vel periculi gravis infamiæ. Hac enim tali subsistente non peccant tunc parentes. Observanda tamen erunt ab illis tempus, locus, & alia, ut saluti expositi infantis debitè consulatur, ut monet Filliuc. n. 21.

5 Colligitur quarto, matrem teneri proprio lacte nutrire prolem; adeoque peccare, quando absque justa causa id non facit. Sayr. n. 6. Filliuc. n. 43. Tambur. §. 2. n. 1. Ratio est: quia matres naturali instinctu jubentur sic alere propriam partum: cùm bruta quoque id faciant. Excusantur tamen à gravi peccato: quia proles non censetur pati grave damnum, si lacteturab alia, quàm à matre. Hæc si lacte careat, vel ob justam causam non possit lactare, tenetur sub mortali peccato infanti prospicere de bona nutrice, omniáque necessaria subministrare usque ad triennium. Quo exacto onus alendi filium, vel filiam transit ad patrem: nisi idem sit pauper, & impotens ad alendum: tunc enim in alendo pergere tenebitur mater. Sayr. loco cit. Filliuc. n. 42.

6 Colligitur quinto, parentes esse obligatos ad mediocrem saltem industriam acquirendi bona, ex quibus liberi alantur juxta proprium statum, & post mortem eorum sufficienti hæreditate potiantur. Bonac. pu. 6. n. 6. Sporer n. 42. Ratio sumitur ex eo, quòd sicut parentes ex dictis obligantur ad conservationem liberorum, ita etiam obligentur ad procuranda media eosdem conservandi, & sustentandi. Unde etiam dicit Apostolus 2. Corinth. 12. *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.* Contra hanc obligationem peccant parentes non tantùm per defectum diligentiæ in administrandis bonis temporalibus, sed etiam per excessum, dum nimio studio & cupiditate prospiciendi prolibus per fas & nefas corradunt divitias. Vid. Sporer loco cit.

7 Dico secundo. Parentes graviter obligantur ad liberos honestè educandos, bonisque moribus imbuendos, sive per se, sive per alios. Ita communis & certa doctrina. Ratio est: quia homini, ceu creaturæ rationali ad finem supernaturalem elevatæ non tantùm debetur educatio corporalis, & adesse naturæ, de qua jam egimus, sed etiam spiritualis in ordine ad finem memoratum supernaturalem, sive æternam beatitudinem.

8 Itaque tenentur parentes primo, liberos instruere, vel instrui curare in omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem: cujusmodi sunt articuli Fidei, Sacramenta, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; sicut & varia pietatis exercitia omnibus fidelibus communia. Deinde in cultu virtutum, iisque omnibus, quæ ad honestè vivendum in humana societate, juxta morem patriæ, & conditionem status judicantur necessaria. Vid. Sayr. n. 1. & 3. Bonac. n. 2. Ratio est: quia juxta Apost. 1. ad Timoth. 5. *Qui suorum curam* (utique præcipuè in spiritualibus) *non habet, est infideli deterior.*

9 Tenentur secundo, liberis præire bonis morum & operum exemplis, idque maximè cavere, ne pravè vivendo eisdem sint causa, vel occasio peccatorum, malorumque morum contrahendorum. *Memento te vos parentes* (scribit S. Hieronymus ad Lætam)

magis exemplo docere filios, quam voce. Nihil inte & in patre suo videat, (filia tua) *quod, si fecerit, peccet.* Vid. Filliuc. ubi supra n. 22. Sporer n. 45.

10 Tenentur tertio liberos delinquentes & inmorigeros seriò, discretè tamen, & prudenter, castigare & corripere. Ratio est: quia dicitur Proverb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Et cap. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum; & animam ejus de inferno liberabis.* Dixi verò, *discretè & prudenter.* Nam modum excedere, nimiúmque hîc esse severum plurimùm obest, paritque in filiis pusillanimitatem, desperationem, & odium parentum; sicut nimis esse facilem, dissolutum, & remissum in castigando parit contemptum. Hinc monet Apostolus ad Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Vid. Sayr. n. 3. Bonac. n. 5. Sporer n. 46.

Corollarium. Mortaliter peccant parentes, qui filios, vel filias sine justa causa retrahunt à Religione, vel ab eadem impediunt. Item, qui volentes inire matrimonium cogunt amplecti Religionem, aut volentes ingredi Religionem compellunt ad nuptias. Demum, qui ob pravum finem filiabus indulgent amatores, suspecta consortia, vel licentiam pro libitu vivendi turpiter. Ratio est: quia his modis vel graviter violant obligationem liberos imbuendi bonis moribus, vel eisdem grave damnum inferunt in libertate eligendi statum vitæ, quæ libertas vel maximè pertinet ad salutem cujusque spiritualem. Vid. Sayr. n. 1. & 4. Filliuc. Sporer locis citt. 11

ARTICULUS III.

Resolvuntur nonnullæ quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

12. Ad quid teneatur maritus erga uxorem? 13. In quibus casibus idem graviter peccet contra suam obligationem? 14. Ad quid teneatur uxor erga maritum. 15. Quæ sit obligatio tutoris erga pupillum & vicissim? 16. Quæ famulorum erga dominos & econtra? 17. Dominus juste subtrahere potest mercedem famulo ægrotanti, quamdiu ægrotat. 18. 19. Explicatur obligatio Magistrorum ac Præceptorum erga discipulos, & istorum erga illos.

12 QUæritur primo, ad quid teneantur conjuges erga se mutuò vi Quarti hu-
3 jus præcepti? Respondeo primo. Maritus tenetur uxorem amare, revereri, eique obedire in iis, in quibus eidem subjectus est. Ratio primi est: quia conjuges juxta doctrinam Christi apud Matth. 19. sunt *duo in carne una.* Unde *viri debent diligere uxores suas, & corpora sua*, ait Apostol. ad Ephes. 5. Ratio secundi est: quia uxor habet propriam quandam excellentiam, & aliqualem superioritatem in virum. Ratio tertii est: quia quilibet tenetur obedire illi, cui subjectus est, & in quantum subjectus est. Vir autem uxori subjectus est quoad redditionem debiti conjugalis, non minùs, quàm illa viro.

13 Itaque maritus graviter peccat primo, si in uxorem dicat verba infamatoria, aut dehonoratoria, v. g. vocandò adulteram, veneficam, in iis circumstantiis, in quibus infamia vel re ipsa sequitur, vel adest probabile ejus periculum. Sayr. in Clavi reg. lib. 7. cap. 7. n. 9. Secundo, si absque causa justa illam impediat ab impletione præceptorum Dei, vel Ecclesiæ. Si sic impediat circa opera consilii, peccat solùm venialiter, nisi constet, eam ex illis magnam utilitatem percipere. Sayr. n. 7. Bonac. disp. 6. q. un. pu. 7. n. 2. Tertio. Si graviter cædat. Moderatè castigare non tantùm verbis, sed etiam verberibus, quando verba nihil proficiunt, idque fit ob gravem causam, non est illicitum. Habenda tamen est ratio conditionis & status personæ. Sayr. n. 8. Filliuc. tract. 28. cap. 9. n. 140. Quartò, Si alimenta neget, vel de illis, cùm possit, non prospiciat. Quod intellige, nisi mulier propriâ culpâ ab ipso discesserit. Bonac. n. 3. Quinto. Si uxori non cohabitet, vel sine justa causa absit per longum tempus. Justa verò causa etiam longæ absentiæ esset negotium alicujus momenti, v. g. expeditio bellica, functio legationis; mercatura in longinquis regionibus necessatio exercenda, idque vel Reipublicæ causâ, vel ad sustentationem suæ familiæ. Filliuc. n. 142. Sporer tract. 3. in 4. præc. c. 5. n. 68. Sexto. Si negligat gubernationem familiæ, & administrationem rei domesticæ. Filliuc. n. 142. Sporer n. 71. Ratio omnium istorum est: quia in singulis casibus recensitis graviter lædit obligationem, quam habet erga uxorem.

Respondeo secundo. Uxor tenetur similiter diligere, & revereri maritum, eique obedire in illis, in quibus subjecta est. Ratio petenda est ex iisdem capitibus, ex quibus prio- 14

priorem responsionem probavimus. Contra amorem marito debitum uxor graviter peccat, si inopi, dum ipsa dives est, non ministret alimenta. Bonac. n. 12. Contra reverentiam peccat, si maritum jurgiis, rixis, verbisque contumeliosis ad gravem iracundiam provocet; vel, quod indignius est, omnino verberet. Sayrus n. 10. Contra obedientiam peccat, si sequi nolit jussa mariti in iis, quæ ad bonos moros, & gubernationem familiæ pertinent. Si invitô maritô gubernacula familiæ arripiat, seque absque justa causa in administrationem domûs ingerat. Vid. Sayr. n. 10. Bonac. loco cit. Filliuc. n. 144. & 147. Dixi, *absque justa causa*. Qualem haberet v. g. si vir esset prodigus, & dilapidaret bona familiæ. Si itidem absque justa causa debitum deneget. Quod idem intellige vicissim de marito. Sporer n. 69.

15 Quæritur secundo; quæ sit obligatio tutoris erga pupillum, & pupilli erga tutorem? Respondeo primo. Tutor tenetur pupillum amare, ejusque curam gerere in corporalibus & spiritualibus: nempe, ut eundem piè, ac honestè educet, ejusque bona administret; idque tali diligentia, ac solertia, qualem gnavus paterfamilias solet adhibere in propriis rebus. Quod posterius etiam ad curatorem extendendum est. Vid. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 9. n. 1. Ratio est: quia tutor ex officio obtinet locum parentum pupilli: ergo contrahit eandem obligationem erga eundem, quam habebant parentes. Unde mortaliter peccat, quando in officio suo notabilem negligentiam admittit. Imò si bona pupilli vel ipse dissipet, vel suâ culpâ perire sinat, tenetur ad restitutionem. Sporer n. 63. Respondeo secundo. Pupillus tenetur amare, & revereri tutorem, eique obedire in omnibus, in quibus illi vi tutelæ subjectus est. Ratio est: quia hæc eadem tenebatur præstare parentibus.

16 Quæritur tertio, quæ sit obligatio famulorum erga dominos, & dominos erga famulos? Respondeo primo. Famulis aliquo modo eadem obligatio incumbit erga dominos, seu heros, quæ liberis erga parentes: adeoque tenentur illis exhibere reverentiam, amorem, & fidele obsequium. Ratio est: quia hæc expresse præcipit S. Scriptura ad Ephes. 6. ubi dicitur: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus.* Eadem inculcantur ad Tit. 2. & 1. Pet. 2. Peccant itaque famuli pro ratione materiæ mortaliter, vel venialiter, quando otiantur; non laborant fideliter; dominos ad iracundiam provocant, eisve damnum inferunt, vel inferri patiuntur, cum possint impedire. Item, si eisdem non obediant. Si famulatum deserant ante terminum elapsum. Vid. Filliuc. tract. 28. cap. 3. q. 10. & tract. 36. cap. 6. q. 9. Sayr. lib. 7. clav. reg. cap. 8. n. 12. Sporer n. 75.

Respondeo secundo. Dominus sive herus tenetur curam habere famuli, id est, prospicere ejus saluti, tum corporali, tum spirituali, quamdiu est in famulatu. Habetur ex illo Apost. 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Et ratio est: quia est ejus caput, & quodammodo parens: adeoque eadem ferè tenetur ipsi præstare, quæ tenentur parentes. Domini proinde sub gravi peccato tenentur primo, famulos non impedire ab observatione præceptorum Ecclesiæ. Secundò, non injungere, quæ sine peccato fieri nequeunt. Tertio, non permittere occasionem peccandi, si possint impedire. Quarto graviter delinquentes corrigere. Quinto, dum negligunt necessaria ad salutem, monere & corrigere. Sexto, præbere alimenta eorum conditioni congruentia. Septimo, solvere justam mercedem, nec solutionem differre absque rationabili causa. Octavo, non dimittere ex famulatu ante elapsum terminum, nisi gravissima causa subsit hoc faciendi: cujusmodi est v. g. si famulus verbis, exemplis, praviisque moribus suis liberos, aliosque domesticos corrumpat, nec emendetur, etiam reprehensus & castigatus. In quo casu domo ejiciendus est non exspectato termino famulatûs. Vid. Sayr. n. 11. Filliuc. cap. 4. à n. 79. Sporer loco cit.

17 Corollarium. Dominus justè subtrahere potest mercedem famulo ægrotanti, quamdiu ægrotat. Filliuc. n. 84. ubi testatur, esse communem & receptam sententiam. Ratio videtur esse: quia revera per famulum stat, quominùs præstet suas operas, licèt absque sua culpa non præstet. Quod non debet cedere in præjudicium domini; sicut cederet, si teneretur solvere mercedem non laboranti, quamdiu non laborat. Neque obstat *cap. 1. de Cler. ægrot.* ubi ægrotanti quoque decernuntur distributiones beneficii. Respondetur enim, congruè id factum esse ab Ecclesia, ne alii à ministerio Ecclesiastico absterrerentur. Unde nihil hinc evinci potest in favorem famulorum. Vid. Filliuc. loco cit.

18 Quæritur quarto, quæ sit obligatio Magistrorum, Præceptorum erga discipulos, & vicissim? Respondeo, inter Magistros, Præceptores (idem est de Pædagogis) & discipulos eadem quodammodo est obligatio, quæ inter parentes & liberos. Unde Magistri & Præceptores tenentur pri-

primo, non dissimulare peccata discipulorum, sed reprehendere, & corrigere, si opus fuerit. Secundo, promovere eorum profectum in litteris. Tertio, curam eorum gerere in iis, quæ pertinent ad bonos mores. Quarto, non docere falsa ut vera, ex industria. Quinto, diligenter studere, ut ita officio suo satisfaciant. Sexto, non avertere auditores Academicos ab aliis Doctoribus cum injuria eorum, damnóque averforum. Septimo, non intrudere, vel ingerere se ad docendum absque doctrina ad hoc munus requisita & sufficiente. Octavo, accommodare se in docendo captui discipulorum, sententiásque non sic obscurare, acsi ipse nollet intelligi. Nono, discipulos pravis moribus imbutos, aliisque perniciosos à scholis arcere, quantum fieri potest. Decimo, insignia Doctoratûs non denegare dignis, nec conferre indignis. Quod utrumque peccatum mortale esse, si fiat in Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina, docet Navarrus, ab aliis quoque receptus. In Philosophia fortè nonnisi veniale esse docet ex Cajetano Filliuc. tract. cit. cap. 10. n. 152. qui vid. de his omnibus.

Discipuli peccant primo, si Magistris & Pædagogis non exhibeant honorem & reverentiam. Secundo, si eisdem in rebus ad bonos mores pertinentibus non obediant. Tertio, si non diligenter studeant, sed otio, ludo, compotationibus studiorum tempus comburant. Quarto, si pecuniam à parentibus datam expendant contra voluntatem Magistrorum, quorum curæ commissi sunt, in res non honestas. Quinto, si diligenter quidem studeant, sed ob malum finem. Sexto, si statuta Academiæ, aut Gymnasii sui leges (si tamen obligent sub peccato) non servent. Graviter autem hîc vix peccatur, nisi forte transgressio statuti, vel legis esset ejusmodi, ut aliis malum exemplum præberet. Vid. Filliuc. n. 149. & 150. 19

DISPUTATIO VI.

De Quinto Præcepto Decalogi.

QUintum Præceptum, *Non occides*, primum est inter negativa, quæ data sunt in ordine ad proximum; sicut Quartum est primum inter affirmativa. Illo prohibetur, ne proximus lædatur in bono vitæ: quod vel maximè fit per homicidium, sive occisionem hominis. Non prohibetur autem omnis occisio hominis; cùm non omnis sit mala, sed aliqua licita: ut patet ex illo Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere.* Prohibetur ergo illa omnis & sola occisio hominis, quæ stando in jure naturæ repugnat rationi & justitiæ: quemadmodum colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 8. Pro hujus ergo Præcepti explicatione aliquas nunc quæstiones excitabimus.

ARTICULUS I.

An liceat aliquando occidere innocentem.

SUMMARIUM.

1. *Nunquam est licitum directè occidere innocentem.* 2. *Aliquando tamen licitum est occidere indirectè.* 3. *Quid agendum, si Tyrannus civitati minetur excidium, nisi occidat innocentem illi invisum.* 4. *Quid, si petat virginem ad violandum?* 5. *An liceat expugnare arcem hostium cum periculo innocentium?* 6. *Fœminæ prægnanti nunquam licet directè procurare abortum.* 7. *An liceat indirectè, præsertim, si fœtus jam sit animatus?* 8. *Quid de fœtu jam corrupto?* 9. *Quando proles incipiat animari anima rationali?*

1 DIco primo. Directè, id est, per se, & ex intentione occidere innocentem nunquam est licitum. Habetur Exodi 23. ubi dicitur: *Insontem & justum non occides.* Et ratio est: quia nulli hominum competit dominium in vitam alterius: ergo nemo eam alteri licitè auferre potest, nisi habeat potestatem auferendi à Deo concessam. Atqui nemo, & ne Respublica quidem, habet à Deo potestatem auferendi vitam innocenti; ergo. Et hæc ratio etiam probat, esse illicitum mutilare innocentem. Cùm neque in membra illius homini competat dominium, sed Deo soli. An verò licitè occidi possit, qui saltem juridicè nocens est, quæremus in Octavo Præcepto.

2 Dico secundo. Indirectè occidere innocentem aliquando est licitum. Ita communis. Ratio est: quia eventus prævisus in aliquo opere, quod licitè exerceo, non tamen intentus, ad culpam non imputatur. Sed occisio innocentis aliquando est talis eventus: dum nempe licitè occiditur nocens, ita ut præ-

prævideatur secutura occisio innocentis, quæ tamen nec ut medium assumitur, nec ut finis intenditur. Ergo tunc occisio innocentis non imputatur ad culpam.

3 Corollarium I. Tametsi tyrannus urbi minetur excidium, nisi occidat innocentem, quem is persequitur, inibi existentem, nihilominùs non licet directè occidere. Ratio est: quia non licet facere mala, ut eveniant bona: atqui directè occidere innocentem est intrinsecè malum; ergo. Respublica quoque non habet dominium in personas suorum civium, sed jurisdictionem & politicam gubernationem; quæ ipsa tamen ad eorundem utilitatem ordinatur. Vid. Sayrus lib. 7. clav. Reg. cap. 12. à n. 4. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 37. a. 2. n. 3. Cæterùm in ejusmodi casu licitum est Reipublicæ innocentem, quem petit tyrannus ad occidendum, directè tradere petenti, si is ultrò se nolit sistere. Ratio est: tum, quia hæc non censetur formalis cooperatio ad necem innocentis, sed tantùm permissio, & quidem propter conservationem Reipublicæ. Tum, quia ipse innocens in eo casu tenetur mortem obire pro salute patriæ, seque ultrò offerre tyranno: ergo etiam Respublica ad hoc cooperari potest, ut innocens veniat in manus tyranni. Ita Lessius de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 7. n. 38. Filliuc. tract. 29. cap. 1. n. 11. Laym. lib. 3. sect. 5. tr. 3. parte 3. cap. 1. n. 4. Bonac. de Restit. disp. 2. q. ult. pu. 7. n. 1. Mezger n. 4.

4 Dices. Si tyrannus obsidens urbem peteret sibi tradi virginem ad eam violandam, Respublica illam invitam non posset tradere; etiam in manifesto periculo excidii à tyranno intentati: ergo neque poterit ei tradere innocentem ad occidendum. Respondeo neg. conseq. disparitas ex dictis est: quia virgo non tenetur cum periculo animæ tam evidenti tyranno se sistere; nec consequenter Respublica eam ad hoc cogere, vel petenti tradere poterit. Atqui subditus innocens tenetur cum periculo vitæ corporalis propter salutem patriæ tyranno se sistere; ergo, dum illud ultrò præstare recusat, poterit Respublica ad hoc compellere; imò directè tradere. Addit Bonac. loco cit. & Lugo de Just. to. 1. disp. 10. sect. 4. n. 120. in dicto casu posse Rempublicam excludere urbe virginem, suóque periculo relinquere; cùm non teneatur eam cum tanto damno tueri, vel retinere. Quòd si demum innocens à Republica, vel Principe, jussus tyranno se offerre parere nolit, poterit eam ipsamet interficere. Cùm hac ratione incipiat esse nocens; utpote refractarius, & inobediens in re gravissima: adeoque mereatur mortem, non minùs, quàm alius malefactor. Filliuc. Laym. Mezger locis citt.

Corollarium II. In oppugnatione urbis 5 hostilis licite turris, vel arx evertitur, vel tormentis quatitur, quamvis constet, multos in eis innocentes existere, & unà cum nocentibus interituros. Sayr. lib. cit. cap. 12. n. 14. Less. n. 37. Lugo sect. 5. n. 123. Bonac. loco cit. Mezger n. 8. & alii communiter. Ratio est: quia solùm intenditur interitus nocentium, esto, interitus innocentium prævideatur. Similiter licite occidis innocentem, quo tanquam scuto se protegit injustus tui aggressor, v. g. dum se tuetur objecto infante; quando eum aliter lædere non potes; quia nempe non intendis occidere innocentem, sed conservare propriam vitam adversus iniquum invasorem. Vid. Bonac. loco cit. Lugo n. 124. Præterea, dum quis premitur ab insequente hoste, ejusque manus aliter nequit effugere, quàm per viam angustam, in qua jacet infans, vel sedet claudus, licitè illac elabitur, quamvis infantem, vel claudum equô proterat: quia similiter nonnisi salutem, fugámque per viam communem, ad quam habet jus, intendere supponitur. Quòd si constaret, infantem non esse baptizatum, negat Bonac. cum tanto vitæ ejus periculo posse fugientem evadere per illam viam. Ratio est: quia tunc præter salutem corporalem infantis etiam salus animæ versatur in extrema necessitate; adeoque juxta debitum ordinem Charitatis præferenda est propriæ saluti corporali. Vid. quæ suprà diximus disp. 1. a. 4. §. 2.

Corollarium III. Fœminæ prægnanti 6 nunquam est licitum directè procurare abortum fœtûs jam probabiliter animati. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia directè occidere innocentem est intrinsecè malum: sed abigere ejusmodi fœtum est directè occidere innocentem; ergo. Imò tametsi constet, fœtum necdum esse animatum, ejus directam expulsionem nihilominùs esse intrinsecè illicitam, etiam propter conservandam vitam matris, similiter communis habet sententia. Ratio est: quia, si semel concederetur, directam procurationem abortûs in aliquo casu non esse intrinsece malam, eadem esset honestabilis non tantùm propter gravissimam necessitatem vitæ, sed etiam famæ, honoris, aut alterius gravis damni imminentis. Sed consequens est absurdum & damnatum ab Innocentio XI. in propositione 34. nempe: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Deinde. In nullo unquam casu licita est directa expulsio seminis: ergo à fortiori in nullo quoque casu licita erit directa expulsio fœtûs, etiam nondum animati. Consequens patet: quia magis

propinquè & immediatè ad hominis generationem concurrit ejusmodi fœtus, quàm semen, ut omnes fateri tenentur. Demum. In praxi semper est dubium saltem, an fœtus sit animatus? Propter diversissimas sententias Medicorum de tempore, quo fœtus in utero matris incipit animari. Sanè nonnemo apud Joan. Cardenas, ut refert Mezger, ex propriis experimentis ostendit, interdum prima, vel ad summum tertia die jam adesse animam rationalem. Atqui in dubio de animatione fœtûs eum directè expellere nunquam est licitum; ergo in praxi directe expellere fœtum nunquam est licitum: Vid. Less. cap. cit. dubit. 10. Lugo à n. 130. Tambur. lib. 6. in Decal. cap. 2. §. 4. à n. 3. Illsung tr. 4. disp. 3. q. 2. a. 2. n. 63. Mezger n. 9. Viva parte 2. damnat. Thes. in prop. 34. à n. 6. & aliis quos iidem referunt.

7 Dixi, *directè procurare abortum nunquam esse licitum.* Nam sumere pharmacum directo, & suapte natura ordinatum ad recuperandam sanitatem ægrotæ matris, & non ad expellendum fœtum, licitum esse, licet prævideatur secutura abortio, tradunt communiter authores, saltem si fœtus nondum sit animatus. Ratio est: quia mater tunc utitur jure suo, quod habet ad conservationem vitæ per remedia ordinaria, esto, per accidens sequatur expulsio fœtûs. Sicut licitum est adhibere ejusmodi remedia, licet inde secutura prævideatur expulsio seminis. Sed quid tenendum, si fœtus jam sit animatus? Respondet Lessius n. 63. matrem tunc obligari ad abstinendum à tali medicamento. Ratio est: quia debet salutem spiritualem prolis præferre propriæ saluti corporali; adeoque cavere, ne proles in utero moriatur sine Baptismo. Sed contra est, quòd mater per abstinentiam à medicina non possit satis cavere de Baptismo infantis, utpote nihilominùs cum ipsa probabiliter morituri. Propter salutem autem alterius spiritualem incertam nemo tenetur se exponere periculo vitæ, vel non adhibere media ad ejus conservationem necessaria. Atque hinc communiter docetur, matrem non esse obligatam ad subeundam sectionem uteri, ut eximatur proles, quæ de salute etiam spirituali aliàs periclitatur. Itaque sentiendum est cum aliis, etiam fœtum animatum dicto modo, sive indirecte, expellere esse licitum. Vid. Tambur §. cit. n. 1. Illsung, Mezger locis citt. Viva n. 8.

8 Porrò fœtum jam corruptum in utero non est prohibitum directe abigere: cùm non habeat amplius veram rationem humani fœtus, vel puerperii, sed sit mola, & massa maligna, ait Less. n. 61. At minime licitum est fœminæ fornicanti uti mediô, quo conceptionem impediat, quamvis ex tali conceptione summam infamiam tum sibi, tum familiæ, aut communitati; imò & mortem impendere prævideat. Ratio est: tum, quia non oportet facere mala, ut eveniant bona. Tum, quia adhibere ejusmodi medium graviter repugnat fini humanæ generationis. Sibi proinde imputet mulier periculum damni aut mali quodcunque demum. Vid. Bonac. ubi suprà n. 5. Viva n. 16. Item cap. *Si aliquis, 5. de Homicid.*

9 Quæres, quando proles animetur anima rationali? Respondeo, juxta communem sententiam, masculum animari 40. die post conceptionem, fœminam 80. Sed quia non satis percipitur, quamobrem statui debeat tantum intervallum inter utramque animationem, probabilius existimo, utrumque fœtum animari, quamprimùm fuerit formatus. Volunt autem, formationem maris absolvi aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. fœminæ verò aliquando 35. aliquando 40. aliquando 45. aliquando 50. Hippocrates tamen apud Less. docet, masculum, ut longissime, 30. diebus formari; fœminam, ut longissime, 42. diebus. Vid. Less. n. 65. Filliuc. tract. 29. cap. 6. n. 99. Bonac. n. 4. Non me latet, esse Medicos, qui putant, fœtum in primo statim instanti, quo concipitur, animari anima rationali: vel saltem adhuc prima, vel secunda, aut ad summum tertia die, ut in n. 6. relatum est. Verùm utrique huic sententiæ vix aliquid probabilitatis tribui potest. Tum, quia nititur contra torrentem Doctorum: tum, quia etiam ex S. Script. colligitur, fœtum non statim animari, sed tum primum, quando formatus est. Nam dicitur Exodi 21. juxta versionem septuaginta: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima: si nondum erat formatus, mulctabitur pecuniâ.* Non igitur fœtus animatur, antequam sit formatus, quod fit diebus priùs memoratis. Ex quo etiam obiter colligitur, fœtum paucorum dierum non esse baptizandum, etiam sub conditione: cùm moraliter certum sit, nondum animari anima rationali. Vid. Viva n. 10.

ARTI-

ARTICULUS II.

An liceat quemquam occidere ex titulo defensionis?

SUMMARIUM.

1. *Sententiæ quorundam communiter displicitæ.* 2. 3. *Pro defensione vitæ, & membrorum licitum est privata authoritate occidere injustum aggressorem.* 4. 5. *Idem licet pro defensione bonorum fortunæ & honoris.* 6. *In omnibus tamen casibus memoratis servari debet moderamen inculpatæ tutelæ. Quod declaratur per varias resolutiones practicas.* 7. 8. *Solvuntur Objectiones.* 9. *Etiam pro vita, cæterisque bonis proximi licitum est occidere injustum invasorem.* 10. *Idem licitum est mulieri pro defensione pudicitiæ.* 11. *Item Clericis & Religiosis pro rerum suarum defensione.* 12. *Expeditur quæstio, an licitum esse possit duellum?*

1 ALiqui apud Card. de Lugo negârunt in foro Dei, sive conscientiæ, id esse licitum, etiam pro defensione vitæ, quamvis in foro externo impunè permittant leges civiles. Covarruvias autem in Clement. *Si furiosus:* parte 3. §. un. n. 6. apud Sayrum & Lessium putat, ob defensionem facultatum suarum id non licere, nisi cum earum periculo misceatur periculum personæ. Veluti fit, si fur sit nocturnus: hic enim præsumitur animô occidendi venisse: vel, si fur diurnus quidem sit, sed contra possessorem conantem impedire, ne rem auferat, telô se defendat. Alii dixerunt, facultates suas defendere etiam cum occisione invasoris esse licitum laicis, non tamen Clericis.

2 Dico primo. Licitum est privata authoritate occidere injustum invasorem non solum pro defensione vitæ & membrorum, sed etiam pro defensione tum bonorum fortunæ, tum honoris. Ita communiter DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 64. a. 7. Ratio primi est: tum, quia juxta cap. *Si verò.* 1. *de sent. Excom. vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt.* Quod idem habetur in aliis Juribus: ut videre est apud Laym. de Just. tract. 3. par. 3. cap. 3. n. 1. tum, quia sui, rerúmque suarum defensio jure naturæ est licita. Adeoque si aliter quis defendere se nequeat, quàm occidendo injustum invasorem, hujus occisio ceu medium unicè necessarium, & propter conservationem vitæ intentum, similiter erit licita.

3 Neque refert, cum, à quo invaderis, fortè non peccare, & esse innocentem coram Deo, eò quod fortè sit amens, aut furiosus. Nam talis certè agit injustè materialiter, túque interficis nocentem tibi. Deinde recta ratio nemini dictat, nec ulla lex quemquam obligat, ut permittat se occidi à quolibet, tametsi ab eodem non injustè formaliter, aut hostili animô invadatur.

4 Ratio secundi est: quia illo jure licitum est occidere invasorem eorum, quæ sunt necessaria ad conservationem vitæ, quo jure est licitum occidere invasorem vitæ: sed bona externa seu fortunæ sunt necessaria ad sustentandam & conservandam vitam; ergo. Confirmat hoc communis consuetudo Rerumpublicarum bella gerentium, tum offensiva, tum defensiva, ob bona fortunæ, etiam cum internecione hominum. Accedit, quòd aliàs daretur occasio improbis passim impunè spoliandi probos; nec quidquam tutum esset ab illis, si necessaria defensione uti non liceret. Concessa autem defensione etiam occisio concessa esse censetur: cùm sine hac sæpe non possit esse defensio.

5 Ratio tertii est: quia honor meritò apud homines pluris æstimatur, quàm multa bona fortunæ: ergo, cùm pro defensione istorum licitum sit occidere injustum invasorem, ut primùm ostendimus; à fortiori licitum quoque erit occidere injustum invasorem honoris.

6 Dico secundo. Ut licita sit occisio injusti invasoris, fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, ita, ut in defensione non adhibeatur major vis & conatus, quàm opus est ad propulsandam injuriam, aut damnum avertendum. Ita omnes Theologi. Quæres ut ampliùs declaretur, ex Lessio, Filliucio, Reding & aliis notare juvat sequentia.

I. Qui absque gravi damno honoris, seu dedecore potest fugere, dum ab altero invaditur, tenetur fugere, saltem ex lege charitatis, & non potest licitè vim vi repellere, & occidere invasorem. Ratio est: quia tunc positiva resistentia & propulsatio injuriæ non est necessaria. Hinc Ecclesiastico, vel Religioso, si possit fugere, non est licitum se tueri cum cæde invasoris: quia his talibus fugere non est dedecori. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 12. n. 85. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. n. 2. Dixi, *si absque gravi damno &c.* secùs enim potest sistere gradum, séque armis defendere, etiam cum occisione invasoris, si necessarium

sarium fuerit. Reding. to. 13. q. 12 a. 1. controv. 3. n. 4. & communiter DD.

II. Qui per gravem injuriam dat gravem causam, ut ab altero invadatur, v. g. si verbis contumeliosis irriter; si alapam infringat; si cum uxore illius deprehendatur; non potest pro sui defensione occidere invasorem, si possit elabi fugiendo, quamvis ipsi fuga grave dedecus, gravémque infamiam sit allatura. Lugo de Just. to 1. disp. 10. sect. 8. n. 168. Reding n. 6. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 37. a. 3. n. 2. Ratio est: quia talis ex charitate saltem tenetur abstinere à gravissimo damno vitæ, & æternæ damnationis alteri inferendo, cujus ipse periculo culpabiliter causam aliquo modo præbet, nempe movendo proximum ad gravem indignationem, ratione cujus de æterna salute periclitatur, si occidatur.

III. Ut licitè occidas eum, à quo injustè invaderis, oportet id facere in ipso actu invasionis, & non postea, quando jam cessavit invadentis violentia, nec alia nova vis probabiliter statim secutura prævideatur. Filliuc. tract. 27. cap. 3. n. 38. Bonac. de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 1. pu. 8. n. 2. Ratio est: quia jus naturale hîc plus non concedit, quàm vim vi repellere, dum nobis infertur: sed transacta invasione non ampliùs vis infertur; ergo. Opus tamen non est ad tui defensionem, ut expectes, donec adversarius re ipsa te physicè aggrediatur, sed satis est, si arma expediat, séque ad invadendum accingat; absque ulla spe revocandi ipsum à capto consilio. Tunc enim prævenire esse licitum communiter docent Theologi teste Reding. n. 14. Ratio est: quia tunc moraliter loquendô jam incipit injusta invasio, quemadmodum cum aliis docet Illsung tract. 4. disp. 3. q. 2. a. 2. n. 68.

IV. Cùm res parvi momenti non habeat proportionem ad damnum vitæ alteri inferendum, debet esse magni momenti ac pretii, ut ejus invasorem liceat occidere. Unde damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Debet insuper non adesse probabilis spes rem aliter recuperandi. Nam si per viam judicii v. g. illa commodè recuperari possit, peccas contra charitatem occidendô furem: nisi fortè in te violenter insurgat, dum furtum impedire conaris. Laym. ubi suprà n. 4. Reding. n. 7. Mezger n. 7.

V. Furem cum re tua, v. g. equo, fugientem licitè insequeris, &, si necessarium fuerit, telo petis. Ratio est; quia tamdiu durat injusta invasio, quamdiu fur non est in quieta rei possessione: sed quamdiu cum re tua fugientem habes in conspectu, tamdiu non est in quieta possessione; ergo adhuc durat injusta invasio: sed quamdiu durat injusta rei tuæ invasio, tamdiu invasorem licitè persequeris; ergo &c. Vid. Less. dubit. 11. n. 74. Reding n. 8. Illsung loco cit. Mezger n. 10. Accedit, quòd aliàs ut plurimùm inutilis & frustranea esset defensio rerum fortunæ. Possent enim fures quidlibet auferre, & statim fugere: in fuga enim tuti essent, inquit Lessius.

VI. Quando invasus clamandô, aliorum opem invocando, vel solùm vulnerando potest fugare invasorem, ejusque vim avertere, illicitè eundem occidit. Filliuc. loco cit. Ratio est: quia tunc occidere invasorem est adhibere vim plusquàm necessariam ad justam defensionem. Non enim in hoc casu necessaria est occisio, sed sufficit clamor, vel vulneratio. Nunc contra dicta

Objicies primo. Salus proximi spiritualis juxta ordinem charitatis præferenda est vitæ nostræ temporali. Bonis autem fortunæ præferenda est vita proximi non tantùm spiritualis, sed etiam temporalis. Ergo, cùm invasor, si occidatur ab invaso, versetur in aperto periculo æternæ damnationis, contra ordinem charitatis occiditur. Respondeo, verum esse Anteced. quando proximus constitutus est in morali necessitate: in qua non censetur constitutus, quando se ipsum juvare potest, sicut potest in præsenti. Nam si desistat à vi inferenda, alter non habet ampliùs, cur vim vi repellat, ipsumque occidat.

Objicies secundo. In Juribus clarè significatur, furem nocturnum impunè occidi, non verò diurnum, nisi telo se defendat. Ita quippe habetur in l. 4. ff. *ad l. Aquil.* & l. *furem.* ff. *ad l. Cornel. de sicariis.* Respondeo, neque furem nocturnum occidere semper esse licitum, quamvis armatus sit, si nempe apprehendi possit, alióve modo citra cædem ejus averti damnum, uti colligitur ex l. 5. ff. *ad l. Aquil.* De cætero inter furem diurnum, & nocturnum istud versatur discrimen, quod diurnus plerumque citra incommodum comprehendi, résque ab eo alia ratione recuperari possit: quæ duo in fure nocturno non ita se habent ordinariè: cùm satis discerni nequeat, animóne occidendi, an furandi tantùm advenerit. Hinc leges citatæ definiunt, furem nocturnum præ diurno fas esse occidere. Vid. Laym. ubi suprà. 8

Corollarium I. In omnibus casibus, in quibus licitè defendimus vitam, & cætera bona nostra, etiam licitè defendere possumus vitam proximi, & bona illius, cum morte quoque invasoris, quando damnum & injuria aliter impediri non potest. Bonac. de 9

de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 1. pu. 11. n. 1. Laym. n. 5. Lugo sect. 11. à n. 201. Mezger n. 3. Ratio est: quia omni jure licitum est defendere innocentem: imò sæpè obligatorium ex lege charitatis, quando id facere possumus sine notabili nostro incommodo. Porrò Principes & Magistratus erga suos subditos idem præstare tenentur ex justitia, v. g. ut regionem, viásque publicas tutas reddant à latronibus. Laym. loco cit.

10 Corollarium II. Licitum est mulieri, adolescenti, & cuivis alteri defendere pudicitiam, etiam cum cæde invasoris. Ita communiter DD. Ratio est: quia pudicitia meritò præfertur cunctis opibus & thesauris rerum fortunæ. Adde, quòd in ejus violatione plerumque adsit grave periculum peccati. Demum ad ipsum Ethnici quoque senserunt. Nam, ut est apud Ciceronem in Orat. pro Mil. adolescens, qui tribunum occiderat ejus pudicitiæ vim inferre molientem, à Mario exercitûs Imperatore fuit absolutus. Vid. Less. dubit. 12. n. 76. Sayr. lib. 7. clav. reg. cap. 10. n. 36. Reding n. 26.

11 Corollarium III. Etiam Clericis & Religiosis pro defensione rerum suarum licitum est occidere injustum invasorem. Colligitur apertè ex cap. *Olim. 1. de Restit. spoliat.* ubi hoc Episcopo, & cap. *Dilecto 6. de sent. Excommunic. in 6.* ubi idem Decano conceditur. Ratio verò est: quia personis Ecclesiasticis non minùs concessa est jure naturæ rerum suarum defensio, quàm non Ecclesiasticis, nec ostendi potest ullum jus positivum, quo illis sit prohibita sub peccato. Neque dicas, esse prohibitum Religiosis in cap. *Suscepimus, de homicid.* ubi statuitur de duobus Monachis, eos contraxisse irregularitatem, gravitérque peccâsse occidendo latrones, qui res Monasterii noctu invaserant. Respondetur enim, illos Monachos excessisse moderamen inculpatæ tutelæ. Jam enim ligaverant latrones, habebántque in sua potestate: adeoque non erat necessarium eos occidere, esto conati fuerint se solvere, & elabi. Huic enim periculo faciliori modo occurri potuit. Vid. Less. dubit. 11. n. 72. Reding à n. 15.

12 His addere juvat illam quæstionem de duello, an possit esse licitum? Accipitur hîc duellum, ut ex communi tradit Mezger, pro pugna singulari duorum adversùs se invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem alterutri inferendam, ex condicto ad certum locum & tempus. Nunc respondeo primo. Duellum honoris tuendi, vel ignominiæ vitandæ causâ susceptum simpliciter illicitum est. Ita communiter DD. Ratio est primo. Quia Concilium Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. usum duellorum ut detestabilem, & fabricante Diabolo introductum prohibet sub pœna Excommunicationis, non solùm pugnantibus, sed & permittentibus, auxiliantibus, consulentibus, spectantibus eandem infligendo. Et quoniam hæc Excommunicatio respiciebat tantùm duellum solemne, hoc est, quòd publica authoritate initur, hinc Gregorius XIII. illam extendit etiam ad duella privata. Clemens VIII. autem absolutionem ab ea reservavit Sedi Apostolicæ, eandémque incurri voluit à provocantibus, etiam pugnâ non secutâ, ut notat Filliuc. tract. 29. cap. 8. n. 170. inquiens, hanc esse praxim in sacra Pœnitentiaria, ut provocantes ad duellum, etiam effectu non secuto, censeantur excommunicati. Ratio est secundo: quia consentire in duellum est consentire in occisionem tum suiipsius, tum provocantis privata authoritate faciendam, extra casum necessariæ defensionis: sed hoc est consentire in rem intrinsecè malam: quod est illicitum, & nullo modo honestabile, quamvis ex detractione, vel non acceptatione cujusmodi certaminis quantumcunque gravis imminutio existimationis sequi supponatur. Vid. Reding n. 20. Mezger a. 4. n. 6. Confirmatur. Qui duellum detrectat, apud viros cordatos non solùm non incurrit notam timiditatis, aut diminutionem existimationis, sed etiam laudem sapientiæ reportat, quòd vitam suam pluris æstimet, quàm jacturam aliquam honoris, qui est bonum multò inferius; quodque eandem non projiciat in discrimen pugnæ gravissimè prohibitæ. In pravo quidem vulgi judicio, & persuasione eorum, qui vani nominis umbrâ pascuntur, provocatum non comparere haberur ignominiosum. Sed quis ita desipiat, ut idcirco committat, quod rectæ rationi, quod juri Divino & humano repugnat? Accedit, quòd hanc notam timiditatis alia via evitare possit provocatus, dicendò v. g. se paratùm fore ad congrediendum, si liceret: vel, ostensurum se, quantô ànimo sit, si à provocante palàm fuerit invasus. Vid. Mezger loco cit. Viva damnat. Thes. par. 1. in prop. 2. quæ est sententia opposita ab Alexandro VII. damnatâ, nempe: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Respondeo secundo. Neque ad demonstrandam veritatem, neque ad terminandam litem institui, vel acceptari potest duellum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. Ratio est: quia duellum pro neutro istorum finium obtinendo est medium

dium idoneum, & potest in ejusmodi pugna non minùs succumbere innocens, quàm nocens. Vid. Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. par. 3. cap. 5. n. 1. Mezger n. 7.

Respondeo tertio. Ad bellum finiendum licitum est duellum inire, quando id imminente conflictu ducibus utriusque partis expedire videtur ad parcendum humano sanguini. Ratio est: quia, si liceat (ut verè licet) ad finiendum bellum integros exercitus committere, etiam libebit ex mutuo belligerantium consensu controversiam ad duorum, vel paucorum certamen revocare. Exemplum habemus in monomachia Davidis & Goliathi 1. Reg. 17. Similiter S. Wenceslaus Dux Bohemiæ, quemadmodum in ejus Officio legitur, ut suorum saluti prospiceret, ad singulare certamen adversus Radislaum Ducem Curimensem se stitit. Vid. Laym. n. 3. Mezger n. 8, Viva n. 1.

ARTICULUS III.

De Homicidio Casuali.

SUMMARIUM.

1. Homicidium aliud voluntarium, aliud casuale. Et hoc posterius vel simpliciter & omnino, vel non omnino. 2. Non omnino casuale fieri potest vel dandò operam rei licitæ, vel illicitæ. 3. Homicidium simpliciter casuale non est peccatum; est autem peccatum mortale, vel veniale, homicidium non omnino casuale. 4. 5. 6. 7. Corollaria ex dictis. 8. Praxis in Confessione tractandi injustum homicidam.

1 HOmicidium extra casum necessariæ defensionis privata authoritate commissum aliud est voluntarium, aliud casuale. Nomine voluntarii hîc illud tantùm intelligimus, quod committitur vel ex intentione formali & expressa occidendi, vel ex positione causæ inseparabiliter conjuncta cum morte secutura itidem formaliter & expressè volitæ: cujusmodi est venenum, lethale vulnus &c. Vide, quæ suprà in tract. 4. disp. 3. a. 2. n. 1. diximus. Homicidium casuale aliud dicitur simpliciter, & omnino; aliud non simpliciter & omnino casuale; cùm participet aliquid de voluntario, & aliquid de involuntario. Omnino casuale est, quod nec in se, nec in causa intenditur ab operante. Non omnino casuale est, quod licet neque in se formaliter, neque in causa inseparabiliter connexa intendatur, in causa tamen non penitus immediata ac proxima, ex qua probabiliter secuturum prævidetur, intentum ac volitum censetur.

2 Circa homicidium secundo modo, sive non omnino casuale, notandum est, illud fieri posse dupliciter, nempe vel dandô operam rei licitæ, vel illicitæ. Ut dans operam rei licitæ sit reus homicidii ita casualis, requiritur primo, ne habeat intentionem formalem seu expressam occidendi. Ratio est: quia aliàs committeret homicidium voluntarium, non casuale. Requiritur secundo, ut mors verè sequatur ex ejus actione, & non aliunde. Ratio est: quia, cùm tale homicidium non sequatur ex ipsius intentione, si neque sequatur ex opere, nihil supperit, unde illi imputetur. Requiritur tertio, ut id, ex quo mors alterius fuit consecuta, fuerit obligatus impedire. Ratio est: quia in moralibus non imputatur ad culpam effectus, cujus quis causam potuit quidem impedire, seu removere, sed non debuit. Vid. Sayr. lib. 7. clav. reg. cap. 14. n. 2. De dante operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur, advertendum est, eum non excusari à peccato homicidii, etiamsi adhibeat diligentiam, ne mors sequatur, si actio illa ex se sit periculosa, idque ipse cognoscat. Idem Sayr. n. 4. Tambur. lib. 6. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 5. Nunc

Dico. Homicidium omnino, seu primo modo casuale non est peccatum: est autem peccatum, idque mortale, vel veniale, homicidium casuale secundo modo. Ratio prioris est clara: quia ejusmodi homicidium nec in se, nec in sua causa est voluntarium. Quod autem non est voluntarium, non est peccatum. Et ideo, inquit Less. non dicitur propriè homicidium, sed simplex occisio. Ratio posterioris est: quia istud homicidium est voluntarium indirectè, sive in causa, scilicet in omissione cautionis, vel diligentiæ debitæ ab illo, qui tenebatur vel ex justitia impedire eventum mortis, vel curare, ne ex sua actione sequeretur. Est igitur peccatum injustitiæ, idque mortale, vel veniale pro ratione culpæ in memorata omissione admissæ; quippe in qua sola est voluntarium. Less. lib. 2. de Just. cap. 9. dubit. 15. à n. 108. 3

Corollarium I. Quando aliquis tectum v. g. reparans statuit signum, quo admoneantur commeantes, ne illac transeant, & nihilominùs quis transiens occiditur per regulam decidentem, homicidium omninò 4

ca-

casuale est; & projicienti tegulam non imputabile. Ratio est: quia dans operam rei licitæ sufficientem diligentiam & cautionem adhibuit, ne quis occideretur. Aliud esset, si tale signum non statueret. Tunc enim occisio transeuntis ipsi redderetur voluntaria in causa, scilicet omissione debitæ cautæ, essetque homicidium non merè casuale. Sayr. n. 1.

5 Corollarium II. Si quempiam vulnerâsti non lethaliter, mors vulnerati secuta fuit culpâ Chirurgi, vel temeritate ipsius vulnerati, qui remedia opportuna adhibere noluit, non es reus homicidii, nec teneris ad restitutionem ut homicida, sed solùm ut vulnerator. Less. n. 102. Sayr. n. 2. Filliuc. tract. 29. cap. 7. n. 120. Ratio est: quia, tametsi vulnus sit aliqua occasio, re ipsa tamen non est causa mortis, sed hæc est vel negligentia Chirurgi, vel temeritas & incuria vulnerati. Unde occisio tibi censetur fortuita, eisque imputanda, qui fuerunt negligentes.

6 Corollarium III. Qui in ebrietate involuntaria hominem occidit, non peccavit formaliter, nullâque pœnâ afficiendus est. Ratio est: quia tale homicidium est omnino casuale. Quòd si verò in ebrietate voluntaria & culpabili aliquem interimas, & ante ebrietatem ob tibi perspectam in eo statu rixandi consuetudinem periculum cædis suspicatus fueris, nullúmque custodem, aut aliam cautionem tibi adhibueris, duplex peccatum committis, videlicet contra temperantiam, ut per se patet, & contra justitiam, reusque homicidii efficeris. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 3. n. 26. Laym. lib. 3. sect. 5. tr. 3. par. 3. cap. 4. n. 2. Filliuc. n. 126. Ratio est: quia ejusmodi cædes, licèt non sit voluntaria in se, est tamen voluntaria in causâ, scilicet ebrietate, adeóque peccatum mortale, vel veniale juxta qualitatem culpæ, qua te inebriâsti. In foro externo homicidium in ebrietate commissum punitur non pœnâ ordinariâ homicidarum, sed arbitrariâ, ut habet Laym. loco cit. Quòd si culpabiliter quidem te inebriâsti, sed de homicidii periculo nihil suspicatus es, non es reus homicidii, licèt cædem patraveris. Ratio est: quia non patrâsti voluntariè: cùm infelicem ejusmodi eventum nullo modo præcognoveris. Less. n. 27. Laym. loco cit.

7 Corollarium IV. Siquis hominis necem non impediat, cùm facilè possit, attendi debet, an impedire teneatur ex sola charitate, an etiam ex justitia? Si ex sola charitate, non est reus homicidii. Ratio est: quia peccatum homicidii propriè adversatur virtuti justitiæ: ergo, qui non peccat contra justitiam, homicida censeri non debet. Quare nec ille homicidium committit, qui alterum ab impediendo hominis cædem, ad quam impediendam is solùm ex charitate obligatur, maligna dissuasione revocat. Vid. Laym. n. 7. Si etiam ex justitia teneatur impedire, & non impediat, is peccato homicidii obstringitur. Unde si Judex, Gubernator, aut similis officii innocentem occidi; Medicus, Chirurgus infirmum mori permittant, cùm facilè impedire possunt, homicidii rei sunt. Idem est de Principe, si impunè grassari sinat latrones; de Duce belli, si non coerceat milites ab injustis cædibus rusticorum. Laym. n. 8. Tambur. lib. 6. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 8. Ratio est: quia nempe his talibus similes effectus revera voluntarii sunt in causa, putà omissione diligentiæ, quam ex justitia præstare tenentur.

8 Praxim, qua explicari injustum homicidium oporteat in Confessione Sacramentali, hanc accipe ex cit. Tambur. §. 2. Confessarius non debet esse contentus simplici tantùm relatione tanti criminis, sed de quinque circumstantiis examinare studeat, saltem ordinariè, & nisi aliunde aliquam earum habeat perspectam. Prima est circumstantia personæ pœnitentis: an nempe sit Clericus, Sacerdos &c. Ratio est: quia constare debet, quomodo irregularitatem contraxerit? An durante irregularitate celebraverit &c. quod fuisset novum peccatum. Secunda est circumstantia personæ, quæ fuit occisa. An parens, uxor, filius, vel alius notabiliter conjunctus? An Clericus, Religiosus &c. Ratio est: quia Confessarius nósse debet, an homicidium sit simplex, vel qualificatum, id est, an præter malitiam injustitiæ non etiam contineat aliam parricidii, sacrilegii contra pietatem, & religionem. Tertia est circumstantia loci. Ratio est: quia, si facinus patravit in loco sacro, præter injustitiam commisit sacrilegium, & locus ipse fuit pollutus. Quæ Confessarium scire necesse est. Quarta est circumstantia quibus auxiliis. Hinc explicandi sunt socii v. g. cum quibus alterum occidit, vel percussit. Ratio est: quia hîc iterum ad malitiam injustitiæ solent accedere aliæ, præsertim scandali, quando alios invitavit, convocavit, ut cum ipso ad cædem concurrerent. In quo casu toties peccavit peccatô scandali, quot invitavit, & induxit personas. Quinta est circumstantia durationis. Ratio est: quia hoc modo dignoscitur numerus peccatorum, & actuum, qui intervenerunt. Nam si repentè, & ex improviso hominem deliberatè interfecisti, unum numero peccatum commisisti contra justitiam.

At, si meditatò, & per longum tempus interficere tentâsti, numerus peccatorum propter interruptionem actuum multiplicabitur. Demum salutaris pœnitentia homicidæ hæc esse potest. Jubeatur inprimis petere veniam à propinquis occisi, eisque omnia damna ex homicidio secuta resarcire. Deinde pro anima occisi per unum annum hæc tria præstare. Primum, ut singulis hebdomadis unam Missam celebrari curet pro illa, & aliquam eleemosynam juxta facultates suas eroget. Secundum, ut singulis hebdomadis Litanias, vel Rosarium B. Virg. recitet. Tertium, ut per eundem annum semel in hebdomade confiteatur, & semel in mense communicet. Demum injungatur illi, ut per totam vitam quotidie flexis genibus unum Pater & Ave dicat pro eadem anima occisi. Et hæc de satisfactione Sacramentali dicta sint exempli causâ. Nam de cætero sua Confessario prudentia dictabit, quidnam in casibus particularibus pro diversitate circumstantiarum memoratis operibus addendum, vel detrahendum sit. Vid. Tambur. §. 3.

ARTICULUS IV.

De Bello.

SUMMARIUM.

1. *Bellum unde dictum sit.* 2. *Bellum ex natura sua licitum est.* 3. *Christiani bellum gerunt contra Turcas justissimè.* 4. 5. 6. *& seqq. Adducuntur & declarantur tres conditiones belli liciti: nempe, legitima authoritas; justa causa, & recta intentio.* 12. *Ob tres fines licitè geritur bellum; scilicet ad obtinendam rei ablatæ compensationem, ipsamve reimrecuperandam: ad injuriam vindicandam: ad pacem stabiliendam & firmandam.* 13. *In bello omnia licet facere contra hostes, quæ apta sunt ad finem aliquem ex memoratis obtinendum, vel ad illos omnes.* 14. 15. *& seqq. Illationes ex dictis.* 21. *Ad quos pertinere debeant spolia & prædæ ex hoste reportatæ, seu captæ?* 22. *Utrum in bello captis fugere liceat?* 23. *Quibus potissimùm modis in bello peccari soleat?* 24. *An hosti injustum bellum gerenti servanda sit fides publica? An, & quibus Clericis liceat bellum gerere; & in eo pugnare?* 26. *Tempore induciarum, dierumque festorum illicitum est bellare.*

1 CUm in bello vel maximè occidantur homines, impræsentiarum dicere de illo esse conveniens existimo. Derivant autem aliqui cum Festo *bellum* à belluis, eò quòd in illo homines feroces & violentas bestiarum pugnas imitentur. Alii cum Servio dici volunt per antiphrasin, quia scilicet in bello nihil sit *bellum*, sed mera calamitas & horrida acerbitas; sicut à Poëtis per antiphrasin dictæ sunt Parcæ, eò quòd non *parcant*, & lucus, quòd minimè *luceat*. Bellum aliud est defensivum, aliud offensivum, sive aggressivum. Bellum defensivum est, quo vis injustè illata repellitur. Quod cuivis permissum est etiam privata authoritate. Bellum offensivum est, quo vis infertur injuriæ vindicandæ causâ. His prælibatis, quatuor breviter explicanda sunt. Primum, an aliquod bellum possit esse licitum? Secundum, quænam requirantur conditiones, ut bellum sit justum ac licitum? Tertium, quomodo gerendum sit bellum? Quartum, à quibus, & quo tempore geri possit?

2 Dico proinde primo. Bellum ex sua natura licitum est. Ita communiter Catholici contra Manichæos aliósque hæreticos, & errones, qui bellum vel omnibus universim, vel saltem Christianis illicitum esse affirmârunt. Constat inprimis dictum ex variis locis S. Script. Sic enim Judic. 3. DEI consiliô Israëlitæ instruuntur ad bella cum Cananæis. Sic 1. Reg. 15. Saul, & 1. Reg. 25. David jussu Dei bellum gesserunt. Sic Lucæ 3. S. Joannes Baptista interrogatus à militibus, quid ipsis esset agendum, ut facerent fructus dignos pœnitentiæ? Non improbavit illorum professionem, sed solùm respondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Adeoque censuit vitam militarem non repugnare cum via ad salutem æternam, & consequenter esse honestam ac licitam. Deinde ratio est: quia homines ex lege naturali habent jus propulsandi injurias, vel defendendo se, & prohibendo, ne inferantur, vel aliquo modo illatas ulciscendo, & amoliendo, ut sic tuti ac quieti vivere possint. Atqui sæpe fit, ut indicata propulsatio injuriarum obtineri non possit nisi per bellum, quando nempe non datur communis utrique parti superior, ad quem recurratur, ut ejus authoritate obtineatur compensatio & vindicatio injuriæ. In quo proinde casu bellum necessarium, adeoque & licitum erit. Vid. Valentia to. 3 disp. 3. q. 16. pu. 1. Sayrus in clavi Reg. lib. 7. cap. 13. n. 1. & 2. Filliuc. tr. 29. cap. 9. n. 179. Bonac. de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 1. pu. ult. §. 1.

Ex

3 Ex dictis habetur contra Lutherum, omninò justum ac licitum esse Christianis bellum contra Turcas. Ratio est: quia Turcæ sunt immanissimi hostes Christianæ Reipublicæ, cui per vim, rapinas, invasiones & direptiones florentissimorum regnorum & provinciarum gravissimas injurias intulerunt, & quotidie inferre moliuntur: ergo ad vindicandas ac propulsandas ejusmodi barbarorum istorum injurias maximè justum est bellum gerere. Quod ipsum agnovit denique idem Propheta Islebicus in lib. Visitat. Saxon. ubi temerarios vocat eos, qui clamant, Turcæ non esse resistendum. Vid. Valent.

4 Dico secundo. Ut bellum sit licitum, tres conditiones requiruntur, scilicet legitima authoritas indicentis, justa causa, & recta intentio. Ita communis & certa sententia cum S. August. lib. 22. contra Faust. cap. 74. & 75. Declaratur Concl. Prima igitur conditio est auctoritas indicentis. Ubi sciendum est, nobis hic esse sermonem de bello offensivo, ad bellum quippe, quod est defensivum tantùm, non requiritur aliqua auctoritas Superioris id indicentis: cùm cuilibet etiam privata authoritate liceat se defendere. Quod jam in n. 1. indicavimus. Porrò auctoritas indicendi bellum est penes Rempublicam, eámque non qualemcunque, sed perfectam. Quo nomine intelligitur illa, quæ in jurisdictione non habet superiorem, ad quem sit recursus pro dirimendis controversiis, sed quæ ipsa per se finit lites. Tales sunt Regna, & quidam Ducatus in Italia, sicut & Respublicæ liberæ, ut Venetorum, Genuensium, Helvetiorum. At non Principatus in Germania. Nam isti pro Superiore agnoscunt Imperatorem; ad cujus proinde tribunal pro vindicatione injuriarum debent recurrere. Valent. pu. 2. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 4. Quod si Princeps supremus, seu Magistratus, ad quem recurritur, negligat, vel non audeat vindicare injurias, tunc necessitas ipsa tribuit licentiam inferendi bellum hostibus, cósque pro meritis puniendi; ut cum aliis monet idem Laym. loco cit.

5 Secunda conditio est justa causa. Hæc generaliter loquendò est unica, scilicet accepta injuria, quæ per bellum, utpote actum justitiæ vindicativæ, vindicanda & compensanda suscipitur. Non sufficit autem qualiscunque injuria, sed debet omnibus pensatis esse vel major, vel saltem non minor, quàm damna, quæ bellum afferre solet, ut cum communi DD. tradit Valentia loco cit. ex illo Deuter. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.*

6 Cæterùm in specie multæ recensentur causæ, ob quas licitum sit inferre bellum. Scilicet primo, ut obtineatur id, quod jure gentium permittitur, & injustè denegatur: cujusmodi est v. g. innoxius transitus. Exemplum est in S. Scriptura, Numer. 21. Secundo, ut recuperetur, quod proprium est, & iniquè detinetur ab hostibus. Exemplum est 2. Reg. 2. Tertio, ut vindicetur publica contumelia Principi, vel Reipublicæ irrogata. Exemplum est 2. Reg. 10. Quarto, ut ultio sumatur de gente vel Principe hostibus injustum bellum gerentibus supperias ferente. Exemplum est 2. Reg. 8. Quinto, ut pœnas dent rebelles subditi, eorúmque fautores, & qui ipsis auctores sunt rebellionis. Exemplum est 2. Reg. 20. Sexto, ut animadvertatur in eos, qui improbos & nocentes defendunt, quominùs puniantur, quos tamen puniri multùm interest boni communis. Exemplum est Judic. 20. Septimo, ut castigentur, qui pactum & fœdus cum Republica vel Principe initum violârunt. Exemplum est 4. Reg. 3. Octavo, ut sociis & fœderatis Reipublicæ contra hostes eorum feratur auxilium. Exemplum est Genes. 14. Vid. Valent. pu. cit. Sayrus n. 4. Bonac. §. 2. n. 7. Laym. n. 5.

7 Ad meliùs jam accommodandam praxi hanc secundam conditionem belli, advertendum est primo, quando adest justa causa, bellum non tantùm licitè susci pi posse ab iis, qui passi sunt injuriam, sed eosdem licitè quoque adjuvari ab aliis, qui belli velint esse socii. Ratio est: quia sicut exercere opus bonum non potest non esse bonum, ita etiam adjuvare quemquam in bono opere. Atqui bellum justum est opus bonum; ergo. Valent. colum. 966. Bonac. n. 5. Ex quo eodem capite licitum est alios quoque advocare in societatem belli justi, etiam infideles per se loquendo. Quid enim prohibeat petere ab aliis, quod ipsi sponte sua licitè præstare possunt? Dixi, *per se loquendo.* Nam per accidens ratione scandali, & secuturi nocumenti publici plerumque illicitum erit Judæos vel Turcas contra Christianos habere belli socios. Laym. n. 6. Unde malè audit Franciscus I. Galliæ Rex, quòd contra Carolum V. Turcas in subsidium accersiverit.

8 Advertendum est secundo, in eo, qui bellum indicit, non sufficere qualemcunque persuasionem de justitia illius, sed requiri certam, vel valde probabilem. Unde diligenter rem totam examinare debet per se, & per alios. Ratio est: quia alioquin temerè se conjicit in periculum aliis injustè inferendi gravissima damna. Sayr. n. 6. Filliuc. tr. 29. cap. 9. n. 181. Si facta sufficiente inquisitione causa maneat dubia, sitque res

res in possessione alterius, tunc non licet contra eum movere bellum. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis. Debet tamen ejusmodi possessor & ipse rem diligenter examinare, utque modo convenienti examinetur, permittere, idque etiam admissis legatis alterius partis, si opus esset. Quòd si hoc nollet, injuriam inferret parti petenti, & hoc ipso nomine bello invadi posset. Valent. colum. 967. Sayr. n. 7. Bonacina n. 8. Si neutra pars possideat rem dubiam, v. g. in controversia de jure hæreditario ad regnum, mortuo Rege, tunc neutra pars armis sibi potest vindicare rem totam, potest tamen partem æqualem, vel inæqualem pro ratione dubii utrimque æqualis, vel inæqualis, ut habent Authores primùm citati.

9 Advertendum est tertio, ipsis militibus non incumbere tantam obligationem examinandi & cognoscendi justitiam belli, quanta incumbit Principi id indicenti, ejusque Consiliariis. Nam si miles est subditus, aut stipendiarius, ut licitè militet, satis est non scire, belli causam esse injustam, etiamsi de hoc ipso dubitet. Si non sit Principi aliunde subjectus, ejusve stipendiarius, tenetur quidem dubium de justitia belli, in quo vult navare suam operam, deponere mediante judicio probabili, quo prudenter reputet, bellum esse justum: sed ad formandum hoc tale judicium sufficere illi poterit bona existimatio, quam alioquin habet de justitia & æquitate Principis. Vide, quæ de his diximus suprà tract. 1. disp. 3. a. 3. n. 38. & 39. Illud tamen adddendum, eos milites, qui, insuperhabitâ justitiâ aut injustitiâ belli, parati sunt ad militandum cuivis, dummodò præbeat stipendium, esse in statu peccati mortalis, nec posse absolvi à Confessario, nisi corrigant hoc malum propositum. Valent. columnâ 968. Laym. ubi suprà, n. 8. & DD. communiter.

10 Advertendum est quarto, non esse statim indicendum bellum, postquam constat, ejus causam esse justam, sed eandem causam debere priùs parti adversæ proponi, ab eaque peti condignam satisfactionem, & acceptari intermisso bello, si offeratur; si non offeratur, tum demum posse indici bellum. Colligitur inprimis ex illo Deuter. 20. *Si quando accesseris ad oppugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* Deinde ratio est: quia, ut bellum sit licitum, debet esse necessarium ad finem obtinendi compensationem injuriæ, ut satis constat ex dictis. Atqui non est necessarium ad hunc finem, si petita pacificè à parte adversa satisfactio offeratur, & solùm est necessarium, si non offeratur; ergo. Vid. Valent. colum. 969. Laym. n. 5. Bonac. n. 9. Qui iidem Authores optimè notant, per accidens fieri posse, ut subsistente justa causa belli non liceat eo petere hostem, etiamsi nolit præstare debitam satisfactionem: quando nempe ex tali bello secutura prævidentur magna scandala, damnáque multò majora in Republica Christiana. Licèt enim in hoc casu bellum non esset contra justitiam, tamen esset contra charitatem, ex cujus præcepto Princeps læsus tenetur sua commoda postponere majori bono Reipublicæ.

11 Tertia conditio liciti belli est recta intentio. Quæ in eo consistit, ut suscipiatur studio boni communis, & pacis, & nequaquam ob alios sinistros fines, quos recenset & improbat S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 74. cùm ait: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt, similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.* Defectus tamen hujus tertiæ conditionis non parit obligationem resarciendi damna illata parti adversæ, sicut parit defectus priorum scilicet auctoritatis & justæ causæ, ut habet communis omnium consensus. Vid. Sayrus n. 8. Filliuc. n. 182. Ratio est: quia hic defectus bonæ intentionis non adversatur justitiæ, sicut priorum conditionum, sed tantùm charitati.

12 Nunc ad tertium, quod explicandum suscepi, nempe quomodo gerendum sit bellum, progredior. Ubi notandum est primo, modum rectum gerendi bellum, quod alioqui justum ac licitum esse supponitur, non tantùm in ipso conflictu, sed etiam in præparatione ad illum; & postea, partâ victoriâ, esse tenendum: eundem verò consistere in iis actionibus, quas vel jure naturæ, vel jure gentium in hostes, & in res eorum exercere licet. Notandum est secundo, propter tres fines licitè geri bellum; nempe, primo ad impetrandam rei ablatæ debitam compensationem, sive ad rem ipsam recuperandam. Secundo, ad injuriam justè vindicandam, servata videlicet proportione culpæ. Tertio, ad pacem stabiliendam & firmandam.

13 Dico jam tertio. In bello omnia licet facere adversus hostes, quæ necessaria sunt, sive apta & accommodata ad assequendum aliquem ex indicatis finibus, vel illos omnes. Ita omnium Doctorum consensus apud Valent. pu. 3. columnâ 974. Ratio est: quia omnium judiciò in actione justâ ad aliquem finem vel fines ordinatâ licitum est adhibere media necessaria, vel apta ad eundem finem, vel fines: cùm proinde bellum justum, ceu actus justitiæ vindicativæ, sit ordina-

tum ad memoratos fines, haud dubiè licitum est adhibere in illo omnia media ad eos fines, vel aliquem illorum obtinendum necessaria & apta. Dixi, *necessaria & apta*, Alia quippe, si alioqui damnosa sint proximo, non possunt adhiberi illæsâ justitiâ, &, si adhibeantur, resarciri debent damna hostibus inde illata, résque ablatæ restitui. Valent. loco cit. Atque ex his

14 Infertur jam primo, in bello justo licitum esse uti insidiis. D. Thomas 2. 2. q. 40. a. 3. Constat inprimis ex S. Script. Josue 8. ubi Deus ipse præcepit Josuæ, ut insidiis uteretur ad expugnandam civitatam Hai. Deinde ratio est: quia insidiæ quoque & strategemata sunt apta media ad assequendum prædictos belli fines, cúmque aliunde nullus teneatur hostibus aperire sua consilia, fas erit ea occultando efficere, ut decepti nocumentum patiantur: modò absit mendacium. Hoc enim neque in bello est licitum. Quamvis si committatur ad fallendum per insidias, non sit peccatum mortale; quale tamen est ex genere suo in promissionibus seu pactis cum hoste initis, utpote mendacium injuriosum ac pernicioſum. Vid. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 10. Bonac. §. 3. n. 15. Sporer tract. 5. in 5. præcpt. Decal. cap. 2. n. 115.

15 Infertur secundo, etiam in bello defensivo, si publica auctoritate geratur, licitum esse damna inferre hostibus tum ad vindicandam injuriam illatam, tum ad firmandam pacem imposterum. Valent. pu. cit. colum. 975. Filliuc. ubi suprà n. 190. Bonac. n. 16. Ratio est: quia vindicatio injuriæ, & firmatio pacis possunt esse fines cujusliber belli justi, quod publica authoritate geritur, & ad eos assequendum adhiberi apta media: ut proinde bellum defensivum possit simul esse offensivum. Aliud est de bello defensivo, quod privata auctoritate alicujus, vel aliquorum geritur. In hoc enim non licet plus nocere invasoribus, quàm ad conservandum séque, suáque necessarium est. Valent. loco cit. Ratio est: quia penès privatos non est auctoritas ulciscendi injurias, vel ad firmandam communem pacem puniendi perturbatores ejusdem.

16 Infertur tertio, neque in conflictu bellico, neque post illum esse per se licitum occidere innocentes. Ita communis. Ratio est: tum, quia dicitur Exodi 23. *Insontem & justum non occides.* Tum, quia non apparet, ob quemnam ex tribus belli finibus, quorum meminimus, rectè per se occidi possint. Tum, quia Respublica nocens non potest puniri in suis partibus, nisi secundùm quod subsunt ejusdem dominio. Atqui innocentes dominio Reipublicæ non subsunt secundùm vitam; ergo. Vide præterea, quæ diximus in Articulo; Sed dices fortè, posse per se occidi ad firmandam in futuro pacem. Contra tamen est, quòd periculo turbandæ aliquandò pacis, si timeatur ex innocentibus, occurri possit eos redigendo in servitutem, aut captivitatem, quod licitum est, saltem jure gentium. Valent. colum. 976. Neque obstat, quòd aliter quandoque factum esse legamus in S. Script. ut Josue 6. & 1. Reg. 15. nam dicitur, eam fuisse specialem & extraordinariam voluntatem Dei, qui est Dominus vitæ omnium. Cæterùm nomine innocentium præter infantes & mulieres veniunt Clerici, Religiosi, peregrini, homines simplices, ac rusticani, mercatores ex ranei, sive non cives hostium Reipublicæ, juxta cap. *Invocamus, de treuga & pace.* Hi omnes secundùm juris præsumptionem sunt innocentes, donec contrarium de illis ostendatur. Vid. Laym. n. 11. An demum per accidens, ac indirectè occidere liceat innocentes, disputatum est in a. cit.

17 Infertur nihilominùs quarto, licitum esse in bello exspoliare innocentes, qui sunt partes Reipublicæ adversariæ, vastando eorum agros, abigendo jumenta, auferendo pecunias, arma, commeatum &c. Valent. colum. 977. Laym. n. 12. Sporer n. 122. Ratio est; quia hoc potest esse medium idoneum, tum ad vindicandam injuriam in iis rebus, quæ subsunt dominio universali Reipublicæ injuriosæ; cujusmodi res sunt bona civium ejusdem, etiam innocentium. Tum præterea ad magis stabiliendam pacem. Sic enim debilitatis adversariæ Reipublicæ juribus obtinetur, ut eadem bellum vel non redintegret, vel non continuet. Dixi verò, *innocentes, qui sunt partes &c.* Nam alios, quales sunt peregrini, Clerici, ac Religiosi; nunquam per se, sed solùm per accidens licitum est bonis spoliare, quando aliter finis belli obtineri nequit. Transactô tamen bellô his talibus omnia, quæ ablata sunt, restitui debent, nisi bona fide in usum belli absumpta fuerint. De hujus restitutionis obligatione jura sunt certissima, inquit Sporer, sed praxis inaudita.

18 Infertur quinto, licita esse Repressalia, ut vocantur. Repressalia sunt litteræ, quibus Princeps, aut Respublica subditis, aut militibus suis injustè damnum passis concedit potestatem invadendi terram eorum, qui damnum intulerunt, atque ex bonis incolarum, etiam innocentium, sibi compensandi, quod injustè ablatum est, si illorum Princeps, vel Respublica de hoc ante admoniti compensationem facere, aut impera

perare neglexerint. Nunc ratio illationis est: quia id, quod conceditur per litteras Repressalium, est quædam species belli: ergo iisdem obtentis licitum est subditis Reipublicæ læsæ uti mediis ad justam rerum ablatarum compensationem extorquendam aptis, sicut in alio bello quocunque. Eadem tamen Repressalia concedi non possunt, vel extendi ad personas Ecclesiasticas, & bona earum, ut patet ex *cap. unico, de Injur. lib.* 6. *Decretal.* ubi hoc prohibitum est sub pœna Excommunicationis ipso jure lata in personas singulares, & Interdicti in communitatem, nisi ejusmodi præsumptam licentiam intra mensem à die concessionis, aut extensionis revocent. Vid. Valent. colum. 978. Laym. n. 13. Sporer n. 123.

19 Infertur Sexto, non esse licitum pro compensatione parvi damni, quale est v. g. si hostis cepit unam aliquam civitatem, vastare integram provinciam, vel regnum. Ratio est: quia hoc non est medium secundùm regulas prudentiæ aptum ad ejusmodi finem, sed omninò excedens mensuram rectæ rationis. Valent. loco cit. ubi tamen concedit ex communi sententia, aliquando pro injuriis integræ provinciæ vel regno ab hoste illatis posse licitè vastari prorsus, aut militibus in prædam dari aliquam, vel etiam aliquas civitates. Ratio est: quia hoc aliquando, sive interdum, potest esse medium aptum ad fines belli suprà memoratos. Monet verò idem Valentia, id non esse concedendum militibus nisi raro, & ob gravissimas causas. Quia in ejusmodi deprædationibus hoc genus hominum patrare solet innumera flagitia, cædésque injustas eorum, qui neque sunt nocentes, neque esse, meritò præsumi possunt. Vid. etiam Laym. loco cit.

20 Infertur septimo, in bello justo esse licitum occidere, spoliare, capere, aliisque incommodis afficere, tum in ipso conflictu, tum post partam victoriam, omnes, qui iniquè & hostiliter repugnant, cujuscunque conditionis, status, aut sexûs existant. Valent. loco cit. Sayr. lib. 7. clav. Reg. cap. 13. n. 9. Bonac. n. 21. Sporer n. 114. Ratio est: quia quodlibet istorum solet esse aptum medium ad aliquem belli finem. Et ita quidem sentiendum secundùm rigorem justitiæ. Quem tamen æquum est mitigare, primo, ut partâ jam victoriâ, solius vindictæ titulo non semper liceat occidere omnes nocentes. Ratio est: quia hoc interdum non fieret sine magno detrimento boni communis, ut, si iidem essent valde multi, v. g. integra civitas, vel provincia. Secundo, ut non occidantur obsides, aut illi, qui se sponte dediderunt, quamvis fuerint nocentes, si iisdem de salute data sit fides. Ratio est: quia fidem etiam hostibus servare oportet. Imò consueto jam more, inquit Laym. & quasi jure gentium, post partam victoriam & redditam securitatem, captivis etiam nocentibus vita condonatur: nisi de peculiari crimine, quale est perduellionis, læsæ majestatis &c. convicti, aut damnati sint. Tertio, ne Christiani capti à Christianis in servitutem redigantur. Ratio est: quia id fieri prohibet diuturna consuetudo, vi cujus apud nos istud jus Christianos bello captos detrudendi ad condi ionem mancipiorum exolevit; quamvis etiamnum vigeat apud infideles. Iidem tamen retineri possunt à victore, donec pecuniâ, aut alio modo redimantur. Videantur de his omnibus Authores citt. Nunc hactenùs dictis nonnullæ quæstiones addendæ sunt.

21 Quæritur autem primo, ad quos pertinere debeant spolia, & prædæ in bello justo ex hoste reportatæ, seu captæ? Respondeo primo, res mobiles ex hostibus acceptæ jure Gentium fiunt militum capientium. Ita communis DD. cum D. Thoma, lib. 3. de Regim. Princip. cap. 11. constátque ex l. *si quid bello. ff. de Captivis*, & §. *Item ea. Instit. de rer. divis.* & ex S. Ambrosio, lib. 1. de Abraham, cap. 3. ubi dicit, ad illum jure pertinuisse res illorum Regum, quos devicit, ut refertur Genes. 14. Confirmat hoc etiam hodierna consuetudo; præterquam, si fortè alicubi usu receptum sit, ut omnes prædæ ad Ducem afferantur, ab eodem inter milites pro cujusque meritis & dignitate distribuendæ. Sed consuetudo memorata, quæ non expectat ejusmodi distributionem, planè fundata est in juribus, præsertim in dicto §. *Item ea*, ubi dicitur: *Quæ ex hostibus capimus, jure Gentium statim nostra sunt.* Monet autem Laym. n. 14. tales prædas seu spolia rerum mobilium non esse computanda in compensationem debiti principalis, quod is, qui justum bellum gerit, ab hoste jure exigere potest.

Respondeo secundo. Res immobiles in bello occupatæ jure Gentium cedunt Principi bellum indicenti. Ita communiter DD. Et patet ex l. *si captivus*, §. 1. *ff. de Captivis.* Sed limitanda est hæc responsio, ut non procedat, si res immobilis ab hoste, cui erepta est, antè injustè possessa fuit. Tunc enim priori domino restitui debet, ut ex communi docet Valent. colum. 981. Laym. loco cit. Qui tamen concedunt cum aliis, rem mobilem ex injusta possessione hostis ereptam non debere restitui pristino domino, sed jure Cæsareo ob bonum commune ita volente, fieri capientis; saltem postquam ad locum tutum deportatam pacificè possidere incipit. Excipi tamen debent, teste Laym. ea mobilia, quæ jure postliminii gaudent, ut currus, & naves onerariæ, quibus commea-

meatus, aliaque similia pro usu belli advehuntur. Illa enim pristinis dominis restituenda sunt.

22 Quæritur secundo, utrùm in bello captis fugere liceat, si habeant opportunitatem? Respondeo primo. Capti in bello, etiam justo ex parte capientium, licite possunt aufugere ad suos, si absit scandalum, & specialis permanendi promissio. Ita communior sententia, quam tenent Valent. colum. 983. Filliuc. tract. 29. cap. 9. n. 201. Bonac. ubi sup. à n. 26. Laym. n. 16. Sporer n. 118. Ratio est: quia sic jure Gentium introductum esse usus ipse jam docet, ut etiam justè capti ab hostibus, si ad suos fugiendo redeant, pristinam libertatem consequantur: ut habetur rursus in §. *Item ea, quæ ab hostibus. Instit. de rer. divis.* Neque dicas: Dominus ejusmodi fugitivum ex fuga retrahere, & punire potest: ergo non fugit licitè. Respondetur enim, neg. conseq. non enim hoc potest Dominus, quia captivus fugiendo peccat, sed, ut sibi caveat de proprio damno. Etiam damnati ad mortem graviter puniuntur, si fugiant ex captivitate, & deprehendantur; quamvis juxta receptam sententiam D D. inde fugiant sine peccato.

Respondeo secundo. Capti in bello ex parte capientium injusto, v. g. Christiani à Turcis, possunt, secluså speciali permanendi promissione, non tantùm licitè fugere, ut colligitur à fortiori ex priori Responsione; sed etiam ex rebus illorum, à quibus detinentur, tantum auferre propria authoritate, quantum in compensationem vel damni illati, vel mercedis debitæ pro præstitis servitiis petit & permittit æquitas. Ita Molina, quem referunt & sequuntur Laym loco cit. Sporer n. 119. Ratio est: quia, ubi nemo jus dicit, à quo impetrari possit, quod æquum est, quilibet, secluso scandalo, per se ipsum aperte vel occultè potest accipere, quæ sibi liquidò debentur.

23 Quæritur tertio, quibus modis potissimùm peccari soleat in bello? Certum est, ut docet experientia flebilis & lamentabilis, innumera, & enormia esse peccata, quæ, dum bellum, quamvis alioquin justum, geritur, committuntur. De quibus ut distinctiùs respondeamus, juvat procedere per omnes classes eorum, qui in bello gerendo occupantur. In prima sunt Dux supremus, & Magistratus, quorum authoritate bellum suscipitur & geritur. In secunda Duces seu Polemarchi supremo subordinati. In tertia Præfecti & Officiales alii minores. In quarta demum milites gregarii. Nunc

Respondeo primo. Dux supremus seu Magistratus graviter peccat primo, si militibus justa stipendia non provideat: ex quo fit, ut iidem per injurias & damna innocentium sibi quærant, unde alantur: quæ proinde damna ejusmodi Princeps resarcire teretur. Laym. n. 18. Peccat secundo, si militaris disciplinæ incurius milites ab injustis incursionibus, rapinis, stupris &c. non coërceat. Unde etiam obligationem restituendi contrahit: cùm ejusmodi damna ex justitia teneatur impedire, quantùm fieri potest. Laym. loco cit. Sporer n. 124. Peccat tertio, si exercitum sine causa, & temere exponat, vel exponi sinat evidenti ac magno periculo. Id enim vel maximè repugnat officio ipsius. Quia, ut ait Vegetius lib. 3. de re milit. cap. ult. *Boni Duces publico certamine nunquam, nisi ex occasione, aut nimia necessitate, confligunt.* Vid. Valent. colum. 980. Alia istorum peccata passim colliguntur ex dictis.

Respondeo secundo. Duces supremo subordinati peccant primo, si milites suos temere citra causam necessitatis hostili ferro in certam internecionem objiciant. Secundo, si, dum nulla cogit necessitas, castrametentur in locis palustribus, aut ita insalubribus, ut sit periculum morborum, & contagiorum. Tertio, si per injustorum & usurariorum cambiorum, seu permutationum pecuniæ avaras industrias stipendia persolvant. Quarto, si in exercitu repræsentent majorem numerum personarum, ut plura stipendia recipiant: vel, si majorem numerum militum, pro quo pecunias accipiunt, non compleant: quod interdum cedit in grave damnum Reipublicæ. Quinto, si veteranos & exercitatos dimittant illis novos inexpertos minori stipendiô substituentes. Sexto, si militibus stipendia subtrahant, permissâ licentiâ à rusticis, aliisque innocentibus extorquendi necessaria. Septimo, si per provinciam ducentes exercitum à pagis & civitatibus pecuniam accipiant ad redimendas hospitationes, ut scilicet non ad illos, qui pecuniam dederunt, sed ad alios subditos milites, ac ipsi divertant: quod non fit sine injusto damno eorumdem subditorum. Vid Laym. loco cit. Bonac. n. 27. Sporer n. 125.

Respondeo tertio. Alii Officiales in exercitu peccant primo, si victualia exercitui necessaria convehi non curent; aut militi cibum, potumve corruptum, unde morbi oriantur, præbeant, idque vel per avaritiam, vel negligentiam. Secundo, si commeatum non in debita, sed in minori, quàm necessarium, aut præscriptum est, quantitate militibus suppeditent. Tertio, si ab iisdem pro cibo, potu, aliisque necessariis plus, quàm debeatur, accipiant. Quarto, si domibus quorumdam in quas hospitii causâ mittendi

essent milites, parcant acceptâ pecuniâ, unde alios incolas plùs gravari necesse sit; vel si econtra uni militi assignent plures domos, ita tamen, ut in unam tantùm divertat. Quinto, si pulverem tormentarium, & machinas bellicas corrumpi sinant, ut in expeditione, propugnatione, aut conflictu vix ulli, vel planè nulli sint usui. Vid. Laym. Bonac. Sporer locis cit.

Respondeo quarto. Milites gregarii ratione stipendii, quod accipiunt, contra justitiam peccant primo, si Ducibus, & Præfectis suis in iis, quæ ad belli administrationem pertinent, non obediant. Secundo, si in pugna non persistant, sed, victoriâ nondum palàm desperatâ, fugiant, itaque aliis commilitonibus timorem incutiant. Tertio, si stationem deserant, arcem sibi commissam non defendant, etiam cum periculo vitæ, quamdiu spes eam conservandi superest. Quarto, si citra Ducis sui consensum à castris, vel exercitu discedant. Nisi fortè ad hoc gravi necessitate ob negatum injustè stipendium adigantur. Tunc enim in foro conscientiæ ejusmodi desertores excusantur à peccato; quamvis in foro externo, si deprehendantur, supplicio capitis plectantur, sicut decretum est in *l. omne. §. qui in facie. ff. de re militari.* & *l. 3. ff. ad l. Juliam Majest.* Quinto, si contra præceptum S. Joan. Baptistæ apud Lucam cap. 3. stipendiis suis non contenti in terris non hostilibus, per quas transeunt, aut in quibus hospitantur, rusticos, aliosque innocentes spolient, & injustis exactionibus vexent. Ubi eos non excusat, quòd injustam stipendiorum diminutionem, aut dilationem patiantur. Non enim hinc sequitur, innocentibus incolis esse luendum, quod militibus alienâ culpâ, vel impotentiâ subtrahitur. Sed neque excusat authoritas, & dissimulatio Ducis talia permittentis, nisi in casu gravissimæ necessitatis, quæ cuilibet jus tribuit sumendi alimenta necessaria, etiam ex rebus innocentium. Ejusmodi tamen Dux belli tenetur in conscientia compensare damna illis, quibus sunt illata, quantùm moraliter potest, si, ut inferrentur, per injustam detentionem stipendiorum fuit in causa. Vid. Valent. colum. 979. Bonac. Laym. locis citt. Sporer n. 126. Porrò attenti hîc debet consuetudo, quæ alicubi obtinet, ut hospites militibus habitationem, ligna, paleas, acetum, oleum &c. gratis præbeant. Ubi per accidens, & quasi fortuitò una pars Provinciæ plùs oneratur quàm altera. De quo proinde illius incolæ non possunt esse prudenter inviti. Laym. Sporer citt. Cæterùm in omnibus peccatis bellicis, quæ toto hoc n. 23. recensuimus, aliisque similibus innumeris, quibûs injusta damna inferuntur, præter moralem malitiam verissimè inest obligatio ad restituendum illis, quibus ejusmodi damna inferuntur. Sed, bone Deus! quis hodie bellatorum curat hanc obligationem?

24 Quæritur quarto, an hosti injustum bellum gerenti fides publica servanda sit? Respondeo affirmativè cum D. Thoma, 2. 2. q. 40. a. 3. quæ etiam est doctrina S S. Augustini epist. 205. ad Bonifac. & Ambrosii lib. 1. Offic. cap. 29. Ratio est: quia fœdera publica jure gentium, quod omnibus commune est, introducta sunt propter necessitatem communis salutis, & pacis in humana societate; quæ minimè possent consistere, si fides data per ejusmodi fœderà non esset studiosè servanda. Hæc tamen intelligi debent, nisi fœdus ex objecto malum, & consequenter non obligatorium sit. Vid. Laym. n. 15.

25 Dices. In bello plerumque accidit, ut pars altera per vim injustam compellatur ad fœdus ineundum: ergo potest illud rescindere. Confirmatur. Pactum, seu fœdus, ad quod ineundum privatus fuit adactus ab alio privato injustam vim inferente, rescindi potest: ergo etiam rescindi potest fœdus alteri parti belligerantium per injustam vim extortum. Respondeo ad Object. neg. conseq. cùm enim, ut supponitur, tunc fœdus ineuntes non habeant Judicem superiorem, qui ipsis causâ cognitâ jus dicat, quilibet eorum postea posset obtendere, se ad paciscendum fuisse vi adactum, adeoque fœdus à se posse rescindi. Ex quo quanta sequerentur inconvenientia, quis non videt? Ad Confirmat. conc. Ant. neg. similiter Conseq. disparitas colligitur ex dictis: quia paciscentes privati, ut supponitur, alicui Magistratui subsunt, à quo ille, qui injustam vim intulit, potest, causâ cognitâ, compelli, ut promissionem injustè extortam remittat, & non exigat, quamvis etiam juramentô fuisset firmata.

26 Dico nunc quarto. Non tantùm laici bellum justum gerere, inque eo licitè pugnare possunt, sed etiam Clerici Minoribûs solùm initiati; non tamen constituti in Majoribus Ordinibus. Ratio primi est: quia quilibet bono operi, quale est bellum justum, licitè cooperatur, nisi aliunde sit ei prohibitum. Atqui bellum gerere laicis non est prohibitum. Ratio secundi est: quia hoc Clericis in Minoribus permittit consuetudo, quæ abrogavit Canones, si qui sint in contrarium. Ita post Covarruviam in Clem. Si furiosus. par. 2. §. 3. n. 2. Valent. pu. 4. colum. 984. Filliuc. tr. 29. c. 9. n. 197, Bonac. §. 4. n. 29. Ratio tertii est; quia licèt Clericis in

Sacris

Sacris jure naturali non sit prohibitum pugnare in bello, prohibitum tamen est Jure Ecclesiastico, nimirum cap. *Clericum*. cap. *de his Clericis*. cap. *Clericis*, cap. *Quicunque ex Clero*, 23. q. 8. & alibi: idque docet D. Thomas 2. 2. q. 40. a. 2. Possunt tamen iidem propria manu pugnare in casu necessitatis, etiam non obtenta prius dispensatione, ut habent Filliuc. loco cit Laym. n. 19. Sporer ubi suprà, n. 94. Possunt præterea suadere bellum, si sit justum, eique interesse ad ferenda militibus spiritualia subsidia, eosque hortandum ad fortiter pugnandum, absque determinata tamen intentione occidendi alicujus in particulari. Filliuc. Bonac. locis citt.

Dico quintò. Licitum est bellare quolibet tempore, si excipiatur tempus induciarum, & dierum festorum. Ratio est quia circa tempus bellandi nulla hodie exstat prohibitio. Licèt enim in cap. 1. *de treugis & pace* vetitum fuerit opera belli exercere tempore Adventûs & Quadragesimæ, istud tamen decretum contraria consuetudine abrogatum est. Bonac. n. 30. Dixi, *si excipiatur &c.* nam in primis tempore induciarum fidem hosti datam servare oportet. Deinde bellare de se inter opera servilia computatur. Vide, quæ suprà disp. 4. à. 2. n. 8. diximus. 6

DISPUTATIO VII.

De sexto, & nono Præcepto Decalogi.

Theologi Morales hîc conjungunt ista præcepta. Quia idem utroque vel explicitè, vel implicitè prohibetur; scilicet non tantùm adulterium, sed etiam quælibet alia copula carnalis extra legitimum usum Matrimonii. Prohibentur præterea eîsdem omnes alii actus, qui ad turpem libidinem incitare, allicere, vel permovere possunt: ut tactus, amplexus, oscula, verba lasciva, cantus impudici, litteræ amatoriæ &c. Prohibentur itidem omnes affectus interni voluntatis, & inordinata desideria rei Venereæ: ut communiter sentiunt omnes D D. Neque existimes, si sexto quoque præcepto, *Non mœchaberis*, prohibetur omnis actus impudicus, etiam internus, nonum, *Non concupisces*, *&c.* esse superfluum. Nam in primis non est superfluum propter Judæos, qui falsò sibi persuadebant, solos actus externos libidinis esse malos. Deinde, quia Deus clariùs, atque distinctiùs constare voluit, concupiscentiam, desiderium, omnémque affectum internum deliberatum actus externi in materia luxuriæ esse illicitum. Nunc, ut ad ea, quæ in præsenti explicare molimur, propriùs accedamus, sit

ARTICULUS I.

De Luxuria in communi.

SUMMARIUM.

1. *Primæva acceptio* Luxuriæ. 2. *Quid sit Castitas, quid Pudicitia.* 3. *Castitas alia perfecta, alia imperfecta.* 4. *Virginitas propriè dicta non distinguitur re ipsa à Castitate perfecta.* 5. 6. 7. *Quot modis amittatur memorata Virginitas.* 8. *Definitio Luxuriæ.* 9. *Luxuria ex genere suo mortale peccatum est.* 10. *Et unum ex vitiis capitalibus.* 11. *Ac insuper maximè inimicum humanæ prudentiæ.*

1 NOmen *Luxuriæ* apud bonos Latinos significat generatim quemlibet excessum in usu rerum ad cultum seu voluptatem corporis pertinentium: v. g. in vestitu, epulis, unctionibus &c. nam & Cicero sic usurpavit istud vocabulum, quando dixit lib. 1. de Offic. *esse turpe luxuriâ diffluere, delicatè ac molliter vivere.* Nos autem hic sumimus luxuriam specificè pro excessu circa delectabilia tactûs in rebus Venereis: quo modo passim accipitur à Theologis, & significat peculiare vitium castitati oppositum: licèt ne sic quidem obtineat rationem speciei infimæ, sed subalternæ, cujus species postea enumerabimus.

2 Ut verò luxuria cognoscatur ex suo opposito, quod est Castitas, sciendum est, Castitatem generatim significare puritatem animi ab omni inordinato amore creaturæ cujuscunque alienam. Nos tamen non ita

loquimur de illa in præsenti, sed propriè ac specificè, quo sensu est virtus, quæ moderatur voluptates carnis, ne videlicet plùs, ne alio tempore, aut loco, néve aliter iis utamur, vel delectemus, quàm ratio præscribit pro statu præsenti. Unde materia illius proxima sunt motus interni concupiscentiæ, quos vel comprimit, vel subjicit rationi; remota sunt actus externi, quos moderatur modo memorato. Pudicitia non est virtus distincta à Castitate, sed est ipsa Castitas, quatenùs versatur circa actus illecebrosos, quorum homines præcipuè pudere solet, utpote signorum Venereæ voluptatis; quales sunt aspectus, oscula, tactus impudici. Vid. de hoc D. Thomas 2. 2. q. 151. a. 4.

3 Castitas duplex est: una perfecta & simpliciter dicta, quæ omnem voluptatem carnis, sive illicitam, sive etiam licitam, in perpetuum excludit. Alia imperfecta, & secundùm quid, quæ vel ad certum tempus, scilicet nuptiarum, illicitas carnis voluptates excludit: vel licitis in statu conjugii moderatè, & secundùm præscriptum rationis utitur. Quæ conjugalis Castitas appellari solet. Distinguitur autem specie perfecta Castitas ab imperfecta: quia alia ratio honestatis per se reperitur in illa, alia in ista, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 152. a. 3.

4 Ab eadem tamen perfecta Castitate non distinguitur re ipsa Virginitas propriè & Theologicè sumpta, prout nempe est virtus specialis, quam Deus in cœlo singulari laureola coronat. Definitur illa à S. Augustino in lib. de Virginit. cap. 13. *In carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Ubi per hanc vocem *meditatio* S. Pater haud dubiè non solùm actum aliquem intellectûs, sed etiam inde orium actum voluntatis, ejusdemque executionem intellexerit. Hanc Augustinianam definitionem declarat alia, quæ ex aliis D D. colligitur: Virginitas est *virtus firmiter intendens ac proponens ab omni deliberata voluptate venerea in corpus redundante perpetuo abstinere.* Dicitur *virtus.* quia ejusmodi voluptate non inquinari, dum subest nostræ potestati, honestum & laudabile est. Dicitur, *firmiter intendens &c.* quia in hac tali voluntate formaliter consistit ratio istius virtutis. Dicitur; *deliberata voluptate.* quia carere voluptate, quæ prævenit omnem deliberationem, non est materia virtutis. Dicitur *Venerea in corpus redundante.* ubi per voluptatem Veneream intelligitur tum omnis pollutio corporis, & commotio spirituum generationi servientium, tum etiam tactus quilibet impudicus, qui per se pollutionem potest efficere, etsi eadem per accidens, v. g. ob naturæ debilitatem, vel morbum, non sequatur. Porrò per posteriores particulas indicatur propria materia Virginitatis quà talis, nempe sola carentia voluptatis redundantis in corpus. Unde per turpem delectationem Internam non peccatur contra ipsam, quatenùs est formaliter Virginitas, sed quatenùs est simul identicè Castitas, cui omnis luxuria opponitur. Dicitur, *perpetuò abstinere.* quia alioquin etiam propositum abstinendi usque ad tempus conjugii esset virtus Virginitatis: quod non est receptum apud Theologos. Ex dictis

5 Colligitur primo, Virginitatem, quatenùs est virtus, amitti omnibus modis, quibus amittitur Castitas. Ratio est: quia ab ista non distinguitur re ipsa. Amittitur proinde tum per consensum in opus turpe; tum per delectationem morosam; tum per quodlibet opus turpe, etiam citra seminationem, voluntariè exercitum, activè, vel passivè. Amittitur, inquam, his omnibus modis, sed recuperabiliter; sicut aliæ virtutes, quæ per Pœnitentiam recuperari possunt. Imò addendum est, amitti etiam per voluntatem nubendi: quia videlicet propositum à licita quoque carnis voluptate in perpetuum abstinendi includit. Vid. Less. de Just. lib. 4. cap. 2. dubit. 16. n. 112. Filiuc. tract. 30. cap. 1. n. 22. Dixi verò, *quatenùs est virtus.* quia Virginitas vulgariter accepta pro integritate carnis, cum qua omnes nascuntur, quæque non est virtus, solùm amittitur per actum, per quem fit feminis resolutio, vel rumpitur signaculum muliebre, seu voluntariè, seu involuntariè.

6 Colligitur secundo, Virginitatem, prout est virtus, irrecuperabiliter amitti per quamlibet voluntariam violationem integritatis carnalis. Ita communis sententia cum D. Thoma, 2. 2. q. 152. a. 3. ad 3. Ratio est: quia perpetuò carere deliberata voluptate carnis, quæ redundet in corpus, eamque nunquam experiri est de necessitate Virginitatis. Sicut de necessitate innocentiæ est animam nullo unquam peccato mortali esse contaminatam. Ergo quemadmodum innocentia semel amissa recuperari non potest, ita nec Virginitas. Quàm enim fieri non potest, ut, qui semel est lapsus in peccatum, nunquam sit lapsus, tam fieri non potest, ut, qui semel expertus est voluptatem carnalem, nunquam fuerit expertus. Recuperari quidem potest quoad remissionem culpæ, quod amissum est in Virginitate; sed hoc non ampliùs dici potest Virginitas digna præmio accidentali, quod Virginibus promissum est. Vid. Lessius n. 116. Filiuc. n. 23. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. à n. 55.

Dictum

7 Dictum est autem, *per quamlibet voluntariam violationem &c.* quia, sicui pollutio in somno, citra causam voluntariè datam, eveniat, vel si Virgo violenter opprimatur, non amittitur coram Deo Virginitas mentis & corporis, sive quoad rationem virtutis, sive quoad dignitatem præmii Virginibus promissi, ut sentiunt communiter D D. quamvis tollatur virginitas illa muliebris, quæ in integritate claustri consistit. Amittitur porro Virginitas irrecuperabiliter primo, ex parte viri per copulam carnalem voluntariam: ex parte fœminæ itidem per copulam, sicut etiam per aliam quamcunque voluntariam turpitudinem, qua læditur claustrum virginale. Less. n. 117. Amittitur secundo per voluntariam pollutionem, etiam extra copulam D. Thomas q. cit. a. 1. ad 4. Amittitur tertio per turpes contactus, qui per se excitare possunt pollutionem, esto per accidens ea non sequatur. Less. n. 121. Contrarium tenet cum Cajetano & aliis Filliuc. n. 21. qui in viro ad amittendum Virginitatem requirit voluntariam resolutionem seminis. His præmissis,

8 Dico jam primo. Luxuria est vitium oppositum Castitati per excessum circa delectabilia tactûs in rebus ad generationem servientibus. Ita ex D. Thoma, 2. 2. q. 153. colligunt passim DD. Definitio ex se clara est, nec indiget declaratione ulteriori. Notat autem S. Isidoro D. Thomas q. cit. a. 1. luxuriosum dici quasi luxatum & solutum in voluptates. Sed quid magis dissolvit animum hominis, quàm voluptates Venereæ?

9 Dico secundo. Luxuria ex genere suo mortale peccatum est. Constat in primis ex Apostolo, ad Galat. 5. ubi luxuriam recenset inter opera carnis, de quibus ibidem affirmat, quòd, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Deinde ratio est: quia luxuria est perversus excessus circa rem maximè necessariam ad bonum commune, scilicet conservandam, propagandamque speciem humanam: cùm teste S. Augustino, in lib. de bono conjug. cap. 6. *quod est cibus ad salutem hominis, hoc sit concubitus ad salutem generis.* Ergo est exèessus & inordinatio in re gravi, adeoque peccatum grave. Vid. D. Thomas a. 3. Valent. to. 3. disp. 9. q. 3. pu. 3. colum. 2225. Less. dubit. 5. n. 4. Sayr. lib. clav. reg. cap. 1. n. 4.

Confirmatur. Propagatio naturæ, & conservatio humani generis, ad quam ex sua natura ordinatur actus carnalis, est bonum multò excellentius, quàm conservatio individui, ad quam ordinatur cibus & potus: ergo, cùm inordinatio, quæ committitur circa cibum & potum, ex genere suo sit gravis, & mortalis, à fortiori gravis erit inordinatio, quæ circa opus carnale committitur.

Dico tertio. Luxuria est insuper unum ex vitiis capitalibus. Ità cum S. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 31. & D. Thoma q. cit. a. 4. & 5. communiter D. D. Ratio est: quia ex illa tanquam radice plura alia vitia oriuntur. Homo enim propter vehementiam delectationis Venereæ multa alia peccata facit; vel certè, ne in illa incidat, se non cohibet, aut retrahit. Portò vitia, quæ ex luxuria oriuntur, ejusque filiæ nominantur, octo recensentur à S. Gregorio, videlicet: Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror, vel Desperatio futuri. Quæ omnia eleganter explicat D. Thomas a. 5. Less. à n. 42. Sayr. loco cit. His filiabus luxuriæ, quæ sunt internæ, S. Isidorus apud D. Thomam à primùm cit. addit quatuor externas, quæ sunt, Turpiloquium, Scurrilia, Ludrica, Stultiloquium; quorum genesim pariter declarat D. Thomas ibid. ad 4. 10

Notant verò Doctores, vitium luxuriæ præcipuè inimicum esse humanæ prudentiæ, eamque totam evertere. Quod sanè ostendunt priores quatuor filiæ ex illis octo internis. Hoc idem sensit Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 11. scribens: *Prudens indolentiam persequitur, non voluptatem. Deinde prudentiam impediunt voluptates, eoque magis, quo quis magis delectatur: qualis est ea, quæ ex rebus Venereis percipitur: in hac enim nemo quid potest intelligere.* Unde etiam Seneca lib. 1. Declamat. ait: *Nihil tam mortiferum ingeniis est quàm luxuria: siquidem rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, & hominem quasi bestiam facit.* Ex quibus omnibus illud demum deducitur, illis maximè pernicioſum esse hoc vitium, qui cæteris prudentiâ, vel sapientiâ debent antecellere, ut Prælati, Principes, Gubernatores, Judices, Doctores, Parochi, & similes. Vid. Less. n. 42. Filliuc. ubi suprà n. 31. 11

ARTICULUS II.

De Speciebus Luxuriæ.

SEx speciesLuxuriæ communiter recensentur: scilicet Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Vitium contra naturam. Quibus additur Sacrilegium, & Impudicitia. De his omnibus breviter agemus in præf. artic.

§. I.

De Fornicatione.

SUMMARIUM.

1. *Triplex acceptio Fornicationis.* 2. *Ejus definitio, ut hic accipitur.* 3. 4. *Est peccatum mortale.* 5. *Non potest fieri licita per ullam dispensationem, etiam Dei.* 6. 7. *& seqq. plures illationes ex dictis.* 11. *Expeditur quæstio, quid sit Concubinatus?*

1 NOmen *Fornicatio* à fornice deductum esse creditur. Nam olim meretrices in locis concameratis, iisque arcuatis, cujusmodi sunt fornices, se se prostituere solebant. Unde fornicari aliud non est ex origine verbi, quàm rem habere cum meretrice. Apud Theologos tamen tripliciter sumitur fornicatio, scilicet primo metaphoricè pro quovis peccato mortali, præsertim idololatriæ, & infidelitatis, in quantum per illud anima recedit à Deo legitimo Sponso suo, & adhæret creaturæ. In hoc tali sensu loquitur S. Script. Psal. 72. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Jerem 3. *Mœchata est cum lapide & ligno.* Judic. 8. *Fornicatusque est omnis Israël in eo*, nempe Ephod Gedeonis. Et infrà: *Fornicati sunt cum Baalim.* Secundo sumitur genericè, prout continet sub se omnem concubitum. Quæ acceptio habetur etiam in Jure Ecclesiastico, cap. *qui ergo.* 32. *q.* 2. cap. *meretricis. q.* 4. Sumitur tertio propriè ac specificè, prout est peccatum luxuriæ distinctum à cæteris speciebus ejusdem. In quo sensu eam hîc accipiendô.

2 Dico primo. Fornicatio est concubitus soluti cum soluta. Ita communiter re ipsa DD. Definitio non indiget ulteriore declaratione, dummodò advertatur, solutos hîc dici eos, qui non sunt ligati ullo vinculo conjugii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, Religionis, aut voti. Ex quibus colligitur, fornicationem hîc definitam carere omni alia deformitate peccati; ideoque vocari simplicem. Vid. Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 2. n. 1. Filliuc. tract. 30. cap. 2. n. 37.

3 Dico secundo. Hoc simplex fornicatio mortale peccatum est. Ita communiter Catholici contra Nicolaitas, Gnosticos, Græcos Schismaticos, nostrique temporis Anabaptistas. Est autem statuta Conclusio de fide; cùm apertè constet ex S. Scrip. 1. ad Cor. 6. ad Ephes. 5. ad Galat. 5. ad Hebr. 13. Apocal. 21. & alibi. Testimonia habes exscripta apud Valent. to. 3. disp. 9. q. 3. pu. 3. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 7. n. 47. Sayr. n. 2. Quod ipsum docent omnes Patres, & Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 154. a. 2.

4 Prob. eadem veritas etiam ratione. Quia in fornicatione exceditur regula rectæ rationis ex parte finis per humanam generationem à natura intenti, qui est bona prolis educatio & institutio. Hæc enim obtineri humano more non potest, nisi per marem & fœminam fœdere matrimonii colligatos: cùm sine hoc tali vinculo planè incerta, & periculo exposita esset memorata educatio. Et quia hic excessus regulæ rationis est in re gravi, sequitur esse gravem, adeoque peccatum mortale.

Neque dicas, etiam extrà matrimonium posse provideri de conveniente educatione prolibus illegitimis, præsertim Principum, aliorumque locupletium, idque multò meliùs, quàm filiis legitimis pauperum provideri solear. Respondetur enim, id esse per accidens, & minimè tollere deformitatem, quam actus fornicationis per se habet; cùm in illa semper prætermittatur conditio parentum, quam natura instituit, & exigit in humano concubitu ad prolem, quæ inde suscipitur, media educatione perficiendam; & consequenter nunquam consulatur proli, sicut oportet attenta rei natura, in hoc genere rectæ educationis. Accedit, cùm ejusmodi providentia non habeat locum, nisi in divitibus, quòd solis pauperibus, non autem divitibus, fornicario esset illicita; imò quòd, quantò quis ditior esset, tantò cum pluribus fornicari posset sine peccato. Quæ utique absurda sunt. Ex adducta jam ratione probationis sequitur, fornicationem non solùm jure positivo Dei, sed etiam naturali prohibitam; adeoque intrinsecè malam esse. Sententiam contrariam, quæ tribuitur Durando; aliisque paucis, damnavit Innoc. XI. dum proscripsit hanc propositi-

propositionem 48. *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam & solùm esse malam, quia interdicta est, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Vid. Viva parte 2. damnat. Thes. à pag. 119. Ex dictis

5 Infertur jam primo; per nullam dispensationem, etiam Dei, fieri posse, ut licita sit aliquando fornicatio. Ratio est: quia fornicatio est accessus ad mulierem non suam; sive eam, in cujus corpus vir non habet potestatem; sicut furtum est acceptio rei alienæ invitô dominô: ergo sicut Deus dispensare non potest in furto retinente rationem furti, sive acceptionis rei alienæ invitô dominô, ita nec potest dispensare in fornicatione retinente rationem fornicationis, sive accessûs ad non suam: cùm non minùs, quàm furtum, prohibita sit lege naturali, in cujus præceptis formaliter sumptis Deus dispensare non potest. Unde non obstat, quòd Deus Oseæ 1. præceperit Prophetæ: *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac filios fornicationum*: dicitur enim, Deum ibi solùm præcipisse Oseæ, ut duceret mulierem priùs fornicariam; adeoque non dispensâsse in præcepto non fornicandi formaliter sumpto, sed fecisse mulierem illam uxorem Prophetæ. Vid. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 7. n. 52. Laym. lib. 3. sect. 4. n. 10. Viva in propos. illam 48. n. 2.

6 Infertur secundo, non satisfacere in Confessione eum, qui per consummatam copulam fornicationem commisit, si præcisè dicat, se contra castitatem peccâsse cum soluta; sed debere addere, se habuisse copulam. Ita Card. de Lugo, disp. 16. de Pœnit. sect. 5. n. 238. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 1. §. 1. n. 2. Ratio est: quia omissa mentione copulæ non explicatur propria malitia fornicationis, ejusque specifica diversitas à quacunque alia malitia contra castitatem.

Infertur tertio, copulam fidelis cum
7 infideli habitam extra matrimonium esse solùm fornicationem simplicem. Ita Filliuc. tract. 30. cap. 2. n. 52. Tambur. n. 6. & alii apud Card. de Lugo disp. cit. sect. 6. n. 336. Ratio est: quia secluso scandalo, periculo subversionis, contemptu Christianæ Religionis, non apparet, unde habeat aliam malitiam. Neque refert, quòd in foro externo ejusmodi concubitus gravius puniatur, quàm ille, qui exercetur inter personas ejusdem Religionis: quia inde non colligitur malitia specie distincta, sed solùm gravior intra eandem speciem: sicut pœnæ, inquit Tambur. Constitutæ in homicidium qualificatum, v. g. proditorium, non arguunt, illud differre specie à non qualificato.

Infertur quarto, concubitum cum 8
sponsa alterius non esse adulterium, sed simplicem fornicationem. Sanchez lib. 1. de matr. disp. 2. n. 2. Filliuc. n. 53. Tambur. cap. cit. §. 2. n. 9. Ratio est: quia sponsô per sponsalia nondum competit jus in corpus sponsæ, sed primùm per matrimonium saltem ratum. Quo proinde supposito, & non antè, concubitus erit adulterium.

Infertur quinto, copulam soluti cum 9
vidua esse similiter fornicationem simplicem, non adulterium. Sayr. in clav. reg. lib. 8. cap. 2. n. 8. Tambur. n. 4. Ratio est: quia est concubitus soluti cum soluta. Nam mulier, *si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*, inquit Apostolus 1. Corinth. 7. Unde licèt peccatum luxuriæ in vidua sit gravius, quàm in meretrice, aliave fornicaria, à simplici tamen fornicatione non distinguitur specie.

Infertur sexto, peccatum frigidi, vel 10
eunuchi cum aliqua non esse simplicem fornicationem. Sanchez lib. 9. de matr. disp. 19. n. 8. Tambur. cap. cit. §. 1. n. 9. Ratio est: quia malitiæ fornicationis habet superadditam malitiam contra naturam; cùm in eo frustretur finis humanæ generationis, atque inutiliter sperma utriusque concumbentis provocetur. Unde ejusmodi impotens in Confessione debet exprimere, se esse talem.

Sed quæstio hinc oritur, quid sit con- 11
cubinatus? Respondeo, concubinatum esse fornicationem frequentem & consuetam cum fœmina soluta eâdem, sive fornicarius eam ut uxorem domi retineat, sive alibi habeat paratam ad concubitum toties, quoties ipsi libuerit. Portò concubinatus utroque hoc modo acceptus grave & periculosum peccatum est: quia concubinarius non tantùm peccat, sed etiam perseverat in statu peccati mortalis, continuoque proposito peccandi virtuali saltem. Unde talis non est absolvendus, etiam in articulo mortis, antequam concubinam domo ejiciat, dum suppetit moralis possibilitas ejiciendi. Secùs enim est indispositus ad recipiendam absolutionem. Quòdsi concubina alibi habitet, similiter non absolvendus est concubinatius, antequàm firmiter proponat, se non ampliùs accessurum ad illam; imò & probetur ejus in proposito constantia aliquo tempore; juxta prudens arbitrium Confessarii; præsertim, si, quod sæpe proposuit, non servavit. Vid. Sayr.

Sayr. n. 9. Filliuc. à n. 55. Bonac. de matr. q. 4. pu. 14. à n. 8. Tambur. cap. cit. §. 2. n. 2. Porrò Concilium Trident. *sess. 24. de Reformat. matr.* statuit, ut concubinarius ter ab Episcopo admoneatur, &, nisi resipuerit, excommunicetur: si verò neque tunc resipiscens per annum in excommunicatione perseveraverit, ab eodem castigetur ac puniatur. De concubina similiter statuit, ut ter admoneatur, ac deinde, nisi resipuerit, è civitate ejiciatur; imò etiam ex Diœcesi, si videatur Episcopo, adhibito quoque ad id brachio sæculari, si opus fuerit. De pœnis concubinariorum, qui Clerici sunt, vid. idem Concil. sess. 25. de Reform. cap. 14.

§. II.

De Stupro.

SUMMARIUM.

12. *Stuprum tripliciter accipitur.* 13. *Stuprum violentum malitiæ fornicationis superaddit gravem malitiam contra justitiam.* 14. 15. *& seqq. An ejusmodi specialem malitiam contineat etiam stuprum non violentum?* 18. *Hoc stuprum, quando fit absque consensu parentum, sæpe continet gravem malitiam contra charitatem, & pietatem.* 19. 20. *Consectaria practica ex dictis.*

12 STuprum accipitur primo generatim pro quovis concubitu legibûs prohibito: ut constat tum ex Jure civili, tum ex Cicerone, Plauto, & aliis. In qua proinde acceptione non tantùm concubitus cum honesta vidua, sed etiam adulterium, incestus, & præpostera libido stuprum est. Accipitur secundo strictè pro concubitu, quo violatur integritas virginis consentientis. Tertio accipitur strictiùs ac magis propriè pro eodem concubitu, si per vim fiat, & puellâ invitâ. Vid. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 9. n. 66. Filliuc. tract. 30. cap. 3. n. 59. Nos omissâ primâ, in secunda, & tertia acceptione de stupro loquemur.

13 Ex jam dictis colligitur primo, concubitum cum corrupta, etiamsi per vim fiat, non esse stuprum. Ratio est: quia debet esse concubitus cum virgine. Colligitur secundo, ad stuprum non sufficere, fœminam corrumpi sola pollutione, aliave libidine in quacunque parte corporis exercita, sed debere violari claustrum virginale. Ratio patet ex utraque acceptione posteriori, & quia omnes Doctores hanc conditionem requirunt. Colligitur tertio, stuprum, si per vim fiat, addere gravem malitiam contra justitiam, & esse grave crimen. Quod etiam colligitur ex gravitate supplicii, quo punitur. Per leges enim morte punitur. Vid. Filliuc. n. 60. Lessius loco cit. Ratio verò est: quia per ejusmodi violentiam puellæ gravis injuria & grave damnum infertur, quod etiam ex justitia resarcire tenetur stuprator; ut in tract. de Just. videbimus. Sed quæstio nunc est, an struprum etiam non violentum habeat malitiam aliquam specie distinctam à malitia fornicationis? Non enim in hoc Authores conveniunt, ut videre est apud Filliuc. à. n. 62. & Bonac. in tract. de Matrim. q. 4. pu. 17. a n. 2.

14 Dico primo. Si puella non subjecta potestati parentum consentiat in sui violationem, vel eandem illis, aut tutoribus consentientibus, patiatur non invita, hoc tale stuprum non habet specialem malitiam mortalem supra malitiam fornicationis. Ita probabilior sententia, quam tenent Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 14. n. 5. Less. de Just. lib. 2. c. 10. dubit. 1. n. 2. Tambur lib. 7. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 1. ubi dicit esse sententiam probabilissimam. Ratio est: quia in peccato stupri non debet adstrui specialis malitia, nisi inferatur per illud specialis injuria. Atqui nulla cuiquam hîc infertur injuria; ergo &c. maj. inde prob. quòd non appareat, unde stupro possit superaddi specialis malitia, nisi ex capite injuriæ: mi. constat: quia volenti & consentienti non fit injuria. Atqui tam puella, quam parentes hîc consentiunt in violationem; ergo &c.

15 Respondebis ex Cajetano & aliis primo, nos falso niti supposito. Neque puellam enim, neque parentes posse jure consentire in struprum; cùm per illud fiat scissio quædam & ruptio membri, in quam non possunt consentire; sicut nemo potest consentire, ut sibi abscinditur manus; quia nemo est Dominus suorum membrorum. Sed contra est primo, quòd puella sit domina usus suorum membrorum, licèt non sit domina membrorum: & consequenter citra cujusquam injuriam potest alteri concedere usum eorum. Contra est secundo, quòd multò probabilius sit, nullam fieri ruptionem membri; ut ex peritissimis Medicis tradunt Less. n. 3. & Sanchez n. 1. Imò tametsi fieret ea ruptio, res esset exigui momenti, & læsio corporis ob suam levitatem insufficiens ad mortalem injustitiam. Contra est tertio, quòd abscissio manûs aut alterius membri fiat contra justitiam non obstante consensu in illam; quia, ut rectè dicitur in responsione, homo non est dominus suorum membrorum. Atqui puella

est

est domina usûs sui corporis, & habet jus illum concedendi, cui voluerit, citra cujusquam injuriam; sicut habet, postquam corrupta est: ergo sicut absque injustitia consentire potest in concubitum jam corrupta, ita ut peccet solùm contra castitatem, ita etiam potest nondum corrupta. Jam verò si puella filia potest consentire sine cujusquam injuria, cur non & parentes, aut tutores? An plus juris in usum corporis filiæ, ejusque integritatem habent parentes, quàm filia ipsa? Imò, quòd attinet ad abscissionem manus, negat Lessius, fieri injuriam illi, qui in eam consentit. Unde exemplum istud stat potiùs à nobis.

16 Respondebis secundo, incorruptionem corporis esse dotem puellæ à natura datam magni momenti ad conciliandas nuptias: cùm experientia doceat, incorruptam longè facilius invenire maritum, quàm corruptam: ejusmodi verò dotem naturalem auferri per stuprum; adeoque injuriam inferri stupratæ. Contra tamen est, quòd puella, quantum ad nuptias, sit sui juris, possitque proinde eo jure, quod habet ad dotem illam naturalem, cedere, sicut potest non nubere. Unde si auferatur consentienti, nulla fit ipsi injuria; sicut nulla fit, si è collo consentientis in ablationem auferatur torques, vel monile aureum.

17 Respondebis tertio, si stuprum ob puellæ & parentum consensum non contineat specialem malitiam, idem dici posse de adulterio, si maritus & uxor consentiant: quod tamen absurdum esse nemo non sentit. Verùm ista responsio facilè depellitur reddendo disparitatem ex dictis. Nam vinculum illud indissolubile, quod induxit contractus matrimonii, quodque violatur per adulterium, non est in potestate mariti sic, ut jure conjugii possit cedere efficaciter; cùm competat ipsi ratione statûs matrimonii, & non ad bonum privatum: sicut Clerico jus exemptionis à foro sæculari competit ratione status Clericalis & Ordinis Ecclesiastici; quo jure similiter non potest cedere valide & efficaciter. Unde sicut fit propriè dicta injuria statui Clericali, & Ordini Ecclesiastico, etsi Clericus consentiat, ut pertrahatur ad tribunal judicis sæcularis, ita fit propriè dicta injuria statui conjugali, dum maritus consentit in adulterium uxoris. Cùm enim cessio juris sit nulla, jus manet; atqueadeo peccatur contra illud. Atqui puella habet in sua potestate integritatem corporis, & hujus usum, suoque jure potest cedere efficaciter; sicut etiam possunt parentes, aut tutores illius; ut constat ex dictis. Patet proinde, non obstante memorato consensu adhuc reperiri in adulterio duplicem malitiam, nempa unam communem fornicationis contra castitatem, & alteram specialem contra justitiam. Vid. Less. lib. 2. de Just. cap. 10. dubit. 1. num. 4. & lib. 4. cap. 3. dubit. 10. num. 73.

Dico jam secundo. Quando puella 18
volens ac lubens se patitur violari absque consensu parentum, quorum potestati adhuc subesse supponitur, ea violatio ultra malitiam fornicationis sæpe continet aliam specialem & gravem contra charitatem ac pietatem tum eisdem parentibus, tum proximis debitam, quamvis nullam specialem deformitatem contineat ex capite resignati claustri virginalis; ut satis constat ex dictis. Ita Less. lib. 2. cap. & dubit cit. num. 5. & alii apud Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 17. num. 2. Ratio est: quia ex ejusmodi stupro parentibus ingens mœror oboriri solet; tùm ob dedecus illatum familiæ; tum ob spes frustratas. Sæpe, etiam evulgatô flagitiô, sequuntur inimicitiæ cædes, aliaque mala gravissima. Addit tamen Lessius, hæc talia incommoda, cùm per accidens solùm, nempe ratione evulgationis, sint conjuncta violationi virginitatis, possintque eadem sequi ex fornicatione filiæ corruptæ, non arguere malitiam, qua constituatur species propria stupri.

Ex dictis sequitur primo, puellam vir- 19
ginem, quæ circa juvenem quempiam turpem delectationem, aut etiam desiderium cum eo concumbendi concepit; imò ex ejusdem imaginatione se polluit, non teneri in Confessione dicere, se, cùm esset virgo, ejusmodi fœdâ animô concepisse, vel ipso opere perpetrâsse. Ita alis relatis Tambur. lib. 7. in Decal. cap 5. §. 1. Ratio est: quia status virginitatis memoratis actibus non addit malitiam specie distinctam.

Sequitur secundo, etiam in juvene, 20
qui vel solo actu delectationis morosæ, vel desiderii peccavit circa virginem, vel copulam quoque exercuit cum illa consentiente, non esse obligationem exprimendi in Confessione circumstantiam virginitatis, sive suæ, sive puellæ. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 14. num. 6. Tambur. loco cit. qui hoc idem etiam num. 2 extendit ad peccatum Sodomiticum. Ratio est: quia tunc similiter circumstantia virginitatis non addit illis actibus novam speciem malitiæ. Talem tamen addunt circumstantiæ violentiæ virgini, & mœroris parentibus &c. illatorum. Quare explicari debent in Con-

Confessione. De obligatione restituendi ex stupro oriri solita agemus infrà in tract. de Just.

§. III.

De Adulterio.

SUMMARIUM.

21. Definitio Adulterii. 22. Tam vir quam mulier per adulterium dupliciter peccat contra Castitatem. 23. Adulterium tribus modis committi potest. 24. Adulterium est grave peccatum etiam contra justitiam. 25. Etiamsi maritus consentiat in concubitum suæ uxoris. 21. Cum alio. 26. 27. & seqq. Illationes ex dictis.

21 Dico primo. Adulterium est accessus ad alienum thorum; sive alieni thori violatio. Ita communis definitio ex D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 8. Unde adulter dicitur quasi *adalter*, ut observat Sayrus; quia scilicet ad alterum thorum accedit, sicque fidem conjugalem violat. Ex quo colligitur, ad adulterium requiri, ut alteruter saltem adulterantium, sive vir, sive mulier, sit matrimoniô conjunctus. Circumstantia quippe conjugii efficit, ut istud peccatum luxuriæ sit adulterium. Sunt autem quantum ad obligationem servandi fidem conjugalem paris conditionis maritus & uxor, ita ut neutri liceat ad alienum thorum accedere.

22 Ulteriùs quoque deducitur primo, tam virum, quàm mulierem per adulterium dupliciter peccare contra castitatem. Et quidem vir ita peccat primo, quia accedit ad mulierem sibi non conjunctam matrimoniô, sicut fit in fornicatione. Secundo, quia accedit ad mulierem alteri conjunctam vinculô matrimonii. Prius repugnat bono prolis propriæ: posterius bono prolis alienæ. Similiter mulier tunc peccat contra castitatem primo, quia relinquit maritum, & accedit ad alterum sibi matrimoniô non conjunctum, sicut fornicaria. Secundo, quia accedit ad maritum alterius, & ex eo liberos suscipit. Prius est contra certitudinem prolis: posterius contra bonum prolis propriæ. Vid. D. Thomas a. cit. Filliuc. tract. 30. cap. 4. n. 80.

23 Deducitur secundo, tribus modis posse committi adulterium. Nempe primo, dum solutus accedit ad conjugatam. Secundo, dum conjugatus ad solutam. Tertiò, dum conjugatus ad conjugatam. Adulterium primo & secundo modo commissum est simplex, tertio modo duplex. His additur à nonnullis quartus quidam modus adulterii, quando conjunx inordinatè, & ardentiùs, quàm par est, amat conjugem, ità ut ad eum accederet, tametsi suus non esset. Verùm istud non est propriè adulterium, sed similitudinariè, & quoad internum animi affectum tantùm. Vid. Sayr. lib. 8. clav. reg. cap. 3. n. 21. Filliuc. n. 81.

Dico secundo. Adulterium est grave 24
& mortale peccatum. Constat ex plurimis S. Script. locis: ut Exodi 20. *Non mœchaberis.* Levit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius &c, morte moriatur & mœchus & adultera.* Deuter. 22. & 27. *Maledictus, qui dormierit cum uxore proximi sui.* 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Ratio verò est manifesta: quia adulterium non tantùm continet totam malitiam fornicationis, quatenùs est inter personas non conjunctas inter se vinculô matrimonii, sed etiam gravem malitiam injustitiæ, quatenùs in re gravi est contra jus conjugis: nam, ut docet Apost. 1. Corinth. 7. *Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor*; & econtrà, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.* Quàm gravis autem sit hæc injuria, quantique fiat apud homines, satis ostendunt severa supplicia, quibus nulla ferè gens, quantumvis barbara, non rigidè animadvertit in adulteros. Vid. Sayr. cap. cit. n. 3. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 10. n. 72.

Objicies. Quando uxor consentiente 25
marito suo concumbit cum alio, nulla adest in tali adulterio malitia injustitiæ: sed maritus potest consentire in talem concubitum; ergo tunc adulterium caret malitia injustitiæ, & solam habet malitiam fornicationis. maj. inde colligitur, quòd scienti & volenti non fiat injuria, ut sonat Reg. 27. Jur. in 6. min. prob. quia consensus ille mariti, quamvis supponatur esse illicitus, non tamen satis ostendi potest, quòd esset invalidus, sive irritus; cùm nulla exster lex, per quam irritetur: ergo maritus consentire potest, validè saltem.

Confirmatur. Quamvis defloratio virginis dissentientis habeat duplicem malitiam, alteram fornicationis, alteram injustitiæ, defloratio tamen consentientis, accedente etiam consensu parentum, si potestati eorum subjecta est, habet solam malitiam fornicationis; ut in priori §. docuimus: ergo similiter quamvis concubitus cum aliena uxore dissentiente & invita habeat illam duplicem malitiam, concubitus tamen cum consentiente, si accedat etiam consensus mariti, habebit solam malitiam fornicationis in Confessione exprimendam.

Respon-

Respondeo ad Object. claritatis causâ dist. maj. consentiente marito per consensum validum, conc. maj. sed neg. suppositum, per consensum invalidum, neg. maj. sed maritus potest consentire invalidè & irritè, conc. validè & efficaciter, neg. mi. & conseq. Ad probat. maj. dicitur, illam regulam esse intelligendam, quando volentis consensus non est invalidus & irritus per legem aliquam; consensum autem mariti in concubitum uxoris cum altero irritari per ipsam legem matrimonii. Ex quo patet, probat. min. esse falsam. Sensus solutionis hauriendus est ex §. præced. n. 19. ubi etiam suppeditatur ratio discriminis pro casu Confirmationis: quia consensus ille puellæ virginis est validus, quamvis sit illicitus: consensus autem tam mariti, quam uxoris in copulam cum altero neque licitus est, neque validus.

26 Infertur jam primo, eum, qui copulam habuit cum conjugata, teneri in confessione exprimere hanc circumstantiam conjugatæ, quamvis maritus consenserit in illam copulam. Quod idem dic vicissim de muliere, quæ accessit ad maritum consentiente uxore illius. Ratio est: quia memorata circumstantia ad malitiam fornicationis addit specialem malitiam injustitiæ, non obstante consensu mariti, utpote invalido & irrito. Vid. Illsung tract. 4. disp. 12. a. 3. n. 58. Viva parte 2. damnat. Thes. pag. 124. & seqq. Sententiam contrariam proscripsit Innocentius XI. contentam in hac prop. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.*

27 Infertur secundo, adulterum non satisfacere in Confessione, si separet malitiam injustitiæ à malitia fornicationis dicendo prius, *commisi* simplicem fornicationem, ac deinde post alia interjecta peccata, *intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quædam persona cooperante.* Ratio est: quia injuria cuipiam illata debet in Confessione explicari non solùm in genere, sed etiam in specie sua infima. Atqui illo tali modo non explicatur in sua specie infima. Injuria quippe adulterii est alterius speciei infimæ ab injuria homicidii, detractionis, furti &c. propter diversum jus, cui adversatur. Vid. Viva pag. 124. n. 1.

28 Infertur tertio, in adulterio conjugati cum conjugata, quod est gravissimum, præter deformitatem fornicationis involui duas malitias contra justitiam numerò distinctas, scilicet duas injurias, quæ à singulis adulterantibus tunc irrogantur duobus conjugibus. Unde non sufficit, si talis adulter dicat in Confessione, se commisisse adulterium, sed debet insuper explicare illam circumstantiam duplicis conjugii, ratione cujus duplicatur injustia. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 10. n. 74. Filliuc. tract. 30. cap. 4. n. 88. Viva n. 15. & alii communiter. Ratio est: quia non tantùm species, sed etiam numerus malitiarum explicari debet.

Infertur quarto, etiam, cùm perpetratum est adulterium simplex inter solutum & conjugatam, virum in Confessione explicare debere, sitne Ipse quoque conjugatus, an sola mulier, cum qua peccavit? Less. loco cit, Filliuc. n. 89. Viva n. 16. Ratio est: quia tunc intervenit specialis malitia soluti. Licèt enim nihil agat contra fidem conjugalem alicui datam, mulieri tamen conjugatæ cooperatur tum in violanda fide, tum ad mala, damnaque alia, quæ inde sequi nata sunt. 29

Infertur quinto, conjugem, si jungatur Sodomiticè cum mare, vel fœmina quacunque, etiam conjuge sua, debere in Confessione exprimere statum conjugii. Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 18. à n. 3. Filliuc n. 92. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 1. Ratio est: quia in his semper fit injuria alteri conjugi. Quæ eadem ratio procedit etiam de bestialitate conjugati; sicut & de aliis peccatis intra genus luxuriæ cum solutis quoque; ut sunt mollities, osculà, tactus impudici &c. Imò quod attinet ad Sodomiam cum propria uxore, non sufficit dicere in Confessione, *peccavi contra naturam cum conjugata*, sed necessariò addendum est, fuisse propriam conjugem. Ratio est: quia per illa verba, ut jacent, significatur potiùs, quòd alteri viro, alterique uxori illata sit injuria: adeoque clavibus subjicitur peccatum, quod non fuit commissum. Vid. idem Tambur. cap. cit. §. 2. 30

Infertur sexto, etiam per concubitum cum conjugata committi adulterium, quamvis matrimonium nondum sit consummatum, sed ratum tantùm. Filliuc. n. 86. Ratio est: quia per matrimonium ratum quilibet conjunx acquirit verum jus in corpus alterius: adeoque vera eisdem irrogatur injuria, dum usus corporis cuipiam ad peccandum conceditur. Filliuc. n. 86. Tambur. cap. 1. §. 2. n. 9. Hinc aliud ob rationem contrariam sentiendum est de concubitu cum desponsata tantùm. Vide, quæ de hoc diximus in §. 1. n. 8. De obligatione restituendi, quæ oritur ex adulterio, agemus infrà in tract. de Just. 31

§. IV.

De Incestu.

SUMMARIUM.

32. *Definitio Incestûs.* 33. *Casus, in quibus potissimùm committitur incestus.* 34. *Incestus est grave & mortale peccatum.* 35. 36. *Corollaria practica.* 37. *Variæ sententiæ de differentia incestuum, & graduum propinquitatis.* 38. *Resolvitur probabilius, omnes esse ejusdem speciei.* 39. *Respondetur ad Objectiones.*

32 Dico primo. Incestus est peccatum luxuriæ cum cognata intra gradus, in quibus non potest iniri matrimonium. Quæ definitio sumitur ex Doct. Thoma: 2. 2. q. 154. a. 9. nec indiget ulteriore declaratione. Cæterùm gradus illi prohibiti, in quibus non potest celebrari matrimonium, sunt gradus consanguinitatis, & affinitatis contractæ ex matrimonio usque ad quartum inclusivè, ut habet communis D D. consensus: ex fornicatione verò usque ad secundum gradum inclusivè, ut statuit Concilium Trid, sess. 24. de Reform. matr. cap. 4. His adduntur gradus cognationis legalis, quæ ex adoptione, & spiritualis, quæ ex Baptismo, & Confirmatione nascitur. Vid. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 11. n. 75. Filliuc. tract. 30. cap. 5. n. 93. Sayr. in clav. reg. lib. 8. cap. 4. ubi à n. 2. latè explicat gradus consanguinitatis & affinitatis. Ex quo, & cum quo

33 Nunc deducitur, in sequentibus potissimùm casibus committi incestum. Primo, quando quis peccat cum uxore patris sui, vel avunculi. Secundo, quando quis peccat cum eadem muliere, cum qua pater. Tertio, quando quis peccat cum matre uxoris suæ. Quarto, quando quis peccat cum nuru sua, uxore filii. Quinto, quando quis peccat cum matertera, vel amita sua. Sexto, quando quis peccat cum matre, aut sorore sua, etiamsi sit soror solùm ex parte patris, vel matris. Septimo, quando quis peccat cum filia filii sui. Octavo, quando quis peccat, cum duabus sororibus. Nono, quando quis peccat cum uxore fratris sui. Decimo, quando quis peccat cum commatre sua, vel filia spirituali, aut econtra. Undecimo, quando quis peccat cum filia sua adoptiva, vel sorore adoptiva. Duodecimo, quando quis peccat cum cognata cognatione spirituali per susceptionem in Baptismo, vel Confirmatione. Ubi advertendum est ex Concil. Trid. sess. cit. cap. 2. cognitionem spiritualem in Baptismo contrahi inter susceptientem, seu susceptientes, ipsumque baptizatum, & illius matrem & patrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm. In Confirmatione verò eandem cognitionem contrahi inter confirmantem & confirmatum, illiusque patrem ac matrem, nec non susceptientem seu tenentem, & inter alios.

Dico secundo. Incestus est grave & mortale peccatum. Constat ex S. Script. 1. ad Corinth. 5. ubi Apostolus vehementer exaggerat & execratur turpitudinem incestûs, etiam cum persona tantùm affine, traditque incestuosum Satanæ, & vult totam Ecclesiam ob tale flagitium esse in luctu. Et Levit. 18. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat &c.* in cujus præcepti transgressores deinde cap. 20. pœna mortis constituitur. Ratio est; quia hoc peccatum graviter repugnat reverentiæ, quam debemus cognatis, sive cognatione sanguinis, & affinitatis, sive cognatione legali, & spirituali; prout agnoscunt communiter D D. Plures rationes videre est in D. Thoma a. cit. in corp. 34

Corollarium I. Etiam congressus Sodomiticus cum persona consanguinea, aliove ex modis prædictis conjunctâ participat propriam malitiam incestûs in Confessione explicandam. Filliuc. n. 106. Bonac. de matrim. q. 4. pu. 16. n. 4. Tambur. lib. in Decal. cap. 4. §. 1. n. 7. Ratio est: quia ultra fœditatem Sodomiticam continet gravem repugnantiam adversus reverentiam ejusmodi personis debitam. Quia tamen hic talis incestus non fit in vase naturali, adeoque non est actus consummatus in ratione incestûs, per illum non impeditur matrimonium, nec incurruntur pœnæ contra incestum statutæ; sicuti nec reservatio incurritur, nisi aliter constet de mente reservantis. Vid. citt. 35.

Corollarium II. Peccatum incestûs tantò gravius est, quantò persona, cum qua perpetratur, est magis conjuncta. Unde gravius peccat, cæteris paribus, qui carnaliter cognoscit consanguineam, quàm qui affinem: & gravius, qui in primo, quàm qui in secundo gradu &c. Ratio est: quia gravitas irreverentiæ in conjunctos mensuratur juxta conditionem conjunctionis, majoris vel minoris. Filliuc. n. 98. Bonac. loco cit. Quamvis autem incestus cum sua consanguinea sit gravius peccatum, quàm cum affine, consanguinea uxosis; iste tamen habet duplicem effectum peculiarem. Primus est, quòd maritus ita incestuosus sub mortali non pos- 36

sit

sit ampliùs petere debitum à conjuge. Quia factus est ipsiùs affinis in eo gradu, in quo eidem mulier incestuosè cognita sanguine conjuncta est. Hanc tamen pœnam non incurrit, qui vel ignoravit ejusmodi concubitum cum consanguinea uxoris esse ab Ecclesia specialiter prohibitum; vel, etsi sciverit, ignoravit esse prohibitum sub pœna non petendi debitum. In quo proinde utroque casu potest petere debitum. Tambur. cap. cit. §. 2. n. 3. potest etiam petere, si ignoravit, esse mulierem affinem. Quia tunc non est formaliter incestus. Less. de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 11. n. 81. ubi advertit, petitionem debiti post Concil Trid. ob memoratum incestum non prohiberi, nisi mulier sit consanguinea uxori in primo, vel secundo gradu. Secundus effectus est, quòd juxta Canones vir incestuosus mortua sua conjuge non possit ducere aliam, vel non petere debitum absque dispensatione, si duxerit. Verùm ista non esse in usu docet ex aliis Tambur n. 4. & posse talem viduum sine scrupulo transire ad secundas nuptias, non petita ulla dispensatione.

37 Quæstio adhuc superest non levis momenti, quomodo differant incestus, & gradus propinquitatis, quorum in numero 34. meminimus? Prima sententia est asserentium, omnes gradus consanguinitatis differre specie non tantùm à gradibus affinitatis, & cognationis tam legalis, quàm spiritualis, sed etiam inter se, & consequenter omnes incestus similiter differre specie. Ita Valentia tomo 3. disp. 9. q. 3. pu. 3. à colum. 2228. ubi etiam refert Navarrum in Man. cap. 16. n. 4. idem docent alii multi teste Lessio n. 80. Secunda sententia contendit, gradus consanguinitatis differre specie à gradibus tam affinitatis, quàm cognationis legalis & spiritualis, non tamen differre specie inter se, quemadmodum nec gradus affinitatis inter se, nec gradus cognationis legalis & spiritualis specie differant. Ita Less. à n. 79. Juxta quam proinde sententiam incestus cum consanguinea specie differt ab incestu cum affine, non tamen incestus cum hac consanguinea differt specie ab incestu cum alia consanguinea &c. commisso. Tertia sententia docet, omnes gradus, omnesque incestus esse ejusdem speciei. Ita Cajetanus 2. 2. q. 154. artic. 9. Bonac. ubi suprà num. 5. & alii. Quarta sententia potest esse Tambur. cap. cit. §. 1. num. 4. quæ in omnibus convenit cum tertia, præterquàm, quòd asserat, incestum cum cognatis cognatione spirituali differre specie ab incestibus reliquis.

38 Mihi in hoc Authorum dissidio, salvo meliori judicio, placet sententia tertia ex relatis. Ratio illius est primo. Quia omnes incestus, qui perpetrantur in memoratis gradibus conjunctionum, participant unam speciei deformitatem contra reverentiam conjunctis debitam. Omnes enim gradus, in quibus fundantur, sive ex natura ipsa, sive ex jure positivo introducti sint, propter idem motivum, eundemque finem indicatæ reverentiæ primario sunt introducti. Ratio est secundo. Quia ex diversitate horum graduum aliud non videtur colligi, quàm major, vel minor conjunctio personarum. Cùm proinde magis & minus non mutent speciem, signum est, gradus, adeoque & incestus, non differre specie. Sicut furtum v. g. majoris & furtum minoris quantitatis non differunt specie. Ratio est tertio. Quia non potest afferri sufficiens fundamentum statuendi differentiam specificam inter gradus cognationis. Illud, quòd aliqui eorum, ut primus consanguinitatis, vel etiam secundus, ut alii volunt, sint à natura instituti, aliqui ex lege positiva orti, ut cæteri, certè non arguit differentiam specificam; sicut non arguit differentiam specificam peccatorum, quòd prohibeantur præceptis juris naturalis & positivi. Non itaque differunt specie, & consequenter nec incestus sic differunt.

39 Objicies primo. Gradus cognationis habent diversos effectus. Nam aliqui irritant Matrimonium jure naturæ, aliqui illud reddunt illicitum ex prohibitione Ecclesiæ. Ergo differunt specie. Secundo. Longè alia debetur reverentia propriæ matri, & sorori, quàm alteri cognatæ cognatione legali, aut spirituali; eàque propter longè fœdior & detestabilior est incestus cum propria matre, aut sorore, quàm cum aliis: ergo signum est, esse incestus specie diversos. Tertio. Incestus cum cognata cognatione spirituali habet adjunctam circumstantiam Sacramenti: ergo est alterius speciei à reliquis incestibus.

Respondeo ad I. Sæpe contingere, ut eadem causa pariat diversos effectus. Deinde addo ex Bonac. eundem effectum, quem præstant gradus consanguinitatis & affinitatis, etiam præstare cæteros gradus ex dispositione juris positivi. Ad II. Respondeo, longè aliam, id est, longè majorem reverentiam deberi matri aut sorori, quàm aliis cognatis; idcoque mirum non esse, quòd violatio propriæ matris, aut sororis omnium judicio reputetur abominabilior: quàm aliarum. Hinc autem non colligi diversitatem specificam: cum majus & minus non varient speciem.

Ad III. respondeo, ex adjuncta illa circumstantia incestum quidem reddi sacrilegum, sed non differre specie in ratione incestûs ab aliis incestibus; sicut furtum sacrilegum in ratione furti non differt specie à furtis simplicibus. In Confessione tamen explicanda est qualitas istius cognationis; cùm superaddat novam speciem malitiæ.

§. V.

De Raptu.

SUMMARIUM.

40. *Definitio Raptûs.* 41. *Raptus est mortale peccatum.* 42. 43. *& seqq. Illationes ex dictis.* 47. *Recensentur pœnæ Jure Ecclesiastico in Raptores constitutæ.* 48. *An concubitus cum fœmina dormiente sit raptus?* 49. *Item, an abductio puellæ invitæ, cum qua contractum est Matrimonium, sed nondum consummatum, sit raptus, dum illa vult uti privilegiò duorum mensium?*

40 Dico primo. Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona quæpiam abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum. Ita rectè definit Filliuc. tract. 30. cap. 6. n. 108. & cum eodem Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 1. n. 2. Ex qua definitione ad raptum requiritur primo violentia, sive vis illata. Secundo, abductio. Tertio, finis fœdæ libidinis, seu turpis actûs exercendi. Pro declaratione horum requisitorum quædam postea afferemus. Nunc

41 Dico secundo. Raptus mortale peccatum est. Ita unanimis omnium sapientium sententia. Ratio est: quia malitiæ luxuriæ, ad quam pertinet ratione libidinosæ intentionis, addit gravem malitiam injustitiæ, sive contra personam ipsam, quæ abducitur, sive contra parentes, aut alios quoscunque, in quorum potestate eadem est constituta. Et quamvis non interfit ad hanc speciem luxuriæ, sirne persona rapta mas, an fœmina, nupta, an innupta, seu vidua, attendi tamen debent gradus gravitatis, qui intra illam reperiuntur. Infimè gravis est raptus meretricis: gravior raptus viduæ: multò gravior raptus virginis: itidem gravior raptus conjugatæ, vel consanguineæ, vel affinis: gravissimus verò raptus Monialis, vel Deo per votum dicatæ. Atque hic est ordo inter raptus fœminarum: quos omnes in gravitate excedit raptus pueri. Vid. Filliuc. n. 109.

42 Infertur jam primo, non esse raptum, sed fugam voluntariam, quando puella sponte, aut etiam precibus inducta discedit cum amasio, insciis parentibus, aut aliis, sub quorum potestate est, nisi preces sint extra modum importunæ. Filliuc. n. 110. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 19. n. 5. Ratio est: quia tunc nemini jus infertur. Dixi, *nisi preces &c.* quia ejusmodi preces non raro æquiparantur violentiæ. Quod idem dic de dolo.

43 Infertur secundo, esse raptum, sive vis inferatur soli abductæ, sive solis parentibus, sive utrisque. Lessius de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 9. n. 66. Filliuc. loco cit. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 13. n. 2. Tambur. cap. cit §. 2. n. 2. Ratio est: quia sic communiter intelligitur conditio violentiæ ad raptum requisita, & constat ex cap. *Raptoribus.* 36. q. 1. Nomine parentum, ait Tambur. hîc veniunt quicunque sub sua potestate mulierem fortè habent, pater, tutor, curator, maritus, sponsus, amici, consanguinei &c.

44 Infertur tertio, non esse raptum, quando quis fœminam exercendæ libidinis causâ violenter trahit ex uno cubiculo in aliud, vel ex loco in locum non valde distantem in eadem domo, vel prædio. Bonac. n. 8. Tambur. n. 7. Ratio est: quia non censetur esse vera abductio, nisi quis transferatur in locum moraliter diversum: quod hîc non contingit. In Confessione tamen ejusmodi violentia specialiter explicari debet.

45 Infertur quarto, similiter non esse raptum; quando seu mas, seu fœmina violenter abducitur, ut redigatur in servitutem, sitque in dominio abducentis. Less. loco cit. Tambur. n. 6. Ratio est: quia ad raptum requiritur finis turpis libidinis. Unde, dum persona quæpiam abducitur ob alium finem, erit plagium, seu furtum hominis, & non species aliqua luxuriæ. Illud tamen ad raptum non requiritur, ut concubitus, aliáve turpitudo libidinis re ipsa sit secuta, sed sufficit, quòd eo fine persona fuerit abducta. Vid. Less. loco cit.

46 Infertur quinto, esse raptum in foro conscientiæ, sive quantum ad malitiam, si fœmina causâ libidinis explendæ per vim abducat marem. Bonac. n. 7. Tambur. n. 8. Ratio est: quia ejusmodi abductio habet omnes conditiones ad raptum requisitas. Dixi autem, *in foro conscientiæ &c.* quia quantum ad pœnas in foro externo decretas (de quibus statim) nomine raptuum illi tantùm intelliguntur, quibûs rapiuntur fœminæ à viris. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 25 Bonac. Tambur. locis citt.

Cæterùm

Cæterùm pœnæ tum à Jure Canoni-
47 co, tum à Concil. Trid. seſſ. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6. conſtitutæ numerantur ſequentes. Prima eſt, ut raptor alienæ ſponſæ publicâ pœnitentiâ caſtigetur. Secunda eſt, ut idem non poſſit ampliùs cum ulla alia Matrimonium contrahere. Hoc tamen impedimentum non eſt dirimens, ſed impediens tantùm, imò hodie jam uſu abrogatum eſſe putatur, teſte Tambur. n. 9. Tertia eſt, ut tam raptor, quàm ejus ſocii, auxiliumque præbentes ſint ipſo facto excommunicati, perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; &, ſi Clerici fuerint, de proprio gradu dejiciendi. Quarta eſt, ut Matrimonium inter raptorem & raptam ſit invalidum; quamdiu rapta manſerit in poteſtate raptoris, etiamſi eadem liberè conſentiret in Matrimonii celebrationem: quòdſi fuerit ſeparata, & in loco tuto conſtituta, poterit raptori nubere, ſi velit. Quinta eſt, ut, ſive rapta nubat raptori, ſive non, raptor teneatur eam decenter dotare, arbitriò Judicis. Vid. Filliuc. à n. 117. Leſſ. à n. 68. Bonac. à n. 9. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 4. cap. 13. n. 4. De pœnis Jure Civili ſtatutis videri poſſunt idem Leſſ. num. 68. Filliuc. num. 116.

48 Sed quæritur adhuc primo, an concubitus cum fœmina dormiente, vel aliter uſu rationis deſtituta ſit raptus? Reſpondeo, eſſe attendendum, an fœmina ante ſomnum conſenſerit, vel non? Si prius; manifeſtum eſt non eſſe raptum; cum non fiat cum injuria fœminæ, neque cum violentia contra parentes ipſius. Si poſterius; præter malitiam luxuriæ continet quidem malitiam contra juſtitiam; cùm fiat cum fraude, quæ æquiparatur violentiæ; non tamen eſt raptus proprie, nec conſequenter pœnis raptûs ſubjectus: quia, ut alia taceantur, raptus propriè dictus debet eſſe abductio de loco in locum, ut conſtat ex dictis. Atqui ille concubitus non eſt ejusmodi abductio. Tambur. n. 17.

49 Quæritur ſecundo, an raptum committere dicendus ſit, qui puellam, cum qua contraxit Matrimonium, ſed nondum conſummavit, invitam per vim abducit cauſâ libidinis, dum illa vult uti ſpatio duorum menſium à jure conceſſo ante conſummationem Matrimonii? Reſpondeo, committere raptum. Ratio eſt: quia tunc ſponſæ infert injuriam; utpote habenti jus denegandi debitum intra bimeſtre. Sed neque deeſſe videtur ulla alia conditio ex requiſitis ad raptum. Ita Azorius, Molina, & alii, quos ſequitur Bonac. n. 13. conſentit Filliuc. n. 115.

§. VI.

De Peccato contra naturam.

SUMMARIUM.

52. Quid hic intelligatur per peccatum contra naturam. 53. Hoc peccatum eſt ſpecies ſubalterna luxuriæ continens ſub ſe plures alias. 54. Ejus definitio. 55. Eſt intrinſecè malum, & in nullo caſu poteſt fieri licitum. 56. 57. 58. 59. Obſervanda circa pollutionem nocturnam. 60. Etiam ob vitæ conſervationem non eſt licitum procurare pollutionem. 61. 62. Solvitur Objectio. 63. An liceat expellere ſemen corruptum? 64. Quid de commotione ſpirituum gentialium, & diſtillatione? 65. Quid de voluntaria pollutione inter conjuges? 66. An omnes pollutiones ſint ejusdem ſpeciei? 67. 68. & ſeqq. variæ reſolutiones. 73. Definitio Sodomiæ. 74. Ejus execranda malitia. 75. 76. 77. 78. 79. Plures reſolutiones circa hoc vitium. 80. Definitio beſtialitatis. 81. In ejus Confeſſione non eſt neceſſe exprimere ſpeciem, vel ſexum beſtiæ. 82. Quid, & quotuplex innaturalis concumbendi modus, & quando mortaliter peccaminoſus?

OMne peccatum luxuriæ eſt contra na- 52
turam, ſi loquamur generatim, quia nempe eſt contra dictamen rationis naturalis: & hoc ſenſu etiam fornicatio, adulterium, & quævis ſpecies luxuriæ eſt peccatum contra naturam. Verùm nos in præſenti loquimur ſtrictè, & nomine peccati contra naturam illud intelligimus, quo pervertitur ordo, quem natura in actu carnali requirit, ut ex eo ſequi poſſit humana generatio. Hæc enim eſt finis illius. Unde ſi taliter exerceatur, ut ſequi non poſſit conceptio, aut generatio hominis, dicitur propriè peccatum contra naturam. Quod proinde rectè definitur, actus luxuriæ, ex quo non poteſt ſequi humana generatio. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 11. & 12.

Eſt autem peccatum contra naturam 53
graviſſimum intra genus luxuriæ, & maximè frequens. Neque exiſtimes, eſſe ſpeciem infimam illius generis: eſt enim ſpecies ſubalterna continens ſub ſe plures alias ſpecies ſecundùm plures, eosque valde differentes modos, quibûs perpetrari poteſt. Nam primo, fieri poteſt per voluntariam pollutionem extra concubitum.

Secundo,

Secundo, per bestialitatem, sive cum bestia quapiam. Tertio, per concubitum masculi cum masculo, aut fœminæ cum fœmina. Quia uterque concubitus est Sodomia perfecta. Quarto, per concubitum masculi cum fœmina extra vas naturale: quæ est Sodomia imperfecta. Quinto per monstrosum & innaturalem concumbendi modum, sive in parte corporis, sive aliter. Quæ omnia quàm sint horrenda & abominanda, recta ratio & lumen conscientiæ unicuique testificatur. Vid. D. Thom. a. 11. Valent. tomo 3. disp. 9. q. 3. pu. 3. à colum. 2232. Less. lib. 4. de Just. cap. 3. dubit. 13. num. 89. Filliuc. tract. 30. cap. 8. à n. 138. Porrò ex modis recensitis saltem quatuor, propter peculiarem & ad minimum moraliter diversam turpitudinem, specie distincti & in Confessione explicandi sunt. Dixi, *saltem quatuor*, nam quintus ille, servato debito sexu & vase, non videtur esse propriè species peccati contra naturam, sed esse potiùs præter naturam, ut clariùs apparebit infrà. Vid. Filliuc. num. 142. Sed jam de singulis speciebus explicatiùs oportet differere. Itaque

54 Dico primo. Pollutio est peccatum contra naturam, per quod voluntaria seminis effusio procuratur extra concubitum venereæ delectationis causa. Ita Doct. Thomas 2. 2. q. 154. a. 11. Illam esse peccatum mortale, facilè patet: tum, quia graviter repugnat ordini naturæ, & fini ejusdem. Tum, quia 1. ad Corinth. 6. dicitur: *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.*

55 Corollarium. Pollutio voluntaria, sive in se, sive in causa, intrinsecè mala est, adeo, ut ob nullum justum finem fieri possit, quin sit peccatum mortale. Ratio est: quia semen humanum à natura ordinatur ad generationem: ergo illud effundere ob alium finem ordini naturæ repugnat, idque graviter, utpote in materia gravi: & consequenter jure naturæ prohibitum est: quod negavit Propositio 49. ex damnatis ab Innocentio XI. Dixi: *Pollutio voluntaria &c.* quæ enim contra, vel præter voluntatem evenit, non est peccatum: cùm omne peccatum debeat esse voluntarium. Ex quo sequitur, pollutionem, quam patitur semiexpergefactus, non esse peccatum mortale: cùm ob defectum pleni judicii & advertentiæ non sit sufficienter voluntaria. Valentia tomo 3. disp. 9. q. 3 pu. 3. colum. 2233. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 10. num. 4. & alii communiter. Cæterùm, ut cognoscas, quandonam pollutio indirectè & in causa sit voluntaria ita, ut ad peccatum mortale imputetur, revide illa, quæ suprà in tract. 2. disp. 3. a. 6. §. 6. habentur. Nunc quæstiones aliquot huc pertinentes expediemus,

Quæritur autem primo, quænam potissimùm observanda sint circa pollutionem nocturnàm? Antequàm respondeamus, notandum est, hanc pollutionem tripliciter solere accidere. Primo ita, ut non tantùm incipiat & continuetur emissio seminis in somno, sed etiam finiatur. Secundo, ut incipiat & continuetur in somno, finiatur tamen in vigilia. Tertio, ut partim fiat & continuetur in somno, partim in vigilia. 56

Respondeo nunc primo. Pollutio nocturna primo modo accidens in se quidem non est peccatum; sæpe tamen peccatum est antecedenter, & consequenter. Ratio primæ partis est: quia in se, & secundùm se non est voluntaria. Secunda pars ostenditur in tribus casibus. Nempe primo, quando quis ante ante somnum ex motivo delectationis carnalis deliberatè desiderat, ut sibi eveniat pollutio. Secundo, quando quis in vigilia datâ operâ curat, ut in somno oriatur hæc turpitudo: ut, si ob hunc finem nimium bibat, vel comedat, aut nimis calida: vel certo situ in lecto cubet. Tertio, dum quis causam pollutionis in somno eventuræ non removet, cùm possit, & debeat removere. Tunc enim effectus illi redditur voluntarius in causa, adeoque imputabilis ad peccatum, idque mortale, si ea causa notabiliter influat, veniale, si non notabiliter influat. De quo vide in §. illo 6. ex a. cit. Tertia pars constat in casu, quo quis post somnum deliberatè delectatur de pollutione in illo excitata ob voluptatem sensualem. Vid. Sayrus in clavi reg. lib. 8. cap. 5. n. 11. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 7. §. 2. à n. 11. 57

Respondeo secundo. Pollutio nocturna, quæ secundo, & tertio modo accidit, aliquando nullum est peccatum, aliquando mortale, aliquando veniale tantùm. Ratio primi est: quia sæpe fit, ut quis post cœptam in somno pollutionem, aut ante finem illius evigilans minimè consentiat in delectationem carnalem, quam inde experitur. In quo casu haud dubiè minimè peccat. Ratio secundi sumitur ex oppositò: quia homo aliquando ante finitam pollutionem plenè experrectus, suique compos perfectè consentit in id, quod superest de illa, sicut etiam in delectationem carnalem, quæ inde oritur. Hoc autem omnium confessione peccatum mortale est. Ratio tertii est: quia homo nonnunquam post cœptam in somno pollutionem non plenè experrectus imperfectè & non plenè deliberatè consentit in delectationem carnalem inde consecutam.

tam. Qui consensus licèt non sufficiat ad peccatum mortale, sufficit tamen ad veniale. Vid. citt. Sayr. & Tambur.

58 Respondeo tertio. Pollutionem in somno cœptam non tenetur quis reprimere, dum evigilat; sed potest naturalem ejus fluxum permittere, dummodò cohibeat omnem complacentiám & consensum in delectationem. Ita Sayr. n. 11. Sà in Sum. V. *Luxuria*, n. 10. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 17. n. 16. Laym. lib. 3. sect. 4. n. 17. Tambur. §. cit. n. 17. & alii communiter. Addit Tambur. idem tenendum de pollutione, quæ cuipiam in vigilia involuntariè accidit. Imò, ut ait Sanchez, etiam de illa, quæ ex culpa patientis, cujus eundem in ipso fluxu pœnitet, incepit. Ratio verò responsionis est: quia hoc non est provocare emissionem seminis, sed pati, ne, si retineatur, ac corrumpatur, corpori detrimentum afferat. Meritò tamen ait Sayrus, argumentum esse valdè timoratæ & bonæ conscientiæ cursum tunc ejus conspurcationis statim sistere, si commodè fieri possit.

59 Respondeo quarto. Licitum est homini ob finem honestum, v. g. sanitatem, vel sedationem tentationis, simplici affectu optare, ut sibi dormienti pollutio eveniat naturaliter, deque ea gaudere, postquam evenit. ita Sayr. n. 15. Bonac. de Matr. q. 4. pu. 10. n. 14. Laym. loco cit. Tambur. n. 11. Viva Thes. damnat. par. 2. prop. 49. n. 18. & alii. Ratio est: quia pollutio naturaliter eveniens nullum ex se peccatum est. Unde quamvis illam procurare non liceat, licet tamen ob finem honestum inefficaciter desiderare, deque eadem, postquam evenit, gaudere. Sicut non licet legitimo Regi Rempublicam malè administranti procurare mortem, licèt tamen boni communis causâ optare simplici affectu, ut moriatur, & gaudere eo mortuo. De cætero etiam simplici affectu, & inefficaciter desiderare pollutionem, vel de ea naturaliter ortà gaudere propter voluptatem sensualem esse mortale peccatum morosæ delectationis testantur S. Antoninus, Adrianus, Navarrus. Azorius, quos refert & sequitur Laym. loco cit.

60 Corollarium. Nunquam est licitum pollutionem procurare propter sanitatis, aut etiam vitæ conservationem. Ita communis & certa sententia. Ratio est: tum, quia hoc repugnat naturæ generationis, & intrinsecè malum est, ut constat ex n. 55. tum, quia semel concesso, quòd esset licitum pollutionem excitare sanitatis gratiâ, homines sæpe nimis, ac facilè sibi persuaderent, id esse licitum: quod cederet in grave præjudicium speciei humanæ, viamque panderet infinitis peccatis. Tum, quia vehemens illa delectatio adeo pravis effectibus obruit rationem & voluntatem, ut præstet subire mortem, quàm iisdem inquinari. Unde etiam gravissimè peccant Medici, qui similem actionem suadent propter sanitatem, vel medicinam præbent, quæ præcisè incitet naturam ad pollutionem, & nihil aliud operetur. Vid. Sayr. n. 7. Bonac. n. 11.

Objicies primo. Licitum est sanitatis 61
causâ excrementa, cæterasque corporis superfluitates eïicere, & egerere. ergo etiam semen; utpote portionem sanguinis superfluam. Secundo. Ut vitam conserves, licitè tibi manum, vel pedem resecas: ergo etiam ob similem causam licitè semen effundis. Tertio. Licitum est ob causam sanitatis desiderare pollutionem: ergo etiam procurare. Respondeo ad primum neg. conseq. quidquid enim sit de substantia seminis, an nempe sit portio quædam sanguinis superflua, vel quid aliud, juxta varias Philosophorum opiniones, illud certum est apud omnes eam immediatè à natuta esse ordinatam ad finem humanæ generationis. Ex quo clarè sequitur, eam, dum ob alium finem voluntariè effunditur, semper contra ordinem naturæ, adeoque illicitè, effundi. De aliis superfluitatis nulla similis habetur ratio. Unde mirum non est, illas, ubi munere suo functæ sunt, licite expelli. Ad secundum rursus neg. conseq. Nam inprimis pollutio ad corporis sanitatem, vitæque conservationem non est necessaria, cùm suppetant alia remedia, soleatque natura in somnis se exonerare. Deinde in amputatione membri ob conservationem sanitatis aut vitæ, cùm ingens sentiatur dolor, nullum est periculum, ut nimis facilè adhibeatur, aut extendatur extra casum necessitatis; sicut in pollutione ob vehementiam delectationis esset periculum, ut homines illa facilè abuterentur, eamque extenderent ad alios quoque casus, si esset licitum eandem procurare causâ sanitatis. Ad Tertium neg. pariter. quia desiderium inefficax, quale diximus esse licitum circa pollutionem naturaliter evenientem, præscindit à circumstantia delectationis sensualis; à qua tamen non præscindit, neque potest præscindere desiderium efficax, & voluntaria procuratio pollutionis; cùm uterque hic actus feratur in objectum, ut est in se, & vestitum omnibus circumstantiis.

Dices. Si propter delectationem car- 62
nalem, pravosque affectus, qui ex illa oriuntur, nunquam est licitum procurare pollutionem, ut nos contendimus, neque licitum erit exercere actum conjugalem: cùm in isto sentiatur ejusdem rationis delectatio, quæ in pollutione. Respondeo neg. seq. cùm enim

Deus sit auctor conjugii, ad ejus providentiam pertinet efficere, ne ex voluptate operis conjugalis deordinati, pravique affectus oriantur. Hoc autem ipse præstat vel maxime per Sacramentum matrimonii conferendô sua auxilia, quibûs amor conjugum inter limites virtutis facilè contineri possit: sicut revera contineri quotidiana experientia testatur. Vid. Viva ubi suprà, n. 11. & 15.

36 Quæritur secundo, an saltem liceat expellere semen corruptum? Respondeo, si semen judiciô Medicorum sit corruptum, & transiverit in materiam venenosam, tunc licere illud adhibitis medicamentis expellere. Ita Sanchez lib. 9. de Matrim, disp. 17. n. 16. Filliuc. tract. 30. cap. 8. num. 150. Bonac. num. 12, Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 7. §. 2. num. 8. Ratio est: quia ejusmodi humor non est ampliùs verum semen, sed potiùs lues quædam & pus pestiferum. Unde quemadmodum ad conservandam salutem matris licitum est expellere fœtum corruptum; ita etiam semen corruptum hominis cujuscunque. Neque obstat, quòd inde sequatur fortè aliqua veri seminis emissio. Nam sequitur per accidens & præter intentionem patientis; adeoque non est imputanda ad culpam; modò absit periculum consensûs in delectationem. Fatendum tamen est, sententiam contrariam Rebelii, Cassiani à S. Elia & aliorum esse securiorem, & castitatis amatoribus consulendam, ut monet Bonac. loco cit. præsertim, cùm non teneamur vitam tueri mediis extraordinariis, cujusmodi est ista corruptio seminis expulsio.

64 Quæritur tertio, an sit peccatum mortale procurare notabilem commotionem spirituum generationi servientium, vel etiam distillationem? Ante responsionem advertendum est, distillationem, sive stillicidium aliud non esse, quàm fluxum humoris cujusdam medii inter urinam, & verum semen, gerentis cum isto similitudinem in colore, & viscositate, non tamen ita mordacis ac crassi. Exit hic humor aliquando in magna quantitate, & cum magna commotione carnis & spirituum, aliquando in exigua quantitate, & sine commotione sensuque carnis; sicuti notant Sanchez lib. cit. disp. 45. num. 2. Laym. lib. 3. sect. 4. num. 18. Bonac. num. 13.

Nunc respondeo, procurare notabilem commotionem spirituum generationi inservientium, sicut & distillationem in magna quantitate, cum simili commotione, mortale peccatum est. Ita Authores citt. Ratio est: quia illa alteratio & commotio spirituum est inchoata quædam pollutio, & ad ejus consummationnm naturâ suâ ordinatur. Distillatio verò per se conjuncta est cum eadem commotione spirituum & sensu carnis. Dixi, *distillatio in magna quantitate &c.* nam de illa, quæ est in exigua quantitate, cumque nulla, vel levi tantùm commotione, ajunt Sanchez, Laym. & Bonac. ex Cajetano, non plùs esse curandum, quàm de sudore.

Quæritur quarto, utrùm voluntaria 65
pollutio inter conjuges, & alia quæcunque effusio seminis extra vas legitimum sit peccatum mortale? Respondeo affirmativè. Ità Sanchez lib. cit. disp. 17. n. 12. Laym. n. 19. Ratio est: quia ejusmodi effusio seminis repugnat fini generationis; atque adeo est peccatum contra naturam. Veritas præsentis responsionis colligitur etiam ex Sac. Script. Genes. cap. 38. ubi memoratur, Onan filium Judæ, quia, ut generationem prolis impediret, semen fuderit extra vas uxoris fratris sui, sicque rem detestabilem fecerit, à Deo imperfectum esse. Notant de cætero communiter D D. apud Laym, loco cit. cessante ex parte conjugum utrinque periculo pollutionis, non peccare mortaliter maritum, si cœptam copulam abrumpat ante seminationem, ne proles generetur, modò id faciat uxore consentiente, aut non rationabiliter invita. Imò Sanchez ab omni peccato excusat, si abrumpat ob justam causam, v. g. paupertatem, aut multitudinem prolis evitandam, & nihilominùs, concupiscentiam sedandi causâ voluerit concumbere, dummodò accedat mutuus consensus, & insuper uxor quoque non semineт. Monet tam Laym. traditæ doctrinæ in praxi rarò fore locum; cùm illud periculum pollutionis moraliter loquendô vix absit.

Quæritur quinto, an omnes pollutio- 66
nes sint ejusdem speciei? Respondeo, omnes esse ejusdem speciei secundùm se acceptas, sive in ratione essentiali pollutionis; sæpe tamen ob circumstantias adjunctas contrahere diversas specie malitias. Ita Bonac. n. 15. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 7. §. 1. n. 11. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 3. n. 628. & alii. passim. Ratio primi est: quia omnes conveniunt in eadem ratione formali seminationis procuratæ extra concubitum. Ratio secundi est: quia sæpe, qui se polluit, habet morosam delectationem, vel desiderium alterius personæ, solutæ, vel conjugatæ, vel votô obstrictæ. In quo tali casu pollutio ultra propriam malitiam contrahit malitiam vel fornicationis, vel adulterii, vel sacrilegii, juxta qualitatem nempe personæ, circa quam versatur delectatio, vel desiderium. Sed hoc est contrahere malitiam specie diversam, quæ explicari debet in Confessione. Ex his resolves sequentia.

I. Dum quis ad se polluendum utitur
67 instrumento inanimato, ea pollutio non contrahit aliam specie malitiam per se loquendo. Tambur. n. 2. Cassianus à S. Elia, in Theol. Morali expurg. V. *Mollities*. n. 15. Sporer n. 638. Ratio est: quia ejusmodi instrumentum quodcunque materialiter, & per accidens se habet ad voluntariam effusionem seminis extra concubitum. Dixi *per se loquendo*: nam potest aliunde ex objecto cogitato, vel circumstantia personæ accedere alia species malitiæ, ut ex n. præced. constat; quam proinde in Confessione oportet exprimere.

II. Qui se polluit inter brachia, axil-
68 las, coxendices, ubera &c. viri, vel fœminæ, non committit peccatum simplicis pollutionis, sed qualificatæ per malitiam copulæ inchoatæ, saltem in affectu. Unde id in Confessione expliacri debet. Bonac. ubi suprà, Tambur. n. 3. Cassianus à S. Elia n. 16. Sporer n. 636. Ratio est: quia pollutio his talibus modis ordinariè procuratur ex affectu personæ, seu concumbendi cum illa. In Confessione tamen, ut monent Authores citt. non sunt necessariò explicandæ peculiares illæ partes corporis; cùm materialiter se habeant: nisi fortè interveniat specialis affectus ad partes posticas; ac proinde Sodomiam: quod haud dubiè explicari debet. Sed quid de pollutione, quæ peragitur in ore alterius? Filliuc. tract. 30. cap. 8. n. 155. Tambur. Cassian. à S. Elia locis citt. & alii putant, esse meram mollitiem, vel simul copulam inchoatam, adeoque partem illam corporis non esse necessariò explicandam in Confessione. Aliqui tamen apud Dianam, ut refert Sporer n. 637. judicant, eam propter nimiam enormitatem fœditatis contra naturam rationalem esse in alia nova & innominata specie intra genus luxuriæ, quod etiam sentit Sporer cit. addens, à quibusdam *irrummationem* appellari.

III. Qui manu alterius polluitur, vel
69 sua manu polluit alium, debet id exprimere in Confessione. Ratio est: quia proprio peccato superaddit cooperationem ad alterius peccatum, quæ est novum peccatum. Imò, qui alium polluit, debet exprimere qualitatem personæ pollutæ, an nempe sit uxorata, voto obstricta &c. Ratio est: quia ad malitiam mollitiei addidit sua cooperatione specie distinctam malitiam adulterii, sacrilegii &c. Ita Tambur. n. 5. Cassian. à S. Elia. Sporer n. 633. Quòdsi sacerdos v. g. vel Religiosus, vel persona conjugata polluant aliquem, vult Cassianus cit. cum Filliucio, hunc non teneri dicere in Confessione, se fuisse pollutum manu Sacerdotis, vel Religosi, vel fœminæ conjugatæ &c. Rationem reddit, quòd manus cujusvis ex dictis personis se habeat ut merum instrumentum. Quod idem dicit de manu consanguineæ, virginis &c. Verùm huic doctrinæ non est assentiendum, sed omnino tenendum, eum, qui manu alterius fuit pollutus, non solùm teneri exprimere in Confessione qualitatem suæ personæ, sed etiam qualitatem personæ, cujus manu fuit pollutus. Ratio est: quia tunc Laicus, vel solutus admittens in se alterius tactus impudicos, quibus polluitur, revera non solùm proprii peccati reus efficitur, sed insuper cooperatur ad sacrilegium, adulterium, incestum &c. ejus à quo polluitur: & consequenter peccato proprio addit aliud specie diversum, quod utique exprimendum est in Confessione: sicut etiam exprimi debet, si sit peccatum solo numero distinctum, veluti contingit, dum persona simplex, id est, nullo voto, aliove vinculo obstricta ab alia persona ejusdem conditionis polluitur. In Confirmationem huc accedit, quòd teste Tamburino sententia contraria jussu Sacræ Inquisitionis Hispanicæ ex libro Hieronymi Lamas expuncta fuerit.

IV. Qui se polluit tactibus in puero
70 doli incapace, aut in dormiente, vel plenè ebrio mare, vel fœmina, aut bestia exercitis, tenetur hos tales procuratæ pollutionis modos in Confessione exprimere. Sporer n. 635. & alii. Ratio est: quia tunc malitiis pollutionum adduntur aliæ malitiæ specie distinctæ. Nam tactus illi libidinosi ex natura sua ordinantur ad diversas specie & malitia copulas in corpore, sexu, specie indebitis &c.

V. Impuberes, sivè pueri sint, sive
71 puellæ, qui conantur impudico motu semen effundere, cùm nondum possint, peccant quidem mortaliter ex pravo affectu ad pollutionem, istud tamen eorum peccatum specie differt à vera & propriè dicta pollutione. Tambur. tract. 2. de Præcept. Eccl. cap. 17. n. 13. Sporer n. 639. Ratio est: quia de ratione veræ pollutionis est effundere semen contra finem humanæ generationis: sed nulla est in ejusmodi personis effusio seminis; ergo. Hoc igitur peccatum re ipsa ac propriè pertinet ad impudicitiam tactûs, estque idcirco in Confessione specialiter exprimendum. Quod de impuberibus dictum est, etiam de eunuchis intelligi debet. In his enim non est semen utile ad generationem.

VI. Qui copulam tentat cum fœmina
72 mortua, vel statua fœminæ, committit peccatum meræ mollitiei. Ratio est: quia turpissimus ejusmodi conatus neque est fornicatio; cùm fœmina mortua non sit fœmina, sed cadaver; & multò minùs statua est fœmina: neque bestialitas; cùm similiter fœmina mortua,

mortua, aut statua non sit bestia, aliave res animata distinctæ speciei: sed neque alia species luxuriæ, in qua per se constituatur, assignari potest. Restat igitur, ut sit mollites, seu pollutio mediante instrumento inanimato procurata. Quod ipsum tamen in Confessione explicandum est, cum addito, eam pollutionem esse factam cum affectu ad fœminã. Tambur. lib. 7. in Decal. c. 7. §. 2. n. 10. Sporer loc. c. Sed jam satis de his fœditatibus.

73 Dico ulteriùs secundo. Sodomia propriè accepta, sive perfecta est concubitus inter personas ejusdem sexûs: nempe inter marem & marem; fœminam & fœminam. Ita ex Doct. Thoma, 2. 2. q. 154. a. 11. communiter D D. Dixi: *Sodomia propriè accepta &c.* Nam illa, quæ definitur, quòd sit concubitus viri cum fœmina in vase præpostero, non est Sodomia, nisi imperfecta & impropriè dicta. Nomine concubitûs generatim intelligitur copula carnalis consummata: quæ est naturalis, si sit in vase debito; innaturalis, si sit in loco, seu vase non debito. Sodomia proinde perfecta & imperfecta in eo differunt, quòd in illa neque servetur sexus, neque vas debitum; in ista servetur quidem sexus, sed non vas debitum. Vid. Bonac. de Sacram. Matrim. q. 4. pu. 11. n. 1. Tambur. cap. cit. §. 3. n. 1. Cassian. à S. Elia, Theol. Moral. expurg. V. *Mollities* 2. n. 4.

74 Sodomiam esse peccatum mortale non qualecunque, sed planè detestabile & abominabile, non solùm constat ex pluribus locis Sac. Script. sed etiam ex gravissimis pœnis, quibus in foro externo vindicatur. In Constitutionibus quippe pœnalibus Caroli V. Sodomitis decretus est ignis, sive comburium. In Jure autem Canonico, si Laici sint, excommunicantur; si Ecclesiastici, Beneficiis privantur, & deponuntur. Hodie verò per Constitutionem Pii V. editam anno 1568. Ecclesiastici hoc nefandum flagitium exercentes omni privilegio Clericali, Beneficio, Dignitate, Officio Ecclesiastico privantur, ita ut per Judicem Ecclesiasticum degradati mox tradantur potestati sæculari, quæ circa eosdem ita procedat in judicio, prout in Laicos hoc vitio irretitos legitimis sanctionibus constitutum reperitur. Quàm verò Deus severè Sodomiam jam olim plexerit, ostendit inprimis universale diluvium, cujus istud peccatum præcipuam causam fuisse magni Authores existimant. Deinde Sodoma ipsa, cui crimen hoc nomen suum debet, totaque illa Pentapolis cælestibus flammis exusta. Testatur præterea S. Hieronymus apud Sayrum lib. 8. Clavis Reg. cap. 5. n. 16. nocte illa, qua Christus fuit natus, omnes Sodomitas fuisse mortuos. Sed jam pro praxi resolves sequentia.

I. Quando duo mares impudicè se 75
tangunt, vel corpora commiscent, & moventur ad procurandam pollutionem, tunc Sodomiam committunt, sive semen effundatur intra, sive extra vas præposterum. Tambur. ubi suprà, n. 3. Cassian. à S. Elia, n. 5. Sporer n. 626. Ratio est: quia ratio, & formalis malitia, qua constituitur Sodomia, sumitur ex motivo, seu affectu concumbendi ad sexum indebitum; locus verò præposterus ad eandem se habet materialiter. Et certè, nisi ita dicamus, sequitur, fœminam cum fœmina nunquam committere propriam Sodomiam; cùm illæ non immittant semen in vas præposterum, sed solùm commisceant corpora cum pollutione, idque vel ex affectu ad indebitum sexum, vel præcisè libidinis explendæ gratiâ, vel ex alio motivo turpi.

II. Qui confitetur peccatum Sodo- 76
miæ, explicare debet, fueritne agens, an patiens. Ita Card. de Lugo, de Sacram. Pœnit. disp. 16. sect. 5. n. 243. Tambur. n. 7. Cassian. à S. Elia n. 7. Sporer loco cit. Ratio est: quia in agente datur propria pollutio, non autem semper in patiente. Confirmatur. Quamvis patiens in hac turpitudine habeat suo modo tactum impudicum, atque ex eo delectationem libidinosam (si tamem semper habeat) certum tamen est, pollutionem esse diversæ malitiæ à malitia simplicis tactûs impudici: ergo pœnitens in peccato Sodomiæ debet explicare memoratam circumstantiam, ratione cujus inducitur malitia specie diversa.

III. In Confessione explicanda est qua- 77
litas personæ, cum qua perpetrata fuit Sodomia. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 11. n. 7. Ratio est: quia secundùm qualitatem personæ aliam & aliam habet præter malitiam propriam insuper adhuc aliam & aliam specie malitiam, scilicet sacrilegii, quando patratur cum Religioso, Sacerdote, vel voto Castitatis obstricto; injustitiæ, quando committitur cum violentia complici illata; contrà pietatem & reverentiam cognatis debitam, quando fit cum persona consanguinea, vel affine &c.

IV. Sodomia imperfecta, nempe quæ 78
committitur à mare cum fœmina, itidem specialiter exprimenda est in Confessione. Tambur. cap. cit. §. 4. n. 1. Cassian. à S. Elia n. 11. Sporer n. 627. Ratio est: quia habet malitiam specie distinctam à Sodomia perfecta. In Sodomia tamen imperfecta, quam quis comisit cum virgine, non est necessarium dicere, comissam fuisse cum virgine, sed sufficit dicere, comissam fuisse cum fœmina. Ita Bonac. n. 9. Cassian. à S. Elia n. 10. Ratio est: quia per istud peccatum non violatur claustrum virgi-

virginale: adeoque non apparet, ex quo capite eidem accedat specialis malitia stupri, quæ exprimi debeat in Confessione.

79 Quantùm ad pœnas Excommunicationis, aliásque in Sodomitas constitutas, sicut & reservationem hujus peccati; illud porrò notandum est, iisdem non comprehendi Sodomiam quamcunque, sed solùm perfectam & consummatam maris cum Mare. Bonac. n. 2. Tambur. cap. cit. §. 3. & 6. Sporer loco cit. Ratio est; quia pœnæ, & reservatio, utpote odiosæ, stricte interpretandæ sunt: adeoque meritò restringuntur in præsenti ad Sodomiam perfectam, eámque principalem, undequaque consummatam, maximè notam, & omnium judicio certam. Nunc

80 Dico tertio. Bestialitas est concubitus cum re animata non ejusdem speciei. Ita D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 11. Crimen hoc est omnium, quæ sunt contra naturam, gravissimum, idque pessimum, quo Joseph accusavit fratres suos; Genes. 37. ut ait Glossa apud D. Thom. a. cit. ad 4. Ad bestialitatem, ut satis indicat allata definitio, pertinet concubitus cum Dæmone. Nam ille non est ejusdem speciei cum homine, quamvis assumat corpus, quod refert formam hominis.

81 In Confessione bestialitatis non est necessariò exprimenda species, vel sexus animalis, an fuerit equus, vel canis, equus, vel equa &c. Ratio est: quia semper habet eandem specie turpitudinem intra genus luxuriæ, quomodocunque demum differant bestiæ, quibuscum perpetratur. Filliuc. tract. 30. cap. 8. n. 161. Bonac. pu. 12. n. 4. Tambur. §. 5. Si cum Dæmone habitus fuit nefandus concubitus, exprimi debet damnatissimus complex. Ratio est; quia tunc additum fuit intrinsecæ malitiæ peccatum contra Religionem, nempe commercium cum hoste Dei & humani generis, Filliuc. n. 162. Bonac. n. 3. Cassian. à S. Elia. n. 18. Exprimendum est etiam, an Dæmon fuerit congressus in forma viri, vel fœminæ; an sub forma personæ talis vel talis, conjugatæ, consanguineæ, Monialis &c. Ratio est: quia tunc intervenit etiam malitia adulterii, incestûs, sacrilegii &c. Idem Cassianus loco cit. & DD. communiter. Perpetrantibus bestialitatem Jure civili decretus est rogus. Rodriquez apud Bonac. n. 5. existimat, hoc peccatum esse reservatum in omnibus locis, in quibus reservata est Sodomia. Quod meritò tamen negat idem Bonacina.

82 Dico quarto. Per innaturalem concumbendi modum committitur peccatum mortale, quoties intervenit tanta inordinatio, ut humana generatio impediatur. Ratio est: quia tunc frustratur finis naturæ, ad quem instituta est copula & ordinatum semen. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 16. n. 5. Bonac. 13. n. 2. qui tamen addit cum aliis, cùm in ejusmodi conjunctione innaturali rarò impediri possit generatio, etiam rarò committi peccatum mortale, nisi adsit aliqua prava intentio, aliáve circumstantia, quæ addat mortalem malitiam. Ordinariè tamen etiam in conjugibus est crassum veniale, nisi aliqua necessitas excuset. Sunt autem quatuor modi innaturalis concubitûs. Primus, quando mas est succubus, & fœmina incuba. Secundus, quando copula fit præposterè, retrò accedendo, in vase tamen debito. Tertius, quando eadem exercetur sedendo. Quartus, quando exercetur stando. Vid. Bonac. cit.

§. VII.

De Sacrilegio.

SUMMARIUM.

83. *An Sacrilegium rectè collocetur inter species luxuriæ?* 84. *Definitio, & divisio hujus Sacrilegii in personale, locale, & reale.* 85. 86. *& seqq. Variæ resolutiones.* 92. *Quid hic in sacrilegio locali intelligatur nomine loci sacri?* 93. *An copula vel pollutio exercita in Sacristia sit Sacrilegium?*

83 QUamvis Sacrilegium absolutè, & secundùm se sit species quædam Irreligiositatis, ut suprà in disp. 2. a. 5. §. 2. vidimus, tamen ex relatione ad finem, scilicet actum luxuriæ, inter species luxuriæ collocatur à D. Thoma 2. 2. q. 154. a. 10. Sicut enim observatio castitatis, quatenùs ordinatur ad cultum Dei, transit in actum Religionis, ut patet in illis, qui vovent & servant virginitatem, quemadmodum ex S. August. arguit idem S. Doctor, ita actus oppositus luxuriæ, cùm per ipsum violatur, & quatenùs violatur, aliquid ordinatum ad cultum Divinum, pertinet ad speciem Sacrilegii, & Sacrilegium ipsum, quatenus committitur propter opus luxuriæ, constituitur in specie luxuriæ. Jam

84 Dico. Sacrilegium est peccatum luxuriæ, quo aliquid sacrum violatur. Ita Bonac. de Matrim. q. 4. pu. ult. n. 1. Dictum est, *aliquid sacrum*, ut comprehendatur tam persona sacra, id est, Deo dicata per votum, quàm locus sacer, & res sacra. Unde colligitur, etiam istud Sacrilegium carnale esse triplex, scilicet personale, quo persona; locale, quo locus; reale, quo res sacra violatur. Hinc resolves, ut sequitur.

85 I. Qui copulam habet, vel habere desiderat cum Moniali professa, Sacrilegium committit. Filliuc. tract. 30. cap. 7. n. 122. Bonac. n. 2. Ratio est: quia violat, vel saltem violare desiderat personam sacram. Unde

non satisfacit in Confessione, si dicat, se carnaliter cognovisse quampiam, sed tenetur dicere, se cognovisse fœminam Deo per votum dicatam.

86 II. Quando Sacerdos, aut Religiosus professus, aut Clericus Sacris initiatus peccat carnaliter cum fœmina per votum solemne Deo dicata, tunc duplex Sacrilegium committit, utrumque explicandum in Confessione. Filliuc. n. 128. Bonac. n. 3. Tambur. tract. 2. de Præcept. Eccl. cap. 16. n. 18. Ratio est: quia & violat personam propriam Deo sacram, & cooperatur cum altera persona sacra, ut idem faciat circa se ipsam. Confirmatur. Quando conjugatus cognoscit uxorem alterius, tunc reus efficitur duplicis adulterii, nempe unius ex parte propriæ personæ, & alterius ex parte alienæ conjugis, cui cooperatur: ergo similiter in prædicto casu nostro persona sacra carnaliter peccans cum alia persona sacra fit rea duplicis Sacrilegii.

87 III. Qui simul Sacerdos est & Religiosus professus, peccátque contra castitatem, is unum tantùm Sacrilegium committit. Ita Bonac. n. 28. Sporer Theol Sacram. par. 4. cap. 3. n. 617. & alii cum sententia probabiliori. Ratio est; quia votum solemne castitatis annexum susceptioni sacrorum Ordinum est ejusdem speciei ac rationis cum voto castitatis emisso in professione Religiosa: consequenter & violatio utriusque est eadem specie, imò & numeroin eodem actu; cùm adversetur eidem motivo virtutis Religionis. Confirmatur. Qui sæpius repetit votũ simplex castitatis, non committit plura peccata, dum tale votum violat: ergo neque committit duo sacrilegia, qui peccatum luxuriæ committit obstrictus voto solemni professionis & Sacrorum Ordinum. Unde talis in Confessione satisfacit dicendo, se esse Religiosum professum, vel Sacerdotem, vel Diaconum, vel Subdiaconum. Similiter & fœmina satisfacit dicendo, peccavi cum Religioso, vel Sacerdote &c. Vid. Bonac. n. 29. Sporer loco cit.

88 IV. In sententia illorum, qui cum Azorio, Conincho, Bonacina & aliis tenent, votum solemne differre specie à voto simplici, habens votum simplex & solemne castitatis duplex sacrilegium committit per peccatum luxuriæ, & non satisfacit in Confessione dicendo, se votum castitatis violâsse; sed debet qualitatem utriusque voti exprimere. Ratio est: quia tenetur exprimere diversitatem specificam Sacrilegiorum contra ambo vota commissorum. Verùm in sententia contraria & tuta in praxi docentium cum Sanchez de Matr. disp. 27. n. 18. & 35. votum simplex & solemne non differre specie essentialiter, sed accidentaliter solùm, tenendum est, talem sacrilegum satisfacere in Confessione dicendo, se contra votum castitatis peccâsse. Ratio est: quia non duplex, sed unum tantummodò sacrilegium commisit. Vid. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 2. §. 1. n. 4. & tract. 2. de 2. præcepto Eccl. cap. 16. n. 17. Sporer cap. cit. n. 618.

89 V. Reale Sacrilegium committitur primo, quando res sacra, præsertim Sacrificium Missæ, promittitur ac datur in prétium operis, aut obsequii carnalis. Secundo, si Sacerdos cum quápiam, ad quam portat S. Eucharistiam, carnaliter peccet; præsertim, si ob turpem ejusmodi finem portet ad fictè infirmam. Tertio, si Sacerdos vestibus sacris indutus peccatum luxuriæ perpetret. Ratio est: quia in his casibus (idem cogita de aliis similibus) res sacra adhibetur, aut usurpatur ad opus luxuriæ; adeoque graviter violatur. Vid. Bonac. pr. cit. n. 4. & 5. Sporer n. 620. Sed quid, si copulam fornicariam exercens gestet è collo sacras Reliquias, Agnos Dei, & similia? Respondeo, tunc non committi speciale peccatum Sacrilegii. Ratio est: quia ejusmodi sacræ res per accidens videntur se habere ad opus turpe; adeoque non violari specialiter. Vid. præter citt. Filliuc. tract. 30. cap. 7. n. 129.

90 VI. Exercere copulam non conjugalem, sive apertè, sive etiam occultè, in loco sacro Sacrilegium est. Ratio est: quia per hanc talem actionem tam irreverentem violatur locus sacer. Imò etiam polluitur, nisi copula sit occulta. Bonac. n. 6. Sporer n. 619. ex communi sententia. Quòd si hæc copula priùs occulta postea fiat notoria per famam, aut confessionem complicum, locus sacer incipit haberi pro polluto, & indiget reconciliatione. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 2. §. 1. n. 8. De copula conjugali itidem occulta, dum in loco sacro exercetur absque necessitate, idem sentiendum est. Dixi, *absque necessitate*: qualis est, dum alteruter conjugum versatur in periculo incontinentiæ, & non suppetit alibi concumbendi opportunitas, tunc enim juxta communiorem sententiam is concubitus in loco sacro exercitus mortali culpa vacat, nec inde polluitur ejusmodi locus. Vid. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 12. & 13. Saa in Aphorism. V. *Ecclesia*. n. 14. Bonac. loco cit. Tambur. n. 9. Pollui tamen Ecclesiam, dum in casu dictæ necessitatis publicè exercetur copula, tradit ex Pasqualigo Octavius à S. Joseph in Interrogat. Moral. Interrog. 433.

91 VII. Verba turpia, & lascivi aspectus, præsertim, si obiter solùm ac brevi cum mora, & absque scandalo fiant in loco sacro, non continent specialem malitiam sacrilegii mortalis, quamvis aliunde supponantur esse peccata mortalia. Ita Suarez tomo 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. n. 11. Sanchez n. 20. Bonac. n. 8. Tambur. n. 10. Octavius à S. Joseph. Interrog. 434. Ratio est: quia hæc non videtur esse materia gravis & sufficiens ad locum sacrum graviter violandum, quod tamen intellige, si absit

abſit periculum pollutionis. Sed major hic difficultas eſt de tactibus impudicis. Nam plures docent, tales tactus non eſſe Sacrilegium, dum exercentur in loco ſacro, ſi abſit periculum pollutionis. Ita Sanchez n. 21. Conink diſp. 7. de Pœnit. dub. 4. n. 22. Filliuc. tract. 30. cap. 7. n. 133. & alii. Imò Tambur. loco cit. ait, neque tunc eſſe Sacrilegium, quando adeſt periculum pollutionis, dummodò pollutio re ipſa non ſequatur. Ratio eſt: quia actus impudici ac turpes malitiam Sacrilegii accipiunt ex prohibitione Eccleſiæ: in qua cùm non fiat mentio de tactibus, ſed de copula & pollutione; quibus locus ſacer violatur, non eſt ratio aſſerendi, in illis reperiri malitiam ſpecialem gravis ſacrilegii. Suarez tamen loco cit. cum aliis tenet oppoſitum. Ratio eſt: quia tactus impudici valde diſponunt ad pollutionem, & conſequenter naturâ ſuâ valde ordinantur ad id, quo juxta Sacros Canones locus ſacer violatur: ut proinde meritò Eccleſiaſtica prohibitio pollutionis in loco ſacro eos tactus comprehendere cenſeatur. Et hæc ſententia magis placet. Vid. Bonac. loco cit. Card. de Lugo diſp. 16. de Pœnit. ſect. 10. n. 464. Illſung tract. 5. diſp. 3. a. 2. n. 298.

92 Sed quæritur demum, quid nomine loci ſacri hîc intelligatur? Reſpondeo, intelligi ſolam Eccleſiam, ſolúmque cœmeterium, hoc eſt, Eccleſiam cum ſuis capellis conſecratam, aut ſaltem ab Epiſcopo benedictam, & ſacris Officiis deputatam, cœmeteriúmque pro ſepeliendis fidelibus ſimiliter ab Epiſcopo benedictum. Sanchez n. 24. & 40. Bonac. n. 9. Tambur. n. 12. Unde quamvis Monaſteria, eorumque dormitoria, cubicula tum Sacerdotum, tum Religioſorum, ſicut & Oratoria privata non conſtituta auctoritate Epiſcopi, ſint loca ſacra, ita ut gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, non tamen ita ſunt ſacra, ut copula, aut pollutio (idem eſt de homicidio, & furto) in iis perpetrata habeat ſpecialem malitiam Sacrilegii. Tambur. loco cit.

93 Corollarium. Pet copulam, vel pollutionem in Sacriſtia, cameris Eccleſiæ adjacentibus, aut in turri campanarum exercitam nullum Sacrilegium committitur. Ratio eſt: quia præter cœmeterium illud ſolum ſpatium dicitur locus ſacer, quod pertinet ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori uſque ad pavimentum, & à ſumma ara uſque ad parietem oppoſitum. Atqui memorata loca non pertinent ad interius corpus Eccleſiæ; ergo. Unde aliud judicandum, quando ejuſmodi turpitudo perpetratur in Choro, vel Capella. Nam iſta verè pertinent ad interius corpus Eccleſiæ. Plura de ſimilibus fusè tractat Sanchez diſp. cit. à n. 26.

§. VIII.

De Impudicitia.

SUMMARIUM.

94. Quænam intelligantur nomine impudicitiæ. 95. Oſcula, tactus, amplexus, & aſpectus ſecundùm ſe ſunt actiones indifferentes. 96. Delectatio alia Venerea, alia ſenſibilis ſive naturalis. 97. Delectatio Venerea ex oſculis &c. alia eſt cum tendentia ad copulam, vel pollutionem, alia ſine eiuſmodi tendentia. 98. 99. Moraliter impoſſibile eſt, delectationem ſenſibilem ex oſculis, tactibus &c. voluntariè quæſitam dari ſine delectatione Venerea, vel proximo periculo ejuſdem. 100. Oſcula, tactus, amplexus inter ſolutos exerciti ob delectationem carnalem ſemper peccata mortalia ſunt, quamvis in eadem delectatione ſiſtatur. 101. Solvitur triplex objectio. 102. 103. & ſeqq. Reſolutiones ex dictis. 109. 110. Quid de aſpectu partium non turpium humani corporis? 111. 112. Partes obſcœnas in corpore diverſi ſexus ſine juſta cauſa deliberatè aſpicere ſemper peccatum mortale eſt. 113. 114. 115. Corollaria. 116. Turpia loqui, canere, ſcribere, audire Venereæ delectationis causâ ſunt itidem peccata mortalia. 117. 118. 119. Variæ reſolutiones ex dictis. 120. Quid de Choreis? 121. Oſcula, tactus, &c. ob delectationem carnalem exercita etiam inter ſponſos & ſponſas ſunt peccata mortalia. 122. Solvitur Objectio. 123. In genere luxuriæ nulla datur parvitas materiæ. 124. Quid agendum Confeſſario, ſi pœnitens doctus, qui tenet ſententiam contrariam, de modica delectatione ſe accuſet tanquam de peccato veniali? 125. Remedia contra vitium luxuriæ.

NOmine impudicitiæ comprehendimus 94
tactus, oſcula, amplexus, aſpectus, turpiloquia & ſimilia, quæ præter jam explicata in §§. prioribus virtuti Caſtitatis adverſantur. De quibus ut diſtinctiùs agamus, per quatuor partes procedemus. Prima erit de tactibus, oſculis & amplexibus inter omnino ſolutos. Secunda de turpibus aſpectibus inter eoſdem. Tertia de turpibus verbis inter illos. Quarta de omnibus nunc enumeratis inter ſponſos de futuro. His addemus quintam de parvitate materiæ in re Venerea. Priùs tamen, quàm ad concludendum, quæ ſentimus, veniamus, aliqua neceſſariò notanda veniunt.

Notandum eſt autem primo, tactus, oſcu- 95
la, amplexus, ſicut & aſpectus ſecundùm ſe non eſſe moraliter malos, ſed indifferentes.

Ita

Ita D. Thomas 2.2. q. 154. a. 4. aliique omnes DD. Et ratio est; quia ista sunt formaliter actiones sensuum, quæ de se nec bonæ, nec malæ sunt, sed fiunt bonæ ex relatione ad finem bonum & honestum, malæ ex relatione ad finem malum. Unde fit, ut oscula & amplexus, dum more patriæ exhibentur in signum benevolentiæ & amicitiæ, non solùm careant omni culpa, si absit periculum consensûs in delectationem carnalem, sed etiam sint actus honesti, & castus amor, ut tradit idem D. Thomas.

96 Notandum est secundo, duplicem in præsenti distinguendam esse delectationem, nempe Veneream sive sensualem, & merè sensibilem. Delectatio venerea est, quæ sentitur in carne cum comotione spirituum generationi subservientiũ circa partes obscœnas. Unde etiam delectatio carnalis, & libidinosa vocatur Delectatio sensibilis, quam etiam naturalem appellant, est illa, quæ percipitur ex tactu, vel aspectu v. g. proprii, vel alieni corporis absque ulla libidine, seu commotione memoratorum spirituum, ob solam proportionem, seu connaturalitatem cum organo tactûs vel visûs: ut, quando tangitur res blanda, aut mollis, v. g. felis, holosericum &c. vel quando videtur res pulchra, v. g. pulcher equus, pulcher hortus, pulchrum palatium, quæ naturaliter delectant organa illorum sensuum.

97 Notandum est tertio, delectationem veneream, quæ ex tactibus, osculis, & amplexibus hauritur, esse in duplici differentia. Nam aliqua ita se habet, ut non sistat in se ipsa, sed tendat ulterius in copulam, aut pollutionem. Alia verò ita surgit ex dictis actionibus, ut in se sistat sine tendentia in copulam, vel pollutionem. Delectationem veneream priori modo acceptam, dum est circa copulam, esse peccatum mortale in solutis omnino certum est: imò tam in conjugatis, quàm solutis esse peccatum mortale, quando est de pollutione, à nemine negari potest. Difficultas est igitur de eadem delectatione posteriori modo accepta, an nempe ratione ipsius oscula, tactus, & amplexus, quæ ex se sunt actiones indifferentes, evadant peccata mortalia? Nam aliqui id negârunt asserentes, esse solùm peccata venialia ob parvitatem materiæ, ut videre est apud Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 6. Viva Thes. damnat. par. 1. in prop. 40. n. 3.

98 Dico primo. Oscula, tactus, & amplexus exerciti ob delectationem naturalem, seu sensibilem nullam continent malitiam per se loquendo. Ratio est: quia in primis hi tales actus ex se sunt indifferentes, ut in n. 95. notavimus: deinde delectatio ipsa, ob quam exercentur, secundùm se non est inordinata, ut omnes fateri debent. Vid. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 9. n. 4. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 8. §. 2. & §. 1. n. 1. Laym. lib. 3. sect. 4. n. 10. Cassian. à S. Elia in Theol. Mor. expurg. Verbo *Osculum*. cap. 1. n. 6. Viva n. 4.

Dixi, *per se loquendo*. Quia attentis circumstantiis, 99
réque moraliter æstimata, moraliter impossibile est delectationi sensibili per actiones memoratas deliberatè ac studiò quæsitæ non adjungi aliquo modo voluntariè delectationem sensualem seu carnalem, aut saltem proximum periculum illius. Unde licet tangere manum mulieris, vel osculari eam in facie ex levitate, aut curiositate, & cum periculo levi solùm & remoto delectationis carnalis, solùm esset peccatum veniale levitatis, aut curiositatis; quia tamen propter humanæ naturæ corruptionem, ac summam proclivitatem ad malum intra genus luxuriæ, admissa tunc semel delectatione sensibili, inseparabiliter adest delectatio etiam carnalis & libidinosa, aut saltem periculum proximum quoque ejusdem, non est practicè probabile, ejusmodi tactum, aut osculum (idem cogita de amplexu) inter solutos esse veniale solùm, & non mortale peccatum. Vid. Cassian. à S. Elia loco cit. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 68. Viva loco cit.

Dico secundo. Oscula, tactus, & am- 100
plexus exerciti inter solutos propter delectationem carnalem, quæ ex illis oritur, semper mortalia peccata sunt, quamvis in eadem delectatione sistatur, & neque de fornicatione, neque vitio contra naturam, eorumque delectationibus quidquam cogitetur. Ita communis & certa sententia, quam præter alios innumeros Authores copiosè defendit Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 6. n. 12. ubi etiam refert, jussu Clementis VIII. & Pauli V. Inquisitoribus Fidei denuntiandos esse eos, qui contrarium asseruerint.

Probatur autem statuta Conclusio primo ex Apost. ad Ephesios 5. illis verbis: *Fornicator, aut immundus, aut avarus non habent hæreditatem in regno Christi & Dei.* Ubi nomine *immunditiæ* (ut notat Lyranus) intelliguntur oscula, amplexus, & cætera omnia, quæ pertinent ad luxuriam. Prob. secundo ratione. Quia actio importans deliberatam complacentiam de objecto mortaliter malo est mortaliter mala; sicut ipsa complacentia est mortaliter mala; ut patet in deliberata complacentia de homicidio, de furto, & similibus. Atqui oscula, tactus & amplexus, de quibus loquimur, important deliberatam complacentiam de objecto mortaliter malo, scilicet de fornicatione, vel pollutione, ad quarum alterutram illa delectatio libidinosa, & comotio spirituum generationi subservientiũ naturâ suâ ordinantur; ergo eadem oscula, tactus, & amplexus sunt mortaliter mala, sive peccata mortalia. Quod autẽ hujusce generis oscula, tactus, & amplexus naturâ suâ ordinentur

tur

tur ad concubitum, facilè constat, tum ex eo, quòd exerceantur à quibusdam brutis, quando ad coitum se præparant; tum, quòd multò viciniùs se habeant ad copulam, quam morosa delectatio de illa cogitatâ. ergo, si morosa delectatio naturâ suâ ordinatur ad copulam, ut ex alibi dictis suppono, etiam oscula &c. ad eandem ordinantur.

Confirmatur. Quia eadem lege, qua prohibetur fornicatio, censetur prohibitum id omne, quod ad illam immediatè disponit. nam interdicta re quapiam censentur interdici omnia, per quæ ad eam devenitur, ut habetur in *l. Oratio. ff. de Sponsal.* atque hinc lege naturali & Divina graviter prohibita est morosa delectatio de ipsa copula, quia immediatè disponit ad illam. Sed ad fornicationem magis disponit osculum, quod exercetur ob delectationem veneream sistens in ipsa, quàm delectatio morosa de eadem fornicatione; ergo à fortiori hujusmodi osculum graviter, sive sub mortali peccato prohibitum est. Ex quibus etiam patet, quàm justè ab Alexandro VII. damnata fuerit hæc 40. propositio: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.* Vid. Sanch. lib. 9. de Matr. disp. 46. n. 7. Cassian. à S. Elia, ubi suprà, à n. 11. Viva n. 10.

101 Objicies primo. Oscula, & tactus sunt actiones ex se indifferentes, ut diximus n. 95. Ergo non alia ratione evadunt moraliter mala, nisi quatenùs ordinantur ad delectationem fornicationis, alteriùsve illiciti concubitûs: & consequenter, si ad ejusmodi delectationem ordinantur, non sunt mala, graviter saltem. Secundo. Ideo fornicatio est intrinsecè mala, quia adversatur bonæ educationi prolis. Atqui oscula, tactus, & amplexus, de quibus hîc sermo, non adversantur bono alicui prolis; ergo non participant mortalem malitiam fornicationis, quamvis ad eam ordinentur. Tertio. Quando actio non est mala, etiam delectatio, quæ ex illa naturaliter consequitur, non est mala: sed oscula, tactus, & amplexus de se non sunt mala; ergo neque delectatio carnalis, quæ inde consequitur, est mala. quod intellige, nisi ad ulteriorem consensum, vel pollutionem permoveat.

Respondeo ad I. primo, oscula & tactus secundùm se quidem esse actiones indifferentes, non tamen esse actiones indifferentes, dum exercentur propter delectationem carnalem, sed moraliter malas. nam aliàs nequidem venialia peccata essent: quod non concedunt objicientes. Respondeo secundo conc. totum. nihil enim contra nos infertur. Interim certum est, oscula, tactus, & amplexus, qui exercentur propter delectationem carnalem, ex natura sua, & intrinsecè ordinari ad copulam, & delectationem de illa, quod sufficit, ut sint peccata mortalia, quamvis ad neutram ordinari supponamus ab osculante, tangente, aut amplexante. Ad II. respondeo neg. mi. cùm enim ex dictis ordinentur intrinsecè ad copulam & fornicationem, naturâ suâ adversantur bono prolis, idque non minùs, quàm morosa delectatio. Ad III respondeo, delectationem carnalem non consequi ex osculis &c. secundùm se spectatis, sed ex talibus osculis, nempe exercitis propter ipsam; adeoque esse malam, sicut mala sunt ejusmodi oscula &c. Nunc ex dictis resolves, & sequitur.

I. Oscula, tactus, & amplexus libidino- 102
si sunt peccata ejusdem naturæ cum actibus perfectis, seu consummatis concubitûs. Unde in Confessione exprimi debet, an fuerint exerciti cum persona ejusdem, vel diversi sexûs; cum obstricta voto castitatis an cum libera; cum cognata, an cum extranea &c. Sanchez disp. cit. n. 17. Laym. lib. 3. sect. 4. n. 13. & alii communiter. Ratio est: quia tales personarum circumstantiæ speciem mutant. Ob eandem rationem explicandus est status matrimonialis, quando quid tale exercet conjugatus cum personâ aliena, sive non conjuge. quia tunc peccatum committitur ut inter solutos, & circumstantia Matrimonii speciem mutat. Cassian. à S. Elia cap 2. n. 16.

II. Oscula, amplexus, compressiones 103
manuum, aliaque similia non obscœna, dum fiunt moris patrii, vel civilitatis causâ, vel in contestationem honesti amoris & benevolentiæ, omni vacant malitiâ, tametsi hinc oriatur delectatio venerea, dummodò in eandem non consentiatur. Sanch. n. 3. Laym. n. 10. Bonac. de Matr. q. 4. pu. 9. n. 1. & alii communiter. Rationem ex dictis in n. 95. collige. Imò secluso periculo consensûs in motus sensualitatis fortè insurgentes, licitam esse delectationem, quæ hauritur ex osculo, amplexu, tactuve honesto manuum, quatenùs eadem sunt signa mutuæ benevolentiæ, pacis, amicitiæ, aut debiti obsequii, docent Sanch. loco cit. Filliuc. tract. 30. n. 171. Bonac. n. 2. Sporer in Theol. Sacram. par. 4. cap. 3. n. 680. multique alii. Ratio est: quia, cùm licitum sit delectari de mutua benevolentia, pace &c. licitum quoque erit delectari de signis similium.

III. Quamvis ex communi sententia o- 104
scula, amplexus &c. dum proficiscuntur ex joco, aut animi levitate, citra intentionem venereæ delectationis, non excedant culpam venialem, contrarium tamen in praxi non modò tutius est, sed inhærendò dictis à nobis in n. 99. planè tenendum. Ratio nempe est: quia tunc admittitur, aut acceptatur voluntariè delectatio sensibilis ex contactu alieni corporis insurgens: qua sic admissa proximum periculum est delectationis libidinosæ.

Quòdsi quis tangat ex levitate aut curiositate personam ejusdem sexûs etiam in partibus verendis leviter solùm ac transeunter, & non planè deliberatè, is excusari poterit à peccato mortali propter imperfectionem voluntarii, ut habet Sylvius apud Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 8. §. 2. num. 4. Similiter se ipsum tangere ex sola curiositate, vel levitate, citraque malam intentionem, nonnisi peccatum veniale est. Ratio est: quia tactus partium proprii corporis non excitat tam periculosè ad libidinem, sicut tactus alterius. Tambur. loco cit.

105 IV. Ob justam causam necessitatis tangere partes verendas nullum peccatum est. Ita communiter DD. Ratio est: quia ejusmodi tactus per justitiam causæ redditur moraliter honestus. Neque refert, si turpes inde motus suboriantur, dummodò respuantur. sunt enim involuntarii. Cæterùm justa causa est necessitas medendi eisdem partibus tum propriis, tum alienis. Istud tamen genus medicandi mulieres, præsertim virgines, non tenentur tolerare à viris, ut docent Lessius de Just. lib. 4. cap. 3. dubit. 8. n. 60. Bonac. n. 9. Cassian. à S. Elia ubi suprà n. 20. Ratio est: quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minùs abhorret, quàm à morbo, aut morte ipsa. Atqui multæ mulieres non minùs abhorrent ab ejusmodi curatione in partibus secretioribus, quàm à morbo, vel ipsa morte; ergo. Imò, ut addit Lessius, ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quàm permittere in se oriri turpes imagines, aut sensum ullum libidinis: quorum tamen præsens periculum est ex virili contactu memoratarum partium. Alia justa causa est necessitas eas partes purgandi ab immunditiis & adhærente lanugine, vel mordentem dolorem pruritûs fricandô reprimendi, aut sedandi. quod tamen honestiùs fit, inquit Illsung, fricatione non nuda, sed per indusium. Vid. Sanch. ubi suprà n. 14. Tambur. loco cit. qui etiam dicunt, secluso periculo libidinis propria verenda tangere manus calefaciendi causâ non esse peccatum.

106 V. Absque justa causa deliberatè ac seriò attrectare partes verendas, aut earum vicinas alterius personæ, sive ejusdem, sive diversi sexûs, etiamsi id fieri dicatur ex mera curiositate, aut levitate, semper peccatum mortale est. Vid. Sanchez n. 11. Laym. ubi suprà, Tambur. loco cit. Sporer n. 675. Ratio est: quia hoc ex se ingentem deformitatem continet, hominemque gravi periculo exponit, cùm suapte natura ad veneream delectationem tendat, & vehementer inciter. Gravius autem peccatum sunt impudici ejusmodi tactus, dum exercentur in persona ejusdem sexûs: quia tunc ad libidinem longè fœdiorem disponunt. Existimat quidem Sanch. loco cit. contactum verendorum alterius personæ, de quo sermo est, excusari posse à mortali, si supravestes committatur, & non intendatur delectatio consurgens ex attrectatione mediata cogitata, sed levis quædam ex attrectatione immediata. Verùm nos huic doctrinæ suffragari non possumus. cùm supponat, dari posse delectationem veneream levem: quod postea negabimus.

VI. Si fœmina advertat, se tangi ab alio 107
affectu libidinoso, isque contactus per se, & spectatis circumstantiis externis sit inhonestus, tunc tenetur sub peccato mortali illum vitare, & impedire, si potest. Less. n. 64. Bonac. n. 10. Ratio est: quia non minùs ad pollutionem incitat libidinosè tangi, quàm tangere: ergo sicut lege castitatis tenemur sub mortali non tangere libidinosè, ita etiam tenemur cavere, ac impedire, ne sic tangamur ab alio. Dixi: *si tactus sit inhonestus &c.* nam si exteriùs sit honestus, fiatque juxta receptum morem patriæ ad contestationem amicitiæ, benevolentiæ, &c. non tenetur illum refugere, quantum est ex lege castitatis, quamvis advertat impurum tangentis animum; tenetur tamen refugere ac declinare ex lege charitatis, si commodè possit, ne videlicet alter peccet. Vid. citt. & Cassian. à S. Elia n. 25. Sed quid si tactus dicto modo sit honestus, & fœmina dubitet, bonone, an malo animo fiat? In hoc casu Filliuc. tr. 30. c. 9. n. 197. judicat, fœminã non teneri ejusmodi tactum, aut etiam amplexum, respuere. quia in dubio nemo debet præsumi malus. Bonac. oppositum censet probabilius, si tactus non publicè, sed secretò fiat. tunc enim, inquit, mulier jure suo utitur, & saluti proximi consulit.

VII. Tametsi aliqui à peccato mortali 108
excusent eos, qui partes turpes brutorum animantium ex curiositate contrectant, & fricant etiam usque ad pollutionem illorum, probabilius tamen est eosdem non excusari à mortali. Ita Bonac. n. 15. Cassian. à S. Elia n. 27. referens præterea Dianam par. 1. tr. 3. resolut. 37. Ratio est: quia hæc talia non tantùm sunt valde obscœna & rectæ rationi adversa, sed etiam valde incitant ad libidinem: quod ait Bonac. ex aliquorum attestatione se didicisse.

Dico jam tertio. Aspectus partium ho- 109
nestarum humani corporis nullum peccatum est per se loquendo. Less. n. 65. estque certa doctrina. Ratio est: quia visus, sive aspectus, ceu sensus magis elevatus, & minùs materialis, per se non movet sua sensatione ad voluptatem carnalem. Dixi, *per se loquendo*. Nam potest esse peccatum, idque mortale, tum ex fine, quando nempe exercetur ad concupiscendum: tum ratione periculi, præsertim, si sit diuturnus, v. g. circa fœminam pulchram. Fit enim, ut operatione phantasiæ res illa respræsentetur non solùm ut visui, sed etiam ut tactui, earumque delectabilis: ex qua repræsentatione naturaliter oritur com-

commotio spirituum genitalium, membrorum rebellio &c. Diabolus quoque non solet hîc otiari, sed facere, ut species visa assiduè obversetur phantasiæ, sicque affectum sensim alliciat in delectationem circa naturam turpiter commotam. Vid. Less. loco cit.

110 Corollarium. Aspectus non turpis v. g. mulieris pulchræ, si fiat ex curiositate, erit peccatum veniale, si ex honesto motivo, v.g. laudandi Dei potentiam in hac tali creatura, vel eandem salubriter admonendi vanitatis suæ &c. nullum peccatum erit, dummodò aspicens, spectatis circumstantiis, ita se gerat, ut periculo libidinis se non exponat. Ita communiter DD, ex quibus addit addit Cassian. à S. Elia cum Sanchez, non esse peccatum mortale curiosè aspicere crura, brachica, vel pectora nuda fœminarum, si absit aliud periculum. Ratio est: quia nempe aspectus ejusmodi partium non inhonestarum ex se non valde provocat ad libidinem.

111 Dico quarto. Aspicere deliberatè absq; justa causa partes obscœnas, eisve vicinas in corpore diversi sexûs semper mortale peccatum est. Ita communiter Theologi. Ratio est: tum, quia id valde repugnat honestati naturali. hinc primi parentes post lapsum erubuerunt aspici nudi, ut habetur Genes. 3. tum, quia talis aspectus urgentissimè stimulat ad luxuriam, ejusque gravissimo periculo exponit aspicientem. Vid. Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 46. n. 22. Less. loco cit. Bonac. ubi suprà, n. 13. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 8. §. 3. n. 2. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 65. Vera est autem à fortiori vel maximè statuta Conclusio, quando similia aspiciuntur ex affectu libidinoso.

112 Dixi tamen *deliberatè*, adde *& serio*, quia talia aspicere ex improviso & non plenè deliberatè, vel ex levitate valde obiter & per morulam brevissimam; vel etiam, ut alii volunt, ex loco valde remoto, veniale tantùm peccatum est. Ratio est: quia in his casibus non apparet periculum aliquod notabile consensûs vel complacentiæ libidinosæ; nisi fortè in valde proclivibus ad luxuriam. Vid. Tambur. n. 3. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 3. n. 670. Illsung tract. 4. disp. 1. a. n. 65. Dixi: *absque justa causa*. qualis est necessitas medendi v. g. ob hanc enim Medici, & Chirurgi excusari possunt à peccato, dum inspiciunt partes obscœnas, sive virorum, sive mulierum. Vide, quæ suprà

113 in n. 105. diximus. Dixi: *in corpore diversi sexûs*. ut, si vir fœminæ, fœmina viri verenda aspiciat. hæc enim est res valde fœda adversus naturalem honestatem, & urgentissimus stimulus ad libidinem, ut in n. præced. unde non potest excusari à peccato mortali, etiamsi ex sola curiositate fiat; cum sit curiositas nimiùm quantùm periculosa: nisi fortè, quæ sic aspicitur, sit persona ætatis valde puerilis. Vid. Less. loco cit. Cassian. à S. Elia n. 29. Imo addit Less. ex S. Antonino, neque excusari à mortali, si fiat specie mortificationis, ut, si hoc prætextu vir fœminam coram se nudari faciat. In eodem autem sexu, dum nempe vir virum, fœmina fœminam ex curiositate aspicit nudam, vel ejus turpitudinem, excusabitur à peccato mortali. Ratio est: quia talis aspectus inter personas ejusdem sexûs neque continet tantum inhonestatem, neque grave periculum lapsûs per se loquendo. quod addo: quia per accidens in persona valde proclivi ad Sodomiam tunc adest grave periculum consentiendi in delectationem libidinosam. Similiter ob gravitatem personarum se se mutuò aspicientium reddi posset aspectus valde inhonestus & scandalosus. Sanch. ubi suprà n. 26. Bonac. ubi suprà. Cassian. à S. Elia n. 30. Ob rationes priùs redditas idem Sanch. n. 27. excusat à mortali eum, qui propria verenda ex quadam curiositate, absq; alia prava intentione, maliq; periculo, inspicit.

Corollarium I. Qui deliberatè, etiam so- 113
la curiositate ductus, aspicit concubitum viri cum fœmina, mortaliter peccat. Sanchez n. 28. Bonac. n. 14. Tambur. n. 4. Cassian. à S. Elia n. 31. Ratio est: quia talis aspectus est nimis impudicus, & magis adversus honestati naturali, magisque ad libidinem provocat quàm curiosus aspectus nudæ fœminæ, aut verendorum ejus, quem in n. præced. peccati mortalis damnavimus. Aspicere coitum bestiarum, aut earum partes turpiter inflatas, ordinariè non esse peccatum mortale, docent Authores cit. & alii. Rationem reddunt: quia hoc non adeo inhonestum est, & valde provocans ad libidinem. Quòdsi tamen aspiciens esset ita proclivis ad luxuriam, ut in ipsum libido facilè redundaret, ob hoc tale periculum non esset excusandus à mortali. Cassian. à S. Elia. n. 27.

Corollarium II. In Confessione exprimi 114
debet circumstantia personæ, ex cujus aspectu hausta est delectatio libidinosa. Sanch. n. 30. Bonac. n. 16. Cassian. à S. Elia n. 36. & alii. Ratio est: quia ista delectatio est ejusdem speciei in malitia, cujus est actus consummatus, ad quem tendit; unde sicut in Confessione explicanda est qualitas personæ, cum qua peccatum luxuriæ fuit consummatum, ita etiam explicanda est qualitas illius, ex cujus aspectu concepta fuit venerea delectatio. Quod idem dic de delectationibus tactuum & verborum turpium.

Mortaliter peccant, qui absque justa causa 115
nudant verenda, ut aliis conspicienda objiciant, aut veste cooperiunt adeò diaphana ac tenui, ut ab aliis conspiciantur. Bonac. n. 23. Ratio est: quia hoc modo proximo præbent manifestam occasionem ruinæ. Idem tamen Bon. & Less. l. 4. de Just. c. 4. dubit. 14. n. 112. à mortali excusant fœminam, quæ juxta morem

patriæ & absque prava intentione nudat pectus aut mamillas, aut ita tegit tenuiter, ut ab aliis conspiciantur. Ratio est: quia partes illæ corporis censentur honestæ, quas natura aut pudor humanus non exigit tegi absolutè. Illarum quoque nuditas ob consuetudinem patriæ non videtur facilè trahere ad peccatum. Vide tamen, quæ suprà in disp. 1. a. 6. n. 23. diximus.

116 Dico quinto. Turpia loqui, canere, scribere, legere, audire, Venereæ delectationis causâ, vel cum probabili periculo consensûs in illam, mortalia peccata sunt. Ita communissima sententia. Ratio est: quia licèt enumeratæ actiones ex se indifferentes sint, sicut de tactibus, osculis, amplexibus, & aspectibus dictum est, ex fine tamen moraliter malo luxuriæ redduntur mortaliter malæ. Dixi: *Venereæ delectationis causâ &c.* nam si absit ea prava intentio, & periculum libidinosi consensûs, similia instituere ex animi levitate, curiositate, aliave delectatione non libidinosa, culpam venialem non excedit, per se loquendo. quod addo; quia tunc quoque hæc talia ratione scandali frequenter esse solent mortalia peccata. Vid. Bonac. n. 18. Laym lib. 3. sect. 4. n. 13. Cassian. à S. Elia n. 38. Ex dictis resolves sequentia.

117 1. Qui audit turpia narrantem, vel canentem, aut etiam nutibus, vel gestibus insinuantem, non continuo peccati mortalis arguendus est, quamvis rideat, ne fortè inurbanus, aut hypocrita esse videatur, dummodo non sit talis persona, quæ tunc, ridendô scandalum generet, aliisque ad ejusmodi sermones, ac signa turpia animos addat. Sanchez n. 37. Cassian. à S. Elia n. 40. Illsung tr. 4. disp. 1. a. 3. n. 66. Ratio est: quia ille risus potest oriri ex sola delectatione circa artificiosum, ac lepidum modum loquendi, canendi &c. in quo non peccatur mortaliter, si absit periculum alterius delectationis, scilicet libidinosæ. Finis quoque ejus risûs, nempe non videri inurbanum, aut hypocritam, non est mortaliter malus.

118 II. Spectaculis, aut comœdiis intereſſe, in quibus repræsentantur & proferuntur turpia, istaque audire ob solam vanam curiositatem, & absque probabili periculo lapsûs in peccatum libidinosæ delectationis, est solùm veniale peccatum. Audire verò ob delectationem veneream ex ejusmodi turpibus oriri natam, vel cum probabili illius periculo, lapsusque in consensum prævisо, mortale peccatum est. Ratio istorum patet ex n. 116. Vid. Sanchez n. 40. Filliuc. tract. 30. cap. 10. n. 212. Bonac. n. 21. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 8. §. 5. n. 1. Cassian. à S. Elia n. 41. Sed quid de Clericis, si intersint comœdiis? respondeo, secluso periculo lapsûs in peccatum luxuriæ, eos non peccare mortaliter. Nam scandalum, quia frequentissimè intersunt, hodie ferè cessat. Prohibitio autem ex Jure Can. in cap. *Clerici. 2. de vita & honest.* solùm est de honestate, vel non obligat cessante periculo & scandalo, ait Filliuc. loco cit.

119 III. Peccant mortaliter, qui turpes libros, cantilenas, aut comœdias scribunt, vel publicè exhibent: qui turpes imagines, ut Veneris & Adonidis investium, vel diaphanô velô opertorum, pingunt, edunt, vel publicè proponunt. Ratio est: quia hæc & similia, moraliter rem æstimandô, fieri non possunt sine plurium legentium, audientium, vel spectantium scandalo & spirituali ruina. Vid. Sanchez à n. 41. Laym. ubi suprà. Bonac. n. 23. Tambur. Illsung locis citt. Principes porrò & Magistratus graviter peccare cùm contra charitatem, tùm contra obligationem sui officii, si, dum possunt impedire, ne publicè repræsententur, aut proponantur turpia & obscœna, impedire negligant, facilè colligitur. Vid. Tambur. §. cit. n. 2.

120 Quæritur demum, quid sentiendum sit de choreis? Respondeo, ex se non esse illicitas. Ratio est: tum, quia non signum libidinis, sed publicæ lætitiæ sunt. tum, quia receptæ sunt per consuetudinem, quam esse corruptelam non est præsumendum. tum, quia sæpe sunt occasio honestè contrahendi Matrimonium. Vid. Filliuc. n. 223. Bonac. n. 24. Tambur. cap. cit. §. 7. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 3. n. 694. Wigand. tract. 5. exam. 2. q. 9. Dixi, *ex se non esse illicitas.* Nam ratione alicujus circumstantiæ sæpe sunt illicitæ: ut primo. Si agantur in loco sacro. Secundo, si tempore, quo celebrantur Divina Officia, aut aliàs specialiter prohibito. Tertio. Si modo 11
inhonesto, malave intentione agantur. quarto. Si agantur à Clericis, Religiosis, Monialibus. Demptis his circumstantiis, & secluso periculo peccati luxuriæ, choreæ vel nullum, vel solùm veniale peccatum esse dicendæ sunt. Undè rusticis diebus festis non debent inhiberi, dummodò eas agant post rem Divinam. præsertim, cùm aliàs otio vacarent, quod esset quid pejus choreis. & quia iidem more patriæ saltant publicè coram aliis, occasio libidinis magna ex parte tollitur. Abusus tamen, si qui intervèniant, auferri debent, & modestia, quantum fieri potest, procurari, ut meritò monet Filliuc. n. 224.

121 Dico sexto. Oscula, tactus, amplexus, aspectus, & verba turpia ob delectationem carnalem ex iis ortam habita inter sponsos & sponsas de futuro sunt itidem peccata mortalia. Ita Less. lib. 4. de Just. cap. 3. dubit. 8. n. 59. Bonac. n. 6. Viva. par. 1. Thess. damnat. prop. 40. contra Sanchez, Filliuc. Laym. & alios. Ratio est: quia ideo omnino solutis sub mortali peccato prohibita sunt oscula, tactus, amplexus & similia ad carnalem delectationem

nem captandam ab iisdem ordinata, quia ipsis ita prohibita est copula carnalis, ad quam illa delectatio ex natuta sua tendit. Atqui etiam sponsis de futuro prohibita est copula sub mortali; ergo similiter memorata oscula, tactus, &c. sunt eisdem prohibita. mi. est certa. maj. satis constat ex dictis.

122 Objicies. Matrimonium reddit copulam licitam: ergo sponsalia, quæ sunt via ad Matrimonium, reddunt prædicta oscula, tactus, & amplexus licita. Respondeo neg. conseq. quia eo ipso, quòd copula pro illo statu sponsis non sit licita, etiam delectatio ad eam tendens, & actiones, quæ ad istam delectationem ordinantur, non redduntur licitæ pro eodem statu: sicut non redditur licita delectatio carnalis de copula habenda tempore Matrimonii, ut docet Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 47. n. 4. & alii communiter. Atque ex his colligitur, sponsis non propriè dictis, cujusmodi sunt, qui sibi sponsalia solùm promiserunt, vel ea contraxerunt invalidè, vel contraxerunt sub conditione pendente in futurum, oscula, tactus, & alia, quorum meminimus, multò magis esse prohibita.

123 Dico septimo. In genere luxuriæ nulla datur parvitas materiæ. Ut proinde nulla delectatio Venerea deliberatè quæsita, aut acceptata ex hoc capite excusari possit à peccato mortali. Ita communissimè DD. in eo gradu certitudinis, ut sententia opposita sit omnino improbabilis. Illam passim pluribus probant Authores. Nos itidem probavimus suprà in tract. 2. disp. 3. a. 4. n. 21. ubi etiam retulimus præceptum Claudii Aquavivæ General. S. J. de sententia opposita: quod præceptum in terminis exhibet etiam Viva in prop. cit. n. 1. testaturque, in Congregatione postea generali 9. fuisse confirmatum.

Quoniam verò loco cit. adhibuimus rationem à posterioti tantùm, audi hîc aliam à priori. Omnis delectatio Venerea provenit ex commotione spirituum genitalium, & resolutione seminis ex lumbis ad partes obscœnas descendentis, ut constat ex Hippocrate, Galeno, & Aristotele. Ut proinde omnis delectatio venerea ex natura sua ordinetur ad emissionem seminis, quæ extra actum conjugalem omnium rectè sentientium judiciô est intrinsecè graviter illicita. Ex quo patet, delectationem veneream quamcunque naturâ suâ esse medium ad quid intrinsecè graviter illicitum, sive malum. atqui ejusmodi medium nemo potest deliberatè velle, quin virtualiter & implicitè simul velit id, ad quod per se ordinatur: ergo delectationem veneream nemo potest deliberatè velle, quin virtualiter & implicitè velit quid intrinsecè graviter malum; quod in præsenti est emissio seminis. Atqui velle quid intrinsecè graviter malum est grave & mortale peccatum; ergo velle delectari delectatione venerea quacunque, etiam minima, est intrinsecè graviter malum.

Sed quid agendum, si doctus quispiam 124
se accuset in Confessionali de modica delectatione venerea tanquam de peccato veniali ob parvitatem materiæ, eò quòd firmiter existimet, sententiam affirmantem dari hîc parvitatem materiæ esse probabilem nixus auctoritate DD. eam tenentium apud Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 46. Respondet Viva n. 22. huic tali non esse denegandam absolutionem, etiam à Confessario Societatis, non obstante præcepto priùs relato Generalis Aquavivæ. sic enim respondisse Revisores Romanos Societatis ad Provinciam Gallobelgicam nomine P. Generalis 15 Jan. 1659. apud Patel. t. 2. n. 252. Et ratio est: quia Confessarius non potest denegare absolutionem pœnitenti sufficienter disposito: sed hîc talis pœnitens est sufficienter dispositus, licèt sequatur sententiam contrariam sententiæ Confessarii. sequitur enim, quia ob sufficientem authoritatem extrinsecam prudenter putat esse probabilem. Et hactenùs de luxuria, ejusque speciebus, plura sanè, quàm principiò constitueram.

Juvat demum aliqua huc addere de re- 125
mediis contra istud vitium, ut ea in promptu sint Confessario, cujus est non solùm Judicem, sed etiam Medicum animarum agere. Primum ergo remedium est seria voluntas, qua quis generosè & resolutè animum obfirmet ad millies moriendum potiùs, quàm ut Deum ullâ contra castitatem noxâ offendat. *Dixi, nunc capi*, dixit ille. Psal. 76. Non poterit hîc non esse, aut fieri bonus, qui seriò vult esse bonus. Secundum est viva Dei Judicis ubique præsentis & omnia videntis repræsentatio. Hoc remedium commendat S. P. Benedictus cap. 7. Regulæ, inquiens: *In desideriis carnis nobis Deum credamus semper esse præsentem: cùm dicat Prophetæ Domino: ante te est omne desiderium meum.* Tertium est jugis recordatio novissimorum. Nam & hîc valet vel maximè illud Sapientis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quartum est custodia sensuum. Nam isti sunt domestici animæ proditores, quos contra nisi assiduè stet in speculâ, hosti eam tradunt, dum ne quidem obsideri se putat. Quintum est fuga otii. quia otium verè dicitur pulvinar Diaboli. Hinc veterum præceptum est: Semper inveniat te Diabolus occuparum. Sextum est fuga occasionum. Istæ quippe sunt scopuli, quos, etsi pauci quidam prætervigârunt salvi, plurimi sibi exitiales experti sunt. Septimum est frequens Confessio apud eundem Confessarium,

rium, prudentem ac pium. Dixi *apud eundem.* hoc enim remedio, inquit Tambur. recidivi cujuscunque criminis si utantur, fieri vix potest, ut non facillimè curentur. Octavum est fuga malarum cogitationum in principiis. In omni quippe mora hîc periculum est. Hinc S. P. Benedictus cap. 4. Reg. inter alia instrumenta bonorum operum recenset, *cogitationes malas cordi advenientes mox ad Christum allidere.* Qui veste pretiosa indutus est, carbonem ignitum, quamprimùm incidit, excutit. Nonum est memoria Passionis Dominicæ. Non enim reperietur facilè libidini tam perditè deditus, quem ab ea non revocet adeo cruenti spectaculi vivax meditatio. Decimum est frequens Communio. nam ibi hauritur *vinum germinans virgines.* &, si unquam, certè de Sacramento Eucharistiæ dici potest illud Lucæ: *Omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Undecimum est cultus Beatissimæ Virginis. Hoc remedium arripuit D. Thomas Aquinas, quando conspecta impudica muliere, quæ ad ipsum immissa fuerat, exclamâsse traditur: *Ne, quæso, sinas Domine Jesu, & tu Sanctissima Christi Mater & Virgo, ut tam immani scelere me obstringam.* Duodecimum est castigatio corporis, juxta illud Divi Pauli: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1 Corinth. 9. flagellis, loris, ciliciis, inedia domandus & in officio continendus est hic equus. recalcitrat, dum equô lautiùs habetur & delicatiùs. Decimum tertium est discessus in alium locum ab eo, in quo impurum objectum, v. g. mulier, versatur. Istud remedium magni facit Tambur. quem vide, si placet, lib. 7. in Decal. cap. 10.

DISPUTATIO VIII.

De Octavo Præcepto Decalogi.

Transilimus hîc Præceptum Septimum, *Non furtum facies:* quia de hoc, sicut & de decimo, *Non concupisces rem proximi tui*, more apud nostros recepto, agemus in tract. de Justitia. Octavô porrò Præceptô, *Non falsum testimonium dices*, prohibetur omnis injustitia, & injuria, quæ proximo verbis tum in judicio publico per falsum testimonium, tum extra illud per detractionem, contumeliam, judicium temerarium, & similia, irrogatur. De injuriis hujus generis posterioribus extra judicium itidem disputabimus in tract. cit. Unde in præsenti solùm superest, ut sermonem instituamus de injuriis, quæ in judicio publico inferri solent. Quoniam verò istiusmodi injuriæ plerumque adjunctum habent mendacium, sit

ARTICULUS I.

De Mendacio.

SUMMARIUM.

1. *Definitio mendacii.* 2. *Quatuor modi committendi mendacium.* 3. *Mendacium dividitur in pernicio sum, officio sum, & joco sum.* 4. *Omne mendacium est peccatum.* 5. *& intrinsecè, sive ex genere suo malum.* 6. *Quid de simulatione?* 7. *An sit peccatum loqui verbis æquivocis?* 8. 9. *Respondetur ad argumenta eorum, qui dixerunt, mendacium esse licitum.* 10. *Mendacium per se, & ex genere suo est peccatum veniale tantùm.* 11. 12. *Ex accidenti tamen, & dum trahitur in aliud genus, sæpe fit peccatum mortale.*

DIco primo. Mendacium est falsa 1
significatio vocis cum intentione fallendi, sive dicendi falsum. Ita definit S. Augustinus in lib. *contra mendacium. cap.* 42. à qua definitione re ipsa non differunt definitiones aliorum, aliis verbis pronuntiatæ. Dicitur autem *significatio vocis*, id est, verbum, sive locutio. quia mendacium propriè est peccatum oris, & ordinariè verbis committi solet. quamvis & aliis signis, ut nutibus & gestibus, committi possit. nam istis sæpe loco verborum utimur. unde Simulatio est mendacium in gestu, ait Lessius lib. 2. de Just. cap. 47. dubit. 6. n. 38. Dicitur, *cum intentione fallendi, sive dicendi falsum.* Prior intentio ut plurimum conjungitur

gitur mendacio, sed non est necessaria ad illud, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 110. a. 1. nam potest aliquis velle mentiri, ne convincatur ex propria confessione, quamvis sciat, alterum non crediturum, ut habet Less. loco cit. Est igitur de ratione formali mendacii posterior intentio, nempe dicendi falsum, ut habet D. Thomas loco cit. Unde asserens quid falsum, quod putat esse verum, non committit mendacium formaliter, sed materialiter solùm. quia de ratione formali mendacii est loqui contra mentem: atqui asserens aliquid falsum, quod judicat esse verum, non loquitur contra mentem; ut patet; ergo.

2 Cæterùm quatuor modis committitur mendacium formaliter. Primo, quando quis affirmat esse, quod cognoscit non esse. Secundo, quando quis negat esse, quod cognoscit esse. Tertio, quando quis id, de quo scienter dubitat, an sit, pro certo affirmat esse. Quarto, quando quis id, quod ipsi certum est, affirmat sibi esse dubium. In omnibus his casibus aliud quid verbis enuntiatur, quàm est in mente enuntiantis, adestque intentio dicendi falsum; quod est mentiri, id est, contra mentem ire, sive dicere contra mentem, quod est mendacium formaliter. vid. Sayr. lib. 12. Clavis reg. cap. 2. n. 1. Filliuc. tract. 40. cap. 2. n. 33. Bonac. disp. 10. q. 2. pu. 1. n. 2.

3 Dico secundo. Mendacium est triplex, videlicet pernicioſum, officioſum, & jocoſum. Ita D. Thomas q. cit. a. 2. Mendacium pernicioſum est, quod proficiscitur ex intentione alicui injustè nocendi, sive alteri prosit, sive non. Officioſum est, quod causâ utilitatis alienæ: Jocoſum, quod causâ voluptatis, vel propriæ, vel alienæ, profertur. horum utrumque tale esse debet, ut nemini noceat. Quando in jocoſo intenditur sola delectatio fallendi propria, tunc retinet nomen sui generis: quando committitur, ut delectentur alii, vocatur mendacium adulatorium, teste Filliuc. Officioſum subdividitur primo in id, quod nulli nocet, & alicui prodest: ut, si quis sciens, ubi lateat alterius pecunia injustè auferenda, mendaciter neget, se scire, ubi sit. Secundo in id, quod nulli obest, & alicui prodest ad salutem corporalem: ut, si quis hominem, qui ad necem quæritur injustè, nolens prodere, mentiatur. Tertio in id, quod nulli obest, & alicui prodest, ut à turpitudine corporali, putà violatione virginitatis, conservetur immunis. vid. Sayr. n. 4. Filliuc. n. 34. Cæterùm statuta in n. præc. divisio mendacii sumpta est, ut pateat, ex parte finis. nam si alia ratione consideretur mendacium, dici potest aliud esse mendacium materiale & formale. Item: aliud esse mendacium vocis, seu verborum, & aliud facti, seu signorum, aut nutuum. De quibus, aliisque divisionibus. vid. D. Thomas a. cit. Less. ubi suprà à n. 41. Sayr. à num. 3. Filliuc. loco cit.

4 Dico tertio. Omne mendacium est peccatum. Loquimur de mendacio formaliter tali. Statuta conclusio est D. Thomæ q. cit. a. 3. & certa apud omnes Catholicos. Prob. primo ex S. Script. Proverb. 13. *Verbum mendax justus detestabitur.* & cap. 30. *Vanitatem & verba mendacia longè fac à me.* Ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem.* Probatur secundo ratione D. Thomæ a. cit. in corp. quia contra rectam rationem est aliquem uti verbis & locutione humana ad significandum id, quod non habet in mente: sed mentiri, sive dicere mendacium, est uti verbis ad significandum, quod quis non habet in mente; ergo est contra rectam rationem, adeoque moraliter malum. mi. constat: quia mentiri est loqui contra mentem. maj. inde ostenditur, quòd Deus Author naturæ verba instituerit, ut alter alteri cogitationes, & mentis suæ judicia exprimat: ergo verbis aliter uti, nempe ad significandum contrarium illi, quod est in mente, ita ut, quod lingua affirmat, mens neget; &, quod lingua negat, mens affirmet, est invertere ordinem humanæ locutionis ab Authore naturæ institutum. Sed hoc est contra rectam rationem, seu dictamen naturale; ergo &c. Prob. tertio hac ratione. Quia is, qui mentitur, regulariter habet voluntatem suâ locutione falsa decipiendi audientem, ejusque intellectui errorem ingenerandi. Sed hoc est per se malum & à ratione alienum. quemadmodum enim veritas est perfectio maximè propria intellectûs, ita omnis falsitas & error est quoddam dedecus & malum ejusdem: quod proinde in eo efficere rectæ rationi adversatur.

5 Infertur jam primo, mendacium esse ex suo genere, sivè intrinsecè malum, nec unquam posse fieri licitum, quamvis ob bonum finem, v. g. conservandi vitam propriam, vel alterius, committatur. D. Thomas loco cit. Filliuc. n. 35. Laym. lib. 4. tract. 3. cap. 13. n. 8. Bonac. ubi suprà n. 1. Ratio ex dictis est: quia vocibus uti contra naturalem institutionem & finem, aut alteri loquendò velle ingenerare errorem, ex se, & præcisa omni prohibitione legis positivæ repugnat rectæ rationi.

6 Infertur secundo, quæ primùm diximus, esse intelligenda etiam de mendacio operis, sive simulatione, dum nempe quis opere externo aliud exhibet, quàm in corde sentit, alterum fallendi causâ. quo modo mentiuntur, qui externis gestibus, & actionibus præseferunt gaudium, dolorem, compassionem, amorem, amicitiam & similia, quorum tamen nihil in animo gerunt. Ratio verò Illationis est: quia alteri significare facto aut opere aliud, quàm

sentit

sentit internè, non est minùs propriè & formaliter mentiri, quàm enuntiare verbis: ergo non minùs est intrinsecè malum, & semper illicitum. Vid. D. Thomas 2.2. q. 111. a. 1.

7 Infertur tertio, non esse peccatum mendacii loqui verbis æquivocis, quamvis audiens sit illa intellecturus in sensu falso. Bonac. n. 7. Ratio est: quia ejusmodi verbis utens non loquitur contra propriam mentem. Similiter idem Bonac. ex S. August. lib. de mendacio, cap. 2. excusat à mendacio verba jocosa, quæ ita proferuntur, ut ex modo proferendi facilè colligi possit, rem aliter se habere, quàm profertur, licèt fortè aliquis audientium existimet sermonem esse serium. Et ratio est: quia & deest intentio fallendi, & audientes ex circumstantiis deprehendunt, non esse vera, quæ proferuntur. De Amphibologia an licita esse possit, & adhiberi sine mendacio? examinavimus suprà in disp. 3. a. 2. §. 4.

8 Contra Conclusionem in n. 4. assertam errârunt quidam veteres apud Cassianum collat. 17. cap. 8. qui senserunt, licitum esse mendacium, quando videtur esse necessarium ad avertendum grave malum, vel obtinendum majus bonum. Unde & dixerunt, mendacio utendum tanquam potu ellebori, qui sumitur, dum morbus aliquis exitialis est propulsandus. Nitebantur autem locis quibusdam S. Scripturæ, ubi Sanctos quoque aliquando usos fuisse mendacio videri possit. Nam primo, ut habetur Genes. 27. Jacob dixit ad patrem suum Isaac: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* ubi certum est dixisse falsum. dixisse verò ex intentione fallendi, testatus est ipse Isaac illis verbis. *Venit germanus tuus fraudulenter.* Secundo. Abraham Genes. 22. cùm iret ad immolandum Isaacum, dixit ad servos suos, se finita adoratione reversurum ad eos cum eodem filio suo: quod minimè habebat in animo. Tertio. Abraham Genes. 12. dixit de uxore sua esse sororem suam. quod idem de Rebecca Genes. 26. dixit Isaac. Similiter Joseph Genes. 42. dixit de fratribus suis, eos exploratores esse: quos tamen non esse optime noverat. Quarto. Moyses & Aaron Exodi 5. dixerunt ad Pharaonem, se trium dierum itinere cum populo ituros Sacrificii causâ in solitudinem: cùm tamen non hoc intenderent principaliter, sed abitum in terram promissionis. Quinto. Quamvis obstetrices Ægyptiæ Exodi 1. mentitæ fuerint in favorem parvulorum Israëlitarum, nihilominùs à Deo remuneratæ sunt. Jehu quoque 4. Reg. 10. laudatur à DEO, quòd per simulationem Idololatriæ sacerdotes Baal interfeciset. Quæ certè à Deo facta non fuissent, si ea mendacia fuissent peccata. Sexto. Christus ipse Lucæ 24. finxit se longiùs ire velle. Imò Joan. 7. dixit: *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum.* & tamen postea secretò ascendit.

Respondeo ad I. Jacobum ita locutum fuisse secundùm spiritum propheticum; quod etiam postea eventus ostendit. sensus enim verborum à Spiritu Sancto intentus erat: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, non quidem naturâ, sed jure & dignitate primogenituræ, in qua secundùm Dei voluntatem debita successurus sum. Neque refert, quòd Isaac ea verba in alio sensu intellexerit: nam etiam Christi parabolas secundùm sensum à proferente intentum veras Judæi in alio, eoque falso intellexêrunt. Ad II. Respondeo, Abraham non obstante intentione mactandi filium veraciter dixisse, se cum eodem reversurum. quia certus erat, certòque credebat, Isaacum divinitus vel à morte liberandum, vel, si occisus esset, ad vitam revocandum; sicut fide certus erat impletum iri Divinam promissionem, *in Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 21. Vid. Cornel. à lapide in Genes. cap. 22. v. 5. Ad III. Respondeo, more gentis Hebræorum omnes, qui erant cognati ex eadem familia vocatos fuisse fratres, &, quæ erant cognatæ, vocatas sorores. Saram autem Abrahæ, Rebeccam Isaaci fuisse cognatam. nec istum proinde, nec illum; cùm aliunde non tenerentur uxorem suam vocare uxorem; peccâsse vocandô sororem. Porrò Joseph non assertivè, sed tentativè fratres suos nominavit exploratores, ut sic adigeret homines ad ea, quæ de patre, & Beniamino fratre interrogaturus erat, absque mendacio narranda. Vid. Sayr. lib. 12. Clavis reg. cap. 2. n. 2. Cornel. à lapide in Genes. cap. 42. v. 9. Ad IV. Respondeo, Moysen & Aaronem justissimè non manifestâsse tyranno consilium non ampliùs revertendi, sed solam intentionem sacrificandi, quam & ipsam revera habuerunt. quod non fuit loqui contra mentem, sed non totam mentem explicare. Ad V. Respondeo, nullam esse necessitatem eas obstetrices excusandi à mendacio. Neque remuneravit illas Deus, *quia mentitæ sunt, sed quia in homines DEI misericordes fuerunt:* ait S. Augustinus lib. contra mendac. cap. 19. Similiter simulationem Jehu non est opus excusare à peccato mendacii: cùm propter alia quoque peccata reprehendatur in S. Script. commendatur quidem à Deo loco cit. non propter illam simulationem, sed propter Zelum, quo cultum Baal evertit, ut habet D. Thomas 2. 2. q. 111. a. 1. ad 2. Ad VI. Respondeo, Christum verè voluisse ire longiùs, iturumque fuisse longiùs, nisi discipuli ipsum detinuissent: verùm, cùm sciret, ab illis se detinendum, hoc respectu noluisse ire longiùs, sed id finxisse, sive, præsetulisse, ut ex Græco interpretatur Cornel. cit. Ad alterum de ascensu ad diem festum, & alia

quædam

quædam similia, vidé, quæ suprà diximus disp. 3. a. 2. § 4. n. 40.

9 Objicies etiam ex ratione. Mendacium aliquando potest esse necessarium ad salvandam vitam hominis corporalem, vel spiritualem: ergo sicut furtum in casu necessitatis, saltem extremæ, excusatur à peccato, ita & mendacium. Confirmatur. Non minùs furtum est intrinsecè malum, quàm mendacium, & nihilominùs potest aliquando esse licitum: ergo idem dicendum de mendacio.

Respondeo ad object. neg. conseq. tum, quia mendacium est intrinsecè malum: tum, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. mendacium verò semper est malum. De furto in extrema necessitate non est par ratio. quia tunc non est verè furtum: cùm in eo casu omnia sint communia, & dominus ob rei suæ ablationem non sit rationabiliter invitus. Atqui mendacium semper est verè mendacium, etiam quando extremè necessarium videt ad asserendam salutem proximi. In quo proinde casu, si non possis aliter succurrere proximo, nisi committendo mendacium, non teneris succurrere, imò peccas ita succurrendo. Ex quibus ad Confirmat. respond. conc. Ant. neg. conseq. ratio discriminis constat ex dictis.

10 Dico quarto. Mendacium per se, & ex genere suo non est peccatum mortale, sed veniale tantùm. Ita Lessius lib. 2. de Just. cap. 47. dubit. 6. n. 40. Ratio est: quia abusus ille verborum ac signorum externorum contra naturalem institutionem, in quo consistit intrinseca malitia mendacii, neque quemquam alium graviter lædit. Deceptio quoque proximi, quæ intervenit, res est parvi momenti, quando ejus nihil interest, verumne sit, an falsum, quod dicitur. sed neque periculum alicujus considerationis creat vitæ sociali, licèt eidem nonnihil incommodet, ait idem Less.

Dixi in Concl. *per se, & ex genere suo.* 11 quia ex accidenti, & dum trahitur in aliud genus, potest esse, ac frequenter est, peccatum mortale. Nempe primo, quando profertur cum scandalo audientium. Secundo, quando habet adjunctum juramentum. Tertio, quando repugnat dilectioni Dei & proximi, vel alicui injustè damnum infert. In primo casu, si scandalum est grave, ejusmodi mendacium est peccatum mortale contra charitatem proximi. In secundo semper est peccatum mortale perjurii. In tertio, nisi parvitas materiæ obstet, est peccatum mortale contra charitatem, vel religionem, vel justitiam.

Corollarium. Omne mendacium, etiam 12 jocosum, & officiosum, quando profertur cum gravi scandalo, vel in ejus confirmationem adhibetur juramentum, est peccatum mortale. Ratio est: quia tunc graviter repugnat vel charitati erga proximum, vel religioni erga DEUM. Secluso tamen gravi scandalo, & juramento, mendacium jocosum, & officiosum nunquam est peccatum mortale. Sayr. lib. 12. Clavis reg. cap. 2. n. 16. & 18. Less. n. 44. Filliuc. tract. 40. cap. 2. n. 38. Bonac. disp. 10. q. 1. pu. 2. n. 3. Ratio est: quia hæc mendacia ex se nulli gravem injuriam inferunt, eorumque materia censetur levis. Aliud sentiendum est de mendacio pernicioso. Istud enim, cùm repugnet charitati Dei, vel proximi, per se loquendo peccatum mortale est: ratione tamen materiæ, ut, si nocumentum sit exigum, v. g. in modica detractione, vel deceptione, potest esse veniale. Sayr. n. 15. Less. loco cit.

ARTICULUS II.

De Injuriis, quæ fieri solent in Judicio publico.

QUando instituitur Judicium publicum, certæ personæ interveniunt, quarum aliæ sunt principales, videlicet Judex, Actor, & Reus: aliæ verò accessoriæ, ut Testes, Procurator vel Advocatus, Assessor, Tabellio. De quorum omnium officiis & obligationibus hîc breviter agendum.

§. I.

De Judice.

SUMMARIUM.

1. *Definitio, & divisio Judicis.* 2. *Inquisitio alia generalis; alia specialis, alia mixta.* 3. *Inquisitio generalis est licita, sicut & mixta, qua citra determinationem personæ de delicto inquiritur.* 4. *Ad inquisitionem specialem, & mixtam, qua de persona determinata inquiritur, ut sit licita, antecedens infamia ejusdem personæ.* 5. *Quid requiratur ad infamiam?* 6. *Casus excepti, in quibus ad inquisitionem etiam specialem non requiritur, ut antecedat infamia personæ.* 7. *Licitum est aliquando reum examinare per torturam.* 8. 9. *Ad torturam sufficit semiplena probatio, si crimen sit grave, & persona non excepta.* 10. *Reus semel competenter tortus, & nihil confessus, non potest torqueri iterum. quod tamen limitatur dupliciter.* 11. *Similiter*

per testes legitimè convictus non potest subjici tormentis, dantur tamen casus excepti. 12. *Quid de Judice, qui reum mox, ut comprehendit, juramentô adstringit ad dicendam veritatem?* 13. *Item, quid de Judice, qui confessionem criminis extorsit injustè?* 14. *Formatur status quæstionis, an Judex semper debeat judicare secundùm allegata & probata.* 15. 16. 17. *Statuitur & probatur sententia affirmans in causis non solùm civilibus sed etiam criminalibus.* 18. 19. 20. *& seqq. Respondetur ad argumenta sententiæ negativæ in causis criminalibus.* 25. *Judex non tenetur abdicare officium, quamvis existimet, hoc modo reum liberandum, quem privatâ scientiâ scit esse innocentem.* 26. *Etiam carnifex in executione sententiæ sequi debet allegata & probata, non obstante sua privata notitia de Rei innocentia.* 27. 28. *& seqq. declaratur, quænam Judices possint, vel non possint à litigantibus?* 33. *Judex, qui tulit sententiam injustam, tenetur eam revocare, & parti læsæ damna compensare.*

1 JUdex definitur Persona publica ad id constituta, ut secundùm leges populo jus dicat: veluti colligitur ex cap. *Forus de verb. signific.* Alius est Judex ordinarius, qui tanquam ex officio causarum universitati præest; sive id habeat proprio jure, si supremus; sive ex beneficio supremi, seu Principis, si Judex sit subordinatus. Alius est Judex delegatus, cui vices suas ordinarius commisit sive ad universitatem causarum, sive ad causam specialem terminandam. Vid. Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 2. n. 1. Rursus alius Judex arbitrarius, sive compromissarius, qui consensu partium litigantium electus est, ut litem dirimat, idque vel tanquam arbiter, servato juris ordine, vel tanquam arbitrator pro suo arbitratu, secundùm æquitatem juris naturalis, ut habet Paulus Mezger to. 3. tract. 13. disp. 47. a. 1. num. 1. Præmissa hac definitione & divisione, sequentia de Judice examinabimus. Primum, quandonam Judex contra crimina licitè procedat per inquisitionem? Secundum, an, & quando Judex reum licitè examinare possit per torturam? Tertium, an Judex semper debeat ferre sententiam secundùm allegata, & probata? Quartum, an Judici liceat acceptare munera? Quintum, ad quid teneatur Judex, qui malè judicavit? Ut à primo incipiamus,

2 Notandum est primo, triplicem esse inquisitionem, nempe generalem, specialem, & mixtam. Inquisitio generalis est quando inquiritur in genere, nulloque nominato delicto, vel persona, an subditi servent leges, statuta &c. Specialis est, quando in particulari de determinato delicto, determinataque persona inquiritur, an Cajus v. g. istud homicidium patraverit? Mixta est, quando inquiritur de persona determinata, v. g. de Cajo, non tamen de determinato delicto; vel econtra, quando inquiritur, de delicto determinato, v. g. de homicidio, quod fortè commissum est, sed non de persona determinata.

3 Notandum, seu potiùs supponendum est secundo, inquisitionem generalem, sicut & mixtam, qua citra expressionem, seu determinationem alicujus personæ, de delicto inquiritur, esse licitam & laudabilem, frequenterque necessariam, etiamsi nulla præcedat infamia de aliqua persona. Ratio est: quia, præterquam quòd hac tali inquisitione nemini inferatur injuria, sic cavetur, ne in Republica, aliave communitate quacunque invalescat noxia libertas impune peccandi, legesque transgrediendi. Hinc valde expedit, à Prælatis & Superioribus frequenter institui visitationes generales subditorum, &, si de certo quopiam delicto constet, in ejus authotem inquiri. Vid. Less. lib. 2. de Just. 29. dubit. 13. num. 108. & dubit. 14. n. 114. Laym. ubi suprà, n. 3. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 24. Mezger n. 7. Monent tamen hi Authores, & alii, subditos interrogatos non posse tunc licitè manifestare eos, qui occulta crimina perpetrârunt, aut quæ juridicè probari non possunt, ne videlicet per jusmodi manifestationem injustè infamentur. Nunc

4 Dico primo. Ad instituendam inquisitionem specialem, aut mixtam, per quam de persona determinata inquiritur, necessarium est, ut antecedat infamia personæ, de qua inquiritur. Ita communiter DD. apud Less. dubit. 15. num. 121. cum D. Thomâ, 2. 2. q. 67. a. 3. Ratio est: tum, quia ita præscribitur in Jure Ecclesiastico cap. *Inquisitionis. §. Tertiæ. de Accusat.* & cap. *Qualiter.* eod. tit. tum, quia Judex non potest ex officio procedere ad ejusmodi inquisitionem sine aliquo accusatore, eoque vel vero, & formali (qualis hîc adesse non supponitur) vel virtuali, & fictione Juris æquivalenter tali, qualis est infamia. tum, quia quilibet, in cujus vitam juridicè inquiritur, jure queri potest, sibi fieri injuriam, si alioquin famâ gaudeat integrâ. hanc enim ejusmodi inquisitio valde minuere solet.

5 Cæterùm ad infamiam, quæ etiam *clamorosa populi insinuatio dicitur*, non sufficit, si duo, vel plures etiam jurati affirment, se vidisse Petrum v. g. homicidium committentem; res enim adhuc manet occulta; adeoque minimè prodenda per publicam inquisitionem: sed requiritur, ut de eo per majorem partem vicinæ, vel Collegii,

legii, alteriusve communitatis, in qua degit, rumor sit editus. Vid. Less. n. 123. ubi addit ex Cajetano, requiri insuper, ut ob sinistrum ejusmodi rumorem quis apud viros probos & prudentes meritò reddatur suspectus. Unde si constaret, infamiam esse ortam à malevolis & maledicis, ea non sufficeret ad juridice inquirendum, ut patet ex cit. cap. *Inquisitionis*. Nomine infamiæ, ut ex cit. Less. habet Illsung n. 25. venit etiam illa notitia, qua crimen dicitur notorium jure, qualiter notorium est per confessionem Rei coram Judice quà tali, vel per denuntiationem factam, in processu inquisitionis generalis. Eodem quoque pertinet præsumptio Juris, quando de cæde Domini contra servos, vel de submersione navis contra Nautas facienda est inquisitio, juxta *l.* 1. *ff. ad S. C. Silanianum.* & *l. Quoties. Cod. de Naufrag.*

6 Asserta porrò Concl. intelligi debet de inquisitione tendente ad solam punitionem. Nam, si agatur de correctione Rei, vel de avertendis damnis, ne v. g. Beneficium, aut officium conferatur indigno, contrahatur Matrimonium cum impedimento dir. mente, &c. licitum est inquirere de delictis personarum particularium, & impedimentis, quamvis nulla de illis antecedat infamia. Intelligi quoque debet cum exceptione criminum hæresis, apostasiæ, & læsæ majest. idque propterea, quòd hæc crimina sint maximè noxia communitati. Vid. Sayr. lib. 12. Clavis reg. c. 11. à n. 11. Less. n. 128. & 129. Laym. l. 3. tr. 6 c. 2. n. 3. Bonac. disp. 10. q. 2. pu. 5. n. 15. Illsung loc. cit.

7 Dico secundo. Licitum est aliquando Judici Reum examinare per torturam. Hæc Concl. est certa, & omnium tribunalium praxi comprobata. Ratio est: quia hoc genus examinis est sæpe necessarium ad supplendum defectum plenæ probationis, præsertim in criminibus valde gravibus, & occultè perpetratis, quando jam adest semiplena saltem probatio.

Contrarium tenet Ludovicus Vives apud Sayrum cap. 16. n. 23. absolutè sentiens esse illicitum veritatem à Reis vel testibus per torturam exquirere. Rationem reddit: quia multi metu tormentorum confitentur delicta, quæ nunquam commiserunt, sicque puniuntur innocentes: alii econtra viribus corporis valentiores superant vim tormentorum, negantque crimina, quæ commiserunt, & recedunt impuniti. Unde conficitur, ejusmodi torturam Christianæ pietati & charitati vel penitus repugnare, vel saltem non esse medium accommodatum ad veritatem inquirendam. Sed hæc sententia adversatur communi sensui fidelium: cùm in omnibus Judiciis subjici soleant torturæ, qui aliàs legitimè interrogati veritatem sponte manifestare nolunt. Neque quidquam valet argumentum in contrarium: quia in humanis rebus impossibile est vitari omnia incommoda. sufficit adhiberi ea media, easque cautiones, quibus vitentur majora: quamvis minora interdum præter intentionem eveniant. Quare dum in tortura quis aliquando confitetur, quod non commisit, vel superata vi tormentorum negat, quod commisit, id omnino per accidens est, & hoc ipso insufficiens, ut propterea aboleatur hoc genus inquisitionis. nam aliàs abolenda quoque esset inquisitio per testes: cùm & isti interdum mentiantur in Judicio. Vid. Sayr. loco cit. Less. dubit. 17. n. 151.

Dico tertio. Ad torturam sufficit semi- 8
plena probatio, si tamen crimen sit grave, & persona talis, ut torqueri possit. Ita communiter DD. apud Less. 153. Ratio est: quia, si non sufficeret semiplena probatio, multa enormia crimina, quæ aliàs plenè probari non possent, neque, ut meretentur, puniri, neque proinde satis cohiberi possent: quod haud dubiè cederet in grave damnum Reipublicæ, & communitatis cujuscunq; Est autem semiplena probatio, quando unus testis omni exceptione major deponit, hunc talem se vidisse tali loco & tempore occidentem, v. g. Petrum, injicientem facem his ædibus &c. Quòd si deponat, se audivisse tantùm à fide dignis, id non facit probationem semiplenam, aut judicium sufficiens ad torturam. Quænam porrò indicia minorà probatione semiplena sufficiant ad torturam; certâ regulâ definiri non potest, sed fetè relinqui debet Judicis prudentiæ, consideratâ qualitate causæ, personæ &c. Vide tamen de his Less. à n. 156. Filliuc. tr. 40. cap. 6. n. 197. Reding to. 13. q. 15. a. 1. controv. 4. n. 26.

Dixi autem: *si crimen sit grave.* quale est 9
in præsenti, quod pœnam corporalem, ut mortis, mutilationis, triremium, non item, quod pœnam pecuniariam, exilii &c. meretur. Ratio est; quia reus nondum convictus non debet castigari pœnâ, quæ sit major illâ, ad quam est condemnandus. Less. n. 151. Laym. lib. 3. tr. 6. c. 5. n. 9. Dixi rursus: *si persona sit talis &c.* Nam aliqui sunt immunes à tortura, idque vel ex jure, ut impuberes ob defectum ætatis, senes ob debilitatem, saltem ad gravem torturam perferendam; mulieres prægnantes ob periculum abortûs. Vel per privilegium, ut Nobiles, Doctores, eorumq; liberi, & milites. Istos ne leviter quidem torquere licet, præterquam in hæresi, vel proditione, aliove simili crimine læsæ majestatis. Less. n. 154. Laym. n. 12. Reding n. 27. Illsung tr. 4 disp. 2. q. 1. a 6. n. 26.

Nunc aliqua huc pertinentia addenda sunt. 10
Primum est. Quando reus semel competenter tortus nihil fuit confessus, non potest iterum torqueri. Ratio est: quia per illam constantiam in toleranda tortura censentur elisa indicia priùs habita. Aliud tamen est, si novum postea criminis indicium emergat, vel reus, quod in tormentis confessus erat, postridie depositio metu tormentorum revocet, tunc enim rursus subjici potest torturæ; quamvis

nova indicia non supervéniant. Ratio est: tum, quia nova indicia non minùs possunt sufficere ad torturam, quàm prima. tum, quia per revocationem confessionis indicia criminis non sunt elisa. tum, quia nemo post torturam interrogatus ratificaret suam confessionem, si crederet, se non amplius torqueri posse: quo fieret, ut hic modus inquirendi esset sine effectu. Quòdsi reus secundò tortus & confessus similiter secundò retractet, quæ fuit confessus, tertiò torqueri potest, sed non sæpius, neque condemnandus, sed absolvendus est, si tertiò etiam ductus ad ratificandum, quod in tertio tortura confessus est, revocet. Ratio est: quia tunc rationabiliter præsumitur, confessionem vi tormentorum fuisse coactam, adeoque nullam. Vid. Less. n. 168. Filliuc. n. 198. Laym. n. 10. Reding n. 29.

11 Secundum est. Reus per testes legitimè convictus non potest subjici torturæ ad extorquendam confessionem criminis, quamvis illud fateri nolit: Less. n. 152. Reding n. 30. Ratio est: quia tunc cessat finis torturæ, utpote institutæ in defectum & subsidium plenæ probationis, quæ in hoc casu non deficit. Quare tunc reus condemnari debet sine confessione criminis. Excipit tamen Lessius duos casus. Prior est, quando reus malitiosè appellat ad superius tribunal, ut executionem justæ sententiæ impediat. tunc enim, si crimen esset atrox, & expediret reum ibi puniri, idem torqueri posset ad criminis confessionem eliciendam, ut injusta appellatio impediretur. Alter est, si reus putetur habuisse socios, vel commisisse alia crimina: tunc enim de his etiam per torturam interrogari potest: quod tamen intellige supposita de illis probatione semiplena, vel habitis alis indiciis sufficientibus.

12 Tertium. Judex contra justitiam peccat, qui reum, mox ut comprehendit, juramentò adstringit ad dicendam veritatem de omnibus ad causam pertinentibus, ob quam fuit comprehensus. Ita Navarrus, & Sotus, quos refert & sequitur Cassian. à S. Elia, in Theol. mor. expurg. *v. Judex* 1. cap. 7. n. 63. Ratio est: quia Judex non habet potestatem juridicè interrogandi reum de crimine, antequam illius adsit infamia, vel probatio semiplena, aliudve sufficiens indicium, idque constet ipsi reo. Idem senti de Judice, qui tunc citra juramentum, attamen minis, terroribus, ostensione tormentorum hominem turbat, & implicat, ut sibi contradicens revelet aliquam circumstantiam, ex qua convincatur & puniatur. Card. de Lugo disp. 40. n. 1.

13 Quartum. Si Judex confessionem criminis extorsit injustè, v. g. torquendò exemptum à tortura, vel sine sufficientibus indicis: vel inducendo ad fatendum dolo malo, mendaciis, ficta promissione impunitatis: vel notabiliter excedendo in tortura, sive quoad substantiam, sive quoad modum, nulla est: talis confessio, nec potest ex ea procedi ad condemnationem Rei. Ratio est: quia, cùm causa est injusta, omnia, quæ ex ea sequuntur, sunt annullanda. l. Non dubium. Cod. de leg. Atqui confessionis in præsenti fuit injusta; ergo. Vid. Sayrus lib. 12. Clavis Reg. c. 16. n. 26. & 28 Less. dubit. 18. n. 173. Laym. n. 13. Cassian. à S. Elia à n. 67. Et neque refert, si reus confessionem aliquo ex illis modo extortam postridie ratificet; cùm enim confessio sit nulla, etiam ejus ratificatio, cognitioque ex illa comparata est nulla. Less. loco cit.

Nunc, ut ad tertium, quod de Judice dicere in n. 1. proposuimus, veniamus, notandum est, quæstionem illam procedere in causis tam civilibus, quàm criminalibus, potissimamque controversiam esse, an Judex possit ac debeat ferre sententiam secundùm allegata & probata, quando per illa reus de crimine v. g. homicidio, fuit convictus, quem ipse privatâ scientiâ certò novit esse innocentem? Et quidem, quod attinet ad rem præsentem, nullum Judicem hactenùs audivimus hujus quæstionis decisione indiguisse: cùm suppetant tot modi talem reum liberandi, ut moraliter vix, possibile videatur, aliquod tribunal in ejusmodi angustias aliquando conjectum iri. Nam primo, Judex statim in principio excogitare potest honestas ac sufficientes causas repellendi accusationem. Secundo, expedit adhibere singularem dexteritatem in examinandis sæpe, & per intervalla testibus, interrogandò subtiliter circumstantias loci, temporis &c. donec eosdem contradictionis convincat. Tertio, potest extrahere judicium, &, si non sit timendum scandalum, esse minùs accuratus in custodiendo reo, eique occasionem præbere aufugiendi ex carcere. Quarto, si est Judex inferior, & modis jam dictis reum liberare non est integrum, causam potest remittere ad Judicem superiorem, & coram isto agere testem de illius innocentia. Quinto, si est Judex supremus, uti potest authoritate absoluta: cùm secundùm hanc Princeps aliquando pœnam condonare possit etiam vere nocenti. Loquemur tamen data hypothesi, in qua nulla via superstit innocentem liberandi. Sed prius

15 Dico quarto. Judex in ferenda sententia debet procedere secundùm allegata & probata, ita ut nequeat condemnare reum, antequam de crimine juridicè fuerit convictus, vel illud confessus, quamvis privatâ scientiâ certò sciat esse nocentem. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 67. a. 2. communiter Doctores. Probatur tum ex Jure Divino Deut. cap. 17.

In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur. tum ex Jure Canonico in cap. *Judex* 2. *II. q.* 1. ubi habetur: *Judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.* tum etiam ex ratione, quia Judex quà talis, ceu persona publica, non potest judicare de occultis, ut habetur in cap. *Sicut tuis.* 33. *in fine*, & aliis canonibus. Atqui, si non procederet in præsenti secundùm allegata & probata, sed sequeretur scientiam privatam, judicaret de occultis; quæ enim soli Judici quà privato, & scientiâ privatâ sunt nota, habentur adhuc pro occultis; ergo &c. Confirmatur etiam conclusio ex eò, quòd gravissimâ damna & pericula injustarum condemnationum orirentur, si Judicibus ad eas palliandas, insuperhabitis aut neglectis probationibus, prætendere liceret scientiam criminis, simulque agere officium Judicis & Accusatoris: quod certè nullo jure hucusque habetur concessum.

16 Dico quinto. In causis civilibus, minoribusque criminalibus, ubi agitur de pœna pecuniaria exilii, privationis officii, aut Beneficii, Judex tenetur condemnare reum per publicas probationes de crimine convictum, licèt ipse scientiâ privatâ sciat esse innocentem. Ita rursus cum D. Thoma communiter DD. Ratio est: quia Judex non solùm potest, sed etiam debet procedere in ferenda sententia secundùm potestatem, quam ipsi Respublica & dare potuit, & dedisse prudenter præsumitur: atqui Respublica Judici in memoratis causis & date potuit, & dedisse prudenter præsumitur potestatem procedendi sententiâ condemnatoriâ in reum juridicè convictū, quamvis ipse privatâ scientiâ, & ad demonstrandam innocentiam juridicè inutili sciat esse innocentem: ergo & potest & debet ita procedere. maj. est certa. mi. ostenditur. Quia Respublica habet auctoritatem disponendi de fortunis suorum civium: quam proinde Judici suo nomine judicialiter exercendam communicare potuit: cumque in dictis casibus plurimùm interfit, ut secundùm allegata & probata feratur sententia, eandem de facto communicasse prudenter præsumitur. vid. Lessius lib. cit. dubit. 10. n. 84. Mezger tom. 3. tract. 13. disp. 47. a. 1. n. 9.

17 Dico sexto. Etiam in causis criminalibus gravioribus, ubi agitur de vita, aut membris Rei, Judex inferior & potest & debet ferre sententiam pœnæ legibus constitutæ, qualem meretur crimen, de quo Reus per publicas probationes convictus est, quamvis privatam, eamque certam notitiam habeat de ejus innocentia. Ita docent cum D. Thoma 2. 2. q. 67. a. 2. Cajetanus, Bannez, Alexander de Ales, Sylvester, Richardus, Mart. Navarr. Covarruvias, Major, & alii, quos refert, & sequitur Sayrus in Clavi reg. lib. 12. cap. 8. n. 13. ubi hanc sententiam vocat verissimam, & in praxi sequendam. Eandem tenent Filiuc. to. 2. tract. 40. cap. 6. n. 107. Sanchez lib. 6. Consil. cap. 1. dub. 17. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 28. ubi asserit, fateri ipsos quoque Adversarios, esse communem sententiam.

Ratio prima sumitur ex D. Thoma cit. q. 67. a. 2. Judex in judicando gerit authoritatem & personam publicam à communitate seu Republica sibi impositam: ergo quemadmodum judicat & pronuntiat sententiam authoritate & potestate publica, ita etiam tenetur judicare juxta scientiam publicam atque juridicam à communitate constitutam & introductam. Atqui juxta scientiam publicam & juridicam, quæ habetur ex allegatis & probatis, reus est nocens & morte dignus; ergo rectè & justè illum condemnat, ac morte puniendum pronuntiat.

Ratio est secundo. Quia certum est, Deum ceu Dominum vitæ, necisque omnium potuisse humanis Judicibus concedere potestatem condemnandi ad mortem reos non tantùm verè nocentes, sed etiam innocentes in privata illorum scientia, si publicè ac juridicè probarentur nocentes: sicut Abrahamo concessit potestatem in vitam innocentis filii, eumque occidere præcepit. Atqui Deus hanc talem potestatem judicibus actu concessit; ergo. mi. ostenditur: quia illam potestatem Deus concessit Judicibus, quam in eis exigit salus, pax, & tranquillitas Reipublicæ, bonique communis incolumitas. sed talem potestatem esse in Judicibus ista exigunt; ergo Deus illam concessit. maj. colligitur ex fine authoritatis ac potestatis publicæ Judicibus concessæ in reos, qui sanè alius non est, quam pax & tranquillitas humanæ societatis, & conservatio boni communis. mi. inde prob. quòd non concessa Judicibus potestate procedendi secundùm allegata & probata contra reos quoscunque, etiam privatim cognitos innocentes, oriterentur in populo maxima scandala, cùm videret, ipsosmet legum custodes ac vindices secundùm leges non procedere, sed, insuperhabito ordine Juris, publicè & juridicè de crimine convictos dimittere impunitos. Leges quoque certam formam processuum criminalium præscribentes suo effectu ac fine omnino frustrarentur.

Ratio est tertio: Quia non est ita intrinsecè malum, ut sibi persuadent Authores contrarii, etiam directè occidere innocentem, ut in nullo unquam casu id licitum sit. Sanè, qui interficit furiosum, vel ebrium, à quo invaditur, directè interficit innocentem, idq; licitè ad defensionem propriæ vitæ. Cur ergo Judici non liceat directè præcipere occisionē innocentis ad ser-

vandum ordinem Juris, & formam publicam judiciorum, quibus neglectis salus & incolumitas boni communis stare non potest? Confirmatur. Quamvis intrinsecè malum sit directè occidere injustum aggressorem ex affectu nocendi, vel privatæ vindictæ, non tamen est intrinsecè malum, sed licitum talem directè perimere ex intentione seque suaque defendendi: ergo similiter, licèt intrinsecè malum sit directè præcipere necem innocentis ex affectu odii, & nocendi, non tamen erit intrinsecè malum, sed licitum, si Judex id faciat ex intentione debitè fungendi suo officio publico, quod justè præstare non potest, si relictâ scientiâ publicâ, privatam notitiam de Rei innocentia in judicando sequatur.

Ratio est quarto. Judex quà talis in casu suppositio statutæ Conclusionis prudenter judicare potest ex allegatis & probatis, reum esse nocentem: ergo illum licitè damnare potest ad mortem. Conseq. patet. Ant. prob. quia illum Judex quà talis prudenter judicare potest ex allegatis & probatis, esse nocentem, quem quà talis inculpabiliter ignorat esse innocentem: sed Judex quà talis in posito casu inculpabiliter ignorat, reum esse innocentem: ergo quà talis prudenter judicare potest ex allegatis & probatis, reum esse nocentem. maj. inde colligitur, quòd aliàs Judex non excusaretur à peccato, si secundùm allegata & probata condemnaret reum, quem invincibiliter ignorat esse innocentem: quod certè nemo dixerit. mi. autem prob. quia illud Judex quà talis ignorat inculpabiliter, de quo quà talis nullam habet notitiam, idque sine sua culpa: sed Judex quà talis nullam habet notitiam de hoc, quòd reus sit innocens, idque sine sua culpa; ergo Judex quà talis inculpabiliter ignorat, reum esse innocentem. mi. prob. Si Judex quà talis haberet aliquam notitiam de hoc, quòd reus sit innocens, tunc illa vel esset notitia publica ex allegatis & probatis, vel notitia privata extrajudicialis: seu neutra est; ergo nullam quà talis habet ejusmodi notitiam. Respondebis, Judicem habere notitiam privatam, idque sufficere. Sed contra est, quòd Judex quà talis nihil cognoscat notitiâ privatâ: ergo Judex quà talis adhuc nullam habet notitiam de hoc, quòd reus sit innocens. Conseq. patet. Ant. prob. Nam Judex quà talis nihil judicat authoritate privata: ergo etiam quà talis nihil cognoscit notitiâ privatâ. Conseq. prob. quia ideo Judex quà talis nihil judicat authoritate privata, quia quà talis est persona publica: ergo etiam quà talis nihil cognoscit notitiâ privatâ, quia quà talis est persona publica.

Confirmatur. Quia Judex quà talis non debet uti scientia inutili ad ferendam sententiam: sed scientia privata de innocentia Rei est inutilis ad ferendam sententiam; ergo maj. constat. mi. prob. Nam illa scientia est inutilis ad ferendam sententiam, qua non obstante Judex quà talis laborat invincibili ignorantia de innocentia Rei: sed Judex qua talis, non obstante scientia privata de innocentia Rei, laborat invincibili ignorantia ejusdem: quia, quæ soli Judici quà privato sunt cognita, habentur adhuc pro occultis (scilicet juridicè, & Judici quà tali) ut diximus in n. 15. & tradit Magnif. P. Schmier to. 2. lib. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 1. n. 31. ergo est scientia inutilis ad ferendam sententiam. Quare scientia illa privata de innocentia Rei prorsus per accidens se habet ad judicandum, nec magis potest influere in sententiam, quàm peritia Musicæ in Medico influit in curationem.

Dices. Judex in toto processu judiciali tenetur omnia moderari juxta scientiam privatam, & ex ea decernere, quid credendum, aut non credendum sit notitiæ publicæ, quæ ex actis comparatur: ergo scientia privata non per accidens, sed per se ad judicandum se habet. Conseq. constat. Ant. suadetur authoritate Juris civilis, nam Ulpianus in l. *eum, quem.* 79. §. *un. ff. de Judic.* ait: *Judicibus de Jure dubitantibus Præsides respondere solent: de facto consulentibus non debent Præsides consilium impertiri, verùm jubere eos, prout religio suggerit, sententiam proferre.* Et *l.* 3. §. 2. *ff. de testibus*, Hadrianus Imperator rescribit inter alia: *Hæc tibi rescribere possum summatim: non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligare debere, sed ex sententia animi tui te æstimare oportere, quid aut credas, aut parùm probatum tibi opineris.* Respondeo nos hactenùs nomine scientiæ privatæ, quam diximus per accidens se habere ad judicandum, cum aliis Doctoribus intellexisse illam, qua Judex certò, & extrajudicialiter cognoscit, reum esse innocentem. De cætero minimè nos præterit, in Judice præter auctoritatem & jurisdictionem, ad rectè fungendum officiô necessariam esse scientiam legum, prudentiam, experientiam; quas si vocare velis scientiam privatam, per me licet. sed nihil dicis ad rem præsentem: cùm hæc talis scientia privata non pertineat ad statum nostræ quæstionis. Ego possem vocare scientiam publicam, eò quòd debeat esse in Judice tanquam persona publica, & ratione officii publici. Textus Juris civilis similiter feruntur extra rhombum. Ad priorem tamen respondeo, ibi nihil dici in favorem scientiæ ptivatæ, sed supponi scientiam publicam. Posterior loquitur de scientia ex actis, & probationibus publicis elicienda, quæ est scientia publica. Neque vim feceris in illa phrasi Romana, *ex sententia animi tui.* quia aliud hîc non indicat, quàm Judicem auditas probationes, & producta causæ merita debere apud se ipsum, sive secum ipso maturè expendere, & accuratè ponderare;

nem-

nempe, ut scire possit, qualiter in judicando procedere debeat, vel non debeat. Sed ubi tunc scientia privata?

17. In sententia hactenùs assertæ contraria sunt Adrianus, Angelus, Lyranus, Lessius, Petr. Navarrus, Coninck, & alii apud Bossium parte 1. tit. 1. §. 24. n. 798. Deinde Bonac. de Legibus. disp. 10. q. 2. pu. 2. n. 2. Laym. lib. 3. de Just. tract. 6. cap. 2. n. 8. & moderni complures, præsertim Jurisperiti, quibus recentissimè accedit Magnif. P. Schmier ubi suprà à n. 35. Censet autem Less. cum aliis ex citt. Judicem tunc potiùs debere officium dimittere, etiamsi hoc modo nihil esset eo profuturus, quàm eundem condemnare ad mortè. Sed nunc de fundamentis adversis videamus.

18. Objicies igitur primo. Directè occidere innocentem est intrinsecè malum: ergo nunquam licet. Conseq. patet: quia, quæ sunt intrinsecè mala, in nullo casu possunt fieri licita: ut constat in mendacio, blasphemia, fornicatione &c. Atqui Judex condemnandò reum ad mortem, quem privatâ scientiâ novit esse innocentem, directè occidit innocentem: ergo condemnare non licet. Subsumpt. constat. nam & ipsa sententia Judicis directè præcipit occisionem, & executio mortem directè infert. Respondeo dist. Ant. directè occidere innocentem tam juridicè quàm Theologicè est intrinsecè malum, conc. innocentem Theologicè, non innocentem, imò nocentem juridicè, neg. Ant. & dist. conseq. ergo non licet occidere innocentem tam juridicè, quàm Theologicè, conc. innocentem Theologicè, non innocentem juridicè, neg. conseq. Atqui reus, de quo disputamus, quamvis Theologicè, sive in foro conscientiæ sit innocens, idque Judex cognoscat privatâ scientiâ; non tamen est innocens, imò est nocens, juridicè, sive in foro externo propter allegata & probata, quibus de crimine convictus est; idque Judex cognoscit scientiâ publicâ, & ut persona publicâ.

19. Objicies secundo. Demus casum, in quo Sempronia v. g. coram Judice Ecclesiastico per allegata & probata ostendatur esse legitima uxor Titii; Judex verò privatâ notitiâ sciat, Semproniam non esse uxorem Titii, qui & idem hoc sciat. In hoc casu Judex neque licitè suadere, neque præcipere Titio potest, ut accedat ad Semproniam, eaque utatur ut conjuge: ergo nec licitè condemnare potest Judex reum ad subeundam mortem, quando privatâ scientiâ scit esse innocentem, quomodocunque demum per probationes publicas de crimine supponatur esse convictus. Ant. videtur certum. Conseq. prob. quia, quàm est intrinsecè malum, jurique naturæ adversum accedere ad non suam; tam est intrinsecè malum occidere innocentem: &, quàm neque vult, neque potest Ecclesia cuiquam tribuere jus accedendi ad non suam, aut Judici potestatem ad hoc quemquam adigendi, tam neque volunt, neque possunt ullæ unquam Respublicæ, seu Communitates Judicibus tribuere potestatem condemnandi ad mortem eos, quos ipsi privatâ scientiâ cognoscunt esse innocentes. Respondeo ex Sayro & Bossio conc. Ant. neg. conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd Titius non agat personam publicam, sed privatam; adeoque non scientiam publicam, sed solùm privatam in operando sequi possit ac debeat. Quare Judex suadendo, vel præcipiendo accessum ad Semproniam suaderet, vel præciperet actionem contratiam veritati privatæ, quam tamen Titius ceu persona privata in operando sequi unicè tenetur. Atqui Judex ut Judex agit personam publicam, & tenetur in judicando sequi notitiam publicam, sive acquisitam ex actis, allegatis, & probationibus publicis. *Homo in his*, inquit D. Thomas ubi suprà ad 4 *quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia: sed in his, quæ pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam suam secundùm ea, quæ in publico judicio sciri possunt.* In probat. conseq. neg. Ant. quia accedere ad non suam in nullo unquam casu, nullisque circumstantiis cohonestari potest; sicut tamen cohonestari, imò quæque licitum potest occidere innocentem; ut ostendimus in n. 17. certè alias neque Deus id reddere posset licitum, aut præcipere: quod haud dubiè falsum est. Unde ad hoc Respublica potest aliquando Judicibus tribuere potestatem, non autem Ecclesia cuiquam ad illud.

Objicies tertio. Judex certò sciens, se carere jurisdictione & authoritate in reum, non posse illum condemnare, licèt per mille testes probaretur, reum esse sub jurisdictione & authoritate ipsius: ergo nec potest in nostra hypothesi. Pater conseq. quia ad justè condemnandum non solùm requiritur ex parte condemnantis jurisdictio, & legum authoritas, sed etiam ex parte condemnandi crimen & meritum pœnæ. Respondeo conc. Ant. neg. item. rum conseq. & parit. Nam Judex re ipsa carens jurisdictione & authoritate in reum etiam juridicè convictum, si eum condemnaret, non condemnaret ut persona publica, sed ut privata. Atqui in casu nostro & habet jurisdictionem & authoritatem, reumque de crimine juridicè convictum. Unde nihil deest sive ex parte condemnantis, sive ex parte condemnandi, ut justè feratur sententia. licèt enim in reo non inveniatur crimen re ipsa perpetratum, est tamen de ipso juridicè demonstratum. Potest objectio etiam retorqueri in eos, qui à nobis hic dissentiunt, in causis tamen civilibus nobiscum sentium. Sed jam contra dicta

20

21. Objicies ulteriùs quarto. Iniquum est occidere aliquem, in quem non habes authoritatem, sed

sed Judex in facta hypothesi occidit aliquem, in quem non habet authoritatem; ergo. maj. est certa. mi. prob. quia Judex non habet authoritatem in innocentem, sed solus Deus: ergo, dum occidit innocentem, occidit aliquem, in quem non habet authoritatem. atqui occidit revera innocentem: cùm ille sit revera innocens, qui delictum non perpetravit, & à Deo nocens esse non cognoscitur; ergo est revera innocens: ergo Judex occidit revera innocentem. Respondeo conc. maj. neg. mi. ad hujus probat. dic, soli quidem Deo competere primò ac per se authoritatem in vitam innocentis tanquam supremo Domino ac Judici; eam tamen pro casu nostro ab ipso concessam esse etiam Judicibus sibi subordinatis; sicut ostensum est. Illa, quæ deinde dicuntur in argumento, probant, Judicem neque posse condemnare innocentem, quem ipse invincibiliter ignorat esse innocentem, licèt juridicè probatus sit nocens, cùm nec iste delictum perpetraverit, aut esse nocens à Deo cognoscatur.

22 Objicies quinto. Ideo Judex sequi debet notitiam publicam acquisitam ex probationibus & testibus, ne in ferenda sententia abcerret à veritate. Ergo, dum illæ probationes, illique testes potiùs inducunt ad falsitatem, idque Judici manifestè constat, sequi non potest notitiam publicam ex ipsis acquisitam. Atqui probationes & testes in casu nostro inducunt ad falsitatem, idque Judici manifestè constat; ergo. Respondeo hoc argumentum esse similiter solvendum in causis civilibus: item in casu, quo re ipsa & in privata Judicis scientia nocens probatur juridicè esse innocens. Deinde dico ad illud, duplicem in mente Judicis distinguendam esse veritatem, privatam nimirum, & publicam, sive juridicam, quæ sumitur ex testibus & probationibus. Respublica autem & bonum commune unicè volunt, ut Judex in judicando sequatur veritatem publicam, & consequenter volunt, ut procedat secundùm notitiam publicam, ne abcerret à veritate publica. Probationes verò & testes in casu nostro non inducunt ad falsitatem oppositam veritati publicæ; imò hanc demonstrant.

23 Objicies sexto. In Jure Canonico, *cap. 1. de sent. & rejudic. in 6.* & *Clement. 1. §. verùm. de hæret.* jubentur Judices *præ oculis habere solum Deum & conscientiam, nec aliquem condemnare, quem æterni Judicis tribunal reum non habet.* Sed ista non observantur in nostra sententia; quia Judex condemnat aliquem licitè, ut contendimus, quem æterni Judicis tribunal reum non habet: cùm utique probationes publicæ re ipsa falsæ efficere nequeant, ut conscientia re ipsa innocentis inficiatur & intrinsecè maculetur coram Deo. Confirmatur. Judex tenetur judicare secundùm suam conscientiam, nec attendere potest conscientiam aliorum. secùs enim non tam ipse, quàm alii judicarent, cùm faceret, quod vellent alii, non, quod ipsemet sentit. Atqui non judicat secundùm suam conscientiam, quando contra dictamen suæ conscientiæ sequitur dictamen aliorum; sicut sequitur in nostra sententia; ergo &c. Respondeo ad Objct. neg. mi. cujus probat dist. condemnat, quem æterni Judicis tribunal reum non habet in foro interno, conc. quem reum non habet in foro saltem externo, neg. Tribunal humanum secundùm allegata & probata, servato legitimo ordine juris, procedens est quædam participatio tribunalis Divini: in quo proinde quantum ad forum externum reus esse cognoscitur, quisquis in tribunali humano per publicas probationes de crimine legitimè convictus est. Alias Judex, qui ex ignorantia etiam invincibili condemnaret innocentem, dicendus esset condemnare aliquem, quem æterni Judicis tribunal reum non habet. Ad Confirmat. antequam respondeam, notandum est, conscientiam Judicis dupliciter considerandam esse, semel nempe ut instructam & formatam ex scientia privata & extrajudiciali, & tursus ut formatam & instructam ex actis & probationibus publicis in judicio. Nunc dist. maj. debet judicare secundùm suam conscientiam formatam ex actis & probationibus publicis conc. formatam ex scientia seu notitia privata, neg. maj. nam *debet informare conscientiam suam secundùm ea, quæ in publico judicio sciri possunt*, ait D. Thom. ubi suprà. In mi. nego, Judicem in nostra sententia contra dictamen suæ conscientiæ sequi dictamen aliorum. sequitur enim dictamen suæ conscientiæ; formatum tamen ex allegatis & probatis aliorum, quamvis contra scientiam suam privatam, quæ est quid longè aliud, quàm dictamen conscientiæ. Demum hæc tota Confirmatio solvenda est Adversariis in casu, quo Judex absolvit, quem privatâ scientiâ scit esse nocentem, probatum tamen innocentem. quod idem dic de objectione. quærò enim, an Judex tunc non absolvat aliquem, quem æterni Judicis tribunal innocentem non habet?

24 Objicies septimo. Si Judex non peccaret condemnando in casu nostro innocentem, sequeretur, etiam Pilatum non peccâsse, dum condemnavit Christum Dominum. sed hoc concedere est absurdissimum; ergo. seq. maj. prob. nam & Pilatus judicavit secundùm allegata & probata: quia Christus accusabatur à toto populo: atque adeo publicè reputabatur nocens. Neque dicas, Pilatum sciviss, quòd *per invidiam tradidissent eum*, respondetur enim sciviss id solùm scientiâ privatâ, quam in judicando non tenebatur sequi. Sæpe miratus sum, quî fiat, ut hoc argumentum viris doctis

doctis alicujus momenti esse videatur. Respondeo autem neg. seq. maj. cum sua probat. quia Christus Dominus erat innocens non solùm reipsa, & in privata notitia Pilati, sed etiam fama & prædicatione publica apud omnes probos & sapientes. Sanè Pilatus ipse, auditis accusationibus & testibus, pronuntiavit, se nihil in eo morte dignum invenire: quia nempe, ut referunt Evangelistæ, non erant convenientia testimonia eorum. unde sententiam minimè tulit secutus scientiam publicam, quæ nulla fuit; sed adactus metu Cæsaris: ad quem tamen ceu Judicem superiorem totam causam potuit remittere. Accedit, quòd miser ille Judex per examen accuratius testes facillimè falsitatis potuisset convincere: quod tamen facere non fuit conatus, juxta illud Isaiæ 53. *de judicio sublatus est*, id est, celeriter & sine justo examine raptus est ad mortem, nec ejus causa diligenter discussa.

25 Ex dictis colligitur primo, Judicem in formato casu nostro non obligari ad abdicandum officium Judicis, etiamsi existimet, hoc modo innocentem à se liberandum. Ratio est: tum, quia non tantùm potest, sed etiam tenetur condemnare. tum, quia non tenetur eum liberare cum tam gravi suo damno, cujusmodi est jactura officii; sicut non tenetur alius, qui non est Judex. Vid. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 29. Neque dicas, innocentem tunc versari in extrema necessitate; adeoque Judicem lege charitatis obligari ad succurrendum ipsi, si possit. nam respondeo, legem illam charitatis non obligare in extrema necessitate proximi, quæ provenit ex justitia vindicativa. sed neque obligare cum tanto alterius incommodo, cujusmodi esset abdicatio officii, & consequenter amissio status. Vide, quæ suprà disp. 1. a. 5. n. 11. diximus.

26 Colligitur secundo, idem, quod hactenùs docuimus de Judice, etiam tenendum esse de carnifice, aliisque ministris publicis justitiæ exequentibus sententiam, nempe & illos posse sententiam exequi in reo, quem privatâ scientiâ nôrunt esse innocentem, quando secundùm allegata & probata publica legitimè est condemnatus. Vid. Card. de Lugo to. 2. de Just. disp. 37. sect. 4. n. 48. Dices. Non est licitum scienter facere materialiter injustum: sed in hoc tali casu carnifex v. g. exequendò sententiam scienter faceret materialiter saltem injustum, ergo &c. Respondeo neg. mi. quia neque sententia Judicis, neque actio executoris est contra jus innocentis; sicut non est contra jus innocentis de falso crimine juridicè convicti inflictio pœnæ pecuniariæ; adeoque sicut in hoc casu juxta Adversarios non committitur materialiter injustum, ita nec in nostro committitur. Vid. Illsung n. 28.

Sed jam ad quartum eorum, quæ de 27
Judice dicere instituimus, progrediamur. Ubi notandum est, eorum, quæ Judex à litigantibus accipere cogitari potest, alia dici stipendia pro officio; alia expensas pro labore; alia munera. Porrò munera vel sportulæ sunt, vel xenia. Nomine xeniorum veniunt esculenta, vel poculenta, quæ intra paucos dies, putà duos vel tres, consumi possunt. Sportulæ sunt illa, quæ vel in cibo, vel in pecunia ultra stipendium præberi à litigantibus consueverunt. Vid. Sayr. lib. 12. clavis reg. cap. 13. n. 7. Bonac. disp. 10. q. 2. pu. 8.

Dico nunc septimo. Judices possunt à 28
litigantibus aliquid loco stipendii accipere, nisi illis aliunde sit assignatum. Sayr. n. 8. Bonac. n. 2. Reding to. 3. q. 15. a. 1. controv. 3. n. 11. & alii communiter. Ratio est: quia obligatio judicandi est res pretio æstimabilis, nec censetur esse quid spirituale etiam in Judice Ecclesiastico, sed quædam locatio operæ suæ. Quis autem nescit ex S. Script. quemlibet operarium esse dignum mercede sua? Dixi, *nisi aliunde sit assignatum*. tunc enim aliquid titulò stipendii, aut ultra stipendium taxatum accipientes peccarent contra justitiam, & ad restitutionem obligarentur.

29 Ex quibus infertur, Beneficiarium, cujus beneficio annexa est jurisdictio, & obligatio judicandi, non posse à litigantibus aliquid accipere pro exercitio jurisdictionis, etiamsi beneficium sit tenue. Sayr. n. 9. & 10. Bonac. n. 3. Ratio est: quia Beneficiarius acceptando beneficium censetur etiam acceptare onera annexa: pro his autem loco stipendii accipit fructus beneficii. Neque refert, beneficium esse tenue: nam sibi imputet, quod illud non ignarus onerum annexorum acceptaverit.

30 Dico octavo. Judici Ecclesiastico aliquando ultra stipendium aliquid licet accipere titulò expensarum. Probatur ex Jure Can. Nam primo in *cap. Statutum.* §. *Insuper. de script. in* 6. permittitur Judicibus à Sum. Pontifice delegatis, ut possint accipere, quæ liberè offeruntur à litigantibus, in cibo & potu, modò sint ejusmodi, ut intra paucos dies consumi possint. Secundo, juxta *cap. Cùm sit. De Simonia. cap. Romana.* §. *Procuratores. de censibus. in* 6. Episcopi accedentes ad consecrandas, seu visitandas Ecclesias justas & moderatas expensas possunt accipere. Vid. Bonac. n. 6. Reding n. 14.

31 Dico nono. Judicibus sæcularibus similiter conceditur aliquando in Jure civili acceptio munerum. Nam primo conceditur, ut, si lis mille aureos excedat, possint à singulis partibus in principio litis accipere duos aureos, rursumque alios duos in fine ejusdem.

Authent. de Judicibus. §. *Ne autem.* Secundo, in quibusdam locis per consuetudinem derogantem legibus prohibentibus licitum est accipere moderatas sportulas. Tertio, hi tales Judices petere possunt compensationem expensarum, quas faciunt, dum pro munere suo proficiscuntur extra domicilium ac domum naturalis enim ratio dictat, Judicem non teneri ad expensas extraordinarias, quas facit in utilitatem aliorum. De Judice tamen Ecclesiastico non procedit hæc doctrina. huic enim extra casus n. præced. memoratos non est licitum accipere expensas pro itinere intra suam jurisdictionem: quia pro officio habet beneficium, & fructus pro stipendio, ait Reding, quem vide n. 15. Quarto, accipi possunt xenia â quocunque Judice tam sæculari, quàm Ecclesiastico. Ratio est: quia id nullo jure constat esse prohibitum. cumque dari soleant in parva quantitate, non censentur per se sufficere ad corrumpendum Judicem. Vid. Sayrus ubi suprà n. 19. Bonac. n. 5. cavere tamen debet Judex, ne, dum similia acceptat, præbeat collitigantibus, aut aliis occasionem cavillationum, detractionum &c.

32 Corollarium. Quando Judex habens congruum stipendium aliquid à partibus, sive in pecunia, sive in alio genere rerum, petit, extorquet, accipit, aliter non facturus, ad quæ tenetur ex officio, graviter peccat contra justitiam, & ad restituendum, quæ accepit, obligatur. Ita communis omnium sensus. Et colligitur quoad priorem partem ex illis Deuter. 16. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientûm, & mutant verba justorum. Justè, quod justum est, persequéris.* Ratio quoque est: quia Judex, cui prospectum est de congruo salario, tenetur de cætero gratis fungi suô officiô. Unde, dum pro actu sui officii petit aliquid, petit indebitum, venditque ipsam justitiam, quæ certè non est vendibilis. Vid. Sayr. n. 7. Magnif. P. Schmier lib. 2. tract. 1. cap. 2. sect. 1. n. 97. Quoad alteram partem constat ex *cap. Statutum.* §. *si quid autem. de rescript. in* 6. & ex ratione; quia vendit, quod non est vendibile; adeoque pretium non facit suum.

33 Dico denique decimo. Quando Judex per malitiam, vel culpabilem ignorantiam tulit sententiam injustam quoad substantiam, non tantùm tenetur revocare hanc talem sententiam, sed etiam compensare damna partis læsæ. Ita Laym. lib. 3. tr. 6. cap. 2. à n. 10. Mezger to. 3. tract. 13. disp. 47. à. 1. n. 11. Ratio est: quia ex læsione juris alieni formaliter injusta oritur rigorosa obligatio restituendi, cui ut satisfiat, læsus tam retractationem sententiæ, quàm compensationem damnorum in casu nostro justè exigere potest. Dixi, *per malitiam &c.* quia, si Judex de cætero idoneus ad judicandum inculpabiliter, & adhibita morali diligentia erret ex humana fragilitate, vel oblivione, non tenetur quid restituere ex propriis: quia nempe nec intulit formalem injuriam parti læsæ, nec quidquam ab ea commodi accepisse supponitur. Tenetur tamen ob damnum saltem materialiter injustum revocare sententiam, si possit sine gravi suo incommodo; scilicet suggerendo parti, ut appellet; vel si appellare nequeat, causæ revisionem, vel in integrum restitutionem postulet. Vid. Laym. n. 11. & 12. Dixi insuper, *quoad substantiam.* quia, si sententia ab ipso lata quoad modum solùm injusta est, non tenetur eam revocare, sed solùm resarcire damna ex indebito modo procedendi consecuta. Mezger loco cit. Cæterùm de iis, ad quæ Judex malè judicans obligatur ex jure positivo, vid. Magnif. P. Schmier sect. cit. §. 8. Nobis ad alia hinc progrediendum.

§. II.

De Accusatoribus & Testibus.

SUMMARIUM.

34. *Quis Accusator, quis denuntiator. Denuntiatio alia charitativa, alia judicialis.* 35. 36. 37. *An liceat, quis possit, aut teneatur aliquando accusare?* 38. *De injuria sibi illata nemo tenetur aliquem accusare, aut judicialiter denuntiare, per se loquendô.* 39. *Tribus modis per publicam scientiam Judici constare potest de crimine, & actore criminis.* 40. *Ad plenam in Judicio probationem regulariter requiruntur & sufficiunt duo testes.* 41. *Quaibus qualitatibus testes debeant esse instructi.* 42. 43. 44. *Declaratur, quando sit, & quando non sit obligatio dicendi testimonium.* 45. *Qui sciens dixit falsum testimonium alteri damniferum, tenetur damna impedire, vel reparare, & testimonium revocare, quando id videtur profuturum.* 46. *Quid de eo, qui subterfugit dicere testimonium?*

34 QUi in causis civilibus Actor, is in criminalibus Accusator dicitur. Unde Actor est, qui in civilibus jus suum prosequitur: Acculator, qui in criminalibus delictum defert publicæ punitionis gratiâ. Hinc Accusatio rectè describitur *Juridica delatio Rei de crimine ad vindictam publicam:* ut habet Paulus Mezger to. 3. tract. 13. disp. 47. a. 3. num. 1. ubi etiam advertit, constatque ex D. Thoma 2. 2. q. 68. a. 2. & aliis, antiquo jure accusationem instituì debuisse in libello cum subscriptione Accusatoris. quod tamen hodie fieri solet etiam verbis ità tamen, ut omnia à Notario statim redi-

redigantur in ſcriptum, Differt autem Accuſator à Denuntiatore in eo, quòd ſuſcipiat in ſe onus probandi; ſecùs Denuntiator: huic enim ſolùm incumbit onus apetiendi indicia criminis, quibûs Judex moveatur ad procedendum ex officio, bonoque communi providendum. Vid. Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 3. n. 3. Reding to. 13. q. 15. a. 2. n. 3. Porrò Denuntiatio eſt duplex, nempe una charitativa, & altera judicialis, quæ ſola huc ſpectat. Differunt potiſſimùm ex parte finis. Nam finis charitativæ Denuntiationis eſt paterna correctio delinquentis. Finis judiciariæ eſt publica vindicta & punitio criminis. Unde hæc procedit ex motivo juſtitiæ vindicativæ: illa ex motivo charitatis. Plura diſcrimina vide apud Laym. n. 5.

35 Quæritur jam primo de Accuſatore an liceat; quis poſſit, aut aliquando teneatur accuſare? Reſpondeo primo, licitum eſſe aliquando reum accuſare, etiamſi nondum laboret infamiâ criminis. Ita communis. Ratio eſt: quia accuſatio, ſicut & vindicatio ſcelerum auctoritate publica, quæ per illam intenditur, eſt opus virtutis juſtitiæ: adeoque, dum ſuſcipitur in debitis circumſtantiis, erit licita. Maximè verò cavendum eſt, nequis ex odio, aliove perverſo affectu accuſet. Vid. Sayrus lib. 12. clavis reg. cap. 14. n. 2. Illſung tract. 4. diſp. 2. q. 1. a. 6. n. 30. Neque exiſtimes, tunc reo, qui nondum eſt infamis, fieri injuriam: dicitur enim, ob bonum commune totius humanæ ſocietatis, quod exigit impediri frequentiam criminum, damnaque ex eadem emergentia, expedire, conceſſam eſſe poteſtatem ac jus accuſandi etiam reos de crimine nondum infames. Bonum autem particulare æquum eſt cedere bono communi.

36 Reſpondeo ſecundo, accuſare poſſe omnes, qui jure non ſunt prohibiti. Prohibentur autem accuſare primò, filiusfamilias & ſervus, propter ſtatum perſonæ, in quo ſunt. Secundo, impubes, & minorennis. obſtat enim defectus ætatis & judicii immaturitas. Tertio, mulier, propter imbecillitatem ſexûs. Quarto, criminoſus, damnatus, excommunicatus, infamis: quia ſunt perſonæ indignæ tali munere. Quintò, pecuniâ conductus ad accuſandum. nimis, enim turpis eſt in Accuſatore ejusmodi quæſtus. Sexto, inimicus Rei: quia contra eum, quem odit, fidem non facit in judicio. Septimo, ſervus, libertus, vaſallus relatè ad dominum; idque propter reverentiam accuſati. Octavo, maritus relatè ad uxorem, frater ad fratrem, & multò magis filius ad parentem: quia amori & pietati non eſt conforme. Nono, Clericus, præſertim in cauſa ſanguinis; id enim adverſatur decentiæ; imò & reverentiæ ſtatûs eorum. Vid. Sayr. num. 35. Bonac. diſp. 10. q. 3. pu. 1. n. 10. Mezger ubi ſuprà n. 2.

Reſpondeo tertio, quamvis regulariter 37
non ſit obligatorium, neque conſultum, ut quis onus accuſandi in ſe ſuſcipiat, dari tamen caſus, in quibus videatur urgere obligatio accuſandi. Ratio primi eſt: quia omnia mala, ad quæ impedienda, vel tollenda videtur neceſſaria accuſatio, ſatis accommodè propulſantur per judicialem denuntiationem. Ratio ſecundi eſt: quia Accuſatio multa & gravia adjuncta habere ſolet incommoda & incommodorum pericula. nam adeſt inprimis periculum deficiendi in probatione, idque vel ob defectum, vel perverſitatem teſtium. deinde imminent pericula odiorum, inimicitiarum, expenſarum, & ſimilium. Sufficit ergo denuntiare crimen, vel criminoſum apud Judicem, vel apud Fiſcalem, qui ex officio tenetur denuntiare, vel accuſare. Ita cum Card. de Lugo. Reding ubi ſuprà n. 4. Ratio tertii redditur afferendò eos caſus. Primus eſt, quando crimen eſt pernicioſum Reipublicæ, cujusmodi ſunt ſchiſma, hæreſis proditio civitatis, conſpiratio in Principem, compilatio publici ærarii, & ſimilia. Secundus eſt, quando ex crimine, quod quis novit, imminet grave damnum perſonæ privatæ tertiæ. V. g. quando nôſti, inſidias parari in vitam Titii innocentis. Vid. Sayr. n. 6. & 8. Bonac. n. 6. Filliuc. tract. 40. cap. 7. n. 214. Reding à n. 5. Mezger ubi ſuprà n. 3. Verùm in his quoque caſibus ſufficere poterit denuntiatio judicialis.

Corollarium. Nemo tenetur ordina- 38
riè loquendo accuſare alium de injuria ſibi illata, vel propterea judicialiter denuntiare. Ratio eſt: quia, cùm homo ſit dominus eorum bonorum, in quibus patitur injuriam poterit, ſi velit, eam condonare. Imò hoc ipſum conſulitur in præſenti lege gratiæ, dum in oratione Dominica petimus à DEO, ut nobis dimittat debita, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vid. Filliuc. n. 211. Bonac. loco cit. Dixi, *ordinariè loquendo.* Nam extraordinariè jus ſuum contra injuriam ſibi irrogatam aliquis proſequi judicialiter tenetur primo, ſi adeo factus ſit pauper, ut non habeat, unde alat familiam, niſi repetat coram Judice bona ſibi injuriosè ablata. Secundo, ſi ſit Superior, cujus exiſtimatio per injuſtam detractionem notabiliter diminuta eſt, ut propterea ad gubernandos ſubditos ſe minùs idoneum experiatur. tunc enim ad auferendum ſuorum ſcandalum, officiumque ſuum aptè ac debitè gerendum tenetur famæ ſuæ reſtitutionem petere. Ita cum Catdin. de Lugo Reding num. 8.

39 Nunc de testibus ut sermo instituatur, supponitur primo ex dictis in §. præced. Judicem non posse procedere ad sententiam condemnatoriam, nisi per publicam scientiam ipsi constet de crimine, & auctore criminis. Potest autem per publicam scientiam de utroque constare primo, si Judex ipse cum tribus, vel quatuor aliis hominem deprehendat in flagranti delicto. Secundo, si reus in judicio crimen confiteatur. Tertio, si idem de crimine testibûs convincatur. Hic tertius modus, cùm sit frequentior, imò teste Lessio, ferè ordinarius, exigit, ut aliqua inquiramus de testibus.

40 Supponitur secundo ex communi sententia DD. ad legitimam, plenamque in judicio probationem regulariter requiri ac sufficere duos testes. velut etiam constat ex lege antiqua Deuter. 17. & 19. quam ceu juri naturali valde consentaneum allegavit Christus Matth. 18. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Dixi, *regulariter.* nam interdum requiruntur plures, ut ad condemnationem Cardinalis, Episcopi, aliorumque Clericorum. ex *cap. Præsul. 2. q. 5.* aliquando etiam in iis, in quibus alteri non fit præjudicium, unus testis sufficit: ut, dum inquiritur, an quis sit baptizatus, confirmatus, petierit Confessarium? an Ecclesia sit consecrata &c. ex *cap. Parvuli. de consecrat. disp. 4. cap. Testimonium. de testibus.* Similiter, dum agitur de evitando peccato, v. g. volentium contrahere matrimonium in gradibus prohibitis, uni testi creditur. ex *cap. Præterea. de Sponsal.*

41 Supponitur tertio, testes, ut probent in judicio, sequentibus conditionibus, seu qualitatibus debere esse instructos. Primo, oportet esse juratos. nam alioquin ipsis non creditur in præjudicium alterius. Secundo, debent deponere de sensu: nempe, se vidisse Titium v. g. occidentem, audivisse blasphemantem. Tertio, testari debent de uno, eodemque facto, ut sint conteستes. secus enim erunt testes singulares tantùm, ut vocantur, qui non faciunt plenam probationem. Quarto, debent esse omni exceptione majores, id est, tales, contra quos nihil jure possit opponi, cur minùs eis fides sit adhibenda, vel cur ad dicendum testimonium non sint admittendi, juxta vulgares versiculos:

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides: in testibus ista requires.

Hinc à testificando repellitur 1. Servus. 2. Mulier in causis criminalibus, secundùm Jus Canonicum. nam de Jure civili admittuntur mulieres ad testimonium, exceptis tantùm testamentis. 3. In criminalibus minor viginti annis. in civilibus verò causis admittitur, modò sit puber. 4. Delirus, & semifatuus. 5. Infamis, sive infamiâ juris, sive infamiâ facti. hic tamen posterior interdum admittitur in subsidium, quando aliter in notitiam veritatis veniri nequit; sed cum tortura. 6. Persona vilis, & inops, de qua suspicio est, posse facilè corrumpi pecuniâ. aliud dicendum, si sit persona honesta. tunc enim admittitur ad testificandum. 7. Infidelis, perjurus, inimicus capitalis Rei, domesticus, consanguineus, affinis Accusatoris. Vid. Lessius lib. 2. de Just. cap. 30. dubit. 5. Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 4. n. 4. Reding controv. 3. n. 17. Mezger ubi suprà n. 5.

42 His breviter suppositis, quæritur, quando sit obligatio dicendi testimonium? Item, ad quid teneatur; qui non vult dicere, vel falsum testimonium dixit? Respondeo primo, aliquem graviter obligari ad dicendum testimonium, quoties id videtur necessarium ad avertendum grave malum Reipublicæ, vel etiam alicujus privati. Ratio est: quia inprimis non tantùm ex charitate, sed etiam ex obligatione justitiæ legalis quilibet civis, ceu pars Reipublicæ, tenetur ab eâdem, si potest, grave malum avertere. Deinde quilibet ex lege charitatis tenetur subvenire proximo graviter indigenti alterius auxiliô. Vid. Bonac. disp. 10. q. 3. pu. 3. n. 11. Reding n. 3. Mezger n. 8. Itaque, si tibi constet, accusatum coram Judice esse innocentem, teneris est charitate agere testem de ejus innocentia, etiamsi à Judice non sis jussus. Similiter, si accusatus est nocens, & Accusatori ob defectum probationis pœna talionis, aut aliud grave damnum immineret, teneris itidem ex charitate te ultrò, & irrequisitum offerre ad testificandum. Vid. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 32.

43 Respondeo secundo, quemlibet subditum â competente Judice legitimè interrogatum ordinatiè obligari ad dicendam veritatem sibi cognitam, & testandum de crimine. Ita communiter DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 70. a. 1. Quod de proprio subdito, etiam de aliis à suo Magistratu deputatis, Judicique ad ejusmodi actum subjectis, intelligi debet. Ratio autem responsionis est: quia quilibet subditus tenetur obedire suo Superiori justè præcipienti: sed Judex dicere veritatem, & testimonium de crimine justè, sive jutidicè præcipit, ut supponitur; scilicet antecedentibus hominis infamia, justa accusatione, vel denuntiatione criminis, semiplena probatione, aliisve indiciis ad examinandos testes sufficientibus; ergo &c. Vid. Laym. n. 8. Reding n. 1. Illsung n. 31.

44 Dixi verò *ordinariè*, propter plures casus, in quibus etiam juridicè interrogatus testari de crimine aût non potest, aut non tenetur: scilicet primo, si delictum nôsti ex Confessione Sacramentali. Secundo, si illud

illud accepisti sub secreto naturali, ut Consiliarius, Medicus, Advocatus &c. dummodò tamen ejus revelatio non videatur necessaria ad magnum malum Reipublicæ, vel proximi avertendum. tunc enim tale secretum detegere debes vel testificandò, vel denuntiando, si etiam jurâsses, te nihil dicturum: quia juramentum istud non obligat: cùm jure naturæ tenearis ad contrarium. Tertio, si in notitiam criminis veniisti per injuriam, v. g. aperiendò alterius litteras, vel hominem per vim cogendò ad revocandum. Quarto, si prævideas, testificationem tuam tibi, aut tuis futuram esse graviter damnosam. Quòdsi tamen crimen perniciosum sit Reipublicæ, teneris denuntiare, vel de illo testem agere, insuperhabito periculo damni privati. Quinto, si tibi constet quidem de actione, sed quam alter citra culpam Theologicam exercuit; v. g. auferens rem alienam titulò compensationis occultæ; eò quòd alia ratione solutionem debiti obtinere nequiverit. vid. Less. ubi suprà dubit. 6. à n. 45. Laym. n. 9. Reding n. 4. Illsung loco cit. apud quos adhuc alios casus reperies.

45 Respondeo tertio, eum, qui sciens falsum testimonium dixit, per quod alteri fuit efficax causa damni, teneri non solùm impedire, vel reparare omne damnum, quod causatur, sed etiam revocare testimonium cum pari damno suo, vitæque etiam periculo, si reus de ea periclitetur, sitque spes, revocationem eidem profuturam. Ita communiter DD. Ratio est: quia injusta, eaque efficax causa damni, qualis in præsenti est falsus testis, tenetur ad restitutionem. In pari quoque damno potior censeri debet conditio innocentis. vid. Sayrus lib. 12. clavis reg. cap. 19. n. 8. Less. dubit. 7. Filliuc. tract. 40. cap. 8. n. 254. Dixi, *si sciens.* nam si ex ignorantia, inadvertentia, vel oblivione inculpabili dixit falsum testimonium, tenetur quidem impedire damnum, si possit, non tamen tenetur ad restitutionem, quamvis reus damnetur. Ratio est: quia neque ex re accepta tenetur, neque ex delicto. Less. n. 55. Filliuc. n. 253. Dixi, *si causa efficax.* quia, si reus jam per alios testes erat convictus, & per accessum tui testimonii Judex neque motus fuit ad pœnam augendam, neque firmior redditus ad eam infligendam, ad nihil teneris, eò quòd non sis efficax causa damni, utpote jam per priora testimonia efficaciter dati, esto, reo feceris injuriam. Less. n. 52. Sayr. n. 9.

46 Sed quid de eo, qui non vult testari, ideoque se subtrahit, vel occultat, ne ad id adigatur à Judice? Respondendum videtur adhibita distinctione. Vel enim se subtrahit nondum à Judice legitimè citatus, vel jam citatus legitimè? Si prius, probabilius est, eum non obligari ad restitutionem damni ex defectu testificationis secuti. Ita Sayrus cap. 20. n. 26. Less. dubit. 8. n. 58. Filliuc. n. 256. Bonac. disp. 10. q. 3. pu. 3. n. 12. Mezger ubi suprà n. 11. Ratio est: quia nemo obligatur præcepto Superioris, antequam id ipsi debito modo imponatur: consequenter, qui se subtrahit, antequam legitimè citetur ad testificandum, non peccat contra justitiam, nec proinde tenetur ad aliquam restitutionem. Si posterius; sententia magis recepta est, ut ajunt Less. & Filliuc. talem teneri ad restitutionem. Ratio est: quia tunc se subtrahendo, vel subdolè declinando testificationem legitimè præceptam facit injuriam Judici habenti potestatem ac jus eam præcipiendi. Sed nihilominùs oppositum quoque, nempe non teneri ad restitutionem, probabile est. Ita post Molinam, & alios apud Lessium Bonac. n. 13. Mezger loco cit. Ratio est: quia nondum acceptato officio testis non videtur peccare contra justitiam declinando actum testificationis, sed tantùm contra obedientiam non parendò præcepto Superioris per citationem intimato. Confirmatur. Qui recusat in se suscipere curam pupilli, quam ipsi præcepto suo conatur imponere Magistratus, non dicitur injustus, sed inobediens & contumax: ergo similiter in casu nostro, qui citatus ad dicendum testimonium non comparet, non dicendus est injustus, sive peccare contra justitiam, quamvis dici mereatur inobediens & contumax adversùs præceptum legitimè intimatum Judicis. Ex quibus patet ad rationem sententiæ oppositæ. Patet insuper, testem neque ad respondendum Judici, dum ab eo interrogatur, neque ad jurandum, se dicturum esse veritatem, obligari ex justitia. Ratio est: quia Judex ipsi non imponit, nec potest imponere obligationem justitiæ, sed solius obedientiæ. vid. Less. n. 59. Bonac. n. 14.

§. III.

De Reo, & Advocato.

SUMMARIUM.

47. *Reus non tenetur fateri veritatem, antequàm ipsi certò constet, se juridicè interrogari.* 48. *Tenetur autem, ubi constat.* 49. *An Reo, ejusve Advocato ad labefactandam fidem testis liceat detegere occultum ejus crimen?* 50. *An Reo liceat fugere è carcere, ne subire cogatur pœnam mortis, aut mutilationis, ad quam est condemnatus?* 51. *Item, an ob hunc finem licitè perfringat vincula, aut car-*

cerem? 52. An alii Reo licitè consulant fugam, & suppeditent instrumenta ad effringendum carcerem? 53. Reus non peccat, quando custodes donis sibi reddit benevolos, ut sic occasionem elabendi nanciscatur. 54. Quinam possint esse Advocati? 55. Ad quæ Advocatus teneatur ex Justitia? 56. 57. 58. De qualitatibus, & obligationibus Procuratoris, Assessoris, Notarii.

47 DE Reo quæstio est primo, an à Judice interrogatus teneatur fateri veritatem? Respondeo primo, non teneri, antequàm certus sit, se juridicè interrogari. quod idem sentiendum de teste. Ita Lessius lib. 2. de Just. cap. 31. dubit. 3. n. 10. Filliuc. tract. 40. cap. 9. n. 264. Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 5. n. 4. Reding tom. 13. q. 15. a. 2. controv. 2. n. 2. contra Sylvestrum, Paludanum, Bonac. & alios. Ratio est: tum, quia nemo tenetur obedire Superiori cum evidenti periculo gravis incommodi sui, vel alieni, nisi constet, ipsum legitimè præcipere, & esse præditum auctoritate obligandi: atqui reo neutrum constat in casu nostro; ergo. tum, quia reus est in possessione & honoris & aliorum bonorum, quibûs, si crimen fateatur, se videt privatum iri. in dubio autem melior est conditio possidentis, & reo potiùs favendum. Imò, inquies, in dubio potiùs præsumendum est in favorem Superioris. Respondetur, hoc quidem verum esse ut plurimùm; sed non in præsenti speciali casu, ubi præceptum est gravissimum. de hujus enim justitia sicut rationabiliter dubitare supponitur subditus, ita obligationem prudenter non agnoscit, sed nititur titulô possessionis.

48 Respondeo secundo, si Judex juridicè interroget, idque reo constet, teneri eundem fateri veritatem, etiamsi videat, se capite plectendum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 69. a. 1. & communiter DD. Cæterùm tunc Judex interrogat juridicè, quando id facit servato ordine juris: cùm nempe vel præcessit infamia, vel adsunt indicia expressa; vel habetur probatio semiplena. de quibus vid. Less. num. 8. & 9. Ut autem constet reo, se juridicè interrogari posse, debet illi Judex exponere statum causæ aperiendô indicia, testes, & modos, quibus probetur delictum. Less. n. 10. Filliuc. loco cit. Nunc ratio responsionis est: quia justum Superioris præceptum obligat in conscientia: sed præceptum Judicis præcipientis reo in casu nostro confessionem veritatis est justum; ergo obligat reum in conscientia. Confirmatur primo. Judici competit jus præcipiendi reo confessionem veritatis: ergo reus habet obligationem confitendi veritatem. Patet conseq. nam cui bōno alioquin in Judice illa potestas præcipiendi? Confirmatur secundo, quia si Rei etiam juridicè interrogati possent negandô, vel amphibologicè respondendo sibi consulere, pleraque judicia eluderentur: cùm nullus reus criminaliter condemnari possit, nisi vel crimen confessus, vel de eo per apertissima documenta fuerit convictus. Sed conseq. est haud dubiè inconveniens; ergo &c. De probabilitate sententiæ contrariæ vide, quæ suprà diximus disp. 3. a. 2. num. 46.

49 Quæstio est secundo, an reo, ejusque Advocato licitum sit ad labefactandam fidem testis detegere occultum crimen illius? Respondeo, posse detegere salvâ justitiâ. Ita Less. cap. 31. dubit. 1. n. 1. Filliuc. n. 259. Bonac. disp. 10. q. 3. pu. 2. n. 10. & alii communiter. Ratio est: quia cuique juxta naturæ licitum est se defendere cum justo moderamine eodem genere armorum, quo invaditur. Si ergo testis de falso crimine testificetur, vel de vero, sed occulto, videatque reus, vel Advocatus, occultum hominis crimen detegere ad labefactandam ejus fidem esse utile & necessarium, poterit detegere citra injustitiam. Confirmatur. Jus famæ, quod quisque habet, est solùm conditionatum, & sæpe ob rationes etiam leviores, quàm est depulsio impacti criminis in judicio, cessat ejus obligatio, ut suo loco videbimus: ergo reus, non obstante jure, quod habet testis in suam famam, potest pro necessaria sua defensione occultum ejus crimen coram Judice manifestare. Cæterùm crimina tunc utiliter manifestabilia essent, perjurium, mendacium, crimen falsi, & illa omnia, ob quæ aliquis redditur infamis, vel incurrit excommunicationem, à qua nondum est absolutus. Less. loco cit. Dixi autem, *salvâ justitiâ*. Peccaret enim contra charitatem reus tunc primo, si testis non sponte, sed coactus à Judice testimonium diceret, & crimen, quod ipsi objiceretur, esset valde grave; causa verò Rei objicientis non magni momenti. Secundo, si alia ratione minùs noxia testem posset repellere; ut, objiciendo minorem ætatem; inimicitiam erga se; consanguinitatem, vel affinitatem cum Accusatore, vel Actore. Quòdsi nihil istorum pro teste, vel contra testem Reo supperat, neque contra charitatem peccabit occultum ejus crimen detegendo. vid. Less. n. 2. Filliuc. n. 260. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 33.

50 Quæstio est tertio, an reo licitum sit fugere è carcere, ne subire cogatur pœnam mortis, aut mutilationis, ad quam est condemnatus? Respondeo, esse licitum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2. Sayr. lib. 12.

Clavis

Clavis reg. cap. 18. n. 11. Less. cap. cit. dubit. 5. n. 33. & alii communiter. Intelligenda est autem responsio, nisi fortè juraverit inclusus, se non fugiturum. Ratio verò est: tum, quia, sicut Respublica non potest reo prohibere conservationem vitæ, quamdiu illam potest conservare: cùm sit juris naturalis, ita nec potest prohibere media ordinata ad conservationem ejusdem: atqui inter ea media vel maximè est fuga ex carcere. tum, quia nemo conjicitur in carcerem, ut in illo sponte maneat, sed ut ibi detineatur: & hinc apponuntur custodes, à quibus detineatur. adeoque signum est, reum retinere jus fugiendi, si potest. Atque hinc

51 Infertur primo, reo, cui licitum est fugere, etiam esse licitum vincula & carcerem perfringere. Ratio est: quia ruptio vinculorum, & effractio carceris sunt media ad fugam: ergo, cui hæc est licita, etiam illæ sunt licitæ. vid. Sayr. n. 20. Less. n. 36. Bonac. ubi suprà n. 16. Neque putes, hoc esse vim inferre potestati publicæ: nam ista non est in vinculis, & lapidibus, inquit Less. sed in Judice, & ministris, quibus nulla vis infertur per ruptionem vinculorum, & effractionem carceris.

52 Infertur secundo, alios reo non tantùm posse consulere fugam, sed etiam præbere instrumenta, quibus rumpat vincula, carceremque effringat; non tamen posse eundem juvare interiùs, vel exteriùs effringendo carcerem & rumpendo vincula. Ratio primi est: quia ejus, quod tibi licitum est facere, possum tibi esse suasor & author, ut facias, nisi ratione officii prohibear: quod addo, ut excipiam ministros justitiæ, qui ex officio tenentur curare, ne reus elabatur; adeoque contra justitiam peccarent eidem suadendo fugam. Ratio secundi est: quia, si licitum est consulere finem, cur prohibitum sit subministrare media necessaria ad illum consequendum? Aliud rursus est de ministris justitiæ ob rationem antè dictam. Ratio tertii est: quia solus reus propter maximum incommodum, quod ipsi impendet, jus habet id faciendi. Accedit, quòd alioquin reis passim aperiretur via ad fugam, & vix aliquid esset tam firmum, ut satis tutò custodiri possent: quod cederet in maximum Reipublicæ detrimentum. vid. Sayr. n. 24. Less. dubit. 6. Filliuc. ubi suprà à n. 275.

53 Infertur tertio, reum non peccare, si pecuniis, aut aliis muneribus custodes sibi reddat benevolos, ut inde occasionem elabendi nanciscatur. Ratio est: quia supposito semel ex dictis jure ad fugam, reus etiam habet jus utendi mediis ad illam idoneis, quæ cum alterius peccato non sunt conjuncta. Atqui inter ejusmodi media est benevolentia custodis muneribus conciliata; ergo. Neque refert, fugam reò per hanc talem occasionem elapsò custodi fore damnosam: respondetur enim, id esse per accidens. nam reum uti jure suo, nec obligari ad cavenda damna alteri evenientia ex actione, vel omissione, ad quam eundem non induxit directè. vid. Filliuc. n. 273. Bonac. n. 21.

54 Quæstio est quarto de Advocato, quinam possint esse Advocati? Respondeo, posse omnes, quibus id jura non prohibent. Prohibent autem primo naturaliter impotentibus, cujusmodi sunt infantes, amentes, &c. Secundo, Monachis, nisi fortè jubeantur à suo Prælato causam agere sui Monasterii & Religionis. *cap. ex parte tua. de Postul.* Tertio, Clericis in foro, negotiisque sæcularibus. ubi tamen permittuntur sui suarumque Ecclesiarum, & miserabilium personarum patrocinium suscipere. *cap. Clerici. eodem.* Quarto, infamibus, infidelibus, criminosis. Advertit tamen D. Thomas 2. 2. q. 71. a. 2. urgente necessitate, quæ etiam legibus superior est, talibus quoque hominibus munus advocandi posse committi.

55 Quæstio est quinto, ad quid Advocatus teneatur ex justitia? Dico, *ex justitia.* nam de obligatione ex misericordia meminimus suprà disp. 1. a. 5. n. 17. Nunc respondeo, obligari primo ad abstinendum à falsis probationibus & allegationibus, per quas adversæ parti injustum nocumentum conscisitur, justitiaque pervertitur. Secundo, ne longis, & clienti noxiis atque perniciosis dilationibus & ambagibus litem protrahat. Tertiò, ne causam injustam suscipiat defendendam, vel pergat defendere, si in processu deprehenderit esse injustam. quam portò in probabilibus sequi sententiam possit, vel debeat Advocatus, sicut & Judex, suprà tract. 1. disp. 4. a. 3. §. 4. statuimus. Quarto obligatur, ne parti adversæ in præjudicium clientis debilem statum suæ causæ, ejusve injustitiam manifestet. In omnibus his casibus, quando vel clienti, vel adversario, vel utrique injustè nocuit Advocatus, tenetur ad restitutionem. ad quam similiter tenetur, quando ex culpabili negligentia, vel imperitia ipsius cliens causâ excidit. vid. Mezger tomo 3. tract. 13. disp. 47. a. 4. n. 11. & 12.

56 Quæstio est sexto de Procuratore, quænam in illo requirantur? Ante responsionem advertendum est, Procuratorem judicialem, de quo hîc loquimur, latiori sensu dici Advocatum. unde, quæ n. præced. Advocato diximus incumbere, in Procuratore quoque locum habent, servata proportione. quibus tamen aliqua addendo Advocatis itidem servanda; respondeo, in Procuratore requiri primò, ut petat justos terminos in causa, respondeatque

datque præfixo termino, & appellet si appellandum, debito tempore. Secundo, ut causas priùs susceptas priùs procuret, nec plures suscipiat, quàm intra debitum tempus possit absolvere. Tertio, ut partes non inducat ad iniquam transactionem, seu compositionem. Quarto, ut non exigat salarium immoderatum, vel munera accipiat jure non concessa & permissa. vid. Sayr. cap. 24. Filliuc. ubi suprà cap. 10. à n. 294.

57 Quæstio est septimo de munere Assessoris. Respondeo, Assessores esse consiliarios Judicis, eique adesse in causarum cognitione suis consiliis, ac haberi pro quadam portione Judicum. Porrò officium eorum consistere tum in cognitionibus causarum, tum in postulationibus, examinando nempe, an istæ, dum fiunt apud Magistratum, sint juri conformes: tum in revidendis libellis, an rite sint formati? tum in adjuvando Magistratum in edictis, decretis, epistolis concinnandis. vid. Reding tomo 13. q. 16. a. 1. controv. 1. n. 8. ubi etiam ostendit jure civili prohibitum esse, ne Assessor in eadem causa sit simul Advocatus, neve penes duos Magistratus simul fungatur tali munere.

58 Quæstio est octavo, quodnam sit munus Notarii? Respondeo, munus Notarii, qui etiam Actuarius, Tabellio, sive Tabellarius aliquando vocatur, describi in *Cap. 11. de probat.* nempe, ut diligenter describat universa Judicii acta, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, & quæcunque alia occurrentia, idque faciat competente ordine, annotatis loco, temporibus, ac personis. Graviter autem peccat Notarius primo, si originalia instrumentorum sibi concreditorum tradat partibus, ubi subest periculum falsificandi, vel amittendi instrumenti, alteriusve damni incurrendi. Card. de Lugo, & Haunoldus, quos refert & sequitur Reding a. cit. controv. 7. n. 6. Ratio est: quia graviter violat juramentum à se præstitum. Cæterùm extra memoratum periculum excusabitur à peccato mortali. Similiter mortalis peccati Notarium damnant iidem Authores, si protocolla initiò summariè, brevique annotatione scripta extendere differat per longum tempus. Ratio potissimùm est: quia periculum oriri potest graviorum defectuum ex protocollo aliquando supplendorum. Et hactenùs de Præceptis Decalogi.

TRACTATUS VI.

De Præceptis Ecclesiæ.

Præcepta Ecclesiæ sunt quidem plurima: communiter tamen toti populo Christiano quinque servanda proponuntur sub peccato mortali obligantia. Primum est, statutos ab Ecclesia dies festos celebrare. Secundum, Missam diebus Dominicis & festis reverenter audire. Tertium, indicta ab Ecclesia certis diebus jejunia, & à quibus cibis abstinentiam observare. Quartum, peccata Sacerdoti proprio, aut alicui approbato singulis annis confiteri. Quintum, Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa festum Paschæ sumere. Addunt aliqui sextum de Nuptiis tempore prohibito non celebrandis, aut de Decimis solvendis. Primum & secundum ex his præceptis jam explicuimus in tertio præcepto Decalogi. De quarto, & quinto disputabitur in tract. de Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Illud de Nuptiis commodiùs declarabitur in tract. de Matrim. Superest igitur solùm, ut hîc agamus de tertio, & non obliviscamur Decimarum. Quare sit

DISPUTATIO I.

De Observatione Jejuniorum.

MAteriam hujus Disputationis ad quatuor capita revocandam duximus. Primum erit de iis, quæ ad legitimam Jejunii observationem requiruntur. Secundum de obligatione jejunandi. Tertium de causis excusantibus à Jejunio. Quartum de Sobrietate, eique opposita Ebrietate.

ARTI-

ARTICULUS I.

De requiſitis ad Eccleſiaſticum Jejunium.

SUMMARIUM.

1. *Quadruplex acceptio Jejunii.* 2. *Ad Jejunium Eccleſiaſticum requiritur abſtinentia à carnibus, & à duplici refectione, & certum tempus refectionis.* 3. *Quænam hic veniant nomine carnium?* 4. *An præter carnes adhuc alii cibi ſint prohibiti diebus Jejuniorum?* 5. *Quid de lardo porcino, pinguedine anſerum, &c.* 6. *Quomodo intelligenda ſit abſtinentia plurium refectionum?* 7. 8. 9. 10. *Illationes practicæ.* 11. *Qui per binam refectionem jam violavit Jejunium, non tenetur abſtinere à tertia.* 12. *Qui mane ſufficienter jentavit die Jejunii, etiam per inadvertentiam, tenetur abſtinere ab alia refectione.* 13. *An ſorbitio Cocholatæ frangat Jejunium?* 14. *Licita eſt in diebus Jejuniorum collatio veſpertina.* 15. 16. 17. *Determinatur quantitas & qualitas cibi in ea licitè ſumenda.* 18. *An liceat aliquando collationem capere circa meridiem, refectionemque differre in veſperum?* 19. *Hora determinata refectionis die Jeiunii eſt undecima.* 20. *Qualiter peccet, qui tunc refectionem notabiliter anticipat?* 21. *Quid de eo, qui anticipat non notabiliter?*

1 NOmen *Jejunium* aliqui provenisse volunt à *jejuno*, quod est intestinum quoddam hominis subtile, & semper vacuum. Nam & id, quod dicitur Jejunium, hominem extenuat, redditque subtilem, & cibo vacuum. Quidquid sit de hac etymologia, Jejunium juxta omnes abstinentiam quandam importat, & quatuor modis potissimùm accipitur. Primo per metaphoram significat abstinentiam à vitiis, & fugam peccatorum. Quo sensu S. Augustinus tract. 17. in Joan. dixit: *Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi.* Secundo significat abstinentiam ab omni tam cibo quàm potu in stomachum transmisso, quod dicitur Jejunium naturale, cujusmodi à tempore mediæ noctis ad dignam sumptionem Sacræ Eucharistiæ suo loco requiremus. Tertio significat parsimoniam & rempetantiam in cibo & potu, quæ vocatur Jejunium virtutis, seu morale, in eo situm, ut non plus cibi & potus adhibeatur, quàm adhibendum esse dictat recta ratio juxta regulas prudentiæ. Contraria hujus Jejunii sunt peccata gulæ, ebrietatis &c. Quarto significat abstinentiam ab omni cibo quàm 2 gia, Jejunium juxta omnes abstinentiam quandam importat, & quatuor modis potissimùm accipitur. Primo per metaphoram significat abstinentiam à vitiis, & fugam peccatorum. Quo sensu S. Augustinus tract. 17. in Joan. dixit: *Jejunium magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi.* Secundo significat abstinentiam ab omni tam cibo quàm potu in stomachum transmisso, quod dicitur Jejunium naturale, cujusmodi à tempore mediæ noctis ad dignam sumptionem Sacræ Eucharistiæ suo loco requiremus. Tertio significat parsimoniam & rempetantiam in cibo & potu, quæ vocatur Jejunium virtutis, seu morale, in eo situm, ut non plus cibi & potus adhibeatur, quàm adhibendum esse dictat recta ratio juxta regulas prudentiæ. Contraria hujus Jejunii sunt peccata gulæ, ebrietatis &c. Quarto

prohibita ova & lacticinia. Constat ex cap. *Denique. dist.* 4. ubi S. Gregorius Magnus inquit: *Par est, ut nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis, jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis.* Non me præterit, aliquos contendere, illa verba, *Par est*, non continere præceptum, saltem grave, & sub mortali, sed standum est communiori aliorum interpretatione hinc præceptum graviter obligans colligentium. Aliunde tamen de veritate responsionis nostræ dubitare nunc nefas est: cùm Alexander VII. damnaverit hanc propositionem: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

Dixi: *tempore Quadragesimæ.* Quia in jejuniis extra hoc tempus ova & lacticinia comedere non est prohibitum jure communi, ut habet communis sententia: cùm in cit. cap. *Denique* solum sit sermo de Quadragesima; adeoque illa prohibitio non debeat extendi ad jejunia extra Quadragesimam. Verba quoque *cap. Rogationes. de Consecrat. dist.* 3. ubi dicitur, in his jejuniis *utendum cibis Quadragesimalibus*, communissimè intelliguntur de abstinentia à carnibus. Vid. Viva Parte 1. damnat. Thes. in 1. p. 32. n. 10. Consuetudo porrò abstinendi in illis Jejuniis ab ovis & lacticiniis, si qua viguit, in variis locis jam abolita est per contrariam consuetudinem. Dixi præterea: *in regionibus non exemptis.* Nam in Provinciis superioribus nostræ Germaniæ ob penuriam ciborum Quadragesimalium, olei præsertim, ac piscium, obtinet consuetudo comedendi ova & lacticinia, etiam in Quadragesima. Laym. lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 3. Sporer in Append. ad 3. præc. Decal. sect. 1. n. 10. Sed jam

5 Quæritur tertio, an, quibus licitum est diebus Jejuniorum comedere ova & lacticinia, licitus sit usus lardi porcini, pinguedinis anserum, aliorumque animalium quorumcunque? Respondent affirmativè Sylvester, Fagundez, & alii graves DD. cum Glossa in *cap. Presbyter. dist.* 82. & in *cap. Admonere.* 33. *q.* 2. ubi dicitur, sagimen etiam permitti, quando ova permittuntur. Imò Sylvester V. Jejunium. q. 5. n. 16. hanc regulam tradit: *Cui conceditur usus ovorum, easei &c. intelligitur etiam concessus usus saginimis, seu lardi.* Rationem quoque reddunt: tum, quia, teste etiam Aristotele, ejusmodi pinguedo non est caro, licèt originem trahat ex carne, sicut lacticinia & ova. Tum, quia vesci tunc licet butyro, quod est quid longè melius; item lacte, quod est substantialiter sanguis: ergo etiam licebit vesci lardo porcino, aliáve pinguedine animalium longè deteriore. Verùm Authores, qui scripserunt in his locis, ubi permissus est usus ovorum, & lacticiniorum, ut Laym. Sporer, Illsung, & alii, non concedunt huic sententiæ practicam probabilitatem, idque meritò: tum, quia consuetudo, quæ licitum fecit usum lacticiniorum, éstque hîc pro lege tenenda, non permittit usum lardi, & sagiminis in diebus Jejuniorum. Tum propter ingens periculum, ne ejusmodi licentia extendatur ad farcimina quoque, jusculum ex carnibus &c. quod cederet in grave scandalum & detrimentum Jejunii Ecclesiastici. Itaque regulam illam Sylvestri non acceptamus. In locis ex Jure Canonico citt. nomine sagiminis, ut cum Castropalao & aliis advertit Reding, intelligendum est butyrum, ceu sagimen ex lacte expressum & confectum. Quæ ex ratione adducta sunt, plus non evincunt, quàm probabilitatem speculativam relatæ sententiæ. Vid. Laym. n. 5. Sporer loco cit. Reding tomo 13. q. 4. a. 4. controv. 1. n. 11. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 38. quibus etiam locis iidem Authores, non obstantibus, quæ dicta sunt, concedunt illam sententiam Superioribus & Confessariis utilem esse posse: tum, ut pauperibus faciliùs concedant eam licentiam utendi lardo & similibus, præsertim si tantùm utantur pro condimentis ciborum. Tum, ut etiam divites hoc genere condimenti utentes non facilè damnent peccati mortalis: cùm consuetudo eodem abstinendi non videatur recepta sub obligatione tam gtavi. Tum, ut ancillis, coquis, aliisque famulis & servis facilè possint permittere, ut & coquant in lardo porcino, aliáve pinguedine animalium, cùm ab heris jubentur, & sic cocta comedant, cùm apponuntur.

6 Circa secundum requisitum, quod est abstinentia plurium refectionum, notandum est primo, id ita intelligendum esse, ut intra spatium diei naturalis non nisi semel quis corpus reficiat cibo, sive cibum sumat corporis alendi gratiâ. Notandum est secundo, refectionem hanc semel licitè sumendam, adeoque unicam, hoc ipso debere esse continuam (haud sanè physicè, sed moraliter) quòd sit unica: quia interruptio, sive discontinuatio tollit unitatem, & invehit pluralitatem. Notandum est tertio, in hac eadem unica refectione licitum esse plus aliquantum cibi sumere, quàm quis ordinariè solet sumere, dummodo sistatur intra limites temperantiæ. Ratio est: quia Ecclesia nullibi præscribit certam quantitatem cibi in dicta refectione sumendi. Unde hæc quantitas determinanda relinquitur dictamini legis naturalis, ac juri, quod quisque ex illa habet

bet ad comedendum, quòque licitè utitur. Quòd si dictos limites excedas seu edendo, seu bibendo, peccas quidem contra legem naturæ, non tamen contra præceptum Ecclesiæ. Atque ex his

7 Infertur primo, Illum non frangere Jejunium, qui subiti negotii causâ ante justam refectionem à mensa surgit; animô redeundi ad eam perficiendam, actúque redit, & comestionem resumit. Less. de Just. lib. 4. cap. 2. dubit. 2. n. 11. Bonac. de præc. Eccl. disp. ult. q. 1. pu. 3. n. 10. Laym. n. 6. Sporer n. 13. Ratio est: quia propter memoratam intentionem continuandi refectio adhuc censetur moraliter una, præsertim, quando intercessit modicum tempus, v. g. unius horæ. Hinc aliud existimandum de eo, qui à refectione surrexit sine animo redeundi ad continuandum. Talis quippe illicitè comestionem resumit, saltem, si interceſſit notabile tempus, v. g. duarum horarum. Ratio est: quia tunc refectio nec physicè, nec moraliter est amplius unica. Quod si mora, quæ interceſſit, esset modica, & mensa adhuc duraret, licitè mutatô animô ad eam redires, confecto negotio, & ulteriùs comederes. Ita Less. & Bonac: quæ sententia est probabilis. Ratio illius est: quia brevis ejusmodi interruptio non tollit moralem unitatem refectionis.

8 Infertur secundo, lectores, vel servitores mensæ in monasteriis licitè sumere aliquid cibi in diebus Jejuniorum, antequam inchoent suum ministerium. Less. loco citt: Sanchez lib. 5. consil. moral. cap. 1. dubit. 24. quod idem conceditur etiam in nostra S. Regula, cap. 38. Ratio est: tum, quia id faciunt, ne vires notabiliter debilitentur legendo, aut inserviendo. Tum, quia prævia talis comestio censetur inchoatio justæ refectionis, finita lectione, vel servitio complendæ, illáque interpositio temporis fit ob justam causam.

9 Infertur tertio, bibendo extrà tempus refectionis non frangi Jejunium Ecclesiasticum, sive bibatur vinum, sive cerevisia: Ita omnes communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 147. a. 6. ad 2. Ratio est: tum, quia Ecclesia ad istud Jejunium requirit solam abstinentiam à duplici refectione, non autem simul abstinentiam à duplici, vel crebriore potatione per diem: quemadmodum communis jam usus & consuetudo interpretatur. Tum, quia potus, ut ait D. Thomas loco cit. potiùs ordinatur ad digestionem ciborum, adde & sanguinis refrigerium, quàm ad corporis nutritionem. Unde nihil refert, quòd vinum, cerevisia, aliique potus aliqualiter nutriant, vel famem mitigent, vel etiam sumantur famem sedandi causâ. Nam Ecclesia illa tantùm prohibet, quæ per se ordinantur ad nutritionem corporis: quod de vino & cerevisia affirmari non potest: cùm non ad famem, sed ad sitim extinguendam, digestionémque ciborum efficiendam per se referantur, nutriántque, & famem pellant per accidens tantùm. Hinc aliud dicendum de lacte, melle, pulte amygdalina, jusculo, & similibus, quæ principaliter ad nutriendum ordinantur. Hæc enim, dum extra refectionem sorbentur, Jejunium certò violant. Laym. n. 7. Sporer n. 15.

10 Infertur quarto, electuaria, sive confecta, dum extra tempus refectionis sumuntur, non violare Jejunium. D. Thomas à. cit. ad 3. Sanchez ubi suprà, n. 5. Laym. loco cit. Reding. to. 13. q. 4. a. 4 controv. 1. n. 14. Ratio est: quia principaliter sumuntur non ut cibus, sed ut medicinæ, & ad juvandam digestionem ciborum. Excipe tamen cum D. Thoma, nisi in magna quantitate, atque adeo in fraudem Jejunii, sumantur. Ex eadem ratione licitum est extra tempus refectionis bibenti paululum panis comedere, ne haustus noceat. Laym. loco cit. Imò communis est DD. regula, inquit Reding, quidquid per modum medicamenti sumitur, non frangere Jejunium. Quod tamen rursus intellige, nisi in magna quantitate in fraudem Jejunii sumatur. Sed jam

11 Quæritur primo, an ille, qui per brevem, eámque justam refectionem jam violavit Jejunium, teneatur nihilominùs abstinere à tertia, & quarta? &c. Respondeo, non teneri. Ita communis sententia. Ratio est: quia sumpta secunda refectione impossibile est amplius servare Jejunium: ergo abstinentia à tertia & quarta &c. non cadit sub præceptum Jejunii. Conseq. constat: quia præceptum Jejunii Ecclesiastici debet esse de illis, per quæ potest impleri. Ant. inde prob. quia substantia Jejunii importat abstinentiam à secunda refectione, adeoque hac sumpta jam destructa est forma & substantia Jejunii, idquè eò die ulteriùs servandi possibilitas. Vid. Laym. n. 13. Reding. n. 19. Cassian. à S. Elia, V. *Jejunium* 2. n. 10. Debet autem nostra responsio intelligi etiam in casu, quo quis ignoranter, eò quòd nesciebat, aut non recordabatur esse diem Jejunii, alteram refectionem sumpsit. Quia & tunc re ipsa, & materialiter violatum est Jejunium, ut deinceps servari nequeat, prout ab Ecclesia fuit institutum. Laym. loco cit. Bonac. ubi suprà, n. 8.

12 Quæritur secundo, an, qui mane sumpsit sufficiens jentaculum ex ignorantia, vel inadvertentia Jejunii, teneatur, discussâ ignorantiâ abstinere ab alia refectione intra eũ diẽ? Respondent aliqui apud Bonac. loc. cit. non teneri, sed posse perinde se gerere, acsi nihil comedisset,

adeoq; horâ consuetâ cum aliis ad refectionẽ accedere. Rationem reddunt, quod jentaculum illud, utpote ex ignorantia præcepti sumptum, non sit trahendum in considerationem. Verùm hæc ratio eodem jure respuitur, quo redditur. Deinde talis jam supponitur semel satis comedisse, & absolutè potest servare Jejunium quoad unicam refectionem: ergo etiam tenetur servare, & consequenter tenetur intermittere refectionem meridianam, & esse contentus collatione vespertina, si velit eam sumere. Ita Less. de Just. lib. 4. cap. 2. dubit. 3. n. 19. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 2. n. 24. Laym. n. 14. Bonac. loco cit. Reding n. 20.

13 Quæritur tertio, an sorbitio Cocholatæ frangat Jejunium? Respondent plurimi affirmative, nisi sumatur in modica quantitate, vel per modum medicamenti. Et videtur hæc sententia intrinsecè probabilior, de qua vid. Tambur. lib. in Decal. cap. 5. §. 2. à n. 9. Cassian. à S. Elia. V. *Jejunium I.* cap. 2. à n. 24. Ratio est: quia potio ex Cocholata confecta, omnibus rectè pensatis, non est verè potus, sed potius verè cibus substantialissimus, maximéque nutritivus, cujus proinde usus fini Ecclesiæ, qui est castigatio & maceratio corporis, plurimùm adversatur. Dixi, *nisi sumatur &c.* tum propter dicta ad finem n. 10. tum, quia etiam in Jejunio locum habet parvitas materiæ. Et quidem Diana apud Cassianum cit. ait, eum, qui sumeret duas uncias Cocholatæ non fracturum Jejunium. Escobar pro materia parva apud eundem admittit unam unciam: Tamburinus verò ne mediam quidem unciam admittit. Cæterùm, quæ modò diximus, non efficiunt, ut altera sententia docentium, Cocholatam non frangere Jejunium, amittat suam probabilitatem, sitque non secura in praxi: quod etiam fatetur Tambur. n. 13. Ratio est: tum quia constat, hoc genus potionis in diebus Jejuniorum sumi sine scrupulo à viris piis, religiosis, ac doctis. Tum, quia plures DD. testantur, ut refert Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 39. tres Pontifices, nempe Gregorium XIII. Pium V. & Paulum V. respondisse, Cocholatam non violare Jejunium.

14 Dico jam secundo. Licita est in diebus Jejuniorum collatio, sive refectiuncula vespertina, non solùm ob necessitatem, & per modum medicinæ, ne potus noceat, somnusve impediatur, sed etiam corporis nutriendi causâ. Ita communiter DD. Ratio alia afferri non potest, quàm consuetudo jam pridem præscripta, & ubique recepta. Et quamvis verosimile sit, istam refectiunculam initiô fuisse introductam propter necessitatem indicatam, consuetudo tamen id quoque obtinuit, ut sumi possit absque illa necessitate. Sed quæstio est modo de quantitate & qualitate cibi tunc adhibendi. Item, an liceat aliquando eandem refectiunculam commutare cum refectione meridiana? Et quoad primum quidem omnes conveniunt, modicum esse sumendum, sed qua ratione istud modicum determinandum sit, non ita videtur expeditum. Ego, salvô prudentiorum judiciô,

Respondeo, quantitatem cibi in collatione vespertina sumendam licitè esse quar- 15
tam partem cœnæ ordinariæ, quàm quis spectatis circumstantiis suæ personæ, ætatis, conditionis, occupationis, regionis, in qua degit, sumere solet, Ita Laym. ubi supra n. 9. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 2. n. 33. Tambur. cap. cit. §. 3. n. 1. Sporer in Append. ad 3. præc. Decal. sect. 2. n. 26. ubi ait, hanc esse receptam opinionem DD. in Germania. Ratio verò hæc est: quia hæc quantitas meritò censetur modica; ergo licitè sumitur in collatione. Conseq. patet. Ant. prob. exemplis aliorum præceptorum, v. g. de auditione Missæ, recitatione horarum, & similibus, ubi quarta pars censetur esse modica, & non notabilis. Confirmat Filliuc. ex consultatione Theologorum habita in celebri Academia, ubi omnes consenserunt, ejusmodi quartam partem esse modicam. In hac igitur nostra, tutáque sententia, si in cœna ordinariè soleas comedere libram v. g. in collatione licitè sumis quadrantem libræ, ita ut tum denique censearis frangere Jejunium, quando id, quod sumis, notabiliter excedit, quadrantem libræ, ut, si sumas ultra mediam libram. Excipe, nisi hoc ipsum vel consuetudo, vel alia causa rationabilis excuset à peccato. Ita in Vigilia Nativitatis Domini permittitur collatio duplô major, idque ex recepta consuetudine, & propter Officium nocturnum, cui omnes fideles interesse solent. Reding. ubi suprà n. 18. Sporer n. 28. & alii.

Sed jam ulteriùs de qualitate respondeo, 16
in collatione vespertina abstinendum esse ab omnibus cibis propriè dictis, id est, illis, qui communiter reputantur inter fercula ad sustentationem naturæ ordinata. Tales cibi inter esuriales (de quibus solis nunc sermo) sunt omnes pisces cocti, ova lacticinia, placentæ, & similia multùm nutrientia. Ratio responsionis est; quia consuetudo, quæ refectiunculam vespertinam introduxit, præter quantitatem, etiam qualitatem cibi in ea licitè sumendi introduxit. Est autem communi usu receptum, ut in collatione non apponantur fercula propriè dicta, sed cibi leviores, & quales ferè præmitti solent in justis refectionibus ad excitandam orexim, vel sequi ad sigillandam comestionem, ut loquuntur:

tur: cujusmodi sunt modicum panis, herbæ, ficus, uvæ passæ, nuces, poma, pyra, aliique fructus: item confecta ex saccharo, & melle &c. Laym. loco cit. Sporer n. 30.

17 Verùm in frigidis regionibus nostris plus aliquantùm Authores indulgent, videlicet modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdalinæ. Imò spectata moderna consuetudine, præsertim nostrorum Germanorum, probabile, & tutum est, in collatione non esse attendendum ad qualitatem ciborum, sed ad quantitatem tantùm, ita ut omnes cibos, quibus in diebus Jejuniorum licitè vescimur, dum sumimus refectionem meridianam, licitè quoque adhibeamus in quantitate modica, quando sumimus collationem vespertinam. Unde valet illud, quod dicit Cajetanus *V. Jejunium* cap. 1. in fine: *Non refert, quid quisque in serotino jentaculo sumat, si modum non excedat.* Licebit proinde comedere jusculà cocta ex vino, vel cervisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Item pisces, legumina, ova, placentas &c. sive hæc frigida sint, sive calida. Bonac. de Præcept. Eccl. disp. ult. q. 1. pu. 3. n. 3. Reding n. 16. Sporer à n. 31.

18 Respondeo demum de ultimo, licitum esse, si adsit justa causa, collatiúnculam capere circa meridiem, refectione dilata in vesperam. Ita communis. Ratio est: quia, licèt consuetudo collationem introducens eam distulerit in vesperam, id tamen intelligendum est, si non intercedat rationabilis causa commutandi. Dixi: *si adsit justa causa.* Qualis esse potest debilatas complexionis, periculum insomniæ, iter, aut negotium commodiùs peragendum &c. Secùs ejusmodi commutatio erit illicita, saltem venialiter, ut habet communis sententia, quam tenent Filliuc. tract. 27. pu. 2. cap. 2. n. 28. Laym. n. 10. Sanchez lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dubit. 27. Bonac. num. 6. Ratio est: quia sic non observatur aliqua circumstantia Jejunii per consuetudinem introducta, quod adversatur uniformitati illius hodie viginti in Ecclesia.

19 Circa tertium requisitum ad Jejunium omnes nunc D D. consentiunt, horam determinatam refectionis hoc tempore esse sextam, sive meridiem, quæ apud nos est undecima. Requiritur autem determinatè ista hora ad Jejunium non positivè, quasi necesse sit tunc cibum capere; cùm possimus toto die abstinere, si velimus: sed negativè, hoc est, ne notabiliter ante illam comedamus. Less. lib. 4. de Just. cap. 2. dubit. 2. n. 12. Filliuc. cap. 4. n. 67. Neque tamen determinata refectionis hora est de essentia Jejunii Ecclesiastici, sicut esse abstinentiam à carnibus, & unicam refectionem ex art. proximè seq. constabit; sed est solum accidentalis quædam conditio. Patet hoc. Nam Jejunium Ecclesiasticum hactenùs semper fuit idem quoad substantiam: cùm tamen tempus refectionis non semper fuerit idem. Constat enim, olim horam nonam diei, hoc est, tertiam post meridiem, fuisse tempus ordinarium refectionis: quod adhuc ævo D. Thomæ observabatur, ut ex 2. 2. q. 147, a. 7. manifestum est. In Quadragesima verò diutiùs abstinendum erat, videlicet usque ad vesperam, ut pluribus ostendit Laym. n. 8. & colligitur ex Sacra Regula, cap. 41. Deinde, siquis eam horam notabiliter præveniret comedendò, non frangeret Jejunium, sed teneretur nihilominùs jejunare per reliquum diem: ergo manifestum est, determinationem certæ horæ non esse de essentia Jejunii.

Atque hinc etiam probabilius existimo, eum, qui refectionem in die jejunii notabiliter anticipat sine causa, v. g. qui comedit tribus horis ante meridiem ex sola lubentia, solùm peccare venialiter. Less. n. 13. Laym. n. 11. Bonac. q. cit. pu. 4. n. 3. Reding n. 24. Sporer n. 23. Ratio est: quia hujusmodi anticipatione non violatur Jejunium quoad substantiam, sed solùm quoad conditionem accidentalem, ac modum secundariò præceptum, saltem hoc tempore, & spectata hodierna consuetudine Ecclesiæ. Neque refert, quod memoratata anticipatio minuere videatur difficultatem jejunandi, & notabiliter impedire mortificationem intentam in lege Jejunii: licèt enim minuat difficultatem, quæ sentitur ante meridiem, id tamen satis compensat augendò difficultatem, quæ sentitur usque ad vesperam, seu collatiúnculam vespertinam; quod proinde non est notabiliter impedire mortificationem. 20 1

Imò illud quoque rectè infertur, prævenire horam refectionis meridianam per tempus non notabile, v. g. quadrantem, vel semihoram, nullum esse peccatum. Ratio est: quia prævenire sine causa legitima, etiam per tempus notabile, non est plus, quàm veniale peccatum: ergo prævenire per tempus non notabile nullum omnino peccatum erit. Vid. Sporer loco cit. Quòdsi adsit legitima causa, etiam prævenire per notabile tempus omni culpa vacabit. Sunt autem legitimæ causæ, Primo, iter inchoandum, v. g. pia peregrinatio, etiam ex sola devotione. Secundo, urgens negotium, quod non patitur dilationem refectionis in meridiem, v. g. concio tunc temporis habenda. Tertio, infirmitas corporis expectare usque in meridiem non valentis. Quarto, hospitalitas, sive urbanitas: ut, si veniat ad te amicus viator, qui causâ itineris prosequendi debet anticipare comestionem. In hoc casu licitè reficeris cum illo, si ita videatur conveniens. Sporer loco cit. 12

ARTICULUS II.

De obligatione jejunandi.

SUMMARIUM.

1. Error hæreticorum circa obligationem jejunandi. 2. Omnes baptizati, & usu rationis præditi, atque completè septennes tenentur diebus præscriptis abstinere à carnibus. 3. Et à duplici refectione, quamprimum ægressi sunt annum ætatis 21. 4. 5. Duplex illatio. 6. Utraque obligatio prius asserta est gravis, & sub mortali. 7. An peccet contra præceptum Jejunii, qui post alteram refectionem sumit tertiam, quartam. 8. 9. 10. Corollaria ex dictis. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Resolvitur quæstio, quomodo peccent, qui sunt in causa, ut alii frangant Jejunium?

1 HÆretici nostrorum temporum docent, fideles nullo jure adstringi ad Jejunia, sed omnia esse libera: imò esse superstitionem veluti ex obligatione jejunare, utpote professionem quandam servitutis legalis, à quâ per Christum liberati sumus. Verùm ista sententia tanquam aperta hæresis jam pridem à Patribus damnata est in Aëro: quam etiam refutat communis sensus fidelium jam inde à temporibus Apostolorum, observata fuisse multa jejunia ut obligatoria agnoscentium, haud sanè ad satisfaciendum alicui præcepto legis veteris, sed ad obediendum præcepto Prælatorum Ecclesiæ. Vid. Lessius lib. 4. de Just. cap. 2. dubit. 5. à n. 25. Quare contempto hoc errore,

2 Dico primo. Ad abstinendum à carnibus tenentur diebus præscriptis omnes per Baptismum Ecclesiæ subjecti, & usu rationis præditi, post septimum ætatis annum completum. Ratio est: quia ita testatur communis consuetudo, quæ optima legum interpres. Vid. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 3. n. 57. Reding tomo 13. q. 4. a. 4. controv. 2. n. 12. Sporer in Append. ad 3. præcept. Decal. sect. 3. n. 35. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 43.

3 Dico secundo. Omnes prædicti obligantur ad Jejunium Ecclesiasticum ita, ut non solùm teneantur abstinere à carnibus, sed etiam à duplici refectione, quamprimùm egressi sunt annum ætatis vigesimum primum. Patet rursus ex communi praxi & consuetudine. Et ratio est: quia expleta hac ætate sunt capaces hujus obligationis. Quamprimùm autem subditus est capax obligationis, illâ urgetur, ut diximus suprà tract. 3. disp. 2. a. 4. n. 14. Ex dictis his

Infertur primo, perpetuò amentibus, 4
& pueris nondum completè septennibus licitè præberi carnes & plures refectiones. Quod tamen intellige per se, & nisi ex parte præbentis oriatur scandalum, aut subsit contemptus præcepti. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 9. Filliuc. loco cit. & Doctores communiter. Ratio est: quia non sunt capaces præcepti Ecclesiastici: ergo licitè vescuntur carnibus, ac sæpius reficiuntur per diem. Et hoc de pueris etiam verum est, tametsi ante septennium quandoque doli capaces esse deprehendantur. Hoc enim per accidens est, & Ecclesia non intendit obligare ante ætatem, in qua communiter usus rationis acquiritur, qualis ætas ordinariè esse solet septennium completum.

Infertur secundo, quando ex lege, vel 5
consuetudine, vel etiam ex voto communitatis introductus est in aliqua diœcesi, vel civitate dies Jejunii, juvenes, qui nondum egressi sunt annum ætatis 21. non obligari ad ejusmodi Jejunium. Filliuc. parte cit. cap. 6. n. 111. Sporer sect. 4. n. 49. Ratio est: quia hujusmodi lex, vel consuetudo, aut votum non habet majorem vim obligandi, quàm præceptum Ecclesiasticum: sed istud non obligat id genus subditos, ut vidimus; ergo &c. Obligari tamen tales possunt aliquando ad illa Jejunia, quæ vel ipsi vovent, vel quæ imponuntur à Confessario, vel quæ observantur in Ordine Religioso, quem profitentur. Filliuc. loco cit. Bonac. de præcept. Eccles. disp. ult. pu. 6. num. 1. Sporer loco cit.

Dico tertio. Utraque obligatio in 6
prioribus Conclusionibus statuta est gravis, & sub peccato mortali ex genero suo. Ita communis. Ratio est: tum, quia leges Ecclesiasticæ semper obligant sub mortali, si contineant materiam gravem, quæ ad bonum spirituale subditorum pertinet; atqui lex præcipiens Jejunium & obligans utraque illa obligatione continet ejusmodi materiam; ergo. Tum, quia alioquin tam salubre præceptum ob suam difficultatem facilè negligeretur ab hominibus, si leviter solùm obligaret. Tum, quia Alexander VII. prohibuit hanc propositionen: *Frangens Jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà qui non vult se subjicere præcepto.* Itaque mortaliter peccat, qui die Jejunii vel in notabili quantitate carnes comedit, vel altera refectione (justa nimirum & sufficiente) reficitur.

Dixi:

Dixi: *in notabili quantitate*. quia & hîc datur parvitas materiæ excusans à peccato mortali. Sed quænam illa parvitas? Aliqui volunt, debere esse quantitatem non majorem illâ, quæ coquo ad gustandum, vel dapifero ad prælibandum sufficit. Bonac. admittit frustillum carnis modicum, v. g. instar nucis communis, ut habet etiam Sporer, qui etjam dicit, non peccaturum mortaliter, qui die Jejunii mediam aviculam, vel quid simile ex nulla justa causâ devoraret. Dixi *altera refectione*, quia in tertia, quarta &c. probabiliùs non peccatur ampliùs contra hoc præceptum Ecclesiæ. Ratio est: quia altera vice jam refectus non ampliùs servare potest Jejunium quoad unicam refectionem: ergo, si adhuc sæpius reficiatur, non peccat contra præceptum Ecclesiasticum. Conseq. constat: qui nemo peccat formaliter contra præceptum, quod servare non potest. Vide, quæ artic. præced. n. 11. diximus.

7 Dices. Toties in die Jejunii quis peccat mortaliter, quoties vescitur carnibus in notabili quantitate, ut diximus: ergo etiam
8 toties quis peccat mortaliter, quoties post primam refectionem comedit in notabili quantitate alios cibos. Respondeo neg. conseq. disparitas est, quòd Ecclesia iterationem refectionis prohibuerit limitatè solùm, & quatenùs destruit formam Jejunii quoad unitatem refectionis, quod sola secunda refectio facit: atqui comestionem carnium prohibuit absolutè, ita ut nunquam sit licita in die Jejunii. Sed quare, inquies, alteram refectionem Ecclesia prohibuit limitatè solùm, & comestionem carnium absolutè? Respondeo ideo, quòd in præcepto Jejunii intenderit mortificationem carnis. Sola autem abstinentia à secunda refectione aliquid notabile videtur facere ad mortificationem: cùm passim homines extra tempus Jejuniorum (exceptis mechanicis & agrestibus) soleant esse contenti duabus refectionibus: solam igitur secundam refectionem prohibere placuit, ut salvaretur ratio Jejunii ad memoratum finem instituti. Jam verò abstinentia carnium semper ad mortificationem pertinet, sive in una, sive duabus, aut pluribus refectionibus sumantur. Unde earum usus in diebus Jejunii meritò fuit absolutè prohibitus. Vid. Lessius lib. 4. de just. cap. 2. dubit. 3. n. 17.

8 Corollarium I. Abstinentia à carnibus, & abstinentia ab altera refectione sunt de essentia Jejunii Ecclesiastici; non autem determinata hora comestionis. Ita communis. Ratio primi est: quia illa rectè censentur de essentia Jejunii, quibus observatis subsistit, non observatis non subsistit Jejunium: sed observatis duabus his abstinentiis subsistit, non observatis, vel utrisque, vel alterutris, non subsistit Jejunium; ut omnes concedunt; ergo &c. Ratio tertii est: ab oppositio: quia etiam non observata hora determinata, quæ nunc est undecima, subsistit essentialis ratio Jejunii Ecclesiastici, ut ex eo patet, quòd memoratus abstinentias observans non frangeret Jejunium, quamvis horam notabiliter præveniret comedendo. Vid. quæ in artic. præced. n. 19. diximus.

9 Corollarium II. Cui licitum est per dispensationem in diebus Jejuniorum comedere carnes, huic etiam licitum est sumere refectionem alteram. Ita communior sententia, quam post Cajetanum, Azorium, Medinam, & alios sequuntur Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 3. n. 52. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 1. n. 2. & iterum tract. 4. de 4. præc. Eccl. cap. 3. n. 16. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 44. contra Sotum, Joan. Medinam, Bonac. & alios, qui absolutè sentiunt oppositum. Ratio verò nostra sumitur ex dictis: quia abstinentia à carnibus est de substantia sive essentia Jejunii: ergo, dum quis non tenetur abstinere à carnibus, etjam non tenetur, imò non potest, jejunare, & consequenter licitè pluribus refectionibus utitur. Contraria tamen sententia tutior est, & in praxi suadenda, saltem illis, qui non ob causam debilitatis naturæ, vel corroborationis ejusdem habent licentiam vescendi carnibus; sed quia v. g. alii cibi facilè comparari non possunt; vel quia quis ab iisdem abhorret. Vid. Lessius lib. 4. de Just. cap. 2. dubit. 6. n. 45. Laym. lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 8. Sporer in Append. ad 3. præcept. Decal. sect. 3. n. 40. Sed quid de eo, qui in Quadragesima v. g. per dispensationem potest comedere carnes, sed aliquo die non comedit? Respondeo, talem videri obligatum ad jejunandum. Ratio est: quia, cum abstineat à carnibus, præstare potest, quidquid requiritur ad Jejunium. Sed probabilius existimo, non esse obligatum. Ratio est: quia dispensatio, per quam ipsi licitum est comedere carnes, esto non comedat, abstulit obligationem jejunandi. Qui etiam dispensat in esu carnium, etiam dispensat in Jejunio; quippe quod cum esu carnium consistere non potest. Vid. Tambur. illo cap. 3. de præcept. Eccl. n. 24.

10 Corollarium III. Mortaliter peccat, qui in die Jejunii extra solitam refectionem & collationculam sæpius modicum comedendo pervenit ad notabilem quantitatem. Ita communis, & certa, præsertim hoc tempore, postquam Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem*

bilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium. Et ratio est primo. Quia constat inductione, toties peccari graviter contra aliquod præceptum, quoties per multiplicationem materiarum parvarum devenitur ad materiam notabilem eo præcepto prohibitam, modò tamen advertatur, in ultima positione materiæ parvæ, quòd ex illa sumpta cum reliquis jam positis consurgat materia notabilis. Ob hanc enim causam graviter peccas in ultimo furtulo, ratione cujus simul cum antecedentibus aufertur materia notabilis invito domino; ut videbimus in tract. de Just. Similiter peccat graviter, qui sæpiùs die festo per modicum tempus laborando serviliter pervenit ad notabile tempus. Quod idem senti de eo, qui sæpe quid modicum ex Horis Canonicis omittit eodem die, & sic de aliis, ubi plures materiæ parvæ in unam magnam seu notabilem moraliter coalescunt. Ratio est secundo à priori. Quia non magis repugnat fini Jejunii, & intentioni Legislatoris una comestio notabilis, quàm plures comestiunculæ, ex quibus consurgit quantitas notabilis: sicut Justitiæ non magis adversatur unum furtum notabile, quàm plura furtula, ex quibus simul sumptis constituitur summa notabilis, damnumque notabile. Ergo non minùs sub peccato mortali prohibitæ sunt plures ejusmodi comestiunculæ, quàm una comestio notabilis. Vid. Tambur. tr. 4. de 4. præc. Eccl. cap. 5. n. 41. Sporer in Apped. cit. sect. 1. n. 17. Viva p. 1. damnat. thesium, in prop. 29. à n. 6. Sed quænam sit materia parva, quæ citra mortale peccatum sumi possit die Jejunii? meritò hic quæritur. Omissis plurium opinionibus, placet judicium, quod ex Diana format Sporer loc cit. nempe materiam parvam, & sub veniali tantùm peccato non sumendam die Jejunii censeri probabiliùs quartam partem collationis vespertinæ. Unde, si totam ejus collationis quantitatem, vel plus quàm dimidiam absque causa comederes, non excusareris à peccato mortali.

11 Illa restat adhuc quæstio resolvenda, quomodo peccent, qui sunt in causa, ut alii violent Jejunium? Possunt autem in hanc quæstionem venire primo, patresfamilias, cùm cibos ministrant, quibus familia solvat Jejunium. Secundo, caupones, qui in die Jejunii cœnam, vel cibos vetitos apponunt. Tertio, illi, qui, cùm ipsi non jejunant, alios ad mensam suam invitant. Et quidem generaliter loquendò certum est, eos omnes peccare, qui aliis scienter sunt causa frangendi Jejunium absque legitima excusatione. Neque enim ille solus peccat, qui ipse transgreditur præceptum, sed etiam, qui præstat, ut alii transgrediantur; ut constat ex generalibus morum principiis. Sed jam in particulari

12 Respondeo primo. Si patresfamilias, sive domini monendo, modesteque increpando efficere conentur, ut sui domestici servent Jejunium, tunc non peccant præbendo cibos, quamvis advertant, eos Jejunium violaturos. Ita Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 6. n. 3. & tract. 4. de 4. præcept. Eccl, cap. 12. n. 3. Ratio est: quia ex una parte subministratio illa ciborum est opus ex se indifferens; ex alia verò parte hos tales excusat à peccato obligatio cum debita liberalitate alendi familiam. Dixi: *si monendo &c.* ad hoc enim tenentur, juxta illud 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quamvis non teneantur eosdem compellere, aut cogere ad observationem Jejunii. Id enim nimis durum & rigidum esset, ajunt Ledesma, & alii apud Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 5. n. 91.

13 Respondeo secundo. Caupo in locis Catholicis die Jejunii hospitibus indifferenter carnes apponens graviter peccat. Less. lib. 4. de Just. cap. 2. dubit. 4. n. 22. Filliuc. n. 92. Bonac. de præcept. Eccl. disp. ult. q. 1. pu. 3. n. 9. & alii passim. Ratio est: quia id tunc censeretur tacita professio hæreseos: cum constet hæreticos graviter ubique calumniari præceptum abstinendi à carnibus. Dixi, *indifferenter.* Non enim talis peccat in aliquo casu particulari evidentis necessitatis, ortæ v. g. ex infirmitate; vel si aliud genus cibi non suppeteret; vel si hospitum aliquis fide dignus affereret, sibi carnibus vescendi licentiam à Superioribus esse indultam. Vid. Less. loco cit.

14 Respondeo tertio. In locis hæreticorum, ubi alii passim solent carnes apponere, id licitum est etiam Catholico cauponi, servatis certis conditionibus. Ita Less. n. 23. Filliuc. Bonac, locis citt. Sporer in Append. ad 3. præc. Decal. sect. 3. n. 45. & alii communiter. Ratio est: quia actionem istam per se non malam tunc honestare solent legitimæ causæ. Dixi, *servatis certis conditionibus*, quarum prima est, ut absit Religionis contemptus. Secunda est, ut hospites si apponi petant. Unde non possunt obtrudi non petentibus. Hoc enim esset invitare ad illicita: nisi fortè simul apponat pisces, relicta cuique potestate eligendi. Tertia est, ut id nequeat detrectare sine notabili suo incommodo: ut, si propterea deserendus esset ab hospitibus, ut vexandus à Magistratu. Ob parem rationem à peccato excusantur ancillæ hæreticorum, quæ diebus Jejuniorum

coquunt

coquunt illis carnes, & cœnam parant; cùm ordinariè id detrectare nequeant sine notabili suo incommodo.

15 Respondeo quarto. Quando caupo certò prævidet, hospites Jejunium violaturos, non potest eis licitè præbere cœnam; potest autem, si de hoc dubitet solùm. Ratio primi est: quia tunc tenetur impedire Dei offensionem, & lapsum proximorum, quantùm commodè potest. Atqui non impediret; imò cooperaretur, si cœnam præberet; ergo Vid. Less. n. 24. Filliuc. n. 93. Contrarium tamen, nempe tunc quoque cauponem licitè cœnam ministrare posse, tanquam satis probabile tenet Tambur. tract. illo 4. de 4. Eccl. præc. cap. 12. num. 12. ubi pro eadem sententia refert Sanchez lib. 5. consil. cap. 1. dub. 6. & Dianam p. 1. tract. 9. resol. 58. Ratio est: quia illa subministratio cœnæ ex cibis quadragesimalibus est opus ex se indifferens & non exercetur directè, ut hospites alliciantur ad violandum Jejunium, sed ad lucrum capiendum, quod probè sciunt hospites: quos penes proinde solos, si præceptum Jejunii transgrediantur, tota malitia residet. Dictum est autem in ratione prioris membri: *quantum commodè potest*. Non enim tenetur denegare cœnam primo, si hospites aliò ituri, ibique cœnaturi erant. tunc enim non potest hoc modo impedire eorum peccatum. Non tenetur secundo, si iidem negatâ cœnâ Deum adhuc gravius offensuri essent, convitiando, maledicendo &c. Less. loco cit. Jam ratio secundi membri est: quia in dubio nemo præsumitur velle peccare. *l. Meritò. ff. Pro socio.* Dubia quoque in meliorem partem interpretari oportet. Quare licitè caupo tunc cœnam præbet. Tambur. n. 11.

Respondeo quinto. Obligatum lege Je- 16
junii invitare ad cœnam eo animo, ut absolutè ac completè cœnet, illicitum est. At non est illicitum invitare ex mera urbanitate & hospitalitate. Filliuc. n. 94. Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 6. à n. 9. Sporer ubi suprà. Ratio primi est: quia hoc esset velle, ut alter peccaret, quod haud dubiè malum est. Neque obstat, si invitatus aliunde paratus sit ad cœnandum, aut alibi cœnaturus. nam invitans saltem in causa est malæ actionis, ut hîc & nunc fit, quæque aliàs potuisset etiam non fieri. Ratio secundi est: quia, præterquàm quòd invitatio ex se non sit mala, causa invitandi tunc est justa: cumque invitator non urgeat, ut supponitur, aut cogat ad completè cœnandum, hospiti liberum est non plus sumere ex appositis, quàm sufficit ad vespertinam refectiunculam seu collationem. si plus sumat, sibi imputare debet. Tambur. n. 9.

ARTICULUS III.

De causis excusantibus à Jejunio.

SUMMARIUM.

1. *Infirmitas excusat à Jejunio. sed qualis?* 2. *Excusat etiam senectus. hinc non tenentur ampliùs jejunare sexagenarii.* 3. *Rejicitur sententia excusans Faminas quinquagenarias.* 4. *Exercentes opera per se laboriosa excusantur à Jejunio.* 5. *Non tamen exercentes opera per se non laboriosa.* 6. *An excusentur Concionatores, Confessarii, Professores, Medici, Advocati?* 7. *An iter agentes?* 8. *Qualiter excusent opera Misericordiæ, Justitiæ, Religionis, Charitatis?* 9. *Excusantur omnes, qui carent alimentis ad unam justam refectionem sufficientibus.* 10. *Afferuntur speciales causæ ab abstinentia carnium excusantes.* 11. *Quinam dispensare possint in dubio, an adsit sufficiens causa non jejunandi?* 12. *Quid possit Episcopus circa dispensationem in Jejunio, ejusve translationem respectu totius populi?*

1 EXcusat primo quælibet infirmitas, ex qua fit, ut quis suo consueto operandi modo ordinarias functiones commodè, & citra magnam difficultatem præstare non possit. Ita ex communi DD. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 44. Quare excusabitur litterarum studiosus, si ex Jejunio capite doleat; si ob virium defectum inde provenientem cum magna difficultate studeat. Item vir, si propterea officium suum, vel artem; nec non mulier, si domestica servitia incommodè peragat: si uterum gerat, aut prolem lactet. Deinde excusantur haud dubiè, qui actu ægrotant, vel ex ægritudine convalescunt. Ratio istorum omnium est; quia non est intentio matris Ecclesiæ, ut fideles obligentur ipsius præceptis cum difficultate extraordinaria. Sed neque expectandum est, donec superveniat reipsa damnum valetudinis ex Jejunio consequens, sed sufficit ad excusandum rationabilis timor ejusdem. Unde Tambur. lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 7. n. 14. Castropal. & alii apud Reding to. 13. q. 4. a. 4. controv. 2. n. 14. excusant à Jejunio illos, qui dormire non possunt, nisi cœnati, ob grave damnum sanitatis inde timendum. Rectè tamen monent Sanchez lib. 5. consilior. moral. cap. 1. dub. 14. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 6. n. 113. dum in ejusmodi casibus dubium

bium est de obligatione jejunandi, standum esse judicio boni viri, vel Medici, vel requirendam auctoritatem Superioris.

2 Excusat secundo senectus. Ratio est: quia vera senectus est quædam infirmitas incurabilis &, ut vocat Aristoteles, morbus naturalis. Infirmitas autem, ut vidimus, excusat à Jejunio; ergo etiam senectus. Accedit, quòd senes indigeant crebra refectione, eaque facta per intervalla; cùm multum simul nequeant digerere propter naturæ debilitatem. Ethæc est communis sententia. Sed difficultas est, quinam censendi sint veri senes, & ratione senectutis excusati? Certum est, septuagenarios omnes esse excusatos. De sexagenariis non ità liquet Doctoribus, dum Less. lib. 4. de Just. c. 2. dubit. 6. n. 41. Bonac. de præcept. Eccl. disp. ult. q. 1. pu. ult. n. 4. Filliuc. n. 112. Laym. lib. 4. tr. 8. cap. 3. à. 1. & alii negant, sexagenarios etiamnum robustos ac validos excusari à Jejunio. Verùm sententia, quæ affirmat universim sexagenarios omnes exemptos esse ab obligatione Jejunii, hodie probabilior est. Ratio redditur: quia annus sexagesimus jam est initium ultimi denarii, quo communiter finitur vita humana, secundùm illud Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Illo autem tempore vires corporis notabiliter decrescunt, naturaque facilè sicut repletione, ita & inedia graviter læditur & præcipitatur. Adeoque completo anno sexagesimo rectè censetur adesse jam vera senectus, ratione cujus quis excusetur à Jujunio. Imò Tambur. §. cit. n. 1. & tract. 4. in 4. præcept. Eccl. cap. 10. n. 5. & alii apud Illsung ubi suprà n. 45. docent, ad hanc excusationem sufficere annum sexagesimum inchoatum: quia & tunc verum est naturam notabiliter deficere. Aliunde quoque in favorabilibus dies & annus inceptus habetur pro completo: juxta *l. Qui atate. ff. de Testament.* Neque refert, quosdam in illa ætate, imò & post illam, inveniri satis adhuc vegetos ad perferendum Jejunium: hoc enim per accidens est, & mater Ecclesia non obligat, nisi secundùm communem cursum roboris ac virium naturæ humanæ. alioquin etiam adolescentes robustiores ante expletum vigesimum primum ætatis annum jejunare tenerentur: quod tamen esse falsum suprà in artic. præced vidimus. Vid. Reding to. 13. q. 4. a. 4. controv. 2. num. 15. Sporer in Append. ad 3. præcept. Decal. sect. 4. num. 50.

3 Quæ jam dicta sunt de viris sexagenariis, Castianus à S. Elia v. *Jejunium* 3. n. 9. cum aliis, quos refert, ad fœminas quinquagenarias extendit, easque omnes à lege Jejunii liberat. Sed meritò dissentiunt Laym. n. 2. & Tambur. §. cit. n. 5. Ratio est: quia nec jus aliquod, nec solida ratio afferri potest, ob quam fœminæ maturiùs eximantur, quàm viri. Quod enim dicunt, fœminas citiùs senescere, quàm viros, sicut citiùs pubescunt, non convincit: cùm nihilominùs satis constet, eas Jejunium sine incommodo valetudinis faciliùs tolerare, quàm viros. Imò Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 32. n. 17. concludit, sententiam contrariam non esse tutam in praxi. Sed quid, si mulier, aut vir votum edidit jejunandi certis hebdomadæ diebus v. g. per totam vitam? Ad hoc respondet Castianus cit. cum eodem Sanch. utrosque excusari à Jejunio, postquàm facti fuerint sexagenarii, quàmvis adhuc validos ac robustos, dummodò votum non emiserint post annum sexagesimum. Ratio hujus sententiæ est: quia votum jejunandi obligat instar præcepti Ecclesiastici: ergo sicut præceptum Ecclesiasticum de Jejunio cessat obligare sexagenarios quoscunque, ut in n. præced. probavimus, ita & votum. Verùm ista non subsistunt. Licèt enim, ut rectè arguit Laym. loco cit. votum obliget instar præcepti Ecclesiastici quoad formam, modumque jejunandi, non tamen sic obligat quoad personas. nam possunt, qui præceptò Ecclesiastico non obligantur ad jejunandum, propria voluntate se obligare, ut de juvenibus ante annum vigesimum primum constat ex dictis in art. præced. num. 5. ergo similiter sexagenarii, quamvis præcepto Ecclesiasticò non ampliùs obligentur ad jejunandum, propria voluntate ad id obligare se possunt, ac manere obligati, quamdiu citra notabile corporis detrimentum jejunare possunt.

Excusat tertio labor corporalis cum ob- 4
servatione Jejunii difficulter compossibilis, qualis juxta omnes est opificum, & artificum, quorum opera dicuntur laboriosa; ut sunt fossorum, agricolarum, lignatorum, fabrorum, murariorum, pistorum, textorum, sutorum, & similium, qui omnes excusantur à Jejunio, saltem illis diebus, quibus laborant. Ratio est: quia præsumitur de benignitate matris Ecclsiæ, hanc ejus legem non obligare cum magna difficultate. Dixi, *saltem illis diebus &c.* Nam Medina, Azorius, & Reginaldus, quos refert & sequitur Bonac. de præcept. Eccl. disp. ult. pu. ult. n. 9. excusant, dum die festo intercedente vacant ab operibus, si ex laboribus antecedentium dierum sentiant lassitudinem, vel ad laborem sequentis diei reddi se putent per Jejunium minùs aptos. Diana verò, Fagundez, & alii apud Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. num. 46. eos absolutè excusant. Ratio est: quia ipse labor improbus ejusmodi hominum secum fert lassitudinem, & debilitatem refectione virium indigentem. Adde, quòd aliàs scrupulis, & anxietatibus aditus aperietur. Utraque sententia est probabilis. Existimo tamen, esse

esse obligatos ad jejunandum, si multis diebus non laborent. Ratio est: quia tunc neque ob laborem antecedentem, neque præsentem, neque consequentem videntur excusabiles. Vid. Tambur. tr. 4. de 4. præc. Eccl. cap. 10. n. 35. Illsung loco cit. Viva par. 1. damnat. thes. in prop. 30. n. 9. Cæterùm quænam artes sint per se laboriosæ, ita ut earum exercitia certò excusent à Jejunio, si nôsse cupias (ut nôsse plurimùm interest) adi Tamb. cit. lib. 4. in Decal. cap. 5. §. 7. à n. 21. ubi enumerat opera artium per se manifestè laboriosa, manifestè non laboriosa, & dubiè laboriosa, de quibus proinde lis est inter DD. an per se eximant ab observatione Jejunii.

5 Corollarium I. Exercentes opera, sive artificia per se non laboriosa obligantur ad jejunandum. Tambur. n. 25. Illsung loco cit. Viva à n. 3. & alii. Ratio est: quia ejusmodi opera non ita multùm fatigant operantem, ut Jejunium commodè perferre nequeant. Atque hinc non excusantur à Jejunio scriptores, pictores, cantores, sartores, tonsores, & similes, quorum opera quieta sunt, & citra magnam corporis agitationem exercentur. Neque obstat, quod Eugenius IV. juxta aliquos, ut refert Illsung, videatur indiscriminatim omnes artifices à Jejunio exemptos declârasse: quia illa declaratio Pontificia commodè explicatur de illis, qui artem laboriosam exercentes dubitant, an possint tolerare Jejunium? hos enim tales non obligari rationi consentaneum est. Adde, quòd Eugenius apud Sylvestrum v. *Jejunium. n.* 24. tantùm dicat: *Opifices laboriosa opera exercentes.* Quod etiam observat Mendo relatus à Viva n. 4. Et ideo damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio; *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione Jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum Jejunio.* Intelligenda tamen est doctrina Corollarii per se loquendo: quia per accidens ratione gravis alicujus circumstantiæ exercens opus etiam non per se laboriosum excusari potest: v. g. si Musicus ob inediam consueta voce destitueretur. Vid. Tambur. loco cit.

6 Corollarium II. Concionatores, Confessarii, Professores, aut Magistri, qui scientias, vel artes liberales docent in scholis; item Medici, Chirurgi, Advocati, Procuratores à Jejunio non excusantur per se loquendo. Tambur. Illsung locis citt. Ratio est: quia officia, artes, aut functiones, quas exercent, non sunt per se laboriosa. Quòdsi tamen labor istorum talium ob suam frequentiam, diuturnitatem, aliamve circumstantiam, sit tantus, ut difficulter consistere possit cum Jejunio, haud dubiè excusantur. Hinc si Concionator, qui ter, aut quater singulis hebdomadis Quadragesimæ dicit ad populum, videat, id se commodè præstare non posse cum observatione Jejunii, non tenebitur jejunare: Quod idem sentiendum de Professoribus, Confessariis, Medicis, Advocatis & similibus, si ob frequentiam & assiduitatem laborum quotidie ingruentium suis Auditoribus, pœnitentibus, patientibus, clientibus ægrè satisfacere possint sine duplici refectione. Vid. Tambur. Illsung locis cit. Sporer in Append. ad 3. præcept. Decal. sect. 4. n. 59.

Corollarium III. Iter agentes pedibus 7
per totum diem, vel majorem partem diei excusantur à Jejunio; non autem, qui proficiscuntur in equo, curru, vel navi, vel lectica, per se loquendo. Laym. lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 3. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 6. n. 122. Bonac. de præcept. Eccl. disp. ult. q. 1. pu. ult. n. 11. Tambur. tr. 4. de 4. præc. Eccl. cap. 10. n. 50. & DD. communiter. Ratio primi est: quia iter pedestre ex objecto, & per se est opus laboriosum; adeoque impatiens Jejunii. Ratio secundi est: quia id genus itineris regulariter non est incompossibile cum Jejunio; imò faciliùs peragitur observato Jejunio, quàm pleno ventre. Confirmatur ex eo, quòd Alexander VII. damnaverit hanc prop. *Excusantur à præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; & etiamsi iter unius diei conficiant.* Quòdsi tamen hoc aliquo modo proficiscenti vel ob infirmitatem complexionis, vel indignationem stomachi, gravemque nauseam, aut aliam similem causam quid accidat, quòd Jejunium reddat difficulter observabile, is procul dubio excusatur. Hinc dixi, *per se loquendo.* Vid. Filliuc. & Tambur. locis citt.

Excusat quarto pietas. Hoc nomine 8
veniunt opera Misericordiæ, Justitiæ, Religionis, & Charitatis, quæ cum Jejunio difficulter exerceri, nec commodè differri possunt. Ratio hujus excusationis est: quia mens Ecclesiæ præcipientis Jejunium non est impedire alia virtutum officia præstantiora, quæ pro loco & tempore exercenda sese offerunt. Vid. Less. lib. 4. de Just. c. 2. dub. 6. n. 44. Filliuc. n. 124. Bonac. n. 13. Laym. n. 4. Reding to. 13. q. 41. a. 4. controv. 2. n. 21. Spor. n. 62. Atque hinc excusantur primo, qui inserviunt infirmis, eosve visitant, si talia obsequia cum Jejunio præstare nequeant. quod idem senti de Concionatoribus, Confessariis, ac Professoribus, quorum meminimus in 6. Excusatur secundo maritus, si jejunans uxori non possit conjugale debitum reddere, eò quòd infirma complexione sit. Imò Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 3. n. 10. ait, in eo casu matitum obligari ad solvendum Jejunium, si uxor debitum instanter petitura, aut eo negato periculum incontinentiæ subitura prævideatur. Excusatur tertio

suscipiens piam peregrinationem, aut jam susceptam continuans, si eadem redundet in magnum Dei honorem, vel utilitatem propriam spiritualem. Quòdsi absit ejusmodi specialis utilitas, omitti, diebus Jejunii & differri debet. Vid. D. Thomas 2.2. q. 147. a. 4. ad 3. Excusatur quarto rursus uxor, quæ iram & jurgia mariti evitare non potest, nisi cœnet cum ipso: dummodò idem hoc non jubeat in Religionis contemptum, sed ob aliam causam: V.g. quòd metuat ejus valetudini, vel formæ, vel putet esse nimis debilem &c. ut habet Less. loco cit.

9 Excusat quinto paupertas: qualem patiuntur, quotquot ostiatim mendicant, & universim illi omnes, qui carent alimentis ad unam justam refectionem sufficientibus. Ita cum D. Thoma a. cit. ad 4. communiter Doctores. Ratio est: quia hi tales, cùm nullo certo diei tempore habeant, unde semel sufficienter reficiantur, ne sæpius per diem comedant, nullo jure prohiberi potest. Ob quam etiam rationem non tenentur jejunare famuli, quos Dominorum avaritia sufficientibus alimentis destituit. nam plùs emacerantur hi miseri ejusmodi continua victûs tenuitate, quàm alimentis abundantes, qui jejunant per totam Quadragesimam. Sanchez lib. 5. Consilior. cap. 1. dub. 15. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 47.

10 Et istæ quidem sunt causæ excusantes communiter afferri solitæ ab Authoribus. Quæ tamen plerumque non habent locum, nisi secundùm eam præcepti partem, qua prohibet abstinentiam à duplici refectione, non autem secundùm alteram, qua prohibet abstinentiam à carnibus, ut optimè notant Lessius, ubi suprà n. 45. Laym. n. 8. Quare causæ peculiares afferendæ sunt, quæ à carnium abstinentia excusent. Tres autem potissimùm esse censentur. Prima est, si quis laboret ejusmodi infirmitate, cui repetita quoque ex cibis Quadragesimalibus refectione subveniri non potest. Laym. loco cit. Illsung n. 48. ubi etiam refert sententiam Pasqualigi docentis, licitum esse homini sano vesci carnibus ad excitandam famem infirmi, eamque approbat, si id fiat ex motivo Charitatis, & materia sit parva. Secunda est, si ob paupertatem non suppetant alii cibi ad congruam sustentationem necessarii. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 6. num. 115. Illsung loco cit. Sporer ubi suprà n. 55. Atque hinc in nostris regionibus toleratur consuetudo pauperum, qui carnium reliquias à divitibus datarum post finita Bacchanalia absumunt, ut habet Laym. num. 3. Et quoniam multi rustici continuis exactionibus exhausti, & vix aliàs unquam carnibus; imò vix sufficiente, aut usuali pane vescentes, meritò verè pauperibus æquiparantur, non libenter damnarem eos peccati mortalis, ait Illsung, si carnium pro Bacchanaliis à se emptarum reliquias initiò Quadragesimæ consumunt. Tertia est, si Catholici apud hæreticos laborent, aut famulentur. Iis enim in nostris regionibus permittitur esus carnium; remoto tamen scandalo; si nempe dicant, se in ejusmodi casu necessitatis, quo alii cibi non suppetunt, præceptó Ecclesiæ non obligari. Laym. Illsung locis citt. Sporer n. 56. Addit verò Laym. Societati JESU ob majorem securitatem datum esse privilegium dispensandi cum talibus.

De cætero circa causas hucusque re- 11
censitas sive à Jejunio, sive etiam à carnium abstinentia excusantes, notandum superest, quando aliqua earum occurrit, de qua dubitatur, an per se sufficiens sit ad excusandum? petendam esse dispensationum, idque dubium sufficere ad eandem impertiendam. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 147. a. 4. in corp. docet Sanchez ubi suprà dub. 6. num. 2. Tambur. tract. 4. in 4. præcept. Eccl. cap. 11. num. 11. Illsung num. 49. Rectè autem docet Filliuc. num. 129. eos, qui dispensare possunt, non debere esse nimiùm scrupulosos, & irresolutos erga subditos, qui propositâ causâ dubiâ petunt dispensationem, remque in petentium conscientias rejicere: cùm ipsorum sit tunc dispensare, causamque dubiam dispensando efficere certò moraliter justam. Quando Episcopus commodè adiri non potest, etiam Parochus dispensare potest cum suis Parochianis in lege hac Ecclesiastica Jejunii. Quod idem posse Prælatos Regularium, quales sunt Rectores, Præpositi, Priores, Guardiani & similes, respectu suorum subditorum, sicut & Abbates jurisdictione Episcoporum gaudentes, tradit Tambur. cap. cit. num. 5. Vide, quæ de potestate dispensandi universim suprà diximus tract. 3. disp. 3. a. 4. §. 2. & 3. Confessarius, Medicus, aut alius vir doctus, uti & Abbatissa; cùm careant jurisdictione spirituali, non possunt dispensare, sed pro sua peritia ac prudentia declarare solùm, quòd adsit legitima causa non jejunandi. Tambur. num. 8. Reding to. 13. q. 4. a. 4. controv. 2. n. 23.

Potest etiam Episcopus, saltem, quan- 12
do non est facilis recursus ad Sum. Pontific. causaque est gravis & publica, dispensare in Quadragesima, ut totus populus suæ Diœcesis non teneatur jejunare, aut abstinere à carnibus. Ita Tambur. num. 15. ubi refert, Panormi tempore pestis ex consilio Theologorum ac Medicorum ita dispensâsse Archiepiscopum. Eadem ratione potest Episopus Jejunium ab Ecclesia quoque præceptum transferre in alium diem, quando nempe solemnitas Festi, in quod incidit Jejunium,

vel

vel alia gravis causa id exigit: Sic solemnitas, qua celebrari solet Festum Corporis Christi, movit Urbanum VIII. ut, si Vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in istud Festum, pridie, scilicet feria quarta præcedente, jejunandum esse præciperet. Unde si tunc jejunares ipso die Corporis Christi, non satisfaceres obligationi jejunandi in memorata Vigilia. Tambur. tract. cit. cap. 9. n. 15. qui inferiùs cap. 11. n. 16. perhibet, Archiepiscopum Panormitanum ita transtulisse Jejunium Vigiliæ S. Jacobi in diem præcedentem; quia in illa Vigilia incidit Festum S. Christinæ, quæ principalis Patrona est ejus civitatis. Sic etiam, quando Vigilia S. Matthiæ incidit in feriam secundam vel tertiam Quinquagesimæ, & Episcopus animadvertat fore, ut plurimi, aut major pars populi iis diebus violent istud Jejunium; etiam cum esu carnium, & scandalo aliorum, nisi transferatur, transferre potest in Sabbathum præcedens. Laym. lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 8. Tambur. loco cit. Sed quid, si Vigilia S. Matthiæ incidat in diem Lunæ Bacchanalium? aut Festum ejusdem in feriam quartam Cinerum? Ad primum respondet Tambur. n. 23. ubi apparet memoratum periculum intemperantiæ, Vigiliam quoad Jejunium posse transferri in Sabbathum præcedens. Ad secundum respondet, tunc Festum quoad Officium transferendum in feriam quintam post Cineres; Jejunium verò Vigiliæ rectè penetrari cum Jejunio feriæ quartæ Cinerum.

ARTICULUS IV.

De Sobrietate, eique opposita Ebrietatè.

SUMMARIUM.

1. *Triplex acceptio sobrietatis.* 2. *Ebrietas in S. Script. aliquando sumitur pro satietate.* 3. *Sobrietatis propriè acceptæ definitio.* 4. *Definitio ebrietatis.* 5. *Ejus malitia est mortalis.* 6. *Solvuntur objectiones.* 7. *Etiam unica vice se inebriare peccatum mortale est.* 8. *Differentia inter ebrietatem & crapulam.* 9. *Non solùm ex potatione vini, sed etiam cerevisiæ &c. inducitur vera ebrietas.* 10. *Mortale peccatum est alterum inducere ad se inebriandum.* 11. *An hoc non possit esse licitum saltem ad avertendum magnum aliquod malum?* 12. 13. 14. *An liceat aliquando inebriare se ipsum?* 15. *An ad ebrietatem requiratur, ut quis potet voluptatis causâ?* 16. *Unde cognosci possit aliquem fuisse ebrium?*

1 NOtandum est primo, sobrietatem accipi tripliciter. Nam primo accipitur generatim pro virtute temperantiæ: ut in illo Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet*: & ad Tit. 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus.* Secundo, magis strictè, pro tempetantia cibi & potûs. Neque enim illi tantùm, qui parcè bibunt, sed etiam, qui parùm comedunt, vulgò sobrii dicuntur. Tertio, strictissimè ac propriè pro moderatione potus inebriantis. illi quippe propriè sobrii dicuntur, qui in potu, quo inebriari possunt, ita sibi tempetant, ut usum rationis conservent imperturbatum & expeditum. Atque ita sæpe accipitur sobrietas in Sac. Script. ut Eccl. 3. 1 Petri 5. & alibi. In quo sensu & nos de illa loquemur.

2 Notandum est secundo, nobis similiter hîc non fore sermonem de illo liberaliori potu vini, quo quis inebriati dicitur sumptâ ebrietate pro satietate, quemadmodum in Sac. Script. interdum sumitur: velut Isaiæ cap. 55. *Imber & nix ultrà non revertitur; sed inebriat terram:* sed de eo; cujus usus intemperantior ita hominem satiat, ut ejus mentem perturbet, ac pro aliquo tempore rationis impotem efficiat: quæ sola est propriè dicta ebrietas.

3 Dico jam primo. Sobrietas est *virtus potûs de se inebriantis secundùm dictamen rationis moderatrix.* vid. Less. lib. 4. de Just. cap. 2. dubit. 12. n. 87. Reding tomo 13. q. 4. a. 2. controv. 1. n. 5. Illsung tract. 4. disp. 1. a. 3. n. 50. Dicitur: *potûs moderatrix.* quia usus potûs est materia externa, circa quam ista virtus mediatè versatur, sicut immediatè versatur circa affectum potandi; utpote species temperantiæ, cujus est immediatè versari circa passiones. Dicitur: *de se inebriantis.* nam si potus non possit inebriare, non pertinet ad hanc virtutem. Unde si excedas in alio potu, v. g. aquæ ob voluptatem, quam percipis ex refrigerio, vel ex ejus dulcedine; si saccaro condita sit, non peccas contra sobrietatem, sed contra virtutem abstinentiæ, ut ex D. Thoma docet Less. loco cit. Dicitur: *secundùm dictamen rationis.* Ita nempe, ut potus congruat serenitati mentis & judicii, eam non lædendo, aut notabiliter obtenebrando. Nam proprium officium istius virtutis est præstare, ne per nimiam sumptionem potûs inebriantis, quando idem sumendus est, animus ab operatio-

nibus rationalibus, hominisque propriis violenter impediatur.

4 Dico secundo. Ebrietas definiri solet, quòd sit *voluntarius excessus in potando usque ad violentam usûs rationis privationem.* Dicitur, *excessus in potando.* Quemadmodum enim Gula sita est in excessu cibi, ac potus inebriantis; ita Ebrietas in excessu vini, alteriusve potus inebriantis. Dicitur, *usque ad violentam &c.* Accidit hæc privatio, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia ineptum sit ad usum rationis: quod interdum usuvenit in phreneticis, hypochondriacis & similibus. Illa privatio usûs rationis, quam somnus inducit, non est violenta sed naturalis, utpotè à natura instituta ad spirituum animalis, ac consequenter virium ejusdem reparationem.

5 Dico tertio. Ebrietas est peccatum mortale. Ita communiter DD. vel docent, vel supponunt: & meritò quidem. cùm dicat Apostolus 1 ad Corinth. 6. *Neque Idolis servientes, neque ebriosi Regnum Dei possidebunt.* & ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Vid. Valentia tomo 3. disp. 9. q. 3. pu. 2. Less. lib. cit. cap. 3. dubit. 3. Tambur. tract. 4. in 4. præcept. Eccl. cap. 3. n. 3. Reding tomo 13. q. 4. a. 2. controv. 3. Ratio verò Conclusionis est: quia homo se inebriandò privat se violenter non solùm usu rationis, sed etiam potentia proximè expedita utendi eadem, utpote impedimentum ac veluti vinculum menti injiciens, ut etiam vigilans uti ratione nequeat. Hæc est gravis deordinatio, & ingens deformitas: cùm homini nihil præstantius, & per quod à brutis distinguatur, datum sit, quàm posse uti ratione, suaque omnia hac regula dirigere. Confirmatur. Qui alterum ad paucas solùm horas usu rationis ita privaret, ut intra id tempus non posset pro libitu illâ uti, sive usum ejusdem recuperare, is graviter peccaret; grave enim damnum proximo inferret: ergo multò magis peccat mortaliter, qui sibiipsi per ebrietatem hoc tale damnum conscisçit. Probari posset Concl. præterea ex multis aliis gravibus malis ebrietatem consequentibus, quæ fusè ex Patribus recenset Lessius à n. 20.

6 Objicies primo. *Genesis cap.* 43. dicitur de fratribus Joseph, quòd *biberint, & inebriati sint cum eo:* ex quo colligitur, ebrietatem non esse peccatum. alioqui Joseph vir justus eam nec in se admisisset, nec in fratribus permisisset. Secundo. S. Augustinus *in Serm. de Purgat.* dicit, ebrietatem esse peccatum mortale, *si assidua sit.* ubi videtur insinuare, si non sit assidua, sed rara, non esse peccatum mortale. Tertio. Licitum est usu rationis se private per somnum: ergo etiam per potum.

Ad Primum respondeo ex num. 2. sensum esse, quòd sint satiati & exhilarati juxta phrasim S. Script. non infrequentem, cujus exemplum est etiam illud Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ &c.* Ad Secundum respondeo cum D. Thoma, 2. 2. q. 150. a. 2. ad 1. S. Augustinum illa restrictione solùm indicare, sibi sermonem esse de ebrietate plenè voluntaria. *Quia non potest esse* (inquit D. Thomas) *quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat; dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.* Unde ob contrariam rationem, qui rarò inebriantur, non plenè voluntariè, sed præter mentem pati videntur ebrietatem: Vid. Less. num. 16. Ad tertium respondeo neg. conseq. Disparitas reddi potest multiplex. Nam primo. qui somno se tradit, licèt sibi auferat hoc modo usum rationis, non tamen sibi aufert potestatem proximam utendi, sed retinet organa expedita, ut, redeunte vigilia, statim uti possit ratione, suaque negotia peragere. Per ebrietatem verò ita quis ligat sibi rationem, ut etiam vigil destituatur potentia proximè expedita utendi illâ. Secundo. Somnus à natura institutus est, ut per illum vires tum sensitivæ, tum locomotivæ reficiantur, corpus roboretur, & spiritus animales reparentur. Unde damnum usûs rationis, quod per illum invehitur, multis ejus commodis satis compensatur. Tertio. In somno privatio usus rationis inducitur per naturalem quietem sensuum; per ebrietatem verò tollitur usus rationis, dum sensus vigilant. Unde ratio, cujus esset gubernare sensus vigilantes, contra naturalem ordinem sui impos dormit. Quarto. Ex somno non timendá sunt mala, quæ ex ebrietate consequi indicavimus n. præced. Ex dictis.

7 Infertur primo contra quosdam antiquos, etiam semel voluntariè se inebriare esse peccatum mortale. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia homo per ebrietatem etiam semel sibi inductam magno se bono privat, & gravi damno afficit, ut in num. 5. vidimus. Unde nullum est fundamentum antiquorum existimantium, non inferri notabile damnum, nisi per ebrietatem frequentem. Vid. Tambur. ubi suprà à num. 19.

Infertur

8 Infertur secundo, non esse propriè ebrietatem, sed crapulam venialiter solùm illicitam, dum quis ingestione potûs inebriare potentis usum rationis sibi non plenè eripit, licèt aliquantùm perturbet, indeque sentiat obfuscari visum; vinciri linguam, gyrari caput; vacillare pedes &c. Ratio est: quia ebrietas proprie & formaliter sumpta consistit in violenta privatione usûs rationis. vid. Reding ubi suprà n. 4. Tambur. n. 26.

9 Infertur tertio, quæ hactenùs dicta sunt de ebrietate, & dicentur deinceps, intelligenda esse de privatione usûs, rationis non tantùm per potationem vini, sed etiam cerevisiæ, alteriusve similis liquoris inducta. Ratio est: quia hæc talis privatio verè participat definitionem ebrietatis. Sed quid tenendum de ablatione usûs rationis per haustum tabaci? Lessius n. 19. excusat à peccato mortali, etiamsi ejusmodi haustus fiat voluptatis causâ. Ratio est: quia suffitus, seu fumus tabaci tollit usum rationis non immediatè, sicut sumptio potûs inebriantis, sed inducendo somnum, qui est modus naturalis. Sed tamen Gobat de ebriet. cap. 23. n. 4. ut refert Tambur. n. 12. cessat esse mortale, si voluptatis causâ haustus fuit hic fumus; vacare tamen omni culpâ, si ex consilio Medicorum id factum est. vid. Tambur. loco cit.

10 Infertur quarto, mortaliter peccare eum, qui alterum ad se inebriandum inducit voluntariè; sive voluntate directa, intendendo ut se inebriet; sive voluntate indirecta, scilicet invitando, provocando, aut compellendo ad bibendum, quando prævideri potest ac debet, fore, ut invitatus &c. inebrietur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 150. a. 1. ad 3. Valent. to. 3. disp. 9. q. 3. pu. 2. colum. 2223. Less. cap. cit. dubit 4. Tambur. n. 45. Reding loco cit. & alii communiter. Ratio est: quia cooperari ad malum non minùs malum est, atque malum facere. Accedit Authoritas SS. Patrum, qui consuetudinem compotandi, & ad æquales haustus provocandi gravissimè reprehendunt, ut videre est apud Valent. loco cit. & Less. num. 32.

11 Verùm ista non adeò movent viros aliquos graves & doctos, ut non existiment ad avertendum magnum aliquod malum alterum inebriare aliquando esse licitum. Exempla apud Tambur. loco cit. habes sequentia. Primum. Si Reipublicæ gravissima pernicies immineat, v. g. ex proditione, qua quis meditatur, me sciente. Secundum. Si captus à grassatoribus deducatur in cauponam, magnamque spem habeat elabendi, si eos inebriaverit. Tertium. Si Titius constituit Cajum inimicum certâ horâ domum rediturum interficere; Sempronius autem priùs inebriandò Titium possit efficere, ut Cajus evadat interitum. In his casibus Less. n. 33. Baldellus, & alii apud Tambur. n. 46. docent, alterum inebriare esse licitum. Ratio est: quia licitum est alicui suadere, eumque inducere ad minus malum, ut impediatur majus, ad quod ille faciendum paratus est, quodque alio modo impediri non posse supponitur. Atqui hoc solùm & nihil aliud fit in præsenti; ergo &c. Hanc sententiam esse probabilem, ait Tambur. loco cit. Sed melius contrariam tenet cum aliis Laym. lib. 3. sect. 4. n. 6. Ratio est: quia ad impediendum majus peccatum non est licitum suadere peccatum minus, nisi istud sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majori, quod alter committere certò statuerat. Atqui ebrietas, quæ hîc supponitur esse peccatum minus, nullo modo includitur in peccato proditionis v. g. aut homicidii; cùm ille homo se inebriare nec formaliter, nec virtualiter decreverat; ergo &c. Et ita quidem hi Authores in utramque partem. Me tamen juvat huc accommodare doctrinam aliquam ejusdem Laym. loco cit. quam etiam relato Castropalao approbat Reding n. 5. distinguendo in hunc modum: vel illum, quem cupis esse ebrium, prævides incursurum ebrietatem materialem tantùm, eò quòd ignorans v. g. fortitudinem vini à te appositi inadvertenter & præter intentionem suam inebriandus sit? vel prævides, eundem hac tali bibendi opportunitate ita usurum, ut voluntariam & formalem ebrietatem contrahat? Si primum; licitum erit talem inducere, ut bibat usque ad amissionem usûs rationis. Ratio est: quia sic non cooperaris ad aliquod peccatum proximi; quippe qui non est peccaturus illis haustibus. Eidem verò pro brevi tempore auferre usum rationis, ut evitetur malum longè gravius, quod is habet in proposito, rectæ rationi non adversatur. Si secundum; non erit licitum ejusmodi hominem inebriare. Ratio est: quia hæc esset vera inductio ad malum peccati, & scandalum activum, quod in nullo casu honestari potest.

12 Sed jam superest illa quæstio, an possit aliquando esse licitum inebriare se ipsum? Respondeo primo, posse esse licitum, quando judicio periti Medici videtur necessarium ad gravem infirmitatem depellendam. Ita Less. dubit. 3. n. 13. Tambur. tract. 4. de 4. præc. Eccl. cap. 3. n. 31. Illsung tr. 4. disp. 1. a. 3. n. 54. & alii. Ratio est: quia ex duobus malis licitè eligi potest minus: cùm ergo minus malum sit usu rationis privari ad breve

breve tempus, quàm gravi morbo conflictari, aut omnino vitam amittere, licitum esse poterit in casu nostro malle inebriare se ipsum, quàm vitam vivere gravi morbo afflictam, vèl penitus amittere. Confirmatur. Potest aliquis licitè velle sibi manum abscindi, ne totum brachium exarescat, vitamque amittat: ergo similiter in casu nostro potest quis licitè velle amissionem usûs rationis per ebrietatem, ut depellatur, vel evitetur malum infirmitatis, vèl etiam mortis.

13 Dices. Nunquam est licitum facere mala, ut eveniant bona. Atqui voluntariè & ex proposito inebriare se ipsum est malum, idque intrinsecè, sicut mentiri, blasphemare, fornicari; quæ in nullo casu possunt fieri licita; ergo &c. Respondeo, maj. esse veram, quamdiu mala manent mala. Atqui in casu nostro ebrietas voluntariè, sive admissa, sive procurata, propter circumstantiam durissimæ necessitatis non amplius manet moraliter mala, sed exuit omnem suam malitiam; sicut eam exuit in dato priùs exemplo abscissio manûs, vel occisio etiam innocentis, à cujus violentia quis vitam suam aliter eripere non potest. Quare ebrietas non est ita intrinsecè mala, ut sit absolutè & pro omni casu prohibita; sicut prohibita sunt mendacium, blasphemia, fornicatio &c. sed est prohibita sub conditione tantùm, nisi urgeat gravis necessitas ad ejusmodi potationem, per quam usus rationis auferatur. vid. Tambur. à n. 35. Illsung n. 50. & 54.

14 Respondeo nunc ad Quæst. secundo, posse aliquem licitè se inebriare, quando cogitur ab altero, mortem minitante, nisi æqualibus scyphis respondeat. Ita Less dubit. 4. n. 37. Tambur. n. 40. Illsung n. 54. Additque Lessius, idem sensisse multos viros doctos Universitatis Lovaniensis à se consultos. Ratio est eadem, & quidem urgens à fortiori, quam n. 12. pro prima responsione reddidimus. Excipitur tamen casus, nisi cogens ad bibendum, intentata morte, id faciat in contemptum legis Temperantiæ. tunc enim potiùs moriendum est quàm bibendum: juxta illud S. Augustini serm. 232. *Etiamsi ad hoc veniretur ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* De casu infirmitatis, ad quem cit. n. 12. respondimus, advertendum est, eum in praxi fortasse nunquam posse accidere. cùm miro mirius esset, si ad curandum morbum aliquem nullum prorsus remedium occurreret præter ebrietatem. vid. Tambur. n. 32. Illsung loco cit.

15 Infertur quinto, in definitione ebrietatis superfluè poni à Lessio & aliis has particulas, *voluptatis causâ*. Ratio est: quia fieri potest, ut aliquis, quem potatio vini, aut cerevisiæ non oblectat, præcisè studio placendi amico v. g. à quo invitatur, in eo potandis calicibus ad amissionem usûs rationis deveniat. Quis autem neget, talem esse ebrium, sive constitutum in peccato mortali ebrietatis? Tambur. cap. cit. num. 9. Wigand tract. 5. exam. 3. num. 62. Quamvis negari non possit, excessum potationis, in quo consistit ebrietas, ordinariè committi ob voluptatem, quæ in potando percipitur.

16 Quæres demum unde cognosci possit, an quis fuerit ebrius? Respondeo ex Lessio, id posse colligi ex sequentibus. nempe primo. Qui postridie non meminit eorum, quæ dixit, egit: quomodo domum rediverit, cubitumve concesserit &c. cùm tamen aliàs probè meminisse soleat, urgens argumentum habet, quòd heri fuerit ebrius. Ratio est: quia, si tunc usu rationis non caruisset, retinuisset memoriam suarum actionum ac gestorum, sicut alias retinebat. Secundo. Qui fecit, aut dixit, quæ nunquam solet serena mente: V. g. si turpia egit, aut locutus est: si blasphemavit, uxorem & familiam malè habuit &c. meritò judicare potest, rationem & prudentiam vi ebrietatis fuisse consopitam, eosque insolitos motus ex perturbata inde phantasia processisse. Tertio. Non est habendus pro ebrio, qui novit adhuc discernere inter bonum & malum, fugere illicitum, amplecti licitum, quamvis rectà nequeat incedere, puterque ambulare turres, & omnes domus fundamentis suis emoveri. Ratio est: quia ejusmodi discretio & electio non habet locum in eo, qui usu rationis deficitur. Ob eandem rationem non est damnandus ebrietatis, qui solita officia ac munia sua obire utcunque potest, licèt non absque vertigine & difficultate. Vid. Less. cap. cit. dubit. 3. num. 30.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Decimis.

Decima numero singulari dicitur, quia est decima pars, quæ ex fructibus, aut bonis penditur. Plerumque tamen numero plurali *decimas* nuncupamus, eò quòd, dum fructus agrorum, vel arborum in plurimas partes dividuntur, plures partiales decimæ solvendæ veniant, juxta illud Levit. cap. ult. *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt.* Definiuntur autem decimæ, quòd sint *decima pars fructuum, quæ Ecclesiæ Ministris, in subsidium & sustentationem debetur.* De hujus jam decimæ partis debito per sequentes Articulos breviter agemus.

ARTICULUS I.

An, & quanta sit obligatio solvendi decimas?

SUMMARIUM.

1. *Quinam negaverint obligationem pendendi Decimas.* 2. *Adstruitur hæc obligatio.* 3. *Cur Ecclesia Ministros suos sustentari velit per Decimas?* 4. *Omnes baptizati graviter obligantur ad solvendas Decimas, præter legitimè exemptos.* 5. *Judæi, & alii non baptizati nullam habent obligationem personalem pendendi Decimas.* 6. *Habent autem hæretici.* 7. *An ejusmodi obligatio sit in Summo Pontifice?* 8. *An in aliis Clericis?* 9. *An in pauperibus?*

1 CIrca annum Christi M. CCC. quidam hæretici, qui Fratricelli vocabantur, contendebant, cùm soli ipsi (ut jactitabant) viverent Apostolicè, sibi quoque solis, non autem Ministris Ecclesiæ, pendendas esse decimas. Porrò Wiclephus, ut perhibet Valentia dixit: Decimas esse meras eleemosynas; quas proinde possit populus ad libitum negare Sacerdotibus propter eorum peccata. Neque aliter sensit Erasmus Roterodamus, quando in Annotationibus suis ad novum Testamentum, exactionem Decimarum tyrannidem esse dixit. Sed jam contrà

2 Dico primo. Decimæ Ministris Ecclesiæ pendendæ sunt tanquam subsidium debitum propter ministerium spiritualium. Ita omnes Catholici, estque fide certum. Unde & sententia Wiclephi damnata est in Concil. Constantiensi, sess. 8. Constat verò conclusio apertè ex Scriptura etiam novi Testamenti: ut 1. ad Corinth. 9. ubi inter cætera ait Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminamus; magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* & 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt: maximè qui laborant in verbo & doctrina. dicit enim Scriptura: Non infrænabis os bovi trituranti.* Consistit autem duplex ille honor in exhibitione reverentiæ, & in suppeditatione temporalium ad congruam sustentationem necessariorum, sicut interpretatur Haymo apud Valent. to. 3. disp 6. q. 5. pu. 1. Dominus quoque ipse Lucæ 10. dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo.* Non igitur gratia, sed debitum est Ministros Ecclesiæ sustentari.

3 Cæterùm hanc sustentationem Ecclesia præstari vult per decimas: tum, ut imitetur ordinationem Divinam in veteri Testamento observatam: tum, ut constituta decima parte fructuum terræ in sustentationem sacrorum Ministrorum segreganda, eadem sustentatio sit stabilis & sufficiens. Ex quibus colligitur primo, decimas considerari posse vel secundùm suam substantiam, prout nempe sunt necessaria sustentatio Ministrorum Ecclesiæ; vel secundùm suam quotam, ut sunt pars decima fructuum. Colligitur secundo, solutionem decimarum priori modo consideratarum Jure Divino & naturali esse debitam; posteriori modo consideratarum esse debitam Jure Ecclesiastico. An verò præterea hoc quoque modo spectatæ decimæ Jure Divino sint debitæ? quæstio est inter Doctores. De qua videri possunt Valentia loco cit. Less. de Just. lib. 2. cap. 39. dubit. 1. an.

1. à n. 5. Reding to. 11. q. 8. a. 1. controv. 1. Magnif. P. Schmier. lib. 3. tract. 1. p. 3. cap. 3. à n. 32.

4 Dico secundo. Ad solvendas decimas tenentur sub mortali omnes baptizati, præter legitimè exemptos. Ita communiter D. D. Ratio est: quia obligatio præceptorum Ecclesiasticorum fundatur in subjectione fidelium contracta per susceptionem Baptismi. cùm ergo hæc subjectio sit universalis, etiam obligatio est universalis, & nemo ab illa liber per se loquendo, & nisi ob specialem rationem quis excuseturr. de quo circa præsentem obligationem solvendi decimas Vid. Filliuc. tract. 27. p. 2. cap. 8. à n. 180. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 4. Reding controv. 4. à num. 7. Potrò obligationem istam esse gravem, & sub mortali, facilè constat tum ex gravitate materiæ, tum ex gravitate pœnarum decimas non solventibus Jure positivo decretarum, de quibus vid. Tambur. tr. 5. de 5. præc. Eccl. cap. 4.

5 Corollarium I. Judæi, & alii non baptizati per se, ac propria personali obligatione non tenentur ad decimas. Ratio est: quia non subjecti sunt Ecclesiæ, nec Sacramenta, aliave bona spiritualia ab ejus Ministris percipiunt. Laym. n. 1. ex communi sententia. Dixi: *personali obligatione.* Nam loquendo de obligatione reali, hoc est illa, quæ non immediatè affixa est personæ, ut personalis, sed prædio, vel fundo, obligantur, si fundos, aut res possideant, ex quibus, cùm adhuc essent Christianorum, decimæ solvebantur. Habetur ex cap. *de terris.* 16. & docetur à Magnifi. P. Schmier num. 113.

6 Corollarium II. Hæretici obligatione personali obligantur ad solvendas decimas Ministris Ecclesiæ Catholicæ. Ratio est: quia, cùm ob susceptum Baptismum subjecti sint Ecclesiæ, tenentur obtemperare ejus constitutionibus, quibus decimæ præcipiuntur, Sacramentaque à Ministris Catholicis recipere. Magnif. P. Schmier n. 117.

7 Corollarium III. In Summo Pontifice non habet locum obligatio personalis pendendi decimas. Ratio est aperta: quia obligatione personali non tenetur quis pendere decimas, nisi ordinario Pastori suo, cui subjicitur in spiritualibus: atqui Pontifex ejusmodi Pastorem in terris nullum potest agnoscere; ergo. Vid. Laym. loco cit. Filliuc. n. 171. Dices. Etiam ipse Papa habet Confessarium, & ab aliis recipit Sacramenta. Respondeo, hoc minimè obstare: quia non recipit ab aliis tanquam Pastoribus & Ordinariis, ait Filliuc. loco cit. sed tanquam à Commissariis, quos ipse sibi elegit. His autem talibus nullæ debentur ab ipso decimæ; sed satis est, si præbeatur aliquod stipendium, sicut alicui alteri officiali, vel Ministro de familia.

Corollarium IV. Omes Clerici, sive 8 conjugati, sive non conjugati, qui subjecti sunt in spiritualibus Ecclesiæ Parochiali, obligatione personali tenentur ad pendendum decimas. Habetur ex cap. *Novum genus.* 2. *de Decim.* Et ratio sumitur tum ex universali titulo subjectionis ratione Baptismi; tum ex eo, quòd hi omnes teneantur Sacramenta tum Confessionis, tum Eucharistiæ (& hoc saltem, si Sacerdotes non sint, præsertim tempore Paschali) tum Extremæ Unctionis à proprio Sacerdote suscipere. Vid. Filliuc. n. 177. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 3. a. 3. n. 140. De obligatione quoque reali, id est, orta ex re, antè decimis obligata, quàm ad alium possessorem deveniret, cujus meminimus in n. 5. communis sententia est, eam incumbere Clericis. Ratio est: quia prædiæ, fundi, & res quælibet transeunt ad possessorem cum onere suo. Unde Laym. n. 5. cum aliis pluribus meritò docet, hanc obligationem esse tam universalem, & omnes omnino cujuscunque ordinis, Religionis, statûs, ac dignitatis personas, etiam Papam ipsum, Episcopos, Religiosos comprehendat, nisi vel præscripta consuetudine, vel Pontificia dispensatione eximantur.

Quæstio hic superest, an etiam pau- 9 peres teneantur præstare decimas? Respondeo teneri, nisi in gravem aut extremam necessitatem propterea debeant incidere. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 87. a. 4. ad 4. communiter DD. Ratio est: quia tales tenentur ad pendendum tributa Principi, cui subjecti sunt in gubernatione temporali: ergo etiam æquum est eos obligari ad solvendum decimas Ecclesiæ propter subjectionem in spiritualibus. Vid. Filliuc. n. 166. Dixi, *nisi in gravem &c.* tunc enim meritò excusantur. Ratio est: quia non est credibile, piam matrem Ecclesiam velle, ut cum tanto fidelium incommodo decimæ exigantur. Confirmatur. Parochi ipsi tenentur subvenire Parochianis tanta paupertate pressis: ergo non possunt esse rationabiliter inviti, si ejusmodi Parochiani, quod ipsis dandum esset, aut concedendum, antè sibi retineant. Vid. Laym. n. 6. Tambur. tr. 5. de 5. præc. Eccl. cap. 2. n. 2.

ARTI-

ARTICULUS II.

De loco, tempore, aliisque circumstantiis Decimarum solvendarum.

SUMMARIUM.

1. *Decimæ aliæ prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ.* 2. *De jure communi nulla est obligatio deferendi Decimas ad horreum Ecclesiæ, vel Parochi.* 3. *Decimæ à solo separatæ & collectæ statim offerri debent.* 4. *Non est opus, ut Parochus exigat, aut petat sibi solvi Decimas.* 5. *Decimæ solvi debent ex fructibus integris.* 6. *Qualiter peccent fraudatores Decimarum?*

1 TRiplices decimæ à Doctoribus statuuntur, prædiales, personales, & mixtæ. Prædiales sunt, quæ ex agris, piscinis, molendinis, elocatione ædium & similibus, proficiscuntur. nam ista omnia comprehenduntur nomine Prædii. Decimæ personales dicuntur, quæ proveniunt ex fructibus industriâ personæ partis, ut ex negotiatione, artificio, militia, famulatu, ludo &c. Per mixtas intelliguntur, illæ quarum proventus partim ex prædiis, partim ex industria hominis habetur: tales sunt fœtus animalium, lana, lac, caseus, butyrum &c. De quibus generibus decimarum notandum est, decimas industriales, sive personales, hodie ubique ferè esse abolitas. ex quo sequitur, mixtas quoque, qua parte personales sunt, esse pariter abrogatas: qua parte verò proveniunt ex prædiis, sunt prædiales. Unde restat, ut de solis prædialibus, quippe quæ solæ ferè in usu sunt, quæ mox dicemus, intelligenda veniant. Vid. Tambur. tract. 5. in 5. Eccl. præcept. cap. 1. n. 4. & 5. Illsung tract. 5. disp. 2. q. 3. a. 3. n. 245.

2 Dico jam primo. Spectato Jure communi non tenetur prædii dominus, aut colonus deferte decimas ad horreum Ecclesiæ, vel Parochi. Quia Jure communi nihil tale statutum reperitur, ut cum aliis notant Laym. lib. 4. tract. 6. cap. 5. n. 2. Reding to. 11. q. 8. a. 1. controv. 2. n. 10. Quare satisfacit suæ obligationi Parochianus (nisi aliud obtineat consuetudo) movendo Parochum, ut decimas solò separatas, aut collectas auferat. Qui si id facere intermittat; periculum decimarum ipsius est, non Parochiani.

3 Dico secundo. Decimæ, quæ ex solo oriuntur, statim atque à solo separatæ & collectæ sunt, offerti debent, monito Parocho, ut ptius diximus. Ita habetur expresse in cap. *Cùm homines. de decimis.* & traditur communiter à DD. Sumitur etiam ex Sac. Script. cap 22. Exodi: *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Fœtus animalium dandi sunt, quando non amplius indigent lacte matris: aliæ decimæ tempore consueto, vel per conventionem constituto præstari debent. pro quibus vix universalior & melior regula dari poresl, quàm ut caveatur, ne mora sit damnosa Parocho, ait Illsung q. cit. a. 4. n. 250.

4 Ex dictis colligitur, non esse opus, ut Parochus exigat, aut petat sibi solvi decimas. Ratio est: quia dies ipse, sive tempus solutionis pro creditore interpellat. Vid. Laym. n. 1. Sed quid agendum Parocho, si Parochianus injustè detineat decimas, aut solvere recusel; Respondeo, non posse eas per vim extorquere; aut ob ejusmodi injustitiam talem Parochianum aditu Ecclesiæ, vel Sacramentis prohibere propria auctoritate; sed opus esse, ut hanc causam deferat ad Episcopum, cujus est in solvendis decimis culpabiliter morantes ad solutionem compellere, & post trinam canonicam monitionem etiam excommunicare; juxta Concil. Trid. *sess. 25. cap. 12. de Reformat.* Vid. Laym. num. 4.

5 Dico tertio. Decimæ solvi debent ex fructibus integris, hoc est, antequam ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, aliave ulla debita. Ita habetur in cap. *Cùm non sit.* & cap. *Tua nobis. de decimis*, Ratio sumitur ex citt. Canonibus: quia solutio decimarum debetur in recognitionem, & professionem dominii Divini generalis: quod quemadmodum omnia dominia cætera antecedit, seque ad omnes fructus, qui nascuntur, extendit, ita ex omnibus fructibus, &, antequam satisfiat reliquis juribus, sibi satisfieri postulat. Itaque nec sumptus in colendo agro facti, nec seminis æstimatio detrahi possunt. Similiter, quando decimæ solvuntur ex elocatione ædium, ex molendinis, piscinis, aliisve rebus, non possunt deduci expensæ factæ in earum reparationem, aut melioratione: ut constat ex cap. *Non est in potestate.* cap. *Tua nobis.* & cap. *Pastoralis. de decimis.* Vid. Less. lib. 2. de Just. cap. 39. dubit. 3. n. 16. Tambur. tract. 5. de 5. præc. Eccl. cap. 3. à n. 13.

6 Corollarium. Debitor decimarum, qui in parte notabili fraudat, peccat mortaliter peccatô tum injustitiæ, tum sacrilegii. Ita Less. loco cit. Laym. cap. 2. n. 3. & alii. Ratio est: quia decimæ præceptô Ecclesiasticô Clericis

Clericis deputatæ sunt tanquam justum stipendium pro spiritualibus officiis, in quibus propter æternam salutem fidelium occupantur. Ex alio quoque capite decimæ etiam ad cultum Dei pertinent; cum Deo in Ministris suis consecratæ sint. Consequenter solutio decimarum non tantùm est actus Justitiæ, sed etiam Religionis; & econtra earum defraudatio non tantùm injuriam adversus hominem, sed quodammodo etiam adversus Deum continet. Inter fraudatores Decimarum censeri merentur, qui minores, vel deteriores manipulos, vel partes fructuum assignant, ait Lessius. quamvis enim Decimas soluturi non teneantur pro eisdem seligere meliora, non tamen possunt deteriora, sed mediocria; & prout bona fide agenti se offerunt. Vid. Tambur. num. 17.

TRACTATUS VII.

De Jure & Justitia.

Præsens tractatus materiarum moralium maximè præcipuam, sciituque necessariam continet: neque ulla Moralis Theologiæ pars copiosior, atque uberior. Facit illa utramque paginam D. Thoma 2.2. à q. 57. usque ad q. 79. ubi more ac methodo Scholastica difficultates, quæ huc pertinent, cùm speculativas; tum practicas accuratissimè explicat. Nos, qui Theologos Morales impræsentiarum profitemur, calamum continebimus intra oleas praxeos; quamvis non ita scrupulosè, ut ad Theoriam nunquam extensuri simus. fit enim, nescio quo pacto, ut practica tractantibus speculationes Scholasticæ, has autem agitantibus quæstiones practicæ sint gratiores: ferè sicut navigantibus esus carnium solet esse jucundior; pisces econtra (ait non nemo) remotiùs à mari degentibus magis sapiunt. Quòdsi fortè Lectorem nactus fuero alterius palati, is, pace mea, vertat folia sibi insipida. statim inveniet, ubi pascat intellectum doctrinis practicis.

DISPUTATIO I.

Quid, & quotuplex sit Justitia?

NOmen Justitiæ variè accipitur. nam primo accipitur pro collectione omnium virtutum. quod patet ex illo Matth. 3. *sic decet nos implere omnem justitiam.* & Matth. 15. *nisi abundaverit justitia vestra.* Unde & S. Chrysostomus homil. 10. in Joan. scripsit: *Justitia nihil aliud est, quàm omnium mandatorum plena custodia.* Secundo accipitur pro virtute charitatis à S. Augustino in lib. de nat. & grat. cap. ult. illis verbis: *Charitas inchoata justitia est &c.* Tertio, pro gratia sanctificante; qua homo justificati, & justus esse dicitur, juxta Concil. Trident. sess. 6. de Justif. cap. 7. Quarto demum significat unam ex virtutibus cardinalibus. & hæc sola acceptio est hujus loci. in quo proinde sensu de illa disputaturis sit

ARTICULUS I.

Quid sit Justitia?

TRia in præsenti Artic. præstabimus. Primo, dabimus & exponemus definitionem Justitiæ. Secundo, statuemus illius objectum. Tertio, agemus de contrario ejusdem, quod est vitium injustitiæ. nam contrariorum est eadem disciplina.

§. I. De-

§. I.

Definitio Justitiæ.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Justitiæ, & analysis ejusdem.* 2. *Quid sit habitus Justitiæ.* 3. *Refertur inter virtutes, & quidem speciales.* 4. *Qualiter versetur inter duo extrema vitiosa.* 5. *Est virtus ad alterum.* 6. *Nepotest actum Justitiæ exercere erga se ipsum.*

1 DIco. Justitia ab Ulpiano in *l. Justitiæ.* ff. de just. & jure rectè definitur, *constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 58. a. 1. in corp. ubi declarans hanc definitionem dicit de Justitia, quòd sit *habitus; secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit.* Eadem definitio communiter recipitur à Theologis. Dicitur in illa *Voluntas*, id est, actus voluntatis. nam ponitur actus pro habitu: quia habitus, quemadmodum specificantur per suos actus, ita & cognoscuntur. Dicitur *constans*, id est, firma ac superativa difficultatum occurrentium. Dicitur *perpetua*; perpetuitate non quidem formali, aut subjectiva actus, sed affectiva, seu objectiva, dum nempe est fixum propositum & efficax intentio omni tempore cuique tribuendi jus suum, idque vel positivè, reparando videlicet, si læsum sit; vel negativè, hoc est, non lædendo, si sit integrum. Dicitur, *jus suum tribuendi*, ut significetur objectum adæquatum Justitiæ, quod est jus, sive justum, id est, æqualitas inter debitum, aut obligationem unius, & jus activum, seu potestatem legitimam alterius ad aliquid agendum, vel obtinendum. de quo plura in proximè secuturo §.

2 Ex definitione Justitiæ actualis modò exposita infertur primo definitio Justitiæ habitualis: nempe, quòd sit *habitus; quo firmiter & constanter inclinamur ad tribuendum aliis, quod justum est*: vel, sicut dixit D. Thomas, *habitus; secundùm quem &c.* ubi non tantùm genus proximum, sed etiam differentia ultima Justitiæ, & objectum formale distinctivum ab omni alio exprimitur: adeoque patet, esse definitionem legitimam.

3 Infertur secundo, Justitiam esse virtutem, eamque specialem. Ratio est: quia ille habitus est virtus, eáque specialis, qui & bonum facit habentem ejusque opus, & respicit speciale objectum, quod nulla alia virtus respicit: sed Justitia ità se habet; ergo est virtus, & quidem specialis.

4 Objicies. Virtus moralis, cujusmodi deberet esse Justitia, versatur in medio inter duo vitia opposita; sicut v. g. liberalitas, quæ est media inter prodigalitatem & avaritiam, quarum prior peccat per excessum, posterior per defectum. Sed Justitia non versatur in medio inter duo ejusmodi vitia opposita; ergo non est virtus. mi. ostenditur. nam siquis alteri plus det, quàm debebat, is non peccat contra Justitiam per excessum; ut patet, adeoque solo defectù peccari potest contra Justitiam, dum quis minus dat, quàm debebat: consequenter Justitia non versatur inter duo vitia sibi opposita. Respondeo conc. maj. neg. mi. Justitia namque procurat, ut suppositum, seu subjectum, in quo existit, non plus habeat, quàm vi jurium suorum habere debet, & insuper, ne per ipsum alius minus habeat, quàm vigore jurium suorum habere debet: hæc autem sunt duo extrema vitiosa, & rectæ rationi adversa; adeoque Justitia respicit aliquod medium inter duo extrema vitiosa.

Dices. Virtus debet esse media inter talia extrema, ut, si unum incurratur, ab altero recedatur: sed Justitia non est media inter talia extrema; ergo non est virtus. maj. patet in priori exemplo de liberalitate. quæ versatur inter prodigalitatem & avaritiam. quodcunque enim istorum vitiorum incurras, semper ab altero recedis. mi. prob. ex eo, quòd quis violando Justitiam possit simul incurrere ambo extrema, inter quæ diximus illam esse mediam. nam, qui furatur, habet jam plus, quàm vi jurium suorum deberet habere, & simul facit, ut alter, cui furatur, minus habeat, quàm vi jurium suorum deberet habere. Consequenter Justitia non est media inter talia extrema, ut, si unum per ipsius violationem incurratur, ab altero recedatur. Respondeo, maj. esse veram de aliis virtutibus, falsam de Justitia. quia medium proprium Justitiæ, circa quod versatur, est *æquale*, quod mediat inter *majus* & *minus*: repugnat autem, unum esse majus, quin alterum sit minus: sic v. g. repugnat, ex duabus lineis æqualibus unam fieri majorem, quin altera fiat minor illâ: consequenter Justitia est alio modo inter duo extrema, quàm cæteræ virtutes: atque adeo in ejus violatione non recedit ab altero, dum unum incurritur.

Infertur tertio, Justitiam esse virtutem § ad alterum. Ubi nota, duo esse genera virtutum moralium. Nam aliæ sunt, quæ per suas operationes immediatè respiciunt suppositum, sive subjectum, in quo existunt, ut temperantia, fortitudo, patientia: aliæ verò sunt, quæ respiciunt alterum ab operante distinctum sive realiter, sive moraliter, & fictione juris, ut misericordia, pietas,

pietas, gratitudo, religio, liberalitas, munificentia, obedientia. Priores illæ dicuntur esse virtutes *ad se*; posteriores dicuntur esse virtutes *ad alterum*: atque his Justitiam quoque annumeramus. Ratio est: quia Justitia ex intrinseco suo conceptu ordinatur ad tribuendum, quod justum est, sive debitum ad æqualitatem. sicut proinde idem sibiipsi non potest propriè debere, ita nec idem sibiipsi potest tribuere aut reddere debitum.

6 Objicies. Possum ego ex honestate Justitiæ moveri ad suadendum Petro, ut mihi solvat, quod debet: ergo possum exercere actum Justitiæ circa me ipsum. Ant. patet. cur enim ex affectu castitatis possim suadere Petro, ut sit castus, & non possim ex affectu Justitiæ suadere, ut mihi solvat, quod debet? Conseq. verò prob. quia omnis ille actus pertinet ad Justitiam, qui procedit ex affectu ad honestatem illius: sed in tali casu ea mea suasio, meumque desiderium, ut Petrus mihi solvat, procedit ex affectu ad honestatem Justitiæ; ergo est actus Justitiæ. atqui non est actus Justitiæ, nisi circa me ipsum; cùm per illum non ferat ad aliud jus adæquandum à Petro, quàm jus meum.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. de actu Justitiæ propriè loquendo. Ad prob. neg. maj. quia illa honestas objectiva Justitiæ non refundit honestatem formalem propriam ejus virtutis, nisi in actum, quo quis alius tibi vult eam honestatem; sicut honestas objectiva gratitudinis, aut liberalitatis non refundit honestatem formalem gratitudinis aut liberalitatis in omnem actum, quem terminat, sed in illum solum, quo quis alius tibi ejusmodi honestatem amat vel desiderat. alioquin ego dici possem liberalis ideo, quòd cupiam, te erga me esse liberalem: vel gratus, quòd desiderem, te mihi esse gratum. Dixi tamen, *propriè loquendo*: quia non est negandum, ejusmodi actum reductivè saltem pertinere ad virtutem Justitiæ: sicut etiam actus eliciti ex affectu gratitudinis, & liberalitatis, quibus quis alios vult esse gratos, aut liberales, reductivè pertinere possunt ad memoratas virtutes.

§. II.

Objectum Justitiæ.

SUMMARIUM.

7. Variæ Juris acceptiones. 8. Definitio Juris, prout hîc à nobis accipitur. 9. Debitum aliud est morale, seu simplicis honestatis, aliud legale, seu rigorosum. 10. Objectum formale Justitiæ est justum specificè acceptum pro æqualitate inter debitum unius & jus activum alterius. 11. Motivum formale ejusdem est honestas memoratæ æqualitatis. 12. Materiale proximum operatio, per quam ponitur æqualitas: remotum res æqualiter debita. 13. Objectum Cui *est ipsa persona, quatenùs habens jus activum. 14. 15. 16. Solvuntur Objectiones. 17. Tres conditiones ad objectum Justitiæ necessariæ. 18. Quo sensu juxta D. Thomam Justitia servet medium rei, cæteræ virtutes medium rationis. 19. Medium Justitiæ est invariabile.*

NOtandæ sunt primo variæ acceptiones 7
juris. Sumitur illud primo pro scientia juris, seu Jurisprudentia, quæ à Jureconsulto *l. 1. §. de Just. & Jure, ars æqui & boni* vocatur. Sumitur secundo pro lege. quo sensu dividitur in jus naturale, in jus gentium, in jus positivum &c. ut constat ex tract. de Legibus. Sumitur tertio pro sententia Judicis. Unde dicimus, aliquem jus dicere. Sumitur quarto pro loco, in quo administratur Justitia. Hinc ortum est, ut dicamur in jus ire, in jure comparere. Sumitur quinto pro necessitudine inter affines & consanguineos, quam vocamus jus consanguinitatis & affinitatis. Omnes istæ juris acceptiones sunt analogicæ ac minùs propriæ. Magis propriè sumitur sexto, dum significat jus activum, seu potestativum, quod est radix obligationis, & titulus, quem respicit Justitia ex parte alterius. Septimo demum & primariò sumitur pro eo, quod est justum. nam jus dictum est, quia justum est. can. 2. dist. 1. Justum porrò idem est, quod æquum, & habet duplicem significationem. primo enim significat generatim opus conforme & commensuratum legi ceu regulæ humanarum operationum, sicque dicitur justum legitimum & genericè. Secundo significat æqualitatem inter debitum sive obligationem unius, & jus activum alterius; atque sic est justum specificè acceptum; quod etiam dicitur debitum ad æqualitatem juris in altero existentis, ut habet Reding in præsenti, q. 1. a. 2. vel debitum rigorosum ut adæquandum cum jure alterius.

Notanda est secundo definitio juris in 8
sexta acceptione præmissâ, nempe, quòd sit *libera & legitima facultas disponendi de aliquo, licitè non impedibilis.* quam definitionem, prætermissis aliorum modis loquendi, affert Paulus Mezger, to. 3. tr. 11. disp. 23. a. 2. n. 3. Juvat declarare singulas particulas. Dicitur *libera*, ut intelligas, solam creaturam rationalem, sicut sola est libera, esse capacem juris, vel injuriæ. Dicitur *legitima*, id est, munita legibus, per quod distinguitur à potestate tyrannica, & quali utuntur latrones, quæ, utpote illegitima, non est jus, sed vis.

Dici-

Dicitur, *disponendi de aliquo*, dispositione nimirum latissimè accepta, ita ut comprehendat etiam actum gubernandi, possidendi, obtinendi, utendi &c. Eisdem particulis indicatur etiam objectum istius juris, quod sunt res, actiones, & personæ. Dicitur, *licitè non impedibilis*, ubi denotatur effectus hujus juris activi, qui est obligatio & debitum in aliis, ne ipsum impediant, vel violent: jus enim activum, dum favet uni, gravat alios, paritq; obligationem passivam, ac debitũ in illis.

9 Notandum est tertio, duplicem esse obligationem, seu debitum, nempe aliud morale, seu simplicis honestatis; aliud legale, seu rigorosum. Debitum morale est, quod fundatur in honestate virtutis. hoc tali debito debemus, seu tenemur ex lege charitatis abstinere à scandalo; ex lege, seu titulo gratitudinis nos gratos exhibere patronis &c. Debitum legale est, quod oritur ex jure activo alterius, estque correlativum hujus juris: unde & *justum passivum* appellatur. porrò legale vocatur, quia fundatur in potestate legitima, seu jure alterius conformi legibus. His positis,

10 Dico primo. Objectum formale *quod* Justitiæ est jus, sive justum specificè acceptum pro æqualitate inter debitum unius, & jus activum alterius. Ita communiter Theologi Thomistæ contra multos Recentiores, quibus adhæret etiam Petschacher relatus à Paulo Mezger loco cit. n. 6. Colligitur autem statuta conclusio ex D. Thoma, 2. 2. q. 57. a. 1. & q. 58. a. 10. & 11. Probatur quòque ratione ejusdem in hunc modum. Illud est objectum formale *quod* Justitiæ, quod ipsa suis actibus per se primò intendit; sed Justitia suis actibus per se primò intendit æqualitatem inter debitum unius, & jus activum alterius; ergo objectum formale *quod* Justitiæ est æqualitas inter debitum unius & jus activum alterius; adeoque justum specificè acceptum. maj. est certa. mi. traditur à D. Thoma a. 1. cit. in corp. ubi, postquàm dixisset, illud, ad quod tendit intentio virtutis quasi in proprium objectum, esse rectum, rectum verò, in quod tendit intentio Justitiæ, esse justum, subjungit: *illud enim in opere nostro dicitur justum, quod respondet secundùm aliquam æqualitatem alteri, putà recompensatio mercedis debitæ pro servitio impenso.* Confirmatur. Objectum Injustitiæ est inæqualitas inter debitum unius & jus activum alterius: neque enim aliter facis injuriam, quàm violando æqualitatem, adeoque constituendo inæqualitatem, inter debitum, quod ipse habes, & jus activum, quod habet alter: ergo à contrario æqualitas inter debitum unius & jus activum alterius est objectum Justitiæ.

11 Dico secundo. Ratio formalis, sive motivum formale Justitiæ est honestas memorata æqualitatis. Suadetur hoc modo. Quia motivum formale Justitiæ est honestas illius rectitudinis, quam ipsa per se primò respicit: sed Justitia per se primò respicit rectitudinem æqualitatis inter debitum unius, & jus activum alterius; ergo honestas istius æqualitatis est motivum formale Justitiæ. maj. constat ab inductione in aliis virtutibus. mi. habetur ex probat. prioris Conclusionis.

12 Dico tertio. Objectum materiale proximum Justitiæ est operatio, per quam ponitur æqualitas; remotum est res æqualiter debita. Ratio est: quia illud est objectum materiale proximum, supra quod proximè, & remotum, supra quod remotè cadit formale; ut constat ex Logica: sed formale Justitiæ, nempe honestas æqualitatis, suprà operationem proximè, & supra rem legaliter debitam, cëu objectum operationis, cadit remotè; ergo actio est objectum materiale proximum, & res debita est objectum materiale remotum Justitiæ.

13 Dico quarto. Objectum *cui* Justitiæ est ipsa persona, quatenùs habens jus activum. Declaratur. Certum est, Justitiam, cùm sit ad alterum, præter objectum *quod* habere etiam objectum *cui*, nempe personam, comparatione cujus dicitur esse ad alterum, & cui redditur æquale. Porrò persona, ut sit objectum *cui*, non est consideranda nudè & materialiter, sed accipi debet formaliter, quatenùs est informata jure activo, ratione cujus fundat obligationem & debitum legale in altero, ita ut jus activum personam constituat formaliter in esse objecti *cui*.

14 Objicies primo. Reddere debitum est honestum, licèt nihil cogitetur de æqualitate ulla; adeoque est sufficiens objectum virtutis: atqui non alterius, quàm Justitiæ; ergo debitum, quod vocatur rigorosum, & non æqualitas, est formale objectum Justitiæ. Respondeo, eum, qui intendit reddere debitum, hocipso velle se se exsolvere obligatione, jusque legale alterius exhaurire: hoc autem non fit, nisi per adæquationem illius vel simultaneam, vel successivam: & consequenter redditio debiti, ut sit objectum Justitiæ, importat vel explicitè, vel implicitè proportionalem saltem adæquationem inter debitum rigorosum unius, & jus activum alterius. Unde in forma neg. suppositum maj. quòd nempe à quoquam intendatur redditio debiti ita, ut nihil cogitetur de æqualitate.

15 Objicies secundo. Si quis pro equo, quem furtò abduxit, reponeret tantum pecuniæ, quantum valeret ille equus, is non satisfaceret secundùm Justitiam, quamvis poneret æqualitatem: ergo signum est æqualitatem non esse objectum formale *quod* Justitiæ. In hac obj. vel negare potes suppositum Ant. quod

ad

ad membrum posterius; vel dicere, talem quidem positurum æqualitatem præcisè inter equum & pretium equi, non tamen inter suum debitum & jus alterius, cujus est equus; quia, ut istud adæquet, non sufficit reponere pretium æquivalens equi, sed tenetur equum ipsum restituere, si exstet; cùm dominus equi habeat jus in ipsum equum in specie & individuo.

16 Objicies tertio. Si æqualitas esset formale objectum Justitiæ, tunc omnes actus illius eandem respicerent: sed hoc est falsum; ergo &c. maj. est certa: quia nullus actus virtutis ferri potest extra objectum formale ejusdem virtutis. mi. ostenditur. Nam primo. Depositarius ex Justitia reddens depositum non reddit æquale, sed illud ipsum, quod acceperat. Secundo. Si debens centum non possit plus solvere, quem decem, committit actum Justitiæ reddendo decem. Sed ubi hîc æqualitas? Tertio. Quando servus exhibet domino obsequium ex Justitia debitum, juste agit, quamvis non ponat æqualitatem: cùm dominus habeat jus exigendi multò plura obsequia.

Respondeo conc. maj. neg. mi. ad primam, probat. dico inprimis, æqualitatem per identitatem, qualem in proposito ponit depositarius, esse omnium perfectissimam; unde ipsum, vel maximè reddere æquale. Deinde dico, illum reddendo eandem rem ponere æqualitatem inter suum debitum, & jus depositoris. Ad secundam probat. respondeo, pauperem ejusmodi debitorem exercere tunc actum imperfectum Justitiæ æqualitatem ponendô inchoativè, & inter partem sui debiti & partem juris, quod est in creditore: cùm illa ipsa imperfecta solutio ordinetur ad ulteriorem, & perfectiorem æqualitatem constituendam, quando subjectum fuerit potens solvere totam summam: supponitur enim habere voluntatem solvendi cætera, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. Ad tertiam respondeo, dominum non habere jus exigendi plura obsequia, nisi ut successivè præstanda; adeoque servum similiter jus illud adæquare successivè jam hoc, jam illud obsequium exhibendo. Nunc

17 Ex dictis inferuntur primo tres conditiones essentialiter & intrinsecè necessariæ ad objectum Justitiæ: nempe, debitum legale, æqualitas, & alteritas, eaque non tantùm personarum, sed etiam jurium. Et quidem ad secundam ex his conditionibus quod attinet, patet ejus necessitas ex dictis. Prima ideo exigitur; quia debitum morale simplicis honestatis est commune aliis quoque virtutibus; adeoque non sufficit ad formale objectum Justitiæ; quippe quod debet esse distinctum ab objecto cujuslibet alterius virtutis. Ratio tertiæ conditionis quoad alteritatem personarum est; tum, quia nemo propriè loquendo debet sibiipsi: tum, quia Justitiæ est rectificare operationes ad alterum: operationes autem sunt suppositorum, ait D. Thomas 2. 2. q. 58. a. 2. in corp. Ratio ejusdem conditionis quoad alteritatem jurium est: quia jus est radix debiti legalis, & mensura constituendæ æqualitatis inter creditorem & debitorem: hanc autem radicem oportet esse diversam. Adde, quòd nuda solùm & physica alteritas personarum sine alteritate jurium sit communis etiam aliis virtutibus, quæ sunt ad alterum.

Infertur secundo, quo sensu D. Thomas q. 18
cit. a. 10. dixerit, quòd virtus Justitiæ observet medium rei, cæteræ autem virtutes observent medium rationis. Medium rei, sive reale est, quod desumitur per comparationem rei exterioris, hoc est, vel debiti ad jus formale personæ alterius, vel rei ad rem. Medium rationis est, quod taxat recta ratio juxta regulas prudentiæ, idque, consideratis omnibus circumstantiis, judicat æqualiter distare ab excessu & defectu. Itaque S. D. neque negat, Justitiam ullo modo attendere medium rationis, & regulas prudentiæ (id enim illi debet esse commune cum cæteris virtutibus moralibus) neque negat, alias virtutes respicere ex parte objecti aliquid reale, in quo situm sit medium honestatis objectivæ ab eisdem intentæ; sed hoc demum vult, quòd medium, quòd observat Justitia pro unica sua regula habeat jus alterius, ita ut per illud constituatur æqualitas inter debitum & jus alterius, eaque vel Arithmetica decem ad decem, prætii ad mercem; vel Geometrica & proportionalis, cujusmodi est dignitatis personæ ad officium; oneris & contributionis ad subditum &c. medium verò aliarum virtutum moralium pro sua mensura habeat dictamen & judicium rationis.

Objicies. Medium Justitiæ est variabile 19
pro diversa conditione & qualitate personarum: ergo medium Justitiæ non est medium rei. Conseq. constat: quia medium rei juxta omnes est invariabile; sicut medium rationis est variabile; ut patet in medio temperantiæ, quod aliud est relatè ad hominem sanum & robustum; aliud relatè ad debilem vel infirmum. Ant. prob. quia æger plus debet pro curatione Medico, quàm Chirurgo, licèt labor ab utroque impensus supponatur æqualis; ergo verum est Ant. Respondeo neg. Ant. ad hujus probat. conc. Ant. neg. conseq. ratio quippe, ob quam plus Medico debeatur, quàm Chirurgo, est diversitas jurium: licèt enim admittamus, laborem materialiter & physicè spectatum esse eundem in Medico & Chirurgo, idem tamen non est, si moraliter & formaliter spectetur: quia labor, qui impenditur à

per-

persona majoris dignitatis, in morali æstimatione majoris est pretii, fundátque jus exigendi majorem mercedem, quàm labor conjunctus cum minori dignitate seu conditione personæ; sicut est labor Chirurgi comparatus cum labore & opera Medici.

§. III.

De Injustitia.

SUMMARIUM.

20. *Definitio Injustitiæ.* 21. *Voluntas cessiva juris alia efficax, alia inefficax.* 22. *Consentienti voluntate efficaci non fit injuria.* 23. *Explicantur varii casus, in quibus volenti fieri videtur injuria.* 24. *Volenti voluntate inefficaciter cessiva juris sæpe fit injuria.*

20 EX definitione Justitiæ, quam dedimus, & exposuimus in §. 1. facilè statuitur, quid sit vitium injustitiæ. Est nempe illud vitium, quod pro suo objecto habet injustum, sive inæquale; sicut Justitia, cui opponitur, est virtus, cujus objectum est justum, sive æquale. Quare definiri potest Injustitia, quòd sit *habitus vitiosus, quo quis inclinatur ad lædendum jus alterius.* Ex quibus intelligis, proprium actum hujus vitii esse læsionem seu violationem juris alieni, quæ est idem atque injuria. Porrò violatio juris alieni, sive injuria est duplex, nempe materialis, & formalis. Illa est, quæ non intenditur, & ex invincibili ignorantia juris alieni committitur: veluti contingit, dum quis bona fide alterius prædium v. g. possidet existimans esse suum. Formalis est, qua jus alienum læditur scienter, & cum advertentia, quòd sit jus alienum; adeoque est injuria vel formaliter, vel virtualiter & interpretativè volita. Atque hoc modo dicitur propriè injuria. Et ista quidem non indigens operosiori discussione. Quæstio tamen movetur hic à Theologis, an fieri possit injuria scienti, & volenti? Ante resolutionem

21 Notandum est, voluntatem propriam cessivam juris aliam esse efficacem, aliam inefficacem. Efficax est, quæ neque ex natura sua, neque ex dispositione legum redditur invalida. Inefficax est, quæ alterutro ex his modis redditur invalida, scilicet vel defectu sufficientis cognitionis, vel auctoritate potestatis altioris, quo modo multoties invalida redditur in pupillo, minorenni, conjuge, filiofamilias &c. qui in certis casibus non possunt abdicare jus suum, licèt conentur, resistente videlicet lege altiori propter bonum reipublicæ ita exigentis. His positis

22 Dico primo. Consentienti voluntate efficaciter cessiva juris non fit injuria. Ita D. Thomas 2. 2. q. 59. a. 3. cui suffragatur regula 27. Juris, de regul. Jur. in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.* Et ratio est primo: quia injuria non fit, nisi in altero jus resistat: sed, quando alter efficaciter cessit jure suo, jus non resistit; cùm pro tali actu moraliter non existat, sed sublatum sit, vel suspensum; ergo. Ratio est secundo: quia, sicut injuria est actio moralis facientis injuriam, ita est passio moralis alterius patientis injuriam. In hoc autem distinguuntur actio & passio moralis, quòd illa procedat ab intrinseco secundùm inclinationem voluntatis; ista verò procedat ab extrinseco contra voluntatis inclinationem: ergo, si alter non habeat contrariam inclinationem voluntatis, sicut certè non habet, qui efficaciter cedit suo jure; non patitur injuriam.

Contra hanc Concl. adduci solent varii 23
casus, in quibus volenti fieri videtur injuria. Primus est. Viator, qui metu mortis adactus donat latroni vestem, patitur ab eo injuriam, licèt efficaciter consentiat in donationem. Secundus. Qui fœneratori solvit usuras ob mutuum ab eo acceptum id sciens & consentiens facit, & tamen fit ipsi injuria à fœneratore. Tertius. Marito infertur injuria tam ab adultero, quàm ab adultera, licèt consentiat in adulterium uxoris. Quartus. SS. Martyribus, quantumvis volentibus mortem, irrogata est injuria ab occisoribus. Quintus. Clerico fit injuria à percussore, licèt consentiat, ut percutiatur. cap. *contingit. de sent. Excommunic.* Sextus. Simoniacus accipiendo rem temporalem danti infert injuriam, quamvis iste consentiat. Septimus. Per l. 1. *cod. de rapt. Virg.* pœna capitis statuitur rapientibus virginem etiam volentem: adeoque supponitur in ea lege, virgini fieri injuriam, etiam volenti.

Respondeo ad primum, viatorem non cedere efficaciter jure suo: quia voluntas efficaciter cessiva juris debet esse perfectè libera, non metu injusto extorta. Imò ipsa incussio gravis metûs tunc est injuria tam in se, quàm in suis effectibus. Ad secundum. Si mutuatarius sponte quid donet ultra sortem, nulla committitur usura; adeoque ipse nullam patitur injuriam. Si quidpiam solvat ultra sortem tanquam pretium ex justitia debitum, consensus in hanc talem solutionem est invalidus: cùm pretium mutui ex omni jure repugnet. Deinde vel scit mutuatarius, nihil ultra sortem deberi ex justitia, vel non? Si non scit, injustè decipitur ab usurario petente, vel accipiente pretium. Si scit, & solvit sine animo donandi necessitate adactus, rursus patitur injuriam; quia non habet voluntatem cedendi suo jure ad recipiendum, quod solvit, estque verè invitus, si non resti-

tuatur. Ad tertium. Consensus ille mariti non efficax, sed nullus: cùm fides & obligatio matrimonii, utpote juris naturalis & Divini, non sit subjecta voluntati conjugum, sed irremissibilis; sicut vinculum ipsius matrimonii est indissolubile. Ad quartum. Illa promptitudo, qua SS. Martyres cruciatus, mortemque ipsam acceptârunt, non fuit cessio proprii juris ad vitam: quemadmodum colligitur ex S. Script. Sap. 7. ubi eisdem tribuitur actio injuriarum contra tortores in extremo judicio. Ad quintum. Licèt concederemus, Clericum suo consensu validè renuntiare juri proprio, percussor nihilominùs inferret injuriam, non quidem Clerico, ut personæ privatæ, sed toti statui Clericali, cujus jure Clericus privatus nunquam potest cedere validè. Atque hæc est ratio, cur Clericus ipse incurrat excommunicationem Canonis, si sibiipsi violentas manus inferat cum peccato mortali; sicut docet cum aliis Molina to. 3. tr. 3. disp. 51. n. 4. ubi tamen advertit, eam rationem non procedere de Moniali, quæ potione, aut venæ sectione abortum procurat; quia hæc talis manuum injectio non est injuriosa personæ Religiosæ, aut statui Religioso, sed est grave peccatum ex alio capite, nempe ob damnum prolis. Ad sextum. Simoniacus danti rem temporalem infert injuriàm, si ex justitia teneatur dare gratis rem spiritualem; secùs, si tantùm teneatur dare ex virtute Religionis. Neque enim certum est, quòd Simonia semper Justitiæ quoque adversetur. Ad septimum. Non sola injustitia, sed etiam alia peccata graviora merentur capitale supplicium. Quare, ut lex raptoribus virginum, etiam violentium, decerneret pœnam capitis, non erat necessarium, ut supponeret, eisdem inferri injuriàm. Deinde esto, non inferatur injuria raptæ virgini, infertur tamen parentibus & reipublicæ, quibus puellas per vim abripere nefas est, ac dignum puniri supplicio per legem illam statuto. Sic etiam videmus, eum, qui se ipsum occidit, à republica puniri pœnis infamiæ, confiscationis bonorum, privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, haud sanè, quòd injuriam inferat sibiipsi, sed quòd injuriam inferat civitati, vel reipublicæ, cui suâ violentiâ membrum abripit.

Dico secundo. Consentienti consensu invalido, & inefficaciter solùm tollenti, aut suspendenti obligationem juris sæpè fit injuria. Facilè colligitur ex dictis. Ratio verò est: quia tam diu locum habet violatio juris, adeoque injuria, quamdiu manet jus, & obligatio juris: sed quando consensus vel ex natura sua, vel saltem ex dispositione legis est invalidus, & inefficax, manet Jus, & Juris obligatio; ergo. Confirmatur primo. Per invalidam licentiam, aut dispensationem superioris consentientis non excusatur subditus à violatione præcepti: ergo etiam per invalidam cessionem juris consentientis domini nullus excusatur à violatione juris. Confirmatur secundo. Quando nullus adest consensus domini, tunc eidem inferri potest injuria, ut est evidens: ergo etiam, quando consensus est inefficax, aut invalidus. Conseq. patet: quia talis consensus & nullus consensus perinde se habent moraliter. 24

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Justitia?

SUMMARIUM.

1. In Republica triplex reperitur habitudo ad alterum. 2. Divisio Justitiæ in legalem, distributivam, & commutativam. 3. 4. Justitia distributiva semper exigit plures personas, quas inter se comparet. 5. Justitia legalis est virtus specialis. 6. Reperitur etiam in Principe. 7. Definiuntur singulæ species Justitiæ. 8. Quodnam sit discrimen essentiale inter Justitiam distributivam & commutativam. 9. Non datur Justitia vindicativa, quæ sit quarta species formaliter diversa à recensitis.

1 NOtandum est, in republica triplicem dari habitudinem ad alterum. Prima est habitudo totius ad partem. Secunda partis ad totum. Tertia partis ad partem. Porrò quamlibet istarum habitudinum sequitur speciale jus activum, ac debitum legale, inter quæ poni potest æqualitas. Nam inprimis datur in toto, sive republica jus activum altum, ut vocant, in bona & actiones civium pro conservatione boni communis, debitúmque ipsorum civium huic juri correspondens. Deinde in partibus communitatis, seu civibus, est jus activum ad bona communia, dignitates, & officia secundùm proportionem conditionis in ipsis repertam distribuenda: quod dicitur jus distributivum, cui correspondet in communitate vel magistratu debitum ad res prædictas juxta illam proportionem distribuendas. Demum, cuilibet parti communitatis, seu civi privato, competit jus activum rigorosum, ut sibi servetur æqualitas in mutuis contractibus, & commutationibus ab alio homine privato, vel quasi privato: qui & ipse ad hoc tenetur debito rigoroso. Hoc posito,

Dico. Justitia rectè dividitur in Justi- 2
tiam legalem, distributivam, & commutativam,

tivam. Ita D. Thomas 2. 2. q. 58. a. 6. & 7, Ratio est: quia in tot speciebus rectè dividitur Justitia, quot sunt habitudines ad alterum, secundùm quas Justitia hominem ordinat ad ponendam æqualitatem inter jus activum unius, & debitum legale alterius: sed tres sunt ejusmodi habitudines, ut vidimus; ergo. Itaque virtus, quæ singulas partes ordinat ad bonum totius reipublicæ, est Justitia legalis, seu generalis. Legalis dicitur; quia, ut inquit Lessius lib. 2. cap. 1. dubit. 1. extendit se ad omnia, quæ lege sunt constituta propter bonum commune. Generalis autem; quia respicit bonum commune, & ad ejus conservationem aliarum virtutum actus dirigit. Porrò virtus, quæ disponit totum, seu communitatem ad distribuendas res communes, officia, vel dignitates &c. inter cives secundum proportionem in eis repertam, est Justitia distributiva. Denique virtus, quæ partem ad partem, civem nimirum ad civem, dirigit, ut constituatur inter illos æqualitas in actionibus, quibus communicant, dicitur Justitia commutativa.

3 Objicies. Justitia distributivâ non exigit semper plures personas, quas inter se comparet, ut exerceatur justa distributio: ergo non rectè dicitur disponere communitatem ad distributionem rerum communium secundùm proportionem qualitatum seu meritorum in partibus repertam. Ant. prob. primo in casu, quo vacat unum tantùm beneficium v. g. quod tunc certè non distribuitur inter plures; & tamen, si conferatur digniori, exercetur actus Justitiæ distributivæ. Prob. secundò in casu, quo unus tantùm comparet in concursu ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum: ubi iterum committitur actus Justitiæ distributivæ, si huic tali, qui solus occurrit, conferatur beneficium, licèt à distributore nulla fiat distributio, aut comparatio inter plures.

Respondeo cum communi sententia, Justitiam distributivam semper exigere plures, quos comparet inter se, ut fiat justa distributio. Et certè ipsa vox *distributio* videtur consignificare plures. Quare ille propriè distribuit, cui plures occurrunt ad accipiendum. Et hinc Justitia distributiva propriè reperitur in Superiore habente sub se subditos, quibus pro meritis distribuat, ita ut eisdem inter se comparatis teneatur habere rationem digniorum præ minùs dignis: & consequenter comparatio plurium inter se per se spectat ad honestatem Justitiæ distributivæ. Neque obstat facta objectio. In forma neg. Ant. ad primam probat. dico, in eo casu omnino attendi ad merita plurium inter se comparatorum, ut appareat, quinam sit dignior. Est autem per accidens, quòd res non dividatur, cùm sit indivisibilis: nam per se loquendo Justitia divideret secundùm proportionem meritorum. Ad secundam dico, tunc saltem fieri comparationem illius, qui solus venit ad concursum, cum aliis, qui non veniunt; adeoque non sunt ita digni beneficio, ut ille. Vel potes dicere, tunc collationem beneficii non esse actum Justitiæ distributivæ, sed alterius virtutis cujuscunque demum.

Dices. Etiam ille, qui ex Justitia commu- 4
tativa tribuit, quod debet, comparat prius creditorem cum aliis hominibus, qui non habent talem titulum; & ideo huic potiùs solvit, quàm aliis: & tamen Justitia commutativa non semper exigit plures, quos comparet inter se: ergo neque de Justitia distributiva id universaliter est affirmandum. Respondeo neg. paritatem: quia reddens ex Justitia commutativa, quod debet, non ideo instituit illam comparationem inter plures, ut membra communitatis participent ex bonis, vel oneribus communibus juxta proportionem meritorum, vel virium, qui est finis per se intentus à Justitia distributiva; sed ut creditor habeat, quod suum est ex jure activo, quod is habet erga ipsum ceu privatus erga privatum, sive pars erga partem communitatis. Vid. Card. de Lugo de Just. & Jure disp. sect. 3. n. 43. & 44.

Ex dictis

Infertur jam primo, Justitiam legalem 5
non esse virtutem solùm generalem, seu meram complexionem aliarum virtutum, sed esse virtutem specialem distinctam ab aliis. Colligitur ex D. Thoma q. cit. a. 6. estque communis sententia. Dixi, *Justitiam legalem*: quia distributivam & commutativam esse virtutes speciales, & tam inter se, quàm ab aliis omnibus distinctas, facilè consentiunt Doctores. Ratio verò illationis est: quia Justitia legalis habet speciale objectum, & specialem difficultatem superandam. Objectum quidem; quia versatur circa bonum commune ut legaliter debitum, quod est extra objectum omnis alterius virtutis. Difficultatem autem; quia, ut dicit Aristoteles 3. Politic. apud D. Thomam a. cit. *Non est simpliciter eadem virtus boni viri, & boni civis.* Ubi satis indicat, in procuratione boni communis ut legaliter debiti, quod respicit Justitia legalis, per quam aliquis efficitur bonus civis, reperiri difficultatem longè aliam, & majorem, quàm in procuratione boni particularis, quod respicitur à Justitia particulari, aliisque virtutibus, per quas aliquis efficitur vir bonus.

Infertur secundo, Justitiam legalem 6
etiam reperiri in Principe, seu Magistratu. Ratio est: quia non minùs Princeps aut Magistratus habet debitum ad conservationem boni communis, quàm subditus: ergo non ma-

magis in hoc, quàm in illo locum habet Justitia legalis. Quòd si quæras, sitne hæc Justitia eadem specie in Principe & subditis? Respondetur probabiliùs, esse eandem specie. Ratio est: quia utrobique respicit idem objectum formale, scilicet bonum commune ut adæquabile per exhibitionem actuum legaliter debitorum. Paulus Mezger to. 3. tract. 11. disp. 24. a. 1. n. 7. Negari quidem non potest, Principem insuper teneri ad procurandum bonum publicum ex justitia commutativa ob pactum quoddam implicitum cum republica, cujus est minister, ut proinde ad restitutionem quoque teneatur, si per ipsius negligentiam bonum commune aliquod detrimentum patiatur; verùm, si consideretur & ipse præcisè, ut pars est ejusdem reipublicæ, participat eandem obligationem Justitiæ legalis, quam habent alia membra. Ista namque obligatio non tollitur per adventum, alterius, quam habet, ut est princeps.

7 Infertur tertio, quomodo singulæ species Justitiæ definiri possint. Justitia legalis est constans & perpetua voluntas membrorum reipublicæ communitati jus suum tribuendi. Distributiva est constans & perpetua voluntas communitatis, vel magistratûs membris reipublicæ jus suum per distributionem rerum, aut onerum, communium pro illorum qualitatibus tribuendi. Commutativa est constans & perpetua voluntas singularum partium reipublicæ singulis jus suum tribuendi.

8 Infertur quarto, discrimen essentiale inter justitiam commutativam & distributivam in hoc esse situm, quod justitia commutativa intendat æqualitatem inter debitum legale, & jus partis rigorosum seu jus proprietatis, vel quasi proprietatis: distributiva e contra respiciat æqualitatem inter debitum legale, & jus communitatis minùs strictum, quod consistit in speciali condignitate partis ad bona communia propter conjunctionem & connexionem cum toto.

9 Infertur quinto, vindicationem, seu punitionem scelerum in republica diverso respectu esse actum justitiæ legalis, & commutativæ; atque adeo non dari quartam speciem justitiæ, quæ vindicativa dicitur, à tribus recensitis formaliter diversam. Ratio est: quia ex una parte Judex in facinorosos animadvertit propter conservationem boni communis ut legaliter debiti, quod est formalissimè motivum justitiæ legalis: ex altera verò parte tenetur ex officio & pacto cum republica inito punire delinquentes, quod pertinet ad justitiam commutativam.

DISPUTATIO II.

De Jure & Dominio, variisque modis acquirendi Dominium.

SErmo erit de Jure rigorosè accepto, quod est radix debiti legalis justitiæ commutativæ. Dabimus autem priùs juris communiores, ac Theologo Morali scitu magis necessarias cùm definitiones, tum divisiones. Deinde de modis, quibus acquiruntur rerum Dominia, agemus.

ARTICULUS I.

Divisiones & definitiones Juris, & Dominii.

SUMMARIUM.

1. *Quid hic intelligatur nomine juris.* 2. *Divisio juris in Jus* in re, *& in Jus* ad rem. 3. *Definitio Dominii.* 4. *Eius divisio in dominium jurisdictionis, & in dominium proprietatis.* 5. 6. *Variæ divisiones, & subdivisiones dominii proprietatis.*

1 DIco primo. Nomine Juris impræsentiarum intelligitur legitima, & libera facultas aliquid agendi, obtinendi, disponendi, utendi &c. ita ut si quem in exercitio ejusmodi facultatis absque justa causa impedias, injuriam eidem inferre censearis. Cùm injuria aliud nihil sit, quàm juris alieni violatio, ut constat ex disp. præced. a. 1. n. 20. Sic, quandomihi jus metendi frumentum in agro, injuriam mihi infert, quisquis sine causa id me facere prohibet. Vid. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 5. n. 1.

2 Dico secundo. Jus ita acceptum rectè dividitur in jus *in re*, & in jus *ad rem*. Jus in re, sive reale est, vi cujus certa res existens ita alicui constituitur devincta & obligata, ut eandem vindicare atque repetere ex cujuslibet manibus possit, quocunque devenerit. Jus ad rem, sive personale est, vi cujus non quidem res ipsa, sed persona quæpiam alicui fit devincta & obligata ad rem certam, vel ad pretium illius reddendum. Rem vide in exemplo. Cajus equum emit à Titio, sed nondum accepit. Per emptionem Cajo jam competit jus ad rem, sive per-

personale contra Titium, quo hic constituitur obligatus ad tradendum equum. Quòd si insuper equum accepit à Titio, tunc habet jus in re, vi cujus ipsum equum à quocunque alio, qui eundem abduxit, vel detinet, exigere & vindicare potest. Unde jus *in re* dicitur parere actionem realem, quam Jurisconsulti vindicationem appellant. Jus verò ad rem tribuit actionem personalem, hoc est, potestatem adigendi personam in judicio, ut illud præstet, vel æquivalens, ad quod ex aliquo titulo Juris præstandum obligatur. Ut acquiratur jus *ad rem*, sufficit aliquis titulus juris, quales sunt emptio, stipulatio, donatio, legatum, electio &c. Ad consequendum verò jus in re plerumque requiritur actualis traditio, & apprehensio rei.

3 Dico tertio. Dominium in genere rectè definitur *jus reale gubernandi, vel disponendi de re aliqua tanquam sua*. Dicitur *jus reale*, quod est loco generis. Nam dominium est vera eaque præcipua species juris in re. Dicitur *gubernandi vel disponendi &c.* tum, ut indicentur duæ species dominii, in quas adæquatè dividitur, nempe dominium jurisdictionis, & dominium proprietatis: tum, ut dominium distinguatur ab aliis juribus realibus; qualia sunt jus usûs, pignoris, hypothecæ &c. quorum possessores neque faciunt rem suam, neque de illa tanquam sua possunt disponere; adeoque non sunt domini. Dicitur autem *res sua* in hac definitione, quæ illi, cujus esse dicitur, est ita adstricta, ut proprio nomine & authoritate, non ex commissione alterius, de ea possit disponere.

4 Dividitur dominium inprimis in dominium jurisdictionis, & in dominium proprietatis. Dominium jurisdictionis est *jus gubernandi suos subditos in ipsorum commodum*. Hoc idem dominium eo modo dividitur ulteriùs, quo jurisdictio ordinaria, à qua non videtur distingui. Quare aliud est Ecclesiasticum; ut potestas Papalis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis &c. aliud Politicum, seu temporale, ut potestas Imperatoria, Regia, Ducalis &c. Actus dominii jurisdictionis sunt præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, præmiare. Dominium proprietatis, quod solum huc pertinet, est *jus reale disponendi de re aliqua tanquam sua in suum commodum*. Ubi per ultimas particulas à dominio proprietatis excluditur jus usurarii, hypothecarii &c. nam esto, his competat jus in aliquam rem, non tamen competit tanquam in suam. Removetur præterea jus tutoris, in quo facultas disponendi de rebus pupilli non in proprium, sed in pupilli commodum est instituta. Demum, per ly *in suum commodum* dominium proprietatis essentialiter differt à dominio jurisdictionis.

5 Dominium proprietatis aliud est perfectum, sive plenum; aliud imperfectum, sive non plenum. Dominium perfectum definitur *Jus in re extendens se ad omnem ejus usum, seu dispositionem, nisi lege prohibeatur*. Dicitur *jus in re*, quod ponitur loco generis, & latiùs patet, quàm dominium: nam omne quidem dominium est jus in re, at non omne jus in re est dominium. Debet autem ly *in re* hîc sumi generatim, & prout sub se complectitur res tam corporales, id est, quæ tangi possunt, ut fundus, homo, aurum; quàm incorporales, sive, quæ tangi non possunt, ut jus hæreditatis, jus eligendi, honor, fama &c. quamvis enim Jurisperiti res solùm corporales velint cadere sub dominium, Theologi tamen id etiam in rebus incorporalibus agnoscunt, v. g. in jure libertatis, in fama, in honore &c. Dicitur ulteriùs, *extendens se ad omnem ejus usum*. Quæ verba sunt loco differentiæ. Hoc enim est proprium pleni dominii, ut quis re sua uti possit pro suo beneplacito, putà eam servare, consumere, vendere, destruere &c. Atque in hoc dominium perfectum differt tum à dominio directo, quod se extendit solùm ad rei proprietatem absque commodis & usufructu illius: tum à dominio utili, quod se extendit ad sola commoda & usumfructum absque proprietate. Dominium quippe perfectum simul proprietatem rei & commoda ejus complectitur. Dicitur demum, *nisi lege prohibeatur*. Contingit enim, per accidens, & non ex defectu dominii, ut propter commodum ipsius domini, vel boni communis lex interdicat certô exercitiô, vel usu dominii, quemadmodum pupillus prohibetur alienare sua bona usque ad determinatum tempus; cùm tamen, teste Apostolo ad Galat. 4. *sit dominus omnium*.

6 Dominium imperfectum communiter dividitur in directum, & utile. Directum est, quod continet proprietatem sine emolumentis. Utile est, quod continet fructus & emolumenta rei sine proprietate. Inter species dominii utilis recensentur potissimùm Ususfructus, Emphyteusis, Feudum & Superficies: de quibus amplissimè tractant Jureconsulti. Ususfructus est jus utendi, fruendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ. Dicitur *jus*, ut excludatur simplex usus facti. Dicitur *utendi*, ut excludantur jura pignoris & depositi: his enim gaudentibus fas non est uti pignore, vel deposito. Dicitur *fruendi*, ut excludatur usus juris, qui consistit in nudo rei usu, non tamen fructuum, saltem eorum, qui ultra sustentationem familiæ supersunt. Porro nomine fructuum veniunt, in fundo segetes, fœnum, virgulta, arbores cæduæ; at non frugiferæ, vel consitæ recreationis causâ: in pecoribus lana, pili, lac, fœtus: in servis opera, & merces propter operas; non tamen fœtus ancillæ, idque propter dignitatem naturæ humanæ.

Nam iste ad dominum directum, non ad usufructuarium pertinet. §. *in pecudum. Instit. de rer. divis.* Dicitur, *rebus alienis*, ut excludatur ususfructus causalis, qui est conjunctus cum dominio directo, à quo procedit. Dicitur, *salvâ earum substantiâ*, ut indicetur obligatio Usufructuarii: tenetur enim salvam conservare rei substantiam, ac modicos sumptus facere, qui ad hoc sunt necessarii: tenetur præterea cautionem præstare proprietario, se ipsius re usurum boni viri arbitrio, eámque tempore finito restituturum. Colligitur etiam ex his particulis, usumfructum propriè non dari, nisi in rebus, quæ usu non consumuntur, quales sunt domus, agri, pecora &c.

Emphyteusis est *contractus, quo res immobilis alicui fruenda traditur in perpetuum, vel ad tempus certum non minus decennio, sub obligatione pensionis domino proprietatis reddendæ.* Ita describit ex communi DD. Castropalao, de Just. in gen. pu. 5. Convenit cum usufructu, quòd similiter concedat emolumenta ex re aliena: differt autem, quòd ususfructus etiam habeat locum in rebus mobilibus, & regulariter exspiret, dum moritur fructuarius; atque adeo transferri nequeat in alium; cujus tamen oppositum reperitur in Emphyteusi.

Feudum proximè accedit ad Emphyteusim, estque *contractus, quo res immobilis, vel quæ pro immobili habetur, alicui fruenda traditur pro fidelitate & obsequio personali exhibendo.* Differt proinde ab Emphyteusi, quòd in recognitionem dominii directi obliget ad obsequium personale præstandum; Emphyteusis ad solvendam pensionem personalem. Is, qui Feudum accipit, vasallus; qui confert, infeudator appellatur. Huc pertinet Feudum, vel Emphyteusis secundaria & subalternata, quam vocant libellum, seu contractum libellarium, estque contractus, quo vasallus vel Emphyteuta (id est, qui accipit Emphyteusim) Feudum, sive Emphyteusim acceptam in alterum transfert simili modo, quo ipse accepit.

Superficies est *contractus, quo alicui conceditur superficies alieni soli ad domum ædificandam, vineam plantandam, aut quidvis aliud ibi constituendum.* Hic contractus statim finitur, quàmprimùm illud perit, ad quod constituendum, vel inædificandum, sive gratis, sive pro pretio, vel pensione fuit concessa. Quare citra novum contractum superficiario fas non est in eo solo quidquam amplius constituere aut ædificare. Atque hinc vides, quomodo superficies differat ab Emphyteusi.

ARTICULUS II.

De modis acquirendi dominium.

CUm minimè expediret omnia esse communia, jure gentium & consensu totius humani generis introducta est rerum ac dominiorum divisio, adeoque & dominiorum acquisitio: quæ variis modis solet contingere, ut brevi videbimus. Interim sciendum est, res, quarum dominium solet acquiri, esse in triplici differentia. Nam primo, aliquæ actualiter habent dominum. Secundo, aliquæ nondum habent dominum, sintque adhuc indivisæ & communes. Tertio, aliquæ dominum, vel possessorem habuerunt, modò tamen amiserunt. De rebus primæ conditionis hîc nihil nobis negotii, sed supponimus, earum dominia acquiri translatione & traditione. Res autem secundæ & tertiæ conditionis veniunt in dominium occupatione, inventione, alluvione, accessione, commixtione, formatione, usucapione, seu præscriptione. De quibus hoc & proximè secuturo artic. agemus.

§. I.

De modo acquirendi dominium per occupationem.

SUMMARIUM.

1. *Animalium alia mansueta, alia ferâ, alia naturali libertate gaudent; alia inclusa tenentur.* 2. *Animalia domestica non licet capere.* 3. *Quid de animalibus usu humano mansuefactis?* 4. *Animalia omnino fera & sylvestria, quæ domino carent, fiunt primo occupantis.* 5. 6. *& seqq. Resolutiones casuum.*

PEr occupationem, cujus species sunt venditio, piscatio, & aucupium, sæpissimè, imò quotidie, acquiritur dominium animalium. Sunt autem quædam animalia naturali indole mansueta; ut oves, boves, equi, sues, gallinæ domesticæ, & similia: quædam sunt fera, sive sylvestria. Et ex his aliqua hominum industriâ mansuescunt, & cicurantur, ut cuniculi, cervi, columbæ, accipitres; sicut econtra quædam naturâ suâ mansueta, dum in sylvis relinquuntur, efferantur; ut sues, & capræ, imò & equi in India Occidentali, ut refert Lugo, qui ex Europa advecti in sylvis & montibus facti sunt feri, ibique venatione capiuntur, ac postea rursus cicurantur. Porrò animalium alia sua naturali libertate fruuntur; ut cervi, damæ, lynces in saltibus & alpibus; pisces in fluviis & lacubus: alia tenentur conclusa; ut pisces in piscinis; feræ & aves in hor-

hortis, caveis, vivariis &c. de quibus omnibus universaliter verum est, ea, si domino careant, fieri primò occupantis, l. 1. ff. *de acquir. possess.* Sed, ut de hoc toto agatur distinctiùs,

2 Dico primo. Animalia domestica, sive suapte naturâ mansueta, non fiunt capientis, quamvis egressa custodiam atque conspectum dominorum longiùs aberrent. Patet hoc ex §. *gallinarum. instit. de rer. divis.* Et ratio est: quia hæc animalia, licèt fugerint, non censentur libera, sed adhuc constituta intra moralem potestatem sui domini propter indolem domesticam & consuetudinem revertendi. Hinc etiam, dum ovis longiùs aberrans à lupo, vel gallina à vulpe capta fuit, tuque superveniens ex illorum faucibus eripuisti, domino restituere teneris per l. *Pomponius ff. de acquir. rer. dom.*

3 Dico secundo. Animalia usu humano circumata, si aufugerint, tamdiu non transeunt in dominium capientis, quamdiu retinent pristinam consuetudinem redeundi: hac autem amissâ, fiunt primò occupantis. Ratio est: quia in priori casu nondum censentur extra moralem potestatem sui domini constituta; bene autem in posteriori. Tunc enim in naturalem suam libertatem se recepisse creduntur. Cæterùm, quanto tempore sit opus, ut hæc animalia per suam absentiam redeundi consuetudinem exuisse dicenda sint, prudentûm judiciô definiendum est: quia in quibusdam longius desideratur, in aliquibus brevius sufficit. Vid. Lugo de Just. & Jure, disp. 6. sect. 5. n. 41.

4 Dico tertio. Animalia omnino fera & & sylvestria, quæ domino carent, fiunt primò capientis. l. 1. §. 1. ff. *de acquir. possess.* & §. 14. *instit. de rerum divis.* Ratio est: quia sunt libera & nullius. Illud tamen est advertendum, eum, qui cepit ferum aliquod animal, v. g. cervum, vel leporem, tamdiu censeri dominum, quamdiu intra suam custodiam illud continuerit: ex hac enim si evaserit, rursus evaserit primò occupantis. Ratio est: quia recuperavit suam naturalem libertatem. Dicuntur autem animalia naturalem libertatem recuperâsse, quando suâ fugâ eò usque domino se abstulerunt, ut difficulter comprehendi possint. Si facilè comprehendi & ex fuga retrahi possunt, non censentur libera, sed adhuc in potestate domini constituta. Vid. Lessius l. 2. c. 5. dubit. 6. n. 31. Atque hinc ad praxim resolvuntur sequentia.

5 I. Peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, qui cervum, damam, vel aliud ferum animal è septis; pisces è piscinis, quibus concluduntur, diripit. Ita communiter DD. Ratio est: quia animalia ita clausa habent proprium dominum; cui proinde, si auferantur, infertur injuria contra Justitiam commutativam.

6 II. Si memorata animalia casu erumpant è sua custodia, nullâque spes affulgeat, fore, ut redeant, vel recuperentur, fiunt primò occupantis: ut, si perdices, & aves Phasianæ avolent; si pisces rupta crepidine expiscina in flumen, aut lacum elabantur; si cervi, vel damæ transiliant septa, atque in sylvas diffugiant. Ratio est: quia tunc naturali libertati suæ redduntur. Molina de Just. tract. 2. disp. 41. n. 5. Paul. Mezger tract. 11. disp. 27. a. 1. n. 3.

7 III. Examen apum ex alveari tuo erumpens tamdiu erit in tuo dominio, quamdiu erit in tuo conspectu, & facilè comprehendi poterit. Quòd si autem penitus disparuerit, vel difficulter recuperari possit, transibit in dominium primò capientis, etiamsi ex arbore tuâ dependeat. Ratio est: quia apes sunt naturæ sylvestris, atque adeo hujusmodi fugâ naturalem libertatem consequuntur. Porro quemadmodum avis non ideo est, vel fit tua, quòd in arbore tua nidificet, ita nec examen apum ideo est tuum, quòd in arbore tua pendeat. Potes tamen alterum prohibere, ne apes, vel aves capiendi causâ fundum tuum ingrediatur, arborémve conscendat. Quòd si contra tuam voluntatem ingressus inibi quid ceperit, tenebitur ad restitutionem, non quidem apum aut avium captarum; sed quod, & quantùm tuâ intererat, ne quis alius fundum tuum ingrederetur. Less. loco cit. n. 32. Salmanticenses tract. 12. de Just. & Jure, pu. 6. n. 15. Mezger n. 5.

8 IV. Si Titii columbæ v. g. sese associent columbis Sempronii, unâque in hujus columbarium involent, amissa consuetudine redeundi in columbarium Titii, tunc fiunt Sempronii capientis. Less. n. 30. Ratio est, quia censentur se redegisse ad naturalem libertatem, & extra potestatem prioris domini existere. Hoc autem ita se habere intellige, dum abest fraus, & prava intentio. Nam si Sempronius datâ operâ in suo columbario spargeret illecebras, quibus Titii columbas eò alliceret, ac caperet, teneretur ad restitutionem. Less. n. 28. Lugo to. 1. de just. & jure, disp. 6. sect. 5. n. 43. Ratio est: quia quamdiu aliquis est dominus columbarum (idem dic de aliis animalibus) tamdiu habet jus contra alios, ne mediis utantur ad illas ex suo dominio extrahendas per se ordinatis; sed Titius supponitur esse dominus columbarum; ergo. Attendi tamen hîc debet consuetudo. Volunt enim, in quibusdam locis mutuo consensu alentium columbas esse permissum omni arte aliunde non illicitâ eas ad se pellicere.

9 V. Ferarum dominium, quæ in circumseptis saltibus magnæ amplitudinis continentur, ità ut nunquam captæ, vel quasi captæ fuerint,

rint, non est penes eum, cujus est saltus. Quod idem dicendum de piscibus laciuum, flumi-
num, paludum &c. magnæ vastitatis. Molina disp. 41. n. 11. Laym. lib. 3. de just. & jure. tract. 1. cap. 5. n. 12. Salmantic. n. 53. Mezger loco cit. Ratio est: quia custodia tam ampla non aufert his animalibus suam naturalem libertatem, eorúmque captura multùm difficilis, atque anceps existit.

10 VI. Quando dubitatur, si fera bestia ab uno vulnerata, ab altero capta sit, uter ejusdem dominus existat? Res ita decidi debet: Vel vulnus est lethale, & sufficiens ad capiendum animal, ipséque vulnerans insequitur cum morali spe comprehendendi; vel non insequitur, & non habet moralem certitudinem capiendi? Si prius; tunc fera est vulnerantis. Ratio est: quia tunc habet eam moraliter in sua potestate, sibique subjecit instrumentô, quo vulnus inflixit. Quare censetur quasi capta. Si posterius; erit capientis. Ratio est: quia non censetur adhuc capta à quoquam alio. Less. dubit. 10. Laym. loco cit. Quòd si vulneratio non solùm occasio, sed etiam causa extiterit, ut alter feram caperet, alioquin non capturus, æquitas postulat, ut eam pro quantitate casualitatis datæ inter se dividant. Molina disp. 42. n. 1. Mezger loco cit. Affine dubium est, utrùm avis, quam ego laqueo meo irretivi, sit mea, an tua, si fortè superveniens inde exemisti, atque abstulisti? Ubi dicendum est, esse meam: nam ego apprehendi & occupavi; ademptâ per meum instrumentum libertate naturali. Hæc autem talis apprehensio sufficit ad comparandum dominium; sicut enim manibus, ita & instrumentis aliquid apprehendere possumus & in nostram potestatem redigere, inquit Lessius dubit. 11.

§. II.

Expediuntur varia quæsita ad præsentem materiam pertinentia.

SUMMARIUM.

11. *Columbaria ex se licita sunt.* 12. *Solvitur objectio.* 13. *Principes ex justis causis possunt sibi solis reservare jus venandi.* 14. *An Princeps prohibere possit, quod omnibus jure naturæ est licitum?* 15. *Occupatio animalium potest esse illicita ratione personarum, temporis, publicæ utilitatis, & loci.* 16. *Ex occupatione illicita ratione loci oritur obligatio restituendi.* 17. *Quanam pœna in foro externo affici possint injusti venatores?* 18. *Principes non possunt prohibere subditis, ne agros, eorumque fructus defendant contra feras.* 19. *Principes per se loquendo tenentur subditis resarcire damna, quæ iidem ex venatione, vel nimia ferarum multiplicatione patiuntur.* 20. *Respublica justè prohibere potest etiam suis civibus, ne pascant aut lignentur in certo loco.* 21. *Qui pascit, aut lignatur in loco communi suæ Reipublicæ prohibito, non peccat mortaliter, nisi inferat grave damnum.* 22. *Consectaria ex dictis.* 23. *Sylva, aut pascuo ad dominum particularem pertinente nemo alius uti potest citra furtum.*

PRimum est, an licita sint columbaria? Secundum, an Principes licitè prohibere, sibique solis reservare possint venationem? Tertium, quomodo venatio, piscatio, & aucupium fiant illicita? Quartum, an, & quæ sit obligatio restituendi propter venationem prohibitam? Quintum, quomodo acquiratur dominium lignorum & pascuorum? Ad hæc singula ut ordine respondeamus,

Dico primo. Columbaria sunt licita, nisi 11
lege aliqua speciali prohibeantur. Ita communis sententia contra Paludanum, Majorem, & alios, qui asserunt, dominos columbariorum teneri ad compensationem damnorum, quæ columbæ tempore messis & sationis aliis inferunt. Ratio statutæ Concl. est: eáque sufficiens, quòd à Republica, & ejus moderatoribus non prohibeantur, sed permittantur, quod certè non fieret, si essent illicita. Plura argumenta in favorem eorumdem affert Molina to. 1. de Just. tract. 2. disp. 48. quem adi, si placet.

Objicies. Columbæ vesci solent alienis 12
granis, ac fructibus, damnumque segetibus inferunt, quod resarciri neque solet, neque facilè potest: ergo illicitè aluntur in apertis columbariis. Respondeô, rempublicam propter communem utilitatem, quam ex hoc avium genere percipit, sua permissione tali damno tacitè renuntiâsse. Adde, quòd ex eadem permissione reipublicæ cuilibet licitum sit ad resarcienda damna ab alterius columbis illata vicissim erigere columbarium in suo solo. Deinde, hæ volucres non magis vescuntur seminibus bonis, quàm malis, ut lolio, melanthio, vitia sylvestri, & aliis, sicque impediunt, ne tot steriles herbæ excrescant, segetésque suffocent: consequenter damnum, si quod inferunt, compensant. Unde neg. conseq. Vid. Less. lib. 2. de Just. cap. 5. dubit. 6. n. 29.

Dico secundo. Principes ex justis causis 13
possunt in locis tum aliàs communibus, tum ad privatum aliquem pertinentibus prohibere venationem subditis, sibique solis reservare. Ita nunc passim Theologi, & Jureconsulti. Prob. concl. afferendô justas causas prohibendi ac reservandi. Prima esse potest consensus subditorum sponte cedentium jure suo. Secunda, necessitas aut tranquillitas publica, si nempè aliàs esset periculum, ne subditi venationibus dediti agriculturam negligerent; otio

va-

vacarent; vel ex tractatione, usúque armorum ad seditiones, vel latrocinia allicerentur. Tertia potest esse necessitas ipsius Principis ad condignam tum ipsius, tum aulæ sustentationem ex venatione petendam. Quarta, titulus consuetudinis, & præscriptionis immemorialis, quali in Imperio gaudere Imperatorem & Magnates docet Laym. lib. 3. de Just. tr. 1. cap. 5. n. 16. Quinta, si Princeps ejusmodi onus imponat subditis alicujus provinciæ à se justo bello subjugatæ. Sexta, sola etiam recreatio Principis, ut docent Molina disp. 46. Lugo to. 1. disp. 6. sect. 6. n. 58. Lessius dubit. 7. n. 35. Paulus Mezger to. 3. tract. 11. disp. 27. a. 1. n. 10. & alii.

14 Objicies. Quod jure naturæ licet, Princeps non potest prohibere: sed venari omnibus jure naturæ licet; cum animalia, quæ venando apprehenduntur, sint communia ac libera, fiantque primò occupantis; ergo &c. Respondeo, maj. non esse veram universaliter loquendo, ut ostendi potest plurimis exemplis. Sic jure naturæ licitum est matrimonium clandestinum, & tamen prohibetur jure positivo Concilii Trident. Sic filiusfamilias lege naturæ posset licitè & validè testari, & tamen non permittitur lege positiva. Sic carnes comedere in Quadragesima licitum est jure naturæ: sed quis nescit, esse prohibitum jure Ecclesiastico? &c. Itaque venatio jure naturæ est omnibus licita sub conditione tantùm, & ad tempus indefinitum, nisi videlicet ob bonum publicum prohibeatur, & quamdiu non prohibetur.

15 Dico tertio. Occupatio animalium ex quatuor capitibus potest esse illicita. Ita Less. lib. 2. cap. 5. dubit. 9. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 4. a. 1. n. 246. Mezger a. cit. à n. 6. Nimirum primò, ratione personarum. Ita venatio prohibetur Clericis in c. 1. & 2. *de Clerico venat.* & c. *quorundam.* dist. 34. & multò magis Religiosis c. 1. §. *porrò de statu Monach.* in Clementinis. Hæc tamen prohibitio intelligenda est de venatione, quæ exercetur magno strepitu armorum, clamore hominum & canum, non absque scandalo aliorum. Nam ista si absint, Ecclesiasticis personis venari non censetur interdictum, sive id faciant necessitatis, sive exercitii, sive moderatæ recreationis causâ. Secundo, ratione temporis, putà, si instituatur diebus festivis, aut jejuniorum, sitque in causa, ut vel negligatur auditio Missæ, vel non servetur jejunium. Quòd si nihil horum inde contingat, venatio, piscatio, & aucupium illis diebus non prohibentur. Lessius loco cit. Salmantic. tr. 12. de just. & jure cap. 2. pu. 6. n. 65. & alii communiter. Tertio, ratione publicæ utilitatis. Quia hujus gratiâ nonnunquam venatio prohibetur illis mensibus, quibus feræ sunt gravidæ: aucupium eo tempore, quo aves prolificant: piscatio piscium adhuc nimis minutorum, & quæ injectione escarum, ex quibus pisces moriuntur, & aquæ inficiuntur, peragitur: ne videlicet cum detrimento boni communis horum animalium species exstirpentur. Vid. citt. Quarto ratione loci: ut, quando venaris in alieno saltu; piscaris in alieno lacu; aucuparis in alieno prædio contra voluntatem domini. Cùm quilibet habeat jus utendi suo prædio, prout libuerit, & ab ejus usu quemcunque alium impediendi, per §. *feræ. Instit. de rer. divis.* & l. *item si fundi.* ff. *de usufr.*

16 Dico quarto. Quamvis ex venatione, piscatione, & aucupio quatenus illicitis ratione personæ, temporis, vel boni communis nulla oriatur obligatio restituendi, oritur tamen ex iisdem quatenùs illicitis ratione loci. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia illæ capturæ animalium tunc non sunt contra Justitiam commutativam, sed vel contra Religionem, vel obedientiam, vel Justitiam legalem. Ratio secundæ partis est: quia, qui venatur, piscatur, vel aucupatur in loco prohibito, peccat contra Justitiam commutativam in eum, qui solus habet jus rigorosum ibi venandi, piscandi, aucupandi, eique infert veram injuriam: ergo obligatur ad reparandum jus à se verè læsum. Sed hoc est obligari ad restitutionem; ergo talis obligatur ad restitutionem. Verùm, ad cujus restitutionem, inquies, captíne animalis, an rei alterius? Non capti animalis; quia hujus factus est dominus, ut pote liberi, & primò occupantis. Non alterius rei; quia aliud nihil abstulit, ut supponitur. Respondeo, teneri ad restitutionem, non quidem animalis capti, sed quantum dominus loci ex illa venatione &c. passus est damni. Censetur autem inferre damnum injustus venator, quando efficit v. g. ut domino saltus vel territorii captura ferarum sit difficilior; vel, ut is jus venandi jam non tanti, quanti volebat, vendere possit. Similia cogita proportionaliter de injusto piscatore & aucupe. Quantitas porrò obligationis restituendi, sicut & culpæ Theologicæ, metienda est ex quantitate damni illati. Unde mortaliter peccat, qui damnum grave, leviter, qui non grave infert. Notanda tamen est doctrina Castropalai de Just. in gen. pu. 17. n. 4. asserentis, in foro conscientiæ regulariter nullam esse obligationem restituendi, quando in vasto quodã saltu unam solùm, vel alteram feram, v. g. cervum, sclopò trajecisti; cùm inde non sequatur damnum notabile, vel grave præjudicium domino; leve autem non videatur curandum.

17 Cæterùm, qua pœna affici justè possint in foro externo injusti venatores, lis est inter DD. Card. de Lugo docet absolutè, nullum posse puniri pœnâ capitis vel mutilationis, utpote excedente tale delictum. Molina, Vasquez & alii apud eundem to. 1. disp. 6. sect. 6. n. 61. addunt, ne quidem pœnâ flagellationis

posse puniri fericidam, nisi rarissimè, &, nisi talis sæpè fuisset punitus ac monitus, gravéque oppidò damnum intulisset. Haunoldus concedit, posse puniri etiam pœnâ capitis propter unicum actum in casu, quo venatio esset expresè prohibita ex gravissima causâ, v. g. ob cavenda latrocinia: ubi putat, ad terrorem & exemplum aliorum tale supplicium justè infligendum, etiam primâ vice deprehenso, præsertim, si armis usus fuisset sub eadem pœna prohibitis.

Mihi in hac re illud certum videtur, quemlibet licitè occidere feram agri, rerúmque suarum vastatricem, quando damnum aliter non potest avertere. Ratio est: quia, ut inquit Gabriel apud Laym. lib. 3. de Just. tract. 1. cap. 5. n. 16. naturali jure cuilibet competit rerum suarum defensio, etiam contra homines injuriantes: ergo magis contra feras. Quare ex hoc capite non potest quisquam justè puniri. Cessante autem hac tali necessitate verius est, clancularios ejusmodi venatores, quando sæpius sunt deprehensi, puniri posse etiam pœna corporali, idque propter contumaciam & contemptum legis. Ob primam tamen prævaricationem (excipierem casum Haunoldi) tali pœna affici non possunt, sed alia mitiori: quia tunc crimen tam grave non est, ut sit luendum in corpore. Molina disp. 46. Laym. n. 12. & alii. Ex dictis

18 Deducitur primo, Principes non posse prohibere subditis, ne fructus agrorum, ac villarum suarum defendant contra feras, easque arceant, & obligant. Ita teste Haunoldot tract. 5. n. 4 omnes non solùm Theologi, sed etiam Jureconsulti. Ratio est: quia cuilibet jure naturæ concessum est sua defendere etiam contra hominem: ergo multò gis contra bestias. Sed neque apparet, quæ unquam justa causa ejusmodi prohibitionem possit exigere, Confirmatur. Non est æquum, ut feræ alantur à rusticis, sive damnô rusticorum: cùm id minimè spectet ad jus alium, quod habent principes in bona subditorum pro casu summæ necessitatis: qualis certè nulla dari potest, quæ exigat, ut feræ omnia impunè vastare possint & depascere.

19 Deducitur secundo, Principes, aut alios, qui jus habent venandi, obligari per se loquendo ad resarcienda damna subditorum, quæ eisdem vel ex venatione ipsa, vel ex nimia multiplicatione ferarum obveniunt. Molina disp. 47. Lugo to. 1. de Just. disp. 6. sect. 6. n. 63. Salmantic. tr. 12. de Just. cap. 2. pu. 6. n. 63. Lessius lib. 2. de Just. cap. 5. dubit. 8. & alii communiter. Ratio est: quia subditi revera contra jus rigorosum, quod habent in sua bona, ejusmodi damna patiuntur.

Dixi autem, *per se loquendo*. Quia possunt excusari primo, quando vicina prædia eorum, qui damna patiuntur, cum tali onere eis data, vel vendita fuerunt. Tunc enim tales subditi non habent justam causam conquerendi. Secundo, quando domini prædiorum ab initio, vel postea gratis, vel ex contractu oneroso consenserunt in talia damna, si forte obvenirent; dummodo tamen liberè, & non metu, saltem reverentiali, adacti consenserint. Tertio, quando damnum esset modicum, vel venatio tantum ferè commodi afferret agricolis, quantum detrimenti, eò quòd per illam de medio tollerentur, aut fugarentur noxiæ, agrisque infestæ bestiæ, ita ut merito non curare, sed condonare viderentur incommoda ex venatione nonnunquam profecta. Vid. Lessius dubit. cit. Lugo n. 62. & 63. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 27. a. 1. n. 11. & alii. De cætero, qua ratione (extra casus nempe jam dictos) computanda sint damna, ut debitè resarciantur, exactè declarat Molina disp. cit. ubi præterea memorat cum plerisque aliis DD. obligationem incumbentem Confessariis negandi absolutionem jus venandi habentibus, quamdiu damna ejusmodi nolunt avertere, vel resarcire.

Verùm nunc superest, ut propter affinitatem materiæ aliqua dicamus de dominio lignorum & pascuorum. In qua re communiter fatentur authores, rempublicam justè prohibere posse etiam suis civibus, ne pascant, aut lignentur in pascuo, vel sylva communi quoque, saltem secundùm certum modum & mensuram, v. g. ne tali loco, tali tempore pascant; ne talem stirpem excindant, ne tantæ proceritatis aut crassitiei arbores cædant. Ratio est: quia ita potest expedire bono publico. Penitus tamen atque in totum publica potestas id non videtur posse prohibere; cùm singuli jus habeant necessaria inde sumendi, eóque jure spoliari non possint citra propriũ consensum; nisi fortè aliunde ea facilè parandi modus supperet, ut habet Less. dubit. 13. 20

Dico jam quinto. Qui pascit, aut lignatur in loco communi ad suam rempublicam pertinente, ab eáque prohibito, non peccat mortaliter, nisi grave damnum inferat. Less. dubit. 14. Laym. cit. cap. 5. n. 18. Illsung q. 4. a. 2. & aiii. Ratio est: quia injuria, quam in similibus inferunt illi, qui aliàs habent jus, non censetur notabilis, nisi damnum secutum fuerit enorme, per quod civium portiones notabiliter minuerentur. Undè regulariter loquendo tales non tenentur quid restituere, sed solùm subire pœnam legibus statutam, si deprehendantur. Ex qua doctrina 21

Sequitur primo, neque illum obligari ad restitutionem, qui in sylva comuni prohibita suæ reipublicæ seu communitatis ligna cædit non ad proprium usum, sed ad vendendum, nisi per hoc notabile damnum intulerit. Ita 22

Lugo

Lugo disp. cit. sect. 9. n. 89. Sanchez lib. 1. Consilior. cap. 5. dub. 1. & alii. Ratio est: quia, quod dives inde sumit ad comburendum, ad se calefaciendum &c. hoc pauper sumit ad vendendum, ut possit vivere.

Sequitur tamen secundo, cives alterius reipublicæ, quando lignantur, vel pecus pascunt in locis alienæ communitatis, reos esse furti, & obligari ad restitutionem. Ratio est: quia similia faciunt contra jus alterius communitatis, eique damnum injustè inferunt. Verùm & à furto, & ab obligatione restituendi communiter excusantur propter consuetudinem & tacitum consensum. Fit enim plerumque, ut etiam altera pars vicissim talia audeat in pascuis ac sylvis vicinorum. Quare communitates, inquit Lessius, censentur vicissim condonare, quod ereptum fuerit, contentæ mulctâ, si qui ex alienis pascere, aut lignari deprehendantur.

23 Dico sexto. Sylva, vel pascuo privato, sive ad dominum particularem spectante, nemo alius citra furtum uti potest. Peccat proinde hoc ausus pro quantitate rei ablatæ, damnive illati, & tenetur ad restitutionem. Less. Laym. Illsung locis citt. Salmantic. pu. 7. n. 73. Ratio est: quia dominus privatus non ita se potest servare indemnem, sicut aliqua tota communitas contra aliam vicinam, quæ propter occasionem mutuis damnis ac mulctis reparandi jus lætum ex rebus vicinæ communitatis non adeo invita supponitur. Rectè tamen monet Lugo sect. cit. n. 96. circa ligna & pascua attendi debere consuetudines, & jura particularia cujuslibet provinciæ. Nam ista optimè explicant animum dominorum ad judicandum, sitne obligatio restituendi in foro conscientiæ, nécne:

Cæterùm ex statuta jam assertione colligitur, quod in illa dictum est, esse etiam intelligendum de sylva vel pascuo communi, si cuipiam privato locata sint. Ratio est: quia, dum communitas locat alicui privato sylvam vel pascuum, perinde se gerit, ac si tale quid venderet pro illo tempore, pro quo locat: ergo transfert in talem privatum jus adversus singulos alios de communitate, vi cujus in ipsis resultat obligatio ad non utendum re communi alteri locata. Ista quippe obligatio necessariò sequitur omnem veram venditionem & locationem. Itaque læsio, quæ antea non erat contra Justitiam, post locationem est contra Justitiam; quia per contractum locationis communitas se obligavit conductori, acsi sylvam, vel pascuum vendidisset. Lugo cit. n. 89.

§. III.

Quomodo acquiratur dominium rerum inventarum, quæ non habent dominum?

SUMMARIUM.

24. Quatuor genera, seu classes rerum inventarum. 25. Res inventæ, quæ carent domino, sunt inventoris. 26. Bona naufragantium non sunt habenda pro derelictis. 27. An aliquid loco mercedis possit exigere, qui rem alterius ex periculo eripuit? 28. Dispositiones Juriun de bonis vacantibus. 29. Mineralia & venæ metallicæ in loco publico de jure naturæ sunt inventoris, non autem de jure positivo. 30. Idem sentiendum de invento thesauro. 31. Quid, si fundus, in quo inventus est thesaurus, habeat duos dominos? 32. Quid de thesauro, qui invenitur in loco sacro, vel religioso? 33. Cujus sit thesaurus inventus in re mobili alicui donata, vel empta ab ipso?

REs inventæ varii solent esse generis. Nam 24
primo, aliquæ nunquam dominum habuerunt; ut gemmæ & margaritæ in mari, vel littore. Secundo, aliquæ habuerunt quidem dominum, sed a longo jam tempore habere desierunt; vel, quod dominus ipse nolit eas amplius habere in sua potestate; & vocantur bona derelicta; cujusmodi sunt missilia v. g. in certis solemnitatibus à Principibus sparsa in populum: vel, quòd remanserint post domini mortem nullo hærede relicto; & vocantur bona vacantia. Quò pertinent illa quoque bona, quæ mari v. g. diu submersa fortuitò extrahuntur aut ejiciuntur. Tertio, res quædam latent & nascuntur in terræ visceribus; ut venæ metallicæ & diversa mineralia. Quarto, sunt thesauri inventi. Quinto, aliæ res dicuntur quidem habere dominum; in cujus tamen notitiam veniri non potest; & vocantur bona incerta. Tale est crumena v. g. plena argento in via publica inventa. De quibus postremis in seq. §. de prioribus hìc agemus. Itaque

Dico primo. Res, quæ nunquam habue- 25
runt dominum, vel habentur pro derelictis, fiunt invenientis, nisi dominium earum lege aliqua humana alteri cuipiam addicatur. Ratio est: quia similia bona sunt, & censentur esse in statu, quem habebant ante primam rerum divisionem; atqui tunc erant communia, & primo occupantis, ergo. Cæterùm duo in præsenti debent adverti. Primum est, ut quis dicatur, rem quampiam invenisse, inveniendoque acquisivisse, non sufficere, quòd ea prior viderit, sed requiri, ut priori apprehenderit apprehensione aliqua corporali. Atque hinc, si ex duobus simul ambulantibus alter

prior videret gemmam; alter verò prior tolleret, huic, non illi, adjudicandum esset gemmæ dominium. Secundum est, quando non constat de voluntate domini, sive dubium est, an quid habendum sit pro derelicto, conjecturis atque prudentûm arbitrio esse utendum. Ita si dominus rem facilè posset recuperare, & negligat; vel, si nec ipse per se facilè possit, nec quisquam alius nomine ipsius repetiturus existimetur, habenda est pro derelicta. Vid. Lugo to. 1. de Just. disp. 6. sect. 10. n. 98. & 99. Unde

26 Infertur primo, bona naufragantium, quæ urgente tempestate navis levandæ causâ in mare projiciuntur, non esse habenda pro derelictis. Ratio est: quia dominus illibenter & coactè illa projicit, ac vellet, si fieri posset, retinere. Unde, qui talia occupat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem: imò, si sint bona Christianorum, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. Less. lib. 2. de Just. cap. 5. dubit. 18. Salmantic. tract. 12. de Justit. cap. 2. pu. 8. n. 78. Lugo cit. n. 99. Hæc tamen intelligenda sunt, si quis talia malitiosè & animô retinendi occuper. Nam qui tolleret & servaret animô quærendi dominum, eique reddendi, is posset, dominô quæsitô; & non invento, justè de his bonis disponere, sicut de bonis derelictis, veluti notat Suarez to. 1. de Censur. disp. 21. sect. 2. Multò autem minùs occupanda sunt, quæ orto incendio ex ædibus projiciuntur in plateas; vel ex hostium manibus liberantur. Neque enim dominus ea vult haberi pro derelictis, sed ad se reverti. Mol. to. 1. de Just. disp. 55. Laym. lib. 3. de Just. tr. 1. cap. 5. n. 22. Mezger to. 3. tr. 11. disp. 27. a. 2. n. 3.

27 Infertur tamen secundo, eum, qui specialem industriam & laborem adhibuit, ut rem alterius ex naufragio, incendio, hostium potestate eriperet, posse æstimationem suæ operæ & periculi à domino exigere, atque interea, dum sibi satisfiat, rem ereptam retinere loco pignoris. Laym. Mezger locis citt. Ratio est: quia & negotium domini utiliter gessit, & operam præstitit mercede dignam.

28 Dico jam secundo. Bona vacantia, si defunctus fuit laicus, jure communi fisco Principis, vel Reipublicæ cedunt. per l. *vacantia. cod. de bonis vacant.* Si defunctus fuit peregrinus, bona mobilia per Episcopum loci, in quo discessit, sunt applicanda ad pias causas, juxta Authent. omnes peregrini. cod. communia. de succes. veluti habet Illsung tract. 4. disp. 2. q. 4. a. 4. n. 257.

29 Dico tertio. Mineralia, & venæ metallicæ inventæ in loco publico seu communi spectant de jure communi & gentium ad inventorem: inventæ autem in fundo alieno pertinent ad dominum fundi. Ratio primi est: quia & ipsæ erant bona in nullius dominio; & consequenter fiunt primò occupantis. Ratio secundi est: quia metalla & mineralia sunt partes fundi, non minùs, quàm herba, creta, lapides, aqua & similia: ergo non minùs, quàm ista, pertinebunt ad dominum fundi. Mol. disp. 54. Lugo ubi suprà, n. 107. contra Sotum & Lessium. Dixi, *de jure naturæ & gentium.* Nam jure positivo solent applicari ad cameram principis, saltem quoad partem aliquam majorem, vel minorem, alia parte inventori relicta. Quod licitè fieri ostendit Card. cit.

Dico quarto. Etiam thesaurus inventus 30
de jure naturæ & gentium transit in dominium inventoris. Vid. Lugo disp. cit. sect. 11. Mezger n. 4. Definitur verò thesaurus in *l. nunquam. ff. de acquir. rer. dom. vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ubi nomine pecuniæ etiam veniunt aliæ res mobiles ac pretiosæ; ut torques aurei, vasa argentea, monilia &c. Hoc observato, ratio concl. est: tum, quia thesaurus censetur in nullius dominio existere: ergo fit primo occupantis: tum, quia thesaurus non est pars agri seu fundi, sicut metalla & mineralia: ergo dominus agri non est hoc ipso dominus thesauri; adeoque ejus dominium obtinebit inventor. Dixi rursus, *de jure naturæ & gentium.* Nam in jure civili, ut recenset Lugo, sunt multa statuta de dominio thesauri, quæ cuncta servare æquum est in quavis provincia, prout fuerint in usu. De jure communi inprimis statutum est, ut thesaurus Magica, aliáve mala arte repertus, etiam in proprio agro, applicetur fisco. Deinde, ut thesaurum in loco proprio inventum dominus loci totum acquirat. Qui verò thesaurum in loco alterius proprio invenerit, dimidium sibi lucretur; dimidium domino loci dare teneatur. Quòd si de industria & absque consensu domini quæsiverit, atque invenerit, totus domino cedat: quamvis deducere possit expensas, quas fecit.

Dico quinto. Pars thesauri, quæ domino 31
fundi debetur, si fundus habeat duos dominos, unum proprietarium, alterum feudatarium, vel emphyteutam, dividenda est inter utrumque dominum. Mol. disp. 56. Salmantic. tr. 12. de Just. cap. 2. pu. 8. n. 97. Excipitur merus usufructuarius. Nam isti nihil debetur de invento thesauro: quia non est fructus fundi. Quod de usufructuario jam dictum est, etiam intelligi debet de eo, cui fundus est locatus, vel pignori datus.

Ex dictis colligitur primo, de thesauro, 32
qui reperitur in loco sacro, aut Religioso, esse judicandum, sicut de inventione thesauri in loco proprio statutum est. Castropal. apud Haunold. tr. 5. cap. 1. contr. 1. §. 2. n. 17. Ratio est: quia hodie non datur ullus ejusmodi locus, cujus dominium speciale non com-

competat alicui Prælato, vel communitati Religiosæ.

34 Colligitur secundo, illum, qui emit, vel dono accepit rem aliquam mobilem, v.g. saccum avenâ plenum, in qua latet thesaurus inscio venditore, vel donatore, effici dominum thesauri, & non teneri ad quidquam restituendum. Lugo sect. cit. n. 129. Ratio est: quia venditor vel donator avenæ non erat dominus thesauri. Nam ignorabat, in avena quid simile latuisse. Unde nec habuit animum occupandi. Aliunde verò supponitur in nullius fuisse dominio: consequenter fit primò occupantis.

§. IV.

An dominium rerum incertarum transeat ad inventorem?

SUMMARIUM.

35. *Quid hic certum, quid incertum.* 36. *Fundamenta sententiæ negativæ.* 37. *Et affirmativæ.* 38. *Ista præfertur.* 39. *Et respondetur ad fundamenta alterius.* 40. *Observatio pro praxi nostræ sententiæ.*

35 REs, sive bona incerta vocantur, ut suprà dictum est, quæ verum adhuc dominum habent, in cujus tamen notitiam veniri non potest. In præsenti autem materia certum est primo, inventorem rei deperditæ esse obligatum, ut morali diligentia inquirat ejus dominum. Quod si non fecerit, dominusque non compareat, rem inventam dare tenetur pauperibus; veluti DD. communiter colligunt ex cap. *cùm tu. de usuris.* Nam bona ex delicto possessa non comparente domino sunt danda pauperibus. Atqui inventor, omissâ ejusmodi diligentiâ incipit possidere ex delicto; cùm ob ejus culpam verus dominus re sua carere præsumatur; ergo. Certum est secundo, rem inventam, si sit ex bonis Ecclesiæ, licèt ignoretur, cujus Ecclesiæ, non esse inventoris, sed tradendam Prælato Ecclesiastico; vel aliis Ecclesiæ usibus applicandam. Similiter, dum tibi constat, rem à te inventam esse unius ex duobus, ignoras tamen, cujus ex illis, eam non potes tibi retinere; sed vel sortitò, si ipsi consentiant; vel divisione restituere obligaris; ut habet Lugo to. 1. de Just. disp. 6. sect. 12. n. 132. Restat igitur difficultas, eáque non incelebris, quomodo gerere se debeat inventor, postquàm adhibita morali diligentia rerum dictarum dominum reperire non potuit?

36 Prima sententia, & antehac communissima, asserit, ejusmodi bona esse eroganda pauperibus, vel ad alias pias causas applicanda. Ratio est primo: quia res inventa adhuc manet in dominio domini, qui ignoratur: ergo, cùm ipsi non possit restitui, debet restitui illis, quibus ille vult: atqui rationabiliter præsumitur, eum velle, ut restituatur pauperibus; atque adeo expendatur ad salutem ipsius spiritualem, quandoquidem corporale emolumentum non amplius ex illa sperare conceditur. Ratio est secundo: quia ita videtur statutum in Authent. *omnes peregrini.* & in cap. *cùm tu. de usuris.* Ratio est tertio: quia sic habet consuetudo & praxis inter pios ac timoratos, quæ est optima legum & obligationum interpres. His addi potest primo privilegium illud PP. Trinitariis in Hispania concessum, res inventas exigendi, etiam sub excommunicatione, ab inventoribus, ut eas ipsi impendant ad redemptionem captivorum. Addi potest secundo textus S. Augustini (nisi fortè S. Hieronymi) qui habetur in cap. *Nemo qui rapit.* 14. q. 5. *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Item alius S. Hieronymi ca. 8. ead. q. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt, Deus mihi dedit: cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. Ex quibus proinde constat, Sanctos hos Patres stare à sententia jam relata.

Verùm, his non obstantibus, contendit 37
altera sententia, ejusmodi rem inventam licitè, atque securâ conscientiâ retineri ab inventore. Ita Sotus, Medina, Navarra, Arragonius, Diana, Haunoldus, & alii, quos refert, & sequitur Illsung tract. 4. disp. 2. q. 4. a. 4. n. 259. quibus nos quoque subscribimus cum Paulo Mezger to. 3. tract. 11. disp. 27. a. 3. n. 4. Solet autem pro hac sententia argui in hunc modũ: Facta sufficienti diligentia in inquisitione domini, eoque non invento, res inventa censeri debet carere dominô, sicut thesaurus: atqui res carens dominô fit inventoris; ergo &c. Ista tamen probatio placere minimè potest. Nam, si ille, qui rem amisit, etiam multò post sufficientem sui inquisitionem compareat, ut sæpe contingit, remque illam exstantem sibi vindicet, nemo judicum reclamat; imò omnes approbant: ergo omnes supponunt, ipsum adhuc esse dominum: adeoque falsum est, tunc rem illam carere domino. Longè aliud est de thesauro: cùm enim in notitiam illius, à quo fuit absconditus, humano modo veniri non possit, meritò censetur in nullius esse dominio. Atqui in notitiam illius, qui rem quampiam amisit, humano modo veniri potest, etiam post adhibitam sufficientem inquisitionem ab inventore; quippe qui sæpissimè aliquanto post tempore comparet, v. g. tertio, quarto, quinto die &c. ergo non est sufficiens ratio dicendi, rem amissam hoc ipso in nullius esse dominio, quòd is, à quo est amissa, nondum fuerit inventus.

Itaque meliùs prob. nostra sententia hac 38
ratione: Inventor nullo jure, seu naturali, seu positivo, tenetur ejusmodi bona erogare in

pauperes, vel causas pias: ergo tutâ conscientiâ sibi retinet. Consequentia est legitima. Antecedens ostenditur. Non tenetur aliquo jure positivo: quia Authent. *omnes peregrini* solùm loquitur de bonis intestatis; de inventis autem nihil disponit; estque inter illa magna disparitas: cùm mors peregrini & defectus hæredis non sit justus titulus acquirendi bona defuncti, sicut est inventio respectu bonorum incertorum. Porrò cap. *cùm tu. de usur.* solùm est intelligendum de bonis iniquè, nempe per usuram acquisitis. Aliud verò nihil ex jure positivo affertur pro sententia adversa. Deinde non tenetur etiam jure naturali: quia ratio naturalis potiùs dictat, bona, quorum dominus facta sufficienti inquisitione inveniri hîc & nunc non potest, esse asservanda, idque dominum ita velle rationabiliter præsumitur, ut scilicet hac ratione, si fortè post aliquod tempus compareat, rem amissam recuperet.

Accedit, quòd ejusmodi distributio in pauperes parum, vel penitus nihil conducat ad spiritualem salutem domini. Nam inprimis voluntas in ipso merè præsumpta & interpretativa sine actuali desiderio talis piæ applicationis non est meritoria. Desiderium quoque actuale, si fortè detur (quod in hæretico, vel infideli non est sperandum) non multò plùs proderit; cùm sit admodum tenue & inefficax: nam dominus est ita constitutus, ut, si posset habere rem suam, nollet eam largiri pauperibus. Præterea, tale desiderium dari potest sine intentione obligandi inventorem: imò est longè credibilius, dominum rerum amissarum, esto desideret has erogari in pauperes, ad hoc faciendum non obligare.

39 Ad primum in contrarium omisso Enthym. concedo subsumpt. de bonis mala fide, v. g. sine debita inquisitione domini, occupatis, utpote incapacibus in alterius dominium transire; nego autem de rebus cum ignorantia invincibili veri domini, bonáque fide occupatis, cujusmodi in præsenti esse supponuntur res inventæ: nam istæ media præscriptione transire possunt in dominium alterius, scilicet inventoris. Deinde, quid de voluntate illa domini sentiendum sit, constat ex n. præced. Ad secundum patet ex eod. n. Ad tertium dicendum est, æquè multos reperiri itidem pios ac timoratos, qui contrarium practicent. Eos porrò, qui dicta bona dant pauperibus, facere opus consilii, non præcepti; quia nempe sententiam primam sequuntur tanquam tutiorem. Ad legem illam Hispanicam dic, eam non obligare ante sententiam judicis, & ante exactionem rei inventæ. Ad textus eorum SS. Patrum respondè, esse intelligendos de non restituentibus bona inventa, quorum dominum vel sciunt, vel scire facilè possent adhibita morali diligentia in inquirendo.

Cæterùm ad praxim hujus nostræ sententiæ observandum est, inventorem facta diligenti inquisitione domini non statim esse dominum rei inventæ; sed expleto primùm tempore præscriptionis à juribus determinato, Unde, si dominus intra id tempus compareat, tenetur illi restituere vel rem in se ipsa, si adhuc exstet; vel quantum ex ea factus est locupletior, si jam bona fide consumpsit. Quòd si dominus exacto legitimæ præscriptionis tempore comparcat, nihil tenetur ei restituere. Vid. Mezger ubi suprà n. 6. 40

§. V.

De Alluvione, Accessione, Commixtione, Formatione.

SUMMARIUM.

41. *Quid sit Accessio, quid Alluvio, quid Commixtio, quid Formatio.* 42. *Accessio per nativitatem tribuit dominium.* 43. *Sicut etiam Alluvio latens. Quid de patente?* 44. *Quid de Accessione industriali?* 45. *Quid de Formatione seu specificatione?* 46. *Regula de Mixtione & Confusione.*

ANtequam ulteriùs provehamur, unumquemque ex his modis acquirendi dominium breviter explicare oportet. Accessio est, quando res quæpiam ideo fit alicujus, quia accedit alteri rei, quæ est ipsius, vel bona fide ipsius esse creditur. Alia est naturalis, alia industrialis. Naturalis iterum est duplex. Prima videlicet per nativitatem. Ista locum habet in viventibus; ut in partu ancillæ, in fœtibus pecorum, in plantis & arboribus, quæ in solo tuo nascuntur. Secunda fit per Alluvionem, quæ est incrementum ab alluente flumine uni prædio ademptum, alteri adjectum. Hoc incrementum, dum provenit ab occulta vi fluminis velut insensibiliter carpentis unam partem ripæ, & augentis alteram, dicitur latens. Quando provenit ex manifesto impetu fluminis, quo pars ab uno prædio avulsa defertur ad aliud, vel nova insula emergit; vel ipsum flumen alveum mutat, dicitur patens. Accessio industrialis est, quæ fit per plantationem, insitionem, inædificationem, intexturam, scriptionem, picturam &c. ex quibus obiter vides, Alluvionem esse modum acquirendi contentum sub accessione tanquam speciem illius. 41

Commixtio est, quando res aliquæ solidæ ita commiscentur, ut transeant in unum tertium moraliter distinctum, singulæ tamen earum partes maneant separatæ ab invicem, esto discerni non possint: veluti contingit, dum frumenta, pecuniæ &c. duorum dominorum in unum acervum conjiciuntur. Atque hinc differt commixtio à Confusione. Ista quippe tunc esse dicitur, quando duorum domino-

rum

rum res liquidæ ita transeunt in unum tertium, ut ab invicem separari nequeant modo ordinario, nec una pars ejusdem sit sensibiliter ab altera dignoscibilis: ut, si ex vino unius & alterius melle conficiatur mulsum; vel vinum unius infundatur in vinum alterius. Formatio, sive Specificatio est, quando ex alterius domini materia fit nova species, v.g. ex uvis ipsius vinum, ex auro calix, ex panno pallium &c. Quibus ita expositis,

42 Dico primo. Accessio per nativitatem tribuit dominium. Ita dominus pecoris fit dominus fœtuum, qui inde nascuntur: dominus fundi fit dominus arborum, quæ ex illo crescunt. Ratio est: quia accessorium sequitur suum principale, ut habet regula 42. Jur. in 6. Similiter dominus ancillæ fit dominus partûs, qui ex illa suscipitur; idque etiam in casu, quo pater prolis supponitur liber. Nam partus sequitur ventrem.

43 Dico secundo. Licèt alluvio latens tribuat dominium soli accrescentis, non tamen alluvio patens, nisi partem à suo solo avulsam dominus habeat pro derelicta. Ita habetur §. *præterea* 20. *Instit. de rer. divis.* Insula verò, quæ nascitur in medio flumine, erit communis illorum, qui in utraque parte ripæ habent prædia. Si alterutri ripæ nascatur propior, illius dominio accrescit, cujus fundus & prædia sunt in ea ripa. Quod intellige etiam de augmento, quo insula postea extenditur, ut propiùs respiciat prædium alicujus alterius: quia hoc tale augmentum accrescit rei, quæ jam habebat dominum; adeoque cedit in hujus utilitatem. Vid: Molina to. 1. tract. 2. disp. 57. Lugo to. 1. disp. 6. sect. 13.

44 Dico tertio. Quidquid in aliquo fundo plantatur, aut seritur, domino fundi cedit, si inibi radices egit. Quod idem dic de ædificio noviter posito in alieno solo, si sit immobile. Ita habetur *Instit. de rer. divis.* & *l. in rem actio ff. de rei vindic.* In cæteris speciebus Accessionis industrialis accessorium sequitur suum principale. Hinc si gemmam, ut commodiùs gestes, auro incrustâsti, aurum cedit domino gemmæ. Si gemmas aureo calici ornatûs causâ inseruisti, cedunt illæ domino aurei calicis &c. Hoc tamen non obstat, quin dominus similium effectus teneatur compensare, quantum acquisivit de alieno. Vid. Paul. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 27. a. 3. n. 4.

Dico quarto. Quando res per specifica- 45
tionem facta potest reduci ad pristinam materiam, tunc dominus materiæ efficitur dominus etiam illius speciei: quando non potest, tunc is, qui novam formam induxit, fit simul dominus materiæ. Ita rursus habetur *Instit. de rer. divis.* Atque hinc, quia poculum v.g. ex alterius argento factum potest reduci in massam argenteam pristinam, dominus argenti fit etiam dominus poculi: econtrà, quia mustum, vel vinum ex alienis uvis expressum non potest reduci in uvas, non ille, cujus sunt uvæ, sed alter, qui mustum, vel vinum expressit, fit dominus musti, vel vini.

Dico quinto. De Mixtione & Confusio- 46
ne servanda est sequens regula. Si res aliquæ duorum confundantur, vel misceantur, seu casu, seu mutuo amborum consensu, dominium totius rei utrique commune est. Si corpora rerum mixtarum facilè discerni possint, dominium eorum manet illorum, penes quos erat antea. Si res aliena cum tua ita misceatur, ut miscibilia ab invicem discerni, vel secerni non possint, dominium totius rei ad te transit. Et hoc idem absolutè verum est, si res alienæ cum tuis confundantur: quia per Confusionem propriè acceptam (ut illam accipimus) id semper contingit, ut corpora confusa discerni, secernique nequeant. Vid. Mezger n. 6.

ARTICULUS III.

De Præscriptione.

PRæscriptio est specialis modus acquirendi dominium, etiam illius rei, quæ habet dominum, & quidem invitô ejus dominô. Unde 2
eidem hîc extra ordinem locum peculiarem tribuimus, breves tamen futuri, utpote in argumento ad Morales Theologos non multùm pertinente.

§. I.

An Præscriptio valeat etiam in foro interno?

SUMMARIUM.

1. *Definitio Præscriptionis.* 2. *Legitima Præscriptio etiam in foro Conscientiæ liberat ab onere restituendi.* 3. *Cur Præscriptio non ipso jure naturæ & independenter à lege positiva sit modus acquirendi dominium?* 4. *Per Præscriptionem nemo fit locuples cum injuria alterius.* 5. *An præscriptio sit introducta propter vitandam segnitiem?* 6. *Solvitur instantia de sententia in falsa præsumptione fundata.* 7. *An tempus quinquennii à die Professionis determinatum sit ad præscribendum contra Religiosum professum?*

NOtandum est, præscriptionem, sive usu- 1
captionem rectè describi, quòd sit *acquisitio*

sitio dominii per continuationem possessionis tempore à lege definito. Ubi nomen dominii accipiendum est in latiori significatione, ut comprehendat omnia jura, quæ præscribi possunt, sive sint, sive non sint dominia; imò & exemptionem seu liberationem à debito aliquo. Itaque præscriptio re ipsa aliud non est, quàm jus quoddam legibus introductum ob bonum publicum ad vitandas, finiendásque lites, & ad tollendam incertitudinem dominiorum, ita ut vi illius extinguatur jus, quod alteri priùs competebat in rem quempiam, tuque istius jam dominus esse censearis: veluti, si agrum alienum v. g. possedisti per decem annos bona fide existimans esse tuum, vi continuatæ hujus possessionis dominus agri efficeris, etiam nolente priore domino. Quærimus modò, an ejusmodi legitima præscriptio locum habeat, & præscribentem ab onere restitutionis liberet etiam in foro conscientiæ, quamvis elapso tempore à lege definito apertè constet, rem fuisse alienam? Negant aliqui apud Molinam to. 1. de Just. tract. 2. disp. 61. Alii concedunt, quando præscribens rem habuit ex titulo oneroso; negant, si ex titulo gratuito. Rursus alii concedunt, quando dominus fuit negligens in retinenda, aut recuperanda re sua; negant, quando abfuit ejusmodi negligentia & culpa domini. Verùm contra hos omnes

2 Dico cum communi sententia. Vera & legitima præscriptio etiam in foro interno seu conscientiæ præscribentem liberat ab onere restituendi rem præscriptam. Ratio est primo: quia lex humana potuit ob bonum commune facere, ut possessor vi præscriptionis acquireret dominium: cum talis potestas humano principi ab omnibus concedatur. Cùm proinde id fieri multum expediret ad bonum commune, ac insuper verba legum de facto talem intentionem significare videantur, id fecisse lex humana meritò censetur. Quòd autem verba legum significent talem intentionem, facilè percipitur: dicitur enim l. 3. ff. *de usucap. usucapio est dominii acquisitio per continuationem temporis lege definiti.* & l. 1. cod. tit. dicitur: *Bono publico introducta est usucapio, ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia.* In quibus textibus haud obscurè significatur, dominium rei præscriptæ acquiri à præscribente, idque ex intentione potestatis humanæ legislativæ. Constat autem ex tract. de legibus, legem humanam & positivam ob bonum commune latam parere effectum in conscientia; ergo &c. Ratio est secundo: quia in Concil. Lateran. relato in cap. fin. *de præscript.* ideo improbatur præscriptio cum mala fide, quia lex illam approbans non posset servari absque peccato mortali: approbatur tamen præscriptio cum bona fide, quando dicitur ibid. *Oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ergo supponitur, usum illius rei, quam quis obtinuit vi præscriptionis, posse ab ipso exerceri sine peccato mortali; aliàs certè lex, seu consuetudo præscribendi in illa Synodo absolutè rejiceretur: adeoque præscriptio, quæ est legitima, etiam locum habet in foro interno.

Objicies primo. Si ita expedit ad bo- 3
num commune vi præscriptionis transferri dominia, ut nos supponimus, sequitur, præscriptionem ipso jure naturæ, & independenter ab aliqua lege positiva esse modum acquirendi dominium: sed hoc non admittimus; ergo. Seq. maj. facilè prob. quia ipsum naturæ lumen dictat, id, quod valdè expedit, seu commodum est ad bonum publicum, fieri oportere. Respondeo neg. seq. ad hujus probat. dico, licèt lumen naturæ dictet, valde expedire bono publico, ut vi præscriptionis transferantur dominia, simul tamen dictare, quòd non sit adeo necessarium, ut ipsa lege naturæ immediatè institutum esse censeri debeat; cùm possint occurrere multæ circumstantiæ, in quibus id non expedit. Unde hujus rei determinationem relinqui oportuit legi humanæ, quæ ferri posset consideratis omnibus ejusmodi circumstantiis particularibus, locorum, temporum &c. Etiam ratio naturalis dictat, quòd minores nequeant se obligare sine curatore, & nihilominùs, ut hoc procedat, lege positiva statuitur.

Objicies secundo. In cap. *Vigilanti. de* 4
præscript. dicit Alexander III. præscriptionem legibus esse institutam propter vitandam segnitiem: ergo non inventâ ex parte prioris domini tali culpâ segnitiei nihil valet præscriptio. Respondeo, ibi a Pontifice non reddi causam adæquatam; ut patet ex Notando nostro. Adde, quòd ibi non sermo de vera & Theologica culpa; sed de omissione diligentiæ in cura rerum propriarum Theologicè inculpabili: quam diligentiam ejusmodi omissioni oppositam, ut lex in hominibus excitaret atque acueret, præscriptionem instituit.

Objicies tertio illam regulam Juris Ca- 5
nonici 48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* & regulam 207. Jur. civil. *Jure naturæ est æquum, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Atqui per præscriptionem quis locupletatur cum alterius injuria & detrimento; ergo &c. Respondeo neg. mi. nam ipsa juris constitutione ob finem boni publici post elapsum tempus præscriptioni definitum cessat jus & dominium prioris domini,

mini; qui proinde nec injuriam, nec detrimentum in rebus suis patitur.

6 Objicies quarto. Quando judex per sententiam falsa præsumptione nixam adjudicavit alicui rem quampiam, tunc talis nihilominùs, cognita falsitate præsumptionis, tenetur in conscientia rem sibi adjudicatam restituere: ergo similiter, qui præscriptione rem aliquam obtinuit, quando postea scit, illam verè fuisse alterius, tenetur restituere, ne videlicet absque suâ culpa damnum patiatur. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd judex non possit transferre rerum dominia, sed solùm secundùm allegata & probata declarare, quisnam sit dominus. Atqui Princeps potest ob bonum publicum transferre rei dominium in possessorem præscribentem, etiam sine culpa prioris domini.

7 Objicies quinto. Licèt Religiosus obtendens, se invalidè professum fuisse, non ampliùs audiendus sit post elapsum quinquennium à die professionis, ut statuit Concil. Trident. sess. 25. in decr. de Regular. cap. 19. Si tamen ille nihilominus verè sciat, suam professionem esse nullam, tunc non obligatur in foro conscientiæ ad perseverandum in Religione; veluti tenet verior sententia, quam latè probat Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 47. Ergo signum est, tempus quinquennii concessum ad præscribendum contra talem Religiosum non procedere in foro interno, sed externo tantùm: ergo idem dicendum erit de aliis præscriptionibus.

Respondeo neg. suppositum conseq. quòd tempus illud quinquennii datum sit ad præscribendum contra Religiosum; cùm id nullo verbo Tridentinum ibi significet, sed solùm, quòd eidem negari debeat audientia in foro externo post elapsum id spatium temporis. Et ratio est: quia nulla lex humana potest facere verè Religiosum, qui verè Religiosus non est: cùm iste status essentialiter dependeat à consensu personali ipsius hominis, quem lex supplere non potest; sicut non potest supplere consensum necessarium ad rationem Matrimonii, sicque efficere, ut sit verè conjunx, qui vere & re ipsâ non consentit interiùs. Atqui lex humana potest ob bonum commune facere, ut possessor bonæ fidei post elapsum tempus definitum sit dominus rei possessæ. Quare in dicto casu Ecclesia Religioso potest solùm negare actionem in foro externo propter præsumptionem ratificatæ professionis intra id spatium quinquennii. Vid. Lugo to. 1. disp. 7, sect. 1. Sed jam ad legitimæ præscriptionis conditiones convertimur, de quibus sit

§. 11.

Exponuntur conditiones ad Præscriptionem requisitæ.

SUMMARIUM.

8. *Quatuor conditiones legitimæ præscriptionis.* 9. *Quid bona fides?* 10. *Quid, & quotuplex titulus?* 11. *Quid Possessio?* 12. 13. *Quanam præscribi non possint.* 14. *Bona fides necessaria est ad omnem Præscriptionem.* 13. 16. *Declaratur necessitas tituli.* 17. 18. 19. 20. *Quanto tempore opus sit ad præscribendum.* 21. *Ad præscriptionem requiritur continuata possessio. Quid sit Præscriptionem non currere.*

QUatuor ejusmodi conditiones numeran- 8
tur. Prima est res apta præscribi, seu præscriptibilis. Secunda, bona fides. Tertia, justus titulus. Quarta, possessio legitimo tempore continuata. Et quidem ad Primam quod attinet, satis erit declarare, quænam res non possint præscribi. Hinc enim velut ab oppositio constabit, quænam sint aptæ præscribi. Ut cæteræ intelligantur.

Notandum est primo, bonam fidem rectè 9
describi, quòd sit *credulitas, qua sibi quis prudenter persuadet, rem, quam possidet, esse suam; vel saltem inculpabiliter nescit esse alienam.* Adduntur hæ particulæ *prudenter, inculpabiliter* ad excludendam persuasionem procedentem ex ignorantia crassa, vel aperti juris, quæ non fundat bonam fidem.

Notandum est secundo, nomine tituli hîc 10
aliud non intelligi, quàm actum, vel causam habilem ad transferendum, vel acquirendum dominium; eumque esse quadruplicem, nempe, verum, præsumptum seu coloratum, generalem, & specialem. Titulus verus est, qui re ipsa sufficit ad justificandam possessionem; veluti, si rem accipias donatam ab eo, qui verè habet potestatem donandi. Titulus præsumptus est, qui bona fide, & ex invincibili ignorantia creditur esse verus, cùm tamen re ipsa non sit talis: ut, si rem accipias ab eo, quem invincibiliter existimas habere potestatem donandi, vendendi &c. cùm tamen careat ejusmodi potestate. Tituli generales sunt *pro suo*, & *pro soluto*. Speciales sunt emptio, donatio, legatum &c. de quibus agunt Jureconsulti.

Notandum est tertio, possessionem defi- 11
niri, quòd sit *insistentia, sive detentio rei, corporis & animi, jurisque adminiculo.* Dicitur *insistentia sive detentio rei*, nempe & corporeæ, & incorporeæ; cùm utriusque non minùs possessio detur, quàm dominiū. Dicitur, *corporis & animi adminiculo*, ut indicetur, ad acquirendam possessionē non sufficere solū animū & intentionē possidendi, sed requiri insuper, ut quis rē modo aliquo corporali, hoc

est, manibus, pedibus, aliáve ratione legibus instituta apprehendat. Qui utroque hoc modo rem detinet, scilicet corpore & animo, ita ut nemo alius animô detineat, is dicitur possidere naturaliter & civiliter; qui solo corpore detinet rem, quam alius civiliter possidet, naturaliter tantùm; qui solo animo detinet, civiliter tantùm possidere dicitur. Dicitur demum, *juris adminiculo*, id est, lege non resistente, aut refragante, reique talis detentionem reddente inefficacem ad effectus possessionis obtinendos. His præmissis,

12 Dico jam primo. Quæ jure Divino competunt; item, quæ jure naturæ sunt illicita: similiter, quæ jure Ecclesiastico, civilive possideri, vel alienari sunt prohibita, non possunt præscribi. Itaque non possunt præscribi potestas Summi Pontificis v. g. ejusque jurisdictio; quia est juris Divini: non possunt præscribi usura & Simonia; quia jure naturæ sunt prohibitæ & illicitæ: non possunt præscribi loca publicis usibus deputata, ut forum, theatrum, pontes, via publica; quia jure civili possideri sunt prohibita. Similiter præscribi non possunt res, & loca sacra; quia jure Canonico alienari sunt prohibita. Vid. Paul. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 27. a. 3. àn. 5.

13 Dico secundo. Actus meræ facultatis; item res indivisa communis pluribus; ac demum res furtivæ, aut violenter detentæ non possunt præscribi; quod intellige, quamdiu vitio furti, vel violentiæ non fuerint purgatæ. §. *furtivæ.* & §. *aliquando Instit. de Usucap.* De re communi ideo vera est Concl. quia illam possessor aliorum nomine possidet. De actibus meræ facultatis observanda est hæc limitatio, nisi is, qui habet meram facultatem, alterius prohibitioni interpositæ cum patientia acquieverit: quia hac ratione prohibentem in quasi possessione; se verò in putativa obligatione alterius prohibitionem tolerandi constituit: veluti contingit, dum quis altiùs ædificare domum ab altero prohibetur, factáque tali prohibitione cessat ædificare altiùs. Per actus meræ facultatis intelliguntur illa, quæ homines sine ulla conventione, aut obligatione pro suo arbitrio solent facere vel omittere, v. g. hospitio excipere peregrinum; invitare alterum ad cœnam & similia.

14 Dico tertio. Ad omnem prorsus præscriptionem necessaria est bona fides. Patet ex regula 2. Jur. in 6. *Possessor malæ fidei non præscribit.* Id ipsum habetur in cap. fin. *de præscript.* cujus in priori §. meminimus, ubi dicitur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm civilis; cùm generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ex quibus verbis postremis colligitur insuper, bonam fidem non tantùm requiri ab initio, ita ut mala fides postea superveniens non impediat præscriptionem, quemadmodum vult jus civile quoad hoc punctum à Canonico correctum; sed etiam requiri in continuatione possessionis.

15 Dico quarto. Ad præscriptionem non est necessarius titulus verus, sed sufficit præsumptus. Ratio est evidens: quia titulus verus etiam sine præscriptione sufficit ad transferendum dominium: consequenter ut sufficiat cum præscriptione, debet esse præsumptus, seu putativus. Advertendum est autem, credulitatem illam, seu opinionem, qua quis putat, titulum esse verum seu validum, non debere procedere ex ignorantia juris, (qualis esset, si putares v. g. minorem posse vendere rem immobilem sine decreto judicis) sed ex ignorantia facti, & quidem non proprii, sed alieni; ut, si putas, decretum judicis interveniisse, quod tamen non intervenit.

16 Dico quinto. Ad ordinariam præscriptionem requiritur titulus, non tamen ad extraordinariam, quæ est 30. vel 40. annorum. Ita communiter DD. ex cap. *si diligenti. de præscript.* Hoc autem, quod dictum est de præscriptione extraordinaria, intelligi debet, nisi jure prohibeatur talis rei præscribendæ possessio; vel nisi aliunde præsumatur mala fides in possidente: tunc enim requiritur titulus, vel probatio possessionis immemorialis, quæ est instar tituli.

17 Dico sexto. Res mobiles cum titulo præscribuntur per triennium contra privatos; imò etiam probabiliter contra Ecclesiam: si abest titulus, ad præscriptionem bonorum mobilium requiruntur 30. anni. Hæc omnia habentur in Jure civili, & traduntur communiter à DD. apud Laym. lib. 3. tract. 1. cap. 8. n. 13. Dicuntur autem bona mobilia, quæ locó moveri possunt; ut pecuniæ, vestes, animalia, libri &c. immobilia, quæ loco moveri non possunt; ut prædia, domus, beneficium, officium &c.

18 Dico septimo. Ut præscribantur bona immobilia privatorum cum titulo, requiruntur 10. inter præsentes; inter absentes requiruntur 20. sine titulo requiruntur 30. anni. Ita rursus communis sententia ex cap. *Sanctorum. de præscript.* & alibi apud Less. lib. 2. de Just. cap. 6. dubit. 8. Præsentes dicuntur, qui in eodem territorio habitant; absentes, qui in diversis territoriis existunt. Si quis partim præsens fuerit, partim absens, tempus absentiæ duplicari debet, ut res ipsius immobilis præscribatur, v. g. si præ-

si præsens fuisti 8. annis, & duobus annis absens, præter illos octo adhuc 4. anni sunt necessarii ad præscribendum: velut habetur in Authent. *Siquis. cod. de præscript. long. temp.*

19 Dico octavo. Ad præscribendum bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100. anni: contra alias Ecclesias, vel pias causas requiruntur 40. anni. Ita communis ex variis juribus, quæ refert Less. loco cit. n. 25. Hîc tamen notandum est, quibusdam Monasteriis & Collegiis Regularium, imò Ordinibus concessum esse, ut res ipsorum immobiles non possint præscribi, nisi spatiô 60. annorum; quemadmodum concessum est Ordini Benedictino ab Eugenio IV. & Julio II. & Congregationi S. Salvatoris ab eodem Papa Julio. Quod idem concessum est illis Ordinibus, qui horum privilegia participant. Imò contra Ordines Mendicantium, & qui gaudent eorum privilegiis, nonnisi 100. annis præscribi refert Molina de Just. to. 1. disp. 72.

20 Dico nono. Ut præscribantur bona civitatum, & regnorum, quæ ad illa hæreditate, legatô, fideicommissô, donatô, vel emptô pervenerunt, 100. anni sunt necessarii. per l. *inter Divinum. ult. cod. SS. Eccles.* Ex aliis verò titulis ad illa pertinentia præscribuntur 40. annis, ut tradit Less. cit.

21 Dico decimo. Ad præscribendum requiritur etiam continuatio possessionis. Ubi sciendum est, quod in jure dici soleat, præscriptionem aliquando *non currere*: quod fit dupliciter, primo, cùm præscriptio jam cœpta *dormit*. Secundo, cùm *interrumpitur*. Porrò dormire dicitur præscriptio; quando ratione alicujus impedimenti supervenientis ita suspenditur, ut tamen illo cessante non sit necesse de novo incipere, sed possit tempus præcedens dormitionem cum tempore subsequente computari ad præscribendum. Interrumpi dicitur, quando ratione impedimenti supervenientis tempus præteritum præscriptionis omnino extinguitur, & ad præscribendum judicatur inutile. Dormit autem præscriptio tempore belli & pestis. Non currit contra Ecclesiam v. g. sede vacante; vel Prælato in hæresim lapso. Interrumpitur denique dupliciter: primo naturaliter, quando nempe, postquam legitimè inchoata est, deficit aliquod ex necessariò requisitis ad ipsam; ut possessio, titulus, bona fides. Secundo, civiliter, quando nullum quidem ex requisitis substantialibus deficit; censetur tamen deficere fictione juris. Hinc ista interruptio præscriptionis fit per actum juridicum; ut per libelli oblationem, citationem, litis contestationem. Et hæc de præscriptione sufficiant. Cætera relinquamus Jurisperitis, & ad alia festinemus magis Theologica.

DISPUTATIO III.

De Subjecto Dominii.

EX ipsa natura dominii patet, ejus radicem esse rationem; proximum verò subjectum esse voluntatem; quippe cùm sit libera facultas gubernandi vel disponendi in suum, vel alienum commodum. Sicut proinde intellectus sive ratio est radix libertatis, voluntas autem subjectum ejusdem ita & dominii. Atque hinc planè sequitur, nullam naturam rationis expertem, sed solùm naturam intellectualem esse capacem dominii. Hoc autem vel maximè verum est de natura Dei, cui competit dominium absolutissimum & inabdicabile in omnia creata. Deinde de natura Angelorum, qui sunt domini bonorum spiritualium, putà famæ, honoris, suorumque secretorum. Ac demum de natura hominum, quos habere dominium in hæc inferiora, aliáque sua bona, nimis quàm certum est. Nos in præsenti de subjecto dominii remoto, id est, de suppositis, quibus convenit dominium, controversias apud Doctores ordinarias ac solemnes agitabimus.

ARTICULUS I.

An dari possit dominium ejusdem rei penes duos in solidum?

SUMMARIUM.

1. Status Quæstionis. 2. Formalis essentialis conceptus perfecti Dominii. 3. Fundamenta sententiæ affirmativæ. 4. Statuitur, & probatur negativa. 5. Respondetur ad fundamenta affirmativæ. 6. Corollarium de Dominio penes duos donatarios.

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

1 NOtandum est primo, statum quæstionis ita esse intelligendum: primo, ut sermo sit de dominio perfecto, pleno, ejusdem rationis: nam dominium diversæ rationis posse duobus competere in eandem rem, plusquàm

certum est; cùm quotidiè videamus, uni competere dominium directum, alteri utile. Secundo, de dominio in solidum, hoc est, cuique seorsim totaliter & adæquatè; non autem duobus vel pluribus indivisim, & per modum unius domini, vel partialiter ceu dominis partialibus, conveniente. Tertio, pro quolibet eodem quoque tempore, aut instanti; adeoque non successivè; sicut in veteri Testamento plures uxores habuerunt jus in corpus ejusdem mariti, & ad usum illius. Disputabimus præterea more aliorum Theologorum de instanti translationis dominii quæstionem instituendô. Quid tenendum sit, si quæstio extra hoc instans trahatur, vel ab eodem abstrahatur, circa calcem hujus Artic. constabit.

2 Notandum est secundo, de formali essentiali conceptu dominii perfecti esse, quòd sit exclusivum omnis alterius dominii homogenei, sive ejusdem rationis circa eandem rem. Hoc ipso enim, quòd sit dominium plenum & perfectum, est ipsi essentiale non posse quoad ullum suum usum aut actum sine injuria impediri à quoquam alio: sed hoc ipsum est esse essentialiter exclusivum omnis alterius dominii; quippe per quod impediri posset in libero usu & dispositione circa rem illam, cujus esset dominium. His notatis, prima sententia est affirmativa. Quam acriter defendit Card. de Lugo tum de Incarnat. disp. 3. sect. 1. tum de Just. to. 1. disp. 2. sect. 2. cui subscribunt Arriaga, Hurtadus de Mendoza, & alii quidam.

3 Arguitur autem pro hac sententia ex cit. Card. sic primo. Si Petrus in instanti *B.* vendat suum librum Paulo, uterque in eodem instanti *B.* est plenus libri dominus in solidum: ergo vera est sententia affirmativa. Ant. ostenditur. Et quidem Paulum tunc effici plenum dominum libri, nulla est controversia; cùm ipsi liber tunc detur, & ab ipso accipiatur. Quòd autem Petrus quoque in eodem instanti *B.* sit dominus libri, hoc modo probatur primo: quia in illo instanti Petrus est dominus, quo exercet actum dominii: sed in instanti *B.* dum alienat librum, vel maximè exercet actum dominii; ergo in eodem instanti est dominus libri. Mi. constat: quia utique alienare, cujusmodi est vendere, aut etiam donare rem, est exercere actum dominii. Maj. autem prob. nam Petrus in nullo instanti potest alteri communicare dominium, nisi in eodem sit verè dominus; cùm nemo possit dare, quod non habet: ergo in instanti illo alienationis, quo exercet actum dominii, debet esse perfectus dominus libri. Prob. secundo. Dominium plenum, de quo hîc loquimur, est facultas liberè & perfectè disponendi de re in proprium dispositis commodum: sed Petrus in eodem instanti *B.* habet facultatem liberè & perfectè disponendi de libro in proprium commodum; ergo in eodem instanti habet plenum, & perfectum dominium libri. Mi. prob. Nam Petrus in eodem instanti liberè vendit librum in suum commodum, cùm potuisset in eodem instanti non vendere: ergo in eodem instanti Petrus habet facultatem liberè & perfectè disponendi de libro; sicut in eo instanti, quo stat, habet potestatem liberè ambulandi; quia simpliciter & antecedenter potuisset liberè non stare & ambulare.

Confirmatur primo. Nemo dat, quod non habet, ut notum est lippis & tonsoribus: ergo Petrus in instanti *B.* quo vendens librum dat Paulo dominium libri, habet dominium libri. Confirmatur secundo. Actus non destruit potentiam: ergo actus dominii non destruit dominium, quod est potentia respectu ipsius. Sed venditio libri, quam Petrus in instanti *B* exercet erga Paulum, est actus dominii in librum; ergo non destruit dominium; & consequenter in Petro adhuc est dominium libri. Confirmatur tertio. Causa debet existere in eo instanti, quo actu causat effectum: ergo etiam causa dominii, quod habet Paulus in librum, debet existere in instanti, in quo causat dominium libri in Paulo. Atqui dominium Petri in librum actu causat per venditionem in instanti *B* dominium Pauli in eundem librum; ergo in instanti *B* debet in Petro existere dominium libri. Confirmatur quarto. Dominium libri, quod habet Petrus, definit intrinsecè, dum Petrus in instanti *B* vendit illum Paulo: ergo in instanti *B* adhuc existit in Petro. Patet conseq: quia, quod definit intrinsece, adhuc est, dum desinit; cùm desinat per ultimum sui esse.

Arguitur secundo ex aliis. Donet Petrus equum Paulo cum plena potestate disponendi de equo in ordine ad omnes usus, ita tamen, ut etiam sibi velit esse reservatam justam & validam potestatem disponendi de eodem equo in ordine ad omnes usus per beneficium præventionis, vi cujus licite & juste unus alterum prævenire possit in quovis illius usu. In hoc casu uterque habet potestatem plene & perfecte disponendi de eadem re in ordine ad omnes usus in actu primo: ergo etiam uterque est simul perfectus dominus ejusdem equi. Conseq. est evidens. Ant. prob. nam, si non uterque haberet memoratam potestatem, ideo non haberet, quia in actu secundo quivis eorum impediri potest per prævention nem alterius ab actuali dispositione circa equum: atqui per ejusmodi prævention nem nec minuitur, nec tollitur ipsa potestas plene & perfecte disponendi in actu primo; ergo uterque habet talem potestatem disponendi. Maj. est certa. mi. prob. quia jus prævention is solùm impedit actualem dispositionem in actu

secun-

secundo; sicut lex tantùm impedit actualem usum dominii in pupillo : ergo sicut lex hac ratione nec minuit, nec tollit in pupillo potestatem plenè & perfectè disponendi in actu primo, ita nec jus præventionis in casu posito minuit, vel tollit eam potestatem.

Arguitur tertio: Dominium Dei in rem quamlibet est infinitè perfectius ac plenius, quàm dominium ullius hominis, & tamen potest consistere cum pleno dominio hominis in eandem rem : ergo etiam dominium plenum & perfectum unius hominis potest consistere in instanti quoque translationis cum dominio pleno & perfecto alterius hominis in eandem rem. Verùm his non obstantibus,

4 Dico cum secunda, eáque communi aliorum sententia. Implicat dominium in solidum penes duos in rem eandem. Ratio est primo à priori : quia de formali essentiali conceptu dominii pleni & perfecti est esse exclusivum omnis alterius dominii homogenei, sive ejusdem rationis circa eandem rem : quemadmodum in n. 2. notavimus : sed istud prædicatum non subsistit, si plures sint ejusdem rei domini in solidum. Nam si duo dominia in solidum sese invicem compatiantur, utique neutrum est exclusivum alterius : consequenter nec ipsum dominium subsistit.

Ratio est secundo. In quantum jus activum favet uni, in tantum gravat alios omnes, inque ipsis parit debitum legale sive obligationem se non impediendi in suo usu & exercitio : ergo jus activum dominii pleni & perfecti, quod habet Paulus in librum sibi à Petro venditum, vel donatum, gravat omnes alios, inque ipsis parit debitum legale non impediendi illud in ullo usu & dispositione circa librum. Sed hoc ipsum est essentialiter excludere jus activum dominii pleni & perfecti in Petro circa eundem librum pro eodem instanti; quia aliàs jus activum dominii pleni & perfecti in Paulo gravaret & non gravaret omnes alios, inque illis pareret, & simul non pareret debitum legale non impediendi illud jus activum : gravaret, & pareret tale debitum, ut supponitur : non gravaret, & non pareret in omnibus aliis; quia non gravaret Petrum vendentem aut donantem, nec in ipso pareret id debitum legale : cùm enim & ipse supponatur esse plenus & perfectus dominus libri pro eodem instanti, habet plenam & absolutam potestatem impediendi omnes alios, adeoque & ipsum Paulum, ab omni usu & dispositione circa eundem librum, & consequenter nullum habet debitum legale non impediendi Paulum ab aliquo usu & dispositione circa librum.

Ratio est tertio. Qui per efficacem voluntatem pro aliquo instanti rem vult non esse suam, hoc ipso non retinet illam ut suam pro eo instanti : sed, qui rem donando v. g. alienat, pro eo instanti, quo sic alienat, efficaciter vult non esse suam; ergo pro eo instanti non retinet rem ut suam; & consequenter nec habet dominium illius. Maj. constat. Mi. itidem patet, & declaratur amplius exemplo illius, qui rem quampiam ex suis vult habere pro derelicta. Nam hic efficaciter vult rem non esse suam : ergo etiam, qui donat rem, efficaciter vult non esse suam pro instanti, quo donat. Conseq. inde prob. quòd efficax voluntas donantis non aliter differat ab efficaci voluntate habentis rem pro derelicta, quàm quòd per istam quis rem nec suam, nec alterius esse velit; per illam verò non suam, sed alterius esse velit.

Ratio est quarto ab absurdis oppositæ sententiæ. Nam sequeretur ex illa primo, servum in instanti manumissionis fore simul servum & liberum, sive ligatum & solutum. Esset liber; quia pro tunc accipit libertatem : esset adhuc servus; quia dominus in illo instanti dat libertatem; adeoque adhuc est dominus, ut dicere tenetur adversa sententia; & consequenter pro eodem quoque instanti manet ipsius correlativum, scilicet servus. Sequeretur secundo, solemniter professum in instanti completivo professionis, quo per votum paupertatis à se abdicat omne dominium bonorum temporalium, adhuc fore dominum istorum. Sed conseq. non potest admitti; cùm illud verè sit primum instans statûs Religiosi; ergo. Seq. verò prob. quia juxta Adversarios donator in instanti completivo donationis adhuc est dominus rei donatæ : ergo etiam Religiosus solemniter professus in instanti completivo professionis adhuc est dominus bonorum à se abdicatorum. Conseq. prob. nam ideo donator in eo instanti adhuc est dominus rei donatæ, quia de hac liberè disponit ex potestate plena disponendi : ergo etiam solemniter professus in instanti completivo professionis adhuc est dominus rerum temporalium, quia de his liberè disponit ex plena potestate disponendi. Supp. conseq. constat : quia non minùs abdicatio illa bonorum, quàm donatio, est libera dispositio procedens ex plena potestate disponendi. Sequeretur tertio, si Petrus in instanti *A* venderet Paulo & traderet equum, Paulusque in eodem instanti acceptaret equum & daret pretium Petro acceptanti, quemlibet fore ditiorem : sed hoc & iniquum & ridiculum est; ergo. Seq. maj. prob. quia ante illam traditionem & acceptationem mutuam neuter erat dominus mercis & pretii simul; per illam autem quilibet esset dominus utriusque; ergo quilibet esset ditior. Imò sequeretur, ambos simul non fore ditiores, quàm quemlibet seorsim : quia ambo simul non ha-

haberent plus, quàm quilibet seorsim: nam simul, sive collectivè haberent mercem & pretium; sed etiam quilibet seorsim haberet mercem & pretium in eodem instanti *A*; ergo &c. Omitto plura ejusmodi absurda, quæ facilè quivis deducere potest ex adversa sententia. Supereſt modò, ut argumentis ejusdem satisfaciamus.

5 Ad primum igitur respondeo neg. Ant. ad hujus probat. nego, Petrum quoque in eodem instanti *B* esse dominum libri. Quod ipsum dum prob. dist. maj. in illo instanti Petrus est dominus, in quo exercet actum dominii non destructivum, conc; destructivum, neg. maj. sed in instanti *B*. Petrus exercet actum dominii destructivum, conc. non destructivum, neg. mi. & consequ. Ad rationem in favorem mi. subjunctam dico, rem alienare vendendo, aut donando esse quidem exercere actum dominii destructivum, non tamen esse exercere actum dominii non destructivum. In probat. maj. neg. Ant. cujus dum redditur ratio, dico, illud dictum esse falsum, nisi ly *habet* intelligatur cum distractione ad tempus immediatè præteritum: sicut intelliguntur, ac verificantur sequentes propositiones: *Nemo occiditur, qui non vivit: nemo perdit pecunias, quas non habet: nemo claudit januam, quæ non est aperta*: ubi ly *vivit*, ly *habet*, ly *est aperta* sumitur cum distractione ad tempus immediatè præteritum: cùm certum sit, in instanti mortis hominem non vivere; nec haberi pecunias in instanti perditionis; aut januam esse apertam in instanti, quo claditur. In forma potes distinguere, nemo dat, quod non habet extrinsecè, præsuppositivè, & pro tempore immediatè præterito, conc. quod non habet intrinsecè, concomitanter, & pro instanti seu tempore præsenti, quo dat, neg. Ad secundam probat. conc. maj. neg. mi. quæ dum prob. conc. Ant. neg. consequ. quia venditio est actus moraliter destructivus ipsius facultatis liberè & perfectè disponendi de libro. Ex quo patet ad exemplum de statione: ista enim non est actus destructivus potentiæ liberè ambulandi; cùm nullum includat prædicatum essentialiter & intrinsecè repugnans eidem potentiæ ambulandi in sensu diviso, quale tamen prædicatum includit translatio dominii per venditionem respectu facultatis liberè perfectè disponendi de re vendita.

Ad primam Confirmat. patet ex dictis. Ad secundam dist. Ant. actus non destruit potentiam, nisi includat prædicatum intrinsecè repugnans cum potentia, conc. si includat tale prædicatum, neg. Ant. & dist. consequ. ergo actus dominii non destruit dominium, nisi includat prædicatum intrinsecè repugnans cum dominio, conc. si includat, prout includit actus translativus dominii, neg. consequ. Atqui venditio libri in nostro casu est actus dominii non qualiscunque, sed translativus ejusdem.

Ad tertiam Confirmat. dist. Ant. causa physica debet existere in eo instanti, in quo actu causat, conc. causa moralis, neg. Ant. ergo etiam causa physica dominii debet existere in eo instanti, quo causat dominium, conc. causa moralis, neg. Atqui dominium Petri in librum actu causat in instanti *B* dominium Pauli in eundem librum, causat moraliter, conc. physice, neg. subsumpt. & consequ. Ratio discriminis inter causam moralem & physicam, ut solide exponit Paulus Mezger, in eo consistit, quòd causa physica suo reali influxu tribuat existentiam; causa verò moralis non tribuat necessariò existentiam effectui, sed sæpissime solum valorem, qui etiam ex forma vel causa non ampliùs existente provenire potest: veluti contingit, quando donatio mortis causâ suum effectum sortitur in instanti mortis, in quo neque donator, neque donatio existit. Licet proinde donatio, ut est actus physicus, vitalis, & liber, procedat a voluntate & potentia libera realiter coëxistente, attamen, ut est actus habens esse morale in ratione validæ donationis, & moraliter efficacis, non procedit à dominio realiter coexistente, sed realiter præexistente.

Ad quartam Confirmat. neg. Ant. nam desinit extrinsecè, & per primum sui non esse, ita ut verum sit dicere in instanti *B*, *nunc dominium libri primo non est in Petro, immediatè tamen antea fuit in Petro.* Incipit autem intrinsecè in Paulo, & per primum sui esse, ita ut verum sit dicere in eodem instanti *B*, *nunc dominium libri primo est Paulo, immediatè tamen antea non fuit in Paulo.*

Ad secundum ex argumentis, admisso illo casu, dist. ant. uterque habet potestatem in actu primo plenè & perfectè disponendi simultaneè, & pro eodem instanti seu tempore, neq. successivè & pro diverso instanti seu tempore, conc. ant. & neg. consequ. Licèt enim Paulus supponatur habere plenam potestatem disponendi de equo quoad omnes ejus usus, non tamen habet hanc talem potestatem ut reducibilem in actum pro instanti seu tempore prævenionis, qua prævenitur à Petro; & neque Petrus donandô equum Paulo, sibique reservandô beneficium prævenionis potest eidem Paulo communicare plenam & perfectam potestatem de equo disponendi pro instanti seu tempore prævenionis; cùm sit apertè impossibilis; sicut ipsa legitima dispositio pro tunc exercenda à Paulo est impossibilis. Quæ dicuntur in probat. Ant. solùm ostendunt, utrumque habere potestatem illam de

equo

equo disponendi pro diverso instanti seu tempore, quod nostræ doctrinæ non adversatur, ut patet ex declaratione statûs quæstionis in n. 1.

Ad tertium conc. Ant. neg. conseq. nam primo, dominium Dei est eminenter dominium cujuscunque hominis, sicut ejus Omnipotentia est eminenter omnis virtus causandi creata: adeoque sicut Omnipotentia, licet sit causa adæquata & totalis in suo ordine comparatè ad effectum quemcunque, non excludit virtutem & causalitatem adæquatam causæ creatæ respectu ejusdem effectûs, ita nec dominium Dei adæquatum & perfectum excludit dominium hominis itidem adæquatum & perfectum in eandem rem. Atqui dominium unius hominis in aliquam rem, quantumvis plenum & perfectum, de quo loquimur, non est eminenter dominium alterius hominis plenum & perfectum. Secundo. Ut Deus transferat dominium alicujus rei in hominem, non habet opus, imò non potest à se abdicare illud dominium pro ullo instanti aut tempore. Unde ea translatio domini non est actus destructivus dominii ex parte Dei. Atqui, ut unus homo dominium plenum & perfectum alicujus rei transferat in alium hominem, debet translator omne dominium & jus in illam abdicare; adeoque ipsa translatione totum ex sua parte destruere, sicque efficere, ut in instanti translationis non amplius habeat dominium.

Ex hactenus dictis facilè deducitur, neque 6
penes duos donatarios, quibus eadem res, v.g. idem equus, donatur, posse consistere dominium in solidum, prout hîc accipitur. Ratio est; quia quodlibet ejusmodi dominium esset, & simul non esset plenum & perfectum. Esset, uti supponitur: non esset; quia de ratione essentiali ac specifica dominii pleni & perfecti est esse exclusivum omnis alterius dominii homogenei circa rem eandem: atqui neutrum dominiorum in duobus donatariis excluderet omne aliud dominium homogeneum, ut patet; ergo neutrum esset plenum & perfectum.

ARTICULUS II.

An usus rerum uno usu consumptibilium distinguatur à dominio?

SUMMARIUM.

1. *Usus alius est* Juris, *alius* Facti. 2. *Rerum aliæ unico usu consumuntur, aliæ non consumuntur.* 3. *In rebus unico usu non consumptibilibus usus facti distinguitur à dominio.* 4. *Quod idem asseritur & prob. de usu in rebus uno usu consumptibilibus.* 5. *In his rebus etiam tota Communitas FF. Minorum non habet dominium, sed nudum usum.* 6. *Occurritur Authoritati Joannis XXII.* 7. *Solvitur objectio ex definitione usûs petita.* 8. *Franciscanus invitatus ad mensam nullum habet jus in cibos appositos.* 9. *An Religiosus peccet contra paupertatem, quando invitatus à sæculari comedit sine licentiâ Superioris?*

1 NOtandum est primo, usum dividi in *usum juris*, & in *usum facti*. Prior est vel ipsum jus activum utendi, & definitur, jus dundaxat utendi re aliena, salvâ ejus substantiâ: vel est actualis usurpatio rei alienæ, v.g. actualis equitatio, comestio &c. ex jure tamen activo utendi derivata, cumque eodem conjuncta. Usus facti est nuda quædam rei alienæ usurpatio, legitima quidem, sed ab alterius nutu dependens, & citra injuriam impedibilis.

2 Notandum est secundo, res, quibus uti possumus, esse in duplici differentia. Nempe aliæ sunt, quæ unico usu proprio seu primario consumuntur, ut cibus, potus &c. quo etiam pertinet pecunia, quæ unico usu principali, scilicet permutatione pro aliis rebus moraliter consumi censetur. Dictum est autem, *unico usu primario*: quia usu secundario hæc talia sæpe non consumuntur: ut, si cibum adhibeas ad delectationem odoratus, pecuniam ad ostentationem &c. Aliæ res sunt, quæ unico usu proprio & primario non consumuntur, ut domus, vestis, vasa argentea &c.

3 Notandum est tertio, certum esse, quod usus facti distinguatur à dominio in rebus uno usu non consumptibilibus; veluti patet in Religiosis, quorum singulis variæ res ad usum quotidianum conceduntur, licet singuli in particulari nullum in eisdem dominium, aut jus aliquod irrevocabile, quodque ab alterius nutu non dependeat, habere possint. Procedit igitur quæstio de usu facti in rebus unico usu primario consumptibilibus. Debet illa suam originem Ordini Minorum, qui contendunt, se tale genus paupertatis profiteri, ut neque singuli Religiosi, neque etiam tota Religio in communi habeant dominium earum rerum, quibus utuntur, sed merissimum usum; dominium verò inquiunt esse vel penes illos, qui dant ejusmodi res, vel penes Summum Pontificem, ex cujus licentia ipsi postmodùm utantur rebus sibi datis. His notatis,

Dico primo. Usus rerum uno usu con- 4
sumptibilium potest reperiri distinctus & se-

pa-

paratus à dominio. Ità hodie communis Theologorum sententia, quam etiam approbârunt plures Summi Pontifices, nempe Nicolaus III. Clemens V. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius IX. quos Nicolaus citat pro se apud Card. de Lugo de Jure & Just. to. 1. disp. 2. sect. 3. n. 43.

Probatur autem hæc sententia primo. Quia potest alicui concedi usus rei uno usu consumptibilis, revocabilis, & dependens à nutu concedentis: sed in tali casu datur usus ejusdem sine dominio; ergo. Maj. patet à pari in usu rerum uno usu non consumptibilium, de quo dictum est in n. præced. Mi. ex eo facilè deducitur, quòd dominium sit facultas utendi re pro utentis arbitrio: atqui talis facultas non datur in utente, quando usus rei ipsi conceditur revocabilis & dependens à voluntate ac nutu alterius, ut est evidens; & tamen tunc datur usus ejusdem; ergo datur sine dominio.

Prob. secundo exemplis. Primum est in conviva, qui non habet dominium ciborum, quibus vescitur; cùm is, qui ipsum invitavi, possit impedire, ne comedat, cibósque appositos auferre omnes sine injuria illius: ergo habet solum usum, & non dominium. Secundum est in servo, quem dominus similiter potest impedire citra injuriam, ne comedat, ne bibat ex iis, quæ ipsi sunt apposita; néve expendat pecunias, quas fortè ad emendum eidem necessaria concessit. Adeoque in tali servo est usus absque dominio. Tertium est in Religiosis aliorum Ordinum, qui singuli gaudent usu rerum per unum usum consumptibilium sibi concessarum à Superioribus; & tamen non gaudent earum dominio; cùm singulis momentis possint impediri ab eisdem Superioribus, ne illis utantur. Quartum est in fidelibus primitivæ Ecclesiæ, quibus omnia erant communia, & nihil cuiquam proprium: adeoque nec eorum, quibus actualiter utebantur, erant domini.

Prob. conclusio tertio. Quia dominium non potest transferri, nisi in eum, qui id acceptat: ergo, qui non vult acceptare, sed recusat dominium rerum, quæ ipsi dantur, solúmque acceptat usum earundem dependentem & pro arbitrio impedibilem ab eo, qui revocare potest, is habet usum sine dominio. Atqui potest quis recusare dominium rerum uno usu consumptibilium, solumque acceptare usum earum revocabilem & pro arbitrio dantis revocabilem; ergo &c.

5 Dico jam secundo. Conventus totusque Ordo Minorum etiam in iis, quæ unico usu consumuntur, habent nudum usum, ita ut neque in tota communitate sit dominium. Ita rursus communiter Theologi, constátque ex decretis Pontificum, quos antea nominavimus. Et ratio est: quia semel ostenso, dominium & usum similium rerum posse separari, sicut ostensum est, non est mirum, si de facto in aliquo toto Ordine separata inveniantur, præsertim, cùm id maximè conducat ad salvandum perfectissimum modum Evangelicæ paupertatis. Confirmatur. Singuli Religiosi, tam Ordinis Minorum quàm aliorum, habent solum rerum usum absque dominio, ut nemo negare potest: ergo nihil est inconveniens, si id ipsum in aliquo toto Ordine constituatur, ita ut ipse totus nihil habeat præter nudam concessionem rerum ad usum sine omni dominio. Sed jam

Objicies primo, authoritatem Joannis XXII. qui acerrimè improbat nostram sententiam in Extravag. *ad Conditorem*, & duabus sequentibus addens, se abdicare à se & à Sede Apostolica omne dominium rerum, de quibus hîc sermo est, ne FF. Minores prætendant, illud esse apud Sedem Apostolicam. Imò ait, nugatorium, fictitium, & rationi repugnans esse dominium rei, quam alius potest licitè & legitimè unico usu destruere. Cùm proinde dominium ejusmodi rerum non sit penes sedem Apostolicam, debet esse penes ipsos Minores. Respondeo, si fideles, qui res similes largiuntur, sibi reservare intendant earum dominium, donec consumantur, illud remanere apud ipsos: si id non intendant, transire ad Sedem Apostolicam. Neque obstat Authoritas Joannis XXII. nihil enim quoad hanc partem definivit; quia non erat materia Fidei, vel morum, sed punctum Juris civilis, ait Lugo ubi suprà n. 55. Ejus quoque decretum, quatenus eo Minoribus adjudicavit dominium rerum uno usu consumptibilium, fuit revocatum à Papis successoribus. 6

Objicies secundo. Usus distinctus à dominio est, qui competit alicui in re aliena, salvâ ejusdem substantiâ, ut habetur *Instit. de usu & habit.* & constat ex dictis, sed in rebus, quæ unico actu utendi consumuntur, non potest dari usus salvâ earum substantiâ, ut est evidens; ergo nec usus distinctus à dominio. Respondeo in maj. contineri definitionem usûs juris, sive usûs irrevocabilis à domino, quem usum à dominio non esse distinctum aut separabilem nihil est contra nostram doctrinam: cùm hîc sermo sit de usu facti absque ullo jure irrevocabili: & hunc talem usum posse separari, imò & actu separari à dominio, contendimus. 7

Objicies tertio. Si Franciscanus invitetur ad prandium, habet verè aliquod jus circa cibos sibi appositos. Nam si quis alius præter invitantem eos auferret, inferret ipsi injuriam: ergo non habet simplicem usum facti separatum à dominio in cibos. Respondeo, invitato competere quidem jus naturale adversus omnes, qui per vim vel fraudē ipsum impediunt ab usu ciborū, quos tunc apponit invitans: non 8

tamen

tamen habere jus in ipsos cibos, sed meram concessionem usûs sine jure utendi; cùm aliàs proprio nomine eosdem à surripiente vindicare posset, quod est falsum. Unde neg. conseq. Etiam Religio, vel Monasterium habet jus adversùs eum, qui vi vel fraude impedit candidatum ab ingressu Religionis vel Monasterii, & tamen non habet jus in candidatum, prout infrà de Restit. in spec. videbimus: ergo similiter &c.

9 Dices. Hinc sequitur, Religiosum, dum invitatus à seculari ad prandium comparet & comedit sine licentia sui Superioris, non peccare contra votum paupertatis: cùm nihil accipiat juris in cibos, sed merum usum facti, qui non videtur contrarius voto paupertatis. Respondeo neg. seq. quia votum paupertatis ex intentione voventium non solùm obligat ad carendum omni jure in res temporales, sed etiam ad non utendum illis, nisi dependenter à voluntate Superiorum. Aliàs certè Religiosi nunquam violarent votum paupertatis acceptandô aliquid temporale ab extraneis sine licentia Superiorum; quia nunquam acquirunt, nec possunt acquirere jus aliquod in rem ejusmodi, sed solum usum facti cujus solius sunt capaces. Vid. Thomas Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 19. n. 53. Lugon. 50.

ARTICULUS III.

An homo sit dominus vitæ & membrorum?

SUMMARIUM.

1. *Homini naturaliter competit jus custodiendi suam vitam.* 2. *Statuitur, & prob. hominem non esse dominum vitæ & membrorum.* 3. *Nunquam est licitum se ipsum occidere propria authoritate.* 4. 5. *Quid, si Deus, vel Judex præciperet, ut quis se ipsum occideret?* 6. *Respondetur ad exempla aliquorum se ipsos occidentium.* 7. 8. 9. *Illationes de mutilatione, vel abscissione membri,* 10. *An licita sit castratio ad conservandam suavitatem vocis?*

1 OMnes supponunt tanquam certum, homini naturaliter competere jus custodiæ in suam vitam & membra, vi cujus se ipsum contra quemcunque injustum aggressorem tueri ac conservare possit. Verùm de jure dominii aliquale potest subesse dubium. Et hinc fortè ansam sumpsit errror quorumdam hæreticorum apud S. Augustinum *de hæres. ad Quod vult. hæres* 69, asserentium, licitum esse homini occidere se ipsum; imò id esse opus magni meriti, ac speciem Martyrii.

2 Dico. Homo non est dominus vitæ & membrorum. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 64. a. 5. ad 1. & 3. sentiunt communiter Theologi, idque conformiter S. Scripturæ, quæ humanæ vitæ dominium soli Deo specialiter tribuit Sap. 16. *Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Deuter. 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Ratio verò, omissis aliis non multùm convincentibus, hæc esto: quia, ut ex ipsô formali essentiali conceptu & definitione constat, dominus est aliquid relativum, & importat superioritatem respectu illius, cujus est dominus; ergo sicut nemo potest esse relativus ad se ipsum, vel habere superioritatem erga se ipsum, ita nec potest habere dominium in se ipsum. Confirmatur. Deus ideo non potest esse dominus suiipsius, licèt se ipsum perfectissimè possideat, quia non potest importare ullam superioritatem erga se ipsum, ita ut sibiipsi subjiciatur, & à se dependeat: ergo nec homo potest esse dominus suiipsius; quia non potest importare superioritatem erga se ipsum, ita ut subjiciatur sibiipsi, atque à se ipso dependeat. Moneat ergo, ut, quemadmodum homo non potest esse pater suiipsius, ita nec possit esse dominus suiipsius, sed eorum tantùm, quæ non sunt ipse, sive, quæ sunt extra constitutionem ipsius. Atque hinc

3 Infertur primo, non esse licitum homini occidere se ipsum, & suicidium (ut vocari solet) esse intrinsecè malum. Ita D. Thom. à cit. Et rectè id colligit S. Augustin. ex quinto præcepto Decal. *non occides*, dum inquit lib. 1. de civit. Dei. cap. 20. *nec alterum; ergo nec te: neque enim aliud, quam hominem occidit, qui se ipsum occidit.* Ratio quòque sufficiens ex dictis est: quia non licet propria authoritate disponere de eo, cujus quis nec est, nec potest esse dominus: sed homo nec est, nec potest esse dominus suiipsius, vel (quod idem est) suæ vitæ; ergo non licet homini de se ipso propria authoritate disponere. Atqui se ipsum occidere est de se ipso, suaque vita disponere; sicut occidere bovem, aut ovem est disponere de bove, vel ove; ergo &c. Verùm contra hanc rationem

4 Objiciet aliquis, quòd per illam probetur, si quid probatur, neque ex præcepto & potestate Dei hominem se ipsum posse licitè occidere: cùm neque Deus possit facere, ut homo sit dominus suiipsius; sicut non potest facere, ut idem sit relativus aut Superior ad se ipsum. Sed hoc est probari nimium; ergo Respôdeo neg. maj. quia suppositô præcepto aut

aut dispensatione Dei homo occidens se ipsum de sua vita jam non disponeret propria authoritate, sed ut minister & instrumentum Dei; qui est perfectissimus dominus humanæ vitæ, hancque destrueret operâ ejusdem hominis.

5 Dices. Ergo similiter posset homo reus mortis licitè se ipsum occidere, v. g. infundendo venenum, infigendo pugionem sibiipsi, ut minister & instrumentum judicis, si hic ipsi committeret executionem sententiæ in se ipsum: quia tunc non disponeret de sua vita authoritate propria, sed judicis, penes quem esset potestas ipsum occidendi; veluti supponitur. Confirmatur. Potest homo authoritate & nomine Dei se ipsum occidere absque eo, quòd à Deo habeat dominium in suam vitam: ergo etiam poterit reus authoritate & nomine judicis se ipsum occidere exequendo ejusdem sententiam absque eo, quòd à judice habeat aliquod jus & dominium in suam vitam.

Respondeo contra Victoriam, Arragonium, Haunoldum & alios neg. conseq. & suppositum, quòd ullus magistratus aut judex creatus habeat authoritatem, seu potestatem committendi reo executionem ejusmodi sententiæ in se ipsum. Reus enim neutiquam est idoneus, ut in se ipsum exerceat actum justitiæ punitivæ, qualis esset hæc talis executio; cùm justitia semper essentialiter debeat esse ad alterum. Ex quo ad Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd Deus præcipiendo, ut quis occidat se ipsum præcipiat ejusmodi actionem solùm, ut occisio, seu destructio vitæ est: quæ actio, licèt ut talis exerceri non possit ab homine propria authoritate ob defectum dominii in se ipsum, potest tamen exerceri ab ipso authoritate Dei, qui est dominus humanæ vitæ. Atqui judex reo præcipiens executionem sententiæ mortis in se ipsum præcipit talem actionem etiam, quatenùs punitio est, ad quam exercendam reus non est capax aut aptus; cùm nemo exercere possit actum justitiæ vindicativæ erga se ipsum, sed erga alterum tantùm.

Instabis. Siquis occideret se ipsum ex præcepto Dei, illa occisio solùm esset actus dominii, prout præcepta à Deo, & exercita nomine Dei, non verò, prout exercita ab ipso homine: ergo similiter, siquis occideret se ipsum mandante judice, talis occisio solùm esset actus justitiæ punitivæ, quatenùs procederet à judice mandante, non verò, quatenùs procederet ab ipso reo exequente: adeoque sufficeret, quòd esset actus injustitiæ respectu mandantis, & non requireretur, ut esset actus justitiæ, quatenùs procederet ab exequente. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quia, nisi esset actus justitiæ, etiam prout exercita ab ipso reo, nullus esset titulus, ex quo honestari posset. Solus enim titulus vel justæ defensionis, vel punitionis à Deo statutus est humano generi ad reddendam occisionem hominis honestam ac licitam. Cùm proinde in casu, quo reus mandante judice occideret se ipsum, non adesset titulus justæ defensionis, ut patet; deberet adesse titulus justæ punitionis, ut esset occisio licita respectu exequentis. Atqui rursus nec iste titulus adesset respectu exequentis sententiam mortis; cùm ejusdem in ordine ad se ipsum esset incapax, ut ostensum est. Vid. Card. de Lugo de jure & just. to. 1. disp. 10. sect. 1. à n. 10.

Objicies præterea varia exempla eorum, 6
qui laudantur, quòd se ipsos occiderint. Tales sunt Samson Judic. 16. qui eversione totius ædificii se ipsum oppressit, Eleazarus 1. Machab. 6. qui, ut elephantem, cui Regem hostem insidere putabat, interficeret, se ipsum bestiæ opprimendum supposuit. Horum autem uterque à S. Script. laudatur ut Sanctus. Item Razias 2. Machab. 14. de quo ibi dicitur, quòd se ipsum interfecerit eligens nobiliter potiùs mori, quàm subditum fieri peccatoribus. Lucretia quoque Romana, quæ magnis laudibus celebratur, quòd se ipsam præ dolore violatæ pudicitiæ interfecerit. Denique S. Apollonia, quæ carnifices præveniens se ipsam in ardentem rogum conjecit.

Respondeo ad ult. & ad prima duo exempla, omnia contigisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti, & Deo jubente; adeoque Dei authoritate; & consequenter licitè: quia supposita Dei jussione non est amplius intrinsecè mala sibiipsius occisio: tunc enim à Deo mutatur illius objectum, ita ut non amplius repugnet Divino dominio in vitam hominis. Potes etiam dicere de Samsone, & Eleazaro, quod uterque concomitanter solùm & per accidens fuerit cooparatus ad suam mortem; per se verò, ac directè intenderint mortem hostium ob honorem Divinum & salutem patriæ. Hæc autem talis cooperatio ad suam mortem est licita; velut ex proximo artic. constabit. De Razia itidem probabile est, ipsum ex instinctu Spiritus S. id facinus perpetrâsse, ut docent Nicolaus de Lyra, Victoria, & Bannez apud Paul. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 28. a. 3. n. 6. D. Thomas tamen existimat, ipsum peccâsse; quia mors ipsius non poterat quidquam prodesse bono patriæ. Quando proinde dicitur, illum maluisse nobiliter mori, id intelligendum est ex opinione ipsius Raziæ, in qua tamen erravit. Exemplo Lucretiæ addi possunt etiam exempla Catonis Uticensis, Bruti, Cassii, & aliorum Ethnicorum: ad quæ respondendum est cum S. August. lib. 1. de civit. Dei cap. 23. illa non fuisse opera fortitudinis, veraque laude digna, sed opera pusillanimitatis igno-

ignominiam, aut novum dominatum sustinere non valentium.

7 Infertur jam secundo, neque licitum esse homini mutilare se ipsum, id est, membrum aliquod sibimet auferre. Ita D. Thomas 2. 2. q. 65. a. 1. & Theologi communiter. Ratio sumitur ex dictis: quia, sicut homo non est dominus sui, ita neque est dominus suorum membrorum; nam homo est omnes suæ partes simul: ergo sicut de se ipso non potest disponere propria authoritate, ita nec potest de suis membris, quæ ipsum constituunt & integrant. Hoc tamen non obstante

8 Infertur tertio, licitam esse abscissionem alicujus membri, quando est necessaria ad conservationem vitæ. Ita D. Thomas loco cit. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 14. Lugo sect. cit. n. 21. & alii. Ratio est: quia, licèt homo non sit Dominus, est tamen administrator & custos suiipsius: ergo jure suo ac licitè adhibet media ad suiipsius conservationem necessaria. Si proinde abscissio alicujus membri sit tale medium, ut esse potest, dum id cancer occupat, aut vipera, vel aspis momordit &c. tunc illâ uti potest. Nam partes sunt propter totum; adeoque bonum totius debet esse potius bono partium. Verùm, an talis non solùm possit, sed etiam debeat tunc uti abscissione membri? dubium esse potest. Censeo, etiam debere, quando Medici judicant esse necessarium, fierique potest absque dolore non nimis acerbo; secùs, si dolor planè immanis ac intensissimus sit timendus. Ratio est: quia homo non tenetur ad sui conservationem adhibere media extraordinaria & difficillima, sed ordinaria, & non admodum difficillia. Atqui abscisso membri cum dolore acerbissimo est medium extraordinarium; ergo. Quòdsi tamen sit persona bono publico valde necessaria, etiam ad tale medium tenebitur adhibendum, ut habent Less. n. 97. Lugo loco cit.

9 Infertur quarto, doctrinam illationis proximè præcedentis probabiliùs etiam habere locum, quando Tyrannus cuipiam sub comminatione mortis præciperet, ut sibiipsi manum v. g. abscindat. Ita contra Sotum, Bannez, Salonium, & Turrianum Lessius n. 101. Lugo n. 22. & alii. Ratio nempe est: quia prudens administratio & custodia totius suadet, unum potiùs membrum esse abjiciendum, quàm concedendum, ut totum corpus pereat. Confirmatur. Omnes admittunt, ut testatur Lugo, talem abscissionem esse licitam detento in carcere, quando non potest effugere mortem, nisi manum sibi abscindat, secundùm quam tenetur vinctus à Tyranno, quia scilicet talis abscissio est necessaria ad conservationem totius: ergo idem ob eandem rationem dicendum est, quando urget ejusmodi præceptum Tyranni. Neque hoc est cooperari peccato Tyranni; sed est potiùs impedire, ne idem majus peccatum committat.

10 Huc denique pertinet illud dubium, an quis licitè possit permittere, ut castretur ad conservandam suavitatem vocis, qua sibi redditus ac sumptus comparet in totam vitam? vel, an parentibus, saltem pauperrimis, liceat ob hunc finem filios suos castrare? Affirmat Salonius, ut refert Lugo n. 23. modò id fiat absque periculo vitæ, & cum consensu illius, qui castratur. Verùm alii communiter negant, id esse licitum, ducti universim ea ratione, quòd ad solam vitæ conservationem licita sit abscissio membri alicujus noxi, vel non necessarii ad salutem totius corporis. Et certè, si ob alios quoque fines esset licita illa mutilatio, posset aliquis eam adhibere, vel pati, ut impetraret gradum honoris in aula Principis, cui soli eunuchi essent à primis ministeriis, ut olim erant, & hodie esse dicuntur in Regia Imperatoris Sinarum. Imò à fortiori licitum esset uti hoc medio, ut quis faciliùs vinceret tentationes carnis, vel securiùs conversaretur cum fœminis, earumve curam spiritualem gereret: cùm utilitates spirituales temporalibus emolumentis ac lucris longè præferendæ sint. Atqui talia nonnisi absurdè admitti possunt. Vid. Lugo loco cit. ubi tamen concedit, ejusmodi sectionem fore licitam in extrema necessitate famis, si esset medium unicè necessarium ad comparandum victum, ita ut aliàs fame pereundum esset. Sed casus, addit idem, est moraliter impossibilis.

ARTICULUS IV.

An aliquando liceat vitam exponere periculo?

SUMMARIUM.

1. Contra præceptum conservandi vitam peccari potest positivè, & negativè. 2. Statuitur & probatur sententia affirmans. 3. quando sit obligatio exponendi vitam pro Fide Christi? 4. Qualis debeat esse intentio ultro se offerentium in Martyrium? 5. Quid hic liceat pro salute spirituali proximi? 6. Item, qualiter gerere se debeant, vel licitè possint milites? 7. An justè damnato ad mortem liceat non fugere ex carcere, etsi possit? 8. Item, an liceat se ultrò offerre Judici ad puniendum

pro delictis? 9. *An liceat cum previsione abbreviandæ vitæ ingredi Religionem?* 10. *An Carthusianus licitè abstineat à carnibus, etiam in morbo periculosissimo?*

1 NOtandum est ex Card. de Lugo, hominem dupliciter posse peccare contra præceptum conservandi vitam. Primo, positivè, dum quis aliquid facit, quod ex se aptum natum est ad mortem ipsi inferendam, v. g. si ferrô se transverberet; si in ignem, si in flumen se conjiciat &c. Secundo, negativè, hoc est, non fugiendo pericula mortis, ut, si videns leonem ad se discerpendum venientem expectet immotus, licèt facilè declinare possit: vel, si grassante incendio, advertat, flammam sibi jam proximè imminere, & tamen nolit locum deserere, quem semel occupavit. In quibus casibus ipsum non fugere, & non declinare modo facili & ordinario mortem imminentem adversatur communi obligationi propriam vitam custodiendi.

2 Dico. Homo frequenter non solùm potest, sed etiam tenetur vitam exponere periculo, seque occidi permittere. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia ex una parte præceptum tuendi vitam, sive adhibendi media ad illam conservandam est positivum, adeoque non semper & pro semper obligans: ex altera parte propter majus bonum virtutis, vel Reipublicæ sæpe solet esse non modò laudabile & honestum, sed etiam obligatoriumnon conservare vitam & tolerare mortem. Atque hinc

3 Infertur primo, aliquando pro fide Christi vitam exponendam, mortemque potiùs sustinendam, quàm fidem negandam esse. Ita colligitur ex illo Lucæ 12. *Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* Dixi, *aliquando.* quia inprimis dicta obligatio solùm currit, quando urget præceptum fidem confitendi externè: in aliis enim casibus, dum martyrium quidem cedit in defensionem Fidei, & honorem Christi, non tamen est necessarium, offerre se morti, vel periculo mortis est opus heroicæ virtutis, ut patet exemplis Sanctorum, sed, nulla obligatio ad offerendum se tali periculo. Deinde, qui indiscretè, & absque magna utilitate, magisque ex tædio vitæ, quam ob defensionem Fidei, offerret se Martyrio, mortaliter peccaret, ut docent Sayrus in clavi Reg. lib. 7. cap. 9. Mezger tomo 3. tract. 11. disp, 28. a. 3. n. 7. & alii. Quod jam dictum est de Fide, ad alias quoque virtutes, Castitatem, Religionem &c. oportet extendere: nam etiam, qui occumbit propter immunitatem Ecclesiasticam v. g. ut S. Thomas Cantuariensis; vel propter reprehensionem adulterii, ut S. Joannes Baptista, ab Ecclesia colitur ut Martyr.

4 Objicies. Qui ex affectu & desiderio Martyrii se se morti offert, directè & formaliter vult peccatum Tyranni, à quo est occidendus: ergo talis suiipsius oblatio nunquam est licita. Conseq. patet. Ant. prob. quia, qui vult aliquam finem, quem videt non posse obtineri sine certo medio ad illum necessario, is etiam vult tale medium. Cùm proinde actio peccaminosa Tyranni injustè occidentis sit medium necessarium ad obtinendum Martyrium, quod quis intendit, is eo ipso vult ejusmodi actionem, adeoque peccatum Tyranni.

Respondeo neg. Ant. ad probat. dico, eam esse veram, quando quis vult aliquem finem ex intentione determinata ad illum, non autem, quando quis vult finem ex intentione ad eundem indeterminata, sed sub disjunctione. Atqui intentio Martyris (seclusâ inadvertentiâ invincibili) non fertur in Martyrium determinatè, sed in aliquod indeterminatum, quod non dependet necessariò à peccato Tyranni, putà in disjunctum aliquod ex Martyrio, vel conversione Tyranni, aliove simili bono quopiam, ita ut dicere possit, volo me sistere Tyranno, eique profiteri ac prædicare fidem meam: quia, vel ipse tunc convertetur, vel à persecutione desistet, vel non convertetur, sed magis contra me irritabitur? si prius; lucrabor salutem ipsius Tyranni, vel pacem Ecclesiæ; si posterius; reportabo palmam Martyrii. Ubi vides, hunc talem se se non offerre morti, ut Tyrannus peccet, sed ut ipse consequatur bonum illud disjunctum, ad quod peccatum Tyranni non est necessarium. Vid. Lugo de Just. to. 1. disp. 10. sect. 1. n. 44.

5 Infertur secundo, licitum esse, ut quis permittat se occidi ad salutem spiritualem proximi conservandam. Ita si invasus à latrone non posses evadere mortem, nisi occidendo hunc talem invasorem, licitè non occideres, mortemque ab ipso patereris temporalem, ne ille incurreret æternam. Similiter etiam probabile est esse licitum pro salute proximi corporali vitam exponere certo periculo, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. quem alii plures sequuntur. Ratio utriusque est: quia licitum est eligere bonum virtutis præ bono vitæ corporalis: nam illud est præstantius. Atqui in utroque casu eligitur bonum virtutis præstantius bono vitæ; ergo. Vid. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 28. a. 3. n. 8. & 9.

6 Infertur tertio, militem non solùm posse, sed etiam teneri persistere in statione, tametsi moraliter certus sit, se occidendum. Item, licet militi injicere ignem in pulverem tormen-

tormentarium, ut navis, arx, vel turris, in qua ipse existit, incendatur; vel dare se præcipitem in mare, ut navem manibus infidelium subducat, quamvis videat apertum periculum submersionis. Licitum est præterea in bello justo suffodere turres, vel mœnia, etiam cum certa prævisione interitus corporalis non modò hostium, sed etiam sui. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 6. n. 27. & à n. 32. & alii. Ratio est: quia talis non intendit directè se occidere, sed conservare, vel promovere bonum publicum, idque authoritate publica.

7 Infertur quarto, eum, qui per justam sententiam damnatus est ad mortem, carcerique includitur, posse amore justitiæ, vel obedientiæ non fugere, licèt ipsi ad effugiendum via pateat. Similiter, justè damnatus, ut fame moriatur, potest probabiliter cibum oblatum, non acceptare, quamvis necessarium ad vitæ sustentationem. Sayrus ubi suprà n. 22. Less. n. 28. & 29. Mezger n. 13. & alii. Ratio est: quia istud non tam videtur occidere se ipsum, quàm propter bonum justitiæ non amplius conservare vitam. Quòdsi talis esset injustè damnatus, teneretur auffugere vel comedere, nisi aliud motivum, putà Fidei, Religionis &c. adesset id non faciendi, veluti contigit in SS. Martyribus. Dixi, *potest probabiliter*. nam contrarium, quod docet D. Thomas 2, 2. q. 69. a. 4. ad 2. videtur esse probabilius. Ratio est: quia præceptum conservandi vitam obligat in omni casu, ut quis utatur mediis ordinariis & communibus ad eam conservandam, nisi fortè oppositum Deus ipse vellet. Atqui cibus tali reo oblatus ac necessarius ad conservandam vitam est tale medium; ergo præceptum conservandi vitam obligat ad utendum tali cibo. Confirmatur primo. Quia non ille solùm dicitur se ipsum directè occidere, qui positiva quapiam actione vitam sibi adimit, sed etiam ille, qui mediis communibus & ordinariis vitam non conservat, cùm possit conservare. Unde, qui domi quoque suæ, & absque damnatione ad fame moriendum obstinatè nihil comedit, dum cibos habuit in promptu, dicitur se fame enecâsse. Et certè neque judex, neque hostis aliter quemquam fame enecant, quàm prohibendo & impediendo, ne comedat. Atqui reus in facta hypothesi abstinens mediis communibus & ordinariis vitam non conservat; ergo &c. Confirmatur secundo. quia reo nunquam est licitum in se ipsum exequi mortis sententiam, ut constat ex 2. proximè præced. sed reus in nostro casu per abstinentiam à cibo in se ipsum exequeretur mortis sententiam; ergo.

8 Infertur quinto, non peccare illum, qui Judici quærenti ipsum ad puniendum propter delicta pœna capitali se ultro offert, ac sistit. Less. cit. dubit. 6. n. 28. Lugo n. 37. Potest autem duplici modo quis offerre se Judici. Primo, ut præcisè se manifestet & confiteatur delictum. Secundo, ut non solùm se manifestet, sed insuper petat à Judicè, ut ipsum puniat pœnâ mortis, quam meruit. Prior modus ideo est reo licitus, quia solùm se non occultat, sed fatetur suum crimen amore justitiæ, quidquid deinde Judex ex suo beneplacito disponat. Posterior modus inde videtur honestus, quia, si Judex audita confessione criminis peteret ab ipso reo edoceri de sua obligatione, is licitè responderet, esse obligatum ad morte ipsum puniendum? ergo hoc idem petere quoque licet à Judice. Conseq. prob. ex eo, quòd hoc nequaquam sit se ipsum occidere, sed petere ab eo, qui id potest, ut actum ejusmodi honestum & laudabilem Justitiæ exerceat.

Objicies. Talis reus erit saltem causa moralis suæ mortis. Nam petens, vel consulens quidpiam numeratur inter causas morales: adeoque se ipsum occidit saltem moraliter, qui petit, vel consulit, ut occidatur. Respondeo, hunc talem reum esse præcisè causam moralem, ut Judex fungatur suo officio, & exerceat actum justitiæ, eo modo, quo quis petens à debitore, ut solvat, quod debet, sua petitione concurrit moraliter ad justam solutionem ceu actum Justitiæ in solvente. Vid. Lugo loco cit.

9 Infertur sexto, licitum esse, ut quis desiderio majoris perfectionis ac securitatis de salute animæ ingrediatur Monasterium, vel Religionem, quamvis ex imbecilli complexione sua probabiliter, aut quasi certò prævideat periculum abbreviandæ vitæ. Ita Lugo à n. 33. & alii. Ratio est: quia hoc non est positivè sibi mortem afferre, aut accelerare, sed est ob bonum virtutis non adhibere omnia media, quibus impediri posset abbreviatio vitæ, quæ ex cursu naturæ, propriæque complexionis imbecillitate causatur. Hoc autem sæpe numero est licitum. Atque hinc

10 Infertur septimo, licitum esse Carthusiano propter bonum abstinentiæ & disciplinæ communis in morbis etiam periculosissimis abstinere à carnibus, Ratio præter jam indicatam est: quia nemo tenetur ad prolongandam vitam uti alimentis delicatioribus & extraordinariis, sed solùm ordinariis. Unde neque aërem idcirco quis mutare tenetur. Atqui carnes respectu Carthusiani sunt media & alimenta extraordinaria in morbis etjam periculosissimis, & majus bonum est virtus abstinentiæ, & communis disciplinæ conservatio, quàm prolongatio vitæ.

Vid. Lugo num. 35. Mezger ubi suprà n. 12.

ARTICULUS V.

An in homine sit dominium hominis, famæ, honoris, bonorumque spiritualium?

SUMMARIUM.

1. *Bonorum spiritualium alia externa, alia interna.* 2. *In homine est dominium omnium istorum bonorum.* 3. 4. *Homo est etiam dominus famæ & honoris.* 5. *Non tamen habet ex jure naturæ dominium proprietatis in alium hominem.* 6. *Licèt habere possit jure gentium, & civili.* 7. *Dominium tamen jurisdictionis jure naturæ competit homini in alium hominem.*

1 UT à postremis incipiamus, sciendum est, bonorum spiritualium alia esse externa, alia interna. Prioris generis sunt jurisdictio spiritualis, Episcopatus, Decanatus, jura beneficiorum &c. Posterioris sunt gratia sanctificans, habitus, & operationes ad ordinem gratiæ pertinentes.

2 Dico jam primo. Homo est dominus omnium istorum bonorum spiritualium. Ratio est: quia de bonis spiritualibus prioris generis homo liberè potest disponere, licèt non quoad omnem usum. Bona verò posterioris generis nostrâ industriâ aliquando dispositivè, aliquando meritoriè comparamus: ergo sumus domini illorum. Atque hinc rectè colligitur, gratias gratis datas non esse in dominio hominis: quia nempe homo eas neque suâ industriâ comparare, neque de illis liberè disponere potest: cùm earumdem usus non subjaceat arbitrio habentis, sed Dei moventis. Vid. Mezger tomo 3. tract. 11. disp. 28. artic. 4. num. 2.

2 Dico secundo. Homo est dominus famæ & honoris. Ita communis DD. contra Cajetanum. Colligitur ex D. Thoma, 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. dicente, *in cujusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum.* Ratio est: tum, quòd homo liberè ac licitè citra cujusquam injuriam aliquando se ipsum possit infamare. Tum, quòd famam & honorem propriâ industriâ non modò acquiramus, sed etiam augeamus. Tum, quòd homo teneatur interdum cum sui ipsius infamatione famam restituere: quòd certè non faceret licitè, nisi famæ suæ haberet dominium. Tum denique, quòd homo restitutionem famæ detractori condonare possit. Atqui nemo condonare potest restitutionem ejus, quod suum non est.

4 Neque dicas contra hanc ultimam rationem: possumus mutilatori injusto condonare restitutionem membri abscissi, & tamen non sumus domini illius: ergo etiam possumus detractori condonare restitutionem famæ, quamvis istius domini non simus: respondetur enim cum Lessio, nos non posse propriè condonare restitutionem membri; sed id, quod condonamus mutilatori, esse satisfactionem pro illata injuria, & restitutionem pecuniariam pro damno secuto in bonis fortunæ.

5 Dico tertio. Jure naturæ homo non habet dominium proprietatis in alium hominem. Ratio est: quia sicut homo à natura habet liberum arbitrium, sive libertatem à necessitate, ita etiam habet libertatem à servitute. Atque hinc jure naturæ permissivo nemo nostrûm est servus, sed omnes liberi sumus: velut ex eo quoque colligitur, quòd in statu naturæ integræ nulla fuisset servitus, ut docet S. Augustinus lib. 19. de civit. cap. 15. cùm servitus sit pœna peccati. Neque refert, quòd Aristoteles 1. Politic. cap. 1. & 3. dixerit *quosdam naturâ servos, quosdam dominos*: plus enim non voluit, quam alios à natura esse magis aptos ad imperandum, alios ad serviendum.

6 Dico tamen quarto. Jure gentium & civili potest homini competere dominium proprietatis in alium hominem. Colligitur ex S. Script. Exodi 21, Levit. 25. Deuter. 20. & 21. ubi variæ leges feruntur de variis generibus servitutum. Item 1. Corinth. 7. ubi ait Apostolus: *servus vocatus es? non sit tibi curæ.* Ex quo etiam constat, Christianos tam Christianorum, quàm Gentilium posse esse servos. Ratio verò concl. est: quia post bella & captivitates exortas in humano genere visum est, quòd præstet victos servari, servatosque (unde nomen servituti) manere sub jure victoris, quàm occidi. Itaque rationabili consensu populorum servitus introducta est. Quod idem per legis civilis dispositionem titulô venditionis factum esse videmus l. 5. §. 1. & 21. ff. *de statu hom.* Notandum tamen est, dominium in servos esse minùs perfectum, quàm dominium in res irrationabiles, & esse simile usufructui: neque enim licitum est servum occidere, vel mutilare absque delicto illius, quamvis vendi possit, sicque potestas disponendi circa ipsum sit major, quàm potestas disponendi circa usufructum. Vid. Illsung tr. 4. disp. 2. q. 3. a. 1. n. 94.

Dico

Dico quinto. Dominium jurisdictio-
7 nis jure naturæ competit homini in alium hominem. Ratio est: quia officium gubernandi ac dirigendi alios est juxta exigentiam & dictamen naturæ rationalis non solùm in hoc statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu innocentiæ. In priori quidem; quia in illo reperire est plurimos, qui ob rationis infirmitatem aliorum directione indigent; imò etiam plurimos, quorum vita in vitia proclivis frœnô potestatis legislativæ coërceri postulat. In posteriori autem statu, nempe innocentiæ, id dominium itidem fuisset juris naturalis: quia etiam in illa felicissima vitæ conditione fuisset juxta exigentiam creaturæ rationalis, ut animalia ad societatem genita corpus aliquod ex membris debitè coaptatum, politiceque coordinatum constituerent; velut etiam in Angelis reperitur; adeoque non mancrent incondita quædam, & vaga multitudo, qualis est belluatum. Unde in illo quoque statu non solùm viris uxores, & liberi parentibus, sed etiam plebeji principibus paruissent. Vid. Mezger ubi suprà, n. 3.

ARTICULUS VI.

In quænam bona dominium conveniat Filiofamilias, Uxori, Servo?

SUMMARIUM.

1. Peculium aliud castrense, aliud quasicastrense, aliud adventitium, aliud profectitium. 2. Filiusfamilias habet dominium peculii castrensis, & quasicastrensis. 3. In bona adventitia filio competit dominium proprietatis, non tamen utile. 4. In bona profectitia filius nullum habet dominium. Quomodo, & quando peccet filius furripiendo, vel consumendo bona patris? 5. Quid, si filius extraordinaria obsequia patri præstet in administratione rerum ipsius. 5. Declaratur, in quæ bona dominium competat uxori. 7. Quomodo, & quando peccet uxor furripiendo ex bonis mariti? 8. Servi de jure communi nullum habent dominium rerum temporalium.

1 BOna filiifamilias in Jure peculium vocantur, quasi parva videlicet pecunia, vel substantia. Est autem ejusmodi peculium quadruplex: Castrense, Quasicastrense, Adventitium, & Profectitium. Peculium castrense dicitur, quod in castris, sive bello acquiritur, idque omne complectitur, quod filiusfamilias intuitu belli terra, marique adipiscitur, ut stipendium, prædam, donationes ab aliquo commilitone: verbô, quidquid acquiritur in militia, & aliàs non acquireretur. Peculium quasicastrense est, quod habet privilegium castrensis, licèt castrense non sit. Ad quod pertinent primo illa, quæ ex officio quodam publico filius sibi comparat: v. g. si sit Advocatus, Medicus, Professor alicujus scientiæ, vel artis liberalis. Secundo, quæ donantur à Principe. *l. cum multa, cod. de bonis, quæ liberis.* Tertio, illa bona, quæ Clericus filiusfamilias lucratur ex officio Clericali: juxta Authent. *Presbyteros. cod. de Episc. & Cleric.* Peculium adventitium omnia bona comprehendit, quæ neque castrensia, neque quasi castrensia sunt, & neque à patre, neque principaliter filiofamilias conferuntur, sed aliunde adveniunt, v. g. ex successione materna, donatione, propria industria, artificio, casu, fortuna, vel simili occasione. Peculium profectitium est, quod filiusfamilias acquirit ex rebus, & substantia patris; vel eidem proximè ac principaliter intuitu patris donatur. *l. cum oportet cod. de bonis, quæ liberis.* Jam

Dico primo. Dominium peculij ca- 2
strensis, & quasicastrensis est penes filiumfamilias tam quoad proprietatem, quam utilitatem. Facilè colligitur ex dictis, & habetur ex dispositione legum civilium. Unde filiusfamilias de his bonis liberè potest disponere, & pater, si quidquam eorum sibi usurpet, injustè usurpat, & ad restitutionem tenetur. Illa quoque, quæ de peculio castrensi, vel quasicastrensi comparantur ludendo, negotiando, aliove modo, spectant ad memorata peculia, & consequenter ad liberam dispositionem filiifamilias. Bonis præterea quasicastrensibus accensentur illa, quæ filiusfamilias in Clericatu, & non solùm ex beneficio, aut bonis Ecclesiasticis quomodolibet comparavit. Nam bona, quæ respectu Laicorum essent adventitia, respectu Clericorum sunt quasicastrensia.

Dico secundo, In bona adventitia filio- 3
familias competit dominium proprietatis; patri verò, quamdiu vivit, dominium utile. Ita communiter DD. Hinc sequitur primo, patrem nec licitè, nec validè posse alienare bona adventitia filii. Ratio est: quia usufructuarius rei proprietatem tenetur conservare salvam: atqui pater respectu peculii adventitii est solùm usufructuarius, Mezger to. 3.

tract.

tract. 11. disp. 30. a. 1. n. 4. Sequitur secundo, Patrem, quando notabiliter dilapidat bona adventitia filii, teneri ad restitutionem; imò in defectu patris etiam hæredes ipsius. Ratio est clara: quia injustè usurpat rem alienam. Dixi, *quando notabiliter*. nam modicum non curatur inter patrem & filium. Sanchez lib. 1. consilior. cap. 2. dub. 11. Sequitur tertio, mortuo patre usufructum illorum bonorum pertinere ad filium, tametsi adhuc vivat mater. Ratio est: quia est effectus patriæ potestatis; atqueadeo non extenditur ad matrem. Mezger loco cit.

4 Dico tertio. In bona profectitia solus pater habet omne dominium, nullum verò filiusfamilias. Ita rursus communiter DD. Ex quo sequitur primo, filium, qui notabilem quantitatem surripit ex bonis, quorum pater habet dominium, vel usufructum, peccare mortaliter peccato furti, & teneri ad restitutionem. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 13. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 10. pu 1. Ratio est: tum, quia Proverb. 28. dicitur: *qui subtrahit à patre suo, vel à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidii est.* Ex quibus verbis satis colligitur gravitas culpæ mortalis. Tum, quia contra Justitiam in gravi materia accipit rem alienam. Ubi tamen adverte, non eandem materiam, quæ censetur gravis in furto extranei, esse gravem in furto filii, sed requiri majorem quantitatem: quod idem dicendum de furto uxoris. Ratio est: quia pater non solet esse tam invitus, dum ipsi furatur filius, quàm si extraneus. Attendi proinde debent circumstantiæ, statûs, conditionis, opulentiæ paternæ, indulgentiæ erga filium &c. unde Less. existimat, filium non esse condemnandum peccati mortalis, si patri prædiviti auferat duos vel tres aureos: secùs, si patri mechanico v. g. & cui res angusta domi.

Sequitur secundo, filium similiter peccare mortaliter, quando ex pecuniis, quas accepit à patre ad honestos usus, v. g. ad emendos libros, vestes; solvenda salaria præceptoribus &c. notabilem summam contra voluntatem patris consumit in lusum, comporationes, ganeas &c. Ratio est; quia pater est rationabiliter invitus: quippe qui non concessit pecuniam, nisi cum restrictione ad usus determinatos, ita ut filius non habeat illius dominium, nisi ad tales usus. Quare, si aliter expendat, tenetur ad restitutionem. Vid. citt.

Sequitur tertio, non peccare filium accipiendô bona castrensia, vel quasicastrensia. Ratio est: quia patri in ista nullum jus competit. Imo ipsemet filius in his est veluti paterfamilias. Lessius ubi suprà.

5 His addendum est ex Card. de Lugo, de Just. to. 1. disp. 5. sect. 2. n. 42. Paulo Mezger ubi suprà n. 5. si filius extraordinaria obsequia præstet patri in administrandis rebus ipsius, & quæ communiter non solent exigi à filio; ut, si instar famuli conductitii administret domum; tunc eum posse à patre nihil solvente, vel hæredibus illius, pro excessu sui laboris indebiti suprà debitum, exigere stipendium. Ratio est: quia nulla æquitas patitur, ut filius hîc deterioris sit conditionis, quàm extraneus.

Circa dominium uxoris notandum est 6
ex Bonac. q. cit. pu. 2. bona conjugum esse in triplici differentia. Nam alia sunt propria mariti; alia propria uxoris; alia utriusque communia. Communia secundùm jus commune sunt illa, quæ durante matrimonio conjuges per mutuas inter se operas acquirunt. Horum administratio, & ususfructus pertinet ad maritum: dominium verò directum, juxta consuetudinem, ac statuta pluriurn locorum, est penes utrumque conjugem, quemadmodum testatur Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. a. 4. n. 155. Bona propria mariti sunt, quæ is possidet, excepta dote, & donatione facta propter nuptias. Talia sunt, quæ eidem adveniunt ex hæreditate; propria industria, ac labore speciali, nihil conferente uxore. Bona propria uxoris sunt, inprimis dos, quæ viro traditur ad sustinenda onera matrimonii. Deinde paraphernalia, seu præter dotala, hoc est, quæ mulier habet alio titulo, quàm dotis, v. g. hæreditate, legato, donatione; vel industriâ extraordinariâ ultra diligentiam administrandæ familiæ debitam. In his tam dominium, quàm administratio pertinet ad uxorem, nisi ipsamet administrationem viro concesserit. In dote tamen administratio & ususfructus sunt penes maritum. Volunt præterea, uxori competere dominium illorum, quæ remanent ex summa, quam dedit maritus, ut ad certum aliquod tempus familiam sustentet, nisi de mente illius quid aliud constet.

Jam communis est omnium sententia, 7
uxorem, si accipiat notabilem quantitatem ex bonis mariti, vel ex iis, quorum maritus habet administrationem, & usumfructum; idque faciat sine expresso, vel præsumpto consensu illius, peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem. Bonac. loco cit. n. 2. Sporer tract. 5. cap. 5. sect. 2. n. 51. Illud dicendum est de bonis, quorum ipsa est domina. Nam ex istis licitè accipit, expendit, donat &c. etiam nesciente marito: cùm quoad hoc non sit ei subjecta. Plura de furtis uxorum, indeq; orta obligatione restituèdi dabimus infrà suo loco.

Ad servos sive mancipia quod attinet, 8
certum est, eos jure communi nullum prorsus habere dominium rerum temporalium; sed quidquid acquirunt, domino acquirere. l. 1. §. *Instit de his, qui sui juris*. Ratio est: quia servus ipse computatur inter bona temporalia domini: atqueadeo multò magis

ea,

ea, quæ acquirit, eodem pertinebunt. Cæterùm illæ leges servos ab omni dominio temporali excludentes usu ipso & consuetudine nonnihil mitigatæ sunt. Unde aliquot tituli & casus numerari solent, in quibus servi proprio peculio gaudere possunt. Vide, si placet, Molinam tomo 1. de Just. tr. 2. disp. 28. Tambur. lib. 8. in Decal cap. 2. §. 1. neque enim plurà hìc dicere necesse est; cùm in nostris partibus nulla vigeat ejusmodi consuetudo servitutis.

ARTICULUS VII.

De Dominio Clericorum.

IN hoc artic. præmissis, quæ ad meliorem dicendorum intelligentiam notatu necessaria videbuntur, in quibus bonis dominium conveniat Clericis sæcularibus, statuemus. Varia dehinc ad praxim utilia inferemus & declarabimus.

§. 1.

In quæ bona dominium conveniat Clericis sæcularibus?

SUMMARIUM.

1. Bona, quæ Clerici possident, alia sunt patrimonialia, alia quasipatrimonialia, alia Ecclesiastica. 2. Quænam necessaria ad congruam sustentationem? 3. Varii status bonorum Ecclesiasticorum. 4. Quos penes sit disponere de oblationibus, decimis &c. 5. 6. Clerici habent verum dominium bonorum patrimonialium, & quasipatrimonialium. 7. Bonorum immobilium Ecclesiasticorum dominium est penes Ecclesias. 8. Clerici in particulari sunt veri domini reddituum Ecclesiasticorum ad congruam sustentationem necessariorum. 9. Superfluorum probabiliter non sunt domini. 10. Asseritur tamen & prob. contrarium tanquam probabilius. 11. 12. & seqq. respondetur ad argumenta opposita.

1 Notandum est primo, tria esse genera bonorum, quæ possidere solent Clerici seculares. Nam primo sunt patrimonialia, nempe illa, quæ ex hæreditate, donatione, vel aliis modis acquirendi Laicis communibus, obtinent. Secundo sunt quasipatrimonialia & industrialia, ut in primis, quæ Clericus acquirit non præcisè titulò beneficii, sed tamen occasione beneficii, propter labores impensos, v. g. in habendis concionibus, legendis Missis, administratione Sacramentorum, & quæcunque redditus stolæ vocantur. Deinde illa, quæ ex profana industria, v. g. exercitio honestæ artis, professura scientiarum &c. nanciscitur. Quò etjam pertinent distributiones quotidianæ pro assistentia in Choro. Tertio sunt bona Ecclesiastica, sive illa, quæ Clericus habet solo titulo beneficii, putà, quia Canonicus, Decanus, Parochus est. Horum alia sunt immobilia, ex quibus habentur redditus Ecclesiastici. ad quæ etiam reducitur sacra supellex. Alia sunt mobilia, nempe ipsi reditus & fructus, ut decimæ, vel annum stipendium in fixo consistens. Ex his rursus alia sunt necessaria ad congruam & honestam sustentationem Clerici: alia non necessaria, sed superflua. Ubi

2 Notandum est secundo, nomine necessariorum ad congruam sustentationem intelligi illa omnia, quæ exigun.ur ad decentem ac honorabilem statûs & familiæ conservationem, secundùm conditionem gradûs, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua Clericus commoratur. Quare huc omnia pertinent, quæ requiruntur ad famulitium alendum, hospitalitatem exercendam ergà consanguineos, amicos, peregrinos &c. item ad remunerationes beneficiorum, aliasque etiam liberales donationes, ac demum ad statui suo convenientes recreationes; ut habet Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. a. 5. n. 163.

3 Notandum est tertio, bona Ecclesiastica non semper in eo, quo hodie sunt, statu fuisse. Nam tempore Apostolorum, tribusque primis, & quod excedit, legis Evangelicæ sæculis omnia bona, quæ à fidelibus offerebantur ad cultum Divinum, erant communia, atque ex iis Clericis, pauperibus, & fabricæ Ecclesiæ, prout singulorum poscebat necessitas, providebatur, administratione ac dispensatione eorumdem Episcopis relicta. Tempore deinde Simplicii Papæ, qui sedit ad annum Christianum 471. redditus Ecclesiarum dividi cœperunt in quatuor portiones, quarum prima esset Episcopi, secunda Clericorum, tertia pauperum; quarta deputaretur ad fabricam Ecclesiæ: velut etiam habet Galesius Papa in cap. *Vobis enim*, & seqq. *causa* 12. *q.* 2. Finis istius divisionis erat, ut memorat Navarrus in tract. de reddit. Ecclesiast. monito 50. num. 2. tollere rixas, dissidia, & lites, quæ propter communitatem bonorum inter Episcopos, Capitula, fabricarios, & eleemosinarios passim gliscebant. Cùm enim administratio omnium bonorum

esset penes solos Episcopos, iisque vel omnino negarent, vel malignè præberent Clericis & aliis congruam, debitamque portionem, placuit, ut sedarentur querelæ & discordiæ, memoratam divisionem introducere. Denique lapsu temporum, cùm aliter videretur expedire, per varia statuta & consuetudines pro locorum, hominumque diversitate introductas bona Ecclesiæ ita sunt distributa, & applicata, sicut hodie videmus: quo factum est, ut portio pauperum vel in fundationes hospitalium, piorumque collegiorum translata; vel cæteris portionibus fuerit permixta atque confusa.

4 Notandum est quarto, dispensationem de oblationibus, decimis; aliisque bonis, quæ fideles pro cultu Divino; & salute animarum largiuntur, esse salva intentione fundatorum penes Episcopos, præsertim Summum Pontificem. Iste proinde habet potestatem instituendi beneficia Ecclesiastica ex 5 redditibus, ac determinandi, quænam, & quanta pars cedere debeat in honestam sustentationem Clericorum, remunerationem bonorum &c. His notatis,

5 Dico primo. Clerici habent verum dominium bonorum patrimonialium; possuntque de illis disponere ut Laici. Ita communis omnium sententia cum D. Thoma 2. 2. q. 185. a. 7. & habetur clarè in cap. *Quia nos. de testam.* Ratio quoque est: quia Clerici neque vi status Clericalis redduntur incapaces dominii, neque abdicant dominium; neque obligant se ad ea bona in pias causas expendenda.

6 Dico secundo. Clerici habent etiam absolutum dominium bonorum quasi patrimonialium, ita ut de eisdem liberè possint disponere, sicut de patrimonialibus. Ita rursus communiter DD. Ratio est: quia hæc dantur Clericis tanquam stipendium quoddam ac merces pro determinato opere, labore, ac servitio personali; adeoque citra pactum tacitum vel expressum inde quid dandi pauperibus, aut aliud onus quodcunque. Unde quemadmodum alii operarii pro libitu possunt disponere de mercede, quam recipiunt ratione operis præstiti, ita etiam Clerici de bonis jam dictis.

7 Dico tertio. Clericis in particulari non competit dominium bonorum Ecclesiasticorum immobilium, sed Ecclesiis, sive communitatibus Ecclesiasticis, quarum membra sunt Clerici. Prima pars dicti certa est apud Authores, & colligitur ex cap. *Non liceat Papæ. causa* 12. q. 2. ubi dicit Papa Symmachus: *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliquane-cessitate, nec in usum fructum jura dare &c.* Quòdsi Papa, ut est particularis persona, non habeat dominium ejusmodi bonorum, quomodo alius Clericus particularis habebit? Ratio secundæ partis est: quia ejusmodi bona ex intentione fidelium dantur Ecclesiis particularibus, sicut dantur Monasteriis: ergo sicut Monasteria particularia habent dominium particulare similium bonorum, ita etiam Ecclesiæ particulares habent tale dominium. Contrarium docuerunt Major, & Navarrus apud Haunoldum dicentes, dominium eorum bonorum esse penes Christum ipsum, & non penes Ecclesiam, cui data sunt.

8 Dico quarto. Clerici sunt veri domini redditum Ecclesiasticorum, qui pertinent ad congruam sustentationem ipsorum. Ita communis, ex D. Thoma ubi suprà in corp. artic. ubi tractans de Episcopo ait: *de iis autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de propriis bonis.* Ratio verò est primo, quia Clericus illorum bonorum est dominus, quæ ipsi dantur ut merces & stipendium: sed Clerico ita dantur bona ipsius sustentationi congrua. Nam ideo ipsi dantur, *quia dignus est operarius mercede sua*, Lucæ 10. & quia *nemo militat suis stipendiis*, 1. Corinth. 9. Neque obstat, quod isti quoque redditus sint ex bonis Ecclesiæ: dicit enim Apostolus loco cit. *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Ratio est secundo, quia in cap. un. *de Cleric. non resid.* item in Concil. Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 12 & alibi dicitur, quòd Clerici non faciant fructus suos, nisi resideant; nisi divinis intersint; nisi faciant professionem Fidei intra certum tempus &c. ergo à contrario, si conditiones illas requisitas adimpleant, faciunt fructus suos, eorumque dominium comparant: quod saltem de fructibus ad congruam sustentationem pertinentibus verum esse debet

9 Dico jam quinto. Clerici probabiliter non sunt domini redditum Ecclesiasticorum ad congruam sustentationem non necessariorum, sive superfluorum. Ita plurimi DD. antiqui, quos refert & sequitur Navarrus in tract. de Reddit. q. 2. Prob. hac ratione. Quia non potest ostendi efficaciter, qua ratione Clerici acquisiverint jus, quod prætenditur, in eos redditus: ergo non sunt censendi domini illorum. Conseq. constat. Ant. prob. quia jus illud antiquitus non erat penes Clericos, sed penes pauperes, hosque eodem hactenus exutos fuisse non constat: ergo verum est, quod fuerat probandum. Prima, & secunda pars antec. est in confesso etiam apud Adversarios. Tertia prob. quia illud vel

factum

factum esset per confusionem bonorum in erectis beneficiis; vel per commutationem in alia opera pia; vel per divisionem in portiones n. 3. memoratas? Nihil horum affirmari potest. Non primum; quia confusio præcisè non aufert ei jus, cujus portio cum alterius portione fuit confusa: imò, si fiat consentiente utroque domino, rem efficit utriusque communem. Non secundum; quia, quis fecerit talem commutationem, quando fecerit, quare fecerit, hactenus quidem divinatum, sed nunquam authenticè monstratum est. Non tertium; quia, ut sonat commune procardicon, *actus non operatur ultra intentionem agentis.* jam vero intentio Pontificum bona Ecclesiastica dividentium non fuit, ut ea, quæ erant pauperum, transirent in dominium Clericorum; sed, ut onere in plures dispersò facilius administrari, commodiusque distribui in pauperes, & pias causas possent, utque tollerentur alia mala, præsertim discordiæ, quas sæpe numerò gignit rerum communitas; veluti jam contigit Genes. 13. *quando facta est rixa inter pastores Abraham & Loth.* Recolantur dicta in Notando tertio.

Pro eadem sententia ulteriùs arguitur primo, Ita bona, de quibus hic sermo est, à S S. Patribus & variis Canonibus dicuntur patrimonium Christi, bona pauperum, bona Dei. Imò Concilia & Patres Clericos, qui superflua non dant pauperibus, nominant fures, raptores, latrones &c. Clerici non sunt eorum domini.

Aguitur secundo. Clerici jure communi prohibentur testari de bonis Ecclesiasticis. Tridentinum quoque sess. 25. cap. 1. de Reform. interdixit, ne iidem ex redditibus Ecclesiæ consanguineos & familiares suos augere studeant: ergo non possunt de illis liberè disponere, & consequenter non habent dominium eorum.

Arguitur tertio. Pars reddituum congruæ sustentationi superflua accrevit Clericis ex portione pauperum: sed hujus non potuerunt sibi comparare dominium; ergo nec illius. mi. prob. quia Summis Pontificibus nulla suppetebat justa causa pauperibus auferendi suam portionem, dandique Clericis sæpe non indigentibus; imò non rarò abutentibus.

Arguitur quarto. Certum est, ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum Clericos non fuisse dominos reddituum superfluorum; ergo neque hodie sunt post divisionem. Probatur conseq. ex eo, quòd hodie maneat eadem intentio fundatorum, qui bona illa Ecclesiæ contulerunt, quæ nunquam erat, ut Clerici haberent ejusmodi dominium. Verùm his non obstantibus,

Dico sexto. Clerici probabilius sunt domini reddituum Ecclesiasticorum superfluorum. Ita communiter recentiores Theologi, quibus favet Doct. Thomas 2. 2. q. 185. a. 7. & Quodlib. 6. a. 12. Prob. primo ex Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* ubi dicitur, Clericos non facere fructus *suos*, nisi resideant; nisi Divinis intersint; nisi emittant professionem Fidei intra certum tempus &c. quod idem statuitur *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.* & à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Ex primo.* Id ipsum habetur in cap. un. *de Cleric. non resid.* in 6. Ergo supponitur à Conciliis, & Sacris Canonibus, quòd illis, qui contrarium, & quod ab Ecclesia præscriptum est, præstant, faciant fructus suos, atqueadeo eorum domini efficiantur.

Dicent, hæc omnia posse intelligi de illa parte fructuum, quam Clericus sibi potest reservare ad congruam sustentationem: hanc enim verè facere suam. Sed contra est primò, quòd ex praxi constet, Clericos non recitantes, non residentes &c. in pœnam negligentiæ privari omnibus omnino fructibus, etiam superfluis: quod non fieret, si istorum non itidem essent domini, sed administratores tantùm. Nam pars hæc superflua in eorum administratione saltem relinqueretur. Contra est secundo, quòd textus memorati loquantur universaliter & sine limitatione: ergo gratis cum limitatione ad fructus congruæ sustentationi necessariòs intelliguntur. Cùm restringi non debeat, quod ex jure universaliter loquente præscriptas conditiones adimplentibus est favorabile. Contrà sunt tertio verba Gelasii Papæ in cap. *quatuor autem.* 12. quæst. 2. dicentis: *quatuor autem tam de redditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.* Ubi vides, totam quartam portionem, & non solam partem congruæ sustentationis addici Clericis ut suam; sicut alia tota quarta portio addicitur Pontifici, alia pauperibus, alia fabricis.

Prob. eadem sententia secundo. Quia, si Clerici redditus superfluos non facerent suos, omnes contractus & donationes, quibus iidem ad pias causas non applicantur, deberent rescindi, & haberi pro invalidis: sed hoc est inauditum, & contra praxim; ergo Clerici eos redditus faciunt suos; atqueadeo

sunt illorum domini. Confirmatur. Certum est, beneficia ita erigi potuisse, ut Clerici fierent domini redditnum superfluorum. Nihil enim obstat, quominùs vel fundatores hac tali intentione bona sua darent Ecclesiis, vel Sum. Pontifex ob legitimas causas ita institueret. Cùm proinde Ecclesia nunquam declaraverit invalidas dispositiones illas non factas ad pias causas, neque cuiquam propter eas lis inveniatur intentata, meritò creditur, beneficia dicto modo fuisse erecta. Et quis sibi persuadeat, Ecclesiam circa dantes, vel recipientes bona illa superflua nihil declaraturam de obligatione restituendi, si aliquam agnosceret; cùm id accuratè præstet in minoribus, v. g. circa absentes ab officio, aut residentia; vel horas recitare omittentes?

Prob. tertio. Quia in dubio nemo spoliandus est suo jure, & in pari causa melior est conditio possidentis, ut habet nota Juris regula: ergo, cùm neque ex jure naturali, neque ex jure positivo certò constet, penes Clericos esse solam administrationem, & non dominium redditnum superfluorum, eosque illi bona fide possideant, ipsorum conditio est meljor; & consequenter præsumendi sunt domini. Confirmatur. Fideles per liberales fundationes suas haud dubiè Clericis potiùs quàm pauperibus benefacere voluerunt: ergo eorum mens & intentio potiùs in favorem Clericorum est explicanda.

11 Nunc ad fundamentum sententiæ oppositæ ex ratione adductum in n. 9. respondeo neg. Ant. in cujus probat. neg. tert. part. Ant. quæ dum prob. dico, divisionem bonorum, cujus ibi fit mentio, fuisse causam sufficientem, ut Clerici fierent eorum domini. Et quidem Pontificum dividentium intentionem fuisse, ut non tantùm administratio, sed etiam dominium illorum bonorum esset penes Clericos, satis constat ex dictis; imò ulteriùs constabit ex dicendis.

12 Ad alia, quæ subjunguntur in favorem ejusdem sententiæ, & quidem ad primum respondeo, SS. Patres & Canones illos ut plurimùm ita loqui ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum. Quodsi aliqui similia dicunt post illam divisionem, id faciunt per piam quandam exaggerationem: quo modo etiam in divites Laicos, dum pauperibus non subveniunt, invehuntur. Accedit, quòd à multis Patribus ejusmodi sententiæ pronuntiatæ sint in Clericos, qui, cùm vivere possent ex proprio patrimonio, vivunt ex bonis Ecclesiasticis: quare Adversarii quoque ad easdem respondere tenentur.

13 Ad secundum respondeo, causam, ob quam Clerici prohibentur testari de Bonis Ecclesiasticis, non esse defectum dominii (cùm aliàs neque donationes illorum inter vivos essent validæ, quod est falsum) sed, ut absterreantur à studio cumulandi opes, fiantque promptiores ad pias largitiones in vita exercendas. Ex quo eodem proportionaliter capite prohibentur augere consanguineos &c. Unde conc. Ant. neg. conseq. plus enim non sequitur, quam dominium Clericorum non esse omnino absolutum, sed quoad aliquem sui usum esse ligatum ac impeditum.

14 Ad tertium respondeo primo ex Castropalao, disp. 2. de Charit. pu. 6. n. 6. neg. maj. saltem si sermo sit de toto excessu superfluitatis: quia illa portio pauperum non accrevit solis Clericis inferioribus, sed etiam mensæ Episcopali, Ecclesiæ fabricæ &c. Respondeo secundo omissa maj. dist. mi. illius portionis non potuerunt sibi comparare dominium propria authoritate, concl. authoritate Pontificũ expressè vel tacitè consentientiũ, neg. mi. unà cum probat ejusdem: quia propter beneficia à Clericis Ecclesiæ præstita, dignitatemque ac splendorem, qui in ipsam redundant, si homines sanguine, vel doctrinâ illustres, aliàs reipublicæ profanæ fortassis applicandi statum Clericalem amplectantur, potuerunt Pontifices cùm remunerandi, tum ad eundem statum alliciendi gratiâ assignare redditus & necessarios, & sustentationi superfluos etiam ex portione pauperibus destinata. Accedit, quòd pauperibus nihilominùs sufficienter consultum sit propter obligationem Clericorum, de qua in proximo §. agemus. Unde non possunt esse rationabiliter inviti, quòd suæ portionis dominium translatum fuerit in Clericos.

15 Ad quartum conc. Ant. neg. conseq. ad hujus probat. dico, quamvis intentio fundatorum primaria & explicita nunquam fuerit, ut Clerici haberent ejusmodi dominium, fuisse tamen intentionem secundariam & implicitam. Primaria quippe intentio fidelium facultates suas ac bona Ecclesiæ donantium fuit, ut per piam hanc liberalitatem suam amplificaretur cultus Divinus, & salus animarum promoveretur: secundaria verò intentio fuit, ut ad hunc finem in usu & applicatione rerum à se oblatarum ea teneretur ratio ac modus, quem teneri rectoribus Ecclesiæ magis expedire videretur. Atqui in casu nostro Summis Pontificibus ita expedire visum est, ut Clerici essent domini redditnum etiam ultra congruam sustentationem redundantium; ergo ad hujusmodi dominium intentio quoque fundatorum se se implicitè extendisse censenda est: quippe quæ dispositioni Supremæ Sedis nec voluit, nec potuit præjudicare.

§. II.

§. 11.

An, & quo jure Clerici superflua teneantur erogare in pias causas?

SUMMARIUM.

16. *Quænam intelligantur nomine piarum causarum.* 17. *Clerici graviter obligantur redditus superfluos erogare in pios usus.* 18. *Quænam hic notabilis quantitas ad mortale peccatum requisita?* 19. *Clerici probabilius solo jure positivo superflua tenentur expendere in pios usus.* 20. *Solvitur objectio.* 21. *Clericus superflua profanè expendens peccat contra Charitatem, & Religionem.* 22. *Ad quid Clericis prosit assertum dominium redditum superfluorum Ecclesiasticorum?*

16 NOtandum est primo, nomine piarum causarum venire omnia, quæ pertinent ad cultum Divinum, & misericordiæ: videlicet Capellaniæ, Beneficia, Missæ & cætera Divina Officia: deinde Monasteria, Sodalitates, pia Collegia, Hospitalia &c. pauperes quoque, quales non ii soli censentur, qui stipem ostiatim mendicant, sed etiam illi, qui carent necessariis ad conservationem statûs: nam & isti verè egent, suntque sæpe personæ illustres ac nobiles. Notandum secundo, per usus profanos intelligi omnia, quæ pro pia causa non habentur, ut, ditare consanguineos: notabiliter excedere in supellectili, conviviis, equis, largitionibus &c. Vid. Sanchez lib. 2. Consil. cap. 2. dubit. 38. n. 11. Nunc

17 Dico primo. Clerici sub mortali peccato tenentur redditus congruæ sustentationi superfluos erogare in pauperes, vel alios pios usus, quamvis eorundem probabilius supponantur esse domini. Ita communis & certa omnium sententia. Constat illa primo ex Conciliis, S S. Canonibus, & multiplici authoritate Patrum, quos pro se citare solent Doctores Clericis dominium superfluorum abjudicantes, ut in §. præced. n. 9. audivimus: quia ex iis ad minimum colligitur gravis obligatio urgens Clericos, ut bona memorata in pauperes, aliasve pias causas erogent. Constat secundo ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. ubi specialiter hæc eadem obligatio Clericis imponitur. Constat tertio ex ratione, quia est graviter indecens, & fundatorum intentioni contrarium bona ad Dei cultum, salutemque animarum oblata expendere in usus non pios, eisque ad luxum, superbiam, aliave statu Ecclesiastico indignà profanè abuti.

18 Itaque mortaliter peccat Clericus, sive Canonicus sit, sive alius Beneficarius, Episcopus, aut Cardinalis, si redditus Beneficii superfluos in notabili quantitate in usus profanos expendat. Difficultas solùm est, quænam in præsenti sit notabilis quantitas, & ad mortale peccatum requisita? Certùm est ex communi D D. sensu, requiri multò majorem, quàm in materia furti, eò quod Clericus sit dominus istorum bonorum, adeoque non tam facilè excedat graviter illa expendendo, sicut alius, qui surripit alienum. Quænam autem requiratur quantitas, certâ regulâ definiri non potest. Mihi quidem, salvo meliori judicio, placet, quod docet probabiliter Tambur. lib. 1. Decal. cap. 1. §. 3. n. 13. & seqq. nempe, ex triplici capite hîc aliquid posse statui. Primo, ex re ipsa in se absolutè spectata. Secundo, ex comparatione ad totum, quod præcipitur. Tertio, ex relatione ad finem, propter quem aliquid præcipitur. Addit tamen, ex hoc tertio totam conjecturam esse principaliter desumendam. Itaque illa erit parva materia, quæ supposita gravitate finis parùm conducit ad eundem quatenùs à Legislatore intentum: illa erit magna, quæ multùm conducit. Ex qua doctrina ad præsens institutum videtur posse deduci sequens regula: Finis, propter quem præcipitur Clericis, ut expendant fructus superfluos, est promotio cultus Divini, salutis animarum, & sublevatio pauperum; ergo illa quantitas de redditibus malè expensis erit magna, & ad peccatum mortale sufficiens, quæ multùm conducit ad promotionem cultus Divini &c. illa parva, quæ parùm conducit. Unde 1000. floreni, quamvis respectu viginti millium sint materia exigua; quippe vigesima pars ejus summæ; tamen respectu finis intenti videntur re vera gravis materia. Approbat hanc regulam etiã Petschacher in tr. de Restit. q. 1. a. 4. pag. 126.

19 Dico secundo. Probabilius est, Clericos ad eroganda superflua in pios usus solo jure positivo obligari. Ita Sotus de Just lib. 10. q. 4. a. 3. Lessius de Just. lib. 2. cap. 4. dubit. 6. n. 47. Sanchez lib. 2. Consil. cap. 2. dubit. 40. Haunoldus tract. 4. cap. 2. controv. 2. n. 82. Paulus Mezger to. 3. tract. 11. disp. 29. a. 3. n. 2. contra Molinam, Vasquez, Card. de Lugo, Castropal. Salmantic. & alios, contendentes obligari jure naturali: quorum sententia est valdè probabilis. Ratio potissima nostræ concl. videtur esse hæc: quia, si memorata obligatio esset ex jure naturali, per nullam dispensationem, nullumque indultum Summi Pontificis, uti nec per consuetudinem ullam, induci potuisset facultas disponendi liberè, vel testandi de bonis superfluis ad profanas causas: cujus tamen contrarium & fieri posse, & factum esse constat ex Constitutione Pauli V. quam edidit 8. April. Anno 1606. cujus initium: *In eminenti,*

eminenti. & ex alia Constitutione priùs edita à Julio III. quæ incipit C*upientes, ut alma urbs nostra*, veluti refert Haunoldus num. 85.

20 Objicies. Obligatio, cujus transgressio directè repugnat legi naturali, est juris naturalis: sed transgressio obligationis, qua Clerici tenentur superflua expendere in pios usus, directè repugnat legi naturali; ergo illa obligatio est juris naturalis. maj. constat. mi. indè colligitur, quòd lumen naturæ dictet, esse magnam indecentiam, adde & irreverentiam, si res Deo sacræ, ejusque cultui dicatæ in profanos usus insumantur. Respondeo neg. mi. ad probat. dico, verum esse, quod in ea dicitur, quamdiu res Deo sacræ manent sacræ, sive in sensu compositio sanctitatis; at falsum esse cessante denominatione extrinseca sanctitàtis, quæ ab illis auferri potest; imò de facto ob graves causas voluntate Summi Pontificis concedentis; ut Clerici de fructibus superfluis restarentur ad profanas causas, quandoque ablata est; ut patet ex dictis. Quod idem contingit, dum ejusmodi bona erogantur in pensionarios, cantores, & pauperes.

21 Corollarium I. Clericus, qui privata authoritate superflua congruæ sustentationi expendit in usus profanos, peccat non tantùm contra charitatem, sed etiam contra religionem. Ratio est: quia bona Ecclesiastica sunt res Dei. Unde præceptum Ecclesiæ, quo prohibentur superflua erogari in usus profanos, etiam procedit ex motivo religionis. Aliud est, dum Clericus ita erogat ex concessione Summi Pontificis, ut patet ex n. præced. Mezger loco cit. n. 4.

22 Corollarium II. Non frustra conceditur Clericis dominium reddituum superfluorum, quamvis obligentur ad insumendum eos in pios usus. Ratio est: quia hoc tale dominium nihilominùs est satis æstimabile. Conducit enim ad hunc finem, ut Clericus propriè dictum actum liberalitatis exercere possit, utpote ex suis bonis. Conducit præterea, ne Clericus ejusmodi redditus in profanum usum sive bona, sive mala fide, absumptos vel alienatos, & neque in se, neque in æquivalenti penes se exstantes, pauperibus, vel piæ causæ compensare teneatur. Vid. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. artic. 5. num. 175.

§. III.

Variæ Resolutiones ex dictis in prioribus §.§.

SUMMARIUM.

23. *Beneficiario etiam potenti vivere ex patrimonio licitum est vivere ex redditibus Ecclesiasticis.* 24. *Cui unum Beneficium suppeditat congruam sustentationem, is non potest hoc titulo accipere aliquid ex alio, per se loquendo.* 25. *Parcè vitando reservata ex necessariis congruæ sustentationi Clericus potest expendere in usus etiam profanos.* 26. *Clerici avarè retinentes redditus superfluos graviter peccant.* 27. *Clericus, qui ex bonis patrimonialibus aliquid expendit in pias causas, potest id sibi compensare ex Ecclesiasticis superfluis,* 28. *Imò ex iisdem aliquid retinere pro extraordinariis obsequiis, si quæ præstet Ecclesiæ.* 29. *Clericus pollens majoribus dotibus accidentalibus potest aliquantò plus sibi applicare ad congruam sustentationem.* 30. *Etiam Commendatarii tenentur reditus superfluos expendere in pios usus.* 31. *An hæc talis obligatio sequatur etiam redditus, qui Ecclesiæ proveniunt ex castris, & oppidis?* 32. *Si Clericus ex redditibus superfluis malè expensis comparavit sibi alia bona, tenetur hæc eadem erogare in pios usus.* 33. *An Clericus ex redditibus superfluis teneatur potiùs subvenire pauperibus loci, in quo habet Beneficium, quàm aliis?* 34. *An ex eisdem redditibus possit cognatos alere in studiis litterarum?* 35. *Item, an ad magnam dignitatem evectus consanguineis plus dare possit, quàm aliàs poterat?* 36. *An liberos illegitimos, aut spurios alere teneatur ex redditibus Ecclesiasticis?* 37. *Quid de redditibus superfluis Monasteriorum?* 38. *An peccent, qui à Clericis superflua acceptant ad profanos usus?* 39. *An Clericus contracta debita possit solvere ex bonis Ecclesiasticis?* 40. 41. *An Religiosus factus Episcopus habeat dominium bonorum patrimonialium, aut Ecclesiasticorum?*

23 REsolutio I. Beneficiarius, qui potest ex suo patrimonio vivere, licitè reservat ejus fructus in alios usus, & vivit ex redditibus Ecclesiasticis. Ita communis sententia. Ratio est: tum, quòd æquum sit, ut, qui servit altari, vivat de altari. Tum, quòd redditus hoc ipso, quòd applicentur ad alendum ministrum Ecclesiæ, ad pias causas applicentur, sicque satisfiat intentioni fundatorum. Tum, quòd bona patrimonialia existant in libera dispositione Benefi-

Beneficiarii; adeoque nulla sit necessitas, ut ex iis se sustentet, sed possit illa aliter insumere. Haud dubiè tamen laudabilius esset, si talis de suo patrimonio viveret. Vid. Filliucius tract. 43. cap. 3. num. 9. Paulus Mezger tomo 3. tract. 11. disp. 29. artic. 2. num. 12.

24 II. Qui ex uno Beneficio habet sufficientes redditus ad congruam sustentationem, non potest ex alio Beneficio, si quod de novo acquirat, aliquid accipere titulô congruæ sustentationis; nisi fortè labores & obsequia, quæ præstaret Ecclesiæ, ita crescerent, ut esset dignus largiori stipendio & mercede: vel inde Clericus collocaretur in excellentiori gradu dignitatis, ideoque liberaliùs esset tractandus. Ratio est: quia Ecclesia jam sufficienter alit ministrum ex bonis unius Beneficii. Unde id, quod ralis acciperet ex Beneficio altero noviter acquisito, esset superfluum. Idem ob rationis paritatem videtur dicendum de illo, qui, ut congruè alatur, habet Ecclesiasticam pensionem. Vid. Lugo de Just. tomo. 1, disp. 4. sect. 3. num. 36. Petschacher in tract. de Rest. q. 1. artic. 4. pag. 111. Mezger num. 13.

25 III. Clericus id omne, quod parcè vivendô reservat ex redditibus congruæ sustentationi necessariùs, licitè expendit etiam in usus profanos. Ratio est: quia necessaria ad sustentationem & decentiam statûs tribuuntur ab Ecclesia Clericis tanquam stipendium propter labores personales, idque sic, ut de illis disponant, prout visum fuerit. Quare bona ita parciùs victitandô reservata accrescunt industrialibus, & quasi patrimonialibus. Vid. Filliuc. cap. cit. n. 6. Sanchez lib. 2. Consil: cap. 2. dubit. 43. Lugo n. 55. Petschacher pag. 110.

26 IV. Graviter peccant Beneficiarii non illi tantùm, qui redditus superfluos erogant ad non pias causas, sed etiam, qui avarè retinent, & ex eis thesaurizant. Sanchez num. 12. & alii ab eodem relati. Ratio est: quia est gravis obligatio distribuendi ac succurrendi necessitatibus vel præsentibus, vel probabiliter proximè imminentibus. Aliqui tamen DD. apud Card. de Lugo num. 40. rectè concedunt, posse Clericum, dum nulla similis urget necessitas, ex bonis superfluis emere possessiones, vel ea reservare pro futuris necessitatibus. Imò posse bonâ conscientiâ tamdiu ex illis colligere pecunias, donec coalescat sufficiens quantitas ad fundationem alicujus Collegii, Monasterii, Seminarii, Hospitalis &c.

27 V. Si Beneficiarius ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus aliquid expendit vel ad sui sustentationem, vel ad pias causas, tunc tantundem ex bonis superfluis potest deducere, ac retinere, ut sumptus illos sibi compenset. Sanchez, n. 15. Lugo sect. cit. à num. 44. Salmanticenses tomo 3. ttact. 12. cap. 2. pu. 11. num. 139. Haunoldus de Just. tract. 4. cap. 2. controv. 2. num. 92. Mezger num. 19. Ratio est; quia ejusmodi expensas facere poterat ex bonis Ecclesiasticis: unde hic licitè utitur jure suo. Quod etiam verum est, quamvis, dum expendit, non habuerit animum quidquam sibi resarciendi; imò positivè noluerit resarcire. Quia juxtà communem doctrinam, quam secuti sumus in tract. de legib. ut quis satisfaciat præcepto, non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit sola executio rei præceptæ, etiam dum adest voluntas positivè contraria intentioni satisfaciendi. Atqui in casu nostro Beneficiarius expendendo quid ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus revera ex parte executus est rem præceptam; ergo satisfacit præcepto reditus Beneficii expendendi ad pias causas, sive voluerit, sive noluerit satisfacere; & consequenter nullam habet ampliùs obligationem quoad eam partem quidquam expendendi ex bonis Ecclesiasticis, sed potest tantundem retinere sibi, quantum expendit ex suis non Ecclesiasticis.

28 VI. Clericus, qui extraordinaria quædam obsequia præstat Ecclesiæ, & ad quæ ratione officii præstanda non obligatur, potest ex redditibus superfluis aliquid in remunerationem sibi retinere. Ita ex communi. Mezger num. 21. Ratio est: quia, si cui alteri similia obsequia Ecclesiæ præstanti aliquid largiretur ex superfluis, licitè largiretur: cùm erogaret in pios usus: ergo, si sibi quoque ex iisdem quid accipit, licitè accipit, ob eandem rationem.

29 VII. Beneficiarius pollens majoribus dotibus accidentalibus, putà magis litteratus ac nobilis; vel in altiori gradu, v. g. Præpositi, Decani, collocatus, potest ex redditibus Ecclesiasticis sibi aliquantò plus applicare ad congruam sustentationem, quàm alius ejusmodi qualitatibus non ita præditus. Lugo disp. cit. sect. 4. n. 61. Sanchez dubit. 41. n. 9. Salmantic. n. 151. Haunold ubi suprà, n. 93. Mezger n. 20. Ratio est: quia, quò dignior est persona, eò digniora sunt obsequia ab illa Ecclesiæ præstita. Æquum est igitur, ut Ecclesia erga similes ministros sit liberalior. Confirmatur ex cap. *de multa* 28. *de præbendis*, ubi dicit Innocentius III. Sedem Apostolicam posse dispensare in pluralitate Beneficiorum cum personis illustribus, sublimibus, & insigniter doctis; utpote quæ majoribus beneficiis sint honorandæ.

dæ. Monent tamen Doctores, excessum istum sustentationis oportere esse moderatum. Unde dictum est in Resolut. *aliquanto plus.* nam si hujusmodi Clericus habeat bona patrimonialia, è quibus pro conditione nobilitatis se possit tractare splendidiùs, perniciosum est Ecclesiæ nobilem talem ministrum alere: qui præ extu nobilitatis vivere velit ex bonis Ecclesiasticis, ut suis parcat. Sed neque excessus obsequii ab ejusmodi nobili præstiti videtur adeo magnus suprà dignitatem obsequii exhibiti à non ita nobili beneficiario, ut mereatur compensari sumptibus communes, quos facit alius Beneficiarius non ita nobilis, multùm excedentibus: Vid. Haunold. n. 94.

30 VII. Etiam Commendatarius, sive is, qui habet Beneficium in commendam, tenetur superfluos ejus reditus erogare in pios usus. Ita communiter D.D. Ratio est; quia subrogatum sapit naturam ejus, cui subrogatur: atqui Commendatarius subrogatur Beneficiario in muncre & commodis, isque tenetur dicto modo expendere superflua; ergo etiam Commendatarius. Sed neque æquum est, ut talis sit Beneficiarius quoad commoda tantùm cùm enim sentiat commoda, etiam onera sentire debet. Vid. Lugo disp. cit. sect. 3. num. 33. Mezger n. 22.

31 VIII. Obligatio expendendi superflua in pios usus sequitur etiam illos reditus, qui ex oppidis, aut castris Ecclesiæ cuipiam attributis proveniunt. Lugo n. 14. Mezger n. 23. & alii. Ratio est; quia hæc quoque talia bona à fidelibus oblata sunt ad cultum Divinum; ergo sunt etiam res Dei, secumque trahunt eandem obligationem, quam fructus ex aliis bonis Ecclesiasticis, v. g. prædiis, agris, vineis, provenientes. Neque refert, Beneficiarium, v. g. Episcopum, Archiepiscopum, tunc insuper esse principem temporalem, atque adeo ejusmodi redditus applicare ad gubernationem politicam: quia nostra doctrina adhuc vera manet de redditibus politicæ gubernationi superfluis.

32 IX. Quando Beneficiarius malè expendit reditus superfluos, emendò v. g. bona sive mobilia, sive immobilia superflua, manet adhuc obligatus ad bona, quæ sic comparavit, in pios usus eroganda. Ita Petschacher de restit. q. 1. a. 4. pag. 113. Mezger n. 24. Ratio est: quia hujusmodi res succedunt in locum fructuum, & quidem cum eisdem obligationibus. sunt enim lucrum mediate saltem ex Beneficio Ecclesiastico proveniens; imò veri fructus illius.

33 X. Quamvis per se loquendo Beneficatus non teneatur reditus superfluos expendere in utilitatem, vel pauperes illius loci, in quo est Beneficium; cùm nulla supperat sufficiens ratio hoc asserendi; in gravi tamen & multò magis extrema necessitate propriæ Ecclesiæ, ac membrorum ejus, his tenetur subvenire præ extraneis. Haunoldus ubi suprà, n. 90. Mezger num. 26. Aliud est: quia hanc talem obligationem habuit etiam ipsa Ecclesia, antequàm reditus suos transtulit in Beneficiarios; & consequenter transtulit cum eadem obligatione. Expedit tamen, ut etiam in communi necessitate Beneficiarius non obliviscatur loci proprii.

34 XI. Licitum est Clericis nepotes, & consanguineos ex redditibus superfluis in litterarum studiis alere; imò procurare, ut ad gradus Academicos evehantur, si pauperes sint, ac verè indigeant aliena sublevatione. Lugo sect. 4. num. 68. post Rosellam, Sylvestrum, Sanchez & alios. Ratio est: tum, quòd hoc redundet in bonum universalis Ecclesiæ, quæ nunquam non indiget viris doctis. Tum, quia, sicut opus charitatis, pietatis, ac misericordiæ est alium erudire, ita etiam opus charitatis &c. est ad hunc finem suppeditare media. Vid. Petschacher pag. 122.

35 XII. Clericus ex humili sorte ad magnam dignitatem Ecclesiasticam vectus plura ex superfluis dare potest consanguineis, quàm aliàs poterat. Lugo num. 70. Salmantic. tomo 3. tract. 12. cap. 2. pu. 11. n. 149. Petschacher pag. 121. Illsung. tract. 4. disp. 2. q. 3. artic. 5. num. 188. Ratio est: quia tunc etiam consanguinei censentur elevari ad altiorem statum. Unde, qui priùs forsasse pauperes non erant, habebantque necessaria ad humilem suum statum, comparatione novi status incipiunt esse pauperes ac verè indigere aliena sublevatione ad illum sustinendum. Itaque poterit illis talis Clericus ex hoc titulo dare, quantum ad id fuerit necessarium. Monet tamen Lugo, hîc non esse habendum in consilio affectum carnis & sanguinis, sed Christianam prudentiam & modestiam.

36 XIII. Clericus liberos etiam illegitimos & spurios, quos fortè habet, potest, imò tenetur alere ex redditibus Ecclesiasticis, si indigeant, & ipse non habeat alia bona, ex quibus eisdem prospiciat. Filliuc. tract. 43. cap. 4. num. 36. & 37. Lugo n. 69. Salmantic. num. 150. & alii. Ratio est: quia supposito delicto, ex jure naturæ his talibus debetur sustentatio. Dixi autem, *si ipse non habeat alia bona &c.* nam si habeat, ex illis tenetur providere liberis, utpote non computandis inter indigos aut pauperes; cùm habeant parentem aliunde divitem, & obligatum ad præbendum alimenta.

Dixi

Dixi præterea, *etiam illegitimos*, ut supponerem, eodem modo parentem Clericum à fortiori & posse & debere providere legitimis. Notant tamen Doctores, filiæ illegtimæ non est tantum præbendum in dotem, quantum legitimæ; neque huic tantum, quantum daretur ex bonis patrimonialibus; quamvis utrique dari possit secundùm statum, in quem ex promotione parentis elevantur, ut dictum in num. præced.

37 XIV. Quod dictum est hactenùs de bonis superfluis Beneficiorum, extendendum est ad redditus Monasteriorum, qui redundant: item de fabrica Ecclesiæ, cui proventus superfluunt: videlicet superflua converti debere in pios usus. Ita Sanchez lib. 2. Consil. cap. 2. dubit. 38. num. 17. Petschacher pag. 120. & alii. Ratio est eadem: quia hæc est intentio fidelium sua bona donantium Monasteriis, & deputantium ad fabricam, ut congruè ac decenter sustententur, & superfluum erogetur, non ad luxum & superbiam, sed in pios usus.

38 His omnibus hucusque declaratis nonnullæ quæstiones videntur addendæ. Prima est, an peccent, qui à Clericis accipiunt superflua in usus profanos? Respondeo, non peccare, dummodò non inducant ad ea sic expendenda. Ita Lugo à n. 48. Salmantic. n. 143. Tambur. lib. 8. in Decal. cap. 2. §. 4. num. 2. Petschacher de Restit. q. 1. artic. 4. pag. 128. Mezger artic. 3. n. 10. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. artic. 5. num. 176. & alii. Ratio est primo, quia accipiens non cooperatur peccaminosæ donationi, ut existimat Sanchez; cùm ejus malitia ex parte donantis supponatur completa ante acceptationem. Ratio est secundo, quia acceptans à fure, vel debitore aliquid, cujus ille est dominus, non peccat, tametsi ejusmodi donator inde evadat impotens ad restituendum, quod debet ex justitia; ut docent Less. de Just. lib. cap. 20. dubit. 19. num. 168. Molina de Just. tomo 2. disp. 328. ergo similiter acceptans aliquid ex redditibus superfluis a Clerico peccaminosè largiente non peccat, esto, is fiat impotens ad satisfaciendum præcepto erogandi in pios usus. Sicut enim in casu antec. acceptatio donatarii non cooperatur ad malitiam donationis, sed eandem adæquatè supponit, ipseque acceptans utitur jure suo, ita etiam in casu Conseq. Ratio est tertio, quia tunc acceptans neque ex charitate, neque ex religione obligatur ad non acceptandum ejusmodi bona: ergo neutiquam obligatur. Conseqq. patet: quia non apparet aliud fundamentum obligationis. Antec. prob. Non ex charitate; quia hæc non præcipit, ut quis negligat suum commodum, licèt alteri tantundem damni inde sequatur per accidens; sicut in casu nostro sequitur piis causis, dum Clericus ex hujusmodi donatione redditur impotens ad superflua in eas expendendum. Non ex religione; quia bona hæc facta donatione jam reddita sunt profana; cùm neque Deus, neque fundatores velint esse diutiùs sacra, quàm maneant in dominio ministrorum Ecclesiæ, ut habet Illsung loco cit. Dixi autem in responsione, *dummodò non inducant &c.* nam hoc faciendo haud dubiè peccarent: cùm moralem influxum in peccatum præstarent, eique cooperarentur.

39 Quæstio secunda. An Clericus contracta debita solvere possit ex redditibus Ecclesiasticis? Respondeo primo. Clericus non solùm potest, sed etiam tenetur ex bonis Ecclesiasticis solvere debita quomodocunque contracta, si aliunde non sit solvendo. Ratio est: quia Clericus carens aliis bonis, ex quibus solvat debita, merito computatur inter pauperes: ergo saltem ut pauper ex bonis Ecclesiasticis potest accipere, quantum est necessarium ad solvendum debita. Cumque hac ratione possit solvere, etiam tenetur solvere. Sanchez lib. 2. Consil. cap. 2. dubit. 42. Petschacher art. cit. pag. 155. Illsung num. 188. Confirmatur ex cap. *pervenit. de fide jussoribus*: & cap. *olim. 2. de restit. spoliat.* ubi Episcopus ex redditibus Ecclesiasticis coactus est debita solvere.

Respondeo secundo. Debita contracta pro sustentatione sua, vel expensis in alios pios usus, Clericus potest solvere ex bonis Ecclesiasticis, quamvis habeat alia bona ad id sufficientia: debita verò contracta pro usibus profanis non potest solvere ex iisdem bonis, si habeat alia, ex quibus possit solvere. Responsio est trimembris. Ratio primi membri est: quia Clericus ex redditibus Ecclesiasticis se potest sustentare, etiamsi possit vivere ex suo patrimonio: ergo etiam poterit ex illis solvere debita in eum finem contracta. Ratio secundi est: quia sic redditus Ecclesiæ erogat in pios usus, quod utique licitum est. Ratio tertii est: quia fructus superflui Ecclesiastici illicitè expenduntur in usus profanos: sed istud tunc fieret à Clerico debitore; ergo. Accedit, quod ejusmodi Clericus non sit pauper. Vid Sanchez & Petschacher citt.

40 Quæstio tertia. An Religiosus factus Episcopus habeat dominium bonorum patrimonialium, quasi patrimonialium, & Ecclesiasticorum? Respondeo negativè. Ita D. Thomas 2. 2. q. 185. artic. 8. ad 3. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 6. num. 8. Lessius de Just.

de Just. lib. 2. cap. 4. dubit. 5. n. 29. Salmantic. to. 3. tract. 12. cap. 2. pu. 11. n. 160. Ratio est: quia Religiosus, dum fit Episcopus, non desinit esse Religiosus: cumque de essentia status Religiosi sit votum paupertatis, sequitur, talem Episcopum adhuc manere obstrictum eo voto. Atqui cum voto paupertatis non est compossibile ullum dominium rerum temporalium; ergo. Itaque ejusmodi Episcopi sunt administratores solùm & dispensatores bonorum temporalium habentes, dum vivunt, jus distribuendi illa juxtà præscriptum Sacrorum Canonum, ut proinde non solùm peccent expendendo quid in profanos usus, sed etiam ad restitutionem teneantur tam ipsi, quàm recipientes; quia hoc est bona expendere ac recipere contra voluntatem domini, adeoque peccare contra Justitiam. In contraria sententia sunt Sotus, Vasquez & alii apud Salmantic. n. 159.

41 Objiciunt primo ex cap. *statutum* 17. *q.* 1. ubi dicitur: statutum esse, ut is, qui de Monacho factus est Episcopus, *velut legitimus hæres paternam hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat.* Secundo. Dominium memoratorum bonorum neque est penès pauperes; quia aliàs Episcopus teneretur ad restitutionem, si in alios pios usus expenderet; neque penès Ecclesiam, cujus est Episcopus; quia aliàs, si transferretur in aliam, teneretur bona ibi acquisita ibi relinquere: sicut, quæ acquisivit in Monasterio, tenetur in Monasterio relinquere factus Episcopus. Superest igitur, ut dicatur, dominium esse penès talem Episcopum. Tertio. Perpetua dispensatio bonorum, & independens à Superiore, qualis conceditur tali Episcopo, incompossibilis est cum voto paupertatis: ergo per susceptionem Episcopatûs absolvitur ab illo, ac proinde redditur capax dominii.

Ad primum respondet D. Thomas loco cit. canonem illum sic explicando, quòd ejusmodi Episcopi *non vendicent paternam hæreditatem quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam.* Eo scilicet more, quo Religiosi in Monasterio existentes jus retinent successionis, sibique hæreditatem vendicare solent, non pro se, sed pro suo Monasterio. Unde ad secundum respondeo, illud dominium esse penès Ecclesiam, cujus modo est Episcopus, cum libera tamen potestate ea bona vel transferendi ad aliam Ecclesiam, si & ipse transferatur, vel expendendi in alia opera pietatis. Porrò in morte debet bona secundùm jus commune relinquere in Ecclesia, in qua decedit; nisi eorum spolia ad Cameram Apostolicam pertineant. Ad tertium respondeo neg. Ant. cujus contrarium constat in Religioso ad Beneficium Parochiale assumpto, qui non desinit esse Religiosus, atqueadeo voto paupertatis obstrictus, quamvis habeat jus perpetuum disponendi in vita de bonis ibi acquisitis. Vid. Salmantic. n. 161.

ARTICULUS VIII.

De Dominio Religiosorum.

HOc artic. inquiremus primo, an, & quibus Religiosis competat dominium? Secundo, quomodo Religiosus acquirat Monasterio? Tertio, quænam sit obligatio Religiosi ex voto paupertatis? Quarto, & specialiter, qualem in administratione bonorum temporalium gerere se debeat Prælatus Regularis? Ad quæ singula ordine respondebimus per singulos §. §. Quare sit

§. I.

An, & quibus Religiosis competat dominium?

SUMMARIUM.

1. Quid hic senserit Navarrus. 2. 3. Aliqui Ordines Religiosi habent verum dominium bonorum temporalium. 4. Respondetur ad fundamenta opposita. 5. Nullus Religiosus in particulari solemniter professus est capax dominii rerum temporalium. 6. Quid de non solemniter professis in Societ. Jesu. 7. Religiosus, dum fit Episcopus, non fit capax dominii in temporalia. 8. Illicitæ dispositiones Religiosi de temporalibus sunt etiam invalidæ. 9. Religiosus non potest validè testamentum condere. 10. 11. 12. 13. Resolvitur quæstio, an incapacitas dominii in Religioso proveniat ex natura voti solemnis, vel ex ordinatione Ecclesiæ?

HIc celebris est sententia Navarri, qui 1
cum paucis quibusdam aliis docuit, Religiosos omnes non solùm in particulari, sed etiam in communi, id est communitates Religiosas, esse incapaces dominii rerum temporalium, eisque solam administrationem earum competere; dominium verò esse penès Christum. Contra tamen

Dico primo. Aliqui Religiosi Ordines, 2
Monasteria, & communitates Religiosæ habent

habent verum dominium rerum temporalium. Ita communiter DD. estque certa eorum sententia. Ratio est primo. quia Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regularibus* concedit Religionibus, ut deinceps bona immobilia iis possidere liceat. Ubi ly *possidere* in proprio & usitato sensu acceptum significat possessionem cum dominio proprietatis conjunctam. Ratio est secundo. quia, ut docet Innocent. communiter receptus in cap. *cùm olim. 2. de Privileg. Monachus, quidquid acquirit, non sibi acquirit, sed Monasterio.* Quod certè impropriissimè diceretur, si solum jus administrandi, & non dominium Monasterio suo Monachus acquireret: consequenter ibi supponitur, Monasterio acquiri dominium. Ratio est tertio. quia constat ex quotidiana praxi, Religiones & Monasteria actione reali, aliisque Juris remediis jus suum prosequi non minùs, quàm dominos sæculares. Ratio est quarto. quia votum paupertatis, quod singuli Religiosi emittunt, non repugnat tali dominio. Neque enim, dum vovent, excludere intendunt dominium à communitate; imò in illa supponunt existere; cùm promittant, se non usuros rebus temporalibus, nisi dependenter à voluntate ea nomine communitatis administrantium.

3 Dixi autem, *aliqui Religiosi Ordines &c.* ut exciperem Capucinos, & Minores de observantia. Nam isti, ut constat ex Trid. cap. cit. sunt incapaces dominii, etiam in communi. De domibus professis Societ. Jesu idem asseritur: verùm istæ sunt capaces hæreditariæ successionis, licèt cum hac obligatione, ut bona immobilia ex hæreditate obvenientia vendant, ut habet Card de Lugo to. 1. de Just. disp. 3. sect. 5. à n. 98.

4 Fundamentum sententiæ oppositæ erat, primo, quòd bona Religiosis & Monasteriis data dicantur *patrimonium Christi.* Secundo, quòd Religiosi non possint bona immobilia, vel mobilia pro libitu alienare. Ad primum dicitur, illa bona ideo sic vocari; quia data sunt propter Christum, & tanquam si Christo ipsi darentur, juxta illud Math. 25. *quamdiu uni ex his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Ad secundum dic, inde plus non colligi, quàm dominium Religiosorum non esse omnino liberum & absolutum. Vid. Mezger to. 3. tract. 11. disp. 30. a. 2. n. 3 Sed jam ad Religiosos in particulari convertimur, de quibus

5 Dico secundo. Nullus Religiosus solemniter professus est capax dominii, vel juris alicujus in res temporales. Ita communiter DD. & constat ex cap. *cum ad Monasterium. de statu Monach.* ubi Innocentius III. cum interminatione Divini judicii omnibus prohibet talium rerum possessionem & dominium. Idem patet ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.*

Dixi autem, *nullus solemniter profes.* 6 *sus.* quia illi, qui in Societate Jesu post biennium Novitiatûs emiserunt vota simplicia, sunt veri Religiosi; nec tamen per ea vota redduntur incapaces dominii, sed retinent dominium proprietatis in bona temporalia, juxta Bullas Gregorii XIII. *Quanto fructuosiùs*, &, *Ascendente Domino.* Ratio sumitur primo ex eisdem Bullis: quia perfectio Religiosæ paupertatis non tam sita est in abdicatione proprietatis, quàm in abdicatione omnis usûs independentis à nutu Superiorum: iste namque usus terrenis curis plùs implicat animum, & ab obsequio Divino avocat. Alia quoque inconvenientia, quibus status Religiosus infestatur, magis ex libero usu, quàm proprietate temporalium oriri solent: ergo non obstat etiam in singulis dominium proprietatis, quin possit in aliquo Ordine servari perfectio paupertatis Religiosæ. Ratio est secundo, quia votum simplex castitatis, nisi accedat prohibitio Ecclesiæ, non reddit voventem incapacem contrahendi Matrimonii: ergo similiter votum simplex paupertatis non reddit incapacem dominii temporalium, secluſa lege Ecclesiastica aliter disponente. Consequenter, si Summus Pontifex non auferat capacitatem dominii ab eo, qui emittit votum simplex paupertatis, talis manebit capax dominii. Atqui Summus Pontifex non aufert à Religiosis Societatis eo voto se obstringentibus capacitatem dominii, veluti declarat in Bullis relatis; licèt auferat ab iisdem capacitatem contrahendi Matrimonium; ergo &c.

Infertur nunc primo, Religiosum, ta- 7 metsi fiat Episcopus, non reddi capacem dominii in temporalia. Doct. Thomas 2. 2. q. 185. a. 8. Ratio est: quia neque ex natura statûs Episcopalis, quippe non incompossibilis cum votis & statu Religionis; neque ex dispensatione Sedis Apostolicæ præsumi debet à votorum obligatione solutus. Illud tamen verum est, talem Religiosum non amplius teneri ad accidentales illas Regulæ observationes, quæ statui Episcopali non bene conveniunt: quales sunt silentium, solitudo claustralis &c. In quo sensu intelligendum est *cap. un.* 18. *q.* 1. ubi Monachus in Episcopum electus *jugo Regulæ & Monasticæ professionis absolutus* dicitur. Vide etiam, quæ a. præced. à n. 40. dicta sunt.

Infertur secundo, Religiosum aliquid 8 donandô, vel alienandô citra consensum Superioris peccare non solùm contra votũ paupertatis, sed insuper tales illius dispositiones

esse irritas & invalidas: eos quoque, qui rem ejusmodi acceperunt, teneri ad restitutionem. Less. de Just. lib. 2. cap. 41. dubit. 8. n. 71. Salmantic. to. 3. tract. 12. cap. 2. pu. 12. num. 183. Ratio est: quia Religiosus non habet potestatem quidquam donandi, vel alienandi propria authoritate. Idem dicendum est, quando Religiosus hoc fecit quidem cum consensu Superioris, quem tamen is dare non potuit, v. g. si expendit in rem turpem.

9 Infertur tertio, Religiosum professum non posse validè testamentum condere. Less. loco cit. Salmantic. num. 186. & DD. communiter. Ratio est: tum, quia testari est actus dominii exercitus à vivente naturaliter & civiliter: atqui Religiosus caret dominio, & est civiliter mortuus. Tum, quia, quidquid acquirit, sive per suam industriam, sive per donationem, sive per alium quemcunque titulum, non sibi, sed Monasterio acquirit, juxta cap. *Abbates*, ergo nihil habet, de quo testetur. Et neque refert, si fortè ante professionem sibi facultatem testandi reservaverit; quia talis reservatio foret invalida. Ex licentia tamen Summi Pontificis posse Religiosum professum testari de rebus, quarum administrationem habet, vel usum, non videtur esse dubium. Ratio est: quia juxta omnes potest ex licentia Prælati aliquid moderatum inter vivos distribuere: quòd autem ex ejus licentia id nequeat in morte per viam testamenti relinquere, ex solo jure humano provenit, quo non ligatur Pontifex, sed in eo dispensare potest. Vid. Less. loco cit. Sanchez lib. 7. in Decal cap. 8. n. 45. Salmantic. loco cit. Lugo de Just. to. 1. disp. 3. sect. 6. à num. 118.

10 Nunc illud adhuc supersest disquirendum, an incapacitas dominii in Religiosis proveniat ex natura ipsa voti solemnis; an verò ex institutione, sive ordinatione Ecclesiæ? Pro priori sententia arguitur primo ex cap. cit. *cum ad Monasterium*, ubi Sum. Pontifex asserit, abdicationem proprietatis *adeo esse annexam Regulæ Manachali, ut in illa nec Summus Pontifex dispensare possit.* Atqui id, in quo nec Summus Pontifex dispensare potest, non est ex ordinatione Ecclesiæ; ergo. Arguitur secundo authoritate D. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 11. citantis memoratum cap. negantisque, Summum Pontificem posse dispensare in eo, quod Religiosus solemniter fuit professus, idque ideo, quia professio solemnis religiosa est quædam consecratio, seu sanctificatio personæ religiosæ: sed res semel Deo consecrata & sanctificata non potest denuo converti in usus profanos, quamdiu res illa perseverat, juxta illud Levit. ult. *quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Dominio: omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur &c.* sicut ergo Sacerdos non potest non esse Sacerdos, ita Religiosus non potest non esse Religiosus.

11 Verùm, his non obstantibus, sentiendum est cum communiori doctrina Theologorum, & Canonistarum, prædictam incapacitatem dominii provenire ex ordinatione Ecclesiæ. Ratio est: quia causa hujus incapacitatis neque est votum quà tale, neque quà solemne: ergo eadem incapacitas dominii non provenit ex natura voti solemnis: adeoque supersest, ut proveniat ex ordinatione Ecclesiæ. Ant. quoad primam part. prob. ex eo, quòd dentur veri Religiosi cum voto simplici paupertatis capaces dominii, ut constat ex Bulla *Ascendente Domino*, suprà cit. quod verum non esset, si causa incapacitatis dominii esset votum quà tale; cùm votum simplex habeat veram rationem voti. Idem Ant. quoad secund. part. inde prob. quòd solemnitas voti instituta sit ab Ecclesia; veluti habetur tum ex cap. un. *de voto & voti redempt.* ubi dicit Sum. Pontifex: *Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa &c.* tum ex praxi Ecclesiæ, qua constat, Summum Pontificem dispensasse in voto solemni castitatis, putà Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano Monacho, quòd testatur Volaterranus lib. 4. Histor. Clementem II. cum Casimiro Monacho Cluniacensi, ut refert Baronius in Annalibus, Anno Christi 1141. Addi potest cum Paulo Mezger, solemnitatem voti castitatis in Sacris Ordinibus esse dispensabilem, imò sæpius dispensatam à Summis Pontificibus. Cur non igitur eadem solemnitas in voto Religioso sit dispensabilis?

12 Dices, incapacitatem memoratam dominii refundi in ipsam naturam statûs Religiosi, vi cujus quis Deo, Deique obsequio totaliter mancipatur; vel etiam in intentionem ipsius voventis. Respondeo, falsitatem primi ex eo reddi manifestam, quòd Institutum Societatis sit verè status Religiosus, ut patet ex eadem Bulla *Ascendente*; & tamen in eo dentur Religiosi habentes dominium, & proprietatem rerum temporalium. Secundum ideo non subsistit, quod privata intentio voventis nequeat auferre capacitatem dominii, ut ostenditur à simili in voto simplici castitatis, ubi intentio privata voventis nequit auferre capacitatem contrahendi Matrimonii.

13 Ad primum pro sententia opposita adductum responderi potest primo cum P. Illsung & aliis, illa verba Pontificis esse intelligenda de dispensatione indulgente licentiam abdicationi proprietatis contrariam, quæ præjudicet paupertati Religiosæ, qualis

esset licentia habendi proprietatem etiam cum libero usu ejusdem. Respondetur secundo, memorata verba debere accipi de sensu composito statûs Religiosi: sic enim verum est, Sum. Pontificem non dispensare, nempe, ut quis manens Religiosus solemniter professus simul habeat dominium proprietatis. Ad secundum respondet ex Redingo de Jure & Just. q. 1. a. 6. dub. 4. D. Thomam quidem ita docuisse intuitu cit. cap. istud tamen à Pontificibus subsequentibus ita fuisse declaratum, ut intelligi debeat in sensu composito status Monachalis seu Religiosi, ut primum dictum est. Ad rationem ex S. Doctore oppositam sciendum est, duplicem esse sanctificationem, seu consecrationem, nempe aliam, quæ per modum vinculi adæquatè provenit ex libera voluntate hominis, & aliam, quæ non adæquatè provenit ex libera voluntate hominis. Hæc sanctificatio posterior, qualis est sanctificatio Sacerdotis, proveniens ex indelebili charactere, tolli non potest à Summo Pontifice; potest autem tolli illa prior, haud sanè authoritate purè humana, sed Divina Summo Pontifici à Christo concessa in voluntates humanas, & vincula ab eisdem liberè contracta. Et talis sanctificatio habetur ex votis Religiosis.

§. 11.

Quomodo Religiosi acquirant Monasterio?

SUMMARIUM.

14. *De quibus Religiosis procedat quæstio.* 15. *Omnes Religiosi sunt capaces legati.* 16. *Quidquid acquirit Religiosus, Monasterio acquirit.* 17. *Et quidem immediatè.* 18. 19. *Solvuntur objectiones,* 20. 21. *An Religiosus sine voluntate Prælati possit repudiare legatum, vel hæreditatem delatam?* 22. *An peccet contra Justitiam Religiosus, dum volenti ipsum, vel Monasterium instituere hæredem id dissuadet?* 23. *Monasterium potest adire hæreditatem, etiam mortuo Religioso professo, post eam delatam.* 24. 25, 26. *Cuinam acquirant Religiosi Beneficiarii, fugitivi, apostatæ, ejecti?*

14 QUæstio procedit de Religiosis in Religionibus hæreditariæ successionis capacibus tam ab intestato, quàm ex testamento; quales sunt omnes, exceptis Ordinibus Minorum de observantia, & Capucinorum, nec non Societatis Jesu, quantum ad Professos, Coadjutores formatos. Ubi tamen advertendum, non ipsos Religiosos, sed nomine ipsorum communitatem dominii capacem succedere, sicut habet communis sententia. Ut autem certa separentur ab incertis,

15 Suppono primo, omnes Religiones, earumque Religiosos esse capaces legati. Hoc enim nec statui paupertatis, nec legi alicui repugnat: quia per talem capacitatem Religiosi nihil sibi, sed totum Monasterio seu Religioni acquirunt, ut paulò pòst videbimus. Atque hinc etiam FF. Minores, & Capucini sunt capaces legatorum, certis tamen conditionibus: quarum prima est, ne legata illa sint in fraudem ad palliandam hæreditatem. Secunda, ne sint in tanta quantitate, quæ potiùs serviat ad thesaurizandum, quàm ad sublevandam necessitatem. Tertia, ne sint res immobiles. Quarta, ne sint redditus annui sive ad victum, sive ad alia corpori necessaria, nisi fortè pro medio tempore, velut ex Clement. *Exivi. de Verb. signific.* colligunt Sanchez & Lugo apud Paul. Mezger tomo 3. tract. 11. disp. 30. a. 3. n. 2.

16 Suppono secundo, Religiosum professum non posse quidquam rei temporalis, sive per suam industriam, sive per donationem, aliumve titulum sibi acquirere, sed, quidquid acquirat, Monasterio acquirere: quemadmodum habetur ex cap. *Abbates* 18. q. 2. ubi dicitur: *Omnia, quæ acquisierit* (nempe Monachus) *ab Abbatibus auferantur secundùm Regulam Monasterio profutura.* Quibus suppositis, difficultas est, an ea, quæ Religiosus professus Monasterio acquirit, veniant immediatè in dominium Monasterii, aut Religionis, quatenus repræsentantis personam professi; vel an solùm mediatè, id est, mediante persona & voluntate professi, ita ut, si iste nollet, hæreditas v. g. vel legatum non veniret in dominium Monasterii aut Religionis? Hoc posterius affirmant communiter Civilistæ apud Haunoldum de Just. tract. 4. cap. 1. controv. 4. n. 48. prius autem tenent communiter Theologi & Canonistæ: cum quibus proinde

17 Dico Dominium rerum, quas Religiosus acquirit, immediatè venit ad Monasterium, quatenùs id repræsentat Religiosum. Ratio sufficiens est: quia, si ejusmodi dominium non nisi mediante persona & voluntate particularis Religiosi perveniret ad Monasterium, deberet priùs tempore, vel naturâ esse penès eundem Religiosum quatenùs distinctum à communitate: sed hoc esse inconveniens patet ex §. præced. ubi ostendimus, Religiosum particularem dominii rerum temporalium esse penitus incapacem;

cem; ergo &c. Imò loquendo de priori naturæ intra idem instans reale specialis repugnantia est ex artic. 1. hujus disp. ubi dominium duorum in solidum rejecimus.

18 Objicies tamen primo. Hæreditas adeunda est ab eo, cui est delata. l. 1. & 2. *cod. de repud. vel admitt. hæred.* Atqui hæreditas in casu præsenti supponitur esse delata Religioso professo, & non Monasterio; ergo à professo, & non à Monasterio est adeunda; adeoque nolente professo non venit in dominium Monasterii. Respondeo inprimis, hoc argumento probari nimium, nempe quòd etiam hæreditas filio delata non aliter accresceret patri, quàm facto filii, hoc est, eam adeunte filio. Hoc autem est falsum per *l. final. cod. de bonis, quæ liberis.* Deinde dist. maj. hæreditas adeunda est ab eo, cui est delata, in quantum est capax, ut illam adeat, conc. sub alia ratione, neg. maj. & data min. dist. conseq. ergo adeunda est à professo, ut est persona moraliter indistincta à Monasterio, conc. ut est persona distincta à Monasterio, totoque Conventu, neg. conseq. Nam solùm ut persona moraliter indistincta, non autem, ut contradistincta à tota communitate, est capax adire hæreditatem.

19 Objicies secundo. Religiosus professus in Jure solet comparari servo: atqui si servo delata sit hæreditas, ea non acquiritur domino, nolente & invito servo: veluti habetur l. 3. cod. de hæred. instit. ibi: *potuit enim* (nempe servus) *quamvis jubente domino, nolle adire.* Ergo idem dicendum de Religioso. Respondeo ex Haunoldo tract. 4. cap. 4. n. 52. Mezger, ubi suprà num. 10. Religiosum non semper comparari servo, sed modò comparari servo, modò filiofamilias, prout nimirum comparatio Monasterio est favorabilis. Comparatur servo, in quantum, sicut servus domino lucratur non solum usumfructum, sed etiam rei sibi delatæ proprietatem, ita & Religiosus hæc ambo lucratur Monasterio: In quo ipso tamen differt à filiofamilias, qui per acceptionem rei delatæ solum usumfructum patri acquirit. Comparatur econtra filiofamilias in eo, quòd sicut filio invito pater adire potest hæreditatem, sibique hac ratione acquirere usumfructum, ita Monasterium possit invito Religioso adire hæreditatem, sicque ejus dominium acquirere. Er dictis

20 Infertur jam primo, Religiosum professum in Religione vel Monasterio dominii capaci non posse absque voluntate Superioris repudiare legatum, vel hæreditatem delatam. Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 12. à num. 35. Lugo de Just. tomo 1. disp. 3. sect. 5. num. 94. Mezger num. 6. & alii. Ratio est: quia jus acceptandi, vel repudiandi hæreditatem immediatè acquisitum est Monasterio: quo proinde jure Religiosus particularis Monasterium nec licitè, nec validè privare potest per repudiationem hæreditatis.

21 Dices. Siquis rem pretio æstimabilem tali Religioso donare vellet, tunc posset ille non modò validè, sed aliquando etiam licitè eam repudiare: ergo etiam delatam hæreditatem vel legatum poterit validè repudiare. Respondeo neg. conseq. quia per voluntatem præcisè Religioso quidpiam donandi nullum adhuc jus translatum est in Monasterium: atqui ex legato & hæreditate delata Monasterio jam est jus quæsitum; consequenter licèt Religiosus citra injuriam Monasterii possit repudiare rem, quam alter vult ipsi donare; non tamen potest sine injuria repudiare hæreditatem delatam. Vid. Sanchez lib. cit. cap. 19. num. 75. Atque hinc à contrario

22 Infertur secundo, Religiosum nullam inferre injuriam Monasterio, dum alicui volenti ipsum, vel Monasterium instituere pro hærede, id dissuadet, & à proposito revocat. Ratio est: quia tunc nullum adhuc jus Monasterio esse quæsitum supponitur; ergo Religiosus sua tali dissuasione non peccat contra Justitiam; quamvis fortè peccet contra Charitatem; si nempe non habeat justam causam dissuadendi. Vid. Mezger n. 10.

23 Infertur tertio, posse à Monasterio adiri hæreditatem, sive ex testamento, sive ab intestato, quamvis professus post delatam, necdum tamen aditam hæreditatem moreretur: secùs, si moreretur prior, quàm pater, vel testator; adeoque nondum delata hæreditate. Ratio est: quia Monasterio eatenùs acquiritur jus adeundi hæreditatem, quatenùs tempore delatæ hæreditatis repræsentat Religiosum, secum moraliter eundem, cujus nomine succedit tanquam hæres: cùm ergo in priori casu repræsentet ipsum tempore delatæ hæreditatis, non autem in posteriori, habebit etiam in priori casu jus succedendi, non tamen in posteriori. Mezger n. 7. Sed

24 Quæritur jam primo, cuinam acquirat Religiosus Beneficiarius? Respondeo primo, talem Beneficiarium, si supponatur omnino liber ab obedientia Prælatorum Regularium, omnia, quæ acquirit, acquirere suæ Ecclesiæ. Ratio est eadem, quæ de Religioso assumpto in Episcopum: Vide dicta in artic. proximè præced. ad 2. & 3. object. Respondeo secundo, ejusmodi Beneficiarium, si maneat subditus Monasterio, omnia accquirere Monasterio, si Beneficium

huic

huic pleno jure sit incorporatum. Ratio est: quia tunc etiam Beneficium est subjectum Monasterio, & totaliter in ejus utilitatem ordinatum. Dixi, *si beneficium &c.* nam in Beneficio non incorporato Religiosus Beneficiarius ea, quæ acquirit ex redditibus & rebus Beneficii, acquirit Ecclesiæ. Quæ verò acquirit per propriam industriam, legatum, hæreditatem, donationem &c. Monasterio acquirit, non Ecclesiæ. Vid. Sanchez lib. cit. cap. 32. n. 76. Lugo disp. cit. sect. 11. n. 234. Salmantic. tomo 3. tract. 12. cap. 2. n. 207. Mezger disp. cit. a. 5. n. 2. Ratio est: quia talis Religiosus simul est sponsus Ecclesiæ, & membrum Monasterii ex voto paupertatis. Ex priori titulo acquirit Ecclesiæ; ex posteriori acquirit Monasterio.

25 Quæritur secundo, cuinam acquirat Religiosus fugitivus, aut apostata? Fugitivus est, qui sponte discedit, nempe, ut sit extra potestatem Superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo redeundi. Apostata est, qui sponte discedit, sed animò deserendi institutum. Ab utroque satis distinguitur ejectus, vel dimissus, quòd non sponte discedat, sed jussus, vel compulsus. Nunc respondeo, illos omnia acquirere Monasterio. Ratio est: tum ex generali regula, quòd Religiosus, quidquid acquirit, Monasterio acquirat. Tum, quòd uterque maneat obligatus ad reditum, ac subditus Monasterio, cui jus suum auferre non potest.

26 Quæritur tertio, cuinam acquirat ejectus? Respondeo primo, juste ejectum omnia, quæ acquirit, acquirere Monasterio. Ratio est: quia culpa Religiosi non debet obesse Monasterio, aut ipsum liberare ab obligatione, quam contraxit ex voto paupertatis. Respondeo secundo, injustè expulsum posse compelli ad redeundum, & cum illo omnia bona adhuc exstantia recipi à Monasterio: cùm & ipsa sint acquisita Monasterio. Quantùm verò attinet ad bona interea temporis absumpta, vel alienata, ea censentur absumpta, vel alienata cum tacita licentia Prælati. Vid. Mezger a. cit. n. 4. ubi etiam docet, decretum Gregorii XIII. incipiens *Officii nostri*, quo bona Religiosorum extra Religionem decedentium Cameræ Apostolicæ adjudicantur, in nostris partibus receptum non esse.

§. III.

Quænam sit obligatio Religiosi ex voto paupertatis?

SUMMARIUM.

27. *In quo consistat Religiosa paupertas.* 28. *Qualis esse debeat licentia Prælati, ut Religioso reddat licitum usum rei temporalis.* 29. *Licentia obtenta ad usus superfluos valida est, quamvis sit illicita.* 30. *Licentia Prælati alia expressa, alia tacita, alia præsumpta.* 31. 32. *Quando a transgressione voti paupertatis excuset licentia tacita? quando præsumpta?* 33. 34. 35. 36. *Illationes ex dictis.* 37. *Statuitur doctrina generalis circa læsionem voti paupertatis observanda.* 38. 39. *& seqq. variæ illationes practicæ.*

27 NOtandum est primo, Religiosam paupertatem capitaliter in hoc sitam esse, ut quis careat omni usu activo, ac possessione rei temporalis independente à licentia Superioris, sitque paratus omni momento ad omne jus in bona temporalia à se abdicandum. Nam ut actu careat omni dominio ac jure, sitque illius incapax, non est de essentia Religiosæ paupertatis, ut in §. 1. vidimus. Usus itaque facti independens à nutu, & arbitrio Superioris per professionem Religiosam Religioso fit illicitus, & tunc censendus est peccare contra paupertatem, quando proprio nomine, & authoritate de rebus temporalibus disponit.

28 Notandum est secundo, licentiam Prælati, qua Religioso usus rei temporalis reddatur licitus, debere esse liberam, seu perfectè voluntariam, & legitimam. Debet esse libera, id est, non per metum, vel fraudem obtenta. Unde, si Prælatus dedit licentiam Religioso ob metum, ne illâ denegatâ murmurationibus & querelis turbet communitatem, subditus ea utens non excusabitur à peccato contra votum paupertatis. Quod idem dic, si dedit licentiam dolosè circumventus, & malè informatus à subdito reticente ea, quibus cognitis Superior non consensisset. Debet præterea licentia esse legitima, hoc est, à Superiore legitimo, & de re licita. Hinc nihil juvabit Religiosum licentia ab alieno Prælato concessa. Peccabit etiam contra paupertatem unà cum suo Prælato, si ex hujus licentia surripiat rem alienam: si utatur temporalibus irrevocabiliter, atque adeo independenter à nutu Superioris: si faciat sumptus superfluos, vel utatur prætiosis superfluis, quod intellige in Religione, ubi votum paupertatis cum rigore observatur: quod non contingit in Ordinibus quibusdam militaribus & equestribus, qualis est Melitensium, quibus ob longævam saltem consuetudinem permissum est facere sumptus superfluos in res profanas. Ita Sanchez & Salas, quos

quos refert, & sequitur Mezger tomo 3. tract. 11. disp. 30. artic. 7. num. 5. Ratio priorum est: quia & Superior illicitè dat ejusmodi licentiam, & subditus eâ illicitè utitur.

29 Notandum est tamen tertio, licentiam à Prælato obtentam ad usus superfluos, esto, sit illicita, esse nihilominùs validam, idque efficere, ut subditus illâ utens non incurrat vitium propricratis, quamvis peccet contra statum paupertatis. Ita contra Thomam Sanchez, Molinam & multos alios Lugo tomo 1. de Just. disp. 3. sect. 7. num. 137. pluresque alii apud ipsum. Subscribunt. Paul. Mezger tomo 3. tract. 11. disp. 30. a. 7. n. 6. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. a. 6. à num. 207. Ratio primi est: quia nullibi reperitur in Jure, Prælatis ablatam fuisse potestatem dandi similem licentiam validè, dummodò non cedat (quod supponitur) in grave detrimentum communitatis. Sanè Clementina 1. *de statu Monachor.* quam objiciunt D D. contrarii, solùm probat, ejusmodi concessionem esse illiciram. Confirmatur ex communi hominum sensu. Nam, si subditus Religiosus ex licentia Prælati emat sibi pretiosas imagines, vestes vanas ac similia, nemo existimat, emptionem esse invalidam, pretiumque non posse retineri à venditore; ergo supponitur, licentiam, ex qua Religiosus talia emit, esse validam. Ratio secundi est: quia vitium proprietatis ille Religiosus committit, qui ex bonis communibus aliquid propria authoritate possidet, usurpat, vel expendit: sed hoc in casu nostro non facit Religiosus; ergo.

30 Notandum est quarto, consensum, sive licentiam Superioris posse esse triplicem, videlicet expressam, tacitam, & præsumptam. Expressa est, quæ verbô, scriptô, vel aliô signô manifestatur subdito. Tacita tunc datur, quando Superior sciens subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, id non prohibet; cùm facilè possit. Tunc enim valet plerumque illud: *qui tacet, consentire videtur.* Tacitam quoque, sive implicitam licentiam vocant eam, quæ ex aliquo actu explicitè concesso, in quo alius quo damodò continetur, colligitur; vel cum quo secundùm prudentûm æstimationem, aut etjam communem consuetudinem à Superioribus toleratam connexus est. Ita, qui à Superiore habet expressam licentiam invisendi suos consanguineos, eo ipso censetur habere tacitam quoque licentiam apud illos edendi, & bibendi, vel ab eisdem ad reditum necessaria, vel commodiora accipiendi. Vid. Illsung n. 198. Mezger n. 10. Præsumpta licentia tunc esse dicitur, quando quis ob rationabilem causam sibi persuadet, Prælatum, si hîc & nunc sciret, ipsum talem rem accipere, absumere, vel expendere, fore contentum. Vid. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 4.

31 Dico nunc primo. Ut Religiosus excusetur à transgressione voti paupertatis, sufficit tacita Superioris licentia, tametsi is commodè adiri possit: præsumpta verò tunc solùm sufficit, quando Superior commodè adiri non potest. Ratio primæ partis est: quia est eadem vis taciti & expressi, per l. *cùm quid. ff. de rebus creditis*, ergo non minùs licentia tacita, quàm expressa sufficit ad excusandum à violatione paupertatis. Ratio secundæ partis est: quia subditus Religiosus tunc violat paupertatem, quando re quapiam temporali utitur independenter à nutu & arbitrio Superioris: sed, quando Superior rationabiliter supponitur non esse invitus, subditus non censetur uti re temporali independenter à nutu Superioris; ergo, quando Superior rationabiliter supponitur non esse invitus, subditus non violat paupertatem. Atqui Superior in casu nostro rationabiliter supponitur, seu præsumitur non esse invitus; ergo.

32 Dixi autem, sufficere hanc licentiam, *si Superior commodè adiri non possit.* nam, si commodè adiri possit, subditus non potest rationabiliter præsumere, Superiorem non esse invitum, si non quoad substantiam, saltem quoad modum, quòd nempe utatur re temporali clancularie, & se irrequisito. Unde non habet tunc locum præsumpta licentia. Hoc enim vergeret in grave detrimentum Religiosæ disciplinæ, & in fraudem voti paupertatis, quæ Superiores ex officio impedire tenentur, quemadmodum sapienter expendunt Lugo disp. 3. suprà cit. sect. 7. num. 124. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 3. artic. 6. num. 199. Mezger loco cit. Itaque consensus præsumptus tunc excusare censebitur, quando vel propter absentiam Prælati, vel periculum in mora, vel aliam justam causam actualis & expressa licentia procurari non potest, ut adeo Prælatus nec quoad substantiam, nec quoad modum supponatur invitus. Illsung num. 201.

33 Inferes jam ex his primo, Religiosum, qui ex præsumpta licentia aliquid accepit physicè vel moraliter impeditus, quominùs adiret Superiorem, teneri postea, sublato impedimento, illius rei retinendæ licentiam petere, si nempe velit retinere. Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 19. num. 8. Lugo num. 128. Illsung num. 203. Mezger num. 11. Ratio est: quia non minùs retentio, quàm acceptio rei est quædam de illa dispositio: ergo non minùs ad hanc, quàm

quàm ad illam requiritur Prælati licentia nec sufficit ampliùs merè præsumpta : quia Prælatus (ut supponitur) commodè adiri potest. Quòdsi res jam fuerit absumpta, vel destructa, non est opus, ut Superiori quidquam manifestetur : cùm licentia præsens nihil operari possit in rem præteritam. Si res donata, vel alienata fuerit, & adhuc exstet, sentit Lugo, id esse manifestandum Prælato. Ratio est : quia dominium ejus rei adhuc est penès Monasterium ; quippe quod non potuit validè transferri absque Prælati licentia : consequenter, ut is, qui possidet eam, validè retineat, debet Prælatus ratam habere donationem, vel alienationem illi factam à subdito.

34 Infertur secundo, Religioso in usu temporalium illi concessorum attendendum esse ad intentionem Superioris. Unde peccabit contra paupertatem, si degens extra Monasterium pecunias sibi missas à Prælato ad victum, vestitum, vel libros comparandos expendat in lusum, vel emptionem rerum inutilium. Laym. Mezger locis citt. Ratio est : quia Prælatus hoc ipso, quòd licentiam disponendi de re quapiam restringat ad determinatum usum, non dat ad alium usum : ergo Religiosum aliter disponens sine licentia disponit.

35 Infertur tertio, Religiosum, qui irrequisito Prælati consensu gratis accipit, vel præstat alteri obsequium pretio æstimabile, v. g. in pingendo, scribendo, non peccare contra paupertatem. Lugo disp. cit. sect. 8. n. 149. Illsung n. 225. Ratio est : quia nuda hujusmodi obsequia non computantur inter res temporales, quæ cadunt sub obligationem voti paupertatis.

36 Infertur quarto, posse Religiosum peregrinationis, studiorum, vel alterius negotii causâ extra Monasterium degentem ex pecunia ad liberum usum concessa dare moderatas eleemosynas, juxta morem nempe aliorum suæ qualitatis ac Ordinis. imò posse cum debita moderatione donare aliquid. Lugo n. 167. Mezger loco cit. Ratio est : quia ad hæc, interpretante communi consuetudine censetur habere tacitam licentiam.

37 Dico secundo generatim. Religiosus peccat contra paupertatem graviter vel leviter pro capacitate materiæ, quando rem aliquam temporalem, seu domi suæ seu foris, etiam ex iis, quæ ad victum, vestitum, &c. perinent, sine licentia sui Superioris expressa, tacita, vel præsumpta accipit, retinet, occultat, absumit, permutat, alteri donat. Ita communis doctrina apud Laym. loco cit. Ad quantitatem materiæ quod attinet requisitam, ut Religiosus peccet mortaliter contra votum paupertatis, docent communiter Authores, eam esse necessariam ac sufficere, quæ est necessaria ac sufficit ad peccatum mortale furti : de quo inferiùs. Vid. Illsung n. 218. Ex generali hac doctrina

Sequitur primo, Religiosum peccare 38
contra paupertatem, tametsi tantùm comestibilia sine licentia Superioris accipiat & absumat. Lessius de Just. lib. 2. cap. 41. dubit. 9. n. 78. Laym. loco cit. Illsung num. 233. Ratio est : quia solus quoque usus rei, sive absumptio citra consensum Prælati facta pauperatis voto repugnat. Imò committitur insuper peccatum furti, dum illa res ex bonis communitatis, seu Monasterii usurpatur. Si ab extraneo offerente accipiatur, & absumatur, violatur sola paupertas. Advertunt tamen DD. majorem quantitatem requiri in his esculentis ad constituendum mortale peccatum, quàm in aliis rebus. Ratio est : tum, quia propter necessitatem naturæ similium acceptio & consumptio faciliùs excusari solet : tum, quia dominium ipsius rei non vendicatur, vel retinetur, sed solus usus appropriatur, eoque mox consumitur.

Sequitur secundo, illum quoque vio- 39
lare paupertatem, qui sine consensu Prælati accipit ab amico pecunias ad emendum libros v. g. tametsi non habeat animum eos occultandi, sed publicè velit exponere etiam aliorum usibus in Conventu. Ita contra Azorium Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 19. n. 56. Lugo n. 153. Illsung n. 229. Ratio est : quia hic Religiosus vel tuo nomine, vel amici emit libros ? si primum ; non solùm peccat accipiendo pecunias sine consensu Prælati, sed etiam expendendo. Si secundum ; saltem peccat rem emptam acceptando non requisito Prælato : cujus consensus neque petitur, neque impetratur per hoc præcisè, quòd res accepta non abscondatur. Mortaliter tamen hunc peccare non existimo, quando libros ita acceptos statim usui communi exponit : quia Prælati ordinariè in hoc casu non sunt inviti, saltem quoad substantiam.

Sequitur tertio, Religiosum peccare 40
contra paupertatem, si absque licentia ex communi Bibliotheca, vel alterius cubiculo accipiat librum, vel cum licentia acceptum occultet, ne à Superiore inveniri possit. Lugo n. 154. Illsung n. 230. Ratio est : quia illa acceptio fit independenter à voluntate Superioris. Occultatio quoque libri licitè obtenti est quædam proprietaria detentio, qua affectatur ejus possessio à Superioris arbitrio independens, resque communis ejus liberæ dispositioni malitiosè subtrahitur. Porrò gravitas hujus peccati non est desumenda ex valore libri, sed ex æstimabilitate usûs, modo detinendi, diuturnitate temporis quo retinetur. Castropalao existimat, tum demum fore grave peccatum, si per integrum annum

num occulteturr. Verùm hoc rectè improbat Illsung. Si enim liber sit valde necessarius, eumque omnes in communitate passim requirant, etiam tempus longè brevius sufficere poterit. Facillimè verò in hoc genere peccatum grave incurreret, qui ex alterius cubiculo auferret illius manuscripta concionum, aliorumve lucubrationum literariarum, ut sibi transcriberet: quia usus ejusmodi proprius ac specialis est valde æstimabilis, & fortè non deessent, qui facultatem describendi magno pretio emerent. Vid. Lugo loco cit. Quæ de libro sunt dicta, etiam de aliis rebus intelligi debent.

41 Sequitur quarto, Religiosum non peccare contra paupertatem, qui rem cum licentia Prælati Superioris obtentam occultat, ne videatur à Prælato inferiori. Lugo n. 156. Ratio est: quia rem ejusmodi nec in accipiendo, nec in retinendo habet dependenter à voluntate Prælati inferioris, sed Superioris. dummodò proinde huic non occultet rem illam, non retinet eam independenter à voluntate Prælati. Confirmatur. Prælatus inferior in hoc casu se habet sicut alius privatus & subditus: sed his possum occultare rem illam, quando metuo, ne Prælatum inducant, ut revocet licentiam retinendi; ergo etiam Prælato inferiori.

42 Sequitur quinto, neque illum peccare contra paupertatem, qui absque licentia Prælati inducit amicum, vel locupletem consanguineum, ut pecunias deponat apud tertium retinens plenum jus in illas, idque ad hunc finem ut Religiosus, si aliquando indiguerit, possit inde, obtentâ Prælati licentiâ, accipere. Sanchez cap. cit. n. 50. Lugo n. 150. additque Sanchez, idem esse dicendum, si Religiosus ipse simili animo pecunias apud se depositas habeat, idque, tametsi deponens intendat earum dominium transferre in Religiosum. Ratio est: quia quamdiu Religiosus nullum jus acceptat, vel vult acceptare in bona temporalia, earumque usum independentem à nutu Superioris, tamdiu non violat paupertatem: sed ita se gerit hic Religiosus; ergo. Hinc patet etiam, quid sit dicendum, si Religioso quid legetur, vel donetur sub hac conditione, ut sit ipsius, non Monasterii. nam explicanda est hæc conditio in eum sensum, ut sola commoditas ac usus, dependenter tamen à consensu Prælati, pertineat ad talem Religiosum. Ratio est: quia actus, præsertim ultimarum voluntatum, ita oportet interpretari, ut valeant potiùs, quam ut pereant. verba quoque testatoris; ut volunt jura, debent intelligi secundùm conditionem personæ. Quodsi Prælatus nollet consentire, legatum esset nullum.

43 Sequitur sexto, licitum esse Religioso ex pecunia ad liberum usum concessa moderatam quantitatem in lusu exponere, dummodò ludus sit honestus, & non repugnet constitutionibus vel mori illius Ordinis, Sanchez num. 78. estque communis sententia. Ratio est: quia Religiosus ex tali pecunia potest, ut suprà diximus, moderatas eleemosynas, vel donationes facere: ergo etiam moderatè ludere. prob. conseq. quia minus detrimenti in bonis temporalibus imminet Monasterio ex lusu, in quo est spes lucri, quam ex donatione. Aliunde quoque constat, lusum esse honestam recreationem, quæ non repugnat statui Religioso. unde, quod in illum moderatè expenditur, honestis usibus, in quos Religiosus supponitur habere licentiam expendendi concessas pecunias, annumeratur. Cæterùm, quænam hîc quantitas debeat censeri moderata, tum ex consuetudine Ordinum, tum ex constitutione Monasteriorum est colligendum. Existimant Sanchez n. 79. & aliqui apud Card. de Lugo n. 144. Religiosum, qui studiorum, vel alterius negotii causâ extra Monasterium alitur, & pro annua sustentatione accipit 100. aureos, posse ex illis 4. vel 5. honestè ludendô consumere, dummodò in aliam recreationem, vel alios usus non necessarios eodem anno nihil expenderit. Hîc tamen potest moveri quæstio, an Religiosus, si per illos 5. aureos lucratus est multò majorem quantitatem, v. g. triginta, possit totum hoc lucrum rursus in ludum exponere? Respondeo, posse, quamdiu durat idem moraliter lusus: non autem posse, quando prior ludus jam est finitus. Ratio est: quia lucrum, antequam finiatur ludus, non censetur simpliciter acquisitum; illo autem finito jam est acquisitum Monasterio. unde citra Superioris licentiam non potest ampliùs exponi periculo. imò Superior non potest dare licentiam exponendi tantam summam. Sanchez n. 84. Illsung n. 228.

44 Sequitur septimo, neque Religiosum, si absque licentia lusit, posse retinere lucrum, quod fecit, neque colluforem, si quid ipse ultra quantitatem Religioso à Prælato concessam fuerit lucratus. Illsung n. 226. Ratio primi est: quia hæc est natura ludi, ut in eo uterque ludens sit æqualis conditionis tam quoad periculum amittendi, quàm spem lucrandi: ergo deficiente hac æqualitate conditionis ex parte alterutrius, contractus ludi non est validus. Atqui hæc æqualitas in casu nostro deficit ex parte Religiosi: quippe qui propter carentiam licentiæ non potest amittere. Ratio secundi est: quia Religiosus absque licentia Prælati nihil potest validè alienare: ergo hujusmodi colluſor injustè retineret tale lucrum.

Hæc

Hæc doctrina quoad utramque partem extendi debet etiam ad lusum filii familias, vel cujuscunque alterius, cui deest facultas rem in ludum propositam alienandi. Videtur enim esse par ratio.

§. IV.

Qualem in administrandis bonis temporalibus gerere se debeat Prælatus Regularis, ne violet votum paupertatis.

SUMMARIUM.

45. Prælatus Religiosus habet solùm potestatem administrandi bona Monasterii, 46. eamque non absolutam, sed juxta regulas præscriptas. 47. Regula generalis Prælato observanda in administratione temporalium. 48. Difficultates hic resolvendæ. 49. Prælatus non tenetur omnia superflua erogare in pauperes. 50. Etiam ex bonis necessariis Monasterii potest, imò aliquando tenetur, dare eleemosynam. 51. Non potest facere donationes solo titulo liberalitatis. 52. Potest tamen, si accedant alii tituli honesti. 53. Potest etiam facere donationes remuneratorias titulò gratitudinis. 54. Solvitur Objectio ex Bulla quadam Clementis VIII. petita. 55. Prælatus faciendò sumptus superfluos peccat contra Justitiam & paupertatem. 56. In donatione remuneratoria potest excedere valorem obsequii, vel beneficii. 57. Quantum Prælatus donare possit donatione liberali. 58. Prælatus nomine Monasterii potest dare mutuum. 59. Non potest accipere sine consensu Capituli. 60. Occurritur objectioni. 61. Quando Prælatus teneatur ipse solvere mutuum sine consensu Capituli acceptum. 62. Licitum est Prælato moderatam quantitatem pecuniæ in lusu exponere.

45 NOtandum est primo, Abbatem & alium quemcunque Prælatum Religiosum alicujus Monasterii, quamvis penès ipsum sit præcipua administratio proxima bonorum Monasterii; ut constat ex cap. Nullam. 18. q. 2. & aliis juribus, non esse dominum eorumdem bonorum. Ratio est: tum, quia & ipse pauper ex voto est & incapax dominii in temporalia: tum, quia Monasterium in ipsum non transtulit dominium ejusmodi bonorum.

46 Notandum secundo, Prælato neque potestatem administrandi bona Monasterii competere suprematn & absolutam, sed juxta regulas sibi præscriptas. constat enim, in variis Religionibus, aut etiam diversis Monasteriis ejusdem Religionis Prælatum in gravioribus non posse disponere nisi cum consensu Conventûs, vel dependenter à majore Superiore. In illis, in quibus solus potest disponere, ex præscripto prudentiæ & charitatis debet procedere. Suarez to. 3. de Relig. lib. 8. cap. 15. n. 10.

47 Notandum tertio, ut Prælatus in dispositione circa bona Monasterii prudenter procedat, illud ceu regulam generalem observare eum posse, quòd tunc prudenter disponat, quando in disponendo ea facit, quæ tota communitas, penès quam est dominium bonorum, si in unum conveniret, hîc & nunc faceret, aut vellet facere prudenter. Ratio est: quia Prælatus ideo substituitur loco totius communitatis, ut ea faciat, quæ tota communitas faceret, si juxta regulas prudentiæ vellet operari. Card. de Lugo, to. 1. de just. & jure disp. 3. sect. 8. n. 185. Salmanticenses tr. 13. qui est de restit. cap. 6. pu. 7. n. 89.

48 His notatis nonnullas difficultates, quæ ad rem præsentem pertinent breviter resolvemus. Prima est de eleemosynis. Secunda de donationibus liberalibus. Tertia de donationibus remuneratoriis. Quarta de mutuo. Quinta de ludo. Itaque

49 Dico primo. Quamvis Prælatus superflua bona Monasterii teneatur erogare in pauperes; non tamen tenetur erogare omnia. Prima pars communis est apud Authores, estque eadem quoad illam ratio, quæ de Clericis sæcularibus, qui juxta omnes tenentur, ex charitate saltem, redditus superfluos distribuere pauperibus. Ratio secundæ partis est: quia Prælatus in hoc sequi potest sententiam probabilem Doctorum, quos loco cit. referunt & sequuntur Salmanticenses, asserentium, posse Prælatum ex superfluis aliqua reservare, tum ad augendos redditus Conventûs; tum ad amplificandum magnificentiùs cultum Divinum; tum ad multiplicandum numerum Religiosorum, aliaque licèt non necessaria, attamen convenientia.

50 Dico secundo. Etiam ex bonis Monasterii necessariis potest Prælatus dare eleemosynas; imò aliquando tenetur, dum desunt superflua, ex quibus dare possit. Lugo n. 186. Salmanticenses num. 90. ubi aiunt, hoc posterius omnes asserere. Ratio primi est: quia hæc talis elargitio minimè repugnat regulis Religiosæ prudentiæ, & tota communitas, si eam fieri vellet, prudenter vellet; modò attendatur, quantum hîc usus & consuetudo Religionis permittat, vel occurrentes pauperum necessitates postulent. Ratio secundi est: quia tam magnæ quandoque occurrunt necessitates indigentium, ut lex charitatis & misericordiæ

planè obligare videatur Prælatum ad subveniendum ex bonis communibus Monasterii necessariis, si alia ratione non possit subvenire.

51 Dico tertio. Prælatus non potest ex bonis Monasterii facere donationes solo titulo liberalitatis. Suarez to. 4. de Relig. lib. 2. cap. 26. n. 21. Lugo loco cit. Salmanticenses n. 91. & alii communiter. Ratio est: tum, quia Prælatus non est dominus bonorum communium, sed dispensator, cui non licet ex alienis esse liberalem. tum, quia in cap. *Nullam*, solùm dicitur, Prælatum bona Monasterii posse expendere in Dei cultum; & Monasterii utilitatem: quod certè non præstat per donationes factas solo titulo liberalitatis. Sed nihilominùs.

52 Dico quarto. Non sunt prohibitæ Prælato donationes etiam liberales, ut vocantur; si accedant alii tituli, quibus honestentur. Ita Authores nominati & alii. Possunt autem hæ tales donationes ex duplici potissimùm capite honestari. Primum est, quòd ipsa Religio, aut Conventus velut ex gratitudine erga Prælatum propter labores, quos in administratione sua sustinet, meritò præsumatur hanc ei concedere licentiam, ut aliquid moderatum vel consanguineis, vel amicis donare possit liberaliter absque alia speciali causa. Secundum est, quòd ejusmodi donationes redundare soleant in utilitatem totius communitatis Religiosæ: conducunt enim ad conciliandam aliorum benevolentiam & amicitiam: quæ certè non est negligenda Monasteriis, multumque sæpe commodi affert in administratione bonorum etiam temporalium.

53 Dico quinto. Prælatus Religiosus potest insuper facere donationes remuneratorias titulò gratitudinis, quas Jurisperiti antidorales appellant. In hanc concl. passim invenio consentire Authores. Ratio verò est: tum, quia hujusmodi donatio non est propriè & strictè dicta donatio, sed quædam debiti cujusdam moralis veluti solutio. Fit enim ad beneficium & obsequium remunerandum, quo quis de nobis est bene meritus. & ideo vel maximè decet statum Religiosum, & consequenter, ut ejus faciendæ potestas sit in Prælatis Religiosarum communitatum administris. tum deinde, quia hoc genus donationum etiam pertinet ad utilitatem Monasterii, nam, qui gratum animum non ostendit, ait Suarez, etiam in his temporalibus bonis, juxta modum statui suo convenientem, non potest aliorum benevolentiam & amicitiam conservare, quod est magnum incommodum, etiam humanum ac temporale.

Sed objicitur jam Bulla Clementis VIII. anno 1594. edita, ubi donationes Religiosorum gravissimè prohibentur. De quâ Bullâ fusè agit Filliucius tr. 34. cap. 3. eamque exhibet Azor. to. 1. lib. 12. cap. 9. q. 5. Respondetur primo, in ea Bulla sermonem esse de donationibus factis absque sufficienti titulo, qualium in num. 51. meminimus; non autem de donationibus, quæ honestissimis titulis, quos indicavimus, & cum debita moderatione fiunt nomine Religiosæ communitatis, sive ab eo (quod perinde est) in quo est potestas data à communitate. non enim est vetisimile prohibitas esse donationes, quæ non modò valde decent statum Religiosum, sed etiam ad prudentem bonorum temporalium administrationem necessariæ sunt. Respondetur secundò, non satis constare illam Bullam esse usu receptam. In Lusitania suo tempore non fuisse receptam testatur Suarez ubi suprà n. 15. Filliuc. n. 80. alt, esse usu receptam à Religionibus, quæ profitentur observantiam, & pro observantibus reputantur: non item à cæteris, etiam in Italia, ut idem habet n. 81. Imò Caramuel in Theol. Regul. lib. 9. disp. 58. ex instituto probat non esse receptam. Ex dictis

55 Sequitur primo, Prælatum peccare & contra justitiam & contra paupertatem faciendò sumptus superfluos, hoc est, tales, qui neque ad ipsius usus; neque ad debitam Conventûs provisionem; neque ad decentem Monasterii administrationem sunt aliquo modo necessarii. Suarez n. 11. Salmanticenses n. 88. Ratio est: quia Prælatus faciens ejusmodi sumptus abutitur sua potestate, & peccat contra suum officium; atque adeo contra justitiam. Utitur præterea pecuniis Monasterii non ut Prælatus Religiosus dependenter à voluntate Conventûs, sed ut dominus; quia Conventus nequaquam vult bona sua expendi superfluè. Sed hoc est contra votum paupertatis; ergo.

56 Sequitur secundo, in donatione remuneratoria posse Prælatum plus dare, quàm satis est ad compensationem beneficii vel obsequii præstiti. Salmanticenses num. 92. referentes Dianam & alios apud ipsum. Ratio petitur ex D. Thoma, quòd hæc sit lex gratitudinis, in qua fundatur hæc donatio, ut plus reddatur, quàm fuit acceptum. Si jam quæratur, quantum dare liceat ultra valorem beneficii vel obsequii? respondent citt. Theologi, esse licitum dare excessum in quarta parte: v. g. si beneficium aut munus acceptum valet duodecim, dare licet sedecim. Et hæc beneficentia exerceri potest etiam in famulis, qui pro certo salario serviunt Monasterio cum magna fidelitate, his enim talibus ultra justum salarium Prælatus largiri potest quid amplius: quia hoc non est propriè donare, sed remunerare beneficium.

Verùm

57 Verùm difficultas haud paulò implexior est de quantitate licitè donabili per donationes liberales, quarum in n. 52. meminimus. Multùm in hac re dissident Authores. nam Corduba apud Salmanticenses n. 91. duodecim ducatos assignat pro singulis annis. Alii dicunt, posse Prælatum per singulos menses liberaliter donare duos vel tres aureos. Alii pro singulis annis duodecim, vel quindecim aureos admittunt. Fagundez apud eosdem Salmanticenses existimat, in ditissimis Monasteriis (qualia esse censet, quorum annui proventus sunt quindecim millia ducatorum) posse Prælatum ter in anno largiri 20. vel 30. aureos. Quidquid sit de his, aliisque designationibus, mihi optimè videntur sentire, qui cum P. Suarez to. 3. de Relig. lib. 3. cap. 15. n. 13.) judicant, hîc nullam quantitatem posse determinari absolutè, sed respectivè tantùm ex prudentis arbitrio, attentis opibus Monasterii, dignitate Prælati, vicibus occurrentibus, qualitate personarum, quibus donare expedit, Ordinis consuetudine, aliisque similibus circumstantiis.

58 Dico nunc sexto. Prælatus Religiosus licèt non possit dare mutuum suo nomine, sibique obligationem solvendi ex mutuo quærere; potest tamen nomine Monasterii, atque huic obligationem solvendi ex mutuo quærere. Ita Pettschacher in tract. de contract. in part. pag. 246. n. 443. Ratio primæ partis est: tum, quia is, qui suo nomine potest dare mutuum, debet esse dominus rei mutuatæ, qualis non est Prælatus Religiosus: tum, quia Prælatus est incapax ut ipsi proprio nomine solvatur obligatio ex mutuo: tum, quia non sibi, sed Monasterio acquirit, quidquid acquirit juris rei pretio æstimabilis. Ratio secundæ partis est: quia solet contingere, ut Prælatus nomine Monasterii dando mutuum, quærendoque obligationem solvendi ex illo utiliter gerat rem Monasterii, de quo communitas non solet esse invita.

59 Dico septimo. Prælatus non potest accipere mutuum sine consensu Capituli vel tacito vel expresso. Probat id Pettschacher ex eo, quòd consensum Capituli requiri ad valorem contractûs mutui constet tum hodierna consuetudine; tum arg. cap. *fin. de his, quæ fiunt à Prælatis sine cons.* cap. *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Probatur ulteriùs hac ratione: quia communitas Religiosa non obligatur ad solvendum mutuum, quod Prælatus sine consensu ipsius accepit, nisi creditor probaverit, illud re ipsa fuisse conversum in utilitatem Monasterii, quemadmodum constat ex utroque jure apud Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 15. num. 6. quod quidem sufficienter probare sæpe valde difficile, interdum impossibile, semper autem molestum est. Unde Prælatus absque consensu Capituli accipiendo mutuum non tantùm grave onus imponit creditori, sed eundem in periculo quoque constituit nihil recipiendi pro re mutuò data. si enim in probando defecerit, Monasterium non obligatur ad aliquid reddendum. Hæc autem Prælatus in creditorem non potest committere sine peccato; ergò.

Dices fortè, non esse semper periculum ob alicujus considerationis; vel opus prædicta probatione ex parte creditoris: sicut enim Prælatus inscio, aut non consentiente Capitulo accepit mutuum, ita etiam redder.

Sed contra est, quòd creditor non possit sine injuria Monasterii acceptare à Prælato solutionem mutui, quam is præstat ex bonis communitatis Religiosæ invitâ ipsâ, & non consentiente; quia sic acceptaret solutionem debiti ex bonis alienis invitò dominò: Atqui Prælatus eam solutionem præstaret ex bonis communitatis invitæ & non consentientis, utpote nolentis solvere mutuum à Prælato acceptum absque consensu Capituli; nisi creditor probaverit, illud fuisse conversum in utilitatem Monasterii. Deindè; si Prælatus vel incidat in amentiam, vel amoveatur à Prælatura; vel denique moriatur, antequam solvat mutuum; an neque tunc est considerabile periculum nihil recipiendi, aut opus probatione, cujus meminimus?

61 Quæret aliquis, an Prælatus ipse obligetur ad solvendum mutuum, quod absque omni consensu Capituli accepit, & in utilitatem Monasterii non convertit? Respondeo, obligari, si mala fide accepit: nam tenetur ex delicto: non obligari, si bona fide accepit, quia v. g. putavit, se id posse accipere vi suæ administrationis. Ratio est: quia neque tenetur ex delicto; cùm nullum commiserit, neque ex re accepta; quia supponimus, rem mutuò datam non amplius existare sive formaliter, sive æquivalenter. Neque ex contractu; quia per bonam fidem factum est, ut non habuerit animum se sè obligandi suo nomine. Quare creditori ex mutuo tunc nihil recipienti ferendum est damnum, acsi contingeret ex casu fortuito. Pettschacher ubi suprà, num. 453. Cæterùm, quæ hactenùs dixi à num. 59. intelligi velim absque præjudicio jurium ac consuetudinum particularium, siquæ vigent in diversis Religionibus ac Monasteriis circa contractum mutui; & secundùm quas in praxi solent procedere Prælati.

62 Dico octavo. Prælatus Religiosus potest moderatam quantitatem pecuniæ in ludu exponere, dummodò ludus sit honestus,

stus, & non repugnet constitutionibus, vel mori illius Ordinis. Ita à fortiori omnes, qui cum communi sententia concedunt, id ex licentia Prælati posse Religiosum subditum: cùm Superiores licitè uti possint licentiis & facultatibus, quas subditis Religiosis conferre possunt; ne sint deterioris conditionis, quàm subditi. Cæterùm quænam hîc quantitas haberi debeat pro moderata, relinquendum est arbitrio prudentis, consideratis Religione ludentis, opulentia Monasterii, consuetudine, dignitate personæ, aliisque circumstantiis occurrentibus.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione in genere.

EGimus de objecto Justitiæ; de Jure, ac præsertim de Dominio, modisque id acquirendi, quantum ad nostrum institutum sufficere videbatur. Modo superest, ut ad præcipuos actus Justitiæ, qui sunt Restitutio, & Contractus, calamum convertamus. Et quidem Restitutioni hanc, & quintam Contractibus sextam Disputationem impendemus.

ARTICULUS I.

De Natura, & Necessitate Restitutionis.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Restitutionis.* 2. *Est actus solius Justitiæ commutativæ.* 3. *Quomodo ex læsione Justitiæ distributivæ oriatur obligatio restituendi.* 4. *Quomodo Restitutio differat à solutione, & satisfactione.* 5. *Præceptum restituendi est principaliter affirmativum.* 6. 7. *Solvuntur duæ objectiones.* 8. *Retinere, & non restituere sunt unicum peccatum* 9. *Restitutio est ad salutem necessaria necessitate præcepti, non medii* 10. 11. 12. *An, & quomodo defunctis prosit Restitutio, quam pro ipsis faciunt hæredes.* 13. *Restitutio nequidem in voto est necessaria necessitate medii ad salutem.*

1 DIco primo. Restitutio definitur, quòd sit *rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio.* Sumitur ex D. Thoma, 2. 2. q. 62. a. 1. Juxta alios Restitutio est juris alieni redintegratio: vel, actus Justitiæ, quo reparatur jus læsum alterius. Sub prima harum definitionum posteriorum comprehenditur etiam redditio mutui, commodati, depositi, pignoris, ubi nulla præcessit juris alieni violatio: eadem tamen non comprehenditur sub secunda.

2 Dico secundo. Restitutio est actus elicitus ac proprius solius Justitiæ commutativæ. Ita ad mentem D. Thomæ loco cit. Lessius de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 4. n. 16. Lugo de Just. to. 1. disp. 1. sect. 3. ànum. 52. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 1. n. 2. Mezger to 3. tract. 12. disp. 31. a. 1. n. 1. & alii. Ratio est: quia actus, quo constituitur æqualitas, eaque Arithmetica inter datum & acceptum, inter damnum, ejusque reparationem, est proprius solius Justitiæ commutativæ: sed Restitutio est actus, quo constituitur ejusmodi æqualitas; ergo.

3 Objicies. Juxta D. Thomam a. cit. ad 3. etiam ex violatione Justitiæ distributivæ oritur obligatio restituendi: ergo Restitutio est actus etiam Justitiæ distributivæ. Conseq. ex eo prob. quòd ejusmodi obligatio non tollatur nisi per actum Justitiæ distributivæ: cùm ad eandem virtutem pertineat & cavere, ne jus alterius lædatur, & oppositô vitiô læsum reparare. Ant. etiam prob. quia jus distributivum est verum aliquod jus; adeoque ejus violatio est vera injuria: ratio verò naturalis dictat, quemlibet esse obligatum ad amovendam ac reparandam injuriam alteri à se illatam: sed hæc est obligatio restituendi; ergo &c.

Confirmatur. Quando me vi, vel fraude impediviſti à consecutione beneficii, teneris ad Restitutionem, licèt non habuerim aliud jus, quàm distributivum ad illud, consequendum: ergo similiter teneberis ad Restitutionem, si me per iniquam distributionem ab ejus consecutione impedias, quamvis mihi solo titulo juris distributivi fuerit debitum.

Respondeo ad Object. dist. Ant. ex violatione justitiæ distributivæ oritur obligatio restituendi occasionaliter, vel con-

co-

comitanter, concl. oritur ex illa proximè & formaliter, neg. Ant. & conseq. nam Restitutio est actus proprius illius tantùm virtutis, ex cujus violatione obligatio ad eam oritur formaliter & proximè, non solùm concomitanter vel occasionaliter. Ad probat. Conseq. dicitur, quòd quidem obligatio restituendi, quæ esset orta ex violatione Justitiæ distributivæ proximè & formaliter, non tolleretur, nisi per actum ejusdem Justitiæ, non tamen tollatur per actum illius, si ex ejus læsione oriatur occasionaliter & concomitanter, sicut de facto oritur. Itaque sæpe contingit, ut obligatio Justitiæ distributivæ comitem habeat obligationem Justitiæ commutativæ propter tacitum contractum, seu pactum, & jus quæsitum illis, quibus fit distributio. in quo casu oritur quidem obligatio restituendi ex violatione Justitiæ distributivæ, sed solùm occasionaliter, seu concomitanter, nam formaliter & proximè nascitur ex transgressione Justitiæ commutativæ. Quòdsi ejusmodi jus quæsitum secludatur, nulla prorsùs erit obligatio restituendi; non obstante, quòd iniquus distributor videatur tunc commodum reportare
2 ex sua iniquitate: non enim per se, sed per accidens solùm reportat. Atque hinc in probat. Ant. dist. maj. violatio juris distributivi est vera injuria iuducens inæqualitatem cum jure rigoroso, nego, non læsiva juris rigorosi, & inducens inæqualitatem cum illo, conc. Similiter: ratio naturalis dictat, quemlibet esse obligatum ad amovendam ac reparandam injuriam alteri illatam, si sit injuria rigorosa, seu contra jus rigorosum alterius, conc. si non injuria rigorosa, seu contra jus rigorosum; neg. Atqui jus distributivum, licèt sit verum aliquod jus, non tamen est jus rigorosum. Vid. Mezger num. 4.

Ad Confirmat. conc. Ant. nego conseq. disparitas est, quòd habeam jus rigorosum contra quemcunque, ne me per vim vel fraudem impediat à consecutione beneficii; non verò habeam jus rigorosum, sed minùs strictum in bona communia, quæ distribuuntur; adeoque & distributor obligetur debito minùs stricto. Ex dictis

4 Infertur primo, restitutionem differre à solutione. Nam primo, solutio non est semper actus Justitiæ commutativæ: cùm dicamur etiam solvere, quando præstamus, quæ debemus ex voto, juramento, charitate, vel misericordia. Secundo, dum reddimus pignus, depositum, commodatum, non dicimur solvere, sed restituere. Tertio, restitutio communiter fit in eadem re, solutio autem in diversa.

Infertur secundo, restitutionem etiam differre à satisfactione: & quidem primo, quòd satisfactio generatim significet solutionem cujuslibet debiti, sive id sit ex præcepto Justitiæ, sive alterius cujuscunque virtutis: quod de restitutione affirmari non potest. Secundo, quòd satisfactio strictiùs & specificè accepta sit reconciliatio offensi per obsequium, petitionem veniæ, & similia: restitutio verò propriè accepta sit reparatio damni in rebus illati.

Dico tertio. Præceptum restituendi 5 principaliter, sive ex fine proximo & formali est affirmativum; radicaliter tamen & implicitè est negativum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8. ad 1. Lessius de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 10. Pettscacher de Restit. in q. procem. à pag. 5. Mezger disp. cit. a. 2. n. 2. Joseph. Vogler in tract. de Restit. in gen. q. 3. n. 4. & alii. Ratio primi est: quia hoc præcepto per se formaliter præcipitur actus positivus, & prosecutivus virtutis, nempe positiva redditio debiti rigorosi, & reparatio læsæ æqualitatis. Ratio secundi est: quia præceptum restituendi includit præceptum non retinendi alienum, & fundatur in 7. præcepto Decalopi, *Non furtum facies*; atqueadeo prohibet detentionem rei alienæ. prohibere autem actionem, ne fiat, est proprium præcepti negativi; sicut eam præcipere, ut fiat, est proprium præcepti affirmativi.

Objicies contra primum membrum 6 Concl. Restituere, & non retinere alienum censentur idem moraliter; ergo præceptum restituendi idem est explicitè & principaliter, quod præceptum non retinendi: sed istud est negativum; ergo & illud. Ant. ostenditur: nam ut restituas prædium iniquè possessum, satis est illud deserere, & non ampliùs possidere; quod est formalissimè non ampliùs retinere. Confirmatur. Præceptum jejunandi est negativum formaliter; quia illo præcipitur omissio duplicis refectionis, sive, ne quis comedat bis in die: ergo etiam præceptum restituendi est formaliter negativum; quia illo præcipitur omissio actionis, nempe retentio rei alienæ, sive, ne quis retineat alienum.

Respondeo ad Object. neg. Ant. quia fieri potest, ut quis non retineat rem alienam, quin eam domino restituat, & impleat præceptum restituendi. nam qui rem proximi vi vel furtó ablatam deserit, non hoc ipso præstare censetur, ut reponatur in manus domini; quod tamen ad restitutionem requiritur. Licèt proinde non retinere alienum sit conjunctum cum restitutione, non tamen est id, quod se habet ut finis proximus præcepti; cùm iste revera sit redditio alieni. Ad probat. dico, id quidem satis esse in tali casu, si tamen adsit animus per desitionem possidendi verum prædii dominum admittendi: tunc enim hæc ipsa desitio

mora-

moraliter & interpretativè pro positiva redditione habetur. Adde tamen, hoc esse per accidens, quòd res possessa non sit capax alterius modi restituendi.

Ad Confirmat. patet ex dictis: quæ præceptô jejunii non quomodocunque, sed per se tanquam finis proximus præcipitur omissio duplicis refectionis, non autem actio positiva, putà comestio, nisi velis admittere, illum non satisfacere huic præcepto, qui per totum diem nihil prorsus comedit. Atqui præceptô restituendi non præcipitur omissio detentionis per se tanquam finis proximus; ergo. Unde conc. Ant. neg. conseq. & paritatem.

7 Objicies contra secundum. Præceptum restituendi non obligat semper, & pro semper: ergo non est implicitè negativum. Conseq. constat: quia sic obligare est proprium præceptorum negativorum. Ant. inde colligitur, quòd dentur plures causæ à restitutione excusantes, ut infrà videbimus. Respondeo ex Card. de Lugo to. 1. de Justitia, disp. 8. sect. 2. n. 19. præceptum restituendi secundùm illud negativum, quòd juxta nos dicit implicitè, esse præceptum non retinendi alienum invitô dominô. Unde, si dentur circumstantiæ, in quibus dominus circa retentionem non est invitus, nullatenùs obligat ob defectum materiæ: quamdiu verò dominus manet rationabiliter invitus, obligat semper & pro semper. In forma dist. Ant. præceptum restituendi non obligat semper & pro semper, quatenùs non obligat secundùm illud implicitum, conc. quatenùs secundùm illud obligat, neg. Ant. &c.

8 Ex dictis colligitur, non esse duo, sed unum peccatum injustè retinere rem alterius, & non restituere. Ratio est: quia opponuntur unico formaliter præcepto. Porrò quanto diutiùs aliquis rem alienam detinet, tantò magis continuat peccatum; imò etiam auget secundùm intrinsecam rationem injustitiæ, si exinde proximo majus damnum, vel molestia superveniat. Vid. Less. de Just. lib. 2. dubit. 12. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 2. n. 3.

9 Dico quarto. Quamvis restitutio non sit necessaria ad salutem necessitate medii, est tamen necessaria necessitate præcepti. Ita communiter DD. Supponitur in hac Concl. dupliciter posse aliquid esse necessarium ad salutem, nempe necessitate medii, & necessitate præcepti. Priori modo necessarium est, quod secundùm legem Dei ordinariam ita requiritur indispensabiliter, ut illo seu culpabiliter, seu inculpabiliter non habito, vel prætermisso, vita æterna non obtineatur. Posteriori modo necessarium est, quod ita requiritur ad consequendam salutem, ut tamen ejus consecutio solùm impediatur, si culpabiliter, non autem, si inculpabiliter præter-

mittatur. Quibus breviter animadversis ratio primi membri est: quia potest contingere, ut salus æterna obtineatur ab eo, qui non restituit rem ablatam, dum nempe id facere omittit ob justam causam, aliàs certè nemo, qui alterum injustè damnificavit, salvari posset, nisi damnum illatum re ipsa compensaret, licèt haberet justam causam non compensandi, imò nec posset compensare: sed conseq. est falsum; ergo. Ratio secundi est: tum, quia dicitur Rom. 13. *Reddite omnibus debita.* & 1. Corinth. 6. *Neque fures, neque raptores regnum Dei possidebunt.* & in c. 1. 14. q. 6. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* tum, quia conservatio Justitiæ est necessaria ad salutem: Sed Justitia conservari non potest sine restitutione rei ablatæ, ut constat; ergo &c. maj. inde colligitur, quòd sine conservatione Justitiæ non possit haberi status gratiæ, & neque sine hoc vita æterna. Sequitur proinde, restitutionem, cùm sit necessaria ad salutem, & non sit necessaria necessitate medii, esse necessariam necessitate præcepti. Vid. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 31. a. 2. n. 9.

10 Colliges jam primo contra notam persuasionem vulgi, restitutionem non ita esse necessariam ad salutem, ut anima defuncti detineatur in Purgatorio, donec loco ipsius restituant hæredes. Ita communiter Theologi teste Dicastillo, quem refert Joseph. Vogler. in tract. de restit. in gen. q. 3. num. 39. Ratio est: quia vel defunctus, dum adhuc viveret, fecit, quantum potuit, aut certè, quantum debuit sub peccato gravi, ut impleret præceptum restituendi, vel non fecit? si hoc posterius; ibi est, ubi semper erit. Si prius; æquum non est, ut, postquàm pro suis peccatis satis est passus, propter culpam hæredis ampliùs patiatur. Confirmatur. Si animæ defunctorum non antè dimitterentur ex Purgatorio, quàm hæredes restituerent, isti verò nunquam restituerent, ut sæpe contingit; sequeretur, eas animas vel planè nunquam, vel nonnisi post extremum judicium liberatum iri ex Purgatorio: sed quodlibet istorum est inconveniens, & absurdum; ergo &c.

11 Objicies primo. Notum est ex pluribus historiis, animas apparuisse viventibus, & petiisse restitutionem, ut liberarentur ex Purgatorio. Et S. Brigitta lib. 6. Revelat. cap. 66. testatur, animas in Purgatorio tamdiu cruciari, donec restituatur, quòd fuit ablatum. Respondeo, hoc argumento aliud non evinci, quàm animabus sæpissimè prodesse restitutionem, ut citiùs liberentur: quod omnino concedendum est populo. Et hoc sensu accipiendum est etiam illud, quod dicitur in Revelationibus

lationibus S. Brigittæ. Prodest autem ad liberationis accelerationem restitutio, tum, quia illam viventes sæpissimè offerunt pro defuncto ut opus satisfactorium: tum, quia fit ex affectu commiserationis, quæ instar orationis videtur impetrare mitigationem, sive abbreviationem pœnarum. tum, quia illi, quibus fit restitutio, aut eleemosyna præbetur, excitantur ad suffragia pro defuncto. Vid. Vogler n. 44.

12 Objicies secundo. Animæ non liberantur ex Purgatorio, donec præstiterint condignam satisfactionem pro suis peccatis: atqui ad condignam satisfactionem requiritur restitutio; ergo. Respondeo, maj. non esse veram: quia animæ nec possunt in eo statu ampliùs satisfacere, nec requiritur satisfactio, ut liberentur, sed debita satispassio: ad hanc autem nihil conducit restitutio, quam præstant hæredes.

13 Colliges secundo, restitutionem ne quidem in voto ad salutem esse necessariam necessitate medii. Ratio est: quia dari solent causæ ita excusantes à restitutione, ut quis justificari possit, tametsi habeat positivam & expressam voluntatem non restituendi. Ex quo redditur disparitas de Baptismo & Pœnitentia, quæ vel in re, vel in voto (scilicet reipsa suscipi non possunt) ad salutem sunt necessaria necessitate medii. nullus enim datur casus, in quo aliquis secundùm modernam Dei providentiam justificari possit, nisi habeat propositum, saltem implicitum, illa Sacramenta suscipiendi re ipsa. Vid. Mezger n. 10.

ARTICULUS II.

De obligatione restituendi ex re accepta.

§. I.

An quis teneatur restituere rem alienam bona fide possessam?

SUMMARIUM.

1. *Duæ sunt generatim radices restituendi.* 2. *Quid sit bonâ, malâ, vel dubiâ fide possidere rem alienam.* 3. *Possessor bonæ fidei, quando sit certus, rem esse alienam, tenetur restituere.* 4. *Ad quid teneatur, si rem alterius durante bona fide consumpsit.* 5. *Quid de vendente rem alienam bona fide emptam?* 6. *Quid de vendente ejusmodi rem sibi prius donatam?* 7. *Quid de donante illam rursus alteri?* 8. *Quid, si res pereat apud possessorem bonæ fidei?* 9. *Quid de invitato ad cœnam ex cibis furtivis?* 10. *Ad quid teneantur milites, postquam eis constat, bellum, quod gesserunt, fuisse injustum?* 11. *Dominus rem exstantem apud bonæ fidei possessorem potest repetere.* 12. *Qui rem furtivam emit modico pretio, ut reddat domino, potest modici talis pretii refusionem exigere.*

1 OBligatio restituendi generatim ex duplici radice oritur, *ex injusta acceptione*, & *ex re accepta*, sive justè, sive injustè, ut habet D. Thomas 2. 2. q. 62. a. 6. & 7. Lessius de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 1 5. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 2. & alii communiter. Per injustam acceptionem intelligitur quodvis damnum iniquè illatum, sive id accidat per furtum, adulterium, stuprum, homicidium, infamationem, sive alio quocunque modo injusto. quisquis enim alteri damnum infert, aufert aliquid ab eo, atqueadeo ad illud resarciendum ex injusta acceptione teneri dicitur. Per rem acceptam intelligitur inprimis id, quod quis à domino abstulit, v. g. pecunia, equus, vestis, deinde id, quòd quis alteri debet ex justitia, tametsi non abstulerit, v. g. legatum alteri, vel venditum, quod apud ipsum exstat. His radicibus alii claritatis causâ meritò addunt tertiam *ex contractu*. nam debitum ex stipulatione, mutuum, pretium rei emptæ, & similia non tenemur restituere propriè titulô rei acceptæ, utpote fortè non exstantis ampliùs; adeoque tenemur ex contractu. Vid. Less. n. 20. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 1. pu. 3. à n. 1. Pettschacher de Rest. q. proœm. à pag. 8. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 31. a. 3.

2 Porrò res aliena possidetur bona, vel mala, vel dubia fide. Bona fide quis possidet rem alienam, quando prudenter existimat esse suam. Mala fide possidet, qui vel scit esse alienam, vel ex ignorantia vincibili & culpabili credit esse suam & non alienam. Dubia fide possidet, qui nec habet rationem, saltem probabilem, existimandi, rem esse suam, nec existimandi, esse alienam. De malæ, & dubiæ fidei possessoribus ad quid teneantur, posteà; nunc de bonæ fidei possessore agendum.

3 Dico proindè primo. Possessor bonæ fidei, quamprimùm certo cognovit rem, quam hactenùs possidebat, esse alienam, tenetur eam restituere. Ita communiter DD. Ratio est: quia retinendo rem alienam invitô domino quis peccat contra Justitiam:

sed bonæ fidei possessor, si tunc non restitueret, retineret alienum invitô domino; ergo tenetur non tetinere, & consequenter restituere. Quòdsi rem, postquàm certò cognovit, esse alienam, ulteriùs detineat, etiam oblata opportunitate restituendi, tunc incipit esse possessor malæ fidei, & obligatur ad restitutionem non solùm titulô rei acceptæ, sed etiam injustæ acceptionis. Ratio est: quia ulterior ejusmodi detentio æquivalet injustæ acceptioni. quare, si interim res pereat, etiam citra ipsius culpam, tenetur nihilominùs ad restitutionem: quia censetur esse in mora culpabili. Lessius, lib. cit. cap. 14. dubit. 1. n. 2. Dixi autem, *postquàm certò cognovit, &c.* nam si in dubio hæreat, quod adhibita morali diligentia vincere non potuit, rem licitè sibi retinet, vel consumit. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis. Idem est, si probabiliter existimet, rem esse alienam, & probabiliter, non esse alienam: tunc enim prudenter judicat, esse suam; adeoque licitè non restituit.

4 Dico secundo. Qui rem alienam, quam bonâ fide possidebat, bona quoque fide consumpsit, destruxit, alienavit, & postea cognovit, fuisse alienam, nihil tenetur restituere, præterquam id, in quo ratione illius factus est locupletior. Ita communis sententia. Ratio est: quia neque tenetur restituere ex injusta acceptione, ut patet; neque ex re accepta; quippe quam neque in se, neque in aliquo ejus effectu ampliùs habere supponitur; neque ex contractu; ut similiter constat: ergo non tenetur. Dixi, *præterquam id, &c.* nam id, in quo factus est locupletior, succedit in valore & effectu in locum rei acceptæ, quæ hac ratione censetur exstare apud possessorem in æquivalenti, ità ut nisi illam habuisset, modò haberet minus, quàm habet, in suis bonis. cùm proinde non possit ipsam rem acceptam in se restituere, æquitas postulat, ut restituat id, quod in locum ejusdem successit, sive secundùm quod ratione illius factus est locupletior. Atque hinc varia resolvuntur.

5 I. Siquis rem alienam bona fide emit, postcaque eodem pretio, vel minori bona fide vendidit, ad nihil tenetur: tenetur tamen, si majori vendidit, illum excessum pretii, si exstet vel in se, vel in æquivalenti, restituere. Lessius n. 4. Bonac. disp. cit. q. 2. pu. 1. n. 9. Dicastillo disp. 5. de Restit. dubit. 1. n. 12. Ratio est; quia in primo casu non est factus locupletior ex re aliena, bene tamen in secundo.

6 II. Siquis rem alienam dono accepit, & vendidit, tenetur restituere pretium, quando ex illo factus est locupletior, hoc est, quando ratione illius vel pepercit aliis expensis, quas alioquin in rebus suis erat facturus; vel patrimonium inde crevit; vel aliquid lucri ex tali pretio per se provenit. Vid. Less. n. 5. Bonac. n. 12. Notanter additum est ad ultimum, *quando per se:* quia illud solùm succedit in locum rei alienæ, quod ex ipsa per se, non verò id, quod occasione ipsius, sive per accidens, acquiritur. Nam si pecuniam v. g. alienam bona fine acceptam negotiationi exponam, totum lucrum inde proveniens meum erit; quia per se est fructus meæ industriæ, non pecuniæ, quæ ex se sterilis est.

7 III. Si rem alienam bona fide dono accepisti, eamque alteri donâsti, alioquin non donaturus similem, ad nihil teneris. Ratio est: quia non es factus locupletior. Aliud dicendum, si aliam rem ex tuis aliunde donaturus esses. Ratio est; quia sic parcendo rebus tuis factus es locupletior. Bonac. n. 11. Dicastillo n. 14.

8 IV. Si res aliena, quæ bona fide possidetur, durante bona fide pereat, seu casu, seu propria culpa possessoris, hic non tenetur ad restitutionem, nisi inde sit factus locupletior. Lugo to. 1. de Just. disp. 17. sect. 1. n. 18. Bonac. n. 8. & alii communiter. Ratio est: quia possessor bonæ fidei tenetur restituere solùm ex re accepta; ergo non tenetur, quando res accepta non ampliùs exstat, atqui in hoc casu res accepta non ampliùs exstat; ergo. Neque in eo peccavit contra Justitiam, vel alteri intulit injuriam possessor bonæ fidei, quòd res ipsius culpâ perierit; quia rationabiliter credidit, esse suam. Dixi, *nisi inde factus sit locupletior*, tunc enim tenebitur hoc restituere, secundùm quod factus est locupletior, ob rationem in num. 4. redditam.

9 V. Siquis invitatus à fure ad cœnam v. g. consumat cum eodem cibos & vinum pretiosum ignorans, hospitem illa esse furatum, re postmodùm intellecta, non tenetur restituere integrum cœnæ valorem, sed quantum ipse domi suæ in cœnam expendisset, nisi alibi cœnâsset invitatus. Sayrus lib. 10. clavis reg. cap. 2. n. 10. Laym. lib. 3. tr. 2. cap. 3. n. 1. Tambur. lib. 8. Decal. tr. 3. cap. 3. §. 1. n. 8. Pettschacher de Restit. pag. 559. Ratio est: quia sic cœnando quoad id solum, quod alioquin domi expendisset, factus est locupletior, resque aliena exstat. Unde, si invitatus ex re furtiva cœnavit bona fide alioquin penitus non cœnaturus, nihil tenetur restituere, veluti præter alios habet Dicastillo n. 19. Ratio est: quia in nullo factus est locupletior.

10 VI. Milites, si in bello injusto, quod rationabiliter credebant esse justum, hostibus damna intulerunt agendo prædas, vastandô agros, exurendô domos &c. illud solùm tenentur restituere, quod cognita iniquitate belli

belli ex præda adhuc habent residuum. Ratio est: quia solùm in eo prædæ residuo facti sunt locupletiores. hinc cætera damna non tenentur resarcire: cùm illa bona fide, & cum injuria materiali solùm intulerint, nec inde ditiores evaserint. Sayrus num. 5. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 23. n. 6. Laym. loco cit. & alii multi. Neque refert, tametsi plura ex capta prædâ malè absumpserint fornicandô, peregrinandô, negligenter custodiendô, &c. quia hac ratione nihil peccârunt contra Justitiam: nesciebant enim, esse res alienas.

11 Dico tertio. Dominus rei potest hanc repetere à quocunque bonæ fidei possessore, quamdiu apud eundem exstat. Lugo sect. cit. num. 1. Pettschacher pag. 556. Ratio est: quia ipse manet legitimus illius rei dominus: cum non potuerit ipso invito dominium ejusdem transire ad possessorem. Imò nec tenetur ejusmodi dominus tali possessori refundere pretium, si is rem ab alio emit. Ratio est: quia neque ex delicto, neque ex contractu quidquam debet possessori. aliunde quoque par non est, ut quis emat rem suam, per l. *sive ff. de contrab. empt.* sed si dominus in hoc casu refunderet pretium possessori, emeret rem suam; ergo.

12 Excipitur tamen ab hac communi doctrina casus, quo quis rem furtivam emit modico pretio, ut eam domino reddat, quia videt, eam aliàs vel non ampliùs venturam in manus illius, vel saltem esse magnum periculum, ne unquam eandem recuperet. tunc enim emptor censetur utiliter gerere negotium domini; ideoque hic tenebitur refundere illud modicum pretium. Lugo loco cit. Pettschacher pag. 557. quod idem docet Less. de Just. lib. 2. cap. 14. dubit. 3. n. 20. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 33. a. 1. n. 4. Quòd ii pretio magno emisset, vel propè æquali cum ejus valore, dominus id non teneretur refundere: quia tunc emptor non censeretur utiliter gessisse ejus negotium, nisi fortè sciviset, rem illam domino esse gratissimam, & valde necessariam. tenebitur tamen dominus ad aliquid rependendum arriò prudentûm, quantum videlicet expendi prudenter potuit, ut ipsius negotium gereretur utiliter. Similiter, siquis rem furtivam non animò reddendi domino, sed sibi acquirendi emit, non potest ab illo pretium repetere: quia, præterquàm quòd domino non possit vendi res sua, ejus negotium non gessit emptor, sed suum; cùm sibi rem emerit. Less. Pettschacher locis citt.

§. 11.

Utrùm, qui emit rem furtivam, possit illam furi reddere?

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

SUMMARIUM.

13. *Formatur status quæstionis.* 14. *Fundamenta sententiæ negantis.* 15. *Præfertur & probatur sententia affirmans.* 16. *Respondetur ad fundamenta contraria.* 17. *Quid in simili eventu liceat, aut non liceat emptori malæ fidei?* 18. *Quomodo se gerere debeat, qui rem furtivam dono accepit?*

13 STatum quæstionis accipe in hoc exemplo. Titius à fure emit equum, quem postea cognoscit esse Caji; sed res ita est comparata, ut vel Titius jacturam pretii facere debeat, si equum restituat Caio (nam furem supponimus statim aufugiturum cum pecunia) vel Caius jacturam equi, si Titius rescisso contractu pretium recuperet, ipsique equum relinquat. Quæritur, an Titius in hoc casu, ut se servet indemnem, possit à fure pretium reposcere, & ipsi equum reddere? Et primo quidem examinabimus, quid hic agendum Titio, si equum bona fide emit, ignorans esse furtivum.

14 Duæ de hoc sunt sententiæ. Prima asserit, equum non posse reddi furi; sed necessario restituendum esse Caio. Ita Molina de Just. disp. 722. Cajetanus 2. 2. q. 62. a. 6. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 17. §. 3. n. 24. & alii. Ratio illorum est primo. quia illi restitui debet res, cujus est: sed res, nempe equus, est Caii, non furis; ergo non huic, sed illi debet restitui. Secundo. quia equus Caii per hoc, quòd à fure venditus sit Titio, redactus est ad statum meliorem: sic enim faciliùs redire potest in potestatem Caii, quàm si adhuc esset apud furem: ergo non est æquum, ut Titius illum rursus constituat in statu deteriore: sed hoc faceret, si furi redderet, ergo. Confirmatur. Qui rem alterius ex incendio liberavit, eam non potest absque peccato rursus in ignem projicere: ergo neque in nostro casu Titius equum sibi venditum furi reddere potest. patet conseq. quia non minùs rem Caii ex statu meliori reponeret in statum deteriorem, quàm extractam ex incendio rursus eodem projiciens. Tertio. Ponamus Caium adesse, & equum à Titio repetere. In hac hypothesi tenetur is equum restituere Caio etiam cum jactura pretii: imò, si propterea conveniretur coram Judice, Judex eum condamnaret ad ejusmodi restitutionem: ergo etiam non requisitus, vel non conventus tenebatur restituere, nec furi poterat reddere. Consec. constat: quia facti ignorantia, ob quam quis rem suam non repetit, illi jus suum non adimit. Quarto. quia, si licitum est

tali emptori rem emptam furi reddere; ut pretium recuperet, pariter licebit alteri vendere, vel sibi retinere, ne damnum patiatur in casu, quo fur est mortuus, vel inveniri non potest: sed hoc est falsum; ergo. Quinto. quia Titius equum furi reddendô cooperatur ejus injustæ detentioni: ergo non licet reddere. His non obstantibus,

15 Dico primo cum altera sententia. Licitum est probabilius in facto casu equum furi reddere. Ita Navarrus, Sylvester, Toletus, Rebellus, Bonacius, & alii, quos refert & sequitur Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 5. dubit. 4. Deinde Lessius de Just. lib. 2. cap. 14. dubit. 3. Lugo de Just. to. 1. disp. 17. n. 29. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 3. §. 2. num. 2. Pettschacher in tract. de Restit. pag. 562. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 33. a. 1. num. 8. Probatur hæc sententia primo. quia Titius emendô equum à fure, eumque detinendô nullam injuriam intulit Caio: ergo hic non potest esse prudenter invitus, si ille equum, ne pretium amittat, in eo statu, in quo erat ante emptionem, constituat: præsertim, quia alioquin haberet eandem obligationem, quam habet fur; & malæ fidei possessor, quod repugnat æquitati naturali. Secundo. quia contractus illius emptionis vel suapte natura est irritus propter defectum voluntarii (nam si Titius sciviſſet, equum esse furtô abactum, non emisset) vel rescindi potest ad arbitrium ejus, qui deceptus est: ergo potest Titius rescisso contractu equum venditori reddere. Tertio. Si auferam furi librum Petri v. g. animô reddendi cum Petro, fur autem mihi viciſſim eripiat librum, nec velit hunc reddere, nisi reddam ipsi librum Petri, possum illi reddere librum Petri; ut meum recuperem. Rursus, si rem alterius inventam, mecum auferrem domum, posteaque adverterem, ejus detentionem mihi fore damnosam, possem illam in eundem locum reponere, & non tenerer servare, ut domino redderem: ergo idem dicendum in nostro casu. Quarto. quia neque Justitia, neque charitas hic exigit, ut Titius suum periculum posthabeat alieno periculo: quod sanè facere deberet, si vera esset sententiæ contraria: cùm deberet amittere & equum, & equi pretium, ne alter damnum pateretur. hoc autem totum, ne videlicet suum periculum postponat alieno, evitare potest equum furi reddendô. Quinto. quia in pari casu innocentiæ ratio naturalis huic tali emptori dictat, ut sibi potiùs consulat, quàm domino. sicut enim dominus habet jus in suum equum, ita & emptor in suum pretium: ac præterea ambo procedunt bona fide, suntque innocentes: ergo justum est, ut emptor reddendô equum venditori consulat sibimet. Et hæc quidem sunt fundamenta nostræ sententiæ.

Ad primum pro contraria respondeo 16
dist. maj. illi debet restitui res, cujus est, cæteris paribus, & quando nulla adest ratio excusans à restitutione, conc. secùs, neg. atqui grave & æquale damnum, quod imminèret Titio ex restitutione facienda Caio, est causa sufficienter excusans.

Ad secundum conc. Ant. dist. conseq. non est æquum, ut Titius eundem positivè constituat in statu deteriore, conc. ut tantùm permissivè constituat, neg. conseq. & sic respondetur ad reliqua. Ad Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. cujus probat. dist. non minùs, & eodem modo, neg. non minùs, & alio modo, conc. videlicet permissivè tantùm, cùm projiciens in ignem id faciat positivè. Unde habetur disparitas.

Ad tertium conc. Ant. neg. conseq. nam inprimis, antequàm Caius determinatè sciret, possessorem sui equi esse Titium, non habebat determinatum jus adversus ipsum, & debebat esse contentus, à quocunque, sive mediatè, sive immediatè, sibi restitueretur: postquam autem determinatè novit, equi possessorem esse Titium, etiam habet jus determinatum adversùs Titium, qui proinde determinatè quoque restituere tenetur. Deinde Judex vel operatur ex præsumptione, quòd Titius pretium equi recuperare non possit; in quo casu nulla est ratio excusans à restitutione; vel amore pacis & boni publici Titium ad illam restitutionem condemnare justè potest. ex quo non sequitur, ante ejusmodi condemnationem debuisse restituere: quia ad multa compelli potest civis ob bonum publicum, ad quæ citra ejusmodi compulsionem non tenebatur, ut habet Dicastillo num. 109. Probat. conseq. dist. illa facti ignorantia domino jus suum non adimit absolutè, conc. respectu bonæ fidei possessoris, ita ut hic teneatur ultrò ei rem suam reddere, neg.

Ad quartum neg. seq. quia tali emptori, ut se reddat indemnem, plus non licet, quàm rem emptam in pristino statu, quam habebat ante emptionem, constituere: de hoc enim solo præsumitur dominus non esse rationabiliter invitus; nam hac ratione, dum res furi redditur, mediatè saltem domino restituitur; quia ipse fur potest & tenetur restituere: quòd autem is hîc & nunc non restituat, emptor non est in causa, sed furis malitia. Atqui sibi retinens, vel alteri vendens rem non constituit in pristino statu; atqueadeo nec mediatè, nec immediatè restituit.

Ad quintum neg. Ant. nam præcisè

utitur

utitur jure suo, suremque de cætero relinquit suæ conscientiæ; neque enim suadet, ut non restituat; imò præbet exemplum restituendi, inquit Lessius: sed neque dat occasionem novi peccati; quia fur jam antè decreverat non restituere.

17 Dico jam secundo. Qui mala fide rem emit, sciens esse furtivam, vel de hoc culpabiliter dubitans, tenetur eam domino restituere: adeoque Titius, si emendô equum in prædicto casu ita se gessit, non potest illum justè furi reddere, ut pretium recuperet. Ita Lessius ubi suprà num. 19. Dicastillo dubit. 5. Mezger num. 10. & alii. Ratio est: quia talis accepit rem alienam invito domino, sciens, vel dubitans esse alienam: ergo tenetur restituere titulò injustæ acceptionis; adeoque tenetur rem illam domino reddere, tametsi jactura pretii sit subeunda. Accedit, talem emptorem hoc ipso videri cessisse jure suo rescindendi contractum, quod habebat, si bona fide emisset, & damnum atque periculum in se recepisse, quòd sciens rem esse furtivam, vel de hoc dubians nihilominùs emerit. Verùm, his non obstantibus, sententia contraria etiam probabilis est, saltem, quando restitutio fit in continenti, vel, quando non diu post emptionem rescisso contractu res empta furi redditur. Ratio est; quia tunc domino nondum censetur fuisse illata notabilis injuria rem ipsius tantispet contrectandô. Et ita docet Less. num. 21. Lugo ubi suprà num. 37. Tambur. cap. cit. §. 3. Pettschacher pag. 564. Mezger loco cit.

18 Corollarium. Qui gratis, v. g. donô, accepit à fure rem furtivam, tenetur, postquàm cognovit esse furtivam, domino restituere, nec potest furi reddere, nisi vel moraliter certus sit, vel probabiliter existimet, ab illo restitutum iri. Less. num. 13. Dicastillo dubit. 4. num. 104. Ratio est; quia restitutio ex re accepta illi fieri debet, cujus res est, quando nulla est causa excusans: atqui hic tenetur restituere ex re acceptâ, & nulla occurrit causa excusans à restitutione immediatè præstanda domino; ergo.

§. III.

An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus rei alienæ?

SUMMARIUM.

19. *Fructus alii naturales, alii industriales, alii mixti.* 20. *Fructus merè industriales non tenetur restituere possessor bonæ fidei.* 21. *Cujus sit artefactum alienô instrumentô productum?* 22. 23. *Cujus sit lucrum ex negotiatione, vel venditione alienæ rei præceptum?* 24. *Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus naturales & mixtos, si adhuc exstant, & nondum præscripti sunt.* 25. *Deductis tamen expensis, & melioramentis.* 26. *Tres classes expensarum & melioramentorum.* 27. *Quid, si dominus ob suam negligentiam nullos fructus fuisset percepturus?* 28. *Solvitur objectio.*

FRuctus à Theologis dividuntur in naturales, industriales, & mixtos. Naturales sunt, quos res aliqua ex se ipsa producit, nullo, vel vix ullo hominum labore aut industria concurrente; veluti fœtus animalium, poma arborum, herbæ & gramina. Industriales sunt, quos res ex se nullatenùs progignit, sed ex solo labore atque industria illius, qui ipsâ utitur proveniunt: ut quæstus & lucrum, quod percipitur ex negotiatione, putà emendô vili, vendendô caro, ratione temporis & loci. Nudum tamen rei pretium non computatur inter fructus ejusdem, sed succedit in locum rei tanquam altera res, ut dicit Lessius. Mixti fructus sunt, qui partim ex ipsa re naturaliter, partim ex humana industria proveniunt; ut segetes, & alia, quæ serendô gignuntur. His addi possunt fructus civiles, hoc est, qui ex jure & obligatione alterius oriuntur: ut pensiones, salaria, &c. suntque revocandi ad fructus industriales vel mixtos. Demum fructus alii dicuntur pendentes, alii percepti, alii percipiendi. Pendentes sunt, qui nondum à solo & re fructificante separati existunt; ut poma adhuc in arboribus, segetes adhuc in fundo hærentes. Percepti sunt, qui vel jam recondditi in horreis, aut cellis, vel saltem jam collecti, ut recondantur, & à solo separati existunt. Percipiendi vocantur, qui percipi quidem potuerunt, revera tamen non sunt percepti. Nunc 19

Dico primo. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus merè industriales. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia hi fructus, seu potiùs lucra, non rem alienam, sed propriam industriam sequuntur: ergo quemadmodum quilibet est dominus suæ propriæ industriæ, ita & lucri, quod inde consequitur. Unde nec malæ fidei possessor hos tales fructus restituere tenetur. Atque hinc 20

Sequitur primo, eum, qui furatus est instrumentum, eoque fecit aliquod artefactum, non teneri ad restitutionem artefacti, 21

facti, sed solius instrumenti; & quantum intererat domini, alium ipsius instrumento fuisse usum. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 3. n. 3. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 3. §. 5. n. 6. Ratio est: quia artefactum sequitur industriam & dominium artificis, non autem illius, qui est dominus instrumenti. Unde si quis alienô penicillo, v. g. pinxit imaginem in propria tela, vel tabula, picturam fecit suam. Quòdsi proprio penicillo pinxit in tela aliena vel tabula, videtur esse distinguendum: vel enim pictura est pretiosior quàm tela, aut tabula, vel vilior? Si primum; totum artefactum erit pictoris, cum obligatione tamen reddendi pretium telæ aut tabulæ illius domino. Si secundum; tunc jure accessionis cedet domino telæ vel tabulæ. Tambur. cap. cit. §. 4. n. 13.

22 Sequitur secundo, eum, qui alienum frumentum ibi vendidit, ubi plus valet, id lucrum sibi non domino frumenti acquisivisse, eique satisfacere restituendô frumentum simile; vel certè, quanti illius interat, suum frumentum avectum & alienatum non fuisse. Laym. loco cit. Simile quid est in eo, qui negotiatur pecuniâ furtivâ. Nam lucrum inde proveniens fit ipsius. Ratio horum patet ex dictis. Atque hinc

23 Sequitur tertio, negotiatorem, qui ex contractu usurario, quem bona fide putabat esse justum, acquisivit mille florenos, eisque mille insuper suâ industriâ lucratus est centum, teneri, postquàm cognoverit, contractum fuisse usurarium, restituere tantùm mille, non verò illos centum. Sayrus lib. 10. clavis reg. cap. 2. n. 7. Laym. cap. cit. num. 1. Ratio est: quia secundùm mille ex re aliena factus est locupletior: ergo tenetur restituere titulô rei acceptæ. Illi verò centum sunt fructus merè industriales.

24 Dico secundo. Bonæ fidei possessor restituere tenetur fructus naturales & mixtos, qui adhuc exstant, & necdum præscripti sunt: deductis tamen expensis, & melioramentis. Ita communiter Theologi, contra quos multa ex legibus civilibus movent Jurisperiti, cùm enim eædem possessori indistinctè asserant dominium fructuum perceptorum, illum ex consequenti ab onere restituendi absolvere videntur. Sed ratio nostræ sententiæ ex jure naturæ consurgens hæc est: quia quælibet res fructifera domino suo fructificat, apud quemcunque illa existat. Hinc filius ex ancilla aliena natus est domini ancillæ, ubicunque sit natus. Similitur seges enata ex tuo frumento, quod in alieno fundo seminâsti, est domini fundi: quia est fructus fundi: econtra seges nata in tuo agro ex frumento furtivo, quod ibi seminâsti, est tua; quia est fructus tui agri: teneris tamen restituere frumentum, quod sevisti, & quantum intererat domini, nequis frumentum ipsi auferret. Vid. Tambur. cit. §. 5.

Dixi autem in concl. primo, *qui ad* 25
huc exstant: quod intellige vel in se, vel in æquivalenti, in quantum videlicet possessor factus est ditior. nam eorum, qui bona fide sunt consumpti, & nullatenùs exstant, non est facienda restitutio. Dixi secundo, *& necdum præscripti sunt*: quia contingit, ut fructus more aliarum rerum mobilium à possessore bonæ fidei spatio triennii præscribantur contra dominum: quo facto cessat obligatio restituendi. Atqui hinc colligitur, non eo ipso, quòd quis præscriptione factus sit dominus fructuum, etiam acquisivisse dominium rei, ex qua sunt percepti: nam fundus, prædium, domus, & res ejusmodi frugiferæ immobiles indigent longiore tempore, ut præscribantur; veluti constat ex dictis suprà disp. 2. a. 3. §. 2. Unde fieri solet, ut quis restituere teneatur prædium v. g. non tamen fructus, etiam exstantes. Dixi tertio, *deductis tamen expensis & melioramentis*: quia ex re accepta non est plus restituendum domino, quàm in quantum is passus est damnum: atqui expensæ & melioramenta facta à possessore non spectant ad damnum domini. Et sanè, si dominus ista percipere, hoc ipso acciperet rem alienam, & ipse teneretur ad restitutionem. Potest igitur hujusmodi possessor, postquàm cognovit, rem, quam possidebat, esse alienam, expensas in illam à se factas; item melioramenta & æstimationem laboris impensi deducere; imò ad hæc solvenda & compensanda obligare dominum.

Cæterùm melioramenta & expensæ 26
sunt in triplici differentia, videlicet necessariæ, utiles & voluptuariæ, seu voluptuariæ. Necessariæ sunt, quæ si non fuissent factæ, res vel omnino periisset; vel reddita fuisset deterior. Utiles sunt, sine quibus fructus in tanta bonitate vel copia non proveniissent: uti, si res, quæ adhibitis expensis seu melioramentis necessariis reddere solebat centum, nunc adhibitis utilibus reddat ducenta. Voluntariæ sunt, quæ fiunt ornamenti, & voluptatis causâ citra augmentum utilitatis, & annui redditus, ut sunt statuæ, picturæ, fontes. Quando igitur diximus, possessorem bonæ fidei posse in restitutione fructuum expensas & melioramenta deducere, intelligendum hoc erat de necessariis & utilibus, non de merè voluptuariis. neque enim videtur æquum

adigere

adigere dominum, ut propter ejusmodi ornamenta in rem suam ab alio solius recreationis causâ inducta quidquam refundat. Quia tamen vix ullæ inveniuntur expensæ etiam voluptuariæ, quæ non cedant in utilitatem domini, ordinariè fieri poterit aliqua deductio earum, juxta proportionem nimirum & æstimationem utilitatis. Vid. de his omnibus Lugo de Just. to. 1. disp. 17. sect. 3. n. 61. & 63. Tambur. lib. 8. in Decal. to. 3. cap. 3. §. 5. à n. 11. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 33. a. 2. à n. 3.

27 De cætero etiam in casu, quo dominus fructus in n. 24. memoratos non fuisset percepturus ob suam negligentiam, vel aliam causam, v. g. si agrum non coluisset, domum non locâsset, eos nihilominùs possessor bonæ fidei tenetur restituere. Tambur. num. 4. Ratio est: quia semper sunt fructus rei, quæ est domini, atque adeo ipsi fructificat. De fructibus ex re meliorata perceptis idem est sentiendum; cùm & ipsa sit res domini. Hic tamen talis possessor non tenetur ad restitutionem fructuum, quos ipse ob propriam negligentiam non percepit. Less. de Just. lib. 2. cap. 14. dubit. 2. Ratio est: quia neque factus est locupletior, neque extitit causa injusta damni: ergo neque tenetur restituere ex re accepta, neque ex injusta acceptione. alius verò titulus, ex quo teneatur, hîc nullus est assignabilis. Sed

28 Objicies contra postremam Concl. Ideo fructus ibi memorati deberent restitui, quia res aliena fructificat domino: sed, si possessor fit dominus fructuum ex re aliena perceptorum, ut constat ex legibus civilibus apud Card. de Lugo num. 41. & alios, jam res aliena non domino, sed possessori fructificat; ergo nulla est obligatio eosdem fructus restituendi. Respondeo dist. mi. si possessor fit dominus fructuum dominio irrevocabili, res aliena domino non fructificat, conc. si fit dominus fructuum dominio revocabili, neg. mi. &c. Itaque beneficio & authoritate juris positivi fructuum etiam naturalium perceptorum dominium cedit quidem possessori bonæ fidei, sed revocabile solùm, donec res ipsa à domino evincatur; ita ut possessor fructus interim non faciat suos absolutè & irrevocabiliter, sed revocabiliter. Atque hæc doctrina forte conciliare potest leges civiles hîc mirificè (saltem ut sonant) sibi contrarias, si nempe illas, quæ possessori asserunt dominium fructuum, explices de dominio revocabili; quæ verò denegant, intelligas de dominio irrevocabili. Vid. Mezger a. cit. n. 7.

§. IV.

Quos fructus teneatur restituere Possessor malæ fidei?

SUMMARIUM.

29. *Malæ fidei possessor tenetur restituere fructus naturales & mixtos, etiamsi non existent ampliùs.* 30. *Non tamen tenetur restituere fructus nec à se, nec à domino perceptos.* 31. *Tenetur autem restituere à se perceptos, etiamsi à domino non fuissent percipiendi.* 32. *Quomodo dominus ab injusto possessore damnum patiatur circa fructus, quos non erat percepturus?* 33. *Etiam possessor malæ fidei potest in restituendo fructus deducere expensas.* 34. 35. *Ad quid teneatur possessor partim bonæ, partim malæ fidei?*

29 Supponitur tanquam certum, possessorem malæ fidei esse obligatum ad restituendum fructus naturales ac mixtos ex re aliena perceptos, licèt iidem nec in se, nec in æquivalenti ampliùs existent. nam fructus ejusmodi semper erant domini rei ipsius, & propter iniquam retentionem possessoris, ut ille eisdem careret; adeoque totum hoc damnum est reparandum à possessore. Id tamen Lugo ita limitat, ut non procedat, quando possessor habuit malam fidem respectu ipsius rei tantùm, non autem respectu fructuum; eò quòd vel invincibiliter putaverit, fructus esse suos, non domini; ideoque eos consumpserit; vel non fuerit in mora culpabili illos domino reddendi, ac proinde eosdem non usurpaverit iniquè. tunc enim putat, eum non obligari ad aliquid refundendum, nisi quatenùs dominus eos fructus esset percepturus ac habiturus. Hoc supposito, quatuor dubia hîc expedienda occurrunt. Primum est, an malæ fidei possessor teneatur restituere fructus etiam non percepios, qui tamen percipi potuerunt? Secundum an teneatur restituere fructus, quos ipse percepit, licèt dominus eos non percepisset? Tertium, quas expensas, & quæ melioramenta possit deducere? Quartum, ad quid teneatur, quando partim malâ, partim bona fide possedit? Quærimus autem, quid hîc sentiendum in foro conscientiæ, quidquid sit de foro externo.

30 Dico primo. Possessor malæ fidei non tenetur restituere fructus, quos neque ipse percepit, neque dominus, licèt utrique percipere potuisset. Ita Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 23. n. 118. Lugo de Just. to. 1. disp.

disp. 17. sect. 3. n. 54. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 1. n. 74. & alii. Ratio est: quia dominus quantum ad fructus, quos neque possessor malæ fidei, neque ipse erat perceptūrus, nullum patitur damnum; cùm inde quoad illos non minus habeat, quàm esset habiturus: ergo ejusmodi possessor non tenetur in hoc casu ad aliquam restitutionem. Conseq. patet, quia Justitia solùm obligat ad restitutionem, ut per illam reparetur æqualitas læsa ex damno illato, quod alter patitur. Atque hinc colligitur, malæ fidei possessorem esse obligatum ad restitutionem fructuum, quos dominus ex re sua percépturus erat, licèt ipse eosdem non percéperit; imò nec potuerit percipere. Ratio nempe est: quia æquitas Justitiæ postulat, ut reparetur damnum, quod dominus patitur ex injuria alterius; licèt hic damnum istud absque proprio commodo intulerit. atqui dominus ex injuria iniqui possessoris quoad fructus, quos percepturus erat, patitur damnum; ergo, &c. Salmantic. loco cit. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 33. a. 2. n. 12. & alii.

31 Dico secundo. Malæ fidei possessor tenetur restituere omnes fructus, quos ipse percepit, licèt eos dominus non fuisset percepturus. Ita Lessius de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 17. num. 118. Sanchez n. 126. Lugo n. 58. Salmantic. num. 75. Ratio est: quia res suo domino fructificat: ergo fructus ejusdem statim sunt domini ipsius rei, à quocunque percipiuntur; adeoque eidem sunt restituendi, quamvis eos non fuisset percepturus.

32 Objicies. Justitia malæ fidei possessorem obligat solùm ad resarciendum damnum, quod dominus ex ipsius injuria patitur: atqui dominus nullum tale damnum patitur circa fructus, quos non erat percepturus; ergo &c. Respondeo neg. mi. licèt enim dominus nullum hîc circa fructus supponatur damnum pati ex injusta acceptione, qua res ipsa fuit subtracta ipsius possessioni, patitur tamen damnum circa illos ex nova possessoris injustitia, qua retinet apud se eosdem fructus, qui non minùs sunt domini, quàm res ipsa. Quòdsi abesset ejusmodi nova injuria possessoris, sive ob ignorantiam invincibilem, sive quia fructus statim fortuitò perierunt absque mora culpabili possessoris in restituendo, tunc non esset obligatio quidquam restituendi, nisi in quantum ex illis factus esset locupletior. Vid. Lugo loco cit.

33 Dico tertio. Etiam possessor malæ fidei potest expensas necessarias & utiles deducere, atque à domino exigere, ut sibi compensentur. Ita Sanchez num. 137. & 138. Lugo n. 61. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 3. §. 5. n. 14. Ratio est: quia non est obligatio domino plus compensandi, quàm damni illatum est, & quando talis dominus ultra compensationem totius damni quid recipit sibi utile à damnificante, ditescit ex alieno, & tenetur ipse ad ejus restitutionem. Sed in casu nostro dominus ultra compensationem totius damni recipit aliquid à damnificante sibi utile, scilicet expensas necessarias & utiles; ergo tenetur eas restituere, & consequenter possessor justè exigit, ut sibi compensentur.

Dico quarto. Possessor partim bonæ, partim malæ fidei obligatur ad restitutionem fructuum, quos eo tempore consumpsit vel alienavit, quo fuit in mala fide: non autem illos, quos consumpsit, vel alienavit durante bona fide. Ita Sanchez n. 152. Lugo n. 68. Tambur. cap. cit. §. 6. n. 1. Pertschacher de Restit. pag. 579. & alii. Unde licèt talis mala fide fructus perceperit, si tamen advenerit ipsi bona fides, antequàm eos consumeret, censebitur respectu istorum fructuum bonæ fidei possessor: econtra, si bona fide percepit, sed tamen, dum iidem adhuc exstarent in se, vel æquivalenter, advenit mala fides, reputabitur pro tunc respectu eorum fructuum fuisse malæ fidei possessor. Ratio porrò statutæ Concl. est: quia, si post fructus mala fide perceptos adveniat bona fides, qua quis credit se esse dominum fundi, v. g. tunc talis jam possidet fundum bona fide: ergo etiam possidet bona fide fructus inde perceptos. Patet conseq. quia non potest quis prudenter credere, fundum ad se pertinere, quin etiam credat ad se pertinere fructus perceptos. Atqui ille, qui bona fide possidet fructus, eosque tunc consumit vel alienat, justè consumit, vel alienat; ergo non tenetur deinde ad restitutionem eorum. Econtra, qui bona quidem fide fructus percepit, mala tamen fide, quæ postea supervenit, consumit, vel alienat, jam injustè consumit, vel alienat; adeoque tenetur titulô injustæ acceptionis totum damnum inde domino consecutum compensare. 34

Dices. Quando quis mala fide fructus percepit, tunc sua hac perceptione verè injusta dominum verè damnificavit. certè enim, nisi ita percepisset, sed sciviſſet à legitimo domino percipi, hic non pateretur damnum in iisdem: ergo tenetur restituere, licèt ante consumptionem vel alienationem bona fides superveniat. Prob. conseq. quia Justitia exigit, ut omne illud damnum resarciatur, quod quis patitur ex injusta actione alterius. Respondeo neg. Ant. quia in hoc casu injustitia perceptionis purgatur per bonam fidem subsequentem, ejusque influxus in damnum domini 35

impe-

impeditur; adeoque dominus non patitur damnum ob injustam perceptionem fructuum, sed ob justam consumptionem, vel alienationem subsecutam. Unde hoc, quod perceptio præcedens fuerit injusta, in æstimatione morali respectu damni materialiter & per accidens se habet. Vid. Lugo n. 69.

§. V.

Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei?

SUMMARIUM.

36. *Quid dubium speculativum, quid practicum? Quid vincibile, quid invincibile?* 37. *Rem acceptam cum dubia fide à bonæ fidei possessore tenetur quis eidem restituere, si dubium perseveret.* 38. *Tenetur etium restituere, qui superveniente dubio fuit negligens in inquirenda veritate, quamvis cœperit bona fide possidere.* 39. *Sed non tenetur, si facta diligenti inquisitione veritatis non potuit deponere dubium.* 40. *Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei, qui culpabiliter omissa veritatis inquisitione, aliunde comperit, quis sit rei dominus?*

36 NOtandum est primo ex tract. de Conscientia, d sp. 3. a. 2. communem esse regulam apùd DD. quòd *in dubio melior sit conditio possidentis*. quæ regula saltem locum habet in materia Justitiæ, ut ibidem cum receptissima hodie omnium sententia asseruimus: quidquid modò sit de materiis aliarum virtutum. Notandum est secundo, dubium aliud nihil esse, quàm suspensionem judicii de partibus contradictionis ob defectum motivi sufficientis ad assensum vel dissensum circa alterutram. Quando talis suspensio judicii est circa rem, vel actionem quampiam absolutè; ac velut in genere, tunc dicitur dubium speculativum. Si est circa actionem ut hîc & nunc, pensatis omnibus circumstantiis, exercendam, tunc dicitur dubium practicum. Rursus: vel dubium adhibita morali diligentia deponi potest, vel non? Si priùs; dicitur dubium vincibile. si posterius; erit dubium invincibile: veluti pluribus exposuimus in tract. cit. Itaque ad rem nostram possessor dubiæ fidei est, qui dicto aliquo modo suspendit judicium, seu dubitat, an res, quam possideat, sit sua, vel aliena? His notatis,

37 Dico primo. Qui rem cum dubia fide accepit à bonæ fidei possessore, tenetur postea, si dubium perseveret, eam rem totam restituere antiquo possessori. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 26. Lessius lib. 2. de Just. cap. 14. dubit. 4. n. 25. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 2. pu. 2. n. 15. Lugo de Just. to. 1. disp. 17. num. 80. & alii. Ratio est: quia in dubio & pari causa melior est conditio possidentis, cùm proinde possessio hîc faveat antiquo possessori, non autem posteriori; quippe quæ respectu ipsius nunquam fuit bonæ fidei, res ad antiquum possessorem redeat necesse est.

Dico secundo. Qui bona fide cœ- 38
pit quid possidere, sed postea superveniente dubio fuit culpabiliter negligens in inquirenda veritate, ideoque non potest eam invenire amplius, tenetur ad restitutionem pro ratione dubii, vel majoris probabilitatis ac spei, quæ erat de invenienda veritate, si debitè fuisset inquisita. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 23. num. 183. Lugo sect. cit. n. 84. Ratio est: quia legitimus dominus fuit in certa possessione spei, quòd esset inveniendus, si fieret inquisitio; utque ista fieret habuit certum jus. Quare possessor inquisitionem culpabiliter omittens eundem damnificat in tali spe, adeoque ad hanc indicato modo compensandam obligatur.

Dico tertio. Qui bona fide cœpit 39
possidere, & dubium postea superveniens facta diligenti inquisitione veritatis non potest deponere, rem integram sibi retinere, imò etiam rem alienare, vel consumere potest. Lessius dubit. cit. n. 25. Sanchez loco cit. de Matrim. n. 22. Lugo n. 86. & alii communiter. Ratio est: quia possessio bonæ fidei, quam possessor initio habuit, & neutiquam amisit per dubium superveniens, dat ei jus ad rem illam retinendam: in dubio enim & pari causa melior est conditio possidentis. Quòdsi fortè post rem alienatam, vel consumptam verus dominus compareat, possessor ejusmodi tenetur id solùm restituere, secundùm quod factus est locupletior. Alia, quæ huc pertinent, vide in tract. cit. de Consc. disp. illa 3. a. 2. §. 1. à n. 7.

Corollarium. Qui oborto dubio non 40
inquisivit dominum rei à se possessæ, postea-que comperit, fuisse Titium, tenetur restituere Titio non solùm rem illam, sed etiam fructus consumptos, vel alienatos ex eo tempore, quo dubitare cœpit. Ratio est: tum, quòd ex eo tempore voluntariè omittens inquisitionem domini rem non ampliùs bona, sed mala fide, & contra conscientiam possederit. tum, quod ex Justitia fuerit obligatus ad inquisitionem veritatis: quam cùm præstare neglexerit, peccavit contra Justitiam: & consequenter tenetur reparare damna, quæ ex ejus negligentia patitur dominus. Less. loco cit.

ARTICULUS III.

De obligatione restituendi ex injusta acceptione.

NOmine injustæ acceptionis hic intelligitur actio externa, qua alteri injustè damnum infertur. Nam ut quis obligetur ad restitutionem, oportet ipsum fuisse causam inæqualitatis in alterò, ratione cujus is minus habeat, quam ipsi est debitum, ut habeat. Nemo autem est causa hujusce inæqualitatis per actum merè internum, cujusmodi est nuda intentio v. g. vel propositum nocendi, sed per opus externum, quo damnum infertur re ipsa. Potissima difficultas est in præsenti, quæ, & quanta debeat esse culpa illius, qui damnum infert, ut propterea in foro conscientiæ teneatur ad restitutionem? de quo proinde disputare incipimus.

§. I.

Utrùm ad obligationem restituendi ex damno dato requiratur culpa Theologica?

SUMMARIUM.

1. *Culpa alia Theologica, alia Juridica.* 2. *Ut quis titulò injustæ acceptionis obligetur in conscientia ad restituendum, ante sententiam Judicis, requiritur culpa Theologica.* 3. 4. 5. 6. *Solvuntur Objectiones.* 7. *Quid de inferente damnum cum ignorantia merè concomitante?* 8. *Quid de dante operam rei formaliter injustæ, & cavente, ne damnum sequeretur?* 9. *Post sententiam Judicis sufficit etiam culpa merè Juridica, ut quis in conscientia teneatur compensare damnum datum.*

1 CUlpa dividitur in Theologicam & Juridicam. Theologica est quodvis peccatum seu mortale, seu veniale. Juridica est omissio alicujus diligentiæ, qua proximi damnum impediri potuisset, sive deinde coram Deo, & in foro conscientiæ sit peccatum, sive non sit. Eadem culpa Juridica dividitur in latissimam, latiorem, latam, levem, & levissimam. Lata est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis communiter adhibere solent. Levis est omissio diligentiæ, quam solent accuratiores ac prudentiores illius conditionis seu professionis adhibere. Culpa levissima est omissio diligentiæ, quam diligentissimi & prudentissimi adhibent. Exemplum culpæ latæ est in Caio v. g. si domo egressus ostium non clausit; ideoque fures ingressi rem alienam Titii abstulerunt. nam ostium claudere solent communiter homines etiam mediocriter diligentes. Culpa levis est, si clausit quidem, ita tamen, ut facilè aperiri potuerit. nam bene claudere prudentiores ac diligentiores solent. Culpa levissima est, si probè quidem clausit, non tamen tentavit ostium, an esset probè clausum. hæc enim diligentia non cadit nisi in diligentissimos & accuratissimos. Jam ulteriùs culpa latissima dicitur dolus apertus, dum nempe quis aliquid agit, vel omittit damni, quod inde secuturum prævidet, inferendi causâ. Culpa latior, quam etiam vocant dolum præsumptum, datur in eo, qui proximi damnum non intendit quidem, illud tamen ex actione sua, vel omissione actionis secuturum prævidet. Quibus notatis, quæstio §. præsentis in triplici sensu potest institui: nimirum primo de illo, qui damnum tenebatur ex officio impedire, v. g. si fuit famulus, custos, judex. Secundo, de eo, qui tenebatur damnum impedire ex contractu: cujusmodi sunt pignoris, conducti, locati, &c. Tertio, de eo, qui neque ex ratione officii, neque ratione contractus tenebatur impedire damnum. Nunc in hoc ultimo sensu disputabimus. Itaque

Dico. Ut ex injusta acceptione oriatur obligatio restituendi in foro conscientiæ ante Judicis sententiam, requiritur culpa Theologica, nec sufficit juridica tantùm. Ita communiter DD. Ratio est: quia radix restitutionis, quæ dicitur injusta acceptio, debet esse damnificatio formaliter injusta: atqui sine culpa Theologica non est damnificatio formaliter injusta; ut constat in damnificatione orta ab amente, vel dormiente; ergo sine culpa Theologica non est illa radix restitutionis. maj. prob. quia lex, sive æquitas naturalis non magis gravat, ut reparetur jus læsum alterius, quàm ne lædatur: ergo sicut non gravat, ne lædatur inculpabiliter, & per injustitiam materialem solùm, ita neque gravat, ut reparetur læsum læsione & injustitia solummodò materiali, & Theologicè inculpabili. Itaque, ut injusta acceptio sit radix restitutionis, debet esse damnificatio formaliter injusta. 2

Objicies primo Authorit. Gregorii IX. cap. fin. *de injuriis, & damno* dicentis: *si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus* 3

bus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitiâ tuâ, ſive negligentiâ evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet. nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam. ubi Pontifex ad ſatisfactionem obligat propter injuriam vel damnum datum etiam præcisè per ignorantiam & oblivionem. Sed hoc eſt obligare propter culpam merè Juridicam; ergo. Reſpondeo, Pontificem apertè loqui de culpa per ignorantiam vincibilem commiſſa: addit enim, *ſi ſcire debuiſti &c.* Sed hæc eſt culpa non merè Juridica, ſed ſimul Theologica.

4 Objicies ſecundo. Stephanus V. in cap. conſuluiſti, 2. q. 5. monendos ait parentes, ne tenellos infantes in eodem ſecum lecto collocent, *ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur, vel opprimantur, ipſique rei homicidii inveniantur.* Ergo quælibet negligentia, adeoque & culpa Juridica ſufficit ad contrahendum reatum homicidii: ergo multò magis ſufficit ad obligationem reſtituendi. Reſpondeo diſt. primum conſeq. ergo quælibet negligentia, quæ ſit culpa lata, ordinariè conjuncta cum culpa Theologica, ſufficit, &c. conc. quælibet ſimpliciter, neg. Pontifex enim per negligentiam intelligit ibi culpam latam: quia parentes in tali caſu periculum infantium facilè & poſſent & deberent prævidere. hinc eosdem peccare mortaliter, ſi infantes in eodem ſecum lecto collocent, docet communis ſententia.

5 Objicies tertio. In lege Aquilia, toto tit. *ff. ad l. Aquil.* indicatur, quemlibet damnificantem debere compenſare damnum, licèt id dederit ex nulla culpa Theologica: atqui lex Aquilia eſt lex juſta; ergo &c. Reſpondeo diſt mi. lex Aquilia eſt lex juſta, quatenùs obligat mediante ſententia Judicis, conc. ut obligans ante ſententiam Judicis, neg. ſic enim lex illa nimis eſſet rigida, laqueosque injiceret conſcientiis abſque neceſſitate boni publici: quippe cui ſatis providetur per obligationem reſtituendi mediante actione & ſententia Judicis. Vid. Mezger to. 3. tract. 12. diſp. 32. a. 6. §. 1.

6 Objicies quarto. Æquitas naturalis dictat, illi potiùs damnum eſſe luendum, qui illud aliquo modo dat, quàm ei, qui id innocenter patitur: ergo licèt damnificans non peccaverit inferendo damnum, hoc tamen ex naturali æquitate compenſare tenetur. Reſpondeo diſt. Ant. qui illud aliquo modo dat voluntariè, conc. qui ſolùm dat caſualiter, neg. Ant. & conſeq. Damnum abſque culpa Theologica illatum caſui potiùs quàm voluntati damnificantis eſt ad ſcribendum. æquitas autem naturalis non obligat ad compenſationem damni caſualiter illati. Ex dictis.

Infertur primo, illum non teneri ad 7
reſtitutionem, qui damnum intulit cum ignorantia merè concomitante: ut, ſi prudenter exiſtimans, animal, quod procul videt, eſſe feram, in illud jaculandò trajiciat inimicum; quamvis actualiter ita ſit diſpoſitus, ut jacularetur ſciens eſſe inimicum; imò optet eſſe inimicum. Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 7. dubit. 9. Dicaſtillo lib. 2. tract. 2. diſp. 3. dubit. 2. n. 68. & alii. Ratio eſt: quia illa occiſio inimici non eſt voluntatia. nam jaculans putavit eſſe feram, non inimicum. voluntas autem interna, ex qua occideret inimicum, ſi adeſſet, non influit in occiſionem, eamque in eſſe homicidii non reddit voluntariam, & formaliter injuſtam.

Infertur ſecundo, te non obligare ad 8
compenſationem damni ſecuti, quando dans operam rei formaliter injuſtæ adhibuiſti diligentiam, ne ſequeretur. v. g. Si domum vicini noctu furandi causâ ingreſſus ſollicitè caviſti, ne incendium oriretur, idque nihilominùs ob inculpabilem quandam injuriam tuam fuit exortum. In quo caſu teneberis quidem ad reſtitutionem eorum, quæ furtô abſtuliſti, non tamen ad reſarcienda damna ex incendio conſecuta. Dicaſtillo n. 70. Pettſchacher de Reſtit. à pag. 163. & alii communiter. Ratio eſt: quia ſolùm furandô peccâſti formaliter contra Juſtitiam, non autem incendendô domum: ne enim incenderetur, diligenter caviſti. unde hoc incendium tibi non erat voluntarium.

Dixi autem in Concl. *ante ſententiam Judicis.* poſt hanc enim oriri obligationem in conſcientia reſarciendi damnum datum cum ſola quoque culpa Juridica habet communior & probabilior ſententia. Ratio eſt: quia lex Aquilia omnium confeſſione eſt juſta & rationabilis: ergo obligat in conſcientia, idque vel ante, vel poſt ſententiam Judicis. atqui non ante, propter nimium rigorem & difficultatem; ergo poſt ſententiam Judicis. Ad hanc autem, ut juſtè feratur, non eſſe opus ex parte condemnandi culpa Theologica, patet in legibus pœnalibus, quæ obligant poſt ſententiam Judicis, quamvis præceſſerit ſola culpa Juridica. Vid. Mezger ubi ſuprà n. 5. Neque me præterit, eſſe communem doctrinam, quòd culpa ſaltem lata inducat obligationem reſtituendi in conſcientia ante Judicis ſententiam. Verùm ea doctrina inde procedit, quòd culpa lata ordinariè conjunctam habeat culpam Theologicam:

logicam: quæ si revera absit, nulla exit illa obligatio. Pettschacher pag. 164.

§. II.

Quænam requiratur culpa Theologica ad obligationem restituendi?

SUMMARIUM.

10. *Quot modis injusta damnificatio possit esse peccatum veniale?* 11. *Ex damnificatione venialiter mala ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali.* 12. 13. *Qui grave damnum intulit ex culpa solùm veniali, non tenetur ad compensationem totius damni, aut partis gravis.* 14. *Imò probabiliter nec partis levis ex gravi damno.* 15. *Respondetur ad communem objectionem de damnificatione gravi per plura minuta furta.* 16. *Quid de illo, qui subitâ irâ correptus alium occidit, aut negligens est in custodiendo rem alterius?* 17. 18. *Disparitates de pœna Purgatorii, & Excommunicationis minoris.* 19. *Quid de pluribus gravem summam eidem furantibus?* 20. *Cautela pro Confessariis.*

10 INjusta damnificatio ex triplici capite potest esse venialiter solùm culpabilis. Primo, ex parvitate materiæ, ut, si quis obolum furetur. Secundo, ex defectu perfectæ deliberationis & voluntarii, ut, si quis absque sufficiente notitia realis damni, quod proximo sequitur, rem illius auferat: v. g. dum aufert gemmam invincibili ignorantia existimans esse vitrum tantùm. Tertio, ex omissione diligentiæ leviter solùm culpabili.

11 Dico primo. Ex damnificatione venialiter solùm injusta seu culpabili propter parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub peccato veniali. Ita omnes. Ratio est: quia inprimis certum est, damnificantem detinere rem alienam, vel saltem læsisse jus alienum invitô dominô: ergo tenetur restituere, jusque læsum reparare. Deinde certum est, damnum illatum esse solùm leve: ergo tam rei ablatæ retentio, quàm damnificatio, indeque orta restituendi obligatio non potest esse gravis.

12 Dico secundo. Qui damnum quantumcunque grave intulit ex culpa solùm veniali, non tenetur sub peccato mortali ad compensationem totius damni. Lessius de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 6. n. 27. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 5. n. 56. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 2. §. 5. num. 3. Pettschacher de Restit. pag. 165. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 1. a. 3. num. 10. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 32. a. 2. n. 2. Ratio est primo. quia obligatio restituendi ex delicto, qualis est præsens, quamvis non sit propriè pœna, imitatur naturam pœnæ: ergo sicut pœna supponit culpam, & pœna gravis culpam gravem, ita defectus culpæ excludit pœnam, & defectus culpæ gravis excludit pœnam gravem. Atqui compensatio totius damni gravis est suo modo pœna, & quidem gravis; ergo supponit culpam gravem: ergo, ubi non præcessit culpa gravis, veluti supponitur in præsenti, non potest dari obligatio gravis, sive sub peccato mortali ad ejusmodi compensationem. Ratio est secundo. quia radix obligationis unica hic est ratio injuriæ: ergo non potest esse major obligatio restituendi in suo ordine, quam est injuria in suo; cùm effectus non possit excedere suam causam, nec radicatum suam radicem. Atqui damnificatio venialiter solùm culpabilis non est injuria gravis in ratione injuriæ; ergo nec obligatio restituendi ex eadem orta potest esse gravis. Ratio est tertio. quia, ut teste Pettschacher, docent Sanchez, Suarez & alii, votum, juramentum, præceptum Superioris, quando procedunt ex imperfecta deliberatione, non obligant, etiam sub veniali: ergo nec damnificatio procedens ex imperfecta deliberatione, sive non perfectè voluntaria obligat, saltem graviter, ad restitutionem. Quòdsi jam defectus deliberationis excusat à gravi obligatione, etiam negligentia levis excusabit. videtur enim par ratio.

13 Dico tertio. Ex damnificatione venialiter solùm culpabili etiam non oritur obligatio sub peccato veniali ad compensandum totum damnum grave, uti nec ad partem damni gravem. Ita Authores pro priori Concl. citt. Ratio sumitur ex dictis: quia effectus pœnalis gravis non potest oriri ex delicto levi, quale est damnificatio venialiter solùm culpabilis: sed compensatio totius damni gravis, aut partis ejusdem gravis est effectus pœnalis gravis; ergo. Confirmatur. Votum, juramentum, præceptum, si procedant ex imperfecta deliberatione in materia gravi non obligant, etiam sub veniali: ergo nec damnificatio venialiter solùm culpabilis ob imperfectionem deliberationis pariet obligationem restituendi in materia gravi, etiam sub veniali peccato.

14 Dico quarto. Probabile est, ex culpa solùm veniali nequidem oriri obligationem sub veniali compensandi partem levem gravis damni commensuratam eidem culpæ veniali. Ita Sotus, Lessius, Reding

ding, quos refert & sequitur Mezger, ubi suprà num. 6. Probatur ex dictis. quia ex actu vovendi ob imperfectionem considerationis semiplenè voluntario nulla oritur obligatio, etiam sub veniali, præstandi rem promissam, idque ideo, quia ille actus non est perfectus in ratione voti; ergo etiam ex acceptione seu damnificatione ob defectum advertentiæ semiplenè voluntaria & venialiter solùm injusta nulla oritur obligatio aliquid restituendi, etiam sub veniali, quia hujusmodi damnificatio non est perfecta in ratione injuriæ.

15 Objicies. Ponamus, aliquem eidem furari singulis diebus per mensem aliquid modicum. Hic, postquam advertit, ex modicis ita successivè ablatis notabilem quantitatem coaluisse, ideoque proximo notabile damnum esse à se illatum, tenetur sub mortali ad resarciendum hoc tale damnum; licèt nulla antecesserit in ejusmodi furtulis culpa Theologica gravis: ergo non subsistit nostra doctrina.

Ad hanc Object. non eodem modo respondent Authores. Solutio, quæ mihi aliquando placuit, hæc erat. Vel fur, quando committit ultimum furtulum, advertit, quòd per illud quatenùs conjunctum cum prioribus inferat grave damnum, vel id inculpabiliter non advertit? si primum, tunc in ultimo furto peccat mortaliter; adeoque non est mirum, quod ad restitutionem teneatur sub mortali. si secundum, tunc vel illa, quæ furatus est, adhuc exstant apud ipsum vel formaliter, vel æquivalenter, vel non exstant? Si exstent, tenebitur ad restitutionem sub mortali ex titulo rei acceptæ, ita ut obligatio hæc restituendi non oriatur immediatè ex furtulis antecedentibus, sed ex retentione totius materiæ gravis, quæ ex pluribus materiis modicis coaluit. Si verò non exstent, non tenebitur sub mortali resarcire illud damnum grave; quia nunquam pecavit mortaliter, dum illud ità successivè, ac pluries clependô intulit. Et confirmatur. Vel enim teneretur resarcire titulô rei acceptæ, vel injustæ acceptionis? non ex re accepta: quia hæc supponitur non exstare amplius. non ex injusta acceptione; quia nunquam peccavit graviter, dum damnum illud successive intulit.

Facilis & expedita solutio: de quâ legi potest Pertschacher de Restit. à pag. 172. Sed obsistere videtur vel maximè damnatio Pontificia hujus propositionis: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantuncunque sit magna summa totalis.* quam propositionem non videtur Innocentius XI. damnâsse tantùm in casu, quo fur habuit animum paulatim perveniendi ad quantitatem gravem, & peccavit mortaliter; vel in casu, quo res aliena minutim ablata adhuc exstat apud furem. sic enim damnatio esset inanis & prorsus inutilis: quia nullus Authorum unquam docuit, non esse gravem obligationem restituendi in iis casibus, ergo planè videtur damnâsse adductam propositionem etiam in eo casu, quo res minutim ablata non amplius exstat, furque eam auferendô non peccavit mortaliter.

Ut igitur huic difficultati satisfiat, notandum est, quando in Conclusionibus præcedentibus à gravi obligatione restituendi excusavimus eum, qui grave damnum intulit cum culpa solùm veniali, id esse intelligendum de culpa veniali propter defectum plenæ deliberationis, vel diligentiæ sufficientis in cavendo damno proximi, non autem de culpa veniali cum plena deliberatione commissa, in qua damnificans cognoscit totam gravitatem materialem damni, licèt ignoret, nec advertat gravitatem formalem: veluti fit, dum quis una ablatione furatur Principi tres aureos ex plena deliberatione, valorem ac pretium monetæ optimè sciens, bona tamen fide existimans, hanc quantitatem tam diviti ablatam non sufficere ad peccatum mortale; talem quippe damnificantem esse sub mortali obligatum ad compensationem totius damni, licèt res ablata non exstet amplius, planè asserendum est ex communi sententia. & ratio est, quia mensura obligationis ad restituendum nec est præcisè realis gravitas aut levitas damni, nec formalis gravitas, aut levitas injuriæ, sed quantitas damni scienter & voluntariè dati, ita ut lex naturalis Justitiæ lædentem 71
gravet ad refundendum tantundem alteri, quantùm scienter & voluntariè lædendô nocuit. Atqui damnum re ipsa est grave, velut supponitur, & à lædente scienter & voluntariè datum; cùm ejus realem gravitatem sufficienter cognoverit; ergo. Unde nihil hîc juvat, quòd in conscientia non peccaverit graviter: veluti patet exemplô illius, qui alterius anseres, v. gr. sclopetô trajecit, etiam cum proposito resarciendi totum damnum: hic enim juxta omnes graviter obligatur ad restitutionem, licèt per illud propositum impediverit, ne damnificatio esset mortaliter culpabilis; quia videlicet damnum grave sciens & volens dedit.

Atque ex his dicendum est, furem illum, qui

qui modo memorato grave damnum re ipsa intulit, sub mortali teneri ad compensationem ejusdem, licèt nihil eorum, quæ furatus est, exstet amplius sive in se, sive in æquivalenti. Quòdsi jam quæras, ad quam radicem pertineat hæc obligatio restituendi? respondeo, pertinere partim ad injustam acceptionem; quia fur in illis ablationibus peccavit verè Theologicè: partim ad contractum; cùm sit pœna quasi conventionalis, quam fur sibi imponit ex conventione naturali ac tacita omnium gentium, in quantum unusquisque antecedenter ad omnes eventus non modò vult servari jura sua quælibet illæsa, sed etiam reparari ab alio scienter læsa; adeoque & ipse vicissim vult servari illæsa quælibet jura aliorum, vel eadem reparare, si fortè scienter à se læsa fuerint; idque conformiter illi principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* & vicissim: *Quod tibi vis fieri ab altero, & tu alteri feceris.* Atque hæc talis conventio maximè videtur necessaria, ut pax & tranquillitas inter homines conservetur incolumis. Vid. Joseph Vogler de Restit. in gen. q. 8. Nunc ex dictis

16 Infertur primo, eum, qui subitâ irâ correptus per actionem tantùm venialiter malam hominem interimit, non obligari ad ullam restitutionem. Præterea, custodem ædium, si per negligentiam solùm venialem fores relinquat apertas, atque deinde fures ingressi damnum inferant. item eos, qui nemora, vectigalia, vineas per culpam Theologicam minùs diligenter custodiunt, non obligari ad reparationem gravis damni, si quod inde acciderit. Lessius de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 6. n. 28. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 2. §. 5. n. 4. Ratio est: quia effectus pœnalis gravis, cujusmodi esset reparatio gravis damni, non potest oriri ex delicto levi.

17 Infertur secundo disparitas, cur pœna Purgatorii, quamvis sit major omnibus pœnis totius mundi, incurratur ob peccatum veniale etiam unicum: econtra gravis obligatio restituendi non contrahatur propter culpam venialem? Ratio nempe discriminis est: quia pœna Purgatorii, quamvis gravissima sit comparativè ad tribunalia humana, non tamen est gravis comparativè ad tribunal æternum, forumque Divinum, in quo infligitur. atqui obligatio restituendi ex culpa levi esset gravis in eodem foro conscientiæ, in quo contraheretur. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 5. n. 70. Pettschacher de Restit. pag. 178. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 1. a. 3. n. 13.

18 Infertur tertio disparitas, cur excommunicatio minor, quæ est pœna gravis, incurratur etiam per peccatum veniale, & non similiter ob peccatum veniale oriatur obligatio reparandi grave damnum? Ratio nempe est: quia excommunicatio minor est pœna medicinalis, quæ non tantùm adhibetur in finem puniendi, sed etiam animæ ab errore revocandæ: atqueadeo incurritur ob culpam solùm quoque venialem. Atqui obligatio restituendi non est pœna medicinalis; ergo. Lugo, Pettschacher locis citt.

19 Infertur quarto, quando plures furantur unicuidam gravem summam, ita ut quilibet furetur modicum quid inscius aliorum, & nullus alteri fuerit causa, vel occasio furandi, singulos, postquàm deinde intelligunt, ab omnibus notabile damnum fuisse illatum, non teneri sub mortali ad restitutionem. Less. lib. cit. cap. 12. dubit. 9. n. 52. Lugo disp. 16. sect. 3. n. 55. Pettschacher pag. 168. Ratio est: quia neque ex re accepta, neque ex injusta acceptione se obligantur. non ex re accepta; quia quilibet tantùm furatus est modicum. non ex injusta acceptione; quia hæc, utpote à singulorum acceptionibus omnino disparata, solùm erat culpabilis venialiter.

20 Infertur quinto, quamvis doctrina in nostris Conclusionibus tradita sit tuta in conscientia; imò non solùm possit, sed etiam debeat absolvi pœnitens, qui illam bona fide sequens non vult reparare damnum ex culpa solùm veniali datum, Confessarium nihilominùs sedulò cavere debere, ne, dum audit confitentem grave damnum culpabiliter intulisse, nimis sit facilis ad judicandum, damnificationem accidisse ex culpa solùm veniali ob defectum sufficientis deliberationis, atqueadeo non teneri ad ejus compensationem. Ratio est: quia, quando damnum illatum est grave, culpa, sive negligentia, ex qua proficiscitur, ordinariè censeri debet mortalis, nisi contrarium aliunde constiterit. Nam rarò, dum quis aggreditur opus ejusmodi periculosum, operatur ex inconsideratione solùm imperfecta: cùm opera externa suum periculum operanti facilè insinuent, animumque excitent ad advertentiam, & deliberationem, quæ sit vel formaliter, vel interpretativè plena, atque sufficiens ad peccatum mortale. Lessius ubi suprà cap. 7. dubit. 6. n. 29.

§. III.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in quasi contractu?

SUMMARIUM.

21. *Quid sit quasi contractus.* 22. *In quasi contractu nemo obligatur per se loquendo*

quendo ad restitutionem, nisi ob culpam Theologicam gravem. 23. *Per accidens tamen quis potest obligari ad diligentiam exactissimam.* 24. *Quid de dante consilium damniferum?* 25. *Quid de suadente sententiam probabilem?* 26. *Quid de Consiliario indocto, & tamen consulto?* 27. 28. 29. *Aliæ illationes de Confessario, Medico, Doctore, & similibus.*

21 NOtandum est, quasi contractum vocari illum, in quo non intervenit voluntas obligandi formalis & expressa, sed virtualis & interpretativa. Et hujus quinque species recensentur in Jure, *Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu nascuntur*: scilicet, *negotia gesta, tutela, cura communis rerum, aditio hæreditatis, solutio indebiti.* Communiter tamen idem nomen *quasicontractus* extenditur etiam ad quodvis aliud officium ac munus, v. g. Gubernatoris, Judicis, Medici, Procuratoris, Advocati; imò cujuslibet artificis, aut opificis: item Episcopi, Parochi, Confessarii, &c. nam omnes isti, dum suscipiunt tale aliquod officium ac munus, virtualiter aut interpretativè se se obligant ad debitam in ejus functione diligentiam præstandam.

22 Dico jam primo. In quasi contractu nemo per se loquendò tenetur ad restitutionem, nisi ex culpa lata, & simul Theologica mortaliter gravi. Ita Less. de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 7. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 7. n. 93. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 5. §. 2. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 32. a. 3. n. 1. Pettschacher de Restit. pag. 185. & alii. Ratio est: quia homines in muneris, vel officii alicujus susceptione aut traditione nunquam intendunt se, vel alios obligare nisi ad diligentiam moralem & humanam, qualem frugi homines ejusdem conditionis ordinariè ac communiter adhibere solent: ergo iidem neque obligantur ad restitutionem, nisi ex omissione diligentiæ communiter adhiberi solitæ, quæ omissio est culpa lata, & ordinariè Theologica mortaliter gravis. Atque hinc Advocatus v. g. non tenetur in patrocinando esse diligentior, quàm boni Advocati communiter esse solent. si proinde causâ cecidisti, eò quòd Advocatus non fuerit diligentissimus, tuæ infelicitati imputa. Advocatus enim, dum præstitit id, quod communiter præstare solent alii diligentes & docti Advocati in causis similibus, satisfecit suo muneri, & tibi nihil tenetur restituere. Idem senti de Medico, Architecto, Judice, & aliis officium, vel artificium aliquod facientibus.

23 Dico secundo. Per accidens in quasi contractu oriri potest obligatio ad præstandam diligentiam exquisitissimam, & consequenter, illâ non præstitâ, obligatio ad restituendum. Ostenditur. Nam primo ad ejusmodi diligentiam obligatur in conscientia, qui suscipiens aliquod officium expressè promittit, se id facturum cum dicta diligentia: obligatur enim ex pacto; præsertim, si propterea auctius stipendium accipiat. Secundo, quando hanc talem diligentiam promisit tacitè, v. g. jactandò se meliorem ac doctiorem quàm alios, sicque impediendò, ne alter quæreret doctiorem vel diligentiorem Medicum, Advocatum, Artificem &c. talis certè dānum per se secutum, si non præstitit, quod promisit, tenetur resarcire: tum, quia non erat peritus, qualem se esse mentitus est, adeoque alterum decepit: tum, quia eandem suam imperitiam noluit supplere per exquisitam diligentiam. Vid. Tamb. §. cit. n. 2. Pettschacher n. 186. Ex dictis

24 Infertur jam primo, teneri ad compensationem damni ex malo consilio propter ignorantiam crassam vel culpam latam secuti eum, qui ex officio dat consilium: v. g. si Confessarius ex hac tali ignorantia inducat pœnitentem ad faciendam restitutionem, ad quam ille non tenetur: si Theologus, aut Jureconsultus respondeat, certum aliquem contractum esse justum, qui non est justus. Lessius ubi suprà num. 33. Pettschacher pag. 187. Mezger n. 3. Ratio est primo, quia talis ex officio & vi suæ professionis tenebatur habere sufficientem rei notitiam, erroremque vel negligentiam in respondendo vitare: quod cùm non fecerit, censetur causa damni secuti. Ratio est secundo, quia ratione possessionis suæ vel officii habebatur sufficiens ab eo, qui petiit consilium: cùm ergo non fuerit sufficiens, & tamen dederit consilium, alterum decepit.

25 Infertur tamen secundo, illum non teneri ad restitutionem, qui dedit consilium ex sententia verè probabili. Ratio est: quia dando ita consilium prudenter se gessit. Excusatur etiam à restitutione, qui vel simpliciter aperit suam mentem dicens, ita sibi quidem videri; non tamen suadens, ut alter sequatur: vel, qui indicat, se dubitare. tunc enim, qui sequitur talem consiliarium, damnum inde secutum suæ temeritati adscribat. Less. loco cit. Mezger n. 4. Pettschacher pag. 189.

26 Infertur tertio, neque illum teneri ad restitutionem, qui, cùm esset insufficiens ad dandum consilium, ab altero consultus est, licèt is non ignoraverit illius insufficientiam. Unde petens sibi imputet quodcunque damnum ex tali consilio secutum. Idem Less. n. 34. Mezger n. 5. Ratio est: quia scienti ac volenti non fit injuria. Quòdsi tamen agatur de damno alicujus tertii,

tertii, imperitus ejusmodi Consiliarius illi tertio tenetur resarcire damnum, quod ex ipsius consilio eidem obvenit: v. g. si suasit cuipiam contractum injustum, vel, ut non restituat. Ratio est: quia malô suô consiliô graviter nocuit illi tertio. Mezger loco cit. & alii.

27 Infertur quarto, Confessarium non teneri ad restitutionem, quamvis ex officio Confessiones audiat, si ex negligentia, vel ignorantia pœnitentem non moneat de obligatione restituendi. Ratio est: quia licèt Confessarius teneatur pœnitentem instruere ac monere de his, quæ ignorat, ita uthoc non faciendô graviter peccet, non tamen tenetur ex obligatione Justitiæ erga tertium, quasi ex Justitia ejus damna præcavere, aut, ut ea compensentur, procurare debeat. Pettschacher pag. 187. Mezger n. 7.

28 Infertur quinto, Confessarium, Medicum, Advocatum & similes, quando sine culpa Theologica alteri malè consuluerunt, damnumque inde advertunt primùm secuturum, teneri ad removendam causam illius, datique consilii correctionem. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 7. n. 95. Pettschacher pag. 188. Ratio est: quia, si hoc non facerent, censerentur influere in damnum subsequens voluntariè conservandô causam illius. Unde nihil refert, quòd talis ponendô causam damni non peccaverit Theologicè, ut patet etiam in simili: nam si per errorem inculpabilem graviter infamavi Petrum, tenebor ei famam restituere, postquam advertero, illam graviter à me læsam fuisse: quia, licèt non peccaverim auferendô famam, pecco tamen graviter, dum voluntariè conservo in aliorum existimatione gravitatem infamiæ. Similiter, si domum alterius ex inculpabili injuria incendissem, posteaque adverterem, id incendium ex mea hac injuria fuisse exortum, ex Justitia tenerer illud extinguere, si commodè possem: quia nempe censerer alioquin voluntariè conservare causam damni à me positam, quod non minùs repugnat obligationi naturali Justitiæ, quàm causam damni primò voluntariè ponere: ergo pariter ob eandem rationem, si ex officio dans consilium dedisti consilium pernicioSum, causamque damni, licèt inculpabiliter, teneris ex Justitia, postquàm id adverteris, impedire corrigendô consilium, & causam damni movendô, si commodè possis.

29 Infertur sexto, ex Justitia obligatum, ut diceret veritatem, teneri ad restitutionem, quando consiliô suô falsô & mortaliter culpabili fuit causa, ne tertio alicui bonum quodpiam conferretur, quòd tamen petens consilium illi conferre volebat, licèt non debitum ex Justitia. Exemplum est, si Caius votum fecit, quòd velit Titio largiri eleemosynam; Confessarius autem de hoc consultus per crassam ignorantiam respondeat, ipsum votô non teneri; ideoque Titio non obveniat sperata, & aliàs certò obventura eleemosyna. Lugo n. 96. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 1. pu. 4. n. 98. Laym. lib. 3, sect. 5. tract. 2. cap. 7. n. 3. Mezger n. 8. Pettschacher pag. 190. contra Navarrum & Sanchez existimantes, Confessarium in hoc tali casu non obligari ex Justitia ad restitutionem. Sed contra horum sententiam ratio illationis est: quia licèt Titius non habuerit jus absolutum ad eam eleemosynam, habuit tamen jus rigorosum, ut impediretur per fraudem & dolum à consecutione illius, item, habuit jus condionatum ad eleemosynam fundatum in libera voluntate Caji, eandem certò alioquin largituri. Atqui Confessarius, dum modô memoratô respondet Caio, jus istud graviter lædit per fraudem & dolum, quibus æquivalet ignorantia crassa; ergo graviter lædit jus Titii, & consequenter ex Justitia tenetur id resarcire pro quantitate & æstimatione spei frustratæ, quam idem habuit ad eleemosynam.

§. IV.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in Contractu?

SUMMARIUM.

30. *Status quæstionis.* 31. *Tria genera Contractuum hic observanda.* 32. *Sicut & tres dispositiones Juris de illis.* 33. *De jure naturæ nemo tenetur resarcire grave damnum, nisi ob culpam latam & Theologicè gravem in Contractu admissam.* 34. 35. *Quod idem dicendum spectato jure positivo, ante sententiam Judicis.* 36. *Afferuntur nonnulli casus excepti.* 37. 38. *Non teneris res alienas in communi periculo præferre tuis æquè, vel magis pretiosis.* 39. *Quid, si adsit spes recipiendi pretium?* 40. *An tenearis rem alienam tunc præferre tuæ viliori cum tuo notabili damno?* 41. *An cum damno non notabili?* 42. *Si damnum aliquod grave à domesticis illatum sit cum gravi culpa domini, hic tenetur ad restitutionem.* 43. *Secùs, si talis culpa absit.* 44. *Quid post sententiam Judicis?* 45. *Statuuntur obligationes restituendi ex indirecta damnificatione consequentes.*

30 QUæstio non procedit de restitutione rei, ad quam tradendam, seu reddendam aliquis

aliquis vi contractus se obligavit, v. g. ad tradendum equum, quem vendidit, vel solvendum pretium, quod pepigit; sed de compensatione damni, quod alter in re sua patitur ex culpa contrahentis; ut, si equus Petro commodatus à Paulo pereat culpâ Petri, cui est commodatus: ubi nempe quæritur, an Petrus ex qualibet culpa seu Juridica, seu Theologica teneatur ad resarciendum damnum? Ante resolutionem

31 Notanda sunt primo tria genera contractuum. Nam alii contractus cedunt in utilitatem solius accipientis: ut contractus commodati, in quo res quæpiam gratuitò conceditur ad usum pro determinato tempore. Alii cedunt in utilitatem solius dantis, v. g. contractus depositi ad custodiam tantùm. Alii cedunt in utilitatem utriusque contrahentis, nempe tam dantis quàm accipientis, v. g. contractus pignoris, emptio, locatio.

32 Notandæ sunt secundo circa jam dicta genera contractuum in præsenti materia tres dispositiones Juris civilis apud Lessium de Just. lib. 2. cap. 7. dubit. 8. & Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 5. §. 1. Prima est: quando contractus cedit in utilitatem solius accipientis, tunc iste obligatur ad evitandam etiam culpam levissimam, damnumque ex ea datum resarciendum; non autem, si damnum merè fortuitò, & sine ulla culpa ipsius acciderit. Excipitur ab hac dispositione precarium. Ad hoc enim restituendum quis solùm tenetur ex dolo, vel culpa lata. Secunda dispositio est: quando contractus cedit in utilitatem solius dantis, accipiens tenetur tantùm restituere ex dolo & culpa lata: v. g. siquis apud te suam pecuniam, vel librum deposuit ad custodiam tantùm, non teneris ad restitutionem, quando hæc pereunt sine dolo, vel culpa lata, quamvis in custodiendo commiseris culpam levem vel levissimam. Tertia dispositio est: quando contractus est in utilitatem utriusque contrahentis; ut, dum locatur domus, vel equus; accipiens tenetur ad restitutionem ex culpa lata, & levi, non autem ex levissima. An, & quomodo istæ dispositiones Juris civilis vim habeant in foro conscientiæ, per sequentes Conclusiones declarabitur. Itaque

Dico primo. De jure naturæ nemo
33 in contractu obligatur ad resarciendum damnum grave, nisi ob culpam latam, & Theologicè gravem. Ita Molina de Just. tom. 2. disp. 295. Less. à num. 38. Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 8. num. 103. Pettschacher de Restit. pag. 194. Joseph. Vogler de Restit. in gen. q. 9. num. 142. & alii communiter. Ratio est: quia lege naturæ nemo obligatur ad majorem diligentiam adhibendam in custodia rei commodatæ, conductæ &c. quàm ipse dominus adhibuisset: sed iste non adhibuisset diligentiam majorem, quàm moralem & humanam, non autem exquisitissimam, si res apud ipsum extitisset; ergo nec alius obligatur ad adhibendam diligentiam majorem, quàm moralem & humanam, cujus omissio habeatur pro culpa lata. Si proinde ea diligentia morali præstita res pereat, sine culpa, adeoque sine injuria domini perit; & consequenter de jure naturæ & in conscientia nulla oritur obligatio restituendi.

Dico secundo. Etiam de jure positi- 34
vo nemo per se tenetur in contractu ad restitutionem ante sententiam Judicis, nisi ex culpa lata. Et consequenter dispositiones Juris civilis, quarum meminimus, non obligant in foro conscientiæ. Idem docent Lugo sect. cit. à num. 106. Tambur. ubi suprà num. 5. Sporer tract. 4. cap. 2. num. 234. & pluribus relatis subscribens Joseph. Vogler num. 143. idémque esse probabile fatentur Lessius, Mezger, Pettschacher & alii. Ratio est primo: quia leges pœnales, seu quasi pœnales non obligant in conscientia ante sententiam Judicis: sed leges, ex quibus habentur prædictæ dispositiones, sunt tales; utpote præcisè institutæ ad cives cautiores ac diligentiores reddendos in evitandis damnificationibus etiam fortuitis: ergo non obligant in conscientia. Ratio est secundo: quia concesso etiam, quòd leges illæ non sint merè pœnales, sed intendant obligationem quoque in foro interno, & ante sententiam, in eo tamen foro non ita videntur receptæ. Cùm nemo existimet, sibi ex Justitia plus diligentiæ esse adhibendum in custodia pignoris, vel rei conductæ, quàm adhiberet ipse dominus, si res apud illum existeret: vel se teneri ad restitutionem, si talem diligentiam adhibuerit, esto, res non periisset; si majorem diligentiam adhibuisset. Idem est in commodato. Nam licèt hoc commodatarius diligentiùs fortè custodiat, quàm ipse dominus custodiret; id tamen non facit, quòd putet, se teneri ex Justitia; sed ex gratitudine propter utilitatem, quam percipit ex re alterius. Ratio est tertio: quia nemo vi legum obligatur in conscientia, aut intendit se obligare pro casu mere fortuito: sed quando res aliena perit vel absque omni culpa Theologica; vel saltem gravi (qualis ordinariè est culpa lata in materia gravi) propter naturalem oblivionem & inadvertentiam plenam vel semiplenam, censetur esse casus

mere fortuitus; sicut est casus mere fortuitus, quando res aliena perit ob alterius subitam amentiam vel plenam, vel semiplenam. Ergo nulla hinc sequitur obligatio restituendi.

35 Corollarium. Qui ex ædibus suis aliquid inconsultò effudit, ejecit: qui canem alligare; candelam ardentem extinguere, furnum claudere fuit oblitus, indéque damnum alteri evenit, etiam in re, quam habebat ex contractu, non tenetur quid restituere ante sententiam Judicis. Unde, si librum v. g. gratis commodatum reliquisti in cubiculo, & egrediens ostium clausisti, sed non tentâsti, an firmiter clausum esset; adeoque culpam levissimam commisisti, ob quam liber furtô fuit ablatus, ad nihil teneris. Ratio ex dictis est: quia neque ex jure naturali, neque positivo hîc oritur obligatio restituendi. Neque dicas, contrahentes saltem implicitè se obligare ad custodiam rei alienæ juxta formam præscriptam legibus positivis, quarum hactenùs meminimus: in forma autem legibus præscripta exigi diligentiam exactissimam. Nam respondeo, gratis asseri, contrahentes eo modo se obligare: solùm enim obligant se ad diligentiam humánam & moralem, qualem in custodia propriarum rerum adhibere solent. Vid. Tambur. n. 6.

36 Dico secundo. Per accidens fieri potest, ut quis in contractu teneatur ad compensationem damni gravis in re aliena etiam fortuitò & absque culpa Theologica ipsius pereunte. Ostenditur ex Lessio, ubi suprà num. 37. & Tambur à num. 10. ubi tres casus afferunt, in quibus talis obligatio emergit. Primo, si pactum intercessit de compensatione facienda, quamvis res pereat fortuitò: quod pactum semper licite exigit dominus in gratis commodatis & similibus, non tamen in locatis v. g. justo pretio. Nam ultra justum pretium exigere tantum onus non est æquum: cùm & ipsum sit pretio æstimabile. Secundo, si is, apud quem res erat, fuit in culpabili mora restituendi, nempe, si tempore statuto non restituit, licèt potuisset, résque postea periit, cùm fortè non periisset, si tunc restituisset. Talis tenetur restituere ex delicto injustæ detentionis. Tertio, si culpabiliter data fuit occasio casui fortuito: v. g. si commodatarius aliter utatur re commodata, quàm conventum est: ut, si equum commodatum ad unum iter adhibeat ad aliud, isque in eo pereat.

37 His jam expeditis, operæ pretium erit alias nonnullas quæstiones præsenti materiæ affines resolvere. Quæritur autem primo, an in communi periculo quis rem alterius, quam habet ex contractu, teneatur præferre rei propriæ? Status quæstionis est iste. Oritur incendium: proximè instat naufragium, & Cajus apertè videt, vel res suas, vel Titii, aut Sempronii, quas habet commodatas, depositas &c. interituras, nisi alterutras subducat periculo. Quæritur, an eidem tali periculo teneatur potiùs subducere res alienas quàm proprias? In foro externo quidem, ut habet Lugo de Just. to. 1. disp. 8. sect. 10. n. 132. jura præsumunt, Cajum res suas subducentem ac liberantem, & alienas negligentem dolo malo liberâsse; ideóque ad restitutionem compellunt, sive res illas habuerit in propriam, sive in alterius utilitatem. Restat igitur difficultas, ad quid teneatur in foro interno, seu conscientiæ?

38 Respondeo primo. Si res propriæ sunt æquè pretiosæ, aut pretiosiores, quàm alienæ, non teneris alienas præferre propriis, sed potes has tutâ conscientiâ subducere periculo præ alienis ex quocunque contractu apud te existentibus. Lugo sect. cit. num. 139. Tambur. §. 3. num. 2. Sporer tract. 4. ad præcept. Decal. 2. tab. cap. 2. num. 235. Pettschacher de Restit. pag. 204. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 32. a. 6. num. 6. Ratio est: quia nemo præsumitur in contractu quocunque obligare se velle ad expensas extraordinarias in rei alienæ conservationem faciendas: atqui, si deberes ex Justitia, relictis rebus propriis æquè pretiosis, vel pretiosioribus, salvare alienas, obligareris ad expensas extraordinarias; & quidem absque probabili spe eas recuperandi. Quis enim prudenter sibi persuadeat, dominum rei alienæ tantundem aliquando refusurum? Cùm ejusdem non pluris interesset, quòd rem ipsius præ tua liberâsses, quàm si non liberâsses, si deberet tantum vel plus rependere, quàm valet res liberata; atque adeo rem suam vel majori, vel æquali pretio emere? Itaque non teneris in casu nostro rem alinam præferre tuæ.

39 Respondeo nihilominùs secundò. Si haberes rationabilem spem recuperandi à domino pretium, tenereris ad liberandam rem alienam præ tua æquè, vel magis pretiosa. Ratio est: quia tunc nihil patereris detrimenti; adeoque nullam haberes causam à conservatione rei alienæ excusantem: veluti magis colligetur ex sequentibus. Verùm hunc casum Tambur. num. 3. non immeritò vocat metaphysicum.

40 Respondeo tertio. Si res propria sit vilior, quàm aliena, non teneris hanc tuæ præferre, quando ex rei tuæ interitu notabile damnum incurreres, nec certus es moraliter de pretio recuperando. Lugo à n. 136.

Tam-

Tambur. n. 4. Pettschacher n. 205. Ratio ex dictis est: quia nemo in memoratis contractibus intendit se obligare ad expensas in rei alienæ conservationem faciendas cum notabili suo damno, vel probabili ejus periculo.

Confirmatur ex Card. de Lugo n. 138. quia durissimum, & ab omni æquitate prorsus alienum esse videtur, cum, qui videret in incendio, vel naufragio periura omnia sua bona, quæ 1000. aureis v. g. æstimantur, vel gemmam apud se depositam valentem 10. vel 12. millibus aureorum, obligare ex Justitia ad hanc talem gemmam periculo subducendam, rebus suis relictis, tametsi præviderct, sibi vitam deinceps in perpetua egestate agendam, & ab eo, cujus est gemma, nihil unquam in compensationem refundendum. Quis enim credat, vel diligentissimam rei alienæ custodiam obligare aliquando cum tanto detrimento proprio? De cætero, ut monent Authores, an detrimentum sit notabile, nécne, æstimandum est judiciô viri prudentis, & consideratione cùm tuæ, tum alterius paupertatis, vel opûm: item attendendo ad rei tuæ & alienæ valorem: damna quoque vel pericula ex jactura alterutrius consecutura &c. Advertendum est insuper, ex commodato, vel simili, quòd cedit in tuam solius utilitatem, majus aliquanto damnum esse subeundum quàm pro deposito, vel simili, quod cedit solùm in utilitatem alterius. Hoc quippe est rectæ rationi ex se consentaneum.

Respondeo quarto. Si res tua sit vilior, ita ut per ejus amissionem non incurreres notabile damnum, teneris rem alienam pretiosiorem præferre tuæ. Ita DD. citt. Ratio est: quia in prædictis contractibus modo humano initis semper implicita suscipitur obligatio rem alienam custodiendi modo morali, quo quis potest. Atqui in casu præsenti potes modo morali custodire & conservare rem alienam, utpote citra notabile detrimentum tuum; ergo ad hoc obligaris. Unde non excusaris à conservatione rei alienæ, quæ valet mille, si timeas jacturam unius aurei v. g. quia hoc non videtur damnum notabile.

42 Quæritur secundo, an quis teneatur resarcire damnum illatum à suis, nempe à suo animali, servo, filio? Respondeo primo. Dominus tenetur in conscientia resarcire damnum, quod ejus gravi culpa Theologica intulerunt ipsius animalia, servi, vel filii. V. g. si suasit, vel jussit inferre damnum; vel, si gravem negligentiam commisit in custodiendis, aut coercendis animalibus, bove, cane &c. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 3. pu. 8. num. 3. Pettschacher nu. 208. Ratio est: quia, quæ fiunt ab his, qui nostræ curæ commissi sunt, & sunt nostra instrumenta, à nobis fieri censentur, dum scienes fieri permittimus: & multò magis, si suadendô, vel jubendô fieri velimus.

Respondeo secundo. Si damnum gra- 43
ve quantumcunque ab istis illatum sit absque gravi culpa Theologica domini, hic ad nullam compensationem tenetur in conscientia ante sententiam Judicis. Bonac. n. 2. Lugo disp. 8. sect. 3. num. 27. Pettschacher n. 209. Mezger ubi suprà num. 3. Ratio est: quia neque tenetur ex contractu, vel quasi contractu; cùm nullum pactum sive explicitum, sive implicitum intercesserit; ut supponitur. Neque ex injusta acceptione: quia damnum accidit sine gravi culpa Theologica ipsius. Neque ex re accepta: res enim supponitur periisse, aut saltem nihil ejusdem ad dominum pervenisse. Ergo ex nullo capite tenetur quid restituere. Quòd si forte in aliquo factus sit ditior tenebitur illud refundere. Exemplum habetur, si bos illius depastus est agrum alienum, ipséque propterea fœno suo pepercit.

Dixi in responsione, *ante sententiam* 44
Judicis. Post hanc enim obligatis in conscientia vel damnum resarcire, vel animal, aut mancipium tradere damnum passo, si verè contigerit. Lugo cit. & alii. Ratio est: quia ita pro foro externo sanxerunt Jura, ut constat ex Instit. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, & ff. *eod. tit.* Leges autem quasi pœnales, cujusmodi sunt istæ, vim habent obligandi citra culpam Theologicam etiam in foro interno post sententiam Judicis, quamvis ante illam non sic obligent. Dixi tamen: *Si damnum verè contigerit*. Nam, si damnum à tuis re ipsa illatum non fuerit, ad nihil teneris in conscientia etiam post sententiam Judicis. Imò, qui aliquid à te accepit in compensationem, non potest id juste retinere, quando certò constat, damnum à tuis non provenisse. Ratio est: quia sententia semper supponit, damnum verè fuisse illatum à tuis, ergo, si istud suppositum re ipsa falsum sit, sententia non obligat in conscientia. Quòd si res dubia sit, volunt, parendum esse sententiæ: quia possessio stat pro Judice, quamdiu non satis constat de injustitia.

Quæritur tertio, an, & quomodo quis 45
teneatur ad restitutionem ex indirecta damnificatione? Sit exemplum. Cajus occultè occidit Titium: venit in suspicionem homicidii Sempronius, qui cum Titio exercebat simultates: capitur propterea, & suppliciô afficitur. Quæstio nunc est, an Cajus ex Justitia teneatur Sempro-

nio, vel ejus hæredibus resarcire illa damna ex suo homicidio per accidens & indirectè provenientia?

Respondeo primo. Cajus tenetur ex Justitia id omne compensare Sempronio, quod hic per sententiam Judicis expendere debuit in compensationem damni Titio directè illati. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 3. dubit. 2. n. 76. Mezger ubi suprà n. 7. Ratio est: quia tenetur ex Justitia ad resarcienda damna, quæ Titio directè intulit: ergo etiam tenetur ex Justitia refundere sumptus illi, qui loco, & vice ipsius ea damna compensavit. Sed in nostro casu Sempronius loco, & vice Caji illa damna compensavit; ergo Cajus tenetur ex Justitia sumptus factos refundere.

Respondeo secundo. Si Cajus occisioni Titii adjunxit eas circumstantias, propter quas meritò homicidium imputatum est Sempronio (v. g. si usus fuit vestibus, famulis, armis Sempronii ignari, vel inviti, ad cædem patrandam) tenetur itidem ad compensationem damni Sempronio ex occisione Titii consecuti. Lessius lib. 2. de Just. cap. 9. dubit. 16. n. 114. Mezger loco cit. Ratio est: quia in hoc casu fuit causa moralis, ut Sempronio imputaretur homicidium: & consequenter influxit etiam moraliter in damna Sempronio indirectè obvenientia.

Respondeo tertio. Ex eo præcisè, quòd Titium occiderit Cajus, ad nihil tenetur Sempronio, licèt hoc fecerit etiam hac intentione, ut Sempronio gravia damna emergerent. Molina de Just. to. 4. disp. 86. Lessius n. 113. Sanchez lib. 10. Consil. cap. 4. dubit. 1. Mezger loco cit. Ratio est: quia non fuit causa realis damnorum per actionem externam injustam, quod requirebatur, ut esset obligatus ad restitutionem. Nam neque physicè, ut patet; neque moraliter in ea influxit: cùm non ideo Sempronio imputetur homicidium, quòd Cajus id fecerit; sed propter alias conjecturas ex nullo ipsius concursu ortas, ut supponitur.

ARTICULUS IV.

An, & quando restituere teneantur cooperantes ad damnum?

NOvem communiter recensentur causæ coopetantes, quæ comprehenduntur apud D. Thomam 2. 2. q. 62. a. 7. sequentibus versiculis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

De istis jam concausis priùs universè, posteriùs in particulari agemus.

§. I.

Statuuntur quædam generalia.

SUMMARIUM.

1. *Ad damnum inferendum alii sunt cooperantes positivè, alii negativè tantùm.* 2. *Positivè cooperantes tenentur ad restitutionem.* 3. *Quando teneantur negativè concurrentes?* 4. *Non excusatur concurrens ad damni illationem, si ipso non concurrente alius concurrisset.* 5. *Quid de famulis non impedientibus damna herorum?* 6. 7. *Solvuntur duæ objectiones.*

1 NOtandum est, ex cooperantibus alios positivè, alios negativè tantùm concurrere ad damnum injustum. Positivè, seu directè concurrunt sex priores in recitatis hexametris indicati: nempe, mandans, consiliarius, consentiens, palpans seu laudans, dans recursum, & participans, quatenùs mandato, consilio, suffragio &c. positivè moraliter movent atque inducunt alterum ad injustè nocendum; vel physicè participant cum eodem. Negativè, vel indirectè concurrunt tres posteriores, putà mutus, non obstans, non manifestans, quatenùs præcisè non impediunt damnum injustum. Nunc

2 Dico primo. Quicunque aliquo ex modis recensitis positivè efficaciter cooperatur ad damnum proximi, is tenetur ad restitutionem. Ita unanimiter omnes DD. Ratio sufficiens est: quia omnis ille tenetur ad restitutionem, qui proximo verè damnum intulit violandô jus commutativum ipsius: sed qui aliquo ex illis modis efficaciter cooperatus est ad damnum, verè intulit damnum proximo violandô jus commutativum ipsius; ergo &c. Accedit irrefragabilis Authoritas Innocentii XI. proscribentis hanc propos. 38. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

3 Dico secundo. Ex negativè cooperantibus nemo tenetur ad restitutionem, nisi ex contractu, vel quasi contractu fuerit obligatus ad avertendum damnum. Ita com-

communiter DD. Ratio est: quia extra contractum, vel quasi contractum nemo ex Justitia obligatur ad impediendum alterius damnum, esto obligetur ex Charitate: ergo dum quis extra contractum, vel quasi contractum damnum non impedit, immunis est à peccato injustitiæ, & consequenter ab obligatione restituendi.

4 Infertur jam primo, positivè cooperantem non excusari à restitutione per hoc, quòd ipso non cooperante alius fuisset cooperatus, damnumque dedisset. Ita certa, & receptissima sententia. Ratio est: quia hic talis nihilominùs est efficax causa damni. Ad hanc enim sufficit ita concurrere, ut, si ipsa, vel alia similis non concurreret, aut influeret, damnum non sequeretur. sed efficax causa damni injusti tenetur ad restitutionem; ergo. Confirmatur primo. Quia alioquin suadens, vel præcipiens fieri homicidium non esset efficax causa illius, si alius fuisset suasurus, aut præceptarus: imò nec ille, qui realiter ac physicè cædem patraret, esset efficax causa damnorum, si alius patrâsset: sed conseq. repugnat communi omnium sensui; ergo. Confir. secundo. In rebus physicis ineptè argueres: si non calefaceret ignis A, calefaceret ignis B. ergo ignis A non calefacit: ergo etiam in moralibus malè argueres: si ego non mandâssem cædem injustam, mandâsset alius: ergo meo mandato non influxi efficaciter in cædem injustam. Meritò proinde hæc conditionalis, *si ego non fecissem, alii fecissent*, à tribunalibus rejicitur, ac veluti stolida excusatio exploditur. Vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 2. n. 2. Lugo de Just. to. 1. disp. 19. sect. 1. à n. 5. Joseph. Vogler de restit. in gen q. 16. n. 261.

5 Infertur secundo, famulum v. g. non teneri ad restitutionem, quando videt ab alio famulo domestico damnum inferri hero, idque non impedit, licèt facilè possit, nisi cura & custodia ejus rei ipsi specialiter commissa sit. Less. cap. cit. dubit. 10. n. 75. Lugo sect. 3. n. 105. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 5. n. 7. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 34. a. 1. n. 4. Ratio est: quia non eo ipso, quòd quis alteri famuletur, ex Justitia obligatur illius res custodire, saltem contra domesticos. Hanc enim obligationem ille solus ex famulis censetur contraxisse, cui rerum domesticarum custodia, specialiter demandata est. Hinc alii ex charitate tantùm, & non ex Justitia furta domesticorum impedire tenentur, si facilè, ac sine gravi suo incommodo possunt. Contra extraneos tamen omnes famuli ex Justitia tenentur curare, ne dominus per eorum furta detrimentum patiatur. Ratio est: quia ex ipsa conditione famulatûs, & quia domestici sunt, incumbit illis rei domesticæ custodia contra non domesticos. Ita citt.

Objicies contra secundam Concl. primo Authoritatem Alexandri III. in cap. *Sicut dignum.* 6. *de homicid.* dicentis: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, occidit:* Sed qui hominem occidit, tenetur ad restitutionem; ergo etiam, qui non liberavit à morte. Atqui sæpè contingit, ut ille quoque, qui non tenebatur ex Justitia liberare, potuerit liberare à morte; ergo occidit, si non liberavit; & consequenter tenetur ad restitutionem. Respondeo dist. maj. qui potuit, & ex officio debuit, vel qui positive juvit occisores, vel alios impedivit vi vel fraude, ne liberarent, conc. absolute & universaliter, neg. maj. & sic cum proportione dicendum ad reliqua. Nam summus Pontifex ibi respondet Episcopo Oxoniensi propter injustissimam cædem S. Thomæ Cantuariensis, ac vult, ut omnibus, qui positivè cooperati fuerant, congrua pœna imponatur, ne illis quidem exceptis, qui solùm comitati fuerant sacrilegos sicarios, ut opem iisdem ferrent contra alios, si qui forte meditatum scelus impedire conarentur. Nam & isti tales comites positive concurrerunt, addendo scilicet animos percussoribus, ut facinùs perpetrarent securiùs.

Objicies secundo. Ex eadem posteriore Concl. sequitur, illum non teneri ad restitutionem, qui suadet alteri, ne furtum impediat, quod ex charitate tantùm tenetur impedire. Sed conseq. videtur falsum; quia aliàs neque teneretur ad restitutionem, qui Titio volenti se defendere contra Cajum injustum aggressorem arma eriperet: quod enim tali casu Titio sunt arma, hoc alteri, qui furtum patitur, est bonus amicus paratus id impedire. Respondeo dist. qui suadet præcisè, nec adhibet vim vel fraudem, conc. si præterea adhibeat vim vel fraudem, neg. seq. Qui absque vi vel fraude impedit bonum al. ejus, quod eidem non est debitum ex Justitia, non peccat contra Justitiam; adeoque non tenetur ad restitutionem; peccat verò contra Justitiam, qui id impedit vi vel fraude. Unde quoad arma, quibus Titius se vult defendere contra Cajum injustum aggressorem, nulla est paritas: quia Titius vel est dominus armorum, vel certe habet jus, ne sibi per vim eripiantur.

§. II.

Quando ad restitutionem teneatur Mandans?

SUMMARIUM.

8. *Mandans inter concausas damni motales præcipua est.* 9. *Tenetur ad restitutionem.* 10. *Quando revocatio mandati innotuit mandatario re adhuc integrâ, mandans ad nihil tenetur.* 11. 12. 13. *Alia de revocatione mandati in praxi tenenda.* 14. *An mandans teneatur mandatario resarcire damnum, quod is propter executionem mandati incurrit?* 15. *Ratum habens damnum datum an teneatur ad restitutionem?*

8 CErtum est, inter causas motales & cooperantes potissimam esse mandantem. Concurrit enim ut causa principalis, ac maximè efficaciter; quia non est modus efficaciot creaturam rationalem libere movendi ad aliquid, quàm mandatum; utpote obligationem ac necessitatem quandam imponens alteri exequendi rem mandatam, ut notat Lessius de Just. lib. 2. c. 13. dubit. 3. Atque hinc

9 Dico. Qui expressè, vel tacitè, scilicet facto, vel dicto quopiam, ex quo alius facilè colligere potuit ipsius voluntatem, mandavit inferri damnum, tenetur ad restitutionem. Ratio jam patet; quia efficax causa damni tenetur ad ejus compensationem. Pro praxi nunc

10 Infertur primo, ad nihil teneri illum, qui damnum aliquod inferri mandavit, sed postea mandatum vel expressè, vel tacitè revocavit, idque mandatario innotuit ante executionem operis, licet hic nihilominùs ab executione non abstinuerit. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 3. pu. 6. num. 3. Less. dubit. cit. num. 17. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 1. pu. 5. n. 115. Mezger to. 3. disp. 34. a. 1. num. 11. Ratio est: quia tunc ejusmodi mandans non influit in damnum proximi; cùm influxum, quem antea posuerat, retraxerit, & interruperit. Aliter esset sentiendum, si mandati revocatio mandatorio non innotuisset. Tunc enim mandans adhuc esset efficax causa damni: cùm influxus semel efficaciter præstitus adhuc perseveraret.

11 Infertur secundo, mandantem non excusari à restitutione, si mandata quidem ex sua parte seriò revocet, mandatarius tamen existimet, id non fieri seriò, & ex animo, atque adeo opus mandatum, v. g. homicidium, exequatur. Lugo de Just. tom. 1. disp. 19. sect. 2. num. 26. Tambur. l. 8. in Decal. tract. 4. cap. 2. §. 1. num. 6. Pettschacher de Restit. pag. 593. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 3. num. 11. & alii. Ratio est: quia hic error mandatarii non obstat, quominùs is operetur in virtute mandati, hócque principaliter influat in damnum. Quod idem sentiendum est, quando mandatarius cognovit quidem, mandatum esse seriò revocatum, ex oblivione tamen inculpabili ejus revocationis immemor damnum intulit in virtute mandati: quia tunc similiter mandatum est principalis causa damni. Confirmatur. Quando mandans mandatum revocat per nuntium, hícque non pervenit ad mandatarium, antequam is damnum inferat, mandans tenetur ad restitutionem; quia revera influxus mandati non fuit sufficienter impeditus: ergo idem ob eandem rationem dicendum est in priori casu nostro.

12 Infertur tertio, si mandâsti damnum inferri Cajo, nec potes ampliùs ita tempestivè revocare mandatum, ut revocatio innotescat mandatario ante illationem damni, te obligari ad monendum Cajum, ut sibi caveat, quando id facere potes citra periculum majoris damni proprii. Lugo num. 30. Tambur. num. 7. Pettschacher pag. 593. Sporer num. 12. Joseph Vogler de Restit. in gen. q. 17. num. 275. Ratio est: quia teneris, quantùm fieri potest, ex Justitia impedire, ne proximo ex causa per te injustè posita sequatur damnum; sicut tenebaris eam causam ab initio non ponere. Dixi, *quando id facere potes &c.* secùs enim non teneberis admonere, sed sufficiet postea damnum illatum resarcire. Et ratio, quòd tunc admonere non tenearis, est: quia sicut non est obligatio restituendi cum longè graviori incommodo proprio, ita neque est obligatio impediendi effectum ex causa injustè posita secuturum, quando jam non est in tua potestate, nec potes impedire absque incommodo tuo longè graviori, v. g. non absque gravi tua infamia, vel longe majori damno fortunarum tuarum. De cætero, ut absque periculo famæ, aut etiam vitæ restituas, id facere potes occulte per amicum, vel prudentem Confessarium, ut monet Tambur. cit.

13 Infertur quarto, quando mandatarius in illatione damni excessit limites mandati, ita ut fuit in ipsius potestate observare ejus terminos, mandantem non teneri ad compensationem talis excessûs. Bonac. pu. cit. num. 7. Tambur. num. 2. Sporer num. 13. & alii. Ratio est: quia tunc ille excessus non provenit ex cooperatione mandantis, sed ex sola malitia mandatarii. Quare si Petrus man-

mandavit occidi Paulum, & mandatarius occidat cum incensione domûs; cùm posset occidere sine hac incensione, Petrus solùm tenetur ad compensationem damnorum ex homicidio ortorum, non autem illorum, quæ ex incendio secuta sunt. Cæterùm ratio Illationis præsentis, ut facilè patet ex dato jam exemplo, intelligenda est de excessu, qui communiter ac regulariter non est conjunctus cum mandatis. Nam, si excessus damni sit ex communiter contingentibus, & facilè potuerit ac debuerit prævideri à mandante, hic tenebitur ad illum resarciendum: v. g. si jussisti famulo, ut Cajo furaretur 100. & ille furetur 105. si jussisti, ut Titium graviter vulneraret, & ille penitus occidat, planè obligaberis non magis ad cætera damna, quàm ad hos excessus resarciendos. Ratio est: quia ut plurimùm & proximè solent esse conjuncti cum illis, quæ mandâsti: ergo meritò imputantur tuo mandato. Vid. Tambur. loco cit.

14 Infertur quinto, si mandatarius sponte se obtulit ad nocendum alteri, vel liberè acceptavit mandatum, vel mercedem recepit pro opera præstanda, mandantem non obligari ad compensationem damnorum, quæ hujusmodi mandatarius propter executionem mandati patitur: veluti contingit, dum in flagranti deprehensus ad furcam, vel rotam condemnatur. Tambur. num. 3. Sporer num. 14. Pettschacher ubi suprà pag. 595. Ratio est: quia tunc mandatarius ultro se objecit periculis; adeoque nullam à mandante passus est injuriam, ex qua idem obligationem contraheret compensandi damna. Dixi, *si sponte se obtulit, &c.* Nam si deceptus, vel coactus à mandante suscepit damnosum mandatum, tenetur idem mandans resarcire damna, utpote ex injusta ipsius deceptione, vel coactione mandatario consecuta. Quod tamen intellige de damnis, quæ communiter contingere solent ex opere mandato: hæc enim, & non alia extraordinariè obvenientia, censentur mandanti voluntaria, saltem indirectè. Vid. citt.

15 Infertur sexto, si filius nomine patris, vel famulus nomine heri nescientis damnum intulit, quod ille deinde re cognita ratum habet, nec patrem, nec herum teneri ad restitutionem. Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 3. num. 13. Filliuc. tract. 32. cap. 3. num. 55. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 5. n. 3. Ratio est: quia factum præteritum, per quod illatum est damnum, neutiquam dependet à ratihabitione secuta tanquam causa movente. Unde ratum habens reverà non est causa damni. Neque obtrudas regulam illam 10. Juris in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Hoc enim verum est de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati per subsequentem ratificationem confirmari solent. Item de pœnis in foro externo, ubi, qui ratum habet delictum suo nomine patratum, non minùs punitur, quàm si ante patrari jussisset.

§. III.

Quando ad restitutionem teneatur Consulens.

SUMMARIUM.

16. *Quinam intelligatur nomine Consulentis?* 17. *Consulens tenetur compensare damnum ex suo consilio secutum.* 18. *Quid de suadente illationem damni ad id inferendum aliunde determinato?* 19. *Quid de suadente inferre minus damnum volenti inferre majus.* 20. *Quid de suadente furi v. g. ut Titio, de cujus læsione nihil cogitabat, auferat 50. cùm statuerat Cajo auferre 100.* 21. *Quid de proponente in genere id, quod est minus, dum alter alterutri duorum damnum inferre paratus est?* 22. *Revocato consilio noxio, quod fuit falsum, Consiliarius ad nihil tenetur.* 23. *Tenetur autem ad restitutionem, si tale consilium fuit verum.* 24. *Solvitur Objectio.*

16 NOmine Consulentis ille intelligitur, qui damnum inferri suadet, vel ad id inferendum alterum hortatur, dirigit, instruit: item, qui petit, rogat, inferri, vel ad hoc inducit muneribus, blanditiis & similibus. Quando Consulens, ut alterum inducat ad damnificandum, præcise interponit suam authoritatem aut gratiam, veluti facit, dum id petit, vel rogat solummodò; vel simpliciter aperit mentem suam; tunc ejus consilium dicitur simplex. Quando verò adducit insuper motiva & rationes, quæ proximum persuadere possunt, ut alteri noceat; vel quando docet artem nocendi, manifestandô v. g. secretum magicum; dicitur consilium vestitum. Porrò certum est omnibus, Consulentem esse veram & efficacem causam damni: cùm in moralibus suadere damnum & efficere pro eodem habeantur, & Aristoteles 2. Physic. tex. 29. consiliarium inter causas efficientes collocet.

17 Dico proinde. Consulens tenetur ad compensationem damni ex suo consilio secuti. Ratio jam reddita est. Et certe non rarò accidit, ut solus consulens (idem dic de mandante & similibus) teneatur ad restitutionem, & non executor damni: quando nem-

nempe hic rerum imperitus bona fide authoritatem suorum suasorum sequitur, ac justè à se procedi ob invincibilem ignorantiam arbitratur. In tali quippe eventu tota formalis injustitia penes pravos consiliarios est.

18 Infertur primo, Cajum non teneri ad restitutionem, si dedit consilium Mævio, ut damnum inferret Titio, quando ad hoc inferendum Mævius vel suapte malitia, vel ex aliorum consiliis jam erat determinatus. Lessius de Just lib. 2. cap. 13. dubit. 2. num. 4. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 2. pu. 7. num. 3. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 2. num. 3. Ratio est: quia licèt ejusmodi consilio peccaverit Cajus etiam contra Justitiam, illud tamen erat inefficax; cùm damnum aliunde, & non ex consilio, quod ipse dedit, provenerit.

19 Infertur secundo, illum non teneri ad restitutionem, qui furi v. g. parato ad inferendum Cajo damnum gravius suadet, ut inferat damnum levius: ut, si parato furari 100. suadeat, ut furetur 50. si parato occidere suadeat, ut vulneret tantùm, dum nempe alius modus non suppetit hominem retrahendi à noxa. Less num. 19. Bonac. n. 8. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 3. num. 25. Filliuc. tract. 32. cap. 3. num. 59. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 34. a. 1. n. 8. Ratio est: quia hic talis consiliarius negotium Caji utiliter gerit, eique beneficium præstat impediendô saltem majus damnum ipsius, quando omne non potest impedire.

20 Infertur tamen tertio, teneri ad restitutionem, qui furem, aut latronem volentem Cajo inferre majus damnum, v. g. auferre 100. persuadeat, ut Titio, de quo lædendo ille nihil cogitabat, inferat minus, v. g. auferat 50. Sayrus in Clavi reg. lib. 10. tract. 2. cap. 8. num. 4. Less. num. 20. Bonac. num. 14. Filliuc. loco cit, Mezger num. 9. Sporer num. 27. Ratio est: quia hic talis impedit damnum Caji cum injuria & damno Titii, quatenus eundem objicit animo hominis nocendi cupido, eúmque efficaciter excitat ad damnum inferendum, cui alioquin nocere non voluisset. Unde licèt beneficium præstet Cajo, id tamen præstat cum injuria Titii, cui proinde damnum resarcire tenetur. Cæterùm si damnum minus foret adeo leve respectu divitiarum damnificati, ut illud ex charitate teneretur pati ad avertendum grave damnum proximi, non teneretur ad restitutionem, qui id inferri suasisset: quia tunc dominus de illo non esset rationabiliter invitus. Bonac. Mezger locis citt.

21 Infertur quarto, quando fur, latro, maleficus omnino obstinatus est ad inferendum damnum Petro, vel Paulo, sed vetsatur in dubio, cuinam illorum determinatè inferat? Non teneri ad restitutionem, qui furi dicit v. g. *majus malum est nocere Petro; quia pauperior est.* Item, *majus malum est potiùs fugiendum.* Less. num. 21. Lugo de Justitia, tom. 1. disp. 19. sect. 2. num. 46. Bonac. loco cit. Sporer num. 26. Mezger num. 10. Joseph Vogler de Restit. in gen. q. 18. n. 290. Ratio est: quia ita loquens non objicit proximum injuriæ, sicut in casu Illationis præced. aut furem determinat ad nocendum ipsi; sed tantùm aperit certissimam veritatem, eámque cognitu utilem aliunde obstinato ad nocendum alterutri. Quod non potest hîc prudenter ægrè ferre Paulus locupletior. Licèt enim is habeat jus retinendi res suas, non tamen habet jus erga alterum, ut idem abstineat ab explicatione veritatis proximo utilis.

22 Infertur quinto, non obligari Consiliarium ad compensationem damnorum secutorum ex consilio suo, quod fuit falsum, quando id re adhuc integra, & antequam opus damnosum susciperetur, revocavit. V. g. dixisti, licitum esse certum aliquem contractum, qui re ipsa est illicitus: medicinam esse salubrem, quæ re ipsa est noxia; sed antequam contractus iniretur, vel medicina applicaretur, fassus es, te fuisse deceptum, & contractum esse injustum; medicinam esse noxiam sufficientibus motivis ostendisti, ad nihil teneris, si petens à te consilium insuperhabita tua hac tali revocatione ad suam, vel aliorum perniciem illo utatur. Less. n. 15. Bonac. n. 6. Lugo num. 37. Mezger num. 13. Sporer num. 21. Ratio est: quia tunc damnum non potest imputari dato consilio (quippe à quo non amplius potest moveri consulens; cùm id consultus esse falsum satis ostenderit) sed malitiæ, vel temeritati opus damnosum exequentis.

23 Infertur econtra sexto, non excusari à restituendo illum, qui dedit consilium verum, ex quo alter passus est damnum, licèt tale consilium re adhuc integra revocaverit. V. g. si rogatus docere modum procurandi abortum, aut exequendi furtum dedisti verum nocivum consilium, teneberis ad restitutionem, quamvis id retractaveris, si alter illud secutus damnum intulerit. Lessius num. 16. Bonac. Lugo, Mezger, Sporer locis citt. Ratio est: quia retractatio veri consilii non facit, ut non maneat verum consilium, vimque movendi amittat. Unde consulens adhuc illo movetur efficaciter ad inferendum damnum. Atqui consiliarius tamdiu

censetur influere in damna, quamdiu alter ex ejus consilio ad illa referenda movetur; ergo.

24 Dices. Mandans revocato mandato non tenetur ad compensationem damni illati à mandatario: ergo neque præbens damnificum consilium tenetur ad resarciendum damnum, quod dedit tale consilium secutus postquàm id revocavit. Respondeo, si in Conseq. sermo esset de consilio simplici juxta dicta num. 16. nos totum concessuros, quod infertur; quia hoc genus consilii rectè æquiparatur mandato; cùm tota ejus vis movendi consistat in auctoritate, judicio, vel etiam voluntate consiliarii, sicut vis motiva mandati consistit in auctoritate & voluntate mandantis. Verùm, quia sermo erit de præbente consilium vestitum, conc. Ant. neg. conseq. disparitas ex dictis est, quòd mandans per revocationem mandati faciat, ut mandatarius non amplius moveatur à mandato ad executionem damnosi operis. Repugnat enim, quemquam moveri ex voluntate alicujus, quem scit, non ampliùs idem, quod priùs, sed contrarium velle. Atqui revocans consilium damniferum (intellige verum) non facit, quin rationes, & motiva illius semel suggesta maneant, ac moveant eum, qui sibi consuli petiit, ad damnum inferendum. Sicut proinde manet concausa homicidii, qui homicidæ ad id patrandum arma subministravit, quamvis cum postea conatus fuerit revocare à facinore; ita consiliarius manet concausa damni, & obnoxius restitutioni, quando ad illud inferendum præbuit nocivum consilium, licèt istud, quantum in ipso erat, revocaverit. Poterat enim, ac debebat meminisse malorum, quæ inde sequi sunt nata: & cogitare, non fore postea in sua potestate impedire, ne alter ex dato consilio moveatur, idque re ipsa mandet executioni. Vid. Less. loco cit.

§. IV.

Quando ad restitutionem teneatur Consentiens, & Palpo?

26. Quis consentiens? quis palpo? 27. Qui efficaciter consentit in damni illationem, tenetur restituere. 28. Quid de non consentiente, qui tenebatur consentire? 29. Quid de consentientibus in damni illationem jam decretam? 30. Qui fert iniquum suffragium post suffragia sufficientia ad inferendum damnum, non tenetur restituere. 31. 32. Aliæ resolutiones de iniquis suffragatoribus. 33. An, & quando contra justitiam peccent Senatores in Senatu non comparentes? 34. 35. Palpo, adulator, exprobrator, irrisor quando teneantur ad restitutionem?

COnsentiens ille hîc dicitur, qui suffragio, voto, vel sententia movet aut determinat ad illationem damni. Nomine Palponis venit, qui laudandô, deridendô, vel exprobrandô inducit alterum ad damnum inferendum, v. g. commemorandô hominis injuriâ affecti nobilitatem, vires corporis; exaggerandô acceptam contumeliam, vel dedecus; vituperandô timiditatem &c. 26

Dico primo. Qui suo consensu efficaciter concurrit ad illationem damni injusti, tenetur ad restitutionem. Ratio est: quia efficax causa damni tenetur ad restitutionem. Quare, si aliquis ex magistratu, vel senatu ad inferendum bellum injustum; aliquis ex concilio, vel capitulo ad statuendam legem iniquam atque damniferam; ad promovendum hominem indignum & Ecclesiæ perniciosum præstet consensum, aut ferat suffragium, is tenetur ad compensanda damna, quæ inde oriuntur. 27

Infertur jam primo, peccare contra Justitiam & obligari ad restitutionem non tantùm illum, qui per suum suffragium consensit in actionem injustam damniferam, sed etiàm illum, qui assentiri ex Justitia obligatus suffragium negat, quando in favorem alicujus, vel in bonum reipublicæ id ferre debuerat. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 2. Ratio est: quia talis ex Justitia tenetur suo consensu prospicere bono reipublicæ, vel commodo alterius: ergo, dum id facere negligit, & ex hac negligentia detrimentum oritur, ipsi est imputandum. 28

Infertur secundo, magnates, proceres, & alios, quos Princeps post decretum bellum injustum convocavit, ut exquireret eorum consensum, non teneri ad compensationem damnorum ex eo bello ortorum, quamvis injustè illud approbaverint, & Princeps propterea id libentiùs fuerit executus. Bonac. de Restitut. disp. 1. q. 2. pu. 8. num. 3. Dicastillo libro 2. de Restitut. tract. 2. disp. 4. dubit. 5. num. 92. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 5. num. 120. Ratio est: quia licèt hi tales peccaverint contra Justitiam ejusmodi bellum approbandô, atque in id consentiendô, consensus tamen ab ipsis præstitus non est efficax causa damno- 29

damnorum: cùm bellum, ut fieret, ab illo non dependerit.

30 Infertur tertio, te non teneri ad compensationem damni secuti, quando plures ferunt suffragium, aut subscribunt causæ vel sententiæ iniquæ, tuque etiam consentis, postquàm sufficiens numerus est suffragatus. Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 3. num. 23. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 5. num. 6. Dicastillo num. 93. Salmantic. num. 122. Ratio est: quia tuum suffragium tunc non est causa damni. Hæc enim sufficienter & efficaciter erat posita ante tuam suffragationem. Quòdsi verò suffragium tulisti ante sufficientem numerum, teneris ad restitutionem, tametsi sciveris, sequentes suffragatores in eandem tecum partem consensuros. Ita citt. Ratio est: quia tuum suffragium unà cum aliorum suffragiis fuit vera causa, ut ferretur damnosa sententia. Quod idem dicendum in priori casu, si fortè Princeps v. g. non fuisset secutus pluralitatem votorum, sed motus est ad iniquam sententiam per unanimem consiliariorum consensum. Joseph. Vogler de Restit. in gen. q. 19. num. 302.

31 Infertur quarto, posteriores suffragatores teneri ad restitutionem, quando non dissenserunt, si ipsis dissentientibus pars major injustè suffragantium mutâsset suam sententiam revocàndô suffragia. Bonac. ubi suprà num. 4. & alii. Ratio est: quia tunc posteriorum suffragia erant necessaria ad impediendum damnum, quod quilibet ex officio debebat impedire. Idem est, si aliquis ex posterioribus esset tantæ auctoritatis & gratiæ, ut suo dissensu alios secum traheret ad justam sententiam, & priora suffragia, quando sunt revocabilia, revocanda. Talis enim teneretur de damno tanquam mutus, sive non obstans. Lessius, Laym. Salmantic. locis citt. Dicastillo n. 95.

32 Infertur quinto, dubitantem, an tulerit suffragium post numerum sufficientem suffragiorum damniferorum, & utrùm suum suffragium fuerit ex posterioribus, vel prioribus? teneri ad restitutionem, saltem quoad partem damni pro ratione dubii. Bonac. num. 5. Salmantic. num. 123. Lugo de Just. tomo 1. disp. 19. sect. 1. num. 22. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 3. num. 39. Joseph. Vogler num. 303. Ratio est: tum, quia in foro externo judicatur contra talem: ergo idem faciendum in foro interno: quod conformatur externo, quando non nititur falsa præsumptione. Tum, quia possessio stat pro damno, quod constat fuisse illatum: adeoque suffragatori, ut se præstet immunem ab onere id compensandi, incumbit ostendere, quòd non influxerit in illud. Vide plura apud Card. cit.

Ex dictis etiam resolvi potest quæstio, 33
an illi, quibus ex officio competit jus suffragii, ut sunt Consiliarii, Reipublicæ, Senatores, & similes, peccent contra Justitiam, & teneantur ad restitutionem, quando subterfugiunt Senatum, ubi tamen possent impedire iniquas & damniferas sententias? nam respondendum est affirmativè. Ita Lugo, Molina, & alii plurimi, quos sequitur Vogler num. 304. Ratio est: quia ex officio Justitiæ, vel quasi contractu tenentur tunc adesse & ejusmodi sententias impedire. Intelligendâ est autem nostra hæc responsio *per se loquendo*. Tres quippe casus excipiunt Authores. Primus est, quando ex absentia non imminet magnum inconveniens. Secundus, quando subest justa causa absentiæ. Quæ tamen causa, ut monet Lugo sect. 2. num. 67. debet esse gravissima, quando constat Senatori, rem magni momenti tractandam, & esse periculum, ne noceat suâ absentiâ. Tertius est, quando talis certissimè novit, etiam præsente se rem decidendam contra Justitiam, suumque suffragium ad aliud non serviturum, quàm ut odium sibi pariat, aut graves rixas exciter. Ubi tamen meritò notat Card. cit. sæpe contingere, ut nimiùm sibi blandiatur privatus ac proprius timor; adeoque irrepat imbellis quædam pusillanimitas; cùm tamen multoties unius etiam cordata sentiendi libertas multorum inordinatum timorem discutiat; vel saltem impediat alios, ne imposterum tam facilè consentiant in facta iniqua. Debet igitur, ut locum habeat hæc excusatio, esse certissimum & evidentissimum Senatori, suam præsentiam & sententiam fore prorsus inutilem.

Dico jam secundo. Palpo, sive palpator, aut adulator etiam tenetur ad restitutionem, quando laudandô malefactorem, exprobrandô ignaviam &c. ad inferendum damnum commovit. Less. ubi suprà num. 25. & alii communiter. Ratio est: quia concurrit ferè instar consulentis. Proponit enim laudem, gloriam; vel ignominiæ absterlionem, quæ ex damnosa actione consecutura videntur, ut alterum ad patrandum facinus inciter. 34

Corollarium. Qui affectum injuriâ irridet, eique exprobrat ignaviam, quòd injuriam non ulciscatur, tenetur ad restitutionem, si hac tali ratione hominem commovit ad iniquam ultionem sumendam. Similiter, qui marito exprobrat adulte- 35

tium uxoris, isque idcirco impatiens ignominiæ occidat adulteram, ceu palpator ad restitutionem tenetur. Bonac. q. cit. pu. 9 & alii apud ipsum. Ratio constat ex dictis: quia est efficax causa damnorum.

§. V.

Quando ad restitutionem teneatur dans recursum, & participans?

SUMMARIUM.

36. *Quis recursus? quis participans?* 37. *Dans recursus, quando est efficax causa damni, tenetur ad restitutionem.* 38. *Quid de Advocatis furum sit sentiendum?* 39. *Quid de receptante malefactorem, si ad hoc metu sit adactus?* 40. *Quid de occultante furem, dum à lictoribus quæritur?* 41. *Quid de cauponibus filiosfamilias, qui paternam pecuniam abliguriunt, recipientibus?* 42. *Etiam participans tenetur ad restitutionem.* 43. *An ad aliquid teneatur, qui damnificanti præstat auxilium non necessarium?* 44. *An, qui metu compellitur ad præstandum auxilium?* 45. *Solvitur* Objectio.

36 NOmine Recursus, seu potius dantis recursum significatur, qui facultatem, occasionem, patrocinium, refugium, aut securitatem malefactori positivè præstat, ut vel damnum inferat, vel id non compenset, postquàm intulit. Tales sunt sæpe caupones, qui filiosfamilias contra voluntatem parentum domo recipiunt, ut potu, lusu &c. paternas pecunias consumant. Item Advocati, qui causis evidenter iniquis patrocinantur. Participans in præsenti non est, qui proximè & simul cum altero damnum infert, v. g. cum fure furatur, partem prædæ accipit (nam talis non propriè participans, sed concausa principalis dici meretur) sed ille hoc nomine intelligitur, qui iniquæ actionis fit consors præbendô auxilium in ordine ad executionem: veluti, qui furem comitatur præsidii causâ; explorat aditum; applicat, vel tenet scalas, per quas alter ascendit: ministrat necessaria ad damnum inferendum &c. Nunc

Dico primo. Receptator malefacto-
37 ris, qui modis indicatis est injusta causa damni illati, vel illatum non resarciendi, tenetur ad restitutionem. Ita communis. Ratio satis colligitur ex dictis per priores §.

§. Et confirmari potest verbis Urbani Papæ cap. *Qui aliorum.* 24. *q.* 3. dicentis: *Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant.* & S. August. epist. 54. relati in cap. 1. 14. q. 6, *illud verò fidentissimè dixerim, qui pro alio ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem (quantum honestè potest) ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.* Nunc resolvere licet sequentia.

I. Excusantur à restitutione Advoca- 38
ti & procuratores, dum defendunt in judicio fures, vel excusant in iis, in quibus ipsimet se possunt jure defendere. Lugo de Just. to. 1. disp. 19, sect. 2. num. 71. Tamb. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 2. §. 4. num. 1. Ratio est: quia illos non defendunt ut fures, sed ut jus habentes semetipsos defendendi. Habent autem iidem jus se defendendi, quando factum est occultum; item, quando non est sufficienter probatum in judicio: ac demum, quando injustè vexantur non servato juris ordine &c.

II. Excusatur similiter, qui malefa- 39
ctorem recipit ad hoc metu adactus. Lugo num. 74. Tambur. num. 3. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 3. num. 39. Ratio est: quia actio recipiendi, cùm ex se indifferens sit, potest admittere causam excusantem: qualis est metus v. g. mortis, aut alterius gravis mali proportionati. Atque sic excusantur caupones, dum in hospitiis solitariis recipiunt latrones, qui ædes ipsorum se incensuros minantur, nisi recipiantur. Vid. Sporer loco cit.

III. Excusantur præterea ab onere re- 40
stituendi, qui furem occultant, dum à lictoribus quæritur, dummodò non præbeant ei spem refugii imposterum. Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 3. num. 27. Lugo num. 72. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 2. pu. 9. num. 6. Sporer num. 38. Ratio est: quia nec eò fine, nec eo modo occultant, ut moraliter censeantur influere in damnum. Verbô recipiunt furem materialiter tantùm, putà quatenùs homo miser, vel amicus, vel consanguineus est &c. Unde damnum ex hoc tali opere charitatis si fortè sequatur, per accidens sequitur, & non potest imputari receptantibus. Quòdsi tamen fur, aut alius malefactor per ejusmodi occultationem liberatus prævideatur gravia damna illaturus innocentibus, hi potiùs ex charitate videntur periculo subducendi, quàm nocens. Quare tunc furis receptator non tantùm peccabit

contra charitatem, ſed etiam contra Juſtitiam, & tenebitur ad reſtitutionem, ut habet Petſchacher de Reſtit. pag. 599.

41 IV. Non excuſantur à reſtitutione caupones recipientes filiosfamilias, à quibus potu vel luſu conſumitur paterna pecunia, ſi credant eorum parentes eſſe invitos quoad ſubſtantiam. Sayrus in clavi Reg. lib. 10. tract. 2. cap. 11. n. 2: Bonac. n. 3. Lugo n. 75. Sporer n. 37. Joſeph. Vogler de Reſtit. in gen. q. 19. n. 308. Ratio eſt: quia contra Juſtitiam recipiunt à filiisfamilias rem alienam invito domino, nempe pecuniam paternam invitis parentibus: ergo tenentur ad reſtitutionem titulô tam rei acceptæ, quàm injuſtæ acceptionis. Imò demus, eos nihil recipere à filiisfamilias, ſed gratis concedere locum, chartas, lumen, & ſimilia ad ludendum & helluandum neceſſaria, peccant nihilominùs contra Juſtitiam & tenentur ad reſtitutionem propter concurſum poſitivum, quem illis præſtant ad conſumendam rem alienam. Aliud dicendum, ſi permiſſivè ſolùm concurrunt, dum nempe ſcientes ejusmodi filios paterni aſſis decoctores in ædibus ſuis verſari, non ejiciunt: tunc enim non peccant contra Juſtitiam: cùm ſolùm ex charitate teneantur impedire damna parentibus inde ſequentia. Vid. Lugo loco cit. Dixi verò, *ſi credant eorum parentes &c.* nam ſæpiſſimè pater, quando ſumma pecuniæ adminiſtrationi filii commiſſa non eſt valde notabilis, non obligat cum titulô Juſtitiæ, ſed obedientiæ ſolùm, ut illam expendat in honeſtos & neceſſarios uſus. In quo caſu caupones non tenentur ad reſtitutionem talis pecuniæ. Sæpe etiam fit, ut parentes nihil curent de reſtitutione, poſtquàm pecunia malè fuit expenſa. Quæ tamen eorum voluntas non debet præſumi, quando ſumma eſt valde notabilis. Vid. Vogler loco cit.

42 Dico ſecundo. Participans etiam tenetur ad reſtitutionem. Ita rurſus communis. Ratio patet: quia efficaciter ac inſuper culpabiliter influit in damnum, quoties ſponte cooperatur aliquo ex modis n. 36. memoratis. Quod vel maximè procedit, quando damnum alioquin non fuiſſet ſecuturum. Et quidem concurſus participantis tanquam grave crimen reprehenditur Pſal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Ubi S. Auguſt. *Si non currebas, concurrebas.*

43 Infertur tamen primo, illum non teneri ad reſtitutionem, qui iniquo damnificatori tali præſtat auxilium, ſine quo (utpote non abſolutè neceſſario) is nihilominùs per ſe ipſum ſatis determinatus damnum inferret. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 5. n. 6. Sporer ubi ſuprà n. 44. & alii. Ratio eſt: quia hic talis materialiter tantùm, & non efficaciter cooperari videtur. Exemplum eſt in famulo uſurarii, qui juſſu heri numerat pecunias uſurarias. Nàm iſte aliud non agit in ordine ad iniquum lucrum, quàm quòd tractandô eam pecuniam manus denigret: cùm herus etiam ſecluſo tali auxilio ipſemet numeraret. Ut taceam, quòd famuli numerandô pecunias plerumque ad injuſtam pactionem non concurrant, ſed præciſè ad muationem.

Infertur ſecundo, neque illum teneri ad reſtitutionem, qui gravi metu compulſus participiat in damnificatione injuſta, dummodò id, quod præſtat, non ſit per ſe malum. Leſſ. ubi ſuprà n. 29. Bonac. pu. 10. n. 3. Filliuc. tract. 32. cap. 3. n. 68. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 1. pu. 5. n. 128. Ratio eſt: quia talis metus ipſum quoque injuſtum damnificatorem excuſat à reſtitutione: ergo multò magis excuſat alium, dum præbet concurſum aliqua actione, quæ non ex ipſius, ſed ſolùm ex mala intentione, uſuque malefactoris eſt alteri damnifera. Atque hinc excuſantur Chriſtiani captivi apud Turcas, dum in eorum triremibus gravi metu coacti contra Chriſtianos remos ducunt: item ruſtici, qui injuſtas militum prædas vehere, pecorave abacta deducere coguntur. Nam hujusmodi opera non eſt per ſe mala, ſed indifferens. Unde accedente metu gravi inculpabiliter præſtatur ab his miſeris. Vide, & huc accommoda, quæ tract. 5. hujus operis diſp. 1. artic. 6. §. 2. num. 21. & ſeqq. paſſim diximus. 44

Dices. Hi tales cooperatores licitè interfici poſſunt ab illis, qui injuſtè invaduntur, vel rebus ſuis ſpoliantur, quando malum alia ratione averti non poteſt: ergo injuſtè agunt. Confirmatur. Quamvis ejusmodi functiones in abſtracto & ſecundùm ſe non ſint malæ, ſunt tamen malæ, prout hîc & nunc præſtantur, & conſequenter ſunt cooperatio ad damnificationem verè injuſta. Reſpondeo ad Object. ex Leſſio, poſſe tales interfici, non jure vindictæ tanquam reos criminis, ſed jure neceſſariæ defenſionis, quo jure etiam pueri & amentes interfici poſſunt, quando ad neceſſarium eſt ad ſui, rerumque ſuarum defenſionem. Ad Confirmat. dicitur, ejusmodi functiones ſolùm eſſe malas, quatenùs ſubſunt directioni ac uſui cogentium, non autem, quatenùs procedunt à voluntate coactè illas præſtantium. 45

Unde non ſunt injuſta formaliter cooperatio ad damnificationem.

§. VI.

§. VI.

Quando ad restitutionem teneantur Mutus, Non obstans, Non manifestans?

SUMMARIUM.

46. *Quis hic mutus, quis non obstans, quis non manifestans?* 47. *Omnes istæ causæ tenentur resarcire damnum, quod ex earum negligentia consequitur.* 48. *De Principibus, Bellioducibus &c. non impedientibus furta, latrocinia &c.* 49. *Testis juridicè interrogatus quando teneatur ad compensationem damni ex suo testimonio secuti?* 50. *De accipiente pretium à fure, ne furantem impediat.* 51. *De custodibus vinearum, saltuum &c.*

46 NE cui voces in epigrapha positæ videantur synonymæ, eas declarare oportet. Mutus hîc dicitur, qui, cùm ex contractu, vel quasi contractu teneatur, & efficaciter possit impedire damnum imperio, minis, monitis, nihilominùs non impedit. Non obstans est, qui non præstat operam, vel auxilium, quod ex contractu, vel quasi contractu præstare debet. Non manifestans est, qui ex contractu, aut quasi contractu obligatus Reipublicæ, Principi, vel Judici manifestare malefactorem non manifestet, idque vel ante factum, quando damnum est impediendum, vel post, quando est resarciendum. Nunc

47 Dico cum communi D D. Hæ causæ negativè concurrentes tenentur ad restitutionem; quoties non impediunt damnum alterius, quod ex gravi ipsorum negligentia consequitur. Ratio est: quia alteri ex Justitia debent actum impediendi damnum: ergo omissio talis actus est contra Justitiam: ergo damnum ex illa secutum est pariter contra Justitiam: ergo omittens est causa illius damni contra Justitiam, idque non minùs, quàm si aliquid injustum commisisset contra jus alterius. Ex quibus resolves sequentia.

48 I. Tenentur ad restitutionem Princeps, Magistratus, Doctores, Consiliarii, Duces belli, quando non impediunt furta, latrocinia, iniqua monopolia, & similia peccata damnifera, dum possunt sine notabili detrimento proprio vitæ, famæ, honoris, & rei familiaris impedire. Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 10. n. 70. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 2. pu. 11. n. 5. Laym. lib. 3. tract. 2. sect. 5. cap. 5. n. 7. Ratio est: quia ex quasi contractu saltem, nempe ex officio, adeoque ex Justitia commutativa, hæc impedire tenentur. Ad hoc enim sunt constituti, & ideo stipendia & honores à Republica percipiunt. Dixi, *dum possunt &c.* quia non censentur ejusmodi munia suscepisse cum tanto onere, ut damna etiam cujuslibet privati cum suo majori vel æquali damno avertere teneantur. Damna tamen communitatis, præsertim spiritualia, qualia sunt scandala, hæreses &c. tenentur impedire etiam cum vitæ periculo. Nam bona istis opposita bonô privatô longè potiora sunt.

49 II. Testis etiam juridicè interrogatus non tenetur ad restitutionem, si veritatem non manifestet, indeque damnum alteri innocenti sequatur. Less. lib. cit. cap. 30. dubit. 8. num. 59. Laym. loco cit. Sayrus lib. 10. clav. reg. tract. 2. cap. 15. n. 3. Tanibur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 2. §. 6. num. 11. contra Joan. Medinam, Sotum & alios. Ratio est: quia testis non tenetur ex Justitia aperire veritatem, sed solùm ex charitate erga innocentem, & ex obedientia erga Judicem interrogantem, aut denique ex Religione, si verum dicere juratus promisit. Quòdsi tamen testimonium dicat contra innocentem, certum est, teneri ad resarciendum damnum inde secutum: cùm hujus verè injusta causa existat. Ad idem similiter tenebitur, quando ad dicendum pro innocente testimonium accedens veritatem malitiosè celandô fuit in causa, ut innocens non adhibuerit alium testem, cujus veracitate innocentia ipsius fuisset demonstrata. Laym. loco cit. & apud ipsum Molina de Just. tomo 1. tract. 2. disp. 83.

50 III. Non tenetur ad restitutionem, qui à fure pretium accipit, ne furantem impediat clamandô, vel manifestandô, nisi ex contractu, vel quasi contractu obligetur impedire, vel nisi prætium receptum sit pars furti. Sayr. num. 16. Less. lib. cit. cap. 13. dubit. 10. n. 68. Laym. num. 8. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 5. n. 133. Ratio ex dictis colligitur: qui extra contractum, vel quasi contractum talis non peccat contra Justitiam. Quòdsi pretium à fure datum sit pars furti, tenebitur ex re accepta. Limitanda est tamen ulteriùs doctrina hujus resolutionis primo, nisi accipiens pretium expresse vel tacitè securitatem pollicendô furem reddiderit animosiorem, alioquin à damnificatione facilè absterrendum: tunc enim tenebitur restituere tanquam participans. Secundo, si fur pecuniam dedit non animô donandi, sed ex Justitia obligandi accipientem, ne indicaret; cùm tamen ex charitate teneretur indicare. In hoc enim casu accipiens tenetur furi eam mercedem reddere:

dere : quia obligatio ad peccandum ipso jure est irrita. Laym. loco cit.

51 IV. Custodes vinearum, saltuum, stagnorum &c. tenentur ad restitutionem, quando per ipsorum negligentiam, aut dissimulationem fit, ut domini à clancularijs venatoribus, piscatoribus, & similibus damnum patiantur. Less. num. 72. Laym. num. 7. Tambur. ubi suprà num. 12. Salmantic. num. 135. Ratio est, quia ex officio ad impedienda ejusmodi damna obligantur. Advertunt tamen Authores, damnum debere esse magni momenti, & dominum de illa rationabiliter invitum. Unde si custos permittat pauperi, ut aliquid sibi capiat, vel auferat, non tenebitur quid restituere. Quod idem dic, si auferens esset talis conditionis, ut custos prudenter judicaret, dominum facultatem illi daturum, si sciret, vel postea ratum habiturum, quod fecisset. Excusantur etiam ejusmodi custodes, quando ex consuetudine, vel patientia dominorum scientium & dissimulantium receptum est, ut non tam rigidè, tantoque cum onere munus suum obeant. Salmantic. loco cit.

ARTICULUS V.

De Circumstantiis Restitutionis.

SEptem numerantur ejusmodi circumstantiæ, nempe, *quis, quid, cui, quantum, quando, quo ordine, quo loco.* Circumstantias *quis, quid, cui,* & *quantum* partim jam exposuimus, partim exponendas rursus inveniemus de Restitutione in specie. Nunc de cæteris breviter agemus. Placet incipere ab ordine, qui servandus est in restituendo. Unde sit

§. I.

Quo ordine sit restituendum.

SUMMARIUM.

1. *Ordo in restituendo vel ex parte debitoris, vel ex parte creditoris considerari potest.* 2. *Statuitur ordo servandus ex parte debitorum.* 3. *Quando principalis damnificans restituit, causæ secundariæ fiunt liberæ ab onere restituendi.* 4. *Similiter, si principali damnificanti debitum restituendi remittatur, secundariis quoque remissum censetur: sed non vicissim.* 5. *Quando bona debitoris sufficiunt ad solvendum omnibus creditoribus, nullus inter hos servandus est ordo,* 6. *Spectari debet jus uniuscujusque creditoris in bona debitoris.* 7. *Debita realia sine ordine integrè solvenda sunt jus proprietatis in illa habentibus.* 8. 9. 10. *Quid de re empta, nondum verò soluta apud debitorem obæratum exstante.* 11. *Secundo loco, si debitor sit defunctus, solvendæ sunt expensæ funeris.* 12. 13. *Declaratur ordo servandus inter creditores Hypothecarios, & non Hypothecarios &c.*

ORdo servandus in restituendo considerari potest vel ex parte debitoris, vel creditoris. Ex parte debitoris consideratur, dum quæritur, quisnam inter plures debitores, & damni concausas priùs & præ altero sit obligatus ad restituendum? Ex parte creditoris autem, dum quæritur, cuinam ex pluribus creditoribus priùs, ac potiùs facienda sit restitutio à debitore? Nunc circa priorem considerationem 1

Dico primo. Ante omnes alios tenetur ille restituere, apud quem res aliena, sive in se, sive in equivalenti exstat. Secundo loco tenetur, qui principaliter, & nullo mandante damnum physicè est executus. Tertio loco tenetur mandans. Quarto loco tenentur consulens, consentiens, cæteræque causæ accessoriæ & secundariæ positivè cooperantes, omnes æquè primo, id est, non una ante aliam. Quintò demum loco, & post omnes causas positivè cooperantes, & in defectum earum tenentur causæ negativè concurrentes ad injustam damnificationem. Ita communis doctrina. 2

Statuta conclusio, ut videmus, habet quinque membra. Ratio primi est. quia titulus rei acceptæ, sive bona, sive mala fide ea possideatur, omnium primo & fortissimè obligat. Ratio secundi est: quia, qui suo nomine & physicè influit in damnum, magis & principaliùs influit, quàm quælibet causa moralis, vel alterius nomine & instrumentaliter concurrens. Ratio tertii est: quia mandans inter causas morales est principalis. Atque hinc tenetur etjam restituere ante mandatarios & executores, qui sunt instrumenta ipsius. Ratio quarti est: quia istæ causæ minùs efficaciter concurrunt quàm præcedentes; aliunde quo-

que

que nulla ordinariè inter ipsas reperitur subordinatio influxuum in damnificando; ut proprerea una ante cæteras, & non omnes æquè primo teneantur sarcire damnum datum. Ratio quinti est: quia istæ causæ similiter influunt minùs efficaciter in damnum, quàm causæ positivè; cùm influxus positivus sit major quàm negativus, solumque permissivus: adeoque causæ positivæ magis ac priùs tenentur restituere. Quòdsi contingeret, ut damnum positivè inferens ob Superiorem v. g. vel custodum negligentiam sibi notam redderetur ad nocendum audacior, tunc causa ejusmodi negativa æquipararetur positivæ, & consequenter restituere teneretur cum positivis, non post illas, velut observat Less. de Just. lib. 2. cap. 13. dubit. 11. num. 82. Cæterùm inter ipsas causas negativas ad invicem comparatas an sit aliquis ordo, non ita constat. Nam esse alii affirmant; alii negant, utrique probabiliter. De quo vid. Less. num. 80. Lugo de Just. tomo 1. disp. 19. sect. 4. num. 134.

3 His ita explicatis addendum est primo, quando damnificans principalis restituit, causas secundarias ab onere restituendi omnino liberari. Doct. Thomas 2. 2. q. 62. artic. 7. quem communiter sequuntur alii. Ratio est: quia illæ causæ subordinatæ solùm obligantur in defectum principalis, id est, si principalis damnificans damnũ compensaturus non putetur, eò quòd vel nolit, vel non possit. Itaque si mandans, aut executor restituit totum, consulens, consentiens, aliæque omnes causæ secundariæ à restitutione excusantur. Quòdsi una ex his causis secundariis sola damnum compensavit, tunc jus & actionem acquisivit repetendi à causa principali id totum, quod expendit, & quantum illa expendere debuerat. Si à principali recuperare has expensas nequeat, repetere poterit à reliquis con- 1 causis, idque pro rata singularum. Less. dubit. 5. num. 46. Laym. lib. 3. tract 2. cap. 6. num. 3. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 5. num. 144.

4 Addendum est secundo, si principali damnificanti debitum restituendi condonetur à damnum passo, secundariis quoque nocentibus condonatum censeri, non autem vice versa. Laym. loco cit. Tamburl. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 2. §. 7. num. 6. & alii. Ratio est: quia, dum ruit principale, etiam ruit accessorium; at non econtra reyente accessorio ruit etiam accessorium. Quòdsi obligatio restituendi remittatur uni ex pluribus, qui æquè primariò, vel æque secundariò tenebantur, non hoc ipso liberi sunt cæteri ab onere restitu-

endi, sed adhuc obligantur secundùm proportionem præstiti influxus resarcire damnum. Less. dubit. 8. num. 59. Lugo ubi suprà sect. 5. num. 141. Ratio est: quia obligatio unius est independens ab altero, sed omnes vel æquè primariò, vel æquè secundariò se habent erga damnum datum.

5 Nunc ad alteram partem quæstionis ut veniamus, notandum est primo, eam non habere locum, quando bona debitoris sufficiunt ad solvendum cunctis creditoribus. Nam certum est, tunc nullum inter eos servandum esse ordinem, sive prælationem; sed singulis in solidum, & integrè esse restituendum: ita quippe præscribit & lex naturalis, & obligatio Justitiæ. Igitur tunc procedit difficultas, quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus. In quo casu proinde videndum, quisnam alteri in solutione sit præferendus, ita ut habenti jus prælationis solvatur totum debitum, tametsi parum, vel omnino nihil, remaneat, ex quo cæteris creditoribus solvatur.

6 Notandum est secundo, hîc vel maximè attendendum esse, quid juris in bona debitoris competat creditoribus; an nempe habeant jus reale, vel personale? an jus proprietaris bonorum restituendorum sit penes debitorem, vel penes creditorem? an aliqui ex creditoribus habeant pignus, vel hypothecam? & rursus, an hypotheca sit generalis, vel specialis? privilegiata, vel non privilegiata? Est autem hypotheca nihil aliud, quàm contractus, quo jus ad solutionem capiendam ex re debitoris confertur. Differt à pignore, quod istud contineat traditionem rei, ipsa verò constituatur nuda conventione citra rei traditionem. Quando omnia bona debitoris obligantur, dicitur hypotheca generalis: si bonum aliquod determinatum, v. g. domus, vel prædium, dicitur hypotheca specialis.

7 Dico jam secundo. Debita realia sine ordine intergrè restituenda sunt creditoribus jus reale proprietatis in illa habentibus, quamvis nihil ampliùs superfit deinde, ex quo cæteris creditoribus solvatur. Ita communis & certa sententia apud Paulum Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 34. artic. 2. num. 10. Ratio est: quia ob jus proprietatis creditoribus realibus res ipsæ sunt obligatæ: ergo sine injustitia ipsis denegari, aut aliis tradi non possunt. Quare ante omnia suis dominis restitui debent bona depolita, commodata, & pignora.

8 Sed oritur hîc difficultas, an hæc doctrina etiam procedat de re empta, non-

dum

dum verò soluta, quæ exstat apud debitorem obæratum? an nempe & istam teneatur ante omnia restituere? Respondeo primo: Si res sit empta ab Ecclesia, fisco, vel minorenni, emptor ante omnia tenetur solvere pretium, vel restituere rem ipsam venditori. Ratio est: quia ex dispositione jurium res ab istis emptæ non transeunt in dominium emptoris mutua conventione, & traditique, nisi pretium solvatur. Unde bona ejusmodi vindicari possunt, ubicunque extiterint. Less. de Just. lib. 2. cap. 15. dubit. 2. num. 7. Mezger num. 11.

9 Respondeo secundo. Si res empta sit absque interventu pignoris, vel fidejussoris, nec pretium in præsenti solutum, sed venditor nuda emptoris promissione fuerit contentus, emptor similiter tenetur ante omnia solvere pretium, vel rem restituere. Ratio est eadem: quia neque in hoc casu dominium rei fuit translatum in emptorem, sed adhuc manet penes venditorem. Mezger num. 12.

10 Respondeo tertio. Tametsi accessisse supponatur aliqua conditio ad dominium rei emptæ transferendum sufficiens, probabilius tamen est, jurique naturæ conformius, venditorem, si res vendita exstet, aliis creditoribus esse præferendum. Ita Cajetanus, Medina, Sylvester & alii, quos refert & sequitur Lessius num. 11. quod idem tenet Mezger loco cit. Ratio est: quia valde durum & æquitati naturali contrarium est, ut res mea, quam à me emisti, exstans in sua specie cedat aliis, & ego absque omni mea culpa simul rem ipsam & pretium cogar amittere. Venditor quoque non censetur velle se privare omni jure & recursu ad rem suam, nisi pretium re ipsa fuerit solutum.

11 Dico tertio. Si debitor sit defunctus, secundo loco ex bonis ipsius solvendæ sunt expensæ funeris. Lugo disp. 20. sect. 5. num. 81. Mezger num. 13. Petschacher de Restit. pag. 667. & DD. communiter. Sumitur hæc concl. ex Jure civili, *l. penult. ff. de relig. & sumpt. funer.* & *l. ult. §. in computat. Cod. de jure deliber.* Ad expensas funeris illæ quoque reducuntur, quæ fiunt pro conficiendo inventario, apertura testamenti. Item pretia medicinarum, mercedes & salaria Medicorum, Chirurgorum: sicut & sumptus pro conservatione supellectilis & similium, idque in bonum creditorum. Oportet autem expensas esse moderatas. Quæ enim ad pompam spectant, obæratо ejusmodi debitori neque adhiberi debent, neque compensari à creditoribus circa luxum sibi damniferum meritò invitis. Petschacher num. 668.

12 Dico quarto. Creditoribus hypothecariis, id est, habentibus hypothecam, aut etiam pignus, solvendum est ante alios non habentes, cujusmodi sunt chirographarii, qui præter chirographum vel syngraphamnihil cautionis à debitore acceperunt. Ita habetur in *l. eos. qui ff. qui potiores in pignore.* & ratio est: quia creditores hypothecarii habent jus fortius, & strictiùs obligans, quàm creditores solùm personales, & meri chirographarii. Nam isti solam personam debitoris sibi habent obligatam; illi personam simul & rem hypothecatam, vel in pignus datam. Quòdsi occurrant plures hypothecarii, ille, qui prior est tempore, præferri debet omnibus posterioribus, per per regul. 54. Juris in 6. *qui prior est tempore, potior est jure.* Ratio est: quia jus posterioris hypothecarii non potest, aut debet præjudicare juri prioris. Id enim citra injuriam fieri non posset: cùm res semel alienata, secundùm quod in alterius dominio, vel jure jam est, non possit salva æquitate in jus tertii ipso invito transire. Atqui jus posterioris præjudicaret juri prioris, hypothecarii; si superveniente posteriore non deberetur amplius integra solutio priori; quæ alioquin debebatur. Intelligenda est autem præsens doctrina seclusis privilegiis, aliave speciali dispositione legum. Contingit enim, ut propter aliquod privilegium, vel jurisdictionem hypothecarius posterior in certis casibus præferatur priori. de quibus consulendi sunt Jurisperiti, & attendenda locorum consuetudo. Neque adeo occurrunt similia in praxi fori conscientiæ: cùm potius ad forum externum pertineant.

13 Dico tamen adhuc quinto. Inter creditores merè personales, & non privilegiatos, vel inter hypothecarios æqualiter privilegiatos non datur ordo prælationis. Ita Vasquez, Bannez, Sayrus, quos refert & sequitur Mezger num. 16. Nulli proinde horum creditorum præ altero facienda est solutio, sed debitor, qui omnibus solvendo non est, tenetur pro rata singulis restituere servata proportione Geometrica, quam habent diversa jura eorum: v. g. si debes uni 3000. alteri 2000. alteri 1000. & non supersunt ex tuis bonis nisi 300. teneris primo dare 150. secundo 100. tertio 50.

§. II.

§. II.

Quo tempore, & quo loco sit restituendum?

SUMMARIUM.

14. *Obligatus ex contractu debet restituere tempore, in quod fuit conventum.* 15. *Obligatus ex re accepta, vel injusta acceptione tenetur statim restituere, id est, quamprimum commodè potest.* 16. *Alioquin manet in statu peccati mortalis, quamdiu non restituit, nisi excuset parvitas materiæ, vel brevitas temporis.* 17. *Obligatus ex contractu & non restituens præfixo tempore quando condemnandus peccati mortalis?* 18. 19. 20. *Resolutiones observandæ Confessariis.* 21. *Obligatus ex re accepta potest restituere ibi, ubi res est.* 22. *Ubi restituere debeat obligatus ex delicto?* 23. *Ubi obligatus ex contractu?*

14 Dico primo. Obligatus ad restitutionem ex contractu, v. g. mutui, emptionis &c. illo tempore debet restituere, in quod tacitè, vel expressè in contractu fuit conventum. Ita communis. Ratio est: quia creditor pro eo tempore, in quod fuit conventum, habet jus, ut sibi tunc fiat solutio. Unde jus ipsum & dies interpellant pro illo, ex *l. magnam cod. de contrah. & committ. stipulat.* Quare, si debitor ultra id tempus differat restitutionem, tenetur ad compensationem damni, quod creditor inde patitur. Quòdsi nullum tempus faciendæ restitutioni fuerit præfixum, debitor tunc primùm tenebitur restituere, quando creditor id fieri peticrit.

15 Dico secundo. Obligatus ad restitutionem ex re accepta, vel injusta acceptione statim tenetur restituere, id est, quamprimùm commode potest. Ita communiter D D. cum D. Thoma, 2. 2. q. 62. artic. 8. Ratio est: quia præceptum restituendi, ut suprà vidimus, quamvis formaliter sit affirmativum, radicaliter tamen est negativum. Atqui præceptum negativum impleri debet statim. Quod vel maximè verum est de præcepto restituendi: cùm enim per ejusmodi moram restituendi res aliena retineatur invitô dominô, non minùs peccat contra Justitiam, qui non statim restituit, quàm qui injustè accipit. Dixi, *quamprimùm commodè potest*, nam si debitor, pensatis circumstantiis, non habeat moralem opportunitatem, dominus non censetur rationabiliter invitus, dum restitutio aliquantùm differtur. Ex his

Sequitur primo, eum, qui scienter retinet rem alienam invitô dominô, nec restituit, dum potest data opportunitate, manere in statu peccati mortalis, quamdiu non restituit, nisi à gravi culpa excusetur vel ob parvitatem materiæ, vel brevitatem temporis. Sayrus in clavi Reg. lib. 10. tract. 5. cap. 4. num. 13. Bonac. de Restit. disp. 1. q. 6. pu. un. num. 6. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 13. num. 252. Ratio est: quia præceptum restituendi obligat graviter, ut habita opportunitate fiat restitutio. 16

Sequitur secundo, obligatum ad restituendum ex contractu & non restituentem tempore præfixo non esse facilè condemnandum peccati mortalis, quando creditor ex ejusmodi dilatione non patitur grave damnum, esto jam sæpius petiverit solutionem, dummodò ille cunctator habeat animum solvendi. Molina de Just. tomo 3. disp. 753. num. 1. Bonac. num. 4. Lugo de Just. tomo 1. disp. 20. sect. 9. num. 211. Ratio est: quia talis mora restituendi non videtur adeo graviter injuriosa creditori. 17

Sequitur tertio, Confessarium non posse absolvere pœnitentem, qui non habet firmum propositum restituendi, quamprimùm potuerit. Bonac. num. 14. Salmantic. n. 256. Ratio est: quia absolveret indispositum ad absolutionem. Quamdiu enim pœnitens potest restituere, & non restituit, vel non habet firmum propositum restituendi, tamdiu existit in statu peccati mortalis; imò censetur in illo velle persistere. 18

Sequitur quarto, neque illum posse absolvi Sacramentaliter, qui restitutionem vult differre usque ad articulum mortis; vel eandem imperare hæredibus; vel alienum solvere per partes; cùm totam summam facilè possit simul solvere. Bonac num. 15. & 16. Lugo num. 212. Salmantic. loco cit. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 34. a. 3. num. 3. Ratio est: quia præceptum restituendi, nisi occurrat aliqua causa excusans ex adducendis artic. proximo, obligat ad restituendum statim ac integrè: & consequenter huic præcepto in materia gravi satisfacere non paratus manet in peccato mortali & incapax absolutionis Sacramentalis. 19

Sequitur quinto; illum præterea non debere absolvi regulariter loquendô, qui in aliquibus Confessionibus restituere jussus à Confessario, idque facere pollicitus, ac facere potens non fecit. Filliuc. tract. 32. cap. 4. num. 117. Bonac. num. 18. Lugo n. 213. Salmantic. n. 257. & alii communiter. Ratio est: quia Confessarius non potest absolvere 20

solvere pœnitentem, quem videt in proxima occasione peccandi constitutum: sed Confessarius ejusmodi pœnitentem videt in proxima occasione constitutum. Cùm rei alienæ voluntaria detentio illi afferat maximum periculum in peccato perseverandi: ergo non potest eum absolvere. Confirmatur. Concubinarius concubinam domo ejicere sæpius jussus, & non ejiciens absolvi non debet loquendô regulariter; quia Confessarius propter summum periculum peccandi, in quo hic talis pœnitens voluntariè perseverat, meritò dubitat de vero ejus proposito non peccandi de cætero: ergo pariter sæpius jussus restituere, & non restituens regulariter non debet absolvi ob similem rationem. Dixi, *regulariter loquendô*. Si enim Confessarius prudenter existimet, pœnitentem hîc & nunc magis seriò, atque ex animo promittere restitutionem, & re ipsa statim restituturum, potest illum absolvere: qui tunc prudenter judicat esse debitè dispositum. Vid. Salmantic. num. 258. Lugo loco cit. qui posterior monet, ut talis jubeatur à Confessario intermittere Sacram Communionem, donec re ipsa restituerit.

21 Dico tertio. Obligatus ad restitutionem ex re accepta potest restituere in loco, in quo res est. Quòdsi dominus sit absens, res ei mittenda est suis sumptibus. Filliuc. num. 107. Lugo sect. 8. num. 193. Mezger num. 4. Pettschacher de Restit. pag. 675. Ratio est: quia possessor bonæ fidei, qualis est hic debitor, tantum præcisè tenetur restituere, quantum habet ex re aliena, de cætero autem servari debet indemnis. Unde sumptus, si quos fecit in re conservanda, vel reddenda, illi refundendi sunt à creditore.

22 Dico quarto. Obligatus ad restitutionem ex delicto sive injusta acceptione debet restituere suis expensis in eo loco, in quo dominus rem erat possessurus, si ipsi ablata, destructa, vel injustè detenta non fuisset, deductis tamen expensis, siquas idem dominus in ea servanda, vel deferenda facere debuisset. Ita Less. de Just. lib. 2. cap. 15. dubit. 8. num. 48. Filliuc. num. 110. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 10. num. 4. Mezger num. 5. Ratio est: quia restitutio, ad quam quis tenetur ex injusta damnificatione, fieri debet in integrum, ita ut non tantùm reddatur res ipsa, sed etiam dominus illius servetur indemnis: quod non fieret, si pro re sua recuperanda expensas à damnificatore faciendas luere deberet. Itaque prædo v. g. obligatur rem in via ablatam suis sumptibus mittere in locum, ubi degit dominus. Dixi, *deductis tamen expensis &c.* de his enim est alia ratio: quia licèt creditor servari debeat indemnis, lucrum tamen ex damno illato reportare non debet: quod certè reportaret, si expensas sine quibus ipse oleum v. g. aut vinum in via ablatum domum non advexisset, prædo faceret, nec posset deducere.

23 Dico quinto. Obligatus ad restitutionem ex contractu debet eo loco restituere, de quo inter contrahentes expressè vel tacitè conventum est, vel loci consuetudo præscribit. Si nihil conventum est, restitutio fieri debet ibi, ubi res debitori fuit tradita; & quidem illius sumptibus, in cujus utilitatem cessit contractus. Atque hinc sumptus in restituendo deposito faciendos solvere tenetur deponens: faciendos in restitutione commodati commodatarius. Si contractus utrique fuit utilis, v. g. in locatione, uterque tenetur sumptus facere pro rata, nisi aliud suadeant vel legitima consuetudo, vel circumstantiæ. Ratio est: quia, qui sentit commodum, etiam onus debet sentire: ergo, dum unus tantùm percipit commodum ex contractu, etiam unus tantùm debet sentire onus expensarum in restituendo: dum uterque contrahentium percipit commodum, uterque id onus sentire debet. Vid. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 8 Laym. num. 5. Mezger num. 7. & alii.

ARTICULUS VI.

De Causis excusantibus à Restitutione.

HUjusmodi causas, vel quoad tempus, vel in perpetuum excusantes duodecim enumerat Joan Medina apud Lessium de Just. lib. 2. cap. 16. num. 1. Eatum prima est inopia, sive impotentia debitoris. Secunda. Remissio creditoris. Tertia. Cessio bonorum. Quarta. Damnum, quod verosimiliter creditori, vel reipublicæ, vel alicui tertio putatur eventurum. Quinta. Solutio facta creditori creditoris. Sexta. Rei debitæ interitus. Septima. Juris ac Judicis auctoritas. Octava. Ingressus Religionis. Nona. Excommunicatio creditoris. Decima. Incertitudo creditoris. Undecima. Dispensatio, vel compositio cum Papa. Duodecima. Compensatio. De quibus nunc breviter agendum.

§. I.

Quomodo excuset inopia, vel impotentia?

SUMMARIUM.

1. Quotuplex impotentia, & necessitas? 2. Impotentia tam physica, quam moralis à restituendo excusat, quamdiu datur. 3. Quod idem extendi debet ad necessitatem saltem extremam debitoris. 4. An cessante hac necessitate reviviscat restituendi obligatio? 5. Quid, si tam creditor, quam debitor versentur in extrema necessitate? 6. Solvitur objectio. 7. Ob gravem necessitatem debitoris differri potest restitutio. 8. Limitationes hujus doctrinæ. 9. Cur in gravi necessitate liceat aliquando retinere alienum: non autem accipere? 10. An sit obligatio restituendi cum damno in bonis superioris ordinis bona inferioris ordinis? 11. Explicatur triplex ordo bonorum. 12. Non tenetur statim restituere, qui propterea statu suo deberet excidere. Hæc tamen intelligenda cum suis limitationibus. 13. Debitor tenetur compensare damna creditoris orta ex dilatione restitutionis. 14. Etiam gravis necessitas, si sit perpetua, à restitutione excusat in perpetuum.

1 NOtandum est primo, impotentiam hîc aliam intelligi physicam, aliam moralem. Illa est, quando debitor absolutè nihil habet, unde restituat. Hæc est, quando habet quidem absolutè quidpiam, ex quo restituat, restitutio tamen redditur valde difficilis propter periculum damnorum, quæ sibi, rebusque suis inde proventura rationabiliter prævidet. Notandum secundo, necessitatem seu inopiam dari posse triplicem, videlicet extremam, gravem, & communem. Extrema est, quæ aliquem constituit in proximo vitæ, membrorum, vel similis mali periculo. Gravis est, quæ vitam reddit miseram, ac nimis molestam. Communis est, quam patiuntur ordinariè pauperes ostiatim mendicantes. Vide, quæ suprà tract. 5. disp. 1. artic. 5. §. 2. num. 8. de hac triplici necessitate fusius diximus.

1 Dico nunc primo. Impotentia non solùm physica, sed etiam moralis, quamdiu durat, excusat à restitutione. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia nemo potest ad impossibile obligari, ut inquit Regula 6. Juris in 6. Atqui debitori, quamdiu durat physica impotentia, restituere est impossibile; ergo. Ratio secundæ partis est; quia debitor non tenetur restituere, quando creditor ob restitutionem non factam non censetur rationabiliter invitus: sed quando adest moralis impotentia debitoris, creditor non censetur rationabiliter invitus; ergo debitor non tenetur restituere.

2 Quod dictum est modo de impotentia, intelligendum est etiam de necessitate saltem extrema debitoris. Ratio est: quia extrema necessitas omnia facit communia, saltem quoad usum, ita ut ea pressus licitè possit occupare, sibique vindicare & usurpare rem alienam tantopere necessariam. Tunc enim desinit esse debita, nec potest creditor esse prudenter invitus. Difficultas tamen est, an cessante hac necessitate obligatio restituendi reviviscat, ita ut eam, quamdiu durat, tantùm suspendat, non autem extinguat simpliciter? ad quod

4 Respondeo primo. Quando teneris ad restitutionem ex re accepta, remque illam in extrema necessitate consumpsisti, ad nihil ampliùs obligaris cessante necessitate, sive bona, sive mala fide eam apud te habueris. Ratio est: quia ejusmodi rem absumpsisti non ut alienam, sed ut tuam.

Respondeo secundo. Si cessante necessitate extrema res adhuc exstet, eò quòd usu non sit consumptibils, vel quód ejus usu solùm indigueris ad evitandam necessitatem extremam, hac cessante, obligatio restituendi reviviscit. Ratio est: quia eatenùs licitum est in extrema necessitate accipere rem alienam, quatenùs illâ opus est ad tollendam hanc necessitatem. Si proinde non opus fuerit re ipsa, quæ adhuc exstat, sed ejus usu tantùm, tenetis rem ipsam, sublata, aut evitata necessitate, restituere. Quare si equum v. g. alterius, ut ex hostium manibus evaderes, conscendisti, inque eo aufugisti, teneris eundem cessante periculo restituere: cùm extrema necessitas tibi non dederit jus ad ipsum equum, sed solùm ad usum equi.

Respondeo tertio. Quando ad restitutionem obligaris ex delicto, vel contractu bona fide inito, obligatio per extremam necessitatem non extinguitur, sed suspenditur; adeoque illa cessante manebis ad restituendum obligatus, sicut eras ante ipsam. Ratio est: quia obligatio personalis non extinguitur nisi cum persona: sed obligatio restituendi ex delicto, vel contractu est personalis; ergo. Vid. de his talibus Sayrus lib. 10. clavis. tract. 5. cap. 3.

Less. de Just. lib. 2. cap. 16. dubit. 1. Bonac. de Restit. disp. 1. q. ult. pu. 1. Lugo de Just. tomo 3. disp. 21. sect. 1. num. 1. & seqq. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 12. num. 1. Mezger tomo. 3. tract. 12. disp. 35. a. 1. num. 3. & alii.

5 Corollarium. Quando non tantùm debitor, sed etiam creditor in extrema, eaque pari necessitate est constitutus, etiam debitor ex delicto differre potest restitutionem, sibique, ac suis priùs succurrere quàm creditori. Sayrus loco cit. num. 6. Bonac. num. 31. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. num. 272. Mezger num. 4. contra Card. de Lugo oppositum sentientem sect. cit. n. 4. Ratio est: quia externa necessitas, ut dictum, facit omnia communia, præstatque, ut bona aliorum transeant in dominium primò occupantis. Cùm ergo debitor supponatur apud se habere bona creditoris, gaudebit jure primò occupantis. Nec creditor propterea poterit esse rationabiliter invitus. Accedit, quòd etiam ordo charitatis requirat, ut debitor in tali necessitate sibi priùs, suisque proximè conjunctis, puta parentibus, uxori, liberis, subveniat, quàm personæ extraneæ creditoris.

6 Objicies. Non est licitum in extrema necessitate rem auferre à creditore itidem extremè indigente: ergo nec est licitum rem ejus tunc retinere. Conseq. videtur legitima: quia retentio est virtualiter nova rei oblatio. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est: quia auferens domino sua bona extremè indigenti aufert illa habenti eorum possessionem, ob quam idem potior esse debet quovis alio occupante. Atqui retinens in pari necessitate non aufert ea possidenti: cùm ipse prior occupet ac possideat; adeoque melioris conditionis esse debeat, quàm alius non possidens. Unde non est undequaque legitima comparatio retentionis cum prima vel nova rei ablatione.

Dico secundo. Ob gravem necessitatem restitutio differri potest, quando debitori ex illa damnum notabiliter majus impenderet, quàm creditori ex dilatione ejusdem: Ita Bonac. num. 11. Laym. num. 2. Salmantic. num. 267. Mezger num. 5. & alii. Ratio est: quia creditor non potest rationabiliter plus exigere à debitore, quàm ut constituatur æqualitas Justitiæ: sed si in hoc casu obligaret ad restitutionem, plus exigeret, quàm ut constitueretur æqualitas; cùm ex tali restitutione potiùs constitueretur inæqualitas inter ipsum & debitorem; ergo &c.

8 Intelligenda est autem ista conclusio de damno distincto ab ipsa re obnoxia restitutioni. Quia pati damnum præcisè ex reddi-

tione rei alienæ existantis non est pati damnum in bonis propriis, sed restituere, quod est alterius. Unde non excusabitur quis à restitutione illius statim facienda, licèt propterea magnam rei familiaris imminutionem subire cogatur. Limitanda est insuper conclusio, ut non procedat, quando creditor in simili necessitate gravi est constitutus: tunc enim non licet differre restitutionem, quia in pari causa potior est conditio credi oris: quàm debitoris: præsertim, quando est debitor ex delicto: tunc quippe etiam conditio innocentis debet esse melior quàm nocentis. Vid. Laym. loco cit.

9 Objicies. In gravi necessitate non est licitum accipere alienum: ergo nec retinere; consequenter nec differre restitutionem. Hæc conseq. colligitur ex priori, quæ inde constat, quod retentio moraliter sit continuata rei acceptio. Ant. autem prob. quia hæc prop. *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi*, damnata est ab Innoc. XI. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quia multò plures sunt causæ, propter quas dominus meritò præsumi potest non esse rationabiliter invitus, si res ipsi debita aliquanto tempore detineatur ab alio possessore, quàm si dominio & possessione ejusdem exuatur. Major proinde requiritur necessitas, ut liceat accipere alienum, quàm ut liceat retinere acceptum: sicut in physicis major requiritur concursus causarum ad primam productionem formæ, quàm ad ejus jam productæ conservationem. Propositio illa meritò damnata est. quippe quæ ostium pandit infinitis furtis, dum ita illimitatè aliena bona permittit gravi necessitati, quàm amor sceleratus habendi sæpissimè fingit, ubi non est. Vid. Mezger n. 9.

10 Infertur jam primo, debitorem non teneri ad restituendum bona inferioris ordinis cum notabili damno bonorum superioris ordinis. Bonac. num. 13. Laym. loco cit. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 6. art. 2. num. 252. Mezger num. 6. & alii. Ratio est: quia nemo tenetur ad restitutionem, quando dominus ob ejus omissionem non est rationabiliter invitus: atqui dominus non est rationabiliter invitus; dum debitor non restituit bona inferioris ordinis, si id facere non potest citra notabile suum damnum in bonis superioris ordinis; ergo. Major est certa; imò communis regula in hac materia. inde colligitur, quòd dominus in simili casu peccet contra charitatem & æquitatem naturalem, si debitorem ad statim restituendum cum tanto ipsius detrimento adurgeat; ergo, quamvis fortè sit invitus, si debitor non restituat, non tamen est rationabiliter

biliter invitus, quamdiu nempe durat periculum illius detrimenti.

11 De cætero, ut rectè percipiatur hæc illatio, sciendum est, triplicem esse bonorum ordinem, scilicet infimum, medium, & supremum. In infimo ordine sunt bona fortunæ, putà pecunia, & res pecuniâ æstimabiles, ut frumentum, ager, prædium, pecora &c. Medium obtinent honor & fama. Supremò gaudent vita, libertas, sanitas, membra, virginitas, & similia. Quando proinde ex restitutione equi v. g. à te furtò abducti tua, vel tuorum salus; fama, vel honor graviter periclitatur, non teneris restituere, quamdiu durat tale periculum. Ratio est: quia res, quam furtò abduxisti, est ex bonis inferioris ordinis; damnum autem, quòd ex restitutione facienda tibi imminet, est in bonis superioris ordinis.

12 Infertur secundo, debitorem posse restitutionem differre in tempus opportunius, vel restituere per partes, si ob restitutionem statim faciendam statu suo deberet excidere: v. g. si persona illustris ad civilem; civilis ad plebeiam; ingenua ad servilem conditionem devolueretur. Less. de Just. lib. 2. cap. 16. dubit. 1. num. 25. Bonac. num. 24. Laym. num. 1. Mezger num. 7. Illsung n. 246. & alii communiter. Ratio est: quia tunc creditor non est rationabiliter invitus, si restitutio differatur, vel fiat per partes. Limitanda est tamen illatio primo, nisi creditor ob dilationem restitutionis simili periculo amittendi statum exponatur. Ratio est: quia tunc melior est conditio creditoris; adeoque statim restituendum. Secundo, nisi debitor dilata restitutione periculum impotentiæ ad nunquam restituendum probabiliter sit incursurus. Ratio est: quia tunc creditor meritò & rationabiliter est invitus de dilatione restitutionis. Tertio, nisi status ille fuerit injustè acquisitus. Nam qui rapinis, usuris, fraudibus, aliisque malis artibus ad honorabilem statum se extulit, tenetur etiam cum amissione ejusdem statim restituere, ut tradunt communiter DD. apud Less. num. 29. Ratio est: quia talis per restitutionem non amittit suum statum, sed alienum, & redit ad proprium. Concedunt tamen Authores, ejusmodi debitorem posse retinere ea, quæ hominibus suæ conditionis sunt necessaria ad tenuem victum & vestitum, ne penitus incidat in mendicitatem. Cæterum aliud est statu suo excidere, aliud statum imminuere. Hinc si debitor ob factam restitutionem cogeretur solùm pauciores deinceps famulos alere; parcius victitare; viliùs vestiri, non excusaretur à statim restituendo: quia nempe hoc non esset statu suo excidere, sed statum suum minuere. Vid. Mezger loco cit.

13 Infertur tertio, si ex restitutionis dilatione, quamvis justa, damnum aliquod creditori vel lucrum cessans eveniat, debitorem teneri id compensare. Laym. num. 2. Mezger num. 8. Ratio est: quia gratia debitori facta à creditore in hujus præjudicium cedere non debet. Et esset conditio planè iniqua, si debitor, obtenta in suum commodum restitutionis dilatione, onus resarciendi damnum creditori inde proveniens in se nollet suscipere. Cùm enim ex tali dilatione sentiat commodum, id onus quoque sentire debet. Sed neque creditor in eam dilationem aliter consentire præsumitur.

14 Infertur quarto, non tantùm extremam, sed etiam gravem necessitatem, si perseveret in perpetuum, à restitutione excusare in perpetuum. Lugo de Just. tomo 1. disp. 21. sect. 1. num. 20. Illsung num. 249. Pettschacher de Restit. pag. 679. Ratio est: quia manente causa manet effectus: ergo, sicut debitor propter necessitatem extremam, aut etiam gravem, si duret brevi tempore, non tenetur restituere intra id tempus, ita nec tenetur restituere intra longum, aut perpetuum tempus, si duret longo, vel perpetuo tempore. Debet autem præsens illatio intelligi de casu tantùm, in quo perpetuò durante necessitate gravi damnum debitoris propter restitutionem subeundum notabiliter esset majus damno creditoris, sive in eodem, sive in diverso ordine bonorum. Ex quo capite Lugo sect. cit. n. 19. adulteram à restitutione excusat in perpetuum, quando non potest sine gravi sua infamia detegere adulterium ad impediendum, ne succedat spurius cum filiis legitimis, licèt illa videat, se non posse unquam alio modo restituere. Vide, & huc accommoda, quæ suprà diximus num. 7. & num. 10.

§. II.

Utrùm excuset Remissio creditoris, & Cessio bonorum?

SUMMARIUM.

15. Remissio creditoris, ut sit valida, duas habere debet conditiones. 16. Quid cessio bonorum? & quos habeat effectus? 17. 18. Remissio creditoris, etjam præsumpta, excusat à restitutione. 19. Quid, si debitor per minas obtineat remissionem? 20. Quid, si fingat se pauperiorem, quàm re vera est. 21. An

valeat remissio blanditiis vel precibus obtenta? 22. Cessio bonorum à restitutione non excusat in foro conscientiæ.

15 NOtandum est primo, remissionem creditoris, de qua hîc sermo est, duabus debere esse instructam conditionibus. Earum prima est, ut sit omnino libera, id est, non metu, vel fraude obtenta. Nam donatio debet esse libera: sed remissio debiti est quædam donatio illius; ergo debet esse libera; & consequenter, si non fiat liberè, non est valida. Secunda conditio est, ut creditor habeat potestatem remittendi. Hinc non excusaris à restitutione, si tibi filiusfamilias remittat debita patri, aut uxor debita marito: quia isti non habent potestatem remittendi, sicut nec donandi ea debita.

16 Notandum est secundo, cessionem bonorum tunc accidere, quando debitor videns, se non esse solvendo, palam profitetur suam impotentiam; ideoque bona sua creditoribus relinquit, inter ipsos juxta juris, quod quilibet habet, qualitatem ac proportionem dividenda, ut singulis inde, quantùm potest, satisfiat. Porrò hæc cessio bonorum ex Juris civilis dispositione triplicem debitori præstat effectum. Primus est, ut à creditoribus in carcerem conjici non possit; vel in eum conjectus liberari debeat. Secundus est, ut contra creditorem molestias, dum solvendo est impar, exceptione cessionis bonorum tutari se possit. Tertius est, ut, si post cessionem bonorum ad meliorem fortunam pervenerit, à creditoribus conveniri non possit ultra id, quod commodè potest, servatis ipsi alimentis necessariis secundùm qualitatem & statum personæ.

17 Dico jam primo. Remissio debiti à creditore facta debitori hunc excusat à restitutione. Ita communis cum D. Thoma, 2. 2. q. 62. artic. 8. Ratio est facilis: quia hæc remissio idem est, quod condonatio debiti. Potest autem creditor omne jus suum in rem debitam condonare debitori: quo facto cessat obligatio restituendi in creditore; quippe cum creditor nihil ampliùs ab ipso possit exigere; adeoque nullam patiatur injuriam, si res antè debita non restituatur. Ex dictis

18 Infertur primo, remissionem creditoris etiam præsumptam excusare à restitutione. Bonac. de Restit. disp. 1. q. ult. pu. 2. num. 8. Lugo de Just. tomo 1. disp. 21. sect. 4. num. 52. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 16. num. 278. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 35. artic. 4. num. 1. & alii communiter. Est autem remissio præsumpta, si prudenter existimes, creditorem non esse invitum, si rem ipsius retineas, aut facilè condonaturum ejus restitutionem, si ab ipso peteres. Nunc ratio illationis est: quia, ut sæpe jam diximus, non invitô dominô, nemo tenetur ad restitutionem: atqui dominus prudenter hîc existimatur non invitus; ergo. Ex hoc capite sæpe à restitutione excusantur filiifamilias & alii domestici, qui, licèt peccent furripiendô parentibus vel dominis, non tamen peccant non restituendô, quando prudenter præsumunt, eos non esse invitos saltem quoad substantiam rei acceptæ, etto modus accipiendi sine licentia eisdem displiceat.

19 Infertur secundo, invalidam esse remissionem, & à restituendo non excusare, si debitor expressè vel implicitè minetur creditori, nisi debitum vel integrè, vel ex parte remittat: vel, si cogat illum subire multas molestias in sollicitando solutionem; sæpe venire frustra; diu expectare &c. quod sanè non rarò experiuntur mechanici, & mercatores, dum eis debetur à potentibus. Less. de Just. libro 2. cap. 16. dubit. 2. num. 35. Lugo num. 46. Salmantic. num. 276. Ratio est: quia talis remissio non censetur omninò libera, sed metu extorta.

20 Infertur tertio, à restitutione similiter non excusari debitorem, qui, ut obtineret remissionem vel partis, vel totius debiti, finxit se multo pauperiorem, quàm revera est. Quod idem dic de eo, qui simulans impotentiam hîc & nunc restituendi totum restituit partem majorem ea conditione, seu pactione, ut residuum remittatur. Ratio est: quia hic talis debitor creditorem decepit, & remissionem fraude extorsit. Vid. Less. loco cit. Bonac. num. 2. Lugo num. 49. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 4. num. 84. Illsung. tract. 4. disp. 3. q. 7. a. 4. num. 294.

21 Infertur quarto, remissionem blanditiis, vel precibus obtentam esse validam, & liberare à restitutione. Ratio est: quia istæ non reddunt condonationem involuntariam: nisi fortè sint ita importunæ, ut creditor malit re sibi debita carere, quàm tantam importunitatem tolerare. Tunc enim remissio in conscientia non est valida: cùm non fiat omnino liberè, sed redimendæ molestæ vexationis causâ. Less. Salmantic. Illsung locis citt.

22 Dico secundo. Per cessionem bonorum debitor in foro conscientiæ non excusatur à restitutione, sed manet obligatus ad procurandam ac præstandam integram totius debiti solutionem, cùm ad pinguiorem for-

tunam pervenerit. Less. lib. cit cap. 16. dubit. 3. num. 42. Lugo sect. 3, num. 40. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 5. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 10. num. 8, Mezger disp. cit. artic. 2. num. 3. & D D. communiter. Ratio est: quia leges concedentes in foro externo cessionem bonorum non privare intendunt creditores suo jure. Nam ideo solùm hoc flebile beneficium debitori indulgent, quia supponunt, ipsum non esse solvendo. Unde si denuo par fiat solvendo, obligatio restituendi, quæ per cessionem bonorum erat sopita, evigilat. Ignominia porrò, quam cessio bonorum publicè facta affert debitori, non est substituta in locum restitutionis, ut putant aliqui oppositum sentientes, sed in pœnam propter culpam præsumptam contrahentis debita supra vires suas, & ad deterrendos alios, ne in contrahendis debitis sint nimis liberales ac faciles. Tenetur proinde debitor in conscientia post cessionem bonorum laborare, ac conari, ut acquirat, unde solvat, quantum conditio seu status personæ permittit. Quia quilibet tenetur adhibere media saltèm ordinaria, quæ conducum ad finem, ad quem obligatur. Vid. Tambur. num. 10.

§. III.

De quarta, quinta, sexta, & septima causa à restituendo excusante.

SUMMARIUM.

23. *Debitor potest, imò interdum tenetur differre restitutionem, quando hæc graviter noceret creditori.* 24. *Solvuntur Objectiones.* 25. *in prædicto casu rarò est obligatio gravis differendi restitutionem.* 26. *Solvens creditori creditoris excusatur à restitutione.* 27. 28. *Statuitur, quando, & quomodo excuset à restitutione interitus rei debitæ.* 29. *Resolvitur specialis difficultas de interitu rei transmissæ per nuntium &c.* 30. *Etiam Authoritas Juris & Judicis in quibusdam casibus excusat à restitutione.*

23 Dico primo. Quando debitor prudenter existimat, restitutionem graviter nocituram creditori, vel alteri tertio, tunc potest eam differre; imò nonnunquam tenetur differre in tempus opportunius. Lessius de Just. lib. 2. cap. 16. dubit. 4. num. 53. Bonac. de Restit. disp. 1. q. ult. pu. 1. num. 1. & 4. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 3. Sporer tract. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 3. à num. 85. Ratio primi est: quia restitutio ordinatur ad utilitatem creditoris, & non in perniciem ipsius: ergo non potest esse jure invitus, quando debitor eam differt existimans, ipsi fore noxiam. Nam gerit utiliter negotium ipsius. Ratio secundi est: quia creditor ex lege charitatis pati tenetur aliquod incommodum, & aliquale damnum ad avertendum grave malum proximi: ergo tenetur esse contentus, si debitor restitutionem proximo graviter obfuturam differat. Ratio tertii est: quia interdum tenemur impedire malum spirituale proximi etiam cum aliquo incommodo temporali ipsius; ut patet ex iis, quæ de Charitate docuimus: ergo si debitor differendò restitutionem possit tale malum impedire, tenetur differre. Hinc irâ furenti in inimicum non possum reddere gladium apud me depositum: quia uteretur illo in perniciem propriam spiritualem, & temporalem proximi.

Objicies primo. Ejusmodi creditor 24
habet jus petendi rem suam: ergo, dum ei non reddo, facio injuriam. Secundo. Parochus tenetur subdito tempore Paschali inter alios accedenti præbere S. Eucharistiam, quamvis sciat, eundem propter peccatum occultum commissurum esse sacrilegium: quia nempe habet jus ad sumendam Eucharistiam; ergo similiter debitor tenetur creditori rem reddere, licèt sciat, illum petere restitutionem ad finem peccaminosum. Tertiò. Uxor marito, qui vovit castitatem, tenetur reddere debitum, si petat, quamvis videat, peccaturum contra votum: ergo etiam in nostro casu debitor tenetur restituere.

Respondeo ad primum, creditorem habere quidem jus rem suam petendi absolutè; sed non habere jus, ut ei non obsistatur, dum re illa vult abuti in suam, vel alterius perniciem. Unde nulla ipsi infertur injuria, quando res debita tunc non redditur, sed potiùs negotium ipsius utiliter geritur. Ad secundum dic, Parochum ideo teneri porrigere S. Eucharistiam; quia subditus habet jus, ne ab ipso infametur; vel ne Confessio sua reveletur: quod contingeret, si ipsi publicè S. Eucharistia denegaretur. Atqui creditori in nostro casu nullum impendet novum incommodum ex dilatione restitutionis, ut supponitur; ergo. Ad tertium dic, posse uxorem denegare debitum, si commodè possit, ac speret, hoc modo impeditum iri peccatum mariti, præsertim imposterum, ut inquit Lessius. Dixi, *si commodè possit.* Si enim denegatio debiti foret causa majoris mali (ut sæpe est magnum pericu-

periculum) teneretur id reddere. In casu autem nostro nullum apparet ejusmodi periculum.

25 Advertendum est tamen, statutam sententiam nostram, quatenùs asserit, debitorem esse obligatum ad differendam restitutionem, quando creditori soli ea nocitura prævidetur, rarò sub peccato mortali obligare. Less. num. 58. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 6. a. 2. 2. num. 256. Ratio est: tum, quia creditor potest debitorem jure compellere ad solutionem. Tum, quia ejusmodi dilatio restituendi ordinariè non habet multum efficaciæ ad malum creditoris impediendum; imò cum molestiis & calumniis conjuncta esse solet.

26 Dico secundo. Qui solvit creditori creditoris, excusatur à restitutione. Ita communis sententia. Quare, si 100. quos tibi debebam, solvi tuo creditori, cui tu totidem debebas, nihil ampliùs tibi debeo in conscientia, quidquid sit de foro externo. Ratio est: quia hac tali solutione in me jam transtuli jus tui creditoris, quod ille habebat erga te, & consequenter uti possum compensatione, teque, si quid à me exigas, justè repellere. Vid. Less. cap. cit. dubit. 5. Lugo de Just. tomo 1. disp. 21. sect. 8. num. 146. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 35. a. 5. num. 3.

27 Dico tertio. Debitor ex re accepta tantùm certus de interitu rei debitæ non tenetur ampliùs ad restitutionem, nisi ejus interitûs ipse sit causa injusta, vel inde factus locupletior. Ita unanimis sententia DD. Ratio est: quia nullus ostendi potest tunc ampliùs titulus restituendi. Non rei acceptæ; quia hæc supponitur desiviſſe. Non injustæ acceptionis, aut contractûs; ut patet. Et quis aliquando dixit, bonæ fidei possessorem ad restitutionem obligari, si res aliena vel ab ipso consumpta est bona fide, vel aliunde perierit citra ipsius culpam, nec factus est inde locupletior?

28 Dico quarto. Quando res, quæ periit, debetur ex delicto, vel contractu, debitor tenetur restituere juxta regulas, quas superiùs de his radicibus agentes statuimus. Excipitur tamen casus, in quo res non minùs apud creditorem, si apud ipsum fuisset, quàm apud debitorem, periisset: v. g. si hostis totam civitatem diripuit, aut incendium, consumpsit. Tunc enim nec debitor ex delicto ad quidquam tenetur, ut habent Less. Lugo, Sayrus & alii apud Paul. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 35. artic. 5. num. 2. quos & ipse sequitur.

29 Difficultas tamen est, an debitor ex delicto, qui misit rem per nuntium, vel Confessarium (vitandæ scilicet infamiæ causâ) domino restituendam, eaque apud nuntium, vel Confessarium periit, ad aliquid ultrà teneatur: Quidam apud Less. cap. 16. dubit. 6. num. 64. talem planè excusant à restitutione iterum facienda. Nam debitor, inquiunt, qui alio modo restituere non poterat commodè, fecit, quod debuerat: ergo creditor tenebatur esse contentus, ut per talem personam intermediam ipsi fieret restitutio. Imò si creditori talis modus restituendi fuisset propositus, in eum consensisset, & debuisset consentire; cùm debitor non potuerit alio modo restituere: ergo implicitè consensisse censetur in nostro casu: qui consensus implicitus idem operatur, quod expressus: & consequenter debitor non minùs liberatur ab onere ulterius restituendi, quàm si creditor expresse consensisset.

Verùm sententia contraria communis & præferenda est. De qua vid. Less. à num. 85. Laym. lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 10. Lugo disp. cit. sect. 5. num. 59. Sporer tr. 4. prælim. ad præc. 2. tab. cap. 4. num. 15. Mezger loco cit. Ratio est primo. Quia debitor ex debito tenetur ad resarciendum omne damnum etiam fortuitum, quod domino provenit ex eo, quod ipsi res sua fuerit injustè ablata. Cùm ergo in casu nostro creditor damnum patiatur per rei sibi transmissæ interitum, quod non pateretur, nisi eadem injustè fuisset ablata, debitor id totum resarcire tenetur, esto sine nova ipsius culpa acciderit. Ratio est secundo. Quia id, quod erat restituendum, vel fuit debitum indeterminatè, sive in genere, v. g. pecunia ex injusta emptione, aut venditione; vel fuit res debita in specie, ut torques aureus furtò ablatus. Si primum; res illa domino suo periit: debitor autem adhuc erat rei dominus, quamdiu erat in manibus Confessarii, aut nuntii, poteratque eam repetere, & dare alteri, vel sibi retinere in tempus restituendi opportunius. Si secundum; similiter debitori periit, non creditori, cui mittebatur: quia debitor per injustam acceptionem præbuit occasionem damni domino obvenientis: quippe qui rem suam non amisisset, nisi alius surripuisset. Adeoque debitor totum damnum adhuc resarcire tenetur. Ad primum pro sententia altera respondetur, debitorem feciſſe quidem, quod potuit, & quod debuit ad evitandum novum peccatum; id tamen non suffeciſſe ad extinguendum debitum: ad hoc enim requiri, ut creditori resarciatur damnum cum effectu. Ad secundum respondetur, creditorem in talem modum restituendi fuisse consensurum; sed citra præjudicium sui juris, quod habebat ad repetendam rem suam, quomodocunque demum ipsi non fuisset

set cum effectu restituta. Aliud esset, si creditor ipse misisset; vel designâsset personam, per quam sibi voluisset restitui. Tunc enim vi talis mandati rem traditam ejusmodi personæ habuisset pro accepta, sibique reddita; atqueadeo cessisset jure, quod habebat ad resarcienda sibi damna, quamdiu res debita in manus ipsius non perveniret. Vid. Lugo num. 60.

30 Dico quinto. Authoritas & Juris & judicis in quibusdam casibus liberat ab onere restitutionis. Ratio primæ partis est: quia sæpe res aliena legitimè usucapta, seu præscripta est. Ubi ex dispositione legum dominium transfertur in præscribentem; adeoque obligatio restituendi extinguitur: ut suprà disp. 2. artic. 3. num. 2. ex communi sententia docuimus. Secunda pars procedit primo in eo, cui aliquid adjudicatur à Judice in mulctam pro illata injuria solvendum. Debet tamen sententia veritate, non falsa præsumptione niti. Procedit secundo in eo, cui Judex naturalem æquitatem, & authoritatem legum secutus aliquid adjudicat ex rigore Justitiæ indebitum, v. g. propter damnum ex alterius culpa levissima. Procedit tertio in eo, qui obtinet officium, beneficium, hæreditatem, quibus alius per sententiam ordine juris latam fuit privatus. Nam talis non tenetur restituere, quamvis sciat privatâ scientiâ, condemnatum re ipsa esse innocentem: dummodò ipsemet adferendam ejusmodi falsam sententiam non concurrerit. Less. dubit. 7. Mezger num. 4. Ratio est: quia is, qui habet legitimam potestatem, potest sic exigente bono communi auferre ab uno bonum temporale, & transferre in alium: sed ita contingit in hoc casu; ergo.

§. IV.

De Ingressu Religionis, & reliquis causis excusantibus.

SUMMARIUM.

31. *Professio Religiosa debitoris quantumcunque obærati est valida.* 32. *Tenetur differre ingressum Religionis, qui intra breve tempus potest in sæculo satisfacere creditoribus.* 33. *Si ad hoc opus sit longo tempore, non tenetur.* 34. *Quando ad satisfaciendum obligationi naturali prætermitti debeant, quæ sunt meri consilii?* 35. *Dispositiones juris positivi circa debitores Religionem ingredi volentes.* 36. *Excommunicatio creditoris non excusat à restitutione.* 37. *Excusat compositio cum Papa, quando obligatio restituendi provenit ex jure positivo.* 38. *Excusat etiam compensatio, extra casus jure positivo exceptos.*

31 CErtum est, si debitor nondum solutis debitis ingrediatur Religionem, inque illa profiteatur, professionem esse validam. Licèt enim pecuniæ sit debitor, ejus tamen persona est libera, & nemini debita: traditio autem personæ nemini debitæ Deo facta est valida. Arqui professio talis debitoris est hujusmodi traditio; ergo est valida. Quærimus proinde, utrum debitor licitè possit ingredi Religionem, & in eo profiteri, cedendo suis bonis ad solvendum insufficientibus, tametsi spes sit, fore, ut integrè possit satisfacere creditoribus, si in sæculo remaneat?

32 Dico primo. Si debitor possit brevi tempore (quale hic reputatur biennium, vel ad summum triennium ordinariis & consuetis laboribus satisfacere creditoribus, tenetur cousque differre ingressum Religionis. Ita communiter D. D. teste Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 35. artic. 3. num. 2. Ratio est: quia tunc creditores rationabiliter inviti sunt, si ipsis non satisfaciat: cùm facilè possit. Cessio quoque bonorum huic tali debitori non suffragatur: quia istud beneficium in eorum tantum favorem est introductum, qui à debitis aliter liberare se nequeunt. Hic autem aliter potest.

33 Dico secundo. Si debitor nonnisi longo tempore (excedente videlicet biennium, vel triennium) aut nonnisi insolitis & extraordinariis laboribus possit acquirere, unde solvat, non tenetur differre ingressum Religionis, sed, relinquendo omnia sua bona creditoribus, licitè talem statum amplectitur. Ita probabilior sententia, quam cum D. Thoma 2. 2. q. 189. artic. 6. ad. 3. tenent Lessius de Just. lib. 2. cap. 16. dubit. 8. num. 73. Lugo de Just. tomo 1. disp. 21. sect. 6. num. 67. Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 19. num. 8. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 1. pu. 18. num. 190. Pettichacher de restit. pag. 617. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 6. artic. 4. num. 271. Mezger num. 4. & alii. Prob. breviter hac ratione. Debitor non tenetur bona inferioris ordinis, quæ habet in re, restituere cum notabili suo damno in bonis altioris ordinis, sicut in §. 1. diximus: ergo multò minùs tenetur bona ejusmodi, quæ habet in spe, eaque valde longinqua, restituere cum longè majori damno suo in bonis superioris ordinis. Atque in nostra hypothesi debitor longo tempore manendò in sæculo pateretur multò majus damnum

mnum in bonis superioris ordinis, nempe in propria libertate, & spiritualibus commodis, quæ per statum Religiosum consequeretur; ergo non tenetur restituere cum tanto incommodo.

34 Objicies. Ut satisfiat obligationi naturali, prætermittenda sunt ea, quæ sunt meri consilii: sed obligatio restituendi est juris naturalis, & ingressus Religionis est meri consilii; ergo omittendus est à debitore, ut satisfaciat obligationi restituendi. Confirmatur. Filius non potest ingredi Religionem, quando non nisi manens in sæculo subvenire potest maximæ necessitati parentum. Similiter nec mancipium sine consensu domini; nec ille, qui sub spe promissi conjugii virginem vitiavit, sine consensu vitiatæ ingredi potest Religionem. Ergo etiam debitor non potest ingredi sine consensu creditorum. Conseq. est bona. quia non minùs obligatio restituendi, quam contraxit debitor, est juris naturalis, adeoque implenda ante quodvis opus consilii, quàm obligatio subveniendi parentibus, serviendi domino, ducendi puellam, cui promissum est matrimonium.

Respondeo ad Object. maj. esse veram, quando obligationi naturali satisfieri potest sine maximo damno satisfacientis, falsam, si non potest; sicut non potest in casu nostro. Unde etiam patet, obligationem restitutionis esse juris naturalis non absoluti, sed conditionati, si nempe restitutio fieri possit sine jactura bonorum altioris ordinis à restituente incurrenda. In Confirmat. admissis exemplis neg. conseq. Ad primum exemplum disparitas est, quòd propter arctissimum naturæ vinculum longe major sit obligatio pietatis quàm Justitiæ. Unde filius tenetur subvenire parentibus etjam cum suo damno, quando patitur æqualem necessitatem. Imò non solùm potest non solvere, sed etiam tenetur non solvere debita creditoribus, etiam ex delicto contracta, si aliâ viâ nequeat succurrere parentibus. Ad secundum respondeo, mancipium quoad personam quoque esse sub jure & proprietate Domini. Unde non est ipsi liberum se domino subtrahere & tradere Religioni; sicut hoc idem non est liberum marito post consummatum matrimonium, utpote ipso facto tunc abdicanti eam libertatem. Atqui persona debitoris non est sub jure creditoris, eique salva manet libertas transeundi ad statum perfectiorem, si debita non possit solvere citra suum damnum incomparabiliter gravius, quod ejusmodi statum non ingresso esset subeundum. Ad tertium respondeo, talem corruptorem teneri ad ducendam corruptam, & ad manendum extra statum Religionis, eò quòd implicitè saltem promiserit, se non amplexurum talem statum. Cùm, nisi hoc promisisset, puella non concessisset usum corporis. Atqui ille, qui debita contrahit, nec explicitè, nec implicitè promittit, se non ingressurum Religionem, antequàm solvat debita. Vid. Salmantic. num. 294. & 295. Illsung à num. 272. Mezger num. 5. Joseph. Vogler de Restit. in gen. q. 33. à num. 518.

35 Cæterùm sententia à nobis statuta in num. 33. procedit solùm sistendò intra limites juris naturalis. Nam jure positivo Sixti V. in Bulla anno 1587. edita bonorum suorum decoctores, post dilapidatam rem familiarem, in Religiosos Ordines recipi prohibentur, eorumque etiam professio annullatur. Clemens verò VIII. revocata annullatione professionis, Bullam Sixti quoad cætera in suo valore reliquit. Unde tales Religionem nec licitè ingredi, nec in ea recipi possunt, si debita eorum sint magna, sitque probabilis spes, eos creditoribus satisfacere esse manendò in sæculo. Quòdsi hæc spes non adsit, nec alia suppetat ratio hos debitores liberandi à debitis, eos dictæ Pontificum Constitutiones, quippe unicè in favorem creditorum edictæ, non comprehendunt. Illsung num. 275. Plura de iisdem Constitutionibus reperies apud Sanchez cap. cit. num. 22. & seqq. Card. de Lugo à num. 86. Salmantic. à. num. 299. Mezger num. 6.

36 Dico tertio. Excommunicatio creditoris non excusat à restitutione. Ita communior sententia. Ratio est: quia nec iure Divino, nec humano debitor liberatur hîc à solutione debiti. Non jure Divino; cùm etjam ethnicis & publicanis debita solvenda sint juxta Apost. Rom. 13. Non etiam jure humano; quia jura, quæ pro se afferunt Authores contrarii, solùm loquuntur de debito fidelitatis & obsequii. Sed neque obstat, excommunicatos esse vitandos in convictu humano. Nam ista communio, quæ cum iisdem intercedit in solutione debiti, est admodùm brevis & parva, ac insuper plerumque necessaria. Unde non debet judicari prohibita. Vid. Mezger num. 5.

37 Quomodo excuset, vel non excuset à restitutione incertitudo creditorum, satis constat ex dictis suprà disp. 2. a. 2. §. 4. de acquisitione dominii rerum incertarum. Dispensatio, vel Compositio cum Papa tunc excusat, quando obligatio restituendi aliqua bona provenit ex jure positivo: sicut accidere potest in redditibus Ecclesiasticis malè perceptis. Ratio est: quia Summus Pontifex

Pontifex in ejusmodi jure dispensare, atque adeo illius obligationem tollere potest. Quòdsi tamen debita certa, & creditores noti sint, Compositio cum Papa ordinarie locum non habet: quia Pontifex absque legitima causa non potest res unius donare alteri: cùm non sit dominus bonorum, quæ pertinent ad subditos, sed defensor jurium cujusque ac judex. Dixi, *ordinarie*. nam in casibus extraordinariis ob legitimam causam ex potestate indirecta, quam habet in bona temporalia Christianorum, etiam de debitis certis potest aliter disponere. Vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 16. dubit. 11. Lugo sect. 7. §. un. Illsung artic. cit. num. 300. Mezger num. 6.

38 Compensatio propriè & juridicè accepta definitur *l. 1. ff. de Compensat.* quòd sit *debiti & crediti inter se contributio.* Hanc excusare à restitutione extra casus jure positivo exceptos (qui videndi sunt apud Jureconsultos) dubium non est. Quando enim duo sibi mutuò fiunt debitores, debitum extinguitur, quamprimùm creditor tantum incipit debere suo debitori, quantum sibi priùs erat debitum. Requiritur autem ad istam compensationem primo, ut debitum compensanti sit certum; imò liquidum, loquendò quoad forum externum. *l. ult. cod. de compensat.* Secundo, ut debita sint ejusdem rationis, id est, in rebus ejusdem speciei: quia, si res sit alicui in specie debita, tunc illi non satisfit per solutionem pretii, vel redditionem rei alterius speciei: ergo neque per remissionem debiti alterius speciei. Vid. Illsung artic. 3. Mezger art. 4. num. 11. An autem, & quomodo sit licita compensatio impropriè dicta, sive occulta, videbimus in disp. seq.

DISPUTATIO V.

De Restitutione in specie.

Hæc Disputatio quinque continebit Articulos. In primo agemus de injuriis & restitutione in bonis spiritualibus. In secundo de injuriis & restitutione in bonis vitæ & membrorum. In tertio de injuriis & restitutione ex injuriis stupri & adulterii. In quarto de injuriis & restitutione in bonis honoris & famæ. In quinto de injuriis & restitutione in bonis fortunæ.

ARTICULUS I.

De Injuriis & restitutione in bonis spiritualibus.

PEr bona spiritualia hîc intelliguntur primo bona quædam animæ naturalia: cujusmodi sunt usus rationis, & liberi arbitrii, scientiæ naturales, ingenium &c. Secundo, bona supernaturalia, ut sunt gratia, virtutes, Sacramenta & similia ad salutem & sanctitatem animæ pertinentia: quo etiam refertur status Religionis. In his omnibus quis injuriam & damnum pati potest ab altero.

§. I.

Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis animæ naturalibus?

SUMMARIUM.

1. *Qui alterum in bonis animæ naturalibus graviter lædit, tenetur ad restitutionem.* 2. *Quid de eo, qui alterum venenò, philtrò &c. usu rationis privavit?* 3. *Quid de impedientibus studiosos à studio litterarum?* 4. *Quid de docentibus alios falsa, vel improbabilia?* 5. *Quid de ablato usu rationis, alicujus sensus, vel memoriæ sit restituendum?*

Dico. 1 Qui alterum in bonis memoratis graviter lædit, infert illi gravem injuriam, & tenetur ad restitutionem. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia homini non minùs competit jus rigorosum in his, quàm in aliis bonis: adeoque, qui in iisdem quempiam graviter lædit, infert ipsi gravem injuriam, & peccat contra justitiam commutativam, atque adeo ad restitutionem obligatur. Unde

Sequitur primò, eum, qui alterum venenò, vel medicata potione rationis usu privavit, aut philtrò quasi in amentiam conjecit, compulitve maleficiis ad aliquid noxium agendum, amplectendum &c. peccâsse gravitèr contra Justitiam, & teneri ex Justitia 2

ad tollenda ejusmodi maleficia, si adhuc durent; & ad remedia procuranda contra damniferam potionem, damnaque omnia, quæ inde orta sunt, resarcienda; dum nempe resarciri possunt. Sayrus lib. 11. clav. reg. cap. 1. num. 2. Lugo de Just. tomo 1. disp. 9. sect. 1. num. 1. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 2. artic. 1. num. 58. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 36. a. 1. num. 1. & alii communiter. Ratio patet ex dictis.

3 Sequitur secundo, idem esse dicendum de eo, qui alterum vi, vel fraude avertit à studio litterarum. Item de Superioribus Universitatum, qui absque sufficiente causa studiosos è scholis excludunt, vel ad eas non admittunt. Pettschacher de Restit. pag. 247. Mezger num. 2. Ratio est: quia & isti sunt injusta causa damnorum animæ: & quidem specialiter Superiores Universitatum. Nam eo ipso, quòd Universitates sint institutæ ad instituendam juventutem, quilibet studiosus habet jus quæsitum à fundatoribus, ne citra causam sufficientem è scholis excludatur, vel in eas non recipiatur. Licèt enim fundatores bonum commune suis fundationibus intenderint primariò, secundario tamen intenderunt bonum quoque particulare cujusque studiosi.

4 Sequitur tertio, eum, qui in alterius intellectum errores induxit, peccâsse contra Justitiam. Ratio est: quia quilibet habet jus, ne inducatur in errorem, qui est malum intellectus. Unde similis deceptor tenetur ad restitutionem. Potest autem hæc talis obligatio contrahi tripliciter. Primo si error versetur circa doctrinam fidei. In quo casu is, qui in illum induxit, non tantùm peccavit contra fidem, sed etiam contra Justitiam, & consequenter tenetur decepto errorem manifestare ac revocare. Secundo, siquis ex officio est Doctor, Professor, Magister, & pro veris sententiis docet falsas & improbabiles; vel tradit falsa principia universalia, ex quibus multæ falsæ conclusiones deduci possunt. Tunc enim hic talis ex Justitia tenetur errores corrigere. Sanchez lib. 1. Consil. cap. 3. dub. 4. num. 12. Lugo num. 6. Pettschacher pag. 248. Mezger num. 3. Ratio est: quia, cùm ex officio teneatur docere aliquam artem, vel facultatem, discipulis gravem injuriam irrogat, damnumque infert, dum eorum intellectus falsitatibus implet. Plerumque tamen, si error non sit valde notabilis, vel sit merè speculativus, non censetur intervenire gravis injuria. Licet enim quilibet error positivus sit malum intellectûs, non tamen quilibet est grave malum, sed datur in illis parvitas materiæ. Lugo num. 4. Tertio contrahitur obligatio restituendi ab eo, qui alterum culpabiliter induxit in errorem practicum. Unde hic similiter tenetur ejusmodi errorem retractare, damnaque ex eo orta reparare. Ratio habetur ex dictis. Ubi tamen meritò advertit Sanchez, eum, qui ex Justitia non solùm tenebatur non decipere, sed etiam docere veritatem, obligari quoque ex Justitia non solùm dicere, esse falsa, quæ docuerat; sed etiam docere veritatem. Hinc Confessarius, vel Advocatus, si culpabiliter ac damniferè erravit in suo munere non satisfacit manifestando præcisè suum errorem, sed tenetur insuper ostendere veritatem oppositam. Ad quod non tenetur, qui ex Justitia tenebatur solùm non decipere; sed satisfacit revocandô errorem ac dicendô, esse falsa, quæ docuerat. Mezger loco cit. Pettschacher num. 249.

5 Sequitur quarto, pro ablato usu alicujus sensûs, memoriæ, vel rationis nullam esse obligationem restituendi, sed tantùm pro damno fortunarum, quod inde sequitur: ut, si mente privatus nequeat ampliùs fungi officiô, ex quo lucrum capiebat. Less. de Just. lib. 2. cap. 8. dubit. 1. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 1. contra Sotum & quosdam alios, qui dixerunt, pro his damnis præcisè consideratis faciendam esse restitutionem pecuniariam, quando alio modo reparari non possunt. Ratio verò sequelæ est: quia ejusmodi damna non sunt pretiô æstimabilia, utpotè in bonis longè altioris ordinis. Unde sicut ex hoc simili capite pro vulnere, cicatrice, aut deformitate præcisè consideratis nulla est obligatio restituendi, ut infrà videbimus; ita neque pro damnis memoratis. Satis est igitur pro his, ait Lessius, pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro injuria illata.

§. II.

Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis supernaturalibus?

SUMMARIUM.

6. Sententia quorundam Antiquiorum. 7. Qui alterum absque vi, vel fraude induxit ad peccatum, ad nihil tenetur ex Justitia, nisi ipsum peccatum fuerit in materia Justitiæ. 8. Qui vi, vel fraude induxit, ex Justitia tenetur istas tollere, & procurare, ut inductus emendetur. 9. 10. Quid de eo, qui alterum pretio, precibus, vel per metum reverentialem induxit ad peccatum? 11. Aliquem vi, vel fraude inducere ad peccandum

dum venialiter potest aliquando esse graviter injuria. 12. *Illationes de turpiloquiis, & Superioribus Regularibus.*

6 NOtandum est, modum potissimum in his bonis nocendi consistere in eo, quòd quis alterum inducat ad peccandum. Ubi quidam antiquiores Theologi universaliter affirmârunt, talem alterius seductorem ex Justitia teneri ad pœnitentiam & emendationem seducti, sive per se, sive per alios, procurandam. Plus enim, inquiebant, eundem læsit, quàm si in bonis temporalibus læsisset. Verùm & hîc bene docet, qui bene distinguit. Unde

7 Dico primo. Qui absque vi vel fraude alterum ad peccatum induxit, non tenetur ex Justitia, sed solùm ex charitate procurare, ut damnum spirituale repatetur. Less. de Just. lib. 2. cap. 8. dubit. 2. num. 7. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 1. pu. un. num. 1. Lugo de Just. tomo 1. disp. 9. sect. 1. num. 9. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 2. artic. 1. num. 59. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 36. artic. 1. num. 6. & alii. Ratio primæ partis est: quia hujusmodi seductor non peccavit contra Justitiam: nam scienti & volenti non fit injuria. Sed, qui peccat nulla vi, vel fraude inductus ad peccandum, peccat sciens & volens; adeoque voluntariè damnum spirituale patitur. Ergo is, qui ipsum induxit ad peccatum nihil tenetur ex Justitia. Quæ tamen doctrina intelligenda est, nisi fortè ipsum peccatum, ad quod alterum induxisti, fuerit in materia Justitiæ; ut, si aliquem ad furandum, vel detrahendum induxisses; tunc enim tenereris ex Justitia ad restitutionem: quia peccâsses contra Justitiam, & fuisses injusta causa damni proximo illati. Lugo loco cit. Ratio secundæ partis est: quia æquitas naturalis postulat, ut is, qui est author ejusmodi mali, præ cæteris allaboret, ut proximus resipiscat & emendetur. Tenetur proinde seductor lege charitatis suadendô, monendô, orandô seducti conversionem procurare. Istam tamen obligationem extra casum necessitatis, in quo etiam alii ad idem tenentur, non esse gravem, & sub mortali (saltem loquendo ordinariè) probabilius existimamus cum Lessio, Navarro, & aliis.

8 Dico secundo. Qui vi, vel fraude aliquem in peccatum mortale induxit, tenetur ex Justitia vim, vel fraudem tollere, & procurare media, per quæ gratiam amissam recuperet seductus. Ita Authores pro priori concl. citt. & alii communiter. Ratio est: quia injusta causa damni tenetur ad reparationem damni illati: sed qui per vim, vel fraudem alterum induxit in peccatum mortale, est injusta causa damni, videlicet amissionis gratiæ; ergo ex justitia ad hoc reparandum tenetur. Confirmatur. Qui alterum dictis modis adegisset ad hauriendum venenum, teneretur ex Justitia ad illud tollendum, & medicinas contra vim illius procurandas; ergo similiter alterum inducens ad peccatum mortale, quod est venenum animæ longè pestilentius; imò mors ejusdem; ad eadem tenetur. Hoc tamen ità intellige, ut solùm procedat, quando seductus vel propter ignorantiam, vel aliam causam non habet in potestate media pœnitentiæ, quibus recuperet salutem animæ. Nam si ipse per se habeat, eisque non utatur, cedit jure suo, & seductor ad nihil tenetur ex Justitia. Ex his

9 Infertur jam primo, eum, qui citra vim & fraudem pretio, precibus, vel blanditiis aliquem induxit ad peccandum etiam mortaliter, non teneri ex Justitia reparare damnum illatum. Less. loco cit. Bonac. n. 2. Ratio est: quia inducto nulla tunc illata fuit injuria. Cùm non invitus, sed sciens & volens peccaverit.

10 Infertur secundo, illum quoque peccare contra Justitiam, & consequenter obligari ad reparanda damna, qui per metum gravem reverentialem extorquet peccatum. Ratio est: quia etiam hic metus in morali æstimatione æquivalet violentiæ. Censetur autem metus reverentialis tunc esse gravis, quando est conjunctus cum rationabili timore, ne parens v. g. vel superior deinceps solitô rigidiùs & asperiùs tractet subditum, si non obediat: sicut cum aliis advertimus suprà tract. 2. disp. 1. artic. 3. num. 35. Hoc enim rationabiliter videtur grave malum, & graviter conturbare hominem etiam constantem. Vid. Pettschacher de restit. pag. 251.

11 Dico tertio. Quamvis regulariter non sit gravis injuria aliquem vi, vel fraude inducere ad peccandum venialiter, potest tamen esse gravis injuria aliquando. Lugo disp. cit. sect. 2. num. 18. & 20. Pettschacher num. 253. Mezger ubi suprà num. 7. & 8. Ratio primi est: quia peccatum veniale in suo genere est malum leve. Unde quemadmodum aliquis suapte sponte sibi volens & ex proposito procurans peccatum veniale non graviter peccat, ita nec alius graviter peccat, quando id illi per vim vel fraudem procurat. Ratio secundi est: quia potest contingere, & damnum spirituale, quod provenit ex peccatis solùm venialibus, respectu alicujus personæ sit grave, & notabile. Veluti, dum homo in excellenti gradu perfectionis constitutus in peccata venialia vi, vel fraude inducitur, ac propter-

ta notabiliter cadit de suo statu. Talis quippe est meritò graviter invitus. Confirmatur. Fieri potest, ut peccet mortaliter furandô unicum cruciferum, quando nempe furaris homini paupertimo; quamvis ista alioquin sit levis materia: ergo similiter peccare potest mortaliter inducens alium ad peccandum venialiter, quando hic est homo perfectus & sanctus. Nam iste ratione statûs, in quo existit, non est minùs, idque graviter, invitus ob ejusmodi damnum spirituale, quàm ille miser ob jacturam cruciferi. Atque hinc ulteriùs

12 Habetur primo, meritò de peccato mortali timere sibi posse eos, qui innocentes pueros, vel integræ vitæ adolescentes ad levia & impura colloquia dolosè inducunt. Ratio est: quia licèt ista quandoque sint solùm venialiter mala, in eo tamen vitæ statu talibus innocentibus grave nocumentum creare videntur. Habetur secundo, mortaliter peccare Superiorem regularem, qui per nimiam conniventiam suam in causa est, ut per multiplicatas transgressiones venialiter malas, vel neglectus regularum etiam sub nulla culpa obligantium disciplina regularis notabiliter laxetur. Ratio est: quia hujusmodi laxatio & dissolutio disciplinæ damnum est satis grave in Religione. Vid. Lugo num. 20. & seqq. Mezger num. 8.

§. III.

An teneatur ad restitutionem, qui retraxit aliquem ab ingressu Religionis, vel jam ingressum extraxit?

SUMMARIUM.

13. *Quænam hic discutienda?* 14. *Retrahere quempiam ab ingressu Religionis aliquando est licitum.* 15. *Neque, qui Novitium,* 16. *Neque, qui Professum sine vi & fraude extraxit è Religione, ad aliquid tenetur ex Justitia.* 17. *Solvuntur Objectiones.* 18. 19. 20. *Ad quid teneatur, qui memoratos vi, vel fraude abduxit?* 21. 22. 23. *Quomodo peccet, qui sine sufficienti causa Novitio negat suffragium ad Professionem?* 24. 25. *An egrediens ex Novitiatu teneatur Religioni solvere expensas?*

13 TRia hîc considerari debent. Primum, an retractus sit canditatus Religionis, vel Novitius? vel Professus? Secundum, an fuerit retractus; vel extractus per vim, vel fraudem; vel absque vi & fraude? Tertium, cui sit restituendum? an Religioni? an illi, qui fuit retractus, vel extractus? Hæc omnia nunc discutiemus, additis aliis duabus QQ. nempe, quomodo peccet, qui absque sufficiente causa Novitio negat suffragium ad Professionem? & utrùm Novitius ex Novitiatu egrediens teneatur Monasterio solvere expensas? Priùs tamen

Dico primo. Fieri potest, ut quis licitè 14
alterum retrahat ab ingressu Religionis. Hæc concl. à nemine revocatur in dubium. Et ratio est; quia fieri potest, ut quis prudenter existimet, aliquem esse ineptum ad Religionem; vel Religionem illi non esse accommodam; adeoque bona fide eidem dissuadeat ingressum. In quo etiam casu talis ad nullam restitutionem tenebitur: quippe qui nulli infert injuriam. Imò, quando attentis rerum qualitatibus & circumstantiis, advertis, candidatum, si reciperetur in Religionem, huic fore noxium; vel ipsimet non expedire ingressum Religionis ob disciplinam in ea viventium nimis liberam & dissolutam, non tantùm nulli infers injuriam, dum talem avertis ab ingressu, sed insuper negotium hinc candidati, illinc Religionis, utiliter gerere videris. Vid. Sayrus lib. 11. clav. Reg. cap. 1. num. 27. Filliuc. tract. 32. cap. 6. num. 170.

Dico secundo. Qui Novitium sine vi 15
& fraude extraxit, nan tenetur ex Justitia ad aliquam restitutionem, quamvis id pessimô animô fecerit, & gravissimè peccaverit. Idem sentiendum est de illo, qui candidatum, seu volentem ingredi Religionem hoc modo revocavit. Less. de Just. lib. 2. cap. 8. dubit. 3. num. 12. Sayrus num. 29. Sanchez lib. 1. Consil. cap. 3. dubit. 2. num. 4. Filliuc. num. 171. Lugo de Just. tomo 1. disp. 9. sect. 3. num. 27. Pettschacher de Restit. pag. 254. & DD. communitet. Ratio est: quia talis nec jus Novitii, nec Religionis violavit. Non jus Novitii; quia scienti & volenti nulla fit injuria. Non Religioni; quia hæc nullum habet jus in Novitium. Animus quoque nocendi nullam inducit obligationem restituendi, quando per actionem externam non infertur damnum. Dixi tamen, *non teneri ex Justitia.* Nam lege charitatis, & ex aliqua decentia tenetur ejusmodi retractum hortari ad resumendum bonum propositum, ut ita reparet damnum spirituale, quod intulit exstinguens in eo Divinum spiritum, faciensque miserum è cœlo in cœnum ruere, ut loquitur S. Bernardus.

Dico tertio. Neque ille tenetur ex 16
Justitia ad aliquam restitutionem, qui absque vi vel fraude Professum à Religione extraxit.

traxit. Sayrus num. 30. Sanchez loco cit. Less. num. 16. Filliuc. num. 173. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 1. pu. un. num. 6. Pettschacher num. 255. & alii. Ratio est: quia nec Professo extracto, nec Religioni tenetur restituere: ergo nemini. Conseq. patet. Ant. prob. Non extracto; quia jus ejus non læsit; quippe qui sciens & volens Religionem deseruit. Non Religioni: vel enim teneretur ratione personæ extractæ, vel ratione lucrorum & emolumentorum, quæ Religio percipere potuisset à Professo? Non ratione personæ; quia Religio non habet jus Justitiæ in personam. Neque enim Religiosus per Professionem obligat se Religioni ex Justitia, sed ex virtute religionis per votum obedientiæ. Non ratione lucrorum percipiendorum; quia Monasterium vel Religio non habet aliud jus in ista, quàm in personam, à qua proveniunt: ergo sicut in personam non habet jus Justitiæ, sed solùm obedientiæ & religionis, ita nec in lucra & emolumenta percipienda. Et consequenter seductor Religiosi, qui est in causa, ut Monasterium ea lucra non percipiat, non peccat contra Justitiam; atqueadeo nihil tenetur restituere.

Confirmatur. Si Professus suapte malitia sponte apostataret, vel manens in Monasterio otiaretur continuò, non peccaret contra Justitiam, & neque se ipsum ex Justitia teneretur restituere, neque lucra cessantia: ergo à fortiori nec ille peccat contra Justitiam, vel tenetur ad restitutionem, qui persuasit apostasiam, vel otium. Prob. conseq. quia, si causa principalis damnorum, qualis est ejusmodi Professus, ad nihil teneatur ex Justitia, multò minùs tenebitur causa secundaria, qualis est ille seductor. Ant. itidem prob. quia inprimis ipsa persona Professi non est Religioni debita ex Justitia, ut jam diximus. Deinde, quamvis Religio habeat jus spirituale præcipiendi Religioso, ac imponendi certa ministeria, v. g. ut doceat aliquam scientiam, ut agat œconomum: in proventus tamen & lucra inde nascentia nullum habet jus, nisi suppositâ illius voluntate, & executione functoionum similium.

17 Objicies primo. Extrahens dicto modo Professum è Religione violat jus strictum Religionis: quia ista habet jus strictum gubernandi Professum, eique injungendi opera sibi utilia: ergo tenetur ad restitutionem. Secundo. Omne damnum, quod sequitur ex injusta actione, reparari debet: sed ex extractione Professi tanquam injusta actione Monasterio, vel Religioni sequitur damnum contra jus strictum, quod Religio habet saltem in spem proximam, emolumentorum ex operibus Professi percipiendorum; ergo. Tertio. Religiosus ipse in Professione se tacito contractu obligavit ad manendum; ideoque egrediendò non tantùm peccat contra Religionem, sed etiam contra Justitiam: ergo etiam, qui illum ad egrediendum induxit, peccat contra Justitiam. Quarto. Qui servo persuaderet, ut aufugeret à domino, teneretur ad restitutionem; ergo ad eandem quoque tenebitur, qui Religiosum Professum inducit ad relinquendam Religionem.

Respondeo ad primum neg. Ant. cum sua probat. quia jus illud non est Justitiæ, sed Religionis solùm, & Obedientiæ, ut diximus. Ad secundum dico, illud solùm damnum ex Justitia esse reparandum, quod secutum est ex injusta actione, quæ sit propriè injusta: atqui illam extractionem esse actionem injustam solùm impropriè, & contra jus virtutis religionis. Ad probat. mi. constat ex dictis, Religioni tunc primùm competere jus strictum in emolumenta, vel spem proximam illorum, quando Religiosus opera utilla, ad quæ non ex Justitia, sed obedientia tenetur, exequitur. Ad tertium neg. Religiosum simili contractu se obligare ad manendum, aut peccare contra Justitiam egrediendò ex Religione. Ad quartum neg. parit. nam servus est principaliter propter commodum temporale domini, & in possessione ejusdem ex jure stricto Justitiæ. Atqui Religiosus non est principaliter propter bonum temporale Religionis, sed propter suum bonum spirituale, cujus gratia per emissionem votorum sponte se mancipavit Religioni: à qua proinde non possidetur ex jure stricto Justitiæ; sed subest eidem in suum commodum spirituale, utque in illa ad propriam salutem æternam dirigatur.

Dico quarto. Qui vi, vel fraude candidatum Religionis, vel Novitium, vel Professum à Religione abduxit, tenetur ex Justitia ad restitutionem tum illis, quos seduxit, tum Religioni præstandam. Filliuc. ubi suprà num. 172. & 174. Lugo num. 28. Pettschacher pag. 256. & 257. Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 36. artic. 2. num. 4. & alii. Ratio est: quia utrisque intulit strictam injuriam, & fuit injusta causa damnorum. Atque hinc tenetur ex justitia primo removere vim, vel fraudem, & seductum restituere suæ libertati, ita ut, si velit, possit ingredi, vel regredi in Religionem. Tenetur secundo resarcire omnia damna seducto inde exorta, sive temporalia, sive spiritualia, & procurare media, ut in Religionem reverti possit. Quæ tamen 18

intellige

intellige, nisi seductus ipse habeat in potestate dicta media, sublataque vi, vel fraude per se ipsum possit reparare damnum. Tunc enim, si non redeat in Religionem, sibique ipse consulat, jam volens censetur pati sua damna, & seductor ab illo onere liberatur: cùm ad plus non obligetur, quàm ut eundem restituat in statum pristinum. Tenetur tertio Religioni quoque resarcire damna ex ejusmodi seductione, vel extractione secuta, in quantum nempe resarciri possunt. Licèt enim Religioni non competat jus in personam candidati, Novitii, vel in lucra, quæ ex ministeriis Professi potest percipere, habet tamen jus rigorosum, ne per vim vel fraudem ab illorum consecutione impediatur.

19 Idem tamen non tenetur primo ipsemet ingredi illam Religionem, vel Monasterium, si ei, quem seduxit, reditum persuadere non potuit. Ratio à posteriori est: tum, quia in foro externo seductori non imponitur talis obligatio: tum, quia, qui Religiosum occidit, non tenetur ingredi Religionem: ergo neque, qui seduxit à Religione. Pariter, si occidisti maritum; vel fuisti injusta causa, ne alter ducerer certam virginem, non teneris ipse ejusmodi virginem, vel viduam ducere: ergo idem dicendum in nostro casu. Ratio à priori hæc reddi potest: quia nemo tenetur cum gravi suo damno in bonis superioris ordinis resarcire damnum, quod alteri intulit in bonis inferioris ordinis: atqui talis seductor, si teneretur in simili eventu ipsemet ingredi Religionem, teneretur cum gravi damno in bono Superioris ordinis, nempe in propria libertate, quam amitteret, resarcire damnum Religioni datum in bonis fortunæ, quæ sunt inferioris ordinis; ergo &c. Contrarium docuisse perhibentur Scotus, Adrianus, Paludanus, Sylvester & alii apud Card. de Lugo, num. 29. quorum sententiam dicit improbabilem Illsung tract. 4. disp. 3. q. 2. art. 1. num. 60.

20 Non tenetur secundo procurare, ut alius æquè idoneus locô seducti Religionem ingrediatur. Nam, ut alia omittam, similis modus restituendi non est moribus receptus; & neque exigi solet à Religionibus: quippe quibus raro feliciter cedit ingressus eorum, qui ad illum non omnino voluntariè, & humanis potiùs, quàm Divinis instinctibus, inducuntur. Vid. Pettschacher num. 258. Mezger num. 5.

21 Dico jam quinto. Qui sine legitima & rationabili causa Novitio denegat suffragium ad Professionem, graviter peccat non solùm contra charitatem, sed etiam contra Justitiam. Prima pars Conc. communis est inter DD. Et ratio est: quia repulsa à Professione, & expulsio è Religione est magnum detrimentum Novitii. Nàm & privat eum magno bono, & exponit magno periculo: imò inurit ei gravem notam; cùm passim apud homines habeatur probrosùm fuisse dimissum ex Religione; præsumunt enim, nonnisi ratione defectuum vel naturalium, vel moralium quemquam dimitti. Accedit, quòd in praxi non contingat, ut Novitius sine justa causa dimittatur, nisi ex inordinato affectu & passione contra ipsum, vel ejus propinquos & amicos: sed hoc est contra charitatem; ergo. Ratio secundæ partis est primo, quia Novitius sine justa causa dimissus potest in foro externo reclamare contra Religionem, vel Monasterium, ut docent graves Authores, quos refert Sanchez lib. 5. in Decal cap. 4. num. 59. & quando constaret ibi de veritate, Religio ad eundem recipiendum adigeretur: ergo apparet, in Novitio esse aliquod jus, ne sine legitima causa à Professione repellatur. Quomodo enim posset in judicio jus suum prosequi, si nullum haberet? Ratio est secundo, quia illi, quibus competit jus suffragii ad Professionem Novitii promovendam vel impediendam, se habent instar judicum ac testium, qui tenentur ex officio proferre sententiam, & testificari juxta merita & habilitatem Novitii, sicut in conscientia, & coram Deo sentiunt: ergo, dum aliter judicant vel testificantur, peccant contra suum officium: ergo contra Justitiam. Quia judex contra innocentem pronuntiandô sententiam, aut testis contra innocentem testificandô peccat contra Justitiam. Tenebatur enim ex Justitia ferre sententiam, vel testimonium in favorem innocentis. Ratio est tertio, quia, qui alteri gravem notam inurit, ejusque honorem minuit absque legitima causa, graviter peccat contra Justitiam: sed ita se gerit, qui sine legitima causa Novitio negat suffragium ad Professionem; uti paullò antè advertimus; ergo graviter peccat contra Justitiam. Vid. Sanchez loco cit. Lugo in Append. sect. cit. à num. 56. Pettschacher num. 263. Mezger num. 7. & alii ab ipso relati.

22 Objicies. Novitius absque gravi peccato, & injuriâ in Religionem vel Monasterium egredi potest ex Novitiatu, etiam quando non habet justam causam egrediendi: ergo similiter Religiosi suffragatores Novitium per sua vota possunt ex Religione dimittere citra grave peccatum, vel gravem injuriam, esto, non habeant justam causam id faciendi. Ant. est certum. Consequ. prob.

prob. quia Religio non est magis obligata ad retinendum Novitium, quàm Novitius ad permanendum in Religione. est enim utrimque par libertas, & ideo instituitur Novitiatus, ut utraque pars probet & probetur. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. cum sua probat. quia inprimis Novitius, ut dictum est in prima ratione hujus part. habet jus permanendi, & Professionem faciendi in Religione, si per omnia fuerit probatus: quo jure sine injuria exui non potest: econtra Religio non habet jus ad retinendum Novitium; quia hic non obligat se ad permanendum in Ordine; sed ad sustinendam probationem, quantum, & quamdiu sustinere potuerit, vel voluerit. Deinde Religio nullum patitur grave damnum, aut notam infamiæ ex discessu Novitii: atqui tale damnum, talemque notam patitur Novitius, dum ex Religione dimittitur. Unde vides, conditionem libertatis non esse utrimque parem.

23 Aliud sentiendum est, dum agitur de sæculari in Novitiatum admittendo. Talis enim sine injuria repelli potest, quamvis agnoscatur esse idoneus: cùm nullum ostendi possit jus, quod habeat, ad sui receptionem. Imò Religio neque ex charitate obligatur ad ejusmodi candidatum suscipiendum. licèt enim charitas me obliget, ne volentem tendere ad perfectionem impediam, non tamen me obligat in tali casu, ut ex meis positivè concurram, & efficiam, ut ille voti sui compos evadat. Vid. Lugo n. 54. Cæterùm causæ sufficientes negandi Novitio suffragium ad Professionem sunt, gravis aliqua culpa moralis; vel defectus tractabilis indolis, sanitatis, talentorum; vel aliud grave damnum, quod ex ejus retentione prudenter timetur, sive id spirituale sit, sive temporale. Vid. Lugo n. 59. Pettschacher n. 265. Mezger n. 9.

Dico sexto. Novitius ex Monasterio 24
egrediens non tenetur solvere expensas. Ita communis sententia: quam Lugo n. 61. confirmari ait ex praxi omnium Religionum. Ratio est: quia in susceptione Novitii fieri videtur contractus bonæ fidei inter Religionem, & Novitium, ut singuli bona fide probare ac experiri velint, an hic sit aptus ad Religionem, & an Religio ipsi sit apta? Unde utraque pars obligat se, nempe Religio ad alendum gratis Novitium, & Novitius ad inserviendum gratis Religioni juxta suum statum in iis, qui illi injungentur.

Limitanda est tamen statuta concl. pri- 25
mo, nisi Novitius fraudulenter, & animo redeundi ad seculum fuerit ingressus. tunc enim tenebitur ad reparationem damni, quod dolo malo dante causam contractui intulit Monasterio in suis alimentis; deducto tamen valore operæ & obsequii præstiti. Limitanda est secundo, nisi pactum intercesserit de alimentis solvendis. tunc quippe tenebitur solvere: quia contractus justus servari debet: sed hic talis contractus est justus; ergo servari debet. Vid. Lugo à n. 65. Mezger n. 10.

ARTICULUS II.

De Injuriis & Restitutione in bonis vitæ & membrorum.

HOmicidium, mutilatio, & vulnetatio, de quibus hîc sermo erit, multifariam considerari possunt. Primo nempe, ut committuntur à proprio supposito, dum se ipsum aliquis occidit, mutilat, vulnerat. Secundo, ut fiunt ab altero, idque vel publica authoritate, vel privata. Tertio, ut fiunt authoritate privata ob necessariam defensionem, vel absque necessitate defensionis. Quarto, ut fiunt casu, vel voluntate, & rursus, an voluntate directa, sive ex proposito; sive indirecta, & interpretativa. Nos multa, quæ de his alii tractant hoc loco, in Quinto Decal. præcepto præoccupavimus: quæ repetere non est necesse. Itaque cætera prosequamur.

§. I.

Utrùm, & quomodo liceat occidere malefactores?

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

SUMMARIUM.

1. *Sententia Scoti.* 2. *Licitum est publica authoritate occidere malefactores.* 3. 4. 5. *Solvuntur Objectiones.* 6. *An liceat Judici occidere reum extra statum gratiæ existentem.* 7. *An liceat aliquando occidere malefactores ex aliena Republica?* 8. *Quid liceat circa proscriptos?* 9. *Quid liceat marito circa uxorem in adulterio deprehensam?* 10. *An liceat occidere tyrannum?*

PRæter errorem Waldensium, & Nico- 1
lai Bohemi asserentium, DEUM illo præcepto: *Non occides*, prohibuisse omnem omnino occisionem hominum, etiam malefactorum quorumcunque, notabilis hîc est opinio Scoti, qui in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. docuit, non esse licitum quoslibet male-

malefactores, etiam potestate publica, occidere; sed eos tantùm, quorum Deus in quinto præcepto Decalogi dispensans meminit in Sacra Script. veteris Testamenti. Verùm contra hæc

2 Dico. Licitum est, non tamen nisi publica authoritate, extra casum necessariæ ac justæ defensionis, occidere malefactores. Ita cum D. Thoma, 2. 2. q. 64. a. 2. communiter Catholici. Prima pars concl. habetur ex Sac. Script. Deuter. 21. ubi dicitur: *maleficos non patieris vivere.* & Rom. 13. *DEI minister est* (nempe princeps temporalis) *vindex in iram ei, qui malum operatur.* Ratio verò ex D. Thoma est: quia quælibet pars est propter totum: & consequenter ob conservationem totius potest auferri & abscindi, quando eidem est noxia. Cùm proinde quilibet malefactor, sit pars reipublicæ seu communitatis, eique noxia, potest ob ejus conservationem abscindi; adeoque occidi. Ratio secundæ partis est: quia extra necessitatem justæ defensionis (de qua dictum in 5. præcepto Decalogi) non est licitum malefactores è medio tollere, nisi propter bonum publicum: ergo potestas morte puniendi ipsos ad eos solùm pertinet, ad quos pertinet procuratio boni publici. atqui hæc pertinet ad illos, in quibus est authoritas publica, nempe ad magistratum, vel principem: ergo ad hos solùm pertinet occidere malefactores.

3 Objicies primo. Deus absolutè & universaliter prohibuit omne homicidium in 5. præcepto Decalogi, *Non occides*: ergo non licet occidere quemquam, etiam quantumvis malum, nisi DEUS dispenset in illo præcepto. atqui non dispensavit, nisi circa aliquos peccatores, quos excepit Exodi 22. & alibi in veteri Testamento. & hinc non licet morte punire fures; quia non sunt excepti. Respondeo neg. Ant. si per omne homicidium intelligatur omnis occisio hominis. nam illud præceptum, *Non occides*, solùm intelligitur de occisione innocentium, juxta illud, *Justum & innocentem non interficies.* item, de occisione, quæ fit authoritate privata, & non servato ordine Juris: quod intellige extra necessitatem justæ defensionis.

4 Objicies secundo. Matth. 13. paterfamilias prohibet, ne servi colligant zizania tritico immixta, inquiens: *Sinite utraque crescere usque ad messem.* ubi Deus videtur sibi reservare punitionem impiorum usque ad tempus mortis eorumdem. Respondeo, DEUM ibi solùm prohibere, ne tollantur pravi homines, quando id fieri non potest sine præjudicio bonorum, inter quos vivunt; eò quòd vel nequeant bene dignosci: vel quòd ex eorum supplicio bonis grave damnum consequeretur. Vid. D. Thomas a. cit. ad 1.

Dices. DEUS patienter tolerat peccatores, nec punit statim, sed expectat usque ad messem, ut loquitur Evangelium, si fortè convertantur. ergo principes & magistratus creati debent imitari hoc exemplum, & non punire malefactores, sed expectare, donec fortè convertantur. Respondeo, non bene fieri argumentum à DEO principe ac judice supremo ad principem, seu magistratum & judicem creatum. quia Deus peccatores ita tolerat ob certos fines, quos attendere non pertinet ad principem vel judicem humanum; nempe, ut probi habeant in promptu majorem occasionem patientiæ, dum exagitantur & vexantur ab improbis: utque magis resplendeat Divina misericordia, dum aliqui convertuntur, qui certò periissent, si statim fuissent puniti; & Justitia in puniendis illis, qui diu, ut se converterent, sunt expectati, & tamen se non converterunt. Ad principem autem, seu magistratum humanum pertinet solùm conservare ac tueri quietem & tranquillitatem reipublicæ sibi commissæ, ad quod requiritur, ut delicta publica statim puniantur: quamvis occulta, & non ita pernicioſa aliquando dissimulari possint ob alios fines.

5 Objicies tertio Authoritatem S. Augustini, lib. 1. de Civit. cap. 21. ubi scribit: *Hoc præceptum, Non occides, generaliter intelligendum est de omni occisione hominis, illis solùm inde exceptis, quos Deus vel lege lata vel expressa revelatione particulari jusserit interfici.* Ergo juxta S. Patrem illi malefactores, quos Deus in lege non jussit interfici, non possunt morte puniri. Respondeo ex Card. de Lugo, omnes malefactores esse exceptos ab illo præcepto per legem naturalem, quæ est lex DEI dictans, sceleratos esse puniendos supplicio condigno legitimè statuto: præter hos autem occidi quoque posse alios, quos DEUS speciali revelatione interfici jusserit; quemadmodum ab Abrahamo filium Isaacum jussit interfici.

6 Corollarium I. Licitum est auctoritate publica occidere reum etiam extra statum gratiæ existentem. qui, quando non vult uti debitis mediis pœnitentiæ, non debet judex propterea ab ejus supplicio abstinere, licèt videat, sceleratum in æternum damnatum iri. Lugo de Just. to. 1. disp. 10. sect. 2. n. 64. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 2. pu. 1. n. 8. & alii ab his relati. Ratio est: quia judex non attendit principaliter bonum nocentis, sed reipublicæ; cui certè malè consuleretur, si malefactores ob prætextum mali status, & indispositionis ad moriendum permitterentur vivere, vel

vel totùm punitio nimiùm differretur. sic enim daretur illis occasio perseverandi in impœnitentia, aut fingendi impœnitentiam, ut pœnam promeritam subterfugerent. Debet quidem judex Christianus curare, quantùm potest, ut saluti spirituali illius, quem vult punire, consulatur, & in hunc finem nonnihil differre executionem; sed si is nihilominùs obstinatè perseveret in impœnitentia, tutâ conscientiâ jubebit Justitiæ ministros lege agere. nam sibi reus imputet, quòd saluti animæ, cùm posset, noluerit consulere.

7 Corollarium II. Licitè occiduntur authoritate publica malefactores non tantùm subditi, sed etiam non subditi, quando subditos afflignnt, damnisque afficiunt, & à proprio principe, vel magistratu non puniuntur; ut satisfiat reipublicæ læsæ. Lugo n. 63. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 37. a. 11 n. 2. Ratio est: quia hoc quoque necessarium est ad quietem, & tranquillitatem reipublicæ, ut non perturbetur ab extrinseco, & injustè lædatur alienâ sceleratorum hominum insolentiâ. Atque hinc universim oritur Justitia belli cùm offensivi, tum defensivi, ex quâ fas est hostes occidere, dum alia ratione illata injuria compensari, inferenda averti non potest.

8 Corollarium III. Licitum est privatò occidere proscriptum, seu bannitum ut vocant, contra quem lata est publica mortis sententia. Bonac. de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 1. pu. 2. n. 2. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 3. Laym. lib 3. tract. 3. cap. 2. num. 2. Ratio est: quia hoc fit authoritate publica, quam princeps in ejusmodi proscriptione cuilibet privato concedit in vitam nocentis. Cæterùm, ut hæc occisio sine peccato suscipiatur, debent adesse sequentes conditiones. Prima, ut fiat publicæ Justitiæ Zelò, non odiò privatò, aut privatæ ultionis causâ. Secunda, ne perpetretur pendente appellatione. Tertia, ne extra territorium proscribentis. secùs enim infertetur injuria principi, qui concedit securitatem proscripto in sua provincia. cùm nemo principum, aut judicum jus dicere, vel sententiam exequi possit extra suum territorium sine expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia illius, quem penes in alieno territorio est jurisdictio. Quarta, ut id non faciant parentes, liberi, uxor &c. qui proscriptum alere tenentur. quia jus civile non tollit jus naturale. Vid. Laym. loco cit. & n. 3.

9 Corollarium IV. Quamvis maritus licitè occidat uxorem, & pater filiam adulteram in flagranti deprehensam, si post sententiam legitimè latam ipsi occidenda itradatur à Judice; graviter tamen peccat, si id faciat ante hujusmodi sententiam. Ratio primæ partis est: quia tunc exequitur justam sententiam auctoritate publica. Less. cap. cit. dubit. 5. n. 18. Bonac. n. 5. Salmant. n. 15. Secunda pars, quam tenent omnes ferè DD. inde prob. quòd talis executio sit actio formaliter injusta, utpote ultrò privata auctoritate suscepta, reò non auditò, & cum manifesto periculo æternæ damnationis ejusdem. Accedit, quod eadem executio fiat absque ulla necessitate: cùm adulteri capi, accusari, & per sententiam puniri possint. quod non ita se habet in proscriptis, de quibus in priori corollario. Itaque talis occisor graviter peccat contra Justitiam, & tenetur in conscientia ad restitutionem, modò inferiùs explicandò: & meritò damnanda est ab Alexandro VII. hæc prop. 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Leges quoque civiles quantùm ad hanc potestatem occidendi justo patris, vel mariti dolori concessam per jus Canonicum emendantur, cap. *Inter hæc* 33. q. 2.

10 Corollarium V. Homini privato licet aliquem tyrannum occidere, aliquem non licet. Ante probationem corollarii advertendum est, dupliciter contingere, ut quis sit tyrannus: primo, ratione tituli, nempe si absque ullo jure per vim & arma principatum invadat vel occupet, quemadmodum Turca occupavit regna Orientis, & alia vicina. Secundò, ratione administrationis tantùm, ut, si ille, qui est verus ac legitimus princeps, administrationem vertat non ad bonum publicum, sed ad sua privata compendia, onerandò subditos injustis exactionibus, condendò leges sibi quidem commodas, publico autem bono parùm utiles, imò noxias &c. Tyrannum hoc secundo modo, nempe ratione administrationis, homini privato non licet occidere; licet verò occidere tyrannum, qui est talis ratione tituli. Ita Sayr. lib. 7. clavis reg. cap. 10. n. 3. Bonac. sect. cit. pu. 3. Less. dubit. 4. Salmantic. à n. 10. & alii communiter. Ratio primi est: tum, quia in Concil. Constantiensi, sess. 15. damnatur hæc prop. Joannis Hussii: *Quilibet tyrannus licitè potest à quocunque subdito occidi.* tum, quia princeps, licèt tyrannicè regat, manet verus superior: cui esse parendum, quamdiu præcipit licita, docet Script. Rom. 13. & 1. Petri 2. & alibi. Atqui subdito non licet occidere verum & legitimum Superiorem; ergo non licet occidere talem tyrannum. Ratio secundi est: quia iniquum invasorem & aggressorem reipublicæ cuilibet subdito jure defensionis licet occidere; sed talis tyrannus est iniquus invasor & aggressor reipublicæ, & non legitimus princeps; ergo licet occidere. Cæterùm ad

hoc requiruntur quatuor conditiones. Prima est, ut non pateat recursus ad superiorem: secùs enim, cùm malo aliter possit occurri, sine necessitate occideretur. Secunda, ut constet, esse tyrannum ratione tituli. Tertia, ut constet de consensu, saltem præsumpto, reipublicæ. Quartâ, ut non timeantur majora mala ab ejus successoribus Vid. Bonac. loco cit.

§. II.

An aliquid restitui debeat pro vita, membro, vel cicatrice?

SUMMARIUM.

11. *Declaratur status quæstionis.* 12. *Eligitur, & prob. sententia, negativa, saltem ante sententiam Judicis.* 13. *Solvuntur Objectiones.* 14. *An aliquid restituendum pro fustuario, vel alapa inflicta?* 15. *An plus restituendum ob eædem personæ dignioris?* 16. *An aliquid compensandum pro deformitate ex cicatrice?* 17. *An aliquid pro anima occisi?* 18. *Damnum famæ & honoris an compensandum in alio genere bonorum?*

11 SUpponitur, non esse dubium, quin is, qui servum alterius occidit, vel mutilavit, teneatur restituere domino, quanti servus occisus valebat; vel quanti minoris jam valet propter mutilationem & defectum corporis. quia damnum à domino inde acceptum ita se habet, acsi occisus vel mutilatus esset ejus bos, vel equus. Similiter, ut addit Lugo de Just. to. 1. disp. 11. sect. 1. n. 1. qui sua percussione nubilem fœminam deformem reddidit in facie, tenetur ei tantum refundere, quantum augenda esset dos, ut æquè bene nuberet, ac ante deformitatem nupsisset: quia & hoc damnum versatur in bonis realibus. Est igitur quæstio, an non solùm pro damnis realibus ex mutilatione, vel occisione secutis (de quibus in §. prox.) sed etiam pro damno vitæ præcisè, vel membri, vel cicatricis homini libero illato facienda sit aliqua restitutio?

12 Dico. Probabilius est, nullam esse faciendam ante sententiam Judicis. Ita Sanchez lib. 1. Consil. cap. 4. dubit. 1. n. 7. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 23. n. 141. Laym. lib. 3. tract. 3. cap. 6. n. 2. Lugo n. 5. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 2. pu. 6. n. 80. Reding to. 13. q. 12 a. 1. q. 12 controv. 5. n. 4. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 2. a. 2. n. 71. Mezger to. 3. dis. 37. a. 5. n. 1. & alii.

Prob. primo ex S. Script. Exodi 21. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit, ita tamen, ut operas ejus, & impensas in Medicos restituat.* Quibus verbis solùm imponitur obligatio compensandi lucra cessantia, & expensas curationis: cùm alioquin non esset innocens, id est, ab omni ulteriore obligatione liber, qui pro doloribus, vel vulneribus nihil refunderet. Prob. secundo ratione. Quia damna in bonis superioris ordinis non compensantur per bona alterius & inferioris ordinis: sed damna vitæ, & membrorum sunt in bonis superioris ordinis; ergo non compensantur per bona inferioris ordinis. atqui pecuniæ & familia, per quæ deberent compensari, sunt bona inferioris ordinis; ergo per hæc non compensantur. Discursus est legitimus maj. de qua fortè cuipiam apparere possit dubium, supp. ex disp. præced. a. 6. §. 1. n. 10. & amplùs ostenditur: tum, quia aliàs, qui alteri damnum intulisset in bonis spiritualibus, deberet id resarcire per pecunias; &, qui adulterium commisisset teneretur similiter pro irrogata injuria per pecunias satisfacere: quod neque necessarium est, neque moribus receptum. tum à priori: quia bona superioris & inferioris ordinis non possunt inter se adæquari & commensurari secundùm proportionem dati & accepti. unde, quantumcunque restitueres, nunquam pervenires ad æqualitatem. Dictum est autem in concl. *ante Judicis sententiam.* quia in foro externo Judex nonnunquam mutilatori, aut homicidæ secundùm Justitiam vindicativam mulctam pecuniariam imponit vel læso in solatium, vel ejus hæredibus applicandam: cui tali Judicis sententiæ haud dubiè parendum est. Vid. Laym. & Illsung locis citt.

13 Objicies primo illud Exodi 21. v. 22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.* Respondeo, in sacro hoc textu sermonem esse de compensatione per modum pœnæ à Judice determinandâ, non autem de naturali obligatione restituendi: sicut satis colligitur ex textu in priori n. pro nostra sententia adducto.

Objicies secundo Authoritatem D. Thomæ 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. docentis, quando id, quod est ablatum, compensari non potest per quid æquale, fieri debere compensationem, qualis possibilis est. unde eum, qui cuipiam abstulit membrum, debere compensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri. Respondeo itidem explicandô D. Thomam de com-

compensatione injungenda per sententiam Judicis. Potes etiam illud *fieri debere* cum Salmanticensibus intelligere de debito morali charitatis tantùm, & pro foro Pœnitentiæ, in quo Confessarius obligare potest.

Objicies tertio. Suppositâ nostrâ sententiâ is, qui occidisset alterius bovem, vel asinum, esset pejoris conditionis, quàm ille, qui hominem liberum occidit. Patet hoc: quia ille tenetur ad restitutionem, iste ad solam Pœnitentiam. Respondeo neg. seq. cùm enim homicida inferendo alteri damnum irreparabile multò graviori piaculo se obstrinxerit, quàm occidens bovem, vel asinum, adhuc est deterioris conditionis: sicut est deterioris conditionis, qui alteri damnum irreparabile intulit in bonis spiritualibus, estque illi causa æternæ damnationis, quamvis per accidens non obligetur ad restitutionem: quippe quam Justitia in jactura bonorum superioris ordinis imperare non potest. vid. Mezger n. 3. Ex dictis

14 Infertur jam primo, eum, qui alterum vulnerat, vel fustibus, aut alapis contundit, non teneri pro ipsa injuria illata satisfacere pecuniis, sed tantùm pro damnis realibus, quæ inde sequuntur. Sanchez ubi suprà n. 8. Salmantic. n. 83. Ratio est: quia ejusmodi injuria non est in bonis ejusdem ordinis cum pecunia, & consequenter non compensabilis per illam.

15 Infertur secundo, non esse eò majorem restitutionem faciendam ab homicida, quò dignior est persona occisa. Sanchez n. 10. Ratio est: quia hæc restitutio non debetur pro damno personali vitæ, sed pro damnis realibus ex homicidio secutis; ad quorum proinde gravitatem unicè mensuranda est obligatio restituendi. Itaque non tenetur plus restituere, qui occidit hominem nobilem, vel litteratum, quàm qui occidit plebejum, vel indoctum, nisi plus damni intulerit in bonis realibus.

16 Infertur tertio, nihil esse homini libero restituendum pro deformitate cicatricis, quæ ex vulnere resultavit. Laym. ubi suprà. Sanchez n. 11. Salmantic. loco cit. Ratio est: quia hoc est damnum corporale, quod in homine libero non potest æstimari pretiò: cùm sit altioris ordinis, quàm bona Fortunæ. Debet autem Illatio intelligi, nisi inde damnum aliquod reale resultet: quia tunc, non quidem ratione deformitatis, quam causâsti; sed ratione damni realis ex ea secuti teneris ad compensationem sicut in n. 11. dictum est.

17 Infertur quarto, homicidam non obligari ex Justitia ad aliquid restituendum pro anima occisi, v. g. ad dandas eleemosynas, procuranda Sacrificia &c. Laym. loco cit. Salmantic. n. 84. Mezger, ubi suprà n. 5. Ratio est: quia vel teneretur ob damnum temporale vitæ? & hoc non; quia bonum spirituale, ut Sacrificium, aut quid ejusmodi, non potest esse pretium rei temporalis; cùm sit diversi ordinis, vitaque temporalis ex se sit irreparabilis. Vel teneretur ob damnum spirituale, putà ablatam occasionem merendi, & satisfaciendi pro peccatis? & hoc non; quia nempe istud damnum est magìs reparabile, quàm jactura vitæ. Vel teneretur, ut anima occisi eripiatur ex Purgatorio, in quo fortè detinetur? & hoc non; tum, quia non est certum, illam esse in Purgatorio, aut quanta requiratur mensura satisfactionis. tum, quia alioquin Christiani magistratus injuriam inferrent animabus occisorum, dum homicidas deprehensos statim capitali supplicio afficiunt: quippe quos non permitterent priùs satisfacere per bona opera pro ipsis. Sed conseq. est falsum; ergo. Interim dubium non est, Confessarium optimè facere, dum similia homicidæ pro Sacramentali satisfactione imponit animæ occisi applicanda.

18 Infert quinto consequenter ad nostram sententiam, neque illum teneri ad restitutionem, qui alterum læsit in honore & fama, si non possit in eodem genere bonorum satisfacere. neque enim tenetur compensare in pecunia, vel in alio genere bonorum. Lugo, ubi suprà n. 17. Less. de Just. lib. 2. cap. 11. dubit. 16. Ratio ex dictis est: quia tunc damnum non est reparabile, sive in se, ut patet; sive in æqualenti. quicquid enim damnificator præstiterit in alio genere bonorum, damnificatus nullo modo recuperabit, quod amisit; quia nempe est impossibilis æqualitas inter illa.

§. III.

An, & cuinam restitui debeat pro damnis realibus?

SUMMARIUM.

18. *Pro damnis realibus est restituendum.* 19. 20. 21. *Quid de mercedibus Medicorum, Chirurgorum &c. item de lucris cessantibus, & sumptibus exequiarum?* 22. *Cuinam hæc omnia restituenda?* 23. *An quid restituendum hæredibus non necessariis?* 24. *Solvitur Objectio.* 25. *Creditoribus occisi nihil tenetur homicida solvere ex Justitia.* 26. *Respondetur ad Instantiam.* 27. *An aliquid debeat homicida hæredibus necessariis occisi nullos dari existimaverit?* 28. 29. *Ad quid teneantur hæredes homicidæ?* 30. 31. *Quæ obligatio illius, qui occidit injustum aggressorem cum excessu moderaminis?* 32. *Item illius, qui alterum occidit in duello?* 33. 34. *An occisus ante suam mortem possit homicidæ remittere obligationem restituendi.*

18 Dico primo. Injustus occisor, vulnerator, mutilator tenetur ad compensandum omnia damna realia; sive in honore & fama, sive in bonis Fortunæ, quæ ex injusta illius actione consequuntur. Ita unanimis omnium DD. sententia. Ratio est: quia, quicunque fuit injusta causa damnorum reparabilium, is tenetur ad reparationem illorum: sed damna realia sunt reparabilia, & occisor, vulnerator &c. fuit injusta causa eorum: ergo tenetur ad reparationem. Atque hinc

19 Sequitur primo, talem teneri ad refundendas mercedes Medicis, & Chirurgis præstitas, cæterasque expensas in curationem, victumque cariorem factas. Sanchez lib. 1. Consil. cap. 4. dubit. 2. Laym. lib. 3. tract. 3. cap. 6. n. 1. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 2. a. 2. n. 72. Reding to. 13. q. 12. a. 5. controv. 5. n. 12. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 37. a. 5. n. 7. & alii. Ratio est: quia similes expensæ spectant ad damna emergentia; quorum occisor, aut mutilator sua injusta actione causa extitit. Intelligenda est tamen hæc Illatio de expensis necessariis, non de superfluis. Vid. Reding loco cit.

20 Sequitur secundo, occisorem, vulneratorem &c. teneri præterea ad compensanda lucra cessantia, & æstimationem operarum, quibus homo caruit, vel carituras est ob id, quòd inutilis factus est, sicut dicitur in *l. ult. ff. de his, qui dejecerunt, vel effuderunt*. V. g. si opificem vulnerâsti, qui idcirco per temporis intervallum opus facere nequivit, teneris illi lucrum sic cessans compensare. Ita citt. Ratio est eadem, quæ prioris Illationis. Intelligitur autem lucrum deductis expensis, quas læsus aliàs facere debuisset.

21 Sequitur tertio, ordinariè nihil esse restituendum pro sumptibus in exequias occisi. Less. de Just. lib. 2. cap. 9. dubit. 24. Laym. n. 2. Bonac. de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 2. pu. 1. n. 11. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 2. pu. 7. n. 94. & alii communiter. Ratio est ab opposito: quia homicida in hac parte nihil damni intulit. nam utique, si occisus etiam naturali morte obiisset, istæ expensæ fieri debuissent. Dixi, *ordinariè*. quia si extra patriam, & in loco alieno occidisti, ubi majores sumptus, quàm domi, fieri debuerunt; tunc teneris hunc excessum refundere: quippe qui pertinet ad damna emergentia. Vid. Less. loco cit.

22 Dico secundo. Si læsus vitam non amisit, ipsi facienda est restitutio? Si verò amisit, facienda est hæredibus necessariis, hoc est, uxori, parentibus, & liberis. Less. dubit. 26. n. 155. Bonac. pu. ult. Salmantic. pu. 8. n. 107. Mezger n. 9. Ratio primi constat. Ratio secundi est: quia illis tenetur homicida restituere; quibus per se intulit injuriam & damnum: atqui hæredibus necessariis per se intulit injuriam & damnum. uxor enim una caro cum marito; filius una persona cum patre reputatur; seque mutuò alere tenentur; ergo istis restituere tenetur. Itaque, si filium occidisti, patri; si maritum, uxori teneris restituere.

23 Corollarium I. Homicida nihil tenetur ex Justitia restituere hæredibus non necessariis: quales sunt fratres, cognati, amici, & alii, qui ab occiso varia commoda, & beneficia percipiebant, vel sperabant. Bonac. n. 2. Laym. n. 3. Less. loco cit. Dicastillo lib. 2. disp. 7. dubit. 7. n. 79. Lugo de Just. to. 1. disp. 11. sect. 4. n. 77. & 81. Salmantic. loco cit. Reding ubi suprà n. 26. Mezger n. 10. Ratio est: quia seclusis hæredibus necessariis, qui unam moraliter personam cum occiso facere censentur, aliorum damna, dummodò non intendantur ab homicida, per accidens, & remotè solùm connectuntur cum homicidio. unde ad illa præcavenda non videtur occisor obligari ex Justitia. neque enim tibi competit jus obligans me ex Justitia, ut intermittam omnes operationes meas, quæ tibi remotè solùm & per accidens possunt esse noxiæ: cùm talis obligatio nimis grave onus imponeret. Satis est, me obligari ex Justitia ad abstinendum ab illis, quæ per se & proximè tibi damnum afferre nata sunt. Itaque sic arguitur: ideo hæredibus necessariis homicida tenetur restituere, quia illis per se intulit injuriam & damnum: atqui hæredibus non necessariis nullam per se intulit injuriam & damnum; cùm isti non sint moraliter unum cum occiso; ergo non tenetur illis restituere. Dixi, *dum modò non intendantur &c.* intentio quippe aliis quoque nocendi faceret, ut actio externa occisionis directè connecteretur cum damno eorum; adeoque esset damnificatio formaliter injusta etiam relatè ad alios ab hæredibus necessariis. unde & illis tunc damna, quæ parerentur, homicida compensare teneretur. Vid. Salmant. n. 108. Mezger loco cit.

24 Objicies. Qui alterum vi, vel fraude impedit à consecutione beneficii similiter, qui voventem dare eleemosynam vi vel fraude impedit ab executione voti, tenetur ex Justitia restituere, quanti spes proxima beneficii, vel eleemosynæ consequendæ æstimatur: ergo etiam homicida tenetur ex Justitia compensare hæredibus non necessariis spem proximam emolumentorum, quam habebant ab occiso. Conseq. probatur: quia non minùs isti habent jus rigorosum, ne actione violenta, qualis est homicidium, impediantur à consecutione emolumentorum, esto non sint debita titulo Justitiæ, quàm

quàm alius habet jus rigorosum, ne vi & fraude impediatur à consecutione beneficii, vel eleemosynæ, licèt ad illa non habuerit jus rigorosum, sive Justitiæ.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas, quòd vis & fraus directè, per se, ac proximè connectantur cum damno tertii. qui enim hac ratione impedit aliquem à consecutione beneficii, aut emolumenti cujuscunque, pro objecto suæ fraudis, vel violentiæ per se respicit candidatum beneficii, vel pauperes v. g. quibus destinabatur eleemosyna. Atqui homicida sua actione violenta directè & per se solùm respicit damnum occisi, & consequenter eorum quoque, qui sunt moraliter unum cum ipso. Unde probat. conseq. dist. non minùs habent jus rigorosum, ne actione violenta directè & per se impediantur à consecutione emolumentorum, conc. ne indirectè & per accidens impediantur, neg. ut enim hac ratione non impediantur, neminem obligare possunt ex Justitia.

25 Corollarium II. Homicida non tenetur creditoribus occisi solvere debita illius. Less. cit. dubit. 26. n. 151. Lugo n. 83. Dicastillo n. 28. Salmantic. n. 111. Reding controv. cit. n. 26. Mezger n. 13. Ratio est: tum, quia similiter damnum, quod creditores patiuntur ex cæde debitoris, solùm per accidens evenit; nec iidem constituunt unam personam cum occiso. tum, quia creditores non habent jus in debitorem, nisi in quantum se extendunt illius bona, quæ actu habet, vel verosimiliter fuisset habiturus, si vixisset diutiùs: cumque homicida hæc omnia compenset hæredibus, in quos transit obligatio occisi, creditoribus non obligatur ad quidquam ultrà præstandum. nam possunt solutionem ab hæredibus petere, quam iidem & facere tenentur in conscientia pro viribus hæreditaris, ut postea videbimus. Accedit, quòd ejusmodi obligatio in praxi non sit recepta, teste Laym. ubi suprà n. 4.

26 Dices. Homicida tenetur ex Justitia restituere parentibus & liberis occisi, licèt hic solùm ex pietate fuerit obligatus ad eis præstanda alimenta: ergo multò magis tenebitur satisfacere creditoribus occisi; quia hic idem ex Justitia, cujus est fortior obligatio, tenebatur solvere debita. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd parentes & liberi propter moralem unitatem cum occiso, quam etiam includit & supponit illud debitum pietatis, directè & per se damnificentur ab homicida: quod non contingit creditoribus; sicut ostendimus: quia non sunt una moraliter persona cum debitore. Adde, quòd creditores solutionem petere possint ab hæredibus.

27 Corollarium III. Si interfector ob invincibilem errorem positivè judicaret, occisum carere uxore, liberis, & parentibus, ita ut crederet, his nullum ex suo facinore posse damnum provenire (quod tamen non facilè præsumi debet) probabile est, ipsi non fore obligatum ad damna eis orta compensanda. Lugo n. 89. Pettschacher de Restit. pag. 340. Ratio est: quia in tali casu homicida istis hæredibus nullam faceret formalem injuriam, quæ tamen essentialiter requiritur, ut quis obligetur ad restituendum ex radice injustæ acceptionis, vel damnificationis. Sed

28 Quæritur jam primo, an obligatio restituendi etiam transeat ad hæredes homicidæ? Respondeo transire, etiam in casu, quo homicida pœnam talionis subivit, id est, morte fuit punitus. Ita plerique DD. teste Reding n. 15. Ratio est: quia hæredes succedunt in locum defuncti, inque omnia ejus bona & jura; adeoque in omnes etiam obligationes, quibûs ille ex Justitia obligabatur. Neque refert, quòd homicida pœnam talionis sustinuerit: quia per hanc pœnam non compensantur damna illata parti læsæ, quæ sunt occisus, & hæredes illius; sed sola injuria commissa in rempublicam; cùm iidem neque utilitatis aliquid inde percipiant, neque recuperent, quæ per injustam actionem homicidæ amiserunt; ergo adhuc restat illa obligatio compensandi damna parti læsæ illata. Confirmatur. Ex eo capite, quòd fur agatur in furcam, non cessat obligatio restituendi res furtò ablatas: ergo similiter ob capitale supplicium homicidæ non cessat obligatio resarciendi damna ex homicidio consecuta. sicut enim suspendium furis non ordinatur ad compensationem damnorum, quæ patitur dominus in suis rebus, ita neque supplicium homicidæ ad talem compensationem, sed ad solam vindicationem facinoris ordinatur. Extendenda est omnis hæc doctrina de transitu obligationis restituendi etiam ad hæredes percussoris, mutilatoris &c. ut facilè patet.

29 At nihilominùs, ut refert Lugo cit. disp. 11. sect. 2. n. 49. fatentur complures DD. frequenter posse præsumi, partem læsam solâ pœnâ talionis esse contentam: idque tunc maximè habere locum docet Less. cit. cap. 9. dubit. 22. quando hæredes occisi non exigunt aliam compensationem. Hoc ipsum tamen limitat Lugo pluribûs exceptionibûs: ut, si summa restituenda sit valde gravis: vel pars læsa valde indigeat restitutione: vel ob defectum ætatis non possit condonare obligationem restituendi. In his casibus idem existimat, partem læsam non posse præsumi solâ talionis pœnâ contentam esse, esto non exigat positivè aliam compensationem.

Quæ-

30 Quæritur secundò, an is, qui occidit injustum aggressorem, teneatur ad restitutionem, quando excessit moderamen inculpatæ tutelæ? Respondeo, teneri, si excessus in moderamine fuit mortalis contra Justitiam. Ita Sanchez lib. 1. Consil. cap. 4. dubit. 9. Less. dub. 21. n. 134. Lugo n. 50. Pettschacher pag. 320. Mezger ubi suprà n 20. Ratio est: quia damna cum peccato mortali injustitiæ illata integrè compensari debent. Atqui tamen, quos refert Sanchez loco cit. asserunt, non esse obligationem resarciendi damna ex integro, sed aliquid minus, juxta arbitrium prudentis. Ratio illorum est: quia similis occisor, licèt graviter peccet contra Justitiam, minùs tamen graviter peccat, quàm injustus aggressor: ergo etiam minus tenetur restituere. atqui injustus aggressor tenetur integrè restituere; ergo occisor per excessum in moderamine defensionis non tenetur integrè restituere. Verùm contra est, quòd restitutio, cùm sit actus Justitiæ commutativæ ad constituendam æqualitatem ex se ordinatus respiciat quantitatem damni illati ad illud resarciendum, & non attendat, an damnum fuerit illatum cum peccato majori, vel minori quoad gravitatem malitiæ; dummodò illatum sit cum peccato mortali. atqui damnum in nostro casu, sive graviùs, sive leviùs peccet occisor, est idem: ergo etiam restitutio debet esse eadem. Confirmatur. Qui ab altero per vim & metum mortis injustum aufert centum, multò graviùs peccat, quàm qui occultè furatur centum; & tamen uterque idem tenetur restituere, videlicet centum: ergo similiter, licèt graviùs peccet occidens aliquem per injustam invasionem, quàm occidens per excessum in defensione, hic non minus, quàm ille, tenetur restituere.

31 Dictum est autem in responsione, *Si excessus fuit mortalis contra Justitiam.* Nam, si tantùm fuit venialis etiam contra Justitiam, nulla est obligatio compensandi damna gravia, sed solùm levia peccato veniali propottionata. Imò, si fuit quidem mortalis, sed contra charitatem tantùm, occisor ad nullam restitutionem tenetur ex Justitia. Cæterùm contra charitatem tantùm peccâsti, si ab altero invasus potuisses sine notabili honoris tui discrimine fugere, & fugiendò mortem evadere, fugere tamen nolueris; atqueadeo ex hypothesi, quòd fugere nolueris, invadentem ob tui defensionem necessariò occideris. Contra Justitiam insuper peccâsti, si aggressorem facilè inflicto vulnere potuisti repellere, & tamen occidisti: vel, si occidisti jam succumbentem, amissis & abjectis armis, pro vitæ gratia supplicem.

32 Quæritur tertio, an, & quando teneatur restituere, qui alium occidit in duello? Respondeo primo. Qui fuit ab altero provocatus ad pugnam, non tenetur quid restituere in conscientia, quando provocantem occidit. Sanchez cap. cit. dub. 10. n. 4. Less. num. 133. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 7. dubit. 8. num. 86. Mezger num. 19. Ratio est: quia provocans ipsa provocatione cessit jure suo, & remisit injuriam, deditque provocato potestatem contra se agendi, quod potuerit. Respondeo secundo. Si provocatus vicissim provocat, vel non invitus descendit ad certamen, etiam provocans non tenetur ad restitutionem, si adversarium occidat. Sanchez n. 1. Less. loco cit. Ratio est eadem: quia volenti & consentienti non fit injuria. Respondeo tertio. Si provocatus duellum acceptat invitus, v. g. ex metu infamiæ, si non compareat; provocans tenetur ad compensationem damnorum, quando provocatum mutilavit, vel occidit. Sanchez num. 3. Lugo sect. 3. n. 66. Reding tom. 13. q. 12. a. 1. controv. 5. n. 18. Mezger loco cit. Ratio est: quia coactus ad similem pugnam non cedit suo jure, & patitur propriè dictam injuriam, dum ad subeundum illud discrimen pertrahitur.

33 Quæritur quarto, an occisus possit ante suam mortem homicidæ remittere obligationem restituendi? In hac re certum est, homicidam non excusari à restitutione, si occisus in articulo mortis interrogatus à Confessario, an condonet, vel remittat adversario? se remittere affirmet: quia hæc remissio solùm fieri præsumitur intra limites charitatis, & ad excludendum odium homicidæ, ut moribundus debitè dispositus Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat. hinc sua cuique jura tunc salva relinquuntur. Similiter ex eo, quòd occisus remittat satisfactionem pro injuria, jusque exigendi pœnam in foro externo, non sequitur, eum simul remittere obligationem compensandi damna illata: quia jus exigendi compensationem damnorum est distinctum à jure exigendi pœnam: ergo licèt quis cedat hoc jure, non tamen ideo cedit illo prioti. Ulteriùs. Quando magistratus vel Judex condonat homicidæ delictum, is non liberatur à compensatione injuriæ & damnorum: quia sola pœna, quam aliàs subire debuerat, illi condonari censetur. Quare tota difficultas in eo est posita, an occisus, qui habet hæredes necessarios, possit homicidæ remittere compensationem damnorum illis ex homicidio consequentium?

34 Respondeo. Occisus nec licitè, nec validè hanc obligationem potest remittere. Ratio primi est: quia ejusmodi remissio

cedit

cedit in præjudicium hæredum, & repugnat legibus charitatis. neque controversum est apud Authores hoc membrum responsionis. Ratio secundi est: quia hæredes necessarii habent jus immediatè quæsitum, ne per vim vel fraudem ab alio quocunque per se & directè impediantur à consecutione emolumentorum, quæ possunt percipere ab occiso: ergo, cum hoc jus per se & directè lædat homicida, hæredes contra ipsum habent jus immediatè quæsitum; de quo occisus nihil potest disponere; & consequenter nec obligationem restituendi remittere. Ita Lugo ubi suprà n. 63. Mezger num. 16. quorum sententiam præfero oppositæ, quam docent Sanchez cap. cit. dubit. 12. n. 5. Less. dubit. 26. n. 58. & alii.

Fundamentum istorum Authorum in hoc potissimùm videtur consistere. Homicida lædit solum jus occisi: ergo hic validè potest remittere damna ex hac læsione orta. prob. conseq. quia is, cujus jus unicè læsum est, unicè potest remittere injuriam & damna. Ant. inde colligitur, quòd hæredibus illis non competat jus Justitiæ ad alimenta, & commoda ab occiso percipienda: aliàs enim ex Justitia, & non tantùm ex charitate vel pietate eos alere, & sustentare teneretur, quod est falsum. Confirmari potest ex dictis in num. 32. Quando provocatus occidit provocantem in duello, tunc ad nihil tenetur, idque ideo, quia provocans censetur condonâsse omnia damna: ergo similiter homicida ad nihil tenetur, quando etiam extra duellum occisus damna condonat.

Respondeo ad Argum. neg. Ant. ad prob. dico, licèt non competat hæredibus Jus Justitiæ erga occisum, quo is obligetur ad præstanda ipsis alimenta, aliaque commoda, competere tamen jus rigorosum immediatum contra quemcunque, ne per vim vel fraudem ab eisdem percipiendis impediantur; atque hoc jus per se ac directè lædi ab homicida. In Confirmat. nego causalem Ant. non enim ideo ad nihil tenetur provocatus, quia provocans condonavit obligationem restituendi; sed quia ob cessionem juris in propriam vitam nec ipsi, nec hæredibus per ejusmodi cædem infertur injuria. atqui homicida extra duellum infertur injuriam immediatè & per se non tantùm occiso, sed etiam hæredibus necessariis, hosque injuriosè privat spe emolumentorum; ex quo titulo hic obligatio restituendi oritur.

ARTICULUS III.

De restitutione ex injuriis stupri, & adulterii.

TAmetsi multæ ac variæ sint species luxuriæ, duæ tamen potissimùm reperiuntur, stuprum videlicet & adulterium, quibus alteri specialiter injuria & damnum infertur. De his jam injuriis, debitaque pro illis restitutione sint sequentes Paragraphi.

§. I.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit illi conjugium?

SUMMARIUM.

1. *Quo modo hîc accipiatur stuprum.* 2. *Si puella liberè consensit, violator ad nihil tenetur in foro conscientiæ.* 3. *Quid si puella compensationem damni condonet?* 4. *Aut non sit seducta, sicut credebatur in foro externo?* 5. 6. *Qui puellam seduxit precibus, blanditiis, muneribus, ad nihil tenetur, nisi ista extrà modum fuerint importuna.* 7. *Quid, si præ verecundia non ausa est dissentire?* 8. *Vel consensit ex metu justè incusso?* 9. 10. 11. 12. 13. *Ad quid teneatur, qui consensum vi, vel fraude extorsit?* 14. *Quid, si puella non fuit virgo, velut communiter credebatur?* 15. 16. *Quid, si post violationem æquè commodè nupsit?* 17. *Qui injustè manifestat corruptionem virginis aliàs non propalandam, tenetur ad compensationem damnorum inde ortorum.*

STuprum quidem, sicut fornicatio, aliquando sumitur latissimè pro omni copula illicita, etiam adulterii, & incestûs; aliquando strictissimè pro violenta corruptione virginis tantùm; hîc tamen sumitur modo medio pro violatione virginis, vel viduæ, vel aliunde corruptæ. Solet autem committi stuprum vel sine, vel cum promissione matrimonii: item cum virgine vel sui juris, vel sub cura parentum constituta.

Dico primo. Si puella liberè consen- 2
sit in flagitium, ejus corruptor in foro conscientiæ ad nullam restitutionem tenetur. Ita Less. de Just. lib. 2. cap. 10. dubit. 2. Lugo de Just. to. 1. disp. 12. sect. 1. n. 2. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. parte 3. cap. 13. n. 2. Salmantic. tom. 3. tract. 13. cap. 3. pu. 1. num. 2. & alii DD. communiter. Ratio est: quia

quia ille nec puellæ, nec ejus parentibus (ponimus adhuc esse sub patria potestate) injuriam intulit. Non puellæ; quia volenti & consentienti non fit injuria. neque tunc propriè stuprum patitur. Non parentibus; quia filia habet jus usum sui corporis concedendi alteri invitis parentibus, & potest sine injuria illorum nubere, vel non nubere; bene vel malè nubere. Filia proinde non peccavit contra jus parentum: ergo nec ejus corruptor. nam quod illa sine parentum injuria potuit concedere, ipse sine injuria potuit acceptare. Dixi, *in foro conscientiæ*. quia vi legum patri vel tutori competit actio adversùs defloratorem, qui, si per sententiam Judicis condemnatus fuerit ad satisfactionem per modum pœnæ exhibendam patri puellæ, tenebitur satisfacere. Vid. Reding to. 13. q. 12. a. 2. controv. 1. num. 9. Mezger tom. 3. tract. 12. disp. 38. a. 1. n. 1. Laym. loc. cit.

3 Infertur primo, si puella remisit damni compensationem, corruptorem similiter ad nihil teneri. Less. num. 9. Ratio est: quia ipsa cedere potest suo jure, quod habet erga defloratorem, ut damna nuptiarum resarciat: idque præsertim, quod ei liberum sit nubere, vel non nubere.

4 Infertur secundo, quando in foro externo virgini corruptæ adjudicata est pœna à corruptore persolvenda ob præsumptionem, quòd ab ipso fuerit seducta (sicut ordinariè præsumitur) ipsa tamen non fuit seducta, eam tunc obligari in conscientia ad pœnam unà cum æstimatione litis corruptori refundendam. Lugo num. 3. Pettschacher de Restit. pag. 343. Ratio est: quia sententia illa fuit fundata in falsa præsumptione. Ob eandem rationem, quando violata in foro externo præsumitur fuisse virgo, cùm tamen non fuerit, tenetur similiter expensas litis, pœnamque sibi adjudicatam stupratori restituere.

5 Infertur tertio, eum, qui virginem seduxit precibus, muneribus, vel blanditiis, ad nullam restitutionem teneri. Less. num. 14. Lugo num. 4. Salmant. num. 14. Reding n. 20. Pettschacher loco cit. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 1. a. 2. num. 90. Ratio est: quia, quod aliquis talibus modis inductus facit, vel patitur, volens ac lubens facit, vel patitur. preces enim & blanditiæ nullam inferunt injuriam, neque cogunt ad consensum: cùm facilè excuti possint. Idem est de muneribus aliàs, qui promissis vel muneribus obtinuisset officium, vel legatum, teneretur ad restitutionem: quod non non esse probabile dicit Less. loco cit. Nihilominùs

6 Infertur quarto, non excusari à restitutione illum, qui in sollicitanda virgine usus est precibus ita assiduis, & importunis, ut ipsa maluerit grave illud virginitatis detrimentum subire, quàm sollicitatione tam improba atque molesta continuò vexari. Less. loco cit. Salmantic. num. 15. Ratio est: quia tanta importunitas videtur æquivalere violentiæ, & consensus fieri solùm redimendæ vexationis causa. Verùm hoc est rarissimum. nam possunt fœminæ aliis modis plerumque à simili molestia liberari. Sed tamen ulteriùs

7 Infertur quinto, impurum sollicitatorem, cui virgo præ verecundia non ausa est dissentire, non liberari ab onere restitutionis. V. g. si fuit princeps, dominus, superior; aliunde magnæ auctoritatis, cui puella non est ausa contradicere. Lessius, Lugo, Salmantic. locis citt. Ratio est: quia talis verecundia & metus reverentialis tunc idem operatur, quod metus injustè incussus.

8 Infertur sexto, si virgo consensit ob metum justè sibi incussum, ejus violatorem non teneri ad restitutionem. Exemplum est: si minatus es puellæ, te ipsam alioquin velle accusare apud Judicem, vel parentes; quod justè facere poteras, de quodam delicto tibi noto; ipsaque ad vitandum hoc incommodum tibi consensit. Lugo num. 5. Pettschacher pag. 344. Ratio est: quia tunc nulla illi infertur injuria. Confirmatur. Si virginem oblato pretio ad flagitium induxisses, ad nihil tenereris: ergo similiter ad nihil teneris, dum locô pretii obtulisti omissionem accusationis licitæ, & quam justè suscipere poteras. nam talis omissio est etiam pretiô æstimabilis, & pretium æquivalenter.

9 Dico secundo. Qui vi, vel fraude usum corporis à virgine obtinuit, tenetur in conscientia ad repatationem omnium damnorum, quæ inde consequuntur tametsi nihil promiserit. Ita omnes DD. Ratio est: quia, qui injusta causa damnorum, tenetur ad illorum compensationem: sed corruptor in casu nostro est injusta causa damnorum; ergò &c. Hinc

10 Infertur primo, talem corruptorem teneri corruptam vel jungere sibi matrimoniô: vel augendô dotem, vel aliter procurare, ut æquè bene possit nubere, atque potuisset ante corruptionem. Sylvester v. *Luxuria*. q. 5. Less. n. 10. Lugo n. 11. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 7. dubit. 9. n. 115. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 13. n. 3. Salmantic. à n. 8. Reding num. 10. Mezger tom. 3. tract. 12. disp. 38. a. 1. num. 2. Ratio est: quia damnum injuriosè illatum resarciri debet: hoc autem ordinariè fit in præsenti vel per matrimonium, vel per augmentum dotis, damnique æstimationem. Unde non obligatur corruptor ad eam ducendam, & dotan-

dam

dam simul, ut aliqui voluerunt; sed satis est, si præstet alterutrum; quia alterutro illorum præstito sufficienter compensatur damnum corruptæ. Sed tamen

11 Infertur secundo, defloratorem, si puella nolit ipsi nubere, non satisfacere obligationi Justitiæ offerendo se in conjugem, sed teneri damnum aliter compensando efficere, ut possit æquè bene nubere, atque nupsisset ante defloration em. Lugo n. 12. Less. n. 12. Dicastillo n. 116. Salmantic. n. 10. Reding à n. 12. Mezger n 3. Ratio est: quia ad integram, ac æquam damni reparationem penes puellam debet esse optio, ut vel matrimonium à defloratore oblatum acceptet, vel augmentum dotis exigat. dùm enim antè defloration em habuerit libertatem nubendi cuilibet suæ conditionis, malè ipsi consuletur, si aut deberet nubere defloratori, fortè non accepto; aut carere dote sufficienti ad nubendum æquè bene, atque nupsisset ante defloration em. Confirmatur. Si plebejus ad impetrandum à nobili virgine usum corporis se nobilem finxisset, planè iniquum esset tali puellæ non aliter compensari damnum, quàm per matrimonium ignobilis sui defloratoris; cùm per tales nuptias potiùs crescceret damnum, quàm resarciretur. Vid. Reding n. 13.

12 Infertur tertio, si puella econtra velit nubere defloratori, ille verò nolit eam ducere, sed offerat compensationem pecuniariam ad augendam dotem, hunc non teneri eam ducere ante Judicis sententiam. Less. num. 13. Lugo num. 14. Reding n. 16. Pettschacher n. 348. Mezger loco cit. Ratio est: quia dote sic aucta, ut puella possit æquè bene nubere; at antè, jus læsum jam sufficienter reducitur ad æqualitatem. neque enim ipsa ante defloration em habuit libertatem huic determinatè nubendi etiam nolenti, sed libertatem nubendi, cui vellet itidem volenti. Itaque defloratot in tali casu non tenetur in conscientia ducere defloratam, nisi ad hoc compellatur à Judice. nam iste ex cap. 2. *de Adulteriis* potest per sententiam stupratori imponere, ut accipiat in uxorem, quam injustè vitiavit.

13 Infertur quarto, defloratorem, quando non ducit defloratam, non teneri in conscientia, & ante sententiam Judicis eam dotare ex integro, sed solùm, quantum antea habebat dotis à parentibus, vel alibunde, ita augere, ut possit æquè bene nubere. Less. loco cit. Lugo num. 13. Salmantic. num. 8. Pettschacher loco cit. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 1. a. 2. n. 21. Ratio est: quia per ejusmodi augmentum dotis satis compensatur damnum illarum. Itaque si virgini ad convenienter conditioni suæ nubendum sufficisse ponamus mille aureos; jam corruptæ verò ad eundem finem necessarios esse ter mille aureos, corruptor non tenetur dare ter mille, sed bis mille superaddere mille aureis ante corruptionem sufficientibus.

14 Infertur quinto, injustum violatorem puellæ, quæ communiter habebatur pro virgine, non tamen erat talis, teneri eam vel ducere uxorem, vel dotare modò prædictò, quando ex illa violatione secuta est infamia, vel major difficultas æque commodè nubendi. Lugo num. 15. Salmantic. num. 11. Pettschacher pag. 349. Ratio est: quia per injustam violationem fuit causa hujus damni. licèt enim fœmina jam antè fuerit corrupta, communiter existimabatur non corrupta. Quòdsi flagitium maneat occultum, ita ut nulla infamia, vel difficultas æquè bene nubendi inde sequatur, corruptor ad nihil tenetur. Ratio est: quia tunc præter injuriam copulæ injustè extortæ, quæ est irreparabilis, fœmina nullum damnum temporale patitur. Vid. citt. Et hinc

15 Infertur sexto, si puella vi, vel fraude violata fortè postea nupsit æquè commodè, ita ut nihil detrimenti realis inde acceperit, violatorem ad nullam restitutionem teneri. Less. n. 15. Lugo n. 16. Salmantic. num. 12. Pettschacher loco cit. Mezger num. 4. Ratio est: quia neque tenetur pro ipsa læsione pudicitiæ, utpote irreparabili, & pretiò non æstimanda; neque pro damno inde secuto: cùm nullum re ipsa fuisse secutum supponatur.

16 Dices. Injustus violator puellam constituit in periculo non æquè commodè nubendi; ergo saltem pro hoc tali periculo, quod est pretiò æstimabile, tenetur quid refundere. Respondeo neg. conseq. licèt enim periculum magni æstimetur ob damnum, quod potest sequi, si tamen re ipsa non sequatur damnum, nihil pro illo est restituendum. Confirmatur. Non minùs spes lucri est pretiò æstimabilis, quàm periculum damni; quia, sicut periculum continet damnum futurum, ita spes continet lucrum futurum. atqui pro spe lucri nihil amplius est restituendum, postquàm eventus docuit, fuisse inanem: ergo neque pro periculo damni est aliquid restituendum, quando ex eventu patet, damnum non fuisse secutum. Hæc tamen non obstant, quominùs puella durante adhuc periculo potuerit paciscì de damno, quod secuturum timebat; quia, quamdiu durat periculum, est verè pretiò æstimabile. & quamvis deinde damnum non fuerit secutum, tale pretium justè retinere; imò etiam, si nondum fuit solutum, exigere potest ob pactum præcedens. Quòdsi ipsa ante tempus nubendi sit mortua, & ante mortem pacta non fuerit, hæredes ipsius nihil poterunt exigere;

quia nec ipsa, nec hæredes damnum ex injusta defloratione patiuntur. Similiter iidem nihil poterunt exigere, si puella, postquàm est pacta, pretium, in quod fuerat conventum, condonavit. quod facere justè potuit, tametsi adhuc sub cura parentum exiterit: quia id non parentibus, sed ipsi debebatur. Vid. Less. à n. 17. Lugo n. 17. Salmantic. loco cit. Pettschachier pag. 550. Illsung ubi suprà.

17 Infertur septimò, quamvis puella usum sui corporis liberè concesserit, defloratorem nihilominùs, si rem, quæ erat occulta, evulgavit, & ob infamiam inde ortam fœmina damnum incurrit æquè bene nubendi, præter obligationem restituendi famam, insuper obligationem resarciendi damnum nuptiarum contraxisse. Lugo n. 6. Pettschach. pag. 351. Ratio est: quia non minùs suâ culpâ hoc damnum, quàm illud in fama dedit. Quòdsi econtra puella ipsa absque sufficiente causa defloration em, quæ priùs erat occulta, propalavit, defloror nihil tenetur restituere. tunc enim ipsamet, non defloror, est causa proxima suorum damnorum. Pariter: quando alius injustè propalavit defloration em, alioquin occultam, iste, non defloror, tenebitur restituere & virgini, & defloratori honorem, damnique totius, quod ex injusta propalatione secutum est, æstimationem.

§. II.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si illi promisit matrimonium?

SUMMARIUM.

18. *Quadruplex sensus præsentis quæstionis.* 19. *Qui sub spe conjugii seriò promissi vitiavit virginem, tenetur eam ducere.* 20. *Ad idem tenetur, qui fictè promisit, loquendo ordinariè.* 21. *Afferuntur casus excepti.* 22. *Quid, si puella recuset nuptias sibi promissas?* 23. 24. *Defloror promittens Matrimonium tenetur defloratam ducere, tam si ante, quàm si post defloration em votum castitatis, aut Religionis ediderit.* 25. 26. 27. 28. *Variæ illationis.* 29. *Ad quid teneatur, qui ex non conjugata, quam violavit, prolem suscepit?* 30. *Papa in alio impedimento consanguinitatis nunquam dispensare solet, in alio solet dispensare.* 31. *Resolutiones de obligatione consanguineam violantis sub pacto conjugii.*

18 IN quadruplici statu præsens quæstio tractari potest. Primus est, quando quis verè & ex animo promisit matrimonium. Secundus status est, quando fictè, sive absque animo se obligandi idem promisit. Tertius, quando promittens matrimonium tenetur voto castitatis, vel religionis. Quartus, quando illa, quam sub pacto conjugii violavit, est consanguinea.

19 Dico jam primo. Qui virgini, aut etiam corruptæ, quam sciebat esse corruptam, conjugium verè & ex animo promisit, atque sub ea spe, seu conditione usum corporis impetravit, tenetur eam ducere. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia ad hoc obligatur ex contractu oneroso, in quo se potuit & voluit obligare ad rem, cujus executio ex se est licita. Intelligenda est tamen statuta concl. cum hac limitatione: nisi de novo emergat impedimentum insuperabile irritans matrimonium, vel aliud sufficiens ad faciendum divortium, postquam matrimonium jam fuit contractum: hoc enim tale impedimentum à fortiori etiam sufficeret ad tollendam obligationem illud contrahendi.

20 Dico secundo. Tametsi matrimonium quis promiserit fictè solùm, id est, sine animo se obligandi, & puella propterea decepta consenserit in flagitium, eam nihilominùs in conscientia tenetur ducere, loquendo ordinariè. Ita D. Thomas in 4. dist. 48. q. un. a. 2. ad 4. & DD. communiter. Ratio est: quia, qui acceptat aliquid sub conditione onerosa datum, ex Justitia tenetur ad illam conditionem implendam se verè obligare, eamque, quando potest, implere: sed iniquus violator acceptavit usum alieni corporis sub conditione onerosa secuturi matrimonii datum, eamque conditionem, ut supponitur, implere potest; ergo ex Justitia tenetur ad eam implendam se verè obligare; imò re ipsa implere.

Confirmatur. Puella bona fide usum sui corporis concedens sub conditione matrimonii secuturi jus rigorosum acquisivit ad idem matrimonium seductoris. nam talis jus semper resultat in promissario contra promittentem, quando hic aliquid promittit sub conditione operis onerosi, & ille posito opere oneroso implet conditionem. atqui huic juri non potest satisfacere seductor, nisi consentiendo in matrimonium: cùm enim reddi potest in specie, quod debetur, non satisfit reddendo æquivalens. hinc, qui equum furtò abductum potest reddere, non satisfacit solvendo pretium. atqui violator matrimonium reddere potest in specie; ergo tenetur reddere. Ex quo sequitur, non esse satis puellam dotare, vel largis donationibus compensare onus, quod subiit, si nolit esse contenta.

Dixi

Dixi autem in concl. *loquendò ordinariè.* quia dantur aliquot casus; in quibus ejusmodi deceptor non tenetur ducere deceptam. Primus est, si ipse sit longè nobilior, aut opulentior, ita ut fœmina conscia similis excessûs prudenter potuerit advertere, sibi nuptias non promitti seriò. V. g. si ille sit patritius, ipsa opificis filia. Less. de Just. lib. 2. cap. 10. dubit. 3. n. 22. Lugo de Just. to. 1. disp. 12. sect. 2. num. 21. Reding to. 13. q. 12. a. 2. controv. 2. num. 3. Ratio est: quia tunc puella non tam à promittente, quàm à semet decepta censetur. Idem est, si ex verbis ambiguis, quibùs homo fuit usus; vel ex aliis conjecturis facilè potuit deprehendere, promissionem non fieri ex animo, sed se tantùm ludificari. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 38. a. 1. n. 7. Quòdsi tamen fœmina non habuit ullam causam suspicandi deceptionem, sola status seu conditionis inæqualitas non liberat deceptorem matrimonio; sed tenebitur is deceptam ducere, si nolit alia compensatione esse contenta. Less. loco cit. Laym. lib. 5. tr. 10. parte 1. cap. 1. n. 11. Ratio est: quia tenetur ex sua parte contractum complere non minùs, quàm ipsa ex sua parte & bona fide complevit. Probabile tamen est, talem deceptorem satisfacere deceptam dotandò, vel alia ratione eidem prospiciendò, juxta arbitrium prudentum: sicut cum aliis agnoscunt Less. & Reding locis citt. 21

Secundus casus est, si legitimum aliquod impedimentum supervenerit: ut, si fiat ejus affinis: si ducat aliam per verba de præsenti: si Sacros Ordines suscipiat: si ex tali matrimonio grave scandalum, vel damnum oriretur; vel malus illius successus timeatur: denique si pater puellam nolit dare nuptui. Quod postremum si eveniat, violator ad nihil aliud tenetur: quia in conscientia solùm obligatur ad implendam promissionem ducendò eam uxorem: ad quod præstandum si non admittatur alioquin præstare paratus, non apparet, unde ad aliam satisfactionem in conscientia sit obligatus. Less. n. 27.

Tertius est, si puella fuit mentita dicendò, se esse virginem, cùm non esset. In quo casu omnes concedunt, ut testatur Lugo num. 24. non esse obligationem ducendi illam, licèt etiam non fictè, sed verè promissum fuisset matrimonium. Ratio est: quia sicut violator decepit fœminam, ita vicissim ab ipsa deceptus est. unde hic intervenit mutua compensatio injuriæ. ex quo etiam sequitur, nullam esse obligationem ad compensationem aliquam pecuniariam. Quòdsi puella non decepit, sed defloratorem aliunde putaverit esse virginem, & postea contrarium deprehendit, non tenetur quidem ducere corruptam, à compensatione tamen pecuniaria probabiliùs non excusatur. Ratio est: quia fuit causa injusta damnorum: cùm non à puella (ut in casu priori) sed aliunde deceptus consensum fraudulenter extorserit. Lugo loco cit.

Quartus est, si puella postea fornicetur cùm alio. tunc enim prior violator non tenetur eam ducere: imò nec ad aliam compensationem obligatur ampliùs. Less. num. 28. Lugo num. 26. Reding num. 6. Mezger loco cit. Pettschacher pag. 366. Ratio est: quia *frangenti fidem fides impunè non* servatur, per *reg.* 73. *Juris in* 6. atqui talis fœmina fidem frangit: quia in promissione matrimonii hæc conditio tacitè subintelligitur: si castam se interim contineat. atque hinc per subsequentem fornicationem etiam sponsalia solvuntur. Quòd verò stuprator prior neque ad aliam compensationem tunc obligetur, facilè percipitur: quia vi contractûs solùm tenebatur puellam ducere: ad quod cùm non ampliùs teneatur, ad nihil tenetur. Vid. Mezger loco cit.

Corollarium. Si puella recusat postea nuptias ante defloration̄em acceptatas, defloratot liber est ab omni restitutione, sive verè, sive fictè promiserit matrimonium, nisi illam alio modo injustè deceperit. Lugo n. 28. Salmantic. n. 17. Reding n. 7. Pettschacher pag. 356. Ratio est: quia vi promissionis, sive veræ, sive fictæ, solùm tenebatur eam ducere: ergo si promissaria duci nolit, promissor ad nihil aliud obligatur. Dixi, *nisi illam &c.* quando enim mentitus est dicendò v. g. se esse æqualis conditionis, cùm tamen esset inferioris; tenetur damna, quæ violata hinc patitur, compensare augendò dotem. Ratio est: quia fraudulenter extorsit consensum à virgine; quæ, nisi ignorâsset disparem conditionem defloratoris, usum corporis ei non vendidisset pretiò matrimonii. Unde duplex in eventu fictæ promissionis hîc intervenit deceptio: una nempe, qua sine animo se obligandi stuprator promisit matrimonium; altera, qua finxit æqualitatem conditionis. ex prima oritur obligatio deceptam ducendi in matrimonium: ex secunda oritur obligatio illam dotandi, ex hypothesi, quòd deceptori priorem obligationem remittat. Vid. Pettschacher loco cit. Sed jam ad tertium statum quæstionis accedendò. 22

Dico tertio. Si votum religionis, aut castitatis à defloratore editum est ante defloration̄em, idque virgo ignoravit, defloratot promittens matrimonium tenetur illam ducere: secùs, si non ignoravit. Less. dubit. 4. Lugo sect. 3. Reding num. 10. Pettschacher pag. 373. & alii. Ratio primi membri est: 23

est: tum, quia cælibem vitam agere, vel ingredi religionem non potest sine gravi injuria puellæ: ergo utrumque sit ei illicitum. tum, quia ipsa bona fide, quantum in se erat, complevit contractum: ergo & alter ex sua parte complere tenetur. Intelligenda autem sunt ista, si defiorata omnem aliam satisfactionem recuset: quod facere justè potest. nam inprimis jactura amissæ pudicitiæ non est pecuniâ æstimabilis. deinde ipsa neutiquam tenetur subire infamiam ereptæ per alterius fraudem virginitatis, ut ille votum suum impleat. Neque dicas, votum esse actum religionis, quæ est virtus præstantior Justitiâ: nam licèt hoc ita se habeat, obligatio tamen Justitiæ commutativæ est major, quàm obligatio religionis: velut ostenditur in simili. nam si vovissem centum dare pauperibus, & postea inferrem alteri damnum tanti æstimatum, nec haberem alia bona, ex quibus restituerem, tenerer damnum passo dare illa centum Dei promissa, nec possem omissa hac compensatione votum implere. Ratio secundi est: quia, si scivit, defloratorem ejusmodi votô esse obstrictum, non censetur bona fide contraxisse, aut fuisse decepta; sed sponte in sui violationem consensisse. unde non potest urgere violatoris nuptias: quippe quas sciebat, sibi nec posse promitti, nec promissas licitè iniri posse. Hoc tamen Lugo num. 50. existimat, non esse universaliter verum, idque meritò. cùm enim post defiorationem facilè obtineri possit voti dispensatio, fœmina credere potuit, sibi etiam procurationem dispensationis promitti: maximè, quando hoc verba violatoris aliquo modo præseferebant. in quo sanè casu is liber non est à procurando dispensationem.

24 Dico quarto. Quando votum castitatis, vel religionis subsecutum est defiorationem virginis sub spe conjugii promissi obtentam, defiorator similiter illam ducere tenetur. Sequitur ex dictis, & patet à fortiori: quia tunc defiorator multò minùs propria auctoritate & voluntate obligare se potuit per votum in præjudicium stricti juris, quod ex ejus promissione competit defloratæ. Vid. Reding num. 9. Pettschacher pag. 375.

25 Infertur jam primo, traditam mox doctrinam etiam procedere de honesta vidua sub spe matrimonii promissi violata, quando aliàs notabile damnum in fama patetetur. Item de virgine, non quidem corrupta, sed ejusmodi, ut familiaritas, quæ ipsi cum promittente intercessit, communem suspicionem excitaverit in populo, quòd fuerit corrupta. tunc enim ducenda est, votis prædictis non obstantibus. Lugo n. 48. Reding n. 4. Pettschacher loco cit. Mezger ubi suprà n. 9. Ratio est: quia promittens in utroque casu memorato promissariam ex Justitia tenetur servare indemnem.

Inf. secundo, defloratorem non satisfacere obligationi Justitiæ in casibus præsentibus, si defloratam ducat quidem in matrimonium, sed, antequàm illud consummet, religionem ingrediatur; sed teneri, saltem regulariter loquendô, consummare. Less. n. 32. Lugo n. 49. Salmantic. n. 20. Pettschacher pag. 376. Mezger n. 10. Ratio est: quia contrahendò & non consummandô non censetur sufficienter reparati damnum ex violatione pudicitiæ ortum, nec efficaciter occurri imminenti infamiæ: hæc enim potiùs augeretur quàm minueretur, si fœmina tantummodò ducta statim desereretur. Dixi tamen, *saltem regulariter loquendô*. nam si omnibus rectè pensatis consummatio matrimonii non videretur esse necessaria ad resarcienda damna, sed sufficeret illud contrahere, licitè posset defloratior eo non consummato ingredi religionem. Ratio est: quia, cùm promisit matrimonium solùm promisisse censetur corruptam ducere modo ordinario; adeoque sibi reservasse jus non consummandi, nisi hoc fuerit necessarium ad compensationem damni injustè illati. 26

Inf. tertio, illum quoque esse obligatum ad ducendam defloratam, non obstante voto præcedente, vel subsequente defiorationem, qui damnum injustè illatum aliter resarcire non potest, licèt non promiserit matrimonium. Pettschacher pag. 375. Ratio est: quia injustè vitiatam tenetur reddere indemnem: atqui hoc præstare non potest, nisi ducendô ipsam, uti supponitur; ergo tenetur ducere. 27

Inf. quarto, consulendum esse defloratori votô castitatis, & ad nuptias defloratæ obligato, ut petat dispensationem voti. Less. n. 34. Mezger n. 11. Ratio est: quia aliàs facilè incurret periculum transgrediendi votum. nam licèt votum non obstet, quominùs ei liceat reddere debitum, si conjunx id petat tacitè vel expressè; ipse tamen ab eodem petendo abstinere, & ex sua parte castitatem servare tenetur. 28

Quæri hîc potest, ad quid teneatur alienæ pudicitiæ violator, quando ex violata prolem suscepit? & quæstio procedit modò de non conjugata. Respondeo primo. si fœminam vi vel fraude circumventam vitiavit, tenetur ex Justitia alere & sustentare partum à principio nativitatis, & solvere omnes expensas ventris, omniaque damna ex tali concubitu & conceptu secuta compensare: juxta cap. *Si culpa. de injuriis*. Ratio est: quia omnium istorum fuit injusta causa. Respondeo secundo. Si absque vi vel fraude rem habuit cùm 29

cum liberè consentiente, ipsa tenetur prolem alere primis tribus annis; deinceps autem pater, donec filius eo usque adolescat, ut sibi per se ipsum de necessariis ad sustentationem possit prospicere. Hæc tamen obligatio patris non ex rigore Justitiæ, sed ex titulo pietatis oriri dicenda est; sicut colligitur ex *cap. 2. de convers. infidel.* & aliis juribus. Ita quoad utramque responsionem tenent Salmantic. ubi suprà, num. 25. cum communi.

30 Supereſt, ut jam ad quartum ſtatum quæſtionis veniamus. Ubi advertendum eſt primo, impedimentum conſanguinitatis vel poſſe incidere tale, in quo Papa nunquam; vel nonniſi ob graviſſimam cauſam, qualis tunc non datur, ſolet diſpenſare: vel tale, in quo idem ſolet diſpenſare ob legitimam cauſam hîc & nunc intervenientem. Advertendum eſt ſecundo, promiſſionem matrimonii in præſenti fieri poſſe vel abſolutè; & absque mentione petendæ diſpenſationis; ſed ſolùm data fide ſub onere copulæ: vel ſub conditione procurandæ diſpenſationis.

31 Dico nunc quinto. Si impedimentum ſit tale, in quo Pontifex nunquam ſolet diſpenſare, vel non niſi ex graviſſima cauſa, qualis hîc & nunc abeſſe ſupponitur, violator non tenetur ducere fœminam conſanguineam ſub pacto conjugii corruptam. Ita communiter Theologi, teſte Reding, ubi ſuprà num. 12. Ratio eſt: quia tunc promiſſio propter rei promiſſæ impoſſibilitatem eſt invalida. In quo proinde caſu violator etiam liber eſt ab obligatione allis modis ſatisfaciendi, damnumque reparandi, niſi fœminam deceperit, vel vi, aut metu coegerit. Lugo ſect. 4. n. 52. Reding loco cit. Pettſchacher pag. 378.

Dico ſexto. Quando impedimentum eſt tale; in quo diſpenſari ſolet ob cauſam legitimam hîc & nunc intervenientem, & violator matrimonium promiſit ſub conditione procurandæ diſpenſationis, tunc idem tenetur procurare diſpenſationem, & violatam ducere. Ita Sanchez lib. 5. de matrim. diſp. 5. num. 13. Lugo num. 51. Reding num. 13. Pettſchacher num. 379. Ratio eſt: quia tunc violator id totum, quod promiſit, licitè implere poteſt. nam & licitum eſt ex juſta cauſa petere ac procurare diſpenſationem, & hac procurata inire matrimonium.

Dico ſeptimo. Si in caſu impedimenti primùm memorati promiſſio matrimonii facta eſt abſolutè, & idem impedimentum utrique parti notum, violator probabiliùs tenetur procurare diſpenſationem, eaque obtenta ducere conſanguineam. Ita Lugo n. 5. Reding num. 14. Pettſchacher loco cit. contra Sanchez & alios ab eodem relatos diſp. cit. n. 26. ſentientes oppoſitum, quod eſt probabile. Sed ratio noſtra eſt: quia conditio ad actus promiſſi valorem neceſſaria ſemper tacitè ſubintelligitur in promiſſione. Aliunde verò eadem vis eſt taciti & expreſſi, ut habet commune Juris procardicon.

§. III.

Ad quid teneatur adulter, & adultera, ſi nata ſit proles ex adulterio?

SUMMARIUM.

32. *An aliquid compenſandum pro ipſa injuria adulterii:* 33. 34. *Adulter ad nihil tenetur, quamdiu non eſt moraliter certus, prolem eſſe ſuam.* 35. 36. 37. *Ad quid teneatur, ſi de hoc ſit moraliter certus? unde peti ſoleat hæc certitudo?* 38. 39. *Quid in dubio, uter ſit pater prolis, quando adultera cum duobus conſuevit?* 40. *Statuitur obligatio adulteræ.* 41. 42. *An teneatur prodere ſuum delictum, ſi id neceſſarium ſit ad compenſanda; vel evitanda damna mariti, vel legitimorum?* 43. *Quando filius teneatur credere, ſe eſſe illegitimum?* 44. *An parentes, qui criminis tegendi causâ prolem ex illicito concubitu genitam orphanotrophio alendum exponunt, teneantur orphanotrophio compenſare expenſas?*

32 SUppono cum communi ſententia, adulterum non teneri marito adulteræ quidquam rependere pro injuria per adulterium illata, ſi neque partus ex adulterio, neque aliud reale damnum ſequatur. Ratio eſt: tum, quia hæc talis obligatio in nulla praxi, uſuque fidelium agnoſcitur; nec ab ullo Confeſſario ſolet inculcari pœnitentibus. tum, quia aliàs ob oſcula quoque vel tactus alienæ uxoris aliquid reſtitui deberet ejus marito. nam etiam per ſimilia eidem infertur injuria. tum, quia macula illa moralis, ſeu dedecus, quod inde reſultare cenſetur in maritum, eſt in alio genere bonorum. dictum eſt autem ſuperiùs, pro damnis in alio genere bonorum nihil eſſe reſtituendum ex bonis inferioris, vel ſuperioris ordinis. Atque hinc patet, ſi maritus adulteræ petat compenſationem aliquam pecuniariam ab adultero, hunc non teneri ad illam præſtandam. Idem tamen præſtare tenetur ſatisfactionem per ſigna doloris, petitionem veniæ &c. quando advertit, id deſiderare maritum, cui notum eſt adulterium.

quòd-

quòdsi hic adulterium non resciat, vel etiam resciens non putetur desiderare ejusmodi satisfactionem, adulter ad nihil tenetur. Ratio est: quia in priori casu non tenetur se manifestare: in posteriori omissio satisfactionis fit non invito marito. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 15. n. 15. Quibus præmissis,

33 Dico primo. Adulter partu secuto non moraliter certus, se esse patrem, ad nullam restitutionem tenetur. Ita Lessius de Justit. lib. 2. cap. 10. dubit. 6. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 7. dubit. 11. Reding tomo 13. q. 11. a. 2. controv. 3. n. 3. & DD. communiter. Ratio est: quia in favorem matrimonii proles præsumitur esse legitima in utroque foro, quamdiu non manifestè probatur esse illegitima. Accedit, quòd nemo teneatur aliquid solvere, sequere sua spoliare, nisi ipsi constet, se debere: atqui in hoc casu non constat adultero, se aliquid debere; ergo. Si petas, quid sit moraliter certum? respondeo breviter ex Less. n. 39. illud esse, quod ita prudenter creditur, ut ejus oppositum nullo modo videatur probabile.

34 Hinc infertur, adulterum, si rationabiliter dubitet, an proles sit sua? ad nihil teneri. Less. n. 40. Bonac. n. 7. & alii. Ratio est: tum, quia possessio stat pro legitimitate prolis, quæ in favorem matrimonii, quando res est dubia, præsumitur. tum, quia melior est conditio possidentis suam libertatem: sed adulter in tali dubio possidet suam libertatem solvendi aliquid; ergo. Quòdsi probabiliter credat, prolem esse suam, & simul probabiliter credat, non esse suam, similiter ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est eadem. Itaque licèt plures Authores doceant, adulterum teneri ad compensationem damnorum, quando probabiliter credit, prolem esse suam, intelligendi sunt tamen de tali credulitate, quæ excludat omnem probabilem rationem credendi contrarium. Less. loco cit.

35 Dico secundo. Quando adulter moraliter certus est, prolem esse suam, tenetur compensare illa omnia, quæ impensa sunt in alimenta prolis à tertio ætatis anno, quamdiu nempe pater obligatur filium alere, quamvis adulteræ non suaserit suppositionem. Ita communis apud Less. n. 41. Reding n. 4. Ratio est: quia adulter non debet esse melioris conditionis, quàm alii patres: sed isti tenentur liberos alere à tertio ætatis anno; ergo etiam adulter. cùm proinde innocens maritus loco ipsius faciat ejusmodi expensas in alimenta prolis adulterinæ, eas adulter refundere tenetur.

Cæterùm proles tunc censeri solet esse 36
adulteri, quando maritus vel toto illo tempore abfuit; vel non cohabitavit cum conjuge; vel propter ægritudinem fuit impotens ad usum matrimonii: idem est, si sterilis reputetur; ideoque nec ipse, nec familia, nec vicinia filium agnoscat pro legitimo. Quòdsi eo tempore, quo concepit adultera, maritus cum ea habitavit, nec aliunde fuit impotens; aut sterilis, adulter non tenetur credere, prolem esse suam, etiamsi in vultu imaginem ipsius referre videatur; imò adultera juret, ejusdem esse filium. Bonac. ubi suprà, Dicastillo n. 155. Salmantic. tomo 3. tract. 13. cap. 3. pu. 2. n. 30. Ratio est: quia hæc signa sunt fallibilia, & possessio stat pro matrimonio, cujus favor prævalet, nisi certò constet de opposito.

Dico tertio. Adulter moraliter certus prolem esse suam, tenetur insuper resarcire damna, quæ filiis legitimis in alimentis & hæreditate obveniunt ex suppositione spurii, sive ipse Author fuerit, ut supponeretur, sive non fuerit. Ita communiter DD. contra Sotum lib. 4. de Just. q. 7. a. 2. Ratio est: quia, licèt non suaserit suppositionem spurii, fuit tamen injusta causa, ut sua proles esse filius mariti credatur; idque non per accidens, sed per se: cùm ordinariè, & regulariter pro filio mariti habeatur, qui ex ejus uxore nascitur. sicut proinde adulter fuit causa per se, ut filius nasceretur ex uxore mariti, ita etiam est causa per se erroris, ex quo filius creditur esse proles mariti: & consequenter est etiam causa per se damnorum, quæ filiis legitimis ex hoc errore & credulitate obveniunt. qui enim est causa causæ, est etiam causa causati. atqui damna prædicta legitimis per se obveniunt ex errore, quo spurius judicatur etiam esse legitimus. Accedit, quòd adulter, esto, non suaserit suppositionem, nihilominùs aliunde vera causa illius extiterit eo ipso, quòd prolem genuerit ex aliena conjuge. hoc ipso enim, quòd maritus videat, prolem esse genitam ex sua uxore, inducitur, ut credat esse suam, licèt nemo dicat, esse ipsius; idque multò fortiùs, quàm ex eo, quòd à conjuge relinquatur in suis ædibus, & permittatur haberi pro legitima; quo modo adultera censetur supponere nothum pro legitimo. unde ipse longè potior est causa damnifera deceptionis, quàm adultera. vid. Less. à n. 45. Lugo de Just. tomo 1. disp. 13. sect. 2. n. 14. Salmantic. n. 36. Dicastillo n. 166. Reding n. 6. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 38. a. 2. num. 4.

Dubitari hîc meritò solet, quid sit 37
tenendum in casu, quo certum quidem est,

est, prolem esse ex parte adultero, incertum tamen, quinam ex duobus, vel pluribus, quibuscum adultera conversabatur, sit verus pater illius? Idem dubium habet locum de duobus, vel pluribus, dum est incertum, uter sit pater filii ex alia quacunque fornicaria prognati.

Prima sententia est; nullum ex illis adulteris obligari ad alendum ejusmodi filium; aut aliquid cuiquam restituendum. Ratio est: quia dubius de obligatione quid solvendi aut restituendi non est obligandus ad certam solutionem aut restitutionem. cùm sit in certa possessione tam libertatis, quàm rerum suarum. sed singuli adulteri dubitant de tali obligatione, eo ipso, quòd dubitent, quisnam ipsorum sit pater! ergo nemo eorum est obligandus. Confirmatur. Dum quis in platea occisus invenitur, estque incertum, an Cajus occiderit, vel Titius? utrumque punire injustum est, quamvis certum sit, alterutrum eorum eâdem patrâsse; idque ideo, ne, cùm non ambo sint nocentes, etiam innocens puniatur! ergo similiter in casu nostro injustum est utrumque adulterum obligare ad alendam prolem, & compensationem damnorum, quamvis certum sit, alterutrum esse patrem, ne, cùm non ambo sint patres, etiam ille obligetur, qui non est pater; atqueadeo puniatur innocens. nam & hæc obligatio est effectus quasi pœnalis supponens, & consequens culpam. Hæc sententia est probabilis, eamque tenent cum pluribus, quos referunt, Salmantic. num. 32. tenet etiam Lugo num. 24. saltem quoad obligationem alendi prolem.

Altera sententia, eaque communis, & probabilior, docet, quemlibet adulterorum teneri ex parte concurrere ad alendam prolem, & compensationem damni per adulterium illati. Ratio est: quia, licèt incertum sit, uter eorum sit determinatè pater; certum tamen est, prolem esse ab illis progenitam: & quilibet est determinatè causa talis incertitudinis, qua incertum est, quinam sit determinatè pater. atqui incertitudo, quinam sit determinatè pater, & teneatur prolem alere &c. est grave damnum, & æquale cum eo, quod realiter illatum est per adulterium, utpote injustè impediens, ne ab uno determinato exigi possit compensatio expensarum in alimenta prolis, sive, ne proles ab uno determinato alimenta recipiat. ergo quilibet est determinatè causa ejus damni; & consequenter quilibet tenetur ad illius compensationem concurrere, idque ita, ut singuli secundùm proportionem dubii contribuant, ac insuper defectum alterutrorum suppleant: quod est teneri in solidum. Vid. Bonac. de matrim. q. 4. pu. 15. num. 9. Dicastillo num. 161. Reding controv. 4. num. 1. Pettschacher de restit. pag. 408. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 1. a. 2. n. 97. Mezger ubi suprà, n. 8.

Ad argumentum prioris sententiæ resp. conc. maj. neg. mi. nam esto; dubitent; quinam ipsorum sit determinatè pater, atque ex hoc capite neuter sit obligandus ad alendam prolem, damnique alterius compensationem; singuli tamen certi sunt, se esse injustam causam ipsius incertitudinis injustè impedientis, ne verus pater agnoscatur, à quo proles alimenta recipiat; & consequenter neuter eorum dubitat de memorata obligatione, quia neuter dubitat, se damni illius injustam causam fuisse. Ad Confirm. resp. transm. Ant. neg. conseq. & patit. quia in casu nostro singuli adulteri intulerunt certum damnum causandô incertitudinem impedientem, ne constet de determinato patre, qui prolem alat. neque de hoc est dubium; sed solùm est dubium, uter sit pater. Atqui in casu Anteced. non constat, quemlibet determinatè patrâsse cædem, sed alterutrum tantùm illorum: & consequenter est dubium de singulis, quinam intulerit damnum.

Corollarium. Quando adulteri invincibiliter non prævidetunt memoratum damnum incertitudinis, eò quòd v. g. mutuò se invincibiliter ignoraverint, probabile est, neutrum in conscientia obligari ad aliquam compensationem. Pettschacher pag. 409. Ratio est: quia tunc nullus ipsorum est injustâ causâ incertitudinis, qua incertum est, quisnam sit determinatè pater, & teneatur ad compensationem damni per adulterium illati: & consequenter cessat ratio posterioris ac nostræ sententiæ. Solâ proinde tunc adultera ad compensationem damnorum tenetur. illa enim tunc sola, eò quòd sciens & volens admittat plures adulteros, est certa, eaque injusta causâ prædictæ incertitudinis. 38

Dico quarto. Adultera obligata est per se loquendô ad compensationem & præstationem omnium damnorum ex adulterio filiis legitimis per se proventientium. Ita communiter DD. Ratio est: quia ipsa est injusta causa, quòd maritus, & filii legitimi credant, nothum esse patiter legitimum, atqueadeo illa damna patiantur. Tenetur proinde vel ex suo peculio, vel solitos sumptus moderatè minuendô; vel filium inducendô ad religionem, quæ sit incapax successionis hæreditariæ; vel simili quopiam modo procurare, ne legitimi hæredes ratione illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant. 40

Dixi autem primo, *per se proventium*, eorum videlicet, quæ patiuntur in illis, quæ ipsis tanquam filiis debentur, ut sunt fideicommissum, majoratus, hæreditas avi &c. unde non tenetur restituere legitimis ea, quæ spurius pro legitimo habitus ex liberali alicujus donatione acquirit. licèt enim rem donatam spurio fortè acquisivisset aliquis ex legitimis, si non acquisivisset spurius; id tamen damnum non per se, sed per accidens eis provenit: quia nullum jus in illam donationem, tanquam legitimi filii, habebant. Vid. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 4. n. 8.

Dixi secundo, *per se loquendò*. quia dantur varii casus, in quibus adultera à restitutione excusatur: ut primo, si non sit certa, prolem esse adulterinam; prout diximus de adulterio, quod tamen rarò videtur contingere. Secundo, si filii legitimi, vel maritus remittant, vel prudenter præsumantur remittere obligationem. tertio, si propterea incurrendum esset periculum vitæ, aut similis mali. quarto, si rationabiliter timeat periculum infamiæ. fama quippe est bonum superioris ordinis, hinc nemo cum ejus jactura tenetur compensare damna bonorum temporalium. Vid. Tambur. à num. 9.

41 Verùm difficultas hîc oritur, an adultera teneatur marito, vel notho manifestare suum delictum ad compensanda, vel impedienda legitimorum damna, quando hæc aliter compensari, aut impediri non possunt? Respondeo primo, non teneri, nisi moraliter certa sit de damnis per ejusmodi manifestationem avertendis. Ita ex communi DD. Less. de Just. lib. 2. cap. 10. dubit. 7. num. 50. Mezger, ubi suprà num. 6. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo quamdiu fœmina prudenter dubitat, an revelatio criminis sit profutura? tamdiu non tenetur id revelare. sed quamdiu de hoc non est moraliter certa, tamdiu prudenter dubitare potest; ergo. Respondeo secundo, tametsi adultera moraliter certa sit; per revelationem delicti damnis legitimorum occursum iri, non tamen ad illam teneri cum periculo vitæ, vel famæ. Et quidem de periculo vitæ, teste Less. num. 53. communis sententia est: quia nempe bonum vitæ superat omnem æstimationem pecuniariam, estque semper ejus periculum sufficiens causa ad excusandum à restitutione: imò licitum reddit periclitanti usum rei alienæ tanquam suæ. De periculo famæ similiter ratio est: quia & illa numeratur inter bona superioris ordinis; atque adeo nunquam periculo exponenda est necessariò ob res inferioris ordinis. Fama quoque apud homines non solet æstimari pretiò; &, qui sic æstimaret illi præferendò pecuniam, contra rectam rationem ageret: *melius enim est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Prov. verb. 22.

Corollarium I. Si mulier non sit ad- 42
eo honestæ vitæ, ut ejus fama prudentùm judicio magni æstimetur, vera esse poterit sententia Soti docentis, adulteram ejusmodi teneri ad revelandum crimen, si damna legitimorum aliter averti nequeant. Ratio est: quia hæc talis vix censetur amittere veram famam aut pati damnum alicujus momenti in illa. Similiter, si mariti sit vir valde bonus ac prudens, patrerque filius, ita ut rem totam silentiò sint compressuri, nec fœminæ propterea quidquam molestiæ illaturi; & ex alia parte sit certa spes damni avertendi, tenebitur crimen illis detegere. Ratio est: quia in talibus circumstantiis vel non censebitur se infamare, vel non pati damnum famæ, nisi valde exiguum: quod proinde sustinendum erit, ut aliorum damnis occurratur. Less. num. 58. Salmantic. tom. 3. tract. 13. cap. 3. pu. 2. n. 40. Reding tom. 13. q. 12. a. 2. controv. 4. n. 10.

Corollarium II. Quando filius o- 43
mnino convincitur, quòd sit illegitimus (v. g. si mater testibus probet, verum maritum toto illo tempore ad conceptum & partum exacto abfuisse) tenetur abstinere ab hæreditate cum legitimis adeunda. Ratio est: quia adeundo hæreditatem illis injustè damnum inferret. Cæterùm, nisi afferantur tales rationes, quæ inducant moralem certitudinem, ejusmodi filius matri asseveranti, ipsum esse spurium, non tenetur credere, etiamsi sciat, fuisse adulteram. Less. num. 51. Salmantic. num. 39. Reding num. 7. Pettschacher de Restit. pag. 420. Mezger, ubi suprà, num. 9. Ratio est: tum, quia alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides, quando id cedit in præjudicium tertii. tum, quia filius est in possessione legitimitatis, qua cedere non tenetur, nisi convincatur, quòd sit illegitimus. tum, quia ingenium fœminarum est, inquit Lessius, alios præter modum amare, alios præter modum odisse. tum, quia prævalet favor matrimonii. Ex quibus omnibus apparet, in praxi raro posse occurrere casum, in quo adultera suum crimen prodere teneatur, ut spurius abstineat ab hæreditate sibi non competente. cùm rarò accidat,

accidat, ut filius non ob aliquam ex adductis causis possit prudenter fidem denegare matri asseveranti ipsum esse illegitimum, & consequenter illa dubitare, an revelatio criminis sit profutura?

44 Illa demum quæstio occurrit hîc resolsolvenda, an parentes, qui filium ex adulterio, aliove illicito concubitu genitum criminis tegendi causâ orphanotrophio alendum exponunt, teneantur ad compensationem expensarum ab orphanotrophio factarum in sustentatione talis filii? Prima sententia negat teneri, etiamsi divites sint. Ita Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 19. n. 3. apud Salmantic. num. 29. deinde Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 7. num. 171. Laym. lib. 3. tract. 3. parte 3. cap. 14. num. 4. Saltem, si dives sit orphanotrophium. Ratio est: quia orphanotrophia, hospitalia, & similia misericordiæ domicilia, instituta sunt pro præsentibus necessitatibus absque onere cujusquam aliquid postea restituendi; cùm ergo ejusmodi infans exponatur urgente necessitate parentum, iidem ad nihil postea tenentur. Confirm. Peregrini, à latronibus vulnerati, & infirmi ob præsentem necessitatem gratis aluntur in hospitalibns, tametsi in patria sint divites: ergo etiam infantes expositi ob præsentem necessitatem, qua premuntur, gratis alendi sunt in orphanotrophiis, tametsi divites parentes habeant.

Altera tamen, eaque communis sententia contendit, divitibus incumbere obligationem compensandi memoratas expensas. Ratio est: quia orphanotrophia sunt instituta pro pauperibus: ergo injustè, & contra intentionem fundatorum agunt, qui, cùm divites sint, & teneantur ipsi liberos suos alere, eosdem orphanotrophio obtrudunt alendos ex bonis pauperum. Confirm. Vel orphanotrophium teneretur talem infantem alere gratis propter periculum infamiæ, quam timent parentes, si ipsi alerent suis sumptibus; vel propter indigentiam ipsius infantis? neutrum potest dici. non primum; quia citra periculum infamiæ possunt orphanotrophio occultè suppeditare, vel compensare sumptus necessarios. non secundum; quia talis infans nullo modo est pauper, aut indigus: cùm habeat divites parentes, à quibus ali & potest & debet. Itaque nulla re ipsa est obligatio in orphanotrophio alendi gratis ejusmodi expositum: cùm tota necessitas sive parentum, sive infantis, quam prætexit prior sententia, sit vana & inanis. Vid. Less. lib. cit. cap. 19. dubit. 6. n. 69. Lugo de Just. to. 1. disp. 13. sect. 1. à. n. 4. Reding, ubi suprà n. 2.

ARTICULUS IV.

De Injuriis, & Restitutione in honore & fama.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Contumelia, & quale peccatum?

SUMMARIUM.

1. *Quid sit honor.* 2. 3. *Definitur & dividitur contumelia.* 4. *An qualitas contumeliæ sit exprimenda in Confessione?* 5. *Cuilibet contumeliæ aliunde potest accedere nova species malitiæ.* 6. 7. *Exponitur malitia contumeliæ.* 8. *Quid de agnominibus, quæ parentes imponunt liberis &c.*

1 INjuria, quæ proximo contra honorem infertur, contumelia vocatur, sicut injuria, qua fama alterius læditur, detractio dicitur. Honor porrò ex D. Thoma 2. 2. q. 103. a. 1. definiri solet *testificatio de alterius excellentia.* quæ testificatio fit vel verbis; ut, dum alterum honorificè compellas sapientem, eximium clarissimum &c. vel aliis signis externis: ut genuflexione, corporis inclinatione, cessione nobilioris loci &c.

Dico jam primo. Contumelia est *dehonoratio alicujus per verba, quibûs id, quod est contra honorem illius, deducitur in notitiam ejus, & aliorum.* Ita D. Thomat 2. 2. q. 72. a. 1. Dicitur *dehonoratio per verba.* cujus ratio est, quòd contumelioſus per illam intendat extrinsecùs manifestare ea, quæ contra alterius honorem animô concepit. verba autem sunt signa conceptuum, contumelia proindè in verbis consistit. Neque refert, contumeliam factis quoque inferri solere. nam ipsa tunc facta verbis æquivalent, quatenùs assumuntur non præcisè ut facta, aut res sunt, sed in quantum conducunt ad significandum ea, quæ quis contra honorem alicujus animô concepit. Quare, si alium fustibûs cædas ex affectu vindictæ, committis simpliciter injuriam in corpus proximi: si cædas ad manifestandam illius imbelliam & resistendi impotentiam, infers etiam contumeliam. Dicitur ad finem definitionis (nam particulæ inter-

mediæ facilè intelliguntur) *in notitiam ejus, & aliorum.* ubi nota, notitiam aliorum non esse tam necessariam, ut sine illa dari non possit contumelia. an hanc quippe satis est, si contumeliosus id, quod est contra honorem, faciat devenire in notitiam ejus, qui patitur. graviùs tamen peccatum erit, si in notitiam aliorum quoque deducat, ut docet D. Thomas a. cit. ad 1.

3 Dico secundo. Species contumeliæ sunt quatuor. nempe, *convitium, improperium, irrisio*, sive illusio, & *subsannatio.* Quæ divisio fit penès diversos modos, quibus honor alicujus injustè lædi potest. quare, si alteri vitium, vel defectum etiam verum, licèt tantùm naturalis sit, objicias cum aliquali ipsius dedecore, *convitium* dicitur. Si vitium, vel defectum coràm, & in faciem exprobres, jam non simpliciter convitium, sed *improperium* erit. illud enim in absentem quoque fieri potest, non item improperium, quod præsenti tantùm irrogatur. Si proximum, sive præsentem, sive absentem, verbis vel factis ludibrio, risuique exponas, *irrisio* vocatur. Si per motus & gestus corporis despectui habeas, appellatur *subsannatio.* ex quibus apparet, irrisionem & subsannationem in eo differre, quòd illa verbis irrisoris fiat; hæc autem allis signis, quæ verbis æquivalent, v. g. diductis labris, rugato naso. Ad recensitas species omnes aliæ contumeliæ reducendæ sunt. Porrò differentiæ, per quas modò divisimus contumeliam, accidentales tantùm sunt: ideòque omnes contumeliæ conveniunt in eadem specie infima essentiali: quia omnes conveniunt in eadem ratione formali lædendi honorem alienum; licèt differant secundùm magis & minùs, & aliquando notabiliter aggravent injuriam.

4 Corollarium. Non teneris in Confessione distinctè exprimere qualitates contumeliæ, aut probra proximo per illam illata, v. g. appellavi adulterum, furem, hæreticum: sed sufficit dicere, te gravibus contumeliis toties, vel toties alium affeciisse. Ratio est: quia, ut diximus, omnes contumeliæ sunt ejusdem speciei infimæ. nec opus est juxta sententiam probabiliorem in tract. de Pœnit. asserendam exponere in Confessione circumstantias intra eandem speciem aggravantes. Vid. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 4. pu. 2. n. 12. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 1. n. 3.

5 Interea tamen dubium non est, cuilibet contumeliæ aliunde novam speciem malitiæ posse accidere. Ita, si prævides, eum, quem irrisurus es, graviter commotum iri ad vindictam injustam, addis peccatum scandali, dum irrides. Si illudis alicui ob exercitum actum Christianæ virtutis, peccas insuper contra religionem. Si parentibus illudis, vel eosdem irrides, eris etiam impius. Si contumeliam irrogas occidendò, virginem deflorando, simul committis peccatum homicidii, stupri &c. quæ procul dubio in Confessione sunt exprimenda. Vid. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 8. num. 4. Reding tom. 13. q. 13. 1. controv. 1. n. 7.

6 Dico tertio. Contumelia ex suo genere peccatum mortale est. Ita D. Thomas 2. 2. q. 72. a. 2. aliique Doctores communiter. Ratio est: quia ex sua natura intendit spoliare proximum bono honoris, quod præstantius est bonis fortunæ. unde si furtum ex genere suo peccatum mortale est, multò magis contumelia erit. Et ideo Matth. 5. gravis pœna contumeliosis decernitur: *Siquis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Loquimur autem, ut satis patet ex ratione concluf. de contumelia formali, illa nempe, quæ procedit ex intentione lædendi honorem proximi. nam, si absit hæc intentio, & tamen fiat id, quod honorem re ipsa lædit, erit contumelia materialis tantùm, & in ratione contumeliæ Theologicè inculpabilis; licèt nihilominùs possit esse obligatio restituendi, si nimirum grave damnum honoris proximo inde sequatur. Vid. Mezger num. 2.

7 Cæterùm non tantùm ob imperfectionem deliberationis, sed etiam ob levitatem materiæ contingit, ut contumelia sit peccatum veniale tantùm. nam sicut in bonis fortunæ non quodlibet damnum, quod infertur alteri, grave est; ita nec in bono honoris. imò aliquando ne quidem peccatum veniale est: ut, si quis joci gratiâ, dum adsunt debitæ circumstantiæ, proferat convitium: vel, si hoc faciat Superior erga subditum correctionis gratiâ. Monet tamen optimè D. Thomas a. cit. ad 2. rarò contumeliosa verba in correctionibus esse adhibenda. nam subditi plerumque existimant, hunc modum reprehendendi non ex charitate, sed ex inordinata passione procedere. quo fit, ut non modò non emendentur, sed etiam multò deteriores evadant, & in malitia penitus indurentur. Discretione proinde hîc opus est, & conditio personæ corrigendæ prudenter consideranda, inquiunt Salmantic. ubi suprà, num. 14.

8 Ex dictis infertur, excusari posse à peccato mortali, & interdum à veniali quoque, parentes, dum filios appellant stupores, asinos, lurcones &c. Ratio est: quia non proferunt similes titulos animô dehonorandi liberos, sed corripiendi. Similiter peccata mortalia ordinariè judicanda non sunt convitia & irrisiones, quibus mulierculæ, pueri, & homines infimæ sortis sese mutuò

solent

solent impetere, dum ex animi irati præcipitantia profundunt, quidquid venit in buccam. Ratio est: quia illorum verbis non multum fidei adhiberi solet, & deest ut plurimùm intentio graviter nocendi. unde non multùm læditur eorum honor. Quòdsi autem intendant, vel sciant læsionem fore gravem, non excusantur à mortali. Sayrus in clavi. lib. 12. cap. 4. num. 8. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 5. pu. 1. n. 4. Salmantic. ubi suprà num. 13.

§. II.

An, & quomodo honor ablatus debeat restitui?

SUMMARIUM.

9. *Pro honore injustè ablato satisfaciendum est.* 10. *Afferuntur modi; quibus id fieri debeat:* 11. *An honor læsus sufficienter reparetur per familiarem conversationem cum inhonorato?* 12. *An petitio veniæ semper sufficiat pro satisfactione?* 13. *Quid, si offensus irroget contumeliam reciprocam?*

9 DIco primo. Qui honorem alterius injustè abstulit, tenetur ad restitutionem, sive satisfactionem. Sayrus in clavi reg. lib. 11. cap. 8. n. 9. Less. de Just. lib. 2. cap. 11. dub. 27. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 5. pu. 2. Reding to. 13. q. 13. a. 1. controv. 2. n. 2. & alii communiter. Ratio est: quia talis peccavit contra Justitiam commutativam cum damno alterius; ergo hoc tenetur reparare ex Justitia. quod etiam præcepit Apostolus Rom. 13. *reddite omnibus debita, cui honorem, honorem &c.* Honor proinde reddendus est non solùm, si publicè coram aliis fuit ablatus, sed etiam, quando id accidit privatim coram læso tantùm. nam in utroque casu proximo illatum est damnum; & in priori quidem simul infama, si inde minoris æstimari cœperit à præsentibus; quæ tunc unà cum honore est restituenda. in posteriori verò in sua propria saltem dignitate, cui labes quædam, & morale aliquod dehonestamentum per contumeliam fuit aspersum: quod homines tanti æstimant, ut sæpe damna fortunarum gravissima subiisse mallent.

10 Dico secundo. In restitutione honoris ille modus adhibendus est, qui secundùm gravitatem injuriæ, dignitatem personæ satisfacientis, consuetudinem patriæ, aliàsque circumstantias occurrentes, judicio prudentis censetur sufficere ad reparationem damni illati. Less. dubit. cit. num. 143. Bonac. n. 5. Lugo de Just. to. 1. disp. 15. sect. 4. n. 57. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 1. num. 5. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 8. n. 6. Veritas hujus Concl. ex se patet.

Cæterùm modi restituendi honorem sunt varii. Nam potest restitui primo, amica, aut honorifica salutatione; aut compellatione; aut majoris benevolentiæ exhibitione. & hic modus ut plurimùm sufficit in Superiore erga subditum. neque enim Superior adeo se tenetur demittere, ut veniam petat à subdito: *ne*, quemadmodum dicit S. Augustinus in Regulâ, *dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*: quod de Superiore hîc dicimus, etiam locum habet in homine nobili erga plebejum. Secundo restituitur honor adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando &c. qui modus frequenter quidem sufficit inter homines paris conditionis, non tamen semper: quia tanta interdum fuit injuriæ enormitas, ut prudentes existiment, plus requiri ad eam abolendam. Tertio restituitur petendo veniam à læso. hic modus est potissimus, ac sufficiens etiam pro gravissimis offensis, saltem ante Judicis sententiam; inquit Tambur. ita satisfacere oportet inferiores superioribus, & sæpe etiam pares paribus, quando videlicet læsus ob contumeliæ gravitatem id justè exigit, & aliam satisfactionem non vult admittere. Vid. de his Less. n. 144. Reding num. 3. Mezger loco cit.

Corollarium I. Mera familiaritas, seu 11
familiaris consuetudo, quæ lædenti intercedebat cum læso, & adhuc intercedit, non sufficit ad satisfaciendum pro honore violato, nisi addantur alia peculiaritatis benevolentiæ signa. Bonac. n. 6. Tambur. num. 7. Ratio est: quia lædens consueta hac familiaritate non censetur uti ad resarciendam injuriam; sed vel vitandi scandali, vel declinandæ majoris inimicitiæ gratiâ; vel, ut observet modum conversandi aliàs sibi consuetum. unde læsus non tenetur illâ esse contentus.

Corollarium II. Fieri potest, ut non 12
sufficiat petitio veniæ ad satisfaciendum pro honore læso. Less. n. 145. Ratio est: quia injuria potest esse tam atrox, ut læsus merito exigat majorem humiliationem; v. g. si viro nobili enormis contumelia à plebejo fuerit illata. Illam tamen majorem humiliationem contumeliosus, ait Less. non tenetur præstare ante Judicis sententiam; sic enim moribus gentium est receptum, ut etiam pro summis injuriis non teneatur quisquam sponte exhibere majorem satisfactionem, quàm humilem veniæ petitionem cum signis doloris. Hanc tamen doctrinam in universum difficilem judicat Lugo sect. cit. n. 54. quia revera simplex petitio veniæ non semper

videtur æqualis satisfactio pro quavis injuria etiam atrocissima. certum autem est, Justitiam ex se, & ante sententiam Judicis obligare ad æqualem satisfactionem: & consequenter contingere potest, ut obliget ad majorem, quàm sit mera petitio veniæ. unde, si viro nobili colaphum infregisses, non satisfaceres per nudam veniæ petitionem.

13 Corollarium III. Quando offensus vindictam sumpsit de offendente per illationem reciprocam injuriæ, hic non tenetur ad ulteriorem satisfactionem. Lugo n. 59. Mezger n. 6. cum communi. Ratio est: tum, quia hoc comprobat communis persuasio hominum existimantium, se liberos esse in tali casu ab ulteriore satisfactione. tum, quia ulciscens injuriam videtur vindictam, quam sumit, acceptare pro satisfactione sibi debita, & omnem aliam remittere. tum, quia alter citra novam vindictam tolerandô injuriam sibi vicissim illatam videtur satis agnoscere suam priorem culpam, & sufficienter testari existimationem internam de dignitate personæ offensæ.

§. III.

De Judicio temerario.

SUMMARIUM.

14. *Quid sit fama.* 15. *Dubitatio, suspicio, opinio, & firmum judicium quomodo differant?* 16. 17. 18. *Malitia judicii temerarii, opinionis, suspicionis, dubitationis de probitate alterius.* 19. *De proximo sinistrè sentire aliquando est licitum.* 20. *Explicatur illa regula:* Dubia in meliorem partem interpretari oportet. 21. *Quomodo reparanda sit fama modis prædictis læsa?*

14 NOtandum est primo, famam in genere, & prout præscindit à bona & mala, quæ sunt ejus species, definiri, quòd sit *multorum æstimatio de vita & moribus alicujus.* 15 Bonam famam, de qua sola hîc, & in seqq. erit sermo, describere potes cum Molina, quòd sit *bona de aliquo æstimatio quoad aliquod ejus bonum.* ubi per ly *bonum* primariò intelliguntur bona animi, putà virtus, sapientia, bona indoles, bonum ingenium &c. Secundariò bona corporis, cujusmodi sunt vires, pulchritudo, nobilitas: item potentia, opes, & similia externa quoque, quæ & ipsa magni fiunt ab hominibus, famamque illis conciliare creduntur. Lædi autem fama solet tum internè, tum externè. internè læditur per judicium temerarium, de quo in præsenti §. externè per detractionem, de qua postea agemus.

15 Notandum est secundo, exactè loquendô differre inter se hæc quatuor, videlicet, dubitationem, suspicionem, opinionem, & firmum judicium. Dubitatio est, quando animus propter absentiam, vel insufficientiam motivorum ad assensum hæret suspensus, & in neutram contradictionis partem inclinat. Suspicio est, quando animus adhuc judicium suspendit quidem, inclinat tamen in alterutram partem. Opinio est assensus determinatus circa unam partem, sed conjunctus cum formidine veritatis oppositæ. Judicium firmum est assensus determinatus circa unam partem sine formidine veritatis oppositæ. Omnibus his quatuor modis circa famam proximi versamur. nam inprimis dubitamus de probitate illius: deinde suspicamur esse improbum; idque præterea opinamur, ac demum firmo, fixoque judicio de crimine, vel defectu condemnamus. hoc postremum si fiat ex levibus solùm indiciis, ac insufficientibus ad faciendam opinionem probabilem, judicium temerarium. de quo

16 Dico primo. Judicium temerarium in sensu explicato acceptum est peccatum contra Justitiam ex genere suo mortale. Ita D. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. & alii DD. communiter. Colligitur ex S. Scriptura Matth. 7. Lucæ 6. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* ubi Christus damnationis reos arguit illos, qui alios temerè judicant. Et ratio est: quia quilibet jus habet ad bonam famam, & existimationem propriam in aliorum intellectu retinendam: hæc autem per judicium temerarium expellitur & deponitur; atqueadeo jus alienum injustè læditur; idque graviter, si materia sit gravis; leviter, si materia spectatis circumstantiis personæ sit levis; vel ob imperfectionem actûs desit sufficiens deliberatio. quod idem dic; quando temeritas in judicando exigua est, eò quòd adsint tanta indicia de alterius malitia, ut parùm absit, quin viri prudentis definitivam mereantur sententiam. de quo videatur Less. de Just. lib. 2. cap. 29. dubit. 2.

17 His expositis, utiliter quæritur in præsenti, quando, & quantum peccatum sit de alterius probitate dubitare, suspicari, opinari sinistrè? Respondeo primo, temerè opinari, vel suspicari de proximo regulariter esse tantùm veniale peccatum. Ita D. Thomas a. cit. & alii communiter. Ratio est: quia levis opinio, vel suspicio temeraria, etiam de gravi malo alterius, non infert gravem contemptum: & neque destruit, sed tantùm diminuit habitualem existimationem de probitate proximi: cumque suspicio sit facilè mobilis in oppositum, ordinariè de-

stituitur sufficienti, & perfecta deliberatione. Hinc judicat Molina, ut refert Mezger tomo 3. tract. 12. disp. 39. a. 2. n. 3. homines timoratæ conscientiæ rarò peccare mortaliter temerè judicando proximum, esto, magnis scrupulis in hac materia agitentur. Imò credibile est, à peccato mortali ordinariè excusari illos, qui interrogati, an hoc, vel illud malum de proximo certò credant? responderent, se neutiquam id firmiter credere. Dixi autem, *regulariter*. nam suspicari, vel opinari malè de proximo possunt per accidens esse peccata mortalia: ut, si procedant ex gravi odio: si ex illis prodeas in actum externum proximo graviter injuriosum, v. g. ad denegandum suffragium in electione, ad ipsum infamandum &c. Vid. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 6. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 1. à n. 12. Mezger loco cit.

18 Respondeo secundo, etiam dubitationem temerariam de probitate proximi ordinariè excusari à peccato mortali. Ita à fortiori docere tenentur omnes, qui idem sentiunt de temeraria opinione, & suspicione. Ratio est: quia minus est dubitare de probitate proximi, quàm suspicari, vel opinari; sitque minor eidem injuria per temerariam dubitationem, quàm per suspicionem & opinionem. Adde, quòd pauciora ac minora indicia sufficiant ad dubitandum, quàm ad suspicandum, vel opinandum. Dixi rursus, *ordinariè*. nam si advertas, nullam tibi suppetere justam causam dubitandi de probitate alterius, & nihilominùs pertinaciter dubites in materia gravi, v. g. an sit proditor, hæreticus, concubinarius; certè peccas mortaliter. Ratio est: quia ejusmodi dubitatio procedit ex malevolentia, & contemptu proximi, eique proinde in materia gravi censetur graviter injuriosa. nam homines indignissimè ferunt ita de se dubitari, inquit Less ubi suprà dubit. 3. num. 25.

19 Respondeo tertio, dubitationem, suspicionem, judicium sinistrum de proximo, quando adsunt sufficientia improbitatis indicia, secluso affectu odii, detractione &c. neque charitati, neque Justitiæ adversari. Laym. cap. cit. n. 4. cum communi. Ratio est: quia in ejus intellectu, cui crimen sufficientibus indiciis perspectum est, proximus amisit jus suæ bonæ existimationis, nec potest esse rationabiliter invitus, si ille eandem vel minuat dubitandò, suspicandò, vel opinandò, vel omnino deponat firmiter judicandò. Cautè tamen procedendum hîc est: tum, quia sæpe decipimur existimantes, nos habere indicia sufficientia dubitandi, suspicandi &c. cùm tamen non habeamus: tum, quia operantis intentio nobis incerta est. Ex quo fit, ut opus etiam ex genere suo mortale ob varias causas, v. g. ignorantiam, præcipitantiam in agendo &c. à peccati gravitate excusari possit. Unde nihil in hac materia tutius est, quàm extra necessitatem, vel utilitatem cohibere animum à dubitatione, suspicione, & judicio de peccatis alienis, incertisque rumoribus proximi famam petentibus non credere. Laym. loco cit.

Atque ex his omnibus facilè percipitur, quo sensu accipienda sit vulgata illa in moralibus regula, quòd *dubia in meliorem partem interpretari oporteat*. Nam primo non accipi debet affirmativè, quasi existimare teneamur, proximum esse innocentem, etiam dum habemus sufficientia argumenta dubitandi de ejus innocentia. Ratio est: quia nemo tenetur se exponere periculo errandi: sed existimare proximum esse innocentem, dum adsunt sufficientes rationes dubitandi de ejus probitate est exponere se periculo errandi; ergo. Secundo, accipi debet id dictum negativè, ita nempe, ut, quamdiu res dubia manet, non feratur sententia secundùm deteriorem partem. tunc enim proximus habet jus, ut non judicetur malus. quod etiam in foro externo agnoscitur: ubi, si reus de crimine non sit convictus, absolvitur, haud sanè affirmandò esse innocentem, sed crimen de ipso non fuisse demonstratum. Tertio, accipiendum est ex hypothesi, ut nempe occurrentibus indiciis æqualibus, hinc pro probitate, inde pro improbitate proximi, si velis ferre judicium, id feras secundùm partem benigniorem. Ratio est: quia præstat in dubio frequenter falli bene sentiendo de proximo, quàm malè sentiendo vel semel decipi. Cùm ille error sit speculativus circa singularia; adeoque non magni momenti: hic autem sit error practicus, moraliter malus, proximique injuriam includens. vid. Laym. num. 7. Reding tomo 13. q. 13. a. 2. controv. 2. à n. 5. Less ubi suprà dubit. 4. à num. 33. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 3. a. 2. num. 123. Mezger, ubi suprà à n. 5. Quarto demum exponi potest illa regula practicè & quoad effectum: quòd nempe non obstante dubio de probitate proximi teneamur eidem exhibere eum affectum, eaque officia & obsequia debita, acsi probum & innocentem judicaremus. ut proindè non liceat tractare tanquàm de improbitate vel crimine aliquo convictum. Lugo de Justit. to. 1. disp. 14. sect. 2. n. 21. Reding n. 9.

Dico secundo. Ex læsione famæ alte- 21
rius per judicium temerarium nulla oritur obli-

obligatio restituendi externè. quod idem intelligi debet de læsione famæ per dubitationem, suspicionem, & opinionem. Ratio est: quia nullum inde damnum exterius proximo infertur. Teneris tamen, si aliquem dictis modis læsisti, ex Justitia deponere sinistrum judicium, malam suspicionem &c. non obstantibus levibus, & nullius momenti fundamentis, quæ contra læsi probitatem habuisti: sic enim, & non aliter ejus famam in præsenti redintegrare potes. Mezger num. 7.

§. IV.

Quid sit Detractio, & quale peccatum?

SUMMARIUM.

22. *Quot modis fieri soleat detractio.* 23. *Ejus definitio.* 24. 25. *& malitia.* 26. *Per se loquendò non est peccatum revelare alterius defectus naturales.* 27. *Nec mortale propalare peccata venialia.* 28. *Aut loqui de alterius peccatis per verba generalia.* 29. 30. *Quando graviter peccetur narrandò alterius peccatum mortale?* 31. *Casus, in quibus hoc fit licitè.* 32. *An liceat injuriam sibi illatam aperire amico consolationis causâ?* 33. *Quomodo peccet gravem defectum proximi manifestans uni, vel duobus tantùm rem non ulteriùs evulgaturis?* 34. 35. 36. 37. *Quomodo peccetur, vel non peccetur narrandò alterius crimina, vel defectus notorios?* 38. *Quale peccatum sit infamatum in uno crimine infamare in alio?*

22 FAma proximi exteriùs lædi potest tum factis, tum verbis. Facto læditur, dum quis v.g. ad prodendum uxoris adulterium domûs alienæ foribus cornua appendit. Verbis, seu per detractionem, læditur octo modis: quorum quatuor sunt directi, quatuor indirecti, seu negativi. Ex directis primus est, imponere alicui crimen falsum. Secundus, exaggerare, seu amplificare crimen verum, aut etiam falsum. Tertius, revelare crimen occultum. Quartus, opus rectum & laudabile apud alios sinistrè interpretari. Ex modis indirectis primus est, alterius facta, merita, vel dotes negare. Secundus, hæc eadem elevare, sive extenuare. Tertius, malitiosè tacere bona proximi eo loco & tempore, quo alii taciturnitatem accipiunt pro vituperatione, recensiti defectûs confirmatione, vel approbatione. Quartus, frigidè, & simulatè laudare. Et isti quidem sunt octo modi detrahendi potissimi, & ordinarii, quos omnes exhibent vulgares versiculi:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

23 Dico nunc primo. Detractio est *alienæ famæ occultæ & injustæ violatio.* quæ definitio sumitur ex D. Thoma, 2.2.q.73. a.1. Dicitur in illa, *occultæ*, ut detractio distinguatur à contumelia, quæ fit in præsentia alterius, cujus honor violatur; estque, cæteris paribus, gravior injuria, quàm detractio; sicut rapina & gtavior injuria quàm furtum. Sicut enim per furtum proximus occultè; per rapinam verò apertè in rebus suis læditur, ita per detractionem clàm, & per contumeliam coràm, & in faciem læditur. censetur autem magis injurius, qui palàm & abjectâ omni reverentiâ alterum invadit, quàm qui clanculariè grassatur: licèt sæpe contingat, ut hic graviùs noceat, eò quòd alter ob ignorantiam injuriæ se nequeat defendere. Dicitur, *injustæ.* nam, siquis ex justa causa famam proximi imminuit, is non dicitur detrahere: veluti contingit, dum impotens alterum corrigere defers illius crimen ad Superiorem, ut ab isto corrigatur. Dicitur *violatio.* quia nec ille dicendus est detrahere, qui de peccato proximi loquitur citra læsionem famæ ipsius: ut, quando id narras coram eo, cui scis aliunde esse notum.

24 Dico secundo. Detractio ex suo genere est peccatum mortale. Ita D. Thomas 2. 2. q. 73. a. 2. estque certa omnibus sententia. Ratio est: quia damnificatio proximi in gravi bono est ex genere suo peccatum mortale: atqui detractio est talis damnificatio; ergo. Confirmatur. Furtum ex genere suo peccatum mortale est: ergo etiam detractio. Conseq. pàtet à fortiori: quia detractio est læsio proximi in bono præstantiori, quàm furtum. atque hinc colliges obiter, detractionem esse gravius peccatum, quàm furtum, sed levius quàm homicidium, & adulterium. quia homicidium est contra bonum præstantius, videlicet vitam proximi, quàm detractio: adulterium verò continet triplicem malitiam, nempe contra bonum prolis, contra jus conjugis, contra sanctitatem matrimonii. vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 11. dubit. 3. n. 10. Omnes porrò detractiones sunt ejusdem speciei infimæ: quia bonum famæ, cui adversantur, in omnibus est ejusdem rationis: sicut bonũ honoris, quod læditur contumeliis, in his omnibus est ejusdem rationis. unde diversi modi, quibûs

quibus aufertur fama, se solùm materialiter habent, & non inducunt specificam differentiam. Propter certas nihilominus circumstantias contingit, ut detractio diversas speciem malitias, v. g. mendacii, scandali, odii, contrahat, sicut dictum est de contumelia in §. 1. n. 5.

25 Quamvis autem detractio, ut diximus, ex genere suo peccatum mortale sit, ob imperfectionem tamen voluntarii, vel parvitatem materiæ solùm veniale efficitur. Ubi notandum ex Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 12. dubit. 4. gravitatem peccati detractionis non esse metiendam ex gravitate defectûs aut criminis, quod de altero narratur, sed ex damno, quod in fama inde infertur, vel inferendum timetur. Quoties proinde fama proximi, attentis omnibus circumstantiis, notabiliter læditur, toties per detractionem peccatur mortaliter; sive id, quod narratur, peccatum mortale sit, sive veniale; sive defectus naturalis. Quòd si leviter solùm lædatur fama, peccatum venialè erit. Porrò circumstantiæ hîc considerandæ sunt: prima, qualitas personæ, cui detrahitur. Secunda, auctoritas illius, qui detrahit. Tertia, levitas, malitia, affectus animi, quo audientes feruntur in eum, cui detrahitur. Ex quibus nunc varia licet resolvere.

26 I. Regulariter non peccat mortaliter, qui revelat alterius defectus naturales, sive animi; ut, si dicas de Titio, esse ignarum, imprudentem, exigui judicii, ingenii &c. sive corporis; ut, si dicas, esse luscum, claudum, gibbosum, deformem &c. Less. dubit. cit. n. 14. Bonac. de restit. q. 4. pu. 2. n. 8. Dicastillo n. 111. Reding to. 13. q. 13. a. 3. controv. 1. n. 3. Ratio est: quia tales defectus sunt inculpabiles, & ordinariè solent esse manifesti. Undè eos revelare non solet esse famæ graviter noxium. Dixi tamen, *regulariter*. Contingit enim, ut ratione damni in alio genere bonorum, quod inde sequitur proximo, mortale peccatum injustitiæ sit similes defectus manifestare: ut, si propterea impediretur à consecutione alicujus dignitatis, officii &c. Idem est, si narrentur in faciem cum periculo, ne graviter contristetur proximus. Bonac. loco cit. Ratio est: quia injusta causa gravis damni, vel magnæ contristationis peccat mortaliter, ut omnibus manifestum est.

27 II. Similiter, narrare alterius peccata venialia per se loquendô non est peccatum mortale. Less. n. 13. Bonac. n. 6. Reding loco cit. & alii communiter. Ratio est: quia nec istorum manifestatio solet notabiliter lædere famam proximi: cùm nemo ab eisdem soleat esse liber, juxta illud: *in multis offendimus omnes*. Dixi iterum, *per se loquendo*. Nam conditio alicujus personæ potest esse talis, ut in ea similes quoque defectus censeantur magni momenti: v. g. si dicas de viro gravi, & religioso, esse mendacem, id est, crebrò mentiri. Hoc enim notabiliter æstimationem illius diminuere censetur. Hinc à peccato mortali non excusaberis. Quòdsi dicas, ipsum semel vel bis fuisse mentitum, non peccas mortaliter: quia non videris grave damnum inferre. Less. n. 14. Bonac. n. 7. Dicastillo n. 107. Id ipsum habet locum in defectibus naturalium: ut, si dicas de aliquo, esse filium Clerici, natum ex adulterio, & similia: nisi fortè ab audientibus propterea notabiliter contemnendus esse putetur: quod colligi debet ex circumstantiis. Sanè, si hæc & similia objiciantur in faciem, præsertim viro honorato, peccatum mortale erit; quia illi, quibus tales defectus exprobrantur, magnâ hinc erubescentiâ & tristitiâ affici solent, gravémque contumeliam accipere judicantur. Aliud est, si similia objiciantur personæ admodùm vilis conditionis: nisi hæc ipsa gravem inde mœrorem concipere putetur. Less. n. 16.

III. Venialem quoque malitiam non excedit alterius peccata detegere velut in genere, & per verba generalia, ex quibus non possit constare, ipsum peccâsse mortaliter: v. g. si dicas, esse avarum, superbum, iracundum, & similia. Sylvester, *verbo. Detractio*, 2. Less. n. 18. Bonac. loco cit. Laym. lib. 3. tract. 3. parte 2. cap. 3. num. 3. Metger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 3. num. 3. Reding loco cit. Ratio est: quia sic non censetur inferri notabile damnum. Nam verba hujusmodi ex se non magis sonant peccata mortalia, quàm venialia; & ideo audientes illa debent in meliorem partem accipere, vel pro naturali inclinatione ad ejusmodi vitia; vel pro culpis venialibus. At nihilominus fieri potest vel ob dignitatem personæ, de qua dicuntur; vel ob conditionem audientium, qui tales sunt, ut in pejorem partem interpretaturi videantur; ut hîc peccatum mortale injustitiæ, aut certè scandali, committatur. Dicastillo n. 114.

28

29 IV. Narrare alterius peccatum mortale tunc est peccatum mortale, quando graviter lædit famam ipsius. Ita certa sententia. Ratio est clara: quia alteri injustè inferre grave damnum est peccatum mortale. Atque hinc patet, te non peccare mortaliter, dum refers peccata mortalia, quæ ob conditionem personæ famam non lædunt notabiliter: v. g. si dicas de milite, quòd commiserit duellum; habeat concubinam; deceperit puellam. Bonac. n. 1. Less. n. 17. Reding loco cit. Idem est, si revelas illa delicta

gravia, de quibus aliquis ipse sese jactare solet, dum nôsti ejusmodi hominem, & de illo, & non de alio narras. Similiter peccatum mortale non est manifestare grave delictum non manifestatâ personâ, & absque periculo, ne audientes veniant in cognitionem ipsius. Ratio est: quia in his casibus nullius fama notabiliter læditur. Vid. Bonac. loco cit.

30 V. Quando referens grave alterius crimen est adeo vilis conditionis, & nullius authoritatis, ut prudenter persuadere sibi possit, audientes non credituros, non peccat mortaliter peccato detractionis. Less. dubit. 5. num. 24. & seqq. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 2. n. 5. Ratio est: quia non censetur esse per se efficax causa damni. Quòdsi quidem eo modo, atque in iis circumstantiis rem narres, ut nemo prudenter tibi sit crediturus, prævideas tamen, audientes vel ex sua levitate, vel sinistro affectu erga illum, de quo narras, creditutos; similiter non peccas contra Justitiam; peccas tamen contra charitatem. Ratio primi est: quia tunc causa damni non est tua loquacitas, sed audientium levitas & malitia. Ratio secundi est: quia facilè potes impedire infamiam gravem proximi tacendo, & non impedis: quod repugnat legi charitatis citt.

31 VI. Sæpè licitum est ob justam causam verum alterius defectum, vel crimen manifestare. Ut, primo, dum expedit Superiori innotescere defectum subditi, ut emendetur: quemadmodum ex dictis de fraterna correptione constat. Secundo, consilii, vel auxilii capiendi causâ à viro prudenti. Ubi tamen curandum, ut cum minimo damno peccantis id fiat. Unde pluribus manifestare non licet, quando unus ad ferendum auxilium sufficit; nec personam nominare, nisi necesse sit: ut monet Less. dubit. 12. Tertio, ad avertendum alterius damnum, sive id temporale sit, sive spirituale. Sic, quando novi, Cajum esse furem, possum monere eos, quos inter versatur, ut sibi caveant. Si homo improbus, & non idoneus ad instruendam juventutem, prenset munus præceptoris; vel ad sacros ordines, curam animarum aspiret, licitum est (imò interdum obligatorium) occultos illius defectus, inhabilitatem, & crimina, unde notabile aliquod incommodum timeretur, manifestare. Similiter, dum agitur de conferendo officio, contrahendo matrimonio, suscipiendo quopiam in religionem, & ego novi tale quid ambientis inhabilitatem, & impedimenta, illa licitè iis, quorum rescire interest, revelo, ne grave detrimentum ob eorum ignorantiam patiantur. Item, quando crimen, v. g. homicidium, innocenti cuipiam imputetur, qui propterea plectendus esset, possum prodere verum malefactorem. Pariter, dum quis simulat se peritum Advocatum, Medicum, Confessarium, Pharmacopæum, mihique constat, non esse talem, licitè detego hanc simulationem, seu fictionem, quando ea vergit in alterius detrimentum. Ratio horum omnium est: quia licèt tunc illi, de quo talia manifestantur, damnum inferatur in fama, citra tamen injuriam infertur. Cùm nemo habeat jus conservandi, vel retinendi famam cum aliorum periculo, vel incommodo conjunctam: præsertim, cùm eâ sit indignus, & tota in aliorum errore fundetur. Vid. de his Less. cap. cit. dubit. 9. & 10. Laym. ubi suprà, num. 5. Tambur. à n. 21. Reding controv. 3. à num. 8. Advertendum est tamen, ut similia in allatis casibus revelare sit licitum, damnum, quod proximo timetur, debere esse majus, aut saltem æquale damno, quod alteri, cujus defectus, vel crimen propalatur, impendet. Deinde requiritur, ut nulla supersit commodior ratio damna impediendi. Unde necesse quandoque est ejusmodi hominem priùs monere secretò, ut abstineat, si spes sit, obtemperaturum: ut habet Laym. loco cit.

VII. Non videtur peccare, saltem mortaliter, qui injuriam ab aliquo sibi illatam narrat amico, ut consolationem aliquam ab illo accipiat, vel, ut expositâ querelâ doloris acerbitatem leniat. Less. dubit. 12. Lugo de Just. to. 1. disp. 14. sect. 4. n. 53. Laym. n. 6. Reding num. 12. Ratio est: quia nimis durè nobiscum egisset natura, si ita quemvis arctâsset, ut acceptas injurias intra se retinere, solusque in silentio deberet concoquere, nec liceret eas in aurem amici familiari communicatione effundere: cùm tamen hac ratione quis magna earum parte, ceu pondere quodam levetur, dolorque inde conceptus multùm leniri soleat. Verùm & hîc providere oportet, ne pluribus res manifestetur, quàm necessarium sit ad hauriendum solatium; utque persona non nominetur, nisi id valde expediat ad finem memoratum. Reding loco cit. 32

VIII. Probabilius est, graviter peccare eum, qui gravem & occultum defectum proximi narrat uni, vel duobus, tametsi ob eorum taciturnitatem non sit periculum ulterioris evulgationis. Less. dubit. 11. n. 70. Lugo n. 51. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 4. pu. 3. n. 2. Laym. loco cit. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 4. pu. 5. n. 48. Illsung. tract. 4. disp. 3. q. 3. a. 1. n. 105. Mezger: to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 3. n. 14. & alii communiter. Ratio est: tum, quia bona existimatio etiam apud unum hominem potest esse magnum bo- 33

bonum; & consequenter ejus amissio grave damnum: ut patet in judicio temerario. Tum, quia fieri potest, ut is, cujus crimen manifestatur, malit id esse notum multis externis, & plebejis, quàm uni, v. g. Prælato, aut alteri viro gravi, à quo dependet, vel cum quo assiduè versatur. Contrariam sententiam esse probabilem asserit Bonac. loco cit. eámque multi tenent apud Salmantic. n. 47. Ratio est: quia talis detractio non videtur inferre grave damnum in fama: cùm propter prudentiam & taciturnitatem audientis sit ferè perinde, acsi nulli prodatur crimen. Atque hinc ajunt, excusari posse à peccato mortali pœnitentem, qui complicem delicti in Confessione manifestat. Non enim videtur notabiliter lædere famam ejusdem. Confirmatur. Qui peccata sua confitetur Sacerdoti, non censetur sibi notabile damnum famæ conscíscere: ergo infamatio, quæ fit apud unum, vel alterum, non censenda est notabilis.

34 IX. Non peccat contra Justitiam, qui crimen proximi notorium in uno loco manifestat in alio loco, ubi non erat notum. Less. dubit. 13. n. 75. Bonac. pu. 6. num. 2. Lugo sect. 5. n. 59. Salmantic. n. 61. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 2. n. 9. Illsung num. 107. Pettschacher de Restit. pag. 464. Mezger num. 9. & alii communiter. Ante probationem nota, dupliciter aliquid posse esse publicum, sive notorium. Nempe primo, notitia, vel publicitate juris, dum videlicet de crimine constat ex publica & juridica Judicis sententia, vel confessione Rei in judicio; vel legitima testium depositione. Secundo, notitiâ, vel publicitate facti: cùm vel delictum in multorum præsentia est perpetratum; v. g. in foro publico; vel majori parti viciniæ ob oculos versatur; vel aliunde in multorum notitiam devenit. Nunc ratio resolutionis est: quia, qui amisit jus ad famam, ejus delictum sine injuria manifestatur: sed ille, cujus delictum est notorium, sive jure, sive facto, amisit jus ad famam; ergo ejus delictum sine injuria manifestatur. Confirmatur ex consuetudine totius humani generis. Quia homines nunquam existimant, injuriam se facere alicui, & ad restitutionem obligari, dum publica ejus delicta alibi recensent; litteris perscribunt; in annales referunt; vel relata legunt, aut narrant. Dices. Qui hîc amisit famam, alibi nondum amisit: ergo cùm ibi adhuc retineat bonum nomen, eo non potest spoliari citra injuriam. Respondeo, talem in alio loco amisisse famam necdum quidem facto & re ipsa, amisisse tamen jure, ita, ut nemo ex Justitia teneatur ampliùs priorem existimationem de ipso retinere. Less. n. 76.

X. Crimen prædictis modis notorium revelare alibi, ubi non est notum, neque charitati repugnat, per se loquendo. Lugo n. 68. Tambur. n. 12. Salmantic. loco cit. Reding controv. 2. n. 7. Pettschacher pag. 466. Mezger loco cit. Ratio est: quia interest boni publici, ut ea, quæ sunt publica in patria delinquentis, etiam alibi innotescant, ne homines ob ignorantiam similium criminum in connivendo & tractando fidant ejusmodi malefactoribus, & passim decipiantur ex eorum perversitate. Dixi, *per se loquendo*. Nam potest hic graviter peccari contra charitatem, primo, quando talis revelatio ortum habet ex odio, & malevolentia erga delinquentem. Secundo, si ex eo, quòd crimen reveles alibi, ubi non est notum, præter ipsam infamiam aliud grave damnum infamato obveniat. Quia charitas dictat, ut impediamus grave malum proximi, quando id fieri sine incommodo potest. 35

XI. Quando crimen nondum est publicum, moraliter tamen certum, fore, ut brevi sit publicum, sive per sententiam, sive per evulgationem famæ, alióve modo non injusto, non peccas contra Justitiam, si id antè manifestes; dummodò ex anticipata ejusmodi manifestatione aliud grave damnum non sequatur proximo, v. g. in officio, divitiis &c. Less. dubit. cit. n. 78. Lugo sect. 6. n. 90. Reding n. 12. Illsung n. 104. & alii. Ratio est: quia fama ita certò & brevi amittenda vix ampliùs meretur æstimari. Unde criminis anticipata evulgatio non multùm nocet. Dices. Graviter peccat, qui homini vitam eripit, licèt aliunde proximè amittendam: ergo etiam graviter peccat, qui famam eripit licèt mox amittendam, seu publicitate juris, seu publicitate facti. Respondeo neg. paritatem: quia spectandò communiter contingentia etiam unicum vitæ momentum, utpote conducens ad meritum salutis æternæ, est res graviter æstimabilis; secùs fama statim amittenda. 36

XII. Probabile est, non esse peccatum contra Justitiam revelare illa crimina, propter quæ aliquis olim laboravit infamiâ publicâ, licèt nunc famam honestè vivendò recuperaverit. Less. num. 82. Bonac. ubi suprà, num. 4. Tambur. num. 18. Ratio est: quia licèt pro hoc tempore per emendationem morum bonam famam sibi denuò comparaverit, non tamen unquam acquirit jus, ut habeatur, vel dicatur fuisse probus pro eo tempore, quo propter præterita crimina fuit publicè infamis: ergo, qui narrat, olim fuisse improbum, ei non facit injuriam: dummodo caveat, ne audientes inde existiment, adhuc esse improbum. Cùm enim famæ præsentis sit verè dominus, in illa lædi non potest citra injus- 37

tiam. Dixi autem, *probabile est.* Puto enim, sententiam oppositam esse probabiliorem, saltem, quando lapsu temporis penitus abolita, & oblivioni tradita est pristina infamia. Ita Lugo n. 85. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 2. cap. 3. n. 8. Salmantic. n. 62. Illsung. n. 107. Ratio est: quia tunc proximus non tantùm acquisivit jus, ut habeatur probus pro hoc tempore, sed etiam acquisivit jus, ut hoc tempore non habeatur & dicatur improbus pro eo tempore, quo fuit improbus, & pro tali publicè reputatus. Per oblivionem quippe ejus fama in illum statum reducta est, quem obtinuit ante publicationem criminum: ergo sicut ante istam jus habuit, ne à quoquam tunc haberetur improbus, ita & modò habet, ne pro tunc fuisse improbus reputetur. Consequenter sicut ante publicationem criminum peccâsset non tantum contra charitatem, sed etiam contra Justitiam, qui ea revelâsset ignorantibus, ita & modò peccat, qui refert apud tales, vel apud penitus oblitos, éstque in causa, ut proximus aliquando improbus fuisse existimetur.

38 XIII. Non est peccatum mortale injustitiæ infamatum in uno crimine infamare in alio, quod est valde affine, vel connexum cum priori publico: erit autem peccatum mortale, si crimina non sint affinia, vel connexa, sed disparata. Less. dubit. 14. Bonac. pu. 7. Tambur. n. 20. Reding controv. 3. n. 2. & 3. aliique passim. Ratio primi est: quia tunc proximo non censetur inferri nova, atque distincta injuria. Unde non peccas mortaliter, dum narras de adultero, cujus flagitium est publicum, quòd scripserit litteras amatorias, miserit munera &c. vel de hæretico notorio, quòd confregerit sacram imaginem; vel de ebrioso, quòd domi rixetur, aut malè tractet uxorem. Circumspectè tamen hîc agendum esse monet Less. n. 83. quia facilè contingit, ut crimen, quod revelatur, non ita connexum sit cum altero publico, ut non censeatur infamiam notabiliter augere. Ratio secundi est: quia, qui famam amisit ex una virtute, non hoc ipso amisit jus ad famam ex aliis virtutibus. Nam potest quis esse & haberi ebriosus v. g. & tamen esse & haberi justus in contractibus, Catholicus, misericors &c. ergo non potest absque injustitia infamari de aliis occultis criminibus. Neque refert, famam comparatam ex quocunque genere virtutis esse ejusdem speciei. Nam licèt hoc verum sit, inde tamen non sequitur, eam consistere in indivisibili: habet enim multas quasi partes moraliter, quarum una amitti potest, alterâ non amissâ. Quare, sicut, qui amisit jus ad hos centum aureos, adhuc retinet jus ad alios centum, ita, qui amisit famam ex hac virtute, adhuc habet jus ad famam ex aliis virtutibus. Addi tamen potest ex Tambur. loco cit. si homo sit famæ nimis prostitutæ, fieri posse, ut quis non graviter peccet narrandô de ipso aliud crimen etiam non affine: quia talis exinde non videtur accipere grave damnum suæ existimationis.

§. V.

Respondetur ad varia quæsita huc pertimentia.

SUMMARIUM.

39. *Detrahere mortuis an, & quale peccatum?* 40. *An liceat Historicis aliorum crimina tradere posteris?* 41. *Quid de narrante alterius crimina audita ut audita?* 42. *Quid de audiente alterum detrahentem?* 43. *Variæ causæ, ob quas talis excusari potest à peccato mortali.* 44. 45. 46. *Se ipsum infamare an, & quando sit licitum, vel illicitum?* 47. 48. *& seqq. Agitur de reis in judicio sibi imponentibus falsa crimina ad evitanda tormenta.*

39 QUæritur primo, an, & quale peccatum sit detrahere mortuis? Respondeo, esse similiter peccatum contra Justitiam, idque mortale, vel veniale, juxta qualitatem damni illati. Sayrus lib. 11. clav. reg. cap. 7. n. 34. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 4. pu. 2. n. 2. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 3. n. 13. Lugo de Justit. disp. 14. sect. 3. n. 44. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 4. pu. 5. n. 35. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 3. n. 7. & alii communiter. Ratio est: quia fama etiam post mortem ab homine possideri censetur. Per famam quippe seu vitam posthumam homo quodammodò perennat in memoria posterorum. Imò extendi præsens doctrina debet etiam ad mortuos certò damnatos, v. g. ethnicos & hæreticos. Quia, licèt damnati sint hostes Dei, manent nihilominùs nostri proximi quoad naturam humanam: ergo non possunt citra injuriam privari illis bonis, quæ illis ut hominibus competunt. Confirmatur. Quando aliquis adhuc in vivis est hostis reipublicæ humanæ, non sequitur, me illum pro libitu posse infamare de aliis criminibus occultis, v. g. de adulterio, furto, parricidio &c. ergo similiter, licèt damnati sint, & perpetuò mansuri sint hostes Dei, non sequitur, esse licitum, illorum bonam existimationem, quàm in certis rebus etiamnùm possident apud posteros violare sine injustitia & obligatione restituendi. Alioquin salvâ Justitiâ dicere quis posset, Aristotelem totius Philosophiæ fuisse ignarum, Julium Cæsarem belli penitus rudem, Ciceronem indoctissimum oratorem &c. quod planè videtur dutissimum.

40 Quæritur secundo, an liceat Historicis crimina Principum, & aliorum posteris tradere?

dere? Respondeo primo, hoc esse licitum eo tempore, quo per publicitatem criminum commissorum jus famæ amissum est. Ratio est: quia sic non infamant injustè criminosos, sed solùm impediunt, ne jus famæ amissum per oblivionem recuperetur: hoc autem impedire non minùs est licitum, quàm licitum est impedire, ne jus ad rem temporalem, postquàm alienatum est, revertatur ad priorem dominum. Vid. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 3. a. 1. n. 107. Respondeo secundo, esse illiçitum Historico, & contra Justitiam scribere & posteris manifestare aliorum crimina eo tempore, quo per oblivionem apud homines eorum memoria penitus abolita est, & publicitas extincta. Ratio est: quia tunc criminum auctores beneficiô talis oblivionis jus famæ, quod olim amiserant, recuperârunt, eorumque malefacta jam sic occulta sunt, acsi nunquam fuissent publica: ergo sicut non poterant sine injuria historiæ mandari, antequam essent publica, ita nec postea possunt, cùm per communem oblivionem cessârunt esse publica. Confirmatur. Postquam jus ad rem temporalem alienatum rediit ad priorem dominum, ab eóque recuperatum est, non licet id rursus tollere, quamvis ante licuerit impedire, ne recuperaretur, ut dictum est: ergo similiter, postquam jus famæ primitus amissum per oblivionem criminum rediit ad suum dominum, non licet id rursus tollere per narrationem historicam, quamvis tempore, quo ob publicitatem criminum adhuc vigentem erat amissum, licuerit scribendo historiam impedire, ne rediret ad dominum, & ab eodem recuperaretur. Vid. Lugo sect. 6. n. 89. Salmantic. n. 37.

41 Quæritur tertio, quomodo peccet, qui narrat proximi crimina audita ut audita? Respondeo primo. Qui narrat tali modo, iisque authoribus nominatis, ut audientes meritò induci possint ad fidem adhibendam, peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, quando ipsius narrationi fides re ipsa adhibetur. Less. de Just. lib. 2. cap. 11. dubit. 5. n. 28. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 12. par. 3. dubit. 4. n. 147. Reding to. 13. q. 13. a. 3. controv. 3. n. 7. Mezger ubi suprà n. 11. Ratio est: quia talis ponendo media ex se inducentia ad sinistrè credendum de proximo est efficax, eáque injusta causa damni, quod idem patitur in sua fama. Respondeo secundo. Qui refert audita ut audita coram illis, quos probabile est ex suamet levitate credituros, quamvis ipse sufficientia ad hoc motiva non suggesserit, peccat mortaliter contra charitatem, non tamen contra Justitiam. Less. n. 25. & 26. Reding n. 6. Mezger n. 12. Ratio primi est: quia quilibet ex charitate tenetur abstinere, cùm commodè potest, ab ejusmodi dictis & factis, quæ proximo graviter, quamvis ex alterius culpa, nocitura prævidet. Ratio secundi est, quia in proximo non est jus Justitiæ obligans, ut quis abstineat ab iis operationibus, ex quibus ei damnum sequitur solùm per accidens & occasionaliter: atqui in casu nostro damnum ex narratione criminum auditorum solùm per accidens, per se autem ex levitate, & improbitate audientium sequitur; ergo &c. & ideo talis etiam à restitutione famæ excusatur. Respondeo tertio. Qui ita refert audita, & coram iis, quos prudenter existimat non credituros, non peccat mortaliter. Less. n. 24. Reding n. 5. Mezger n. 13. Ratio est: quia tunc non est morale periculum damni proximo eventuri.

Quæritur quarto, an, & quomodo pec- 42
cet audiens detrahentem? Respondeo primo. Quando audiens alterum ad detrahendum inducit jussu, hortatu, interrogatione, alióve modo, tunc peccat mortaliter non solùm contra Justitiam, sed etiam contra charitatem. Sayr. lib. cit. cap. 9. n. 38. Less. dubit. 4. Bonac. q. cit. pu. 11. n. 1. Laym. n. 14. Dicastillo parte 4. dubit. 20. n. 143. Reding controv. 4. n. 2. Mezger n. 15. & DD. communiter. Ratio primi est: quia audiens tunc injusta & efficax causa est damni, quod proximus in fama patitur. Et hinc tenetur ad restitutionem, nisi detractor ipse restituat. Ratio secundi est: quia inducit detrahentem ad peccandum, quod est peccare peccatô scandali contra charitatem. Excusatur tamen à peccato tum mortali, tum à restitutione, qui alterum permovit ad detrahendum leviter solùm, qui deinde præter intentionem & expectationem ipsius prorupit in gravem detractionem. Ratio excusans, ut habent Bonac. & Dicastillo, est ignorantia invincibilis tum culpæ gravis contrahendæ à proximo, tum damni gravis futuri.

Respondeo secundo. Qui non est causa modis indicatis, ut alter graviter detrahat; in audienda tamen detractione delectatur, quatenùs est mala, & damnifera proximo, peccat mortaliter contra charitatem & Justitiam; ad restitutionem tamen non obligatur. Less. n. 20. Dicastillo n. 344. Reding n. 3. Mezger n. 16. Ratio est: quia lætari de gravi malo proximi graviter repugnat legi charitatis, & lætari de opere, quatenùs per illud alteri infertur injuria, est contra Justitiam: sed ejusmodi auditor detrahentis de tali malo, talique opere lætatur; ergo &c. quod autem à restitutione excusetur, patet: quia non est causa damni. Addo ex Molina, Rebello, & aliis, quod refert Dicastillo, si non delecteris de malo proximi, quod ex detractione sequitur, sed de aliquo solùm modo, vel circumstantia, quæ accedit detractioni, v. g. de facetiis, vel facundia detractoris; addo, inquam, te non peccare mortaliter. Ratio est: quia non

apparet; undè ex hoc capite præcisè audiens, & delectationem hauriens versetur circa materiam gravem.

Respondeo tertio. Qui ex officio tenetur impedire detractionem, v. g. Superior peccat contra Justitiam, dum tolerat detractionem. Ita communiter DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 73. a. 4. Ratio est: quia obligatus ex Justitia ad impediendum damnum, idque non impediens peccat contra Justitiam: sed talis ex Justitia est obligatus ad impediendum damnum in fama proximi, & non impedit; ergo &c. Talis quoque Superior non impediens subditum à detractione, cùm facilè posset impedire, tenetur ad restitutionem famæ, si detrahens non restituat. Vid. Reding n. 4. Mezger n. 17.

Respondeo quarto. Qui non tenetur ex officio corrigere detrahentem, tantùm peccat contra charitatem audiendo & tolerando detrahentem. Ita communiter DD. Ratio est: quia extra contractum, vel quasi contractum, quò pertinet officium, quorum hîc nihil supponitur, non apparet, quomodo audiens & tolerans detrahentem peccet contra Justitiam: ergo non est censendus peccare contra Justitiam. Aliunde verò, licèt quis non obligetur ex contractu, vel quasi contractu ad avertendum proximi damnum, quilibet ex charitate obligatur ad illud impediendum per fraternam correctionem, si commodè fieri possit: ergo, cùm audiens & tolerans detractionem in casu nostro id non præstet, peccat contra charitatem. De cætero eædem causæ, quæ excusant à correctione fraterna, quásque suprà in tract. 5. disp. 1. a. 5. § 4. n. 40. recensuimus.

43 Corollarium. Homines privati rarò peccant mortaliter, quando non impediunt detractiones. Ita videtur sentire D. Thomas artic. cit. inquiens: *Si verò non placeat ei peccatum; sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem; peccat quidem; sed multò minùs, quàm detrahens, & plerumque venialiter.* Ratio est: quia rarò solet abesse omnis causa à mortali excusans. Nam primo, audiens non statim potest præsumere, quòd narrans proximi defectum eidem detrahat, sed potest existimare, crimen esse publicum. Secundo, facilè contingit, ut audiens prudenter judicet, correctionem suam nihil profecturam, præsertim, quando ipse est modicæ authoritatis: imò timere potest, ne per suam dehortationem aliquod incommodum sibi accersat. Tertio, potest audiens credere, detrahentem habere legitimam causam alterius crimen aperiendi, licèt ipse hanc nesciat v. g. ob petendum solatium, vel consilium. Quòd si audiens advertat, detractionem esse injustam, & tamen præ verecundia non audeat dehortari detrahentem, debet, si commodè possit, vel discedere è colloquio; vel vultum tristiorem ostendere; vel sermonem aliò divertere. Nam hac ratione, inquit Less. n. 23. impeditur, vel saltem minuitur detractoris fervor, juxta illud Proverb. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Discet quoque detractor non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri, ut dixit nonnemo apud Venerab. Bedam. Vid. Sayrus lib. 11. clav. reg. cap. 7. n. 46.

Quæritur quinto, an, & quale peccatum 44
sit se ipsum infamare? Respondeo primo, infamare se ipsum ex genere suo non est peccatum mortale, neque contra Justitiam, neque contra charitatem sui. Less. cap. cit. dubit. 6. n. 30. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 3. n. 15. Lugo de Just. to. 1. disp. 14. sect. 10. n. 153. & 154. Reding controv. 5. n. 2. Pettschacher de Restit. pag. 498. Mezger a. 4. n. 1. & alii communiter. Ratio est: quia inprimis homo est dominus suæ famæ, non minùs, quàm suarum fortunarum: ergo sicut temerè profundendo suas fortunas nemini infert injustiam, ita nec prodigendo famam, sive hoc faciat imponendo sibi crimen falsum, sive revelando verum. Deinde charitas non obligat, ut comparemus, vel conservemus bona hujus vitæ extrinseca, nisi in quantum sunt necessària ad bonum spirituale vel nostrum, vel proximorum: cùm ergo fama sit etiam ex bonis extrinsecis, charitas non obligat ad conservationem ejus secundùm se consideratæ. Restat igitur, ut ejus profusio sit quædam prodigalitas opposita virtuti liberalitatis. Prodigalitas autem, quæ versatur in bonis extefnis, ex genere suo est solùm veniale peccatum.

Respondeo secundo. Peraccidens, & ratione alicujus circumstantiæ fieri potest, ut quis infamando se ipsum peccet mortaliter. Ita citt. & alii DD. communiter. Contingit autem, ut quis peccet tunc mortaliter, primo, si cum perjurio sibi imponat falsa crimina. Secundo, si de veris criminibus se jactet cum delectatione in iisdem. Tertio, si diffamet se cum gravi aliorum scandalo. Quarto, si per sui infamationem conscifcat infamiam tertio, putà familiæ, ordini, Monasterio &c. Quinto, si per revelationem proprii criminis absque justa causa factam incurrat periculum mortis, vel mutilationis membrorum. Sexto, si fama ipsius sit necessaria ad officium, seu munus, quod gerit: v. g. si sit Episcopus, Abbas, Parochus &c. Atque hinc

Infertur primo, illum peccare mortaliter; qui absque rationabili causa dicit, se commisisse crimen læsæ majestatis. Ratio est: quia talis infamatio etiam redundat in opprobrium ac dedecus filiorum & familiæ. Inf. secundo, 45

Re-

Religiosum infamando se ipsum peccare mortaliter, quando ipsius infamia redundat in Religionem, vel Monasterium. Ratio est: tum, quia sic notabiliter lædi solet bona existimatio de Religione: tum, quia cæteri ex religiosa communitate gravem inde mœrorem accipiunt. Inf. tertio, neque illum excusari à peccato mortali, qui dicit, se occidisse patrem Titii, vel violâsse thorum ipsius, videns, sibi inde periculum vitæ imminere. Ratio est: quia hæc non est tantùm famæ, sed etiam vitæ, cujus homo non est dominus, temeraria profusio. Vid. de his Less. à n. 31. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 4. pu. 10. n. 3. & 4. Mezger n. 4.

46 Respondeo tertio. Licitum & virtuosum est de occulto crimine se palàm accusare, quando hoc fit ex rationabili causa, & in debitis circumstantiis. Bonac. n. 2. Laym. Reding n. 5. Mezger, n. 3. Ratio est: tum, quia id factum legimus à viris sanctis, præsertim S. August. in lib. Confess. tum; quia minus bonum laudabiliter expenditur pro majori: cùm proinde fama sit minus bonum, quàm bonum virtutis; pro hoc laudabiliter expenditur. Tum, quia ex rationabili causa licitum est pati voluntariam jacturam bonorum Fortunæ: ergo etiam licitum & honestum est ex rationabili causa, & amore virtutis subire jacturam famæ: cùm homo non minùs istius, quàm illorum sit dominus.

47 Quæritur sexto, quale peccatum sit falsum crimen sibi imponere in judicio ad evitanda tormenta? Respondeo primo. Probabilius est, illum mortaliter peccare, qui metu gravium tormentorum sibi ipse grave crimen imponit, propter quod se videt à Judice vel mutilatione, vel morte puniendum. Ita Navarrus, Covarruvias, Molina, quos refert, & sequitur Lugo sect. cit. n. 174. Deinde Reding controv. 5. n. 10. Pettschacher pag. 502. Ratio, qua utitur Lugo, est: quia positivè cooperari ad destructionem suæ vitæ, vel membrorum homini graviter est illicitum. Cùm enim non sit dominus vitæ & membrorum, sed custos, tenetur ex gravi præcepto naturali illa non conjicere positivè in tam evidens periculum. Atqui reus confitendo falsum crimen positivè cooperatur ad destructionem suæ vitæ, vel membrorum: cùm hac ratione positivè inducat Judicem, ut ipsum occidat, vel mutilet, alioquin neutrum facturum; ergo ejusmodi confessio est graviter illicita.

48 Dices. Ex adducto discursu sequitur, illum quoque peccare mortaliter, qui metu tormentorum fatetur verum crimen, propter quod vitâ vel membrô privandum se videt. Nam & iste positivè inducit Judicem, ut ipsum ita puniat: sed consequens est falsum; ergo. Respondeo neg. seq. disparitas est: quia, licèt confitens verum crimen etiam concurrat positivè ad destructionem vitæ vel membri, id tamen facit movendô Judicem ad infligendum tale supplicium, quatenùs habentem auctoritatem disponendi de vita & membris ipsius. Atqui confitens falsum crimen hac sua confessione movet & inducit Judicem ut carentem tali auctoritate: cùm Judex non habeat auctoritatem puniendi innocentem. Talis autem reus sic decipiendo Judicem vult, ut puniat innocentem; adeoque positivè cooperatur suæ morti, vel mutilationi apud eum, qui nullam habet auctoritatem in illo casu, estque in causa, ut Judex committat actionem saltem materialiter malam & injustam. Vid. Lugo n. 178.

Respondeo tamen secundo. Probabile 49
est, in nostro casu imponentem sibi falsum crimen non peccare mortaliter. Ratio est primo. Quia non est obligatio tuendi vitam cum tanto cruciatu in tormentis subeundo, ne quis alius illam eripiat: sicut non est obligatio, ut quis cum acerbissimo dolore permittat sibi abscindi tibiam ad conservandam vitam: cùm non sit tanto digna dolore salus. Ratio est secundo. Quia talis confessio vel ideo esset mortale peccatum, quia esset mendacium graviter pernicioSum confitenti; vel quia per illam inferretur injuria Judici, & reipublicæ? Non ex primo capite: quia reo exinde non sequitur malum notabiliter gravius ipsis tormentis: hæc enim exantlare ipsâ quasi morte videtur acerbius; imò est mori longa quadam & multiplici morte. Unde, qui crimen fatetur, brevi morte redimit longam mortem, & quodammodo multiplicem. Non ex secundo capite: quia, si Judex, aut respublica scirent hanc miserabilem Rei conditionem, ejusmodi confessionem sibi non reputarent injuriosam; sed potiùs ad commiserationem moverentur. Ratio est tertio. Quia, qui se hostium telis occidendum exponit, ne in miserrimam servitutem abductus acerbissima tormenta subire cogatur: vel, qui Judicem rogat, ut se potiùs interficiat, quàm ejusmodi tormentis excruciet, non dicitur moraliter, vel imputativè se ipsum occidere: ergo nec ille hoc tali modo se ipsum occidit, ut existimant Authores contrarii, qui confessione falsi criminis Judicem movet, ut longam acerbitatem tormentorum in celerem ipsius mortem commutet. In hac sententia sunt Sayr. lib. 11. clavis reg. cap. 3. n. 41. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 4. pu. 10. n. 6. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 6. n. 6. Eandem practicè probabilem esse fatetur Lugo n. 174. docet præterea Less. lib. 2. de Just. cap. 11. dubit. 7. n. 41. eámque dicit favere multis miseris, qui alioquin corpore & animâ perirent, utpote confitentes falsa crimina contra conscientiam, quæ metu tormentorum non audent re-

revocare. Suffragantur quoque Illsung tract. 4. disp. 2. q. 1. a. 6. n. 40. & 41. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 4. n. 7. Ex hac posteriori sententia habetur

50 Corollarium I. Qui in tormentis confessus est falsum crimen, & morte luendum, non tenetur id postea revocare, quamvis illud perjurio confirmaverit, si prudenter metuat, ne idcirco rursus in tormenta rapiatur; sed potest citra mortale peccatum in ea confessione persistere & mori. Sayr. n. 44. Less. n. 48. Bonac. n. 7. Ratio est: quia inprimis non tenetur cum tantis doloribus, quos per revocationem sibi accerseret, vitam custodire; ut patet ex dictis. Deinde malitiam perjurii jam transacti non potest delere revocandô, sed coram Deo pœnitendô, quod absque externa revocatione facere potest. Unde nec Confessarius ad talem revocationem debet urgere miserum, quando videt ob metum torturæ difficulter persuadendam: cùm sic hominem conjiceret in periculum agendi contra conscientiam, quod neutiquam incurret, si in bona fide relictus hanc secundam sententiam sequi permittatur. Mezger loco cit. Volunt tamen aliqui, similem reum teneri saltem in extremo vitæ articulo, ubi non est amplius periculum tormentorum, crimen, quod sibi imposuit, revocare. Sed verius existimo cum Lessio, neque tunc obligari, si talis revocatio nihil profutura putetur: sicut ordinariè nihil prodesse docet experientia.

51 Corollarium II. Qui ad vitanda tormenta solùm levia sibi imponit falsum crimen, propter quod est mutilandus, vel ultimo supplicio afficiendus, peccat mortaliter. Less. n. 35. Bonac. n. 6. Tambur. loco cit. Reding ubi suprà, Mezger n. 5. & communiter Authores utriusque sententiæ priùs adductæ. Ratio est: quia unusquisque tenetur, tum ex charitate erga se ipsum; tum ex gravi præcepto suam vitam & membra custodiendi aliquod incommodum non grave subire, ut se conservet incolumem.

52 Corollarium III. Qui ob metum levium quoque tormentorum sibi imponit falsum crimen, propter quod non est puniendus pœnis memoratis, nec aliud grave malum incursurus, is excusatur à peccato mortali. Less. n. 39. Ratio est: quia propriam famam prodigere, etiam sine causa, ex genere suo non est peccatum mortale; ut constat ex dictis: ergo multò minùs erit peccatum mortale prodigere ob aliquam causam, licèt non penitus sufficientem: sicut contingit in casu præsenti. Imò existimat Lugo n. 173. talem non peccaturum mortaliter etiam in casu, quo ob ejusmodi confessionem falsi criminis damnandus esset ad triremes, vel ad servitutem: cùm enim sit dominus suarum actionum, non minùs quàm famæ & fortunarum, non solùm istas, sed etiam illas potest quodammodo prodigere absque gravi peccato, & eligere duram ejusmodi conditionem vitæ.

§. VI.

Quando, & quomodo peccetur per revelationem secreti?

SUMMARIUM.

53. Quid, & quotuplex secretum? 54. Revelare secretum alterius quale peccatum? 55. Quinam obligentur ad servandum secretum? 56. Causæ ab hac obligatione liberantes. 57. Etiam cum jactura vitæ aliquando servari debet secretum. 58. 59. 60. 61. Quid de legentibus alienas litteras? 62. Obligatio restituendi ex violatione secreti orta.

53 QUoniam in præcedentibus actum est de peccatis occultis non manifestandis, & non tantùm eorum, sed etiam aliarum rerum notitia sæpe cadit sub secretum, de hoc breviter differendum videtur. Itaque nomine secreti hoc loco intelligitur res alicui clàm manifestata, quæque in plurium notitiam nondum devenit, & consequenter notoria non est. Sunt autem varii generis secreta. Primum est secretum Confessionis Sacramentalis: de quo alibi. Secundum est secretum publicum, id est, ad quod servandum quis obligatur ex officio publico, aut legali debito: sicut Senator, Judex, Canonicus in Capitulo, & quævis persona publica. Tertium est secretum extortum: v. g. per apertionem litterarum alterius. Quartum dicitur secretum promissum: quando nempe aliquis de re ante, & citra injuriam cognita promittit silentium, vel etiam pactum init de servando silentio. Quintum dicitur secretum commissum: quod tunc constituitur, quando quis alteri committit notitiam rei, quam is ante non noverat, præmissâ vel tacitâ, vel expressâ petitione, & acceptatione obligationis ad silendum, rémque servandam sub sigillo. Vid. Salmanticenses to. 3. tract. 13. cap. 4. pu. 6. n. 75.

54 Dico primo. Secretum alterius temerè, & sine justa causa revelare ex genere suo peccatum mortale est. Ita Sanchez lib. 6. consilior. moral. cap. 6. dub. 1. n. 4. & alii ab ipso relati. Ratio est: quia secretum ex se ipso, & abstrahendô ab omni alterius generis bono, est bonum aliquod spirituale, cujus retentionem plurimi faciunt homines, & cujus is, ad quem pertinet, est dominus non minùs, quàm famæ & honoris: ergo per revelationem, quæ est quasi furtum spirituale secreti, violatur jus proximi, eique gravis injuria infertur. Vid. Lugo de Just. to. 1, disp. 14, sect. 9. n. 143.

&

& 144. Pettschacher de Restit. pag. 507. Cæterùm non tantùm ob imperfectionem actûs, sed etiam ob levitatem materiæ sæpe contingit, ut revelatio alieni secreti, sit solùm veniale peccatum: quando nempe secretum est parvi momenti. Monet autem Sanchez n. 6. ut ex hac parte excusetur revelatio secreti à peccato mortali, revelantem debere esse certum, quòd secretum sit exigui momenti. Si enim de hoc dubitet, mortaliter peccabit ratione periculi, cui se exponit.

55 Ex tacita conventione, & absque ulla verborum expressione ad servandum secretum obligari censentur primo, Principum consiliarii, & Belliduces, quibus reipublicæ, vel exercitûs consilia committuntur. Secundo, Medici, Advocati, Chirurgi, obstetrices, & alii, quibus, ut auxilium impertiant, secreta deteguntur. Tertio, viri docti, ut Theologi, & Jureconsulti, dum eis consilii capiendi causâ arcana concreduntur. Quarto, verosimiliter amici quoque & propinqui, quibus jure amicitiæ, & propinquitatis, ut nobis auxilio, vel solatio sint, secreta manifestamus. Ita Laym. lib. 3. tract. 3. parte 2. cap. 5. n. 1.

56 Justæ causæ secretum alienum revelandi sunt, prima. Si ejus servatio, seu non revelatio cedat in perniciem reipublicæ. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 2. pu. un. n. 9. Salmantic. ubi suprà, num. 82. Ratio est: quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam. Cum proinde ex charitatis præcepto obligemur, ut avertamus communia damna reipublicæ, cessat obligatio secreti, si constet nobis, bono communi fore damnosam.

Secunda causa est, si observatio secreti cedat in privatæ quoque personæ innocentis injuriam ac damnum. Ita citt. Atque hinc, quando Titius v. g. constituit occidere Cajum innocentem, idque suum propositum tibi secretò communicavit; nec potes hominem ab ejus executione aliter avertere, licitum; imò plerumque obligatorium est, illud manifestare. Ratio est: quia ordo charitatis postulat, ut liberemus innocentem ab injuria nocentis, etiam cum aliquo damno istius, quando innocens aliter liberari non potest. Et valet hæc doctrina cùm in hoc, tum in priori casu, licèt secretum fuerit promissum cum juramento. Cùm enim lege charitatis teneamur tunc revelare secretum, per juramentum, quod non est vinculum iniquitatis, ad oppositum obligari non possumus. Adde, quòd ejusmodi promissio secreti censeatur facta cum hac tacita conditione; si non aliunde tenear manifestare. jnramentum autem promissioni additum sequitur naturam, seu conditiones promissionis. Valet eadem doctrina similiter, quamvis aperiens tibi secretum dixerit, se illud communicare sub sigillo Confessionis: quia, si neque confiteatur, neque habeat animum confitendi, ut supponitur, id non est secretum Confessionis. Bonac. Salmantic. locis citt.

Tertia causa est: si secretum grave nocumentum allaturum esset illi, qui tibi commisit. Exemplum est: si quis occultô impedimentô, quod tibi secretò manifestavit, obstrictus à matrimonio revocari nequeat, nisi canonicè denuntietur. In quo casu licita erit denuntiatio secreti. Ratio est: quia reverentia Sacramenti, & periculum peccati, quod proximus alioquin incurret, prævalent obligationi secreti. Laym. loco cit.

Quarta est, si ille ipse, cui commissum fuit secretum, in simile gravis mali periculum incidat, nisi illud manifestet. Ratio est: quia nemo, dum promittit secretum servare, censetur obligationem suam ad similem casum velle extendere; sed potiùs præsumitur propriam incolumitatem alienæ, ut exigit ordo charitatis, anteponere. Quare, si Titius homicidium à se patratum tibi revelavit sub secreto, tuque ipse citra culpam Titii in ejus facinoris suspicionem veniens capite periclitaris, licitè detegis homicidam occultum Titium, quando aliâ viâ periculum nequis evadere. Sanchez cap. cit. dub. 2. n. 7. Laym. loco cit.

Corollarium. Quando ex revelatione 57
secreti grave malum publicum, aut magna pernicies reipublicæ, vel exercitûs oritura prævidetur, mortem quis potiùs, & quævis tormenta subire tenetur, quàm secretum violare. Sanchez n. 5. Laxm. n. 3. Dicastillo lib. 2. tract. 2. disp. 12. dubit. 3. num. 591. Bonac. n. 8. Ratio est: quia salutem reipublicæ, ceu bonum majus atque divinius, quivis etiam privatus bono propriæ vitæ teneturanteponere. Unde ad hoc ipsum quis obligari potest à republica. Estque vel maximè præsumendum, hanc talem obligationem esse illis impositam, qui gerunt officia publica, ut Judices, consiliarii &c.

Supereſt quæstio, quale peccatum sit 58
aperire & legere alienas litteras? Respondeo, esse ex genere suo peccatum mortale. Ita Sanchez dubio 3. n. 4. Bonac. n. 5. Lugo de Justit. to. 1. disp. 14. sect. 9. n. 148. Salmantic. n. 84. & DD. communiter. Ratio est: quia id graviter adversatur juri, quod quis habet in suum secretum. Quare, si aperias alterius litteras sigillatas & legas; vel si legas jam ante apertas, sed inventas in loco secreto, v. g. scrinio, mensâ cubiculi &c. per se loquendô peccas mortaliter. Quod idem intellige de

aliis scriptis, quæ alter sibi servat secreta.

59 Cæterùm plures ab omni peccato, dum legunt alienas litteras, excusantur. Primo excusantur Prælati & Superiores Regulares. Nam isti licitè aperiunt, legúntque litteras, quæ vel à subditis ad alios, vel ad subditos ab aliis mittuntur, quando ejusmodi lectio ad subditorum bonum est necessaria, vel utilis. Ratio est: quia tunc utuntur jure suo. Quod tamen intellige, nisi litteræ ad altiorem Prælatum, vel ab altiori Prælato mittantur. Excusatur secundo, qui legit litteras ex consensu expresso, vel præsumpto illius, qui mittit; vel ejus, ad quem mittuntur. Ratio est: quia sic nemini facit injuriam. Unde, si ratione amicitiæ, vel necessitudinis, quæ mihi cum altero intercedit, existimem, illum non ægrè laturum, si litteras ejus aperiam ac legam, hoc facere sine peccato possum. Excusatur tertio, qui rationabiliter credit, in litteris contineri quid sibi perniciosum, vel damniferum. Ratio est: quia rescire ejusmodi secretum ad servandum se indemnem, & propriam defensionem pertinet: adeoque talis utitur jure suo. Sic licitè intercipis, ac legis litteras capitalis inimici tui ad damnum præcavendum. Sic licitè intercipiuntur litteræ hostium in bello justo, ut cognitis eorum consiliis occurratur malo publico. Sic gubernatores urbium, aliique ministri publici possunt litteras civium aperire, quando ex gravi causa id exigere censetur bonum reipublicæ. Monent tamen Doctores, in his casibus tantum præcisè ex alienis litteris legi posse licitè, quantum satis est ad finem, ratione cujus fas est alieni secreti notitiam comparare. Hinc reliqua sunt omittenda, vel transilienda. Excusatur quarto à peccato mortali, qui sola curiositate ductus absque animo nocendi legit alterius litteras, credens, nihil magni momenti in eis contineri. Ratio est: quia non infert gravem injuriam. Itaque solùm peccat venialiter. Debet tamen esse certus, nihil grave in litteris contineri. Nam si de hoc dubitet, & nihilominùs legat, peccatum mortale non effugiet propter periculum, cui se exponit. Item debet esse paratus ad servandum secretum, si fortè in aliquod grave inter legendum incideret. Vid. de his omnibus Sanchez dub. 3. Bonac. ubi suprà à num. 5. Lugo num. 148. Salmantic. num. 85. Pettschacher de restit. à pag. 511.

60 Corollarium. Qui litteras alterius apertas invenit in loco etiam publico, quas ille casu ibi amisit, peccat mortaliter eas legendo. Lugo num. 150. Salmantic. num. 86. Pettschacher pag. 513. Ratio est: quia adhuc censentur esse in dominio alterius. Non enim hic cedit jure in secretum litterarum, quas invitus amisit: sicut non cederet jure in librum, qui ipsi præter intentionem è manibus excidisset. Hinc aliud est dicendum de eo, qui litteras invenit in loco publico semilaceratas; vel, quas alterum vidit ibi ultrò projicere adhuc integras: legit enim sine peccato: quia illas ita lacerans, vel abjiciens in loco publico, cedere videtur jure suo, litterásque haberi velle pro derelictis.

61 Sed quid tenendum, si alter studiô ita minutim laceravit suas litteras, ut earum particulæ non nisi magna & singulari industria coordinari ad legendum possint? Mihi verosimilius videtur, neminem licitè ea fragmenta posse conjungere ac legere; multò minùs eorum sensum manifestare aliis, quamùis fuerint projecta in locum publicum: Ratio est: quia hoc ipso, quod abjiciens ita minutim discerpserit, voluit retinere jus, ne extraordinariâ industriâ colligantur, conjungantur, ac legantur. Ad quid enim aliàs ita penitus comminuisset? Lugo tamen & Salmantic. locis citt. Laym. lib. 3. tract. 3. parte 1. cap. 4. num. 4. judicant, etiam oppositum esse probabile. Ratio est: quia hoc ipso, quòd quis abjiciat litteras suas in publicum, videtur cedere jure suo, & permittere, ut à quovis legantur. Verùm istud tunc ita se habere existimo, quando vel non laceratæ projiciuntur; vel ita laceratæ, ut facilè conjungi, legíque possint. Quia tunc projiciens, attentis fragilitate, & curiositate hominum, aliisque circumstantiis, non potest prudenter ægrè ferre, si legantur. Vid. Pettschacher loco cit.

62 Dico secundo. Qui alteri per injustam violationem secreti grave damnum intulit, tenetur ex justitia ad ejus compensationem, si id inferendo peccavit mortaliter; secùs, si peccavit solùm venialiter. Ratio constat ex disp. præced. a. 3. §. 2. quia obligatio compensandi damnum grave orta ex delicto supponit culpam Theologicam gravem, ita ut non sufficiat culpa levis, seu venialis. Itaque si thesaurum alterius, te solo conscio absconditum, revelâsti, eumque propterea fures effoderunt: si alterius defectum tibi sub secreto manifestatum evulgâsti cum gravi ejusdem infamia inde secuta, si secreta Principis, aut exercitus consilia tibi concredita hostibus aperuisti, omnia damna resarcire teneris. Vid. Salmantic. pu. cit. num. 76.

§. VII.

§. VII.

Quando, & quomodo fama sit restituenda?

SUMMARIUM.

63. *Separantur certa ab incertis.* 64. *Ad quid teneatur, qui famam alterius læsit inculpabiliter?* 65. *Obligatio ejus, qui est in mora culpabili restituendi famam.* 66. *Item ejus, qui alteri crimen falsum scienter imposuit.* 67. *Item ejus, qui de proximo crimen verum narravit.* 68. 69. *An injustus infamator apud auditores etiam mediatos teneatur reparare famam læsam?* 70. *An hic etiam teneatur ad damna realia?* 71. *An hæredes quoque detractoris ad restitutionem obligentur?* 72. *Fama etiam mortuis est restituenda.* 73. *Causæ à restitutione famæ excusantes.*

63 AD primam quæstionem quod attinet, certum est primo, eum, qui famam alterius justè læsit, v. g. justè accusandò in judicio, dicendo testimonium coram Judice &c. non teneri ad restitutionem. Ratio est: quia infamato nullam intulit injuriam. Certum est secundo, neque illum teneri ad restitutionem, ex cujus detractione proximo nullum damnum fuit secutum, quantumvis, ut sequeretur, idem fuerit conatus: sicut fur non tenetur ad quidpiam restituendum, si damnum quidem dare tentavit, re ipsa tamen non dedit. Certum est tertio, etiam tunc cessare obligationem restituendi, quando læsus famam aliunde recuperavit. Ratio est: quia tunc cessat objectum restitutionis, reparatio damni videlicet. Certum est quarto, detrahentem tunc quoque non obligari ad restituendum, quando potest rationabiliter præsumere, id à læso non desiderari: ut, si nec ipse, nec alii propter ipsum inde grave incommodum accipiunt; vel ipse se jactet de crimine, quod fuit narratum. Ratio est: quia tunc infamatus non censetur rationabiliter invitus, si omittatur restitutio. Certum est quinto, obligationem restituendi famam fundari in stricta injuria, non minùs, quàm obligationem restituendi in aliis bonorum generibus. Et ideo, si lædendo famam alterius non peccas contra Justitiam, sed contra aliam virtutem quamcunque, ad nihil teneris. His itraque positis, difficultas est, an obligatio restituendi famam contrahatur ob solam injuriam formalem, vel etiam ob materialem? In qua re

64 Dico primo. Qui famam alterius inculpabiliter læsit, tenetur, postquam advertit, se hac ratione damnum in fama intulisse, ex Justitia ad restitutionem illius. Less de Just. lib. 2. cap. 11. dubit. 22. num. 118. Lugo de Just. tom. 1. disp. 15. sect. 1. num. 4. Laym. lib. 3. tract. 3. parte 2. cap. 7. num. 1. Salmantic. tom. 3. tract. 13. cap. pu. 9. num. 120. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 8. Reding to. 13. q. 13. a. 4. controv. 1. num. 2. Pettschacher de Restit. pag. 515. & alii. Ratio est: quia Justitia obligat non solùm ad non dandam causam damni, sed etiam ad eam tollendam, si dedisti, vel posuisti, quantumvis inculpabiliter. Nam ejusdem virtutis est malum ipsius honestati oppositum non ponere, & tollere, si fortè sit positum licèt inculpabiliter. Confirmatur. Si per errorem inculpabilem alteri præbuisti venenum, vel alienas ædes ex inculpabili injuria incendisti, teneris ex Justitia, quamprimùm rem advertis, venenum tollere, & ejus vim impedire, ignémque extinguere; si hæc commodè possis: ergo similiter, qui famam alterius cœpit absque culpa lædere, (v. g. narrando crimen occultum, quod putabat esse publicum; vel manifestandò defectum gravem, quem per ignorantiam invincibilem credebat esse nullius considerationis) tenetur, postquàm errorem suum deprehendit, pravam existimationem, quam idcirco audientes de proximo conceperunt, dispellere & impedire, ne infamia serpat ulteriùs. Advertendum est tamen cum Authoribus hujus sententiæ, ad ista præstanda non obligari talem cum tanto incommodo, cum quanto obligatur, qui per formalem injuriam læsit famam proximi, aut causam lædendi posuit. Ratio est: quia prior illa bona fides aliquid demere debet de gravitate obligationis. Par enim non est, inquit Less. æquè gravari inculpabilem atque culpabilem, cæteris paribus.

Corollarium. Quando, postquàm advertisti, famam proximi à te fuisse læsam, es in mora culpabili restituendi, teneris ad resarciendum omnia damna etiam realia, quæ post hanc advertentiam ex infamatione illa sequuntur; non tamen ad ea, quæ talem advertentiam præcesserunt. Lugo num. 5. Tambur. loco cit. Pettschacher num. 516. Ratio est: quia damnorum advertentiam subsequentium es causa formaliter injusta, non verò præcedentium. Jam ad alteram quæstionis partem accedens 65

Dico secundo. Qui crimen falsum alicui scienter imposuit, debet omnem diligentiam adhibere, ut malam existimationem inde exortam ex animis hominum evellat. Ita communiter DD. Quapropter, si ali- 66

ter satisfacere non potest, non tantùm tenetur significare, se fuisse deceptum, vel mentitum, & detractionem revocare, sed insuper tenetur suam revocationem confirmare juramentô, vel testibus. Ratio est: quia tenetur facere, quidquid est necessarium ad reparationem damni à se illati. Quod tamen intellige, nisi id adeo difficile sit detractori, ut, si præstaretur, ejus existimationi maculam inureret notabiliter majorem infamiâ proximi. Hinc Villalobos apud Tambur. cap. cit. §. 4. n. 1. docet, virum gravem, v. g. Prælatum, non obligari, ut dicat, se fuisse mentitum: cùm hoc illi cederet in dedecus nimis enorme. Quare tunc satis est, si illis modis restituat, quibus restituere tenetur, qui verum crimen injustè propalavit: de quo deinde. Quòdsi auditores sive juranti, sive testes producenti nolint adhibere fidem, idque sine probabili ratione, detractor ad nihil ampliùs tenetur. Less. cap. cit. dubit. 20. n. 109. Salmantic. n. 129. Reding n. 14. Ratio est: quia tunc non ampliùs ipse, sed auditorum perversitas censetur esse causa perseverantis infamiæ. Contrarium sentit Lugo sect. 2. n. 27. Ratio est: quia hoc ipsum, quòd auditores nolint credere, quantumvis injustè, consequitur tanquam damnum ex injusta detractoris relatione, seu propalatione. Verùm rectè addit hic Author, hanc doctrinam solùm habere locum in rigore Metaphysico, & in praxi vix unquam posse contingere, ut auditores etiam post juramentum, & adductos testes pro innocentia infamati adhuc in pristina persuasione maneant; nisi aliunde habeant argumenta contra ipsum.

67 Dico tertio. Qui crimen occultum verum propalavit, omnes modos restituendi debet amplecti, qui fieri possunt sine mendacio. Ex his modis primus est dicere, se malè de proximo locutum; injuriam intulisse; deceptum fuisse; errâsse in iis, quæ priùs narravit. Omnis quippe peccans errat, & practicè decipitur, sive à Dæmone, sive à concupiscentia & passione propria, ait Reding n. 15. Verùm licèt hæc talia dicere apud simplices & rudes sufficere videatur ad restitutionem famæ, apud ingeniosos tamen & doctos, quibus noti sunt modi restituendi, non multùm est utile; imò plenum periculo, ne inde colligant, quod res est, nempe detractorem verum dixisse, & nunc ita loqui retractandi causâ: quo illi magis confirmabuntur in credendo, crimen à proximo fuisse commissum. Secundus itaque modus plerumque utilis, & testante Soto apud Redingum loco cit. quasi unicus est, laudare infamatum ob alias ipsius dotes; crimen extenuare; honorem ejus, famámque defendere ac procurare in cæteris rebus. Nam hac ratione tantum illius famæ rursus accedet paulatim, quantum fuit detractum. Vid. Less. n. 110. Laym. ubi suprà n. 2. Salmantic. à n. 130. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 39. a. 5. n. 5.

68 Sed dubium est modò, an injustus infamator famam reparare teneatur non solùm apud eos, apud quos illam læsit, sed etiam apud eos, quibus ipsi postea crimen proximi retulerunt? Sive, an non solùm teneatur restituere apud auditores immediatos, de quo non est dubium; sed etiam apud mediatos? In qua re certum videtur primo, detractorem solùm teneri ad restitutionem coram auditoribus immediatis, quando isti sunt viri graves, quos prudenter credidit, aliis de crimine nihil relaturos. Ratio est: quia tunc ulterior propagatio infamiæ horum malitiæ, non autem detractoris tanquam causæ est imputanda. Certum videtur secundo, si apud auditores immediatos ideo detraxit, ut deinde hi quoque apud alios detraherent, obligari eundem ad famam etiam coram aliis reparandam, quantum moraliter potest reparare. Ratio est: quia tunc auditores immediatos adhibuit tanquam instrumenta ad propagandam ulteriùs infamiam proximi; adeoque fuit vera principalis causa damni apud alios. Certum videtur tertio, detractorem similiter obligari ad restituendam famam coram auditoribus mediatis, quando detraxit coram illis, quos sciebat esse malos, & prævidebat certò moraliter, manifestaturos illis aliis, quæ ex ipso de proximo audivissent. Ratio est: quia alterum sciens & volens conjecit in morale periculum gravis damni in bono famæ à talibus inferendi, reque ipsa illati. Vid. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 5.

69 Quæritur proinde, ad quid teneatur, qui detraxit non attendendô ad probitatem, vel malitiam suorum auditorum, aut aliquid cogitando de periculo ulteriotis divulgationis per ipsos faciendæ. Respondeo cum Card. de Lugo de Just. to. 1. disp. 15. sect. 2. n. 16. Tambur. n. 5. Reding. n. 16. Salmantic. n. 123. Pettschacher de Restit. pag. 519. Illsung tr. 4. disp. 3. q. 3. a. 1. n. 109. Mezger n. 3. etiam in hoc casu praxi conformius, & sufficiens esse coram illis tantùm restituere, apud quos immediatè fuit detractum. Ratio est, tum, quia moraliter plerumque impossibile est omnes convenire, ad quos infamatio promanavit, & coram illis restituere. Tum, quia hoc ipso, quòd quis apud immediatos auditores detractionem suam retractet, iisdem implicitè committere videtur, ut hanc retractationem aliis quoque, si fortè crimen proximi sibi narratum ulteriùs propalârunt, indicent: quod onus, dum non expressè rejiciunt, in se suscipere præsumuntur. Confirmat hanc sententiam communis praxis tam Confessariorum, quàm pœnitentium. Hi enim, modò famam

resti-

restituerint coram illis, apud quos detraxerunt alteri, judicant, se probè satisfeciſſe. Confeſſarii quoque eosdem ad plus obligare non ſolent, quàm ut retractent apud eos, quibus ipſi proximi crimen prodiderunt. Contraria tamen ſententia per ſe loquendo, & ex vi rationis fortè eſt probabilior. Ratio verò eſt: quia revera totum illud damnum famæ apud auditores etiam mediatos per ſe oritur ex injuria detractoris. Vid. Lugo n. 15. Salmantic. n. 122. Reding, Pettſchacher, Mezger locis citt. Ex dictis

70 Infertur jam primo, injuſtum detractorem teneri præter famam alia quoque damna, ſiqua ſecuta ſunt ex infamia, reſarcire, ſive crimen falſum narraverit, ſive verum occultum prodiderit: item, ſive damnum ſit poſitivum; ut, ſi proximus ob injuſtè imputatum furtum ſuſpendatur; ſive privativum; quale eſt, ſi alter ob injuſtam infamationem non obtineat ſperatam dignitatem, officium, beneficium, conjugium &c. Leſſ. de Juſt. lib. 2. cap. 11. dubit. 19. Laym. ubi ſuprà, n. 4. Salmantic. à n. 124. Lugo n. 22. Pettſchacher n. 518. Mezger n. 6. Ratio eſt: quia quis tenetur ad compenſationem omnium damnorum, quæ vi injurioſæ actionis ipſius ſequuntur; ſed omnia illa damna ſequuntur ex injurioſa actione detractoris; ergo.

71 Infertur ſecundo, hæredes infamatoris non teneri ad reſtitutionem famæ, ſi ipſe non reſtituit; teneri tamen ad reparationem aliorum damnorum, quæ ex infamatione conſecuta ſunt. Leſſ. dubit. 21. Laym. loco cit. Lugo diſp. cit. ſect. 1. n. 8. Salmantic. n. 127. Mezger n. 7. Ratio primi eſt: quia obligatio merè perſonalis non tranſit ad hæredes: ſed obligatio reſtituendi famam eſt merè perſonalis; ſicut obligatio voti eſt merè perſonalis; ergo &c. Ratio ſecundi eſt ab oppoſito: quia illa obligatio non eſt merè perſonalis; cùm afficiat ipſa bona infamatoris: & conſequenter eſt realis; adeoque tranſit ad hæredes. Quòdſi ille, qui ratione infamationis damnum eſt paſſus, jam ſit defunctus, reſtituendum eſt ejus hæredibus. Nam iſti ſuccedunt in omnia jura realia defuncti.

72 Infertur tertio, famam etiam mortuo debere reſtitui, Leſſ. n. 114. Salmantic. Illſung locis citt. Mezger n. 8. & alii. Ratio eſt: quia bonum famæ etiam poſt mortem homo poſſidere cenſetur, & habere jus ad illud. Quòd verum eſſe ait Pettſchacher n. 517, licèt tranſactio fiat cum hæredibus, ne litem intentent, aut proſequantur contra infamatorem: quia non hoc ipſo, quòd hæredes cedant jure ſuo intentandi, aut proſequendi litem, defunctus condonare cenſendus eſt obligationem ſibi reſtituendi famam. Quòdſi infamia injuſtè conflata mortuo illi hæredes quòque redundet, etiam iſtis infamator ſatisfacere famámque reſtituere tenetur. Bonac. de Reſtit. diſp. 2. q. 4. pu. ult. n. 16. Pettſchacher loco cit.

Sed jam ad cauſas à reſtitutione famæ 73
excuſantes convertimur. Prima eſt, ſi infamatus reſtitutionem liberè condonavit. Cùm enim ſit dominus ſuæ famæ, juſte, quod ad illam habet, cedere poteſt. Quod tamen intellige, niſi eadem ipſi foret neceſſaria vel ad vitandum ſcandalum; vel ad avertendum damnum alterius, in quem redundat infamia; vel ad fungendum officiô, quo obſtringitur aliis. Vid. Leſſ. cap. cit. dubit. 24.

Secunda eſt moralis impotentia. Cujuſmodi eſſe cenſetur, quando reſtitutio fieri non poteſt citra periculum vitæ, vel damnum famæ notabiliter majus detractori ſubeundum. Unde non excuſatur à reſtitutione etiam cum periculo vitæ facienda, qui per injuſtam imputationem criminis innocenti proximo conſcivit ſimile vitæ periculum, vel aliud malum, quod præponderet famæ & vitæ ipſius, redundétque ex infamia v. g. Principis, Prælati, Religioſi Ordinis, ac ſimilium, unde graviſſima in Republica ſcandala, aliáque ingentia damna oriri poſſint. Vid. Reding to. 13. q. 13. a. 4. contr. 1. n. 10.

Tertia eſt, ſi moraliter certò exiſtimetur, crimen, quod de altero fuit narratum, jam abiiſſe in oblivionem. In quo caſu ad nihil tenetur detractor, ſive verum, ſive falſum fuerit id crimen. Dictum eſt, *ſi moraliter certò &c.* Nam in dubio melior eſt conditio diffamati; cui proinde reſtitui debet, præſertim, ſi falſum ipſi crimen fuit imputatum. Nam verum non ita facilè revocandum eſt in memoriam. Vid. Tambur. lib. 9. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 14. Reding. n. 8.

Quarta eſt, ſi alter tibi prior detraxit æquè graviter, vel graviùs, & nondum reſtituit. Tunc enim non quidem ceſſat penitus, ſed ſuſpenditur obligatio reſtituendi per compenſationem quandam, donec alter tibi reſtituat. Ubi locum habet generalis regula: *Non cogeris jus ſuum alteri reddere, ſi ille recuſet tibi reddere tuum.* Vid. Leſſ. dubit. 25. n. 133. Laym. ubi ſuprà, n. 5. Illſung n. 111. Reding n. 6.

Quinta eſt, ſi crimen priùs occultum, quod detexiſti, poſtea factum eſt publicum aliunde; quia tunc infamatus non habet amplius jus ad famam: quod tamen intellige in eadem materia, in qua eſt infamis. Lugo de Juſt. to. 1. diſp. 15. ſect. 3. n. 37. Salmantic. n. 139. Reding n. 9. Teneberis tamen adhuc omnia damna cætera reſarcire, quæ ex propalatione criminis occulti ſecuta fuerunt infamato uſque ad tempus, quo factum fuit aliunde publicum. Salmantic. loco cit.

Sexta eſt, ſi infamatus aliis modis famam

famam recuperavit: ut, sui purgatione; vitæ emendatione; prudentium virorum testificatione; criminis narrati oblivione. Quia tunc tollitur materia, & velut objectum restitutionis. Laym. loco cit. Reding n. 7. Mezger ubi suprà, n. 9. Obligatio tamen resarciendi alia damna, v. g. amissionem beneficii, vel officii, tunc non extinguitur. Reding loco cit.

ARTICULUS V.

De Injuriis, & Restitutione in bonis Fortunæ.

DAmna in his bonis pluribus quidem modis inferri possunt: modus tamen potissimus & frequentissimus est furtum. Quapropter de illo impræsentiarum agendum. Ubi & alia addemus nostro instituto opportuna.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Furtum?

SUMMARIUM.

1. *Definitio furti.* 2. *An furtum sit aliter uti re commodata, locata &c. quàm fuit conventum?* 3. *An semper sit furtum accipere rem alienam invito domino?* 4. 5. *In extrema, non autem in gravi necessitate licitum est furari.* 6. *Divisio furti.* 7. *Rapina specie essentiali differt à furto.*

1 FUrtum ex D. Thoma, 2. 2. q. 66. a. 3. definitur: *Occulta alienæ rei acceptio invito domino.* Dicitur, *occulta*; ut distinguatur à rapina, quæ includit violentiam alteri palàm & scienti illatam. Dicitur *rei alienæ*: quia accipiens rem suam, quæ est apud alterum, non committit furtum. Nomine rei intelliguntur hîc res externæ & bona fortunæ, eorúmque usus & possessio. Dicitur *invito domino*. Nam qui prudenter præsumit, rei ablationem domino non displicere, & fore, ut concederet, si peteretur, non est reus furti, licèt occultè accipiat. Debet autem dominus esse rationabiliter invitus. Hinc furtum non committis, quando in extrema necessitate constitutus aliquid aufers alteri fortè invito: quia non est rationabiliter invitus. In eadem definitione ly *alienæ*, & ly *domino* paullò latiùs accipienda sunt, ita ut alienum dicatur non tantùm id, quod est alterius jure proprietatis, sed illud quoque, quod aliis titulis & juribus v. g. pignoris, aut hypothecæ quis detinet: nomine verò domini veniat quilibet justus rei detentor. Atque ex his

2 Infertur primo, Commodatarium, Depositarium, Conductorem, qui pignus accepit &c. si aliter, quàm conventum est, atque adeo sine expresso, vel præsumpto consensu domini, re commodata, deposita, conducta, oppignorata &c. utantur, furtum committere censeri. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 1. n. 1. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 5. pu. 1. n. 2. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 40. a. 1. n. 1. Ratio est: quia ejusmodi usus, quem exercent invitô dominô, etiam computatur inter res externas. Idem est, si vicissim dominus rei commodatæ, depositæ, conductæ, oppignoratæ &c. Commodatarium, Conductorem, Depositarium &c. privat usu, possessione, custodia talis rei contra id, in quod conventum est.

3 Infertur secundo, non esse furti reum, qui alienum accipit joci causâ, ut fieri solet inter amicos; vel, qui accipit in bonum, aut commodum ejus, à quo accipit: ut, si uxor auferat marito pecunias, ne in lusus, & compotationes profundat; vel vinum, ne inebrietur. Idem est, si auferas proximo librum hæreticum, ne legat: aut si famulus ex nummis domini dat moderatam eleemosynam valde indigenti, idque ob verecundiam, aliámve causam clàm peragat. Ratio est: quia dominus ob similes rerum suarum subtractiones, vel acceptiones non est rationabiliter invitus. Vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 1. n. 4. Salmantic. n. 3. Sporer tract. 5. in 7. præcept. Decal. cap. 5. n. 9.

4 Infertur tertio, eum, qui in extrema necessitate constitutus tantùm accipit rei alienæ, quantum est necessarium, furtum non committere. Ita cum D. Thoma q. cit. a. 7. ad 2. communiter DD. Ratio est: quia rerum communium divisio non aliter introducta est jure gentium, nisi hac tacita conditione, ut tamen omnia essent communia urgente necessitate extrema. Alioquin planè iniqua foret ea divisio. Imò quando ejusmodi miser rem ablatam durante hac necessitate consumpsit, nihil tenetur postea restituere, tametsi ad meliorem fortunam pervenerit: quia absumpsit, quod suum erat jure naturæ.

5 Doctrinam hujus tertiæ Illationis aliqui ad gravem quoque necessitatem extenderunt. Sed horum sententia est propositio 36. inter proscriptas ab Innoc. XI. quæ sonat: *Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Ratio, cur falsa sit hæc prop. hæc redditur: quia propter multitudinem hominum in gravi necessitate versantium furta nimiùm multiplicarentur, nec satis deterrerentur alii per metum similis indigentiæ à rerum suarum dilapidatione, otio,

otio, & inertia, si sibi tàm facilè, & quidem licitè, ex alieno possent consulere: quod procul dubio cederet in grave damnum omnium communitatum, & magnam perniciem totius humanæ societatis. Vid. Illsung tract. 4. q. 4. disp. 3. a. 2. n. 132. Cæterùm defectum licentiæ hujus in gravi necessitate furandi supplet obligatio charitatis in hac, uti etiam in communi necessitate constitutis succurrendi: de qua suprà in tract. 5. disp. 1. a. 5. egimus.

6 Dividitur Furtum ratione materiæ, sive objecti in Sacrilegium, de quo tract. cit. disp. 2. a. 5. in Peculatum, Abigeatum, & Plagium. Peculatus est furtum rei pertinentis ad fiscum Principis. Quò etiam reducitur delictum cudendi monetam ex adulterato metallo Principis, vel ex proprio metallo sine licentia Principis. Item conversio bonorum communium in privatam utilitatem. Abigeatus est abductio aliquot animalium ex grege alieno vel simul, vel successivè facta; imò etiam abductio unius majoris animalis, v. g. equi, vel bovis, ex stabulo abigeatus est. Plagium est injusta abductio hominis liberi, vel servi alieni ad vendendum, vel retinendum in mancipium. Cæteræ furti divisiones, uti & pœnæ pro diversitate furtorum legibus statutæ ad Jureconsultos pertinent.

7 Rapinam à furto differre specie essentiali, quam proinde exprimere oporteat in Confessione, tradit D. Thomas 2. 2. q. 66. a. 4. Rationem petit ex diversitate involuntarii, penes eum, cui per hæc peccata injuria infertur. Aliter enim cuipiam est involuntarium, quod ignorans patitur, ut contingit in furto; & aliter, quod patitur sciens & renitens; ut in rapina. Illi, quibus displicet hæc ratio differentiæ specificæ, istam reddunt, quòd rapina præter injustitiam acceptionis rei alienæ contineat specialem injuriam erga personam, & honorem proximi, qui per violentiam graviter læditur, & contemnitur: quod non fit in furto. Verùm specialis illa ratio injuriæ in personam, ejusque contemptus solùm afferunt diversitatem specificam secundariam, suntque aliquid consequens ad speciem primariam: sicut ostendunt Salmantic, ubi suprà n. 7.

§. 11.

Quæ sit malitia, & gravis materia furti?

SUMMARIUM.

8. *Furtum ex genere suo est peccatum mortale.* 9. *De quantitate ad mortale furtum sufficiente variæ sententiæ.* 10. *Materia furti gravis alia absoluta, alia respectiva.* 11. 12. *Nostra circa utramque resolutio.* 13. *Etiam per ablationem rei modicæ potest aliquando peccari mortaliter.* 14. *Monitum ad Confessarium furati modicum.* 15. 16. *Alia de modicum auferente corollaria.* 17. *Quantitas materiæ ad mortale furtum sufficiens non rectè mensuram juxta dignitatem, vel divitias ejus, cui aufertur.*

OMnes consentiunt, furtum ex genere 8
suo esse peccatum mortale, cùm contra charitatem, tum contra Justitiam. Contra charitatem quidem; quia proximo nocumentum infert: contra Justitiam; quia infert injuriam. Ex imperfectione deliberationis autem, vel ex levitate materiæ fieri potest, ut sit tantùm veniale peccatum. Et quidem de levitate materiæ res facilè patet. De imperfecta deliberatione difficiliùs percipitur, quomodo ratione illius furtum possit esse veniale. Nam opus ejusmodi vix fieri posse videtur absque plena advertentia: nisi forte ex consuetudine aliquis ita sit inclinatus, & veluti determinatus ad furandum, ut rem auferat, antequam perfectè cognoscat, quid agat; vel, nisi tanta sit vehementia tentationis, ut perfectum voluntarium non relinquat: quod tamen a Deo vix aliquando permitti existimo. De interna voluntate furandi faciliùs concedo, eam carere posse plena & sufficienti advertentia.

Illud præterea certum est omnibus, ad 9
furtum, ut sit peccatum mortale, requiri notabilem materiam, seu quantitatem materiæ. Sed difficultas est non levis, quænam censeri debeat materia notabilis, seu gravis, & ad peccatum mortale sufficiens? Ubi varia inveniuntur Doctorum placita, dum alii sentiunt nimis laxè; alii nimis rigidè; & medium tenere non sit in expedito. Quidam antiqui opinati sunt, centum aureos denique esse materiam gravem: imò nequidem istos, secluso omni damno & incommodo domini. Navarrus medium Julium inquit sufficere, id est, quatuor nostros crucigeros, vel paulò plus. Alii rursus assignârunt unum regalem; id est, octo nostros crucigeros, vel circiter. Alii cum Lessio quatuor, vel quinque nostrates pazios. Alii medium nostratem florenum, vel medium talerum circiter. Alii generatim loquendô unum, vel duos aures, sive ducatos.

In hac sententiarum varietate omnes fa- 10
tentur, illam quantitatem esse notabilem, & ad peccatum mortale furti sufficientem, cujus ablatio domino grave damnum infert. Verùm de quanam quantitate id affirmari debeat universim, difficilè statuitur. Ut declarem, quod mihi videtur verosimilius, placet statuere cum Salmanticensibus & aliis duas materias furti, unam absolutam, & alteram respectivam. Absolutam voco, quæ absque consideratione cir-

circumstantiarum alicujus personæ est sufficiens ad peccatum mortale furti respectu omnium. Respectiva esto, quæ non secundùm se, sed habita ratione conditionum, & per respectum ad circumstantias personæ, cui res fuit ablata, gravis est, & sufficiens ad peccatum mortale. Itaque

11 Dico primo. Materia furti absolutè gravis, & respectu cujuscunque sufficiens ad peccatum mortale est unus aureus. Unde, si Regi quoque potentissimo tantum pecuniæ, vel aliud quid æquivalens subtrahas, peccas peccato furti mortali. Ita Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 6. n. 29. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 8. pu. 1. n. 7. Lugo de Just. to. 1. disp. 16. sect. 2. n. 28. Reding to. 13. q. 14. a. 1. controv. 2. n. 3. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 40. a. 1. n. 6. & alii. Ratio est primo. Quia hæc est communis hominum persuasio, valorem unius aurei non esse modicum: communis autem persuasio hominum in moralibus magnam vim habere censenda est. Et esto, jactura unius aurei non graviter noceat personæ ditissimæ, quatenus ea quantitas conducit ad parandum illi victum; videtur tamen nocere notabiliter, quatenus servit ad alendam familiam, aliosque sumptus faciendos: cùm possit esse salarium menstruum alicujus famuli inferioris, vel stipendium militis. Unde meritò dominus censetur rationabiliter & graviter invitus, quantumcunque dives sit, si talis ei quantitas auferatur. Et sanè constat, Principes graviter ferre, quando in suis gabellis etiam unico aureo defraudantur. Ratio est secundo. Quia illud furtum debet censeri grave, ex quo, si non esset grave, graviter turbaretur tranquillitas & bonum publicum: sed hoc contingeret, si furtum unius aurei non esset absolutè grave; ergo maj. est certa. Mi. prob. nam, si ejusmodi furtum solùm esset peccatum leve, ex nimia hominum malitia, & affectu bonorum fortunæ ita frequentaretur, ut etiam ditissimo cuique magnum inde damnum vel quotidie metuendum esset, vel re ipsa inferretur.

Confirmatur. Ideo voluntaria pollutio in omni casu est graviter illicita, quia, licèt semel facta, v. g. ad evitandam mortem, vel gravissimam infirmitatem, non inferret grave damnum speciei humanæ, inferret tamen ex eo, quòd, si vel semel in aliquo casu non esset illicita, homines ad ejusmodi delectationem proclives facilè sibi fingerent necessitates & causas illam procurandi valde frequenter; atque adeo illa voluptate contenti matrimonio facilè supersederent: quod cederet in maximum detrimentum speciei humanæ: ergo similiter, licèt furtum unius aurei semel factum opulentissimo non inferret grave damnum; quia tamen, si semel non esset graviter illicitum, facilè homines, ut dictum est, allicerentur ad illud frequentandum, idque cederet in gravissimum damnum etiam ditissimorum, semper erit graviter illicitum. Vid Lugo n. 29. Nunc, ut statuatur materia furti respectivè gravis, notandum est, præter ditissimos, de quibus sufficienter constat ex dictis, considerandas esse adhuc alias quinque hominum classes. In prima sunt valde divites; in secunda mediocriter divites; in tertia opifices; in quarta operarii diurni; in quinta mendici.

Dico jam secundo. Materia furti respe- 12
ctiva, & attentis conditionibus personarum gravis illa est, quæ in unum diem sufficit ad victum ejus hominis, cui aufertur. Peccabis itaque peccato furti mortali, si à mercatore v. g. valde opulento fureris duos, vel tres florenos; à cive mediocriter divite florenum circiter; ab opifice tres, vel quatuor pazios; ab operario ex diurno labore victitante unum, vel alterum pazium; à mendico pauculos nummos, quibus uno die utcunque sibi victum parâsset. Ita ferè Laym. lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 1. n. 3. Idem re ipsa docent Bonac. & Lugo locis citt. tenet insuper Reding n. 7. Sporer tract. 5. in sept. præcept. Decal. cap. 5. n. 29. Mezger n. 7. Ratio est: quia illa quantitas pecuniæ judicari debet notabilis, ob cujus injustam ablationem dominus meritò censetur graviter invitus: sed ob injustam ablationem quantitatis, quæ alicui ad victum unius diei juxta statum, conditionem, & communem vivendi consuetudinem suffeciisset, quilibet meritò censetur graviter invitus; ergo ejusmodi quantitas judicanda est notabilis.

Corollarium I. Mortaliter peccari potest 13
etiam per ablationem rei modicæ, si grave exinde damnum, vel jactura lucri cessantis domino sequatur. Vulgare exemplum est in eo, qui sartori acum, vel sutori subulam aufert; quam ille habet unicam, aliámque multis diebus comparare non potest, ut adeo multo tempore ob ejus instrumenti jacturam abstinere cogatur ab opere faciendo. Bonac. n. 8. Laym. loco cit. Less ubi suprà, n. 33. Mezger n. 9. Ratio est: quia injustè inferre proximo grave damnum est peccatum mortale: sed hoc fit in casu nostro; ergo. Cæterùm talis surreptio rei levis, quamvis sit grave peccatum contra Justitiam, non tamen est grave in genere furti: quia non est ablatio materiæ notabilis, id est, respectu alicujus personæ secundùm taxationem à nobis statutam sufficiens ad peccatum mortale furti. Quapropter, si furtum grave reservaretur, vel censura quadam afficeretur, non incurreret ejusmodi reservationem, vel censuram, qui acum, subulámve abstuliisset. Erit proinde peccatum grave intra genus damnificationis injustæ, sed speciei cujusdam innominatæ, ut habet Less. n. 34. Mezger loco cit.

Co-

14 Corollarium II. Quando pœnitens confiterur, se quid modicum fuisse furatum, Confessarius interdum interrogare debet, an non forte habuerit animum aliquid gravius, aut plura furripiendi, si occasio se obtulisset? Laym. loco cit. Sporer num. 33. Ratio est: quia talis, si forte habuit ejusmodi animum, in executione quidem non peccavit mortaliter, peccavit tamen mortaliter sua prava intentione & affectu. Unde dicit S. Hieronymus *in Epist. ad Tit. cap. 2. Fur non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim* (in foro conscientiæ) *id, quod furto ablatum est, sed mens furandi attenditur.*

15 Corollarium III. Non peccat graviter contra Justitiam, qui aufert rem levem, aut modicam, licèt sciat, dominum ea valde delectari, ejusque jacturam valde graviter laturum, dummodo nullum aliud damnum illi sequatur. Laym. loco cit. Mezger num. 10. Ratio est: quia dominus non est rationabiliter ita graviter invitus; & quòd amissionem rei modicæ tam ægrè ferat, atque furanti indignetur, merè per accidens est. Quòd si tamen prævideas, malum animi, vel corporis proximo ex ejusmodi indignatione eventurum, peccabis contra charitatem. Ratio est: quia charitas obligat, ut abstineamus ab illis actionibus, quas commodè intermittere possumus, si ex illis proximo aliquod notabile malum oriturum advertamus.

16 Corollarium IV. Viator transiens per alterius vineam, dum comedit uvas ibi repertas, probabiliter ne quidem venialiter peccat, modò nullas inde secum auferat. Lugo, ubi suprà, num. 33. Mezger num. 11. & alii. Ratio est: quia sic videtur approbari consuetudine, & tacità licentiâ dominorum, idque decet ad conservandam benevolentiam & humanitatem, ne in talibus sint invisi. Et colligitur haud obscurè ex illo Deuter. 23. *Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum.* Quod ipsum ob paritatem rationis extendendum est ad alios fructus, ut sunt ficus, mala, pyra &c. in parva quantitate.

17 Corollarium V. Quantitas materiæ ad peccatum mortale furti sufficiens non rectè mensuratur juxtà dignitatem, vel divitias illius, cui auferrur. Mezger num. 8. Ratio sumitur à multis absurdis, & incommodis Reipublicæ, quæ inde sequerentur: dum quantò quis esset ditior, tantò magis furantium cupiditati & injuriis esset obnoxius. Nam certè, si ponamus, rusticum habere centum florenos, & mercatorem centum millia, ad grave furtum autem respectu rustici requiri plus quàm florenum; sequeretur ad constituendam gravem materiam furti respectu mercatoris ultra mille florenos requiri.

§. III.

Quomodo per minuta furta graviter peccetur?

SUMMARIUM.

18. *Varii modi, quibus fieri solent minuta furta.* 19. *Quid de furante eidem sæpius modicum animo furandi magnam quantitatem?* 20. *Quid de furante sæpius modicum absque illo animo?* 21. *Solvuntur quædam objectiones.* 22. *An sufficiat ad evitandum peccatum mortale de tota summa id solum restituere, per quod in ultimo furto facta est notabilis?* 23. *Quid de illo, qui successivè modica furatus pervenit ad materiam gravem?* 24. *Quid de furante modicum pluribus animo detestendi?* 25. *Solvitur objectio.* 26. *Notantur quædam ad praxin utilia.* 27. *Cui restituendum ob modica furta diversis facta?* 28. 29. 30. 31. *Quid sentiendum, si plures eidem furentur singuli modicum?*

18 Multifariam minuta furta committi solent. Primò sic, ut eadem persona sæpius furetur modicum eidem personæ. Secundò, ut eadem persona furetur modicum diversis personis. Tertiò, ut plures furentur eidem personæ, & quidem singuli modicum. Quarto, ut auferens modicum habeat animum per frequentia furtula gravè damnum inferendi. Quinto, ut non habeat talem animum. Nunc ad ea, quæ in præsenti tractari solent, procedendo,

19 Dico primò. Qui repetitis vicibus modicum furatur eidem personæ animò furandi successivè magnam quantitatem, in singulis furtulis peccat mortaliter: ad restitutionem tamen non obligatur sub mortali pro singulis ablationibus, priusquam ad notabilem quantitatem pertigerit. Ita communis teste Mezger to. 3. tract. 12. disp. 40. a. 2. n. 1. Ratio primi est: quia actus externus sumit malitiam ab actu interno: cùm ergo actus internus furantis sit mortaliter peccaminosus, utpote habens pro objecto notabile damnum proximi, etiam actio externa furti erit mortaliter peccaminosa. Vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 7. num. 36. Bonac. de Restit. disp. 2. q. 8. pu. 4. num. 1. Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 21. n. 2. Lugo de Just. to. 1. disp. 16. sect. 3. num. 36. Ratio secundi est: quia obligatio restituendi non est mensuranda penes voluntatem internam

damnificandi, sed juxta damnificationem externam, damnumque notabile proximè ipsa consecutum. Hoc autem cùm non sit notabile in casu nostro, obligatio restituendi non potest esse gravis. Atque hinc etiam colligitur, censuram, vel reservationem, siqua ob furtum grave imponeretur, non incurrendam à furante in hunc modum modica. Mezger loco cit.

20 Dico secundo. Qui sæpius modicum furatur, quamvis id faciat absque animo accipiendi notabilem quantitatem, in ultimo furto peccat mortaliter, quando successivè venit ad tantam quantitatem, quæ etiam successivè surrepta meritò censetur gravis. Sanchez num. 6. Bonac. num. 2. Lugo num. 38. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 1. num. 6. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 3. §. 1. num. 2. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 5. pu. 2. num. 22. Sporer tract. 5. in 7. præcept. cap. 5. num. 37. Reding to. 13. q. 14. a. 1. controv. 3. num. 5. Mezger num. 2. & communis hodie sententia. Ratio est: quia licèt ultima acceptio seorsim spectata, & secundùm se, non sit gravis, est tamen gravis, in quantum complet acceptiones præcedentes, & cum ipsis sumpta constituit injustam acceptionem materiæ gravis. Confirmatur. Si quis in die jejunii incipiat comedere cibum prohibitum, & successivè perveniat ad notabilem quantitatem, tunc ultima buccella, per quam venitur ad notabilem quantitatem, esto, in se non sit gravis, quatenus tamen sumitur cum præcedentibus, constituit materiam gravem & sufficientem ad mortale peccatum contra præceptum jejunii: ergo similiter, licèt ultima acceptio rei alienæ secundùm se non sit gravis, est tamen gravis sumpta cum præcedentibus in sensu explicato. Intelligenda est autem hæc concl. si fur advertat in ultimo furto, se hîc & nunc pervenire ad notabilem quantitatem. Secus enim non peccat mortaliter: quia inculpabilis inadvertentia gravis malitiæ excusat à peccato gravi: ergo qui habet inculpabilem inadvertentiam de gravitate materiæ, non graviter peccat. Patet conseq. quia hoc ipsum est habere inculpabilem inadvertentiam gravis malitiæ.

21 Sed objicies jam primo. Venialia peccata quantumcunque multiplicata, nunquam constituunt mortale: ergo nec furta venialia constituunt mortale, quantumcunque multiplicentur. Secundo. Ultimum furtulum est ejusdem rationis cum præcedentibus; ergo si hæc, etiam illud est solùm veniale. Tertio. Ultimum furtulum non gravius nocet, quàm præcedentia; ergo neque est gravius peccatum quàm illa. Quarto. Hac ratione famuli & ancillæ vix salvarentur. Nam isti continuò subtrahunt, consumunt, vel malè expendunt quædam modica ex rebus herorum, & nihil unquam restituunt.

Respondeo ad primum, me nunquam dixisse, quòd plura furta venialia constituant furtum mortale; sed solùm velle, quòd materiæ plurium furtorum venialium præcedentium constituant unà cum materia furti ultimi materiam notabilem, ad quam fur advertens peccet mortaliter; atque adeo ultimum furtum, quod ratione materiæ suæ seorsim spectatæ esset solùm veniale, sit mortale ratione materiæ ut conjunctæ cum materia præcedentium. Ad secundum neg. Ant. quia materia ultimi furti est complementum materiæ gravis & damni notabilis: atqui materiæ præcedentium furtorum non sunt ejusmodi complementum. Ad tert. dist. Ant. non magis nocet absolutè sumptum, conc. respectivè sumptum, & ut conjunctum præcedentibus, neg. Ad quartum dico, ejusmodi homines excusari ut plurimùm à peccato mortali, & onere restituendi, cùm propter inadvertentiam, qua fit, ut vix unquam attendant ad gravitatem damni tali modo dominis illati; tum, quia heri in similibus non censentur valde inviti, aut domesticos ita rigidè velle obligatos, ut quævis etiam modica tam exactè curent, atque custodiant. Plura de his occurrent in §. proximo.

22 Sed dubium hîc aliqui movent, an fur teneatur sub mortali peccato restituere totam summam notabilem per minuta furta ablatam, v. g. integrum talerum; vel, an sufficiat restituere solùm id, quod ultimò furtulò abstulit, v. g. quindecim crucigeros? Multi affirmant, hoc secundum sufficere. Inter illos est Sanchez ubi suprà, num. 9. Lugo num. 41. Sporer num. 37. Viva, parte 1. damnat. Thes. prop. 29. idque valdè probabile esse judicat Pettschacher de Restit. pag. 531. imò dicunt alii, esse communem sententiam. Fundamentum est: quia restituto eo, quod ultimò furtulò fuit ablatum, fur non amplius retinet quantitatem rei alienæ notabilem. Ergo sicut ante ultimum furtulum non tenebatur sub peccato mortali ad restituendum, quod tunc abstulerat; quia non erat notabilis quantitas, ita nec tenebitur sub mortali ad id restituendum, postquam restituit, quod per ultimum furtulum abstulit; quia hoc restituto non amplius habet rem alienam in quantitate notabili: & consequenter non tenetur sub mortali ad restituendum plus, quàm partem illam ultimo furto ablatam.

Mihi tamen aliter sentiendum est, nempe totam illam summam esse sub mortali, pec-

peccato restituendam. Ita Joan. Medina & Corduba apud Sanchez num. 8. deinde Esparza, quem refert, & sequitur Pettschacher loco cit. Fundamentum sufficiens eruitur ex damnatione prop. 38. facta ab Innoc. XI. ita sonantis: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Hæc prop utique falsa est; ergo vera est ejus contradictoria: *Tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta &c.* Jam sublumitur: sed quod ablatum est per parva furta, est tota summa notabilis, & non tantùm aliqua pars ejusdem; ergo tenetur quis sub pœnà peccati mortalis restituere totam summam notabilem; & non tantùm aliquam partem. Rursus. Quod ablatum est per parva furta, est aliquid plus, quàm id, quod ablatum est per parvum furtum: sed fur ex mente Pontificis tenetur sub mortali restituere id, quod ablatum est per parva furta; ergo tenetur sub mortali restituere aliquid plus, quàm id, quod ablatum est per parvum furtum, cujusmodi est ultimum, sicut singula ex præcedentibus. Præterea. Fur non tenetur sub mortali restituere, quod abstulit per unicum parvum furtum, sed quod abstulit per parva, adeoque plura furta, si summa ablata sit magna & notabilis. Atqui id, quod abstulit per ultimum furtulum, abstulit per unicum parvum furtum; ergo non tenetur ad id restituendum sub mortali. Ad quid ergo restituendum tenebitur sub mortali, nisi ad totam summam gravem, quæ ex parte per ultimum furtulum ablata, & cæteris per priora ablatis coaluit?

Ad fundamentum contrarium respondetur neg. conseq. quia præceptum restitutionis, quod disp. præced. a. 1. num. 5. docuimus esse principaliter affirmativum, non solùm obligat sub mortali ad non retinendam quantitatem rei alienæ notabilem, sed etiam, & vel maximè, ad resarciendum grave damnum alteri illatum. Licèt autem fur restituto eo, quod per ultimum furtulum abstulit, non amplius retineat rem alterius in quantitate notabili, non tamen hoc ipso resarcit grave damnum eidem illatum: quod proinde adhuc superest resarciendum sub peccato mortali per restitutionem totius summæ ex omnibus modicis furtulorum materiis moraliter coalitæ. Alia solutio peti potest ex dictis disp. primùm cit. art. 3. num. 15.

23 Corollarium. De illo, qui successivè furando modica pervenit ad materiam gravem, & post ultimum furtum, quod illam complevit, rursus accipit alium modicum, hoc est observandum. Si nondum pœnituit de furtis præcedentibus, nec restituere proposuit, tunc rursus accipiendo modica ab eodem peccat mortaliter in singulis acceptionibus. Ratio est: quia tunc habet explicitam, vel saltem implicitam voluntatem augendi damnum notabile proximi, & retinendi notabilem quantitatem rei alienæ cum incremento majori & minori. Si verò pœnituit de furtis præcedentibus, eáque vel jam restituit; vel restituere, data occasione, proposuit, tunc rursus auferendo modica per singula furtula solùm peccat venialiter, donec attingat iterum notabilem quantitatem, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Ratio est: quia in hoc tali eventu pœnitentia, & restituendi propositum interrupit continuationem furtorum præcedentium cum sequentibus, ita ut posterior materia cum priori non coalescat amplius, sed maneat moraliter separata, adeoque venialis, donec iterum concrescat cum aliis novis materiis per subsequentia furtula subtractis. Lugo ubi suprà à n. 43. Sporer n. 39.

Dico tertio. Qui pluribus modicum furando intendit ditescere, & pervenire ad notabilem quantitatem, peccat mortaliter per singula furta, & tenetur restituere. Sanchez ubi suprà num. 13. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 7. num. 36. Lugo num. 48. Salmantic. to. 3. tract. 13. cap. 5. pu. 2. num. 18. Reding to. 13. q. 14. a. 1. controv. 3. à num. 6. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 40. a. 2. num. 5. cum communi. Ratio est: quia intentio accipiendi notabilem quantitatem, qualem iste fur habet, est moraliter peccaminosa. Ipsa quoque furta minuta, seu continuæ executiones illius pravæ intentionis, eandem malitiam participant. Domini præterea quàm maximè reputantur inviti. 24

Dices. Ejusmodi fur accipit modica à diversis, & nulli eorum intendit inferre grave damnum: ergo non peccat mortaliter. Verùm contra hoc est primo, quòd peccent mortaliter, qui utuntur ponderibus, & mensuris justò minoribus, juxta illud Proverb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum:* & illud Deuter. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus &c. abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.* Et tamen ejusmodi defraudatores non intendunt ordinariè cuipiam in particulari inferre grave damnum; ergo. Contra est secundo, quòd semel concesso, tales subtractiones non esse graviter illicitas, hominibus apertatur occasio, ut ex alieno studeant ditescere, utpote parùm ab hoc absterrendi per obligationem abstinendi sub veniali tantùm. Contra est tertio, quòd contraria sententia Hieronymi ab Hangesto communi Doctorum sensui adversetur. 25

Quare ad Object. respondeo neg. conseq. quia plura damna modica simul sumpta constituunt unum aliquod grave damnum illius communitatis, in qua tunc inferuntur. Atque sic multis inferre parvum damnum idem est, ac inferre uni magnum damnum. Unde licèt singuli vix sentiant aliquid incommodi, respublica tamen hinc patitur notabile incommodum: cùm possit per talem summam ex pluribus minutis acceptionibus coalitam alicui notabiliter prodesse, vel salarium, aut stipendium &c. persolvere: sicut suprà num. 11. dictum est de Rege etiam opulentissimo, respectu cujus unum aureum ad furtum mortale ob similem rationem sufficere ostendimus. Confirmatur. Certum est, eum, qui ex ingenti acervo tritici ad rempublicam pertinente auferret scapham, singulis exiguum detrimentum illaturum. Sed quis neget, talem peccaturum mortaliter? Certè nemo. Quare hoc? Ideo nempe: quia damnum respectu singulorum civium leve, respectu reipublicæ grave esse censetur. Ita planè; dum quis modica furatur pluribus, discurrendum est. Accedit denique, quòd ex ista ratione furandi, rémque suam augendi gravissima incommoda humanæ societati universæ orirentur. Nam siquis citra formidinem gravis peccati posset fraudare mensuras, falsificare merces &c, omnis fides & securitas in pactis, contractibus & commerciis tolleretur. Quapropter injusta ejusmodi solertia non minus, quàm fornicatio haberi debet pro graviter illicita: quia sicut illa per se noxia est bono prolis, ita ipsa per se valde noxia est cum singulorum civium indemnitati, tum bono publico. Vid. Less. n. 38. Reding à n. 7. Mezger loco cit.

26 Jam ad praxim in præsenti materia hæc quatuor, quæ sequuntur, oportet advertere? Primum. Longè majori quantitate opus est ad peccatum mortale constituendum, sive quis successivè furetur modica ab eodem, sive à diversis, quàm est illa, quæ simul ablata mortale peccatum constitueret. Volunt autem, requiri ad minimum plus dimidiô. Ratio est: quia domini non sunt ita graviter inviti ob furta plura successivè facta, sicut sunt ob furtum rei notabilis eâdem actione peractum. Ordinariè quoque tam grave damnum non infertur. Vid. Lessius n. 45. Sanchez n. 10. Lugo n. 47. Salmantic. n. 19. Reding n. 9.

Secundum. Major similiter quantitas requiritur ad peccatum mortale, dum quis eodem tempore furripit modica diversis, quàm si eidem. Ratio est eadem: quia tunc omnes & singuli non patiuntur tam grave damnum, & communiter sunt minùs invi-ti. Et quidem Molina to. 3. de Just. disp. 689. duplô majorem quantitatem requirit in furtis diversis dominis, quàm uni illatis. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 1. num. 6. existimat, illum non esse damnandum peccati mortalis, qui triginta mercatoribus furripit triginta pazios, singulis videlicet singulos; licèt, si uni auferrentur, essent gravis materia. Rationem affert: quia nulli ex illis triginta dominis grave damnum infertur.

Tertium. Tunc quoque requiritur major quantitas in furtis, ut sint mortalia, sive diversis, sive eidem fiant, quando per majora temporis intervalla fiunt. Ratio est: tum, quia furtula magnô temporis intervallô repetita non amplius moraliter inter se uniri censentur: veluti, si hoc die modicum furetis, & post tres vel quatuor menses iterum modicum. Tum etiam: quia domin. non solent tam esse inviti ob modica per temporum intervalla sibi surrepta; præsertim à domesticis, (quod meritò notandum) quàm, si quid notabile semel auferatur. Unde, si famulus subtrahendo subinde nummum, vel crucigerum quatuor annorum spatiô perveniat ad quantitatem unius aurei, non videtur furtum mortale committere. Laym. loco cit. Sporer ubi suprà num. 44.

Quartum. Si quis non animo veniendi ad notabilem quantitatem, sed quasi casu per modicas ablationes gravem summam à pluribus accepit, idque in diversis negotiis, & per magna temporis intervalla, is non adeo facilè peccati mortalis est arguendus, & ad restituendum graviter obligandus. Hinc, si citra propositum diteścendi pluribus modicum furando quatuor annorum spatio etiam ad duos, vel omnino tres aureos perveneris, à peccato mortali adhuc excusaberis. Ratio est: quia hinc nèque sequuntur tanta incommoda Reipublicæ; neque domini sunt tam graviter inviti; neque materiæ furtulorum tam facilè in unum grave damnum moraliter coalescunt. Fieri tamen absque dubio potest, ut etiam tales acceptiones pertingant ad unam quantitatem gravem, & mortali furto commensuratam. Vid. Laym. loco cit. Lugo n. 51. Salmantic. loco cit. Reding n. 9.

Ad restitutionem ob similia furta facta 27
diversis quod attinet, docet Lessius num. 41. esse restituendum illis, qui damnum sunt passi, si tamen commodè fieri possit. Quòdsi non possit; vel quia ignoratur, quinam passi sint damnum; vel quia executio est difficilior, quàm res tam modica postulet; vel quia est periculum infamiæ, vult, injungendum esse furi à Confessario, ut det pauperibus; vel in alia pia opera expendat.

Ratio

Ratio est: quia hoc maximè consentaneum esse videtur justæ voluntati dominorum.

28 Nunc de pluribus eidem furantibus videamus. Status quæstionis est iste. Plures transeunt per vineam, singulique botrum decerpunt. Plures ingrediuntur cellam vinariam, & singuli modicum vini furtivè bibunt. Plures famuli eidem domino singuli aliquot nummos clepunt &c. ita tamen, ut omnia simul sumpta conficiant quantitatem notabilem in grave detrimentum domini. Quæritur, quomodo singuli peccent, & ad quid obligentur. Certum est primo, si ita hi furentur communi consilio & consensu, singulos peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem in solidum, nempe in defectu aliorum. Ratio est: quia singuli moraliter cooperantur ad totum damnum. Quòd si unus, qui prior incepit ejusmodi furtum, solùm exemplo suo cæteros induxit, ut similiter furando grave damnum inferrent, peccavit procul dubio & ipse mortaliter, & tenetur saltem ex charitate sub peccato mortali ad partis à se ablatæ compensationem, si spes sit probabilis, reliquos idem facturos: veluti habent Laym. num. 3. Sporer num. 45. Certum est secundo, si casu per ejusmodi furtula notabile damnum dederint, ita ut nullus de alterius subtractione habuerit notitiam, nullum peccâsse mortaliter, & gravem obligationem restituendi contraxisse. Ratio est: quia nullius fuit causa formaliter injusta gravis damni. Itaque solùm superest dubium, utrùm, quando quis sciens, alios quoque modica furari, vel furatos esse, nihilominus & ipse furatur modicum, peccet mortaliter, & sub mortali teneatur restituere, tametsi nec exemplo suo, nec alia cooperatione in aliorum furta influxerit?

29 Affirmant multi, quos refert Lugo sect. cit. num. 54. Probari solet eorum sententia primo. Qui injustè concausat grave damnum, peccat mortaliter: sed ejusmodi furunculus injustè concausat grave damnum. Nam esto, seorsim sumptus hoc non causet, concausat tamen ut cæteris conjunctus; ergo peccat mortaliter. Secundo. Quando unus per plura furtula eidem personæ infert grave damnum, tunc ultimum eorum ut junctum cæteris præcedentibus censetur grave, esto seorsim non sit grave: ergo similiter in nostro casu, licèt furtulum unius seorsim spectatum non sit grave, est tamen grave, quatenùs scienter conjungitur cum cæteris, quæ alii fures commiserunt. Tertio. Qui complet notabile damnum, est causa illius: sed iste talis complet notabile damnum; ergo est causa illius. Maj. est certa. Mi. itidem constat: quia facit, ut damnum, quod alioquin non fuisset notabile, evadat notabile: sicut ille, qui sciens, alios fuisse furatos eidem 13. pazios, furatur adhuc duos, complet notabile damnum civis mediocriter divitis: quod esse jacturam floreni suprà num. 12. diximus. Quarto. Qui hoc modo damnum intulerunt, sub pœna excommunicationis ad restitutionem compelli possunt: ergo peccârunt mortaliter. Quinto. Ex sententia contraria sequeretur, fieri posse, ut quis magnum damnum patiatur ex alieno delicto, & tamen nemo teneatur ad restitutionem sub mortali; quod videtur absurdum. Sexto. Qui videt, Petrum v.g. plura levia vulnera accepisse, eumque & ipse leviter vulnerat, ita tamen, ut exinde moriatur, alioquin supervicturus, nisi hoc ultimum vulnus accipiat, peccat mortaliter quia nempe hoc ultimum leve vulnus conficit detrimentum vitæ grave: ergo idem ob paritatem rationis sentiendum est de furante post alios quid leve: quia tale furtum tunc perficit detrimentum grave. Verùm his non obstantibus, sententia contraria habenda est communior & probabilior. Unde

Dico. Nullus ex ejusmodi furibus 30
peccat mortaliter, aut sub mortali tenetur ad restitutionem. Ita Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 21. num. 22. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 9. num. 52. Lugo num. 55. Salmantic. tract. 13. cap. 5. pu. 2. num. 28. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 3. §. 3. n. 3. Reding ubi suprà n. 11. Mezger to. 3. tract. 12. disp. 40. a. 2. num. 6. Ratio est: quia causa levis damni non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem sub mortali: sed in casu nostro accipiens alienum est causa levis damni; ergo nec peccat mortaliter, nec sub mortali tenetur ad restitutionem. Maj. constat. min. inde habetur, quòd inprimis res, quam quilibet aufert, in se sit modica. Deinde nemo eorum est cæteris auferentibus causa, vel occasio auferendi, ut supponitur. Confirmatur. Ex sententia contraria sequeretur, quòd ex hypothesi, ad furtum mortale sufficere medium florenum, peccares mortaliter, si Titius Cajo v.g. jam surripuisset 24. crucigeros, tuque rei conscius, sine ulla tamen cooperatione surriperes tantùm 6. crucigeros: cùm tamen Titius solùm venialiter peccâsset. Tu quippe, non Titius, per ultimum furtulum completes notabile damnum. Sed conseq. videtur plane absurdum; ergo &c.

Ad fundamenta opposita, & quidem 31
ad primum respondetur dist. maj. qui injustè concausat grave damnum formaliter, peccat mortaliter, conc. qui solùm concausat materialiter, neg. maj. Sed talis concausat grave damnum materialiter, & partialitate effectûs, conc. formaliter & partialitate causæ, neg. mi. &c. nam ipse nullatenus influit

in aliorum surreptiones. Et hinc patet ad secundum. Qui enim sæpius furatur eidem, procul dubio est causa non tantum materialiter, sed etiam formaliter totius damni per furta præcedentia illati. Ad tertium neg. maj. nam is, qui lineæ novem pedes longæ addit decimum, non propterea est causa longæ lineæ: neque is, qui summæ 99. aureorum addit adhuc unum, censetur dare summam 100. aureorum. Ad quartum conc. Ant. neg. conseq. quia potest contingere, ut quis ex justa causa, & præcepto Superioris obligetur ad actum aliquem, ad quem aliàs nullo modo fuerat obligatus, v. g. ut intersit supplicationi publicæ; ut solvat mulctam lege impositam &c. Ad quintum conc. seq. negatur absurdum. Nam idem quoque concedi solet, quando damnum, etiam quodcunque grave, illatum est ab uno citra gravem culpam Theologicam; ut suprà, disp. 4. a. 3. num. 12. docuimus. Ad sextum conc. Ant. neg. conseq. & parit. quia ultimum vulnus infert gravissimum damnum. Nam licèt in se appareat leve, inflictum tamen homini in talibus circumstantiis est grave & lethale ratione distinctæ indispositionis corporalis, ex qua mors consequitur, de novo causatæ. Atqui ultimum illud furtulum leve omnino damnum infert: cùm eo posito dominus in rebus suis parùm minus, eo non posito parùm plus habeat.

§. IV.

Qualiter ex furtis domesticorum obligatio restituendi oriatur?

SUMMARIUM.

32. *Graviter peccant domestici peccato furti, dum ex re domestica notabilem quantitatem auferunt.* 33. 34. *Quænam respectu illorum sit quantitas notabilis?* 35. 36. 37. *Resolutiones de filiofamilias, uxore, famulis & ancillis.* 38. 39. 40. *Resolvitur quæstio, an licita sit occulta compensatio?* 41. *An Sartores licitè retineant segmenta remanentia?*

32 NOmine domesticorum uxorem, liberos, propinquos, famulos intelligimus. De quibus certum est apud omnes, eos graviter peccare peccato furti, & teneri ad restitutionem, si notabilem quantitatem auferant patrifamilias rationabiliter invito. Cùm enim reverà injustè inferant grave damnum, non minùs contrahunt reatum furti gravis & obligationem restituendi inde sequi natam, quàm alii fures non domesti-

ci. Peculiaris tamen difficultas est, quænam respectu istorum sit quantitas notabilis & sufficiens ad mortale peccatum? In qua re

33 Dico primo. Ad furtum mortale talium personarum major quantitas requiritur, quàm ad furta extraneorum. Ita communiter DD. Ratio est: quia circa domesticorum furta dominus plerumque est minùs invitus: vel quamvis sit valde invitus, sæpe tamen id fit non tam ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi ipso inscio; aut etiam ratione finis, propter quem accipitur, v. g. ad lusum, compotandum &c. Cæterùm inter ipsosmet domesticos hîc aliqua differentia versatur. Nam pater minùs est invitus rationabiliter, si uxor, vel liberi quidpiam clanculariò surripiant, quam si alii propinqui: item, minùs, si propinqui: quàm si famuli: aut, si famuli chariores, quàm, si non ita chari. Nunc

34 Dico secundo. Non potest absolutè determinari certa quantitas ad mortale domesticorum furtum sufficiens, sed prudentùm judiciô est definienda, attentis circumstantiis, inprimis personarum; ut divitiis, vel paupertate, vel liberalitate domini: item modo & fine surripientium. Considerandæ sunt etiam circumstantiæ objecti, putà, an furtum sit circa esculenta, vel poculenta; an verò circa pecunias, vel alia pretiô æstimabilia? Constat enim, dominos communiter esse minùs invitos, si domestici surripiant illa, præsertim in proprios usus, vel pauperum, quàm, si ista auferant. Bannez, ut refert Lugo de Just. to. 1. disp. 16. sect. 4. num. 76. concedit, filium parentis prædivitis non peccare mortaliter, si furetur ab illo minus, quàm 50. aureos. Sed hoc est nimium concedere. In filio tamen principis, ait Lugo, tolerari posset. Salas relatus ab Illsung tr. 4. disp. 3. q. 4. a. 2. num. 153. ex 100. florenis patris filio permittit duos sine peccato mortali auferendos. Less. de Just. lib. 2. cap. 12. dubit. 13. num. 76. duos vel tres aureos ex universis facultatibus parentis prædivitis negat sufficere ad furtum mortale committendum à filio, vel filia. Quod idem à fortiori dicere debet de uxore: cùm ista sit socia mariti, & quodammodo jus administrationis bonorum habet. Ex dictis resolvuntur sequentia:

35 I. Filius graviter peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, si notabilem quantitatem pecuniæ concessæ à patre ad honestos usus, v. g. ad comparandos libros, vestes, victum, contra voluntatem concedentis expendat in lusum, compotationem, aut fœminas. Less. num. 77. Mezger tom. 3. tract. 12. disp. 40. a. 3. num.

2. Ratio est: quia tunc parens est rationabiliter graviter invitus non tantùm circa modum, quo filius malè expendit pecunias, sed etiam circa ipsam substantiam expensarum. Cùm dominium ejus summæ non voluerit in filium transferre absolutè, sed cum restrictione ad determinatos usus; adeoque filius suo nomine absumpserit pecunias, quarum nullum habuit dominium.

36 II. Uxor sine peccato furti & injustitiæ ex bonis mariti accipit, quidquid est necessarium ad ipsius & familiæ honestam sustentationem. Quo nomine veniunt non tantum victus, vestes, medicamenta, sed etiam eleemosynæ, & donationes moderatæ, aliique sumptus ipsius statui & conditioni convenientes. Reding tom. 13. q. 14. a. 1. controv. 2. num. 9. ex communi Theologorum. Ratio est: quia maritus circa ista non est rationabiliter invitus: imò est obligatus ad congruè sustentandam uxorem.

37 III. Famuli & ancillæ non sunt condemnandi furti mortalis, dum furantur esculenta & poculenta, licèt paulatim perveniant ad quantitatem notabilem, modò ea, quæ furantur, ipsi consumant, non vendant, sintque eadem ordinaria, nec soleant accuratè recondi & custodiri. Less. dubit. 8. num. 47. Laym. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 1. num. 5. Salmantic. tom. 3. tract. 13. cap. 5. pu. 4. num. 41. Reding n. 2. Ratio est: quia domini circa hæc non tam sunt inviti quoad substantiam, quàm quoad modum, quòd scilicet occultè, ipsisque irrequisitis furripiantur. Norunt enim, attenta fragilitate humana, res domesticas ab iis, quibus concreditæ sunt, non solere tam fideliter administrari, ut non aliquid adhæreat manibus contrectantium, ait Lugo, ubi suprà, num. 78. Sed, quando dominus non est invitus nisi circa modum, quo res ipsi aufertur, in ejus ablatione non committitur peccatum mortale furti; ergo &c. Atque hinc à peccato mortali excusantur uxores, filii, propinqui, amici & similes, dum furantur, quæ præ verecundia & timore non audent petere, concedenda tamen, si peterent. Reding loco cit.

38 Demum, quod attinet ad famulos & ancillas, solvenda superest quæstio frequenter occurrens in praxi, an eis licita sit occulta compensatio? Ista in eo consistit, quòd quis inscio debitore accipiat, vel retineat ex bonis illius, quod sibi debetur. De hac compensatione communis est sententia, eam cum certis conditionibus esse licitam. Ratio est: quia, positis talibus conditionibus (quas mox afferemus) debitor non potest esse rationabiliter invitus neque quoad substantiam rei acceptæ, vel retentæ, neque quoad modum, quando debitor ex bonis ipsius sibimet occultè restituit. Non quoad substantiam; quia creditor utitur jure suo, & accipit rem vel formaliter, vel æquivalenter suam. Non quoad modum; quia supponitur, omnem aliam viam obtinendi rem debitam creditori moraliter esse impossibilem. Vid. Less. dubit. 10. Lugo sect. 5. num. 86. Petrschacher de Restit. pag. 536. Illsung tract. 4. disp. 3. q. 4. art. 4. num. 167.

Cæterùm conditiones requisitæ, ut li- 39
cita sit occulta compensatio, sunt istæ. Prima, ut debitum sit liquidum, sive, ut quis sit moraliter certus, sibi deberi: quia alioquin melior erit conditio debitoris possidentis. Secunda, ut creditor vel omnino non possit, vel saltem non sine notabili incommodo debitum vel exigendo, vel per Judicis sententiam obtinere. Tertia, ut res actu sit debita. Quia anticipata solutio propria authoritate procurata est illicita, nisi urgeat gravis necessitas, & citra speciale debitoris damnum fieri possit: ad quod ante illatam injuriam subeundum justè cogi non potest. Quarta, ut removeatur periculum, ne tibi, vel tuo hæredi idem tursus solvatur. Unde debitor dextrè monendus est, cum nihil debere ampliùs; ne maneat in priori existimatione, se nondum solvisse. Quinta, ut ejusmodi compensatio non fiat in præjudicium tertii, qui vel idcirco veniet in suspicionem furti; vel habet jus prælationis in bonis debitoris. Sexta, ut non fiat in re tertio fortè oppignorata, elocata, vel commodata. Hoc enim cederet in injuriam tertii. Septima, ut fiat ex rebus ejusdem speciei cum debito. Unde non licet pro pecunia debita accipere frumentum, vel pro frumento debito vinum. Hæc tamen conditio non est necessaria, quando compensatio in eadem specie rerum fieri nequit. Itaque tunc in foro conscientiæ fieri potest in quibuslibet aliis rebus, servata æqualitate. Unde, si debitos tibi sex florenos v. g. recuperare non possis, licitum erit accipere quantitatem frumenti, aut vini ejusdem valoris, ut habet Laym. ubi suprà, num. 9.

Ablatis conditionibus modò recensitis, 40
illicita est occulta compensatio. Quia tunc suscipitur vel contra Justitiam, vel charitatem, vel legitimum ordinem repetendi debitum. In praxi vix unquam contingit, ut omnes memoratæ conditiones adsint. Hinc usus occultæ compensationis non facilè concedendus est. Patet insuper, cur damnata sit ab Innocentio XI. hæc prop. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte*

calliè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiant. Nam intelligenda est hujus sententiæ prohibitio de compensatione conditionum, quas attulimus, limitibus non circumscripta. Est autem plerumque periculum, ne desit prima conditio: cùm facilè contingat, ut ejusmodi homines pravæ cupiditatis instinctu operæ suæ pretium nimis æstiment & extollant supra victum & salarium: quod percipiunt, soláque probabilitatis cujusdam specie contenti moraliter certi esse, num sibi quid ultrà sit debitum, non curent. Quare ne in propria causa (ubi nemo non cæcutit) simul judices sint & executores, opus habent judicio viri docti, prudentis, & passione vacui, qui omnibus pensatis, statuat, sitque moraliter certum, quòd debeatur majus salarium, vel non sit. Et quod de famulis nunc monuimus, etiam de Officialibus Principum, artificibus, & aliis intelligendum est. Vid. Illsung q. cit. a. 2. n. 154. Viva p. 2. damnat. thes. prop. 37.

Quæritur demum, an Sartores licitè retineant ac vendant segmenta, quæ remanent post factas vestes? Respondeo, id eis esse licitum non tantùm, quando sunt particulæ panneæ, aut sericæ v. g. adeo modicæ, ut pro derelictis haberi videantur à dominis, sed etiam, quando essent majoris valoris. Ita Sanchez lib. 1. Consil. cap. 7. dub. 2. num. 4. Lugo disp. illa 16. sect. 4. n. 84. Reding to. 13. q. 14. a. 1. controv. 2. num. 10. Ratio est: quia sartores, etiam timoratæ conscientiæ, testantur, minus sibi mercedis solvi solere à dominis, quàm mereantur conficiendo vestes. Hinc justè ex ejusmodi segmentis compensant sibi, quod adhuc esset solvendum. Monet tamen Lugo hanc talem compensationem non esse nimiùm extendendam, & non instituendam, nisi juxta morem sartorum timoratæ conscientiæ. 41

DISPUTATIO VI.

De Contractibus.

CUm in humana societate adeò multi Contractus occurrant, ut de omnibus in particulari differere res esset propè immensi operis; hinc aliquos tantùm, eosque præcipuos, qui Confessariis frequentiùs negotium facessunt, breviter explicandos suscipimus.

ARTICULUS I.

Quid sit Contractus?

SUMMARIUM.

1. *Triplex acceptio Contractus.* 2. *Donatio & Promissio sunt minùs propriè Contractus.* 3. *An valeat Contractus sine animo contrahendi?* 4. *Item, sine animo se obligandi?* 5. 6. *Quid de Contractu inito ex errore circa qualitatem rei accidentalem.*

1 TRiplicem invenio acceptionem Contractûs. Nam primo accipitur latè & confunditur cum pacto, aut quacunque conventione aliquorum inter se ad quidpiam dandum, agendum, vel nonagendum, sive inde oriatur aliqua obligatio, sive non. Pactum quippe definitur: *Duorum, vel plurium in idem placitum consensus. l. 1. ff. de Pactis.* Secundo Contractus accipitur strictè pro tali solùm conventione aliquorum inter se, ex qua utrinque nascitur obligatio, & definitur: *ultro, citroque obligatio; l. Labeo. 19. ff. de verb. signific.* quæ tamen definitio non est formalis, sed causalis. Cùm Contractus non sit formaliter obligatio, sed causa obligationis. Tertio accipitur Contractus modo quodam medio, ita ut vi illius in una tantùm parte oriatur obligatio. Et definitur à Salmantic. to. 3. tract. 14. cap. 1. pu. 1. & aliis, quòd sit *Conventio duorum obligationem saltem in alterutro pariens.* Nos hîc nomen Contractûs usurpabimus in ea universalitate, ut comprehendat contractum tam strictè, quàm minùs strictè seu medio modo dictum. In quam rem ita placet definire Contractum: est *Conventio duorum vel plurium pariens obligationem ad aliquid dandum, vel agendum.* Vid. Tambur. lib. 8. Decal. tract. 3. cap. 6. §. 1. Hæc definitio, ut vides, præ-

præscindit à Contractu tam strictè, quàm minùs strictè seu propriè accepto, de utroque tamen prædicari potest tanquam quid superius.

2 Ex dictis infertur primo, venditionem, conductionem, mutuum esse propriè ac strictè; donationem verò & promissionem esse minùs strictè Contractûs. Ratio est: quia venditio &c. in utraque parte; donatio & promissio in altera solùm parte gignunt obligationem. Dices. Mutuatio in solo mutuatario parit obligationem. Cur ergo recensetur inter Contractus propriè dictos? Respondeo, etiam in mutuatore nasci obligationem. Tenetur enim non repetere statim, sed ad tempus aliquod permittere, ut alter fruatur re mutuata. Less. lib. 2. de Justit. sect. 3. cap. 17. dubit. 1. n. 3.

3 Infertur secundo. Illum invalidè contrahere, qui habet animum non contrahendi, licèt verbis dicat, se contrahere. Ratio est: quia non potest à quoquam oriri obligatio ad aliquid sine voluntate se obligandi. Quod constat etiam in Matrimonio. Hoc enim neque divinitus potest subsistere in ratione Contractûs sine consensu contrahentium. Salmantic. num. 7. Tambur. n. 3. Talis proinde vi Contractûs ad nihil obligatur. Aliunde tamen obligatur ad compensanda damna, quæ proximo sequuntur: quia nempe illa fictione sua decepit ipsum; ut habent Authores citt.

4 Infertur tertio, illum quoque probabliùs non validè contrahere nec obligari ex Contractu, qui contrahit animô contrahendi, sed sine animo se obligandi, cùm tamen sciat ex Contractu nasci obligationem. Ita Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 5. Salmantic. tract. 9. de Matrim. cap. 1. pu. 3. à n. 28. & alii apud utrosque. Ratio est: quia obligatio, quæ non est ex lege publica vel præcepto Superioris, oritur ex privata hominis voluntate ceu lege quadam privata; sicut suo loco de Voto diximus: consequenter, ubi deest in contrahente voluntas se obligandi, nulla est obligatio ex Contractu. Neque juvat, si dicas, ex Contractu sequi necessariò obligationem. Respondetur enim, obligationem sequi ex Contractu vero, non autem ex ficto, & reipsa nullo, qualis est, qui celebratur sine animo se obligandi; cùm habeat adjunctam conditionem contrariam substantiæ Contractûs. Illud nihilominùs certum est, talem obligari ad omnia damna ob eandem rationem, quam in priori n. reddidimus. Tambur. n. 5.

5 Infertur quarto, validum esse Contractum, licèt error vel dolus interveniat circa qualitatem, aut circumstantiam aliquam accidentalem, nisi fortè contrahens habuerit intentionem conditionatam se non obligandi ejusmodi qualitate seu circumstantia non existente. Ita communis. Vid. Less. cap. cit. dub. 5. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 5. Salmantic. tract. 14. de Contr. cap. 1. pu. 3. Mezger tract. 13. disp. 41. a. 2. §. 2. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 2. sect. 3. Ratio est: quia cum tali errore vel dolo subsistit sufficiens consensus in Contractum, v. g. in emptionem talis rei. Unde, si emisti equum existimans esse generosum ac strenuum, validè emisti, quamvis postea experiaris esse pigrum. Similiter, si Matrimonium contraxisti cum Titia errore, vel dolo inductus, ut crederes, esse divitem, aut virginem, validè contraxisti, etiamsi postea comperias esse pauperem, aut corruptam. De cætero tales Contractus ex errore, vel dolo initi, si sint solubiles, (quales non sunt Matrimonium & Professio Religiosa) irritari & rescindi possunt pro arbitrio decepti, etiamsi à se ipso deceptus sit; ut docent Salmantic. n. 22. & alii apud ipsos. Potrò in casu rescissionis alter tenetur reddere, quod accepit; imò compensare damna ex deceptione secuta, si fuit causa illius. Quæ eadem obligatio extendi quoque debet ad alium tertium, qui similiter fuit causa, ut contrahens deciperetur.

6 Dixi: *nisi fortè contrahens &c.* in tali namque casu qualitas vel circumstantia intrinsecè pertinet ad objectum & motivum Contractûs: quo non subsistente Contractum esse nullum ob defectum consensûs in contrahente fatentur DD. communiter, quando docent, Contractum esse invalidum, si error vel dolus obveniat circa rei substantiam: ut, si vendens gemmam putet esse vitrum, & pro tali vendat, aut putans vitrum esse gemmam vendat pro gemma. Et similiter, si credens, Matrimonium se contrahere cum Titia, contrahat cum Sempronia. In his enim, aliisque ejusmodi casibus alter contrahentium non consentit in id, quod subest istis accidentibus, sed in aliud, quod putat subesse. Unde in allatis exemplis emptor re comperta tenetur restituere gemmam; quia venditor non consensit in alienationem gemmæ, sed vitri: & venditor vitri tenetur reddere pretium gemmæ; quia emptor non consensit in comparationem vitri, sed gemmæ. Similiter Matrimonium cum Semptonia est nullum; quia contrahens non in illam consensit, sed in Titiam. Vid. Less. n. 28. Salmantic. n. 19. Mezger n. 5. Laym. n. 1. De Contractibus ex meru initis, an, & qualiter validi, aut invalidi sint, satis deduci potest ex tract. de Actibus hum. ubi egimus de Voluntario & Involuntario.

ARTICULUS II.

De Promissione, & Donatione.

§. I.

De Promissione.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Promissionis* 2. *Non obligat Promissio facta cum semiplena deliberatione.* 3. *Uti nec facta sine intentione se obligandi.* 4. *Quid, si res partim sit licita, partim illicita; partim possibilis, partim impossibilis?* 5. *Promissio ante acceptationem non parit obligationem,* 6. *estque ante eandem semper revocabilis.* 7. *An obliget Promissio meré interna?* 8. *Invalida est Promissio, sicut & Donatio, Promissario aut Donatario mortuo ante acceptationem.* 9. 10. *Quomodo Promissio, aut Donatio acceptari possit & debeat?* 11. 12. *Simplex Promissio sub veniali solùm obligat per se loquendo.* 13. *Per accidens tamen obligare potest sub mortali.* 14. *Cur votum in materia gravi obliget graviter, non autem Promissio homini facta?* 15. *Quando status rerum notabiliter mutatur, desinit obligare Promissio.*

1 PRomissio, ut est hujus loci, sumitur pro ea, qua aliquid promittitur gratuitò ex liberalitate, vel gratitudine, & describitur à Less. lib. 2. de Just. cap. 18. dubit. 1. quòd sit *deliberata & spontanea fidei obligatio, facta alteri de re quapiam bona & possibili.* Dicitur *deliberata*, nempe deliberatione plena, qualis ad peccatum mortale, sicut etiam ad meritum & votum validum requiritur. Dicitur *spontanea.* Quia promissio metu vel fraude extorta nullam parit obligationem. Dicitur *obligatio fidei*, quo significatur, ad veram promissionem requiri, ut homo alteri det fidem, id est, se obliget ex virtute fidei, seu fidelitatis. Unde non sufficit dicere: *Ego hoc faciam:* Sic enim exprimitur nudum propositum faciendi, quod non obligat. Dicitur, *de re quapiam bona & possibili.* Quia neque ad rem malam, id est, illicitam, neque ad impossibilem dari potest obligatio. Ex quibus

2 Infertur jam primo, eum, qui aliquid promittit cum semiplena deliberatione, ita ut non satis advertat, quid faciat, non obligari etiam sub veniali ad præstandum, quod promittit. Ratio est: quia obligari vi promissionis est onus quoddam, quod sponte suscipitur: adeoque nulli censeri debet impositum, nisi perfectè in illud consenserit. Ad perfectum autem consensum requiritur plena seu perfecta deliberatio, sive animadversio, quid agas. Less. n. 2.

Infertur secundo, non sufficere ad validam promissionem, si quis dicat: *Ego promitto me hoc facturum*: vel: *Ego promitto me facturum, quidquid jusseris*, quando ita dicit non ex intentione se obligandi, sed vel exprimendi propositum animò conceptum, vel contestandi paratam ad alterius obsequia voluntatem, ut sæpe solent homines urbani. Ratio est: quia hoc non est dare fidem alteri, seque obligare ex virtute etiam fidelitatis. Bonac. disp. 3. de Contract. q. 12. pu. 1. n. 13. Salmantic. tract. 14. cap. 4. pu. 4. n. 66. In dubio, an quis verè promiserit, docet Less. n. 7, attendenda esse verba, quibus usus est, quæ si expressam promissionem præseferant, judicandum in utroque foro, quòd validè promiserit. 3

Infertur tertio, si res promissa partim est licita, partim illicita; partim possibilis, partim impossibilis, promissionem esse validam & implendam quoad partem licitam & possibilem. Bonac. n. 15. Mezger tract. 13. disp. 45. a. 1. n. 2. Ratio est: quia utile per inutile non vitiatur, ut sonat Regula 37. Jur. in 6. Atque hinc puella nobilis, quæ contra voluntatem parentum & cum indignatione familiæ nuptias promisit ignobili & pauperi, tenetur stare promisso, quia hujus saltem executio non videtur illicita. Less. n. 10. ubi idem tenet de promissione alia quacunque prodiga, cujus adimpletio fieri potest sine peccato. Sed nunc alia de Promissione veniunt expedienda. Igitur de illa 4

Dico primo. Promissio ante acceptationem nullam in promittente parit obligationem, Ita communis sententia. Estque idem tenendum de Donatione. Ratio est primo. Quia, ut habetur *l.* 1. *ff. de pactis*, obligatio non nascitur, nisi mutuo duorum consensu. Atqui ante acceptationem non adest in præsenti mutuus duorum consensus; ergo. Secundo. Quia promissarius ante acceptationem nullum habet jus activum, in quo fundetur obligatio passiva promittentis; cùm sit ignarus, quid circa se agatur; imò fortè invitus circa promissionem. Tertio. In Contractu oneroso, dum quis se obligat, semper imbibitur hæc conditio: *Si alter vicissim se velit obligare*: ergo etiam in Promissione & Donatione imbibitur conditio: *Si alter acceptet.* Ut proinde promittens vel donans non habeat animum se obligandi, donec alter acceptet. Vid. Less. cap. cit. dubit. 6. Mezger ubi supra n. 5. 5

Ex

6 Ex dictis sequitur primo, Promissionem, aut donationem, antequam acceptetur, semper esse revocabilem. Ratio est: quia ante acceptationem nulla in promittente oritur obligatio: & consequenter Promissio manet in ipsius potestate, ut mutare voluntatem, eamque revocare possit. Sed quid, si Promissio aut Donatio juramentò fuerit firmata? Respondeo, esse nihilominùs revocabilem. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam primordialem actûs, cui adhæret: ergo sicut Promissio aut Donatio ex natura rei imbibit hanc conditionem: *si alter acceptet*, ita juramentum censetur factum sub eadem conditione: & consequenter sicut non addito juramento utraque est revocabilis, ita etiam addito juramento: dummodò tamen factum non fuerit per modum voti. Ita Bonac. ubi suprà pu. 2. num. 5. Salmantic. num. 70. Mezger n. 7. & alii.

7 Sequitur secundo, Promissionem vel Donationem merè internam homini factam non obligare. Ita communiter DD. Ratio sufficiens est: quia alter in actum merè internum, u potè sibi ignotum, non potest consentire. Obligatio autem, ut diximus, non nascitur, nisi ex mutuo duorum consensu. Dixi, *Promissionem internam homini factam non obligare.* Nam Deo cordium inspectori facta nos obligat Deo. Less. dubit. 5. num. 28. Et constat sufficienter ex dictis de Voto.

8 Sequitur tertio, si promissarius, aut donatarius ante acceptationem moriatur, invalidam esse donationem vel promissionem. Ratio est: quia neutra amplius acceptari potest. Dices, posse acceptari ab hæredibus. Istos enim succedere in jura mortuo competentibus. Sed contra est, tum, quòd ea potestas acceptandi sit personalis; adeoque extinguatur morte promissarii, aut Donatarii. Tum, quòd hæredes solùm succedant in juribus defuncto quæsitis & realibus. Atqui defunctus, de quo hîc sermo, nullum habebat ejusmodi jus ante acceptationem; ergo. Vid. Salmantic. num. 74. Less. dubit. 6. num. 35. Mezger n. 12. Quòd si econtra promittens aut donans moriatur ante acceptationem, docent iidem authores, sicut & Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 6. num. 5. promissionem vel Donationem posse validè acceptari. Ratio est: tum, quia ejusmodi promissio aut Donatio ex parte defuncti fuit perfecta & valida, nec revocata ante mortem, ut supponitur. Tum, quia gratia alteri facta non extinguitur morte eam facientis. Atqui promissio, vel Donatio est gratia facta promissario aut donatario. Tum, quia talis donatio non potest revocari per hæredem, ut passim tradunt DD. teste Less. num. 45. quod signum est, eam validè acceptari posse post mortem donatoris. Cùm alioquin superfluè & inaniter adempta esset hæredi potestas revocandi. Verùm

9 Quæstio nunc oritur primo, quomodo Promissio aut Donatio acceptari possit aut debeat? Respondeo sufficere, si promissarius aut donatarius, sive per se, sive per alium exhibeat signum aliquod exterius quodcunque aptum ad manifestandam voluntatem acceptandi. Imò addo, sufficere, si taceat, quando Promissio vel Donatio est illi favorabilis. Quia tunc locum habet ex Regula Juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*: sicut, dum Donatio est odiosa, locum habet alia contraria: *Qui tacet, nec consentire, nec dissentire videtur.* Mezger num. 8.

10 Quæritur secundo, quid requiratur, ut absens Promissionem, aut Donationem validè acceptet? Respondeo, ex parte promittentis aut donantis requiri, ut suam promissionem vel Donationem promissario, aut donatario per litteras, vel internuntium significet; ex parte verò promissarii aut donatarii, ut & ipse vicissim alterutro ex his modis suam acceptationem promittenti vel donanti significet. Ratio est: quia sine hac mutua significatione non exprimeretur duorum inter se consensus, prout ad quemlibet Contractum requiritur. Atque hinc

Sequitur primo, non sufficere in præsenti, si tertius quispiam nullum habens mandatum Promissionem aut Donationem significet promissario, vel donatario, isque coram ipso eandem acceptet. Ratio est: quia ejusmodi tertius non potest repræsentare personam promittentis aut donantis. Sequitur secundo, similiter non sufficere, si promissarius aut donatarius coram alio, qui non est internuntius, dicat, se acceptare. Ratio est: quia sic non censetur promittenti aut donanti respondere, suamque cum illo voluntatem conjungere. Sequitur tertio, promittentem aut donantem validè revocare Promissionem, vel Donationem, si revocet, antequam epistola, vel internuntius perveniat ad promissarium, vel donatarium. Ratio est: quia sic revocat ante acceptationem. Vid. de his Less. ubi suprà à num. 4. Salmantic. num. 72. & 73. Mezger num. 9. & 10. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 7. a. 1. num. 373.

11 Dico nunc secundo. Simplex & gratuita Promissio, quantumvis legitimè acceptata, per se loquendo obligat solùm sub peccato veniali. Ita D. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. Cajetanus, Ledesma, Bannez, Joan. à S. Thoma, Diana & alii, quos referunt & sequuntur Salmantic. pu. cit. §. 2. quod idem tenet Mezger n. 14. Ratio est: tum, quia

quia obligatio ejusmodi Promissionis oritur ex virtute fidelitatis, quæ solùm obligat sub veniali, ejusque violatio solùm continet deceptionem proximi citra damnum illius. Tum, quia communi hominum judicio parùm æstimari solent simplicium Promissionum violationes, eisque obnoxii non argui solent injustitiæ, ut fures, aut qui debita justitiæ non solvunt, sed levitatis & inconstantiæ. Tum, quia, si exigeres à promissoribus, ut Promissionem suam chirographó, aut juramentô firment, ordinariè dicerent, se nolle tam strictè obligari. Quod signum est, eos simpliciter promittendo non imponere sibi gravem obligationem.

12 Dices. Obligatio pendet ex intentione promittentis. Ergo licèt leviter solùm obligetur, si leviter solùm ex fidelitate se voluerit obligare, graviter tamen tunc saltem obligabitur, si voluerit se graviter obligare ex justitia. Respondeo, cùm objectum simplicis ac nudæ Promissionis tantùm sit honestas & debitum morale fidelitatis, esse implicantiam in adjecto velle se obligare ex justitia sistendo intra limites hujus talis Promissionis, & non addendo quid aliud, v. g. juramentum, aut solemnitatem juris, quo debitum evadat civile & legale. Sicut est implicantia in adjecto voventem manendo intra limites voti se velle obligare obligatione justitiæ. Non enim minùs debita fidelitatis & justitiæ sunt formaliter distincta, quàm religionis & justitiæ. Pendet quidem obligatio ex intentione promittentis; in ejus tamen potestate non est mutare rerum essentias & objecta actuum. Vid. Salmantic. n. 83. Mezger n. 16.

13 Dixi autem in Concl. *per se loquendo.* Nam per accidens ratione mali, aut damni, quod promissarius incurreret promissione non impleta, fieri potest, ut inde oriatur gravis obligatio charitatis, vel etiam justitiæ. Exemplum est in eo, qui promisit servare secretum magni momenti, cujus revelatio proximo esset valde perniciosa. Item in Medico, qui ægrotanti promisit operam, cujus denegationem prævidet illi graviter obfuturam. Salmantic. num. 77. Mezger num. 13.

14 Objicies. Votum in re gravi obligat graviter erga Deum: ergo etiam Promissio in re gravi obligat graviter erga hominem. Prob. conseq. quia non magis religio, ex qua procedit votum, est pars potentialis justitiæ, quæ ex suo genere obligat graviter, quàm fidelitas, cujus actus est promissio. Respondeo neg. conseq. quia religio est pars justitiæ potentialis tantùm non ob defectum debiti rigorosi erga Deum, sed ob defectum æqualitatis & alteritatis. Atqui fidelitas, cujus actus est promissio, est pars potentialis justitiæ ob defectum debiti rigorosi & legalis erga hominem, utpote respiciens solummodò debitum morale, quod est debitum secundùm quid, & ex quadam honestate. Ex quibus habetur disparitas.

Dico tertio. Promissio antea valida & 15
acceptata toties desinit obligare, quoties status rerum aut personarum ita mutatur notabiliter, ut promittens judicio prudentûm non censeatur fuisse promissurus, si tempore promissionis talis mutatio obvenisset, vel fuisset prævisa. Ita Bonac, de Contract. disp. 3. q. 12. pu. ult. num. 1. Ratio est: quia obligatio Promissionis dependet ab intentione promittentis. Atqui intentio promittentis rationabiliter præsumitur se non extendisse ad obligandum in tali eventu, sed potiùs eundem eventum excepisse. Hinc

Sequitur. Promissionem desinere obligare primo, si res promissa fiat inutilis, illicita, aut impossibilis. Secundo, si superveniat Lex irritans eandem. Tertio, si duo vicissim sibi quidpiam promiserunt, & alter renuit implere. Tunc enim alter potest uti compensatione vicissim non implendo. Quarto, si aliquid promissum fuit ob causam, quæ deinde non subesse deprehenditur. V. g. si cuipiam promisisti, quia putâsti, te ab ipso accepisse aliquod beneficium; postea verò comperis, te non accepisse. In quo casu non teneris stare promisso. Vid. Less. lib. 2. de Just. cap. 18. dubit. 10. Filliuc. tract. 33. cap. 2. num. 31. Bonac. num. 2. Et ratio est: quia in omnibus adductis casibus supervenit notabilis mutatio rerum, aut personarum, vel à parte rei, vel saltem in cognitione promittentis; quod sufficit ad desitionem obligationis in ipso.

§. II.

De Donatione.

SUMMARIUM.

16. *Definitio Donationis.* 17. *Consectaria ex dictis.* 18. *Divisio Donationis.* 19. *Invalida est Donatio omnium omnino bonorum, præterquam in casibus exceptis.* 20. *Valet Donatio omnium bonorum præsentium.* 21. 22. *Quid de Donatione ultra* 500. *solidos?* 23. *In quibus casibus revocari possit Donatio inter vivos?* 24. *Quando revocetur Donatio mortis causâ?*

DOnatio non est propriè, sed minùs pro- 16
priè dictus Contractus, ut in artic. præced.

ced. n. 2. advertimus, cò quòd ex una solùm parte inducat obligationem. Rectè definitur, quòd sit *rei propriæ nullo jure cogente & merè liberaliter alteri facta collatio.* Dicitur *collatio rei*, qua nempe transfertur dominium in donatarium, eique post acceptationem jus & actio adversus donantem acquiritur, quorum neutrum contingit in simplici promissione. Dicitur *rei propriæ.* Tum, ut indicetur materia donationis, quæ est res quælibet propriæ dispositioni, liberòque dominio subjecta; tum, ut innuatur causa efficiens donationis, quæ est omnis ille, penes quem est plenum rei dominium & administratio nomine proprio. Dicitur *nullo jure cogente*, nempe ex justitia, sive naturali, sive civili, ut excludantur Contractus, in quibus aliquid datur tanquam merces operæ, pretium rei &c. Dicitur *merè liberaliter facta*, ut significetur causa motiva donationis, quæ alia esse non debet, quàm honestas liberalitatis & munificentiæ in donante. Ex quibus.

17 Sequitur primo, præter illos, qui jure prohibentur donare, ut ebrii, furiosi, amentes, prodigi, pupilli, minores, & alii apud Salmantic. tract. 14. cap. 4. pu. 5. §. 1. non posse donare Religiosos, nisi ex consensu Prælatorum. Ratio est: quia carent dominio. Less. de Just. cap. 18. dubit. 11. Sequitur secundo, donationem antidoralem seu remuneratoriam non esse propriè donationem. Ratio est: quia non fit ex pura liberalitate, sed respicit etiam debitum gratitudinis pro beneficio accepto. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 13. pu. 1. num. 2. Mezger tract. 13. disp. 45. a. 2. num. 1. ubi etiam observat cum aliis, in prohibitione donationum non comprehendi donationes remuneratorias, nisi aliud ex fine legis colligatur. Sequitur tertio, neque illum donare propriè, qui solvit, quod promiserat. Ratio est: quia id similiter non facit ex mera liberalitate, sed intuitu promissionis præcedentis, adeoque ex motivo fidelitatis. Bonac. num. 3.

18 Cæterùm duplex donatio est, nempe realis, & verbalis. Prior est, quæ habet adjunctam rei traditionem. Posterior, quæ fit absque rei traditione. Utraque subdividitur in donationem gratuitam, quam n. 16. definivimus, & in remuneratoriam, cujus n. præced. meminimus. Item in donationem inter vivos, & in donationem mortis causâ. Inter vivos est, quando donator vult, ut se vivente donatarius habeat rei donatæ dominium. Mortis causâ est, quando donator vult, ut nonnisi post mortem suam res transeat irrevocabiliter in dominium alterius. De quibus ut breviter aliqua expediamus,

19 Dico primo. Invalida est jure communi donatio omnium bonorum tam futurorum, quàm præsentium, nisi fiat Ecclesiæ, vel in aliquam causam piam, vel juramentô confirmetur. Ita communiter DD. Ratio est: quia per hujusmodi donationem homo sibi aufert potestatem testandi, quod est contra bonam Reipublicæ. Dixi: *nisi fiat Ecclesiæ &c.* cùm enim Jus civile non possit impedire opera pietatis & consilia Evangelica, cujusmodi est etiam donare omnia bona Ecclesiæ, valida erit ea donatio, quomodocunque prohibita fuerit legibus. Dixi præterea: *nisi juramentô confirmetur.* Nam supposita ejusmodi confirmatione valet talis donatio. Cùm non sit contra bonos mores, sicut id, quod est illicitum, sed solùm contra libertatem testandi, quam expedit passim esse in Republica. Vid. Less. dubit. 13. Bonac. pu. 5. Salmantic. §. 2. n. 98. Mezger num. 5.

Colligitur jam ulteriùs primò, posse aliquem valide donare omnia bona præsentia. 20
Ratio est: quia sic non adimit sibi potestatem testandi. Potest enim testari de bonis futuris. Less. n. 94. Colligitur secundo, validè quoque donari omnia bona tam futura quàm præsentia donatione mortis causâ. Ratio est: quia hæc talis donatio similiter non præjudicat potestati testandi. Cùm donator nihilominùs possit instituere alium hæredem, qui recipiat Falcidiam, id est, quartam partem. Less. loco cit. Bonac. num. 1. Colligitur tertio, eandem donationem itidem esse validam, si habeat adjunctum contractum aliquem oneroſum. V. g. si fiat ratione Matrimonii contrahendi cum filio, vel filia. Ratio est: quia tunc non est donatio purè gratuita, quæ sola est jure irrita. Salmantic. loco cit. Mezger n. 5.

Dico secundo. Etiam donatio ultra 21
500. solidos est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione, extra casus in n. 19. exceptos. Ita communis. Ratio est: quia ita statutum habetur in *l. penult. Cod. de donat.* ne homines locupletes metu, vel fraude, vel inconsulta temeritate inducti nimis largitionibus se ipsos exhaurirent. Dixi, *quoad excessum.* Secundùm quod enim non excedit eam summam, valida est. Cùm utile non debeat per inutile vitiari, quando ab isto separari potest. Dixi, *nisi fiat cum insinuatione.* Quia hac supposita valet etiam quoad excessum ultra summam memoratam. Insinuatio verò aliud nihil est, quàm simplex suæ mentis declaratio, qua quis declarat Judici, se liberè donare huic tantum vel tantum, ait Less. num. 97. Dixi, *extra casus n. 19. exceptos.* Quia hîc militant eædem rationes excipiendi. Præter illos adhuc alios casus excipiunt Less. n. 100. & 101. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 12. n. 15.

Illsung tr. 4. disp. 2. q. 7. a. 2. num. 386. quos vide.

22 Quæritur nunc primo, an is, cui donatum est ultra 500. solidos, possit excessum illum retinere? Respondeo, posse retinere tuta conscientia, nisi à donatore, vel ejus hæredibus in judicio repetatur, & Judex ad restituendum condemnet. Ita Less. num. 99. Filliuc. tract. 34. cap. 4. num. 89. Bonac. pu. 6. num. 6. Salmantic. ubi suprà num. 95. Mezger num. 4. Ratio est: quia leges civiles non reddunt donatarios inhabiles ad retinendum ejusmodi excessum, utpote validè donatum jure naturæ; sed solummodò donatori, ejusque hæredibus concedunt actionem in foro externo, ut rem donatam quoad excessum possint repetere; quæ etiam post sententiam Judicis restitui debet.

23 Quæritur secundo, an aliquando revocari possit donatio inter vivos? Respondeo, non posse regulariter loquendo; posse tamen revocari donationem etiam traditione perfectam in tribus casibus in Jure expressis. Primus est, si donatarius ingratitudinis reus efficiatur erga donatorem. Putà, si manus impias, idque non sine mortali culpa, in eum injiciat. Si atrocibus injuriis eum afficiat. Si grave damnum in ejus bonis dederit. Si vitæ illius insidias struat. Si modum, seu conditionem donationi appositam implere nolit. Secundus casus est, si quis prole carens magnam partem bonorum donavit, eique postea nascitur proles. Cùm sit pia & justa juris præsumptio, donationem tunc esse factam sub conditione: *Nisi nascantur liberi.* Quòd si donatio facta fuit Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam, solùm revocatur, quantùm opus est, ut liberi postea nati habeant legitimam, ut docent communiter Authores. Tertius casus est, si donatio fuit inofficiosa, id est, contra officium paternæ pietatis in filios: veluti, si parens tantum donavit, ut filii priventur sua portione legitima. Et quidem, si donavit alicui ex filiis, donatio per sententiam Judicis revocatur solùm usque ad legitimam aliorum. Si extraneo cuipiam animô fraudandi liberos, revocatur tota. Si Ecclesiæ, vel piæ causæ, solùm revocatur usque ad portiones legitimas filiorum. Vid. Less. dubit. 14. Laym. n. 17. Salmantic. pu. cit. §. 4. Reding to. 13. q. 8. a. 3. controv. 3. Mezger num. 8.

Quæritur tertio, quando revocetur donatio mortis causâ? Respondeo, revocari primo, si donatorem donâsse pœniteat, vel expresè, vel implicitè, ut fit, si rem illam alteri donet. Secundo, si quis donavit ad hoc commotus instanti aliquo periculo, ex quo mortem timuit incurrere, idque periculum evasit. Tunc enim tacitè revocata censetur donatio. Tertio, si donatarius moriatur ante donatorem. Qui si in donatione promittat, se eam non revocaturum, transit in donationem inter vivos. Vid. Less. à n. 114. Bonac. pu. ult. n. 20. Mezger num. 9. 24

ARTICULUS III.

De Emptione & Venditione.

§. I.

Quid sit Emptio & Venditio?

SUMMARIUM.

1. *Definitio Emptionis & Venditionis.* 2. *Analysis ejusdem.* 3. *Venditio ante traditionem rei non transfert dominium actualiter.* 4. *Emptor ante traditionem non habet jus in re sibi vendita.* 5. *Neque fit dominus rei traditæ, antequam solvat pretium.* 6. *Exempla venditionis invalidæ ex indeterminatione pretii.* 7. *Quid, si determinatio pretii rejiciatur in arbitrium tertii?*

1 LOngè facilius esse emptionem & venditionem concipere, quàm exacta aliqua definitione explicare; satis experiuntur, quotquot eam definire aggrediuntur. Nobis definienda videtur, quòd sit *Contractus mutuo, eoque absoluto consensu constitutus dandi mercem pro determinato pretio, & pretium pro determinata merce.* Alii quidem, ut Lessius, Filliuc. Bonac. aliam definitionem emptioni, aliam venditioni tribuunt. Nobis tamen, uti & Salmanticensibus, Laym. Tambur. & Redingo, placuit ambas eidem inserere: cùm potiùs sint partes unius integri in specie contractûs, quàm species distinctæ, ut advertit Less. lib. 2. de Just cap. 21. dubit. 1. num. 1.

2 Dicitur autem in nostra definitione, *Contractus*, loco generis. Omnis quippe emptio & venditio est contractus, sed non econtra. Dicitur, *mutuo consensu constitutus.* Quia hic contractus solo contrahentium consensu perficitur quoad substantiam. Quamvis, ut sit integraliter ac ultimatè completus, requirat traditionem hinc rei, inde pretii. Dicitur, *absoluto consensu.* Nam si consensus sit conditionatus. v. g. *vendo tibi*

tibi hoc meum prædium, si hoc anno ex militia reversus fueris, contractus primùm perficietur posito eventu conditionis, idque ita, ut ejus effectus, nempe obligatio absoluta retrotrahatur fictione Juris ad tempus initi contractus, perinde acsi consensus ab initio fuisset absolutus. Less. num. 3. Tambur. lib. 8. Decal. tract. 3. cap. 7. §. 1. n. 3. Dicitur, *pro determinato pretio*. Sic enim requiritur in §. *Pretium. Instit. de empt. & vendit.* Unde si quantitas pretii remittatur voluntati emptoris, ut det, quantum ipse voluerit, contractus erit nullus. Salmantic. tract. 14. cap. 2. pu. 1. n. 2. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 2. pu. 1. num. 7. Dicitur, *pro determinata merce*. Nam & hæc debet esse determinata in genere, vel in specie. Atque hinc venditio non erit perfecta quoad effectus ex illa sequi natos, si ex multis, nullo in particulari designato, aliquod unum vendatur. Quamvis sufficiat, si res, quæ venditur, sit determinata, & ignoretur, qualis, aut quanta sit: ut, dum emittur jactus retis in flumen, ubi jactus & spes capiendi est determinata; at non qualitas, aut quantitas piscium, qui capiendi sperantur. Salmantic. n. 3.

3 Ex dictis infertur primo, venditionem substantialiter completam esse solùm in actu primo translativam dominii, non autem in actu secundo illud transferre in emptorem, antequam integraliter compleatur per traditionem rei. Ratio est dispositio Juris positivi in *l. Traditionibus. 22. C. de Pactis. Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Nam Jure naturæ, ait Less. lib. cit. cap. 3. dubit. 3. num. 12. non est necessaria traditio. Accedit, quòd hoc modo meliùs consulatur certitudini dominiorum.

4 Infertur secundo, emptorem ante traditionem habere quidem jus ad rem, non tamen jus in re sibi vendita. Ratio est: quia venditor vi contractûs obligatur quidem emptori ad transferendum rei dominium, illud tamen non transfert, nisi rem tradat, ut diximus. Salmantic. pu. 2. num. 6. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 5. num. 5. Atque hinc, si venditor ante traditionem vendat rem alteri & tradat, hic alter fit rei dominus, & non tenetur eam dare priori emptori, etiamsi in pretium persolverit.

5 Infertur tertio, emptorem non fieri rei dominum etiam sibi traditæ à venditore, antequàm solvat pretium, aut venditor id habeat pro soluto, vel loco illius acceptet æquivalens, cujusmodi est pignus vel fidejussor. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 2. pu. 7. §. 1. num. 4. Tambur. num. 2. Salmantic. num. 7. Ratio est: quia non secuta utrimque traditione, nempe tam pretii ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris, contractus adhuc est incompletus integraliter. Unde etiam advertit Less. cap. 21. dubit. 1. num. 1. quando pœna quæpiam apponitur emptioni aut venditioni, eam intelligendam esse de actibus per traditionem utrimque completis, nisi Legislator aliud expressè intendat.

6 Infertur quarto, invalidam esse emptionem & venditionem, si fiat hoc modo: *Vendo tibi hunc equum justo pretio.* Vel: *Quanti tu ipse, quanti vir prudens judicaverit.* Validam verò esse, si ita fiat: *Emo à te hunc equum, quanti tu emisti:* vel, *ea summa pecuniæ, quam gero in hoc meo marsupio.* Tambur. num. 4. Sporer num. 7. Ratio est; quia in priori modo contrahendi non constituitur certum & determinatum pretium; constituitur autem in posteriore.

7 Infertur quinto, quando contrahentes determinationem pretii rejiciunt in arbitrium tertii eum designando, v. g. Cajum, licèt iidem retrocedere nequeant sine mutuo consensu, contractum tamen non esse validum, priusquam Cajus pretium definiat. Less. num. 3. Tambur. loco cit. Ratio est: quia absque definitione Caji pretium est indeterminatum.

§. II.

De justo pretio.

SUMMARIUM.

8. *Pretium aliud legitimum, aliud naturale: item, aliud summum, aliud infimum, aliud medium.* 9. *Pretia rerum ex quinque capitibus solent crescere, vel decrescere.* 10. *Per se loquendo servari debet pretium publica Authoritate Magistratûs constitutum.* 11. *In illius defectu servari debet pretium naturale.* 12. 13. *& seqq. Corollaria practica.*

8 NOmine pretii intelligitur nummus, seu pecunia, quam inventam esse, ut sit mensura & pretium omnium, quæ veniunt in commutationem, docet Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 5. Pecunia porrò inde dicta est, quòd initiò æs notâ pecudis signari solebat, sicuti testatur Plinius lib. 33. cap. 3. Justum pretium censetur, quod vel publica authoritate, vel communi hominum æstimatione determinatum est. Hinc aliud vocatur legitimum, aliud naturale, vel vulgare. Pretium legitimum est, quod lege vel decreto Principis aut Magistratûs constituitur. Naturale est, quod communi hominum intelligentium judi-

dicîo, pensatis circumstantiis imponitur. Inter hæc duo pretia illud versatur discrimen, quòd legitimum consistat in indivisibili, naturale seu vulgare non item. Quod proinde, cùm habeat quamdam latitudinem, triplex est, ut communiter tradunt DD. *infimum, medium, summum*. Sic v.g. si res juxta medium seu moderatum pretium æstimata valeat 100. ejus summum, seu rigorosum pretium erit 105. infimum, quod etiam pium vocant, 95.

9 Cæterùm pretia rerum ex quinque capitibus solent crescere vel decrescere. Nempe primo, dum est abundantia, vel paucitas mercium. Hæc enim auget, illa minuit pretium. Huc pertinet etiam novitas & antiquitas rerum. Nam & istæ pretium augent, ut patet in fructibus novis, in picturis & statuis antiquis. Secundo; si multum, aut parum sit pecuniæ. Hujus enim copia auget rei valorem, inopia minuit. Tertio, quando sunt multi emptores vel venditores. Nam illorum multitudo in causa est, ut cariùs, horum, ut viliùs distrahantur merces. Quarto, si venditor in comparandis, transportandis, conservandis mercibus multum periculi, damni, aut expensarum subjicit. Hæc enim augent pretium; sicut econtra minuunt comparandi facilitas, securitas &c. Quinto, si quis cogatur vendere minutatim, seu successivè per modicas partes. Cùm enim hic modus vendendi contineat plus molestiæ & difficultatis, minus autem utilitatis, regulariter auget pretium: sicut propter rationes contrarias id minuit, cùm vendere quis potest magnam quantitatem simul. Huc etiam facit venditio per licitationem sub hasta. Tunc quippe licitum est tanti vendere, quanti potes, sine fraude tamen & fallacia, & emere tanti, quanto viliùs potes sine fraude obtinere. Vid. de his Less. de Just. cap. 21. dubit. 4. Tambur. lib. 8. Decal. tract. 3. cap. 7. §. 4. Mezger tract. 13. disp. 43. a. 1. §. 1. Quibus jam præmissis,

10 Dico primo. Quando Princeps, vel Magistratus constituit pretium rerum venalium, id per se loquendo servari debet in vendendo sub obligatione restituendi, si excedatur. Ita communis. Ratio est: quia quod potestas publica ex officio statuit, ut observetur, servari debet, nec potest à subditis revocari in dubium. Atqui pretium rerum venalium potestas publica ex officio statuit; ergo &c. Dixi, *per se loquendo*. Quia, si manifestè constaret, Magistratum vel muneribus, vel odio venditorum, vel crassâ ignorantiâ inductum statuisse pretium injustè, licitum esset eo non attento vendere pretio naturali seu vulgari. Cùm omnis lex, ut obliget, debeat esse justa & rationabilis. Atque hinc, si tempore abundantiæ Magistratus agricolis vendentibus taxavit pretium frumenti, & vult, ut hoc eodem vendant superveniente magna sterilitate, injustè vult, & nemo parere tenetur. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 17. n. 4. Reding to. 13. q. 2. a. 1. controv. 4. n. 7.

Dico secundo. Quando pretium non est taxatum à Principe, servari debet pretium vulgare, ita ut cuilibet prout tulerit occasio, emere & vendere liceat pretio medio, summo, & infimo. Less. dubit. 2. n. 12. Laym. loco cit. Tambur. num. 18. Mezger num. 3. & alii communiter. Ratio est: quia deficiente taxatione Reipublicæ nulla habetur melior mensura valoris rerum venalium, quàm communis hominum æstimatio: cumque unumquodque ex dictis pretiis sit justum, quocunque eorum emas, aut vendas, sufficientem servas æqualitatem inter datum & acceptum. 11

Corollarium primum. Nunquam est licitum in vendendo ascendere supra pretium summum, aut in emendo descendere infra infimum. Ratio est: quia alioquin violatur æqualitas inter datum & acceptum, adeoque committitur injustitia. Neque refert etiam, si solutio differatur in futurum. Quia tunc, ut advertit Mezger, intervenit contractus mutui, ubi non est licitum aliquid accipere supra sortem. Aliud est, si fortè ob periculum, nimiam tarditatem, & difficultatem solutionis adsit titulus plus exigendi. Nam ista pretiô æstimari possunt. 12

Corollarium secundum. Obligaris ad restituendum id, in quo alterum ultra justum pretium decepisti. Ita communiter Theologi cum D. Thoma 2. 2. q. 77. a. 1. Ratio est: quia ejusmodi deceptio est juris alieni damnosa quædam violatio: atqui talis violatio juris alieni parit obligationem naturalem reparandi jus violatum; ergo. Neque refert, quod in foro externo, ut habetur *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* non concedatur actio ad rescindendum contractum, vel supplendum pretium, si quis emendo cariùs, aut vendendo viliùs non sit deceptus ultra dimidium justi pretii. Nam respondetur, leges civiles ita quidem disposuisse ad evitandam multiplicitatem litium; non tamen voluisse, imò nec potuisse, decipientem infra dimidium excusare à restitutione. Quare, si equum valentem 70. vendidisti 80. teneris restituere 10. secundùm quos decepisti, quamvis deceperis infrà dimidium. Vid. Less. dubit. 4. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 2. pu. 4. n. 6. Reding à n. 9. 13

Mezger

Mezger §. 2. Sed quid, si nulla fraus, vel deceptio formalis interveniat, sitque contractus materialiter solùm injustus, eò quòd ex inculpabili imperitia vel ignorantia sive emptoris, sive venditoris mensura justi pretii non servetur? Respondeo, in eo casu damnum passo esse restituendum ex titulo rei acceptæ. Reding n. 14.

14 Corollarium tertium. Qui vendit rem in bonitate notabiliter excedentem res aliorum, quæ communiter venduntur, potest ab ementibus aliquid ultra taxam constitutam exigere. Ita Filliuc. tract. 35. cap. 4. n. 86. Bonac. num. 12. Reding num. 7. Mezger num. 12. Tambur. num. 19. Ratio est: tum, quòd hoc consentaneum esse æquitati naturali ostendat praxis. Tum, quòd constitutio taxæ intelligenda sit de rebus venalibus ordinariæ bonitatis. Confirmatur. Qui vendit triticum v. g. notabiliter deterius triticô, quod communiter venditur, tenetur descendere in pretio, quo triticum communiter venditur: ergo à contrario vendens notabiliter melius potest in pretio ascendere. Dixi, *rem in bonitate notabiliter excedentem.* Nam levis excessus hîc non attenditur: cùm parum pro nihilo reputetur; imò alioquin nunquam taxa servari posset; cùm ferè semper occurrat in mercibus aliquis expressus, vel defectus bonitatis, dum inter se comparantur.

15 Corollarium quartum. Qui in mercibus suis damna passus est ex furto, naufragio, aliove sinistro casu, non potest propterea in vendendo transcendere limites constituti pretii. Bonac num. 29. Tambur. num. 11. Ratio est: quia unaquæque res vendibilis tanti valet, quanti per se æstimatur communiter, non autem, quanti æstimatur judicio alicujus particularis ex damnis, quæ ex infortunio, aut etiam imprudentia propria idem incurrit. Aliud tamen sentiendum de periculis, expensis &c. circa merces communiter occurrentibus: de quibus intelligi volumus. quæ num. 9. tertio loco advertimus. Quòdsi naufragium v. g. multis mercatoribus commune induxit penuriam mercium, tunc pretium crescet ex primo capite, quod n. cit. assignavimus. Vid. Tambur. loco cit.

16 Corollarium quintum. Exteris aliquandò cariùs vendi potest. Less. dubit. cit. num. 30. Tambur. num. 8. & alii. Ratio est: quia fit aliquando, ut per adventum multorum exterorum crescat multitudo ementium, atqueadeo pretia rerum augeantur. In quo tali proinde casu quis potest ejusmodi exteris rem vendere summo pretio justo; civibus autem pretio medio, aut infimo, si velit esse tam liberalis. Si accursus exterorum non sit adeò copiosus, ut pariat augmentum pretii, utique clarum est, non esse licitum illis vendere cariùs, quàm civibus & indigenis, si excedatur mensura justi pretii.

Corollarium sextum. Injustum est per 17
se loquendo propter anticipatam solutionem rem vilius emere, quàm valitura est tempore solutionis. Ita plurimi apud Salmantic. tract. 14. cap. 2. pu. 11. num. 152. ubi dicunt, hanc esse sententiam probabilissimam, & omnino consulendam: quamvis n. deinde 153. cum aliis doceant, sententiam contrariam esse itidem probabilem. Ratio verò prioris ac nostræ sententiæ est: quia justum pretium est, quod rei competit tempore traditionis: ergo injustè emit, qui minori pretio emit, quam tunc valitura est. Confirmatur. Non est licitum per se loquendo rem cariùs vendere propter dilatam & creditam solutionem, ut num. 12. diximus: ergo neque est licitum per se loquendo emere vilius propter anticipatam solutionem. Consequ. est bona ob paritatem rationis ibi redditam. Cùm & hîc interveniat implicitè mutuum, & aliquid postea recipitur ultra sortem, atqueadeo committitur usura. Dixi, *per se loquendo.* quia ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi hanc talem emptionem justificari posse docent Mezger ubi suprà num. 16. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 5. n. 32.

Corollarium septimum. Non potest 18
quis rem cariùs vendere ex eo capite, quòd videat, eam emptori esse valde utilem, magnaque commoda allaturam. Filliuc. tract. 35. cap. 3. n. 77. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 2. pu. 4. n. 2. Reding to. 13. q. 2. a. 1. controv. 4. n. 20. Ratio est: quia nemo potest quidpiam vendere carius propter aliquid, quod suum non est: atqui illa utilitas & commoda percipienda non sunt venditoris, sed tenent se ex parte emptoris; ergo propter illa non potest vendere cariùs.

Corollarium octavum. Etsi vendi- 19
tor sciat, pretium mercium cras futurum esse minus, idque emptor nesciat: similiter etsi emptor sciat, pretium cras futurum esse majus, poterit tamen ille hodie vendere, & hic emere pretio currente. citra injustitiam. Ita D. Thomas 2. 2. q. 77, a. 3. ad 4. quem sequuntur Less. lib. 2. de Just. cap. 21. dubit. 5. Mezger n. 14. Salmantic. pu. 9. num. 108. Filliuc. n. 73. Bonac. pu. 5. num. 12. Illsung. tract. 4. disp. 2. q. 8. a. 1. n. 403. & alii. Ratio est: quia merces justè venduntur & emuntur tanti, quanti valent secundum communem aut legitimam æstimationem, quæ pro tempore viget. Sic enim venduntur & emuntur justô pretiô. Confirmatur ex illo, quod Genes. 41. feciisse refertur Joseph. Quòd

nempe præscius imminentis maximæ caritatis omne frumentum Ægypti pretio currente comparaverit. Dixi tamen, *citrà injustitiam.* nam aliquando id esse potest contra charitatem: veluti accideret, si cuipiam cum memorata præscientia venderes ingentem copiam talium mercium, qui idcirco magnum damnum incurreret, statuque & fortunis everteretur, ut habet Less. n. 43. Verùm regulariter id non esse contra charitatem, clarè indicat D. Thomas loco cit. illis verbis: *si tamen exponeret* (futuram mutationem valoris) *vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis.* Adeoque non contra virtutem facit, qui neutrum horum facit.

§. III.

De Merce.

SUMMARIUM.

20. *Quænam intelligantur nomine mercis.* 21. *Venaens rem alienam acquirit dominium pretii, rei tamen dominium non transfert.* 22. 23. *Statuuntur observatu necessaria circa obligationem manifestandi vitia occulta rerum venalium.* 24. 25. 26. *Illationes practicæ.* 27. *De vitio rei per se manifesto venditor non tenetur monere emptorem.* 28. 29. *Declaratur, si res vendita pereat post, vel ante traditionem, cuinam pereat.*

20 MAteria emptionis & venditionis merx est. Quo nomine veniunt omnia vendibilia: nempe res omnes mobiles & immobiles, actiones & jura, quæ pecuniâ æstimari, compararique solent. Omnia quoque bona præsentia & futura simul sumpta. Hæc enim licèt donati non possint, ut diximus in artic. proximò præced. n. 19. vendi tamen uno actu possunt. Cùm per ejusmodi venditionem non impediatur libera facultas testandi, sicut per gratuitam donationem. Remanet enim potestas testandi de pretio. Etiam hæreditas jam delata accensetur rebus vendibilibus: at non illa, quæ necdum delata est per mortem: quippe cuius venditionem ceu bonis moribus adversam jura volunt esse irritam. Vid. Less. de Just. lib. 2. cap. 21. dubit. 1. n. 1. Salmantic. tract. 14. cap. 2. pu. 3. n. 28. Nostrum nunc erit ex pluribus huc pertinentibus potissimùm disquirere primo, quem effectum pariat venditio rei alienæ? Secundo, an sit obligatio manifestandi vitium rei venditæ? Tertio, cujus damno pereat res vendita? Quarto, si res successivè duobus in solidum vendita sit, quinam emptorum præferri debeat? pro quorum resolutione

Dico primo. Qui vendit rem alienam 21
ignoranti esse alienam acquirit dominium pretii, dominium tamen rei non transfert in emptorem. Ita sess. lib. cit, cap. 20. dubit. 18. n. 162. Salmantic. n. 30. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 8. a. 1. n. 406. Prima pars habetur ex l. 47. *Qui vas. ff. de furtis.* Ratio vero est: quia emptor est dominus pecuniæ, ejusque dominium in casu nostro intendit transferre in venditorem: qui proinde illud acquirit. Dices. Si emptor sciret, rem esse alienam, nollet emere; ergo contractus ex parte ipsius est involuntarius; adeoque irritus. Quomodo ergo per illum transfert dominium pretii in venditorem? Respondeo, contractum esse quidem aliquatenùs involuntarium, utpote ex errore procedentem, non tamen ipso jure esse irritum; cùm error ille non sit circa substantiam, sed circa conditioem quandam extrinsecam. Less. n. 163. Dictum est autem in Concl. *ignoranti rem esse alienam.* quia, si emptor id scivit, adeoque mala fide emit, contractus est irritus, & dominium pretii non transfertur in ipsum. Ratio secundæ partis est ab oppositio: quia venditor non est dominus rei alienæ: ergo non potest ejus dominium transferre in alterum. Conseq. est clara: quia nemo dare potest, quod non habet. Unde rem illam verus dominus vindicare potest, ubicunque invenerit. Vid. Salmantic. loco cit.

Dico secundò. Si res vendenda labo- 22
ret vitio occulto, v. g. si pannus adustus sit, ovis morbida, venditor illud tenetur manifestare. Ita communiter DD. cum D. Thoma, 2. 2. q. 77. a. 2. & 3. Ratio est: quia aliàs venditor dat causam emptori & occasionem multorum damnorum. Nam inprimis, cùm res vitiosa sit minoris pretii, qui eam emit inscius vitii, patitur inde damnum, dum nihil de pretio remittitur. Deinde, usus rei vitiosæ non ratò est pernicios & noxius. Ex quibus fit, ut venditor rei suæ vitia occultans ad omnia damna ac mala emptori inde provenientia resarcienda atque avertenda ex justitia obligetur. Vid. Reding to. 13. q. 2. a. 1. controv. 5. n. 7.

Quòd si vitium à venditore occultatum 23
sit in substantia, ut si vitrum pro gemma, argentum pro auro venale exponatur, contractus hoc ipso est nullus. Si in quantitate seu mensura, venditio quidem est valida, sed emptori competit actio redhibitoria, qua venditor adigitur, ut redditò pretiò rem emptam recipiat; vel actio ex empto, & quanto minoris, qua idem compellitur emptori reddere excessum justi pretii, seu quanto minus dedisset, si defectum mercis non ignorâsset; ut ex communi docent Reding

num.

ñum. 5, Mezger tract. 13. disp. 43. a. 1. n. 6. Illsung ubi suprà num. 407. Si vitium sit in qualitate, & quidem tam enorme, ut merx parum utilitatis habeat ad fines, ad quos communiter adhiberi solet, emptori sic decepto satisfieri debet rescissione contractûs, si ipse velit, vel remissione pretii, si rem minoris emisset. Si vitium non sit tam enorme, sed merx adhuc retineat sufficientem utilitatem ad communem usum, non reputabitur pro gravi deceptione, nec erit obligatio detegendi vitium ejusmodi leve, ut docet Illsung cit. n. 108. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 17. n. 15. Ratio est: quòd alioquin mercatores magnam sæpe difficultatem, damnaque paterentur in distrahendis suis rebus. Non enim possent distrahere merces nisi meliores. Cùm tamen ipsis quoque omnis generis ac qualitatis vendi soleant, ac sæpe non asservari possint sine levi vitio. Debet tamen plerumque mercator in hoc tali casu mercem vitiatam vendere minoris. Cùm ita postulet æquitas justitiæ. Atque hinc.

44 Infertur primo, licèt venditores equorum juxta constitutiones municipales non teneantur manifestare alia vitia, quàm aliqua valde præcipua, die Hauptmängel/si tamen equus ob aliud quodcunque vitium sit minùs utilis, necessariò esse quid remittendum de ejus pretio. Ratio est: quia alioquin propter inæqualitatem inter rem datam & acceptam in foro Conscientiæ injustitia cum onere restituendi committitur. Laym. loco cit.

45 Infertur secundo, quando venditores merci alienam substantiam, ut tritico secale, aquam vino, ceræ picem commiscent, ita tamen, ut nullum inde emptores damnum patiantur, merxque ipsa proportione pretii communis, quo venditur, habeat sufficientem utilitatem ad fines consuetos, nullam committi injustitiam. Ratio est: quia rem moraliter æstimando nulla tunc committitur inæqualitas inter datum & acceptum. Less. lib. 2. de Just. cap. 21. dubit. 11. n. 83. Laym. loco cit. Illsung n. 407. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 5. num. 79. & alii. Verùm quod ad vinum attinet eo prætextu aquâ miscendum, quando est extraordinariè generosum, ut redigatur ad bonitatem communem alterius vini puri, sed tenuioris, sicque eodem, quo istud, justo pretio vendi possit, reclamant Navarrus, Azorius, Tambur. & alii, quos refert, & sequitur Sporer n. 80. quia negant, vinum generosum admixtione aquæ posse reddi æquè bonum, atque vinum purum, licèt tenuius. Et hanc sententiam in praxi censeo tenendam.

46 Infertur tertio, si vitium occultum ipsum quoque venditorem inculpabiliter latuit, eum non obligari ad præstanda damna, quæ idcirco emptori obvenerunt, v. g. quia ovis morbida gregem infecit, ædes tignorum vitiò corruerunt; eidem tamen emptori, quamvis venditio fuerit valida, competere actionem, quantò minoris emisset, si rem ita se habere sciviset. De qua actione vide in n. 23. Ratio vero est: quia ita exigit æqualitas justitiæ inter datum & acceptum constituenda. Doct. Thomas 2. 2. q. 77. artic. 2. Laym. loco citt. Reding n. 8.

Dico tertio. De vitio per se manifesto, & quod facilè deprehendi potest, venditor non tenetur monere emptorem; dummodò rem justo pretio vendat. Ita D. Thomas q. cit. a. 3. & alii communiter. Ratio est: quia emptor sibi imputare debet, quòd rem emerit, cujus vitium facilè cognoscere per se, & citra alienum indicium potuisset. Cæterùm, si venditor animadvertat, emptorem ob invincibilem ruditatem & imperitiam vitium non deprehendere, tunc eum admonere tenebitur, quemadmodum rectè docent Bonac. de Contract. disp. 3. q. 2. pu. 6. n. 13. Tambur. lib. 8. Decal. tract. 3. cap. 7. §. 11. num. 32. Laym. n. 14. Salmantic. tract. 14. cap. 2. pu. 12. n. 176. & alii. Ratio est: quia respectu talis emptoris vitium perinde se habet, atque si esset occultum. Unde etiam, si venditor tunc non moneat, contractus erit invalidus. 47

Dico quarto. Si res vendita pereat post traditionem, perit emptori, quamvis pretium necdum solutum sit. Si ante traditionem, sitque res certa ac determinata, similiter perit emptori peracto contractu. Ita Less. cap. cit. dubit. 12. Laym. n. 12. Salmantic. pu. 2. §. 2. Sporer cap. cit. sect. 3. §. 2. & alii. Ratio primi est: quia per traditionem emptor factus est rei dominus. Res autèm, dum perit, domino perit, sicut etiam eidem fit deterior. Ratio secundi est: quia licèt ex dispositione Juris civilis contractus venditionis & emptionis non transferat re ipsa dominium ante traditionem, tamen Jus noluit impedire effectum, qui ex dominio per traditionem translato sequi solet, nempe ut etiam ante traditionem omnia rei commoda & incommoda ad emptorem pertinerent. Vid. Less. n. 96. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 8. a. 1. n. 410. In supposito proinde casu, si res absolutè sit vendita, pereat atque, vel deterior fiat sine culpa venditoris, damnum emptori accidit, manente obligatione solvendi integrum pretium. 48

Dixi tamen, *si res sit certa ac determinata*; ut hic equus, hoc dolium vini. Nam, si res vendita sit indeterminata, ut, dum quis emit 10. modios tritici ex messe, vel granario, 10. oves ex grege, solus venditor damnum ferre debet comparandò emptori 29

aliud triticum ejusmodi mensuræ; vel alium denarium ovium. Ratio est: quia in emptione rei indeterminatæ involuitur tacita conditio: si res tradatur. Unde non secuta traditione nihil damni ferre tenetur emptor. Cùm enim conditio non sit impleta, venditio non censetur perfecta. Less. num. 97.

30 Dico quinto. Quando res diversò tempore in solidum vendita fuit duobus & neutri adhuc tradita, præferri debet prior emptor; si tradita fuit secundo, priori autem vendita tantùm, præferri debet secundus. Ita quoad utramque partem communis sententia apud Less. cap. cit. dubit. 20. Ratio primæ partis est: quia res illa, postquàm jam fuit vendita, non poterat ampliùs vendi secundo emptori. Consequenter hic in traditione rei præferri sine injuria non potest priori emptori. Ratio secundæ partis est: quia secundus emptor per traditionem jam acquisivit dominium rei: adeoque ipsi, non priori venditori, res est debita. Varias exceptiones vide, si lubet, apud Less. cit. Laym. cap. cit §. 4. Illsung n. 413.

ARTICULUS IV.

De Mutuo & Usura.

§. I.

De Mutuo.

SUMMARIUM.

1. Definitio Mutui cum suo analysi. 2. Commoda ex re mutuò accepta cedunt mutuatario. 3. In quibus rebus possit constitui Mutuum. 4. Mutuans non potest mutuum repetere ante statutum tempus. 5. Quando nullum tempus reddendi mutuum fuit præfixum id arbitrio prudentis determinari debet. 6. An quid teneatur mutuatarius, qui fuit in mora culpabili reddendi mutuum? 7. Bonitas rei alia intrinseca, alia extrinseca. 8. 9. Declaratur, in quarum rerum mutuò acceptarum restitutione attendi debeat bonitas intrinseca, vel extrinseca.

1 MUtuum aliquando accipitur pro re ipsa, circa quam celebratur contractus mutuationis: quo sensu dicimur dare mutuum, reddere mutuum. Aliquando verò sumitur pro ipsa mutuatione, sive actione mutuandi. Et in hoc sensu de illo hîc agimus. Rectè autem definitur, quòd sit *contractus, quo transfertur dominium rei in accipientem sub obligatione post aliquod tempus reddendi similem in specie & bonitate.* Dicitur, *contractus* loco generis. In hoc enim convenit cum aliis. Dicitur, *quo transfertur dominium*, ut distinguatur à contractu commodati, per quem dominium non transfertur in commodatarium; sed solus rei usus: sicut neque per depositum regulariter loquendo transfertur dominium in depositarium. Dicitur, *sub obligatione reddendi* ad differentiam donationis, qua dominium transfertur sine obligatione reciproca reddendi aliquid. Dicitur, *similem in specie.* Si enim reddi debeat res alterius speciei, non erit mutuum, sed vel permutatio, vel emptio & venditio, dum pro re accepta reddenda est pecunia. Si reddere oporteat eandem numero rem, erit commodatum, vel depositum. Dicitur, *similem in bonitate.* Non enim hoc patitur æquitas, ut mutuanti reddi possit res deterior, etiam ejusdem speciei, veluti vinum novum pro vetere. *l. 3. ff. de rebus creditis.* Dicitur, *post aliquod tempus.* Mutuum quippe non ita debetur, ut statim solvatur, antequam illius possit esse usus. Si nullum tempus solutionis fuit determinatum, prudentis arbitrio determinandum reliquitur, ut ex Menoch & Fachin. tradit Illsung tract. 4. disp. 2. q. 7. a. 3. n. 429.

Ex dictis infertur primo, commoda ex re mutuò data, ejusque in valore incrementa cedere mutuatario. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 3. pu. 1. num. 1. & alii. Ratio est: quia commoda rei, ejusque incrementa per se loquendo cedunt domino, sicut ad eundem incommoda quoque pertinent. Atqui mutuatarius est dominus rei mutuò acceptæ; ergo. Hinc etiam, si ea res pereat, mutuatario perit: ut habet Filliuc. tract. 34. cap. 10. num. 210. Salmantic. tract. 14. cap. 3. pu. 1. n. 2. 2

Infertur secundo, non solùm in iis rebus mobilibus, quas numero, pondere, & mensura metimur, ut sunt vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata, argentum, aurum &c. posse reperiri mutuum, sed etiam in aliis. Ita Molina, Rebellus, & Castropal. quos refert, & sequitur Illsung loco cit. Ratio est: quòd etiam circa alias res mobiles verificari possit nostra definitio mutui. Unde etiam ovem, aut capram mutuare potes. Quamvis fatendum sit, ordinariè mutuari res prioris classis. 3

Infertur tertio, mutuantem quidem non posse repetere mutuum ante statutum tempus, 4

pus,

pus, posse tamen id ante reddere mutuatarium. Tambur. lib. 8. Decal. tract. 3. cap. 8. §. 1. n. 5. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 4. sect. 1. num. 5. Ratio primi est: quia vi contractûs mutuans se obligavit ad non repetendum ante tempus præfixum, ut supponitur: ergo non potest priùs repetere citra injuriam mutuatarii. Quòdsi tamen incideret in patem necessitatem, aut merito timeret periculum amittendi sortem, posset priùs repetere. Ratio est: quia obligatio ante præfixum tempus non repetendi mutuum ad eos casus non censetur se extendere. Ratio secundi est: quia tempus solvendi mutuum determinatur in gratiam mutuatarii regulatiter loquendo: ergo potest is solvere ante tempus præfixum, nec potest hoc justè impedire mutuans. Aliud esset sentiendum, si præter morem tempus fuisset præfixum in favorem mutuantis. De quo vid. Reding to. 13. q. 3. a. 1. controv. 1. n. 7.

5 Infertur quarto, quando in contractu nullum præfixum fuit tempus reddendi mutuum, id arbitriô boni viri, vel Judicis esse determinandum, nec posse mutuum repeti statim. Filliuc. n. 226. Tambur. loco cit. Reding n. 7. Sporer n. 6. Ratio primi est: quia hæc est tutissima via in tali casu consulendi conscientiæ utriusque contrahentis. Ratio secundi est: quia alioquin mutuum fuisset nullum, vel certè nugatorium.

6 Infertur quinto, mutuatarium, qui præscripto certo tempore reddendi mutuum fuit in mora culpabili reddendi, teneri in conscientia omne damnum, lucrumque cessans compensare mutuanti. Filliuc. num. 227. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 15. num. 2. Salmantic. tract. 14. cap. 3. pu. 1. num. 4. Ratio est: quia per ejusmodi dilationem solutionis fuit injusta causa illorum. Neque evitatur dicta obligatio, si mutuans non repetivit mutuum: quia ipse dies præfixus clamat, & sufficienter interpellat pro mutuante, ut cum aliis inquiunt citt. Salmanticenses.

7 Quod attinet ad similitudinem bonitatis, cujus in definitione mutui meminimus, quæritur, an in restitutione illius attendi deqeat bonitas intrinseca, vel extrinseca? Ante resolutionem scire oportet, bonitatem intrinsecam dici, quam res habet ex se, sive naturâ suâ; extrinsecam, quam habet ex impositione & taxatione Magistratûs. Sic intrinseca bonitas tritici est, quàm cum substantia sua hausit ex semine, agro, cæterisque causis naturalibus. Extrinseca est valor, seu æstimatio judiciô publicô Magistratûs, vel communi hominum intelligentium constituta. Quo eodem modo proportionaliter philosophandum est de bonitate intrinseca & extrinseca pecuniæ. Nunc

Respondeo primo. Quando res mutuò accepta est quid distinctum à pecunia, in 8
ejus restitutione regulatiter spectari debet bonitas intrinseca, ita nempe, ut tantundem in quantitate, & simile in qualitate reddatur, sive jam æstimatio seu valor extrinsecus à tempore accepti mutui creverit, vel decreverit. Ita Filliuc. n. 214. Reding n. 9. Spoter sect. cit. §. 3. Mezger tract. 13. disp. 42. a. 1. n. 2. & alii. Ratio est: quia in contractibus circa res à pecunia distinctas bonitas intrinseca per se terminat intentionem contrahentium, ita ut valor extrinsecus, ceu variabilis juxta circumstantias temporum, habeat se meré per accidens. Si proinde mutuò accepisti scapham tritici v. g. quando valebat sex florenis, ejusque valor postea crevit ad duodecim florenos, non satisfacis reddendo mediam scapham similis tritici itidem valentem sex florenis, sed tenetis reddere integram scapham, esto nunc valeat duodecim florenis. Satisfacis tamen reddendô scapham tritici nunc valentem sex florenis, licèt tempore mutuationis valuerit duodecim florenis.

Respondeo secundo. In pecunia mutuata ordinariè attendi debet bonitas seu valor extrinsecus, ita ut restituenda sit pecunia tanti valoris, quanti fuit tempore mutuationis, nisi quid aliud in contractu specialiter fuerit expressum. Ita Authores cit. Ratio sumitur ex opposito: quia in contractibus circa pecuniam per se principaliter à contrahentibus intenditur ejus valor extrinsecus. Quare, si mutuò accepisti, decem scuta, non satisfacis reddendo scuta numerô æqualia, si hæc tempore restitutionis minùs valeant, quàm valebant tempore mutuationis, sed debes supplere illum defectum. Econtra, si valor scutorum crevit, satisfacis restituendo scuta numerô pauciora, quàm decem, si pauciora æquent illa decem in valore, quem habebant tempore mutuationis. Similiter ob paritatem rationis, si mutuos accepisti ducentos nummos aureos, satisfacis restituendo in moneta argentea, vel æreâ æquante æstimationem illorum aureorum. Vid. Reding n. 10. Mezger n. 3.

Dixi, *ordinariè*, quia in casu, quo inter contrahentes conventum fuit de restitu- 9
tione facienda in eadem sorte, v. g. mutuatarius, si accepit mutuum in scutis argenteis Venetis, id restituat in simili sorte argenti; si in aureis tot, tantique valoris, ut restituat in aureis tot, & tanti valoris, ita omnino debet restitui mutuum. Ratio est: quia tunc etiam valor intrinsecus monetæ in illo attenditur.

§. II.

De Usura.

SUMMARIUM.

10. *Definitio Usuræ, eiusque analysis.* 11. *Divisio Usuræ.* 12. *Usura est jure naturæ illicita.* 13. *Et ex genere suo peccatum mortale.* 14. 15. *Ex titulo damni emergentis & lucri cessantis licitum est aliquid accipere supra sortem.* 16. 17. *Idem licet propter proximum & probabile periculum amittendi sortem.* 18. 19. 20. *Corollaria.* 21. 22. *Etiam titulo pœnæ conventionalis potest aliquis excusari à peccato Usuræ.* 23. *Quomodo expeditiùs à labe Usuræ immunis præstari possit emptio censualis.*

10 HOc nomen *Usura* in præsenti tripliciter accipi potest. Primo pro lucro usurario. Secundo, pro contractu usurario, unde nascitur hoc lucrum. Tertio, pro voluntate ineundi ejusmodi contractum. Lucrum usurarium rectè definitur esse *id, quod ex mutuo immediatè provenit tanquam debitum.* Dicitur, *lucrum*, id est, acquisitio rei supra sortem pretiò æstimabilis & indebitæ. Dicitur, *ex mutuo proveniens.* nam, si rem tuam vendas v. g. pluris, quàm valet, lucrari quidem, sed usuram non committis, quia hoc lucrum non ex vi mutui, sed ex iniqua venditione tibi obvenit. Dicitur, *immediatè*: quia, si aliquod lucrum mediâ benevolentiâ, vel amicitia mutuatarii per mutuum comparatâ proveniat, non erit usurarium. Dicitur, *tanquam debitum*, scilicet ex justitia, aut etiam ex prætenso titulo gratitudinis, benevolentiæ &c.

Contractum usurarium definit Mezger cum Soto, Molina, Card. de Lugo & aliis. esse illum, *quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum aliquid pretiò æstimabile supra sortem solo titulo mutui, seu propter usum ejusdem.* Dicitur, *quo obligat &c.* nam si mutuatarius ex gratitudine, benevolentia, amicitia supra sortem ultrò quid dare velit mutuatori nihil exigenti sive expressè sive tacitè tanquàm debitum ex his quoque titulis, non erit usura. Dicitur, *solo titulo mutui, seu propter usum ejusdem.* ut excipiantur contractus emphyteusis, locationis &c. quibus non transfertur rei dominium; ideoque in illis ex pacto potest accipi lucrum sine labe usuræ. Ex his facilè jam patet, quid sit usura tertio modo accepta, nempe nihil aliud, quàm voluntas capiendi lucrum supra sortem ex vi mutui, ut habet Lessius lib. 2. de Just. cap. 20. dubit. 3.

11 Dividitur autem usura primo in expressam seu formalem, & in palliatam, seu virtualem & implicitam. Expressa est, quando in ipso contractu mutui aliquid ultra sortem titulò mutui exigitur. Palliata, seu viatualis est, quæ in contractu venditionis & emptionis inbibitur, hisque veluti contegitur, quando nempe ob dilatam, vel anticipatam solutionem aliquid de justo pretio detrahitur; vel supra justum pretium exigitur. Dividitur secundo in mentalem & realem. Prior est, qua intenditur lucrum ex mutuo absque interventu alicujus signi externi. Posterior est, in qua voluntas capiendi lucrum ex mutuo csigno quopiam exteriori exprimitur. Vid. Salmantic. tract. 14. cap. 3. pu. 2. num. 12. Mezger tract. 13. disp. 42. artic. 2. num. 2. His præmissis.

12 Dico primo. Usura est jure naturali prohibita. Ratio est: quia non minùs adversatur septimo Decalogi præcepto, quod est juris naturalis, quàm furtum. Quando enim præcisè, titulò mutui aliquid exigitur ultra sortem, injustè exigitur & accipitur; cùm non servetur æqualitas inter datum & acceptum. Dantur namque à mutuante 100. v. g. & accipiuntur 105. vel 106. aut 107. &c. Confirmatur. Quando in Contractu emptionis accipitur merx pluris valens quàm pretium, quod solvitur, committitur injustitia & furtum: ergo etjam in contractu mutui committitur injustitia, & furtum, quando accipitur plus pecuniæ, quàm fuit mutuatum. Atqui in contractu usurario plus accipitur; ergo &c. Neque evaditur injuria & peccatum injustitiæ dicendo, illud auctarium ultra sortem à mutuatario offerri mutuanti, etiam antequàm is petat: quia non offert illud plenè voluntariè, sed ex necessitate quadam dandi illud sibi imposita ab ipso mutuatore, si velit obtinere mutuum; quippe qui id alioquin denegaturus esset. Vid. D. Thomas 2. 2. q. 78. artic. 1. ad. 7. De cætero usuram esse prohibitam etiam jure positivo, eoque tam Divino quàm humano, pluribus ostendunt Less. cap. cit. dubit. 4. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 6. Filliuc. tr. 34. cap. 1. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 3. pu. 2. n. 12. & alii passim.

13 Dico secundo. Usura non solùm ex genere suo peccatum mortale est, sed parit etiam obligationem restituendi. Ita omnes communiter. Prima pars constat ex Clement. un. de Usur. illis verbis: *siquis in illum errorem incideret, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum.* Satis quoque colligitur ex paritate furti, quod ex genere suo

esse

esse mortale peccatum suo loco ostendimus. Porrò sicut in furto, ita etiam in usura datur parvitas materiæ, ut habet receptissima omnium sententia. Neque urget instantia de Simonia, in qua parvitas materiæ non censetur quemquam excusare à mortali. Nam disparitas in eo est, quòd quantò minus in Simonia datur pretium pro re spirituali, tantò magis crescat irreverentia erga illam: econtra tantò minor iujuria, damnumque inferatur domino per furtum, quantò minoris pretii res ipsi aufertur, ut sapienter advertit Mezger disp. cit. à 5. n. 14. Ratio secundi partis est: quia omnis injustus contractus, ex quo alteri infertur damnum, parit obligationem restituendi: sed usura est ejusmodi contractus; ergo &c. Et quia hæc obligatio est realis, transmititur ad hæredes defuncti usurarii, si is, dum viveret, non restituit, ut ex communi D D. tradit Bonac. q. cit. pu. 15. n. 13. Eadem tamen obligatio se solùm extendit ad restituendum lucrum usurarium; quia quantùm ad sortem contractus persistit in suo valore: cùm utile per inutile vitiari non debeat. Mezger num. 1.

14 Dico tertio. Ex titulo damni emergentis, & lucri cessantis licitum est mutuanti aliquid supra sortem accipere, observatis tamen certis conditionibus. Ita communiter DD. Damnum emergens vocatur, quod quis patitur in suis rebus, si alteri det mutuum: ut, si propterea ædes ruinosas reparare debeas majoribus sumptibus, quas non dato mutuo potuisses reparare minoribus, aut modicis. Lucrum cessans est carentia lucri, quod quis probabiliter fecisset in suis rebus, nisi mutuâsset: ut, si aliàs pecuniis illis, quas mutuo dedit, emisset frugiferum prædium, fuisset negotiatus &c. Nunc ratio Conclus. est: quia sicut ratio naturalis dictat, mutuantem non debere fieri ditiorem ex damno mutuatarii, & solo titulo mutui lucrum accipere, ità etiam dictat, mutuantem in beneficio mutui gratis præstito debere servari indemnem; & consequenter à mutuatario posse justè exigere compensationem damni, quod ob datum mutuum sibi probabiliter prævidet emersurum, vel lucri, quod aliàs fuisset facturus. Vid. Less. cap. cit. dubit. 10. Laym. n. 8. Salmantic. ubi suprà pu 9. n. 79. Reding tomo 13. q. 3. a. 2. controv. 2. n. 2. Mezger a. 3. §. 1. Viva part. 1. damnat. Thesium, prop. 4. 2. n. 2.

15 Addidi autem, *observatis certis conditionibus.* Earum prima est, ut mutuum sit revera causa damni & lucri cessantis, eò quòd nempe ob carentiam rei mutuò datæ mutuator factus sit impotens ad illud impediendum. Secunda est, ut mutuatarius expresse moneatur de præstando hoc damno, ne decipiatur. Fortè enim nollet accipere mutuum cum tanto onere. Tertia est, ut, quando mutuatarius aliunde non est paratus compensare damnum emergens, id deducatur in pactum. Quod nisi factum fuerit à mutuante, sibi imputari debet, si mutuatarius nihil compenset. Quarta est, ne pro damno emergente plus exigatur, quàm valeat in æstimatione prudentûm. Quinta est, ne tantum exigatur pro lucro sperato, quanti valet ipsum lucrum in re, sed minus; quanti nempe æstimatur illa spes lucri. Sexta est, ut non statim post datum mutuum exigatur compensatio lucri cessantis, sed tunc primùm, quando intervenit tantum temporis, ut mutuans fecisset id lucrum, si non mutuâsset. Aliàs ex tota summa lucrum reciperetur, & tamen non mutuaretur tota. Nam ponamus aliquem mutuare 100. eique pro lucro cessante deberi 10. si jam statim recipiat 10. revera non mutuat nisi 90. & tamen recipit lucrum, acsi mutuâsset 100. Vid Filliuc. tract. 34. cap. 4. Mezger n. 2.

16 Dico quarto. Etiam propter proximum & probabile periculum amittendi sortem, aut recuperandi illam nonnisi difficulter & cum molestia licitum est aliquid ultra sortem exigere. Ita communius D D. Ratio est: quia, quòd mutuator se conjiciat in tale periculum, est pretio æstimabile, neque sequitur ex naturâ mutui, sed ex conditione mutuatarii, eò quòd v. g. sit homo non satis notus, decoctor, debitis immersus, dubiæ fidei, difficilis conventionis &c. Ergo licitum est hoc tale periculum deducere in pactum, proque eo pretium accipere. Confirmatur primo. Fidejussor potest accipere pretium pro periculo, quod subit, nempe solvendi, casu quo debitor principalis non sit solvendo: ergo etiam mutuator pro periculo, quod subit, amittendi sortem mutuò datam poterit aliquid recipere. Confirmatur secundo. Justè aliquis emit litteras censuales 100. florenorum 70. florenis propter difficultatem solutionis censuum, difficilemque conventionem eorum, quorum est solvere census: ergo etiam in casu memorati periculi mutuator justè aliquid exigit ultrà sortem. Vid. Less. cap. 20. dubit. 13. Reding ubi suprà Mezger §. 2. Viva ubi suprà.

17 Dixi autem, *propter proximum & probabile periculum.* Nam pro periculo solùm imaginario, ex quo juxta prudentum æstimationem nullum timeri potest incommodum, utique nihil licet exigere supra sortem. Imò neque pro periculo remoto. Cùm enim istud periculum essentialiter imbibatur in omni mutuo, posset in omni mutuo aliquid exigi

exigi ultra sortem, atque adeo licitæ essent usuræ. Deinde hoc idem periculum remotum amittendi sortem inde compensatur, quòd res, si interim pereat vel casu fortuitò, vel culpâ mutuatarii, huic pereat, non mutuanti. Unde nullus supereſt titulus quidquam ultra exigendi. Illud demum advertendum est, ut propter periculum proximum justè quid exigatur, relinquendum esse arbitrio mutuatarii, ut vel det aliquod auctarium, vel sufficientem cautionem de restituenda sorte præstet. Reding num. 17. Mezger num. 6.

18 Ex dictis colligitur primo, pro obligatione non repetendi mutuum intra aliquod tempus, v. g. decennium, nihil exigi posse supra sortem. Ita Less. dubit. 14. num. 127. Viva num. 3. Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 7. Sporer. tract. 6. in Decal. cap. 4. sect. 3. num. 70. & alii communiter. Ratio est: quia mutuans, dum se obligat ad non repetendum mutuum ante decennium, vel prævidet periculum remotum, fore ut interim indigeat illâ pecuniâ, vel prævidet periculum proximum & probabile? Si primum; non potest aliquid accipere sive pro ea obligatione, sive pro eo periculo, sicut nihil potest accipere pro periculo remoto amittendi sortem; cùm hæc pericula aliunde compensentur, ut diximus in num. præced. Si secundum; poterit aliquid accipere, non pro obligatione non repetendi mutuum intra decennium, sed quia probabiliter superventura est pecuniæ mutuò datæ necessitas ad impediendum aliquod damnum, vel lucrum aliquod faciendum; adeoque ex titulo damni emergentis, vel lucri cessantis. Sententia contraria est propositio 42. inter damnatas ab Alexandro VII. nempe: *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Unde mirum est, quòd eam Sporer adhuc dicat

19 non improbabilem.

Colligitur secundo, non posse ab usura excusari mutuatorem, qui exigit aliquid ultra sortem ex eo titulo, quòd numerata pecunia sit pretiosior numerandâ. Ratio est: quia inprimis de essentia mutui est pecuniam mutuò datam per aliquod tempus abesse mutuanti: pro qua proinde absentia nihil exigi potest supra sortem, esto hæc reputetur pretiosior pecuniâ numeranda, seu futurâ. Deinde, si longo tempore abesse supponatur ratione mutui, tunc vel subest ex parte mutuantis periculum proximum interim subeundi propter absentiam pecuniæ aliquod damnum, vel cessationem alicujus lucri, vel periculum solùm remotum? si hoc solùm; constat ex dictis in num. 17. id sufficienter compensari per hoc, quòd pecunia, si interim pereat, non mutuanti, sed mutuatario pereat. Si supponatur periculum proximum, mutuanti abunde consulitur, quòd mutuatarius se obliget ad reddendum ipsum indemnem. Adeoque ex hoc capite nihil supra sortem accipi potest sine usura.

Neque refert, quòd pecunia præsens communiter pluris æstimetur, quàm futura: hoc enim verum non est de pecunia præsente, quæ per integrum annum otiosa inutiliter jacet in arca: quia tunc pluris æstimari meretur pecunia futura ob rationem jam dictam, quòd nempe, si interim pereat, mutuatario pereat, non mutuanti. Vid. Illsung tract. 4. disp. 2. q. 8. a. 3. n. 435. Viva n. 13. Falsitas sententiæ oppositæ elucet ex damnat. prop. 41. inter proscriptas ab Innocent. XI. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Colligitur tertio, usuram esse, dum ul- 20
tra sortem aliquid exigitur tanquam debitum etiam ex benevolentia & gratitudine tantùm. Mezger tract. 13. disp. 42. a. 2. n. 8. Illsung n. 433. Viva parte 2. in prop. 42. ex cujus damnatione facta ab Innoc. XI. clarè infertur veritas hujus nostræ sententiæ. Ratio verò est: quia, si mutuatarius obligetur dare aliquid ultra sortem, v. g. quinque ultra centum, ita ut mutuans id possit exigere tanquam debitum, licèt non ex justitia, sed ex benevolentia & gratitudine, hoc tale lucrum, & gravamen mutuatarii pretiò æstimabile mutuanti immediatè provenit ex mutuo: & consequenter est usurarium. Accedit, quòd subsistente sententia contraria latissimum ostium pateret Simoniis & usuris. Cùm quilibet in mutuo de auctario supra sortem, similiterque in collatione rei spiritualis de danda re temporali pacisci posset, non quidem in pretium mutui, aut rei spiritualis, sed ex gratitudine & benevolentia, ita ut liceret deinde illud auctarium, aut rem spiritualem exigere tanquam debitam, non quidem ex justitia, sed ex gratitudine & benevolentia. Quo planè nihil cogitari aut dici potest absurdius, ut meritò loquitur Viva loco cit. num. 9. Nunc

Dico adhuc quinto. Licitum est, po- 21
sitis certis conditionibus, pacisci in mutuo, ut mutuatarius, si ad terminum statutum non restituerit, in pœnam suæ moræ aliquid solvat ultra sortem. Ita Less. lib. 2. de Just. cap. 20. dubit. 15. Salmantic. tract. 14. cap. 3. pu. 8. §. 4. Mezger artic. 3. num. 3. & alii. Ratio est: tum, quòd debitor,

bitor, qui non restituit tempore præscripto, peccet contra Justitiam, adeoque se reddat pœnâ dignum. Tum, quod secundùm jus tam naturale, quàm civile contrahentes mutuò se obligare possint per conventionem in certas pœnas, si à contractibus resilierint, ut hac ratione & ipsi exstimulentur ad majorem diligentiam in satisfaciendo suis obligationibus, & contractus firmiores reddantur.

22 Dixi autem, *positis certis conditionibus.* Earum prima est: ut ejusmodi pactum non addatur mutuo in fraudem usurariam. Veluti fit primo, si mutues propter spem talis pœnæ à mutuatario incurrendæ, uterisque ejus prætextu ad palliandam cupiditatem recipiendi lucrum supra sortem. Secundo, si terminum præfigas nimis brevem, intra quem scis, aut prævides debitorem non fore solvendo. Tertio, si pœnam constituas nimis improportionatam. Secunda conditio est, ut debitor non cogatur pœnam solvere, si inculpabiliter fuit in mora reddendi sortem. Cùm sine culpa non possit imponi pœna. Tertia est, ut mora sit notabilis, quia aliàs fieri poterit, ut pœna notabilis ob brevem in restituendo moram imposita non attemperaretur culpæ. Vid. Less. à num. 130. Salmantic. n, 76.

Illud denique cum Paulo Mezger disp. 23 43. a. 2. n. 11. Reding to. 13. q. 3. 2. 2. controv. 3. n. 3. adverte, titulis aliquid accipiendi ultra sortem meritò accensendum communem usum & consuetudinem provinciarum, secundùm quam quinque pro centum accipiuntur à creditoribus. Ratio est: quia Respubliça propter communem utilitatem ex dominio alto ejusmodi pacta reddit valida. Cùm videamus ipsam quoque exercere tales contractus, idque in bonum etiam subditorum ex recepto usu consentientium. Atque hoc titulo, secluso quovis alio, posse à labe usuræ præstari immunem emptionem censualem, docent iidem Authores cum Hauno ldo & aliis.

ARTICULUS V.

De Ludo, & Sponsione.

SUMMARIUM.

1. *Ludus & Sponsio per se loquendo sunt contractus liciti.* 2. *Jure positivo aliqui ludi sunt prohibiti.* 3. *Statuuntur conditiones ad justum ludum requisitæ.* 4. 5. 6. 7. *Resolvuntur nonnullæ quæstiones.*

1 LUdus, ut est hujus loci, accipitur pro contractu, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Sponsio est contractus, in quo de veritate vel eventu alicujus rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus. Ita utrumque hunc contractum describit Lessius lib. 2. de Just. cap. 26. dubit. 1. Et quidem ambos jure naturæ per se loquendo esse licitos, habet communis sententia. Ratio est: quia non magis in potestate cujusque est rem suam alteri donare absolutè, quàm transferre in dominium alterius sub conditione, si in ludo victor evaserit, sive jam impletio hujus conditionis arti & industriæ, sive casui & fortunæ sit adscribenda. Unde non est audiendus Sylvester *V. Ludus q.* 4. ubi docet, ludum reddi illicitum ex intentione lucrandi. Nam affectum lucrandi, si sit moderatus, non esse illicitum, patet in aliis contractibus. Dixi verò, *per se loquendo*, quia, quod attinet ad ludum, is per accidens ob plurima mala & incommoda, quorum sæpe est occasio, haud dubiè potest esse illicitus. Et ista, quantum est de jure naturæ.

Jure civili quidam ludi etiam laicis sunt 2 prohibiti, nempe illi, in quibus fortuna magis, quàm ats dominatur. Qui communiter nomine *alearum* in jure significantur: ut constat ex *l.* 1. & 3. C. *de Aleator.* Clericis itidem prohibitus est ludus alearum Jure Canonico, ut habetur can. 41. Apostolorum. & cap. *Clerici* 2. *de vita & honest. Clericor.* & alibi. Docent autem aliqui, ut ex Navarro refert Laym. lib. 3. tr. 4. c. 21. n. 1. Clericum mortaliter peccare, si magnam quantitatem in lusum aleæ exponat. Verùm Less. num. 5. ipseque Laym. & Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 9. §. 1. talem excusant à peccato mortali, nisi frequenter, aut per longum tempus, aut publicè cum scandalo populi ludat. Ratio est: quia hoc tempore prisci illi Canones ob invalescentem desuetudinem cum eo rigore non recepti videntur. Excipe tamen cum Tambur. cit. nisi in Diœcesi per aliquam peculiarem constitutionem ludus graviter esset prohibitus. Tunc enim Clericus in nostro casu non excusaretur à mortali. Laicos ludendo aleis non peccare mortaliter, nisi alicubi vigeat lex quædam Politica id sub gravi pœna prohibens, docet Less. n. 6. Tambur. n. 3. Ratio est: quia obligatio veterum prohibitionum ex jure civili & Canonico per contrariam consuetudinem jam dudum

cessavit. Addit tamen Less. ratione circumstantiarum eum lusum plerumque cum peccato fieri.

3 Sed jam ad conditiones requisitas, ut ludus sit justus, convertamur. Prima est, ut ludentes possint liberè disponere de re, quam in ludum exponunt. Ratio est: quia aliàs neuter potest in alterum transferre ejus rei dominium. Secunda est, ut alter alterum per injuriam (cujusmodi sunt minæ, fraus, convitia &c.) ad ludendum non pertraxerit. Ratio est; quia sic pertracto, si perdat, alter est injusta causa damni, teneturque restituere. Tertia est, ut ludentes non utantur fraude contra leges ludi, quas vel ipsi communi consensu inter se statuerunt, vel eo loco, vel apud eam gentem, cujus more ludere decreverunt, receptas esse sciunt. Ratio est: quia, qui ejusmodi fraude lucratur, tenetur ad restitutionem ejus, quod ita lucratus est, ac insuper ad reparationem damni, quod incurrit alter, qui alioquin certò lucraturus erat. Dico, *certò lucraturus*, nam si de hoc erat dubium, non teneretur: quia in dubio est melior conditio possidentis. Vid. de his conditionibus Less. cap. cit. dubit. 2. Filliuc. tract. 37. cap. 4. n. 62. Bonac. de restit. disp. 2. q. 3. pu. 2. Salmantic. tract. 14. cap. 4. pu. 3. Ut licita sit sponsio debet abesse dolus & dissimulatio ita, ut utriusque spondentis sit æqualis conditio quantum ad incertitudinem de veritate, vel eventu, circa quem fit sponsio. Bonac. q. cit. pu. 1. n. 18. Salmantic. num. 64. Atque hinc, qui certò novit, rem, pro qua spondet, ita se habere, aut evenisse, vel eventuram, peccat contra justitiam, & tenetur restituere, quod spondendo acquisivit, nisi suam illam notitiam alteri manifestaverit, isque nihilominùs voluerit spondere & contendere. Volenti quippe & scienti non fit injuria. Filliuc. n. 23. Bonac. loco cit.

4 Quæritur nunc primo, an ludo vetito acquisita possint retineri? Respondeo, posse retineri, nec esse obnoxia restitutioni ante sententiam Judicis. Ita communiter jam DD. Ratio est: quia ejusmodi ludus jure naturæ habet vim transferendi dominium. Jure autem positivo, quo est prohibitus, non impeditur ea dominii translatio, sed solùm conceditur victo actio repetendi coram Judice, quod amisit. Quòd si Judex restitutionem imperaverit, haud dubiè parendum erit. Vid. Less. dubit. 3. Filliuc. cap. 5. n. 66. Bonac. pu. 3. n. 8. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 6. sect. 4. n. 81.

5 Quæritur secundo, an, qui ludo vetito perdidit, teneatur solvere? Respondeo non teneri, etiam in foro conscientiæ, nisi fortè juraverit, se soluturum. Ratio est: quia illicèt jure naturæ teneamur per se loquendo implere promissa liberè facta, & stare validis contractibus, ad id tamen non tenemur, quando altior potestas concedit facultatem non implendi, aut servandi promissa, quam justè aliquando concedere potest. Atqui in præsenti res ita se habet. Nam jure communi positivo datur victo tali ludô potestas non implendi obligationem per contractum illum inductam, si velit ea uti: uti colligitur ex Authentica. *Alear. C. de Relig. sumpt.* ubi sancitur, *ut victus non cogatur solvere*: atque adeo sit immunis ab obligatione solvendi. Et hanc sententiam docent Less. cap. cit. dubit. 4. Salmantic. ubi suprà n. 62. Tambur. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 9. §. 1. num. 11. Dixi, *nisi fortè juraverit, se soluturum.* Tunc enim in reverentiam juramenti tenetur solvere, poterit tamen solutum postea repetere coram Judice: nisi etiam juraverit, se non repeturum. Cæterùm hæc nostra sententia non habet locum in provinciis, in quibus vel non recepta, vel jam abolita est illa constitutio Cæsarea. Unde ibi tenenda est sententia contraria, quam tenent Castro, Valentia, Medina & alii, nisi fortè faveat lex aliqua particularis. Ratio est: quia tunc, ut rectè dicunt citt. Authores, quisque tenetur jure naturali ad implenda promissa.

6 Quæritur tertio, an ob peritiam ludendi alteri ignotam moraliter certus, se lucraturum, possit retinere, quod lucratus est? Respondeo, non posse, sed debere id reddere collusori victo longè imperitiori. Ita cum communi Laym. lib. 3. tract. 4. cap. 21. num. 3. Less. dubit. 5. num. 30. Filliuc. cap. 8. num. 139. Bonac. pu. 2. num. 4. Ratio est: quia tunc error, seu dolus dat causam contractui. Si enim imperitior nôsset illam longè majorem alterius peritiam, noluisset cum eo ludere. Unde vel irritus est contractus, vel irritari potest. Aliud tenendum est, si imperitior collusoris singularem peritiam non ignoravit, vel ita animô comparatus fuit, ut, tametsi eam cognovisset, nihilominus in ludum consensisset. In hoc enim tali casu nulla ei fit injuria.

7 Quæritur quarto, an, qui alienare non potest in ludo, possit lucrari? Respondeo, non posse, sed teneri ad restitutionem ejus, quod à colludente accepit. Less. num. 32. Filliuc. n. 124. Bonac. n. 15. Tambur. ubi suprà n. 18. Sporer n. 72. & alii. Ratio est: tum, quòd contractus ludi, qui tunc initur, sit inæqualis. Nam ambo ludentes volunt lucrari, & nô ambo possunt perdere. tum, quòd censeatur intervenire dolus dans causã contractui. Si enim collusor sciret, alterum non posse alienare

alienare id, quod in ludum exponit, non luderet. Sed quid, si hoc sciret, v. g. esse filiumfamilias carentem proprio peculio, aut Religiosum destitutum consensu Prælati? Respondeo, tunc nullam esse obligationem ipsi restituendi, quod ludendò perdidit. Ratio est: quia nulla ipsi, utpote scienti & volenti, facta est injuria. Bonac. Tambur. Sporer locis citt. Et hactenùs quidem de Jure & Justitia.

TRACTATUS VIII.

De Sacramentis.

Vocem *Sacramentum* à *Sacro* derivari nullus ignorat. Ejus usus apud Scriptores est varius. Nam primo, Sacramentum dicebatur olim pecunia à litigantibus in loco sacro deposita, eà lege, ut is, qui causá cecidisset, suam partem ærario relinqueret; qui verò vicisset, suam partem reciperet, ut est apud Varronem lib. 4. de lingua Latina. Secunda, Sacramentum accipitur pro juramento, sive eo, quod juramentò affirmatur, testibus Festo, & Vegetio de re milit. lib. 2. Tertio, apud Ecclesiasticos Scriptores, sicut etiam in ipsa Scriptura Sacra, significat idem, quod mysterium. Est autem mysterium res quædam arcana, & occultanda, præsertim, si sacra sit; aut etiam signum rei latentis, potissimùm sacræ. Quarto, per Sacramentum intelligitur cæremonia quædam hominem sacrans, atque adeo signum rei sacræ & occultæ, per quam homo sacratur, Deoque initiatur. Et in hac postrema significatione illud nomen usurpabimus. In quo sensu, ut facilè apparet, significationem termini *mysterium* comprehendit. Sacramentum quippe, ut de illo impræsentiarum agemus, continet rem arcanam, & sacram, eamque significat, & quidem speciali quadam ratione, in quantum nempe habet rationem cæremoniæ ad hominis sacrationem pertinentis.

PARS PRIMA.

De Sacramentis in communi.

DISPUTATIO I.

De Definitione, Divisione, Materia & Forma Sacramenti.

Omne Sacramentum novæ Legis & totum Metaphysicum est, & Physicum. Ad ejus considerationem sub prima ratione pertinet Definitio & Divisio. Sub secunda ratione consideranti incumbit designare ac declarare ejus materiam & formam. Quæ proinde præsentis Disputationis sint argumentum.

ARTICULUS I.

De Definitione & Divisione Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *De Sacramentis novæ Legis tantùm hic agendum.* 2. *Affertur & declaratur definitio Sacramenti.* 3. *Sacramentum ratione sui debet esse signum efficax.* 4. 5. 6. 7. *aliqua excluduntur a ratione Sacramenti.* 8. *An Sacramentum necessariò debeat esse signum stabile & permanens?* 9. *Aut discretivum Ecclesiæ ab Ecclesia?* 10. *Sacramenta sunt septem.* 11. *Alia dicuntur mortuorum, alia vivorum, & quare.*

QUia Sacramenta antiquæ Legis infirma & egena elementa sunt, ut vocat Apostolus ad Galat. 4. statuique, ac perfectioni Ecclesiæ neutiquam proportionata, supervacaneum videtur definitionem, hîc talem operosè inquirere, quæ & ipsis & Sacramentis novæ Legis conveniat. Quare de istis, non de veteribus, definitionem mox dandam intelligi volumus. 1

2 Dico primo. Sactamentum est *Invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram sanctificationem divinitus institutum.* Hanc definitionem aliis, quæ plures circumferuntur præfero, quia traditur à S. Augustino lib. 10. de Civit. & in Romano Catechismo authoritate Concilii Trident. & jussu Pii V. edito recipitur. Neque alio sensu D. Thomas 3. p. q. 60. artic. 2. in corp. definivit Sacramentum dicens, esse *signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.* Voluit enim dicere, esse signum. cujus vi & efficacia detur illa res sacra, quæ actu sanctificet homines.

Sed jam declarandæ sunt particulæ nostræ definitionis. Dicitur in illa primo, *Signum visibile.* Hoc est, externum ac sensu perceptibile. Per quod definitum differt à Sacramentis, quæ institui potuerant pro Angelis, vel animabus separatis. Hæc enim poterant esse signa merè spiritualia. Dicitur secundo, *Invisibilis gratiæ*: quibus verbis gratia justificans animæ intrinseca, eamque perfectè sanctificans intelligitur. Dicitur tertio, *ad nostram sanctificationem*, ut sciamus, Sacramentum esse signum non qualecunque, sed practicum, cujus usu, sive applicatione fideles sanctificentur sanctitate interna, & ab aliis populis discernantur. Dicitur, *divinitus institutum*: ubi indicatur Author, seu Conditor Sacramenti, Deus videlicet: qui quemadmodum solus est causa principalis gratiæ sanctificantis, ita solus ptincipaliter & authoritativè signa illius practica, & ut à se conferendæ potest instituere. Vid. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 2. Pettschacher de Sacram. tract. 1. q. 1. a. 3. à pag. 10. Illsung tract. 6. disp. 1. a. 1. n. 1. Ex dictis

3 Infertur primo, ut res quæpiam sit Sacramentum, secundùm quod in præsenti loquimur de Sacramentis, necessarium esse primo, ut sit signum sensibile. Secundo, ut significet sanctitatem veram & perfectam sitam in gratia justificationis. Tertio, ut hanc talem sanctitatem in sui usu & applicatione causet per propriam efficaciam, id est, ex opere operato, ut loqui solemus; & non merè ex opere operantis, hoc est, ratione actus, aut dispositionis se tenentis ex parte administrantis, vel suscipientis. Sacramentum quippe in se ipso & ratione sui debet esse signum efficax, idque conferre, quod significat, quoties non invenit obicem.

4 Infertur secundo, Imagines, & Crucem Christi: item consecrationes Altarium, vasorum, ornamentorum: præterea primam tonsuram; aquam benedictam; absolutionem ab Excommunicatione; formationem signi Crucis; professionem Religionis non esse Sacramenta. Ratio sufficiens est: quia, quamvis hæc omnia sint signa rerum sacrarum, non tamen sunt signa gratiæ sanctificantis in sui usu, & applicatione causativa. Vid Filliuc. tract. 1. cap. 1. n. 15.

5 Infertur tertio, illa verba Christi ad Magdalenam: *remittuntur tibi peccata*, Lucæ 7. non fuisse Sacramentum. Ratio est: quia gratiam sanctificantem, quæ tunc collata fuit Magdalenæ, non significabant Sacramentaliter tanquam signa practica ad id instituta, ut in usu & applicatione ipsorum conferretur; sed quali speculativè & Grammaticaliter. Idem ob eandem rationem senti de aliis textibus S. Script. quibus significatur collatio gratiæ; sicut & de sequenti, aliave simili propositione: *Homo verè contritus, vel dignè suscipiens Sacramentum infallibiliter accipit gratiam*: quia nempe non significant ex institutione Christi gratiam ut conferendam in usu & applicatione sui. Pettschacher pag. 12.

6 Infertur quarto, Martyrium non esse Sacramentum. Ratio est: quia non est signum ex institutione Divina significans gratiam: cùm nullum habeatur fundamentum talis institutionis. Neque refert, quòd subeunti Martyrium infallibiliter conferatur gratia. Nam potest Deus ex liberali sua voluntate & privilegio ita præmiare Martyrem, quamvis ad significandum hunc talem effectum non instituerit Martyrium. Pettschacher pag. 13. Mezger to. 4. tr. 15. disp. 16. a. 3. n. 19.

7 Infertur quinto, Sacrificium sub ratione Sacrificii non esse Sacramentum. Ratio est: quia Sacrificium quà tale per se ac directè ad supremam Dei excellentiam contestandam, non ad sanctificandos homines institutum est, Laym. ubi suprà, Bonac. de Sacram. disp. 1. q. 1. pu. 1. num. 4. Oberascher de Sacram. tr. 1. cap. 1. n. 7. Dixi, *sub ratione Sacrificii*, quia eandem rem, quæ Sacrificium est, posse sub alia ratione simul esse Sacramentum, patet in S. Eucharistia nostra, ut suo loco videbimus; & in ejus figura Agno Paschali, cujus immolatio & erat Sacrificium, & simul Sacramentum antiquæ Legis.

8 Infertur sexto, non esse de conceptu essentiali Sacramenti, ut sit signum stabile, firmum, & permanens. Ratio est: quia institutio Sacramentorum dependet ex liberâ Dei voluntate: ergo sicut Deus pro suo arbitrio potuit instituere Sacramenta vel in rebus sensibilibus, vel insensibilibus, ut probabilius docent Gonet, Salmanticenses, & alii, ita etiam potuit instituere cum stabilitate & permanentia, vel sine illa. Confirmatur.

matur. Magis vel minùs durare est extra conceptum formalem rei, eumque præsupponit: ergo licèt esse signum gratiæ sit de intrinseca ratione Sacramenti, non tamen esse signum stabile & permanens.

9 Dices. De ratione Sacramenti est esse discretivum populi, sive Ecclesiæ Dei à non Ecclesia Dei: ergo quemadmodum Ecclesia Dei est stabilis, ita & Sacramenta oportet esse stabilia. Respondeo primo. Transm. Ant. neg. conseq. Nam & Sacrificium est actus ac ritus publicus veræ Religionis; adeoque discretivus Ecclesiæ Dei à non Ecclesia Dei; & tamen de ratione essentiali illius non est permanentia & stabilitas; ut patet in immolatione Isaaci, & Sacrificio cruento, quo Christus se ipsum obtulit in ara Crucis. Quamvis fatendum sit, fuisse congruentius, ut de facto Sacramenta discretiva Ecclesiæ à non Ecclesia instituerentur cum stabilitate & permanentia: cum permanentia, inquam, non quoad esse individuale, sed quoad speciem. Respondeo secundo neg. Ant. posset enim Deus instituere Sacramentum pro particulari aliqua persona; sicut potest revelare mysterium quoddam alicui personæ particulari, & non toti Ecclesiæ: Ergo sicut fides particularis à persona particulari adhibita mysterio revelato tunc haberet veram rationem fidei Theologicæ, quamvis non petineret ad totam Ecclesiam, ita etiam signum practicum gratiæ institutum pro aliqua persona particulari haberet veram rationem Sacramenti, quamvis non esset discretivum Ecclesiæ à non Ecclesia. Vid. Pettschacher pag. 14.

10 Dico secundo. Sacramenta verè & propriè dicta sunt septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Euchatistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Ita omnes Catholici cum Concil. Trid. *sess. 7. can. 1. de Sacram. in gen.* Congruentiam hujus numeri fusè ac pulchrè deductam videre est apud Doct. Thomam. 3. p. q. 65. artic. 1. Et ratio ex dictis est: quia nulli rei alteri, sed solùm iis septem recensitis convenit definitio Sacramenti in num. 2. adducta & declarata.

11 Cæterùm ex his septem Sacramentis alia dicuntur Sacramenta mortuorum, alia vivorum. Sacramenta mortuorum ideo sic dicuntur, quòd pro spiritualiter mortuis, morte nimirum peccati, fuerint instituta; eaque sunt duo, Baptismus & Pœnitentia. Illa ideo taliter appellantur, quòd instituta sint pro viventibus vita spirituali animæ, sive pro constitutis in gratia ceu vita animæ, suntque cætera quinque. Rursus Sacramentorum alia sunt iterabilia, illa nempe, quæ sæpius per vitam suscipi possunt, eò quòd non imprimant characterem indelebilem animæ suscipientis: sunt autem hæc quatuor: Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium. Alia dicuntur initerabilia: suntque illa, quæ semel validè susceptа non amplius suscipi possunt. Et hæc imprimunt characterem indelebilem animæ suscipientis; suntque tria: Baptisinus, Confirmatio, & Ordo.

ARTICULUS II.

De Materia & Forma Sacramentorum.

QUemadmodum omne totum artificiale duplici compositione componitur, quarum una est physica ex materia & forma substantiali, altera artificiosa ex toto substantiali & forma artificiali, ita etiam Sacramentum consurgit per duplicem compositionem, quarum una est quasi physica ex re, vel actione naturali tanquam materia, & ex verbis à Ministro prolatis tanquam forma; altera verò quasi artificiosa ex rebus & verbis simul sumptis tanquam subjecto, & ex significatione practica gratiæ quasi forma quadam artificiosa. Nobis hic de physica, non de artificiosa, compositione Sacramentorum sermo erit.

§. I.

An omnia Sacramenta constent ex rebus & verbis?

SUMMARIUM.

1. *Quid hic intelligatur nomine rerum; quid nomine verborum?* 2. *Cur res vocentur materia in Sacramentis?* 3. *Asseritur sententia affirmans.* 4. *Quo sensu actus spirituales Pœnitentis dici possint res sensibiles in Sacramento Pœnitentiæ?* 5. *Nomina rerum & verborum in præsentiarum non debent accipi strictè.* 6. *Cur in Sacramento Matrimonii traditio potiùs quam acceptatio dicatur æquivalenter res?* 7. *In Sacramentis alia est forma totalis, alia partialis.*

1 Notandum est primo, nomine rerum in Sacramentis intelligi id, quo posito nondum habetur esse completè significativum, sive deinde sit permanens quidpiam,

sive transiens, sive actio quædam; sive verba. Nomine verborum intelligitur, quod complet, & perficit significationem, resque ad hanc determinat; sive sit nutus, sive scriptura; ut in Matrimonio quandoque; sive verba propriè dicta, ut in reliquis Sacramentis.

2 Notandum est secundo, res ideo vocari materiam in aliquo Sacramento, quia sunt pars determinabilis, & nondum determinatè significans gratiam sanctificantem: verba autem ideo vocari formam, quia sunt pars determinans rem ad significationem Sacramentalem. V. G. in Baptismo ablutio est materia; quia adhuc est indifferens & determinabilis ad lotionem spiritualem animæ: verba autem, quæ baptizans profert cum debita intentione sunt forma: quia illis accedentibus ablutio non est amplius indifferens, sed determinata *ad significandam emundationem spiritualem*, ait D. Thomas 3. p. q. 60. a. 6. Nunc

3 Dico. Omnia Sacramenta novæ Legis constant rebus & verbis, saltem virtualiter & æquivalenter. Ita Doct. Thomas loco cit. & Theologi communiter contra Durandum, qui excipit Sacramenta Matrimonii & Pœnitentiæ. Sumitur statuta concl. ex Consil. Florent. in decreto Eugenii ad Armenos, ubi post recensita septem novæ Legis Sacramenta ita pronuntiatur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Omnia proinde constant ex rebus, ut materia, & ex verbis, ut forma.

Ratio verò ejusdem Concl. petitur tum ex voluntate Christi instituentis, quam Theologi colligunt ex Scriptura, traditione, Conciliis & Patribus: tum ex eminentia perfectionis Sacramentorum nostrorum supra Sacramenta vetera, vi cujus perfectiori modo debent significare sanctitatem, quàm illa: adeoque constare debent ex iis, quæ perfectiùs significant: perfectiùs autem significant res & verba simul, quàm res tantum. Tum præterea ab inductione singulorum: sic Marci ult. constitutiva Baptismi designantur illis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*: ubi baptizatio, sive ablutio se habet ut res; invocatio vero Sanctissimæ Trinit. habet rationem verborum. In Confirmatione unctio Chrismatis est res, cui accedit certa verborum formula, veluti colligitur ex cap. 8. Actor. De Sacramento Eucharistiæ patet ex illis Math. 26. *accepit panem, fregit, & dixit &c.* Sacramentum Pœnitentiæ pro materia agnoscit contritionem & confessionem, cui adduntur verba absolutionis: sicuti deducitur ex Joan. 20. cap. Sacramentum Ordinis perfici impositione manuum, & imprecatione vocis, ut vocat S. Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, docet praxis Ecclesiæ. In Extrema Unctione dari res & verba eruitur ex illo Jacobi ult. *Ungentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* De Matrimonio dicitur in cap. *licèt. de sponsa duor.* oportere, ut uterque conjugum verbis aut signis consensum suum alteri significet.

4 Objicies primo cum Durando. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata; proxima contritio, aliique actus pœnitentis; forma verò est absolutio Sacerdotalis; ut omnes admittunt. Supponamus modò, aliquem non esse sibi conscium alterius peccati, quàm verbô commissi. In hac hypothesi fieri potest, ut Sacramentum Pœnitentiæ nihil contineat sensibile præter verba. Nam inprimis materia remota consistit in peccato oris; materia verò proxima partim esse potest quid merè spirituale, nempe contritio & propositum; partim in solis verbis constitutum, putà confessio: quod ipsum de forma absolutionis aliunde clarum est. De Matrimonio simile urget argumentum. Nam hoc Sacramentum perfici potest solis verbis, si contrahentes mutuum consensum exprimant solis verbis. Imò etiam consistere potest in solis rebus, quod planè contingit, quando contrahentes exprimunt mutuum consensum vel per litteras, vel per nutus & alia signa. Ergo nec Sacramentum Pœnitentiæ, nec Sacramentum Matrimonii tunc constat ex rebus sensibilibus & verbis.

Respondeo negando, in facta hypothesi Sacramentum Pœnitentiæ nihil continere sensibile præter verba. Dico enim, confessionem, & actus pœnitentis, quatenùs per confessionem sensibiles, esse res æquivalenter. Similiter respondeo ad alterum de Matrimonio. Nam verba formaliter, quando his solis perficitur, sunt res æquivalenter: & res formaliter, quando itidem his solis perficitur, sunt verba æquivalenter. Itaque & hæc Sacramenta semper constant rebus & verbis, si non formaliter, saltem virtualiter & æquivalenter talibus; sicut in Concl. dictum est.

5 Quæ omnia ut rectè intelligantur, advertendum est, in præsenti negotio nomina rerum & verborum non ita strictè accipi debere, ut nunquam res pro verbis, verba pro rebus usurpari possint. Nomine quippe verborum illa omnia hîc veniunt præter verba formalia, quæ loco istorum adhiberi solent ad quidpiam significandum: qualia sunt litteræ, nutus, & alia signa, quibus internos conceptus nostros exprimimus; ideoque

quæ verba virtualia, seu æquivalentia dici possunt. Similiter nomine rerum illa omnia intelligimus, quæ vices earum subeunt, licèt sint verba formalia. Et ratio horum est: quia illa pars in quolibet Sacramento dicitur res, quæ ad significandum est determinabilis, vel ulteriùs complebilis per aliam partem: illa pars econtra constituit verba, quæ determinat, vel saltem complet aliam partem ad significandum. Si proinde in Sacramento sunt verba determinabilia, vel ulteriùs complebilia in significando per alia verba, habebunt in illo rationem rerum. Si verò in Sacramento sit res, quæ determinet, vel saltem compleat significationem alterius, habebit rationem verborum. Cùm igitur in Sacramento Pœnitentiæ confessio verbalis sit pars determinabilis per absolutionem Sacerdotis ad significandam gratiam remissivam peccatorum, rectè dicitur res Sacramenti Pœnitentiæ. Pari modo, cùm in Sacramento Matrimonii nutus unius contrahentium compleat in significando nutum alterius contrahentis; rectè sub hac formali ratione complentis ac determinantis dicitur subire munus verborum; & sub ratione complebilis ac determinabilis dicitur subire munus rerum: sicut etiam, dum idem Sacramentum constat ex solis verbis contrahentium, verba illius, quæ determinantur per verba alterius, habentur pro rebus; quæ verò determinant, habentur pro verbis. Porrò nutus & verba formalia in hoc Sacramento eatenùs sunt determinabilia, quatenùs exprimunt mutuam traditionem corporum, & eatenùs sunt determinativa, quatenùs exprimunt mutuam acceptationem corporum. Traditio quippe in contractu civili, qualis est etiam Matrimonialis, est quid indifferens, adeoque determinabile in esse contractûs; acceptatio verò est determinativa. Non enim hoc ipso, quòd Cajo tradam jus in meum equum, contractus est perfectus & completus; sed debet ulteriùs adesse acceptatio ex parte Caii, per quam ultimatò determinetur & compleatur.

6 Dices. In Matrimonio traditio est acceptatio, & acceptatio est traditio: v. g. traditio, qua Cajus corpus suum tradit Semproniæ, est acceptatio, qua idem Cajus acceptat corpus Semproniæ: similiter traditio, qua Sempronia suum corpus tradit Cajo, est acceptatio, qua eadem Sempronia acceptat corpus Caii. Vicissim acceptatio, qua Cajus acceptat corpus Semproniæ, est traditio, qua idem suum corpus tradit Semproniæ, & acceptatio, qua Sempronia acceptat corpus Caii, est traditio, qua eadem suum corpus tradit Cajo: nam eodem numerô consensu maritus tradit suum corpus uxori, quo acceptat ejus corpus, ut vicissim &c. Ergo non est major ratio, cur traditio potiùs dicatur esse æquivalenter res, quàm acceptatio; vel acceptatio potiùs dicatur esse æquivalenter verba, quàm traditio.

Respondeo dist. Ant. traditio est acceptatio &c. realiter formaliter conc. realiter virtualiter, neg. Ant. & conseq. Nam idem realiter consensus conjugis est virtualiter duplex propter duplex objectum, scilicet corpus duplex, ad quod ita comparatur, ut in ordine ad proprium corpus sit traditio, ut in ordine verò ad corpus alterius conjugis sit acceptatio, &, ut traditio est, præsupponatur sibiipsi, quatenùs est acceptatio, rursumque sub formalitate traditionis sit virtualiter & æquivalenter res sensibilis; sub formalitate acceptationis autem sit virtualiter & æquivalenter verba. Illud enim in Sacramentis, ut exposuimus, habet rationem rei sensibilis, quod est aliquatenus indifferens & determinabile: Illud verò habet rationem verbi, quod est determinativum: atqui traditio est determinabilis per acceptationem alterius conjugis; acceptatio verò est determinativa.

Instabis. Acceptatio ex parte Semproniæ v. g. est traditio, & traditio ex parte Caii est acceptatio; atqui traditio non potest determinare acceptationem; ergo acceptatio Semproniæ non potest determinare traditionem Caii. Respondeo admissa maj. in sensu reali formali dist. mi. sed traditio sub formalitate traditionis non potest determinare acceptationem sub formalitate acceptationis, conc. traditio sub formalitate acceptationis non potest determinare acceptationem sub formalitate traditionis, neg. mi. ergo acceptatio Semproniæ sub formalitate traditionis non potest determinare traditionem Caii sub formalitate acceptationis, conc. acceptatio Semproniæ sub formalitate acceptationis non potest determinare traditionem Caii sub formalitate traditionis, neg. conseq. Neque opus est, ut res & verba hîc distinguantur realiter formaliter: cùm enim Sacramenta sint composita non physica, sed moralia, possitque idem physicè ens æquivalere pluribus moraliter; sufficit, si res & verba, ex quibus tanquam ex materia & forma Sacramenta componuntur, inter se distinguantur virtualiter aut æquivalenter.

Objicies secundo. Omnia Sacramenta sunt signa: ergo omnium Sacramentorum forma est significatio: ergo in Sacramentis non dantur verba, quæ habeant rationem formæ, ut in proximo §. docebimus: ergo falsum est Sacramenta novæ Legis, de quibus loquimur, constare rebus & verbis. 7

Respon-

Respondeo conc. Ant. dist. primum conseq. ergo omnium Sacramentorum forma totalis est significatio, conc. forma partialis, neg. ergo verba in Sacramentis non habent rationem formæ totalis, conc. non habent rationem formæ partialis; neg. sicut enim in homine humanitas est forma totalis compositi ex anima & materia, & nihilominùs anima est forma respectu materiæ primæ ceu compartis, atque hoc sensu forma partialis, ita etiam in Sacramento forma totalis, sive totius compositi est significatio, & nihilominùs verba respectu rerum ceu compartis potentialis & determinabilis habent rationem formæ partialis.

§. II.

An in Sacramentis res sint materia, & verba sint forma?

SUMMARIUM.

8. *Materia Sacramentorum alia remota, alia proximæ.* 9. *Statuitur sententia affirmativa, & probatur tum Authoritate, tum ratione.* 10. *Ut res & verba componant unum aliquod Sacramentum, sufficit illa simul existere simultate morali.* 11. 12. *& seqq. Illationes practicæ.*

8 NOtandum est, in quolibet Sacramento novæ Legis duplicem distingui solere materiam, scilicet remotam & proximam. Per materiam remotam intelligitur res quæpiam sensibilis, in qua, vel circa quam exercetur actio Sacramentalis. Nomine materiæ proximæ Sacramentorum, quæ in usu consistunt, venit ipsa actio à Ministro exercita in materia remota, vel circa illam. Sic in Baptismo v. g. materia remota dicitur esse aqua; proxima, ablutio. In Confirmatione materiam remotam volunt esse sacrum Chrisma; proximam unctionem frontis per illud. Dum in præsenti inquirimus de rebus, an in Sacramentis sint materia? non de materia remota, sed de proxima loquimur.

9 Dico. Res in Sacramentis novæ Legis habent rationem materiæ, & verba rationem formæ. Ita communiter Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 60. art. 6. ad 2. ubi dicit: *Ex rebus & verbis fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex forma & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum.* Et habetur aperte in Concil. Florent. quod in decreto Unionis, ut in priori § audivimus, definit, *omnia Sacramenta perfici rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.*

Ratio Concl. à Doct. Thoma loco cit. indicata est: quia illud in composito habet rationem materiæ, quod est in potentia, seu determinabile: & illud habet rationem formæ, quod per modum actus est determinativum; sed in omnibus Sacramentis novæ Legis res sunt in potentia, seu determinabiles, & verba sunt per modum actus determinativa, nempe ad significationem Sacramentalem. Nam immersio v. g. vel affusio aquæ in Baptismo est indifferens, ut quis illa utatur vel ad refrigerandum, vel ad abluendum: per verba autem: *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem, qua mediante fit emundatio interna animæ à peccato. Ergo res in Sacramentis novæ legis habent rationem materiæ, & verba rationem formæ.

Objicies. Materia & forma in composito ex ipsis debent esse simul simultate existentiæ: sed res & verba in Sacramentis novæ Legis non sunt ita simul; ergo non sunt materia & forma eorum. maj. inde constat, quòd ea, quæ componunt aliquod totum, sint simul simultate compositionis; quod fieri non potest, nisi sint etiam simul simultate existentiæ. mi. ostendi potest in pluribus Sacramentis. Sic in Sacramento Pœnitentiæ dolor, confessio, propositum, quæ sunt res ejusdem, tempore præcedunt verba absolutionis, vel saltem possunt præcedere. Similiter in Baptismo perinde est, sive verba præcedant ablutionem, sive hæc præcedat verba &c. 10

Respondeo dist. maj. debent esse simul simultate existentiæ, vel physica vel morali, conc. simultate physica, subdist. in composito physico, conc. in composito morali, neg. maj. sed res & verba in Sacramentis non sunt simul simultate existentiæ physica, conc. morali neg. mi. & conseq. Probat. maj. similiter dist. quæ componunt aliquod totum, sunt simul simultate compositionis physicæ vel moralis, conc. physicæ, subdist. si totum, quod componunt, sit physicum, conc. si morale, neg. sed non possunt esse simul simultate compositionis physicæ, nisi sint etiam simul simultate existentiæ physica, conc. non possunt esse simul simultate compositionis moralis, nisi sint etiam simul simultate existentiæ, subdist. morali, conc. physica, neg. Ratio solutionis est, quod Sacramenta non sint composita physica, sed moralia; ad quæ non est necessaria simultas compositionis physicæ, uti nec simultas physica existentiæ partium, sed sufficit moralis: quæ tunc habetur, quando secundùm æstimationem prudentum partes etiam physicè non coexistentes adhuc censentur ad se sufficienter relatæ & coordinatæ, formaque verè cadere supra materiam, ut ex iisdem unum aliquod signum gratiæ constituatur. Atque hinc pro diversitate

Sacra-

Sacramentorum aliquando minor ſimultas partium requiritur, & in quibusdam exigua, in aliis magna interpolatio officit unioni & compoſitioni. Ex quibus jam pro praxi.

11 Infertur primo, ad valorem Sacramenti non requiri, ut intra idem inſtans, aut partem temporis incipiat & deſinat applicatio materiæ & prolatio formæ. Ratio eſt; quia ejusmodi ſimultas eſt impoſſibilis, ſaltem moraliter loquendo. unde Chriſtus Inſtitutor Sacramentorum eam non potuit exigere. Immò ex eodem proportionaliter capite probabilius eſt non requiri, ut verba formæ ſaltem inchoentur, antequam applicatio materiæ, v. g. ablutio, finiatur; aut econtra applicatio materiæ inchoetur, antequam pronuntiatio formæ abſolvatur. Vid. Reding to. 11. q. 1. a. 2. controv. 4.

12 Infertur ſecundo, invalidum eſſe Sacramentum, quando appplicatio materiæ & applicatio formæ tantô intervallô ſe ſubſequuntur, ut prudentûm judiciô unum complexum morale, ſpectatâ naturâ Sacramenti, non conſtituant. Ita omnes Theologi. Ratio eſt clara: quia ſine debita conjunctione & unione partium nullum totum dari, aut concipi poteſt. Atque ideo

13 Infertur tertio, non ſubſiſtere Baptiſmum, vel Confirmationem, ſi formas illorum proferas primùm dimidiâ horâ, vel quadrante horæ poſt affuſionem aquæ, vel unctionem frontis. Ratio eſt: quia in Baptiſmo & Confirmatione (quod idem cum proportione ſenti de Extrema Unctione & Ordine) talis requiritur ſimultas & conjunctio materiæ & formæ, ut dum Miniſter verba pronuntiat, moraliter cenſeatur abluere, inungere &c. Atqui in ſimili caſu non habetur talis ſimultas ſeu conjunctio; ergo. Forma proinde erit tunc falſa, & Sacramentum nullum. Vid. Sporer de Sacram. in gen. cap. 2. n. 81.

14 Infertur quarto, in Sacramento Pœnitentiæ non requiri tantam ſimultatem materiæ & formæ, quanta requiritur in aliis. Et ideo poſt Confeſſionem doloriferam, quæ eſt materia hujus Sacramenti, ſatis diu differri poteſt abſolutio, quæ eſt forma. Ratio eſt: quia Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum judicii, in judiciis autem cognitionem cauſæ ſubſequi ſolet pronuntiatio ſententiæ intervallô quandoque ſatis longo. Vid. Coninck de Sacram. in gen. a. 6. n. 40. Bonac. de Sacram. diſp. 1. q. 2. pu. 2. n. 2. Mezger to. 4. tract. 14. diſp. 17. a. 2. n. 9.

15 Infertur quinto, omnium minimam ſimultatem partium requiri in Sacramento Matrimonii. Ratio eſt: quia Matrimonium ſequitur naturam contractus civilis; in quo conſenſus unius contrahentium poteſt eſſe poſterior conſenſu alterius, quamdiu is cenſetur moraliter perſevetare. Et hoc vel maximè patet, dum Matrimonium contrahitur per procuratorem, nuntium, vel litteras in locis diſſitis. Quapropter validum eſt hoc Sacramentum, licèt acceptatio, quæ eſt forma, ſex menſibus v. g. ſit poſterior traditione, quæ eſt materia. Vid. Coninck, Bonac. Sporer locis citt.

16 Infertur ſexto, omnium maximam, & phyſicam ſimultatem materiæ & formæ requiri in Sacramento Euchariſtiæ. Ratio eſt, quia in illius Conſecratione vi verborum formæ fit phyſica & realis tranſubſtantiatio ſeu converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, atqui hæc phyſica converſio importat ſpecierum panis & vini; quæ ſunt materia & terminus communis ejus tranſitus ab eadem ſubſtantia panis & vini tanquam termino *à quo*, phyſicam ſimultatem & coexiſtentiam cum corpore ſanguine Chriſti tanquam termino *ad quem*. Vid. Mezger n. 38.

17 Infertur ſeptimo, quamvis ex dictis n. 11. ad valorem Sacramentorum quorum n. 13. meminimus, probabiliùs non ſit neceſſarium, ut aliquid formæ materiæ, vel aliquid materiæ formæ coexiſtat phyſicè, eſſe tamen mortaliter illicitum totam formam deliberatè ſubjungere materiæ, vel totam materiam formæ. Ut proinde mortaliter peccet, qui in Baptiſmo non ſaltem partem aliquam formæ, dum adhuc phyſicè durat ablutio, pronuntiat, quod idem cum proportione tenendum eſt de Confirmatione, Ordine & Extrema Unctione. Ratio eſt: quia omnium judiciô mortaliter peccat, qui citra neceſſitatem Sacramentum exponit periculo invaliditatis: atqui dicto modo baptizans ita exponit Sacramentum periculo invaliditatis; ergo mortaliter peccat. min. inde prob. quod non deſint graves DD. qui ad valorem hujus Sacramenti requirunt, ut aliqua ſaltem pars formæ jungatur phyſicè cum applicatione materiæ: quorum ſententia cùm ſit probabilis, periculum eſt, ne noſtra ſit à parte rei falſa. Adeoque is, qui illam deducit in praxim, non eſt ſecurus de valore Sacramenti, ſed in periculo, ne conficiat nihil. Itaque in praxi ſedulò jurandum eſt Miniſtro Sacramenti, ut talis ſit conjunctio atque ſimultas materiæ & formæ, qualem ipſe efficere omni meliori modo poteſt. nam quantò illa major, tantò ager ſecuriùs. nimis tamen ſcrupuloſum hîc eſſe non oportet. Vid. Mezger n. 10. Sporer n. 83.

§. III.

An, & qualiter materia & forma Sacramentorum sint determinatæ?

SUMMARIUM.

18. *Status Quæstionis.* 19. *Materiæ & formæ Sacramentorum à Christo sunt determinatæ.* 20. 21. *Objiciuntur varia.* 22. *Christus quorundam Sacramentorum materias & formas determinavit quoad speciem, aliorum quoad rationem genericâ tantùm.* 23. *Solvuntur n.* 20. *& 21. objecta.*

18 INquirimus reipsa, an quilibet Minister Sacramentorum, vel saltem Ecclesia, possit pro libitu, & arbitrio suo assumere res & verba quæcunque ad conficienda Sacramenta? vel, an sit necesse adhibere in unoquoque materiam, formamque certam, & quidem à Christo designatam, seu determinatam? Ubi duplex potissimùm difficultas emergit, una circa Sacramentum Matrimonii, & altera circa Sacramentum Ordinis: ut postea videbimus. Nunc

19 Dico primo. In omnibus Sacramentis res & verba, sive materiæ & formæ sunt à Christo determinatæ; ita ut quodlibet Sacramentum constare debeat illa materia & illa forma, quæ à Christo est designata. Ita communiter Theologi cum D. Thoma, 3. p. q. 60. a. 5. & 7. Habetur ex Concil. Trid. *sess. 7. can.* 1, ubi definit: *Siquis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem, anathema sit.* Ex quibus ita arguitur: Ille determinavit materias & formas Sacramentorum, qui eadem instituit, quia instituendo determinare tota Sacramenta fuit determinare partes eorum essentiales. Sed Christus instituit omnia Sacramenta de quibus loquimur; ergo ipse determinavit materias & formas illorum.

Confirmatur. Si Christus non determinâsset materias & formas Sacramentorum, sed eorum determinationem reliquisset Ecclesiæ, sequeretur, Ecclesiam posse aliquid statuere & mutare circa substantiam Sacramentorum: atqui nihil horum potest Ecclesia; velut expressè declarat Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. illis verbis: *Præterea declarat* (S. Synodus) *in Ecclesia Dei fuisse quidem perpetuo potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ magis expedire judicaret.* Ex quibus apertè vides, Ecclesiam agnoscere, quòd ipsa nihil possit statuere & mutare circa substantias Sacramentorum. Seq. verò maj. facilè constat: cùm enim materia & forma sint de substantia, id est, de intrinseca & essentiali constitutione Sacramentorum, Ecclesia determinando ac designando illas utique aliquid statueret aut mutaret circa substantiam Sacramentorum.

Objicies primo. Concilium Trid. sess. 24. de Reform. cap. 1. statuit, ne consensus clandestinus, hoc est, sine præsentia Parochi & testium factus, sufficiat imposterum ad valorem Matrimonii; cum tamen idem talis consensus ante hoc Concilium fuerit materia sufficiens ad valorem hujus Sacramenti: ergo tunc Ecclesia determinavit ac immutavit materiam Sacramenti Matrimonii. Secundo in antiqua Ecclesia Ordo Presbyteratûs per solam impositionem manuum cum proportionata verborum formula fuit collatus. Quem eundem morem, sciente & consentiente Summo Pontifice, Romæ etiamnum vigere aiunt apud Græcos Episcopos Catholicos, additis hisce verbis: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, &, quæ desunt, supplet, creat, seu promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Nunc autem in Ecclesia Latina Presbyteri ordinantur non per impositionem manuum, sed per porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino. Similiter Diaconatus in Ecclesia Græca confertur per impositionem manûs cum verbis proportionatis: qui tamen in Ecclesia Latina confertur per traditionem libri Evangeliorum cum verbis ad id convenientibus. Ergo planè constat, materiam Ordinum esse ab Ecclesia determinabilem & mutabilem, prout expedire visum fuerit. Confirmatur. Ordo Diaconatûs collatus fuit S. Stephano & aliis, antequàm libri Evangeliorum scripti essent: ergo non potuit tunc traditio Evangeliorum esse materia Diaconatûs. Unde ergo habet, nisi ex determinatione Ecclesiæ, quòd postmodùm facta sit materia illius Ordinis?

21 Similia objici possunt de formis quorumdam Sacramentorum. Nam primo, Ecclesia Latina in Baptismo utitur hac forma: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Græca Ecclesia dicit: *Baptizatur servus Dei &c.* Secundo, forma absolutionis in Ecclesia Græca est deprecativa, qualis non est in Latina. Tertio, Forma Consecrationis Calicis, qua utitur Ecclesia Græca, non est prolixus ille verborum tractus, qua utitur Latina. Quarto, In ordinatione Presbyteri apud Latinos hæc forma adhibetur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* apud Græcos illa deprecatoria, cujus in n. præced. meminimus, *Divina gratia, quæ semper infirma &c.* qua eadem ferè utuntur in ordinatione Diaconi. Quinto, In Matrimonio mutua acceptatio corporum, quæ obtinet rationem formæ, potest consistere vel in verbis, vel in nutibus, vel in alio signo. Ut satisfiat his difficultatibus,

Dico

22 Dico secundo. Christus in determinando materias & formas Sacramentorum non processit æqualiter, sed quorumdam materias & formas determinavit quoad speciem, aliorum verò quoad rationem generícam tantùm. Ita Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 4. pu. 2. Filliuc. tr. 1. de Sacram. in com. cap. 4. n. 61. Reding. to. 11. q. 1. a. 2. controv. 5. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 3. à n. 4. & alii. Ostenditur Concl. inprimis quoad materias. Nam materia Baptismi est sola ablutio per aquam naturalem. Confirmationis juxta probabiliorem sententiam est sola unctio Chrismatis; Extremæ Unctionis verò est sola unctio per oleum ab Episcopo consecratum: in quibus proinde Sacramentis materiæ quoad speciem sunt determinatæ. Econtra materia Euchatistiæ sunt species cujuslibet vini de vite, quamvis vina ob qualitates & proprietates plurimùm diversas specie physica differre meritò videantur. Materia Sacramenti Pœnitentiæ est tam attritio, quàm perfecta contritio: qui tamen actus specie differunt. Materia Sacramenti Ordinis est traditio, vel usus cujuslibet signi ab Ecclesia assumpti ad exprimendam potestatem, quæ per Ordinem confertur. Denique in Matrimonio, ubi Concilium Trid. non est receptum, materia valida potest esse contractus tam privatus & clandestinus, quàm publicus coram Parocho & testibus celebratus. ut adeo in his Sacramentis materia quoad genus tantùm sit determinata. De formis quoque Sacramentorum similiter patet, non omnes à Christo esse determinatas quoad speciem. nam in Matrimonio non solùm verba formalia, sed etiam his æquivalentia, ut nutus, litteræ &c. quibus exprimitur mutua acceptatio, sufficiunt, dum tamen in aliis Sacramentis determinatè requiruntur verba formalia. Ex quibus jam

23 Respondeo ad primam Object. conc. Ant. dist. conseq. ergo tunc Ecclesia determinavit & immutavit materiam Sacramenti Matrimonii materialiter sumptam, conc. formaliter sumptam, neg. conseq. Materia hujus Sacramenti materialiter sumpta est contractus Matrimonii præcisè in se spectatus: formaliter sumpta est contractus Matrimonii ut substans intentioni Christi, id est, contractus Matrimonii quà legitimus. Quando igitur Concilium Trid. statuit, ut contractus clandestinus non sit amplius materia valida, solùm effecit, ut clandestinus contractus non sit amplius legitimus: quod est materiam mutásse materialiter sumptam: non autem effecit, nec potuit efficere, ut contractus Matrimonii legitimus non sit materia valida: quidquid enim Ecclesia circa valorem & legitimitatem hujus contractus statuat, semper erit verum dicere, legitimum Matrimonii contractum esse materiam validam Sacramenti Matrimonii.

Ad secundam object. concessis omnibus, quæ dicuntur in Ant. dist. similiter conseq. ergo materia Ordinum est ab Ecclesia determinabilis & mutabilis materialiter sumpta, conc. formaliter sumpta, neg. conseq. Materia Ordinum formaliter sumpta, & prout substat institutioni Christi, est actio sensibilis quatenùs in genere, additâ verborum formâ, exprimens potestatem Ordinis, & collationem officii ejusdem. Materia verò materialiter sumpta est esse hanc speciem, vel individualiter actionem. Et in hoc quidem posteriore sensu concedimus, materiam Presbyteratûs & Diaconatûs esse aliam apud Græcos, aliam apud Latinos; non tamen in prioti: cùm utraque Ecclesia pro materia utatur actione sensibili, quæ unà cum præscripta forma verborum sufficienter significet potestatem Ordinis & collationem officii cuilibet competentis. Quòd autem illa actio sit hujus potius, quàm alterius rationis specificæ, v. g. impositio manuum potiùs, quàm traditio patenæ cum pane &c. non pertinet ad institutionem Christi, sed determinationi Ecclesiæ relictum est.

Ad Confirmat. Itidem respondeo, ex eo, quòd traditio libri Evangeliorum habeat ex determinatione Ecclesiæ, ut hodie sit materia Diaconatûs, plus non colligi, quàm Ecclesiam determinâsse materiam hujus Ordinis materialiter sumptam; quatenùs effecit, ut actio sensibilis à Christo instituta ad significandam potestatem Diaconatûs, abstrahendo à determinata specie, esset hæc specie actio potiùs, quàm alia.

Ad cætera, quæ objecta sunt ex parte formarum, est eadem proportionaliter responsio, nempe plus inde non colligi; quàm quòd Christus in Sacramentis indicatis non usqueadeo in specie & individuo formas verborum determinaverit, ut non aliquam eorum determinationem, modificationem & additionem potestati Ecclesiæ reliquerit: quæ tamen sunt solùm mutationes formarum materialiter sumptarum.

§. IV.

Quænam mutatio Materiæ, vel Formæ obsit valori Sacramenti?

SUMMARIUM.

24. *Essentialis mutatio materiæ vel formæ tollit valorem Sacramenti, non autem accidentalis.* 25. *Statuitur, quænam mutatio materiæ sit essentialis.* 26. 27. 28. 29. *Illationes ex dictis.* 30. *Octo modis potest contingere mutatio formæ Sacramentalis.* 31. *Statuitur, unde colligi possit, mutationem formæ esse essentialem, vel accidentalem.* 32. 33. *& seqq. Corollaria pra-*

practica. 40. *Quale peccatum sit quidpiam mutare in formis Sacramentorum.* 41. *Quid agendum Ministro in dubio, an formam Sacramentalem rectè protulerit?*

24 QUoniam ex dictis in præced. §. habetur, materiam & formam Sacramentorum à Christo esse determinatas & præscriptas, duo evidenter patent. Primum, toties Sacramentum reddi invalidum, quotes materia, vel forma mutatur essentialiter. nam sublata parte essentiali tolli essentiam totius necesse est. Secundum, valori Sacramenti nihil officere mutationem accidentalem materiæ vel formæ. cùm enim in naturalibus & artificialibus fieri possit mutatio quædam accidentium, salvâ eorum essentia, idem haud dubiè fieri potest etiam in Sacramentis. Quare illud modò supereſt, ut inquiramus, quandonam mutatio materiæ & formæ sit essentialis, quando accidentalis?

25 Dico primo. Mutatio materiæ tunc censeri debet essentialis, quando tanta est, ut secundùm communem usum & æstimationem hominum differat ratione & appellatione ab ea materia, quam Christus præscripsit: tunc autem mutatio accidentalis dicenda est, quando materia adhuc retinet eundem usum, idemque nomen cum materia, quam Christus præscripsit. Ita Suarez in 3. p. to. 3. disp. 2. sect. 4. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 4. Reding to. 11. q. 1. a. 2. controv. 6. n. 3. Pettschacher de Sacram. in gen. q. 2. a. 4. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 4. n. 2. & alii communiter. Ratio primæ partis est: quia illa mutatio est essentialis, per quam fit, ut materia non sit ampliùs elevata ad esse significativum gratiæ: sed per mutationem, de qua loquitur hæc pars Concl. fit, ut maria non sit ampliùs elevata à Christo ad esse significativum gratiæ, quia ad hoc non est elevata à Christo materia modis memoratis differens à materia, quam ipse præscripsit: ergo est mutatio essentialis. Ratio secundæ partis est ab oppositò: quia, quamdiu materia juxta moralem æstimationem adhuc retinet eundem usum & appellationem cum materia à Christo præscripta, tamdiu retinet etiam elevationem ad esse significativum gratiæ: & consequenter non est alia essentialiter sed accidentaliter tantùm. Cæterùm in praxi stabilitæ jam regulæ vel maximè observari debet traditio, consuetudo, & usus Ecclesiæ. hinc omnis illa mutatio materiæ & formæ, quæ juxta traditionem, usumque Ecclesiæ non destruit Sacramentum, habenda est certò pro accidentali tantùm; sicut habenda est pro substantiali seu essentiali, si destruat. neque enim Ecclesia, quæ est columna & fundamentum veritatis, in præsenti negotio, quod vel maximè ad doctrinam Fidei ac morum pertinet, errare potest. Ex dictis

Infertur primo, nullum fieri Sacramen- 26
tum, siquis consecret crudam massam ex farina & aqua subactam; vel panem ex hordeo. Ratio est: quia illa massa, tametsi fortè à pane non differat specie physica, secundùm usum humanum & æstimationem moralem non habetur pro pane. Panis quoque hordeaceus non est simpliciter panis usualis. Mezger n. 3.

Infertur secundo, licèt vinum album & 27
rubrum probabibiliter differant specie physica, nihilominùs utrumlibet validè consecrari: liquorem tamen adhuc contentum intra uvas non consecrari validè. Ratio est: quia vinum, sive album sit, sive rubrum, est vinum simpliciter usuale: secùs liquor intra uvas; cùm ne quidem habeatur pro potu; esto fortè sit ejusdem speciei physicæ cum potu. Mezger loco cit.

Infertur tertio, invalidum esse Bapti- 28
smum, qui in aqua conglaciata, vel rosacea confertur. Ratio est: quia, licèt glacies physicè & substantialiter sit aqua, non tamen est apta ad usum & exercitium abluendi, antequàm resolvatur. Similiter ille liquor ex rosis destillatus non est aqua usualis, neque venit nomine aquæ elementaris, quamvis physicè ab illa non differre supponatur. Reding ubi suprà, Sporer de Sacram. in gen. p. 1. c. 2. n. 86.

Infertur quarto, validè consecrari pa- 29
nem triticeum, cui mixtum est parum quid hordei: item vinum aquâ modicè temperatum. Ratio est: quia hoc est solùm mutatio accidentalis, & tam panis quàm vinum non obstante hac tali admixtione retinet moraliter rationem panis & vini usualis simpliciter. Reding loco cit. Pettschacher, ubi suprà. Similiter valet Baptismus, sive aqua, quæ adhibetur, sit frigida, sive calida; sive pura, sive turbida. Ratio est eadem: quia videlicet non obstat talis mutatio, quominùs adhuc nomen, naturam, & usum aquæ à Christo præscriptæ retineat. Plura ejusmodi exempla dari solent, ubi de singulis Sacramentis in particulari agitur.

Sed jam ad Formæ mutationem venia- 30
mus. Ubi sciendum est, hanc mutationem octo ferè modis posse contingere, nempe primo, per variationem idiomatis: ut, si forma Latinè proferenda proferatur Germanicè, vel partim Germanicè partim Latinè. Secundo, per substitutionem vocis æquipollentis & synonymæ. Tertio, per transpositionem vocabulorum. Quarto, per interpolationem: quando nempe Minister post enuntiata priora verba aliquid aliud impertinens agit, vel loquitur, & deinde primùm posteriora subjungit. Quinto, per additionem. Sexto, per subtractionem alicujus syllabæ,

labæ, vocabuli, vel integri sensus. Septimo, per corruptionem, vel depravationem verborum: ut, dum quis loquitur non emendatè committendo solœcismum, barbarismum, errorem &c. Octavo, per substitutionem scripturæ, nutuum aliorumve signorum in locum verborum vocalium.

31 Dico nunc secundo. Illa mutatio formæ Sacramentalis est essentialis, quæ tollit sensum, & significationem verborum: illa verò est accidentalis tantùm, quæ sensum verborum à Christo intentum relinquit. Ita D. Thomas 3. p. q. 60. a. 8. & Theologi communiter. Ratio est: quia sensus est velut anima verborum: ergo illo ablato tollitur substantia verborum quatenùs formam constituentium, adeoque essentia formæ; eodem autem sensu manente, nihil est, quod tollat illorum substantiam. Atque hinc

32 Colligitur primo, mutationem, quæ fit per solam variationem idiomatis, esse solùm accidentalem; adeoque valide confici Sacramentum, sive in hac, sive in illa lingua proferantur verba. Salmantic. de Sacram. in gen. tr. 1. c. 4. pu. 3. n. 52. Coninck a. 8. dub. 1. n. 68. Filliuc. tr. 1. c. 4. n. 65. Ratio est: quia semper remanet idem sensus substantialis verborum. Adde, quòd aliàs omnes eodem idiomate in confectione Sacramentorum uti deberent, quo Christus fuit usus. Quòdsi Ecclesia certum aliquod idioma præscriberet (id enim eam posse non dubito) ut in illo aliqua saltem Sacramenta conficienda essent, tunc utens aliâ linguâ validè quidem, sed non licitè talia Sacramenta conficeret. Petrschacher a. 5. pag. 45.

33 Colligitur secundo, non esse mutationem essentialem, quando retento eodem idiomate adhibentur alia verba idem significantia. ad quod tamen non sufficit, si confusè idem significent, sed debent idem significare æquè clarè ac distinctè. Itaque valet quidem Baptismus, si pro *baptizo* dicas *abluo*: quia *abluo* idem, & æquè expressè significat, quod *baptizo*; at non valet, si dicas: *ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*: quia vox Trinitas personas nonnisi confusè & implicitè significat. Coninck loco cit. Necessarium est insuper, ut significatio vocis synonymæ, in quam fit mutatio, sit publica, & communiter recepta, adeoque non ex privato tantùm mutantis arbitrio imposita. Ratio est: quia Christus ad sacramentalem significationem elevavit solùm voces significantes significatione publica & communiter recepta. Quòdsi vox, in quam fit mutatio, sit æquivoca, v. g. si in Baptismo pro ly *Patris* dicatur *Parentis*, ea per intentionem proferentis ad certum sensum determinatur. Unde, si Minister intendat legitimum sensum, & nomine *Parentis* velit significare *Patrem*, forma erit valida: secùs, si erroneè velit significare *Matrem*. Petrschacher loco cit. Oberascher de Sacram. in gen. cap. 1. pag. 81.

34 Colligitur tertio, mutationem, quæ fit per transpositionem verborum, regulariter esse solùm accidentalem, & consequenter non tollere valorem formæ. Ratio est: quia regulariter loquendo non tollit sensum verborum à Christo intentum. Itaque valet Baptismus, si dicas: *Ego baptizo te &c.* & Consecratio, si dicas: *Corpus meum est hoc*. Dixi, *regulariter*: quia potest esse tam enormis verborum transpositio, ut sensum omnino evertat; talis est ista: *Baptizo, & Spiritus Sancti te & Filii ego Patris in nomine*. Coninck n. 69. Filliuc. loco cit. Salmantic. n. 56.

35 Colligitur quarto, interpolationem, quæ tanta est, ut moraliter non censeatur posterior pars cum priore efficere unam orationem, vel posterior pars vocis cum priore unam vocem, esse mutationem essentialem; secùs, si adhuc habeatur pro una voce, unaque oratione. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 2. pu. 1. n. 23. Coninck, Filliuc. locis citt. Salmantic. n. 57. Reding to 11. q. 1. a. 2. controv. 6. n. 8. Ratio est clara: quia in priori casu non manet significatio, & sensus verborum; manet autem in posteriori. Exemplum prioris est, si baptizans, postquàm dixit: *Ego te baptizo*, abeat in suum cubiculum, & inde rediens subjungat cætera: vel, si, postquàm dixit: *Ego te baptizo*, aliquas preces, & actiones impertinentes interjiciat. Exemplum posterioris est, si post illud, *Ego te baptizo*, solum aliqua verba interponat; v. g. *quam frigida est hæc aqua*: vel aliquoties tussiat, sternutet, oscitet; vel aliquantùm animò distrahatur, posteaque mox pergat prosequi cætera: *In nomine Patris &c.* Facilius autem accidit mutatio substantialis per interruptionem syllabarum; quippe quarum unitas non ita est divisibilis, quàm per interruptionem dictionis, cujus unitas est minùs indivisibilis. Hinc interjectio vel unici verbuli inter syllabas potest inducere mutationem essentialem; ut, si Sacerdos, postquàm dixit in Consecratione: *Hoc est enim cor-* clamet, *tacete*, & deinde prosequatur, *pus meum*. Idem est, si, postquam pronuntiasti in forma Baptismi: *Ego te bap-* ter, aut quater in terram exspuas, & postea subjungas, *tizo in nomine Patris &c.* Vid. Sporer de Sacram. p. 1. cap. 2. n. 94. Ratio verò est: quia per notabilem ejusmodi sejunctionem unius syllabæ ab alterâ, quam etiam efficit unici vocabuli interjectio, distrahitur sensus verbi ex eis compositi. Probabile tamen est, ut cum Tambur. habet idem Sporer, valere Sacramentum, si distractio syllabarum eveniat ex brevissima tussi, oscitatione, vel respiratione. Nam in

ejusmodi circumstantia interruptio censetur modica, & moraliter non corrumpere sensum vocabuli. Monet demum cum aliis DD. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 4. n. 13. has tales interpolationes cavendas esse, quantùm fieri potest, præsertim interlocutorias: quia, præterquàm quòd citra irreverentiam fieri vix soleant, valori Sacramenti periculosæ sunt, idque facilè aut nullum, aut saltem dubium possunt efficere.

36 Colligitur quinto, per additionem fieri mutationem essentialem, quando verba addita legitimum & Catholicum sensum corrumpunt: si verò non corrumpant, esse mutationem tantùm accidentalem. Coninck, Filliuc. locis citt. Reding n. 9. Salmantic. n. 59. Mezger n. 10. Exemplum prioris est, si Adrianus baptizet *in nomine Patris majoris & Filii minoris &c.* Exemplum posterioris est, si Græcus Sacerdos consecret dicendo, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Nam in forma illius Baptismi ly *majoris* & ly *minoris* corrumpit verum & Catholicum sensum: non autem corrumpit ly *quod pro vobis tradetur* in forma Consecrationis Græcanicæ.

37 Colligitur sexto, per subtractionem, sive omissionem tunc solùm formam mutari essentialiter, & Sacramentum effici irritum, quando vox omissa est essentialis ad exprimendũ sensum à Christo intentum: si non sit essentialis, esse tantùm mutationem accidẽtalem. Salmantic. n. 60. Castropal. tr. 18. de Sacram. in gen. pu. 3. n. 3. Oberascher de Sacram. tr. 1. c. 1. n. 84. Mezger n. 11. & alii communiter. Unde non valet Baptismus, quando in ejus forma omittitur nomen alicujus Divinæ Personæ: neque Consecratio, si reticeantur particulæ *hoc, hic*: neque Absolutio, si prætermittatur particula *te*. Econtrà valet Baptismus, quando in forma omittitur pronomen *ego*: & Consecratio, quando omittitur particula *enim*. Ratio est: quia vocabula omissa in primis exemplis sunt essentialia, sive essentialiter necessaria ad exprimendum sensum à Christo intentum; secùs omissa in secundis.

38 Colligitur septimo, si verba taliter corrumpantur, ut non amplius retineant sensum & modum significandi à Christo intentum, tunc esse mutationem essentialem; sicut per se patet: si hunc sensum adhuc retineant, esse mutationem tantùm accidentalem, & formam validam. Retinent autem memoratum sensum, saltem ex accommodatione usus, inquit D. Th. 3. p. q. 60. a. 7. ad 3. vel ex accessu certarum circumstantiarum, tametsi aliquantùm depraventur: veluti contingit primo per ruditatem personæ proferentis: quali laboravit ille Sacerdos, dum ita baptizavit: *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia & Spiritu Sancta*, quem Baptismum Zacharias Pontifex in *cap. Retulerunt, de Consecr. dist. 4.* valdum fuisse pronuntiavit. nam licèt verba cum dicta terminatione prolata secundùm se non habuerint ullum propriè verum sensum, habuerunt tamen ut prolata in iis circumstantiis personæ baptizantis, indoctæ quidem, attamen probæ, & reverà intendentis exprimere idem per eam formam corruptam, quod significat prolata incorruptè. Contingit secundo ex balbutie, aliisque linguæ vitiis, quando nempe Minister aliquas syllabas aut litteras ob ejusmodi impedimenta minùs rectè pronuntiat; v. g. siquis in voce *corpus* nequeat efferre consonantem R. Contingit tertio, si propter dialectum certæ nationi propriam una vocalis enuntietur pro altera: v. g. *A* pro *O*, *E* pro *I*. Contingit quarto per litteræ cujusdam additionem. quo modo in forma Baptismi populi quidam, teste Coninck, pro *Spiritus* dicunt *espiritus*, & Chinenses, ut refert Illsung, pro *baptizo* dicunt *bapetizo*. Omnes ejusmodi corruptiones verborum mutationem accidentalem solùm inducere censentur. ubi tamen bene advertendum ad circumstantias locorum, & personarum, quæ in his rebus multum valent. Coninck n. 77. Notat verò D. Th. loco cit. circa depravationẽ verborum, facilius per eam corrumpi legitimum sensum, si fiat in principio, quàm si in fine vocabuli: ut, si quis loco *Filii* dicat *milii*, loco *Patris*, *matris*.

39 Colligitur Octavo, mutuationem omnium verborum formæ in alia signa, putà nutus, vel scripturas, in solo Matrimonio esse accidentalem: in aliis verò omnibus essentialem. Salmantic. n. 61. & alii omnes communiter. Ratio est: quia omnia Sacramenta, ut de illis agentes in particulari ostendemus, verbis formalibus tanquam formâ constant, exceptô Matrimoniô, quod signis quibuscunque perfici posse videbimus.

40 Quæritur nunc primo, quale peccatum sit aliquid mutare in forma Sacramentorum? Respondeo breviter omnem mutationem, sive essentialem, sive accidentalem deliberatè factam esse peccatum mortale. De mutatione essentiali in promptu est ratio: quia est destructio & frustratio Sacramenti contra institutionem Christi, & consequenter gravis irreverentia in ipsum. De mutatione accidentali idem prob. Nam mutatio etiam accidentalis est contra præceptum Ecclesiæ, quo præcipitur ut fideles in administratione Sacramentorum servent modum unicum & uniformem, idque præceptum obligat graviter: quia est circa materiam gravem: est enim res summi momenti in Ecclesia Catholica, ut modus administrandi Sacramenti servetur idem & uniformis. ergo facere contra hoc præceptum est peccatum mortale. Videtur quidem absolutè probabile, mutationem accidentalem, si fiat in re parva, citra scanda-

scandalum, & contemptum, esse solùm peccatum veniale: ut, si quis in Consecratione omittat particulam *enim*, aut quid simile. Verùm in praxi non facilè continget, ut aliquis sciens & volens talem mutationem committat absque virtuali saltem contemptu. Quapropter eum, qui dictam particulam *enim* in Consecratione deliberatè omitteret, à peccato mortali difficulter excusarem. Vid. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 4. n. 16.

41 Quæritur secundo, quomodo gerere se debeat Minister in dubio, an formam Sacramentalem debitè & rectè quoad substantiam protulerit? Ante resolutionem suppono, eum, qui certus est, quòd in pronuntiando formam erraverit substantialiter, teneri sub mortali peccato repetere, & quidem absolutè. Ratio est: quia in quolibet Ministro est gravissima obligatio, tum ex lege naturali, tum ex lege positiva, procurandi valorem Sacramenti. Nunc

Respondeo primo. Quando Minister rationabiliter dubitat, an formam quoad substantiam rectè protulerit? tenetur eam repetere sub conditione. Ita cum D. Th. 3. p. q. 66. a. 9. ad 4. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 2. pu. 1. n. 36. Pettschacher de Sacram. q. 2. a. 6. pag. 75. & alii communiter. Ratio est: quia inter duo mala minus est eligendum. Est autem minus malum iterare tunc formam Sacramenti, quàm non iterare. Nam si prius eligat Minister, solùm est periculum irreverentiæ erga Sacramentum: si verò posteriùs, est simul periculum, ne suscipienti irroget grave damnum spirituale, ut patet in Baptismo & Pœnitentia, si fortè conferantur invalidè. Quòd autem non absolutè, sed sub conditione forma repeti debeat, ratio est: quia absolutè prolata exponeretur periculo falsitatis. Porrò doctrina responsionis præsentis etiam extendi debet ad casum, in quo Minister habet duas opiniones probabiles, unam asserentem, quòd formam rectè protulerit; alteram negantem. Ratio sumitur, præter jam redditam, ex tract. 1. qui est de Consc. ubi cum communi sententia diximus, dum agitur de valore Sacramentorum, in probabilibus tutiorem partem esse amplectendam. est autem pars tutior hîc formam repetere quàm non repetere.

Respondeo secundo. Si Minister leviter solùm & citra rationabile fundamentum dubitat, seu potiùs suspicatur, aut scrupulô angitur de forma debitè prolata, eam nullatenus debet repetere, ne quidem sub conditione. Bonac. Pettschacher locis citt. Sporer de Sacram. p. 1. cap. 2. n. 98. & alii. Ratio est: quia formam absque rationabili causa repetere, ut in hoc tali casu contingeret, est temerè repetere, & quodammodô irridere Sacramentum: adeoque ex suo genere grave peccatum. Non tamen desunt Authores à peccato mortali excusantes eum, qui, ut liberetur à molesto scrupulo, formam sub conditione repetit, cùm enim id faciat ex bono fine non offendendi Deum, Sacramento non videtur inferre gravem irreverentiam: quamvis, quia in hoc ipso se gerit imprudenter, non effugiat culpam venialem irreverentiæ, & imprudentiæ. Vid. Sporer n. 99. Pettschacher loco cit.

§. V.

Quid hîc tenendum, si mutatio formæ Sacramentalis fiat inducendi erroris causa?

SUMMARIUM.

42. Referuntur sententiæ. 43. Validum est Sacramentum, si Minister debitam formam applicet debitæ materiæ, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt simul velit inducere errorem. 44. Respondetur ad Object. & ad Authoritatem Zachariæ Papæ. 45. Non obest valori Sacramenti si Minister putet, aliquid esse, vel non esse de essentia formæ, dummodò intendat facere, quod facit Ecclesia. 46. Solvitur fundamentum in oppositum.

42 MUlti apud Card. de Lugo universaliter docent, in tali casu nullum confici Sacramentum. quibus favere videtur Zacharias Papa in cap. *Retulerunt dist. 4. de Consecr.* ubi interrogatus de illa forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia, &c.* quam in priori §. adduximus, respondet in hæc verba: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut suprà facti sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.* quibus Pontifex significat, validum fuisse illum Baptismum, si baptizans non voluit introducere errorem aut hæresim. Unde à contrario argumentantur, non valere Sacramentum, quando Minister mutat formam, ut introducat errorem vel hæresim. Alii porrò, ut Paludanus, Durandus, & Adrianus, docere referuntur, Ministrum nihil conficere, quoties in forma Sacramenti cogitat aliquid non esse de essentia Sacramenti, quod tamen reverà est de essentia; vel aliquid esse de essentia, quod non pertinet ad essentiam. Fundamentum illorum esse potest, quòd in primo casu forma illa, quàm Minister putat esse formam, & applicat tanquam formam, non sit forma completa: in secundo autem casu illam, quæ est verè forma, non applicet tanquam formam completam, sed tanquam partialem.

Dico primo. Quando Minister debitâ for- 43
mam applicat debitæ materiæ cum intentione faciendi,

faciendi, quod Christus instituit, aut facit Ecclesia, validum est Sacramentum; licèt ipse errorem, vel novum ritum velit introducere. Ita plerique Thomistæ, quibus consentit etiam Suarez in 3. p. to. 3. disp. 2. sect. 6. concl. 1. Ratio nostræ sententiæ est: quia illa talis privata intentio Ministri vel ideo redderet irritum Sacramentum, quòd destrueret legitimũ sensum formæ, vel quòd esset incompossibilis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. neutrum dici potest. non primum; quia supponimus, illam mutationem introducendi erroris causâ factam esse solùm accidentalem; adeoque non tollere sensum legitimum. non secundum: cùm utique simul stare possint in Ministro hi actus: *Etsi sciam, hæc verba non esse de essentia formæ, ea nihilominus volo addere, ut introducam novum ritum: Sed habeo tamen animum conficiendi Sacramentum per verba a Christo instituta.*

44 Objicies. Qui habet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: sed habens intentionem introducendi novum ritum, vel errorem habet intentionem contrariam intentioni Ecclesiæ, utpote aversantis & proscribentis omnes ritus erroneos; ergo non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & consequenter nullum conficit Sacramentum.

Confirmatur. Qui sciens & volens facit contra ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi, is non potest pro tunc habere intentionem universalem faciendi, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit: sed, qui sciens, quæ addit, non esse de essentia formæ, ea tamen addit animò introducendi ritum erroneum, sciens volens facit contra ritum Ecclesiæ & institutionem Christi; ergo non potest habere pro tunc illam intentionem universalem.

Respondeo ad Object. dist. maj. qui habet intentionem contrariam efficaciter intentioni Ecclesiæ, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, conc. qui habet intentionem contrariam inefficaciter solùm, neg. maj. sed talis habet intentionem contrariam inefficaciter intentioni Ecclesiæ, conc. contrariam efficaciter, neg. mi. & conseq. Intentionem efficaciter contrariam haberet Minister, si ita alligaret suam intentionem formæ erroneæ, ut nollet ullo modo aliter conficere Sacramentum, quàm sub tali forma erronea. Inefficaciter contrariam habet, dum nihilominùs implicitè saltem vult agere ut Minister Christi, & secundùm intentionem Ecclesiæ.

Ad Confirmat. dist. itidem maj. qui sciens & volens facit contra ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi essentialem, non potest pro tunc habere intentionem universalem faciendi id, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit, conc. qui sciens & volens facit contra ritum Ecclesiæ & institutionem Christi accidentalem, non potest pro tunc habere intentionem universalem faciendi id, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit, subdist. quoad ritum accidentalem, conc. quoad ritum essentialem, neg. maj. sed talis Minister sciens volens facit contra ritum Ecclesiæ & institutionem Christi accidentalem, conc. essentialem neg. mi. ergo non potest pro tunc habere intentionem universalem faciendi id, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit, quoad ritum accidentalem, conc. quoad ritum essentialem, neg. conseq.

Quod à contrario deducitur ex verbis Zachariæ, non urget. nam si valeret universaliter id argumentum, sequeretur, non valere Baptismum Græcorum in hac forma: *Baptizatur servus Christi &c.* nec etiam Consecrationem eorumdem esse validam, in qua dicunt: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: cùm multi eorum iisdem utantur ad tuendum errorem suum, quo existimant, formas baptizandi & consecrandi Latinorum non esse validas. Sed conseq. est falsum. Græci enim validè baptizant, validèque consecrant per formas adductas. Est igitur illa doctrina Zachariæ sic intelligenda, ut animus introducendi errorem obsit valori Sacramenti, quando verba ita significant eundem errorem, ut non relinquant verum & legitimum sensum formæ: sicuti contingeret in exemplo adducto, si per illa verba: *In nomine Patria & Filia &c.* Minister significare vellet, in Deo non esse Filium, sed Filiam. Responderi quoque potest cum P. Suarez, ideo Pontificem supposuisse, Baptismum esse repetendum, si Minister formam prædictam adhibuisset animô introducendi errorem, quia ex tali perversa intentione prudenter præsumi potuisset, ipsum efficaciter intendisse sensum illegitimum, & efficaciter excluisse intentionem operandi secundùm institutionem Christi. Atque sic intelligendus est etiam D. Thomas 3. p. q. 6. a. 8. dum dicit: *Siquis intendat per additionem hujusmodi, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Non enim S. Doctor negat absolutè, valorem Sacramenti stare posse cum intentione inducendi novum ritum, sed arguitivè probabiliter infert, in Ministro deficere debitam intentionem, quando sciens, aliquid esse contra ritum Ecclesiæ, ejusque intentionem, id facit, vel omittit nihilominùs. tunc enim credibile est, illum efficaciter nolle facere, quod facit Ecclesia: licèt in rigore non repugnet, ipsum id velle efficaciter per debitam intentionem, ac validè operari: quod tamen non facilè continget. unde dixit D. Thomas: *non videtur perfici Sacramentum.*

Dico

45 Dico secundo. Error privatus, sive opinio Ministri, qua existimat, aliquid non esse de essentia formæ, quod revera est, vel aliquid esse, quod revera non est de essentia formæ, non obest valori Sacramenti, dummodò is habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita Salmantic. tr. 1. de Sacram. in gen. cap. 4. pu. 4. n. 69. & alii communiter. Prob. primo ex Concil. Trid. *sess. 7. can. 4. de Baptismo.* ubi damnat eum, qui dixerit, non esse verum Baptismum ab Hæretico collatum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quare si Arianus utatur istâ formâ, validè baptizat, licèt existimet internè, vel etiam significet externè, Filium non esse Deum; adeoque non esse de essentia formæ Baptismi protestationem Mysterii Trinitatis. Consequenter error privatus Ministri non impedit valorem Sacramenti, quando adest legitima intentio id faciendi.

Prob. Secundo hac ratione. Quia, quando habentur omnia requisita ad valorem Sacramenti, validum est Sacramentum: sed non obstante errore cjusmodi privato haberi possunt omnia requisita ad valorem Sacramenti; ergo non obstante hujusmodi errore potest esse validum Sacramentum maj. est evidens. mi. ostenditur ex eo, quòd error privatus Ministri non impediat, quin idem sit legitimus Minister, applicet debitam formam debitæ materiæ, ac insuper concipiat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia & Christus instituit. Sed ista sunt omnia requisita ad valorem Sacramenti; ut constat ex Concil. Florent. jam sæpius cit. ergo &c.

Prob. tertio ab absurdo. Nam ex sententia opposita sequeretur, omnia ferè Sacramenta esse dubii valoris: cùm de omnium ferè formis apud Theologos inveniantur opiniones discordes, in quibus verbis consistat earum essentia: prout videre est apud Card. de Lugo disp. 2. sect. 6. n. 116. & patebit, quando suo loco agemus de singulis. In qua proinde opinionum varietate Minister est semper in periculo opinandi, id esse de essentia, quòd revera non est, vel econtra: adeoque semper erit dubium an validè operetur, si subsistit sententia, quam rejicimus.

Ad fundamentum ejusdem sententiæ 46
respondetur, ejusmodi opinionem erroneam, cùm non afficiat efficaciter intentionem influentem in verba sacramentalia, non impedire, quominùs Minister formam etiam completam, & ut completam, sub intentione saltem implicita faciendi, quod Christus instituit, practicè applicet, intentione ipsius privata ad hanc applicationem nonnisi speculativè & per accidens se habente. Vid. Reding to. 11. q. 1. a. 2. controv. 7. n. 12.

DISPUTATIO II.

De Ministro Sacramentorum.

CAusa efficiens Sacramentorum duplex est, nempe Institutor eorum, & Minister. De priori nulla nobis controversia: supponimus enim, omnia Sacramenta novæ Legis à Christo Domino fuisse instituta: quemadmodum definivit Concil. Trid. *sess. 7. can.* 1. cæteraque de hoc argumento ad praxim non attinentia Scholasticis relinquimus. De posteriore autem tria inquiremus. Primum, quis sit, vel esse possit Minister Sacramenti? Secundum, quæ, & qualis esse debeat intentio Ministri, ut validè administret Sacramentum? Tertium, quænam requirantur, ut Minister licitè conficiat, vel ministret Sacramentum?

ARTICULUS I.

Quis sit, & esse possit Minister Sacramentorum?

SUMMARIUM.

1. *Ille tantùm est Minister Sacramenti, quem Christus sua institutione designavit.* 2. *Talis autem est solus homo.* 3. *Neque Angelus, sive bonus sive malus,* 4. *neque anima separata,* 5. *neque quilibet homo baptizatus est Minister Sacramentorum.* 6. *Homo tamen comprehensor est Minister idoneus, licèt extraordinarius.* 7. 8. *Solvuntur Objectiones cum suis Confirmationibus.*

DIco primo. Ille est sufficiens & ne- 1
cessarius Minister Sacramenti, quem Christus sua institutione designavit. Hæc Conclusio ab omnibus recipitur, estque regula universalis & fundamentum omnium, quæ mox dicemus. Ratio ejusdem est: quia Christus instituendô Sacramenta non minùs designavit illorum Ministrum, quàm materiam & formam: ergo non minùs ille est sufficiens & necessarius Minister, quem Christus designavit, quàm illa est mate-

materia & forma sufficiens & necessaria, quam Christus sua institutione determinavit. Conseq. constat. Ant. prob. ex eo, quod juxta Concil. Florent. Sacramenta tribus perficiantur, materiâ, formâ, & personâ Ministri: ergo Christus, qui Sacramenta instituit, non tantùm materiam & formam eorum, sed etiam Ministrum instituerit & designaverit necesse est. Confirmatur. Minister Sacramentorum est Minister Christi: quippe cujus nomine & virtute conficit Sacramenta & confert gratiam: Sed ille est Minister Christi, quem Christus designavit, ut sit ipsius Minister; ergo etiam est Minister Sacramentorum, quem Christus designavit, sive instituit, ut sit Minister eorum. Atque ex his

2 Sequitur primo, solos homines esse Ministros ordinarios Sacramentorum. Ita communiter DD. cum D. Thoma 3. p. q. 64. a. 7. Ratio est: quia ille est sufficiens & necessarius Minister Sacramenti, quem Christus sua institutione designavit: atqui solos homines designavit: tum, quia 1. ad Cor. 4. soli homines dicuntur *dispensatores Mysteriorum Dei*: tum, quia etiam Concilium Florent. semper assignat homines pro Ministris Sacramentorum. Vid. Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 7. pu. 2. Reding to. 11. q. 5. a. 2. controv. 1. n. 6. Sed hinc ulteriùs.

3 Sequitur secundo, neque bonos, neque malos Angelos vi præsentis institutionis esse Ministros Sacramentorum. Ita omnes communiter. Ratio ex dictis est: quia Christus vi præsentis institutionis solos homines deputavit ad istud ministerium. Dixi, *vi præsentis institutionis*, quia de voluntate & potentia Dei absoluta tam bonos, quàm malos Angelos sive Dæmones fieri posse Ministros Sacramentorum, fatentur communiter Theologi cum D. Thoma loco cit. Ratio est: quia, sicut Deus virtutem suam sanctificandi homines non alligavit Sacramentis, quia absque illis possit conferre gratiam sanctificantem, ita neque virtutem conficiendi Sacramenta sic alligavit hominibus Ecclesiæ Ministris, ut eam non possit tribuere aliis creaturis intellectualibus. Quare, si aliquando constaret, ministerium aliquod sacramentale fuisse peractum à bono Angelo, Sacramentum esset habendum pro valido. Ratio est: quia de bono Angelo præsumendum esset, illum per potestatem à Deo acceptam fuisse operatum. Secùs judicare oporteret, siquid simile à Dæmone factum fuisse deprehenderetur: cùm non sit verosimile, talem Dæmonibus potestatem à Deo unquam esse communicandam. tunc ergo credendum esset, malignum scriptum ex sua malitia se se huic tali negotio ingessisse. Vid. D. Thomas loco cit. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. pu. 1. n. 11. & 12. Castropal. tract. 18. disp. unica, pu. 5. n. 1. Salmantic. n. 21. Reding à n. 7. Hoc tamen non obstat, quominùs Diabolus absolutè possit verum Sacramentum, v. g. Baptismum, conferre. cùm enim sit creatura, Deus illum potest adigere, ut obediat debitè præstandò omnia, quæ ad valorem Sacramenti sunt necessaria. Bonac. n. 12. & alii. Dices. Nostra Sacramenta essentialiter constant rebus & verbis: ergo sicut Angelus quicunque non potest formare verba, ut habet D. Thomas 1. p. q. 51. a. 3. ad 4. ita nec potest conficere Sacramentum. Respondeo, Sacramenta essentialiter constare verbis, quatenùs ista sunt sonus articulatus significativus gratiæ, non tamen, quatenùs sunt vitaliter prolata: & Angelum sub hac posteriore ratione non posse formare verba; posse verò sub priore ratione. Vid. Pettschacher de Sacram. in gen. q. 6. a. 2. à pag. 210. Mezger to. 4. tr. 15. disp. 17. a. 2. n. 4.

Sequitur præterea tertio, neque ani- 4
mam separatam esse Ministram alicujus Sacramenti, quamvis retineat characterem in eo statu. Salmantic. n. 19. Pettschacher pag. 211. Mezger n. 12. Oberascher de Sacram. in gen. cap. 2. pag. 103. Ratio est: quia anima non est homo simpliciter, nec extra corpus idoneum principium operationum sensibilium, quali secundùm præsentem Christi institutionem commissa est administratio Sacramentorum.

Sequitur quarto, non omnes homi- 5
nes etiam baptizatos esse Ministros quorumlibet Sacramentorum, sed eos tantùm, qui juxta institutionem Christi hanc potestatem acceperunt. Itaque soli homines sunt Ministri Sacramentorum, sed non omnes & singuli; nec omnes, qui sunt Ministri, sunt Ministri omnium. Nam primo, infantes & amentes nullum Sacramentum conficere possunt: cùm enim careant usu rationis, nequeunt habere debitam intentionem. Secundo, omnia Sacramenta, præter Baptismum & Matrimonium, requirunt Ministrum ordinatum, nempe Sacerdotem vel Episcopum; sicut amplius dicetur suis locis. atqui non omnes baptizati sunt ordinati: ergo. Ratio istorum est regula generalis statuta pro Conclusione. Vid. Salmantic. n. 22. Filliuc. tract. 1. cap. 5. n. 72. Mezger n. 16.

Dico jam secundo. Etiam compre- 6
hensor, sive homo beatus vi præsentis institutionis est Minister idoneus Sacramentorum, licèt extraordinarius. Ita Gonet, to. 5. disp. 6. a. 1. n. 6. Reding n. 10. Pettschacher loco cit. Mezger n. 5. contra Card. de Lugo, Esparzam & alios. Ratio primæ partis est: quia homo comprehensor habet omnia, quæ vi præsentis institutionis requi-

requiruntur ad validam Sacramentorum administrationem: ergo vi præsentis institutionis est Minister Sacramentorum. Consequentia patet, Ant. ostenditur. Nam in corpore rursus assumpto est verus homo; habet characterem; potest adhibere debitam materiam & formam; formare debitam intentionem: atqui præter hæc nihil aliud requiritur; ergo. Ratio secundæ partis est: quia nomine Ministri ordinarii ille intelligitur, cui munus administrandi Sacramenta convenit juxta ordinatium convictum & conversationem cum hominibus: atqui comprehensori extra statum viæ constituto non ita convenit istud munus, ut patet; ergo &c.

7 Objicies primo. Quia Christus instituens Sacramenta non ad Angelos, sed ad homines sermonem suum direxit, inferunt Theologi, non Angelos, sed homines esse Ministros eorum vi præsentis institutionis: ergo etiam, quia idem tunc verba direxit non ad comprehensores, sed ad viatores, rectè infertur, non comprehensores homines, sed viatores tantùm esse Ministros idoneos. Respondeo neg. consequentiam, quia nulla est ratio asserendi, Christum instituendò Sacramenta, inque Ministros eorum deligendò homines intentionem suam ad solos viatores restrinxisse, cùm homo comprehensor & viator nonnisi statu accidentali differant. atqui sufficiens ratio est asserendi, quòd eandem restrinxerit ad solos homines, exclusis Angelis, utpote substantialiter diversis ab hominibus.

8 Objicies secundo. Nullus Sacerdos post extremum diem judicii poterit consecrare Eucharistiam, vel conferre Extremam Unctionem: nec ullus Episcopus alios ordinare, licèt retineat characterem: ergo solis viatoribus competit potestas hæc Sacramenta conficiendi. Prima pars Ant. habetur 1. ad Corinth. 11. illis verbis: *Quotiescunque enim manducabitis &c. Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, quæ communiter intelliguntur de institutione Eucharistiæ, & quidem facta pro solo tempore antecedente diem judicii. Secunda pars inde prob. quòd ad conferendam Extremam Unctionem requiratur Presbyter Ecclesiæ, & oratio Fidei, atqui solus viator potest esse Presbyter Ecclesiæ, & fundere orationem Fidei, hoc est, ex fide procedentem. Tertia pars ex eo liquet, quòd aliàs Episcopus etiam damnatus posset in inferno aliis hominibus damnatis conferre Sacramentum Ordinis: aut Sacerdos damnatus ibi conficere Sacramentum Eucharistiæ, si Dæmon ei panem & vinum procuraret. Sed ista sunt absurda; ergo.

Confirmatur primo. Potestas offerendi Sacrificia concessa est solis viatoribus; veluti colligitur ex Apost. ad Hebr. 5. ubi dicitur de offerente Sacrificia, quòd sit circumdatus infirmitate, hoc est, corruptibilem & passibilem vitam degens: ergo etiam potestas administrandi Sacramenta solis viatoribus concessa est. Confirmatur secundo. Potestas jurisdictionis cessat cum statu viatoris: ergo etiam potestas administrandi Sacramenta.

Respondeo ad Object. dist. Ant. quoad omnes partes, ita ut hæc impotentia proveniat ex defectu intrinsecæ potestatis, neg. ex aliis capitibus, conc. Ant. & neg. consequentiam. Itaque impotentia consecrandi tunc provenit ex defectu significationis Sacramentalis, quam verba Consecrationis habent alligatum ad statum novi Testamenti; velut evidens est in Consecratione Calicis. Impotentia conferendi Extremam Unctionem provenit ex defectu subjecti, quod est solus homo capax primæ, vel secundæ gratiæ recipiendæ, qualis capacitas non est nisi in homine viatore. Impotentia conferendi Ordinem provenit partim ex eodem capite, partim ex defectu Divini concursus, quem Deus ejusmodi Episcopo denegaret. Ad probat. primæ partis dic, illa verba intelligi de institutione Eucharistiæ facta pro solo tempore antecedente diem judicii, non quoad potentiam administrandi, sed recipiendi: quia postea, ut advertimus, nullus homo erit capax primæ vel secundæ gratiæ; adeoque nec Sacramenti recipiendi. Ad secundæ part. probat. dico, sufficere Presbyterum Ecclesiæ triumphantis: item Orationem Fidei objectivè talem, cujusmodi esset oratio à comprehensore prolata: cùm idem sit objectum *quod* beatificæ visionis in patria, & fidei in via. Aliàs concedendum esset, Presbyterum hæreticum non posse validè conferre Extremam Unctionem: quippe qui orationem fidei formaliter & subjectivè talem formare non potest. Ad probat. tert. part. dico, in ejusmodi Episcopo omnino esse potentiam ordinandi, sicut & conficiendi Eucharistiam in Presbytero damnato, neutrum tamen hac tali potentia unquam usurum, ob defectum Divini concursus. Etiam Dæmones multa possunt, quæ nunquam faciunt, aut facturi sunt: quia Dei concursu destituuntur.

In prima Confirmat. dist. Ant. potestas ordinaria offerendi Sacrificia concessa est solis viatoribus, conc. extraordinaria, neg. Ant. & sic dist. consequentiam, conc. & neg. consequentiam. Neque plus colligitur ex verbis illis Apostoli. Ad secundam Confirmat. conc. Ant. neg. consequentiam: potestas enim conficiendi Sacramenti identificatur cum charactere; adeoque est indelebilis, sicut character ipse: potestas autem jurisdictionis est quid aliud à charactere, & confertur solùm ad tempus,

ARTICULUS II.

An in Ministro requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia?

SUMMARIUM.

1. *Status quæstionis.* 2. *Statuitur & prob. sententia affirmans.* 3. *Non sufficit intentio faciendi ritus externos merè materialiter.* 4. *Intentio faciendi Sacramentum formaliter est virtualiter intentio conferendi effectum illius.* 5. *Melior est intentio particularis baptizandi, consecrandi &c. sufficit tamen generalis faciendi, quod facit Ecclesia.* 6. *Sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia particularis falsa, quam Minister putat esse veram.* 7. *At nulla est intentio faciendi, quod facit falsa Ecclesia, quam credit esse falsam, & non faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quam credit esse veram Ecclesiam.* 8. 9. 10. 11. *Solvuntur Obiectiones.* 12. *Deus non supplet defectum intentionis in Ministro Sacramenti.*

1 NOmine intentionis hic intelligitur voluntas aliquid operandi. quæ in administratione Sacamenti triplex habere potest objectum. Primum est actio exterior secundùm se spectata: v. g. in Baptismo ablutio exterior, & prolatio formæ, *Ego te baptizo &c.* Secundum est effectus Sacramenti: ut gratia & character Baptismalis. Tertium est facere, quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia. Hoc ultimum ad nostrum propositum intendi potest vel explicitè, vel implicitè, & confusè. Explicitè intenditur, quando Minister expressam habet voluntatem conficiendi verum Sacramentum. Implicitè vel confusè intenditur, quando Minister solùm cogitat facere, quod faciunt Christiani & fideles, vel quod fidelis ab ipso seriò petit, licet fortè ipse nesciat determinatè, aut etiam non credat esse Sacramentum. Nunc quæritur, an ad valorem Sacramenti sit necessarium, ut Minister non tantùm intendat illud primum objectum, de quo non est dubium; sed etiam tertium, id est, facere, quod facit Ecclesia? nam, ut intendat specialiter secundum, necessarium non esse, apud omnes in confesso est.

Dico. Ad valorem Sacramenti necessaria est in Ministro intentio, saltem confusa & implicita, faciendi, quod facit Ecclesia, vel Christus instituit. Conclusio est de fide, eamque post Concil. Florent. in Decr. Eugenii IV. definivit Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. in gen. cap. 11. illis verbis: *Siquis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Ratio verò est primo ex D. Thoma 3. p. q. 64. a. 8. quia materia & forma Sacramenti ex se sunt indifferentes ad esse signi Sacramentalis: ergo debent per aliquid determinari, ut sint signum Sacramentale, ut patet. atqui per nihil aliud possunt ad hoc determinari, quàm per intentionem Ministri; ergo. Ant. ostenditur: nam in Baptismo v. g. ablutio illa sensibilis est indifferens, ut significet munditiem & nitorem externum, vel ablutionem internam animæ. Similiter hæc forma, *Ego te baptizo &c.* ex se non significat productionem gratiæ regenerativæ in anima. quod idem est de materiis & formis aliorum Sacramentorum. Ratio est secundo. Quia Christus Sacramenta instituens voluit, ut administrarentur modo humano, hominique proportionatô, ut homo est. Atqui sine intentione Ministri non ita administrarentur: cùm secluså intentione agendi actio non sit verè humana & voluntaria; ergo.

3 Infertur jam primo, ad valorem Sacramenti non sufficere intentionem faciendi actiones & cæremonias externas materialiter, sed requiri in Ministro intentionem faciendi easdem formaliter, sive quatenùs Sacramentales. Ita communiter Theologi contra Catharinum, Salmeronem, Pasqualigum, Scribonium, Contensonium & alios, qui contendunt, ad valorem Sacramenti, v. g. Baptismi, sufficere, si Minister seriò intendat ponere, & ponat materiam & formam, quamvis ex malitia non velit, vel positivè nolit conficere Sacramentum. Sed ratio nostræ illationis est primo. Quia intentio faciendi, quod facit Ecclesia, est intentio faciendi Sacramentum, sive faciendi ritus & actiones externas, quatenùs Sacramentales: sed Concilia in n. præced. memorata requirunt in Ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; ergo requirunt intentionem faciendi actiones externas, quatenùs Sacramentales. maj. prob. tum ex communi judicio sapientium atque doctorum, qui per intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, aliud non intelligunt, quàm intentionem faciendi actiones externas quà Sacramentales, sive Sacramentum formaliter. Tum, quòd illa intentio intelligatur per intentionem faciendi, quòd facit Ecclesia, quæ est propria Ecclesiæ: sed intentio faciendi actiones & ritus externos, quatenùs Sacramentales, est propria Ecclesiæ, & non intentio faciendi eosdem materialiter; quippe quam etiam Dæmonibus

bus & Gentilibus convenire posse constat: consequenter intentio faciendi, quod facit Ecclesia, est intentio faciendi Sacramentum formaliter. Ratio est secundo. Quia intentio faciendi rem indifferentem ad esse Sacramentale non est sufficiens ad valorem Sacramenti: sed intentio peragendi eos ritus & actiones externas materialiter, quantumcunque seria esse supponatur, est intentio faciendi rem indifferentem ad esse sacramentale; ergo non est intentio sufficiens ad valorem Sacramenti. maj. constat. mi. ex eo prob. quod illi ritus externi constanter ex rebus & verbis, si secundùm se spectentur, æquè possunt manere aliquid merè naturale, quàm fieri quid sacramentale. Consequenter, licet exerceantur modo etiam humano & deliberato, nisi accedat intentio peragendi illos ut sacramentales, manent indifferentes ad esse sacramentale, nec ullum unquam Sacramentum constituunt. Accedit demum contra sententiam contrariã, quod ab Alexandro VIII. damnatâ fuerit hæc propositio: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò apud se resolvit, Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

Infertur secundò, intentionem faciendi Sacramentum formaliter, sive faciendi, quod facit Ecclesia, esse implicitè & virtualiter intentionem conferendi effectum Sacramenti. Ratio est: quia, qui vult causam, vult etiam effectum, &, qui vult antecedens, etiam vult consequens: sed intendens facere Sacramentum formaliter vult causam, scilicet gratiæ, aut etiam characteris; ergo etiam vult ejusmodi effectum. Quare, qui habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & vel per ignorantiam, vel pravum affectum non vult conferre gratiam sacramentalem suscipienti Sacramentum, is non modò Sacramentum validè, sed etiam istum effectum ejusdem confert, nisi adsit impedimentum ex parte suscipientis. protestationi quippe, quæ tunc fit à Ministro contra effectum Sacramenti, ipso facto contravenitur, & consequenter nulla est. Vid. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 3. n. 7. Reding to. 11. q. 5. a. 2. controv. 2. n. 21.

5 Infertur tertio, licèt melior sit intentio particularis, putà baptizandi, consecrandi, &c. sufficere tamen intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia. Colligitur ex modo loquendi Concilior. citt. præsertim Trident. quæ non requirunt aliam intentionem, quàm dictam generalem. Vid. Filliuc. tr. 1. c. 5. n. 74. Sporer de Sacram. p. 1. c. 2. n. 125. Unde nec est opus, ut habeas intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, vel alia particularis, sed tantùm faciendi, quod facit vera Ecclesia, quæcunque illa sit. Patet hoc: quia hæreticus validè baptizat, & tamen non intendit facere, quod facit Romana Ecclesia: quippe quam non credit esse verã Ecclesiam. licèt enim erret circa veram Ecclesiam, non tamen errat in intentione generali, qua vult facere, quod facit vera Ecclesia, & error ipsius privatus corrigitur per illam intentionem generalem. Bonac. n. 8. Filliuc. n. 75. Oberascher de Sacram. in gen. cap. 2. pag. 112. Atque hinc

Infertur quarto, validum esse Sacramen- 6
tum collatum cum intentione faciendi, quod facit aliqua particularis Ecclesia etiam falsa, v. g. Genevensis, quam Minister erroneè putat esse veram Ecclesiam. Ratio est: quia cum tali privato errore stat simul intentio generalis faciendi, quod facit vera Ecclesia, cujus membrum esse suam Genevalem ille Minister existimat. Filliuc. loco cit. Ex eodem capite validè administrat Sacramentum habens intentionem faciendi, quod Christus fecit, non autem, quod facit Romana Ecclesia. Ratio nempe est: quia ille privatus error non tollit intentionem generalem sufficientem. Filliuc. Oberascher locis citt.

Infertur tamen quinto, nullum te Sacra- 7
mentum conficere, si intendas facere, quod facit Ecclesia Genevensis, existimans esse Ecclesiam falsam, & non, quod facit Ecclesia Romana, quam credis esse veram Ecclesiam. Ratio est: quia hic tanta est contrarietas voluntatum, ut etiam destruat intentionem confusam & generalem, quam diximus sufficere, cùm sit impossibile, ut habeas intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, & simul positivè nolis facere, quod facit vera Ecclesia: sed in hoc casu positivè non vis facere, quod facit vera Ecclesia; ergo est impossibile, ut tunc habeas intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia. Filliuc. loco cit. Bonac. n. 9. & alii. Sed jam solvendæ sunt aliquæ objectiones contra Conclusionem n. 2. statutam afferri solitæ.

Objicitur autem primo vulgaris historia 8
de S. Athanasio, qui adhuc puer alios pueros Catechumenos in littore maris per jocum ac ludum, & consequenter absque intentione faciendi Sacramentum formaliter baptizavit. quem Baptismum nihilominus Alexander Patriarcha Alexandrinus validum judicavit. Huc pertinet etiam illud de S. Genesio mimo, qui in theatro coram Diocletiano, cùm Christianorum sacris illuderet, & à socio histrione per ludum baptizaretur, repente mutatus, & Fidem Christianam publicè professus pro plausu Martyrii palmam reportavit. Validum fuisse hunc quoque Baptismum dubitari non potest, eò quòd tam mirabilem, eumque supernaturalem effectum suscipienti contulerit; & tamen absque intentione faciendi Sacramentum formaliter peractus est.

quis enim tale quid fuisse in animo illi histrioni existimet?

Respondeo, in Athanasio non defuisse intentionem faciendi Sacramentum formaliter. nam ut ipse deinde fassus est, verè intendit facere, quod viderat Alexandrinum Patriarcham facientem. Quòd dicatur id feciſſe per jocum, non obstat; quia jocus sive ludus tunc erat finis solùm extrinsecus, impulsivus, & concomitans; non verò intrinsecus & per se intentus. atqui intentio finis extrinseci non est contra substantiam Sacramenti; quia non impedit, quominus id verè quoad substantiam intendatur, sed solùm addit fini intrinseco finem extrinsecum. Ad alterum dico, satis constare ex Martyrologio Romano, 25. Aug. Genesium internè fuisse debitè dispositum ad suscipiendum Baptismum, cumque seriò sibi conferri petiviſſe. Sicut ergo Deus hanc talem voluntatem ac dispositionem ad justificationem subitò potuit efficere in Genesio, ita etiam potuit voluntatem mimi baptizantis inflectere ad intentionem faciendi, quod faciunt Christiani, ad eamque intentionem de facto inflexit. Vid. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 3. n. 13.

Objicies secundo. Episcopus collaturus
9 Ordines protestari solet, se nolle ordinare excommunicatum, vel non habentem facultatem à suo Prælato: & tamen, si talis quis adsit, validè ordinatur: velut ex eo colligitur, quod Jura cognito defectu decernant suspensum à suo Ordine. Consequenter Episcopus validè ordinat talem personam, quamvis non habeat intentionem ordinandi. Respondeo, hanc talem protestationem Episcopi non esse absolutam, sed conditionatam, qua nolit ordinare excommunicatum, vel non habentem facultatem à suo Superiore, si talis inter ordinari volentes reperiatur: postea verò, si facta sufficiente inquisitione talis non compareat, habere intentionem absolutam ordinandi, quotquot petant ordinari. Addo ex Card. de Lugo, hanc protestationem in pluribus Pontificalibus, & antiquis & modernis, non reperiri.

10 Objicies tertio. Suppositâ necessitate intentionis in Ministro, quam asserimus, vix unquam essemus satis securi de valore Sacramenti. cùm enim intentio sit actus internus, non facilè venitur in ejus notitiam. Sicuti proinde propter nimiam incertitudinem de validitate Sacramenti non requiritur ex institutione Christi probitas Ministri, ita nec intentio requiritur. Respondeo neg. Ant. quia moralem certitudinem & securitatem de valore Sacramenti sufficienter habemus ex debita applicatione materiæ & formæ: in hac enim supponit Ecclesia adesse intentionem Ministri saltem exercitè: cumque eadem intentio non debeat esse necessariò explicita, sed sufficiat, si sit implicita, rarissimè abesse solet, nisi data operâ & ex singulari perversitate Ministri supprimatur. Atque hinc patet ad illud de probitate Ministri: ista namque sæpissimè abesse solet; neque potest de illa Minister ipse esse certus, sicut tamen potest esse certus de sua intentione.

11 Objicies quarto. Sacramentum se habet in operando ad instar medicamenti, & causæ naturalis: ergo sicut medicamentum & causæ naturales operantur, licèt nec Medicus, nec causa applicans habeat intentionem applicandi, ita & Sacramentum sine intentione Ministri applicantis operabitur. Respondeo dist. Ant. Sacramentum ita se habet, si semel existat, conc. quoad ipsam sui positionem & valorem existentiæ, neg. Ant. & sic dist. conseq. conc. & neg. conseq. Licèt proinde posito semel Sacramento nulla requiratur intentio de operatione & effectu ejusdem requiritur tamen intentio ponendi Sacramentum, antequàm sit positum, &, ut ponatur.

Verùm, quid causæ est, inquies, cur hæc posterior, & non illa prior quoque intentio requiratur? Respondeo, esse hanc, quod suppositâ semel essentia & existentia Sacramenti effectus ejusdem non dependeat ab intentione Ministri; dependeat autem juxta Christi institutionem ab illius intentione essentia Sacramenti quoad sui existentiam. Imò, ut constat ex dictis in n. 4. intentio ponendi seu conficiendi Sacramentum est virtualiter & implicitè intentio conferendi effectum ejusdem.

Instabis. Essentia cujuslibet compositi ponitur sub actu existentiæ per applicationem formæ debitæ ad materiam debitam, etsi nulla adsit intentio applicantis: ergo essentia Sacramenti, quod est compositum quoddam, non dependet quoad sui existentiam ab intentione Ministri applicantis, sed ponitur etiam absque illa, dummodò is applicet re ipsa debitam formam debitæ materiæ. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. & suppositum, quòd verba in Sacramentis habeant rationem formæ debitæ independenter ab intentione Ministri.

12 Quæritur demum, an Deus saltem suppleat defectum intentionis in Ministro, ita ut sine illa conferat effectum Sacramenti, v. g. Baptismi? Respondeo negativè cum D. Thoma 3. p. q. 68. a. 1. quem in hoc communissimè sequuntur DD. Ratio est: quia nullum habetur prudens fundamentum id asserendi, quamvis Deum id facere posse dubium non sit. Confirmatur primo ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ergo puer ante usum rationis suscipiens invalidum Baptismum defectu intentionis in Ministro non consequitur effectum hujus Sacramenti. Confirmatur secundo. Quando Sacramen-

cramentum est nullum ob defectum materiæ vel formæ, Deus non supplet hunc talem defectum modo relato: ergo nec supplet defectum intentionis in Ministro, quando Sacramentum ex hoc capite est invalidum. Sententia opposita quorumdam Antiquiorum destituitur omni probabilitate.

ARTICULUS III.
Qualis esse debeat intentio Ministri?

SUMMARIUM.

1. *Quotuplex intentio.* 2. *Ad valorem Sacramenti sufficit ex parte Ministri intentio virtualis.* 3. 4. *Solvitur duplex Objectio.* 5. 6. 7. 8. *Corollaria practica.* 9. *Intentio Ministri debet esse vel formaliter, vel æquivalenter absoluta.* 10. 11. *& seqq. Resolutiones de administratione Sacramentorum sub conditione.* 15. *Grave peccatum est absque rationabili causa administrare Sacramentum sub conditione.* 16. *Intentio Ministri ferri debet in materiam & personam determinatam.* 17. 18. 19. *Illationes practicæ.* 20. *Unde provenire possint intentiones contrariæ in administratione Sacramentorum?* 21. *Quando intentio rea est efficacior intentione erronea contraria, valet Sacramentum.* 22. *Unde colligendum utra intentionum contrariarum sit efficacior.* 23. *Intentio Ministri non est pars Sacramenti, sed solùm conditio extrinseca.*

QUatuor in præsenti Artic. Quæstiones breviter expediendæ sunt. Prima est, an requiratur in Ministro intentio actualis, vel sufficiat habitualis, virtualis, aut interpretativa? Secunda, an intentio possit esse conditionata, vel debeat esse absoluta? Tertia, an ferri debeat in materiam & subjectum determinatum. Quarta, an possit Sacramentum esse validum, quando Minister habet duas intentiones contrarias? Ante resolutionem singularum.

1 Notandum est intentionem ad nostrum propositum aliam esse actualem, aliam habitualem, aliam interpretativam, aliam virtualem: rursus aliam absolutam, aliam conditionatam. Intentio actualis est ipse actus voluntatis, qui vocatur intentio, formaliter & physicè in se existens: cujusmodi est intentio v. g. qua nunc actu volo legere Missam. Intentio habitualis est præcisè intentio præterita, sive quam quis actu habuit, non retractata. Intentio interpretativa, sive indirecta est, qua quis aliquid vult tanquam in causa, v. g. dum sciens, in ebrietate sibi consuetum esse in blasphemias erumpere, vult inebriari, is dicitur interpretativè velle, sive intendere blasphemias. Alii intentionem interpretativam volunt esse illam, quam quis neque in se ipso, neque in aliquo alio habet, vel habuit, sed haberet tantùm, si in objecti cognitionem veniret. talem circa susceptionem Extremæ Unctionis v. g. habere censetur Catholicus, qui repente sensibûs destitutus cum morte luctatur. nam utique, si periculi sui conscius esset, hoc Sacramentum vellet recipere. Intentio virtualis est similiter ipsa intentio actualis, non quidem existens in se (quia in se supponitur præterita) sed in virtute à se relicta. Cæterùm in quo consistat hæc virtus relicta, non est facile explicatu; sicut apparet ex diversitate modorum, quibus Authores rem istam declarare conantur. Nobis, salvo meliori judicio, sufficiat dicere, quòd sit motio quædam vel impressio tum in intellectu & phantasia, tum in potentia executiva exteriore vi intentionis actualis causata, qua deinde homo moveatur ac determinetur ad opus, quod actualiter intenderat, peragendum. In eo proinde intentio virtualis & habitualis differunt, quòd hæc neque in se, neque in aliquo suo existat amplius: illa verò, licèt in se non amplius existat, existat tamen in virtute à se relicta. Intentio absoluta, sive, pura est, quæ nulli conditioni est alligata. Intentio conditionata est, quæ certæ conditioni est alligata: v. g. *Volo te ducere uxorem, si parentes consenserint.* Sunt autem conditiones aliæ de præsenti; aliæ de præterito; aliæ de futuro; de possibili; aliæ de impossibili, &c.

Dico nunc primo. Ad valorem Sacramenti in Ministro actualis intentio non requiritur: habitualis, & interpretativa non sufficiunt: sufficit virtualis. Ita communis sententia, quæ colligitur ex D. Thoma, 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. Ratio primæ partis: quia intentio actualis non est in morali potestate hominis, eamque semper habere difficillimum est: *quia præter intentionem* (ait D. Thomas loco cit.) *cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, secundùm illud Psal.* 34. *cor meum dereliquit me.* Atqui Christus non potuit ad valorem Sacramenti tanquam necessariam requirere intentionem, quæ non esset in morali potestate hominis; ergo. Procul dubio tamen summè laudabile & consulendum est Ministris, ut intentionem actualem, quantùm fieri potest, studiosè procurent habere. 2

Ratio secundæ partis est: quia in primis actio, quæ exercetur cum intentione putè habituali, non est deliberata & humana; cùm

cum nullus actus voluntatis in eam influere supponatur, darique possit ejusmodi intentio etiam in dormiente, suique non compote. Atqui intentio ad valorem Sacramenti sufficiens debet esse talis, ut actio cum illa conjuncta, nempe confectio Sacramenti, sit deliberata & humana; ergo. Deinde, si intentio interpretativa sumatur juxta primam explicationem, vel ideo non sufficit, quòd Minister Sacramentum debeat conficere cum morali certitudine legitimæ materiæ & formæ, quæ certitudo cum illa intentione stare non potest. Satis quoque colligitur ex usu & praxi Ecclesiæ, Christum hanc talem intentionem non agnovisse pro sufficiente. Quòdsi ea sumatur juxta secundam explicationem in n. præced. auditam, patet à fortiori ex dictis contra intentionem habitualem, illam esse insufficientem: cùm multò minùs possit influere in actionem deliberatam & humanam, qualis esse debet confectio Sacramenti.

Ratio tertiæ partis est: quia illa intentio ex institutione Christi sufficit, quæ modo communi operandi hominum est accommodata; non plùs æquo difficilis, & in morali potestate operantis constituta, suoque influxu præstans, ut operatio Ministri sit deliberata & humana: sed istas conditiones habet intentio virtualis; uti consideranti patebit; ergo &c. Confirmatur. Si non sufficeret intentio virtualis, Sacramenta sæpissimè redderentur irrita: sed conseq. admitti non potest: quia, ut alia, quæ hinc evenirent, omittam inconvenientia, Ministri exponerentur innumeris scrupulis & anxietatibus circa formationem debitæ intentionis. seq. maj. patet vel in solo Sacramento Eucharistiæ, ubi sæpissime contingit, ut Sacerdos tempore Consecrationis distrahatur ex propria sive culpa, sive imbecillitate; adeoque careat intentione actuali, & solùm habeat intentionem virtualem. Vid. Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 7. pu. 4. Reding to. 11. q. 5. a. 2. controv. 4. Pettschacher de Sacram. in gen. q. 6. a. 2. à pag. 229. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 17. a. 5.

5 Objicies in favorem intentionis habitualis primo ex D. Thoma loco cit. hæc verba: *Licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.* Secundo. Voluntas habitualis sufficit, ut alicui applicetur fructus Sacrificii, quod cras celebrabo: ergo etiam ad confectionem Sacramenti. Tertio. Ad validè recipienda aliqua Sacramenta sufficit intentio habitualis: ergo etiam ad conficienda.

Respondeo ad primum ex Cajetano, D. Thomam ibi secutum esse usum loquendi sui temporis, juxta quem intentio, quam nos virtualem dicimus, largo modo habitualis dicebatur, idque propter affinitatem cum illa. nam sicut intentio habitualis non est actu in se ipsa, ita & virtualis. Ad secundum disparitas est, quòd applicatio Sacrificii se habeat instar donationis conditionatæ, acsi diceres: *cedo, vel dono tibi fructum Sacrificii, si cras celebravero*: donatio autem conditionata, nisi retractetur, transit in absolutam, & donatarium constituit rei dominum impleta conditione, quamvis actus donationis non ampliùs existat physicè. Atqui confectio Sacramenti est actio in se libera & humana, cujus principium non potest esse intentio merè habitualis. Ad tertium itidem disparitas est, quòd recipiens Sacramentum non sit principium effectivum illius, sed subjectum tantùm, habeatque se merè passivè. Unde non requiritur in ipso intentio, quæ & ipsa sit principium activè influens in actionem humanam, sed sufficit talis, qua posita sit subjectum capax Sacramenti, quod præstatur per intentionem etiam merè habitualem. Jam verò conficiens Sacramentum est principium efficiens ejusdem; atqueadeo requiritur in illo intentio, quæ itidem sit principium effectivum actionis exterioris humanæ & deliberatæ, nempe ejus, qua conficitur Sacramentum. hujusmodi autem principium non potest esse intentio habitualis. Vid. Pettschacher pag. 234.

4 Objicies etiam in favorem intentionis interpretativæ, sive indirectæ. Primo. Qui prævidet vel intendit homicidium v. g. à se patrandum in ebrietate, illi imputatur homicidium tanquam sufficienter voluntarium, si deinde in ebrietate committatur: ergo etiam confectio Sacramenti, quam quis prævidit, vel extendit ante ebrietatem, censenda est sufficienter voluntaria, adeoque valida, si peragatur in ebrietate. Secundo. In administrando Sacramentum involuntariè distractus illud validè conficit: ergo etiam validè conficit ebrius, dummodo ante ebrietatem habuerit animum conficiendi, vel à se conficiendum præviderit. Tertio. Ebrius, vel amens validè recipit Baptismum v. g. si adhuc sui compos voluit recipere: ergo etiam validè administrat Baptismum, qui ante ebrietatem vel amentiam baptizare intenderat.

Respondeo ad primum reddendô disparitatem ex illo axiomate S. Dionysii cap. 4. de Divin. Nom. Bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu. Nam peccatum, in quo genere est homicidium, cùm malum sit, satis est voluntarium, si intendatur indirectè sive in causa. Confectio autem Sacramenti, quia de genere boni est, debet esse in se voluntaria & libera; adeoque petit exerceri non

nisi

nisi ab eo, qui est actus sui compos. Accedit; quòd actiones, ac voces ebriorum, amentium, ac dormientium nequeant esse signa sacramentalia formaliter, & ut Christus instituit. de quo vid. Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 7. pu. 5. n. 47. Ad secundum patet ex dictis: quia cum involuntaria distractione consistit exercitium actionis in se liberæ; quippe præsente usu rationis, & intentione priore formali, ex qua procedit, virtualiter perseverante. Atqui ebrius non exercet actionem in se liberam. Ad tert. accommodanda est solutio, quam n. præc. dedimus itidem ad tert.

5 Ex dictis colligitur primo, ad intentionem virtualem tria requiri. Primum est, ut præcesserit intentio actualis sive formalis, eaque vel explicita, vel implicita. Secundum, ut intentio actualis, quæ præcessit, nondum fuerit revocata: secùs enim ita se haberet, acsi nunquam extitisset. Tertium, ut eadem intentio actualis remaneat in virtute à se relicta; adeoque opus intentum peragatur ex vi, efficaciâ, & influxu virtuali illius, homine in iis dispositionibus constituto, ut suas actiones dirigere & moraliter operari possit. Vid. Filliuc. tract. 1. cap. 5. n. 77.

6 Colligitur secundo, illum validè conficere Sacramentum, qui animò sacrificandi, vel baptizandi v. g. venit in Ecclesiam; sacras vestes induit; ad altare, vel baptisterium accessit, quamvis neque tunc, neque in applicatione materiæ, & prolatione formæ, quidnam ageret, ad alia cogitanda distractus adverterit. D. Thomas ubi suprà. Ratio ipsius est: quia, *si in ipso exercitio actûs* (inquit ibi) *cogitatio Ministri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Uno verbo: quia talis Minister non obstante actuali distractione habet adhuc intentionem virtualem.

7 Colligitur tertio, invalidè baptizare eum, qui heri quidem habuit propositum baptizandi, hodie tamen immemor illius propositi, nec actu nec virtute permanentis, sed solùm non revocati, aquam infanti affundit, adjecta verborum solita prolatione. Ratio est: quia hic talis nec habet intentionem actualem, nec virtualem, sed tantùm habitualem, quam ad valorem Sacramenti non sufficere constat ex n. 2. Vid. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 12. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 3. n. 16. Quamvis, ut advertit Laym. hic casus in vigilante, suique compote rarò possit accidere.

8 Colligitur quarto, irritum esse Sacramentum, si Minister formam incepit proferre sine debita intentione, licèt post unum aut alterum verbum, quod est essentiale, proferat reliqua cum debita intentione. Ratio est: quia verba sine debita intentione prolata perinde se habent, acsi fuissent omissa: sed, si essent omissa, Sacramentũ foret irritum; ergo etiam est irritum, si absque debita intentione fuerunt prolata. Itaque nihil conficit Sacerdos, qui sine debita intentione supra hostiam pronuntiat ista verba; *Hoc est*, licèt cum debita intentione subjungat: *Corpus meum.* Aliud dicendum est, quando Minister post prolata sine intentione verba, quæ non sunt essentialia, profert reliqua cum debita intentione. Nam sicut non tolleretur valor Sacramenti, si verba illa prorsus omitterentur, ita nec tollitur, quando absque debita intentione proferuntur. Valet proinde Baptismus, in quo Minister post particulam *Ego* sine debita intentione prolatam profert reliqua cum debita intentione. Bonac. n. 14. & alii. Nunc ulteriùs

9 Dico secundo. Ad validam confectionem Sacramenti requiritur intentio Ministri vel formaliter, vel æquivalenter absoluta. Ita communiter DD. Ratio est: quia sicut Sacramenta sunt signa practica, & efficaciter operativa gratiæ, ita intentio Ministri debet esse efficaciter operativa ipsorum Sacramentorum. Atqui talis est sola intentio formaliter, vel æquivalenter absoluta: cùm voluntas conditionata conditione non existente nihil ponat in esse, id est, nihil operetur. Cæterùm per intentionem æquivalenter absolutam intelligitur talis conditionata, quæ statim transeat in absolutam: quo modo æquivalet absolutæ. Atque hinc

10 Sequitur primo, Sacramentum administratum sub conditione impossibili esse nullum, excepto Matrimonio. Pettschacher de Sacram. in gen. q. 6. a. 2. pag. 236. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 23. a. 5. n. 10. Ratio est: quia tunc intentio conditionata propter impossibilitatem conditionis non potest transire in absolutam, & consequenter non est efficaciter operativa. Dixi, *excepto Matrimonio*, quia in hoc per *cap. finale, de condit. appos.* talis conditio præsumitur jocô tantùm apposita; adeoque habetur pro non adjecta, quamdiu non constat aliunde, fuisse seriò appositam, eò quòd contrahens vel ignoraverit illius conditionis impossibilitatem, vel legem, qua eadem à contractu excluditur. Atque ex his etiam patet, contractum Matrimonii affectum conditione impossibili non esse conditionatum re ipsa, sed purum: quia perinde se habet, acsi conditio non esset adjecta.

11 Sequitur secundo, validè confici Sacramentum sub conditione de præterito, vel de præsenti, si conditio à parte rei verè subsistat: secùs, si non subsistat. Bonac.

n. 18. Laym. n. 13. Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 7. pu. 6. & alii communiter. Ratio est: quia subsistente conditione intentio conditionata transit in absolutam: secùs, quando conditio non subsistit. Unde valet Baptismus ita collatus: *si non fuisti baptizatus, ego te baptizo*: & Absolutio: *Si debitè es dispositus, ego te absolvo*: quando nempe à parte rei verum est infantem non fuisse baptizatum: pœnitentem esse actu debitè dispositum. Limitanda est tamen præsens doctrina, ut non habeat locum, si conditio dependeat à validitate ipsius formæ. nihil enim conficis, si dicas: *Ego te baptizo, si Deus scit, hunc Baptismum tibi profuturum ad salutem.* Ratio est: quia sic daretur mutua prioritas & causalitas in eodem genere causæ: cùm valor Sacramenti dependeret à purificatione conditionis; & vicissim purificatio conditionis dependeret à valore Sacramenti: nam alioquin Deus in dato exemplo non potest videre Baptismum profuturum. Vid. Pettschacher pag. 237. Mezger n. 11.

12 Sequitur tertio, validum esse Sacramentum administratum sub conditione de præterito, vel de præsenti, quæ re ipsa subsistit, licèt ejus purificatio non possit humano modo deprehendi seu cognosci. Ita Suarez, Comptonus, Herinck, quos refert, & sequitur Pettschacher loco cit. deinde Mezger n. 12. Ratio est: quia etiam hæc talis intentio, conditione re ipsa subsistente, transit in absolutam. Unde validè baptizas dicendô: *Ego te baptizo, si es prædestinatus: si Deus videat, te fore misericordem &c.* Confirmatur primo. Valet Baptismus sub hac conditione collatus: *si non es baptizatus, ego te baptizo*, & tamen purificatio hujus conditionis sæpissime deprehendi non potest, ut experientia testatur. Confirmatur secundo. Validum est Sacramentum administratum in materia vel forma probabili, si re ipsa sit certa, licèt illius certitudo humana cognitione non possit deprehendi: ergo similiter valet Sacramentum collatum sub conditione, cujus purificatio humano modo deprehendi nequit, si re ipsa subsistat. Addit tamen Suarez Baptismum v. g. sub tali conditione collatum debere repeti: idque haud dubiè propter probabilitatem sententiæ contrariæ negantium esse validum: de quo vid. Sporer de Sacram. in gen. p. 1. cap. 2. n. 131.

13 Sequitur quarto, Sacramentum sub conditione de futuro contingenti administratum non esse validum. Salmantic. ubi suprà n. 58. Bonac. n. 19. Filliuc. tract. 1. cap. 5. n. 78. Mezger n. 9. & DD. communiter. Ratio est: quia neque est validum statim, dum ponuntur materia & forma; neque est validum, quando purificatur conditio. Non statim; quia Minister non intendit, ut Sacramentum statim sit validum, sed, ut sit validum tempore adimpletæ conditionis. Non tunc, quando impletur conditio: quia illo tempore non amplius existunt materia & forma, quæ sunt partes Sacramenti. Neque dicas, eas tunc existere adhuc in morali æstimatione. Respondetur enim, id non sufficere, sed satis constare ex traditione, communi usu, & praxi Ecclesiæ, Christum de facto Sacramenta sic instituisse, ut essent valida, dum physicè ponuntur & existunt materia & forma, & non ulteriùs. Excipitur tamen rursus Matrimonium. Ratio est: quia Matrimonium est contractus, circa cujus naturam Christus nihil mutavit, sed eundem sub ratione contractus validi ad esse Sacramenti elevavit. Cùm proinde valori aliorum contractuum non officiat dependentia à purificatione conditionis de futuro, etiam valori Matrimonii non officiet. Vid. Pettschacher pag. 239.

Sequitur quinto, Sacramentum sub 14
conditione de futuro necessario administratum similiter esse invalidum, quando talis conditio fuit adjecta animô suspendendi valorem Sacramenti. Quare non baptizat validè, qui dicit: *Ego te baptizo, si cras sol oriatur.* Coninck in 3. p. q. 64. a. 8. dub. 2. n. 81. Mezger loco cit. Ratio habetur ex dictis: quia Sacramentum ponitur validè, quando physicè ponuntur materia & forma, vel nunquam ponitur: sed in tali casu non ponitur, quando ponuntur materia & forma; ergo &c. Dixi autem, *quando conditio fuit adjecta &c.* nam si Minister ideo solùm sic dicat, ut efficaciùs exprimat certitudinem suæ intentionis, sitque sensus adductæ propositionis: *Tam certò jam te baptizo, quam certum est Solem cras oriturum*, Sacramentum erit validum. Verùm talis intentio, inquit Coninck, non est propriè conditionata.

De cætero addendum huc est, graviter 15
peccare Ministrum, qui sine rationabili causâ Sacramentum administrat sub conditione, etiam de præterito, vel præsenti. Bonac. n. 20. Oberascher de Sacram. in gen. tr. 1. cap. 2. n. 124. Sporer n. 129. & DD. communiter. Ratio est: quia absque rationabili causa Sacramentum exponit periculo nullitatis. nam fieri potest, ut talis conditio intentioni adjecta non subsistat re ipsa; adeoque Sacramentum sit nullum. Quòdsi Minister sit certus, conditionem subsistere, eamque addat, inaniter addit, & nugatur in re gravissima: quod similiter sine gravi irreverentia fieri non potest. Quando autem adest rationabilis causa, Sacramentum administrari posse sub conditione de præterito, vel præsenti, dubium non est, constatque ex praxi. nam Parochus,

dum

dum prudenter dubitat, an obstetrix infantem integrè baptizaverit? iterum baptizat sub conditione: *Si non fuisti baptizatus.* Similiter Confessarius in rationabili dubio, an puer habeat sufficientem usum rationis, & dolorem de peccatis? addit absolutioni conditionem: *si es debitè dispositus.* Porro in dubio, an pœnitentem jam absolverit, necne? addit: *si nondum te absolvi,* cujusmodi tamen conditiones consultiùs mente retinentur, quàm linguâ exprimuntur; ne fortè pœnitens, si audiat, perturbetur. Cæterùm administrare sub conditione de futuro aliquod Sacramentum, excepto Matrimonio, esse mortale peccatum, patet à fortiori, idque ostendunt rationes allatæ.

16 Dico nunc tertio. Ut Sacramentum sit validum, intentio Ministri ferri debet in materiam, & personam determinatam. Ita omnes communiter. Ratio est: quia intentio Ministri ferri debet in id, quod per formas Sacramentorum significatur: sed per has significatur materia & persona determinata; ergo. Cæterùm materia & persona potest esse determinata vel modo latiori, vel strictiori. Latiori modo determinatur, quando intentio Ministri fertur in materiam, & personam, quatenùs, hic & nunc est debitè præsens, sive materia sit una, sive plures; sive hæc, sive illa: & persona seu subjectum sit sive Petrus, sive Paulus; sive mas, sive fœmina. Strictiori modo fit determinatio, quando intentio Ministri fertur in materiam vel personam quà talem, in individuo. Vid. Mezger ubi suprà n. 14. Oberascher pag. 128. Dum itaque requisivimus in Concl. ut intentio Ministri feratur in materiam & subjectum determinatum, intellexímus materiam & subjectum, seu personam determinatam latiori modo, extra Sacramentum tamen Matrimonii, de quo deinde videbimus. Atque hinc

17 Infertur primo, validè absolvere, qui absolvit Petrum, putans esse Paulum; aut marem, putans esse fœminam: nisi habeat intentionem signatè restrictam ad absolvendum non alium, quàm Paulum; nullum alium, quàm fœminam. Filliuc. tract. 1. de Sacram. in com. cap. 5. n. 79. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 6. Salmantic. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 7. pu. 7. Reding to. 11. q. 5. a. 2. controv. 5. & alii communiter. Ratio est: quia hanc ordinariè habent, & habere debent intentionem Ministri, ut Sacramentum conferant in illa materia, & illi personæ, quæ debitè præsens est. quam proinde intentionem quilibet habere censetur, nisi eandem expressè excludat. Quod hic exempli causâ dictum est de Absolutione, intelligendum est etiam de Baptismo, Ordinatione, & aliis Sacramentis. Dixi autem, *nisi habeat intentionem &c.* nam in eo casu Sacramentum est invalidum: quia, ut dicitur in Jure, actus non extenduntur ultra intentionem agentium. Si ergo Minister modo memorato restringat suam intentionem, nihil ultra hanc restrictionem efficiet. imò etiam graviter peccabit, nisi fortè adsit justa causa ita restringendi: qualis esse potest juxta Salmantic. dum in collatione Ordinum timetur, ne quispiam simulans se esse alium petat ordinari, quem tamen non ordinari multùm intersit.

Infertur secundo, nihil conficere Sacer- 18
dotem, qui habens ante se duas hostias unam indeterminatè, aut in eadem hostia unam illius medietatem indeterminatè vult consecrare. Item, invalidè baptizare, qui pluribus simul affundens aquam unum, alterumve nullum ex illis determinandô baptizare intendit. Pettschacher de Sacram. in gen. q. 6. a. 3. pag. 240. Mezger, ubi suprà. Ratio est: quia in priori casu intentio Ministri non fertur in materiam, in posteriori non fertur in personam determinatam.

Infertur tertio disparitas ex ipsa natura 19
Matrimonii, cur in isto circa personam requiratur illa strictior determinatio in n. 16. memorata, & non sufficiat latior, ut in aliis Sacramentis? ideo nempe, quia Matrimonium continet individuam vitæ societatem seu consuetudinem, per cap. Illud de præsumpt. & sequitur præterea naturam contractus humani, inter cujus conditiones una est, quòd error speculativus circa substantiam seu personam determinatam vitiet contractum; cùm tollat consensum contrahentis. Aliter se res habet in aliis Sacramentis, Laym. ubi suprà.

Nunc superest, ut aliquid dicamus eti- 20
am de intentionibus contrariis, ubi notandum est, fieri non posse moraliter loquendo, ut Minister habeat duas intentiones verè contrarias, nisi ex errore, quo putat, non esse contrarias, sed per ambas simul posse obtineri effectum. Hinc una illarum necessariò debet esse implicitè conditionata, scilicet, si objectum ipsius cum objecto alterius possit consistere. Quare, dum conferens Baptismum v. g. vult facere, quod Christus instituit, & non vult facere, quod facit Romana Ecclesia, ideo habet ejusmodi voluntates, quia putat, objectum prioris posse fieri sine objecto posterioris. in quo casu, nisi homo sit planè perversus, posterior intentio debet esse conditionata, scilicet, si possim facere, quod Christus instituit, absque eo, quòd faciam, quod facit Romana Ecclesia: cumque hæc conditio nequeat subsistere, fit, ut intentio non faciendi, quod facit Romana Ecclesia, sit prorsus inefficax. Ex quibus

Dico quarto. Quando intentio recta 21
est

est efficacior, quàm erronea, & destructiva Sacramenti, valet Sacramentum: secùs, si sit efficacior intentio erronea. Pettschacher a. cit. pag. 226. Mezger n. 19. Oberascher pag. 112. Coninck in 3. p. q. 64. n. 8. dub. 3. & alii. Ratio est: quia, dum adest intentio efficax faciendi Sacramentum, fit Sacramentum, & non fit, quando abest: atqui, si intentio recta & legitima sit efficacior, quàm erronea, adest intentio simpliciter efficax faciendi Sacramentum, & non adest, quando erronea est efficacior: quia tunc per istam evertitur influxus illius: ergo si intentio legitima sit efficacior, quàm erronea, fit Sacramentum, & non fit, quando illâ efficacior est intentio erronea.

22 Verùm de hoc ipso oritur quæstio, unde colligi possit, utra duarum intentionum contrariarum sit efficacior? rectane, an erronea? Respondeo, id colligi posse velut à posteriori, si attendatur, quomodo circa objecta talium intentionum Minister eas formans sit animô comparatus. Rem declarémus in exemplo, quod in n. præced. audivimus, nempe: *Volo baptizare, ut Christus instituit: & nolo baptizare, ut baptizat Romana Ecclesia.* ubi, si baptizans, qui format has intentiones contrarias, ita est constitutus, ut deponeret intentionem posteriorem, posito, quod sciret, esse priori contrariam, esseque unum & idem baptizare, ut Christus instituit, & baptizare, ut baptizat Romana Ecclesia, tunc prior intentio est efficacior; sive appretiativè major, ut alii loquuntur, & prævalet posteriori. Quòdsi idem ita supponatur constitutus, ut, tametsi sciret, memorata objecta suarum intentionum coincidere, odiô Romanæ Ecclesiæ non deponeret posteriorem, sed malet non baptizare, quàm baptizare, ut baptizat Romana Ecclesia, tunc posterior intentio est efficacior, & derogat priori. Vid. Coninck dub. cit. Mezger n. 17.

23 Illud etiam hic quæri solet, an intentio Ministri sit pars intrinseca Sacramenti? Ad quod respondendum est negativè. Ratio est: tum, quia compositum sacramentale nullam habet partem intrinsecam præter materiam & formam: quarum neutra est intentio. tum, quia Concil. Florent. *in Decreto Unionis* eodem modo loquitur de Ministro, quo loquitur de intentione: & tamen Minister non est pars intrinseca Sacramenti. tum, quia omnis pars intrinseca Sacramenti est à Christo elevata ad esse significativum & causativum gratiæ. sed nullum habetur fundamentum asserendi, intentionem Ministri ad hoc esse elevatum. tum, quia argumentum sententiæ contrariæ petitum ex regula partium facilè solvitur, ut nôrunt nostri Philosophi. Est igitur intentio solùm conditio extrinseca pertinens ad causam efficientem Sacramenti, quæ est Minister.

ARTICULUS IV.

Quænam requirantur in Ministro, ut Sacramentum licitè conficiat, vel ministret?

SUMMARIUM.

1. *Minister alius solemnitatis, alius necessitatis.* 2. *In Ministro solemnitatis ad licitam administrationem Sacramenti requiritur status gratiæ.* 3. *Minister solemnitatis sibi conscius gravis peccati non potest licitè Sacramentum conficere cum sola Attritione cognita ut tali.* 4. *Quoties peccet ejusmodi Minister in statu peccati mortalis Sacramentum solemniter conficiens?* 5. *Minister necessitatis probabiliter non peccat nisi venialiter, si in statu peccati mortalis Sacramentum administret,* 6. 7. 8. 9. 10. *Illationes practicæ.* 11. *Quænam alia requirantur ad licitam administrationem Sacramentorum?*

1 NEque fidem, neque sanctitatem, seu statum gratiæ in Ministro requiri ad validam alicujus Sacramenti administrationem, sed æquè per malos, aut hæreticos, atque per bonos & Catholicos administrari, conferrique validè, certum est ex Concil. Trid. sess. 7. can. 12. & in præsenti supponitur. Quæstio proinde est, an memorata requirantur, ut Minister hic procedat licitè? item, quænam alia ad hoc sint necessaria? Antequàm, quid de his sentiendum sit, aperiamus, scire oportet, duplicem distingui solere Ministrum Sacramentorum; nempe unum solemnitatis, alterum necessitatis. Minister solemnitatis est, qui ratione certi officii, & specialis consecrationis ad Sacramenta administranda deputatur, qualis est Sacerdos consecrans, Episcopus ordinans &c. Minister necessitatis est, qui in casu necessitatis Sacramentum administrat, licèt ad tale ministerium neque ex officio, neque ex speciali consecratione sit deputatus. talis est Laïcus urgente necessitate baptizans.

2 Dico jam primo. In Ministro solemnitatis,

nitatis, ut licitè conficiat Sacramentum, requiritur ſtatus gratiæ. Ita cum D. Thoma 3. p. q. 64. a. 6. communiter Theologi. Ratio memorati S. D. eſt: quia Miniſter ſolemnitatis eſt inſtrumentum animatum Chriſti, ejusque nomine rei ſanctiſſimæ confectionem peragit: ergo ex natura rei per virtutem Religionis obligatur, ut in ſanctitate ſe conformet principali ſuo agenti Chriſto Domino: juxta illud Levit. 19. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* & Eccli. 10. *Secundùm judicem populi ſic & Miniſtri ejus.* cumque hæc obligatio oriatur ex radice gravi, & in re gravi, procul dubio gravis eſt: ut proinde talis Miniſter mortaliter peccet peccato ſacrilegii, ſi conſcius peccati mortalis Sacramentum conficiat.

3 Ex dictis ſequitur jam primo, non eſſe licitum Miniſtro ſolemnitatis conficere Sacramentum cum attritione cognita, dum fortè conatur ſe in ſtatum gratiæ reponere, ſed teneri actum contritionis elicere. Bonac. de Sacram. in gen. diſp. 1. q. 3. pu. 2. §. 1. n. 3. Filliuc. tract. 1. cap. 5. num. 86. Salmantic. tract. 1. de Sacram. cap. 7. pu. 10. n. 94. Ratio eſt: quia ſecùs adhuc manet extra ſtatum gratiæ. Quòdſi nequeat elicere contritionem, tenetur confiteri: ſecùs ad hoc non tenetur, excepto caſu, quo S. Euchariſtiam, ut contingit in Sacrificio Miſſæ, eſt recepturus. Ratio eſt: quia in defectu contritionis, & præſente ſola attritione non poteſt ſe reſtituere in ſtatum gratiæ, niſi confiteatur. Quando verò elicit contritionem, peccatum mortale jam deletur, & ipſe eſt in ſtatu gratiæ. Neque aliunde exſtat aliquod præceptum confitendi, præterquàm in caſu excepto, de quo ſuo loco videbimus. Haud dubiè tamen conſultiùs agit, ſi præmittat Confeſſionem.

4 Sequitur ſecundo, Miniſtrum ſolemnitatis mortaliter peccare toties, quoties conſcius peccati mortalis conficit Sacramentum ſolemniter, v. g. quotiès baptizat, vel celebrat, niſi fortè excuſet ignorantia, vel urgens neceſſitas, ob quam aliter jam facere non poteſt: eò quòd tam citò nequeat confiteri, vel conteri, in mora verò ſit periculum, in quo caſu baptizare in ſtatu peccati mortalis, aut etiam abſolvere moribundum, nulla eſt irreverentia, ut docent Card. de Lugo de Sacram. diſp. 8. ſect. 9. n. 151. Salmantic. n. 93. & alii apud ipſos. Doctrinam hujus noſtræ Illationis. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 3. & alii extendunt etiam ad Diaconum ex ſpeciali commiſſione Sacerdotis baptizantem.

5 Dico ſecundo. Probabile eſt, Miniſtrum neceſſitatis non peccare plus, quàm venialiter, dum conſcius peccati mortalis adminiſtrat Sacramentum. Ità videtur ſentire D. Thomas ubi ſuprà ad 3. & docetur communiter à Thomiſtis. Ratio eſt: quia, licèt ſanctitas miniſterii & Sacramenti ſit gravis titulus, ut Miniſter teneatur ſe conformare in ſanctitate ſuo agenti principali, tamen in illo potiùs ſubjecto videtur eſſe gravis, cui per ſe ex ſpeciali conſecratione hoc Miniſterium competit, cuique ſpecialia idcircò auxilia gratiæ conferuntur, quàm in illo, in quo reperitur quodammodò per accidens, & permiſſivè ad ſuccurrendum neceſſitati recipientis. Atqui in Miniſtro neceſſitatis miniſterium ſacramentale datur tantùm per accidens & permiſſivè; ergo ex iſto titulo non videtur tali Miniſtro impoſita gravis obligatio reponendi ſe in ſtatum gratiæ.

Confirmatur. Non eſt conveniens, ut is, cui miniſterium aliquod ex accidenti tantùm permittitur, fiat obnoxius tanto malo, tantæque pœnæ, ſi illo ſordidè, vel abſque debita munditie fungatur, quanta dignus eſt alius, cui idem miniſterium per ſe competit. Sic Regius pincerna, ſi Regis convivis vinum miniſtraret impuris ac ſlatulentis manibus, haud dubiè dignus eſſet gravi Regis indignatione, & amiſſione priſtinæ gratiæ: quod tamen de alio, qui ita ſe gereret ad hoc munus non deputatus, ſed repentina quadam ac improviſa neceſſitate compulſus, affirmari non poteſt. Ergo ſimiliter licèt Miniſter ſolemnitatis ſive ſpecialiter deputatus gravem Dei offenſam incurrat, dignusque ſit pœna æterna, ſi Sacramenta tractet peccato mortali inquinatus & fœdatus, nihil tamen ejusmodi incurrere aut mereri cenſendus eſt Miniſter neceſſitatis; licèt idem facere ſupponatur. Oppoſitam ſententiam, videlicet Miniſtrum etiam neceſſitatis, qui citra conatum recuperandi ſtatum gratiæ (quando tamen poteſt recuperare) conficit aliquod Sacramentum, mortaliter peccare, docent multi graves Authores, ut refert Mezger to. 4. tract. 15. diſp. 23. a. 6. n. 4. Suppoſita jam probabilitate noſtræ ſententiæ,

Infertur primo, Sacerdotem baptizantem in neceſſitate eo modo, quo tunc Laïcus poteſt baptizare, non committere peccatum mortale, quamvis ſibi conſcius ſit peccati mortalis. Ita D. Thomas loco cit. ubi ſic ait: *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret baptizando, in caſu, quo etiam laicus poſſet baptizare.* & addit rationem: *ſic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti.* Unde apparet, poteſtatem Sacerdotalem in hoc tali 6

baptizante se tunc habere per accidens. Sententiam contrariam tenent Paludanus, Vasquez, & alii, quos refert, & sequitur Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 3. & Illsung tract. 6. disp. 1. a. 4. n. 41. in cujus Summmario dicit, esse probabiliorem quàm nostram. Rationem reddunt: quia etiam ad hunc talem Baptismum Sacerdos vi Ordinis sui est deputatus. Unde hi Authores Sacerdotem tunc solùm excusari a peccato posse aiunt per accidens in casu necessitatis; cujus in n. 4. meminimus.

7 Infertur secundo, conjuges quidem graviter peccare, quatenùs in statu peccati mortalis recipiunt Sacramentum Matrimonii, non tamen graviter peccare, quatenùs illud sibi mutuò administrant. Ita Salmantic. ubi suprà n. 97. Filliuc. n. 87. Pettschacher de Sacram. in Q. 6. a. 6. pag. 268. Mezger n. 7. Illsung n. 42. contra Reding & alios. Ratio est: quia ad hoc ministerium non sunt deputati aliqua consecratione. Sed an Parochus peccet mortaliter in statu peccati mortalis assistens Matrimonio, vel nuptiis benedicens? Respondetur, non peccare mortaliter. Ratio est: quia ipse non agit Ministrum Sacramenti Matrimonii effectivum. aliunde verò nulla apparet ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad ea, quæ tunc exercet. Vid. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. pu. 2. §. 1. n. 10.

8 Infertur tertio, Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis audit Confessionem sacramentalem, probabiliter non peccare mortaliter, dummodò habeat propositum confitendi, vel eliciendi contritionem, antequàm absolvat pœnitentem. Card. de Lugo de Sacram. in gen. disp. 8. sect. 9. n. 158. Salmantic. pu. 11. n. 107. Reding to. 5. q. 5. a. 3. controv. 2. n. 26. Mezger n. 10. Ratio est: quia audire Confessionem est quidem aliquod prævium requisitum, ut possit impertiri absolutio à peccatis, sed non est conficere Sacramentum: cùm Sacerdos tunc non habeat se activè, sed passivè moraliter. Similiter non peccare mortaliter Confessarium, dum in mortali injungit pœnitentiam sacramentalem docent Card. de Lugo n. 160. Mezger n. 11. & alii. Ratio nempe est: quia injunctio pœnitentiæ non est actio confectiva Sacramenti, utpote non causativa gratiæ.

9 Infertur quarto, probabiliter etiam non peccare mortaliter Sacerdotem, vel Diaconum, quando in peccato mortali S. Eucharistiam distribuit. Card. de Lugo n. 155. Reding n. 25. Mezger n. 12. Illsung 2. cit. §. 3. Ratio est: quia, licèt ita distributio ex officio, & ex deputatione per Sacrum Ordinem exerceatur, non tamen est actio confectiva Sacramenti, nec causativa gratiæ ex opere operato, sed mera applicatio Sacramenti, ut per ipsum causetur gratia: adeoque non continet gravem decentiam, dum peragitur in statu peccati mortalis. Et hæc sententia; teste Reding, tuta est in praxi: quamvis fatendum sit, oppositam esse probabiliorem, idque potissimùm authoritate extrinseca, præsertim D. Thomæ, qui eam expressè docet in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. q. 3. & ibid. ad 4. Vid. Bonac. num. 13. & 14. Mezger num. 13. Oberascher de Sacram. in gen. cap. 2. pag. 145.

10 Infertur quinto, Diaconum, & Subdiaconum non peccare mortaliter, quando cum conscientia peccati mortalis in suo Ordine ministrant, putà Evangelium, Epistolam solemniter cantant &c. Quod idem sentiri de Sacerdote vel Episcopo, si in peccato mortali Sacramentalia exerceat, ille nuptias, aquam, populum benedicat etiam cum Venerab. Eucharistia: hic primam Tonsuram conferat, templa, Chrisma, Virgines &c. consecret. Reding n. 22. & 23. Pettschacher de Sacram. q. 6. a. 6. pag. 255. & 256. Mezger n. 12. Ratio est iterum: quia hi actus, esto exercentur ex officio, vel speciali deputatione, non sunt confectivi alicujus Sacramenti, aut internæ sanctitatis productivi. Verùm oppositа sententia rursus est probabilior. Vid. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 10. Bonac. loco cit. Mezger n. 13. Exercitia tamen Minorum Ordinum in mortali præstita passim excusantur à mortali, idque tum ob levitatem materiæ, tum, quòd valde remotè se habeant ad confectionem Sacramenti.

11 Dico tertio. Ut Minister licitè administret Sacramentum, non tantùm exhibere, & procurare debet illa, quæ ad Sacramenti valorem, sed etiam, quæ ad decorem ejusdem, sive ex præcepto naturali, sive Ecclesiastico, pertinent. Ratio facilè colligitur ex dictis de mutatione materiæ & formæ. nam alioquin Sacramentum vel tractat indignè, vel agit contra voluntatem Ecclesiæ in conscientia obligantis ad Sacramenta decorè & uniformiter administranda. Plura de his occurrent, quando particulatim explicabimus Sacramenta singula.

DISPU.

DISPUTATIO III.

De suscipiente Sacramentum.

CUm Sacramenta Christus instituerit ad gratiam vel primò dandam, vel augendam, soli verò homines viatores sint capaces gratiæ dandæ, vel augendæ, certum est, solos quoque homines viatores esse capaces Sacramentorum. Verùm non omnes viatores sunt capaces omnium Sacramentorum. neque enim omnes sunt capaces Matrimonii, Ordinis, aut Extremæ Unctionis, ut suis locis videbimus. Nunc breviter declarandum est, quænam requirantur ex parte suscipientis Sacramentum, ut id validè, & licitè recipiat? Item, quando positus fuit obex in suscipiente, an, & quomodo Sacramenta illo ablato conferant gratiam?

ARTICULUS I.

Quid requiratur ad validam receptionem Sacramenti?

SUMMARIUM.

1. *Ut adultus validè recipiat Sacramentum, debet habere positivam intentionem recipiendi illud.* 2. 3. 4. 5. *Illationes practicæ.* 6. *Præter intentionem iam dictam ad validè recipiendum Sacramentum nulla requiratur alia dispositio in recipiente, si excipiatur Sacramentum Pœnitentiæ.*

1 Dico primo. Ad Sacramentum validè recipiendum requiritur in adultis positiva intentio illud recipiendi, eaque, si non est formalis, debet esse vel virtualis, vel interpretativa, vel habitualis. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia sicut Deus non justificat adultum sine proprio illius consensu, ita congruum est, ut eum per Sacramenta non consecret & sanctificet sine eodem consensu. Atque hinc in Rituali Romano Pauli V. *de Baptismo adultor.* prohibetur baptizari, qui, cùm aliquando habuerit usum rationis, nullam, antequàm inciderat in amentiam, ostendit voluntatem suscipiendi Baptismum.

Dixi autem primo, *in adultis.* quia parvuli, ad quos etiam reducuntur perpetuò amentes, non sunt capaces propriæ intentionis: ideoque sufficit in illis intentio Christi & Ecclesiæ. Dixi secundo, *positiva intentio*, ut significarem, non sufficere meram carentiam intentionis contrariæ, ut docuit Cajetanus. Dixi tertio, *vel virtualis, &c.* quia non in omnibus eadem, & eodem modo requiritur & sufficit, ut constabit, cùm agemus de singulis Sacramentis. Vid. Salmantic. tract. 1. de Sacram. cap. 8. pu. 1. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 22. a. 1. Ex dictis

2 Sequitur primo, infantes, & perpetuò amentes validè baptizari, confirmari, ordinari, quamvis similia non intendant, nec possint intendere. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 6. pu. 2. n. 3. Coninck in 3. p. q. 64. a. 8. dub. 5. n. 97. Salmantic. n. 1. & 2. Ratio est: quia supponimus esse capaces istorum Sacramentorum: cumque habere nequeant propriam intentionem, sufficit in illis intentio Christi & Ecclesiæ.

3 Sequitur secundo, Catholico moribundo, quamvis usu rationis jam privato, rectè conferri Extremam Unctionem; imò & S. Eucharistiam, si absit periculum irreverentiæ, tame si eam antè non petierit. Coninck n. 103. Castropal. tract. 18. disp. un. pu. 12. n. 7. Reding to. 5. q. 6. a. 1. controv. 3. n. 11. Mezger n. 8. Ratio est: quia talis in ejusmodi supremo periculo prudenter præsumitur velle Sacramenta illa, quæ tunc communiter conferri solent Christianis tanquam communia, imò fortè hic & nunc necessaria, salutis remedia. Sed hæc est voluntas interpretativa suscipiendi ista Sacramenta: quæ sufficit in præsenti. Aliud tamen est de Sacramento Pœnitentiæ, ut suo loco videbimus. Dixi verò, *quæ tunc communiter conferri solent*: qualia cùm non sint Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, voluntas interpretativa moribundi ad illa non præsumitur se extendere: adeoque eidem conferri non possunt. Vid. Reding n. 16.

4 Sequitur tertio, validè recipi Sacramentum Baptismi v. g. ab illo, qui id antè intendit, licèt, dum recipit, non intendat actualiter, dummodò intentionem priùs actu habitam non revocaverit. Coninck n. 102. Castropal. n. 6. Reding n. 10. & alii communiter. Rario est: quia in tali est intentio habitualis, quæ ex communi Ecclesiæ praxi hic sufficit.

5 Sequitur quarto, invalidum esse Sacramentum, excepta Eucharistia, quod quis planè invitus & animo repugnante suscipit.

Ca-

Coninck n. 99. Bonac. ubi suprà n. 4. & traditur in *cap. Majores de Bapt.* ubi habetur: *Ille verò, qui nunquam consentit, sed potiùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Atqui talis non consentit, sed contradicit; ergo. Dixi, *exceptâ Eucharistiâ.* nam sicut ad istam ex vi Sacramenti non requiritur suscipiens; cùm in se subsistat ante omnem sui susceptionem, & independenter ab illa, ita nec requiritur intentio suscipiendi. Vid. Filliuc. tract. 1. de Sacram. cap. 8. n. 132. Dixi præterea: *quod quis planè invitus &c.* tunc enim nulla prorsus adest intentio suscipiendi. Adest tamen sufficiens ejusmodi intentio, dum quis ex metu gravi, quamvis injustè incusso, Sacramentum suscipit, quia metus non tollit voluntarium simpliciter, quamvis diminuat: adeoque ex metu etiam gravi Sacramentum suscipiens voluntariè, & hoc ipso validè, suscipit. Excipitur Matrimonium, quod ex gravi metu, v. g. injustæ mortis, initum, per SS. Canones declaratur irritum. Vid. Mezger n. 11.

Dico secundo: Præter voluntatem, seu intentionem suscipiendi Sacramentum nulla alia dispositio ex parte suscipientis requiritur, ut validè recipiatur, si Sacramentum Pœnitentiæ excipias. Ita communis & certa sententia. Ratio est: tum, quia ex Concilio tam Florent. quàm Trid. quæ in superioribus sæpe adduximus, colligitur, præter materiam, formam, & intentionem, nihil requiri ad valorem Sacramenti. tum, quia constat, nec hæreticos baptizatos, aut ordinatos, esse iterum baptizandos, aut ordinandos, si juxta ritum Ecclesiæ baptizati, aut ordinati sint. Vid. Filliuc. n. 133. Salmantic. n. 9. Dixi, *si Sacramentum Pœnitentiæ excipias.* ad hujus enim non tantùm fructum, sed etiam valorem necessarius est in pœnitente præter voluntatem suscipiendi illud dolor de omnibus peccatis in conscientia existentibus, ut infrà videbimus, quando de hoc eodem Sacramento tractabimus. 6

ARTICULUS II.

Quid requiratur, ut Sacramentum licitè, & fructuosè recipiatur?

SUMMARIUM.

1. *Ut licitè & cum fructu recipiantur Sacramenta mortuorum, præter intentionem recipiendi requiritur tanquam dispositio actus Fidei & Spei, & aliquando Attritio.* 2. *Ad licitè recipiendum Sacramenta vivorum præter intentionem recipiendi requiritur status gratiæ* 3. *Ut quis licitè recipiat Sacramentum aliquod vivorum; si peccati mortalis est reus, non sufficit sola Attritio per se loquendo.* 4. *Qui sumit Hostiam consecratam nesciens esse consecratam, non sumit sacramentaliter & cum fructu.*

1 Dico primo. Ut licitè & cum fructu recipiantur Sacramenta mortuorum, non prærequiritur status gratiæ: requiritur tamen, præter intentionem recipiendi, tanquam dispositio actus fidei & spei: & in eo, qui sibi est conscius peccati mortalis à se commissi, attritio supernaturalis. Ita Coninck 3. p. q. 62. a. 1. dub. 2. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 6. pu. 2. n. 12. Reding to. 5. q. 6. a. 1. controv. 3. à n. 29. & alii communiter. Ratio primi est: quia hæc Sacramenta (quæ sunt Baptismus, & Pœnitentia) ex sua institutione habent, ut conferant primam gratiam, & vitam supernaturalem: ergo illam non præexigunt, aut præsupponunt in recipiente se. Ratio secundi est: quia *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. 11. quæ ipsa fides in Deum Remuneratorem est cum ordine ad actum spei. Ratio tertii est: quia tale peccatum non remittitur sine pœnitentia, suique retractatione, juxta illud: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* & quia porrò Sacramenta mortuorum, utpote per se remissiva peccati mortalis, non requirunt dispositionem se solâ sufficientem ad justificationem, qualis est contritio, sed sufficit cum illis attritio concepta propter metum Gehennæ, vel turpitudinem peccati. Dictum est autem, *peccati mortalis à se commissi.* quia de peccato originali nemo tenetur, imò nec potest pœnitere; cùm non sit materia pœnitentiæ; sed de personali tantùm dari potest actus pœnitentiæ.

2 Dico secundo. Ad licitam receptionem Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum, requiritur præter intentionem recipiendi, ut recipiens sit in statu gratiæ. Bonac. loco cit. Castropal. tract. 18. disp. un. pu. 13. n. 2. Reding n. 30. & DD. communiter. Ratio est: quia hæc Sacramenta per se non primam, sed secundam gratiam, id est, augmentum gratiæ, conferunt: adeoque primam gratiam in suscipiente supponunt. Atque hinc

3 Sequitur primo, ut adultus licitè & fructuosè suscipiat aliquod Sacramentum vivorum requiri in illo, si peccati mortalis sit reus, vel attritionem cum Confessione, vel

vel Contritionem; adeoque solam attritionem non sufficere per se loquendo. Bonac. num. 13. Castropal. num. 5. Reding loco cit. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 22. a. 2. & aiii communiter. Ratio est: quia recipiens ista Sacramenta tenetur esse in statu gratiæ: ergo tenetur se ad illum, si amisit, recuperandum disponere vel per contritionem; vel per attritionem cum Confessione. Hæc autem intelligi debent cum exceptione Sacramenti Eucharistiæ; quod non est licitum suscipere, etiam contrito, absque Sacramentali Confessione prævia: sicut suo loco ostendemus. Porrò de attritione dixi, *eam non sufficere per se loquendo.* Nam in casu, quo quis existimat, se esse contritum, & est solùm attritus, is ex vi talis alicujus Sacramenti recipit primam gratiam & remissionem peccatorum; ut habet communis doctrina; adeoque tunc per accidens attritio est sufficiens dispositio ad justificationem. Vid. Reding n. 31. Mezger disp. 20. a. 1. §. 3.

4 Sequitur secundo, eum, qui sumit hostiam nesciens, esse consecratam, accipere quidem materialiter rem, quæ est Sacramentum, non tamen sacramentaliter, & cum fructu. Bonac. n. 3. Ratio est: quia sumit sine omni intentione recipiendi Sacramentum. Idem dic de eo, qui sumeret SS. Eucharistiam præcisè famis sedandæ causâ. Dixi *præcisè*. Nam, si Sacerdos calicem sumpturus velit simul placare sitim, non videtur privandus fructu Sacramenti. Similiter discurre de eo, qui vellet concomitanter mitigare famem per sumptionem specierum panis.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Sacramenta fictè suscepta conferant gratiam remota fictione?

SUMMARIUM.

1. *Quid hic fictio, & quotuplex?* 2. *Sacramenta Characterem imprimentia gratiam conferunt remota fictione.* 3. *Quod*
8 *idem probabiliter asseritur de aliis Sacramentis in usu consistentibus.* 4. *Quomodo hæc Sacramenta adhuc existunt, dum removetur obex?* 5. *Etiam Sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum confert aliquando gratiam, remota fictione.* 6. 7. *Solvuntur Objectiones.* 8. *Eucharistia & Sacramenta Characterem imprimentia probabiliter physicè conferunt gratiam remota fictione.* 9. *Reliqua probabilius moraliter tantùm.* 10. *Solvitur Objectio.*

1 NOmine fictionis intelligitur à Theologis aliqua indispositio recipientis Sacramentum. Quæ potest esse duplex. Primo talis, ut impediat ipsum valorem Sacramenti: veluti sit, dum vel recipiens, vel administrans caret debita intentione. Secundo talis, ut non impediat valorem, impediat tamen effectum Sacramenti: quod proinde tunc dicitur cum obice suscipi: veluti, dum adultus peccati mortalis conscius suscipit Baptismum sine dolore requisito, qualis est attritio supernaturalis. In quo casu defectus doloris de peccato non obstat quidem, ne Baptismus sit validus, & imprimat characterem; impedit tamen, ne conferat gratiam remissivam peccati originalis. Atque de hac, & non priori illa fictione, intelligenda est quæstio præsentis artic. ad quam, omissis variorum variis sententiis, quas recensent Gonet to. 5. disp. 4. a. 5. num. 53. Reding to. 5. q. 6. a. 2. controv. 3. à n. 1.

2 Dico primo. Omnia Sacramenta characterem imprimentia conferunt gratiam remota fictione, seu obice. Colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 69. a. 10. estque communis sententia. Ratio est: quia Sacramenta, quæ imprimunt characterem, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, sunt simpliciter iterabilia; ergo in eisdem est specialis necessitas, ut gratiam conferant recedente fictione. Conseq. prob. quia aliàs, qui fictè susciperent hæc Sacramenta, perpetuò manerent privati proprio effectu illorum primario, & nihilominùs ex vi characteris obligarentur ad certa munia, v. g. ad constantem professionem fidei, & ad actiones hierarchicas in Ecclesia rectè exercendas. Quod videtur inconveniens, & suavitati Divinæ providentiæ adversum. Vid. Gonet num. 54. Filliuc. tr. 1. de Sacram. cap. 8. num. 140. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 19. a. 4. num. 2. Oberascher de Sacram. tr. 1. cap. 3. pag. 214.

3 Dico secundo: Probabile est, etiam alia Sacramenta in usu consistentia fictè suscepta conferre gratiam, remota fictione. Gonet num. 45. Filliuc. n. 141. & 142. Mezger num. 3. Reding n. 8. & alii. Ratio universalis, qua confirmatur etiam prior Conclusio, sumitur ex D. Thoma loco cit. Quia Sacramenta validè suscepta conferunt gratiam subjecto, quando illud inveniunt non impeditum; sed Sacramenta, etsi fictè, attamen vali-

valide susceptâ, remoto obice inveniunt sub eâdem non impeditum; ergo conferunt gratiam. Mi. patet. maj. ex eo habetur, quòd causæ per accidens solùm impeditæ, ne conferant suos effectus, remoto tali impedimento, præstent influxus, quos præstare aptæ natæ sunt: sed Sacramenta sunt causæ sic impeditæ, dum adest fictio; ergo.

4 Dices. Sacramenta, de quibus hîc loquimur, tunc non existunt, quando removetur impedimentum fictionis. Quomodo ergo gratiam tunc conferent? Respondeo, cùm, non obstante fictione, sint actiones quædam sacræ & sanctæ ratione sanctitatis ab ipso principali Ministro, & offerente, scilicet Christo, derivatæ & participatæ, meritò putandum, ea manere in acceptatione Divina: sicut opera meritoria per peccatum mortificata remanent in eadem acceptatione. Vid. Mezger loco cit.

5 Dico tertio. Etiam Sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum confert gratiam remota fictione, si hæc removeatur speciebus nondum consumptis. Ita Mezger num. 4. Pettschacher q. 4. de Euchar. a. 1. pag. 470. Oberascher loco cit. & alii. Ratio est: quia Sacramentum, dum existit, & nullum patitur impedimentum in suscipiente, confert gratiam; ut in num. 3. vidimus: sed in casu nostro Sacramentum Eucharistiæ adhuc existit, & nullum patitur amplius impedimentum ex parte suscipientis; ut patet; ergo confert gratiam. Dixi, *si fictio removeatur speciebus nondum consumptis.* Nam si tunc primùm removeatur, postquàm species sunt consumptæ, istud Sacramentum non amplius existit, sive in se, sive in aliquo sui; ut nec in Divina acceptatione; cùm dicat Apostolus, judicium sibi manducare & bibere eos, qui Eucharistiam sumunt indignè: quod ex parte verum non esset, si indignè sumpta remaneret in Divina acceptatione, ut remota fictione ad vitam gratiæ prodesset. Adeoque tunc istud Sacramentum non amplius reviviscit ad conferendam gratiam. Confirmatur: quia alias Sacerdos, qui toto Sacerdotii tempore quantumcunque longo quotidie celebrâsset peccati mortalis v. g. hæresis, vel concubinatûs, sibi conscius, si in fine vitæ attritus susciperet Sacramentum Pœnitentiæ, reciperet totum augmentum gratiæ, quòd omnibus & singulis Communionibus, nullo posito obice, respondere debuisset. Vid. Gonet num. 59. Filliuc n. 143. Oberascher pag. 216.

6 Objicies primo. Opus moraliter bonum, quod factum est in statu peccati mortalis, non reviviscit per Pœnitentiam: quia est opus mortuum: ergo neque Sacramentum; quod susceptum est cum obice peccati mortalis, reviviscit ad conferendam gratiam remoto obice: quia similiter est opus mortuum. Respondeo neg. suppositum conseq. quia Sacramentum etiam cum obice susceptum fundatur in principio vivente, scilicet in Christo, cujus est opus: adeoque non est opus mortuum. Aliud est de opere moraliter bono, quod in statu peccati mortalis exercitum est: istud enim caret principio vitæ, nempe gratiâ: & consequenter est opus mortuum.

7 Objicies secundo. Collatio gratiæ promissa est tantùm pro reali usu & susceptione Sacramentorum; ergo Sacramenta eandem non conferunt, nisi quando realiter suscipiuntur. Conseq. prob. quia Sacramenta eatenùs sunt signa practica, & causativa, quatenùs habent annexam promissionem conferendæ gratiæ. Respondeo dist. Ant. promissa est tantùm pro reali usu, & simul pro illo instanti tantùm exercenda, neg. pro reali usu, & vel pro illo instanti realis susceptionis, vel pro tempore sequenti, cùm suscipiens fuerit dispositus, exercenda, conc. Ant. ergo non conferunt gratiam, nisi quando realiter suscipiuntur, hoc est, nonnisi propter realem susceptionem vel priùs vel de præsenti factam, conc. tantùm de præsenti factam, neg. conseq.

8 Dico quarto. Eucharistia, & Sacramenta characterem imprimentia probabiliter physicè causant gratiam remoto obice. Ratio est: quia illa Sacramenta physicè producunt gratiam, quæ physicè existunt vel in se, vel in aliquo sui, ut docent nostri Scholastici: sed Eucharistia, antequam consumptæ sunt species, physicè existit in se: Sacramenta, quæ characterem imprimunt, physicè existunt ratione characteris à se physicè relicti, quando removetur obex; ergo physicè producunt gratiam.

9 Dico quinto. Probabilius est, reliqua Sacramenta fictè susceptа moraliter tantùm conferre gratiam, remota fictione. Ratio sumitur ex oppositо; quia Sacramenta moraliter tantùm existentia non causant, nisi moraliter tantùm: sed Sacramenta reliqua moraliter tantùm existunt, nempe in acceptatione Divina, & morali quadam determinatione subjecti, quando removetur fictio; ergo non causant tunc gratiam, nisi moraliter. Vid. Mezger n. 5. & 6.

10 Objicies. Passio Christi præterita physicè causat gratiam, quia manet virtualiter in passiva determinatione humanitatis Christi; ergo etiam Sacramentum præteritum quodcunque physicè causat gratiam, quia manet virtualiter in passiva determinatione subjecti, quia istud voluntariè se subjicit Sacramento, & ab eo modificatur. Respondeo neg.

neg. suppositum conseq. quia determinatio illa passiva subjecti, ratione cujus Sacramentum non inprimens characterem in se præteritum dicitur adhuc existere, non est determinatio quædam physica, sed moralis tantùm: & consequenter ratione illius Sacramentum non potest dici physicè virtualiter existere. Atqui passiva determinatio humanitatis Christi, ratione cujus Passio Christi dicitur physicè virtualiter adhuc existere, est physica determinatio; quia eadem humanitas fuit verè physicè alterata per Passionem. Mezger n. 11.

DISPUTATIO IV.

De effectibus Sacramentorum.

DUos effectus Sacramenta conferunt, scilicet gratiam, & characterem. Et quidem gratia est effectus primarius, prior, & communis omnium Sacramentorum. Character est effectus secundarius, isque non omnium, sed aliquorum tantùm Sacramentorum. Itaque de illa priùs in jam sequenti, de isto in altero artic. tractabimus.

ARTICULUS I.

De Gratia Sacramentali.

SUMMARIUM.

1. *Difficultas de gratia Sacramentali, quid nempe superaddat non Sacramentali, ratione cujus ab illa differat?* 2. *Referuntur sententiæ.* 3. *Concluditur, gratiam Sacramentalem superaddere jus quoddam morale ad specialia auxilia.* 4. *Probatio nostræ sententiæ.* 5. *Solvitur Objectio.* 6. *Triplex Corollarium.* 7. *Quid sit, gratiam conferri* ex opere operantis; *quid* ex opere operato? 8. *Sacramenta nostra conferunt gratiam ex opere operato.* 9. *Solvitur Objectio.* 10. *Sacramenta mortuorum per se primam, vivorum per se conferunt secundam gratiam. Per accidens tamen illa secundam, hæc primam gratiam conferunt.* 11. *Sacramenta ejusdem speciei conferunt æqualiter dispositis æqualem gratiam.* 12. *Secùs Sacramenta diversæ speciei.*

1 COmmunis Theologorum doctrina est, quòd singula Sacramenta specie distincta habeant proprios & diversos effectus gratiæ. Ratio est: tum, quòd singula sint ordinata ad proprios ac peculiares fines. Tum, quòd aliàs non differrent formaliter in ratione significativa & causativa gratiæ, nec unum Sacramentum esset magis necessarium quàm aliud: imò inutile fuisset instituere plura Sacramenta. Atque hinc palam est, gratiam Sacramentalem, quæ re ipsa & materialiter est gratia sanctificans, in aliquo differre à gratia non Sacramentali. Verùm difficultas est, quidnam habeat gratia Sacramentalis præ non Sacramentali, in quo ab hac differat? Ubi variæ sunt Theologorum sententiæ: uti recensent Gonet to. 5. disp. 3. a. 4. n. 197. Reding to. 5. q. 4. a. 1. controv. 1. n. 3.

2 Nam primo, aliqui docuerunt, gratiam Sacramentalem aliud non addere supra gratiam non Sacramentalem, quàm connotationem ad Sacramentum tanquam causam, ita ut hæc gratia in eo solùm differat à gratia non Sacramentali; quòd ipsa sit effectus DEI & Sacramenti simul; gratia verò non Sacramentalis sit effectus solius Dei. Alii dixerunt, gratiam Sacramentalem ad gratiam non Sacramentalem addere habitum realiter distinctum, qui in Baptismo sit regenerativus, in Confirmatione corroborativus, & sic in cæteris proportionaliter. Rursus alii contendunt, gratiam Sacramentalem superaddere modum aliquem, seu perfectionem intrinsecam modaliter distinctam à gratia habituali communiter dicta. Demum plerique Thomistæ tenent, gratiam Sacramentalem superaddere gratiæ non Sacramentali jus aliquod morale ad auxilia specialia pro specialibus Sacramentorum effectibus necessaria. Quæ postrema sententia cùm placeat,

3 Dico. Gratia Sacramentalis nihil physicæ entitatis superaddit gratiæ non Sacramentali, sed solummodò jus quodpiam morale ad specialia auxilia pro exercendis actionibus Sacramentorum propriis, ac fine cujusque obtinendo conducentia. Ita colligitur inprimis ex D. Thoma 3. p. q. 62. a. 2. dicente: *Gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona quoddam Divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* Quæ verba S. Doctoris non pos-

possunt intelligi de auxilio in actu secundo; quia gratia Sacramentalis confertur in susceptione Sacramenti; auxilium verò, utpote quid transiens, non confertur, nisi quando exercenda est actio Sacramentalis: consequenter intelligenda sunt de auxilio in actu primo, sive in jure illud habendi.

4 Deinde statuta Conclusio ex eo probatur, quòd nihil convenientiùs sit assignabile, ratione cujus gratia Sacramentalis differat à gratia non Sacramentali, sive communiter dicta. Nam primo, Gratia Sacramentalis non importat solam connotationem seu respectum ad causam: quia hinc sequeretur, Christum frustra instituisse plura Sacramenta; cùm enim omnia haberent eundem effectum, idem Sacramentum sæpius iteratum præstaret id totum, quod præstant plura. Secundo, eadem gratia non superaddit habitum realiter distinctum: quia non apparet, ad quidnam talis habitus deservire possit: cùm neque sit necessarius ad sanctificandum; quia anima per gratiam non Sacramentalem sufficienter sanctificatur: neque ad operandum: quia per cæteros habitus & virtutes supernaturales, sicut & per dona Spiritus Sancti, potentiæ sufficienter proportionantur ad eliciendos quoslibet actus supernaturales & honestos. Sed neque, tertio, memorata gratia superaddit modum, seu perfectionem modalem, per quam differat à gratia non Sacramentali: nulla est major necessitas talis modi, quàm habitûs peculiaris realiter distincti à gratia habituali, quem primùm improbavimus. Accedit, quòd universum genus modorum jam pridem à nostra doctrina removerimus. Vid. Gonet à num. 198. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 20. a. 3. num. 3. Pettschacher de Sacram. q. 4. a. 2.

5 Objicies. Non potest explicari, quid sit istud jus morale ad specialia auxilia: ergo imprudenter in illo constituimus gratiam Sacramentalem. Ant. ostenditur. Vel enim est aliquid distinctum ab entitate gratiæ habitualis, vel aliquid indistinctum? Si hoc posterius, certè non apparet, quomodo ratione ejusdem gratia Sacramentalis differat à gratia non Sacramentali. Si illud prius dicatur, aliud non erit, quàm differentia quædam intrinseca, vi cujus intrinsecè differat eadem gratia à gratia non Sacramentali: quæ differentia rursus aliud non erit, quàm habitus quidam, vel modus.

Respondeo neg. Ant. ad probat. dico, illud jus morale in recto esse ipsammet gratiam sanctificantem, quatenùs eadem, suppositа duplici connotatione, unà Sacramenti, per quod fuit collata; alterâ institutionis & promissionis Divinæ, moraliter exigit memorata auxilia. Sicut enim gratia sanctificans secundùm se est radix operandi supernaturaliter exigens aliquas gratias actuales ad aliquas operationes supernaturales indeterminatas, ita etiam, suppositа illa duplici connotatione, est radix auxiliorum, seu gratiarum actualium ad determinatas operationes supernaturales necessariarum. Itaque gratia sanctificans ut collata per Baptismum exigit auxilia ad observanda præcepta Dei, aliáque Sacramenta debitè suscipienda conducentia. Ut collata per Confirmationem exigit auxilia ad fidem urgente occasione fortiter defendendam & profitendam. Ut collata per Eucharistiam exigit auxilia ad devotionem, & ad DEUM ferventer diligendum, contrariásque Divinæ amicitiæ tentationes superandas. Ut collata per Pœnitentiam exigit auxilia ad vitanda deinceps peccata, Deoque satisfaciendum pro noxis præteritis. Ut collata per Extremam Unctionem exigit auxilia corroborantia ad tentationes Diaboli tempore mortis superandas, idque præsertim per actus fidei & spei. Ut collata per Ordinem exigit auxilia ad actus ejusdem sanctè & religiosè exercendos. Ut collata per Matrimonium exigit auxilia, quibus conjuges juventur tum in servanda fide & castitate conjugali; tum in mutua dilectione & Christiana educatione prolis. Vid. Gonet à num. 202. Mezger num. 4. Ex dictis proinde sufficienter apparet, quomodo gratia Sacramentalis ratione juris moralis differat à gratia non Sacramentali: licèt enim hoc jus secundùm id, quod importat in recto, sit idem cum entitate gratiæ communiter dictæ, connotat tamen in obliquo, quæ non connotat entitas gratiæ communiter dictæ: & hæc diversitas connotationum sufficit ad diversitatem moralem utriusque gratiæ: sicut in simili sufficit ad diversitatem moralem macularum peccati in eadem entitativè privatione gratiæ, prout alibi docuimus. Ulteriùs præterea

6 Colligitur primò, gratiam Sacramentalem unius Sacramenti specie morali infima differre à gratia Sacramentali alterius Sacramenti. Ratio est: quia quælibet earum importat speciale jus morale ad determinata & specialia auxilia pro fine specifico Sacramenti, per quod fuit collata. Gonet num. 212. Colligitur secundo, auxilia Sacramentalia sufficienter distingui ab auxiliis non Sacramentalibus per connotationem ad Sacramenta, intuitu quorum à DEO sunt specialiter debita. Pettschacher ubi suprà, pag. 117. Ratio patet ex dictis. Colligitur tertio, licèt eadem physicè & re ipsa auxilia, quæ dantur intuitu Sacramenti, dentur etiam extra Sacramentum, quando

in-

instat occasio virtuosè operandi, non tamen ad obtinenda illa auxilia superfluè suscipi Sacramenta. Ratio est: quia per Sacramenta abundantiùs ac promptiùs, etiam sine speciali impetratione & meritò operantis obtinentur. Mezger num. 7. Nunc supereſt, ut alia quædam huc facientia expediamus.

7 Quæritur itaque primo, an Sacramenta conferant gratiam ex opere operato? Ante responsionem notandum est, duos à Theologis adstrui modos conferendi gratiam. Unum vocant *ex opere operantis*, Qui est, dum gratia confertur intuitu honestatis, vel valoris meritorii reperti in opere, quatenùs ex operante procedit. Alterum vocant *ex opere operato*. Qui est, quando gratia confertur inattenta honestate & bonitate meritoria operis, sed ratione ejusdem quatenùs à Deo instituti ad gratiam conferendam. Cæterùm ly *ex opere operato* ulteriùs distinguunt in opus operatum *activè*, & in opus operatum *passivè*.

8 Prius est, quando confertur gratia ob proprium rei valorem, secluso merito operantis: sicut ob nummum v. g. ab emente exhibitum, quatenùs continet valorem à Republica impositum datur merx. Posterius est, quando ad positionem alicujus operis à solo Deo producitur gratia citra influxum valoris moralis ipsius operis: veluti, dum exhibito chirographo promissor exequitur rem promissam: ubi exhibitio chirographi nullum habet influxum moralem ratione alicujus valoris proprii in præstationem rei promissæ, sed est solùm conditio; qua posita promissor aliunde movetur ad illam. Nunc

Respondeo. Sacramenta nostra non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato. Ita contra Lutherum definitum est in Concilio Trident. sess. 7. de Sacram. can. 8. *Siquis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Deinde ratio Responsionis est: quia Sacramenta conferre gratiam ex opere operato (& quidem activè) idem est atque eandem conferre ex virtute Passionis Christi in se contenta, & non præcisè ex merito suscipientis: sed Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam ex virtute Passionis Christi in se contenta, & non præcisè ex merito suscipientis; veluti definiunt Concilia, & docent Patres, constátque apertè in Baptismo parvulorum: ergo Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam ex opere operato.

9 Objicies. Si Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, sequitur, ad obtinendum effectum eorumdem non esse necessarium opus operantis: sed hoc est falsum; ergo. Respondeo neg. seq. quamvis enim causalitas ex opere operato excludat opus operantis ut rationem meritoriè causandi gratiam per Sacramenta conferendam; cùm illa non ex solo actu recipientis, sed ex Passione & meritis Christi specialem valorem contineant; non tamen excludit, sed requirit opus operantis per modum necessariæ dispositionis, sine qua nullus adultus juxta legem Dei ordinariam consequitur gratiam. Alia multa ex authoritate sacra objiciunt hæretici, quorum solutio pertinet ad Theologos Polemicos.

Quæritur secundo, quænam Sacramenta conferant primam, vel secundam gratiam? Prima gratia dicitur, quæ primùm infunditur subjecto nondum habenti ullum gradum ejusdem. Secunda dicitur, quæ advenit subjecto jam grato, & habenti gratiam; adeoque est augmentum gratiæ. Respondeo jam primo. Sacramenta mortuorum per se conferunt primam, Sacramenta verò vivorum per se conferunt secundam gratiam. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia illud per se conferunt Sacramenta, ad quod conferendum per se sunt instituta: sed Sacramenta mortuorum, nempe Baptismus, & Pœnitentia, sunt per se instituta ad conferendam primam gratiam, & Sacramenta vivorum, nempe reliqua quinque, sunt per se instituta ad conferendam secundam gratiam; ergo Sacramenta mortuorum conferunt per se primam gratiam, & Sacramenta vivorum per se conferunt secundam gratiam. Maj. est certa: quia tota significatio & virtus Sacramentorum, ac modus influendi eorumdem in gratiam habetur ex libera institutione Christi. Mi. prob. ex eo, quòd Sacramenta mortuorum per se instituta sint pro carentibus vita supernaturali gratiæ, Sacramenta verò vivorum sint per se instituta pro viventibus vita supernaturali gratiæ: ergo illa ex sua institutione non supponunt, sed per se tribuunt vitam supernaturalem, ista verò eandem vitam supponunt in suscipiente, & per se tribuunt vigorem, robur, sustentationem, confortationem vitæ supernaturalis. Sed hoc est Sacramenta mortuorum per se conferre primam gratiam, & Sacramenta vivorum per se conferre secundam gratiam, sive augmentum gratiæ; ergo &c.

10 Respondeo secundo. Sacramenta mortuorum interdum per accidens secundam, & Sacramenta vivorum nonnunquam primam gratiam conferunt. Ita communis sententia. Ratio est: quia Christus juxta Concil. Trid. sess. 7. can. 6. & 7. ita instituit

Sacramenta, ut per illa gratiam consequatur, quisquis non ponit obicem, sive obstaculum gratiæ. Sed accedens ad Baptismum, vel Pœnitentiam cum perfecta contritione non ponit obicem; ergo consequitur gratiam: non primam; quia jam præsupponitur justificatus; ergo secundam. Similiter: qui cum ignorantia inculpabili alicujus peccati mortalis, de quo est solùm attritus, vel non validè absolutus, accedit ad Eucharistiam, vel suscipit aliud Sacramentum vivorum, bona fide existimans, se esse contritum & in statu gratiæ, non ponit obicem gratiæ: ergo consequitur gratiam: non secundam; quia supponitur nondum esse in statu gratiæ; ergo primam. Vid. Gonet to. 5. disp. 3. a. 5. Salmantic. tract. 1. de Sacram. cap. 5. pu. 2.

11 Quæritur tertio, an Sacramenta ejusdem speciei conferant subjectis æqualiter dispositis gratiam æqualem; inæqualiter dispositis inæqualem? Respondeo ad primum affirmativè cum communi Theologorum. Colligitur in primis ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi agens de justificatione per Baptismum docet, quòd illam recipiamus secundùm propriam dispositionem. Consequenter, si propria dispositio recipientium sit æqualis, ac insuper Sacramenta sint ejusdem rationis specificæ, gratia, quæ confertur, est æqualis. Deinde ratio ex D. Thoma 3. p. q. 69. a. 8. hæc redditur: quòd causa uniformis habeat uniformem effectum, quando nempe est uniformis & æqualis dispositio subjecti: sed Sacramenta ejusdem speciei, v. g. duo Baptismi, sunt causæ uniformes, & dispositio ex parte subjectorum supponitur esse æqualis; ergo habent æqualem effectum, id est, æqualem gratiam. Itaque Cajus & Titius adulti, dum suscipiunt Baptismum dispositi dispositione ut tria, consequuntur æqualem gratiam.

Ad secundum respondeo rursus affirmativè cum communi sententia. Ratio est: quia Sacramenta, ut vidimus ex Concil. Trid. conferunt gratiam juxta cujusque dispositionem. Quod idem declarari potest exemplo causarum naturalium ejusdem rationis specificæ, quæ perfectiorem effectum producunt, quando inveniunt subjectum perfectius dispositum. Deus autem instituit Sacramenta, ut ad instar causarum naturalium conferrent effectum gratiæ. Quare dum Cajus suscipit Baptismum cum dispositione ut 5. recipit majorem gratiam, quàm Titius suscipiens Baptismum cum dispositione solùm ut 3. Vid. Pertschacher de Sacram. q. 4. a. 3. à pag. 129. Mezger to. 4. tract. 15. disp. 20. a. 2.

12 Quæritur quarto, an Sacramenta diversæ speciei conferant subjectis æqualiter dispositis æqualem gratiam. Respondeo negativè. Ita receptissima sententia. Ratio est: quia natura Sacramentorum consistit in virtute practicè significativa & causativa gratiæ: ergo hoc ipso, quòd inter se specie sint diversa, & dignitate inæqualia, ut constat ex Concil. Trid. sess. 7. can. 3. habent inæqualem virtutem & efficaciam ad majorem, vel minorem gratiam, pro majori, vel minori dignitate. Vid. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 6. n. 6. Pertschacher num. 133. Sporer de Sacram. p. 1. cap. 1. n. 49.

ARTICULUS II.

De Charactere Sacramentali.

SUMMARIUM.

1. Definitio Characteris Sacramentalis. 2. Statuitur, & probatur, tria Sacramenta imprimere Characterem. 3. Solvuntur fundamenta contraria Hæreticorum. 4. Affertur & exponitur alia definitio Characteris. 5. In morte hominis non cessat omnis finis Characteris. 6. In Christo nullus unquam Character fuit, nec modò est. 7. In B. V. est Character Baptismi & Confirmationis, non autem Ordinis.

1 TAmetsi Character propriè significat rem sensibilem, seu signum exterius, quo quidpiam notari solet, ut vel dignoscatur ab altero, vel ad usum, aut certum aliquod munus deputetur, apud Theologos tamen in præsenti ad mentem Concilior. tum Florent. tum Trid. *sess. 7. can. 9.* est *signum spirituale & supernaturale, animæ indelebiliter impressum, quo Christiani ab aliis discernuntur, & tum in perceptione, tum administratione Sacramentorum specialiter apti efficiuntur.* De quo nunc Charactere breviter nonnulla dicere oportet. Ante omnia, cùm tam Lutherani, quàm Calvinistæ negent ullum à Sacramento ullo Characterem imprimi,

Dico primo. Tria Sacramenta imprimunt Characterem. 2 Conclusio est de fide, eamque definit Florent. in *decreto de Armenis*, & Trident. loco cit. illis verbis: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est,*

signum

signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. Eandem Concl. definit etiam Innoc. III. *in cap. Majores de Baptismo.*

Prob. primo ex S. Script. 2. ad Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem Redemptionis.* Quæ loca licèt patiantur alias explicationes, adjuncta tamen Ecclesiæ traditione melius intelliguntur de sigillatione per Characterem.

Prob. secundo ex antiqua traditione Ecclesiæ, quæ colligitur ex plurimis testimoniis SS. Patrum, nominatim Dionysii de Eccl. Hierarch. cap. 2. Cyrilli Hierosol. præfat. in Cateches. Basilii Orat. 13. Nazianz. Orat. in Sanct. Lavacr. Chrysost. hom 2. in Epist. ad Ephes. & homil. 14. Ambrosii lib. 1. de Spiritu Sancto. Augustini lib. 6. de Bapt. cap. 1. quorum verba videre licet apud Bellarminum lib. 2. de Sacram. cap. 21.

Prob. tertio ratione à priori, quæ est institutio Christi volentis, ut illa Sacramenta, per quæ homo specialiter designatur & deputatur ad cultum Divinum, & ab aliis distinguitur, sicut deputatur & distinguitur per tria memorata, Characterem imprimerent. Hanc autem talem institutionem Christi colligimus ex perpetua traditione Ecclesiæ, definitionibus Concilior. communi sensu & doctrina SS. Patrum.

3 Fundamenta contraria hæreticorum sunt. Primo. Quia dari ejusmodi Characterem, inquiunt, neque ex S. Script. neque ex SS. Patribus probari potest. Secundo. Quia id ne quidem inter omnes Catholicos planè constat. Tertiò. Quia ante Pontificatum Innocentii III. nullus in Ecclesia fuit agnitus Character Sacramentalis, sed ab illo primùm excogitatus. Quarto. Quia Sacramenta vetera nullum impresserunt Characterem: ergo nec nova imprimunt. Quinto. Quia nulla est ratio, nullaque necessitas admittendi Characterem: cùm omnia, ad quæ deservire dicitur à Catholicis, sufficienter habeantur per extrinsecam denominationem à Sacramento præterito, vel per relationem rationis.

Respondeo ad Primum & Tertium, utrumque esse falsum; idque patere ex dictis. Sed etiam falsum est secundum. Licèt enim Scotus, & Gabriel docuerint, existentiam Characteris ex S. Script. aut principiis fidei probari non posse, illam tamen nec ipsi, nec quisquam alius Catholicorum unquam negâsse invenitur. Ad Quartum conc. Ant. neg. conseq. tum, quia Sacramenta novæ Legis sunt multò excellentiora Sacramentis veteribus: tum, quia illa Sacramenta *non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem*, ait D. Thomas 3. p. q. 63. a. 1. ad 3. talem autem virtutem habent nostra Sacramenta. Ad Quintum respondeo, Characterem quidem non esse absolutè & simpliciter necessarium, esse tamen conveniens, & ad melius esse, quòd à Christo velut ex liberalitate sit institutus, ut ratione illius Deus hominem sibi speciali quasi jure vendicet, eumque, si fortè à fidelitate desciverit, etiam ex hac sua tessera de perfidia convincat. Porrò, quòd illa, quorum meminit argumentum, alio modo haberi possint, quàm per Characterem, similiter solùm probat, non fuisse simpliciter necessarium, ut Character institueretur.

Dico secundò. Character bene definitur: *Potestas spiritualis in intellectu indelebiliter recepta, ad Divina suscipienda, & peragenda.* Colligitur hæc definitio ex verbis Concilior. in n. 1. adductis, & traditur à Contensonio, to. 7. dissert. 1. cap. 2. Specular. 1. Dicitur: *Potestas spiritualis ad Divina suscipienda & peragenda.* Sic enim Character Ordinis est in ordinato potestas seu potentia exercendi actiones Hierarchicas: quales sunt Consecratio Eucharistiæ, Absolutio à peccatis &c. Character Baptismi est potentia, qua homo ad cætera quæque Sacramenta recipienda habilis efficitur. Per Characterem Confirmationis homo specialiter idoneus constituitur ad fidem ex officio propugnandam. Dicitur: *in intellectu*, nempe practico, *recepta.* Ratio est: quia in illa potentia immediatè recipitur Character, quæ per illum elevata movet alias potentias ad exercendos, vel recipiendos actus pertinentes ad cultum Divinum: Atqui hoc præstat intellectus practicus per Characterem elevatus; quia proprium munus intellectûs practici est per actum imperii alias potentias executivè movere ad operandum: ergo Character immediatè recipitur in intellectu practico. Unde licèt ejus subjectum aliquo sensu sit ipsa substantia animæ, ut manifestè constat ex Concil. Trid. in verbis n. 1. adductis, non tamen est subjectum proximum & immediatum, sed mediatum tantùm. Vid. D. Thomas 3. p. q. 63. a. 3. Dicitur demum, *indelebiliter recepta:* ita nempe, ut secundùm legem ordinariam Dei neque in hac, neque in altera vita destrui possit. Cujus ratio est, quòd nullum habeat principium corruptionis; sicut in simili de visione beatifica docetur. Nam illud principium vel esset ejus contrarium; vel distributas subjecti; vel causa subtrahens influxum conservativum?

Nihil

Nihil horum affirmari potest. Non primum: quia Character nullum habet contrarium. Non secundum: quia intellectus, qui est proximum illius subjectum, ex natura sua est indestruibilis. Non tertium: quia Deus, qui est causa conservans de potentia ordinaria non potest subtrahere suum influxum, nisi id exigant causæ naturales vel morales, qualis nulla in præsenti est assignabilis: licèt haud dubiè idem influxus per absolutam potentiam subtrahi possit. Ex dictis

5 Infertur primo, quamvis in morte hominis cesset unus finis & actus Characteris, qui est receptio & administratio Sacramentorum, non tamen cessare alterum. Ratio est: quia alter finis Characteris est distinctio fidelium ab infidelibus, Clericorum à non Clericis &c. quam distinctionem conveniens est dari post mortem, in bonis quidem ad gloriam, in malis ad pœnam & confusionem sempiternam. D. Thomas q. cit. a. 5. ad 3.

6 Infertur secundo, in Christo nullum unquam fuisse, nec esse Characterem. Ratio est: quia Character est participatio potestatis & Sacerdotii Christi: sed in Christo nunquam fuit participatio potestatis & Sacerdotii Christi; ut est evidens; ergo &c. Ita ex communi Reding to. 5. q. 4. a. 2. controv. 4. num. 14.

7 Infertur tertio, in Beatissima Virgine esse Characterem tum Baptismi, tum Confirmationis; non autem Ordinis. Ratio est: quia, cùm Beatiss. Virgo fuerit capax augmenti gratiæ; etiam fuit capax Sacramentorum, quæ ipsius statui & conditioni non repugnabant: atqui Sacramenta Baptismi & Confirmationis minimè repugnabant ipsius statui & conditioni: repugnabat autem Sacramentum Ordinis; quippe cujus fœmina jure Divino est incapax. Reding n. 15.

PARS SECUNDA.

De Baptismo, & Confirmatione.

DISPUTATIO I.

De Baptismo.

Inter Sacramenta novæ Legis tum necessitate, tum Ordine naturæ, primum sibi locum vendicat Baptismus; utpote principium & janua Sacramentorum cæterorum, ut vocat S. Dionysius de Eccl Hierarch. cap. 2. De quo proinde Sacramento ante alia disputabimus, & sequentia expediemus. Primo, agemus de institutione Baptismi. Secundo, de ejus materia & forma. Tertio, de divisione. Quarto, de Ministro, & Patrinis. Quinto, de necessitate & subjecto. Sexto, de effectu.

ARTICULUS I.

De institutione Baptismi.

SUMMARIUM.

1. *Baptismus quid nominis? 2. Quid rei? 3. Allata definitio convenit soli Baptismo Fluminis. 4. Cur non conveniat Baptismo S. Joannis? 5. Nec Pœnitentiæ? 6. De Institutione Baptismi triplex sententia. 7. Asseritur & prob. Baptismum fuisse institutum ante Passionem Dominicam. 8. Cur Christus Apostolis contulerit Sacramentum Ordinis ante Confirmationem? 9. Solvuntur Objectiones. 10. Christus Baptismum instituit, cùm in Jordane baptizabatur. 11. 12. Satisfit duplici Objectioni.*

BAptisma vox Græca est, & ex primæva institutione significat quamlibet immersionem, tinctionem, indéque sequentem ablutionem. 1 In Sac. Script. triplicem potissimùm significationem habet. Nam primo, juxta sensum litteralem jam memoratum accipitur pro quacunque ablutione: ut Marci 7. *Et a foro, nisi baptizentur, non comedunt.* Rursus ibidem: *Tenentes traditiones hominum, baptismata urceorum, & calicum &c.* Secundo, 2 sumitur metaphoricè pro afflictione, vel oppressione aliqua, præsertim graviori, cum qua homo velut aquis immersus luctatur. In hoc sensu interrogavit Christus duos discipulos

Marci

Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Tertio, ut est hujus loci, significat sacram immersionem, sive ablutionem illam in aquis, quam Christus Dominus sub certa verborum forma instituit ad supernaturales quosdam effectus in hominibus ita ablutis producendos: juxta illud Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

2 In qua proinde significatione Baptismus duplici definitione definitur. Prima est physica per materiam & formam, traditurque à Magistro in 4. dist. 3. in principio: nempe quòd sit *Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum.* Quam tamen definitionem aliqui improbant ut imperfectam: cùm nulla in ea fiat mentio significationis Sacramentalis. Altera definitio est metaphysica, imo physica simul, ex Romano Catechismo, parte 2. cap. 2. ubi Baptismus definitur, quòd sit *Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ.* Dicitur *Sacramentum*, quod habet rationem generis. Dicitur *regenerationis* pro differentia, qua differt Baptismus à cæteris Sacramentis novæ Legis. Dicitur *per aquam*, quo explicitè materia remota, implicitè significatur materia proxima Baptismi. Dicitur demum *in verbo vitæ*, ut significetur forma ejusdem. Ex quibus jam

3 Sequitur primo, definitionem modò expositam convenire soli Baptismo Fluminis à Christo instituto. Ratio est: quia illi tantùm Baptismo convenit, qui est Sacramentum novæ Legis: atqui Baptismus Fluminis tantùm est Sacramentum novæ Legis; ergo. Supponitur in præsenti, Baptismum dividi in Baptismum Fluminis, Flaminis, & Sanguinis: de qua divisione in artic 3. erit sermo.

4 Sequitur secundo, neque Baptismum S. Joannis ista definitione definiri. Ratio est: quia non erat Sacramentum à Christo institutum, nec ullam ex opere operato conferebat internam ablutionem suscipientibus. Atque hinc ex sua virtute non fuit sufficiens ad causandam gratiam regenerationis, & debebant, qui à Joanne baptizati erant, iterum baptizari Baptismô Christi: sicuti constat ex Actib. Apostolor. cap. 19.

5 Sequitur tertio, tametsi per Pœnitentiam aliquo modo dici possimus regenerari; præsertim, quando quis etiam à fide Christi desciviſſet, juxta illud Apostoli ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio*, nihilominùs Pœnitentiam non esse Sacramentum regenerationis. Vinitor de Sacram. tit. 2. q. 3. num. 1. Ratio est: quia regeneratio, quæ fit per Pœnitentiam, non est omnium prima, sicut illa, quæ fit per Baptismum. Unde potiùs est resuscitatio quædam animæ ad vitam supernaturalem, quam antè per regenerationem acceperat.

6 Controversia nunc est, quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum? Ubi supponitur tanquam certum, Christum non instituisse Baptismum, antequam ipse baptizaretur à Joanne; quia ante illud tempus nondum cœperat prædicare Evangelium & novam Legem condere. Unde solùm est difficultas, an post Resurrectionem primùm vel cùm à Joanne baptizaretur; vel aliquo tempore his duobus interjecto eundem instituerit? Prima sententia est instituisse post Resurrectionem. Secunda, instituisse aliquantò post Baptismum à Joanne susceptum. Tertia, instituisse, cùm à Joanne baptizaretur.

7 Dico primo. Christus Baptismum instituit ante Passionem. Ita communiter Theologi cum Doct. Thoma 3. p. q. 66. artic. 2. Ratio est primo, quia discipuli Christi jam ante Passionem administrabant ejus Baptismum: ergo ante Passionem Baptismus Christi fuerat institutus. Conseq. patet: quia usus & administratio supponit institutionem. Ant. prob. ex Evangelio Joan. cap. 3. ubi dicitur: *Post hæc venit Jesus & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*: nempe per discipulos, ut explicat idem Evangelista cap. statim seq. Atqui non baptizabat Baptismo Joannis, ut apud omnes in confesso est; ergo Baptismo proprio, sive à se instituto baptizabat. Ratio est secundo. quia Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis Presbyteratûs sunt instituta, collataque Apostolis ante Passionem: ergo etiam Baptismus. Ant. constat: quia Sacramentum Eucharistiæ fuit institutum in ultima cœna, pridie quàm Christus pateretur; & similiter Ordo Sacerdotii per illa verba: *Hoc facite in meam Commemorationem.* Conseq. ex eo prob. quòd Baptismus sit janua ad cætera Sacramenta: ut proinde Apostoli sine illo fuissent incapaces cæterorum Sacramentorum: ergo prius, quàm illa, fuit instituendus & conferendus Apostolis.

8 Neque dicas, Christum ejusmodi ordinem potuisse invertere conferendo Apostolis alia Sacramenta ante Baptismum: imò de facto eisdem ante Sacramentum Confirmationis contulisse Sacramentum Ordinis, licèt istud præsupponat Confirmationem. Nam contra est, quòd nullum habeatur fundamentum asserendi, Christum ita feciſſe, quamvis potuerit. Ad illud de Confirmatione dic, non

esse tantam dependentiam Sacramenti Ordinis à Confirmatione, quanta est tum illius, tum aliorum Sacramentorum à Baptismo. Nam iste solus est janua aliorum Sacramentorum, per quam fideles ingrediuntur in Ecclesiam Dei, fiuntque capaces ad receptionem illorum. Accedit, quòd Confirmatio significet plenitudinem gratiæ & Spiritûs. Adeoque congruum erat, ut differretur post Ascensionem. Ante quippe *nondum erat Spiritus datus; quia Jesus nondum erat glorificatus*, ut dicitur Joan. 7. quod intelige de datione Spiritus Sancti per formam & missionem visibilem atque solemnem, quæ facta est in die Pentecostes; & non de illa, quæ fit missione invisibili per infusionem gratiæ justificantis. Vid. Salmantic. tr. 2. de Bapt. cap. 1. pu. 2. dub. un. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 2. n. 2. Gonet tomo 5. tract. 3. disp. 1. a. 1. §. 2. n. 5. & 6. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 24. a. 1. n. 2. & 5. Sed jam contra Conclusionem

9 Objicies primo. Doct. Thomas 3. p. q. 73. a. 5. ad 4. docet, Baptismum debuisse institui ante Eucharistiam: quam certum est fuisse institutam in ultima cœna immediatè ante Passionem. Quo tempore Baptismus non fuit institutus. Ergo juxta Doct. Thomam Baptismus fuit institutus tempore subsecuto Passionem. Secundo. Forma Baptismi primùm fuit data Apostolis post Resurrectionem, Matthæi ult. illis verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ergo Baptismus antè non fuit institutus. Tertio. Baptismus suam virtutem habet à Passione Christi: cùm S. Augustinus tract. 15. in Joan. dicat, illum, & contra Sacramenta fluxisse de latere Christi.

Respondeo ad primum, ly *institui* à S. Doctore ibi non accipi propriè, scilicet designativè & determinativè, quasi Christus priùs designaverit materiam & formam Eucharistiæ, quàm Baptismi; sed accipi minùs propriè, putà promulgativè & præceptivè, ut sensus sit, præceptum conficiendi & sumendi Eucharistiam priùs fuisse promulgatum, quàm præceptum conferendi ac recipiendi Baptismum. Ad secundum neg. Ant. cùm enim Apostoli ante Resurrectionem & Passionem baptizaverint, ut patet ex Joan, 3. cit. utique necesse fuit, ipsos uti legitima formâ Baptismi, Unde ex illo Matth. ult. solùm habetur, formam Baptismi Apostolis antè in privato traditam post Resurrectionem fuisse publicatam, præceptumque Baptismi promulgatum. Ad tertium, dic, illo probari nimium, nempe quòd etiam Eucharistia & Ordo Presbyteratûs non fuerit institutus ante Passionem. Deinde dici potest, Baptismum habuisse virtutem ex Passione Christi, vel ut prævisa & acceptata in decreto Dei, vel ex illa quatenùs inchoata & consummanda in Cruce. Cùm omnia Christi merita à primo instanti conceptionis exercita fuerint inchoatio quædam Passionis in Cruce consummandæ.

Dico jam secundo. Baptismus à Christo fuit institutus, quando ipse in Jordane est baptizatus. Ita D. Thomas 3. p. q. 66. a. 2. & communiter Thomistæ. Ratio est: quia tunc instituitur Sacramentum, quando instituitur signum sensibile significativum & causativum gratiæ: sed signum sensibile significativum & causativum gratiæ, quod est Baptismus, fuit institutum, quando Christus fuit baptizatus; ergo &c. Maj. constat. min. docet S. Augustinus serm. 3. Domin. infra Oct. Epip. inquiens: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et S. Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. ult. scribens: *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberet.*

Objicies primo. Postquàm Christus 11
dixit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* statim misit discipulos ad baptizandum: ergo signum est, quòd tunc instituerit Baptismum. atqui ea verba dixit ad Nicodemum discipulosque ad baptizandum misit, postquàm ipse baptizatus jam erat; ergo Baptismum non instituit, quando, sed postquàm baptizatus est. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quia verba illa non magis probant, tunc fuisse institutum Baptismum, quando à Christo prolata sunt, quàm ista: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* à Christo ad Discipulos & Judæos dicta probant, tunc institutum fuisse Sacramentum Eucharistiæ. Similiter missio ad baptizandum statim subsecuta quamvis probet, ante ipsam debuisse institui Baptismum, non tamen probat, illam potiùs post Baptismum à Joanne collatum, quàm in ipso fuisse institutum.

Objicies secundo. Si Christus institu- 12
isset Baptismum, cùm à Joanne baptizaretur, vel hoc feciisset in actu exercito aliquem baptizando, vel in actu signato ritum illius præscribendo? neutrum dici potest. Non primum: quia Christus neminem tunc baptizâsse legitur. Non secundum: quia neque aliquid tunc præscripsisse invenitur. Respondeo, Christum instituisse Baptismum in actu signato designando & elevando materiam in ordine ad practicam significationem gratiæ, ac determinando formam quasi in figura per præsentiam totius Sanctiss. Trinitatis. Pater enim adfuit in voce, Filius

Filius in carne, Spiritus Sanctus in specie dem tempore per apertionem cœli fuit ma- columbæ. Effectus quoque Baptismi co- nifestatus.

ARTICULUS II.

De Materia Baptismi.

BAptismus, sicut alia Sacramenta, dupli- cem habet materiam, videlicet remo- tam, & proximam. Materia remota, sive circa quam, est illa res sensibilis, qua uti- mur, & quam applicamus, dum Baptis- mum conferimus. Materia proxima est i- pse usus & applicatio rei sensibilis; velut ex dictis *in priori Parte* colligitur. De hac utraque materia in præs. articulo agemus.

§. I.

De Materia remota Baptismi.

SUMMARIUM.

1. *Materia remota Baptismi est o- mnis & sola aqua elementaris.* 2. *Quid Math.* 3. *intelligatur per Baptismum* in igne. 3. *Aqua certò naturalis est mate- ria certò valida.* 4. *Aqua marina; item ex pruina, nive, glacie, grandine resolu- ta est materia valida.* 5. *Licitum est a- liquando baptizare in aqua calida.* 6. *Quid de Baptismo in vino, lacte, luto &c.* 7. *Item, quid de Baptismo in a- qua rosacea?* 8. *In aqua ex sale resolu- ta?* 9. *In cerevisia?* 10. *In jusculo?* 11. *In lixivio?* 12. *In grandine, nive, glacie, pruina?* 13. *Sine necessitate ba- ptizare in aqua impura grave peccatum est.* 14. *Similiter mortale peccatum est non baptizare in aqua certò naturali, quando est in promptu.*

1 DIco. Materia remota Baptismi est o- mnis & sola aqua elementaris, seu na- turalis, apta ad abluendum. Ita definitum est in Concil. Lateran. cap. *Firmiter de Sum. Trinit.* in Florent. in decreto Eugenii Papæ: in Trident. *sess. 7. can. 2. de Bapt.* illis verbis: *siquis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptis- mi, anathema sit.* Et clarè deduci potest ex variis locis S. Script. sufficiat illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in re- gnum Dei.* Quæ verba non esse licitum de- torquere in sensum metaphoricum, sicut fecit Calvinus, patet ex eodem can. Trid. Ratio porrò est institutio Christi, quæ nobis per S. Script. & definitiones Concilior. addu- ctas innotescit.

Objicies. Matthæi 3. dixit Joannes de 2
Christo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*: ergo materia remota Ba- ptismi à Christo instituti non est aqua, sed i- gnis per adustionem quandam applicandus in fronte, vel genis, ut Seleuciani olim sen- tiebant. Respondeo ex Valentia tomo 4. disp. 4. q. 1. pu. 2. per ignem à Joanne ibi intelligi severitatem, & rigorem extremi Ju- dicii, ut sensus sit: Ille vos baptizabit, id est, purgabit; nunc quidem Spiritu Sancto in Baptismo; postea verò etiam judicio, & igne in altera vita. Nunc ex dictis

Infertur primo, omnem aquam, de 3
qua certum est, esse elementarem, seu na- turalem, esse materiam Baptismi certò vali- dam: item, omnem humorem, de quo certum est, non esse aquam naturalem, esse materiam certò invalidam: demum, omnem humorem, de quo dubitatur à doctis, an sit aqua naturalis? esse materiam dubiam. Atque hinc ulteriùs

Infertur secundo, validum esse Baptis- 4
mum, sive aqua, quæ adhibetur, sit mari- na, sive putealis, sive pluvialis, sive fluvia- tilis; sive roris; sive ex pruina, nive, gla- cie, grandine resoluta; item, sive sit mine- ralis, ut in thermis; sive calida; sive frigi- da; sive amara, sive dulcis; sive turbida, sive perspicua. Item, sive accidentaliter differat v.g. colore, sapore, odore ab alia a- qua, sive non. Ita communiter DD. Ra- tio est: quia certum est, omnes has aquas esse naturales, & elementares.

Infertur tertio, non peccâsse graviter 5
illum Parochum, qui propter extraordina- rium rigorem hyemis, ut parceret tenello infantis corpusculo, illum baptizavit aquâ calidâ: quem tamen bonum Pastorem non- nemo mortalis peccati damnavit. Ratio est: quia Sacramentum non debet obesse vitæ hominis, quod ad vitæ peccatô Adami a- missæ restaurationem fuit institutum. Vini- tor de Sacram. tit. 2. cap. 2. q. 2. num. 11. Illsung tract. 6. disp. 2. a. 3. num. 12. ubi etiam notat, quòd quædam Ritualia expres- sè moneant, expedire, cùm frigus est acri- us, ut Minister aquæ Baptismali aliam cali- dam in pelui misceat, atque inde infantes baptizet. Quare, si ille Parochus monitum talis Ritualis fortè non ignoravit, non solùm validè, sed etiam licitè baptizavit.

6 Infertur quarto, invalidum esse Baptismum, qui confertur in vino, lacte, melle, oleo, saliva; sanguine, urina, lacrymis, sudore. Ratio est: quia ista non sunt aqua naturalis. Similiter invalidè baptizas in iis liquoribus, qui, quamvis aliquid habeant de substantia veræ aquæ, ità ex aliis substantiis sunt mixti, vel sic alterati, ut in communi usu & æstimatione hominum aquæ denominationem non retineant. Sic Baptismus in vino lymphato, vel in luto est nullus. Nam illud est magis vinum, quàm aqua: hoc magis terra, quàm aqua, & neutrum retinet usum, & appellationem aquæ. D. Thomas 3. p. q. 66. artic. 4. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 1. Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 2. pu. 1. n. 10. Reding tomo 5. q. 7. a. 1. controv. 1. n. 24. Præterea Baptismus, qui fieret in succo ex radicibus, herbis, & frugibus expresso, esset etiam invalidus. Ratio est: quia hic talis succus non est vera aqua, sed subtilior substantia rei contusæ. Coninck. in 3. p. q. 66. artic. 4. dubit. 1. n. 23.

7 Infertur quinto, in aqua rosacea, nempe illa, quæ ex rosis virtute ignis eliquatur, invalidè conferri Baptismum. Doct. Thomas a. cit. ad 5. & alii plures, quàm 58. Authores, teste Gobat tract. 2. sect. 1. num. 23. Ratio est: quia ille liquor, attento communi usu & judicio hominum, non censetur aqua verè & simpliciter elementaris. Quod idem tenendum cum Salmantic. num. 6. de humore, qui ex vite, vel arbore aliqua distillat. Non enim aqua substantialiter, sed succus quidam est. De aqua tamen rosacea aliqui non improbabiliter sentiunt, eam non esse substantialiter diversam ab aqua elementari: adeoque esse materiam dubiam saltem Baptismi. Vid. Pettschacher de Bapt. q. 1. a. 2. pag. 301. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 24. a. 2. n. 5.

8 Infertur sexto, aquam ex sale resolutam meritò referri inter materias dubias Baptismi. Ratio est: quia dubitatur à doctis, an sit aqua elementaris. Aliqui affirmant ex ea ratione, quòd sal efficiatur ex aquis salsis, ut docet experientia, & testatur Aristoteles 2. Meteor. cap. 3. adeoque facilè, dum resolvitur in pristinum statum aquæ reducatur. Alii contrà negant, eò quòd ipsorum opinione per calorem, sive Solis, sive ignis, non præcisè condensentur aquæ salsæ, sed exurgat corpus mixtum distinctum, quod sal dicitur; quodque proinde non in aquam, sed in humorem specie diversum resolvatur. Vid. Reding num. 27. & 28.

9 Infertur septimo, Baptismum in cerevisia administratum similiter esse dubium. Ratio est: quia plures D D. absolutè judicant esse invalidum: alii admittunt tanquam validum, saltem cum distinctione. Nam dicunt, cerevisiam, si sit crassa, & probè decocta, substantialiter differre ab aqua: secùs, si sit valde tenuis: Baptismum proinde in hac tenui cerevisia esse validum, non autem in illa crassa. Vid. Laym. ubi suprà, Vinitor n. 4. Gobat n. 28.

10 Infertur octavo, Baptismum in jusculo, sive brodio, ut aliqui vocant, id est aquâ, in qua coctæ fuerunt carnes, aut pisces, aliquando esse validum, aliquando invalidum. Ratio est: quia jusculum potest esse tale, ut speciem aquæ planè amiserit: tunc nempe, quando adeo fuit decoctum, ut plus habeat de substantia carnium, aut piscium, quàm de substantia aquæ, sitque mixtum quoddam ex pinguedine & succo earum substantiarum. In tali jusculo baptizare non esset conficere Sacramentum, ut patet. Quia verò contingit, ut decoctio sit admodum levis, non videtur tunc brodium ejusmodi amittere naturam aquæ; sed esse aquam pinguedine carnium aut piscium nonnihil imbutam, & accidentaliter tantùm alteratam. Tunc igitur erit materia valida. Vid. Laym. loco cit. Salmantic. n. 9. Vinitor n. 4. Gobat. n. 28. Reding n. 26. Oberascher tract. 2. de Sacram. cap. 1. pag. 271.

11 Infertur nono, esse incertum, an Baptismus in lixivio sit validus. Ratio est: quia non satis liquet, sitne aqua adhuc naturalis, an non. Alii negant: alii affirmant. Sentiendum videtur cum his posterioribus, præsertim, cùm inter illos sit etiam D. Thomas 3. p. q. 66. a. 4. ad 4. Et ratio est: quia lixivium aliud non est, quàm aqua per cineres colàta, seu transmissa. Sed aqua ex eo præcisè capite, quòd per cineres transmittatur, non amittit suam propriam speciem. Aliàs de quavis aqua etiam fontana, vel fluviali id affirmare necesse foret: cùm & istæ per varias materias subterraneas transire soleant. Vid. Salmantic. Laym. locis citt. Vinitor num. 3. Atramentum judicat Gobat esse materiam validam Baptismi. Inter materias dubias etiam recenset Illsung tract. 6. disp. 2. a. 3. n. 12.

12 Infertur decimo, grandinem, nivem, glaciem, pruinam, dum talia sunt, non esse materiam validam Baptismi. Ita communiter DD. Ratio est: quia licèt substantialiter aqua sint, non tamen sunt aqua apta ad abluendum. Unde, si infantem nive v. g. conspergens pronuntiares formam Baptismi, nixque primùm liquefieret in corpore infantis, nihil conficeres. Gobat. num. 33. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 24. a. 2. n. 6. Oberascher pag. 276. Tunc enim revera non ablueres, nec verificaretur forma Baptismi.

ptismi. Quòdsi nix (idem dic de glacie &c.) liquefiat, dum adhuc exstit in manu Ministri, sive, dum ex illa labitur, Baptismus ita collatus valebit. Quia tunc in illa exerceri potest ablutio, & verificari forma.

13 Infertur undecimo; illum graviter peccare, qui citra necessitatem baptizat in aqua impura & fœculenta. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 3. num. 7. Castropal. disp. un. pu. 3. num. 5. Salmantic. num. 14. Gobat num. 41. Ratio est: quia licèt utatur materia certò valida, utitur tamen illa, quæ ab Ecclesiæ usu abhorret, estque reverentiæ Sacramenti tunc graviter contraria. Ille quoque probabilius committit mortale peccatum, qui sine necessitate non adhibet in baptizando aquam benedictam ex sacro fonte, sed aliam communem. Bonac. num. 8. Salmantic. Castropal. Gobat locis citt. Reding num. 33. & 34. Mezger num. 71. Ratio est: tum, quia sic colligitur ex *Clement. un. de Bapt.* tum, quia talis agit contra morem universalis Ecclesiæ, quem observare in administratione Sacramentorum gravissimè præceptum est.

14 Infertur duodecimo, semper esse peccatum mortale adhibere in Baptismo aquam non certò naturalem sive elementarem; quando in promptu est certò naturalis. Ita communiter DD. Ratio est: tum, quia id graviter repugnat reverentiæ Sacramenti, quod absque necessitate exponitur periculo invaliditatis. Tum, quia adversatur legibus charitatis erga proximum. Nam infans irrationabiliter exponitur supremo salutis periculo. Quòdsi habere nequeas aquam certò naturalem, non modò licitè adhibes aquam non certò naturalem, & quæ censetur esse materia dubia, sed etiam teneris adhibere sub peccato mortali, quando urget necessitas, & est in mora periculum, ne infans ante Baptismum moriatur. Ratio primi est: quia in simili casu reverentia Sacramenti, cujus valor in discrimen adducitur, cedit necessitati animæ, dum habetur rationabilis spes ejus salutem in tuto ponendi. Ratio secundi est: quia, si unquam aliàs præceptum charitatis graviter obligat, certe hîc graviter obligat, ut proximo in præsentissimo animæ periculo subvenias. Porrò in tali casu Baptismus non debet administrari absolutè, sed addita conditione: *Si materia sit sufficiens.* Si baptizatus superviyat diutiùs, debet, quando adest copia materiæ certæ, rebaptizari similiter sub conditione: *Si ante non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Vid. Mezger num. 8.

§. II.

De Materia proxima Baptismi.

SUMMARIUM.

15. *Statuitur & probatur materiam proximam Baptismi esse ablutionem* 16. *Minima aquæ gutta probabilius non est materia sufficiens ad valorem Baptismi.* 17. *Quid observandum baptizanti per trinam immersionem, aut affusionem?* 18. 19. 20. *Resolvitur quæstio de Baptismo occisivo, ut vocatur.* 21. *Quatuor casus, in quibus Baptismus est invalidus defectu veræ ablutionis.* 22. *Talis aliqua pars ablui debet, secundum quam homo dici possit simpliciter ablutus.* 23. *Validus est Baptismus, qui confertur homini nondum perfectè nato.*

Dico Materia proxima Baptismi est ablutio. Ita communis omnium sen- 15
tentia. Ratio est: quia illa est materia proxima, quæ per formam proximè determinatur: sed ablutio per formam Baptismi proximè determinatur ad significationem practicam gratiæ; ergo ablutio est materia proxima Baptismi. maj. est certa ex alibi dictis. mi. constat: quia per verbum *baptizo*, quod idem est, ac *abluo*, non aqua secundùm se, sed aquæ usus, sive ablutio determinatur. Cæterùm nomine ablutionis intelligitur talis applicatio aquæ, qualis in morali æstimatione est necessaria, ut corpus dicatur verè lotum, sive ablutum. Nam vera hominis ablutio est de essentia Baptismi. Fit autem vera ablutio tribus modis; videlicet immersione, infusione, & aspersione. Quarum omnium optima judicatur immersio, deinde infusio, ac demum aspersio. Ubi tamen advertenda est diversarum Ecclesiarum praxis, quam servare oportet. Et ideo, ubi trina vel immersio, vel infusio usitata est, absque gravi peccato aliter baptizari non potest, uti docet Doct. Thomas 3. p. q. 66. artic. 8. quamvis alii existiment, secluso scandalo & contemptu tunc solum peccatum iri venialiter. Ex his

Infertur primo, ad valorem Baptismi 16
probabilius non sufficere minimam quamvis aquæ guttam. Valentia tomo 4. disp. 4. q. 1. pu. 2. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 3. num. 16. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 1. Reding tomo 5. q. 7. art. 1. contov. 3. num. 16. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 24. artic. 2. num. 11. Ratio est: quia juxta usitatum & moralem loquendi modum aspersio unius, vel alterius solummodò

guttæ non potest dici vera hominis ablutio. Unde nihil valet, si dicas: minima particula panis est sufficiens materia Eucharistiæ; ergo etiam minima gutta aquæ est sufficiens materia Baptismi. Respondetur enim neg. conseq. quia materia Eucharistiæ est tantùm verus secundùm se panis, qualis est quævis etiam minima panis particula. Atqui materia Baptismi non est tantùm vera aqua, sed vera aqua, in cujus usu salvari possit appellatio veræ ablutionis: qualis aqua non est unica gutta. Sententiam contrariam tenent Vasquez, Diana, & alii apud Salmanticenses de Bapt. tract. 2. cap. 2. pu. 4. existimantes, unam, vel duas, vel tres guttas sufficere, idque ob rationem contrariam: quia nempe unica gutta sufficit, ut lavetur minima pars hominis, indeque lotus dicatur homo. Verùm istam sententiam in casu necessitatis tantùm habere locum posse censeo, & ordinariè priorem, utpote tutiorem, esse tenendam. Unde Baptismus ita collatus repeti deberet sub conditione.

17 Infertur secundo, cum, qui Baptismum administrat per trinam immersionem, vel trinam affusionem, & positivè intendit non conficere Sacramentum, nisi in tertia immersione, vel affusione, debere eousque formæ prolationem differre. Vid. Bonac. n. 30. Castropal. de Bapt. disp. un. pu. 4. n. 3. Ratio est: quia, si formam prius pronuntiat, Sacramentum probabiliter est nullum. Neque enim valet ante tertiam immersionem, vel infusionem; quia deest intentio tunc faciendi, quod facit Ecclesia, sive sacramentum. Sed neque certò valet in tertia: quia juxta probabilem & tutiorem sententiam, cujus in priori Parte, disp. 1. artic. 2. n. 17. meminimus; ad valorem hujus Sacramenti requiritur, ut saltem aliqua pars formæ applicationi materiæ physicè coexistat. Quod in casu posito non contingit.

18 Infertur tertio, probabiliùs valere Baptismum, si Minister infantem in puteum, vel flumen dejiciat, adjecta verborum forma, cum intentione conferendi Sacramentum, licèt dejectus non ampliùs emergat vivus, idque ipsum etiam velit dejiciens. Ita Valent. pu. cit. Bonac. n. 27. Laym. n. 5. Castropal. n. 10. Filliuc. tract. 2. cap. 2. à n. 39. Salmantic. n. 25. Reding n. 20. Mezger n. 14. & alii plures. Ratio est: quia adsunt omnia requisita ad valorem hujus Sacramenti. Adest enim debita intentio illud conficiendi, ut supponitur in ipso casu: adest debita forma: adest etiam debita materia tam remota, quàm proxima, scilicet ablutio. Cùm puer, antequàm moriatur, per aquam, in qua est, & quæ per corpus ejus movetur, verè abluatur. Confirmatur primo, Si infans in aquam immersus laberetur fortuitò ex manibus Ministri, postquam is formam protulit, censetur validè baptizatus, quamvis tunc moreretur: ergo ad valorem Baptismi non requiritur talis ablutio, qua peracta superveniat ablutus. Confirmatur secundo. Si Minister ex intentione baptizandi simul & occidendi perfunderet infantem aqua fervente, unàque formam pronuntiaret, Baptismus esset validus, licèt infantem occideret: ergo idem dicendum de Baptismo in nostro casu. Fatendum tamen est, si puer memorato modo projectus in aquam & baptizatus præter exspectationem vivus emergeret, vel ab alio extraheretur, rebaptizandum fore sub conditione, idque propter sententiæ contrariæ probabilitatem: cujus Authores

Objiciunt nunc primo. Ut immersio 19
sit vera ablutio, requiritur in mergente animus rem immersam rursus extrahendi ex eo, in quod immersit: sicut apparet in communibus ablutionibus: sed in nostra hypothesi non adest talis animus; ergo. Secundo. Ablutio Baptismalis ex sua institutione tendit ad vitam: atqui memorata immersio non tendit ad vitam, sed ad mortem; ergo non est ablutio Baptismalis. Tertio. Ut dicar aliquid verè abluere, illud vel immediatè, vel mediatè à me attingi oportet: sed infantem projiciens in flumen neutro modo eundem attingit; ergo dici non potest verè abluere. Quarto. Talis immersio significat solàm Christi mortem, non autem resurrectionem illius: ergo non est ablutio sufficiens ad Baptismum. Conseq. prob. quia Baptismus utramque significare debet.

Respondeo ad primum neg. maj. Quòd ea, quæ abluimus, communiter immergamus cum animo rursus extrahendi, non ideo fit, quasi alioquin non essent verè abluta, sed, ne rerum, quas salvas volumus, jacturam patiamur. Ad secundum dist. maj. ex sua institutione tendit ad vitam spiritualem, conc. corporalem, neg. maj. atqui illa immersio tendit ad vitam spiritualem ejus, qui immergitur, licèt non ad corporalem. Ad tertium omissa maj. neg. mi. quomodo enim immergit, vel projicit, si non attingit? Deinde, qui in stagnum projicit, vel compellit sordida pecora, verò illa lavat secundùm communem modum loquendi, & tamen non magis attingit, quàm Minister infantem in nostra hypothesi. Ad quartum dico, illa immersione utramque significationem salvari; quatenùs ejus beneficiô baptizatus veterem Adam sepelit, & novum inducit: moritur peccato, & vivit Christo, inquit Castropal. num. 11.

Infer-

02 Infertur tamen quarto, illam projectionem infantis in flumen, ut ei Sacramentum Baptismi hoc modo administretur, esse mortaliter illicitam in omni casu. Ita Coninck q. 66. a. 7. num. 75. Castropal. n. 12. Laym. loco cit. Salmantic. n. 35. Reding n. 25. Mezger loco cit. & D. D. communiter. Ratio est: quia hæc talis projectio, sive immersio per se, ac directè tendit ad occisionem innocentis omni jure prohibitam. Quare non liceret ita baptizare, tametsi puer aliunde jamjam esset certò moriturus, nec aliter baptizari posset. Cùm nunquam facienda sint mala, ut eveniant bona.

21 Infertur quinto, invalidum esse Baptismum in sequentibus casibus. Primo, si quis nondum baptizatus casu labatur in aquam, vel sponte ingrediatur lavandi gratiâ; & alius, qui forte adest, formam Baptismi pronuntiet. Ratio est: quia hoc modo forma falsificatur. Non enim abluit, qui eam pronuntiat. Secundo, si tu formam pronuntians puerum teneas, & alius aquam affundat. Ratio est: quia sic iterum non verificatur forma. Tertio, si baptizandus pluenti cælo se exponat, vel stillicidio, aut canali supponat, & alius dicat, *Ego te baptizo &c.* Ratio est eadem. Aliud esset, si ipsemet verba pronuntians infantem canali, stillicidio, vel aquæ ex tecto labenti supponeret, tunc enim verificaretur forma. Quarto, si unus hominem protrudat in aquam, & alter formam proferat: aliud est, si idem utrumque præstet. Ratio est: quia in hoc, non autem in illo casu forma verificatur. Bonac. num. 28. & 29. Vinitor Q. 3. num. 7. & alii.

22 Infertur sexto, ad valorem Baptismi necessarium esse, ut talis aliqua pars aquâ abluatur, secundùm quam homo dici possit ablutus simpliciter in æstimatione morali. Ita omnes communitér. Ratio est: quia in alia parte neque salvari potest appellatio veræ ablutionis, qualem in Concl. requisivimus; neque verificari forma Baptismi. Atque hinc

Sequitur primo, Baptismum esse certò validum, quando caput hominis abluitur. Ratio est: quia caput est potissima pars, in qua ratio & sensus maximè vigent. Unde si illud abluatur (quod semper fieri debet, si commodè possit) totus homo denominatur ablutus simpliciter. Vid. Doct. Thomas 3. p. q. 68. a. 11. ad 4. Valent. to. 4. disp. 4. q. 1. pu. 2. colum. 749. Laym. n. 3. Salmantic. pu. 3. Reding à. num. 10. Quòdsi ablutio fiat in scapulis, pectore, vel humeris, quæ sunt itidem partes valde præcipuæ hominis, satis certum est, Baptismum esse validum, ut habent Filliuc. tract. 2. cap. 2. n. 33. Salmantic. num. 39. & alii passim. Doct. Thomas tamen loco cit. ejusmodi Baptismum videtur habere pro dubio; adeoque repetendum sub conditione: quod etiam cum aliis docent iidem Salmanticenses.

Sequitur secundo, dubium esse Baptismum, siquæ alia pars, præter memoratas, abluatur, v. g. brachium, manus, pes, vel solus digitus. Valentia colum. 750. Filliuc. Laym. locis citt. Salmantic. n. 40. & 41. & alii. Ratio est: quia neque ex authoritate aliqua sacra, neque ex traditione satis constat, talem ablutionem sufficere: & neque D. D. idem sentiunt circa hoc peccatum. Unde si infans in casu necessitatis fuit baptizatus in solo pede v. g. vel digito, postmodùm, remoto periculo, rebaptizari debet sub conditione. Ita citt.

Sequitur tertio, similiter dubium esse Baptismum, si soli capilli abluantur, ita ut caro corporis aquâ non tangatur. Laym. loco cit. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 3. n. 22. Salmantic. n. 41. Ratio est: quia, licèt graves DD. sentiant, talem Baptismum valere, id tamen alii negant ob eam rationem, quòd incertum sit, an capilli animentur animâ hominis, atqueadeo sint partes hominis: cùm potius habeantur inter excrementa ejusdem.

Sequitur quarto, illum quoque Baptismum esse dubium, quo infans abluitur adhuc circumdatus pelle secundina. Laym. Salmantic. locis citt. & alii. Ratio est: quia litigant Doctores, an abluta hac tali pelle homo denominari possit simpliciter ablutus, nonnullis affirmantibus, esse partem hominis, quamdiu adhæreat corpori, aliis negantibus, ac dicentibus, eam quodammodò se habere instar vestis.

Infertur septimo, ad valorem Baptismi 23
non requiri, ut homo perfectè natus sit, sive ex utero matris egressus. Doct. Thomas ubi suprà, Laym. n. 2. & alii. Ratio est: quia totâ Baptismi substantia haberi potest, licèt infans nondum perfectè natus unam solam corporis partem ex utero matris exserat; aut in matris demortuæ aperto corpore adhuc vivus inveniatur. Tunc enim verè ablui cum prolatione formæ, debitaque intentione potest. Dixi autem: *in corpore aperto matris demortuæ*: quia matrem adhuc viventem, licèt proximè morituram, secare, ut infans ad Baptismum perveniat, non est licitum, excepto unico casu, si fœmina mortem sit merita, & infans versetur in morali periculo, ne, si differatur supplicium, moriatur ante nativitatem. Vid. Laym. loco cit. Reding ubi suprà à n. 27. De cætero validum esse Baptismum, infantis, quocunque tandem modo ex matre vivus fuerit

fuerit exemptus, facilè colligitur ex dictis. Quòdsi puer adhuc totaliter existat in utero, ejusque etiam caput aspergatur aquâ, nihilominùs rebaptizandus erit sub conditione, ut monet Gobat, si fortè in lucem prodeat vivus. Ratio est: quia complures magni nominis D D. negant, hominem validè baptizari, qui nullâ sui parte est extra matrem, cùm renasci non possit, qui necdum est natus. Hæc tamen ratio etiam probare videtur, neque illum infantem validè baptizari, qui vivus ex utero sectæ matris eximitur. Talis enim non dicitur nasci. Hoc autem est probare nimium. Quis enim neget, talem esse baptizandum?

ARTICULUS III.

De Forma Baptismi.

SUMMARIUM.

1. *Tribus modis efferri solet Forma Baptismi.* 2. *Valida est forma Græcorum.* 3. *Adstruitur valor formæ Latinorum.* 4. *Statuitur, quænam exprimi, vel non exprimi debeant in forma Baptismi.* 5. *Quænam verba illius sint essentialia?* 6. *Assignatur forma conditionata.* 7. *Quomodo exprimenda persona, quæ baptizatur?* 8. *Exempla formarum invalidarum.* 9. *Quid de illa forma:* Ego te baptizo in nomine Christi. 10. *Item de illa:* Ego te baptizo in virtute, majestate, vel authoritate Patris &c.

1 QUamvis Forma Baptismi sit una essentialiter, ut omnes fatentur; non tamen uno, sed tribus modis exprimi solet à baptizantibus. Nempe primo, secundùm morem Ecclesiæ Græcæ. Secundo, juxta morem Ecclesiæ Latinæ. Tertio, cum additione conditionis. Nam prioribus modis, ut videbimus, exprimitur absolutè. De his impræsentiarum breviter agendum.

2 Dico primo. Forma Græcorum est hæc: *Baptizatur servus Christi, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Alii Latini pro præsenti indicativi modi ponunt in hac forma *baptizetur* imperativi vel subjunctivi modi. Sed rectiùs ponitur modus indicativus; cùm ita habeatur in Græco, ut ostendunt Filliuc. tract. 2. cap. 3. num. 42. Contenson. tomo 7. dissert. 3. cap. 1. pag. 251. Hanc formam Græcorum esse validam, & in ipsorum Ecclesia licitam, certum est, tum ex Concil. Florent. in decr. Eugenii: tum ex antiquissimo usu illorum Christianorum. Consueverunt autem ita proferre verbô passivô, ne Ministri sibiipsis videantur attribuere efficaciam Sacramenti, utque remotissimos se esse ostenderent ab illo schismate, cujus meminit Apostolus 1. Corinth. 3. *Ego sum Pauli. Ego autem Apollo &c.* Sed jam relatâ Græcis suâ formâ,

3 Dico secundo. Forma Latina, hoc est, in Ecclesiis Occidentalibus consueta, est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Quam esse validam atque legitimam constat ex Concil. Trid. *sess. 7. de Bapt. can. 4.* & ex communi sensu, praxique fidelium Apostolis à Christo tradita, & ad nos derivata, conformiter verbis Christi apud Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Tria verò per nostram hanc formam Baptismi significantur. Primum est persona baptizantis per pronomen *Ego.* Secundum, actio ejusdem per verbum *baptizo.* Tertium, persona baptizandi per particulam *te.* Quartum, unitas Divinæ naturæ per ly *in nomine.* Quintum, Trinitas personarum per reliqua vocabula. Quæritur modò, an hæc omnia necessariò exprimenda sint in forma, ita ut alioquin invalidus reddatur Baptismus? ad quod

4 Dico tertio. Quamvis persona baptizantis non debeat necessariò exprimi formaliter & directè, ita tamen exprimi debent cætera, quæ per formam significari in n. præced. diximus. Coninck Q. 66. a. 6. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 4. Filliuc. cap. cit. Salmantic. tr. 2. de Bapt. cap. 3. pu. 1. & seqq. & alii communiter. Prima Pars Concl. patet ex forma Græcorum, in qua persona Ministri non exprimitur formaliter & directè, exprimitur tamen virtualiter & indirectè: cùm enim dicunt: *Baptizatur servus Christi*, sensus est: Baptizat te Christus per me exercentem hanc sensibilem actionem, in nomine &c. Ratio secundæ partis est: quia, nisi exprimeretur actus baptizandi, forma non haberet connexionem cum materia, nec illam determinaret ad spiritualem ablutionem animæ. Personam verò baptizandam vel ideo exprimi necesse est, quòd, sicut ablutio circa certam personam versari debet, ita & formâ: cùm alioquin confusè nimis, nec practicè suum effectum significaret. Tandem unitatem Divinæ naturæ & Trinitatem Personarum esse exprimendam satis colligitur ex illo Matth. cit. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* ubi Christus juxta interpretationem Ecclesiæ

& Pa-

& Patrum voluit, ut per ly *in nomine* significaretur eadem in tribus Personis Divinis natura. Nomina verò *Patris*, *Filii*, & *Spiritus Sancti* utique clarè significant tres Personas Sanctissimæ Trinitatis, & quidem, in quantum inter se distinctæ sunt: sicque exprimendas esse definierunt duo Summi Pontifices Pelagius, & Zacharias in cap. *Si revera.* cap. *Multi* cap. *In Synodo. de Consecrat. dist.* 4. ut habet Illsung tract. 6. disp. 2. a. 4. num. 17.

5 Ex his colligitur, in Forma Baptismi Latinæ Ecclesiæ Latinè prolata hæc, aut æquivalentia verba esse essentialia: *Baptizo te nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*: reliqua verò, nempe ly *Ego*, ly *in*, ly *&*, ly *amen*, esse accidentalia, & posse omitti, quin Baptismus reddatur invalidus. Ratio est: quia his omissis adhuc habentur omnia, quæ necessariò sunt significanda per Formam, dummodò priora retineantur. Dixi, *Latinè prolata*: quia id revera non potest procedere in omni alia lingua; ut patet in nostra vernacula, in qua, si baptizans omittat pronomen, Ich / aut nullus, aut non legitimus sensus efficietur, prout cum P. Gobat advertit Oberascher tract. 2. de Bapt. cap. 1,
6 pag. 294.

Dico quarto. Formà conditionata Baptismi hæc est: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine &c.* Habetur in cap. 2. *de Bapt.* Unde colligitur, opus non esse, ut Minister priùs dicat: *Si es baptizatus, ego non te baptizo*, sed sufficere unicam conditionalem, quam in Concl. attulimus. Filliuc. n. 65. Cæterùm licèt non requiratur, ut ejusmodi conditio verbotenus exprimatur, nisi ob ejus reticentiam adsit periculum scandali, sed satis sit eam mentaliter adjicere, tutius tamen est exprimere. Quòdsi fortè à contrario verbalis expressio conditionis scandalo esset præsentibus, uti debet Minister formâ absolutâ exteriùs, & conditionem mentè tantùm retinere. Ex dictis

7 Infertur jam primo, ad valorem Baptismi nihil referre, sive persona baptizanda exprimatur in singulari per particulam *te*, sive in plurali per particulam *vos* honoris gratiâ. Suarez disp. 21. sect. 2. Coninck ubi suprà num. 49. Salmantic. pu. 2. num. 7. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 4. num. 11. & alii. Ratio est: quia plus non requiritur, quàm ut sufficienter designetur baptizandus, quod utrovis modo ex memoratis contingit. Itaque validè baptizas dicendo: *Ego vos baptizo*, pro *Ego te baptizo*. Hæc enim censetur accidentalis tantùm mutatio formæ. Ex eadem ratione validè baptizas, dum dicis: *Ego baptizo Petrum*: vel, *Ego baptizo Dominationem vestram.* An autem licitè hoc modo baptizes, vel non, colligendum est dictis in priori p. disp. 1. artic. 2. §. 4.

Infertur secundo, invalidas esse has formas: *Ego te baptizo in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ego te Baptizo cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Suarez sect. 3. Laym. ubi suprà. Filliuc. num. 62. Salmantic. pu. 4. & alii. Ratio est: quia in illis non exprimitur unitas Personarum Divinarum in essentia. Valet tamen Baptismus, dum confertur *in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti.* Ratio est: quia trina hæc prolatio nominis non obstat, quominùs remaneat sensus formæ communis & consuetæ. Aliud est, dum utimur numero plurali, & dicimus *in nominibus.* tunc enim significatur pluralitas naturarum. Vid. Salmantic. loco cit. 8

Infertur tertio, etiam hunc Baptismum esse invalidum: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia in ejus forma non exprimitur Trinitas Personarum. Verùm contrà hoc objici solet illud commune argumentum ex actis Apostolor. cap. 8. & aliis locis Script. ubi legitur, Apostolos baptizâsse in nomine Jesu Christi. Atqui Apostoli unique contulerunt validum Baptismum; ergò Baptismus in nomine Christi, & sine expressione trium Personarum est validus. 9

Confirmatur primò Authoritate S S. Patrum, Ambrosii lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 3. dicentis, *plenum esse fidei Sacramentum, si unam tantùm Personam sermone comprehendas.* Et Athanasii lib. 1. de Trinit. *Licèt Filii nomen tantummodò dicatur, habet tamen & Patrem & Spiritum Sanctum secum pronuntiatum.* Ex quibus colligi videtur, ad valorem Baptismi sufficere expressionem nominis Christi. Confirmatur secundo authoritate Nicolai I. Pontif. qui in cap. 24. *de Consecrat. dist.* 4. ad quæsita quædam Bulgarorum ita perhibetur respondisse: *Hi profectò, si in nomine S. Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe, idemque est, ut S. exponit Ambrosius) constat, vos non esse denuo baptizandos.*

Respondeo ad Object. primo cum Melchiore Cano, lib. 6. de locis Theolog. cap. 8. dist. maj. leguntur ita baptizâsse sine expressione Patris & Spiritus Sancti, neg. addita illorum expressione; conc. maj &c. Licèt enim in iis Script. locis non fiat mentio aliarum Personarum, non tamen hinc sequi-

sequitur, eas in collatione Baptismi non fuisse expressas ab Apostolis: quia ideo solùm dicuntur baptizâsse in nomine Jesu Christi, quòd cum voce *Filii* junxerint voces JESU Christi, ac dixerint: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti*: velut etiam S. Cyprianus Epist. 75. exponit. Respondeo secundo cum Soto, Apostolos baptizâsse in nomine Christi idem esse, ac baptizâsse in fide Christi, vel professione fidei in Christum; veluti legitur Actor. 16. de Paulo, quod custodem carceris, antequàm eum baptizaret, hortatus fuerit, *ut crederet in Dominum Jesum*. Respondeo tertio cum D. Thoma 3. p. q. 66. a. 6. ad 1. & cum Catechismo Romano, cap. de Bapt. in primitiva Ecclesia ex speciali revelatione Christi ac dispensatione Apostolos administrâsse Baptismum in nomine solius Christi; ut scilicet hoc nomen tantò notius atque illustrius evaderet: quæ ratio cùm postea cessaverit, etiam dispensationem cessâsse.

Ad primam Confirmat. dico, ex verbis illis S. Ambrosii aliud non evinci, quàm quòd pro illo tempore primitivæ Ecclesiæ, pro quo viguit dispensatio, cujus meminimus, Baptismus in nomine solius Christi potuerit administrari. Dici quoque potest, Ambrosium non loqui de Sacramento Baptismi; sed Sacramentum accipere latiùs pro mysterio Fidei: cùm ibi requirat finem internam: quam certum est non requiri in Ministro Baptismi. De S. Athanasio respondeo, illum non loqui de dictione Sacramentali, seu pronuntiatione formæ Baptismi, sed de dictione Historica, ut sensus sit: licèt in actibus Apostolorum, quando Apostoli baptizâsse dicuntur, tantùm fiat mentio de nomine Christi, nihilominùs existimandum est, eos una cum nomine Christi etiam Patrem & Spiritum Sanctum pronuntiâsse. Ad secundam Confirmat. communis est responsio, Pontificem in illo cap. dum ita rescripsit de Baptismo in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel in nomine Christi tantùm, non esse locutum ex cathedra, sed ut Doctorem privatum, idque occasione alterius, de quo mota erat quæstio a Bulgaris, nempe, an valeat Baptismus à Judæo collatus? ad quod affirmativè respondit ex cathedra, ubi falli non potuit.

Infertur quarto, dubiam esse hanc formam: *Ego te baptizo in virtute, majestate, vel authoritate Patris & Filii &c.* Ratio est: quia illæ voces non videntur esse omnino synonymæ cum ly *in nomine*, quod plus significare putatur. Vid. Laym, ubi suprà: num. 4. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 24. artic. 3. num. 8. Similiter valde dubius est Baptismus in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque.* Ratio est: quia de hac forma duæ sunt sententiæ; quarum una simpliciter negat, esse validam; estque D. Thomæ q. cit. artic. 5. ad 7. & communis Doctorum, qui judicant, per vocabula *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque* non idem significari, quod vocibus *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: his enim significari relationes, quibûs constituuntur Personæ; illis autem actus notionales, qui sint veluti fundamenta relationum. Altera sententia, quæ tribuitur Cajetano & illis, affirmat esse validam: quia putant omnia prædicta esse synonyma. Vid. Salmantic. ubi suprà, dub. un. à n. 31. Laym. loco cit. Reding to. 5. q. 7. a. 2. controv. 2. n. 31. 10

ARTICULUS IV.

Quotuplex sit Baptismus.

SUMMARIUM.

1. S. Damascenus octo Baptismos recensuit. 2. Baptismus est triplex, Fluminis, Flaminis, Sanguinis. Explicantur singuli. 3. Conditiones ad Martyrium requisitæ. 4. Bonus latro cum Christo crucifixus non fuit Martyr. 5. Quid de illis, qui mortem opperiunt ex obsequio pestiferis exhibito? 6. Quid de militibus, qui pro fide Catholica pugnantes occumbunt? 7. Nullus hæreticus fit Martyr, quando occiditur propter religionem, quam ipse profitetur. 8. Quid, si Catholicus in odium Fidei occidatur inter dormiendum? 9. Triplex sententia, qua ratione Baptismus sanguinis conferat gratiam. 10. 11. 12. Asseritur & probatur, Martyrium ex opere operato justificare parvulos. 13. 14. Imò etiam adultos, si debitè ad illud sint dispositi. 15. Exponitur illud Apost. si tradidero corpus meum &c. 16. Ad effectum Martyrii requiritur Confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum. 17. Quando Martyrium conferat gratiam? 18. Quid de puero, qui matre Martyre adhuc in utero occiditur?

S. Damascenus lib. 4. Fidei. cap. 10. sicut testatur Gonet, novem genera Baptismorum distinguit. Sed quoniam plures eorum sunt figurales tantùm: ut diluviũ, trãsitus maris rubri, & variæ ablutiones in antiqua lege usitatæ, Authores hanc divisionem cõmuniter omit- 1

omittunt, aliámque pertractant, quam exhibet Magister in 4. dist. 4. & Doct. Thomas 3. p. q. 66. a. 1. Quapropter

2 Dico primo. Baptismus est triplex, scilicet Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Ita communiter D D. Ostenditur Conclusio explicando singulos istorum Baptismorum. Primus igitur est Baptismus Fluminis, ille nempe, qui fit in aqua; & potest subdividi in eum, quo Joannes baptizavit, & in eum, quem Christus instituit. Hic posterior solus est propriè Baptismus, & antonomasticè intelligitur audito hoc nomine: de quo etiam Apostolus dicit, esse unum ad Ephes. 4. *una Fides, unum Baptisma*, unitate specifica atomia, ut intelligunt Theologi.

Secundus est Baptismus Flaminis. Hic consistit in pœnitentia; sive dolore perfecto de peccatis. Dicitur autem Flaminis; quia fit impulsu Spiritus Sancti, qui Flamen appellatur. Locum habet in solis adultis, qui sunt usu rationis prædíti; & nondum baptizati Baptismô Fluminis. Hunc quippe supplet in illis, quando re ipsa nequeunt suscipere, & eliciunt actum perfectæ contritionis cum proposito suscipiendi eundem: obtinent enim beneficiô hujus talis doloris remissionem peccatorum non solùm actualium, sed etiam originalis: veluti colligitur ex illo Lucæ 3. *Prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: & ex illo, quod Actor. 10. legitur de Cornelio Centurione, qui fuit justificatus ante susceptum Christi Baptismum.

Tertius est Baptismus Sanguinis, id est, Martyrium. Nam & istud ea præstat, quæ sunt Baptismi, ejusque vices aliquando supplet. Quamobrem, siquis ante susceptum Baptismum Fluminis, quem non potuit suscipere, rapiatur ad Martyrium, is consequitur & remissionem omnis culpæ tam actualis, quàm originalis; imò & remissionem totius pœnæ haud secùs; acsi Baptismum Fluminis susciperet: veluti pluribus postea declarabitur.

3 Cæterùm ad Martyrium requiruntur sequentes conditiones. Prima est, ut mors alicui inferatur odiô Christi, vel Fidei Catholicæ, vel veritatis, cujusdam eâdem credendæ, vel propter opus virtutis. Ratio est: quia Martyrium est testimonium externum, quod Christo, ejusve doctrinæ perhibemus mortem pro ea subeundo. Hoc autem fieri non potest, nisi quis mortem propter aliquam ex causis memoratis inferat. Vid. Less. de Just. lib. 3. cap. 1. dubit. 3. Laym. lib. 3. sect. 3. num. 3. Quamvis autem completissimum ac securissimum genus Martyrii sit, quando mors re ipsa sequitur, sufficit tamen ad illud, causam illativam mortis ità fuisse positam, ut via naturali mors necessariò sequeretur, nisi miraculosè impediretur. Patet hoc in S. Joanne Evangelista, quem Ecclesia colit ut Martyrem, quamvis ex ferventis olei dolio, cui fuerat impositus, evaserit illæsus. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 24. a. 5. & alii. Ratio est: quia positâ causâ proximâ mortis necessariò secuturæ, nisi Divinitus impediatur, jam mors est in fieri, & homo realiter imitatur mortem Christi ponendô animam suam pro ipso: atqui in hac tali reali imitatione mortis Christi consistit Martyrium; ergo.

Secunda conditio est, ut mors inferatur non repugnanti. Ratio est: quia Martyr Christi debet in patiendo imitari Christum, quia tanquam agnus mansuetus duci se passus est ad mortem. Accedit, quòd ille, qui repugnans moritur, non intendat pro Fide subire mortem, nisi indirectè, quatenùs exponit se periculo: nam directè intendit potiùs inferre. Unde non censetur mori tanquam testis Christi, sed instar militis victi ab hoste. Less. n. 36.

Tertia conditio est, ut quis mortem aliquo modo acceptet, & quidem ob causam aliquam ex suprà indicatis inferendam, utque ad hanc acceptationem moveatur motivo supernaturali. Hæc conditio in solis adultis requiritur. Et ratio primæ partis est: quia adultus non consequitur gratiam, aut remissionem peccatorum absque libero suo consensu; veluti patet in susceptione Sacramentorum. Non tamen necessarius est consensus præsens; sed sufficit consensus antè habitus, & non revocatus. Less. num 24. Ratio secundæ partis est: quia alioquin mortem obire etiam in acerbissimis tormentis non erit opus Deo gratum, aut sufficiens testimonium pro Christo, ejusque Doctrina. nam *Martyres*, inquit S. Augustinus in Psal. 34. *non facit pœna, sed causa*. Unde sicut ad Martyrium requiritur, ut mors inferatur à Tyranno in odium Christi, Fidei, aut operis virtuosi, ita in adulto Martyre requiritur, ut mortem acceptet amore Christi, Fidei, vel virtutis. Vid. Valent. disp. 8. q. 2. pu. 1. Ratio tertiæ partis est: quia seclusô motivo supernaturali perpessio mortis nihil prodesse potest ad animæ salutem, sicut prodesse oportet Martyrium Christianum. Quare, qui eligeret mortem subire potiùs, quàm negare instante Tyranno, animam humanam esse immortalem; quia id docuit Plato, is non esset Martyr; quamvis esset si pro eadem veritate moreretur, quia Fides Catholica eam docet. In parvulis nihil ex hac tertia conditione requiritur ad Martyrium, sicuti neque ad valorem & effectum Sacramenti Baptismi. Patet hoc in Innocentibus, qui sine aliquo suo consensu aliquando actualiter habito

habito verum Martyrium ab Herode perpessi sunt. Vid. Valent. colum. 2128 Ex dictis

4 Sequitur primo, bonum latronem cum Christo crucifixum non posse appellari verè Martyrem. Ratio est: quia non in odium Christi, vel Fidei, vel proter virtutis alicujus defensionem, sed ob vitæ anteactæ delicta supplicium crucis ei fuit illatum. Mezger ubi suprà n. 7.

5 Sequitur secundo contra Theophilum Raynaudum, eos non esse propriè Martyres, qui mortem ex obsequio pestiferis præstito oppetunt. Ratio est: num, quia talibus non infertur à quoquam mors in odium Fidei, aut alicujus virtutis. Tum, quia iidem peste infectorum ministri ad mortem avertendam præsidia & opportuna remedia sibi comparant, quam etiam illis muniti sæpe evitant; hæc autem minimè faciunt veri Martyres. Tum, quia Ecclesia hos tales nunquàm hactenùs agnovit pro Martyribus propriè dictis. Vid. Gonet tomo 5. disp. 1. art. 7. §. 4. Contenson tomo 7. dissert. 3. cap. 2. Mezger num. 8. Sententia Raynaudi à Sacra inquisitione Romana damnata est.

6 Sequitur tertio, milites quoque, licèt pro fide pugnent, non esse Martyres, quando in bello occumbunt. Ratio est: quia inviti potiùs, quàm volentes, lubentesque mortem oppetunt; neque in patiendo imitantur Christum, qui, *cùm pateretur, non comminabatur* 1. Petri 2. & *tanquam ovis coram tondente se obmutuit*, Isaiæ cap. 53. Ecclesia quoque tales nunquam colit ut Martyres. Vid. Less. n. 36. Laym. ubi suprà n. 4. Addit tamen Less. ejusmodi militem fore Martyrem, si jam victus odiô religionis occidatur, mortemque ob eam causam acceptet.

7 Sequitur quarto, nullum hæreticum fieri Martyrem, quando occiditur propter religionem, quam profitetur, vel etiam propter aliquem articulum veræ Fidei, si cæteris hæreticè dissentiat. Ratio est: tum, quia non occiditur propter Fidem Christi, sed propriam, humanam, & acquisitam. Tum, quia in tali statu ex nullo motivo supernatur ali mortem acceptat. Accedit, quòd sine vera Fide, qua caret hæreticus, nemo possit placere Deo.; quomodo ergo Martyr esse possit? Vid. Less. n. 38. Laym. loco citt. Bonac. de Bapt. disp. 2. pu. 1. num. 12. Redingto. 5. q. 9 a. 2. controv. 2. n. 4.

8 Sequitur quinto, si Catholicus interdormiendum occidatur odiô Fidei, & nihil antea de morte ob hanc talem causam subeu nda cogitavit, eum non esse Martyrem: esse tamen, si antea apud se statuit perpeti potiùs mortem, quàm Fidem negare. Ratio est: quia in priori casu mortem illam non acceptavit: acceptavit autem in posteriori. Unde sicut adultus, cùm baptizatur in somno, vel amentia, non est verè baptizatus, si nihil antea de Baptismo cogitavit, est tamen verè baptizatus, si antea in illum consensit, ita & in gemino casu nostro de Martyrio &c. Less. n. 24. Bonac. num. 6. Laym. loco cit.

His ita deductis, restat difficultas de 9
Baptismo Sanguinis, seu Martyrio, qua ratione justificet & conferat gratiam? Et quidem Baptismum Fluminis gratiam conferre ex opere operato, in priori Parte ostendimus. Baptismum Flaminis justificare ex opere operantis tantùm res in expedito est. De Baptismo itaque sanguinis prima sententia est, Martyrium conferre effectum Baptismi solùm ex opere operantis. Secunda est, justificare parvulos ex opere operato; adultos verò ex opere operantis tantùm. Tertia est, ita per Martyrium suppleri vices Baptismi Fluminis, ut non solùm parvulos, sed etiam adultos justificet ex opere operato. Vid. Gonet ubi suprà, a. 7, ut declaratur, quid hîc sentiendum.

Dico secundo. Martyrium parvulos 10
justificat ex opere operato. Ita D. Thomas in 4. dist. 4. Q. 3. a. 3. quæst. 3. dicens: *Sicut in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente & pœna, ita in Baptismo Sanguinis.* Et in responsione ad primum: *Baptismus Sanguinis non habet hoc tantùm ex opere operationis; sed hoc habet ex imitatione Passionis Christi: & ideo pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur.* Probatur autem statuta veritas ex eo, quòd Ecclesia parvulos ab Herode interfectos colat ut sanctos: atqui hi tales innocentes, ob defectum usûs rationis, non potuerunt sanctificari ex opere operantis; ergo sanctificati sunt ex opere operato per mortem propter Christum illatam.

Neque dicas cum quibusdam apud Va- 11
lentiam, in illis parvulis usum rationis fuisse miraculosè acceleratum: respondetur enim, hoc gratis, & absque ullo fundamento sive authoritatis, sive rationis, affirmari. Neque dicas cum aliis, omnes eos parvulos fuisse jam circumcumcisos; adeoque per circumcisionem, non per Martyrium, justificatos. Nam contra est primo, quòd non sit credibile, omnes fuisse circumcisos. Jussu enim Herodis occisi sunt omnes infantes à bimatu & infra: adeoque plures occisi

sunt

sant ante diem vitæ octavum, quo solo circumcidi solebant. Contra est secundo, quòd verosimiliter plures infantes Gentilium inter Judæos & in vicinia habitantium fuerint interfecti: cùm jusserit Herodes occidi omnes, & qui erant in Bethleem, & in finibus ejus, ubi multi etiam Gentiles commorabantur. Contra est tertio, quòd Ecclesia illos infantes colat ut sanctos non quomodocunque, sed ut sanctos Martyres: quod utique non faceret, si existimaret, eos per circumcisionem tantùm, & non per Martyrium sanctitatem fuisse consecutos.

12 Sed instabis. Martyrium est actus virtutis, nempe fortitudinis: atqui in infantibus, utpote usu rationis carentibus, nullus esse potest actus virtutis; ergo nec Martyrium. Respondeo ex P. Gonet, Martyrium dupliciter posse considerari, primo, ut dicit mortem ex motivo fortitudinis, vel alterius virtutis pro Christo liberè acceptatam & toleratam. Secundo, ut est realis imitatio Passionis Christi, & non tantùm repræsentativa. In prima acceptione Martyrium est opus virtutis subjectivè, & non habet locum in infantibus. In secunda acceptione dicitur opus virtutis objectivè, sicque acceptum convenit etiam infantibus, eosque ex opere operato justificat, & vices Baptismi in aqua supplet. Neque tamen hinc sequitur, quòd docuit Major, Martyrium esse Sacramentum aliquod novæ Legis. Nam primo, Sacramenta conferunt gratiam physicè, & moraliter ex opere operato activè: Martyrium verò passivè tantùm confert gratiam ex opere operato, quatenùs est quædam realis imitatio Passionis Christi, qua posita ceu conditione Deus animæ Martyris infallibiliter infundit gratiam remissivam omnis peccati tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Secundo, Sacramentum est signum practicum ex Divina institutione significativum gratiæ in sui usu conferendæ: atqui Martyrium non est ejusmodi signum; veluti docet Doct. Thomas 3. p. q. 66. artic. 1. ad 2. ergo non est Sacramentum. Vid. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 24. artic. 5. num. 14.

13 Dico tertio. Martyrium confert gratiam ex opere operato etiam adultis, si debitè dispositi illud sustineant. Ita Doct. Thomas ubi suprà in 4. sent. resp. ad 1. ubi absolutè, & absque restrictione ad parvulos docet de Baptismo sanguinis, quòd conferat gratiam ex opere operato. Id ipsum habet in 4. ad Annibald. dist. 4. q. un. artic. 4. ad 3. inquiens: *Baptismus Sanguinis non habet supplere effectum Baptismi Fluminis ex opere operante, sed ex imitatione Passionis Christi.* Idem sentiunt alii communiter.

Prob. Concl. ratione, primo. Quando ex S. Scriptura & SS. Patribus nobis constat, Martyrium adultis conferre gratiam ex opere operato, ita meritò asseritur: sed hoc nobis constat ex S. Script. & SS. Patribus; ergo &c. maj. est certa. min. quoad priorem partem habetur ex illo Matth. 10. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* & illo Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam.* Quæ loca communi Interpretum & Fidelium sensu significant gratiæ justificantis promissionem factam à Christo Martyrium pro ipso subeuntibus. Quoad posteriorem partem prob. ex S. Augustin. lib. 13. de Civit. cap. 8 ubi inquit: *Quicunque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum, si abluerentur fonte Baptismatis.* Deinde ex S. Cypriano in lib. de Orat. Dom. ubi ait: *Quale delictum est, quod nec Baptismo Sanguinis potest ablui? quale crimen est, quod Martyrio non potest expiari?* In quibus planè supponit, Martyrio inesse vim justificandi ex opere operato. Præterea ex S. Cyrillo Hierosolym. Catechesi 3. illis verbis: *Siquis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres.* Similia Patrum testimonia passim referuntur ab Authoribus.

Prob. secundo. Martyrium ex opere operato justificat parvulos, ut vidimus in concl. proximè præced. ergo etiam adultos. Conseq. prob. tum, quod istorum Martyrium non sit deterioris conditionis, sed potiùs eò melioris, quò est magis voluntarium, & perfectior imitatio Passionis Christi. Tum, quòd Christus Matth. 10. tribuens Martyrio privilegium justificandi loquatur generaliter, nec ullam faciat exceptionem, aut limitationem.

Prob. tertio. Quia Ecclesia, quamprimùm constat, aliquem subiisse verum Martyrium, habet illum pro sancto, reputatque injuriam ei fieri, si oretur pro illo: ut docet Innocent. III. in cap. *Cùm Marthæ, de celebrat. Missar.* illis verbis: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quæ desumpta sunt ex S. Augustino, tract. 84. in Joan. ubi ait: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Ergo fatendum est, aliquem hoc ipso, quòd sustineat verum Martyrium, justificari, si ante illud fortè justus non esset, & in illo non eliceret actum supernaturalem dilectionis DEI, aut perfectæ contritionis,

onis, per quem ex opere operantis justificaretur.

14 Addidi in Concl. *si debitè dispositi &c.* nam præter liberam acceptationem mortis pro Christo subeundæ, cujus in tertia conditione meminimus, ad effectum Martyrii obtinendum in adulto peccati mortalis sibi conscio requiritur tanquam dispositio saltem actus Fidei, Spei, & attritionis supernaturalis. Nec est necessaria contritio, aut dilectio Dei super omnia, per se loquendo. Ita communiter Theologi teste Mezger, ubi suprà num. 11. Ratio sumitur à paritate Baptismi Fluminis, cui Martyrium quoad efficaciam comparatur, imò & anteponitur à SS. Patribus: in Baptismo autem pro necessaria dispositione sufficiunt actus Fidei, Spei, & Attritionis, qui iidem sufficiunt in Sacramento Pœnitentiæ: ergo etiam in Martyrio sufficiunt: nec proinde requiritur contritio, aut dilectio Dei. Vid. Less. lib. 3. de Just. cap. 1. dubit. 4. num. 45. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 1. pu. 1. num. 8. Reding to. 4. q. 9. a. 2. controv. 2. num. 8. Mezger loco cit.

15 Objicies illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quorum verborum iuxta expositionem Doct. Thomæ sensus est, Martyrium nihil prorsus valere sine charitate. Ergo ut Martyrium profit, præstetque suum effectum, requiritur Charitas, quæ per actum dilectionis imperet ejus perpessionem. Respondeo dist. sensus est, Martyrium nihil prorsus valere sine Charitate tam consequente, quàm antecedente, conc. sine Charitate antecedente, neg. quamvis enim Martyrium non antecedat necessariò Charitas, illud tamen infallibiliter consequitur unà cum gratia justificante, cujus est proprietas necessariò connexa.

16 Ad effectum Martyrii requiritur præterea, ut quis illo jam imminente confiteatur peccata mortalia post Baptismum commissa. Ratio est: quia Martyrium non absolvit hominem à præceptis juris Divini, vel naturalis, si illa possit implere: Atqui datur præceptum Divinum & naturale memorata peccata clavibus Ecclesiæ subjiciendi ante mortem; sicut datur præceptum suscipiendi Baptismum. Tenetur, proinde instante Martyrio nondum baptizatus recipere Baptismum, si possit: quemadmodum recipere studuit S. Romanus, quando statim pro Christo occidendus dixit ad S. Laurentium: *Festina me baptizare.* Lapsus autem post Baptismum in mortale peccatum tenetur Sacramentum Pœnitentiæ recipere. Quòdsi non possit, desitque occasio, tenetur conari elicere perfectam contritionem. Ratio est: quia sententiæ oppositæ actum contritionis exigenti, quam docent non pauci D D. non potest denegari sua probabilitas. Unde nostra re ipsa fortè est falsa, & illa vera. Quare Martyrium subiturus, ut saluti suæ rectè consulat, tenetur in hoc tali casu tutiorem partem eligere, & ad contritionem eliciendam eum, quem potest, conatum adhibere. Vid. Less. à num. 42. Reding n. 12. Meyger n. 12.

17 Sed quæritur jam primo, quando Martyrium conferat gratiam: Ratio dubitandi est: quia vel confert in instanti mortis, vel ante illud: non in instanti mortis; quia tunc homo non amplius existit. Non ante idem instans; quia tunc nondum est Martyrium, utpote consistens in ipsa morte pro Christo obita. Respondeo, Martyrium conferre gratiam in aliqua duratione imperceptibiliter antecedente instans mortis, dum nempe Martyr usu rationis jam destitutus peccare nequit amplius, aut certè ex speciali gratia impotens redditur ad peccandum in sensu composito. Licèt autem eo tempore brevissimo non sit mors in facto esse, est tamen mors in fieri, per quam perfici Martyrium suprà diximus. Vid. Gonet tomo 5. disp. 1. artic. 7. à num. 155. Pettschacher de Bapt. q. 4. artic. 2. pag. 364. Imò probabiliter dici potest, effectum Martyrii statim conferri, quamprimùm martyr ex illata violentia naturaliter mori debet, & non nisi miraculosè in vita conservari po est. Vid. Mezger n. 16.

18 Quæritur secundo; si mater gravida fiat Martyr, an etiam puer in ejus utero clausus fiat Martyr? Respondeo affirmativè. Ita Bonac. ubi suprà, num. 7. Filliuc. tract. 2. cap. 1. num. 10. & alii apud eosdem. Et quidem, si occidens matrem intendat puerum quoque occidere in odium Fidei, nostra responsio indubiè vera est: si id non intendat, etiam probabilis est. Rationem reddit Bonac. quia, cùm proles reputetur unum quid cum matre, par est, ut fiat particeps ejusdem Martyrii, dum in tali casu occiditur cum matre.

ARTI-

ARTICULUS V.

De Ministro, & Patrinis Baptismi.

EXpositâ in præcedentibus naturâ Baptismi, ad causam illius Ministerialem convertimur. Et quoniam susceptor, seu Patrinus ob aliquod ministerium, quod in Baptismo solemni exhibet, ad causam ministerialem, seu Ministrum reducitur, de ipso quoque agendum erit.

§. I.

De Ministro Baptismi.

SUMMARIUM.

1. Alia est potestas baptizandi validè tantùm; alia baptizandi validè & licitè. 2. *In casu necessitatis quilibet rationis compos baptizat validè & licitè.* 3. *In ejusmodi casu, ut licitè procedatur, servari debet ordo inter Ministros in Rituali Romano præscriptus.* 4. 5. 6. 7. *Resolvitur quæstio, quale peccatum sit ordinem illum invertere?* 8. *Omnis & solus Sacerdos habet potestatem ordinariam ex officio baptizandi.* 9. *Hæc tamen potestas in solo Sacerdote proprio est completa.* 10. *Parochus extra suam Parochiam, Episcopus extra suam Diœcesim illicitè baptizant.* 11. *Parentes non possunt sine gravi peccato prolem suam baptizandam offerre alieno Parocho sine licentia proprii.* 12. *An idem baptizare possit se ipsum?* 13. *An unus baptizari possit a pluribus?* 14. 15. *Solvuntur Objectiones.* 16. *An, & quomodo plures simul baptizari possunt ab uno?* 17. *Semper mortale peccatum est, si plures simul eundem baptizent.* 18. *Satisfit objectioni cuidam.*

1 POtestas conficiendi Sacramentum Baptismi duplex est; una videlicet, vi cujus præcisè conficitur validè, extra casum necessitatis: altera, vi cujus conficitur validè, & licitè simul. Illa habetur sine speciali consecratione & deputatione: ista convenit ex speciali consecratione & deputatione, quæ confertur per Sacramentum Ordinis; utque sit completa & proximè expedita, requirit insuper in Ministro concessionem Ecclesiæ tanquam necessariam conditionem, qua Ecclesia illi designat certos subditos, quibus Sacramentum administret.

2 Dico jam primo. In casu necessitatis quilibet homo rationis compos non tantùm validè, sed etiam licitè baptizat, dummodo cum debita intentione applicet debitam materiam & formam. Ita communis Catholicorum. Ratio est libera voluntas Christi istud Sacramentum propter summam ejus necessitatem sic instituentis, ut à quolibet, cujus copia haberi possit, administrari valeat. Quam Christi voluntatem atque institutionem declaratam habemus à Florent. in decr. Eugenii, illis verbis: *In casu necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etjam laicus, vel mulier; imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest.*

3 Cæterùm necessitas, in cujus casu procedit statuta jam Concl. debet esse tam ex parte Ministri, quàm ex parte baptizandi. Ex parte Ministri quidem, ut non adsit aliquis dignior, qui baptizet. Ex parte baptizandi verò, ut sit periculum, ne alioquin absque Baptismo moriatur. Quod periculum judiciô prudentûm, ac similia probè intelligentium, ut sunt Medici, obstetrices, aliave personæ expertæ, pensari debet. Vid. Mezger tomo. 4. tract. 16. disp. 25. artic. 1. num. 3. Pettschacher de Bapt. q. 2. artic. 1. pag. 325. qui existimant cum aliis, ad constituendam hanc necessitatem quemvis rationabilem timorem mortis sufficere. Debet insuper in ejusmodi casu, ut licitè procedatur, servari ordo inter Ministros in Rituali Romano, *tit. de Bapt. §. de Ministro Bapt.* præscriptus, nempe ut, si adsit Sacerdos, Diaconum præcedat; Diaconus Subdiaconum; Clericus laicum; fidelis infidelem; vir fœminam, nisi fortè honestatis causâ fœminam potiùs quam virum baptizare deceat, aut fœmina meliùs calleat formam & modum baptizandi.

Sed hinc oritur quæstio, quale peccatum sit memoratum ordinem sine necessitate invertere? Respondeo primo, absente Sacerdote invertere non esse peccatum mortale. Ita Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 4. Bonac. de Baptismo, disp. 2. q. 2. pu. 5. num. 11. Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 4. pu. 2. Ratio est: quia tunc, cùm nullus ex præsentibus ad baptizandum sit vi ordinationis specialiter deputatus, neque Sacramento, neque Ministro alicui fit gravis injuria. Erit igitur peccatum veniale tantùm, si præsente etiam Diacono Subdiaconus, aut alius Clericus inferior; præsente Clerico laicus; præsente viro mulier baptizet. Neque refert, quòd Diacono ex sua ordinatione conveniat posse

ex

ex commissione solemniter baptizare; quia hinc non efficitur, ipsum esse Ministrum ex officio, qualis est solus Sacerdos vi suæ ordinationis. Adeoque non apparet, quomodo gravis injuria inferatur sive ipsi, sive Sacramento, si tunc à non Diacono administretur. Dixi tamen, *absente Sacerdote*: quia juxta communem sententiam graviter peccat non Sacerdos præcedens in baptizando Sacerdotem præsentem, ac potentem baptizare. Ratio est: quia gravem injuriam infert tum Sacramento ipsi, quod ob sui reverentiam per se exigit administrari à solo Sacerdote, quando id fieri potest; tum Ordini Sacerdotali, vi cujus habetur jus, & potestas ordinaria baptizandi. Neque refert, etiamsi Sacerdos fortè urbanitatis causâ contentus sit, si baptizet alius non Sacerdos: cùm ipse ejusmodi licentiam concedere nequeat sine utraque injuria memorata. Vid. Laym. loco cit. Salmantic. n. 13.

5 Respondeo secundo, esse mortale peccatum, si præsente fideli baptizato alius non baptizatus, præsertim infidelis, aut hæreticus; vel, si præsente fideli non excommunicato excommunicatus ad conferendum Baptismum assumatur. Ita communiter DD. Ratio est: tum, quia id fieri vix posse videtur sine gravi scandalo aliorum: tum, quia inde gravis irreverentia Sacramento irrogari censetur. Accedit, quòd excommunicatus transgrediatur grave præceptum Censuræ prohibentis, ne sacris & spiritualibus negotiis se se immisceat. Vid. Laym. loco cit. Mezger ubi suprà num. 3. Oberascher de Bapt. tract. 2. cap. 2. pag. 332. Atque ideo, quamvis hæreticus, vel Catholicus excommunicatus sit Sacerdos, nihilominùs in administratione Baptismi illi præferri debet Catholicus etiam laicus, huic non excommunicatus itidem laicus, etiam fœmina: ut cum Theologis S. Galli tradit cit. Oberascher pag. 333.

6 Corollarium. In casu necessitatis quilibet ex prædictis tenetur sub mortali administrare Baptismum, quando non adest alius, qui administret. Salmantic. n. 19. & alii apud ipsos. Ratio est: quia præceptum Charitatis, quod graviter obligat ad subveniendum proximo in gravi necessitate corporali, etiam graviter, idque à fortiori, obligat ad subveniendum in gravi, aut omnino supremo periculo salutis spiritualis.

7 Dico nunc secundo. Quamvis extra casum necessitatis quilibet ex prædictis validè baptizet, non tamen quilibet baptizat licitè. Ita communis inter DD. Catholicos. Prima pars constat ex Jure Ecclesiastico, præsertim cap. *Firmiter. de Sum. Trinit.* ubi definitivè dicitur: *Sacramentum Baptismi tam parvulis, quàm adultis, in Forma Ecclesiæ à quocunque rite collatum, profecit ad salutem.* Quæ verba sonant absolutè, & citra mentionem de casu necessitatis. Ratio secundæ partis est: quia ex institutione Divina, sicut & jure positivo Ecclesiastico solus Sacerdos extra casum necessitatis est ordinarius Minister Baptismi. Unde graviter peccat, qui charactere Sacerdotali destitutus huic tali ministerio se se ingerere non veretur.

8 Dico tertio. Potestas ordinaria solemniter & ex officio baptizandi competit omni & soli Sacerdoti: ex commissione tamen Episcopi, vel Sacerdotis etiam Diaconus solemniter baptizare potest. Ita communis & certa sententia. Prima pars constat ex Concil. Florent. decreto de Sacram. ubi dicitur: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Et ratio congruentiæ est: quia potestas in corpus Christi mysticum consequitur ad potestatem in corpus Christi verum: ergo quemadmodum omnis & solus Sacerdos habet potestatem in corpus Christi verum mediante consecratione Eucharistica. Ita omnis & solus Sacerdos habet potestatem in corpus Christi mysticum, atque adeo jus ordinarium & ex officio per collationem Baptismi alios congregandi ac recipiendi in Ecclesiam. Ratio secundæ partis est: quia Diaconus in ordinatione accipit ab Episcopo specialem potestatem baptizandi contentam in illis verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Atqui hæc potestas non est ordinaria & ex officio; ut jam vidimus; ergo est saltem delegata & ex speciali commissione. Hæc tamen specialis commissio dari non potest, nisi adsit magna necessitas aut utilitas Ecclesiæ: de quo vid. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 7. n. 3. Reding to. 5. q. 8. a. 2. controv. 2. à n. 8. Mezger ubi suprà n. 6.

9 Dico quarto. Minister ordinarius Baptismi habens potestatem completam eundem administrandi est Sacerdos proprius, nempe Parochus. Ita communis. Ratio est: quia omnes quidem Sacerdotes juxta dicta in n. præced. habent jure Divino potestatem incompletam baptizandi ex officio, non tamen habent completam, cùm Christus voluerit eam compleri per concessionem & dispositionem Ecclesiæ, cujus in n. 1. meminimus. Atqui ex dispositione Ecclesiæ in solis Parochis completur memorata potestas baptizandi, sicut habetur in cap. *Interdicimus.* 16. q. 1. ergo.

10 Corollarium I. Tam Diaconus, quàm Parochus, imò etiam Episcopus, illicitè baptizat extra suam Diœcesim, vel Parochiam absque licentia Episcopi ejus Diœcesis, vel proprii Parochi; estque hoc modo baptizare peccatum ex suo genere mortale.

Gonet.

Gonet. tom. 5. tract. 3. disp. 2. a. 1. num. 2. Pettschacher de Bapt. q. 2. a. 1. pag. 329. & alii. Ratio est : quia talis injustè usurpat jus alienum. Excusari tamen potest à mortali, saltem Sacerdos, primo, ob licentiam præsumptam Parochi. Secundo, propter parvitatem materiæ, si nempe id faciat semel vel iterum, Parocho non contradicente, nec multùm de hujusmodi baptizatione curante.

11 Corollarium II. Parentes graviter peccant, si prolem suam alieno Parocho absque licentia proprii baptizandam offerant. Laym. ubi suprà num. 2. Ratio est : tum, quia violant legem Charitatis cooperandô alterius peccato ; tum, quia contra Justitiam juri alterius adversantur ? imò etiam Ecclesiæ ordinationem transgrediuntur.

12 Sed jam quæritur adhuc primo, an idem baptizare possit se ipsum ? Respondeo, non posse. Ita D. Thomas 3. p. q. 66. a. 5. ad 4. ubi rationem reddit his verbis : quia *mutaretur* forma, *si diceretur*, *Ego baptizo me*. Atque hinc Innocentius III. in cap. *debitum. de Bapt.* consultus de quodam Judæo, qui se ipsum baptizaverat, respondit, esse rebaptizandum. Alia quoque ratio depromi potest ex natura Baptismi, qui est Sacramentum regenerationis, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Sicut ergo nemo se ipsum regenerare, ita nec baptizare potest. Accedit, quod inter baptizantem & baptizatum intercedat spiritualis cognatio, quæ sine reali inter illos distinctione intelligi non potest. Vid. Gonet. a. 2. Mezger n. 9.

13 Quæritur secundo, an unus baptizari possit à pluribus ? Ante resolutionem notandum est, tripliciter intelligi posse, unum hominem baptizari à pluribus. Primo ita, ut unus abluat, & alter proferat formam : vel unus proferat unam partem formæ, & alter aliam : vel rursus, unus abluat unam partem baptizandi, alter aliam. Secundo ita, ut plures simul integrè abluant & proferant formam, & quilibet habeat intentionem baptizandi independenter ab altero. Tertio ita, ut simul, & integrè exerceant memoratas actiones cum mutua inter se dependentia & subordinatione, in quantum quilibet habet intentionem baptizandi dependenter à concursu alterius, quod exprimitur dicendô v. g. *Nos de baptizamus &c.* Nunc

Respondeo primo. Quando plures unum baptizant primo modo, Baptismus est nullus. Ita D. Thomas 3. p. q. 67. a. 6. in corp. & ad 3. Ratio est : quia hoc modo conferre Baptismum repugnat institutioni Christi, veluti colligitur ex perpetuo usu Ecclesiæ, in qua nunquam hactenus Baptismus fuit aliter administratus, quàm ab uno abluente & proferente formam. Imò in casu, quo unus proferret verba, & alter abluere, forma falsificaretur ; uti per se patet.

Respondeo secundo. Si plures simul eundem hominem baptizent secundo modo, validè baptizant. Ita rursus D. Thomas a. cit. & Theologi communiter. Ratio est : quia quilibet eorum habet necessariam & sufficientem intentionem ; applicat debitam materiam & formam : aliunde quoque baptizandus est capax Baptismi hac ratione à pluribus simul recipiendi : cùm ad nullius Baptismum supponatur tempore aut naturâ priùs baptizatus.

Confirmatur. Quando in ordinatione plures Sacerdotes noviter ordinati cum Episcopo proferunt verba Consecrationis supra eandem materiam, omnes validè consecrant, si in uno eodemque instanti illa verba absolvant, licèt, si unus priùs, quàm alii, absolvat ; hic solus validè consecret : ergo similiter, quando plures cum debita intentione eundem hominem aquâ perfundunt ; & super ipsum legitimam formam pronuntiant, omnes validè baptizant, si in uno instanti absolvant verba formæ, licèt, si unus priùs, quàm alii, absolvat, hic solus conficiat Sacramentum Baptismi.

Respondeo tertio. Baptismus tertio modo collatus uni à pluribus est itidem invalidus. Ratio est : quia in hoc tali modo baptizandi continetur intentio contraria institutioni Christi : veluti rursus colligitur ex perpetuo usu & praxi Ecclesiæ. Vid. de his Salmantic. tract. 1. de Sacram. Bapt. cap. 4. pu. 3. Reding tom. 5. q. 8. a. 2. controv. 3. Mezger ubi suprà n. 11. & seqq.

14 Nunc contra secundam Responsionem objicies primo. Idem numerô effectus non potest à pluribus causis totalibus ejusdem generis & ordinis simul procedere, ut docent nostri Philosophi in 2. Physic. Atqui hoc fieret, si vera esset nostra responsio : quia idem numero Baptismus procederet simul & semel à pluribus Ministris ceu causis totalibus instrumentalibus ejusdem generis & ordinis ; ergo. Respondent primo Salmantic. & alii Thomistæ, nihil esse absurdi in eo, quòd idem numerô effectus procedat à pluribus causis totalibus instrumentalibus ; quia uniuntur in una eademque virtute agentis principalis, cui subordinantur. Respondeo secundo neg. mi. & dico, cuilibet baptizanti pro illo actu communicari virtutem partialem tantùm ad baptizandum, ita ut quilibet seorsim acceptus sit causa instrumentalis partialis tantùm, licèt simul sumpti constituant unam causam totalem instrumentalem Baptismi. Hanc solutionem præ-

ter alias in Philosophia adhibui simili argumento de pluribus simul consecrantibus eandem hostiam. quia docui (idque adhuc sentio) ne quidem plures causas totales instrumentales ejusdem ordinis posse simul influere, etiam de potentia absoluta, in eundem numerô effectum.

15 Objicies secundo. In posito casu Baptismus neque esset unus, neque duplex, aut multiplex: ergo esset nullus. Ant. ostenditur. Non esset unus: quia esset multiplex ablutio & prolatio formæ. Non duplex, aut multiplex: quia una numerô persona non potest baptizari duobus vel pluribus Baptismis. Respondeo, in eo casu fore duplicem quidem seu multiplicem Baptismum materialiter; quia nempe essent plures ablutiones & pronuntiationes verborum physicè distinctæ; ut rectè advertit Objectio: non tamen fore duplicem aut multiplicem, sed unum formaliter, & moraliter propter unam, eademque significationem unius ejusdemque gratiæ & characteris.

16 Quæritur ulteriùs tertio, an; & quomodo unus possit plures simul baptizare? Respondeo, potest unus unico actu plures validè baptizare, nempe aspergendô aquâ, simulque formam pronuntiandô in plurali, *Ego vos baptizo &c.* non tamen id potest licitè extra casum necessitatis. Ratio primi est: quia tunc fiunt plures moraliter Batismi; sicuti, dum plures simul absolvuntur; sunt plures moraliter absolutiones & plura Sacramenta Pœnitentiæ. Ratio secundi est: quia extra casum necessitatis, v. g. pestis, instantis prælii, ubi non suppetit tempus unumquemque seorsim baptizandi, plures simul dicto modo baptizare est graviter immutare ritum Ecclesiasticum; adeoque grave sacrilegium, ut sentiunt communiter DD. Vid. Reding a. cit. controv. 4. Mezger n. 10. Oberascher tract. 2. de Bapt. cap. 2. §. 2.

17 Corollarium. Semper grave peccatum est, si plures simul eundem baptizent, quocunque ex modis in num. 13. recensitis id faciant. Ratio est: tum, quia taliter baptizantes in materia gravi agunt contra usum & praxim Ecclesiæ. tum, quia absque ulla necessitate exponunt formam Sacramentalem periculo frustrationis, etiam in secundo modo baptizandi. quid enim facto pronius, quàm unum in absolvendo pronuntiationem verborum prævenire ab altero? in quo casu præventus reverà irrito conatu ea proferret. Reding a. cit. controv. 3. n. 4. Oberascher pag. 340.

18 Objicies. Fieri potest, ut, dum parvulus quispiam nondum baptizatus, adsint duo tantùm homines, quorum unus mancus, alter mutus: in quo casu ob maximam necessitatem Sacramenti utique erit licitum mutuo abluere, & manco proferre verba formæ, ne puer æternùm pereat. Confirmatur. Possunt plures simul non solùm validè, sed etiam licitè consecrare eandem hostiam, non obstante periculo frustrandi formam: ergo etiam plures simul non solùm validè, sed etiam licitè possunt baptizare eundem hominem, nempe simul abluentes, formamque pronuntiantes, & absolventes in eodem instanti, non obstante illo periculo frustrationis. Respondeo ad Object. neg. ita baptizare tunc fore licitum. ratio sufficienter colligitur ex n. 13. in prima respons. Unde in eo casu illi duo homines ita se haberent, acsi nullus adesset Minister. Gonet to. 5. tract. 3. disp. 2. a. 2. num. 29. Oberascher pag. 343. In Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. quia in Sacramento Eucharistiæ memoratum periculum cohonestatur ex mystica ejus significatione, qua docemur, esse institutum per modum convivii, cui plures adhiberi solent. Atqui nec ista, nec alia ratio locum habet circa Sacramentum Baptismi. Deinde plures consecrare simul eandem hostiam non repugnat usui & praxi Ecclesiæ; sicut tamen repugnat plures baptizare simul eundem hominem. Salmantic. tract. 1. de Bapt. cap. 4. pu. 3. n. 27. Reding loco cit.

§. II.

De Patrinis Baptismi.

SUMMARIUM.

1. Cæremoniæ Baptismi in triplici classe. 2. In Baptismo solemni adhibendus est Patrinus. 3. Non autem in privato. 4. Quid, si in privato quis teneat infantem cum intentione fungendi officiô Patrini? 5. Omnes baptizati rationis compotes officium Patrini validè obire possunt. 6. Non tamen omnes licitè. 7. Unus tantùm, vel ad summum unus & una adhiberi possunt in Patrinos. 8. Afferuntur conditiones necessariæ, ut quis efficiatur verus Patrinus. 9. Graviter obligatur Patrinus ad filium suum spiritualem in rebus Fidei instruendum.

BAptismus cætera Sacramenta multitudine cæremoniarum ac rituum excedit. Earum cæremoniarum aliæ sunt antecedentes, aliæ concomitantes, aliæ subsequentes: quas omnes singillatim recensere vel ideo supersedeo, quòd in quovis Rituali Diœcesano distinctè atque ordine præscriptæ habeantur. Minimè tamen una illarum, nempe designatio Patrini, ob speciales difficultates suas hîc absque declaratione aliqua 1

aliqua prætermitti debet. De qua proinde per nonnullas conclusiones agendum.

2 Dico primo. In Baptismo solenni adhibendus est Patrinus, id est, persona aliqua præter baptizantem, quæ baptizatum de sacro fonte levet seu suscipiat, inque suam tutelam ac fidem recipiat, sacrâ doctrinâ & bonis moribus imbuendum. Constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, cujus meminit S. Dionysius cap. 2. de Eccl. Hierarch. Tertullianus lib. de Bapt. cap. 3. S. Augustinus Epist. 23. & Serm. 163. de temp. & Serm. 215. & alibi. Quod idem præcipitur tum à Jure Canonico in variis capitulis, tum à Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de Reformat. Elegantem tationem reddit D. Thomas 3. p. q. 67. a. 7, quia homo recenter baptizatus se habet instar parvuli recenter nati nativitate corporali: sicut ergo ejusmodi parvulus indiget nutrice & pædagogo, ita recenter baptizatus, & spirituali nativitate renatus indiget aliquo, qui ipsum doctrinâ Christianâ enutriat, ac bonis moribus instituat. Porrò non adhibere Patrinum in Baptismo esse mortale peccatum facilè perspicitur: cùm sit violatio præcepti Ecclesiastici, & omissio ritus præscripti in materia gravi. Unde Parocho præcipuè incumbit curare, ne Baptismum sine Patrino administret; velut etiam præcipit Concil. Trid. cap. cit.

3 Dixi verò, *in Baptismo solenni.* Nam in privato & non solenni Baptismo nullam esse obligationem adhibendi Patrinum tradunt communiter DD. Ratio est: tum, quòd in Baptismo privato ob urgentem necessitatem etiam aliæ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ licitè omittuntur. tum, quòd in ejusmodi casu parentibus vix integrum sit eligere Patrinum idoneum: unde Ecclesia hanc eis obligationem imponere voluisse non præsumitur. tum, quòd adhibere Patrinum sit cæremonia instituta pro Baptismo solenni, ut satis colligitur ex eod. loco Trident.

4 Sed quæstio oritur, si in privato Baptismo aliquis adsit, qui infantem teneat ex intentione obeundi munus Patrini, an verus Patrinus efficiatur, & spiritualem cognationem contrahat? Affirmant Navarrus, Coninck & alii, quos refert & sequitur Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 5. Ratio est: quia Patrinus in Baptismo non tantùm adhibetur propter solemnitatem, sed multò magis propter obligationem instruendi doctrinâ Christianâ baptizatum, qua instructione indigere potest etiam non solemniter baptizatus. Et quamvis Ecclesia non præcipiat, ut Patrinus adhibeatur in Baptismo privato; tamen non prohibet etiam, quo minùs verè interveniat. Hæc sententia est probabilis: probabiliorem tamen judico negativam, quam tenent Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 62. num. 15. Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 7. pu. 2. num. 15. Illsung tract. 6. disp. 2. a. 6. num. 27. Pettschacher de Bapt. q. 2. a. 3. pag. 341. Oberascher tract. 2. cap. 3. pag. 373. & alii. Ratio est: quia ille tantùm efficitur verè Patrinus, & contrahit cognationem spiritualem, qui baptizatum suscipit ex instituto Ecclesiæ: sed hoc non præstat, qui suscipit in Baptismo privato: quia susceptio ab Ecclesia instituta est cæremonia Baptismi solemnis. Neque interest ad contrahendam cognationem spiritualem, quòd tenens tunc infantem velit obire munus Patrini seu Susceptoris; quia non est in ejus potestate hanc cognationem contrahere, nisi positis ad id requisitis ab Ecclesia. Sed neque dicas Baptizans in privato Baptismo contrahit cognationem spiritualem: ergo etiam suscipiens. Respondetur enim neg. conseq. tum, quia baptizans tunc verè baptizat; suscipiens autem non verè ac propriè suscipit; quia non suscipit, ex instituto Ecclesiæ. tum, quia jura hanc cognationem inducentia loquuntur solùm de Patrino in Baptismo solemni; de baptizante autem loquuntur universaliter: prout advertit Pettschacher loco cit. Ad fundamentum sententiæ contrariæ dic, veram rationem Patrini ex institutione Ecclesiæ esse annexam Baptismo propter solemnitatem. potrò necessitati instruendi baptizatum, cujus ibi fit mentio, tuno subveniendum per alium, qui non sit verè Patrinus. Oberascher pag. 374.

5 Dico secundo. Quilibet baptizatus, sive vir, sive fœmina, modò rationis sit compos, officium Patrini validè suscipere potest. Ita communis. Ratio est: quia quilibet talis est aptus ad fungendum hoc officio. cùm possit formare legitimam intentionem, pro baptizando spondere, eumque in Baptismo tenere, & curam ipsius gerere in instructione Christiana &c. Quando tamen baptizandus est mas, saltem adultus, vix decet à fœmina suscipi munus Patrini, ut habet Illsung n. 24.

6 Dixi: *quilibet &c. validè suscipere potest.* nam illicitè Patrini sunt primo Abbates, aliique Monasticæ vitæ sanctitatem professi, nisi evecti sint in Episcopos, per cap. *Non licet Abbati.* 203. *de Consecrat. dist.* 4. cap. *Placuit.* 16. *q.* 1. consuetudo tamen, ut videmus, passim habet contrarium. Secundo, pœnitentes publici, & moribus infames. Tertio, hæretici & Apostatæ. Quòdsi tamen sine magna patentum offensa non possit repelli hæreticus, eum ad nutus

Patrini licitè admitti docet Laym. ubi suprà num. 7. Quarto, illicitè Patrini sunt parentes respectu propriæ prolis, graviterque peccant, si esse præsumant. Patrinum esse posse fratrem vel sororem docet ex Tambur. Pettschacher pag. 338. cùm id nullo jure inveniatur prohibitum. Unde si frater v. g. sit Patrinus sororis, contrahitur inter illos cognatio spiritualis.

7 Dico tertio. Unus tantùm, vel ad summum duo vir & fœmina adhiberi possunt in Patrinos. Ita statutum est à Concil. Trid. *sess. 24. cap. 2. de Reformat.* Motivum ita statuendi fuit, ne cognatio spiritualis, ceu impedimentum dirimens Matrimonium, inter nimium multos contrahatur. Quòd si plures viri & fœminæ à parentibus designentur nec à Parocho, sive ob ignorantiam sive ob negligentiam rejiciantur, probabile est, omnes fieri Patrinos & cognationem spiritualem contrahere, si baptizatum simul suscipiant de Sacro fonte. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 25. a. 2. num. 5. Salmantic. ubi suprà num. 45. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 57. n. 13. Reding tom. 5. q. 8. a. 2. controv. 6. n. 32. Dixi: *si simul suscipiant.* nam si successivè unus post alterum id faciat, jam secundus ex illis ejusdem sexûs non erit Patrinus, neque adeo contrahet cognationem spiritualem. quia munus Patrini ab Ecclesia institutum jam per prioris susceptionem completum est. Sanchez num. 14. Reding loco cit.

8 Dico quarto. Conditiones necessariæ, ut quis efficiatur verus Patrinus, & cognationem spiritualem contrahat, sunt tres sequentes. nempe prima, ut baptizatum vel ipse teneat, vel de manibus baptizantis suscipiat, idque vel immediatè per se, vel per suum vivarium. Secunda, ut habeat intentionem saltem virtualem, & implicitam fungendi officiô Patrini. Unde, qui infantem præcisè tenet animô juvandi Patrinum, vel alterius nomine, ut vicarius, aut procurator, non efficitur Patrinus. Tertia, ut Baptismus administretur solemniter: de quo jam dictum est in n. 4. Vid. Illsung tract. 6. disp. 2. a. 6. n. 27. & 28. ubi etiam ostendit, præter adductas conditiones immeritò alias requiri ab aliis. De cætero secundùm jus novum Concil. Trid. ubi suprà cognatio spiritualis in Baptismo contrahitur inter sequentes personas. Primo, inter baptizantem & baptizatum. Secundo, inter baptizantem & utrumque parentem baptizati. Tertio, inter Patrinum & baptizatum. Quarto, inter Patrinum & utrumque parentem baptizati. Inter Patrinos ipsos, nempe dum mas & fœmina hoc munus simul obeunt, non oritur cognatio spiritualis. quando enim Trident. loco cit. dicit: *ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum &c.* Iy *inter quos* non est ita accipiendum, acsi inter illum unum & unam contrahatur cognatio spiritualis, sed quòd inter illos & cæteras personas, quas ibi recenset, nosque recensuimus: veluti notat Pettschacher ubi suprà pag. 339.

9 Dico quinto. Patrinus graviter obligatur ad filium suum spiritualem in rebus fidei, & doctrinâ Christianâ instituendum. Ita cum D. Thoma 3. p. q. 67. a. 8. omnes DD. & sumitur ex cap. *Vos ante omnia.* de consecrat. dist. 4. cap. *Ita diligere.* 30. q. 1. & Leone III. in Concil. Mogunt. cap. 47. illis verbis: *Præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi spirituales filios suos Catholicè instruant.* Ratio ex D. Thoma est: quia unusquisque obligatur ad fungendum suo officio, quod suscepit: sed, qui levat quempiam de sacro fonte, suscipit in se officium Pædagogi in spiritualibus; ergo tenetur eo fungi; adeoque habere curam baptizati in spiritualibus. Verùm hæc obligatio Patrinos rarò stringit in regionibus fidelium: cùm prudenter possint præsumere, baptizatos sufficienter à parentibus, tutoribus, aut ludimagistris imbui doctrinâ Christianâ. Hinc aliud judicandum in regionibus infidelium & hæreticorum, si parentes sint hæretici, vel infideles: tunc enim Patrini haud dubiè tenentur, ut possunt, saluti spirituali baptizatorum consulere. Salmantic. n. 27. Reding n. 5. & alii communiter.

ARTICULUS VI.

De Necessitate, & subjecto Baptismi.

Circa necessitatem supponendum est, eam ad præsens institutum esse duplicem, medii nimirum, & præcepti, quas jam alibi exposuimus. De utraque hac necessitate procedet disputatio. Circa subjectum Baptismi quæstio est primo, quodnam sit subjectum capax illius? Secundo, an licitè baptizentur infantes infidelium invitis parentibus? Tertio, an semel baptizatus possit baptizari iterum? Quarto, an, & quænam in adultis requiratur dispositio ad Baptismum validè & licitè suscipiendum?

§. I.

De Necessitate Baptismi.

SUMMARIUM.

1. *Error Hæreticorum, & sententia Cajetani.* 2. *Baptismus in re, vel in voto omnibus ad salutem est necessarius necessitate medii extra casum Martyrii &c.* 3. *Respondetur ad persuasiones contrarias in n. 1. relatas.* 4. *Adultis Baptismus est necessarius etiam necessitate præcepti.* 5. *Præceptum Baptismi obligat omnes obligationis capaces.* 6. *Graviter peccant parentes, dum non curant, ut infantes, quamprimùm fieri potest, baptizentur.* 7. *Adulti graviter obligantur, ut suscipiant Baptismum, quamprimùm sufficienter instructi sunt.*

1 BAptismum ad salutem esse necessarium jam pridem inficiati sunt Pelagiani, eò quòd existimaverint, nullum dari peccatum originale. Id ipsum hodie, ex parte saltem, negant Calvinistæ, dum ex eo, quòd 1 Corinth. 7. fidelium filii vocentur sancti, inferunt, nulli eorum à DEO imputari peccatum originale; adeoque nullam in illis esse Baptismi necessitatem ad salutem. Ex Catholicis Cajetanus, uti testatur Gonet tomo 5. tract. 3. disp. 3. a. 1. docuit, deficiente baptizandi opportunitate parvulis ad salutem sufficere votum Baptismi à parentibus, vel aliis conceptum; ac præcipuè exteriori aliquo signo expressum. Sed contra hæc

2 Dico primo. Baptismus in re omnibus parvulis extra casum Martyrii, vel alterius privilegii, quo DEUS quempiam præservet à peccato originali, vel mundet in utero matris, necessarius est necessitate medii ad salutem: omnibus verò adultis est sic necessarius in re, vel in voto, quando non potest suscipi in re. Ita communiter Catholici. Ratio primæ partis est: quia sine Baptismo in re parvuli neutiquam possunt obtinere salutem, nisi Martyriô afficiantur, quod est Baptismus sanguinis, vel alio privilegio, ut meminimus; illis à Deo subveniatur: ergo est illis necessarius necessitate medii. Conseq. patet. Ant. sumitur ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis juxta interpretationem SS. Patrum significatur, neminem sine Baptismo posse consequi salutem. Unde ex hoc eodem sacro textu colligitur, etiam secunda pars Concl. in cujus confirmationem accedit authoritas Concilii Trid. sess. 7. can. 5. dicentis: *Siquis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Sufficere autem votum Baptismi, dum re ipsa suscipi non potest, tradit idem Concilium sess. 6. de Justific. cap. 4. constatque ex suprà dictis in a. 4. n. 3.

3 Contra veterem errorem Pelagianorum supponenda est cum fide Catholica existentia peccati originalis ab omnibus Adæ posteris intrinsecè contracti; quam nos alibi asseruimus. Ad fundamentum Calvinistarum ex Apostolo respondetur primo cum S. Chrysostomo homil. 19. in illam epistolam, Paulum filios fidelium vocare sanctos sanctitate negativa, id est, nihil sanctitatis depердere, si alter parentum fidelis sit, licèt alter sit infidelis. Respondetur secundo, ex SS. Ambrosio, Thoma, & Anselmo, Apostolum loqui de sanctitate quadam legali, nempe de legitima nativitate, & sensum esse, *Filii vestri sancti sunt*, id est, non spurii, sed legitimi. Accedit, ex illo loco ad Corinth. probari, etiam conjugi infideli nec Fidem, nec Baptismum esse necessarium ad salutem; cùm ibi dicatur, conjugem infidelem sanctificari per conjugem fidelem. quod est probari nimium.

Sententiam relatam Cajetani ex ejus commentariis in D. Thomam expungi jussit Pius V. eamque Gonet vocat temerariam & errori proximam. Et certè nullum habetur fundamentum, sive ex S. Script. sive ex traditione, sive alia authoritate sacra, limitandi verba illa Christi universalia, *Nisi quis renatus fuerit &c.* ut non comptehendant parvulos opportunitate Baptismi destitutos. Sed nihilominùs Cajetanus ita arguebat: In antiqua lege parvuli præter Circumcisionem habebant aliud remedium peccati originalis, ita, ut, si ante octavum diem periclitarentur de vita, illis sufficeret ad salutem fides parentum applicata per aliquod signum sensibile: ergo similiter, imò à fortiori, in lege gratiæ præter Baptismum habebunt aliud remedium peccati originalis, ita, ut dum non possunt baptizari, sufficiat ad salutem fides parentum applicata per signum externum, & invocationem SS. Trinitatis. Conseq. prob. tum, quòd fides in lege veteri non fuerit majoris virtutis, quàm modò est in nova: tum, quòd aliàs parvuli in lege nova essent deterioris conditionis, quàm in lege illa Mosaica, & in lege naturæ. Per legem gratiæ quoque via salutis esset arctata & difficilior reddita: quod procul dubio admitti non potest.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd in lege veteri Circumcisio differri debuerit usque ad octavum diem. unde parvulis ante octavum diem de vita periclitantibus concedendum fuit aliud remedium applicandum, nempe Sacramentum legis naturæ.

turæ. Atqui Baptismus in nova lege parvulis conferri potest, quamprimùm in lucem sunt editi: adeoque mirum non est, quòd de nullo alio remedio illis provisum sit. Ad primam probat. conseq. dico, fidem quidem in ratione fidei non fuisse majoris virtutis in lege veteri, quàm modò; in ratione tamen Sacramenti quatenùs signo sensibili expressam aliquid habuisse supra nostram fidem. In secunda probat. neg. seq. tum, quòd multis parvulis etiam in lege scripta, & in lege naturæ nullum applicari potuerit remedium peccati originalis: tum, quod in nostra lege per totum orbem diffusa plures parvuli salventur, quàm tunc in fide parentum salvati sunt: tum, quòd Baptismus uberiorem gratiam conferat, quàm remedia antiqua. Negatur etiam, viam salutis per institutionem Baptismi esse arctatam & difficiliorem redditam: cùm potiùs sit dilatata & facilior reddita: tum, quòd facilius sit administrare nostrum Baptismum, quàm signo sensibili adjungere actum fidei supernaturalis, prout requirebatur ad Sacramentum illud legis naturæ. tum, quòd tempore legis naturæ & scriptæ soli fideles administrare potuerant Sacramentum pro parvulis institutum; cùm tamen Baptismum etiam pagani, hæretici, & quilibet infideles administrare possint. Accedit, quòd in nostra lege longè plures sint fideles, quàm erant in lege naturæ vel scripta, qui parvulis de administratione Baptismi prospiciant. vid. Gonet ubi suprà.

4 Dico secundo. Adultis Baptismus est necessarius etiam necessitate præcepti. Ita communiter omnes. Ratio est: quia Baptismus est adultis necessarius necessitate medii, ut vidimus: ergo est illis necessarius etiam necessitate præcepti. Conseq. patet: quia quilibet tenetur ex præcepto Divino adhibere medium necessarium ad salutem, quando id subest illius liberæ potestati & arbitrio: cùm proinde Baptismus sit tale medium, adulti tenentur eum suscipere, dum est in eorum potestate. Sed hoc est esse necessarium necessitate præcepti; ergo &c. Colligitur hoc idem præceptum etiam ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* & ex illo Matth. ult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ubi Christus præcipiendò Apostolis, ut omnes gentes baptizarent, implicitè aliis præcepit, ut Baptismum susciperent. Colligitur præterea ex Concil. Trid. sess. 7. can. 5. suprà cit. ubi anathemate percellit dicentes, Baptismum esse liberum. Ex dictis

5 Infertur primo, præceptô primùm assertô obligari omnes homines legis, aut præcepti capaces. Ratio est: quia verba ejusdem præcepti sonant universaliter, & ad omnes diriguntur. Unde sequitur primo, illo obligari omnes infideles. Ratio est: quia istud præceptum tulit Christus, qui habuit potestatem obligandi omnes, nec quemquam ab ejus obligatione exemisse invenitur. Sequitur secundo, neminem mortalium proprii arbitrii capacem posse citra injuriam humana aliqua potestate impediri, quominùs Baptismum suscipiat, si velit. Pettschacher de Bapt. q. 3. a. 1. pag. 348. Sequitur tertio, Catechumenum, quantumcunque sibi videatur contritus, & esse in statu gratiæ, teneri nihilominùs suscipere Baptismum. Ratio est: quia hoc ipso, quòd per contritionem perfectam conatus fuerit se constituere in statu gratiæ, habuit propositum suscipiendi re ipsa Baptismum; adeoque satisfaciendi præcepto Divino: ergo tenetur exequi illud suum propositum. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 2. n. 7. Adde, quòd sit obligatus ad aggregandum se corpori Ecclesiæ, cujus non potest fieri membrum, nisi Baptismum re ipsa suscipiat.

Infertur secundo, parentes sub mortali 6
peccato obligari ad curandum, ut infantes, quamprimùm commodè fieri potest, baptizentur. Ratio est: tum, quia ita fert communis consuetudo totius Ecclesiæ, ne citra legitimam causam diu differatur Baptismus infantium. tum, quia valde repugnat pietati & charitati parentum permittere, ut sui liberi diu maneant membra Diaboli, quando illos facilè efficere possunt membra Christi & Ecclesiæ. Quòdsi ex parentum, aut etiam tutorum parte in hoc interveniat negligentia, eam corrigere atque supplere tenentur ex officio Pastores Ecclesiæ: veluti constat ex Rituali Romano Pauli V. *tit. de Bapt. §. de baptiz. Parvulis*, ubi dicitur: *Opportunè Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, quamprimùm fieri poterit, deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimiùm differatur cum periculo salutis.* Quanta verò dilatio sit nimia, & sufficiens ad peccatum mortale, arbitriô prudentûm est metiendum. non enim in hac re conveniunt Authores. Valentia cum aliis, ut ex Tambur. refert Pettschacher, existimat, dilationem trium, vel quinque, vel etiam plurium dierum, non esse peccatum mortale. Sotus docet, posse Baptismum differri in diem octavum, imò in decimum vel duodecimum à nativitate. Petrus Ledesma censet, sine urgente causa differre quindecim, aut viginti dies esse nimium, adeoque mortale. Monet autem Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 9. quando adest legitima causa differendi Baptismum solemnem, quia v. g. Patrini exspectandi sunt, non oportere infantem baptizare privatim, ac postea adhibere cæremonias intermissas. hoc enim non est

licitum

licitum nisi in casu necessitatis: quæ hîc nulla urgere supponitur. Sollicitè tamen eo tempore dilationis infanti advigilandum, ne ob ingruentem aliquam infirmitatem sine Baptismo decedat, ut habet idem Laym. loco cit.

7 Infertur tertio, adultos nondum baptizatos obligari sub mortali ad Baptismum suscipiendum, quamprimùm in fide sufficienter instructi, & probati commodè possunt. Ita communiter Theologi. Ratio est primo. Quia quilibet obligatur ex præcepto Charitatis erga se ipsum, ut adhibeat media necessaria ad salutem, quamprimùm id facere commodè potest: sed tale medium est Baptismus: cùm sine illo homo sit in periculo salutis æternæ; obnoxius laqueis Diaboli, & sexcentis in peccata præcipitiis expositus. vid. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 2. n. 5. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 26. a. 2. n. 5. Ratio est secundo. Baptismi susceptio non potest sine peccato mortali differri usque ad mortem, ut est communis sententia: pro tempore autem medio inter ultimum vitæ, & primum usûs rationis, ejus præceptum non obligat: cùm non sit major ratio, quare obliget pro una potiùs, quàm pro alia parte illius temporis: ergo supereſt, ut obliget, quamprimùm dignè ac commodè suscipi potest Baptismus. Confirmatur primo. Veritati Fidei tenetur quis assentiri, quamprimùm est illi sufficienter proposita: ergo etiam Baptismum tenetur quis suscipere, quamprimùm in rebus Fidei est sufficienter instructus. Confirmatur secundo. Qui vovet ingredi Religionem absque determinatione temporis, tenetur ingredi, quamprimùm moraliter potest: ergo similiter, imò à fortiori, obligatus præceptô suscipiendi Baptismum, per quem ingredimur in Ecclesiam, tenetur satisfacere eidem præcepto, quamprimùm moraliter potest. Vid. Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 5. pu. 1. n. 14. & 15. Laym. n. 8. Pettschacher de Bapt. q. 3. a. 1. à pag. 349. Neque obstat, quòd plures olim, interque eos etiam S. Ambrosius, & S. Martinus, susceptionem Baptismi usque ad ætatem maturiorem, vel etiam mortis periculum distulisse legantur: dicitur enim, eos hoc fecisse vel ex rationabili causa, vel ob inculpabilem ignorantiam excusari meruisse. Salmantic. n. 16.

§. II.

De Subjecto Baptismi, & dispositione ad illum suscipiendum necessaria.

SUMMARIUM.

8. Statuitur communis sententia de subjecto Baptismi. 9. Illationes practicæ. 10. 11. 12. Resolvitur & per Corollaria declaratur difficultas de Baptismo monstrorum. 13. Asseritur contra Anabaptistas, parvulos validè & licitè baptizari ante usum rationis. 14. In adulto, ut validè baptizetur, requiritur positiva intentio hoc Sacramentum suscipiendi. 15. Corollarium de Baptismo amentium.

Dico primo. Subjectum Baptismi est 8
omnis & solus homo vivus, viator, ab Adamo descendens, & nondum baptizatus. Ita omnes Catholici. Et sumitur inprimis ex S. Script. Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* & Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Deinde ratio est: quia illi omnes & soli sunt subjectum Baptismi, pro quibus est institutus, & quibus est necessarius ad salutem: sed pro omnibus & solis hominibus vivis, viatoribus &c. Baptismus est institutus, eisque necessarius ad salutem; ut vidimus in §. præced. ergo. Atque hinc

Sequitur primo, nullum esse Baptismum, 9
quando puer moritur inter baptizandum, necdum finita forma. Ratio est: quia tunc, quando perficitur actio Sacramentalis, non est ampliùs homo, sed fuit. Sequitur secundo, non valere baptismum iteratum, si nempe jam semel fuit validè collatus: de quo plura inferiùs. Sequitur tertio, infantem, de quo dubitatur, an vivat, esse baptizandum sub conditione. Ratio est: quia, si fortè vivat re ipsa, Baptismum validè & fructuosè suscipit. Vid. de his Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 6. pu. 1. Sequitur quarto, nullo modo baptizandum esse Satyrum, sive fœtum ex fœmina humana & mare bruto; esse verò baptizandum fœtum ex mare humano & fœmina bruta procreatum. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 6. n. 3. Gobat tract. 2. n. 281. Ratio est: quia prior non est, posterior verò est homo ab Adamo descendens. Sed major est difficultas de aliis monstris. ad quam

Dico secundo. Si monstrum referat hu- 10
manam speciem, seu formam baptizandum est; secùs, si non referat. Ita communiter DD. Ratio est: quia, quod habet humanam formam, in illo censetur esse anima rationalis; adeoque constat esse hominem: secùs se res habet in eo vivente, quod non refert talem formam. vid. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 13. Mezger tr. 16. disp. 26. a. 1. n. 5. Oberascher tr. 2. cap. 2. §. 6. Quòd si ex forma seu specie externa & operationibus talis fœtûs non certò deprehendi possit, an habeat animam rationalem, sitq; dubium, an sit homo? exspectari debet aliquamdiu, donec res meliùs exploretur. Si tamen subesse videatur periculũ mortis, Baptismus adhibend⁹ est sub conditione: *Si tu es homo,*

homo, ego te baptizo &c. ut præter citt. monent Salmantic. n. 6.

11 Corollarium I. Si monstrum nascatur, cujus membra principalia, videlicet caput & pectus, humanam formam habent, baptizari debet: secùs, si formam bestiæ præseferant. Laym. loco cit. Oberascher pag. 369. Ratio est: quia, dum habet membra principalia hominem referentia, censeri debet vivere animâ humanâ; secùs, si hæc speciem bestiæ habeant. Quòd si totum corpus monstri humanum sit præter caput, & hoc solum ferinum existat, incertum est, sitne homo, necne. quia non est certa illorum sententia, qui asserunt, cor, quod latet sub pectore, esse membrum principale animalis. Unde Minister tunc gerere se debet, sicut priùs diximus, quando est dubium, an monstrum sit homo, vel non?

12 Corollarium II. Quando constat quidem, monstrum esse in natura humana, dubium tamen est, an sit unus, vel duplex homo? duplex Baptismus illi conferendus est, unus absolutè in ea parte, ubi perfectiùs deprehenditur esse hominem; alter conditionatè in altera parte, ubi membra principalia minùs perfectè & distinctè apparent. Salmantic. n. 7. Quando autem ex diversitate operationum certò deprehenditur, esse duos homines, Baptismus administrari debet distinctis verborum formis & ablutionibus. Laym. ubi suprà. Bonac. n. 4. Ratio est: quia si Minister utrumque uno simplici Baptismo abluat, & neutrum sua intentione determinet, neuter baptizatur: si unum ex illis determinet, alter Baptismô carebit. In necessitate tamen, quando est in mora periculum, potest ejusmodi monstrum baptizari una simplici affusione aquæ, & una prolatione formæ, quæ virtualiter sit duplex: *Ego vos baptizo &c.* Laym. loco cit. Oberascher pag. 371.

13 Dico jam tertio. Parvuli validè & licitè baptizantur, antequàm obtento usu rationis ad hoc se ipsos possunt disponere. Ita omnes Catholici contra Anabaptistas, qui obstinatè contendunt, infantes non esse baptizandos ante eam ætatem, in qua hoc Sacramentum propria dispositione instructi possint suscipere. Sed nostra sententia constat apertè tum ex perpetua praxi Ecclesiæ: tum ex definitionibus Concilior. ex quibus Trident. sess. 5. de pecc. orig. can. 4 anathemate ferit eos, qui negaverint, *parvulos recentes ab uteris matrum esse baptizandos &c.* Sess. autem 7. de Baptismo, can. 13. & 14. definit, parvulos, ut baptizari possint, non indigere fide; nec, ubi adoleverint, interrogandos esse, an ratum habeant, quod eorum Patrini pro ipsis spoponderunt? In illis enim, ut habet communis sensus fidelium, fidem & intentionem supplet Christus & Ecclesia. vid. Reding to. 5. q. 8. a. 1. controv. 1. à n. 2. Salmantic. cap. cit. pu. 3. n. 39.

Dico quarto. Ut adultus validè suscipiat Baptismum, requiritur in illo positiva intentio suscipiendi: ut autem licitè, & fructuosè suscipiat, requiritur fides, & saltem attritio supernaturalis, supposito, quòd non solo peccato originali, sed etiam personali sit inquinatus. Ita communis. Prima pars constat, tum ex cap. *majores. de Bapt.* & cap. *de Judæis. dist.* 45. tum ex praxi Ecclesiæ, quæ nullum adultum semel baptizatum permittit iterum baptizari, si constet, voluntariè fuisse baptizatum; permitteret autem, imò præciperet, si constaret de contrario: ergo signum est, requiri in adulto intentionem suscipiendi & liberum consensum. Qui consensus non debet necessariò esse formalis, sed sufficit virtualis, imò & interpretativus, & habitualis. Vid. quæ diximus de Sacram. in com. disp. 3. a. 1. n. 1. Secunda pars prob. ex S. Script. nam Marci ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit &c.* & Actor. 2. Petrus hortatur baptizandos: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Ex quibus clarè conficitur tum actum Fidei, tum Pœnitentiæ Baptismo præmittendum esse ab adulto. Aliunde quoque constat, peccatum personale non remitti, nisi per Pœnitentiam retractetur. requiritur proinde aliquis dolor de illo supernaturalis, qui vel sit contritio perfecta, vel saltem attritio. non enim requiritur determinatè perfecta contritio, ita ut non sufficiat attritio: sicuti probavimus disp. cit. a. 2. n. 1. Sed quid, si adultus habeat solum peccatum originale, & nullum personale? Respondeo, dato hoc casu (qui tamen in doctrina D. Thomæ à nobis alibi asserta est impossibilis) non requiri, imò nec locum habere posse actum aliquem Pœnitentiæ; quippe qui non est, nisi de peccato personali proprio, eoque præterito; sed præter intentionem suscipiendi sufficere alium aliquem actum supernaturalem, v. g. Spei, ut ejusmodi baptizandus censeatur esse debitè dispositus. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 26. a. 2. num. 14.

Corollarium. A nativitate amentes sine lucidis intervallis baptizandi sunt in fide Ecclesiæ. Ratio est: quia tales æquiparantur infantibus. Quòd si non à nativitate amentes, sed aliquando sui compotes extiterint, attendi debet, an in eo statu ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum, vel non? si prius; baptizandi sunt. si posterius; non sunt baptizandi, ob defectum scilicet intentionis. Si verò amentes à nati-

nativitate habeant lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt, rursus attendendum est, an tempore talis intervalli baptizari voluerint, vel non? Si voluerunt; baptizandi sunt, etiam tempore amentiæ iterum ingruentis; & licèt tunc maximè reluctentur. Si non voluerunt, non sunt baptizandi. Ita ex D. Thoma 3. p. q. 68. a. 12. Oberascher tract. 2. de Bapt. cap. 2. §. 4. pag. 347. Mezger num. 10. Demum, quando dubitatur, an amens ante amentiam, vel tempore lucidi intervalli petierit Baptismum, vel non? baptizandus est sub conditione, *si Baptismum petivisti, vel desiderâsti*, dummodò non constet, ipsum existere in statu peccati mortalis alicujus personalis; nec Baptismus in tempus commodius differri possit. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 6. num. 21. Oberascher loco cit.

§. III.

An licitè baptizentur infantes infidelium invitis parentibus?

SUMMARIUM.

16. *Infantes infidelium quorumcunque validè baptizantur parentibus invitis.* 17. *Infantes parentum infidelium baptizatorum quantumcunque reclamantium etiam licitè baptizantur.* 18. *Quod idem asseritur de infantibus parentum non baptizatorum Principi Christiano despoticè subjectorum, si tamen ab eorum cura abstrahantur.* 19. *Aliud concluditur de infantibus infidelium non baptizatorum Principi Christiano vel nullo modo, vel civiliter tantùm subjectorum.* 20. 21. 22. 23. 24. *Corollaria practica.*

16 INfidelium alii sunt baptizati, ut hæretici; alii non baptizati, qui vocantur gentiles, pagani, ethnici. Ex his alii Christiano alicui Principi subjecti sunt, idque vel civiliter, & politicè; vel despoticè & serviliter: alii non sunt subjecti. Quibus animadversis, suppono cum communi sententia, validè baptizari infidelium quorumcunque infantes, parentibus invitis & reclamantibus. ad valorem enim Baptismi in illis plus non requiritur, quàm applicatio debitæ materiæ, & pronuntiatio legitimæ formæ cum intentione Ministri: cùm voluntatem suscipiendi suppleant Christus & Ecclesia. hæc autem omnia adsunt in Baptismo eorum infantium; uti supponitur. Accedit, quòd Ecclesia nunquam repetat Baptismum ejusmodi infantium contra voluntatem parentum administratum: ergo judicat, esse validum. Vid. Salmantic. tr. 2. de Bapt. cap. 6. pu. 2. a. n. 10.

Dico nunc primo. Licitum est Catholicè baptizare infantes infidelium baptizatorum seu hæreticorum, quantumcunque invitorum. 17 Ita colligitur ex Concil. Tolet. 4. quod refertur in cap. *de Judæis. dist.* 45. Et Ratio est: quia hæretici subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiæ: quæ proinde nullam ipsis infert injuriam, dum compellit, ut parvulos suos ritu Catholico baptizati curent, atque in vera Fide instituant. Quòd si id facere detrectent, infantes ab eorum cura jure abstrahi, sicque abstracti licitè baptizari possunt. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 11. Salmantic. n. 15. Sed quid, si ejusmodi liberi necessariò relinquendi sint in potestate parentum? Ad hoc respondent Suarez, Coninck & alii apud Salmantic. n. 16. tunc non esse licitum Catholico eos baptizare extra casum necessitatis. Rationem reddunt: quia, dum post Baptismum manent in potestate parentum hæreticorum, morale periculum est; ut ab eisdem pervertantur cum gravi irreverentia Sacramenti. Sed contrarium, quod docet Laym. num. 12. etiam probabile est. Ratio est: tum, quia, ut idem testatur, in nostra Germania viri docti, ac pii id practicâsse sæpius observati sunt. tum, quia periculum perversionis non est adeo propinquum & certum: cùm facilè possit contingere, ut infantes ante usum rationis moriantur, sicque per Baptismum salventur. tum, quia plerumque prudenter sperari potest, fore, ut hæreticorum liberi aliquando instruantur in Fide Catholica: quam etiam hoc ipso libentiùs amplectuntur, quòd sciant, ritu Catholico se fuisse baptizatos.

Dico secundo. Infantes infidelium non 18
baptizatorum Principi Christiano despoticè subjectorum, cujusmodi sunt servi, seu mancipia, licitè baptizantur iisdem invitis, dummodò ab eorum curâ abstrahantur. Ita Valentia to. 4. disp. 4. q. 3. pu. 3. concl. 5. Gonet to. 5. tract. 3. disp. 3. a. 3. à num. 68. Salmantic. n. 35. Reding to. 5. q. 8. a. 1. controv. 4. n. 21. & alii. Ratio est: quia Princeps, aut alius Dominus fidelis potest alias ob causas parvulos illos abstrahere à potestate parentum serviliter subjectorum, nempe, ut vendat, aut donet alteri; adeoque eò amendet, unde sub curam parentum nunquam sint redituri: quia omnes res mancipiorum sunt Dominorum: ergo etiam potest eosdem abstrahere à cura & potestate parentum eo optimo fine, ut ita abstracti baptizentur, & in Christiana Fide educentur.

Dico tertio. Non est licitum infantes 19
parentum infidelium non baprizatorum his invitis baptizare, si Christianis Principibus vel nullo modo, vel civiliter tantùm subjecti sint. Ita D. Thomas 3. p. q. 68. a. 10.

Gonet à n. 61. Bonac. de Bapt. disp. 2. q. 2. pu. 6. n. 12. Filliuc. tract. 2. cap. 6. num. 142. Salmantic. n. 23. Reding à num. 12. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 26. a. 1. n. 7. & 8. & alii. Ratio Conclus. quoad utramque partem est: quia vel tales parvuli post Baptismum relinquuntur apud parentes, vel ab eorum cura & potestate abstrahuntur in Fide Christiana educandi? Si primum; gravis ignominia infertur Christianæ Religioni: cùm hac ratione Deo per Baptismum consecrati parvuli moraliter certo periculo perversionis & apostasiæ exponantur. Si secundum; gravis injuria infertur eisdem parentibus contra jus strictum & potestatem in liberos, quæ etiam infidelibus competit, & per civilem tantùm subjectionem non adimitur. Huc accedit, quod liberos abstrahere à parentibus infidelibus, itaque abstractos baptizare repugnet consuetudini Ecclesiæ, quæ id facere non solet. consuetudo autem Ecclesiæ in omnibus maximè observanda est. Ex dictis collige jam sequentia.

20 I. Infans natus ex uno saltem parente Chtistiano baptizandus est, etiam utroque invito. Bonac. loco cit. Pettschacher de Bapt. q. 3. a. 3. pag. 352. Oberascher tract. 2. cap. 2. pag. 362. Ratio est: quia Ecclesia tunc acquisivit jus ad baptizandum. infans enim ex vi originis factus est subditus ipsius. Hinc à fortiori sequitur primo, baptizandum esse infantem natum ex matre Christiana consentiente in ejus Baptismum, quamvis pater dissentiat. Ratio est: quia & hîc partus sequitur ventrem, estque melior conditio parentis Christiani, cujus proinde justa voluntas præferri debet alterius impio dissensui. Sequitur secundo, similiter baptizandum esse infantem notum ex patre Christiano consentiente, licèt mater infidelis dissentiat. Ratio est: quia hîc itidem melior est conditio Christiani parentis. Bonac. loco cit. Filliuc. num. 144. Pettschacher loco cit. & alii. Sequitur tertio, baptizandum esse infantem natum ex utroque parente infideli, si alteruter postea factus fuerit Christianus, & consentiat in Baptismum, licèt alter reclamet. Ratio est ex dictis: quia voluntas parentis, quæ conducit ad æternam salutem prolis præferri debet voluntati alterius contrariæ. Bonac. loco cit. Reding n. 22. Mezger num. 10. In omnibus autem his casibus ad cavendum periculum apostasiæ proles à consortio parentis dissentientis separari debet, ut monent tam citt. quàm passim alii DD.

21 II. Etiam infans natus ex utroque parente infideli licitè baptizatur, si alteruter consentiat, eò quòd existimet, Baptismum proli profuturum ad salutem animæ. Bonac. loco cit. Salmantic. num. 17. & 18. & alii. Ratio satis colligi potest ex dictis. Caveri tamen tursus debet periculum apostasiæ separando prolem à cura & consortio parentis reclamantis. Dixi: *eò quòd existimet &c.* quia compertum esse ajunt, parentes infideles interdum liberos suos offerre baptizandos, quòd audiant, vel experti sint, per Baptismum corporis infirmitatem, vel Dæmonis infestationem depelli. in quo sanè casu non est administrandus Baptismus; si baptizati parentibus restituendi sint: quia illo consensus, etiam utriusque, non removet periculum apostasiæ. Bonac. loco cit. Filliuc. num. 145. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 6. n. 10. Salmantic. n. 18.

III. Parvuli infidelium parentum sive 22
per fas, sive per nefas illorum potestati ac curæ eò usque subducti, unde nulla moraliter spes supersit ad eos redeundi, baptizari & possunt & debent. Valent. tom. 4. disp. 4. q. 3. pu. 3. concl. 2. Gonet tom. 5. tract. 3. disp. 3. a. 3. num. 66. Reding ubi suprà num. 24. Mezger num. 12. & alii communiter. Unde rectè fieri dicit Cajetanus apud Valent. cit. ut parvuli Æthiopes, qui in Europam adducuntur, baptizentur, & erudiantur inter Christianos: *Quoniam magnum*, ait idem, *chaos inter nos & illos populos intersit, ut hi, qui semel huc veniunt, non soleant eò remeare.* Et ratio Corollarii est: tum, quia tunc cessat periculum perversionis. tum, quia nulla fit injuriæ parentibus: cùm per Baptismum non subtrahantur liberi ipsorum potestati, sed aliunde jam sint constituti extra illam, idque sine omni spe, vel obligatione restitutionis.

IV. Infantes infidelium in certo peri- 23
culo mortis constituti baptizari debent invitis parentibus. Valent. pu. cit. colum. 795. Gonet num. 67. Laym. loco cit. Mezger n. 14. Pettschacher de Bapt. q. 3. a. 3. pag. 352. Ratio est: quia tunc non subest morale periculum perversionis, etiamsi infans baptizatus relinquatur parentibus; vel tametsi ipsis auferatur, parum amittunt de suo jure, utpote aliunde statim finiendo. omnes autem fatentur, ut extremæ alterius necessitati spirituali succurratur, dominum non posse rationabiliter esse invitum, si modicum aliquod propterea damnum pati debeat. Atque hæc etiam probant, baptizandos esse filios infidelium, si sint perpetuò amentes, quamvis parentes supponantur inviti: cùm alioquin miseri omni spirituali medio salutis spoliati essent. Vid. Laym. loco cit.

V. Si liberi infidelium ad rationis usum 24
jam pervenerunt, & baptizari ultro petunt, baptizandi sunt, quidquid reclament parentes. Ita D. Thomas 3. p. q. 68. a. 10. Laym. loco cit.

Reding

Reding num. 26. Mezget n. 13 & alii communiter. Ratio est: quia homo rationis usu præditus in negotio æternæ salutis debet esse sui juris. Si verò petant Baptismum, quando est dubium, an habeant sufficientem usum rationis? attendi debet, an compleverint septimum annum ætatis, vel non? si impleverunt, baptizandi sunt; quia tunc usus rationis adesse præsumitur. Si non impleverunt, non baptizandi sunt; quia præsumitur contrarium, & est melior conditio parentum possidentium jus & potestatem suam in liberos.

§. III.

An semel baptizatus possit baptizari iterum?

SUMMARIUM.

25. *Quid in hac re senserint Hæretici.* 26. *Asseritur, homini semel validè baptizato non potest iterum conferri Baptismus.* 27. *Id si fiat sive absolutè, sive conditionatè, gravissimum sacrilegium committitur* 28. *In dubio rationabili de Baptismo alicujus Baptismus debet repeti sub conditione.* 29. *Illationes practicæ de baptizatis ab Hæreticis.* 30. *Item ab obstetricibus.* 31. *Parochos oportet esse valdè cautos in admittendo mulieres ad obstetricandum.* 32. *Quid de infantibus expositis absque testimonio collati Baptismi.* 33.34. *Resolvuntur aliæ duæ quæstiones.*

25 IN hac re Marcionistæ, ut ex S. Ephipha-
nio refert Valentia to. 4. disp. 4. q. 1. pu. 4. colum. 768. tenuerunt, eidem homini ter suscipiendum esse Baptismum, semel in puerili ætate, ac deinde bis in adulta. Anabaptistæ quoque nonnulli, teste eodem Valentia, iterum baptizabant eos, qui post Baptismum semel susceptum Fidem abnegaverant. Donatistas præterea fuisse in hæresi rebaptizantium, colligitur ex D. Thoma 4. contra Gent. cap. 59. ubi ait in fine: *Cùm Baptismus sit quædam consecratio hominis baptizati non est iterandum Baptisma: per quod excluditur error Donatistarum, vel Baptizantium.* Sed contra hos omnes

26 Dico primo. Eidem homini semel verè baptizato non potest iterum validè conferri Baptismus. Conclusio est de Fide; & definita in Concil. Florent. ab Eugenio IV. & in Trident. Sess. 7. de Bapt. cap. 11. Ratio à priori optimè petitur ex libera institutione Christi volentis, ut homo semel baptizatus sit subjectum incapax secundi Baptismi. Varias istius rei congruentias videre est apud D. Thomam 3. p. p. 66. a. 9. Potissima illarum esse videtur, quæ sumitur ex fine primario hujus Sacramenti. Nam Baptismus principaliter ordinatur ad remissionem peccati originalis: ergo sicut hoc peccatum in unoquoque homine unicum est, & iterari non potest, ita etiam Baptismus, ceu remedium illius, semel tantùm adhibendus est: sicut ob eandem rationem Circumcisio semel tantùm adhibebatur, & iterari non poterat.

Atque hinc sequitur, gravissimum esse 27
sacrilegium iterare Baptismum sive absolutè, sive conditionatè, quando morali certitudine constat, primum Baptismum fuisse validè collatum. Quod idem colligitur tum ex S. Leone relato in cap. Cùm itaque. dist. 4. de Consecrat. ubi dicit: *inexpiabile esse facinus, quoties cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire.* tum ex gravitate pœnarum, quas iterantibus Baptismum jura statuerunt. nam jure civili damnantur pœnâ capitis L. 2. C. *Ne sacrum Baptisma iteretur.* & à jure Can. declarantur irregulares, cap. *Qui in qualibet.* cap. 1. q. 7. cap. *Ex litterarum. de Apostat.* Quæ tamen Irregularitas, ut observat Oberascher, non extendenda est ad eos, qui rebaptizant conditionatè, sed ad solos rebaptizantes absolutè. Dixi verò in Contl. *Quando morali certitudine &c.* Nam

Dico secundo. Quando est rationabile dubium, sive facti, an Baptismus fuerit collatus; sive juris, an fuerit validè collatus? iterari debet sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* idque procedit in dubio non solùm negativo, sed etiam in positivo. Ratio petitur ex summa necessitate hujus Sacramenti: ne videlicet homo, de cujus Baptismo dubitatur, ob ejusdem carentiam aut invaliditatem æternæ damnationis periculo exponatur. Monet autem cum Castropalao Reding to. 5. q. 9. a. 1. contov. 1. n. 12. in conditionata ejusmodi Baptismi iteratione vel maximè vitandum esse scandalum. atque hinc, si causa iterandi non sit publica, debere hanc administrationem in Ecclesia peragi foribus clausis, præsentibus tantùm Patrino & parentibus, seu tutoribus baptizati; hisque exponendam à Ministro causam repetendi Baptismum; nec repetendum, nisi sub conditione illa expressè prolata. Ex dictis

Infertur primo, natum inter hæreticos, 29
& ab illis baptizatum non esse iterum baptizandum per se loquendo. Ratio est: tum, quia ex definitione Ecclesiæ in Concil. Trident. sess. 7. can. constat, validum esse Baptismum ab hæreticis collatum. tum, quia in iis, quæ ad valorem Baptismi pertinent, hæreti solent esse accurati, quod in

nostris partibus, ubi Catholici vivunt permixti, ordinariè ita se habet. Vid. Mezger tom. 4. tract. 16. disp. 24. a. 4. n. 8. Pettschacher de Bapt. q. 1. a. 4. pag. 318. Dixi tamen, *per se loquendo*. Nam sæpe in quibusdam locis, dum hæretici baptizant, tales circumstantiæ intercurrunt, ut prudenter dubitari possit, an utantur debita materia, vel forma, vel intentione legitima? Imò aliçubi, ut refert Mezger, Calvinistæ nobiliores infantes, vino baptizant. Aliqui utuntur aquis odoriferis nihil solliciti, an aqua sit elementaris, dummodò fluida sit. Interdum partiuntur operam, ita ut unus affundat aquam, & Prædicans proferat formam, vel ex cathedra legat Evangelium. Alii interrogant parentes, velintne prolem baptizari Catholicè, vel Lutheranè? Non desunt etiam, qui formam Baptismi sibi pro libitu fabricant id solùm curandò, ut in speciem verba proferunt, quæ Sacramenti hujus collationem qualitercunque significent. Deprehenduntur hæc talia maximè in Anglia & Hollandia, ut memorat Claudius la Croix in additionibus ad Busembaumium lib. 6. num. 322. Ex quibus adeò patet, circa baptizatos ab hæreticis esse cautè indagandum, ubi baptizati sint, &, si comperiatur, fuisse baptizatos in ejusmodi regione aut loco, ubi grassantur errores recensiti, esse iterum baptizandos, saltem sub conditione: cùm valor Baptismi primitus suscepti sit valde dubius, si non certò nullus.

30 Infertur secundo, infantes, quos instante mortis periculo baptizâtunt obstetrices, aliæve personæ rudes, esse rebaptizandos, si à Parocho examinatæ de peritia & modo administrandi Baptismum non bene, nec constanter respondeant. Idem fieri oportere docent cum aliis Salmantic. tract. 2. de Bapt. cap. 6. pu. 4. n. 59. si obstetrices fuerunt veneficæ, sagæ, aut maleficæ. Ratio est: quia prudenter præsumitur, Baptismum & ab his, & ab illis fuisse malè administratum. Ut autem Parochus deprehendat, an obstetrices satis peritæ sint, eas examinare debet in sequentibus potissimùm. Primo, quam formam pronuntient. Secundo, quam aquam, & quantam affundant. Tertio, an simul (nempe simultate morali) formam proferant, & abluant. Quarto, quam partem corporis abluant. Quinto, qua intentione baptizent. Horum si nihil ignorare fœminas ejusmodi, aut omittere videat Parochus, Baptismus non est repetendus. sic enim satis certum moraliter est, adhiberi omnia necessaria. Vid. Pettschacher ubi suprà pag. 317. qui & refert sententiam quorumdam contrariam docentium; baptizatos ab obstetricibus communiter esse rebaptizandos sub conditione, additque ex P. Rosmer, ita præscribi in aliquibus Episcopalibus & Ritualibus. de quo videri potest etiam Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 5. n. 3. Reding tom. 5. q. 9. a. 1. controv. 1. num. 8.

Infertur tertio consentaneè ad prædicta, 31
Parochis maximopere incumbere, ut provideant, ne quævis promiscuè mulierculæ ad obstetricandum admittantur. Ratio est: quia Diabolus, qui infantibus salutem vehementer invidet, sexum hunc deteriorem, & in superstitiones proniorem dementare non ratò studet, imò & solet, ut invalidè baptizet. Et væ pueris suprema periclitantibus, si in obstetrices incidant maleficas! tales Megæræ ipsæ quandoque dant operam, ut infantes moriantur ante Baptismum. Et sanè narrat Sprenger in Mall. p. 2. in Episcopatibus Basileensi, & Argentinensi concrematas fuisse quondam duas obstetrices, quarum una quadraginta, altera innumerabiles pueros recèns in lucem editos necaverat.

Infertur quarto, infantes expositos 32
absque testimonio collati Baptismi esse sub conditione baptizandos. Ita Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 2. pu. 1. num. 40. Laym. loco cit. Salmantic. pu. cit. num. 57. Reding num. 7. & alii passim. Ratio est: quia tunc prudenter dubitatur de collato Baptismo. Unde possessio stat pro præcepto eundem conferendi. Qua eadem ratione probatur, baptizandos quoque esse sub conditione illos, qui in infantia capti & abducti sunt ab infidelibus, quando dubitatur, an abducti fuerint ante vel post Baptismum? ut docent Bonac. n. 39. Salmantic. n. 58. & alii. Sed quid, si infans expositus habeat schedam appensam collati Baptismi indicem? Ad hoc respondeo primo cum P. Herinck, quem refert Pettschacher pag. 315. quando in scheda dicitur testimonium de Baptismo solemniter collato, cum designatione loci, temporis, Ministri, & nominis impositi, tunc ejusmodi expositum non esse baptizandum, imò nec posse baptizari. Ratio est: quia tunc habetur moralis certitudo collati Baptismi, & plena rei notitia peti potest ex registro baptizatorum. Respondeo secundo, si in scheda generaliter tantùm significatur Baptismus proli collatus sine designatione circumstantiarum memoratarum, infantem probabiliter esse baptizandum sub conditione. Ita Rosmer, quem refert, & sequitur Pettschacher pag. 316. Deinde Mezger to. 4. disp. 24. a. 4. num. 10. Ratio est primo, quia in cap. *Placuit. dist.* 4. *de Consecrat.* & in Rituali Pauli V. de Bapt. parvul. dicitur, parvulos absque ullo scrupulo baptizandos sub conditione, nisi firmi, & certissimi testes habeantur de collato Baptismo,

& de illo constet. Atqui per ejusmodi schedam nequaquam habetur firmum & certissimum testimonium; ergo. Ratio est secundo: quia etiam suppositâ morali certitudine facti de collato Baptismo, manet vehemens dubium juris, & summè incertum, an sit legitimè administratus? cùm ejusmodi infantes plerumque baptizent obstetrices non approbatæ, & parùm instructæ, magisque sollicitæ, ut celetur partus, quàm ut ritè baptizetur. Atque ita statutum esse in III. Concil. Mediol. sub S. Carolo Borromæo perhibet Rosmer cit. Sed jam oritur

33 Quæstio prima, quænam requiratur probatio, ut habeatur moralis certitudo de collato Baptismo? Respondeo, etiam unicum testem, in quem non cadit probabilis suspicio mendacii ad hoc sufficere. Ita Gonet tomo 5. tract. 3. disp. 1. a. 4. n. 115. Coninck 3. p. q. 66. a. 9. n. 97. Reding n. 10. Pettschacher pag. 314. & alii. Ratio est, quia in iis, quæ in nullius cedunt præjudicium, etiam uni testi creditur omni exceptione majori, ejusque testimonium gignit moralem certitudinem, si contrariis indiciis & conjecturis non infirmetur. Neque refert, quòd in cap. *Placuit* cit. fiat mentio testium in plurali: quia illud *certissimi testes* intelligendum est respectivè pro diversis Baptismis & temporibus; adeoque non respectivè ad Baptismum in singulari cujuslibet infantis.

Quæstio secunda, quænam in praxi 34
observanda sint, quando Baptismus iteratur? Respondeo, sequentia esse observanda: I. Rebaptizandus debet elicere contritionem vel attritionem, si conscius sibi sit de peccato mortali personali: quia hoc genus peccati non remittitur, nisi retractatum sit, loquendo de lege ordinaria. II. Idem debet peccata post dubium Baptismum commissa subjicere clavibus, & ab illis absolvi sub conditione, ut, si fortè Baptismus fuit validus, satisfaciat præcepto Confessionis Sacramentalis. III. Potest rebaptizari privatim, à quolibet perito, sine Patrino, & aliis cæremoniis Ecclesiæ. Ita cum Tambur. Pettschacher pag. 319. Mezger n. 11.

ARTICULUS VII.

De effectibus Baptismi.

SUMMARIUM.

1. *Quales effectus Baptismo tribuerint Hæretici.* 2. *Per Baptismum remittuntur omnia peccata mortalia & venialia quoad culpam.* 3. *Imò etiam quoad omnem pœnam debitam pro culpa.* 4. *Idem Sacramentum tribuit jus ad auxilia specialia, quibus homo in observatione præceptorum Christi & Ecclesiæ adjuvatur.* 5. 6. *Corollaria de aliis effectibus Baptismi.*

1 HÆretici apud Bellarminum lib. 1. de Bapt. inter alios effectus Baptismi recensent, quòd baptizatus non possit damnari, tametsi velit, nisi nolit credere. Quòd Baptismus hominem præstet exemptum ab omni observatione legum & votorum. Quòd sola memoria Baptismi sufficiat ad remissionem peccatorum post eundem commissorum. Verùm omnes hi errores damnantur à Concil. Trid. sess. 7. de Bapt. can. 6. & seqq. quibus proinde omissis,

2 Dico primo. Per Baptismum remittuntur non tantùm omnia peccata mortalia quoad culpam, sed etiam venialia. Conclusio est de fide. Ejus prima pars definita est à Concil. Florent. in decr. Union. ubi de Baptismo dicitur: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis.* & in Concil. Trid. sess. 6. de Justific. cap. 7. dicente, *in justificatione* (quæ fit per Baptismum) *cum remissione peccatorum accipere hominem per JEsum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Constat insuper ex eo, quòd Christus Baptismum instituerit in finem spiritualis regenerationis, quæ nec necesse, nec intelligi potest sine remissione omnium peccatorum mortalium. Secunda pars habetur in eodem Trident. sess. 5. de pecc. origin. can. 5. docente, *homines per Baptismum effici innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Atqui, si peccata venialia non remittetentur per Baptismum, aliquid baptizatos remoraretur ab ingressu cœli; ergo. Contrarium sensit Wiclephus putans, per Baptismum non remitti illa venialia, quæ in omissione consistunt, ut ex Waldensi refert Valentia to. 4 disp. 4. q. 4. pu. 1. col. 834.

Dico secundo. Per Baptismum remit- 3
titur etiam omnis pœna debita pro culpa; non tamen auferuntur pœnalitates hujus vitæ, ex peccato originali consequentes. Prima pars Conclus. itidem definita est in Concil. Florent. loco cit. Trident. verò sess. illa 6. de Justific. cap. 14. statuit discrimen inter Baptismum & Pœnitentiam, quòd in hac, dimissâ culpâ, remaneat satisfactio præstanda pro pœna temporali, *quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit,*

dimittitur illis &c. Accedit, quòd alioquin post Baptismum adesset impedimentum remorans ab ingressu cœli: quod est contra verba Trident. in n. præced. adducta. Confirmat eandem veritatem etiam praxis Ecclesiæ, quæ nullam baptizatis satisfactionem imponit, sicut imponit confessis Sacramentaliter. Secunda pars constat experientiâ. quis enim ignorat, in baptizatis reperiri inordinatam concupiscentiam & fomitem peccati? illos esse obnoxios fami, siti, morbis, & morti? *Baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas aufert in præsenti vita: sed ejus virtute auferentur à justis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem;* ait D. Thomas 3. p. q. 69. a. 3. ubi etiam docet, has pœnalitates nunc convenienter non auferri per Baptismum: tum, ut nobis præbeatur amplior occasio per assiduam cum illis pugnam augendi merita & coronam victoribus promissam. tum, ne homines Baptismum magìs appetant suscipere propter obtinendam immunitatem à præsentis vitæ miseriis, quàm propter gloriam futuræ. tum, quia homo per Baptismum efficitur membrum Christi: qui, cùm passus fuerit multas ex miseriis hujus vitæ mortalis, neque nos ab eisdem oportet esse exemptos.

4 Dico tertio. Baptismus tribuit jus ad auxilia specialia, quibûs homo in servandis Christi & Ecclesiæ præceptis adjuvatur, quæque ad receptionem aliorum Sacramentorum sunt conducibilia. Ratio ex dictis in priori parte. disp. 4. a. 1. est: quòd omne Sacramentum novæ legis conferat jus ad specialia auxilia pro fine, ad quem institutum est, consequendo necessaria. atqui finis Baptismi inter alios est hominem reddere subjectum præceptis Christi & Ecclesiæ, unaque capacem cæterorum Sacramentorum; ergo. Quòd præter hæc omnia Baptismus conferat gratiam sanctificantem, & imprimat characterem indelebilem, constat ex dictis in cad. p. de Sacram. in communi.

Corollarium I. Effectibus Baptismi specialiter accenseri meretur apertio Regni cœlestis: ut habet D. Thomas q. cit. a. 7. Sumitur inprimis ex illo Lucæ 3. *JEsu baptizato & orante apertum est cœlum.* quod exponens Venerab. Beda *Virtus,* inquit, *Baptismatis ostenditur, de quo quisque cùm egreditur, cœlestis janua ei aperitur.* Deinde ratio est: quia Baptismus, ut vidimus in n. 2. & 3. removet impedimenta pœnæ & culpæ, quæ nobis ingressum cæli præcludunt. sed hoc est aperire januam Regni cœlestis; ergo. Neque refert, quòd Baptismus istum effectum non præstiterit ante Passionem Christi: dicitur enim, hoc fuisse per accidens: tum, quòd tunc nondum habuerit suam significationem perfectam, utpote nondum significata morte & sepultura Christi, cui in Baptismo commorimur, Rom. 6. tum, quòd nondum fuerit perfecta & consummata institutio Legis novæ; adeoque Baptismus nondum constitutus in suo statu connaturali. Vid. Goner to. 5. tract. 3 disp. 4. a. 1. n. 9. Reding to. 5. q. 7. a. 3. controv. 2. n. 19. & 20. 5

Corollarium II. Etiam hoc inter effectus Baptismi referri convenienter potest, quòd hominem jurisdictioni & potestati Ecclesiasticæ subjiciat. Ita Valent. ubi suprà colum. 836. Ratio est: quia per Baptismum homo fit membrum Ecclesiæ: adeoque subordinatur & subjicitur auctoritati capitis illius, nempe Summi Pontificis. Atque hinc Ecclesia baptizatos punire & coërcere potest: quod tamen non poterat ante Baptismum; juxta illud Apost. 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Vide plura apud Valent. loco cit. 6

DISPUTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

Secundum inter Sacramenta locum obtinet Confirmatio; utpote complementum quoddam Baptismi, haud sanè in se ipso formaliter: cùm Baptismus sine Confirmatione utique completus & perfectus sit in ratione Sacramenti; sed ex parte effectûs, eò quòd Confirmatio instituta sit ad augendam gratiam per Baptismum acceptam. Itaque recto ordine post disputationem de Baptismo statim hanc præsentem de Confirmatione suscipimus. Primo agemus de institutione illius. Secundo, de materia, & forma. Tertio, de subjecto, & effectu. Quarto, de Ministro, & Patrino.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Institutione Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Confirmationis.* 2. *Hoc Sacramentum immediatè à Christo fuit institutum.* 3. *Occurritur Objectionibus Hæreticorum.* 4. *An per impositionem manuum ab Apostolis usurpatam rectè intelligatur Confirmatio?* 5. *Eadem Confirmatio falsò dicitur Instituta à Concilio Meldensi.* 6. *Fuit instituta quoad substantiam in nocte ultimæ Cœnæ; completè post Resurrectionem Christi.*

1 HOc Sacramentum variis nominibus apud SS. Patres insignitur. Nam à materia remota *Chrisma;* à proxima *Consignatio,* vel etiam *Manûs impositio;* ab effectu autem *Confirmatio* dicitur. Rectè porrò definitur, quòd sit *Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte, ab Episcopo, unctione Chrismatis, sub præscripta verborum forma, ad Fidei robur consequendum.* Fit hæc definitio per omnia quatuor causarum genera, quæ ad essentiam definiti concurrunt. Nam causa materialis intrinseca tam remota quàm proxima designatur per ly *unctione Chrismatis;* extrinseca sive subjectiva per ly *homo viator baptizatus.* Formalis per ly *sub præscripta verborum forma.* Efficiens per ly *ab Episcopo.* Finalis per ly *ad Fidei robur consequendum.* Quæ omnia magis patebunt ex decursu disputationis. Interim

2 Dico primo. Sacramentum Confirmationis immediatè à Christo fuit institutum. Ita Fides Catholica definita in Concil. Florent. in Decr. Unionis, & in Trident. sess. 7. *de Sacram. in gen.* can. 1. Ratio est: quia omnia Sacramenta novæ Legis sunt immediatè à Christo instituta; sicut supponitur ex parte præced. disp. 1. a. 1. atqui Confirmatio est Sacramentum novæ Legis; prout itidem definitum habetur in Concil. Trident. sess. cit. can. 1. *de Confirmat.* illis verbis: *Siquis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum &c. anathema sit.* Sed contra hæretici

3 Objiciunt primo. In S. Script. nullibi fit mentio de institutione hujus Sacramenti: ergo gratis dicitur, illud fuisse institutum à Christo. Secundo. Hæc cæremonia Confirmationis, uti testantur Alexander Alensis, Hugo Victorinus, & alii Catholici, fuit instituta à Concil. Meldensi: ergo non immediatè à Christo. Tertio. Robur spirituale & firmitas Fidei obtinentur per cibum & potum spiritualem: sicut robur corporis obtinetur per cibum & potum corporalem: ergo per Baptismum spiritualiter renatis ad consequendum Fidei robur sufficit Sacramentum Eucharistiæ, quod per modum cibi & potûs spiritualis est institutum.

Respondeo ad Primum primo, dato Ant. neg. conseq. quia multa credere tenemur, quæ non apertè sunt scripta, sed per traditionem accepta: veluti constat ex consensu totius Ecclesiæ, & ex Apost. 2. ad Thessal. 2. scribente: *Tenete traditiones, quas didicistis, sivè per sermonem; sive per epistolam nostram.* Respondeo secundo, neg. Ant. legitur enim Actor. 8. & 19. Apostolos per impositionem manuum baptizatis dedisse Spiritum Sanctum. quam impositionem manuum fuisse à Christo institutam, & in signum practicum gratiæ, adeoque Sacramentum perpetuo ritu stabilitam, constat ex unanimi authoritate & traditione SS. Patrum, quorum plurima testimonia referunt Reding tomo 5. q. 10. a. 1. controv. 1. n. 4. Gonet tomo 5. tract. 3. disp. 6. a. 1. n. 8. Contenson tomo 7. dissert. 4. cap. 1. Specul. 1. & alii. Atqui hæc impositio manuum non est aliud Sacramentum, quàm Sacramentum Confirmationis; ergo.

Sed illi instant, neg. impositionem manuum; cujus meminimus, esse id, quo Romana Ecclesia utitur tanquam Sacramento Confirmationis. tum quòd Apostoli manus tantummodò imposuerint: cùm tamen Sacramentum Confirmationis conficiatur per unctionem Chrismatis. tum, quòd Sacramentum Confirmationis in Romana Ecclesia non sit iterabile; fuerit autem iterabilis illa manuum impositio: veluti testatur S. Augustinus lib. 3. de Baptismo. cap. 16. inquiens: *Manûs autem impositio, non sicut Baptisma, repeti non potest: quid enim est aliud, quàm oratio super hominem?* Respondeo, authoritatem & traditionem Patrum adductam satis evincere, impositionem manuum usurpatam ab Apostolis esse illam ipsam, qua tanquam Sacramento Confirmationis utitur Romana Ecclesia. Neque obstat ex objectis Primum: quia donum linguarum fuit aliquid merè consequens per modum corollarii accidentarii ad communicationem Spiritus Sancti per gratiam & charitatem: adeoque, licèt jam non conferatur amplius per Sacramentum Confirmatio-

4

mationis, nulla propterea inter ipsum & memoratam impositionèm manuum intercedit substantialis diversitas. Neque obstat Secundum: quia unctio Chrismatis, cùm peragatur ministeriô manûs, sive per manum in fronte, non immeritò manûs impositio dicitur. Neque obstat Tertium: quia, ut eruditè observat Reding, quadruplicem distinguere oportet impositionem manuum, scilicet *curativam*, de qua Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* *ordinativam*, de qua 2. ad Timoth. 1. *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* *confirmativam*, de qua Actor. 8. & 19. prout meminimus. *reconciliativam*, quæ peragitur in Sacramento Pœnitentiæ, fitque illius mèntio in Concil. Carthag. IV. in Arausic. I. & in Agathensi, can. 11. de hac igitur quarta impositione manuum dicit S. August. loco cit. quòd sit iterabilis.

5 Nunc ad Secundum ex n. 3. respondeo neg. Ant. Nam falsam esse illam sententiam constat ex plurimis SS. Patribus Concilio Meldensi antiquioribus. Ad Tertium negatur inprimis, robur & firmitatem acquiri solo cibo & potu: nam acquiritur etiam unctione, exercitatione, & aliis modis. Deinde dico, illud robur spirituale, quod datur per Confirmationem, non esse qualecunque, sed veluti militare & athleticum ad Fidem fortiter profitendam ac defendendam, quale non confertur per Sacramentum Eucharistiæ.

Dico secundo. Sacramentum Confir- 6
mationis quoad substantiam fuit institutum in nocte ultimæ Cœnæ: consummativè autem & completè post Resurrectionem. Ita Salmantic. tract. 3. de Confirmat. cap. 1. pu. 2. n. 11. & 12. Reding a. cit. controv. 2. n. 4. & 5. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 28. a. 1. n. 2. & alii. Ratio primæ partis est: quia illo tempore Christus instituit Sacramentum Confirmationis, quo designavit ejus materiam & formam: sed hoc fecit in nocte ultimæ Cœnæ: tunc enim Apostolos docuit conficere Chrisma: sicut affirmat Fabianus Papa in Epist. 2. cap. 1. illis verbis: *In illa die Dominus JEsus, postquàm cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.* Si hoc docuit, etiam finem & usum Chrismatis docuit. Ratio secundæ partis est: quia primùm post Resurrectionem Apostolis tradita fuit potestas hoc Sacramentum conferendi aliis, nempe Joan. 20. ubi Christus illos creavit Episcopos illis verbis: *Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos &c.* Atqui tunc completè instituitur Sacramentum, quando etiam traditur potestas ad illud conferendum; ergo &c. Cæterùm usus ejusdem Sacramenti primùm incepit à tempore Pentecostes: quia primùm in die Pentecostes data est plenitudo Spiritus Sancti, quæ significatur & confertur per Confirmationem.

ARTICULUS II.

De Materia, & Forma Confirmationis.

§. I.

De Materia Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. *Materia remota essentialis hujus Sacramenti est Chrisma.* 2. *Necessarium necessitate Sacramenti est, ut oleum Chrismatis sit oleum olivarum, idemque Chrisma habeat admixtum balsamum & sit ab Episcopo benedictum.* 3. *Solvuntur Objectiones.* 4. *Chrisma à simplici Sacerdote benedictum neque ex dispensatione Papæ potest esse materia valida Confirmationis.* 5. *Cur Papa simplici Sacerdoti possit committere potestatem administrandi hoc Sacramentum, & non etiam potestatem benedicendi Chrisma?* 6. 7. 8. *Illationes ex dictis.* 9. *Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis in fronte confirmati, facta per manum Episcopi in figuram Crucis.* 10. 11. *Declarátur, quænam in hac unctione sint de necessitate Sacramenti, & quæ non.*

Dico primo. Materia remota essentialis 1
Confirmationis est Chrisma, ex oleo & balsamo confectum, atque ab Episcopo benedictum. Ita definitum habetur in Concil. Florent. in decreto Eugenii illis verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, & balsamo, per Episcopum benedicto.* Quo eodem sensu intelligenda est etiam definitio Concil. Trid. sess. 7. de Confirmat. can. 2. Verùm ex his oritur dubium, an de necessitate, sive essentia Confirmationis sit primo, ut oleum Chrismatis sit oleum olivarum? Secundo, ut idem Chrisma habeat admixtum balsamum? Tertio, ut sit benedictum ab Episcopo?

Ad triplex hoc dubium respondeo una re- 2
sponsione affirmativè. Unde tres partes in eadem involvuntur. Ratio primæ est: quia solum oleum olivarum est propriè & simpliciter oleum, maximeq; in communi usu hominum: sicut

ſicut proinde, dum pro materia Baptiſmi aſſignatur aqua, rectè colligimus, debere eſſe aquam naturalem; quippe quæ ſola eſt propriè aqua, & in communi hominum uſu; ita in præſenti rectè colligimus, oleum pro materia Confirmationis aſſignatum debere eſſe oleum olivarum; quia hoc ſolum eſt propriè & ſimpliciter oleum, communique hominum uſui maximè deſerviens. Vid. D. Thomas 3. p. 72. a. 2. ad 3.

Ratio ſecundæ partis eſt primo: quia Concilium Florent. loco cit. dixit, materiam Confirmationis eſſe Chriſma, utque explicaret ſignificatum ejus vocabuli, addidit, confectum ex oleo & balſamo: ergo ſicut oleum eſt neceſſarium ad valorem iſtius Sacramenti, ita & balſamum. Secundo: quia à tempore Apoſtolorum hoc ſemper fuit obſervatum in Eccleſia, ut Sacramentum Confirmationis nunquam adminiſtraretur, niſi in Chriſmate, quod conſtaret ex oleo & balſamo; quod ſatis indicat, ita Chriſtum inſtituiſſe, & eſſe neceſſarium ad valorem Sacramenti. Tertio: quia, ſi hoc Sacramentum adminiſtraretur absque balſamo, falſa eſſet ejus forma, in qua dicitur, ut in ſeq. §. videbimus, *confirmo te Chriſmate ſalutis &c.* quia juxta Catechiſmum Romanum par. 2. cap. 7. apud Scriptores Eccleſiaſticos, quires Divinas tradunt, per Chriſma communi conſuetudine loquendi illud tantummodò unguentum intelligitur, quod ex oleo & balſamo Epiſcopi conſecratione conficitur: quamvis Scriptores profani eo nomine quodvis unguentum ſignificare ſoleant: quod in præſenti attendendum non eſt, ſed ſtandum acceptione Eccleſiaſticorum. Accedit Authoritas D. Thomæ a. cit. & lib. 4. contra Gent. cap. 60. & communis Theologorum contra Cajetanum, Navarrum, Valentiam, & alios quosdam. cum quibus

3 Objicies primo. Aqua non eſt de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ, ſed præcepti tantùm, licèt Concil. Florent. dicat, materiam Calicis Euchariſtici eſſe vinum aquâ mixtum: ergo nec balſamum erit de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, ſed præcepti tantùm, licèt idem Concilium dicat, ejus materiam eſſe Chriſma ex oleo balſamo mixto. Secundo. Valde difficile eſt habere verum & genuinum balſamum. Imò multi putant, nus-
1 quam jam verum colligi. certè Plinius jam olim lib. 12. natur. hiſtor. notavit, in uno tantùm vel altero orbis loco repetiri, ſcilicet in Judæa, & Meſopotamia. Vix autem videtur credibile, Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe in re tam pretioſa & comparatu difficili. Tertio. Innocentius III. in cap. *Paſtoralis. Extra. de Sacram. non iterand.* interrogatus, an Confirmatio cujusdam, quæ erat adminiſtrata per oleum ſine balſamio, eſſet iteranda? reſpondit, *nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*, id eſt, addendam unctionem balſami. Suppoſuit ergo Pontifex, Sacramentum fuiſſet validum; quia alioquin totum fuiſſet iterandum, ſeu repetendum.

Reſpondeo ad Primum neg. conſeq. quia Concilium non dicit ſimpliciter, materiam Calicis eſſe vinum aquâ mixtum, ſed *vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima adhiberi debet.* De materia verò Confirmationis dicit, eſſe Chriſma ex oleo & balſamo. ex qua diverſitate loquendi ſatis clarè colligitur velle indicare, quòd balſamum ſit de neceſſitate materiæ Confirmationis, non autem aqua de neceſſitate materiæ, adeoque Sacramenti Euchariſtiæ. Ad Secundum reſpondeo, verum ac genuinum balſamum hactenùs ſemper haberi potuiſſe, & quidem à pauperrimis etiam Epiſcopis primitivæ Eccleſiæ. Et ideo Fabianus Papa inſuperhabita Epiſcoporum Orientalium excuſatione, quâ balſamum ægrè comparari poſſe cauſabantur, ſanxit, ut ſingulis annis, veteri combuſto, novum Chriſma conficeretur. Quamvis autem Plinius aliorum locorum ignarus putaverit in ſola Judæa & Meſopotamia reperiri balſamum, Sancti tamen Hieronymus & Gregorius, ut refert Illſung, teſtantur, id etiam in finibus Engaddi gigni ſolitum. Accedit, quòd noſtris temporibus ex America quoque balſamum in varias regiones aſportetur. Neque opus erat, ut Chriſtus Confirmationem inſtitueret in materia tam facilè comparabili & obvia, qualis eſt materia Baptiſmi: quia non eſt Sacramentum tantæ neceſſitatis, quantæ eſt Baptiſmus. Ad Tertium reſpondeo, Pontificem in verbis relatis ſolùm negâſſe, actionem illam Confirmationis eſſe iterandam publicè & ſolemniter, idque ad vitandum ſcandalum; voluiſſe tamen, ut iteraretur quoad ſubſtantiam & privatim, nempe ſupplendo occultè defectum ſubſtantialem, adeoque repetendo omnia, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, & conſequenter unctionem quoque Chriſmatis ex oleo & balſamo. Ita explicant Gonet to. 5. tract. 3. diſp. 6. a. 2. n. 42. Salmantic. tract. 3. de Confirmat. cap. 2. pu. 1. n. 11. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 1. Reding to. 5. q. 10. a. 2. controv. 1. n. 22. Pettſchacher de Confirmat. q. un. a. 1. pag. 385. Mezger to. 4. tract. 16. diſp. 28. a. 2. n. 3. & alii.

Nunc ratio tertiæ partis eſt. Quia Con- 4
cilium Florent. loco cit. loquitur eodem modo de benedictione Epiſcopi, quo loquitur de oleo & balſamo. Accedit perpetua Eccleſiæ praxis, traditio, & auctoritas Patrum. Atque hinc rectè colligitur, nulla Summi Pontificis diſpenſatione, aut commiſſione fieri poſſe, ut Chriſma benedictum ab aliquo

simplici Sacerdote sit materia valida Confirmationis. Ratio est: quia Summus Pontifex non potest mutare materias Sacramentorum: atqui materia Confirmationis à Christo designata est Chrisma, non à quocunque, sed, sed ab Episcopo benedictum. Vid. D. Thomas 3. p. q. 72. a. 3. Salmant n. 18. Laym. n. 2, Gonet n. 45. Reding n. 20. Mezger n. 4.

5 Dices cum Cajetano contrarium sentiente. Papa simplici Sacerdoti committere potest potestatem administrandi ipsum Sacramentum Confirmationis: ergo etiam potestatem præparandi materiam per consecrationem seu benedictionem. hoc enim est aliquid minus & accessorium ad potestatem administrandi. Respondetur conc. Ant. neg. conseq. quia, cùm non ubique possint haberi Episcopi, qui administrent Sacramentum Confirmationis, videtur fuisse necessarium, ut Christus Summo Pontifici concederet potestatem ejus ministerium aliquando simplici Sacerdoti committendi. Atqui nulla est necessitas, ut simplici Sacerdoti concedatur potestas benedicendi Chrisma: quippe quod ab aliquo Episcopo benedictum facilè transferri potest de locó in locum. Deinde, si non tantùm Confirmatio, sed etiam Chrismatis benedictio ex commissione Papæ peragi posset à simplici Sacerdote, character Episcopalis ne quidem inadæquatè influeret in hoc Sacramentum: cùm tamen ejus administratio sit actus proprius Ordinis Episcopalis. Atqui commissô simplici Sacerdoti ministeriô Confirmationis sine potestate benedicendi Chrisma, character Episcopalis, etsi non adæquatè, inadæquatè tamen ratione benedicti Chrismatis influit in Sacramentum. Videatur Reding n. 24. Mezger num. 5. Illud, quo probat Consequi Cajetanus, non urget: solùm enim habet locum in subordinatis in quibus minus continetur in majore tanquam pars in toto, vel imperfectum in perfecto, ut explicat Laym. loco cit. Atqui potestas administrandi Confirmationem, & potestas benedicendi Chrisma non ità se habent, licèt ista videatur minor, illa major. Ex dictis

6 Infertur primo, validum esse Sacramentum Confirmationis, in quocunque balsamo admixto oleo conferatur, sive id Palæstinum sit, sive Indicum, aut Americanum. Ratio est: quia quodlibet eorum est verum balsamum, aptumque, ut ex eo Chrisma conficiatur, quemadmodum Paulus III. Pius IV. Gregorius XIII. & Sixtus V. declaraverunt. Neque refert, quòd balsamum Indicum sit minùs perfectum, & colore diversum à Palæstino, videaturque ab hoc differre specie: nam & vinum album colore, & fortè specie differt à rubro, & tamen utrumque est materia valida Eucharistiæ; quia nempe utrumque est verum vinum. Vid. Gonet n. 41. Reding n. 15. Illsung tract. 6. disp. 3. a. 1. n. 33.

7 Infertur secundo, Chrisma confectum & benedictum ab Episcopo electo, & nondum consecrato non esse materiam validam Confirmationis. Ratio est: quia talis Episcopus, quantum ad characterem Ordinis, non habet quid amplius quàm simplex Sacerdos; ergo sicut simplex Sacerdos non potest conficere sufficiens ac validum Chrisma, ita nec Episcopus nondum consecratus. Vid. Illsung n. 37. Imò colligitur præterea, ejusmodi Episcopo ne quidem à Summo Pontifice posse committi potestatem sua benedictione præparandi Chrisma ad hoc Sacramentum, sicut non posse committi simplici Sacerdoti n. 4. probavimus.

8 Infertur tertio, non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, ut conferatur in Chrismate, quod sit confectum anno præsente, sed sufficere ad ejus valorem Chrisma vetus alterius anni. Bonac. de Confirm. disp. 3. q. un. pu. 3. n. 3. Castrop. tr. 20. disp. un. pu. 2. n. 10. Salmantic. ubi suprà n. 21. & alii. Ratio est: quia Concilium Florent. simpliciter dixit, Chrisma ex oleo & balsamo esse materiam hujus Sacramenti, atqui Chrisma confectum alio anno est verum ejusmodi Chrisma. cùm circumstantia temporis seu talis anni, utpote merè extrinseca, & accidentalis, nihil officiat illius veritati; ergo. Dixi, *non esse de necessitate Sacramenti*: quia esse de necessitate præcepti, ut Chrisma, in quo confertur hoc Sacramentum, sit benedictum eodem anno, habetur ex cap. *Siquis. de Consecrat. dist.* 4. estque communis sententia. Unde graviter peccaret Episcopus, si in Confirmatione adhiberet Chrisma vetus, id est, priori anno benedictum.

9 Dico secundo: Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis in fronte confirmati, facta per manum Episcopi, in figuram Crucis. Ita communis doctrina, quæ satis constat tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, diversis Conciliis & Patribus: tum ex forma seq. §. adducenda, qua Ecclesia Latina in administratione hujus Sacramenti utitur. Et ratio est: quia illa est materia proxima hujus Sacramenti, quæ versatur circa materiam remotam, & proximè significatur ac determinatur performam: sed ita se habet memorata unctio Chrismatis: ergo.

10 Quæstio jam oritur, quænam ex recensitis in statuta mox Concl. sint essentialia, sive de necessitate Sacramenti, & quænam de necessitate præcepti tantùm? Respondeo primo, de necessitate Sacramenti esse, ut unctio fiat in fronte recipientis; ut fiat in figuram Crucis; ut fiat immediatè per manum Episcopi. Ratio primæ & secundæ partis continetur in Decreto Concil. Flor. dicentis: *Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur,*

ne

ne Christi nomen erubescat confiteri, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundùm Apostolum, propter quod signô crucis signatur. Ex quibus ita arguitur: Illa sunt essentialia in materia Confirmationis, quæ per se pertinent ad practicè significandam gratiam hujus Sactamenti: sed ad hanc practicè significandam juxta Florentinum per se pertinet, ut unctio fiat in fronte confirmandi, & ut fiat in figuram Crucis: gratia quippe istius Sacramenti est illa, qua homo specialiter roboratur ad Fidem & Crucem Christi fortiter, intrepidè, & sinè erubescentia profitendam. Ratio tertiæ partis est: quia, si hæc inunctio fieret medio aliquo instrumento, v. g. virgulâ, vel penicillô, Sacramentum Confirmationis non posset cum veritate dici manûs impositio: sed conseq. est contra S. Script. & Patres Ecclesiæ, qui Confirmationem eo nomine frequenter insigniunt; ergo. Vid. Salmantic. de Confirmat. tract. 3. cap. 2. p. 2. n. 26. & 28. Reding n. 12. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 28. a. 2. n. 8. Unde, si dicas: valida est Extrema Unctio, dum fit mediante instrumento: ergo etiam Confirmatio: neg. conseq. quia Extrema Unctio non est essentialitet manûs impositio, sicut est Confirmatio. Reding loco cit.

11 Respondeo secundo, non de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm esse, ut chrismatio, sive unctio fiat pollice manûs dextræ intincto in Chrismate. Unde validum esset hoc Sacramentum, si unctio fieret alio digito, etiam manus sinistræ. Ratio est: quia adhuc verè fieret per impositionem manûs. Vid. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 5. Salmantic. n. 27. Mezger n. 9. Quòd autem de necessitate præcepti unctio fieri debeat pollice manûs dextræ, constat ex Romano Pontificali, ubi ita præscribitur, & ex consuetudine universalis Ecclesiæ. Unde mortaliter peccaret Episcopus, si absque justa causa alio digito, quàm pollice dextræ inungeret, plures tamen docent, peccarum solùm venialiter. Haud dubiè tamen peccaret mortalitet, si unctionem perageret medio instrumento. Licèt enim probabile sit, id non fore contra valorem Sacramenti, eò quòd juxta aliquos esset vera manûs impositio, saltem moralis, minimè tamen certum est propter probabilitatem, eamque majorem sententiæ contrariæ, quàm nos amplexi sumus. Unde dicto modo inungens confirmandum manifesto periculo nullitatis exponeret Sacramentum. Vid. Pettschacher de Confirmat. q. un. a. 1. pag. 387.

§. II.

De Forma Confirmationis.

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

SUMMARIUM.

12. Cur Patres Ecclesiæ de formis Sacramentorum non satis apertè scripserint? 13. Forma consueta Confirmationis: Signo te signô Crucis &c. est quidem sufficiens. 14. Non tamen essentialis. 15. Respondetur ad Object. ex Concil. Florent. 16. Cæremoniæ, quæ in hoc Sacramento adhibendæ.

APud Patres Ecclesiæ, nec præsentis, nec aliorum ferè Sacramentorum formæ simul una tota verborum serie leguntur expressæ; quamvis iidem omnium sigillatim, quæ in illis significantur, meminerint. quod mirum non est: quia nolebant hujusmodi mysteria infidelibus prodere, atque irridenda objicere; sed ea potiùs traditione posteris communicare, quod in more fuisse Apostolis, eorumque successotibus apertè testatur S. Dionysius apud D. Thomam 3. p. q. 72. a. 4. ad 1. Unde & Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium de Confirmatione scripsit: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Verùm hodie in meridie lucis Evangelicæ, sublatoque ferè ubique illo periculo contemptus & irrisionis, clarè de Sacramentorum partibus & requisitis loqui non veretur Ecclesia. 12

Dico proinde primò. Forma Sacramenti Confirmationis sufficiens continetur in his verbis: *Signo te signô Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita omnes Theologi: estque statuta Conclusio fide certa ex decreto Concil. Florent. in superioribus sæpe cit. Ratio sumitur ex D. Thoma, a. relato: Quia per hanc formam optimè significatur tam causa principalis effectûs Sacramenti, quæ est SS. Trinitas, quàm ipse effectus, scilicet robur spiritûs; ac insuper signum militiæ spiritualis, quod confirmato imprimitur. aliud verò nihil per formam Confirmationis significari debet. Consequenter adducta à nobis formâ est sufficiens. Quod etiam vel maximè confirmat usus & praxis Ecclesiæ. 13

Dico tamen secundò. Forma adducta tion est essentialis & necessaria ita ut nulla alia substantialitet diversa sit sufficiens. Ita Gonet to. 5. tract. 3. disp. 6. a. 2. n. 49. Reding to. 5. q. 10. a. 2. controv. 3. n. 2. Pettschacher de Confirmat. q. un. a. 1. pag. 389. Illsungtr. 6. disp. 3. a. 2. n. 41. & alii contra Suat. Coninck, Marcum Serram, Castrop. & alios. Ratio est: quia Græca Ecclesia, dum confert Sacramentum Confirmationis utitur hac forma: *Signaculum doni Spiritûs S.* subintelli- 14

ge, *est illud.* Sed hæc forma est substantialiter diversa à Latina priùs adducta, estque valida, & sufficiens; ergo. maj. ex monumentis & Doctoribus ejusdem Ecclesiæ efficaciter probat Gonet n. 50. Quam eandem formam tradit etiam Synodus VI. General. can. 95. ubi sic habet apud Amicum relatum ab Illsung tract. cit. disp. 1. a. 2. n. 7. *Sancto primùm Chrismate inungentes, & frontem, & oculos, & os, & aures, consignantes autem dicimus: Signaculum doni Spiritûs Sancti.* mi. quoad priorem part. facilè patet: quia forma ista Græcanica neque ex accommodatione usûs, neque ex nova aliqua institutione verborum æquivalet nostræ Latinæ, quoad totum objectum significandum. Posterior pars ejusdem min. prob. primo ex eo, quòd Concilium Florentinum ad Ecclesiam Græcam cum Latina uniendam congregatum nullam de memorata forma Græcorum moverit controversiam, cùm tamen de forma Baptismi & materia Eucharistiæ litem inter utramque Ecclesiam deciderit: ergo signum est, quòd formam illam Confirmationis Græcorum tacitè approbaverit. Prob. secundo ex eo, quòd Innocentius III. & Clemens VIII. in Bullis specialibus de unione inter Græcos & Latinos nullam faciant mentionem de illa formâ Græcorum, sed solùm prohibeant, ne Sacramentum Confirmationis (ut mos invaluerat in ea Ecclesia) administretur imposterum à simplicibus Sacerdotibus, consequenter iidem Pontifices supponunt, formam illam esse validam. Prob. tertio ex eo, quòd eadem forma, ut diximus, habeatur tradita can. 95. Synodi VI. General. adeoque pro valida fuerit agnita.

15 Objicies. Concilium Florent. recensens formam hujus Sacramenti ponit omnia verba, quorum in num. 13. meminimus: cùm tamen non soleat exprimere nisi essentialia: ergo signum est, formam illam esse essentialem & necessariam quoad omnes suas particulas, ita ut nulla alia possit esse sufficiens, nisi eidem in sensu & significatione substantiali æquivaleat. Respondeo, etiam dato hoc quòd Florentinum, ubi agit de formis aliorum Sacramentorum, non exprimat nisi essentialia, aliter tamen se gerere circa formam Confirmationis, idque propter fundamentum nostræ sententiæ. Deinde licèt idem Concilium assignans formam consecratoriam Calicis ponat omnia illa verba: *Hic est enim Calix sanguini mei, novi & æterni &c.* non tamen posuit omnia tanquam essentialia; prout in *Parte seq.* ostendemus. Sequitur proinde, in forma Latina Confirmationis has voces, *signô Crucis, Chrismate salutis* sicut & expressionem Mysterii SS. Trinitatis non esse de essentia, & Christum non determinâsse formas hujus Sacramenti quoad speciem, aut individuum, sed solùm quoad rationem genericam, ut nempe conferretur per verba ad significandum effectum ejusdem sufficientia; eorum autem verborum determinatio esset in potestate Ecclesiæ: sicut in similibus par. præced. disp. 1. a. 2. num. 23. exposuimus. Illud tamen dandum est probabilitati sententiæ contrariæ, Ministrum Ecclesiæ Latinæ non posse citra mortale peccatum uti alia forma Confirmationis, quàm illâ in Concil. Florent. præscriptâ.

Et ista quidem de forma substantiali 16
Confirmationis. Forma accidentalis consistit in ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis, quæ in illa adhibentur, & quorum aliæ antecedunt, aliæ concomitantur, aliæ subsequuntur ejus administrationem. Antecedenter ad istam providendum est primo, ut benedicatur Chrisma. Secundo, ut adsit Patrinus. de quo plura inferiùs. Tertio, ut dicantur certæ quædam orationes, quibus & confirmandus disponatur, & effectus Sacramenti declaretur. In ipso actu administrationis observandum est primo, ut tam confirmans, quàm confirmandus sit jejunus; prout habetur in cap. *ut Jejuni.* & cap. *Ut Episcopi. de Consecrat. dist.* 5. Quod tamen non esse præcepti, sed consilii, docent Suarez, Castropal. & alii apud Reding tom. 5. q. 10. a. 4. controv. 4. num. 14. quos & ipse sequitur. Et sanè constat, usum jam obtinere, ut occurrente rationabili causa (qualis est multitudo magna confirmari petentium) Sacramentum Confirmationis post prandium & administretur, & suscipiatur. Observandum est secundo, ut Patrinus verè tangat ac teneat eum, qui confirmatur. Quem ritum omittere esse peccatum mortale docent Nunnus & Ledesma apud Salmantic. tract. 3. de Confirmat. cap. 4. pu. 2. num. 39. Observandum tertio, ut idem Sacramentum administretur die festo. Sed quamvis hoc sit convenientius, posse tamen die quoque feriali administrari, hodierna praxis ostendit. Vid. Reding num. 16. Observandum quarto, ne administretur extra Ecclesiam. id enim, attenta consuetudine universalis Ecclesiæ, esse mortaliter illicitum affirmant communiter DD. teste Reding num. 17. Quamvis apud eundem Barbosa cum aliis doceat, eam consuetudinem non tam graviter obligare, ut Episcopus non extra Ecclesiam in loco honesto, aut in suo palatio confirmare possit. Peracta Confirmatione debet primo frons confirmati obligari fasciâ, vel vittâ lineâ. hæc post frontis ablutionem vel comburenda, vel in profluentem abjicienda, vel honestè asservanda est, & non ad profanos

usus

usus applicanda, idque propter contactum Chrismatis. Vid. Salmantic. num. 40. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 7. n. 2. Debet secundo ab Episcopo infligi confirmato levis alapa, tum in memoriam suscepti Sacramenti: tum, ut significetur, Christianum militem paratum esse oportere ad injurias pro Christi nomine fortiter perferendas. Hujus tamen ritus omissionem, secluso scandalo, non esse peccatum mortale docent Suarez & Barbosa apud Reding n. 20. Debent tertio moneri confirmati, ut ante ultimam benedictionem ab Episcopo impertitam è loco non discedant. quam tamen admonitionem prætermittendam esse dicit Laym. loco cit. si tanta multitudo populi confluat, ut alii aliis succedere debeant.

ARTICULUS III.

De Subjecto, & Effectu Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. *Omnes Baptizati nondum confirmati confirmantur validè.* 2. *Pueri ante usum rationis non debent confirmari regulariter.* 3. *Possunt tamen occurrente justâ causâ.* 4. *Si puer usum rationis adeptus est, non expedit Confirmationem differri diutiùs.* 5. *Amentibus hoc Sacramentum non debet denegari;* 6. *Sicuti nec moribundis regulariter loquendo.* 7. *Nemo tenetur per se loquendo illud suscipere; per accidens tamen potest esse obligatio suscipiendi.* 8. *Graviter peccat, qui omittit suscipere ex contemptu.* 9. *Probabilius non est gravis obligatio suscipiendi Confirmationem ante Primam Tonsuram & Ordines.* 10. *Explicatur cap.* Omnes fideles. 11. *Effectus Confirmationis.*

1 Dico primo. Sacramentum Confirmationis omnes baptizati nondum confirmati recipiunt validè. Ita colligitur tum ex communi praxi & traditione Ecclesiæ: tum ex eo, quod in omnibus memoratis hominibus hoc Sacramentum habere possit effectum suum primarium, scilicet augmentum gratiæ. tum ex cap. 1. de Consecrat. dist. 5. ubi ait Papa Urbanus: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum accipere debent post Baptismum, ut plenè Christiani inveniantur.* Dictum est autem primo, *omnes baptizati:* quia Baptismus ceu janua ad reliqua Sacramenta necessariò præsupponi debet. Dictum est secundo, *nondum confirmati:* quia hoc Sacramentum est initerabile, sicut Baptismus. unde semel tantùm recipitur validè. Atque in his quidem facilè conveniunt DD. sed difficultas est, quibusnam licitè quoque impertiti possit Confirmatio? an nempe etiam infantibus, amentibus, moribundis usu rationis destitutis? Ad quæ ut ordine respondeatur,

2 Dico secundo. Non est expediens regulariter loquendo, ut infantes confirmentur rationis usum nondum adepti. Constat inprimis ex communi hodie consuetudine Ecclesiæ. Deinde ex Catechismo Romano Pii V. *par.* 3. *q.* 14. ubi ita habetur: *Illud etiam observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minùs tamen expedire hoc fieri, antequàm pueri usum rationis habuerint: quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septennium certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Ita Catechismus. Ratio porrò memoratæ convenientiæ est; tum, ut Sacramentum majore cum reverentia & utilitate suscipiatur; utpote propria ad id dispositione ex parte suscipientis concurrente. tum, ut evitetur periculum iterationis; quod facilè incurri potest, si quis confirmatur rationis adhuc impos: cùm deinde recordari ipse non possit, se confirmatum fuisse. imò facilè contingat, ut nemo alius recordetur.

3 Dixi autem, *regulariter loquendo.* quia occurrente justa causa etiam infantibus & pueris ante usum rationis Sacramentum Confirmationis licitè confertur: ut primo, si talis aliquis diu non habiturus sit occasionem hoc Sacramentum recipiendi. Secundo, si periculum sit, ne moriatur nondum confirmatus. Tertio, si alicubi adhuc consuetudo vigeat pueros confirmandi ante usum rationis. vid. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 5. n. 2. Salmantic. tract. 3. de Confirmat. cap. 3. pu. 2. à n. 16. Reding to. 5. q. 10. a. 3. controv. 2. à n. 13. De cætero advertendum est, consuetudinem non confirmandi pueros ante usum rationis probabiliùs non esse obligatoriam saltem sub mortali, sicuti docent Suarez & Tambur. quos refert, & sequitur Pettschacher de Confirmat. q. un. a. 2. pag. 390. Imò probabile est nullo modo esse obligatoriam. vid. Bonac. de Confirmat. disp. 3. q. un. pu. 4. n. 5. Salmantic. n. 22.

4 Corollarium. Quando puer explevit septimum annum ætatis, aut ante illum quoque assecutus putatur usum rationis, non expedit diutiùs differri Confirmationem. Laym. loco cit. Reding n. 12. Ratio est: tum, quia digniùs eam suscipit adhuc innocens, seu gratiam baptismalem servans illæsam. tum,

quia ipsum hoc Sacramentum est loco remedii, ut homo à gravioribus lapsibus præservetur.

5 Dico tertio. Amentibus non est denegandum Sacramentum Confirmationis. Explicatur & probatur. Amentes sunt in triplici statu. Nam primo alii habent spem acquirendi usum rationis, seu lucidum aliquod intervallum. Secundo, alii post semel habitum usum rationis inciderunt in perpetuam amentiam. Tertio, alii à nativitate sunt in perpetua amentia, nec unquam potiti usu rationis. In amentibus primi statûs differri debet collatio Confirmationis, quousque usum rationis recepetint. cùm de his militet eadem ratio, quæ de infantibus. Amentes secundi status confirmari debent, nisi constet peccato mortali obnoxios in amentiam incidisse. Neque requiritur in illis alia voluntas suscipiendi hoc Sacramentum, quàm interpretativa, ut plures existimant. sed vide, quæ *parte præced.* disp. 3. a. 1. n. 3. diximus. Amentibus in tertio statu itidem conferri debet Confirmatio. Ratio est: quia hi tales & cum spirituali fructu, & sine irreverentiæ periculo Sacramentum suscipiunt, sicut Baptismum. Dices. Infantes in hoc suo statu non debent confirmari: ergo nec perpetuò amentes. Respondeo neg. conseq. quia, cùm de infantibus speretur, fore ut usum rationis adipiscantur, meritò eò usque expectatur, ut Sacramentum possint utiliùs recipere: quæ ratio cessat in perpetuò amentibus. Vid. de his omnibus Laym. cap. cit. n. 3. Salmantic. n. 23. Reding n. 18. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 28. a. 3. n. 3. Pettschacher loco cit. qui etiam notat, si Episcopus alicubi non soleat confirmare amentes, satis excusari eos, quorum interest, si illos non adducant.

6 Dico quarto. Etiam in articulo mortis versantibus, regulariter & per se loquendo, conferendum est Sacramentum Confirmationis. Ita D. Thomas 3. p. q. 72. a. 8. ad 4. Salmantic. loco cit. Laym. n. 3. Filliuc. tract. 3. cap. 2. n. 39. Reding n. 19. Pettschacher pag. 391. & alii. Ratio est: tum, quòd ejusdem capaces sint, patianturque detrimentum spiritualis perfectionis, si non confirmati fuerint. tum, quòd nullum sit sufficiens fundamentum talibus denegandi hoc salutis adjumentum. Neque enim obstat primo, quòd non usuri sint gratiâ, quæ suscipientibus istud Sacramentum ad pugnam spiritualem confertur. hoc enim est per accidens, & sufficit, eos inde reportare augmentum gratiæ priùs acceptæ. Etiam moribundis usu rationis destitutis, nec ad eum ampliùs redituris conferri solet Extrema Unctio, quamvis sint incapaces supremæ luctæ cum Diabolo; quia nempe hæc incapacitas illis supervenit per accidens. cur ergo in mortis articulo constitutis non similiter conferatur Sacramentum Confirmationis, quamvis per accidens sint inidonei ad pugnam pro fide Christi pugnandam? Neque obstant verba Papæ Melchiadis relata in cap. *Spiritus Sanctus. de Consecr. dist. 5. quamvis continuò morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* nam respondetur cum D. Thoma loco cit. ex illis plus non colligi, quàm Sacramentum Confirmationis non esse necessarium morituris, quod ipsi fatemur: minimè verò rectè deduci, id non esse valde proficuum & utile ad augendam gratiam.

7 Sed jam quæritur, an, & qualis sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum? Respondeo, nullam esse per se loquendo. Ita D. Thomas loco cit. & DD. communiter. Ratio est: quia nullum de hoc ostendi potest præceptum, sive Divinum, sive Ecclesiasticum. Et certè, si exstaret aliquod ejusmodi præceptum, Ecclesia utique compelleret fideles ad ejus observationem, iidemque ad hanc vel maximè tenerentur in articulo mortis. sed prius non est in usu Ecclesiæ, & posterius non esse verum constat ex n. præced. Neque refert, quòd Melchiades in verbis relatis dicat, *victuris necessaria esse Confirmationis auxilia:* loquitur enim de necessitate secundùm quid, non simpliciter tali. nam *Sacramentum Confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis*, ait D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. a. 2. quæst. 1. Dixi autem, *per se loquendo.* Nam per accidens, v. g. ad cavendum scandalum, vel ratione Conscientiæ, qua quis metuit, ne in cruciatibus ex odio Fidei inferendis deficiat sine hoc Sacramento, potest esse gravis obligatio id suscipiendi. vid. Salmantic. n. 58. & 59. Mezger n. 5. Pettschacher loco cit.

8 Infertur primo, mortaliter peccare eum, qui Confirmationem suscipere omittit ex contemptu. Ita D. Thomas 3. p. q. 72. a. 8. ad 4. & alii communiter. Ratio est: quia gravem injuriam irrogat Sacramento, ejusque Institutori Christo. Cæterùm advertendum est, non esse contemptum, dum quis præcisè non vult confirmari, etiam quando habet opportunitatem postea non facilè habendam, ut aliqui existimant. Nam multa animæ nostræ salubria facere prætermittimus vel ex torpore quodam, vel quia cogitamus, ad salutem non esse absolutè necessaria; ut audire Missam die feriali, recitare preces Confraternitatum, & similia; quæ tamen non dicimur contemnere, quamvis commodè facere possemus, vid. Laym. ubi suprà n. 4. Ille proinde ex contemptu omittit bonum aliquod opus, qui ideo omittit, quia illud vel nihili facit, vel reputat esse quid absonum, suave, personâ minùs dignum. Et qui harum aliqua ratione ductus Confirmatio-

mationem suscipere prætermittit, haud dubiè peccat mortaliter. vid. Salmantic. n. 57. Reding controv. 3. n. 8.

9 Infertur secundo, probabiliùs non esse gravem obligationem, ut quis, dum cogitat initiari Prima Tonsura, aut Ordinibus, priùs suscipiat Sacramentum Confirmationis. Ita Suarez, Soto, Navarrus, & alii, quos referunt & sequuntur Salmantic. n. 63. Idem tenent Reding n. 13. Pettschacher pag. 302. Oberascher tract. 2. cap. 4. pag. 443. Ratio est: quia nullum de hoc exstat præceptum, saltem graviter obligatorium. Nam Concil. Trid. sess. 23. cap. 4 de Reformat. illis verbis: *Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, monere potiùs videtur, quàm præcipere. Atque hinc etiam deducitur, Episcopum non peccare mortaliter, si ordinet non confirmatum, aut ipse non confirmatus confirmet, vel ordinet. Salmantic. loco cit.

10 Infertur tertio, illud, quod in cap. *Omnes. de Consecrat. dist.* 5. dicitur, omnes fideles debere suscipere Confirmationem, *ut plenè Christiani inveniantur*; intelligendum esse de plenitudine abundantiæ, non de plenitudine sufficientiæ, quam tribuit Baptismus, per quem homines fiunt substantialiter Christiani. Verbum quoque *debent* non denotat ibi præceptum, sed magnam convenientiam & necessitatem secundùm quid. Vid. Gonet to. 5. tract. 3. disp. 6. a. 3. n. 64. Reding n. 5. Pettschacher loco cit. Oberascher p. 444.

11 Dico quinto. Primarius effectus Confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis cum jure ad Divina auxilia, quibus adjuvantibus confirmatus Fidem Christi intrepidè & constanter profiteatur. Effectus secundarius est Character indelebilis. Prima pars hujus Concl. habetur tum ex fine, propter quem Christus instituit istud Sacramentum: tum ex partibus illius essentialibus, quibus robur gratiæ significatur. Secunda patet ex definitione Concilii Trid. *sess.* 7. *de Sacram. can.* 9. Vide, quæ in priore Par. disp. 4. a. 2. diximus.

ARTICULUS IV.

De Ministro, & Patrino Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. *Variæ sententiæ de Ministro Confirmationis.* 2. *Statuitur, ordinarium Ministrum esse solum Episcopum.* 3. *Respondetur ad Objectiones.* 4. *Minister extraordinarius potest ex delegatione Papæ esse simplex Sacerdos.* 5. *Non tamen ex commissione Episcopi inferioris.* 6. *An, aut quomodo verum sit illud: Quidquid Papa potest in universa Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi?* 7. 8. 9. *Corollaria practica.* 10. *Graviter peccat Episcopus, si Diœcesanos suos longo tempore non confirmet.* 11. *In Confirmatione adhibendus est Patrinus, idque ex præcepto graviter obligante.* 12. 13. *& seqq. Observanda de Patrino Confirmationis.*

1 AD Ministrum Confirmationis quod attinet, variæ referuntur sententiæ à Valentia to. 4. disp. 5. q. 2. pu. 1. Nam aliqui putârunt, simplices Sacerdotes esse ejus Ministros ordinarios. Alii dixerunt, simplicem Sacerdotem neque ex commissione Summi Pontificis illam posse administrare. Rursus alii docuerunt, non tantùm Summum Pontificem, sed etiam quemvis alium Episcopum posse in sua Diœcesi istud ministerium simplici Sacerdoti committere. De quibus sententiis quid existimandum sit, patebit ex sequentibus. Nunc

2 Dico primo. Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Ita definitum habetur à Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & à Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmat. ubi dicitur: *Siquis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Similiter sess. 23. can. 7. anathema dicitur asserenti, *potestatem confirmandi Episcopis esse cum Presbyteris communem.* Probatur deinde ex S. Script. Actor. 8. ubi habetur, cùm Philippus ille, qui baptizabat Samaritanos, non esset Episcopus, missos fuisse Petrum & Joannem Apostolos, qui eos confirmarent. His accedit perpetua traditio, & consuetudo Ecclesiæ. Sed

3 Objicies primo. In S. Script. Actor. 9. Ananias, qui non erat Episcopus, Paulo manum imposuisse legitur. Secundo. Apud Armenos, & Græcos ex veteri consuetudine passim confirmant Presbyteri. Tertio. In Concil. Tolet. I. can. 20. dicitur, Presbyterum chrismare posse absente Episcopo, vel præsente de ejus facultate. Similiter Innocentius I. epist. 1. cap. 6. scribit, posse Presbyterum manus imponere absente Episcopo. Respondeo ad Primum, illam manûs impositionem, utpote anteriorem Baptismô, non fuisse Confirmativam, sed Curativam & Medicinalem, ut Paulus visum reciperet. Neque obstat, quòd Ananias imponens manum non tantùm dixerit Paulo, *ut videas*, sed etiam,

ut Spiritu Sancto implearis. Nam hoc posterius refertur ad Baptismum, quem Paulus deinde suscepit ab Anania. Ad Secundum respondeo, si loquamur de Græcis, aut Armenis Schismaticis, ex ejusmodi illorum consuetudine non posse sumi efficax argumentum. Quòd si Orthodoxi illarum nationum Sacerdotes aliquando confirmârunt, id fecisse dicendi sunt ex commissione Papæ, de qua postea. Ad Tertium respondeo; illud ex Concil. Tolet. non esse intelligendum de unctione Chrismatis in fronte, quæ spectat ad Sacramentum Confirmationis, sed de unctione cæremoniali, quæ fieri solet in vertice baptizati. Innocentium autem cap. illo 6. loqui ajo de impositione manuum super energumenos. Vid. de his Valent. loco cit. Gonet to. 5. tract. 3. disp. 6. a. 5. Reding to. 5. q. 10. a. 4. controv. 1.

4 Dico secundò. Minister extraordinarius Confirmationis ex delegatione Summi Pontificis potest esse simplex Sacerdos. Ita communis & ferè certa sententia. Quæ prob. primo ex concessione S. Gregorii Magni, quæ refertur in cap. *Pervenit. dist.* 95. ubi inter cætera dicit: *Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri in frontibus baptizatos Chrismate tangere valeant, concedimus.* Prob. secundo ex Concilio Florent. in Decreto suprà cit. ubi, postquàm definivit Ministrum Confirmationis esse Episcopum, subjungit: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodùm causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse Confirmationis Sacramentum.* Prob. tertio ex Concilio Trid. sess. illa 7. can. 3. de Confirmat. nam definiendo ibi, solum Episcopum esse ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis, tacitè supponit, Sacerdotem simplicem posse esse Ministrum extraordinarium. Quamvis autem varii conati sint respondere ad memoratam priùs authoritatem Magni Gregorii, ut videre est apud Gonetum à n. 87. omnes tamen id malè fecerunt, & insufficienter, ait Valent. loco cit. Prob. quarto hac ratione. Certum est, Christum ita potuisse instituere ministerium Confirmationis, ut jure ordinario & ex officio esset solius Episcopi; extraordinariè verò ex commissione Summi Pontificis concederetur simplici Sacerdoti. nulla enim in hoc apparet repugnantia. Atqui ita instituisse colligimus à posteriori: dum ex una parte constat, Ministrum ordinarium jure Divino esse Episcopum; ex alia verò parte adsunt tam exempla recentiora quoque Summorum Pontificum, qui hoc ministerium commiserunt simplicibus Sacerdotibus, ut referunt Gonet n. 92. & alii; quàm testimonium Concilii Flor. affirmantis, id illos commisisse: ergo &c.

Dico tertio. Episcopi Summo Pontifice inferiores non possunt simplicibus Sacerdotibus committere ministerium confirmandi. Ita communis. Quæ probatur primo ex cit. Decreto Concilii Florent. ubi inter speciales prærogativas Sedis Apostolicæ refertur, quòd ex ejus dispensatione aliquando simplices Sacerdotes confirmaverint. Atqui non esset specialis prærogativa Sedis Apostolicæ, si hoc idem Sacerdotibus possent concedere alii Episcopi; ergo. Prob secundo ex D. Thoma 3. p. q. 72. a. 11. ad 1. ubi ad probandum, quòd Summus Pontifex possit simplici Sacerdoti concedere facultatem confirmandi, sumit argumentum ex plenitudine & eminentia potestatis, quæ est in solo Summo Pontifice. *Papa in Ecclesia,* inquit ibi, *habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus ... Et ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quòd simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.* Sentit proinde D. Thomas, solum Papam, & nullum alium Episcopum, posse simplici Sacerdoti committere ministerium confirmandi. 5

Objicies. Quidquid Papa potest in universa Ecclesia, illud potest Episcopus in sua Diœcesi: ergo sicut Papa ministerium confirmandi potest committere cuilibet Sacerdoti de tota Ecclesia, ita Episcopus potest idem committere alicui de sua Diœcesi. Respondeo primo neg. Ant. Nam Papa, ut alia omittam, potest in Ecclesia definire infallibiliter propositionem aliquam tanquam de fide: quod certè non potest Episcopus in sua Diœcesi. Respondeo secundo dist. Ant. quidquid Papa potest in universa Ecclesia vi Ordinis & consecrationis Episcopalis, illud potest Episcopus in sua Diœcesi, conc. quidquid potest per eminentem suam potestatem jurisdictionis, neg. Ant. Atqui committere simplici Sacerdoti munus confirmandi non ad potestatẽ Ordinis, sed jurisdictionis pertinet. Ex dictis 6

Colligitur primo, validam esse Confirmationem collatam à quocunque vero Episcopo, etiam excommunicato, hæreticò, vel degradato. Ratio est: quia verus Episcopus characterem sui Ordinis, in quo sita est potestas validè confirmandi, nunquam amittit; sicut Sacerdos nunquam amittit characterem Sacerdotii, in quo sita est potestas validè consecrandi. Certum tamen est, Confirmationem à tali conferri illicitè. Vid. Filliuc. tract. 3. cap. 2. n. 29. Salmantic. tract. 3. de Confirm. cap. 4. pu. 1. n. 2. Mezger tomo 4. tract. 16. disp. 28. a. 4. n. 2. 7

Colligitur secundo, Episcopum nondum consecratum non posse confirmare validè, licèt sit electus: id tamen posse Episcopum consecratum, licèt non sit confirmatus. 8

Ratio

Ratio est ex dictis: quia Episcopus nondum consecratus non habet characterem Ordinis Episcopalis; habet verò Episcopus consecratus. Salmantic. n. 4. & 5. Mezgern. 3.

9 Colligitur tertio, Episcopum validè confirmare sibi non subditos, sive id faciat in sua, sive aliena Diœcesi. Ratio est: quia administratio hujus Sacramenti non est actus Jurisdictionis, sed Ordinis. Unde licèt requiratur Jurisdictio, ut licitè, non tamen requiritur, ut validè exerceatur. Cæterùm licitè quoque confirmat Episcopus ex aliena Diœcesi accurrentes ob licentiam præsumptam proprii illorum Ordinarii, cui id gratum esse censetur: præsertim, si ita obtineat consuetudo. Vid. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 6. num. 3. Salmantic. num. 25. Mezger num. 4.

10 Demum in eo communiter consentiunt DD. quòd asserant, Episcopum obligari ad Diœcesanos suos confirmandum, sive per se, sive per suffraganeum, gravitérque peccare, si id facere longo tempore intermittat. Ratio est: quia Pastores Ecclesiæ graviter obligantur oves suas pascere non tantùm in necessariis ad salutem, sed etiam in valdè utilibus. Neque potest Episcopus confirmandi gratiâ proficiscens petere à subditis expensas itineris: cùm propter administrationem Sacramentorum decimas, suique Episcopatus fructus percipiat. Vid. Salmantic. n. 31. Pettschacher de Confirmat. q. un. a. 3. pag. 398.

11 Dico jam quarto. De necessitate præcepti sub mortali obligantis est, ut adhibeatur Patrinus in Confirmatione. Ita communiter DD. & habetur in cap. *Si quis filiastrum.* cap. *de his.* 30. *q.* 1. cap. *Siquis ex uno. eadem dist. q.* 4. Rationem à congruo reddit Romanus Catechismus: quia sicut in fide per Baptismum genitus indiget Pædagogo, ita per Confirmationem recenter adlectus in militiam Christi indiget magistro aliquo, cujus monitis & præceptionibus instructus tela nequissimi possit extinguere. Testatur nihilominùs Gobat, ut refert Illsung tract. 6. disp. 3. a. 3. num. 45. Episcopum Constantiensem multos confirmâsse sine Patrino, quando commodè haberi non potuit.

12 Sunt autem de Patrino Confirmationis sequentia observanda. Primo, debet esse unus tantùm, vel una. ex cap. *ult. de Cognat. Spirit. in* 6. quamvis enim Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 2. permiserit, ut in Baptismo possint adhiberi unus & una, id tamen ad Confirmationem non debet extendi: cùm de illa quantum ad hoc Concilium non fecerit mentionem, nec admittenda sit absque gravi fundamento correctio juris antiqui. Vid. Salmantic. pu. 3. n. 50. Reding to. 5. q. 10. a. 4. controv. 4. n. 3. & 4. Illsung loco cit.

13 Secundo. Patrinus Confirmationis debet esse distinctus à Patrino Baptismi, nisi aliud suadeat necessitas. ex cap. *in Catechismo de Consecrat. dist.* 4. Juxta Pontificale quoque Romanum nemo una die convenienter potest agere Patrinum nisi duorum tantùm. Et Rituale Frisingense pag. 78. n. 3. consultum non est, inquit, præsertim in minoribus oppidis, pagis, ac locis solitariis, ut quis multos maximè paris conditionis; ad Confirmationem adducat; ne se multis cognationibus spiritualibus libertatem Matrimonii impedientibus implicet. Advertit tamen ex Barbosa Reding num. 6. posse aliquem eodem die plures adducere; quando est vir probus, præsertim Ecclesiasticus, in quem nulla cadat malæ intentionis suspicio. Quod maximè locum habere judico in defectu aliorum, qui eo munere fungi possint.

14 Tertio. Idem Patrinus ex probabiliore sententia debet esse confirmatus, ita, ut si aliquem in Confirmatione teneat non confirmatus, is & graviter peccet, & invalidè agat, nullámque cognationem spiritualem contrahat. Fundamentum sumitur ex cap. *In Baptismate. de Consecrat. dist.* 4. ubi dicitur: *In Baptismate, vel Chrismatione non potest alium suscipere in filiolum ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Ubi vides à munere Patrini Confirmationis non minùs excludi non confirmatum, quàm non baptizatum: ergo sicut non baptizatus invalidè fungitur hoc tali munere, nec contrahit cognationem spiritualem, ita etiam non confirmatus. Talis proinde esset in causa, ut re ipsa nullus adesset Patrinus: quod absque gravi peccato fieri non potest: cùm adhiberi Patrinum sit cæremonia gravis, & in Ecclesia ubique recepta. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 60. n. 20. Reding à n. 4. Mezger to. 4. tract. 16. disp. 28. a. 2. n. 13. Oberascher tract. 2. cap. 4. pag. 458. Pettschacher de Confirmat. qu. un. a. 3. pag. 399. Neque dicas: Episcopus non confirmatus validè confirmat: ergo etiam non confirmatus valide agit Patrinum Confirmationis. Respondetur enim, disparitatem esse, quòd potestas validè confirmandi sita sit in charactere Episcopali, qui manet in Episcopo etiam non confirmato: capacitas autem obeundi munus Patrini pendeat ex constitutione Ecclesiæ, quæ eandem denegat non confirmato, ut priùs audivimus. Sententia nostræ contraria habet plures Authores graves, estque probabilis: de qua vid. Sanchez loco cit. num. 19. Salmantic. n. 47.

Jure communi per cap. *Placuit.* 6. *q.* 1. 15

cap. *Non licet.* cap. *Monachi de consecrat. dist.* 4. illicitum est Monachis in Confirmatione agere Patrinos sæcularium. Verùm Diana, & alii teste Reding num. 12. nullam ampliùs ejusmodi prohibitionem agnoscunt hodie obligatoriam, graviter saltem, ajuntque, si adsit rationabilis causa, talem Religiosum nec venialiter peccare agendo Patrinum personæ sæcularis.

16 Patrinus Confirmationis non tenetur confirmatum instruere, regulariter loquendo. Filliuc. tract. 3. cap. 3. num. 63. Pettschacher pag. 400. & alii. Ratio est: quia neque jus aliquod, neque authoritas, neque ratio suppetit ejusmodi obligationem adstruendi. Dixi, *regulariter loquendo*: quia in casu necessitatis, dum nempe deficit Patrinus Baptismi, vel alius, qui instruat, tenetur Patrinus Confirmationis confirmatum instruere in fide & bonis moribus. Et de hoc tali casu in eligendum est Pontificale Romanum, ubi dicitur: *Patrinum obligari ad informandum confirmatum bonis moribus & operibus.*

Ut hic Patrinus contrahat cognatio- 17
nem spiritualem, debet verè tangere ac tenere eum, qui confirmatur, & dum confirmatur: ut pluribus ostendit Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 56. Cæterùm, ut scias, quas inter personas in Confirmatione contrahatur cognatio spiritualis, adi Concil. Trid. sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. ubi post designatum numerum personarum eandem contrahentium in Baptismo subjungit: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

PARS TERTIA.

De Sacramento Eucharistiæ.

Discite, quid sit Amor. Res mira, res stupenda! Nondum alterna lustrorum successione currebant sæcula: nondum mutua mensium, dierumque circumvolutione retrabantur anni, cùm Amor jam arsit, Ipsi Deo æquævus, ipso tempore antiquior. Illius Numini, quem adorant universa, sæpe jus dixit, & obtemperare Eum, cui parent omnia, sibi jussit. Cum adhuc Cœlum, terra, & mare intra chaos laterent sui nihili, nullæque exstarent rerum species, orbis nullus, Deo dixit Amor: conde cœlum, terram & mare. Dictum, factum. Continò luxère sidera, steterit terra, fluxit mare, rerumque universitas ex utero nihili prosiliit. Cum deinde humanum genus dira Inferni tyranni servitute oppressum gemeret, præcipitésque in Tartara mortales, prædæ miserabiles, turmatim ruerent, & nullis malis, nullisque stragibus nostris placaretur internecina Orci crudelitas, non tulit hoc misericors Amor, questusque cum Deo, quamdiu pateris, dixit, perire miseros? Surge Artifex, vindica opus tuum, asserei imaginem, quam tibi similem condidisti. Nec mora: obsequitur Deus, & secutus Amoris imperia cœlum, sidera, æternumque regnum exiliò mutat; descendit in tristes orbis nostratis oras, tantáque Majestas non dedignatur induere humanos artus, nasci paupere matre; vagire infans inter pecora; jacere in fœno, duráque stipula: dehinc algere, famere, sitire, ac demum in crucem agi, patique ultima, verbò, mori. Quis jam credat, Amorem progredi posse ulterius? Estne aliquid super, quod post profusam vitam & sanguinem possit præcipere? Est enimverò. ôrem omni non modò intelligentia mortalium, sed etiam admiratione superiorem! Invenit, excogitavit, quod ultra juberet, ingeniosissimus Amor. Vidit enim, Numinis cœlestibus regnis postliminiò reddendi absentiam Ejus liberto, humano generi, multum acerbam fore, ac luctuosam, ideoque dixit illi: Dilectis tuis quid solatii relinquis? *Deliciæ tuæ esse cum filiis hominum* Tete relinque

Rursus exequitur Deus, quod mandat Dictator Amor, idque modis inenarrabilibus, ita ut rem ejusmodi fieri posse nemo crederet, nisi factam esse, Ejus, qui fecit, irrefragabilis authoritas contestaretur. Voluit itaque Amore sic

jubente

jubente, ut tota sua Divinitas, quam cœlum & terram non capiunt, in humano corpore semel adscito ad paucularum vocum pronuntiationem sisteretur sub modici panis, vinique schemate, esséetque nobis epulum, cibus, potus, viaticum, & donec orbi illucescat suprema dies, perenne convivium. Quis hic se contineat, ut non exclamet, O potentiam, O ingenium, & inventa Amoris admiranda! *Potestne æstimari* (rogat melleus Claræ Vallis Antistes) *quale & quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* Atque hic tandem virium suarum metam Amor attigit. *Deus* quippe, *cùm sit omnipotens, plus dare non potuit; cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.* Unde admiratus, quantum processisset, ac pœnè stupens stetit, hicque Herculeas posuit, fixitque columnas, & dixit: non plus ultrà. *Ego* ad scribendum hoc Augustissimum mysterium dum trementem admoveo calamum, fateor libentissime, neque verba me invenire, quibus Majestatem ejus pro dignitate efferam, (quis enim hoc aliquando potuit?) neque doctrinâ pollere tantæ materiei non impari. Conor nihilominus hac lucubratione studium meum probare Deo abscondito haud sanè parem scriptorem, sed cernuum admiratorem professus. Quid autem de ingenio, & eloquentia sim sollicitus? Sit suus his locus alibi. Hic omnis, dum scribo cœli, terræque delicias, in argumento gratiæ.

DISPUTATIO I.

De præsentia reali corporis & sanguinis Christi in SS. Eucharistia.

SErpens antiquus, & hostis humani generis vix ullum Orthodoxæ Religionis Mysterium acriùs odit, quàm SS. Eucharistiam. Quid igitur mirum, quòd hactenus tot, tantásque hæreses in eam, nostris præsertim temporibus, immiserit? Sentit videlicet, adversus potestatem tenebrarum hoc Sacramento nihil esse validius. Nam inde cultus Divinus amplificatur, spes nostra firmatur, charitas accenditur, aliique fructus innumeri in Ecclesia oriuntur. Quoniam verò cuncta, quæ in sequentibus Disputationibus dicemus, realem Christi præsentiam in hoc Mysterio supponunt, illam impræsentiarum contra sectarios assertum imus, idque breviter: cùm necessarium non sit omnes argumentorum copias in aciem educere. Primus pilorum conjectus rem conficiet.

§. I.

Recensentur hæretici reali præsentiæ Corporis Christi in SS. Eucharistia adversarii.

SUMMARIUM.

1. *Quinam primi negaverint, Christum esse realiter præsentem in S. Eucharistia.* 2. *Hæresis Berengarii.* 3. 4. *Ejus propagatio usque ad nostra tempora.*

DOctrina Catholica in variis Conciliis definita, & quam præsenti Quæstione tuebimur, est, peracta consecratione panis & vini totum Christum cum corpore, sanguine, anima, & Divinitate verè, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis & vini existere. In hanc veritatem omnium primi insurrexerunt Judæi Capharnaitæ, & quidam Discipuli Domini. Cùm enim Christus *Ioan.* 6. carnem suam in cibum offerret, dixerunt illi Judæi v. 53. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Multi quoque discipulorum, ut hoc audierunt, dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* v. 61. immò, ut habetur v. 67 *Abierunt retrò: & jam non cum illo ambulabant.* Istos secuti sunt Simon Magus, & Menander ejus discipulus, ambo genere Samaritani: de quibus S. Ignat. in epist. ad Smirnenses, ut refert Gabriel Vasquez 3. p. disp. 179. c. 1. ita scribit: *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.* In eodem errore fuisse dicendi sunt omnes veteres hæretici, qui negârunt, Christum fuisse verè, & substantialiter hominem, eique

non veram naturam, & carnem hominis, sed solùm phantasticam concesserunt. Quamvis, ut aliqui notârunt, istorum hæresis non tam mysterio Eucharistiæ, quàm Incarnationis adversetur.

2 Cæterùm utut alii multi contra veritatem Eucharistiæ erraverint, eorum tamen, qui realem in ea Christi præsentiam negârunt, præcipuus Ductor Berengarius Andegavensis Archidiaconus habetur. Is enim primus apertè defendit, in Sacramento Altaris nihil veri corporis & sanguinis Christi contineri, sed umbras tantùm, & figuras. Hoc ejus dogma damnavit Ecclesia primùm in Conc. Romano sub Leone IX. Deinde in Vercellensi, præsente eodem Episcopo. Cùm autem Berengarius in sua sententia nihilominùs persisteret, sub Victore II. habitum est aliud Concilium Turonis, in quo etiam hæresiarcha comparuit: cúmque doctrinam suam nollet coram Patribus defendere, ejuravit præsente toto Concilio. Verùm miser ad vomicam regressus, venenum, quod egesserat, non multò post resorbuit. Quare iterum celebratum Concilium est Romæ Nicolao II. Pontifice, ubi Berengarius jam alteram palinodiam cecinit, cujus formula refertur in c. *Ego Berengarius. de consecrat. dist.* 2. Post hæc omnia versipellis Proteus cum suis discipulis necdum quievit. Nam licèt hæresim ejuratam non amplius fuerit amplexus, aliam tamen novam excogitavit, dixitque, Christum quidem in S. Eucharistia, attamen unà cum substantia panis & vini ejus corpori accidentaliter conjuncta existere: atque adeo transubstantiationem negavit. Ut contunderetur novum id Hydræ caput, Gregorius VII. anno 1079. Synodum Romam indixit: in qua Berengarius & hunc errorem sub certa verborum forma, quam ex Lanfranco recitat Contenson *tomo* 8. *dissert.* 1. *c.* 2. *specul.* 1. *pag.* 223. publice recantavit. In ea tandem veræ fidei confessione, immò & seria pœnitentia stetit hic Archidiaconus, sicut testantur complures probati Historici, anno 1088. in Festo Epiphaniæ Catholicè mortuus. Illius errores, dum adhuc viveret, refutârunt Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, Guitmundus, Algerus, & alii familiæ nostræ Scriptores. De prioribus exstat præclarum testimonium Petri Cluniacensis in *lib.* 2. *Epistolar. epist.* 2. ubi dicit, Lanfrancum bene, plane, & perfecte contra Berengarium scripsisse; Guitmundum meliùs, planiùs, & perfectiùs: Algerum verò optime, planissime, & perfectissime disseruisse.

3 Et Berengarius quidem, ut dictum est, seria pœnitudine saluti suæ tandem consuluit: sed Ecclesiæ non item. Neque enim hæresis tàm luculenta cum suo Authore tumulari se passa est. Hodiedum superstes, prôli dolor! late grassatur. Sanè Troja facillimè fuit incensa: at semel incensam flammis eripere, hoc opus, hic labor fuerat. Dogma Berengarii deinde amplexi sunt Petrobrasiani, qui dixerunt, Christum quidem in cœna ultima vere dedisse corpus & sanguinem suum Discipulis; reliquos tamen Sacerdotes non pollere tantâ potestate: ut refert Suarez *tomo* 3. *in* 3. *partem. disp.* 46. *sect.* 1. Præterea eandem Christi præsentiam negâsse perhibentur Albigenses, Flagellantes, & Waldenses. Porrò circa annum 1370. hunc eundem errorem spargere cœpit Joannes Wicleffus natione Anglus, cujus pestilentes libri anno 1400. in Bohemiam allati totum id regnum infecerunt, ut scribunt Æneas Silvius, & Cochlæus apud Gabrielem Vasquez. Docuit insuper ille Hæreticus, in Sacramento Altaris remanere substantiam panis & vini: Sacerdotem quoque in peccato mortali existentem invalidè consecrare.

Superiori denique sæculo primam Be- 4
rengarii sectam professus est Huldericus Zwinglius, cui adhæserunt Oecolampadius, & Carolstadius Lutheri discipuli: præterea Bulingerus, & Petrus Martyr. Cæterùm Lutherus ipse realem Christi præsentiam negare nunquam est ausus, quamvis ad id maximè fuerit inclinatus: veluti colligitur ex epistola ad Argentinenses, cujus fragmentum recitat Gonet 3. *p. tr.* 4. *de Sacram. Euchar. disp.* 1. *a.* 1. ubi scribit: *Vellem, quòd posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia præter panem & vinum, magno ille beneficio me devinciret. Jam sæpè gravibus curis in hac materia desudavi. Verùm ego me captum video: nulla elabendi via relicta est: textus Evangelii nimis est apertus.* In *lib.* quoque *de abroganda Missa* narrat, se diu disputâsse cum Dæmone, qui Sophisticis contendebat argumentis, Christum non adesse sub sacris speciebus; ab illo tamen convinci non potuisse. Postremò Zwinglium secutus est impius Calvinus, ambigue quidem, & obscurè initiò mentem suam aperiens, ne Lutheranos offenderet; sed reverà Berengario consentiens: docuit enim, corpus Christi esse solùm in cœlo, ibique solum manere, nec sub symbolis panis & vini existere. Modum quoque, quo fideles manducent corpus, & bibant sanguinem Christi, consistere in sola fide, & apprehensione ipsorum. Calvini impietatem profitentur Hugonotti, & spuriæ Ecclesiæ Anglicanæ, Scoticæ, Hollandicæ, & aliæ.

§. II.

§. II.

Probatur Catholica veritas.

SUMMARIUM.

5. Primum argumentum sumitur ex S. Script. 6. Gemina Hæreticorum responsio refutatur. 7. Et potissimum argumentum Zvvinglii. 8. 9. Referuntur verba Christi instituentis S. Eucharist. cum variis Hæreticorum expositionibus. 10. Refutatur doctrina eorum, qui memorata verba accipiunt figuratè, & tropicè. 11. Rejiciuntur cæteræ expositiones. 12. Affertur aliud argumentum ex S. Script. 13. 14. 15. Probatur ulterius orthodoxa veritas ex traditione, usu, & authoritate Ecclesiæ. 16. Anacephalcosis argumentorum præcedentium.

5 REalis præsentia corporis & sanguinis Christi in Sacramento Altaris, cùm sit veritas, quæ fide tenetur, non aliis argumentis probanda est, quàm iis, quæ eam faciunt evidenter credibilem, ut intellectus ipsa veritate objecti sibi obscura non convincibilis convincatur saltem evidentiâ credibilitatis, quòd illud à Deo sit revelatum, atque adeò falsum esse nequeat: quippe cùm Deus non possit revelare falsum. Cæterùm argumenta, quibus res fidei comprobantur, subministrat S. Scriptura, traditio, & authoritas Ecclesiæ. Ex S. Script. ad præsens institutum ita arguitur. Christus Dominus corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum nobis realiter daturum se promisit, idque, quod promisit, in institutione S. Eucharistiæ implevit. Ergo Christus in hoc Sacramento verè, & realiter præsens est. Conseq. est legitima: cùm enim Christus in promittendo fallere non possit, ea, quæ promittit, non aliter implet, quàm promittit. Ant. est bibembre. Primum membrum prob. Christus *Joan. 6. v. 52.* dixit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et *v. 56. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Et priùs *v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In quibus textibus apertè est sermo de corpore & sanguine Christi nobis verè, & realiter in cibum & potum præbendis: immò in ultimo sumptio illorum etiam præcipitur.

6 Respondent hæretici, panem illô locô à Christo promissum dici carnem non propriè, sed figurate, ita, ut figura admittatur vel in verbo *Est*, sitque idem, quod *significat*: vel in termino *caro*, qui hîc idem sonet, quod *figura carnis*. Dicunt præterea, Christum ibi loqui de manducatione solùm spirituali per fidem. Sed contrà est primò. Christus eo loco panem, quem esset daturus in Eucharistia, prætulit mannæ: sed non prætulisset mannæ, si solùm esset signum & figura suæ carnis, vel corporis: cùm etiam manna fuerit figura corporis Christi, & quidem longe præstantior, quàm usualis & simplex panis. Deinde Patres antiqui testamenti, qui manducârunt manna, etiam in Christum crediderunt: ergo & ipsi manducârunt corpus Christi spirituali manducatione per fidem. Atqui Christus loquitur ibi de alia manducatione sui corporis, quàm de peracta ab illis Patribus; ergò non loquitur de manducatione per fidem. Contra est secundò, quòd Christus ipsemet, ut excluderet sensum figuratum, & improprium, ibi dixerit: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Atqui cibus, qui sola fide manducatur, non est vere cibus, sed improprie tantùm, & metaphorice: sicut & manducatio per fidem est solùm manducatio impropria, & metaphorica. Contra est tertio capitaliter; quòd prædicta Redemptoris verba Capharnaitis, & quibusdam ex discipulis offensioni fuerint, & occasio murmurandi, ut dixerint: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Hoc autem non contigisset, si Christum de signo quodam sui corporis instituendo, vel de manducatione spirituali per fidem loqui existimâssent. Quam enim, obsecro, tunc causam litigii, scandali, vel murmurationis habuissent? Ergo verba Christi de vera, reali & substantiali carnis ejus in cibum dandæ manducatione intellexerunt, ideoque murmurârunt, quòd modum, quo id fieri posset, ignorarent, arbitrati, carnem Christi modo carnali, & in frusta concisam; sicut carnes in macello venduntur, comedendam esse fidelibus. Jam verò Christus non tantùm non sedavit Judæorum murmur, & perturbationem negandô, se loqui de manducatione corporali; sed etiam hoc ipsum magis confirmavit, tum addendô præceptum: *nisi manducaveritis &c.* tum promittendô effectum hujus Sacramenti: *Qui manducat meam carnem &c.* tum denique concludendô: *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Et sanè cùm Dominus viderit, eo sermone non minùs discipulos, quàm Judæos offensos, atque turbatos esse, quòd, sicut illi existimaverint, non similitudinem carnis Christi, sed ipsam carnem ejus datum iri in cibum corporaliter manducandum, procul dubio hanc eis persuasionem, si falsa fuisset, exemisset, veritatémque ipsam, ut aliàs solebat, privatim declarâsset. Quæ enim major unquam fuerat necessitas hoc faciendi, quàm eo tempore, quo penè omnes usque ad defectionem scandali-

dalizati sunt? Atqui Christus prædicta verba nunquam suis discipulis aliter declaravit, vel ita explicavit, ut dixerit, esse intelligenda de similitudine carnis, sive de manducatione per fidem: sed semper in illa existimatione eos reliquit, ut arbitrarentur, se Christi carnem verè manducaturos. Immò cùm multi eorum ob illam persuasionem offensi ipsum relinquerent, id non impedivit, & ad Apostolos dixit: *Nunquid & vos vultis abire?* Quis autem credat, clementissimum Salvatorem unquam fuisse passurum, ut discipuli ab ipso deficerent ob opinionem, quam concepe-rant ex verbis ipsius malè intellectis re ipsa falsam, quámque facillimè, dicendô, per carnem se tantùm similitudinem carnis, vel per manducationem solùm manducationem per fidem intelligere, miseris excutere potuisset?

7 Dices. Christus in illo sermone Eucharistico *Joan. 6.* postquam advertit Capharnaitarum, ac discipulorum murmurationes ad illa verba: *Caro mea verè est cibus, &c.* dixit *v. 46. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Quibus verbis correxit Dominus imaginationem Capharnaitarum existimantium (sicut hodie existimant Papistæ) carnem ipsius esse realiter manducandam. Monuit enim apertè, ea, quæ dixit, esse spiritualiter intelligenda, & nequaquam de manducatione corporali, sed spirituali, quæ per fidem est, accipienda. Hoc potissimum argumentum fuisse Zvvinglii dicitur. Respondeo, Christum eo loco solùm voluisse dicere suis auditoribus, carnem suam secundùm se, & ratione sui eis non profuturam, sicut promiserat, ad vitam æternam; sed ratione Spiritus; hoc est, Divinitatis conjunctæ, quæ sancta, efficax, & vivificatrix animarum reddebatur. Eodem sensu dixit, verba, quæ tunc locutus est, Spiritum & vitam esse, id est, habere in se reconditum grande Mysterium, non naturali lumine, sed supernaturali cognitione fidei apprehendendum, videlicet carnem suam esse verè cibum, veréque manducandam modo quodam altiori, ac impassibili non ad corporum, sed animarum nutritionem, eò quòd propter unionem ad verbum vim contineat supernaturaliter vivificandi animas.

8 Jam alterum membrum *Ant.* ex Enthym. quod *n. 5.* fecimus, prob. ex verbis, quibus hoc Sacramentum à Christo est institutum. Certum est, hoc contigisse in ultima cœna, ubi Christus Matth. *c. 26. v. 26. 27. 28.* dixit: *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marci *c. 14. v. 22. 23. & 24. Sumite: hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22. *v. 19. & 20. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Quæ verba, si planè, & ut jacent, intelligantur, veritatem Catholicam de præsentia corporis & sanguinis Christi ita ostendunt manifestè, ut negari citra summam impudentiam non possit. Quod, cùm probè advertant Hæretici, illa variis interpretationibus eludere; immò ad sensum tropologicum trahere nituntur. In quo tanta apud illos discordia est, ut testetur Vasquez, anno 1577. libellum quemdam fuisse editum, in quo omnino ducentæ horum textuum depravationes continebantur. Juvat autem audire saltem præcipuas.

9 Itaque prima expositio, quæ tribuitur Carolstadio, est, in hac propositione: *Hoc est corpus meum*, particulam *hoc* sumi pro adverbio *hic*, ut sensus sit: *Hic sedet corpus meum.* Secunda est Buceri, qui demonstrativum hoc refert ad totam actionem cœnæ in hunc sensum: *Hæc actio corpus & sanguinem Christi repræsentat:* sive: *in ea exhibetur corpus & sanguis Christi.* Tertia est Zwinglii, qui parcens vocabulo hoc invadit verbum *Est*, aitque, esse idem, ac *significat.* Confirmationem hujus commenti sumit ex illo Exodi 12. *Est enim Phase, id est, transitus Domini:* ubi *ly Est*, inquit, non potest non accipi pro significat. Hanc autem doctrinam narrat sibi dictatam fuisse in somniis à quodam geniô. Qui tamen, an ater, vel albus fuerit, se non scire fatetur. Porrò fautores Zwinglii alia quàm plurima ex S. Scriptura addunt exempla, in quibus verbum *Est* pro *significat* accipitur. Talia sunt: *Septem spicæ plenæ septem anni ubertatis sunt. Genes. 41. Semen est verbum Dei. Lucæ 8. Ego sum vitis vera. Joan. 15. Petra autem erat Christus 1. Corinth. 10.* Quarta expositio dicitur esse Occolampadii, qui cæteris oculatior conspexit tropum in nomine *corpus*, dixitque, illud sumi metonymicè pro signo, & figura corporis, sen-

sensumque esse: *Hic panis est signum, & figura corporis mei.* Idem delirium placuit Calvino, hoc tamen discrimine, ut addiderit panem non esse nudam figuram corporis, sed figuram efficacem, quæ rem ipsam exhibeat, id est, moveat ad fidem in Christum, atque adeò hunc tribuat per fidem. Quintam cuderunt nonnulli Calvinistæ docentes, per ly *corpus* intelligi corpus Mysticum Ecclesiæ: cumque Christus dixerit: *Accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum*, dicere voluisse: quia vos estis corpus meæ Ecclesiæ, accipite, & manducate. Sextam excogitavit Lutherus per jocum, & Sacramentarios irridendi gratiâ: quam dein alii seriò defenderunt, estque in eo posita, ut vocula meum sumatur possessivè, & sensus sit: *hoc* (ostentò pane) *est corpus meum*, id est, *à me creatum.*

10 Has omnes explicationes esse absurdas, & frivolas n. seq. patebit. Nunc breviter confutanda est doctrina illorum, qui somniant, verba Christi prædicta esse tropicè, & figuratè accipienda. Itaque contra est primò. Verba S. Script. toties accipienda sunt in sensu proprio, quoties ab illorum proprietate recedere neque cogit alius Scripturæ locus, neque articulus fidei; neque communis interpretatio Ecclesiæ: sed nihil horum in præsenti cogit recedere à proprietate verborum Scripturæ, quibus Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ; ergo ejus verba accipienda sunt in sensu proprio. Mi. constat, nam non solùm omnes tres citt. Evangelistæ, & Paulus Apostolus 1. Corinth. 11. ut *n.* 12. videbimus; & omnes versiones conveniunt in modo recensendi institutionem S. Eucharistiæ; sed etiam tota Ecclesia à primo suo exortu ea verba semper in sensu proprio intellexit. Major continet communem & receptissimam regulam in explicatione S. Script. tenendam, traditamque à S. August. *l.* 3. *de doctr. Christ. c.* 1. & sanè, si cuilibet ex sui capitis privato placito fas esset relicto proprio sensu interpretationes comminisci, in tot errores incideremus, quot essent interpretes. Quis enim nescit, priscos hæreticos Arium, Macedonium, Eutychen hac ipsa Scripturam in sensu tropico, ac figurato explicandi libidine summa fidei nostræ mysteria evertisse? Unde contra est secundo. Si hæc verba: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, liceat accipere figuratè ac tropicè, ita quoque licebit accipere hoc: *Ego & Pater unum sumus: Verbum caro factum est*: sed conseq. admitti non potest, ut fatentur etiam Sacramentarii; ergo. Seq. maj. constat. tum, quia verba posteriora non sunt clariora prioribus: tum, quia non minùs (imò magis) Ario & Nestorio, quàm S. Eucharistiæ hostibus, favebant in speciem nonnulla Scripturæ testimonia, quibus ad eam interpretandi rationem abuterentur. Certè hic locus favorabilis videbatur Arianis: *Rogo Patrem, ut unum sint, sicut & nos unum sumus.* Et hic Incarnationis impugnatoribus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Hinc isti inferebant, Verbum non verè carnem, sed similitudinem carnis, sive phantasticam apparentiam carnis, & humanæ naturæ assumpsisse, quod est contra proprietatem verborum: *Verbum caro factum est*: illi verò asserebant, unitatem, quæ affirmatur inter Patrem & Filium in hac proposit: *Ego & Pater unum sumus*, aliud non esse, quàm unionem affectivam mutui amoris, & consensionem voluntatum, qualem Christus à Patre petebat suis discipulis

Nulla igitur vel levissima afferri potest ratio discriminis, qua probetur, proprietatem verborum esse retinendam, dum Scriptura loquitur de Mysterio Incarnationis, esse verè relinquendam in institutione S. Eucharistiæ. Contra est tertiò. Christus in institutione hujus Sacramenti locutus est de illo corpore, quod pro nobis tradidit, & de illo sanguine, quem pro nobis effudit in passione: sed corpus, quod pro nobis tradidit, & sanguis, quem pro nobis effudit in passione, fuit verum corpus ipsius, non figura corporis; verus sanguis, non figura sanguinis; ergo locutus est de suo corpore vero, non de figura corporis, de suo sanguine vero, non de figura sanguinis. Ergo ejus verba intelligenda sunt de vero corpore & sanguine, atque adeò non figuratè & tropicè. Mai est certa ex S. Script. Lucæ 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* 1. Corinth 11. *Quod pro vobis tradetur.* Matth. 26. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur &c.* Lucæ 22. v. 2. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Concludimus itaque contra Hæreticos cum Damasc. *lib.* 4. *fidei c.* 14. *Non est figura panis & vinum corporis, & sanguinis Christi; absit enim hoc. Sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: hoc est meum, non figura corporis, sed corpus; non figura sanguinis, sed sanguis.*

Nunc ad expositiones n. 9. relatas est re- 11
spondendum. Prima est evidenter inepta & stolida. Nam quorsum Dominus dixerit: *Hic sedet corpus meum*, cùm id omnes manifestè viderint? Deinde in hac proposit. *hoc est enim corpus meum*, Christus causam reddit, ob quam discipuli deberent manducare. Redderet verò causam prorsus absurdam dicendô: manducate, quòd vobis porrigo. Quia hîc in cœnaculo sedet corpus meum. Secunda quoque non tam est expo-

positio, quàm gratis excogitata verborum corruptio contra eorum proprietatem, & significationem. Christus enim dixit discipulis, id, quod eis porrigeret sub signis sensibilibus panis & vini, esse corpus & sanguinem suum. Atqui non porrexit actionem illius ultimæ cœnæ. Tertia similiter nulla est. Ad loc. ex c. 12. *Exodi* negatur, verbum *Est* ibi accipi pro *significat*. Nam v. 11. ita dicitur Israelitis: *Comedetis* (videlicet agnum) *festinanter*: *est enim Phase*, *id est*, *transitus Domini*. Cujus textus, ut exponit clariss. P. Paulus Mezger, sensus genuinus est: *Festinanter comedetis agnum*: *quia mox*, *& jam jam transibit Dominus*. Ubi verba omnia sumuntur propriè. Quare verum non est, quod supponitur, agnum Paschalem eo loco vocari transitum Domini. Deinde apud Hebræos agnus in sensu proprio dicebatur phase, id est, victima phase, sive instituta in memoriam immunitatis primogenitorum Israel ab illa strage, qua Angelus delevit omnia primogenita Ægypti: velut *c. cit. v.* 27. explicuit ipsemet Moyses dicens: *Victima transitus Domini est.* Neque cætera exempla, quæ in subsidium falsitatis afferuntur, alicujus momenti sunt. Nam ibi ex antecedentibus, vel subsequentibus facillimè constat figuratus Scripturæ sensus, & ly *Est* poni pro *significat*: idque maximè, quando aliqua inducuntur in parabolis, quæ totæ consistunt in significatione: veluti contingit in illo *Genesis* 41. *Septem spicæ plenæ septem anni ubertatis sunt.* Et *Lucæ* 8. *Semen est verbum Dei.* Illud *Joan.* 15. *Ego sum vitis vera*, esse intelligendum tropicè, & per similitudinem, Christus ipse statim exposuit dicens: *Si quis in me non manserit*, *sicut palmes &c.* Apostolum quoque 1. *Corinth.* 10. *v.* 4. loqui figuratè, & de petrâ spirituali, certum est: tum, quia immediatè ante dicit: *Bibebant autem de spirituali*, *consequente eos*, *petra.* Tum, quia v. 11. subjungit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Ad quartam patet ex dictis in n. præced. ostendimus enim, nec apicem eorum verborum accipi posse figuratè. Quinta & sexta manifestè refelli:ur ex verbis sequentibus: *Quod pro vobis tradetur*: *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Neque enim corpus mysticum Christi, quod erant Apostoli præsentes, fuit traditum pro ipsis, eorumve sanguis effusus: similiter nec panis à Christo creatus fuit traditus, vel vinum effusum in remissionem peccatorum; sed corpus Christi naturale, ejusque sanguis naturalis.

12 Veritatem Catholicam hactenùs probatam confirmat etiam Apostolus 1. *ad Corinth. c.* 11. ubi testatur, eam se accepisse à Domino, & post relata verba, quibus Christus id Sacramentum instituit, fideles ad tanti mysterii dignam susceptionem exhortans addit *v.* 27. *Quicunque manducaverit panem hunc*, *vel biberit calicem Domini indigne*, *reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et *v.* 29. *Qui manducat*, *& bibit indignè*, *judicium sibi manducat*, *& bibit non dijudicans corpus Domini.* Ex quibus ita formatur argumentum. Illud est præsens in Sacramento Altaris, quo indignè manducato quis efficitur reus corporis Domini, sibique judicium, & condemnationem accersit: sed hoc est verum, naturale, & reale corpus Christi, non autem figura, vel imago corporis Christi; ergo verum, naturale, & reale corpus Christi est præsens. Maj. constat. Mi. prob. primo. Si quis cum conscientia peccati in veteri testamento accessisset ad comedendum manna, vel agnum Paschalem, is certè non fuisset reus corporis Domini, quamvis tam manna, quàm agnus Paschalis typus illius & figura fuerit, & quidem longe perfectior, quàm inane frustulum panis in cœna Calvinistica: ergo neque hodie committet ejusmodi sacrilegium cum conscientia peccati accedens ad Sacramentum Eucharistiæ, si nihil in ea sumat præter imaginem, & figuram corporis Christi. Secundò. Nullam injuriam Christo irrogari existimant hi S. Eucharistiæ hostes, dum pictas, fusas, vel sculptas Salvatoris imagines diffringunt, discerpunt, comminuunt &c. Ergo neque injuria tum Christo inferetur, quando quis id, quod in S. Eucharistia est præsens, manducando irreverenter tractaverit, si aliud nil sit, quàm nuda corporis Christi imago in furno cocta. Restat igitur, ut unice vera sit doctrina Catholica, qua adstruitur, id propter cujus indignam sumptionem in S. Eucharistia quis judicium sibi manducat, & bibit, fitque reus corporis & sanguinis Domini, ut dicit Apostolus, esse verum, naturale, & reale corpus Christi, ejusque verum, & realem sanguinem. Confirm. præcedens discursus. Si verum esset dogma Calvinistarum hîc omnia ad tropos, vel spiritualem mandacationem revocantium, Apostolus frustrà tantopere formidâsset, ne indigne communicantes sibi mortem sempiternam, & condemnationem accerserent. Cùm id nunquam posset contingere, ut ostendo: vel enim, qui manducat hunc panem Eucharisticum, credit in Christum, vel non credit? Si credit, digne manducat, quantumcunque maximis sceleribus sit inquinatus. Quia apud ipsos sola fides est, quæ justificat: nam contritio, confessio, satisfactio, & alia pœnitentiæ opera, quæ Catholici, ut non manduces indigne, requirunt ad expianda peccata, sunt ipsis lanienæ, equuleus, & carnificina conscientiarum. Si non credit: non manducat. Quia sola fide, in-

inquiunt, Christus manducatur. Ergo non manducat indignè. Quippe cùm nullô modô manducet. Quomodo ergo reus erit corporis & sanguinis Domini, sibique judicium ideò manducabit, & bibet, quòd manducet, & bibat indignè, cùm ne manducet quidem, aut bibat?

13 Secunda probatio principalis ejusdem veritatis sumitur ex perpetua, & nunquam interrupta traditione jam inde ab Apostolis continuata successione ad nos usque propagata, & per manus majorum delata, ita ut hæc nostra doctrina omni ætate & sæculo viguerit, sententia verò opposita velut aperta hæresis à fidelibus semper rejecta, atque damnata sit. Primus testis, isque oculatus hujus perpetuæ traditionis sit S. Andreas Apostolus, qui, ut legitur in ejus vita ab Achaiæ presbyteris Synchronis scripta, Ægeæ, ut Diis immolaret, hortanti respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui verus & vivus est, immaculatum agnum quotidie sacrifico: qui cùm sit vere sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perseverat, & vivus.* Secundus sit S. Jacobus frater Domini, qui in sua liturgia expressè fatetur, in sacrificio Missæ *Christum Deum nostrum progredi, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus.* Ibi quoque oblatio *venerandum, incruentum sacrificium* appellatur. Dicitur præterea, quòd Christus *in partes distributus, ac non divisus, & fidelibus impertitus in ora fidelium est.* Idem Catholicæ doctrinæ sensus habetur in Liturgiis SS. Marci Evangelistæ, & Petri Apostoli: in hujus exordio, ut refertur à P. Contenson, orat sacerdos: *Domine Deus noster, qui te ipse obtulisti pro hujus mundi vita, inspice in nos, & super panem istum, & calicem super hunc, & fac eum immaculatum corpus tuum, & pretiosum sanguinem.* Tertius sit S. Ignatius Martyr, qui & ipse vixit tempore Apostolorum, & tertius à S. Petro fuit Antiochiæ Episcopus. Hic in epistola ad Romanos ita scribit: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, panem cœlestem Filii, qui est caro Christi Dei.* Huc etiam faciunt, quæ priori §. n. 1. ex ejus epist. ad Smirnenses retulimus. Quartus sit Clemens Romanus III. à Petro Pontifex, qui *lib. 8. Apostolic. Constit. c. 17.* Deum alloquens, *rogamus Te*, inquit, *ut mittas Spiritum Sanctum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Jesu, ut ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem Christi tui.* Et *c. 21. Percepto corpore, & pretioso sanguine Christi.* Plura aliorum testimonia, qui per singulas ætates hanc traditionem de vera & reali Christi præsentia in S. Eucharistia confirmârunt, legi possunt apud Bellarmin. *lib. 2. de hoc Sacramento*, & P. Contenson *tomo 8. dissert. 1. c. 1. spect. 2.* & alios.

In confirmationem hujus perpetuæ traditionis accedit continua praxis Ecclesiæ, id est, summa veneratio, atque religio, qua semper hoc sacramentum in Ecclesia fuit tractatum. Nam primo, antequam fideles sumerent, illud semper adorârunt *cum timore, & tremore tanquam ad Regis corpus accedentes*, ut inquit Clemens *lib. 2. Constit. c. 61.* Neque dici potest, in Eucharistia solùm adorari signum, vel imaginem Christi. Nam PP. Ecclesiæ hanc adorationem comparant adorationi Magorum: ut patet ex *S. Chrysost. hom. 7. in Matth.* adorationi Centurionis, ut habet Origenes *homil. 7. in divers.* Quare Theodoretus dixit, hæc mysteria adorari, non quia significant, sed quia ea sunt, quæ creduntur. Secundo, Diligentia summa semper fuit adhibita, ut hoc sacramentum cum maxima, quoad fieri potest, animi puritate suscipiatur. Unde prius instituitur examen conscientiæ, & peccatorum confessio, juxta illud Apostoli 1. *Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Tertiò. Antiquitùs huic Mysterio Catechumeni non sinebantur interesse. Hinc ante consecrationem jubebantur exire. Quia nempe Ecclesia arbitrabatur, eos, qui carerent baptismo, non esse satis dispositos, ut tantum sacrificium contuerentur, veluti notavit *D. Th. 3. p. q. 80. a. 4. ad 4.* Quarto. Quoniam Cathecumeni S. Eucharistiæ capaces non erant, benedicebatur panis illis dandus, ut meminit D. August. *lib. 2. de peccator. merit. c. 26.* quem S. Pater *Sanctum, & Sacramentum* appellat: *quamvis*, inquit, *non sit corpus Christi.* Quodsi Eucharistia aliud nihil esset, quàm purè panis à Sacerdote benedictus, quid causæ fuit, ut alius panis benediceretur pro Cathecumenis? Et si aliud nihil esset, quàm signum, vel figura Corporis Christi, cur non etiam panis Cathecumenorum dicebatur corpus Christi? An non hoc æquè repræsentabat? Quintò. Veteres Christiani arguebantur communiter à Gentilibus, quod in celebratione hujus Mysterii infantem quemdam comederent: ut refert Tertul. *in Apolog. c. 7. dicimur*, inquit, *sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo crudæ.* Averroes quoque Machometanus apud Prateolum nos impios appellat, quod Christum Deum nostrum manducemus. Erat igitur hæc veritas de reali præsentia Christi in Sacramento Altaris communiter omnibus in Ecclesia persuasa. 14

Tertium argumentum principale Catholici nostri dogmatis est auctoritas Eccle- 15

siæ, quæ nullibi splendidiùs micat, quàm in Conciliis Generalibus. Itaque realis Christi præsentia in S. Eucharistia definita est primò in Concilio Nicæno I. quod celebratum est sub annum 330. Secundò. In Concilio Ephesino, ubi approbata est epistola Cyrilli ad Nestorium, in qua Catholica hæc sententia expressè continetur. Tertiò. In Vercellensi sub Leone IX. in Turonensi sub Victore II. & duobus Romanis sub Nicolao II. & Gregorio VII. contra Berengarium indictis, velut retulimus §. *præced. n.* 2. Quartò. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Quintò. In Viennensi sub Clemente V. ubi statutum est festum corporis Christi, debitáque illi adoratio Beguardos, & Beguinas decreta. Sextò. In Concilio Constantiensi sub Martino V. Septimo. In Concilio Florentino sub Eugenio IV. & tandem in Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. iliis verbis: *Principio docet Sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.*

16 Atque ex his omnibus hucusque dictis consurgit demonstratio moraliter evidens, quámque nemo, nisi pertinax, negare potest. Illa doctrina est vera, quæ nititur iis motivis credibilitatis, quæ evidenter moraliter convincunt, ipsam esse à Deo revelatam: Talis est doctrina de reali præsentia Christi in S. Eucharistia; ergo est vera. Consequentia est in forma. Min. constat ex rationibus & argumentis hactenùs adductis, quæ sanè omnia simul sumpta efficiunt, ut sit evidentius credibile, realem Christi præsentiam esse à Deo revelatam, quàm Julium Cæsarem vicisse in pugna Pharsalica, vel existere Indiam, de quibus nemo, qui sapit, dubitat. Maj. inde prob. quod Dei providentia non possit permittere, ut dentur motiva, ac signa credibilitatis tam evidentia in confirmationem doctrinæ falsæ ad religionem spectantis, nisi velimus blasphemè concedere, Deum totam suam Ecclesiam relinquere in errore tam manifestè verosimili, ut etiam in hypothesi, in qua non esset error, sed veritas, ei non posset apparere credibilior. Verum est igitur in præsenti materia, quod confidenter dixit Richardus Victorinus 1. *de Trinit. c.* 2. *Domine, si est error, ate decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

SUMMARIUM.

17. *Quo sensu S. Eucharistia dicatur panis.* 18. *Quomodo antiqui Patres eandem nobiscum escam spiritualem manducaverint* 1. *Corinth.* 10. *v.* 3. *& seqq.* 19. *Quomodo Christus sedeat ad dextram Patris, & simul realiter existat in S. Eucharistia?* 20. *Quasnam proprietates corporeas habeat Christus in Sacram. Altaris?* 21. *Ex reali præsentia Christi nullum sequitur absurdum.*

OBjiciunt hæretici 1. Panis non est corpus Christi: substantia in Eucharistia realiter præsens est panis; ergo non est corpus Christi. Maj. est evidens. Mi. prob. nam Apost. 1. *Corinth.* 10. & 11. Eucharistiam expressè *panem* appellat. Similiter vinum non est sanguis Christi. Atqui præsentia etiam post consecrationem calicis præsens est adhuc vinum: quod ostenditur ex verbis Christi Marci 14. *Jam non bibam de hoc genimine vitis.* Quæ dicta sunt post consecrationem calicis. Respondeo, argumentum esse simile huic: *Virga non est serpens: aqua non est vinum:* sed animal, quod devoravit virgas ariolorum *Exodi c.* 7. *v.* 12. appellatur virga: id, quod gustavit architriclinus in nuptiis Canæ Galilææ *Joan.* 2. *v.* 9. appellatur aqua; ergo neque illud animal fuit serpens; neque id, quod gustavit architriclinus, fuit vinum. Pessima consequentia, ut nôrunt Dialectici: quia termini *virga*, & *aqua* in *maj.* sumuntur sine distractione; in *min.* cum distractione; sicut diversimodè sumi possunt subjecta istarum: *Petrus est mortuus: cæci vident: claudi ambulant:* In maj. verum est dicere: virga, quæ nunc est, non est serpens: aqua, quæ nunc est, non est vinum: sicut verum est: Petrus, qui nunc est, non est mortuus: qui nunc sunt cæci, non vident: nunc claudi non ambulant. At in mi. falsum est: id, quod devoravit virgas ariolorum, fuit virga tunc existens: id, quod gustavit architriclinus, fuit aqua tunc existens. Quamvis verum sit, si terminos illos distrahas; id, quod devoravit virgas, fuit substantia, quæ immediatè antea fuit virga: id, quod gustavit architriclinus fuit substantia, quæ antea fuit aqua. Sicut verum est: antea cæci vident, antea claudi ambulant: qui antea fuit Petrus, est mortuus. Idem cogita proportionaliter de termino *panis*, & termino *vinum* in objectione. Præterea optimè respondent, in S. Scriptura, dum S. Eucharistia vocatur panis, sermonem esse non de pane materiali, quo 17

quo nutritur corpus, sed de pane supersubstantiali, qui est cibus animæ: quo sensu Dominus ipse dixit *Joan.* 6. *v.* 48. *Ego sum panis vitæ.* In qua acceptione verè & propriè affirmare licet de corpore Christi in S. Eucharistia, quòd sit panis.

18 Objiciunt 2. illud Apost. 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 3. *& seqq. Patres nostri omnes eandem nobiscum escam spiritualem manducaverunt.* Atqui Patres antiqui testamenti non manducaverunt carnem Christi, nisi sola fide, vel in figura; ergo neque nos illam aliter mandacamus. Respondeo inprimis, Apostolum dicere, quòd Patres antiqui omnes eandem inter se escam manducaverint, non autem dicere, quòd eandem nobiscum manducaverint. Unde non instituit comparationem inter nos, sive Christianos novi testamenti, & Judæos, sed solùm inter ipsos Judæos. Nam citatus Apostoli textus, sicut advertit Illustriss. Reding, in nulla versione habet illam particulam *nobiscum.* Deinde dato, ibi fieri comparationem inter nos & Judæos, debet hoc intelligi de eadem esca identitate solùm analogica, qualis reperitur inter figuram, & figuratum, imaginem, & id, quod repræsentatur per illam, quatenùs nempè corpus Christi, quod nos re ipsa suscipimus in hoc Sacramento, & quod figurabatur per manna, & agnum paschalem, illi manducârunt per fidem in umbra & figura.

19 Objiciunt 3. Christus ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris, ut habetur in symbolo: ergo non est realiter & substantialiter præsens in Eucharistia. Patet conseq. quia alioquin post gloriosam Ascensionem suam vel adhuc remansisset in terra, quod est impossibile; vel iterum de cœlo descendisset, quod est contra illud *Actor.* 3. 21. *Quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* Id est, Christum oportet existere in cœlo usque ad extremum diem judicii. Adde, quòd Dominus ipse Joan. 12. cùm Judas Iscariotes murmurâsset ob pretium unguenti à Magdalena effusi non datum pauperibus, diserte dixerit discipulis, se non semper futurum in terris. *Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. v.* 8. Quomodo ergo verum est, eum quotidie, imò semper haberi præsentem in Eucharistia? Respondeo conc. ant. neg. consequent. ad probat. dico, Christum post ascensionem remanere in S. Eucharistia vere quidem, & substantialiter, at non eo modo, quo antea fuerat cum discipulis, scilicet visibili, & localiter extenso, sed invisibili, indivisibili, & miraculoso, ut infra declarabimus. Neque ob hanc sacramentalem præsentiam cœlum debet deserere, vel descendere motu locali: nam manet ibi circumscriptive, & modo connaturali, & simul existit in Sacramento Altaris localiter inextensus modo indivisibili, & supernaturali. Ad id, quod additur ex Evangelio, dico, Christum discipulis ibi tantùm significare voluisse, se deinceps post ascensionem suam in terra non futurum præsentia illa ordinaria, & familiari, in qua illi conveniret obsequiũ effusionis, unguenti, aut similia, per quod neutiquam excluditur alius modus prçsentiç miraculosç & supernaturalis.

20 Objiciunt 4. Substantia, quæ dicitur præsens in sacramento Eucharistiæ, nullas habet proprietates humani corporis: ergo corpus Christi non est in illo vere, realiter, & substantialiter. Conseq. patet; quia repugnat, aliquid existere, & carere suis proprietatibus. Ant. ostenditur. Nam inter proprietates cujuslibet corporis numerantur extensio localis, impenetrabilitas, divisibilitas, palpabilitas: sed istas non habet illa substantia; sicut fatentur etiam Pontificii: ergo maj. est certa non minùs, quàm certum est, cuilibet corpori competere quantitatem, cujus dictç proprietates sunt effectus formales. Et quidem ad palpabilitatem quod attinet, Christus ipse, ut probaret discipulis, se in vero & substantiali corpore resurrexisse à mortuis, dixit: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet.* Ubi manifestè supposuit, de ratione corporis esse, ut sit palpabile. Respondeo, non esse operosũ, mysteria fidei populariter impugnare; nec tamen ideo à defendenda eorum veritate recedendum. Sane, si propter inconvenientia, quæ contra humanam Philosophiam caliganti intellectui nostro inde inferri videntur, actum esse de quovis ad captum difficili dogmate existimare velimus, jam neque Trinitatem Personarum, neque Incarnationem, neque resurrectionem mortuorum quidquam continere veritatis affirmemus necesse est. Quis nescit, Deum factum esse hominem, passum, ac mortuum Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiam ideo visum fuisse, quòd id ratio se capere posse negaret? Quid in speciem implicantius, quàm tres realiter distinctas Personas in una singulari, ac simplicissima natura subsistere? Quid imaginationi incredibilius, quàm hominem à feris comestum, atque in tam varias substantias mille generationibus & corruptionibus transmutatum in eadem numero carne posse reviviscere? Credenda sunt igitur talia Divinitatis arcana, & infinitæ sapientiæ inventa, non curtâ humani intellectûs decempedâ metienda: nimis quippe minutè, parumque dignè de Deo sentit, qui id eum duntaxat esse, ac posse arbitratur, quod ipse potest percipere. In forma argumenti dist. ant. illa substantia nullas habet proprietates corporis secundarias, & mediatas, om. primarias, & immediatas, neg. ant. ad hujus probationem dicò, omnia, quæ ibi offeruntur, esse proprieta-

tes corporis mediatas tantùm, & secundarias, sine quibus corpus divinitùs posse existere nimis quàm certum est, idque statim patebit ex dicendis de penetratione. In primis Christus Dominus in sua resurrectione exivit ex sepulchro clauso, atque adeò lapidem, quo claudebatur monumentum, penetravit. *Matth.* 26. Deinde in lucem prodivit illæsa integritate materni uteri. Post resurrectionem ingressus est ad discipulos januis clausis *Joan.* 20. *v.* 19. cumque aliquando apud *Matth.* 19. dixisset, faciliùs esse, ut camelus transeat per foramen acûs, quàm dives in regnum cœlorum, idque mirarentur discipuli, subjunxit, esse impossibile apud homines, possibile autem apud Deum. Atqui similia sine penetratione, quæ tollit actualem impenetrabilitatem, explicari, & fieri nec posse, nec potuisse, fatentur omnes tam sacri, quàm profani Doctores. Denique Christum in Ascensione penetrâsse cœlos expressè affirmat Apostol. *Hebræor.* 4. *v.* 14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos Jesum Filium Dei.* Suadet insuper ratio, prius posse existere separatum a posteriori, quoties ab isto non dependet essentialiter, vel cum eo necessariò non connectitur: atqui corpus, ejusque primaria proprietas, videlicet quantitas sive extensio in ordine ad se, est aliquid prius extensione locali, cæterisque proprietatibus, & ab his non dependet essentialiter, neque cum illis necessariò connectitur; ergo potest existere separatum ab ipsis. Confirm. Non est magis de ratione corporis quanti, ut sua mole extensivè repleat locum, atque ab eo aliud corpus expellat, quàm est de ratione corporis gravis, ut sua gravitate ponderet, & corpora sibi subjecta deprimat. Atqui fieri potest divinitùs, ut corpus grave nec ponderet, nec corpus subjectum deprimat: ut constat exemplo Christi ambulantis super aquas; ergo etiam fieri potest absoluta Dei potentia, ut corpus extensivè non repleat locum, nec ab eo aliud corpus expellat. Atqui hoc est carere extensione locali, & impenetrabilitate; ergo. Ad illud, quod additur de palpabilitate, dico, rectè inferri: *palpabile est, ergo corpus est*: quo modo intulit Christus. At male: *corpus est, ergo palpabile est*: quod inferunt sectarii. Nam licèt omne palpabile sit corpus; non tamen omne corpus debet esse palpabile: sicut omne, quod gravitat, corpus est; non tamen omne corpus necessariò gravitat: ut primùm vidimus. Quia nempe palpabilitas est etiam proprietas quantitatis corporeæ secundaria tantùm, eique Divinitùs potest non convenire; sicut extensio localis, impenetrabilitas, & divisibilitas. Falsum est igitur, Christum eo loco supposuisse, palpabilitatem esse de ratione corporis. Nam solùm ita vitiosè arguunt hæretici contra regulas conversionis.

Objiciunt 5. varia absurda, & inconvenientia Catholicis, ut credunt, admissa reali præsentia necessariò devoranda, Christi tamen Majestate prorsus indigna. Nam imprimis, inquiùnt, sequitur, Christum in Eucharistia quandoque in terram labi, in sordes dejici, dentibus atteri; à muribus devorari. Deindè sequi, ipsum cum pane corrumpi, cum vino acescere, à nobis comedi, atque è stomacho in ventrem & secessum ire aliisque demum injuriis & contumeliis subjici, quæ glorioſum illius corpus plane dedeceant. Respondeo, similia, ne Christo contingant in S. Eucharistia, eos quidem timere posse, quibus ad persuadendum potior phantasia, quàm ratio est. Nobis, quibus facem præferente vera fide ratio imaginationem transcendit, horum inconvenientium videre nec umbram possum certi, Christum in hoc Sacramento existere modo impassibili, atque adeo nullatenùs lædi, vel alterari posse, & omnes, quæ ibi contingunt, mutationes in solis speciebus peragi. Istæ proinde, non corpus Christi, dentibus atteruntur, in terram, & sordes dejiciuntur, moventur, corrumpuntur, acescunt, digeruntur, & in secessum mittuntur. Sanè, si nihil indecori in Dei majestatem redundat, dum sua immensitate loca omnia, quantumvis sordissima implet: si Solis radii nullius cloacæ, cœnive fœditatibus inquinantur; cur metuamus, ne glorioſum, & impassibile Christi corpus quid indignum ex mutationibus, alterationibus, corruptionibus, & quibusvis Sacramentalium specierum injuriis patiatur?

21

DISPUTATIO II.

De materia Eucharistiæ.

MAteria hujus Sacramenti alia proxima, & permanens est; alia remota & transiens. Prior est, ex qua intrinsecè constituitur, estque ipsum corpus & sanguis Christi. Posterior est, ex qua conficitur: quæ duplex est. Una, ex qua conficitur corpus; altera, ex qua conficitur sanguis. Solùm de hac utraque, non autem de proxima, hîc disputabimus.

§. I.

§. 1.

Statuitur Catholica veritas.

SUMMARIUM.

1. *Errores hæreticorum circa materiam Eucharistiæ.* 2. *Sententia Catholicorum.* 3. *Quædam objectiones Solvuntur.*

1 CIrca materiam Eucharistiæ variè rursus deliratum est ab Hæreticis. Juvat referre eruditionis gratiâ. D. Th. 3. *p. q.* 74. *a.* 1. tres errores commemorat. Primus erat Artotyritarum, seu Paniçaseistarum, qui consecrare solebant hoc Sacramentum in pane & caseo: quod etiam refert S. August. *in lib. de hæresib. c.* 28. Secundum errârunt Kataphryges à terra Phrygia, quàm incolebant, sic appellati. Isti pro materia consecrationis utebantur pane, quem conficiebant ex farina, & sanguine per minuta punctionum vulnera ex corpusculo infantis elicito. Quando puer ex tali carnificina moriebatur, colebant ut Martyrem: si supervivebat, ut magnum Sacerdotem. Ortum traxit hæc fera, atque crudelis secta à Montano hæreticorum omnium post hominum memoriam amentissimo, qui se Spiritum S. esse fuit commentus. Hunc in eadem immanitate secuti sunt Pepuziani à Pepuza vico, quem Montanus, ut refert Vasquez, Hierusalem dixit, nomen sortiti. Tertia hæresis fuit Aquariorum. Hi non in materia corporis, sed sanguinis errârunt. Nam solam aquam in calice consecrabant, à vino tanquam Circæo poculo, aut spuma Cerberi abhorrentes. In eadem dementia etiam Manichæos fuisse necesse est. Nam & illi, ut testatur S. August. *lib.* 20. *contra Faustum. c.* 13. vinum abominabantur. His addi possunt, qui locô vini offerebant lac & mel, ut memorat Suarez *disp.* 42. *de S. Eucharist. sect.* 1. ubi etiam narrat ex S. August. execrabilem morem Ophitarum: ii colubrum alebant juxta altare, qui tempore sacrificii per magicum Sacerdotis carmen ex latebris elicitus aderat, panémque, in quo consecrandum esset, lambebat. Possent adduci adhuc alii veterum hæreticorum errores: quorum tamen fœditatibus (sunt enim intolerabiles) nolo chartas illinire. Cæterùm ex modernis sectariis, sicut testatur Reding, non defuerunt docere ausi, panem & vinum ita esse materiam hujus Sacramenti, ut tamen in eorum defectu quodlibet genus esculenti locô panis, & quodlibet poculenti loco vini adhiberi possit. Unde, ut quidam narrat apud Gonet, inventus est minister heterodoxus, qui, cùm deficerent buccellæ panis ad cœnam peragendam; accedentibus singulis orbicularem particulam farciminis porrexit.

Adversus hos omnes errores, qui nullo 2
prorsus fundamento nituntur, stat veritas Catholica, materiam simpliciter necessariam ad conficiendum corpus Domini esse panem, vinum verò ad conficiendum sanguinem. Qualis autem panis, & quale debeat esse vinum, dicemus in sequentibus. Et quidem Christum in pane consecrâsse suum corpus, apertè constat ex illis verbis Matth. *c.* 26. *v.* 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* Idem inculcatur *Marci* 14. *v.* 22. *Lucæ* 22. *v.* 19. & 1. *Corinth.* 11. *v.* 24. Similiter, quòd postea accipiens calicem in vino consecraverit sanguinem suum, indicant illa verba: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Quæ Matthæus, & Marcus statim post verba consecrationis referunt. Ex illis enim clarè intelligitur, in eo calice fuisse vinum. Jam verò factum Christi primò sic consecrantis, & instituentis hoc Sacramentum Ecclesiæ optimum præbuit fundamentum inferrendi, hanc utramque esse necessariam materiam Eucharistiæ. Quod etiam definitum est in Concil. Lateran. *c. firmiter de sum. Trinit.* In Concil. Florent. in decreto Eugenii. in Trid. *sess.* 13. *c.* 1. Mitto alia testimonia. Est enim dogma fidei certissimum, usu totius Ecclesiæ, perpetuáque traditione firmatissimum.

Objicies fortè 1. Sacramentum Eucha- 3
ristiæ multò expressiùs repræsentare debet passionem Christi, quàm ullum Sacramentum veteris legis; ergo ad illud exposcitur talis materia, quæ sit aptior ad hanc repræsentationem. Atqui ad hanc repræsentationem aptiores sunt carnes animalium, quàm panis, & vinum; ergo non ista, sed illæ potiùs esse debent materia hujus Sacramenti. 2. Sacramentum Eucharistiæ ubique terrarum est celebrandum: ergo materia, ex qua conficiendum est, ubique reperiri debet. Atqui vinum non reperitur ubique; quia in multis Provinciis non nascitur; ergo. 3. Hoc Sacramentum est institutum tam pro sanis, quàm pro infirmis; ergo confici debet in materia, quæ neutris noceat. Atqui vinum, ut constat, quibusdam infirmis nocet; ergo. 4. *In Can.* 3. 4. *& 5. Apostolorum* permittuntur offerri in altari uvæ, oleum, & incensum; alia verò prohibentur. Respondeo ad 1. dist. ant. expressiùs repræsentare debet ex parte formæ Conc. ex parte materiæ Neg. nam talis expressior repræsentatio esset minùs apta tum ad unitatem Ecclesiæ significandam; tum ad communem usum fidelium. Ad 2. Conc. Enthym. Nego subsumpt. nam esto, vinum

(idem dic de tritico) non in omnibus Provinciis nascatur, in illas tamen facilè importatur, quantum ad hoc Sacramentum sufficit. Ad 3. dico, vinum modicè sumptum ægrotanti nocere vix posse. Deinde necesse non est ex infra dicendis, ut omnes fideles in utraque specie communicent. Ad 4. dico, similia ibi permitti, ut offerantur, non ut materia Sacramenti, sed vel in honorem sacrificii; vel in gratiarum actionem; vel ut benedicantur, & benedicta fidelibus restituantur.

§. II.

Qualis panis sit materia Eucharistiæ?

SUMMARIUM.

4. *Panes sunt in triplici genere.* 5. *Solus triticeus est materia Consecrationis.* 6. *Quid de pane ex leguminibus? &c.* 7. 8. *Regulæ in praxi observandæ.* 9. *Quid de pane partim triticeo, partim non triticeo?* 10. *Quid de pane ex amylo?* 11. 12. *Quomodo confici debeat panis, ut sit materia Consecrationis?* 13. *Tam fermentatus, quàm azymus est materia valida.* 14. 15. *Solvitur objectio.*

4 EX triplici rerum genere panis confici solet. Primo ex fructibus arborum: ut ex castaneis, ficubus, amygdalis &c. immò apud Indos confici dicunt ex radicibus. Secundò, ex leguminibus; cujusmodi sunt pisa, fabæ &c. quæ in siliquis, & folliculis crassioribus, ceu vaginulis quibusdam nascuntur. Tertio ex granis frumenti: quod nomen generali significatione comprehendit omnia semina, quæ culmum, aristas, & spicas habent, falcéque metuntur: ut hordeum, avena, oriza, milium, & triticum. Antonomasticè tamen vox *frumentum* significat solum triticum, eáque grana, quæ sunt ejusdem rationis cum tritico. In hoc sensu Joseph *Genes.* 42. *v.* 19. dixit fratribus, *ferte frumenta, quæ emistis.* Erant enim triticum: nam *v.* 25. præcepit ministris, *ut implerent eorum saccos tritico.* Sic *Deuteronomii* 12. *v.* 17. decima frumenti est decima tritici; veluti colligitur ex *Num.* 101. sic *Deut.* 8. *Hierem.* 41. *Ezech.* 4. & alibi nomine *frumenti* intelligitur solum triticum. Videatur Reding *tom.* 6. *q.* 2. *a.* 1. *controv.* 1. Jam

5 Dico. Panis, ut sit valida materia consecrationis, debet esse triticeus. Ita definivit Concil. Florent. in Decreto Fid. illis verbis: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Existimat quidem Cajetanus, plus non velle Concil. quàm panem triticeum esse de necessitate præcepti, non autem asserere, esse de necessitate Sacramenti. Verùm male sic interpretatur. Nam eodem modo Concilium assignat materiam sanguinis, quam dicit, esse vinum de vite, quo modo assignat materiam corporis. Atqui vinum de vite est materia necessaria necessitate Sacramenti: ergo etiam panis triticeus. Accedit, quod alioquin nil certi relinqueretur in materiis sacramentorum: cùm pari licentia quis dicere posset, aquam naturalem v. g. esse solùm de necessitate præcepti, non verò de necessitate Sacramenti Baptismi. Idem cogita de materiis; immò & formis aliorum Sacramentorum. Cæterùm ratio dicti colligitur ex institutione Christi ad Sacramentum hoc assumentis eum panem, qui communiùs in hominum usu est, atque pro vero pane habetur. Sed talis est solus panis triticeus: cùm alii omnes non nisi in hujus defectum substituantur; ergo solus panis triticeus est materia hujus Sacramenti. Porrò talis institutio, quamvis clare non habeatur in Evangelio, colligitur imprimis ex facto Christi, qui consecravit in pane triticeo: quia consecravit in azymo, qui ex præcepto Dei *Exodi* 29. ex simila triticea, hoc est, purissima farina tritici, conficiebatur. Colligitur præterea ex declaratione Ecclesiæ per traditionem atque perpetuam observationem constituta: sicut testatur Romanus Catechismus *c. de Eucharistia.* §. 12. *Hoc enim,* ait ibi, *Apostolica traditio nos docuit, & Ecclesiæ authoritas firmavit.* Atque hinc

Sequitur primo, panem confectum ex leguminibus, & fructibus arborum non esse materiam consecrationis. Ita judicant omnes Theologi. Ratio est: quia secundùm institutionem Christi materia consecrationis Eucharistiæ debet esse panis simpliciter, & in communi hominum usu existens. Atqui panes ex illis rebus confecti non sunt tales, sed solùm panes improprie, quique interdum fiunt vel necessitatis, vel voluptatis, & deliciarum causâ. Sane nomine panis homines communiter intelligunt quoddam genus cibi, quod cum aliis cibis comeditur tanquam generalis comes illorum. Atqui hic usus non cadit in panes factos ex leguminibus, & arborum fructibus, sed ipsi potiùs comite pane eduntur; ergo.

Sequitur secundo, omnem panem confectum ex frumento, de quo certum est, non esse triticum, esse materiam certò invalidam hujus Sacramenti. Talia frumenta sunt hordeum, avena, oriza, milium, quæ certum est, non esse triticum: tum ex communi modo loquendi Sapientûm in hac materia. Tum ex communi usu, & appellatione hominum, qui hæc grana non solent vocare triticum, aut panem usualem ex illis conficere, nisi ob defectũ tritici. Tum etiã, quia illa frumenta nunquam nascuntur ex tritico, neque ex illis triticum.

6

Se-

8 Sequitur tertiò, omnem panem confectum ex frumento, quod est certò triticum, esse materiam certam, licèt non vocetur triticum; & omnem panem confectum ex frumento, de quo dubitatur, aut lis est inter Doctos, an sit triticum? Esse materiam dubiam, vel incertam consecrationis. Exemplum primi est panis è siligine, sic dicta à seligendo, estque species tritici selecta, ut docent S. Isidorus *lib.* 7. *Etymolog. c.* 7. & Plinius *lib.* 18. *c.* 8. ubi siliginem vocat delitias tritici. Aliud exemplum afferunt Sporer, & Illsung in illo frumento Suevico, Khern/ Fesen/ Dinckhel-Korn. Quod Latinè far, Zea, Spelta, & ador vocatur, quodque ajunt, esse verum triticum, atque adeo panem ex ejus farina coctum citra controversiam esse materiam validam Eucharistiæ: immò passim in iis regionibus hostias ex illa pinsi: idque in Suevia fieri defacto testatur Illsung *in Theolog. pract. tr.* 6. *disp.* 4. *a.* 2. §. 1. *n.* 63. Quod si ita se habeat (uti non dubito) planè assentior. Itaque quando diversi authores negant, panem ex farre, Zea &c. esse materiam validam, vel certam, aliud genus frumenti per dicta vocabula intelligunt. Exemplum secundi est panis ex secali, Rockhen/ quod similiter siligo dicitur, estque genus frumenti, de quo Doctores disputant, sitne essentialiter triticum, an non? Alii negant, alii affirmant cum D. Th. 3. *p. q.* 74. *a.* 3. *ad* 2. ubi dicit, hoc frumentum nasci ex grano tritici seminato in malis terris: atque adeo esse ejusdem naturæ specificæ cum tritico, eò quòd generans generet sibi simile in specie. Hanc rationem S. D. improbat P. Illsung *loc. cit.* inquiens, etiam acetum oriri ex vino, nec tamen manere ejusdem speciei, ac aptum ad consecrationem: ergo nec siliginem manere ejusdem speciei cum tritico, esto, oriatur ex illo. Verùm hæc instantia facilè solvitur. Acetum quippe oritur ex vino ceu termino à quo tantum: sicut cadaver ex animali. Unde nulla in vino est virtus seminalis effectivè gignendi, sibique in specie assimilandi acetum. Atqui triticum, ex quo nascitur siligo, non est solùm terminus à quo in ejus generatione, sed insuper continet rationem seminis, in quo est vis, & efficacia productiva, sibique specificè assimilandi genitum.

9 Sequitur quartò, quid sit dicendum de pane confecto partim ex tritico, partim ex non tritico. Adhibenda est talis distinctio: vel enim quantitas tritici notabiliter excedit quantitatem non tritici, vel æquat, aut quasi æquat? Si prius, panis inde confectus erit materia valida. Ratio est: quia adhuc est panis triticeus. Nam modica admixtio non solvit speciem. Triticum quippe, dum molitur, vel pinsitur, illud modicum non tritici convertit in suam speciem, ita ut fiat mixtum ejusdem rationis cum pane triticeo. Si posteriùs contingat, panis non erit materia valida. Ratio est: quia hujusmodi permixtio mutat speciem saltem in æstimatione morali, atque adeo panis non erit dicendus triticeus: quemadmodum docet D. Th. *loc. cit. ad* 3. Physicè quoque discurrendo vel ex utraque medietate corrupta resultat per veram mixtionem unum tertium specie distinctum à pane triticeo: vel fit mixtio solùm impropriè dicta per juxtapositionem & confusionem: in quo eventu pars quælibet retinet suam speciem; totum tamen ex eis conflatum non erit consecrabile.

10 Sequitur quintò, panem ex amylo non esse materiam validam. Ratio est: quia amylum fit ex tritico substantialiter corrupto; sicut acetum ex vino. Unde farina amyli non est farina triticea, sed alterius rationis, & consequenter neque panis ex illa coctus est triticeus, sed corruptus, genusque placentæ omninò diversum à pane usuali. Cæterùm non defuerunt, ut testatur D. Th. *loc. cit. ad* 4. qui arbitrati sunt, ex amylo pinsi verum panem; idque sensisse perhibetur Paludanus *in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. *a.* 4. *concl.* 5. Fundamentum illorum erat, quòd amylum, ut dicebant, fiat ex substantia, ipsâque medulla tritici. Verùm ex alteratione tam multiplici, qua triticum disponitur, ut fiat amylum, planè colligitur, illud penitùs corrumpi.

11 Sequitur sextò, farinam triticeam, ut ex illa fiat panis aptus consecrationi, esse subigendam aqua naturali. Ratio est: quia panis simpliciter talis, & usualis fit ex farina triticea, & aqua naturali: sed panis aptus consecrationi debet esse panis simpliciter, & usualis; ergo fieri debet ex farina triticea, & aqua naturali. Quare panis confectus ex farina triticea & lacte, aut aqua rosacea, aut olco, alióve liquore; qui non est aqua naturalis, non est materia valida: quia non est panis simpliciter & usualis: nisi quod fortè quid simile admisceatur in modica quantitate. Tunc enim convertitur in substantiam majoris partis, ut diximus num. 9. de granis diversi frumenti, & nihil impedit, quò minùs panis sit talis simpliciter.

12 Sequitur septimò, panem, ut sit materia valida consecrationis, debere esse coctum calore ignis, eoque solo. Ratio est: quia panem usualem ita fieri necesse est. Quocirca cruda massa ex farina & aqua naturali coagitata non est idonea consecrationi, esto, non differat specie physica (quod tamen affirmat D. Th.) à pane jam cocto.

Quia

Quia priusquam coquatur calore ignis, non est panis usualis. Similiter, si talis massa sit oleô, vel butyrô frixa, vel aqua elixa, & non solo calore ignis concocta, non est materia sufficiens. Quia iterum non est verus & usualis panis, sed placenta, laganum, puls, aut quid simile. Sanè Plinius *lib.* 18. *cap.* 8. dicit, Romanos multo tempore usos esse pulte & non pane. Ubi vides, unum distingui ab alio. Neque necesse est, similia à pane differre specie physica. Non sufficit diversitas specifica moralis.

13 Sequitur octavò, panem triticeum tam fermentatum quàm azymum esse validam materiam consecrationis. Ratio est: quia uterque est verus panis triticeus. Habetur veritas hujus illationis definita in Decreto Florent. Concilii suprà cit. illis verbis: *Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.* Deinde: certum est, Christum non consecrâsse in albo & rubro vino simul, sed in alterutro tantùm: ergo certum est, utrumlibet esse materiam validam consecrationis. Quia nempe utrumque est vinum simpliciter, & usuale. Ergo similiter, quia tam panis azymus, quàm fermentatus est panis simpliciter usualis, (cùm uterque ex farina triticea naturali aqua subacta, & puro igne coquatur) uterque erit materia valida.

14 Objicies. Triticum, hordeum, siligo, far, spelta sunt univocè frumentum. Nam frumentum est univocum ad omnes suas species: ergo etiam panis ex quacunque istarum specierum pistus est univocè, & propriè panis: atque adeò valida materia consecrationis. Confirmatur primò. Quia omne vinum de vite est univocè vinum, quodlibet est materia valida sanguinis: ergo etiam, quia omne fermentatum est univocè frumentum, quilibet panis ex quolibet frumento erit materia valida corporis Christi. Confirmatur secundò. Sanguis quantumvis generetur ex diversis specie cibis, est ejusdem speciei: ergo etiam panis, quantumvis conficiatur ex diversis specie frumentis, est ejusdem speciei: & consequenter panis v. g. hordeaceus non differet specie à pane triticeo. Respondeo ad object. dist. ant. triticum, hordeum &c. sunt univocè frumentum physicè, conc. moraliter, neg. nam in ordine ad usum humanum, & confectionem panis solum triticum est verè & propriè fumentum. Hinc in S. Script. ut vidimus *num.* 4. illi nomen fromenti tribuitur antonomastice, & per excellentiam. Ex quibus ad primam confirmationem patet solutio. Nam quodlibet vinum de vite etiam moraliter, & in ordine ad usum humanum est univoce vinum, Ad alteram Confirm. Respondent Amicus, & Gonet conc. ant. neg. conseq. & paritatem. Disparitatem reddunt, quòd sanguis generetur ex cibis, ut ex termino à quo, panis vero e granis, ut materia ex qua inexistente, & componente: ideo diversa specie grana, inquiunt, specie diversum panem efficiunt.

Hæc solutio mihi placere non potest. 15
Quia supponit, grana formaliter remanere in pane, (sicut secundùm aliquos elementa manent in mixto) eumque retentis formis substantialibus propriis intrinsece constituere, atque adeò panem non esse unum per se compositum substantiale: quod repugnat doctrinæ D. Thomæ panem à massa, farina, & granis specie substantiali distinguentis, eique tribuentis formam substantialem unicam ab omnibus formis substantialibus dictorum entium realiter distinctam. Audiatur *in* 3. *p. q.* 75. *a.* 6. *ad* 1. ubi dicit: *Et hoc modo (ars) producit formam substantialem panis virtute ignis concoquentis materiam ex farina & aqua confectam.* Rursus: S. D. eo loco comparat modum producendi panem per artem modo, quo per artem applicandô activa passivis producuntur ranæ, & serpentes. Atqui dum producuntur hoc modo ranæ & serpentes, producuntur formæ substantiales ranarum & serpentium distinctæ ab omnibus aliis; ergo similiter, dum per artem virtute ignis producitur panis ex massa farinacea, producitur forma substantialis ab omnibus aliis, atque adeò à forma massæ, farinæ, & frumenti realiter distincta. Unde ulterius sequitur, eas substantias in productione panis verè & substantialiter corrumpi, non minùs, quàm cibos in generatione sanguinis. Modò sic: quia cibi substantialiter corrumpuntur in generatione sanguinis, & physicè non ampliùs sunt, dum primò est substantia sanguinis, sanguis non generatur ex cibis ut materia ex qua inexistente, sed solùm ut ex termino à quo: ergo pariter, quia ob eandem rationem grana physicè non ampliùs sunt, dum primò est substantia panis, panis non producitur ex granis, ut materia ex qua inexistente, & componente, sed solùm ut ex termino à quo. Existimo (pace melioris judicii) discrimen esse situm in hoc, quòd sanguis in vivente habeat principium proximum & per se, à quo generetur, ejusdem rationis. Sicut enim vivens præditum est virtute adgenerandi sibi carnem ejusdem rationis ex quovis ciborum genere, ita quoque vim habet medio calore vitali per alias & alias transmutationes cibos quantumvis diversos disponendi ad formam sanguinis ejusdem speciei. Cùm sanguis

guis, ut docet Aristoteles *lib. 1. de generat. animal. cap. 19.* sit *ultimum alimentum in sanguinario genere animalium*, & proximè convertibile in substantiam viventis, atque adeo affectum accidentibus & proprietatibus uniformiter & æqualiter ejusmodi conversioni, vitalique adgenerationi aptantibus: quæ planè arguunt eandem speciè substantiam. Atqui principium proximum, & per se productivum panis, virtus videlicet ignis, non est semper ejusdem rationis formaliter; sed more causæ æquivocæ juxta diversitatem materiæ, quam invenit, diversimodè se gerit, & ad effectus modò ejusdem, modò diversæ speciei producendos determinatur. Itaque ex granis ejusdem speciei efficit panem ejusdem; ex granis diversæ efficit panem diversæ speciei. Adde, quod, si quid probaret hic exemplum sanguinis, eadem ratione inferri posset, panem ex leguminibus, & fructibus arborum concoctum, esse ejusdem speciei cum pane triticeo, & consequenter materiam validam consecrationis. Demum adverto, hoc exemplo sanguinis nihil convinci, tametsi concederetur, omnes panes ex diversis specie frumentis esse ejusdem speciei physicæ cum pane triticeo. Quia adhuc differrent specie morali ab ipso, & non essent panes usuales; qui soli ex institutione Christi digni sunt, ut fiant panis Angelorum. Unde quemadmodum vinum non est consecrabile, quando amisit speciem moralem vini usualis, licèt non sit corruptum physicè; velut statim audiemus: ita neque panis est consecrabilis, quando differt specie morali à pane triticeo, licèt ab illo non differat specie physica.

§. III.

Quale vinum sit materia Eucharistiæ?

SUMMARIUM.

16. *Statuitur sententia Catholica.* 17. *Quid de agresta, vino adusto, lora & aceto?* 18. *Quid de succo adhuc clauso in uvis?* 19. *Quid de vino congelato?* 20. *Quid de vino corrupto?* 21. 22. *Solvuntur Objectiones.* 23. *Quid de vino pane imbibito.*

16 Dico. Materia valida ad conficiendum in Eucharistia sanguinem Christi est solum vinum vitis. Est propositio Catholica, quæ colligitur ex facto Christi adjuncta traditione Ecclesiæ. Nam Dominum consecrâsse in hoc vino, communis est omnium persuasio, & constans inter fideles, atque ad nos usque propagata traditio. Accedit definitio Florent. Concilii, quam priori §. *num.* 5. adduximus. Neque refert, vinum vitis esse multiplex & specie diversum, ut patet in albo & rubro, & docet Aristoteles 4. *Meteor. cap.* 10. nam in primis Philosophum aliqui volunt solùm esse locutum de diversitate accidentali. Deinde concessa quoque diversitate essentiali nihil contra nos sequitur: quia semper verum manet, quodlibet vinum vitis esse absolutè, & simpliciter vinum, quod sufficit in rem præsentem. Aliud est sentiendum de vinis pomorum, malorum granatorum, radicum, & similium. Hæc enim specie substantiali differunt ab omni vino vitis, & non sunt vina simpliciter, sed secundùm quid. Atque hinc ulteriùs

Sequitur primo, neque agrestam; neque vinum adustum; neque loram; neque acetum esse materiam validam. Agresta est succus adhuc crudus, & ex uvis necdum maturis expressus. Vinum adustum virtute ignis coquitur ex fæcibus vini. Lora non exprimitur ex uvis, sed ex acinis jam expressis, & infusa aquâ maceratis elicitur. Acetum ex vino substantialiter corrupto gignitur. Ratio illationis est; quia inprimis agresta est succus antecedens; acetum est liquor subsequens formam vini. Vinum adustum in diversam à vino substantiam decoquitur. Lora est solùm aqua temperata, quamvis retineat aliquod accidens vini. Ergo nihil horum est verè & substantialiter vinum. 17

Sequitur secundo, succum uvarum, antequam exprimatur, & adhuc clausum in acinis non esse materiam validam: esse verò, postquam fuit expressus in mustum. Ratio expeditissima prioris partis est: quia materia calicis debet esse potus secundùm modum potûs, & apta ad significandum sanguinem Christi per modum potûs: atqui liquor ille, quamdiu continetur in uvis, non habet rationem potûs, sive non est per se potabilis; sed est potiùs unacum uvæ partibus per se manducabilis, atque adeò cibus, non potus. Deinde: materia calicis debet esse miscibilis cum aqua: liquor inter uvas conclusus non est miscibilis cum aqua; ergo non est materia calicis. Ratio posterioris partis est: quia mustum in rei veritate est vinum, licèt accidentaliter necdum omninò perfectum: quippe adhuc includens aqueum humorem, florem, & fœces, à quibus per decoctionem paulatim purgari solet. Cæterùm hæc fæcium impuritas, qua mustum inquinatur, efficit, ut in eo consecrare sit illicitum. Unde, qui hoc auderet, gravem irreverentiam committeret, saltem extra casum necessitatis. 18

19 Sequitur tertio, vinum congelatum esse materiam validam. Ratio est: quia etiam in statu congelationis retinet naturam vini simpliciter. Nam si modico calore liquefiat, videbis esse vinum, ut antea: quod falsum esset, si per congelationem substantialiter fuisset corruptum. Quis enim credat, solâ liquatione glaciei vinum de novo produci? Quod sanè fieri oporteret, si non ampliùs ibi subsisteret. Neque refert, ejusmodi vinum non esse potum liquidum: licèt enim in eo statu sit per accidens non potabile, est tamen per se & simpliciter potabile. Confirmatur à simili. Da panem triticeum tantæ duritiei, ut comedi non possit, nisi molle fiat aliquo modo. Ecce! hic panis per accidens, & pro statu indurationis non est manducabilis, per se tamen, & simpliciter est manducabilis, atque materia valida consecrationis: cùm panis substantiam verè retineat. Ergo similiter vinum in statu congelationis, esto per accidens non sit potabile, est tamen potabile per se, & simpliciter, atque adeo materia valida consecrationis. Addit Cardinalis de Lugo, in rigore etiam vinum congelatum, si paulatim deglutiatur, potari, cóque jejunium non solvi: quia semper judicatur esse potus.

20 Sequitur quartò, vinum quoad substantiam seu physicè, seu moraliter corruptum non esse materiam validam. Physicè vinum corrumpitur, quando dissolvitur ejus substantia: sicut contingit, dum in vappam, vel acetum degenerat. Moraliter corrumpitur quoad substantiam, quando ei miscentur aliæ materiæ, & condimenta in tanta copia, ut non amplius censeatur vinum esse simpliciter dictum. Ratio illationis patet ex dictis. Quòdsi ejusmodi mixtio materiæ alienæ fieret in modica quantitate, vinum posset esse materia valida: consecrare tamen non liceret, ut constat exemplo musti. Atque ex his etiam constat, quid sit dicendum de succo, qui exprimitur ex uvis passis. Nam si ob nimiam siccitatem acinorum ad illum exprimendum opus esset aquæ copiâ nimis magnâ, amitteret rationem vini communis & usualis; atque adeò non esset materia consecrabilis: erit autem, si tanta aquæ copia non adhibeatur. Quia est vinum simpliciter, idque tantò perfectius, quantò ab aqueo humore purgatius.

21 Objicies primò. Mustum non est vinum usuale: ergo non est materia valida. Conseq. patet. Ant. inde colligitur; quòd homines regulariter non bibant mustum. Secundò. Innocentius III. *lib.* 4. *de Sacrific. Missæ. c.* 30. dicit, vinum acidum, quod vocatur acetum, esse materiam consecrationis sanguinis. Et favet S. Isidorus *lib.* 8. *Etymolog. c.* 3. ubi acetum inter species vini recenset: ergo acetum est materia valida. Tertiò. Vinum, in quod Christus in nuptiis Canæ Galileæ convertit aquam, non erat vinum de vite, sed ex aqua factum; & nihilominùs, si quis id consecrâsset, validè consecrâsset: quis enim de hoc dubiret? Ergo vinum de vite non est materia necessaria. Quartò. Aqua congelata non est materia valida Baptismi: ergo nec vinum congelatum est materia valida Eucharistiæ. Prob. conseq. quia non minùs aqua congelata est vera aqua, quàm vinum congelatum est verum vinum: ergo si nihilominùs illa non est materia valida Baptismi, etiam istud non est materia valida Eucharistiæ. Quintò. Liquor in uva adhuc contentus non est materia calicis: ergo nec vinum congelatum. Prob. conseq. Quia quemadmodum ille liquor in eo statu non est potabilis, ita nec vinum, quamdiu durat congelatio, est potabile.

Respondeo ad primum neg. ant. ad prob. dico, etiam homines regulariter non bibere vinum congelatum, aut manducare panem induratum; & nihilominùs hunc esse panem usualem simpliciter, illud vinum usuale simpliciter. Quòd igitur frequentiùs non bibatur mustum, in causa est tum ejus fortitudo, tum impuritas. Ex quo non sequitur, per se non esse aptum ad bibendum, aut non esse vinum simpliciter. Ad secundum dico, utrobique per acetum intelligi vinum acescens, quod nondum amisit formam substantialem vini simpliciter dicti. Et hoc quidem est materia valida: ab ejus tamen consecratione abstinendum est, quoad fieri potest. Nos autem *num.* 17. loquebamur de aceto, quod est perfectè acetum. Ad tertium dist. ant. illud vinum non erat vinum de vite formaliter con. virtualiter, & æquivalenter, neg. ant. Christus enim ratione Deitatis continet eminenter omnem causam, virtutem, & actionem creatam vini vitiginei productivam. Unde produxit in illis nuptiis ex aqua vinum ejusdem rationis cum vino vitis. Idem sentiendum de vinis quibusdam aliis, quæ Sancti nonnulli prodigiosè produxisse perhibentur. Tale est illud, in quod Divus Benno Bojorum Tutelaris, ut in ejus actis legisse me memini; lagenam frigidæ messoribus convertit. Illud præterea, quod maximi ejus viri ephebulus alia die herum suum sancta simplicitate imitari cupiens ductô crucis signô effecit. Hoc enim & similia erant

erant ejusmodi naturæ cum vino vitigineo. Ad quartum conc. ant. neg. conseq. disparitas est, quòd materia remota Baptismi non solùm debeat esse vera aqua; sed aqua, cujus usu corpus actualiter abluatur. Nam materia proxima, quam oportet verificari in remota, est actus secundus & actio transiens ablutionis. Baptismus enim est Sacramentum in usu situm. Atqui aquâ congelatâ, dum est congelata, nihil abluitur; ergo. Econtra Eucharistia, cùm non consistat in usu, & actuali potatione; seu sumptione, sed in re permanente, cui competat ratio potûs spiritualis in actu primo, aliam materiam remotam calicis non exigit, quàm eam, in qua verificari possit permanens existentia, & præsentia sanguinis Christi sub speciebus illius, & in quantum est spiritualiter potabilis. Atqui ista verificari possunt in vino congelato, quippe per se potabili, & ut actu potetur, facilè resolubili; esto, per accidens tunc impediatur pro statu congelationis, ut potari non possit. Et hinc patet ad probat. conseq. Ad quintum conc. ant. neg. consq. ad cujus probationem dico, cum liquorem non quomodocunque esse non potabilem, sed esse non potabilem per se, & potiùs unà cum acinorum partibus manducabilem; vinum verò congelatum esse non potabile per accidens, per se autem potabile: ut constat ex *num.* 19.

23 Hinc etiam colligitur, quid sit dicendum de vino pani infuso, eique imbibito. Nam hoc non est materia calicis. Quia nempe non est per se potabile. Dices. Vinum congelatum est materia valida: ergo etiam vinum pani imbibitum. Prob. consq. ideò vinum congelatum est materia valida, quia sub ejus speciebus post consecrationem conglaceatis non desinit esse sanguis Christi: ergo etiam vinum pani imbibitum est materia valida, quia sub speciebus vini, quibus post consecrationem panis intingitur, non desinit existere sanguis Christi. Respondeo conc. ant. neg. consq. Ad probationem neg. causalem, utpote non sufficientem. Ratio adæquata est: quia vinum, ut sit consecrabile, prætcrquàm, quòd ejus species post consecrationem sint aptæ retinere sanguinem Christi, insuper debeat esse demonstrabile tempore consecrationis per pronomen *hic* contentum in verbis consecrationis. Atqui vinum, quo panis imbuitur, non est ita demonstrabile; cùm potiùs habeat rationem offæ, quàm vini: est autem demonstrabile vinum congelatum. Cæterùm species semel consecratæ, licèt pani aut alteri rei misceantur, possunt retinere sanguinem Christi: quia ad hoc non requiritur, ut sint demonstrabiles illo pronomine per modum potûs, sed satis est, si sint revera species vini.

§. IV.

Utrùm aqua vino mixta immediatè convertatur in sanguinem Christi?

SUMMARIUM.

24. *Vino consecrando debet misceri aqua.* 25. *Referuntur sententiæ, & formatur status quæstionis.* 26. 27. 28. 29. 30. *Statuitur & probatur nostra sententia.* 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. *Solvuntur objectiones.* 42. *Consectaria ex dictis.*

ARmeni Veteres hæretici, ut constat ex 6. *Synodo Trull.* & Nicephoro *lib.* 28. *histor. c.* 53. asseruerunt, nihil aquæ vino consecrando miscendum, sed in puro, solóque vino consecrandum esse. Horum doctrinam sequuntur etiam Lutherani & Calvinistæ. Nam & ipsi nullam aquam calici suo miscent, idque fieri prohibuit Lutherus in lib. contra Henricum VIII. Regem Angliæ, & in formula Missæ pro Ecclesia Witembergensi, ut refert Vasquez: stolidósque existimavit, qui aquam calici infunderent. Calvinus verò huic errori adhæsit ideo solùm, quia in Evangelio de tali mixtione nihil expressum reperitur. Dicunt, præterea hæretici nostri temporis apud Cardinalem de Lugo, cum ritum vino miscendi aquam olim viguisse solùm in provinciis calidis, ut communi mori Patriæ mos geretur, atque adeò non universaliter in tota Ecclesia fuisse observatum. Verùm his omnibus aperte refragatur Catholica veritas sancita in variis Conciliis, præsertim Florent. *in decreto Fidei.* & Trident. *sess.* 22. *c.* 7. ubi habetur: *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Immo docet Florent. §. *tertium est Eucharistiæ. Omnes Latinorum, Græcorumque Ecclesias ab initio nascentis Ecclesiæ sic servâsse, & modò servare.* Hanc porrò mixtionem non esse de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm, colligitur tum ex verbis Trident. adductis; tum ex eo, quòd sine illa Sacramentum confici possit, ut habetur *in Can.* 1. *de Consecrat. dist.* 2. ubi dicitur: *Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse.* 24

Istis suppositis, de aqua vino conse-
25 crando mixta opinio refertur ab Innocent. III. *in c. cum Marthæ*, & *in c. in quadam. de celebrat. Missar.* Prima voluit, eam aquam non converti in sanguinem Christi, sed in aquam, sive humorem aqueum, aut etiam phlegma, quod de latere crucifixi fluxisse dixerunt. Secunda asseruit, aquam unacum vino converti in sanguinem Christi. Tertia contendit, aquam peracta consecratione substantialiter remanere vini consecrati speciebus circumfusam, atque adeò neque in sanguinem Christi, neque in aliud quidpiam converti. Prima sententia dudum exoleta hodie Patronum in scholis non habet, falsámque esse constat apertè: quia tota conversio materiæ consecrabilis fit vi verborum consecrationis. Ergo conversio, quam verba non significant, sine fundamento asseritur. Atqui verba consecratoria calicis non significant conversionem in aquam, aut quid simile; sed in sanguinem Christi tantùm; ergo illa conversio sine fundamento astruitur. Præterea multùm à veritate abhorret, ex latere Christi non veram aquam, sed aqueum duntaxat humorem, aut etiam phlegma fluxisse, ut quibusdam, qui ita senserunt, placuit. Sanè Joannes, qui dum stetit sub cruce, & vidit, quique, ut ait de se ipso *cap.* 19. *v.* 35. *Testimonium perhibuit*, non dixisset *v.* 34. *Et continuò exivit sanguis & aqua*, si vera aqua non fuisset. Secundam sententiam Pontifex *citato c. cùm Marthæ.* reliquis probabiliorem esse judicat. De qua tamen haud incelebris hac ætate controversia, immo status præsentis quæstionis est, an sit intelligenda de aqua in vinum non conversa; an vero de aqua in substantiam vini ante consecrationem transmutata? Sive, utrùm, ut aqua convertatur in sanguinem Christi, priùs converti debeat in vinum: vel possit citra ejusmodi conversionem præviam unacum vino converti in sanguinem? Si istud sit verum, immediatè; si illud, mediatè in sanguinem Christi aqua convertitur. Et quidem immediatè converti docent Cardinalis de Lugo, Ægidius Coninck, Diana, Laymann, Dicastillo, Haunoldus, Theologi Sangallenses, Illsung, & alii complures. De tertia sententia quid sit sentiendum, patebit ex sequentibus. Nunc

26 Dico. Aqua non nisi mediatè, & tunc solùm convertitur in sanguinem per consecrationem, quando priùs fuit conversa in vinum. Ita docere D. Thomam dubitari vix potest; cùm 3. *p. q.* 74. *a.* 8. *in corp.* expressè dicat, eorum opinionem probabiliorem esse, qui dicunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem. Præterea *in* 4. *dist.* 11. *q.* 2. *a.* 4. de nostra sententia pronuntiat, quòd verior appareat, & secundùm rationem naturalem. Quia modica aqua vino admixta, quod est magis activum, à vino corrumpitur, & in speciem vini transit. Cum D. Thoma sentiunt communiter non tantùm Thomistæ, sed alii quoque, ut Scotus, Gabriel, Richardus, Mayron, Sylvius, Isambertus, Suarez, Vasquez, Bonacina, Amicus, aliique plures, quos refert, & sequitur Reding *tomo* 6. *q.* 2. *a.* 1. *controv.* 3. *num.* 19.

Prob. jam primo authoritate Innocen- 27
tii III. Hic Pontifex nostram sententiam *in c. cùm Marthæ* declaravit esse probabiliorem aliis duabus, quas *num.* 25. exposuimus. Ergo tenenda est. Conseq. constat. Ant. prob. nostra sententia est: *Quòd aqua cum vino transsubstantietur in sanguinem: cùm in vinum transeat mixta vino.* Atqui hanc Innocentius pronuntiavit esse probabiliorem; ergo. mi. prob. Innocentius ex tribus sententiis relatis secundam pronuntiavit esse probabiliorem. Atqui sententia, *quod aqua cum vino transsubstantietur &c.* est illa secunda; ergo sententiam, *quod aqua cum vino transsubstantietur &c.* pronuntiavit esse probabiliorem. Respondent, Pontificem ibi secundam sententiam distinxisse tanquam bimembrem, nec approbâsse primum membrum, quod continet mediatam conversionem; sed secundum, quo præcisè dicitur, aquam cum vino converti in sanguinem, atque adeò abstraxisse à conversione tam mediata, quàm immediata, totáque quæstione physica, an aqua vino mixta in vinum convertatur? Sed contra est: Innocentius in eo sensu approbavit secundam sententiam, in quo retulit: atqui illam retulit quatenus loquentem de conversione mediata; ergo quatenùs loquentem de conversione mediata approbavit; ergo gratis dicitur, illam opinionem fuisse bibembrem, aut Pontificem à conversione mediata & immediata abstraxisse. Min. facilè constat: quia, dum retulit eam sententiam, addidit ejus causalem, nempè: *Cùm* (aqua) *in vinum transeat mixta vino*; quod est formalissimè referre sententiam secundam, ut loquitur de conversione mediata. Maj. inde colligitur, quia Pontifex alterius sensus nullibi meminit. Quomodo ergo credibile est, eam sententiam aliter retulisse, aliter approbâsse? Deinde, mens illius Hierarchiæ clare conspicitur in *lib.* 4. *Mysterior. Missæ. cap.* 30. ubi versans eandem quæstionem diserte docet, aquam cum vino transire in sanguinem; quia mixta vino transit in vinum. *Quis enim ambigat* (inquit) *aquam in vinum transire, cùm*

mulso

multo vino modicum infunditur aquæ? Accedat authoritas Romani Catechismi, qua nihil gravius, atque illustrius in favorem nostræ sententiæ afferri potest. Nam *cap. 4. de Eucharistiæ Sacram.* ita loquitur: *Illud autem Sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhiberi oportet, sic etiam modicam infundendam esse: nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ, & judicio aqua illa in vinum convertitur.* Quæso quid clariùs?

28 Prob. Secundo ratione. Illud in consecratione calicis convertitur in sanguinem, quod Christus instituit, ut sit materia consecrationis; sed Christus aquam non conversam in vinum non instituit; ut sit materia consecrationis; ergo aqua non conversa in vinum non convertitur in sanguinem: ergo aqua non convertitur immediatè in sanguinem. Hæc conseq. infertur ex priori, quæ est in forma. Maj. est certa. Mi. prob. Illud solùm Christus instituit, ut sit materia consecrationis, cujus species peracta consecratione remanent; atqui species aquæ non conversæ in vinum peracta consecratione non remanent; ergo Christus aquam non conversam in vinum non instituit, ut sit materia consecrationis. Mi. constat ex Concil. Trid. *sess.* 13. *de Euchar. can.* 2. ubi definit, post consecrationem manere duntaxat species panis & vini. maj. prob. Illud solùm Christus instituit, ut sit materia consecrationis, cujus species peractâ consecratione permanenter continent ejus sanguinem: atqui illius solùm species peracta consecratione continent sanguinem, cujus species remanent; ergo illud solùm instituit, ut sit materia consecrationis, cujus species peracta consecratione remanent. Respondebis ex Card. de Lugo *disp.* 4. *de Sacram. Euchar. sect.* 4. id, quod Christus instituit, ut sit materia consecrationis, esse vinum usuale: nomine autem vini usualis intelligi non tantùm vinum merum, sed etiam vinum lymphatum, id est, modicâ aquâ temperatum, atque adeò compositum ex mero vino, & modica aqua. Cùm igitur aqua ceu pars constitutiva ingrediatur compositionem vini usualis in ratione vini compositi ex vino mero, & modica aqua, sufficere, ut possit partialiter consecrari, sive esse pars materiæ consecrabilis, esto non sit vinum etiam prout conjuncta vino. Nam saltem esse partem vini. Confirmatur. Si panis conficiatur ex farina triticea non omninò purgata à furfure, erit materia consecrationis non solùm quoad partes farinæ puræ, sed quoad omnes. Nam licèt in tali pane sint aliquæ partes seorsim non consecrabiles, illæ nempe, quæ sunt ex furfuribus; quia tamen ingrediuntur compositionem panis verè & propriè usualis unacum partibus purè triticeis, ipsæ quoque, quamdiu manent in eo composito, sunt partialiter consecrabiles, sive sunt pars materiæ consecrabilis. Ergo similiter, licèt in vino usuali, quod componitur ex vino mero, & modica aqua, non omnes partes, nempe aqueæ, sint seorsim consecrabiles: quia tamen intrinsecè constituunt vinum verè & propriè usuale cum vino mero, ipsæ quoque, quamdiu vinum inadæquate constituunt, erunt materia consecrationis. Sed contra. Nam aliud est, non corrumpere speciem vini usualis, & aliud, intrinsecè constituere vinum usuale. Atqui aqua vino infusa, quamdiu manet aqua, solùm non corrumpit speciem vini, ita ut adhuc possit absolute & simpliciter dici vinum usuale. Sane, si guttam olei, vel balsami vino indideris, totum illud simpliciter vinum, & adhuc usuale erit; quia nempe gutta olei, vel balsami non extrahit vinum à ratione vini simpliciter dicti. Nemo tamen dixerit, oleum, vel balsamum intrinsecè constituere vinum usuale. Nego proinde, aquam nondum conversam in vinum ingredi compositionem vini usualis, aut esse partem vini usualis, & materiæ consecrabilis. Ad confirm. nego similiter, ejusmodi panem quoad illa, quæ non sunt triticea, esse consecrabilem, sive ex furfuribus partialiter constitui in ratione panis usualis. Immo retorqueo argumentum. Substantia furfurea & alia quæcunque mixta pani, & non conversa in substantiam panis non convertitur in corpus Christi: ergo similiter aqua mixta vino, & non conversa in vinum non convertitur in sanguinem Christi. Contra hunc modum Respondendi conclusio

29 Prob. tertiò. Peracta consecratione totus Christus manet sub unaquaque specie, & sub singulis cujuscunque speciei partibus, sicut in terminis docet Trident. ubi suprà Can. 3. ergo etiam manet sub particulis specierum aquæ, si hæc non conversa in vinum fuit conversa in sanguinem Christi. Ergo si particulæ specierum aquæ sive per artem, sive per congelationem separentur (quod fieri posse negari non potest) à speciebus vini, sub eis solis continebitur sanguis Christi, totusque Christus. Sed conseq. est absurdum, & contrarium definitionibus Conciliorum docentium, non nisi sub speciebus

panis & vini conservari corpus & sanguinem Christi: ergo & doctrina adversa, ex qua sequitur. Primam conseq. non negant, cùm ex se pateat. Secundam probabiliter concedi posse Coninck affirmat. At cæteri Adversarii non sunt tam forti stomacho, ut tantum inconveniens devorent: ideoque negant eam conseq. quæ tamen facilè prob. nam sanguis Christi tamdiu existit sub speciebus consecratis, quamdiu manent incorruptæ: atqui species aquæ consecratæ post separationem à speciebus vini adhuc essent incorruptæ; ergo sub illis etiam post hanc separationem existeret sanguis Christi. Maj. constat in speciebus panis & vini. Mi. etiam videtur certa. Quis enim dicat, per ejusmodi separationem species aquæ corrumpi: cùm neque in esse, neque in conservari dependeant à conjunctione cum speciebus vini? Præsertim cùm non faciant cum illis unum continuum, sed solùm contiguum. Sicut aqua mixta vino non facit unum continuum, sed solùm contiguum cum vino, quamdiu manet aqua. Eadem consequentia in hunc modum suaderi potest. Species aquæ dicto modo separatæ à speciebus vini vel continerent sacramentaliter aliquam substantiam; vel alicui substantiæ inhærerent: vel nulli inhærerent, nullámque continentes extra omne subjectum subsisterent? Non enim alius modus, quo se habere possint, videtur excogitabilis. Et quidem tertium gratis dicitur. Nam inprimis naturaliter extra omne subjectum dari non possunt. Deinde cui fini Divinitùs separatæ ab omni substantia conservarentur, si nullam sacramentaliter continerent? Si secundum dicatur, assignanda est substantia, in quam migrarent, & cui inhærerent: quod citra absurdum nemo præstiterit. Aut enim impinget in veram Philosophiam, aut miraculum absque necessitate confinget. Quòd si primum placuerit, conceditur, quod volumus. Neque enim possunt aliam substantiam modo Sacramentali continere præter illam, in quam vinum fuit substantialiter conversum, videlicet sanguinem Christi. Atque ex his patet, neutiquam subsistere id, quod docet Cardinalis de Lugo, dum asserit, species aquæ, simul ac separantur à speciebus vini, recuperare formam substantialem aquæ. Vel enim recuperant illammet numero, in qua mediatè recipiebantur ante consecrationem, vel aliam? Non eandem: quia idem numero viribus naturæ non potest reproduci. Non diversam: quia nulla causa, nulla actio rationabiliter assignari potest talis substantiæ productiva. Ut taceam, accidentia naturaliter non posse migrare de subjecto in subjectum, quod tamen in præsenti contingeret. Si verò dicatur, hæc omnia fieri virtute Dei extraordinaria, gratis multiplicantur miracula, atque præcisè ideò, ut inconveniens, in quod alioquin manifestè inciditur, effugiatur.

Prob. quartò. In Concil. Florent. 30
decreto de unione Armenorum, statuit Pontifex, modicissimam aquam ante calicis oblationem esse vino admiscendam, corrigitque decretum Provincialis Concilii Triburiensis, quod *cap. 19.* fecerat: videlicet, tertiam partem aquæ esse vino admiscendam. Ex hoc tale fit argumentum. Causa, quæ movit Pontificem, ut ita statueret, alia non fuit, quàm ut aqua ante consecrationem facilius converti possit in vinum, alioquin in sanguinem ipsius judicio non convertenda. Ergo vera est nostra sententia. Conseq. pater. Ant. prob. Nam quid aliud afferri causæ potest? An ne tertia pars aquæ, quam affundi debere volucrat Concil. Tribur. destruat vinum in ratione potûs usualis? An, quod facto Christi conformius videretur modicissimam potiùs, quàm tertiam partem aquæ vino miscere? An, quia sic aptius significatur significatione mystica tum aqua ex latere Christi profluens, tum unio populi fidelis cum Christo? Præter hæc nihil in medium proferri posse existimo. Atqui nihil horum Pontificem ad ita statuendum movere potuit. Non primum. Quia neque Authores adversi negabunt, vinum, cui mixta est tertia pars aquæ, adhuc manere usuale. Non secundum. Quia longè credibilius est secundùm principia Adversariorum, Christum aquæ portionem benè magnam, quàm modicissimam miscuisse. Nam usus est, inquiunt, vino usuali, quale fert terra Palestina, robusto sanè, ac generoso, quod procul dubio, ut solent viri sobrii, aquâ notabiliter castigaverit. Unde vides, facto Christi longè conformius esse, vino miscere tertiam partem aquæ, quàm modicissimam. Non potuit denique movere tertium. Quia similiter prior illa significatio notabilem potiùs quantitatem aquæ vino miscendam esse, quàm modicissimam, suadere videtur. Neque enim modicissima, sed aqua benè multa unacum sanguine ex latere Christi profluxit, ut apertè Joannes indicat in Evang. *cap. 19.* illis verbis: *Et continuò exivit sanguis & aqua: & qui vidit, testimonium perhibuit*

bibuit. Ex quibus manifestè colligitur, Joannem visu corporeo sanguinem & aquam inter se dignovisse : quod fieri minimè potuisset, si non in notabili quantitate cum sanguine promanâsset. Altera quoque significatio mystica æquè per aquam notabilem, quàm per modicissimam exprimi potest, dummodò ad denotandum excessum virtutis, quæ est in sanguine Christi, plus vini, quàm aquæ sit in calice : quia, ut dicitur in cit. Concil. Tribur. *Major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi.* Restat igitur, ut Eugenius ideò statuerit, aquam vino miscendam oportere esse modicissimam, quia censuit, prius esse convertendam in vinum, quàm in sanguinem ; facilius autem ante consecrationem converti in vinum, si sit modicissima, quàm tertia pars.

31 Objicies primò. In eo instanti aqua mixta vino primò non est, in quo vinum per consecrationem primò non est : ergo aqua non conversa in vinum convertitur in sanguinem. Patet conseq. Quia si tunc primò non est, toto tempore antecedenti consecrationem fuit, & nunquam fuit non aqua, aut in vinum conversa. Ant. prob. vinum in eo instanti primo non est, in quo convertitur in sanguinem : ergo similiter aqua in eodem instanti primò non est, in quo convertitur in sanguinem. Atqui aqua in eodem instanti, in quo vinum, convertitur in sanguinem : ergo aqua in eodem instanti primò non est, in quo vinum primò non est. Subsumptum ostenditur authoritate SS. PP. ex quibus Ambrosius *lib.* 4. *de Sacram. Vinum*, inquit, *& aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Hieronymus *in* 4. *cap.* Marci : *Formans sanguinem suum in calicem vino & aqua mixtum.* Damascenus *lib.* 4. *fidei. cap.* 14. *Non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum, & aquam sanguinem?* Ex quibus testimoniis clarè colligitur, juxta sensum SS. PP. aquam simul cum vino consecrari, & consequenter in eodem instanti, quo vinum, converti in sanguinem. Atque hinc ulteriùs ita arguitur. Si aqua ante consecrationem convertitur in vinum, de illa verum non est, quòd simul cum vino consecretur. Sed conseq. repugnat dictis SS. PP. ergo maj. prob. de illo, quod non est, dum vinum consecratur, verùm non est, quod simul cum vino consecretur ; sed aqua non est, dum vinum consecratur ; quippe jam versa in vinum: ergo de aqua verum non est, quòd simul cum vino consecretur.

Respondeo neg. antec. in probat. 32 conc. ant. neg. conseq. Ratio est : quia vinum immediatè, aqua vero mediatè convertitur in sanguinem. Unde vinum existit toto tempore antecedenti instans conversionis Eucharisticæ : aqua vero priùs esse desinit : atque adeo non tunc primo non est, dum in sanguinem convertitur. Et hinc ad subsumpt. dicitur, aquam in eodem instanti in sanguinem converti mediatè, in quo vinum convertitur immediatè. Neque aliud evincunt verba SS. PP. nam loquuntur de conversione mediata. Adde, quod PP. tantùm contenderint, ut aqua vino misceretur, modum autem, quo converteretur in sanguinem, non ita curaverint. Ad alterum neg. maj. ad probat. dist. maj. verum non est, quod simul cum vino consecretur eodem modo, quo vinum consecratur, Conc. alio modo, videlicet mediatè, neg. maj. &c. Cæterùm ut aqua cum veritate dicatur consecrari, & in sanguinem Christi converti, necessarium non est, ut ipsa sit formaliter tempore consecrationis, sed satis est, si sit materialiter, id est, materia, quæ fuit sub forma aquæ, & nunc est sub forma vini, transeat cum vino in sanguinem Christi. Sic alimentum, etiam remotum, verè dicitur converti in substantiam aliti, quamvis non amplius sit formaliter, dum fit ea conversio : ad hoc enim sufficit, si materia, quæ fuit sub forma alimenti, modo constituatur sub forma viventis, ejusque materiæ accrescat. Sic architriclinus Joann. 2. aquam jam factam vinum veraciter vocavit aquam. Sic Exodi 7. coluber, qui devoravit virgas ariolorum, veraciter dicitur virga. Nam similia verificantur de illis per ampliationem. Dices. Falsum est dicere : *Sacerdos consecrat triticum : Sacerdos bibit vinum*, quamvis consecret panem, in quo est triticum materialiter, sive factum ex tritico, & bibat sanguinem, in quem conversum est vinum. Ergo etiam falsum est dicere : *Aqua convertitur in sanguinem*, quamvis tempore consecrationis sit materialiter, sive, quamvis consecretur vinum, in quod conversa est aqua. Respondeo, hanc propositionem : *Aqua mixta vino convertitur in sanguinem*, esse verissimam, quod etiam fatentur Adversarii, cùm autem ostensum sit nostris argumentis, eam non posse verificari de aqua tempore consecrationis formaliter existente, sed de aqua conversa in vinum, & solùm existente materialiter, jure nostro asserimus, verificari per ampliationem.

Atqui

Atqui nulla est ratio vel circumstantia, quæ suadeat, propositiones in antecedenti adductas ita debere intelligi, & per illam terminorum proprietatem verificandas esse. Ergo est disparitas.

33 Objicies secundo ex Cardinale de Lugo. Materia calicis est vinum, ut constat ex Concil. Florent. & aliis: ergo omne illud poculum, quod simpliciter & absolutè appellatur vinum, & potatur pro vino, est materia consecrationis calicis. Atqui attento hominum usu non minùs simpliciter, & absolutè vinum dicitur, & potatur pro vino, quod est modicè lymphatum, quàm merum vinum: ergo non solùm istud, sed etiam illud poculum, quod est modicè lymphatum, constátque ex vino & modica aqua, & simpliciter vinum appellatur, est materia consecrationis, & quidem secundùm omnes partes: quia omnes sunt partes illius poculi, quod simpliciter vinum usuale appellatur. Confirmatur. Materia consecrationis debet esse vinum de vite, ut constat ex Florent. cit. Atqui illa aqua, quæ vino miscetur, tametsi supponatur conversa in vinum, non est vinum de vite, ut est manifestum: ergo vel neque conversa in vinum est consecrabilis: vel fatendum est, esse ideo consecrabilem, quia est pars illius poculi, quod per modum totius est vinum de vite, quamvis ipsa non sit vinum de vite. Ergo similiter, licèt aqua in vinum non conversa non sit vinum, quia tamen est pars illius poculi, quod per modum totius est vinum usuale, erit partialiter consecrabilis, quamvis seorsim non sit consecrabilis. Respondeo ad argumentum conc. Ant. dist. conseq. ergo omne illud poculum &c. est materia consecrationis secundùm omnia, quæ illud ingrediuntur neg. secundùm illa, in quibus est forma substantialis vini vitiginei, conc. conseq. ad subsumpt. dico. vinum modicè lymphatum non ideo censeri vinum simpliciter, quòd modica aqua cum vino mero illud intrinsecè constituat in ratione vinini simpliciter, dum non est conversa in vinum; sed quia non solvit speciem vini simpliciter talis: immò potiùs, quia ordinariè convertitur in vinum. Et hinc ad alterum conseq. patet solutio. Nam complexum ex vino mero, & modica aqua, si hæc non sit conversa in vinum, solùm est consecrabile secundùm ea, quæ habent formam substantialem vini, licèt totum denominetur vinum simpliciter. Nam talis denominatio sequitur partem potiorem. Ad Confirm. dist, maj. debet esse vinum de vite immediate vel mediate (nisi sit virtualiter vel æquivalenter) conc. semper immediatè neg. maj. dist. mi. aqua in vinum conversa non est vinum de vite immediatè, conc. mediatè neg. mi. nam esto, non sit ex vite immediate genitum, producitur tamen ex aqua media virtute nativa vini ex vite immediate geniti, estque ejusdem naturæ cum illo, & consequenter habet veram rationem vini. Quando itaque Concilia docent, materiam calicis esse vinum de vite, solùm excludunt omnem liquorem, qui non est ejusdem naturæ cum vino de vite, verbo, qui non est verum vinum. Atqui aqua in vinum conversa est verum vinum. Et hinc patet ad reliqua. Nam aqua in vinum non conversa nec immediate, nec mediate, nec virtualiter, nec eminenter est vinum de vite. Quòd autem sit pars illius poculi, quod vinum usuale dicitur, parùm interest: quia etiam gutta olei, vel balsami, si infunderetur, esset pars talis poculi, non tamen ideò evaderet consecrabilis etiam partialiter. Quia nempe non esset pars illius, ut est vinum usuale, sed in ratione alterius complexi. Ita prorsus aqua non conversa in vinum non est pars poculi, secundùm quod est vinum usuale; sed in ratione alterius complexi à vino usuali inadæquatè distincti.

34 Objicies tertiò. Aqua mixta vino naturaliter non potest converti in vinum: ergo non conversa in vinum convertitur in sanguinem. conseq. patet. Ant. prob. Primò aurhoritate Aristotelis, Plinii, & omnium Medicorum, & Chymicorum uno ore affirmantium, ejusmodi conversionem esse impossibilem. Secundò ab experientia, qua constat, aquam vino infusam etiam post longum dein temporis intervallum posse à vino separari: quod fieri dicitur immissâ medullâ junci, vel spongiâ intinctâ oleo. Tertio ratione. Tum, quia vinum est succus substantiæ viventis genitus intra uvam virtute nativa facultatis nutritivæ: quemadmodum sanguis gignitur in jecore virtute nativa facultatis nutritivæ animalis. Ergo sicut sanguis ab animali separatus guttam aquæ sibi mixtam non potest convertere in suam substantiam, ita nec vinum ab uva separatum habet virtutem convertendi aquam, quæ illi miscetur, in suam substantiam. Tum, quia vinum non formaliter, sed virtualiter calidum est: ergo non potest aquam alterare, & corrumpere. Prob. conseq. Quia virtualiter calidum non agit, nisi priùs irritetur, & excitetur

tetur à subjecto, in quod agit: sed aqua non potest excitare calorem virtualem vini: quippe omni calore destituta. Tum etiam: quia, si vinum posset in se convertere aquam, ejusmodi conversione redderetur fortius, atque vegetius: ut constat exemplo ignis, & aliorum corporum simplicium, quæ fiunt fortiora, dum eis augmentum ex rebus in se conversis accedit. Sed Conseq. est falsum; cùm doceat experientia, virtutem vini per infusionem aquæ non roborari, sed hebetari, ac debilitari: ergo.

Respondeo neg. Ant. ad primam pro-
35 bat. dico, Aristotelem malè citari pro doctrina adversa, sicut advertit hîc Reding *artic.* 1. *controv.* 3. *numero* 25. Nam 1. *de generat.* Philosophus stat pro nobis. Unde S. Doctor 3. *part. Quæst.* 77. *artic.* 8. *in cap. gutta aquæ*, inquit, *vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur* 1. *de generat.* Authoritati verò Plinii, & aliorum seu Medicorum, seu Chymicorum opponitur authoritas B. Alberti Magni, Alensis, S. Bonaventuræ, S. Thomæ, ac demum ipsius Innocentii III. qui nostram sententiam, ut suprà vidimus, ideo censuit probabiliorem, quòd aqua mixta vino transeat in vinum. Ad secundam probat. dico, eum liquorem, qui dicto artificio è vino extrahitur, non esse aquam, sed humorem quemdam aqueum, quem etiam ex puro vino extrahi posse affirmant, estque substantialiter vinum, minùs tamen excoctum. Ad tertiam neg. paritas inter vinum & sanguinem. Nam constat experientiâ, sanguinem, quamprimùm secernitur ab animali, continuò destitui tota activitate: quippe quam habet ex forma illius, vel informante, si vivit, ut multi docent; vel extrinsecè conservante, si non vivit: ut nobis placuit in Philosophia. Atqui vinum uvâ expressum habet summam & efficacissimam activitatem. Cùm quoad hanc non dependeat ab uva includente. Quemadmodùm igitur ignis non tantùm producitur virtute solis, sed etiam ab alio igne virtute solis producto, ita & vinum non tantùm producitur virtute nativa facultatis nutritivæ in uva, sed etiam ab alio vino per virtutem illam nativam producto. Ad alteram ex rationibus conc. Ant. neg. conseq. quæ dum probat, adverto, aquam in modica quantitate infusam vino dupliciter ab hoc posse corrumpi. Primò per divisionem, qua modica aquæ portio in minimas particulas dissolvitur, sub quibus forma aquæ non potest manere ulteriùs, cui proinde succedit nova forma substantialis, planè non alia, quàm vini: tum, quia ab ipso vino fit dicta divisio; tum, quia hoc corpore undique circumdantur partes aquæ. Secundo fit ea corruptio aquæ per veram alterationem, quæ procedit à calore virtuali vini, in quocunque demum calor ille virtualis consistat. Neque necesse est, ut hic calor ad agendum excitetur à calore formali. Exemplum affert Goner in calce viva, quam supponit esse virtualiter calidam. In hac calor virtualis sanè non calore formali, sed affusa solùm aqua excitatur. Ad ultimam neg. seq. maj. Ratio porrò, ob quam vinum crebra mixtione aquæ debilitatur, est: tum, quia continuò agendo repatitur à contrariis qualitatibus aquæ, quæ paulatim qualitates ejus refringunt. Tum, quia agendo amittit subtiliores, & activiores Spiritus, quorum jacturam cùm non ampliùs resarcire possit, ad statum deteriorem redigitur. At verò ignis, & alia corpora simplicia, dum agunt, non ità damnosè repatiuntur à suis contrariis. Nam primæ qualitates, per quas agunt, vel refringi se non patiuntur; vel si quid detrimenti ex reactione contrariorum ceperint, id facilè corpora, ex quibus emanant ceu proprietates, per se ipsa reparant.

Instabis. Esto, concedamus vino vir-
36 tutem convertendi aquam in se, nihilominùs id sæpè fieri non potest: ergo tunc aqua immediatè in sanguinem Christi convertitur. Patet conseq. quia totum poculum, quod in calice existit, post consecrationem exhibetur adorandum populo: ergo totum, quod erat in calice ante consecrationem, conversum est in sanguinem Christi. Atqui non modò vinum, sed etiam aqua non conversa in vinum erat in calice; ergo etiam aqua non conversa in vinum conversa est in sanguinem. Quodsi aliquandò concedere oporteat, gratis planè requiritur, aquam, ut convertatur in sanguinem, priùs debere converti in vinum. Jam ant. variè suadetur, & quidem primò. Quia constat ex Concilio Triburiensi *cap.* 19. vino consecrando posse misceri tertiam partem aquæ. Atqui non est credibile, tántillo tempore, quod illam mixtionem sequitur, & consecrationem antecedit, quodque semiquadrantem horæ non æquat, tantùm aquæ converti posse in vinum; ergo. Secundo. Accidit interdum, ut Sacerdos post sumptum corpus Christi rursus infundere vinum calici, & aquâ miscere debeat, quando nempe tempore Offertorii per errorem vinum non fuit infusum. In quo casu statim post vini infusionem, & aquæ mixtionem verba consecrationis sunt pronuntianda. Quis autem ferat dicentem, tunc aquam ante consecrationem fuisse conversam in vinum? Tertiò. Christus

non modicissimam, sed benè multam aquam vino, quod consecravit, infudit more hominum temperatè bibentium. Rideretur enim, qui vinum unâ vel alterâ guttulâ temperaret. Atqui tam multa aqua non potuit ante consecrationem converti in vinum. Quia Dominus statim consecravit. Quarto. Vinum, quod consecratur, sæpe est admodùm debile, & parùm generosum. Atqui tale non videtur habere vim corrumpendi, ac convertendi in se aquam admixtam: ergo &c.

37 Respondeo transmisso Ant. neg. conseq. in probat. hujus dist. ant. totum poculum, quod in calice existit, quatenùs continens sanguinem Christi sub speciebus vini exhibetur adorandum populo, conc. alia quacunque ratione neg. Ant. & dist. conseq. ergo totum, quod erat in calice ante consecrationem, quatenùs erat vinum, conversum est in sanguinem Christi, conc. quatenùs includebat aliam substantiam, neg. conseq. Atque hinc patet ad reliqua. Conceditur itaque, fieri interdum, ut aqua mixta vino nullo modo convertatur in sanguinem, tum nempe, quando ante consecrationem non est conversa in vinum; sicut non semper converti, plane fatendum est. Neque idcirco incidimus in tertiam sententiam *numero* 25. ab Innocentio Papâ relatam, quæque Theologis communiter displicet. Nam illa opinio asserit, aquam in vinum nunquam converti, atque adeò semper in sua propria specie permanere, neque ullo modo in Christi sanguinem transubstantiari. Nos autem solùm dicimus, id fieri interdum per accidens, quando nimirum vel ob temporis brevitatem, vel nimiam copiam, aliamve causam aqua in vinum non potuit converti. Unde probationes Ant. nihil obstant. Ad primam dico, illum morem à Concilio Florent. fuisse sublatum, Conciliumque Triburiense, quod solùm erat Provinciale, in hoc puncto correctum: ut dictum est *numero* 30. Ad secundam patet ex dictis. Immò satis credibile est, si vinum sit valdè generosum, modicissimam aquam cùm sui divisione, tum vini actione intra momentum absorberi, & in vinum transire. Ad tertiam dicitur, Christum, qui rerum omnium naturas intimè novit, tantum aquæ vino consecrandò infudisse, quantum sciebat, ante consecrationem conversum iri in vinum; sive multa ea fuerit, sive modicissima. Et quamvis homines in convivio communi non soleant unam, aut alteram tantùm aquæ guttam vino immittere, & neque Christus id fecerit, nihil tamen absurdi est, si id in convivio, quod totum fuit mysticum, fecerit. Ad quartam conc. maj. neganda est mi. & addendum ex dictis, aquam non sola actione vini, sed insuper sui in minimas particulas divisione in vinum converti.

38 Objicies quartò. Si aqua non conversa in vinum non converteretur in sanguinem, sæpè falsa esset forma consecrationis; sed conseq. est absurdissimum; ergo. Seq. maj. prob. sæpè falsa esset hæc propositio: *Hoc totum, quod continetur in calice, est sanguis*: ergo sæpè falsa esset forma consecrat. Patet conseq. nam forma consecrationis habet sensum ei propositioni æquivalentem, & particula *Hic* cadit super totum, quod in calice continetur. Ant. probat. quando non omnia constitutiva totius contenti in calice sunt sanguis, falsum est, totum, quod continetur in calice, esse sanguinem: atqui sæpè non omnia constitutiva totius contenti in calice essent sanguis, totics nempe, quoties aqua vino mixta ante consecrationem nondum esset conversa in vinum: ergo sæpè falsum esset, totum, quod continetur in calice, esse sanguinem. Respondeo neg. seq. maj. ad probat. dico, eam propositionem sæpè fore falsam, si respiceret absolutè, quidquid reperitur in calice: atqui hoc non contingit. Non respicit solum id totum contentum, quatenus est materia consecrabilis. Quia verba formæ solùm demonstrant id, quod in calice præcipuum est, & à quo denominationem accipit, atque adeo solùm ratione illius forma vera est, & suum effectum habet. Sed quod in calice præcipuum est, & à quo denominationem accipit, est solum vinum; ergo verba formæ demonstrant solum vinum, solamque materiam consecrabilem. Et consequenter illa propositio nunquam est falsa. Quia per totum, supra quod cadit particula *Hoc*, id solum intelligitur, quod sub speciebus vini continetur. Ad probat. ant. dist. maj. quando non omnia constitutiva totius contenti in calice, quatenùs suprà id cadit forma consecrationis, sunt sanguis Christi, falsum est, totum, quod continetur in calice, esse sanguinem, conc. si constitutiva totius, quatenùs suprà id non cadit forma consecrationis, non omnia sunt sanguis, neg. maj. vel subdist. falsum est, totum, quatenùs supra id non cadit forma consecrationis, esse sanguinem conc. quatenùs supra id cadit forma consecrationis, neg. maj. dist. min. non omnia constitutiva totius in calice contenti, quatenùs suprà id non cadit forma consecrationis, essent sanguis, conc. constitutiva totius, quatenùs suprà id cadit forma consecrationis,

non

non omnia essent sanguis, neg. min. Constitutiva totius contenti in calice, quatenus supra id cadit forma consecrationis, sunt ea, quæ illud constituunt in ratione vini usualis, sive secundùm id, quod est in calice præcipuum : & sub istorum speciebus haud dubiè post consecrationem continetur sanguis Christi. Constitutiva totius, quatenùs supra id non cadit forma consecrationis, voco illa, ex quibus resultat aliquod complexum à vino usuali inadæquatè distinctum, quippe includens & ipsum vinum usuale, & aquam non conversam in vinum ; aut aliam substantiam, quam vino misceri interdum contingit. Et hæc non omnia per consecrationem transeunt in sanguinem : quia non omnia sunt materia consecrabilis, sicut hactenùs ostendimus. Cæterùm veritati formæ id neutiquam obstat. Cùm ista non cadat supra totum complexum secundùm omnia constitutiva illius ; sed tantùm quoad id, quod est in eo præcipuum, videlicet vinum usuale.

39 Objicies quinto. Totum poculum, quod in calice continetur, post consecrationem à Sacerdote adoratur, populoque adorandum elevatur. Ergò sub qualibet parte poculi existit sanguis Christi, & quidquid continetur in calice, conversum est in eundem sanguinem. Atqui interdùm, ut fateri necesse est, ante consecrationem etiam aqua nondum conversa in vinum continebatur in calice ; ergo per consecrationem in simili eventu aqua immediatè conversa est in sanguinem. Respondeo dist. ant. totum poculum, quatenus continet Christum, ejusque sanguinem, post consecrationem adoratur, conc. quatenùs ista non continet neg. ant. & dist. primam partem consq. ergo sub qualibet parte poculi, quatenùs continentis sanguinem Christi, existit sanguis Christi, conc. sub qualibet parte poculi quomodocunque spectati, nego & hanc & alteram partem consq. hæc enim si valeret, etiam gutta olei, vel lactis, vel alterius cujuscunque substantiæ particulæ, si in calice continerentur, per consecrationem in sanguinem Christi transirent. Atque hinc patet ad reliqua. Nec que sequitur, in adoratione totius populi idololatriam committi. Cùm enim adoratio fide dirigatur, id solùm adorant fideles in calice, quod esse objectum adorationis fides docet. Unde intentio adorantium ex ratione motivi formalis coarctatur ad solum Christum ejusque sanguinem, & species consecratas, & si qua substantia non consecrata contineatur forte in calice permixta speciebus consecratis, illam ex intrinseca sua specificatione non attingit etiam ut objectum materiale adorationis : sicut non attingit pulverem, muscam, vel quidpiam simile, si casu, vel per incuriam calici post consecrationem illabatur.

Objicies sextò. Si aqua post consecrationem aliquando remaneret in propria substantia, & non esset conversa in sanguinem Christi, sequeretur, eum, qui sumeret hujusmodi calicem consecratum, non amplius fore jejunum, atque adeò post unam missam non posse celebrare aliam : sicuti fieri solet in natali Domini, festisque diebus, dum quis habens duas Ecclesias debet utrobique celebrare. Sed consequens non est admittendum ; ergo. Respondeo neg. seq. Ratio est : quia ejusmodi modicissima aqua, dum unacum sanguine Christi per modum unius potùs sumitur ex ipsius Ecclesiæ præcepto, non solvit jejunium, nec obstat alteri præcepto Ecclesiæ, quo Sacerdos jubetur esse jejunus, ut liceat iterum celebrare. Unde discrimen est inter hanc aquam, & ablutionem. Ista námque, quia seorsim à sanguine, & sacris speciebus sumitur, jejunium solvere meritò dicendum est. 40

Objicies septimò. Ista veritas : *totum, quod est in calice, per consecrationem convertitur in sanguinem*, recipitur tanquàm certa ab Authoribus tam nostræ, quàm adversæ sententiæ. Econtra hæc assertio : *aqua vino mixta, ut convertatur in sanguinem, debet prius converti in vinum* : est incerta & controversa, ut hactenùs vidimus. Ergo ex hac posteriori perperam infertur prior per modum consequentis ex antecedenti. Patet consq. quia in nulla Dialectica certitudo consequentis potest excedere certitudinem antecedentis, aut ex principio incerto sequi conclusio certa. Atqui nos ita inferimus illam veritatem : ergo malè inferimus. Subsumpt. ostenditur. Nam ita enuntiamus : *Aqua vino mixta per consecrationem convertitur in sanguinem ; quia priùs convertitur in vinum.* In qua causali antecedens est nostra incerta assertio : consequens certa veritas, quòd aqua mixta vino, atque adeò totum, quod est calice, convertatur in sanguinem. Respondet inprimis Amicus negandô, esse certius, totum contentum in calice per consecrationem converti in sanguinem, quàm aquam priùs converti in vinum. Deinde respondeo ulteriùs ex Illustriss. Reding hîc *controvers.* 3. *num.* 29. nostram 41

assertionem Theologicè deduci ex principio certo, quod per modum conclusionis infertur ex alio principio Theologico in simili discursu: totum illud poculum, de quo Christus demonstrativè pronuntiavit: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis*, debuit fuisse unius speciei, & sub una specie contentivum sanguinis Christi; quia particula *hoc* demonstrat individuè genimen vitis: quod neutiquam subsisteret, si duplicis speciei liquor in eo calice fuisset. Atqui Christus pronuntiavit ea verba de poculo ex aqua mixto; ergo poculum ex vino & aqua mixtum debuit fuisse unius speciei. At non fuisset unius speciei, nisi aqua priùs fuisset conversa in vinum: ergo aqua priùs converti debuit in vinum. Ubi vides, hanc secundam conclusionem, quæ continet nostram sententiam, inferri ex prima, quæ est principium Theologicum certum. Neque valet, si dicatur, id poculum fuisse unius speciei moraliter. Nam contra est: fac alium liquorem ab aqua v. g. lac, vel oleum in modicissima quantitate misceri vino. Nonne adhuc erit poculum unius speciei moraliter? planè. Quis autem dixerit, propterea partes illius liquoris admixti immediatè converti in sanguinem Christi?

42 Ex hactenus dictis sequitur primò, aquam, si peracta consecratione primùm corrumpatur à speciebus vini consecrati, non converti in sanguinem Christi. Ratio est: quia hæc conversio non fit nisi per formam consecrationis: ergo postquàm forma jam totum effectum suum peregit, nihil amplius convertitur in sanguinem. Atqui transacta consecratione forma jam totum effectum suum peregit; ergo. Itaque aqua tunc convertitur in solum vinum. Nam species consecratæ vim habent generandi vinum non minùs, quàm si adesset substantia vini. Quia agunt in virtute illius. Sequitur secundò, aquam, si in eo instanti convertatur in vinum, in quo absolvitur forma consecrationis, non converti in sanguinem. Ratio est: quia implicat, aquam incipere esse vinum, & simul desinere esse vinum. Dum enim incipit esse vinum, primò est vinum; & dum desinit esse vinum, primò non est vinum: implicat autem, idem simul esse vinum, & non esse vinum. Atqui, si aqua in dicto instanti converteretur in sanguinem, inciperet esse vinum, & simul desineret esse vinum. Inciperet: quia tunc daretur primum esse vini. Desineret: quia tunc esset sanguis; & consequenter primo non esset vinum. Sequitur tertiò, quid sit dicendum, quando aqua post initium, & ante finem formæ, nempe in instanti utrique interjecto, in vinum convertitur. Nam videri cui-

quam posset, converti tunc in sanguinem. Quia ante instans consecrationis jam est vinum; & tota significatio formæ refertur ad hoc instans. Sed in contrarium obstat, materiam, ut consecretur, oportere esse præsentem, dum per voculam *hic* designatur. Ergo tunc debet existere. Atqui in nostro eventu non existit, dum ea particula pronuntiatur. Quia aqua tunc nondum est vinum; ergo. Significatio quoque formæ, licèt referatur ad ultimum instans, nihilominùs tota se habet in ordine ad species, quas oportet esse præsentes toto tempore, quo forma profertur. Quare dicendum est, eam aquam non converti in sanguinem: uti nec panem in corpus Christi; si quis inciperet proferre formam, antequàm esset præsens, quamvis fingamus, fieri præsentem, antequàm forma finiatur.

§. V.

Utrùm aliquando liceat in una tantùm specie consecrare?

SUMMARIUM.

43. *Certa supponuntur, & formatur status quæstionis.* 44. *Quo jure consecrandum sit sub utraque specie?* 45. *Statuitur, & probatur communis sententia.* 46. *An præceptum consecrandi sub utraque specie sit naturale vel positivum?* 47. *Summus Pontifex non potest dispensare in jure Divino absoluto.* 48. *Licita est aliquando Sacerdoti sumptio unius speciei tantùm.* 49. 50. *Non est intrinsecè malum sub una specie tantum consecrare, ideoque licet ad evitandam mortem &c.* 51. *Solvuntur instantiæ de extrema Unctione, & Confessione.*

SUppono primò veluti certum, unam speciem posse validè consecrari sine altera. Patet hoc. Nam Sacerdos priùs consecrat panem, quàm vinum, statimque hostiam populo adorandam elevat. Unde sub speciebus panis existit corpus Christi ante consecrationem vini: de quo non est dubium. Accedit, ipsummet Christum in Castello Emaunte, ut traditur, consecrâsse solum panem. Quod de consecratione panis dicitur, intelligendum est etiam de consecratione vini, si fiat sine consecratione panis. Ratio hujus suppositi est: quòd formæ consecrationis panis & vini in significando, atque adeò in causando nullam dicant ad invicem dependentiam. Suppono secundò, nemini Sacerdotum de jure ordinario, vel authoritate 43

titate privata esse licitum unam speciem consecrare sine altera: id enim prohibetur gravissimè jure Ecclesiastico, ut constat ex *cap. nihil contra. Quæst.* 1. & *cap. comperimus.* Ubi dicitur, *sine ingenti sacrilegio hoc mysterium dividi non posse.* Deinde quando contingit, ut Sacerdos non consecraverit vinum ex errore, quo calici loco vini infudit meram aquam, idque poculum per inadvertentiam sumpserit, jubetur in rubricis generalibus Missalis Romani, tit. *de defectibus*, etiam facto jejunio naturali vinum consecrare, & consecratum sumere. Ubi præcepto jejunii naturalis planè gravi præponderat præceptum consecrandi in utraque specie, & utramque sumendi. Ex quo manifestè conficitur, non esse licitum privata authoritate unam speciem sine altera consecrare. His positis tanquàm certis, quod in controversiam vocamus, est, an saltem authoritate, & dispensatione Summi Pontificis ob publicam aliquam utilitatem illud præceptum relaxari possit, fierique licita unius speciei sine altera consecratio?

44 Dico, primò. Consecratio utriusque speciei non solùm est juris Ecclesiastici, sed etiam Divini. Quòd sit juris Ecclesiastici, constat ex *num. præced.* Esse juris Divini prob. ex Trident. Concil. *sess.* 22. *cap.* 1. ubi dicit, *Christum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem.* Hinc tale argumentum conficitur: est juris Divini, ut sacrificium fiat in utraque specie: ergo etiam est juris Divini, ut Sacramentum Eucharistiæ conficiatur in utraque specie. Conseq. patet. quia hoc Sacramentum non conficitur, nisi per modum sacrificii: immò confectio illius est ipsum sacrificium. Ant. prob. de ratione Sacrificii incruenti est repræsentare realiter separationem realem sanguinis à corpore Christi, quæ facta est in cruce; ergo de ratione hujus sacrificii est, ut fiat in utraque specie. Conseq. probat. quia realis repræsentatio dictæ separationis non aliter fit, quàm per distinctas consecrationes, & positionem corporis Christi sub speciebus panis, & positionem sanguinis sub speciebus vini. Modò sic: quidquid est de ratione sacrificii, est juris divini: ut Sacrificium fiat in utraque specie, & de ratione Sacrificii; ergo ut Sacrificium fiat in utraque specie est juris Divini.

Confirmatur. Sacramentum Eucharistiæ est institutum ad refectionem spiritualem instar convivii, quod non tantùm ex cibo, sed ex cibo & potu constituitur. Ergo hoc Sacramentum ex sua institutione consecrationem utriusque speciei postulat: quippe cùm altera denotet cibum, altera potum. Ergo cùm ipsamet institutio sit juris Divini, eodem jure utriusque speciei consecrationem præceptam esse, rectè arguitur.

Dico secundò. Summus Pontifex in 45
nullo unquam casu dispensare potest, ut in una tantùm specie consecretur, ita communiter DD. Ratio est primo: quia neque Ecclesia, neque Summus Pontifex accepit à Christo potestatem aliquid immutandi in iis, quæ sunt de integritate Sacrificii, & Sacramenti: atqui consecratio utriusque speciei est de integritate Sacrificii, & Sacramenti: ut vidimus; ergo in ea Pontifex nihil immutare potest. Major constat ex eo, quòd Sacrificium hoc incruentum, cujusmodi est Sacramentum Eucharistiæ, sit præcipuum religionis nostræ fundamentum, quo everso integritas, ac unitas ejus stare nequit: ut patet exemplo legis antiquæ, quæ tunc cessavit, quando sublatum est juge Sacrificium. Ergo non est ulla ratione credibile, in Ecclesia, aut Summo Pontifice esse potestatem circa illorum integritatem quid immutandi, prout in simili dispensatione contingeret. Ratio est secundò. Præceptum consecrandi in utraque specie est juris Divini absoluti, ut patet ex *num præced.* ergo Pontifex in eo dispensare non potest. Conseq. prob. quia Summus Pontifex circa specialem commissionem dispensare non potest in jure Divino, quemadmodùm docet Doct. Thomas 2. 2. *Quæst.* 88. *artic.* 11. *ad* 2. & *Q.* 89. *artic.* 9. *ad* 1. quem sequuntur communiter Theologi: idque suadet ratio: quia nempe inferior non potest dispensare in lege Superioris, esto, interpretari eam possit.

Objicies I. contra primam Concluf. 46
si præceptum consecrandi sub utraque specie esset Divinum, tunc esset vel naturale, vel positivum: sed neutrum est; ergo non est præceptum Divinum. Sed maj. constat. mi. prob. non est positivum. Quia in nullo sacræ script. loco invenitur. Non est naturale. Quia ex ipsa Sacramenti Eucharistiæ institutione non sequitur. Respondeo. Conc. seq. maj. neg. min. nam inprimis hoc præceptum est positivum: veluti colligitur ex verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus consecratio utriusque speciei præcipitur. Dici præterea potest quodammodò naturale: quia semel supposito, Christum id Sacramentum instituisse per mo-

dum convivii, & sacrificii, naturaliter sequitur, id esse celebrandum per modum convivii, & Sacrificii, quæ consecrationem utriusque speciei indispensabiliter exposcunt. Et hinc probatio minoris soluta est.

47 Objicies secundò contra secundam concluſ. Pontifex potest dispensare in iis, quæ sunt de jure Divino: ergo etiam concesso, consecrationem utriusque esse de jure Divino, Pontifex dispensare poterit, ut liceat consecrare in alterutra tantùm. Consequ. videtur legitima. Ant. ostenditur. Pontifex dispensare potest in voto, juramento, matrimonio rato non consummato, ut constat ex praxi multiplici: quorum tamen omnium obligatio est de jure Divino. Item in administratione Confirmationis: dum S. Gregorius concessit, ut in Sardinia simplices Sacerdotes confirmarent absente Episcopo, qui de jure Divino solus, ut notum est ex Concil. Trident. *sess. 7. can.* 3. hujus Sacramenti minister est. Ergo verum est Ant. quod fuerat probandum. Respondeo, Summum Pontificem non posse dispensare in iis, quæ sunt juris Divini absoluti, posse autem in illis, quæ sunt juris Divini relativi, hoc est, fundati in libera voluntate, & contractu humano, cujusmodi sunt votum, juramentum, matrimonium, & similia. In his tamen ipsis non dispensat directè, sed indirectè solùm, tollendo videlicet pactum, promissionem, aut contractum ob jus, quod habet in actus humanos fidelium, quorum voluntates subjectæ sunt Summo Pontifici in ordine ad bonum salutis æternæ. ut autem dispensaret directè, efficere deberet, ut homo stante quoque voto, aut juramento non obligaretur, quod est impossibile. De jure naturali idem dicendum est proportionaliter. Jam verò hæc potestas dispensandi in jure Divino relativo nobis nil officit: cùm consecratio sub utraque specie sit juris Divini absoluti, hoc est, ex Divino tantùm arbitrio derivati. Ad illud de administratione Confirmationis dicitur, ordinarium quidem ministrum illius ex jure Divino esse solum Episcopum, ministrum tamen necessitatis posse esse simplicem Sacerdotem ex commissione Summi Pontificis, ubi non est Episcopus. Deinde licèt daremus, Pontificem posse dispensare ex commissione Christi in Jure Divino absoluto, id tamen non posset in jure Divino spectante ad substantiam, vel integritatem Sacramentorum, & Sacrificii, ut constat ex *num.* 45. & docet Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2.

48 Objicies tertiò. Licitum est ex dispensatione Ecclesiæ in multis casibus Sacerdoti hoc Sacramentum sumere sub una tantùm specie: ergo similiter in aliquo casu illud conficere licebit sub una tantùm specie. Consequ. prob. quia non minùs sumptio sub utraque specie pertinet ad integritatem sacrificii, quàm consecratio: ergo si nihilominùs aliquando sit licita sumptio sub una specie tantùm, etiam licita fieri poterit consecratio sub una specie. Ant. ostenditur Primo. Neomystæ in ordinatione Sacerdotum, quando celebrant cum Episcopo, non sumunt calicem, sed solum corpus Christi sub speciebus panis. Secundò. In die Paraſceves Sacerdos celebrans ex ordinatione Ecclesiæ sumit species panis sine sumptione; imò etiam sine consecratione calicis. Tertiò. Si Sacerdos sumpto corpore Christi advertat, esse venenum in calice, hunc licitè non sumit, tametsi fortè non adsit alia materia consecrabilis. Respondeo. neg. ant. ad primam probat. dico, Neomystas ibi solùm esse celebrantes secundarios, primarium verò esse Episcopum. Porrò integritati Sacrificii satisfieri, dum celebrans primarius sumit sub utraque specie. Adde, secundùm aliquos solum Episcopum tunc consecrare. Unde mirum non est, si solus utramque speciem sumat. Ad secundam neg. illo die fieri sacrificium, aut eam cæremoniam, quæ tum peragitur à Sacerdote, esse Missam. Unde si dies ille Paraſceves incideret in festum Annuntiationis, non violares secundum præceptum Ecclesiæ, si dictis ritibus non interesses. Ad tertiam, fateor, Sacerdotem tunc licitè abstinere à sumptione calicis. Nam jus naturale vitæ in eo eventu prævalet juri Divino positivo, quo mutilatio sacrificii prohibetur. Aliud dicendum esset, si Sacerdoti in contemptum Religionis mors intentaretur, ni abstineret à sumptione utriusque speciei. Tunc enim jus naturale Divinum de tuendo honore DEO debito prævaleret juri naturali vitæ. Sic olim Judæi procul dubio peccâssent, si metu mortis à legis Mosaicæ contemptoribus intentatæ porcinas carnes comedissent, non autem peccâssent, si comedissent, ne fame morerentur.

49 Objicies quartò. Non est intrinsecè malum in una tantùm specie consecrare, utque interdum fiat, saluti animarum expedire plurimùm potest: ergo Pontifex, esto non possit dispensare in eo jure Divino, tamen interpretari potest declarando, non obligare in hoc vel illo casu. Prior pars Ant. vel inde colligitur; quòd in multis casibus sit necessarium in una tantùm specie consecrare, ut primo, quando

post

post consecratam hostiam vel animo linquitur, vel omninò moritur Sacerdos, in eo namque eventu, ut definitum est in Concil. Tolet. 7. & 11. Succedit alius Sacerdos ad calicem tantùm consecrandum. Secundò. Si Sacerdoti, postquàm consecravit hostiam, immineat periculum vitæ v. g. ex subita ruina, incendio, vel irruptione hostium, potest sumptâ hostiâ calicem omittere, & fugere. Tertiò. Si sumpto corpore advertat, in calice fuisse alium liquorem à vino, vinumque citra mortis periculum, aut grave scandalum haberi non posse, sacrificium absolvere potest. Confirmantur hæc omnia exemplo Christi, qui Emaunte, ut loquitur Lucæ 24. solum panem consecravit. Jam pars posterior Ant. etiam probatur, nam utique saluti animarum maximè expedit in articulo mortis sumere sacrum id Eucharistiæ viaticum: immò ad illud sumendum moribundi præcepto Divino obligantur. Fac igitur nullam supereſſe in sacrario consecratam hostiam, nec ob moræ periculum posse celebrari; aut ampliùs dari tempus celebrandi Missam. In hoc casu propter utilitatem animæ in concursu duorum præceptorum, quæ utraque simul servari nequeunt, recta ratio planè suadet, Pontifici competere debere potestatem declarandi, præceptum de consecratione utriusque materiæ non obligare. Quod vel maximè verum esse videtur, si in integra quadam regione vinum vel non conservari possit: ne videlicet tot animæ tanti Sacramenti utilitate priventur. Immò, ut refert Volaterranus, & ex illo Onuphrius, Innocentius VIII. concessit Norvvegis anno 1490. ut propter vini inopiam, quod in eo regno statim accidit, sine vino consecrarent.

50 Respondeo ad priorem partem. Ant. concedendo, consecrare in una tantum specie non esse intrinsecè malum, sed ex sola prohibitione extrinseca Christi, ne Sacrificium ab ipso institutum dimidietur: cujus integritati nulla animarum utilitas prævalere debet. Ad casus in probat. adductos, & quidem ad primum dico, tunc ideò esse licitum unam tantum speciem consecrare, quia sacerdos succedens moraliter integrat unam sacrificantem cum præcedente. Unde tunc consecratio unius speciei tantùm non tendit ad dimidiandum, sed ad integrandum, & complendum Sacrificium. Ad secundum & tertium patet ex dictis in *numero* 46. quia in tali eventu jus naturale vitæ temporalis, & spiritualis prævalet juri Divino positivo. Ad confirmationem dico, Christum, si coràm duobus illis Discipulis consecravit solum panem (de quo plura inferius) usum esse potestate excellentiæ, quam Ecclesiæ non concessit. Ad posteriorem partem illius anteced. fateor, eam consecrationem saluti animarum sæpe numerò futuram utilem: at nego, esse necessariam: utilitati verò, quantacunque ea sit, obligatio consecrandi in utraque specie prævalere debet, idque vel ideò, quod finis principalis hujus Sacramenti non sit bonum animarum, sed cultus Dei, quemadmodùm colligitur ex verbis Christi: *hoc facite in meam commemorationem*, quibus secundùm Trident. Concil. cultus Sacrificii præcipitur. Unde concursus duorum præceptorum non est sufficiens fundamentum asserendi, Pontifici competere potestatem ad ejusmodi interpretationem, de qua dicit argumentum, faciendam. Patet hoc à fortiori. Nam præcepta Ecclesiæ longè minoris momenti, quàm est hoc Divinum de consecratione utriusque speciei, fas non est prætermittere in concursu præcepti communionis. Sic ad communicandum ægrotum etiam in mortis periculo non licet celebrare sine vestibus sacris, vel post cibum jam sumptum: ergo multò minùs ob similem causam prætermitti poterit præceptum consecrandi utramque speciem. Itaque moribundus præcepto communionis tunc non obligatur. Est enim præceptum quasi conditionatum, id est, si debitè impleri possit: quod in tali eventu est impossibile. Quare sufficit tunc sumptio in voto. Demum utilitas publica integræ nationis dictam potestatem esse in summo Pontifice, arguit. Nam cultus Divinus, qui est finis principalis istius Sacramenti, prævalere debet cuicunque bono non necessario animarum. Illa narratio de Norvvegis fidem historiæ non meretur, falsamque esse ex multis capitibus colligitur, præsertim ex ratione, quæ Innocentium, ut refert Volaterranus, ad eam dispensationem commoverit: nempè, *quòd vinum in Norvvegia non crescat, aliunde importatum citò accescat.* Nam constat, tantum hodie in illo regno esse vini, ut etiam laici ex sectæ Lutheranæ instituto in utraque specie communicent.

Objicies quintò. Non minùs ad integritatem Extremæ Unctionis necessariæ sunt quinque unctiones, quàm ad S. Eucharistiam species panis, & vini: atqui sæpè contingit, ut moribundo licitè conferantur non omnes quinque unctiones: cùm nempè est periculum, ne omnes absolvantur, antequàm moriatur. Ergo etiam in aliquo casu licebit S. Eucharistiam conficere in una tantum specie. Deinde. 51

Licèt

Licèt de jure Divino sit sacramentalis confessionis integritas, tamen in aliquo casu confessionem dimidiare est licitum: ergò similiter, quamvis de jure Divino sit in utraque materia celebrare, in aliquo tamen casu licebit in una tantùm id Sacramentum conficere. Respondeo ad primum neg. maj. nam species panis & vini non solùm sunt de integritate Eucharistiæ, ut Sacramentum est, sed etiam, ut sacrificium est; quinque verò unctiones sunt solùm de integritate Extremæ Unctionis, ut Sacramentum est. Cæterùm, quòd extremam unctionem dictô modô dimidiare quandoque liceat, constat ex praxi Ecclesiæ. Cùm enim hoc Sacramentum principaliter ordinetur ad utilitatem animarum, & sæpissimè incertum sit, an integrum conferri possit? visum est, satiùs esse illud conferre non omninò integrum, quàm ægrotum sine illo relinquere. Atqui nulla unquàm praxis fuit in Ecclesia ob utilitatem moribundorum, aliamvè causam quamcunque consecrandi in una tantùm specie: & aliunde Sacramentum Eucharistiæ principaliter non ad utilitatem animarum, sed ad cultum Dei ordinatur. Ad alterum dico, jure Divino ad sacramentalem confessionem solam integritatem formalem esse simpliciter necessariam, hoc est, ut aliquis explicet peccata sua, quantum potest. Hac integritate sacramentalis confessio semper debet esse integra: non autem illâ, quæ dicitur materialis, & ad quam requiritur, ut pœnitens explicet omnia peccata, quæ post diligens examen hîc & nunc memoriæ occurrunt. Hoc enim facere, dum confitemur, in certis casibus non obligamur. Licet igitur dimidiare quandoque confessionem dimidietate opposita integritati formali. Nam ista semper, non autem illa est de jure Divino. Atqui etiam consecrare utramque materiam semper est juris Divini; ergo.

DISPUTATIO III.

De Forma SS. Eucharistiæ.

Sicut in hoc Sacramento est duplex materia, videlicet panis, & vinum; ut constat ex dictis in priori Disputatione, ita est duplex forma. Una, quemadmodum videbimus, consistit in verbis, quibus consecratur panis: altera in verbis, quibus consecratur vinum. Agam breviter de qualibet singillatim: priùs tamen nonnulla utrique communia perstringo.

§. I.

An, & quænam verba sint forma consecrationis?

SUMMARIUM.

1. *Hæreticorum errores circa formam Consecrationis.* 2. *Illa consistit in verbis propriè dictis.* 3. *Et à Christo præscriptis.* 4. *Neque totus Canon.* 5. *Neque verba antecedentia.* 6. *Neque subsequentia ea, quibus usus est Christus, sunt de essentia formæ.* 7. 8. *Rejicitur duplex sectariorum error.* 9. 10. *Solvuntur objectiones.*

1 Hîc varii rursus hæreticorum errores referuntur. Ophitæ apud D. Augustin. *lib. de hæres. cap.* 17. non utebantur ullis verbis, sed Incantationibus quibusdam, ad conficiendum hoc Sacramentum; Paupères de Lugduno rejectâ formâ Ecclesiæ tenuerunt, orationem Dominicam septies repetitam esse legitimam formam. Illos tamen alii liberant ab hac insania. Bucerus teste Bellarmino *tomo* 2. *lib.* 3. *de Euchar.* sensit, nulla requiri verba: & Christum solùm jussisse frangi panem, & manducari. Calvinus *lib.* 4. *instit. cap.* 17. §. 39. ut refert Vasquez, docuit, verba Consecrationis oportere esse concionatoria, & exhortatoria. Hinc pro forma legitima præscripsit lectionem ex cap. 11. Epist. 1. ad Corinth. Kemnitius quoque voluit, ad formæ integritatem pertinere, ut tota historia institutionis Eucharistiæ recitetur. Lutherus *in lib. de abrog. Missa.* & alibi statuit, etiam hæc verba: *qui pridiè quam pateretur &c.* esse consecratoria. Alii Sectarii, ut Anabaptistæ, his

his verbis consecrâsse perhibentur: *accipe, ede, memento Domini.* Alii istis: *hic est panis meus.* Alii prætermissis essentialibus, solùm dixerunt: *accipite, comedite, hoc facite in meam commemorationem.* Alii hoc totum negotium relinquunt arbitrio ministrorum, prout nempe hi magis expedire ad augendam devotionem fidelium censuerint. Piget referre plura hujus farinæ delitia. Dissimulari tamen non debet recentiorum quorumdam Græcorum error, cujus meminit Cardinalis Bessarion apud P. Contenson hîc *dissert. 2. cap. 2.* Hi tenuerunt, solis verbis, quibus Christus consecravit, & quibus ceu formâ Latina Ecclesia utitur, non confici hoc Sacramentum, nisi addantur preces, & orationes quædam, quibus à Deo petatur, ut panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi convertatur. Fundamentum illorum fuit: quia in ipsorum liturgiis post verba prædicta Sacerdos in hunc modum precatur: *Rogamus, Pater, ut mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera: & fac panem istum pretiosum corpus Filii tui, &, quod est in calice, pretiosum sanguinem Filii tui.* Hæc oratio, inquiebant, clarè supponit, ante hanc Spiritûs Sancti, & Divinæ virtutis invocationem neque panem in corpus, neque vinum in sanguinem converti, licèt verba Christi pronuntiata sint. Hoc argumentum solvemus postea. Nunc.

2 Dico breviter primò. Forma Sacramenti Eucharistiæ sunt verba verè & propriè sumpta, eaque certa & determinata. Hoc dictum est propositio Catholica. Prima pars constat ex definitione Concil. Florent. ubi dicit, verba esse formam, qua conficitur hoc Sacramentum. Nam utitur nomine verborum propriè non minùs, quàm in Baptismo, Confirmatione, & aliis Sacramentis: idque sic intelligit tota Ecclesia. Ratio desumitur ex institutione Christi, quæ apertè colligitur tum ex facto illius, quo consecravit verbis propriis. Tum ex præcepto adjuncto: *hoc facite*, quo voluit, ut Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores eisdem, quibus ipse, verbis consecrarent. Secunda pars conclusionis pariter definita est in Concil. Florent. Ratio est: quia verba, quæ sunt formæ Sacramentorum, debent esse certa & determinata non solùm propter certiorem, & expressiorem significationem, sed etiam propter majorem certitudinem effectûs: & hoc ultimum in hoc Sacramento vel maximè locum habet. Cùm enim Christus vi verborum fiat in illo præsens, planè oportet verba esse certa, ac definita, ut illis prolatis certi esse possimus de præsentia corporis, & sanguinis Christi. Accedit, quòd Christus ipse, ut priùs diximus, dum consecravit, determinata verba consecrationis præscripserit.

Dico secundò. Verba legitima, & necessaria ad Sacramentum Eucharistiæ con- 3
ficiendum sunt illa, quibus Christus illud confecit. Patet rursus ex Concil. Florent. dicente: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit.* Ratio est primo. Illa verba sunt forma Sacramenti Eucharistiæ, per quæ materia determinatur ad practicam significationem realis præsentiæ corporis sanguinis Christi per modum cibi & potus spiritualiter nutritivi: sed per verba, quibus Christus consecravit, & per nulla alia, materia determinatur ad practicam illam significationem; ergo illa verba, quibus Christus consecravit, & nulla alia sunt forma Sacramenti Eucharistiæ. Ratio est secundò. Illa verba sunt forma hujus Sacramenti, quæ sola Christus elevavit ad Sacramentalem significationem: sed sola verba, quibus ipse consecravit, & quibus usus est in ultima cæna, ubi id sacramentum instituit, Christus elevavit ad Sacramentalem significationem; ergo illa sola verba sunt forma hujus Sacramenti. Atque ex his

Sequitur primò, non esse de necessita- 4
te Sacramenti, ut totus Canon Missæ dicatur. Ratio est: quia neque Christus, dum consecravit, totum Canonem dixit, & neque in Ecclesia semper totus, eodemque modo fuit in usu. Licèt enim ab initio nascentis Ecclesiæ jam habuerit quædam primordia, integer tamen, atque perfectus, ut modò est, non semper fuit præscriptus, sed quandoque mutatus, ac denique statum, in quo hodiè dicitur, est consecutus. Immò non desunt apud Suarem, qui testantur tempore Apostolorum solam orationem Dominicam verbis Consecrationis adjungi solitam.

Sequitur secundò, verba, & oratio- 5
nes, quæ in Missa præcedunt verba, quibus Christus consecravit, non esse simpliciter necessaria ad conficiendum Sacramentum, sive illa instituta sint ab Ecclesia, sive prolata ab Evangelistis, vel Paulo Apostolo. Ratio est: quia hæc verba neque determinant materiam ad practicam significationem realis præsentiæ Christi; neque à Christo sunt elevata ad significationem Sacramentalem. Denique verba Ecclesiæ, ut dictum, non semper in Missa fuerunt adhibita: & aliunde ipsi non competit potestas instituendi aliquid simpliciter necessarium ad Sacramenta conficienda. Consecratio quoque fiebat in Ecclesia, antequàm ullus Evangelista, vel Paulus Apostolus ea ver-

ba scriberet. Tunc ergo non dicebantur in Missa.

6 Sequitur tertiò, nec verba, vel orationes, quæ subjunguntur verbis Christi, esse simpliciter necessaria ad consecrandum. Ratio est; quia, ut ostendimus ex Concil. Florent. Sacramentum Eucharistiæ conficitur verbis Christi: ergo hæc, & non alia sunt necessaria ad illud conficiendum. Atqui ea, quæ verbis Christi subjunguntur, non sunt verba Christi; ergo. Confirmatur. Ista: *Hæc quotiescunque feceritis, in meam commemorationem facietis*, non sunt necessaria ad consecrationem: ergo multò minùs alia, quæ sequuntur. Consequenter statim patebit. Ant. probat. quia quamprimùm Christus dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, verum fuit, quod dixit, & consequenter consecratio perfecta: ergo dum subdidit hæc *quotiescunque feceritis &c.* consecratio jam supponebatur facta. Atque hinc patet, quid dicendum sit ad argumentum Græcorum *numero* 1. adductum. Omissis multorum solutionibus respondendum existimo cum Cardinale de Lugo, & Reding, per illam orationem nullo modo peti, ut panis fiat corpus, & calix fiat sanguis Christi; sed peti, ut ille panis, hoc est, Corpus, & ille calix, id est, sanguis Christi, fiat nobis in salutem & remissionem peccatorum, ita, ut ly *Corpus*, & ly *sanguis* non cum prædicato, sed cum subjecto construatur. Hunc eundem sensum Cardinalis cit. *Disp.* 11. *de Sacrament. sect.* 1. elicit ex aliis liturgiis Græcorum, & affert appositè simile exemplum in nostra Missa Latina. Nam ante correctionem ultimam Missalis Sacerdos post fractionem hostiæ dicebat: *fiat commixtio & Consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam.* Ubi hæc verba: *fiat consecratio* videri poterant insinuare, consecrationem nondum esse factam. Sed revera id non volebant, quia illis non petebatur, ut consecratio fieret simpliciter, sed ut simpliciter jam facta fieret *in vitam æternam.* Hinc ad tollendam omnem ambiguitatem hodiè ly *fiat* in illa oratione postponitur, & dicitur: *hæc commixtio & consecratio &c. fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* Confirmatur præterea veritas illius sensûs ex confessione Græcorum, qui in Concil. Florent. sess. ult. interrogati de illa precatione respondêrunt, Sacerdotem tunc non orare, ut fiat consecratio, sed ut fiat in salutem nostram, hoc est, ut nobis spiritualiter prosit.

7 Sequitur quartò, planè delirâsse hæreticos *numero* 1. relatos, qui voluerunt, hoc Sacramentum confici legendo caput 11. Epist. 1. ad Corinth. vel caput 6. ex Evang. S. Joannis. Nam utique forma legitima consecrationis dabatur ante Epistolas Pauli, & Evangelium Joannis, alioquin neque Christus, neque Apostoli, neque alius quisquam in Ecclesia ante illas scripturas consecrâsset. Accedit, quòd in eo capite Evangelii non referatur institutio hujus Sacramenti; multò minùs forma: sed promissio tantùm. In epistola quidem ad Corinthios narratur illius institutio. Hæc tamen, sicut & consecratio, ab ea narratione non dependet; sed esset eadem prorsus, quamvis Apostolus neque Corinthiis, neque cuiquam mortalium unquam vel apicem scripsisset. Cætera sectariorum somnia similiter suapte absurditate evanescunt.

8 Sequitur quintò, neutiquàm subsistere illorum opinionem, qui dixerunt, Christum vel omninò nullis, vel non ilsdem verbis consecrâsse, quibus nos consecramus. Nam contrarium duplicis hujus sententiæ, videlicet Christum & verbis, & eisdem, quibus nos consecramus, consecrâsse, tenendum est velut certissimum, idque suadet communis Patrum, & Scholasticorum authoritas. Plura pro hac veritate argumenta passim D D. congerunt. Probat. omissis aliis in hunc modum. Sacerdos, veluti docet Concil. Florent. in decreto unionis Armenor. conficit hoc Sacramentum ut loquens in Persona Christi: ergo Christus non alia consecratione, aut aliis verbis illud confecit, quàm quibus à nobis conficitur. Conseq. probat. nam Sacerdos eatenùs conficit hoc Sacramentum ut loquens in persona Christi, quatenùs induens Personam loquentis Christi verba in eo sensu, & significatione profert, in qua Christus illa protulit. Ergo verba, quibus Sacerdos consecrat, debent esse eadem quoad sensum, & significationem cum illis, quæ Christus protulit. Sed si Christus vel penitùs nullis, vel aliis verbis (intellige quoad sensum, & significationem) consecrâsset; Sacerdos non proferret verba Christi loquentis in eo sensu, & significatione, in qua Christus ea protulit, ut est manifestum; ergo Christus non alia consecratione, aut aliis verbis Sacramentum confecit, quàm quibus id nos conficimus.

9 Objicies I. Christus in administratione aliorum Sacramentorum non usus est verbis, modoque illa conficiendi, quo nos conficimus: ergo nec est credibile, eum, dum consecravit, usum esse verbis, quibus nos utimur. Conseq. videtur legitima. Ant. probat. quia Christus neque peccata absolvit, neque Apostolos Sacerdotes ordinavit illâ formâ, qua hæc fieri præcepit ab Ecclesia,

sia, ut patet ex Evangelio. Immò hoc ipsum Eucharistiæ Sacramentum sola benedictione confecit, quando illud in castello Emauntino præbuit duobus discipulis. Dicitur enim Luc. ult. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Confirmatur. Christus in institutione Sacramentorum usus est potestate excellentiæ, quæ non alligatur verbis, quemadmodùm ministerialis concessa Ecclesiæ: ergo hoc Sacramentum non eâdem formâ, eodemque ritu confecit, quo nos conficimus. Respondeo ad object. omisso Ant. neg. conseq. quia de hoc Sacramento contrarium asserendi habemus rationem peculiarem, eamque urgentissimam ob authoritatem Florent. Concil. P P. & Doctorum pænè omnium, quam rationem non habemus de Sacramentis prædictis. Ad id, quod factum Emaunte, vel dici potest, Christum etiam tunc consecrâsse verbis, quæ tamen compendii causâ omisit Evangelista: vel, consecrâsse tum quidem sicut in una solùm specie, ità solâ benedictione, ut ostenderet, sibi competere authoritatem non uno solùm modo, & hoc, & alia Sacramenta conficiendi. Accedit, quòd nomine illius benedictionis ipsamet forma consecrationis fortè non absurdè intelligi possit. Ad confirmat. conc. ant. neg. conseq. Nam potestas excellentiæ non consistit in eo, quòd debuerit Sacramentum conficere absque verbis, sed in hoc, quòd illud potuerit conficere vel verbis, vel sine verbis, ità ut neutri horum modorum conficiendi determinatè fuerit alligatus, sicut nos alligamur modo conficiendi per verba; & tamen illud voluerit verbis conficere. Breviter: confecit potestate non alligata verbis, quamvis confecerit non absque verbis. Nos conficimus potestate alligata verbis, quæ est potestas ministerialis Ecclesiæ concessa.

10 Objicies II. Christus priùs consecravit panem, quàm pronunciavit hæc verba: *Hoc est Corpus meum*: ergo in ea consecratione non usus est verbis, quibus nos utimur. Conseq. patet Ant. prob. nam dicitur Matth. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis & ait: accipite & commedite: hoc est corpus meum.* Ex contextu hujus narrationis constat, priùs Christum fregisse panem, atque dedisse Discipulis, quàm verba, quibus nos consecramus, pronuntiâsse. Ergo jam antè illorum pronuntiationem consecraverat. Conseq. patet; quia consecratio fractionem, & porrectionem Sacramenti necessario præcedit. Confirmatur. Marci 14. verba, quibus nos vinum consecramus, omninò ponuntur post sumptionem sanguinis. Nàm dicitur: *& biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic est sanguis meus &c.* Quis autem percipiat, fieri potuisse, ut Christus consecraret verbis, quæ vinum jam sumptum, & consequenter consecratum supponebant? Apud Lucam quoque *capite* 22. Dominus calicem priùs porrexit dividendum inter Discipulos, quàm illa verba proferret. Respondeo ad object. neg. Ant. ad probat. dico, Evangelistas non semper servâsse eundem ordinem in scribendo, qui servatus est in rebus gestis. Nam sæpè quid referunt anticipatò, quod posteà primùm accidit: ut docet S. August. *lib. 2. de consensu Evangelist. cap.* 30. 31. *&* 44. Unde aliqui apud Doct. Thomam hîc *artic. 1. ad 1.* juxta seriem rei gestæ verba textûs ita collocanda esse dixerunt: *Accipiens panem, benedixit dicens: Hoc est corpus meum: Deinde fregit, deditque discipulis suis.* Sed respondet ipsemet S. D. non esse opus tali verborum transpositione: cùm illis nihil mutatis possit haberi idem sensus, si participium *Dicens* intelligatur (prout debet intelligi) *importare concomitantiam respectu totius præcedentis, ut sit sensus: dum benediceret, frangeret, & daret Discipulis suis, hæc verba dixit: Accipite &c.* Quapropter ex narrationis illius contextu non rectè colligitur, ea verba fuisse à Christo prolata, postquàm benedixit, fregit, & dedit Discipulis. Ad Confirmat. patet solutio. Nam dicitur, Evangelistas ita fuisse locutos per anticipationem, & ea, quæ facta sunt priùs, narrâsse posterius, & econtra.

§. II.

In quibus verbis essentialiter consistat forma consecrationis panis?

SUMMARIUM.

11. *Sententia Scoti.* 12. *Hæc sola verba*, Hoc est corpus meum, *sunt essentialia.* 13. *Solvitur argumentum Scoti.* 14. 15. 16 *Quid de particula* enim?

SCotus *in* 4. *dist.* 8. *Quæst.* 2. §. *de secundo dic*, quamvis teneat, formam consecrationis panis essentialiter sitam esse in his verbis: *Hoc est corpus meum*, existimat tamen, ad valorem Sactamenti necessariò requiri verba illa præcedentia Canonis: *qui pridie, quàm &c.* quia illis prætermissis, ut judicat, per verba subsequentia non sufficienter significatur id, quod intenditur. Nam vocula *meum*, nisi connec- 11

statur cum antecedentibus, non demonstrat corpus Christi, sed corpus ipsius Sacerdotis loquentis. Ut ergo constet, sermonem esse de corpore Christi, per verba præcedentia manifestari debet. Alia sententia quorumdam Græcorum est asserentium, ad validitatem formæ consecratoriæ panis necessaria esse verba illa subsequentia: *quod pro vobis tradetur*, seu *traditur*, vel *frangitur*. Istæ tamen opiniones ab omnibus rejiciuntur. Quare

12 Dico cum communi, & certa sententia. Forma consecrationis panis essentialiter consistit solùm in his verbis: *Hoc est corpus meum*. Ratio est primo. Illa sola verba sunt de essentia formæ consecratoriæ panis, quæ significant præsentiam Corporis Christi sub speciebus panis: sed hæc sola verba: *Hoc est corpus meum*, cæteris omnibus ablatis, significant præsentiam corporis Christi sub speciebus panis; ergo hæc sola sunt de essentia formæ consecratoriæ panis. Ratio est secundo. Neque verba antecedentia, neque subsequentia has voces; *Hoc est corpus meum*, sunt necessaria ad validitatem formæ. Conseq. patet. Ant. probat. Non verba subsequentia. Tum, quia non concurrunt ad significandam præsentiam corporis Christi sub speciebus panis. Tum quia illis non prolatis Latina Ecclesia consecrat, idque facit procul dubio validè: nisi velis absurdissimè concedere, illam carere legitima consecratione, veroque Eucharistiæ Sacramento. Non verba antecedentia. Nam ista vel non sunt verba Christi, sed Evangelistarum, ut illa: *qui pridie* &c. vel, si sint verba Christi, ut: *accipite, & comedite*, á Sacerdote non proferuntur in Persona Christi, sed materialiter solùm & recitativè narrantur; nec significant aliquid intrinsecum & essentiale Sacramento, sed quid illo posterius, & extrinsecum, videlicet usum & distributionem illius.

13 Argumentum Scoti facilè diluitur. Negandum est enim, requiri necessariò verba præcedentia, ut forma consecrationis demonstret corpus Christi, consteque, eam proferri nomine, & in persona Christi. Ad hoc quippe satis determinatur extrinsecè per institutionem Christi, potestatem, & intentionem Sacerdotis: item per prolationem supra materiam Sacramenti. Quemadmodùm igitur, qui vestibus regiis indutus agit in theatro personam Regis, ut intelligatur agere Personam Regis, non dicit, dum prodit in scenam, *attendite: ego loquar in Persona Regis*. Cùm spectatores ex circumstantiis facilè colligant, eum non loqui in propria, sed in Persona Regis: ita Sacerdos in altari sacris vestibus indutus, ut intelligatur agere, & repræsentare personam Christi, non debet necessariò præmittere verba, quæ præmittenda esse Scotus contendit cùm omnes Catholici ex talibus circumstantiis facilè intelligant, eum non loqui in propria Persona, sed in persona Christi; nec loqui de corpore suo, sed de corpore Christi. Immò id totum satis percipitur absque tali circumstantia, dum constat, eum, qui profert illa verba supra validam materiam, esse Sacerdotem. Sicus Legatus eo ipso intelligitur loqui nomine Regis, quòd constet, esse verè legatum. Ex alio tamen capite ea verba præmittenda esse, fatentur omnes. Fundamentum Græcorum manet solutum ex dictis *num. præced.* in secunda probat. concl. Nam verba illa non significant præsentiam Corporis Christi, sed adæquatam illius significationem supponunt.

Ex dictis colligitur, particulam *enim* 14
formæ consecrationis insertam non esse de essentia illius. Docet id Catechismus Romanus de Sacramento Eucharist. & D D. communiter. Ratio est: quia nullo modo concurrit ad significandum effectum formæ, sed solùm conjungit verba posteriora cum prioribus, redditque causam istorum: *accipite, & comedite*, quæ significant usum hujus Sacramenti. Sicut proinde ista non sunt de essentia formæ, ut primùm ostendimus, ità nec particula *enim*, quæ solùm propter ipsa ponitur. Deinde, quamvis hæc particula dicta fuerit à Christo, eam tamen & Paulus Apostolus, & cæteri Evangelistæ præter Matthæum, qui ponit in forma calicis, omiserunt: quod planè non fecissent, si ad validitatem formæ esset necessaria.

Objicies: Hæc oratio: *accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum*, est 15
propositio causalis; sicut ista: *quia sol lucet, dies est*. Nam particula *enim* reddit causam, propter quam sit accipiendum, & comedendum. Modò sic: veritas propositionis causalis non solùm dependet à veritate singularum partium, sed vel maximè à connexione unius cum altera, quam connexionem significat particula causalis, *quia, enim*, vel similes. Ergo veritas partis, quæ in propositione causali dicitur antecedens, necessariò dependet à connexione cum veritate consequentis. Atqui antecedens in illa causali est forma consecrationis: *Hoc est enim corpus meum*. Consequens sunt hæc verba: *accipite, & comedite*: ergo veritas formæ consecrationis necessariò dependet à connexione cum veritate verborum: *accipite, & comedite*. Jam ulteriùs. Quidquid est necessarium, ut vera

sit

sit forma consecrationis, etiam est necessarium, ut sit valida. Quia nihil operatur, nisi quatenùs vera est: atqui hæc verba: *accipite, & comedite*, sunt necessaria, ut vera sit forma consecrationis; cùm citra connexionem cum eorum veritate non possit esse vera: ergo etiam sunt necessaria, ut sit valida, & consequenter illis omissis Sacramentum non conficeretur. Confirmatur. Hæc oratio: *Hoc est enim corpus meum*, si pronuntiaretur à Sacerdote prioribus verbis omissis, esset simpliciter falsa. Quia significaret, & redderet rationem alicujus dicti præcedentis, cùm tamen nullum dictum præcessisset. Immò non esset oratio perfecta, sed solùm imperfecta. Quia non redderet sensum perfectum. Cùm itaque forma consecrationis & vera esse debeat, & reddere sensum perfectum: neutrum autem exclusis verbis præcedentibus obtinere possit, manifestum est, verba præcedentia in illa includi debere.

16 Respondeo ad argumentum ex Cardinale de Lugo hic *disp.* 11. *sect.* 3. propositionem causalem, quando continet plures simplices, quibus æquivalet, & in quas potest resolvi, posse esse veram quoad unam partem, & falsam quoad alteram. Talis est ista: *Hoc est enim corpus meum.* Nam continet virtualiter has simplices, in quas est exponibilis: *Hoc est enim corpus meum: & hæc est ratio præcedentis dicti.* Quamvis igitur ea propositio, ut sit vera in ratione causalis & hypotheticæ, dependeat à connexione veritatis ambarum simplicium, quas includit, una tamen simplex, in qua affirmatur præsentia corporis Christi, in ratione veritatis simplicis non dependet à veritate alterius, atque adeò citra connexionem cum illa vera esse potest: quod ad valorem formæ sufficit. Nam veritas causalis, quæ postulat illa verba præcedentia: *accipite, & manducate*, ad effectum consecrationis se habet per accidens, nec influit in eum, esto, de facto detur. Unde negandum est, veritatem unius partis dependere à veritate alterius, aut verba præcedentia esse necessaria, ut forma consecrationis sit vera veritate simplici unius partis, esto, sint necessaria, ut sit vera veritate hypothetica & causali. Ad Confirmationem dico similiter, propositionem illam sine verbis prioribus prolatam fore quidem falsam falsitate oppositа veritati hypotheticæ & causali, at non falsitate oppositа veritati simplici unius partis. Redditurum quoque sensum saltem quoad illam partem completum, atque perfectum. Responderi potest ad argumentum secundo, eam propositionem: *Accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum*, non esse causalem propriè, & in rigore Summulistico. Propositio causalis est duplex. Una est, in qua indivisibiliter simul & semel enuntiatur res, & causa illius, ut in hac: *quia sol lucet, dies est.* Hæc est propriè causalis, eique in mente correspondet unum simplex judicium illud totum objectum respiciens, & connexionem unius cum alio. Altera causalis est, in qua plura enuntiantur divisibiliter, dum nempè priùs asseritur aliquid, & postmodum subditur ratio ad id, quod assertum est, exemplum est, si dicam: *nobilitas sola est atque unica virtus.* Et statim subjungam rationem: *Quia, quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.* Ubi singulæ partes seorsim habent completam significationem, & veritatem distinctam, eisque in mente distincta quoque judicia correspondent. Id genus propositiones non sunt propriè causales, & hypotheticæ: cùm magis successiva continuatione sermonis, quàm copula adverbiali, ut ficti debet in propositionibus compositis, earum partes enuntiantur. Nunc ad objectionem redeundo negatur, illam propositionem: *accipite, & comedite: hoc est enim corpus meum*, esse propriè causalem, & dicitur, esse solùm causalem impropriè. Quia includit tres propositiones continuo sermone prolatas, quæ singulæ habent propriam, atque distinctam veritatem. Nam idem valet, ac si dicas: *Hic cibus est vobis comedendus: quod probatur: quia est corpus meum.* Prima propositio dicit, hunc cibum esse comedendum. Tertia dicit, esse corpus Christi. Secunda dicit, primam rectè probari per tertiam; sive, motivum comedendum esse objectum tertiæ. Hoc quippe interjecta particula *enim* significat. Ad discursum, qui ibi subjungitur, concedo, in causalibus propriè talibus, & significantibus indivisibiliter, veritatem unius partis dependere à veritate alterius: at nego, ità dependere in propositionibus impropriè causalibus, & divisibiliter enuntiantibus priùs unum, & postea aliud. Unde falsum est, hæc verba: *accipite, & comedite*, esse necessaria ad veritatem formæ consecratoriæ. Ad Confirmationem proinde dicitur, hanc propositionem: *Hoc est enim corpus meum*, fore veram, sensumque habituram, quantum satis est ad conficiendum Sacramentum; tametsi absque verbis illis antecedentibus pronuntiaretur.

§. III.

In quibus verbis essentialiter consistat forma Consecrationis calicis?

SUMMARIUM.

17. *Certa supponuntur, & referuntur sententiæ.* 18. *Concluditur, & probatur ex S. Thoma, hæc sola verba esse essentialia*: Hic est calix sanguinis mei. 19. *Probatur ulteriùs ab absurdo in sententia contraria admittendo.* 20. 21. *Refelluntur Adversariorum responsiones.* 22. *Probatur amplius nostra sententia Authoritate Patrum.* 23. *Quarta probatio ejusdem veritatis. Num.* 24. *& sequent. solvuntur objectiones.*

17 VErba, quibus Latina Ecclesia, dum calicem consecrat, utitur, sunt ista: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi certum est, esse gravissimam obligationem in hac consecratione pronunciandi non tantùm priora verba: *Hic est calix sanguinis mei*, sed etiàm posteriora: *novi & æterni testamenti* &c. idque propter usum universalis Ecclesiæ, quem non observare est gravissimè illicitum: & propter periculum invaliditatis, cui Sacramentum omissis illis verbis exponeretur. Unde Teste Philippo à S S. Trinit. *disp.* 6. *dubit.* 4. Si Sacerdos post enuntiata hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*, moreretur, deberet alius, qui reliquam Missam perficeret, totam rursùs formam proferre. Illud præterea apud omnes indubitatum est, validè consecrare Sacerdotem, sive dicat, *hic est calix sanguinis mei*, sive *hic est sanguis meus*, nam in utralibet propositione affirmatur, contentum sub speciebus vini esse sanguinem Christi, & utroque modo verba consecrationis referuntur à Scriptura. Matthæus enim, & Marcus habent: *hic est sanguis meus*: Lucas verò & Paulus 1. *Corinth.* 11. *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo.* Ubi ly *calix* metonymicè continens pro contento importat. Supereſt igitur celebris controversia, an omnia illa verba, quæ proferuntur in consecratione calicis; vel tantùm aliqua, & quænam, sint de essentia formæ? Prima sententia docet, sola hæc verba: *Hic est sanguis meus*, sive, *hic est calix sanguinis mei*, esse de essentia formæ calicis. Hæc sententia hodiè videtur cæteris communior, eamque tenent quàm plurimi omnium scholarum, atque gravissimi D D. Secunda, quamvis neget, verba posteriora, *novi & æterni testamenti* &c. esse de essentia, affirmat tamen, illa esse de substantiali integritate formæ. Ita docent Cajetanus; Sotus, Marcus à Serra, aliique Thomistæ, ut refert Gonet hîc *disp.* 7. *art.* 2. Idem sentit Illustriss. Reding. *Quæst.* 2. *artic.* 2. *controv.* 2. Tertia ab essentia formæ solùm excludit has particulas, *æterni*, *mysterium fidei*, dicitque, cætera omnia esse essentialia. Hanc tenent Petrus Corneio, & Philippus à SS. Trinit. loco cit. Quarta, quæ est Amici *disp.* 24. *sect.* 1. contendit, hæc omnia & sola esse de essentia. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis*, sive, *pro multis effundetur*, cætera esse tantùm accidentalia. Quinta asserit, omnia prædicta esse de essentia formæ, adeoque aliquo eorum prætermisso non confectum iri Christi sanguinem. In hac sententia sunt Labat, Gonet loco cit. aliique Thomistæ.

Dico cum Authoribus primæ sententiæ. In solis his verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, consistit essentialiter forma calicis. 18

Probat, primo ex S. Thoma hîc *Quæst.* 78. *artic.* 3. *in corp.* ubi inquit: *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ. Sed per prima, cum dicitur, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis.* Ex quibus tale argumentum conficio: verba, quæ præcisis omnibus aliis sufficienter significant conversionem vini in sanguinem, sunt tota essentia forma calicis: atqui hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, præcisis omnibus aliis, sufficienter significant conversionem vini in sanguinem; ergo hæc verba sunt tota essentia formæ calicis. Major prob. verba, quæ sola efficiunt conversionem vini in sanguinem, sunt tota essentia formæ calicis: sed verba, quæ præcisis omnibus aliis sufficienter significant conversionem vini in sanguinem, hanc sola efficiunt; ergo verba, quæ præcisis omnibus aliis sufficienter significant conversionem vini in sanguinem, sunt tota essentia formæ calicis. maj. hujus syllogismi est certa, mi. inde constat, quod, quemadmodùm verba Sacramentorum efficiunt, quod significant, ita, quæ præcisis omnibus aliis sufficienter significant, sola quoque præcisis omnibus aliis efficiant, quod significant. Jam min. primi syllogismi etiam prob. hæc verba: *Hoc est corpus meum*, præcisis omnibus aliis, sufficienter significant conversionem panis in corpus Christi, ut omnes concedimus: ergo etiam ista: *Hic est calix sanguinis mei*, præcisis omnibus aliis, sufficienter significant conversionem vini in sanguinem. Conseq. probat. quia, ut dicit D. Thomas, eo modo significant conversionem vini in sanguinem, quo modo illa conversionem panis in corpus. Et ratio est: quia sicut verba, quibus consecratur panis, sunt propositio affirmativa habens sensum completum, ita & ista, *Hic est calix sanguinis mei*,

sunt

sunt propositio affirmativa habeus sensum completum, tametsi cætera non proferantur. Ergo sicut illis nihil deest ad sufficienter significandam conversionem panis in corpus, ita nec istis quidquam deest ad sufficienter significandam conversionem vini in sanguinem. Verum est igitur, quod de utrisque S. D. eâdem *Quæst. artic.* 1. *ad* 4. pronuntiavit: *dicendum est, quòdsi Sacerdos sola verba prædicta* (videlicet: *hoc est corpus meum*: *Hic est calix sanguinis mei*) *proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.*

19 Probetur conclusio secundò validissimè in hunc modum. Si omnia verba prædicta essent de essentia formæ calicis sequeretur, neque S. Marcum, neque S. Jacobum fratrem Domini, aliosque Apostolos; neque Græcos; neque Æthiopes unquàm validè consecrâsse sanguinem. Sed consequens est absurdissimum; ergo & Ant. seq. maj. prob. semel concesso, illa omnia verba esse de essentia formæ, manifestum est, cum, qui non omnibus utitur in consecratione, invalidè consecrare: sed neque S. Marcus; neque S. Jacobus &c. usi sunt omnibus illis verbis; ergo invalidè consecràrunt. Minor prob. ex eorum lyturgiis apud Cardinalem de Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. in quibus hæc verba: *novi & æterni testamenti* &c. vel penitùs omittuntur; vel saltem non omnia habentur. In Liturgia S. Marci Evangelistæ solùm dicitur: *corpus meum est hoc*: *sanguis meus est hic.* In Liturgia S. Matthæi Pastoris: *hoc caro mea est*: *hoc sanguis meus est.* In aliis quoque liturgiis, scilicet S. Joannis Evangelistæ, SS. Apostolorum, SS. Eustasii, & Joannis Patriarchæ proferuntur hæc sola: *Hoc est corpus meum*: *hic est sanguis meus.* In liturgia S. Jacobi desunt: *æterni*, *mysterium fidei.* Eadem desunt in liturgiis SS. Basilii, & Joannis Chrysostimi, quibus Græci communiter utuntur. Immò in Missa Æthiopum, quam composuisse perhibetur S. Mathæus Apostolus; neque illa: *novi testamenti*, inveniuntur.

20 Respondit olim Capreolus ad hoc argumentum, fuisse dispensatum cum illis Ecclesiis, in quarum missis non omnia illa verba habentur. Verùm hoc gratis dixit: quia neque Christum dispensâsse constat, qui solus potuit; neque Summum Pontificem, qui ne potuit quidem dispensare. Paludanus concessit, Græcos non verè consecrare, idque probari hoc argumento, eò quòd reverà aliqua verba necessaria omittant. De aliis ob eandem rationem idem planè concedere debuerat. Sed quis ferat ità loquentem æquis auribus? aut quis in animum inducat, ut credat, eas omnes provincias, sanctissimosque Ecclesiarum illarum Patres, Episcopos, & Sacerdotes innumeros veram consecrationis formam ignorâsse, atque adeò vero Sacrificio per tot sæcula caruisse? sanè ad Romanam Ecclesiam cæterarum omnium magistram pertinuisset errorem hujusmodi intollerabilem in magna parte universalis Ecclesiæ regnantem tollere, & neutiquam permittere, ut manca, atque irrita ejusmodi consecrationis forma adhiberetur. Constat autem, Romanam Ecclesiam in hoc nunquam erroris arguisse Græcos. Immò in *sess. ultima* Florent. Concil. apertè supponitur, Græcos corpus & sanguinem Christi vere conficere.

21 Respondet deinde Gonet hîc. §. 4. Christum specificam formam calicis non determinâsse, sed ejus determinationem Ecclesiæ suæ reliquisse, simili ferè ratione, qua materiam & formam Sacramenti Ordinis: item formam Confirmationis solùm determinavit in genere, eamque determinandam quantum ad speciem suæ Ecclesiæ reliquit. Et ideò factum est, inquit, ut juxta diversas traditiones variæ sint liturgiæ, in quibus talis forma diversimodè traditur. Sed contra est primò ex hoc ipso modo respondendi. Nam illa præcisè verba sunt tota essentia formæ calicis, quæ adæquatè continent sensum intentum, & determinatum à Christo ad significationem practicam conversionis vini in sanguinem: atqui ista præcisè verba: *Hic est sanguis meus*, adæquatè continent sensum intentum & determinatum à Christo ad significationem practicam conversionis vini in sanguinem; ergo illa præcisè verba sunt tota essentia formæ calicis, & consequenter circa formam calicis nulla fuit opus ulteriori determinatione Ecclesiæ. Maj. est certa. min. constat ex tribus liturgiis adductis: nam verba, quibus solis, & præcisè prolatis verè conficiatur sanguis Christi, adæquatè continent significationem practicam conversionis vini in sanguinem: atqui prædictis præcisè verbis verè conficitur sanguis Christi: ni velis admittere, liturgias illas esse erroneas, & neque S. Marcum; neque alios viros sanctissimos iis usos validè consecrâsse. Ergo illa præcisè verba adæquatè continent sensum intentum, & determinatum à Christo ad practicam significationem conversionis vini in sanguinem. Contra est secundo, quòd materia & forma Sacramenti ordinis; item forma Confirmationis sint solùm essentiales quoad determinationē factam à Christo, non autem quoad determinationem factam ab Ecclesia. Ergo similiter verba in forma calicis sunt solùm essentialia

quoad

quoad determinationem factam à Christo, & non quoad determinationem factam ab Ecclesia. Atqui determinatio facta à Christo non cadit in omnia, quæ proferuntur, dum consecratur calix, ut fateri debet hic Author eo ipso, quòd locum relinquat determinationi Ecclesiæ; ergo non omnia sunt essentialia. Quòd autem materia & forma illorum Sacramentorum secundùm id, quod habent de determinatione Ecclesiæ, non sint essentiales, ratio est: quia Ecclesiæ non competit potestas aliquid circa essentiam Sacramentorum mutandi vel statuendi: quemadmodùm colligitur ex Concil. Trident. *sess. 21. cap. 2.* ubi declarat, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati &c. magis expedire judicaret.* Agnoscit proindè sacra Synodus, Sacramenta novæ legis, atque adeò eorum materias & formas ita esse à Christo determinatas, & institutas, ut Ecclesiæ potestas se non ad has formaliter mutandas, ac essentialiter determinandas; sed ad Sacramenta solùm dispensanda extendat.

22 Probatur tertiò authoritate gravissimorum Patrum tam Latinorum, quàm Græcorum, qui agentes de necessaria forma consecrationis illa verba: *novi & æterni Testamenti* &c. non afferunt. Ex iis Patribus sunt Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis cap. 5.* Eusebius Emissenus relatus in *cap. quia corpus. de consecrat. dist. 2.* Cyprianus *serm. de cœna Domini.* Justinus *Apolog. 2.* in fine, qui pro forma calicis hæc sola verba adducunt: *Hic est sanguis meus.* Chrysostomus quoque referens formam consecrationis in *homil. de prodit. Judæ.* Solùm meminit istorum: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Eodem modo formam utriusque consecrationis refert Damascenus *lib. 4. de fide. cap. 12.* Indicans deinde, quænam verba sint essentialia, inquit: *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lucem: ità dicendo, hoc est corpus meum: & hic est sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum: & quoniam dixit, hoc facite, omnipotente ejus præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur.*

23 Probatur quartò. Christus eodem modo post verba consecratoria panis: *hoc est corpus meum*, addidit: *quod pro vobis tradetur*, quo modo post verba: *hic est calix sanguinis mei*, addidit: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, & tamen verba sic addita non sunt necessaria ad consecrationem panis; ut constat ex usu latinæ Ecclesiæ, quæ illa penitùs omittit. Ergo nec illa verba: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, sunt necessaria ad consecrationem calicis. Conseq. videtur legitima. Non enim videtur esse major ratio, ob quam ista dicantur necessaria, illa non dicantur. Præsertim, cùm præceptum Christi, *hoc facite* &c. non magis potuerit intelligi de additione illorum verborum in consecratione sanguinis, quàm in consecratione panis.

Objicies primo authoritatem Concilii 24
Colonensis *parte 7. cap. 14.* & Concilii Florent. in decreto Eugenii. Præterea Innocentii III. in *cùm Marthæ. de celebrat. Missar.* Item Cathechismi Romani, à quibus omnia illa verba assignantur pro forma calicis. Confirmatur. Ex Concilio Florent. constat, illa verba esse de essentia formæ hujus Sactamenti, quibus id Christus confecit: atqui Christus illud confecit omnibus, quæ pronuntiantur, dum consecratur calix; ergo omnia sunt de essentia formæ. min. habetur Lucæ 22. ubi Christus in consecratione calicis dixit: *Hic calis novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur.* Respondeo, in illis Conciliis non dici, omnia illa verba ad valorem formæ esse necessaria, sed esse formam Sacramenti Eucharistiæ, ad quod satis est, si per aliqua, quæ in illis continentur, fiat consecratio. Porrò Innocentius in eo capite non definit, quænam verba sint essentialia: nec dicit, illa omnia verba esse formam; sed respondet Archiepiscopo Lugdunensi interroganti, quisnam formæ consecrationis à Christo institutæ addiderit alia verba, quæ non leguntur in Evangelio? dicitque, ea verba haberi ex traditione Apostolorum. Catechismus quoque solùm dicit, in illis verbis comprehendi formam: quod etiam in nostra sententia verissimum est. Ad Confirmationem conc. maj. neg. min. quamvis enim usus sit omnibus illis verbis, non tamen omnibus confecit Sacramentum, sed istis tantùm: *hic est sanguis meus.* Reliqua verò addidit, ad integrè & completè exprimendam virtutem sui sanguinis. Et neque Florentinum asserit, quòd Christus omnibus illis verbis Sacramentum confecerit. Solùm enim dicit, formam esse verba, quibus Christus hoc Sacramentum conficit, vel confecit, quod in nostra sententia confecit his tantùm: *hic est sanguis meus.* Accedit, quòd in illa forma calicis, prout refertur à Luca Evangelista, desiderentur ly *æterni*, & ly *Mysterium fidei.* Unde ex ea non probatur, Christum, dum consecravit, omnibus verbis fuisse usum, qnibus Latina Ecclesia utitur.

Objicies secundò. Si hæc verba: *novi & æterni testamenti* &c. non omnia 25
essent

essent essentialia, tunc possent salvâ Sacramenti essentia prætermitti: sed hoc dici non potest; ergo omnia sunt essentialia. maj. constat. quia conversio vini in sanguinem, atque adeò tota essentia Sacramenti jam haberetur per verba antecedentia. mi. inde colligitur, quòd Ecclesia Latina non solùm strictissimè prohibeat, ne aliquod eorum verborum omittatur à Sacerdote, sed etiam præcipiat, ut tota forma repetatur in casu, quo aliquod fuerit omissum. Confirmatur. Sacerdos omnia verba posteriora eodem ritu, & modo supra calicem profert, quo priora, antequàm sanguinem populo adorandum proponat. Ergo supponitur, ante illorum verborum pronuntiationem in calice nondum adesse sanguinem. Cur enim aliàs non liceret, priùs adorandum proponeret? Respondeo, conc. maj. neg. min. ad probationem dico, plus inde non sequi, quàm dari gravissimum præceptum Ecclesiæ obligans sub mortali ad omnia illa verba proferenda; antequàm calix adorandus proponatur populo. Cùm enim ob authoritatem contrariam plurium & gravium Doctorum non sit certum, an dicta verba sint extra essentiam formæ, an non? Ecclesia tutiora sectans præcipit, ut omnia pronuntientur, utque in casu, quo aliquod eorum fuerit omissum, tota forma iteretur, ne in re omnium maxima, qualis est S. Eucharistia, vel umbra dubii relinquatur. Ad Confirmationem conc. ant. neg. conseq. nam etiam in forma pœnitentiæ post hæc verba: *Ego te absolvo*, ista: *à peccatis tuis*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, à Sacerdote proferuntur eodem ritu & modo. Hinc tamen malè supponeres, pœnitentem ante istorum pronuntiationem non esse Sacramentaliter absolutum. Porro ratio, ob quam non licet post priora statim verba calicem adorandum proponere, patet ex dictis. Adde, quòd Ecclesia ante adorationem calicis voluerit proferri in forma non tantùm verba essentialia, sed etiam illa, quæ sunt verborum essentialium major explicatio, & declaratio. Talis sunt illa verba posteriora. Et ideò eodem quoque cum prioribus charactere imprimuntur.

26 Objicies tertiò ex P. Amico. In illis verbis consistit tota essentia formæ calicis, quæ adæquatè exprimunt naturam Eucharistiæ: sed hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*, non adæquatè exprimunt naturam Eucharistiæ; ergo in his verbis non consistit tota essentia formæ calicis. Maj. videtur certa. Nam ideò Sacramenta novæ legis non solùm rebus, sed etiam verbis constant, ut hæc explicitè significent, quod natura Sacramenti dicit implicitè. min. probat. Eucharistia adæquatè constituitur ea ratione Sacramenti, & ratione Sacrificii: sive est Sacramentum, & Sacrificium simul. Ergo, ut adæquatè exprimatur, non solùm exprimenda est ratio Sacramenti, sed etiam ratio Sacrificii. Atqui hæc sola verba: *Hic est calix sanguinis mei*, non exprimunt utramque illam rationem, sed rationem Sacramenti tantùm; ergo non adæquatè exprimunt rationem Eucharistiæ. Anr. constat: nosque id suprà concessimus Conseq. videtur legitima, & insuper colligitur ex paritate Baptismi, qui quoniam non tantùm est institutus ad spiritualem ablu ionem animæ, sed etiam ad protestationem fidei, eamque rationem utramque importat, ut adæquatè exprimatur illius natura, exprimenda non solùm ratio ablutionis spiritualis; sed etiam ratio protestationis fidei. Subsumpt. prob. verba, ut exprimant rationem Sacrificii, debent exprimere effusionem sanguinis: sed sola illa verba non exprimunt effusionem sanguinis; ergo non exprimunt rationem Sacrificii, & consequenter rationem Sacramenti tantùm. min. videtur clara. maj. habetur Hebræorum 9. ubi teste Apostolo *Sacrificium per sanguinis effusionem completur*, *& consummatur*. Atque adeò de essentia Sacrificii est effusio sanguinis, & consequenter Sacrificium exprimi nequit, si sanguinis effusio non exprimatur. Confirmatur. Licèt hæc sola verba: *Ego te baptizo*, significent ablutionem spiritualem per gratiam, quia tamen non significant protestationem fidei, illum effectum non causant, antequam proferantur verba protestationem fidei significantia: nempe: *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritûs Sancti*, idque non ob aliam rationem, quàm quòd baptismus non tantùm sit Sacramentum ad gratiam illam ablutivam, & regenerativam in anima causandam institutum, sed etiam sit protestatio fidei. Ergo similiter licèt hæc sola verba: *Hic est calix sanguinis mei*, significent præsentiam sanguinis Christi, quia tamen non significant effusionem sanguinis, non causant præsentiam sanguinis sub speciebus vini, antequam proferantur verba effusionem sanguinis significantia, nempe: *qui pro vobis & pro multis effundetur*: idque non ob aliam rationem, quàm quòd Eucharistia non tantùm sit Sacramentum corporis & sanguinis Christi; sed insuper verè & propriè dictum sacrificium, de cujus essentia effusio sanguinis est. Sicut proinde ad valorem formæ Baptismatis sunt necessaria non solùm verba exprimentia ablutionem spiritualem, sed etiã protestationem fidei; ita pariter ad valorem formæ calicis sunt necessaria non solùm verba exprimentia præsentiam sanguinis, sed etiam exprimentia effusionem illius.

27 Huic argumento capitaliter adversantur dicta in *numero* 19. & 21. de illis lyturgiis, quæ non habent hæc verba: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Neque contemnenda est quarta probatio conclusionis *numero* 22. adducta. Quidquid tamen de hac sit, ut objectio solvatur in forma, notandum est, duplici modo per verba consecratoria sanguis effusionem exprimi posse. Nempe in actu signato, & in actu exercito. In acta signato exprimitur, quando do explicitè inter verba consecrationis ponitur: *Qui pro vobis effundetur.* In actu exercito exprimitur, quando per ipsum exercitium consecrandi vi verborum sanguis à corpore mysticè separatur, quod fit, dum sanguis seorsim à corpore, distinctaque consecratione consecratur per hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei.* Quæ quoniam significant sanguinem mysticè separatum à corpore; immò & significandô illum mysticè separant, eo ipso sacrificium significant, & significandô perficiunt. Nunc in forma argumenti conc. maj. neg. min. ad hujus probat. conc. enthym. neg. subsumpt. quod dum probatur, dist. maj. verba &c. debent exprimere effusionem sanguinis vel in actu signato, vel in actu exercito conc. semper in actu signato, neg maj. dist. min. sola illa verba non exprimunt effusionem sanguinis in actu signato, conc. in actu exercito, neg. min. & conseq. Ad confirmationem conc. ant. neg. conseq. & paritatem. Disparitas est: quòd in forma Baptismi hæc verba: *Ego te baptizo*, neque exercitè, neque signatè significent professionem fidei, & mysterium SS. Trinit. Unde mirum non est, ea nihil efficere, donec proferantur reliqua. Atqui effusio sanguinis & ratio sacrificii, licèt non signate, attamen exercitè significantur his verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, tametsi cætera prætermittantur.

28 Objicies quarto. Omnia verba, quæ in forma calicis pronuntiantur post vocula *mei*, determinant prædicatum ad exprimendam virtutem sanguinis Christi in passione effusi. Ergo omnia sunt essentialia. Prob. conseq. quia Christus Sacramentum Eucharistiæ, velut præcipuum passionis suæ mnemnosynon, non tantùm instituit ad significandum corpus & sanguinem, sed insuper ad significandam efficaciam sanguinis sui in passione effusi: & consequenter omnia verba, quæ ad eam significationem concurrunt, de necessitate hujus Sacramenti esse dicenda sunt. Ant. probat. nam per ly *novi & æterni testamenti* exprimitur hæreditas vitæ æternæ: per ly *mysterium fidei* nostra justificatio, quam fides charitate perfecta operatur. Per cætera remissio peccatorum. Qui omnes sunt effectus Divinæ passionis, & sanguinis à Christo effusi. Confirmatur. Hæc verba: *novi & æterni testamenti* &c se tenent ex parte prædicati ceu quædam modificationes, & determinationes illius: ergo cum illo constituunt unam, & integram propositionem: quæ proinde, donec omnia proferantur, non habet sensum completum, atque adeò nihil efficit. Respondeo ad object. conc. ant. neg. conseq. ad probat. dico, Sacramentum Eucharistiæ esse institutum primariò ad significandum corpus & sanguinem Christi, ad significandam verò virtutem & efficaciam passionis, & sanguinis in ea fusi secundariò tantùm: & per modum alicujus proprietatis. Unde negatur, verba ad hanc significationem concurrentia esse de necessitate Sacramenti. Ad confirmat. dico, quamvis concedi possit, ista: *novi & æterni testamenti*, *mysterium fidei*, concurrere tanquàm partes ad integrandam eandem propositionem cum verbis prioribus, complendumque sensum illius, id tamen dici non potest de subsequentibus: *qui pro vobis &c.* hæc enim ad aliam planè propositionem pertinere dicenda sunt: aliâs eodem jure asseram, in forma corporis ly *quod pro vobis tradetur*, esse partim prioris propositionis, ejusque sensum complere. Quo fiet, ut idem argumentum, quod nobis in forma calicis obtruditur, solvendum sit objicientibus in forma corporis. Deinde, permittamus, omnia verba posteriora pertinere ad eandem propositionem cum prioribus, & esse partem illius, adhuc nihil contra nos sequitur. Ratio est. Quia non variant sensum propositionis, quam priora constituunt; sed solùm deserviunt ad illum magis explicandum. Unde prima verba habent sensum, & veritatem essentialiter completam ante prolationem sequentium, quod satis est, ut in iis consistat tota essentia formæ. Licet proinde ea verba sint modificationes, & determinationes quædam prædicati, & totius propositionis, eam tamen non determinant ad aliquid essentiale, sed tantùm accidentale, & secundarium, nempe ad significandam efficaciam sanguinis Christi, sensumque primarium, essentialem & à Christo intentum adæquatè supponunt.

29 Objicies quinto authoritatem Doct. Thomæ, hîc *quæst.* 87. *artic.* 3. *in corp.* ubi sententiam asserentium, omnia illa verba esse de valore formæ, approbat præ nostra inquiens: *& propter hoc sunt alii, qui melius dicunt, quòd omnia sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc, quod postea sequitur: hoc quotiescunque facieritis &c.* Neque fas est dicere, ly *de substantia* S. Doctori idem esse, atque *de integritate.* Nam per substantiam ab ipso intelligi essentiam,

am, apertè constat ex *Quæst.* 60. *artic.* 8. *in corp.* dicit enim, *quodsi diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum; & ideo non perficitur Sacramentum.* Ubi manifestum est, ly *de substantia* significare idem, quod *de essentia.* Nam solùm ablato aliquo, quod est de essentia, non perficitur Sacramentum. Propter hos textus Angelicæ Doctrinæ, aliosque similes putant complures gravissimi Doctores, Doct. Thomam in sententia nobis contraria fuisse. Verùm respondeo cum P. Contenson, & aliis Thomistis ad priorem locum solutione, quam improbat objectio, eamque esse ad mentem S. Doctoris, ex eo colligitur, quòd ibi dicat, verba sequentia pertinere ad integritatem ejusdem locutionis, eisque designari virtutem sanguinis in passione effusi: quibus satis declarat, nomine substantiæ se ibidem intelligere solam integritatem substantialem formæ, & majorem illius explicationem; non verò essentiam. Quia jam *per prima verba, cùm dicitur, hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem: eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis.* In altero textu ex *Quæst.* 60. ubi agitur de Sacramentis in genere, fatendum est, per *substantiam* intelligi *essentiam.* Quod mirum non est: quia in utroque sensu nomen substantiæ accipitur. Quid igitur absurdi, si Doct. Thomas hunc eundem terminum variè in variis doctrinæ suæ locis usurpaverit? præsertim, si luculenter, quo sensu usurpaverit, explicuerit? Quare sicut brachia & pedes dicuntur esse de substantia corporis humani: quia nempe ad ejus integritatem substantialem pertinent; non tamen sunt de ejus essentia: cùm illis non datis adhuc daretur corpus humanum, quamvis non integrum atque perfectum; ita hæc verba: *novi & æterni &c.* sunt de substantia formæ calicis: quia ad integritatem illius quasi substantialem pertinent, non tamen sunt de ejus essentia. Quia illis omissis adhuc haberetur forma, quamvis non ita perfecta, & explicata. Ex his alia quoque Doct. Thomæ testimonia exponi possunt. Sic, quando dicit in 4. *dist.* 8. *Quæst.* 2. *artic.* 2. *ad* 3. *illa, quæ sequuntur, sunt essentialia sanguinis, prout in hoc Sacramento consecratur; & ideò oportet, quòd sint de substantia formæ*: id verum est in hoc sensu, quòd videlicet explicent essentiam sanguinis prout mysticè seperati à corpore, ejusque virtutem, & efficaciam, quas verba essentialia tantùm implicitè significant. Similiter, quando *Lect.* 6. *in cap.* 11. *epistolæ ad Corinth.* dicit: *illa sequentia verba esse de necessitate formæ*, id accipiendum est non de necessaria, & essentiali constitutione formæ, sed de explicatione illius. Unde subdit, *ea pertinere ad ejusdem locutionis sententiam.*

DISPUTATIO IV.

De Transubstantiatione.

Carpunt hanc vocem moderni Hæretici, barbaramquè esse, ac priscis ignotam acclamant. Verùm hoc futile est, nam nominis peregrinitas, aut novitas; aut quòd in scriptura expresse non reperiatur, obstare non debet, quominus eo, si ad mysterium fidei aliquod rectè explicandum sit accomodatum, uti possimus. Sanè, quod ex Cicerone notavit Vasquez, disciplinarum authoribus licitum fuit, semperque licebit nova vocabula artis excogitare, quibus rem commodius, & brevius explicare queant. Cur ergo id ipsum Ecclesiæ Catholicæ sive in hoc, sive in alio mysterio explicando non licuerit? Jam ad rem ipsam quod attinet, nomine transubstantiationis aliud non intelligitur, quàm panis & vini in corpus & sanguinem Christi substantialis conversio. De qua nonnullas difficultates breviter discutiemus.

§. I.

Asseritur existentia transubstantiationis.

SUMMARIUM.

1. *Referuntur varii errores cùm hæreticorum, tum aliorum.* 2. *Statuitur Catholica veritas.* 3. *Et probatur ratione Doct. Thomæ.* 4. *Solvitur objectio.* 5. 6. *Illationes contra errores recensitos.*

1 DAri Eucharisticam hanc transubstantiationem tam Lutherani, quàm Calvinistæ inficiantur, diversa tamen ratione. Nam isti omninò negant realem corporis & sanguinis in hoc Sacramento præsentiam, ut in Quæst. 1. vidimus: illi hanc quidem admittunt, affirmant tamen, integram substantiam panis & vini manere cum corpore & sanguine Christi. Hunc eundem errorem erravit Wicleffus, & ante ipsum Berengarius, velut retulimus *loco cit.* §. 1. *num.* 2. Alii præterea non tantùm hæretici, sed etiam Catholici hîc variè errâsse perhibentur. Quidam dixerunt, panem, qui sumendus esset à digno, converti in corpus Christi; sumendum verò ab indigno non converti in corpus Christi. Aliqui fassi sunt quidem, panem & vinum, sive sumendum à digno, sive ab indigno, per consecrationem in corpus, & sanguinem Christi converti, ita tamen, ut accedentibus indignis corpus & sanguis iterum in panem & vinum redirent. Rursus non defuerunt, & refert Doct. Thomas *Quæst.* 75. *art.* 6. existimantes, solam materiam primam panis in corpus Christi converti, formam verò substantialem illius cum accidentibus peracta consecratione remanere. Econtra Durandus *in* 4. *dist.* 11. *Quæst.* 3. *num.* 5. asseruit, solam formam substantialem panis & vini in corpus & sanguinem Christi converti, materiam verò primam cum accidentibus harum substantiarum post consecrationem manere. Quidam Joannes Parisiensis apud Amicum & Vasquez opinatus est, substantiam panis manere cum corpore Christi hypostaticè unitam verbo Divino, non quidem immediatè, ne Deus dicatur panis, vel impanatus; sed mediante corpore Christi, cui panem immediatè uniri dixit, & ratione illius Verbo Divino. Henricus, quem confutat Scotus *in* 4. *dist.* 11. *Quæst.* 4. docuit, aliquam realitatem panis manere cum corpore Christi, per quam realitatem intellexisse creditur gradum generícum ejus substantiæ. Nam gradum specificum desinere concessit. Demum nonnulli existimârunt, sub accidentibus Eucharisticis, destructâ essentiâ, manere subsistentiam, & existentiam panis & vini.

2 Verùm Catholica sententia est, nihil de substantia panis & vini post consecrationem manere cum corpore, & sanguine, sed totam substantiam panis in substantiam corporis, & totam substantiam vini in substantiam sanguinis Christi converti. Hanc veritatem definierunt Concilia, Romanum sub Gregorio VII. contra Berengarium: Lateranense sub Innocentio III. sicut refertur in *cap. firmiter. de summa Trinit. & fide Catholica.* Iterum Romanum Anno Domini 1413. celebratum, in quo damnati sunt articuli Joannis Wicleffi, quorum primus erat: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manent in Sacramento.* Constantiense sess. 8. ubi confirmatur definitio Concilii Romani. Florent. in decreto Eugenii IV. Denique omnium luculentissimè Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. ubi *can.* 2. damnatur, qui Catholicam hanc doctrinam negaverit, illis verbis: *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, remanentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem apellat, anathema sit.* Eandem veritatem Patres Ecclesiæ vel expressè docent, dum affirmant, post consecrationem non esse amplius panem & vinum, sed carnem, & sanguinem Domini; vel tanquam certam supponunt; ut colligitur ex illorum modis loquendi: dicunt enim, panem & vinum converti, transmutari, transferri, transelementari in corpus & sanguinem Christi. Testimonia pluriniorum vide sis apud P. Vasquez hîc disp. 180. cap. 3. & illustrissimum Reding. *Quæst.* 3. *art.* 1. *controv.* 1. *à numero* 14.

3 Probatur præterea ratione S. Thomæ, qua utitur *Quæst.* 75. *art.* 2. in hunc modum. Si post consecrationem cum corpore Christi maneret substantia panis, hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum*, non essent vera: Consequens est absurdissimum; ergo &c. Seq. probat. quando sub uno aliquo sensibili latent plures substantiæ, non potest affirmari cum veritate: *hoc est hoc*, unâ tantùm substantiâ demonstratâ: ergo si sub sensibili specierum panis lateret

substan-

substantia corporis Christi, & simul substantia panis, non posset affirmari cum veritate: *Hoc est corpus Christi.* Consequentia patet. Ant. probat. nam falso diceres demonstratâ bursâ, in qua est aurum & plumbum, *hoc est aurum*: vel demonstratô doliô: in quo est lac & vinum: *hoc est vinum.* Cujus ratio à priori est: quia pronomina *hic*, *hoc*, quando supponunt pro contento, determinant ex communi hominum usu totam substantiam contentam sub continente, quod demonstrant. Unde implicitè & virtualiter reddunt propositionem exclusivam: *Hoc est tantum hoc, & non aliud.* Christus autem, cùm ad homines loqueretur, usus est procul dubio nominibus, prout ordinariè, & humano modo significant: & consequenter hæc propositio: *Hoc est corpus meum*, ab ipso prolata est in hoc sensu æquivalenti: *Hoc est corpus meum, & non aliud.* Quod non veraciter dixisset, si sub speciebus panis unacum corpore esset etiam substantia panis: sed potiùs dicere debuisset: *Hic*, vel, *in hoc est corpus meum*: sicut advertit S. Doctor.

4 Objicies. In eo casu, quo panis substantia maneret cum substantia corporis Christi, sensus verborum Christi hic esset: *sub hoc continente sensibili, quod est substantia panis cum suis accidentibus, est corpus meum*: quæ propositio plane esset vera. Ergo vera essent verba Christi, tametsi post consecrationem cum ejus corpore maneret substantia panis. Consequentia constat. Ant. probat. Quia non minùs corpus Christi contineri potest sub panis substantia, quàm sub panis accidentibus. Sicut ergo nunc sensus est illius propositionis: sub hoc sensibili, quod sunt species panis, est corpus Christi, ita & ille sensus in dicto casu eidem propositioni inesset. Confirmatur. Potest sub una substantia artificiali contineri alia, & ratione talis continentiæ sola substantia contenta demonstrari: v. g. *hoc* (demonstrandô dolium) *est vinum*: hoc (demonstrandô marsupium) *est pecunia*, idque ideò, quia sensus est: contentum in hoc dolio est vinum: contentum in hoc marsupio est pecunia. Ergo similiter sub substantia panis contineri potest substantia corporis Christi, & ratione hujus continentiæ sola substantia contenta demonstrari, v. g. hoc (demonstrandô panem) *est corpus Christi*: quia sensus erit, contentum in hoc pane est corpus Christi. Respondeo ad argumentum neg. fore tunc illum sensum. Ad probat. neg. ant. quia substantia panis corpus Christi nullo modo contineret, quod ostenditur: vel enim contineret per modum vasis; sicut substantia artificialis ratione figuræ continet aliam substantiam; vel ut locus; vel ut accidens subjectum? nihil horum affirmari potest. Non primum: quia ambæ substantiæ existerent invicem penetratæ sub eisdem accidentibus sensibilibus: atque adeò non esset major ratio, cur panis potiùs contineret corpus Christi, quàm corpus Christi panem. Non secundum. Quia corpus Christi in S. Eucharistia nullo modo existit localiter: ut docet. Doct. Thomas *Quæst.* 56. *art.* 5. Non tertium. Quia non staret sub panis substantia per modum subjecti. Sicut proinde, si Angelus esset in lapide, dici non posset ostenso lapide, *hic est Angelus*: quia nempe non esset in lapide ut contentus in continente; ita ob eandem rationem dici non posset in casu nostro, *Hoc est corpus Christi.* Et hinc ad Confirmationem conc. ant. neg. consequens. Quia ejusmodi substantia propter formam artificialem apta est ad continendam aliam substantiam, quæ proinde per illam tanquam contenta per continentem verè demonstrari potest. Atqui substantia panis non est apta ad aliam substantiam continendam: sicut ostendimus. Instabis. Quæ significant naturaliter, semper significant id, quod semel significant: sed accidentia panis panem naturaliter significant: ergo illum semper significant: ergo etiam significant, dum ejus substantia fuit destructa: ergo nunquam significabunt solum corpus Christi. Prob. hæc consequens. Quia significatio ad placitum, qualis hæc est, non potest tollere significationem naturalem. Respondeo dist. maj. semper significant &. vel actualiter, vel aptitudinaliter, conc. actualiter, neg. maj. & conc. mini dist. consequentiam semper significant aptitudinaliter, conc. actualiter. Nego hanc consequentiam. Alteram applicata eadem distinctione conc. & nego. Ultima negatur absolutè. Ad probat. dico, per significationem ad placitum tolli posse significationem naturalem actualem, non verò aptitudinalem, idque contingere in accidentibus panis. Cùm enim essentialem dicant ordinem ad propriam substantiam; eam semper significant aptitudinaliter, tametsi destructa sit. At non significant illam tunc actualiter, quia ex Divina institutione acquirunt significationem actualem solius corporis Christi, quæ est significatio ad placitum auferens significationem actualem naturalem; cùm non sit de essentia illorum.

5 Infertur jam primò, falsum esse illorum dogma, qui dixerunt, panem & vinum sumendum ab indignis non converti per consecrationem in corpus & sanguinem Christi; aut indignis accedentibus corpus in panem, sanguinem in vinum redire. Ratio est: quia præterquàm quòd uterque hic error omni prorsus fundamento destituatur, apertè convincitur illis verbis Apostoli 1. *Corinth.* 11. *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et iterum: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit dijudicans corpus Domini.* Ubi supponit, ab indignè accedentibus sumi corpus & sanguinem Christi. Alioquin eos non posset arguere reos corporis & sanguinis, aut dicere, eos non dijudicare corpus Domini: quippe cùm illud non sumerent, sed purum panem, certique essent, se illud in peccato nunquam re ipsa sumpturos.

6 Infertur secundò, falsas esse cæteras sententias seu hæreticorum, seu Catholicorum *numero* 5. relatas. Ratio est. Quia contradictorium definitionis Concili necessariò est falsum. Atqui illæ sententiæ vel explicitè vel implicitè sunt contradictoriæ definitionis Concilii Trident. ergo necessariò sunt falsæ. Maj. est certa. min. probat. definitio Concilii est hæc: *Tota substantia panis convertitur, remanentibus tantùm speciebus.* Contradictoria hæc: *non tota substantia panis convertitur, remanentibus tantùm speciebus.* Atqui hoc secundum vel explicitè vel implicitè dicunt omnes illæ sententiæ; ergo sunt contradictoriæ definitionis Concilii. Maj. est innegabilis. min. inde constat: quòd vel dicant, totam substantiam, ut illa Parisiensis; vel aliquid substantiæ panis remanere cum accidentibus; vel materiam primam; vel formam, vel subsistentiam & existentiam; vel gradum genericum illius.

§. II.

Qualis actio sit transubstantiatio?

SUMMARIUM.

7. Referuntur sententiæ. 8. 9. *Et quædam scitu necessaria præmittuntur.* 10. 11. *Concluditur, & probatur, transubstantiationem esse actionem productivam Corporis Christi.* 12. 13. 14. 15. *Solvuntur objectiones.* 16. *Quisnam sit formalis terminus transubstantiationis?* 17. 18. 19. 20. *Illationes contra aliorum sententias.* 21. *An transubstantiatio fiat in instanti?*

IN hac re varia sunt Doctorum placita. 7
Primum est Scoti contendentis, transubstantiationem esse actionem adductivam, qua solùm præsentialitas corporis Christi sub speciebus ponitur. Secundum Ægidii Coninck, qui docet, esse actionem reproductivam, cujus terminus fit corpus Christi ut absolutè reproductum. Tertium Gabrielis, & aliorum, qui tenent, esse actionem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis conservativam. Quartum Cardinalis de Lugo, qui hîc *disp. 7. sect.* 6. relatis aliis Doctoribus asserit, esse actionem corporis Christi cum speciebus consecratis unitivam, sive sub hisce speciebus constitutivam. Quintum est aliorum docentium, transubstantiationem esse veram corporis & sanguinis Christi pruductionem, non quidem simpliciter, & absolutè, sed sub novo modo essendi, sive sub speciebus Eucharisticis. Ita sentiunt Cajetanus, Gonet, Contenson, Reding, & alii Thomistæ. Antequàm uni ex his sententiis adhæreamus, de conversione in genere, cujus species est transubstantiatio, paucis agendum. Nam species non potest perfectè intelligi genere non intellecto.

Itaque conversio ut sic communiter 8
definitur, quòd sit *transitus unius rei in aliam.* Ex qua definitione tres potissimùm conditiones ad conversionem necessariæ colliguntur. Prima est, ut exerceatur inter duos terminos positivos, unum *à quo*, & alterum *ad quem*, est enim transitus unius rei positivæ in aliam. Secunda est, ut terminus *à quo* aliquo modo desinat esse, & terminus *ad quem* aliquo modo incipiat esse de novo, scilicèt secundùm eam rationem, secundùm quam unus convertitur, & transit in alium: sive secundùm quam unus est terminus *à quo*, & alter terminus *ad quem.* Cùm alioquin non sit perceptibile, quomodo media conversione unum transeat in aliud. Tertia est, ut sit aliqua connexio inter desitionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem*, ita ut desitio illius aliquo modo sequatur ex inceptione istius: sive, ut inceptio termini *ad quem* sit ratio, quòd desinat terminus *à quo*, quia hæc est natura conversionis, quòd vi ipsius

ipsius unum transeat in aliud. Hoc autem sine connexione inter desitionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem* fieri non potest. Et ideò vocantur termini inter se oppositi, quatenùs, dum unus vi actionis conversivæ incipit, alter vi ejusdem actionis desinit. Addunt aliqui quartam conditionem, nempe, ut detur aliquod tertium utrique termino commune, sub quo unus succedat alteri, & ratione cujus sibi invicem repugnent. Verùm hæc conditio non videtur simpliciter esse necessaria ad essentialem conceptum propriæ dictæ conversionis. Potest enim vi illius unum transire in aliud absque tertio communi: quemadmodùm contingeret, si Deus totam substantiam panis unacum accidentibus transmutaret in corpus Christi, ita ut vi talis actionis substantia panis unacum accidentibus desineret, & corpus Christi inciperet. Quod fieri posse, planè non est, cur negetur.

9 Conversio in hunc modum exposita dividitur in substantialem, & accidentalem. Hæc est, cujus terminus ad quem est accidentalis: ut, quando ex albo fit nigrum. Illa est, cujus terminus ad quem est substantialis: ut, quando ex ligno fit ignis; ex aqua vinum. Conversio substantialis alia rursus est totalis, alia formalis. Hæc est transitus ab una forma substantiali ad aliam: ubi manet utriusque formæ commune subjectum; nempe materia prima. Illa est transitus à tota substantia in aliam totam substantiam, ita ut nihil substantiale remaneat utrique termino commune. Exempla conversionis formalis natura tot suppeditat, quot generationes substantiales. Nam omnis generatio substantialis est simul conversio formalis. Quia omnis generatio substantialis & est transitus à non esse formæ ad esse formæ, & est transitus ab una forma substantiali ad aliam. Conversio totalis excedit vires naturæ, cujus exemplum habemus unicum in S. Eucharistia, estque ipsissima, de qua disserimus, transubstantiatio. Porrò ante resolutionem difficultatis adverte, corpus Christi varias in se continere formalitates producibilitatis. Est enim producibile simpliciter, & producibile ex pane sub illius speciebus; est producibile ex pane, quin producatur sub speciebus: ut vidimus in fine *num. præced.* Unde reperitur in illo formalitas producibilitatis simpliciter, formalitas producibilitatis ex pane sub illius speciebus; formalitas producibilitatis ex pane citra productionem sub speciebus. His præmissis

10 Dico primò. Transubstantiatio Eucharistica est actio verè productiva corporis Christi. Ita Authores quintæ sententiæ *n.* 7. relati. Probatur primò authoritate SS. Patrum. nominatim Ambrosi *lib. 4. de Sacrament. cap. 4.* August. relati *in Can. utrùm sub figura. de consecrat. dist. 2.* Damasceni *lib. 4. de fide cap. 14.* Gaudentii *tract. 2. in Exod.* dicentium, in consecratione corpus Christi fieri de pane. Deinde Hyeronimi, qui in Epist. ad Heliodorum de Sacerdotibus inquit, eos Christi corpus sacro ore conficere. Huc pertinet celebris illa exclamatio, quæ S S. Augustino, & Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidiè incarnatur.* Probatur secundo authoritate Doct. Thomæ hîc *Quæst. 65. artic. 3.* dicentis: *Possumus enim verè & propriè dicere: quòd ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aëre ignis, vel ex albo nigrum.* Rursus in responsione *ad 1. Licèt propriè dicatur, quòd ex pane fiat corpus Christi: non tamen propriè dicitur, quòd panis fiat corpus Christi.* Quapropter sic arguitur. Eadem proprietate juxta S. D. fieri dicitur ex pane corpus Christi, qua proprietate fieri dicitur ex non ente ens; ex aëre ignis; ex albo nigrum. Ergo sicut actio, qua ex non ente fit ens; ex aëre ignis; ex albo nigrum, est actio verè & propriè productiva; ita actio, qua ex pane fit corpus Christi, est actio verè & propriè productiva illius. Atqui hæc actio est Eucharistica transubstantiatio; ergo transubstantiatio est actio verè & propriè productiva. Rursus: actio, qua verè & propriè ex pane fit corpus Christi, est actio verè productiva illius: sed transubstantiatio est talis actio; ergo est actio verè productiva. Demum: quod propriè fit, terminat actionem sui verè productivam: sed corpus Christi, ut dicit Doct. Thomas. propriè fit, ex pane nimirùm; ergo terminat actionem sui productivam. Atqui non terminat aliam actionem, quàm transubstantiationem; ergo hæc est actio verè productiva. Probatur tertio ratione. Omnis conversio substantialis est vera productio substantiæ, in quam alia transit: atqui transubstantiatio est conversio substantialis: ergo est vera productio substantiæ. Atqui non alterius, quàm corporis Christi. In hanc enim, & non aliam vi ipsius transit substantia panis. min. est certa. maj. probat. quia de conceptu essentiali conversionis est, ut vi ipsius terminus *ad quem* de novo incipiat, sub ea videlicet ratione, sub qua est terminus *ad quem*. Ergo de conceptu conversionis substantialis est, ut vi ipsius de novo incipiat substantia. (Nam substantia est terminus *ad quem*, & specificativum illius) Atqui omnis conversio, vi cujus de novo incipit substantia, est vera produ-

productio substantiæ; ergo omnis conversio substantialis est vera productio substantiæ. Confirmatur. Omnis conversio accidentalis est vera productio termini *ad quem* accidentalis: ergo etiam omnis conversio substantialis est vera productio termini *ad quem* substantialis. Conseq. prob. quia non minùs conversio substantialis est verus influxus, & vera communicatio alicujus esse substantialis, quàm conversio accidentalis est verus influxus, & vera communicatio esse accidentalis; ut constat exemplis conversionum non modò naturalium, sed etjam supernaturalium: qualis erat conversio uxoris Loth in statuam salis; aquæ in nuptiis Canæ in vinum, & similibus.

11 Dico secundò. Transubstantiatio Eucharistica non est actio productiva corporis Christi simpliciter, & absolutè, sed cum addito, & secundùm quid, nempe sub ratione producibilis ex substantia panis, & sub speciebus illius. Ita colligitur inprimis ex S S. PP. *num. præced. citt.* qui non dicunt absolutè, corpus Christi per consecrationem fieri, sed dicunt, *fieri ex substantia panis.* Accedit præterea ratio. Nam quod simpliciter, & absolutè supponitur productum, atque in rerum natura existens ante aliquam actionem, non potest per talem actionem produci simpliciter, & absolutè. Ergo corpus Christi non potest simpliciter, & absolutè produci per actionem, ante quam simpliciter & absolutè supponitur productum. Aliàs idem effectus secundùm idem esse produci posset per duplicem actionem totalem, quod repugnare ostensum est alibi. Atqui corpus Christi in priori ad conversionem Eucharisticam simpliciter, & absolutè supponitur productum; ergo per illam non potest produci simpliciter, & absolutè. Restat igitur, ut producatur secundùm quid, & cum addito, videlicet, sub ratione producibilis ex substantia panis, & sub speciebus illius.

12 Objicies primo. Actio formaliter productiva tendit ad conferendum rei esse: ergo ut transubstantiatio sit actio formaliter productiva corporis Christi, debet tendere ad conferendum illi esse. Atqui non tendit ad conferendum esse corpori Christi: quippe quod in priori ad ipsam jam existens supponitur: ergo non est actio formaliter productiva. Confirmatur. Corpus Christi per transubstantiationem non transit de non esse ad esse: ergo per illam non producitur. Conseq. constat, quia, quidquid producitur, media productione, qua producitur, transit de non esse ad esse. Ant. probat. quia, quod præexistit transubstantiationi, non potest per illam transire de non esse ad esse: aliàs simul esset & non esset. Sed Corpus Christi præexistit transubstantiationi; ergo per illam non transit de non esse ad esse. Respondeo ad Argumentum dist. Ant. Actio formaliter productiva tendit ad conferendum rei esse vel simpliciter & absolutè, vel secundùm quid, & cum addito, conc. simpliciter & absolutè, subdist. actio productiva simpliciter conc. productiva secundùm quid, neg. ant. & dist. conseq. debet tendere ad conferendum illi esse saltem secundùm quid, & cum addito conc. simpliciter & absolutè, neg. conseq. Atqui non tendit ad conferendum esse corpori Christi simpliciter & absolutè, conc. secundùm quid & cum addito, neg subsumpt. &c. Ad Confirmat. dist. ant. Corpus Christi per transubstantiationem non transit de non esse simpliciter ad esse simpliciter, conc. non transit de non esse secundùm quid, ad esse secundùm quid, neg. ant. ergo per illam non producitur simpliciter, conc. secundùm quid, neg. conseq. ad cujus probat. dico, quidquid producitur, transire vel de non esse simpliciter ad esse simpliciter, vel de non esse secundùm quid ad esse secundùm quid. In probat. Ant. dist. maj. quod præexistit transubstantiationi, non potest per illam transire de non esse ad esse, secundùm quod præexistit, conc. secundùm quod non præexistit, neg. maj. Atqui corpus Christi licèt præexistat transubstantiationi simpliciter & absolutè quoad suum esse substantiale, non tamen præexistit secundùm esse productum ex substantia panis, & sub speciebus illius; ergo licèt per transubstantiationem non transeat de non esse simpliciter ad esse simpliciter, transit tamen de non esse secundùm quid ad esse secundùm quid, nempè de non esse producti ex substantia panis, & sub speciebus illius ad esse producti ex substantia panis, & sub speciebus panis.

Verùm instabis. Si corpus Christi a- 13
liquo modo substantialiter produceretur, ut dicimus; aliquo modo substantialiter fieret, & mutaretur: atqui nec fit, nec mutatur; ergo nec producitur. maj. videtur clara. Quia intrinsecè substantialiter se haberet aliter, quàm antè, per novum esse, quòd acquireret. min. docet expresse Doct. Thomas *in 4. dist.* 11. Q. 1. *art.* 3. Q. 1. *Hoc, in quod terminatur Conversio* (loquitur de Eucharistica) *nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solus panis, qui convertitur.* Respondeo, mentem S. D. satis constare ex verbis ipsius, quæ *num.* 10. adduximus. Nam ibi dicit apertè corpus Christi aliquo modo fieri, scilicet ex substantia panis. Quando proinde loco cit. in contrarium negat, illud ullo modo mutari in conversione Eucharistica, solùm

solùm excludit ab eo transmutationem, seu transitum ad esse simpliciter, non verò ejusmodi mutationem, qua semel absolutè productum transeat ad aliud esse secundùm quid, incipiatque habere novum modum essendi ex substantia panis, & sub speciebus illius, qualem vi primæ productionis non habuit. Et hoc quidem vel inde colligitur, quòd ibi Præceptor Angelicus solùm intendat statuere differentiam inter conversiones naturales, & hanc miraculosam, quæ fit in S. Eucharistia; ad quod satis est excludere ab hac postrema transitum esse simpliciter. Hic enim in omni conversione naturali, non autem in hac Eucharistica invenitur. Quæ procul dubio est sufficientissima inter illas differentia. Unde ad instantiam in forma conc. maj. neg. mi. ad probationem dico, verum esse, corpus Christi nullo modo transmutari tali transmutatione, qua illi conferatur esse simpliciter; transmutari tamen transmutatione conferente esse secundùm quid modo explicato.

14 Objicies secundo. Transubstantiatio effectivè procedit à corpore Christi: ergo non est actio productiva illius, conseq. prob. quia nulla actio est productiva agentis, à quo est: aliàs hujusmodi agens esset prius & posterius se ipso secundùm idem. Prius, in quantum ageret per actionem: posterius, in quantum esse per illammet actionem acciperet. Ant. ordinariè conceditur. Quia transubstantiatio procedit à corpore ut instrumento conjuncto Divinitatis: ergo effectivè procedit ab illo. Respondeo conc. ant. dist. conseq. ergo non est actio productiva illius absolutè & simpliciter conc. secundum quid & cum addito, neg. conseq. ad cujus probat. dico similiter, nullam quidem actionem esse simpliciter & absolutè productivam illius agentis, à quo est, posse tamen esse productivam illius secundum quid & cum addito: ex quo non sequitur absurdum subillatum. nam licèt idem ut primo & simpliciter productum non possit esse prius se ipso ut primo & simpliciter producto, potest tamen ut primo & simpliciter productum esse prius se ipso ut secundo & secundum quid producto. In hoc enim nulla est contradictio: quia esse, quod confert actio primo & simpliciter productiva, & esse, quod confert actio secundo, & secundùm quid productiva, non est esse unum & idem formaliter, sed diversum propter diversum, novumque modum essendi, qui communicatur vi productionis secundùm quid, & non communicatur vi productionis simpliciter. Itaque corpus Christi ut simpliciter productum, & existens in Cœlo sub modo essendi divisibili atque localiter extenso est naturâ prius se ipso ut producto secundum quid, & ut existente in Sacramento sub modo essendi indivisibili, & localiter inextenso: atque adeo ut secundùm quid ex substantia panis, & sub speciebus illius productum effectivè instrumentaliter procedit à se ipso ut simpliciter producto. Instabis. Idem est corpus Christi, quod existit in Cœlo, & quod adoramus in S. Eucharistia: ergo idem est esse illius, quod accipit per transubstantiationem, cum esse quod habet ex prima productione: ergo, sive dicatur esse prius se ipso ut producto simpliciter, sive ut producto secundum quid, idem secundùm idem erit prius se ipso. Respondeo dist. ant. idem est corpus Christi, quod existit in Cœlo, & quod adoramus in S. Eucharistia, & sub eodem modo essendi, neg. sub alio modo essendi, conc. ergo idem est esse illius, quod accipit per transubstantiationem cum esse, quod habet ex prima productione, & idem modus essendi, nego, & alius modus essendi, conc. ergo, sive dicatur esse prius se ipso ut producto simpliciter, sive ut producto secundùm quid, idem secundùm idem erit prius se ipso, vel nego absolutè conseq. vel dist. conseq. sub eodem modo essendi, nego, sub diverso modo essendi, conc. conseq.

15 Objicies tertio. Nullus effectus terminare potest plures actiones totales; ut docent meliores Philosophi: sed si corpus Christi per transubstantiationem produceretur, idem effectus terminaret plures actiones totales; ergo non producitur, min. probatur. nam esset alia actio totalis, qua corpus Christi producitur, seu conservatur in Cœlo, & alia, quæ produceretur ex substantia panis: ergo idem effectus terminaret plures actiones totales, conseq. patet. quia idem numerò corpus Christi est idem effectus. Respondeo dist. maj. nullus effectus terminare potest plures actiones totales sub eadem ratione formali, conc. sub diversa ratione formali, neg. maj. dist. mi. idem effectus terminaret plures actiones totales sub diversa ratione formali, conc. sub eadem ratione formali, neg. mi. ad probat. concedo, eas actiones esse totales: dico tamen, corpus Christi sub alia & alia ratione formali per illas attingi, nam per actionem, per quam producitur in Cœlo, producitur adæquatè sub ratione producibilis, & existentis simpliciter: per actionem verò, per quam producitur in Sacramento, producitur sub ratione producibilis ex substantia panis. atqui produci sub ratione producibilis simpliciter, & produci sub ratione producibi-

lis ex substantia panis est produci sub alia & alia ratione formali; ergo corpus Christi producitur quidem per plures actiones totales, seu terminat plures actiones totales, sed sub alia & alia ratione formali. Instabis. Quando corpus Christi in diversis altaribus à diversis Sacerdotibus consecratur, per quamlibet consecrationem producitur sub ratione producibilis ex substantia panis: ergo per quamlibet producitur sub eadem ratione formali. Sed illæ consecrationes sunt plures actiones totales; ergo corpus Christi per plures actiones totales producitur sub eadem ratione formali. Respondeo dist. ant. per quamlibet producitur sub ratione producibilis ex eadem numero substantia panis, nego, sub ratione producibilis ex distincta numero substantia panis, conc. ant. ergo per quamlibet consecrationem producitur sub eadem ratione formali specifica, conc. sub eadem ratione formali individua, neg. conseq. & conc. subsumpto, dist. alterum conseq. ergo corpus Christi per plures actiones totales producitur sub eadem ratione formali specifica, conc. sub eadem ratione formali individua, neg. conseq. Nam per actionem, per quam producitur in hoc numero Sacramento, & in hoc altari, producitur sub ratione producibilis ex hoc numero pane, & sub his numero speciebus. Sed hoc est produci sub eadem ratione formali specifica, & non sub eadem ratione formali individua; ergo corpus Christi in diversis altaribus à diversis Sacerdotibus producitur quidem per plures actiones totales sub eadem ratione formali specifica, sed non sub eadem ratione formali individua. Unde licèt utrobique sit idem in esse entis & materialiter, non tamen est idem formaliter in esse effectus & termini. Posse autem eundem terminum materialiter, & non eundem formaliter attingi per plures actiones totales, citra omne absurdum conceditur. Dices. Ejusmodi plures actiones totales vel differunt specie, vel solo numero? neutrum potest dici. Non primum, quia non habent diversos specie terminos. Non secundum, quia sequeretur, plura accidentia solo numero distincta recipi in eodem subjecto. Nam actiones illæ recipiuntur in corpore Christi, quod est idem numero subjectum & in hoc & in illo altari. Respondeo, dando, eas actiones solo numero differre, & distinguendo sequellam, sequitur, plura accidentia solo numero distincta recipi in eodem subjecto materialiter sumpto, conc. in eodem subjecto formaliter sumpto, neg. Probationem pariter dist. actiones illæ recipiuntur in corpore Christi absolutè sumpto, neg. ut fit ex hoc pane, & sub his speciebus, & ex isto pane, & sub istis speciebus &c. conc. atqui aliud subjectum formaliter & in esse subjecti est corpus Christi ut productum ex hoc pane, & sub his speciebus, & aliud ut productum ex isto pane, & sub istis speciebus; ergo licèt subjectum earum actionum sit idem materialiter, non tamen est idem formaliter: quod ad distinctionem numericam ejusdem speciei accidentium sufficere hôrunt Metaphysici.

Infertur ex dictis primo, terminum 16
formalem transubstantiationis esse corpus Christi *quatenus producibile ex substantia panis, & sub ejus speciebus.* Unde hæc actio triplicem habitudinem essentialem importat. Primam ad corpus Christi quatenus producibile, ad quod terminatur Secundam ad panem, ut ad terminum *à quo.* Quia est essentialiter actio destructiva panis in corpus Christi; sive, est essentialiter actualis determinatio panis ut termini *à quo* in corpus Christi ut terminum *ad quem.* Tertiam ad accidentia panis. Quia est essentialiter productio corporis Christi ex pane sub ejus speciebus. Ipsum quoque corpus Christi sub ratione producibilis ex substantia panis ceu terminus *ad quem* habet essentialem repugnantiam, & incompossibilitatem cum substantia panis tanquam termino *à quo:* licèt inter illa hæc repugnantia actualiter non exerceatur, nisi actualiter existat, & connotetur transubstantiatio Eucharistica. Dices. Si corpus Christi ut producibile ex pane esset formalis terminus transubstantiationis, sequeretur, consecrationem peractam in triduo mortis Domini alterius speciei futuram fuisse ab illa, quæ modò fit: sed conseq. non videtur admittendum; ergo nec Ant. seq. prob. nam alium specie terminum *ad quem* habet consecratio, quæ modò fit, alium habuisset consecratio, quæ facta fuisset in triduo mortis: ergo ista fuisset alterius speciei, conseq. patet: quia specifica diversitas terminorum *ad quos* manifestè arguit diversitatem specificam actionum. Ant. prob. corpus animatum specie, imò genere differt à corpore inanimato: sed terminus *ad quem* consecrationis, quæ modò fit, est corpus Christi animatum; terminus *ad quem* in triduo mortis peractæ fuisset corpus Christi inanimatum; ergo alius specie terminus *ad quem* est consecrationis nostræ, alius consecrationis, si qua fuisset facta illo triduo. Respondeo neg. seq. maj. ad cujus probat. neg. Ant. quod dum prob. conc. maj. neg. mi. nam terminus formalis *ad quem* consecrationis, sive conversionis Eucharisticæ neque est corpus Christi ani-

animatum, neque inanimatum, sed ab utroque præscindens, sive corpus intra prædicamentum substantiæ, compositum quidem ex hac numero materia, & ex hac numero formâ; sed secundùm quod ista dat gradum corporis, non verò, secundùm quod dat gradum viventis. quia anima Christi ut tribuens gradum viventis, & corpus Christi ut vivens solùm concomitanter, non autem formaliter, & vi verborum consecrationis sub speciebus panis ponitur.

17 Infertur secundo, transubstantiationem non esse actionem adductivam corporis Christi, & ad solam præsentiam localem formaliter terminatam. Ratio est primo. Actio adductiva est motus localis: transubstantiatio non est motus localis; ergo non est actio adductiva. maj. constat. mi. prob. quia corpus Christi per transubstantiationem non movetur localiter. Nam, quod movetur localiter, necessariò unum locum relinquit tanquam terminum *a quo*, & alium locum acquirit tanquàm terminum *ad quem*: quod de corpore Christi hic affirmari non potest. Cùm alioquin Cœlum, ut in terrâ existeret sine speciebus Eucharisticis, deberet relinquere, modoque extenso, & divisibili dari in hoc Sacramento: quod est falsum; ergo. Ratio est secundo. Verba consecrationis efficiunt, quod significant: at qui verba consecrationis non significant solam præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, sed ipsum corpus Christi: quia non dicitur: *hic est corpus meum*: sed, *hoc est corpus meum*: ergo non efficiunt solam præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, sed ipsum corpus Christi modo explicato. Ratio est tertio. quia vi consecrationis, qualis est etiam transubstantiatio, terminus *a quo* debet desinere, & terminus *ad quem* aliquo modo incipere esse de novo: atqui vi actionis adductivæ terminus *a quo* non debet necessariò desinere; ergo actio adductiva non est conversio, ergo nec transubstantiatio. maj. constat ex *n.* 8. mi. facilè ostenditur, quia terminus *a quo* actionis adductivæ potest esse simul cum termino *ad quem*, præsertim, quando hic caret extensione locali; sicut in præsenti caret corpus Christi, quod in S. Eucharistia existit modo indivisibili. Itaque sicut Angelus, dum incipit esse præsens alicui spatio, non expellit propterea substantiam corpoream in illo præexistentem, ita nec corpus Christi ex eo præcisè, quòd incipiat esse præsens speciebus Eucharisticis, expelet substantiam panis sub eis præexistentem.

Infertur tertiò, neque singularem 18
sententiam P. Ægidii Cominck subsistere. Ratio est primo ex dictis *num.* 11. quia quod simpliciter, & absolutè supponitur productum, atque in rerum natura existens antè aliquam actionem, non potest per talem actionem produci simpliciter & absolutè: sed corpus Christi ante transubstantiationem ita supponitur productum & existens; ergo per hanc non potest simpliciter & absolutè produci. Atqui in ea sententia per transubstantiationem simpliciter & absolutè produceretur. Quia esset actio reproductiva terminata ad corpus Christi ut simpliciter & absolutè reproductum: atque adeò dans esse simpliciter & absolutè non minùs, quàm actio primò productiva. Ratio est secundo: quod memoratus author iteratas ejusmodi productiones corporis Christi excogitaverit ideò, ut explicaret, quomodo idem corpus saltem per absolutam pœnitentiam constitui possit in duobus locis simul. Existimat enim, id fieri non posse, nisi in singulis locis novam, atque distinctam productionem terminet, & bis producatur. Hæc autem doctrina nititur falso supposito; quia supponit, corpus Christi in S. Eucharistia esse localiter, sive tanquam in loco, quod repugnat sententiæ D. Thomæ, qui id negat expressè hic Q. 76. *a.* 5. *in fine corp.* dicens: *nullo modo corpus Christi est in Sacramento hoc localiter.* Adde, quòd eidem corpori simul & semel duplicem præsentiam circumscriptivam posse competere non concedat schola Thomistica.

Infertur quarto, Conversionem Eu- 19
charisticam non esse actionem conservativam corporis Christi sub speciebus panis. Ratio est: quia hæc conservatio vel esset eadem, qua conservatur in Cœlo, vel nova & distincta? neutrum potest dici. Non primum: quia illa actio terminatur ad corpus Christi ut existens modo extenso & circumscriptivo: transubstantiatio verò terminatur ad corpus Christi ut ponendum sub speciebus modo indivisibili, & inextenso. Non secundum: quia conservatio rei est continuata illius productio. Ergo hoc ipso, quod dicatur, conversionem Eucharisticam esse actionem conservativam corporis Christi sub speciebus, fatendum est, eam pro aliquo priori esse productivam illius sub eisdem speciebus.

Infertur quinto, veram rationem 20
transubstantiationis Eucharisticæ non haberi formaliter per hoc præcisè, quod asseratur, corpus & sanguinem Christi effectivè uniri cum speciebus panis, & vini. Ratio est primo. Quia hic modus explicandi conversionem Eucharisticam vide-

videtur minùs conformis menti SS. Patrum, & D. Thomæ, qui, ut vidimus *num.* 10. corpus & sanguinem Christi propriè *fieri*, atque *produci* ex pane, & vino, & consequenter non tantùm uniri cum eorum speciebus, contendunt. Ratio est secundo. Panis priùs intelligitur conversus in corpus Christi, quàm intelligatur uniri cum speciebus illius. Ergo pro priori ad hanc unionem jam datur conversio Eucharistica, & consequenter non consistit in illa formaliter. conseq. patet. Ant. prob. panis pro omni illo priori intelligitur conversus in corpus Christi, pro quo corpus Christi intelligitur esse sub speciebus illius: sed corpus Christi priùs intelligitur esse sub speciebus panis, quam intelligatur uniri cum illis; ergo panis priùs intelligitur conversus in corpus Christi, quàm intelligatur uniri cum ejus speciebus: maj. est certa, mi. inde colligitur, quòd sit impossibile, aliquid uniri cum altero, nisi priùs natura saltem sit præsens alteri. Et hinc in physicis priùs naturâ est formam esse intimè præsentem materiæ, quàm cum eadem uniri. Ergo ut corpus Christi intelligatur uniri cum speciebus panis, priùs sub illis esse intelligi debet.

21 Infertur sexto, conversionem Eucharisticam fieri in instanti, quemadmodùm docet D. Thomas Q. 75. a. 7. Potest aliqua mutatio ex triplici capite esse instantanea. Primo, ratione formæ, quæ est terminus mutationis, quando non suscipit magis & minùs. Talis enim non fit successivè sed subito, & in instanti: ut patet in forma substantiali. Secundo, ratione subjecti, quod ad recipiendam formam non præparatur per successivam introductionem dispositionum, sed aliundè est ultimò dispositum: sicut diaphanum ad recipiendam lucem. Tertio, ratione agentis, quod propter efficaciam suæ virtutis non indiget morâ temporis ad producendum effectum. Talis fuit virtus Christi, qua Marci 7. curavit surdum & mutum: nam postquàm dixit ephetha, *statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus. v.* 25. Ex omnibus his capitibus transubstantiatio est instantanea. Nam inprimis substantia corporis Christi, ad quam terminatur, non suscipit magis & minus. Deinde in conversione totali, qualis est hæc, nullum est subjectum, quod per successivum dispositionum apparatum ad formam aptari debeat. Denique agens, Deus nempe, à quo est ista conversio, est infinitæ virtutis, & ab omni tempore independentis. Itaque panis substantia in instanti desinit, & corpus Christi in instanti incipit: & in instanti, in quo primo non est substantia panis, primo est corpus Christi sub speciebus panis.

§. III.

An panis & vinum per consecrationem annihiletur?

SUMMARIUM.

22. *Utilitas præsentis quæstionis.* 23. 24. *Concluditur, & probatur duplici argumento panem & vinum non annihilari.* 25. *in quale nihilum res debeat desinere per annihilationem?* 26. *an reproductio substantiæ per consecrationem destructæ esset creatio?* 27. *An sit contra conceptum annihilationis habere terminum ad quem positivum?* 28. *An forma materialis posset reproduci per creationem?*

22 Visum est suprà in §. 1. hujus Disputationis, nihil substantiæ panis & vini post consecrationem in S. Eucharistia remanere. Restat jam controversia inter Catholicos, an, dum panis & vinum dicto modo desinunt, eorum destructio sit annihilatio? quæ quidem quæstio licèt potiùs videatur esse de nomine, & modo loquendi, quàm de re ipsa; non tamen nullius momenti censeri debet. Nam de mysteriis nostræ fidei non solum oportet rectè sentire, sed etiam rectè loqui; id, quod in præsenti vel maximè observandum propter nonnullos hæreticos, quibus opinio adstruens annihilationem panis & vini, ut ait Vasquez, arma contra veram earum substantiarum in corpus & sanguinem conversionem ministrâsse videtur. cùm dici non possit, id quod annihilatur, converti in aliud. unde & S. Doctor Q. 75. a. 3. *in corp.* dicit, *conversionem tolli posita annihilatione substantiæ panis.* Cæterùm in ea sententia, quæ docet, panem & vinum desinere per annihilationem, fuisse perhibetur Scotus. *Quodlib.* 19. a. 3. & in 4. *dist.* 11. Q. 4. §. *ad quæstionem dico.* Deinde Okamus, Gabriel, Major, & Angelus, contra hos.

23 Dico breviter. Substantia panis & vini per consecrationem non annihilatur, ita D. Thomas loco cit. & alii Theologi communiter. Primo ratio ex ipsa natura annihilationis desumitur. ad hanc enim tria sunt necessaria. Primum, ut res desinat secundùm totam suam entitatem. Secundum, ut desinat per subtractionem com-

concursus conservativi, & non per actionem, aut influxum positivum. Tertium, ut ad rei desitionem nihil aliud reale & positivum per se, & ex natura rei incipiat. Ratio primæ conditionis est: quia per annihilationem res transit in nihil simpliciter: atqui non transit in nihil simpliciter, si non desinat secundùm totam suam entitatem & aliquid illius remaneat; ergo. Ratio secundæ est: quia per actionem, & influxum positivum, vi cujus unum ens desinit, semper incipit, & fit aliud ens positivum, nam actio positiva debet habere terminum positivum. Atqui per annihilationem non fit aliquid positivum, sed aliquid positivum præcisè desinit, cùm ejus terminus non sit quid positivum, sed negativum, id est, non esse rei simpliciter. Ratio tertiæ est: quia, quando ad desitionem quid aliud reale & positivum per se ponitur, & sequitur, id, quod desinit, non annihilatur, sed convertitur in aliud, nempe in id, quod ad desitionem per se & ex natura sua sequitur. Modò sic. In desitione panis & vini non inveniuntur omnes memoratæ conditiones annihilationis: ergo substantia panis & vini non annihilatur. Conseq. patet. Ant. prob. nam esto, panis & vinum desinat secundùm totam suam entitatem, tamen non desinit per meram subtractionem concursus conservativi; sed destruitur per actionem miraculosam, ad quam concurrit Sacerdos ut applicans formam consecrationis, ipsaque forma ut instrumentum physicum. Deinde desitio substantiæ panis & vini facta per consecrationem per se & ex natura rei postulat, & infert positionem, & existentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus, ut indicat ipsa forma consecrationis. Ergo manifestum est, in desitione panis & vini non adesse omnes conditiones ad annihilationem exactas.

24 Ratio est secundo. Annihilari est abire in purè nihil: substantia panis & vini non abit in purè nihil; ergo non annihilatur. maj. constat ex ipso nomine annihilationis. mi. prob. quod convertitur in aliquid, non abit in purè nihil: substantia panis & vini convertitur in aliquid; ergo non abit in purè nihil. mi. suprà ostendimus, quando probavimus, panem & vinum per consecrationem verè & substantialiter converti in corpus & sanguinem Christi. maj. patet ex penetratione terminorum. Confirmatur & explicatur hæc ratio. Licèt panis vi consecrationis abeat in nihil panis; cùm nihil remaneat ipsius; non tamen abit in nihil simpliciter: quia transit in corpus Christi: ergo non annihilatur. quia, quod annihilatur, transit ab esse simpliciter ad non esse, sive ad nihil simpliciter: sicut, quod creatur transit à non esse simpliciter ad esse simpliciter. Unde quemadmodum forma equi non dicitur creari, quamvis transeat à non esse sui ad esse sui, quando generatur equus: quia per hunc transitum incipit esse ex aliquo, nempe subjecto præsupposito, atque adeò non transit à non esse simpliciter ad esse simpliciter: ita etiam substantia panis non est dicenda annihilari, quamvis per consecrationem transeat ab esse sui ad non esse sui: quia per hunc transitum desinit in aliquid aliud, nempe corpus Christi: & consequenter non transit ab esse simpliciter ad non esse simpliciter: sed potiùs ab uno esse ad aliud. Tertia ratio communis sententiæ hæc esse potest. Forma consecrationis ad desitionem panis & vini concurrit ut instrumentum physicum: veluti suppono ex tract. de Sacram. in genere: ergo panis & vinum in consecratione non desinunt per annihilationem. conseq. prob. quia non minùs annihilatio, quàm creatio est propria solius Dei, ita ut nulla creatura seu principaliter, seu physicè instrumentaliter ad eam possit concurrere.

Objicies primo. Illud annihilatur, 25
quod ita desinit, ut nihil prorsus illius remaneat: sed substantia panis & vini per consecrationem ita desinit, ut nihil prorsus illius remaneat; ergo annihilatur. mj. constat ex dictis in 1. §. maj. prob. Nam illud annihilatur, quod abit in nihilum. Quia terminus ad quem annihilationis est nihil. Sed quod desinit dicto modo, verè abit in nihilum: ergo annihilatur. Confirmatur. Sit hostia A, & hostia B. annihiletur jam hostia A remanentibus solis accidentibus; hostia verò B per consecrationem destruatur; ut ordinariè destruitur. In tali hypothesi nihil plus remaneret de substantia hostiæ B, quàm de substantia hostiæ A. Ergo non minùs hostia B, quam hostia A transit in nihilum, & annihilatur. Respondeo ad argum. neg. maj. nam requiritur præterea, ut desinat per solam subtractionem concursus conservativi, & ut nihil aliud positivum ad ejus desitionem per se, & ex natura rei sequatur. Ad probat. dist. maj. illud annihilatur, quod abit in nihilum simpliciter, conc. quod abit in nihilum secundùm quid, hoc est, in nihilum quidem sui, non autem in nihilum omnis alterius positivi, neg. maj. &c. Unde terminus *ad quem* annihila-

tionis non est nihil quomodocunque sed nihil simpliciter. Ad Confirmat. conc. Ant. neg. consq. Quia substantia hostiæ A transit in nihilum sui per solam subtractionem concursus conservativi, & ad ejus desitionem nullum aliud positivum per se sequeretur, quod est desinere in nihilum simpliciter; quia est desinere tam in nihilum sui, quàm in nihilum omnis alterius positivi. Atqui hostia B transiret in nihilum sui per actionem positivam conversionis, & consequenter unà in terminum positivum, videlicet corpus Christi: sicque desineret in nihilum solùm secundùm quid. Quia desineret in nihilum sui, & non in nihilum omnis alterius positivi.

26 Objicies secundo. Si Deus reproduceret eandem numero substantiam panis, quæ desivit per consecrationem, ejusmodi productio esset vera creatio: ergo apparet, illius desitionem fuisse veram annihilationem. conseq. prob. Quia illæ mutationes sunt invicem contrariæ propter terminos *ad quos*, & *à quibus* contrarios, sibique correspondent. Respondeo neg. ant. Nam posset Divina omnipotentia eundem numero panem reproducere vel per creationem, vel per conversionem reciprocam Corporis Christi in ipsum, ita, ut panis fieret ex Corpore Christi tanquam termino *à quo*: sicut antea Corpus Christi fiebat ex pane. Dices. Creatio est productio rei ex nihilo simpliciter: ergo ut panis reproducatur per creationem, fieri debet ex nihilo simpliciter. Sed, quando non desiit per annihilationem, non potest fieri ex nihilo simpliciter: ergo quando non desiit per annihilationem, non potest reproduci per creationem. Subsumpt. prob. Nam quod non abit in nihilum, ex illo redire non potest: sed panis, quando non desiit per annihilationem, non abiit in nihilum simpliciter; ergo ex illo redire, sive fieri non potest. maj. videtur clara. mi. inde colligitur, quòd per solam annihilationem res desinat in nihilum simpliciter: sicut per solam creationem incipit esse ex nihilo simpliciter. Respondeo, inter creationem, & annihilationem hanc quoque versari differentiam, quod per ly *ex nihilo* positum in definitione creationis solùm importetur nihilum subjecti, id est, causæ materialis extrinsecæ, & nihilum, sive non esse rei creabilis, ita, ut idem sit per creationem rem fieri ex nihilo, atque transire à non esse sui ad esse sui sine concursu causæ materialis extrinsecæ. Econtrà ly *in nihilum*, quod ponitur in definitione annihilationis, præter nihilum rei, & nihilum sub ecti insuper importet exclusionem, & negationem omnis termini *ad quem* positivi, ita, ut idem sit per annihilationem desinere in nihilum, atque nec manere rem, quæ desinit, in aliquo sui; nec subjectum, ex quo fuit educta; nec ullus terminus positivus, in quem transiverit. Ex quibus ad argumentum patet solutio. Nam accipiendo ly *ex nihilo simpliciter* juxta sensum, quem habet in definitione creationis, conc. enthym. neg. subsumpt. ad cujus probat. conc. maj. dico ad mi. panem per consecra ionem abire in nihilum sui, & in nihilum subjecti, quod est nihilum simpliciter, prout sumitur in definitione creationis; non autem rem abire in nihilum simpliciter, prout est terminus *ad quem* annihilationis. Et sic patet ad reliqua.

27 Objicies tertio. Terminus formalis *à quo* positivus non impedit, quò minùs aliquid verè creetur à Deo: ergo etiàm terminus formalis *ad quem* positivus, in quem transit substantia panis, non impedit, quò minùs propriè annihilari dicatur. conseq. prob. Nam sicut creatio est productio ex nihilo, ita annihilatio est destructio rei in nihilum: ergo sicut ly *ex nihilo* in creatione non excludit terminum formalem *à quo* positivum, ità ly *in nihilum* in annihilatione non excludet terminum formalem *ad quem* positivum. Jam ant. etiam prob. in productione hominis forma embryonis verè convertitur in animam rationalem: sicut totus embryo verè convertitur in hominem. Ergo forma embryonis ceu terminus *à quo* desinit in animam rationalem, quæ proinde est terminus formalis *ad quem* in illa conversione. Sed hoc non impedit quò minùs anima rationalis verè creetur à Deo; ergo terminus *à quo* positivus non impedit, quò minùs aliquid verè creetur. Respondeo conc. ant. neg. conseq. & ly *sicut* in anteced. probationis. Quia de ratione creationis, ut constat ex dictis in *num. præced.* solùm est, ut per ly *ex nihilo* excludatur totum esse prævium rei creabilis; & concursus causæ materialis extrinsecæ, econtrà de ratione annihilationis est, ut per ly *in nihilum* non solùm excludatur tota entitas rei, quæ annihilatur, & subjectum, in cujus potentiam redeat; sed insuper omnis terminus *ad quem* positivus. Patet igitur, conceptum essentialem creationis non destrui per terminum *à quo* positivum; destruo vero conceptum essentialem annihilationis per terminum *ad quem* positivum.

Dices.

28 Dices. Ex tradita hactenùs expositione conditionum ad creationem necessariarum sequitur, formam materialem, animam equi v. g. semel corruptam non posse à Deo reproduci per creationem: sed hoc non videtur dicendum; ergo. seq. maj. prob. Nam quod creatur, non solùm producitur ex nihilo sui, sed etiam ex nihilo subjecti: sed ejusmodi forma non potest produci ex nihilo subjecti; ergo mi. prob. materia prima, in cujus potentiam anima equi per corruptionem rediit, adhuc datur in rerum natura: ergo talis forma ad sui productionem non potest præsupponere nihilum, subjecti. Quia deberet præsupponere nihilum, sive non esse materiæ: quod dari est impossibile, quamdiù datur materia. Respondeo neg. seq. maj. ad cujus probat. dico per ly *ex nihilo subjecti* in definitione creationis non intelligi non esse subjecti quoad entitatem, quasi ipsa negatio subjecti debeat præcedere terminum creationis; sed solum, quòd non debeat in creatione dari subjectum in ratione causæ materialis extrinsecæ, id est, actu concurrentis sustentativè ad fieri rei, quæ creari dicitur, sive deinde quoad entitatem detur, sive non detur. Unde dist. maj. Quod creatur, etiam producitur ex nihilo subjecti per ly *ex nihilo subjecti* intelligendo negationem concursus sustentativi, conc. intelligendo non esse subjecti absolutè, & quoad entitatem, neg. maj. dist. mi. ejusmodi forma non potest produci ex nihilo subjecti, id est, ex non esse subjecti absolutè, conc. id est, independenter ab ejus concursu sustentativo. neg. mi. ad cujus probat. patet solutio. Nam licèt materia, in cujus potentiam reducta est, & in qua continetur anima equi, detur absolutè, & quoad entitatem, dum hæc anima reproducitur, non tamen est necesse, ut ad ejus reproductionem concurrat in genere causæ materialis extrinsecæ: sicut concurrebat, cùm primo produceretur. Nam posset illam Deus vel extra, vel etiam intra materiam reproducere, ita ut in secundo ejusmodi fieri non sustentaretur actualiter ab ipsa.

DISPUTATIO V.

De accidentibus Eucharisticis.

Certum est, facta conversione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi accidentia utriusque substantiæ remanere: estque hæc veritas non modò definita à Trident. Synodo, sed ipsis quoque sensibus nota: dum in hostia consecrata colorem visu; saporem gustu; duritiem, figuram &c. tactu percipimus. Dicere autem, sensus hic falli, summa dementia atque temeritas est. Quare suppositâ ea posthumâ accidentium existentia, restant nonnullæ de illis difficultates breviter expediendæ.

§. I.

An accidentia Eucharistica existant sine subjecto substantiali?

SUMMARIUM.

1. *Error hæreticorum.* 2. *Concluditur, & probatur accidentia Eucharistica existere sine subjecto substantiali.* 3. *Objectiones* 4. *Solvuntur.*

1 JOannes Huss, quem damnavit, rogoque addixit Concilium Constantiense, perfidè asserebat, quòd *fingere accidens sine subjecto esset blasphemare in Deum; scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ per verba accidentis.* Eandem hæresim ambobus brachiis amplectuntur Calvinistæ, aliique hujus temporis sectarii, dum ad negandam Christi veram realemque in Eucharistia præsentiam eo quoque argumento vel maximè ducuntur, quòd existiment, nullum accidens sine subjecto posse existere. Hinc dogma contrarium recens inventum, commentumque Innocentii III. in Concilio Lateran. esse vociferantur. Contra quos

2 Dico breviter. Accidentia Eucharistica in Eucharistia conservantur sine subjecto substantiali. Est de fide, & definitum in Conciliis æcumenicis, Lateranensi, & Constantiensi cit. Deinde in Florent. ac demum in Trident. *sess.* 13. *can.* 2. prob. argumento D. Th. 3. *p. q.* 77. *a.* 1. Nulla substan-

substantia est assignabilis, quæ sit subjectum accidentium Eucharisticorum: ergo sine ullo subjecto substantiali conservantur. Conseq. est nota. ant. prob. vel enim subjectarentur in substantia panis & vini: vel in substantia corporis Christi: vel in substantia aëris circumstantis: ut aliqui putârunt; non in prima: quia fide certum est, ut *quæst. præc.* ostendimus, substantiam panis & vini per consecrationem destrui. non in secunda, quia alioquin corpus Christi esset alterabile, & corruptibile per qualitates alterativas & corruptivas in se receptas, prætereaque localiter extensum per quantitatem panis sibi formaliter inhærentem. Tum, quia nemo hactenus ita vidit acutè, ut deprehenderit, species Eucharisticas moveri ad motum aëris. quod planè fieret, si in illo recipientur. Tum, quia idem numero accidens non transit ab uno subjecto in aliud. Jam verò præter memoratas nulla alia substantia excogitari potest. Patet igitur, nullam substantiam esse assignabilem, quæ sit subjectum eorum accidentium.

3 Objicies primo. De essentia accidentis est in esse, sive inhærere subjecto, per Philosophum 5. *Meta. textu.* 35. Ergo hoc ipso, quòd in Eucharistia dentur accidentia, debent inesse subjecto. Secundo. Materia prima neque divinitus, ut Thomistæ docent, sine omni forma substantiali potest existere: ergo nec accidens sine omni subjecto substantiali. Tertio. Deus non potest supplere causalitatem causæ materialis: ergo non potest accidens conservari extra omne subjectum. Quarto. Accidentia separata ab omni subjecto substantiali essent in statu violento. Nam quodlibet accidens connaturaliter petit inhærere subjecto substantiali. Sed conseq. affirmari non potest: ergo nec ant.

4 Respondeo ad primum, dist. ant. de essentia accidentis est inesse, sive inhærere subjecto aptitudinaliter, seu radicaliter conc. inhærere actualiter, neg. ant. &c. aptitudinalis proinde seu radicalis inhærentia secundùm Aristotelem est de essentia accidentis, non actualis. Ad secundum conc. ant. neg. conseq. disparitas est, quod materia prima sine omni forma non sit capax existentiæ, cùm non possit habere actum secundum ante primum: econtra accidens se ipso sit suus actus primus specificus, adeoque capax actûs secundi, videlicet existentiæ, etiam extra subjectum substantiale. Ad tertium dist. antec. non potest supplere causalitatem causæ materialis in genere causæ materialis, ita, ut ipse quoque fiat subjectum alicujus formæ, aut pars determinabilis alicujus totius, conc. in genere causæ efficientis neg. id autem qua ratione præstet; dicemus §. seq. Ad Quartum neg. sequela. Nam quodlibet accidens (sicut omnis alia creata entitas) præter exigentiam naturalem, & inclinationem in bonum suum proprium sibi habet identificatam inclinationem obedientialem ad suum Creatorem. Hoc autem posterior inclinatio est fortior, quàm illa prior, eique prædominatur. Cùm proinde status separationis ab omni subjecto substantiali sit juxtà inclinationem secundam accidentis; non est ei violentus, quamvis sit contra inclinationem primam.

§. II.

An Quantitas panis & vini sit subjectum aliorum accidentium, & quomodo existat?

SUMMARIUM.

5. Rejicitur sententia Arriagæ. 6. Concluditur, & probatur, accidentia Eucharistica subjectari in quantitate. 7. Solvuntur Objectiones. 8. An quantitas Eucharistica existat per modum positivum superadditum? 9. Ostenditur contrarium. 10. Nostra sententia de conservatione quantitatis extra subjectum. 11. Respondetur ad fundamenta opposita.

5 SUppono contra Arriagam, non tantùm alia accidentia à quantitate, sed & ipsam quantitatem panis & vini post consecrationem in Eucharistia remanere. Hoc suppositum conforme est definitioni Concilii Trid. *sess. 13. c. 1. & can. 2.* ubi exclusâ solâ substantiâ panis & vini, dicit, in Eucharistia remanere duntaxat species panis & vini. Ly *species* autem indefinitè sumptum addito ly *duntaxat* significat universalitatem accidentium. Respondebis ad mentem Arriagæ concedendô, omnia accidentia earum substantiarum remanere; negandô tamen suppositum, quod quantitas sit accidens prædicamentale. Nam ille Author secutus Nominales docet, quantitatem esse realiter indistinctam à materia prima. Cùm ergo materia panis & vini non remaneat post consecrationem; neque quantitatem remanere. Sed præterquam quòd hæc responsio sit contra communem cùm Philosophorum, tum Theologorum sententiam, repugnat insuper rationi. Nam certum est, in speciebus Eucharisticis dari extensionem, impenetrabilitatem, & divisibilitatem: qui sunt effectus formales, & proprietates quant-

quantitatis prædicamentalis : ergo inter ſpecies Euchariſticas etiam reperitur quantitas. Patet conſeq. quia effectus formalis proprius alicujus formæ dari non poteſt, ubi non datur ipſa forma. Jam vero hæc quantitas non poteſt eſſe materia prima panis & vini. Quia alioquin eæ ſubſtantiæ non totæ converterentur in corpus & ſanguinem Chriſti (quod eſt contra definitionem cit. Concilii) ſed aliquid illarum remaneret : & conſequenter eſt accidens realiter diſtinctum ab omni ſubſtantia. Nunc

6 Dico primo. Reliqua accidentia Euchariſtica : ut color, ſapor, odor &c. panis & vini, ſubjectantur in quantitate. ita D. Thomas, 3. *p.* Q. 77. *a.* 2. illis verbis : *dicendum, quod neceſſe eſt dicere, accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, eſſe ſicut in ſubjecto in quantitate dimenſiva panis vel vini remanente.* Ratio eſt primo. Memorata accidentia extenduntur, & dividuntur mediante quantitate : ergo in iſta tanquam ſubjecto recipiuntur. Ant. prob. quia non minùs qualitates, cujusmodi ſunt illa accidentia, ſecundùm ſe carent extenſione, & diviſibilitate, quàm ſubſtantia, item non minùs extenſio & diviſibilitas accidentium eſt effectus formalis quantitatis, quàm extenſio & diviſibilitas ſubſtantiæ : ergo non minùs accidentia, quàm ſubſtantia extenduntur, & dividuntur beneficiò quantitatis. Prior conſeq. etiam oſtenditur. Niſi enim intrinſecè reciperentur in quantitate tanquam in ſubjecto, eique unirentur, per eam non redderentur extenſa & diviſibilia ſicut ſubſtantia non redditur extenſa & diviſibilis, niſi intrinſecè in ſe recipiat quantitatem. Ratio eſt ſecundo. Quantitas ceu prima diſpoſitio materiæ ex omnibus corporeis accidentibus maximè accedit ad genus cauſæ materialis. Ergo optimè ſubjectum aliorum accidentium conſtituitur ; idque non tantùm, dum ipſamet eſt in ſubjecto, ſed etiam, dum eſt ab omni ſubjecto ſeparata : ſicut in noſtro caſu contingit : quia poſt conſecrationem non apparet minor connexio accidentium cum ipſa, quàm ante conſecrationem ; imò prorſus eadem. Huc adde, quod in noſtra ſententia multò commodiùs explicentur alterationes accidentium Euchariſticorum, quàm in contraria, quæ vult, omnia eſſe ſine ſubjecto.

7 Objicies primo. Ariſtoteles *cap.* 2. *de ſubſt.* ait, eſſe proptium ſubſtantiæ ſubſtare accidentibus. Ergo id non poteſt convenire quantitati, quæ eſt extra prædicamentum ſubſtantiæ. Deinde 4. *Metaph. c.* 4. ait, unum accidens non accidere alteri, ſed utrumque accidere ſubjecto. 2. In illo ſubjectantur accidentia, ex cujus potentia educuntur. Atqui relliqua accidentia Euchariſtica nunquam fuerunt educta ex potentia quantitatis ; ergo non ſubjectantur in quantitate : idque nec ante nec poſt conſecrationem. Maj. eſt certa. nam ſecùs tranſirent de ſubjecto in ſubjectum ; nempe de ſubjecto eductionis in ſubjectum inhæſionis. tmi. prob. ex ejus potentia educuntur accidentia, cujus ſunt actus, atqui accidentia Euchariſtica nunquam fuerunt actus quantitatis, ſed materiæ primæ ; vel totius compoſiti ; ergo nunquam fuerunt educta ex potentia quantitatis. 3. Raritas & denſitas non poſſunt eſſe in quantitate poſt deſitionem materiæ : ergo nec cætera accidentia. Ant. prob. quia ratum eſt, quod habet parum de materia ſub magnis dimenſionibus : denſum eſt, quod habet multum de materia ſub parvis dimenſionibus. Atqui poſt deſtructionem materiæ nec parum, nec multum habent de materia ; imò nihil habent, ergo &c. Reſpondeo ad primum Ariſtotelem in eo *cap. de ſubſt.* plus non velle, quàm eſſe proprium ſubſtantiæ, ut ſit primum ſubjectum *quod* omnium accidentium, etiam ipſius quantitatis. Et hoc nulli alteri poteſt competere. Similiter illa verba ex 4. *Metaph.* intelligi debent de ſubjecto *quod*. Ad ſecundum diſt. maj. in illo ſubjectantur accidentia tanquam in ſubjecto *quod*, vel *quo*, ex cujus potentia educuntur, conc. tanquam in ſubjecto *quod*, ſubdiſt. Si ex ejus potentia tanquam ſubjecti *quod* educantur, conc. ſi tanquam ſubjecti *quo*, neg. maj. diſt. mi. nunquam fuerunt educta ex potentia quantitatis tanquam ſubjecti *quod*, conc. tanquam ſubjecti *quo*, neg. mi. & diſt. conſeq. ergo non ſubjectantur in quantitate ut ſubjecto *quod*, conc. ut ſubjecto *quo*, neg. conſeq. Itaque eo ipſo, quod memorata accidentia fuerint educta ex ſubſtantia panis & vini affecta quantitate, etiam fuerunt educta ex potentia quantitatis tanquam ſubjecti *quo*, ipſaque quantitas, licèt ſit actus reſpectu ſubſtantiæ, eſt ſimul potentia reſpectu aliorum accidentium. Hinc ad probat. mi. patet ſolutio. Ad Tertium neg. ant. ad probat. dico, non eſſe de eſſentia raritatis & denſitatis actu habere multum, aut parum materiæ : ſicut non eſt de eſſentia quantitatis actu extendere ſubſtantiam. Utramque proinde poſt deſtructionem materiæ remanere in quantitate, ſivè dimenſionibus, cum connotatione materiæ ſub iis habitæ.

Nunc, quâ ratione quantitas extra ſub- 8

ctum

jectum conservetur, videamus. Cajetanus, Suarez, Vasquez, Gonet, & alii apud illustriss. Reding *Q. 3. a. 2. controv. 1. n. 13.* docent, quantitati communicari à Deo modum quemdam positivum existendi per se, vi cujus subsistat independenter à subjecto, & cæteris accidentibus subsit. In favorem hujus sententiæ sic arguitur primo. Per se existere est effectus formalis realis: ergo provenit formaliter à forma reali. Patet conseq. quia effectus formalis realis haberi non potest sine causa formali reali. Atqui quantitas Eucharistica per se existit; ergo id ei provenit à forma reali. Jam verò forma, cujus effectus formalis est per se existere, vel est ipsamet subsistentia, vel saltem modus existendi per se. Et cùm aliunde quantitas sit incapax subsistentiæ, ille effectus ab alia forma ei non provenit, quam à modo existendi per se Divinitùs communicato. Arguitur secundo. Vel illa quantitas extra subjectum conservatur eadem actione: qua conversabatur in subjecto, vel distincta? Non eadem actione: quia hæc solùm sufficiebat ad conservandam quantitatem cum concursu subjecti. Si distincta: tunc debet habere terminum positivum de novo productum: certè non alium, quàm modum positivum existendi per se. Arguitur tertio. Admisso tali modo quantitas conservatur naturaliter: cùm tamen eo negato conservetur per continuum miraculum; ergo sententia illum astruens aliis præferri debet. conseq. prob. quia hac ratione evitatur multiplicatio miraculorum, quam citra gravem causam, & necessitatem concedere nunquam debemus. Id autem non contingit, si præsens difficultas aliter solvatur.

9 Mihi non placet hæc opinio. Ratio est. Ille modus positivus per se existendi vel est substantialis, vel accidentalis: neutrum potest dici; ergo. maj. ostenditur. nam sicut substantia & accidens adæquatè dividunt ens, ita omnis actualitas, omnis formalitas, modus, realitas vel reducitur ad substantiam, vel ad accidens; atque adeò vel substantialis est, vel accidentalis. mi. prob. inprimis non est modus substantialis, idque ideò; quia non est intra lineam substantiæ. nam neque est materia, neque forma; neque natura totalis ex utraque composita; neque subsistentia, neque existentia substantialis: multò minùs suppositum, vel per se existens ex natura, sive essentia totali & existentia coalitum. Præter hoc autem nihil est assignabile, quod intra lineam substantiæ contineatur. Deinde non est accidentalis. quia rursùs non est intra lineam accidentis. accidens enim, cujus totum esse est inesse, non potest tribuere positivum effectum formalem existendi per se, & independenter à subjecto inhæsionis: atqui ille modus tribuit talem effectum formalem; ergo non est accidens. Quòdsi hic modus dicatur esse ex illo genere extitatularum essentialiter superfluarum, quas in Philosophia damnavimus; etiam ex illo capite apud nos nihil hic invenit patrocinii. Ut verò mentem meam paucis aperiam,

Dico secundo. Positis negatione inhærentiæ actualis, & concursu Dei conservativo speciali, quantitas per se existit sua propriâ existentiâ, qua existebat in substantia. Ita Joann. à S. Th. Philippus à SS. Trinit. Reding & alii, Ratio conclusionis est: quia positis præcisè memoratis obliquis, & cæteris omnibus ablatis, existentia priùs habita quantitatem separatam satis intelligitur se ipsa formaliter reddere existentem independenter à subjecto, ita ut omne aliud positivum, quod ad hoc præstandum superaddideris, sit superfluum: sicut patebit ex solutione argumentorum. Confirmatur. Quotiescunque producitur nova existentia, etiam producitur nova essentia. Nam hoc est munus inabdicabile creatæ existentiæ, ut, dum incipit, essentiam formaliter ponat extra causas. Atqui, dum quantitas Eucharistica incipit per se existere, ejus essentia non producitur; sed solùm aliter conservari, quàm priùs conservabatur, incipit: ergo nec aliqua nova existentia illius producitur. Atqui illa forma, sive modus, vi cujus quantitas, ut volunt Doctores adversi; in statu separationis per se existit, est nova quædam existentia illius; ergo non producitur: ergo nihil positivum intrinsecum de novo communicatur quantitati, quo reddatur independenter à subjecto existens. 10

Ad primum ex argumentis contrariis fateor, per se existere esse effectum formalem realem, & provenire à forma reali, idque etiam in quantitate separata contingere. Dum dicitur, formam, cujus effectus formalis est per se existere, vel esse ipsammet subsistentiam, vel saltem modum existendi per se, id concedo de forma, cujus effectus formalis est per se existere positivè, & nego de forma, cujus effectus formalis est per se existere negativè. Positivè per se existit, quod excludit omnem existentiam in alio tanquam in subjecto inhæsionis tam actualem, quam aptitudinalem. Negativè per se existit, quod excludit quidem existentiam in alio tanquam in subjecto inhæsionis actualem non tamen aptitudinalem. 11

Pri-

Primus modus existendi per se convenit omni & soli substantiæ, estque effectus formalis solius subsistentiæ. Secundus modus existendi per se convenire potest etiam accidentibus, & actualiter convenit quantitati Eucharisticæ, eique ut effectus formalis tribuitur à propria existentia, positis, quas num. præced. requisivimus, conditionibus. Ad secundum dico, actionem conservativam quantitatis separatæ esse aliquo modo diversam à se ipsa ut conservativa illius in subjecto, & importare quid majoris, & specialioris influxus. Inde tamen non sequitur, aliud positivum per illam de novo debere produci. Est enim actio tantùm conservativa producti, non autem productiva. Ad tertium nego Ant. nam sicut ille modus miraculosè produceretur, ita etiam miraculosè deberet conservari: cùm esset aliquid contra naturam quantitatis. Unde illo quoque admisso, quantitatem existere absque subjecto esset continuum miraculum.

§. III.

An, & quomodo ex Speciebus sacramentalibus generari possit aliqua substantia?

SUMMARIUM.

12. *Ratio præsentis difficultatis.* 13. *Referuntur variæ sententiæ.* 14. *Ostenditur, ex speciebus Eucharisticis posse generari substantiam.* 15. *Nostra solutio propositæ difficultatis.* 16. *An materia, dum generatur substantia ex speciebus, sit prævie dispositа?* 17. *Quomodo hæc generatio sit nutatio?* 18. *An distinguatur realiter ab alteratione prævia?* 19. *An in illa simul fiat corruptio substantialis?* 20. *An corrumpatur quantitas?* 21. 22. 23. 24. 25. *Crisis sententiarum in num.* 13. *relatarum.*

12 MAnifestum est, corruptis accidentibus Eucharisticis novam quandoque succedere substantiam. Nam videmus, inde oriri vermes; si nimia humiditate putrescant; cineres, si admoto igne comburantur: aceti quoque dissolutis per varias alterationes vini speciebus incipere, negari non potest. Verùm contra evidentem hanc sensuum experientiam insurgit ratio, dubiumque movet non leve, quomodo talium substantiarum productio dici possit vera generatio? Argumentum, quod intorquet, hoc est. Fatentur omnes Philosophi, id, quod generatur, debere ex aliqua materia generari. Nam ex nihilo nihil fieri potest per generationem; sed per solam creationem. Rursus autem fatentur omnes Catholici, in S. Eucharistia nullam reperiri materiam, præter materiam Corporis Christi. Hoc verò est inalterabile, & incorruptibile, & consequenter nihil ex ejus materia generabile. Jam dic mihi, quomodo ergo ex speciebus sacramentalibus verè & propriè generari possit aliqua substantia?

13 Hæc difficultas Theologos in varias sententias distraxit. Nam in primis quidam veteres apud D. Thomam 3. p. Q. 77. a. 5. dixerunt, talem generationem fieri non ex speciebus, sed ex aere circumstante. Deinde Alexander de Ales, ut refert Reding, docuit, substantiam panis & vini miraculosè redire, atque ex ea gigni vermem aut ignem aut aliam substantiam. Vasquez disp. 195. cap. 3. existimat, novas ejusmodi substantias, quæ nonnunquam videntur generari ex speciebus consecratis, non produci ab agente creato, sed creari à solo Deo. Ferrariensis, Capreolus, Ægidius, & Henricus tenuerunt, eas substantias generari ex quantitate Eucharistica, ita ut hæc non tantùm agat vices materiæ in recipiendo dispositiones prævias; sed insuper sit subjectum, ex quo educatur forma substantialis compositi noviter geniti, idque constet sola quantitate, & forma substantiali educta ex potentia quantitatis. Hispalensis, & quidam recentiores Thomistæ, quos refert Gonet disp. 6. a. 4. arbitrantur, vermes v. g. qui in S. Eucharistia producuntur, non ab agente naturali generari propriè, sed quantitatem post introductas in eam dispositiones à Deo miraculosè converti in talia composita substantialia. De his opinionibus judicium feremus postea. Nunc

14 Dico primo. Ex speciebus sacramentalibus potest generari aliquid substantiale. ita D. Thomas loc. cit. Probatur. Ubi datur corruptio, etiam datur generatio: ut dicitur in 1. *de Generat.* Sed in speciebus Eucharisticis sæpè datur corruptio; ergo & generatio. Atqui non solùm generatio accidentalis; ergo substantialis: ergo generatur aliquid substantiale. Hæc & ratio D. Thomæ, quæ fundatur in experientia. *Non enim sic corrumpuntur* (ait art. cit. de speciebus sacramentalibus) *ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur; sed manifestè aliquid sensibile eis succedit.* Succedunt autem, ut num. 13. advertimus, veræ substantiæ. Accedit, quòd homo ex speciebus consecratis nutriri, sustentarique possit: sed hoc argumento est, eas posse transire in substantiam nutriti, adeoque ex illis partes substantiæ generari: ergo. Dices. Duo quidam Sacerdotes, ut narrat Guilielmus Parisiensis; erant palato tam delicatô, ut omnes alios cibos nausearent, statuerentque, solis speciebus consecratis victitare. Tentârunt hoc reipsa sed infeliciter. Nam brevi post ambo sunt mortui. Ex quo patet, species Eucharisticas non esse aptas ad nutriendum. Respondeo, mortem memoratis Sacerdotibus vel ideo fuisse acceleratam,

quòd solus panis non esset cibus eorum temperamento salubris: vel in pœnam temeritatis, qua ausi sunt ob finem tam inordinatum tantum panis consecrare. Unde non colligitur ex hac narratione, species esse ineptas ad nutriendum.

15 Dico secundo. Quando ex speciebus sacramentalibus generatur vermis v. g. vel ignis, Deus producit materiam primam, ex cujus potentia agens naturale educit formam substantialem. Ita Philippus à S. S. Trinit. Gonet, Reding, Mezger Tract. 17. disp. 32. a. 2. §. 2. n. 8. & alii Thomistæ. Prob. Quando positæ sunt omnes dispositiones inceptionem novi compositi substantialis connaturaliter exigentes, causæque secundæ in aliquo ad ejus esse necessario deficiunt, hujusmodi defectum Deus supplet. Atqui in nostro eventu positæ sunt omnes dispositiones inceptionem novi compositi substantialis, videlicet vermis aut ignis, connaturaliter exigentes, causæque secundæ in aliquo ad ejus esse necessario deficiunt: ergo hunc defectum Deus supplet. mi. Quoad primam partem supponitur: quoad secundam videtur etiam certa. Nam causæ secundæ non possunt producere materiam primam, quæ tamen ad eductionem formæ, & constitutionem compositi, cujus inceptionem illæ dispositiones connaturaliter exigunt, simpliciter necessaria est: velut amplius ex dicendis constabit: ergo causæ secundæ in aliquo ad esse novi ejusmodi compositi necessario deficiunt. Maj. verò ostenditur exemplô generationis humanæ, in qua positis omnibus dispositionibus inceptionem hominis connaturaliter exigentibus, Deus creat animam rationalem ad esse hominis intrinsecè necessariam, à generante tamen improducibilem, atque adeò defectum impotentiamque generantis supplet. Cum itaque Deus in eo suppleat defectum causarum secundarum, in quo deficiunt; hìc autem deficiant in non producendo materiam ad inceptionem novi compositi exactam, Deus hunc ipsum defectum producendo, subjiciendoque materiam formæ educendæ supplet. Jam verò, quòd agens naturale in eodem instanti, quo producitur materia, ex hujus potentia educat formam substantialem, planè est asserendum. Nam & continet illam sufficienter in sua virtute productiva, & ad suam activitatem in ea materia exercendam debitè applicatum supponitur.

16 Verùm contra instabis primo. Agens naturale nullam formam substantialem educit, nisi ex materia prævièdispositâ: sed materia à Deo in dicto instanti producta non est prævièdisposita. Quia toto illo tempore, quo duravit alteratio corruptiva, & inductiva dispositionum, non fuit: ergo agens naturale nullam ex ea materia formam substantialem educit. Respondeo dist. maj. nullam formam substantialem educit, nisi ex materia prævièdispositâ, vel formaliter in se ipsa, vel virtualiter in aliquo æquipollenti, conc. nisi ex materia prævièdispositâ formaliter in seipsa, neg. maj. dist. mi. illa materia non est prævièdispositâ formaliter in se ipsa, conc. virtualiter in aliquo æquipollenti neg. mi. & conseq. Cùm enim de æquipollentibus sit eadē ratio, idemque judicium, ut inquit Cajetanus, ut materia memorata dicatur prævièdispositâ; satis est, eam præcessisse in aliquo æquipollenti, in quantitate nimirum, quæ in recipiendo alterationem & dispositiones prævias gerit vices illius toto tempore instans generationis antecedenti. De cætero hoc argumentum probat ad summum, hanc eductionem non esse omnino connaturalem, & ordinariam.

17 Instabis secundo. Generatio substantialis est essentialiter mutatio substantiæ in potentia in substantiam actu: ubi per substantiam in potentia intelligitur materia constituta sub privatione formæ. Ergo productio novæ substantiæ, de qua hactenùs fuit sermo, non est generatio substantialis. Conseq. prob. In eo instanti reali, in quo producitur à Deo materia, jam est forma vermis in illa: ergo hæc materia ante instans reale, quo incipit novum compositum, non est constituta sub privatione formæ. Ergo productio substantiæ vermis non est mutatio substantiæ potentiâ in substantiam actu. Ergo non est generatio substantialis. Respondeo ex Redingo in materia sic producta non quidem dari formaliter privationem formæ tunc educendæ, dari tamen in illa propter essentialem indifferentiam ad quamvis formam substantialem pro priori naturæ fundamentum ejusmodi privationis, quæ etiam resultaret infallibiliter, nisi per formam subitò, atque instantaneè eductam excluderetur. Itaque per substantiam in potentia in definitione generationis substantialis intelligitur materia constituta sub privatione vel formaliter vel fundamentaliter; non autem formaliter determinatè. Ex quibus ad argumentum conc. ant. neg. conseq. in probat. conc. ant. & prima conseq. nego reliquas. Ratio patet ex dictis.

18 Instabis tertio. Generatio substantialis, sicut docuimus in Philosophia, realiter distinguitur ab alteratione prævia: ergo etiam generatio substantiæ ex speciebus Sacramentalibus realiter distinguitur ab alteratione corruptiva illarum, & omni prævia dispositionum introductione. conseq. negari non potest à nobis propter rationes, quas ibi adduximus; idem de hac, quod de aliis generationibus, probantes. Jam sic. Dici non potest, in quonam subjecto recipiatur memorata generatio: ergo malè asseritur. Ant. ostenditur. Vel enim recipitur in quantitate panis & vini; vel in novo compo-

compositò vermis, Aceti &c. vel in materia prima tunc à Deo producta? nihil horum affirmari potest; ergo maj. est certa: quia nullum aliud subjectum illius excogitari potest. mi. prob. Non in quantitate panis, aut vini; quia hæc in instanti illius generationis non ampliùs datur in rerum natura. Non in novo composito: quia hoc est posterius naturæ generatione, eamque supponit. Non in nuda materia prima. Quia hæc non est subjectum ullius accidentis in Thomistarum sententia, ne priùs recipiat actum secundum, quam primum. Respondeo, doctrinam illam, quæ in Philosophia placuit, etiamnum placere. Itaque concedo, hanc quoque generationem, de qua modo disputamus, ab alteratione prævia, & introductione dispositionum distingui realiter: subjectum verò propter fundamenta ibi adducta illi assigno materiam primam. Ad rationem in contrarium respondeo ex dictis eo loco, eam procedere, si velit, materiam primam non esse subjectum immediatum ullius accidentis compleri; non autem: si velit, non esse subjectum ullius accidentis incompleti, transeuntis & vialis, quale est generatio substantialis. quod enim tale est, non est semper actus secundus propriè loquendò: sed quando petit essentialitet præcedere actum primum ceu via, & transitus ad ipsum, potiùs reduci debet actum primum. Atque ita se habet generatio substantialis.

19 Instabis quarto. Ubi est generatio substantialis, ibi est corruptio substantialis: Sed dum destruuntur species sacramentales, nulla adest corruptio substantialis; ergo nec generatio substantialis. mi. est certa. Quia sub speciebus nulla est substantia, præter corpus & sanguinem Christi, quæ sunt incorruptibilia: ergo nulla adest substantia corruptibilis: ergo nulla corruptio substantialis. Maj. inde fit manifesta: quòd inter generationem, & corruptionem debeat reperiri proportio, ita, ut si corruptio sit tantùm accidentalis, etiam generatio sit tantùm accidentalis, si corruptio sit substantialis etiam generatio sit substantialis: sicut patet inductione in omnibus, ipsaque natura utriusque mutationis exigit. Respondeo, dist. maj. ubi est generatio substantialis, ibi est corruptio substantialis, vel formaliter vel virtualiter, conc. formaliter semper, neg. maj. dist. mi. nulla adest corruptio substantialis formaliter, conc. virtualiter, neg. mi. & conseq. Corruptio specierum sacramentalium est ejus naturæ, ut substantia panis & vini, si adesset, illa corrumperetur; eamque non adesse sit merè per accidens. Quare licèt formaliter sit corruptio accidentalis, virtualiter tamen est substantialis. Et hinc ad probat. mi. patet solutio. Ad probat. maj. dico, proportionem inter generationem & corruptionem in nostro casu sufficienter salvari, dum asserimus, corruptionem oportere esse substantialem vel formaliter, vel virtualiter, quando generatio est substantialis. Corruptio specierum esto non sit substantialis formaliter, est tamen substantialis virtualiter, consequenter etiam generatio, quæ illam comitatur est substantialis.

Instabis quinto. Ut agens naturale me- 20
dia eductione formæ ex materia gignat substantiam vermis, oportet, ut simul quantitatem panis corrumpat: sed hoc non potest ullum agens naturale, ergo maj. videtur certa: quia destructis accidentibus cæteris, quæ erant in quantitate, & generatione novi compositi peracta, non est ulla ratio, ob quam illa sola remaneat. mi. prob. illa quantitas neque potest desinere per corruptionem sui, quia non est in aliquo subjecto: ergo agens naturale illam non potest corrumpere. Conseq. constat. quia non supereſt alius modus corrumpendi, quàm efficere, ut res vel desinat in se ratione contrarii, vel ut desinat per corruptionem subjecti. Annihilare autem, ut suprà vidimus, creatura penitùs non potest. Respondeo conc. maj. neg. mi. ad probat. dico, quantitatem ab agente naturali corrumpi ea corruptione, quam num. præced. corruptionem virtualiter substantialem vocavimus, atque adeò virtuali corruptione subjecti. hæc enim eo ipso, quòd ita se habeat, ut corrumperet substantiam panis & vini, si adesset; etiam ita se habet, ut corrumperet quantitatem, si in illa substantia reciperetur. Deinde hæc quantitas in eo instanti à Deo formaliter destruitur. Deus enim post introductas omnes dispositiones substituit materiam primam per conversionem quantitatis in ipsam: quemadmodum docuit S. Thomas. Ratio est: quia sic Philosophandò res explicatur secundùm modum magis connaturalem, dum salvatur, id, quod remanet de substantia panis, vel vini, esse subjectum formæ eductæ non quidem immediatum, sed mediatum saltem mediante materia, in quam est conversum. Cæterum materia prima, in quam Deus convertit quantitatem, est illa ipsa, quæ ante consecrationem erat sub forma panis & vini. Ratio est: quia formæ, quæ generantur corruptis speciebus consecratis, habent majorem convenientiam cum materia, quæ fuerat panis & vini, quàm cum alia: ergo meritò dicimus, illammet materiam, quæ erat panis & vini, per memora am conversionem redire. Conseq. videtur legitima. Ant. constat experientiâ, qua deprehendimus, easdem omnino formas corruptis speciebus generari, quæ generarentur, si adesset substantia panis & vini: videmus enim, ex speciebus panis generari formam Vermis; ex speciebus vini formam aceti, quæ ipsæ generarentur præsentibus substantiis panis & vini, atque ex earum materia educerentur. Ex hactenùs dictis.

21 Colligitur primo, neutiquam persistere illam veterum sententiam n. 13. relatam, qua dixerunt, vermes, acetum, aut alias substantias non generari ex speciebus sacramentalibus sed ex aere circumstante. Ratio est primo: quia omnis generatio substantialis præsupponit in eo, ex quo fit, alterationem corruptivam, & inductivam dispositionum: atqui generatio vermis aut aceti nullam præsupponit ejusmodi alterationem in aëre circumstante; ergo ex illo non fit. Secundo. Quia si magna est copia specierum, magna quoque copia vermium, cinerum vel aceti generatur. Quis autem percipiat, adeò subtile rarumque corpus aëris esse aptum, ut ex eo corrupto, hujusmodi densa atque terrestria corpora, & quidem valdè copiosè, gignantur? Tertio si species Eucharistiæ solidis quoque corporibus, ut auro, vel argento, inclusæ corrumpantur, etiam similes generationes deprehenduntur. In quo sanè eventu novæ substantiæ neque ex aëre (quia nullus circumstat) neque ex auro, vel argento (quia manent incorrupta, ut priùs) generantur. Ex speciebus proinde corruptis generentur, necesse est.

22 Colligitur secundo, memoratas generationes non fieri ex substantia panis & vini miraculosè redeunte. Ratio est: quia vel substantia panis & vini redit ante corruptionem specierum, vel illis jam corruptis? si ante corruptionem; sequitur, substantiam panis & vini simul esse cum corpore & sanguine Christi. nam quamdiu manent species consecratæ, tamdiu sub illis est corpus & sanguis Christi: sed conseq. non potest dici, ne admittatur in S.S. Eucharistia consubstãtiatio. Si redeat post corruptionem, sequitur, substantiam panis & vini existere spoliatam omnibus suis accidentibus. Et licèt fortè non repugnet, generationem earum substantiarum fieri per absolutam Dei potentiam ex pane & vino ita spoliato suis accidentibus; id tamen impræsentiarùm asserendum non est; quia satis ostendimus, alio, eoque naturali modo posse ex speciebus Eucharisticis novum compositum generari.

23 Colligitur tertio, tales substantias non produci à solo Deo per creationem. Tum, quia S. Th. expressè docet contrarium. Tum, quia non debet recurri ad creationem, quamdiu ostendi potest, effectum aliquem fieri per generationem: sed nos hactenùs ostendimus, substantias, quæ producuntur corruptis speciebus sacramentalibus, fieri per generationem: ergo non est recurrendum ad creationem. Dices. In omni generatione substantiæ, cujus forma est entitativè materialis, forma educitur ex materia: sed hoc non contingit in productione vermis, aut cineris post corruptionem specierum sacramentalium; cùm tamen sint substantiæ, quarum formæ sunt entitativè materiales; ergo earum productio non est generatio: ergò est creatio. Ma. est certa mi. prob. ut forma educatur ex materia, necesse est, ut materia sit priùs tempore sub privatione illius: sed materia, quæ corruptis speciebus reproducitur, non est priùs tempore sub privatione formæ vermis aut cineris; sed in eodem instanti, in quo primo est, sub illa forma est: ergo vera est mi. quæ fuerat probanda. Respondeo conc. maj. neg. mi. in hujus probat. neg. maj. Ratio est: quia, ut forma quæpiam dicatur educi, sufficit, eam in fieri dependere à subjecto tanquam à causa materiali extrinseca: quod totum haberi potest, tametsi subjectum nunquam fuerit sub privatione illius. Sicut in Philosophia dixi de eductione formarum cœlestium ex materia, & gratiæ sanctificantis ex substantia Angelorum. Unde subjectum præcedere sub privatione formæ non est conditio necessaria ad salvandum essentialem conceptum eductionis. Urges. Ad omnem mutationem requiritur, ut ejus subjectum sit priùs sub privatione formæ: sed omnis eductio est necessariò mutatio; ergo ad eductionem requiritur, ut subjectum sit priùs sub privatione formæ. Respondeo conc. maj. neg. mi. Nam ratio eductionis potest inveniri separata à ratione mutationis: ut patet in allatis exemplis. Quòdsi eductio sit simul mutatio, qualis est etiam eductio formæ vermis ex materia panis à Deo reproducta, postulat quidem, ut subjectum sit priùs saltem naturâ sub privatione fundamentaliter, ut dictum est num. 17. non quatenùs eductio, sed quatenùs mutatio est.

24 Colligitur quarto, formam vermis v. g. non educi ex potentia quantitatis, atque in ea receptam unà cum quantitate intrinsecè constituere novum compositum vermis. Ratio est primo. Forma vermis non continetur in potentia quantitatis: ergo ex illa non educitur. conseq. pater. ant. prob. nam actus proprius materiæ primæ non continetur in potentia quantitatis: sed forma vermis; sicut omnis alia substantialis, est actus proprius materiæ primæ; ergo non continetur in potentia quantitatis. Neque dici potest, quantitatem divinitus elevari, ut contineat formam substantialem vermis. Nam est contra rationem subjecti, & causæ materialis elevari ad continendam & recipiendam formam, quam ex se non continet, aut non potest recipere; sicut est contra rationem formæ elevari, ut tribuat effectum formalem, quem ex se tribuere non potest. Adde, quòd agens naturale non possit educere naturaliter formas in subjecto non contentas naturaliter: sed forma vermis in ea Hypothesi non contineretur in subjecto naturaliter, ergo agens naturale eam non posset educere. mi. constat. maj. ex eo colligitur, quòd sola potentia passiva naturalis, & quæ in ea continentur naturaliter, sint intra limi-

tes

tes agentium naturalium. Ratio est secundo. Omne corpus physicum, & intra prædicamentum substantiæ intrinsecè & essentialiter constituitur ex materia & forma: sed vermis est ejusmodi corpus; ergo intrinsecè & essentialiter constituitur ex materia & forma: ergo dum generatur, necessariò debet ad esse materia, ut ex ejus potentia educatur forma, & unitis utriusque entitatibus novum compositum coalescat. Confirmatur. Compositum per se fit ex actu & potentia: vermis est compositum per se; ergo fit ex actu & potentia. Sed quantitas & forma substantialis non se habent ad invicem ut actus & potentia: ergo ex quantitate & forma substantiali non fit compositum per se: ergo ex eis non fit compositum vermis.

25 Colligitur quinto, quantitatem panis, aut vini non converti miraculosè à Deo in novum compositum ex speciebus consecratis productum. Nam imprimis apertè dissentit D. Th. 4. cont. gent. c. 66. Ratio quoque ex dictis est: quia, dum effectus aliquis prudenter tribui potest virtuti agentium naturalium, non est necesse, ut dicatur fieri per miraculum: sed effectus, quos noviter oriri videmus ex corruptis speciebus Eucharisticis, videlicet novæ substantiæ vermium, aceti &c. prudenter tribui possunt virtuti agentiũ naturalium; ut hactenùs probavimus; ergo non est necesse, ut dicantur fieri per miraculum; cujusmodi foret memorata conversio. Dices. D. Th. q. 77. a. 6, asserit, *species sacramentales convertii in substantiam, quæ ex eis generatur.* Ubi nomine substantiæ non intelligit materiã primam; cùm hæc sit ingenerabilis; ergo intelligit totum compositum. Respondeo, S. D. per conversionem hîc intelligere ipsammet actionem agentis naturalis, qua generat novũ compositum. nam omnis generatio est simul conversio. Et hinc etiam ignis generandô ignem ex ligno dicitur lignum convertere in ignem. simili ratione agens naturale generandô vermes, vel acetum ex speciebus Eucharisticis convertit species in vermes vel acetum. Quare sola conversio quantitatis in materiam primam est miraculosa, solique Deo adscribenda; non autem conversio specierum in totum compositum.

§. IV.

Quamdiu Corpus & Sanguis Christi maneant sub speciebus panis & vini.

SUMMARIUM.

26. *Christum in S. Eucharistia permanere etiam extra usum, fide certum est.* 27. *Statuitur, quamdiu permaneat.* 28. *an recedat corpus Christi, dum ad illud accedit indignus?* 29. *an recedat, si species cadunt in cœnum &c.* 30. *an percipiat fructum Sacramenti, qui nihil specierum trajicit in stomachum?* 31. *Resolvitur casus, in quo speciebus miscetur alius liquor non consecratus?* 32. *statuitur, quamdiu Christus maneat in stomacho sumentis.* 33. 34. 35. 36. *Corollaria de miraculosis apparitionibus in S. Eucharistia.* 37. *Quid tunc agendum esset celebranti?*

FIde divina certum est, corpus Christi sub speciebus panis permanere, ac durare post absolutum sacrificium, quamvis non consumatur à fidelibus. Contrarium sentiunt nostrorum temporum Hæretici, dum asserunt, Christum non esse in Sacramento altaris permanenter, sed solùm in ipso usu, quando ad communicandum accipitur. Atque hinc docent, Eucharistiam neque conficiendam esse, nisi statim sit consumenda; neque servandam in altari; neque per plateas circumgestandam; neque adorandam saltem extra usum. Hanc hæresin cudisse perhibetur Bucerus: quam postea Lutherani omnes amplexi sunt. Et quamvis Lutherus ipse, ut ostendit Contenson ex libro illius ad Waldenses, aliquando non improbaverit. Catholicam sententiam de permanentia Eucharistiæ, suasu tamen Buceri ab eo dogmate recessisse, & præsentiam Corporis Christi in sola cœnæ actione, usuque agnovisse dicitur. Sed damnavit hunc errorem Trid. Conc. sess. 13. cap. 3. & 6. & can. 4. & 7. suppositâ proin veritate Orthodoxa, 26

Dico. Christus tamdiu manet sub speciebus Eucharisticis, quamdiù retinent illud temperamentum, cum quo substantia panis & vini connaturaliter permaneret, si adesset: dissoluto autem eo temperamento, & speciebus ita mutatis, ut sub illis substantia panis & vini naturaliter remanere non posset, Christus sub iis desinit existere. Ita cum D. Th. q. 77. a. 4. communiter Theologi. Ratio est: quia Christus est præsens in Eucharistia vi veritatis verborum, quibus panis & vinum consecratur. Ergo quamdiu hæc veritas moraliter manet, tamdiu manet in Eucharistia præsens corpus & sanguis Christi. Atqui veritas verborum Consecrationis tamdiu moraliter manet, quamdiu species retinent temperamentum pani & vino connaturale; hoc autem dissoluto veritas verborum consecrationis non ampliùs moraliter manet; ergo Christus tamdiù est præsens in Eucharistia, quamdiù species retinent temperamentum connaturale pani & vino, id est, tale, sub quali substantia panis & vini naturaliter remaneret; illo autem temperato dissoluto non ampliùs est præsens. Subsumpt. prob. tamdiù veritas verborum consecrationis moraliter manet, quamdiu verum est, species post consecrationem remanentes esse species panis & vini: sed hoc 27

tam.

tamdiù verũ est, quamdiù species retinent illud temperamentum, & non ampliùs verum est, eo dissoluto; ergo veritas verborum consecrationis tamdiù moraliter manet, quamdiu species retinent temperamentum connaturale substantiæ panis & vini. ml. constat. maj. prob. Nam verba consecrationis significant, hoc contentum sub speciebus panis & vini esse corpus & sanguinem Christi. Atqui hæc veritas tamdiù moraliter manet, quamdiu verum est, species esse species panis & vini; ergo veritas verborum consecrationis tamdiu moraliter manet, quamdiu verum est, species esse species panis & vini. Ex his

28 Colligitur primo, errâsse eos hæreticos, qui dixerunt, indignè quopiam ad S. Eucharistiam accedente illicet Christum desinere sub speciebus esse præsentem, & substantiam panis redire ante sumptionem. Ratio est: tum quia hoc apertè pugnat contra illud Apostoli 1. Corinth. 11. *qui indignè manducat & bibit &c.* nam qua ratione indignè quis manducat corpus, & indignè bibit sanguinem Christi, si nihil horum adsit, quando ad manducandum, & bibendum accedit, sed totum recesserit? tum, quia in prima statim hujus Sacramenti institutione hæresis ista fuit damnata: cùm in ultima cœna, sicut testantur S. S. P. P. Judas quoque manducaverit corpus Christi procul dubio indignissimus. Tum, quia Christus, ut diximus, tamdiu manet sub speciebus Eucharisticis, quamdiu hæ retinent temperamentum connaturale pani, & vino: sed id non minùs retinent accedente indigno, quàm accedente digno; ergo.

29 Colligitur secundo, falsam esse sententiam illorum, qui tenuerunt recedere corpus Christi si species cadant in lutum; si pollutis manibus contrectentur; si à muribus, vel aliis animalibus brutis devorentur. Item aliorum asserentium, corpus Christi recedere, antequàm species trajiciantur in stomachum, licèt sub eis manear, dum adhuc existunt in ore, & gutture manducantis. Ratio ex dictis est: quia corpus Christi non recedit, antequàm species ita sint alteratæ, ut sub eis non posset naturaliter conservari substantia panis; atqui per omnes illas injurias, & actiones non ita alterantur; ergo corpus Christi ratione illarum non recedit. Deinde, si contingat, ut species ab ægroto ejiciantur per vomitum, ex usu Ecclesiæ adorantur ceu verè continentes corpus Christi, quando sunt adhuc tales, ut sub eis substantia panis posset existere. Demum: ex posteriori sententia sequitur, neque corpus Christi verè manducari, neque sanguinem ejus verè bibi; contra illud Joan 6. *qui manducat meam carnẽ & bibit meum sanguinem &c.* nam aliquid manducare, aut bibere non solùm est illud ore sumere, & gustare, aut dentibus terere, sed insuper deglutire, & in stomachum trajicere. Unde

Colligitur tertio, eum, qui tamdiu hostiam in ore retinet, donec species corrumpantur, ita, ut nihil earum transmittat in stomachum non obtinere effectum Sacramenti ex opere operato. Similiter neque ille perciperet gratiam sacramentalem, qui sumptaEucharistia moreretur, antequàm species pertingerent ad stomachum. Bonac. de Sacram. disp. 4. Q. 4. pu. a. n. 2. Rẽding Q. 6. a. 1. controv. 3, n. 13. Ratio est: quia Christus non nisi manducanti suum corpus promisit effectum Sacramenti: *qui manducat me, vivet propter me*: atqui dicto modo retinens in ore hostiam, aut moriens antequàm species trajiciat in stomachum non mãducat corpus Christi, nisi solùm inchoativè; ergo 30

Colligitur quarto, quid sit dicendum circa casum, in quo speciebus consecratis miscetur alius liquor non consecratus. Si liquor sit naturaliter corruptivus vini, & infundatur speciebus consecratis modicæ quantitatis, adeoque corrumpat temperamentum earum vino connaturale, palàm est Christum ibi non ampliùs manere. Quòdsi liquor non sit corruptivus vini (putà, si & ipse sit vinum) verius est, Christum non recedere, licèt in magna quantitate misceatur speciebus consecratis etiam modicæ quantitatis. Vasquez tomo 3, in 3. P. disp. 196. c. 6. n. 93. Lugo de Eucharistia disp. 10. sect. 3. n. 41. & Theologi communiùs. Ratio est: quòd vi mixtionis vulgariter dictæ qualis hæc est, non ita immutentur accidentia, ut sub eis naturaliter non subsisteret substantia vini, eo ipso, quòd non adsit agens corruptivum illorum. Et satis colligitur ex c. *cùm Marthæ. de celebrat. Missar.* ubi dicitur, si aliud vinum infundatur speciebus consecratis, id manere quidem mixtum cum illis; non tamen esse consecratum quoad partem de novo infusam. Itaque tale vinum propter periculũ sacrilegii reverenter haberi & ad Missæ Sacrificia asservari oportet: quemadmodum docet Gobat. in Theolog. experiment. Tract. 3. sect. 2. n. 57. Ex eodem fundamento Lugo in Respons. Moral. negat, ablutionem calicis in natali Domini posse bibi à non Sacerdote. Nam fieri non potest, ut in illa non aliquid remaneat de speciebus consecratis. Quòdsi gutta consecrata laberetur in integrum dolium vini, id omne adhibendum esset tantùm ad sacrificium: ut habet Busenbaum lib. 6. tract. 8. c. 1. dub. 7. n. 6. nonnulli tamen existimant, posse bibi etiam à Laicis. 31

Colligitur quinto, quamdiu Christus maneat sub speciebus in stomacho. Tamdiu nempe, donec amittant temperamentum panis, aut vini proprium. Sed hoc ipsum quamdiu retineat? quæritur. Peritissimi Medici urbis Romæ, quos consuluit de Lugo, uti refertur sect. cit. n. 45. re probè discussa responderunt, particulam communem, quæ Laicis ad communicandum præberi solet, præbendõ regu- 32

regulariter, & de stomacho mediocriter forti, intra horæ minutum, id est, sexagesimam horæ partem, posse corrumpi. Ratio illorum erat: quia, ut placet Medicis, calor naturalis potest singulis horis duas uncias solidi cibi consumere. quod probari aiebant ex diæta veterum una die 48. uncias solidi cibi sumere solitorum, ut videlicet singulis horis binæ unciæ correspondèrent, quas stomachus intra id spatium concoqueret. Jam verò ea particula ne quidem sexagesimam partem duarum unciarum æquat. Qua proportione & comparatione observata ultra horæ minutum durare incorrupta planè non videtur. De majori hostia & speciebus vini, quas in Sacrificio sumit Sacerdos, censuerunt ii Medici, illas corpus & sanguinem Christi non continere ultra semiquadrantem horæ. Hinc patet, homini sano quadrante post sumptam Eucharistiam esse licitum provocare, & exscreare phlegmata. Post horam potes etiam vomere, ut vult Tambur. in Methodo exped. Comun. §. 4. citra periculum irreverentiæ. Sed quare non multo priùs si vera est doctrina quam Cardinalis de Lugo ex Romanis Medicis attulit?

33 Colligitur sexto, in miraculosis apparitionibus, quæ interdum contingunt, v. g. quando in hoc Sacramento appáret caro, sanguis, vel puer; tamdiu adesse Christum, quamdiù accidentia ad permanentiam substantiæ panis & vini necessaria manent incorrupta. Ratio patet ex dictis. Porrò de similibus apparitionibus universim servandæ sunt regulæ, quas tradit D.Th. Q. 76. a. 8. Prima est. Quando quid simile videtur ab uno tantùm, aliis intuentibus Sacramentum sicut priùs: vel quando talis apparitio durat brevi tempore, id argumento est, totam mutationem se tenere ex parte oculi, speciebus sacramentalibus nihil mutatis. Unde sub his manere tunc Christum planè tenendum est. Secunda est. Quando apparitio cunctis eodem modo accidit, & quidem per longum tempus, ipsæmet species in se verè & realiter immutantur, ita, ut accipiant figuram carnis, sanguinis, puelli, vel similem. In quo eventu, si remaneant dimensiones, & temperamentum idoneum ad conservandam substantiam panis, aut vini, similiter præsumendum est Christum remanere. Si non remaneant illæ dimensiones, & temperamentum proprium substantiæ panis & vini; Corpus & Sanguis Christi non remanet. Atque ex his

34 Patet primo, quando in Eucharistia apparet species carnis, aut sanguinis, non videri à nobis veram carnem aut verum sanguinem Christi, sed aliquid, quod ea repræsentet. Ratio est: quia in ejusmodi casibus apparet caro ceu frustillatim concisa, & sanguis tanquam effusus: atqui nec caro nec sanguis Christi hodie possunt esse talia; cùm ipse sit immortalis & incorruptibilis; ergo. Idem ob eandem rationem senti, quando Christus in hoc Sacramento apparet specie quidem humana sed corpore sanguinolento & vulneribus conscisso. Hinc etiam, quando ex perfossis hostiis manat cruentus aliquis liquor, prout fateri solent interdum sagæ; & constat ex historiis, is nullo modo est verus Christi sanguis, sed alius humor à Deo miraculosè productus.

Patet secundo, menti D. Th. conformius 35
esse, si dicatur Christum in Eucharistia nunquã verè, & realiter videri, in qualicunque demum forma appareat. Ratio est: quia etiam attento fine, ob quem Christus ita solet apparere (videlicet confirmationem fidei, consolationem suorum amicorum, vel reprehensionem indignè sumentium, aut tractantium Sacramentum) omnia, quæ in his apparitionibus contingunt, convenienter explicantur, quin sit opus, Christum realiter & in propria specie videri. Dices. Si Christus in ejusmodi casibus non videtur verè & realiter, fideles decipiuntur. Nam existimant, se videre, quod tamen non vident. Sed conseq. est absurdum; ergo. Respondeo neg. seq. Nam licèt in objecto non reperiatur quod sensui apparet, immutatio tamen sensûs per species in eo productas ordinatur ad aliquam veritatem representandam, nempe ad manifestandum Christum, quatenùs realiter præsentem in hoc Sacramento. *Sed quando simulatio* (inquit D. August.) *ad aliquid verum significandum refertur, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* Itaque Christus non intendit significare, se sub tali forma esse corporaliter præsentem, quod esset decipere; sed se esse, vel fuisse præsentem realiter in Eucharistia; quod est verissimum.

Patet tertio, quando similis mutatio ac- 36
cidit, non debere sumi Sacramentum ita mutatum, sed asservari in loco decente & sacro. Ratio est: tum, quia species, quamdiu manent in tali formâ, non possunt absque horrore sumi, tum, quia in simili eventu non proponuntur sub forma panis & vini, sub quorũ speciebus tantum Christus sumi voluit. tum præsertim, quia est incertum, an ibi sit verè corpus & sanguis Christi. tum, quia sic fert usus Ecclesiæ, & communiter testantur D.D. Hoc autem intelligendum est, quamdiù perseverant sub ejusmodi forma, videlicet carnis, sanguinis, puelli &c. nam si redeant ad priorem, consumi possunt. quia tunc cessant rationes modo allatæ, & signum est, mutationem non in speciebus, sed in oculis esse factam.

Dubitari potest, quidnam agendum esset 37
celebranti, si post consecrationem Sacramentum sub una vel altera specie sic immutaretur? Respondeo. Si in aliqua parte nihil sit immutatum, illud consumi potest, idque sufficiet

ad perfectionem talis sacrificii. Si omnia sint immutata, & quidem mutatione diu permanente, aliqui volunt, ut refert Suarez, novam materiam esse consecrandam, idque ex præcepto divino, quo Sacerdos jubetur consumere Sacramentum. Alii hoc negant. Tum quia sumptio non est de essentia Sacrificii. tum quia Christus videtur in lege, qua sumptio præcipitur, dispensare, eo ipso, quòd Sacramentum constituat in tali statu, in quo sumi non potest. *Consulendum tamen esset Sacerdoti* (inquit D. Th. Q. 82. a. 4. ad tert.) *quod iteratò corpus & sanguinem Domini consecraret & sumeret.* Videantur Suarez disp. 57, sect. 3. Coninck de Sacrament. q. 76. a. 8. dub. 2.

DISPUTATIO VI.

De Sacra Communione.

QUemadmodum convivium reficiendis corporibus paratum, tametsi opiparum sit, solùm prodest vescentibus, ita etiam cælestis mensa, in qua panis Angelorum & Vinum germinans Virgines proponitur, non nisi eos, qui convivæ accumbunt, pascit, nutrit, ac vegetat. Operæ pretium est igitur de ipsa jam in hoc divinissimo sigmate epulandi ratione differere. Eam Græci synaxim; Latini Catholicè communionem appellant: tum, quòd fideles in illa per Communionem corporis & sanguinis Christi cum hoc ceu capite, & secum mutuo copulati in unum Ecclesiæ corpus coagmententur. Tum, quod eisdem solemne sit in unum, communemque locum convenire, ut huic Sacramento, & Sacrificio intersint.

ARTICULUS I.

Quinam possint suscipere SS. Eucharistiam?

SUMMARIUM.

1. *Tres modi suscipiendi S. Eucharistiam.* 2. *Hi soli homini viatori conveniunt.* 3. *solvitur duplex dubium.* 4. *Declaratur pressiùs, quinam, & quibus modis possint suscipere hoc Sacramentum.* 5. *Quid de Catechumenis?* 6. *Quid de infantibus?* 7. 8. *Quid de amentibus?* 9. *Quid de semifatuis?* 10. *Quid de surdis & mutis?* 11. *Quid de energumenis?* 12. *Quid de furiosis?* 13. *Quid de epilepticis?* 14. *Quid de ebriis?* 15. *Quid de pueris rationis usum adeptis?*

1 NOtandum est ex Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. triplicem esse modum suscipiendi seu manducandi Sacramentum Eucharistiæ. Nam primo suscipi potest spiritualiter tantùm: id est, quoad effectum Sacramenti. Ita suscipit homo justus, quando habet ardens desiderium communicandi. Hoc tamen non est propriè Sacramentum suscipere, sed ardere cupidine id suscipiendi. quapropter & D. Th. 3. p. Q. 80. a. 1. ubi recenset modos manducandi corporis Christi, illius non meminit. Quia tamen effectus Sacramenti, hoc est, augmentum gratiæ per illum obtinetur, alii Doctores communiter asserunt, esse modum sumendi Sacramentum spiritualiter. Secundo suscipi potest Eucharistia sacramentaliter tantùm. Hoc fit, quando Sacramentum suscipitur, & ejus effectus non obtinetur. Tali modo suscipit omnis, qui post baptismum in statu peccati mortalis suscipit. Tertio sumi potest Eucharistia sacramentaliter & spiritualiter simul, id est, Sacramentum una cum suo effectu. Hoc contingit, quando communicant homines justi & sancti. Jam

Dico primo. Soli homines viatores pos- 2
sunt aliquo ex prædictis modis suscipere Sacramentum Eucharistiæ. Ita cum D. Th. Q. cit. a. 2. communiter omnes. Ratio est primo. Illi tantùm possunt suscipere Eucharistiam, pro quibus est instituta: sed est instituta pro hominibus viatoribus tantùm; ergo viatores tantùm eam possunt suscipere. Ratio est secundo. Neque Angeli, neque homines comprehensores, neque ulla creatura inferior homine suscipere potest hoc Sacramentum: ergo soli homines viatores id possunt suscipere, consequ. constat. Antecedens ostenditur. Non Angeli; quia isti ne quidem in corpore assumpto possunt exercere manducationem vitalem, quæ ad sumptionem sacramentalem tantùm; aut sacramentalem, & spiritualem simul requiritur: cumque sumptio spiritualis tantùm supponat capacitatem saltem remotam ad sacramentalem, utpote consistens in voto & desiderio manducationis sacramentalis; ad hanc autem neque remota capacitas in Angelis reperiatur, sequitur, Eucharistiam ab illis neque spiritualiter tantùm suscipi posse. Deinde non homines comprehensores: quia hi non sunt capaces effectus Sacramenti, qui est augmentum gratiæ. Quæ ipsa ratio etiam militat contra Angelos.

Non

Non creaturæ inferiores: nam istæ sunt penitùs incapaces tam Sacramenti, quàm effectus Sacramenti. Quamvis autem acciderit, ut animal brutum hostiam consecratam comederit, non tamen comedit sacramentaliter, sed materialiter tantùm: cùm eam non comederit ut practicum signum gratiæ.

3 Verùm hinc duo dubia existunt. Primum: qua ratione Sacramentũ hoc dici possit panis Angelorum, si ab illis manducari nequeat? secundum: quid agendum in casu, quo animal brutum consecratam hostiam comedisse deprehenditur? Ad primum respondeo, ideo sic dici, quòd Angelis primo & principaliter conveniat manducare Christum modo spirituali excellentissimo. Nam illi Christo, quem nos sumimus sub Sacramento, fruuntur, ut est in specie propria, per amorem, & visionem beatam. Unde panis ille secundariò solùm est hominum; primariò verò est Angelorum. Ex hoc tamen non sequitur Angelos spiritualiter manducare Sacramentum. Quia aliud est spiritualiter manducare Christũ, & aliud spiritualiter manducare hoc Sacramentum. videatur D. Th. loco cit. Ad secundum dico, exenterandam, & postea comburendam esse bestiam; species verò inibi repertas servari oportere in sacrario. Amicus disp. 8. sect. 1. n. 3. ubi refert Paludanum.

4 Dico secundo. Homo justus non baptizatus spiritualiter tantùm; baptizatus sed peccati mortalis reus sacramentaliter tantùm: Justus verò baptizatus spiritualiter & sacramentaliter Eucharistiam suscipere potest. Castropalao de Sacram. tract. 21. disp. unica. puncto 10. Dictum continet tria membra. Ratio primi est: quia nemo est capax illius Sacramenti recipiendi, antequàm sit ingressus in Ecclesiam, quod unicè contingit per baptismum: ergo homo non baptizatus non potest Eucharistiam sacramentaliter recipere. cùm verò ante baptismum re ipsa susceptum homo possit esse in statu gratiæ, fieri quoque potest, ut habeat fervens desideriũ susceptô baptismô Eucharistiam recipiendi. quod desiderium, quia procedit ab homine Deo grato, meritorium est augmenti gratiæ, & consequenter Eucharistiæ spiritualis susceptio. Ratio secundi est: quia peccator pro sensu composito status, in quo est, non potest elicere desiderium Eucharistiæ, quo augmentum gratiæ mereatur: ergo non potest Eucharistiam spiritualiter manducare. manducat tamen sacramentaliter, si accedit: quia recipit verè Sacramentum, & in quantum est illi Sacramentum; sed in judicium & condemnationem suam, ut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 2. 11. Ratio tertii est: quia in homine justo baptizato nihil deest, cùm ad Sacramentum verè recipiendum, tum ad consecutionem effectus sacramentalis necessarium: sicuti amplius constabit ex dicendis. Loquimur autẽ per se, & aliis impedimentis corporis non obstantibus. Ex dictis oritur.

Corollarium primum. Catechumeni § quantumvis justi non possunt suscipere Eucharistiam sacramentaliter. Suarez disp. 26. sect. 3. loc. cit. & Theologi communiter. Ratio est: quia ante baptismum nemo est capax alicujus Sacramenti sacramentaliter recipiendi. Baptismus enim est janua in Ecclesiam, & ad Sacramenta Ecclesiæ: imò per Baptismum homo recipit characterem, qui est potentia passiva ad recipienda cætera Sacramenta: ergo manifestum est, cum, qui caret baptismo, non posse suscipere alia Sacramenta. Confirmatur à simili. qui caret charactere ordinis; tametsi justus & sanctus sit, non potest conficere Sacramentum ordinis: quia hic character est veluti potentia activa conferendi ordines: ergo etiam, qui caret charactere baptismi, non potest recipere Eucharistiam: quia ille character habet rationem potentiæ passivæ ad reliqua Sacramenta. Atqui Catechumeni carent charactere baptismi; ergo. Talibus proinde dari non potest Sacramentũ Eucharistiæ. Objici quidem solet authoritas Innocentii III. qui expressè docuisse perhibetur, Eucharistiam sumi posse à non baptizatis. Sed respondendum est, Pontificem non ita dixisse docendo, sed disputando: vel esse intelligendum de sumptione merè materiali.

Corollarium secundum. Etiam infantes § baptizati & pueri ante usum rationis sunt capaces Eucharistiæ tam sacramentaliter, quàm spiritualiter suscipiendæ. Unde, si hæc eis daretur, reciperent augmentum gratiæ. Vasquez disp. 212. c. 2. Coninck Q. 80. a. 9. n. 77. Ratio est: quia olim in Ecclesia viguit consuetudo à sanctissimis Patribus frequentata, ut meminit Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. & ostendunt Doctores citt. qua solebant infantibus, & id genus parvulis Eucharistiam ministrare: ergo tales sunt capaces hujus Sacramenti dictis modis suscipiendi. consequentia constat. quia alioquin illis dare communionem semper fuisset illicitum. Nam dare Sacramentum alicui, qui non est ejus capax & simul effectûs ipsius, nunquam est licitum. Accedit, quod nihil ostendi possit, quo careant infantes, & parvuli ad geminam illam susceptionem exactum. Dices, deesse notitiã, & voluntatem suscipiendi Sacramentum, ut Sacramentum est. Sed respondetur, talia suppleri posse per fidem & voluntatem Ecclesiæ, veluti contingit in baptismo. Aliud est de adultis. Nam isti, ut Sacramentum debitè recipiant, illius propriam notitiam, & recipiendi voluntatem habere debent. Et ideò, si adultus justus sumeret hostiam consecratam, ignorans esse consecratam, Sacramentum solummodò materialiter susciperet. Restat quæstio, an aliquando liceat infan-

infanti, vel puero rationis usum necdum adepto ministrare Eucharistiam? Respondendum est, id nunquam licere ne quidem in articulo mortis. Ratio est: quia ob periculum irreverentiæ, quod in tali communione plerumque timendum esset, modò satiùs visum est Ecclesiæ, infantibus & memoratis parvulis Eucharistiam penitus negare: præsertim cùm illis necessaria esse non possit: utilitati autem aliquali, quam inde perciperent, præferenda sit tanti Sacramenti majestas & reverētia. ita docent D. Th. Q. cit. a. 9. Suarez sect. 4. Vasquez loc. cit. n. 19. Castropal. ubi suprà n. 6. & alii passim. atque hinc emergit ulteriùs.

7 Corollarium tertium. A Navitate perpetuò amentibus nūquam ministrari debet hoc Sacramentum, licèt illius capaces sint. D. Th. loc. cit. communiter receptus. Ratio est: quia tales æquiparantur infantibus: ergo sicut his nunquam præbenda est Eucharistia, ita nec illis. Est enim de utrisque par ratio, videlicet periculum irreverentiæ. Adde quòd similes communicare nullibi sit in Ecclesia usitatum; imò prohibitum à Paulo V. in Rituali, sicut testatur Joannes Sanchez, quem refert Gobat de Sacrament. Tract. 4. Casu 7. n. 134. Jam verò de illis amentibus, qui, postquàm aliquando vixerunt rationis compotes, in eam miseriam inciderunt, aliud omnino statuendum est. His igitur in mortis articulo administrari debet hoc Sacramantum. Suarez disp. 69. sect. 2. Bonac. disp. 4. de SS. Eucharist. q. 6. p. 1. n. 4. Amicus disp. 28. sect. 3. n. 19. Mezger disp. 33. a. 1. §. 3. n. 18. Castropalao n. 7. Gobat. n. 135. Ratio est: quia istis amentibus Eucharistia potest esse necessaria ad salutem, in casu nempe, quo peccati mortalis rei in amentiam incidissent, & priùs attritionem tantùm elicuissent. Deinde hoc ipso, quòd cōstet, aliquem ante amentiā Christianè vixisse, censetur velle, ut in suprema necessitate sibi administrentur Sacramēta tunc maximè necessaria: cujusmodi sunt S. Cōmunio & Extrema Unctio, atque adeò interpretativè illa petere. Quæ rationes in perpetuò amentibus, & infantibus locum non habent. Dictum est autem in mortis articulo. quia tanti Sacramenti dignitas postulat, ut extra casum extremæ necessitis nulli concedatur, qui non actualiter ad ejus sumptionem se possit disponere:

8 Verùm tradita jam doctrina non nisi cum certis quibusdam cautelis in praxin deduci debet. Prima est, ne constet, ejusmodi hominem peccato mortali gravatum in amentiam incidisse. Secunda, ne sit spes moralis, fore, ut usus rationis ante mortem redeat. tunc enim ob reverentiam Sacramenti eò usque expectandum esset. Tertia, ne sit probabile periculum alicujus irreverentiæ Sacramento irrogandæ. Hinc consulunt Authores, ut minister comminicando priùs unam, alteramve hostiam non consecratam porrigat, experiendi causâ, quidnam acturus sit, quando illi consecrata præbebitur. Layman. lib. 5. tract. 4. c. 4. n. 4. Castropal. loco cit. Quodsi miserum amentia in vinculo excommunicationis obruerit, sitque probabile, illum non versari in statu peccati mortalis, priùs ab ea censura absolvendus est, quàm ipsi Eucharistia præbeatur: esto, sit etiam probabile, hominem existere in statu malo. nam debet hic locum habere regula Juris qua jubemur, tamdiù quemlibet præsumere bonum quamdiù non constat esse malum. Amicus loco cit. n. 20.

Corollarium quartum. A fortiori 9 etiam semifatui, id est, debili & imperfecto rationis usu præditi ad S. S. Eucharistiam sunt admittendi D. Thomas, ubi suprà. Bonac. n. 7. Layman. loc. cit. Castropal. n. 8. Illsung. tract. 6. disp. 4. a. 5. §. 1. n. 104. & Doctores communiter. Hoc tamen ita intellige primo, ut nunquam admittantur præterquam tempore Paschali & in articulo mortis. Ratio est: quia tales homines tam ad peccandum, quàm ad debitam huic Sacramento reverentiam exhibendam usu rationis polkent exiguo: unde neque indigentia suadet, ut sæpius admittantur; neque incapacitas majoris reverentiæ permittere videtur. Secundo, ut explorate constet, eos tantùm sapere, quantùm sufficit ad discernendum cælestem hunc cibum à profano, agnoscendumque, illum sibi utilem, & necessarium esse. Ratio est: quia alioquin nullam omninò devotionem concipiunt, & inter infantes computandi erunt. Porrò eis in mortis articulo dandam esse Eucharistiam satis constat ex dictis n. 7. de non perpetuò amentibus. De tempore paschali colligitur ex cap. *omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* ubi præcipitur, ut omnes fideles, postquàm ad annos discretionis pervenerint, Sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Pascha reverenter suscipiant. Atqui inter illos, qui ad annos discretionis pervenerunt, etiam semifatui numerandi sunt; ergo.

Corollarium quintum. Surdis & mu- 10 tis à nativitate similiter præbenda est Eucharistia non solùm in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali, modò constet ex signis & nutibus, eos hunc cibum spiritualem à profano distinguere. Layman. n. 5. Castrop. n. 9. Gobat. 139. Illsung n. 106. aliisque communiter. Ratio est eadem, quæ de semifatuis: imò potior fortassis: nam talibus hoc Sacramentum videtur valdè necessarium, tum ad augendam gratiam, tum ad peccata deinceps evitanda. Quare si Confessarius deprehenderit, ejusmodi

modi hominem esse præditum discretione non qualicunque, sed planè maturâ, ut interdum contingit, illum sæpiùs, & saltem in festis solemnioribus sinat accedere. Quodsi ad priores accesserit & tertia calamitas, cæcitas nempe; tales neque in articulo mortis sunt communicandi, sed accensendi perpetuò amentibus. Ratio est: quia nullo modo videntur dociles, ut tanti cibi dignitatem & excellentiam apprehendant. citr.

11 Corollarium sextum. Neque energumeni privandi sunt S. Communione. D. Th. ubi suprà ad 2. Suarez disp. 69. sect. 2. Vasquez disp. 112. cap. 4. Laym. n. 6. Bonac. n. 6. Castropal. n. 10. & D.D. communiter. Ratio est: quia infestio Dæmonis per se loquendo non impedit reverentiam Sacramenti, dispositionemque ad id suscipiendum necessariam. Accedit, quòd magna commoda inde provenire soleant infestis: nam per susceptionem Eucharistiæ Orcinus hospes vel penitùs ejicitur, vel saltem, ut mitiùs sæviat, frænatur; vel energumenus corroboratur, ut patienter, æquanimiter, & meritoriè inquilini sui truculentiam sustineat. Porrò quàm hi frequenter sint communicandi, arbitrio prudentis Confessarii relinquendum. Castrop. existimat, satis esse, si id contingat in festis solemnioribus. Excludendi sunt autem ab hoc favore imprimis illi obsessi, qui propter publica scelera ab Ecclesia excommunicati, & Sathanæ traditi sunt ad vexationem secundùm Apostolum 1. Corinth. 5. idem senti de iis, quos constat, vel præsumi potest, ob scelus quodcunque in potestatem Diaboli incidisse: adeoque peccato mortali quoad culpam necdum remisso obstrictos teneri. Secundo excludendi sunt, qui cum perpetua amentia obsideri cœperûnt. Si semel habuerunt usum rationis, aut semitatui sunt, idem de ipsis, quod de aliis id genus per priores numeros diximus, statuendum est. Excludendi sunt tertio illi, in quibus est morale periculum, ne Sacramentum irreverenter tractent lacerando, spuendo, prolabendo &c. Quod autem tunc fidem fortè profiteri nolint, & respondere, dum interrogantur, se credere, non obest, ait Gobat: quia pessimus inquilinus impedit ex odio. non debet autem, ut habet regula 22. *Juris in* 6. aliquis alterius odio prægravari.

12 Corollarium septimum. De maniacis, sive furiosis similiter non est dubium, quin eis possit; imo quandoque debeat ministrari Eucharistia. Nam imprimis, quando sunt tales, ut non continuò, sed per intervalla furant; non minùs capaces sunt hujus Sacramenti tempore, quo abest insania, quàm ab ea calamitate penitùs immunes. Quòd si œstrô maniæ nunquam interruptô agitentur per unum, aut plures annos, & jam consistant in ultima, ut dici solet, vitæ tegula, idem de illis faciendum, quod de amentibus usu rationis aliquando potitis. Videantur, quæ de his diximus n. 7. Hic tamen iterum carenda sunt duo. Primum est periculum irreverentiæ, ne videlicet insaniens hostiam tractet indignè, evomendo, lacerando &c. Si tale quid timeatur, præbeat minister priùs unam alteramve hostiam non consecratam: sicut diximus de communione amentium n. 8. Secundum est, ne præbeatur Sacramentum furioso, qui præsumitur esse in statu peccati mortalis. Legatur Gobat n. 150. ubi addit, blasphemias, in quas talis erumpit, ministrum morari non debere. Quia nempe communicandus non liberè, sed ob vim morbi involuntariè ita bacchatur.

13 Corollarium octavum. Epileptico tempore, quo illum paroxismus exagitat, præbenda non est Eucharistia, licèt videatur moriturus, priusquàm ad se redeat. Gobat. n. 157. Rationem affert; quia fortè ex centenis ejusmodi paroxismo laborantibus non reperietur unus, de quo possit prudenter sperari, fore, ut hostiam deglutiat. Si tamen de hoc dubium esset non absque omni spe, posset minister priùs rem experiri præbendo hostiam non sacram: ut dictum est num. præced. de furiosis. Cæterùm extra paroxismum haud dubiè potest, &, si petat, etiam debet refici cælesti hoc epulo. Ratio est: quia ipse morbus, & affectus epilepticus de se nullum affert impedimentum, aut irreverentiam erga Sacramentum.

14 Corollarium nonum. Si Parochus vocetur ad ebrium in mortis articulo constiturum, ut ei S. S. Viaticum impertiat, sequentia debet habere ante oculos. Primum est. Quando constat, esse perfectè ebrium, & quidem ebrietate voluntaria, & graviter culpabili, illi neutiquam administrandum est Sacramentum, Ratio est: quia administraretur indigno, quod est illicitum. Cùm sanctum non sit mittendũ canibus. Secundum. Quando ebrietatem incurrit planè inculpabiliter: v. g. quòd biberit in æstu; vel jejunus: vel quòd biberit meracum, cujus vires ignorabat, nec ullum inde prævidebat periculum; tunc potest, & debet illi præberi viaticum. Idem fieri oportet, si ebrietas quidem fuerit culpabilis, sed non graviter culpabilis. Ratio est: quia hic nihil obstat, quo minùs adhuc habeat idem jus percipiendi Sacramentum, quod habebat sobrius, si in ultimam necessitatem tunc incidisset: ergo non debet eo privari. Ant. ostenditur. Nam inprimis non obstat, quòd non sit jejunus. Quia in tali discrimine nulla habetur ratio jejunii: ut patet in aliis moribundis. Deinde nec obstat, quòd sit plenè ebrius: partim, quia ebrius comparatur furioso per cap. *venter dist.* 35.

partim, quia ebrietas, ut supponitur; vel erat penitùs inculpabilis, vel non graviter culpabilis. Unde ex hoc capite non est periculum dandi viaticum indigno. Tertium est: In dubio, an ebrietas fuerit voluntaria? distinguendum est: vel enim is, quem corripuit, frequenter inebriebatur: vel rarò admodùm, vel vix unquam, vel penitùs nunquam in vita transacta? si priùs; planè præsumitur voluntaria fuisse. Nam ex vita præterita præsumitur de præsente cap. *mandat.* &c. *cùm in juventute. de præsumpt.* Si posterius: præsumitur ebrietas fuisse involuntaria. Ratio est: quia de nullo debemus facilè præsumere delictum. ex *l. merito ff. pro socio.* Atque ita docet Gobat. n. 195. & seq. Ubi addit in alio dubio, an ejusmodi moribundus incurrerit perfectam ebrietatem, vel imperfectam, seu crapulam tantùm? judicandum esse id, quod est mitius.

Corollarium decimum. Pueri tantùm rationis usum consecuti, ut Sacramentum pœnitentiæ suscipere, & aliqualem erga Sacramentum Eucharistiæ devotionem concipere possint, ad hoc licitè admittuntur. Colligitur ex D. Th. a. 9. suprà cit. ad 3. & tenent Castropal. n. 11. Gobat. n. 98. Illsung ubi suprà. n. 107. & alii, quos isti referunt. Porro, si loquendum de articulo mortis; censeo, non solùm esse licitum, sed etiam obligatorium omnibus pueris pœnitentiæ capacibus Eucharistiæ Sacramentum administrare, si desiderent. Suarez disp. 70. sect. 1. Laym. ubi suprà n. 3. Mezger a. 1. §. 3. n. 18. Castropal. Gobat. Illsung loc. citt. Ratio est: quia his non modò utile, sed fortè necessariũ quoque ad salutem esse potest sacrum viaticum. Cæterùm quo tempore pueri obligari incipiant ad suscipiendum hoc Sacramentum, infrà dicemus, ubi de Præcepto Communionis. 6

ARTICULUS II.

De dispositione animi & corporis ad S. Communionem requisita.

ANimi dispositio, de qua moveri hic controversia solet, triplex est. Nam quæritur primo, an ad primarium saltem effectum hujus Sacramenti, videlicet augmentum gratiæ, consequendum, necessaria sit devotio actualis in suscipiente? secundo, an necessaria sit immunitas ab omni peccato veniali? Tertio, an saltem requiratur, & sufficiat status gratiæ, sive immunitas ab omni peccato mortali? Ad hæc respondebimus per ternos §. §. §. deinde verò agemus de dispositione requisita ex parte corporis. Præstabimus utrumque breviter: quia plurima, quæ huc pertinere possent, tractanda sibi sumunt Ascetæ.

§. I.

Asseritur communis sententia de necessaria dispositione animi.

SUMMARIUM.

1. *Duplex effectus Sacramenti Eucharistiæ.* 2. *Ad obtinendum eius effectum primarium non requiritur devotio actualis.* 3. 4. *Referuntur & solvuntur argumenta opinionis adversæ.* 5. *Non est peccatum mortale communicare in culpa veniali.* 6. *An sit peccatum veniale saltem?* 7. *ut quis licitè communicet, debet habere probabilem certitudinem de statu gratiæ.* 8. *Accedere cum conscientia noxæ mortalis quale peccatum?* 9. *An accedere in mortali & simul non jejunum sit duplex peccatum?*

SUppono, duplicem esse effectum Sacramenti Eucharistiæ, primarium videlicet, & minùs primarium. Ille consistit in augmento gratiæ sanctificantis. Hic in refectione quadam & gaudio spirituali; *dum anima spiritualiter delectatur & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Divinæ* (inquit D. Th. Q. 79. a. 1.) *secundum illud Cantic. 5. Comedite amici & bibite, & inebriamini Charissimi.* Hoc animadverso, sciendum ulteriùs, quosdam sentire, ad obtinendum effectum etiam primarium hujus Sacramenti præter statum gratiæ necessariam quoque esse devotionem actualem, ut adeò peccata venialia & distractio huic devotioni opposita impediant fructum Eucharistiæ. Ita docent Alensis, D. Bonaventura, Durandus, Paludanus, Sylvester & Cajetanus, quos refert Reding Q. 6. a. 2. controv. 1. n. 1. Idem tenet Contenson tomo 8. dissert. 4. c. 1. specul. 3. Contra quos 1

Dico primo. Tametsi requiratur devotio actualis, ut Sacramentum Eucharistiæ conferat effectum spiritualis refectionis, & dulcedinis, non tamen requiritur, ut conferat augmentum gratiæ; sed sufficit status gratiæ. Ita cum D. Th. q. 79. a. 8. sentiunt communiter Theologi. Dictum est trimembre. Ratio primi membri est: quia ille effectus consistit in aliqua sancta cogitatione, & pia affectione: sed hanc non confert Sacramentum homini actuali devotione destituto; ergo. mi. prob. quia, ut Sacramentum confetat ejusmodi co- 2

gitatio-

gitationem, & affectionem, requirit subjectum capax: atqui homo actuali devotione destitutus non est subjectum capax; ut pote actualiter distractus, & sumptionis tempore aliis, & impertinentibus cogitationibus occupatus, atque adeò non aptus ad divinas illustrationes recipiendas. Ratio secundi & tertii est primo. quia omnia Sacramenta ex opere operato gratiam conferunt non ponenti obicem: ergo etiam Sacramentum Eucharistiæ hanc confert non ponenti obicem: atqui constitutus in statu gratiæ non ponit obicem, esto, careat actuali devotione; ergo Sacramentum Eucharistiæ confert gratiam constituto in statu gratiæ, licèt careat actuali devotione: ergo probatum est, quod fuerat probandum. Ant. & omnes consequentiæ constant. Subsumptum exinde liquet, quod nulla distractio actualis, nec ullum peccatum veniale opponatur gratiæ, vel augmento gratiæ. Ratio est secundo. quia aliàs justus sine actuali devotione hoc Sacramentũ suscipiens (nisi ignorantia vel oblivione excusaretur) peccaret mortaliter: quia voluntariè poneret obicem illius effectui primario. Sed consequens est absurdum, & contra omnium cõmunem sensum; ergo. Ratio est tertio. quia antiquitùs, ut in præced. artic. vidimus, Eucharistia dabatur infantibus, & hodiedùm in articulo mortis datur aliquando amentibus, in quibus præter gratiam sanctificantem nulla dispositio animi, vel devotio actualis locum habet: & nihilominus Ecclesia judicat, illis hoc Sacramentum conferre augmentũ gratiæ. nam ad quid alioquin iis concederetur, aut concessum fuisset? Ergo ut Sacramentum Eucharistiæ conferat augmentum gratiæ, non requiritur in suscipiente actualis devotio, sed sufficit status gratiæ. Confirmatur cõmunis hæc nostra sententia vel maximè ex Trid. Concil. quod sess. 13. cap. 7. dispositionem ad hoc Sacramentũ suscipiendum præscribens non meminit devotionis actualis, quam planè non præteriisset, si esset necessaria.

3 Fundamenta opinionis contrariæ sunt. Primum. Per nullum actum venialiter malũ augetur gratia: sed susceptio Eucharistiæ absque devotione actuali, & cum peccatis venialibus (saltem iis, quæ recto usui & reverentiæ tanti Sacramenti adversantur) est actus venialiter malus; ergo per eã non augetur gratia. Secundum. Hoc Sacramentum confert gratiã per modum nutrimenti: ergo ut conferat gratiam, requiritur concursus vitalis suscipientis per actualem devotionem, & actus charitatis. conseq. constat. Quia nutrimentum non nutrit, nisi vivens in ipsũ agat vitaliter. Tertium. Quia alioquin sequeretur, tot Sacerdotes quotidie celebrantes, quantumcunque id tepidè, & absque devotione faciant, ingens augmentum gratiæ percepturos: sed hoc est contra experientiam: cum tales post multa sacrificia non minùs maneant frigidi, & ad virtutum opera tardi, quàm si nunquam celebrâssent. Quartum. Tenet hanc sententiam D. Th. in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. quæst. 3. ubi ait: *Cùm hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc, quod effectum suum plenè habeat in sumente, oportet, quòd adsit actualis devotio.* Subjungit deinde, per distractiones, quæ actualem devotionem impediunt, & peccata venialia, quæ actus virtutum tollunt, *posse absque peccato mortali impediri effectum hujus Sacramenti, ita, ut gratiæ augmentum quis non consequatur.*

4 Respondeo ad Primum dist. maj. per actũ venialiter malum non augetur gratia meritoriè, sive ex opere operantis, conc. tanquam per conditionem merè applicativam Sacramenti, ut hoc suum effectum conferat ex opere operato, neg. maj. &c. Ad secundum concedo, ad nutrimentum materiale, ut corpus nutriat, requiri actionem vitalem viventis; quia hoc nutrimentum convertitur in substantiam aliti; atqueadeò vivens circa ipsum se debet habere activè; at nego, similem actionem requiri ad nutrimentum spirituale, cujusmodi est Sacramentum Eucharistiæ. Hoc enim non convertitur in naturam nutriti, sed ipsum nutritum in se convertit. Unde non indiget ejusmodi actione vitali suscipientis: cùm hic respectu talis nutritionis non se habeat per modum agentis, sed per modum passi. Ex quibus ad probat. conseq. patet solutio. Ad tertium conc. seq. maj. neg. supp. mi. quòd vel ipsamet gratia, vel augmentum gratiæ (idem est de aliis habitibus infusis) possint experientiâ cognosci; cùm formaliter ac per se nec refrænent inordinatas passiones, nec vitiosos habitus, aut peccata venialia excludant. Quapropter fieri potest, ut homo multùm in gratia crescat, in exercitio tamen virtutum non notabiliter mutetur. Ad quartum respondeo, Doctorem Angelic. loc. cit. in num. 2. manifestè nobiscum sentire. in verbis quoque ex 4. sent. allatis doctrinæ communi non adversatur: quando enim requirit ibi devotionem actualem, requirit ad effectum Sacramenti *plenè habendum*, qui non consistit in solo augmento gratiæ, sed includit præterea actualem refectionem spiritualis dulcedinis. Et quando dicit, absque peccato mortali impediri augmentum gratiæ, loquitur de augmento, quod gratiæ potest accedere ex spirituali refectione.

5 Corollarium. Non est peccatum mortale S. Eucharistiã sumere in peccato veniali, qualecunque illud sit. Ita omnes communiter contra Marsilium. Ratio est: quia id asserendi nullum penitùs apparet fundamentum. Nam peccatum veniale neque impedit effectum primarium hujus Sacramenti, ut vidimus; neque aliunde est gravis irreverentia ipsius.

Immò

Immò neque est peccatum veniale communicare in peccatis venialibus habitualibus, quando quis dolet de illis. Ratio est. Quia tunc vel remittuntur immediatè per illum dolorem, & retractionem, vel per Sacramentum ex opere operato: consequenter nulla Sacramento infertur irreverentia.

6 Itaque restat difficultas, an peccet venialiter, qui ad hoc Sacramentum cum peccato veniali, de quo non dolet accedit? Respondeo primo. Satis probabile est, non peccare venialiter eum, qui accedit cum veniali habituali, esto, non doleat de illo. Suarez disp. 66. sect. 1. Gonet disp. 8. a. 3. §. 2. n. 59. Gobat. tr. 4. n. 217. Reding ubi suprà. Ratio est: quia peccatum veniale non impedit effectum primarium hujus Sacramenti, ut constat ex dictis: ad procurandum verò omnem illius effectum etiam secundariũ homo non obligatur. Quia alioquin obligaretur sub culpa veniali ad habendam omnem moraliter possibilem, & optimam dispositionem quod videtur nimis durum. Respondeo secundo. Probabile est, neque committi peccatum veniale ab eo, qui accedit cum peccato veniali actuali ad rectam susceptionem Eucharistiæ concomitanter se habente, eique specialiter non opposito, v. g. cum actuali proposito leviter detrahendi, vel jocosè mentiendi post Cõmunionem citt. Ratio est eadem, quæ prioris responsionis. Fatendum est tamen, sententiam contrariã non minùs esse probabilem; immo magis piam, & in praxi suadendam. Illam tenent Suarez loc. cit. Laym. c. 6. n. 3. & alii. Ratio est: tum quia peccatum veniale, quod quis committit actu inter cõmunicandum, aliquo modo repugnat fini, & institutioni hujus Sacramenti, dum ponit obicẽ effectibus ejus non contemnendis: quales sunt remissio venialium & fervor charitatis. Tum etiam & quidem maximè: quia talis cõmunio non potest omninò excusari à nota irreverentiæ contra sanctitatem Sacramenti. Respondeo tertio. Accedens cum peccato veniali actuali, quod opponitur recto usui Sacramenti, & reverentiæ ad ejus susceptionem requisitæ, præter illud committit aliud peccatum veniale contra virtutem religionis: v. g. si tunc voluntariè distractus sis, aut verba vana & nugatoria proferas. Gonet, Reding ll. citt. Filliuc. tr. 4. c. 8. n. 206. Ratio videtur expedita: quia nempe tantum Sacramentum (sicut & quodlibet aliud) suapte natura sanctè & reverenter suscipi postulat: tali autem susceptioni positivè adversatur ejusmodi veniale; estque adeò positiva quædam irreverentia contra sanctitatem Sacramenti. Confirm. Qui animo voluntariè distractus est in oratione; vel eo tempore loquitur quid impertinens, non excusatur à peccato veniali contra religionem: ergo multò minùs excusatur à peccato veniali contra relgionem, qui ita se geriti inter communicandum. Nunc ulteriùs

Dico secundo. Ad licitam & sacrilegii 7
mortalis immunem Eucharistiæ susceptionem requiritur, ut suscipiens probabili certitudine se reputet esse justum, & Deo gratum. Hæc veritas constat ex Concil. Trid. sess. 13. c. 7. & Can. 11. ubi eam deducit ex verbis Apost. 1. Corinth. 11. *probet autem seipsum homo &c.* Constat insuper ex dictis de Sacramentis in genere. Nam ibi ad licitam susceptionem Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum, in suscipiente talem certitudinem de statu gratiæ, & divinæ amicitiæ requisivimus. Atqui Eucharistia est Sacramentum vivorum; ergo &c. Porrò memoratam certitudinem ille censetur habere, qui post diligens sui examen nullius meminit peccati mortalis à se commissi, quod non sit confessus. Circumfertur quidem aliqua sententia, quæ communiter Majori tribuitur, requirens omnino certitudinem metaphysicam de statu gratiæ ad licitam Communionem. Verùm ista opinio est planè improbabilis. Quia ex illa sequeretur, illos tantum posse licitè communicare, qui infallibili revelatione divina certi essent, se esse justos. nam quis aliunde certitudinem metaphysicam de statu gratiæ habere possit? sed conseq. est absurdum, ergo & id, ex quo sequitur. Sufficiat ergo certitudo illa humano & morali modo possibilis, quam nos adduximus. Ex dictis.

Inferes primo, accedentem cum con- 8
scientia peccati mortalis ad S. Eucharistiam sacrilegium committere oppido grave. Ita omnes communiter. Ratio est: quia valde magnam irreverentiam Christo in hoc Sacramento existenti infert. Est autem hæc irreverentia in tertio gradu sacrilegii. Nam in primo gradu ponitur illa, quæ cõmittitur in ipsãmet divinitatem imediatè. In secundo illa, qua offenditur humanitas Christi in propria specie. In tertio illa, quæ irrogatur Christo in Sacramento. Filliuc. n. 209. Porrò tantò majus est hoc sacrilegium, quantò graviora & plura sunt peccata, quorum accedens sibi est conscius. Ratio est: quia tunc magis aggravatur irreverentia. Hæc tamen circumstantia non est necessariò explicanda in confessione, nisi teneas, circumstantias merè aggravantes esse in confessione necessariò explicandas: sed satis erit, si dicas te indignè, communicâsse. Vasquez disput. 207. c. 1. n. 12. Gobat n. 212.

Inferes secundo, non committere duo 9
peccata cum, qui accedit in mortali & simul non jejunus. Vasquez num. 6. Gobat. loc. cit. & apud ipsum Lugo, & de Rhodes. Ratio est: quia peccans contra plura præcepta, quorum est idem motivum, non committit

plura

plura peccata in eodem actu : Sed hic peccat contra plura quidem præcepta; quorum tamen est idem motivum, scilicet cultus & reverentia sacramento debita; ergo non committit plura peccata. Satisfacit proinde in confessione, dum dicit, Communicavi semel sacrilegè.

§. II.

Quomodo se gerere debeat peccati mortalis sibi conscius, antequàm Sacramentum Eucharistiæ suscipiat?

SUMMARIUM.

10. *Lutheri sacrilegus error.* 11. *Conscius peccati mortalis tenetur confiteri, priusquàm communicet.* 12. *Et hinc non sufficit, fuisse prævie contritum &c.* 13. *Quænam excuset necessitas à præcepto præmittendi confessionem?* 14. *An excuset consuetudo eo tempore communicandi?* 15. *Quid agendum jam accedenti, si recordetur peccati mortalis &c.* 16. *Quid Parocho, dum ex officio celebrare tenetur?* 17. *Quid sacerdoti gravis culpæ reo, dum die festo non habet aliam Missam, quam audiat?* 18. *Quid celebranti, si post consecrationem peccet mortaliter?* 19. *Quomodo excuset à memorato præcepto absentia Confessarii?* 20. *Quanta ad hanc absentiam requiratur distantia?* 21. *Quid agendum habenti peccatum reservatum, à quo præsens Confessarius nequit absolvere?* 22. *Infertur denique, solos sacerdotes obligari præcepto Triden. quamprimùm confitendi.*

10 LUtherus, ut refert Reding, sacrilegè asseruit, in homine quantumcunque scelerato, ut ad S. Eucharistiam licitè & fructuosè accedat, non requiri ullam aliam præparationem, quàm fidem, & confidentiam de gratia per hoc sacramentum accipienda. Imò dicere non horruit, tantò quemlibet accedere meliùs dispositum, quantò pluribus, atrocioribusque peccatis sit inquinatus; modò habeat fidem. Sed hunc errorem damnavit Trid. Conc. sess. 13. Can. 11. illis verbis : *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit.* Fundatur hæc definitio S. Synodi in illo Apostoli 1 ad Corinth. 11. *probet autem seipsum homo &c.* ubi non de probatione fidei, sed Conscientiæ agitur. Necesse est igitur, ante sumptionem Eucharistiæ ita probari conscientiam, ut sumens nullius peccati mortalis sibi conscius de illo pane edat, & de calice bibat. Jam verò, ut constet uberiùs, in quo sita sit ea probatio,

11 Dico cum tota Ecclesia Catholica. Qui existit in statu peccati mortalis, tenetur sub mortali ante susceptionem Eucharistiæ confiteri : nisi urgeat gravis necessitas celebrandi, vel communicandi, & desit Confessarius. Ita Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. illis verbis : *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat &c.* Ubi etiam contrarium docentes de facto excommunicantur. Non indiget ulteriori probatione statuta assertio : est enim fide certa. Aliud præterea præceptum ibidem tulit S. Synodus pro Sacerdotibus in hunc modum : *quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur :* id est, cùm primùm poterit, ut habet regula Missal. Rom. sive, quamprimùm sese dabit opportunitas.

12 Ex hac Catholica conclusione & verbis Trident. manifestè sequitur primo, ut reus peccati mortalis dignum se reddat S. Communione, neque sufficere solam fidem; neque attritionem cognitam quà talem: imò neque contritionem perfectam. Ratio est: quia neque solus actus fidei; neque actus fidei cum attritione hominem restituit in statum gratiæ. Contritio quoque, licèt hominem justificet, atque adeò jure naturæ sufficeret; ex jure tamen non tantùm Ecclesiastico, sed etiam præcepto divino; ut fert communior sententia, est insufficiens, & debet præmitti sacramentalis confessio. Sequitur secundo, constitutum in mortali, dum non habet copiam confessarii, & urgetur gravi necessitate celebrandi, vel communicandi, licitè celebrare, vel communicare elicita sola contritione, vel attritione supernaturali, quam prudenter existimat esse contritionem. Ratio est: quia Concil. Trid. loco cit. supponit, hoc esse licitum : ait enim : *modò non eis desit copia confessarii.* &, *quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit &c.*

13 Quapropter in conclusione dixi primo, *Nisi gravis urgeat necessitas.* Talis est primo, quando viaticum petitur à moribundo, & nulla adest hostia consecrata. Neque dicas; ob talem necessitatem non licet celebrare sine vestibus sacris : ergo nec sine prævia confessione. Nam est disparitas in eo, quòd obligatio celebrandi in vestibus sacris sit major, quàm obligatio præmittendi confessionem, licèt sit tantùm juris Ecclesiastici: Quia solemnitas & uniformitas ritus, quam hujus sacramenti confectio exigit, hoc modo læsa non potest alia via reparari: at verò status gratiæ ad licitè celebrandum exactus

aliter, quàm per confessionem obtineri potest, videlicet per contritionem. Secundo est talis necessitas, quando celebratio sacrificii vel communio citra gravem infamiam, vel scandalum populi omitti non potest. Tertio, quando sacerdos ex officio tenetur celebrare; neque adest alius, qui vices ipsius suppleat. Quarto. Si alioquin interrumpendum esset sacrificium. Veluti contingeret in casu, quo sacerdos post consecrationem v.g. recordatus peccati mortalis, illud confiteretur ante sumptionem. Præter has quatuor necessitates adhuc aliæ haud dubiè possunt occurrere: quarum gravitas prudentis judicio determinari debet. Ex dictis habetur.

14 Corollarium primum. Ut quis possit sine confessione communicare, non sufficit, eum habere consuetudinem illo tempore communicandi, quam necesse sit interrumpere: item non sufficit, talem ex communione sperare magnum fructum: aut sacrum ab illo faciendum pro defuncto: aut incidisse diem valdè festivum, quo solebat aliàs cõmunicare. Filliuc. tr. 4. c. 8. n. 218. Coninck. q. 80. a. 4. dub. 2. n. 18. Ratio est: quia, ut excuseris ab obligatione confitendi ante cõmunionem, Concil. Trid. requirit necessitatem celebrandi, vel communicandi: sed in his casibus nulla apparet ejusmodi necessitas; ergo

15 Corollarium secundum. Qui peracta confessione jam accessit ad sacrum communicantium Eucharistiam sumpturus, & tunc recordatur peccati mortalis quod oblitus est confiteri, non tenetur recedere, quando id absque gravi nota aut scandalo fieri nequit; sed potest licitè communicare cum aliis. Bonac. disp. 4. q. 6. pu. 1. n. 17. Castrop. pu. 12. Gobat n. 246. Coninck. n. 15. Ratio colligitur ex dictis: quia hæc censetur esse gravis necessitas tunc non omittendi Communionem. Porrò talem necessitatem non induceret periculum alicujus admirationis orturæ inter præsentes, quòd consuetam Communionem omitteres, si nulla inde mali suspicio sequeretur. In hoc proinde, aliisque eventibus, ubi non timenda est gravis nota, vel scandalum, teneberis recedere ad faciendam Confessionem. Verùm illud periculum notæ & infamiæ in eo casu moraliter plerumque timendum est. Et hinc monent communiter DD. teste Castrop. ne sacerdos confessionem illius, qui sic ad Communionem dispositus est, excipiat.

16 Corollarium tertium. Parochus, qui ex officio tenetur diebus dominicis, & festivis celebrare, ut populus satisfaciat præcepto audiendi Missam in iis diebus, licitè celebrat (nisi adsit alius sacerdos vices illius gerere paratus) non præmissa Confessione, tametsi ex omissione sacri non sit timendum alicujus notæ vel infamiæ periculum. Suarez disp. 66. sect. 4. Bonac. n. 23. Castrop. n. 7. Reding q. 6. a. 3. Controv. 2. n. 21. & alii. Ratio est: quia Parochus tenetur ex justitia populo sacrum facere: ergo non est æquum, ut populus ob ejus peccatum privetur jure quæsito fruendi fructu sacrificii. Advertit tamen Castrop. hanc doctrinam non debere extendi ad eos sacerdotes, qui ratione Capellaniæ statis diebus celebrare tenentur. Ratio est: quia hæc obligatio non est ita affixa determinato diei, quin ex rationabili causa illi possit satisfieri alio die. Nonnulli tamen Authores hîc sentiunt contrarium.

Corollarium quartum. Sacerdos in die 17
festo, licèt non habeat aliam missam, quam audiat, non potest sine prævia confessione celebrare, ut satisfaciat præcepto audiendi sacrum; quando est in statu peccati mortalis, & cessat scandalum & infamia. Suarez loc. cit. Bonac. n. 25. Filliuc. ubi supra. n. 217. Laym. c. 6. n. 6. Reding n. 23. & alii. Ratio est: quia præceptum Ecclesiæ de auditione sacri non obligat, nisi dum sacrum celebrari potest secundùm conditiones ab Ecclesia præscriptas. atqui in hoc eventu non potest sacrum ita celebrari; ergo. Unde ejusmodi sacerdos non est in necessitate celebrandi. Sententia contraria est etiam probabilis, ut judicat Suarez, & tuta in praxi: præsertim, si quis alioquin multo tempore Communione, & Sacrificio carere cogeretur.

Corollarium quintum. Si sacerdos ce- 18
lebrans committat peccatum mortale post consecrationem, vel recordetur ante commissi, à quo nunquam fuit sacramentaliter absolutus, debet elicita contritione sacrificium prosequi: sicut colligitur ex n 13. Ratio est: quia nullatenùs decet sacrificium substantialiter inchoatum interrumpere. Quòdsi ante consecrationem sacerdos peccet mortaliter, aut peccati mortalis antè commissi recordetur, Authores non conveniunt, quid sit agendum. Nam Suarez ubi suprà, Coninck. q. cit. a. 4. dub. 2. Bonac. n. 15. Castrop. n. 5. & alii existimant, esse confitendum, si commodè, & & absque nota infamiæ fieri possit; præsertim Canone nondum cæpto. Ratio est: quia non videtur adesse sufficiens necessitas, ut talis excuseturab obligatione confitendi: neque enim repugnat reverentiæ sacrificii, id nondum substantialiter inchoatum interrumpere ex rationabili causa: præsertim quando interruptio ad ipsum debitè peragendum refertur. Ab Altari tamen confitendi causâ recedere non tenetur. nam videtur hac ratione sacrificium nimis indecorè interrumpi. Econtra Sotus, Victoria, Henriquez apud Laym. n. 5. contendunt, sacerdotem tametsi statim post introitum recordetur peccati mortalis, non teneri ad accersendũ Confessarium etiam cessante nota infamiæ, vel scandalo; sed consultius esse elicita contritione pergere in perficiendo sacrificio.

Ratio-

Rationem afferunt: quia honor & reverentia sacrificii petit, ut semel cœptum non interrumpatur. Verùm hoc argumento non satisfit Authoribus oppositis. Nihilominùs hæc sententia ex eo capite practicè probabilis est: quia vix unquam fieri posse videtur, ut interrupta Missa Sacerdos confiteatur sine nota, & confusione, nisi fortè in officio solemni inter cantionem, vel concionem: vel nisi privatim celebret, & habet sacerdotem alium sibi ministrantem, remotis omnibus aliis arbitris Laym. loco cit. Gobat. num. 245.

19 Dixi secundo: *& desit Confessarius.* Deest autem primo, Si revera nullus id loci existat, & absentem adire non possis sine magna difficultate & gravi tuo incommodo: quæ habita ratione circumstantiarum, putà personæ, ætatis, negotiorum, debilitatis virium, distantiæ loci, tempestatis, temporis &c. prudentis judiciô sunt æstimanda. Secundo censetur deesse moraliter, si præsenti non possis confiteri citra magnum incommodum, aut probabile periculum, ne violet sigillum; vel provocet ad malum, vel aliud grave damnum tibi, vel alteri creet. Tertio, si ille, qui adest, non habeat jurisdictionem, neque tu illi jurisdictionem conferre possis ex privilegio. In his igitur casibus licitum est celebrare, vel communicare non præmissa confessione, modò simul adsit necessitas celebrandi, vel communicandi. nam hac deficiente non est licitum ita celebrare, vel communicare, esto, non habeas copiam Confessarii: Sicut vicissim neutrum est licitum etiam in casu necessitatis, quando habes copiam confessarii. Necessario proinde concurrere debent ambæ conditiones, absentia videlicet Confessarii & necessitas: quarum alterutra deficiente non licebit celebrare vel communicare absque præmissa confessione. Cæterùm, quando ob concursum istarum conditionum licitum est celebrare, vel communicare sine præmissa confessione, præmittenda est contritio cum proposito confitendi: imò sacerdos, qui in tali casu celebravit, tenetur prima occasione confiteri: hoc enim præcipit Trident. ut vidimus n. 11. Ex dictis corollariè.

20 Infertur primo, non posse statui certam & generalem regulam, quantùm distare debeat Confessarius, ut dici possit abesse. Suarez ubi suprà, Vasquez disp. 207. cap. 2. n. 9. Bonac. n. 30. Reding controv. 2. n. 3. Ratio est: quia fieri potest, ut distantia, quæ respectu unius constituit Confessarium absentem, respectu alterius non constituat. nam aliquando intervallum quinquaginta passuum spectata debilitate virium, & brevitate temporis, quod superest, donec quis celebrare, aut communicare debet, sufficere potest, ut Confessarius censeatur abesse: cùm tamen respectu robustioris, & qui non ita arctatur angustiâ temporis, distantia integri milliarii non sufficeret. Itaque res ista prudentis arbitrio relinquenda, consideratis circumstantiis, quarum in num. præced. meminimus.

Infertur secundo, eum, qui habet peccatum mortale reservatum, & nullum aliud, non obligari ad præmittendam confessionem urgente gravi necessitate communicandi, quando ab illo præsens Confessarius non potest absolvere. Coninck ubi suprà n. 6. Filliuc. n. 213. Ratio est: quia, dum sacerdos, qui adest, non habet jurisdictionem, censetur abesse copia Confessarii: Sed in hoc casu sacerdos, qui adest, non habet jurisdictionem respectu mortalis, quod confiteri teneretur communicaturus; ergo. Accedit, quòd alioquin pœnitens idem peccatum teneretur bis confiteri, semel in nostra hypothesi, & iterum superiori, cujus esset ab illo directè absolvere. Hoc videtur grave onus. Quòdsi pœnitens habeat insuper mortalia non reservata, non ita liquet, quid sit agendum Suarez loco cit. §. quartus casus. Filliuc. loc. citt. Bonac. n. 31. probabilius existimant, esse obligatum ad confitendum omnia, cum onere tamen postea comparendi coram superiore propter reservatum. Ratio est: quia talis potest satisfacere præcepto præmittendi confessionem: ergo tenetur. conseq. constat. Ant. prob. nam ex justa causa, qualis hîc subest, quis potest absolvi directè à non reservatis, & indirectè à reservatis. Porrò illud onus bis confitendi idem peccatum non est tantæ considerationis, ut propterea tam grave præceptum subterfugi licitè possit. Et quidem hanc sententiam esse tutiorem, dubitari non potest. Cardinalis de Lugo apud Reding, quem & ipse sequitur, n. 9. Castrop. loc. cit. tenent, posse in hoc casu communicaturum confiteri non reservata, tacitis reservatis; immò esse obligatum ad confitendum non reservata. Et quidem posse ex eo colligunt, quòd in tali confessione nullus committatur defectus contra integritatem formalem, sed materialem tantùm: hunc autem defectum satis excusari tum necessitate communicandi, tum impossibilitate adeundi superiorem, quem penes potestas est in reservata. Obligari autem inde conficiunt, quòd hac ratione satisfacere possit præcepto confessionem Communioni præmittendi. Probabilis sanè doctrina. Illsung tr. 6. disp. 4. a 5. §. 3. n. 113. docet, esse quidem consulendum, ut ejusmodi pœnitens confiteatur saltem non reservata, ad id tamen non esse obligandum. Ratio ipsius est: quia per talem confessionem non minuitur obligatio propter peccatum reservatum se DEO sistendi ut Judici, esto, conducat ad majorem certitudinem de statu gratiæ: & consequenter ea confessio non servit ad finem directè intentum:

adeoque probabiliter sub præceptum non cadit, sed solummodò sub consilium propter reverentiam sacramenti. Confirmati potest. Si communicaturus in nostra hypothesi nullum haberet aliud peccatum præter reservatum, tunc non esset obligatus ad præmittendam confessionem, licèt inde majorem sibi accerseret certitudinem gratiæ, quàm per solam contritionem, de cujus existentia & perfectione meritò dubitari potest: ergo neque tenetur propterea confiteri, quando præter reservatum habet aliud peccatum mortale non reservatum. Vid. Illsung. loco cit.

22 Infertur tertio, illo præcepto quamprimùm confitendi post communionem obligari solos sacerdotes. Castrop. n. 9. Reding controv. 4. num. 4. Mezger a. 3. §. 1. n. 2. ex communi contra Navarrum existimantem, eo Laicos quoque comprehendi. Ratio est: tum, quia hoc præceptum, cùm sit odiosum, non debet extendi ulteriùs, quam verba sonant; verba autem præcepti loquuntur de solis sacerdotibus. tum, quia frequenter accidit, ut sacerdos ob defectum Confessarii urgente necessitate celebrare debeat; rarissimè verò contingit, ut ita communicare debeat laicus: ergo Concil. Trident. meritò eam legem pro solis sacerdotibus, & non pro Laicis tulit. Imò si ritè pensentur verba præcepti, sequitur primò, illo non teneri sacerdotem more laico communicantem. Ratio est: quia Concilium loquitur solùm de sacerdote celebrante. Sequitur secundo, neque comprehendi hac lege sacerdotem, qui peccati sui mortalis oblitus omisit confessionem, & in eo statu celebravit. Ratio est: quia Concilium loquitur apertè de sacerdote celebrante cum conscientia peccati: atqui oblitus peccati non celebrat cum conscientia peccati; ergo. Sequitur tertio, neque illum hoc præcepto urgeri, qui absque necessitate ex malitia celebrat non præmissa confessione. Ratio est: quia Concilium loquitur de illo, qui urgente necessitate celebrat. Suarez disp. 66. sect. 7. Castropal. loco cit. Nihilominùs sequitur quarto, comprehendi hac lege sacerdotem facientem officium in die Paraſceves: item illum, qui complet sacrificium ab altero inchoatum, casu, quo is moritur v. g. statim post consecrationem. Ratio est: quia licèt in his eventibus sacerdos non consecret, communicat tamen communione non laicali, sed sacerdotali, & solenni ritu Ecclesiæ ut minister publicus: quæ actio est propriè sacerdotis, & nomine celebrationis meritò comprehenditur. Suarez loc. cit. Reding à n. 5.

§. III.

An Sacerdos denegare debeat S. Eucharistiam peccatori petenti?

SUMMARIUM.

23. Quinam peccatores habendi sint publici? 24. Publico peccatori deneganda est S. Eucharistia. 25. At non occulto, si publicè eam petat. 26. 27. Solvuntur objectiones. 28. Quid, si peccator occultus hoc Sacramentum petat occultè? 29. 30. 31. Præsertim, quando Minister ejus peccatum novit ex sola Confessione Sacramentali?

PEccator ad nostrum propositum alius dicitur publicus, alius occultus. Publicus est, cujus crimen est publicum sive notorium: quod tribus modis contingit. Primo, per confessionem Rei in judicio. Secundo, per sententiam condemnatoriam in eundem latam. & hæc duo vocantur notoria juris. Tertio, evidentiâ facti, si videlicet crimen palàm patratum sit, ita, ut nulla tergiversatione celari possit. Peccator occultus est, cujus delictum non est publicum aliquo ex prædictis modis. Cæterùm varios status eorum hominum, qui inter peccatores publicos habentur, videre licet apud Filliuc. tract. 4. cap. 9. num. 276. Tales sunt publici usurarii, concubinarii, meretrices & similes: de quibus, opus non est plura dicere, idque solùm universim observandum; omnes eos esse publicos peccatores, qui exercent publicam actionem, quam vel ex objecto suo, vel ex modo, quo fit, sine peccato mortali non suscipi publicè constat. Nunc 23

Dico primo. Peccatori publico deneganda est S. Eucharistia, sive eam publicè petat, sive occultè. Suarez disp. 67. sect. 2. Filliuc. num. 275. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 8. & alii communiter. Ratio est: quia hujusmodi peccator neque re ipsa, neque secundùm extremam speciem habet jus petendi sacramentum. nam ejus indignitas, sive malus status est in propatulo. Aliunde verò reverentia Sacramenti exposcit, ne præbeatur indigno. Deinde ex tali denegatione neque petenti, neque aliis oritur aliquod incommodum. Non petenti; quia nullam inde subit jacturam famæ. nam prius jam erat publicè infamis. aliud verò incommodum hîc non est ipsi timendum. Non aliis; quia nullum idcirco patiuntur scandalum: imò potiùs ædificantur, dum vident, sanctum tractari sanctè, & non mitti canibus. Quod de publico peccatore dictum, etiam extendi debet ad illum, qui propter publica & vehementia criminis indicia, ex quibus violenta præsumptio nascitur, publicè suspectus est. Etiam tali proinde Sacramentum negari debet, donec infamiâ, qua laborat, se purgaverit. Suarez, Laym. loc. citt. 24

Dico

25 Dico secundo. Peccatori occulto non est deneganda S. Eucharistia, si eam publicè petat. Ita communis. Ratio hujus conclusionis videtur esse voluntas Christi, qui ita statuit, ut occultum peccatorem publicè à communione repellere non liceat: veluti satis colligitur cùm ex facto ipsius, quando Judæ quoque corpus & sanguinem suum in ultima cœna præbuit: tum ex perpetuo usu Ecclesiæ. Porrò quàm conveniens fuerit hæc Christi institutio, constat ex gravissimis incommodis, quæ alioquin orta fuissent frequenter in Ecclesia, & hodiedum orirentur. Nam primò, multi hactenùs fuissent injustè infamati, quos ministri ob imprudentiam & levitatem nimis facilè judicâssent indignos hoc Sacramento. Secundò, oriretur magna sæpè inter fideles turbatio, & sinistra de ministris Ecclesiæ opinio: cùm præsentes facilè inducerent animum ad credendum, injustè aliquem repelli, quando ejus indignitatem solus Minister, aut pauci alii nossent. Tertio, vel ponis, Ministrum debere probare indignitatem repulsi, vel non debere; sed omnes ad ei credendum teneri etiam sine probatione? Si prius; imponis illi onus gravissimum. Quia sæpè contingeret, ut vel soli Ministro nota esset repellendi indignitas; vel saltem ignotum, quibus præterea esset nota; vel denique, ut ii, quibus esset nota, testimonium dicere contra petentem nollent. in quibus sanè casibus difficillimum foret hominibus de indignitate repellendi fidem facere. Si velis posterius; aperis Ministris occasionem impunè fingendi peccata de quibuslibet, & liberè, quos vellent, infamandi: ut adeò fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus semper timendum esset, ne cum rubore & dedecore ab ejus dispensatoribus excluderentur.

26 Objicies I. Præbere Eucharistiam homini indigno est intrinsecè malum: quia est cooperari ad malum: ergo non potest esse licitum, esto, peccator publicè petat. Confirmatur. Projicere Eucharistiam in locum immundum est ita intrinsecè malum, ut nunquam possit esse licitum: ergo similiter. II. Si haberem gladium alterius in mea custodia, isque eum repeteret, non possem ei reddere; imò negare deberem, si constaret, eum reposcere se, vel alium interimendi gratiâ, licèt publicè reposceret, ne videlicet & ipse reus homicidii efficerer: ergo similiter corpus Dominicum in suam condemnationem petenti, quantumvis id faciat publicè, sacerdos denegare debet, ne & ipse sacrilegii se alliget. III. Peccator occultus non habet jus petendi Eucharistiam: ergo neque in Sacerdote est obligatio illam præbendi. conseq. patet. Ant. inde colligitur: quòd nemo habeat jus ad indiguè manducandum corpus Domini, & conscìscendum tam immane sacrilegium.

27 Respondeo ad I. actionem præbendi Eucharistiam indigno non esse semper intrinsecè malam (cùm non sit per se & necessariò conjuncta cum indigna sumptione) sed tunc solùm, quando eam Minister moraliter vitare, & munus suum debitè exercendò potest omittere, idque non facit. Atqui in nostro eventu id non potest Minister; ergo. Neque ulla hîc intervenit cooperatio ad malum ex parte præbentis Sacramentum, sed sola permissio moraliter non evitabilis. nam qui dat Sacramentum, inquit Suarez, solùm cooperatur, ut hic homo sumat, non tamen, ut indignè sumat. posset enim, si vellet, dignè sumere. Ad Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. discrimen habetur ex dictis. nam illa projectio per se determinata est ad malum, & ex proprio objecto conjuncta cum inhonoratione Sacramenti: secùs se habet actio dandi Eucharistiam homini indigno. Ad II. conc. Ant. neg. conseq. constat enim ex *tract. de Justitia & Jure*, justitiam non obligare ad restitutionem, quando moraliter certum est, eam cessuram in grave damnum & perniciem vel ipsius Domini, vel tertii. Aliunde verò naturali præcepto charitatis tenemur impedire grave malum proximi, dum id commodè possumus. Jam autem in casu posito restitutio fieret cum gravi & irreparabili damno vel ipsius Domini, vel tertii; & potest commodè impediri grave malum proximi, videlicet homicidium: consequenter, justitia non obligat, ut restituam gladium, & charitas obligat, ut non restituendò impediam gravissimum malum. Atqui actio dandi Eucharistiam, licèt peccatori cedat in grave damnum & malum animæ, tamen commodè, & moraliter loquendò omitti non potest propter maxima inconvenientia, quæ inde sequerentur, & ad quæ evitanda Christus voluit, ne ejusmodi petenti publicè communio negaretur; velut in probatione proximæ conclusionis diximus. Detrimentum quoque animæ per subtractionem Communionis non sufficienter averti potest. Nam licèt ea ratione impediretur sacrilegium externum; internum tamen, in quo tota malitia consistit, non evitaretur: adeoque neque charitas, neque ulla alia virtus Sacerdotem obligat, ut hujusmodi peccatori deneget Sacramentum. Unde sacrilegii Minister neutiquam reus efficitur, sed ad Sacramenti inhonorationem se tantum habet permissivè, ejusque actio ex se bona tantùm fit passivè mala propter malitiam sumentis. Ad III. concedo, peccatorem occultum non habere jus in foro interno ad S. Eucharistiam, ajo tamen, habere jus in foro externo fundatum in voluntate & lege Christi, ne publicè ab ejus per-

perceptione repellatur, ut constat ex dictis. Jam

28 Dico III. Peccatori occulto occultè petenti deneganda est S. Eucharistia. Ita rursus communis sententia. Ratio est: quia talis nullum habet jus petendi hoc Sacramentum sive in foro interno sive externo: ergo nulla est ratio, cur ei præbeatur. conseq. patet. ant. ostenditur. Non in foro interno. quia in hoc vel maximè est indignus & indispositus. Non in foro externo. quia cessant omnia incommoda sequi nata ex publica Sacramenti denegatione, propter quæ evitanda Christus voluit, ne peccator occultus à sua mensa repelleretur. Itaque Ministrum hic quoque obligat illud præceptum, ne detur Sanctum canibus: idque intelligendum est contra Sotum tam de Ministro, qui ministrat ex officio, quam de non ministrante ex officio.

29 Et hæc quidem sunt expedita, quando peccatum occultum petentis communionem Sacerdos novit extra confessionem Sacramentalem. tunc enim omnes conspirant in sententiam primùm statutam. Sed major est difficultas in decernendo, quid sit agendum, quando Sacerdoti indignitas petentis ex sola confessione est nota? Dico, *ex sola confessione*. nam si aliunde quoque cognoverit, notitia ex confessione accepta non debet præjudicare alteri notitiæ, ut illa uti non liceat ad denegandam communionem. Prima sententia negat, in hoc casu petentem repelli posse. In illa sunt Valentia, Fagundez, Card. de Lugo, Dicastillo, Tannerus & alii, quos refert Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 5. §. 2. n. 254. Idem sentiunt Coninck q. 80. a. 6. n. 38. Laym. ubi suprà n. 10. Amicus. disp. 30. sect. 2. n. 25. Fundamentum est primo: quia Confessarius peccatum ejusmodi pœnitentis scit ut Deus, & non ut homo: ergo non licet illi tali scientia uti in foro externo, ubi se debet gerere ut homo. Atqui uteretur; ergo. Secundo. quia hac ratione tacitè saltem objiceret, vel exprobraret pœnitenti crimen in confessione auditum: quod extra confessionem est maximè illicitum; cùm reddat Sacramentum Pœnitentiæ maximè odiosum. Quod sic objiceret peccatum, patet. nam pœnitens, nisi omnino esset stupidus, utique intelligeret, ideò sibi negari Communionem, quòd Sacerdos peccatum suum in confessione audivisset, quantumcunque alias causas ille prætexeret. Tertio. Confessarius in omnibus casibus ita se gerere debet, acsi in confessione nihil penitùs audivisset. Atque hinc extra confessionem uti non licet scientiâ confessionis ad regimen & directionem pœnitentis inviti. Atqui Confessarius non gereret hîc se dicto modo: imò uteretur scientia confessionis extra confessionem ad directionem & regimen pœnitentis. Ad hoc enim sicut collatio Eucharistiæ, ita & negatio pertinere dicenda est: cùm neutra fieri possit, nisi à proprio Pastore vel cum licentia illius.

30 Altera sententia affirmat, non solùm posse, sed etiam debere negari Eucharistiam in casu memorato quantumcunque occultè petenti. Hanc tenent D. Th. in 4. dist. 9. q. 1. a. 5. quæst. 1. Suarez in 3. p. disp. cit. sect. 3. Vasquez disp. 209. cap. 5. His addi possunt alii plures quam triginta Authores, quos apud P. Illsung, qui idem docet, loc. cit. recenset Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 6. n. 2. Et credo, hanc sententiam esse probabiliorem oppositâ, adeoque tenendam. Probatur præcipuè in hunc modum. Quando Sacerdos negandò Eucharistiam in prædicto casu neque Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum; neque ullam idcircò pœnitenti injuriam, aut damnum infert, tunc illam non tantùm potest, sed etiam tenetur negare: sed neque reddit Sacramentum Pœnitentiæ odiosum; neque ullam pœnitenti injuriam aut damnum infert; ergo. Major constat: quia tunc nulla est sufficiens causa dandi Sacramentum indigno: immò est gravis obligatio impediendi, ne sacrilegè & indignè suscipiatur. mi. declaratur. nam imprimis pœnitens non habet ullum jus petendi & accipiendi Eucharistiam: consequenter citra injuriam illi negatur. Deinde tantùm abest, ut aliquod ei grave damnum inde sequatur, ut potiùs avertatur: quippe, dum ab externo sacrilegio impeditur. Potissimum incommodum, quod hîc timet sententia contraria, esset confusio quædam, & peccati in confessione expositi exprobratio tunc pœnitenti subeunda, quæ præjudicare videtur integritati sigilli, & confessionem reddere odiosam. Verùm nil tale hîc formidandum est. nam imprimis pœnitens facile perspicit, Sacerdotem non animò confundendi & exprobrandi, sed avertendi sacrilegium, & evitandi indignam administrationem Sacramenti sibi negare communionem. Unde non est, quamobrem existimet, sibi crimen in confessione auditum exprobrari, atque objici: præsertim, quia Sacerdos facilè potest aliam causam, ob quam neget Sacramentum, itidem veram invenire, ac reddere. Quodsi itaque pudor aliquis, aut simile incommodum in pœnitente tunc oriatur, id potiùs ex malo discursu ipsius, quàm ex actione Sacerdotis, consequitur, ipsique imputandum, utpote postulanti rem iniquam & sacrilegam. Neque ullum idcircò periculum sigillo Sacramentali creatur. Nam uti scientiâ confessionis cum advertentia pœnitentis propter grave bonum proprium, vel ipsius quoque pœnitentis, licitum esse, sanè fatendum est: prout ostendi posset plurimis

exem-

exemplis. Videatur Illsung loc. cit. n. 257. Et ratio est : quia in pluribus casibus pœnitentes non possunt esse prudenter inviti, si Confessarii illâ scientiâ utantur. Unde neque confessio illis propterea reddi potest odiosa, licèt sciant, usum ejusmodi notitiæ Confessariis esse licitum. Immò potiùs Confessariis redderetur odiosum munus excipiendi confessiones, si quantumvis illæsò sigillô, præcisoque omni damno, & injuriâ pœnitentium, usus scientiæ per confessionem comparatæ esset prohibitus. Quod tamen non minùs, quàm illud caveri debet. si enim non sint, qui audiant, quinam erunt, qui faciant confessiones?

31 Nunc ad primum ex argumentis adversis respondeo conc. Ant. neg conseq. nam licèt Confessarius dicatur scire peccatum pœnitentis ut Deus, id est, ut Minister Dei; quia tamen illa scientia est in homine, uti eâ potest ad suas actiones dirigendas, quando id non cedit in damnum & injuriam alterius: immò tunc ad talem usum tenetur, ut debitè fungatur suo ministerio, ad quod pertinet dignos admittere, & indignos repellere à Communione. Ad secundum satis constat ex dictis. Ad tertium fateor, Confessarium ita se gerere debere, ac si nihil sciret ex confessione, in omnibus iis casibus, in quibus usus talis scientiæ vergeret in confusionem, damnum, vel injuriam pœnitentis: nego autem, ita se gerere debere in aliis eventibus. Porrò, quando dicitur, non esse licitum uti scientiâ confessionis ad regimen & directionem pœnitentis, intelligendum hoc est de regimine, directione, seu gubernatione externa, quæ pertinet ad superiores; non autem de illa, quæ pertinet ad Confessarium, in ordine ad spiritualem utilitatem pœnitentis.

§. IV.

De Dispositione corporis ad S. Communionem requisita.

SUMMARIUM.

32. *Ob nullam corporis immunditiam, per se loquendo abstinendum est à S. Communione.* 33. *Quid de pollutione nocturna?* 34. *Statuitur, communicantem debere esse jejunum, idque jejunio naturali.* 35. 36. 37. 38. 39. *Consectaria practica.* 40. *Quinam excusentur à præcepto communicandi jejunè.*

32 NOtandum est, licèt in Lege veteri aliquæ immunditiæ corporales arcuerint fideles ab ingressu templi & sacrificio; in Lege tamen Evangelica sordes corporis, saltem per se loquendò, non impedire à Communione, præsertim in occulto. Hinc quando in epistola quadam Dionysii Alexandrini ad Basilid. statuitur de mulieribus menstruatis, ne accedant ad sanctam Missam, id non in vi præcepti sed consilii tantùm accipi debet: si tamen spes sit, fore, ut brevi tempore illa fœditas cesset. Pariter, licèt in can. *tua nos. de Clerico ægrot.* Sacerdos leprosus removeatur ab officio administrationis Sacramentorum, non tamen prohibetur secretò celebrare. Quocirca

33 Dico I. Quamvis deceat, & consultum sit, ut passus nocturnam pollutionem sequenti die abstineat à Communione; abstinere tamen non tenetur, nisi illa mortaliter fuerit peccaminosa & per confessionem non expiata. D. Th. 3. p. q 80. a. 7. & communiter DD. Ratio primi est: quia pollutio est quædam corporis immunditia, eamque sequitur magna distractio mentis, & ad devotionem & reverentiam, cum qua Sacramentum hoc suscipiendum est, indispositio. ergo communicare, si tales effectus accidant, non vacat omni indecentia: & consequenter consultius est, id tunc intermittere. Ratio secundi est: quia sola malitia peccati, quæ impedit effectum hujus Sacramenti, reddit hominem indignum sumptione corporis Christi. Atqui immunditia pollutionis ex se non continet malitiam peccati, moralemve animi inhonestatem; ergo. Ratio tertii constat ex dictis in §§ præcedentibus: quia de peccato mortali, quod habet sibi annexum pollutio, est eadem ratio, quæ de aliis quibuscunque per confessionem non deletis: ergo sicut illa, ita & istud imponit obligationem abstinendi à Communione.

34 Dico II. Accedens ad S. Eucharistiam debet esse jejunus jejunio naturali, hoc est, ut à principio diei naturalis, nempe à media nocte, nihil omnino per modum cibi aut potûs sumpserit. ita omnes Theologi cum D. Th. q. cit. a. 8. Atque hoc jejunium est altera dispositio in communicante ex parte corporis exacta: cujus usum & consuetudinem Lutherus *lib. de abrog. Missa privata*, ut refert Contenson, furorem furore furiosiorem appellat, commendatque moderata jentacula ante Eucharistiam, ut os mundetur; caput sublevetur; halitus fortasse graveolentior purgetur; rheuma temperetur: verbò, ut homo corpore & animô fiat compositissimus. Sed relinquamus illum & verba ejus, quidque præcipiat Mater Ecclesia, audiamus. Hujus perpetua praxi docemur, non nisi jejunos ad Divinam mensam accedere oportere: veluti luculentè testatur S. August. epist. 118. ad Januarium: *Placuit Spiritui Sancto*, scribit ibi, *ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi. nam ideò per totum orbem mos iste servatur.* Idem traditur in Conci-

Conciliis Carthag. 3. Tolet. 7. & Constant. sess. 13. Neque dubium est, quin Ecclesiastica hæc constitutio ab Apostolis profecta sit: quia per universum orbem mox post initium Christianæ religionis fuit observata. Ex his

35 Sequitur primo, eum, qui sumpsit medicinam, sive electuarium: vel deglutivit aliud quid etiam ad nutriendum, vel medicandum non ordinatum, v. g. chartam, cretam frustillum ligni, globulum plumbeum, non posse eo die S. Communionem suscipere. Bonac. hîc pu. 2. à n. 7. Mezger a. 3. §. 2. n. 9. Laym. c. 6. n. 18. & alii ab hoc relati. Ratio est: quia id omne per modum cibi, vel potûs accipitur, & consequenter frangit jejunium naturale, quod ore sumptum ab extrinseco per se & propria actione vitali in stomachum demittitur. *Neque refert*, inquit S. D. a. 8. ad 4. *utrùm aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodò sumatur per modum cibi vel potûs.* Et ratio hujus est: quia hoc jejunium Ecclesia non instituit ob virtutem temperantiæ; sed ob reverentiam Sacramenti, ut sacra hostia ante omnia alia in stomachum descendat. Contrarium circa hoc ultimum probabiliter tenent Lugo, Dicastillo, & Diana relati ab Illsung disp. 4. a. 5. §. 4. n. 221. qui existimant, ea, quæ neque per se, neque per accidens nutrire, neque rationem medicinæ habere possunt, non frangere jejunium naturale.

36 Sequitur secundo, non impediri à Communione illum, qui sanguinem, aliumve humorem ex capite descendentem; vel inter os eluendum unam alteramve aquæ guttam præter intentionem deglutivit. Bonac. n. 6. Laym. loc. cit. Reding q. 6. a. 4. controv. 2. n. 8. Ratio est: quia inprimis illi humores non sumuntur ab extrinseco, adeoque non per modum cibi, vel potûs. Hinc aliud foret dicendum de sanguine, quem quis sorberet ex digito v. g. vulnerato: sicut tradunt communiter Theologi. Deinde, quæ dicto modo descendunt ex capite, non nisi mixta salivæ in stomachum deveniunt, nec habent rationem cibi aut potûs. Idem dicendum est, si coquo, vel coquæ inter gustandum jusculum aliquid casu descendat. Quòdsi non casu, sed ex proposito deglutiendi aliquid ex prædictis miscuisses salivæ trajectæ in stomachum, abstinendum esset à Communione, ut rectè docent Suarez disp. 68. sect. 4. Laym. loc. cit. Reding n. 9. Et ideò dixi: *Si præter intentionem deglutivit.* Ratio autem est: quia tunc non videretur res sumi per modum salivæ; sed esset nova quædam comestio, aut potatio voluntariè suscepta; cùm ex vi prioris actionis non sequeretur.

37 Sequitur tertio, neque illi abstinendum esse à communione, qui aliquid ex reliquiis hesternæ cœnæ, v. g. frustillum carnis inter dentes hærens, casu deglutiit. D. Th. loc. cit. ad 4. Coninck q. 80. a. 8. n. 47. Filliuc. tract. 4. c. 8. n. 336. & alii communiter. Ratio est: quia hodie tales reliquiæ nullo modo sumuntur ab extrinseco, & pertinent ad manducationem præcedentis diei, à qua illarum transglutitio moraliter non distinguitur. Unde non sumuntur hodie per modum cibi. Quòdsi similes reliquiæ non casu, sed ex industria deglutiantur, volunt aliqui nihilominùs, non esse propterea omittendam Communionem, idque expressè doceri à Castropalao perhibent Reding n. 10. & Illsung loc. cit. ubi hic dicit, esse sententiam probabilem. Consultius procul dubio, atque decentius est, tales particulas, quantùm fieri potest, ante Communionem exspuere.

Sequitur quarto, licitum esse ante Com- 38
munionem tempore contagiosæ luis theriacam, aliave aromata naribus imponere pestilentem aërem arcendi, & cerebrum confortandi gratiâ. Vinitor in compend. Sacram. q. 6. n. 2. Immò licet hæc talia in os quoque sumere, & dentibus masticare, modò nihil transglutiatur. Coninck n. 28. Ratio colligitur ex dictis. Aliud est de saccharo & similibus, quæ in ore liquescunt: quia difficulter caveri potest, ne trajiciantur in stomachum, adeoque frangant jejunium, nisi statim, & antequam deglutiatur saliva, exspuantur. Unde communicaturus imprudenter talia sumeret.

Sequitur denique quinto resolutio illius 39
dubii, an nempe liceat ante Missæ celebrationem, vel Communionem sumere tabacum? Nam licet concedatur, sumptionem tabaci non frangere jejunium naturale, nisi dum per os sumitur, & in stomachum trajicitur, tamen ob periculum trajiciendi conjunctum irreverentiæ cuidam, & scandalo, quod apud populum generare solet, ab ea planè est abstinendum, sive per modum fumi, sive pulveris, sive folii, quod masticatur, & statim exspuitur, fiat. Vinitor q. cit. n. 1. ubi refert, hunc morem Ministris Ecclesiæ, & Sacerdotibus in diversis Conciliis provincialibus & Synodalibus sub pœna gravis peccati fuisse prohibitum.

Cæterùm à præcepto communicandi je- 40
junè excusatur primo moribundus, quando non potest sumere viaticum jejunus. Secundo. Sacerdos, qui post consecrationem alterius speciei recordatur, se non esse jejunum. debet enim pergere in sacrificio & sumere. Tertio, ille Sacerdos, qui sumpto calice videt, non esse vinum, quod sumpsit. nam tenetur rursus consecrare & sumere. Quarto, non urget hoc præceptum, si celebrante post consecrationem mortuo, vel in subi-

subitam invaletudinem lapso alius Sacrificium debeat perficere, & non adsit jejunus. tunc enim tenetur perficere etiam non jejunus. Quinto, si sumpta ablutione inveniat sacerdos aliquas particulas à se consecratas, quæ commodè servari nequeunt. tunc similiter eas debet sumere: cùm sint ejusdem sacrificii reliquiæ. Sexto. Si sacerdotis palato adhæreat particula hostiæ consecratæ: vel si is videat, talem adhærere Calici. tunc siquidem sumere potest novam ablutionem, ut eam in stomachum trajiciat. Ratio est: quia hoc totum ordinatur ad unum sacrificium, unamque refectionem spiritualem complendam. Coninckh. à num. 5. Pertschacher q. 4. a. 3. §. 2. Plura de his, aliisque casibus, ia quibus licitum est communicare non jejuno, habet Reding a. 4. controv. 3. & 4. & Illsung a. 5. §. 5. quos vide.

PARS QUARTA.

De Sacrificio Missæ.

In Parte proximè præced. de illis tractavimus, quæ pertinent ad Mysterium Eucharistiæ, ut Sacramentum est. placet nunc etiam disputare de illo, prout rationem Sacrificii continet. Priùs tamen, quàm rem altiùs ingrediamur, agendum est breviter adversus temporum nostrorum hæreticos, qui dari Sacrificium Missæ impudentissimè infficiantur, ajuntque, Christum Dominum reliquisse quidem mensam, in qua epulemur; at non altare, in qua victimas immolemus. Horum vesaniam ubi paucis retuderimus, naturam nostri Sacrificii contemplabimus & declarabimus. Ad morales postmodùm doctrinas, & practicarum difficultatum resolutiones, quæ nunquam tot, quin plures se se offerunt præsentem materiam versantibus, calamum convertemus. Audivistis modò, Lectores amici, consilium & œconomiam hujus *Quartæ Partis*. Legite, si videtur, & favete.

DISPUTATIO I.

De Existentia Sacrificii Missæ.

EXpeditiùs procedet, tam præsens, quàm istam proximè secutura Disputatio, si aliqua de Sacrificio in communi præmisero. Expositа quippe natura & ratione formali Sacrificii ut sic, non solùm contra hæreticos nostri temporis rationem veri & proprii Sacrificii Sacramento Eucharistiæ convenire, sed etiam, in quanam actione Sacerdotis ea formaliter consistat, facilè ostendam. Sit igitur

ARTICULUS I.

Quid nomine Sacrificii intelligant hæretici?

SUMMARIUM.

1. *Hæretici nomine Sacrificii intelligunt quodvis opus bonum.* 2. *Communi tamen generis humani judicio Sacificium propriè est aliquid distinctum ab aliis bonis operibus.* 3. 4. 5. *Adducuntur*, 6. *& solvuntur argumenta hæreticorum.*

HÆretici nostri temporis, ut faciliùs è medio tollant Sacrificium Missæ, planè evertunt significationem nominis, quod est Sacrificium, dum docent omne opus bonum, quod DEO reddimus, ut ipsum honore afficiamus, veram rationem Sacrificii obtinere. Et ideò Melanchton *in Apolog. Confess. August. artic. de Missa*, ut perhibet Vasquez, Sacrificium in universum 1

definit, quòd sit *cæremonia vel opus, quod nos DEO reddimus, ut eum honore afficiamus.* Dividit deinde Sacrificium in Propitiatorium, & in Eucharisticum, seu gratiarum actionis. Hujus autem classis esse putat fidem, prædicationes Evangelii, orationes, corporis castigationes, ac denique omne id, quod in laudem Dei cedit. Atque hinc deducit, Sacramentum Altaris, sicut & quævis bona opera in laudem & honorem Dei facta, posse vocari Sacrificium posterioris generis, non autem prioris.

2 Verùm ita docere est abuti nomine Sacrificii contra usum non modò omnium nationum, sed etiam ipsius S. Scripturæ. Quia tam ista, quàm omnes omninò nationes, dum propriè loquantur de Sacrificio, per hoc intelligunt certum aliquem actum, distinctum ab aliis bonis operibus.

Nam lege sis Authorem quemcunque sacrum aut profanum, qui scribat, simpliciter & sine ullis adjunctis aliquem sacrificâsse, nullum invenies, qui dicat, eum dedisse eleemosynam quandam, aut humiliter Deum orâsse; & non potiùs, cum DEO vero aut falso quidquam immolâsse: Sacra etiam Scriptura Sacrificium sæpissimè distinguit ab aliis bonis operibus, idque nominatim Psal. 50. *Si voluisses Sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Et 1. Reg. 14. *Melior est obedientia, quàm victimæ.* Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Sed quid opus est in re clara morari diutiùs? Juvat tamen audire, quibus hîc momentis nitantur Adversarii. Probant itaque suam persuasionem

3 Primo, quia in Sacra Scriptura passim quodlibet opus bonum vocatur Sacrificium. Sic enim Psal. 4. dicitur, *sacrificate sacrificium justitiæ &c.* & Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c.* & ad Hebr. ult. *beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibûs enim hostiis promeretur* (id est, placatur) *Deus.* Sapient. 3. *quasi holocausti hostiam accepit eos.* Roman. 12. *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam.*

Secundo, ex S. August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 6. ubi dicit: *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, ut sanctæ societate inhæreatur DEO, relatum scilicet ad illum finem boni, quô veraciter beati esse possimus.* Quibûs apertè docet, Sacrificium propriè esse omne opus bonum, quod facimus, ut Deo placeamus. 4

Tertio, authoritate quorundam etiam 5 Catholicorum Theologorum, uti Gabrielis lect. 85. in can. Missæ. lit. D. & Alphonsi de Castro, lib. adversùs hæres. verbo Missa, hæresi 2. sine distinctione affirmantium, omne opus bonum in DEI laudem & honorem relatum esse verè ac propriè Sacrificium.

Ista tamen nihil evincunt. Ad primum 6 dicitur, adducta loca S. Scripturæ esse intelligenda metaphoricè; quia nempe in eo saltem conveniunt cum Sacrificio bona opera, quorum ibidem fit mentio, quòd eundem cum illo habeant effectum, nobisque itidem conciliant Deum, sicut conciliat Sacrificium. Aliàs certè, si in proprio sensu accipienda essent ea testimonia, eodem modo probarent Sectarii, Christum esse propriè dictum leonem, aut vitem; quia in S. Scriptura dicitur leo, & vitis, imò vera vitis. Sicut proinde hæc talia necessariò intelligenda sunt metaphoricè, ita & illa in quibus diversa bona opera dicuntur Sacrificium.

Ad secundum dicitur, S. Augustinum omne opus bonum, quod fit, cum DEO adhæreamus, vocare Sacrificium latiori quadam, non propria significatione. Neque te lactet, quòd dicat ejusmodi opera esse vera Sacrificia. Nam verum Sacrificium apud S. Patrem hîc non est idem, quod propriè Sacrificium, sed quod habet suô modô eundem effectum, quem habet propriè Sacrificium; ut priùs advertimus.

Ad tertium respondetur opponendô Gabrieli & Alphonso Castrio authoritatem & communem sensum aliorum omnium, quotquot in humano genere hactenùs rectè usi sunt nomine Sacrificii. Quid autem duo vel pauculi omnî solidô fundamentô defecti contra omnes cæteros?

ARTICULUS II.

Statuitur legitima definitio Sacrificii.

SUMMARIUM.

1. Sacrificium est actus externus Religionis. 2. Statuitur & declaratur ejus definitio. 3. Sacrificium debet esse actio rei oblatæ transmutativa. 4. Respondetur ad objectionem in oppositum. 5. 6. An Sacrificium privata cujuspiam authoritate institui possit? 7. An Sacrificium falso DEO oblatum sit propriè Sacrificium.

Inter

1 INter Catholicos constans sententia est, Sacrificium esse actum peculiarem, eumque externum virtutis Religionis, quô Deo quidpiam offerimus cum quadam illius immutatione ad profitendum, ipsum esse supremum rerum omnium Dominum, vitæ quoque ac mortis arbitrum. Sed hic Sacrificii conceptus adhuc confusus & mancus esse videtur, per legitimam definitionem luculentiùs exponi debet.

2 Dico proinde. Sacrificium est *oblatio externa rei permanentis, à legitimo Ministro soli DEO facta, cum illius rei immutatione destructiva ad profitendum, DEUM esse supremum Dominum vitæ & mortis.* Declaranda est definitio per omnes partes. Dicitur in illa *oblatio*, quæ habet rationem generis, in eaque convenit Sacrificium cum aliis oblationibus primitiarum, decimarum &c. Dicitur *externa*, ut distinguatur Sacrificium ab internis actibus Religionis. Dicitur *rei permanentis* ad excludendum actiones aliquas transeuntes, putà genuflexiones, & hujusmodi. Dicitur *à legitimo Ministro*, quia Sacrificium est cultus Dei publicus; adeoque fieri debet ab habente authoritatem publicam: quemadmodùm indicat illud ad Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Dicitur *soli DEO facta.* Quia Sacrificium est cultus latriæ, qui soli DEO exhiberi potest ac solet. Unde S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 4. *Quis verò Sacrificandum censuit, nisi ei, quem DEUM aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Dicitur, *cum immutatione destructiva illius rei.* Quia destructio rei oblatæ est aptissimus modus significandi supremam DEI potestatem in vitam ac mortem. Et ideò in omnibus Sacrificiis veterum, sive sacris sive profanis, rei oblatæ destructionem aliquam interveniss legimus. Differt etiam per hanc immutationem Sacrificium à simplici oblatione: per hanc enim itidem exhibetur DEO res quædam, ità tamen ut vi illius non destruatur. Dicitur *ad profitendum* &c. ut exprimatur intrinsecus finis Sacrificii, & ultima differentia ab aliis DEI cultibus. Atque ex his

3 Colligitur primo, non quamlibet actionem externam, qua res quæpiam DEO offertur, ejusque cultui mancipatur, esse Sacrificium, sed debere esse actionem rei oblatæ transmutativam. Ratio est; quia Sacrificium est formaliter protestatio Divini absoluti dominii in vitam & mortem. Quæ protestatio non debet fieri solùm speculativè per signum aliquod speculativum, sed practicè per realem & exercitam rei oblatæ destructionem.

Objicies. In lege scripta, vel etiam in 4
lege naturæ dabantur Sacrificia sine rei oblatæ destructione. Talia Sacrificia erant oblationes panum propositionis, & aliæ, quæ in pane vel vino fiebant. Item illa Melchisedechi ex pane & vino, in qua similiter nulla destructio interveniss legitur.

Respondeo inprimis, quod attinet ad oblationem panum propositionis, negari posse, quòd fuerit verum Sacrificium, & plusquàm simplex oblatio; cùm nullum id affirmandi habeatur sufficiens fundamentum in Sacra Scriptura.

Deinde admissô fuisse verum Sacrificium, negatur, nullam interveniss destructionem, quæcunque illa fuerit, licèt Scriptura nullius faciat mentionem. Idem respondendum est ad alias oblationes, quas constat fuisse vera Sacrificia. Semper enim vinum, quando seorsim offerebatur, quoad partem aliquam effundebatur: farinæ autem vel panis aliqua pars adurebatur; atque per hoc totum vinum, totusque panis censebatur sacrificatus. De Melchisedecho quidem Genes. 14. Scriptura tantùm dicit, ipsum obtuliss panem & vinum, non explicandô modum, quo obtulit; ideò fortasse, quòd ita notum esset, non posse sacrificari sine destructione alicujus saltem partis de re oblata, ut de hoc expressam facere mentionem non fuerit necesse. Ita Lugo.

Colligitur secundo: Sacrificium non 5
privata hominis voluntate, sed publica tantùm authoritate posse institui. ita Suarez, Lugo, Reding, & alii passim. Ratio est: quia homo est naturaliter animal politicum, ita ut ex natura sua postulet cum aliis congregari in unum corpus politicum, sive unam rempublicam, idque vel maximè ad debitum cultum DEO. Authori totius naturæ exhibendum: consequenter, dictante ipso naturæ lumine, oportet homines publico consensu in unum aliquod convenire nomen religionis, quod fieri non posse sine Sacrificio pridem docuit S. Augustinus *lib. 19. contra Faust. cap. 11.* Confirmatur primo. Sacrificium offerri debet à legitimo Ministro, scilicet à Sacerdote, atqui Sacerdos est minister publicus: & consequenter authoritate publica institutus, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quòdsi autem Sacerdos non potest institui, nisi authoritate publica, utpote Minister publicus; etiam Sacrificium, quod ille offert, ut Minister publicus, non potest institui alia authoritate, quàm publica. Confirmatur secundo. Sacrificium

est signum quoddam politicum Divinæ excellentiæ & potestatis in vitam & mortem, idque in ordine ad commercium inter Deum & hominem; sicut voces humanæ sunt signa politica in ordine ad commercium inter homines. Ergo sicut voces vim significandi non potuerunt accipere, nisi ex institutione publica, ita oblationes quæcunque non nisi ea institutione publica habere possunt vim significandi ac protestandi Divinam excellentiam &c. eo modo, quo requiritur ad rationem Sacrificii. Atque hinc

6 Colligitur tertio, si homines solitariè vagarentur, & in nullam communitatem coaluissent, nullum unquam futurum fuisse Sacrificium. Ita Coninck, Lugo, Reding. Ratio est: quia licèt tunc quilibet sibi potuisset præscribere certas quasdam cæremonias, v. g. genuflexionem, inclinationem capitis &c. quibûs Deum coleret, ejusdemque in omnia supremam potestatem profiteretur, nulla tamen ejusmodi cæremonia habuisset sufficientem vim significandi per modum Sacrificii.

Dices. Abel & Cain privatâ solùm authoritate obtulerunt Sacrificia, alter ex fructibus, alter ex animalibus: ergo dari potest Sacrificium sine authoritate publica. Adde, quòd mors Christi fuerit verum Sacrificium. sed ubi de illa institutio publica?

Respondeo, Abelem & Cainum de oblationibus & Sacrificiis fuisse instructos à patre, à quo, tanquam capite totius humani generis, procul dubio etiam sufficientem authoritatem acceperint. De morte Christi dicendum est, eam ex institutione DEI, in quo est omnis Authoritas, obtinuisse, ut esset Sacrificium. Atque hinc patet dispatitas de morte Martyrum, quæ non fuit propriè Sacrificium ob defectum publicæ institionis, licèt ex privata intentione morientium ad Dei cultum, & ad profitendam ejusdem supremam potestatem in vitam ac mortem fuerit ordinata.

Colligitur quarto, Sacrificium falso Deo 7
oblatum esse verè & propriè Sacrificium. Ita Vasquez, Lugo contra Coninck. Ratio est: quia cùm omnis cultus vel maximè pendeat ex nostra apprehensione, ut veram ac propriam habeat rationem Sacrificii; sufficit, si cuipiam deferatur, qui apprehenditur ut Deus, quamvis ad hoc, ut licitè fiat, soli vero Deo debeat deferri.

Confirmatur. Falso Deo exhiberi potest vera ac propriè dicta adoratio latriæ: ergo tali offerri quoque potest verum ac proprium Sacrificium. Quando proinde docemus, vel supponimus, Sacrificium esse oblationem, quæ soli Deo fit, tu intellige soli Deo, qui reipsa est Deus verus, vel ei, qui apprehenditur, & putatur esse Deus verus.

ARTICULUS III.

De Nomine MISSA.

SUMMARIUM.

1. *Nomen Missæ displicet hæreticis.* 2. *Lutherani illud derivant ab Hebraico* Maozim. 3. *Quidam Catholici ab Hebraico* Mizah. 4. Missa *probabilius est vox latina.* 5. *Aliqui derivant à verbo* Mitto. 6. *Alii à dimittendo populum.* 7. *Et quare?* 8. *Cur idem Sacrum in plurali vocatum sit* Missarum solemnia? 9. *Nomen* Missa *usitatissimum in veteri Ecclesia.*

1 MUlta hîc de variis Sacrificiis, in quæ communis ratio Sacrificii dividi solet, dicenda se offerunt. Omnia tamen prætermittimus, eò quòd ad explicandum Missæ Sacrificium, de quo solùm hoc loco disputare decrevimus, minimè sint necessaria. Quoniam verò Hæretici nostrorum temporum non tantùm Sacrificium Christi in altari impugnant, sed ipsi quoque nomini Missæ, in qua Christus offertur, audent oppedere, de hac eadem voce aliqua præmittenda esse duximus.

Et quidem Lutherani, uti testatur Vas- 2
quez in 3. part. tom. 3. disp. 221. cap. 1. affirmant, vocem *Missa*, quâ nos Latini significamus incruentum Eucharistiæ Sacrificium, deductam esse à voce Hebraicâ *Maozim*, quæ legitur Daniel. 11. ubi de Antichristo prædicitur: *Deum autem Maozim* (id est, fortitudinum) *in loco suo venerabitur.* Placet illis hæc derivatio, ut inde pessimo contra Missam errori fucum quempiam apud suos illinant: dicunt enim, Missam esse Deum, seù arcem, & robur Antichristi Romani, scilicet Papæ: atque ita non sine mysterio, & singulari Divinæ providentiæ consilio factum esse, ut vox *Missa* cum voce *Maozim*, quæ Deum Antichristi significat, conveniret. Impudentissimas has ineptias ex professo refellit Bellarminus to. 2. lib. 5. cap. 1. quem vide, si lubet.

Catholici verò non pauci opinantur, 3
vocem *Missa* eandem esse cum voce *Missac* seu *Mizah*, quæ habetur Deuter. cap. 16. dum Hebraicè legitur, & significat *oblationem*: adeoque censent, vocem Hebraicam,

vel

vel Chaldaicam esse. Hæc sententia probabilis quidem est; patitur tamen suas difficultates. Nam primò si vox *Missa* esset illa Hebraica, aut ab eadem derivata, eam credibiliter omnes Christianæ nationes non minùs retinuissent, quàm alias hujusmodi, quales sunt *Amen*, *Alleluja*, *Sabbaoth &c.* quibûs etiam Græci utuntur. Hoc autem affirmari non potest; quia iidem Græci id, quod nos Missam dicimus, *Liturgiam* appellant, nec utuntur nomine *Missa*. Secundo, quia Syri & Maronitæ, qui teste Vasquez in Chaldaico idiomate sacrificant, similiter idem nomen *Missa* non agnoscunt. Tertio, quia ut perhibet idem Author, ex Patribus Origenes, Justinus, Epiphanius, & Hieronymus, quamvis Hebraicæ linguæ periti essent, hac voce nunquam usi sunt.

4 Itaque probabilior est eorum sententia, qui tenent, vocem *Missa* non Hebraicam, sed Latinam esse. Verùm illi, qui ita sentiunt, non conveniunt in explicando, unde *Missa* Latinam nomenclaturam acceperit. Ex hæreticis (si istas quoque audire libet) Calvinus, Petrus Martyr, Melanchthon relati à Vasquez arbitrantur, *Missam* à mittendo fuisse dictam hac ratione, quòd in medium mittantur munera, quasi Symbola quædam, quibûs fiat sacra cœna, & pauperibus mensa præparetur: atque hinc *Missam* idem esse judicant Latinè loquentibus, quod apud Græcos est *agape*. Sed malè ita judicant, ut meritò advertit Author cit. cùm *agape* fuerit convivium quoddam Christianorum in gratiam præcipuè pauperum præberi solitum; atque adeò quid longè divertum ab eo, quod significat *Missa* fidelium.

5 Hugo à S. Victore, quem referunt Gonet & Reding, quemque plures sequuntur, existimat, nostrum Sacrificium vocari *Missam* ex eo, quòd in illo oblatio & preces ad Deum mittantur: ut proinde, dum in fine Sacrificii dicitur, *Ite, Missa est*, sensus sit, abire licet, quia oblatio & hostia salutaris jam transmissa est cum precibus ad Deum pro vobis. Hæc sententia præter Hugonem relatum alios habet patronos, quorum authoritas maximè valere apud me debet. Primus est Magnus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. illis verbis: *Dicitur Missa quasi transmissio, eò quòd populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui fungitur jure Mediatoris inter Deum & homines, preces & supplicationes & vota transmittat Altissimo &c.* Alter est Angelicus Doctor 3 p. q. 83 a. 4. ad 9. dicens: *Et propter hoc etiam Missa nominatur: quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem: vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo. Unde & in fine Missæ Diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens, Ite, Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum; ut scilicet sit Deo accepta.*

6 Alii contendunt, hoc Sacrificium vocari cæpisse *Missam* à dimittendo populum, ita ut *Missa* idem sit, quod *dimissa*, pro dimissione, sicut apud Tertullianum, Sanctosque Cyprianum & Augustinum *remissa* peccatorum pro remissione peccatorum fuit in usu: & sicut Latinè dicimus, *senatum mittere*, pro *dimittere*, *missionem flagitare* &c. pro *dimissionem flagitare*.

7 Ideò porrò Missam fuisse dictam à dimittendo asserunt, quia antiquitus Catechumeni post Evangelium, aut saltem ante Consecrationem, dimittebantur à Diacono, & in fine totius Sacrificii etiam fideles. Formula prioris dimissionis erat: *Catechumeni exeunto*, vel, *siquis Catechumenus remansit, exeat.* Formula posterioris erat, qualis nunc est, *Ite, Missa est.* cujus proinde volunt hunc esse sensum: *Ite, missio*, sive, *dimissio jam est*; vel prolixiùs, ut habet Gonet, *Jam dimissio est, abire omnibus licet; quia jam dimissi estis.* Simile quid observabant etiam Sacerdotes Gentilium, qui peractô Sacrificio dicere solebant, *Ilicet*, hoc est, ire licet, ut referunt Plutarchus & alii apud Card. de Lugo. Voce *Missa* pro dimissione usus fuit etiam S. P. Benedictus in Regula nostra, cap. 17. ubi loquens de dimissione Fratrum ab Officio Divino ait: *Post expletionem verò trium Psalmorum recitetur lectio una, versus, Kyrie eleison,* & Missæ fiant &c.

8 Porrò quia bina *Missa*, sive missio fiebat, ut dictum est, una Catechumenorum post Evangelium, & altera omnium in fine, quæ adhuc hodie retinetur in usu, priori omissâ, idem Sacrum in plurali Missarum Solemnia vocabatur, sicut advertunt Vasquez, Lugo & alii.

9 Fuit autem nomen *Missa* usitatissimum apud priscos Ecclesiæ Patres, idque traditum ab ipsis Apostolis Petro & Paulo fuisse, eruditè & gravi cum fundamento conjectat Baronius ad annum Christi 34. ubi refert, illo nomine usos fuisse Pium I. Papam, proximum ævo Apostolorum, in Epist. ad Justum Episcopum Viennensem, quæ habetur to. 1. Biblioth. Patrum, Cornelium Papam in Epist. ad Lupicinum itidem Episcopum Viennensem, eosque secutos in hoc esse cæteros Romanos Pontifices cum Conciliis, Romano sub Sylvestro, Carthaginiensi 11. Agathensi & aliis; uti & SS. Patribus, nominatim Ambrosio ad Marc. Epist. 33. scribente: *Ego mansi in munere, Missam facere cæpi, orare in oblatione Deum &c.* Et Augustino in serm. 251. de temp. *In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus, &c.*

ARTICULUS IV.

Ostenditur, Missam esse verum & proprium Sacrificium.

SUMMARIUM.

1. *Quàm execrabilis sit hæreticis Missa nostra.* 2. *Missa est Sacrificium verè & propriè.* 3. *Prima hujus veritatis probatio ex figura Sacrificii Melchisedechi.* 4. 5. *Refelluntur solutiones hæreticorum.* 6. *Qualiter in Sacrificiis Aaronicis facta fuerit oblatio panis & vini.* 7. *Secunda probatio ex vaticinio Malachiæ.* 8. *Notatur peculiaris modus loquendi Prophetarum.* 9. *Tertia probatio ex Prophetia Danielis.* 10. *Depellitur responsio.* 11. *Quarta probatio ex praxi & authoritate Ecclesiæ.* 12. *Quinta probatio ex ratione.* 13. *Occurritur objectioni.*

1 SAtis jam diximus de voce *Missa*. De re ipsa Catholicis gravis intercedit controversia cum temporis nostri hæreticis negare ausis, in Missa offerri Deo verum & proprium Sacrificium, quod ante illos omnibus Religionis Christianæ sæculis universi fideles tenuerunt & prædicarunt. Mirum sanè est, quantis odiis, Missam nostram Lutherani & Calvinistæ execrentur: vocant enim teste Becano, *horribile sacrilegium, idololatriam, Sacrificii Crucis Christi abnegationem, commentum Papisticum, abominationem, exitialem voraginem &c.* Verùm contra hoc persistit immobilis Orthodoxa veritas, pro qua asserenda

2 Dico. Missa, sive celebratio Eucharistiæ est verè & propriè Sacrificium. Ita luculentè docet Ecclesia Catholica in Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 1. & 2. ubi non solùm definitur, in Missa verè & propriè Deo offerri Sacrificium, sed etiam Christum in ultima cœna discipulos suos ad illud offerendum Sacerdotes instituisse, eisque potestatem alios deinceps instituendi tradidisse.

3 Prima probatio sumitur ex illa oblatione panis & vini facta à Melchisedech, quæ refertur Genes. 14 his verbis: *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Ex quibus habetur primò, Melchisedechum fuisse non solùm Regem, sed etiam Sacerdotem. Habetur secundò, eundem obtulisse panem & vinum in Sacrificium, idque gratiarum actionis pro victoria, quam Abram reportavit. Habetur tertiò, ideò, Christum ex vaticinio Prophetæ Psal. 109. vocatum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, quia Melchisedech erat typus & figura Christi in ultima cœna sacrificaturi suum corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini; non autem vocatum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Aaron; quia nempe Sacrificium Christi in ultima cœna non fuit cruentum, sicut Sacrificia Aaronica, sed incruentum sub speciebus panis & vini, sicut Sacrificium Melchisedech. Quemadmodùm igitur illa panis & vini oblatio facta à Melchisedech fuit verè ac propriè Sacrificium, ita & illam oblationem, qua Christus in ultima cœna suum corpus & sanguinem obtulit sub speciebus panis & vini, quæque præfigurata fuit per dictam oblationem Melchisedech, verè ac propriè Sacrificium esse asserendum est.

4 Respondent illi primo, negandô Melchisedechum obtulisse panem & vinum in Sacrificium. Nam dicunt, præbuisse Abramo, ejusque militibus ex prælio reversis ad edendum & bibendum.

Verùm contra objicimus authoritatem antiquorum Patrum, quoquot de hac re scripserunt, qui omnes asserunt, protulisse in usum Sacrificii. Illi autem Patres potissimùm sunt Cyprianus lib. 3. epist. 2. Ambrosius lib. 5. de Sacram. Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 17. & lib. 1. contra Adverss. leg. cap. 20. Hieronymus in epist. ad Evagr. Isidorus lib. de vocat. Gent. cap. 26. Damascenus lib. 4. fid. cap. 14. Oecumenius in cap. 5. Epist. ad Hebr. quorum omnium verba legere potes apud Valentiam to. 4. disp. 6. q. 11. pu. 1. §. 10.

Hoc ipsum ex S. Scriptura Genes. 14. manifestè colligitur. Cùm enim dixisset de Melchisedecho, quòd panem & vinum protulerit, statim subjunxit: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, ut significaret, Melchisedechum non ut Regem, sed ut Sacerdotem protulisse panem & vinum; adeoque non protulisse ad refocillandos Abramum & milites, sed in usum Sacrificii, quo Deo gratias ageret pro reportata ex Babyloniis victoria.

Deinde, tametsi admittamus, Melchisedechum dedisse panem & vinum Abramo & militibus, rectè nihilominùs sibi constat illius Sacrificium. Imò ex hoc ipso magis elucescit, per factum Melchisedechi præsignatum fuisse nostrum Sacrificium Eucharisticum: sicut enim Eucharistia priùs offertur Deo in Sacrificium, ac deinde distribuitur fidelibus, ut illius Sacrificii fiant participes, ità servata proportione optimè dicitur, Melchisedechum priùs Deo panem & vinum obtulisse in Sacrificium; deinde verò distribuisse victoribus, ut de eodem Sacrificio participarent.

Respon-

5 Respondent secundo, negandô Melchisedechum fuisse typum seu figuram Christi in oblatione panis & vini.

Sed contra est. quia si Christus, veluti testatur Scriptura, fuit verè Sacerdos *secundùm ordinem Melchisedech*, & non secundùm ordinem Aaron, planè necesse est, ipsum in Sacerdotio fuisse similem Melchisedecho & non Aaroni. Hæc autem similitudo in eo consistit, quòd Christus in ultima cœna ex pane & vino Sacrificium obtulerit, sicut Melchisedech obtulit, & Aaron non obtulit. Consequenter Christus fuit similis Melchisedecho in oblatione panis & vini; adeoque Melchisedech in hac oblatione typus & figura Christi. Contra eandem responsionem copiosè adduci solent à nostris Polemicis Authoritates SS. Patrum tam ex citt. in num. præc. quàm aliorum: quibus utique plus fidei habendum, quàm nostris novatoribus.

6 Sed objiciunt. Etiam in Sacrificiis Aaronicis fiebat oblatio panis & vini: ergo si propter hanc oblationem Melchisedech fuit figura Christi, etiam Aaron fuit.

Respondeo dist. Ant. fiebat oblatio panis & vini, ita ut ambæ hæ res simul essent præcipua & unica materia oblationis, neg. ita ut simul non essent præcipua, multò minùs unica materia oblationis, sed adhiberentur ad ritum tantùm & cæremoniam illius, conc. Ant. & neg. conseq. Non enim propter quamcunque oblationem panis & vini dicitur à nobis Melchisedech fuisse figura Christi, sed propter oblationem, cujus panis & vinum simul essent præcipua & unica materia: qualem oblationem neque ipse Aaron, neque ullus posteà Sacerdos Aaronicus; sed solus Melchisedech peregisse legitur.

7 Secunda probatio petitur ex celebri vaticinio Malachiæ, qui cap. 1. ℣. 10. & 11. ita loquitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ubi Propheta apertissimè prædicit, fore, ut pro Sacrificiis Mosaicis offeratur DEO aliud Sacrificium illis præstantius, atque acceptius, idque Sacrificium esse Sacrificium Missæ, docent Patres primitivæ Ecclesiæ, Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone, Clemens Romanus Instit. Apostol. lib. 7. cap. 3. S. Martialis in epist. ad Burdigal. cap. 3. Irenæus lib. 4. cap. 32. Tertullianus, Cyprianus, & alii apud Bellarminum, Valentiam & Reding.

Neque refert, Sacrum vatem uti verbis de præsenti, *sacrificatur*, *offertur*, hoc enim est familiare Prophetis, ut propter certitudinem prædictionis enuntient futura quasi præsentia: veluti patet ex illo Isaiæ 6. ℣. 9. *Parvulus natus est nobis.* & Malachiæ 3. *Ecce, ego mitto Angelum meum.* Quare illa verba præsentis temporis respiciebant tempus futurum, quo abolenda essent Sacrificia Veteris Testamenti, juxta Sacrum contextum: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra.* 8

Porrò per Sacrificium illud cæteris subrogandum à Malachia non potuisse intelligi aliud, quàm Sacrificium Missæ, facilè ostenditur. Nam alioquin locutus esset, vel de Sacrificio Aaronico Judæorum. & hoc non: quia dixit offerendum in gentibus, & antiqua munera respuenda. vel de Sacrificiis gentilium præcedentium, ut erant Job & Melchisedech. & hoc non: quia dixit offerendum in omni loco. vel de Sacrificio Christi cruento. & hoc non: quia istud similiter non in omni loco, sed in uno tantùm loco, & semel fuit offerendum. vel de Sacrificio metaphorico bonorum operum; ut volunt Calvinistæ. & hoc non: tum, quia Malachias dixit; illud Sacrificium fore oblationem mundam; qualis juxta Calvinistas non sunt bona opera, quippe quæ non sunt munda; sed potiùs *sordes, maculæ & inquinamenta*, ut loquitur Calvinus lib. 3. instit. c. 12. §. 4. & c. 15. §. 3. apud Becanum. tum, quia Malachias locutus est de oblatione, quæ futura esset novum Sacrificium, subrogandum Sacrificiis Aaronicis, & proprium Christianorum. atqui bona opera neque nova sunt, neque subrogata Sacrificiis Aaronicis, neque propria Christianorum; quippe quæ apud fideles ab initio mundi fuerunt in usu, Deoque oblata. Aliud verò nihil superest assignabile, præter Sacrificium Missæ, de quo loqui potuerit Malachias. De hoc igitur, & non de alio Sacrificio intelligenda est ejus prophetia.

Tertiam probationem suggerit illustre 9 testimonium ex prophetia Danielis: quod ita se habet: Cùm Gabriel Angelus de fine mundi commonefaceret Danielem, *veniet tempus*, inquit Daniel. 12. *quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud &c.* Interroganti deinde Danieli, quamdiu esset duraturum id tempus? respondit: *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.* ulteriùs autem, paucis interjectis, declarans, quantum temporis spatium per ea verborum involucra intelligeret, atque etiam quando id spatium fuerit inceperum esset, subjunxit: *Et à tempore, cùm ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem; dies mille ducenti*

ducenti & nonaginta. Quasi diceret, tempus illud omne continebit tres annos cum dimidio (tantum quippe spatium conficiunt mille ducenti & nonaginta dies) & exordium illius temporis, calamitatumque, quæ in illud incident, tunc erit, quando *juge Sacrificium* abolitum, & *abominatio in desolationem posita fuerit.* Ex quo nunc vaticinio tale argumentum consurgit: Datur in lege Evangelica juge Sacrificium, quod in exordio suæ tyrannidis abolebit Antichristus: sed hoc est Sacrificium verè ac propriè dictum; ergo in lege Evangelica datur Sacrificium verè & propriè dictum. maj. supponitur in prophetia adducta. min. inde ostenditur, quòd per Sacrificium juge ab Antichristo abolendum non possit intelligi Sacrificium improprie dictum justitiæ & bonorum operum, idque primò. quia hoc Sacrificium pro diversitate operum est diversæ, & non unius rationis, sicut significatur esse illud *juge.* Secundo. quia continet aliqua officia, quæ ab iisdem personis, & in iisdem locis non possunt repeti *jugiter*: cujusmodi est conversio Gentium, quam in Sacrificio spirituali præcipuè commendant Sectarii. Tertio. quia hæc talia Sacrificia non ita tollentur illo tempore, ut nunquam fiant etiam palàm & publicè. multi enim sæviente dirissima persecutione non modò occultè ardentes preces, & Sacrificium contriti cordis Deo offerent, sed etiam eidem seipsos imperterrita fidei professione viventes hostias coram tyranno Antichristo constituent. Necesse est igitur, Sacrificium *juge*, de quo vaticinatur Daniel, esse aliud Sacrificium propriè dictum. Atqui præter Sacrificium Missæ, quod sit *jugiter*, nullum in lege Evangelica est assignabile, cui conveniat ratio Sacrificii verè & propriè dicti: ergo Sacrificium Missæ habendum est pro Sacrificio verè & propriè dicto.

10 Respondent, Danielem nomine *jugis* Sacrificii non intellexisse Sacrificium Missæ, sed cultum Leviticum Hierosolymis olim à Rege Antiocho deletum, quem à parte juge Sactificium per Synecdochen nominârit. Verùm ita respondere est manifestè insanire, quia abrogatio jugis Sacrificii, de qua loquitur Propheta, in tale tempus incidet, *quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cæperunt:* & in quo *salvabitur populus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro,* item, in quo *multi resurgent; alii in vitam æternam; alii in opprobrium;* quòdque durabit tribûs annîs cum dimidio. Quæ omnia nequaquam conveniunt ei tempori, quo Antiochus Hierosolymas vastavit; veluti S. Hieronymus, teste Valentia, contra impium Porphyrium demonstrat. nam tempus illud neque tale fuit, quale non fuisset unquam; neque in eo sive multi, sive pauci surrexisse leguntur in vitam æternam; & neque tribûs cum dimidio, sed tribûs tantùm annîs duravit, ut probat idem S. Doctor. Econtra tamen hæc omnia ad litteram quadrant in tempus trium annorum & dimidii, quibûs durabit tyrannis Antichristi.

Quarta probatio colligitur ex praxi, te- 11
stimonio, & authoritate totius Ecclesiæ in hunc modum. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, de eo, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est,* scribit S. Augustinus epist. 118. Sed Sacrificium Eucharistiæ, uti testatur S. Irenæus lib. 4. cap. 32. *Ab Apostolis accipiens Ecclesia in universo mundo offert Deo,* adeoque tota per orbem frequentat; ergo hoc Sacrificium quin faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est: ergo insolentissima Sectariorum insania est hoc Sacrificium faciendum non esse contendentium. Utraque consequentia est legitima, & Major S. Augustini, Minor S. Irenæi. Quid ergo negabunt in formato discursu Novatores, ne velut *insani*, & *insolentissimi* revincantur? an Majorem? vix puto eos ita extremè insipere, cùm minimè ignorent, Ecclesiam regi Spiritu Sancto, & à Christo habere promissiones tam illustres, ut errare tota non possit. An Minorem? hoc certè non abhorret ab illorum impudentia. Sed eam propositionem nostri Theologi deductis per omnia legis Christianæ sæcula exemplis & testimoniis ita probant irrefragabiliter, ut iis nihil addi à quoquam posse videatur. Legantur Valentia, Reding, Paulus Mezger & alii.

Quinta probatio ex sequente ratione e- 12
sto. Negato semel, Sacrificium Missæ esse Sacrificium, quo Christus sacrificetur verè ac propriè, sequitur, nullam in Ecclesia Dei dari nunc oblationem, quæ sit Sacrificium verè ac propriè. sed consequens est absurdum; ergo &c. Absurditas conseq. facilè patet: cùm enim Sacrificium sit juris naturalis, in quantum naturali lumine cognoscitur, Deum esse supremum Dominum vitæ & mortis omnium, eique cultum deberi excellentissimum, qui est Sacrificium; ita ut nulla fuerit unquam tam barbara natio, quæ Diis suis hunc talem cultum non exhibuerit, valdè absurdum esset solum populum Christianum carere oblatione, quæ sit Sacrificium verè & propriè. Seq. verò maj. facilè probatur. quia oblatio, ut sit Sacrificium verè ac propriè, fieri debet cum immutatione destructiva rei oblatæ, idque ad profitendam summam potestatem Dei in vitam & mortem, ut constat ex definitione Sacrificii in 2. Artic. tradita: sed negatô semel, Sacrificium Missæ esse Sacrificium, quo Christus sacrificetur verè & propriè, nulla datur in Ecclesia Dei hujusmodi oblatio; ergo nec ulla tunc

datur

datur oblatio, quæ sit Sacrificium verè & propriè. mi. ostenditur. Vel enim hujusmodi oblatio esset illa, in qua thymiama & thus in honorem DEI adolemus, vel illa, qua substantiæ ipsæ panis & vini DEO offeruntur, & per transsubstantiationem immutantur: sed neutra istarum oblationum fit cum tali immutatione rei oblatæ; qua profiteri velimus supremam DEI potestatem in vitam & mortem; ergo vera est Minor: quæ fuerat probanda. Maj. ex eo constat, quòd præter oblationes illas duas nulla alia tunc esset in Ecclesia, in quam memorata prædicata cadere posse videantur. mi. prob. quia inprimis nos Catholici per solam immutationem hostiæ, quam dicimus esse ipsum Christum, profitemur absolutum DEI in vitam mortemque dominium; velut uberiùs in proxima disp. videbitur. Deinde in sententia hæreticorum, contra quos agimus, substantiæ panis & vini nullô modô immutantur in consecratione, sed vel Christus simul cum illis in sua natura integrè perseverantibus existit per verba Sacerdotis adductus, ut docet Lutherus; vel eædem sine Christo permanent nullô modô immutatæ, ut docet Calvinus. Oblatio verò thymiamatis aut thuris licèt fiat ab Ecclesia, cum immutatione destructiva; solùm tamen fit, ut vapore ac suffitu illorum DEO cultus simplicis adorationis exhibeatur.

Dices. Ecclesia in benedictione cerei Paschalis dicit: *In hujus igitur noctis gratia suscipe Sancte Pater incensi hujus Sacrificium vespertinum &c.* ergo judiciô Ecclesiæ oblatio incensi est Sactificium. 13

Respondeo, Ecclesiam per Sacrificium incensi ibi non posse intelligere, nisi Sactificium latiori significatione, & impropriè dictum.

ARTICULUS V.

Respondetur ad Argumenta hæreticorum.

SUMMARIUM.

1. *Idem potest esse Sacramentum, Testamentum & Sacrificium.* 2. *Quibûs verbis Christus instituerit Sacrificium Missæ?* 3. *An idem Sacrificium obtulerit, quod nos offerimus?* 4. *Sacerdotes nostri an sint successores Christi in Sacerdotio?* 5. Adorare *in Sacra Scriptura quandoque per antonomasiam idem significat, quod* Sacrificare. 6. 7. 8. *Ad quid necessarium Sacrificium Missæ?*

1 Objiciunt hæretici primô. Quod est Sacramentum & testamentum, non potest simul esse Sacrificium: sed Eucharistia est Sacramentum & testamentum, ergo non potest simul esse Sacrificium. mi. supponitur. maj. prob. quia Sacramentum & Sacrificium, similiterque testamentum & Sacrificium opponuntur. nam per Sacramentum & testamentum accipimus aliquid à DEO, per Sacrificium autem damus aliquid DEO. Sed ratio accepti & ratio dati non possunt in una, eademque re simul consistere.

Respondeo dist. Maj. non potest simul esse Sacrificium secundùm eandem rationem, conc. secundùm diversam rationem, neg. maj. & conc. min. dist. conseq. ergo non potest simul esse Sacrificium secundùm eandem rationem, secundùm quam est Sacramentum vel testamentum, conc. secundùm diversam rationem, neg. conseq. Igitur Eucharistia, quatenùs ex institutione Christi significat & causat gratiam nutritivam, sic habet rationem Sacramenti: quatenùs est velut instrumentum quoddam publicum Divinæ voluntatis & promissionis, habet rationem testamenti: quatenùs autem per illam profitemur, Deum esse suprèmum Dominum vitæ & mortis, habet rationem Sacrificii. Neque repugnant in una eademque re ratio accepti & ratio dati; ut dicitur in prob. maj. nisi enim hoc ipsum, quod à DEO accipimus, eidem dare & offerre possemus, nullum unquam fuisset, nec esse posset Sacrificium: quia dicitur 1. Paralip. cap. 29. v. 14. *Tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* imô falsa esset hæc pars posterior cit. vers.

Objiciunt secundo. Quando Christus in ultima cœna instituit Eucharistiam, non dixit: *Offerte*, sed, *comedite*, & *bibite*. ergo Eucharistia ex institutione Christi non est Sacrificium, sed Sacramentum tantùm. 2

Confirmatur. Neque ex Evangelio, neque ex verbis Christi habetur quòd obtulerit Sacrificium, sed tantùm, quòd Apostolis dederit corpus & sanguinem suum: ergo signum est, Christum nullum instituisse Sacrificium.

Respondeo ad object. Christum quidem non fuisse usum hoc vocabulo *offerte*, usum tamen fuisse aliis æquipollentibûs, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemora-*

morationem, id est, posthac Eucharistiam, quam nunc instituo, offerte pro gratiarum actione, in memoriam meæ mortis, quam pro vobis, totoque humano genere subiturus sum.

Unde in Confirmat. neg. Ant. colligitur enim ex illis, *hoc facite &c.* Christum obtulisse Sacrificium. Licèt fatendum sit, id clariùs haberi ex aliis locis Scripturæ. Quôdsi etiam nos hîc desereret Authoritas S. Scripturæ, sufficeret ad tollendum omne dubium de facto Christi perpetua Ecclesiæ traditio ab Apostolis ad nos usque derivata. Deinde, ex quibus Christi verbis, vel ex quo Evangelio habetur, ipsum in cruce obtulisse Sacrificium? & tamen istud hæretici non negant.

3 Dices. Etsi supponatur, Christum in ultima cœna ad obtulisse Sacrificium, non tamen obtulit Sacrificium, quod nos in Missa offerimus. Ipse enim se obtulit in memoriam mortis futuræ: nos ipsum offerimus in memoriam mortis præteritæ. Respondeo, hanc eandem difficultatem, si qua est, moveri posse contra Eucharistiam, quatenùs habet rationem Sacramenti: cùm etiam sub hac ratione celebrari debeat in memoriam passionis Christi juxta illud: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Deinde illa diversitas temporis extrinseci minimè tollit identitatem Sacrificii à Christo oblati cum Sacrificio, quod nos offerimus.

Confirmatur. Nos idem credimus, quod prædixerunt & crediderunt Prophetæ, licèt ipsi crediderint Christum passurum, & nos credamus jam fuisse passum: ergo etiam idem Sacrificium offerimus in Missa, quod Christus obtulit in ultima cœna, licèt ipse obtulerit in memoriam passionis ac mortis suæ futuræ, & nos offeramus in memoriam passionis ipsius præteritæ.

4 Objiciunt tertio. In terris nullus jam datur proprius Sacerdos: ergo vel ullum datur Sacrificium propriè dictum. Consequentia est nota: quia Sacerdos & Sacrificium habentur pro correlativis, quorum si unum non datur, nec alterum datur. Ant. autem prob. nam si daretur in terris aliquis talis Sacerdos, ille utique esset Christi successor in Sacerdotio; sicut quilibet Sacerdos Aaronicus fuit successor Aaronis: sed hoc affirmari non potest: quia Sacerdos perpetuus & sempiternus nullum habet successorem in Sacerdotio: sed Christus est Sacerdos perpetuus & sempiternus, juxta illud Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*: ergo nullum habet successorem in Sacerdotio.

Confirmatur. Juxta Apostolum ad Hebr. 7. ideò in veteri testamento fuerunt plures Sacerdotes, quorum unus alteri succedebat, quia singuli erant mortales, ac proinde alii atque alii semper debebant succedere. Hæc autem ratio cessat in novo jam testamento; quia primus illius Sacerdos Christus adhuc vivit; imò semper vivet & manebit Sacerdos.

Respondeo ad object. neg. Ant. in hujus probat. neg. maj. nostri enim Sacerdotes non sunt Christi successores in Sacerdotio, sed Ministri & Vicarii, qui illi subserviunt in officio Sacerdotali. nam successor non datur nisi mortuo, vel deposito, vel alio modo in dignitate, aut officio non amplius constituto, Christus autem semper vivit juxta Apostolum, & *sempiternum habet Sacerdotium.* Unde etiam falsum est, quemlibet Sacerdotem Aaronicum fuisse successorem Aaronis: quamdiu enim vixit Aaron, nullum habuit successorem in Sacerdotio; licèt habuerit inferiores Sacerdotes & Levitas, qui illi ministrabant.

Ex quibus etiam patet ad Confirmat. Licèt enim in novo testamento cesset illa ratio Apostoli quantùm ad hoc, quòd nullus sit necessarius Christi successor in Sacerdotio cum pari potestate, quales tamen erant necessarii successores in Sacerdotio Aaronis; inde tamen non conficitur, nullos jam in terris oportere esse Sacerdotes, qui sint Vicarii Christi, ejusque Ministri in officio Sacerdotali.

5 Objiciunt quartò. Joan. 4. Mulier Samaritana Christo proposuit quæstionem de schismate Samaritanorum & Judæorum, nempe, utri rectiùs facerent, ac sentirent, Samaritani, qui Sacrificia offerebant in monte Garizim, an Judæi, qui contendebant, non ibi, sed in templo Hierosolymitano sacrificandum esse? cui Christus respondit: *venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem ..... sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* in quo loco verbum *adorare* idem significat, quod *sacrificare*, veluti passim intelligunt Catholici, ut Suarez, Maldonatus, Pecanus, Tirinus, Gonet & alii. Sensus igitur responsionis reipsa est, venisse jam tempus legis gratiæ, in qua nullibi Deus sit colendus externo quopiam Sacrificio, sed tantùm in *spiritu & veritate*, id est, Sacrificio spirituali & invisibili.

Respondeo, nequaquam esse hunc sensum responsionis Christi. tantùm quippe abest, ut Dominus ibi negaverit, Deum in lege nova esse colendum externo quodam Sacrificio, ut hoc ipsum potiùs apertè affirmâsse videatur. Sicut enim quando dixit v. 21. *neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis*, per verbum *adorandi* significavit cultum externi ac proprii Sacrificii, ita etiam quando dixit v. 23. *adora-*

bunt

bus in Spiritu & veritate per idem verbum significare voluit cultum externi & propriè dicti Sacrificii : aliàs certè eadem voce in eodem contextu æquivocè fuisset usus. Itaque ex ipso Christi testimonio datur in lege nova externum ac proprium Sacrificium. Sed quodnam aliud præter Sacrificium Missæ ? Meritò autem hoc dixit futurum *in Spiritu & veritate*. *In Spiritu* quidem ; quia omninò spirituale est ; tam quoad suam veritatem, quàm quoad modum existendi indivisibilem & Sacramentalem rei oblatæ. In veritate autem : quia jam non in figura umbræ, sed verè & realiter caro & sanguis Christi in illo offertur.

6 Objiciunt quinto. Sacrificium Crucis habet valorem infinitum & æternum : ergo non indigemus alio Sacrificio ; ergo multiplicare tot Missæ Sacrificia aliud nihil est, quàm Sacrificium Crucis arguere imbecillitatis & insufficientiæ, quod sine injuria Christi id offerentis fieri non potest.

Confirmatur. Vel Sacrificium Missæ est Ecclesiæ Christi necessarium, vel non ? Si non est necessarium, sequitur, supervacaneè & sine causa id esse institutum. Si est necessarium, sequitur, Sacrificium Crucis fuisse imperfectum & insufficiens : nam ideò Sacrificia vetera fuerunt infirma & insufficientia, quia post illa omnia necessarium fuit Sacrificium Crucis : ergo ipsum quoque Sacrificium Crucis dicendum erit infirmum & insufficiens, si post illud adhuc aliud Sacrificium est necessarium.

Respondeo inprimis retorquendô objectionem. Nam ecce ! Sacrificium Crucis habet valorem infinitum & æternum : ergo non indigemus ullo Sacramento. item : Sacrificium Crucis habet valorem infinitum & æternum respectu omnium hominum, qui fuerunt, sunt, & erunt : ergo omnia Sacrificia cætera olim usitata fuerunt superflua : ergo multiplicare Sacramenta Ecclesiæ, & tot Sacrificia Mosaica nihil est aliud, quàm Sacrificium Crucis arguere imbecillitatis & insufficientiæ. Atqui Novatores nostri hæc omnia nobiscum multiplicant ; ergo &c.

Deinde respondeo conc. Ant. reg. conseq. licèt enim Sacrificium Crucis contineat valorem satisfactorium pro nobis infinitum & sufficientissimum ; quia tamen hîc valor in particulari per memoratum Sacrificium nobis non applicatur, opus est alio Sacrificio, per quod applicetur : quia sine applicatione efficaci per media à Christo instituta in nobis hîc & nunc suos effectus non operaretur : sicut medicinæ & pharmaca corporalia, quamvis sint prædita virtute sufficientissima ad conferendam sanitatem, non conferunt sanitatem, nisi applicantur ægroto. Atque ex his etiam patet, multiplicare tot Missæ Sacrificia non esse idem, quod Sacrificium Crucis arguere infirmitatis & insufficientiæ. non enim multiplicantur, ut per illa augeatur vel supplcatur virtus Sacrificii Crucis, utpote infinita ; sed ut eadem virtus, ejusque fructus nobis applicetur.

Dices. Fructus Sacrificii Crucis sufficienter & efficaciter applicari nobis potest per fidem, baptismum & Eucharistiam : ergo nulla est opus applicatione per Sacrificium Missæ. 7

Respondeo dicendô vicissim, sufficienter & efficaciter eum fructum applicari posse per fidem & Sacrificium Missæ. Ad quid ergo opus applicatione per Baptismum & Eucharistiam ? Christus voluit, ut applicaretur etiam per Sacrificium Missæ ; sive tu jam velis, ô homo, sive nolis.

Ad Confirmat. respondeo, Sacrificium Missæ Ecclesiæ Christi esse necessarium ea necessitate proportionaliter, qua necessaria esse Sacramenta suô locô diximus. Neque hinc rectè inferri potest, Sacrificium Crucis fuisse imperfectum & insufficiens : quia Sacrificium Missæ non est necessarium propter aliquem defectum virtutis & valoris satisfactorii in Sacrificio Crucis, sed solùm ad efficaciter nobis applicandum ejusdem valorem aliunde jam perfectè sufficientem. Aliud est de ipso Sacrificio Crucis comparatè ad Sacrificia vetera. Fuit enim necessarium post illa omnia propter defectum virtutis & valoris satisfactorii ipsorum. 8

Et istæ sunt potissimæ objectiones.

Nunc ulteriùs sit

ARTICULUS VI.

An Sacrificium Missæ sit propitiatorium, & impetratorium ?

SUMMARIUM.

1. Sententia Hæreticorum. 2. 3. 4. 5. Statuitur & probatur tripliciter, Sacrificium Missæ esse propitiatorium. 6. In legè antiquâ non dabantur Sacrificia propitiatoria sine effusione sanguinis. 7. Notabile discrimen inter Sacrificium Crucis Christi, & Sacrificia Mosaica. 8. Concluditur & probatur, Sacrificium Missæ esse etiam impetratorium.

1 SEctarii nostrorum temporum, qui Sacrificium Missæ impugnant, ingenuè fatentur, hoc Sacrificium esse *Eucharisticum*, quod est pro gratiarum actione; & *latreuticum*, id est in cultum Dei. Putant enim, concesso hoc utroque prædicato se nondum concedere, Missam esse plusquàm impropriè & latiori modò dictum Sacrificium: at esse *propitiatorium*, hoc est, pro peccato, sicut fuit Sacrificium Crucis, & *impetratorium*, pro aliis, quàm pro ipsis sumentibus, omnes uno ore inficiantur. Quia judicant, se non posse hæc prædicata tribuere Sacrificio Missæ, quin eo ipso admittant, esse propriè Sacrificium: veluti refert hîc Vasquez disput. 223. cap. 3. Verùm contra illos cum Catholica veritate.

2 Dico primo. Sacrificium Missæ est verè propitiatorium. Ita definitum est in Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. ubi dicitur: *si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in in Cruce peracti, non autem propitiatorium &c. anathema sit.*

3 Prob. primo ex S. Scriptura ad Hebr. 5. ubi dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constitutitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Quibûs verbîs Apostolus docet, quodnam sit munus Sacerdotis in universum, nempe offerre dona & Sacrificia pro peccato. Cùm proinde non solùm Christus sit Pontifex & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, sed etiam Apostoli, eorumque successores ab ipso constituti sint Sacerdotes, non modò Christus ipse in ultima cœna obtulit Sacrificium pro peccato, sed etiam Apostoli postea obtulisse, eorumque successores hodiedum offerre dicendi sunt. Atquì hoc Sacrificium non est aliud, quàm Sacrificium Missæ; ergo &c.

4 Prob. secundo Authoritate Patrum Ecclesiæ. Ex Græcis S. Jacobus in Liturgia sua inquit: *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis populi.* Justinus in Dial. cum Triphone ait, Sacrificium vaccæ oblatum pro elephantiacis figuram fuisse Eucharistiæ, quæ offertur pro expiatione peccatorum. Basilius in Liturg. vocat hoc Sacrificium reverendum ad abolenda delicta nostra. Cyrillus Catech. 5. Mystag. appellat hostiam propitiationis. Ex Latinis Alexander I. in epist. ad Orthod. Episc. scribit inter alia, *oblatis his Sacrificiis* (Eucharisticis nempe) *crimina atque peccata deleri.* S. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 48. ait, *nunc Christum offerri quasi hominem, quasi recipientem passionem, & offerre & quasi Sacerdotem, ut peccata nostra dimittat.* S. Augustinus q. 57. in Levit. affirmat, *Sacrificiis antiqui testamenti unum hoc Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium nostrum significari, in quo vera fiat remissio peccatorum.* Plura similia Patrum tum Græcorum, tum Latinorum testimonia adducunt Suarez, Reding & alii.

5 Probatur tertio ratione. Non debet negari Sacrificio Missæ, quod fuit concessum Sacrificiis antiquæ legis: atqui Sacrificiis antiquæ legis concessum fuit, ut essent propitiatoria: ergo idem non debet denegari Sacrificio Missæ. maj. constat: quia Sacrificium Missæ juxta SS. Patres Chrysost. homil. in Psal. 65. & August. lib. 1. contra Adversar. legis &c. cap. 20. continet totam perfectionem Sacrificiorum antiquæ legis. 6 mi. autem prob. ex Levitici cap. 4. ubi præceptum erat, ut is, qui peccâsset per ignorantiam, offerret vitulum pro peccato: si peccâsset princeps, *offerret hostiam Domino hircum de capris immaculatum*, itidem pro peccato. Jobi quoque cap. 1. habetur, illum quotidie obtulisse Sacrificia pro peccatis filiorum suorum.

6 Objiciunt primo. Juxta Apostolum ad Hebræos, 9. v. 22. nulla fit remissio peccatorum sine sanguinis effusione: sed in Sacrificio Missæ non est effusio sanguinis; ergo in hoc Sacrificio non fit remissio peccatorum, & consequenter non est Sacrificium propitiatorium. Respondeo; hunc locum Apostoli retorqueri posse in fide, quam Adversarii vocant justificantem. nam neque in illa est aliqua sanguinis effusio. quomodò ergo verum est, quod ipsi ubique clamant, peccatores justificari per fidem, fierique remissionem peccatorum, dum quis certò credit, sibi remitti peccata, dum credit?

Cæterùm Apostolus intelligi debet de remissione peccatorum in lege antiqua. nam loquitur ibi de Judæis, non de Chtistianis. Verba sunt: *Omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur; & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Ubi re ipsa sensus est: secundùm legem Mosaicam nullum erat Sacrificium pro peccato, in quo non effundebatur sanguis hircorum aut aliorum animalium. Quæso quid hinc extundent Hæretici contra Sacrificium Missæ? Imò, si tota res benè inspiciatur, & argumentum ipsorum valeat contra Sacrificium Missæ, etiam valebit contra Sacrificium Crucis, si paucis additis & variatis ita proponatur: Juxta Apostolum nulla fit remissio peccatorum sine effusione sanguinis hircorum aut aliorum animalium: sed in Sacrificio Crucis non fuit effusio sanguinis hircorum aut aliorum animalium: ergo in Sacrificio Crucis non fuit facta remissio peccatorum; & consequenter hoc Sacrificium non fuit propitiatorium. Vides, opinor, argumenti hæretici vesaniam.

Objiciunt

7 Objiciunt secundo. Nullum Sacrificium sæpius iteratum potest perficere cultores, ut docet Apostolus ab Hebr. 10. sed Sacrificium Missæ sæpius iteratur, ergo non potest perficere cultores; nec proinde peccata remittere.

Respondeo, hoc quoque argumentum retorqueri posse in fide, & in aliis piis operibus, quæ secundùm Adversarios sunt Sacrificia Christianorum, & sæpius iterantur.

In forma deinde neg. maj. quam locô cit. non docet Apostolus. Solùm enim confert Sacrificia Mosaica cum Sacrificio Crucis Christi, ac dicit, hoc interesse discriminis, quòd Mosaica, quantumcunque sæpius iterata, non potuerint per se perficere & justificare Judæos; Sacrificium verò Crucis, quod semel tantùm oblatum est, fuerit per se sufficientissimum ad justificandos homines. Quæ tamen doctrina Apostoli non obstat, quin necesse sit fructum ejusdem Sacrificii nobis applicari, idque non semel tantùm, sed quoties indigemus. potest autem applicari nobis per Sacrificium Missæ sæpius iteratum; sicut juxta Adversarios applicari potest per fidem & Eucharistiam sæpius iteratam.

8 Dico secundo. Sacrificium Missæ est etiam impetratorium. Habetur similiter ex Concil. Trid. sess. illa 22. ubi can. cit. definitur ulteriùs de hoc Sacrificio, illud non solùm prodesse sumenti, sed pro vivis & defunctis, & quibusvis necessitatibus offerri debere.

Prob. primo ex SS. Patribus. Nam Chrysostomus homil. 18. & 21. in Act. Apostolor. dicit, Sactificium Missæ offerri pro fructibus terræ & aliis necessitatibus. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 8. meminit, illud offerri solitum pro purgatione domûs à vexatione dæmonum. Prosper in lib. de prædict. Dei. cap. 6. narrat, suo tempore idem Sacrificium fuisse oblatum pro energumenis. Pluta ejusmodi testimonia refert Vasquez, ubi suprà.

Prob. concl. tertiò simili ratione, quæ prior probata est. Sacrificia antiquæ legis erant impetratoria: ergo idem sentiendum est de Sacrificio Missæ. Conseq. inde colligitur, quòd Sacrificio omnium excellentissimo nihil sit denegandum ex iis, quæ conveniebant Sacrificiis veteribus vix non incomparabiliter inferioribus. Ant. ostenditur exemplis S. Script. Nam 2 Reg. ult. Sacrificium fuit oblatum, ut cessaret pestilentia. 2 Machab. 3. pro salute Heliodori. 1 Esdræ 6. pro vita & salute Darii. Adeoque Sactificia antiquæ legis fuerunt impetratoria.

DISPUTATIO II.

De Essentia Sacrificii Missæ.

Sacrificium in universum accipi solet dupliciter, nempe & pro re, quæ in Sacrificium offerri dicitur, & pro ipsa actione, qua quid offertur seu sacrificatur. Nos in præsenti disputatione de actione ipsa Sacrificandi, in quo formaliter consistat, quatenùs reperitur in Sacrificio Missæ, potissimùm tractabimus: ex quo ipso tamen facilè constabit de re illa, quæ Sacrificari dicitur.

ARTICULUS I.

Referuntur & refelluntur Sententiæ nobis dissplicitæ.

SUMMARIUM.

1. *Recensentur potissimæ actiones Missæ.* 2. *Essentia Sacrificii Missæ non consistit in oblatione verbali post consecrationem.* 3. *Solvitur objectio.* 4. *Idem Sacrificium nec etiam consistit in fractione.* 5. *Uti nec in distributione.* 6. 7. 8. *Refellitur paulò operosiùs sententia celebrior Sacrificium Missæ in sumptione constituentium.*

1 Missa sex potissimùm actiones continet. Prima est oblatio panis & vini, quam offertorium vocamus. Secunda est consecratio corporis & sanguinis Christi. Tertia est oblatio ejusdem corporis & sanguinis, dum Sacerdos post consecrationem dicit: Unde & memores Domine nos servi tui .... offerimus præclatæ majestati tuæ &c. Quarta est fractio hostiæ consectatæ in tres partes. Quinta est sumptio Sacramenti facta à Sacerdote. Sexta est distributio ejusdem Sacramenti facta populo.

2 Variæ jam referuntur sententiæ, in quanam ex recensitis actionibus consistat essentia nostri Sacrificii. Prima asserit, illam consistere in oblatione post consecrationem. Pro hac sententia Vasquez. disp. 222. cap. 1. refert Scotum & Gabrielem. Ea facilè rejicitur, primo quidem: quia actio non immutativa rei oblatæ non potest formaliter constituere essentiam Sacrificii; ut clarè patet ex definitione Sacrificii in disp. præced. artic. 2. adducta: sed illa oblatio est actio non immutativa rei oblatæ; ut etiam patet: ergo. Secundo. quia verbalis hæc oblatio ne quidem semper fuit in usu Missam celebrantium. testatur enim D. Gregorius lib. 7. epist. 63. in principio nascentis Ecclesiæ post consecrationem immediatè recitatam fuisse Orationem Dominicam: ex quo colligitur, nullam tunc post consecrationem fieri solitam oblationem hostiæ consecratæ. Atqui actio, in qua formaliter sita est ratio Sacrificii Missæ, utique semper debuit fuisse in usu illud celebrantium. Tertio. Quia in actione, quæ solùm est instituta ab Ecclesia, non potest consistere essentia Sacrificii Missæ; cùm Ecclesia non potuerit instituere hoc Sacrificium. Atqui illa oblatio est solùm instituta ab Ecclesia. Quarto. quia actio constituens essentiam hujus Sacrificii fieri debet in persona Christi, qui est principalis Sacerdos. Atqui illa oblatio non fit in persona Christi, sed nomine Ecclesiæ, juxta illa verba: *unde & memores &c.*

3 Objicies. Sacrificium est quædam species oblationis: ergo essentialiter consistit in oblatione: ergo ubi verè & propriè offertur, ibi habetur essentialis ratio Sacrificii. Atqui illis verbis, *offerimus præclaræ majestati tuæ &c.* verè & propriè offertur à Sacerdote corpus & sanguis Christi; ergo &c.

Respondeo conc. ant. & priori conseq. dist. posterius, ergo ubi verè & propriè offertur &c. oblatione verbali tantùm, neg. oblatione reali, & immutativa rei oblatæ, conc. conseq. atqui illis verbis verè & propriè offertur corpus & sanguis Christi tanquam per oblationem verbalem tantùm, conc. tanquam per oblationem realem, neg. nam sola consecratio inter actiones Missæ est oblatio realis corporis & sanguinis Christi.

Dices. Sacerdos in consecratione, sive dum consecrat, nullam prorsùs facit mentionem oblationis: ergo consecratio, non est oblatio, sive verbalis sive realis.

Respondeo neg. conseq. licèt enim Sacerdos in actu signato non dicat, se offerre, in actu tamen exercito, dum consecrat, sistit, ac repræsentat DEO corpus & sanguinem Christi ceu rem oblatam; quod sufficit ad rationem oblationis.

Secunda Sententia contendit, essentiam Sacrificii Missæ non quidem constitui adæquatè, inadæquatè tamen constitui per fractionem, ingrediente simul consecratione constituitivè inadæquatè. Ita Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. quam sententiam aliqui ita rejiciunt, ut tamen dicant, fractionem Eucharistiæ pertinere ad integritatem hujus Sacrificii; veluti testatur Vasquez.

Hæc etiam sententia nullo negotio rejicitur ex communi praxi Ecclesiæ, ex qua habetur, hostiam, si casu contingat, ut jam consecrata ante fractionem decidat in calicem, non esse frangendam. Atqui non est verosimile, in ullo casu omissum iri fractionem, si esset de essentia Sacrificii. Contra illos autem, qui volunt, fractionem pertinere saltem ad integritatem Sacrificii, satìs est afferre authoritatem D. Thomæ 3. p. q. 82. a. 6. ad 6. ubi dicit, si Sacerdos casu non frangat hostiam consecratam, aut nullam ex tribus partibus mittat in calicem, Sacrificium non manere imperfectum, idcoquè nihil esse repetendum. Atqui Sacrificium maneret imperfectum omissa fractione, si hæc pertineret ad integritatem illius; ut est evidens, ergo &c.

5 Tertia sententia potest esse aliorum, qui teste Vasquez eodem modo discurrunt de distributione hujus Sacramenti, sicut priores de fractione, quòd nempe etiam pertineat ad rationem Sacrificii. Colligere volunt ex ipso facto Christi, quem constat (ut ipsi putant) ex Evangelistis, non solùm fregisse hoc Sacramentum, sed etiam distribuisse, idemque ut facerent Apostoli, cæteique ipsorum successores, præcepisse. Sed hæc opinio minimè subsistit. Primo. quia juxta Concilium Trid. sess. 22. cap. 6. & can. 8. verè ac licitè celebratur Sacrificium Missæ, licèt populus non communicet, adeoque nulla fiat distributio Eucharistiæ. Secundo. quia distributio ordinatur ad hoc præcisè, ut fideles participent de Sacrificio jam peracto, & consequenter supponit Sacrificium, non constituit. Tertio. quia actus sacrificandi est ita proprius Sacerdoti, ut non possit exerceri à non Sacerdote. Atqui distributio illa potest aliquando exerceri à non Sacerdote, nempe à Diacono: ergo non potest esse actus sacrificandi, sive Sacrificium ipsum. Quarto. quia non apparet, quomodo in hac distributione salvari possint rationes oblationis & immutationis.

Si fortè dicas, hîs omnibûs probari quidem, distributionem esse extra constitutionem

nem essentialem Sacrificii, non tamen probari, esse excludendam ab integritate illius: respondeo hoc posterius vel ex solo Concil. Trid. locis citt. sufficienter colligi. nam si distributio Eucharistiæ pertineret saltem ad integritatem Sacrificii, certè non liceret illam omittere ita passim, & tam communiter, sicut omitti à celebrantibus videmus quotidie: atqui Concilium satis indicat hoc fieri licitè; ergo signum est, hanc distributivam, ne quidem ad integritatem pertinere.

6 Quarta sententia est eorum, qui asserunt, sumptionem corporis & sanguinis Christi esse id, in quo consistat essentia nostri Sacrificii. Ita docere perhibentur Ledesma & alii.

Quæ sententia sequentibus potissimùm argumentis suaderi solet. Primum est. In illa actione consistit essentialis ratio Sacrificii Missæ, per quam repræsentatur mors & passio Christi: sed ista repræsentatur per sumptionem, juxta illud Apost. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* & illud S. Augustini relatum in cap. cùm frangitur, dist. 2. *cùm sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Domini corporis in Cruce immolatio designatur &c. ergo.*

Secundum est. Quando Sacerdos post consecrationem & ante sumptionem moritur, ex gravi præcepto & præscripto Ecclesiæ alius substitui debet, qui cætera peragat, hostiamque Eucharisticam sumat. Atqui nulla apparet ratio hujus tam gravis & stricti præcepti, nisi dicatur, sumptionem esse de essentia Sacrificii; quia jam ante illam esset peractum Sacrificium.

Confirmatur primo. Si species vini post consecrationem effunduntur, aliud vinum consecrari debet; ut habet communis usus Ecclesiæ: sed hujus non potest reddi ratio alia, quàm quòd sine sumptione non sit Sacrificium; ergo.

Confirmatur secundo ex Concil. Tolet. 12. cap. 5. ubi eos, qui in Missa non sumebant corpus & sanguinem Christi, reprehendens ait: *Quale erit Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?*

Tertium argumentum est. Essentia Sacrificii Eucharistici consistit in illa actione, per quam destruitur hostia, seu victima oblata; sed hostia in Missa non destruitur secundùm esse Sacramentale, nisi per sumptionem, cùm consecratio non tam sit actio destructiva, quàm productiva Christi quoad esse Sacramentale: ergo essentia Sacrificii consistit in sumptione, ita ut consecratio se habeat dispositivè solùm respectu Sacrificii tanquam præparatio victimæ. Unde S. Augustinus lib. 17. de Civit. Dei. cap. 5. dicit: *Manducare panem, quod est in novo Testamento esse Sacrificium Christianorum.*

In contrarium obstat primo. Quia si 7 essentia nostri Sacrificii formaliter consisteret in sumptione, tunc, quemadmodùm est de fide, Christum in ultima cœna verè & propriè sacrificâsse, ita etiam esset de fide, ipsum sumpsisse suum corpus & sanguinem: sed hoc non est de fide, licèt D. Thomas 3. p. q. 81. a. 1. id asserat tanquam probabilius; ergo &c.

Obstat secundo. Quia actio, in qua consistit essentia Sacrificii, fieri debet à Sacerdote ut sustinente personam Christi tanquam principalis sacrificantis: atqui sumptio specierum Eucharisticarum non fit à Sacerdote, quatenùs sustinente personam Christi sed fit nomine ipsius Sacerdotis: cùm utique suo nomine, & non in persona Christi dicat sumpturus: *Domine non sum dignus, &; corpus Domini nostri Jesu Christi &c.*

Obstat tertio. Quia vel per sumptionem intelligitur sola trajectio specierum in stomachum, vel earundem consumptio, ratione cujus corpus & sanguis Christi desinit esse in stomacho? Si primum; contra est, quòd illa trajectio non sit immutatio destructiva rei oblatæ, sed mutatio solùm quoad locum ratione specierum, ad quarum motum Christus in Eucharistia movetur localiter. Si secundum; contra est, quòd actio, quæ constituit essentiam Sacrificii, exerceri debeat in Altari: non enim alibi, præterquàm in Altari offertur Sacrificium. Atqui consumptio specierum non exercetur in Altari, sed extra Altare, quando eædem vi caloris naturalis in stomacho corrumpuntur: quod interdum accidere potest tempore, quo Sacerdos sedet ad mensam in prandio, vel dum in equo aut rheda domum revertitur. Quis autem non videt, quàm absurdum sit dicere, tunc fieri Sacrificium Missæ.

Ad primum ex argumentis contrariis re 8 spondeo dist. maj. in illa actione consistit essentialis ratio Sacrificii Missæ, per quam repræsentatur mors & passio Christi repræsentatione primaria & per se conveniente, conc. repræsentatione quasi secundaria, & ratione alterius præsuppositi conveniente, neg. sed per sumptionem repræsentantur mors & passio Christi, priori modò, neg. posteriori, conc. min. & neg. conseq. sumptio proinde non ratione sui, sed solùm ratione consecrationis præsuppositæ repræsentat passionem Christi, in quantum eo ipso, quòd manducetur Christus, supponitur vi verborum consecrationis mysticè mactatus & immutatus; prout in sequenti Artic. explicabitur. Et in hunc sensum exponi etiam debent verba tum Apostoli, tum S. Augustini.

Ad

Ad secundum respondeo, in illo casu Ecclesiam graviter præcipere, ut alius Sacerdos absolvat Missam ac sumat Eucharistiam; quia hujus sumptio pertinet ad integritatem Sacrificii; & quidem magis necessariò, quàm aliæ partes. Nam si Ecclesia potest graviter præcipere in forma Sacramenti Pœnitentiæ v. g. & in forma consecrationis Calicis, ut præter verba, quæ habentur pro essentialibus, illa quoque proferantur à Ministris, quæ pertinent ad integritatem earum formarum, cur non similiter præcipiat graviter in dicto casu, ut Sacrificium quoad rationem essentialem jam perfectum compleatur ab alio Sacerdote etiam integraliter? Ex quibus etiam ad primam Confirm. dicitur; ideò solùm consecrari tunc aliud vinum, quia aliàs Sacrificium ob non sumptas species vini relinqueretur integraliter imperfectum & incompletum: sicut in Veteri Testamento holocaustum fuisset integraliter imperfectum, si victima quidem fuisset mactata, sed non combusta. Unde in forma neg. min.

Ad secundam Confirmationem valet similis responsio. Nam dicitur, ex verbis illis Concilii Toletani plus non colligi, quàm Sacrificium Missæ, de quo non participat sacrificans, carere aliqua parte integrali: ideoque sumptionem nequaquàm esse omittendam à celebrantibus.

Immò ex eodem Concilio apertè colligitur, essentiam Sacrificii esse quid adæquatè distinctum à sumptione. nam post verba relata in hac Confirmat. sic habet: *Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri in Altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.* Ex quo sic: Immolatio corporis & sanguinis Christi non est sumptio eorundem: sed Sacrificium Missæ est immolatio corporis & sanguinis Christi; ergo Sacrificium Missæ non est sumptio corporis & sanguinis Christi: & consequenter quid adæquatè distinctum ab illa. mi. constat. maj. ostenditur: quia si Concilium pro eodem acciperet sumptionem, seu perceptionem & immolationem, planè ridiculum & nugatorium esset ejus præceptum: haberet enim hunc sensum: *Quotiescunque Sacerdos immolat, toties immolet*: vel, *Quotiescunque sumit, toties sumat corpus & sanguinem Christi.* Sed jam ad tertium argumentum dico, falsam esse maj. rigidè loquendò; quia de ratione essentiali Sacrificii non est præcisè destructio, sed etiam oblatio victimæ seu hostiæ. Atqui sumptio Eucharistiæ non est oblatio: cùm per illam nihil Deo offeramus, sed ipsi potiùs aliquid ab eo accipiamus tanquam convivæ ad illius mensam admissi; ut patet ex Apost. 1. ad Corinth. 10. ubi comedentes hostias dicuntur fieri participes mensæ illius, cui sunt immolatæ. Deinde neganda est etiam *min.* unà cum sua probat. Contrarium ostendemus in Artic. seq. Ad authoritatem S. Augustini, dic, manducationem esse Sacrificium Christianorum completivè complemento scilicet integrali, non autem essentialiter.

ARTICULUS II.

Nostra Sententia de essentia Sacrificii Missæ.

SUMMARIUM.

1. *Refertur.* 2. *& eligitur communis sententia Thomistarum.* 3. *Prima ejus probatio ex authoritate D. Thomæ.* 4. 5. 6. *Secunda, tertia, quarta probatio ex ratione.* 7. *Sumptio est de integritate Sacrificii Missæ.* 8. *Idque potiori jure, quàm aliæ actiones.* 9. *Cur Incarnatio non fuerit de essentia Sacrificii Crucis?* 10. *Præcipua objectio contra nostram sententiam.* 11. *Improbatur duplex solutio aliorum.* 12. *Adhibetur & declaratur solutio Thomistica.* 13. *Quomodo consecratio supponat victimam productam?* 14. *An fuisset Sacrificium, si Apostoli intra triduum mortis Christi consecrassent?* 15. *An exhibitio tragica Sacrificii Jephte esset Sacrificium?* 16. *An satisfaceret præcepto audiendi Missam, qui soli interesset consecrationi?* 17. *An die Parasceves celebretur verum Sacrificium.*

Est igitur quinta sententia docentium, 1
Sacrificium Missæ quoad essentiam, & secundùm id, quod est formaliter, in sola consecratione situm esse. Ita tenent jam communiter Thomistæ, & ex Recentioribus Suarez, Vasquez, Lessius, Coninck, Castropalao, Lugo, Illsung, & alii passim. Itaque

Dico primo. Essentia Sacrificii Missæ. 2
in sola consecratione consistit. Pro qua concl. Vasquez multa producit testimonia SS. Patrum, ut Irenæi, Gregorii Nisseni, Gregorii Magni, Isidori &c.

Probatur primo authoritate D. Thomæ 3
3. p. q. 82. a. 4. ad 1. dicentis: *Consecratio Chrismatis, vel cujuscunque alterius non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ.* & art. 10. ejusdem Q. ubi in corp. dicit, *Deo consecratione hujus Sacramenti* (nempe Eucharistici) *Sacrificium offerri.* Quæstione

autem §3. a. 4. docet, Sacerdotem per illa verba post consecrationem posita in Canone: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris &c. petere, ut Sacrificium peractum sit acceptum Deo.* Consequenter supponit, Sacrificium quoad essentiam in consecratione absolvi ac perfici.

4 Prob. secundo ratione. In illo consistit formaliter essentia Sacrificii Missæ, quod Sacerdotium novæ legis per se primariò tanquam suum specificativum respicit; sed Sacerdotium novæ legis consecrationem Eucharisticam per se primariò tanquam suum specificativum respicit; ergo in consecratione consistit formaliter essentia Sacrificii Missæ. Maj. ex eo constat, quòd Sacerdotium pro suo specificativo & actu primario respiciat solum Sacrificium; adeoque id solum, in quo sita est essentia Sacrificii. Neque ostendi potest quidquam aliud, quod per se primò respiciatur à Sacerdotio. Min. colligitur sufficienter ex formula ordinationis, qua dicit Episcopus: Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. quibus verbis per se & principaliter confertur ordinato potestas in corpus Christi verum, quæ est per se primò potestas conficiendi & consecrandi Eucharistiam: adeoque potestas Sacerdotii, sive Sacerdotium novæ legis consecrationem Eucharisticam per se primariò tanquam suum specificativum respicit.

5 Prob. tertiò. In illa sola actione essentialiter consistit Sacrificium Missæ, qua per se repræsentatur cruentum Sacrificium Crucis: sed hoc Sacrificium per se repræsentatur sola consecratione; ergo &c. maj. prob. tum ex S. Chrysost. homil. 17. in Epist. ad Hebr. ubi dicit, *hoc Sacrificium* (loquitur de nostro) *exemplar esse illius*, nempe in Cruce peracti. Tum ex D. Thoma 3. p. q. 83. a. 1. in corp. illis verbis: *Celebratio hujus Sacramenti imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio.* Tum ex eo, quòd Christus Dominus illis verbis, *hæc quotiescunque feceritis &c.* Apostolis præceperit, ut per Sacrificium Missæ passionem ipsius commemorarent; adeoque Sacrificium Missæ in actione commemorativa, seu repræsentativa passionis Christi consistit. Min. etiam prob. quia illa actione per se repræsentatur cruentum Sacrificium Missæ, per quam mysticè saltem separatur sanguis à corpore Christi; atqui hoc fit per solam consecrationem, in quantum vi verborum ponitur directè solus sanguis, & itidem vi verborum ponitur directè solum corpus. Ergo cruentum Sacrificium Crucis per se repræsentatur sola consecratione.

6 Prob. quarto. In sola consecratione reperiuntur omnes essentiales conditiones Sacrificii Missæ: ergo in sola consecratione consistit ejus essentia. Conseq. est evidens. Ant. prob. Nam inprimis consecratio est oblatio corporis & sanguinis Christi, in quantum per illam idem corpus & sanguis non quidem verbaliter & signatè, sed realiter & in actu exercito tanquam victima Deo sistitur & exhibetur. Deinde eadem consecratio est mystica immutatio Hostiæ per separationem corporis & sanguinis, dum in illa vi verborum sub speciebus panis ponitur solum corpus; sub speciebus vini autem solus sanguis; ut etiam in priori argumento diximus. Unde mysticè & sacramentaliter mactatur tunc Christus, ejusque sanguis effunditur, & realiter repræsentatur effusio in Cruce peracta. Hæc demum omnia perficiuntur à legitimo ministro ad profitendam Dei supremam potestatem in vitam & mortem omnium. Atqui istæ, & non aliæ, sunt conditiones essentiales Sacrificii Missæ; ergo in consecratione reperiuntur omnes conditiones essentiales hujus Sacrificii. Nec potest ostendi alia actio, in qua reperiantur; ut supponitur ex priori Artic. ergo in ipsa sola reperiuntur.

7 Dico tamen secundo. Sumptio Eucharistiæ est pars integralis Sacrificii Missæ, cáque magis necessaria, quàm aliæ partes. Primum membrum colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 83. a. 6. ad 3. ùbi docet, si in calice post consecrationem venenum esse deprehendatur, sanguinem Christi non esse sumendum, sed in aliquo vasculo ad hoc idoneo asservandum, & aliud vinum consecrandum, ut Sacrificium perficiatur, scilicet per sumptionem. Ergo sentit sumptionem pertinere ad integritatem Sacrificii: non enim pertinere ad constituendam ejus essentiam ipse quoque docet locis num. 2. relatis. Idem membrum colligitur ex verbis Concilii Toletani 12. quæ in Artic. præced. n. 7. explicuimus. Ratio insuper est, quòd hoc Sacrificium sit simul convivium: atqui ad consummandum convivium pertinet sumptio; ergo.

Alterum membrum inde suadetur, quòd cæteræ actiones, & oblatio verbalis, fractio hostiæ &c. ex præcepto solius Ecclesiæ sint excendæ; cum tamen sumptio probabiliùs ex præcepto etiam Divino fieri debeat, ut indicant illa verba Christi, *hoc facite in meam commemorationem*, quibus Apostolis non tantùm contulit potestatem consecrandi suum corpus & sanguinem, sed etiam ut sumerent, præcepisse omninò videtur.

8 Objicies contra primam concl. primò. Incarnatio non est de essentia Sacrificii Crucis: ergo etiam consecratio non est de essentia Sacrificii Missæ. Ant. constat. Cons. prob. quia consecratio ita se habet ad Sacrificium Missæ,

sicut ad Sacrificium Crucis se habuit Incarnatio : sicut enim Christus per Incarnationem fuit in rerum natura positus, ut immolaretur in Cruce, ita etiam per consecrationem novo quodam modo producitur: ergo sicut Incarnatio fuit quid prævium, & præparatio quædam ad Sacrificium Crucis, ita etiam consecratio non est ipsum Sacrificium Missæ, sed solùm præparatio quædam ad illud.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. & paritatem: quia Incarnatio neque fuit oblatio corporis Christi in Cruce, neque immutatio illius aliquo modo destructiva: atqui consecratio & est oblatio corporis Christi in Altari, & mutatio ejusdem destructiva; prout in n. 6. exposuimus. Neque refert, quòd Christus per consecrationem aliquo modo producatur; quia eandem realiter actionem posse simul esse productionem, oblationem & immutationem victimæ, adeoque Sacrificium in num. seq. videbimus. Igitur

10 Objicies secundo. Ut consecratio habeat omnes conditiones essentiales Sacrificii, debet etiam esse realis immutatio, & destructio victimæ: atqui consecratio non est realis destructio victimæ, scilicet Christi; ergo non habet omnes conditiones essentiales Sacrificii. Maj. est certa ex definitione Sacrificii pridem statuta. Min. prob. quia nulla res destruitur realiter illa actione, qua producitur, & in eodem instanti reali, quo producitur; sic enim simul primò esset, & primo non esset. Sed consecratio est actio, qua corpus Christi producitur & constituitur sub speciebus; ergo non destruitur per illam realiter, & in eodem instanti reali, quo producitur. Atqui destrueretur in eodem instanti, quo producitur; quia destrueretur in eodem instanti, in quo exercitè per eandem consecrationem offertur; tunc autem producitur.

11 Ad hanc Object. respondet Vasquez, de ratione Sacrificii commemorativi, quale est Sacrificium Missæ, non esse ut destruatur victima, quamvis hoc sit de ratione Sacrificii absoluti. Sentit igitur, nostrum Sacrificium consistere in sola repræsentatione Sacrificii Crucis.

Suarez autem respondet, non esse necessarium ad Sacrificium, ut in illo fiat immutatio rei oblatæ & termini *ad quem*, sed satis esse, si destruatur terminus *a quo*, quando in Sacrificio res, quæ offertur, producitur ex alia substantia, quæ destruitur; sicut contingit in Sacrificio Missæ, ubi corpus Christi producitur ex substantia panis, quæ destruitur.

Sed neutra istarum solutionum cum legitima definitione Sacrificii in communi conciliari potest: quippe in qua clarè exigitur immutatio destructiva, & quidem illius rei ipsissimæ, quæ offertur. Quæ etiam conditio Sacrificii confirmari potest per inductionem in Sacrificiis legis antiquæ, in quibus omnibus fiebat immutatio quædam destructiva, & quidem ipsarum rerum, quæ offerebantur. Unde D. Thomas 2. 2. q. 85. a. 3. ad 3. inquit: *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit; sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur: quòd panis frangitur & comeditur.* Ex quibus proinde conficitur, dempta immutatione rei oblatæ in Missa non datum iri practicam, sed speculativam tanquam repræsentationem ac commemorationem Sacrificii Crucis; adeoque non verum ac propriè dictum Sacrificium.

Itaque utendum est solutione illa, quam 12
tradunt Labat, Gonet & alii Thomistæ, qui distinguunt maj. Object. Consecrat. &c. debet esse realis immutatio & destructio victimæ mystica; & quantum est ex parte modi offerendi hoc Sacrificium, conc. physica, & quantum ad actualem privationem vitæ, neg. maj. Sed consecratio non est realis immutatio & destructio victimæ, posteriori modò conc. priori modo neg. min. & conseq. Igitur Christus in Sacrificio Missæ mysticè solùm & incruentè destruitur, quatenùs ex modo offerendi & vi verborum consecrationis corpus ipsius constituitur sub speciebus panis separatum à sanguine, quamvis Deus aliunde decreverit Christum etiam in Eucharistia conservare actualiter, ac proinde animam & sanguinem sub speciebus panis concomitanter constituere. Sufficit enim ad rationem Sacrificii, ut ex modo, quo offertur, aut etiam ex vulnere illato sequi debeat connaturaliter mors victimæ, licèt actu non sequatur, sed ex aliquo accidente impediatur; cùm per hanc talem oblationem non minùs significetur supremum Dei dominium in vitam ac mortem omnium, quàm si mors victimæ actualiter & reipsa sequeretur. Atque hinc, si in veteri Testamento victimam post lethalem ictum Deus miraculosè conservâsset vivam, nulla propterea essentialis conditio veri Sacrificii defuisset. Confirmari hoc potest exemplo Martyrii, quod est mors pro Christo tolerata, & tamen ad obtinendam ejus coronam non est necessaria mors actu consequens, sed sufficit positam fuisse à tyranno causam per se & connaturaliter illativam mortis, quamvis ista ex aliquo accidenti impediatur: ut proinde subsistat verum ac proprium Martyrium, licet mors actualiter non subsequatur; veluti cum aliis suo loco docuimus. Ex quibus omnibus ad illa, quibus probata fuit min. Objectionis, respondetur dist. maj. nulla res destruitur realiter illa actione, qua producitur, & in eadem instanti &c. nisi

eadem

eadem actio ex ipso modo rem producendi habeat efficaciam superandi partes illius, conc. si habeat talem efficaciam subdist. non destruitur res physicè, quoad actuale non esse, conc. non destruitur mysticè in sensu explicato, neg. maj. sed consecratio est actio, qua corpus Christi producitur, tamen, ut ex ipso modo producendi habeat efficaciam ponendi idem corpus separatum à sanguine, conc. ut non habeat talem efficaciam, neg. min. ergo non destruitur per illum realiter &c. physicè conc. mysticè neg. conseq. & sic ad reliqua. Nec sequitur etiam, corpus Christi primò simul esse & primò non esse; quia per consecrationem non ita producitur & acquirit novum esse sub speciebus panis, ut in eadem instanti acquirat simul actuale non esse, sed solummodò, quantum est ex vi verborum, constituitur in statu separationis à sanguine.

1 Dices. Actio, qua immutatur & destruitur victima, debet eandem supponere productam: atqui consecratio, etiam prout habet efficaciam ponendi corpus Christi separatum à sanguine, quantum est de se, non supponit victimam productam, sed potiùs illam producit; ergo non est actio immutativa victimæ. Maj. patet. min. prob. nam victima in præsenti est Christus non utcunque, sed Christus ut existens sub speciebus panis & vini: atqui consecratio Christum sub hac ratione non supponit productum, sed ipsa producit; ergo, quantum est de se, non supponit victimam productam. Ante solutionem advertendum est, in consecratione tres inveniri formalitates ratione nostra distinctas. Habet enim consecratio primò, quòd sit actio productiva & constituriva corporis Christi sub speciebus. Habet secundò, quòd sit realis oblatio victimæ, scilicet Christi, quatenus eandem in actu exercito Deo sistit ac repræsentat. Habet tertio, quòd sit immutatio & mactatio victimæ, modò explicato. Harum formalitatum talis est ordo, ut primò locò nominata prioritate rationis præcedat duas reliquas, & secundò locò nominata præcedat tertio loco nominatam.

Nunc in forma dist. maj. argum. Actio, qua immutatur victima, debet eandem supponere productam prioritate rationis, conc. prioritate reali, neg. vel, sub aliqua sui formalitate, conc. sub omni, neg. maj. sed consecratio &c. non supponit victimam productam sub formalitate actionis productivæ, conc. sub aliis formalitatibus, neg. min. ergo consecratio non est actio immutativa & destructiva victimæ sub formalitate actionis productivæ, conc. sub alia formalitate, neg. conseq. Ex quibus ad probat. min. conc. maj. dist. min. consecratio sub formalitate actionis productivæ Christi sub illa ratione non supponit productum, conc. sub aliis formalitatibus, neg. mi. ergo, quantùm est de se, non supponit victimam productam sub formalitate productionis, conc. sub aliis formalitatibus, neg. conseq.

Sed contra instas primò. Si essentia 14
Sacrificii Missæ consisteret in exposita oblatione & mactatione mystica, sequeretur, nullum futurum fuisse Sacrificium, si Apostoli post Christi mortem & ante resurrectionem consecrâssent: quia tunc vi verborum corpus Christi non fuisset positum seorsim à sanguine, utpote reipsa jam separatum ab illo vi passionis ac mortis.

Confirmatur. Si quis Sacerdos antiquæ legis corpus & sanguinem ovis jam priùs ab altero in macello occisæ posuisset atque obtulisset in Altari, dici non potuisset sacrificâsse, quia ipse non separâsset partes victimæ, atque adeo non occidisset victimam, ergo nec Apostoli sacrificâssent illo triduo mortis Dominicæ; quia cùm Christus esset occisus realiter in Cruce, dici non potuisset ullo modo occidi ab ipsis per consecrationem; cùm per ipsam non fuissent separatæ illius partes; quippe quæ jam supponebantur separatæ.

Ad instantiam respondeo cum Oberascher in Ara Cœli, cap. 1. pag. 44. ad salvandam illo triduo rationem Sacrificii Eucharistici suffecturum fuisse, quòd corpus & sanguis Christi tunc essent non separata physicè, quando peragebatur Sacrificium cruentum. Cùm enim Sacrificium nostrum incruentum sit commemoratio & repræsentatio Sacrificii cruenti, non exigitur ad illud alia immutatio sive occisio victimæ, nisi itidem repræsentativa occisionis illius cruentæ; atque adeò non alia separatio corporis & sanguinis Christi, quàm mystica & repræsentativa illius, quæ cruentè facta est in Cruce. Ad hanc autem talem repræsentativam separationem suffeciisset, quòd corpus & sanguis Christi tunc essent physicè conjuncta, quando fiebat separatio cruenta: quia repræsentâsset illam quatenùs tunc peractam; sicut & modò repræsentat.

Ex quo ad Confirmat. patet solutio. Nam Sacerdos ejusmodi Aaronicus in formata hypothesi nec mysticè (ut constat) nec physicè & cruentè, (quod fieri oportuit in sacrificandis animalibus) separâsset partes victimæ; cùm non possint separari physicè, quæ non ampliùs sunt conjuncta physicè. Atqui Apostoli, licet tunc corpus & sanguinem Christi non separâssent physicè per consecrationem, (quomodo nec hodie separant eorum successores Sacerdotes) separâssent tamen mystice & repræsentative ob rationem dictam. Contra hoc ipsum tamen.

15 Instabis secundo. Si repræsentativa separatio partium victimæ, adeoque repræsentativa mactatio ejusdem sufficeret ad rationem sactificii, sequeretur, eum vere sacrificaturum, qui in tragœdia exhiberet Sacrificium Jephte. Cùm ejusmodi exhibitio esset vera repræsentatio mactationis, qua Jephte sacrificavit filiam. Sed conseq. est absurdum; ergo.

Respondeo, neg. seq. quia ad rationem Sacrificii Missæ non sufficit quæcunque repræsentatio mactationis cruentæ, sed debet esse repræsentatio exercite oblativa victimæ, ejusdemque, tanquam supremus latriæ cultus, ad profitendum absolutissimum Dei in vitam & mortem dominium, novo quodam modo realiter immutativa. Quæ prædicata non inveniuntur in repræsentatione scenica Sacrificii Jephte; inveniuntur autem in repræsentatione Sacrificii cruenti in Cruce, qualem dicimus esse consecrationem Eucharisticam.

16 Instabis tertio. Si tota essentia Sacrificii Missæ sita esset in sola consecratione, sequeretur, satisfacturum præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, qui die festo interesset soli consecrationi, cæteris, quæ in Missa geruntur, neglectis; cùm revera interesset illi toti, quod est in substantia sacrificium Missæ. Sed conseq. admitti non potest, ergo.

Respondeo inprimis, hanc instantiam regeri posse in eos vel maxime, qui totam essentiam Sacrificii in sola sumptione constituunt. Quod ergo illi responderent, nos quoque respondere possemus. Deinde neg. seq. quia Ecclesia, dum præcipit, ut fideles interssint Sacrificio Missæ, intelligenda est non solùm de Sacrificio essentialiter, sed etiam integraliter perfecto.

17 Objicies quinto. In die Paraseeves Sacerdos offert verum ac proprium Sacrificium Missæ; atqui illud Sacrificium non consistit in consecratione; cùm nulla eo die fiat consecratio: ergo verum aliquod Sacrificium Missæ non consistit in consecratione. Maj. prob. primo. Quia Sacerdos ipse eam cæremoniam appellat Sacrificium, dum dicit: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus &c.* Secundo. Quia eadem cæremonia pertinere debet ad aliquam speciem cultûs Religiosi: atqui non ad alium, quàm ad Sacrificium, ergo. Tertio. Quia, si in diem Paraseeves incidat aliquod festum v. g. Annuntiationis B. V. tenentur fideles dictæ cæremoniæ interesse ex eodem præcepto, quo aliàs die festo jubentur audire Sacrum. Atqui non tenerentur interesse, nisi esset verum ac proprium Sacrificium; ergo.

Respondeo neg. maj. quam etiam prídem negavit Rupertus noster in lib. 6. Divinor. Offic. illis verbis: *Hodie* (id est die Paraseeves) *non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur: non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Rationem audi ex D. Thoma 3. p. q. 83. a. 2. ad 2. ubi sic ait: *Veniente veritate cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quædam & exemplum Dominicæ passionis &c. & ideò eo die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti: ne tamen Ecclesia ea etiam die sit fructu Passionis per hoc Sacramentum exhibito, Corpus Christi consecratum in die præcedente reservatur sumendum in illo die: non autem sanguis propter periculum; & quia sanguis specialius est imago Dominicæ passionis.* Ita D. Thomas.

Ad primam probat. maj. dico, Sacerdotem in illa precatione per Sacrificium non intelligere actionem sacrificandi, quæ est formaliter Sacrificium, sed solùm hostiam pridie sacrificatam, quam cum sumere debeat & pro se, & pro populo, meritò petit pro se orari à præsentibus, ut ea sumptio cedat in ipsius & populi salutem.

Ad secundum dicunt aliqui, eam cæremoniam indirectè reduci posse ad speciem Sacrificii tanquam complementum & consummationem quandam Sacrificii die præcedente peracti. Neque dicas, Sacrificium præcedentis diei jam fuisse tunc consummatum per communionem; adeoque nullam admittere consummationem die sequente. Nam dicitur ob legitimam causam posse amplius ac magis consummari. Si enim Sacerdos postquam sumpsit suam hostiam, possit pro complemento Sacrificii sumere alias particulas, quas reperit in corporali, cur non etiam (inquit Oberascher) die Paraseeves possit sumere hostiam pridie consecratam pro aliquo complemento Sacrificii dici præcedentis? Verùm contra est, quod nullum appareat sufficiens fundamentum existimandi, eam cæremoniam esse institutam ad Sacrificium pridianum, in quo consecrata fuit hostia, aliqua ratione integraliter complendum aut consummandum. Neque dici potest una moraliter sumptio, quia prior consecratio & sumptio intervallô temporis planè nimiô, nempe integri, vel etiam plurium dierum, distat. Atque hinc nihil juvare potest instantia de sumptione particularum, quas Sacerdos post sumptionem suæ hostiæ in corporali reperit: cùm enim exigua solùm & non ita notabilis mora temporis intercedat, meritò habeatur pro sumptione moraliter una cum præcedente.

Itaque puto cum P. Illsung & aliis ab

ipso

ipso relatis, sumptionem illam, quæ peragitur die Parasceves, non magis pertinere ad complendum Sacrificium, in quo hostia fuit consecrata, quàm communionem, quæ à Sacerdote peragitur more Laico.

Atque hinc ad tertiam probat. neg. maj. quam responsionem validè confirmat id, quod apud cit. Illsung memorat Diana p. 2. tr. 14. resol. 62. ubi refert ex Gavanto, quòd nulla sit obligatio assistendi rei Divinæ die festo, qui incidit in Parasceven, declaratum esse à Sacra Congregatione Cardinalium, die 19. Febr. Anno 1622.

ARTICULUS III.

An Consecratio unius, vel utriusque speciei sit de essentia Sacrificii Missæ?

SUMMARIUM.

1. Sententia negans cum suis fundamentis refertur. 2. Eligitur affirmans. 3. Et probatur tum authoritate. 4. quàm ratione D. Thomæ. 5. Confirmatio a paritate formæ Baptismi. 6. Alia confirmatio petita ex Sacrificio Melchisedechi. 7. 8. 9. 10. Respondetur ad argumenta in n. 1. relata.

1 SAtis fortè ostendimus in Artic. proximè præced. essentiam Sacrificii Missæ in sola consecratione sitam esse. Verùm adhuc restat examinandum, an in consecratione unius tantùm, vel utriusque speciei consistat?

Sententia eorum, qui pro una tantùm specie pugnant, ita probari potest. Primò. Peracta præcisè consecratione panis Christus, quatenùs existit sub ejus speciebus, jam est aptus in spiritualem cibum fidelium: ergo per solam consecrationem panis, & antequam consecretur calix, victima jam est immolata. Prob. hæc conseq. quia ante immolationem non est victima apta in cibum, utpote adhuc vivens, & necdum immutata in talem usum. Atqui in illa actione, per quam victima immolatur, priusquàm subsequatur alia actio, consistit adæquatè essentia Sacrificii. Quid enim est Sacrificium essentialiter, nisi immolatio victimæ? Ergo in sola consecratione panis (idem senti proportionaliter de sola consecratione calicis) consistit adæquatè essentia Sacrificii Missæ.

Secundò. Per consecrationem unius 2
tantùm speciei sufficienter & adæquatè repræsentatur Sacrificium cruentum in Cruce peractum: ergo in consecratione unius tantùm speciei consistit tota essentia Sacrificii Missæ. Conseq. videtur legitima; quia in illa tali repræsentatione continentur omnes conditiones essentiales Sacrificii Missæ. Ant. autem prob. quia eo ipso, quòd ponatur corpus ex vi verborum absque sanguine, vel econtra ponatur sanguis ex vi verborum absque corpore, jam significatur sanguis effusus & separatus à corpore, & econtra, sicut factum est in Cruce; idque totum à legitimo ministro ad profitendam supremam Dei potestatem in vitam & mortem.

Tertio. Christus ipse in castello Emmaunte coram duobus discipulis verè consecravit, verúmque Sacrificium Missæ celebravit in una specie; quia *cognoverunt eum in fractione panis*, ut habe. Lucas cap. ult. nec ulla fit mentio alterius speciei. Ergo Sacrificium Missæ quoad essentiam in consecratione unius tantùm speciei consistit.

Quarto. Essentia Sacramenti Eucharistiæ sufficienter solvatur in una tantùm specie: ergo etiam essentia Sacrificii Eucharistici sufficienter salvatur in consecratione unius tantùm speciei. Verùm, his non obstantibus,

Dico. Essentia Sacrificii Missæ consi- 2
stit in consecratione non unius tantùm, sed utriusque speciei. Ita probabilior sententia, quam ordinariè tenent Thomistæ, ac præterea Suarez, Vasquez, Coninck, Lugo, Castropalao & alii Recentiores.

Colligitur ex D. Thoma, 3. p. q. 80. 3
a. 12. ad 3. ubi dicit, repræsentationem Dominicæ passionis in consecratione peragi; ideoque non debere corpus sine sanguine consecrari. Et ead. p. q. 83. a. 1. ubi probat, in mysterio Eucharistiæ immolari Christum, quatenùs continet expressam imaginem & repræsentationem Sacrificii cruenti. Ex quibus proinde habetur, de ratione essentiali Sacrificii Missæ esse, quòd sit expressa repræsentatio Sacrificii cruenti, & quidquid fuerit de ratione essentiali hujus expressæ repræsentationis, esse etiam de ratione essentiali Sacrificii Missæ.

Itaque in forma tale nunc argumen- 4
tum consurgit. Quidquid est de ratione essentiali repræsentationis, qua expressè repræsentatur Sacrificium cruentum in Cruce, est etiam de ratione essentiali Sacrificii Missæ: sed consecratio utriusque speciei est de ratione essentiali repræsentationis, qua expressè repræsentatur Sacrificium cruentum;

ergo est etiam de ratione essentiali Sacrificii Missæ. Maj. est certa semel probatò, quòd de ratione essentiali Sacrificii Missæ sit expressa repræsentatio Sacrificii Crucis; velut jam deduximus ex Authoritate D. Thomæ; & nunc amplius declaratur in hunc modum. Illa repræsentatio est de ratione essentiali Sacrificii Missæ, qua Christus vòluit in illo repræsentari suam passionem sive Sacrificium cruentum: sed Christus voluit & præcepit in Sacrificio Missæ suam passionem repræsentari repræsentatione expressa; ergo de ratione essentiali Sacrificii est repræsentatio expressa passionis Dominicæ. Maj. inde sibi constat, quòd utique ex nullo alio capite rectiùs colligatur, quàm ex voluntate & præcepto Christi instituentis hoc Sacrificium, qualis debeat esse repræsentatio passionis ipsius. Min. autem prob. quia illa repræsentatione Christus voluit in Sacrificio Missæ repræsentari suam mortem; seu Sacrificium Crucis, qua ipse repræsentavit in Sacrificio ultimæ cœnæ, dum instituit Sacrificium Missæ: sed Christus in Sacrificio cœnæ Sacrificium Crucis repræsentavit repræsentatione expressa; ergo voluit in Sacrificio Missæ Sacrificium Crucis repræsentari repræsentatione expressa. Min. est certa: quia Christus in ultima cœna consecravit utramque speciem: sed hoc erat Sacrificium Crucis repræsentare repræsentatione expressa; ergo. Maj. in qua videtur esse difficultas, probatur: nam Christum dum in ultima cœna consecravit utramque speciem, dixit ad Apostolos: *Hoc facite in meam commemorationem*, id est in repræsentationem passionis meæ, prout hactenùs intellexit Ecclesia: ergo voluit, & præcepit, ut ab Apostolis, eorúmque successoribus sua passio repræsentaretur eo modo, eaque repræsentatione, qua eandem ipse in illo Sacrificio repræsentavit. Voluit enim & præcepit fieri, quod fieri ab ipso viderant Apostoli, & factum esse audituri erant eorum successores Sacerdotes.

Nunc minor Syllogismi omnium primi etiam prob. Nam licèt per quamlibet consecrationem alterutrius speciei seorsim acceptam repræsentari posset passio ac mors Christi, ejusmodi tamen repræsentatio esset valde implicita & obscura. Quia consecratio corporis, quamvis ex se, & vi verborum non dicat determinatè corpus vinum, tamen etiam non excludit illud: adeoque non satis repræsentat corpus mortuum, ejusque separationem à sanguine, sed potiùs in modo repræsentandi se habet indifferenter ad vivum & mortuum. Similiter consecratio sanguinis, quamvis ex se, & vi verborum non dicat determinatè sanguinem existentem inter venas, tamen etiam non excludit: adeoque non satis repræsentat sanguinem existentem extra venas, ejusque separationem à corpore; sed potiùs in modo repræsentandi se habet indifferenter ad sanguinem intra & extra venas & corpus existentem. Ergo per consecrationem cujuslibet speciei seorsim acceptam non repræsentatur sufficienter & expressè passio ac mors Christi, & consequenter de ratione essentiali hujus expressæ repræsentationis est consecratio utriúsque speciei simul.

Accedit, quòd Sacrificium Christi cruentum non consistat in eo, quòd ipsius corpus fuerit mortuum, aut sanguis fuerit extra venas, sed in ipsa actuali & exercita passione mortis, & effusione sanguinis usque ad separationem animæ à corpore: ergo licèt admitteremus, per consecrationem corporis significari expressè corpus mortuum, & per consecrationē sanguinis seorsim acceptā significari expressè sanguinem effusum, inde tamen non conficeretur, per singulas consecrationes seorsim acceptas repræsentari Sacrificium Christi cruentum.

Confirmatur Conclusio primò in hunc modum. Ex eo quòd Christus Matth. ult. disertè præceperit Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, rectè colligitur ab omnibus Theologis, non sufficere ad valorem Baptismi alia verba, licèt minùs explicitè idem Mysterium possint significare, prout significant ista, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*; sed Christum ad essentialem rationem baptismi exegisse illa verba, quibus pluralitas Personarum SS. Trinitatis omninò clarè & explicitè significaretur: ergo similiter ex eo, quòd Christus præceperit Apostolis, ut Sacrificium offerrent eodem ritu, quo ipse offerebat, idque facerent, quod ipse faciebat, dicendò, *hoc facite &c.* ipse autem fecerit, sive obtulerit Sacrificium sub utraque specie, rectè colligimus, ad rationem essentialem Sacrificii non sufficere consecrationem unius speciei, licèt eadem possit minùs clare repræsentare mortem Christi; sed Christum ad rationem essentialem Sacrificii exegisse consecrationem utriusque speciei, qua clariùs & expressiùs ipsius mors, seu Sacrificium Crucis repræsentaretur.

Confirmatur secundò, Sacrificium Melchisedechi, quod fuit figura Sacrificii Missæ, essentialiter constitit ex oblatione panis & vini: cùm Scriptura simpliciter dicat, obtulisse panem & vinum, nec suppetat ulla prudens ratio existimandi, oblationem unius potiùs, quàm utriusque fuisse de essentia: ergo similiter Sacrificium Missæ essentialiter consistit in oblatione & consecratione panis & vini; ità ut utriusque consecratio simul sumpta sit unum adæquatum Sacrificium, 6

cium, sicque proprie compleatur figura Sacrificii Melchisedechi.

7 Ad primum ex argumentis sententiæ contrariæ respondeo con. Ant. dist. conseq. ergo per solam consecrationem panis victima jam est immolata immolatione incompleta, conc. immolatione completa essentialiter, neg. conseq. cujus probat. similiter dist. ante immolationem tam completam, quàm incompletam victima non est apta in cibum, conc. ante immolationem completam solùm, neg. Sic in veteri Testamento victima, quæ in Sacrificio & interfici & comburi jubebatur, ante combustionem interfecta procul dubio erat aptà in cibum, & tamen ante combustionem non erat immolatà immolatione essentialiter completa, sed incompleta solùm. Subsumpt. itidem dist. in illa actione, per quam victima immolatur, immolatione completa &c. consistit adæquate essentia Sacrificii, conc. in illa, per quam immolatur immolatione incompleta solùm, neg. subs. & conseq.

8 Ad secundum neg. Ant. ad probat. dico, ex eo, quòd vi verborum ponatur corpus absque sanguine, vel econtra sanguis absque corpore, non satis clare, sed obscure solùm significari sanguinem effusum; & separatum à corpore; & econtra: imò tametsi significaretur clare & explicite, id non suffecturum, sed esse necessarium ex institutione Christi, ut significetur actualis separatio corporis à sanguine, & sanguinis à corpore prout exercita in Cruce.

9 Ad tertium respondent aliqui negando, Christum in una solùm specie tunc consecrâsse. Licèt enim, inquiunt, Evangelium non dicat distinctè, consecrâsse etiam in specie vini, id tamen ex eo colligi, quòd Dominus non ita repentè evanuerit post consecrationem panis ex oculis duorum discipulorum, ut non & consecrationem vini videatur subjunxisse. Respondeo secundo conc. Ant. neg. conseq. dum loquimur de Sacrificio Eucharistiæ, prout Christus id reliquit Ecclesiæ suæ celebrandum. Ipse namque, utpote institutor hujus mysterii, potuit ob causas sibi notas in consecrando & sacrificando uti potestate excellentiæ Ecclesiæ non concessâ, ac velle, ut Sacrificium quatenùs ab Apostolis, eorumque successoribus celebrandum includeret essentialiter consecrationem utriusque speciei, licèt ipse Emmaunte sacrificaverit in una specie.

Ad quartum conc. Ant. neg. conseq. 10 disparitas est, quòd ratio signi practici & causativi gratiæ importatà in mysterio Eucharistiæ in una tantùm specie salvari possit; velùti constat ex verbis Christi apud Joan. cap. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, quibus sumenti etiam solum corpus suum sub specie panis promittit gratiam & vitam æternam. Atqui explicita repræsentatio Dominicæ passionis & Sacrificii cruenti, quam essentialiter importat Sacrificium Missæ, nequit subsistere in consecratione unius tantùm. speciei: velut ostendimus.

ARTICULUS IV.

Illationes ex dictis.

SUMMARIUM.

1. Valida est consecratio unius speciei tantùm. 2. Adhibenda tamen huic asserto distinctio. 3. Ejusmodi consecratio est illicita de iure ordinario. 4. An possit fieri licita ex dispensatione Ecclesiæ? 5. An Apostoli in triduo mortis Christi consecrare potuerint? 6. Quomodo Sacrificium Missæ differat à Sacrificio Crucis & ultimæ Cœnæ? 7. Definitio Sacrificii Missæ.

1 INfertur ex dictis primò, unam speciem validè consecrari sine altera. Ratio est: quia Sacerdos prius consecrat panem, quàm vinum, statimque elevat hostiam populo adorandam. Consequenter corpus Christi sub speciebus panis existit ante consecrationem vini. Neque de hoc est dubium inter Catholicos. Quod de consecratione panis dictum est, intelligi quoque debet de consecratione vini, quando fit sine consecratione panis. Formæ quippe istarum consecrationum in significando & causando nullam dicunt ad invicem dependentiam: adeóque quælibet statim habet suum effectum independenter ab altera, quamprimùm à Sacerdote profertur.

Dices. Sacerdos ex institutione Christi 2 non habet potestatem consecrandi, nisi per modum Sacrificii: ergo. dum consecrat in una tantùm specie, invalidè consecrat. Conseq. prob. quia tali modo consecrare non est consecrare per modum Sacrificii, sive celebrare Sacrificium; sicut ex priori Artic. supponitur: adeóque Sacerdos tunc agit aliquid, ad quod agendum non accepit à Christo potestatem; & consequenter invalidè agit. Ant. autem ex eo constat, quòd Christus non dederit Sacerdotibus duas potestates, unam consecrandi, alteram sacrificandi, sed unicam individ-

divisibilem ad consecrandum & sacrificandum, ita ut neque consecrare possent, quin sacrificarent; neque sacrificare possent, quin consecrarent; veluti cum aliis probat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 43. sect. 3.

Ad hoc argumentum adhibenda est distinctio, quam adhibet Card. de Lugo disp. 19. sect. 8. nempe hæc: Vel Sacerdos volens consecrare unam speciem, v. g. panem, habet intentionem, eámque efficacem consecrandi tantùm & non sacrificandi, etiam partialiter & inchoativè; vel habet intentionem non tantùm consecrandi, sed etiam per illam consecrationem sacrificandi partialiter, vel inchoandi Sacrificium? Si prius; invalida est consecratio, ut rectè probat objectio. Quia voluntas consecrandi debet esse voluntas saltem implicita sacrificandi partialiter, sive inchoandi Sacrificium. Si posterius; valida erit consecratio. Et talem voluntatem communiter habere præsumuntur omnes Sacerdotes, qui vel ex errore, vel datâ operâ consecrant unam speciem sine alia; quia non habent intentionem omninò non sacrificandi, sed volunt consecrare omni meliori modô, quo putant sibi esse consecrandum; adeoque volunt implicitè saltem per consecrationem panis v. g. sic inchoare Sacrificium, ut, quantum est ex se, compleri possit per consecrationem calicis, quod est habere intentionem aliquam sacrificandi partialiter per consecrationem panis præcedentem.

8 Infertur secundo, de jure ordinario, vel authoritate privata nulli sacerdoti esse licitum consecrare unam speciem sine altera. Ita habetur inprimis in cap; *nihil contra.* Quæst. 1. & cap. *Comperimus.* ubi dicitur, *sine ingenti Sacrilegio hoc mysterium dividi non posse.* Deinde, quando Sacerdos non consecravit vinum per errorem, quo calici pro vino infudit meram aquam, idque poculum sumpsit per inadvertentiam, jubetur in rubricis generalibus Missalis Romani, tit. *de defectibus*, vinum consecrare, & consecratum sumere. Ubi vides, præcepto Ecclesiastico jejunii naturalis planè gravi præponderare præceptum consecrandi in utraque specie, & utramque sumendi. Ex quo manifestè conficitur, Ecclesiam graviter præcipere consecrationem utriusque speciei, & consequenter non utramque consecrare esse graviter illicitum, nec cuiquam consecrare unam sine altera privata authoritate esse concessum. Immò ulteriùs

4 Inferes tertio, neque ex dispensatione summi Pontificis fieri posse, ut sit licitum consecrare unam speciem sine altera. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia licèt Ecclesia, prout fatetur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 5. possit instituere varios ritus & cæremonias, quibus *Majestas tanti Sacrificii commendetur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitentur &c.* substantiam tamen, seu essentiam hujus Sacrificii mutare non potest; sicut non potest mutare substantiam seu essentiam Sacramentorum; prout ipsa quoque dicit sess. 21. cap. 2. Atqui mutaret essentiam Sacrificii Missæ, si per dispensationem faceret licitam consecrationem unius speciei sine altera; ergo &c. Plura de hoc disputavimus in Parte præced.

5 Infertur quarto, probabiliter defendi posse, quòd Apostoli intra triduum mortis, & ante Resurrectionem Christi non potuerint celebrare Sacrificium Missæ. Fundamentum sumitur ex Disp. præced. ubi diximus, Christo tanquam Sacerdoti in æternum neminem successisse in Sacerdotio, sed omnes Sacerdotes esse ejusdem vicarios & ministros, qui nomine ipsius & cum ipso ceu principali Sacerdote simul offerant Sacrificium, ut proinde non acceperint potestatem offerendi seorsim, sed solùm simul cum ipso, tanquam principali offerente: idque vel maximè verum esse videtur hoc supposito, quòd ipsius humanitas tanquam instrumentum conjunctum Divinitatis ad transsubstantiationem etiam physicè concurrat. Aliud principium apud Card. de Lugo suggerit S. Bonaventura in 3. dist. 22. q. 1. dicens, Christum illo triduo suæ mortis non fuisse Sacerdotem: & D. Thomas in 2. Scripto Sent. ead. dist. q. un. a. 1. ad 3. ubi docet, Christum illo triduo non potuisse exercere munus Sacerdotii, quantum ad oblationem Sacrificii. Et certè Christus, ut Deus non erat Sacerdos: sed neque ut homo tunc erat Sacerdos; quia non existebat in rerum natura Christus homo. Anima quoque Christi non poterat dici Sacerdos: sicut anima S. Petri, licèt retineat characterem Sacerdotii, non est Sacerdos. Ex quibus breviter sic arguitur: Christus ipse illo triduo non potuit offerre Sacrificium Missæ aut consecrare; ergo nec Apostoli potuerunt. Conseq. patet: quia Apostoli non acceperunt potestatem offerendi, nisi simul offerret Christus. Ant. autem probatur: nam soli Sacerdotes possunt offerre Sacrificium Missæ: sed Christus illo triduo non fuit Sacerdos; veluti probavimus: ergo non potuit tunc offerre Sacrificium.

Objicies. Apostolis per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, data est potestas offe-

offerendi, seu consecrandi sine ulla restitutione: ergo potuerunt validè offerre illo triduo.

Confirmatur ex D. Thoma 3. p. q. 76. a. 1. ad 1. ubi dicit: *si in illo triduo fuisset hoc Sacramentum celebratum, non fuisset ibi anima Christi.* Et artic. 2. in corp. ubi dicit. *si tunc fuisset hoc Sacramentum celebratum, sub speciebus panis fuisset corpus Christi sine sanguine; & sub speciebus vini sanguis sine corpore; sicut erat in rei veritate.* Quibus verbis videtur supponere, Apostolos tunc potuisse offerre Sacrificium Missæ; quod etiam communiter videntur supponere Theologi. Respondeo ad Object. ex cit. Cardinale, Apostolis quidem datam fuisse potestatem consecrandi sine restrictione, sed tamen consecrandi nomine Christi, adeóque pro eo solùm tempore, quo Christus homo existeret, sine quo ceu principali Sacrificante non potuerunt offerre Sacrificium. Ad Authoritatem D. Thomæ dic, S. D. non asserere, quòd Sacramentum Eucharistiæ celebrati potuerit illo triduo, sed solùm docere hypotheticè, si fuisset celebratum, corpus Christi fuisse ponendum sine sanguine sub speciebus panis &c. de quo nullum est dubium. Theologi cæteri similiter nihil statuunt absolutè, sed solùm dicunt, quid factum fuisset, si illo triduo fuisset oblatum Sacrificium; vel aliqua particula in cœna consecrata remansisset.

6 Infertur quinto, hoc nostrum Sacrificium quoad rem oblatam & specie & numero esse idem cum Sacrificio Crucis: quamvis ab illo quoad modum offerendi quasi specie differat.

Prob. primo ex Concil. Trident sess. 22. cap. 2. ubi ait: *Et quoniam in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis se ipsum semel cruentè obtulit.* Quibus verbis indicat Sacrificium Missæ à Sacrificio Crucis differre penès modum offerendi incruentè & cruentè. Et eod. Cap. paulò inferiùs: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministeriò, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diversâ.* Ex quibus illatio.

Probatur secundo. Inter Sacrificium Crucis, & Sacrificium Missæ duo versantur potissimùm discrimina. Primum est, quòd Sacrificium Crucis ab ipso Christo solo, ac per se offerente perfectum sit; Sacrificium Missæ verò, offeratur & à Christo tanquam Sacrificante principali, & à Sacerdote subordinato tanquam Ministro. Secundum est, quòd Sacrificium Crucis fuerit cruentè oblatum; Sacrificium Missæ verò offeratur incruentè; scilicet per consecrationem: quæ diversitas offerendi sufficit ad hæc Sacrificia quasi specificè distinguenda, nempe ex parte tationis, ac modi offerendi.

Porrò Sacrificium ultimæ cœnæ & Sacrificium, quod nunc quotidiè offertur, differunt tum in eo, quòd illud Christus per se ipsum solus obtulerit; istud verò offerat etiam ministeriô Sacerdotum, tum in eo, quòd Sacrificium cœnæ repræsentaverit mortem Christi futuram; Sacrificium verò ut hodiè celebratur, repræsentet eandem præteritam. Quæ diversitas istorum Sacrificiorum est tantùm materialis.

Infertur denique definitio Sacrificii Missæ. 7 Eam rectè adornat P. Paulus Mezger in hunc modùm: *Est Sacrificium, in quo per transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi offeruntur Deo corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini in memoriam passionis ipsius.* Analysin hujus definitionis ex eodem hanc accipe. *Sacrificium* obtinet rationem generis. *in quo per transsubstantiationem &c.* significat primariam actionem Sacrificii, scilicet immutationem hostiæ modò in superioribus expositô. *Offeruntur Deo corpus & sanguis* denotat partem materialem Sacrificii. *Sub speciebus panis & vini in memoriam &c.* indicat differentiam & partem formalem hujus Sacrificii.

DISPUTATIO III.

De iis, qui offerunt, & pro quibus offertur Sacrificium Missæ.

In omni Sacrificio quatuor sunt necessaria, scilicet id, quod offertur; is, cui offertur; is, qui offert; & is, pro quo offertur. De duobus prioribus hîc nihil dicemus ampliùs: satis enim constat ex præmissis jam Disputationibus, quidnam offeratur in Sacrificio Missæ, & cuinam offeratur. Reliquum est, ut duo illa posteriora impræsentiarum declaremus.

ARTICULUS I.

Quinam offerant, vel offerre possint Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

1. Referuntur Sententiæ. 2. Statuitur, 3. & probatur Authoritate, & 4. & ratione, Christum esse principalem offerentem. 5. Adstruitur præterea, ipsum propriè ac immediatè offerre. 6. 7. Occurritur objectionibus. 8. Post Christum soli, 9. & omnes Sacerdotes ritè ordinati immediatè, per se, ac validè offerunt. 10. Solvuntur objectiones. 11. Alii fideles etiam offerunt Sacrificium Missæ. 12. Sed mediatè solùm, & minùs propriè. 13. Triplex modus offerendi mediatè.

1 ALiqui Theologi teste Suario asserunt, Christum propriè in hoc Sacrificio non esse offerentem, sed solùm remotè eidem tribui oblationem Sacerdotis, quia eandem instituit, & quia merita ipsius in isto Sacrificio operantur. Hæreticorum sententia est, ad offerendum hoc Sacrificium nullos requiri Sacerdotes ab Ecclesia ritè ordinatos, sed quoslibet fideles ad hoc sufficere, vel saltem eos qui à populo, vel magistratibus deputantur tanquam ministri ad hoc munus peragendum. Econtra Magister Sententiarum censuit, non omnes Sacerdotes etiam ritè ordinatos, offerre posse hoc Sacrificium, sed eos tantùm, qui ab Ecclesia tolerantur. Unde juxta hanc sententiam Sacerdotes excommunicati, suspensi, depositi & degradati nec licitè, nec validè sacrificant. Ut nostra quoque mens de re præsenti pateat,

2 Dico primo. Christus Dominus principaliter offert Sacrificium Eucharistiæ, quandocunque & ubicunque offertur. Ita D. Thomas 3. p. q. 82. a. 7. ad 3. & q. 83. a. 1. ad 3. & Theologi communiter.

3 Prob. primo ex S. Script. tum Psal. 109. ubi Christum appellat æternum *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech.* qui ordo in oblatione hujus Sacrificii completur & exercetur. neque enim Christus propter solum Sacrificium, quod in Cruce peregit, dici potuit Sacerdos æternus; sed quia nunc perpetuò sacrificat per Sacerdotes sibi subordinatos, tum ex Epist. ad Hebræos, ubi Apostolus docet, in lege nova unum esse Sacerdotem æternum, cui nullus succedat; sed reliqui omnes Sacerdotes sint ejus ministri. sentit proinde, Christum nunc quoque sacrificare per Sacerdotes.

Prob. secundo ex Conciliis, tum Florent. in decret. Eugenii ubi docet, Sacerdotes conficere hoc Mysterium in persona Christi: tum clariùs ex Trid. sess. 22. cap. 2. ubi docet, *unam nunc eandemque esse hostiam, eundem offerentem Sacerdotem ministeriô, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.*

Prob. tertio Authoritate SS. Patrum, Augustin. lib. 2. de Civit. cap. 20. inquientis: *Christus ipse offerens, ipse est & oblatio.* in Psal. 30. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* Chrysost. homil. 83. in Matth. *Qui tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur.* & homil. de prodit Judæ: *Cùm videris Sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.* & in Liturg. *Ipse est, qui offert ipse, qui offertur.*

4 Prob. quarto hac ratione. Christus nunc potest principaliter offerre Sacrificium Missæ: ergo actualiter offert. Ant. patet: quia Christus hodie non minùs est verus Sacerdos, quàm olim fuerat in terris: neque ostendi potest quidpiam, quo impediatur, ne semper offerat. Conseq. verò prob. tum, quòd non videatur conveniens Sacerdotem omnium dignissimum perpetuò vacare à munere sacrificandi; quod tamen & pro sua dignitate, & ad majorem Dei gloriam exercere potest. tum, quòd hoc spectet ad excellentiam istius Sacrificii: constat enim dignitatem oblationis vel maximè pendere ex dignitate offerentis, juxta illud, *respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.* tum, quòd hoc ipsum exigat quodammodò etiam dignitas rei oblatæ, quæ in hoc Sacrificio infinita & purissima est; adeoque à simili quoque offerente principaliter offerri debet, ita ut semper offeratur ab aliqua persona sanctissima, Deoque gratissima.

5 Dico secundo. Christus immediatè ac propriè per actum quendam elicitum offert singula Sacrificia, dum actu fiunt. Ita Suarez, Salmanticenses, Coninck, Castropalao & alii. Prob. in eum ferè modum, quo prior concl. probata est. Christus potest immediatè per actum elicitum offerre singula Sacrificia: ergo actualiter ita offerre censendus est. Ant. prob. nam Christus per humanitatem suam tanquam instrumentum conjunctum physicè concurrit ad transubstantiationem, qua conficitur hoc Sacrificium: ergo potest immediatè per

actum

actum elicitum offerre quodlibet Sacrificium. Ant. supp. ex tr. de Incar. Conseq. prob. ex eo, quòd Christus non concurrat ad illam actionem tanquam instrumentum inamine, sed per intellectum & voluntatem: ergo eadem facilitate, qua physicè instrumentaliter concurrit, potest etiam principaliter moraliter concurrere per actum elicitum offerendô Sacrificia, ad quorum confectionem per suam humanitatem physicè concurrit. Neque enim refert, quòd locò distet, aut per se ipsum non proferat verba sensibilia; cùm hæc minimè sint de ratione formali oblationis ut sic.

Sed jam Conseq. primi Enthym. etiam prob. tum ex eo, quòd ad dignitatem hujus Sacrificii plurimum conferat, si etiam ex parte offerentis omninò æquale sit Sacrificio Crucis, & cœnæ ultimæ; adeoque Christus per se ipsum aliquo modo illud offerat, & non tantùm per ministrum ipsius nomine offerentem. tum etiam, quia per hujusmodi immediatam oblationem meliùs salvatur, quo pacto Christus nunc exerceat munus supremi & æterni Sacerdotis. nam hac ratione propriè, ac per se ipsum jugiter & perpetuo offert.

6 Objicies primo. Si Christus nunc immediatè per actum elicitum offert Sacrificium, ita ut ab ejus voluntate actus sacrificandi habeat honestatem moralem, sequitur, ipsum mereri bona gratiæ, quæ conferuntur virtute Sacrificii: sed hoc affirmari non potest; cùm Christus non sit ampliùs in statu merendi; ergo.

Respondeo neg. seq. quia Christus in Cælo haud dubiè plures etiam alios actus honestos exercet; nec tamen per illos meretur: tum, quòd non ampliùs sit in statu merendi, ut rectè meminit objectio: tum, quòd ejusmodi actus non ordinet in finem merendi. Idem proinde judica de actu, quo nunc offert Sacrificia.

7 Objicies secundo. Concursus ille immediatus per actualem oblationem non decet personam Christi: ergo non est ipsi tribuendus. Conseq. patet. Ant. prob. quia non decet Christum rogare Patrem, ut Sacrificium quo ipse sacrificatur, per manus sancti Angeli suscipiat; sicuti rogat Sacerdos: *supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum &c.*

Respondeo neg. Ant. nam aliud est orare Patrem, ut Sacrificium per manus Angeli suscipiat; aliud Sacrificium ipsum offerre. Hoc posterius non dedecet personam Christi, licèt prius dedeceat.

8 Dico secundo. Post Christum solus Sacerdos ritè ordinatus immediatè, per se, ac validè offerre potest Sacrificium Missæ. Hæc concl. est de fide, & colligitur ex Concil. Florent. ubi ponitur hæc forma ordinandi Sacerdotem: *Accipe potestatem offerendi &c.* Eadem veritas habetur ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. ubi docet, *Christum in nocte cœnæ Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.*

Ex quibus Conciliorum Authoritatibus tale argumentum formari potest: Sacrificium supernaturale ab illis tantùm immediatè, & per se offerri potest, qui ad hoc munus habent supernaturalem potestatem; sed Sacrificium Missæ est supernaturale; ergo ab illis tantùm immediatè & per se offerri potest, qui ad illud offerendum habent supernaturalem potestatem. Atqui soli Sacerdotes ritè ordinati habent hanc potestatem; uti patet tum ex forma ordinandi, qua solis Sacerdotibus datur ea potestas; tum ex verbis Christi, *hoc facite &c.* quæ ad solos Apostolos, ut Sacerdotes, eorumque in Sacerdotio successores dicta sunt; sicut traditio & Ecclesia declaravit. Ergo soli Sacerdotes immediatè & per se offerre possunt Sacrificium Missæ.

9 Dico tertio. Omnes Sacerdotes ritè ordinati, quantumcunque etiam pravi ac mali possunt immediatè & validè efficere & offerre Sacrificium, quamvis non licitè faciant, si offerunt. Ita cum D. Thoma cæteri Theologi. Quòd tales illicitè agant, per se manifestum est. Cætera probantur hac ratione. Omnis Sacerdos, qui ritè ordinatur, per ipsam ordinationem accipit potestatem efficiendi ac offetendi Sacrificium Missæ, neque hanc potestatem amittit per ullum peccatum, aut prohibitionem, censuram, vel pœnam Ecclesiæ: ergo omnis Sacerdos ritè ordinatus potest validè offerre hoc Sacrificium. Conseq. patet. quid enim est posse validè offerre, quàm habere potestatem offerendi? Ant. quoad primam part. constat ex forma ordinandi.

Quoad secundam prob. ex eo, quòd potestas offerendi nostrum Sacrificium sit potestas ordinis, non jurisdictionis, consistens in indelebili charactere Sacerdotii. Atqui characterem hunc Sacerdos per nullum peccatum, nullamque prohibitionem, censuram, vel pœnam Ecclesiæ amittit. Unde nec impedire potest Ecclesia, quò minùs Sacerdos validè offerat, si potestatem hanc ordinis applicet ad operandum cum debita materia, forma, & intentione; sicut non potest impedire, quo minùs validè baptizet, supposità debità materiâ & aliis requisitis.

Confirmatur. Consecratio à quocunque Sacerdote ritè ordinato peracta est valida: ergo etiam Sacrificium à quocunque Sacerdote ritè ordinato oblatum est verum & validum Sacrificium. Ant. ubi testatur Suarez, est fide certum. Conseq. prob. ex dictis in disp. proximè præced. ubi ostendimus, oblationem Sacrificii, sive essentiam Sacrificii in ipsa consecratione consistere.

10 Objicies tamen primo Authoritatem Tertulliani in lib. exhort. ad cast. cap. 7. ubi insinuat, in defectu Sacerdotis ritè ordinati, alteri Christiano, si non sit bigamus, competere potestatem Sacerdotalem ad offerendum Sacrificium.

Secundo. In Synodo Ancyrana Diaconi ob crimen idololatriæ commissum jubentur abstinere ab offerendo pane & calice: ergo supponitur ibi, eos Diaconos habuisse potestatem offerendi Sacrificium; & consequenter hanc potestatem non solis Sacerdotibus competere.

Tertio. Nonnulli SS. Patres, præsertim Augustinus, docent, extra Ecclesiam esse non posse vera Sacrificia: ergo nec hæretici tametsi alioqui ordinati fuerint Sacerdotes, nec alii Sacerdotes ab Ecclesia præcisi, offerunt verum Sacrificium.

Quarto. Ad rationem veri Sacrificii necessarium est, ut Sacerdos id offerat nomine Ecclesiæ, tanquam Minister publicus, & mediator inter Deum & populum, atqui Sacerdos præcisus ab Ecclesia non potest offerre nomine Ecclesiæ; quia nemo potest aliquid agere nomine Ecclesiæ, nisi velit & consentiat Ecclesia. Sed Ecclesia non vult, ut Sacerdos ab ipsa præcisus offerat Sacrificium; imò potiùs illum privat hoc ministerio, quantum potest.

Respondeo ad primum, Tertullianum nequaquam insinuare, quod ibi dicitur. Nam loquitur de quibusdam oblationibus publicis certarum rerum, quæ more tunc usitato offerebantur Sacerdotibus ad benedicendum, & ut benedictæ distribuebantur inter præsentes ad significandam communionem membrorum Ecclesiæ. & hanc benedictionem & distributionem, quam peragere solebat Sacerdos, dixit, in ejus defectu fieri posse à Laico.

Ad secundum neg. conseq. nam dico ibi nomine oblationis intelligi præparationem & oblationem panis & vini, ceu materiæ consecrandæ faciendam à Diaconis, quando ministrant Sacerdotibus celebrantibus.

Ad tertium neg. rursus conseq. Patres enim aliud non significant, quàm extra Ecclesiam non verum Sacrificium, id est, efficax & fructuosum, tam offerentibus quàm cooperantibus. Vel dic, extra Ecclesiam, id est, extra ritum hunc sacrificandi, quem à Christo institutum servat Ecclesia, nullum in lege nova esse verum, Deoque acceptum Sacrificium.

Ad quartum respondeo neg. maj. non enim per se & intrinsecè necessarium est ad munus sacrificandi, ut Sacerdos gerat personam Christi: hanc autem ut gerat, habet potestatem ratione sui characteris, quam illi non potest adimere Ecclesia: & ideò Sacerdos etiam exclusus ab Ecclesia semper potest in persona Christi verba cum debita intentione supra præscriptam materiam proferre, & etiam tanquam ejus minister offerre Sacrificium. Cæterùm personam Ecclesiæ Sacerdos sustinet, ejusque nomine loquitur & operatur quantùm ad orationes publicas & cæremonias ab Ecclesia institutas, quæ continentur in Missa: & hoc ministerio illum privat Ecclesia, dum non vult, quantùm in ipsa est, ab eo offerri Sacrificium. Hæc solutio traditur à D. Thoma 3. q. 82. a. 7. ad 3.

Dico quarto. Fideles etiam non Sa- 11
cerdotes aliquo sensu offerunt Sacrificium Missæ. Ita concors Catholicorum sententia, quam significat præter alios Patres S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 20. illis verbis: *Quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium; cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus: tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerre.* & S. Leo Papa Epist. 81. cap. 2. dixit, juxta populi amplitudinem plures eodem die Missas esse dicendas, *ne aliqua pars populi Sacrificium offerre non possit.* supponit ergo, populum, dum audit Missam, simul cum Sacerdote offerre. Quod idem satis etiam colligitur ex ipso Canone Missæ, pluribus in locis, si benè expendatur. Ratio Concl. reddi potest, tum, quòd Sacrificium, ceu cultus publicus & solemnis, omnibus debeat esse commune: tum, quòd offerre Deo Sacrificium omnibus hominibus sit quodamodò naturale, ut proinde in omni lege omnes debeant posse offerre Sacrificium: consequenter etiam in lege gratiæ hoc idem posse debent non soli Sacerdotes, sed etiam alii fideles.

Dico tamen quinto. Fideles non Sa- 12
cerdotes mediatè tantùm per Sacerdotes, & denominativè, ac minùs propriè offerunt Sacrificium. Ratio est: quia illi tantùm immediatè & propriè offerre possunt, qui habent potestatem consecrandi & offerendi ex ordinatione Ecclesiæ: atqui hanc potestatem non habent fideles non Sacerdotes, sed soli Sacerdotes; ergo &c.

Cæterùm tres modi recensentur à Sal- 13
manticensibus mediatè & denominativè offerendi hoc Sacrificium. Primus est generalis, & universis fidelibus communis, quatenùs videli-

videlicet eo ipso; quòd Sacerdos ut publicus totius Ecclesiæ minister immediatè offerat, omnes reliqui fideles dicuntur mediatè offerre. Secundus est magis specialis, dum quis per propriam actionem aliquam movet Sacerdotem ad offerendum, v. g. petendô aut procurandô Sacrificium per eleemosynam aut stipendium &c. Tertius est assistere sacrificanti, præsertim adjuvandô, & respondendô. qui enim aliqua ratione cooperantur offerenti, meritò participant denominationem offerentium, & quidem tantò magis, quantò magis cooperantur. Atque hinc magis offert, qui in Missa ministrat, quàm qui assistit, ut advertit Suarez.

ARTICULUS II.

Pro quibus ex modò viventibus possit offerri Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

1. *Quotupliciter Sacrificium offerri possit pro alio?* 2. *Variæ classes hominum, de quibus hîc quæri solet.* 3. *Sacrificium offerendum est generaliter pro Ecclesia, membrisque eidem colligatis.* 4. *Graviter peccat Sacerdos aliquem excludens ab hac generali oblatione.* 5. *An Sacrificium offerri possit pro infantibus baptizatis?* 6. *An pro peccatoribus fidelibus?* 7. 8. *An pro energumenis?* 9. 10. *Asseritur, offerri posse pro cathechumenis.* 11. 12. 13. 14. *Solvuntur objectiones.* 15. *Ostenditur, Sacrificium offerri quoque posse pro quibuscunque infidelibus non excommunicatis.* 16. *Non tamen pro excommunicatis.*

1 SAcrificium Missæ Sacerdos pro aliquo offerre hîc dicitur, dum in ejus commodum & utilitatem offert. Quod dupliciter præstare potest, vel ut persona privata, vel ut persona publica & minister à Christo, vel Ecclesia constitutus. Item, ut effectum habeat ex opere operato, quatenùs est impetratorium, vel propitiatorium; vel ut effectum habeat ex opere operantis, sicut aliud quodlibet bonum opus.

2 Porrò ex hominibus in hac vita degentibus alii sunt infideles; alii fideles, vel baptizati, vel cathecumeni: alii adulti, alii infantes; alii justi, alii peccatores, & inter hos quidam ab Ecclesia tolerati, quidam verò per excommunicationem quodamodò separati. Et similiter inter infideles quidam jurisdictioni Ecclesiæ sunt subjecti, alii non subjecti: quales sunt omnes non baptizati. Quibus animadversis,

3 Dico jam primo. Sacrificium Missæ offerri potest pro omnibus baptizatis viventibus, qui neque per infidelitatem, neque per excommunicationem ab Ecclesia, ejusque communione sunt sejuncti. Ita omnes Catholici. Ratio est primo. quia hoc Sacrificium pro omnibus memoratis viventibus debet offerri: ergo pro omnibus potest offerri. Conseq. est evidens. Ant. prob. tum ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. ubi simpliciter definitur, Sacrificium Missæ debere pro vivis offerri; adeoque pro omnibus vivis. Atqui non pro aliis, quàm qui sunt membra Ecclesiæ colligata. tum ex usu ipso & verbis Ecclesiæ: nam in Missa inprimis fit oblatio pro universa Ecclesia: quod signum est, ita ab Ecclesia esse institutum, & consequenter Sacerdotes obligari ad hanc oblationem faciendam: quippe qui tenentur ritum Ecclesiæ in sacrificando servare. Ratio est secundo. quia per se loquendo hoc Sacrificium offerri potest pro omnibus, qui sunt capaces alicujus fructus ejusdem, sive satisfactorii, sive impetratorii: sed tales sunt omnes in concl. memorati; ergo &c. Dixi, *per se loquendo*, propter illa, quæ postea docebimus de excommunicatis. Atque ex his

Sequitur jam primo, graviter peccare 4
Sacerdotem, qui aliquem excludit à generali hac oblatione Sacrificii. Ita colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 25. a. 8. ad 9. Ratio est primò. quia licèt ex præcepto charitatis non teneamur pro singulis orare, eos tamen à communibus orationibus non possumus excludere, vel sine gravi scandalo, si id publicè faciamus, vel sine odio formali aut virtuali. Ratio est secundò. quia ejusmodi Sacerdos agit contra institutionem & intentionem Ecclesiæ, cujus est minister & legatus.

Sequitur secundo, hoc Sacrificium u- 5
tilite offerri pro infantibus baptizatis. Ita Suarez in 3. p. disp. 78. sect. 2. Salmanticenses tract. 5. de Sacrificio Missæ, cap. 2. pu. 2. & alii. Ratio est: quia & isti in statuta concl. comprehenduntur: & licèt incapaces sint fructûs ex opere operato satisfactorii, sunt tamen capaces fructûs impetratorii.

Sequitur tertio, etiam pro baptizatis 6
adultis, qui sunt in statu peccati mortalis

idem Sacrificium rectè offerri. Ita citt. ex communi sensu Doctorum. Ratio est: quia illis prodesse potest, tum ad impetrationem conversionis, tum aliorum Dei beneficiorum, quamvis participare nequeant fructum satisfactionis.

7 Sequitur quarto, neque energumenos excludi debere à Sacerdote generaliter offerente. Ratio est: quia vexari à Dæmone, non est culpa, sed pœna, qua etiam non ablata hi miseri possunt esse digni & capaces fructus tam satisfactorii, quàm impetratorii.

8 Neque obstat authoritas Concilii Elibertini, cap. 29. ubi prohibetur oblatio pro energumenis, seu vexatis à Dæmone. Nam solùm ibi dicitur, *ne illorum nomina ad Altare cum oblatione recitentur:* quod fortè tunc fiebat per publicam aliquam orationem à præsentibus audiendam. Vel explicari potest ille canon de energumenis, qui propter publica peccata traditi erant potestati Dæmonis. Addit Suarez hunc canonem non esse amplius in usu, utcunque intelligatur.

9 Dico secundo. Sacrificium Missæ potest offerri etiam pro cathecumenis. Ita Suarez, & Salmanticenses locis citt. deinde Card. de Lugo disp. 19. sect. 10. Filliuc. tr. 5. cap. 2. Reding hîc q. 8. controv. 6. contra Vasquez, Castropalaum & alios.

10 Prob. inprimis ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, cujus testis est Clemens Rom. lib. 8. cap. 45. & 46. ubi refert, in Missa publicas orationes fieri solitas pro cathecumenis; sicut modò contingit in die Parasceves. Quod idem in liturgia S. Chrysostomi legitur. Præterea S. Augustinus Epist. 109. ad vital. scribit, esse antiquam traditionem Apostolicam, ut Sacerdos stans ad Altare oret pro cathecumenis, ut illis Deus inspiret desiderium regenerationis.

Sed quoniam ad hæc responderi potest cum P. Vasquez, aliud esse in Missa pro cathecumenis, aliisque non baptizatis posse orari, aliud Missam pro illis offerri: & prius quidem colligi ex citt. Authoritatibus, non autem posterius, audiendus est liber ille, qui inscribitur *ordo Romanus*, ubi in Missa, dum cathecumeni aptantur ad recipiendum Baptismum, in oratione infra Canonem sic habetur, teste Card. de Lugo: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere atque vocare dignatus es.* Ex quibus patet, Ecclesiam non tantùm posse orare, sed etiam offerre Sacrificium Missæ pro cathecumenis. Quod etiam apertè colligitur ex aliis, quæ ibi subduntur: statim enim post verba adducta recitabantur nomina electorum ad Baptismum, & Sacerdos prosequebatur: *Hos, Domine, fonte Baptismatis innovandos, Spiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari jubeas, diesque nostros in tua pace disponas.*

Deinde ratio etiam suffragatur. Nam pro omnibus offerri potest Sacrificium Missæ, per se loquendo, & si aliud nihil obstat, qui sunt capaces alicujus fructus ejusdem, ut dictum est in n. 3. Atqui cathecumeni sunt capaces alicujus fructus, non quidem ex opere operato satisfactorii, ut habet communis doctrina; sed tamen impetratorii: neque quidquam obstat, quominùs pro illis offeratur; veluti patebit ex solutione Objectionum: ergo &c.

Objicies itaque primo Authoritatem 11
S. Augustini in lib. 1. de anima, & ejus orig. cap. 9. ubi contra hæreticum quendam probat, pro parvulis ante Baptismum mortuis non posse offerri Sacrificium, quia non facti sunt membra Christi, sive per Baptismum, sive per Martyrium. Quæ ratio, cùm idem convincat de cathecumenis, clarè colligitur, juxta S. Patrem pro illis quoque non posse offerri Sacrificium.

Respondeo, S. Augustinum eo loco disputare contra quendam, qui contendebat, parvulos illos per Sacrificium Missæ purgari posse à peccato originali; adeoque esse capaces fructus ejusdem Sacrificii ex opere operato per modum satisfactionis, sive satisfactorii: quod meritò negat S. Pater ob rationem, cujus meminit objectio: de fructu autem impetrationis, qua non baptizatis adhuc degentibus in ista vita aliquid impetrare possumus, nullam facit mentionem. Unde ex loco illo S. August. nihil contra nos colligitur.

Objicies secundo. Non est credibile 12
Christum Eucharistiam in ratione Sacrificii instituisse pro illis, pro quibus etiam in ratione Sacramenti non instituit: vel effectum Sacrificii communicandum esse, quibus Sacramenta non possunt communicari: sed Christus Eucharistiam in ratione Sacramenti pro cathecumenis (idem est de aliis non baptizatis) non instituit; neque possunt iisdem communicari Sacramenta; ergo.

Respondeo neg. maj. quoad utramque partem. Rationem dat Card. de Lugo: quia effectus Sacramenti; sicut etiam effectus Sacrificii quoad satisfactionem, sunt effectus immediati, quorum nemo est capax, nisi sit baptizatus: impetratio autem, quæ est effectus Sacrificii, licèt immediatè obveniat offerenti, indirectè tamen redundare potest etiam in commodum alterius, licèt non sit baptizatus. Atqui hoc sufficit, ut pro tali offerri possit Sacrificium.

Obji-

13 Objicies tertio. Ecclesia non potest præsumi offerre Sacrificium pro illis, quos non vult interesse oblationi: atqui Ecclesia antiquitùs non voluit cathecumenos interesse oblationi Sacrificii, sed exesse jussit voce Diaconi; ut constat: ergo &c.

Respondeo neg. maj. quia Ecclesia ideo solùm excludere solebat cathecumenos, quod judicaret, non decere, ut oblationi interessent, qui illud cum Sacerdote offerre non possent. præsentes enim faciunt unum cum Sacerdote, & per illum offerunt idem Sacrificium. Atqui cathecumeni, aliique non baptizati, non possunt offerre Sacrificium; licèt pro illis offerri possit.

14 Objicies quarto verba Concil. Bracharensis 1. can. 35. definientis: *Item placuit, ut cathecumenis sine redemptione Baptismatis defunctis simili modo, neque oblationis sanctæ commemoratio, neque spallendi impendatur officium. nam & hoc per ignorantiam usus Patrum &c.* Similiter S. Chrysostomus in Epist. ad Philipp. serm. 3. in exhort. mor. postquàm dixit, orandum esse in Ecclesia pro defunctis, dum Sacrificium propositum est, cathecumenos excludit ab hoc solatio.

Respondeo, Concilium illud ibi solùm prohibuisse, ne in Missa fierent publicæ orationes pro cathecumenis defunctis, idque ad acuendam in viventibus curam maturiùs ac diligentiùs præparandi se ad Baptismum suscipiendum, ne per nimiam procrastinationem exponerentur periculo sine illo moriendi. Neque aliud quid etiam ex S. Chrysostomo colligitur.

15 Dico tertio. Sacrificium Missæ etiam offerri potest pro quibuscunque infidelibus non excommunicatis. Ita Bellarminus lib. 2. de Missa, cap. 6. Suarez disp. 78. sect. 2. Gonet disp. 11. a. 3. Salmanticenses tr. 5. cap. 2. pu. 2. & alii passim. Ratio est primo. quia pro his talibus offerre Sacrificium Missæ neque ex natura rei est illicitum; neque ulla lege, seu Divina, seu humana prohibitum: ergo pro illis offerri potest, saltem prout est impetratorium. Ratio est secundò. quia in lege vetere fiebant Sacrificia pro Gentilibus, putà pro Dario, 1 Esdræ 6. pro Spartiatis 1 Machab. 12. pro Heliodoro, 2 Machab. 3. Ergo idem nunc quoque licet. Ratio est tertio. Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum est, etiam infidelibus: ergo etiam Sacrificium Missæ, quantum est ex se, pro illis offerri potest. Sicut enim Sacrificium Crucis fuit universale quoad sufficientiam, ita & nostrum debet aliquo modo esse universale quoad efficaciam, sive in ordine ad applicandum aliquo modo fructum, saltem impetratorium.

Dico denique. Pro excommunicatis 16 majori excommunicatione, sive fideles sint, sive apostatæ, non potest Sacerdos, ut minister Ecclesiæ, seu nomine Ecclesiæ offerre Sacrificium. Ita Suarez, Salmanticenses locis citt. & alii. Ratio est: quia Ecclesia excommunicatos privat communibus suffragiis publicis, ut constat ex cap. à *nobis*, & cap. *Sacris. de sent. excommunic.* estque hic unus ex effectibus majoris excommunicationis. Ergo Ecclesia nunquam habet intentionem pro excommunicatis offerendi Sacrificium Missæ: consequentet nec Sacerdos illud offerre potest pro iisdem, ut minister Ecclesiæ, seu nomine Ecclesiæ.

Unde non refert primo, quòd etiam excommunicati sint capaces alicujus fructus Sacrificii: cùm enim Ecclesia prohibeat fieri pro eisdem publica suffragia, vitalis prohibitionis per accidens non est licitum in persona Ecclesiæ offerre Sactificium non obstante capacitate fructus.

Neque refert secundo, quòd Concilium Constantiense in Constit. *ad evitanda scandala,* permittat communicationem cum excommunicatis toleratis *in quibuscunque Divinis vel extra.* Nam finis illius permissionis non est ejusmodi excommunicatis, sed reliquis solùm fidelibus directè favorem aliquem præstare: cùm proinde communicatio in publicis suffragiis directè cederet in favorem excommunicatorum, non videtur Concilium sub permissa illa communicatione intellexisse etiam communicationem in publicis suffragiis Ecclesiæ, sive quæ fiunt nomine Ecclesiæ. Unde licèt excommunicatus aliquis permittatur interesse Missæ & publicis orationibus Ecclesiæ, quoad participationem tamen suffragiorum semper manet excluſus.

Aliter tamen discurri hîc debet, dum Sacerdos ut privata persona consideratur. cùm enim excommunicati quoque capaces sint bonorum & spiritualium & temporalium à Deo recipiendorum, communis sententia est, posse Sacerdotem privata intentione ad suo nomine ad similia eisdem impetranda offerre Sacrificium: præsertim, cùm privata ejusmodi oblatio nullibi inveniatur prohibita.

ARTI-

ARTICULUS III.

Pro quibus defunctis offerri possit Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

1. Tres classes defunctorum. 2. Pro Beatis Sacrificium Missæ nonnisi impropriè offerri potest. 3. Rectè & fructuosè offertur pro animabus Purgatorii. 4. Pro damnatis non item. 5. Rejicitur sententia Glossæ. 6. De anima Trajani remissivè.

1 TRes defunctorum ordines juvat distinguere. In primo sunt beati. in secundo damnati tam adulti, quàm parvuli, qui sine Baptismo decesserunt. in tertio sunt, qui in purgatorio existunt. Certum jam est, Sacrificium Missæ offerri posse pro defunctis, ut patet ex Concil. Trid. sess. 22. can. 3. sed an pro omnibus, vel pro quibus offerri possit? inquirimus.

2 Dico primo. Sacrificium Missæ pro beatis non potest inferri, nisi impropriè. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia hoc Sacrificium offerri quidem potest in gratiarum actionem pro beneficiis in Sanctos collatis: item ad impetrandam gloriam & venerationem alicujus Sancti in terris; hæc tamen non sufficiunt, ut Sacrificium propriè offerri dicatur pro Sanctis: hoc enim ex parte ejus, pro quo fit oblatio, videtur supponere aliquod malum, aut periculum, à quo liberari possit, atque præterea indigentiam mediatoris, intercessoris, aut deprecatoris, qui ipsi impetret liberationem à malo, vel periculo mali. quæ certè non cadunt in Sanctos: velut agnoscit Innoc. III. *in cap. cùm Marthæ, de celebr. Miss.* ubi dicit: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quòd, cùm sint perfectè beati, omnia eis ad votum succedant.* Quando proinde occurrunt sententiæ quorundam SS. Patrum, in quibus dicunt, nos offerre hoc Sacrificium pro Sanctis, intelligendæ sunt in sensu latiori & improprio, nempe, quòd offeramus vel ad agendas loco illorum Deo gratias pro beneficiis in ipsos collatis; vel ut redundet in illorum honorem; vel, quod illos invocemus, ut ipsi pro nobis intercedant.

3 Dico secundo. Pro animabus in Purgatorio offerri utiliter potest Sacrificium Missæ, tam ut est satisfactorium, quàm ut est impetratorium. Habetur ex Trid. sess. cit. cap. 2. & can. 3. satisque constat ex usu & traditione Ecclesiæ. quod idem cum D. Thoma in 4. dist. 45. tenent omnes Theologi. Et ratio est: quia illæ animæ sunt viva membra Ecclesiæ: inque iis pœnis constitutæ, quæ per oblationem hujus Sacrificii remitti possunt. Immò docet Concil. cit. sess. 25. in decr. de Purgat. inter omnia suffragia, quibus juvari possunt hæ animæ, potissimùm illis prodesse Sacrificium Missæ.

4 Dico tertio. Pro damnatis nullo modo potest offerri Sacrificium Missæ. Ita sentit universa Ecclesia, dum negat esse orandum pro damnatis, eò quòd eorum salus sit desperata, & pœna nunquam finienda, juxta immutabile Dei decretum, cujus meminit Christus Matth. 3. illis verbis: *Palear autem igni comburet, inextinguibili.* & cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.*

Atque hinc ita formari potest ratio: Pro illis tantùm offerendum est Sacrificium Missæ, quibus prodesse potest: sed damnatis prodesse non potest; ergo. maj. est clara. min. prob. primò. quia non aliis prodesse potest hoc Sacrificium, quàm iis, qui sunt membra Christi vel actu, vel potentiâ; sicut Passio Christi non aliis prodesse potest. Atqui damnati jam non sunt membra Christi, nec actu, nec potentia; ergo. Prob. secundò. quia hoc Sacrificium damnatis neque prodesse potest ex justitia; uti per se patet: neque ex Misericordia Divina: nam ut rectè dicit S. Bernardus serm. 8. in Psal. *qui habitat*, illi jam non sunt in statu misericordiæ, sed rigorosæ vindictæ.

5 Objicies Authoritatem Glossæ in c. *tempus.* 13. q. 2. ubi putat, hoc Sacrificium illis saltem, qui propter pauciora, vel leviora mortalia damnati sunt, posse prodesse, haud sanè ad liberationem, sed ad aliquam pœnæ relaxationem & diminutionem.

Fundamentum hujus opinionis præcipuè petitur ex S. August. qui in Enchir. cap. 110. dicit, quibusdam valere hoc Sacrificium, *ut eis plena fiat remissio, aliis ut tolerabilior fiat damnatio.* Idem in cap. 112. ejusdem Enchir. permittit illorum sententiam, qui opinantur, damnatorum pœnas posse mitigari, dummodò non asseratur, posse finiri.

Respondeo, illam sententiam Glossæ esse falsam, & pridem rejectam ab omnibus Theologis. Neque ullo modo ei favet S. Augustinus, quippe, qui & ipse eod. quoque cap. 110. apertè docet, hoc Sacrificium nihil posse prodesse damnatis. Porrò verba in objecta adducta rectè intelliguntur de animabus Purgatorii, quarum aliquibus per hoc Sacrificium

tota

rota pœna remittitur; aliis pars remittitur, & pars persolvenda relinquitur. Unde *damnatio* non sumitur ibi pro damnatione æterna, sed idem est, quod *punitio*, seu *supplicium*, inquit Suarez. qui etiam advertit, in cap. 112. Enchir. non affirmari à S. Patre, sententiam illam esse probabilem, qua asseritur, pœnas damnatorum posse alleviari; sed non esse aperte hæreticam, sicut illam, qua asseritur, eas posse finiri.

6 Objici potest ulteriùs illud de anima Trajani Imperatoris, quam perhibent, precibus S. Gregorii Magni ex inferno esse liberatam. Si enim pro damnatis preces fundere & utile & honestum est, cur non similiter offerre pro iisdem Sacrificium Missæ utile & honestum fuerit? Atqui pro damnatis preces fundere & utile & honestum est, ut probat præsens exemplum Magni Gregorii; ergo. &c. Ut ad vulgatam hanc, seu fabulam, seu historiam, respondeamus, sit

ARTICULUS IV.

Utrùm anima Trajani precibus S. Gregorii Magni liberata fuerit ex inferno?

SUMMARIUM.

1. *Relatio de liberatione Trajani ex inferno.* 2. *Eam esse veram suaderi solet authoritate Joannis Diaconi.* 3. *Authoritate S. Joannis Damasceni.* 4. *Ex Euchologio Græcorum.* 5. *Ex revelationibus SS. Birgittæ & Mathildis.* 6. *Ex D. Thoma.* 7. *Refellitur multipliciter eadem relatio.* 8. 9. *& seqq. respondetur ad argumenta opposita.*

1 CUm Trajanus, inquiunt, aliquando cùm exercitu in expeditionem festinaret, viduam habuit obviam, quæ inter lamenta & ejulatus fidem Cæsaris obtestans flagitabat, ut indignam filii sui cædem ex præscripto legum ulciscceretur. Trajanus susceptibelli negotia causatus, tum se facturum diligenter, quod rogaretur, spospondit, si confectò bellô salvus & incolumis revertisset. At illa clamabat, quis fidem tuam liberabit, O Imperator, si in prælio ceciderit? Is haud dubiè, qui me cæso imperabit, respondit Trajanus. Nil te juvabit alterius factum, regessit mulier, neque ullam propter id mercedem reportabis. an non igitur magis è re tua fuerit, te te mihi jus dicere, indeque præmium referre, quàm id alteri transcribere? Movit Imperatorem, cùm hæc oratio viduæ, tum innata æquitas, ut statim ex equo descenderet, factusque exquisitor extemporaneus antè non progrederetur cum exercitu, quàm causam omnem & cognôsset, & decidisset. Factum deinde memorant post aliquot sæcula, ut Gregorius Pontifex Maximus, qui ob res gestas Magnus est appellatus, forum Trajani die quodam pertransiret, recordatusque relati modò exempli salutem principis adeò prolixè clementis non solùm vehementer optaret, sed etiam infusus lachrymis à Deo tamdiu oraret, audiretque secundùm quietem, preces suas esse exauditas, additô tamen monitô, ne deinceps ulli Idolorùm cultori quid simile à Deo peteret. Narrat hæc talia Joannes Diaconus in vita ejusdem Gregorii lib. 2. cap. 44. eaque legi, in quibusdam Anglorum Ecclesiis asserit. Alii Gregorium ad eam commiserationem commotum esse memorant conspectâ Trajani statuâ, quæ ad jus viduæ dicendum equô desilientem repræsentabat. Alii aliter hoc referunt.

Qui nolunt hanc relationem esse fabu- 2
lam Milesiam, arguunt primo authoritate Joannis Diaconi jam cit. in vita S. Gregorii, ubi scribit, illum tamdiu in S. Petri Basilica super Trajani errore defleviisse, quousque responsum sequenti nocte accepisset, se pro eodem fuisse exauditum, admonitumque ut pro nullo ulteriùs pagano preces effunderet.

Arguunt secundo Authoritate S. Joannis 3
Damasceni in orat. de fidel. defunct. ubi non solùm memorat, Trajanum precibûs S. Gregorii ex inferis fuisse liberatum, sed insuper totum orientem & occidentem ejus miraculi testes advocat.

Arguunt tertio ex Euchologio Græco- 4
rum, cap. 96. quod in quadam oratione pro defunctis ita precatur: *Quemadmodum Trajanum per intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagrô solvisti, exaudi etiam nos te orantes, non pro idolorum cultore, sed pro fideli servo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit.* Ex quibus patet, inquiunt, totam Ecclesiam Græcam hanc narrationem habere pro vera. cùm aliàs utique in publicis precibus eandem non adhiberet.

Arguunt quarto ex Revelationibus S. 5
Birgittæ lib. 4. cap. 13. & S. Mathildis lib. 5. cap. 6. in quibus eadem Trajani liberatio revelata legitur.

Arguunt quinto Authoritate D. Thomæ in Supplem. q. 73. a. 5. ad 5. ubi ait: *De facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna: sicut etiam apparet ex omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras, & damnatos fuisse.* In quibus verbis S. Doctor non solùm agnoscit esse probabile, quod de liberatione Trajani ex inferno referunt Authores, sed idipsum ad alios quosdam damnatos videtur extendere. Verùm hîs neutiquam obstantibûs,

Dico. Nullo modo credendum est, Trajanum Imperatorem precibûs S. Gregorii ex inferno fuisse liberatum.

Prob. primò ex S. Script. illis locis, in quibus generaliter & absque ulla exceptione dicitur, pœnas damnatorum fore æternas: ut Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum ---- & ibunt hi in supplicium æternum.* Apocal. 14. *Cruciabuntur igne & sulphure in sæcula sæculorum.* Ab his autem, aliisque S. Scripturæ sententiis, in quibus universaliter omnibus in Dei inimicitia morientibus decernitur æterna & nunquam finienda damnatio, nemo est excipiendus; nisi de hoc ipso habeatur aliquod fundamentum, vel ex eadem S. Script. vel ex traditione, aut declaratione Ecclesiæ. Atqui nullum suppetit ejusmodi fundamentum quemquam eximendi. Immò Ecclesia clarè fatetur, quòd *in inferno nulla sit redemptio.*

Prob. secundo. S. Gregorius sensit & scripsit, pro impiis defunctis & damnatis orari nec debere, nec posse: ergo non est credibile, ipsum orâsse pro Trajano. Conseq. rectè colligitur: quia non est credibile virum sanctissimum & sapientissimum aliter egisse, aliter sensisse ac scripsisse. Ant. prob. verbîs ipsismet Divi Hierarch lib. 34. Moral. cap. 16. ubi refellens nonnullos qui dicebant, Sanctos pro inimicis oraturos, quos in inferno ardere visuri sint, ita habet inter alia: *Et quomodò pro illis tunc orabitur* (nempe in die supremi judicii) *quando jam nullatenùs possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro Diabolo, Angelisque ejus æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, qui de eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum Judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt.* In quibus apertè docet, irritas fore preces, si quæ funderentur pro damnatis; adeoque pro ilsdem orari nec debere, nec posse.

Respondent, attenta quidem lege ordinaria irritas fore preces, quæ funderentur pro damnatis; quia de lege ordinaria nullus liberatur ex inferno: aliud tamen existimandum attenta lege extraordinaria; quia secundùm hanc, sive per omnipotentiæ & misericordiæ Divinæ singulare miraculum damnati ex inferno liberari possunt: atque sic liberatum fuisse Trajanum, pro cujus liberatione S. Gregorius Divino instinctu motus oraverit. Verùm contra hanc responsionem multipliciter pugnari potest. Nam primo si S. Gregorius ex Divino instinctu oravit pro Trajano, quomodo subsistit, quod nonnulli dicunt ex Adversariis, ipsum non debuisse orare, sed peccâsse sic orantem, ideoque gravi morbô, quamdiu postea vixit, fuisse afflictum? quis legit, vel audivit aliquando, quemquam à Deo fuisse punitum, eò quòd obsecundaverit Sancti Spiritûs impulsui? vel æternam salutem cuiquam impetrâsse precibus peccaminosis ac pœnâ meritis?

Secundo. Si quid hîc valet distinctio illa legis ordinariæ & extraordinariæ, sequitur, Gregorium inefficaciter rejecisse relatam sententiam dicendô, beatos non oraturos pro inimicis damnatis, eô quòd hi *nullatenùs possint ad justitiæ opera ab iniquitate commutari.* cùm patroni ejusdem facilè respondere possint, fieri quidem non posse secundùm legem ordinariam, ut quisquam damnatorum ad justitiæ opera ab iniquitate commutetur, id tamen fieri posse attenta lege & potentia Dei extraordinaria: ideòque preces beatorum pro damnatis non fore cassas atque irritas.

Tertio. Eadem est causa, cur Sancti homines in hac vita non orent pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis quæ est causa, quòd non orent pro Diabolo, Angelisque ejus, sicut audivimus ex S. Gregorio. Atqui pro Diabolo, & Angelis ejus orare non possunt, tametsi intelligant, eos absolutè, & secundùm legem atq; potentiam Dei extraordinariam ex pœnis inferorum liberari posse, nisi damnatæ origenistarum hæreseos rei haberi velint: ergo neque pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis orare possunt, quamvis non ignorent, secundùm legem, potentiamque Dei extraordinariam eos salvari posse.

Prob. jam concl. tertio. Pro illis, qui sunt extra communionem Sanctorum, & nec actu, nec potentiâ membra Christi, non potest orari, nec quidquam eis prodest oratio: atqui Trajanus quingentis annis ante ætatem S. Gregorii damnatus, atq; in rogum Tartareum cum aliis infidelibus detrusus nec actu, nec potentiâ fuit membrum Christi, quando idem Pontifex pro illo orâsse perhibetur; ergo nec orari pro eodem poterat, nec quidquam ipsi prodesse

oratio

oratio. cumque S. Gregorius hujus veritatis non esset nescius, non possum inducere animum, ut credam, ipsum orâsse pro Trajano.

Prob. quarto. Quia non est verosimile, S. Gregorium orâsse pro principe Christianorum persecutore atrocissimo, Sodomita infandissimo & flagitiosissimo. Atqui Trajanus fuit persecutor Christianorum atrocissimus, & Sodomita flagitiosissimus; ergo non est verosimile, S. Gregorium pro illo orâsse. maj. vel inde evincitur, quòd Authores adversi singularem Trajani probitatem ac integritatem vitæ pro causa statuant, ob quam Gregorius sit illius misertus, ut doleret ejus vices, ingemisceret, precesque pro ipso funderet. Quæ causa utique cessat, si fuit impiissimus & flagitiosissimus. *mi.* quantum ad persecutionem Christianorum constat ex historiis Ecclesiasticis, ubi vix sub alio Imperatore tot millia Martyrum, uti testatur Natalis Alexander, notari possunt, quot sub Trajano notari solent, quamvis aliquando moderatiùs sævire videretur. Quantum verò attinet ad libidinem illam execrabilissimam, eadem *mi.* probari potest luculentissimis testimoniis Scriptorum profanorum, quorum in hac causa fides non potest esse suspecta. ii sunt Dio Cassius, Xiphilinus, Ælius Spartianus, Aurelius Victor; imò & Julianus Apostata, qui apud Baronium fabulatur, Trajanum ad convivium Deorum non antè fuisse admissum, quàm Ganymedes, cui anxiè timebatur, probè fuisset custoditus. Quibûs turpissimos illius amores falsè satis sugillat.

Probari potest quinto ex eo, quòd illa tota relatio de vidua, & extemporanea Trajani clementia, cùm in bellum Dacicum properaret, meritò videatur fabulosa & commentitia. Cùm nullus veterum Scriptorum, qui gesta, dictaque Trajani diligentissimè litteris commendârunt, illud ejus factum, quod tamen maximè esset memorabile, retulisse inveniatur, sed ab aliis primùm narrari cœperit, qui post sexcentos annos à Trajani temporibus scripserunt. Imò nec Plinius ipse in Panegyrico, quem Trajano dixit post debellatos Dacos, ullam ejus rei facit mentionem: cùm tamen omnia ibi conquirat, quæ ad commendationem illius principis pertinent. in quo autem alio argumento oratio Plinii magnificentiùs se se jactare, atque efferre potuisset? certè vel solum hoc Plinii silentium sufficienter clamat, totam illam relationem esse fabulis accensendam. Sed jam tempus admonet, ut ad ea, quæ pro adversa sententia adducta sunt, respondeamus.

Ad primum respondeo, Joannem Diaconum post trecentos annos ab obitu S. Gregorii hanc narrationem de liberatione Trajani non hausisse ex probatis Actis vitæ ejusdem, quæ in scriniis Romanæ Ecclesiæ diligenter asservabantur, sed ex obscuris quibusdam monumentis Anglorum, vel Saxonum; quibus, quod attinet ad hoc factum Magni Gregorii, in Romana Ecclesia fides non adhibebatur; imò de veritate ejusdem dubitabatur vel maximè ex eo capite, quòd esset exploratum, id totum adversari ipsius Gregorii doctrinæ, quam ex lib. 4. Dialog. suprà adduximus: quemadmodùm testatur idem Joannes Diaconus in vita illius locô cit. in n 1. Itaque silentio Ecclesiæ, cui res ista omnis suspecta fuit, apud me major inest auctoritas, quàm calamo ejus Diaconi tam serò post excessum Gregorii arrepto.

Ad secundum respondeo ex Natali Alexandro, in illa oratiane pro fidel. Defunct. adeò multa contineri falsa & improbabilia, ut non sit credibile, scriptam fuisse à S. Joanne Damasceno, sed ab alio Damasceni nomine abutente. Et verisimile est (sunt verba cit. Alexandri) illius Authorem orationis vixisse post Joannem Diaconum, & ex eo sumpsisse fabulam illam de Trajani liberatione: quæ quia vulgata erat apud Græcos, post dicti Joannis Diaconi tempora, scripsit, hujus totum orientem & occidentem testem esse. Adde, quòd nihil decederet honori & reverentiæ S. Damasceni à nobis debitæ, si diceremus, hîc fuisse deceptum, utpote in re historica, ubi nec ipsa sanctitas tribuit privilegium non errandi: sicuti patet in S. Gregorio Nazianzeno, qui duos Cyprianos, Antiochenum & Carthaginensem, unum atque eundem esse putavit: & in S. Augustino (ut plures præteream) qui negavit extare Antipodas.

Ad tertium respondeo, illud Euchologium, quantum ad rem præsentem, non esse majoris authoritatis, quàm Pseudo-Damascenum, ex cujus oratione hanc fabulam hausit, velut observat Jacobus Billius apud Natalem relatum. Neque factum est unquam, ut historiæ apocryphæ in libros Ecclesiasticorum officiorum intruderentur. Certè in Breviario Romano antequam à Clemente VIII. emendatum, expurgatumque esset, non paucæ fabulæ legebantur. Quid igitur mirum, si in Græcorum Euchologium hoc commentum de liberatione Trajani irrepserit?

Ad quartum respondeo, eas revelationes, quod ad animam Trajani attinet, inter se esse contrarias, ut pluribus ostendit Baronius. Nam S. Brigittæ revelatum esse dicitur, animam Trajani ex inferis in sublimem gradum evectam: S. Mathildi verò Divinitùs traditum affirmatur, nolle DEUM, ut sciant homines, de anima Trajani quid factum sit. quæ certè inter se pugnant. Neque fas est dicere, Deum revelâsse eam rem Mathildi sub silentio, solùmque nolle,

ut sciant alii homines: quia hac ratione diva prævaricationis insimulari posset, quòd secretum evulgâsset. Tenendum proinde, nihil hujusmodi sanctissimis fœminis fuisse revelatum, vel ab ipsis conscriptum, sed tantùm ipsarum nomine ab aliis promulgatum, ait Baronius cit. tom. 8. Annal. ad An. Christi 640.

Ad quintum respondeo, D. Thomam non asserere absolutè liberationem Trajani ex inferno, sed supposita veritate historiæ, quam propter Authoritatèm putatitii Damasceni noluit rejicere, vel accuratiùs expendere, ea respondisse, quæ probabiliùs responderi posse videbantur. Neque enim in suis operibus sibi proposuerat agere Historicum, sed Doctorem Theologum quæstiones controversas Theologicè tractantem. Atque hinc ipsius responsiones ad argumenta factis historicis innixa hypotheticæ potiùs censendæ sunt, quàm absolutæ.

DISPUTATIO IV.

De Valore, & Fructu Sacrificii Missæ.

Postquàm essentiam, causasque Sacrificii Missæ explicuimus, superest, ut ad ejus effectus, seu fructus, & ad virtutem seu valorem, ex quo procedunt effectus, disputationem convertamus. Placet initium sumere à valore. Unde sit

ARTICULUS I.

An Sacrificium Missæ sit infiniti valoris?

SUMMARIUM.

1. *Quid sit valor Sacrificii?* 2. *Quotupliciter cogitari possit infinitus?* 3. *Concluditur; esse simpliciter infinitum.* 4. *Non limitatur à persona finita Ministri.* 5. *Asseritur, esse infinitum intensivè & extensivè.* 6. *Proponuntur objectiones.* 7. *Eidem valori adstruitur Infinitas, quoad sufficientiam, & negatur quoad efficaciam.* 8. *Solvuntur objectiones priùs adductæ.*

1 NOtandum est primo, valorem Sacrificii aliud non esse, quàm moralem illam dignitatem & æstimabilitatem, quam habet ex dignitate tum offerentis, tum rei oblatæ. Ubi certum est, valorem Sacrificii Missæ, si consideretur ex parte offerentis, sive Ecclesiæ, sive Sacerdotis in propria persona, sive populi, esse finitum. cùm dignitas omnium istorum offerentium, utpote purarum creaturarum, sit finita & limitata. Quapropter quæstio procedit de valore Sacrificii istius, quatenùs offertur in persona Christi.

2 Notandum est secundo, valorem cogitari posse infinitum vel intensivè, vel extensivè. Valor intensivè infinitus est, qui potest causare fructum majorem & perfectiorem in infinitum, extensivè infinitus dicitur, qui potest causare effectus non tot, quin plures, aut in subjectis non tot, quin in pluribus in infinitum. Quare hac utraque infinitate gaudet ille valor, cujus virtus neque ad certum gradum, neque ad certum numerum subjectorum, vel beneficiorum limitatur. Rursùs alio modo cogitari potest valor infinitus vel quoad sufficientiam tantùm, vel quoad sufficientiam & applicationem simul. His animadversis.

Dico primo. Valor Sacrificii Missæ est simpliciter infinitus. Ita Gonet, Salmanticenses, & apud hos alii cùm Thomistæ, tum extranei.

Prob. primo Authoritate S. Chrysostomi homil. 60. ad popul. dicentis, hanc mensam in nulla re esse minorem illâ, quam Christus fecit in Cœna. Cùm proinde Sacrificium Cœnæ fuerit infiniti valoris, etiam Sacrificium hoc in mensa Altaris celebratum infiniti valoris esse censendum est. Quod ipsum confirmant alii Patres, dum dicunt, hanc oblationem incruentam, quam peragit Sacerdos, nihil minùs habere, quàm habuerit illa cruenta, quam Christus in Cruce solus peregit. Atque hinc statuta concl.

Prob. secundò. Sacrificium Crucis & Sacrificium ultimæ Cœnæ erant infiniti valoris: ergo etiam Sacrificium Missæ, quod hodie offertur est infiniti valoris. Ant. constat, & ex eo fit manifestum, quòd tam dignitas personæ offerentis, quàm dignitas rei oblatæ, à quibus desumitur

sumitur valor Sacrificii, in illis Sacrificiis fuerit infinita. Conseq. verò prob. ex eo, quòd etiam in nostro Sacrificio tam offerens primarius, quàm hostia, quæ offertur, sit infinitæ dignitatis: ille quippe est Christus æternus Sacerdos: hæc est ejusdem corpus & sanguis. Nam *una eademque est hostia* (inquit Concil. Trid. sess. 22. cap. 2.) *idemque nunc offerens Sacerdotum ministeriô, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.* Et S. Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Tim. *Sacra ipsa oblatio*, inquit, *sive illam Petrus, sive Paulus, sive cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modo conficiunt: nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines; sed Christus qui illam antè sacraverat.*

4 Dices. Quamvis dignitas Christi offerentis sit infinita, quia tamen dignitas Sacerdotis itidem offerentis est finita, per hanc limitatur valor nostri Sacrificii, ut non sit infinitus. Respondeo, Sacrificium offerri à Sacerdote, ut Ministro Christi, & ut gerente personam Christi; adeoque in accipiendo valorem ab infinita dignitate Christi tanquam principalis offerentis neutiquam limitari per finitam dignitatem Sacerdotis. Confirmatur. Sacrificium, quod offertur à Sacerdote malo, non redditur malum per ejus malitiam: ergo etiam Sacrificium, quod offertur à Sacerdote finitæ dignitatis, non redditur per istam finitum quoad valorem & æstimabilitatem.

Prob. tertio. Virtus completa continens moraliter effectum syncategorematicè infinitum est simpliciter infinita: sed valor Sacrificii Missæ est ejusmodi virtus completa; ergo est simpliciter infinitus. maj. constat à paritate virtutis meritoriæ & satisfactoriæ Christi, quæ, quia continet moraliter effectum syncategorematicè infinitum, est simpliciter infinita; prout ex tr. de Incar. supponitur. mi. prob. nam inprimis, juxta incrementum dispositionis in subjecto est incrementum effectus Sacrificii, ita, ut sicut dispositio potest esse major & major in infinitum, ita etiam Sacrificium possit conferre fructum majorem & majorem in infinitum. Deinde ad multiplicationem quoque offerentium, vel eorum, pro quibus fit oblatio, multiplicari potest fructus Sacrificii, ita ut nunquam tot, quin plures in infinitum, si debitè sint dispositi, participare possint fructum Sacrificii. Sed hoc est valorem Sacrificii Missæ esse virtutem completam moraliter contentivam effectus syncategorematicè infiniti: ergo &c.

5 Dico secundo. Sacrificium Missæ est infiniti valoris & intensivè & extensivè. Relinquitur ex dictis. Nam potest fructus Sacrificii non tantùm in eodem subjecto crescere in infinitum, sed etiam in diversis subjectis multiplicari, & extendi ad plura & plura in infinitum. Hoc autem apertè arguit, ejus valorem & virtutem esse infinitam & intensivè & extensivè; ergo. Sed

Objicies primo. Si Sacrificium Missæ esset 6 infiniti valoris, non iteraretur; sicut Sacrificium Crucis non iteratur: quia est infiniti valoris. Secundo. oblatio illa, qua Beatissima Virgo obtulit Christum, non fuit infinita, quia modificabatur à persona finita: ergo nec oblatio, qua Sacerdos offert Christum in Missa, est infiniti valoris, quia modificatur ab ipsius persona finita. Tertiò. Sacrificium essentialiter consistit in Consecratione: sed hæc est finita; ergo. Quarto. Hoc Sacrificium est institutum ad communicandos nobis finitô modô fructus Passionis Dominicæ: ergo debuit institui cum finito valore, ut in hoc corresponderet effectui. Quinto. Ex nostra sententia sequeretur primo, Ecclesiam superflue ad impetrandum aliquod beneficium offerre plura Sacrificia; cùm in pluribus non esset plus valoris, quàm in unico. Sequeretur secundo, Sacerdotem per unicam Missam posse pluribus satisfacere, licèt à quolibet accepisset justum stipendium. Sed hoc est contra communem sensum fidelium, & declarationem sacræ Congregationis Authoritate Urbani VIII. editam; ergo. Sequeretur tertio, omnes animas, quotquot in Purgatorio existunt, posse simul inde liberari per unicum Sacrificium: siquidem plura, imò omnia Sacrificia non continent plus valoris, quàm contineat unicum. Antequàm ad ista respondeatur,

Dico tertio. Licèt valor Sacrificii Missæ 7 sit infinitus quoad sufficientiam, est tamen finitus quoad efficaciam, id est, quoad effectum & actualem applicationem. Ita communiter Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 79. a. 5. ubi ait: *Quamvis hæc oblatio ex sua quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ devotionis, & non pro totâ pœnâ.*

Prima pars concl. satis constat ex dictis: quia Sacrificium Missæ propter infinitam dignitatem offerentis principalis habet sufficientem virtutem conferendi omnem fructum possibilem: sed hoc est ejus valorem esse infinitum quoad sufficientiam; ergo.

Secunda pars inde prob. quòd valor Sacrificii ut applicatus in actu secundo producat suum effectum juxta dispositionem subjecti, quæ cùm semper sit finita & limitata, etiam valor Sacrificii quoad effectum & applicationem in actu secundo semper finitus & limitatus est.

Confirmatur. Licèt valor satisfactionis à Christo in Cruce oblatæ sit infinitus quoad sufficientiam, semper tamen finitus est quoad applicationem & effectum: ergo similiter valor Sacrificii Missæ, licèt sit infinitus quoad sufficientiam, semper tamen finitus est quoad applicationem & effectum. Conseq. prob. ex eo, quòd valor Sacrificii Missæ non sit major quàm valor satisfactorius & meritorius Passionis Christi, sed suam ex illo efficaciam sortiatur. Nunc,

8 Ad primam ex Objectionibus respondeo neg. seq. unà cum causali, quæ ibi redditur de Sacrificio Crucis. hoc enim non ideò fuit unicum, & initerabile, quia fuit infinitum; sed quia oblatum per modum meriti & pretii universalis pro redemptione totius humani generis, quæ universalitas in seipsa, & quoad sufficientiam in actu primo multiplicari non potest: quamvis illius valor seu pretium multiplicari possit quoad effectus & sui applicationem in actu secundo, quæ fit modo finito & particulari per Sacrificium Missæ: quod proinde sæpius offeri potest.

Ad secundum conc. ant. neg. suppositum conseq. nam dignitas personæ Beatissimæ Virg. fuit dignitas principalis offerentis, quæ sola modificare potest oblationem, quando est infinita, & suscipit magìs & minùs, atque subjicitur usui liberi arbitrii. Jam verò dignitas Sacerdotis celebrantis non est dignitas principalis offerentis, sed dignitas ministri, à cujus finitate non limitatur aut modificatur oblatio, aliave actio principalis. Atque hinc, si Christus ministeriô alicujus Discipuli usus erogasset eleemosynam, illa erogatio non minùs fuisset infiniti valoris, quàm si Christus eam solus immediatè per se ipsum præstitisset.

Ad tertiam conc. maj. dist. min. sed Consecratio est finita in esse physico, nec non secundùm rationem bonitatis moralis, conc. secundùm esse morale valoris propitiatorii & impetratorii, neg. min. & sic dist. conseq. conc. & neg. conseq.

Ad quartam conc. Ant. dist. conseq. ergo debuit institui cum finito valore quoad efficaciam, conc. finito secundùm se, & quoad sufficientiam, neg. conseq. Nam solùm ita debuit institui, ut finitò modô applicaretur ad operandum, quamvìs secundùm se esset virtutis ac valoris infiniti.

Ad quintam negantur omnes sequelæ. Non enim valet prima: quia, licèt in pluribus Sacrificiis non sit plus valoris, quoad sufficientiam, quàm in unico, ejus tamen effectus confertur finito modo & inæqualiter juxta intentionem & dispositionem tum ministri offerentis, tum illius, pro quo offertur: adeoque pro uno beneficio impetrando non offeruntur superfluè plura Sacrificia.

Non valet secunda: quia stipendium non datur tanquam pretium Sacrificii, aut fructus ejusdem, sed tanquam pretium sustentationis ministri taxatum à lege, vel consuetudine. Unde fit, ut singuli, qui dant justum stipendium, habeant jus exigendi singula Sacrificia: quod proinde jus non potest adæquari à Sacerdote per unicum Sacrificium oblatum pro omnibus.

Non valet tertia: quia licèt plura Sacrificia non contineant plus valoris quoad sufficientiam, quàm continet unicum; quia tamen idem valor in actu secundo applicatur ad operandum modô finitô & inæqualiter, per unicam Missam non potest sic applicari, ut suo effectu adæquet debitum ad satispatiendum, quod habent omnes animæ simul sumptæ.

ARTICULUS II.

Quosnam effectus & quomodo causet Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

1. Quid & quotuplex sit fructus sive effectus Sacrificii? 2. Quomodo hoc Sacrificium se habeat erga effectus ex opere operantis? 3. An idem ex opere operato causet immediatè remissionem peccatorum mortalium? 4. An augmentum gratiæ? 5. An remissionem peccatorum venialium? 6. An collationem bonorum temporalium? 7. An remissionem pœnæ temporalis pro culpis dimissis? 8. & seqq. Corollaria.

1 FRuctus Sacrificii est effectus, qui intuitu valoris illius confertur. Ejus divisio, ut accuratè tradit P. Paulus Mezger, ex triplici capite desumitur, nempe, ex parte causalitatis; ex parte rei, & ex parte participantium. Ex primo capite dividitur in fructum *ex opere operato*, & *ex opere operantis*. Ex opere operato est ille, qui confertur intuitu meritorum, & satisfactionis Christi, in cujus persona offertur Sacrificium, per quod applicantur eadem merita & satisfactio. Ex opere operantis est,

est, qui confertur intuitu meriti & devotionis repertæ in offerente. Ubi vides, fructum Sacrificii ex opere operato non dependere, ex opere operantis autem dependere à bonitate ac merito ministri.

Porrò *ex parte rei* fructus dividitur in *meritorium*, in *satisfactorium*, & *impetratorium*. Meritorius est augmentum gratiæ & gloriæ correspondens merito offerentis. Satisfactorius est remissio pœnæ temporalis, quæ pro peccatis jam remissis est debita. Impetratorius est impetratio beneficiorum tum spiritualium, tum temporalium. Fructus meritorius est totus ex opere operantis. Satisfactorius & impetratorius tam ex opere operato, quàm ex opere operantis esse possunt. Fructus impetratorius sub se comprehendit *propitiatorium* & *expiatorium*, quo nomine remissio peccatorum intelligitur. *Ex parte participantium* fructus Sacrificii dividitur in *generalem*, in *specialem*, & *specialissimum*. Fructus generalis est, qui toti Ecclesiæ, cunctisque fidelibus obtingit ex Sacrificio, quatenùs in nomine omnium offertur. Specialis, sive *medius* est, ut aliqui vocant, quem illi recipiunt, pro quibus Sacerdos ut minister Christi specialiter applicat Sacrificium. Specialissimus, sive ministerialis est, qui ipsimet Sacerdoti celebranti obvenit. Quibus præmissis, difficultas est de fructibus ex parte rei, quomodo causentur à Sacrificio Missæ? an videlicet immediatè vel mediatè solum? Quam rem hìc per aliquot Conclusiones explicabimus. Priùs tamen

2 Dico primo. Sacrificium Missæ, quatenùs offertur à Sacerdote, ut persona privata, sive ex opere operantis, potest habere omnes effectus, quos potest habere aliud opus virtuosum, quodcunque. Ita communiter Theologi. Patet manifesta ratione. Quia Sacrificium est actus Religionis omnium præstantissimus: ergo nihil ipsi deest, dum peragitur ab homine justo, quominùs sit meritorium, satisfactorium & impetratorium; adeoque haberi possit omnes effectus, quos habere potest aliud opus quodcunque. Neque de hoc est ulla lis inter Doctores.

3 Dico secundo. Sacrificium Missæ non confert ex opere operato immediatè remissionem peccatorum mortalium, sed mediatè solùm. Ita communis sententia cum D. Thoma in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. ad 4. ubi dicit de hoc Sacrificio: *Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Prob. primò ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. ubi postquàm dixisset, *idem in Missa peragi, & incruentè immolari, quod in ara Crucis cruentè fuit immolatum*, subjungit: *hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam* (nempe auxiliantem) *concedens crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

Quibûs verbîs apertè docet, Deum per Sacrificium Missæ moveri ad concedendam gratiam auxiliantem, qua peccatores excitentur ad pœnitentiam, sicque disponantur ad percipiendam remissionem peccatorum. Sed hoc est Sacrificium Missæ remissionem peccatorum conferre mediatè tantùm; ergo &c.

Prob. secundo ratione. Quia Sacrificium Missæ neque ex sua institutione, neque per suum valorem immediatè impetrando primam gratiam confert immediatè remissionem peccatorum immortalium: ergo non confert immediatè. Conseq. constat: quia non apparet, ex quonam alio capite cogitari possit conferre immediatè. Ant. prob. quia inprimis neque ex S. Script. neque ex traditione Patrum, ullave alia Authoritate sacrâ habetur firmum aliquod fundamentum ejusmodi institutionem asserendi. Deinde secundùm legem modernam atque ordinariam nemo justificari potest sine usu Sacramentorum, vel elicita contritione perfecta, ut omnes admittunt. Hoc autem esset falsum, si Sacrificium Missæ, quà tale de facto impetraret immediatè primam gratiam; ergo.

Confirmatur. Si Sacrificium Missæ ex Divina institutione haberet virtutem immediatè remittendi peccata mortalia post Baptismum commissa, sequeretur Sacramentum Pœnitentiæ ex Divina institutione ad eorundem remissionem non esse simpliciter necessarium. Sed seq. est falsa; ergo &c.

Objicies. Sacrificium Missæ juxta Concilium Trid. & propitiatorium & impetratorium est: ergo non sola impetratione auxilii ad contritionem & pœnitentiam necessarii, sed etiam alio modo, adeoque immediatè ac proximè causare potest remissionem peccatorum.

Confirmatur. Per Sacramenta mortuorum immediatè remittuntur peccata mortalia: ergo etiam per Sacrificium Missæ immediatè remittuntur.

Respondeo ad Object. conc. Ant neg. conseq. Nam Sacrificium Missæ eatenùs est propitiatorium, quatenùs ipsius intuitu Deus placatur, ne irascatur peccatoribus, eosque puniat. eatenùs autem est impetratorium, quatenùs Deum movet, ut largiatur bona tum spiritualia, tum temporalia Neque opus est, ut alio modo, quàm impetrando auxilium ad agendam pœnitentiam, conferat remissionem peccatorum mortalium.

In Confir. similiter conc. ant. neg. conseq. disparitas est, quòd Sacramenta ex sua institutione per se primò ordinentur ad sanctificandum, & quidem, si sint Sacramenta mortuorum, per se primò

primò ad hominis justificationem. Atqui Sacrificium per se primò ordinatur ad cultum Divinum, & secundariò tantùm ad sanctificandum & justificandum hominem.

4 Dico tertio. Hoc Sacrificium justis, pro quibus offertur, etiam non confert ex opere operato immediatè augmentum gratiæ, sed mediatè tantùm. Ita Gonet, Salmanticenses, Coninck, Castropalao, & alii Theologi ordinariè.

Ratio est primo. quia aliàs liceret Sacrificium Missæ offerre pro infantibus baptizatis, ut augmentum gratiæ in Baptismò obtentæ reciperent. sed hoc adversatur comùni usui & sensui fidelium.

Secundo. quia aliàs fieri posset, ut aliquis, qui vix unquam quid boni egisset in vita, alios, qui bonis operibus diu noctuque plurimis annis insudassent, gratia & gloria antecelleret, dumodò quàm plurimi pro ipso Sacrificium celebrarent: quod planè absurdum esse videtur.

Tertio. quia non possumus prudenter huic Sacrificio tribuere modum causandi, quem sibi vendicant Sacramenta vivorum, nisi habeamus aliquod fundamentum Divinæ promissionis: atqui modum causandi immediatè augmentum gratiæ sibi vendicant Sacramenta vivorum; neque ullum habemus fundamentum Divinæ promissionis, ut eundem modum causandi tribuamus etiam Sacrificio; ergo. De cætero verissimum est, quod præter alios docent Suarez & Lugo, posse per hoc Sacrificium alteri impetrari auxilia, tum sufficientia, tum efficacia, ad eliciendos actus virtuosos, quibus in gratia & charitate crescat. quod est per Sacrificium Missæ augmentum gratiæ conferri mediatè.

Dices. Sacrificium nostrum non minoris nobilitatis & excellentiæ est, quàm quodlibet Sacramentum: cùm proinde Sacramenta immediatè ex opere operato conferant augmentum gratiæ, non est, quamobrem id denegetur Sacrificio. Respondeo, rationem id denegandi Sacrificio, & concedendi Sacramentis haberi ex dictis: quia nempe Sacramenta, si sint vivorum, per se primò sunt ordinata ad augendam gratiam in justis illa suscipientibus: Sacrificium verò per se primò non ad sanctificandos homines pro quibus offertur, sed ad colendum Deum est ordinatum, tametsi in nobilitate & excellentia non cedat Sacramentis.

5 Dico quarto. Probabilius est etiam peccata venialia per Sacrificium Missæ non remitti ex opere operato immediatè. Ita rursus Salmanticenses, Coninck, Castropalao, & alii. Contrarium tenent Gonet & Reding, præter alios plures relatos à Salmanticensibus citt.

Ratio verò statutæ Concl. est. quia peccata venialia, cùm sint maculæ quædam libera voluntate per proprium actum peccantis contractæ, secundùm legem DEI ordinariam tolli non possunt, sine proprio actu liberi arbitrii, qui sit aliquo modo oppositus eisdem peccatis, eorumque retractatio vel formalis, vel virtualis. Atqui supposita veritate sententiæ contrariæ tolli possent sine ejusmodi actu; ergo. Respondebis cum P. Gonet neg. min. ait enim hic Author, fieri posse, ut homo ponat quidem aliquem actum retractationis, sed non ita perfectum, ut ex se sufficiat ad remissionem venialium, & tamen ex vi Sacrificii Missæ remittantur. Id autem sufficere ad hoc, ut per idem Sacrificium ex opere operato immediatè remitti dicantur peccata venialia, ostendit exemplò Sacramenti Pœnitentiæ, per quod immediatè ex opere operato remittuntur peccata mortalia, etiam proprio actu attritionis detestanti, qui actus ex se insufficiens est ad remissionem mortalium.

Contra est inprimis, quod nullum habeatur fundamentum ex aliqua authoritate sacra, ut dicamus, vi Sacrificii Missæ tunc solùm remitti peccata venialia, quando is, pro quo offertur, exercet ejusmodi actum ex se insufficientem ad eorum remissionem, & non itidem, quando non exercet: ergo semel admisso, per Sacrificium Missæ ex opere operato immediatè remitti peccata venialia, non est ratio negandi, ea tolli posse sine ullo ejusmodi actu retractativo.

Deinde peccata mortalia (ut etiam Gonet fatetur) non remittuntur immediatè ex opere operato exercenti actum ex se insufficientem ad remissionem eorum, licèt ita remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo neque peccata venialia per idem Sacrificium immediatè ex opere operato remittuntur exercenti actum ex se insufficientem ad remissionem eorum, licèt ita remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ.

Dico jam quinto. Sacrificium Missæ 6 ex opere operato confert remissionem pœnarum pro peccatis jam remissis debitarum. Ita rursùs unanimis Doctorum consensus. Et probatur apertè ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3. ubi dicitur, hoc Sacrificium esse offerendum pro vivis & defunctis, eòque persolvi DEO debitas pœnas & satisfactiones pro peccatis illorum. Certum est autem, idem Sacrificium eum effectum defunctis non conferre impetrandò auxilia ad actus satisfactorios, quod esset conferre mediatè; cùm in Purgatorio non sit locus activæ satisfactionis, sed satispassionis tantùm, vel satisfactionis ab aliis appli-

applicatæ. Adeoque memoratum effectum illis confert immediate. Quod idem præstat respectu vivorum, posita retractatione peccatorum, nulloque alio novo obice superveniente: cùm Concilium quoad hoc nullum faciat discrimen.

7 Dico sexto. Per Sacrificium Missæ impetrantur varia beneficia, tam spiritualia, quàm temporalia, quatenùs ista quoque referuntur ulteriùs ad laudem Dei, & animæ salutem. Colligitur ex Concil. Trid. loco cit. ubi dicitur, Missam *pro aliis necessitatibus offerri debere.* Et ratio est, tum, quòd in veteri lege fuerint Sacrificia impetratoria variorum beneficiorum, etiam temporalium: ergo & nostrum Sacrificium tale sit oportet: non enim minoris esse debet virtutis, quàm illa. Tum, quod per exhibitionem bonorum operum, ac preces ejusmodi bona possimus à Deo impetrare: ergo hæc eadem multò magis per exhibitionem Sacrificii Deo gratissimi, & quidem factam in persona ipsius Christi, impetrari possunt.

8 Ex dictis colligitur primò contra P. Suarez & alios id, quod in n. 3. supposuimus, per Sacrificium Missæ remissionem peccatorum mortalium causari ex opere operato. Ratio est: quia illud per hoc Sacrificium causatur ex opere operato, quod confertur ob solam dignitatem ipsius independenter à merito operantis, sive is sit minister offerens, sive persona, pro qua offertur; sed remissio peccatorum mortalium ita confertur; ergo per Sacrificium Missæ causatur ex opere operato. Maj. constat: quia in hoc consistit aliquid causari ex opere operato per Sacrificium Missæ. mi. prob. ex Trid. Concil. sess. 22. cap. 2. ubi suprà dicente, hujus Sacrificii oblatione placatum Dominum crimina & peccata, etiam ingentia, dimittere: *Unam enim, eandemque esse hostiam, eundem offerentem*, scilicet principalem: quibus sufficienter significat, Deum intuitu hostiæ in hoc Sacrificio oblatæ, adeoque ob ejus dignitatem, eámque solam (cùm nullam faciat mentionem alterius motivi) remittere peccata mortalia. Sed hoc est conferri remissionem peccatorum ob solam dignitatem Sacrificii; ergo.

Objicies. Deus adultis de lege ordinaria non dat gratiam sanctificantem, nisi posita dispositione, quæ sit proportionata ad hanc formam: ergo non dat gratiam justificantem in Sacrificio Missæ, nisi quæ respondeat dispositioni illius saltem pro quo offertur. Atqui, dum datur gratia respondens dispositioni & bonitati subjecti eam recipientis, non datur ex opere operato; ergo in Sacrificio Missæ non datur gratia justificans ex opere operato: & consequenter per hoc Sacrificium non causatur remissio peccatorum ex opere operato.

Respondeo dist. ant. Deus adultis non dat gratiam justificantem de lege ordinaria immediatè in se ipsa, nisi posita dispositione &c. conc. non dat mediatè, quatenùs contentam in auxilio excitante ad ejusmodi dispositionem, ipsáque dispositione, neg. antec. ergo in hoc Sacrificio non dat gratiam justificantem immediatè in se ipsa, nisi quæ respondeat dispositioni &c. conc. (sed neg. supp. quòd det immediatè) non dat mediatè, in sensu indicato, neg. conseq. & transmissô subs. neg. conseq. vel dist. conseq. non confertur ex opere operato immediatè, conc. mediatè neg. conseq.

9 Colligitur secundò, ex effectibus, quorum in præmissis conclusionibus meminimus, solam remissionem pœnarum pro peccatis remissis debitarum per hoc Sacrificium conferri infallibiliter nullum ponenti obicem. Ita Vasquez, Coninck, Castropalao, Paulus Mezger & alii. Ratio est: quia de dignitate hujus Sacrificii est, ut ei non minùs, quàm Sacramentis, assignetur aliquis effectus, qui per ipsum infallibiliter conferatur non ponenti obicem: atqui præter remissionem pœnarum nullus ejusmodi effectus potest assignari; ergo &c. mi. ostenditur. Nam inprimis, si remissio peccatorum mortalium conferretur infallibiliter, nullus esset peccator, qui non ageret pœnitentiam & justificaretur, si pro ipso hoc Sacrificium fuisset oblatum; quod esse falsum, docet experientia.

De remissione peccatorum venialium per impetrationem auxiliorum ad eliciendos actus, quibus remitti debent, idem proportionaliter judicandum est. Non enim constat, eos, pro quibus in ordine ad remissionem venialium offertur Sacrificium, semper obtinere auxilia, saltem efficacia, ad actus indicatos. Deinde augmentum gratiæ per impetrationem auxilii ad actum, quo quis in gratia crescat, vel ex eo capite non videtur esse effectus infallibilis, quòd sit incertum, an obtento quóque auxilio tam sufficienti, quàm efficaci, eliciatur actus cum debita intensione: nam per actus remissiores non augetur gratia, saltem in esse habitûs, prout aliunde suppono. Beneficia demum alia, seu spiritualia, seu temporalia, vi hujus Sacrificii non obtineri infallibiliter, sed quando, & quoties Deo omnium bonorum largitori placet, quotidie experimur.

Dices. Hinc sequitur, prædictos effectus non esse tribuendos Sacrificio, sed citra illius influxum à Divina misericordia & liberalitate conferri. Respondeo neg. illatum. Constat enim ex Concil. Trid. sess. illa 22. cap. 2. & can. 3. Sacrificio Missæ ex institutione Christi inesse virtutem ad obtinendos eosdem effectus. Quòd autem non semper obtineantur

tur, non probat, non esse tribuendos Sacrificio, sed solùm probat, non esse tribuendos tanquam infallibiliter obtinendos.

10 Colligitur tertio; fructum impetratorium respondentem Sacrificio Missæ, quatenùs offertur nomine Ecclesiæ, non conferri quando Sacerdos offerens est excomunicatus. Ita Reding ex communi sententia. Ratio est: quia talis Sacerdos non habet potestatem offerendi nomine Ecclesiæ, adeoque nec impetrandi. Aliud est sentiendum, si Sacerdos non sit excommunicatus, licèt sacrificet in statu peccati mortalis, atque adeò actualiter peccet sacrificando: tunc quippe nihil obstat propterea valori impetratorio Sacrificii quatenus oblati nomine Ecclesiæ, quin habeat suum effectum: quia non dependet quoad suum influxum à bonitate & sanctitate Sacerdotis.

ARTICULUS III.

Quomodo prosit Sacrificium Missæ ab uno oblatum pro pluribus, aut à pluribus oblatum pro uno?

SUMMARIUM.

1. *Notanda.* 2. *Missa pluribus æqualiter offerentibus æqualiter prodest.* 3. *Hujus exemplum est in pluribus eandem hostiam consecrantibus.* 4. *Missa pro pluribus oblata non tantum prodest singulis, quantum prodesset uni oblata pro illo.* 5. 6. *Solvitur duplex objectio.* 7. 8. *Duo Corollaria.*

1 NOtandum est primo, duas ad præsens institutum constitui debere classes hominum, quibus prodesse possit valor Sacrificii. In prima sunt, qui Sacrificium offerunt, sive immediatè per se ipsos, ut Sacerdotes consecrantes corpus & sanguinem Christi &c. sive mediatè, putà mediante Sacerdote celebrante, ut dum celebranti inserviunt, vel Missæ assistunt; vel ad ejus celebrationem quoquô modô concurrunt, v. g. suppeditandô necessaria, largiendô stipendium &c. In secunda classe illi numerantur, pro quibus offertur Sacrificium, ita ut ipsi non offerant.

Notandum est secundo, Sacrificium pro pluribus offerri posse dupliciter. Primò generaliter & in confuso, veluti fit, dum offertur pro tota aliqua communitate, non determinandô speciales personas, pro quibus offertur. Secundò potest offerri distinctè & in specie pro determinatis personis, ita, ut ad singulas determinatè respiciat intentio offerentis.

2 Dico jam primo. Quando plures simul offerunt eandem Missam, tunc Missa æquè prodest singulis offerentibus æqualiter, atque prodesset offerenti uni tantùm. Ita communis sententia. Ratio est primo. Quia dum multiplicantur oblationes, etiam multiplicantur earum fructus; veluti patet, dum Sacerdos Missam sæpiùs celebrat: sed quando plures simul eandem Missam offerunt, v. g. dum audiunt, multiplicantur oblationes; ergo etiam multiplicantur fructus: & consequenter cuilibet offerentium suus specialis inde fructus obvenit, non autem idem fructus particulatim divisus in omnes dispergitur.

Ratio est secundo, ab absurdo. Quia, si plures simul unam Missam audirent, nec singulis inde obveniret fructus æqualis, præstaret, Missam audiri à paucioribus, quàm à pluribus simul: sed hoc admittere abhorret à communi sensu fidelium; ergo. Seq. maj. facilè patet: quia quantò plures simul Missam audirent, tantò minus, & quantò pauciores audirent, tantò plus fructus singuli participarent. Ille verò optimè sibi prospiceret, qui solus & unus audiret: cùm admisso consorte vel unico jam detrimentum pateretur in fructu; omnibus verò exclusis totum solus in solidum nancisceretur.

Confirmatur. Quia fructus specialis, ut postea videbimus, dividitur & minuitur inter plures, præstat offerri Missam pro uno, quàm pro pluribus: ergo similiter, si fructus correspondens Missam audientibus dividitur & minuitur inter plures, præstabit Missam audiri à paucioribus, quàm à pluribus simul.

Dixi verò in Concl. *dum æqualiter offerunt.* Secùs enim fructum inæqualem reportabunt pro diversitate offerendi. Nam sicut Sacramenta gratiam majorem vel minorem conferre solent pro majori vel minori dispositione suscipientium, ita etiam Sacrificium Missæ majorem vel minorem fructum afferre solet offerentibus pro majori vel minori influxu illorum in offerendo. Qui quidem influxus planè non est idem in omnibus: cùm alio modo offerat Sacerdos celebrans; alio, qui audiunt Missam, & simul ad ejus celebrationem dant eleemosynam; alio, qui audiunt, & inserviunt celebranti; alio, qui præcisè audiunt &c. velut indicavimus suprà.

Ex asserta Concl. habetur, quid hîc 5
sentiendum de pluribus eandem Hostiam consecrantibus, quemadmodum fit in ordinatione Sacerdotum. Dicéndum est enim, singulos tantum reportare fructum, quantum singuli reportâssent, si soli, seu seorsim consecrâssent eam hostiam. Ratio est: quia omnes offerunt, & quidem per distinctas oblationes eas-

eásque æquales, quárum singulis suus fructus in solidum respondet.

4 Dico secundo. Sacrificium Missæ, dum ab uno offertur pro pluribus, sive generaliter, sive specialiter & nominatim, non tantùm prodest singulis, quantum prodesset, si pro uno solo offerretur. Ita Oberascher, Paulus Mezger cum communi DD. sententia.

Probatur hac ratione. Christus ita potuit instituere Sacrificium Missæ, ut ab uno oblatum pro pluribus simul non tantum prodesset singulis, quantum prodesset uni soli, si pro ipso solo offerretur: atqui Christus ita instituit; ergo Sacrificium Missæ ab uno oblatum pro pluribus simul non tantum prodest singulis, quantum prodesset uni soli, si pro ipso solo offerretur. maj. constat: cùm nulla appareat ratio, id Christum non potuisse. mi. rectè colligitur ex praxi & sensu Ecclesiæ, quæ non tantùm offerre solet Sacrificium pro uno solo, sed etiam graviter obligat ad tot offerenda Sacrificia, quot petuntur à dantibus stipendia: quod neutiquam faceret, si Christus ita instituisset Sacrificium, ut ejus fructus inter eos, quibus applicatur, non divideretur, sed tantus obveniret singulis, dum applicatur pluribus simul, quantus obvenit uni soli, dum ei soli applicatur.

Confirmatur. Si Sacrificium oblatum pro pluribus tantum prodesset singulis, quantum prodesset uni, si pro ipso offerretur, Sacerdos non rectè pro uno solo celebraret. Cùm enim fructus Sacrificii non minueretur, licèt aliis pluribus simul applicaretur, ex una parte is, cui deberet applicari etiam ex justitia, non posset esse prudenter invitus, si applicaretur pluribus aliis simul: ex altera verò parte lex charitatis dictaret, fructum esse simul applicandum pluribus, ut hac ratione ampliùs atque latiùs extenderetur. Sed conseq. adversatur sensui & praxi Ecclesiæ; ergo & antecedens.

5 Objicies primo. Valor Sacrificii Missæ est infinitus extensivè: ergo ex eo, quòd applicetur pluribus & pluribus in infinitum, non decrescit vel minuitur. Respondeo, aliud esse valorem Sacrificii, aliud esse fructum. Valor propter suam infinitatem procul dubio nunquam in se decrescit. Fructus autem, cùm sit actu finitus, tantò magis decrescit, quantò plures in partes dividitur; veluti fit, quando à Sacerdote pluribus applicatur.

Objicies secundo. Quando plures, qui 6 assistunt eidem Sacrificio, illud pro se offerunt, tantum de fructu quilibet reportat, quantum reportaret unus, qui offerret solus: ergo similiter, quando idem Sacrificium ab uno offertur pro pluribus, tantum de fructu quilibet reportat, quantum reportaret, si pro ipso solo offerretur.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd in priori casu multiplicentur oblationes secundùm multiplicationem offerentium, quorũ quilibet velut in solidum concurrit: non autem multiplicentur oblationes; adeoque nec fructus, in posteriori casu.

Objicies tertio. Quando Sacerdos ex in- 7 stituto Ecclesiæ fructum Sacrificii applicat omnibus, pro quibus orat in *Memento* tam vivorum, quàm defunctorum, nihil propterea decrescere censetur illi, pro quo specialiter offert Sacrificium: ergo ex eo, quòd Sacrificium celebretur pro pluribus, non minuitur illius fructus specialis.

Respondeo ex P. Paulo Mezger conc. Ant. neg. conseq. Fructus enim, quem illi obtinent, pro quibus Sacerdos in *Memento* orat, distinctus est ab illo fructu, quem illi obtinent, pro quibus Sacrificium specialiter offertur; adeoque nullum huic infert præjudicium; cùm sit quædam distincta & repetita oblatio.

Ex dictis colligitur primo, non satisfacere, imò graviter peccare Sacerdotem, qui à pluribus acceptô stipendiô, ut pro singulis singulas Missas celebret, unam solummodo pro omnibus celebrat. Ratio est: quia non tantùm agit contra obligationem, quam contraxit ex acceptatis stipendiis, sed etiam singulos defraudat debito fructu, eò quòd in celebratione unius Missæ pro pluribus fructus respectu singulorum minuatur.

Colligitur secundo, facta comparatione fructuum, qui ex Sacrificio Missæ proveniunt, omnium maximũ esse illum, quem Sacerdos ipse sibi nanciscitur, quemque in n. 1. *specialissimum* diximus: hunc proximè sequi *specialem*, qui illis obtingit, pro quibus specialiter & primariò offertur Sacrificium: deinde illũ, quẽ lucrantur, qui Sacrificio assistunt, idque simul offerunt: nec non & illum, quem ii recipiunt, quorum Sacerdos in *Memento* specialem memoriam facit. Minimum denique esse fructum *generalem*. Ita Paulus Mezger.

ARTICULUS IV.

An, & qualis requiratur intentio applicandi fructum Sacrificii?

SUMMARIUM.

1. *Alia intentio sacrificandi, alia applicandi fructum Sacrificii.* 2. *Ad obtinendum fructum Sacrificii requiritur applicatio Se-*

cerdotis. 3. 4. *Fructus generalis & specialissimus non dependet ab applicatione Sacerdotis.* 5. 6. 7. 8. *Valida est applicatio facta contra justitiam & obedientiam.* 9. *Applicatio fieri debet vel ante Consecrationem, vel in illa.* 10. 11. *Quid sentiendum de applicatione duorum Sacerdotum successivè complentium idem Sacrificium?* 12. *Quid de fructu per oblivionem nulli applicato?* 13. 14. *Quid de applicatione fructus sub conditione de futuro contingenti?* 15. *Quid de anticipatione Missarum ex fundatione pro singulis hebdomadis?* 16. *Ad applicationem Sacrificii sufficit intentio habitualis.* 17. *Solvuntur instantiæ de intentione conficiendi Sacrificium.* 18. *Corollarium.*

1 DUplex in Sacerdote cogitari potest intentio, una sacrificandi seu consecrandi, vi cujus actualiter, vel saltem virtualiter intendit facere, quod fecit Christus, & fieri vult Ecclesia: & alia applicandi fructum Sacrificii sibi vel alteri. Hîc non de priori intentione, sed de posteriori procedit quæstio. Ubi quidam Præpositivus apud D. Thomam in 4. dist. 45. existimavit, fructum ex opere operato respondentem oblationi, quam peragit Sacerdos in persona Christi, non dependere ab ejus applicatione, sed ex institutione Christi applicari omnibus fidelibus pro cujuslibet capacitate ac dispositione. Sed hæc sententia repugnat praxi Ecclesiæ & communi sensui fidelium.

2 Dico proinde primo. Ut Sacrificium Missæ ex opere operato conferat fructum illis, pro quibus est specialiter offerendum, requiritur in Sacerdote intentio & voluntas eundem fructum applicandi. Ita communis sententia. Ratio est: quia Sacerdos vi suæ ordinationis constitutus est minister & dispensator mysteriorum ac donorum Dei, inque eadem ordinatione accepit potestatem offerendi Sacrificium, & consequenter ejus fructum applicandi illis, pro quibus est offerendum, ut proinde fructum Sacrificii non obtineant, nisi illi, quibus per intentionem Sacerdotis applicatur.

3 Infertur jam primo, fructum generalem provenire Ecclesiæ, & in fideles derivari independenter à speciali applicatione Sacerdotis. Ratio est: quia hoc ipso, quòd Sacerdos sacrificet, operatur ut publicus minister Ecclesiæ; adeoque ex intentione ejusdem. Cùm verò intentio Ecclesiæ sit, ut fructus generalis redundet in omnes fideles, eo ipso, quòd Sacerdos sacrificet, hic fructus redundat in fideles. Unde nec potest Sacerdos ulla sua intentione quemquam impedire à participatione fructûs generalis, quem Ecclesia sua generali intentione includit; nec facere sua applicatione, ut quisquam participet eum fructum, quem Ecclesia excludit; sicut excludit quemlibet excommunicatum. Suarez, Coninck, Oberascher.

4 Infertur secundo, fructum specialissimum, qui obvenit Sacerdoti hoc ipso, quòd dignè celebret, esse beneficium ita proprium ac personale, ut non sit in potestate illius hanc portionem alteri applicare. Atque hæc ipsa censetur causa, velut advertit cit. Oberascher, quæ movit Alexandrum VII. ut Anno 1665. die 24. Sept. damnaret hanc prop. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem.* Etiam fructus audientium Missam, quem iidem recipiunt, eò quòd faciant unum moraliter cum Sacerdote celebrante, non dependet ab istius intentione & applicatione; ut habet P. Paulus Mezger.

5 Infertur tertio, peccare quidem graviter Sacerdotem, dum Sacrificium, quod ex justitia, v. g. ratione stipendii, obligatur offerre pro Petro, offert pro Paulo, applicationem tamen esse validam, & fructum ex opere operato obvenire Paulo. Ita Suarez, Salmanticenses, Coninck, & alii cum communi. Ratio est: quia applicatio Sacrificii competit Sacerdoti ex potestate Ordinis. Consequenter sicut hæc potestas est independens ab alterius arbitrio, ita & applicatio Sacrificii: adeoque ejus efficacia in posito casu non impeditur.

6 Objicies. Ut Sacerdos operetur validè debet operari ut minister Christi: sed dum Sacrificium applicat Paulo, quod ex justitia tenetur applicare Petro, non operatur ut minister Christi; ergo non operatur validè, adeóque non validè applicat. Maj. constat. min. prob. quia, ut Sacerdos operetur ut minister Christi, debet habere intentionem conformem intentioni & voluntati Christi: sed, dum applicat Sacrificium Paulo, quod ex justitia tenetur applicare Petro, non habet intentionem conformem intentioni & voluntati Christi; imò habet intentionem contrariam: quia Christi voluntas est, ut Sacerdos Petro applicando Sacrificium satisfaciat obligationi justitiæ.

Respondeo conc. maj. neg. mi. in hujus probat. dist. maj. debet habere intentionem conformem voluntati Christi consecrativæ, sive institutivæ consecrationis Sacerdotalis, conc. præceptivæ, neg. maj. sed, dum applicat &c. non habet intentionem conformem voluntati Christi præceptivæ, conc. consecrativæ, seu instituitivæ, qua Christus instituit, ut illi obveniat fructus Sacrificii, cui à Sacerdote liberè applicatur, neg. mi. & conseq. Sanè nisi admittatur hæc distinctio duplicis voluntatis in Christo, nulla unquam dabi-

dabitur confectio vel administratio alicujus Sacramenti valida & illicita: quia nunquam erit talis, nisi sit contraria voluntati Christi. Sed consequens est falsum; ergo & antecedens.

7 Infertur quarto contra Scotum, Gabrielem & alios relatos à Salmanticensibus, illi quoque prodesse Sacrificium Missæ, pro quo illud offert Sacerdos regularis ex præcepto Prælati obligatus pro alio. Ratio est eadem, quæ prioris illationis: quia Sacerdos in offerendo & applicando Sacrificium utitur potestate Ordinis, secundùm quam non subjicitur Superiori, ita ut hic illius actus irritare possit: sicut non subjicitur Superiori quoad potestatem consecrandi. Unde sicut Superior non potest ullo præcepto irritam reddere intentionem consecrandi, quam habet Regularis subditus, ita nec potest irritam reddere intentionem applicativam, sive applicationem Sacrificii.

8 Objicies. Religiosus Superior potest irritare vota & juramenta subditorum: ergo etiam irritare potest intentiones eorum circa applicationem Missarum.

Respondeo ex dictis conc. Ant. neg. conseq. quia voluntas subditi quoad potestatem moraliter se se obligandi subjicitur voluntati Superioris; non tamen subjicitur quoad potestatem Ordinis, ad quam pertinet valor applicationis, inquit P. Paulus Mezger.

9 Infertur quinto, applicationem Sacrificii necessariò faciendam esse ante Consecrationem, vel in ipsa Consecratione. Ratio est: quia fructus Sacrificii jam dispensatur, quando Sacerdos in persona Christi substantialiter offert Sacrificium: sed hoc facit in Consecratione; ergo tunc jam dispensatur fructus Sacrificii. Frustra proinde & inaniter peracta jam Consecratione vellet alicui applicare fructum Sacrificii. Ita Suarez, Castropalao, Salmanticenses & alii passim. Atque hinc

10 Infertur sexto, in casu, quo Missa compleri debet successivè à duobus Sacerdotibus, eò quòd primus moriatur, & quidem post Consecrationem utriusque speciei, fructum Sacrificii nemini ampliùs applicari posse à secundo. Ratio est: quia post Sacrificium essentialiter completum ejus fructus non ampliùs est applicabilis: sed in hoc tali casu Sacrificium jam supponitur essentialiter completum à primo Sacerdote; ergo &c. Unde oppositum ob rationem oppositam sentiendum est, si primus Sacerdos moriatur post Consecrationem panis, sed ante Consecrationem calicis. Tunc enim à secundo Sacerdote validè applicabitur fructus Sacrificii; ut habent Bonacina, Castropalao, Oberascher & alii.

11 Dubium tamen est, an tunc Sacerdos secundus teneatur in applicando se conformare intentioni primi, vel non? Prius affirmat Bonacina cit. Ratio ipsius est: quia tunc Sacerdos perficit Sacrificium inchoatum ab alio: ergo par est, ut ejus intentioni se se accommodet. Posterius tenet Caspensis, ut refert Oberascher cit. Rationem reddit: quia fructus ex opere operato non dispensatur, nisi completâ essentiâ Sacrificii: cumque hanc compleat solus Sacerdos posterior, ejus conditio videtur esse melior, ita ut in formanda applicatione non teneatur se conformare intentioni prioris Sacerdotis. Atque hoc videtur esse verius. Quod etiam docet Vasquez, & Castropalao, qui dicit, expedire, ut Sacerdos posterior præcedentis intentioni se conformet, tametsi obligatus non sit.

12 Infertur septimo, si Sacerdos nullam prorsus haberet intentionem applicandi Sacrificium pro se, vel pro alio, fructum medium ita remansurum in thesauro Ecclesiæ, ut ne quidem ipsi Sacerdoti sacrificanti obveniret. Ita Suarez, Reding, Oberascher. Ratio est: quia Christus ita tradidit Sacerdoti potestatem offerendi Sacrificium, ut ejus fructum nemo consequeretur, nisi dependenter à voluntate ipsius. Atqui in posito casu deesset voluntas Sacerdotis; ergo.

Dixi, *si nullam prorsus haberet intentionem &c.* quod in praxi vix continget aliquando. Quia Sacerdos, ut ait Cardinalis de Lugo disp. 19. sect. 10. semper videtur habere intentionem generalem, ut prosit, quantum possit, Sacrificium ipsi, & aliis omnibus; quam intentionem (addit) satis explicant illa verba: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis &c. & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem.* Ex his enim colligitur, Sacerdotem velle, dum Sacrificii fructum non applicat specialiter, ut is accrescat omnibus, pro quibus offert.

Itaque credibile est, fructum Sacrificii semper obtingere vel ipsimet Sacerdoti, vel aliis; adeoque non remanere in thesauro Ecclesiæ.

13 Infertur octavo, non posse validè applicari fructum Sacrificii sub conditione contingenti de futuro, v.g. *vola, ut fructus istius Sacrificii illi obveniat, qui primus daturus est stipendium.* Ita communiter DD. Ratio est primo. Quia Sacerdos habet potestatem applicandi fructum Sacrificii tunc solùm, quando sacrificat; applicat enim ut minister Christi, adeoque tunc solùm applicare potest, quando sustinet personam Christi. Atqui, dum applicat sub conditione contingenti de futuro, reipsa non applicat, quando sacrificat, sed reservat applicandum pro tempore implendæ conditionis, quo non sacrificat; atque adeò non habet potestatem applicandi. Ratio est secundo. Quia ex oppositâ

sententia sequeretur, posse Sacerdotem sibi ipsi, vel alteri in peccato mortali existenti fructum Sacrificii applicare sub conditione, si à peccato fuerit justificatus: vel etiam infanti, aut alteri modò non indigenti; sub conditione, si imposterum indiguerit, in peccatum lapsus fuerit &c. quæ à sensu & praxi Ecclesiæ planè abhorrent. Confirmatur. Non est in potestate ministri effectum Sacramenti reddere suspensum ab eventu futuro; veluti supp. ex dictis de Sacram. in gen. Ergo neque est in potestate sacrificantis ita suspendere dispensationem fructûs Sacrificii.

14 Infertur tamen nono, non improbabiliter validam fore hanc applicationem: *Volo, ut fructus Sacrificii illi obveniat, quem Deus scit proximè daturum stipendium, vel ex hac vita decessurum.* Ita Castropalao, & Reding. Ratio est: quia talis hæc applicatio est absoluta, & independens ab aliqua conditione de futuro. Licèt enim sit futurum contingens, quisnam primus daturus sit stipendium, vel ex hac vita decessurus, non tamen est futurum contingens, sed quid præsens & infallibile, Deum id scire. Juxta quam proinde præsentiam & infallibilitatem Divinæ scientiæ fructus Sacrificii statim & de præsenti applicaretur, & non reservaretur in tempus offerendi stipendii, vel futuræ mortis.

Monet tamen Castropalao, hac tali applicatione non satisfactum iri intentioni postea petentis Missam, & stipendium præbentis. Nam iste per petitionem Missæ & largitionem stipendii intendit se ad recipiendum Sacrificii fructum disponere, quo modo se non disposuerat, cùm fieret Sacrificium: præterquàm, quòd fortè tempore Sacrificii fuerit incapax fructûs ejusdem. Atque ob hanc, aliásque causas Clemens VIII. ex Decreto Sacræ Congregationis, cujus meminit Barbosa apud Reding cit. reprobat ut periculosam, fideliúmque scandalis obnoxiam, & à vetusto more Ecclesiæ abhorrentem consuetudinem illorum, qui Missas anticipata intentione celebrant pro iis, qui proximè stipem daturi sunt, præcipitque omnibus Episcopis & Prælatis, ut eandem consuetudinem aboleant.

15 Dices. Non obstante illo Decreto licitum est Capellano ex fundatione Capellaniæ obligato ad duas, vel tres Missas v. g. singulis septimanis legendas, anticipatè legere eas Missas præcedente hebdomade, quæ alioquin legendæ essent sequente. Deinde: non videtur improbandus ille mos hominum quorundam piorum, qui etiamnum viventes celebrari pro se curant Sacrificia Missæ, quæ post eorum obitum essent celebranda. Ergo similiter non solùm valebit, sed etiam licebit anticipatè legere Missam, eámque applicare sub conditione, cujus in priori n. meminimus.

Respondeo neg. conseq. quia in neutro casu Anteced. suspenditur fructus Sacrificii in futurum. Non in primò: cùm enim illæ Missæ celebrentur pro fundatoribus defunctis, earum anticipata celebratio est anticipata quædam solutio pro debito pœnæ jam contracto: adeoque eædem Missæ prodesse possunt statim ipso tempore anticipationis. Neque in secundo: quia illæ Missæ ante obitum non ideo celebrari dicendæ sunt, ut prosint eas conducentibus in satisfactionem pro pœnis temporalibus, quarum rei inveniantur in instanti mortis, sed tum ad obtinendam gratiam pœnitentiæ de peccatis jam admissis; tum ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis hactenùs admissis, quoad culpam tamen jam deletis; tum ad impetranda DEI auxilia, quibus evitentur peccata futura &c. Cæterùm, quid universim sit sentiendum de more indicato anticipandi exequias, declarant Castropalao, Layman, Reding & alii.

16 Dico jam secundo. Ad validam applicationem Sacrificii non est necessaria intentio actualis, vel virtualis, sed sufficit etiam habitualis. Ita communior sententia. Ratio est: quia ad validam applicationem Sacrificii non requiritur alia voluntas sacrificantis, quàm quæ sufficit ad causandum in altero jus morale in fructum Sacrificii: sed ad causandum in altero ejusmodi jus morale sufficit voluntas, sive intentio habitualis; ergo &c. maj. ex eo constat, quòd ad hoc ipsum instituta sit applicatio Sacrificii, ut alteri conferatur jus in fructum ejusmodi. Mi. prob. quia ad causandum effectum, cujus esse est purè morale, sufficit voluntas etiam merè habitualis. Sed jus morale in fructum Sacrificii est effectus purè moralis; ergo ad illud causandum in altero sufficit voluntas merè habitualis. mi. liquet. maj. facilè ostenditur vel inde, quòd dominium alicujus rei, quod habet esse purè morale, vi contractûs præteriti transferri possit in alium, licèt voluntas contractûs jam non existat physicè, sed moraliter solùm, in quantùm non est revocata. Accedit, quòd causæ habentes esse solùm morale possint causare moraliter effectum, qui habeat esse physicum & non morale tantùm; prout diximus in tract. de Sacram. in gen. de quibusdam Sacramentis, quæ fictè susceptæ causant remota fictione gratiam, quæ est forma physica & habens esse physicum, licèt tunc Sacramenta habeant esse morale tantùm: ergo à fortiori poterit aliquid causare effectum habentem esse morale tantùm, licèt habeat esse merè morale.

17 Objicies. Ad conficiendum Sacrificium Missæ non sufficit intentio merè habitualis: ergo nec sufficit ad illud applicandum.

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd confectio Sacrificii, sicut con-

confectio cujuslibet Sacramenti, quà Sacramentalis est, debeat esse actio in se libera & humana; qualis non est vi intentionis merè habitualis; quippe quæ dari potest etiam in dormiente, suique non compotæ. Atqui applicatio Sacrificii est quædam donatio, & translatio passiva dominii, quæ non sunt actus humani donantis vel transferentis, sed potius effectus actuum humanorum illius, scilicet donationis & translationis activæ, non quidem physicè, sed moraliter solùm ex eisdem procedentes: ut proinde ad illorum esse validum sufficiat, quòd activa donatio & translatio physicè extiterint, & adhuc existant moraliter per hoc, quod non sint revocatæ.

18 Atque ex his colligitur, si hodie habes intentionem Sacrificium die sequente celebrandi pro Petro, fructum Sacrificii crastini Petro obventurum, tametsi die crastino nihil de hoc cogites ampliùs, modò tunc voluntatem hesternam non retractaveris. Similiter colligitur, si hodie statuas omnia Sacrificia, quæ hoc mense oblaturus es, pro defuncto parente tuo offerre, omnia parenti tuo fructificatura, licèt, dum actu offers, nullam de hac re formes intentionem seu applicationem, dummodò priorem illam voluntatem non retractaveris. Ratio est: quia æquivalenter ita te gessisti, acsi Petro, aut parenti tuo donâsses fructus Sacrificiorum sub conditione in hunc modum: *Dono Petro fructum Sacrificii, si cras celebravero: Dono parenti meo fructus Sacrificiorum hujus mensis, si celebravero*: quæ deinde donatio, dum non revocatur, transit in absolutam impleta conditione, & sortitur effectum. Ad praxim quod attinet, suadent DD. ut Sacerdos intentioni primariæ, qua Sacrificium specialiter applicat uni, adjungat aliam, qua illud applicet his, vel illis sub conditione, ut, si in prima intentione propter incapacitatem subjecti, pro quo offertur, non sortiatur effectum, prosit aliis, qui substituuntur.

DISPUTATIO V.

De stipendio Missarum.

PRæter institutiones generales ac veluti stabiles Missarum, ut sunt beneficia, anniversaria &c. ex quibus oritur obligatio justitiæ commutativæ ad offerendum Sacrificium, usitatum est in Ecclesia Sacerdotibus dare privata stipendia, ut semel aut pluries pro dantibus, vel ex eorum intentione sacrificent. Ex qua oblatione & acceptatione stipendiorum oriri similiter obligationem justitiæ commutativæ, habet communis sententia. De qua nunc obligatione, ipsisque stipendiis aliquot difficultates discutiemus.

ARTICULUS I.

Quo titulo Sacerdotes accipere possint stipendium pro Missa?

SUMMARIUM.

1. *Licitum est Sacerdoti recipere stipendium pro celebratione Missæ.* 2. *Proponuntur argumenta quædam in contrarium.* 3. *An obligatio sacrificandi pro stipendio sit ex justitia.* 4. *An collatio stipendii sit donatio sub conditione Missa?* 5. *An stipendium conferatur pro obligatione celebrandi?* 6. *An pro labore qui impenditur in celebrando?* 7. *Statuitur & declaratur nostra sententia.* 8. *Respondetur ad argumenta 2. proposita.* 9. *Quid de Sacerdote divite?* 10. *Quid de legente tres Missas in Natali Domini?* 11. *Quid de beneficiariis?*

1 OMnes Catholici consentiunt in eo, quòd Sacerdotes licitè possint à fidelibus, qui petunt fieri Sacrificia, recipere conveniens stipendium sui muneris; imò habere jus ad illud exigendum; veluti colligitur ex illo Christi apud Lucam 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et ex Apost 1. Corinth. 9. *Qui Altari deservit, ex Altari vivere debet.* Quod etiam definitum est, ut refert Card. de Lugo, in Concil. Agathensi, cap. 36. Verùm difficultas non modica est, qua ratione hoc excusari à labe Simoniæ possit?

Sic enim arguitur primo. Vendere collationem Baptismi, vel alterius Sacramenti est Simoniacum; ut omnes fatentur: ergo etiam vendere oblationem Sacrificii est Simoniacum. Conseq. prob. quia oblatio Sacrificii non minùs est actio spiritualis ex potestate spirituali procedens, quàm collatio cujuscunque Sacramenti. Sicut proinde non potest accipi pecunia pro collatione Baptismi, 2

vel

vel alterius Sacramenti, ita nec accipi potest pro oblatione Sacrificii.

Arguitur secundo. Illa pecunia, quæ datur Sacerdoti in stipendium, non datur ex misericordia, & tanquam eleemosyna; sed ex justitia commutativa. Patet hoc: quia, si non daretur ex justitia commutativa, sed ex misericordia, non deberetur Sacerdoti, nisi graviter indigenti: nec teneretur Sacerdos ad restitutionem, si Missam conductam non celebrâsset: quæ tamen affirmari non possunt. Atqui ea pecunia datur pro beneficio spirituali, quod accipitur à Sacerdote; éstque ipsa oblatio Sacrificii; ergo pro beneficio spirituali ex justitia commutativa datur pecunia. Hoc autem si non est Simoniacum, quid erit denique Simonia?

Arguitur tertio. Obligatio ex justitia celebrandi Sacrificium oritur medio aliquo pacto, vel conventione inter dantem stipendium & Sacerdotem. Nam ille dat, ut hic faciat: hic verò facit, quia recepit, sive ut recipiat stipendium. Atqui omnis ejusmodi pactio Jure Canonico reprobatur tanquam Simoniaca; cùm in ea detur spirituale pro temporali; ergo &c; mi. constat ex cap. Tua nos. de Simonia. cap. ult. de Pact. cap. Quàm piè. 1. Quæst. 2. Unde D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 2. & 3. ad 2. dicit, licere quidem accipere stipendium, dummodo pactum non intercedat; quia aliàs erit Simonia. Et in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. dicit, paciscì de Missa dicenda semper esse Simoniam.

3 Ad ista non omnes Theologi eodem modo respondent, ut videre est apud P. Suarez, & Card. cit. Nam primo aliqui dicunt, hanc obligationem celebrandi non esse ex justitia, sed ex obedientia. Videntúrque illis favere verba Apostoli cit. illo cap. 9. ad Corinth. dicentis: *Ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ex quibus duplex præceptum quis posse colligere videtur, unum sustentandi Sacerdotes qui præstant spiritualia ministeria: alterum obligans Sacerdotes ad ministrandum iis, à quibus in hunc finem sustentantur.

Hæc tamen responsio non subsistit primo. Quia dicta obligatio non procedit ex solo jure positivo, sed ex ipso jure naturali; veluti constat ex adductis exemplis ab eod. Apost. in cap. cit. ait enim: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Immò hoc ipsum indicant verba Christi; *Dignus est operarius mercede sua.*

Secundo. Quia Sacerdos obligatur ad restitutionem stipendii, quando non celebravit pro illo. Sed hoc esset falsum supposito solo debito obedientiæ; quia ex hoc debito non oritur obligatio restituendi.

Respondent alii secundo, ejus pecunias 4 non dari ut pretium rei acceptæ, sed donari sub conditione, si Sacerdos celebret, ita ut impleta conditione donatio transeat in absolutam.

Etiam ista responsio facilè rejicitur. Nam primo reclamat communis omnium sensus, qui hîc reciprocam agnoscunt obligationem justitiæ inter dantes & accipientes.

Secundo. Si pecunia solùm donatur sub conditione celebrandi, sequitur, Sacerdotem illâ acceptâ non esse obligatum ad celebrandum: cùm non obligetur ad implendam conditionem, à qua dependet effectus futurus gratuitæ donationis: sicut ego v. g. non obligarer ad cras ambulandum, si quis donaret 100. aureos sub conditione, si cras ambulavero. Ad aliud proinde non obligaretur Sacerdos, quàm ad reddendam pecuniam, eo quod conditione non secuta donatio non esset purificata.

Tertio. Sacerdos pecuniam acceptam in stipendium validè & licitè expendit, antequàm celebret Missas. Sed hoc facere non posset, si subsisteret explicatio adducta: quia ante celebrationem nondum esset dominus pecuniæ:

Quarto. Quia hac ratione quælibet Simonia in quavis materia palliari posset. Nam possem similiter dicere. *dono tibi has pecunias, sub ista tamen conditione, si contuleris mihi Sacramentum, beneficium &c.* qua conditione impletâ donatio transiret in absolutam.

Quinto. Quia, dum conditionem, qua posita volo quid alteri dare, qui positurus est conditionem, intendo ut finem dandi, non do gratis, sed intuitu illius, quod dat alter; adeoque ex contractu oneroso, *do, ut des; facio, ut facias.* Atqui in nostro casu non potest quis conditionem celebrandi Missam, qua posita daturus est stipendium, non intendere ut finem; ergo &c.

Respondent rursus alii tertio apud P. 5 Suarez to. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 21. Stipendium non dari pro Missa, sed pro obligatione, qua Sacerdos se obligat ad celebrandum. Hunc modum respondendi multipliciter impugnat Card. de Lugo.

Contra est potissimùm primo, quod obligatio ad rem & res ipsa sint ejusdem ordinis, & habeant eandem æstimabilitatem: ergo sicut ipsa Missæ substantia non potest citra Simoniam vendi pretiô, ita nec obligatio celebrandi Missam vendi potest.

Contra est secundo, quod hinc sequeretur, Sacerdotem, qui acceptô stipendiô postea non celebrat Missam, non teneri ad restitutionem stipendii: sed conseq. est falsum, ut satis constat ex dictis; ergo. seq. facilè prob. nam ejusmodi Sacerdos dicere posset, se non accepisse stipendium pro Missa, sed pro obligatione ad Missam, eámque obligationem se vere subiisse,

subiisse, adeoque illi qui stipendium dedit, nihil ultrà à se deberi; cùm ei vicissim dederit totum id, quod emit, scilicet obligationem ad Missam, licèt non obtulerit Missam.

Contra est tertio, quòd aliquis petens pro se fieri Sacrificium ita possit agere cum Sacerdote: si feceris pro me Sacrificium, dabo tibi postea stipendium. Ubi Sacerdos ad nihil se obligat, & tamen postquam fecit Sacrum, accipit stipendium: ergo non datur tunc stipendium pro obligatione ad Sacrificium.

6 Alii difficultatem ita complanare conantur, ut dicant, duo consideranda esse in actione celebrandi Missam: nempe Sacrificium ipsum, ejusque fructum spiritualem, & laborem operámque Sacerdotis, quæ impenditur: Sub prima ratione Missam absque Simonia aperta vendi non posse, aut pro re temporali in pactum deduci, Catholicè fatentur. Quoad secundam verò docent, ministerium illud esse pretio æstimabile, & in pactum posse deduci: cùm res materialis propter connexionem cum aliquo spirituali suum valorem temporalem non amittat. Sicuti constat in calice consecrato, & similibus. Volunt igitur uno verbo, stipendium dari pro labore & opera corporali Sacerdotis celebrantis.

Hanc sententiam Suarez judicat esse probabilem, eique favere locutiones S. Script. in n. 1. adductas. Displicet tamen ordinariè Theologis. Ratio potissimùm est: quia labor per se connexus cum Missa, (de quo hîc debet esse sermo) vel accipitur formaliter, secundùm quod est connexus, & ratione connexionis habet æstimabilitatem; vel spectatur materialiter secundùm id, quod habet ex se præcisè, & secundùm propriam æstimabilitatem? Neutrum dici potest. Non primum; quia sub hac ratione labor importat Spiritualitatem; adeoque non est pretio vendibilis sine Simonia. Non secundum; quia æstimabilitas illi labori ex se conveniens non est tanta, regulariter loquendo, ut habeat proportionem ad valorem stipendii, quod dari solet Sacerdoti celebranti. Unde licèt idem labor secundùm propriam æstimabilitatem, qualemcunque demum, venderetur sine Simonia, non tamen venderetur sine injustitia.

7 Relictis igitur his modis respondendi amplectimur illum, qui communis est inter Theologos, & in eo consistit, quòd stipendium non detur ut pretium Missæ, sed in sustentationem ministri celebrantis. Id autem non esse Simoniacum, in hoc modum suadetur. Nulla committitur Simonia, quando datur pecunia, vel quid aliud temporale tanquam ex justitia debitum, ad comparandum, conservandum, aut sustentandum aliquid corporale, quod est necessarium ad celebrandum Missæ Sacrificium: sed inter necessaria ad celebrandum est vel maximè Sacerdos; ergo nulla committitur Simonia, quando datur pecunia, vel quid aliud temporale tanquam ex justitia debitum ad alendum, seu sustentandum Sacerdotem. Mi. est evidens. Maj. ostenditur: quia utique nulla committitur Simonia, quando emuntur, imò exiguntur tanquam ex justitia debita, panis, vinum, cera, & similia corporalia, quæ sunt necessaria ad sacrificandum.

Confirmatur & declaratur instantiis. Sic primo, qui in gratiam alterius quid describit, non vendit scriptionem, tametsi alterum obliget ad dandum atramentum, chartam &c. etiam supposito, quòd omnia dare posset ex suo. Secundo. Religiosi non dicuntur Communitati vendere sua munia spiritualia, sed juxta institutum suum præstare gratis; quamvis vicissim à Communitate exigant sibi promitti sustentationem, habitationem, libros, aliáque necessaria ad exequenda ejusmodi munia. Tertio. Si quis haberet virtutem supernaturalem & gratiam gratis datam ad curandum certum aliquod genus morbi, is non venderet curationem, sed gratis daret, quòd gratis accepisset, si principem v. g. curaret, licèt ab eodem accersitus peteret necessaria ad iter faciendum, & aleretur illius sumptibus, quamdiu esset in aula. Quia nempe hæc talia non sunt pretium ministerii, sed necessaria ad exequendum ministerium. Ergo similiter Sacerdos non vendit celebrationem Missæ, nec agit contra præceptum Christi gratis dandi, quod gratis accepit, si ab illis, qui petunt, ut celebret, vicissim petat & recipiat aliquid etiam temporale; quia non petit aut recipit tanquam pretium Sacrificii, sed tanquam aliquid necessarium ad illud offerendum.

Ex quibus nunc ad illa, quæ num. 2. ob- 8
jiciuntur, patet solutio. Ad primum conc. toto Enthym. neg. suppositum. Neque enim dare pecuniam in stipendium est emere oblationem Sacrificii, neque illam acceptare est vendere eandem oblationem: sed est accipere quid necessarium ad sustentationem & victum offerentis, adeoque ad quid necessarium ad offerendum Sacrificium.

Ad secundum conc. maj. neg. mi. de cujus falsitate satis constat ex dictis. Non enim pecunia datur pro beneficio spirituali, quod accipitur à Sacerdote celebrante, sed datur ad ipsum Sacerdotem alendum & sustentandum.

Ad tertium advertendum est cum P. Illsung, aliud esse subire aliquod onus in re spirituali, seque ad id subeundum obligare sub modo obligationis alteri vicissim impositæ ad aliquid dandum vel faciendum: & aliud, id onus dare, seque ad illud dandum obligare tanquam mercem, atque ab altero aliquid recipere per modum pretii. Hoc posterius non fit, dum Sacerdos accepto, vel promisso stipendio

offert Sacrificium. Fit tamen illud prius: quod non est illicitum in præsenti: quia id, quod inter dantem & recipientem stipendium deducitur in pactum, non est ipsum Sacrificium, sed aliquid necessarium ad illud, nempe conveniens sustentatio naturali lege & ex justitia Sacerdoti debita ab illo, in cujus gratiam sacrificat, & cui ministrando servit. Ex quibus patet ad Authoritates adductas ex Jure Canonico: nam solùm omnis illa pactio ibi reprobatur tanquam Simoniaca, in qua res ipsa spiritualis vendi, vel locari videtur, non verò illa, quæ est de aliquo corporali necessario ad exequendum, vel ministrandum alteri quid spirituale. In eodem sensu intelligenda sunt etiam verba S. Thomæ locis citt.

9 Ex dictis cum Card. de Lugo & Reding inferes primo, à Sacerdote tam divite, quàm paupere licitè accipi stipendium pro celebratione Missæ. Ratio est: quia uterque exercet suum ministerium in gratiam alterius: ergo uterque ab illo potest omnia accipere, quæ sunt necessaria ad exercendum id ministerium, eáque nolle ex suo conferre, tametsi possit. Atqui inter necessaria sunt media, quibus sustenterur Sacerdos; ergo.

10 Inferes secundo, Sacerdotem pro tribus Missis, quas legit in Natali Domini, posse accipere tria stipendia. Ratio est: quia licèt Sacerdos supponatur eo die non plus insumere ad sustentationem, quàm aliis diebus, adeoque non videatur ei deberi plus, quàm unum stipendium, tota tamen collectio stipendiorum, quam constituunt hæc tria, & alia, quæ accipit toto anno, non excedit sumptus necessarios ad victum pro toto anno. Meritò autem singuli, qui petunt Missas, concurrunt ad expensas illas totius anni per partes æquales juxta partem collectionis Sacrificiorum cuilibet correspondentem. Aliam rationem præsentis illationis in seq. Artic. n. 8. reperies.

11 Inferes tertio. Beneficiarios, & etiam Parochos, quibus vi beneficii, vel præbendæ non incumbit specialis obligatio applicandi alicui Sacrificium Missæ, posse celebrare pro stipendio. Ratio est eadem, quæ de aliis Sacerdotibus. De Parochis tamen videri possit esse major difficultas; quippe quos aliqui dixerunt obligari ad sacrificandum aliquando pro suis ovibus. Verùm communis jam sententia, uti testatur Card. cit. eos liberat ab hac obligatione.

Objicies Authoritatem Sacræ Congregationis, quæ anno 1626. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere.* Unde Gavantus, Barbosa & Diana apud Redingum concludunt, nullum Sacerdotem, qui quomodocunque obligatur ad celebrandum in aliquo loco, sive ratione reddituum, sive ratione salarii, posse ab alio recipere stipendium, eique Sacrificii fructum applicare.

Ratio hujus sententiæ hæc adducitur. Quia stipendium Missæ datur ad sustentationem Sacerdotis: ergo Sacerdos, qui jam habet stipendium ab aliquo datum pro Missa, non habet jus accipiendi stipendium ab alio ad sui sustentationem pro eadem Missa. Conseq. patet: quia tunc cessat titulus exigendi stipendiũ.

Respondeo, in relata declaratione sermonem esse de Sacerdotibus, qui ratione titulorum ibi memoratorum determinatis diebus obligantur ad celebrandum pro determinato aliquo: hi tales enim non possunt accipere stipendium, sive eleemosynam, ut alteri quoque satisfaciant per eandem Missam. Atqui non omnes, qui ratione beneficii, legati, aut salarii alicubi celebrant, tenentur celebrare propterea pro aliquo, sed tenentur vel ob specialem cultum Dei, aut Sancti alicujus; vel ad serviendum commoditati volentium tali loco, ac die audire Missam; vel ob memoriam fundatorum; vel ob alium finem ab institutoribus intentum, ita quidem ut Sacerdoti beneficiario, vel capellano liberum sit, cui voluerit, applicare fructum Sacrificii.

Ad rationem contrariam dico, stipendium aliquando dari non ad sustentationem, sed ut pretium oneris & obligationis antecedentis Sacrificium, qua Sacerdos obligatur, ut tali tempore, tali loco &c. sit præsens ac paratus ad celebrandum, quæ obligatio est pretio æstimabilis. Unde non obstante stipendio propter hanc obligationem acceptô potest Sacerdos accipere aliud stipendium pro oblatione Missæ, haud sanè tanquam pretium, sed ad sustentationem, modô explicatô; licèt etiam non indigeat, sed aliunde habeat necessariam sustentationem: ut patet ex dictis de Sacerdote divite.

ARTICULUS II.

Quodnam sit justum Missæ stipendium?

SUMMARIUM.

1. Aliorum sententiæ. 2. Justa stipendia sunt, quæ taxantur vel lege. 3. Vel consuetudine & usu communi. 4. Stipendium Missæ aliud infimum, aliud mediũ, aliud sum-

summum. 5. De celebratione pro stipendio non est tractandum, sicut de rebus venalibus. 6. Sacerdos minus stipendium semel acceptatum an possit reducere ad majus? 7. Justum stipendium non mensurandum est penès integram sustentationem unius diei. 8. Majus stipendium taxatur pro Missa solemni, quàm pro privata. 9. Solvitur objectio. 10. 11. An Sacerdos accepto pinguiori stipendio possit alteri à se substituto dare minus pro legenda Missa?

1 PLures apud Castropalaum existimant, justum stipendium esse, quod integræ sustentationi Sacerdotis pro uno die sufficit. Cúmque de hoc ipso sit quæstio, quidnam intelligatur nomine talis sustentationis? Respondet Navarra ab eodem relatus, non solùm victum, sed insuper vestitum tam Sacerdotis, quàm familiæ, id est eorum, qui Sacerdoti necessariò serviunt, intelligi debere. Imò Henriquez ita liberalis est, ut hoc extendat etiam ad victum & vestitum cognatorum, ad quos alendos Sacerdos obligatur. Fundamentum istorum Authorum audiemus postea. Interim

2 Dico primò. Quando stipendia taxata sunt à Superiore habente potestatem taxandi, haberi debent pro justis, ita ut majora non possint justè exigi. Ratio est: quia licèt stipendia Missarum non sint vera pretia, servant nihilominùs aliquam proportionem, quatenùs in illis dandis ac recipiendis ratio justitiæ & æqualitatis intercedit: ergo sicut pretia rerum taxari possunt à principe, suntque habenda pro justis, si ab illo fuerint taxata, ita etiam à summo Pontifice, vel Episcopis taxari possunt stipendia Missarum, suntque habenda pro justis, si ab eisdem fuerint taxata.

Dices. Per ejusmodi taxationem ponitur impedimentum piis fidelium voluntatibus, qui fortè majora darent stipendia, si nihil certi esset præscriptum. Ergo non taxantur licitè stipendia Missarum.

Respondeo neg. Ant. solùm enim occurritur scandalis & sacrilegiis, quæ in stipendiorum iniquis exactionibus committi possunt, relicta de cætero libertate tum fidelibus, ut dent majora & duplicata stipendia, si velint; tum Sacerdotibus, ut minori stipendio possint esse contenti. Lex enim justitiæ non impedit opus misericordiæ, aut liberalitatis, vel religionis.

3 Dico secundo. In defectu legis taxantis illud est justum stipendium Missarum, quod communi hominum consuetudine & æstimatione prudentum haberi solet pro justo. Ita Suarez, Vasquez, Layman, Barbosa, quos refert & sequitur Castropalao tr. 22. disp. un. pu. 14. Ratio est: quia cessante lege taxante non est alia via censendi ac metiendi justa rerum pretia. Stipendium autem Missæ, licèt non sit verum pretium, servat tamen proportionem cum illo, ut diximus. Atque hinc

4 Colligitur primò, justam æqualitatem stipendii Missæ, quod non est lege taxatum, non posse consistere in indivisibili, sed habere aliquam latitudinem, sicut habent pretia rerum, quæ communi tantùm æstimatione præscribuntur. Ratio est: quia communis æstimatio non semper est ita fixa & certa, inquit Suarez cit. sicut proinde in pretiis rerum distingui solent in infimum, medium, & summum, ita etiam stipendia Missarum distingui possunt.

5 Colligitur secundo, reprehensione dignos esse Sacerdotes, qui præsens negotium tractantes more rerum venialium à fidelibus contendunt, ut rigorosa ac summa stipendia præbeant. Ratio est: quia, licèt hoc in rigore nullam contineat injustitiam, non tamen caret quadam irreverentia, ex qua communiter scandalum oritur.

6 Colligitur tertiò, Sacerdotem semel contentum justò stipendio mediocri, vel infimò non posse deinde pro suo arbitrio illud reducere ad rigorosum, seu summum stipendium, minuendò v. g. Missarum numerum. Ratio est: quia hoc repugnaret justæ dantis voluntati, & ita Sacerdos acciperet rem alienam domino rationabiliter invito.

7 Dico tertio. Mensura justi stipendii pro Missa non est integra quantitas pecuniæ, qua Sacerdos indiget ad victum diurnum. Ita Suarez, Lugo, Castropalao, Reding, Illsung, & passim Theologi. Ratio est primo ex communi usu Ecclesiæ, fidelium æstimatione; imò & plurium Diœcesium legibus ita taxantibus Missarum stipendia, ut singula non sufficiant Sacerdoti ad victum diurnum. Ratio est secundo. Quia Sacerdos in sacrificando non consumit integrum diem, neque majorem partem illius: ergo ab illo, pro quo, sive in cujus gratiam sacrificat, non potest justè exigere integram sustentationem. Conseq. prob. tum, quòd Sacerdos præter ministerium sacrificandi exerceat alias actiones sacras, ratione quarum in sustentationem potest aliquid recipere ex fidelium largitionibus, vel aliis Ecclesiasticis redditibus. Tum, quia celebratio unius Missæ per diem non impedit Sacerdotem, quominùs alio modo, qui statum ipsius non dedeceat, aliquid lucrari possit ad vitam sustentandam.

8 Confirmatur. Majus stipendium taxatur pro Missa solemni, quàm pro privata. Item, dum Sacerdos eodem die pluries sacrificat, plura stipendia potest recipere etiam ab eodem. Ergo signum est, pro uno tantùm Sacrificio non deberi integram sustentationem.

9 Objicies. Juxta Apostolum, qui Altari servit, de Altari debet vivere. Cùm proinde

Sacerdos uno die, unico tantùm Sacrificio inservire possit Altari, propter unicum etiam Sacrificium eo die sustentari debet.

Neque juvat, si dicas, posse Sacerdotem alia quoque per diem obire Sacerdotalia munia, cujusmodi sunt concionari, horas recitare, Sacramenta administrare, atque hinc aliquid in sustentationem recipere. Nam contra est, quòd aliæ ejusmodi actiones sacræ per accidens conjungantur Sacerdotio, neque sint illius propriæ & speciales functiones: quia munus proprium ac præcipuum Sacerdotis est offerre Sacrificium, teste Apost. ad Hebr. 5. adeoque ex hoc solo ministerio Sacerdoti debetur integra sustentatio. Respondeo, eum, qui Altari servit, de Altari debere vivere, ita ut præcipuam partem victûs diurni ex ministerio Altaris recipiat, non verò ut omnem & adæquatum victum inde recipiat: quod satis declarat communis usus Ecclesiæ, sicut in n. 7. meminimus. Licèt enim offerre Sacrificium sit munus proprium ac præcipuum Sacerdotis, non tamen est unicum & adæquatum, sed ultra illud sunt alia ministeria sacra, ex quorum exercitio Sacerdos potest reliquum recipere, quod est necessarium ad complendam quantitatem pecuniæ, qua indiget ad victum diurnum. Quòd si tamen nulla se offerat occasio alia hujusmodi ministeria exercendi, non sequitur, defectum sufficientis sustentationis esse supplendum ab eo, qui fieri petit Sacrificium: quia aliàs eodem jure inferri posset, velut advertit Castropalao, Sacerdotem impeditum à celebrando, vel à nemine requisitum, ut celebret pro stipe, posse ab eo, cui Sacramentum Pœnitentiæ v. g. vel Eucharistiæ administrat, exigere integram sustentationem pro illo die: quod nemo concesserit.

10 Ex dictis illud deducitur, secluså lege positiva posse Sacerdotem, cui creditæ sunt legendæ Missæ pro pinguiori stipendio, alium sibi substituere dato ipsi stipendio minori, justo tamen. Ita Suarez, Vasquez, Sotus & alii, quos refert & sequitur Illsung tr. 6. disp. 5. a. 5. §. 2. Ratio est: quia tunc Sacerdos neque lædit jus solventis stipendium, neque jus substituti. Non solventis, quia hic voluntariè & validè transtulit dominium: nec aliunde (quod supponitur) determinatè obligavit accipientem, ut per se ipsum celebret Missas. Non substituti: quia huic numerat justum stipendium, & absolutè factus est dominus majoris stipendii.

Dixi, *secluså lege positivâ.* Nam per 11
expressum Decretum Urbani VIII. anno 1625. id fuit prohibitum, uti etiam per decretum Alexandri VII. in quo proscribitur hæc nona propositio: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collatô illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi reservata.* Prohibitum est autem propter evitanda pericula turpis lucri, & infamis negotiationis.

Contra quam tamen prohibitionem (sicut declarant Authores teste Illsung cit.) non peccat primo beneficiatus, qui gaudens redditibûs justum stipendium excedentibus alium substituit, quando in fundatione non expresè requiritur, ut per se ipsum Missas celebret. Ratio est: quia tunc ejusmodi substitutio neque conjuncta est cum periculo turpis lucri, neque adversa menti fundatoris.

Non peccat contra eandem secundo is, cui majus stipendium persolvitur intuitu amicitiæ, aut etiam cum expressa facultate substituendi alium pro minori stipendio, ita ut excessus justi stipendii ipsi donetur pro cura inquirendi & subrogandi alium Sacerdotem.

Non peccat tertio ille, cui substitutus omninò sponte remittit excessum stipendii, ita nempe, ut non remittat ex metu, ne fortè aliàs ipsi non concedantur eæ Missæ, vel aliæ imposterùm, vel quid simile. Quod tamen in praxi, ut monet Lugo, vix poterit absque periculo contingere. Ratio verò est: quia potest Sacerdos absque ullo stipendio celebrare, ut alium liberet ab onere celebrandi: in quo casu illi remittit totum stipendium acceptum: ergo etiã poterit celebrare locò alterius remittendô ipsi partem, aut excessum stipendii.

ARTICULUS III.

Resolvuntur varia dubia circa receptionem stipendii, & obligationem celebrandi ex illa ortam.

SUMMARIUM.

1. Circa præsentem materiam nunc expeditiùs theologizare licet. 2. Referuntur, quæ ante decreta sacræ Congregationi erant dubia. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Subjunguntur singulorum resolutiones. 10. 11. & seqq. Alia quæruntur & inferuntur.

MUlta dubia, quæ circa præsentem ma- 1
teriam fervebant inter Authores, jam peni-

penitus sublata sunt per decreta, quæ Authoritate Urbani VIII. anno 1625. edidit sacra Concilii Congregatio. Ea nunc dubia antiquiora referemus cum suis resolutionibus, additurí deinde alia, de quibus etiamnum viget disputatio.

Itaque dubium erat primum, an Sacerdos dato ipsi stipendio infra quantitatem justam, possit unam Missam celebrare pro pluribus stipendiis insufficientibus, donec singulis Missis correspondeat unum aliquod justum stipendium? Secundum. An Sacerdos pauper possit pro una Missa recipere tot stipendia, quot sufficiunt ad diurnam sustentationem ipsius? Tertium, an hoc idem possit esse licitum saltem per aliquod privilegium? Quartum. An Sacerdos, qui Missas celebrandas suscepit, possit eas aliis Sacerdotibus celebrandas committere, retenta sibi parte stipendii accepti, datoque illis justo stipendio, sed tamen inferiori? Quintum. An possit Sacerdos pro duobus stipendiis satisfacere per unicam Missam, ita ut uni offerentium applicet unam partem Missæ solitam, alteri aliam, quæ respondet ipsi celebranti? Sextum. An Sacerdos possit recipere plura stipendia, pro quibus non nisi post longum tempus potest satisfacere?

Ad quæ omnia respondit illa sacra Congregatio, prout sequitur, & referunt Card. de Lugo, Salmanticenses & Reding.

3 Ad primum respondit negativè, & gravissimè prohibuit, ne ullus Sacerdos id faceret; immò addidit prohibitioni, non celebrantes tot Missas, quot acceptârunt stipendia, non solùm graviter peccare, sed etiam ad restitutionem teneri,

4 Ad secundum rursus respondit negativè; idque similiter prohibuit sub gravi peccato & onere restitutionis.

5 Ad tertium etiam respondit negativè, omniáque privilegia id faciendi quibusdam Religionibus concessa Authoritate & mandato Summi Pontificis revocavit.

6 Ad quartum quid responderit, habes in Artic. præced. n. ult. Sed cùm postea quæreretur, an resolutio Congregationis intelligi debeat etiam de beneficiario, qui per alium curat celebrari, ità ut huic teneatur dare stipendium ad rationem reddituum beneficii illi diei respondentium? Respondit eadem Congregatio, sufficere, si det illi eleemosynam congruam, nisi in fundatione ipsius beneficii aliter cautum fuisset.

7 Alia præterea hinc quæstio emerserat, an Administratores Ecclesiarum retinere possint aliquid de eleemosynis Missarum pro expensis in manutentionem Ecclesiæ, in inservientes, altaria, paramenta, lumina & similia? Respondit Congregatio, non posse quid retinere, nisi tunc, quando Ecclesiæ & loca ipsa non habeant alios redditus, quos in memoratas expensas licitè erogare possint. Portionem porrò tunc licitè retinendam nullatenùs debere excedere valorem expensarum pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessario subeundarum. Numerum præterea Missarum, quæ ab offerentibus eleemosynas exiguntur, non esse idcirco minuendum.

Ad quintum Congregatio itidem re- 8
spondit negativè. Sententiam id asserentem postea prohibuit etiam Alexander VII. in octava proposit.

Ad sextum respondit, non posse Sa- 9
cerdotes recipere eleemosynas pro legendis Missis, nisi obligationibus legendi ante susceptis satisfecerint, vel (prout habent declarationes decreti) nisi intra modicum tempus possint omnibus satisfacere; vel is, qui dat eleemosynam, sciat, non posse satisfieri, nisi post longum tempus, & consentiat, ut celebratio Missarum à se petita differatur, donec pro aliis eleemosynis fuerit satisfactum. Porrò modicum tempus Ledesma & Villalobos apud Card. de Lugo illud esse dicunt, intra quod 30. vel 60. Missæ legi possunt, quæ mensura (ait idem Card.) satis rationabilis apparet. Ultra dubia nunc resoluta adhuc restant alia hujus loci.

Quæres itaque primo, an Sacerdos 10
pro Missa diei festi possit recipere stipendium duplo majus illo, quod pro Missa diei non festi solet persolvi? Id affirmâsse Homobonum perhibent Salmanticenses; sed gravissimè prohibuisse factam Congregationem testantur iidem Authores; idque meritò factum esse: vel inde colligitur, quòd Sacerdos non possit recipere stipendium majus illo, quod pro una Missa taxavit lex, vel consuetudo & usus communis: sed nulla lex, nulláque consuetudo ita taxavit aliquando, ut pro Missa diei festi recipi & exigi possit stipendium duplo majus illo, quod pro Missa diei non festi solet persolvi; ergo. Præterea. Titulus recipiendi stipendium pro celebratione Missæ est sustentatio diurna, ut in prioribus Artic. audivimus: sed nulla ostendi potest ratio, ob quam Sacerdoti pro celebratione Missæ in die festo plus debeatur ad sustentationem diurnam, quàm pro celebratione Missæ in die non festo; ergo.

Quæres secundo, an Sacerdos ex certa 11
fundatione, vel alio titulo obligatus ad celebrandum in determinata Ecclesia, vel determinato Altari peccet, si alibi celebret? Respondeo, peccare mortaliter, si absque justa causa, vel dispensatione sæpiùs celebret

alibi. Ita Navarr. Azorius, Diana, Barbosa, Castropalao, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses cap. 5. pu. 2. n. 17. Ratio est: quia in re gravi graviter agit contra intentionem fundatoris: quippe qui instituendo Missas in hac tali Ecclesia, in hoc tali Altari legendas, non tantùm censetur velle juvare animas defunctorum, sed etiam spectare specialem cultum alicujus certæ imaginis, & Altaris, vel devotionem & commodum populi, ut ibi possit audire Missam; vel memoriam suæ familiæ, aut quid simile.

12 Dixi autem primo, *si celebret absque justa causa.* Quia possunt occurrere justæ causæ, ob quas Sacerdos excusatur à celebrando in hac Ecclesia, in hoc Altari &c. v. g. si violata sit Ecclesia; si aquarum exundatio impediat &c. tunc enim minimè peccabit Sacerdos, qui alibi celebrat.

Dixi secundo, *vel absque dispensatione.* Nam potest Capellanus ab ejusmodi circumstantiis suæ obligationis eximi per dispensationem Episcopi, dum intervenit justa causa, qualis est, si studiorum gratiâ absit in Universitate. Tunc enim satisfacit suæ obligationi, licèt celebret in alio loco, in alio Altari &c. quia intentio fundatoris, quæ ob dispensationem Episcopi quoad accidentia solùm non servatur, alteri quodam bono compensatur.

Dixi tertio, *si sæpius celebret alibi.* Quia si raro id faciat, non facilè committit peccatum mortale. Imò si rarò, ob rationabilem tamen causam, alibi celebret, etiam à peccato veniali erit immunis. Non enim censetur, ut meritò advertit Card. de Lugo, fundator cum tanto onere voluisse obligare suum Capellanum.

13 Sed dubium hîc supersest, an in memorato casu impotentiæ celebrandi in determinata Ecclesia, vel Altari designato, Sacerdos teneatur celebrare alibi, vel an sit liber ab obligatione, quam contradixit ex fundatione?

Respondeo cum Card. cit. attendendam hîc esse intentionem fundatoris. Vel igitur fundator principaliter in sua fundatione id solùm intendit, ut Missa celebraretur in hac tali Ecclesia, in hoc tali Altari propter cultum ac venerationem alicujus certi Sancti inde resultantem; vel intendit fructum Sacrificii, vel cultum Dei? Si primum; cessat obligatio celebrandi; quia alligata est illi loco. Unde sicut non tenetur jejunare alio die, qui non potest jejunare in vigilia talis Sancti, in qua vovit ad ejus honorem jejunare; quiá obligatio voti est alligata illi diei; ita nec tenetur celebrare Missam alibi ejusmodi Capellanus, quando non potest celebrare in hac tali Ecclesia, in hoc tali Altari; quia obligatio celebrandi est alligata determinato loco. Si secundum supponatur; non cessat obligatio, sed tenebitur Sacerdos celebrare alibi. Atque hoc posterius voluisse præsumitur fundator, quando de mente ipsius dubitatur. Nam præsumitur voluisse obligare Capellanum ad id, quod sibi fuerat utilius.

Quæres tertio. An Sacerdos ex accepto stipendio, vel alio titulo obligatus ad legendam Missam votivam, v. g. de Spiritu Sancto, Beatiss. Virg. vel de Requiem &c. possit legere Missam, quæ illo die occurrit, applicando illam juxta applicationem postulantis? Respondeo, id non posse per se loquendo. Tenetur enim Sacerdos ex justitia obligatus ad celebrandum non tantùm quoad applicationem fructus, sed etiam quoad alias circumstantias Missæ celebrandæ intentioni petentis satisfacere, quantùm fieri potest ac debet, secùs enim agit infideliter: cùm non stet promissis, sed fidem datam violet. 14

Dixi, *id non posse per se loquendo.* Nam per accidens id fieri posse licitè, dubium non est. Sic, quando certa die petita est Missa de Requiem, inque eam diem incidit festum duplex, quominus congruè Missa propria defunctorum celebratur, potes Missam legere de festo, & applicare juxta intentionem præscriptam, priùs tamen declarando danti stipendium, ob quam causam id facias, si forte ejus simplicitas id exigere videatur, inquit Oberascher.

Neque dicas, Missam propriam defunctorum propter certas preces & orationes ab Ecclesia institutas ex aliqua parte magis prodesse censeri defunctis. Nam contra est, quòd Missa quæcunque, in quantum est Sacrificium, æqualiter prodesse possit: preces autem illæ speciales suppleri possint, tum per intercessionem ejus Sancti, cujus patrocinium illa die Ecclesia specialiter implorat: tum per privatam celebrantis devotionem. Ut proinde neque solventi stipendium, neque animæ defuncti quidquam præjudicii creetur, si alia Missa legatur. 15

Quæres quarto, an Sacerdos obligatus ad celebrandam Missam *de Requiem* in Altari privilegiato eandem Missam licitè celebret in Altari non privilegiato; vel in Altari quidem privilegiato, sed Missam de Sancto, quando privilegium concessum requirit Missam *de Requiem*? 16

Respondetur negativè. Quia Sacerdos ita celebrando contra intentionem dantis stipendium animam defuncti defraudat privilegiô, propter quod fuit petita celebratio Missæ in Altari privilegiato, & quidem illius Missæ, quam requirit privilegium.

Unde

Unde Sacerdotem ita celebrantem graviter peccare declaravit Congregatio Cardinalium, prout ex Diana refert Oberascher.

17 Aliud tamen hinc oritur dubium; an Sacerdos ex stipendio obligatus ad celebrandum in Altari privilegiato tunc saltem celebret licitè Missam constitutam in Altari non privilegiato, quando habet numisma, vel imaginem benedictam, cui annexæ sunt indulgentiæ liberandi animam ex purgatorio per singulas Missas *de Requiem*, in quocunque Altari celebrentur.

Affirmant aliqui apud Salmanticenses ex ea ratione, quòd censeant, Sacerdotem in eo casu sufficienter stare promissis, & obligationi suæ satisfacere per æquipollens. Sed adhibenda hîc est distinctio. Vel æquè certum est apud prudentes, numismati vel imagini benedictæ annexas esse memoratas indulgentias, ac certum est, privilegium ejusmodi esse concessum Altari? Si primum, placet relata sententia. Si secundum; displicet: quia Sacerdos tunc non poterit formare prudens judicium de adimplenda sufficienter promissione per æquivalens. Cùm minùs certum comparatum ad magis certum non habeatur pro æquivalenti. Et quia regulariter privilegia Altarium solent esse magis authentica & certa, quàm indulgentiæ concessæ numismatibus & imaginibus, in praxi communiter à Doctoribus præfertur sententia negativa.

18 Quæres quinto, an obligatus ad celebrandum plures Missas, singulas pro singulis, satisfaciat celebrando singulas pro omnibus? v. g. Sacerdos quidam à decem personis accepit decem stipendia pro decem Missis, ita ut pro singulis teneatur unam Missam celebrare. Celebrat deinde decem Missas, sed singulas applicat pro omnibus decem illis personis, ita ut singulæ singularum Missarum decimam partem fructûs participent. Quæritur, an satisfaciat obligationi?

Affirmant Bonacina, Aversa, Franc. Lugo. Rationem hanc reddunt: quia hoc modo celebrandi singulis tribuitur, quod debetur. Nam singulis debetur fructus integer unius Missæ. Sed hunc singuli participant, eo ipso, quòd singuli participent decimam partem fructûs singularum ex decem Missis. Hæc enim pars decies sumpta constituit integrum fructum unius Missæ.

Sed respondendum est cum aliis, Sacerdotem quidem in eo casu satisfacere quoad substantiam, (quod solùm probat fundamentum sententiæ oppositæ) non tamen satisfacere quoad modum. Ratio est: quia, qui dat stipendium pro Missa, vult obtinere Missam pro se solo, sive ad solam intentionem suam in solidum celebrandam; nec intendit in ea communicationem cum aliis, quam ipso inscio facit Sacerdos: qui verò accipit stipendium, censetur se obligare juxta mentem dantis. Consequenter; dum Missæ celebrantur alio modo, (prout fit in nostro casu) quàm intendit dans stipendium, non plenè satisfit obligationi; cùm solutio debiti non fiat eo modo, in quem fuit conventum: adeoque non satisfit quoad modum.

Confirmatur primo. Qui tenetur solvere totam summam debiti unica solutione, non satisfacit, si solvat per partes, nec tenetur creditor acceptare solutiones partiales, sed habet jus exigendi unam totalem: ergo neque satisfacit, qui tenetur alteri dare unica applicatione integram Missam; si solùm dat successivè quoad partem fructûs modò hanc, postea illam, & sic deinceps.

Confirmatur secundo. Hic talis modus sacrificandi obligationi Missarum cedere potest in præjudicium illorum, pro quibus celebrandæ sunt Missæ, idque citra commodum alterius: ergo, qui dant stipendia, non rectè præsumuntur esse contenti eo modo satisfaciendi. Consequentia constat. Ant. ostenditur. Sint duo, quorum singuli dato stipendio petant singulas Missas pro duabus animabus Purgatorii, quarum singulæ liberati possint per unicam integram Missam. Si jam Sacerdos hodie celebret pro una tantùm, hodiè liberabit unam. Si cras celebret pro altera, cras liberabit alteram.

Econtra si hodie celebret pro utraque, neutram hodie liberabit, sed cras primum utramque liberabit, quando rursus pro utraque celebrabit. Unde fiet, ut alterutra animarum integro die detineatur diutiùs in flammis Purgatorii, quàm detineretur, si Sacerdos singulas Missas celebraret pro singulis.

19 Quæres sexto, an, qui colligunt stipendia, possint aliquid sibi retinere in compensationem laboris? Affirmant Sotus, Vasquez, Suarez, Filliucius, Tamburinus & alii. Et quidem quod attinet ad jus naturale, minimè videtur esse prohibita, imò potiùs conveniens ejusmodi compensatio. Est enim labor colligendi stipendia verè pretio æstimabilis. Cumque hi tales collectores utiliter gerant negotium Sacerdotum, qui accepturi sunt stipendia, ad eos pertinere videtur hoc compensare; ac proinde modicam aliquam portionem ex singulis stipendiis eisdem cedere & relinquere. Sed neque decretis Sacræ Congregat. *de celebrat. Miss.* id adversari contendit Tambur.

Opusc. de Sacrif. lib. 3. cap. 1. §. 5. ubi advertit, Congregationem solùm disponere de Sacerdotibus, ne committendo aliis Missas, quas susceperant celebrandas, retineant ipsi aliquam partem eleemosynæ, non autem de collectoribus. Ait enim Congregatio, se *prohibere Sacerdoti, ne parte eleemosynæ retenta &c.* quæ prohibitio cùm sit odiosa, non debet extendi ad collectores. Et infert idem Tamburinus, etiam Sacerdotes, qui colligunt eleemosynas, non ut celebrent ipsi Missas, sed ut aliis celebrandas procurent, posse eandem portionem retinere, quam retinent alii collectores.

Verum hoc improbo. Quia admissa hac sententia omnibus Sacerdotibus, qui colligunt eleemosynas pro pluribus Missis, quàm ipsi celebrare possunt, offerretur prætextus ad retinendam similem portionem: possent enim dicere, se retinere ut collectores eleemosynarum pro compensatione laboris ac molestiæ. Hoc autem modo frustraretur decretum dictæ Congregationis, quo præcipitur, ut, quando aliis committuntur Missæ celebrandæ, integra eleemosyna tribuatur Sacerdoti celebranti.

20 Quæres septimo, quomodo peccet Sacerdos, si diu non celebret Missam, quam tenetur celebrare in favorem alterius? Respondeo peccare mortaliter. Ita certissima sententia apud Salmanticenses & Castropalaum.

Ratio est primo à simili. Qui sunt in diuturna mora solvendi debita pecuniaria, aliáve temporalia, meritò censentur graviter peccare: ergo etiam graviter peccant, qui differunt solvere debita spiritualia; quippe quæ tantò sunt utiliora, quantò præstantiora.

Ratio secunda sumitur ex gravitate damnorum, quæ per diuturnam celebrandi procrastinationem creantur illis, pro quibus est celebrandum. Nam inprimis, quando est obligatio sacrificandi pro anima existente in Purgatorio, eáque obligatio diu non impletur, cuivis manifestum est, quantum id præjudicii afferat huic tali animæ: quippe quæ toto illo tempore moræ culpabilis detinetur in acerbissimis cruciatibus; cùm tamen aliàs, si citò fuisset sacrificatum, citò fuisset liberata.

Deinde, quando est obligatio celebrandi ad impetrandum aliquid pro vivis, v. g. salutem animæ; rectam valetudinem corporis, pacem inter discordes, fortunatum aliquem eventum &c. sæpè contingit, ut ob non celebrata debito tempore Sacrificia nihil impetretur. Quis igitur excusabit à gravi culpa adeo damniferam sacrificandi dilationem.

Illud tamen non planè liquet, quænam 21
hîc dilatio habenda sit pro diuturna? Authores citt. sicut & alii, censent, in hac re standum esse judicio prudentûm, attentis materiæ & personaram qualitatibus, ac præcipuè fine, ad quem obtinendum illi, qui dant stipendia, petunt Sacrificia. Quare si quis dato stipendio petiit à te Missam ad impetrandum à Deo aliquod beneficium non nisi intra certum tempus conferendum, v. g. felix puerperium instante partu, graviter peccabis, si intra hoc tempus impetrationi aptum non celebres, tametsi physicè loquendo non sit diuturnum: quia graviter illudis intentioni petentis, cui te satisfacturum receperas. Quòdsi Missæ præcipuè petantur pro liberandis animabus Purgatorii, existimat Castropalao, dilationem per unum mensem esse satis diuturnam. Quod idem judicat esse sentiendum, si Missæ postulentur ad impetrandam liberationem à gravi molestia, dolore vel infirmitate. Quando verò nec à postulantibus Missas, nec ex alio capite exigitur major celebrandi acceleratio, dilatio per unum mensem non habetur pro gravi & satis diuturna ad peccatum mortale, ut censent Salmanticenses. Imò alii, ut iidem referunt, dilationem per duos menses adhuc modicam esse probabiliter existimant. Minimè tamen toleranda est sententia Pergrini, qui dilationem per tres annos adhuc modicam esse docuit.

Ex dictis colligitur, fieri posse, ut 22
Sacerdos ob nimiam procrastinationem celebrandi teneatur ad restitutionem accepti stipendii. Ut, exempli gratiâ, si accepit stipendium, ut celebraret Missam ad impetrandam valetudinem infirmi infantis, & celebrationem eò usque protelavit, donec infans moreretur, fortè non moriturus, si tempestivè fuisset celebratum. Ratio est: quia ex læsione justitiæ commutativæ oritur obligatio restituendi. Atqui Sacerdos hîc læsit justitiam commutativam; ergo &c. Videantur Salmanticenses pu. 3. n. 56.

DISPU-

DISPUTATIO VI.

De obligatione celebrandi Sacrificium Missæ.

AD memoratum in præsenti epigraphe disputationis argumentum pertinet exponere primo, an, & quoties sit obligatio celebrandi ratione ordinis? Secundo, qualiter ad celebrandum obligetur Capellanus? Tertio, quæ sit obligatio Parochi, Episcopi &c. quæ omnia sunt digna scitu, & in praxi utilia. Ut à primo incipiamus, sit

ARTICULUS I.

An, & quoties Sacerdos ad sacrificandum obligetur ratione Ordinis.

SUMMARIUM.

1. *Unde oriatur obligatio celebrandi.* 2. *In tota collectione Sacerdotum est, & detur hæc obligatio.* 3. *Sententia negans singulos Sacerdotes obligari ad sacrificandum.* 4. *Eligitur affirmans, & prob. Authorit. tùm D. Thomæ, tum Pii V.* 5. *Quid ad Authorit. Pii respondeat Castropalao?* 6. *Prob. eadem sent. ex S. Script. & Trid. Conc.* 7. 8. 9. *Depellitur triplex responsio.* 10. *Probatur ex ratione.* 11. *Obligatio asserta est sub mortali.* 12. *Respondetur ad fundamentum sententiæ oppositæ.* 13. *Quoties urgeat prædicta obligatio?*

1 RAdix obligationis ad celebrandum quadruplex cogitari potest. Prima est ex titulo Ordinis Sacerdotalis. Secunda ex titulo Officii, ut in Parocho & Episcopo. Tertia ex fundatione alicujus Capellaniæ, vel beneficii. Quarta ex promissione, seu pacto, & stipendio. Et quidem de hac postrema radice satis dictum est in *præced. disp.* Restat igitur agendum impræsentiarum de reliquis.

2 Supponendum est autem tanquam certum, penes totam saltem collectionem Sacerdotum, sive omnes Sacerdotes Ecclesiæ collectivè sumptos, esse obligationem offerendi Sacrificium Missæ. Cùm enim Christus in ultima Cœna instituit hoc Sacrificium, & dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus præcepit, ut illud offerrent; veluti docet Concil. Trid. loco postea referendo. Quod proinde præceptum totam saltem collectionem Sacerdotum afficere censendum est. Sed difficultas est modò, an idem præceptum afficiat omnes divisivè acceptos, sive singulos ex collectione Sacerdotum, eo ipso, quòd sint Sacerdotes, sive constituti in Ordine Sacerdotali?

Prima sententia est gravium Authorum, ut Alensis, S. Bonaventuræ, Gabrielis, & Cajetani, & aliorum existimantium, ratione Ordinis præcisè nullum esse obligatum, saltem sub gravi peccato, ad offerendum aliquando Sacrificium Missæ. Quam sententiam probabilitate non carere judicant Laymán, Bonacina, & Suarez, quos refert & sequitur Castropalao tr. 22. disp. un. pu. 12.

Eorum fundamentum in hoc consistit. 3 Nullum exstat præceptum obligans singulos Sacerdotes ad celebrandum aliquando: ergo non peccat Sacerdos, si nunquam celebret, saltem secluso scandalo. Conseq. pater. Ant. ostenditur: vel enim hoc tale præceptum esset humanum, vel divinum, vel naturale, id est, ortum ex ipso ordine ac munere Sacerdotali. Nihil horum affirmari potest. Non primum, quia nullum de hac re decretum habetur scriptum in jure Ecclesiastico. Non secundum; quia tale præceptum neque habetur ex traditione, neque sufficienter colligitur ex S. Script. nam illa verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, vel illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, esto, contineant præceptum, convenienter ita intelliguntur, ut id præceptum non obliget singulos Sacerdotes, sed in communi Ecclesiam, ad quam pertinet providere, ut vigeat usus hujus Sacrificii. Non potest denique affirmari tertium: quia ex munere & potestate offerendi non oritur necessitas præcepti. Nam licèt in lege veteri omnes primogeniti essent Sacerdotes, non tamen omnes sacrificabant. In nostra verò lege cuilibet Sacerdoti præter potestatem offerendi Sacrificium datur etiam potestas remittendi peccata, qua tamen potestate non quilibet uti tenetur. Diaconus quoque ex potestate sui Ordinis non contrahit obligationem aliquando exercendi actionem Diaconatûs propriam.

4 Secunda sententia magis pia asserit, quemlibet Sacerdotem etiam ex præciso titulo Ordinis Sacerdotalis esse obligatum ad celebrandum aliquoties Sacrificium Missæ. Ita D. Thomas 3. p. q. 82. a. 10. quem sequuntur communiter Theologi, ex quibus Suarez disp. 80. sect. 1. affirmat, hanc sententiam revera esse magis consentaneam rationi, & præterea vix posse sine magno scandalo contrarium fieri, & ut minimùm existimari communiter, hujusmodi omissionem diuturnam Sacrificii esse signum pravæ conscientiæ & perditæ vitæ: esse ergo, quoad fieri possit, Sacerdotes monendos, ut frequenter celebrent, & suadendum, contrarium non esse in conscientia secutum.

Eidem placito nos quoque subscribimus. Ad quod probandum peculiari consideratione digna est Authoritas D. Thomæ loc. cit. ubi sententiam oppositam irrationabilem appellat: qua censura adeò severa eam minimè castigâsset Doctor in alienarum opinionum crisi circumspectissimus & parcissimus, si solito quodam fundamento niti cognôsset. Favet etiam vel maximè Pii V. Authoritas. Cùm enim Cajetanus docuisset, Sacerdotem ex præcisa vi Ordinis ad celebrandum obligari tantùm sub peccato veniali, id ex ejus commentariis in D. Thomam expungi jussit. Quo facto utique luculentè significavit, sententiam nostræ oppositam non esse tenendam.

5 Respondet Castropalao, Pium quidem expungi jussisse opinionem Cajetani; non tamen ut improbabilem, sed ut minùs probabilem & sententiæ D. Thomæ contrariam.

Sed contra est: quia vel Pontifex opinionem expungi jussam adhuc censuit esse verè, licèt minùs, probabilem, vel censuit non esse verè probabilem? Si hoc posterius; sequitur sententiam Castropalai, quæ est ipsissima sententia Cajetani, judiciô Pii V. non esse verè probabilem. Si prius; sequitur, Pium jussisse expungi sententiam suô judiciô verè probabilem; quod non est credibile. Dices, hoc ideo solùm jussisse, quòd nollet in illis Cajetani commentariis exstare Doctrinam menti D. Thomæ non consentaneam. Respondeo, hoc esse divinare, & rem asserere nullo tibicine fultam.

Exstare autem inprimis præceptum Juris Divini obligans Sacerdotes ad celebrandum Missæ Sacrificium, habetur ex illis verbis Christi apud Lucam cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Velut agnoscit Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de Sacrific. inquiens: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit ac docuit.*

Respondebis primo, Concilium ea verba Christi intelligere de præcepto non absolutè offerendi, sed offerendi in memoriam Christi; vel offerendi sub iisdem symbolis, nempe panis & vini, & non sub aliis. Cùm enim Ecclesia nullibi declaraverit, Sacerdotes simplices obligari ad offerendum, non posse hæc verba Concilii, *uti semper Ecclesia Catholica intellexit ac docuit*, referri ad oblationem Sacrificii, sed solùm ad modum oblationis. 6

Contra est primo, quòd hæc verba postrema Concilii referantur ad præcedentia: cumque in his dicat, Christum præcepisse Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent sub symbolis panis & vini, meritò infertur, præceptum Christi ex sensu Concilii esse non tantùm de modo offerendi, sed etiam de oblatione absolutè.

Contra est secundo, quòd Concilium col- 7
ligat præceptum ex illis Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Demonstrativum autem *Hoc* demonstrat ipsum factum Christi: consequenter ipsum factum Christi, scilicet oblatio Sacrificii, juxta declarationem Concilii cadit sub præceptum.

Contra est tertio, quòd Concilium sensum hujus præcepti, quem nos asserimus, apertè declaret in *can. 2. ejusd. sess.* ubi definit absolutè, & citra mentionem modi aut symbolorum, Christum illis verbis præcepisse oblationem Sacrificii. Ait enim: *Si quis dixerit, illis verbis:* Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.*

Respondebis secundo, illud præceptum 8
non esse impositum singulis Sacerdotibus, sed toti Ecclesiæ, in quantum hæc per idoneos ministros teneatur offerre.

Verùm nec ista responsio subsistit, primo, quia Concilium dicit, præceptum esse impositum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus. Atqui præceptum impositum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus est præceptum personale, adeoque afficiens immediatè personas ipsas, non communitatem aliquam, nempe totam Ecclesiam.

Secundo. Quia Concilium, ut diximus, præceptum deducit ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus Christus Apostolos ordinavit Sacerdotes. Sicut proinde his verbis Christus singulis Apostolis divi-

divisim contulit potestatem offerendi Sacrificium, ita etiam singulis divisim imposuit præceptum id offerendi. Quod autem præcepit Apostolis ut Sacerdotibus, hoc etiam eorum in Sacerdotio successoribus præcepisse existimandus est.

Tertio, quia, ut Christus obligaret Ecclesiam ad offerendum Sacrificium, nullo erat opus positivo præcepto. Cùm hoc ipso, quòd instituisset Sacrificium, idque reliquisset in Ecclesia, Ecclesia aliunde habuisset obligationem illud offerendi.

Quarto. Quia etiam Pius V. in Catechismo, *ubi de Sacrif. Missæ*, censuit, hoc præceptum esse personale; & immediatè impositum Sacerdotibus, dum dixit: *Eos enim* (nempe Apostolos) *quemadmodum à S. Synodo* (Tridentina) *definitum est, tunc Sacerdotes instituit, præcepitque, ut ipsi, & qui eis in Sacerdotali munere succeßuri essent*, Corpus ejus *immolarent, & offerrent*, quare, cùm sententiam Cajetani ex ejus Commentariis deleri jussit, illam non solùm D. Thomæ, sed etiam Concilio Tridentino adversari judicaverit necesse est.

9 Respondebis tertio, hoc quidèm præceptum afficere singulos Sacerdotes, ita tamen, ut mensura obligationis non sit alia, quàm finis præcepti, qui est, ut in Ecclesia offeratur Sacrificium: ideoque, si per aliquos obtineatur hic finis, cessare obligationem in reliquis. Exemplum hujus habetur in præcepto charitatis, quod obligat ad subveniendum proximo, in gravi, aut extrema necessitate constituto: ubi, si ab uno, vel altero subveniatur, cessat obligatio subveniendi in aliis.

Sed hæc quoque solutio rejicitur, idque primo. Quia, licèt cesset præceptum obligare alios adimpletum ab aliquibus, quando per talem adimpletionem subtrahitur materia præcepti, non tamen cessat, quando per ejusmodi adimpletionem non subtrahitur materia præcepti. Atqui per hoc, quòd aliqui offerant Sacrificium, non subtrahitur materia præcepti obligantis ad offerendum: cùm nullus sit designabilis certus numerus Sacrificiorum, quo oblato ab aliquibus, dicere quis possit prudenter, nullum ulteriùs cadere sub præceptum respectu aliorum. Unde habetur disparitas de præcepto charitatis. Nam per adimpletionem illius factam ab uno subtrahitur materia præcepti: dum enim unus subvenit proximo, tollitur proximi necessitas, ratione cujus charitas obligat ad subveniendum.

Secundo. Præceptum sumendi Eucharistiam à Christo impositum ad recolendam memoriam Passionis ipsius, ut habet Concilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. non cessat obligare alios, quando adimpletur ab aliquibus, sed omnes & singuli tenentur sumere Eucharistiam: ergo etiam præceptum offerendi Sacrificium per hoc non cessat obligare alios, quòd offeratur ab aliquibus, sed omnes & singuli tenentur offerre.

Tertio. Obligatio offerendi Sacrificium non provenit ab extrinseca aliqua exigentia, quæ cesset, quando illi satisfit per alios; sed provenit ab intrinseca exigentia muneris Sacerdotalis: cùm Christus eo ipso, quòd instituerit Sacerdotium novæ legis, eidem annexuerit obligationem offerendi, ita ut illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, juxta Trid. Concil. *sess.* 22. *cap.* 1. non tantùm contineant institutionem Sacerdotum, sed etiam præceptum offerendi Sacrificium. Consequenter ut adimpleatur hæc obligatio, satisfieri debet singulis exigentiis Sacerdotiorum in singulis Sacerdotibus.

Prob. concl. etiam ratione. Certum est, 10
ex jure naturali, quemlibet hominem obligari ad colendum Deum per Sacrificium; quia quilbet ex jure naturali obligatur ad exhibendum supremum cultum, Deo debitum, qui est solum Sacrificium. Quoniam verò non conveniebat, ut unusquisque per se ipsum offerret Sacrificium, hinc instituti sunt Sacerdotes, qui nomine aliorum offerrent. Unde Scriptum est ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Ergo eo ipso, quòd quis suscipiat munus Sacerdotale, suscipit obligationem offerendi Sacrificium. Conseq. prob. cùm enim vi hujus muneris sit ordinatus ad colendum Deum per Sacrificium nomine aliorum omnium, ad se contrahit obligationem communem omnium.

Confirmatur. Qui debitum alicujus cum consensu creditoris in se suscipit, tenetur id solvere; cùm faciat sibi proprium. Atqui dum aliquis ordinatur in Sacerdotem, is in se suscipit debitum commune populorum Deum colendi per Sacrificium; quia fit Minister pro hominibus in ordine ad Deum, *ut offerat dona & Sacrificia*: ergo tenetur solvere hoc tale debitum.

Atque ex his deducitur etiam, obligationem ad celebrandum in singulis Sacerdotibus hucusque assertam esse gravem, & sub mortali. Ratio est: quia, in quantum est juris Divini, versatur circa rem gravem, cui proinde commensuratur. Licèt enim res gravis præcipi possit sub veniali tantùm, ubi tamen non exprimitur qualitas obligationis, supponitur proportionata rei præceptæ. Qatenus autem est juris naturalis, habet eàndem qualitatem obligandi, quam habet illa obligatio colendi Deum 11

per Sacrificium communis omnibus; quippe quæ transfertur in Sacerdotem, quatenùs suscipit munus offerendi. Atqui illa obligatio communis omnibus colendi Deum per Sacrificium est gravis, & sub mortali; ergo.

Neque obstat, legi interdùm de quibusdam viris Sanctis, eos ordinatos in Sacerdotes nunquam celebrâsse Missam, Quis autem credat, non fuisse celebraturos, si tanta esset obligatio, quantum nos adstruimus?

Nam respondeo, eos abstinuisse à celebrando ex speciali motione Spiritûs Sancti, ratione cujus existimârunt, sibi remitti hanc obligationem. Neque hoc adduci debet in exemplum. Nam multa, ait Suarez, interdum operantur Sancti ex speciali Spiritus Sancti motione, præter communem legem, quæ nobis imitanda non sunt.

12 Ad fundamentum sententiæ contrariæ respondetur, esse præceptum positivum Divinum & naturale: ut constat ex dictis. Quatenus Divinum est, sumitur ex verbis Christi, *hoc facite in meam commeratio-nem*: in quibus contineri præceptum respectu singulorum Sacerdotum ostendimus. Quatenus naturale est, provenit ex ipso munere Sacerdotali, cum quo, & vi cujus unumquemque Sacerdotem suscipere obligationem colendi Deum per Sacrificium pariter ostendimus. Et ideo negandum est, ex potestate offerendi non oriri obligationem offerendi. Est enim potestas non quomodocunque, sed est potestas satisfaciendi obligationi naturali hominum colendi Deum per Sacrificium, ordinaturque ad satisfaciendum huic tali obligationi: & ideo dum suscipitur, hoc ipso etiam suscipitur eadem obligatio.

Ex quibus patet ad Confirmat. nam neque potestas absolvendi, neque potestas Diaconatûs, aliáve hujusmodi, ordinatur ad satisfaciendum alicui obligationi naturali: nec proindè cum eisdem suscipitur aliqua talis obligatio. De primogenitis Hebræorum dic, eos non fuisse Sacerdotes in actu, sed in habitu tantùm; ideoque non fuisse obligatos ad offerendum. Nostri autem Sacerdotes in ordinatione redduntur actu deputati ad offerendum.

Dices. Si esset ex jure Divino obligatio offerendi imposita singulis Sacerdotibus, utique Ecclesia determinâsset aliquod tempus, quo singuli tenerentur satisfacere huic obligationi: sicut determinavit tempus confitendi peccata, & sumendi S. Eucharistiam. Atqui Ecclesia nullum tempus determinavit; ergo signum est, nullam esse ejusmodi obligationem.

Respondeo, non potuisse commodè designati certum tempus: quia Sacrificium Deo offerendum est, prout ferunt occasiones & necessitates occurrentes, quæ ut plurimùm incertæ sunt. Deinde, fieri potest, ut obligatio hæc major sit extensivè uno tempore, quàm alio; item major in uno loco, quàm in alio.

Quoniam verò in hoc negotio nos de- 13
stituit determinatio Ecclesiæ, non levis est dissensio inter Authores, quoties, & quibus diebus Sacerdos ex præciso titulo Ordinis celebrare teneatur? Referam ex Salmanticensibus & Pasqualigo diversorum sententias, & cuilibet eligendam relinquam, quæ rationabilior videbitur. Sotus, Azorius, Henriquez, Vasquez, Gavantus existimant, satisfacere obligationi Sacerdotem, si celebret ter in anno, quibuscunqne diebus id faciat. D. Thomas, quem sequuntur Sylvester, Armilla, Tabiena, S. Antoninus & alii, docet, teneri ad celebrandum in præcipuis festivitatibus, in quibus Laici religiosiores sumere solent sacram Communionem. Ait enim 3. p. q. 82. a. 10. *Videtur, quòd celebrare teneatur in præcipuis festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt.* Quod idem videtur re ipsa sentire Suarez disp. 80. de Sacram. sect. 1. dum ait, considerandum esse scandalum, ac detrimentum spirituale ipsorum Sacerdotum, eosque juxta hæc obligandos. Atqui grave scandalum esset, si Sacerdos non celebraret in præcipuis festivitatibus. Sed nimirum aliud est, Sacerdotes his talibus diebus ad celebrandum obligari ratione scandali, quod aliàs oriretur, de quo non est dubium; & aliud, obligari præcisè ratione Ordinis Sacerdotalis. Eas porrò festivitates dicunt esse Nativitatem Domini, Resurrectionem, & Pentecosten. Quibus alii addunt Festum Corporis Christi, Assumptionem Beatiss. Virg. & Festum omnium Sanctorum. Nunnus indicat, cui consentit Huertus, Sacerdotem non esse securum in conscientia, nisi decies saltem vel duodecies celebret per annum. Non constat autem, an hi Authores hanc obligationem certis diebus velint alligatam, nécne. Benigniores sunt Vasquez, Lugo, Leander, & alii, qui Sacerdotem à gravi peccato liberant, si ter vel quater in anno celebret, quibuscunque diebus id faciat, modò servet inter illos proportionatam distantiam.

In tota hac re valde dubia unum mihi certum videtur, ratione Ordinis Sacerdotalis præcisè nullam esse obligationem celebrandi certis quibusdam diebus, etiam festivis: cùm nulla hoc asserendi possit ostendi sufficiens ratio. Et sanè, si nulla fuisset instituta ab Ecclesia dierum solemnitas, Sacerdotes vi Sacerdotii non minùs obligarentur ad celebrandum: cùm jus Ecclesiasticum, quo constitutæ sunt certæ festivitates, sit posterius institutione Sacerdotii, ex qua provenit obligatio celebrandi, quæ proinde vi suæ radicis non potest esse alligata his aut illis die-

diebus. De cætero sentio, ratione congruentiæ & scandali evitandi esse obligationem celebrandi in præcipuis festivitatibus. Sacerdotes Religiosi vi juris communis censentur obligati ad celebrandum semel saltem singulis mensibus. Sed optimum est in metienda horum obligatione attendere constitutiones uniuscujusque Religionis.

ARTICULUS II.

Qualiter ad celebrandum Missæ Sacrificium obligetur Capellanus?

SUMMARIUM.

1. Capellanus tenetur celebrare secundum intentionem fundatoris. 2. An Capellanus possit variare dies Missarum præscriptos? 3. An possit celebrare anticipatò? 4. 5. Quid de Missis in hebdomade sancta? 6. An Capellanus ex fundatione obligatus ad quotidie celebrandum possit aliquoties celebrare pro se ipso &c. 7. An obligatus ad celebrandum aliquoties in hebdomade satisfaciat celebrando diebus ferialibus? 8. An Capellanus ægrotans teneatur alium substituere ad celebrandum?

1 CErtum est ex communi omnium Doctorum sententia, Capellanum obligari non solùm ad celebrandum Missas in fundatione præscriptas, sed etiam ad earum fructum secundùm intentionem fundatoris applicandũ, ita ut pro die, quo tenetur Missam taliter applicare, non possit accipere ab alio stipendium pro applicatione ejusdem. Nam vi fundationis ex quasi pacto per acceptationem Capellaniæ inito contraxit obligationem in offerendo Sacrificio intentioni fundatoris se conformandi. Circa quam obligationem varia nunc dubia resolvemus. Itaque

2 Dubitatur primo, an Capellanus ex fundatione obligatus ad celebrandum ter in hebdomade, v. g. feria 2. 6. & Sabbatho, eas Missas celebrare possit aliis diebus ejusdem hebdomadis? Respondeo adhibendo distinctionem Card. de Lugo. Vel fundator ideo solùm designavit eos tres dies, ut ter in hebdomade celebraretur pro ipso, & absque alia ratione speciali; vel eosdem designavit ob aliam peculiarem rationem, v. g. ut feria 2. legeretur Missa pro animabus in Purgatorio, feria 6. in honorem Dominicæ Passionis, Sabbatho in honorem Beatiss. Virg. Si primum; poterit Capellanus celebrare aliis diebus ejusdem hebdomadis; quia, quod fundator illos tres dies nominaverit, tunc est circumstantia accidentalis. Si secundum, tenetur celebrare illis diebus à fundatore designatis. Graviter tamen non facilè peccabit per non observationem talis designationis; cùm materia sit ex se levis; & possit occurrere causa invertendi eandem designationem dierum. Atque hinc cum eodem Card.

Inferunt Reding & Salmanticenses, Sacerdotem obligatum ad celebrandum quindecim Missas singulis mensibus ad intentionem fundatoris satisfacere, regulariter loquendò, si hoc mense celebret triginta, anticipando quindecim pro mense sequente. Ratio est: quia hæc est anticipata solutio, quæ non obest, sed prodest creditori. 3

Dixi, *regulariter loquendo*. Non enim satisfacit primo, quando fundator in determinando tempore respexit ad specialem causam, v. g. quia ob honorem ac decorem suæ Capellæ voluit, ut nullus per annum mensis prætereat, quin fiat in illa Sacrificium, & memoria fundatoris. Non satisfacit secundo, quando singulis hebdomadis vel mensibus tenetur celebrare pro defunctis alicujus certæ communitatis: quia tunc per anticipationem Missarum fieret, ut illi, qui morerentur hebdomade, vel mense post anticipatas Missas, defraudarentur earum subsidio contra mentem fundatoris, qui voluit, ut omnibus successivè subveniretur. Ita Authores citt.

Dubitatur secundo, an Capellanus obligatus ad celebrandum omnibus Sabbathis, vel feriis quintis, aut sextis, debeat in hebdomade sancta vel anticipatè celebrare, vel postea saltem? Respondeo ex Card. cit. quod ad feriam sextam Parasceves attinet, illa die Capellanum nec posse celebrare, nec teneri id supplere alia die: cùm fundator obligationem alligaverit feriæ sextæ. 4

De feria quinta & Sabbatho sancto tenendum est, debere Sacerdotem celebrare secundùm intentionem fundatoris, si velit illis diebus celebrare, obtenâ ad id licentiâ. Dixi *si velit*. Non enim tenetur celebrare, licet ad hoc faciendum possit impetrare licentiam. Sed neque tenetur id supplere aliis diebus. Ratio est: quia laudabili & mysteriosæ consuetudini non celebrandi privatim illis diebus fundator non præsumitur se voluisse opponere, & Sacerdotem voluisse obligare, ut ab illa recederet; adeoque censetur eos dies excepisse, si Sacerdos nolit celebrare.

Objicies. Quando Ecclesia est violata, debet regulariter Capellanus celebrare alibi ad satisfaciendum obligationi, quam habet ex fundatione: ergo etiam tenetur alia die celebrare, quando prior est impedita per consue- 5

tudinem, cujus meminimus. Sicut enim illa circumstantia loci non tollit obligationem quoad substantiam, ita nec circumstantia temporis eandem tollere putanda est.

Respondeo neg. conseq. violatio namque Ecclesiæ est impedimentum quoddam accidentale, quod ex natura sua potest sæpius occurrere: consuetudo verò illorum dierum est impedimentum per se, & apud omnes notorium, quódque semel tantùm in anno potest occurrere. Deinde, sicut advertit Card. de Lugo, Sacerdoti tunc celebranti in alio loco nullum additur novum & majus onus: quod tamen contingit, si teneatur legere sequente hebdomade Missas non lectas hebdomade antecedente: quia imponitur illi necessitas non recipiendi pro eis stipendium ab aliis. Quo incommodo ipsum fundator non videtur gravare voluisse.

6 Dubitatur tertio, an Capellanus ex fundatione obligatus ad celebrandum quotidie possit quotannis aliquoties, v. g. quater aut sexies, celebrare pro seipso, vel pro aliquibus sibi valde conjunctis?

Respondeo, posse. Quia meritò præsumitur, fundatorem, si de hoc tali casu cogitâsset, vel fuisset interrogatus, id minimè fuisse denegaturum. Ita Salmanticenses, & alii apud eosdem.

7 Dubitatur quarto, an Capellanus, qui ter, quatérve per hebdomadem celebrare tenetur, satisfaciat, si celebret diebus ferialibus? Respondeo, satisfacere per se loquendo. Ratio est: quia fundator ut supponitur, solùm significavit, se velle, ut toties celebraretur in hebdomade.

Dixi, *per se loquendo.* Nam ex accidenti fieri potest, ut teneatur celebrare diebus festivis. Si enim ponamus, Capellaniam esse institutam in ejusmodi loco, in quo nullum aliud celebratur Missæ Sacrificium, ex hac, aliisque circumstantiis prudenter præsumi potest, fundatorem non sibi tantùm, sed etiam commodo publico fidelium ibi commorantium voluisse consulere, ut præcepto audiendi Missam possint satisfacere. Atque ita, nisi quid aliud colligatur de mente fundatoris, censuisse Congregationem Pœnitentiarii Mediolanensis apud Salmanticenses perhibet Bonacina, ipso præsente, idque consulente.

Dubitatur quinto, an Capellanus ex infir- 8
mitate impeditus à celebrando teneatur alteri dare interim stipendium, ne fundatori decedant Missæ, quas ipse per se non potest celebrare? Respondeo ex communi sententia apud Cardin. de Lugo, ad hoc teneri Capellanum, si infirmitas sit longa; non teneri, si sit brevis; nisi fundator expressè vel tacitè significaverit, voluntatem suam esse, ut nunquam desit Missa in tali loco vel Capella.

Cæterùm, quænam in præsenti negotio infirmitas debeat censeri brevis, quæ longa, non conveniunt Authores, ut videre est apud Salmanticenses & Card. de Lugo. Aliqui, 9
quos iisdem testibus refert Diana, dicunt, si morbus durat per octo vel decem dies, nullam esse obligationem, subrogandi alium, qui celebret. Bonacina & Diana cit. breve tempus extendunt ad quindecim dies. Layman, & Caspar Hurado ad unum mensem. Quam extensionem amplectuntur etiam Salmanticenses, eique favere dicunt Concilium Mediolanense Provinciale VII. *tit. de Missis*: ibi enim sic haberi: *Si Capellanus saltem per annum functus sit munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleemosynam judicio Episcopi accipere potest.* Petrus de Navarra, Leander, & alii duos menses hîc volunt esse tempus breve: quorum sententiam esse probabilem judicat Card. cit.

ARTICULUS III.

Qualiter hîc obligentur Parochi, Episcopi, aliique Prælati &c.

SUMMARIUM.

1. *Parochus tenetur celebrare Missam, quando populus tenetur audire.* 2. *An etiam teneatur aliis diebus?* 3. 4. *An, & qualiter Parochus teneatur celebrare pro populo?* 5. *Episcopus tenetur sæpius celebrare, quam simplex Sacerdos.* 6. *Non tamen tenetur quotidie.* 7. *Episcopi, aliique Prælati tenentur curare, ut in suis Ecclesiis quotidie sacrificetur.* 8. *An religiosus teneatur ad certam applicationem Missæ Conventualis, quam canit?* 9. *Declaratur obligatio Canonicorum.* 10. *Superiorum Regularium.* 11. *An isti teneantur aliquando offerre pro subditis?*

Hîc sequentia breviter inquiremus. Primum est, qualiter ex titulo curæ animarum sit obligatio celebrandi? Secundum, qualiter Episcopi, cæteriquè Prælati teneantur curare, ut in suis Ecclesiis quòtidie celebretur Missa? Tertium, an Episcopi teneantur quotidie celebrare vel audire Missam? Quartum, quæ sit obligatio celebrandi Canonicorum &c. Ut à primo exordiamur,

Dico primo. Parochus illis diebus, qui- 1
bus Parochiani tenentur audire Missam, tenetur vel per se, vel per alium Sacerdotem publicè celebrare. Ita certa & ab omnibus Theologis recepta sententia. Ratio est: quia Parocho in hunc finem dantur reddi-

tus

tùs & oblationes, ut ministret populo in iis, quæ pertinent ad salutem, & ad præcepta Dei, atque Ecclesiæ implenda.

Unde merito inferre licet cum Castropalao, si tanta sit multitudo populi, ut totus simul uni Missæ interesse nequeat, Parochum obligari ad conducendos alios Sacerdotes dandô illis justa stipendia juxta vires & proportionem beneficii ab Ordinario taxanda, ut parochiani omnes possint audire Missam.

Dictum est autem, *illis diebus &c.* Quia aliis diebus, quibus populus non tenetur audire Missam, in Parocho non ita certa est obligatio celebrandi. Aliqui enim apud Pasqualigum rotundè negant, Parochum extra dies Dominicos & festivos obligari ad celebrandum. Nam primo, inquiunt, non potest ostendi ullum præceptum, quo Parochi extra dies memoratos obligentur. Nec debet imponi obligatio, ubi de illa non satis constat. Secundo. Quia sunt correlativa, ut, quibus diebus populus non tenetur audire Missam, iisdem Parochus non teneatur celebrare. Atqui extra dies Dominicos & festivos non tenetur populus audire Missam; ergo nec Parochus celebrare. Tertio. Quia plures Parochi timoratæ conscientiæ non celebrant quotidie, idque sine scrupulo: quem etiam Confessarii ipsis non injiciunt.

Alii contendunt, Parochos aliis quoque diebus obligari ad celebrandum magis vel minùs frequenter juxta quantitatem decimarum & proventuum, quos percipiunt. Verùm ex hoc capite non videtur oriri obligatio. Nam decimæ ac proventus præbentur in compensationem oneris Parochialis, quod præcipuè consistit in administratione Sacramentorum. Unde non possunt inducere Parocho aliquam obligationem ultra illam, quam habet ex proprio officio ac munere Parochiali. Accedit, quòd fieri possit, ut habens minores proventus teneatur frequentiùs celebrare, quàm alius habens majores, veluti postea constabit.

2 Dico jam secundo. Parochi tenentur celebrare etiam in aliis diebus extra Dominicos & festivos. Ita Sotus, Suarez, Castropalao, Salmanticenses & alii. Deducitur inprimis ex Concil. Trid. *sess.* 23. *Cap.* 14. *de Reform.* ubi jubet Episcopus curare, *ut Sacerdotes simplices saltem diebus Dominicis & festivis solennibus: si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Ex quibus sic arguitur: si Concilium judicâsset, Parochos suo muneri satisfacere celebrandô solis diebus Dominicis & festivis, non præcepisset Episcopis, ut in eisdem procurarent aliam frequentiam celebrandi. Atqui Concilium præcepit Episcopis, ut in Parochis procurarent aliam frequentiam celebrandi, quàm celebrandi solis diebus Dominicis & festivis, eo ipso, quòd de illis discretivè & aliter fuerit locutum, quàm de Sacerdotibus simplicibus. Ergo Concilium judicavit, Parochos non satisfacere suo muneri celebrandô solis diebus Dominicis & festivis.

Confirmatur. Vel Concilium per verba adducta in gerentibus curam animarum requirit minorem frequentiam celebrandi, vel æqualem, vel majorem, quàm in Sacerdotibus simplicibus? Non minorem; ut patet. Non æqualem; quia sic superfluè de illis loqueretur aliter, quàm de Sacerdotibus simplicibus. Restat igitur, ut requirat majorem frequentiam celebrandi; atque adeo majorem, quàm celebrandi solis diebus Dominicis & festivis.

Ratio verò Concl. est: quia Parochus non solùm tenetur exercere munus suum, quando Parochianos obligat præceptum, sed etiam, quando iidem rationabili erpetunt, ut exerceat; vel, si non petant, ex se rationabile est, ut exerceat. Cùm officium Pastoris animarum exigat, ut ovibus suis administret non solùm necessaria, sed etiam utilia & profícua ad salutem. Cùm proinde Parochus celebrare teneatur ita frequenter, ut officio ac muneri suo satisfaciat, tenetur celebrare non solùm, quando Parochiani ex præcepto Ecclesiastico tenentur audire Missam, sed etiam, quando iidem rationabiliter petunt, ut celebret; veluti est in illis diebus, in quibus plures solent audire Missam, & præcipuè in festis, quæ populus colit ex devotione.

Confirmatur. Parochus ex communi Doctorum sententia tenetur Sacramenta Pœnitiæ & Euchatistiæ administrare subditis non solùm tempore, quo obligantur illa suscipere, sed etiam, quoties pro augmento charitatis & devotionis rationabiliter petunt: ergo similiter Parochus tenetur celebrare Missam coram Parochianis non solùm, quando obligantur ad eandem audiendam, sed etiam, quando rationabiliter petunt audire.

Atque ex his ad fundamenta sententiæ negantis facilis est responsio. Ad primum dicitur, Parochos eodem præcepto obligari ad celebrandum extra dies Dominicos & festivos, quo obligantur ad satisfaciendum suo muneri Parochiali. Ad secundum neg. maj. ratio satis constat ex dictis. Ad tertium dico, id totum esse verum sed nobis minimè adversum: quia non asserimus, Parochum obligari ad celebrandum quotidie, sed obligari ad celebrandum etiam aliis diebus extra Dominicos & festivos, nempe illis, quibus populus rationabiliter petit, vel aliunde rationabile est, ut celebret.

Ex dictis colligitur, fieri posse, ut Parochus in uno aliquo loco non teneatur celebrare ita frequenter, sicut Parochus in alio loco. Ratio est: quia fieri potest (imò frequenter fit) ut in uno loco plures aliæ Missæ legantur ab aliis, sive in Ecclesiis Parochialibus, sive

sive aliis vicinis, quàm leguntur in illo loco, ubi præter Parochum vel nullus est Sacerdos, vel pauci tantùm celebrare solent. Quando autem ita plures aliæ Missæ leguntur, tunc Parochiani illius loci non desiderant, aut petunt tantam frequentiam Missarum à suo Parocho, quantam desiderare aut petere solent Parochiani alterius loci, ubi vix unquam, vel ratò admodum Missæ leguntur ab aliis Sacerdotibus. Cùm illorum utilitati spirituali ac devotioni aliunde consulatur, licèt Parochus celebret minùs frequenter. Confirmatur. Quanto plura celebrantur Sacrificia in aliquo loco, tantò pauciores audiunt Missam Parochi: ergo signum est, ipsius Missam esse tunc minùs necessariam populo, sive in ordine ad utilitatem spiritualem, sive in ordine ad devotionem.

3 Alia nunc oritur quæstio, an Parochi Missæ Sacrificia, quæ celebrare tenentur coram Parochianis, pro iisdem etiam celebrare, & offerre teneantur? Ubi certum est, si ex institutione Beneficii curati; aut alio modo introducta supponatur obligatio applicandi fructum Sacrificiorum pro subditis, Parochum huic obligationi teneri satisfacere. Nam qui suscipit munus Parochiale, suscipit etiam obligationes quocunque modo eidem legitimè annexas. Unde difficultas potissimùm est, an Parochus ex præciso titulo beneficii curati, & quia Parochus est, teneatur pro suis subditis offerre Sacrificia?

Prima sententia, quæ est Soti, & Toleti, asserit, Parochum totiès teneri Sacrificii fructum applicare pro subditis, quoties coram illis tenetur celebrare. Ratio est: quia Parochus accipit sustentationem à subditis, non tantùm, ut eos pascat verbo & exemplo, Sacramentorúmque administratione, sed etiam, ut pro ipsis proprium munus Sacerdotis exerceat. Atqui proprium munus Sacerdotis est offerre Sacrificium pro populo; prout scribit Apostolus ad Hebr. 5.

Secunda sententia omnino opposita, quam tenent Suarez, Vasquez, Castropalao, Reding, & alii, negat, Parochum ex vi sui muneris obligari ad afferendum Sacrificium pro suis ovibus. Ratio est: quia Parochus quidem ex officio tenetur oves suas pascere doctrina, & exemplo, Sacramentorum administratione; imò & Sacrificii applicatione; hoc tamen postremum, ut præster, non est opus applicatione speciali, sed satis est illa generalis, qua omnibus fidelibus ac præcipuè iis, qui Sacrificio interfunt, applicari solet fructus ejusdem. Per hanc quippe applicationem munus proprium Sacerdotis pro suis ovibus sufficienter exercere intelligitur. Ut declarem, quid hîc sentiendum videatur,

4 Dico tertio. Parochi aliquoties per annum tenentur Sacrificium offerre pro suis ovibus. Probatur ex Concil. Trid. *sess. 23. de Reformat. cap. 1.* ubi docet, *præceptò Divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre &c.* Ex quibus colligitur, Parochos vi Præcepti Divini esse obligatos ad offerendum Sacrificium pro propriis ovibus. Quoniam verò de hoc præcepto nihil est determinatum, quandonam, & quibus diebus obliget, aliquoties saltem per annum obligabit, pro rei exigentia, ut alia præcepta Divina. De cætero aliam nullam probationem statutæ Concl. adduco: quia non tantùm judico cum Authoribus secundæ sententiæ, ex præciso titulo curæ animarum non oriri obligationem offerendi Sacrificium pro subditis; sed insuper existimo, ex nullo alio capite, præterquam ex cit. Concil. eam sufficienter colligi posse.

Quòdsi jam nosse cupias, quoties ergo Parochus teneatur applicare fructum Sacrificii pro suis ovibus? Respondeo, id non posse determinari aliter, quàm judiciô prudentis, habita ratione circumstantiarum & indigentiæ subditorum. Atque ideo fieri posse, ut hæc obligatio sit frequenter uno tempore, quàm alio. Item frequentior in Parocho unius populi, quàm alterius. Ex decreto tamen Congregat. S. Concil. quod editum refertur 22. Aug. 1622. Parochus tenetur singulis diebus Dominicis & aliis festis de præcepto applicare Sacrificium pro suis ovibus. Quod si ita se habeat, utique datur aliquid ultra arbitrium viri prudentis, ex quo frequentiam hujus obligationis metiri oporteat.

Ad fundamentum primæ sententiæ dicitur, Parochos quidem sustentari à subditis, non tamen idcirco esse obligandos ad quodlibet spirituale beneficium eisdem præstandum: quia plura exercent munia, propter quæ digni sunt, ut alantur. Adde, quòd Parochus obligationi pascendi subditos per Sacrificium satisfaciat illa generali applicatione, cujus meminit secunda sententia; quod intellige illis diebus, quibus indigentia populi, aut consuetudo, vel peculiare statutum, vel circumstantiæ aliud non exigunt. Ad fundamentum secundæ sententiæ, quatenus nostræ doctrinæ adversatur, dicitur, obligationem in Parocho offerendi Sacrificium pro subditis haberi ex præcepto divino, prout ostendimus ex Concil. Trid. Ex dictis

Infertur primo, Parochos rurales obligari ad frequentiùs offerendum Sacrificium pro suis Parochianis, quàm alios. Ratio est: quia subditi ruricolæ ordinariè versantur in majori indigentia spirituali, tum, quòd ob continuam occupationem in opere rusticano ratò, aut vix unquam vacent exercitiis pietatis, quibus spiritualiter ad inventur. Tum, quòd etiam diebus festivis non

omnes

omnes semper intersint Sacrificio; adeoque non omnes participent fructum, quem participant præsentes. Tum, quòd rarissimè, immò multi semel tantùm in anno, suscipiant Sacramenta; eorumque proinde fructu priventur.

Infertur secundo, Parochum non minùs quàm alium Sacerdotem illis diebus, quibus non tenetur offerre Sacrificium pro populo, posse recipere stipendia pro Missis celebrandis; cùm sit eadem ratio; non tamen posse illis diebus, quibus vel ex consuetudine, vel fundatione; vel ex præcepto fructum Sacrificii ovibus suis applicare tenetur: idque anno 1629. die 1. Septembr. fuisse declaratum à Sacra Congregat. Rituum ex Barbosa testantur Salmanticenses. Nunc ad obligationem Episcoporum ut convertamur,

5 Dico quarto. Episcopi tenentur frequentiùs celebrare Missam, quàm simplices Sacerdotes. Ratio ex dictis colligitur: quia Parochi tenentur frequentius celebrare, quàm simplices Sacerdotes: Sed Episcopi sunt veri Parochi; ergo tenentur frequentius celebrare, quàm simplices Sacerdotes.

6 Dico quinto. Episcopi non tenentur quotidie celebrare, vel audire Missam. Ita communis sententia contra Thomam Hurtadum. Ratio sufficiens est: quia non oportet invehere aliquam obligationem, præsertim gravem, & sub peccato mortali, ubi non suppetit sufficiens fundamentum: atqui nullum suppetit sufficiens fundamentum invehendi, sive imponendi Episcopis hanc talem obligationem; ergo &c.

Sed negat min. Hurtado & objicit cap. *Quoniam, de privil. in 6.* ubi Episcopis conceditur usus altaris portatilis, ut quotidie celebrare, aut Missam audire possint: quippe *sine qua* (dicitur ibi) *eos transire non decet absque rationabili causa ullam diem.*

Confirmat Hurtado. Si Episcopi non essent obligati ad celebrandum quotidie, Pontifex non dispensâsset in gravissimo præcepto non celebrandi extra Ecclesiam: quia nullam habuisset sufficientem causam dispensandi. Unde concludit Episcopũ peccare saltem venialiter, si absq; rationabili causa non celebret vel audiat Missam. Peccare etiam mortaliter propter scandalum & virtualem contemptũ, si multum sit negligens.

Respondeo ad Object. nullam in verbis relatis illius cap. contineri obligationem, sed tantùm convenientiam. Sicut enim verbum *decet* significat convenientiam, non verò obligationẽ, ita particula *non* eidẽ præfixa aliud non negat, quàm convenientiam: ex quo per oppositum colligitur, esse conveniens, ut Episcopi nullam diẽ transire permittant absque rationabili causa, quin celebrent, vel audiant Missam.

Ad Confirmat. dico, Pontificem in eo præcepto dispensâsse, quòd viderit, maximè decere, ut Episcopi quotidie vel ipsi celebrent, vel coram se celebrari faciant Sacrificium Missæ: idque præsertim ad impetranda auxilia Divinæ gratiæ, quibus in obeundo munere suo assiduè indigent. Hæc autem fuit sufficiens causa dispensandi.

Dico sexto. Episcopi & Prælati Eccle- 7
siarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conventualium tenentur curare, ut in Ecclesiis nominatis unum saltem Missæ Sacrificium singulis diebus celebretur. Ita communiter Doctores. Et colligitur ex Cap. *cùm creatura*, 11. *de celebrat. Missar.* ubi sic habetur: *Mandamus* (nempe Rectoribus Ecclesiarum nominatarum) *quatenus nullum in vos teporem negligentiæ obrepere permittatis, quo minùs & pro anniversariis defunctorum, & profesto, vel feria secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Ex quo proinde Can. constat, in dictis Ecclesiis quotidie celebrandam esse Missam saltem unam.

Cæterùm an graviter peccent nécne illdem Prælati, si uno, alteróve die Sacrificium absque legitima causa omitti permittant, Authores non conveniunt. Nam Sotus & Suarez arbitrantur, non peccare mortaliter, si numerus Sacerdotum Ecclesiæ sit exiguus. Sed huic sententiæ resistunt Coninck & Layman. Castropalaus existimat spectandam esse consuetudinem. Adeoque, si consuetudine firmata sit in aliqua Ecclesia celebratio quotidiana Sacrificii, graviter peccaturum Prælatum, per quem staret, ut absque legitima causa omitteretur aliquando Sacrificium: tum, quòd ejusmodi consuetudo habeat vim legis: tum, quòd in cit. cap. *cùm creatura* præcipiatur, ut quotidie celebretur in illis Ecclesiis, à quo præcepto non potest excusari Prælatus, nisi per consuetudinem præscriptam in contrarium, vel propter aliquod impedimentum legitimum: tum, quòd fideles non mediocriter offenderentur, si viderent, Sacrificium quotidie fieri solitum intermitti sine justa causa.

Aliqui ex cod. Cap. inferunt, in prædictis Ecclesiis duo quotidie Sacrificia debere celebrari, unum pro defunctis, & alterum de tempore. Sed hæc sententia, inquit Coninck, non habet ullum fundamentum: quia in illo jure non præcipitur absolutè, ut quotidie fiat Missa pro defunctis, sed tantùm præcipitur, primo, ut talia Sacrificia celebrentur, quando occurrunt dies anniversarii, quibus Clerici pro iisdem celebrandis recipiunt stipendia; secundo, ut, si celebretur Missa pro defunctis, propterea non omittatur Missa de tempore. Et certè, cùm indecens sit diebus solennioribus fieri sacra anniversaria

pro defunctis, non est ullo modo credibile, Pontificem ibi præcipere, ut aliquod tale sacrum fiat quotidie. Atque hoc etiam ostendit praxis Ecclesiæ, quæ est planè contraria.

8 Illud porrò hîc quæri potest, an Regulares, qui canunt Missam Conventualem, obligentur ad certam aliquam applicationem? Respondeo, non obligari, sed posse applicare Missam ejusmodi pro suo arbitrio, nisi aliud obtineat consuetudo contraria legitimè introducta. Ita Diana, Pellizarius & alii apud Reding. Ratio sufficiens est, quòd nulla ostendi possit lex, sive Divina, sive humana, vi cujus Regularis ad certam applicationem illius Missæ obligetur. Unde pro libitu suo illam potest applicare. Nam videtur concessum, quidquid non reperitur esse prohibitum.

9 Dico septimo. Canonici Ecclesiarum seu Cathedralium, seu Collegiatarum tenentur celebrare per se ipsos, quotiescunque id ab eis exigit, vel proprium munus, vel consuetudo, vel statutum aliquod, vel alia urgens ratio. Ita Barbosa, Garzia, & alii. Colligitur ex Concil. Trid. *sess. 22. de Reform. Cap. 4.* illis verbis: *Cogant Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu Divino præstare, sub eisdem, & aliis, etiam gravioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis.* Et videtur asserta obligatio esse non solùm ad pœnam, de qua loquitur Concilium; sed etiam sub culpa, eáque mortali, si quis hîc fuerit notabiliter negligens, prout advertit Garzia cit.

Dico octavo. Prælati Regulares, qui exercent administrationem sui muneris, tenentur celebrare saltem pluries in hebdomade. Ratio est. Simplices Sacerdotes celebrare tenentur singulis diebus Dominicis, & festis solennibus; veluti suprà ostendimus: ergo Prælati Regulares tenentur celebrare saltem pluries in hebdomade. Conseq. prob. quia Prælati non tantùm sunt Sacerdotes, sed etiam Parochi, ac insuper peculiari ratione Patres suorum subditorum: qui omnes tituli planè persuadent, ipsos teneri frequentiùs celebrare, quàm simplices Sacerdotes, adeóque non tantùm singulis diebus Dominicis ac festis solemnibus, sed pluries in hebdomade. Credo autem, hanc obligationem esse gravem, ita, ut Prælatus Regularis, si absque legitima causa notabiliter rarò celebret, non possit excusari à peccato mortali. 10

Sed quæstio moveri potest, an hi Prælati teneantur aliquando pro Regularibus sibi subditis offerre Sacrificium? Videtur respondendum eos non teneri: quia subditi quoque offerunt Sacrificium. Neque refert, præter eos, qui offerunt, alios quoque existere in Communitatibus Religiosis, qui non offerunt Sacrificium; adeoque pro his talibus saltem obligari Prælatum aliquando offerre: hoc inquam, non refert; quia potest Prælatus curare, ut alii ex Communitate pro illis offerant. 11

DISPUTATIO VII.

De præparatione ad celebrandum.

OMnibus Sacerdotibus sedulò curare incumbit, ut Sacrificium Missæ debita religione & pietate celebrent. Unde explicare nunc oportet, quomodo iidem se parare teneantur, ut convenienter dispositi ad altare Dei sacrificaturi accedant. Potest autem hæc dispositio requiri vel ex parte corporis, vel ex parte animæ. De utraqud hîc agemus. Quod attinet ad dispositionem animæ, non videtur alia necessaria, quàm ea, quæ necessaria est ad Communionem in aliis. Solùm potest esse quæstio paulò operosior de præmittenda recitatione Officii Divini.

ARTICULUS I.

De statu gratiæ necessario ad licitè celebrandum.

SUMMARIUM.

1. *Supposita.* 2. *Ad licitè celebrandum requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ.* 3. *Sine hac certitudine Sacerdos celebrationi tenetur præmittere Confessionem.* 4. 5. *Explicatur, an, & quomodo à præcepto confitendi excuset necessitas.* 6. *Item quomodo excuset absentia Confessarii.* 7. *Sacerdos non confessus ob causas jam dictas tenetur confiteri, quamprimùm potest.* 8. *Corollaria.*

SUpponitur, ad licitè sacrificandum ex parte animæ in Sacerdote requiri primo, ut non sit excommunicatus, aliáve censura Ecclesiastica irretitus: huic enim tali prohibitum est tractare Divina. Secundo, ut habeat voluntatem & intentionem ritè ac secundùm institutionem Christi sacrificandi; veluti constat ex generali doctrina de intentione Ministri Sacramentorum, quam suo loco asseruimus. Nunc 1

Dico primo. Ad licitam celebrationem 2

Missæ

Missæ necessarium est, ut Sacerdos habeat probabilem certitudinem de statu gratiæ; quemadmodum Concilium Trident. sess. 13. cap. 7. & Can. 11. deducit ex verbis Apostoli 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo.* Atqui Sacerdos, qui sacrificat, etiam communicaturus est; ergo &c. Cæterùm probabilem certitudinem de statu gratiæ illum habere censemus, cui facta diligenti conscientiæ discussione nullum mortale peccatum venit in mentem, quod non sit confessus, ut etiam in p. præced. disp. 6. a. 2. n. 7. advertimus. In defectu autem talis certitudinis

3 Dico secundo, Sacerdos sibi conscius peccati mortalis tenetur sub mortali confiteri, antequam celebret, nisi urgeat gravis necessitas celebrandi, & desit copia Confessarii. Ita omnes Catholici ex Concil. Trid. sess. 13. Cap. 7. ubi sic habetur: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat &c.* Quod idem statuitur in can. 11. & contrarium asserentes excommunicantur. Neque opus est ulteriori probatione hujus Catholicæ veritatis.

4 Dictum est autem, *nisi urgeat gravis necessitas celebrandi, & desit copia Confessarii.* Nam si hoc utrumque concurrit, Sacerdos peccati mortalis sibi conscius licitè celebrat non præmissa Confessione Sacramentali, præmissa tamen contritione, vel attritione supernaturali, quam bona fide existimat esse contritionem. Ratio est: quia Concilium cap. cit. apertè supponit, tunc esse licitum ita celebrare: ait enim post verba exscripta, *modò non desit illis copia Confessoris*: &, *quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit &c.*

Est autem gravis necessitas celebrandi primo, in articulo mortis, sive ipsius Sacerdotis, sive alterius, quando nempe aliquis aliàs sine viatico esset moriturus. Tunc enim Sacerdos deberet non præmissa Confessione, si abesset Confessarius, celebrare (si aliunde posset) ad communicandum seipsum, vel etiam alterum, si nulla adesset hostia consecrata. Ita Suarez, Coninck, Castropalao, & alii communiter.

Similis necessitas est secundo, quando Sacerdos tenetur ex officio celebrare, (sicuti tenetur Parochus diebus Dominicis & festivis) nec potest id facere per alium. Ratio est: quia ob peccatum Sacerdotis alii non sunt privandi jure quæsito participandi fructum Sacrificii. Castropalao & alii.

Tertio est, quando Sacerdos absque scandalo, aut gravi infamia non possit omittere Sacrificium; veluti contingeret, si publicè cœpisset se vestire vestibus sacris, vel aliquibus condixisset, se celebraturum, idque non posset intermittere sine suspicione alicujus criminis. Ratio est: quia inprimis scandalum ex præcepto charitatis vitari debet; cùm afferat magnum & spirituale nocumentum proximo. Deinde, non est verisimile, quod præceptum hoc positivum præmittendi Confessionem obliget cum tanto rigore, ac gravi detrimento famæ. Monet autem Suarez, Sacerdotem in tali casu esse obligatum ad considerandum, an possit alia via vitare notam infamiæ, aliam probabilem excusationem inveniendô. Hoc enim si possit facere, cessabit causa & necessitas celebrandi.

Quarto est, quando celebrans post consecrationem recordatur peccati mortalis non confessi, vel etiam actu peccat, v. g. interiori odio, pravo consensu, aut dubitatione circa fidem. Tunc enim non tenetur ante communionem confiteri, tametsi adesset Confessarius, cui posset confiteri sine nota. Ita Suarez, Coninck, Sotus, Navarrus & alii cum D. Thoma d. p. q. 83. a. 6. ad 2. Ratio est: quia non decet Sacrificium cò usque progressum interrumpere: nisi fortè tanta esset indispositio celebrantis, ut non speraret, se contritionem eliciturum. Nullo enim modo communicare ipsi licet, nisi aut probabiliter credat, decesse contritum, aut priùs confiteatur.

Dixi, *quando post consecrationem &c.* Nam, si Sacerdos post inchoatam quidem Missam, ante consecrationem tamen, recordetur, se versari in statu peccati mortalis: non ita constat, quid ipsi agendum sit. Plures enim apud Castropalaum docent, tunc Sacerdotem neque teneri ab Altari discedere ad quærendum Confessarium, neque Confessarium ad Altare vocare, ut eidem confiteatur. Rationem reddunt: quia, licèt supponatur, nullam hinc celebranti provenire notam infamiæ, Sacrificium tamen inchoatum non decet interrumpere. Alii tamen, ut Vasquez, Bonacina, Coninck, Gonet, & Castropalao cit. sentiunt contrarium in casu, quo celebrans citra notam potest vocare Confessarium, eique ad altare venienti breviter confiteri. Ratio est: quòd multæ sint causæ, ob quas Sacrificium ante consecrationem solet interrumpi: neque hæc talis Confessio possit haberi pro indecente Sacrificii interruptione; quippe quæ ad ipsum Sacrificium debitè perficiendum ordinatur. Erhorum sententia priori præferri meretur. Sed hîc rursus est dubium, an Sacerdos in tali casu teneatur discedere, Missamque inchoatam relinquere, si Confessarius ad Altare vocari non possit? Ubi inprimis existimo cum P. Suarez, si Missa necdum sit inchoata,

Sacerdotem debere discedere; tametsi oporteat exui sacris vestibus, ut adeat Confessarium: tunc quippe nulla est rationabilis causa omittendi Confessionem, si nullum aliunde oriturum sit scandalum vel infamia; ut supponitur. Deinde judico cum eodem, aliisque apud Castropalaum, nullam esse obligationem discedendi Missâ jam inchoatâ: præsertim, cùm idipsum doceat D. Thomas loc. cit. ubi postquam tres casus molestos enumerâsset, in quibus post Consecrationem Sacerdoti occurrentibus sit in Missa pergendum, scilicet, si recordetur, se esse excommunicatum; vel non esse jejunum; vel non esse confessum peccatum mortale; subjungit, *Si verò ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem, maximè in casu manducationis & excommunicationis; quòd Missam inchoatam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Ubi, cùm dicit *tutius*, sentit, hoc non esse præceptum, sed consilium.

Quid verò est, quòd S. Doctor dicat, *maximè in casu manducationis & excommunicationis* esse tutius Missam inchoatam relinquere? An ergo non æquè tutum ab Altari discedere ob memoriam peccati? Et certè Vasquez asserit, se nullam inter illa tria videre differentiam; quinimò, cùm præceptum jejunii ad sumendum Sacramentum sit humanum, præmittendi autem Confessionem sit Divinum, majorem videri rationem, ut ob memoriam peccati, quàm ob memoriam violati jejunii Sacerdos à cœpto desistat.

Sed advertendum est, præceptum jejunii hîc esse aliquo modo fortius, licèt sit tantùm Ecclesiasticum, quàm præceptum præmittendi Confessionem; quia Sacerdos defectum jejunii ad licitam celebrationem exacti non potest aliunde reparare; potest autem defectum status gratiæ similiter exacti ad licitè celebrandum aliter reparare, quàm per Confessionem, scilicet per contritionem. Et quod dictum est de defectu jejunii, proportionaliter intelligendum venit de excommunicatione: Cùm similiter in potestate Sacerdotis non sit facere, ne sit excommunicatus, vel excutere vinculum excommunicationis. Itaque D. Thomas habuit sufficientem rationem non eodem modo loquendi de omnibus casibus, quos loc. cit. retulit.

Verùm ista, dum speculativè loquimur, ita quidem se habere videntur: in praxi namque vix aliquando citra notam omnem & confusionem celebrantis Missa per Sacramentalem Confessionem interrumpi poterit; nisi in Officio solemni, dum interponitur concio, vel prolixior in choro Musicorum concentus, & aliquis fortè Ministrorum congruè potest agere Confessarium. Quare regulariter loquendo, prout in Ara Cœli, cap. 3. §. 11. pag. 152. sapienter monet Oberascher, non est consultum, ut Sacerdos, cui etiam ante Canonem inchoatum in memoriam venit peccatum mortale nunquam confessum, ad Altare vocet Confessarium; multò minùs, ut confitendi causa ab Altari discedat. Unde peccatum occurrens memoriæ per actum contritionis erit abolendum. Ait enim D. Thomas loc. cit. *Ubi difficultas occurrit, semper esse accipiendum illud, quod habet minus de periculo.* Atqui in praxi regulariter occurrit summa difficultas Confessarium tam dextrè vocandi ad Altare, ut præsentes id non advertant, aut saltem Minister; ideoque vel malè de Sacerdote sentiant, vel cum scandalo aliorum rem divulgent &c.

Quinto est necessitas, quando aliàs Sacerdos die Dominico non posset audire Sacrum, vel communicare in Paschate. Sed hæc necessitas non approbatur ab omnibus, aut eodem modo recipitur. Suarez enim & alii, quos idem refert, asserunt, Sacerdotem ob hoc præcisè, ut impleat præceptum Communionis Paschalis, (idem sentiunt à fortiori de præcepto audiendi Missam) non posse celebrare absque prævia Confessione. Rationem reddunt, quòd lex Ecclesiastica non obliget ad communicandum, nisi id debito ac legitimo modo fieri possit.

Ego verò existimo cum Card. de Lugo, Coninck & Castropalao, potiùs non esse audiendum Sacrum die Dominico, quàm celebrandum sine Confessione peccati mortalis: cùm illud præceptum non sit tam strictum, ut quis ab illo excusari nequeat etiam ob minores causas. Ad Communionem Paschalem, quod attiner, sentio cum iisdem Authoribus, posse Sacerdotem, ut hoc præceptum impleat, celebrare cum sola contritione. tum, quòd istud præceptum sit majoris momenti: tum, quod durum videatur ejusmodi hominem tunc temporis arcere à Communione, ad quam omnes fideles admittuntur. Confirmatur. Quando urget præceptum Confessionis annuæ & non adest Sacerdos, cui possim integrè confiteri, possum confiteri non integrè, licèt integritas Confessionis sit juris Divini: ergo similiter, ut satisfaciam præcepto annuæ Communionis, potero celebrare non præmissa Confessione: cùm præceptum annuæ Communionis non sit minoris momenti, quàm præceptum præmittendi Confessionem in nostra hypothesi.

Ultra casus adductos aliqui addunt, ut quis licitè celebret non præmissa Confessione, sufficere magnam devotionem, aut celebritatem festi, quo soleat celebrare. Sed hoc neque verum esse, neque in praxi securum, meritò

ritò docet Coninck: quia Concil. Trid. apertè requirit necessitatem: atqui sola devotio, aut festivitas occurrens nullam inducit necessitatem per se loquendo; ergo &c.

7 Dixi secundo, *& nisi desit copia Confessarii.* Deest autem Confessarius primo, propter distantiam, quando nempe tam procul distat, ut habita ratione circumstantiarum, personæ, temporis, virium, ac similium non-nisi cum magna difficultate adiri potest: quod totum prudenti judicio est determinandum.

Censetur secundo moraliter deesse Confessarius, quando præsenti non potes confiteri absque prudenti periculo, ne frangat sigillum, provocet ad malum, aliudve grave nocumentum conscisat. Cùm non sit existimandum suave jugum Domini obligare cum tantis oneribus. Advertunt tamen Vasquez, Coninck, Bonacina, & Castropalao, si Sacerdos, aut etiam Laicus communicaturus, habeat fortè alia peccata mortalia, ex quorum Confessione non sit timendum aliquod ex memoratis malis, oportere illa confiteri ante Communionem: quia hac ratione Confessio, licèt non materialiter, attamen formaliter sit integra, & simul impletur præceptum Confessionem præmittendi Communi.

Dices. Hinc sequitur, eum, qui habet unum tantùm mortale peccatum, ex cujus manifestatione timet periculum, obligari ad confitenda venialia, ut indirecte saltem absolvatur ab illo mortali, & fiat ex attrito contritus, si necesse sit. Sed conseq. admitti non potest: cùm peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, nec ullum exstet præceptum ea confitendi.

Seq. verò patet: quia tunc similiter quis facere potest Confessionem formaliter integram, ac simul satisfacere præcepto confitendi ante Communionem.

Respondeo neg. seq. maj. loquendò ex vi præcepti, de quo agimus: quia illo solùm quis obligatur ad præmittendam Communioni Confessionem omnium peccatorum mortalium. Cùm proinde tunc nequeas confiteri peccatum mortale, non obligaris ad confitendum.

Dixi, *loquendo ex vi præcepti &c.* Si enim accideret, ut hujusmodi peccator non posset prudenter existimare, quòd sit contritus, sed solùm crederet, se esse attritum, non posset communicare, nisi prius Sacramentum Pœnitentiæ, eo modo, quo tunc posset, susciperet, atque per illud justificaretur. Obligatio tamen ista confitendi tunc non oriretur ex præsenti præcepto, cujus meminit Concilium Trid. Sed ex lege naturali ac Divina sanctè tractandi, quæ sancta sunt, inquit Suarez.

Quarto deest copia Confessarii, quando nullus adest, qui habeat jurisdictionem, vel cui jurisdictio à pœnitente concedi possit ex privilegio. Et ideo, si peccatum mortale, cujus sibi conscius est Sacerdos, sit reservatum, & nullum habeat aliud non reservatum, non tenetur confiteri ante Communionem, quando præsenti Confessario deest potestas in reservata. Ratio est: quia tunc respectu peccati mortalis, de quo esset obligatio, omittendi Confessionem, nullus adest moraliter Confessarius.

Quòdsi Sacerdos alio præterea peccato mortali non reservato se recordaretur obstrictam, probabilius existimo cum P. Suarez cit. Coninck, & aliis, esse obligationem præmittendi Confessionem peccati non reservati simul cum reservato, ut sic absolvatur directè à non reservato, & indirectè à reservato.

Neque obstat, quòd aliqui objiciunt, hac ratione ejusmodi pœnitentem fore obligatum ad idem peccatum reservatum bis confitendum, nempe semel apud Sacerdotem inferiorem, & rursus apud superiorem, cui esset reservatum. Hoc autem fore grave onus. Respondetur enim, hoc onus non esse tanti momenti, ut quis propterea excusari possit, ne teneatur hoc nostro præcepto præmittendi Confessionem. Immo hoc onus planè cessat in sententia satis probabili eorum, qui docent, posse in tali casu fieri Confessionem peccati non reservati, tacito reservato.

Placet hic etiam, quod habet Coninck, melius facturum pœnitentem peccatorum reservatorum conscium, si eadem unà cum venialibus confiteretur, ut posset ab illis saltem indirectè absolvi; sic enim fore secutiorem, quòd Communionem sumeret in statu gratiæ: Imò ad hoc etiam obligatum iri, si existimaret, se solùm esse attritum, & vellet sumere Communionem.

Aliud præterea præceptum loco cit. ex Trid. Concilio habetur in illis verbis: *Quòdsi necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* De hoc præcepto

Tenendum est primo, illo obligari solos Sacerdotes. Ita cum communi Castropalao, Reding, Mezger contra Navarrum existimantem, eo laicos quoque comprehendi. Ratio est: quia hoc præceptum, cùm sit rigorosum, non debet extendi ultra id, de quo verba sonant: verba autem præcepti apertè loquuntur de solis Sacerdotibus; ergo. Porrò causa, ob quam Concilium de solis Sacerdotibus ita statuerit, fuisse videtur, veluti Coninck advertit, quòd Sacerdotibus sæpius possit occurrere necessitas communicandi non præmissa Confessione. Unde necessarium videri potuit tale præceptum, ne in carenda ejusmodi necessitate essent negligentes, eamve nimis facile adesse putarent, ubi non esset, ut confitendi molestiam subterfugerent. Atqui rarissimè contingit, ut laicos urgeat illa necessitas.

Tenendum est secundo, illud *quamprimùm* in hoc præcepto intelligendum esse non mathematicè, aut physicè, sed moraliter, hoc sensu, ut Sacerdos confiteatur, cùm primùm poterit, sicut explicat Missale Romanum. Unde Diana, ut refert Reding, arbitratur, Sacerdotem satisfacere eidem præcepto, si confiteatur intra triduum à celebratione. Et hanc sententiam Mezger ait esse communiorem. Quæ tamen videtur intelligenda per se loquendo. Nam, ut advertit Card. de Lugo, potest accidere, ut Sacerdos aliquando sub mortali obligetur ad confitendum adhuc eadem die, si videlicet hodie habeat Confessarium, nec certus sit, an cras sit habiturus; cùm tamen cras instet eadem necessitas celebrandi: vel, si non instet ejusmodi necessitas & periculum celebrandi absque Confessione, istius tamen hodierna dilatio afferat periculum non confitendi per plures dies, eò quòd hodie sit copia Confessarii, postea verò per plures dies non sit. Denique ex hactenus dictis

8 Inferes primo, præceptô confitendi ante celebrationem, sicut & confitendi quamprimùm post illam, obligari Sacerdotem non solùm certum, sed etiam dubium dubio negativo de peccato mortali non confesso. Ratio est: quia non sola peccata mortalia certa, sed etiam dubia dubio negativo sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ: velut infra suo loco ostendimus.

Inferes secundo, ut Sacerdos possit celebrare non præmissa Confessione, non sufficere, quòd habeat consuetudinem tali die celebrandi, quam necesse sit interrumpere; vel quod ex celebratione speret magnum fructum; vel quod sacrificandum sit pro defuncto; vel inciderit dies valdè festivus, quo solebat alias celebrare. Ratio est: quia, ut Sacerdos excusetur ab obligatione præmittendi Confessionem, Concilium Trid. requirit necessitatem celebrandi: sed in his casibus nulla apparet necessitas; ergo.

Inferes tertio, Sacerdotem absque prævia Confessione celebrantem, dum sibi est conscius peccati mortalis, non committere duo peccata mortalia. Ratio est: quia tunc præceptum Confessionis non obligat per se, sed ratione Communionis, ne videlicet indignè & sine sufficiente probatione suscipiatur. Quando autem aliquod præceptum obligat ratione alterius, sive per accidens, ejus transgressio non est distinctum peccatum à transgressione per se obligantis.

Inferes quarto, Sacerdotem, qui ante celebrationem ritè confessus est, si deinde recordetur alicujus peccati mortalis ex inculpabili oblivione omissi, esse obligatum per se loquendo ad hoc etiam peccatum ante Communionem clavibus subjiciendum. Ita Suarez, Card. de Lugo, Reding. Ratio est: quia præceptum confitendi ante Communionem non est præceptum confitendi quomodocunque, sed confitendi omnia peccata mortalia, quod satis declarat praxis & sensus communis omnium fidelium, qui quantumvis legitimè confessi & absoluti non audent cõmunicare, antequam confiteantur illa peccata mortalia, quorum de novo recordantur. Atqui hoc præceptum non implet Sacerdos, nisi illud peccatum, quod post priorem Confessionem occurrit memoriæ, ibidem confiteatur ante Communionem; ergo.

Objicies. Qui ante Cõmunionem confitetur Confessione formaliter integra, implet præceptum confitendi ante Communionem: sed Sacerdos in nostro casu ante Communionem confessus est Confessione formaliter integra; ut supponitur; ergo implevit præceptũ, & consequenter vi hujus præcepti non tenetur rursus confiteri, licèt memoriæ occurrat peccatum mortale priùs invincibiliter oblitum. maj. prob. qui semel in anno confitetur Confessione formaliter integra, implet præceptum confitendi semel in anno, nec tenetur vi hujus præcepti iterum confiteri eodem anno, si postea recordetur adhuc alterius peccati, sed potest illius Confessionem differre in alterum annum; sicut habet probabilis plurium Doctorũ sententia, teste Reding q. 6. a. 3. controv. 3. n. 7. ergo similiter ante Communionem confessus Confessione formaliter integra implevit præceptum illud præmittendi Confessionem, nec tenetur iterum confiteri peccatum, quod de novo incidit.

Conseq. videtur legitima: quia non minùs præceptum annuæ Confessionis est præceptũ confitendi omnia peccata mortalia, quàm præceptum confitendi ante Cõmunionem: ergo si illi præcepto satisfiat per Confessionem formaliter integram, ita ut vi ejusdem non sit obligatio iterum confitendi, dum quis recordatur de novo alicujus peccati mortalis, etiam huic nostro præcepto simili ratione satisfiet.

Confirmatur primo. Quando ad lucrandum Jubilæum præscripta est Confessio, túq; semel integrè formaliter confiteris, non est necessarium, ut iterum confitearis intra tempus Jubilæi, si recordaris peccati, cujus oblitus es in Confessione jam peracta, uti communiter docent Authores apud Card. de Lugo: ergo nec ante Communionem necesse est iterum confiteri, si semel facta est Confessio formaliter integra.

Confirmatur secundo. Juxta Concil. Trid. sess. 13. Can. 11. hoc præceptum ante communionem confitendi non obligat, nisi illos, quos conscientia peccati mortalis gravat: atqui eum, qui in nostro casu ritè confessus est, non gravat conscientia peccati mortalis; utpote per absolutionem Sacramentalem jam indirectè dele-

ti-

ti: ergo hunc talem non obligat idem præceptum ad iterum confitendum.

Respondeo ad Object. neg. maj. supposito, quòd postea ante Cōmunionem occurrat memoriæ peccatum mortale in illa confessione omissum. Quia præceptum confitendi ante Communionem est præceptum confitendi simpliciter omnia peccata mortalia, quæ ante Communionem memoriæ occurrunt, & clavibus nunquam fuerunt subjecta; ut satis declarat praxis & usus fidelium. Ex quibus ad prob. maj. conc. ant. neg. conseq. Ad cujus probat. dico, præceptum annuæ Confessionis esse solùm præceptum confitendi omnia peccata mortalia, quæ post diligens examen pœnitenti sunt in memoria ante absolutionem, quod est præceptum confitendi formaliter integrè: veluti colligitur ex ipsis verbis præcepti relati in cap. *omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* ubi solùm dicitur, *ut saltem semel in anno confiteatur fideliter proprio Sacerdoti.* Quod sanè præstat, qui facit Confessionem formaliter integram.

In prima Confirmat. conc. ant. neg. conseq. ad Jubilæum enim sufficit Confessio legitimè peracta quæcunque. Imò ut pateat amplius, nullam esse paritatem, sic juvat arguere: si quis lucrari volens Jubilæum confessus sit peccata mortalia, & postea committat novum peccatum mortale intra tempus Jubilæi, non necessariò confitetur iterum, ut lucretur Jubilæum, sed sufficit elicere actum contritionis, per quem reponatur in statum Divinæ amicitiæ: ergo etiam, qui ante Communionem confessus est peccatum mortale, cujus sibi erat conscius, postea verò committit novum peccatum mortale, non tenetur id confiteri ante Communionem, sed sufficit elicere contritionem. Quam conseq. certè nullus admiserit.

Ad secundam Confirmat. respondeo, per illa verba, *quos conscientia peccati mortalis gravat*, non intelligi illos tantùm, qui adhuc existunt in statu peccati mortalis, sed eos, qui quomodolibet habent scientiam peccati mortalis necdum confessi; ut manifestè constat ex eo, quòd Concilium eo præcepto ad confitendum obliget etiam illos, qui se quantumcunque contritos esse existimant: de quibus non potest præsumi, quòd adhuc versentur in statu peccati mortalis. Unde istud præceptum (inquit Reding) æquiparatur præcepto Confessionis in articulo mortis obliganti ad confitendum omnia peccata, ita ut licèt quis confitendo omnia peccata memoriæ occurrentia ritè fuerit tunc absolutus, debeat tamen iterum confiteri ea peccata, quæ ante mortem adhuc revocantur in memoriam.

ARTICULUS II.

Utrùm Sacerdos teneatur ante Missam recitare Matutinum Officium?

SUMMARIUM.

1. *Sententia affirmans esse obligationem sub mortali.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Septuplex illius probatio.* 9. *Præfertur negativa sententia & probatur.* 10. 11. *& seqq. Respondetur ad Argumenta opposita.* 12. *Quid de recitatione Matutini & Laudum in Choro ante Missam solemnem?*

1 TEmpore P. Suarez, ut ipse scribit, fuit sententia valde communis, esse peccatum mortale celebrare Missam ante recitatum saltem Officium matutinum. Pro qua sententia Diana apud P. Tobiam Lohner in Instruct. pract. 1. p. 2. tit. 1. refert ultra 30. Authores. Eandem novissimè totis viribus adstruit Joannes Clericatus Præpositus Patavinus in decisionibus de Sacrif. Missæ decis. 50. Alia sententia hodie passim id negat, ac docet, esse peccatum solum veniale, vel omninò nullum.

2 Arguit autem Clericatus pro priori sententia sic primo, ex Rubricis Missalis, quarum prima est sub tit. *de Ritu serv. in Celebrat. Missæ.* ubi cap. 1. dicitur: *Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto &c.* Altera est sub tit. *de defectibus in Celebrat. Missar. occur.* cap. 10. n. 1. ubi inter alios defectus, qui possunt occurrere, etiam ponitur esse: *Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* In quibus Rubricis præcipitur recitatio Matutini cum Laudibus ante Missam. Quis autem negare audebit, Rubricas Missalis habere vim legis, & esse servandas? Præsertim, quia, ut

3 Arguit secundo, in decreto S. Congregationis Rituum, quod habetur impressum in principio Missalis, ita habetur: *Demum renovando decreta aliàs facta mandat Sacra Congregatio, in omnibus, & per omnia servari Rubricas Missalis Romani; non obstante quocunque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.* Atqui nefas est asserere, hoc decretum S. Congregationis non habere vim legis, & Ministros non obligare ad servandas Rubricas Missalis, & quidem in omnibus & per omnia; adeoque etiam in recitando Matutino cum Laudibus ante Missam.

4 Arguit tertio. Qui non obstante utraque illa Rubrica assereret, recitationem Matutini cum Laudibus ante Missam posse ad libitum omitti,

omitti, licitámque esse consuetudinem celebrandi ante eam recitationem, & ita impunè negligi, sperni, & mutari posse hunc Ritum, subjaceret excommunicationi latæ in Concil. Trid. sess. 7. can. 23. his verbis: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Prælatum mutari posse, anathema sit.* Cùm utique inter ritus receptos & approbatos ab Ecclesia Catholica sit etiam recitatio Matutini cum Laudibus ante Missam, sicut alia, quæ continentur in Rubricis Missalis.

5 Arguit quarto. Non excusatur à peccato mortali, qui operatur contra legem ex contemptu, veluti præter alios docet D. Thomas 2. 2. q. 86. a. 8. ad 3. tunc autem quis dicitur operari ex contemptu legis, quando agit contra dispositionem legis ex consuetudine, & per frequentatos actus destruit finem legis. Atqui hoc faciunt illi Sacerdotes, qui non semel aut bis ob aliquam justam causam, sed quotidie ex prava consuetudine, neglecta recitatione horarum Canonicarum celebrant Missam absque ulla devotione velut opus quoddam profanum ac levis momenti: cùm finis Rubricarum Missalis requirentium illam recitationem sit reverentia erga Sacrificium tanquam aliquod divinum opus.

6 Arguit quinto. Consuetudines anniversales antiquissimæ sunt obligatoriæ, & processerunt vel ex traditione, vel ex præceptis SS. Patrum; veluti probat Cardenas in Crisi Theol. tract. 3. disp. 23. cap. 5. a. 5. sed fuit antiquissima & universalis in Ecclesia consuetudo ante celebrationem Missæ recitandi officium Divinum, ad quod etiam populus conveniebat; sicut advertit Cardinalis Bona Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 1. n. 4. idque probat ex Socrate, S. Athanasio, & Georgio Pachymere, ac deinde subdit: *Nec aliena fuit ab hoc instituto Romana Ecclesia: nusquam enim legimus, vel in Ordine Romano, vel in libris Sacramentorum, Missarum solemnia prædicta fuisse, nisi priùs in Ecclesia Vigiliæ nocturnæ cum laudibus persolutæ essent. Quem ritum etiam nunc servandum esse docent Regulæ Missali Romano præfixæ, quibus horum celebrandi determinant.* Et quamvis hæc dicta videantur de celebratione Missæ solennis, idem tamen generaliter servabatur etiam ante celebrationem Missarum privatarum, prout testatur S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 4. Unde pronuntiat: *Qui nondum dictis Matutinis celebrat, mortaliter peccat, per text. in cap. in his rebus. dist. 11.*

7 Arguit sexto. In omnibus ferè Episcopatibus per Constitutiones Synodales prohibetur Sacerdotibus, ne faciant Sacrum, nisi saltem Matutinum cum Laudibus recitaverint. Atqui Constitutiones Synodales Diœcesanæ sunt leges habentes vim obligandi omnes & quoscunque de Diœcesi; ergo &c.

8 Arguit septimo Authoritate 45. Doctorum, quos ordine alphabetico recenset, qui omnes asserunt, peccatum grave esse ex malo habitu, & ex consuetudine, nulla legitima causa interveniente, Missam celebrare non persoluto debito Matutini & Laudum. Ex his Doctoribus, addit, plurimi sunt antiqui, pii, ac Sancti, videlicet S. Antoninus, S. Raymundus: quapropter ipsis potiùs adhærendum est, quàm modernis, secundùm illud Job cap. 12. v. 12. & 13. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.*

Huc addi potest, Societati Jesu à Summa Sede concessum esse privilegium celebrandi Missas ante recitationem Matutini ac Laudum, ut patet ex Brevi Julii III. S. Ignatio pro Confirmatione privilegiorum impertito, in quo Pontifex apud P. Illsung tr. 5. disp. 1. a. 4. ita loquitur: *Ut tu & Societas quietiùs & devotius in humilitate Spiritûs Altissimo gratum præbere positis famulatum, facultatem ac licentiam anteponendi & postponendi Divinum Officium, aliàs vobis concessam ad hoc, ut tu & pro tempore existentes Religiosi Societatis hujusmodi ex legitimis ac justis causis (in quo tuam & successorum tuorum Præpositorum Generalium pro tempore existentium, & aliorum, quos ad hoc substitueritis, conscientiam oneramus) Officium ipsum celebrationi Missæ liberè & absque scrupulo postponere positis, Authoritate & tenore prædictis extendimus & ampliamus.* Quod privilegiũ hocipso, quòd sit privilegium, supponit obligationem de jure cõmuni recitandi Matutinum & Laudes ante Missam. Verùm his non obstantibus,

9 Dico primo. Sacerdos non obligatur sub mortali peccato ad recitandum Matutinum & Laudes, priusquam celebret Missam, sive privatim, sive solemniter cantando. Ita Soto, Suarez, Valentia, Coninck; & alii, quos referunt & sequuntur Illsung loc. cit. ac recentissimè Augustinus Michel in Theol. Can. Morali parte 2. pu. 5. n. 20. estque hodie communior sententia.

Ratio est: quia non potest sufficienter ostendi, ex quo capite sit ejusmodi obligatio sub mortali. Nam inprimis certum est, neque à Christo, neque ab Ecclesia esse unquam expressè traditum. Deinde, quòd neque consuetudine sit introducta, ita cum P. Suarez declaratur. Tribus modis recitationem Officii & celebrationem Missæ considerare possumus ad præsens institutum. Primo ex parte temporis, quatenus unaquæque earum postulat certum ac definitum tempus, ut rectè peragatur. Secundo ita, ut una se habeat veluti dispo-

dispositio & præparatio ad celebrationem Missæ. Tertio quoad Ordinem solùm, id est, quòd in ordine & successione temporis una debeat alteram præcedere; sicut inter horas Canonicas una præcedit aliam. Atqui in nulla istarum considerationum est sufficiens fundamentum adstruendi consuetudinem, quæ obliget sub mortali ad recitationem matutini & Laudum præmittendam celebrationi Missæ. Non in prima: quia si culpa quædam inde contrahatur, quòd vel Missa nimiùm anteponatur Matutino, vel hoc nimis postponatur Missæ, merè per accidens est ad inversionem ordinis utriusque actionis, de quo hic agimus. Nam si Sacerdos solùm peccat vel per nimiam anticipationem noctu, vel per nimiam dilationem post meridiem legendo Missam, nihilominùs peccat, sive recitaverit Matutinum cum Laudibus, sive non recitaverit. Deinde ex hoc præcisè capite, licèt peccetur, nunquam tamen peccatur mortaliter, si utraque actio fiat intra legitimum tempus; nempe si Missa à summo manè usque ad meridiem celebretur; Matutinum verò ante elapsum totum diem naturalem, pro quo currit obligatio, recitetur.

Neque in secunda consideratione potest esse obligatio: cùm non possit ostendi, hanc recitationem esse institutam & præceptam ut necessariam dispositionem ad Missæ celebrationem. Ex consuetudine sola priùs recitantium ad summum colligi potest, talem ordinem inter has duas actiones servari solere, ut recitatio Matutini præcedat: quod totum fieri potest, quin intelligatur esse dispositio necessaria. nam & inter ipsas horas Canonicas una solet alteram præcedere, haud sanè, quòd sit dispositio ad illam, sed ratione ordinis.

Et licèt concedamus, recitationem ejusmodi præviam valdè conducere ad devotè sacrificandum, ut dicit Clericatus; inde tamen non sequitur, esse præceptam ab Ecclesia, præsertim sub peccato mortali, non enim Ecclesia præcipit omne id, quod ad celebrandam Missam cum majori devotione potest conducere. Nec Ecclesia unquam hanc talem præparationem specialiter designavit tanquã necessariam. licèt enim de illa mentio fiat in Missali, & admoneantur Sacerdotes, non tamen præcipitur: ut vel inde colligitur, quod ibidem quoque admoneantur Sacerdotes, ut priùs aliquantulùm vacent orationi, & tamen id non intelligitur esse præceptum.

Confirmatur. Si recitatio Matutini cum Laudibus esset præcepta tanquam necessaria dispositio ad celebrationem Missæ, non liceret ob solam ægritudinem, aliamve similem causam ordinariam celebrare sine illa; sicut non licet celebrare non servato jejunio, quamvis Sacerdos ob ægritudinem non possit esse jejunus. Sed conseq. est falsum; cùm planè constet apud omnes, eum, qui ob capitis debilitatem, aliamve similem causam non tenetur recitare officium Divinum, posse nihilominùs celebrare Missam; ergo &c.

Ex tertia quoque consideratione, quæ est quoad ordinem, non potest hic intervenire præceptum. Quia, licèt obtineat consuetudo, ut regulariter recitari soleat Matutinum ante Missæ celebrationem, id tamen non fit, ut servetur ordo inter illas duas actiones, sed ut singulæ exerceantur accommodatè suis temporibus, quatenùs una est officium nocturnum, altera diurnum: ex quo per accidens fit, ut Matutinum frequentiùs celebretur ante Missam. inde autem non rectè infertur, hunc talem ordinem esse præceptum; quippe cùm non sit per se intentus in ista consuetudine.

Deinde licèt admittamus, hanc consuetudinem esse introductam directè ad servandum ordinem, inde tamen non sequitur, ejus inversionem per se loquendo esse peccatum mortale: cùm ordo ille non sit res tam gravis momenti, neque enim ad cultum Dei, aut reverentiam Sacramenti, aliamve gravem finem, qui ad Deum, vel proximum pertineat, tantopere conducit. præsertim, cùm in præsenti nobis sermo sit solùm de officio Divino & Sacrificio, quæ fiunt privatim, ex quorum mutatione quoad ordinem nullum per se oritur scandalum, vel aliud grave incommodum.

Confirmatur. Magis per se præscriptus est ordo inter Matutinum & cæteras horas canonicas, quàm inter Matutinum & Missam, cùm horæ canonicæ sint ejusdem rationis inter se, constituantque unum officium Divinum, quale non constituit Matutinum cum Missa. Atqui recitare alias horas ante Matutinum non est peccatum mortale; quia illa inversio ordinis præcisè sumpta censetur esse materia levis; ergo etiam celebrare Missam ante recitatum Matutinum non est peccatum mortale; quia hæc inversio ordinis similiter est solùm materia levis.

Dico tamen secundo. Celebrare Missam absque legitima causa ante recitatum Matutinum cum Laudibus est peccatum veniale, Ita Authores pro priori Concl. citt. Ratio est: quia inprimis credibile est, consuetudinem recitandi ante Missam introductam esse ratione ordinis, quem proinde absque legitima causa non servare erit peccatum saltem veniale. Deinde licèt negetur consuetudo sub illa ratione, aliunde non excusabitur à peccato veniali Sacerdos, eò quòd irrationabiliter & citra legitimam causam nimis indecenter Missæ postponat recitationem Officii Divini. Accedit, quòd hoc saltẽ probent argumenta

menta sententiæ contratiæ. Denique obligationem sub veniali saltem imponi ob hanc etiam causam expediebat, ut Sacerdotes prævia ejusmodi oratione magis disponerentur ad devotiùs celebrandum, utque frequentes caverentur errores, qui vel in delectu, vel in ipso progressu Missæ committi solent, nisi Officium Divinum, quoad Matutinum & Laudes saltem; fuerit recitatum. Sed jam res monet, ut argumentis contrariis satisfaciamus.

10 Ad primam respondeo, quod attinet ad priorem locum Missalis, ex illo ne quidem obligationem sub veniali colligi. Cùm ibidem Sacerdoti celebraturo etiam dicatur, ut post recitatum Matutinum cum Laudibus *Orationi aliquantulum vacet*, antequàm inchoet Sacrificium, cujus tamen nulla obligatio agnoscitur etiam ab Authoribus adversis. Ad posteriorem locum dico, ex eo præcisè, quòd non recitatio Matutini ac Laudum ante Missam ponatur inter defectus, non rectè inferri obligationem gravem priùs recitandi: cùm defectus alii sint graves, alii leves. Ad vitandos defectus Missæ graves datur obligatio gravis, ad vitandos leves datur levis. Quòd non recitâsse Matutinum & Laudes ante Missam sit defectus gravis, necdum probatum est sufficienter. Nos interim habemus pro defectu levi.

11 Ad secundum respondeo, Rubricas Missalis etiam merè directivas, & quæ pertinent ad decentiam tantùm, esse accuratè observandas, cavendumque, ne ritus in eisdem non præscripti adhibeantur. De cætero, licèt illud decretum Sacræ Congregationis obliget ad servandas Rubricas Missalis, non tamen obligat ad omnes æqualiter, sed obligat instar aliarum legum pro conditione subjectæ materiæ, scilicet in gravi graviter, in levi leviter.

Porro, ut facilius cognoscas, quænam
12 Rubricæ obligent; item, quæ graviter obligent, quæ non, ex P. Tobia Lohner in Instruct. cit. p. 1. §. 2. observa sequentia.

Primo. Quandocunque negliguntur tam multæ cæremoniæ, ut juxta moralem hominum existimationem censeatur observari novus, & alius ritus celebrandi, quàm is, qui præscriptus est in Missali, mortale peccatum committitur: quia Pius V. in Bulla Missali præfixa in virtute sacræ obedientiæ mandat, ut Missæ juxta Ritum & Cæremonias sui Missalis celebrentur.

Secundo. Quando in Rubricis dicitur, *gravissimè*, *graviter* peccat, certissimum est, per illarum transgressionem peccari mortaliter, nisi excuset inculpabilis ignorantia, aut inadvertentia. Septies autem ita dicitur in Rubricis, ubi de defectibus Missæ agitur.

Tertio. Si materia, de qua tractat Rubrica, pertinet ad substantiam vel integritatem Sacramenti seu Sacrificii, ejus omissio peccatum mortale est.

Quarto. Etiam illæ Rubricæ sunt habendæ pro præceptivis & obligatoriis, & quidem sub peccato mortali, circa quas est concors Doctorum sententia, quòd sint de re gravi.

Quinto. In Missis Conventualibus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum quædam Rubricæ sunt strictioris juris. Talis est Rubrica de concordia Missæ Conventualis cum Officio: ad hanc enim Collegiatæ Ecclesiæ sæculares tenentur ratione stipendii sui. Collegiatæ Regulares ad eandem obligantur vi Regulæ & consuetudinis, quæ est interpres Regularum.

Sexto. Propè præceptivæ sunt illæ Rubricæ, de quibus disputant Doctores, an obligent sub mortali? Tales sunt de Matutino & Laudibus ante Missam recitandis, de Mappis tribus, de Luminaribus cereis.

Septimo. Dubiæ, an sint præceptivæ, habendæ sunt illæ Rubricæ, de quibus Doctores utrinque disputant, an obligent aliquo modo? Tales sunt de principio Auroræ, de Cruce in Altari, de Orationibus ante Missam, ad vestes, & post Missam &c.

Nunc ad tertium argumentum respon- 13
deo, ex illo nihil contra nos colligi. non enim asserimus, præviam illam recitationem pro libitu omitti, aut hunc ritum impunè negligi, sperni & mutari posse: cùm dicamus, ad illum servandum dari obligationem sub veniali saltem.

Ad quartum respondeo inprimis, illo 14
probari, quod etiam Rubricæ Missalis merè directivæ obligent sub mortali. nam & istarum finis est reverentia erga Sacrificium tanquam Divinum aliquod opus, contraque eas operari ex contemptu peccatum mortale est. Deinde licèt operari contra legem ex contemptu sit peccatum mortale, quando operanti constat pro certo, legem, ejusque obligationem existere, non tamen est peccatum mortale, quando id non constat, sed potiùs est probabilius eam non existere, quàm existere. Atqui legem & obligationem gravem recitandi Matutinum cum Laudibus, ante Missam probabilius est non existere, quàm existere. Demum, hoc argumentum, siquid probaret, solùm probaret, Sacerdotem peccare mortaliter, si dictum Officium valdè frequenter non recitet ante Missam, non autem, si rarò non recitet, v. g. ter, aut quater; quia nunc non operatur contra legem ex consuetudine, adeoque sine contemptu legis. hoc autem non esse ad mentem sententiæ oppositæ,

patet

patet ex aliis ejusdem rationibus, quæ, si probè inspiciantur, volunt, Sacerdotem toties peccare mortaliter, quoties absque legitima causa ante celebrationem Missæ non recitat.

15 Ad quintum respondeo primo, ut ipse Clericatus suggerit, antiquissimam & universalem illam consuetudinem obtinuisse de recitatione publica ante celebrationem Missæ solemnis, non autem de recitatione privata ante celebrationem Missarum privatarum. Quodsi contendas, Authores testari, etiam de hac celebratione privata viguisse consuetudinem, uti possumus testimonio Navarri in cap. *placuit dist.* 6. apud P. Suarez dicentis, non esse credendum multis Authoribus asserentibus aliquam consuetudinem, nisi ab eis probetur. Respondetur secundo, licèt admittamus, introductam esse hanc talem consuetudinem, inde tamen non rectè inferri, illam transgredi esse peccatum etiam veniale: quia non omnis consuetudo introducitur cum aliqua obligatione: sicut patet in consuetudine confitendi peccata venialia; dicendi Salutationem Angelicam ad trinum pulsum &c. Nobis tamen aliunde probabilius videtur, non recitare Officium Matutinum ante Missam esse peccatum veniale saltem.

16 Ad sextum respondeo, inde plus non colligi, quàm obligationem sub veniali. Constitutiones enim Synodales more aliarum legum obligant juxta conditionem subjectæ materiæ, graviter in gravi, leviter in levi. Atqui ordo ille servandus inter Officium Matutinum & Missam non est gravis materia, sed levis tantùm; sicut ordo inter Officium Matutinum & cæteras horas Canonicas est materia levis.

17 Ad septimum respondeo, omni veneratione dignam esse Authoritatem Doctorum antiquorum, eisque potiùs adhærendum quàm modernis seu junioribus, quamdiu juniores non deregunt novas rationes, quibûs firmiùs suadeatur sententia ipsorum placito contraria, ostendaturque, ipsos non attulisse argumenta convincentia.

18 Ad illud demum, quod additur de privilegio celebrandi Missam ante recitatum Matutinum cum Laudibus concesso Societati Jesu, similiter dicitur, id solum supponere de jure communi obligationem sub veniali ante Missam hoc Officium recitandi; idque privilegium fuisse datum ad tollendos scrupulos.

19 Dico jam tertio. Quamvis etiam publica recitatio Officii Divini in Choro nullum per se ordinem habeat cum Missa, regulariter tamen non potest publica & solemnis Missa diei celebrari ante recitatum in choro idem Officium; imò nec ante Primam, sine gravi peccato. Ita Suarez, Castropalao, & alii.

Ratio primæ partis est ex dictis: quia Officium Missæ est omnino aliud ab horis Canonicis, tam in Choro, quàm extra Chorum; tam in Missa solemni, quam in privatis: adeoque nulla est ratio, cur inter illa ordo per se requiratur.

Ratio secundæ partis est: quia ad bonum commune, & bonum regimen Ecclesiæ spectat, ut hic publicus Dei cultus præscripto tempore ac ordine peragatur; non posset autem hic ordo & tempus præscriptum ad Missam, vel Matutinum non inverti notabiliter, si Missa solemnis celebraretur ante Matutinum in Choro recitatum: ergo ex hoc capite graviter peccaretur. Oriretur quoque grave scandalum, si aliter fieret.

Hoc tamen intelligendum est de illis Ecclesiis, in quibus est obligatio & recepta consuetudo horas Canonicas publicè recitandi. nam secluſa tali obligatione potest sine peccato celebrari Missa solemnis ante recitationem Officii Divini in Choro: cùm enim inter hæc, ut diximus, non sit ordo per se, potest, cessante obligatione unius, unumquodque fieri solùm suo tempore. Immo etiam de iisdem Ecclesiis, in quibus est dicta obligatio, hoc intelligendum est regulariter & moraliter: nam in raro aliquo Casu Missa solemnis recitationi Officii in Choro præmitti posset sine culpa: duabus tamen servatis conditionibus, nempe, ut vitetur scandalum, vel gravis quædam & publica causa intercedat. Ita Suarez cit. Ex dictis.

Colligitur, nullum esse peccatũ etiam ve- 20
niale celebrare Missam ante recitatum Matutinum cum Laudibus, si id fiat ex rationabili causa. Loquimur autem de Missa non solemni, & de recitatione extra Chorum. Docent ita omnes ferè Authores, etiam primæ opinionis. Cæterùm causa rationabilis & in præsenti sufficiens esse censetur, quæ satis esset ad differendam Matutini recitationem toto illo tempore absque culpa veniali, vel alia similis saltem mediocris: ut, si instet hora legendi Missam, & populus, vel aliqua gravis persona exspectet; vel commodum tempus ad Missam legendam elabatur, ut habet Soto l. 10. de Just. Q. 5. a. 4. Et potest hæc illatio confirmari ex eo, quòd invertere ordinem inter Officium Matutinum, & alias horas Canonicas, si ex aliqua rationabili causa fiat, nullum sit peccatum etiam veniale: ergo neque peccatum erit etiam veniale invertere ordinem inter Officium Matutinum & Missam, si id fiat ex rationabili causa.

ARTICULUS III.

De dispositione ex parte corporis.

SUMMARIUM.

1. *Ea dispositio corporis est necessaria, per quam excludatur omne periculum irreverentiæ.* 2. *Quid de morbo caduco &c. laborantibus statuerit Jus Canonicum.* 3. *De lotione manuum an sit necessaria?* 4. *Jejunium aliud Ecclesiasticum aliud naturale.* 5. *Statuitur & prob. necessitas jejunii naturalis.* 6. *Solvitur Objectio.* 7. *Limitatur asserta conclusio.* 8. *Corollarium.* 9. *Respondetur ad varia quæsita, quorum resolutio hic utilis.*

1 PRæter jejunium naturale, de quo hic agemus ex instituto, ea necessaria est dispositio corporis ad licitè celebrandum Missæ Sacrificium, quæ excludat omne periculum irreverentiæ, vel relinquendi Sacrificium inchoatum. Atque hinc in Jure Canonico arcentur à munere sacrificandi omnes illi, qui caduco morbo, capitis vertigine, aliaque simili ægritudine laborant: quod idem intellige de iis, qui patiuntur periculum vomitûs, vel aliquid hujusmodi: quia tunc sacrificari non posset in tali dispositione citra morale periculum irreverentiæ tanto Mysterio inferendæ.

2 Unde in eodem Jure cavetur non tantùm, ut ii, qui morbo caduco laborant, priùs curentur, quàm ad Altare accedant, sed etiam, ut, postquam convaluerunt, per annum probentur, & non nisi ita probati celebrare sinantur. Quod in aliis quoque ægritudinibus, quæ cum tali periculo conjunctæ sunt, servata proportione servandum est, ut monet Suarez. Ubi verò nullum intervenit periculum irreverentiæ, sed solùm horror quidam, ut in lepra, & similibus, non prohibetur omnino celebratio Missarum; sed solùm, ut non publicè fiat.

3 Ex quo etiam colligitur, necessariam esse, ut celebratio cum decenti munditia corporali instituatur, quantùm dictat recta ratio, & ideo juxta regulas Missalis Sacerdos, dum ad celebrandum se accingit, manus corporaliter lavat. licèt enim hoc sit institutum ad significandam etiam spiritualem munditiam, qua præditus esse debet celebraturus, simul tamen fit propter munditiam corporalem: nec facilè est omittendum; quamvis non videatur esse materia rigorosi præcepti, inquit Suarez cit.

4 Nunc ad jejunium ut veniamus, sciendum est, duplex dari jejunium, scilicet morale, sive Ecclesiasticum, quod importat unam refectionem in die, & naturale, quod consistit in abstinentia à qualibet re etiam modica, quæ se habeat per modum cibi aut potûs. Unde inter utrumque hoc jejunium id interest discriminis, quod respectu jejunii Ecclesiastici non imputetur ad culpam, saltem grayem, dum quis sumit modicum aliquid cibi, neque prohibita sit in illo sumptio medicinæ, vel potûs. Quod aliter se habet in jejunio naturali: per hoc enim quicunque cibus vel potus etiam modicissimus excluditur. Jam

5 Dico. Ut Sacerdos licitè celebret Missam, per se loquendo debet esse jejunus jejunio naturali. Ita D. Thomas 3. p. q. 80. a. 8. & uno ore omnes Doctores Catholici. Est autem hoc jejunium ita computandum, ut à media nocte usque ad tempus celebrationis Sacerdos nihil sumpserit per modum cibi aut potûs.

Prob. concl. Authoritate Conciliorum. Nam in Concil. Brachar. I. c. 16. & in Brachar. II. can. 10. prohibetur, *ne aliquis quocunque cibo præsumpto Oblationem consecret in Altari.* In Concil. Tolet. VII. can. 2. *ut nullus post cibum, potumque, quamlibet minimum sumptum Missas facere præsumat.* In Concil. Constantiensi sess. 13. *Sacrorum Canonum Authoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam &c.* Ex quibus consequenter patet, esse præceptum Ecclesiasticum consuetudine firmatum, ne quis celebret Missam non jejunus jejunio naturali, Quam consuetudinem ab Apostolis profluxisse testantur S. S. Epiphanius lib. 3. contra hæres. cap. ult. Augustinus Epist. 118. cap. 5. Isidorus lib. de Divin. Offic. cap. 18. redditque rationem illius Concilium Matisconense II. can. 6. *ne scilicet cælesti & spirituali cibo terrenus præponeretur.* Eandem rationem indicat D. Thomas 3. p. q. 80. a. 8. dum ait, hoc jejunio in communicaturis requisito *dari intelligi, quòd Christus (qui est res hujus Sacramenti) & charitas ejus, debet primo fundari in cordibus nostris, secundùm illud Matth. 6. Quærite primùm regnum Dei.*

6 Objicies, Christus ipse in ultima Cœna sacrificavit & sumpsit suum Corpus & Sanguinem non jejunus ac insuper utrumque

dedit

dedit sumendum Apostolis non jejunis, nempe post esum Agni Paschalis. Præterea, Christiani primitivæ Ecclesiæ feriâ quintâ majoris hebdomadis ob singularem memoriam illius Cœnæ Dominicæ Eucharistiam solebant suscipere jam fracto jejunio naturali.

Respondeo, non omnia, quæ Christus in hoc genere fecisse legitur, à nobis trahi posse in exemplum. Nam dicitur etiam consecrâsse Emmaunte sub una tantùm specie; quod nobis imitari planè est illicitum. Porrò illa consuetudo primitivæ Ecclesiæ abrogata est in Concil. Tolet. VII. cap. 2. ut perhibet Oberascher in Ara cœli, cap. 3. pag. 162.

7 Dixi autem in concl. *per se loquendo*. Dantur enim aliqui casus, in quibus per accidens evenit, ut Sacerdoti licitum sit celebrare, & sumere Eucharistiam non jejuno.

Primus casus est, si Sacerdoti non jejuno incumbat necessitas perficiendi Sacrificium: quod fieri potest multipliciter. Primo. Quando pro speciebus vini sumpsit aquam loco vini per errorem infusam calici, tunc enim tenetur de novo consecrare vinum, ac sumere ejus species. Secundo. Quando Sacerdos, qui celebrat, post consecrationem moritur: tunc enim alius etiam non jejunus, si desit jejunus, debet Sacrificium perficere. Tertio. Quando post consecrationem unius speciei recordatur Sacerdos, se non esse jejunum: tenetur enim pergere & Sacrificium absolvere. Quarto, Quando Sacerdos post sumptam ablutionem advertit, in patena vel corporali remansisse aliquas reliquias à se in eodem Sacrificio consecratas: nam istas potest absumere, tametsi grandiusculæ sint, quamdiu ab Altari non recesserit; quia absumptio talium reliquiarum refertur ad unum idemque Sacrificium, quod non plenè censetur absolutum, quamdiu Sacerdos in Altari persistit. Ita Coninck, Vasquez, Suarez, Layman, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses tract. 4. de Sacram. Euchar. cap. 7. pu. 4. n. 80. ubi etiam monent, laico, aut Sacerdoti more laico communicanti non esse reliquias præbendas post ablutionem: quia hic talis post acceptam Communionem finivit convivium; nec pertinet ad aliquod illius ministerium reliquias absumere.

Secundus casus est, quando oriretur grave scandalum, nisi Sacerdos celebraret etiam non jejunus. v. g. si Parochus alicujus oppidi in festo Paschæ recordaretur, se non esse jejunum, nec speraret, se populo satisfacturum id manifestandô, sed potiùs timeret periculum gravis infamiæ, & malarum de se suspicionum. Tunc enim celebrare posset etiam non jejunus. Cùm enim lex ista jejunii sit positiva, non est putandum, quòd obliget cum tanto onere. Ita Suarez Salmanticenses citt.

Tertius casus est, quando jejunium violatur in ipsa Communione. veluti contingit primo in die Parasceves, dum particula hostiæ consecratæ vino inditur ac postea sumitur: tunc enim, moraliter loquendo, priùs sumitur aliqua pars vini, quam particula consecrata. Secundo si particula hostiæ consecratæ, quæ Sanguini fuit commixta, adhæreat calici post sumptionem Sanguinis: tunc enim vino iterum atque iterum infuso sumi potest, idque fieri videtur decentiùs, quàm si digito propellatur. Tertio, dum totus calix consecratus non hauritur à Sacerdote penitus jejuno: quia in prima ablutione semper aliquid remanet vini consecrati, quod sumitur cum non consecrato. Quanto, si hostia, dum eam Sacerdos conatur sumere, palato adhæreat, in quo eventu poterit iterum, iterumque ablutionem sumere, ut eandem propellat, licèt necesse sit, vinum priùs descendere in stomachum. Quia in hoc aliisque casibus modò memoratis violatio jejunii non censetur moraliter loquendo fieri ante Communionem. Salmanticenses.

Quartus casus est, quando Sacerdoti intentatur mors, nisi celebret etiam non jejunus. tunc enim celebrare potest, dummodo ejusmodi celebratio non petatur ab ipso in contemptum Ecclesiæ & præceptorum illius, sed in ordine ad alium finem, v. g. ad audiendam Missam. Salmanticenses & alii.

Quintus Casus est, quando occurrit extrinseca ac veluti gravis & extrema necessitas ex parte ipsius Sacramenti, ut consumatur, eò quòd alias illi gravis irreverentia foret irroganda, v. g. quia vel combureretur, vel deveniret in manus hæreticorum, aut infidelium, à quibus injuriosè tractaretur &c. sicut enim, ut dixit S. Bernardus in lib. de præcepto & dispensat. quæ propter charitatem introducta sunt, non debent contra charitatem militare, ita etiam dicere possumus, inquit Suarez, quod propter reverentiam Sacramenti introductum est, non debet contra reverentiam Sacramento debitam militare. Atqui consuetudo seu præceptum jejunii naturalis introductum est propter reverentiam Sacramenti Altaris; ergo.

Ex concl. statuta, ejusque ratione colligitur, in præcepto jejunii naturalis, de quo in præsenti agimus, non dari parvitatem materiæ; prout habet communis Doctorum consensus. Ratio est primo. Quia licèt Eccle- 8

sia non possit prohibere graviter materiam levem secundùm se, potest tamen prohibere graviter, aut etiam præcipere materiam levem in ordine ad finem gravem, si cum illo habeat magnam connexionem, aut multùm conducat ad eundem; sicut v. g. graviter præcipit guttam aquæ in calicem mittendam propter mysterium & significationem, quæ est res gravis. Cùm proinde Ecclesia jejunium naturale præcipiat ad significandum, quòd Christus sit primus cibus noster, isque finis sit gravis, & ad eundem simpliciter necessaria abstinentia à qualibet levi materia in genere cibi ac potûs, meritò censetur graviter prohibuisse quamlibet sumptionem modicissimi cibi ac potûs. Et consequenter licèt materia hujus præcepti possit esse levis secundùm se, sive materialiter, semper tamen est gravis formaliter, id est, per ordinem ad significationem tanquam per se intentum.

Ratio est secundo. Quia hoc præcepto Ecclesiastico non prohibetur directè sumptio cibi vel potûs, sed sumptio Eucharistiæ post sumptum quemlibet cibum aut potum; sicuti patet ex Concil. Tolet. VIII. can. 2. ubi dicitur: *Nullus post cibum potumque, quamlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat.* Atqui sumptio Eucharistiæ semper est gravis materias ergo. Cæterùm de hoc eodem præcepto jejunii naturalis multa quæri possunt, quorum resolutio ad praxin est scitu necessaria. Nos aliqua saltem resolvemus.

9 Quæritur autem primo, an Sacerdos non jejunus possit celebrare ad dandum viaticum alioquin absque sumptione Eucharistiæ morituro? Prima sententia affirmat, eamque probabilem esse reputant Filliucius to. 1. tr. 4. n. 242. & aliis relatis Card. de Lugo ubi suprà sect. 3. n. 67, quamvis non in ea amplitudine, in qua eam tenet Major apud P. Suarez dicens, Sacerdotem propter ejusmodi necessitatem posse sine vestibus sacris hoc Sacramentum conficere, & sine pane azymo, & sine integritate Sacrificii, secretè accipiendo frustum panis, & conficiendo, & dando ægroto. Seclusâ hac amplitudine existimat Layman, propter ejusmodi proximi necessitatem esse licitum celebrare non jejuno, quando is nullum aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis potest suscipere, & abest scandalum.

Secunda sententia negat, id esse licitum, eamque ut probabiliorem communiter tradunt Authores. Ratio vero est: quia Sacramentum Eucharistiæ, sicut majoris est dignitatis, ita minoris est necessitatis: ergo in casu nostræ quæstionis major est habenda ratio reverentiæ, quæ debetur tanto Sacramento, quàm necessitatis proximi. Consequ. prob. quia inprimis hæc necessitas non est necessitas simpliciter seu medii. Deinde necessitas præcepti tunc neque urget ex parte sumentis; quia non potest sumere, nisi sit, qui possit ritè præbere. Non ex parte dantis; quia solùm tenetur dare, quando convenienter potest, nempe cum debita reverentia exteriori, rituque præscripto ab Ecclesia, quæ propterea maternâ providentiâ pridem instituit, ut semper asservetur Euchàristia pro infirmis, ne propter similes eventus ejusdem perceptione carere cogantur.

Confirmatur. Sàcerdos non potest propter dandum infirmo viaticum licitè celebrare sine vestibus sacris, aut sine Altari, aut in pane fermentato, ut contra Majorem fatentur communiter Theologi: ergo nec poterit celebrare absque jejunio. Consequ. ex illo colligitur, quòd præceptum jejunii non minùs sit grave, quàm præceptum consecrandi in azymo, celebrandi in Altari & vestibus sacris. Accedit, quòd huic sententiæ vel maximè faveat consuetudo Ecclesiastica, quæ est optima præceptorum interpres.

Dices primo. Ex argumento facto, ejusque Confirmat. sequitur, Sacerdotem nequidem propter suam necessitatem, dum nempe versatur in probabili periculo mortis, posse celebrare non jejunum ad conficiendum sibi viaticum, si illud aliunde non supperat. Immò sequitur, non posse viaticum in simili periculo dari ægroto cuicunque, si non sit jejunus. Sed utrumque Consequ. est falsum. seq. verò utraque facilè colligitur, quia tunc similiter Eucharistia non est Sacramentum necessitatis, estque habenda major ratio reverentiæ erga ipsam: ergo.

Respondeo neg. utramque seq. quia Ecclesiastica consuetudo & praxis sufficienter declarat, in propria necessitate hominis communicaturi, quæ moraliter sæpe accidit, non obligare præceptum jejunii.

Dices secundo. Præceptum Divinum debet præponderare præcepto Ecclesiastico, atqui præceptum in articulo mortis sumendi Eucharistiam est Divinum, præceptum verò sacrificandi cum jejunio est Ecclesiasticum; ergo præceptum Eucharistiam præponderare debet: adeoque Sacerdotem, ut moribundus impleat hoc præceptum, oportet celebrare etiam non jejunum.

Respondeo primo, hoc totum esse solvendum objicientibus in præceptis celebrandi in Altari, in vestibus sacris, in pane azymo, quæ similiter sunt Ecclesiastica, & tamen constat, eisdem non præponderare in præsenti præceptum Divinum sumendi Eucharistiam.

Respon-

Respondeo secundo, maj. posse subsistere, quamdiù præsumitur, adesse obligationem præcepti Divini; secùs, ubi cessat hæc præsumptio; sicuti cessat in casu nostro; velut ostendimus.

Dices tertio. Potest Sacerdos in ejusmodi necessitate proximi celebrare sine Confessione cum sola contritione, quamvis sit præceptum præmittendi Confessionem: ergo etiam poterit celebrare absque jejunio.

Respondeo neg. conseq. quia Confessio præcipitur tanquam medium ad justificationem, quæ est dispositio ex parte animi necessaria ad Communionem: deficiente autem illo medio suppetit aliud, per quod eadem dispositio procuretur, nempe contritio, per quam proinde suppleri potest Confessio: atque hoc ipso fit, ut præceptum, hoc Confessionis sæpius non obliget. Jam verò jejunium est dispositio exterior, quæ nec suppleri potest, nec procurari, si non adsit, per aliud medium. Deinde rursus instari potest in aliis præceptis Ecclesiasticis.

Quæritur secundo, an certum esse debeat Sacerdoti, quod non sit jejunus, ut abstinere teneatur à celebrando & communicando? Respondeo, debere esse certum tali certitudine, quæ excludat omne rationabile dubium de opposito. Ratio est: quia præceptum jejunè celebrandi & communicandi non est impositum dubitantibus, sed certò scientibus, se non esse jejunos; uti cum plurimis docet Illsung referens P. Gobat in Alphab. Communic. n. 280. idque hac ratione probat. Licèt præceptum jejunii sit certum, ejus verò observatio sit dubia; ideoque præceptum videatur esse in possessione; quia tamen est præceptum negativum de non ponenda actione comedendi aut potandi ante Communionem, ideo communicans est potiùs in possessione sui juris seu licentiæ ad communicandum, quamdiu non probatur, positam esse ejusmodi actionem contrariam legi jejunii. Atqui hoc non probatur, quamdiu manet dubium rationabile, & non evertitur per certitudinem; ergo. &c. Et ideo, qui cœnam eò usque protraxit, ut dubitet, an extenderit ultra mediam noctem; item, qui dubitat, an inter masticandum, aut os eluendum aliquid deglutiverit, poterit manè celebrare & communicare.

Quæritur tertio, quousque duret obligatio legis de jejunio naturali? Respondeo, durare tantùm usque ad Communionem. Ratio est: quia neque ex Conciliis, quæ requirunt jejunium prævium; neque ex consuetudine Ecclesiæ; neque ex ipsa intentione legis colligitur, illud esse ulteriùs extendendum: quamvis modica quædam prorogatio communiter suadeatur cum S. Chrysostomo homil. 25. in 1. ad Corinth. ubi ait: *Quid igitur jejunare oportet post ejus acceptionem? Non hoc dico, nec cogo, licèt bonum sit; non tamen compello, sed admoneo.*

Neque obstat cap. *tribus gradibus de Consecrat. dist.* 2. ubi Clemens II. statuit prorogationem jejunii per aliquot horas: nam respondetur, illud cap. esse abrogatum; sicut superiùs diximus, abrogatum esse cap. *Sacramenta. de Consecrat. dist.* 1. quod concessit in die Cœnæ Domini sumptionem cibi profani ante spiritualem S. Eucharistiæ.

Itaque nullum exstat præceptum post sumptionem Eucharistiæ jejunandi ulteriùs. Ob reverentiam tamen Sacramenti procul dubio est valde conveniens, ut quis abstineat à cibo & potu, donec species fuerint consumptæ: quod in Sacerdote fieri intra quadrantem horæ docet Card. de Lugo. Alii verò apud Salmanticenses notant, id celeriùs fieri in habentibus validum stomachum, quàm in habentibus debilem; in omnibus tamen intra horam; referuntque exemplum cujusdam infirmi, qui post mediam horam species adhuc integras ejecit.

Quæritur quarto, an ad licitè celebrandum & communicandum sit necessarium, ut cibus pridie sumptus interveniente somno fuerit digestus? Occasionem quærendi præbet cit. cap. *Tribus gradibus*, ubi dicitur, hunc sacrum cibum non esse profanis cibis miscendum. & cap. *Si constiterit. de Accusat.* ubi punitur Sacerdos, qui post cibum præcedente nocte sumptum, nulla dormitione interposita, Missam legerat die sequente.

Sed respondeo, id non esse necessarium. Ratio est: quia nullo jure præscribitur. Quod enim in præsenti cavetur lege Ecclesiastica, solùm est, ut nihil cibi vel potûs eo die sumptum sit ante Communionem, quod re ipsa totum servatur in casu præsentis quæstionis. Atque hinc sequitur, Sacerdotem, qui in Vigilia Nativitatis Domini prope mediam noctem cibum sumpsit, posse post mediam noctem celebrare, tametsi non dormiverit, cibumque dormiendo digesserit.

Ad Jus Canonicum in cap. *Tribus gradibus*. respondeo ut antea, ejus rigorem per contrariam consuetudinem quoad hoc quoque esse abrogatum. Vel dici potest, ibi plus non prohiberi, quàm ne sacer cibus misceatur profanis antecedenter sumptis eodem die, idque ob rationem nostræ Concl. *ut in honorem tanti Sacramenti os Christiani priùs Dominicum corpus intret, quam cæteri cibi*. veluti dicitur in cap. *Liquido de Consecrat. dist.* 2. Atque hinc etiam fit, ut non sit necessaria interpositio somni ad digestionem cibi pridie sumpti: cùm nullum de hoc exstet præceptum, & viri sancti integras

gras sæpe noctes traduxerint insomnes in vigiliis & orationibus, ac postea statim celebraverint Missam. in cap. *Si constiterit*, punitus est Sacerdos non propter hoc, quòd celebraverit absque præmisso somno, sed, quòd tota præcedente nocte fuerit in taberna, indeque se contulerit ad publicam Missam cantandam: adeoque punitus est propter scandalum & propter irreverentiam; & quia vehemens poterat esse præsumptio, illum ultra mediam noctem fuisse pergræcatum.

DISPUTATIO VIII.

De Tempore celebrandi Sacrificium Missæ.

HÆc disputatio dupliciter institui potest. nimirum quibus diebus; ac deinde, qua hora diei licitum sit celebrare Missæ Sacrificium? De neutro istorum aliquid habemus ex institutione Divina, quod respondeamus. Suppetunt tamen determinationes Ecclesiæ, ad quas in explicandis, quæ hic occurrunt, difficultatibus animum advertere oportet.

ARTICULUS I.

An Sacerdos possit, vel debeat singulis diebus celebrare?

SUMMARIUM.

1. *Error Sectariorum.* 2. *Singuli Sacerdotes non tenentur celebrare quotidie.* 3. *Id tamen facere est eis licitum & consulendum.* 4. *An licitum sit Missas privatas celebrare feria quinta hebdomadis sanctæ?* 5. *An die Parasceves?* 6. *An Sabbatho sancto?* 7. *An tunc ante Missam solemnem?*

1 HÆretici nostrorum temporum improbant quotidiana singulorum Sacerdotum Sacrificia; quia majori ex parte nonnisi privatim fiunt; ipsi verò Missas privatas detestantur. Et ideo unam tantùm communem cœnam Dominicam in singulis populis vel Parochiis quotidie fieri volunt. Sed hæc eorum doctrina est hæretica, & quidem ex duplici principio hæretico. Primum est, quòd non liceat Missam privatam celebrare, in qua fideles non communicent. Secundum, quòd in peragendo hoc mysterio servare oporteat omnes circumstantias accidentales, quibus peracta fuit Cœna Dominica. Sed his omissis, notabiles sunt sententiæ quorumdam ex Catholicis apud P. Suarez, quorum aliqui per extremum asseruerunt, Sacerdotem quemlibet debere quotidie celebrare. Alii non obligant quidem ad quotidie celebrandum singulos ratione Ordinis, ad hoc tamen obligant Parochos ratione officii. Sed qualiter tum ratione Ordinis, tum ratione Officii Parochialis sit obligatio celebrandi, in disp. 6. exposuimus. Nunc de quotidiana celebratione.

2 Dico primo. Singuli Sacerdotes non tenentur celebrare quotidie Sacrificium Missæ. Ita certa sententia. Ratio est: tum, quia ex nullo jure sive naturali, sive Divino, sive humano potest ostendi hæc talis obligatio. Tum, quia contrarium fieri videmus à multis Sacerdotibus piis & timoratis, qui interdum aliquo, vel aliquibus diebus non celebrant; imò aliqui hoc etiam consulunt ad excitandam majorem Sacrificii reverentiam.

3 Dico secundo. Non solùm licitum, sed per se loquendo etiam melius & consultum est, ut quilibet Sacerdos quotidie celebret, circumscriptis tribus diebus Majoris Hebdomadis. Hæc est etiam communis & certa Theologorum sententia.

Prob. primo ex consuetudine Ecclesiæ, quam hodieque vigere experimur; & in antiquissimorum Patrum monumentis legimus. Ita S. Andreas Apostolus ad Ægeam dixit: *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie immaculatum Agnum in Altari.* S. Hyppolytus autem Martyr in Orat. de consum. Mundi Christum Judicem sic inducit loquentem ad Sacerdotes: *Venite Pontifices, qui purè mihi Sacrificium die noctèque obtulistis, ac pretiosum corpus & sanguinem meum quotidie immolâstis.* Et S. Augustinus epist. 23. scribit: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in Sacramento, non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur?* S. Cyprianus epist. 54. *Ut Sacerdotes, qui Sacrificium Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Demum S. Gregorius homil. 37. in Evang. meminit Cassii Narnien sis Episcopi, *cui mos erat*

quo-

quotidianas Deo hostias offerre, ita ut penè nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non Omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Narratque inferiùs, hanc ejus Episcopi consuetudinem speciali revelatione fuisse à DEO approbatam; ubi & aliud quoddam miracu- commemorat.

Ratio concl. quoad primam part. est. quia quotidie sacrificare cedit in cultum Dei, quem illi perpetuò debemus, estque consentaneum dignitati hujus Sacrificii; ac insuper valde utile fidelibus tam vivis quàm defunctis, qui fructu illius plurimùm indigent: ergo per se & ex natura rei licitum & honestum est. Aliunde quoque nullo jure positivo invenitur prohibitum.

Ratio secundæ partis est: quia munus sacrificandi non est privatum, sed publicum, nec prodest soli Sacerdoti, sed etiam toti Ecclesiæ: ergo illud quàm frequentissimè, imò quotidie exercere per se loquendo melius est & consulendum. Itaque Sacerdos, quamvis sit imperfectus, dummodò non sit indignus, non debet absterreri, quominùs quotidiè sacrificet; præsertim, cùm habeat paratum speciale Dei auxilium, ut devotè ac sanctè hoc munus, ad quod est specialiter consecratus, exerceat.

Dictum est autem in Concl. *circumscriptis tribus diebus &c.* de illis enim solet dubitari, an in ipsis celebrare prohibitum sit ab Ecclesia? Primus dies est feria quinta hebdomadis sanctæ: qua feria non esse licitum singulis Sacerdotibus privatam Missam celebrare docuit Francolinus in lib. de Horis Canonic. cap. 30. ut referunt Suarez & Salmanticenses. Pro qua sententia citatur etiam Azorius & Bonacina. Fundamentum petitur ex consuetudine. Nullum enim potest ostendi jus scriptum, quo id prohibeatur.

Verùm alii Authores communiter concedunt, esse licitum eo die cuilibet Sacerdoti privatam Missam celebrare etiam publicè. Ratio est: quia consuetudo, qua nititur sententia opposita, non est obligatoria: ergo nihil obstat, quominùs eo die cuilibet Sacerdoti liceat celebrare. Conseq. est bona. Ant. prob. primo: quia de eadem consuetudine non constat, quòd fuerit à Sacerdotibus introducta cum animo se obligandi; estque proinde dubium, an fuerit introducta cum animo se obligandi, & consequenter, an sit obligatoria. Atqui in ejusmodi dubio meritò censetur, quòd non sit obligatoria. Sicut enim lex scripta, de cujus obligatione dubitur, non obligat, ita nec consuetudo obligat.

Secundo. Quia Doctores communiter sentiunt (pauculis exceptis) eam consuetudinem non esse obligatoriam. nec quidquam affertur à parte contraria efficax ad probandum, quòd sit obligatoria. Atqui communis Doctorum sensus vim habet maximam ad persuadendum id, quod sentiunt; ergo.

Tertio. Quia dato hoc, quòd ea consuetudo antiquitus fuerit uniformis & in pleno vigore, certum tamen est, temporibus posterioribus cœpisse variari, hodieque esse variam, ita ut aliqui dicto die non celebrent, alii celebrent Missas privatas: veluti de praxi in Italia testatur nonnemo asserens, quòd in pluribus ibi civitatibus ac nominatim Romæ, licèt in aliquibus Ecclesiis celebretur Missa solemnis tantùm, in aliis tamen celebrentur plures Missæ privatæ. Quod idem testantur etiam Salmantic. Atqui tanta varietas observandi consuetudinem firmum ministrat argumentum, illam non habere vim obligandi; ergo.

Advertendum est tamen, cum, qui vult illâ feriâ legere Missam privatam, id non posse facere, nisi vel ante Missam solemnem, vel dum eadem celebratur. Quia cum Missa solemni terminatur officium illius diei, & incipit officium Parasceves, denudanturque altaria; ac proinde incipit tempus, quo non licet celebrare; ut postea dicemus: estque judicandum tunc celebrantem mortaliter peccaturum: eò, quòd in re gravi ageret contra mysterium Ecclesiæ.

Ad fundamentum contrarium jam patet ex dictis. Licèt enim consuetudo sit antiquissima, non tamen constat, fuisse uniformem apud omnes Sacerdotes, aut introductam ut obligatoriam. Est autem credibile, fuisse introductam ex devotione ad commodiùs imitandos Christi Discipulos, ut quemadmodum illi in ultima Cœna Sacram Eucharistiam ex manu Christi Magistri sui susceperunt, ita omnes etiam Sacerdotes in anniua commemoratione illius Cœnæ eandem susciperent à Sacerdote primario, qui tunc Missam solemnem celebraret. Sed

Objicies decretum Sacræ Congregationis Rituum apud Dianam parte 6. tr. 6. resol. 19. statuentis, ut in Cœna Domini una tantùm Missa celebretur. Respondet idem Diana, hoc decretum in multis locis non esse receptum, eoque non obstante passim illa die celebrare Sacerdos. Card. de Lugo, qui post illud decretum Romæ scripsit; disp. 20. sect. 1. n. 14. absolutè docet, esse licitum tunc plures Missas celebrare, additque; nullum esse decretum contrarium legitimè, promulgatum, quidquid aliqui dicant. Dicastillo autem tr. 5. de Sacram. disp. 4. dub. 7. n. 28. testatur, se 15. annis fuisse in nostra Germania, & vidisse, quòd eo die publicè celebret, qui velit.

Dices. Si Sacerdotes eo die publicè & in concursu populi passim celebrarent, id absque scandalo non facerent illis in locis, ubi non est usu receptum, ut tunc præter Missam solemnem publicè legantur privatæ.

R. P. Babenstüber Theol. moralis.

Respondeo neg. illatum. non enim apparet, unde debeat propterea oriri scandalum. Vel enim oriretur inter sæculares vel Ecclesiasticos? non inter sæculares: quia isti, cùm non sit periti rituum Ecclesiasticorum, solent in hac materia id habere pro licito, quod fieri vident ab Ecclesiasticis. Non inter Ecclesiasticos. quia hi, quando sunt periti rituum Ecclesiasticorum, non possunt ignorare, eo die licitè celebrari Missas privatas. Si non sunt periti, debent in hoc judicio idem judicare, quod sæculares. Et certè populus eo ipso, quòd videat celebrari publicè, cogitat celebrari licitè: quia nemo præsumitur facere illicitè, quod facit publicè.

Ex dictis infertur primo, in Sacerdotibus non Regularibus ad celebrandum publicè die memorato non esse necessariam licentiam Superioris. Ratio est: quia ubi nulla supponitur adesse prohibitio quidpiam faciendi, nulla requiritur ad id faciendum alterius licentia: atqui nulla est prohibitio tunc publicè celebrandi; ergo. Dixi, *in non Regularibus*. nam apud Religiosos de congruitate requiritur licentia.

Infertur secundo, Episcopum posse præcipere, ut in illa feria quinta celebrentur plures Missæ, si in eandem incidat festum Annuntiationis B. V. Ratio est: quia tunc celebratio plurium Missarum potest esse necessaria, ut fideles satisfaciant præcepto Ecclesiastico. Nam fieri potest, ut, si unica tantùm Missa, scilicet solemnis, celebretur, plures non intersint, licèt alias non excusentur.

5 Secundus dies est Parasceves, seu feria sexta ejus hebdomadis. Quo die non esse licitum celebrare Sacrificium Missæ, testantur omnes Doctores, sive sit sermo de Sacrificio solemni, sive privato. Desumitur ex cap. *Sabbatho, de Consecrat. dist.* 3. ubi dicitur, hoc biduo penitus non celebrari; quod respectu feriæ sextæ ubique observari constat. Rationem hujus prohibitionis, quæ habetur etiam ex antiquissima traditione, reddit D. Thomas 3. p. q. 83. a. 2. ad 2. quia nempe illa die Passio Domini ab Ecclesia recolitur, prout realiter gesta est, & ideo non repræsentatur mysticè per Consecrationem Eucharistiæ. Et quidem esse peccatum mortale tunc offerre Sacrificium Missæ, planè asserendum.

Quæritur, an illa feria licitum sit sumere Sacram Eucharistiam non solùm infirmis tanquam viaticum (de quo non est dubium) sed etiam sanis? Negant Francolinus, Barbosa, & alii apud Salmanticenses. Fundamentum ipsorum est, tum, quòd in cit. *Sabbatho*, dicat Innocentius eò die Sacramenta penitus non celebrari. Tum, quòd in Rubricis Missal. solùm præcipiatur servari Sacramentum pro infirmis; adeoque excludantur sani.

Econtra licitum esse sanis quoque in die Parasceves sumere Eucharistiam affirmant Suarez, Vasquez, Layman, Filliucius, Diana, Castropalao, Salmanticenses, Reding, Illsung, & alii. Ethæc sententia videtur esse probabilior. Ratio verò est: quia illo die sumere Eucharistiam per se bonum est, nec ostenditur sufficienter aliqua prohibitio, vi cujus reddatur illicitum: ergo non debet censeri illicitum. Ant. quoad secundam part. inde colligitur, quòd Innocentius in illo cap. manifestè loquatur solùm de Sacrificio: cùm celebrare Sacramenta non sit propriè ministrare Eucharistiam, sed conficere. Quòd autem in Missali Sacramentum pro solis infirmis servari jubeatur, non ideo fit, quia illis solis communicare est licitum; sed quia illorum omnium indigentia fuit potissimùm motivum servandi Sacramentum. Immò antiquitus, prout ostendit Suarez, tantùm abest, ut fuerit cuiquam eo die prohibitum communicare more Laicorum, ut etiam esset in consuetudine. Testatur etiam Dicastillo, id suo tempore fuisse usu receptum Viennæ in Austria, & aliis locis Germaniæ. Machado verò apud Salmanticenses perhibet, in Parochia S. Martini, quæ est Matriti in Hispania, similem praxin vigere.

Tertius dies est Sabbathum ejusdem 6 hebdomadis, de quo est potissima controversia. Non esse licitum præter Missam solemnem celebrare tunc alias Missas tenent Navarrus, Francolinus, Vasquez, Azor, Castropalao, Layman, & alii. Esse licitum, asserunt Sotus, Suarez, Coninck, Card. de Lugo, Granadus; Dicastillo. ut clariùs dispiciamus, quid in hac re sequi expediat,

Notandum est primo, Officium Missæ, quod modò celebratur Sabbathò sanctò, antiquitus non fuisse celebratum post mediam noctem priorem die Resurrectionis, sed incepisse illo Sabbatho post occasum solis apparente prima stella, prout contra P. Suarez, & Vasquez, aliosque luculentè probat Card. de Lugo, & tanquam certum supponit Gavantus parte 4. in Rubric. Missal. tit. 10. Ex quo colligitur, non fuisse tunc prohibitum, ne celebraretur illo toto die naturali, sed ne celebraretur ante Solis occasum.

Notandum est secundo, tunc non solùm celebratam fuisse Missam solemnem, sed etiam licuisse celebrare privatas omnibus, qui volebant; velut expressè habetur in Micrologo. cap. 53. *de Sabbatho sancto* apud eund. Card. ubi legitur: *Post Baptismum Presbyteri demum possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare; quia jam renati sunt, de quibus in Missa specialiter agere debemus. Nec postea à lectionibus, quas jam audivimus, sed à Litania incipere debemus.* Ex

quo

quo testimonio simul patet, Sacerdotibus tunc privatim celebrare volentibus non fuisse exspectandum, donec Missa solemnis finiretur, vel secundùm aliquam sui partem procederet, sed potuisse incipere, dum incipiebant Litaniæ pro solemni. Quibus sic animadversis,

Respondeo, licitum esse in Sabbatho sancto celebrare Missas privatas. Ratio est: quando respectu Missarum tam solemnis, quàm privatarum in illo Sabbatho cessat antiqua prohibitio non celebrandi per biduum ultimùm sacræ hebdomadis, rectè colligitur, esse licitum eo die celebrare Missas etiam privatas: sed illa prohibitio antiqua cessat quoad Missas tam solemnem quàm privatas respectu Sabbathi; ergo. maj. pater. mi. probat. primo. quia illa prohibitio, quæ habetur in cap. *Sabbatho*, nomine bidui solùm intelligit feriam sextam & Sabbathum usque ad initium noctis; adeoque non extenditur ulteriùs, & poterant tunc celebrari pro libitu Missæ ptivatæ; ut vidimus in posteriori Notando. Si tunc poterant celebrare licitè, cur non & hoc tempore possint, quo per dispositionem Ecclesiæ illud Missæ solemnis officium retractum est supra meridiem ejusdem Sabbathi?

Prob. eadem. mi. secundo. quia cessante fine prohibitionis cessat prohibitio: sed finis illius antiquæ prohibitionis cessat tam quoad Missas privatas quàm solemnem respectu Sabbathi sancti; ergo tam quoad Missas privatas quàm solemnem cessat prohibitio. maj. constat. ad quid enim prohibitio, quæ fine deficitur? mi. ostenditur. Nam finis & ratio illius prohibitionis est, ut Passio Dominica celebretur in mœstitia ad imitationem Apostolorum, qui per illud biduum fuerunt in mœrore & jejunio. Atqui hoc totum jam cessat non modò negativè sed etiam contrariè; cum Ecclesia non tantùm desinat lugere & celebrare Passionem, sed jam ante meridiem Sabbathi incipiat lætari cantatis Gloria & Alleluja, & celebrare Resurrectionem Christi.

Confirmatur. Ecclesia non potest velle, ut Sacerdotes maneant in mœstitia, dum ipsa deposito luctu celebrat læta Resurrectionem Dominicam, sed potiùs, ne sibi sit contraria, provocat & allicit omnes ad eandem lætitiam. videretur autem velle Ecclesia, ut Sacerdotes tunc maneant in mœstitia, si non relaxaret prohibitionem celebrandi Missas, ita ut omnibus esset licitum celebrare. ad quem enim finem alium non relaxaret eandem prohibitionem? ergò meritò præsumitur relaxare ac facere licitum omnibus Sacerdotibus, ut celebrent in Missis privatis, quod ipsa celebrat in solemni.

Atque ex his facile est occurrere Authoribus adversis; dum sic objiciunt, primo. Licèt cessaverit prohibitio celebrandi in Sabbatho sancto Missam solemnem, non tamen cessavit quoad Missas privatas.

Secundo. Si cessâsset prohibitio celebrandi Missas privatas, licitum esset eo die illas Missas celebrare non tantùm secretò, sed etjam publicè, quod tamen admitti non potest.

Tertio. Ut licitum esset Sabbathó sanctô celebrare Missas privatas, Ecclesia pro eisdem statuisset Introitum; sicut statuit pro Missa Vigiliæ Pentecostes. Atqui Ecclesia nullum statuit Introitum pro Missa Sabbathi sancti; ergo.

Quarto. Quia falsum est, Sacerdotes reliquos antiquitus celebrâsse, quando noctu celebratur Missa, quæ nunc celebratur in Sabbatho sancto: cùm álioquin bis celebrâssent in die Paschatis, quod est inauditum & incredibile; ergo.

Respondeo ad primum, prohibitionem cessâsse etiam quoad Missas privatas, eò quòd cessaverit finis prohibitionis etiam respectu illarum: ut patet ex dictis.

Ad secundum respondeo per se loquendo, & quantum operatur cessatio prohibitionis, esse licitum celebrare etiam publicè. Quòd si occurrat circumstantia publicæ celebrationi obnuntians, hanc esse considerandam.

Ad tertium neg. maj. quia aliàs etiam antiquitus fuisset illicitum eo Sabbatho celebrare Missas privatas: cùm neque tunc Ecclesia, pro eisdem statuerit introitum. Sed consequ. esse falsum constat ex diebus; ergo.

Ad quartum rursus neg. maj. satis enim ostendimus contrarium. Neque obstat probatio: quia falso nititur supposito: quòd nempe Missa, quæ hoc tempore celebratur in Sabbatho ante meridiem, antiquitus fuerit celebrata post mediam noctem: fuit enim celebrata Sabbatho post occasum solis, cùm nox inciperet, & appareret prima stella. Quare non sequitur, eum bis celebrâsse die Paschatis, qui celebravit Missam Sabbathi antiquitus illa nocte Sabbathi, ut postea manè Missam diei Paschalis: celebravit enim distinctis diebus.

Sed quæstio nunc est, an suppositâ hac nostra sententia possit Sacerdos eam sequens celebrare Missam privatam illo Sabbatho, antequàm inchoetur Missa solemnis? Negant Castropalao, & alii, quia quamdiu Ecclesia celebrat in luctu Passionem Christi, tamdiu abstinendum est ab omni Sacrificio per cit. cap. *Sabbatho*: sed usque ad inceptionem Missæ solemnis Ecclesia celebrat in luctu Passionem Christi; ergo usque ad illam abstinendum est à Sacrificio.

Affirmant tamen Card. de Lugo, Filliucius, Dicastillo, & alii. Fundamentum petunt ex usu piorum virorum, qui eo die summo etiam manè celebrant privatim absque

scrupulo: eumque usum vigere in Monasteriis asserit Filliucius. Immò Episcopi, uti testatur Card. cit. aliquando celebrant illo Sabbatho statim post Auroram in Capella, ut postea debito rempore intersint Officiis pro conferendis ordinibus: quæ quidem Missa non est privata, sed solemnis. Stante autem hoc more Episcoporum Missam solemnem anticipantium videtur concessum cuilibet Sacerdoti tunc itidem summo manè celebrare privatim, saltem ex rationabili causa: cùm anticipata Missa solemni anticipetur etiam tempus Paschale, & exspiret celebratio Passionis.

ARTICULUS II.

An, & quomodo liceat eadem die plures Missas eidem Sacerdoti celebrare?

SUMMARIUM.

1. *Olim erat licitum eidem Sacerdoti eodem die sæpius celebrare.* 2. *Id neque hodie prohibitum est jure naturali & Divino.* 3. *Est tamen prohibitum jure Ecclesiastico.* 4. 5. 6. *& seqq. afferuntur & explicantur variæ exceptiones hujus prohibitionis.*

1 ANtiquitus non erat interdictum Sacerdoti eodem die sæpius celebrare Missam: ut clarè constat ex Walfrido Strabone, de rebus Ecclesiastic. cap. 21. ubi ait: *Diversitas autem quædam inter Sacerdotes oboriri solet: quia est talis, qui semel tantùm in die Missam celebrare velit, nimirum credentes, idem mysterium Christi cunctarum necessitatum esse generale subsidium. Alius verò bis, ter, vel quoties libet, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes, tantò amplius Deum ad misericordiam flecti, quantò crebriùs Passio Christi commemoratur. Et fortè consuetudinem suam inde confirmandam existimat, quia Romanorum usus habet duas, vel tres interdum unius solemnitatis facere Missas.* Refert etiam ibidem, à viris fide dignis se accepisse, Leonem Papam septies vel novies eadem die celebrâsse. Obiit Walfridus anno Christi 849. scriptor fidei neutiquam suspectæ. Ex cujus testimonio planè patet, etiam apud Romanos illo ævo viguisse morem eodem die sæpius celebrandi; adeoque nihil in contratium tunc fuisse adhuc statutum ab Ecclesia.

2 Dico nunc primo. Neque jure naturali, neque Divino positivo prohibitum est Sacerdoti eodem die celebrare plures Missas. Ratio primi est; quia hoc Sacrificium cùm sit iterabile, nullam ex natura sua dicit repugnantiam, quin eodem die sæpius peragatur etiam ab eodem Sacerdote. Atque hoc declarat praxis Ecclesiæ concedentis Sacerdotibus singulis in Nativitate Domini, ut ter celebrant, admittentisque aliquos casus, in quibus idem Sacerdos eodem die sæpius celebrare potest; sicut deinde videbimus. Ratio secundi est: quia neque ex S. Script. neque ex traditione constat, id Christum prohibuisse; cùm hoc Sacrificium instituens solùm dixerit, *hoc facite in meam commemorationem*; de tempore autem celebrandi, & de non iterando ipsum nihil meminerit.

3 Dico secundo. De jure communi & ordinario, quod est Ecclesiasticum, Sacerdotibus non licet sacrificare, nisi tantùm semel in die. Ita habetur in cap. *sufficit. de consecrat. dist.* 1. ubi dicit Alexander II. *sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare; quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest.* Quòd verò ly *sufficit* intelligendum sit in vi præcepti, ita, ut hoc solùm liceat (quod negant Azor, Vasquez, & alii) vel ex eo satis colligitur, quòd Pontifex ibi non fuerit interrogatus, an sufficiat Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, sed, an liceat plures celebrare, responderitque ad hanc interrogationem planè non affirmativè (quod nemini hactenus venit in mentem) sed negativè (nisi velis dicere, respondisse nihil decidendo & quæstionem relinquendo in medio contra mentem interrogantis) adeoque verbum *sufficit* juxta subjectam materiam ita usurpaverit, ut idem esset dicere, sufficit Sacerdoti unam Missam celebrare, ac dicere, non licet plures celebrare, sed debet una sufficere. Atque hoc præceptum Ecclesiasticum in eodem sensu confirmârunt Innocentius III. in cap. *consuluisti.* & Honorius III. in cap. *de referente. de celebrat. Miss.* ubi addit Honorius, hoc esse intelligendum *de quocunque Sacerdote, quacunque dignitate præfulgeat.*

Ratio verò hujus præcepti est, tum, ut repræsentetur sufficientia unici Sacrificii cruenti. tum, quia suppositâ hominum fragilitate, curaque ac sollicitudine rerum humanarum vix ad unum Sacrificium quis dignè se potest præparare. Quare, ut Sacerdotes majori cum reverentia celebrent, meritò statutum est, ut semel tantùm uno die celebrent. Quæ duplex ratio colligitur ex decretis citt.

Notan-

4 Notandæ tamen sunt aliquæ exceptiones hujus præcepti. Prima est de die Nativitatis Domini, in qua licitum est cuilibet Sacerdoti ter celebrare: de qua exceptione omnes Doctores conveniunt. Causas & mysteria istius Privilegii declarat D. Thomas 3. p. q. 83. a. 2. ad 2. scilicet, ut per tres Missas significetur triplex Christi generatio, æterna ac Divina, temporalis & humana, & spiritualis, qua tanquam Lucifer oritur in cordibus nostris.

Porrò nullam esse obligationem eo die tres Missas celebrandi, vel audiendi, sed sufficere, si una celebretur, vel audiatur, satis constat ex eo, quòd hæc concessio sit privilegium, non præceptum. Simile privilegium bis saltem celebrandi in die commemorationis defunctorum, qui est 2 Novemb. habent à Sede Apostolica Sacerdotes in regno Valentiæ, quod est in Hispania; sicuti testatur Card. de Lugo. Immò Salmanticenses perhibent, non tantùm in regno jam dicto, sed etiam in Arragonia & Catalaunia eo die Sacerdotes Regulares ter, Sæculares bis celebrare, idque consuetudine, quæ jam præscripserit, fuisse introductum.

Sed dubium hinc oritur de Sacerdote, qui illa die in prima Missa ordinatur, an possit deinde celebrare alias duas Missas? Ratio dubitandi est: quia Sacerdos, qui communicavit more laico, non potest postea celebrare: sed talis in prima Missa, in qua factus est Sacerdos, communicat more laico; cùm sumat Eucharistiam de manu Episcopi ordinantis, & quidem sub una tantùm specie, sicut sumunt laici: ergo &c.

Respondeo, posse omnino celebrare alias duas Missas. Ratio est: quia talis, dum ordinatur, acquirit potestatem offerendi Sacrificium, antequàm ordinans offerat, estque non minùs Sacerdos, quàm alii; imò celebrat tunc simul Missam cum Episcopo ordinante. Ergo sicut aliis Sacerdotibus post celebratam eo die unam Missam licitum est celebrare alias duas, ita etiam huic tali erit licitum.

Ad rationem dubitandi respondeo conc. maj. neg. mi. quia communicare more laico non est sumere Eucharistiam de manu alterius, vel sub una tantùm specie, sed est sumere Eucharistiam, quam is, qui sumit, non consecravit. Atqui Sacerdos ita noviter ordinatus non sumit in prima Missa Eucharistiam, quam ipse non consecravit: nam consecravit cum Episcopo ordinante.

Si verò quæras ulteriùs, an is, qui ordinaretur in secunda Missa, vel etiam in tertia, posset celebrare alias duas?

Respondeo rursus, posse celebrare tertiam, si fuit ordinatus in secunda, & probabiliter etiam primam; imò primam quoque & secundam, si fuit ordinatus in tertia. Ratio primi est: quia tunc servatur ordo, quem habet illa Missa. nec aliud quidquam obstat in contrarium. Ratio secundi est: quia, licèt illæ tres Missæ in Missali sint dispositæ juxta certum ordinem, ille tamen ordo non videtur ita necessarius, ut ex rationabili causa nequeat inverti. Exemplum habetur in horis canonicis, quas inter similiter certus ordo recitandi præscriptus est, & tamen ex causa rationabili potest una hora non attento tali ordine recitari vel ante vel post alteram. Ratio tertii est: quia semel admisso, ordinem earum Missarum posse inverti, nihil refert, quocunque modo invertatur, dummodò invertatur ex causa rationabili.

Confirmatur. Ille ordo inter tres Missas Nativitatis Dominicæ nequaquam est ortus ex natura ipsarum Missarum, sed ab extrinseca & accidentali dispositione Ecclesiæ: nec habent eædem Missæ majorem inter se connexionem, quàm horæ canonicæ: ergo sicut ordo inter horas canonicas ex rationabili causa potest inverti, ita & ordo Missarum memoratarum.

Quòd autem Sacerdos, si communicâsset more laico, non posset ampliùs celebrare aliam Missam, rationem suggerunt Vasquez & Card. de Lugo: quia de jure tantùm semel una die licitum est sumere Eucharistiam vel intra celebrationem more Sacerdotali, vel extra illam more laico. Cùm proinde in Natali Domini solùm concedatur facultas ter celebrandi & sumendi Eucharistiam more Sacerdotali, non conceditur facultas semel sumendi more laico, & bis in celebratione sumendi more Sacerdotali, estque adeò sumptio Eucharistiæ more laico facta cum quacunque sumptione more Sacerdotali peracta concurrens omnino extra concessionem Ecclesiæ.

Secunda exceptio est, quam facit Alexander II. in illo cap. *sufficit. de consecrat. dist. 1.* ubi, postquàm dixit, *sufficere Sacerdoti unam Missam in die una celebrare*, subjungit: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.* Quibus verbis admittit illam consuetudinem post celebratam Missam de die celebrandi aliam pro defunctis; si nempe, ut aliqui intelligunt, & limitant, vel statim sepeliri oporteat defunctum, & juxta consuetudinem Missa debeat præcedere; vel alia causa rationabilis occurrat post celebratam Missam de die celebrandi aliam pro defunctis, ut, si Parochianus petat anniversarium. 5

Verùm ista exceptio hodie non ampliùs habet usum, neque est licitum celebrare secundam Missam ob funus repentè supervoniens, neque ob aliam causam qualitercunque rationabilem, quæ non est causa necessita-

sitatis, qualis jam nulla agnoscitur in præsenti. ut proinde illa tacita concessio Alexandri II. his temporibus nihil operetur. Et ideo, quando Sacerdos jam semel celebravit, & postea statim illo die sepeliri debet mortuus, debet sepeliri sine Missa, nisi fortè adsit alius Sacerdos, qui nondum celebravit.

Dices. In hoc casu Sacerdos habet urgentissimam causam iterum celebrandi, nempe ut defunctus liberetur ex Purgatorio, ubi cùm pœnis acerbissimis crucietur, omnis procrastinatio est maximi momenti, adeoque sufficiens ratio judicandi, præceptum, quo prohibetur iterata celebratio, hîc & nunc non obligare.

Respondeo, maximè incertum esse, an per iteratam Missam liberandus sit defunctus ex Purgatorio. tum, quia incertum est, an ibi existat; cùm possit esse in cœlo vel etiam in inferno: tum, quia incertum est, an unicum Sacrificium ad illius liberationem sufficiat? Non debet autem ob finem incertum existimari cessare obligatio præcepti certi.

Confirmatur. Si ob finem jam dictum posset Sacerdos, qui celebravit Missam de die, rursus celebrare pro defuncto, posset ob eundem finem etiam celebrare vespere, vel nocte, vel non jejunus: sed conseq. admitti non potest; ergo

6 Tertia exceptio traditur generaliter & absque determinatione ad casum aliquem particularem ab Innocentio III. in illo cap. *consuluisti*, illis verbis: *Nisi causa necessitatis suadeat.* ubi absolutè concedit, ob causam necessitatis posse eodem die iterum celebrari Missam ab eodem Sacerdote. Generalem hanc exceptionem variis casibus explicare solent Authores: in quibus tamen non omnes consentiunt, dum alii in quibusdam agnoscunt necessitatem sufficientem, alii non agnoscunt.

Primus casus est, si Parochus habet duas Ecclesias Parochiales, in quarum utraque populus auditurus est Missam, nec adsit alius Sacerdos, qui legat in alterutra: tunc enim ipse poterit in utraque celebrare: veluti concedunt unanimiter Authores teste Card. de Lugo. Ratio est: quia hîc urget aperta necessitas. Similis necessitas adest etiam, ut habet Dicastillo apud Salmanticenses, quando Parochus alicujus Ecclesiæ gravi morbo, alioque impedimento oborto non potest celebrare. Unde similiter poterit ibi alius Sacerdos celebrare, qui jam celebravit in sua Ecclesia, nisi adsit, qui adhuc nunquam celebravit eo die, dummodò sit jejunus. Atque hinc in prima Missa non debet sumere ablutiones: quod notandum est pro omnibus casibus, in quibus eidem eodem die licitum est bis celebrare. Sed jam

Quæritur primo, an casus jam memoratus sit extendendus ad dies feriales, vel limitandus ad dies festos, ita ut in istis tantùm Parochus bis possit celebrare?

Respondeo, si in utraque Parochia sit sufficiens multitudo fidelium quotidie Missam audientium, licitum esse Parocho in utraque celebrare etiam diebûs ferialibûs, idque non esse restringendum ad necessitatem præcepti audiendi Missam. Ita Suarez, Castropalao, Salmanticenses contra Trulenchum & alios. Ratio est: quia hæc est gravis & satis urgens causa, ne populus privetur suo Sacrificio, & opportunitate audiendi Missam. Optimum tamen erit consilium, ait Suarez, servare consuetudinem, quæ in his rebus magnam vim habet.

Quæritur secundo, an in casibus, in quibus licitum est eodem die bis celebrare ter, aut sæpius?

Respondeo, licere, si eadem gravis causa, vel necessitas interveniat. Ratio est: quia lex & exceptio est eadem de tertia Missa, quæ de secunda. Solùm in eo potest esse diversitas, quòd faciliùs possit incidere necessitas celebrandi secundam, quàm celebrandi tertiam Missam: quod nihil obstat, modò re ipsa incidat. Illud cap. *consuluisti, de celebrat. Missar.* quod aliqui adducunt in contrarium, quasi solùm bis eadem die concedatur ibi celebratio, nequaquam adversatur: quia ibi non magis est sermo de duabus, quàm de tribus, aut pluribus Missis.

Secundus casus est, quando occurrit necessitas dandi viaticum infirmo, idque haberi non potest, nisi celebretur secunda Missa. Ubi omnes ferè conveniunt, esse licitum eodem die celebrare iterum. Ratio est: quia jura excipiunt casum necessitatis: atqui in præsenti casu est necessitas, & quidem valdè urgens; ergo &c.

Verùm iste casus, ut advertunt Salmanticenses & Card. de Lugo, vix potest esse practicus. Nam si Sacerdos inter celebrandum monetur de periculo infirmi, postquàm sumpsit ablutionem, non potest iterùm celebrare ad communicandum infirmum; quia non est ampliùs jejunus. Si verò ante sumptionem hostiæ moneatur, aut recordetur, potest ac debet partem illius reservare pro eodem infirmo. Itaque tunc solùm casus præsens potest habere locum, quando Sacerdos de periculo ægroti monetur aut recordatur post sumptam hostiam & nondum sumptam ablutionem, nec adsunt aliæ particulæ consecratæ in Ecclesia: in quo eventu iterum celebrare licet ad succurrendum necessitati proximi. Neque potest ex consuetudine contraria probari, id non licere; ut aliqui putant: quia revera, cùm casus nunquam detur, non potest esse consuetudo contraria, ait Card. de Lugo.

Tertius

Tertius casus est, quando in terris hæreticorum, aut infidelium Catholicis ibi degentibus ob Sacerdotum paucitatem non potest satisfieri, nisi pluries celebrandô per diem. In hoc casu eidem Sacerdoti licitum est eodem die bis vel sæpius celebrare, ut habent Salmanticenses, & alii ab iisdem relati. Ratio est: quia hîc intervenit sufficiens necessitas, quam jura excipiunt: quamvis etiam supponatur Catholicos non esse adeò multos: non enim possunt convenire simul, vel ob distantiam habitationum, vel quia non gaudent libero exercitio Religionis, ideoque coguntur instituere secretos conventus in domibus privatis. Poterit igitur Sacerdos, postquàm celebravit in una domo, rursus celebrare in alia, vel etiam in eadem si arbitretur expedire.

Quartus casus est, si benedicendæ sint nuptiæ. In hoc casu plures admittunt, esse licitum celebrata una Missa celebrare aliam eodem die. Sed inprimis hic casus necessitatis videtur esse metaphysicus. Vel enim Sacerdos prævidet necessitatem ante Missam & sumptam ablutionem, vel post illam. Si primum; cur non distulit celebrationem Missæ? Si secundum; non potest iterum celebrare; quia non est jejunus. Et quid refert denique, an hodie vel cras benedicantur nuptiæ?

Dices, fieri posse, ut ex dilatione benedictionis oriatur magna perturbatio, aut scandalum in populo, & Sacerdos adhuc possit esse jejunus, si nempe post sumptum Sacramentum & ante sumptam ablutionem recordetur, vel moneatur de benedicendis nuptiis.

Respondeo, probabilissimè hinc nullum posse oriri periculum scandali: cùm omnibus communiter notum sit, eidem Sacerdoti eodem die non esse licitum celebrare nisi semel tantùm. Deinde admisso etiam periculo perturbationis aut scandali Sacerdos facilè obviare potest apud ignaros, si doceat illos, non esse licitum celebrare iterum, itaque se gerat etiam monitus ante sumptionem purificationis, acsi eandem jam sumpsisset, secluso tamen mendaciô.

Quintus casus est, quando supervenit Episcopus, vel Princeps post consecrationem, aut sumptionem Sacramenti, deque tali adventu ante sumptionem ablutionis monetur Sacerdos, nec adest alius, qui celebret. In hoc casu existimo cum P. Vasquez, Coninck, Castropalao, Dicastillo, Salmanticensibus & aliis contra non paucos ex antiquioribus, non esse licitum secundò celebrare. *Quid enim refert*, ait cit. Cardinalis, *quòd Princeps non audiat illa die Sacrum? Quod si inculpabiliter omisit, non peccavit. Si culpabiliter, jam peccatum commissum est, nec tolletur per auditionem Missæ, sed per Pœnitentiam.* Et ratio est: quia satisfacere devotioni Episcopi, aut alterius Principis non videtur esse tam necessarium, ut propterea à consuetudine Ecclesiæ circa Missæ celebrationem recepta possit recedi.

Sextus casus est, quando occurrunt duæ Missæ eadem die celebrandæ, una de festo altera de tempore, ut in Quadragesima: aut una pro defunctis, altera de tempore, & non est nisi unus Sacerdos. Huic casui, licèt favere videatur cap. *sufficit*, absolutè resistit hodierna consuetudo Ecclesiæ, idque meritò; quia nullam continet sufficientem necessitatem. Vel enim (ut arguit Coninck) dies festus est valde celebris: & tunc nullo modo convenit celebrare Missam de Requiem. Unde in sequentem diem debet differri. Vel non est dies festus ita celebris: & tunc nullum est inconveniens non celebrari sacrum de tempore, præsertim in tanta inopia Sacerdotum.

Septimus casus est, si die festo post celebratam Missam superveniant multi peregrini, qui aliàs Sacrum audire non possent, nisi Sacerdos, qui unicus adesse supponitur, iterum celebraret. In hoc casu Salmanticenses & alii, quos ipsi referunt & sequuntur, concedunt, posse Sacerdotem secundò celebrare: cùm hujus sufficiens sit necessitas. Coninck autem distinguit, & concedit, posse rursus celebrare, si multitudo, quæ deberet carere Sacro, esset ingens: negat verò posse, si multitudo peregrinorum esset exigua: cùm non sit tam incommodum paucos aliquos non audire Sacrum, etiam in die festo, quàm violare generalem Ecclesiæ consuetudinem non celebrandi secundò. Alii casus accumulantur ab aliis: quos tamen adducere omittimus: quia ob defectum sufficientis necessitatis non habent locum in praxi.

ARTICULUS III.

Qua hora licitum sit celebrare Sacrificium Missæ?

SUMMARIUM.

1. Quod sit initium diei naturalis? 2. Ante Auroram & post Meridiem non licet inchoare Missam. 3. Licitum est autem toto tempore intermedio. 4. Quid nomine Auroræ intelligendum sit? 5. Quid nomine Meridiei? 6. Exceptiones aliquot ab obligatione non celebrandi ante Auroram. 7. An in hac obligatione detur parvitas materiæ?

Dies

1 DIes naturalis, in quo semel tantùm licet celebrare Missam, computandus est à media nocte in mediam noctem; veluti constat ex consuetudine Ecclesiæ; & ex præcepto jejunii ad Sacram Communionem requisiti, de quo suprà pluribus egimus. Ex eadem consuetudine Ecclesiæ habetur, non omnibus partibus diei istius naturalis celebrari licitè; cùm regulariter loquendo neque nocturno tempore, neque vespertino sit licitum. Quare designare oportet duos terminos intra hoc tempus diei naturalis, intra quos inchoari debeant Missæ, vel finiri.

2 Dico primo. Ante Auroram, aut post Meridiem non licet inchoare Missam. Ita communis sententia. Probatur optimè ex consuetudine Ecclesiæ ubique receptâ; quam haud obscurè approbat Pius V. in regulis Missalis, quando dicit, horam celebrandi pro Missis privatis esse ab Aurora usque ad Meridiem.

3 Dico secundo. Toto tempore inter Auroram & Meridiem mediante licitum est celebrare Missam. Ita D. Thomas & reliqui Doctores. Habetur similiter ex consuetudine Ecclesiæ, & planè sequitur ex Concl. præced: cur enim designaretur Aurora tanquam terminus, ante quem, & Meridies tanquam terminus, post quem non liceat celebrare, si toto tempore utrique interjecto non liceret celebrare?

Sed objici contra hoc potest ex Epist. decret. Telesphori Papæ, ubi cap. 2. scribit: *Missas non esse celebrandas ante horam tertiam diei; quia & illa hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur.* cap. *Nocte sancta. de Consecrat. dist. 1.*

Respondeo inprimis, hoc decretum Telesphori posse intelligi de Missis solemnibus, seu Conventualibus, de quibus est peculiaris ratio, velut ostendit Suarez: quia olim obtinuit consuetudo Ecclesiæ, ut in diebus festis Missa solemnis celebraretur horâ, qua Christus pro nobis crucifixus est, quæ erat hora tertia correspondens horæ nonæ usuali diei.

Deinde respondeo, illud decretum, si generaliter intelligatur, revocatum jam esse per contrariam consuetudinem. Est autem valde credibile, Missas olim longè seriùs celebrari cœptas quàm hodie: tum, quia pauciores erant Sacerdotes, qui paucioribus horis poterant Missas absolvere: tum, quia major vigebat devotio fidelium, ut adeò quacunque hora diei, intermissis etiam privatis operibus ac laboribus, ad Missam audiendam concurrerent: tum etiam, quia faciliùs jejunabant, & seriùs prandebant; ut proinde Missæ, licèt seriùs inchoarentur, faciliùs ante prandium possent absolvi. Nunc autem hæ tales circumstantiæ magna ex parte sunt immutatæ, præsertim quoad numerum Sacerdotum. Atque hinc mirum non est, quòd etiam tempus celebrandi Missas nunc videamus anticipari. Quoniam verò dubitari hîc potest, quid intelligendum sit nomine Auroræ, antequam celebrare prohibitum est,

Dico tertio. Per Auroram non debet 4
intelligi ortus Solis, sive ascensus corporis Solaris supra nostrum horizontem, sed prima ejusdem irradiatio seu initium crepusculi matutini. Ita communis & vera acceptio. Hoc autem crepusculum non est æquale toto anno: quia aliquando, ut advertit Card. de Lugo, ortum Solis præcedit per horam & quadrantem horæ; aliquando per duas horas & quadrantem: aliquando per horam & dimidiam: Ex quo proinde patet, idem crepusculum, quando est brevissimum, durare ad minimum per horam & dimidiam: quod tempus cùm totum tribuatur Auroræ, illo celebrare procul dubio est licitum; ut adeo minimè peccet, qui horâ & dimidiâ ante Solis ortum celebrat.

Immò Suarez & alii, quos refert Card. cit. docent, posse etiam secluso privilegio inchoari Missam dimidiâ horâ ante crepusculum, ita ut Missa finiatur sub initium crepusculi. Ex quo infert idem Suarez, Religiosos, quibus ex Privilegio concessum est unâ horâ anticipare Missam, posse eandem inchoare tribus horis ante ortum Solis. Nam absque privilegio possunt inchoare duabus horis ante ortum Solis: ergo, si addatur una hora ex privilegio, poterunt inchoare tribus horis ante ortum Solis, ita ut Missa finiatur unâ horâ ante Auroram.

Dico quarto. Per Meridiem intelligitur 5
medium diei, id est, illud tempus, quo nostra horologia signant horam diei duodecimam. Ubi observandum cum Oberascher & aliis, non peccare Sacerdotem, qui Missam inchoat ante Meridiem, vel in ipso Meridie, licèt eandem integro quadrante, aut etiam tardiùs absolvat post Meridiem. Immò aliqui apud Card. de Lugo dicunt, tertia parte horæ post meridiem posse inchoari Missam; alii tenent id posse fieri dimidiâ horâ; alii tribus ferè quadrantibus. alii horâ non integrâ post Meridiem. omnes tamen ferè ex his Authoribus exigunt causam id faciendi. Et ratio hujus extensionis redditur ex eo, quòd Meridies, sicut etiam Aurora, non accipiatur Mathematicè, prout importat illud præcisum temporis punctum, quo Sol est in Meridiano, sed accipiatur moraliter, prout est in prudentum existimatione, quo modo aliquam patitur latitudinem.

Dices. Si Meridies ita moraliter accipitur, ut Missa inchoari possit semihora v. g. post punctum Meridianum, etiam Aurora sic

erit

erit accipienda, ut Missa inchoari possit tanto tempore ante punctum Auroræ, ut illud non attingat, sed tota distet ab Aurora per semihoram. Sed conseq. non potest admitti, saltem regulariter & ordinariè loquendo de hora celebrandi Missam; ergo &c.

Respondeo ex Card. de Lugo neg. seq. maj. satis enim constat ex usu communi, quòd latius, & cum majori extensione accipiatur Meridies quàm Aurora. nam Meridies olim non erat terminus illius temporis, intra quod licebat celebrare Missas; quæ celebrantur post Meridiem: postea verò, quia ob minorem jejunii patientiam fortasse hora prandii cæpit anticipari, hora quoque celebrandi anticipari cœpit, retenta tamen aliquali libertate: præsertim cùm non omnes æqualiter maturè vellent prandere, sed aliquando vel propter negotiorum importunitatem, vel magnitudinem festivitatis Officia Divina longiùs protraherentur. hinc vetus illa libertas tardiùs celebrandi non fuit ita sublata, ut reduceretur ad terminum indivisibilem. Jam verò Aurora semper fuit præfixa ceu terminus, ante quem non liceret celebrare Missam: neque constat, aliquando fuisse licitum celebrare ante Auroram, nisi ex speciali privilegio. Quare Aurora in morali existimatione habet minorem latitudinem, quàm Meridies: quippe quem homines ob propriam commoditatem sibi præfixerunt tanquam terminum; adeòque id facere potuerunt cum aliqua majori latitudine.

6 Ab illa obligatione non celebrandi ante Auroram excipitur primo festivitas Natalis Domini, in qua licitum est noctu offerre Sacrificium, ut patet ex cap. *Nocte sancta. de consecrat. dist.* 1. Et quamvis Sylvester, Navarrus, & alii arbitrentur, primam tantùm Missam ejus festivitatis licitè celebrari ante Auroram, eò quòd ita videantur præcipere Rubricæ Missalis, alii tamen absolutè & meliùs tenent, esse licitum omnes tres Missas ante Auroram celebrare. Ratio est: quia Papa Telesphorus in cit. cap. absolutè concedit, ut in nocte Nativitatis celebrentur tres Missæ sine ulla restrictione ad Missam primam. Confirmat hoc etiam consuetudo Sacerdotum piorum & timoratæ conscientiæ, qui passim absque scrupulo celebrant illa nocte omnes tres Missas. Unde dicendum, eam Rubricam Missalis vel esse solùm directivam, non obligatoriam; vel loqui non de Missis privatis, sed conventualibus tantùm.

Excipitur secundo casus necessitatis, quando opus est celebrare ad dandum ægroto viaticum, qui fortè aliàs absque illo moreretur. In quo casu non solùm unâ horâ ante Auroram, ut aliqui limitant; sed etiam post mediam statim noctem, si tunc urgeat necessitas proximi, posse celebrari, asserunt Vasquez, Laym. Castrop. Salmantic. & alii. Ratio est: quia utrumque nonnisi ex consuetudine repetitur esse prohibitum: nec videtur eadem consuetudo cum tanto rigore introducta, ut cum damno proximi adeò gravi sit observanda.

Excipitur tertio casus, in quo Episcopus ob justam causam dispensat, ut ante Auroram Missa celebretur: qua facultate multò magis ipsemet ob causam rationabilem uti potest, v. g. ad iter maturiùs ac commodiùs instituendum. Ita Navarrus, Coninck, Laym. & alii. Ratio hujus exceptionis est, quòd illa universalis prohibitio non videatur aliter recepta, nisi cum ea moderatione, ut occurrente causa rationabili Episcopus dispensando possit & sibi & aliis dare facultatem celebrandi ante Auroram.

Quarta exceptio est, quando consuetudo aliud obtinet, quemadmodùm in partibus Galliæ, in Belgio, & superiore Germania ex rationabili causa introducta est consuetudo, ut tempore hyemis in civitatibus (idem intelligе, ait Oberascher, in Monasteriis, quibus oppida aut pagi adjunguntur) tribus vel quatuor horis ante Solis ortum Missa inchoetur, ne scilicet in his regionibus Septentrionalibus, ubi Sol serò oritur, famuli & operarii destituantur occasione audiendi Missam, sed eam audiant, antequàm opus facere incipiant, alioqui vix unquam audituri. Ita Navarrus, Coninck, Layman & alii.

Exceptio quinta oritur ex privilegio Apostolico. Tale privilegium, prout testatur Card. de Lugo, Societati JESU concessit Gregorius XIII. ut nempe ex licentia Superioris possint illius Sacerdotes itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ celebrare unâ horâ ante Auroram. Simile privilegium aliis quoque Religiosis competere dicunt, ut refert Reding, Rodriquez, & Castropalao, cujus privilegii fieri mentionem in compendio privilegiorum Societatis Jesu, scribunt Salmanticenses.

Immò Reding & idem Salmantic. ex cit. Emmanuele Rodriquez referunt privilegium concessum ab Alexandro VI. Abbati & Monachis Benedictinis Monasterii Montis Serrati, ut possint duabus horis post mediam noctem celebrare Missas. Circa quod tamen privilegium notandum est, id esse restrictum ad Ecclesiam Monasterii, unde ab illis, qui eodem fruuntur per communicationem, non debet extendi ad alias Ecclesias. quia communicatio, inquit Card. de Lugo, non intelligitur cum majori ampliatione, quàm gratia principalis, quæ communicatur.

Eugenius IV. autem, teste eodem Rodriquez in Bullario Regularium apud cit. Salmantic. Congregationi S. Justinæ contulit privilegium, ut ejus Religiosi in itinere, vel ex alia rationabili causa post meridiem usque ad

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

horam nonam inclusivè (quæ est tertia pomeridiana) possint offerre Sacrificium.

Existimant aliqui, omnia hujusmodi privilegia esse revocata in Concil. Trid. sess. 22. *decreto de evit. in celebrat. Missæ*, ubi inter alia prohibetur, *ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent:* & in fide additur, *non obstantibus privilegiis ac consuetudinibus quibuscunque.*

Verùm id negat Card. cit. cum multis Theologis Salmanticens. quos ait de hoc fuisse consultos. Nam Concilium solùm præcipit ibi Episcopis, ut iis, quæ in memorato decreto dicuntur evitanda, remedium adhibeant, & observari curent. Ubi ergo Episcopi non repugnant (ait idem Card.) non est, cur Regulares amittant sua privilegia.

Confirmatur. Quia teste Joanne Clericato, cujus suprà aliquoties meminimus, Gregorius XIII. post Concil. Trid. concessit Congregationi S. Justinæ de Padua, *ut ejus Monachi, dum in itinere fuerint constituti, possint Missam celebrare ante Auroram, & post mediam noctem.* Unde, cùm omnes Ordines Regulares (inquit idem Clericatus) communicent inter se quæcunq; Privilegia sibi specialiter concessa, possunt omnes Regulares uti Privilegiis Gregorianæ ante dictæ, & aliis, si quæ sunt à Sede Apostolica elargita post Trid. Conc. quorum vigore saltem integrâ horâ ante Auroram, & alia integrâ horâ post Meridiem poterunt absque scrupulo celebrare. Ubi idem Author etiam adducit Card. Brancatium in Opusc. de Capell. Card. Privil. pag. 19. observantem, Privilegiâ Apostolica post Conc. Trid. concessa ejusdem decretis derogare, etsi Papa mentionem de Concilio non faciat. Unde licèt daremus, memorata Privilegia per illud decretum Trid. fuisse revocata, nihilominùs subsisteret, quod diximus de facultate celebrandi ante Auroram & post Meredíem nostris hominibus, & gaudentibus per communicationem eorum privilegiis concessa.

7 Ex dictis facilè solvitur illud commune dubium, an in celebratione Missæ ante Auroram dari possit parvitas materiæ respectu temporis, quæ celebrantem excuset à peccato mortali?

Prima quidem fronte videri possit non dari, idque ob exemplum præcepti tum abstinendi à carnibus in die jejunii, tum recitandi Officium Divinum diei antecedentis. Nam qui vel paululùm ante mediam noctem, quæ succedit Vigiliæ v. g. Virg. Assumptæ, carnes comedit, non excusatur à peccato mortali: similiter qui vel paululùm post mediam noctem recitat Officium Canonicum diei præcedentis, non satisfacit præcepto recitandi, sed peccat mortaliter. Ergo etiam, qui Missam celebrat vel paululùm ante Auroram, graviter violat præceptum non celebrandi ante Auroram.

Sed respondendum est ex communi Doctorum opinione, hîc dari parvitatem materiæ: ut proindè, qui semiquadrante horæ ante Auroram conficeret Sacrificium, non peccaret, saltem mortaliter. Ratio est: quia in præsenti materia tempus Auroræ non sumitur physicè, aut mathematicè, sed moraliter; adeòque cum aliqua latitudine. Atque hinc ad exempla de aliis præcepti, nempe jejunandi, recitandi Officium Divinum, dicitur, nullam esse paritatem: quia in illis terminus obligationis, scilicet media nox, accipitur physicè aut mathematicè pro ipso puncto mediæ noctis.

Quæ de acceptione morali & termino g parvitatis ex parte temporis Auroræ modò dicta sunt, extendi debent proportionaliter ad tempus Meridiei. Porrò quamvis loquendo regulariter, ut constat ex dictis, non liceat Missam inchoare post Meridiem, idque Pius V. in Bulla *Sanctissimus in Christo Pater* prohibuerit sub pœna suspensionis ferendæ; excipiuntur tamen aliqui casus, quos placet referre ex Salmanticensibus, in quibus licitum est post Meridiem inchoare Missam.

Primus casus est, si Missa solemnis, & concio die festo usque in Meridiem, vel ampliùs protrahatur. tunc enim (ut habet etiam Layman, Castropalao & alii) consuetudo obtinet, ut postea Missæ aliquæ privatæ leguntur, ne pluribus occasio desit audiendi Missam.

Secundus casus est, si Sacerdos in itinere constitutus die festo non potuit celebrare ante Meridiem. tunc enim poterit facere initium Missæ unâ horâ post Meridiem.

Tertius casus est, si Episcopus ob justam causam dispenset in casu particulari, ut Missa celebretur post Meridiem; sicuti suprà de celebratione ante Auroram dictum est.

Quartus casus est, si urgeat necessitas communicandi ægrotum, ne alioquin absque viatico discedat è vita.

Quintus casus est, si concessum sit privilegium à Summo Pontifice, cujus exempla suprà dedimus.

Sextus casus est, si in diebus Ordinationum solemne Officium Missæ cantetur post Meridiem, Episcopo Sacros Ordines conferente.

Septimus casus est, si curandum sit funus alicujus Principis. Practicatum fuisse hunc casum Salmanticæ testatur apud eosdem Authores Henriquez, Missamque in funeribus Regum finitam horâ quartâ post Meridiem.

DISPU-

DISPUTATIO IX.

De Loco & Vestibus sacris, in quibus celebrandum est Missæ Sacrificium.

Post circumstantias temporis agendum est de circumstantia loci. Triplex autem locus istius Sacrificii distingui potest; scilicet communis, proprius, & propriissimus. Locum communem appellare licet templum; proprium altare; propriissimum vas ipsum, quod corpus, vel sanguinem Christi continet. De his omnibus proinde; sicut etiam de vestibus sacris, impræsentiarum disseremus.

ARTICULUS I.

An Sacerdos teneatur Sacrificium Missæ celebrare in loco sacro?

SUMMARIUM.

1. *Publica loca ad Dei cultum rectè destinantur.* 2. *De jure ordinario celebrandum est in loco sacro.* 3. *Idque sub peccato mortali.* 4. *Prima exceptio ab hac lege est necessitas.* 5. *Quæ non debet esse summa.* 6. *Secunda exceptio est per dispensationem.* 7. *Potestas dispensandi Episcopis non est adempta per Concil. Trid.* 8. *Tertia exceptio est Privilegii concessi Episcopis.* 9. *Et Religiosis quibusdam Ordinibus.* 10. *Quod Privilegium respectu Religiosorum non est revocatum à Concilio Trid.* 11. *Aliquot illationes.* 12. *Ad licitè celebrandum in Ecclesia requiritur, ut non sit polluta.* 13. *Quot modis polluatur Ecclesia.* 14. *Quid, faciendum Sacerdoti dum ipso celebrante violatur Ecclesia?*

1 SUpponimus contra plurimos cùm Gentiles, tum Hæreticos, sanctum & necessarium esse destinari in Ecclesia publica loca, in quibus singulariter Deus per opera Christianæ religionis, ac præsertim per Missæ Sacrificium, colatur. Constat hoc suppositum ex praxi universalis Ecclesiæ, in qua semper extiterunt templa ad Dei cultum peculiariter dedicata, & in templis altaria pro Missæ Sacrificio offerendo; quemadmodum fusè ostendit Suarez, & alii. Et certè, cùm etiam Gentiles ad sacrificandum inanibus Diis suis templa, arasque ædificâsse palàm sit, meritò deducitur, ab ipso naturæ lumine templorum erectionem, ut in eisdem Deo Sacrificium offeratur, dictari & inculcari.

2 Dico jam primo. De jure communi & ordinario non licet Sacrificium Missæ offerre, nisi in templo ab Episcopo consecrato, aut benedicto, aut saltem in Oratorio ad Dei cultum dedicato, & per Episcopum ad hoc designato. Ita constans omnium sententia.

Patet ex cap. *Nullus. de consecrat. dist.* 1. ubi prohibetur sub pœna depositionis, ne Sacerdos ullus celebret in locis non sacratis ab Episcopo. Audiamus verba: *Nullus presbyter* (inquit ibi Papa Sylvester) *Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotii.* Quod idem traditur in Conc. Trid. sess. 22. cap. de observandis in celebrat. Missar.

Ratio hujus præcepti optima redditur, 3 quod Ecclesiæ ita visum fuerit expedire, tum ad debitam reverentiam hujus Sactificii & Sacramenti; tum ad majorem devotionem fidelium.

Ex quibus colligitur, transgressionem ejusdem præcepti esse mortale peccatum. Ratio est: quia est violatio præcepti in re gravi; veluti apparet ex gravitate pœnæ, quam transgressoribus decrevit cit. cap. *Nullus.* 4. Dictum est autem in Concl. *de jure communi & ordinario.* Nam extraordinariè in multis casibus alibi celebrare est licitum. Unde ab hac lege excipitur primo casus necessitatis, ut patet ex cap. *sicut. de consecrat.* 1. Casus autem necessitatis sunt,

Primus, si longa peregrinatione proficiscaris per loca deserta, aut terras infidelium, ubi nullus occurrit locus sacer: tunc enim poteris in Altari portatili sacrificare, in quocunq; loco decente, ne diù Sacrificio carere cogaris. Ità Suar. Coninck, Henriq. Laym. Castrop. Card. de Lugo, Salmanticenses.

Secundus est, quando Ecclesiæ sunt dirutæ, veluti habetur in cap. *Concedimus. de Consec. dist.* 1. & traditur à Doctoribus relatis.

Tertius est, quando aliàs multi, præsertim die festo, non possent audire Missam; veluti contingit, dum ad parvum aliquod oratorium simul concurrunt multi peregrini, quod illos propter angustias non potest capere. Ità Card. cit. Dicastillo, Layman, Salmantic.

Quartus est in castris, quando aliàs milites diebus festis non possent audire sacrum. Quod idem est in littore maris, quando vectores & nautæ non possunt naves relinquere, ut quærant locum sacrum in quo Missam audiant die festo. Ita citt. ex quibus rectè addit Card de Lugo, in his, & similibus casibus, si fieri possit, petendam esse licentiam ab Ordinario: si id fieri non possit, celebrari posse sine licentia: nunquam tamen sine Altari portatili consecrato.

5 Objicies contra hæc fortè textum in cit. cap. *Sicut.* ubi Pontifex expressè dicit, non esse licitum extra Ecclesiam celebrare, *nisi summa coëgerit necessitas.* Sed in casibus positis non cogit summa necessitas; ergo.

Respondeo cum Salmanticensibus & aliis apud ipsos, consuetudine atque usu obtentum jam esse, ut id etiam liceat in minore necessitate: sicut usu jam obtentum est, ut liceat celebrare in locis non consecratis, sed tantùm benedictis, quamvis in eodem cap. expressè dicat Pontifex, *id non in aliis locis, quàm in Domino consecratis, id est, in tabernaculis Divinis precibus à Pontificibus delibutis, licere.*

6 Secunda exceptio est per dispensationem Episcopi. Nam posse Episcopum dispensare, ut liceat extra Ecclesiam celebrare in alio loco honesto, colligitur ex cap. *Missar. de consecrat. dist.* 1. ibi enim decernitur, non posse Missarum solemnia, nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel, ubi ipse permiserit celebrari.

Cæterùm ad valorem ejusmodi dispensationis exigitur quidem legitima causa, ea tamen non debet necessariò esse tam gravis & evidens, qualis exigitur, ut Sacerdos propria authoritate possit celebrare extra Ecclesiam. Dato enim casu, quo causæ sufficientia esset dubia, non esset licitum propria authoritate sacrificare in loco non sacro, liceret tamen per accedentem dispensationem Episcopi, uti ex Castropalao advertit Reding. Atque hinc Vasquez disp. 233. cap. 1. n 5. docet, Episcopum dispensare posse, ut in domo personæ nobilis ægrotantis, loco decenti, profanis alioquin usibus destinato, celebretur, ut ejusmodi ægrotus audiat Missam, & Sacram Communionem suscipiat; licèt Sacerdos propria authoritate ob ejusmodi finem in tali loco celebrare non possit.

7 Neque putandum est, facultatem hanc dispensandi sublatam esse per Concil. Trid. sess. 22. in decreto de observand. & vitand. in celebrat. Missar. quia istud decretum ut notat Reding cit. cum aliis, quos refert, non procedit de potestate dispensandi pro una vel altera vice, sed de potestate dispensandi permanenter, vi cujus concedatur facultas libera, ac per modum privilegii, quoties libuerit, celebrandi extra Ecclesiam & Oratoria ad DEI cultum dedicata. in quo sensu intelligendum venit etiam Breve Pauli V. editum anno 1615. & aliud Urbani VIII. in quibus absolutè ablata videri possit Episcopis ea potestas dispensandi.

Tertia exceptio est Ptivilegii. Quale in- 8
primis competit Episcopo, ut in itinere constitutus vel ipse celebrare possit, vel facere, ut alius Sacerdos coram ipso celebret extra locum sacrum, in Altari tamen portatili. Et hanc facultatem Episcopis non esse ablatam per Concil. Trid. sess. cit. tanquam certum supponunt Authores, nominatim Vasquez, Card. de Lugo, & Barbosa apud Reding.

Deinde privilegium celebrandi in quo- 9
vis loco honesto extra Ecclesias & oratoria super altare portatile concessum est aliquibus Religiosis Ordinibus: ut primo Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus in cap. *In his* 30. *de Privilegiis.* Secundo Carmelitis ab Urbano V. & Sixto IV. ut apud Salmanticenses refert Leżana. Tertio, Canonicis Regulatibus Lateranensibus à Pio IV. pro infirmis, vi cujus privilegii curare possint, ut in propriis cubiculis celebretur Missa à Sacerdote, quemcunque elegerint. Quarto, Societati JESU à Gregorio XIII. pro iis, qui in Missionibus versantur, ut habent Card. de Lugo, Illsung, & alii.

De hoc privilegio, quatenùs concessum 10
est Religiosis Ordinibus ante Concilium Trid. dubitatur inter Authores, an revocatum sit per idem Concilium sess. 22. in Decreto de servand. & vitand. in celebrat. Missar. ubi ad Episcopos inter alia dicit: *Neve patiantur privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi.* Ubi disponens de celebratione Missarum extra loca deputata suò decretò expressè comprehendit etiam Regulares, additque in fine clausulam: *Non obstantibus privilegiis &c.*

Confirmatur. Paulus III. Patribus Societatis concesserat privilegium celebrandi super altare portatile in quocunque loco honesto ac docente; veluti constat ex *Compendio Privilegior.* hujus Religionis. Sed quoniam idem privilegium concessum erat ante Concil. Trid. post illud habitum fuit pro revocato, idque tanquam revocatum confirmavit Gregorius XIII. in sua Constit. 57. *to.* 2. *Bullar.* ubi ait: *usum Altaris viatici Societati vestræ à felic. record. Paulo Papa III. concessum; deinde à Concilio Trid. sublatum vobis eatenùs restituimus &c.* Ex quibus apertè vides, Pontificem hujusmodi privilegia universaliter reputâsse pro revocatis.

His

His tamen non obstantibus sentio, privilegium celebrandi extra loca sacra in Altari portatili concessum Patribus Dominicanis & Franciscanis non esse revocatum à Concilio Trid. adeoque manere in suo robore etiam quoad eos, qui illud participant per communicationem. Ita Salmanticenses cum multis, quos citant nominatim. Testatur præterea Card. de Lugo, ita censuisse doctissimos P.P. Dominicanos Salmanticæ de hac re consultos, & P. Joannem de Salas.

Ratio est primo. Quia privilegium insertum corpori juris communis non debet censeri revocatum, nisi clarè constet de revocatione ejusdem; nec derogatur illi per clausulas generales, sed necessaria est specialis mentio ejusdem. Atqui privilegium, de quo agimus, insertum est juri communi in cap. *in his. de privileg.* & neque clarè constat de ejusdem revocatione; cùm plures Doctores negent esse revocatum; neque fit illius specialis mentio in illo decreto Trident. Concilii, ejusque clausula est tantùm generalis: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque.* Ergo &c.

Ratio est secundo. Quia dubia de privilegiis Regulatium interpretari opottet in favorem ipsorum Regularium, juxta regulam, quam apud Salmanticenses Benedictinis Vallisoletanis anno 1501. Romæ Kalendis Aprilis tradidit Alexander VI. in hæc verba: *Sic, ut quando dubium fuerit in intellectu privilegiorum Regularium, semper per Jurisperitos, & alios Judices in favorem Regularium fiat interpretatio.* Unde, quando dubium est, an valeat, vel non valeat? an sit revocatum, vel non revocatum aliquod privilegium Regulatium? affirmandum est valere, & non esse revocatum. cùm enim privilegium sit certum, revocatio verò dubia, possessio stat pro privilegio, quòd nempe non sit revocatum; quia in dubio melior est conditio possidentis; ut pridem ostendimus cum aliis. Atqui in præsenti est dubium de privilegio Regulatium, ejusque revocatione; ergo affirmandum est non esse revocatum.

Quòdsi nunc sermo sit de quopiam ejusmodi privilegio corpori Juris non inserto, sentio neque hoc tale esse revocatum absolutè, sed solùm eatenùs, quatenùs habet repugnantiam cum dispositione legis revocantis. Porrò Concilium in illo decreto solùm intendit tollere abusus privilegiorum, & irreverentias ex abusibus consequi natas. ut proinde privilegium celebrandi extra loca sacra non habeat repugnantiam cum dispositione legis revocantis, nisi ratione abusuum: & consequenter ut sejunctum ab abusibus & irreverentiis non est revocatum, sed etiamnum pristinum vigorem obtinet.

Unde ad fundamentum oppositum respondeo, quod attinet ad privilegium corpori Juris insertum, id nullo modo esse revocatum. quod attinet ad alia, si sint revocata, esse solùm revocata, in quantum habent repugnantiam cum dispositione legis revocantis in sensu explicato.

Ad Confirmat. dico, Gregorium XIII. ibi non declarâsse, quòd privilegium concessum à Paulo III. aliave fuerint revocata à Trid. Concil. sed supposuisse revocatum ex narratione eorum, qui illud recupetare laborabant, eamque narrationem fuisse fundatam in opinione existimantium, quòd esset revocatum. Hinc autem plus non probati, quàm tunc fuisse opinionem, quæ diceret, ejusmodi privilegia fuisse revocata. Vel dici potest, illud privilegium, cùm non sit insertum corpori Juris, fuisse revocatum non absolutè, sed quatenùs poterat esse contrarium dispositioni Concilii.

Dices. Si privilegia memorata Regulatium non sunt revocata, frustranea est dispositio Concilii præcipientis Episcopis, ne patiantur celebrare Regulares extra Ecclesias & Oratoria Divino tantùm cultui dedicata.

Respondeo neg. illatum. nam inprimis ea dispositio semper sortiri potest effectum apud Regulares non privilegiatos, & non habentes communicationem privilegiorum; ut patet. Deinde etiam apud privilegiatos potest obtinere effectum. Nam si nixi virtute privilegiorum celebrent extra loca prædicta cum abusu & irreverentia, poterunt Episcopi ratione specialis mandati, quod habent à Concilio, se interponere, & ejusmodi celebrationem prohibere. Ex dictis

Infertur jam primo, Regulates privilegiatos, & qui participant eorum privilegia per communicationem, posse adhuc uti Altari portatili & celebrare extra loca sacra, modò id faciant cum decentia & reverentia tanto Sacrificio debita. Ratio est: quia privilegia id ipsis concedentia vel non sunt revocata (sicut certò non revocatum est privilegium concessum in cap. *In his. de privileg.*) vel non sunt revocata absolutè, sed solùm, in quantum habent repugnantiam cum speciali illa dispositione decreti *de servand. & vitand. in celebrat. Missar.* 11

Infertur secundo, in cellis seu privatis cubiculis Religiosorum dum infirmitate impediti inde exire nequeunt, Missam celebrari posse, ut eatidem audiant, & S. Eucharistiam suscipiant. ita Salmanticenses, & alii, quos iidem referunt. Ratio inprimis est: quia per cit. decretum Concilii solùm injungitur Episcopis, ne permittant celebrari Missas in domibus privatis, & Oratoriis, quæ non sunt dicata tantùm cultui Divino, atque adeò extra Ecclesiam omnino. atqui cellæ, cameræ, seu

privata cubicula Religiosorum non sunt domus privatæ, vel Oratoria non dicata tantùm cultui Divino, vel omnino extra Ecclesiam; quia sunt partes Monasterii, quod totum venit nomine Ecclesiæ. Aliud fundamentum sumitur ex speciali privilegio concesso Canonicis Regularibus Lateranensibus, cujus in n. 9. meminimus. Quo privilegio gaudent & aliæ Religiones in privilegiis communicantes, inquiunt Salmanticenses; cùmque idem privilegium sit concessum post Conc. Trident. scilicet anno 1565. non potest fuisse comprehensum sub decreto illo revocatorio.

Infertur tertio, hoc privilegio procurandi, ut tempore infirmitatis in cellis & privatis cubiculis infirmorum celebrentur Missæ, ex speciali ratione participare Religiosos Benedictinos. Ratio illa hæc est: quia totus Ordo S. Benedicti communicat privilegia concessa particularibus Congregationibus, quales sunt Cassinensis, Vallisoletana, S. Mauri in Gallia; quemadmodum probat Mezger tr. 8. disp. 39. a. 5. §. 2. atqui inter privilegia his Congregationi concessa, & quidem recenter Congregationi S. Mauri ab Urbano VIII. per Bullam *insupereminenti*, continetur communicatio omnium prorsus privilegiorum, quæcunq; fuerunt ulli Regulari Ordini concessa; sicuti testatur idem Mezger; ergo inter illa continetur etiam communicatio hujus privilegii de celebratione Missarum in cellis & privatis cubiculis Religiosorum, quod concessum sibi habent Canonici Regulares Lateranenses.

Sed hinc alia emergunt quæsitu utilia. Quæritur autem primo, an Religiosus privilegiatus, dum ægrotat in domo cujusdam sæcularis, possit vi privilegii concessi à Pio IV. curare celebrari ibi Missam?

Respondetur posse. Ratio est: quia privilegium personale sequitur personam, ubicunq; existit, donec ostendatur aliqua exceptio, per quam restringatur ad certum locum: sed memoratum privilegium est personale, neque constat de aliqua exceptione restringente illud ad certum locum; ergo.

Quæritur secundo, an Regulares in quibuslibet locis propriis possint erigere Oratoria & Capellas?

Respondetur, posse. Nam exstant privilegia Summorum Pontificum, in quibus hóc conceditur. Tale privilegium Augustinianis contulit Alexander IV. & rursus iisdem cum pleniori confirmatione Clemens IV. Et Patribus Societatis Paulus III. ac deinde Gregorius XIII. Quibus privilegiis fruuntur omnes Regulares habentes communicationem privilegiorum. Neque revocata sunt hæc privilegia à Concil. Trid. quia non adversantur dispositioni ejusdem; quippe solùm mandatis, ne Episcopi patiantur etiam à Regularibus Missas celebrari in domibus privatis, aut extra Ecclesiam omnino & Oratoria dicata tantùm cultui Divino. Atqui ejusmodi Capellæ & Oratoria Regularium non sunt in domibus privatis &c.

Quæritur tertio, an in Capellis, & Oratoriis erectis intra sepia Regularium celebrare possint etiam Sacerdotes exteri?

Respondetur, posse. Ratio est: quia suppositô privilegiô deputandi ac destinandi loca quæpiam pro cultu Divino tantùm, factaque deputatione in virtute privilegii, ejusmodi loca jam sunt habilia ad oblationem Sacrificii non minùs, quàm Oratoria erecta indifferenter pro omnibus. Aliunde quoque nulla adest restrictio ad certum numerum Missarum, qualis adesse solet pro privatis Oratoriis: adeoque liberum est celebrare tot Missas, quot libuerit, & quibuscunque libuerit. Accedit, quòd ejusmodi Capellæ & Oratoria meritò censeantur esse pars quædam, ut antea notavimus, & appendix Ecclesiæ: ergo, qui celebrat in illis, non celebrat extra Ecclesiam omnino, quod prohibuit Tridentinum; sed celebrat in appendice quadam Ecclesiæ.

Quæritur quarto, an erigi possint Oratoria seu Capellæ in infirmariis Regularium pro infirmis?

Respondetur, posse, ad hunc videlicet finem, ut infirmi Missam ibi celebrandam è cubiculo, aut etiam è lecto audire possint. Colligitur ex dictis: tum, quia Regulares virtute suorum privilegiorum habent potestatem erigendi Capellas & Oratoria in quocunque loco decenti suorum Monasteriorum. Tum quia virtute privilegii concessi à Pio IV. possunt Regulares, quando sunt infirmi, curare, ut ipsis celebretur Missa in propriis cubiculis: ergo etiam possunt curare, ut celebretur juxta cubiculum in loco decenti ac honesto. Non enim apparet, quamobrem concesso illo priori, negatum esse possit hoc posterius.

Atque ex his colligitur primo, etiam in Grangiis Regularium exstrui posse Oratoria ad celebrationem Missarum. Ratio est: quia virtute suorum privilegiorum possunt Regulares erigere Oratoria in propriis locis: consequenter etiam in Grangiis. Exstat etiam speciale privilegium, quod pro Grangiis Ordini Cisterciensi concessit Alexander III.

Colligitur secundo, in memoratis Oratoriis Grangiarum quosliber Sacerdos posse celebrare. Ratio est: tum, quòd cuilibet liceat celebrare in Oratoriis, quæ sunt intra sepia Monasteriorum: ergo etiam in Oratoriis Grangiarum. Quæ enim diversa ratio? tum quod celebrare in his Oratoriis non sit celebrare extra Oratoria divino tantùm cultui deputata, & omnino extra Ecclesiam; quia Gran-

Grangiæ sunt loca Ecclesiastica, & gaudent immunitate Ecclesiastica.

Colligitur tertio, etiam in domibus ruralibus posse à Regularibus erigi Oratoria pro celebratione Missæ. Ratio est: quia Regulares vi privilegiorum possunt erigere Oratoria in quocunque loco proprio Religionis; ut suprà audivimus: ergo etiam in his domibus.

Confirmatur. Regulares super Altare portatile celebrare possunt in quocunque loco honesto ac decente, ut patet ex dictis: ergo etiam possunt ad id faciendum sibi prospicere de loco honesto, eumque præparare, & quidem permanentem, cujusmodi est Capella vel Oratorium, quia id cedit in majorem reverentiam Sacrificii.

Colligitur quarto, Sacerdotem viatorem in transitu talium domorum constitutum posse licitè in aliquo earum Oratorio vel Capella celebrare. Ratio est: quia ejusmodi Oratorium est locus dicatus soli cultui Divino, nec existit in domo privata, sed in domo Religiosorum: quæ habetur pro parte Monasterii, licèt Religiosis inserviat ad solam remissionem animi.

Colligitur quinto, Episcopos non posse prohibere, ne erigantur Oratoria intra Monasteria, in Grangiis, Hospitiis &c. Religiosorum privilegiatorum, & ne Missæ celebrentur in illis. Ratio est: quia Episcopi illa tantùm prohibere possunt, quæ sunt materia prohibitionis: sed erigere Oratoria seu Capellas in locis memoratis, inque illis celebrare Missam non est materia prohibitionis; ergo id Episcopi non possunt prohibere. maj. est evidens. mi. prob. quia materia prohibitionis, quam hîc possunt prætendere Episcopi, est celebrare in privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria: sed erigere Oratoria & Capellas, sicut & celebrare in locis memoratis neque est celebrare in privatis domibus, neque omnino extra Ecclesiam; neque extra Oratoria Divino tantùm cultui dedicata, ut vidimus: ergo non est materia prohibitionis. His expeditis,

12 Dico jam secundo. Ut quis licitè celebret in Ecclesia consecrata, aut benedicta, requiritur, ut non sit polluta. Ita communiter omnes Doctores, & sumitur ex toto ut. *de Consecrat. Ecclesiæ.*

Ratio est: quia pollutio Ecclesiæ, ut docet Suarez, nihil est aliud, quam censura quædam, seu prohibitio jure Ecclesiastico introducta ut nec Sacrum, nec alia Divina Officia fiant in Ecclesia, quando aliquod certum delictum, vel impedimentum ex statim recensendis intervenit. Porro præceptum tunc prohibens celebrari Missam, aliaque Divina Officia est justum & grave, pertinetque ad reverentiam Ecclesiarum; adeoque obligat sub peccato mortali, ne quis celebret in Ecclesia polluta.

Potest autem Ecclesia consecrata; aut 13
benedicta pollui quinque modis. Primus modus est per injuriosam effusionem humani sanguinis. Circa quod

Notandum est primo, effusionem sanguinis oportere esse in notabili quantitate, nec sufficere unius vel alterius guttæ defluxionem: prout advertunt Coninck, Card. de Lugo, Reding, & alii. Atque hinc

Infertur primo, Ecclesiam non indigere reconciliatione, dum quis in ea verberatur, percutitur, aliave injuria in corpore afficitur citra effusionem sanguinis, tametsi caro ipsius contundatur, ut intumescat, ossaque conterantur, aut frangantur. Ratio est: quia Sacri Canones in præsenti casu requirunt effusionem sanguinis.

Infertur secundo, si corpus hominis recenter occisi inferatur in Ecclesiam, hanc non pollui, licèt id corpus præsente occisore (ut fieri dicunt) incipiat copiosè manare sanguine. Ratio est: quia hæc non est effusio sanguinis humani, sed cadaverici.

Notandum est secundo, quando cum percussione gravi & ad peccatum mortale sufficiente conjungitur copiosa sanguinis effusio, tunc pollui Ecclesiam; non verò pollui, quando percussio est levis, & ad peccatum mortale insufficiens, licèt conjuncta sit cum copiosa effusione sanguinis: prout fieri potest in rixa puerorum, dum alter alterius os, nares q; contundit usq; ad largam manationem sanguinis.

Notandum est tertio, ad pollutionem Ecclesiæ requiri & sufficere, quòd is, qui vulneratur, sit in Ecclesia dum vulneratur, & opus non esse, ut etiam vulnerator existat in Ecclesia, dum vulnerat. Ita Card. de Lugo ex communi Doctorum sententia. Ratio est: quia hæc pollutio inducitur per effusionem sanguinis ex parte vulnerantis mortaliter peccaminosam: quod totum habet, sive vulnerans sit extra, sive intra Ecclesiam.

Secundus modus polluendi Ecclesiam est per homicidium voluntarium. Circa quod notandum est primo, ad hanc pollutionem non sufficere, quod aliquis extra Ecclesiam vulneretur, & intra illam moriatur, sed requiri, ut vulnus, vel causa non moralis tantùm, sed Physica fiat intra Ecclesiam. Ita cit. Card. Suarez, Reding, & communiter Doctores. Ratio est: quia aliàs revera non homicidium, sed sola mors in Ecclesia contingit.

Notandum est secundo ex communi sententia contra P. Suarez, pollui Ecclesiam, quando quis intra illam vulneratus domi ex vulnere moritur, licèt læsio lethalis facta fuerit absque effusione sanguinis. Ratio est: quia homicidium verè dicitur commissum in Ecclesia, quando intra eandem vulnus lethale, vel percussio lethalis peracta est:

cùm

cùm ab ista, & non à morte postea secuta sumatur denominatio homicidii.

Notandum est tertio, occisionem vel vulnerationem oportere esse mortaliter peccaminosam, ut habet iterum communis sententia. Atque hinc non polluitur Ecclesia, dum quis in illa occidit alterum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ex causa necessariæ defensionis; vel aliunde in ejusmodi facto excusatur à peccato mortali.

Dices. Si Judex quempiam suspenderet in Ecclesia, ista pollueretur, & tamen ejusmodi occisio non esset injuriosa cum reatu peccati mortalis.

Respondeo, talem occisionem ex duplici capite esse injuriosam, primo ipsi reo, qui, licèt supponatur dignus suspendio, habet tamen jus, ut in hoc tali loco vim non patiatur. Secundo, etiam loco sacro: & hoc sufficit ad pollutionem in præsenti. sicut sufficeret, si quis in Ecclesia interficeret seipsum. licèt enim talis sibi propriè non faceret injuriam, faceret tamen Deo & Ecclesiæ. Ita Suarez.

Tertius modus polluendi Ecclesiam est per voluntariam effusionem humani seminis. Circa quod notandum est primo, sufficere quamcunque effusionem seminis, quæ constituat peccatum mortale intra genus Luxuriæ cujuscunque demum speciei, si fiat in notabili quantitate. Quod addo; quia, licèt effusio seminis etiam in modica quantitate sit ex parte voluntatis graviter peccaminosa in ratione intemperantiæ, in ratione tamen exterioris injuriæ loci sacri non censeri debet adeò quid grave, ut propter illam Ecclesia habeatur pro polluta: uti docet Reding cum Suarez, & Card. de Lugo.

Notandum est secundo litigium inter Doctores de commercio conjugali, an per illud polluatur Ecclesia, dum fit intra ipsam? Negant Emmanuel Sa, & Basilius Pontius teste Reding cit. Ratio est: quia jura, dum loquuntur de re præsenti, solùm faciunt mentionem de copula illicita & adulterina: ut patet ex cap. *Si notum. de consecrat. dist.* 1. & cap. *Significasti. de adulteriis.* In quo sensu etiam accipi debent alii Canones, dum simpliciter loquuntur de effusione seminis: qui proinde non rectè extenduntur ad copulam conjugalem de se licitam & honestam; cùm hîc versemur in materia pœnali.

Affirmant econtra Navarrus, Sanchez de Matrim. & alii. Ratio est: quia, licèt commercium conjugale ex se sit licitum & honestum, si tamen fiat intra Ecclesiam, erit illicitum propter circumstantiam loci sacri; sicut pœnam mortis reo eâ digno infligere de se quidem est licitum, redditur tamen illicitum propter circumstantiam loci sacri, si fiat in Ecclesia. Ergo sicut Ecclesia pollueretur, si Judex quempiam morte dignum in illa jubaret plecti capite, vel suspendi, ita etiam polluetur, si conjuges inibi exerceant usum Matrimonii.

Verùm hîc medios se se interjiciunt Suarez, Barbosa, Card. de Lugo & alii, distinguendo in hunc modum, ut asserant, si conjuges cogerentur ad diu commorandum in Ecclesia, v g. tempore obsidionis, atque adeò periculum esset incontinentiæ, tunc copulam conjugalem non obstante reverentia sacri loci fore licitam, nec ratione illius pollutam iri Ecclesiam. Si verò nulla urgeret necessitas eam exercendi, fore, ut induceret Ecclesiæ pollutionem: tunc enim ejusmodi actum ratione loci sacri fore mortaliter peccaminosum. Et hanc sententiam puto esse probabiliorem.

Notandum est tertio, tam in hoc, quam in præcedentibus casibus ad pollutionem Ecclesiæ requiri, ut de illis publicè constet vel evidentia facti, vel juridica confessione ejus, qui fecit, vel alia simili ratione. Ratio est: tum quia Ecclesia non judicat de occultis: nec expediret quælibet delicta prodere per reconciliationem. Tum, quia aliàs magna sequerentur incommoda, si Sacerdos v. g. ob occultam pollutionem, quæ ipsi in Ecclesia contigit, deberet abstinere à celebrando in tali Ecclesia & similia.

Quartus modus polluendi Ecclesiam est per sepulturam hominis excommunicati: veluti communiter Doctores colligunt ex cap. *Consuluisti. de Consecrat. Eccles.* ubi dicitur, per ejusmodi sepulturam pollui cœmeterium: quod potiori ratione intelligi debet de Ecclesia.

Sed notandum est, excommicatum, ut per ejus sepulturam polluatur Ecclesia, debere esse vitandum: qualis à tempore Concilii Constantiensis non est, nisi nominatim denuntiatus, vel notorius percussor Clerici. Atque hinc, velut advertunt Navarrus & Card. de Lugo apud Reding, Ecclesia non reputatur polluta, quando in illa sepelitur hæreticus; atqueadeò licitè celebratur Missa in ejusmodi Ecclesia.

Quintus modus polluendi Ecclesiam est, quando in ea sepelitur Paganus, sive infidelis non baptizatus. Sumitur ex cap. *Ecclesiam. 1. & 2. de consecrat. dist.* 1. idque verum est, tametsi sepultus sit infans, modò non sit baptizatus, si tamen seorsim extra uterum matris sit sepultus. nam si in utero matris gravidæ jam mortuus sepeliatur unà cum Matre, Ecclesia propterea non polluitur: quia quantùm ad ejusmodi actus censetur unum corpus cum matre, ut habet Coninck & alii. Excipit etiam Barbosa relatio aliis Doctoribus, ut Reding testatur, si in Ecclesia sepeliatur Catechumenus. Ratio est: quia talis per charitatem conjunctus est nobis: consequenter in se-

in sepultura non debet à nobis separari. nec proinde vel Ecclesia, vel cæmeterium polluetur, si in eisdem sepeliatur.

14 Sed quæret nunc aliquis, quid faciendum Sacerdoti, si Ecclesia, dum ipse celebrat, violatur seu polluitur?

Respondeo breviter cum P. Suarez, si violatio fiat post Canonem inceptum, debere absolvere Missam absque interruptione: si fiat ante Canonem inceptum, debere cessare, donec Ecclesia reconcilietur. Ratio est: quia in priori casu jam quasi substantialiter Sacrificium Missæ inchoatum esse censetur, non tamen in posteriori. In quo, si Ecclesia sit tantùm benedicta, potest ipse statim eandem reconciliare. Quòdsi casus eveniat, in quo hoc non possit, ut, si Ecclesia sit consecrata, & ipse simplex Sacerdos; debet exui sacris vestibus & Sacrificium omittere.

ARTICULUS II.

Quale requiritur Altare ad celebrandum Missæ Sacrificium?

SUMMARIUM.

1. *Altare aliud fixum, aliud portatile.* 2. *Utrumque debet esse lapideum.* 3. *Continere SS. Reliquias.* 4. *& esse consecratum.* 5. *Sterni debet præterea duplici mappa linea & corporali.* 6. *Necessarium est etiam lumen in illo, dum celebratur.* 7. *An insuper imago Christi Crucifixi.*

1 ALtare aliud dici solet fixum, aliud portatile. Altare fixum ita dicitur, quia est firmatum in Ecclesia, & consecratur, ut ibi firmiter persistat. Altare portatile, seu viaticum est, quod in hunc finem consecratur, ut ex uno loco transferri possit in alium.

2 Dico jam primo. Altare, ut in eo liceat celebrare, debet habere sequentes conditiones. Prima est, ut sit lapideum, saltem secundùm eam partem, qua sustinet corpus & sanguinem Christi. Ita statutum esse creditur à S. Sylvestro. Soli namque Summo Pontifici ex illo tempore altare ligneum, in quo celebravit S. Petrus, fuit reservatum, ut solus in eo celebraret. Porrò lapis, ut ex eo constituatur Altare, debet esse unus simplex, & non ex duplici medietate commissa: quod Authores consuetudine receptum esse asserunt, idque ad repræsentandam personalem unitatem Christi. Idem lapis tantæ ad minimum debet esse magnitudinis, ut pedem Calicis ac Patenæ saltem ex majori parte continere possit; cum alioquin ineptus esset ad celebrandum.

3 Secunda conditio est, ut Altare, præsertim fixum, contineat Sanctorum Reliquias. Ratio desumitur tum ex oratione Ecclesiæ in Missæ introitu orantis per merita Sanctorum &c. tum ex variis Canonibus veterum Conciliorum, quos citat Reding. Verùm id non esse præcepti, sed tantùm decentiæ, docent Suarez, Vasquez, Castropalo & alii.

Tertia conditio est, ut sit consecratum 4
& quidem ab Episcopo, nisi ex speciali privilegio Pontificis quis alius habeat potestatem consecrandi: sicut habent Abbates Cistercienses ex concessione Gregorii XIV. Item Patres Societatis Jesu, & Minores, quando in terris remotissimis non facilè reperitur Episcopus: sicut testatur Illsung.

Dico secundo. Altare sterni debet ut 5
minimùm duplici mappâ lineâ, vel una duplicatâ, & præterea Corporali itidem lineo ab Episcopo, vel alio, qui ad benedicendum habet potestam, benedicto. Ita communiter Authores. Aliqui triplex linum requirunt præter ipsum corporale. Et hoc quidem decentius est, non tamen necessarium.

Dico tertio. Necessarium est insuper, 6
ut in Altari sit lumen saltem unum, quando celebratur. Constat ex cap. ult. *de celebrat. Missar.* ubi inter alios gravissimos excessus cujusdam Sacerdotis numeratur, quòd sine igne celebraverit. Unde peccatum mortale est celebrare sine lumine. Cæterùm id lumen non debet esse ex oleo, aut candela sebacea, sed ex cera, nisi ista haberi non possit. Requiritur demum in Altari Imago Christi Crucifixi, quamvis sub veniali tantùm peccato, ut communiter Doctores mitigant apud Illsung.

ARTICULUS III.

Qua ratione ad celebrandum requirantur vasa & vestimenta sacra?

SUMMARIUM.

1. Quænam hîc Vasa, quæ Vestimenta sacra? 2. Opus est ad sacrificandum Calice & Patena. 3. Aureis, vel argenteis, vel stanneis, vel cupreis. 4. Consecratis ab Episcopo. 5. Quid de pyxide Venerat. Sacramenti? 6. Adstruitur necessitas sacrarum Vestium. 7. Notabilia circa easdem.

1 PEr vasa sacra intelligitur Calix & Patena: per Vestes sacras Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula. De quibus jam inquirimus, an sint, & quomo- sint necessaria ad celebrandum Missæ Sacrificium? item, cujusmodi esse debeant?

2 Dico primo. Ad licitè celebrandum Missæ Sacrificium opus est Calice & Patena. patet ex cap. *Vasa. de consecrat. distinct.* 1. & ex usu Ecclesiæ.

3 Debent autem hæc vasa esse aurea, vel argentea, vel, propter inopiam, stannea, vel cuprea, inaurata tamen, secundùm consuetudinem, quam allegat Card. de Lugo. Quamvis non desint, teste Illsung, qui nixi jure novo Missalis reformati, in Rubrica *de præparatione Sacerdotis*, requirant non tantùm ex decentia, sed ex præcepto, ut saltem cupa Calicis sit aurea vel argentea. Sed hoc videtur minùs probabile.

4 Requiritur præterea, ut tam Calix quàm Patena sit consecrata ab Episcopo, vel alio habente privilegium à Sede Apostolica: sicut ex consuetudine immemoriali, ut asserit Illsung cit. habent quidam Abbates, ex concessione Pauli III. Patres Societatis in India.

5 Pyxidem, in qua Venerabile Sacramentum asservatur, ex decentia; imò juxta aliquos ex præcepto debere esse benedictam, & ex simili materia, qua Calix conflatus est, confectam, habet idem Illsung.

6 Dico secundo. Ad licitè celebrandum Missæ Sacrificium necessariæ sunt sacræ Vestes, quarum in num. 1. meminimus, & quidem tanta necessitate, ut sine illis celebrare sit mortale peccatum. Ita communiter Doctores, & sumitur ex cap. *Ecclesiastica. dist.* 23. ubi sub pœna excommunicationis jubetur Sacerdos cum Stola celebrare. Quod idem quoad gravitatem obligationis judicandum est de reliquis sacris vestibus, saltem secluſa necessitate: quod addo, quia Rodriquez, Canus, aliique viri docti, quos refert Suarez, sentiunt, necessitatem excusare à peccato, si desit aliquod ex minoribus, v. g. Cingulum, Manipulus, nec possit omitti Missa sine scandalo.

7 Debent autem omnes hæ vestes esse benedictæ ab Episcopo, vel alio habente potestatem à Sede Apostolica. Debent præterea, dum induuntur, recitari à Sacerdote orationes illis accommodatæ: quarum tamen omissio, ut contra Navarrum & Azorium habet communior & probabilior sententia, non excedit peccatum veniale. Imo Tamburinus, Diana & alii apud Illsung illam à peccato etiam veniali excusant, secluso contemptu: quia contendunt, neque ex consuetudine esse obligationem eas orationes recitandi. Atque hoc de cantico puerorum & precibus Missæ subjunctis tenet etiam Dicastillo.

Advertit etiam Coninck, dari vix posse casum moralem, in quo liceat celebrare sine ullis vestibus sacris, tametsi metus mortis urgeat. Ratio est: quia moraliter loquendò fieri vix potest, ut quis compellat Sacerdotem ad ita celebrandum, nisi in contemptum Ecclesiæ. In hoc autem parere casu compellenti esset peccatum mortale.

Denique addendum ex Reding, Salmanticensibus, & aliis, sub gravi peccato requiri Ministrum, qui sacrificanti inserviat, & respondeat, eumque oportere esse virum, non fœminam, caretur in cap. *Inhibendum de cohabit. cleric. & mulier.* Quod tamen Doctores dicunt intelligendum esse de ministerio circa ipsum Altare, nec prohiberi, ne fœminæ Sacerdoti celebranti respondeant ex loco remoto; sicuti respondent Monialles in Choro. Etsi verò Papa Soter in cap. *hæc quoque. de consecrat. dist.* 1. requirat duos Ministros, id tamen intelligi debet vel de Missa solemni, vel, si intelligatur de Missis privatis, contraria consuetudine est abrogatum.

DISPU-

DISPUTATIO X.

De præcepto Audiendi Missam.

Tametsi solius Sacerdotis sit, ut pridem diximus, propriè ex officio offerre Sacrificium Missæ, cæteros tamen, qui eidem assistunt, etiam suo modo per illum offerre pariter ostendimus. Quare, postquam de Sacerdotibus disputavimus, quando & quomodo offerre teneantur, etiam de cæteris offerentibus, qui Missæ assistunt, id ipsum breviter explicare necesse est.

ARTICULUS I.

Asseritur, & explicatur Obligatio audiendi Missam.

SUMMARIUM.

1. *Quinam Catholici negâsse videantur obligationem audiendi Missam?* 2. *Asseritur hæc obligatio.* 3. *Aliquot illationes.* 4. *An fideles teneantur in Natali Domini audire tres Missas?* 5. *Quinam omnes obligentur præcepto audiendi Missam?* 6. 7. *& seqq. Corollaria.*

1 ARguuntur aliqui Authores etiam Catholici, quòd negaverint, dari in Ecclesia præceptum audiendi Missam. Ii sunt Angelus, Rosella, & Turrecremata relati à P. Suarez. Verùm, ut judicat idem Suarez, hi Authores non omnino negant præceptum, sed malè declarant. Quidquid de hoc sit,

2 Dico primo. Datur præceptum Ecclesiasticum, quo fideles tenentur audire Missam, id est, eidem interesse morali: sive humana præsentia, intentè & attentè; omnibus diebus festis. Ita communis & certa omnium doctrina. Desumitur tum ex cap. *Missar.* & cap. *Omnes fideles. de Consecrat. dist.* 1. tum ex consuetudine & usu Ecclesiæ. Atque hinc statim

3 Sequitur primo, infideles & non baptizatos, etiam Catechumenos, non esse obligatos ad audiendam Missam. Ratio est: quia non sunt subjecti præceptis Ecclesiasticis.

Sequitur secundo, amentes, aut ebrios, quando existunt in Ecclesia, ubi celebratur Missa, non audire Missam. Ratio est: quia non intersunt, nec possunt interesse humano modo. Quare neque illi, qui tales habent sub cura, vel custodia, tenentur eos adigere, ut rei Divinæ intersint.

Sequitur tertio, eum, qui sciens tali hotâ celebrari Missam in templo animum dotui applicat ejus mysteriis, non audite Missam: sicuti nec illum, qui tempore Missæ versatur in templo, sed animô voluntariè prorsus distractô. Ratio est: quia prior non interest Missæ corporaliter, sed tantùm mentaliter: posterior solùm corporaliter, non mentaliter.

Sequitur quarto, non esse censendos audire Missam, qui tempore celebrationis existunt in templo solùm animo spectandi cæremonias, qui in ea peraguntur. Ratio est: quia non audiunt intentè, id est, cum intentione vel explicita, vel implicita exequendi opus præceptum ab Ecclesia.

Sequitur quinto, fideles non esse obligatos ad audiendas tres Missas in Nativitate Domini. Ratio est: quia Ecclesia plus non præcipit, quàm auditionem Missæ die festo: atqui audiens unam Missam absolutè audit Missam; ergo. 4

Dices Parochus tenetur in Natali Domini tres Missas celebrare: ergo ejus subditi tenentur tres audire.

Respondeo primo ex supra dictis neg. ant: Respondeo secundo neg. conseq. disparitas est, quia Parochus ad hoc tenetur, tum, ne fideles defraudet debitis suffragiis ac fructu devotionis; cùm ut plurimùm omnes velint tres Missas audire illo die. Tum, quia facilè potest incurrere periculum scandali, si tunc non legat tres Missas. Similis autem ratio non urget in aliis fidelibus. Ita Bonacin.

Dico secundo. Hoc præceptum obligat sub peccato mortali omnes adultos baptizatos usu rationis præditos. Ratio primi est: quia præceptum de re gravi ex suo objecto obligat sub mortali: sed præceptum audiendi Missam est de re gravi: ergo. Et confirmatur ex communi usu & persuasione fidelium, qui hoc præcepto graviter, & sub mortali se obligari universim existimant. 5

Ratio secundi est: quia hoc præceptum est universale: ergo obligat omnes obligationis capaces; cujusmodi sunt omnes & soli fideles adulti usu rationis præditi. Unde licèt infantes, & pueri necdum septennes non obligentur hoc præcepto, obligantur tamen pueri post septenniũ ætatis completum, & graviter

peccant non audiendo Missam, nisi illos excuset ignorantia præcepti. Nam exacta illa ætate præsumuntur habere usum rationis; atque adeò subjecti non solùm præceptis naturalibus, sed etiam positivis, & Ecclesiasticis illorum ævo convenientibus.

Cæterùm audire concionem per se loquendo & ordinariè nemo tenetur saltem sub mortali, ut tradunt Filliucius, & Layman. Ratio est: quia nullibi exstat præceptum Ecclesiæ de auditione concionis. Dixi tamen, *per se loquendo*. quia potest quis graviter obligari per accidens, quatenùs unusquisque tenetur addiscere necessaria ad salutem. Ex dictis deducete placet aliquot Corollaria.

6 Primum esto. Missa audienda est integra, nempe ab introitu usque ad benedictionem Sacerdotis. Peccat proinde, qui partem aliquam Missæ sine justa causa non audit, venialiter quidem; si pars sit exigua; mortaliter, si pars sit notabilis. Cæterùm communiter sentiunt Doctores apud Laymanum, non omittere partem notabilem, & consequenter non peccare mortaliter illum, qui adest, dum incipit Epistola, vel etiam Evangelium usque ad Communionem inclusivè. Imò levem solùm materiam esse probabiliter judicant multi, ut refert Illsung, siquis tantùm omittat ea, quæ Offertorium præcedunt; vel tantùm ea, quæ Communionem sequuntur. Certè duriusculum videtur, inquit Layman cit. eum mortalis peccati damnare, qui circa Offertorium venit ad Missam, ipsumque, & omnia, quæ sequuntur, attentè audivit.

7 Secundum. Qui præsens non est, dum Sacerdos consecrat, est tamen præsens, cæteris partibus Missæ, satisfacit præcepto: idem dic, si non sit præsens communioni, est tamen præsens cæteris partibus. Ratio est: quia licèt Consecratio in nostra sententia sit formaliter tota essentia Sacrificii, poterit quis amplecti sententiam dicentiam, essentiam Sacrificii consistere in Communione. Ergo talis non est dicendus omisisse Sacrificium Missæ. Quòd si nec tempore Consecrationis, nec tempore Communionis esses præsens, non satisfaceres, licèt audires cætera; quia nullo modo esses præsens Sacrificio.

8 Tertium. Non videtur satisfacere præcepto, qui seriùs veniens ad primam Missam audit in secunda partem solumodò neglectam; v. g. qui veniens ad Consecrationem in prima Missa, deinde in secunda audit ea tantùm, quæ antecedunt Consecrationem. Ita Illsung cum pluribus, quos refert, Ratio est: quia diversorum Sacrificiorum partes ad singula Sacrificia per intentionem Ministri individualiter determinatæ non possunt coalescere in unum Sacrificium: sicuti diversæ partes diversorum Officiorum Canonicorum, quæ sunt affixa singulis diebus, non possunt coalescere in unum Officium Canonicum pro eadem die recitandum. Et hæc sententia est probabilior sine dubio. Oppositam tamen, quæ affirmat, hoc modo satisfieri præcepto, sustinent complures admodùm graves Doctores. Quapropter censenda est probabilis.

Ille verò neutiquam satisfacit præcepto, qui duas Missæ partes, vel omnino plures, simul audit à diversis celebrantibus. v. g. ab uno Sacerdote à Consecratione usque ad finem, & ab alio tunc simul celebrante ab introitu usque ad Consecrationem. Ratio est: quia auditio Missæ est quædam res successiva, quæ suas partes simul habere non potest. Sententiam eorum, qui dixerunt, talem satisfacere, damnavit Innocentius XI. in prop. 53.

Illud tamen non videtur negandum satisfacturum suæ obligationi, qui tenetur plures Missas audire, si illas audiat simul à pluribus, v.g. tribus Sacerdotibus in diversis altaribus eodem tempore celebrantibus. Ratio est: quia auditio unius non impedit auditionem alterius: nec ille, qui imposuit obligationem, exegit præsentiam successivam; ut supponimus.

9 Quartum Corollarium. Satisfacit præcepto audiendi Missam, qui sub ista recitat horas Canonicas; Pœnitentiam injunctam in confessione; vel aliam orationem ex obligatione persolvendam. Ita communiter Authores. Ratio est: quia attentio requisita ad audiendam Missam non minùs consistit cum orationibus ex obligatione recitandis, quàm cum voluntariis: ergo sicut has recitans sub Missa non impeditur, quominùs impleat præceptum, ita nec recitans illas. Aliunde verò constat, eadem actione, vel eodem tempore duobus præceptis satisfieri posse.

Atque hinc oritur ratio, cur is, qui Sacramentaliter confitetur majori, vel magno tempore, dum Missa celebratur, dicendus sit non satisfacere; quia nempe Confessio Sacramentalis suapte natura distrahit animum ab attentione ad ea, quæ aguntur in Missa, & impedit præsentiam moralem. Praxis quorumdam in contrariam excusari potest cùm ob necessitatem sub Missa communicandi; tum propter intentionem aliam Missam eo die audiendi; tum propter bonam fidem.

10 Quintum Corollarium. Quamvis deceat, ut aliquoties per annum in Ecclesia propriæ Parochiæ fideles Missam audiant, communis tamen & certa sententia est, eos satisfacere præcepto, quocunq; in loco audiverint

extra

extra privata Oratoria. Ratio est: tum, quia sic obtinet communis consuetudo: tum, quia Ecclesia solùm præcipit auditionem Missæ, non autem locum, in quo sit audienda: ergo hoc ejus præceptum in quovis loco per se loquendo impletur.

Dixi tamen *extra privata Oratoria.* Nam in his, quæ sunt Laicorum, vel Clericorum Sæcularium Episcopo inferiorum, audientes Missam, præter Dominum, ejusque familiam, ac hospites, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, probat Illsung ex Declarationibus Pontificiis.

ARTICULUS II.

De Causis excusantibus ab Auditione Missæ.

SUMMARIUM.

1. *Duo capita excusationum ab auditione Missæ.* 2. *Excusantur excommunicati, interdicti.* 3. *Ægroti, carcere detenti &c.* 4. *Item navigantes.* 5. *Viatores.* 6. *Procul dissiti à loco Sacrificii.*

1 Istæ causæ universim ad duo capita possunt reduci. Primum est impotentia, eaque vel absoluta, sive animi sive corporis; vel moralis fundata in notabili difficultate, damno, incommodo proprio, vel proximi; tum in corpore, tum in bonis, vel etiam in honore, quod ex auditione Missæ probabiliter eventurum timetur. Ratio est: quia impossibilium nulla est obligatio: nec Ecclesia ceu benevola mater fideles intendit hîc obligare cum notabili incommodo.

Alterum caput est quodvis rationabile motivum, ex quo quis bona fide existimat, se excusari. Ratio est iterum: quia, cùm obligatio audiendi Missam tota sit suavis, & humana, causa quælibet etiam mediocriter gravis ab illa excusare ob benignitatem Ecclesiæ censetur.

2 Itaque ab auditione Missæ excusantur primo excommunicati, vel interdicti. Ratio est: quia tales patiuntur impotentiam spiritualem, sive animi, eosque Ecclesia non modò excusat sed etiam arcet ab auditione Missæ.

Hoc etiam procedit, quando non potest haberi alius Sacerdos, quam notoriè excommunicatus, vel notorius concubinarius. Tunc enim licitè abstinere possunt fideles ab ejus Sacrificio, idque ob justam detestationem scelerum per cap. *Vestra. de cohab. Cler. & mulier.* Nemo tamen tenetur abstinere nisi Sacerdos sit notorius percussor Clerici, vel nominatim denuntiatus tanquam excommunicatus vitandus, ut habet Layman & Sporer.

3 Excusantur secundo ægroti, carcere detenti, & regulariter omnes; quibus propter debilitatem corporis è lecto, vel ædibus ad similia negotia exire non datur. Imò si talis gaudeat privilegio Sacrificii celebrandi in domo sua super altare portatile, ad hoc non obligatur: quia nemo tenetur uti privilegio contra legem communem. Ita Sporer cit. & alii apud ipsum.

4 Excusantur itidem, qui sunt in navigatione; qui custodiunt castra; urbem, gregem, infantes, domum: qui inserviunt ægrotis, vel coquere debent, aut quid simile peragere, quod omitti non potest. Item, qui non habent vestes suo statui convenientes: qui timent gravem offensionem Dominorum: conjugis, parentum, si Missam audiant. Deinde uxores vestigia verberum in vultu gerentes: vel prægnantes ex occulto crimine, quod fortè in auditione Missæ manifestaretur. Ratio est: quia hi omnes laborant impotentia vel physica, vel morali; vel habent aliud sufficiens motivum, ob quod prudenter existimare possunt, se non obligari.

5 Excusantur præterea viatores, quando, si Missam audirent, majores expensas sumptuum facere cogerentur; vel socios itineris ad sublevationem sumptuum, ostensionem viæ, sui, suorumque securitatem, aut etiam solatium longi itineris deberent amittere.

6 Similiter excusantur procul dissiti à loco Sacrificii. Ubi non tam habenda est ratio longinquitatis distantiæ, quàm personarum, sexus, ætatis, tempestatis, consuetudinis &c. Regulariter loquendo distantiam unius leucæ, id est, horæ, volunt sufficere respectu peditum. Rustici tamen homines corpore validi in tempestate serena ob distantiam unius horæ non excusantur ab auditione Missæ: quod etiam patet ex consuetudine. Imò nec sesqui, vel duplicis horæ distantia eis videtur tribuere ordinariam, & ut plurimùm emanendi licentiam, saltem si accedat publicum scandalum. Gravis tamen peccati, ut tradit Illsung, non sunt arguendi, quamvis sæpius emaneant.

DISPUTATIO XI.

De Sacramento Ordinis.

Non me præterit, de hoc Sacramento post Extremam primùm Unctionem communiter tractari solere. Verùm connexio materiæ persuadet, ut statim post Eucharistiæ & Sacrificii explanationem de illo agendum esse ducamus. cùm & utrique suppeditet Ministros, & ex sua propria specificatione referatur ad conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. Inquiremus autem in præsenti disputat. Primo, an, quid, & quotuplex sit Ordo? Secundo, an omnes Ordines sint Sacramenta? Tertio, quæ sit materia & forma Ordinum? Quarto, quis sit Minister hujus Sacramenti? Quinto, quodnam subjectum, & quinam effectus?

ARTICULUS I.

An, quid, & quotuplex sit Ordo?

SUMMARIUM.

1. *Quid hîc intelligatur nomine ordinis.* 2. *Asseritur existentia hujus Sacramenti.* 3. *Fuit institutum in ultima Cœna.* 4. *Ejus definitio.* 5. *Et numerus Ordinum.* 6. *Proponitur cum suis fundamentis sententia contendentium, esse plures Ordines quàm septem.* 7. *Probatur, Episcopatum non esse Ordinem realiter distinctum à Presbyteratu.* 8. *Respondetur ad fundamenta adversa.* 9. *Prima Tonsura non est Ordo.* 10. *Non potest quis validè ordinari Episcopus, antequàm sit Sacerdos.* 11. *Ordo inferior suscipiendus est ante Superiorem.*

1 NOmine Ordinis hîc intelligitur certus gradus Clericorum ad specialia officia Ecclesiastica consecratorum. Debet autem ad evitandas æquivocationes notari duplex acceptio significati per eam vocem. Nam primo accipitur passivè, sicque est illa ipsa potestas & gradus memoratus Clericorum. & hoc sensu aliquis dicitur habere Ordinem Presbyteratus, Diaconatus &c. Secundo accipitur activè pro ipsa ordinatione, & consecratione, illaque sacra cæremonia, qua cuipiam prædicta potestas spiritualis confertur. Et de Ordine in hunc posteriorem modum accepto inquiritur, an sit Sacramentum, quæ ejus materia, forma &c.

2 Dico jam primo. Datur in Ecclesia Dei Sacramentum Ordinis à Christo institutum. Ita definitum est in Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. & can. 3. his verbis: *Siquis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Quod idem definitum habetur in Concil. Florent. in instruct. Armenor. constatque ex Apostolica traditione & Patrum unanimi consensu. Ratio verò, quòd Ordo sit verum Ecclesiæ Sacramentum, redditur: quia est actio sensibilis, stabilis, permanens, & ex Divina institutione causativa gratiæ: veluti colligitur ex 2 ad Timoth. 1. ubi scribit Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* ubi vides, impositioni manuum, qua juxta Concil. Trident. ritus sacræ Ordinationis significatur, collatio sanctificantis gratiæ tribuitur. Deinde Actor. 13. legitur, Paulo & Barnabæ jussu DEI à cæteris segregatis impositas fuisse manus, & ita ambos ad Apostolicum ministerium dimissos. Vid. plura apud Reding to. 6. q. 10. a. 1. controv. 1. à n. 8.

3 Dico secundo. Sacramentum Ordinis à Christo fuit institutum in ultima Cœna. Ita Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Ratio est: quia tunc Christus, ut est apud Lucam cap. 22. dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* quorum verborum sensus est: Sicut ego conficio Eucharistiam, eamque offero, ita vobis impertior potestatem conficiendi eandem, & offerendi in Sacrificium Missæ. Sed hoc erat

erat Apostolis conferre Ordinem Presbyteratus; ergo. Ex hoc ipso autem rectè deducitur, quòd Dominus tunc utens potestate excellentiæ Apostolis contuletit simul omnes reliquos Ordines. sub Presbyteratu quippe ceu principali reliqui omnes comprehenduntur; cùm omnes suo modo participent potestatem aliquam ministerii circa Sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ. vid. Filliuc. tract. 9. cap. 1. n. 3. Salmantic. to. 2. tract. 8. pu. 1. n. 6.

4 Dico tertio. Ordo rectè definitur quòd sit Sacramentum, quo confertur spiritualis potestas ad conficiendum Corpus & Sanguinem Christi. Ita colligitur ex D. Thoma in Suplem. q. 34. a. 2. & aliis DD. re ipsa non dissentientibus. Vox *Sacramentum* obtinet rationem generis. Reliquæ particulæ explicant differentiam ab omni alio Sacramento. cùm per nullum aliud conferatur talis potestas, sive loquamur de immediata, quæ confertur per Ordinem Sacerdotii, sive de mediata exercendi aliquod ministerium ex se ordinatum ad confectionem Eucharistiæ tanquam finem, quæ per reliquos Ordines, tam majores quàm minores, confertur. vid. Filliuc. n. 2. Bonac. de Sacram. Ord. disp. 8. q. un. pu. 1. n. 1.

5 Dico quarto. Ordines sunt septem. Ita Concilium Tridentinum quod sess. 23. can. 2. definit: *Siquis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* Eadem verò sess. cap. 2. expressè docet, hanc Ordinum pluralitatem contineri sequentibus septem gradibus, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiacoti, Diaconi, & Presbyteri. Tres isti postremi putà Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur Ordines sacri, & majores: tum, quia immediatiùs ad confectionem Sacramenti Eucharistiæ accedunt: tum, quia habent annexum votum perpetuæ castitatis, per quod ordinati Deo consecrantur, & ab ineundo statu Matrimonii impediuntur: tum, quia ordinatos in eminentiori gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ collocant. Cæteri quatuor dicuntur Ordines minores, & non sacri: quia remotiùs ad confectionem Eucharistiæ concurrunt, nec habent annexum votum castitatis: & prima ordinatos in gradu inferiori constituunt. Vid. Salmantic. n. 10. Reding a. cit. controv. 2. n. 25. Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. §. 3. Addit verò rectè Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 3. n. 2. initiatum Ordinibus non sacris, si ducat uxorem viduam, omne officium & privilegium Clericale amittere, ac veluti laicum fieri censeri, licèt Ordinem semper retineat.

Asserto jam septenario Ordinum quæ- 6
stio oritur, an ita sint septem, ut non sint plures? Nam primo Canonistæ communiter docent, primam Tonsuram quoque esse verum Ordinem. Alii verò, ut Durandus, Cajetanus, Valentia, Bellarminus, contendunt, Episcopatum esse Ordinem non eundem cum Presbyteratu, sed distinctum. Et quidem de prima Tonsura infrà videbimus. Nunc pro Episcopatu sic arguitur primo. Episcopatus est Sacramentum: ergo ad aliquam ex speciebus in n. præced. enumeratis pertineat necesse est. atqui non ad aliam, quàm ad Ordinem; ergo est Ordo, & quidem alius à Sacerdotio. Ant. in hoc discursu prob. tum ex SS. Patribus, præsertim Leone, & Gregorio Magnis; qui, dum loquuntur de consecratione Episcopi, appellant eam Sacramentum. tum ex eo, quòd alioquin ex S. Scriptura non possemus clarè probare, Ordinem esse Sacramentum: quia textus, quibus ad hoc utuntur Theologi, nimirum ex 1 ad Tim. 4. & 2. ad Tim. 1. intelliguntur de Ordine Episcopali. tum ex eo, quòd eadem ordinatio Episcopi causet gratiam. Arguitur secundo. quia Episcopo, dum consecratur, imprimitur character distinctus à charactere Sacerdotii: ergo ea consecratio est Ordo distinctus à Sacerdotio: Conseq. prob. quia distincti characteres non possunt non supponere distinctos Ordines. Ant. autem inde prob. quòd in consecratione Episcopo conferatur nova potestas confirmandi & ordinandi: sed hæc potestas est character: cùm nomine characteris aliud non intelligatur, quàm potestas spiritualis exercendi actus aliquos supernaturales & hierarchicos, quales sunt confirmare & Ordines conferre. Arguitur tertio. quia Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. dicit, *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere.* Sed per hierarchicum Ordinem intelligitur Ordo, de quo hîc disputamus; ergo Episcopatus præcipuè pertinet ad hunc Ordinem. sed, quod eò præcipuè pertinet, est species præcipua, adeoque distincta à cæteris; ergo. His tamen non obstantibus,

Respondeo, Episcopatum non esse Or- 7
dinem realiter distinctum ab Ordine Presbyteratus. Ita Gonet tomo 5. tract. 7. disp. 4. a. 2. n. 21. Salmantic. tomo 2. tract. 8. pu. 1. num. 26. Oberascher tract. 3. cap. 5. pag. 884. Mezger tomo 4. tract. 19. disp. 51. a. 1. num. 9. & alii Thomistæ communiter: quibuscum sentiunt etiam Bonac. disp. 8. de Ordine pu. 1. n. 3. Filliuc. tract. 9. cap. 1. n. 12. & alii.

Prob. responsio primo Authoritate tum S. Petri Damiani Opusc. 6. cap. 15. ubi expressè

presse scribit; ab iis, qui fiunt Episcopi, non tam novum Ordinem suscipi, quàm ipsos in eodem Sacerdotio excellentiùs sublimari. tum Concil. Trident. sess. & cap. cit. ubi recensens Ordines non adducit plures quàm septem, nec ullam facit mentionem Episcopatus, sed vel maximè nominasset, si judicásset, esse Ordinem specialem, & distinctum ab Ordine Sacerdotii. Neque juvat, si dicas, Concilium ideo non numerasse Episcopatum inter Ordines, quòd sit causa cæterorum Ordinum. cùm enim Ordines inter se distinguantur per diversas habitudines ad consecrationem Eucharistiæ, Concilium non habuisset majorem rationem enumerandi Ordines, qui ad illam mediatè concurrunt, vel eandem immediatè efficiunt, quàm eum, qui idoneos ad hæc talia ministeria parat Ministros, si judicasset, ipsum ratione alicujus suæ habitudinis ad Eucharistiam esse realiter distinctum à Sacerdotio.

Prob. secundo Authoritate, & ratione D. Thomæ in Supplem. q. 40. a. 5. ubi ait: *Omnis Ordo ordinatur ad Eucharistiæ Sacramentum. Unde cùm Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantùm ad hoc Episcopatus non erit Ordo.* Ex quibus ita licet arguere: Tota distinctio Ordinum sumitur penes habitudinem ad Eucharistiam, ad quam ordinantur sicut ad finem: sed Episcopatus non importat aliam habitudinem ad Eucharistiam, quàm illam, quam importat Sacerdotium; cùm non magis consecrare possit Eucharistiam Episcopus, quàm simplex Sacerdos; ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio. Respondent, Episcopatum importare habitudinem aliquam indirectam ad Eucharistiam, quam non importet Ordo Sacerdotii, eò quòd præter potestatem consecrandi Eucharistiam habeat virtutem transfundendi eandem in alios, scilicet consecrandi & ordinandi Ministro Eucharistiæ. per hanc autem talem habitudinem in ratione specialis Ordinis, & à Sacerdotio distincti constitui. Sed contra est, quòd hinc sequatur, Episcopatum esse Ordinem inferiorem & ignobiliorem Sacerdotio: cùm illa habitudo, seu potestas ordinandi Ministros Eucharistiæ sit minùs perfecta, quàm habitudo directa ad illam, sive potestas consecrandi eandem, qua nulla est præstantior.

8 Ad Primum pro sent. contraria allatum respondeo, neg. Antec. Ad Primam probat. dico, SS. Patres Episcopatum vocare Sacramentum, eò quòd sit extensio quædam characteris Sacerdotalis ad collationem Sacramentorum Confirmationis & Ordinis. In Secunda neg. seq. ut enim ex Script. probemus, Ordinem esse Sacramentum, sufficit, quòd Episcopatus sit extensivum quoddam complementum Sacerdotii. cùm non possit intelligi, Ordinem aliquem in ratione Sacramenti compleri & extendi per Ordinationem Episcopi, quin simul intelligatur, Ordinem esse Sacramentum. In Tertia conc. ordinationem Episcopi causare gratiam: at nego, propterea esse Sacramentum. ad hoc enim satis est, quòd sit extensio & completio Sacramenti. Instantia habetur in illa cæremonia, qua Sacerdoti jam ordinato per impositionem manuum confertur potestas absolvendi à peccatis, dicente Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ cæremonia itidem causat gratiam, quamvis non sit Sacramentum, sed complementum & extensio Sacerdotii ad corpus Christi mysticum. Ad Secundum argumentum respondeo neg. Ant. solùm enim completur & extenditur character Sacerdotalis ad ministrandum & conficiendum alia duo Sacramenta: sicut extenditur per illam cæremoniam, cujus primùm meminimus, ad ministerium Sacramenti Pœnitentiæ. Ex quibus in probat. neg. maj. quia potestas, quæ tunc confertur, non est nova entitativè, seu in recto, sed extensivè solùm, sive potestas jam præexistens noviter extensa ad actiones confirmandi & ordinandi. Et retorqueri iterum potest in priori instantia de potestate absolvendi à peccatis. Ad Tertium respondeo, à Concilio ibi per ordinem hierarchicum non intelligi Sacramentum Ordinis, sed gradum dignitatis: ut manifestum est legenti verba antecedentia. Ex dictis

Colligitur jam primo, Primam tonsuram 9
non esse Ordinem. Ratio est: quia per illam nulla confertur specialis potestas ad consecrationem Eucharisticam, sed solùm extrahitur homo è statu laicali, & collocatur in statu Clericali, ut hoc modo ad Ordines debitè suscipiendos præparetur. Non est igitur Ordo, sed quædam præparatio ad Ordines; sicut Catechismus ad Baptismum, Novitiatus ad Religionem. quod etiam deducitur ex Concil. Trid. sess. illa 23. cap. 2. ubi ait: *Ut, qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores* (nempe Ordines) *ascenderent.* Ita Bonac. ubi suprà n. 6. Salmantic. n. 27. Mezger n. 7. & alii communiter. Quando in Jure Canonico prima Tonsura vocatur Ordo, vox ista sumitur latè pro gradu & statu Clericali: ut notant DD. citt.

Colligitur secundo, non posse aliquem 10
validè ordinari Episcopum, antequàm sit Sacerdos. Ita Salmantic. pu. 2. n. 40. & alii apud ipsos. Ratio est: quia Episcopatus ex dictis non est Ordo distinctus à Sacerdotio, sed quædam ejus completio: neque imprimit novum characterem, sed solùm extendit characterem

ctetem Sacerdotalem. Atqui completio seu perfectio rei, ejusque extensio nec esse, nec intelligi potest sine ipsa re jam existente; ergo. Quare, qui ante Sacerdotium in Episcopum assumitur, debet priùs ordinari Sacerdos, ac postea consecrari in Episcopum, ut validè, nedum ut licitè, confirmet, Ordines conferat &c.

11 Colligitur tertio, connexionem Ordinum inter se exigere, ut inferior suscipiatur ante superiorem. Unde mortaliter peccat, qui Ordinem superiorem suscipit inferiore nondum initiatus. Ita communiter DD. Ratio est: quia hic talis in re gravi ageret contra communem praxim & consuetudinem Ecclesiæ. Cæterùm exigentia hæc connexionis non est de necessitate Ordinis, sed de necessitate præcepti ex institutione Ecclesiæ. Atque hinc validè susciperes Presbyteratum v. g. nondum suscepto Diaconatu, esses tamen suspensus ab exercitio Ordinis ita per saltum obtenti, donec Episcopus dispensaret, ut Ordinem prætermissum susciperes; susceptumque exerceres. Ita habetur *in cap. un. de Clerico per saltum promoto.* Vid. Salmantic. num. 36. & 38. Mezget num. 13. Porrò ex verbis Concil. Trident. num. 9. adductis & communi praxi Ecclesiæ colligunt illdem Salmantic. & alii, mortaliter peccaturum, qui primam Tonsuram non ante omnes Ordines susciperet, quamvis valeret Ordo susceptus illâ non præmissâ.

ARTICULUS II.

An omnes Ordines sint Sacramenta?

SUMMARIUM.

1. Variæ sententiæ. 2. Statuitur Ordinem Presbyteratus. 3. Imò & alios omnes tam majores, quam minores esse vera Sacramenta. 4. Probatur doctrina asserta. 5. 6. 7. Solvuntur Objectiones.

1 AD præsentem quæstionem non idem respondent omnes DD. orthodoxi. Nam primo Durandus in 4. dist. 24. q. 2. a. 1. à n. 6. & Cajetanus to. 1. Opusc. tract. 11. a. un. ut refert Reding, negant, Diaconatum, & Subdiaconatum esse Sacramentum. Secundo, Magister in 4. dist. 24. Gratianus in Decr. dist. 21. & quidam alii, quamvis concedant, Diaconatum esse Sacramentum, id tamen negant de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus. Tertio, Vasquez disp. 237. cap. 2. cum Navarro, Soto, & aliis, admisso in numerum Sacramentorum Subdiaconatu, excludit dictos quatuor Minores. Quid nobis placeat, in seqq. Conclusionibus aperiemus.

2 Dico primo. Ordo Presbyteratûs est verum ac propriè dictum Sacramentum. Ita omnes Catholici nemine dempto, estque fide certum. Ratio sumitur ex Concilio Trident. sess. 23. can. 3. ubi sic definit: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè ac propriè Sacramentum... anathema sit.* Juxta quam definitionem certissimum est, Ordinem esse verè ac propriè Sacramentum, idque veraciter affirmari posse, de aliquo saltem Ordine ex illis septem ab eodem Concil. enumeratis sess. cit. cap. 2. Atqui de nullo alio hoc potiori jure affirmari potest, quàm de præcipuo, qui est Ordo Presbyterii; ergo &c.

3 Dico secundo. Etiam omnes alii Ordines tam majores quàm minores sunt vera Sacramenta novæ legis. Ita communis sententia. Eam tenet D. Thomas in Supplem. 3. p. q. 37. a. 3. ubi dicit, quemlibet Ordinem esse Sacramentum. Et a. 2. ejusdem q. cùm statuisset, esse septem Ordines, dicit in solut. ad 1. *Ordines habent, quòd sint Sacramenta, ex relatione ad maximum Sacramentorum* (scilicet Eucharistiam) *& ideò secundùm hoc debet numerus Ordinum accipi.* Demum suprà q. 35. a. 2. docet de omnibus Ordinibus, etiam Minoribus, quòd imprimant characterem. Nulla autem cæremonia, quæ non est Sacramentum, imprimit characterem spiritualem in anima. Quamvis autem statuta Conclusio communiter recipiatur ab Authoribus, certa tamen non est quoad Ordines singulos. Nam certa quidem est quoad Diaconatum; at non planè certa quoad Subdiaconatum: imò quoad quatuor Minores non nisi valde probabilis, aut probabilior sententiâ oppositâ.

4 Probatur autem primò ex Concil. Florent. *in Instruct. Armenor.* ubi cùm omnium Ordinum, etiam Minorum, materiam & formam assignâsset, ac statuisset, Ordinem esse Sacramentum, nullum quoad hoc fecit discrimen inter Ordines: adeoque sentit, omnes esse Sacramentum. Prob. secundò ex Concil. Trident: quod post enumeratos in sess. 23. cap. 2. septem Ordines, statim seq. cap. 3. indefinitè pronuntiat, Ordinem esse verum Sacramentum. Quæ indefinita Concilii propositio, cùm sit in materia necessaria, utpote fide Divina credenda, æquivalet universali: ut proinde idem sit dicere, *Ordo est verum Sacramentum*, ac dicere: *Omnis Ordo est verum Sacramentum.* Prob. tertiò ra-

tione D. Thomæ in num. præced. indicata. • Quia quilibet ex septem Ordinibus imprimit characterem : ergo quilibet est Sacramentum. Consequentia nota est, quia character Sacramenti tantùm, & nullius alterius cæremoniæ sacræ effectus est. Ant. inde prob. quòd quilibet Ordo vi consecrativæ suæ benedictionis sit initerabilis : hoc autem signum est, juxta D. Thomam, à quolibet imprimi characterem. Vid. Gonet to. 5. tract. 7. disp. 2. a. 1. §. 2. Salmantic. tract. 8. cap. 1. pu. 1. dub. 1. Reding to. 6. q. 10. a. 1. controv. 3. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 1. n. 5. Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. à num. 20.

5 Objicies jam primo. Non omnes septem Ordines sunt à Christo instituti : ergo non omnes sunt Sacramenta. Consequentia patet. Ant. prob. primo authoritate S. Anacleti in Epist. 3. cap. 2. ubi de Episcopatu & Sacerdotio agens ait : *Amplius quàm isti duo Ordines Sacerdotum nobis nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Secundo. Quia Diaconi, ut refertur Actor. 6. instituti sunt ex occasione quadam, nempe ob murmur Græcorum, idque ab Apostolis. Tertio. Quia Diaconatus non habet determinatam materiam vel formam, sed modò in hac, modò in alia fuit collatus pro arbitrio Ecclesiæ. Nunc enim ejus materia est traditio libri Evangeliorum cum forma proportionata. Tempore autem Apostolorum materia fuit manuum impositio, & forma quædam verba deprecatoria, ut ex Clemente Romano refert Gonet a. cit. §. 3. num. 15. Ergo signum est, non esse institutum à Christo, sed ab Ecclesia introductum. Quarto. Quia Subdiaconatus antiquitus non fuit Ordo sacer, sed primùm pro tali haberi cœptus ex constitutione Pontificum, ut tradit Innocentius III. in cap. *à multis de ætate & qualit. ordinand.* Imò non pauci ordinati sunt olim Episcopi, non suscepto priùs Subdiaconatu; uti de S. Chrysostomo, Cæsario Arelatensi, Eutychio Patriarcha Constantinop. legitur apud Arcudium lib. 6. de Sacram. cap. 9. quod certè factum non fuisset, si Subdiaconatus esset Ordo à Christo institutus. Atque hæc fortè causa fuit, ut olim Subdiaconi ordinarentur à Chorepiscopis, qui tamen, teste S. Damaso in Epist. 5. erant simplices Sacerdotes; atque adeo non poterant conferre Ordines. Quinto. Quia neque Apostoli, neque propinquiores eorum temporibus ullam fecerunt mentionem Acolythatus. Hinc teste Arcudio cit. iste Ordo non admittitur à Græcis. Exorcistatus autem, ut habet Clemens Roman. lib. 8. Constitut. cap. 20. temporibus Apostolorum inter gratias gratis datas numerabatur; adeoque non inter Ordines à Christo institutos.

Respondeo ad Object. neg. Ant. ad cujus Primam probat. dico, S. Anacletum ibi non loqui de omnibus Ordinibus à Christo institutis, sed solùm de Ordinibus Sacerdotii, quod dicit esse bipartitum, nempe ut aliud sit Episcopatus, aliud Sacerdotium simplex. Ad secundam concedo, primos illos Diaconos ab Apostolis fuisse institutos, id est, ordinatos, occasione ejus murmurationis; at nego, tunc primum inventum, seu institutum esse Diaconatum. Ad Tertiam dico, Diaconatum habere materiam & formam à Christo determinatam in genere, ut in parte 1. hujus tract. disp. 1. a. 2. §. 3. exposuimus; specificam verò earum determinationem esse in potestate Ecclesiæ. Atque hinc tempore Apostolorum ejus materiam esse potuisse solam impositionem manuum cum forma per verba deprecatoria. Ad Quartam dico, Subdiaconatum non fuisse semper Ordinem sacrum, quatenùs Ordo sacer peculiariter dicitur in Ecclesia ille, qui habet annexum votum castitatis, quod aliquando Subdiaconatus non habebat annexum : semper autem fuisse Ordinem sacrum ex alio capite, in quantum videlicet semper accessit proximius ad Sacram Eucharistiam, quàm alii Ordines minores. Ad exempla illa ex Arcudio responderi potest primo, Christum in primitiva Ecclesia ob varias causas ac necessitates tunc occurrentes dispensâsse, ut esset licita illa promotio per saltum. Respondeo secundo, eam prætermissionem Subdiaconatus non esse intelligendam quoad receptionem Ordinis & characteris, sed quoad exercitium ministerii, ita ut priusquam aliquem actum hujus Ordinis exercuissent, exigente necessitate, memorati Sancti ordinarentur Episcopi. Accedit, quòd simile argumentum omnibus solvendum sit in Diaconatu, qui nobiscum pro certo habent, eum esse Sacramentum. Morinus enim in lib. de Sacr. Eccl. ordinat. par. 3. exercit. 11. cap. 2. refert plura exempla Sanctorum, qui in primitiva Ecclesia ordinati sunt Presbyteri & Episcopi, etiam Diaconatu prætermisso. De cætero S. Damasus non scribit, omnes Chorepiscopos fuisse simplices Sacerdotes. Nam aliqui, ut tradit Bellarminus, erant veri Episcopi, quales hodie sunt Suffraganei, qui sunt Episcopi titulares aliarum Ecclesiarum. Et ab his talibus Chorepiscopis olim ordinati sunt Subdiaconi. Ad Quintam probat. respondeo, antiquiores illos Ecclesiæ Patres ideo non meminisse Acolythatus, quòd illo ævo ob paucitatem personarum ejus ministerium supplerì soleret à Diaconis vel Subdiaconis altari ministrantibus. Imò meritò negatur, veteres non meminisse Acolythatus : cum Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum,

ut

ut refert Gonet, plurimorum Acolythorum tunc in Ecclesia existentium meminerit, & S. Hieronymus dicat, primam Epistolam ad Thessalonicenses fuisse missam per Oneum Acolythum; adeoque supponat, Ordinem illum tempore Apostolorum viguisse. Quem eundem Ordinem quòd Græci non admittant, id similiter sic intelligendum est, quòd apud illos officium Acolythi exerceat Subdiaconus, vel Lector, ut perhibet Arcudius loco cit. De Exorcistis sciendum est, alios in primitiva Ecclesia id munus obiisse ex gratia gratis data, ut habet cit. Clemens Romanus; alios ad id ordinatos fuisse ab Episcopis, ut hodie ordinantur. Vid. Gonet a. cit. §. 3.

6 Objic. secundo. Si omnes Ordines tum majores quàm minores essent Sacramenta, sequeretur, non tantùm septem, sed tredecim esse Sacramenta in Ecclesia: conseq. est contra communem sensum Fidelium; ergo. Seq. maj. patet: quia essent septem Sacramenta Ordinis, quibus si addas sex cætera, habes tredecim. Respondeo neg. seq. quia nihilominùs omnes Ordines rectè dicuntur unum Sacramentum Ordinis propter habitudinem & subordinationem ad unum finem, qui est consecratio Corporis & sanguinis Christi, quamvis singuli in se sint distincta signa gratiæ, & distinctos characteres imprimentia.

Objicies tertio. Actus minorum Ordinum validè & licitè exercentur à non ordinatis. Imò etiam actus Diaconatûs & Subdiaconatûs possunt exerceri saltem validè à non habentibus hos Ordines: sed hoc fieri non posset, si Ordines isti essent Sacramenta; ergo. Respondeo neg. mi. quia non omnium Sacramentorum est tribuere potestatem exercendi actus, qui sine ipsis fieri non possunt simpliciter. Nam aliqua solùm tribuunt potestatem certos actus exercendi decentiùs, religiosiùs, ac proinde ex officio & solemniter. Et ejusmodi potestatem tribuunt Ordines, quorum meminit Objectio. 7

ARTICULUS III.

Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Ordinis?

SUMMARIUM.

1. *Quænam generaliter loquendo sit materia & forma hujus Sacramenti.* 2. *Designatur materia & forma Episcopatûs.* 3. 4. *Duo corollaria.* 5. *Materia & forma Presbyteratûs.* 6. 7. 8. 9. *Corollaria.* 10. *Materia & forma Diaconatûs.* 11. *In potestate secundaria Diaconi intelligitur etiam primaria.* 12. *Officia Diaconi.* 13. *Materia & forma Subdiaconatûs.* 14. *Solvitur Objectio.* 15. *Quid, si ordinando in Subdiaconum porrigeretur calix non vacuus?* 16. *Munera Subdiaconi.* 17. *Materiæ & formæ Minorum Ordinum.* 18. *Eorundem officia.* 19. *Quæ sit materia & forma Primæ Tonsuræ?* 20. *Resolvitur affirmativè quæstio, an physicus contactus materiæ traditæ in ordinatione sit de necessitate Sacramenti?* 21. *Respondetur ad fundamenta sententiæ adversæ.* 22. *Observanda in praxi nostræ sententiæ.* 23. *Quando repeti debeat ordinatio.* 24. *Monitum pro scrupulosis.*

1 HOc Sacramentum non minùs, quàm sex reliqua, habet suam materiam, suámque formam à Christo determinatas, sine quibus non potest conferri validè, ut sentiunt communiter Catholici. Et quidem in illis Ordinibus, qui conferuntur traditione rei ad eorum ministerium requisitæ, res tradita est materiâ remota; ejus verò traditio & acceptatio est materia proxima. Porrò forma sunt verba Ministri, quibus significatur potestas, quæ per ordinationem communicatur: sicuti tradit Concil. Florent. *in Instruct. Armenor.* & docet D. Thomas in Supplem. 3. p. q. 34. a. 4. & 5. Nunc procedendo ad unumquemque Ordinem in patticulari,

Dico primo. Materia Episcopatûs est 2
impositio manuum Episcopalium: Forma verò sunt illa verba ex Pontificali: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Ità Filliucius tract. 9. cap. 2. n. 41. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 1, Bonac. disp. 8. q. un. pu. 3. n. 10. Réding to. 6. q. 10. a. 2. controv. 1. n. 3. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 2. n. 5. Oberascher de Sacram. tract. 3. cap. 2. pag. 908. Ratio sumitur inprimis ex S. Script. 1. ad Timoth. 4. ubi Apostolus monet Timotheum, ut non negligat gratiam sibi datam per impositionem manuum Presbyterii. Ex quibus interpretes colligunt, Timotheum ordinatum fuisse Episcopum per impositionem manuum. Deinde ex eo, quòd illa sit materia & forma Episcopatûs, per quam confertur gratia & potestas Episcopalis: sed istæ conferuntur per impositionem manuum, & prolationem verborum, *accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ non frustra, sed cum efficaci causatione gratiæ proferri ab Episcopis ordinantibus definit Concil. Trident. sess. 23. can. 4.

3 Ex jam dictis colligitur primo, impositionem libri supra scapulas & cervicem ordinandi, unctionem capitis & manuum, aliásque cæremonias, præter memoratam impositionem manuum, quæ adhiberi solent in consecratione Episcopi, non esse de valore hujus ordinationis. Ratio est: tum, quia Scripturæ passim pro materia assignant solàm impositionem manuum. Tum, quia à Græcis omnino dicuntur omitti. Tum, quia per illas non significatur specialis collatio Spiritus Sancti. Vid. Filliuc. loco cit. Mezger n. 6.

4 Colligitur secundo, quamvis de necessitate præcepti sit, ut ad ordinationem Episcopi concurrant tres Episcopi, veluti habetur apud Anacletum Papam epist. 2. Concil Carthag. 4. cap. 2. *Ne Episcopi. de temp. ordin.* id tamen non esse de necessitate hujus Ordinis. Ratio est: tum quia Apostolus Timotheum ordinavit impositione manuum suarum sine concursu aliorum Episcoporum, ut constat ex epist. 2. ad eundem. Tum, quia in Pontificali Romano ex tribus Episcopis ad ordinationem unius concurrentibus unus tantùm dicitur consecrator, reliqui verò assistentes. Tum, quia teste Amico apud Illsung tract. 6. disp. 8. a. 2. n. 27. Congregatio Cardinalium decidit, & Pius V. de facto dispensavit, ut in defectum Episcoporum assistentium adhiberi possint duo Abbates, vel alii duo præditi dignitate Ecclesiastica, idque in nostra Germania usu receptum esse asserit idem Illsung loco cit. Etiam Alexandrum VII. aliquando concessisse, ut aliquis ab uno tantùm Episcopo consecraretur Episcopus, testantur Salmantic. tract. 8. cap. 4. num. 4. Similes concessiones aliorum Pontificum refert etiam Mezger num. 7. In contraria sententia sunt Gonet tract. 7. disp. 4. a. 3. Castropalao tract. 27. disp. un. pu. 14. num. 13. Reding n. 7. & alii.

5 Dico secundo. Ordinatio Presbyteratûs duas materias, quæ ambæ sunt de essentia, in sui constitutione includit. Prima est traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, cui adjungitur forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* Secunda est impositio manuum additâ Formâ: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata &c.* De priori constat ex Concil. Florent. in decr. Eugenii. Posterior colligitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. Et ratio est: quia Presbyteratus adæquatè acceptus duplicē potestatem involvit, nempe consecrandi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis. Prior, & non posterior confertur per traditionem patenæ &c., posterior & non prior confertur per impositionem manuum; & verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Vid. Filliuc. n. 42. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 2. Mezger n. 8. Castropal. disp. cit. pu. 4. Oberascher tract. 3. cap. 5. pag. 905.

6 Colliges jam primo, eum, qui per traditionem patenæ cum pane &c. accipit potestatem consecrandi Eucharistiam, non esse Sacerdotem completè substantialiter, antequam per impositionem manuum accipiat potestatem absolvendi à peccatis. Ratio est: quia utraque potestas pertinet ad completam essentialem constitutionem Sacerdotii. Atque hinc sequitur, si Episcopus post collatam potestatem consecrandi moreretur ante impositionem manuum, hanc ab alio Episcopo fore supplendam cum præscripta verborum forma. Vid. Filliuc. loco cit. Mezger n. 10. Neque obstat, quòd in cap. *Presbyteri. de Sacram. non iterand.* dicatur, hoc Sacramentum propter omissam manuum impositionem non esse iterandum. Nam ista prohibitio intelligenda est solùm de iteratione adæquata, etiam quoad collationem potestatis ad consecrandum.

7 Colliges secundo, in ordinatione Sacerdotis, & Subdiaconi ad valorem materiæ probabiliùs requiri, ut calix, qui traditur, sit consecratus. Castropalao n. 16. Reding to. 6. q. 10. a. 2. controv. 3. num. 5. Mezger num. 12. Ratio est; tum, quòd ita obtineat praxis Ecclesiæ, ut in his ordinationibus non adhibeatur calix, nisi sit consecratus. Tum, quia per calicem non consecratum, ac proinde ad Sacrificium Missæ propriè non deputatum non videtur sufficienter significari sacra potestas, & ministerium Altaris, quæ in ordinatione accipiunt Presbyter & Subdiaconus. Quæ de calice dicta sunt, etiam de patena intelligenda veniunt. Illud certum videtur, fore grave peccatum, si adhiberetur in ordinatione calix aut patena non consecrata. Tum, quia id repugnaret communi praxi Ecclesiæ. Tum, quia Sacramentum redderetur dubium. Castropal. n. 17.

Colliges tertio, illum probabiliter invalidè ordinari in Presbyterum, cui porrigitur patena sine pane, vel calix vacuus. Ratio sumitur ex Concilio Florent. ubi Eugenius in suo decreto sic loquitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* In quibus verbis dati exempli cùm Pontifex non minùs exprimat traditionem panis & vini, quàm patenæ & calicis, judicat illa ambo esse materiam non minùs necessariam, quàm patenam & calicem ab Episcopo porrectum. Vid. Salmantic. tr. 8. cap. 3. pu. 5. à num. 27. Card. de Lugo lib. 1. Respons. Moralium. dub. 3. ubi testatur, aliquos in Hispania, quibus pro

Pres-

Presbyteratu porrectus fuerat calix sine vino, jussu Cardinalis Sanctovallii, Archiepiscopi Tolerani, iterum fuisse ordinatos sub conditione, licèt Episcopus, qui primitus ordinaverat, etiam edito opusculo contenderet, id non esse faciendum. Sententiæ contrariæ adstipulantur Bonac. disp. 8. q. un. pu. 3. num. 3. Filliucius num. 41. & alii.

9 Colliges quarto, officium Presbyteri esse conficere Eucharistiam, eamque distribuere; Sacramentum Pœnitentiæ administrare debitè dispositis, denegare indispositis; solemniter ex officio baptizare; infirmis Extremam unctionem impertiri; Episcopos juvare in prædicatione verbi Divini &c. Vid. Bonac. num. 18. Mezget num. 11. Oberascher tract. 3. cap. 9. pag. 906.

10 Dico tertio. In ordinatione Diaconi materia est traditio libri Evangeliorum. Forma verò sunt illa verba: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei &c.* ut habetur in Romano Pontificali. Ita de materia constat ex definitione Concil. Florent. in num. 8. relata, ubi expressè dicitur, *Diaconatum per libri Evangelii dationem conferri.* Quod idem tradit D. Thomas in supplem. q. 37. a. 5. ad 5. inquiens de Diaconatu, *in ipsa libri datione imprimi characterem* illius. Quis autem neget, illam esse materiam alicujus Ordinis, cujus traditione imprimitur proprius ejus character? Non me præterit, Salmantic. Cajetanum, Card. de Lugo, Filliuc. Laym. aliosque graves DD. probabiliter asserere, præter traditionem Evangelicorum etiam impositionem manuum Episcopalium esse materiam partialem essentialem Diaconatûs. Præplacet tamen aliorum sententia, præsertim majoris partis Thomistarum, docentium, impositionem manuum esse tantùm cæremoniam accidentalem. Nam primo, Concilium Florent. loco cit. nullam facit mentionem de impositione manuum, tanquam materia partiali, quam tamen, si præter traditionem libri Evangeliorum ad Diaconatûs Ordinem essentialiter exigeretur, etiam assignate debuisset, ne ipsâ non assignatâ altera sola censeretur esse necessaria, & affirmatio unius haberetur pro negatione alterius. Secundo. Per impositionem manuum nullatenùs significatur specialis potestas, & ministerium hujus Ordinis. Cùm enim Episcopus manus imponit Diacono, dicit: *Accipe Spiritum S. ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.* Quibus verbis, ut patet, nullum peculiare ministerium significatur: sicut tamen significari deberet, si & ipsa, & impositio manuum essent de essentiali constitutione ordinationis. Vid. Castropal. tract. 27. disp. un. pu. 4. n. 10. Reding ubi suprà, controv. 2. n. 16. Mezger num. 13. Illsung tract. 6. disp. 8. a. 2. n. 31. Oberascher pag. 904.

Dices. Per traditionem libri significa- 11
tur solum munus secundarium Diaconi, quod est lectio Evangelii, non autem primarium, quod est Sacerdoti ad oblationem Sacrificii, proximè servire; ergo non rectè assignatur pro materia essentiali & necessaria Diaconatûs. Respondeo ad Anteced. ex D. Thoma ubi suprà his verbis: *Exprimitur potestas ejus* (nempe Diaconi) *ad actum secundarium tantùm in hoc, quòd datur ei liber Evangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia*, scilicet primaria.

Ex dictis colliges, Officium Diaconi 12
esse primo, portare Corpus Christi in vase. Secundo, panem & vinum à Subdiacono ministrante acceptum aptare, suoque loco disponere. Tertio, in Missa cantare Evangelium. Quarto, Sacerdoti & Episcopo ministrare in Missa & omnibus Sacramentis. Quinto, ex commissione Sacerdotis Eucharistiam populo dispensare. Sexto, ex eadem commissione solemniter baptizare, uti & prædicare. Vid. Mezger n. 18. Oberascher pag. 905.

Dico jam quarto. Propria materia 13
Subdiaconatûs est traditio calicis vacui, cum patena superposita. Ità communiter DD. desumunt ex Concil. Florent. & Carthag. IV. Et ratio est: quia per earum rerum traditionem sufficienter significatur principale ministerium Subdiaconi. Forma porrò ejusdem ordinationis sunt illa verba Episcopi: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur.*

Objicies. Sicut munus proprium Dia- 14
coni est in Missa cantare Evangelium, ità munus Subdiaconi est in Missa cantare Epistolam: ergo sicut materia essentialis Diaconatûs est traditio libri Evangeliorum, ità materia essentialis Subdiaconatûs esse debet traditio libri Epistolarum. Respondeo neg. conseq. quia cantare Epistolam non est munus principale Subdiaconi, sed est Sacerdoti celebranti sacra vasa ministrare. Quod optimè significatur per traditionem calicis vacui cum patena: adeoque traditio alterius cujuscunque signi non est de necessitate materiæ Subdiaconatûs. Dices. Etiam cantare Evangelium non est ministerium primarium Diaconi; & tamen traditio libri Evangeliorum est materia essentialis Diaconatûs: ergo idem dicendum de traditione libri Epistolarum in ordinatione Subdiaconi. Respondeo neg. conseq. quia ob

defectum alterius signi competentis, quo directè significetur munus principale Diaconi; quod est deferre Corpus & Sanguinem Christi, ad hoc indirectè significandum ex usu Ecclesiæ determinata est traditio libri Evangeliorum directè significativa muneris secundarii, quod est cantare Evangelium; prout explicat D. Thomas loco cit. dum econtra munus primarium Subdiaconi sufficienter ac directè exprimitur per traditionem calicis vacui cum patena.

15 Quæri hîc potest, si cuipiam ordinando in Subdiaconum porrigeretur ab Episcopo calix non vacuus, sed vinô plenus, an is ordinaretur validè? Ratio dubitandi est: quia, si ordinando in Presbyterum porrigeretur calix vacuus, invalida esset ordinatio: ergo etiam invalida esset ordinatio in Subdiaconum, si ordinando porrigeretur calix vino plenus. Ant. docuimus in num. 8. Conseq. inde videtur bona, quòd Concil. Florent. dicat, materiam Subdiaconatûs esse traditionem calicis vacui cum patena, sicut loquens de materia partiali Presbyteratûs dicit, esse calicem cum vino intra eundem. Respondeo cum Card. de Lugo lib. 1. Respons. Moral. dub. 30. ejusmodi ordinationem Subdiaconi probabiliter fore validam. Ratio est: quia, dum ordinando in Subdiaconum præbetur calix vino plenus, nihil deficit ex parte materiæ necessariæ, sed aliquid adest non necessarium, nempe Divinum: quod non officere valori ordinationis, sicut tamen officeret, si aliquid deesset ex parte materiæ; declaratur in exemplo. Nam licet Diacono, dum ordinatur, porrigatur liber continens non sola Evangelia, sed etiam Epistolas, ista tamen redundantia nihil demit valori ordinationis: ergo similiter, dum ordinando in Subdiaconum traditur calix non vacuus, sed vinum continens, superflua hæc additio vini non impedit valorem ordinationis. Atque hinc ad rationem dubitandi respondeo neg. conseq. quia in casu Ant. aliquid deesset ex parte materiæ necessarium, videlicet vinum, adeoque non adest tota materia Presbyteratûs. In casu autem conseq. nihil deficit de materia Subdiaconatûs, sed habetur tota, licèt cum redundantia alicujus non requisiti. Ad probat. conseq. dicitur, vacuitatem calicis non esse partem materiæ necessariæ ad valorem, sed quid necessarium necessitate præcepti ad meliùs significándam diminutionem potestatis, quam accipit in ordinatione Subdiaconus, ut habet idem de Lugo loco cit. num. 5.

16 Ad munera Subdiaconi quod attinet, illa sunt primo, inservire Missæ Sacrificio, calicem & patenam Diacono ministrando, eique porrigendo panem & vinum, ut Sacerdoti tradat. Secundo, Epistolam solemniter cantare. Tertio, ut addunt Salmanticenses, in Processionibus portare Crucem &c.

Dico quinto. Materiæ & Formæ Minorum Ordinum se habent, ut sequitur. 17
Materia Acolythatûs est traditio urceoli vacui. Forma sunt verba Episcopi: *Accipite urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi &c.* Materia Exorcistatus est traditio libri Exorcismorum. Forma continetur his verbis: *Accipite & commendate memoriæ; & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Materia Lectoratus est traditio libri Divinarum Scripturarum, seu Prophetiarum. Forma sunt verba: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum his, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* Materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ. Forma consistit in verbis: *Sic agite, quasi Deo reddituri rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Vid. de his omnibus Filliuc. tract. 9. cap. 2. à num. 46. Bonac. disp. 8. q. un. pu. 3. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 2. num. 16. Neque in præsenti occurrit aliquid controversum, nisi quòd plures contendant, materiæ & formæ Acolythatus assignatæ addendam esse aliam partialem, nempe traditionem ceroferarii, & verba Episcopi: *Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda luminaria Ecclesiæ manciparì in nomine Domini.* Verùm probabiliùs videtur, solam traditionem urceolorum cum forma à nobis relata sufficere: idque præsertim propter authoritatem D. Thomæ ita sentientis in Supplem. q. 37. a. 5. ad 6. dum ait: *Principalior actus Acolythi est, quo ministrat in urceolo, quàm quo ministrat in candelabro, quamvis denominetur ab actu secundario, propter hoc, quòd est magis notus, & magis proprius ei: & ideo in datione urceoli imprimitur Acolytho character virtute verborum ab Episcopo prolatorum.* Accedit, quòd Concil. Carthag. suprà cit. candelam, quæ juxta Pontificale nunc traditur ab Episcopo, ab Archidiacono tradendam dixerit, ut perhibet Illsung t. 6. disp. 8. a. 2. n. 33.

Officia Ordinum Minorum ista numerantur. Officium Acolythi est urceolos cum vino & aqua Subdiacono præbere: luminaria ad Sacrificium præparare, cereumque accensum ad Altare portare. Officium Exorcistæ est manus super energumenos imponere, & Exorcismos Ecclesiæ legere ad pellendos ex illis Dæmones, itaque eos præ- 18

parare

parare, ut Sacris intereſſe & participate poſſint. Officium Lectoris eſt populo in Eccleſia Divinas Scripturas prælegere. Oſtiarii officium eſt templum claudere & aperire, inque illud dignos admittere, indignos Sacris inde excludere. Indigni autem jam olim cenſebantur omnes Ethnici, hæretici, catechumeni, qui ſolùm permittebantur intereſſe uſque ad Offertorium: deinde energumeni, excommunicati, interdicti, flagitioſi, & publicam pœnitentiam agentes. Vid. Valentia to 4. diſp. 9. q. 1. pu. 3. à colum. 1953. Salmantic. tract. 8. cap. 3. pu. 2. à num. 13.

19 Sed jam ſupereſt, ut alias nonnullas quæſtiones huc pertinentes expediamus. Earum prima eſt, quæ ſit materia & forma Primæ Tonſuræ? Item, quod miniſterium, quique effectus ejuſdem? Reſpondeo primo. Prima Toſura, quamvis non conſtet materia & forma verè talibus, cùm nec Ordo ſit, nec Sacramentum, habet tamen loco quaſi materiæ abſciſſionem capillorum, & loco quaſi formæ illa verba ex Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tues, qui reſtitues hæreditatem tuam mihi.* Quæ verba, cùm, ut dixi, veram rationem formæ non habeant; Prima Tonſura adhuc eſſet certò valida, ſi iis omiſſis aliter quis deputaretur ad Clericatum. Vid. Salmantic. cap. cit. pu. 1. n. 2.

Reſpondeo ſecundo. Officium primâ Tonſurâ initiati eſt ſervire Eccleſiæ, & in ea canere. Unde & Pſalmiſta vocatur in antiquis Conciliis, & Epiſcopus injungit illi recitationem ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium. Quam tamen ſi omitteret, non peccaret mortaliter. Salmantic. num. 3. Reſpondeo tertio. Effectus Primæ Tonſuræ ſunt hominem è ſtatu Laicali transferre in ſtatum Clericalem, ac reddere diſpoſitum ad ſuſceptionem Ordinum: item, reddere capacem juriſdictionis & beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſicut & Privilegiorum, nempe Canonis, *ſi quis ſuadente*, fori, & exemptionis â gabellis Principum ſæcularium. Vid. Sporer de Sacram. par. 1. cap. 6. num. 159. Atque hinc colligitur, ab hac Tonſura Clericali multum differre Tonſuram Monachorum. Ratio eſt: quia iſta neque per ſe diſponit ad Ordines, neque alios effectus illius confert, ſed ſolùm adhibetur in ſignum particulare diſtinctivum Monachi à non Monacho, & ad denotandum contemptum mundi, aliásque ſignificationes myſticas, ut videre eſt apud Caramuelem in Theolog. Regulari lib. 5. diſp. 30. & advertit Sporer num. 158.

20 Secunda quæſtio eſt, an realis & phyſicus contactus materiæ, quæ in ordinatione traditur, ſit de neceſſitate Sacramenti? Ante reſolutionem ſuppono tanquam certum, ejuſmodi contactum eſſe de neceſſitate præcepti, ita ut graviter peccet ordinandus, ſi materiam ſibi porrectam deliberatè non tangat phyſicè. Ratio eſt: quia opponit ſe communi praxi Eccleſiæ, & in periculo invalidæ ordinationis conſtituit. Nunc reſpondeo. Phyſicus contactus materiæ probabilius eſt neceſſarius ad valorem Sacramenti Ordinis. Hæc eſt ſententia D. Thomæ in Supplem. q. 24. a. 5. ad 3. ubi ſic ait: *Porrectio materiæ magis eſt de eſſentia Sacramenti, quàm tactus. Tamen ipſa verba formæ videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti: quia dicitur: Accipe hoc vel illud.* D. Thomæ ſubſcribunt Valentia to. 4. diſp. 9. q. 1. pu. 5. colum. 1972. Caſtropal. tract. 27. diſp. un. pu. 4. num. 22. Bonac. diſp. 8. q. un. pu. 2. num. 11. Reding to. 6. q. 10. a. 2. controv. 3. num. 8. & teſte Mezger D[illegible]. communiùs. Ratio eſt: tum, quòd traditio & acceptatio ſint correlativa; ſicut ergo ad valorem Sacramenti neceſſarium eſt, ut ordinans phyſice porrigat materiam, ita ex parte ordinandi neceſſarium eſt, ut eam phyſicè accepiet, adeoque phyſicè tangat. Tum, quòd abſque phyſico contactu non verificetur practicè & cum proprietate tota forma ordinationis, prout tamen debet verificari: nam ly *accipe* propriè loquendò ſignificat phyſicam acceptionem. Tum, quia in aliis quoque Sacramentis in uſu conſiſtentibus (excepto Matrimonio) neceſſaria eſt phyſica applicatio materiæ.

In ſententia contraria, eaque probabili, ſunt Albertus Magnus, Victoria, Vaſquez, Cajetanus & alii, quos referunt & ſequuntur Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 4. Sporer. par. cit. cap. 5. num. 35. qui volunt ſufficere contactum moralem materiæ, qualis eſt, dum ordinandus extenſione manuum, inclinatione capitis, alióve ſigno æquivalenti indicat, ſe materiam ab Epiſcopo oblatam acceptare. Ratio eſt primo. Quia juriſdictio, poteſtas, dominium in Jure tam civili, quàm Canonico impertiri ſolent abſque contactu phyſico rei cujuſdam traditæ, ita ut ex parte acceptantis ſufficiat ſignum aliquod externum, quo ſignificet, ſe conſentire in traditionem: ergo eodem quoque modo tradere inſtrumenta Ordinum ſufficit ad validam eorum ſuſceptionem. Ratio eſt ſecundo. Quia parvuli ante uſum rationis, imò & infantes unius diei poſſunt validè ordinari. Sed ubi in his contactus reſpondens illis verbis, *Accipe &c.* certè tactum phyſicum, inquit Sporer, non quæres, niſi nugatoriè; moralem etiam ſultè.

21

Sed

Sed respondeo ad primam istarum rationem neg. consq. cùm enim in ordinatione materia determinetur per formam hujus Sacramenti, & ista propriè significet acceptionem materiæ physicam, ut dictum est in num. præced. debet eadem materia ab ordinando tangi physicè. Tale autem nihil invenitur in casu Antec. Ad secundam respondeo, à talibus præstari posse contactum physicum materiæ, eumque reddi illis voluntarium, non quidem voluntate propria, sed Ecclesiæ vel aliorum, sicut iisdem redditur voluntarius contactus physicus materiæ in Baptismo, scilicet ablutio. Ita Salmantic. tract. 8. cap. 2. pu. 1. num. 18. quos puto nihil nugatoriè aut stultè quærere in similibus ordinandis.

22 Cæterùm pro praxi nostræ sententiæ advertendum est primo, contactum materiæ à nobis assertum non debere esse necessariò immediatum, quasi ordinandus v. g. in Presbyterum debeat hostiam & vinum immediatè tangere, sed sufficere, si physicè immediatè tangat patenam & calicem. Ratio est: quia tangens continens, ut hîc sunt patena & calix, moraliter censetur tangere etiam contentum. Bonac. loco cit. Castropal. num. 20. Reding num. 9. Mezger n. 4. & alii communiter.

Advertendum est tamen secundo, ejusmodi ordinandum graviter peccaturum, si voluntariè omitteret immediatum patenæ, vel calicis contactum. Castropal. loco cit. Reding num. 10. & alii. Ratio est: quia hic talis contactus præscribitur in Pontificali, idque eâ cautelâ, ut Episcopus illum diligenter observari curet, quod argumento est, eo non observato Sacramentum de valore periclitaturum.

Advertendum est tertio, non esse de necessitate Sacramenti, ut contactus materiæ fiat simul simultate physica cum prolatione formæ; sed sufficere, si fiat simul moraliter, hoc est, saltem paulò antè, vel paulò post, quàm Episcopus absolvat verba formæ. Salmantic. num. 20. Reding n. 11. Sporer num. 37. & alii communiter. Ratio est: quia, quod adeò parùm distat, nihil distare videtur in præsenti. Unde moraliter adhuc verum est dicere, quòd, dum Episcopus pronuntiat formam, ordinandus tangat materiam: quod sufficit ad hoc, ut verificetur significatio ejusdem formæ prolatæ supet materiam.

Tertia quæstio est, in quibus casibus 23
repeti debeat ordinatio? Respondeo primo, Quando certum est, Ordinem fuisse invalidè collatum, is repeti debet: siquidem in eo quis velit ministrare. Salmantic. pu. 2. num. 27. & communiter alii DD. Ratio est: quia, nisi tunc ordinatio repetatur, invalidè ordinatus vel invalidè exercebit, vel saltem non ex officio, actus Ordinis proprios. Respondeo secundo. Quando non est certum, sed tamen probabile, Ordinem Presbyteratûs aut Episcopatûs fuisse invalidè collatum, talitérque ordinatus vult celebrare Missam, excipere Confessiones, alios ordinare &c. similiter repeti debet ordinatio. Ita Card. de Lugo lib. 1. Respons. Moral. dub. 33. & alii passim. Ratio est: quia tunc maxima inconvenientia, & spiritualia damna sequerentur, si sententia probabilis, ex cujus sequela ejusmodi Ordo fuit collatus, esset re ipsa falsa. Respondeo tertio. Qui juxta sententiam solùm probabilem de valore Sacramenti, qualis est v. g. quæ negat requiri contactum physicum materiæ, ordinatus fuit Diaconus, Subdiaconus, Acolythus &c. in eo probabiliter non est repetenda ordinatio, aut aliquid supplendum. Ita post alios à se relatos Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. n. 36. Ratio est: quia talis vel supponitur jam esse Presbyter, vel non? Si prius; hoc ipso jam habet eminenter inclusum Diaconatum &c. Si posterius; ex functionibus Diaconatûs, aliorúmque Ordinum inferiorum, quas obit fortè re ipsa non ordinatus, nullum cuiquam nocumentum conscisitur.

Scrupulosæ conscientiæ eorum, qui 24
non rarò anguntur, sintne validè ordinati nécne; eò quòd sibi persuadeant, se non debitè tetigisse vasa sacra, remedium & solatium capere possunt ex verbis Granadi apud Salmantic cap. cit. pu. 2. num. 29. ubi ille sic ait: *Oportet in hac re distinguere aut nimium timorem à vero dubio, aut opinione. Non enim, quia quis timet, num ordinatus sit, aut præcisè, quia non recordatur tetigisse vasa sacra, aut non tetigisse imaginatur, illicò Ordo iterandus est. Sola enim oblivio, aut solus timor non est sufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem. Multa enim obliviscimur, quæ verè fecimus, & timor ipse, & nimia sollicitudo tangendi instrumenta, in quorum porrectione imprimitur character, faciunt videri oblivioni traditum, quod reverà memoramur.*

AR-

ARTICULUS IV.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

SUMMARIUM.

1. Hæreticorum deliria. 2. 3. Omnis & solus Episcopus legitimè consecratus est Minister ordinarius validæ ordinationis. 4. Quilibet simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ esse Minister Ordinum Minorum. 5. 6. 7. Quid hodie post Concil. Trid. in conferendis Minoribus adhuc possint Abbates. 8. An Abbas valide possit conferre Ordines minores Regulari non subdito, aut sæculari subdito? 9. Probabile est, Diaconatum & Subdiaconatum posse ex commissione Papæ, vel privilegio conferri à simplice Sacerdote. 10. Conditiones requisitæ, ut Episcopus etiam licite conferat Ordines.

1 SEctarii nostrorum temporum apud Valentiam to. 4. disp. 9. q. 3. pu. 1. sentiunt, potestatem & jus ordinandi non competere Episcopis, sed toti multitudini fidelium cum reliquo Clero. Committi tamen Episcopis à multitudine ista executionem hujus potestatis ad evitandam confusionem, quæ sequeretur, si omnes & singuli ordinandis deberent manus imponere. Atque hinc inferunt; non verè ordinari eos, qui ordinantur sine consensu populi, seu Magistratûs, qui est loco populi. Verùm contra hæc deliria

2 Dico primo. Omnis, & solus Episcopus, isque legitimè consecratus est proprius & ordinarius Minister validæ ordinationis. Ita Fides Catholica definita ab Eugenio IV. in Concil. Florent. post sess. ult. §. *Sextum Sacramentum.* & à Trident. sess. 23. & can. 7. Et ratio congruentiæ est: quia ministeria & officia in populo distribuere pertinet ad principes. Atqui Episcopi sunt principes populi Christiani sive Ecclesiæ; ergo ad Episcopos pertinet distribuere ministeria Ecclesiæ. Sed hæc distributio fit per ordinationem; ergo. Accedit, quòd ille sit proprius Minister ordinationis, qui vi suæ ordinationis accipit potestatem ordinandi: sed hanc accipit Episcopus; ergo.

3 Dixi, *omnis Episcopus*, ut indicarem, etiam Episcopum excommunicatum, suspensum, aut degradatum, imò & hæreticum, posse validè conferre Ordines. Quia potestas validè ordinandi non est potestas jurisdictionis, sed Ordinis, quæ semel data nunquam auferri potest. Dixi, *solus Episcopus*. Quia nulli alteri in sui ordinatione datur potestas ordinandi. Dixi, *legitime consecratus*: quia Episcopus solùm electus & confirmatus, sed nondum, aut non legitimè consecratus non habet potestatem Ordinis Episcopalis, licèt habeat potestatem jurisdictionis, vi cujus possit dare licentiam suis subditis adeundi Episcopum consecratum, ut ab eo ordinentur. Dixi, *ordinarius Minister*. Nam

4 Dico secundo. Minister extraordinarius Ordinum saltem Minorum ex commissione summi Pontificis esse potest quilibet Sacerdos non Episcopus. Ita communiter DD. Ratio est: quia hi Ordines non habent respectum ad Consecrationem Eucharistiæ ita propinquum, ut eorum collatio omninò videatur excedere dignitatem characteris Sacerdotalis. Atque hinc ex recepta consuetudine potestas conferendi memoratos Ordines, non quidem quibuscunque, sed suis familiaribus, conceditur Presbyteris Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ. Eadem potestas olim ex privilegio concessa erat Abbatibus, & aliis jurisdictione quasi Episcopali gaudentibus, si Sacerdotes insulati, & ab Episcopo benedicti fuerant: ut habetur ex cap. *Cùm contingat. de ætate & qualitate.* Verùm istud privilegium iisdem restrinxit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 10. de Reformat.* illis verbis: *Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre.* Ex quibus adeo vides, Abbatibus hodie non amplius esse licitum Primâ Tonsurâ, vel minoribus Ordinibus initiare ullum sive sæcularem sibi subditum, sive Regularem non subditum, etiamsi Prælatus, cui est subditus, in id supponatur consentire.

5 Non obstante tamen hoc decreto Concilii Trident. Abbates illi possunt primo conferre Primam Tonsuram & Ordines minores sæcularibus Episcopi jurisdictioni subditis, dummodò accedat consensus ejusdem Episcopi, & ordinandus pro se quisque litteras dimissorias ab illo impetraverit. Ita Salmantic. tract. 8. cap. 4. pu. 2. num. 38. aliique ab ipsis relati. Idem tenet Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. num. 43. asserens, istam hactenus fuisse communem sententiam DD. notissimámque praxim in Germania. Et sumitur ex declaratione Congregat. Cardinal. apud Gallemart. ad cap. 10. cit. ex Concil. Trid. Neque refert, quòd teste

eodem Sporer contrariam prorsus declarationem Cardinalium exhibeat Diana, prohibentémque præterea Archiepiscopis, Episcopis &c. ut in futurum concedere non audeant litteras ejusmodi dimissorias ad Abbates: nam dicitur, ex consuetudine Diœcesium in Germania constare eam declarationem non esse adæquatè receptam.

6 Possunt iidem Abbates secundo similiter conferre Primam Tonsuram & minores Ordines conferre Regularibus non subditis, si à suis Prælatis afferant litteras dimissorias, licentiámque habeant ab Episcopo loci, in quo eos Ordines cupiunt suscipere. Ita præter citt. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 9. num. 2. Reding to. 6. q. 10. a. 4. controv. 1. & habetur ex eadem declarat. Card. apud Gallemartum. Ratio quoque est: quia vi memoratarum dimissorialium, ac licentiæ Episcopalis ejusmodi Regulares, quantùm ad actum illum ordinationis, jam fiunt subditi eorumdem Abbatum: adeoque non habet locum illa restrictio Trident. Concilii.

7 Possunt tertio iisdem Ordinibus initiare suos Novitios, sicut alios Regulares sibi subditos. Ita probabiliter sententia, quam tenent Salmantic. num. 39. Laym loco cit. Sporer num. 42. aliique ab his relati contra Castropal. Reding & alios. Ratio est: quia in favorabilibus nomine Regularium etiam veniunt Novitij: cùm ergo Abbates suis Regularibus conferre possint Ordines minores, etiam possunt suis Novitiis. Respondebis, Concilium Trident. solùm concedere Abbatibus potestatem minores Ordines conferendi Regularibus sibi subditis. Atqui Novitii, esto censeantur inter Regulares, ut gaudeant privilegiis Regularium, non tamen sunt Regulares Abbatibus pleno jure subjecti, sed eatenùs præcisè, quatenùs necessarium est ad probationem Religionis; sicut advertit Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 10. in fine. Subjectio autem ad probationem tantùm Religionis non est sufficiens, ut propter illam alicui possint conferri Ordines. Sed contra est, quòd Abbatibus, ut notat Laym. loco cit. facultas Ordinibus minoribus initiandi Novitios competat jure communi antiquo per cap. *Abbates. de privileg. in* 6. constat autem, correctionem jurium, quantùm fieri potest, esse vitandam. Unde illa verba, *Regularis subditus*, per quæ Concil. Trident. restrinxit potestatem Abbatum, oportet amplè accipere, sicut & accipi possunt in materia præsenti, utpote favorabili, ut etiam Novitios comprehendant. Itaque illa qualiscunque subjectio Novitiorum sufficit ad hoc, ut eis ab Abbatibus possint impertiri minores Ordines.

Quæstio tamen oritur, an valida esset ordinatio, qua Abbas minores Ordines conferret cuipiam Regulari non subdito, vel sæculari subdito? Respondeo, licèt Suarez, Aversa, & Paludanus apud Salmantic. num. 40. existiment, fore invalidam, idcoque repetendam, si ita ordinatus ascendere vellet ad alios Ordines, eò quòd talis Abbas transgrederetur limites suæ commissionis; probabiliùs tamen fore validam. Ita Castropal. tract. 27. disp. un. pu. 14. num. 15. Salmantic. loco cit. Sporer num. 43. & alii apud ipsum. Ratio est: quia potestas conferendi Ordines minores Abbatibus antiquo jure competebat absolutè, & per Concil. Trident. ita solùm restricta est, ut erga memoratas personas ejus usus sit illicitus, non item invalidus, ut satis indicant illa verba decreti: *Non liceat imposterum.* Quare licèt Abbas tunc graviter peccet, ordinati tamen non debent ordinari iterum, cùm sint verè ordinati, quamvis suspensi maneant ab exercitio Ordinum, usque dum à proprio Episcopo absolvantur. Salmantic. loco cit. 8

Dico tertio. Probabile est, etiam Ordines Sacros Diaconatûs, & Subdiaconatûs ex commissione, aut privilegio Sedis Apostolicæ conferri posse à simplici Sacerdote. Ita Major, Victoria, Vasquez & alii, quos refert & sequitur Castropal. pu. cit. num. 10. deinde Illsung tract. 6. disp. 8. a. 3. num. 35. Sporer num. 44. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 3. num. 4. Quæ sententia ex eo rectè probatur, quòd Innocentius VIII. per Bullam editam Anno 1489. Joanni Abbati Monasterii Cistercii, ejusque successoribus concesserit, ut quoscunque Religiosos suæ Religionis memoratis Ordinibus initiare possent. Quod privilegium aliis præterea quatuor Abbatibus Monasteriorum primorum ac principalium ejusdem Religionis ibidem tributum est, quamvis non nisi quoad suos subditos. Testatur autem Vasquez apud Reding ubi suprà num. 4. Bullam illam à se lectam in vetusto codice, qui asservetur Compluti in Bibliotheca Collegii Societ. JEsu. Eandem à se quoque lectam esse totam asseverat Illsung loco cit. Dubitandum igitur non est de hoc privilegio, quin re ipsa aliquando concessum fuerit prædictis Abbatibus. Graviter autem errâsset Summus Pontifex, si id non potuisset verè concedere, & tamen concessisset. Quem talem errorem in re tanti momenti, & ad mores non parùm attinente, Vicario Christi nemo sine temeritate impegerit. 9

Dices. Si adductum privilegium verè à Sede Apostolica emanâsset illius mentionem fecisset Concilium Trident. neque

Abba-

Abbates Ciſtercienſes à tempore ejuſdem Concilii uſum tantæ poteſtatis intermiſiſſent. Sed neque Concilium meminit ejus privilegii, neque Abbates ab illo tempore id uſurpârunt; ergo. Ita fere Reding num. 10. Reſpondeo, ex ejuſmodi ſilentio Tridentini æque colligi, quòd dictum privilegium reliquerit in priſtino valore, quàm quòd illud ignoraverit. Deinde Abbates Ciſtercienſes à tempore Concilii memorati illo privilegio ſuo non fuiſſe uſos, plane falſum eſt. Nam & Chryſoſt. Henriquez, utique multò poſterior Trid. Concilio, apud Illſung teſtatur, ſe multos vidiſſe Monachos per dictos Abbates ad Subdiaconatum & Diaconatum promotos: & Caramuel lib. 11. comment. in Regul. S. P. Bened. diſp. 129. num. 1626. ſcribit: *Hoc privilegium eſt in praxi, & hodie ſuperſunt, qui ad majores Ordines ab his Abbatibus fuerunt promoti.* Et paulò inferiùs ait, eos, qui aſſerunt hoc privilegium à Trident. eſſe revocatum, *id improbabiliter aſſerere ex praxi conſtare, quæ etiam hodie perennet.* Demum P. Illſung loco cit. aſſeverat, Religioſum quemdam Ciſtercienſem ex Monaſterio Cæſarienſi ſibi tres nominâſſe Confratres tunc adhuc vivos, qui Ordines Subdiaconatûs & Diaconatûs ab Abbate Generali Ciſtercii receperint. Et hæc de his Ordinibus Sacris. Quod attinet ad Presbyteratum, inter Catholicos DD. certum eſt, ejus collationem nulli alteri, quàm Epiſcopo, etiam ex commiſſione Summi Pontificis, poſſe competere. Quod inſuper ſatis colligitur ex praxi Eccleſiæ; cùm nullo exemplo oſtendi poſſit, ejuſmodi commiſſionem ſimplici Sacerdoti aliquando factam eſſe à Sede Apoſtolica.

Dico quarto. Ut Epiſcopus Ordines 10
conferat etiam licitè, ex parte ipſius ſequentes conditiones requiruntur. Prima requiritur, ut ſit in ſtatu gratiæ. Secundo, ut ſit jejunus, nulláque Cenſura Eccleſiaſtica, vel Irregularitate implicatus. Tertio, ut ſit prædítus omnibus Ordinibus etiàm inferioribus. Quarto, ut obſervet ritus & cæremonias ab Eccleſia præſcriptas. Quinto, ut Ordines majores non conferat niſi Sabbathô 4. Temporum, & Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, & Reſurrectionis Domini. Quamvis Mendicantibus, & aliis, qui gaudent eorum privilegiis, iſtos Ordines extra tempora à Jure præfixa licitè impertiat. Sexto requiritur, ne ordinet extra ſuam Diœceſim. Septimò, ut non ordinet, niſi ſubditum, aut habentem veras Dimiſſoriales, ſi non ſit ſubditus: item, non niſi legitimè natum, prædítum debita ætate, probitate, ſcientia, diſpoſitione, & titulô menſæ. Vid. Mezger ubi ſuprà n. 5. Sporer num. 46.

ARTICULUS V.

De Subjecto, & Effectibus Sacramenti Ordinis.

SUMMARIUM.

1. *Omnis mas baptizatus poteſt validè ſuſcipere Ordines.* 2. *Hinc etiam pueri validè ordinantur.* 3. *Ad quænam ejuſmodi puer poſt obtentum rationis uſum obligetur.* 4. *Fœmina nec alicujus Ordinis,* 5. *Nec Primæ Tonſuræ ſunt capaces.* 6. *Quid de Hermaphroditis?* 7. *Hæretici validè ordinari poſſunt.* 8. *Ad validam ordinationem adulti requiritur poſitiva voluntas ipſius ſuſcipiendi hoc Sacramentum.* 9. 10. *An puer ante uſum rationis valide conſecrari poſſit etiam in Epiſcopum?* 11. 12. *& ſeqq. Enumerantur conditiones ad licitam ſuſceptionem hujus Sacramenti requiſitæ.* 20. *Quale peccatum ſit, ſi Clericus ſæcularis non geſtet tonſuram & habitum Clericalem.* 21. *Quo jure Sacri Ordines habeant annexum votum perpetuæ caſtitatis.* 22. *Recenſentur effectus Sacramenti Ordinis.*

1 Dico primo. Omnis mas baptizatus poteſt validè ſuſcipere Sacramentum Ordinis. Ita communis & recepta ſententia inter Catholicos, contra Durandum, qui in 4. diſt. 25. q. 2. docet, Ordinem, ſi puero uſu rationis carenti impertiatur, eſſe nullum, quia nempe non habet intentionem actualem, aut virtualem ſuſcipiendi; imò nec interpretativam; quia hæc, ait Durandus, non habet locum, niſi in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; quale non eſt hoc Sacramentum.

2 Verùm ejuſmodi pueros valide ordinari conſtat ex cap. *un. de Clerico per ſaltum promoto.* ubi dicitur, non eſſe iterum ordinandos, qui minores Ordines recepérunt antę annos diſcretionis: adeoque ſupponitur, valide fuiſſe ordinatos. Quod idem probatur etiam ratione D. Thomæ in Supplem. q. 39. a. 2. quia uſus rationis ad valide ſuſcipiendum Sacramentum non requiritur in ſuſcipiente, niſi quando Sacramentum conſiſtit in aliquo actu ipſius; ſicut Matrimonium, quod conſiſtit in mutuo conſenſu contrahentium,

non autem, quando per Sacramentum confertur potentia aliqua, quæ est prior actus; quemadmodum in Baptismo confertur potentia ad suscipienda, & in Ordine ad administranda Sacramenta. Quod autem dicit Durandus, intentionem interpretativam habere tantummodo locum in necessariis ad salutem, sine fundamento dicit. Vid. Valentia to. 4. disp. 9. q. 4. pu. 1.

3 Objicies. Per collationem Ordinum homo transfertur in novum statum, eique, si Ordines sint majores, imponitur obligatio perpetuò servandi castitatem: sed, ut aliquis transferatur in alium statum, eique imponatur obligatio, requiritur proprius consensus ipsius, & non sufficit voluntas aliena, qualis est interpretativa, quæ habetur per consensum parentum, tutorum Ecclesiæ, &c. Cùm ergo infans non habeat proprium consensum, non possunt illi conferri Ordines. Respondeo, posse hominem sine proprio consensu transferri in novum statum, quando ejusmodi translatio est ipsi favorabilis; ut patet in Baptismo. Atqui per collationem Ordinum transferri in novum statum est ordinato favorabile; Cùm hac ratione acquirat augmentum gratiæ, & potestatem obeundi in Ecclesia Sacra ministeria, quod est merus favor. Neque obligatur ejusmodi puer ad servandam continentiam, aliáque onera Clericalia, si post obtentum usum rationis liberè se determinet ad non exercendum Sacros Ordines, & ad statum Matrimonii amplectendum: quamvis obligetur ad illa omnia, si exercitium eorum Ordinum amplectatur. Vid. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 1. n. 9.

4 Dixi in Concl. *omnis baptizatus.* Quia Baptismus prærequiritur ceu janua omnium Sacramentorum, estque prius in Ecclesiam ingredi, quàm in ea gradum dignitatis, & præeminentiam quampiam obtinere. Dixi, *omnis masculus*, ut prætermitterem fœminas, quæ non sunt capaces hujus Sacramenti: cùm ab Apostolo 1. ad Timoth. 2. ne quidem idoneæ judicentur ad loquendum in Ecclesia. Quantò ergo minùs idoneæ habendæ sunt ad obeunda ministeria Ordinum. Omnis Ordo significat gradum alicujus præeminentiæ in Ecclesia Dei, qui repugnat sexui fœmineo, utpote ex individuali sua ratione collocato in statu subjectionis, juxta illud Genes. 3. *Sub viri potestate eris.* Atque ita cum D. Thoma q. cit. a. 1. tenent omnes DD. contra Caraphrygas, qui, ut perhibet Glossa in cap. *Diaconissam.* 27. *q.* 1. mulieres ordinare soliti sunt. Neque juvat hominum eorum errorem, quòd in cit. cap. fiat mentio Diaconissarum, quæ ne ordinentur ante annum ætatis quadragesimum, ibi prohibetur: item, quòd in cap. *Mulieres.* dist. 32. fiat mentio Presbyterarum mulierum. Respondetur enim, illas mulieres non fuisse initiatas aliquo Ordine Ecclesiastico proprie dicto, sed improprie Diaconissas appellatas; quia peculiariter deputabantur ad obsequium Divinum in instruendis præsertim aliis mulieribus catechumenis, & ad Baptismum præparandis. Porrò illæ Presbyteræ apud Græcos erant mulieres aliquæ seniores, seu viduæ, quarum curæ & custodiæ res quædam Ecclesiæ committi solebant. Vid. Valent. loco cit. Bonac. disp. 8. q. un. pu. 5. n. 5. Ex dictis

Colligitur jam primo, mulierem ne quidem Primâ Tonsurâ posse initiari validè. Ratio est: quia hæc Tonsura, tametsi Ordo non sit, est quædam dispositio prævia ad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos, sicut Novitiatus ad professionem Religionis. Unde quemadmodum personæ incapaces Ordinis alicujus Religiosi suscipiendi neque in Novitiatum admitti possunt, ita neque ad Primam Tonsuram admitti possunt, quæ Ordinum Ecclesiasticorum sunt incapaces, quales sunt fœminæ. Vid. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 6. num. 2. Castropal. tract. 27. disp. un. pu. 6. num. 2. Salmantic. tract. 8. cap. 5. dub. 1. num. 13. ubi idem docent de quatuor Minoribus, tametsi Sacramenta non essent. 5

Colligitur secundo, Hermaphroditum, in quo sexus virilis prævalet, validè ordinari, secùs, si prævalet fœmineus. Ratio est: quia in primo casu est absolutè vir, in secundo absolutè fœmina. Ex quo sequitur primo, si in aliquo uterque sexus æquè dominaretur, (quod tamen verè posse contingere negat Aristoteles lib. 4. de gener. animal. cap. 3.) eum non posse validè ordinari: quia, cùm sexus virilis non prævaleret, non esset absolutè vir. Vid. Castropal. num. 3. Bonac. num. 6. Salmantic. num. 14. Sequitur secundo, mulierem, quæ erumpente natura in virum transiret, validè ordinandam; sed non licitè, nisi remoto scandalo & admiratione hominum. Salmantic. num. 16. & alii apud ipsos. Illicite quoque ordinatur Hermaphroditus quicunque, licet in eo prævaleat sexus virilis; cùm juxta communem sententiam sit irregularis. Vid. Bonac. Castropal. locis citt. 6

Colligitur tertio, servos, seu mancipia ordinari quidem posse valide, sed non licite. Ratio primi est: quia subjectio servorum, utpote legalis tantùm, non impedit validam susceptionem Ordinis; sicut impedit subjectio fœminarum, quæ est juris Divini & naturalis. Ratio secundi est: quia in Jure Canon. tit. *de servis non ordin.* in servum ordinatum, inscio vel consentiente do- 7

domino, ſtatuitur perpetua pœna ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum. Vid. Mezger n. 10. & 11.

8 Colligitur quarto, etiam hæreticos poſſe ordinari valide. Ratio eſt: quia hæreſis non impedit, quominùs circa illos adhibeatur debita materia & forma hujus Sacramenti cum legitima intentione, ipſique habeant voluntàtem id ſuſcipiendi. Aliud verò in illis nihil deeſt, quod deſideretur ad valorem, dummodò ordinans ſit verus Epiſcopus, cujuſmodi dantur in ſola Eccleſia Catholica, nulli autem in Synagoga Sectariorum. Ex quo obiter patet, illos nullam habere Eccleſiam; quia Eccleſia non poteſt carere legitimis Miniſtris. Atqui apud Sectarios deſunt legitimi Miniſtri; quia deſunt veri & legitimi Epiſcopi, à quibus ordinentur. Vid. Valent. q. cit. pu. 2.

9 Colligitur quinto, adulto non poſſe conferri valide Sacramentum Ordinis, ſi omni voluntate etiam habituali id ſuſcipiendi deſtituatur. Ratio ſumitur ex dictis in p. 1. diſp. 3. a. 1. num. 1. quia, ſicut Deus adultum non juſtificat ſine aliqua cooperatione liberi arbitrii ipſius, ita neque per Sacramenta conſecrat & ſanctificat. Vid. Mezger num. 12.

10 Nunc quæſtio illa ſupereſt, an puer ante uſum rationis valide conſecrari poſſit etiam in Epiſcopum? Negant Salmantic. dub. 2. & alii apud ipſos. Ratio eſt: tum, quòd Epiſcopatus ſit ſpirituale Matrimonium cum Eccleſia, ad quod requiritur proprius conſenſus. Tum, quòd in conſecratione Epiſcopo conferatur juriſdictio in corpus Chriſti Myſticum, cujus non eſt capax, qui uſu rationis deſtituitur. Affirmant econtra Bonac. pu. cit. num. 4. Caſtropal. tract. cit. pu. 7. num. 5. Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. num. 65. & alii. Ratio eſt: quia de collatione Epiſcopatûs eadem hîc ratio eſt, quæ de collatione aliorum Ordinum, præſertim Presbyteratûs: atqui alii Ordines validè conferri poſſunt ejuſmodi puero; ergo. Mihi placet diſtinctio Filliucii tract. 9. cap. 4. num. 76. ubi docet, infantem eſſe capacem Epiſcopatûs quoad Ordinem, & characterem, non autem quoad juriſdictionem & curam animarum. Hæc enim ſunt ſeparabilia, & poteſt per conſecrationem communicari Ordo & character Epiſcopalis ſine contractione ſpiritualis Matrimonii, & communicatione juriſdictionis in aliquos ſubditos, ut pluribus oſtendit Caſtropal. loco cit.

11 Dico nunc ſecundo. Ut quis licitè ſuſcipiat Sacramentum Ordinis, in illo, præter generales conditiones, quas etiam alia Sacramenta vivorum in ſui ſuſceptione exigunt, requiruntur adhuc aliæ, tum poſitivæ, tum negativæ. Ex poſitivis ſunt potiſſimùm, primò, ætas legitima. De qua audiendum eſt Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 12. *de Reformat.* ubi ſic ſtatuit: *Nullus inpoſterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatûs ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promovetur.* Hæc autem intelligenda ſunt de annis inceptis, ut apud Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 7. num. 1. notat Gloſſa in Clement. ult. *de æt. & qualit. ordin.* communiter recepta. Et docent Salmantic. cap. cit. pu. 2. num. 30. ſi anni ſint incepti etiam per unicam horam. Atque hinc eodem die, quo quis complevit annum 24. poteſt ordinari Sacerdos, ſi unica ſolùm hora tranſiverit de anno 25. Imò alii, ut refert Sporer num. 95. docent, ſufficere, ſi tranſierit dimidia hora, vel quadrans, vel adhuc brevius ſpatium anni incepti. Pro prima Tonſura, & minoribus Ordinibus nulla ætas decernitur à cit. Concilio. In eadem tamen ſeſſ. 23. cap. 4. & cap. 11. ejuſmodi ſcientia in tonſurandis, & ad Minores promovendis exigitur, quam pueri communiter non ſolent habere ante completum ſeptennium. Quod attinet ad Epiſcopatum obſervari debet cap. *Cum in cunctis. de Elect.* ubi requiritur annus trigeſimus completus.

12 Secunda conditio eſt titulus menſæ, ſive congruæ ſuſtentationis, fundatus vel in Beneficio, ſive Eccleſiaſtico, ſive profano, vel in Patrimonio, uti decrevit Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *de Reformat.* Ubi notandum eſt primo, ejuſmodi titulum eſſe ſolummodò neceſſarium ſuſcepturis majores Ordines, ut conſtat ex cod. Trid. loco cit. Notandum ſecundo, neque voto ſolemni paupertatis in aliis Religionis, aut ſimplici in Societ. Jeſu obſtrictis neceſſarium eſſe titulum Beneficii, vel Patrimonii, ut licitè ſuſcipiant Ordines, ſed locò tituli illis eſſe Religioſam paupertatem. Dixi, *voto ſolemni &c. obſtrictis*, ut ſignificarem, Novitiis, vel invalide profeſſis Religionem nihil hîc prodeſſe titulum paupertatis, ut habetur ex Bulla Pii V. *Romanus Pontifex.* De alio proinde titulo ſibi proſpiciant hi tales, ſi ordinari velint. Notandum tertio, Epiſcopum, qui ſcienter quempiam ordinavit ſine titulo, ex cap. *Cùm ſecundùm. de præb.* obligari ad alendum taliter ordinatum, donec conſequatur aliquod Beneficium. Illum verò, qui ordinari ſe curavit abſque titulo, ſuſpendi ab exercitio Ordinis ita ſuſcepti, ſicut iterum colligitur ex Concil. Trid. cap. cit.

13 Tertia conditio eſt ſufficiens ſcientia,

quam exigit idem Concilium sess. cit. & quidem cap. 4. præscribit, ut Primâ Tonsurâ initiandus sciat rudimenta Fidei, legere, & scribere, linguâ saltem vernaculâ. cap. 11. ut Minores susceprurus intelligat linguam Latinam cap. 13. ut ordinandus in Diaconum, vel Subdiaconum sciat necessaria ad functiones sui ministerii. cap. 14. ut ad Presbyteratum evehendus eâ doctrinâ polleat, ut possit docere populum necessaria ad salutem, & ritè administrare Sacramenta. Et hoc maximè procedit de eo, qui curam quoque animarum cogitat suscipere.

14 Quarta conditio est probitas vitæ ac morum. Hanc oportet esse notoriam, seu probatam testimoniis Parochi, vel aliorum fide dignorum. Quando aliquis ordinandus est ab alieno Episcopo, non solùm dimissoriales, de quibus postea dicemus, sed etiam testimonium de vita & moribus à proprio Episcopo exhibere debet. De probitate tamen Regularium testari solent eorum Superiores: quod sufficere docet praxis. Vid. Salmantic. tract. 8. cap. 5. pu. 2. Sporer de Sacram. par. 1. cap. 5. num. 90.

15 Quinta conditio est subjectio erga ordinantem, ita ut is sit proprius Episcopus vel ratione originis, vel domicilii, vel Beneficii. Qui ordinari vult ab alieno Episcopo, debet illi quoad hoc subjici per litteras dimissoriales â proprio obtentas, idque pro quibuscunque Ordinibus; imo etiam pro sola Tonsura prima. Juxta cap. *Cùm nullus. de Tempor. ordinat. in* 6.

16 Sexta conditio est observatio statuti temporis, & interstitiorum inter Ordines, à priori nempe suscepto usque ad alterum suscipiendum, sicuti præscribit Concil. Trid. sess. 23. *de Reformat.* cap. 11. cap. 13. & cap. 14. Sæpè tamen vel ex privilegio, vel ex dispensatione ab hac observatione ordinandi excusantur. Potest autem primam Tonsuram quis suscipere quocunque die & hora: Minores Ordines quavis Dominica, aut Festo, modò hoc in foro quoque celebretur; itemque Sabbatho 4. Temporum, sicut & Sabbatho ante Dominicam Passionis & Resurrectionis. Similiter majores Ordines quis potest suscipere iisdem Sabbathis, vel Dominica sequente, si subsit rationabilis causa, & ordinandus nullum alium Ordinem majorem præcedenti Sabbatho susceperit. Nam utraque dies pro una computatur. Prohibuit autem Concil. Trid. cit. cap. 13. ne duo majores Ordines eadem die suscipiantur. Vid. Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 8. Illsung tract. 6. disp. 8. a. 3. num. 37. Minores Ordines potest quis omnes eadem die suscipere; imò & Subdiaconatum cum illis, si Episcopus dispenset, ut habet idem Illsung, vel alicubi ita obtineat consuetudo, ut advertit Laym. num. 7. Pro ordinatione Episcopi assignata est dies Dominica, ut constat ex antiqua traditione & praxi Ecclesiæ.

17 Septima conditio est character Sacramenti Confirmationis. Sic enim statuit Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. *de Reformat.* dum dixit: *Primâ Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Nam clarè hinc sequitur, neque Ordine aliquo quemquam initiandum ante susceptum Confirmationis Sacramentum. Hoc tamen præceptum Tridentini non obligare graviter docent Sotus, Navarrus, Barbosa, & alii apud Reding, quos & ipse sequitur to. 6. q. 10. a. 3. controv. 1. num. 4. tùm, quòd ipsa verba Concilii non indicent gravem obligationem: tùm, quòd neque Ordo ex natura rei tantopere dependeat à Charactere Confirmationis.

18 Octava conditio est ascensus per inferiores Ordines ad superiores, ita nimirum, ut Superior Ordo ante Inferiorem per saltum non suscipiatur. Juxta cap. 1. dist. 52. & cap. unic. *de Cler. per salt. promoto.* Graviter peccare eum, qui violat hanc Juris dispositionem, colligitur ex gravitate pœnæ in talem statutæ, nempe suspensionis ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset, ut Ordinem prætermissum suscipiat, quem etiam tenetur suscipere. Quòdsi aliquis Ordinem Episcopalem susciperet neglecto Presbyteratu, non solùm illicitè, sed etiam invalidè susciperet, ut constat ex suprà dictis, in artic. 1. num. 10.

19 Atque ista de conditionibus positivis. Negativæ consistunt in carentia defectuum, & inhabilitatum, quæ in Jure habentur expressæ: cujusmodi sunt, ne ordinandus sit servus, ne ratiociniis & ære alieno obstrictus; item, ne sit illegitimus, ne censura quapiam, aut irregularitate implicatus: juxta cap. *ut filii.* & seqq. *de servis non ordin.*

20 Quæritur adhuc primo, qualiter peccet Clericus sæcularis, si Tonsuram & habitum Clericalem non gestet? Ante responsionem suppono cum communi sententia, solos Clericos Beneficiatos, vel in Sacris constitutos obligari ad tonsuram seu coronam, & habitum Clericalem gestandum. Nunc respondeo, talem probabiliùs non peccare mortaliter, sed venialiter solùm, nisi fortè memorata Clericatûs insignia gestare negligat ex contumacia, contemptu, & cum gravi scandalo. Ita Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 3. Sporer de Sacram. par. 1. cap.

cap. 6. num. 168. & alii ab his relati, quibus subscribit Illsung ubi suprà num. 38. Addit verò Laym. loco cit. nullum fore peccatum, si ex justâ causa, vel ad breve tempus citra honestatis detrimentum habitus deponatur. Spectandam quoque esse cujusque Diœcesis consuetudinem. Fatendum tamen est, facilius peccari posse mortaliter non gestando habitum Clericalem, quàm coronam. Quia nempe facilius inde grave scandalum, & contemptus statûs Clericalis oritur, quàm ex neglectu coronæ. Vid. Sporer num. 169. Illsung loco cit.

21 Quæritur secundo, quo jure Sacris Ordinibus annexum sit votum perpetuæ castitatis? Respondeo, esse annexum jure humano Ecclesiastico. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 88. a. 11. communiter Theologi contra Majorem, Michaelem Medinam, & alios, qui contendunt, obligationem servandi perpetuò castitatem Clericis in Majoribus esse impositam lege Divina positiva. Probatur autem nostra responsio, primo. Quia talis lex Divina neque ex Scriptura Sacra, neque ex traditione Patrum hucusque colligi potuit. Secundo. Quia Ecclesia Romana Sacerdotibus Græcis multis jam sæculis concessit usum Matrimonii, si id ante ordinationem contraxissent: ut patet ex cap. *Cùm olim. ext. de Cleric. conjug.* Tertio. Quia etiam S. Gregorius Magnus lib. 1. Registri epist. 42. Subdiaconis Siciliæ concessit, ut possent uti uxoribus ante ordinationem ductis. Hæc autem talia neque Ecclesia, neque ullus Romanus Pontifex potuissent aliquando concedere, si memorata obligatio, votumque castitatis Ordinibus Majoribus essent annexa Jure Divino. Vid. Valentia to. 4. disp. 9. q. 5. pu. 5. Laym. tract. cit. cap. 11. Salmantic. tract. 8. cap. 6. dub. 1. Reding a. 5. contr. 1.

Dico demum tertio. Effectus Sacra- 22
menti Ordinis sunt sequentes. Primò. Cùm sit Sacramentum vivorum, non primam, (saltem per se) sed secundam gratiam, id est, augmentum gratiæ confert: & quidem cum jure actualium auxiliorum ad functiones cujusque Ordinis ritè ac religiosè exercendas. Secundo. Idem Sacramentum imprimit characterem, idque ita, ut singulis septem Ordinibus respondeant singuli characteres, per quos ordinatus intrinsecè perficiatur ad actus eorumdem Ordinum validè efficiendos, vi consecrationis, qua consecratur Episcopus, eámque cæremoniam, per quam confertur potestas absolvendi à peccatis, non producitur novus character, sed extensivè completur character Ordinis Sacerdotalis hinc ad conferendum alia duo Sacramenta, nempe Confirmationem, & Ordinem, illinc ad ministerium Sacramenti Pœnitentiæ; veluti suprà diximus in art. 1. num. 8. Vid. Reding a. 3. controv. 3. num. 34. & 35. Mezger tract. 19. disp. 51. a. 3. n. 12. & 18.

PARS SEXTA.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Extrema Unctione.

Hoc nomen *Pœnitentia* à *Pœna* derivatum esse testatur S. Isidorus lib. 6. Etymolog. cap. ult. eò quod is, quem pœnitet, dolore quodam animi se ipsum affligat, ac veluti puniat ob actionem vel malè susceptam, vel malè omissam. Acceptatio illius est multiplex. Nam primo sumitur impropriè & metaphoricè: quo modo in S. Script. etiam DEO tribuitur, ut Genes. 6. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset.* Quatenùs nempe Deus faciendo quidpiam ita se gerit, ac si ipsum pœniteret alicujus. Secundo sumitur pro quovis dolore naturali, quem concipimus ex facto vel nostro, vel alieno. In quo sensu Sap. 7. dicuntur damnati quoque pœnitentiam agere, & præ angustia Spiritûs gemere. Tertio sumitur pro virtute quadam morali: & tunc significat internum dolorem animi vel habitualem, vel actualem, quo peccata admissa detestantur ex motivo aliquo honesto. Quarto sumitur pro operibus, vel signis externis, quæ ex dolore animi de peccatis oriuntur, vel ejusdem contestandi gratiâ assumuntur. Hujusmodi sunt jejunia, eleemosynæ, aliaque opera satisfactoria. Et hoc

sensu

sensu S. Joannes Baptista Matth. 3. ad Pharisæos dixit: *Facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ.* Nos quoque, dum vulgò dicimus: Confessarius mihi injunxit talem, vel talem pœnitentiam, in simili Pœnitentiæ acceptione loquimur. Quinto sumitur pro signo externo ad remissionem peccatorum Divinitus instituto: de quo intelligendus est Christus Lucæ ult. dicens ad Apostolos, oportere in nomine suo prædicari Pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Nos in præsenti de Pœnitentia in hac ultima significatione tractabimus. De eadem, ut sumitur penultimo, & antepenultimo loco, eatenûs agendum erit, quatenus est pars ipsius, ut ultimo loco accipitur. Subjungemus denique disputationem de Extrema Unctione: cùm quantum ad effectum sit simillima Pœnitentiæ, & sacra quædam appendix ejusdem.

DISPUTATIO I.

De Existentia, & Necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

In ipso statim limine Disputationis obstrepunt Sectarii existentiam, necessitatémque hujus Sacramenti inficiantes: miseri profecto errones, dum illud salutis medium de medio tollere nituntur, quo nullum genus hominum magis, quàm ipsi, indiget. Quibus per duos hic Articulos breviter occurremus.

ARTICULUS I.

De Existentia Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1. *Errores Hæreticorum.* 2. *Asseritur existentia Sacramenti Pœnitentiæ.* 3. 4. *Respondetur ad Objectiones Hæreticorum.* 5. *Hoc Sacramentum est omnino quid aliud à Baptismo in memoriam revocato.* 6. *Exponuntur objectæ Authoritates SS. Augustini, & Fulgentii.* 7. *Sacramentum Pœnitentiæ Christus instituit in forma Judicii.* 8. *Et post Resurrectionem.*

1 MOntanistæ, veteres hæretici, quos deinde secuti sunt Novatiani, negârunt, lapsis post Baptismum supereſſe in Ecclesia aliquod medium salutis, aut Ecclesiæ competere jus quoddam, seu potestatem Divinitus concessam peccatores jam baptizatos Deo reconciliandi. Lutherani verò & Calvinistæ admittunt quidem aliquod remedium ad delenda peccata baptizatorum à Christo institutum; illud tamen nihil aliud esse contendunt, quàm memoriam Baptismi priùs suscepti cum fide remissionis peccatorum. Unde patet, tam ab his, quàm à priscis illis Sectariis tolli Sacramentum Pœnitentiæ, licèt viis diversis & oppositis. Nunc contra eos omnes

Dico primo. Datur in Ecclesia Catholica verum & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ à Christo immediatè institutum. Est de Fide, ut constat ex Concil. Florent. in decr. Eugenii, & Trident. sess. 14. can. 1. ita sonante: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Ratio quoque suffragatur in hunc modum. Signum sensibile ad significandam & conferendam gratiam peccatorum remissivam Divinitus institutum est verè & propriè Sacramentum: sed Pœnitentia est tale signum; ergo. Maj. constat ex p. 1. hujus tract. de Sacram. in com. Mi. ostenditur ex illo Joan. 20. quod Christus dixit ad Apostolos: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis dedit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus potestatem remittendi peccata, eám- 2

eamque exercendam instituit in ritu aliquo exteriori & signo sensibili: cùm enim contulerit eandem in utilitatem & salutem fidelium, utique voluit, ut exerceretur modo sensibili, & accommodato hominum captui nonnisi dependenter à sensibus intelligentium, adeoque per signa quædam externa sensibilia, sine quibus nec Sacerdos cognoscere posset, pœnitentem à peccatis per eorum detestationem recedere, veniáque dignum esse, nec pœnitens intelligere, sibi peccata esse remissa à Sacerdote.

3 Objiciunt autem hæretici primo Authoritatem quorumdam SS. Patrum, scilicet Ambrosiii apud Contensonium to. 9. dissert. un. cap. 1. pag. 25. dicentis: *Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos autem nullius potestatis jura exercet.* Hieronymi in illud Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni cælorum*: ubi sic habet: *Hunc locum non intelligentes Presbyteri & Episcopi aliquid sibi de supercilio Pharisæorum assumunt, ut vel damnent innocentes, vel absolvere se noxios arbitrarentur. Cùm apud Deum non Sacerdotis sententia, sed reorum vita quæratur.* Adeoque juxta hos SS. Patres nulla est in Ecclesia potestas remittendi peccata. Deinde teste S. Augustino tract. 80. in Joan. *per hoc fit Sacramentum, quòd accedat verbum ad elementum.* Sed in Pœnitentia nullum est elementum; ergo &c.

Respondeo ad primam Authorit. S. Ambrosium ibi Sacerdotibus abjudicare solam potestatem principalem remittendi peccata; utpote Dei propriam; non autem ministerialem. Ad secundam respondeo, S. Patrem illis verbis reprehendere solùm aliquos potestate clavium insciter ac simul superbè abutentes, ut etiam dignis denegarent, indignis autem pro libitu impertirent Sacramentalem absolutionem. Cùm tamen apud Deum non Sacerdotum sententia (sola nempe, ac præsertim iniqua) sed dispositio vel indispositio ex parte pœnitentium attendatur. Ad tertiam respondeo, S. Augustinum, ut ex contextu videre licet, loqui de Sacramento Baptismi: cùm addat: *Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?* Deinde ajo, si ly *elementum* latiùs accipiatur, ut hîc accipi potest, pro re quapiam sensibili à Christo instituta ad gratiam practicè significandam, nihil obstare, quominùs in pœnitentia Confessio habeat rationem elementi.

4 Objiciunt secundo. Suppositâ existentiâ Sacramenti Pœnitentiæ homines à Christo avocantur, ut scilicet existiment, se non per merita Christi, sed propter suos actus contritionis, confessionis, satisfactionis consequi remissionem peccatorum post Baptismum. Sed conseq. est contra illud Actor. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Item contra illud Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes &c.* Respondeo neg. seq. cùm enim illi actus, quatenùs unà cum absolutione Sacerdotis constituunt Sacramentum, instrumentaliter concurrant ad gratiam & remissionem peccatorum conferendam, facilè perspicitur, eisdem vim conferendi gratiam non ex se, sed ex meritis, & propter merita Christi competere.

Dico jam secundo. Sacramentum Pœ- 5
nitentiæ est omninò distinctum à Baptismo in memoriam revocato. Ita rursus definivit Concil. Trident. sess. 14. can. 2. anathemate feriens illum, *qui Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint.* Et ratio est: quia alius finis; item alia materia & forma est Pœnitentiæ, alia Baptismi. Finis enim Baptismi, ut suo loco vidimus, est totalis regeneratio per remissionem peccatorum tum originalis, tum omnium personalium præcedentium, & ingressus in Ecclesiam Dei. Finis econtra Pœnitentiæ est remissio peccatorum post Baptismum commissorum. Quàm diversæ autem sint utriusque materiæ & formæ, notum est omnibus, & amplius patebit ex dicendis. Porrò memoriam Baptismi ad justificationem esse necessariam, Acatholici non modò gratis, sed etiam inconsequenter ad suam doctrinam asserunt. Gratis asserunt; quia eam necessitatem neque ex S. Scriptura, neque ex ulla veteris Ecclesiæ authoritate possunt ostendere. Inconsequenter asserunt; quia suppositâ necessitate ejusmodi memoriæ non justificamur sola Fide: quod tamen præcipuum illorum dogma est. Neque favet illis, quod dicit Christus Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit*: subintelligitur enim conditio perseverandi in justitia per Baptismum obtenta, vel adhibendi alia media ad salutem necessaria.

Objicies authoritatem S. Augustini in 6
lib. de Nupt. & Concup. cap. 33. asserentis, *lavacrô regenerationis non tantùm peccata præterita, sed etiam posteriùs admissa remitti.* Videtur proinde velle S. Pater, quòd ad justificationem sufficiat Baptismus in memoriam revocatus. Quod etiam judicat S. Fulgentius in lib. de Fide, cap. 30. ubi Baptismum *Sacramentum Fidei & Pœnitentiæ* appellat. Respondeo, S. Augustinum illis verbis aliud non significare, quàm per Baptismum etiam peccata post ejus susceptionem admissa remitti remotè & radicaliter, quatenùs per eundem ceu januam

cæterorum Sacramentorum reddimur capaces Sacramenti Pœnitentiæ, si peccavimus: nam subdit ibid. *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi præcederet?* S. Fulgentius autem Baptismum vocat Sacramentum Pœnitentiæ, quia in adultis, qui mortaliter peccârunt, etiam actum virtutis Pœnitentiæ prærequirit.

7 Dico tertio. Sacramentum Pœnitentiæ Christus instituit in forma Judicii. Est iterum de Fide ex Trident. Concil. sess. 14. cap. 7. ubi Minister Pœnitentiæ Judex, & can. 9. ubi absolutio, quam idem exercet, actus judicialis esse dicitur. Et ratio est: quia potestas remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotibus à Christo tradita est potestas judiciaria: ergo ex sua institutione habet, ut exerceatur in forma Judicii, hoc est, ut præmissa accusatione & Confessione Rei Judex causam cognoscat, ac denique ferat sententiam. Consq. constat. Ant. habetur tum ex perpetua traditione per doctrinam Patrum & Concilior. firmata. Tum ex hac ratione, quòd potestas remittendi peccata Sacerdotibus tradita sit reum in vinculis peccatorum retinendi, vel ab iisdem absolvendi, juxta verba Christi apud Matth. cap. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram &c.* sed potestas reum vel absolvendi, vel retinendi in vinculis est judiciaria; ergo.

Dico quarto. Christus Sacramentum 8
Pœnitentiæ instituit post Resurrectionem, quando Joan. 20. insufflavit in Apostolos ac dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Et quidem Christum instituisse hoc Sacramentum, satis constat ex dictis de Sacram. in com. ubi habetur, omnia Sacramenta novæ Legis à Christo fuisse instituta. Quòd autem instituerit tempore indicato, docet Concil. Trident. sess. 6. de Justificat. cap. 14. Ratio est: quia tunc Apostolis actu fuit tradita potestas judiciaria absolvendi â peccatis. Nec potest aliud tempus hujus institutionis commodè assignari: cùm in aliis Evangelii locis, ubi de potestate absolvendi fit mentio, Christus eam tantùm promiserit, & Apostoli necdum fuerint Sacerdotes, ut illam accipere possent. Matth. quoque ult. ubi Christus dixit: *Docete omnes gentes &c.* Apostolis commissum est ministerium prædicandi tantùm, & baptizandi.

ARTICULUS II.

De Necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1, *Sacramentum Pœnitentiæ suscipi potest vel in re, vel in voto.* 2. *Necessarium est ad salutem necessitate medii, vel in re, vel in voto suscipiendum.* 3. *Illud non debet necessariò esse explicitum.* 4. *Idem Sacramentum est etiam necessarium necessitate præcepti.* 5. 6. 7. *Solvuntur Objectiones.* 8. 9. *Corollaria.*

1 SUpponenda est hîc duplex necessitas, nempe medii, & præcepti; notandúmque præterea, Sacramentum Pœnitentiæ duobus modis suscipi posse, in re, & in voto. In re suscipitur, dum ponitur materia & formâ illius cum cæteris requisitis. In voto suscipitur, dum à pœnitente, præter contritionem vel dilectionem Dei super omnia, habetur voluntas & propositum Sacramentum ipsum suo tempore suscipiendi. Istud porrò votum potest esse vel explicitum, vel implicitum. Explicitum erit, quando præter actum contritionis, vel dilectionis habes insuper formale desiderium, vel propositum suscipiendi Sacramentum. Implicitum, sive virtuale consistit in ipsâ contritione, vel dilectione Dei super omnia, cui propter inculpabilem inconsiderationem aut oblivionem peccatorum non conjungitur formale propositum suscipiendi Sacramentum. Dicitur autem talis contritio, vel dilectio Sacramentum Pœnitentiæ in voto; tum, quia præstat eundem effectum remissionis peccatorum, quem præstat Sacramentum: tum, quia vi illius homo est ita constitutus, ut haberet formale propositum confitendi, nisi obstaret inconsideratio, vel oblivio peccatorum, adeoque obligationis confitendi. Tum, quia non remittit peccata, nisi cum dependentia & ordine ad ipsum Sacramentum: adeoque hominem constituit sub obligatione & onere peccata sua tempore confitendi. Nunc

Dico primo. Sacramentum Pœniten- 2
tiæ post Baptismum lapsis in peccatum mortale est necessarium ad salutem necessitate medii, vel in re, vel in voto saltem implicito suscipiendum. Est veritas Fidei ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. Ratio est: quia illud dicitur necessarium necessitate medii in re, vel in voto, quo prætermisso in re, vel in voto salus æterna obtineri non potest: sed Sacramentum Pœnitentiæ ita se habet, ut eo prætermisso, in re, vel in voto, salus obtineri non possit à peccantibus mortali-

taliter post Baptismum; ergo est illis necessarium necessitate medii. Confirmatur. Sacramentum Pœnitentiæ juxta Concil. Trid. loco cit. est ita necessarium lapsis post Baptismum, sicut nondum baptizatis ipse Baptismus: sed his Baptismus est necessarius necessitate medii; ergo & illis Sacramentum Pœnitentiæ.

3 Dixi autem, *vel in voto saltem implicito.* Non enim illud votum necessariò debet esse explicitum. Ratio est, quia contritio formalis, vel etiam virtualis, quæ est dilectio DEI super omnia, etiam sine formali voluntate vel proposito Sacramenti Pœnitentiæ est ultima dispositio ad primam gratiam; sicuti docent Scholastici in tract. de Grat. sed ultima dispositio ad primam gratiam sufficit ad obtinendam primam gratiam; ergo contritio formalis, vel virtualis sufficit ad obtinendam primam gratiam. Atqui ejusmodi contritio formalis vel virtualis est votum Sacramenti Pœnitentiæ implicitum; ergo ad obtinendam primam gratiam, quæ est effectus hujus Sacramenti, sufficit votum implicitum. Confirmatur. Certum est, hominem extra Sacramentum in re susceptum posse justificari per contritionem perfectam. Rursus, certum est, fieri posse; imò actualiter fieri non rarò, ut eliciens talem contritionem nihil cogitet explicitè de obligatione confitendi, idque vel ex naturali oblivione, vel invincibili ignorantia. In quo proinde eventu ad justificationem sufficit votum implicitum, quod est ipse actus contritionis.

4 Dico secundo. Sacramentum Pœnitentiæ est insuper necessarium ad salutem necessitate præcepti. Sequitur ex priori Concl. Nam quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, quando est in libera nostra potestate; sicut diximus de Baptismo, par. 2. disp. 1. a. 6. num. 4. Sed Sacramentum Pœnitentiæ, ut vidimus, est necessarium necessitate medii, & supponitur esse in nostra potestate; ergo est etiam necessarium necessitate præcepti.

5 Objicies primo. S. Chrysostomus homil. 2. in Psal. 50. aperte sentit, Sacramentum Pœnitentiæ non esse necessarium ad salutem. Sic enim loquitur ibi: *Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confundaris alicui dicere, quæ peccâsti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis ea conservo tuo, qui exprobret. Dicito Deo, qui curat ea.* Solet etiam objici ex Sozomeno de Nectario Episcopo Constantinopolitano, quòd Sacramentalem Confessionem abrogaverit; adeoque censuerit non esse necessariam ad justificationem.

Respondent communiter Authores, neque Chrysostomum, neque Nectarium aliquid statuisse, vel sensisse contra Confessionem secretam & auricularem, sed contra publicam, & coram multis eo tempore fieri solitam. Dices. Chrysostomus asserit, Confessionem soli DEO esse faciendam: ergo rejicit omnem Confessionem homini faciendam; adeoque etiam secretam & auricularem. Respondeo neg. conseq. cùm enim Sacerdos Confessionem audiat, & à peccatis absolvat ut Vicarius Christi, idem est moraliter Confessionem fieri Sacerdoti, ac fieri Deo, adeoque soli Deo. Placet etiam, quod dicit Bellarminus, Chrysostomum non loqui de Confessione quatenùs ordinata ad Absolutionem, sed de Confessione ut habente rationem cujusdam satisfactionis pro pœna peccato debita, cujusmodi Confessio erat illa publica; hâncque velle non esse necessariam, sed sufficere, quòd peccatum Deo cum dolore & lacrymis exponatur.

6 Objicies secundo. Potest adultus peccator justificari per aliud medium, quàm per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto: ergo hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii. Conseq. patet. Ant. habetur ex disp. paulò antè cit. de Bapt. art. 4. ubi docuimus, Martyrium cum sola attritione conferre gratiam ex opere operato. Tale autem Martyrium neque est Sacramentum Pœnitentiæ in re, neque in voto.

Respondeo dist. Ant. potest justificari per aliud medium extraordinarium, conc. ordinarium; neg. Ant. & conseq. Sufficit enim, non posse justificari per aliud medium ordinarium, quàm per Sacramentum Pœnitentiæ, ut hoc dicatur & sit necessarium necessitate medii. Deinde responderi potest neg. Ant. ac dici ad ejus probat. illam generalem attritionem, cum qua Martyr occumbit, propter conjunctionem cum Martyrio elevari non tantùm, ut sit dispositio sufficiens ad primam gratiam, sed etiam, ut sit implicitum votum Sacramenti Pœnitentiæ.

7 Objicies tertio. Si ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum sufficeret votum implicitum Sacramenti Pœnitentiæ, sequeretur, hoc Sacramentum non magis esse necessarium, quàm Sacramentum Eucharistiæ: sed hoc est absurdum; ergo. Seq. maj. prob. ex eo, quòd in Contritione perfecta includatur voluntas suscipiendi non tantùm Sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam alia, quæ ex Divino præcepto sunt suscipienda. Cùm homo per actum Contritionis determinetur ad omnia præcepta Dei servanda.

Respondeo neg. seq. licèt enim in Contritione includatur voluntas Eucharistiam quoque suscipiendi, non tamen ita specialiter includitur, sicut voluntas suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; idque tum, quòd hoc Sacramentum sit per se ordinatum ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, non autem aliud quodcunque. Tum, quòd susceptio Eucharistiæ ad Justificationem non sit positivè necessaria, sed negativè tantùm, ne scilicet non observando præceptum illam suscipiendi amittamus gratiam: susceptio verò Sacramenti Pœnitentiæ sit positivè necessaria.

8 Ex dictis colligitur primo, eum, qui extra Sacramentum Pœnitentiæ justificatus est eliciendo Contritionem perfectam, esse nihilominus obligatum, ut illa peccata mortalia, quorum remissionem eo modo obtinuit, suò tempore confiteatur. Salmantic. tract. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 1. pu. 3. n. 22. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 3. num. 4. Filliuc. tract. 6. cap. 2. num. 47. Ratio est: quia justificatus est per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, quod continet obligationem peccata subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Confirmatur. Justificatus per Baptismum in voto tenetur nihilominùs data opportunitate suscipere Baptismum in re: ergo etiam justificatus per Pœnitentiam in voto tenebitur nihilominùs data occasione suscipere hoc Sacramentum in re.

Colligitur secundo, peccatorem, cui 9
deest copia Confessarii, non posse salvari, si habeat solùm attritionem de peccatis mortalibus; Ratio est: quia talis Sacramentum Pœnitentiæ neque in re, neque in voto suscipit. Vid. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 2. pu. 3. num. 7.

DISPUTATIO II.

De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ generatim.

CUm omnia Sacramenta novæ Legis, quale etiam Pœnitentia est, ex rebus & verbis, ceu materia & forma, essentialiter & intrinsecè constituantur, ut supponitur ex 1. parte præsentis Tract. ante omnia nunc erit necessarium, ut istas hujus Sacramenti partes explanemus. Id nunc quidem præstabimus generatim; sed in seqq. disputationibus de singulis agemus, idque paulò fusiùs.

ARTICULUS I.

Statuitur, quæ sit Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1. *Sententia quorundam existimantium, formam hujus Sacramenti non debere esse necessariò verba formalia.* 2. *Forma Pœnitentiæ sunt illa verba Absolutionis Sacerdotalis*: Ego te absolvo &c. 3. *Sacramentum Pœnitentiæ non consistit essentialiter in sola absolutione.* 4. *Solvitur triplex Objectio.* 5. *Verba propriè dicta sunt de essentia Absolutionis Sacramentalis.* 6. *Respondetur ad fundamentum sententiæ n. 1. relata.*

1 NOnnulli, quos ex P. Suarez refert Card. de Lugo disp. 13. de Pœnit. sect. 1. num. 1. existimant, formam essentialem hujus Sacramenti non debere esse necessariò verba formalia & propriè dicta, sed sufficere Scripturam, vel quid aliud; quo Sacerdos significet, se remittere peccata. Cùm enim, inquiunt, Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit per modum Judicii, illa in eo sufficient ad valorem sententiæ, quæ sufficiunt in aliis Judiciis: ergo sicut in aliis Judiciis valet sententia Judicis, sive proferatur verbis formalibus, sive æquivalentibus, putà litteris, vel nutibus, ita etiam in hoc Judicio Sacramentali valebit.

Confirmatur primo. Quia Matrimonium habet rationem contractûs, ad ejus valorem non minùs, quàm in aliis contractibus, sufficit mutuus consensus scripto, vel nutibus expressus: ergo similiter, quia Sacramentum Pœnitentiæ habet rationem cujusdam Judicii, ad ejus valorem non minùs, quàm in aliis Judiciis, sufficit sententia Judicis scripto, vel nutibus expressa. Confirmatur secundo. Valet Sacramentum Pœnitentiæ, quando pœnitens scripto,

scripto, vel nutibus manifestat sua peccata Sacerdoti præsenti: item valet, quando Sacerdos scripto vel nutibus injungit Pœnitentiam: ergo etiam valet, quando Sacerdos scripto, vel nutibus absolvit. Neque enim quid aliud ex institutione Christi colligitur: quia verba illa: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, in hypothesi Conseq. non minus verificari videntur. Quis enim neget, eum, qui offensam scripto, vel nutibus remittit, verè, ac propriè remittere? Verùm contra hæc paulò pòst agemus. Interim

2 Dico. Forma Pœnitentiæ sunt illa verba absolutionis Sacerdotalis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ita definitum est à Concil. Florent. in decr. Unionis dicente: Forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, dum dicit: *Ego te absolvo &c.* & à Trident. sess. 14. cap. 3. illis verbis: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c.* Et probatur etiam ratione. Quia quod est ultimum determinativum & essentiale complementum Sacramenti, illud habet rationem formæ in illo: sed verba Absolutionis sunt ejusmodi determinativum & complementum; ergo maj. constat ex dictis de Sacram. in com. mi. prob. ex eo, quòd sententia Judicis sit ultimum determinativum & essentiale complementum Judicii. Atqui Sacramentum Pœnitentiæ est quoddam Judicium Sacramentale; ergo sententia Judicis est ultimum determinativum & essentiale complementum ejusdem. Sed sententia Judicis in hoc tali Judicio est Absolutio Sacerdotis; ergo hæc est ultimum determinativum & essentiale complementum hujus Sacramenti.

3 Infertur jam primo, totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ nec esse solam Absolutionem Sacerdotis, ut docuit Scotus, nec solos actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem, ut sensisse perhibetur Sotus. Ratio est: quia tota essentia concreti non consistit in sola forma, vel in sola materia; sed Absolutio est forma hujus concreti, quod est Sacramentum Pœnitentiæ, & actus Pœnitentis sunt materia, ut docebimus; ergo. Contra hæc tamen.

4 Objicies primo. Tota significatio effectûs hujus Sacramenti habetur in sola forma: ergo & essentia Sacramenti. Secundo. Si actus Pœnitentis ingrediuntur essentiam Sacramenti, sequitur, Pœnitentem esse partialem Ministrum illius: quia partialiter concurrit ad ejus confectionem. Sed conseq. est falsum: cum solus Sacerdos sit Minister Pœnitentiæ. Tertio. Essentia Judicii adæquatè consistit in actu, sive sententia Judicis: sed hoc Sacramentum est Judicium; ergo ejus essentia adæquatè consistit in sententia Judicis. Atqui sententia Judicis est absolutio; ergo.

Respondeo ad Primum neg. ant. nam & actus Pœnitentis unà cum Absolutione concurrunt ad significandam gratiam remissivam peccatorum. Ad secundum neg. seq. quia ille solus est Minister Sacramenti, qui ponit præcipuam & formalem partem illius, eámque moraliter unit cum reliquis, ut inde resultet totum. Sed Sacerdos solus ita se gerit in præsenti; quia impertit Absolutionem, eámque moraliter uniendo cum reliquis facit, ut resultet totum Sacramentum Pœnitentiæ. Ad Tertium neg. maj. licèt enim principale constitutivum Judicii sit sententia Judicis, utpote pars formalis & determinativa, non tamen est tota essentia: cùm hanc ceu partes intrinsecæ ingrediantur etiam accusatio & confessio Rei.

5 Infertur secundo, de essentia formæ hujus Sacramenti esse, ut proferatur verbis propriè dictis. Ratio est: quia Christus idem Sacramentum ita instituit, ut noluerit ejus formam in litteris, aut nutibus consistere: veluti colligitur tum ex perpetua praxi Ecclesiæ Sacramentum Pœnitentiæ nullo unquam tempore vel casu administrantis, nisi per verba propriè dicta. Tum ex Concil. Florent. quod in decr. cit. dixit, *formam hujus Sacramenti esse verba, quæ Sacerdos profert, dum dicit &c.* ubi per has particulas, *profert, dum dicit*, satis apertè indicat, formam essentialem hujus Sacramenti in verbis propriè dictis, & humana voce prolatis, & non in aliis, esse constitutam.

Confirmatur primo ex Card. de Lugo ubi suprà, num. 3. Si forma hujus Sacramenti possent esse nutus, vel scriptura, id ipsum affirmari quoque posset de formis aliorum Sacramentorum, v. g. Baptismi, vel Ordinis. Detur enim major ratio, cur Sacerdos aut Episcopus mutus non posset applicare materiam istorum Sacramentorum, & simul exhibere à se scripta hæc verba: *Ego te baptizo*, vel, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* Sed conseq. repugnat sensui & traditioni Ecclesiæ; ergo.

Confirmatur secundo. Concil. Florent. loco cit. docet generaliter, Sacramenta constare verbis tanquam formis. Quæ doctrina in sensu proprio accipienda est, nisi aliter accipere cogat necessitas.

Atqui nulla est necessitas eam accipiendi in sensu non proprio, & de verbis quibuscunque etiam non propriis, dum loquimur de forma Sacramenti Pœnitentiæ; ergo.

6 Ad argumentum proinde in contrarium num. 1. adductum respondeo, Sacramentum Pœnitentiæ esse Judicium analogicè tantùm, atque hoc ipso non participare omnem conditionem aliorum Judiciorum: quod etiam clarè patet ex usu & praxi ejusdem Sacramenti. Unde mirum non est, quòd non omnia in illo sufficiant ad valorem sententiæ, quæ in aliis sufficiunt. Potuit enim Christus Sacerdotibus tanquam Judicibus subordinatis præscribere; imò de facto præscripsit certum modum, quo tenerentur in hoc Sacramento sententiam proferre, ita ut aliter prolata esset invalida.

Ad Primam Confirmat. conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd ratio contractus Matrimonio convenerit à prima jam conditione generis humani independenter ab institutione Christi, neque hic quidquam ex illa postea sustulerit. Unde sicut Matrimonium, antequam elevaretur ad rationem Sacramenti, celebrari potuit absque verbis propriè dictis, ita & modò potest. At verò Sacramentum Pœnitentiæ non extitit ante Christum, qui illud instituit in forma Judicii iis conditionibus, quibus voluit, atque ita, ut ad ejus valorem non sufficeret sententia verbis formalibus non prolata.

Ad secundam Confirmat. rursus conc. Ant. neg. conseq. idque primo, quia formam oportet magis esse expressam ac determinatam in Sacramento, quàm cætera. Secundo, quia frequenter accidit, ut pœnitens non possit aliter confiteri peccata, vel intelligere impositionem pœnitentiæ, quàm per scripturam aut nutus. Vix unquam verò accidit, ut is, qui hîc & nunc habet potestatem absolvendi, nequeat absolutionem proferre verbis formalibus. Hinc magis necessarium fuit, ut Confessio, & impositio Pœnitentiæ fieri posset etiam scripto vel nutibus, quàm ut ita fieri posset Absolutio. Casus enim rarissimi non debent venire in considerationem. Tertio demum, quia Absolutionem esse proferendam verbis propriis, habetur ex institutione Christi; prout eandem declarat traditio, & praxis Ecclesiæ: tale autem nihil habetur de Confessione & impositione Pœnitentiæ. Vid. Card. de Lugo à n. 4. Gonet tract. 5. de Pœnit. disp. 11. a. 4. à n. 61.

ARTICULUS II.

Quæ sit Materia Sacramenti Pœnitentiæ?

DUplex in præsenti, ut in aliis Sacramentis, cogitari potest materia, nempe remota, seu *circa quam*, & proxima, sive *ex qua*. Materia porrò remota alia dicitur necessaria, alia sufficiens. Necessaria est, quæ tolli non potest vel destrui, nisi per Sacramentum vel in re, vel in voto. Unde ad eam clavibus Ecclesiæ subjiciendam jure Divino obligamur. Materia sufficiens est, quæ aliter destrui, tollique potest, quàm per Sacramentum: adeoque licitè omittitur in Confessione, quamvis, si clavibus subjiciatur, apta sit, ut cadat super eam tum materia proxima, tum forma, faciátque validum Sacramentum. Initium sumimus à materia proxima. Unde sit

§. I.

Statuitur Materia proxima.

SUMMARIUM.

1. 2. *Statuitur, & probatur, materiam proximam Pœnitentiæ esse Confessionem, Contritionem, & Satisfactionem Pœnitentis.* 3. 4. 5. *Solvuntur Objectiones.* 6. *Contritio & Confessio sunt partes essentiales hujus Sacramenti non autem satisfactio in re.*

DIco primo. Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Ita habetur ex Concilio Trident. sess. 14. de Pœnit. cap. 3. & can. 4. ubi damnatur, *qui negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem.* Ubi non est, quamobrem adversarius quispiam sibi blandiatur de particula *quasi*: quia non fuit addita, ut significaretur, actus memoratos non esse propriam materiam hujus Sacramenti, sed ut constaret, eos non ita, sicut materiæ proximæ aliorum Sacramentorum, versari circa materiam remotam in se sensibilem & corporem, cujusmodi sunt v. g. aqua, chrisma, oleum: veluti post D. Thomam 3. p. q. 84. a. 1. ad 1. observat etiam Romanus Catechismus de Sacram. Pœnit. n. 14. 1

Probatur statuta Concl. etiam ratione. 2

Sa-

Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum Judicii, in quo cauſæ inter Deum & hominem lapſum poſt Baptiſmum dijudicarentur. Judicium autem præter ſententiam Judicis importat etiam accuſationem Rei, & manifeſtationem delicti. Cúmque hoc Judicium Pœnitentiæ ſit reconciliativum & ordinatum ad ipſius Rei ſalutem, accuſatio in illo non poteſt eſſe alia, quàm propria ejuſdem Rei ſive peccatoris confeſſio. Et quia rurſus hæc ipſa confeſſio ordinatur ad obtinendam remiſſionem peccatorum, non debet eſſe narratio merè hiſtorica, ſed dolorosa, ſive procedens ex pœnitudine quadam & dolore animi: ſine dolore quippe de culpa nemo eſt veniâ dignus. Denique, quia hoc idem Judicium ſacramentale eſt aliqualiter vindicativum juris Divini læſi, ſicut reus debet habere animum paratum ad ſatisfaciendum, ita Judex, qui hîc eſt Sacerdos, tenetur imponere congruam ſatisfactionem. Quoniam verò actus recenſiti ſunt ampliùs determinabiles per formam abſolutionis, non ingrediuntur Judicium Sacramentale ut pars formalis, ſed ut materialis.

3 Objicies primo. Contritio eſt diſpoſitio tantùm: ergo non eſt pars Sacramenti. Conſeq. conſtat. Ant. inde habetur, quod juxta majorem vel minorem intenſionem contritionis infundatur majus vel minùs intenſa gratia Sacramenti. Reſpondeo diſt. Ant. eſt diſpoſitio ad ipſum Sacramentum, neg. ad rem, ſive effectum Sacramenti, id eſt, gratiam Sacramenti, conc. Ant. & neg. conſeq.

4 Objicies ſecundo. Partes Sacramenti debent eſſe ſenſibiles: ſed contritio, utpote actus internus animæ, non eſt ſenſibilis; ergo non eſt pars Sacramenti. Reſpondeo diſt. maj. debent eſſe ſenſibiles vel in ſe, vel in alio, conc. in ſe ſemper, neg. maj. atqui contritio, licèt in ſe non ſit ſenſibilis, eſt tamen ſenſibilis in alio, nempe in confeſſione.

5 Objicies tertio. Ex ſtatuta ſententia ſequitur, Sacerdotem non conficere hoc Sacramentum. Patet ſeq. quia Sacerdos non efficit actus pœnitentis, in quibus tamen conſiſtit Sacramentum. Reſpondeo neg. ſeq. ad probat. dico, hoc Sacramentum non conſiſtere in actibus pœnitentis, ſed in actibus pœnitentis & Sacerdotali abſolutione ſimul. Unde diſt. Sacerdos non efficit actus pœnitentis ſeorſim ſpectatos, conc. non efficit eosdem ſecundùm eſſe unitum & determinatum per formam abſolutionis, neg.

6 Dico ſecundo. Contritio & confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ; ſatisfactio verò actualis, ſive in re, eſt ſolùm pars integralis. Ita communiter DD. Ratio eſt: quia illæ ſunt partes eſſentiales, ſine quibus rei eſſentia ſalvari non poteſt: & illa eſt pars integralis, ſine qua rei eſſentia poteſt conſiſtere: ſed contritio & confeſſio ita ſe habent, ut ſine illis non poſſit conſiſtere eſſentia hujus Sacramenti, & ſatisfactio actualis ita ſe habet, ut ſine illa poſſit conſiſtere eſſentia hujus Sacramenti; ergo contritio & confeſſio ſunt partes eſſentiales illius; ſatisfactio verò actualis eſt ſolùm pars integralis. Maj. conſtat. Mi. quoad primam partem ex eo conficitur, quòd hoc Sacramentum, ut dictum eſt, ſit inſtitutum per modum Judicii cujuſdam reconciliativi, cujus eſſentia non poteſt conſiſtere ſine accuſatione Rei, & deteſtatione commiſſi criminis: cùm neque Judex ferre poſſit ſententiam, cauſâ ſeu delictô priùs non cognito; neque reus ipſe ſit venia & abſolutione dignus, quem ſceleris ſui non pœnitet. Altera pars min. patet evidenter ex communi praxi Eccleſiæ. Nam, ſi pœnitens, dum peccata ſua confitetur, ob morbi vehementiam ſubitò deſtituatur uſu rationis, & in articulo mortis conſtituatur, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ſacramentaliter abſolvi, licèt nullam ampliùs poſſit implere pœnitentiam. Dixi autem in Concl. *Satisfactio actualis, ſive in re.* Quia ſatisfactio in voto, ſive in propoſito, id eſt, ipſa voluntas ſaltem implicita ſatisfaciendi, includitur in memoratis actibus pœnitentis, contritione nimirum & confeſſione, quatenùs ex intentione hoc Sacramentum juxta inſtitutionem ſuam recipiendi procedunt. Vid. Mezger tract. 18. diſp. 42. a. 2. §. 1. Chriſtoph. Raſsler in tract. de Pœnit. cap. 1. §. 2. & alii.

§. II.

Statuitur Materia remota.

SUMMARIUM.

7. *Omnia & ſola peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſunt materia remota Pœnitentiæ.* 8. *Materia neceſſaria ſunt peccata mortalia clavibus Eccleſiæ nondum ſubjecta.* 9. *Etiam peccatum fictionis eſt materia neceſſaria.* 10. *Peccatum primario ſub ratione culpæ eſt materia remota.* 11. *Nulla eſt obligatio confitendi peccata venialia.* 12. *Non expedit frequenter in Confeſſione repetere peccata, à quibus quis jam ſemel eſt legitimè abſolutus.* 13. *In Confeſſione generali non eſt obligatio confitendi omnia peccata mortalia jam ſemel*

ritè

ritè confessa. 14. *Non est contra valorem Sacramenti uni Confessario confiteri mortalia, alteri deinde sola venialia.* 15. *An interrogatus de peccato mortali jam ritè confesso teneatur Confessario dicere veritatem?* 16. *In Confessione generali tenetur pœnitens explicare, quænam ex peccatis commissa fuerint post Confessionem ultimam.*

7 DIco primo. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sunt omnia, & sola peccata personalia post Baptismum commissa. Ita communis & certa sententia ex Concil. Trident. sess. 14. de Pœnit. cap. 5. & can. 7. cum D. Thoma 3. p. q. 84. a. 2. Ratio est: quia illa est materia remota, circa quam versatur materia proxima: sed circa memorata peccata omnia & sola versatur materia proxima Pœnitentiæ, scilicet actus pœnitentis, dolor, confessio, & satisfactio; ergo omnia & sola sunt materia remota. Maj. constat. mi. prob. Nam inprimis de peccato originali, cùm non sit propria voluntate commissum, non datur dolor, accusatio aut satisfactio, uti nec absolutio. Supra peccata quoque personalia ante Baptismum commissa, cùm sint hominis extra Jurisdictionem Ecclesiæ constituti, cadere non possunt actus judiciales, cujusmodi sunt accusatio, & præsertim absolutio. Restat igitur, ut supra sola peccata post Baptismum commissa cadat materia proxima, & quidem supra omnia, ut statim amplius ostendetur. Nam

8 Dico secundo. Materia necessaria hujus Sacramenti sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, & clavibus Ecclesiæ nondum subjecta. Materia verò non necessaria sed sufficiens sunt peccata venialia, eáque mortalia, & venialia, quæ quis jam semel fuit ritè confessus. Ita omnes communiter. Ratio primæ partis est: quia illa peccata sunt materia necessaria, quæ extra hoc Sacramentum in re, vel voto suscepti remitti non possunt, ut notatum est in fronte præs. artic. Sed ita se habent mortalia post Baptismum commissa, & clavibus nondum subjecta; ergo. Ratio secundæ partis est: quia, si peccata venialia subjiciantur clavibus, fit validum Sacramentum: sunt enim revera peccata, de quibus nos accusare, dolere & satisfacere possumus. Aliunde verò constat, illa extra Sacramentum variis modis deleri posse, nec ullum exstare Divinum præceptum ea confitendi: ergo sunt materia non necessaria quidem, sed tamen sufficiens. Ratio tertiæ partis est: quia etiam supra peccata jam ritè confessa cadere adhuc potest materia proxima; ut docet communis fidelium praxis; eademque denuò subjici clavibus multùm expedire potest, tum ad majorem tranquillitatem conscientiæ, tum ad concipiendam majorem erubescentiam & horrorem circa illa inposterum. Confirmatur. Eadem numerò aqua potest materia remota plurium Baptismatum: ergo similiter eadem peccata possunt esse materia remota plurium Sacramentorum Pœnitentiæ. Ex dictis resolves sequentia.

I. Etiam peccatum fictionis, id est, 9
indigna susceptio Baptismi, aut aliud quodcunque mortale in ipsa susceptione Baptismi commissum, nec retractatum ante ejus consummationem, est materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. D. Thomas 3. p. q. 69. art. 10. Salmantic. tr. 6. de Pœnit. cap. 4. pu. 1. num. 15. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 6. num. 2. Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 1. num. 23. Reding to. 7. q. 6. a. 1; controv. 1. num. 10. & alii. Ratio est: quia licèt ejusmodi peccatum non sit duratione posterius Baptismô, est tamen posterius naturâ. Cùm continuetur usque ad instans terminativum Baptismi, in quo verum est dicere, Baptismum transivisse: & consequenter est verè peccatum hominis baptizati, & intra jurisdictionem Ecclesiæ constituti. Confirmatur. Omne peccatum mortale remitti per se debet virtute alicujus Sacramenti mortuorum: ergo vel virtute Baptismi, vel Pœnitentiæ. Atqui peccatum, de quo hîc loquimur, non remittitur per Baptismum; cùm sit illo naturâ posterius; ergo remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ.

II. Peccatum per se, & primario est 10
materia remota Sacramenti Pœnitentiæ sub ratione culpæ; secundariò verò solùm, & ex consequenti sub ratione reatûs pœnæ. Pettschacher de Pœnit. q. 1. a. 4. §. 1. coroll. 6. Ratio est: quia potestas clavium data est Ecclesiæ primariò & per se ad remissionem culpæ; ad remissionem verò pœnæ secundariò tantùm, & ex consequenti.

III. Nemo tenetur confiteri peccata 11
venialia. Salmantic. cap. cit. pu. 2. num. 20. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 3. pu. 3. num. 6. & alii communiter. Ratio est: quia, licèt sint materia sufficiens, non tamen sunt materia necessaria, sed libera. Et hoc verum est, sive pœnitens habeat tantùm venialia, sive mortalia & venialia simul. Hinc etiam potes aliqua venialia confiteri, & alia tacere, vel confiteri sola mortalia, tacitis venialibus. Quod de venialibus dictum est, etiam intelligi debet de mortalibus semel ritè confessis.

IV.

12 IV. Quamvis non sit prohibitum, veluti constat ex n. 8. ut quis in Confessione repetat peccata, à quibus antea legitimè absolutus, id tamen fieri non debet frequenter, & absque justa causa, qualium loco cit. meminimus. Coninck disp. 4. dub. 3. n. 27. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 3. n. 5. Oberascher de Pœnit. cap. 2. pag. 38. Ratio est: quia sic exigit dignitas & reverentia Sacramenti, ne leviter, & citra justam causam circa eandē materiā suscipiatur. Ante omnes autem à repetitione peccatorū arcendi sunt scrupuli. hi enim quò sæpius peccata repetunt in Confessione, eò implicatiùs anxietatum suarum Labyrintho intricantur.

13 V. Non teneris in Confessione generali de peccatis, seu totius vitæ, seu unius anni &c. dicere omnia peccata mortalia jam semel ritè confessa, sed potes aliqua omittere, si lubet. Laym. loco cit. Tambur. in Methodo Confess lib. 2. cap. 1. §. 2. Reding 2. cit. controv. 2. n. 22. Oberascher pag. 39. Ratio est: quia volenti instituere Confessionem generalem adhuc liberum est, ut eam vel faciat integram, vel dimidiatam: præsertim quando de aliquibus patitur graviorem remorsum, de aliis non item. nam materia talis Confessionis non est necessaria, sed libera. Neque refert, Confessarium sic decipi putantem, ea solùm peccata esse in conscientia pœnitentis, quæ confitetur, & non alia. nam decipitur materialiter tantùm, & in re ad Sacramentum nihil attinente: cùm Confessarii non sit judicare de statu pœnitentis, nisi quoad peccata nunquam antea ritè confessa, vel quæ pœnitens iterum liberè confitetur. Sed neque mentitur tunc pœnitens. cùm aliud sit non omnia dicere, aliud mentiri. Imò neque tunc mentitur, quando dicit Confessario, se velle confiteri generaliter, & non omnia peccata exponit. Ratio est: quia Confessarii communiter sibi persuadent, & tanquam compertum habent, in Confessionibus generalibus non omnia peccata semel legitimè subjecta clavibus aperiri. Quòdsi etiam intervenire permittamus mendacium, id nihil officit substantiæ Sacramenti: cùm sit in re levi, & ad Confessionem minimè necessaria; adeoque peccatum veniale tantùm. Atque hinc oritur, ut resolvamus

14 VI. Nihil committit contra valorem Sacramenti, qui habens duos Confessarios eorum alteri priùs confitetur mortalia, alteri deinde sola venialia. Card. de Lugo disp. suprà cit. sect. 2. n. 57. Reding n. 23. & alii. Ratio est: tum, quia licèt secundus quoque Confessarius decipiatur, dum putat, pœnitentem venialiter solùm deliquisse ab ultima Confessione, hic tamen non mentitur, sed exponit ea tantùm peccata, quæ necdum fuit confessus, in quo nullum est mendacium. tum, quia vel nulla, vel saltem non gravis est inordinatio velle conservare bonam de se existimationem apud Confessarium ordinarium. Imò hoc videtur interdum expedire in fœminis, præsertim Religiosis. Hinc Confessarii, qui pœnitentes suos reprehendunt, quòd apud alios nonnunquam confiteantur, ipsimet sunt reprehendendi: cùm id potiùs dissimulare, imò ut fiat, aliquando hortari debeant, ut habet Martinus Perez apud Reding n. 24. Atque hæc intellecta velim per se loquendo. nam per accidens fieri potest, ut mortaliter peccet, qui uni confitetur mortalia, alteri verò v. g. ordinario Confessario sola venialia. Hoc accideret, si talis modus confitendi esset in causa, ut pœnitens relaberetur sæpius in eadem mortalia: veluti si confitereris peccata graviora alicui, qui ea non multum ponderaret, teque imposita levi quadam pœnitentia citra ullam reprehensionem nimis vitiosè urbanus, ac facilis absolveret. Idem est, si eadem mortalia, in quæ sæpius incidis, aliis & aliis semper confitereris. Ratio est: quia hoc modo sponte ac scienter quæreres Medicos, qui te vel nollent, vel propter ignorantiam tui status non possent efficaciter sanare. Unde grave fundamentum subesset timendi, ne sufficienti dolore, & proposito careres. Vid. Reding n. 25.

VII. Pœnitens interrogatus à Confessario de peccato mortali jam ritè confesso non tenetur aperire veritatem. Tambur. ubi suprà n. 6. Reding n. 26. & alii. Ratio est: quia, dum Judex non interrogat juridicè, reus non peccat, dum non fatetur id, de quo interrogatur, dummodò ita se gerat in respondendo, ut non mentiatur. atqui Confessarius, qui hic agit personam Judicis, non interroga juridicè; quia interrogat de re ad judicium hoc Sacramentale non necessaria, & de qua interrogandi non habet jus; ergo pœnitens, qui se habet ut reus, non tenetur fateri veritatem, & ad mentem interrogantis respondere. Hæc tamen iterum intelligi debent per se loquendo, & nisi notitia peccati mortalis jam ritè confessi videatur necessaria ad efficaciorē pœnitentis emendationem, aut directionem in posterum. nam in simili casu Confessarius habet jus interrogandi de hujusmodi peccato, & consequenter pœnitens obligationem respondendi ad mentem interrogantis. 15

VIII. In Confessione generali pœnitens tenetur explicare, quænam ex peccatis commissa sint post Confessionem ultimam. Ita Perez, quem refert & sequitur Reding n. 29. Ratio est: quia Confessarius longe aliud judicium formare solet de peccatis jam ritè semel confessis & expiatis; quàm de nunquam ante confessis: velut ex eo patet, quòd aliud remedium præscribere, item aliam, leviorem-que pœnitentiam injungere debeat pro peccatis jam semel ritè confessis, quàm pro nunquam confessis & expiatis in Sacramento Pœnitentiæ. Oppositum tenent Sanchez lib. 1. in 16

Decal. c. 10. n. 71. Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 2. n. 47. Tambur. §. cit. & alii. Ratio illorum est: quia peccatum est idem, sive illud jam semel confessus fueris, sive non: & temporis, quo culpam patrâsti, circumstantia non ex parte peccati, sed merè ex tua pœnitentis parte se tenet, nisi fortè mutatio temporis adhuc aliam circumstantiam specie diversam secum afferat: veluti contingit, dum nunc conjugatus accusat se de peccato luxuriæ, quod commisit adhuc solutus. nam si non explicet tempus patrati flagitii, Confessarius pro simplici fornicatione apprehendet speciem adulterii. Hæc sententia probabilis est: sed prior tutior & in praxi, retinenda.

§. III.

An etiam peccata mortalia dubia sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

17. *Quid*, 18. *Et quotuplex sit dubium?* 19. *Quot modis dari possit dubium de peccato.* 20. *Exponitur status quæstionis* 21. *Fundamenta sententiæ negativæ.* 22. *Præfertur & statuitur sententia affirmans*, 23. *eademque probatur primo ex antiquissimo usu & praxi Ecclesiæ.* 24. 25. *Repellitur duplex Adversariorum responsio.* 26. *Probatur statuta sententia secundo ex Concil. Trident.* 27. 28. *Refelluntur responsiones contrariæ.* 29. *Probatur tertio ex obligatione assecurandi statum gratiæ ante sumtionem S. Eucharistiæ.* 30. *Probatur quarto ex obligatione eliciendi Contritionem extra Sacramentum.* 31. 32. *& seqq. Solvuntur fundamenta sententiæ negativæ.* 37. 38. 39. 40. 41. *Respondetur ad alias Objectiones.*

17 MUltùm interest, veluti comperi hactenùs, ad præsentem difficultatem utiliter discutiendam, ut natura dubii bene percipiatur. Itaque notandum est primo, dubium rectè definiri, quòd sit suspensio quædam intellectûs manentis in æquilibrio inter duo contradictoria, & nec assentientis, nec dissentientis. Debet autẽ suspensio intellectûs provenire ex defectu motivi actualiter determinantis ad assensum, vel dissensum. unde non meretur vocari dubium, si oriatur ex alia causa, v. g. distractione mentis ad alia objecta. Tunc proinde intellectus propriè dubitat, quando propositis ambobus contradictionis extremis ideo non præbet assensum, non dissensum alterutri, quia caret vel omni, vel sufficienti motivo, quo ad ferendum judicium actualiter determinetur: & quia vel explicitè, vel implicitè ac virtualiter reputat, rem esse incertam, neutramque contradictionis partem mereri, ut de ipsa feratur judicium.

Notandum est secundo, dubium ad 18
præsens institutum aliud esse negativum, aliud positivum. Dubium negativum est, quando suspensio judicii accidit ob defectum vel omnis motivi tam ad assensum, quàm ad dissensum inclinantis; vel ob motiva utramlibet partem contradictionis suadentia, sed ad judicium de alterutra ferendum insufficientia. Exemplum primi est, dum quis proposita quæstione: *An astra sint paria, vel imparia?* neque hoc, neque illud judicare potest: quia pro neutra parte habet motivum aliquod ferendi sententiam. Exemplum secundi est, quando proposita quæstione: *sitne licitum pingere die festo, necne?* occurrunt argumenta utrumlibet suadentia, sed insufficientia ad determinandum intellectum, ut ferat de alterutro extremo judicium. Dubium positivum est illud, quod nascitur, vel ex motivis utrimque probabilibus & simul sufficientibus ad ferendum prudens judicium de partibus contradictionis; vel ex ejusmodi motivis pro una saltem parte contradictionis, licèt nulla adsint pro altera. De hoc genere dubii communiter sentiunt Authores, id non esse verum dubium: quia id, quod ex illius motivis oritur, non est suspensio judicii, quæ est de essentiali conceptu dubii; sed probabilis assensus, vel dissensus.

Notandum tertio, tripliciter posse ali- 19
quem dubitare de peccato. Primo, an illud commiserit? v. g. an turpi delectationi consenserit? Secundo, an id, quod scit se commisisse, sit mortale, vel veniale? Tertio, an id, quod scit se commisisse, & esse peccatum mortale, fuerit confessus? Verùm hoc dubium, ut vides, non est propriè de peccato, sed impletione obligationis ortæ ex peccato.

Atque his notatis, suppono, statum no- 20
stræ controversiæ non esse de peccatis dubiis dubio positivo. Ratio est: quia hoc modo dubitans habet paratum medium suæ conscientiæ consulendi etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, opinionem videlicet probabilem, quàm licitè sequitur; tametsi minùs tuta sit; velut in tract. *de Conscient.* docuimus. Addo ulteriùs, neque esse quæstionem de peccatis dubiis dubio negativo tali, quod destituitur omni motivo tam sufficienti, quàm insufficienti ad ferendum judicium de partibus contradictionis: imò neque de dubiis negativè illo dubio, quod nascitur quidem ex quibusdam motivis pro utraque parte, sed levibus solùm, & non rationabilibus, seu probabilibus, quæque ab homine prudente non curari, sed contemni debent. Ratio est: quia ejusmodi dubium vel non distinguitur à scrupulo; vel est omnino minus quàm scrupulus. Scrupulos autem non esse

mate-

materiam Pœnitentiæ certum est apud omnes. Procedit igitur difficultas de peccatis mortalibus dubiis illo dubio negativo, quod nititur firmis, & rationabilibus dubitandi fundamentis, quæ sufficiunt, ut intellectum hominis prudentis constituant in æquilibrio circa utramque partem contradictionis. Uno verbo: quæritur, an, qui dubitat rationabiliter, sive dubio rationabili, quod etiam probabile dicitur, sitne peccatum à se commissum? vel, sitne illud, quod quis commisit, peccatum mortale, necne? teneatur id confiteri? Et ita statum quæstionis intelligendum esse docent Reding to. 7. q. 6. a. 1. controv. 3. n. 1, Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 24. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 4. n. 111. Qui aliter intelligunt, nihil agere, & inaniter hic disputare videntur.

21 Pro sententia negativa sic arguitur primo ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. ubi asserit, *ea tantum peccata in Confessione explicanda esse, quorum quis conscientiam habet.* Item, *ea, quibus quis Deum & Dominum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, eadem Confessione inclusa intelligi.* Atqui, subsumitur, qui dubitat, an peccaverit? non meminit, se Deum mortaliter offendisse: quia verbum *memini* omnem dubitationem excludit. Item, non habet conscientiam peccati, de quo dubitat, an commiserit? quia habere conscientiam peccati est esse conscium peccati. Sed dubius, an peccaverit? non est sibi conscius peccati: quia *esse conscium* importat scientiam & certitudinem. Ergo, qui ita dubitat, non tenetur confiteri.

Arguitur secundo. Tribunal Pœnitentiæ est analogum tribunali forensi & litigioso. Atqui in nullo tribunali forensi admitti debent accusationes de criminibus actori dubiis. Sanè non audiretur à Judicibus, qui diceret: *Appello de homicidio Caium, quia dubito, an occiderit? Appello Titium de furto equi; quia ipse fortè abegit.* Ergo nec in tribunali Pœnitentiæ admitti debent accusationes de peccatis dubiis.

Arguitur tertio. Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ tanquam secundam in naufragio tabulam, & ut necessarium hominibus lapsis post Baptismum: ergo id non instituit ut necessarium illis, de quibus dubitatur, an sint lapsi? prob. conseq. quia tales non possunt dici cum veritate lapsi, neque præsumi. cùm factum in dubio non debeat præsumi, sed probari. Atqui de illo, qui dubitat, an peccaverit mortaliter? dubitatur, an sit lapsus? ergo.

Arguitur quarto. non est æquum, ut quis in foro externo subeat pœnam certam, antequam sit convictus de crimine: ergo nec in tribunali Confessionis. Atqui dubitans, an peccaverit mortaliter? non est convictus de crimine; ergo non est æquum, ut subeat certam pœnam: ergo non tenetur in tali dubio confiteri, quia alioquin deberet subire certam pœnam, videlicet pœnitentiam injunctam, de crimine non convictus.

Arguitur quinto. *In dubio melior est conditio possidentis.* Item: *In dubio faciendum est reo, nec quisquam præsumitur malus, donec probetur &c.* Atqui dubitans, an peccaverit? est in certa possessione suæ innocentiæ, illaque spoliari per superventum dubii non debet. sed neque potest probari nocens; ergo est melioris conditionis, quàm præceptum confitendi incertum: atqueadeo judicare potest, se esse innocentem, & non obligatum ad confessionem peccati dubii.

Arguitur sexto. Præceptum incertum non obligat: sed præceptum confitendi peccata dubia est incertum; ergo non obligat. maj. constat: quia ejusmodi præceptum non est sufficienter promulgatum. mi. prob: quia præceptum, quod plures graves Theologi negant esse certum, vel omnino judicant non existere, est incertum: sed plures graves Theologi negant, præceptum confitendi peccata dubia esse certum; imò judicant, omnino id non existere; ut postea videbimus; ergo est incertum. Verùm his neutiquam obstantibus,

22 Dico. Qui dubitat negativè dubio rationabili, seu probabili, sitne peccatum à se commissum? vel, sitne illud, quod commisit, peccatum mortale? tenetur id confiteri: adeoque peccata mortalia negativè dubia sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc sententia est antiquissima, ejusque usus & praxis adeo viguit semper in Ecclesia, ut usque ad hæc ultima tempora nemo de veritate ipsius dubitaverit. Quare nolo illam suadere Authoritate extrinseca Doctorum non tot, quin plurium, quæ certè gravissima est, & unanimi totius antiquitatis assensu firmata. Ad rationes veniamus.

33 Prob. proinde Concl. primo in hunc modum. Certum est Christum ita potuisse instituere Sacramentum Pœnitentiæ, ut ejus tribunali necessariò subjicerentur peccata mortalia, non tantùm certa, sed etiam dubia, non obstante regula Juris: *In dubio melior est conditio possidentis.* cùm & sum. Pontifex eo principio non attento ligare possit libertatem fidelium: ut constat in dubio perpetrati homicidii, ubi Sacerdos jubetur se reputare irregularem, atqueadeo privatur possessione libertatis. Atqui Christus ita instituit Sacramentum Pœnitentiæ; ergo peccata mortalia dubia confiteri tene-

tenemur. min. prob. Usus antiquissimus, communis, & perpetua fidelium praxis, ac consuetudo, cujus initium in lege nova ignoratur, confitendi peccata dubia, cum firma persuasione, esse gravem obligationem ea confitendi, efficacissimè convincit, esse gravem obligationem, eamque ex institutione Christi derivatã. Atqui hujusmodi usus, praxis, & consuetudo fidelium cum firma persuasione gravis obligationis semper viguit in Ecclesia usque ad hæc ultima tempora, quibus unus aut alter recens Theologus incepit antiquissimi moris ac dogmatis canitiem lacessere, idque vocare in controversiam, de quo dubitare omnes probi & docti tot retrò sæculis nefas esse putârunt. Ergo à primo ad ultimum est gravis obligatio confitendi peccata dubia, atque ex voluntate Christi Sacramentum Pœnitentiæ cum illa instituentis derivata. Jam maj. hujus discursûs prob. inductione similium. Sic oleum, quo Ecclesia utitur in Sacramento Exremæ Unctionis, esse benedicendum ab Episcopo: item Chrisma esse liquorem ex oleo & balsamo confectum: Sacrificium præterea Missæ utiliter offerri pro defunctis, uti & varios ritus ac cæremonias in hoc Sacrificio esse servandas &c. ex Apostolica traditione, atque adeo Christi institutione ad nos promanavit, ut asserit Concil. Trident. apud Franciscum Bardi, discept. 6. cap. 11. p. 4. §. 1. n. 5. idque rectissimè colligitur ex antiquissimo usu, immemoriali praxi, & consuetudine Ecclesiæ, conjuncta cum firma omnium persuasione, ita & non aliter fieri oportere. Cùm itaque similis praxis & consuetudo confitendi peccata dubia semper extiterit in Ecclesia, & fideles per tot sæcula communiter ac firmiter existimaverint, ea confitendi esse gravem obligationem, rectissimè inferimus, hanc obligationem esse gravem, atque ex institutione Christi & Apostolica traditione descendere.

24 Sed respondent primo, non constare, ejusmodi consuetudinem confitendi peccata dubia, esto, concedatur existere, unquam fuisse obligatoriam, sed tantùm ut piam, & pro majori securitate conscientiarum esse frequentatam, absque ulla de gravi obligatione, vel institutione Christi persuasione. Contra tamen est, quòd omnes Doctores usque ad sæculum proximè elapsum unanimiter docuerint, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia: ergo firmiter sibi persuaserunt, esse obligationem gravem, idque non tantùm in libris, & scholis, sed etiam in praxi: cùm non nisi gratis, ac temerè præsumi possit, viros sapientes in hac re, quæ vel maximè ad animæ salutem pertinet, aliud egisse, aliud docuisse. Jam verò, quod sapientes unanimiter dicunt ac tenent, insipientes atque indocti credunt, ipsique sequuntur. Ergo homines indocti à doctrina sapientûm asseverantium, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia, in praxi non dissenserunt: cùm nemini de probabilitate sententiæ contrariæ quidquam constiterit. ergo omnes fideles sibi firmiter persuaserunt, esse gravem obligationem confitendi peccata dubia. ergo meritò asserimus, eam consuetudinem non tantùm ut piam, magisque tutam, sed etiam ut graviter obligatoriam semper in tota Ecclesia viguisse: cumque de ejus initio non constet, id ad Apostolicam traditionem referendum.

Respondent secundo, hoc argumen- 25
tum nobismet esse solvendum, si convertatur adversus Immaculatam B. Virg. Conceptionem, quam defendimus, hoc modo. Fuit praxis & usus Ecclesiæ non celebrandi Festum Immac. Concept. ejusque praxis non habetur initium: ergo credendum, ab ipsis Apostolis promanâsse: ergo non est celebrandum hoc Festum. Verùm hic modus evadendi facillimè repellitur, quia aliud est negatio consuetudinis, aliud positiva consuetudo. atqui usus & praxis non celebrandi Festum Immac. Concept. fuit solùm negatio consuetudinis. ex negatione verò consuetudinis malè infertur prohibitio: velut ostenditur in exemplis. Nam antehac erat consuetudo, & praxis non circumgestandi solemniter S. Eucharistam per plateas die ipsi festiva, vel celebrandi Festum dolorum, aut Nominis B. Virg. sive erat negatio consuetudinis similium solemnitatum: hinc tamen nemo intulerit, fuisse similia positivè prohibita. Atqui positiva consuetudo, eaque antiquissima, & quæ ab omnibus in Ecclesia semper reputata fuit obligatoria, planè arguit præceptum & traditionem Apostolicam. Quod agnovit S. Augustinus lib. 4. contra Donat. cap. 6. ubi: *Illa consuetudo*, inquit, *quam & tunc homines sursum versùs aspicientes non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.* Et Epist. 118. ut solvat eam quæstionem, quid faciendum sit in materia Ecclesiastica? statuit praxim & consuetudinem universalis Ecclesiæ pro regula infallibili illis verbis: *Similiter, siquid horum tota frequentat Ecclesia: nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* Quare, si ab exortu Ecclesiæ extitisset continua consuetudo celebrandi Festum Immac. Concept. sicut extitit consuetudo confitendi peccata dubia, pari jure inferremus, eam suam originem, obligationemque traxisse ab Apostolis.

Prob. communis sententia secundo 26
ex Concil. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 5.

ubi

ubi sic habet: *Oportet à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* Addit deinde. *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamvis utiliter in Confessione dicantur, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Ex quibus verbis videmus, Concilium a materia necessaria Confessionis solùm excludere peccata venialia, eaque mortalia, quæ diligenter discussâ conscientiâ memoriæ non occurrunt. Ergo peccata mortalia dubia, quæ memoriæ occurrunt, intra materiam necessariam Confessionis includere censendum est: cùm exclusio unius sit inclusio alterius, dum loquimur de rebus, quæ possunt includi & excludi.

Respondent primo, Concilium ideo
27 præcipere confessionem mortalium; quia homines constituunt filios iræ, Deique inimicos, hanc autem rationem minimè procedere de mortalibus dubiis; nam ista, quamdiu maneant dubia, non constituere hominem nocentem, Deoque offensum. Sed contra est, quòd hominem esse, vel non esse Dei inimicum non dependeat à dubio, vel etiam judicio, quod quis hodie habet de actione hesterna, an nempe fuerit commissa, culpaque mortalis, vel non? sed ab opere re ipsa commisso. cùm dubium præsens, aut etiam judicium de actione præterita eam neque bonam, neque malam possit efficere. Quare, sicut non sequitur, me esse inimicum Dei, quia dubito, vel credo, me peccasse mortaliter, si reipsa non peccavi mortaliter, ita non sequitur, me non esse Dei inimicum, quia dubito, vel certò credo, me non peccâsse, quando re ipsa peccavi mortaliter. Cùm itaque solear contingere, ut etiam peccatum mortale dubium manens dubium constituat hominem filium iræ, Deique inimicum, si re ipsa sit perpetratum, non minùs, quam peccatum, quod certò perpetratum est, Sacra Synodus non habuit majorem rationem præcipiendi confessionem peccati mortalis certi, quàm dubii.

28 Respondent secundo, Concilium non magis meminisse peccati dubii, quàm circumstantiarum merè aggravantium: Ergo sicut propterea multi Doctores inferunt valde probabiliter, has circumstantias non esse materiam necessariam Confessionis, ita valde probabiliter inferre licet, non esse præceptum confitendi peccata dubia. Rursus tamen contra est, quòd Concil. eadem sess. eodemque cap. & can. 7. expresserit solas circumstantias speciem mutantes. Unde ex oppositio videtur exclusisse circumstantias speciem non mutantes: nam asserens, esse obligationem ad unum, implicitè negat, esse obligationem ad alterum in illo non contentum. Atqui non expressit peccata certa, sed præcepit indeterminatè, ut confiteremur omnia peccata mortalia, inter quæ etiam continentur peccata mortalia dubia. ex quo patet disparitas.

Prob. tertio. Illa peccata sunt materia 29
necessaria Confessionis, de quibus ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio: sed de peccatis mortalibus dubiis ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio; ergo peccata mortalia dubia sunt materia necessaria Confessionis. maj. colligitur iterum ex Concil. Trid. sess. 13. de Euchar. ubi præcipit, ut *nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Eucharistiam accedere debeat.* Ex quibus adeo habetur, dispositionem susceptioni Eucharistiæ præviam in conscio sibi mortalis peccati debere consistere non in sola contritione, sed insuper in sacramentali Confessione; atqueadeo per hanc quoque, non solùm per illam, peccata, de quibus tunc procurari debet justificatio, necessario abolenda esse. Atqui peccata necessariò abolenda per Confessionem sunt materia necessaria Confessionis; ergo peccata, de quibus ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio, sunt materia necessaria Confessionis. min. primi Syllogismi prob. quia de omnibus illis peccatis procuranda est justificatio ante sumptionem Eucharistiæ, quæ non compatiuntur in sumente judicium probabile de statu gratiæ: sed peccata mortalia dubia non compatiuntur ejusmodi judicium; ergo de illis ante sumptionem Eucharistiæ procuranda est justificatio. maj. prob. quia homo priusquàm suscipiat Eucharistiam, se dignum probare debet hoc Divinissimo epulo, secundùm illud Apost. 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* Ergo tenetur formare judicium probabile speculativum, se esse in statu gratiæ. quia nemo præterquàm justus, hoc Sacramento est dignus. Ergo ulteriùs tenetur, quantùm in ipso est, amoliri omnia, dum quibus judicium illud probabile componi non potest. mi. etiam prob. quia dubium probabile ac prudens de statu gratiæ, non compatitur judicium probabile de statu gratiæ, ut constat ex definitionibus dubii & opinionis probabilis: sed peccatum mortale dubium, sive dubium de peccato mortali commisso, est simul dubium de statu gratiæ; ut patet; ergo non compatitur illud tale judicium,

Prob. quarto. Omne illud est materia 30
necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, de quo

extra illud homo tenetur conteri: sed de peccatis mortalibus dubiis homo extra Sacramentum Pœnitentiæ tenetur conteri; ergo hæc peccata sunt materia necessaria istius Sacramenti. maj. docet D. Thomas in Supplem. 3. p. q. 6. a. 5. inquiens: *Cùm propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur.* Quid enim est teneri ad habendum propositum confitendi, nisi simul teneri ad confitendum suo tempore. atqui hoc propositum, ut inquit D. Thomas, homo toties tenetur habere, quoties tenetur de aliquo peccato conteri; ergo etiam toties tenetur ad confitendum. Deinde, ut constat ex suprà dictis, omnis contritio perfecta, & extra Sacramentum sufficiens ad justificationem est Sacramentum Pœnitentiæ in voto, & includit obligationem confitendi: ergo manifestum est, cum, qui tenetur conteri, etiam teneri ad confitendum, eaque omnia, de quibus tenetur conteri, esse materiam necessariam Confessionis. Jam min. principalis etiam prob. Peccator, dum urget præceptum reconciliandi se cum Deo, tenetur ex lege Pœnitentiæ ita pœnitentiam agere, ut possit formare judicium probabile, quòd se restituerit in statum Divinæ amicitiæ: sed extra Sacramentum, nisi eliciat contritionem, quæ se extendat ad peccata mortalia etiam dubia, non ita agit pœnitentiam, ut possit formare probabile id judicium: cùm sit impossibile stare judicium probabile de recuperata Dei amicitia cum probabili dubio de peccato mortali commisso, nisi assumatur aliquod medium justificationis; quod in nostra hypothesi necessariò debet esse contritio. nam alioquin dubium de peccato mortali commisso, sive peccatum mortale dubium est formalissimè dubium de amissa, & necdum recuperata Dei amicitia oppositum cuivis judicio de ejus recuperatione.

31 Nunc ad primum ex fundamentis contrariis in n. 21. adductis respondeo, hic maximè attendi debere mentem Patrum Concil. Trid. quæ non erat præsentem Theologorum controversiam, quæ tunc nulla erat, decidere, sed retundere hæreticos impiè questos, præceptum Confessionis esse de re impossibili, eoque præcipi, ut fideles confiteantur illa quoque peccata, quorum non recordantur. quare Concilium decrevit contra illos, ea solùm peccata esse subjicienda clavibus Ecclesiæ, quorum fideles, discussâ diligenter conscientiâ, recordarentur. Ex quo manifestè conficitur, à S. Synodo obligationem confitendi peccata dubia in eo statu fuisse relictam, in quo erat ante ipsam. Atqui ante Trident. Synodum, imò & post illum, ea obligatio fidelibus omnibus & doctis & indoctis fuit certa, saltem usque ad tempora Thomæ Sanchez, qui id testatur lib. 1. in Decal. cap. 10. n. 66. quod opus scripsit ferè ad annum. 1610. aut paulò ante. Ergo obligatio confitendi peccata dubia à Trident. non fuit sublata, sed relicta in ea certitudine, quam ante habuerat. Unde DD. contrarii de tanta authoritate, cui plurimum fidunt, inaniter gloriantur. Negandum est igitur, cum, qui dubitat, an peccaverit mortaliter? Non meminisse quòd Deum offenderit, illâ memoriâ, quam ibi intelligit Trident. loquitur enim de memoria, prout hæc opponitur oblivioni. atqui memoria, ut opponitur oblivioni, etiam cadit in dubia: quippe quorum ut oblivisci, ita & recordari solemus. Præcipit itaque Concilium, ut quis omnia peccata confiteatur, quibûs se Deum mortaliter offendisse meminerit, eo modo, quo meminerit, certo, vel sub dubio. Ad textum priorem similiter respondeo cum P. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 4. num. 113. ibi non conscientiæ non sumi rigorosè, sed prout opponitur oblivioni, quod etiam conscientiæ dubiæ convenit. unde & peccata dubia dici possunt existere in conscientia, non ut certa, sed ut dubia. Sanè illorum omnium, quæ nos remordent, & angunt, ut etiam solent peccata dubia; dicimur habere conscientiam. nam aude cum veritate dicere, si potes, *nihil mihi conscius sum*, quando sentis remorsum peccati mortalis, sive certi, sive dubii. Denique nomina *conscientia* & *conscius* hic non importare determinatè certitudinem de existentia peccati mortalis, vel inde convincitur, quòd alioquin sequeretur, nullam quoque esse obligationem confitendi peccatum mortale, de quo quis habet judicium probabile, quòd commiserit, etiam dum careret omni motivo probabili, quòd illud non commiserit: cùm neque judicium probabile sit scientia. Si ergo Concilium eos solùm obligat ad confessionem peccati, qui de hoc certam habent scientiam, ut volunt Adversarii, non obligat eum, qui habet de illo judicium merè probabile. sed conseq. esse falsum nemo diffitebitur, ergo.

Ad secundum respondeo, discrimen 32
inter tribunal forense & sacramentale esse longum & latum. Nam in primis tribunal forense primo & per se constitutum, ut reus puniatur, qui delictum patravit: econtra tribunal Sacramentale est institutum, ut reus, si delictum fateatur, liberetur, & absolvatur, non autem, ut puniatur. unde hoc tribunal suapte institutione est reo exoptabile, & favorabile. Deinde certissimum est, eum, qui confitetur peccatum merè dubium, & nullum aliud, posse in tribu-

nali

nali Pœnitentiæ validè absolvi, si illud re ipsa commisit. ex quo manifestè conficitur, accusationem de delictis dubiis posse habere locum in tribunali sacramentali, esto non possit in tribunali forensi. Hinc plura discrimina sciens omitto, & in forma argumenti (si quam habet) dist. maj. tribunal Pœnitentiæ est analogum tribunali forensi, in aliquibus conc. in hoc determinato, quod modò versatur in controversia, neg. maj. &c. Sanè ex conditionibus tribunalis forensis hîc malè colligitur natura tribunalis sacramentalis: at benè ex voluntate & institutione Christi, qui illud sic potuit instituere, ut eidem subjicerentur etiam peccata mortalia dubia. atqui re ipsa sic instituisse probant nostra argumenta.

33 Ad tertium respondeo, ex dictis constare, Christum Sacramentum Pœnitentiæ instituisse non tantùm pro illis, qui certò nôrunt se lapsos, sed etiam pro illis, qui rationabiliter dubitant, num fuerint lapsi? atque adeo pro lapsis vel certò, vel sub dubio. In probat. conseq. nego suppositum, quod quisquam, qui dubitat, an sit lapsus? in foro Pœnitentiæ præsumatur esse actu lapsus. nam neque pœnitens debet dicere, se esse lapsum, sed solùm, se dubitare, num fuerit lapsus; neque Confessarius debet judicare, pœnitentem fuisse lapsum.

34 Ad quartum respondeo conc. Ant. neg. conseq. disparitas est, quòd sententia Judicii forensis sit condemnatoria, & non indultoria. unde iniqua est, quando infligit certam pœnam de crimine non convicto. Atqui sententia Confessarii imponentis pœnitentiam satisfactoriam, & absolventis est sententia indultoria, ac magnus Rei favor. Acquirit enim per eam pœnitentiam securitatem probabilem & remissionis culpæ, & pœnæ saltem partialis, quam securitatem priùs non habebat. Ex quibus patet ad reliqua.

35 Ad quintum respondeo, illa axiomata nec quicquam, & penitus extra rem objici. Nam in primis nego, hîc dubitantem esse in possessione. hæc quippe, ut satis ostendimus, stat pro lege & obligatione confitendi. Deinde in dubio peccati mortalis magis favetur reo, dum de illo obligatur se accusare, quàm dum non obligatur: quia hæc accusatio, & totum Judicium Pœnitentiæ in favorem Rei est institutum. Demum confitens non præsumitur malus: quia non tenetur peccata dubia confiteri ut certa.

36 Ad sextum respondeo ex Joan. de Cardenas in Crisi Theolog. p. 2. tr. 6. disp. 46. cap. 6. n. 303. stando in principiis directis, quæ militant in castris sententiæ communis, præceptum confitendi peccata dubia esse probabilissimè certum. Quòdsi discurramus ex principio reflexo, sive ex hypothesi probabilitatis sententiæ negativæ, fatendum est, dictum præceptum esse incertum. nam probabilitas unius extremi infert indispensabiliter incertitudinem alterius oppositi. verùm ea probabilitas solùm est speculativa, quæ non obstat, quominùs nostra sententia sit practicè certa. Sed jam restat, ut aliis quibusdam Objectionibus satisfaciamus.

37 Objicies autem primo. Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. ait, pœnitentes solùm teneri ea peccata confiteri, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerint: sed, qui dubitat dubio negativo, an Deum mortaliter offenderit? non meminit, se Deum offendisse; ergo mi. prob. quia, si ratione talis dubii meminisset, se Deum offendisse, tunc etiam vi talis dubii meminisset, se Deum non offendisse. nam hoc dubium non magis inclinat in offensam, quàm non offensam Dei mortalem. Sed fieri nequit, ut aliquis pro eodem tempore, & respectu ejusdem actûs meminerit, se Deum offendisse, & simul meminerit, se Deum non offendisse; ergo.

Confirmatur. Juxta idem Concil. ut aliquis obligetur ad confitendum, debet habere conscientiam peccati: sed dubitans negativè, an peccaverit? non habet conscientiam peccati; ergo mi. prob. tum, quia conscientia est judicium, seu dictamen practicum de objecto, quod non datur in dubitante negativè. tum, quia juxta S. Bernardum conscientia est quasi cordis scientia, quo nomine non venit conscientia dubia. Debent autem verba Concilii intelligi in sensu proprio, quando possunt, præsertim in materia odiosa, qualis est obligatio confitendi peccata dubia imponens novum onus pœnitentibus. atqui nomen conscientiæ in sensu proprio non convenit conscientiæ, quæ est in dubitante negativè, ergo.

Respondeo ad Object. conc. maj. neg. mi. ad prob. conc. maj. nego rursus mi. utrumque enim meminit sub dubio propter prudentia motiva utrumque suadentia. Et hoc fieri posse pro eodem tempore, & respectu ejusdem actus, patet in dubio positivo. nam potest quis opinari, se Deum offendisse, & simul opinari, se Deum non offendisse per eundem actum: ergo etiam potest hæc duo ita simul meminisse. Prob. conseq. quia, sicut motiva dubitandi fortè non magis inclinant in offensam, quàm non offensam, ita fit, ut motiva opinandi non magis inclinent in unam, quàm in alteram. Si ergo propter æquilibrium motivorum

vorum opinandi fieri possit, ut quis opinetur, se Deum offendisse, & simul opinetur, se Deum non offendisse; etiam fieri potest ex eodem capite, ut quis meminerit, se Deum offendisse, & simul meminerit, se Deum non offendisse. Adde, quòd alioqui sequeretur, peccata dubia, sive negativè, sive positivè sint talia, nullo modo esse materiam Confessionis etiam liberam & sufficientem. Ratio est; quia peccatum, cujus nullo modo memini, non est materia Confessionis, quamdiu non memini; ut patet in peccato, quod invincibiliter ignoro, quamdiu manet ignoratio. Atqui peccati dubii nullo modo meminissem: quia alioquin meminissem, me Deum offendisse, & simul meminissem, me Deum non offendisse: ergo peccatum dubium, sive positivè, sive negativè, non esset materia Confessionis etiam libera & sufficiens. Sed conseq. dici non potest; ergo. Neque hinc sequitur, si pœnitens tali modo meminisset, se offendisse & non offendisse Deum, ipsum fore obligatum, & non obligatum ad Confessionem. constituitur enim simpliciter obligatus & simul non obligatus: ut patet ex nostris argumentis.

38 In Confirmat. conc. maj. neg. mi. ad cujus geminam probat. dico, omnia, quæ ibi dicuntur, esse vera de conscientia certa & propriè dicta, de qua loquitur S. Bernardus, & non loquitur Trident. quippe sumpsit conscientiam impropriè, & prout opponitur oblivioni; ut dictum est in n. 31. Unde verba Concilii non debent accipi propriè. Neque verum est obligationem confitendi peccata dubia esse odiosam, rationem dedimus in n. 34. Demum, si confiteri hæc peccata sit aliquod onus, id tamen novum non est: cùm sententia nostra multis sæculis sit antiquior contrariâ.

39 Objicies secundo. Dubium negativum nulla nititur ratione; nec propriè dubium est, sed potiùs ignorantia: sed, qui ignorat se peccâsse, ad peccati confessionem obligari non potest; ergo. maj. præterquàm, quòd ex acceptione nominis pateat, prob. à pari: quia pro exemplo dubii negativi communiter affertur illa quæstio: *An sidera sint paria?* cujus rei supponitur in nobis ignorantia.

Respondeo, vel aliquod dubium negativum esse propriè dubium, vel nullum dari dubium propriè dictum. Patet. quia dubium positivum non est propriè dubium, vidimus in num. 18. præter illud autem nullum datur, nisi negativum. Hinc nego maj. intellectam de omni dubio negativo. Nam dubium negativum, quod est hujus loci, & prout sumi debet à tractantibus præsentem controversiam, est dubium morale, prudens, & rationabile. Quis enim non videat, quæri prorsus ineptè, an confitenda sint peccata negativè dubia dubio non prudenti, quod coincidat cum ignorantia invincibili, ut vult ista objectio, vel cum scrupulo, ut volunt alii? aut quis unquam, qui id affirmarit, inventus est? Ad probat. dico, illo communi exemplo solùm evinci, quòd non omne dubium negativum sit dubium propriè dictum, quod ultrò fatemur. Acceptio quoque nominis in sensu memorato solùm est usitata, dum loquimur de dubio non morali, seu metaphysico potiùs.

Objicies tertio. Libertas nostra ante peccatum dubium erat in certa possessione immunitatis ab hac obligatione confitendi, nec everti potest per superveniens dubium merè negativum, aliàs obligatio merè dubia posset imponere onus certum, nempe confessionem peccati dubii ut dubii: quod est contra communem docentem, eum, qui dubitat de existentia legis, aut obligationis, non teneri tali lege, aut stringi tali obligatione; sed libertatem esse in possessione, utpote omni ejusmodi dubio anteriorem. 40

Respondeo, libertatem nostram everti illa possessione in casu peccati negativè dubii dubio rationabili seu probabili per præceptum certum ita agendi pœnitentiam, ut formari possit prudens judicium de recuperata Dei amicitia, si fortè fuerit amissa; quod præceptum tum Authoritate Concilii Trid' tum rationibus nostris asserimus. Unde hic prævalere debet illa regula: *In dubio tutior pars est eligendæ.* quæ vel maximè urget in dubio practico, in quo nunc versamur. Atque hinc ad subjunctam causalem neg. suppositum; quia hactenus ostendimus, non libertatem, sed præceptum & obligationem confitendi peccata dubia esse in possessione. adeoque hic non obligatio dubia, sed certa imponit onus certum.

Dices. Ejusmodi pœnitens est saltem in possessione suæ innocentiæ: ergo non tenetur se reputare nocentem: ergo non tenetur confiteri. Consequentiæ patent. Ant. prob. nam ante exortum dubii de peccato commisso erat innocens, & motiva incerta, quæ suadent, esse nocentem, motivis suadentibus esse innocentem non prævalent, ut ostendant, esse nocentem; & consequenter non evertunt illum possessione innocentiæ. 41

Respondeo transm. Ant. & conc. prima neg. secundam conseq. Ratio est: quia præceptum reconciliandi se cum Deo, per quod evertitur possessio libertatis, præponderat possessioni innocentiæ. Simile quid accidit in dubio perpetrati homicidii, ubi Sacer-

ubi Sacerdos de hoc dubitans juxta cap. *Ad audientiam* & cap. *Significâsti* 2. *de homicid.* tenetur se gerere tanquam irregularem, idque propter reverentiam SS. Ordinum & ministerii Altaris, quamvis sit in possessione innocentiæ: quia nempe præceptum ita se gerendi, quo evertitur possessio libertatis, præponderare debet possessioni iñocentiæ. Cæterùm ejusmodi pœnitens non debet asserere, se esse nocentem, & *peccatum mortale esse* (ait D. Thomas in supplem. q. 6. a. 5.) *Sed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram & lepram.*

§. IV.

Corollaria ex dictis.

SUMMARIUM.

42. *Certus, quòd peccaverit mortaliter, dubitans autem, an illud fuerit confessus? tenetur confiteri.* 43. *Peccata dubia explicanda sunt ut dubia.* 44. *Confessus peccatum mortale ut dubium, si postea comperiat esse certum, tenetur id rursus confiteri.* 45. 46. *Solvitur duplex Objectio.* 47. *Confessus peccatum certum ut certum, de quo dubitabat, an esset mortale? non tenetur id rursus confiteri, licèt postea comperiat fuisse mortale.* 48. *Quid agendum Confessario, si pœnitens confiteatur mera peccata dubia?* 49. *Non est idem dicere: obligatio confitendi peccatum dubium est dubia? & dicere peccatum est dubium.*

42 Corollarium I. Qui certus est, quòd peccaverit mortaliter, dubitat autem dubio negativo rationabili, an illud fuerit confessus? obligatur ad confitendum. Ita Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. n. 71. Salmantic. tract. 6. de Pœnit. cap. 8. pu. 3. n. 34. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 3. n. 3. & alii communiter. Ratio est: quia tunc præceptum confitendi est in certa possessione obligationis, qua nequit spoliari per adimpletionem sui negativè dubiam. Aliter tamen se gerere hîc debent scrupulosi, qui continuò eadem peccata in confessione repetunt. Nam eo ipso, quòd scrupulosi sint, moraliter certum est, peccata, quæ certò existimant, à se non esse confessa, esse confessa. quia tales ita sunt comparati, ut certò confessa vertant in dubiè confessa ex illo inani fundamento: *Fortè non fum confessus.* Pettschacher de Pœnit. q. 3. a. 1. §. 1. Ex quibus patet ejusmodi dubia scrupulosorum nunquam esse rationabilia.

Corollarium II. Peccata dubia in Con-
43 fessione explicanda sunt ut dubia, non ut certa. Ita D. Thomas loco cit. in præced. §. n. 4. Sanchez n. 68. Salmantic. n. 47. Mezger n. 9. Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 24. estque receptissima omnium sententia. Ratio est: quia peccata eo modo sunt explicanda in Confessione, quo sunt in conscientia: sed peccata dubia in conscientia sunt tantùm ut dubia; ergo tantùm ut dubia sunt explicanda. Adde, quòd alioquin pœnitens, si ea confiteretur ut certa, mentiretur in re gravi; adeoque Sacramentum redderet invalidum. Notat tamen cum aliis Sanchez, pœnitentem sæpe tunc excusari à peccato, eò quòd bona fide, & quadam simplicitate ductus existimet, esse consultius in Confessione se gravare quàm exonerare.

Corollarium III. Qui bona fide con- 44
fessus est peccatum mortale ut dubium, si postea deprehendat, esse certum, tenetur illud iterum confiteri. Ita communis sententia. Ratio primùm dicta est; quia peccata juxta Concil. Trid. sunt exponenda in Confessione, prout sunt in conscientia: sed peccatum, de quo loquimur, nunc est in conscientia ut certum, sub qua ratione priùs non fuit subjectum clavibus, sed solùm ut dubium. ergo est subjiciendum clavibus ut certum. Confirmatur. Qui lethali morbo oppressus non potest in particulari speciem & numerum suorum peccatorum explicare, sed tantùm in communi se accusat dicendo, se mortaliter peccâsse, vel peccatorem esse, is obligatur, si deinde convalescat, ad distinctè explicandam speciem & numerum peccatorum. Similiter, qui in Confessione dicit, se peccâsse cum aliqua, nescire tamen, an soluta fuerit, vel ligata, tenetur in alia Confessione explicare circumstantiam hujus personæ, si eam postea certò cognoscit. Rursus. Qui unum, aut plura peccata confessus est sub conditione, *si illa commisi*, tenetur ea denuò confiteri, si postea certò cognoscit, se revera illa commisisse. Ergo pariter, qui comperit peccatum esse certum, quod priùs confessus est ut dubium, tenetur id rursus confiteri ut certum. Sed

Objicies primo. Nemo tenetur con- 45
fiteri amplius peccata, à quibus jam semel fuit directè absolutus: sed is, qui in nostro casu confessus est sub dubio peccatum dubium, ab eo jam fuit directè absolutus; cùm Confessarius absolverit subintellecta hac implicita conditione, *si peccatum revera commisisti*: ergo respondeo, maj. non esse veram universaliter colligi ex instantiis in Confirmat. primùm adductis. Deinde certum est, Christum instituendo Sacramentum Pœnitentiæ potuisse velle, ut ejus tribunali omnia peccata mortalia subjicerentur, prout hîc & nunc essent in conscientia, tametsi quis priùs ab iisdem esset

directè absolutus. Atqui Christum ita voluisse colligitur ex communi praxi, & consensu Doctorum. Vid. Mezger ubi suprà num. 12. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 5. num. 117. Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 24.

46 Objicies secundo. Qui dicit in Confessione, se pejerâsse decies, plus minusve: postea vero certò deprehendit, se duodecies pejerâsse, non tenetur eum numerum perjuriorum ita certò deprehensum denuo confiteri tanquam certum; licèt eundem in priori Confessione expresserit solùm ut dubium; veluti tenent communiter DD. Ergo nec aliud peccatum sub dubio in Confessione expositum post certam ejus notitiam, repetendum erit ut certum in alia Confessione. Hoc argumentum, quod multis urget Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 2. §. 4. visum est aliquibus adeò forte, ut eos à nostra sententia in contrariam abduceret. Mihi, omissis aliorum solutionibus, valde placet ea, qua utitur Illsung a. cit. n. 116. ubi docet, sensum hujus propositionis; *Pejeravi decies circiter, seu plus vel minus*, esse istum; *Judico, & assero, me pejerâsse vel decies, vel novies, vel duodecies*, ita ut numerus perjuriorum involutus in particulis *circiter, plus vel minùs* exprimatur assertivè sub dubio positivo, idque disjunctivè. Peccatum autem, seu numerum peccatorum, quem aliquis sub dubio positivo semel confessus est, non tenetur iterum confiteri, tametsi certam illius acquisiverit notitiam. Ex quibus ad Argumentum respondeo, pœnitentem in casu Antec. expressisse quidem numerum perjuriorum solùm ut dubium, sed expressisse assertivè ut dubium dubio positivô, & non ut dubium dubio negativo; ut supponit Argumentum. Neque obstat etiam communis sententia DD. cujus ibi fit mentio, pœnitentem liberantium ab obligatione repetendi Confessionem peccati aut numeri peccatorum sub dubio semel expressi; quia intelligendi sunt in casu expressionis assertivæ sub dubio positivo. Unde neg. conseq.

47 Corollarium IV. Qui confessus est peccatum certum ut certum, de quo tamen dubitabat, essetne mortale, vel veniale? non tenetur id rursus confiteri, licèt postea compererit fuisse mortale. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 10. n. 69. Rassler loco cit. Ratio est: quia talis & reverà jam integrè confessus est suum peccatum, & nulla nova circumstantia explicanda occurrit. Sed neque ad valorem Sacramenti necessarium est ex institutione Christi, ut pœnitens, aut Confessarius certò cognoscat, peccatum, quod in Confessione detegitur, esse mortale; cùm id in omni casu scire sit impossibile. Atque hinc, si Confessarius quoque fuisset in ejusmodi dubio; idque pœnitens advertisset, non deberet hic propterea Confessionem repetere, nisi fortè datâ operâ accessisset Confessarium indoctum, ac nescientem discernere inter lepram & lepram.

48 Corollarium V. Siquis in Confessione afferat sola peccata dubia, monendus est, ut addat aliquod certum, saltem veniale, etiam ex præteritis Confessionibus, si nullum occurrat memoriæ commissum post ultimam. Sanchez n. 70. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 3. n. 5. Salmantic. tract. 6. de Pœnit. cap. 4. pu. 3. n. 24. Tambur. lib. 2. Methodi Confess. cap. 1. §. 3. n. 18. Reding to. 7. q. 6. a. 1. controv. 3. n. 18. & alii communiter. Ratio est: quia non decet absque rationabili causa Sacramentalem Absolutionem, etiam conditionatam (qualem in hoc casu impertiretur Confessarius) exponere periculo frustrationis, si fortè peccata illa reverà non sint commissa. Quòdsi nullum haberi possit ex pœnitente certum peccatum, prudentis Confessarii erit attendere tum ad peccati dubii gravitatem, tum personæ periculum, aliasque circumstantias, & ex illis conjicere, num expediat, pœnitentem absolvere conditionatè. Si omnibus pensatis ita judicaverit, licitè absolvit: sin minùs, absolutione supersedere debet. Atque hinc dixi in ratione Corollarii, *absque rationabili causa*. Vid. Laym. Tambur. locis citt. Salmantic. n. 25.

49 Corollarium VI. Aliud est, obligationem confitendi peccatum dubium esse dubiam, & aliud peccatum esse dubium. Nam obligatio ejusmodi peccatum confitendi ut dubium est practicè certa. Atque hinc, si ita argumenteris: Petrus dubitat, an peccaverit mortaliter: ergo dubitat, an teneatur confiteri, ejusmodi peccatum dubium? conc. Ant. neg. conseq. & infertur oppositum: ergo certus est, id peccatum dubium ut dubium esse confitendum. Petischacher de Pœnit. q. 3. a. 1. §. 1.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

NUnc de singulis hujus Sacramenti partibus distinctè & speciatim agemus. Initium sumimus à Forma, ubi sequentia occurrunt expedienda. Primum, in quibus verbis essentialiter consistat Forma Absolutionis? Secundum, qualem verba Absolutionis habeant sensum? Tertium, an Absolutio ferri possit in absentem?

ARTICULUS I.

In quibus verbis essentialiter consistat Forma Absolutionis?

SUMMARIUM.

1. *Separatur certum ab incerto.* 2. 3. 4. *Statuitur, & probatur, in solis his verbis*: Absolvo te *consistere essentialiter formam Absolutionis.* 5. *Qua ratione ea verba determinentur ad significandam absolutionem à peccatis.* 6. *Pronomen* Ego *non est de essentia formæ Absolutionis.* 7. *Sicuti nec particulæ* à peccatis tuis. 8. *Et multò minùs particula* omnibus, *quam aliqui addunt.* 9. *Etiam illa*: In Nomine Patris &c. *non sunt essentialia.* 10. *Invalida est Absolutio deprecatoriè prolata.* 11. *Sicut & illa, cui additur conditio de futuro.*

1 SUpponitur tanquam certum, neque hæc verba antecedentia: *misereatur tui &c. Dominus Jesus Christus te absolvat &c.* neque subsequentia: *Passio Domini nostri Jesu Christi &c.* esse necessaria vel essentialia, tametsi illa addere sit laudabile & consuetudine receptum. Difficultas est igitur de istis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ubi non omnes Theologi conveniunt, sicut in Illationibus videbitur. Ut amplectar sententiam communiorem & probabiliorem,

2 Dico. Hæc sola verba: *Absolvo te*, sunt tota essentia Formæ Sacramenti Pœnitentiæ. Ita D. Thomas 3. p. q. 84. a. 3. Probatur primo Authoritate Concil. Florent. in decreto Union. ubi agens de forma hujus Sacramenti solùm ponit expressè hæc verba: *Ego te absolvo.* quodjidem facit Trident. sess. 14. cap. 3. adeoque insinuant, hæc sola verba esse de essentia formæ. Hoc ipsum videre est etiam in Catechismo Pii V. *de Sacram. Pœnit.* ubi dicitur, formam illius esse *Ego te absolvo.*

Neque dicas, Concilia illis verbis *Ego te absolvo*, subjunxisse Jy *&c.* ut nempe indicarent, etiam subsequentia verba esse de valore formæ. Nam inprimis ex hoc ipso modo loquendi Conciliorum confirmari potest nostra sententia. Si enim censuissent, adhuc alia verba esse de essentia, illa expressissent non minùs, quàm in Baptismo, ubi nullum verbum essentiale, etiam brevitatis causâ, subticuerunt, etiamsi ejus forma sit prolixior. Deinde illas particulas ideo addiderunt, ut vel ostenderent, se nolle definire id, quod de particulis *à peccatis tuis* adhuc esset controversum inter Theologos; vel, ut innuerent, verba subsequentia pertinere non quidem ad essentiam, sed tamen ad quandam integritatem formæ, eaque adjicere esse necessarium necessitate præcepti saltem, vel ob morem usitatum. Vid. Bonac. de Pœnit. q. 4. pu. 1. n. 1. Mezger tract. 18. disp. 53. a. 1. n. 2.

Prob. Concl. secundo etiam ratione. 4
In illis præcisè verbis consistit essentia formæ hujus Sacramenti, quæ sola sufficienter & adæquatè significant effectum primarium illius: sed hæc sola verba, *Absolvo te*, sufficienter & adæquatè significant effectum primarium hujus Sacramenti, scilicet remissionem peccatorum; ergo in his præcisè verbis consistit essentia formæ. maj. supponitur tanquam certa, & constat exemplis formarum Baptismi v. g. & Confirmationis. mi. ostenditur. quia hæc verba Orationis Dominicæ, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, licèt non addamus, quidnam dimittamus, sufficienter significant, nos dimittere debita. Similiter ista Joan. 11. *Solvite eum, & finite abire*, sufficienter adæquatè significabant solutionem Lazari à vinculis, quibûs erat ligatus. Denique, quando is, qui passus est offensam, dicit, *remitto*, vel *condono tibi*, sufficienter & completè significat, se remittere offen-

sam, & in gratiam redire, licèt aliud nihil addat: ergo etiam hæc verba: *remitto, condono tibi*, vel *absolvo te* (quæ pro eodem accipiuntur) à Sacerdote nomine Dei offensi prolata sufficienter & adæquatè significant remissionem peccati & offensæ in Deum admissæ.

5 Objicies. Hæc verba. *Absolvo te*, ex se sunt indifferentia ad significandam absolutionem vel à censura, vel à peccatis: ergo ipsa sola non sunt tota essentia formæ, sed oportet aliquid addere. Respondeo, esse quidem ex se dicto modo indifferentia, sufficientissimè tamen determinati ad significandam absolutionem à peccatis ex subjecta materia & adjunctis circumstantiis, quòd nempe à Sacerdote proferantur tali loco, talique tempore, dum quis modò sua peccata fuit ipsi confessus, petitque absolvi ab iisdem.

Dices. Hinc sequitur, particulam *te* non esse de essentia formæ. quia sicut verbum *absolvo* ex confessione ceu subjecta materia, & ex adjunctis circumstantiis sufficienter intelligitur determinari ad significandam absolutionem à peccatis, ita etiam ex præsentia personæ confitentis sufficienter intelligitur determinari ad significandam eandem personam. Respondeo neg. seq. ad probat. disparitas redditur primo ex eo, quòd in judiciis humanis ità usus & consuetudo obtineat, ut persona, de qua fertur sententia, explicitè significetur; consequenter sic exprimi debet etiam in judicio Sacramentali, quod Christus instituit ad modum judicii humani & externi. Redditur secundo ex eo, quòd ex Conciliis citatis sufficienter colligamus, Christum velle, ut in hoc Sacramento persona illud recipiens non tantùm per circumstantias & adjuncta, sed per vocabulum ad eam significandam institutum denotetur.

Instabis. Si reus in judicio humano rogaret Judicem dicens, *absolve me*, & Judex responderet, *absolvo*, omnes hunc talem reum haberent pro absoluto, licèt illius persona non exprimeretur: ergo similiter in judicio Sacramentali habendus esset pro absoluto ille reus, ad quem Sacerdos ita diceret. cùm hoc judicium sit institutum per modum judicii humani, ut diximus. Respondeo neg. conseq. licèt enim istud judicium sit institutum per modum judicii humani, non tamen in omnibus æqualiter se habet; sicut in disp. proximè præced. a. 2. n. 32. advertimus. Aliàs pœnitens etiam habendus esset pro absoluto, si Sacerdotem interrogaret, *visne, ut sim absolutus*? & ille responderet, *volo*. nam reus in judicio humano, si Judex ita responderet, haberetur pro absoluto.

Infertur jam primo, pronomen *Ego* non 6
esse de essentia Formæ absolutionis. Ratio est: quia in esse significantis nihil addit verbo *absolvo*, sed in illo includitur, & sufficienter subintelligitur, etiamsi non exprimatur formaliter. Unde licet expresè ponatur à Conciliis citt. non tamen dici potest esse de essentia ut expressum in se, sed solùm prout contentum in verbo *absolvo*. Cæterùm sine peccato veniali eandem particulam omitti non posse à Confessario, docet cum aliis Reding to. 7. q. 5. a. 3. controv. 1. n. 7.

Infertur secundo contra Paludanum, 7
Majorem, Petrum Soto, & alios, etiam has particulas, *à peccatis tuis*, ut expressas, non esse de essentia formæ. Ratio est: quia illa verba *absolvo te*, supposita confessione, sufficienter significant, pœnitenti conferri absolutionem à peccatis. Eædem tamen particulæ non possunt omitti sine gravi peccato, idque ob usum & grave præceptum Ecclesiæ: quia nempe illis omissis, propter sententiæ oppositæ probabilitatem Sacramentum periculo invaliditatis exponeretur. Vid Mezger ubi suprà n. 8. Oberascher de Pœnit. cap. 2. §. 4. pag. 61.

Infertur tertio contra Gabrielem, multò 8
minùs necessariam esse particulam *omnibus*, quam addunt nonnulli Confessarii dicentes, *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Ratio est: tum, quia modus loquendi indefinitus æquivalet universali, quantùm tunc expedit, scilicet quantùm ad omnia peccata tunc absolutionis & remissionis capacia. ad quid ergo opus addere particulam universalitatis? tum, quia eadem particula propter suam amplitudinem se extendit etiam ad venialia, à quibus tamen omnibus non semper absolvit Sacerdos; cùm de multis sæpe venialibus non doleat pœnitens. Deinde, si restringatur ad mortalia, superflua est; quia non potest quis absolvi ab uno peccato mortali, quin absolvatur ab omnibus; sicut aliunde supponitur. Imò si quis confiteatur cùm mortalibus venialia, non habet significationem satis amplam. Inconvenienter proinde adjungitur hæc particula. atque hinc ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, sicut etiam ex Salisburgensi, expuncta est. Vid. Mezger n. 9. Pettschacher de Pœnit. q. 4. §. 1. Oberascher loco cit. qui etiam meritò reprehendit eos Confessarios, qui contra communem praxim Ecclesiæ post ly *à peccatis tuis* subjungunt, *contritis & confessis*.

Infertur quarto contra Gersonem, 9
Durandum & alios, neque illa *In Nomine Patris & Filii &c.* esse de valore formæ Absolutionis. Ratio est: quia nullum habetur sufficiens fundamentum id asserendi. Certè Christus in institutione hujus Sacramenti nullam fecit mentionem Sanctiss. Trinitatis,

nitatis, & aliunde ante prolationem horum verborum habetur adæquata & completa significatio Sacramenti. Vid. Salmantic. tract. 6. cap. 3. pu. 1. n. 3. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 4. pu. 1. n. 2. Mezger n. 5. In praxi tamen hanc invocationem Sanctiss. Trinitatis sine justa causa omittere veniale saltem peccatum esse rectè docent Bonac. loco cit. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 5. n. 3. & alii. Ratio est: quia hæc talis omissio repugnat universali consuetudini Ecclesiæ.

10 Quæstio hîc occurrit, an valeat absolutio deprecatoriè prolata? ut, si Sacerdos dicat: *Absolvat te Deus*? Affirmârunt quidam veteres, imò etiam unus & alter ex Theologis nostrorum temporum. Sed respondetur negative cum D. Thoma Opusc. 22. & omnibus reliquis Theologis. Ratio est: tum, quia Absolutio in hoc Judicio Sacramentali se habet tanquam sententia Judicis; quæ non solet proferri deprecatoriè, sed authoritativè. tum, quia Christus Joan. 20. non dixit, peccata, pro quorum remissione oraveritis, remittentur, sed dixit, peccata, quæ remiseritis, remissa erunt, ut nempe significaret, munus Sacerdotis in hoc Sacramento esse non præcisè petere veniam peccatorum, sed illa authoritativè remittere. tum, quia, si verba deprecatoria in forma hujus Sacramenti sufficerent, fieri posset, ut quis esset absolutus ante prolata hæc verba, *Ego te absolvo*, nempe beneficiô illorum præcedentium, *misereatur tui, &c. Dominus Jesus Christus te absolvat &c.* quia jam tunc Sacerdos fundit preces pro impertienda pœnitenti remissione peccatorum. Neque obstat exemplum de forma Extremæ Unctionis, quam constat esse deprecatoriam. nam disparitas est, quod Christus cum ejusmodi formâ instituerit Extremam Unctionem, non verò Sacramentum Pœnitentiæ. hoc enim instituit per modum judicii, in quo sententia proferri debet authoritativè, adeoque non deprecatoriè, Sententia autem in præsenti est forma Absolutionis. Vid. Card. de Lugo disp. 13. de Pœnit. sect. 4. Salmantic. cap. cit. pu. 2. n. 17. Gonet to. 5. disp. 12. a. 2. Mezger n. 12.

Cæterùm an, & quomodo sit valida 11
Absolutio, cui additur aliqua conditio, peti debet ex dictis de Sacram. in com. disp. 2. a. 3. Certum est, esse nullam, si detur sub conditione de futuro, v. g. *Si restitueris, sive emendaveris.* Ratio est: quia Sacramentum, quod oportet esse signum practicum, & efficaciter operativum, non potest suum effectum suspendere producendum tempore, quo ipsum non existit. Nihilominùs ex rationabili causa potest Absolutioni addi conditio de præsenti: quando videlicet dubium est de dispositione pœnitentis, v. g. pueri. tunc enim Sacerdos potest (& fortè etiam tenetur) absolvere sub hac conditone: *Si habes sufficientem dolorem de peccatis, ego te absolvo &c.*

ARTICULUS II.

Qualem sensum habeant verba Absolutionis?

SUMMARIUM.

1. *Proponitur ratio difficultatis.* 2. *Statuitur & ratione asseritur legitimus sensus verborum Absolutionis,* 3. *Confirmatio ex forma Baptismi petita.* 4. 5. *Solvitur duplex Objectio,* 6. *Cur Sacramentum Matrimonii non sit iterabile circa eadem corpora, sit autem iterabile Sacramentum Pœnitentiæ circa eadem peccata?*

1 SÆpe contingit, ut is, quem verè pœnitet peccatorum, eaque ritè confitetur, per Sacramentalem absolutionem non obtineat actualem remissionem eorumdem, quoties nimirum ante absolutionem peccata mortalia vel venialia ipsi fuerunt remissa vi contritionis perfectæ priùs elicitæ: vel quoties iterum confitetur peccata, quorum jam semel per legitimam absolutionem consecutus est actualem remissionem. Ex quo proinde videtur colligi, quòd verba absolutionis non semper efficiant, quod significant. hoc autem est contra naturam Sacramentorum, quæ, cùm sint signa practica & efficacia, semper utique debent efficere, quod significant, nullo posito obice. Quare difficultas est, quomodo pro memorato casu salvare oporteat sensum & veritatem dictorum verborum? Omissis variis aliorum expositionibus, quæ videri possunt apud Scholasticos,

Dico. Forma Absolutionis Sacramen- 2
talis habet hunc sensum. *Ego tibi hac judiciali sententia, quantum est ex me, confero gratiam per se remissivam peccatorum à te commissorum.* Ita communiùs Theologi, præsertim Thomistæ. Et colligitur ex D. Thoma, 3. p. q. 84. a. 3. ad 5. Ratio est: quia verba Absolutionis in hunc sensum exposita verè significant & efficiunt primarium effectum Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet remissionem peccatorum post Baptismum

ſmum commiſſorum, quæ remiſſio non debet eſſe ſemper actualis, ita ut vi illius ſemper tollatur actu peccatum; ſed ſatis eſt, ſi ſit radicalis, contenta videlicet in virtute gratiæ ſanctificantis, quæ per ſe, & quantum eſt ex parte ſua ſit remiſſiva peccati, quamvis per accidens hîc & nunc non tribuat actualiter hanc remiſſionem.

3 Confirmatur exemplô formæ Baptiſmi, quæ eſt, *Ego te baptizo &c.* & in ſubjecto per contritionem jam priùs juſtificato verificatur per hunc ſenſum: *Confero tibi gratiam de ſe regenerativam*, licet tunc actu non regeneret: ergo per ſimilem quoque ſenſum rectè ſalvatur veritas formæ in Sacramento Pœnitentiæ. Itaque verba abſolutionis ſemper efficiunt, quod ſignificant, ſignificant enim remiſſionem peccatorum non neceſſariò formalem & actualem, ſed radicalem quoque. hanc autem ſemper efficiunt, quando illam non etiam efficiunt. Atque hinc ſufficienter ſoluta eſt ratio difficultatis n. 1. propoſitæ.

4 Objicies primo. Ad illum, qui jam ſolutus eſt à vinculis corporeis, non poteſt alius poſtea dicere cum veritate: *Ego te ſolvo à vinculis*: ergo nec vera erit forma abſolutionis Sacramentalis, dum profertur ſuper illum, qui confitetur peccata jam priùs remiſſa. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd in Anteced. illa verba non ſignificent & conferant aliquid reipſa, vi cujus, quantum eſt ex ſe, ſolvi quis poſſit ac debeat, ſed ſignificent immediatè ac determinatè actualem tantùm ſolutionem. atqui verba abſolutionis noſtræ ſpiritualis ex inſtitutione Chriſti ſignificant & conferunt gratiam, quantùm de ſe eſt, remiſſivam peccati, ſiquod in ſubjecto reperiatur; adeoque non determinatè actualem tantùm & exercitam remiſſionem, ſeu ſolutionem à peccatis.

5 Objicies ſecundo. Ex noſtra ſententia ſequitur, poſſe hoc Sacramentum validè ac licitè adminiſtrari, ex intentione etiam abſoluta, confitenti peccata merè dubia, vel exiſtimata: quia tunc quoque verificatur forma, nempe quòd Sacerdos conferat, quantùm eſt ex ſua parte, conferat gratiam ex ſe remiſſivam talium peccatorum, licet per accidens, ſi re ipſa commiſſa non ſint, non remittantur. Reſpondeo neg. ſeq. unà cum addita probatione. quia materia ſufficiens ad hoc Sacramentum ex intentione abſoluta adminiſtrandum ſunt ſola peccata certò commiſſa. Unde verba abſolutionis, ſi abſolutè proferrentur ſuprà peccata merè dubia, affirmarent, quantum eſt ex vi Sacramenti, conferri gratiam remiſſivam peccatorum certò commiſſorum; cùm tamen nullum ejusmodi peccatum remittendum tunc ſupponatur. Vid. Oberaſcher de Pœnit. cap. 2. §. 5.

6 Ex dictis infertur etiam diſparitas, cur Sacramentum Matrimonii validè contracti nequeat iterari circa eosdem contrahentes per novum conſenſum ſuper eadem corpora; poſſit autem iterari Sacramentum Pœnitentiæ per novam confeſſionem & abſolutionem ſuper eadem peccata. Ratio nempe diſcriminis eſt: quia materia proxima Pœnitentiæ ſuapte natura eſt iterabilis; dolor enim & confeſſio circa idem peccatum repeti poteſt non toties, quin pluries, at verò materia proxima Matrimonii, cùm ſit traditio mutua corporum per modum introductionis & inceptionis mutui juris, non eſt iterabilis: ſicuti nec Profeſſio Religioſa eſt iterabilis: quia ſimiliter eſt traditio actualis & quædam inceptio ſtatus Religioſi: ejusdem verò rei una tantùm, & non plures dari poſſunt inceptiones. Vid. Gonet. to. 5. diſp. 12. a. 3. n. 45.

ARTICULUS III.

An Abſolutio Sacramentalis impertiri poſſit abſenti?

SUMMARIUM.

1. Sententia affirmans aliquando reputabatur probabilis. 2. Statuitur ſententia negans, & probatur tum ex declarat. Clement. VIII. tum ex continua praxi Eccleſiæ. 3. 4. Solvitur duplex Objectio. 5. Declaratio Clementis VIII. intelligenda eſt in ſenſu disjunctivo. 6. Corollarium.

1 CHriſtum ita potuiſſe inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, ut valeret abſolutio impertita abſenti, dubium non eſt: quia in conceptu Judicii non importatur eſſentialiter præſentia inter Reum & Judicem, ſed etiam in abſentem ferri poteſt ſententia; prout fieri in judiciis humanis experimur. Verùm nos hîc inquirimus, quid de facto Chriſtus inſtituerit? Et quidem ante Pontificatum Clementis VIII. ſententia affirmans valere ejusmodi abſolutionem habebatur pro probabili, eamque docebant Multi Antiquiores, quos etiam Recentoriores nonnulli ſecuti ſunt. Sed hodie contraria omnino certa eſt.

Dico

Dico ptoindè. Non tantùm illicitè, sed etiam invalidè pœnitenti absenti impertitur Absolutio, Desumitur præcipuè ex decreto Clementis VIII. anno 1602, edito, in quo ut falsa, temeraria, & scandalosa damnatur propositio asserens, *licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab absente absolutionem accipere.* Ubi etiam prohibetur, ne eadem propositio in ullo unquam casu tanquam probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur. Unde sic licet arguere. Si absolutio Sacramentalis validè impertiri posset absenti, posset in aliquo saltem casu etiam licitè impertiri: quia Ecclesia nunquam prohibet fieri aliquid in casu necessitatis, quod est homini necessarium ad salutem, qualiter tunc necessaria esse posset absenti absolutio à peccatis. Atqui in cit. decreto dicitur, in nullo unquam casu absolutionem impertiri posse absenti; ergo non potest impertiri validè. Cæterùm alia ratio melior staturæ Concl. reddi non potest, quàm quòd continuus usus & praxis Ecclesiæ declaret, Christum hoc Sacramentum sic instituisse, ut nulli, nisi præsenti administraretur. Vid. Card. de Lugo disp. 13. de Pœnit. sect. 6. à n. 140. Salmantic. tract. 6. cap. 3. pu. 4. Reding to. 7. q. 5. a. 3. controv. 3. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 3. Gonet to. 5. disp. 12. §. 2.

2 quo illa signa contritionis absente Sacerdote ostensa quasi moraliter continuantur usque ad ejus adventum, in quantum videlicet per circumstantes tanquam interpretes manifestatur dispositio moribundi & desiderium absolutionis: tunc autem confessio, in quantum est valida in ordine ab absolutionem, reverà non censetur fieri absenti Sacerdoti, sed præsenti. neque enim pœnitens absolvitur propter illa signa quatenùs absente Sacerdote edita, sed quatenùs moraliter continuata usque ad illius adventum, & ex revelatione circumstantium veluti quorumdam interpretum cognita. Et ratio solutionis est, quia juxta declarationem ejusdem Pontificis n. 2. adductam in nullo unquam casu licitum aut validum est confiteri absenti.

3 Objicies primo. Dari potest absolutio per hæc verba: *Absolvo Petrum*; vel: *Absolvatur Petrus.* Sed hæc talis absolutio non exigit præsentiam Petri, qui absolvitur; ergo. Respondeo dist. mi. non exigit præsentiam Petri, quatenùs præcisè significat ex institutione & acceptione humana, conc. quatenùs significat ex institutione Christi, neg. Nam neque hæc forma, *Absolvo te*, attenta præcisè institutione humana exigit præsentiam personæ, quæ absolvitur; cùm exprimi possit scriptô, vel in epistola; exigit tamen ex institutione Christi.

4 Objicies secundo. In casu necessitatis valet confessio facta Sacerdoti absenti: ergo etiam valebit tunc Absolutio impertita absenti. Ant. prob. ex alla quadam declaratione Clement. VIII. ubi interrogatus, an moribundus, qui ante adventum Sacerdotis signa contritionis ostendit, si deinde obmutescat, à Sacerdote postea supervenienti absolvi debeat? respondit, debere absolvi. Respondeo neg. Ant. ad probat. dico, Pontificem intelligendum esse in casu,

Neque juvat, si respondeas, illam de- 5
clarationem esse tantùm intelligendam in sensu copulativo, hoc est, quòd non liceat & valeat absenti confiteri, & ab absente absolvi; non autem in sensu disjunctivo, quasi non valeat absenti Sacerdoti per litteras vel internuntium confiteri, & deinde à præsente absolvi. Nam contra est, quòd hanc ipsam suæ declarationis interpretationem reprobaverit Clemens VIII. ut referunt Gonet, Reding & alii: adeoque judicaverit, & confessionem & absolutionem inter præsentes fieri debere. Deinde, si tantùm intelligeretur in sensu copulativo, & salvo disjunctivo, vi ejusdem declarationis æquè dici posset, quòd Sacerdos validè absolvat pœnitentem absentem, quàm quòd pœnitens validè confiteatur Sacerdoti absenti, quia non magis sermo esset de una parte disjunctionis quàm de altera.

Corollarium. Valida fotet, licèt ex- 6
tra casum necessitatis illicita, confessio illius, qui sua peccata in scripto transmisisset, ac postea Sacerdoti præsenti affirmaret, se de omnibus iis, quæ scripsisset, dolere, seque accusare. Ratio est: quia tunc confessio reverà fieret præsenti, in quantum pœnitens præsente Sacerdote clavibus subjiceret omnia peccata notitiæ & memoriæ ipsius antea absentis commissa. Dixi tamen, *extra casum necessitatis* fore illicitam, quia confessionem ordinariè faciendam esse oretenùs & vocaliter, satis ostendit communis praxis Ecclesiæ, quam sine gravi causâ non observare in usu Sacramentorum grave peccatum est. Vid. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 4. pu. 5. n. 2. & pu. 6. num. 1. Sporer de Sacram. p. 3. cap. 5. n. 609. Mezger a. cit. n. 4. & 5.

DISPUTATIO IV.

De Actu Contritionis.

COntritio in rebus corporeis est rei cujusdam solidæ ac duræ in exilissimas partes comminutio & confractio. Hinc ductâ ad res spirituales metaphorâ actus Pœnitentiæ, de quo nunc agemus, *Contritio* nominatur, eò quòd cor peccatoris peccatis induratum emolliendo veluti scindat, sicque quodammodo frangat & comminuat, conformiter ad illud, quod dicit Joël cap. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* In proximo Artic. de Contritione in genere, in aliis deinde de speciebus ejusdem nobis erit negotium.

ARTICULUS I.

De Contritione in genere.

§. I.

In quonam actu formaliter consistat Contritio?

SUMMARIUM.

1. Definitio Contritionis generatim acceptæ. 2. Ejus divisio in perfectam & imperfectam. 3. Tria capita motivorum, propter quæ detestari solemus peccata. 4. Essentia Contritionis neque consistit in proposito, 5. neque in detestatione & dolore simul, 6. neque in detestatione sola, 7. Sed in solo dolore de peccatis. 8. Odium seu detestatio per se primo opponitur peccato sub ratione malitiæ, non autem sub ratione offensæ. 9. Duplex Corollarium.

1 COntritionem generatim acceptam, ut est dolor de peccato sub quocunque motivo supernaturali, definit Concilium Trident. sess. 14. *de Pœnitentia*, cap. 4. quòd sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Dicitur primo; *animi dolor*, ut significetur, dolorem illum, qui ex vehementiori animi afflictione in parte quoque sensitiva oritur, non pertinere ad essentiam Contritionis. Dicitur secundo, *detestatio.* quia essentia Contritionis vel in utroque simul actu, dolore scilicet & detestatione, vel in alterutro formaliter consistit; prout habent diversæ sententiæ, ut postea videbimus. Dicitur tertio, *de peccato commisso.* nam illa solùm peccata, quæ nos ipsi perpetravimus, non autem originale, vel aliena, vel nostra futura sunt objectum Contritionis propriè dictæ. Dicitur quarto, *cum proposito non peccandi de cætero.* quia ad obtinendam reconciliationem cum offenso præter dolorem de injuria illata, ejusque detestationem necesse quoque est, ut eam non ampliùs inferre proponamus.

2 Contritio ita generatim accepta dividitur in perfectam, & imperfectam. Perfecta, quæ absolutè *Contritio* vocatur, est *dolor & detestatio de peccato commisso, ut est offensa Dei super omnia dilecti. cum proposito &c.* Imperfecta, quæ communiter *Attritio* dicitur, est *dolor & detestatio de peccato commisso sub inferiori quodam motivo, quàm est motivum dilectionis Dei super omnia, cum proposito non peccandi de cætero.* Ex quibus descriptionibus facilè cognoscitur etsi multiplex inter utramque Contritionem discrimen versetur, eas tamen potissimùm ratione objecti, sive motivi formalis differre, cùm motivum formale Contritionis perfectæ sit Deus super omnia dilectus: non item Attritionis. Ut hanc diversitatem utriusque doloris melius percipias,

3 Adveriendum est, omnia motiva, propter quæ detestamur peccata, atque de illis dolemus, reduci communiter ad tria capita, scilicet ad metum pœnarum, turpitudinem peccati, & bonitatem Divinam: majoris tamen claritatis causâ statui posse novem motiva, ut habet Gobat tract. 6. casu 2. n. 26. Propone animo furem jam jam patibulo affigendum. Hic sua furta detestari, deque eisdem dolere potest primo ideo, quòd propter illa debeat subire mortem tam infamem. Secundo ideo, quòd furtum repugnet rectæ rationi. Tertio, quòd sit contrarium legibus à Deo, aut à Republica statutis. Quarto, quòd Deus per ea furta irritatus permiserit ipsum venire

in manus carnificis. Quinto, quòd ob illa meritus sit Infernum. Sexto, quòd ob illa amiserit jus cælestis gloriæ. Septimo, quòd per illa offenderit, exacerbaverit, aut etiam injuriâ affecerit Deum. Octavo, quòd per illa Deum, à quo summa beneficia accepit, ità graviter offenderit, eique proinde tam ingratum se exhibuerit. Nono denique, quòd per illa offenderit Deum, summum bonum, summo amore dignissimum; & cui propter suam amabilitatem servire debuerat, tametsi nihil ab eo boni unquam accepisset, vel sperare posset. Ex omnibus his motivis solum postremum ad perfectam Contritionem sufficit. reliqua gignunt Attritionem tantùm, eamque non omnia supernaturalem: quia non omnia continent quid supernaturale: veluti patebit examinanti.

4 Dico nunc primo. Propositum non est de essentia Contritionis. Ita communiter Theologi. Ratio est: quia fieri potest, ut quis doleat de peccatis propter Deum super omnia dilectum, ideòque justificetur, quin habeat propositum non peccandi amplius; eò quòd solùm cogitet de bonitate Divina, & gravitate offensæ in Deum admissæ. Unde actus propositi per modum proprietatis tantùm ordinariè consequitur ad Contritionem.

5 Dico secundo. Contritio non consistit essentialiter in aggregato ex detestatione peccati & dolore de illo, ut putant Coninck, Card. de Lugo, Abbas Ratler, & alii. Ratio est: quia detestatio & dolor sunt duo entia completa, & servant inter se ordinem prioris ac posterioris: cùm detestatio sit radix doloris; adeoque rectè inferatur ex illo tanquam aliquid necessariò præsuppositum, & radix ex suo radicato: ergo non potest ex illis simul una indivisibilis essentia Contritionis constitui: sicut ob eandem rationem ex visione & amore fruitivo non potest constitui formalis beatitudo; ut alibi probavimus.

6 Dico tertio. Essentia Contritionis non consistit formaliter in solo odio seu detestatione peccati; sicuti docent Cajetanus, Suarez, & alii. Ratio est: quia odium seu detestatio peccati realiter separari potest à Contritione: ut patet in Beatis, imò in Christo ipso, qui reverà peccatum odio habent ac detestantur, & tamen in iisdem non datur Contritio. Adeoque Contritio non consistit formaliter in detestatione. Neque refert, quòd Suarez actum detestationis distinguat tam ab odio, quàm à dolore, velitque; Contritionem formaliter consistere non in odio, nec in dolore formali, sed in detestatione. Nam hujus distinctionis nullum affert sufficiens fundamentum, & cæteri Theologi communiter odium & detestationem pro iisdem accipiunt.

Dico quatto. Contritio in solo dolore 7
de peccatis consistit essentialiter. Ita D. Thomas in Supplem. q. 1. a. 1. tum 3. p. q. 85. a. 1. Gonet, Labat, & alii; quos refert & sequitur Mezger tract. 18. disp. 44. a. 1. §. 1. Ratio est: quia in illo actu consistit essentialiter Contritio, per quem destruitur peccatum, ut est offensa Dei, sive per quem Deo exhibetur satisfactio pro injuria illata. atqui hoc fit per solum dolorem de peccato; ergo in solo dolore consistit essentialiter Contritio. maj. ex eo constat, quòd, quemadmodùm virtus Pœnitentiæ respicit per se peccatum ut destruendum sub ratione offensæ, ita & actus ejus primarius, qui est Contritio; peccatum respiciat ut destruendum sub ratione offensæ: cùm honestas specificá virtutis non possit non relucere, imò debeat relucere in actu ejusdem primario. mi. prob. quia per solum dolorem, quo quis seipsum internè affligit & coram Deo humiliat, Deo redditur honor per peccatum intentativè ablatus. non enim alio modo compensari Deo potest injuria illata, quàm per dolorosam humiliationem, & tristitiam quamdam de illius illatione voluntariè susceptam. Vid. Gonet to. 5. disp. 7. a. 1. num. 7. Mezger num. 8.

Objicies. In illo actu consistit essentia- 8
liter Contritio, qui per se primò opponitur peccato: sed odium seu detestatio per se primò opponitur peccato; ergo in odio seu detestatione consistit essentialiter Contritio. maj. facilè patet: quia actus primarius Pœnitentiæ, seu Pœnitentia actualis, per se primò opponitur peccato. mi. ex eo prob. quòd odium peccati per se primò opponatur amori inordinato creaturæ: sed peccatum est amor inordinatus creaturæ; ergo odium per se primò opponitur peccato.

Respondeo primo cum P. Mezger ni. 10. neg. maj. sicut & probat. quia Contritio seu Pœnitentia ex suo formali essentiali conceptu non dicit primam oppositionem cum peccato, sed solùm oppositionem destructivam illius per modum satisfactionis. Respondeo secundo cum aliis dist. maj. in illo actu consistit essentialiter Contritio, qui per se primò opponitur peccato sub ratione offensæ & injuriæ Deo irrogatæ, conc. sub ratione malitiæ præcisè, neg. maj. sed odium per se primò opponitur peccato sub ratione malitiæ, conc. sub ratione offensæ & injuriæ, neg. mi. & conseq. Neque plus evincit probatio mi. licèt enim odium peccati per se primò opponatur amori inordinato creaturæ ut importanti rationem malitiæ, non tamen per se primò opponitur eidem ut dicenti rationem injuriæ & offensæ: quà tali quippe per se primò opponitur dolor.

9 Corollarium I. Si quis eliceret efficacem detestationem peccati propter DEUM super omnia dilectum, & Deus per suspensionem sui concursus non permitteret subsequi dolorem, hic talis non justificaretur vi detestationis tanquam dispositionis sufficientis, sed ratione dilectionis Dei super omnia quæ esset Contritio virtualis, adeoque dispositio sufficiens ad justificationem.

Corollarium II. Tametsi dolor de peccato immediatè ac necessariò sequeretur ex efficaci detestatione ejusdem, adhuc esset actus formaliter liber & meritarius: sicut in omnium sententia ipsa detestatio, seu odium peccati, quod consequitur ad efficacem amorem boni, cui peccatum opponitur, est actus formaliter liber. Ratio est: quia ejusmodi necessitas esset solùm consequens, & ex suppositione libertæ determinationis, quæ nihil officit libertati. Dixi, *tametsi immediatè sequeretur &c.* quia suppositа quoque efficaci detestatione peccati priùs sequitur libera electio doloris tanquam destructivi ejusdem peccati, & satisfactivi pro ipso. Mezger loco cit.

§. II.

Quale propositum ad dolorem sit necessarium?

SUMMARIUM.

10. *Propositum non peccandi de cætero aliud formale, aliud virtuale.* 11. *Propositum ad efficacem dolorem necessarium per se loquendo debet esse formale; per accidens tamen sufficit virtuale.* 12. *Cur ad Sacramentum Pœnitentiæ nunquam sufficiat dolor virtualis?* 13. *Ad efficaciam propositi non requiritur, ut pœnitens sibi persuadeat, se nunquam amplius peccaturum.* 14. *Qualiter necessarium sit propositum obediendi Confessario.*

10 CErtum est tum ex Concil. Trident. tum ex communissima Doctorum sententia, non solùm ad effectum, sed etiam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessarium esse firmum & efficax propositum non peccandi de cætero. Nunc tantùm difficultas est, an istud propositum debeat esse formale & explicitum; an verò sufficiat virtuale & implicitum? Formale propositum est, dum quis eliciens dolorem de peccatis per alium & distinctum actum expressè proponit deinceps non ampliùs peccare. Implicitum & virtuale est, quod continetur in ipso dolore quatenùs ex se determinativo pœnitentis ad elicientiam expressi propositi, si de hoc formando aliqua cogitatio occurreret, vel aliunde nihil obstaret.

11 Dico. Propositum ad efficacem dolorem de peccatis necessarium ordinariè quidem & per se debet esse formale, per accidens tamen, sive extraordinariè sufficit virtuale. Ita communiter DD. Ratio primæ partis est: quia homini regulariter loquendô, dum cogitat de sui conversione ad Deum instituenda, non solùm repræsentantur peccata commissa ut detestanda & per actum doloris abolenda, sed etiam commissu possibilia ut fugienda, ac insuper obligatio vitam in melius deinceps emendandi. Voluntas quoque ex eodem motivo, propter quod detestatur peccata præterita, determinatur ad eadem cavenda ac fugienda in futurum. cùm malum æquè sit aptum ad terminandum actum fugæ, quando repræsentatur sub ratione futuri, quàm si repræsentetur sub ratione præteriti. Ergo sicut homo tunc debet formali actu detestari peccata præterita, ita debet habere formale propositum illa vitandi in futurum: quia reverà non apparet, quomodo dolor alioquin esset efficax, serioque excluderet voluntatem & affectum peccandi. Accedit, quòd Concilium Trident. quoties agit de dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario, sempet etiam specialem & expressam faciat mentionem propositi: quo satis indicat, per se requiri, ut sit formale & expressum.

Ratio secundæ partis est: quia fieri potest, ut pœnitens, quando efficaciter dolet de peccatis commissis, nihil cogitet de peccatis futuris, vitaque in posterum emendanda. In quo eventu habet propositum virtuale inclusum in ipso dolore formali de peccatis commissis; eò quòd, si occurreret cogitatio de peccatis in posterum cavendis, vitaque deinceps rectè instituenda, planè formaret propositum formale. Atqui tale propositum virtuale tunc sufficit, vel uti consentiunt communiter DD. estque in hoc quoque casu eadem vis taciti & expressi. Vid. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. pu. 3. n. 9. Filliuc. tract. 7. cap. 6. n. 159. & seqq. Salmantic. tract. 6. cap. 5. pu. 4. n. 54. Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 3. à n. 5. Mezger tract. 18. disp. 44. a. 2. n. 2.

Objicies. Ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit unquam dolor virtualis; ergo 12
etiam nunquam sufficit propositum virtuale. Deinde Confessarii interrogare solent pœnitentes de proposito etiam formali, & ad illud hortari: ergo judicant, propositum formale intra Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium ad justificationem.

Respondeo ad Primum neg. Conseq. quia juxta Concilia Florent. & Trident. dolor est pars hujus Sacramenti; non tamen propositum est pars ejusdem, constat autem totum actu & formaliter existens constitui debere

debere ex partibus actu & formaliter existentibus. Ad alterum respondeo, ex illa praxi Confessariorum solùm colligi, eos judicare, propositum formale esse necessarium ordinariè, per se, & regulariter loquendo. Adde, quòd Confessarii non tantùm interrogent de proposito formali propter illius necessitatem, sed etiam, ut per habitam de eo certitudinem à posteriori certificentur etiam de sufficiente dolore pœnitentium, de quo aliàs sæpe dubitare possent. Vid. Mezger n. 6.

13 De cætero advertendum est primo, ad efficaciam & sufficientiam propositi non esse necessarium, ut pœnitens sibi persuadeat, se deinceps omnia peccata mortalia evitaturum, vel certum aliquod genus peccati effugiturum. Ratio est: quia propositum in Sacramento Pœnitentiæ requisitum consistit præcisè in actu voluntatis, per efficacem affectum præsentem omnia peccata in futurum committi possibilia aversantis: illa verò persuasio est actus quidam intellectûs pendens ex futuro eventu, neque sepuitur necessariò ex proposito. Unde tantùm abest; ut sit necessaria, ut etiam interdum sit perniciosa fragiliaribus. Quapropter Confessarius pœnitenti debet consulere, ut nihil de hac re cogitet, aut curet: nec debet ab eodem exigere specialem promissionem, aut omnino juramentum de hoc, vel illo peccato in posterum non perpetrando: cùm fieri possit, ut ob pravam consuetudinem id apprehendat tanquam impossibile. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 8. Bonac. sect. cit. pu. 8. n. 3. Reding n. 11. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 4. §. 14. In raro tamen casu, si crimen patratum valde pernicioſum sit, v. g. proditionis, potest Confessarius, si ita putet expedire, pœnitenti imperare, ut ante absolutionem promittat juratus, se illud deinceps non commissurum. Laym. loco cit.

14 Advertendum est secundo, ad valorem hujus Sacramenti esse insuper necessarium in pœnitente propositum obediendi Confessario in iis, quæ hic in foro Pœnitentiæ rationabiliter præcipere potest. Reding n. 12. Ratio est: quia reus Judici legitimè & justè præcipienti parere tenetur; idque præsertim in judicio reconciliativo Pœnitentiæ; ubi pœnitens Confessario refractarius meritò arguitur indispositus, veniaque indignus ob defectum doloris, & alterius propositi de seria emendatione. Cæterùm potestas præcipiendi in Confessario extendit se primo, ad debitam satisfactionem pro commissis peccatis injungendam. Secundo ad eliciendam ex pœnitente debitam dispositionem, dolorem nempe, integritatem Confessionis, propositum emendandi vitam imposterum: quò etiam pertinent obligationes restituendi, & vitandi occasiones peccatorum. De quibus occasionibus, nunc sit

§. III.

Quale debeat esse propositum vitandi occasiones peccandi?

SUMMARIUM.

15. Occasio peccandi alia remota, alia proxima. 16. Propositum vitandi peccata non debet necessariò se extendere ad vitandas occasiones remotas; 17. bene autem ad proximas per se loquendo. 18. Aliud sentiendum loquendo per accidens. 19. Solvitur Objectio. 20. 21. & seqq. Resolutiones practicæ. 25. Unde Confessarius possit cognoscere, pœnitentum suum relabi solitum habere hîc & nunc sufficiens propositum.

15 NOtandum est, causam, vel occasionem peccandi aliam esse remotam, aliam proximam. Remota est illa, quæ licèt per accidens possit inducere, aut etiam aliquando inducat in peccatum, frequentiùs tamen non inducit. Tales occasiones sunt militia, mercatura, lusus, ambulatio in publico, recreatio &c. Occasio proxima est, quæ frequentiùs & plerumque homines hujus, vel illius conditionis inducit in peccatum: vel restante propria experientia habet talem effectum in tali homine. Ejusmodi occasiones in juvenibus sunt pravæ societates, in Sacerdotibus concubinæ &c. quibuscum si fortè rariùs opere, delectatione & desiderio certè frequentissimè peccant. Porrò occasio peccandi alia est in se mala, ut turpiloquium; alia indifferens; ut conversari cum tali persona, accedere talem locum, equitare &c. alia etiam bona, ut audire Confessiones talis personæ; libros de rebus obscænis tractantes legere ad comparandam doctrinam pro Confessionibus audiendis, concionibus formandis &c. His præmissis,

16 Dico primo. Propositum vitandi peccata non debet necessariò se extendere ad vitandas occasiones peccandi etiam remotas. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia obligatio vitandi occasiones peccatorum remotas esset nimis difficilis, atque de re moraliter impossibili. cùm vix aliquid in hoc universo reperiatur tam bonum & sanctum, ut non sit interdum, aut esse possit aliquibus occasio peccandi. Unde plerique homines deberent statum suum mutare, seq; in Monasteria abdere. Imò & ibi, & in desertissimis eremis invenirent pericula peccandi non pauca, nec levia. Itaque dubium non est, eum posse absolvi, qui permanere cogitat in remota occasione peccandi, v. g. in militia, mercatura, cura animarum, quam exercet.

17 Dico secundo. Memoratum propositum per se loquendo extendi debet ad vitanda occasiones peccandi proximas. Ita rursus communis sententia. Ratio est: quia eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum,

tenemur etiam vitare ea, ex quibus illud moraliter certò secuturum prævidemus. Atqui ex occasionibus proximis peccatum moraliter certò secuturum prævidemus; quia moraliter certi sumus, nos peccaturos, si in eisdem permaneamus; ergo eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare occasiones proximas. Atqui tenemur ex præcepto Pœnitentiæ vitare peccatum; ergo etiam occasiones ejus proximas, & consequenter, sicut tenemur habere propositum non peccandi de cætero, ita tenemur habere propositum vitandi occasiones peccandi proximas. Alioquin certè non potest intelligi, quomodo pœnitens habeat efficax & serium propositum emendationis. cui enim placet adhuc versari in tanto peccandi periculo, illi peccatum ipsum displicere non potest; quippe quod à se committendum moraliter certò prævidet, nisi viteret ejus committendi periculum.

18 Dixi autem, *per se loquendo*. Nam per accidens potest contigere, ut sit moraliter impossibile hastales occasiones relinquere: ut, si propter earum derelictionem oriretur grave scandalum; subeunda esset gravis infamia; incurrendum grave damnum, seu spirituale, seu temporale. In tali aliquo casu non consendus est pœnitens sponte manere in occasione peccandi, & ultrò se se ingerere periculo; sed potiùs in illo hærere invitus: quemadmodùm præclarè docet S. Basilius in Constit. Monastic. cap. 4. illis verbis: *Qui urgente aliqua causa & necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo; cùm tamen aliàs nollet; non tam dicitur amare periculum, quàm invitus illud subire, & ideo magis Deus providebit, ne in illo pereat.* Quia proinde ope Divinæ gratiæ, cujus auxilia in talibus angustiis constituto homini non desunt, absolutè superari possunt tentationes ex ejusmodi occasionibus emergentes, potest in illo adhuc habere locum efficax propositum non peccandi de cætero. Ex quo etiam fiet, ut occasio peccandi ex genere suo proxima in tali eventu non nisi pro remota habenda sit. Vid. Salmantic. tract. 6. de Pœnit. cap. 5. pu. 4. n. 5. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 9. Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 3. n. 16. Card. de Lugo disp. 13. de Pœnit. sect. 10. n. 152. Mezger tract. 18. disp. 44. a. 3. n. 3. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 2. n. 322.

19 Objicies. Qui certus esset ex Divina revelatione, æternùm se damnandum esse, si talem domum ingrediatur, si tale officium retineat &c. is utique ex lege saltem charitatis erga se ipsum teneretur abstinere ab ingressu illius domûs, abdicare tale officium &c. tametsi propterea subeunda essent omnia mala & damna temporalia: cùm *nihil prosit homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*. Matth. 16. Ergo etiam ex eadem obligatione charitatis tenetur quis relinquere occasionem, ex qua peccaturum se mortaliter ferè certò prævidet, licèt propterea impendeant gravissima damna fortunæ, famæ &c. cùm omnibus his malis, imò & Inferno ipso, majus sit unicum peccatum mortale.

Respondeo primo, hoc argumento probari, si quid probatur, esse obligationem vitandi occasionem proximam peccati etiam venialis, licèt propterea subeundum sit quodlibet gravissimum malum in rebus temporalibus: cùm etiam peccatum veniale sit absolutè majus malum, quàm Infernus ipse & carentia Visionis beatificæ. hoc autem est probari nimium. Respondeo secundo neg. Conseq. quia in casu Antec. damnatio æterna supponitur omnino certa & inevitabilis: in casu autem Conseq. peccatum adhuc supponitur & apprehenditur ut evitabile: cùm quilibet in ejusmodi necessitate constitutus meritò sperare possit, non defutura sibi Divina auxilia, quibus adjutus superare valeat occasionem peccandi quantumvis periculosam, eamque ex proxima facere non proximam, modò ex sua parte habeat omnino resolutam voluntatem non peccandi, debitasque adhibeat cautelas, quas vel Christiana dictaverit prudentia, vel solers Confessarius præscripserit. Ex dictis resolvuntur jam sequentia.

I. Non est absolvendus Sacramentali- 20
ter, qui non vult relinquere occasionem proximam peccandi, quam potest sine gravi detrimento suo relinquere, quamvis dicat, se habere firmissimum propositum non peccandi ulteriùs. Mezger num. 4. Viva I. *par. damnat. Thess. prop.* 41. *n.* 10. Ratio est: quia ipsum tunc nolle relinquere occasionem proximam peccandi grave peccatum est. ex quo clarè sequitur propositum illud non esse efficax, nec universale, utpote se non extendens ad relinquendam occasionem proximam peccandi, quæ potest & debet relinqui; adeoque pœnitentem non esse debitè dispositum ad absolutionem. Unde non audiendus hîc est Card. de Lugo, qui sect. cit. num. 151. judicat, talem posse absolvi. Debet autem, ut rectè monet Mezger loco cit. doctrina præsentis Resolut. ita intelligi, ut non solùm procedat de occasione proxima peccandi in particulari, & in uno genere, v.g. fornicandi, inebriandi; sed etiam in communi: ut, si quis habeat pravum socium, & cujus familiaritate modò in hoc, modò in illud peccatum labitur: Tali proinde, si perversam ejusmodi societatem relinquere detrectat, neganda est absolutio, quam-

quamvis præseferat, se habere firmissimum propositum non peccandi in posterum.

21 II. Neque ille est absolvendus, qui jam semel & iterum jussus relinquere vel tollere occasionem proximam peccandi, idque se facturum pollicitus, non obedivit, nec stetit promissis, cùm tamen commodè & absque gravi detrimento id facere potuisset. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 11. Salmantic. tract. 6. de Pœnit. cap. 5. pu. 4. n. 69. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 2. n. 325. Illsung tract. 2. disp. 2. a. 3. n. 27. item alii, quos refert Viva n. 16. Ratio est: quia contra ejusmodi pœnitentem urget præsumptio valde clara, quòd in prioribus Confessionibus caluerit vero, firmo, & efficaci proposito emendandi v. tam in posterum, eoque de facto careat. Unde licèt tursus asseveret ac promittat, se jussis Confessarii obtemperaturum, non est absolvendus, antequam id re ipsa præstet. Quòd si tamen promittat juratus, se quamprimùm ejusmodi occasionem, nempe domum, concubinam &c. dimissurum, existimat Gobat, & consentit Sporer, eum ista quoque vice absolvi posse, sed non iterum alia, si redeat perjurii reus.

22 III. Potest absolvi mulier habitans in domo, in qua est proxima occasio peccandi, si inde non possit excedere sine jactura propriæ famæ, aut necessariæ sustentationis. Quod idem dicendum est de filiofamilias frequenter peccante cum procaci famula, aut etiam sorore, quam tamen ipse non potest expellere paternis ædibus. Laym. n. 9. Card. de Lugo n. 152. Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 3. n. 16. Abbas Rasler de Pœnit. cap. 4. §. 16. Mezger n. 6. Sporer n. 326. & alii communiter. Ratio est: quia periculum peccandi neque in se peccatum est, neque infert necessitatem, aut tollit libertatem adeoque potest cum eo consistere verus dolor de peccato, & resolutum propositum peccata in posterum, & in tali occasione vitandi. his autem positis pœnitens est debitè dispositus ad absolutionem.

23 IV. Doctrina primùm tradita procedit etiam per se loquendo, si ejusmodi pœnitens in proxima occasione, quam moraliter non potest relinquere, semper relabatur, eademque specie peccata afferat, quoties confitetur. Laym. n. 10. Reding n. 17. Mezger n. 7. Rasler §. 17. Ratio est: quia non est major ratio, cur talis semel potuerit absolvi, & cur non semper possit. sicut enim, dum prima vice confitebatur, aderat occasio proxima peccandi, & moralis impotentia relinquendi illam, cum serio emendationis proposito, ita etiam aliis sequentibus vicibus eadem omnia æqualiter adesse supponuntur. Dixi autem, *per se loquendo.* quia interdum Confessarius meritò suspicatur, ac justè præsumit, talem hominem carere serio, aut sufficienti proposito emendationis, si videlicet post duas vel tres Confessiones idem adhuc specie peccatum, numero nihil imminuto; sed fortè etiam aucto, afferat, nec ullum emendationis conatum adhibuisse videatur. In quo tali casu prudenter denegari potest absolutio, aut saltem differri, designato aliquo temporis spatio, intra quod pœnitens emendare se conetur, posteaque absolutionem accipiat. Laym. Reding, Mezger, locis citt. Quòdsi tamen pœnitens in præsente Confessione edat specialia signa doloris, qualia in prioribus nunquam edidit, absolvendus erit. Ratio est: quia ejusmodi signis præsumptio de mala dispositione ipsius meritò eliditur, ait idem Laym.

24 V. Tametsi ex communi DD. consensu ordinariè deneganda sit absolutio concubinario etiam occulto, nisi promittat, se concubinam quamprimùm ejecturum, nihilominùs in certo aliquo casu occurrentes circumstantiæ possunt efficere, ut Confessarius aliud sibi faciendum esse prudenter judicet, non obstante damnatione prop. 41. inter proscriptas ab Alexandro VII. Exemplum est, dum aliquis in gravi infirmitate vel mortis periculo non potest facilè habere alium hominem, qui necessaria, putà victum, medicinas &c. ministret, præter concubinam. ad quam si ejusmodi pœnitens nullum tunc gerat carnalem affectum, atque ideo existimet, ex ejus consortio se non lapsurum, ac insuper promittat, cùm primùm convaluerit, se statim eam dimissurum, absolvi poterit, secluso scandalo, dum nempe concubinatus est occultus. Laym. n. 11. Sporer n. 329. Quòdsi econtrà in prædicta aliqua necessitate constitutus moraliter certò prævideat, se peccaturum occasione muliebris illius ministerii, mortem potiùs debet eligere, quàm id admittere. Viva ubi suprà n. 9.

25 His demum addendum est ex cit. Laym. ut Confessarius cognoscat, pœnitentem, qui in idem peccati genus relabi solet, conatum aliquem emendationis adhibuisse, adeoque sufficiens ejusdem habere propositum, ipsi attendendum esse primo, an post Confessionem proximam idem pœnitens minùs frequenter, quàm antè solebat, fuerit lapsus? Secundo, an mediis fuerit usus, quæ ipsi contra peccati recidivum erant præscripta? Tertio, an occasiones extrinsecas peccandi, quas & removere debuerat, & se remoturum promiserat, re ipsa removerit? Hæc talia, si præstitit, dignus est Absolutione. De cætero, quando Confessarius, pensatis circumstantiis, judicat pœnitenti recidivo denegandam esse absolutionem, vel differendam, cum prudenter ita debet disponere, ut circa hoc acquiescat: cùm alioqui fieri possit, ut justo

severiùs secum agi existimans Confessionem deinceps vel penitus omittat, vel ejus gratia adeat Confessarios alios & alios consuetudinis peccandi ignaros; adeoque denegatio aut dilatio Absolutionis ipsi plùs noceat, quàm prosit. vid. Illsung tract. 6. disp. 6. a. 3. num. 37.

§. IV.

Quale propositum requiratur in Confessione venialium?

SUMMARIUM.

26. Etiam ad remissionem peccatorum venialium necessarius est intra Sacramentum Pœnitentiæ aliquis dolor formalis, isque supernaturalis. 27. In confitente mera venialia requiritur etiam propositum saltem virtuale ea vitandi. 28. Triplex discrimen inter propositum necessarium in confitente peccata mortalia, & necessarium in confitente venialia. 29. Facilùs absolvi possunt sæpius relabentes in eadem venialia, quàm relabentes in eadem mortalia. 30. Quomodo illis consulendum, qui ex plurimis, aut ferè innumeris Confessionibus venialium vix ullum fructum emendationis proferunt? 31. An per peccatum veniale ante Absolutionem noviter commissum corrumpatur propositum circa confessa priùs conceptum?

26 QUæ dicta sunt in duobus §§ proximè præcedentibus, potissimùm procedunt de proposito circa peccata mortalia. Supereſt modò, ut specialiter dicamus aliqua etiam de proposito vitandi venialia. Supponitur autem tanquam certum, ad remissionem istorum quoque peccatorum intra Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse dolorem aliquem formalem, eumque supernaturalem: cùm alioquin Sacramento deesset pars quædam essentialis, ut satis constat ex suprà dictis, disp. 2. a. 2. n. 6. Nunc

27 Dico. In eo, qui confitetur mera venialia, requiritur præter dolorem etiàm propositum, saltem virtuale. Ita communis & vera sententia. Ratio est: quia seria pœnitentia, & dolor efficax de peccatis venialibus, quem necessarium esse primùm supposuimus, subsistere non potest, si pœnitens ab illis in posterum nolit abstinere. Cæterùm quemadmodùm suprà in n. 13. dictum est, ad propositum efficax vitandi peccata mortalia non requiri, ut homo sibi persuadeat, se omnia re ipsa evitaturum, ita etiam, & multò magis, de proposito vitandi venialia dicendum est.

28 Porrò autem inter propositum necessarium in confitente venialia, & illud, quod debet habere confitens mortalia, notandum est triplex discrimen, quod affert Coninck de Pœnit. disp. 2. dub. 14. n. 130. Primum est. Posterius propositum necessariò se debet extendere ad omnia peccata mortalia. Ratio est: quia neque unum mortale potest remitti sine altero mortali, neque stare remissio peccati alicujus cum actuali, habituali, aut interpretativo affectu erga peccatum mortale. Econtra propositum confitentis venialia non necessariò debet extendi ad omnia venialia. Ratio sumitur ab opposito, quia & unum veniale potest remitti sine alio, & unius remissio consistere cum actuali quoque affectu ad alia. Secundum est. Propositum vitandi mortalia debet esse absolutum abstinendi ab omnibus omnino mortalibus etiam collectivè sumptis, ita ut pœnitens proponat non tantùm singula, sed etiam omnia simul evitare. Ratio est: quia mortalia & possumus & tenemur sic evitare. Econtra propositum circa venialia non debet esse propositum vitandi omnia simul & collectivè, ita ut quis habeat animum nunquam in posterum peccandi venialiter, nequidem ex subreptione; sed sufficit propositum vitandi omnia divisim, sive distributivè, ita ut nullum determinatè designari possit, à quo animus non abhorreat. Ratio est: quia omnia venialia collectivè evitare non possumus sine gratia Dei specialissima, quæ non datur omnibus: possumus tamen vitare omnia distributivè, sive singula in particulari. Tertium est. Propositum vitandi venialia non debet esse necessariò tam firmum & efficax, sicut propositum vitandi mortalia. Ratio est: quia non ita tenemur declinare omnes occasiones proximas peccandi venialiter, sicut peccandi mortaliter; & consequenter neque tam firmiter proponere abstinentiam ab omni peccato veniali, sicut abstinentiam ab omni mortali. Deinde multò gravius animæ malum est peccatum mortale quàm veniale: ergo homo longè majorem tenetur adhibere conatum ad vitanda mortalia quàm venialia; & consequenter tenetur habere efficacius propositum in posterum vitandi illa, quàm ista. Atque hinc

29 Colligitur, facilùs posse absolvi sæpius relabentes in eadem peccata venialia, quàm relabentes in eadem mortalia. Coninck loco cit. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 20. Salmantic. tr. 6. de Pœnit. cap. 5. pu. 4. n. 55. Sporer de Sacram. par. 3 cap. 2. n. 338. Ratio est: quia relapsus in eadem peccata mortalia frequentiùs est signum defectus doloris & propositi sufficientis ad eorum remissionem, quàm creber relapsus in eadem venialia. hic enim provenire potest ex frequentissimis occasionibus peccandi venialiter, quas declinandi non est adeò stricta obligatio, sicut est obligatio declinandi occasiones peccandi mortaliter.

Illud

30 Illud mirari hoc loco subit, quid sit, quòd plurimi homines non tantùm sæculares, sed etiam Religiosi ex tot, & vel sexcentis Confessionibus venialium vix ullum fructum emendationis proferant, sed semper redeant ad Confessionale cum iisdem defectibus vix unquam imminuto numero, quamvis diligenter caveant mortalia, sintque in recensendis omnibus suis venialibus ad scrupulum usque accurati? Res planè stupenda, & cuivis salutis suæ studioso meritò timenda. Puto ego, quod etiam advertit Sporer n.339. causam hujus miseriæ esse, quòd dolor & proposita similium sint nimis generalia & confusa; cùm omnia generaliter vitare proponant, quod tamen præstare se posse ipsi non credunt. Unde fit, ut ejusmodi proposita sint languida, torpida, ac imbellia. nam eò minùs sunt efficacia, quò magis sunt universalia. Hinc autem timendum, ne sæpissimè ob debilitatem & inefficaciam tum doloris tum propositi absolutio sit invalida. & quis mirabitur ampliùs, si nullus vitæ in melius mutatæ fructus consequatur? Quare his talibus consulo cum cit. Authore, ut omissâ anxiâ curâ afferendi in Confessionem omnia venialia in specie & numero, ea tantùm concepto novo, serióque dolore & emendationis proposito confiteantur, quæ magis gravant, quæque potissimùm exstirpata cupiunt. Consulo præterea, ut ex his ipsis venialibus seligant unum aliquod majoris considerationis, fortique proposito obfirmati in id exstirpandum totis viribus incumbant. ad quem finem plurimùm conducet eligere de Cælitibus, ac invocare certum Patronum; instituere examen particulare, sibique ipsi pro singulis relapsibus aliquam pœnitentiam præscribere. Sanè his præstitis intra breve tempus non modò securitatem moralem de valore Confessionum consequentur, sed etiam insignem fructum emendationis percipient.

Dubium adhuc restat, an, dum quis confitetur peccata tantùm venialia, & ante absolutionem committat novum aliquod veniale, corrumpatur propositum priùs conceptum, ita ut non sit sufficiens ad valorem Sacramenti? Ratio dubitandi sumitur à paritate peccati mortalis, quali commisso post Confessionem & ante absolutionem censetur sublatum ac revocatum præcedens propositum non peccandi. Sed respondetur ad dubium negativè. Ratio est: quia sicut unum peccatum veniale potest remitti sine alio, ita in dolore & proposito respectu venialium reperitur virtualis quædam divisibilitas, vi cujus se possunt extendere ad unum sine alio. Unde licèt per affectum erga objectum venialiter malum tollatur efficacia doloris & propositi quoad unum peccatum veniale, manet tamen quoad alia, quod sufficit ad valorem absolutionis Sacramentalis. Atqui ejusmodi virtualis divisibilitas non datur in dolore & proposito respectu peccatorum mortalium, sicut non datur remissibilitas unius sine altero. Ex quo habetur disparitas. vid. Card. de Lugo disp. 14. de Pœnit. sect. 9. n. 146. & 147. Salmantic. ubi suprà n.56. Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 5. n. 8. 31

ARTICULUS II.

De Contritione perfecta.

§. I.

An perfecta Contritio includat actum dilectionis Dei?

SUMMARIUM.

1. *Sententia quorumdam existimantium, perfectam Contritionem dari posse sine dilectione Dei.* 2. *Statuitur & probatur, dilectionem Dei necessariò debere includi in Contritione perfecta.* 3. *Ea dilectio debet esse formalis, sive actualis.* 4. 5. *Solvitur duplex Objectio.* 6. *Contritio perfecta semper conjuncta est cum remissione peccatorum.* 7. *Differt essentialiter ab Attritione.* 8. *Attritio non potest formaliter fieri Contritio.*

1 ALiqui docuerunt, perfectam Contritionem, & extra Sacramentum ad justificandum sufficientem dari posse sine dilectione Dei, si nempe procedat ex aliis motivis in Deum ordinatis, v.g. ex motivo Religionis, Obedientiæ erga Deum &c. Ratio illorum erat: tum, quòd aliàs perfecta Contritio nimis esset difficilis nec accommodata humanæ fragilitati. tum, quòd homines, quando ita dolent de peccatis, ut hæc ipsis displiceant, quia repugnant Religioni, vel mandatis Divinis, rectè ac bene se putent pœnitere, tametsi nullum eliciant proprium & perfectum actum Charitatis. Hanc sententiam multi existimant non esse improbabilem. sed quoniam ferè omnes hodie Theologi tenent oppositam, eâ relictâ,

2 Dico primo. Contritio perfecta extra Sacramentum ad justificationem sufficiens præsupponere debet, vel includere actum dilectionis Dei super omnia. Probatur primo ex

S. Script.

S. Script. Deuter. 4. ubi dicitur: *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen ex toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* ubi per ly *ex toto corde* juxta communem expositionem significatur amor Dei super omnia appretiativus; per subsequentia verò dolor & pœnitentia de peccatis.

Probatur secundo Authoritate tum Concilii Trident. sess. 14. de Pœnit. cap. 4. dicentis, *Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur.* tum SS. Patrum, Augustini serm. 7. de temp. juxta quem *pœnitentiam certam* (hoc est perfectam & justificativam etiam extra Sacramentum) *non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Bernardi Epist. 11. *Charitas convertit animas, quas facit & voluntarias.*

Probatur tertio ratione. Quia effectus præsupponit sui causam: sed perfecta Contritio est effectus, & dilectio Dei super omnia est causa illius; ergo perfecta Contritio præsupponit dilectionem Dei super omnia. maj. constat. mi. prob. tum ex D. Thoma 3. p. q. 85. a. 6. ubi loquens de dilectione & Contritione dicit: *Horum duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. nam actus virtutis Pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei. unde primus actus est ratio & causa secundi.* tum ex communiter recepta definitione Contritionis perfectæ, quòd sit dolor & detestatio de peccato commisso propter Deum super omnia dilectum: ubi per ly *propter* satìs indicatur causalitas; quam dilectio Dei exercere debet in Contritionem istam. Jam ulteriùs

3 Dico secundo. Dilectio DEI, quam priùs naturâ saltem prærequirit Contritio perfecta, debet esse formalis, sive actualis. Contrarium teste Mezger tract. 18. disp. 45. a. 1. n. 4. sentit Gonet cum aliis quibusdam docentibus, extraordinariè saltem & per accidens sufficere amorem DEI super omnia etiam virtualem inclusum in efficaci detestatione peccati ex motivo Divinæ bonitatis. Sed nostra Conclusio

Probatur hac ratione. Quod movet voluntatem sub ratione finis & boni, movet priùs naturâ ad sui prosecutionem tanquam actum primarium, quàm ad fugam & aversionem mali oppositi, quæ est actus tantùm secundarius voluntatis: sed bonitas Divina movens voluntatem (quod etiam Adversarii requirunt) ad detestationem peccati movet sub ratione finis & boni; ergo priùs naturâ movet ad sui prosecutionem, quàm ad fugam & aversionem mali oppositi. Atqui Divinam bonitatem sub ratione finis & boni priùs naturâ movere ad sui prosecutionem, quàm ad fugam & aversionem mali oppositi est priùs naturâ movere ad sui amorem formalem (cùm juxta Philosophos motio & causalitas finis sit appeti, quod sine actuali & formali amore ipsius intelligi non potest) quàm ad detestationem & odium peccati ceu mali oppositi: ergo Divina bonitas movens ad detestationem peccati priùs naturâ movet ad sui amorem formalem; & consequenter detestationem peccati debet in voluntate semper præcedere saltem naturâ formalis amor DEI. Si detestationem peccati debet præcedere, etiam dolorem de illo, in quo juxta dicta in artic. proximè præced. §. 1. essentialiter consistit Contritio, debet præcedere; cùm iste dolor consequatur ex detestatione, ut ibidem pariter diximus. Vid. Mezger loco cit. Oberascher de Pœnit. cap. 3. pag. 113.

Objicies primo ex S. Script. exemplum 4
Davidis, qui, ut narratur 2. Reg. 12. prolatis his tantùm verbis, *peccavi Domino*, remissionem peccati obtinuit: quæ tamen verba nullum actum formalis amoris Dei præfefetunt. Deinde illud Ezechiel. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam, vitâ vivet.* &: *si averterit se ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Atqui pœnitens avertit se à peccatis etiam per detestationem & dolorem, qui non procedit ex formali amore Dei super omnia: & consequenter sine hoc tali amore veniam peccatorum consequitur.

Respondeo, licèt in adductis Script. locis nulla fiat expressa mentio de amore formali, illum tamen implicitè debere subintelligi. Ratio ex dictis est, quia Divina bonitas, utpote movens sub ratione finis & boni, non potest voluntatem determinare ad detestationem peccati ceu mali oppositi, nisi eandem priùs naturâ saltem determinet ad sui formalem prosecutionem & amorem. Et ideo in 2. neganda est mi. intellecta de aversione ad remissionem peccatorum extra Sacramentum sufficiente.

Objicies secundo. Malum peccati quate- 5
nùs oppositum Divinæ bonitati est sufficiens, ut moveat ad sui odium & detestationem: ergo absque formali dilectione DEI dari potest in aliquo saltem casu & per accidens perfecta Contritio. Confirmatur. Ad justificationem extra Sacramentum sufficit detestatio & dolor virtualis, nempe formalis dilectio DEI super omnia, in casu, quo quis nihil cogitat de dolore & detestatione peccati: ergo etiam sufficit aliquando dilectio virtualis inclusa in detestatione formali.

Respondeo ad Object. neg. Ant. cùm enim malum sit objectum terminativum & materiale voluntatis; solum verò bonum sit objectum formale motivum, voluntas etiam ad fugam & detestationem mali non potest formaliter moveri, nisi à bono opposito; & qui-

quidem in casu Objectionis non nisi à bonitate Divina. In Confirmat. conc. Ant. neg. suppositum conseq. hoc ipso enim, quòd in voluntate detur formalis detestatio peccati ex motivo Divinæ bonitatis, dari quoque debet formalis amor ejusdem bonitatis: cùm illud motivum non aliter, quàm mediante amore formali in detestationem & dolorem formalem de peccatis derivari possit: sicut influxus objectivus principiorum non potest derivari in assensum formalem conclusionis, nisi per formales assensus præmissarum.

6 Ex dictis colligitur primo, perfectam Contritionem semper conjunctam esse cum remissione peccatorum. Ita communissimè Catholici, contra aliquos Recentiores, qui apud Gonetum to. 5. tr. 5. disp. 3. a. 3. n. 27. existimârunt, hanc Contritionem non habere sibi annexam remissionem peccatorum ante susceptionem Sacramenti, præterquàm in articulo mortis, & in casu necessitatis, dum quis adire vel habere in promptu non potest Confessarium; vel si extra talem necessitatem habeat annexam remissionem peccatorum, tunc solùm habere (quamvis non infallibiliter) quando est vehementissima. Ratio verò nostræ doctrinæ est: quia perfecta Contritio nunquam datur sine charitate; ergo etiam nunquam datur sine infusione gratiæ & remissione peccatorum. Conseq. inde probatur, quòd charitas sit formalis amicitia cum Deo, incompossibilis cum ullo peccato mortali, & essentialiter radicata in gratia sanctificante, ab eaque inseparabilis; ut alibi ostendimus. Confirmatur. Vel perfecta Contritio est sufficiens dispositio ad justificationem, vel non est? Si non est; ergo Deus intuitu illius neque in articulo mortis, neque in casu necessitatis remittet peccata. Si est; quid obstat, quo minùs Deus perfectè contrito statim infundat gratiam justificantem; sicut eam statim infundit accedenti cum debita dispositione ad Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ? Vid. Card. de Lugo disp. 5. de Pœnit. sect. 8. Mezger disp. cit. a. 2. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 4. §. 2.

7 Colligitur secundo, Contritionem & Attritionem esse actus formaliter essentialiter diversos. Ratio est: quia differunt motivis formalibus. Vel enim per Contritionem perfectam intelligis actum elicitum Charitatis, vel actum elicitum virtutis Pœnitentiæ, imperatum tamen à Charitate? Si primum; tunc ejus motivum formale proximum est Divina bonitas. Si secundum; tunc ejus motivum est bonitas compensationis seu satisfactionis derivata ex motivo bonitatis Divinæ. Motivum autem formale Attritionis vel est bonitas vitæ æternæ, vel honestas virtutis oppositæ. Primum, si doleas de peccato propter metum Gehennæ. Secundum, si doleas de peccato propter illius turpitudinem. Plura inter utrumque hunc dolorem discrimina occurrent in sequentibus. Vid. Mezger a. 1. n. 7. Oberascher de Pœnit. cap. 3. pag. 111.

Colligitur tertio, ex Attritione non pos- 8
se formaliter fieri Contritionem. Ratio est: quia nullus actus potest mutare suam speciem & essentiam. Vid. D. Thomas in Supplem. q. 1. a. 3. Neque obstat primo, quòd communiter dici soleat, hominem in Sacramento fieri ex attrito contritum: hoc enim solùm intelligendum est virtualiter & æquivalenter, quòd nempe Attritio in Sacramento ceu dispositio ibi sufficiens ad justificationem non minùs tribuat effectum remissionis peccatorum, quàm Contritio. Neque obstat secundo, si dicas: Fides informis, accedente Charitate, potest fieri formata: ergo etiam Attritio, quæ est veluti dolor informis, potest fieri dolor formatus & Charitate perfectus, qualis est Contritio. Nam respondetur in primis, si sermo sit de actu fidei informis, falsum esse Anteced. *quia actus ille informis transit, & non manet veniente Charitate*, ait D. Thomas loco cit. Deinde si sermo est de habitu Fidei informis, disparitas redditur ex dictis, quòd Attritio sit actus in entitate & essentialiter diversus à perfecta Contritione; adeòque non possit induere ejus naturam & denominationem: habitus autem Fidei informis sit idem quoad entitatem cum Fide formata; & consequenter nihil obstet, quo minùs manens idem, dum est sine Charitate, quæ est forma omnium virtutum, dicatur Fides informis, dum verò conjungitur Charitati, dicatur Fides formata, sicque transeat ab uno statu in alium.

§. II.

Quanta debeat esse Contritio?

SUMMARIUM.

9. *Dubia hîc resolvenda.* 10. *Ad perfectam Contritionem neque requiritur certa duratio temporis,* 11. *neque determinatus gradus intensionis.* 12. *Solvitur Objectio.* 13. *Perfecta Contritio debet esse summa appretiativè.* 14. *An ad eandem Contritionem, ut sit summa appretiativè requiratur comparatio inter peccatum & alia mala?* 15. *An pro singulis peccatis requirantur singulæ & speciales Contritiones?* 16. *Solvitur Objectio.* 17. *An ad perfectam Contritionem requiratur distincta recogitatio peccatorum?* 18. *An ejusmodi recogitatio requiratur*

quiratur ex aliis capitibus ? 19. *An perfectè contritus debeat unum peccatum magis detestari quàm aliud ?* 20. *An dolor de peccatis aliquando possit esse nimius ?* 21. *Dolor sensibilis non est necessarius ad Contritionem perfectam.*

9 HÆc quæstio plura involuit dubia. Primum est, an perfecta Contritio habere debeat certam durationem temporis? Secundum, an habere debeat determinatum gradum intensionis? Tertium, an debeat esse summa appretiativè? Dicitur autem ille dolor appretiativè summus, in quo quis Deum sua æstimatione præfert omni bono, quod ipse non est, ac propterea peccatum detestatur super omne malum, quod peccatum non est, ita ut, si voluntati daretur optio detestandi, execrandi, & fugiendi vel peccatum, vel aliud quodcunque gravissimum malum, potiùs omitteret detestationem, & fugam cujusque alterius mali, quàm detestationem peccati: idque meritò quidem: sicut enim Deus, quia est summum bonum, super omnia amari debet, ita peccatum, quo Deus offenditur, ceu summum malum, super omnia odio habendum est.

10 Dico jam primo. Ad perfectam Contritionem non requiritur certa, & longa duratio temporis, sed sufficit tempus modicum; imò vel unicum instans. Ita communis sententia. Quæ colligitur in primis ex S. Script. Ezech. 18. Isaiæ 30. Zachar. 1. quibus locis peccatoribus ad Deum se convertentibus venia promittitur absque ulla dilatione in certum aliquod tempus. Deinde ratio est: tum, quia Contritio, licèt in instanti fiat (sicut fieri potest, utpote actus spiritualis & indivisibilis) adhuc est vera Contritio. tum, quia Deus admisso peccato statim punit subtrahendo gratiam: ergo etiam verè dolenti de peccato statim confert gratiam remissivam nulla morâ temporis expectatâ: cùm non sit pronior ad puniendum, quàm ad miserendum & premiandum. tum: quia alioquin evenire posset, ut damnaretur homo verè contritus, si non attigisset illam durationem actûs, quam Deus determinàsset. Vid. Filliuc. tract. 6. cap. 9. n. 130. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. pu. 7. n. 2. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 2. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 4. §. 11. Cæterùm si sermo sit de actibus prærequisitis ad Contritionem, cujusmodi sunt actus Fidei, Spei, Timoris, & Dilectionis Dei, facilè patet, ordinariè esse opus aliquo tempore, ut homo per illos priùs elicitos ad actum perfectæ Contritionis progrediatur; atqueadeo Contritionem prout sumptam cum omnibus, quæ importat præsuppositivè non posse elici in momento, ut notat Filliuc. n. 129. Reding to. 7. q. 3. a. 2. controv. 5. n. 15.

11 Dico secundo. Ad perfectam Contritionem neque requiritur determinatus gradus intensionis. Ita rursus communis Doctorum cum D. Thoma in Supplem. q. 3. a. 1. Ratio est: quia certus gradus intensionis ad Contritionem neque requiritur ex natura rei, neque ex aliquo præcepto Divino, neque humano: ergo non requiritur. Conseq. patet. Ant. ostenditur. Non ex natura rei: quia ratio perfectæ Contritionis salvatur in quovis etiam infimo gradu intensionis. Non ex aliquo eorum præceptorum: quia neque ex S. Script. neque ex traditione, neque ex ulla alia sacra Authoritate constat, Deum in Contritione elicienda præscripsisse certum gradum intensionis. Multò minùs autem constat de aliquo præcepto humano.

12 Confirmatur primo. Ut gratia sit remissiva peccatorum, non requiritur in illa certa mensura intensionis: ergo nec talis mensura in Contritione requiritur, ut sit dispositio sufficiens ad istam gratiam. Confirmatur secundo. Quia sententia contraria viam aperiret infinitis scrupulis, imò homines in desperationem adduceret. cùm enim nullus sit dolor, qui non possit esse intensior, semper essemus anxii de sufficienti gradu doloris eliciti: imò semper existimaremus, nos præceptis Divinis non satisfacere, adeoque manere in statu peccati, quocunque demum motu voluntatis ad Deum converteremur. Vid. Filliuc. à n. 232. Bonac. n. 3. Mezger tr. 18. disp. 45. a. 2. n. 6. Quæ in duabus his Conclusionibus dicta sunt de Contritione perfecta, extendi debent etiam ad Attritionem intra Sacramentum.

Objices. Deus per peccatum mortale summè offenditur, nec potest illi condignè satisfieri à peccatore: ergo meritò in Contritione requiritur summa intensio, ut detestatio & dolor de peccato sit æqualis offensæ, utque peccator, cùm non possit præstare, quantum deberet, saltem præstet, quantum potest. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. quia summa intensio Contritionis, sive Contritio summè intensa, ita ut non possit dari intensior, est actu infinita, adeoque impossibilis: quam proinde Deus non potest exigerere à peccatore; sicut ex eodem capite non potest exigere condignam satisfactionem ab ipso præstandam. exigit tamen extra Sacramentum Contritionem summam appretiativè, ut brevi videbimus.

Neque dicas, requiri saltem Contritionem tam intensam, quàm intensa sunt auxilia gratiæ, quæ ad illam à DEO conferuntur. Nam respondeo neg. illatum: quia nullum hoc asserendi suppetit fundamentum ex aliqua Authoritate sacra. Accedit, quòd

quòd stante hoc tali asserto sequeretur, habentem pauciora peccata, instructum tamen intensiori auxilio, non fore justificandum, nisi eliceret Contritionem, quæ sua intensione æquaret intensionem auxilii; cùm econtra alius habens graviora & plura peccata, sed instructus auxilio minùs intenso, justificaretur, si Contritionem eliceret auxilio quoad gradus intensionis æqualem: quod planè videtur incredibile.

13 Dico tertio. Perfecta Contritio debet esse summa appretiativè. Ita colligitur ex S. Script. Joëlis 2. ubi pœnitentes jubentur ad Deum converti *in toto corde:* quod cùm non possit intelligi de conatu conversionis toto ac summo secundùm intensionem gradualem, sicut in Concl. proximè præced. probavimus, intelligendum est de conatu & & conversione summa secundùm appretiationem. Et ratio est: tum, quia dilectio, qua Deum tanquam summum bonum diligere jubemur; debet esse summa appretiativè juxta illud: *diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c.* ergo etiam detestatio & dolor, quibus in perfecta Contritione peccatum ceu malum oppositum DEO ut summo bono, aversari, & amoliri tenemur, debent esse summi appretiativè. tum, quia peccatum mortale est malorum omnium maximum: ergo debemus id detestari super omnia mala, deque illo habere dolorem maximum, non quidem secundùm physicam intensionem graduum, sed moraliter & secundùm appretiationem, ut in n. 9. explicuimus. Verùm ex dictis adhuc alia emergunt hîc breviter expedienda. Nam

14 Quæritur primo, an ad Contritionem appretiativè summam, ac detestativam peccati super omnia alia mala requiratur, ut pœnitens instituat comparationem, eamque expressam peccati cum eisdem malis, dicendo v.g malo vivus comburi, pati mortem acerbissimam, subire ipsas Inferni pœnas &c. quàm deinceps Deum graviter offendere? Respondeo, hoc non esse necessarium, sed sufficere comparationem implicitam & virtualem, vi cujus homo ita sit dispositus, ut, si qua comparatio inter malum peccati & malum pœnæ quodcunque veniret in mentem, magis aversaretur malum peccati, quàm malum pœnæ, aut aliud quodcunque. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 1. n. 7. Bonac. ubi suprà, n. 4. Mezger n. 9. Ratio sumitur à pari: quia ad dilectionem Dei appretiativè summam sufficit comparatio implicita & virtualis, quatenùs homo ita est dispositus, ut, si aliqua compatatio inter bonum increatum, & bonum creatum quodcunque menti occurreret, istud bono increato postponeret: ergo etiam ad Contritionem perfectam sufficit memorata comparatio virtualis. Accedit, quod ejusmodi comparationes expressas instituere sæpe non expediat, præsertim scrupulosis & fragilibus. Unde reprehendi merentur Confessarii, si pœnitentem interrogent, paratusne sit potiùs mori, descendere in Infernum &c. quàm peccatum admittere? hæc enim est tentatio difficulter superabilis; cùm fieri facilè possit, ut generatim paratus omnia pati potiùs, quàm peccare mortaliter non experiatur se paratum hoc aut illud malum in specie propositum & consideratum subire potiùs, quàm peccare mortaliter. mala quippe plùs terrent, si speciatim cogitentur, quàm si generatim animo obversentur, uti notat D. Thomas Quod lib. 1. a. 9.

Quæritur secundo, an pro singulis pec- 15
catis necessariæ sint singulæ seu speciales Contritiones? Respondeo, non esse necessarias, sed sufficere unam simplicem Contritionem ad omnia peccata se extendentem. Ita communis apud Filliuc. tr. 6. cap. 9. n. 216. Et habetur in primis ex dictis in n. 10. ubi probavimus, ad perfectam conversionem peccatoris instantaneam quoque Contritionem sufficere: qualis certè dari non posset, si singulis peccatis singulæ Contritiones correspondere deberent. Deinde, ratio ulteriùs est: quia vel peccator teneretur pro singulis peccatis elicere singulas Contritiones simul in uno instanti, vel successivè? Neutrum dici potest: non prius; quia est impossibile. non posterius; tum, quod etiam hac ratione multis peccatoribus diuturnis, & quibus superest admodum breve vitæ spatium, sua conversio redderetur impossibilis. tum, quòd etiam per unicum actum Contritionis perfectè convertamur ad Deum; cum finis præcepti Pœnitentiæ sit reconciliatio cum Deo, quæ per unicum quoque actum obtinetur. ad quid ergo opus pro singulis peccatis elicere aliam & distinctam Contritionem.

Objicies. Ut quis intra Sacramentum 16
Pœnitentiæ obtineat justificationem, requiritur pro singulis peccatis distincta & specialis Confessio: ergo similiter, ut quis extra Sacramentum istud justificetur per Contritionem perfectam, singulis peccatis sua specialis Contritio debet correspondere. Conseq. inde prob. quòd Sacramentum Pœnitentiæ ex institutione Christi subrogatum sit præcepto Contritionis perfectæ. Respondeo neg. Conseq. disparitas redditur ex natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod est institutum per modum judicii, in quo ut Judex prudenter possit ferre sententiam, necessaria est distincta & explicata cognitio causæ, adeoque & distincta cujuslibet peccati Confessio. cumque præterea Minister Pœnitentiæ simul sit Medicus animarum, distinctè debet cognoscere statum & morbos Pœnitentis, ad quod ipsi non sufficit una simplex & confusa omnium peccatorum Confessio. Neque obstat memorata subrogatio Sacramenti;

subrogatum est enim longè alio modo, nempe per modum judicii, in quo homo & in præsenti Deo reconciliatur, & munitur adversus peccata in futurum.

17 Quæritur tertio, an ad perfectam Contritionem necessaria sit distincta recogitatio peccatorum? Respondeo, non esse necessariam. Ita D. Thomas q. 28. de Verit. a. 5. ad 3. Filliuc. à n. 217. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 3. Reding to. 7. q. 3. a. 2. controv. 4. à n. 11. Card. de Lugo disp. 5. de Pœnit. sect. 7. n. 90. Mezger tr. 18. disp. 45. a. 3. n. 3. Oberascher de Pœnit. cap. 3. pag. 122. & alii. Ratio responsionis est: tum, quòd sæpe homini sit impossibile talem recogitationem instituere; ut, si quis repentè in articulum mortis deveniat. tum, quòd Matthæus, Zachæus, Paulus, & Magdalena statim justificati fuerint per Contritionem perfectam, ita ut moraliter seu humanitus loquendò non potuerint tam celeriter recogitare singula sua peccata. tum, quòd juxta PP. & Theologos, in quacunque hora peccator ingemuerit, veniam peccatorum consequatur, veluti promittit S. Script. Ezech. 18. & tamen frequenter nec integra hora sufficit, ut quis distinctè omnium peccatorum suorum recordetur.

Confirmatur. Obligatio talis distincti examinis & recogitationis neque datur ante instans Contritionis; neque in illo; neque post illud: ergo nunquam datur. Conseq. patet. Ant. ostenditur. Non ante; quia nullum sive ex S. Script. sive ex traditione habetur fundamentum hoc asserendi. Non in ipso instanti; quia tunc fieri non potest; cùm talis discussio conscientiæ requirat moram temporis. Non post illud; quia hic inquirimus de obligatione recogitandi peccata in ordine ad eliciendam Contritionem, & remissionem peccatorum obtinendam: qui finis cessat post elicitam perfectam Contritionem. Vid. Filliuc. num. 218. & 219. Mezger loc. cit.

18 Cæterùm ex aliis capitibus requiri quandoque distinctam peccatorum recogitationem, negari non potest. Nam primo requiritur, dum facienda est Confessio Sacramentalis. hæc enim extra casum extremæ necessitatis fieri debet promisso diligenti examine conscientiæ. Secundo, quando incumbit obligatio restituendi pro damnis per varias actiones, aut variis personis illatis. Tertio, dum quis experitur, proximas occasiones peccandi à se non posse amoveri sine speciali consilio cujusdam alterius, & proposito. Atque his modis intelligendi sunt Patres & DD. dum distinctam recogitationem peccatorum videntur exigere. In textibus autem S. Script. objici solitis tantùm indicatur, quid melius sit & perfectius, non autem, quid sit necessarium. Vid. Filliuc. n. 220. Mezger n. 4.

Quæritur quarto, an homo, ut perfectè conteratur, debeat unum peccatum magis detestari, quàm aliud? Respondeo affirmativè. Bonac. disp. 5. de Pœnit. q. 5. sect. 1. pu. 7. n. 5. Oberascher ubi suprà, pag. 125. secuti D. Thomam in supplem. q. 3. a. 3. Ratio est: quia unum peccatum magis opponitur Divinæ bonitati quàm alterum; ergo unum est magis detestabile quàm alterum. atqui, ut homo perfectè conteratur, debet peccata detestari, secundùm quod sunt detestabilia; sive secundùm meritum detestabilitatis eorum; quia debet detestari prudenter & ordinatè: ergo unum debet magis detestari quàm alterum. Neque dicas, omnia peccata mortalia sunt detestabilia in summo, sive appretiativè: ergo unum non est magis detestabile quàm alterum, respondetur enim, esse quidem omnia in summo detestabilia comparativè ad alia mala, quæ non sunt peccata, non autem, si fiat comparatio inter ipsa; sic enim unum esse detestabilius quàm alterum. Cæterùm istud augmentum majoris detestationis non semper est necessariò formale & explicitum; sed nunquam est solùm virtuale: velut insinuat D. Thomas loco cit. dicens de Contritione, quòd *habitualiter sit magis de uno, quàm de alio.* namly *habitualiter* ævo S. Doctoris sæpiùs idem erat quod virtualiter. 19

Quæritur quinto, an dolor de peccatis aliquando possit esse nimius? Respondeo, non posse secundùm se, & prout est actus elicitus voluntatis, unquam esse nimium quoad intensionem. Ita cum D. Thoma q. cit. a. 2. Mezger disp. cit. a. 2. n. 3. Oberascher pag. 127. & alii. Ratio est: quia hic dolor, seu Contritio pro regula habet amorem Dei: sicut ergo nunquam dari potest amor Dei nimis intensus: cùm Deus amari mereatur magis & magis in infinitum; ita nunquam dari potest Contritio nimis intensa, sive nimia quoad intensionem. Dixi tamen, *non posse secundùm se &c.* nam si loquamur de Contritione quantùm ad effectum, seu dolorem sensibilem vel afflictiones corporales, haud dubiè potest esse nimia, & vitiosa per excessum. *in his* enim (nempe dolore sensibili & afflictione exteriore) *debet accipi pro mensura conservatio subjecti, & bonæ habitudinis, sufficientis ad ea, quæ agenda incumbunt*, inquit D. Thomas loco cit. atqui hanc mensuram Contritio in corpus redundans, & quatenùs secumferens memoratos effectus, potest excedere; atque adeò esse nimia. 20

Circa dolorem sensibilem illud adhuc notari debet esse quidem utilem, & bonum, si haberi possit, non tamen necessarium ad Contritionem, nec sollicitè procurandum. Unde graviter decipiuntur, qui existimant, 21

so

se non esse verè contritos, nisi in ipso quoque corpore seu corde dolorem percipiant, lacrymis madeant, in gemitus erumpant. cùm tamen vera Contritio, utpote consistens in actu interno voluntatis, sine omnibus his talibus salvetur. Quòdsi tamen ejusmodi dolor tibi in promptu sit, noli eum elicere spectantibus, vel audientibus aliis, sed potiùs clàm, nulloque, præter Deum, admisso arbitro, juxta illud Psal. 4. *in cubilibus vestris compungimini.* cùm non tarò in hac re grave à Dæmone periculum immineat, vanæque gloriæ & superbiæ tum materia, tum argumentum insit, ut monet Stoz in trib. Pœnit. lib. 1. part. 2. q. 1. a. 4. n. 14.

§. III.

Quando elicienda sit Contritio?

SUMMARIUM.

22. Præceptum Pœnitentiæ aliquando per se obligat, aliquando per accidens. 23. Statuitur, illud per se obligare in articulo mortis, 24. dum quis sibi conscius est peccati mortalis, & deest facultas suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. 25. Idem præceptum non obligat statim post commissum peccatum. 26. Solvitur Objectio. 27. Similiter non obligat diebus Dominicis & Festivis. 28. Obligat per se etiam extra articulum aut periculum mortis. 29. Nulla tamen hîc datur certa determinatio temporis. 30. Quænam in hoc dilatio sit longa & notabilis? 31. 32. Corollaria.

22 NOtandum est, præceptum Pœnitentiæ, sicut aliarum virtutum, obligare vel per se, vel per accidens. Per se obligat, quando ratione proprii motivi, ac specificæ honestatis suæ obligat. Per accidens obligat, quando obligat ratione alieni motivi, sive propter conjunctionem cum alio præcepto, quod sine actu Pœnitentiæ impleri nequit: veluti contingit, dum aliquis suscipere vult Sacramentum vivorum, quod sine prævia Contritione dignè suscipere non potest. Quando præceptum Pœnitentiæ per se obligat, illius transgressio est speciale peccatum specialiter exprimendum in Confessione: secùs dicendum, quando per accidens solùm obligat: tunc enim ejus transgressio non est peccatum distinctum à transgressione præcepti per se obligantis, v. g. à peccato sacrilegii, & indignæ susceptionis in casu indicato.

23 Dico jam primo. Præceptum Contritionis per se obligat in articulo mortis, vel etiam in probabili periculo ejusdem, dum quis habet conscientiam certam, vel negativè dubiam gravis peccati, & deest facultas recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio primæ partis est: quia quilibet tenetur satisfacere alteri eo tempore, quo versatur in certo periculo, ne postea satisfacere non possit: sed in articulo mortis est certum periculum, ne peccator postea pro peccatis suis Deo satisfacere non possit: ergo tenetur tunc satisfacere. Atqui non potest in casu nostro satisfacere, nisi eliciendò Contritionem perfectam: ergo. Ratio secundæ partis est: quia morale & probabile periculum vitæ æquivalet articulo mortis: adeoque homo ex eodem præcepto tenetur Deo satisfacere pro peccatis in hoc tali periculo, ex quo tenetur in periculo physicè certo. vid. Reding to. 7. q. 3. a. 3. controv. 3. n. 18. Mezger tract. 18. disp. 45. a. 4. n. 4. Illud autem censetur ejusmodi morale & probabile vitæ periculum, in quo plures solent occumbere, velut in longa & periculosa navigatione, grassante vicina peste; item in accessu pestiferorum, in prælio &c.

Dixi verò primo, *dum quis habet con-* 24
scientiam certam &c. nam qui nullius peccati mortalis sibi conscius est, eò quòd paulò antè susceperit v. g. Sacramentum Pœnitentiæ, sicque remissionem peccatorum obtinuerit, non tenebitur elicere Contritionem, licèt idem Sacramentum susceperit cum mera Attritione, etiam cognita ut tali, veluti probabiliùs docent Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 2. n. 6. Card. de Lugo disp. 7. de Pœnit. sect. 13. Salmantic. de Pœnit. tract. 6. cap. 1. pu. 5. à n. 39. contra Valent. Suarez, Thomam Sanchez & alios. Dixi secundo, *& dum deest facultas &c.* quia enim Deus in nova Lege acceptat minorem satisfactionem pro peccatis, quàm in antiqua, in quantum id, quod deest perfectioni satisfactionis, suppletur ex meritis Christi, quæ per Sacramenta mortuorum nobis applicata ad remissionem peccatorum operantur, ideo, habitâ in casu nostro copiâ confitendi, ad obtinendam justificationem, & præstandam Deo satisfactionem sufficit ex parte peccatoris Attritio cum Sacramento, ut pluribus docebimus in artic. proximo.

Dico secundo. Præceptum Contritio- 25
nis non obligat statim post commissum peccatum; sicut docuerunt Maironius, Argentinas & alii apud Card. de Lugo. Ratio est: tùm, quòd præceptum istud sit affirmativum; adeoque more aliorum similium præceptorum non statim, sed certo tantùm tempore obligare meritò censeri debeat, prout obligare in articulo mortis jam dictum est. tum, quòd neque Confessarii interrogare, vel examinare pœnitentes, an statim post peccatum admissum elicuerint Contritionem, neque pœnitentes ipsi de hoc accusare soleant. Ex quo patet, nullam in praxi Ecclesiæ ejusmodi obligationem agnosci.

26 Objicies. Qui post peccatum mortale à se commissum non statim elicit Contritionem, vult statum peccati mortalis, saltem virtualiter & interpretativè: cùm omittat adhibere medium necessarium ad tollendum ejusmodi statum. Ergo, nisi tunc statim eliciat Contritionem, peccat mortaliter. Respondeo neg. Ant. Nam, ut docuimus *de Actibus hum.* effectus ex omissione alicujus actus consequens non censetur virtualiter & interpretativè voluntarius, nisi illi, qui non solùm potest, sed etiam tenetur exercere actum omissioni oppositum. Cùm proinde is, qui peccavit mortaliter, non teneatur statim elicere actum Contritionis; sicut probavimus; non est censendus velle virtualiter aut interpretativè statum peccati ex ejusdem omissione sequentem.

27 Dico tertio. Præceptum Contritionis neque obligat diebus Dominicis aut festivis. Ita communis contra Marsilium, Petrum Soto & alios quosdam. Ratio est: quia nullum id asserendi habetur sufficiens fundamentum. Præcepto namque sanctificandi eos dies satisfacimus, si ab operibus servilibus nos contineamus, Missamque reverenter audiamus, ad quorum neutrum necessaria est Contritio. Accedit, quòd Christi fideles de omissione Contritionis in diebus festis neque se accusare, neque à Confessariis de illa tunc elicita, vel non elicita interrogari soleant: quod satis indicat, nullum exstare præceptum illis diebus eliciendi Contritionem. Neq; juvat dicere, finem præcepti de observatione festorum esse, ut animæ fidelium per sanctitatem Deo magis conjungantur, nam contra est communis regula Moralistarum, quòd finis præcepti non cadat sub præceptum, nisi aliud exprimatur. Vid. Salmantic. n. 49. Mezger ubi suprà n. 5.

28 Dico quarto. Præceptum Contritionis per se obligat etiam extra articulum, vel periculum mortis. Ita Card. de Lugo disp. cit. sect. 11. 234. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 3. n. 9. Laym. ubi suprà, n. 6. Salmantic. n. 52. Mezger n. 7. & alii, estque hæc sententia probabilior oppositâ. Ratio est primo, quia non citra gravem Dei offensi contemptum fieri posse videtur, ut quis per totam vitam in ejus inimicitia velit perseverare, nec uti medio reconciliationis tam obvio & expedito, quale est Contritio. Ratio est secundo. quia præceptum dilectionis Dei obligat per se etiam extra articulum vel periculum mortis, ut in præsenti supponitur ex pridem dictis hoc opere *de Præcept. Decal.* ergo etiam præceptum Contritionis sic obligat. Conseq. prob. quia non minor apparet obligatio præcepti Contritionis in peccatore, quàm præcepti dilectionis in quovis adulto; maximè, cùm Contritio includat dilectionem, & ista inferat eandem tanquam causa suum effectum.

Confirmatur primo. Qui diu manet in statu peccati mortalis, versatur in proximo periculo iterum peccandi. cùm homo diu privatus gratia, & aversus à fine ultimo non possit non facillimè incidere in nova peccata. Ergo hanc talem permanentiam per Contritionem abrumpere tenetur. Confirmatur secundo. Qui dolorem de peccatis differunt usque in articulum mortis, plerumque ideo tunc dolent, quòd velint evadere æternam damnationem, & non ideo, ut Deo satisfaciant pro peccatis. Sed hoc est contra præceptum Contritionis, quod per se primò tendit ad satisfaciendum Deo pro injuriis illatis: & consequenter huic præcepto non potest satisfieri præcisè in articulo & periculo mortis.

Quòd si jam scire velis primo determina- 29
tionem temporis extra articulum vel periculum mortis, quo istud præceptum per se obliget, respondeo, nullam dari ejusmodi certam determinationem, probabile tamen esse, quod docet Henriquez, quem refert & sequitur Mezger n. 10. peccatorem teneri ad eliciendam perfectam Contritionem, quando ipsi cum remorsu Conscientiæ, Divinoque instinctu gravitas & magna multitudo peccatorum, ac præterea notabilis diuturnitas temporis, quo jam versatur in pessimo hujusmodi statu, practicè repræsentatur.

Si nosse velis secundo, quodnam in præ- 30
senti sit longum dilationis tempus; respondeo, Authores de hoc non convenire. Aliqui, quos refert & sequitur Henriquez apud Salmantic. censent, Contritionem ultra quinquennium differri non posse sine peccato mortali. Castropal. ubi suprà existimat, non posse differri ultra tres vel quatuor annos. Salmantic. loco cit. Mezger n. 8. & alii tenent, integrum annum esse hîc tempus satis longum: proindeque mortaliter peccaturum eum, qui recordans, se spatio totius anni in mortali peccato versatum nollet de illo pœnitentiam agere. Hæc sententia & nobis placet.

Corollarium I. Quamvis ex dictis in 31
n. 25. præceptum Contritionis non obliget, ut quis statim, postquàm peccavit, Contritionem eliciat, consultissimum tamen est, ac homine vel modicam salutis suæ curam gerente dignissimum eam quamprimùm elicere. Ratio est: quia peccatori, nisi quàm citissimè in pristinam cum Deo gratiam redire totis viribus connitatur, meritò timendum est, ne in horrendas ejus, quem graviter offendit, manus incidat, & fortè adhuc hodie, hac hora, hoc momento è vivis abreptus æternæ damnationis sententiam subire cogatur. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eccl. 5.

Corol-

32 Corollarium II. Fideles præcepto Pœnitentiæ, quod n. 28. asseruimus, meritò credendi sunt satisfacere, si annuam Confessionem ab Ecclesia præceptam peragant. Ita Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 2. n. 6. Castropal. n. 10.

Ratio est: quia licèt id Sacramentum suscipiant non contriti, sed attriti solùm; Attritio tamen cum Sacramento idem præstat, quod Contritio extra Sacramentum; sitque tunc homo ex attrito contritus.

ARTICULUS III.

De Contritione imperfecta, sive Attritione.

§. I.

An Attritio ex metu Gehennæ sit actus laudabilis & honestus?

SUMMARIUM.

1. Attritio, qualem hîc requirimus, debet esse supernaturalis. 2. Duplex timor servilis. 3. 4. 5. Statuitur sententia affirmans, & repelluntur responsiones contrariæ. 6. 7. 8. Asseritur ulteriùs eadem sententia. 9. 10. 11. 12. Solvuntur Objectiones. 13. Etiam Attritio concepta ex metu pœnarum temporalium est actus honestus & supernaturalis, si pœnæ illæ repræsententur tanquam à Deo justo Judice intentatæ. 14. Similiter Attritio ex metu amittendi beatitudinem concepta est actus supernaturalis. 15. Aliud sentiendum de dolore, quem quis elicit, quia peccatum est dissentaneum naturæ rationali.

1 NOtandum est primo, Attritionem utilem ad remissionem peccatorum intra Sacramentum debere esse intrinsecè & in entitate supernaturalem. Ratio est: quia non potest aliquid naturale esse dispositio ad gratiam supernaturalem: sed Attritio utilis ad remissionem peccatorum est dispositio ad gratiam supernaturalem intra Sacramentum obtinendam, ut constat ex Concil. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 4. ergo debet esse intrinsecè & in entitate supernaturalis. maj. inde prob. quòd dispositio & forma debeant esse in eodem ordine: sicut rectè arguitur contra Semipelagianos, qui volebant, opera merè naturalia disponere ad gratiam.

2 Notandum est secundo, timorem servilem esse illum, qui ex amore concupiscentiæ oritur, & magìs horret pœnam, quàm culpam & offensam. in quo differt à timore filiali. hic enim oritur ex amore amicitiæ & reverentia erga aliquem, & principaliùs fugit culpam & offensam, quàm pœnam. Porrò timor servilis alius dicitur specificativè, seu negativè, alius reduplicativè, seu serviliter servilis. Prior est, qui quidem respicit pro objecto proximo malum pœnæ; efficaciter tamen excludit affectum peccandi; neque excludit alia quoque motiva detestandi peccata. Posterior est, qui ita respicit malum pœnæ, ut tamen non excludat absolutè & efficaciter affectum peccandi, sed inefficaciter tantùm, sitque conjunctus cum conditionata voluntate peccandi, si pœna non esset: sicut in illo, qui metu mortis merces in mare projicit est voluntas conditionata eas retinendi, si periculum mortis abesset. Nunc

Dico. Attritio ex metu gehennæ con- 3
cepta est actus laudabilis & honestus. Ita definitum est à Concil. Trid. loco cit. contra Lutheranos, qui damnant hunc talem dolorem, ajuntque, eum facere homines hypocritas, & magìs peccatores. Verba Concilii sunt: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat* (nempe Concilium) *non solùm non facere hominem hypocritam & magìs peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

Neque dicas primo, Concilii sermonem esse de Attritione habente adjunctam dilectionem, qua peccatores post fidem & spem Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ideoque per odium aliquod ac detestationem adversùs peccata moventur: sicut dicitur sess. 6. de Justific. cap. 6. Nam contra est, etiam concesso (quod tamen negamus) ejusmodi dilectionem esse necessariam ad justificationem in Sacramento, quòd juxta Concilium Attritio ex metu gehennæ concepta secundùm se disponat ad gratiam: ex quo manifestè infertur, esse actum bonum ac motum supernaturalem: cùm actus malus aut naturalis nullo modo ad justificationem possit disponere.

Neque dicas secundo, Concilium lo- 4
qui de Attritione habente annexam justificationem; adeoque de Attritione concepta ex metu gehennæ & simul ex motivo Charitatis. utitur enim exemplo Ninivitarum, dum ait, *eos hoc timore utiliter concussos ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egisse, & misericordiam à Domino impetrâsse.* certum est autem;

autem, Ninivitas non potuisse justificari sine dilectione Dei. Respondetur enim, per misericordiam, quam Ninivitas impetrâsse dicit Concilium, non intelligi justificationem, sed liberationem ab excidio urbis; ad quam impetrandam non erat necessarius dolor de peccatis ex motivo dilectionis Dei conceptus. Accedit, quòd Concilium illo exemplo non voluerit ostendere, an, & qualis Contritio sit necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed solùm, quòd Contritio imperfecta, sive Attritio ex puro gehennæ metu concepta sit motus liberi arbitrii bonus & utilis.

6 Prob, jam statuta veritas primo ex verbis Christi apud Lucam 12. dicentis: *Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete.* Ex quibus ita licet colligere. Metus gehennæ est laudabilis & rectæ rationi conformis; quippe quem Christus ipse nobis commendat & inculcat; ut primùm audivimus: ergo etiam ex hoc metu concipere dolorem de peccatis est laudabile & rectæ rationi conforme. Conseq. prob. ex eo, quòd dolor de peccatis virtualiter contineatur in illo metu: cùm eo ipso, quòd quis timeat pœnam gehennæ, quam videt sibi imminere ex gravitate culpæ, determinetur ad detestationem culpæ ad dolorem de illa. Eandem veritatem confirmat Authoritas SS. Patrum, quos videre est apud Gonetium to. 5. tr. 5. disp. 7. a. 3. n. 32. & alios.

7 Prob. secundo ratione. Quando laudabilis & honestus est appetitus alicujus boni, etiam laudabilis & honesta est fuga mali oppositi: sed appetitus boni, cui tanquam malum opponitur pœna gehennæ, seu damnatio æterna, est laudabilis & honestus; ergo etiam laudabilis & honesta est fuga mali oppositi, quod est pœna gehennæ. Atqui hæc fuga est metus gehennæ; ergo hic metus est laudabilis & honestus: & consequenter etiam dolor sive Attritio de peccatis ex eodem metu concepta est laudabilis & honesta. maj. facilè constat: quia fuga seu odium alicujus mali sumit suam honestatem vel inhonestatem ex bono, cui tale malum opponitur: malum quippe ratione boni fugitur & odio habetur. mi. similiter liquet: quia bonum, cui tanquam malum opponitur pœna gehennæ, est ipsa vita æterna & ultima nostra beatitudo, quam appetere est utiq; laudabile & honestũ.

8 In confirmationem horum omnium accedat rursus Authoritas Concilii Trid. sess. 6. can. 8. execrantis illum, *qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere.* item sess. 14. can. 5. illum, *qui dixerit, dolorem ex gehennæ metu conceptum non esse utilem, nec præparare ad gratiam:* sicut & illum, *qui dixerit* eam Contritionem *esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium.* Et cap. 4. eadem sess. appellantis eam *donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum:* quod etiam in n. 3. audivimus.

9 Objicies primo. Timor servilis est turpis & inhonestus: sed timor gehennæ est servilis; ergo est turpis: & consequenter etiam dolor de peccatis ex illo procedens est turpis & vitiosus. mi. constat. maj. prob. ex eo, quòd timor servilis saltem virtualiter includat hunc actum: *si peccatis non esset statuta pœna, peccarem.* Qui actus procul dubio est turpis & vitiosus. Respondeo neg. maj. intellectam de omni timore servili. alioquin falsum esset dictum D. Thomæ 2. 2. q. 19. a. 4. *Timor servilis secundùm suam substantiam bonus est.* & D. Bonavent. Opusc. de Grat. sanctif. lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritus Sancti est. Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat.* Malè quoque dixisset S. Augustinus serm. 13. *de verb. Apost. Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Atque in illo sensu universali negatur etiam probatio maj. quòd nempe omnis dolor servilis includat actum illum conditionatum. hoc enim est solùm verum de timore serviliter servili, cujus in n. 2. meminimus.

10 Objicies secundo. Ille actus est malus & vituperabilis, quo quis magìs dolet de pœna, quàm de culpa: sed per Attritionem ex metu gehennæ conceptam quis magìs dolet de pœna, quàm de culpa; ergo hæc Attritio est mala & vituperabilis. maj. patet. quia hoc est magìs dolere de minori, quàm de majori malo, quod repugnat dictamini rectæ rationis. mi. ex eo prob. quòd per Attritionem quis doleat de culpa propter pœnam. *propter quod autem unumquodque tale, & illud magis,* ut dixit Aristoteles. Respondeo primo conc. maj. neg. mi. hujus probat. dist. per Attritionem quis dolet de culpa propter pœnam, ly *propter* dicente occasionem extrinsecè solùm excitantem conc. rationem motivam finalem, neg. Unde non procedit hîc illud: *propter quod unumquodque &c.* Itaque nec malum pœnæ, nec turpitudo peccati habet rationem objecti formalis motivi, aut finis relatè ad actũ Attritionis, sed utrumque impropriè & occasionaliter solùm excitat voluntatem, ut dolorem de peccatis eliciat propter aliud verum motivum, nempe vel propter bonitatem æternæ beatitudinis, vel propter honestatem virtutis oppositæ. Et ratio est: quia nullum malum sub ratione mali, sed solum bonum potest esse formale motivum voluntatis.

Respondeo secundo dist. maj. ille actus est malus, quo quis magìs dolet comparativè de pœna, quàm de culpa, conc. magìs præcisivè, neg. maj. sed per Attritionem ex metu gehennæ con-

conceptam quis magis dolet præcisivè de pœna, quàm de culpa, conc. magis comparativè, neg. mi. & conseq. Igitur attritus ex metu gehennæ hîc & nunc magis aversatur pœnam quàm culpam; quia illius gravitas & acerbitas vivaciùs repræsentatur, quàm gravitas culpæ; præscinditque à motivis, propter quæ magis dolendum est de culpa, quàm abhorrendum à pœna: idem tamen nullam instituit expressam comparationem inter istas, ita ut facta etiam ejusmodi comparatione magis odio habeat pœnam quàm culpam (quod esset contra dictamen rectæ rationis) sed est ita constitutus, ut propter alia motiva, quæ non excludit positivè actus Attritionis hîc & nunc elicitus, possit magis detestari culpam, magisque de illa dolere, quàm de pœna gehennæ: in quo nihil vituperabile, aut regulis rectæ rationis dissentaneum reperitur.

11 Objicies tertio. Qui dolet de peccatis propter metum gehennæ, ordinat majus bonum ad minus bonum, nempe evitationem culpæ ad evitationem pœnæ: sed hoc est contra ordinem rectæ rationis; ergo. Respondeo dist. maj. ordinat majus bonum ad minus bonum tanquam ad finem proximum, conc. tanquam ad finem ultimum, neg. & hoc quidem posterius est contra ordinem rectæ rationis, non autem illud: quod ostendi posset multis exemplis. sufficiat unicum de Incarnatione Verbi, quam, Christumque ipsum à Deo fuisse ordinatum ad nostram salutem, utique bonum longè minus & inferius. Itaque attritus ex metu gehennæ non ordinat suum dolorem ad evitatationem gehennæ tanquam ad finem ultimum, sed ulteriùs respicit Deum ceu supremum Judicem ac vindicem peccatorum, quem hoc ipso indirectè saltem timet, quòd timeat gehennam ab eodem ordinatam ad peccatores impœnitentes æternùm puniendos.

12 Objicies quarto. Qui operatur ex metu, nollet operari, si metus abesset: sicut ex metu naufragii projiciens merces nollet eas projicere, si ille metus abesset: ergo observans legem Divinam ex metu gehennæ nollet observare illam, si non daretur gehenna. Atqui hic talis actus est malus; cùm includat affectum, & animum peccandi, si pœna non esset: ergo etiam malus est timor gehennæ, sicut & dolor de peccatis inde conceptus, in quibus involvitur ille actus cum conditionata voluntate peccandi. Confirmatur. Dolere de peccatis ex metu gehennæ est involuntarium, saltem secundùm quid. metu enim causat ejusmodi involuntarium, ut diximus *de actib. hum.* Ergo est dolor vitiosus, utpote includens voluntatem non dolendi, si gehenna non esset timenda.

Respondeo ad Object. Ant. non esse vegum universaliter. quia metus potest ita movere ad operandum, ut tamen non excludat positivè aliud motivum operandi, sed ab eo præscindat. in quo aliquo casu potest voluntas moveri ad operandum ex motivo mali, quòd metuit, quin cessante hoc motivo nollet operari. Declaratur hæc res exemplis. Sic Clericus v. g. qui recitat Horas ex motivo præcepti obligantis ipsum, non rectè dicitur habere animum eas non recitandi, si præceptum non urgeret. Similiter, qui Deum amat ex motivo gratitudinis ob certum aliquod beneficium acceptum, non est ita animô comparatus, ut ipsum non amaret, si beneficium non accepisset. Ille præterea, qui pauperi Sacerdoti dat eleemosynam ex motivo Religionis, non excludit animum eam dandi ex motivo Misericordiæ, si pauper ille non esset Sacerdos. Ex quibus proinde patet, voluntatem posse moveri ad dolendum de peccatis ex motivo evitandi gehennam, quin tamen habeat affectum non dolendi de illis ex alio motivo, vel in eisdem perseverandi. Ad illud quoque de projiciente merces patet disparitas. cùm enim merces sint ipsi utiles, habet animum eas non projiciendi, si periculum naufragii abesset, ita ut excludat omne aliud motivum projiciendi. At verò peccatum, licèt ob suam delectabilitatem alliciat, ob magnitudinem tamen mali, quod ex illo imminere sibi videt peccator, retrahit voluntatem à sui amore. Unde dolens de illo ex metu gehennæ non potest præsumi habere animum non dolendi, aut peccandi, si id, quod metuit, non daretur.

Dices. Utilitas mercium ità allicit projicientem, ut etiam cum absoluta voluntate projiciendi ipsaque projectione earum habeat affectum conditionatum retinendi easdem: ergo similiter delectabilitas peccati ita allicit peccatorem, ut etiam cum absoluta voluntate id abolendi per dolorem ex metu gehennæ, ipsoque hoc tali dolore retineat affectum conditionatum, & simplicem saltem complacentiam erga illud. Respondeo neg. conseq. ratio discriminis est: quia mors temporalis, ex cujus metu quis projicit merces, non imminet ex ipso projicientis affectu erga illas, sed oritur & impendet à causis exterioribus: adeoque mirum non est, quòd cum absoluta voluntate projiciendi, ipsaque projectione consistat voluntas quædam inefficax & conditionata retinendi merces. Atqui pœna gehennæ, ex cujus metu quis dolet de peccato, ex ipso affectu ob delectabilitatem peccati concepta, & complacentia de illo imminet. repugnat autem, ut quis absolutè & efficaciter velit sublatum aliquod malum, & non hoc ipso deponat omnem affectum erga objectum dum cognoscit, ejusmodi affectum esse infallibilem radicem & causam illius mali. Ad Confirmat. respondetur neg. Ant. supposito, quòd quis doleat sine positivo animo non dolendi,

lendi, aut peccandi, si metus gehennæ abesset, ut hîc supponimus. tunc enim metus non causat involuntarium etiam secundùm quid.

13 Ex dictis infertur primo, Attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium esse itidem actum honestum & supernaturalem, dummodò ejusmodi pœnæ repræsententur voluntati tanquam à Deo justo Judice in vindictam scelerum intentatæ. Ratio est: quia Concil. Trid. sess. illa 14. cap. 4. dicit, Attritionem, qua pœnitens adjutus viam sibi parat ad justitiam, eumque ad gratiam impetrandam disponit, esse illam, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu concipitur. Ubi per ly *pœnarum*, nisi dicamus esse superfluè adjectum, aliquid aliud significatur, quàm cruciatus gehennæ. sed quidnam hoc aliud, nisi pœnæ temporales? Vid. Viva par. 3. damnat. Thesium, in prop. 15. n. 12.

14 Infertur secundo, illam quoque Attritionem, quæ ex metu amittendi beatitudinem concipitur, esse actum supernaturalem, & utilem ad salutem. Ratio est: quia hoc tale motivũ per fidem proponitur, adeoque actum reddit supernaturalem. Dignius quoque idem motivum est, quàm motivum ex metu pœnarum; sicut dignior est mercenarius, qui ad operandum movetur spe mercedis, quàm servus, qui movetur metu pœnarum, ut notat Cassianus, quem refert. Viva n. 10.

15 Infertur tertio, eum, qui dolet de peccato, v. g. de adulterio, quia turpitudo illius est dissentanea naturæ rationali, non atteri Attritione supernaturali & utili ad impetrandam justificationis gratiam. Ratio est: quia istud tale motivum non est supernaturale, proindeque actum non reddit supernaturalem; sicut ex eodem capite dolorem de peccato non reddit supernaturalem motivum infamiæ subeundæ, si propter hanc præcisè eliciatur. Quare, ut Attritio ex consideratione turpitudinis peccati concepta sit supernaturalis, debet eam turpitudinem attingere cum aliquo respectu ad Deum offensum, ut aliqui volunt, vel ad honestatem virtutis supernaturalis cujusdam oppositæ; ut n. 10. in 1. resp. indicavimus. Vid. Card. de Lugo disp. 5. de Pœnit. sect. 9. n. 142. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 2. n. 242. Viva n. 14.

§. II.

An Attritio intra Sacramentum sit sufficiens dispositio ad justificationem?

SUMMARIUM.

16. *Attritio extra Sacramentum nunquam est dispositio sufficiens ad justificationem.* 17. *Referuntur sententiæ.* 18. *Asseritur, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non requiri Contritionem perfectam.* 19. *Concluditur ulteriùs & probatur ex Concil. Trid. ad justificationem in hoc Sacramento obtinendam sufficere meram Attritionem sine ulla dilectione Dei super omnia.* 20. *Refellitur responsio adversa.* 21. *Alia probatio statutæ sententiæ.* 22. 23. *Occurritur responsionibus contrariis* 24. 25. *& seqq. Solvuntur Objectiones.* 30. *Quo sensu Catechismus Romanus dicat, Contritionem delectivam peccati debere esse vehementem, acrem &c.* 31. *Potest adultus in hac Lege Gratiæ aliquando salutem consequi sine actu dilectionis Dei.* 32. *Ex sententia requirente ad Sacramentum Pœnitentiæ aliquam formalem dilectionem Dei sequitur, idem Sacramentum esse inutile ad remissionem peccatorum.* 33. 34. *Ad justificationem in hoc Sacramento sufficit Attritio etiam cognita ut talis.* 35. *Et quidem in articulo quoque mortis per se loquendo.*

SUpponitur ex Concil. Trid. loco postea 16
referendo, & jam in priori §. relato, Attritionem extra Sacramentum nunquam esse dispositionem sufficientem ad justificationem. Ratio est: quia proxima & ultima, adeòque sufficiens dispositio ad justificationem debet esse motus voluntatis, quo homo perfectè convertatur in Deum ut ultimum finem, & satisfaciat pro peccato, quatenùs est offensa & injuria Deo illata: sed Attritio non est talis motus sive actus voluntatis; quia pro suo motivo formali proximo tantùm habet vel honestatem virtutis oppositam turpitudini peccati, vel bonitatem propriæ beatitudinis oppositam damnationi æternæ; vel aliud quid inferius motivo bonitatis Divinæ. ex quibus sanè motivis neque perfecta conversio in Deum ut ultimum finem, neque satisfactio pro offensa mortali procedit, sed actus illis longè inferiores, & separabiles à statu gratiæ & charitatis.

Hoc supposito, prima sententia, quæ fuit 17
quorumdam Antiquiorum Concilio Trid. docet, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ requiri perfectam Contritionem, & non sufficere Attritionem. Secunda sententia est Theologorum nonnullorum Belgarum, quæ placuit etiam Card. Pallavicino, & Contensonio, atque in magno hodie disputationum ac lucubrationum strepitu versatur. Hæc contendit, illam tantùm Attritionem sufficere in Sacramento, quæ adjunctam habet aliquam dilectionem Dei super omnia, non quidem intensam, sed remissam saltem, ac debilem. intensam quippe ipsi quoque hujus sententiæ patroni concedunt se sola sufficere ad justificandum sine Sacramento. Tertia sententia, quæ est Soti Navarri, & aliorum, licèt non requirat aliquem motum dilectionis Dei, judicat tamẽ, non sufficere Attritionem cognitam ut talem, sed

sed esse necessarium, ut pœnitens existimet, se esse perfectè contritum: quia putant hi Autores, conatum eliciendi Contritionem in suscipiente Sacramentum esse de præcepto.

18 Dico jam primo. Ad valorem Sacramenti non requiritur Contritio perfecta. Ita hodie certissima sententia ex Concil. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 4. ubi docet, *Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur.* Ex quibus ista ratio sumitur. Illud non requiritur necessariò ad Sacramentum reconciliativum, quod pro priori ad ipsum per se, & ex natura sua reconciliat hominem cum Deo: atqui hoc ita præstat Contritio perfecta; ut docet Concilium; ergo non requiritur necessariò ad Sacramentum reconciliativum. Sed Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum ex institutione, sua reconciliativum; ergo &c. Totus iste discursus est legitimus. maj. tamen inde ostenditur, quòd alioquin Sacramentum, quod dicitur reconciliativum, esset reconciliativum, ut sonat hæc denominatio; & simul non esset; quia per se supponeret reconciliationem jam causatam ab aliquo priùs reconciliativo.

19 Dico secundo. Ad justificationem in Sacramento obtinendam sufficit mera Attritio sine ullo motivo & actu dilectionis Dei super omnia. In communissima & moraliter certa sententia. Quæ prob. primo validissimè ex Concil. Trid. loco cit. illis verbis: *Et quamvis* (Attritio nempe) *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ex quibus verbis tale argumentum consurgit. Concilium docet, Attritionem esse dispositionem ad justificationem in Sacramento impetrandam: ergo juxta idem Concil. vel est dispositio remota, vel proxima. Non remota, seu mediata, quasi immediatè ad Contritionem perfectam, & per hanc ad gratiam disponat: quia Concilium clarè dicit, Attritionem esse dispositionem majori causalitate & efficacia præditam in Sacramento, quàm extra Sacramentum: ergo non tribuit eidem rationem dispositionis remotæ ad justificationem in Sacramento; cùm remotè & mediatè disponere ad justificationem illi conveniat etiam extra Sacramentum. Superest igitur, ut inferamus ex doctrina Concilii, Attritionem esse dispositionem proximam per se sufficientem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.

20 Respondent, esto Concilium doceat, Attritionem in Sacramento proximè disponere ad justificationem, non tamen docere, quòd ita disponat secluso formali dilectione Dei, sed supponere, quòd ita disponat ut ab ea procedens & informata.

Verùm ista responsio multipliciter revinci potest. Primo quidem, quia Concilium loquitur de Attritione, quam contraponit Contrioni charitate perfectæ: sed Attritio contraposita Contritioni charitate perfectæ non procedit ex dilectione Dei super omnia; ergo non loquitur de Attritione, quæ procedit ab hac dilectione.

Secundò. quia Concilium docet, illam Attritionem in Sacramento proximè disponere ad justificationem, quam Lutherus, aliique hæretici asserebant, esse malam, esse inutilem, facere hominem hypocritam, non esse liberam: sed hæc talia illi non asserebant de Attritione; quæ procedit ex motivo charitatis: hoc enim ex illorum libris minimè ostendi potest; ergo.

Tertio. quia Concilium illam Attritionem approbat tanquam dispositionem sufficientem in Sacramento, quæ est à Spiritu S. nondum inhabitante, sed movente: atqui Attritio charitate informata est à Spiritu Sancto inhabitante, & non solùm movente; ergo.

Quarto. quia, si Concilium sensisset, Attritionem se solà, & absque aliquo motu dilectionis Dei non esse dispositionem proximam sufficientem ad justificationem in Sacramento, id minimè tacuisset, sed expressè requisivisset etiam dilectionem, sicut requisivit spem veniæ, & propositum non peccandi. cùm alioquin in tradenda doctrina omnibus Christi fidelibus maximè necessaria processisset modo manco, & deceptorio, quod cogitare nefas est. quia utique Sacra Synodus meminerit, in cit. sessionis ingressu se promisisse, quòd de Sacramento Pœnitentiæ *exactiorem & pleniorem definitionem* tradere velit.

Prob. eadem Concl. secundo. Quia, si ad 21
dolorem sufficientem in Sacramento Pœnitentiæ requiritur aliqualis illa dilectio Dei super omnia, quam requiri contendit sententia contraria, pœnitens semper justificaretur, priusquàm idem Sacramentum susciperet: sed hoc admitti non potest; ergo nec id, unde sequitur. min. in primis ostenditur: quia hac ratione Sacramentum Pœnit. quod est mortuorũ, in nullo differret à Sacramentis vivorum: cùm nunquã per se conferret, imò nec posset conferre, plus, quam secundam gratiam; sed semper supponeret per se in pœnitente primam gratiam, seu vitam gratiam jam aliunde recuperatam, quod est proprium Sacramentis vivorum. Lex quoq; gratiæ, quantum ad obtinendam remissionem peccatorũ, esset rigidior lege Mosaica, aut naturæ, in quibus sufficiebat perfecta Contritio, aut dilectio Dei super omnia sine Confessione Sacramentali. unde lex Christi non posset cum veritate dici jugum suave & onus leve. Inaniter præterea Julius Papa in cap. *Si Presbyter.* 26. *q.* 61. dixisset: *Si Presbyter Pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Nam si moribundus justificatur

ficatur ante Absolutionem, salvabitur, tametsi eam denegaverit Confessarius. quomodo ergo reus erit aliquando animarum, aut esse poterit? Nunc seq. maj. itidem probatur: tum, quia in S. Script. dilectioni universim promittitur justificatio, ut Joan. 14. *Qui diliget me, diligetur à Patre meo.* & Joan. 4. *Omnis qui diligit, ex DEO natus est.* Neque ostendi potest ullo modo, hanc talem promissionem in sacro aliquo textu restringi ad dilectionem elicitam cum intensione tanta, vel tanta, ut exclusivam omnis alterius motivi cum Divina bonitate simul moventis. Tum etiam, quia dilectio Dei, sive supponatur esse debilis aut remissa, sive intensa, est semper vera dilectio, & ejusdem speciei; adeoque semper ad justificationem sufficiens. & consequenter, si aliqualis etiam, sive debilis Dei dilectio requiritur in pœnitente, is semper justificabitur, antequàm sacramentaliter absolvatur.

22 Neque dicas primo, dilectionem, ut ad justificationem sufficiat, debere esse ex toto corde, & non ex corde diviso, talem autem non esse, si sit aliqualis tantùm, ac debilis, aut compatiatur aliud motivum inferius bonitate Divina. Non enim per ly *ex toto corde* significatur intensio physica dilectionis secundùm gradus & gradus, sed summa appretiatio moralis, secundùm quam quis Deum præfert omni bono, quod Deus non est, sicut in artic. proximè præced. §. 2. n. 9. explicatum est. hæc autem talis appretiatio reperitur in qualibet dilectione Dei, etiam debili, & vel in gradu infimo physicæ intensionis constituta; ut proinde vere dicatur dilectio Dei super omnia. quam sufficere ad justificationem docet D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. illis verbis: *quantumcunque parvus sit dolor* (nempe intensivè) *dummodò ad Contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam.* quis enim est hic dolor ad Contritionem sufficiens, nisi ille, qui includit dilectionem Dei super omnia? Deinde, sive dilectio Dei procedat ex solo motivo bonitatis ipsius, sive oriatur simul ex metu v. g. gehennæ, in quantum hic metus ad illam disponit, semper est vera Dei dilectio, ut diximus in n. præced. atque adeo justificat, antequam Sacramentum suscipiatur.

23 Neque dicas secundò, illum amorem initialem, ut vocant, non justificare extra Sacramentum, si Deus eo diligatur super omnia solùm affectu, & non effectu, ita ut sit amor prædominans, qui occurrente etiam quacunque tentatione non deficiat; quod non cadit in amorem debilem, & non intensum usque ad impletionem omnium mandatorum. Quamvis enim amor ita intensus, ut DEUS eo diligatur super omnia affectivè simul & effectivè modo iudicato, perfectior sit, quàm ille, quo Deus solùm affectivè diligitur, ita ut objecta aliqua difficultate, aut alliciente tentatione quapiam statim deficiat; negari tamen minimè debet, ad perfectionem essentialem dilectionis, quæ sit justificativa solùm, sufficere, si Deus eo super omnia diligatur appretiativè, esto hujusmodi affectus erga Deum superveniente aliqua tentatione sit defecturus. cùm alioqui nec Contritio, nec dilectio aliquando justificarent extra Sacramentum; quippe quæ nunquam eliciuntur in eo gradu intensionis, ut ob nullius objecti in contrarium allicientis occursum aliquando defecturi sint, nisi fortè ab aliquo, qui ex speciali Dei beneficio in gratia est confirmatus. Vid. Gonet. to. 5. tr. 5. disp. 7. a. 3. à n. 37. Card. de Lugo disp. 5. de Pœnit. sect. 9. Illsung tr. 6. disp. 6. q. 3. a. 2. Mezger tr. 18. disp. 46. a. 2. Viva par. 3. damnatar. Thesium, in prop. 15. & præsertim Augustin. Michel in Discussione Theologica haud ita pridem edita, ubi totam hanc de Attritione controversiam exactè pertractat. Nunc restat, ut potissimis saltem Objectionibus satisfaciamus.

Objicies primo ex S. Script. illud 1. Joan. 24
3. *Qui non diligit, manet in morte.* & illud 1. ad Cor. 13. *sine Charitate nihil sum.* Ex quibus videtur colligi, sine dilectione Dei neminem justificari. nam utique manens adhuc in morte, inquit Contenson, non est ad gratiam recipiendam satis paratus. Atqui sine dilectione homo manet in morte; ergo. Respondeo, in primo textu vel esse sermonem de medio salutis extra Sacramentum; vel de charitate præscindente ab habituali & actuali; vel denique de dilectione proximi: quod ex iis, quæ ibi subjunguntur, clarè colligi videtur. Ad secundum dico, posse intelligi vel de charitate habituali, vel etiam de actuali respectu adultorum, quando aliunde, sive extra Sacramentum urget illius præceptum. Itaq; nihil ex his, aliisque similibus S. Script. locis contra nos concludi potest.

Objicies secundo. Juxta Concil. Trid. 25
sess. 6. de Justific. cap. 6. peccatores ad justificationem disponuntur, *dum Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem.* & cap. 7. *Fides sine Spe & Charitate vitam æternam præstare non potest.* Ex primo istorum textuum colligitur, detestationem ac dolorem de peccatis sufficientem ad justificationem in Sacramento ex prævia dilectione oriri debere. Ex altero habetur, sine dilectione nunquam conferri justificationem, sive intra, sive extra Sacramentum.

Respondeo, per inceptionem dilectionis, cujus fit mentio in primo loco Concilium aliud non requirere, quàm puram Attritionem. per hanc enim homo jam incipit Deum diligere, juxta illud Ecclesiast. 25. *Timor Domini initium*

tium dilectionis ejus: quia nempe disponit remotè saltem, ad dilectionem formalem, includitque propositum saltem virtuale servandi omnia præcepta, inter quæ præcipuum locum obtinet præceptum diligendi Deum. Rectè quoque dici potest, illa verba intelligenda esse de amore concupiscentiæ, sive de actu quopiam Spei Theologicæ, quo Deum amamus ut bonum nobis, scilicet ut Auxiliatorem, Remuneratorem, Largitorem gratiæ &c. non verò ut bonum in se, quod spectat ad Charitatem. In altero loco sermo est de Charitate habituali, non de actuali: cùm aliàs infantes, utpote destituti Charitate actuali, salvari non possent.

26 Objicies tertio. Homo adultus non potest obtinere remissionem peccatorum sine motu veræ Pœnitentiæ: ergo nec potest illam obtinere sine dilectione Dei super omnia. Ant. ex eo constat, quòd peccator naturali jure obligetur ad reparationem juris Divini per peccatum læsi, nec remittatur secundùm legem ordinariam injuria, nisi pro illa fuerit satisfactum: quod fieri non potest, nisi per actum veræ Pœnitentiæ. Conseq. verò prob. quia reddere Deo affectivè rationem ultimi finis per peccatum affectivè ablatam est in Deo ultimum finem amando quærere: sed per motum veræ Pœnitentiæ, cùm sit species quædam justitiæ, homo Deo reddit affectivè, quod affectivè abstulit; ergo per actum veræ Pœnitentiæ in Deo ultimum finem debet amando quærere; & consequenter sine amore seu dilectione Dei non potest invenire ultimum finem peccando amissum, & remissionem peccatorum obtinere.

Respondeo dist. Ant. non potest obtinere remissionem peccatorum sine motu veræ Pœnitentiæ perfecto, vel imperfecto, conc. perfecto semper, neg. Ant. & conseq. Ad probat. Ant. dicitur, peccatorem quidem obligari ad reparationem juris Divini, & satisfactionem pro injuria Deo illata, non tamen semper ad reparationem & satisfactionem completam ex opere operantis, sed aliquando ad reparationem & satisfactionem solùm incompletam ex opere operantis, & complendam ex opere operato per applicationem satisfactionis Christi. In probat. Conseq. conc. maj. dist. mi. per motum veræ Pœnitentiæ perfectum homo Deo reddit affectivè, quod affectivè abstulit, conc. per motum veræ Pœnitentiæ imperfectum, neg. mi. ergo per actum veræ Pœnitentiæ perfectum debet in DEO ultimum finem amando quærere, conc. per motum veræ Pœnitentiæ imperfectum, qualis est Attritio, neg. conseq. Intelligo autem nomine veræ Pœnitentiæ Pœnitentiam supernaturalem.

Objicies quarto. In lege antiqua ad justificationem peccatoris requirebatur dolor procedens ex amore Dei super omnia: ergo etiam requiritur modò in Lege nova. Conseq. est bona: quia hæc nostra Lex perfectior est Lege antiqua. dixit enim Christus Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Confirmatur. Lex nova est Lex amoris, teste S. Aug. contra Donatum cap. 17. sicut Lex antiqua erat Lex timoris. Ergo, si in antiqua Lege peccator justificari non potuit sine amore Dei super omnia, à fortiori etiam in nova Lege sine illo justificari non potest.

Respondeo ad argumentum inprimis eo probari nimium, cùm probetur, ad justificandum peccatorem etiam in Sacramento Pœnitentiæ requiri Contritionem perfectam atque de se justificativam extra Sacramentum; sicut requirebatur in Lege antiqua. Deinde conc. Ant. dist. conseq. ergo etiam requiritur in Lege nova, extra Sacramentum conc. in Sacramento, neg. conseq. cujus probatio nihil obstat: cùm Lex nova ideo sit perfectior Lege antiqua: quia in illa nobis in promptu sunt plura, eaque faciliora & efficaciora media ad salutem, quàm erant in Lege antiqua, & non ideo, quòd requirantur media difficiliora, & magis ardua. In. Confirm. conc. Ant. neg. Conseq. vel dist. conseq. ergo etiam in nova Lege sine illo justificari non potest extra Sacramentum, conc. in Sacramento, neg. conseq. Lex nova non ideo dicitur Lex amoris, quòd in illa obligemur, ut omnes actiones nostras semper exerceamus ex motivo Charitatis perfectæ; sed quòd observationem mandatorum suorum longè faciliorem nobis reddiderit, quàm erat in Lege antiqua, subministrando uberiora gratiæ auxilia & adminicula tum interna, tum externa, idque totum propter merita Filii sui Unigeniti, quem misit in carne, quia ita dilexit mundum.

Objicies quinto. In Decreto Trident. 28
ex quo n. 19. sententiam nostram probavimus, antequàm à PP. subscriberetur, dicebatur de Attritione, eam *sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem.* sed, cùm postea intercessisset Episcopus Tudetanus dicens, variare in hoc Auctorum sententias, illa verba fuerunt omissa, Decretumque editum, ut hodie legitur: quemadmodum testatur Card. Pallavicinus in Histor. Concil. Trid. lib. 12. cap. 10. Ex quo rectè colligi videtur, Concilium judicasse, quòd Attritio non sufficiat, aut saltem ab hoc voluisse præscindere: adeoque nihil præsidii ex Concilio Trid. sententiæ nostræ suppetere. Respondeo, quamvis concedamus, illa verba fuisse expuncta, inde tamen plus non inferri posse, quàm quòd Concilium loco cit. non dicat expressè Attritionem ad constitutionem Sacramenti sufficere; quod rebus nostris non officit; cùm id dicat implicitè, utpote affirmando, illam in Sacramento Pœnitentiæ ad Dei gratiam disponere. quod intel-

ligendum esse de dispositione proxima n. cit. docuimus. Cæterùm memorata verba meritò fuerunt immutata: tum quia modus ille loquendi ex se erat valde improprius: cùm una pars non dici soleat sufficere ad constitutionem totius. tum, quia Concilium voluit intactam relinquere sententiam Scoti asserentis, essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in sola Absolutione consistere, dolorem verò de peccatis, eorumque confessionem non esse partes intrinsecè constitutivas, licèt requirantur ad illud. quæ rationes cùm sufficerent, ut Patres Concilii moverent ad reformationem Decreti, meritò dubitari potest, an specialem aliquam illius, quam opponebat Episcopus Tudetanus, considerationem habuerint. Vid. plura apud August. Michel in cit. discuss. Theol. par. 3. pu. 2. à n. 8.

29 Objicies sexto. Sententia asserens, ad justificationem in Sacramento non sufficere Attritionem sine aliquali dilectione est probabilis: ergo nostra, quæ asserit sufficere Attritionem sine dilectione, non est certa, ut diximus n. 19. sed solùm probabilis. Conseq. satis constat ex dictis tract. 1. *de Conscientia.* Ergo non licet eam sequi in praxi. Prob. hæc conseq. quia in illis, quæ spectant ad valorem alicujus Sacramenti, non est licitum sequi sententiam probabilem, cujus opposita est tutior, qualis in præsenti est illa, quæ requirit aliqualem dilectionem. Ant. etiam prob. quia pro eadem sententia acriter pugnant plures, iique graves DD. ut proinde Alexander VII. gravissimè prohibuerit, nequis alterutram ex his sententiis audeat censurâ quapiam Theologicâ, alteriusve injuriæ notâ afficere. Respondeo, sententiam nostram, qua negamus necessitatem dilectionis non esse quidem certam certitudine Metaphysica, sed certitudine morali ac practica: quam eidem non adimit tenuis aliqua probabilitas sententiæ oppositæ, si eam admittamus in illa. Sententiam autem moraliter certam haud dubiè sequi licet in praxi, etiam dum agitur de valore alicujus Sacramenti. Et quamvis sententia requirens aliqualem dilectionem sit tutior quam nostra, non tamen est tutior adversativè, ita ut nostra sit non tuta, sed est tutior comparativè. Atqui non tenemur, in materia etiam Sacramentorum, sequi sententiam comparativè tutiorem, sed sufficit sequi tutam, uti constat ex tract. cit. *de Conscientia dubia.* Neque juvat illa relata prohibitio Alexandri VII. cùm nequaquam mens fuerit Pontificis sua Authoritate utrique sententiæ tribuere probabilitatem, sed pacis vinculum inter Fideles servare, omnemque fomitem scissuræ extinguere, ut dicitur in eo Decreto. Etiam Pius V. ut refert Suarez to. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. similem prohibitionem edidit circa sententias de Immac. B. V. Conceptione discordes, & tamen altera communissimè habetur pro moraliter certa, altera pro improbabili. Vid. de hoc argumento reflexo Viva par. 3. damnat. Thesium. in prop. 15. a. n. 30.

Ex dictis infertur primo, quando dicitur 30
in Catechismo Romano par. 2. cap. 5. de Sacram. Pœnit. Contritionem deletivam peccati debere esse *vehementem, acrem, incensam, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit,* id non esse sic intelligendum, quasi ejusmodi Contritionem esse oporteat in eo gradu physicæ intensionis, in quo fuit peccatum; sed, quòd debeat esse summa appretiativè, seque extendere ad detestandum seriò & efficaciter non aliqua tantùm peccata commissa, sed ad omnia, & ad dolendum de illis in amaritudine animæ cum voluntate penitus resoluta ea non ampliùs committendi. Viva n. 24.

Infertur secundo, nullum esse absurdum 31
in eo, quòd homo adultus in hac Lege gratiæ & amoris aliquando salutem consequatur sine actu dilectionis Dei; veluti fieri fatendum est, dum peccator post susceptum cum sola Attritione Sacramentum Pœnitentiæ statim moritur. Ratio est: quia licèt convenientissimum sit adultum per se obligari ad eliciendum actum dilectionis Dei super omnia in ordine ad consequendam salutem, per hoc tamen non excluditur, quin eandem consequatur sine illa dilectione ex Divina misericordia, & virtute meritorum Christi, quæ continetur in Sacramentis. sicut quandoque homo justificatur & salvatur sine Sacramento in re suscepto, licèt Sacramenti susceptio sit necessaria necessitate etiam præcepti ad salutem. vid. Mezger tract. 18. disp. 46. a. 2. n. 8.

Infertur tertio, per sententiam, quæ ad 32
Sacramentum Pœnitentiæ requirit aliquam formalem dilectionem Dei, si subsisteret, idem Sacramentum redditum iri inutile ad remissionem peccatorum obtinendam. Ratio est: quia vel peccator, suppositâ hac sententiâ, ritè confessus ante absolutionem eliceret solam Attritionem, vel Attritionem cum dilectione? si primum; absolveretur invalidè, & consequenter Sacramentum nihil prodesset ad justificationem. Si secundum; jam ante absolutionem justificaretur per actum illum dilectionis, qui in gradu intensionis etiam quovis remisso est ultima dispositio ad gratiam justificantem, cumque eadem inseparabiliter connexa. Unde rursus Sacramentum nihil conferret ad remissionem peccatorum per ipsum primùm obtinendam. imò nunquam aliquid conferre posset. adeoque inaniter & inutiliter à Christo fuisset institutum.

Dico jam tertio. Quamvis ad justifica- 33
tionem in Sacramento Pœnitentiæ non sufficiat Attritio merè existimata, sufficit tamen

Attritio

Attritio cognita ut talis, ita ut pœnitens non debeat necessariò existimare, se esse contritum. Ratio primi est: quia Sacramentum, quod solùm existimatur Sacramentum, non est verum Sacramentum, ergo etiam constitutiva Sacramenti, quæ solùm existimantur esse, & re ipsa non sunt, non sunt vera constitutiva. Atqui Attritio, de qua loquimur, debet esse verum constitutivum veri Sacramenti; ergo non sufficit, si solùm existimetur esse, & à parte rei non sit. vid. Mezger n. 11. Confirmatur. Ad valorem Baptismi non sufficit aqua solùm existimata. Item, ad Sacramentum Eucharistiæ non sufficit panis solùm existimatus, & re ipsa non existens: ergo neque ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficit dolor existimatus, & re ipsa non existens. Bona fides quippe, qua quis putat, se verè, & supernaturaliter dolere, cùm re ipsa non ita doleat, nihil conducit ad valorem & realem constitutionem Sacramenti: utpote quæ non à nostra existimatione, sed à partibus & requisitis realiter existentibus est desumenda.

Ratio secundi est. Quia vera & supernaturalis Attritio est sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento; ut certò constat ex dictis. Atqui, sive sciam, me esse attritum, sive credam, me esse contritum, Attritio in se semper est eadem; ergo semper est sufficiens dispositio in Sacramento. Confirmatur. Si ad obtinendam justificationem in Sacramento esset necessaria Contritio existimata, tunc esset vel ideo, quòd alioqui Pœnitens cum solâ Attritione cognita ut tali accedens peccaret; vel, quòd talis existimatio & bona fides deberet complere Attritionem in ratione dispositionis sufficientis ad justificationem? Non hoc posteriùs: quia hæc talis existimatio, utpote re ipsa falsa, nihil potest conducere ad obtinendam justificationem. Non illud prius; quia nullum exstat præceptum, vi cujus pœnitens obligetur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum existimata Contritione. Vid. Abbas Rassler cap. 4. §. 9.

36 Dices. Qui accedit ad aliquod Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, ille peccat: sed accedens cum sola Attritione cognita ut tali ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit cum conscientia peccati mortalis (si nempe confiteatur peccatum mortale antè non remissum) quia cum Attritione cognita ut tali stat judicium etiam practicum de statu peccati mortalis adhuc perseverante: ergo ita accedens peccaret: & consequenter, ne agat contra conscientiam, sicque evitet peccatum, debet esse in bona fide & existimatione, quòd sit contritus, licèt re ipsa sit solùm attritus. Respondeo dist. maj. accedens ad aliquod Sacramentum vivorum cum conscientia peccati mortalis peccat, conc. ita accedens ad Sacramentum mortuorum, neg. maj. &c. Licèt enim Sacramenta vivorum per se prærequirant statum gratiæ, non tamen Sacramenta mortuorum. Atqui Pœnitentia est Sacramentum mortuorum; ergo. vid. Mezger n. 12.

Atque ex his ulteriùs deducitur, etiam 35
in articulo mortis per se loquendo ad Sacramentum Pœnitentiæ non solùm validè, sed etiam licitè suscipiendum sufficere Attritionem cognitam ut talem. Ratio primi est: quia materia semel valida est semper valida & sufficiens, & consequenter etiam in articulo mortis: atqui Attritio, ut probatum suppono, est materia valida & sufficiens Sacramenti; ergo est semper valida, & consequenter etiam in articulo mortis sufficiens ad constituendum validum Sacramentum. Ratio secundi est: quia, siquis in articulo mortis teneretur elicere alium dolorem, nempe Contritionem, ideo teneretur, quia tunc propter periculum æternæ salutis tenemur sequi sententiam tutiorem, relicta minùs tuta etiam probabiliori: sed hæc ratio non urget; ergo maj. continet fundamentum sententiæ contrariæ. mi. inde prob. quòd homo etiam in extrema necessitate non teneatur quærere certitudinem Metaphysicam, aut Physicam suæ salutis, sed Moralem. & consequenter neque tenetur quærere medium metaphysicè aut physicè certò conjunctum cum salute, sed sufficit amplecti moraliter certò conjunctum. Atqui Attritio cum Sacramento est medium moraliter certò conjunctum cum justificatione & salute; uti supponitur ex dictis; quamvis sententia exigens Contritionem, aut Attritionem cum dilectione ad justificationem in Sacramento sit tutior, nempe in eo sensu, cujus meminimus n. 29. Dixi autem, *per se loquendo*. Nam in periculo vel articulo mortis aliunde urgere potest præceptum dilectionis Dei super omnia. hoc enim, si alio tempore, quàm dum instat tunc necessitas confitendi, non ampliùs impleri posse videatur, necessaria erit etiam memorata dilectio, & dolor de peccatis ex illa procedens. Vid. Card. de Lugo disp. 7. de Pœnit. sect. 13. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 3. a. 2. n. 32. Mezger n. 13.

§. III.

An Attritio, ut sit sufficiens ad effectum Sacramenti, debeat esse universalis?

SUMMARIUM.

36. *Quid intelligatur nomine Attritionis universalis.* 37. *Ad remissionem peccatorum mortalium necessaria est Attritio universalis,* 38. *non tamen ad remissionem venialium.* 39. *Solvitur Objectio.* 40. *Etiam propo-*

propositum debet esse universale circa mortalia, non tamen circa venialia. 41. *An habens dolorem unrversalem de peccatis venialibus possit habere propositum evitandi omnia.*

36 NOmine Attritionis universalis illam hîc intelligimus, quæ non tantùm ad omnia peccata, quæ quis confitetur, sed ad omnia, quæcunque conscientiam maculant, etiam inculpabiliter oblita, extenditur. Unde duplex nunc oritur quæstio. Prima, an ad effectum Sacramenti, scilicet gratiam justificationis acquirendam, necessarium sit, ut Attritio se extendat ad omnia peccata tam memoriæ occurrentia, quàm non occurrentia, etiam citra culpam pœnitentis? Secunda, an hæc talis universalitas sit etiam necessaria ad valorem Sacramenti, ita ut non sufficiat Attritio ex vi sui motivi cadens super illa tantùm peccata, quæ subjiciuntur clavibus à pœnitente habente plura peccata, quæ idem ex inculpabili oblivione neque confitetur, neque detestatur? Quæstionem hanc posteriorem in proximum § differimus. De priori in præsenti videamus. Itaque

37 Dico primo. Ut Attritio sit sufficiens ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ remissionem peccatorum mortalium, debet esse universalis. Ita communiter DD. Ratio est manifesta. quia gratia sanctificans, quæ est forma remissiva peccatorum mortalium, indivisibiliter confert remissionem omnium; cùm non possit unum remitti sine altero, saltem de potentia ordinaria, ut certum est apud omnes, imò neque de absoluta, ut docet D. Thomas, & cum ipso Thomistæ 3. p. q. 86. a. 3. Ergo Attritio ceu dispositio ad hunc effectum formalem debet se extendere ad omnia peccata mortalia commissa, sicque esse universalis. Conseq. inde prob. quòd dispositio debeat esse proportionata formæ, ejusq; effectui formali. peccatum quoque nullum remittatur sine retractatione saltem virtuali illius.

38 Dico secundo. Ad obtinendam remissionem peccatorum venialium in Sacramento Pœnitentiæ non est necessaria Attritio universalis extendens se ad omnia peccata venialia, etiam clavibus subjecta, sed sufficit Attritio particularis de uno vel pluribus eorum in Confessione expositis. Ita rursus communis sententia. Ratio est: quia peccata venialia sunt compossibilia cum infusione gratiæ, & potest unum remitti sine altero: ergo ad obtinendam remissionem aliquorum in Sacramento Pœnitentiæ non est necessaria Attritio, quæ sive formaliter, sive virtualiter se extendat ad omnia.

39 Objicies. Qui non dolet de omnibus peccatis venialibus, quæ clavibus subjicit, peccat mortaliter: ergo procul abest, ut obtineat remissionem alicujus. Ant. prob. primo. quia hic talis Confessario objicit aliquid tanquam materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quod non est illius materia; sicut ille objicit Sacerdoti aliquid pro materia consecrabili, qui hostiis triticeis immiscet hostiam papyraceam. Prob. secundo. quia talis confitens reddit formam absolutionis falsam, ipsumque Sacramentum ex parte irritum, quatenùs illud impedit, ne præstet effectum remissionis peccatorum venialium, quem præstaret, si dolor ad eadem peccata se extenderet: ergo &c.

Respondeo neg. Ant. Ad primam probat. dico, in aliis Sacramentis sine peccato mortali materiæ validæ admisceri aliquid, quod non est materia valida; ut in Baptismo aquæ quid olei benedicti; in Eucharistia vino modicum aquæ, quæ sæpe tempore Consecrationis nondum est conversa in vinum; adeoque non est materia consecrabilis. Cur ergo peccatum semper mortale sit in Sacramento Pœnitentiæ ad materiam validam addere quidpiam, quod non est materia valida? Ad exemplum de hostia papyracea redditur disparitas, tum quòd eam immiscens hostiis consecrabilibus præbeat aliis occasionem idolatriæ saltem materialis: cujusmodi nihil sit in nostro casu. tum, quòd quælibet hostia in cumulo aliarum hostiarum sit materia gravis in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ; non autem quodlibet peccatum veniale sit materia gravis in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ad Secundam probat. neg. Ant. quoad utramque partem. Nam inprimis forma Absolutionis juxta intentionem saltem primariam Ministri non significat remissionem peccatorum quorumcunque, sed eorum tantùm, quæ quis rite confessus est cum sufficiente dolore & proposito. qui sensus verborum manet verus etiam in nostro casu. Deinde quamvis tunc Sacramentum non habeat tantum effectum, quantum absolutè habere posset, sicque reddatur irritum, id est, infructuosum secundùm quid, in hoc tamen nulla committitur irreverentia, saltem gravis, contra Sacramentum, sicut nulla talis irreverentia committitur ab eo, qui non confitetur omnia peccata venialia, vel non dolet dolore summè intenso. vid. Card. de Lugo disp. 14. de Pœnit. sect. 8. §. 3.

Ex dictis facilè colligitur, etiam propo- 40
situm, quod sequitur Attritionem, debere esse universale circa mortalia, non tamen circa mortalia peccata. Ratio est: quia juxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. dolor sufficiens ad justificationem in hoc Sacramento debet excludere omnem affectum peccandi mortaliter, quod absque proposito universali circa mortalia fieri non potest: at verò dolor sufficiens ad remissionem venialium non debet necessariò excludere omnem affectum peccandi venialiter. cùm gratia justificationis,

nis, licèt stare non possit cum ullo peccato mortali, stare tamen possit cum venialibus, & cum affectu ad illa, possitque unum remitti sine altero. Vid. Salmantic. tract. 6. de Pœnit. cap. 5. pu. 4. n. 55. Mezger tract. 18. disp. 46. a. 3. n. 3.

41 Quæstio moveri hîc potest de possibili, an is, qui habet dolorem universalem de omnibus peccatis venialibus, possit formare etiam propositum universale evitandi omnia? Ratio dubitandi sumitur ex iis, quæ docent Scholastici in tract. de grat. ubi juxta communem sententiam homo in statu naturæ lapsæ absque speciali privilegio non potest evitare omnia peccata venialia. Constat autem propositum efficax non posse concipi de impossibilibus etiam moraliter tantùm: atque tale impossibile est, suppositâ ea communi sententia, evitare omnia peccata venialia. Respondeo, hominem quidem, ut nos quoque in illo tract. docuimus, non posse sine speciali privilegio evitare omnia peccata venialia collectivè, posse tamen evitare omnia divisivè, prout nempe in exercitio committenda, vel evitanda occurrunt: atque sic posse pœnitentem formare propositum evitandi omnia divisive, seu distributive unum post alterum; non autem posse formare propositum vitandi omnia collective. Vid. citt. & quæ diximus superius a. 1. §. 4. n. 28.

§. IV.

An aliquis dolor sufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sit insufficiens ad effectum ejusdem?

SUMMARIUM.

42. *Exposito statu difficultatis referuntur sententiæ.* 43. *Eligitur & probatur negativa.* 44. 45. 46. *Ostenditur pluribus insufficientia doloris particularis.* 47. 48. 49. 50. *Solvuntur Objectiones.*

42 COntingere potest, ut is, qui habet plura peccata mortalia, unius aut aliquorum oblivjscatur, deque illis non doleat, licet doleat de omnibus, quorum recordatur, & quæ Sacerdoti fideliter confitetur. In tali casu videtur ex una parte, peracta Confessione & elicito dolore de omnibus peccatis confessis, cum proposito non peccandi de cætero, nihil omissum à pœnitente, quod ad valorem Sacramenti possit desiderari. Ex altera verò parte, cùm peccata mortalia, quæ Pœnitens confitetur, & de quibus dolet, non possint remitti, quin remittantur etiam reliqua, quorum non recordatur; hæc autem de facto nunquam remittantur, nisi priùs sint retractata, quod hîc non factum supponitur, videntur impedire, ne Sacramentum conferat suum effectum, scilicet gratiam remissivam peccatorum. Circa hanc difficultatem prima sententia asserit, dolorem illum, qui se tantùm extendit ad peccata mortalia, quorum Pœnitens recordatur, quæque confitetur, & non etiam ad reliqua, quæ fuit oblitus, esse insufficientem tam ad valorem, quàm ad effectum & fructum Sacramenti. Altera sententia, quam Illsung communiorem appellat, affirmat, hunc talem dolorem esse sufficientem ad valorem, non tamen ad effectum, id est, gratiam justificationis, statim obtinendum. Et ideo dicit, in hoc casu Sacramentum quidem esse validum, id est, habere omnes suas partes essentiales, non tamen esse formatum, sed informe, id est, ex aliquo impedimento vel obice non causare formam gratiæ remissivæ peccatorum, donec ejusmodi impedimentum removeatur per aliam sufficientem retractationem, sive extrà, sive intra Sacramentum Pœnitentiæ de novo repetitum. Simili ratione, qua diximus suo loco, Baptismum validè, sed cum obice susceptum non operari gratiam remissivam peccati originalis, donec ejusmodi obex removeatur. Utraque sententia est oppidò celebris, ita ut jure dubitare quis possit, cuinam earum potiùs sit adhærendum. Nihilominùs

Dico. Probabilius est, non dari dolorem 43
sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ & insufficientem ad effectum; adeoque hoc Sacramentum nunquam esse validum & informe. Ita bene multi graves Theologi, & frequenter nostri Salisburgenses. Videtur etiam esse sententiam D. Thomæ in 4. dist. 23. q. 1. a. 4. & in Supplem. 3. part. q. 29. a. 8. Rationem cæteris expeditiorem hanc esse existimo. Ille dolor sufficiens ad valorem &c. esset dolor merè particularis, sive se non extendens ad omnia peccata mortalia: sed ejusmodi dolor particularis nunquam sufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ; ergo. Maj. satis constat ex præmisso systemate sententiæ adversæ. Mi. prob. quia juxta Concil. Trid. dolor sufficiens ad valorem hujus Sacramenti debet excludere voluntatem peccandi, & inferre propositum non peccandi de cætero: sed dolor merè particularis ista nunquam præstat; ergo nunquam sufficit ad valorem Sacramenti. Maj. patet ex sess. 14. cap. 4. in principio, ubi agens Concil. de dolore sufficiente ad valorem hujus Sacramenti docet, esse conjunctum cum proposito non peccandi de cætero: & paulò inferiùs, debere excludere voluntatem peccandi. mi. autem ex eo prob. quòd dolor excludens voluntatem peccandi & inferens propositum non peccandi de cætero sit incompossibilis

cum voluntate peccandi; sed dolor merè particularis non est incompossibilis cum voluntate peccandi; ergo neque excludit voluntatem peccandi, neque infert propositum non peccandi de cætero. Maj. est certa. Mi. ostenditur in aliquo, qui ex speciali amore justitiæ v. g. dolet de peccato furti. Certè hic, dum ita dolet, potest simul habere voluntatem peccandi carnaliter. Quid enim obstare dicamus? Cùm nec objecta istorum actuum, nec virtutum justitiæ & castitatis sibi contrarientur, sed sint penitus disparata.

44 Respondent, dolorem sufficientem ad valorem Sacramenti juxta Concil. Trid. debere quidem excludere voluntatem peccandi, non tamen necessariò positivè, sed negativè solùm, id est, non admittendo ullam actualem vel virtualem complacentiam peccati. Verùm contra est primo, quòd Concil. doceat, dolorem sufficientem debere esse conjunctum cum proposito non peccandi de cætero. Atqui per ejusmodi propositum positivè excluditur voluntas peccandi; ergo dolor sufficiens ad valorem Sacramenti non solùm negativè, sed etiam positivè debet excludere voluntatem peccandi. Contra est secundo, quòd dolor particularis Adversariorum secum compatiatur voluntatem & complacentiam peccati: ergo nequidem negativè excludit voluntatem peccandi. Ant. ostendimus in argumento facto. Conseq. probatur: quia, si dolor particularis negativè excluderet voluntatem peccandi, deberet vi proprii motivi inducere negationem omnis peccaminosæ complacentiæ: sed hanc talem negationem non inducit: quia, ut induceret, deberet pro priori positivè excludere omnem affectum peccaminosum: quemadmodum, ut exemplo utar ex Physica, forma substantialis, ut intelligatur inducere negationem omnium aliarum formarum in materiam, debet pro priori intelligi vi propriæ entitatis & effectûs formalis positivè excludere omnes alias formas ab eadem materia. Atqui dolor particularis eo ipso, quòd compatiatur secum complacentiam peccaminosam, non excludit vi proprii motivi omnem affectum peccaminosum, ut patet; ergo nequidem negativè excludit voluntatem peccandi. Contra est tertio, quòd Concil. loco cit. doceat, dolorem sufficientem non solùm continere cessationem à peccato, sed etiam odium istius ac vitæ veteris: atqui dolorem continere odium peccati est positivè excludere peccatum; ergo juxta Concil. dolor sufficiens ad rationem Sacramenti positivè & non solùm negativè debet excludere peccatum. Contra est quarto, quòd hæc talis interpretatio verborum Concil. Trid. videatur merè gratuita & absque fundamento excogitata.

45 Confirmatur. Dolor sufficiens ad valorem Sacramenti debet esse prudens, sive elici conformiter regulis prudentiæ. Sed dolor merè particularis non ita elicitur; ergo. Maj. est certa eo ipso, quòd debeat esse dolor supernaturalis, in quem non potest cadere imprudentia. Mi. prob. quia dolor improportionatus fini intento imprudenter elicitur: sed dolor merè particularis est improportionatus fini intento à Pœnitente; ergo imprudenter elicitur. Maj. ex eo constat, quòd imprudenter assumatur medium fini intento improportionatum: sed elici dolorem improportionatum fini intento est assumi medium improportionatum; ergo &c. Mi. prioris Syllogismi itidem ostenditur. Nam finis efficaciter intentus à Pœnitente est reconciliatio absoluta ac delectiva omnium peccatorum: atqui dolor merè particularis huic fini est improportionatus, utpote non excludens complacentiam omnium peccatorum, sed unius tantùm, vel alterius, quod memoriæ occurrit, quodque hîc & nunc clavibus subjicitur; ergo &c.

46 Confirmatur iterum. Vel dolor ille particularis, qui elicitur propter turpitudinem peccati, refertur ad aliquid supernaturale, vel non refertur? Si non refertur, palàm est, esse insufficientem ad valorem Sacramenti: cùm ne quidem sit dolor supernaturalis. Si refertur, non aliter refertur, quàm sub aliqua ratione, cui generaliter repugnet omne peccatum: putà quia hoc tale peccatum vel repugnat sanctitati Legis Evangelicæ, vel quia continet specialem ingratitudinem adversus Authorem gratiæ & humani generis Redemptorem. Tunc autem dolor vi talis motivi virtualiter se extendit etiam ad reliqua peccata, nec manet ampliùs dolor merè particularis.

47 Objicies primo. Sit aliquis, qui duo peccata mortalia commiserit, v. g. furtum & blasphemiam, & furtum tantùm confiteatur, blasphemiam verò ex inculpabili oblivione omittat, atque de furto dolorem non ex universali, sed ex particulari motivo, scilicet specialis turpitudinis & inhonestatis, quæ est in hoc peccato, eliciat. In hoc casu Sacramentum Pœnitentiæ est simul validum & informe. Validum quidem, quia constat omnibus suis partibus essentialibus, scilicet dolore requisito, confessione formaliter integra, & absolutione debita. Informe autem; quia destituitur suo effectu propter obicem alterius peccati nec formaliter, nec virtualiter retractati.

Respondeo neg. Sacramentum Pœnitentiæ in hoc casu esse informe. Supponitur enim, dolorem propter specialem turpitudinem, quæ est in peccato furti, elicitum procedere ex affectu & desiderio efficaci se reconci-

liandi

liandi cum Deo, sicque referri ad aliquid supernaturale sub ratione quadam generaliter repugnante omni peccato. Dolor autem taliter elicitus non est merè particularis, sed virtualiter extenditur ad omnia peccata etiam oblita, quippe cùm pœnitentem constituat ita dispositum, ut omnia peccata detestaretur, deque iis doleret, si omnia memoriæ occurrerent. Quòd si contrarium supponatur, nempe non referri ad quid supernaturale, Sacramentum ne quidem erit validum, velut ostensum est in num. præced.

48 Objicies secundo. Potest dari dolor, qui sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non sit dispositio sufficiens ad obtinendum illius effectum: ergo dari potest Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. Conseq. facilè colligitur. Ant. ostenditur in casu, quo quis fictè suscepit Baptismum ex defectu doloris de peccatis actualibus antecedenter à se commissis; deinde vero illa confitetur, quæ postea commisit, deque eisdem dolet, quòd sint peccata hominis Christiani, seque ut talem dedecentia. Ubi hic talis dolor est sufficiens pars Sacramenti Pœnitentiæ: cùm ratione motivi illius supernaturalis se extendat ad omnia peccata Confessioni subjicibilia, qualia sunt sola peccata post Baptismum commissa; & tamen idem dolor non est dispositio sufficiens ad consequendum effectum Sacramenti; quia illud motivum, adeoque & dolor, se non extendit ad peccata ante Baptismum commissa.

Respondeo neg. Ant. ad hujus probat. nego, dolorem illum, quo quis dolet in formato casu de peccatis, eò quòd sint peccata hominis Christiani, non extendat se ad peccata ante Baptismum commissa. Procedit enim ex efficaci affectu & desiderio reconciliationis cum Deo; adeoque virtualiter se extendit etiam ad peccata ante Baptismum commissa: quia includit efficacem voluntatem amoliendi omnia obstacula, quæ possunt reconciliationem impedire: atqui inter ejusmodi obstacula sunt etiam peccata ante Baptismum commissa.

49 Dices. Dolor, qui est pars Sacramenti Pœnitentiæ, non potest se extendere ad peccata ante Baptismum commissa. Sicut enim hæc peccata sunt extra sphæram activitatis Sacramenti Pœnitentiæ, ita etiam sunt extra sphæram cujuslibet partis. Respondeo neg. illatum. Nam dolor in eo casu est virtualiter duplex, ita ut, quatenus cadit supra peccata ante Baptismum commissa, sit dispositio ad gratiam Baptismalem remota fictione obtinendam, & quatenus cadit supra peccata, quæ sunt materia Confessionis, sit dispositio ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, & simul pars ejusdem Sacramenti.

Objicies tertio. Alia Sacramenta, 50
v. g. Baptismus, & Confirmatio, possunt esse valida & informia: ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ. Præsertim, cùm alioquin Pœnitentes semper haberent causam anxiè timendi, ne defectu sufficientis doloris confessi fuissent invalidè, & consequenter Confessionem repetere deberent. Respondeo conc. Ant. neg. Conseq. disparitas est, quòd in aliis Sacramentis dolor, qui tanquam dispositio requiritur ad consequendum effectum eorumdem, non sit pars essentialis, sicut est in Sacramento Pœnitentiæ. Ad alterum dico, causam illam anxii timoris sufficienter tolli per bonam fidem, qua Pœnitens prudenter credit, se fuisse confessum cum dispositione sufficiente. Hac quippe durante bona fide nulla est obligatio repetendi Confessionem; uti nec salutis periculum. Quia, licèt reverà confessus fuisses invalidè, remissionem illorum peccatorum, â quibus tunc non fuisti validè absolutus, obtinebis per proximam Confessionem validam. Ita Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 9. Oberascher par. 2. de Sacram. tract. 1. cap. 4. §. 9.

§. V.

De quibusdam conditionibus requisitis, ut dolor sit pars hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

51. Dolor potest esse pars hujus Sacramenti, etsi non procedat ex intentione recipiendi illud. 52. Depellitur instantia de actionibus aliorum Sacramentorum. 53. Dolor non debet necessariò præcedere Confessionem. 54. Quomodo in hoc Sacramento dolor fiat sensibilis, & Confessio dolorosa? 55. Dolor post Absolutionem elicitus est insufficiens. 56. Periculosè differtur ad tempus Confessioni & Absolutioni intermedium. 57. Idem dolor potest sufficere ad plura Sacramenta Pœnitentiæ. 58. Adhibenda tamen duplex cautela. 59. Solvitur Objectio. 60. Statuitur, quanto tempore dolor possit præcedere Confessionem. 61. Attritio habet vim delendi peccata venialia etiam extra Sacramentum.

HÆ conditiones in sequentibus dubiis proponuntur. Primum est, an dolor, ut sit pars Sacramenti, debeat procedere ex intentione recipiendi illud? Secundum, an debeat præcedere Confessionem? Tertium, an debeat esse novus & alius pro nova & alia Confessione? Quartum, quanto tempore possit præcedere Confessionem?

Dico primo. Ut dolor sit pars Sacra- 51
menti Pœnitentiæ, non debet necessariò pro-

cedere ex intentione illud recipiendi, sed satis est, si quis doleat etiam sine cogitatione de facienda Cofessione, dummodo postea illo dolore uti velit ad Sacramentum percipiendum. Ita Card. de Lugo disp. 14. de Pœnit. sect. 4. Tambur. in Methodo Confess. lib. 1. cap. 2. §. 3. Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 2. n. 17. Illsung tract. 6. disp. 6. a. 4. n. 40. Mezger tract. 18. disp. 46. a. 4. n. 1. Pettschacher de Pœnit. q. 2. a. ult. & alii passim. Favet huic sententiæ vel maximè communis praxis fidelium, quos Confessarii ordinariè judicant benè dispositos ad absolutionem, quando confitentur cum dolore, quem conceperunt ex pia lectione, adhortatione, concione &c. absque ullo tunc concepto proposito confitendi. Ratio verò est: quia Christus non ob aliam rationem exegit dolorem ad hoc Sacramentum, quàm ut Pœnitens per illum averteretur à peccatis, & converteretur ad Deum: atqui hoc totum habetur per dolorem etiam non elicitum ex intentione Sacramenti; ergo &c. Non itaque requiritur ex parte Pœnitentis, ut ipsius intentio feratur in singulas partes Sacramenti seorsim, nisi pro aliqua urgeat specialis ratio, qualis urget pro Confessione, quæ; ut distinguatur à narratione merè historica peccatorum, sitque accusatio judicialis, debet supponere intentionem manifestandi peccata coram Confessario tanquam Judice, sive in ordine ad Absolutionem Sacramentalem, ut habet Card. de Lugo num. 45.

52 Dices. In aliis Sacramentis actiones, ut ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione &c. non fiunt Sacramentales, nisi quatenùs per intentionem Ministri referuntur ad Sacramentum: ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ dolor non fit Sacramentalis seu pars Sacramenti, nisi per intentionem præviam Pœnitentis referatur ad Sacramentum: & consequenter sicut ob hanc rationem actiones aliorum Sacramentorum debent procedere ex intentione Sacramenti, ita etiam dolor in Sacramento Pœnitentiæ. Respondeo conc. Ant. neg. Conseq. disparitas est, quòd illæ aliæ actiones non aliter determinentur ad esse Sacramentale, nisi per intentionem conficientis, vel recipientis Sacramentum; econtra dolor sufficienter determinetur ad esse Sacramentale per Confessionem, sicut per illam redditur sensibilis. Illud demum noto cum P. Stoz, dubium, quod modò resolvimus, nihil attinere ad Pœnitentem perfectè contritum. Cùm enim perfecta Contritio sit Sacramentum in voto, qui eam elicit, hoc ipso etiam refert implicitè ad futuram Confessionem.

53 Dico secundo. Ut dolor sit pars Sacramenti, non debet necessariò præcedere Confessionem, sed sufficit, si præcedat Absolutionem. Ita communis & probabilis sententia. Ratio sufficiens est communis praxis fidelium, & Confessariorum. Experimur enim, Pœnitentes communiter existimare, se debitè ac tempestivè doluisse, si doluerint ante Absolutionem, licèt post Confessionem. Confessarii quoque non solent Pœnitentes indispositos exhortari ad dolorem & propositum, antequam confiteantur, sed post Confessionem; idque faciunt absque eo, quòd illos obligent ad Confessionem reperendam: ad quod tamen obligare deberent, si necessarium esset, ut dolor antecederet Confessionem. Accedit, quòd dolor, sive sit prior, sive posterior Confessione, possit habere omnes conditiones à Concil. Trid. requisitas, ut sit dispositio sufficiens ad obtinendam gratiam Sacramenti. Partes quoque Sacramenti omnes habent sufficientem inter se conjunctionem moralem, quamvis dolor subsequatur Confessionem. Cur ergo antecedere debet Confessionem? Vid. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 3. pu. 2. n. 18. Filliuc. tract. 7. cap. 6. n. 158. Card. de Lugo disp. cit. sect. 2. Reding n. 13. Mezger a. cit. §. 2.

Objicies. Sacramentalis Confessio de- 54
bet esse dolorosa: dolor quoque debet esse sensibilis. Sed neque Confessio est dolorosa, neque dolor fit sensibilis, nisi illa oriatur ex dolore, & hic significetur per Confessionem; ergo neque Confessio, neque dolor est Sacramentalis, nisi illa oriatur ex dolore, & hic significetur per Confessionem. Atqui hæc fieri non possunt, nisi dolor præcedat Confessionem; ergo &c.

Respondeo conc. maj. neg. mi. Nam inprimis dolor sufficienter fit sensibilis per illud signum externum, quo redditur sensibilis intentio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ vel Absolutionem Sacramentalem: cùm eodem signo, quo quis significat efficacem intentionem finis, etiam significet voluntatem ponendi illa omnia, sine quibus se finem obtinere non posse cognoscit, quocunque demum ordine in executione ponantur. Itaque eo ipso, quòd quis accedens ad Confessionale sensibiliter significet, se velle suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, etiam significat interpretativè, se velle rectè confiteri, & consequenter etiam rectè dolere: cùm probè sciat, sine recta Confessione & debito dolore hoc Sacramentum suscipi non posse. Deinde Confessio non solùm fit formaliter dolorosa vi causalitatis, quam exercet in dolorem, sed etiam ratione concomitantiæ, & moralis conjunctionis, quæ communiter reperitur inter actus Pœnitentis. Dixi præterea non incommodè potest, quod habent Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 4. Illsung tract. 6. disp. 6. a. 4. n. 41. ipsam quoque petitionem & expectationem Absolutionis, quam Pœnitens

nitens post recensita peccata, & elicitum dolorem exercet, habere rationem Sacramentalis accusationis, & esse generalem quandam confirmationem illius, qua priùs peccata singillatim exposuit. Unde in praxi semper verum est, dolorem in aliquo legitimo sensu esse priorem Confessione.

55 Corollarium I. Dolor post Absolutionem elicitus est insufficiens & inutilis ad Sacramentum Pœnitentiæ. Ita omnes judicant. Ratio est: quia in judicio reconciliativo, cujusmodi est hoc Sacramentum, non potest absolvi, qui est indispositus ad reconciliationem, veniáque indignus: sed, qui non dolet ante Absolutionem & peccata retractat, est indispositus ad reconciliationem, veniáque indignus; ergo.

56 Corollarium II. Quamvis non sit necessarium, ut dolor tempore præcedat Confessionem, sed sufficiat, si vel inter confitendum eliciatur; vel saltem post Confessionem, priusquam Absolutio impertiatur, minimè tamen consultum, imò periculosum est dolorem differre ad tempus intermedium inter Confessionem & Absolutionem. Ratio est: quia, in magno præsertim Pœnitentium concursu, illud spatium temporis quandoque brevissimum est. Unde facilè tunc potest contingere, ut Sacerdos priùs pronuntiet formam Absolutionis, quàm Pœnitens debitum ac sufficientem dolorem elicuerit. Vid. Mezger n. 6.

57 Dico jam tertio. Unus & idem dolor potest esse pars plurium Sacramentorum Pœnitentiæ. Ita communiter Theologi. Ratio est primo. Quia finis, propter quem in Sacramentali hoc judicio requiritur dolor de peccatis, est, ut peccata sint retractata, utque venia non impertiatur indigno ac indisposito: sed hic finis obtinetur per unicum dolorem moraliter continuatum & perseverantem in pluribus judicus Sacramentalibus; ergo. Ratio est secundo ex practicis instantiis communiter hucusque admissis. Nam inprimis, quando quis alicujus peccati in Confessione oblitus, legitimè tamen ab eo absolutus fuit, deinde verò illud vel statim, vel paulò post rediens ad eundem Sacerdotem confiteatur, debet Confessarius, sive mortale fuerit, sive veniale, rursus impertire Absolutionem, adeoque novum Sacramentum conficere. In quo casu neque Pœnitens, neque Confessarius de novo dolore solet esse sollicitus. Deinde idem contingit, dum quis in periculo mortis unum vel alterum peccatum confessus statim absolvitur, ne, si diutiùs confiteatur, fortè ante absolutionem moriatur: talis, si cessante hoc periculo totam Confessionem peragit, iterum absolvitur, etsi nullum eliciat novum dolorem, sive sponte, sive exigente Confessario conceptum. Vid. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 3. num. 27. Illsung tract. 6. disp. 6. a. 5. num. 43. Mezger num. 7.

58 Adhibenda tamen in praxi duplex cautela est nostræ sententiæ. Prima est, ne dolor ille pristinus sit retractatus per novum aliquod peccatum. Secunda, ne inter ipsum & Confessionem sit tanta distantia temporis, per quam unitas & simultas moralis ad constituendum Sacramentum requisita tollatur. Atque hinc, quando alibi ad novum Pœnitentiæ Sacramentum exegimus novum & distinctum dolorem, intelligendi eramus in casu, quo verus dolor tempore nimis distat à nova Confessione.

59 Objicies. Eadem materia proxima non potest ingredi compositionem plurium Sacramentorum. Constat enim ad plures Baptismos requiri plures ablutiones, ad plures Confirmationes plures unctiones &c. Atqui dolor est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ; ergo. Confirmatur. Ad novum Sacramentum Pœnitentiæ necessaria est nova Confessio: ergo etiam novus dolor. Respondeo ad Object. primo neg. maj. Instantia habetur in satisfactione, quæ eadem materialiter, v. g. idem jejunium, potest esse materia integralis duplicis Sacramenti. Item in ipsa ablutione Baptismali, quando plures simul perfunduntur cum hac forma: *Ego vos baptizo.* Tunc enim materia proxima nonnisi virtualiter multiplex est. Respondeo secundo, maj. esse veram, quando materia proxima est actio suapte natura ita transiens, ut sæpius applicari nequeat, qualis in adductis exemplis sunt ablutio, & unctio. Atqui dolor internus non ita se habet, sed est ejus naturæ, ut moraliter vel virtualiter perseverare possit, perque novam Confessionem iteratò fieri sensibilis in ordine ad novam Absolutionem obtinendam. Mezger num. 9. In Confirmat. neg. Conseq. tum ex primùm dictis; quia etiam Confessio est actio ita transiens, ut sæpiùs applicari nequeat. Tum, quia Confessio est necessaria, & tanquam accusatio & testificatio unà cum Absolutione seu sententia Judicis constituat processum judicialem Sacramentalem, qui non potest esse novus, nisi enumerati actus sint novi. Dolor autem ideo solùm est necessarius, ut peccatum sit retractatum, & reus veniâ dignus, atque dispositus ad reconciliationem cum Deo: qui finis per unicum dolorem obtineri potest, etiam respectu plurium Sacramentorum Pœnitentiæ; ut in num. 53. docuimus.

60 Dico quarto. Dolor tanto tempore potest præcedere Confessionem, quantum requiritur; & sufficit, ut unitas, seu conjunctio moralis inter hos duos actus prudenti judi-

judicio censeri possit adhuc subsistere. Hæc est generalis & receptissima Theologorum doctrina. Verùm pro praxi statuere, quantum sit, aut esse possit hoc ipsum tempus, non ita facile est. Nos declinatis quorumdam laxitatibus incedimus viâ mediâ, quam ingressi sunt Reding to. 7. q. 6. a. 2. controv. 2. n. 18. Stoz in Trib. Pœnit. lib. 1. par. 2. q. 1. a. 7. n. 52. ubi docent, dolorem duabus vel tribus horis ante Confessionem elicitum adhuc sufficienter conjungi cum eadem Confessione. Imò & dolorem heri elicitum cum proposito cras confitendi hodie suffecturum ad valorem Sacramenti. Addit porrò Reding, non esse improbabile, eum, qui hesterno vesperi docuit de peccatis sine cogitatione & proposito Confessionis, posse hodie confiteri absque novo dolore, dummodo hesternum formaliter referat ad Sacramentum Pœnitentiæ, dicendo v. g. apud animum suum. Quandoquidem heri dolui de peccatis, nec retractavi eum dolorem, volo nunc confiteri. Optimè haud dubiè in præsenti negotio se gerit, qui inter dolorem & Confessionem non patitur intercedere moram, nisi, quoad fieri potest, brevissimam.

61 His expeditis illa adhuc quæstio pulsat animum, an nempe Attritio extra Sacramentum habeat vim delendi peccata venialia? Et videtur non habere: quia alioqui peccata venialia nunquam remitterentur primò per Sacramentum Pœnitentiæ, utpote semper jam priùs deleta vi Attritionis necessariò ante Absolutionem requisitæ in defectu Contritionis perfectæ. Sed conseq. videtur repugnare communi sensui Fidelium, & doctrinæ Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. dicentis, *peccata venialia rectè & utiliter, citráque præsumptionem* in Confessione exponi posse. Respondeo, omninò concedendam esse Attritioni extra Sacramentum vim delendi peccata venialia. Ad rationem in oppositum dico, peccata quidem venialia nunquam remitti primò per Sacramentum Pœnitentiæ, quando non sunt conjuncta cum peccatis mortalibus, prout contingit in homine justo, remitti tamen primò per illud, quando sunt conjuncta cum mortalibus, prout contingit in homine peccatore: sic enim extra Sacramentum nunquam delentur per Attritionem. Neque hinc sequitur, peccata venialia minùs rectè, aut minùs utiliter in Confessione exponi ab homine etiam justo. Nam & isti prodest eorum Confessio tum ad majus augmentum gratiæ, tum ad remissionem pœnæ alicujus temporalis: quemadmodum prodesse fatendum est Confessionem mortalium jam ante remissorum. Vid. Card. de Lugo disp. 14. de Pœnit. sect. 8. num. 107. Stoz q. cit. a. 9. n. 71.

DISPUTATIO V.

De Confessione.

COnfessio, de qua hîc sermo erit, non est illa Fidei, quæ fit coram Tyranno; nec etiam Confessio Divinarum perfectionum aut beneficiorum Dei, qua undique personat Psalterium Davidicum; sed Confessio propriorum delictorum, eáque ipsa non qualiscunque, ut illa, quæ fit coram Judice in foro externo, aut soli Deo, ut illa Davidis, cùm Psal. 50. dixit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; sed ea, quæ fit coram legitimo Sacerdote locum Dei tenente, ut venia peccatorum obtineatur. Ista quippe Confessio sola est & dicitur Sacramentalis seu Pars Sacramenti Pœnitentiæ. Hujus proinde qualitates seu conditiones in præsenti Disp. exponemus. Priùs tamen sit

ARTICULUS I.

De Præcepto Confessionis.

SUMMARIUM.

1. Confessio auricularis à Christo instituta. 2. Ejus definitio. 3. Omnes post Baptismum in peccatum mortale lapsi tenentur confiteri. 4. B. V. nunquam fuit confessa. 5. An in articulo mortis confiteri teneatur nullius peccati mortalis sibi conscius? 6. Præceptum confitendi & Juris Divini & Ecclesiastici. 7. Quoties urgeat obligatio confitendi. 8. Etiam pueri & puellæ obligantur. 9. Circa horum capacitatem quid observandum Confessario. 10. 11. 12. Illationes ex dictis. 13. Præcepto annuæ Confessionis satisfit quocunque anni tempore. 14. Statuitur, quomodo com-

computandum sit hoc tempus. 15. 16. *& seqq. Illationes practicæ.* 22. *Nullum exstat præceptum confitendi peccata venialia.* 23. *An præceptum Ecclesiasticum obliget ad confitendum in scripto, vel per interpretem?*

1 CONfessionem auricularem, seu modum peccata Sacerdoti secretè confitendi, ab ipso Christo institutum esse, firmissimè persuadent tum perpetua Ecclesiæ traditio, tum antiquissimus ejusdem usus ab ipso Christiani nominis exordio ad hæc usque tempora continuatus. Cùm enim Apostoli (sicut declarat Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.) eorumque in Sacerdotio successores veluti conscientiarum Judices in terris à Christo sint constituti; aliunde verò constet, Judices incognitâ delicti causâ non posse ferre sententiam, planè conficitur ex institutione Christi esse, ut, quisquis peccatorùm veniam, in quæ post Baptismum lapsus est, consequi desiderat, ea Sacerdotibus, qui soli habent potestatem ferendi sententiam, ritè confiteatur.

2 Definitur autem nostra Confessio ex Catechismo Romano Pii V. quòd sit *legitima & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis ad eorum veniam virtute clavium obtinendam coram Sacerdote facta.* Dicitur *legitima.* Quia institui debet juxta præscriptum certarum conditionum, de quibus postea agemus. Dicitur *Sacramentalis accusatio.* Quia non quælibet narratio historica sufficit, sed quæ instituitur animo accusatorio, & vindicativo in se ipsum. Dicitur *de propriis peccatis*, ut indicetur materia Confessionis, scilicet peccata propria post Baptismum commissa, non aliena. Dicitur *ad veniam &c.* reconciliatio quippe cum Deo & remissio peccatorum est finis istius accusationis. Dicitur *coram Sacerdote facta*, ut significetur necessaria præsentia legitimi Judicis ac prædicti judiciaria absolvendi potestate. Huic enim tali, non alteri, peccata sunt explicanda.

3 Dico jam primo. Omnes post Baptismum lapsi in peccatum mortale tenentur confiteri. Ita definitum habetur in Concil. Trid. sess. & cap. cit. ac rursus can. 7. Ratio est: quia peccata mortalia post Baptismum commissa non possunt aliter expiari, quàm per Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, scilicet per Contritionem perfectam in ordine & hoc Sacramentum elicitam veluti satis constat ex communi doctrina de necessitate ejusdem Sacramenti præsentis superiùs asserta. Atque hinc

4 Sequitur primo, B. Virginem nunquam suscepisse Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio est: quia de peccato proprio neque potuit se accusare, neque dolere de illo. Unde, si dicas, fuit baptizata: ergò etiam Sacramentaliter absoluta; respondeo neg. conseq. quia poterat in ipsa habere locum Materia proxima Baptismi, scilicet ablutio, & reliqua omnia ad susceptionem hujus Sacramenti necessaria; non autem materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ dolor & Confessio. Vid. Mezger disp. 47. a. 1. n. 8. Abbas. Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 2.

Sequitur secundo, per se & speculati- 5
vè loquendo nequidem in articulo mortis ad confitendum obligari illum, qui nullius peccati mortalis sibi conscius est. Ratio est: quia solùm confiteri tenemur materiam necessariam Confessionis; qualem non habet peccati mortalis sibi non conscius. In praxi tamen, tum ad evitandam præsumptionem, & occurrendum periculo, si fortè moribundus re ipsa versetur in malo statu, esto id non existimet; tum ad cavendum scandalum, nunquam in eo articulo omittenda est Confessio peccatorum etiam venialium. Vid. Gobat tract. 6. casu 10. n. 253. Mezger n. 9.

Dico secundo. Omnes lapsi post Ba- 6
ptismum tenentur confiteri non solùm jure Divino, sed etiam Ecclesiastico. Ita communis. Prima pars colligitur ex illo Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quæ verba interpretes explicant de præcepto Confessionis. Et ratio est: quia fideles ante legem Evangelicam tenebantur jure Divino ad eliciendam contritionem de peccatis mortalibus personalibus: ergo eodem jure lapsi post Baptismum tenentur ad Confessionem. Conseq. prob. quia ex institutione Christi præceptum Confessionis subrogatum est præceptò contritionis: ergo sicut ante legem Evangelicam obligabat præceptum contritionis, ita nunc obligat præceptum Confessionis. Ant. constat ex S. Script. Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm.* Secunda pars Concl. habetur ex cap. *Omnis utriusque sexûs. de Pœnit. & Remiss.* ubi annua Confessio præcipitur sub pœna carendi Ecclesiasticâ sepulturâ, & prohibitione ingressûs in Ecclesiam.

Dico tertio. Omnes baptizati, qui 7
habent conscientiam peccati mortalis, confiteri tenentur tum semel in anno; tum in articulo, vel probabili periculo mortis; tum, quando Sacramentum Eucharistiæ volunt suscipere. Ita communiter DD. Primum membrum constat ex cit. cap. *Omnis utriusque sexus.* Ratio secundi est: quia Sacramentalis Confessio est necessarium remedium lapsorum, atque à Christo institutum & præscriptum, quo vel maximè uti tenemur, dum adest certum, vel probabile periculum non ampliùs confitendi, ut est in articulo vel probabili peri-

periculo mortis. Tunc enim procul dubio gravissimè urget obligatio salutem animæ omni meliori modo assecurandi. Atque hinc Medici quoque obligantur per cap. *Cùm infirmitas. de Pœnit. & Remiss. ut, cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, atque inducant, ut Medicos advocent animarum.* Quod præceptum tunc obstringit, quando infirmitas gravis est & mortis periculo juncta, ut habet Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 5. n. 5. Tertium præcipit Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. conformiter verbis Apostoli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* quod idem nos quoque suprà in tract. de Euchar. inculcavimus. Vid. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 4. n. 12. Laym. loco cit. Salmantic. de Pœnit. tract. 6. cap. 7. Mezger a. cit. §. 2.

8 Infertur jam primo, etiam pueros & puellas baptizatos, qui sibi conscii sunt alicujus peccati mortalis, obligari ad confitendum. Ita communiter DD. Ratio est: quia in cit. cap. *Omnis utriusque sexus* sine ulla exceptione omnes jubentur sua peccata confiteri, qui ad annos discretionis pervenerunt: atqui etiam pueri & puellæ peccati mortalis sibi conscii pervenerunt ad annos discretionis; hoc est, ad eam ætatem, in qua inter bonum & malum discernere possunt. Nam quomodo alioqui peccare possent mortaliter? Ergo tenentur confiteri. Cæterùm non baptizati nec jure Divino, nec humano ad Confessionem obligantur. Obligantur autem hæretici non minùs quàm Catholici. Neque dicas, vi memorati Canonis obligari solos fideles, hæreticos autem non esse fideles. Respondetur enim cum Reding to. 7. q. 8. a. 2. controv. 1. Nomen *Fidelis* ibi non accipi cum restrictione ad eos tantùm, qui formaliter fideles sunt per infusum habitum Fidei, sed cum extensione ad omnes, qui Ecclesiæ per characterem Baptismi subjecti sunt.

9 Ad pueros & puellas quod attinet, monent DD. prudentis Confessarii esse non ex sola ætate, quòd nempe septennium impleverint, sed multò magis ex maturitate judicii & educatione illorum conjecturam facere, sintne absolutionis capaces, an non. Contingit enim, ut alii primùm post, alii verò ante septennium præditi sint discretione sufficiente ad peccandum non solùm venialiter sed etiam mortaliter. Quando proinde Confessarius omnibus pensatis judicat, puerum verè ac deliberatè patrâsse peccatum, quod confitetur, examinare insuper debet, utrum de illo doleat ex motivo aliquo supernaturali, putà, quia Deo contrarium est, quia pœnam Inferni, vel Purgatorii meretur; atque ideo absolvi desideret: & non potiùs ex motivo merè humano, v. g. quia timet indignationem parentum, vel virgas &c. Quòd si deprehendat in puero dolorem procedere ex motivo prioris generis, debet absolvere: secùs nec debet, nec potest. Si omnibus consideratis de pueri capacitate dubium maneat, absolvi potest sub conditione: imò in articulo mortis ita debet absolvi. Vid. Coninck disp. 5. dub. 5. num. 51. Laym. ubi suprà num. 7. ubi addit, si materia, quam affert puer, videatur mortalis, ipse tamen ob suam indispositionem non absolvatur, monendum esse de hoc ipso, ut sciat se non esse absolutum; ideoque meliùs & accuratiùs se præparet ac disponat ad proximam sessionem.

Infertur secundo, neminem teneri sta- 10
tim confiteri post peccatum admissum, tametsi commodè id facere possit. D. Thomas in Supplem. 3. part. q. 6. a. 5. & Theologi communiter. Ratio est: quia hæc est natura præcepti affirmativi, ut non petat impleri statim, sed determinato tempore. Atqui præceptum confitendi est affirmativum; ergo. Confirmatur. Certum est, jure Ecclesiastico neminem obligari ad statim confitendum, postquam peccavit mortaliter; cùm hoc asserendi nullum prorsus suppetat fundamentum. Jam verò, si jure Divino ad hoc obligaremur, Ecclesia malè determinâsset certum aliquod tempus, videlicet annuum, intra quod semel confiteri tenerentur in peccatum mortale lapsi: cùm jure Divino, quod Ecclesia mutare non potest, toties, & quidem statim confiteri tenerentur, quoties successivè peccarent mortaliter; quod intra annum sæpissimè prôh dolor! à plurimis fieri constat. Neque refert, si forte subsit periculum obliviscendi peccata. Nam alioquin peccatores oblivioси vel tenerentur sæpius confiteri per annum, vel peccata sua scriptô consignare, quorum nihil ullo jure ostendi potest. Vid. Laym. n. 4. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 3.

Infertur tertio, milites, quando instat 11
prælium; item navigantes, dum instat naufragium, teneri ad confitendum. Lym. n. 5. Filliuc. tract. 7. cap. 2. num. 32. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 4. num. 13. Ratio est: quia isti versantur in certo, vel probabili periculo non amplius confitendi. Ob eandem rationem obligatur ad Confessionem mulier, teste eodem Bonac. quæ primo paritura est, aut quæ ordinarie parit cum magna difficultate. Hæc talis confiteri tenebitur ante singula puerperia. Porro damnatum ad mortem à Judice urgeri præceptô confitendi similiter constat. Nam & iste constitutus est in probabili mortis periculo.

Infertur quarto, graviter infirmum, 12
qui post Confessionem rursus peccavit mor-

mortaliter, rursus quoque teneri confiteri durante eadem infirmitate. Bonac. n. 15. Ratio est: quia iterum existit in probabili periculo decedendi in peccato mortali, & damnationis æternæ, nisi remedium Confessionis ad remissionem peccatorum per se institutum amplectatur. Dices. Qui semel sumpsit S. Eucharistiam in periculo vel articulo mortis, non tenetur iterum sumere, quamvis post primam sumptionem peccaverit mortaliter: ergo etiam semel confessus in simili necessitate non tenetur ampliùs confiteri illa durante, esto post Confessionem rursus peccaverit mortaliter. Respondeo, disparitatem facilè colligi ex dictis. Nam Sacramentum Pœnitentiæ est longè magis necessarium, quàm Sacramentum Euchatistiæ, mediumque per se institutum ad remissionem peccatorum mortalium, & collationem primæ gratiæ obtinendam.

13 Dico quarto. Probabilius est, præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis satisfieri, quocunque anni tempore peragatur Confessio. Ita Sylvester, Sotus, Navarrus, Suarez, & alii, quos referunt & sequuntur Salmantic. tract. 6. cap. 7. pu. 4. num. 34. Ratio est: quia in cit. cap. *Omnis utriusque* plus non præcipitur, quàm ut quis semel in anno confiteatur: ergo, qui semel in anno confitetur, satisfacit præcepto. sed quocunque anni tempore, v. g. sive ante, sive post Quadragesimam, quis confiteatur, semel in anno confitetur; ergo satisfacit præcepto. Verùm difficultas est, quomodo hic annus sit computandus? Quatuor modi hujus supputationis possunt intelligi. Primus, ut annus incipiat computari ab illo tempore, quo quis post ultimam Confessionem primùm peccavit mortaliter. Secundus, ut incipiat computari ab ultima Confessione, quandocunque hæc facta sit. Tertius, ut incipiat computari à Kalendis Januarii. Quarto, ut computetur ab uno Paschate in aliud. Relictis primis duobus modis, qui Authoribus communiter displicent,

14 Dico quinto. Tametsi secundùm communem usum & consuetudinem distinguendi annos optimè posset hic annus definiri tertio modo, scilicet à Kalendis Januarii usque ad ultimum diem Decembris, facilior tamen & Ecclesiasticæ consuetudini conformior est annuæ Confessionis computatio, quæ fit quarto modo, nimirum ab uno Paschate in alterum. Ratio primæ partis, quam docet Coninck disp. 5. dub. 6. hæc redditur: quia annus usualis ita communiter accipitur, itaque illum accipiunt omnia jura, nisi aliud exprimant. Unde etiam spectando præcisè verba legis Ecclesiasticæ hic modus computandi in præsenti materia cæteris præferendus esset. Ratio secundæ partis petitur ex praxi Ecclesiæ. cùm nulla alio anni tempore Pastores à suis Fidelibus exigere soleant Confessionem tanquam debitam vi præcepti Ecclesiastici, quàm circa Festum Paschatis. Vid. Bonac. ubi suprà num. 19. Laym. num. 8. Salmantic. n. 37. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 1. num. 13. Sporer de Sacrament. par. 3. cap. 3. sect. 4. num. 534. estque hæc communior sententia. Atque hinc

Infertur primo, eum, qui post Con- 15
fessionem tempore Paschali peractam lapsus est in peccatum mortale, hujus Confessionem differre posse usque ad sequens Pascha. Laym, Sporer locis citt. Ratio est: quia revera Ecclesia nos aliter obligare non voluit, quàm ut semel in anno peccata mortalia confiteremur. Cæterùm non posse talem absque gravi peccato Confessionem differre ulteriùs, fatentur citt.

Infertur secundo, eum, qui in Nati- 16
vitate Domini v. g. confessus est peccatum mortale, non teneri vi præcepti Ecclesiastici postea confiteri in Paschate sequente. Bonac. n. 20. Sporer loco cit. & alii. Ratio est: quia jam satisfecit illi præcepto. Fieri nihilominùs potest, ut alio titulo ad Confessionem obligetur: ut, si inster præceptum Communionis, ipseque peccati mortalis sibi conscius sit; vel si immineat periculum aut articulus mortis, ut patet ex n. 7.

Infertur tertio, si quis intra annum non- 17
nisi venialia commisisset, confessusque fuisset, ultimo verò anni die incideret in mortale peccatum, eum obligari ad Confessionem eodem adhuc die instituendam. Bonac. n. 33. Salmant. n. 40. Mezger n. 12. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 6. Ratio est: quia Ecclesia illam Confessionem annuè fieri vult à fidelibus, quam Christus præcepit: sed hæc est Confessio mortalium; ergo Confessionem mortalium Ecclesia vult fieri à fidelibus, & consequenter ipsius præcepto non satisfit per Confessionem venialium tantùm. Sed quid, si talis intra annum in Confessione venialium recensuit etiam aliquod peccatum mortale dubium? Respondeo, tunc non esse obligatum ad confitendum eodem adhuc die, licèt mortale, in quod incidit, sit certum. Ratio est: quia jam implevit præceptum, quippe quod non solùm est de Confessione mortalium certorum, sed etiam dubiorum. Ita Card. de Lugo disp. 15. de Pœnit. sect. 7. n. 169.

Infertur quarto, quando confessus es pec- 18
cata mortalia, & recordaris deinde peracta Confessione cujusdam alterius antea non expositi, te non obligari vi hujus præcepti ad hoc

peccatum eodem anno confitendum. Bonac. n. 32. Salmantic. n. 42. Card. de Lugo n. 165. Raßler loco cit. Ratio eßt: quia per priorem Confeßionem jam ßemel implevißti præceptum. plus autem non præcipitur: quia, ut explicat Trident. ßeß. 14. cap. 5. Chrißtus ßolùm præcepit, ut confiteremur peccata mortalia, quæ hîc & nunc poßt diligens examen memoriæ occurrunt. ßed hoc totum præßtitißti in priore Confeßione, ut ßupponitur; ergo.

19 Infertur quinto, non confeßßum anno præterito obligari ad confitendum hoc anno, quam primùm id fieri poteßt, ita ut quantò diutiùs Confeßionem ßine jußta caußa differt, tantò magis augeat peccatum contra præceptum Eccleßiæ. Bonac. n. 26. Card de Lugo n. 177. Reding to. 7. q. 8 a. 2. controv. 3. n. 9. Mezger n. 14. Laym. n. 9. Abbas Raßler loco cit. Ratio eßt: quia tempus annuum, intra quod jubemur confiteri, non ponitur tanquam terminus obligationis, ita ut in eo deßinat obligatio urgere ulterius ad ßui impletionem, ßed tanquam terminus executionis, id eßt, ultra quem non differatur Confeßio. quod colligere licet vel ex ipßo legis Contextu: nam dicere, ut ßemel ßaltem in anno quis confiteatur, æquivalenter idem eßt ac dicere, ne ultra annum differat Confeßionem.

20 Infertur ßexto, eum, qui prævidet, ße tempore Paßchali impeditum iri ab inßituenda Confeßione, teneri anticipari. Filliuc. tract. 7. cap. 3. n. 58. Bonac. n. 21. Salmantic. n. 39. Laym. loco cit. & DD. communiter. Ratio eßt: quia, quando præceptum aliquod omni parte temporis, intra quod obligat, impleri poteßt, idque implere non poßßumus intra unam partem temporis, tenemur implere intra aliam partem: ßed præceptum Confeßionis ita ße habet; ergo, quando id non poßßumus implere intra unam partem temporis, tenemur implere in alia parte. mi. conßtat: quia hoc præceptum habet totam latitudinem annui temporis, intra quam obligat. maj. oßtenditur in ßimili. Nam, quia præceptum recitandi horas Canonicas obligat intra latitudinem totius diei naturalis, qui prævidet, ßub finem hujus temporis ßibi obventurum impedimentum recitandi, tenetur priùs recitare. Item, quia obligatio audiendi Mißam diebus feßtis cadit in totum tempus antemeridianum, qui prævidet, in ultima hujus temporis parte ßibi defuturam occaßionem audiendi Mißam, tenetur illud tempus prævenire audiendô priùs.

21 Infertur ßeptimo, præcepto annuæ Confeßionis non ßatisfieri per Confeßionem invalidam. Ita communis, imò certa ßententia, poßtquàm Alexander VIII. damnavit oppoßitam ita ßonantem: *Qui facit Confeßionem voluntariè nullam, ßatisfacit præcepto Eccleßiæ.* Ratio verò eßt: quia præceptô Eccleßiæ idem præcipitur, quod præceptô Chrißti: ßed præcepto Chrißti præcipitur Confeßio non qualiscunque, ßed valida & religioßa; ergo etiam præceptô Eccleßiæ. maj. conßtat. min. inde colligitur, quòd finis proximus & intrinßecus illius præcepti ßit reconciliatio cum Deo & recuperatio Divinæ amicitiæ, quæ haberi non poteßt per Confeßionem invalidam & ßacrilegam, ßed per validam & religioßam. Confirmatur. Præcepto annuæ Communionis non ßatisfit per Communionem ßacrilegam: ergo neque præcepto annuæ Confeßionis ßatisfit per ßacrilegam Confeßionem. Conßeq. colligitur ex identitate rationis, & Ant. ex decreto Innocentii XI. n. 55. damnantis hanc prop. *Præcepto Communionis annuæ ßatisfit per ßacrilegam Domini manducationem.* Vid. Bonac. n. 23. Card. de Lugo diß. 15. ßect. 7. §. 5. Salmantic. pu. 5. à n. 47. Reding ubi ßuprà controv. 2. n. 9. Mezger n. 17. Illßung tract. 6, diß. 6. q. 1. a. 3. n. 16.

22 Quæritur adhuc primo, an exßtet aliquod præceptum Eccleßiaßticum confitendi peccata venialia? Reßpondeo, nullum eße præceptum univerßale obligans fideles, ut confiteantur venialia. Ita communiter DD. Ratio eßt: quia intentio Eccleßiæ nunquam fuit hactenùs novam in ßubßtantia obligationem, quod ad Confeßionem peccatorum attinet, fidelibus imponere, ßed eam tantùm, quæ ex jure Divino habetur ad certum tempus determinare. Atqui ex jure Divino nulla habetur obligatio confitendi venialia, ut conßtat ex Concil. Trid. ßeß. illa 14. cap. 5. ubi docet, venialia in Confeßione *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari poße.* At nihilominùs dari poßßunt, ac dantur quædam ßtatuta Regularia & Synodalia, quibus Religioßi & Clerici obligantur, ut intra annum frequentiùs ßußcipiant Sacramentum Pœnitentiæ, tametßi venialium tantùm ßibi conßcii ßint. Ratio eßt: quia poteßtas legislativa Eccleßiæ conceßßa habet hanc efficaciam, ut opera quoque virtutum liberra, v. g. temperantiæ, religionis, ßubditis ßuis imperare poßßit, quando in certis caßibus ßic expedire ad eorum ßalutem & ßpiritualem utilitatem videtur: & conßequenter etiam ßußceptionem Sacramenti Pœnitentiæ cum Confeßione venialium tantùm imperare poteßt. Vid. Laym. num. 12. Card. de Lugo ßect. 6. Salmantic. pu. 3. Mezger n. 15.

23 Quæritur ßecundo, an vi præcepti Eccleßiaßtici hactenùs expoßiti teneatur quis in ßcripto,

ſcripto, vel per interpretem confiteri, ſi aliter non poſſit? Reſpondeo, teneri ad Confeſſionem in ſcripto peragendam, non autem per interpretem. Ratio eſt: quia confiteri in ſcripto non eſt notabiliter difficilius quàm confiteri modo ordinario. Conſequenter obligatio præcepti propter impoſſibilitatem aliter confitendi non videtur poſſe ſubterfugi. Econtra confiteri per interpretem ſuperaddit notabilem difficultatem, videlicet publicationem ſui peccati. atqui Eccleſia non præcipit Confeſſionem publicam, ſed ſecretam & auricularem, adeòque ſoli Sacerdoti faciendam excludendo omnem aliam perſonam, etiam interpretis. Vid. Card. de Lugo diſp. cit. ſect. 5. Mezger n. 16. Excipitur tamen communiter articulus mortis. in hoc enim pœnitens lege Charitatis erga ſe ipſum tenetur per integram peccatorum Confeſſionem aſſecurare ſalutem inſuperhabito quovis incommodo. Vid. Salmantic. pu. 2. num. 21. Verùm hæc obligatio, ut conſtat, non eſt ex lege Eccleſiaſtica.

ARTICULUS II.

De Conditionibus requiſitis ad Confeſſionem rectè inſtituendam.

SExdecim omnino ejuſmodi qualitates, ſeu conditiones apud D. Thomam in Supplem. 3. p. q. 9. a. 4. inveniuntur. non omnes tamen, ſed aliquæ tantùm ſunt neceſſariæ ad Confeſſionem, quæ ad ſequentes quatuor revocantur. Prima eſt, ut Confeſſio ſit voluntaria. conſtat enim ex dictis de Sacram. in com. in adultis propriam voluntatem & intentionem requiri ad validam ſuſceptionem Sacramentorum. Secunda eſt, ut ſit integra, hoc eſt, omnium peccatorum mortalium, quæ diſcuſſâ diligenter conſcientiâ memoriæ occurrunt. Tertia eſt, ut ſit fidelis, hoc eſt, ne pœnitens plus dicat, neque minus, quàm neceſſarium eſt ad peccata, prout in conſcientia ſunt explicata. prius contingeret, ſi numerum, ſpecies circumſtantias peccatorum, de quibus ſe accuſat, augeret; poſterius, ſi minueret. ab utroque proinde cavere debet. Quarta eſt, ut ſit ſecreta. & hinc auricularis dicitur, eò quòd citra gravem cauſam fieri non debeat alteri quàm Sacerdoti, aut coram aliis mos quippe peccata publicè confitendi, qui viguit aliquando in Eccleſia, dudum eſt penitus abolitus. Ex his conditionibus tres poſtremas (de prima enim nihil ſpeciale occurrit) impreſentiarum exponemus.

§. I.

Qualiter Confeſſio debeat eſſe integra?

SUMMARIUM.

1. *Integritas Confeſſionis alia materialis, alia formalis.* 2. *Formalis eſt ſimpliciter neceſſaria ad valorem Confeſſionis, non autem materialis.* 3. *Hinc invalida eſt Confeſſio non formaliter integra.* 4. *Urgente præcepto confitendi voluntariè retinens peccatum mortale committit duplex peccatum mortale.* 5. *Omnia peccata mortalia in Confeſſione ſunt aperienda; quorum quis meminit poſt diligens examen.* 6. 7. 8. 9. *Aſſeritur & declaratur neceſſitas examinis conſcientiæ.* 10. *Omnia peccata mortalia tam interna quàm externa;* 11. *eorumque differentiæ ſpecificæ,* 12. *& numericæ explicari debent in Confeſſione.* 13. *Modus declarandi numerum peccatorum.*

NOtandum eſt, duplicem eſſe integritatem Confeſſionis, ſcilicet materialem & formalem. Materialis, quam etiam realem vocant; tunc datur, quando quis omnia prorſus peccata confitetur quæ commiſit. Formalis eſt, quando quis confitetur omnia peccata, non abſolutè, ſed omnia, quæ hîc & nunc confiteri tenetur: contingit enim, ut, tametſi aliquis plura commiſerit, quàm confitetur, ea tamen ex rationabili cauſa non teneatur confiteri: ut, ſi poſt diligens examen conſcientiæ non occurrant memoriæ; vel propter periculum moriendi ante Abſolutionem non omnia explicare poſſit. In quibus caſibus Confeſſio non quidem materialiter, attamen formaliter integra eſt.

Dico jam primo: Integritas formalis eſt ſimpliciter neceſſaria ad valorem Confeſſionis Sacramentalis, non autem materialis. Ita omnes Catholici. Prima pars habetur definita in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. Colligitur præterea

ex institutione & natura hujus Sacramenti per modum judicii, in quo integra cognitio causæ semper præcedere debet Judicis sententiam: quod fieri non potest, nisi reus de omnibus peccatis integrè accusetur. Ratio secundæ partis est: quia Confessio materialiter integra sæpe pœnitenti est impossibilis; eò quòd vel omnium prorsus peccatorum meminisse non possit; vel nequeat hîc & nunc explicare omnia: veluti contingit nonnunquam subitò morbô prævenitis, & usu loquendi repentè destitutis. Ergo licèt integritas materialis per se loquendo, & nisi excuset rationabilis causa, jure Divino præcepta sit, requiri tamen à Christo tanquam simpliciter necessaria ad valorem Confessionis non potuit.

3 Corollarium I. Invalidum est Sacramentum Pœnitentiæ, si Confessio non sit formaliter integra. Ratio est: tum, quia formalis integritas Confessionis est de necessitate Sacramenti, ut vidimus. tum, quia destitutus legitimo dolore non suscipit validum Sacramentum Pœnitentiæ: sed quando Confessio non est formaliter integra, pœnitens destituitur legitimo dolore, utpote peccans mortaliter omittendo voluntariè citra justam causam peccatum mortale in Confessione; ergo. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 16.

4 Corollarium II. Qui tempore, quo urget præceptum Confessionis, reticet in Confessione sciens & volens absque justa causa aliquod peccatum mortale, duplicis peccati mortalis reus efficitur. Ratio est: quia inprimis transgreditur præceptum affirmativum, quo præcipitur, ut confiteamur validè & integrè. Deinde agit contra præceptum Divinum negativum, quo prohibetur, ne Sacramentum reddamus invalidum. Rassler loco cit.

5 Dico secundo. Ad integritátem Confessionis pertinent omnia illa peccata mortalia, quorum quis post diligens sui examen habet memoriam. Ita rursus habetur in Concil. Trid. sess. & cap. citt. ubi dicitur, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint.* quod idem definitur per can. 7. Omnia proinde & singula peccata mortalia, quorum Pœnitens facta debita in se inquisitione meminit, eidem Sacerdoti cum legitimo & requisito dolore sunt aperienda, nisi justa aliqua causa excuset. Atque hinc

6 Sequitur primo, ad integritatem Confessionis prærequiri diligens examen conscientiæ. Ratio est: quia eodem præcepto, quo præcipitur aliquis actus, etiam præcipitur applicatio mediorum ad ejus positionem necessariorum: atqui fidelibus præcipitur præceptô Divinô, ut ex Trident. ostendimus, integra Confessio suorum peccatorum; ergo etiam eodem præcepto præcipitur applicatio medii ad faciendam integram Confessionem necessarii. Sed ejusmodi medium est diligens examen conscientiæ; cùm absque isto præcepta Confessionis integritas procurari non possit; ergo &c. Vid. Filliuc. tract. 7. cap. 4. num. 114. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 2. §. 1. num. 1. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 5. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 17. Cæterùm, quanta in facienda hac conscientiæ discussione adhiberi debeat diligentia, certâ regulâ determinari non potest. Considerandæ sunt ante omnia circumstantiæ personæ confitentis, frequentia confitendi, multitudo, qualitas peccatorum &c. minori quippe examine indigent, qui frequenter, quàm qui rarò confitentur: item, qui multis negotiis & commerciis à peccandi occasione inseparabilibus implicantur, quàm illi, quibus procul turbis vita quieta agitur. Rudes quoque & imperiti non possunt ita exactè se discutere, sicut docti & probè instructi. Illos proinde Confessarii in examinatione juvare debent. Laym. loco cit. Communiter tamen sentiunt DD. sufficere diligentiam ordinariam seu mediocrem, qualem unusquisque pro status sui conditione & judicii capacitate in re seria potest & solet adhibere. neque enim videtur credibile, Christum exegisse diligentiam summam & extraordinariam. cùm alioquin præcipiendo Confessionem peccatorum fidelibus onus nimis grave ac propè intolerabile imposuisset: cùm tamen dixerit, *jugum suum esse suave & onus leve.* Itaque si post adhibitam in examinando mediocrem diligentiam Pœnitens inter confitendum non recordetur omnium peccatorum, nihil admittit contrarium integritati Confessionis ad Sacramenti tum valorem tum effectum necessariæ ac sufficienti, dummodo reliqua, ut dolor, propositum &c. non deficiant. cùm ejusmodi Confessio sit integra formaliter, esto non sit integra materialiter. Ex quibus

7 Colligitur primo, quando mediocrem illam diligentiam in examinanda conscientia adhibuisti, te non obligari ad investigationem accuratiorem peccatorum, tametsi probabiliter existimes, eâ adhibita quædam peccata mortalia memoriæ occursura, quæ modò non occurrunt. Ratio est: quia in revocandis in memoriam peccatis tuis non teneris adhibere omnem illam diligentiam, quam potes; sed satisfacis, si tantam adhibeas, quantam exigere videtur status tui qualitas,

judicii

judicii capacitas, & conditio legis Christianæ, quæ non est jugum grave, sed suave & onus leve Bonac. num. 3. Abbas Rassler loco cit.

8 Colligitur secundo, eum, cui debilis est memoria, non esse obligatum ad peccata scriptô annotandum, quamvis timeat, ne alioquin aliquorum in Confessione subeat oblivio. Ratio est: quia peccata scribere memoriæ causâ, est adhibere diligentiam extraordinariam, ad quod in præsenti non tenemur, ut diximus Filliuc. n. 115. Bonac. n. 4. Coninck disp. 7. dub. 9. n. 72. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 3. sect. 1. n. 336. Ex eodem capite non tenetur quis statim confiteri, tametsi prævideat, nisi hoc faciat, peccatorum se obliturum. Bonac. loco cit.

9 Colligitur tertio, rusticos, aliosque homines rudes, quando minùs præparati accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum, non debere repelli à Confessariis. Ratio est: quia in similibus insciția, non negligentia, in causa est, quòd conscientiam non satìs examinent: examinarent enim, modò scirent. unde frustra plerumque dimitterentur, seque accuratiùs præparare juberentur. Deinde defectus iste sufficientis examinis suppleri potest à Confessario interrogante, cui ipsi respondere parati sunt: imò rogare solent, ut interrogentur. Filliuc. loco cit. Bonac. n. 6. Rassler loco cit. Nunc ulteriùs

10 Sequitur secundo, omnia peccata mortalia tam interna, quàm externa, sive in actum exteriorem prodeuntia debere subjici clavibus. Ita unanimis DD. Ratio est: quia juxta Concil. Trid. loco cit. omnium peccatorum mortalium Confessio est facienda: adeoque tam internorum quàm externorum. Accedit communis praxis fidelium de utrisque se se accusantium. Itaque non satìs est dicere, volui furari, volui adulterari, quando opere ipso furatus es, vel adulteratus; sed dicere necesse est, furatus sui, adulteratus sui. A contrario tamen opus non est, ut explicato sufficienter actu externo singillatim exprimatur actus malus internus, ad quem consecutus est externus. cùm Confessarius cognito sufficienter actu externo communiter cognoscat etiam sufficienter actum internum. Unde adulteratus, aut furatus non tenetur dicere, adulteratus, furatus sum animô furandi, adulterandi. Excipe, nisi actus internus vel ratione intentionis, vel moralis interruptionis, vel alterius circumstantiæ speciali aliqua malitia sit infectus: tunc enim, ut hæc exprimatur, etiam actum internum exprimi necesse est. Hinc furatus v. g. ex intentione fornicandi non satisfacit in Confessione, si exponat solum actum exteriorem, sed insuper tenetur dicere, se furtum commisisse ex intentione fornicandi. Similiter, qui semel furatus est eodem die, non satisfacit hoc solum dicendo, si vicibus interruptis pluries furari decrevit; sed tenetur etiam explicare, quoties hanc intentionem interruperit, & de novo resumpserit. Ratio horum constabit ex dicendis in n. 12. vid. Rassler §. 18.

11 Sequitur tertio, speciem moralem peccati distinctè, quantum fieri potest, esse in Confessione declarandam. Ità constat ex Concil. Trid. loco cit. Ubi nota, duplicem esse speciem alicujus actus: physicam nempe, quam is habet consideratus secundùm suum esse naturale; & moralem, ratione cujus habet, ut sit actus talis virtutis, aut vitii. sæpe autem contingit, ut unâ istarum specierum variatâ maneat invariata altera, sic comestio carnium die Jovis & die Veneris exercita non differunt specie physica; differunt tamen specie morali. similiter divinatio, sive fiat per ignem, sive per aquam, est ejusdem speciei moralis, quamvis differant specie physica. quod idem cogita de duobus homicidiis, quorum unum peragitur sclopeto, alterum gladio. Species physica, ut communiter sentiunt DD. non est necessariò explicanda in Confessione, quando non mutat speciem moralem. in judicio quippe Sacramentali non attenditur species physica. Nunc ratio consectarii est: quia Confessarius agit simul personam Judicis & Medici; ergo, ut ferat sententiam, & adhibeat medicinam, causam Rei, sive Pœnitentis, sicut & vulnera ejus ceu patientis cognoscat necesse est. cùm neque Medicus adhibeat medicinam morbo, aut plagæ, cujus non habet notitiam, neque Judex ferat sententiam non cognitâ causâ. Atqui, nisi Pœnitens exponat speciem moralem peccati, Confessarius neque vulnera aut morbos ipsius, neque causam rectè cognoscere potest; ergo &c. vid. Filliuc. ubi suprà n. 76. Bonac. §. 3. n. 2. Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 1. n. 4. Sporer de Sacram. p. 3. cap. 3. sect. 1. n. 376.

12 Sequitur quarto, de integritate Confessionis esse, ut Pœnitens numerum quoque peccatorum mortalium, non solùm, cùm diversæ, sed etiam cùm ejusdem sunt speciei, exprimat Confessario. Hæc doctrina omnibus Catholicis certa est, idque vel maximè ex Concil. Trid. sess. illa 14. cap. 5. ubi dicitur, *omnia peccata sigillatim*, & can. 7. ubi definitur, *omnia & singula esse* confitenda: quibus particulis apertè significatur, Confessionem de singulis & omnibus peccatis in individuo fieri debere. Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, omniumque fidelium consensus & usus. Et ratio est: quia omne illud necessariò exprimi debet in Confessione, sine cujus notitia Confessarius statum Pœnitentis

non potest rectè cognoscere : sed sine notitia numeri peccatorum Confessarius statum Pœnitentis non potest rectè cognoscere; ergo numerus peccatorum necessariò exprimi debet in Confessione. Confirmatur. Multitudo peccatorum in eadem specie magis interdum variat judicium Confessarii, quàm diversitas specifica: ergo cùm hæc sit explicanda, ut vidimus, etiam illa explicari debet. Ant. ostenditur. Nam furtum v. g. centies repetitum magis variat judicium, quàm furtum & contumelia. similiter aliud judicium format Confessarius de blasphemia centies repetita, quàm si semel tantùm fuisset prolata. In judicio quoque fori externi multitudo delictorum attenditur, & severior sententia fertur in eum, qui sæpius, quàm qui semel deliquit.

13 Porrò modum declarandi numerum peccatorum observa sequentem. Primo, si constet numerus certus, hic exprimendus est. Secundo, si numerus certus non occurrat, dic probabilem, addendo *plus minusve:* v. g. fui ebrius decies, plus minusve. Quòdsi postea deprehendas, te sæpius peccâsse, non teneris confiteri iterum, nisi excessus supra numerum probabiliter existimatum sit notabiliter major. Ratio est: quia excessus exiguus jam fuit comprehensus sub illis particulis *plus, minus, circiter &c.* non verò excessus notabiliter major. Quare, si dixisti, te fuisse ebrium decies circiter, plus minusve, & postea deprehendis, fuisse duodecies, non teneris hunc excessum confiteri de novo: teneris autem, si comperias, te fuisse quindecies, aut vigesies. prior enim excessus prudentûm judiciô habetur pro exiguo, posterior pro notabiliter majori. Tertio, si neque numerus probabilis iniri possit, ut sæpe contingit apud inveteratos consuetudinarios, satis est indicare tempus, à quo cœpisti peccare, & consuetudinem, quam per id tempus habuisti, additâ frequentiâ peccati: ut, quoties in die, hebdomade, vel mense &c. solitus fueris illud peccatum committere. vid. Filliuc. n. 82. Salmantic. n. 3. Rassler §. 20.

§. II.

Quænam generatim circumstantiæ peccatorum ad integritatem Confessionis pertineant?

SUMMARIUM.

14. *Circumstantiarum aliæ speciem mutantes, aliæ aggravantes.* 15. *Circumstantiæ speciem mutantes sunt de integritate Confessionis.* 16. 17. *Resolutiones practicæ.* 18. *Difficultas de circumstantiis notabiliter aggravantibus.* 19. *Refertur cum suis fundamentis sententia affirmans esse explicandas in Confessione.* 20. 21. *Eligitur & probatur negativa. Respondetur ad argumenta contraria.* 22. *Quid de circumstantiis notabiliter minuentibus?*

CIrcumstantiæ peccatorum aliæ dicuntur 14
speciem mutantes, aliæ aggravantes aut minuentes malitiam intra eandem speciem. Prioris generis sunt, quæ actui novam & specialem addunt repugnantiam cum recta ratione, & oppositionem cum motivo distinctæ virtutis. Exemplum est in percussione Clerici, cujus principali malitiæ circumstantia personæ sacræ addit specialem repugnantiam cum recta ratione, & oppositionem cum motivo Religionis, eamque actionem trahit ad novam speciem sacrilegii. Circumstantiæ aggravantes sunt, quæ augent, minuentes, quæ minuunt malitiam actûs, eumque relinquunt intra eandem speciem moralem, nec transferunt in aliam. Ita furtum decem aureorum, quod est in specie furti, non extrahitur ad aliam diversam speciem malitiæ, si accedat circumstantia majoris quantitatis, v. g. duodecim aureorum, gravioris tamen malitiæ est, quàm furtum decem aureorum. Similiter, si accedat circumstantia minoris quantitatis, v. g. si furtum supponatur esse quinque aureorum, minuitur malitia intra eandem speciem furti, quod est esse circumstantiam minuentem. Pari ratione intensum odium, ex quo aliquis occidit inimicum, est circumstantia aggravans, remissum odium est circumstantia minuens respectu malitiæ homicidii.

Dico nunc primo. Omnes circumstan- 15
tiæ speciem peccati mutantes pertinent ad integritatem Confessionis Sacramentalis. Ita definitum est in Concil. Trid. sess. 14. can. 7. ubi dicitur : *Siquis dixerit, non esse de jure Divino necessarium confiteri circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit.* Ratio est: quia ad integritatem Confessionis pertinent omnia & singula peccata mortalia, prout suprà in n. 5. ostendimus: ergo ad eandem pertinent etiam circumstantiæ speciem mutantes. Conseq. prob. quia impossibile est, Pœnitentem confiteri omnia peccata mortalia, si prætermittat eas circumstantias: cùm reticeat novam illam & specialem deformitatem, quam eædem actui superaddunt, & quæ itidem mortalis malitia est. Atque hinc

16 Resolvitur primo, eum, qui in una Con- 16
fessione oblitus fuit circumstantiæ mutantis speciem, teneri eam postea aperire in alia Confessione. Filliuc. tr. 7. cap. 4. n. 80. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 3. difficult. 1. n. 9. Pettschacher de Pœnit. q. 3. a. 1. §. 2. Ratio est: quia malitia per talem circumstantiam actui

actui addita non fuit remissa directè ; sed indirectè solùm & per accidens ; sicut aliud quodcunque peccatum, cujus Pœnitens inculpabiliter fuit oblitus : ergo sicut aliud quodvis peccatum ita omissum tenemur confiteri postea, ita etiam circumstantiam quæ mutat speciem. Nam hæc est regula generalis : quidquid est de integritate Confessionis, & inculpabiliter omissum fuit, in proxima Confessione est explicandum. Addit verò Filliuc. si malitia, quam circumstantia superaddidit, explicari possit absque mentione actus, cui erat conjuncta, satis esse explicare solam circumstantiam omissam : v. g. siquis homicidium patrasset propter furtum, & tantùm confessus fuisset homicidium, is satisfaceret in proxima Confessione dicendo, commisi furtum in tanta quantitate &c. Si verò ea malitia nequeat explicari sine mentione actus, cui erat conjuncta, ambo sunt explicanda : v.g. siquis abstulisset rem sacram, & in priori Confessione dixisset tantùm, se furtum fecisse, in posteriore dicere deberet, se furtum fecisse rei sacræ.

17 Resolvitur secundo, necessarium esse, ut Pœnitens eas quoque declaret circumstantias, quæ actum transferunt de peccato veniali in mortale, esto non mutent speciem intra idem genus. Bonac. n. 6. Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 1. n. Filliuc. Pettschacher locis citt. Ratio est ; quia licèt contingat, ut peccatum veniale & mortale sint intra eandem speciem, & contra eandem legem, veniale tamen, utpote solùm transgressio legis secundùm quid, rationem malitiæ & offensæ intra illam participat solùm secundùm quid : econtra mortale, cùm sit transgressio legis simpliciter, etiam participat rationem malitiæ & offensæ simpliciter. esse autem secundùm quid & esse simpliciter differunt plusquàm specie in genere moris. Et ista quidem non habent difficultatem.

18 Major controversia est de circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus, quales sunt v. g. media hora in morosa delectatione, numerus viginti aureorum in gravi furto, quæ utique sunt peccata longè graviora, quàm morosa delectatio unius instantis, vel paucorum minutorum, furtum unius aurei &c. de his talibus, inquam, circumstantiis celebris controversia est, sintne in Confessione necessariò exprimendæ, an non ; ita ut sufficiat dicere, *morosè delectatus sum*, non explicando quantitatem temporis : *commisi furtum grave*, non declarando, quantæ gravitatis id fuerit ?

19 Prima sententia affirmat, esse exprimendas. Ita Alensis, Major, Marsilius, Cajetanus, Suarez, Thom. Sanchez, aliique plures tum veteres, tum recentiores, quos refert Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 2. n. 76. Fundamentum est primò ex communi fidelium timoratorum usu, qui ejusmodi circumstantias in Confessione solent exprimere. Secundo. Ideo peccata occulta juxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. exprimenda sunt, quia sæpe graviùs sauciant animam, quàm peccata aperta : sed etiam circumstantiæ notabiliter aggravantes sæpe graviùs sauciant animam, quàm speciem mutantes ; ergo. Tertio. Juxta Concil. cit. Confessio peccatorum debet esse aperta : atqui non est aperta illa Confessio, quæ tacita maxima peccati gravitate, quam addit ejusmodi circumstantia, id solùm, quod commune & vulgare est, declarat ; ergo. Quarto. Ex Concil. Florent. *in decreto Eugenii* habetur, necessarium esse, ut Pœnitens omnia integraliter confiteatur : atqui non potest cum veritate dici omnia integraliter confiteri, qui maximam peccati gravitatem reticet ; ergo. Quinto. Ideo tenemur confiteri omnia peccata quoad speciem, numerum, & circumstantias speciem mutantes ; quia absque istorum notitia Confessarius neque potest formare rectum judicium de statu Pœnitentis ; neque imponere proportionatam satisfactionem ; neque salutarem medicinam præscribere. atqui hæc omnia similiter non potest Confessarius, quando caret notitiâ circumstantiarum notabiliter aggravantium : præsertim, quando circumstantia peccatum adeò aggravat intra eandem speciem, ut id æquivalcat pluribus peccatis numero aut specie distinctis : quemadmodum furtum mille aureorum æquivalet mille furtis, quorum quelibet aliquis furatur unum tantùm aureum : & sicut furtum bis, aut ter mille aureorum excedit suâ malitiâ furtum sacrilegum unius aurei ; ergo &c. Sexto. Ex contraria sententia sequeretur primo, eum, qui incestum commisisset cum sua sorore, satisfacturum in Confessione dicendo, *peccavi cum consanguinea* : quia hæc circumstantia solùm aggravat, non verò mutat speciem peccati incestus commissi in gradu remotiore. Sequeretur secundo, ob eandem rationem furatum mille aureos satisfacturum dicendo, *commisi grave furtum*. Sequeretur tertio, nullam quoque fore obligationem confitendi actum externum peccati. quia actus externus non superaddit distinctam malitiam actui interno ; adeoque videtur esse mera circumstantia illius. Et ita quidem arguitur pro sententia affirmativa. præplacet nihilominùs alia, quæ est negativa.

Dico proinde secundo. Nulla est obli- 20
gatio per se loquendo aperiendi in Confessione circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem. Ita D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiunc. 5. ubi sic ait

inter

inter cætera : *Quidam dicunt ; quòd omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt : & hoc probabilius est.* Idem docent alii quàm plurimi Theologi tum veteres, tum recentiores, quos pleno agmine producit Illsung ubi suprà n. 77.

Ratio est primo. quia nihil debemus agnoscere tanquam necessariò explicandum in Confessione, nisi quod ita explicandum esse constat vel ex S. Scriptura, vel ex natura Sacramenti, vel ex doctrina, aut recepta traditione Ecclesiæ : sed ex nullo horum capite constat, circumstantias merè aggravantes esse necessariò explicandas in Confessione ; ergo non sunt necessariò explicandæ. maj. est certa. quia ex solis capitibus memoratis colligere solemus institutionem & voluntatem Christi in materia Sacramentorum. min. per singula probare fusiùs non est opus : cùm argumentum unum, idque efficax omnia simul colligendi suppeditet Concil. Trident. dum sess. illa 14. cap. 5. jus Divinum circa materiam Confessionis declarans ac demum deveniens ad circumstantias, *colligitur præterea*, inquit, *etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* quod idem dicit in can. 7. Quis autem credat, si ex aliquo memoratorum capitum constaret obligatio explicandi etiam circumstantias merè aggravantes, eam à Concilio fuisse dissimulandam? Certè hoc aliud non fuisset, quàm opinioni falsissimæ, qualis esset hæc negativa, ostium apertum, quod tamen claudi facillimè potuerat, ultrò relinquere, ac fideles in manifestum salutis discrimen conjicere. Atqui Concilium locis citt. dissimulavit obligationem explicandi circumstantias aggravantes, nec ullam alibi quoque ejus fecit mentionem ; ergo signum est, quòd judicaverit esse nullam, nec ullum ejus asserendæ ex jure Divino & sacra Authoritate fundamentum suppetere.

Confirmatur. Juxta celebrem regulam Juris deductam ex can. 4. dist. 25. Inclusio unius est alterius exclusio, & vicissim. sive, ut alii declarant : In dogmaticis, quando affirmatur, unum esse necessarium, & aliud tacetur, de quo similiter dubitatur, hoc negatur. Atqui Trident. locis citt. affirmat, necessarium esse, ad integritatem Confessionis, ut fideles explicent circumstantias speciem mutantes, & tacet, necessarium esse, ut explicent circumstantias aggravantes, de quo tamen similiter dubitabatur ; ergo negat, esse necessarium, ut fideles explicent circumstantias aggravantes. Certè si Concilium illo cap. 5. & can. 7. obligationem confitendi peccata mortalia proposuisset cum mentione eorum tantùm, quæ in actum externum prodeunt, meritò censeretur positivè excluisse seu negasse obligationem confitendi peccata interna : cùm ergo obligationem explicandi circumstantias ita de facto proposuerit, ut meminerit earum tantùm, quæ speciem mutant, rectè colligitur, illud positivè excluisse obligationem explicandi eas, quæ speciem non mutant, sed aggravant tantùm.

Ratio est secundo. Sententia affirmans subministrat amplissimam occasionem scrupulorum. reddit præterea præceptum Confessionis plusquàm onerosum, difficile, ac propè intolerabile : ergo non est admittenda. Ant. ostenditur. Nam inprimis Pœnitentes, quantumcunque accuratè conscientiam discussissent, semper anxii esse possent, ne fortè aliquam ex circumstantiis aggravantibus in Confessione omisissent. Deinde tenerentur declarare omnem intensionem, & quantitatem durationis in actu ; quantitatem quoque non tantùm in damnis fortunæ, sed etiam famæ per detractionem illatis : quod est nimis onerosum, & simul communi fidelium praxi adversum ; quippe qui satisfacere censentur, quando præcisè dicunt in Confessione, se proximi famam in gravi materia læsisse.

Dixi autem, *nullam esse obligationem* 21
per se loquendo. Nam per accidens aliquando gravis est obligatio explicandi circumstantiam tantùm aggravantem, ut primo, si propter ejusmodi circumstantiam peccatum sit reservatum Superiori : sicut in Diœcesi Salisburgensi reservatum est peccatum incestûs in primo vel secundo consanguinitatis gradu. Secundo, si duratio peccati fuit tam longa, ut prudenter credi possit, illud sæpius fuisse moraliter interruptum, & numericè multiplicatum : veluti contingit in odio diuturno, longa dilatione restitutionis &c. Tertio, si Pœnitens de tali circumstantia interrogetur à Confessario prudenter judicante, ejus notitiam esse necessariam vel ad debitam dispositionem ex ipso eliciendam ; vel ad obligationem restituendi rectè imponendam ; vel ad salubrem medicinam contra peccatum providendam. Quemadmodum enim tunc Confessario competit jus interrogandi, ita Pœnitenti incumbit obligatio respondendi ad mentem interrogantis. quod etiam agnovit Innocentius XI. quando damnavit hanc propositi. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Asserta jam à nobis sententia negativa 22
videtur probabilior, & tuta in praxi. cùm habeat fundamentum valde solidum in Concil. Trident. Ad primum ex fundamentis

contra-

contrariis respondetur, ex praxi ista fidelium id solùm colligi, quod est consilii, non verò, quod est juris. præsertim, cum vigeat etiam praxis contraria aliorum tot, aut pluriùm fidelium, quæ sententiam nostram æquè confirmat. Neque refert, praxim sententiæ affirmativæ jam viguisse in primitiva Ecclesia, ut aliqui contendunt; non enim plus inde colligitur, quàm magnus fervor charitatis, qui tunc regnabat in animis fidelium.

Ad Secundum respondetur, Concilium ibi non uti particula causali *quia*, ut falsò ponitur in argumento, sed relativâ *quæ*, inquiens, peccata occulta esse confitenda, *quæ nonnunquam animum graviùs fauciant & periculosiora sunt &c.* Ex quo colligitur, Concilium eo loco non reddidisse rationem, cur peccata occulta sint confitenda, sed solùm advertisse, periculum in illis esse quandoque multò graviùs, quàm in apertis.

Ad Tertium conc. maj. neg. mi. loquendo de illa apertione & integritate, quam ibi requisivit Concilium. solùm enim definivit, peccata esse confitenda quoad speciem & numerum. Quæ eadem solutio ad Quartum quoque adhibenda est.

Ad Quintum respondetur, hîc maximè attendendum esse, quo modo Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ. Instituit autem sic, ut sufficeret judicium Confessarii formari de peccatis quoad numerum & speciem, pœnamque seu satisfactionem esse proportionatam culpæ spectata solùm gravitate, quæ ex numero & specie peccatorum proveniret. quod idem sentiendum de medicina, quam Confessarius contra peccata interdum debet præscribere. Nam si aliter instituisset, id nobis vel ex S. Script. vel traditione, vel ex Patribus, vel ex aliqua definitione Ecclesiæ constaret: quod tamen affimari non potest, sicut ostensum est. Unde conc. maj. neg. mi. nam possunt illa omnia fieri, omissis circumstantiis aggravantibus, quo modo Christus & in quantum fieri voluit, atque instituit.

Neque dicas: illa omnia sunt necessariò exponenda in Confessione, quæ notabiliter variare possunt judicium Confessarii: sed circumstantiæ notabiliter aggravantes notabiliter variare possunt judicium Confessarii, illæ præsertim, quæ peccatum ita aggravant, ut æquivaleat pluribus distinctis: ergo tales circumstantiæ necessariò sunt exponendæ. Respondetur enim dist. maj. illa omnia, quæ notabiliter variare possunt judicium Confessarii circa speciem & numerum peccatorum, sunt necessariò exponende in Confessione, conc. circa alia quæcunque neg. maj. &c. nam illa solùm Christus exponi voluit in Confessione, tanquam necessaria ad ejus integritatem, non verò alia, quæ judicium Confessarii quomodocunque variare possunt.

Ad Sextum conceduntur duæ priores sequelæ, diciturque, eas non esse absurdas. Ultima tamen negari debet. quia, licèt actus externus non addat novam atque distinctam malitiam actui interno, illum tamen complet in esse individuali; adeoque non est meta circumstantia.

Illa adhuc supereſt quæstio, an in Con- 23
fessione necessariò exprimendæ sint circumstantiæ peccatum mortale notabiliter minuentes? Aliqui, ut ex Perezio refert Reding, affirmârunt. Sed respondendum est cum communi DD. non esse necessariò exprimendas. Ratio est: quia ejusmodi circumstantiæ vel ita minuunt, sive alleviant peccatum de se mortale, ut illud transferant in statum peccati venialis, vel ita, ut relinquant in suo statu mortalis malitiæ? Si primum; palàm est, nullam dari obligationem eas explicandi; cùm ipsum quoque peccatum, quod sic alleviant, utpote veniale, non cadat sub hanc obligationem. Si secundum; veluti contingit, dum quis furatur in quantitate minima sufficiente ad furtum mortale, ejusmodi alleviatio meretur potiùs excusationem, quàm accusationem: & consequenter nulla est obligatio de illa se accusandi. Vid. Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 2. Sed quid, si ex circumstantiis minuentibus dubium oriatur, sitne peccatum mortale, vel veniale? Respondeo, tunc esse procedendum juxta doctrinam de obligatione confitendi peccata dubia superiùs asserta.

§. III.

Quænam in particulari circumstantiæ explicandæ sint in Confessione?

SUMMARIUM.

24. *Notus septenarius circumstantiarum.* 25. *Quando, & qualiter explicari debeat circumstantia* Quis. 26. 27. 28. *Resolvuntur aliquot dubia de eadem circumstantia.* 29. *In circumstantia* Quid *explicanda est qualitas personæ complicis.* 30. *An in peccato odii declaranda qualitas mali desiderati?* 31. *Item, an malitia peccati, de quo quis se jactavit?* 32. *Circumstantia* Ubi *quando exprimenda?* 33. 34. *Resolvitur duplex quæstio.* 35. 36. *& seqq. Quid de circumstantia Quibus auxiliis & reliquis.*

IN priori §. de circumstantiis speciem mu- 24
tantibus in genere docuimus, eas pertinere ad integritatem Confessionis; nunc magis

gis in particulari ad easdem juvat descendere designando præcipua capita, ad quæ reduci possunt. Ejusmodi capita septem communiter statui solent per vulgare hexametron, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Ante quorum declarationem notandum generaliter de cit. cumstantiis, eas non esse attendendas secundùm statum præsentem Pœnitentis, sed secundùm statum, in quo idem erat, dum peccabat. V. g. dum tibi aliquis confitetur peccatum luxuriæ, non debes attendere, an modò sit conjugatus, aut Religiosus, sed an fuerit talis, quando peccavit.

25 Prima igitur vocatur circumstantia *Quis*, id est qualitas, seu status personæ. Hæc circumstantia omnino explicari debet, quando mutat speciem, quod facit frequentiùs. Sic in peccato luxuriæ explicanda est circumstantia voti castitatis, & statûs conjugalis. Ratio est: quia prior circumstantia inducit peccato incontinentiæ novam specialem malitiam sacrilegii, posterior injustitiæ. Vid. Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 4. n. 52. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 9. n. 6. Circa voti castitatis circumstantiam Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 4. n. 149. observat cum Thoma Sanchez & aliis, non esse necessariò explicandum in peccato luxuriæ, an quis sit Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus, sed satis esse dicere, quòd sit initiatus Ordine sacro. Ratio est: quia votum castitatis Ordinibus sacris annexum in omnibus est ejusdem rationis. Major quoque consecratio & dignitas personæ non addit circumstantiam, quæ speciem mutet. Potior difficultas est, an in ejusmodi peccato explicari debeat solemnitas voti, ita ut Religiosus non satisfaciat dicendo, se esse obstrictum voto castitatis. Negant esse explicandam Thomas Sancez lib. 7. de Matrim. disp. 27. Castropal. loco cit. & alii. quam sententiam in praxi tutam esse judicat Card. de Lugo n. 147. Ratio est: quia votum solemne & votum insolemne non differunt specie. Econtra explicandam esse eam circumstantiam, seu statum Religionis affirmant plures cum eod. Card. apud. Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 4. n. 54. deinde Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 3. corollar. 2. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 3. n. 82. Ratio est: quia Religiosus per votum solemne non soli Deo se obligavit, sed etiam Religioni dicando se eidem ac donando, sicut ergo conjunx adulterando non solùm peccat contra castitatem, sed etiam contra jus conjugis, cui per Matrimonium tradidit dominium sui corporis, ita Religiosus committendo peccatum luxuriæ non solùm violat fidem Deo datam, quod est peccatum contra virtutem Religionis, sed etiam jus statûs Religiosi, cui itidem tradidit dominium non tantùm voluntatis, & fortunarum suarum, sed etiam corporis; atque adeo veluti maculam quandam adulterii contrahit, proindeque hanc circumstantiam statûs Religiosi in Confessione omnino exprimere tenetur. Et hanc sententiam reputo probabiliorem, eamque proportionaliter extendo ad circumstantiam Ordinis Sacri in quocunque Clerico, sicut & negativam, si quis eam sequi maluerit. Nunc alia nonnulla, quæ de circumstantia *Quis* in dubium vocari solent, expediamus.

Dubitatur autem primo, an sponsa de 26
futuro, quæ fornicata est cum alio viro soluto, teneatur explicare circumstantiam sponsalium? Respondeo affirmative. Ita probabiliùs Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 2. n. 5. Laym. lib. 5. tract. 10. parte 1. cap. 1. n. 6. & alii apud istum. Ratio est: quia ob jus inchoatum & traditione nondum completum, quod vi sponsalium sponso competit ad corpus sponsæ, hujus fornicatio gravem injuriam continet adversus illum. Unde non valet, si dicas: Novitius, qui vovit, se Religionem professurum, non tenetur vi hujus promissionis observare præcepta statûs promissi, aut legem continentiæ: ergo nec sponsa, quæ promisit, se corpus suum traditurum per futuras nuptias, tenetur vi promissionis ad continentiam, ita ut fornicando infetat sponso injuriam. Respondetur enim neg. conseq. Religio enim per illud votum nullum acquirit jus in Novitium: acquirit autem sponsus per sponsalia jus aliquod in corpus sponsæ. Sed quid, si sponsus de futuro fornicetur? Respondeo, talem probabiliùs non obligari ad explicandam hanc circumstantiam sponsalium. Ratio est: quia, licet argumentum adductum similiter probet, fornicationem sponsi esse injuriosam sponsæ, ea tamen injuria judicio prudentûm non reputatur gravis, qualis reputatur ea, quam ipsa, cum fornicatur, sponso infert. Ita Sanchez n. 6.

Dubitatur secundo, an Confessarius, 27
qui peccavit cum Pœnitente, teneatur explicare hanc circumstantiam? Dubium non procedit de eo Confessario, qui ipsa Confessione tanquam medio vel occasione abusus fuit ad sollicitandum & inducendum Pœnitentem: hoc enim esse gravissimum sacrilegium, mutansque speciem luxuriæ, negari non potest. Sed est dubium de eo, qui non ita abusus Sacramento Pœnitentiæ, multo post tempore, data fortè occasione peccavit cum persona, cujus aliquando, aut sæpius Confessionem excepit. Respondeo, eam circumstantiam esse necessariò explicandam à Confessario. Ita Sanchez lib. 7. de Matrim. disp.

disp. 55. & alii plures apud Salmantic. ubi suprà n. 59. contra Bonac. Dianam & alios. Ratio est: quia licèt ex Confessione non oriatur cognatio spiritualis (quod est fundamentum sententiæ oppositæ) Confessariis tamen peccatum hoc incontinentiæ cum ea circumstantia specialiter prohibetur in reverentiam Sacramenti Jure Ecclesiastico, ut pluribus ostendit Sanchez num. 3. quod sufficit, ut transferatur in aliam speciem, sitque speciale Sacrilegium.

28 Dubitatur tertio, an frigidus, vel eunuchus, dum se accusat de fornicatione, teneatur explicare circumstantiam impotentiæ? Respondeo affirmativè. Ita Sanchez lib. cit. disp. 5. n. 14. Card. de Lugo disp. 16. de Pœnit. sect. 4. n. 175. Salmantic. n. 65. & alii communiter. Ratio est: quia hæc circumstantia transfert peccatum in aliam speciem, putà malitiæ contra naturam. cùm enim ex ejusmodi concubitu nulla possit haberi spes humanæ generationis, frustratur finis, ad quem natura ordinavit copulam carnalem.

Dubitatur quarto, an pœnitens teneatur in Confessione aperire consuetudinem peccandi? Respondeo, non teneri per se loquendo. Ita communis sententia. Ratio est: quia peccata præterita non sunt circumstantia aliqua nova peccati hodierni, præsertim mutans speciem. Dixi, *per se loquendo.* Nam per accidens dari potest obligatio, primo, si Confessarius interroget de hac tali consuetudine, ut satis constat ex dictis in n. 21. Secundo, si Pœnitens ante contractam consuetudinem prævidit, se per sequentia peccata constitutum iri in proxima occasione peccandi, & nihilominùs à frequentatione peccatorum non se continuit. Tertio, si Pœnitens consuetudinem peccandi jam acquisitam non studuit exstirpare per media idonea. Ratio est: quia in utroque casu graviter peccavit. Ita ex Dicastillo Salmantic. n. 68.

29 Secunda est circumstantia *Quid:* Hæc dicitur per ordinem ad ea, quæ se tenent ex parte rei volitæ in actu peccaminoso, & etiam ad ea, quæ se tenent ex parte personæ, cum qua, sive circa quam peccatur. Atque ut ab hoc altero ordiamur, in peccato luxuriæ explicari debet qualitas seu status personæ, cum qua Pœnitens, sive consensu tantùm in ipsam, sive etiam opere per copulam, oscula, tactus impudicos &c. peccavit. nempe, an fuerit conjugata, consanguinitate, vel affinitate, vel cognatione legali conjuncta. item, an fuerit baptizata; votô castitatis obstricta; cognatione spirituali cognata; aut etiam filia Confessionis. Ratio universalis est: quia in omnibus his casibus peccato luxuriæ additur ex circumstantia alia specie distincta malitia, ut satis colligitur ex dictis superiùs in tract. 5. ubi de 6. præcepto.

Verùm circa ea, quæ veniunt ex parte 30
rei volitæ, sive objecti, dubitatur primo, an in peccato odii, quo quis alteri ex animo & seriò desiderat malum, declarari debeat qualitas mali desiderati, nempe an sit oppositum bonis animi, vel corporis, vel fortunæ. Dixi, *ex animo & seriò.* quia diræ imprecationes, quæ non ex animo, sed ad demonstrandam iram præcipitanter & inconsideratè proferuntur, non sunt peccata mortalia, ut meritò advertit Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 3. n. 87. Dixi, *desiderat,* videlicet mero desiderio absque voluntate inferendi malum desideratum. quia certum est, voluntatem auferendi famam v. g. continere malitiam specie distinctam à malitia voluntatis auferendi vitam. Card. de Lugo disp. cit. sect. 5. n. 259. Nunc respondeo, non esse necessariò declarandam. Ita probabiliùs Authores citt. deinde Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 3. corollar. 3. n. 2. & alii. Ratio est: quia ejusmodi desideria in mala v. g. mortem, infamiam proximi non feruntur, nisi sub ratione generica mali. Unde differentia specifica mali talis aut talis tunc solùm se habet materialiter respectu odii.

Dubitatur secundo, an in jactantiæ 31
Confessione explicanda sit species peccati, de quo quispiam se jactavit? Ante resolutionem notandum est primo, quando jactantia, non est de peccato quà tali, sed de arte, ingenio, animositate, fortitudine ex peccato elucentibus, eam, secluso scandalo, esse tantùm veniale peccatum, ut omnes fatentur. Dixi, *secluso scandalo.* hoc enim continere gravem malitiam, & esse circumstantiam necessariò confitendam, alitunde constat. Notandum secundo ex communi rursus DD. consensu, jactantiam de peccato quà tali; si fiat cum complacentia, gaudio, & approbatione illius, sibi superaddere malitiam specificam peccati jactati necessariò explicandam in Confessione. Ratio est: quia complacentia, aut gaudium de adulterio v. g. ejusve approbatio specificantur à malitia adulterii. Dubium itaque procedit, si jactantia de peccato mortali sit purè talis, hoc est, committatur ex sola intentione vanæ gloriæ apud illos reportandæ, coram quibus aliquis se laudat. Prima sententia negat, speciem peccati jactati esse necessariò explicandam. Ita Navarrus, Diana, Castropal. & alii apud Salmantic. tract. 8. cap. 8. pu. 4. num. 79. Ratio est: quia tota malitia jactantiæ in eo consistit, quòd quis peccato utatur tanquam medio ad captandam ex ipso gloriam;

ad hanc autem malitiam per accidens & materialiter se habet differentia specifica peccati in ejusmodi medium assumpti. unde peccatum jactantiæ nunquam contrahit malitiam peccati, de quo fit. Confirmatur. Peccatum contumeliæ non contrahit malitias specificas defectuum moralium, qui proximo ad diminuendum ejus honorem objiciuntur: ergo etiam ob rationis paritatem peccatum jactantiæ non contrahit malitias specificas peccatorum, de quibus aliquis se laudat ad vanam gloriam inde hauriendam.

Secunda sententia affirmat, memoratam peccati speciem explicari debere in Confessione, sive verè, sive falsò de illo quis se jactavit. Ita Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 3. n. 13. Salmantic. n. 78. & alii ab utrisque relati. Ratio est: quia jactantia de peccato contrahit specificam malitiam illius: ergo necessariò explicari debet ea species, ita ut non sufficiat dicere in Confessione: gloriatus sum de peccato mortali; sed dici debeat: gloriatus sum de fornicatione, de homicidio &c. Conseq. constat. Ant. prob. quia jactantia de peccato continet approbationem quandam ejusdem tanquam boni. approbationem autem peccati specificari à malitia peccati approbati; adeòque contrahere ejus rationem specificam, priùs jam diximus. Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, neg. totam malitiam jactantiæ in illo consistere. quia præterea involuit malitiam specificam peccati, de quo committitur, tanquam approbatio ac veluti confirmatio ejusdem. Ex quibus ad Confirmat. patet solutio. Contumelia quippe assumitur ut medium tantùm ad minuendum honorem proximi: at non ita assumitur ad captandam inanem gloriam jactantia. Quamvis autem placeat hæc secunda sententia, in praxi tamen vix unquam puto contingere, ut quis de peccato se jactet ex intentione vanæ gloriæ, & non simul habeat complacentiam & gaudium de illo: quod etiam observat Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 3. n. 96. Plura adhuc dubia moveri hîc possent circa objecta variorum peccatorum, verùm quia eorum passim meminimus in propriis locis, modò non repetimus.

32 Tertia est circumstantia *Ubi*, seu loci, in quo commissum fuit peccatum. Hanc circumstantiam exprimere oportet in Confessione, quoties peccatum, eò quòd factum fuerit in loco publico, aliis occasionem præbuit graviter scandalizandi, vel, eò quòd commissum fuerit in loco sacro, specialem malitiam sacrilegii contraxit. quod quando, & quibus modis contingat, satis constat ex pridem dictis de Sacrilegio. Non enim omnia, sed certa solùm peccata mortalia, vel actus ex sua natura graviter repugnantes loco sacro habent malitiam gravis Sacrilegii, ut ibidem docuimus.

Quæritur primo, an teneatur explica- 33
re circumstantiam loci, qui extra Ecclesiam habet desiderium fornicandi, furandi, aliquem occidendi &c. intra Ecclesiam? Respondetur affirmativè. Ita Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 15. n. 18. Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 4. n. 103. & alii. Ratio est: quia hîc non attenditur locus desiderii, sed locus, in quo actus ipse consummandus repræsentatur. Cùm proinde hic talis actiones illas desideret ut exercendas intra Ecclesiam, ipsius desiderium efficitur sacrilegum.

Quæritur secundo, an pollutio exerci- 34
ta in cellis Religiosorum contineat specialem malitiam Sacrilegii in Confessione aperiendam? Respondetur negativè. Ita Sanchez disp. cit. n. 42. aliisque multis relatis Salmantic. n. 104. Ratio est: quia illa habitacula gaudent quidem Ecclesiastica immunitate, minimè tamen habenda sunt pro locis sacris, quæ sanguinis, aut seminis effusione violentur, aut reconciliatione indigeant, easque actiones reddant sacrilegas. quod verum est, tametsi ibi constitutum supponatur altare ad celebrandum Missas. reputandum quippe tunc erit ejusmodi cubiculum pro oratorio privato. Sanchez loco cit.

Quarta est circumstantia *quibus auxi-* 35
liis. Ad hanc circumstantiam pertinent adminicula & media peccandi. Quæ non sunt explicanda in Confessione, nisi specialem quampiam, eamque gravem malitiam contineant virtuti alicui repugnantem. Veluti contingit primo, si quis ad mortaliter peccandum usus fuit alterius hominis operâ: tunc enim contracta est malitia scandali. Secundo, si ad finis alicujus turpis consecutionem tacitè vel expressè quæsivisti auxilium Dæmonis. tunc enim intervenit peccatum superstitionis. Tertio, si ad peccatum aliquod abusus fuisti Sacramentis Ecclesiæ. hoc enim cedit in specialem irreverentiam eorum. Vid. Card. de Lugo disp. 16. sect. 11. Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 3. corollar. 5. Ex dictis habetur, non esse explicandum regulariter, an homicidium v. g. patratum fuerit gladio, sclopeto, fuste &c. Ratio est: quia ob hanc diversitatem materialem instrumentorum nulla contrahitur specialis malitia. Aliud tamen dicendum esset, si usus certi alicujus instrumenti esset spelialiter & graviter prohibitus: veluti notant Salmant. ubi suprà n. 105.

Quinta est circumstantia *Cur*: quo 36
nomine intelligitur finis operantis. Hic necessariò exprimendus est in Confessione, quando est peccatum specie diversum à medio electo: ut, si furatus fuisti propter adulterium committendum. Manifestato quippe

quippe furto non hoc ipso manifestatur adulterium: cùm illud ad istud non ordinetur per se. Atque hinc, si ab opposito finis & medium sint peccata ejusdem speciei, & unum per se dirigatur ad aliud; quemadmodùm tactus, oscula, & amplexus per se referuntur ad concubitum carnalem, manifestato fine intento & in executione posito, manifestantur quoque, ac satis colliguntur media & actus antecedentes. Vid. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 9. n. 10.

37 Sed quid, si finis quidem ex se malus non sit, malum tamen sit medium; ut, cùm propter studium omittis Missam die festo? Respondeo, ejusmodi finem non debere exprimi, sed satis esse in dato casu dicere: voluntariè non audivi Missam die festo. Ita Card. de Lugo sect. cit. n. 479. & plurimis relatis Salmantic. n. 108. Ratio est: quia tunc tota malitia finis provenit à malitia medii, estque unica & ejusdem rationis cum ipsa. Sic in dato exemplo studium ideo præcisè est malum, quia est causa omittendi Missam, ejusque omissionis volitio virtualis: adeoque non habet malitiam distinctam à malitia omissionis, scilicet à malitia contra præceptum audiendi Missam.

38 Sexta est circumstantia *Quomodo*. Hæc speciem mutat, adeoque exprimi debet in Confessione, quando modus peccandi specialem inhonestatem continet. Veluti contingit primo, si actioni malæ adjungatur violentia. hæc enim furto superaddit specialem inhonestatem rapinæ, fornicationi inhonestatem stupri, vel raptûs. Secundo, si quis alterum occidat ex gravi odio. nam ejusmodi homicidium non tantùm justitiæ, sed etiam charitati repugnat. Aliud est de homicidio, quod lucri causâ committitur. Tertio, si homicida ex ira discerpat cadaver occisi, jecur extrahat &c. quia hæc est specialis malitia crudelitatis, seu feritatis. Vid. Salmantic. n. 112. Reding to. 7. q. 7. a. 1. controv. 3. corollar. 4. Castropal. n. 11.

39 Septima est circumstantia *Quandò*, sive temporis, quo peccatum fuit commissum. Ubi vetus occurrit quæstio, an, qui die festo peccavit, teneatur explicare hanc circumstantiam? Affirmant multi & graves DD. ut videre est apud Card. de Lugo sect. 12. n. 515. & Salmantic. n. 113. Sed negat communis jam sententia, saltem per se loquendo. Ratio est: tum, quòd ex communi praxi constet, nec Pœnitentes, nec Confessarios curare de expressione istius circumstantiæ: tum, quòd circumstantia loci sacri non universaliter transfundat specialem malitiam mortalem in quodvis grave peccatum in loco sacro perpetratum: ergo neque circumstantia temporis sacri id facere censenda est. Dixi: *per se loquendo*. quia per accidens, si nempe peccatum committeretur ex intentione profanandi, aut contemnendi diem festum, haud dubiè gravis ac specialis in Deum irreverentia fieret. Vid. Card. de Lugo n. 524. Salmantic. loco cit. Reding num. 4. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 3. num. 107.

§. IV.

Quænam excusent ab integritate materiali Confessionis?

SUMMARIUM.

40. *Ignorantia aut inculpabilis oblivio excusat.* 41. *Excusat etiam impotentia tam physica,* 42. *quàm moralis.* 43. *Quænam requirantur, ut in præsenti inducatur impotentia moralis.* 44. *An habenti casus reservatos liceat dimidiare Confessionem?* 45. *Item, an confitenti in magno concursu aliorum Pœnitentium?* 46. *An aliquando manifestari debeat complex peccati?*

Dictum est in §. 1. n. 2. Confessionem debere esse materialiter integram, id est, omnium peccatorum mortalium, quæ quis commisit, nisi excuset rationabilis causa. Nunc superest, ut ejusmodi causas aliquas, quæ communiùs afferri solent ab Authoribus, breviter expendamus. Itaque

Excusat primo ignorantia, aut inculpabilis oblivio peccati, vel circumstantiæ in Confessione explicandæ. Ratio est: quia non est credendum ita strictè obligare hoc præceptum Divinum de integritate materiali Confessionis, ut ab illo non excuset ignorantia, quæ tamen excusat ab aliis præceptis. Cæterùm, quando ignorantia, vel oblivio culpabilis est, attendere oportet qualitatem culpæ in ea repertæ. Si mortaliter sit culpabilis, non valet Sacramentum, uti per se patet. valet autem, si venialiter solùm culpabilis existat. V. g. si quis in examine conscientiæ paulò minus diligentiæ adhibuit, quàm adhibere debuit, atque idcirco omissio peccati in Confessione fuit secuta. Ex dictis sequitur, validas fuisse illorum Confessiones, qui in adolescentia, aut rudi etiamnum statu peccata mortalia in Confessione omiserunt bona fide existimantes, esse solùm venialia. Unde non tenentur postmodùm maturiori judicio præditi eas Confessiones repetere: sed satis est illa aperire, quæ tunc erant obliti. Vid. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 2. §. 3. in 4. difficult. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 5. n. 1. 40

Excusat secundo impotentia physica omnia peccata exponendi. Ratio est clara: 41

quia præceptum Divinum, utpote prudentissimum, non obligat ad impossibile. Talis impotentia est primo, quando Pœnitens ob aliquod impedimentum linguæ non potest omnia peccata aperire: ut, si vel omnino sit mutus; vel ultra modum balbutiat; vel non calleat idioma, quo utitur Confessarius. Hic talis potest & debet absolvi, quando in ejusmodi statu vult & tenetur confiteri, licèt non omnia peccata rectè exponat. Bonac. num. 6. Secundo in articulo mortis, quando est periculum, ne Pœnitens moriatur ante absolutionem, si omnia peccata confiteatur. In hoc casu post auditum unum, vel alterum peccatum debet absolvi. Imò, si nullum in particulari possit exprimere, satis est omnia confiteri generaliter dicendo, se esse peccatorem. Si neque hoc possit, sufficit dare signum doloris de peccatis. Viniter tit. 7. q. 12. Mezger n. 2. Talis tamen cessante hac impotentia tenetur postea omnia peccata mortalia singillatim confiteri, ut constat ex alibi dictis, & habet communis sententia. Tertio, quando Sacerdos ipsemet ita viribus est destitutus, ut Confessionem vix possit excipere, nec alius Confessarius est in promptu, qui advocetur. Mezger loco cit.

42 Excusat tertio impotentia moralis. quæ tunc adesse judicatur, quando ex Confessionis integritate vel Confessario, vel Confitenti, vel alteri tertio grave damnum eveniret. Ratio est: quia præcepta positiva, etiam Divina, non obligant ordinariè cum gravi damno: sed præceptum confitendi integrè integritate materiali est positivum; ergo non obligat cum gravi damno. Dices. In nullo unquam casu licitum est mediam tantùm hostiam consecrare, aut non miscere aquam vino consecrando, tametsi hæc solùm sint de præcepto Divino positivo: ergo similiter nunquam est licitum dimidiare Confessionem Sacramentalem. Respondeo neg. conseq. disparitas est, quòd præceptum Confessionis ita cadat super Confessionem, ut eam tanquam actum moralem humanum non nisi modo humano & juxta moralem possibilitatem fieri velit. Atqui in exemplis in Ant. productis præceptum cadit etiam super rem ipsam. Ita Mezger n. 4.

Impotentia moralis datur in primis ex parte Confessarii tempore pestis v. g. vel morbi contagiosi, quando nimirum excipiendo totam Confessionem incurreret periculum vitæ. in quo tali eventu potest auditis non omnibus peccatis Confitentem absolvere. Coninck disp. 7. dub. 9. n. 75. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 29. Imò quando prævidet Confessarius, ex morbo à se contrahendo, vel morte subeunda alios destitutum iri beneficiô absolutionis, & reliquorum Sacramentorum, tenetur dicto modo confessum absolvere. Ratio est: quia salus proximorum, quæ periclitatur, præferenda est integritati materiali Confessionis. Eodem modo, si probabiliter superventuri existimentur hæretici, vel alii hostes Catholicorum Confessarium pessimè habituri, vel omnino occisuri, hic non tenetur expectare, donec Pœnitens omnia confiteatur, sed potest eum post unum, alterumvè peccatum auditum absolvere, sibique fugâ consulere. Mezger n. 3.

Datur præterea ex parte Pœnitentis eadem impotentia primo, quando hic prudenter timet, ne Confessarius frangat sigillum; adeòque vel uni manifestans peccatum infamet vel ipsum, vel complicem. Idem est, ut docet Coninck loco cit. si confiteri non possit, quin tertius aliquis peccata narrantem audiat. Datur secundo, quando Pœnitens prudenter metuit, ne ipsum audito certo peccato Confessarius in posterum graviter odio habeat, aut malè tractet; maximè, quando ab ipso in aliquibus dependet, ut si ab illo sustentetur, illi inserviat &c. Datur tertio, quando Pœnitens, præsertim fœmina, prudenter metuit, ne, si confiteatur peccatum carnis, excitet in Confessario desideria similia, vel omnino sollicitetur ab ipso ad tale aliquod flagitium. Circa quod tamen posterius placet distinguere. Vel fœmina sibi timet periculum consentiendi, si sollicitanda sit à Confessario, aut certè importunas preces & molestam instantiam solliciatoris; vel nihil horum timet. Si hoc; non est, quod curet de malitia Confessarii, & ejusmodi peccatum in Confessione reticeat. Si aliquid tale timeat, habet sufficientem causam illud reticendi. Ita Card. de Lugo disp. 16. sect. 13. num. 534. Monent autem Doctores, valde cavendum esse Pœnitenti, ne quid tale de suo Confessario suspicetur sine gravi admodum fundamento: cujusmodi esset, si sciret, eum aliquando revelâsse peccatum; vel aliquem ob peccata in Confessione audita malè tractâsse. vel ad flagitium invitâsse; vel aliunde esse ita proclivem in vitia carnis, ut obvias quasque sibi notas facilè ad turpia sollicitet. Coninck loco cit.

Advertendum est tamen hîc primo gra- 43
via incommoda, quæ ex integritate Confessionis obventura timentur, ut inducant impotentiam moralem, debere esse extrinseca Confessioni, id est, non immediatè & per se ex Confessione consequentia. Unde non sequitur, me aliquod peccatum posse omittere, si videam, Confessarium illo intellecto habiturum me pro gravi peccatore, qui me priùs habebat pro valde pio: vel, si maximo pudore ob peccati expositionem

sim afficiendus, modò aliud damnum non consequatur. Ratio est: quia hæc & similia per se, & immediatè ex Confessione sequuntur, quæ tamen illis non obstantibus à Christo fuit præcepta. Advertendum est secundo, requiri præterea necessitatem aliquam hîc & nunc tali Confessario confitendi. Unde, si absque gravi incommodo vel tuo, vel tertii potes adire alium Confessarium, eique integrè confiteri, vel Confessionem aliquantulùm differre, ad hoc teneris. diu tamen propterea differre non obligaris. quia diu carere fructu Sacramenti grave damnum est, ut cum aliis habet Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 11. n. 5. Ex his

44 Infertur jam primo, habenti casus reservatos non esse licitum dimidiare Confessionem, ita ut Superiori exponat solà peccata reservata, vel inferiori Sacerdori sola non reservata, sicque ab iisdem sacramentaliter absolvatur. Ita Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 5. n. 135. Bonac. de Euchar. disp. 4. q. 6. pu. 1. n. 31. Mezger n. 5. & alii passim. Ratio est: quia neque adesse supponitur impotentia physica, neque moralis, quæ excuset ab integritate materiali Confessionis. Aliud verò nihil excusare potest. Quare, si urgeat præceptum confitendi, & nequeas adire Superiorem, confiteri teneris Sacerdoti inferiori omnia peccata etiam reservata. Similiter, si confiteris Superiori, teneris exponere etiam peccata non reservata.

45 Infertur secundo, non esse licitum Confessario in magno concursu Pœnitentium auditis solùm aliquibus peccatis eos absolvere, reliqua parte Confessionis in aliud tempus remissa. Ita communiter DD. contra aliquos, quorum tamen sententiam damnavit Innocentius XI. in prop. 59. Ratio verò est: quia neque ejusmodi concursus Pœnitentium inducit imporentiam physicam, vel moralem, quæ deberet excusare ab integritate materiali Confessionis. Accedit, quòd ex tali Confessionum dimidiatione gravia incommoda & absurda sequerentur: quemadmodùm ostendunt Coninck disp. 7. dub. 9. n. 93. Viva parte 2. damnat. Thes. prop. 59. num. 11.

46 Infertur tertio, Pœnitentem, quando non potest aliter explicare suum peccatum, quàm manifestando complicem, seu socium criminis, & neque alteri confiteri, nisi ei, cui utrique notus est, esse obligatum ad illum manifestandum. Ita D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæst. 3. ad 5. & Opusc. 12. q. 6. Salmanticens. pu. cit. num. 127. Coninck num. 89. Castropal. ubi suprà num. 7. Cardin. de Lugo disp. 16. sect. 7. num. 395. Reding tom. 7. q. 7. a. 3. controv. 3. n. 4. Mezger num. 7. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 8. num. 134. Viva num. 19. & Theologi communiùs. Ratio est: quia Pœnitens non tenetur in ejusmodi casu cavere, ne complex infametur apud Confessarium: ergo tenetur confiteri etiam cum manifestatione illius. Conseq. patet: quia propositio Antecedentis contradictoria continet totum & unicum fundamentum sententiæ oppositæ; & aliunde nulla alia causa adesse supponitur, per quam ab integritate materiali Confessionis excusetur. Ant. autem prob. quia, ut aliquod incommodum sive damnum, quod ex Confessione peccati timetur, vitare teneat, debet illud esse extrinsecum Confessioni, ut in num. 43. advertimus: sed damnum infamiæ complicis apud Confessarium orituræ non est extrinsecum Confessioni; qui sequitur immediatè ex ipsa Confessione, estque infamatio complicis necessaria ut Confessio fiat integrè ea integritate, quam ex natura sua requirit; sicut infamatio ipsius Pœnitentis ad hoc idem est necessaria. Ergo Pœnitens non tenetur vitare memoratum damnum complicis.

Confirmatur. Idem jus, imò majus jus habeo ad conservandam meam famam, quàm proximus habet, ut conservem ipsius famam. atqui illud jus meum non efficit, ut possim cavere infamationem mei ipsius apud Confessarium; idque ideo, quia hæc infamatio per se connexa est cum obligatione integrè confitendi: ergo neque jus illud complicis efficiet, ut possim ac tenear cavere, ne idem infametur apud Confessarium: quia similiter manifestatio & infamatio ipsius per se connexa est cum obligatione integrè confitendi, & ex natura Confessionis sequitur.

Accedit, quòd crimen proximi manifestare non sit illicitum, nisi dum fit absque rationabili causa. nam, si talis aliqua adsit, sæpe est licitum imò nonnunquam obligatorium. Sic avertendi damni alteri impendentis, vel auxilii aut consilii capiendi causâ licitum est alienum peccatum detegere. Sic reus, & testis legitimè interrogati à Judice non solùm licitè possunt, sed etiam tenentur manifestare crimen, tametsi exinde socii quoque delictum reveletur. Atqui in casu nostro Pœnitens habet rationabilem causam manifestandi peccatum complicis; ergo hoc facere est ei licitum, & consequenter, ad id etiam tenetur: cùm nulla jam supperat causa excusans. Subsumpt. prob. quia æquum & prorsus rationabile est, ut habeam majorem rationem tum reverentiæ ipsius Sacramenti; tum boni mei spiritualis, quæ postu-

postulant, ut integrè confitear, quàm damni aliqualis, quod in fama subeundum est complici, cujus tamen periculo ultrò se fecit obnoxium committendo ejusmodi peccatum, sine cujus manifestatione non possem confiteri integrè. sibi proinde hoc famæ detrimentum imputet.

Atque hinc facilè respondetur ad argumentum sententiæ contrariæ, dum dicunt, nos jure naturali, & ex virtute charitatis obligari ad non infamandum proximum; solùm verò jure positivo, aut etiam ex virtute religionis, vel Pœnitentiæ obligari ad integrè confitendum: priorem obligationem esse fortiorem quàm priorem: & consequenter potiùs omitti debere integritatem materialem Confessionis, quàm infamari proximum. facilè, inquam, respondetur, negando suppositum, quòd in tali casu sit aliqua obligatio non infamandi proximum: quia hæc talis obligatio tunc solùm datur, quando nulla adest rationabilis causa detegendi crimen ipsius: atqui hîc adest rationabilis causa; ut vidimus; ergo.

§. V.

Qualis integritas Confessionis sufficiat in periculo, seu articulo mortis?

SUMMARIUM.

47. *Absolvi debet moribundus, qui impotens plura dicere nonnisi de unico peccato se accusat,* 48. *aut in genere tantùm se peccâsse dicit,* 49. *aut etiam signa tantùm doloris in præsentia,* 50. *imò etiam in absentia Confessarii ediderit, aut confiteri petierit,* 51. 52. *Solvitur Objectio formata ex decreto Clementis VIII.* 53. *Statuitur communis sententia, qua asseritur, moribundum, si sensibus destitutus nullum prorsus doloris signum exhibet, non posse absolvi.* 54. 55. *Occurritur responsionibus adversis.* 56. *Respondetur ad Authoritatem Clementis VIII. & S. Antonini.* 57. *Probabilitas sententiæ contrariæ ex principio reflexo.* 58. *Eam sequi tenetur in praxi quilibet Sacerdos etiam contra propriam sententiam.*

47 Dico primo. In morali periculo, ne infirmus, si narret plura peccata, vel moriatur ante absolutionem, vel nimiùm debilitetur, vel mortem acceleret, satis est unum peccatum dicere. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia præceptum integrè confitendi de illis solùm est intelligendum, quæ possunt explicari à Pœnitente. unde, quando adest impotentia, sive physica sive moralis, plura peccata explicandi, Pœnitens excusatur à majori integritate materiali, & sufficit ad impetrandum beneficium absolutionis etiam unicum manifestare. Utqui in hoc casu adest impotentia plura peccata explicandi; ergo. Meritò tamen advertunt Card. de Lugo disp. 17. de Pœnit. Illsung tr. 6. disp. 6. q. 4. a. 8. n. 138. & alii, illud unicum peccatum debere esse mortale, si tali aliquo gravetur infirmus. Ratio est: quia hoc ipso, quòd Pœnitens possit recensere aliquod peccatum, etiam potest satisfacere obligationi confitendi mortalia, saltem quoad manifestationem unius: ergo etiam tenetur satisfacere, nisi fortè adsit alia causa excusans. Cæterùm inter plura mortalia non est necesse exprimere gravissimum, sed sufficit exprimere quodcunque: cùm obligatio confitendi circa omnia se habeat æqualiter. Illsung loco cit.

Dico secundo. Quando moribundus 48
impotens plura dicere præsenti Confessario dicit in genere, *peccavi*, vel *sum peccator*, potest & debet absolvi. Ita rursus communis & certa sententia. Quæ nititur Authoritate Ritualis Romani jussu Pauli V. editi, ubi in ritibus de Sacram. Pœnit. dicitur, moribundum peccatis ipsius utcunque vel in genere, vel in specie cognitis &c. absolvendum esse. Et ratio est: quia ita confiteri in genere est verè se accusare, ne aliter id fieri potest in præsenti casu: ergo est confiteri integrè integritate formali: sed hoc sufficit; ergo &c. Monent tamen DD. si moribundus sit in statu peccati mortalis, id eum debere exprimere, si possit, dicendo: peccavi mortaliter: sum gravis peccator. Porrò extra casum extremæ necessitatis nullus absolvendus est, qui tantùm in genere dicit, se peccâsse, quemadmodum ex communi DD. sensu rectè advertunt Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. n. 8. Illsung n. 139. Ratio est: quia nullus in genere confitentium tam rudis ac hebes præsumi debet, ut ex tota vita ejus non possit elici per examen Confessarii peccatum saltem veniale. Quòd si tamen ita hebes esse quis deprehendatur, meritò præsumitur etiam tam hebes, ut neque competentem dolorem elicuerit. cujus tamen contrarium in articulo mortis rationabiliter præsumitur, tum propter specialia Dei auxilia: tum quia tunc satis explorari non potest hebetudo ac ruditas Pœnitentis.

Dico tertio. Quando moribundus nul- 49
lum prorsus peccatum etiam in genere confiteri potest, ostendit tamen signa quædam generalia doloris, sequentia sunt observanda. Si talia signa exhibeat relatè ad claves Ecclesiæ & Confessionem: ut, si interrogatus à Confessario, num doleat de peccatis, & confiteri velit? capite, vel nutibus &c. annuat, planè absolvi debet. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 2. §. quartum. difficult. 4. n. 7. Laym. loco cit. n. 4. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 11. n.

11. n. 10. Card. de Lugo disp. 17. sect. 2. n. 16. Salmantic. tract. 6. cap. 8. pu. 6. num. 145. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 32. & alii communiter. Ratio est: quia hic talis accusat se eo modo, quo potest; atqui hoc sufficit: Deus enim non exigit aliam Confessionem, quàm quæ hîc & nunc est possibilis. Imò hæc est etiam Confessio peccati in genere. qui enim significat Confessario, se dolere de peccatis, & velle confiteri, sufficienter manifestat, se peccâsse, aut esse peccatorem. Atqui Confessionem peccati in genere esse sufficientem in num. proximè præced. audivimus; ergo. Si verò moribundus edat ea signa nullâ factâ mentione Confessionis; ut si solùm pectus tundat, aut elatis in cœlum oculis dicat, *Miserere mei DEUS* aliud nempe nihil dicere volens, eum similiter absolvi & posse & debere habet communis sententia. Ratio est: quia quilibet in eo statu optimum animæ suæ contra peccata remedium desiderate solet: ergo rationabiliter plerumque præsumi potest, moribundum per ejusmodi signa Sacramentalem absolutionem petere; & consequenter esse debitè dispositum. Absolvi proinde citra dubium potest. Si potest, etiam debet, saltem ex obligatione Charitatis præcipientis, ut proximo periclitanti succurramus eo modo, quo possumus. Ob eandem rationem, si dubium sit, pensatis circumstantiis, an ejusmodi signa morbi angustia, vel dolor de peccatis expresserit, Sacerdos periclitantem debet absolvere, non quidem absolutè, sed sub conditione. Vid. Layman cap. cit. num. 4. Cardin. de Lugo sect. cit. Salmanticenses num. 145.

50 Dico quarto. Quando motibundus absente Sacerdote edit signa doloris, petitque sibi accersiri Confessarium, sed tamen ante hujus adventum usu sensuum destituitur, absolvi similitet debet à Sacerdote postmodùm superveniente, si præsentes testentur, ipsum dedisse signa Pœnitentiæ & petiisse Confessarium. Ita communis. Quæ fundatur primo in Concil. Arausicano I. can. 11. ubi statuitur: *Subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* quo videlicet dolorem de suis peccatis significet. Secundo, in Concil. Carthag. 4. ubi idem statuitur, ut refert Coninck disp. 7. dub. 10. num. 99. Unde etiam Paulus V. in suo Rituali Romano, cujus in num. 48. meminimus, hanc sententiam toti Ecclesiæ ad praxim proposuit. Fundatur tertio in hac ratione. Quia dolor & petitio Confessarii signo exteriore manifestata jam est Confessio inchoata, eaque per testificationem præsentium velut interpretum perficitur: ergo ejusmodi moribundus validè & licitè absolvi potest, & quidem absolutè. quia conditio nunquam apponenda est, nisi dum rationabiliter dubitatur de valore Sacramenti conferendi: sed in hoc casu potest rationabiliter dubitari de valore Sacramenti; ergo. Accedit, quòd Concilia & Rituale citt. non tantùm concedant, sed etiam præcipiant impertiri absolutionem, & tamen nihil dicant de adjectione conditionis. Hîc tamen adverte, opus non esse, ut plures testificentur Sacerdoti, infirmum signa doloris dedisse, & Confessarium petiisse, sed sufficere, si etiam unus fide dignus id asseveret. Ratio est: quia, ubi non agitur de præjudicio tertii: testi etiam unico creditur: sed hîc non agitur de præjudicio tertii; ergo. Neque refert, Concilia à nobis citt. de testibus loqui in numero plurali. nam hoc intelligi debet in sensu distributivo, non copulativo, sic, ut sensus sit, requiri, ut aliquis ex circumstantibus id testificetur Vid. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 6. n. 3. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 5. §. 33.

Objicies. Huic sententiæ obstat de- 51
cretum Clementis VIII. damnantis illam propositionem, qua asseritur, *licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Nam in nostro casu non adest Confessarius, quando moribundus confitetur. Respondeo primo, satis constare Bellarmini, Petri Lombardi Archiepiscopi Armacani, & aliorum, testimoniis, quæ referuntur ab Authoribus, Clementem ipsum vivæ vocis oraculò declarâsse, mentem suam non fuisse, hunc casum extremæ necessitatis suo decreto comprehendere. Vid. Coninck disp. 7. dub. 10. num. 105. item in speciali Opusc. de Absolut. morib. Card. de Lugo sect. 4. Salmantic. ubi suprà num. 148. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 2. a. 1. num. 22. Viva post 3. part. damnat. Thesium, pag. 194. Itaque in articulo mortis valida est Confessio absentis, modò is præsens absolvatur. Respondeo secundo neg. Confessionem hîc fieri Confessario absenti. Ratio est: quia circumstantes, dum Confessario supervenienti dicunt, ægrum petiisse confiteri, gerunt vices interpretis, cujus operâ optimè peragitur Confessio in casu necessitatis: adeòque Confessio fit Confessario non absenti, sed præsenti.

Urgebis. Hinc saltem sequitur, non 52
valere absolutionem, quando Confessarius ex teste solùm mediato audit, ægrotum doluisse &c. id est, ex tali, qui non ex ipsomet ægroto immediatè, sed ab aliis id accepit.

Nam testis ejusmodi mediatus non est interpres doloris, & desiderii Confessionis, sed internuntius. Atqui Confessio per internuntium est invalida. & insufficiens ad impertiendam absolutionem; ergo.

Respondeo primo conc. seq. hanc enim rectè probat argumentum. Accedit, quòd in cit. Concil. Carthag. 4. can. 76. expressè dicatur, *dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam.* Atqui testis mediatus non audivit ipsum Pœnitentem; ergo non est testis, qualem hoc hoc Concilium requirit. Ex eodem capite non est valida absolutio, quam Confessarius impertitur à nullo ex præsentibus, sed à teste quodam absente v.g. per viam occurrente certior factus moribundum doluisse de peccatis &c. quia & ista Confessio fit solùm per internuntium, & in absentia Confessarii. Vid. Mezger ubi suprà num. 4. Abbas Rassler loco cit. Nihilominùs

Respondeo secundo probabiliter neg. sequelam. Ad hujus probat. dico, Confessionem absentis per internuntium in extrema necessitate esse validam colligi ex memorata declaratione Clementis VIII. ut in num. præced. notatum est. Itaque in eo casu à Sacerdote superveniente moribundus absolvi potest sub conditione, imò etiam debet, ut ex num. 49. colligitur, sive testis sit mediatus, sive absens. cùm sententia hoc asserens sit probabilis, ejusque Authores textus Concilior. ad Summor. Pontificum opponi solitos commodè explicent. Vid. Card. de Lugo sect. 5. Viva loco cit. pag. 197. Mezger n. 5. Rassler loco cit.

53 Dico quinto. Quando moribundus nullum prorsus signum doloris de peccatis, vel desiderii absolutionem percipiendi nec in absentia, nec in præsentia Sacerdotis exhibet, absolvi non potest etiam sub conditione, tametsi de cætero supponatur Christianè vixisse, Sacramenta Ecclesiæ frequentâsse, Missam audivisse &c. Ita communis & probabilissima sententia. Ratio fundamentalis est: quia nullum Sacramentum conferri potest etiam sub conditione, si deficiat pars quædam essentialis ejusdem: atqui in casu exposito deficit pars quædam essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet Confessio & dolor sensibilis; ergo nequidem sub conditione conferri potest.

54 Respondent aliqui primo, talem fortè internè esse attritum, & desiderare confiteri: adeòque nullam fortè deesse partem essentialem Sacramenti ex hoc capite: posse proinde absolvi sub conditione. Sed contra est: quia, ut Attritio sit pars Sacramenti, debet esse sensibilis per aliquod signum externum, nempe per accusationem sensibilem, sicque innotescere Confessario: sed in nostro casu Attritio non est ita sensibilis, nec innotescit Confessario; ergo non est pars Sacramenti: & consequenter etiam supposita ejusmodi Attritione & desiderio interno deficit aliqua pars essentialis illius, nec potest moribundo impertiri absolutio etiam sub conditione

Respondent alii secundo, ipsam vitam 55
præcedentem ab homine probè Catholico secundùm leges Christianas transactam sufficere pro signo sensibili, quo manifesterur dolor de peccatis, & desiderium suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Nam de quolibet homine Christiano in simili discrimine rationabiliter præsumi, quòd velit sibi applicari media ad salutem æternam necessaria. Atque hinc etiam Sacramentum Extremæ Unctionis ejusmodi moribundo administrari; quòd nempe præsumatur habere voluntatem id suscipiendi, ex ipso, quòd constet ipsum Christianè vixisse.

Contra tamen est primo, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur signum sensibile, sive externum, quo Pœnitens activè manifestet voluntatem id suscipiendi: sed vita Christianè transacta non est ejusmodi signum externum: cùm nihil adsit ex parte Pœnitentis, ratione cujus dicatur vitam præteritam ordinare ad manifestandam Confessario voluntatem præsentem confitendi, quam fortè habet: ut proinde idem se habeat merè passivè ad cognitionem conjecturalem, quam de dolore interno ipsius, & intentione confitendi inde alii hauriunt: quemadmodum nos sæpe inviti ex actionibus nostris externis patimur judicia hominum de internis.

Contra est secundo, quòd ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur tale signum voluntaris id suscipiendi, quòd simul sit Confessio peccatorum, sive accusatio de illis saltem in genere à Pœnitente ordinata ad impetrandam absolutionem: sed ejusmodi signum non est fama, sive testificatio aliorum de vita probè & secundùm legem Christianam transacta. quis enim sibi persuadeat, vitam ita transactam esse accusationem, & non potiùs excusationem ac defensionem in quovis justo judicio?

Contra est tertio, quòd, si fama vitæ præteritæ esset signum sufficiens ad manifestandam voluntatem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, Paulus V. in Rituali suprà cit. & Concilia, quæ adduximus, frustra & deceptoriè requirerent aliud signum, quod vel ipse Sacerdos perceperit, vel de quo alii testificentur; sicut revera requirunt. Sed hoc dicere, sicut & credere, aliter Sacramentum Pœnitentiæ fuisse institutum quàm prout Concilia & Summi Pontifices nobis

nobis tradiderunt, nefas est; ergo &c. De Sacramento Extremæ Unctionis est longè alia ratio. quia ad hoc recipiendum sufficit voluntas interna quomodocunque cognita aut rationabiliter præsumpta, etiamsi nullo externo signo manifestetur. ad recipiendum verò Sacramentum Pœnitentiæ præter dolorem internum requiritur ex institutione Christi etiam Confessio, suique accusatio saltem per aliquod signum externum pœnitentis ac dolentis animi. est enim hoc Sacramentum judicium quoddam externum seu sensibile, quod intelligi non potest sine sententia sensibili, & accusatione externa & per quam reddatur sensibilis dolor internus de peccatis.

56 Objicies Authoritatem Clementis VIII. quem ferunt quemdam ex fabrica S. Petri 10 ruentem absolvisse dicendo: *Si es capax, absolvo te à peccatis tuis.* Item S. Antonini, cujus verba recitantur in Sacerdotali Romano antiquo; ubi traditur sententia nostræ opposita. Ad primum respondet Card. de Lugo, id haberi pro fabula a multis vitis doctis, qui tempore Clementis VIII. Romæ vivebant, quosque ipse diligenter interrogavit. Ad alterum ostendit, in Sacerdotale Romanum plures errores irrepsisse in editionibus posterioribus correctos: neque S. Antonium clarè loqui de absolutione Sacramentali, sed potiùs de quadam generali ac deprecatoria, qualis ante distributionem S. Eucharistiæ pronuntiari solet à Sacerdotibus.

57 Dico nihilominùs sexto. Stando in principio reflexo, sive supposita sententiæ contrariæ aliquali probabilitate (quæ eidem denegari non potest) ejusmodi moribundus absolvendus est sub conditione. Ratio est: quia in hac suprema necessitate homini Christiano applicari ac ministrari debet Sacramentum Pœnitentiæ etiam in materia dubia: atqui in hoc casu ex parte moribundi adest materia dubia: ergo ipsi ministrari debet Sacramentum Pœnitentiæ; & consequenter absolvi debet, non absolutè, ut constat; ergo sub conditione. maj. est certa ex lege Charitatis, qua jubemur proximo in extremo salutis discrimine ferre opem dubiam saltem, si certam ferre nequeamus. Sicut ergo in casu necessitatis conferre tenemur Baptismum in materia dubia, dum certa non suppetit, ita in nostro casu tenetur, qui potest, moribundo ministrare Sacramentum Pœnitentiæ in materia dubia. mi. autem prob. quia Sacerdos prudenter dubitat, utrùm suspiria, motus labiorum, crebræ respirationes, vel oculorum in cælum elevationes, aliique affectus moribundi edantur potiùs in ordine ad significandum dolorem internum de peccatis, ac petendam absolutionem, quàm ex angustia pectoris, vel morbi vehementia. adeoque adsunt signa saltem dubia voluntatis confitendi & suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Vid. Salmanticens. tract. 6. cap. 8. pu. 6. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4. Mezger tract. 18. disp. 47. a. 6. num. 8. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 8. §. 2. Viva post 3. part. damnat. Thesium, à pag. 198. Cardenas in Crisi Theolog. parte 2. disp. 48. cap. 3. post quam cap. 1. pro hac benigna sententia triginta & octo Authores attulerat.

Ex dictis colligitur, etiam Sacerdotem 58
sententiæ contrariæ esse obligatum ad impertiendam sub conditione absolutionem moribundo in casu exposito. Ratio est: quia hic talis non obstante sua sententia potest moribundum licitè absolvere; cùm sententia id asserens sit probabilis: sed hoc ipso, quòd possit absolvere, etiam tenetur absolvere. ex lege Charitatis obligante ad succurrendum proximo extremè periclitanti, eo modo, quo possumus succurre. Ergo etiam Sacerdos contrariæ sententiæ tenetur tunc absolvere moribundum. Cardenas num. 76.

§. VI.

Qualiter Confessionem oporteat esse fidelem?

SUMMARIUM.

59. Mentiri in Confessione contingit tripliciter. 60. Mentiri circa impertinentiam est solùm veniale peccatum. 61. Mentiri circa materiam non necessariam aliquando veniale, aliquando mortale peccatum est. 62. Mentiri circa materiam necessariam semper mortale est per se loquendo.

NOmine Confessionis Fidelis eadem in- 59
telligitur, quæ fide digna, sive vera, sine fallacia, mendacio, & deceptione, estque hæc qualitas necessaria ad ejus valorem: prout ex dicendis constabit. Quærimus in præsenti, quandònam sit mortale peccatum mentiri in Confessione, ita ut propterea Sacramentum reddatur irritum? Ubi notandum est, tripliciter contingere, ut aliquis mentiatur in Confessione. Primo circa res impertinentes ad Confessionem: V. g. circa patentes, patriam, studia &. Secundo, circa matetiam Confessionis, sed non necessariam, ut sunt peccata venialia, & mortalia jam clavibus subjecta, & per legitimam absolutionem abolita.

Tertio, circa materiam Confessionis necessariam: qualis sunt peccata mortalia nunquam adhuc clavibus subjecta.

60 Dico nunc primo. Mentiri in Confessione circa res impertinentes non est peccatum mortale, sed tantùm veniale, gravius tamen, quàm mendacium extra Confessionem. Filliuc. tract. 7. cap. 4. n. 111. Tambur. tract. 2. de 2. Præcepto Eccl. cap. 9 Card. de Lugo disp. 16. sect. 2. num. 98. Vinitor q. 15. n. 2. & alii communiter. Ratio est: quia tale mendacium neque est pernicioſum alicui; neque contra jus Confessarii ut Judicis, utpote non habentis jus interrogandi impertinentia: neque falsificat formam subjiciendo eidem falsam materiam; uti per se patet. Quia tamen conjungitur Sacramentali Confessioni, videtur ob talem circumstantiam aliquantò gravius peccatum, quàm si committeretur aliàs.

61 Dico secundo. Qui mentitur in Confessione circa materiam non necessariam negando, se fecisse, quod fecit, peccat solùm venialiter, si absit contemptus, aut scandalum. Qui verò mentitur affirmando, se fecisse, quod non fecit, peccat mortaliter, si fictum ejusmodi peccatum sit tota materia Confessionis. Coninck disp. 6. dub. 3. n. 8. Filliuc. n. 112. Bonac. de Pœnit. disp. 5. sect. 2. pu. 2. §. 2. n. 12. Ratio primi est: quia violare integritatem Confessionis in materia levi est solùm peccatum veniale: sed talis violat integritatem Confessionis in materia levi; ergo. Porrò si id fieret ex contemptu, vel cum gravi scandalo, esse haud dubiè peccatum mortale. Ratio secundi est: quia sic redderet Sacramentum irritum; adeoque committeret grave sacrilegium. Quòd si fictitium ejusmodi peccatum sit materia solùm partialis & Pœnitens afferat præterea aliud peccatum à se verè commissum, non peccatur mortaliter. Ratio est: quia illud mendacium, utpote in re levi, non impedit sufficientem dolorem, cæteraque ad Sacramentum recipiendum necessaria. Filliuc. loco cit. Card. de Lugo n. 99.

62 Dico tertio. Mentiri in Confessione circa materiam necessariam semper est peccatum mortale, nisi excuset vel ignorantia invincibilis, vel conscientia erronea, vel scrupulosa. Ita communis sententia. Vid. Filliuc. n. 113. Bonac. n. 7. Card. de Lugo n. 100. Ratio est: quia ejusmodi mendacium dupliciter committi potest. Primo, si neges, te fecisse mortale, quod scis te fecisse. Secundo, si affirmes, te fecisse peccatum mortale, quod tamen non fecisti. Prius mendacium graviter adversatur integritati Confessionis, adeoque est grave sacrilegium. Per prius Confessarius in re gravi graviter decipitur, ejusque judicium graviter mutatur.

§. VII.

Quomodo Confessio debeat esse secreta?

SUMMARIUM.

63. *Duplex secretum Confessionis.* 64. *Præceptum confitendi intelligi debet de Confessione secreta.* 65. *Sine justa causa publicam Confessionem instituere non est licitum.* 66. *An ad talem Confessionem quis obligetur in articulo mortis?* 67. *Reprehenditur praxis quorundam Sacerdotum.*

63 NOta, duplex esse secretum Confessionis Sacramentalis. Unum nempe, quod tenetur servare Confessarius audita Confessione: de quo infrà. Alterum, quo Pœnitens sine ullo alio teste facit Confessionem apud solum Confessarium, quæ proinde Confessio auricularis dicitur, de qua agit Concilium Trident. sess. 14. de Pœnit. cap. 5.

64 Dico. Præceptum, quo fideles lapsi jubentur confiteri, intelligendum est de Confessione secreta, sive auriculari. Ita Concil. Trident. cap. cit. Ratio est: quia jugum Christianæ Religionis oportet esse suave: atqui tale non esset, sed valde difficile ac grave, si peccata, præsertim occulta, publica Confessione aperire teneremur. Accedit communis usus & praxis fidelium non publica, sed secreta Confessione sua peccata confitentium. De cætero, ut habet idem Concil. nihil repugnat institutioni hujus Sacramenti, *quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta publicè confiteri possit:* idque etiam in ordine ad Sacramentalem absolutionem accipiendam, ut addunt Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 6. n. 1. Vinitor q. 16. n. 2. Ex dictis

65 Colligitur primò, esse illicitum aliis præsentibus peccatorum suorum Confessionem instituere, dum nulla adest justa causa ita confitendi. Filliuc. tract. 7. cap. 1. n. 12. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 2. §. 2. num. 23. Ratio est: quia nemo potest sine justa causa famam suam prodigere: quemadmodum prodigeret, qui confiteretur audientibus aliis. Ejusmodi tamen Confessio non esset magis peccaminosa quàm venialiter

66 Colligitur secundo, ex vi præcepti Confessionis ne quidem in articulo mortis quempiam obligari, ut sua peccata publicè confiteatur. Reding tom. 7. q. 6. a. 3. controv. 3. n. 3.

n. 3. Abbas Raſsler de Pœnit. cap. 5. § 15. Ratio eſt: quia Chriſtus, cujus jugum ſuave eſt, noluit nos ad modum confitendi tam rigidum & difficilem obligare. Imò hinc etiam ſequitur, neminem vi memorati præcepti, ſive in articulo mortis, ſive extra, obligari ad confitendum per interpretem. Ratio eſt: quia etiam hic modus confitendi eſt valde incommodus. Dixi autem: *ex vi præcepti Confeſſionis.* Nam aliunde ad talem Confeſſionem quis obligari poſſet, ſi nempe in articulo mortis eſſet moraliter impotens ad perfectam contritionem eliciendam, vel ſaltem prudenter dubitaret, num elicuiſſet. ubi talis teneretur aliqua ſaltem peccata venialia publicè, vel per interpretem confiteri, & de mortalibus à ſe commiſſis generaliter ſe accuſare dicendo, *ſe confiteri omnia alia peccata, quibus fortè Deum offenderit.* Ratio eſt: quia alioquin ejusmodi moribundus in apertum ſalutis diſcrimen ſe conjiceret: quippe cùm nullum ſuppeteret aliud medium ſalutem ſuam aſſecurandi præter Sacramentalem Confeſſionem. Dixi, *aliqua ſaltem venialia.* quia ob incommoda, quæ ex Confeſſione mortalium publicè & audientibus aliis, vel per interpretem facienda ſibi eventura rationabiliter timet, ſufficienter excuſatur ab integritate materiali. Raſsler loco cit.

Colligitur tertio, reprehenſione dignum 67
eſſe, imò graviter peccare Parochum, aut alium quemvis Sacerdotem, qui multos pueros, etiam doli capaces in unum congregatos jubet ſibi ſimul confiteri, ita ut quisque audiat, quæ alter confitetur. Ratio eſt: tum, quòd injuriam faciat huic Sacramento, dum eo ſic ad jocum ac riſum abutitur. tum, quòd agat contra apertum textum cap. *Omnis utriusque ſexûs. de pœnit. & remiſſ.* ubi expreſsè ſtatuitur, ut, qui ad annos diſcretionis, pervenerit, ſolus omnia ſua peccata proprio Sacerdoti confiteatur. Vid. Bonac. ubi ſuprà. Abbas Raſsler loco cit. Stoz in Tribun. Pœnit. lib. 1. par. 3. q. 2. a. 5. num. 80.

ARTICULUS III.

De Satisfactione Sacramentali.

QUamvis per Sacramentum Pœnitentiæ non culpa tantùm, ſed etiam pœna æterna remittatur, non tamen omne debitum pœnæ temporalis expungitur. Et ideo ad hujus Sacramenti integritatem pertinet etiam Satisfactio, quam Sacerdos in expiationem commeritæ pœnæ injungit Pœnitenti. De hac nunc breviter agendum.

§. I.

De obligatione imponendi Satisfactionem.

SUMMARIUM.

1. *Quid intelligatur nomine Satisfactionis, ſeu Pœnitentiæ Sacramentalis.* 2. *Regulariter loquendo Confeſſarius tenetur confitenti injungere pœnitentiam.* 3. *Afferuntur duo caſus communiter excepti.* 4. *quibus adduntur adhuc alii duo.* 5. *Aſſerta obligatio Confeſſarii gravis eſt non tantùm, quando Pœnitens confitetur mortalia antea nunquam ſubjecta clavibus,* 6. *ſed etiam probabilius, quando confitetur ſolùm venialia, aut mortalia peccata jam ſemel confeſſa.*

1 SAtisfactio Sacramentalis, quæ etiam Pœnitentia Sacramentalis vocari ſolet, aliud nihil eſt, quàm bonum aliquod opus virtute clavium injunctum Pœnitenti ad perſolvendam pœnam temporalem pro remiſſis peccatis adhuc debitam. Nam certum eſt ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. poſt dimiſſam culpam peccati, pœnamque æternam communiter remanere pœnam aliquam temporalem in hac vel altera vita luendam. quam ut in hac vita tantò meliùs expiare poſſemus, in Pœnitente præter dolorem & Confeſſionem etiam Satisfactio ad integritatem Confeſſionis ex Divina inſtitutione requiritur, ut habet Trident. ſeſſ. cit. cap. 3. Ideo verò hæc Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, ſed integralis tantùm, quia, ut ex dicendis colligetur, etiam ſine illa idem Sacramentum poteſt conſiſtere.

Dico nunc primo. Confeſſarius per ſe 2
& regulariter loquendo tenetur confitenti injungere Pœnitentiam. Ita communis ex Concil. Trid. ſeſſ. illa 14. cap. 8. his verbis: *debent Sacerdotes Domini ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.* Ratio ſumitur ex officio Confeſſarii. Nam ut Judex tenetur debitam pro delictis pœnam exigere: ut Medicus tenetur Pœnitentem à relapſu præſervare: ut Miniſter Sacramenti tenetur curare, ne huic deſit ſua pars integralis, cujusmodi eſt ſatisfactio. Sed hoc eſt teneri Pœnitenti injungere Pœnitentiam: ergo &c.

Dixi autem *regulariter loquendo.* Nam 3
duo ſolent afferri caſus, in quibus Confeſſarius

ab impositione Pœnitentiæ excusatur. Primus est, quando Pœnitens est in articulo mortis, & ad implendam pœnitentiam impotens præsumitur ob ministerium sensuum jam amissum. tunc enim Confessarius nec debet, nec potest injungere satisfactionem pœnitentialem. Quòdsi non penitus careat usu sensuum, imponendum est vel aliquod leve opus, ut percussio pectoris; brevis aspiratio ad Deum; invocatio sanctissimor. Nominum Jesu & Mariæ; devotus aspectus, vel osculum Crucifixi &c. Vel, si peccata, quæ confessus fuit, sint graviora, injungi potest satisfactio per eleemosynam, vel alia pia opera implenda sub conditione, si convaluerit. Secundus casus est, si moraliter certò constet, Pœnitentem jam condignè pro peccatis suis satisfeciisse, ut, si vir sanctus confiteatur peccata ante hunc statum perfectionis commissa. vel, si tempore Jubilæi præstitisset sufficienter omnia requisita ad lucrandas indulgentias plenarias. in his quippe casibus nihil superest in Pœnitente, quod expiari debeat. unde nulla amplius est opus pœnitentia Sacramentali. Verùm quia tam de certitudine obtentarum indulgentiarum, quàm condigna illa satisfactione Pœnitentis difficillimè, & fortè vix unquam sine revelatione, haberi potest certa securitas, Confessarius talibus quoque Pœnitentibus pœnitentiam debet injungere saltem medicinalem. Vid. Card. de Lugo disp. 25. sect. 4. n. 47. & 48. Salmantic. tract. 6. cap. 10. pu. 2. n. 22. & 23. Reding to. 7. q. 11. a. 2. controv. 3. n. 1. Illung tract. 6. disp. 6. q. 5. a. 1. n. 154.

4 Duobus his casibus accedit tertius, si Pœnitens statim post absolutionem se iterum accuset de novo aliquo peccato, quod ante omisit confiteri. tunc enim iterum absolvi potest sine nova pœnitentia, dummodò Confessarius implicitè velit, vel saltem explicitè dicat, ut pro omnibus suis peccatis universim persolvat pœnitentiam antè injunctam. Sporer de Sacram. p. 3. cap. 4. n. 544. Stoz in tribun. Pœnit. lib. 2. q. 3. a. 3. §. 2. quod idem ad scrupulosum, si intra unam horam sæpius redeat cum iisdem, vel etiam novis peccatis, extendunt Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 3. pu. 2. num. 3. Card. de Lugo n. 50. Verùm neque hic, neque prior casus excusat simpliciter ab impositione Pœnitentiæ: cùm aliqua imponatur.

Accedit quartus, si Confessarius prævideat, Pœnitentem nullam acceptaturum, vel executurum esse pœnitentiam. Sed hanc excusationem Salmantic. n. 25. & alii communiter rejiciunt, idque meritò, tum, ne Confessarius peccatis Pœnitentis, dum ea sic relinquit impunita, connivere videatur. tum, ne idem Pœnitenti præbeat occasionem pristinum horrorem peccatorum deponendi, sicque ex contemptu quodam in graviora incidendi. tum, quòd non appareat, qua ratione Pœnitens sine animo acceptandi ullam Pœnitentiam possit censeri dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum. Vid. Salmantic. loco cit. Bonac. n. 5. Nunc superest, ut, quanta sit obligatio injungendi Pœnitentiam in n. 2. asserta, videamus.

Dico proinde secundo. Pro peccatis 5
mortalibus nunquam confessis Confessarius sub peccato mortali tenetur injungere pœnitentiam. Ita communis. Ratio est: quia Judex in judicando & puniendo reo tenetur servare æquitatem, quæ postulat, ut gravia delicta vindicentur pœnis gravibus & proportionatis. Cùm proinde Confessarius sit Judex à Christo constitutus, tenetur Pœnitenti ob delicta gravia, quæ commisit, injungere pœnam gravem: & quia hæc obligatio est in materia gravi, procul dubio gravis est. Vid. Lam. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 5. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 21. §. 1. num. 6.

Dico secundo. Probabile est, pro ve- 6
nialibus, aut mortalibus jam semel confessis, esse obligationem imponendi pœnitentiam solùm sub veniali; quamvis sit probabilius esse obligationem sub mortali. Primam part. Concl. docent Card. de Lugo n. 49. Illsung loco cit. & alii. Ratio illius est: quia Pœnitens leviter solùm peccare censetur, quando non implet pœnitentiam levem sibi impositam pro peccatis venialibus: ergo etiam Confessarius leviter solùm peccat, si illam omittat imponere. Deinde in Judicio forensi nemo Judicem condemnat peccati mortalis, si nullam pœnam imponat reo, quem judicat dignum pœna levi solùm; ergo neque Confessarius graviter peccabit contra integritatem Judicii Sacramentalis, si pro levibus culpis nullam imponat pœnitentiam. Supponitur autem, pro peccatis levibus seu venialibus non solere imponi pœnitentiam nisi levem. Ratio secundæ partis est: quia injunctio pœnitentiæ, seu satisfactionis pertinet ad ritum hujus Sacramenti à Christo institutum, usuque universali Ecclesiæ receptum: quem proinde absque justa causa scienter, dataque opera Confessarius nunquam omittere posse videtur citra implicitum, eumque graviter peccaminosum contemptum institutionis Divinæ. Adde, quòd Confessarii ut Judicis sit procurare ex sua parte formalem integritatem judicii Sacramentalis, & quidquid ad eandem pertinet, non minùs, dum audit Confessionem venialium, quàm mortalium: atqui impositio Pœnitentiæ pertinet ad integritatem formalem judicii Sacramentalis, sicut & acceptatio ejusdem eodem

perti-

pertinet. ergo sicut Confessarius tenetur sub mortali imponere pœnitentiam confesso mortalia, ita etiam confesso venialia. Atque hinc aliud est de executione pœnitentiæ levis: quippe quæ solùm est de integritate materiali istius Judicii; adeòque ex negligentia citra contemptum omitti potest omissione venialiter solùm culpabili. Vid. Castropal. loco cit. Mezger tract. 18. disp. 48. a. 1. num. 4.

§. II.

Qualis, & quanta injungi debeat Pœnitentia.

SUMMARIUM.

7. Opus in satisfactionem injungendum oportet esse pœnale, sive afflictivum. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Declaratur per varias illationes, quænam in specie opera possint injungi.* 14. *Confessarius debet per se loquendo injungere pœnitentiam secundùm proportionem peccatorum.* 15. *Causæ, ob quas injungi debet levior pœnitentia.* 16. 17. 18. *Monita Confessariis in praxi observanda.*

7 Dico primo. Opus, quod à Confessario in satisfactionem imponitur, oportet esse pœnale, sive afflictivum. Ita communis. Ratio est: quia id, quod tendere debet ad criminis vindictam, & affectus exorbitantis refrænationem, debet esse pœnale: sed ad ista tendere debet opus à Confessario in satisfactionem injungendum; ergo debet esse pœnale & afflictivum. Cæterùm hoc totum genus operis ad tria capita reductione quadam lata reducitur, videlicet ad jejunium, eleemosynam, & orationem; ita ut nomine jejunii veniant omnes afflictiones corporis; nomine eleemosinæ omnia opera misericordiæ; nomine orationis ea omnia, quæ spectant ad cultum Dei, veluti notat Sylvester *v. Satisfactio. q.* 8. Sed ut magis in specie loquamur,

8 Infertur primo, pro Sacramentali pœnitentia posse injungi opera virtutum etiam interna: qualia sunt meditationes de DEI præsentia; de extremo Judicio; de peccatorum fœditate: actus interni doloris, & contritionis; amoris Dei & similes. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 9. Filliuc. tract. 8. cap. 1. n. 15. Salmantic. tract. 6. cap. 10. pu. 3. n. 27. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 10. §. 2. & alii communiter. Ratio est: quia hæc quoque opera homini ob amissam peccatô Adami justitiam originalem in terrena ac infetiora inclinato sunt aliquo modo laboriosa. Et licèt hi tales actus non sint per se sensibiles, sunt tamen sensibiles, quatenùs à Confessario sensibiliter injunguntur, & à Pœnitente in satisfactionem acceptantur: quod sufficit, ut ad integritatem Sacramenti pertinere possint. Monet tamen Laym. loco cit. plerumque injungenda esse externa opera: cùm magis afflictiva sint; adeòque cæteris paribus magis satisfactoria.

Infertur secundo, posse etiam injungi frequentiorem usum Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ: item susceptionem Confirmationis, quando necdum fuit susceptum: Extremæ quoque Unctionis, si Pœnitens versetur in articulo mortis. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 21. §. 3. n. 6. & 7. Salmantic. n. 41. Abbas Rassler §. 3. Ratio est: quia susceptio horum Sacramentorum est opus Deo gratissimum, & maximè satisfactorium. 9

Infertur tamen tertio, susceptionem Sacri Ordinis, Sacramenti Matrimonii; itemque ingressum Religionis non posse injungi, ita citt. Ratio est: tum, quia hi status maximam in suscipiente libertatem requirunt. unde non præcipi, sed consuli solùm possunt. tum, quia ejusmodi pœnitentia nimis dura videtur. Quare dum in SS. Canonibus aliqui jubentur ob crimen commissum in Monasterium detrudi, id solùm intelligi debet; ut opera Pœnitentiæ in claustro peragant; non verò, ut statum Religionis suscipiant, ut habet Laym. n. 11. 10

Infertur quarto, etiam opus aliàs præceptum ac debitum, ut est auditio Missæ die Dominica, jejunium in Quadragesima posse injungi in pœnitentiam Sacramentalem. Laym. n. 10. Card. de Lugo disp. 25. sect. 4. n. 67. Castropal. n. 1. Salmantic. n. 28. Reding to. 7. q. 11. a. 2. controv. 3. & alii. Ratio est: quia illud aliud præceptum non obstat, quominùs tale opus adhuc sit pœnale & satisfactorium. Expedit quoque aliquando injungi ejusmodi opera: tunc nempe, quando pœnitentes illa alioquin vel omnino neglecturi, vel aliam pœnitentiam difficulter aut penitus non executuri creduntur. Communiter tamen injungi debent opera, ad quæ Pœnitens aliunde non tenetur, ut & satisfactio sit major, & hominibus præbeatur occasio plura bona opera exercendi. Quare, si nihil addat Confessarius, quo mentem suam declaret, intelligi debet de opere aliàs non præcepto: v. g. si dicat: audi unam Missam, intelligitur, præter illam, ad quam teneris in die festo audiendam. Ratio est: quia præsumptio est de communiter contingentibus: contingit autem communiter, ut Confessarii velint pro pœnitentia injungere aliquid aliàs non præceptum. Hinc ille, cui injuncta fuit auditio Missæ, non satisfacit audiendo in die festo, quo aliàs tenebatur audire; nisi 11

Confes-

Confessarius aliud expresserit, vel ex modo injungendi colligere liceat. Laym. loco cit. Tambur. lib. 4. Methodi Confess. cap. 1. §. 4. num. 15.

12 Infertur quinto, posse etiam injungi preces, aliaque pia opera pro animabus Purgatorii peragenda. Cardin. de Lugo sect. cit. n. 62. Salmantic. n. 37. Castropal. n. 3. Reding n. 10. Oberascher de Pœnit. tr. 1. cap. 5. §. 2. pag. 380. Rassler loco cit. & alii communiter. Quam sententiam comprobat quotidiana praxis Confessariorum, & valde commendat Catechismus Romanus p. 2. n. 63. Ratio est: quia idem bonum opus potest esse impetratorium & satisfactorium, & hoc quidem in Sacramento tam ex opere operantis, quàm ex opere operato. quid ergo impedit, quominùs unum idemque bonum opus, v. g. largitio eleemosynæ, ex opere operantis sit impetratorium & satisfactorium pro defunctis, ex opere tamen operato, prout est pars integralis Sacramenti, ipsi Pœnitenti satisfactorium pro pœna temporali?

13 Infertur sexto, interdum tale quoque opus injungi posse, quod Pœnitens non possit peragere, nisi videntibus, aut scientibus aliis. Ita Dicastillo, quem refert & sequitur Stoz lib. 2. Tribun. q. 3. a. 3. n. 112. Ratio est: quia sic nihil læditur sigillum Confessionis: cùm alii nequaquam inde possint colligere, Pœnitentem ejusmodi opus, v. g. flagellationem, vel jejunium, & impositione Confessarii, & non potius ex spontanea pietate susceptum peragere. Imò tametsi illud prius determinatè colligant, nihil refert; quia colligunt cum consensu Pœnitentis, utpote sponte acceptantis talem pœnitentiam. Monent tamen DD. pro peccatis occultis non facilè cuiquam injungendam esse pœnitentiam publicè, seu coram aliis peragendam; ut nempe evitentur sinistræ de Pœnitente suspiciones, gravia dissidia, aliaque incommoda inter conjuges, domesticos &c.

14 Dico nunc secundo. Confessarius debet cæteris paribus injungere pœnitentiam secundùm proportionem peccatorum. Ita manifestè habetur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. illis verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Ratio verò sumitur ex officio tum Judicis, tum Medici, quo fungitur Confessarius. Nam Judicis est infligere pœnas delictis commensuratas, & Medici præscribere pharmaca non solùm curandis, sed etiam evitandis inpostemorum morbis idonea: qualia ordinariè non sunt leves pœnitentiæ pro gravioribus peccatis impositæ.

Dixi, *cæteris paribus*. quia plures sunt causæ, ob quas levior pœnitentia injungi debet; quàm alioqui meretur Pœnitens. Prima est infirma dispositio, seu corporis seu animi, ob quam rationabiliter timetur, ne Pœnitens majorem pœnitentiam persolvere negligat; vel inde à frequentiori usu hujus Sacramenti absterreatur; vel imperitos, aut æquô benigniores Confessarios sibi quærat &c. Secunda est magnitudo contritionis. hæc enim se ipsa ad abolendam pœnam peccati potest sufficere. Tertia est tempus Jubilæi, vel alterius indulgentiæ plenatiæ. tunc quippe non est injungenda Pœnitentia, nisi levis quædam, quæ sit per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias. Quarta infirmitas lethalis, sive periculum mortis; de quo jam diximus in priori §. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 12. & 13. Salmantic. à n. 44. Mezger disp. 48. a. 1. n. 4. 15

16 Porrò autem Confessarius hîc monendus est primo, si propter aliquam ex causis primùm allatis modicam solùm pœnitentiam imponat etiam mortalia confesso, ut hoc ipsum Pœnitenti significet dicendo, se multò leviorem, quàm ipsius peccata mereantur, pœnitentiam injungere, eamque non sufficientem. Ratio est: quia Pœnitens, hoc audito, fortè petiturus est graviorem pœnitentiam, vel defectum illius levioris spontaneis bonis operibus suppleturus. Verùm omittenda est hæc commonitio primo, si Pœnitens inde redderetur pusillanimis. Secundo, si prævideatur non profutura. Tertio, si credatur non necessaria, eò quòd Pœnitens per se facturus esse putetur, quòd faceret admonitus. Vid. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 3. pu. 2. num. 17. Stoz. lib. 2. Tribunal. q. 3. num. 120.

17 Monendus est secundo, ut pœnitentias injungat statui, conditioni, sexui Pœnitentis accommodatas & convenientes. Ratio est: quia etiam in morbis animi, & non solùm in morbis corporis status, conditio &c. ægrotantis spectari debent. Hinc malè agit Confessarius, quando pauperi v. g. vel filiofamilias injungit eleemosynas; operatiis, aut rusticis graves labores exantlantibus jejunia; delicatis & imbecillibus flagellationes; fœminis longas peregrinationes; ægris, aut valde occupatis multas orationes. Nam ejusmodi pœnitentiæ non sunt accommodatæ talibus Pœnitentibus. Vid. Laym. n. 21. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 10. §. 4. Stoz loco cit.

18 Monendus est tertio, ut in pœnitentia injungenda attendat gravitatem delicti, & periculum relapsûs in illud. Ratio est: quia

gravius

gravius delictum meretur pœnitentiam magis vindicativam, magisque pœnalem: periculum verò relapsûs exigit pœnitentiam, quæ simul sit etiam medicinalis, & præservativa. Talis, ut habet Stoz n. 119. potest esse primo Lectio aliqua libri spiritualis. Secundo, Meditatio v.g. Passionis Christi, quatuor Novissimorum &c. Tertio, examen Conscientiæ. Quarto, auditio concionum. Quinto, aditio Vesperarum. Sexto, frequentatio Confessionis & Communionis. Septimo, vivax recogitatio præsentiæ Divinæ. Huc pertinet etiam, quod monet Rituale Romanum, ut Confessarius, quantum fieri potest, injungat pœnitentias peccatis contrarias, putà avaris & injustis eleemosynas; libidinosis jejunia & afflictionem corporis; superbis humilitatis officia; acediosis devotionis exercitia; ebriosis abstinentiam à potu &c. Vid. Rassler loco cit. Quòd si demum peccatum fuit commissum cum scandalo aliorum, imponi potest etiam pœnitentia publica, hoc est, palàm aliisque videntibus aut scientibus peragenda. Imò tunc etiam debet injungi hujusmodi pœnitentia, si scandalum alia ratione tolli non possit, præstarive debita satisfactio. Vid. Salmantic. ubi suprà n. 39. Neque existimes, hac ratione violari sigillum: quia obligatio subeundi talem pœnitentiam imponitur Pœnitenti in eam consentienti, aliàs non absolvendo, ut habent iidem Salmantic. quemadmodum illi, qui alterum graviter offendit, sine violatione sigilli imponitur à Confessario onus petendi veniam.

§. III.

De obligatione acceptandi, & peragendi Pœnitentiam.

SUMMARIUM.

19. *Sententia Scoti, Navarri & aliorum.* 20. *Pœnitens justam pœnitentiam tenetur acceptare & implere.* 21. *Quid si pœnitentia sit injusta seu nimis gravis?* 22. *Tota pœnitentia non potest imponi sub consilio tantum.* 23. *An non acceptare justam pœnitentiam, eamque non exequi sit semper peccatum mortale?* 24. *Quando impleri debeat pœnitentia.* 25. *An possit impleri per alium?* 26. *An in statu peccati mortalis?*

19 SCotus, Navarrus & alii, quos refert Vasquez apud Card. de Lugo, disp. 25. sect. 5. n. 68. docuerunt, nullam in Pœnitente esse obligationem acceptandi pœnitentiam, esse tamen obligationem implendi acceptatam. Cajetanus autem existimavit, neque esse obligationem sub mortali acceptandi, neque implendi acceptatam pœnitentiam. Sed contra hæc

Dico cum vera sententia. Pœnitens 20
obligatur ad pœnitentiam, si justa est, acceptandam & implendam; estque hæc obligatio ex genere suo gravis. Ita communiter Theologi post Concil. Trident. quorum aliqui sententiam contrariam etiam censuris verberant, & negat Card. de Lugo, eos esse audiendos, qui illam adhuc vocant probabilem. Ratio sufficiens sumitur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. juxta cujus doctrinam Sacerdos Pœnitenti tenetur injungere pœnitentiam, ne videlicet hoc judicium Sacramentale maneat incompletum & imperfectum: ergo Pœnitens (infero) tenetur acceptare pœnitentiam, eamque implendo exequi Sacerdotis sententiam. Consequ. probatum, quia ad integritatem judicii tam executio sententiæ requiritur, quàm ejus prolatio. Tum, quia sicut in Judice residet potestas coactiva adigendi & obligandi reum ad obediendum in subeunda pœna, ita in reo est obligatio obediendi. Atqui Judex in hoc nostro judicio est Sacerdos, reus est Pœnitens; ergo &c. Porrò assertam nunc obligationem ex genere suo esse gravem ex eo conficitur, quòd reverentia Sacramento debita non tantùm Confessarium, sed etiam Pœnitentem graviter obliget ad ejus integritatem media satisfactione procurandam.

Dixi verò in Concil. *si justa est*, nempe 21
pœnitentia. Nam si eadem Pœnitenti merito videatur injusta, & nimis gravis, rogare potest Confessarium, ut illam mitiget, vel convenientiorem injungat. Si nihil horum impetrat, non peccabit, saltem graviter, si petitâ humiliter venià discedat inabsolutus, & alteri Sacerdoti sua rursus peccata confiteatur, mitioremque ab eo pœnitentiam suscipiat. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 6. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 10. §. 6. Sporer de Sacram. p. 3. cap. 4. num. 550. Est autem hoc universim observandum Confessariis, ut pœnitentiam, de cujus gravitate ac rigore Pœnitens justè, vel probabili ratione ductus conqueritur, moderentur, vel aliam leviorem decernant memores illius sententiæ, quæ ex Gersone circumfertur: *Tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Vid. Laym. cit. n. 11. Sporer n. 555. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 5. a. 1. n. 154.

Corollarium. Non potest tota pœni- 22
tentiæ imponi sub consilio tantùm, sed debet poni sub præcepto, saltem secundùm aliquam partem. Ita colligitur ex Concil. Trid. loco cit. ubi habetur, satisfactionem injungendam ex potestate ligandi, curandumque à Sacerdotibus, *ut non sit tantum ad*

novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Ex quo etiam sequitur, pœnitentiam, quæ imponitur sub consilio, non dependere à Confessario ut Judice, nec procedere ex potestate clavium, sed ex libera voluntate Pœnitentis; adeoque non esse Sacramentalem, nec habere effectum ex opere operato. Vid. Card. de Lugo disp. 25. sect. 4. n. 54. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 21. §. 3. n. 13. Reding to. 7. q. 11. a. 2. controv. 3. à n. 12. Illsung n. 157. Nunc superest, ut quæstiones aliquot huc pertinentes expediamus.

23 Quæritur autem primo, an non acceptare justam pœnitentiam, eámque non exequi sit semper peccatum mortale? Respondeo primo, si Pœnitens velit absolvi, non acceptare pœnitentiam justam, sive gravem sive levem, semper esse peccatum mortale. Ita Castropal. pu. cit. §. 4. n. 9. Ratio est: tum, quòd ista acceptatio sit de formali integritate Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque non sit quid leve, licèt pœnitentia injuncta supponatur levis. Tum, quòd Pœnitens non absque gravi contempru irrationabiliter tunc recuset se submittere sententiæ Judicis Sacramentalis, velitque absolvi indispositus. Respondeo secundo; non exequi pœnitentiam acceptatam non esse semper peccatum mortale. Ita communiter DD. Ratio est: quia executio Pœnitentiæ neque ad essentiam, neque ad formalem, sed ad materialem tantùm Sacramenti integritatem pertinet; adeoque nihil obstat, quò minùs ejus obligatio instar aliarum mensuretur juxta gravitatem, & levitatem pœnitentiæ injunctæ tanquam materiæ; sitque proinde gravis, si pœnitentia sit gravis, levis, si pœnitentia sit levis, sive jam pro gravibus, sive pro levibus peccatis imponatur. Porrò levis pœnitentiæ exemplum est recitare una vel altera vice Psalmum Miserere, vel quinquies Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam. Gravis est jejunium, auditio Missæ, flagellatio, recitatio Rosarii &c. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 6. Card. de Lugo sect. 5. n. 74. Castropal. loco cit. Reding controv. 4. n. 20. & 21.

24 Quæritur secundo, quando implenda sit pœnitentia? Respondeo, implendam esse tempore determinato à Confessario. Quòd si hoc jam fuerit elapsum, alio debet impleri, quando tempus non ad finiendam, sed solùm ad non ulteriùs differendam obligationem fuit præfixum: quod ex verbis Confessarii colligi debet. Dilatio impletionis ultra tempus determinatum, si longa sit, & circa pœnitentiam gravem, grave peccatum est: si sit brevis, vel circa pœnitentiam levem, leve peccatum est. Quòd si Confessarius nullum tempus designet, non facilè erit peccatum mortale differre per solationem pœnitentiæ. Debet tamen per se loquendo persolvi, quamprimùm commodè moraliter potest, sicut votum, & similia. Vid. Salmantic. tract. 6. cap. 10. pu. 5. à n. 63. Illsung n. 158. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 10. §. 12.

Quæritur tertio, an quis possit pœni- 25
tentiam sibi injunctam implere per alium? Respondeo, non posse. Ratio est: tum, quia juxta Concil. Florent. & Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. materia hujus Sacramenti sunt illi tres actus Pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio: quemadmodum ergo Contritio non potest fieri per alium, ita nec Satisfactio. Tum, quia alia præcepta, v. g. jejunandi, audiendi Missam, recitandi Horas, non possunt impleri substituendo alium: ergo nec præceptum Confessarii. Tum, quia juxta Concil. Trident. sess. cit. cap. 8. pœnitentia imponi debet ad novæ vitæ custodiam, ad peccatorum præteritorum vindictam & castigationem; quæ planè denotant, hujus præcepti executionem debere esse actionem personalem, ut sic ille ipse, qui peccavit, in se puniatur & castigetur. Unde non juvat dicere ex Reg. 72. Juris in 6. *Qui per alium facit, est perinde, acsi faceret per se ipsum.* & ex Reg. 68: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Nam Regulæ illæ tunc solùm valent, quando non exigitur ob specialem rationem actio personalis. Sententia opposita nullo gaudet amplius patrocinio; quia Alexander VII. damnavit hanc prop. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Sed quid, si Confessarius consentiat, vel pœnitentiam expressè ita imponat, ut Pœnitens eam vel per se, vel per aliun peragat? Respondeo, in hoc tali casu non ipsum opus ab alio præstitum, v. g. jejunium, aut peregrinationem, sed procurationem operis, quæ non absque labore, difficultate, aut sumptu fit, esse satisfactionem Sacramentalem. Ratio est: quia tunc opus ipsum non est actus Pœnitentis; sicut tamen est ejus procuratio. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 10. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 3. pu. 4. n. 14. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 20. §. 3. n. 4. Illsung n. 159. Mezger tract. 18. disp. 48. a. 1. n. 12. Viva par. 1. damnat. Thesium, prop. 15.

Quæritur quarto, an pœnitentia imple- 26
ri possit in statu peccati mortalis? Respondeo, posse. Ratio est: quia ad aliorum præceptorum impletionem non requiritur status gratiæ, sed sufficit ponere substantiam rei præceptæ: cum finis legis, aut præ-

præcepti non cadat sub præceptum; ut ex tract. de Legibus supponitur. Ergo etiam ad implendum præceptum Confessarii sufficit ponere substantiam rei præceptæ, v. g. jejunium, aut eleemosynam injunctam, licèt non obtineatur finis eo præcepto intentus. Neque refert, impediendo tunc aliquem effectum Sacramenti, scilicet remissionem pœnæ temporalis, committi irreverentiam quampiam. Cùm enim hic effectus sit secundarius tantùm, irreverentia, quæ per ejus impeditionem Sacramento infertur, non censetur gravis. Vid. Castropal. n. 16. Laym. n. 15. Card. de Lugo disp. 25. sect. 3. n. 30. Bonac. n. 15. Mezger loco cit. Abbas Rassler §. 14.

§. IV.

De Commutatione Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

27. *Sententia Dianæ & aliorum.* 28. *Pœnitens non potest authoritate propria sibi commutare pœnitentiam.* 29. *Respondetur ad fundamenta opposita.* 30. *Exponitur,* 31. 32. *& resolvitur difficultas, an, & quomodo Confessarius commutare possit Pœnitentiam ab alio impositam?* 33. 34. *Quando ad commutationem Pœnitentiæ requiratur iterata Confessio peccatorum?* 35. *Quid agendum Pœnitenti injunctæ Satisfactionis oblito?* 36. *Recensetur effectus Satisfactionis.*

27 PArtelius, Diana, & quidam alii ab hoc relati, quorum sententiam esse probabilem judicat etiam Tamburinus de Præcept. Eccles. tract. 2. cap. 23. num. 6. docuerunt, posse Pœnitentem propria authoritate pœnitentiam à Confessario sibi injunctam commutare in meliorem ac utiliorem, vel etiam æqualem. Ratio Dianæ est: quia Confessarius pœnitentiam injungit in ordine ad spiritualem utilitatem Pœnitentis. Unde hic, si existimet aliam pœnitentiam sibi fore utiliorem, eam sibi ex præsumpta voluntate Confessarii potest injungere. Ratio Tamburini est: quia Deus ejusmodi commutationem (maximè si sit in opus melius) acceptare præsumendus est. Ratio præterea esse potest à pari. Nam vovens potest propria authoritate sibi votum commutare in melius, imò etiam in æquale: ergo etiam Pœnitens ita potest sibi commutare pœnitentiam injunctam à Confessario. Sed contra hæc

28 Dico primo cum communissima & vera sententia. Pœnitens non potest authoritate propria commutare pœnitentiam in opus etiam evidenter melius. Ratio sufficiens est: quia opus, quod Confessarius imponit, virtute clavium elevatur, ut sit Sacramentale, seu pars Sacramenti, & satisfactorium ex opere operato: ergo Pœnitens non potest substituere aliud opus, etiam evidenter melius, sibique ipse imponere in satisfactionem. Conseq. patet: quia Pœnitens, qui nihil potest virtute clavium, non potest facere, ut ejusmodi opus sit Sacramentale & satisfactorium ex opere operato. Confirmatur. Neque Confessario, neque Pœnitenti licitum est mutilare Sacramentum: atqui, si Pœnitens Satisfactioni judicialiter sibi impositæ subrogaret aliam non judicialem, qualis esset, quam propria authoritate assumeret, mutilaret Sacramentum; quia auferret illi partem integralem, nempe satisfactionem Sacramentalem, nec redderet ampliùs; cùm illa, quam subrogaret, non esset pars Sacramenti. Vid. Card. de Lugo disp. 25. sect. 6. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 5. a. 2. n. 160.

29 Ad fundamentum Dianæ respondetur neg. conseq. quia non potest esse prudenter præsumpta voluntas Confessarii, ut Pœnitens operi elevato ad esse partis Sacramentalis subroget aliud non Sacramentale, sicque mutilet Sacramentum, quidquid sit de majori utilitate spirituali ejusmodi operis. Hæc enim si in præsenti veniret in considerationem, cur non ob rationis paritatem dicere liceret, posse quemlibet ex præsumpta voluntate Summi Pontificis operibus ad lucrandas indulgentias præscriptis propria authoritate aliud opus melius atque utilius subrogare? Quod tamen nemo admiserit. Ad fundamentum Tambur. dic, Deum opus per ejusmodi commutationem subrogatum non acceptare tanquam Sacramentale, & ut satisfactorium ex opere operato, quale esse deberet, idque malè præsumi. Ad paritatem de vovente neg conseq. disparitas est, quòd obligatio voti oriatur ab ipso vovente, estque implicitè conditionata, nisi vovens substituerit opus melius, Deoque gratius. Atqui obligatio persolvendi pœnitentiam, sicut obligatio aliorum præceptorum est absoluta, & oritur ex voluntate aliena, estque omnino independens à voluntate Pœnitentis.

30 Hoc jam expedito, difficultas est, an alius, saltem Confessarius, possit pœnitentiam justam ab alio impositam commutare, & quomodo possit? Dixi, *justam pœnitentiam.* Nam, si constat, esse injustam & irrationabilem, pœnitens ad eam non obligatur; adeoque nulla opus est commutatione. Quod idem senti, si Pœnitens ad persolvendam pœnitentiam impotens efficiatur. Tunc enim non tenetur aliud bonum opus subrogare: cùm Confessarius non nisi eam determinatam actionem, v. g. jejunium, vel elee-

eleemosynam injunxerit. Porrò in dubio cognoscere & declarare, an pœnitentia imposita sit rationabilis, potest quilibet vir probus & doctus; imò & ipse Pœnitens, si polleat judiciô. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 15. n. 17. Card. de Lugo n. 100.

31 Dico nunc secundo. In Confessione quilibet Confessarius potest mutare pœnitentiam ab alio impositam, nisi huic peccatum aliquod Pœnitentis fuerit reservatum. Ita communis & vera sententia. Ratio est: quia Pœnitens potest eadem peccata, à quibus jam semel absolutus est, iterum subjicere judicio alterius Confessarii, atque hujus sententiâ post legitimam causæ cognitionem rursus absolvi. Consequenter potest ipsi imponi nova satisfactio Sacramentalis. Hac autem acceptata jam cessat obligatio præstandi priorem satisfactionem; cùm nemo teneatur subire duplicem pro iisdem peccatis. Neque dicas, in hoc tali casu primum Sacramentum Pœnitentiæ carituram sua integritate, scilicet Satisfactione imposita: dicitur enim, carituram quidem sua integritate materialiter spectata, quæ sita sit in executione istius operis in prima Confessione impositi; non tamen carituram integritate formaliter spectata, hoc est, complemento Judicii & Satisfactione per novam sententiam Judicis in eodem tribunali succedentis imposita pro iisdem peccatis, atque ab executione prioris sententiæ deobligantis. Mezger tract. 18. disp. 48. a. 1. n. 11. Rectè præterea dicitur ex Card. de Lugo n. 102. executionem sententiæ antea prolatæ ad integritatem Judicii eò usque tantùm esse necessariam, donec per remissionem, commutationem, aut diminutionem, adde & impossibilitatem rei præceptæ &c. ejusdem obligatio finiatur.

32 Dixi, *nisi huic peccatum aliquod*, &c. Nam licèt in eo casu posterior Confessarius quantum ad absolutionem ab ejusmodi peccato, utpote non ampliùs reservato, habeat plenam potestatem, non tamen habet jurisdictionem circa sententiam prioris Confessarii in illud prolatam: quam proinde non potest moderari, aut reformare, saltem per se loquendo. Quod addo, quia in casu, quo necessitas, vel pia utilitas ex parte Pœnitentis aliud quid exigit, ut si idem injunctam Pœnitentiam difficulter persolvere, nec facilè Superiorem Confessariùm adire possit, ex præsumpto hujus consensu pœnitentia ab inferiore mutari, minuique poterit. Ita Abbas Rasler de Pœnit. cap. 10. §. 7.

33 Dico tertio. Quando Sacerdos mutaturus pœnitentiam est idem, qui injunxit, & statum Pœnitentis adhuc memoriâ retinet, non requiritur, ut Confessio peccatorum coram eo iteretur, dummodo Pœnitens ad ipsum recurrat intra tam breve tempus, ut idem moraliter judicium Sacramentale censeri possit. Ita Laym. ubi suprà, n. 16. Card. de Lugo n. 112. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 4. n. 586. & alii. Ratio est: quia manente priore, eaque sufficiente cognitione causæ non requiritur nova ex parte Judicis ad exercendum aliquem actum judicialem, qualis in præsenti est commutatio Pœnitentiæ. Cæterùm tempus breve, quo interposito adhuc idem moraliter Judicium existimari possit, alii coarctant ad spatium semihoræ; alii ad intervallum unius, vel alterius diei: imò nonnulli extendunt ad triduum, vel etiam hebdomadem: de quo vid. Card. de Lugo n. 111.

34 Dico quarto. Quando Sacerdos, qui mutare statuit pœnitentiam, est alius, vel idem, sed non amplius memor, etiam confusè, peccatorum Pœnitentis, ob quæ imposuit illi pœnitentiam, tunc repetenda est eorum Confessio. Ita probabiliùs Laym. loco cit. Card. de Lugo n. 112. Salmantic. tract. 6. cap. 10. pu. 6. n. 74. & 75. Reding to. 7. q. 11. a. 2. controv. 5, n. 14. & 15. & alii. Ratio est: tum, quia extra Confessionem non potest imponi opus, quod sit pars Sacramenti, & satisfactorium ex opere operato. Tum, quia commutatio pœnitentiæ fieri debet judicialiter: atqui non potest hoc modo fieri absque notitia causæ, & consequenter nec absque nova peccatorum Confessione.

35 Quæritur jam primo, quid agendum sit Pœnitenti injunctæ pœnitentiæ oblito? Respondeo, illum non esse obligatum ad Confessionem repetendam, ut rursus pœnitentiam accipiat, sed manere ab ejus impletione excusatum, quamdiu non recordatur, nec memorem Confessarium interrogare potest, tametsi culpabiliter fuerit oblitus. Ita Laym. n. 17. Card. de Lugo sect. 5. n. 87. Tambur. lib. 4. Method. Confess. cap. 2. §. 4. Salmantic. n. 83. & alii. Ratio est: quia præceptum implendi pœnitentiam non magis obligare credendum est, quàm alia, quæ nemo tenetur implere, quando ignorat, & quamdiu ignorat. Quòd si dicta oblivio pœnitentiæ orta fuit ex culpa mortali, hanc confiteri necesse est; ut ex se patet. Consultum tamen est, quod monet Laym. ut, qui pœnitentiam, præsertim gravem, fuit oblitus, aliam in proximâ Confessione sibi petat injungi.

36 Quæritur secundo, quinam sint effectus Satisfactionis Sacramentalis? Respondeo, esse duos potissimum. Primus est remissio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Ratio est: quia, ceu pars Sacramenti, confert, quod significat: atqui significat remissionem pœnæ temporalis, utpote ad eandem potissimùm ordinata; sicuti testatur Concil. Trident. ergo etiam confert. Confert, inquam, non præcisè ex opere operantis, sed ex opere operato: cùm alioqui non haberet majorem efficaciam quàm Satisfactio non Sacramentalis. Secun-

dus

dus effectus est impetratio auxiliorum Divinæ gratiæ ad cavenda deinceps peccata necessariorum. Ratio est: quia hæc satisfactio non tantùm ad delendas pœnas temporales, sed etiam ad coërcenda vitia, nosque à peccatis revocandos magnâ pollet efficaciâ; quemadmodum declarat Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. Cùm proinde ad cavenda deinceps peccata sint necessaria auxilia gratiæ, meritò dicitur, satisfactioni Sacramentali ex institutione Christi inesse vim conferendi talia auxilia. Vid. Mezger tract. 18. disp. 48. a. 1. §. 4. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 10. §. 13. Addunt aliqui tertium effectum, scilicet augmentum gratiæ habitualis, quod putant à satisfactione Sacramentali itidem conferri ex opere operato. Sed hic effectus, cùm sine sufficienti fundamento asseratur, à nobis non agnoscitur. Vid. Card. de Lugo disp. cit. sect. 1. n. 2. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 5. a. 3. n. 165. Rassler loco cit.

DISPUTATIO VI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

In hac Disp. illa veniunt explicanda, quæ sunt necessaria ex parte Ministri, tum, ut validè, tum, ut licitè officio suo fungatur. Et quidem, ut validè quis administret hoc Sacramentum, præter Ordinem Sacrum, requiritur potestas jurisdictionis, & approbatio Episcopi: ut licitè administret, requiritur observatio sigilli, scientia, & prudentia. Antequam de his singulis agamus, sit

ARTICULUS I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

SUMMARIUM.

1. Hæresis Lutheri. 2. Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ. 3. Invalidè ordinatus in Sacerdotem non potest absolvere à peccatis. 4. In nullo unquam casu quis tenetur confiteri non Sacerdoti. 5. Ecclesia non potest facere, ut non Sacerdos possit absolvere Sacramentaliter. 6. Quid sit potestas Clavium? 7. Non omnis Sacerdos est Minister sufficiens hujus Sacramenti per se loquendo. 8. Quando, & quomodo possit esse per accidens? 9. 10. Solvuntur Objectiones.

1 LUtherus in lib. de abrog. Missa privata, & artic. 13. inter damnatos à Leone X. ut refert Valentia, asserult, omnes fideles, etiam pueros, & mulieres habere potestatem pœnitentibus remittendi peccata: quamvis, ut ejus discipuli exponunt, negaverit, unicuique Christiano esse licitum sine certa vocatione & deputatione uti hac tali authoritate, & ministerium reconciliationis usurpare. In ista Lutheri hæresi fuit etiam Wiclephus, ut ex Thoma Waldensi perhibet idem Valentia to. 4. disp. 7. q. 10. pu. 1. Verùm contra

2 Dico primo. Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Fides Catholica ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & Constantiensi in Bulla Martini V. & Trident. sess. 14. cap. 6. & can. 10. ubi anathemate percelluntur dicentes, non solos Sacerdotes esse Ministros Absolutionis. Ratio verò est: quia Christus, quando Joan. 20. instituit hoc Sacramentum, nullis aliis, quàm Sacerdotibus, contulit potestatem remittendi peccata. Cùm noluerit aliis competere potestatem in corpus suum mysticum, quàm illis, quibus dedisset potestatem in corpus suum verum, qui sunt soli Sacerdotes. Atque hinc

Sequitur primo, eum, qui invalidè ordinatus fuit in Sacerdotem, nullam habere potestatem absolvendi à peccatis. Ratio est: quia potestas absolvendi necessariò præsupponit potestatem consecrandi, & offerendi Sacrificium Missæ; quippe sine qua nemo potest esse Sacerdos. Unde & ordinatio quoad utramque hanc potestatem repeti debet. Card. de Lugo disp. 18. sect. 1. n. 2. Salmantic. tract. 6. cap. 11. pu. 1. n. 2. 3

Sequitur secundo, neminem unquam, etiam in casu extremæ necessitatis obligari, ut sua peccata confiteatur alteri, quàm Sacerdoti. Ratio est: quia non potest esse obligatio confitendi alicui, à quo nulla potest esse spes obtinendi absolutionem Sacramentalem: sed nulla potest esse spes obtinendi absolutionem à non Sacerdote; ergo. Filliuc. tract. 7. cap. 7. n. 182. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 6. §. 1. Neque obstat illud Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra &c.* recte enim dicitur cum cit. Filliuc. n. 180. sensum esse, 4

quòd teneamur peccata nostra confiteri etiam hominibus, at non omnibus, sed illis, qui ad judicandum de iis in foro Pœnitentiæ deputati sunt: quod Apostolus supponebat tanquam aliunde satis notum.

5 Sequitur tertio, Ecclesiam hîc nunquam dispensare posse, & non Sacerdoti concedere potestatem quemquam absolvendi Sacramentaliter. Ratio est: quia Ecclesia non potest immutare ea, quæ sunt ex institutione Christi: sed, ut soli Sacerdotes possint Sacramentaliter absolvere, ex institutione Christi est: ipse enim voluit, ut potestas absolvendi conferri nequeat carenti potestate consecrandi; ergo &c. Filliuc. n. 182. Rasler loco cit.

6 Sequitur quarto, Sacerdotem, ad quem Episcopus post collationem Ordinis non dixit: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis &c.* non posse Sacramentaliter à peccatis absolvere. Ratio est: quia caret potestate clavium. Hæc enim non confertur per illa ipsa verba, per quæ confertur potestas consecrandi. Cæterùm potestas clavium aliud non est quàm potestas solvendi & ligandi, vi cujus Judex Ecclesiasticus dignos in regnum cælorum admittere, indignos ab eodem arcere potest, continétque adæquatè sumpta potestatem Ordinis & Jurisdictionis. Dicitur autem potestas clavium, sive claves Ecclesiæ, tum ex modo loquendi Conciliorum & Patrum: tum, quia sicut clavibus utimur ad aperiendum & claudendum, ita per hanc potestatem cælum aperitur & clauditur, id est, remittuntur & retinentur peccata. Vid. Filliuc. à n. 170.

7 Dico secundo. Non omnis Sacerdos eo ipso, quòd sit initiatus Ordine Presbyteratûs, est sufficiens Minister hujus Sacramenti per se loquendo. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia potestas absolvendi, quam Sacerdos accipit in ordinatione, non est plena & completa per jurisdictionem, quam ad validam absolutionem, utpote actum judicialem, esse necessariam in tertio artic. videbimus.

8 Dixi, *per se loquendo.* Quia per accidens & extraordinariè quilibet Sacerdos, licèt sit excommunicatus, aut degradatus, potest in aliquo saltem casu, nempe in articulo, vel probabili periculo mortis, tum validè tum licitè absolvendo administrare Sacramentum Pœnitentiæ, absentibus tamen iis, qui moribundum, vel de vita periclitantem alias audire & absolvere possent. Ita habetur apertè ex Concil. Trid. sess. cit. cap. 7. ubi tractans de illo articulo ait, omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris posse absolvere. Et ratio est: quia sic decuit Matrem Ecclesiam, ne quem filiorum ad Deum se convertere cupientem defectu Confessarii cum periculo æternæ damnationis mori sineret, sed daret potestatem & licentiam cuilibet Sacerdoti in ea necessitate moribundo, aut in probabili periculo mortis versanti subveniendi. Dixi, *absentibus tamen &c.* quia, si adsit, qui etiam extra articulum seu periculum mortis absolvere possit & velit, probabilius est, alterum invalidè absolvere: cùm facultas absolvendi illi concessa sit tantùm pro casu necessitatis, qualis tunc non datur. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 14. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 13. n. 8. Salmantic. tract. 6. cap. 11. pu. 2. à n. 30. Judico tamen, sententiam contrariam esse valde probabilem. Eam tenent multi, ut videre est apud Salmantic. n. 29. & copiosè defendit Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 2. Ratio est: quia Concil. Trid. loco cit. concedens pro nostro casu omnibus Sacerdotibus facultatem absolvendi loquitur citra ullam distinctionem & mentionem de absentia vel præsentia Sacerdotis habilioris. Cur ergo nos utamur hîc distinctione, & exceptione aliqua? Deinde merito negatur, præsente Sacerdote habente potestatem absolvendi extra articulum mortis moribundum esse semper extra periculum & casum necessitatis: cùm facilè possit contingere, imò quandoque contingat, teste Illsung n. 186. ut talis aliquis nolit & horreat confiteri ejusmodi Sacerdoti, non tamen horreat confiteri Sacerdoti simplici, excommunicato, suspenso &c.

9 Objicies jam primo. Potestas absolvendi Sacerdotibus iisdem verbis in sua ordinatione confertur, quibus collata fuit Apostolis Joan. 20. ergo sicut Apostolis tunc fuit collata potestas tam Ordinis, quàm jurisdictionis, ita etiam cuilibet Sacerdoti in sua ordinatione confertur: & consequenter quilibet Sacerdos validè, etsi non licitè, quoslibet, & à quibuslibet delictis potest absolvere. Respondeo neg. conseq. quia Apostolis tunc fuit collata simul potestas jurisdictionis in omnes fideles neque ex vi suæ ordinationis, neque ex vi illorum verborum: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* sed ex speciali privilegio aliis non concesso, ut habet Gonet to. 5. tract. 5. disp. 9. a. 2. n. 26.

10 Objicies secundo. Sacerdotes per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* juxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. constituuntur Judices animarum in causa peccati; ergo in ipsa sui ordinatione, dum audiunt ab Episcopo ea verba, potestatem accipiunt judicandi de peccatis fidelium in foro Pœnitentiæ. Quis enim vidit, vel audivit aliquando Judicem sine potestate judicandi? Respondeo dist. ant. constituuntur Judices incompletè, ac veluti radicaliter, conc. completè & proximè, ita ut habeant jus, vi cujus illis quispiam subjiciatur, in quem validè exercent potestatem collatam, neg.

In-

Instabis. Quia Episcopus vi suæ ordinationis habet potestatem confirmandi & ordinandi, potest quoslibet etiam non subjectos validè, etsi non licitè confirmare & ordinare: ergo similiter, quia quilibet Sacerdos in sui ordinatione accipit potestatem absolvendi à peccatis, poterit quoslibet etiam non subjectos validè, etsi non licitè, absolvere. Respondeo neg. conseq. & paritatem. Nam aliorum Sacramentorum administratio non exercetur per modum Judicii, sicut Sacramenti Pœnitentiæ. Unde mirum non est, istud non posse validè administrari non subjectis, posse tamen alia.

ARTICULUS II.

De Approbatione Confessarii.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Approbatio Confessarii.* 2. *Quid de hac Approbatione decreverit Concil. Trident.* 3. *Approbatio alia est per prævium examen, alia per collationem Beneficii curati.* 4. *Qui non habet amplius Beneficium Parochiale, indiget nova approbatione.* 5. *Etiam Doctores & Licentiati indigent Approbatione Episcopi.* 6. *Ad audiendas Confessiones Regularium nulla requiritur Approbatio.* 7. *Sacerdos non approbatus invalidè absolvit Sæcularem quemcunque.* 8. *Tali Sacerdoti invalidè delegatur Jurisdictio à Parocho.* 9. *Approbatio peti debet ab Episcopo.* 10. *Quid, si Episcopus approbavit, quem non judicavit idoneum?* 11. *An valeat approbatio pretiò obtenta?* 12. *A quonam Episcopo petenda Approbatio?* 13. *Non sufficit Approbatio petita, sed non obtenta.* 14. *Approbatus pro una Diœcesi non est hoc ipso approbatus pro alia.*

1 NOmine hujus approbationis intelligitur authenticum quoddam testimonium Episcopi de aptitudine & capacitate Sacerdotis ad audiendas Confessiones. Unde includit duos actus ex parte approbantis, unum internum, judicium nempe probabile de personæ scientia, prudentia &c. alterum externum, manifestationem videlicet illius judicii per signum aliquod exterius, sive istud sint verba, sive scriptura. Nihil enim certi præscriptum est.

2 Antequam veniamus ad ea, quæ in præsenti plus difficultatis continent, audiendum est decretum Concilii Trid. sess. 23. cap. 15. de Reformat. quod sic habet: *Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

3 Ex verbis hujus decreti infertur primò, duplicem esse approbationem Confessarii, nempe unam per prævium examen, & sententiam Episcopi declarativam capacitatis & aptitudinis in Sacerdote repertæ: alteram per collationem beneficii, cui annexa est cura animarum. Cùm enim ad hanc curam præcipuè pertineat administratio Sacramenti Pœnitentiæ, is, cui unà cum beneficio committitur, implicitè tanquam idoneus ad Confessiones audiendas approbatur. Salmantic. tract. 6. cap. 11. pu. 7. n. 89. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 3. n. 3.

4 Infertur secundo, eum, qui habuit beneficium Parochiale, sed jam non habet, nova indigere approbatione, non minùs, quàm alios. Ratio est: quia juxta Concil. cit. ille est approbatus tanquam idoneus, qui actu habet beneficium Parochiale: sed qui habuit, non actu habet; ergo. Reding to. 7. q. 9. a. 3. n. 4. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 6. §. 19.

5 Infertur tertio, etiam Doctores & Licentiatos sive Theologiæ, sive Juris Canonici comprehendi hoc decreto Concilii. Ratio est: quia per illud omnes arcentur à munere audiendi Confessiones sæcularium, qui nec Parochi sunt, nec aliter ab Episcopo approbati, nullius facta exceptione. Accedit, quòd tales sæpe in speculativis versatissimi, in practicis nihil sciant, vel, si ista quoque didicerint, careant judicio & prudentia ad Confessiones audiendas necessaria: unde meritò approbatione Episcopi indigere censentur. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 11. n. 2. Abbas Rassler loco cit. Mezger n. 6. qui tamen addunt, æquitatis rationem postulare, ne similes quantùm ad scientiam novo examini subjiciantur, sed ex publico Academiarum de doctrina ipsorum testimonio judicentur.

6 Infertur quarto, ex vi Concilii Trident. nullam requiri approbationem ad audiendas Confessiones Regularium. Ratio est: quia Concilium expressè loquitur de solis Confessionibus sæcularium; adeóque Regulares relinquit dispositioni suorum Prælatorum, sicut erant ante ipsum. Quare omnis Regularis utriusque sexus potest ex licentia sui Prælati, (non tamen Abbatissa citra speciale privilegium huic à Sum. Pontifice concessum) confi-

fi:eri

fiteri cuilibet Sacerdoti simplici, etiam sæculari, dummodo peculiari Ordinis, vel Monasterii statuto id non prohibeatur. Vid. Laym. n. 1. Card. de Lugo disp. 21. sect. 1. n. 2. Salmantic. n. 87. Reding n. 2. Rassler loco cit. Mezger n. 5. Dixi tamen, *ex vi Concilii.* Nam Gregorius XV. in Bulla, *Inscrutabili Dei providentia*, quam edidit anno 1622. expressè statuit, ut nullus Sacerdos, sive Regularis, sive sæcularis, possit audire Confessiones Monialium, nisi fuerit ab Ordinario approbatus.

7 Infertur quinto, absolutionem à Ministro non approbato impertitam sæculari cuicunque, etiam Clerico, aut Sacerdoti, esse nullam & invalidam. Ratio est: quia Minister non approbatus caret jurisdictione in ordine ad absolvendum sæcularem. Approbatio quippe, est velut ultima conditio & complementum, quo quis jam Sacerdos redditur proximè capax accipiendæ jurisdictionis; adeoque illa deficiente nulla est jurisdictio, & consequenter etiam nulla absolutuo. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 17. §. 1. n. 8. Salmantic, n. 88. Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 4. §. 1. n. 9. Abbas Rassler loco cit.

8 Infertur sexto, Parochum non posse jurisdictionem suam delegare Sacerdoti ab Episcopo non approbato. Ratio est; quia in Concil. Trid. universaliter dicitur, non posse quemquam audire Confessiones sæcularium, nisi vel Parochiale beneficium obtineat, vel aliter sit approbatus ab Episcopo. Atque ita declarâsse Congregationem Cardinalium Concilii Trid. ex Petro du Fay refert. Card. de Lugo n. 6. quod potissimùm fieri oportuit ad tollendum abusum Parochorum, qui interdum Cooperatores adsciscebant indoctos, vel improbos.

9 Infertur septimo, approbationem esse petendam ab Episcopo. Hoc sufficienter patet ex dictis. Et ratio est: quia non alteri, quàm Episcopo, Concil. Trid. in cit. decreto tribuit potestatem approbandi. Cæterùm nomine Episcopi intelliguntur etiam Abbates, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in subditos sæculares: item Capitulum Sede vacante: ad hoc enim devolvitur tunc jurisdictio Episcopalis, juxta cap. *Cùm olim. de majorit. & obed.* Eodem tamen nomine non veniunt illi Prælati Regulares, qui nullam jurisdictionem in sæculares habent. Sufficit autem, si Episcopus per suum Vicarium Generalem, aut alium, cui id commiserit, approbaverit. Vid. Castropal. pu. cit. §. 3. n. 1. & 2. Reding controv. 2. n. 1. & Abbas Rassler loco cit. Sed jam circa verba adducti decreti

10 Dubitatur primo, an ille, quem Episcopus exteriùs quidem approbavit, interiùs tamen non judicavit idoneum ad audiendas Confessiones, possit validè administrare Sacramentum Pœnitentiæ? Ratio dubitandi est: quia Concilium duo videtur exigere, & judicium Episcopi, & illius approbationem: id enim denotant illa verba: *& idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Respondeo nihilominùs affirmativè. Ita Card. de Lugo disp. 21. sect. 1. n. 25. Salmantic. n. 91. Castropal. pu. cit. §. 1. n. 2. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 1. n. 171. contra Bonac. & alios. Ratio est: quia, cùm Ecclesia non judicet de internis, non videtur credibile, quòd Concilium valorem approbationis voluerit alligare internæ sententiæ approbantis; præsertim, cùm alioqui administratio hujus Sacramenti pluribus dubiis & scrupulis redderetur obnoxia. Itaque Concilium, ait Illsung; solùm declarare voluit, non sufficere, si Sacerdos idoneus judicatus sit, sed externam etiam approbationem adjungendam esse.

11 Dubitatur secundo, an valida sit approbatio, si pretio obtineatur? Ratio dubitandi sumitur inde, quòd Concilium dicat, *quæ gratis detur.* Respondeo esse validam. Ita Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 4. §. 1. n. 33. Card. de Lugo n. 26. Castropal. n. 6. Salmantic. loco cit. Abbas Rassler §. 21. Ratio est: quia pœnæ non debent extendi ultra casus expressos. Atqui nullibi habetur expressum, approbationem, de qua hîc loquimur, Simoniacè obtentam esse invalidam; ergo. Atque hinc ad illa verba, *quæ gratis detur*, dicitur, ibi significari solummodò præceptum, quo præcipitur Episcopis, ut approbationem largiantur nullo accepto pretio, vel lucro temporali, non autem statui conditionem necessariam ad valorem approbationis.

12 Dubitatur tertio, à quonam Episcopo conferenda sit approbatio? An ab Episcopo Confessarii, vel Pœnitentis? Respondeo, omissis aliorum variis sententiis, esse conferendam ab illo Episcopo, in cujus Diœcesi instituitur Confessio; adeoque ab Ordinario Confessarii vel stabiliter tali, si in illa Diœcesi habeat domicilium stabile, vel transeunter, si ad breve tantùm tempus ibi versetur Confessarius. Ita Laym. Barbosa, & alii, quos refert & sequitur Illsung a. cit. §. 3. Prob. hæc sententia inprimis ex Constitut. Clementis X. quæ incipit *Superna*, anno 1670. edita, ubi decernitur, *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eos absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati.* Quibus verbis evidenter declaratur, quoscunque Sacerdotes Religiosos (imò ob paritatem rationis etiam sæculares) quocunque in loco audiant Confessiones sæcularium, ab Episcopo illius loci debere fuisse approbatos, & ad Confessiones in

alie-

aliena Diœcesi audiendas non sufficere, si approbati fuerint à solo Ordinario sui stabilis domicilii. Quod ipsum etiam constat ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Barbosa in *Remiss. Concil.* & videre est apud Redingum to. 7. q. 9. a. 3. controv. 2. n. 6. Deinde ratio nostræ Responsionis est: quia cujuslibet Episcopi plurimùm interest, ne in sua Diœcesi aliquis ab ipso non approbatus audiat Confessiones. Cùm fieri possit, ut Sacerdos pro uno loco judicatus idoneus pro alio loco propter diversitatem circumstantiarum sit inidoneus. Potuit insuper judicium alterius Ordinarii de sufficientia approbati fuisse erroneum, cui proinde alius Ordinarius non tenetur credere. Ergo meritò requiritur, ut quilibet Ordinarius quemlibet Sacerdotem in sua Diœcesi Confessiones sæcularium audientem judicaverit idoneum & approbaverit.

13 Corollarium I. Non sufficit præcisè petere approbationem; sed eandem etiam obtinere necessarium est. Card. de Lugo sect. 3. n. 50. Filliuc. tract. 7. cap. 9. n. 257. & alii communiter. Constat ex illis Concilii verbis: *Et approbationem, qua gratis detur, obtineant.* Et quamvis olim Religiosi Mendicantes, si ab Episcopo injuste rejecti approbationem non obtinuissent, potuerint nihilominus audire Confessiones, etiam sæcularium, nunc tamen non possunt amplius nec licite, nec valide, veluti DD. jam communiter colligunt ex Decreto Alexandri VII. in quo prohibita est hæc prop. 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Voluit enim Pontifex occurrere innumeris incommodis, quæ aliàs sequerentur. Nam quilibet Religiosus facile posset judicare se esse idoneum, sibique, si non fuisset approbatus, factam injuriam, sicque audire Confessiones, quamvis ad hoc inidoneus. Vid. Viva par. 1. damnat. Thesium, in prop. prædicta.

Corollarium II. Approbatus pro una 14
Diœcesi non est hoc ipso approbatus pro alia. Ita jam communis & certa sententia. Quæ colligitur tum ex dictis, tum ex Concil. Trid. loco cit. ubi requirens approbationem *ab Episcopis* in plurali satis indicat, non sufficere approbationem unius, quando Sacerdos mutato domicilio migrat in aliam Diœcesim, sed esse necessariam approbationem novam à quibuslibet Episcopis obtentam, in quorum Diœcesibus auditurus est Confessiones sæcularium. Neque locum in praxi habet amplius sententia opposita: quia Urbanus VIII. in Bulla anno 1628. edita revocavit & irritavit omnia privilegia, omnésque licentias audiendi Confessiones sine approbatione Episcoporum Diœcesanorum. Imò Alexander VII. Anno 1659. 26. Febr. damnavit etiam hanc prop. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova indigent approbatione.*

ARTICULUS III.

De Jurisdictione Confessarii.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Jurisdictio Confessarii.* 2. *Alia est ordinaria, alia delegata.* 3. *Ad valide absolvendum à peccatis, ultra potestatem Ordinis requiritur Jurisdictio.* 4. *Quomodo Summus Pontifex subjiciatur Jurisdictioni Confessarii?* 5. *An ad valide absolvendum sufficiat licentia Ordinarii præsumpta?* 6. *An petita, sed non obtenta?* 7. *An per gravem metum extorta?* 8. 9. *An liceat absolvere cum Jurisdictione dubia?* 10. 11. 12. *& seqq. exponitur, & resolvitur quæstio, an in errore communi conferatur Jurisdictio?* 16. *An quilibet Sacerdos etiam non approbatus habeat potestatem absolvendi à venialibus?* 17. *An ejusmodi Sacerdos possit à peccatis mortalibus absolvere saltem indirectè?*

1 JUrisdictio, prout hîc sumitur, aliud non est, quàm potestas causâ cognitâ dicendi jus & ferendi sententiam, in foro interno, ad peccata solvenda, vel liganda. Ex quibus clarum est, quantùm differat ab Approbatione Confessarii, de qua in priori artic. egimus. Unde etiam non est idem formaliter loquendo Sacerdotem aliquem approbare, atque eidem conferre jurisdictionem. Nam potest Episcopus judicè declarare, talem esse sufficientem ad audiendas Confessiones, eique nihilominus non delegare suam jurisdictionem.

Dividitur autem jurisdictio in ordinariam, & delegatam. Illa est, quæ alicui competit ratione officii, quod gerit: & confertur hoc ipso, quòd ei officium, cui est annexa, committatur tanquam proprium. Ista est, quam quis habet ratione concessionis factæ ab habente ordinariam, vel delegatam cum potestate subdelegandi. Ordinaria jurisdictio reperitur 1. In Summo Pontifice respectu omnium fidelium, itemque in Summo Pœnitentiario, & Legato à latere, similiter in omnes fideles. II. In Archiepisco-

piscopis, & Episcopis respectu suorum Diœcesanorum, & quidem in illis etiam cum extensione ab subditos suorum suffraganeorum, quando visitant. III. In Vicariis Episcoporum, Capitulo Sede vacante, Abbatibus jurisdictionem Episcopalem in sæculares habentibus. IV. In Parochis, eorúmque Vicariis tum perpetuis, tum temporalibus respectu Parochianorum. V. In Superioribus Regularium immediatis, & mediatis respectu suorum Religiosorum subditorum, ac demum in omnibus, quibus ex jure, vel ex privilegio commissa est cura animarum. Atqui hi omnes recensiti, sicut habent ordinariam potestatem jurisdictionis, ita etiam possunt eandem delegare alteri. Quod ut validè præstent, requiritur in ipsis immunitas à vinculo excommunicationis, suspensionis, alióve impedimento Canonico. Sacerdos autem, cui fit delegatio, debet esse approbatus, & nullâ Censurâ vitandâ irretitus, Vid. Card. de Lugo disp. 19. sect. 1. & 2. Salmantic. tract. 6. cap. 11. pu. 3. Reding to. 7. q. 9. a. 1. controv. 2. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 6. §. 5. Stoz lib. 2. Tribunal. q. 2. a. 2. §. 1. His explicatis,

3 Dico jam primo. Ad validam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, præter potestatem Ordinis, etiam requiritur potestas jurisdictionis. Ita omnes Catholici, estque conclusio fide certa. Et quidem requiri potestatem Ordinis, constat ex artic. I. ubi ostendimus, solum Sacerdotem esse Ministrum hujus Sacramenti. Requiri verò potestatem jurisdictionis, habetur tum ex Concil. Florent. in decreto Eugenii, tum ex Trident. sess. 14. cap. 7. ubi dicitur, *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Et ratio est: quia potestas absolvendi à peccatis est judiciaria: hæc autem, ut validè exerceatur, requirit jurisdictionem in eum, in quem exercetur.

4 Neque dicas, si necessaria est jurisdictio ad validè absolvendum, Summum Pontificem à nemine posse absolvi. Cùm ipse nullius jurisdictioni possit esse subjectus. Nam respondeo, Summum Pontificem eligendo sibi Confessarium hoc ipso conferre illi jurisdictionem in se, non tanquam in Pontificem, sed tanquam in hóminem peccatorem; adeoque ut Vicarium Christi aliquo modo exercere jurisdictionem in se ipsum, quatenùs est etiam ovis Christi, seque ut hominem privatum suo Confessario in hoc foro conscientiæ voluntariè subjicere. Abbas Rassler §. 4. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 1. n. 8.

5 Ex dictis infertur primo, ad validè absolvendum non sufficere licentiam Ordinarii præsumptam, hoc est, quòd habens ordinariam potestatem daret licentiam absolvendi, si peteretur. Card. de Lugo sect. 2. num. 21. Salmantic. pu. 4. n. 67. & alii. Ratio est: quia voluntas præsumpta non dat jurisdictionem; sine jurisdictione autem invalida est absolutio. Quòd voluntas præsumpta non tribuat jurisdictionem, ex eo patet, quòd collatio jurisdictionis sit actus quidam humanus requirens conferentis non tantùm potestatem, sed exercitum consensum, eumque signo quopiam exteriori manifestatum. Multò autem minùs sufficit ratihabitio de futuro, hoc est, quòd habens ordinariam potestatem, si resciverit, absolutionem fuisse impertiram, non sit futurus in contrarium. Ratio est: quia Sacramentum non potest esse suspensum, & dependens à nutu futuro Superioris. Unde, si ab initio fuit invalidum, etiam postea erit invalidum, licèt Superior id ratum esse velit. Card. de Lugo loco cit.

Infertur secundo, ad valorem absolu- 6
tionis similiter non sufficere licentiam absolvendi peritam, sed non obtentam, licèt ille, à quo fuit petita, concedere fuerit obligatus. Filliuc. tract. 7. cap. 9. n. 247. Mezger n. 16. Deducitur ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur: *Si quis alteri Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, licentiam priùs postulet & obtineat.* Unde subditus, qui ob periculum salutis aut famæ proprio Sacerdoti confiteri nequit, petitque ab eo licentiam alteri confitendi, & non obtinet, perinde se gerere debet, acsi non haberet copiam Confessarii, veluti monet D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 2. adeoque non peccabit, si urgente præcepto annuæ Communionis omittat Confessionem, sumatque S. Eucharistiam sola præmissâ contritione, nisi forte habeat alia quoque peccata, quæ proprio Parocho sine gravi suo incommodo, vel periculo confiteri possit: tunc enim ista saltem illi tenebitur confiteri, omissis reliquis, ex quorum Confessione sibi periculum credit imminere, ut tradit Abbas Rassler §. 14.

Infertur tertio, probabiliter sufficere 7
licentiam absolvendi per gravem metum ab Ordinario extortam. Rassler §. 11. Mezger n. 17. Ratio est: quia concessio jurisdictionis ita extorta est simpliciter voluntaria, adeoque sufficiens ad tribuendum valorem actui. Metus enim, sicut non tollit voluntarium, ita nec actus invalidare censendus est, nisi in jure expressos. Hinc alter judicandum est de jurisdictione per dolum, aut errorem ob enta, quando dolus est causa vere motiva, & non impulsiva tantùm ad concessionem jurisdictionis, & error versatur circa substantiam. Tunc enim nulla & invalida est talis concessio:

quia

quia dolus & mendacium petentis, sicut & error ejusmodi, omnino tollit voluntarium consensum concedentis: quippe qui cognita veritate nequaquam concederet. Mezger loco cit.

8 Infertur quarto, non esse licitum extra casum necessitatis quemquam absolvere cum jurisdictione dubia, sive negativè, sive positivè, hoc est, solùm probabili. Ratio est: quia absolvens tum tali jurisdictione exponit Sacramentum evidenti periculo invaliditatis: ergo non absolvit licitè. Conseq. constat. Quia est contra reverentiam Sacramento debitam illud exponere ejusmodi periculo. Ant. prob. Nam si motiva dubitandi, quæ stant pro jurisdictione, sint reipsa inania, aut opinio, qua Sacerdos probabiliter existimat, se habere jurisdictionem, sit à parte rei falsa, absolvit sine jurisdictione; adeóque invalidè. Atqui non est securus, ne illa motiva, illáque opinio sint re ipsa inania & falsa, & neque aliunde est certus de jurisdictione; sicuti supponitur in præsenti; ergo. Vid. Joan. de Cardenas in Crisi Theolog. dissertat. 2. cap. 6. a. 4. n. 137.

9 Dixi, *extra casum necessitatis*. Si enim subsit gravis necessitas, Confessarius licitè absolvit, sub conditione tamen, cum jurisdictione dubia, sive negativè, sive positivè tali. Ratio est: quia in primis necessitas ipsa præstat, ut absolutio non impertiatur temerè & imprudenter. Deinde, conditio adjecta sufficienter cavet reverentiæ Sacramenti, si fortè Confessarius re ipsa non habeat jurisdictionem. Cæterùm necessitas sufficiens ad impertiendam hîc absolutionem esse censetur, quando Pœnitens alioquin celebrare, vel communicare deberet sine Confessione; vel, si urgeat præceptum annuæ Confessionis; vel Confessio præter consuetudinem, aut cum nota aliqua infamiæ diu differenda esset. In quo tamen tali casu Pœnitens sub conditione absolutus moneri debet, ut peccata illa rursus confiteatur Sacerdoti certam jurisdictionem habenti.

10 Sed nunc occurrit illa quæstio, an in communi errore circa jurisdictionem Sacerdotis conferatur jurisdictio? Dicitur error communis, quando is, qui exercet actum jurisdictionis in aliquo loco, ab omnibus, vel plerisque ibi existentibus existimatur habere jurisdictionem; cùm tamen non habeat ob aliquod occultum impedimentum, v. g. quia est suspensus; quia accepit beneficium ab Episcopo excommunicato &c. Hic talis error est aliquando conjunctus cum titulo colorato, sive putatitio, aliquando non est. Conjunctus est, quando aliquis existimatur esse Parochus v. g. cùm tamen non sit, eò quòd concessio & collatio beneficii Parochialis fuerit nulla. Non conjunctus, & absque titulo est, quando aliquis censetur habere jurisdictionem delegatam, quam tamen non habet. Vid. Mezger ubi suprà num. 20. Quæritur proinde, an validè absolvat Sacerdos, quando communiter existimatur habere jurisdictionem, idque vel cum titulo, vel sine titulo? Ad quod

Respondeo primo. In errore communi 11
cum titulo colorato Ecclesia supplet seu confert jurisdictionem etiam in foro Pœnitentiæ: adeóque Sacerdos communiter existimatus habere jurisdictionem validè absolvit. Hæc sententia est moraliter certa, & ferè omnium DD. Ratio est: quia in errore communi cum titulo colorato Ecclesia certò supplet jurisdictionem pro foro externo, idque propter plurima, eáque gravissima incommoda, quæ alioqui sequerentur: ergo similiter certò supplet jurisdictionem in foro interno conscientiæ. Conseq. prob. quia alioqui non minora in hoc quoque foro sequerentur incommoda. Deberent enim plurimæ Confessiones repeti, dispensationes iteratò flagitari &c.

Corollarium I. Quando Sacerdos habet 12
opinionem verè probabilem, & quam ut talem communiter recipiunt Sapientes, circa jurisdictionem, unáque titulum putatitium à legitimo Superiore collatum, tunc validè & licitè absolvit. Cardenas ubi suprà à 5, n. 155. Reding to. 7. q. 9. a. 1. controv. 4. n. 9. Mezger n. 30. & alii. Ratio est: quia opinio verè probabilis, qua Sacerdos existimat, se habere jurisdictionem, vel est à parte rei vera, vel falsa? Si vera, tunc verè conficit Sacramentum; quia verè habet potestatem absolvendi. Si falsa; tunc est error communis tam doctis, qui illam communiter admittunt ut probabilem, quàm indoctis, qui, quod docti asserunt, credunt. Atqui in errore communi, si accedat insuper titulus coloratus, Ecclesia certissimè supplet jurisdictionem; ergo certissimum est, Sacerdotem habere jurisdictionem; adeoque ex hoc capite validè & licitè absolvere.

Corollarium II. Licitum est Pœnitenti 13
petere & suscipere absolutionem à Sacerdote habente opinionem vere probabilem de sua jurisdictione & titulum coloratum. Reding loco cit. Mezger n. 32. Ratio est: quia ejusmodi Sacerdos, utpote certus, se habere jurisdictionem, neque contra charitatem proximi peccat, neque contra reverentiam Sacramenti, dum illud administrat: ergo nec suscipiens Sacramentum peccat contra ejus reverentiam, vel quid committit suæ saluti adversum. Confirmatur. Quamvis Sacerdos in nostro casu ex motivis directis, quibus nititur ejus opinio probabilis de collata jurisdictione, non sit certus, se habe-

habere jurisdictionem, de hoc tamen certus est ex principio reflexo, eoque certo, quòd Ecclesia tunc suppleat & conferat jurisdictionem. Atqui à Sacerdote, qui certus est, se habere jurisdictionem, licitè petitur & suscipitur absolutio; ergo.

14 Corollarium III. Inter illa, quæ ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ex parte Christi instituentis, ac determinantis materiam & formam requiruntur, interque jurisdictionem, quæ ad valorem ejusdem Sacramenti ex parte Ecclesiæ requirun.ur, istud notabile discrimen versatur, quòd defectum eorum, quæ pertinent ad materiam & formam à Christo præscriptam Ecclesia non possit supplere, possit autem supplere, imò de facto suppleat defectum jurisdictionis, quam ipsa confert in casu erroris communis, saltem conjuncti cum titulo putatitio. Salmantic. tract. 6. cap. 11. pu. 5. n. 77. Mezger n. 33.

15 Respondeo nunc secundo. Probabile est, in errore communi, tametsi deficiat titulus coloratus à legitimo Superiore, Ecclesiam supplere jurisdictionem. Ita plurimi, quos refert & sequitur Cardenas ubi suprà n. 151. Ratio est: quia non pauciora sequerentur incommoda, si in ejusmodi casu Ecclesia non suppleret jurisdictionem, quàm, si illam non suppleret in casu erroris communis conjuncti cum titulo. Dixi, *esse probabile*. Fatendum quippe est, sententiam contrariam esse probabiliorem. Et neque apparet, unde timenda sint tanta incommoda, si non suppleatur jurisdictio in tali errore communi, quanta sequerentur in errore communi conjuncto cum titulo colorato. Cùm rarò audiatur contigisse ejusmodi error, cui non accesserit titulus coloratus, vel ex officio, & beneficio; vel saltem ex approbatione, expositione ad excipiendas Confessiones, aut etiam ex privilegio. Quòd si tamen error communis sejunctus à titulo colorato detegeretur, illi, qui tali Sacerdoti fuissent confessi, tenerentur Confessiones repetere. Ratio est: quia propter oppositæ sententiæ fundamenta esset incertum, an validè fuissent absoluti.

16 Dico denique secundo. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, modò non sit excommunicatus vitandus, aut degradatus, habet jurisdictionem seu potestatem absolvendi quemlibet à venialibus, utì & à mortalibus jam semel per Confessionem ritè expiatis. Ita communissima & certa sententia. Illud solùm dubitatur, ex quo jure hæc talis jurisdictio competat Sacerdoti non approbato? Probabilius est, non competere jure Divino, & vi Ordinis, sed jure Ecclesiastico consuetudinario. Ratio est à posteriori, quòd Ecclesia eam jurisdictionem illis Sacerdotibus auferre possit, prout de facto aufert excommunicatis non toleratis, ac degradatis. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 2. Card. de Lugo disp. 18. sect. 3. n. 44. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 13. n. 6. Salmantic. pu. 2. Reding a. cit. controv. à n. 16. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 6. §. 36.

17 Objicies. Si vera est Conclusio primùm asserta, poterit aliquis peccatis mortalibus implicitus, dum urget necessitas, & deest copia Sacerdotis approbati, confiteri simplici Sacerdoti, ab eoque saltem indirectè à peccatis mortalibus absolvi. Respondeo neg. seq. cùm enim jurisdictio omnium Sacerdotum in venialia eisdem competat ex jure consuetudinario, non debet extendi ultra id, quod consuetudine receptum est. Atqui consuetudine solùm videtur introductum, ut fideles habeant licentiam simplici Sacerdoti confitendi peccata venialia, quando sibi non sunt conscii peccati mortalis; ac proinde, quando habent conscientiam peccati mortalis, non sit eis licitum confiteri simplici Sacerdoti extra articulum mortis; imò si ita confiteantur, nullum conficiatur Sacramentum. Quod intellige per se loquendo, & secluſa ignorantia. Hac enim interveniente, inquit Rassler §. 37. concedi potest, illud Sacramentum non esse nullum, utpote Ecclesia tunc conferente jurisdictionem. Quod idem cum aliis authoribus affirmant Salmantic. n. 17. dum quis bona fide simplici Sacerdoti confitetur sola venialia invincibiliter oblitus peccati mortalis, quo gravatur. Addunt tamen, talem Pœnitentem, si postea venerit in memoriam peccati mortalis, teneri illud confiteri Sacerdoti approbato; eò quòd priùs indirectè solùm ab eodem fuerit absolutus.

ARTICULUS IV.

De Reservatione Casuum.

DE hac in præsenti agere oportet, ut ea, quæ ad jurisdictionem Confessarii pertinent, plenius intelligantur, & res ad praxim omnino scitu necessaria in foro Pœnitentiæ non ignoretur.

§. I.

Definitio, divisio, causa efficiens, & materia Reservationis.

SUMMARIUM.

1. *In Ecclesia datur potestas reservandi peccata.* 2. *Quid sit Reservatio.* 3. *Ejus divi-*

divisio in pœnalem, & non pœnalem. 4. 5. *Quinam possint reservare peccata?* 6. *Episcopi non debent abuti potestate reservandi.* 7. *Prælati Regulares undecim tantùm casus reservare possunt.* 8. *Potestas reservandi Parochorum non est in usu.* 9. *Sola peccata mortalia, externa, eaque specialem gravitatem habentia, reservari solent.* 10. *Ita tamen, ut ipso opere consummata & perfecta sint.* 11. 12. 13. 14. 15. *Illationes ex dictis.* 16. *Quænam in particulari peccata sint Papæ reservata.* 17. *Quænam Episcopis.* 18. *Quænam juxta Bullam Clement. VIII. reservare possint Prælati Regulares.*

1 DAri in Ecclesia potestatem reservandi peccata, eamque vim habere non tantùm in externa Politia, sed etiam coram Deo, ita ut facta reservatione absolutio ab inferiore impertita non sit valida, definitum est in Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. & can. 11. Ratio verò ita statuendi fuit. Tum, quòd ad rectam populi Christiani gubernationem spectat causas graviores etiam in foro Pœnitentiæ Judicum superiorum cognitioni reservari, ut crimina graviora securiùs corrigantur, eisque salubriora remedia adhibeantur. Tum, quòd difficultas adeundi Superiorem pro impetranda absolutione opportunissimum frœnum sit ad fideles à gravioribus peccatis coërcendos. Vid. Concil. loco cit. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 1. Salmantic. tract. 6. cap. 13. pu. 1. n. 1. Stoz lib. 2. Tribunal. a. 3. n. 56.

2 Dico nunc primo. Reservatio casuum est restrictio jurisdictionis ad absolvendum in foro conscientiæ quoad aliqua peccata. Ita quoad rem ipsam Mezger tract. 18. disp. 49. a. 2. § 1. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 6. n. 626. Stoz lib. 2. Tribunal. a. 3. §. 1. aliique communiter, & in terminis Abbas Rassler de Pœnitentia. cap. 7. §. 1. Est autem duplex modus restringendi jurisdictionem, nempe unus, dum Superior alicui inferiori non concedit jurisdictionem in aliqua peccata, & alter, dum jam antea concessam iterum aufert. Ex quo facilè patet, casum reservatum aliud non esse, quàm tale aliquod peccatum, à quo inferior Confessarius nequit absolvere ob defectum jurisdictionis sibi à Superiore in illud non concessæ, vel rursus ablatæ.

3 Dico secundo. Reservatio commodè dividitur in pœnalem, & non pœnalem, seu medicinalem. Hanc divisionem judicant Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 18. Card. de Lugo disp. 20. sect. 1. n. 11. & tradit Stoz a. cit. §. 3. Reservatio pœnalis est, quæ fit in odium ad pœnam alicujus delicti. Nam pœnalis est, quæ tantùm in bonum fidelium, rectámque Ecclesiæ gubernationem ordinatur. Ut ambas inter se dignoscas, scito, pro pœnali habendam esse, quæ fit per talem legem, per quam simul specialiter ipsum etiam delictum reservatum prohibetur, & punitur; pro non pœnali autem, quæ fit per legem simpliciter tantùm loquentem, ita ut reservet quidem delictum, non tamen simul etiam specialiter illud prohibeat. Vid. Stoz loco cit.

4 Dico tertio. Illi omnes & soli possunt aliqua peccata reservare, qui habent potestatem aliis conferendi jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ita communissima doctrina. Ratio est: quia, sicut hi omnes & soli possunt conferre jurisdictionem limitatam & restrictam ad hæc tantùm aut illa loca, item ad has tantùm aut illas personas, ita possunt etiam concedere ad absolvendum ab his tantùm aut illis peccatis, vel jam antea concessam rursus auferre. Sed hoc est posse reservare peccata; ergo. Atque hinc patet, potestatem reservandi aliqua peccata residere in Summo Pontifice, qui pro tota Ecclesia; in quovis Episcopo, qui pro sua Diœcesi; in Prælato Regulari, qui pro suo Ordine, vel Monasterio, ac denique in Parocho, qui pro sua Parochia potest jurisdictionem, quam confert, ad certos casus restringere.

5 Casus à Summo Pontifice reservati semper expressè, vel implicitè habent annexam censuram excommunicationis ipsi itidem reservatam; sicuti testantur Laym. ubi suprà n. 2. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 15. §. 2. n. 1. Salmantic. n. 3. & alii passim. Unde fit, ut sublata excommunicatione, vel ob ignorantiam, metum, aliamve causam non contracta, peccatum commissum, etsi gravissimum, non sit reservatum, sed possit ab eo quivis legitimus Confessarius absolvere. Non enim aliter, quàm cum censura reservatur.

6 Episcopi in Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. monentur, ut concessa sibi potestate reservandi utantur in ædificationem, non destructionem: imo jubet ipsa recta ratio, ut ita utantur. Cùm per nimiam & indiscretam reservationem Sacramentum Pœnitentiæ reddant nimis grave, præbeántque hominibus occasionem confitendi sacrilegè. Atque hæc obligatio non abutendi potestate reservandi peccata etiam Summo Pontifici, & quibuslibet aliis Prælatis incumbit. Vid. Salmantic. pu. 2. n. 17. Sed hinc quæstio oritur, an ejusmodi irrationabilis reservatio, quæ haud dubiè graviter illicita est, sit etiam invalida, adeoque observari non debeat? Affirmant Sotus, Angelus, Finellius, & Henriquez apud Laym. n. 5. Verùm probabiliùs dicitur, esse validam, veluti docent idem Laym. Castropal. pu. cit. §. 1. n. 2. Salmantic. à n. 17. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 7. §. 3. & alii.

7 Prælatis Regularibus Clemens VIII. potestatem reservandi ad undecim tantùm casus restrinxit, quos nempe, si velint, & consul-

tum judicent, possint reservare. Quòd si præter hos undecim ejusmodi Prælatus existimet adhuc unum aut plures casus esse reservandos, id aliter fieri nec licitè, nec validè potest, *quàm cum matura discussione & consensu Capituli generalis pro toto Ordine* vel parte, *& Capituli Provincialis pro tota provincia* vel parte, ut loquitur Pontifex in sua Bulla, quam edidit annx 1593. die 16. Maji. Et quamvis aliqui cum P. Suarez & Castropal. quos refert Stoz §. 4. censeant, Superiores Regularium posse nihilominùs adhuc propria authoritate, sine consensu Capituli ultra illa undecim alia quædam atrociora peccata prohibere sub pœna Excommunicationis majoris sibi reservatæ, oppositum tamen tenendum est, postquam ita decidit Sac. Congregatio Cardinal. Anno 1617. die 7. Julii, quæ ad hoc ipsum dubium à quibusdam Regularibus propositum respondit, *in Decreto Clementis VIII. comprehendi etiam censuras, nec licere Superioribus absque Capituli Generalis, aut Provincialis consensu aliquibus peccatis in Decreto illo non contentis Excommunicationem annectere, eiusdemque absolutionem sibi reservare.* Pontifex enim in eo Decreto favere intendit Religiosis subditis, ne nimia casuum reservatione, plusquàm par est, graventur, quo favore certè excluderentur, si Superioribus illo alio, novóque modo licitum esset reservationes multiplicare. Vid. Reding to. 7. q. 9. a. 2. controv. 4. n. 12. Abbas Rassler §. 13. De cætero possunt Prælati Regulares facultatem reservandi exercere non tantùm quoad Religiosos professos, sed etiam quoad Novitios, quemadmodum vivæ vocis oraculo pro Congregatione S. Mariæ Fulien. declarâsse Paulum V. ex Peyrino refert Abbas cit. §. 14. ubi tamen advertit, peccata Novitiorum in aliqua Religione sæpe non comprehensum iri sub casibus reservatis, utpote præsupponentibus vota sacræ Professionis.

8 Potestas reservandi Parochorum non est in usu, videturque per desuetudinem penitus abrogata. Inutilis certè reddita est ex eo capite, quòd Episcopi, dum quos approbant Sacerdotes, eisdem simul impertire soleant jurisdictionem in omnia peccata, quæ aliàs reservata non sunt. Hanc autem potestatem non possunt restringere aut limitare Parochi Sacerdotibus, quibus jurisdictionem suam delegant. Vid. Card. de Lugo disp. 20. sect. 1. n. 2. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 2. n. 2. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 3. n. 205.

9 Dico quarto. Quamvis quodlibet peccatum validè reservari possit, sola tamen peccata mortalia, eáque externa, & specialem gravitatem continentia reservari solent. Conclusio est quadrimembris. Ratio primi membri est: quia circa omnia illa limitari potest jurisdictio Confessarii, ad quæ se extendit potestas clavium: atqui ad quodvis peccatum se extendit potestas clavium; cùm nullum non sit materia Confessionis; ergo. Ratio secundi est: quia venialia nemo tenetur confiteri; adeoque inutiliter reservarentur. Quod etiam locum habet in iis mortalibus, quæ jam semel per legitimam absolutionem fuerunt remissa. Filliuc. tract. 7. cap. 10. n. 271. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 2. Ratio tertii est: tum, quòd per reservationem peccatorum temerè internorum, utpote commissu nimis facilium, cognitu verò nimis difficilium, Sacramentum Pœnitentiæ redderetur odiosum, tum, quòd ejusmodi reservatio ad externam Ecclesiæ gubernationem parùm conduceret. Peccata enim merè interna nec aliis noxia, nec malo exemplo sunt. Laym. n. 3. Mezger n. 4. Ratio quarti est: quia non quælibet mortalia externa exigunt specialem hunc rigorem & medelam reservationis, sed illa tantùm, quæ ob specialem gravitatem, si frequenter committantur, specialiùs obsunt saluti fidelium, & bono Ecclesiæ. Mezger loco cit.

10 Dico quinto. Etiam peccata mortalia externa non censentur comprehendi sub reservatione Prælati, nisi fuerint ipso opere consummata & perfecta. Laym. loco cit. Card. de Lugo sect. 2. n. 15. Mezger loco cit. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 7. §. 4. & alii communiter. Ratio est: tum, quòd juxta cap. *hæc autem*, crimen non intelligatur, nisi sit consummatum. Tum, quod reservatio, utpote odiosa, accipienda sit in omni proprietate verborum, adeoque de actibus perfectis, nisi reservans ipsam quoque criminis attentationem exprimat. Atque hinc

11 Infertur primo, quando reservatus est in Constitutione lapsus carnis voluntarius opere consummatus, non comprehendi sub hac reservatione oscula, amplexus, tactus, aspectus libidinosos, etiam exercitos in ordine ad copulam, si ista non fuit subsecuta. Ratio est: quia memorati actus non sunt completa juxta proprietatem verborum reservationis. Card. de Lugo loco cit. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 6. n. 732. & alii.

12 Infertur secundo, illum non incurrere casum reservatum, qui conatus quidem fuit perpetrare peccatum reservatum, v. g. homicidium, sed non perpetravit, nempe non occidit. Rassler loco cit. Stoz lib. 2. Tribun. a. 3. n. 58. Ratio est: quia conatus criminis non est ipsum crimen. Nam attentatio homicidii non est homicidium; sicut nec conatus ad committendum incestum est incestus, ait Laym. loco cit. Reservatio autem debet intelligi de ipso crimine perpetrato, non de solo conatu perpetrandi, quamdiu non ipse quoque conatus expressis verbis reservatur.

13 Infertur tertio, neque illum incurrere ca-

casum reservatum, qui interiùs tantùm peccavit. Atque hinc, qui in hæresim incidit pure internam, absolvi potest à quovis Sacerdote inferiore, qui aliàs habet jurisdictionem in ipsum. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 8. n. 3. Rassler loco cit. Aliud sentire oporteret, si hæresis verbo, signo, vel facto, tametsi occulte, ac nemine præsente fuisset manifestata: tunc enim esset reservata, veluti cum aliis tradit idem Sanchez n.6. & constabit ex dicendis in §. proximo.

14 Infertur quarto, actiones externas leves, tametsi ex affectu mortaliter malo proficisci supponantur, non cadere sub reservationem. Ratio est: quia actus externus, ut censeatur reservatus, debet secundùm se continere gravitatem ad peccatum mortale sufficientem. Unde, si aliquis ex intentione mortaliter peccaminosa loquatur alteri verbum turpe ex se leve, aut Religiosus furetur obolum animô furandi magnam summam, nec hic, nec ille committit peccatum reservatum, licet tam ablatio oboli, quàm verbum turpe denominentur mortaliter mala ob intentionem mortaliter malam. Card. de Lugo loco cit. Salmantic. tract. 6. cap. 13. pu. 2. n. 12. Abbas Rassler loco cit. Ratio istorum ex dictis est: quia, cùm reservatio sit odiosa, verba delicti in omni proprietate accipienda sunt.

15 Infertur quinto, neque peccata dubia, sive dubio negativo, & proprie dicto, sive positivo & improprio, reservationi esse subjecta. Ratio iterum est: quia reservatio, utpote odiosa tam Confessariis, quibus jurisdictionem restringit, quàm Pœnitentibus, quibus usum hujus Sacramenti reddit difficiliorem, non debet extendi ad casus dubios & incertos. Quare, sive dubites dubio juris, an tale peccatum sit reservatum; sive dubio facti, an actum exercueris cum circumstantiis & conditionibus ad reservationem requisitis, non debes existimare, te incurrisse casum reservatum. Card. de Lugo n. 18. Salmantic. n. 15. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 6. n. 733. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 2. n. 4. & alii communiter.

16 Et ista quidem de materia Reservationis generaliter dicta sunt. Quænam verò magis in particulari cùm Summo Pontifici, tum aliis Prælatis peccata sint reservata, copiosissimè tractant, & declarant Castropal. de Pœnit. tract. 23. disp. un. pu. 15. Reding to. 7. q. 9. a. 2. controv. 1. Abbas Rassler cit. cap. 7. à §. 7. Ad peccata Papæ reservata quod attinet, qui ea nôsse cupit, aliâ operâ non indiget, quàm inquisitione Excommunicationum ipsi reservatarum, quarum nos potissimas recensuimus suprà in tract. 4. disp. 2. a. 1. §. 4.

17 Peccata Episcopis reservata non sunt eadem in singulis Diœcesibus, sed alia in aliis, & plura in quibusdam, pauciora in aliis, quorum proinde notitia ex cujusque Diœcesis consuetudinibus, statutis Synodalibus, Episcopalibus, ac Ritualibus hauriri debet. Communiter autem reservati solent sequentia. 1. Homicidium voluntarium, tametsi occultum. 2. Falsum testimonium in judicio, sive in gratiam, sive in damnum alterius. 3. Adulteratio seu corruptio statutæ, mensuræ & monetæ. 4. Libertatis seu immunitatis Ecclesiasticæ violatio. 5. Domorum vel segetum incendium, vitium vel arborum alienarum causâ damnificandi incisio. 6. Blasphemia publica & notoria. 7. Parentum percussio. 8. Abusus SS. Eucharistiæ, sacrarumque rerum ad veneficia, superstitiones, & similia. 9. Abortûs procuratio. 10. Expositio infantium in locis piis, cùm commodè ab exponentibus ali possint. 11. Matrimonium in gradibus prohibitis contractum.

Ex his in Diœcesi Saliburgensi sequentia sunt reservata. 1. Qui homicidium voluntarium actu exteriori perpetrârunt. 2. Qui infantes secum in lectis detinendo oppresserunt, ac abortum & sterilitatem procurârunt. 3. Qui violentas manus in proprios parentes, seu Clericos injecerunt. 4. Qui in primo, vel secundo consanguinitatis, seu affinitatis gradu incestum commiserunt, ac in publico adulterio, concubinatu, seu fornicatione vivunt. 5. Qui decimas, aliáque Ecclesiæ jura notabiliter defraudant. 6. Sortilegia, divinationes, incantationes.

In Diœcesi Frisingensi reservata sunt, 1. Divinatio, sortilegium, & incantatio, atque omne magicum exercitium, si fuerint peccata mortalia, quod judicio prudentis Confessarii relinquimus. 2. In parentes proprios violenta manuum injectio. 3. Homicidium voluntarium, aut notabilis membri abscissio. 4. Incestus in primo & secundo consanguinitatis gradu: item stuprum violentum, raptus & Sodomia. 5. Procuratio abortûs, aut sterilitatis. 6. Absolutio ab hæresi, sine speciali nostra commissione.

In Diœcesi Augustana sequentia. 1. Homicidium voluntarium. 2. Casus habens majorem excommunicationem annexam. 3. Incestus, cum Moniali professa, cum cognata, vel affine in primo & secundo gradu. 4. Veneficium, incantationes magicæ, maleficium, abusus SS. Eucharistiæ & Sacrarum Reliquiarum ad artes magicas. 5. Violatio sigilli Confessionis Sacramentalis.

In Diœcesi Constantiensi pro Laicis sunt reservata. 1. Matrimonium conjuge adhuc vivente scienter contrahens. 2. Matrimonium contrahens, antequam certificaretur de morte primi conjugis. 3. Matrimonium clandestinè, non servatâ formâ Sacri Concil. Trident. contrahens. 4. Sponsalia de futuro contrahens, nec observans. 5. Machinatio in mortem conjugis, si mors sequatur.

tur. 6. Baptizatio propriæ prolis, excepto casu urgentis necessitatis, vel ejusdem in Baptismo & Confirmatione susceptio. Tam pro Clericis, quàm pro Laicis, hæc reservata sunt. 1. Homicidium voluntarium facto, præcepto, consilio vel consensu deliberato commissum. 2. Procuratio abortûs vel sterilitatis. 3. Incendium Ecclesiarum, domorum aut segetum malitiosè & ex proposito factum. 4. Sacrilegium seu furtum sacræ rei. 5. Peccatum bestialitatis cum brutis commissum. 6. Coitus cum infideli, vel Judæo. 7. Commixtio carnalis cum Sanctimonialibus. 8. Incestus cum consanguineis & affinibus usque ad secundum gradum inclusivè. 9. Adulterium. 10. Raptus. 11. Perjurium in judicio factum. 12. Pollutio Ecclesiæ vel Cœmeterii, sanguinis, vel seminis effusione. 13. Immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ violatio. 14. Falsificatio litterarum nostrarum & Curiæ nostræ, vel monetæ. 15. Percussio patentum enormis. 16. Abusus Sacramentorum & sacrarum rerum ad magicas artes, veneficia, & superstitiones. 17. Rebaptizatio scienter collata, & suscepta. 18. Injectio manuum violentarum in Clericos, Monachos, Moniales, vel quamcunque aliam personam Religiosam, aut Ecclesiasticam.

18 Peccata demum, quæ sola juxtà Bullam Clementis VIII. in n. 7. relatam possunt reservare Prælati Regulares, sunt sequentia. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenit, ut extra septa Monasterii egressio fiat. 3. Nocturna & furtiva è Monasterio egressio, etiam non animô apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis. 5. Juramentum falsum in judicio Regulari vel legitimo. 6. Procuratio, auxilium, vel consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam eventu non subsecuto. 7. Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii. 8. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. Malitiosum impedimentum vel apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Casus istos fusè declarat Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 15. §. 2.

§. II.

De Absolutione à Casibus reservatis.

SUMMARIUM.

19. In quibus sit potestas ordinaria absolvendi à casibus reservatis. 20. In quibus delegata. 21, 22. Corollarium ex dictis. 23. Quid agendum Confessario, dum Pœnitens affert casum reservatum, à quo ipse non potest absolvere. 24. An incurrat casum reservatum ignorans esse reservatum? 25. An Confessarius possit absolvere peregrinum, qui affert casum reservatum in sua Diœcesi, non autem in Diœcesi ipsius Confessarii? 26. An vicissim possit absolvere peregrinum, si afferat casum reservatum in Diœcesi ipsius Confessarii, non autem in sua? 27. An etiam per absolutionem invalidam habentis potestatem absolvendi tollatur reservatio? 28. An liberetur à reservatione confessus potenti absolvere, inculpabiliter tamen oblitus peccati reservati? 29. An cesset reservatio in articulo, vel periculo mortis? 30. An aliquem absoluturus à reservatis teneatur audire omnia ipsius peccata, etiam non reservata? 31. An Regulares possint absolvere à casibus Episcopalibus sine licentia Episcoporum? 32. An Episcopi suos subditos possint absolvere à casibus Papalibus?

Dico primo. Potestatem ordinariam & directam absolvendi à casibus reservatis habet Prælatus, qui reservavit, ut ejus Superior in hoc foro. Ita communis & receptissima doctrina. Ratio est: quia, qui potest ligare, potest etiam solvere, perque easdem causas res dissolvitur, per quas nascitur. Atque hinc sequitur, summum Pontificem posse absolvere à peccatis, quæ reservavit Episcopus; Generalem à peccatis, quæ reservavit Provincialis; Episcopum à peccatis, quæ reservavit Parochus, si fortè detur casus, in quo Parochus exercuerit potestatem reservandi. Archiepiscopus tamen non potest absolvere à peccatis, quæ reservavit Episcopus, etiam suffraganeus, excepto casu visitationis, & appellationis ad ipsum, sicuti cum aliis docet Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 7. pu. 5. §. 2. n. 5. Ratio est: quia Archiepiscopus extra casus memoratos non censetur in hoc foro Superior Suffraganeorum. 19

Dico secundo. Potestatem delegatam absolvendi à casibus reservatis habent illi, qui eandem obtinuerunt ab habentibus ordinariam. Ita communiter DD. Ratio est in aperto: quia, qui facultatem habet ordinariam, potest illam alteri committere, isque eadem uti validè & licite, per se loquendo. Inter illos, qui potestatem suos subditos absolvendi à reservatis possunt aliis se inferioribus delegare, meritò numerantur Prælati Monasteriorum, supremique Superiores Conventuum, uti tradunt Salmantic. tract. 6. cap. 13. pu. 3. n. 28. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 7. §. 16. 20

Corollarium I. Quando Pœnitens Superiori confessus fuit peccatum reservatum, ab ipso tamen non absolutus Sacramentaliter, 21

sed

sed pro obtinenda absolutione Sacramentali missus ad inferiorem Sacerdotem, sublata est reservatio. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 6. n. 11. Salmantic. pu. 5. n. 68. Ratio est: quia ejusmodi remissio ad inferiorem habetur pro tacita delegatione jurisdictionis.

22 Corollarium II. Quando aliquis peccatum reservatum fuit confessus habenti potestatem delegatam absolvendi, & ab eodem sine absolutione remissus ad alterum, manet reservatio, ut antea. Castropal. loco cit. Salmantic. n. 69. Ratio est: quia inferior non potest alteri delegare jurisdictionem ad absolvendum, sicut Superior. Cæterùm ex dictis variæ emergunt quæstiones, quas in præsenti resolvere oportet.

23 Quæritur autem primo, quid agendum Confessario, quando Pœnitens inter alia peccata affert casum, à quo ipse propter reservationem non potest absolvere? Respondeo primo, ordinariè non posse illum absolvere, sed mittere debere ad Superiorem, vel ab eodem potestatem absolvendi petere. Ita Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 9. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 2. n. 11. Stoz lib. 2. Tribunal. a. 3. n. 70. & alii. Deducitur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Ratio verò est: quia per reservationem peccati Superiori factam inferioribus ablata est jurisdictio in illud; qui proinde in id nihil possunt. Dimidiare autem Judicium Sacramentale, & à solis non reservatis directè absolvere, vel non integrè confiteri, non est licitum per se loquendo.

Respondeo secundo. Quando peccato reservato implicitus hîc & nunc sine scandalo, infamia, gravique damno aut periculo in bonis corporis vel fortunæ nequit omittere Sacram Communionem, aut celebrationem Missæ, & simul propter impedimentum aliquod transitorium non habet copiam Superioris, vel alterius legitima absolvendi potestate præditi, tunc Confessarius inferior potest illum absolvere, ita ut absolutio directè cadat super non reservata, tametsi solùm sint venialia, indirectè verò super reservatum, imposito tamen onere, ut, cùm primùm commodè poterit, hoc confiteatur Superiori habenti potestatem absolvendi directè, nisi ipsemet Confessarius malit à Superiore impetrare absolvendi licentiam, personâ Confitentis non nominatâ. Ita Laym. num. 10. Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 5. §. 3. num. 5. Castropal. pu. 15. §. 7. n. 6. Salmantic. pu. 6. n. 74. Mezger loco cit. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 3. num. 112. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 6. n. 753. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 7. §. 33. & alii communiter. Ratio est: quia integritas Confessionis omnium peccatorum, sicut & directa absolutio ab omnibus, non est de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, sed præcepti solùm Divini positivi; eámque omittere sæpe non est illicitum ob impotentiam, etiam moralem, tum Pœnitentis, tum Confessarii, tum aliorum. Neque obstat, si peccato reservato sit fortè annexa quoque excommunicatio reservata. Nam ista censura impedit usum Sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ tantùm: quod in ejusmodi casu necessitatis non obligat. Laym. loco cit. & alii. Illud magis videtur dubium, an Pœnitens in nostro casu teneatur inferiori Sacerdoti confiteri non tantùm omnia non reservata, sed etiam illud reservatum? Ad quid enim confiteatur huic tali peccatum, in quod non habet jurisdictionem? Accedit, quòd sic deberet idem peccatum bis confiteri, nempe rursus deinde Superiori, ad quem remitteretur. Respondeo nihilominùs affirmativè cum probabiliori sententia. Ratio est: quia Confessarius non potest rectè cognoscere statum Pœnitentis, deque ipsius dispositione convenienter judicare, nisi idem cum non reservatis confiteatur etiam peccatum reservatum. Neque absurdum est, aliquem per accidens obligari ad idem peccatum bis confitendum. Vid. Sporer n. 757.

24 Quæritur secundo, an incurrat casum reservatum, qui ignorat, peccatum, quod committit, esse reservatum, cùm re ipsa sit reservatum? Respondeo, non incurrere, si peccatum sit reservatum reservatione pœnali; incurrere autem, si reservatum sit reservatione non pœnali, seu medicinali, quamvis hoc ignoret inculpabiliter. Discrimen inter has reservationes dedimus in §. præced. n. 3. Nunc ratio primæ partis est: quia, qui pœnam legis, contra quam agit, saltem invincibiliter ignorat, pœnam non incurrit: ergo nec reservationem pœnalem. Imò, si sermo sit de casibus reservatis, qui habent annexam censuram, res omnino videtur certa: quia, ut incurratur tunc reservatio, requiritur in delinquente contumacia, quæ non recte supponitur in eo, qui pœnam ignorat, saltem invincibiliter. Vide, quæ supra in tract. 2. disp. 1. a. 3. n. 21. diximus. Ratio secundæ partis est: quia illa reservatio est mera, & absolute facta ablatio jurisdictionis in peccatum, quod reservatur. Unde sicut ejus ignorantia Confessario non reddit jurisdictionem, ita nec excusat ab eadem Pœnitentem, prout etiam declarat communis praxis Confessariorum tum Regularium, tum aliorum. Vid. Card. de Lugo disp. 20. sect. 1. n. 9. Sporer n. 735. Neque dicas, etiam reservationem pœnalè esse ablationem jurisdictionis: respondetur enim, non esse meram ablationem, sed simul pœnam; neque fieri absolute, sed conditio-

ditionatè, nisi scilicet delinquens legem reservantem, vel saltem reservationem invincibiliter ignoraverit, ut habet Stoz lib. 2. Tribunal. a. 2. q. 2. n. 59.

25 Quæritur tertio, an Confessarius Diœcesis v. g. Frisingensis, possit absolvere peregrinum, qui affert casum reservatum in sua Diœcesi, non autem in Frisingensi? Respondeo, posse absolvere, nisi ejusmodi peregrinus advenerit in fraudem legis reservantis. Filliuc. tract. 7. cap. 10. n. 283. Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 5. §. 2. n. 9. Mezger ubi suprà n. 15. Ratio est: quia Confessarii habent jurisdictionem in peccata, quæ in sua Diœcesi non sunt reservata: ergo possunt eandem exercere, & Pœnitentem judicare secundùm leges loci, in quo hîc & nunc confitetur. Dixi tamen, *nisi advenerit &c.* quia si tunc absolveret, Ordinarius reservans meritò censeretur invitus: sic enim justa reservatio peccatorum redderetur inutilis, & ejusmodi potestas absolvendi cederet in præjudicium boni communis. Unde si intentio illa eludendi reservationem in pœnitente possit præsumi, (ut in locis limitaneis alterius Diœcesis) Confessarius illum debet remittere ad suum Episcopum, aut alium potestate à reservatis absolvendi præditum. Mezger loco cit.

26 Quæritur quarto, an vicissim Confessarius Diœcesis Frisingensis possit absolvere peregrinum, qui affert casum reservatum in eadem Frisingensi, non autem in sua Diœcesi, v. g. Augustana? Respondeo similiter posse; imò debere absolvere. Ita Mezger loco cit. Ratio est: quia reservatio peccatorum non valet, nisi circa subditos Episcopi reservantis: sed Pœnitens, ut supponitur, non est subditus Episcopi Frisingensis, in cujus Diœcesi confitetur; ergo circa ipsum non valet reservatio. Unde non audimus hîc Bonac. qui sentit, talem peregrinum esse tunc judicandum juxta leges loci, in quo reperitur. Confirmatur. Confessarius ejusmodi Pœnitentem neque potest remittere ad Episcopum Frisingensem, neque ad Episcopum Augustanum. Non ad hunc; quia apud ipsum casus non est reservatus. Cur ergo eò remittat? Non ad illum; quia quantum ad casus reservatos nullam habet jurisdictionem in subditos alienæ Diœcesis. Ergo supereſt, ut dicatur, ad talem Pœnitentem nihil pertinere reservationem Frisingensem, & à quovis legitimo Confessario hujus Diœcesis ipsum posse absolvi.

27 Quæritur quinto, an etiam per absolutionem invalidam, quam impertit habens potestatem sive ordinariam, sive delegatam absolvendi à reservatis, tollatur reservatio? Respondeo affirmativè, sive illa invaliditas proveniat ex defectu doloris, sive integritatis requisitæ in Confessione. Ita Bonac. pu. cit. §. 5. n. 9. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 15. §. 6. n. 2. Salmantic. tract. 6. cap. 13. pu. 3. n. 41. Mezger n. 17. & alii communiter. Ratio est: quia per ejusmodi Confessionem Pœnitens jam satisfecit fini reservationis, qui erat se sistere Superiori, vel ejus delegato, à quo posset in via salutis melius dirigi, & salutarem pœnitentiam accipere. Cessante autem fine reservationis non est, cur maneat ulteriùs reservatio. Quare licèt Pœnitens cognita postmodùm nullitate Confessionis teneatur iterum clavibus subjicere eadem peccata, pro absolutione tamen à reservatis non tenetur recurrere ad Superiorem: cùm non ampliùs sint reservata.

Quæritur sexto, an similiter cessat reservatio, si confessus habenti potestatem absolvendi à reservatis inculpabiliter oblitus fuit alicujus peccati reservati? Respondeo iterum affirmativè, cum communi sententia apud Salmantic. n. 43. Ratio est: quia quilibet Confessarius censetur Pœnitentem rectè dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum, quo potest: sed Confessarius in nostro casu potest Pœnitentem liberare etiam à reservatione peccati, cujus inculpabiliter fuit oblitus; ergo censetur velle liberare. Vid. Salmantic. loco cit. Castropal. n. 3. Tenebitur tamen ejusmodi Pœnitens illud peccatum, cùm postea in ejus memoriam redierit, iterum confiteri, ut ab eodem directè absolvatur: quia in priori Confessione indirectè solùm fuit absolutus. 28

Quæritur septimo, an reservatio cesset in periculo, vel articulo mortis? Respondeo verbis Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Articulo mortis æquiparatur probabile & moraliter propinquum ejus periculum, in quo videlicet frequenter contingit, ut homines facilè moriantur. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 13. Stoz lib. 2. Tribunal. a. 3. q. 2. n. 65. & alii. In ejusmodi periculo hominem constituere solet infirmitas; capitalis sententia Judicis; imminens conflictus cum hoste; partus difficilis; navigatio tempestuosa; contagio pestifera, & similis quæque causa. Nunc illud in rem præsentem advertì debet, si casus reservatus habuerit annexam censuram, obligari absolutum, si ex morbo convaluit, vel periculum mortis evasit, se sistere Superiori sub pœna relabendi in eandem censuram ipso jure, haud sanè, ut novam absolutionem obtineat, sed ut recipiat mandatum 29

datum de satisfaciendo; veluti post alios tradit Mezger n. 14. Dixi, *si casus reservatus &c.* quando enim peccatum nullam habuit annexam censuram, non tenetur se sistere; cùm revera fuerit directè absolutus à peccato reservato. Mezger loco cit.

30 Quæritur octavo, an Superior aliquem absoluturus à reservatis teneatur audire omnia ipsius peccata tam non reservata, quàm reservata? Respondeo primo, si velit extra Sacramentum auferre solam reservationem, eum meritò non audire alia peccata quàm reservata. Ita Castropal. ubi suprà §. 5. n. 1. Oberascher tract. 1. de Pœnit. cap. 6. §. 6. q. 9. Ratio est: quia si Pœnitens nihil aliud desideret, quàm extra Sacramentum liberari à reservatione, ut postea alteri Sacerdoti inferiori confiteri possit, Superior nullum habet jus petendi manifestationem peccatorum non reservatorum. Respondeo secundo, Judicem Superiorem, si velit Sacramentaliter absolvere à reservatis, debere audire etiam non reservata, loquendo regulariter. Ita pluribus relatis Laym. cap. cit. num. 8. Castropal. n. 3. Mezger n. 16. Oberascher loco cit. Ratio est: quia sine gravi causa non est licitum absolvere dimidiatè confessos; cùm integritas Confessionis sit ex institutione Christi, & jure Divino præcepta. Atqui nulla hîc adest ejusmodi causa, nec adesse potest regulariter, ut ostendit Castropal. loco cit. Quòd si tamen accidat, ut Pœnitenti grave sit peccatum reservatum extra Sacramentum Confessionis Superiori detegere; ipse verò justo impedimento implicitus nequeat integram Confessionem ejus audire; atquè insuper causam alteri committere non judicet esse consultum, tunc poterit Superior, auditis solis reservatis, Sacramentaliter absolvere, absolutione directè cadente super reservata, indirectè super non reservata, quæ moralis impossibilitas audiri non permisit. Ita cum aliis Castropal. Laym. Oberascher locis citt. Verùm iste casus est rarissimus: nec alius videtur esse possibilis.

31 Quæritur nono, an Regulares possint absolvere à casibus Episcopalibus absque Episcoporum licentia? Respondeo, id olim potuisse Religiosos tum Mendicantes, tum alios, qui gaudent communicatione privilegiorum cum illis, hodie verò non posse ampliùs. Quia Alexander VII. anno 1665. die 24. Septembris damnavit hanc Propositionem. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* Ex quo patet, sententiam oppositam non ampliùs esse probabilem. Dices. Prohibitionem Pontificiam posse probabiliter intelligi de facultate absolvendi ab illis tantùm casibus, quos ipsi Episcopi sibi reservant, non autem ab iis, qui Episcopis aliunde, sive à Papa, sive à jure communi, sive ex consuetudine reservantur: ut proinde ab his posterioribus Regulares adhuc possint absolvere. Respondeo, adductam interpretationem non subsistere: quia prohibitio Pontificia, utpote contradictorie opposita propositioni prohibitæ, debet intelligi in sensu, in quo ista loquitur: ergo, si propositio prohibita loquatur sine restrictione aliqua, etiam prohibitio ita intelligenda est. Atqui propositio prohibita loquitur sine restrictione ad casus ab ipsis Episcopis reservatos; ergo etiam prohibitio intelligenda est sine hac restrictione: & consequenter Regularibus prohibitum est absolvere non tantùm à casibus, quos Episcopi ipsi sibi reservant, sed etiam ab illis, qui eisdem aliunde reservantur. Instabis. Qui habet potestatem absolvendi ab omnibus casibus Papalibus, potest absolvere ab omnibus casibus, à quibus potest absolvere Papa: atqui Regulares Mendicantes, eorumque privilegia participantes habent potestatem absolvendi ab omnibus casibus Papalibus; ergo possunt absolvere ab omnibus casibus, à quibus potest absolvere Papa. Sed Papa potest absolvere ab omnibus casibus Episcopalibus; ergo etiam Regulares ab eisdem possunt absolvere. Respondeo primo neg. maj. prout etiam negat Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 3. num. 222. cùm utique Pontifex possit concedere potestatem absolvendi restrictam ad suos tantùm casus. Respondeo secundò neg. mi; quia excipiuntur casus contenti in Bulla Cœnæ, & intra Italiam extra Romam adhuc alii sex, quos ex Tambur. recenset Illsung n. 220.

Quæritur decimo, an Episcopi habeant potestatem subditos suos absolvendi à casibus Papalibus? Respondeo, Concilium Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat. omnibus Episcopis tribuere potestatem absolvendi à peccatis Pontifici reservatis, si occulta, & nondum ad forum contentiosum deducta sint. Verùm istud eorum privilegium à Bulla Cœnæ limitatur per exceptionem casuum in illa contentorum, veluti colligitur ex decreto Alexandri VII. in n. 31. cit. ubi prohibetur hæc prop. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de criminibus occultis sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.* Accedit, quòd ipsi quoque Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. declaraverint, Episcopos non ampliùs uti posse facultate illa à Trident. concessa, quemadmodum ex testimoniis gravissimorum virorum refert Sanchez lib. 2. Decal. cap. 11. n. 26. At nihilominùs, quod

quod attinet ad absolutionem saltem ab hæresi occulta, memoratam facultatem Tridentini de facto practicari ab Episcopis, testatur Mezger tract. 18. disp. 49. a. 2. n. 12. quod haud dubiè fit, quia vel habent speciale indultum à Summo Pontifice impetratum; vel quia concessioni Tridentini per Bullam Cœnæ non derogari ipsis adhuc probabile videtur. De Prælatis Regularibus certum est, eos non amplius absolvere posse ab hæresi occulta, propter idem decretum Alexandri VII. in quo proscribitur hæc prop. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab Excommunicatione propter ipsam incursa.* Et ne fortè existimes, memoratos Prælatos per istam prohibitionem non exui facultate absolvendi ab hæresi occulta suos saltem subditos, scito, in contrarium urgere argumentum à pari de Episcopis, qui non possunt suos subditos ab eadem hæresi absolvere, ut antea vidimus. Accedit, quòd jam priùs, nempe Anno 1628. 17. Novembr. Congregatio Cardinalium declaraverit, id non posse Prælatos Regulares. Vid. Viva Parte 1. damnat. Thes. in Prop. 4.

Aliud privilegium Episcoporum habetur ex Jure Canonico, in cap. *Mulieres*, cap. *Quamvis*. cap. *de cætero de sent. Excom.* in eo consistens, quòd à quocunque peccato & censura sum. Pontifici reservata possint absolvere omnes suos subditos, qui ob impedimentum perpetuum, aut diuturnum non possunt accedere eundem Pontificem. Huic privilegio neque per Bullam Cœnæ, neque per decretum Alexandri VII. derogari, communis & vera tenet sententia. Illud controversum est, an ab Episcopo possit absolvi impeditus adire Pontificem, non tamen impeditus adire Nuntium, vel Legatum Pontificis potentem absolvere? Negari non potest, sententiam affirmativam esse probabilem. Negativa tamen probabilior censetur. Ratio est: quia asserta facultas absolvendi legitimè impeditos concessa est Episcopis propter solam necessitatem, ne periclitetur salus animarum, si iidem non subveniant. Atqui hæc ratio cessat, quando Nuntius, vel Legatus Pontificis facilè & sine gravi incommodo adiri potest; ergo.

Cæterùm impedimenta, quibus occurrentibus Episcopi possunt absolvere à casibus Papalibus, ut recenset Abbas Rassler de Pœnit. cap. 7. §. 18. sunt ferè sequentia. 1. Periculum mortis in itinere, aut gravis alicujus incommodi incurrendi. 2. Infirmitas longa, etiamsi non sit periculosa. 3. Paupertas: ut, si cogeretur mendicare, qui aliàs non est solitus id facere: nam si aliàs mendicus esset, teneretur ire, nisi mendicando soleret se, uxorem, & liberos alere. 4. Ætas, sive senilis, sive puerilis. 5. Sexus fœmineus. 6. Obligatio alendi uxorem, filios, & familiam propria arte, aut labore. 7. Obligatio, qua quis alteri adstrictus est, qualem habent filiifamilias, servi: qui proinde excusantur, si nequeant Pontificem adire sine magno incommodo parentum, vel dominorum. 8. Cura animarum, vel temporale dominium, quando subditorum detrimentum timeretur. 9. Debilitas in viris delicatis, difficultates, laboresque itineris ferre non valentibus. 10. Impotentia ad iter faciendum, qualis invenitur in claudis, aut podagra laborantibus. 11. Denique quodlibet impedimentum, quod arbitrio prudentis viri judicatur legitimum. Plura, si lubet, vide apud P. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 3. n. 216. Filliucium tract. 15. quæ est de Censuris, cap. 1. à n. 36.

ARTICULUS V.

De Obligatione Sigilli.

PEr sigillum hoc loco intelligimus strictissimam illam obligationem Secreti in iis, quæ ex Confessione, vel in ordine ad istam cognita sunt, inviolabiliter servandi. Quæ enim sigillo munita volumus, aliis nequaquam manifesta, sed recondita esse cupimus. De hujus nunc Secreti obligatione per sequentes Paragraphos disseremus.

§. I.

Qualis, & quanta sit obligatio Sigilli.

SUMMARIUM.

1. *Unde ortum habeat obligatio Sigilli.* 2. *Differentia inter hanc obligationem & Secretum naturale.* 3. 4. *Violatio Sigilli oppidò grave peccatum est.* 5. *Nec ullam admittit parvitatem materiæ.* 6. 7. 8. 9. 10. *Ex quanam Confessione nascatur, vel non nascatur obligatio Sigilli.* 11. *Quid si dubitet Confessarius, an Pœnitens manifestaverit peccatum animò consequendi absolutionem?* 12. *Supposità licentiâ Pœnitentis cessat obligatio Sigilli.* 13. *Ea licentia debet esse formalis & expressa, pleneque voluntaria.* 14. *Corollarium.*

CHristum Dominum ita instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, ac præcepisse, ut in nullo unquam casu revelare liceat, quæ in Confessione clavibus Ecclesiæ subjiciuntur, col-

colligitur ex perpetua traditione, & praxi ejusdem Ecclesiæ. Quæ quidem tam rigida obligatio Divini præcepti, non tantùm valde conveniens est naturæ hujus Sacramenti, sed etiam necessaria, ne, quod in salutem fidelium institutum est, eisdem noxium atque exosum reddatur; veluti planè redderetur, si homines scirent, Confessarium posse Confessionem revelare. Nam semper, ne id re ipsa faciat, essent anxii, idque eò magis, quò graviora forent peccata, quæ fuissent confessi. Quò fieret, ut nemo auderet ea confiteri, quod cederet in gravem injuriam Sacramenti. Oportuit ergo usque adeo arctare obligationem sigilli, ut omnis omnino metus publicationis, seu revelationis peccatorum in Confessione expositorum Pœnitentibus adimeretur. Ad hoc ipsum autem fuit necessarium, ut nullus esset locus exceptioni. Nam, si vel semel in aliquo raro casu liceret Confessionem revelare, Pœnitentibus præberetur occasio formidandi, ne Confessarius talem licentiam ad alios casus non concessos extenderet: quod haud dubiè posset contingere. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 2. Card. de Lugo disp. 23. de Pœnit. sect. 1. n. 10. Salmantic. tract. 6. cap. 14. pu. 1. n. 2. Reding to. 7. q. 10. a. 2. controv. 1. n. 4.

2 Infertur jam primo differentia inter Sigillum Confessionis & secretum naturale: quæ in eo consistit, quòd secretum naturale in certis casibus non obliget; imò nec possit obligare; ut suo loco docuimus; nullus verò casus sit excogitabilis, in quo non obliget Sigillum Confessionis, seclusâ licentiâ Pœnitentis, de qua inferiùs. Neque refert primo, si fortè Sacerdos ipse nequeat in Confessione explicare suum peccatum sine manifestatione peccati in Confessione auditi, ipsiusque Pœnitentis: quia præceptum Sigilli est fortius, quàm præceptum integrè confitendi: quod proinde non obligat in tali casu. Neque refert secundo, si Pœnitens jam fuerit mortuus, & revelatio peccati, quod fuit confessus, sit necessaria ad gravissimum aliquod malum impediendum: quia homines tunc quoque exosum haberent Sacramentum Pœnitentiæ, & ab ejus usu abhorrerent, si scirent, peccata sua post mortem posse in aliquo casu revelari. Vid. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 19. n. 4. & 5. Salmantic. n. 4.

3 Infertur secundo, violationem sigilli esse peccatum mortale oppidò grave. Ita communissima & certissima sententia. Ratio est: quia per illam Sacramento Pœnitentiæ, & in-institutioni Christi valdè gravis injuria irrogatur. Gravitas hujus peccati constat præterea ex gravitate pœnæ, quæ Sigilli violatoribus in cap. *Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & Remiss.* constituitur, scilicet pœna depositionis & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ. Quæ tamen ambæ pœnæ non incurruntur ipso facto, sed requiritur sententia Judicis.

4 Infertur tertio, eum, qui violat Sigillum, peccare tum contra Religionem, tum contra Justitiam. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 1. n. 4. Card. de Lugo n. 16. Reding n. 21. Ratio primi est: quia agit contra reverentiam & bonum Sacramenti. Ratio secundi est: quia lædit jus naturale secreti, ad quod servandum secluſa quoque ratione Sacramenti quilibet obligatur. Utramque hanc speciem malitiæ explicare oportet in Confessione, ne fortè Confessarius malitiam injustitiæ, quæ fuit levis, existimet esse gravem, vel econtra. Illa contra Religionem non potest in se non esse gravissimum Sacrilegium.

5 Infertur quarto, in obligatione servandi Sigillum Confessionis nullam dari parvitatem materiæ. Ita communiter DD. Ratio est: quia revelatio cujuscunque peccati, sive directè, sive indirectè, verbo, aut actione ea fiat, vergit in gravissimam irreverentiam Sacramenti, estque de se sufficiens ad reddendum illud odiosum, & homines à legitimo ac syncero ejusdem usu absterrendos. Ob imperfectionem tamen deliberationis & advertentiæ haud dubiè potest contingere, ut Confessarius ex Confessione audita quid enuntians delinquat venialiter. Vid. Card. de Lugo sect. 3. n. 69. Salmantic. n. 9.

6 Infertur quinto, obligationem servandi Sigillum nasci ex omni & sola Confessione Sacramentali, id est, illa, per quam quis manifestat sua peccata Ministro Pœnitentiæ, saltem existimato, animô se accusandi in ordine ad obtinendam absolutionem. Ita communiter DD. Ratio est: quia Christus omni & soli Confessioni, quæ fit homini, quatenùs est Judex in hoc foro Sacramentali, istam obligationem sua institutione annexuit. Atqui talis Confessio est omnis & sola Sacramentalis; ergo. Atque hinc

7 Sequitur primo, obligatione Sigilli Sacramentalis teneri illum, cui Pœnitens bona fide confitetur, existimans esse Sacerdotem, cùm non sit, vel habere potestatem absolvendi, cùm non habeat. Ratio est: quia ejusmodi Confessio saltem in existimatione, & intentione Pœnitentis est Sacramentalis. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 17. Bonac. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 2. n. 2. Castropal. tract. 23. disp. un. qu. 19. §. 2. n. 1.

8 Sequitur secundo, non oriri obligationem Sigilli in Laico, vel Clerico non Sacerdote, cui quis confitetur sciens non esse Sacerdotem, sed erroneè existimans, etiam Laicum in absentia Sacerdotis posse absolvere validè & licitè. Ita communis contra Dianam, quem præter alios referunt, & sequuntur Salmantic. cap. cit. pu. 2. n. 13. Ratio est: quia

talis Confessio non est sacramentalis, etiam ex intentione confitentis, utpote valde erronea crassissimo errore juris, qui nihil conducit ad inducendam obligationem sigilli. Vid. Laym. n. 19. Bonac. loco cit. Castropal. n. 1. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. n. 849. De cætero dubium non est, oriri tunc strictam obligationem secreti naturalis.

9 Sequitur tertio, neque ex illa Confessione Sacerdoti imponi obligationem sigilli, qua quis consilii tantùm capiendi causâ ipsi exponit peccata, petitque, ut ea sub sigillum Confessionis recipiat. Ratio est: quia talis Confessio non fit in ordine ad absolutionem; adeòque non est sacramentalis. Quod idem à fortiori verum est, quando quis peccatum aliquod confitetur animô solùm illudendi Confessario, vel eundem ad malum inducendi. Vid. Bonac n. 5. Castropal. n. 2. Salmantic. n. 14.

10 Sequitur quarto, obligationem sigilli induci ex Confessione non tantùm illa, quam sequitur absolutio, sed ex alia quoque omni, quæ fit animô obtinendi absolutionem, sive deinde sit valida, sive invalida; sive perfecta, sive inchoata tantùm & imperfecta. Ita communiter DD. Ratio est: quia omnis quoque talis Confessio, saltem imperfectè & ex intentione confitentis, est sacramentalis: & nisi ex illa induceretur obligatio sigilli, Confessio universim redderetur odiosa: cùm quilibet meritò timere posset, ne fortè non sequeretur absolutio; & consequenter Confessarius peccatum manifestare posset absque fractione sigilli. Vid. Salmantic. n. 15. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 9. §. 2. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 4. n. 5.

11 Sed quid, si Confessarius dubitet, an peccatum, quòd in Confessione audivit, confitens aperuerit animô consequendi absolutionem? Respondeo, ipsum in hoc casu teneri obligatione sigilli. Ità Bonac. n. 4. Salmantic. n. 18. & alii. Ratio est: quia præsumi debet in favorem tum Confessionis, tum confitentis, ne Confessio fiat odiosa.

12 Cæterùm, quæcunque hucusque diximus pro perpetua inviolabilitate sigilli sacramentalis, intelligenda erant seclusâ licentiâ Pœnitentis. Nam si Pœnitens Confessario det licentiam loquendi de suis peccatis, sive coram se ipso, sive coram aliis, penitus cessare obligationem sigilli communissimè tradunt DD. cum D. Thoma, in Supplem. 3. part. q. 11. a. 4. & in 4. dist. 21. q. 3. a. 2. Ratio est: tum, quia hæc obligatio imposita est Confessario in gratiam ipsius Pœnitentis; adeoque expedit eam cessare, si ipse consentiat. Tum, quia hoc modo Sacramentum non redditur odiosum, sed potiùs commendabile fidelibus, hinc enim discunt, Confessarium de peccatis in Confessione auditis ex sola Pœnitentis voluntate posse loqui, nec in ullo alio casu id esse licitum. Vid. Laym. ubi suprà n. 14. Castropal. pu. cit. §. 1. n. 6. Dices. Præceptum sigilli est juris Divini: ergo non potest ejus obligatio relaxari à Pœnitente. Respondeo dist. conseq. ergo non potest relaxari directè, conc. indirectè: scilicet auferendo circumstantiam necessariam, ut idem præceptum obliget, neg. conseq. Non enim obligat absolutè ad non revelandum sigilli secretum, sed ad non revelandum contra voluntatem Pœnitentis. Salmantic. cap. cit. pu. 1. n. 5.

13 Porrò illa licentia Pœnitentis debet esse formalis, & expressa, nec sufficit præsumpta, licèt Confessarius firmissimè sibi persuadeat, Pœnitenti fore gratum, si peccatum ipsius in Confessione auditum revelaret. Ratio est: quia alioquin periculum esset, ne Confessarius quandoque contra voluntatem Pœnitentis id faceret, utpote existimans, revelationem ipsi fore gratam, cùm tamen non esset. Unde Sacramentum Pœnitentiæ redderetur suspectum & odiosum. Vid. Laym. loco cit. Castropal. n. 7. Deinde eadem licentia debet esse omnino voluntaria & libera. Quare non erit valida, si vi, vel fraude, vel precibus importunis, aut metu, etiam reverentiali, obtineatur. Castropal. loco cit. Salmantic. n. 7. Ratio est: quia alioquin non caveretur, ut oportet, reverentiæ Sacramenti. Pœnitens quoque non esset securus de observatione secreti. Denique licentia semel data revocari ad libitum potest à Pœnitente. Ratio est: quia usus illius pendet ex voluntate concedentis. Unde Confessario nullatenùs est licitum excedere in aliquo modum in ejus concessione præscriptum. Castropal. n. 9.

14 Corollarium. Quando confitens tenetur peccatum suum aperire ad avertendum grave damnum innocentis, v. g. si Parochus aliquem invalidè baptizavit, & Confessarius hanc ejus obligationem advertit ante absolutionem, non potest eum absolvere, nisi firmiter proponat ac promittat, se dictæ obligationi satisfacturum, uti per se clarum est. Si post absolutionem impertitam ea obligatio innotescat petitâ licentiâ monendus atque urgendus est ad satisfaciendum, nempe ut vel ipsemet delictum revelet, vel sibi Confessario hoc concedat faciendum. Si nihil horum persuaderi illi possit, ulteriùs procedendum non est, sed totum dissimulandum: quia præstat inviolabiliter observare secretum sigilli, quàm per ejus manifestationem quodcunque damnum avertere. Castropal. n. 8. Salmantic. n. 8. & alii apud ipsos.

§. II.

§. II.

Quæ sit materia Sigilli.

SUMMARIUM.

15. *Materia sigilli ad sex classes reducitur.* 16. 17. *& seqq. adducuntur varii casus, in quibus Confessarius frangeret sigillum.* 22. *An Confessarius illi, quem ob iustam causam non absolvit, negare possit schedam Confessionis?*

15 TOta materia, in quam cadit obligatio sigilli, commodè reducitur ad sex classes. In prima sunt omnia peccata mortalia tam in genere, quàm in specie, ex quorum revelatione in notitiam personæ confitentis deveniri potest. In secunda omnia peccata venialia in specie, non autem in genere. In tertia circumstantiæ peccatorum, ex quibus istorum notitia aliquatenùs hauriri potest. In quarta quæcunque inhabilitates aut imperfectiones, tum naturales, tum personales, quæ ratione peccatorum cognoscuntur: cujusmodi sunt defectus natalium, irregularitas, impedimentum Matrimonii &c. In quinta peccata & defectus complicis, quem Pœnitens in peccati sui confessione manifestavit. In sexta ipsa indispositio Pœnitentis: ut defectus serii doloris, propositi, &c. Vid. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 14. à n. 2. Card. de Lugo disp. 23. de Pœnit. sect. 3. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 19. §. 2. Salmantic. tract. 6. cap. 14. pu. 2. Reding. to. 7. q. 10. a. 2. controv. 2. Mezger tract. 18. disp. 49. a. 4. n. 6. Ratio porrò generalis est: quia omnia, quæ in memoratis classibus continentur, ejusmodi sunt, ut eorum revelatio confessionem hominibus redderet odiosam. Nunc pro praxi resolvuntur sequentia.

16 I. Confessarius frangit sigillum, quando dicit, etiamsi generatim & indefinitè, Titium sibi confessum esse peccatum mortale: at non frangit, quando dicit, confessum esse venialia. Laym. n. 6. Card. de Lugo n. 50. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. n. 825. & 830. Ratio primi est: quia & hoc dicere cedit in infamiam confitentis, & Sacramentum reddit odiosum. Quòdsi tamen Confessarius præcisè dicat, sibi in Confessione expositum esse mortale, ita ut non possit deveniri in notitiam personæ confitentis, non frangit sigillum, & potest consilii causâ, si opus est, id referre doctiori, vel superiorem adire pro licentia absolvendi, si sit casus reservatus. Mezger loco cit. Ratio secundi est ab opposito: quia sic nihil dicit ignominiosum, aut Sacramento injuriosum. Nam eo ipso, quòd quis confessus sit, omnes supponunt, confessũ esse saltem venialia. Unde sicut non frangit sigillum dicendo absolutè, Titium sibi esse confessum, ita non frangit dicendo, esse confessum venialia. Aliud esset, teste Card. de Lugo, si diceret, confessum esse peccata venialia graviuscula, vel plurima. cùm non eo ipso, quòd quis sit confessus, supponi possit hæc talia esse confessum.

17 II. Etiam de peccatis publicis in Confessione auditis Confessario non est licitum loqui extra Confessionem, si ipsum aliàs latebant. Ita Laym. n. 9. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 2. n. 9. Card. de Lugo n. 61. Salmantic. n. 20. & alii communiter. Ratio est: quia, si ex sola Confessione novit, sigillata est ea notitia, quemadmodum ex P. Coninck loquuntur Salmantic. Unde frangit sigillum, si dicat, furem sibi confessum esse furtá, propter quæ fuit suspensus. Dixi, *si ipsum aliàs latebant*. quia non prohibetur loqui de peccato ex notitia, quam de illo ante Confessionem habuit, vel postea acquisivit, dummodò nihil addat ex notitia per Confessionem comparata. Atque hinc, si Sacerdos extra Confessionem sciat, Caium res suas furtô abstuliisse, isque idem furtum ipsi confiteatur, poterit hominem coram Judice accusare, salvo sigillo, dummodò non utatur alia notitia, quàm ante, vel post Confessionem acceptа, & evitet scandalum. Ita cum D. Thoma in supplem. q. 11. a. 5. Valentia to. 4. disp. 7. q. 13. pu. 4. Laym. n. 3. & alii.

18 III. Quando aliquis in Confessione se accusat, quòd habeat animum, v. g. inimicum occidendi, non potest Confessarius hoc tale propositum confitentis revelare, etiam in casu, quo recusat à meditato facinore abstinere. Laym. n. 5. Bonac. n. 7. Castropal. ubi suprà n. 5. Card. de Lugo n. 52. & 53. Ratio est: quia peccatum præteritum, de quo aliquis in Confessione se accusat, sub sigillum, licèt idem adhuc retineat propositum non abstinendi ab illo, sitque proinde incapax absolutionis: ergo similiter propositum præsens tempore futuro peccandi, quod quis confitetur, & à quo non vult desistere, cadit sub sigillum. Aliter esset sentiendum, si manifestatio talis propositi coram Sacerdote, solùm fieret animô ipsum inducendi ad idem peccatum. tunc enim Confessario non imponeretur obligatio sigilli: cùm ejusmodi Confessio non esset sacramentalis. Bonac. loco cit. Card. de Lugo n. 53.

19 IV. Quando Pœnitens confessus est, quòd illegitimè natus Sacros Ordines susceperit; quòd infamibus parentibus ortus generis nobilitatem jactaverit; quòd votô castitatis obstrictus debitum conjugale petiverit, non potest Confessarius absque violatione sigilli dicere de ipso, esse illegitimum, infamibus parentibus natum, votô castitatis obstrictum. Valent. pu. 3. colum. 1746. Laym n. 4.

n. 4. Castropal. n. 6. Card. de Lugo n. 52. Salmantic. n. 23. Ratio est: quia horum & similium circumstantiarum, quæ ad Confessionẽ peccatorum aliquo modo pertinent, revelatio non minùs Sacramentum Pœnitentiæ redderet odiosum, quàm manifestatio ipsorum peccatorum. Aliud est de illis, quæ ad Confessionem nullo modo pertinent, sed per accidens interponuntur à Pœnitente, v.g. propositum ingrediendi Religionem, contrahendi Matrimonium. Hæc enim non cadunt sub Sigillum Confessionis; sæpe tamen sub obligationem secreti naturalis, ut cum aliis docet Laym. loco cit.

20 V. Frangit Sigillum Confessarius, si dicat de Pœnitente, esse scrupulosum, impertinentis & næniis tempus terere; caput audientis rumpere; morosum, rudem, hebetis ingenii esse, hoc supposito, quòd hi tales defectus non aliunde sint noti. Ita Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. num. 842. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 9. §. 5. & alii. Ratio est: quia similium quoque manifestatio hominibus solet esse ingrata; adeoque sufficiens est ad Sacramentum Pœnitentiæ illis reddendum odiosum. Dixi, *hoc supposito &c.* nam si talia Confessario aliunde sint nota, poterit de illis loqui illæsô Sigillô, ut satis colligitur ex n. 17. Sententiam contrariam Card. de Lugo n. 6. censet veriorem, eò quòd Confessarius ejusmodi defectus non cognoscat ex revelatione Pœnitentis, sed ipse eos videat, & percipiat. Sed quidquid sit: talia manifestare, si alios latebant, Pœnitenti non desinit esse molestum, licèt ipse ea committat in Confessione, vel de se prodat suo modo agendi, & Confessarius advertat: consequenter eorum manifestatio adhuc redderet eidem Sacramentũ odiosum.

21 VI. Ille quoque Confessarius Sigillum violare censendus est, qui dicit de quopiam Pœnitente determinato, se eum non absolvisse. Valent. ubi suprà colum. 1749. Laym. n. 8. Bonac. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 4. n. 6. Salmantic. pu. 3. n. 27. & alii. Ratio est: quia, licèt ob varias causas negari possit absolutio, ordinariè tamen negatur propter indispositionem confitentis. Unde fit, ut eâ negatâ, & causâ negandi non expressâ, audientes de inabsoluto sinistram opinionem concipiãt. Hoc autem cedit in ipsius ignominiam, & odium Sacramenti. Optimè fecerit Confessarius, si interrogatus, an Pœnitentem absolverit? Respondeat, se functum fuisse suo officio, vel interrogantem remittat ad Pœnitentem ipsum.

22 Verùm hinc illa difficultas emergit, quid agendum Confessario, dum is, quem ob justam causam non absolvit, petit schedulam Confessionis, quemadmodum petere solent studiosi, subditi Magnatum, Officiales Principũ, & alii fideles, præsertim tempore Paschali? Prima sententia asserit, huic tali non posse à Confessario denegari eam schedam. Ita Laym. loco cit. Castropal. §. 3. n. 4. Salmantic. n. 30. & alii passim. Ratio est: quia alioqui Confessarius contra religionem Sigilli indirectè saltem significaret, se Pœnitentem suum propter ipsius indispositionem non absolvisse. Confirmatur. Tali homini publicè petenti S. Eucharistiam non minùs quàm aliis eadem danda est, ad evitandam infamiam: ergo ob eandem rationem ei dari debet illa schedula testimonii, non minùs quàm aliis. Neque mentitur eam dando Confessarius, aut cooperatur peccato Pœnitentis ita fortè ad S. Cõmunionem indignè accessuri, dummodo aliud non testetur, quàm fuisse confessum, eumque admoneat, ne sic indispositus in sui damnationem S. Eucharistiam sumat. Laym. loco cit. Secunda sententia negat, tali Pœnitenti dari posse schedam Confessionis. Ita Bonac. n. 7. Card. de Lugo disp. cit. sect. 4. n. 87. Sporer ubi suprà n. 840. & alii plures. Ratio est: quia Confessarius denegans hic nihil dicit aut facit, ex quo cognosci possit indispositio Pœnitentis, sed solùm non approbat testimonio positivo auditam Confessionem, ad quod non tenetur: adeoque non violat Sigillum. Tum, quia alioquin via aperiretur fraudibus, ita ut multi improbi schedis ejusmodi malitiosè obtentis deciperent Dominos suos ac Parochos. Tum, quia fortè potest esse consuetudo, ut in scheda scribatur, Pœnitentem esse absolutum, vel eidem administratum Sacramentum Pœnitentiæ. Quomodo tunc in casu nostro Confessarius daret schedam sine mendacio? Tum, quia nemo non videt publicæ meretrici v. g. in statu suo perseveranti dare testimonium Confessionis fore maximè scandalosum & iniquum. Hæc sententia videtur valde probabilis.

§. III.

Quinam teneantur obligatione Sigilli.

SUMMARIUM.

23. *Pœnitens non obligatur Sigillo.* 24. *Obligatur Sacerdos fictitius, cui quis bonafide confessus est.* 25. *Item interpres.* 26. *Consiliarius Confessarii.* 27. *Prælatus, à quo petitur licentia absolvendi à peccato reservato.* 28. *Ille, cui Confessarius sacrilegè manifestavit peccatum in Confessione auditum.* 29. *Non tamen ille, qui invenit & legit chartam, in qua scripta erant peccata ad confitendum se præparantis.* 30. *Exceptis duobus casibus.*

23 SUpponitur contra Navarrum ex communi sententia, Pœnitentem non obligari Sigillô. Ratio est: quia in favorem ipsius imposita est hæc obligatio: adeoque potest hoc favore cedere dando licentiam revelandi, ut in §. præced. n. 12. vidimus. Tenetur tamen Pœ-

Pœnitens lege secreti naturalis ad nihil revelandum ex Confessione, quo vel se ipsum sine justa causa infamet, vel bonam de Confessario existimationem imminuat. Statuendum est igitur, quinam alii lege sigilli teneantur. Regula generalis est, præter Confessarium, ad quem principaliter sigillum spectat, secundariò & minùs principaliter obligari omnes, qui peccatum alterius quocunque modo ex sacramentali Confessione sciunt. Ita communiter DD. Ratio est: quia Christum imponendô his omnibus istam obligationem oportuit consulere reverentiæ Sacramenti Pœnitentiæ, ne alioqui redderetur odiosum. Atque hinc non est operosum deducere particulariùs, quas personas obstringat eadem obligatio.

24 Prima illarum est ille, cui quis bona fide confitetur, existimans esse Sacerdotem, cùm non sit; vel habere potestatem absolvendi, cùm non habeat. Ratio est: quia ejusmodi Confessio ex intentione saltem confitentis est sacramentalis: quod sufficit ad fundandam obligationem sigilli; ut in §. 1. n. 7. diximus.

25 Secunda est interpres, quo interdum utitur Pœnitens ad confitendum. Ratio est: quia licèt interpres non se teneat ex parte Confessarii, sed Pœnitentis, velut organum quoddam ipsius, accipit tamen notitiam peccati ex Confessione inchoativè sacramentali quæ medio ipso ad Confessarium dirigitur, clavibusque subjicitur. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 14. n. 17. Bonac. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 3. n. 5. Salmantic. tr. 6. c. 14. pu. 4. n. 59. & alii communiter contra Cajetanum & Sotum.

26 Tertia est quilibet vir doctus, quem cum licentia Pœnitentis Confessarius consulit, ut instruatur, qualiter in aliquo casu circa eundem gerere se debeat. Ratio est: quia notitia, quam tunc Confessarius communicat consiliario, est eadem, quam ipse habet: ergo sicut in Confessario est cum obligatione sigilli, ita cum eadem obligatione transit ad Consiliarium. Laym. n. 18. Bonac. num. 4. Card. de Lugo disp. 23. sect. 2. à n. 25. Reding to. 7. q. 10. a. 2. controv. 3. n. 14. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. n. 854. estque rursus communis sententia contra Medinam, Castropal. & alios quosdam.

27 Quarta est Prælatus, seu Superior, à quo petitur facultas absolvendi à peccato reservato. Ratio est: quia notitia illa, quam Prælatus accipit à Confessario, semper oritur ex notitia, quam ipse Confessarius accepit ex inchoata confessione Pœnitentis. Unde ex intentione Pœnitentis cum eadem obligatione transit ad Prælatum. Quod extendi etiam debet ad casum, quo subditus per se ipsum adit Prælatum, petitque memoratam licentiam. Cùm enim satis onerosum sit recurrere ad Superiorem, ut quis absolvatur à peccatis reservatis, confessio redderetur valde odiosa, nisi ipse quoque eâdem, qua Confessarii, lege teneretur. Card. de Lugo à n. 34. Salmantic. n. 66. Reding n. 6. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 9. §. 3. Sporer n. 853. & alii.

Quinta est omnis, cui Confessarius sacrilegè manifestavit peccatum Pœnitentis in 28
Confessione auditum. Item omnis, qui præter vel contra voluntatem confitentis, sive casu, sive ex industria, cùm staret ad sacrum tribunal, ejusdem confessionem audivit. Ita communiter DD. Ratio ex dictis est: quia sola notitia, quam memorati habent de peccatis alterius, ex sola confessione sacramentali est acquisita. Unde etiam totam sub secreto sigilli retinere oportet. Neque injuria, sive injuria Sacerdotis, aut adstantium debet obesse Sacramento; quod certè redderetur valde odiosum, si notitiâ confessionis ita comparatâ uti per præceptum sigilli non esset prohibitum. Dixi, *contra voluntatem Pœnitentis &c.* Nam si fortè Pœnitens ad majorem sui confusionem velit aliquos adesse, quibûs audientibûs confiteatur Sacerdoti, hi tales non nisi obligationem secreti naturalis contrahunt. Ratio est: quia ejusmodi confessio, quatenùs ad illos dirigitur, non est sacramentalis, sed solùm, quatenùs fit Confessario. Card. de Lugo n. 39. Reding n. 7.

Sexta, juxta plures, quos refert & sequitur Sporer num. 857. est ille, qui in- 29
venit, legitque chartam, in qua scripta erant peccata in ordine ad Confessionem. Ratio est: quia ejusmodi scripturavel est inchoata confessio, vel confessionem jam peractam continet. Verùm probabilius est, talem non teneri obligatione sigilli, licèt haud dubiè teneatur obligatione secreti naturalis. Ita Laym. n. 19. Bonac. n. 7. Castropal. tract. 23. pu. 19. §. 4. n. 11. Salmantic. n. 63. Card. de Lugo n. 47. Reding. n. 14. & alii. Ratio est ex opposito, quia talis scriptura non est confessio sacramentalis, ne quidem inchoata, sed solùm exhibet memoriæ juvandæ causâ materiam præparatam ad confitendum. Unde neque continet confessionem peractam, sed solùm materiam, quæ ad eandem erat præparata.

Hujus tamen sententiæ doctrinam Card. 30
de Lugo n. 48. & 49. meritò limitat per duos casus. Primus est, si mutus quispiam Confessario præsenti confiteretur per scripturam, eamque aliquis legeret, is contraheret obligationem sigilli. Ratio est: quia tunc ea scriptura est ipsamet confessio Pœnitentis, sive adhuc existat in manu Confessarii, sive ab eodem amissam postea quis inveniat ac legat. quamvis hoc posterius, quod etiam tradit Laym. improbet Castropalao, asserens, non ipsam scripturam, ut quid est permanens, sed scripturæ traditionem, ejusque apud

Confessarium humilem manifestationem habere rationem confessionis sacramentalis. cùm proinde inventor ex ea traditione scripturæ & manifestatione non accipiat notitiam peccatorum Pœnitentis, ut supponitur, sed ex signo solùm scripturæ permanenti, non tenetur lege sigilli. Alter casus est, si quis per litteras petivisset à Superiore licentiam, ut absolvi posset à peccato reservato, quod in iisdem litteris expressisset. tunc enim qui legeret in illis litteris peccatum reservatum scriptoris, obligaretur sigillô, non minùs quàm ille, qui casu audiret verba petentis hanc talem licentiam.

§. IV.

Resolvuntur nonnullæ quæstiones.

SUMMARIUM.

31. *An, & quando liceat Confessario loqui cum Pœnitente de confessione peracta?* 32. *Quid, si Confessarius deprehendat errorem in confessione præterita commissum?* 33. 34. *& seqq. Resolvitur, & plurimis casibus illustratur quæstio de licito, vel illicito usu notitiæ ex confessione sacramentali comparatæ.* 41. 42. *& seqq. Resolvitur alia quæstio, quid agendum sit Confessario scienti, Pœnitentem scienter reticere aliquod peccatum?*

31 QUæstio prima. An Confessario licitum sit loqui cum Pœnitente de peracta confessione? Respondeo primò, esse licitum post datam absolutionem, dum confitens adhuc versatur in sacro tribunali. Card. de Lugo disp. 23. de Pœnit. sect. 5. n. 129. Salmantic. tr. 6. cap. 14. pu. 3. n. 43. Reding to. 7. q. 10. a. 2. controv. 4. n. 19. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 6. a. 5. n. 250. Ratio est: quia, dum hoc fit statim post finitam absolutionem, censetur adhuc fieri intra idem Judicium sacramentale, utque fiat, ad ejus integritatem est sæpe necessarium.

Respondeo secundo, etiam in posteriori confessione licitum esse Confessario loqui de illis, quæ Pœnitens dixit in priori. Card. de Lugo n. 127. Salmantic. n. 42. Reding. n. 16. Illsung n. 251. Ratio est: quia id sæpe est necessarium ad corrigendam consuetudinem peccandi. debet enim Confessario, ut in hoc negotio utiliter operam collocet, perspectus esse status Pœnitentis, qui ex præteritis confessionibus cognoscitur.

Respondeo tertio, extra confessionem non esse licitum Confessario de rebus in confessione auditis loqui, etiam cum ipso Pœnitente, sine facultate ejusdem. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 16. n. 3. Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 9. Salmantic. n. 39. Castropal. tr. 23. disp. un. pu. 19. §. 3. n. 14. Bonac. de Pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 4. n. 8. Illsung n. 252. & alii. Ratio est: quia licèt Pœnitens inde non infamaretur, posset tamen credere, se reprehendi, sibique exprobrari peccata; adeoque posset ex confusione aliqua rubore ac pudore suffundi. quod haud dubiè Sacramentum Pœnitentiæ redderet odiosum. Sigillum autem non solùm obligat ad tegendum in confessione audita, ne Pœnitens infametur, sed etiam ad cavendum, ne alio modo Sacramentum reddatur odiosum.

32 Corollarium. Quando Confessarius deprehendit, in confessione errorem à se, vel defectum esse commissum, non potest de illo Pœnitentem monere extra confessionem, quamvis hoc modo corrigi posset, si is neget facultatem loquendi de pertinentibus ad eam confessionem præcedentem. Ita Sanchez loco cit. & n. 15. Bonac. loco cit. Cardin. de Lugo n. 140. Castropal. n. 15. Salmantic. n. 44. Illsung n. 250. & alii. Ratio sumitur tum ex generali regula, quòd Confessarius de confessione loqui non possit sine licentia Pœnitentis. tum ex eo, quòd ejusmodi admonitio haberet speciem quandam reprehensionis, vel exprobationis; adeoque Sacramentum redderet odiosum. Neque dicas cum Laym. Diana, & aliis, Confessarium tunc verè non loqui extra confessionem, sed supplere & perficere eam, quæ inchoata & imperfecta manserat, & Pœnitentem esse irrationabiliter invitum. Nam contra est, quòd judicium sacramentale post absolutum & dimissum Pœnitentem jam sit perfectum & finitum: adeoque posterior ejusmodi sermo Confessarii ad illud perficiendum non rectè ordinetur. Castropal. Illsung locis citt. Atque hinc credo cum Sanchez n. 16. Confessarium in nostro casu non obligari ad petendam à Pœnitente facultatem loquendi. Accedit, quòd multi Pœnitentes eam petì ægrè ferrent, utpote nolentes peccatorum in confessione expositorum memoriam sibi refricari.

33 Quæstio secunda. An Confessario aliquando licitus sit usus notitiæ ex confessione comparatæ? Ante resolutionem scire oportet, plurimos & graves Theologos existimâsse, Confessarium, & superiorem hac scientia sacramentali uti posse ad externam gubernationem, dummodò sigillum non violetur ne quidem indirectè, nec præbeatur, ansa prudenter suspicandi, aliquid agi, aut fieri ex hujusmodi notitia. Quod cùm facilè evenire posse videatur in collatione, aut denegatione gratuitorum, quarum nullam est opus causam reddere; hinc docuerunt, posse Confessarium, ac Superiorem non eligere v. g. ad Prælaturam illum, quem ex confessione scit esse indignum, vel amovere eundem ab officio, si ad nutum sit amovibilis. Nunc

Respon-

34 Respondeo primo. Licitum est uti notitiâ confessionis, quoties id & sine omni periculo revelandi sigillum, & sine omni Pœnitis incommodo fieri potest. Ita Card. de Lugo disp. 23. sect. 5. n. 102. Castropal. n. 18. Salmantic. n. 54. Sanchez disp. cit. n. 4. Reding to. 7. q. 10. a. 2. controv. 5. n. 12. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. n. 861. Stoz. lib. 2. Tribunal. q. 4. a. 5. sect. 5. n. 247. & à fortiori omnes illi plurimi, quorum in priori n. meminimus, quosque videre est apud Sanchez n. 2. Ratio est: quia ille solùm usus notitiæ ex confessione acceptæ est illicitus, qui Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum, aut difficilius, quàm per se est: sed hoc non facit usus, de quo loquimur; ergo non est illicitus. Ex quibus jam oriuntur sequentes Resolutiones.

35 I. Confessarius ex notitia confessionis licitè potest. 1. orare Deum pro suo Pœnitente. 2. de auditis in confessione libros aut homines doctos consulere, ut inde scientiam suam augeat. 3. discere modum alios meliùs juvandi ac dirigendi in via salutis. 4 vitare pericula & occasiones tum peccandi, tum damnorum in bonis corporis, fortunæ, &c. in quibus Pœnitentem fuisse ex confessione cognoscit. 5. moribus & genio hominum ex confessione perspectis se aptare, accommodare &c. Vid. Card. de Lugo n. 101. Salmantic. loco cit. Stoz num. 248. Ratio est: quia ejusmodi usus notitiæ sacramentalis remotus est, ut supponitur, ab omni periculo revelationis; nec ullum Pœnitenti affert incommodum: adeoque Sacramentum Pœnitentiæ nemini reddit odiosum, tametsi sciatur esse licitus.

36 II. Licitum est præterea notitiâ confessionis uti. 1. ad concionandum de peccatis ex sola confessione cognitis, in communitate tamen ampla, v. g. in civitate aliqua; modò non dicat ejusmodi Concionator, ea peccata ex confessione sibi esse nota. Dixi, *in communitate ampla.* nam, si cœtus, ad quem verba facit, sit valde exiguus, v. g. Monasterium, vel Collegium aliquod; magnum periculum est violandi sigillum. Vid. Bonac. disp. 5. q. 6. sect. 5. pu. 4. n. 3. Stoz n. 249. Idem usus licitus est 2. ad interrogandum Pœnitentem de peccato ex sola complicis confessione noto: modò caveatur, ne idem de hac confessione quid suspicari possit. Castropal. n. 18. Ratio est: quia nec iste usus notitiæ confessionis continet revelationem, aut incommodum aliquod Pœnitentis. 3. ad hoc, ut, si Confessarius, vel Superior ex confessione subditi, vel Pœnitentis intelligat, rigorem, parsimoniam, vel modum agendi suum esse ingratum, se ipsum corrigat, similesque defectus vel excessus suos emendet. Vid. Card. de Lugo loco cit. Viva in appendice post tert. part. damnat. Thesium. §. 9. 4. ad familiariùs agendum cum Pœnitente ob illius erga se confidentiam, vel ob spiritualem indigentiam, ut volunt Card. de Lugo, Reding, Sporer, & alii, etiamsi Pœnitens advertat, peculiarem ejusmodi benevolentiam Confessarii sibi provenire ex sola notitia confessionis. Verùm hæc meritò docet Stoz loco cit. non esse concedenda Confessario, nisi Pœnitens verbo, vel facto quopiam expressè ostendat, se consentire. Ratio est: quia per hunc talem modum agendi Confessarius extra confessionem indicat, se nôsse, quæ Pœnitens in ea dixit, & sub sigillum cadunt: adeoque revelat sigillum, quod absque expresso Pœnitentis consensu nunquam est licitũ. Accedit, quòd non omnibus perinde acceptum sit peculiaris affectus ac benevolentiæ argumenta sibi exhiberi ab aliquo Confessario, quamvis eidem magnâ confidentiâ animæ suæ statum manifestent. Nunc

37 Respondeo secundo. Illicitum est uti notitiâ confessionis, quoties vel periculum violandi sigillum, vel incommodum aliquod Pœnitentis intervenit. Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 16. n. 4. Bonac. n. 8. Salmantic. ubi suprà n. 45, & 46. Reding n. 10. & alii communiter. Ratio est: quia omnis ille usus notitiæ ex confessione comparatæ est illicitus, qui Sacramentum Pœnitentiæ reddit odiosum, ac difficilius, quàm per se est: atqui hoc facit usus ejusdem notitiæ, quoties per illum vel violatur sigillum, vel incommodum affertur Pœnitenti; ergo &c. Atque hæc fuit causa, ut Clemens VIII. anno 1594. die 26. Maij, in decreto de Casuum Reservat. prohibuerit omnibus Superioribus Regularium, *ne eâ notitiâ, quàm de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quæ prohibitio quamvis loquatur de solis Regularibus, ob paritatem tamen rationis, quæ universalis est, meritò asseritur cum Card. de Lugo à n. 94. eam ad omnes omnino Confessarios extendi.

38 Itaque Superior, vel alius Confessarius contra reverentiam Sacramenti peccat. 1. si ob notitiam peccati ex sola confessione acceptam fores, per quas Pœnitens noctu egrediebatur, obstruat; locum, in quo peccâsse eum meminit, solitô frequentiùs visitet; arcam, vel cellam, ex qua furabatur, meliùs custodiat &c. ut habet Stoz num. 25. 2. si ei, quem ex sola confessione scit esse indignum, neget suffragium in electione ad Prælaturam: item, si neget Sacramentum, etiamsi privatim tantùm, seu occultè petat v. g. Eucharistiam, Ordines, Assistentiam Matrimonii. quamvis de Eucharistia contrarium visum fuerit probabilius suprà par. 3. disp. 6. a. 2. n. 30. Vid. Bonac. n. 16. & 17. 3. si non eat, cùm vocatur ad audiendam confessionem alicujus,

qui ipsi verè quidem, & non tantùm fictè confiteri est solitus; sed scit ex prioribus confessionibus, eum nolle restituere, quamvis possit; nolle vitare proximam occasionem peccandi &c. Card. de Lugo n. 117. 4. si ab officio, vel loco amoveat illum, quem scit in eo malè se gerere; vel famulum, quem scit esse furacem, dimittat ex servitio. Bonac. n. 14. & 15. 5. Si asperiorem in vultu, aut verbis, vel minùs affabilem se exhibeat erga illum, quem scit esse hominem improbum. Card. de Lugo n. 104. Salmantic. ubi suprà n. 37. 6. Si non ampliùs confiteatur illi, quem scit non esse Sacerdotem. Card. de Lugo n. 105. ubi tamen notat, hunc esse casum Metaphysicum, ut quis cuipiam confiteatur, se non esse Sacerdotem; & nihilominùs postea velit serio ejus confessionem audire. 7. Si non ampliùs legat Missam in Ecclesia, quam scit esse pollutam; vel hoc detegat, ut reconcilietur. Bonac. num. 23. 8. Si non reddat alicui suum gladium, aliàve arma apud se deposita, quibus scit, quòd vel se Confessarium, vel alium sit graviter læsurus, &c. Si nempe hæc sciat ex sola confessione Pœnitentis (ut in adductis casibus semper supposuimus) & absque ejus licentia ea, quæ nunc memoravimus, agat vel omittat.

39 Neque obstat primo, quod in ejusmodi aliquo casu solus Pœnitens fortè advertat, aut rationabiliter suspicetur, Confessarium uti scientiâ confessionis, quia sigillum non tantùm obligat in ordine ad alios, sed etiam in ordine ad Pœnitentem, ne eidem, nisi dederit ipse licentiam, peccatum ex sola confessione notum extra hanc ullo verbo aut facto indicetur; sive jam talis indicatio apelletur violatio sigilli, sive aliter. Card. de Lugo à n. 95. Viva in Append. cit. §. 7. pag. 186. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 9. §. 6. Neque obstat secundo, si fortè nec ipse Pœnitens hic & nunc advertat, se propter peccatum ex sola confessione notum privari officio v. g. vel honore aliquo &c. quia ipsa quoque sola persuasio, quòd Confessariis aliquando ejusmodi notitiâ uti liceret ad effectum quemcunque demum Pœnitentibus ingratum & incommodum, Sacramentum redderet odiosum, & ab eodem homines absterreret. Card. de Lugo n. 98. Abbas Rassler loco cit. Sporer de Sacram. par. 3. cap. 7. n. 866. Neque obstat tertio, quòd Confessarius, antequam audiret confessionem, habuerit jus indignum non eligendi ad Prælaturam, amovendi ab officio &c. dicitur enim, habuisse jus, si indignitatem illius aliundè novit, nunquam autem habuisse, nec modò habere, si ex solâ confessione novit. Viva §. cit. pag. 185. In omnibus itaque recensitis casibus, quorum similes adhuc plures afferri possent, vel indirectè saltem violatur sigillum, vel aliquid accidit Pœnitenti grave & incommodum; adeoque Sacramentum redditur odiosum.

Objicies. Ex nostra doctrina sequitur, 40
Sacerdotem, si ex sola confessione nôsset, sibi insidias parari, ut occidatur sequenti nocte; vel venenum esse in vino, quod debet consecrare; non posse fugere, vel omittere Missam propter eam notitiam. Imò sequitur, non posse vitare gravissimam occasionem peccandi, quam ex sola confessione sciret sibi parari, licèt moraliter certò existimaret, se lapsurum, si eam non declinaret. Sed istæ sequelæ nequeunt admitti; ergo. Respondeo concedendo sequelas adductas, & negando, eas admittere quid esse absurdi; imò assero, esse admittendas ab omnibus, qui volunt esse rigidi sacramentalis sigilli hyperaspistæ. Quia revera nullum est tam grave malum temporale, vel spirituale, quod præponderet fractioni hujus sigilli, ait Bonac. ubi suprà n. 18. vel cujus periculum non potiùs subeundum sit Confessario, quàm aliquid faciendum, vel omittendum, quod Sacramentum Pœnitentiæ reddat odiosum, aut difficilius, quàm per se est. Quòd si Confessarius eo tempore insidiarum, aut Missæ celebrandæ versetur in statu peccati mortalis, nec habeat copiam alteri confitendi, tunc eliciat, vel conetur elicere perfectam contritionem, certoque credat, auxilium Divinum non defuturum, vel si moriendum pro observantia sigilli sacramentalis à Christo præcepta, se restitutum in charitate & gratia Dei. Accedit, quòd Sacramentum Eucharistiæ in Missâ tunc sumendum exattrito possit facere contritum. Vid. Stoz n. 252. Si verò metuat sibi à periculo ruinæ spiritualis, ut in ultimo casu, adversus illud orationibus, speque Divini auxilii, vi cujus à lapsu sit præservandus, munire se debet. Viva §. 9. pag. 189. Verùm hæc satis de casibus, qui moraliter nunquam evenient.

Quæstio tertia. Quid agendum sit Con- 41
fessario scienti, Pœnitentem scienter reticere aliquod peccatum? Statum Quæstionis accipe in sequenti casu. Confessus est sponsus & sponsa contracturi Matrimonium. Ambo dixerunt, ultimam confessionem se peregisse in Paschate: & quia Confessarius vidit, esse homines rudes, interrogavit utrumque, an non post contracta sponsalia ab ultimæ confessionis tempore usum corporum sibi invicem præbuerint instar conjugum, (id enim sæpe solet contingere) adeoque fornicati fuerint? Fassus est sponsus, id non semel, sed sæpius fuisse factum. Sponsa Confessionale post ingressa negavit omnia. Quæritur jam, quid agendum tunc fuerit, vel modò esset Confessario cum tali Sponsa? Antequàm respondeam, præmittenda sunt quædam generalia, quæ in similibus casibus communiter observare oportet.

Pri-

42 Primum est. Si Confessarius peccatum, quod Pœnitens non fatetur, novit ex sola confessione complicis, non potest uti hac notitiâ, nisi in genere quærendô, an non quid aliud gravet Conscientiam? Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 24. Stoz lib. 2. tribun. q. 3. a. 2. §. 8. & alii. Ratio est: quia specialiùs examinandô incurreret periculum revelandi peccatum ab altero expositum. Imò tametsi hic dedisset licentiam de suo peccato lòquendi cum socio, plerumque tamen non abest periculum scandali. Quòdsi hoc fortè absit, non prohibetur Pœnitentem examinare speciatim, ut habent Authores citt. quod etiam procedit, si peccatum illud sit, de quo alii ejusdem conditionis Pœnitentes interrogari solent; uti habent Sporer de Sacram. par. 3. cap. 6. n. 802. Stoz loco cit.

43 Secundum est. Si Confessarius extrà confessionem complicis ex aliorum fideli relatione peccatum Pœnitentis, quod is omittit, cognovit; vel ipse oculis suis vidit, auribus audivit, tunc eundem specialiùs examinare potest & debet: constanter tamen negantem plerumque tenetur absolvere. Laym. lococit. Stoz n. 104. Illsung tract. 6. disp. 6. q. 4. a. 7. n. 127. Ratio primi est: quia illâ notitiâ extra sacramentali non prohibetur uti ad utilitatem Pœnitentis: cumque aliunde teneatur procurare integritatem confessionis in ipso, etiam uti debet. magna tamen hic cautelâ & circumspectione est opus. Ratio secundi est: quia in hoc foro Confessarius Pœnitenti tam pro se, quàm contra se loquenti magis debet credere, quàm complici, vel aliis, vel etiam sibiipsi, suisque oculis & auribus. Judex quippe debet judicare secundùm allegata & probata in omni judicio, & non secundùm privatam scientiam. Atqui in præsenti tota allegatio & probatio consistit in dictis Pœnitentis. nam ipse est simul reus, actor, & testis. Cogitare proinde debet, Pœnitentem id peccatum vel jam fuisse confessum alteri; vel penitus oblitum; vel putare, non esse peccatum; vel eos, qui retulerunt, falsum dixisse, &c.

44 Tertium est. Si Confessario, consideratis omnibus circumstantiis, certò constet, Pœnitentem peccatum mortale commisisse, idque eundem malitiosè & mendaciter negare, tunc non potest eum absolvere. Card. de Lugo disp. 22. sect. 2. num. 21. Laym. Stoz, Illsung locis citt. & alii communiter. Ratio est: quia Pœnitens, qui, cùm posset, & deberet, non integrè confitetur, est indispositus ad absolutionem: atqui Pœnitens in nostro casu ita se gerit; ergo est indispositus. & consequenter Confessarius, si eum absolveret, scienter absolveret indispositum; quòd esset grave peccatum & contra officium Judicis in hoc sacro Tribunali, & contra reverentiam Sacramenti.

Nunc ad Quæstionem in n. 41. excitatam respondeo. Confessarius non potuit illam Sponsam urgere ulteriùs absolutè interrogandô citra periculum frangendi sigillum confessionis à Sponso factæ. Itaque potuit interrogare conditionatè; an, si ejusmodi rem fecisset, quam modò se fecisse neget, ipsa sciret, quòd esset grave peccatum, & quòd illud confiteri teneretur? Si respondit, se id utrumque nescire, tunc potuit absolvere, sub conditione saltem. Ratio est: quia prudenter cogitare potuit, mulierem fortè putâsse, quod propter Sponsalia præcedentia jam fuerit licitus mutuus corporum usus; adeoque ob ignorantiam fortè invincibilem non peccâsse mortaliter. Si respondit, se id utrumque probè scire; tunc non potuit absolvere. Ratio est: quia nulla prorsus apparuit rationabilis causa illam excusandi à sacrilega reticentia peccati mortalis contrà præceptum integrè confitendi. Nam in primis Confessarius sibi persuadere non potuit, Sponsum accusaturum se fuisse de fornicationibus illis, nisi eas tum Sponsa commisisset. Deinde certum erat, Sponsam interea non fuisse confessam. Demum neque obtendi poterat invincibilis ignorantia; quia fœmina dixit, se bene scire, quòd graviter peccatura fuisset. Itaque Confessarii erat hanc Pœnitentem, utpote evidenter indispositam, sine absolutione dimittere, & ejus loco tacitè recitare orationes: *misereatur tui &c.* & *indulgentiam, absolutionem &c.* hoc enim agendô neque revelavit confessionem Sponsi; neque Sponsæ ullum attulit incommodum. Ratio primi est: quia usus notitiæ, quam Confessarius acceperat ex confessione Sponsi, neque cessit in hujus præjudicium aliquod, neque à Sponsa per generalem illam & conditionatam interrogationem nullo modo fuit animadversus. Ratio secundi est: quia licèt Sponsa putaverit, se fuisse absolutam, sciebat tamen, absolutionem fuisse nullam & invalidam, seque obligatam esse ad omnia mortalia iterum Clavibus subjicienda. Ità resolvit Illsung loco cit. num. 128. Aliter respondet Gobat tract. 7. n. 245. apud eundem Illsung negandô, Confessarium potuisse hanc Sponsam fornicationes commissas constanter negantem dimittere sine absolutione. Ratio ipsius est: tum, quia denegandô absolutionem revelâsset peccata Sponsi. tum, quia, esto non revelâsset, non tenebatur magis credere Sponso, quàm Sponsæ. Addit verò, si extra confessionem complicis Confessarius certò cognovisset, mulierem mentiri, debuisse dimittere inabsolutam: quia nempe tunc evidenter fuisset indigna absolutione. Verùm, quòd hac ratione Confessarius non revelaverit ullum peccatum Sponsi, ex dictis sufficienter colligitur. Deinde non apparet, unde certiùs cognoscere potue-

potuerit, Sponsam mentiri, quàm ex Sponso se ipsum fide sacramentali accusante de criminibus, quæ commisit cum Sponsâ complice. Accedit, quòd non videatur ullatenùs credibile, Sponsum sine ulla causa accusâsse Sponsam, seque privare voluisse fructu sinceræ confessionis. Itaque contra Sponsam potiùs præsumptio est, quod sacrilego pudore occæcata negaverit peccata à se commissa. Quare existimo, priorem resolutionem esse præferendam. Salvo tamen meliori judicio.

ARTICULUS VI.

De Scientia & Prudentia Confessarii.

SUMMARIUM.

1. Ad licitè absolvendum requiritur in Sacerdote sufficiens scientia. 2. Graviter peccat, qui, cùm sit inidoneus, munus Confessarii suscipit. 3. Graviter etiam peccant Prælati, quando ad Confessiones exponunt idoneos. 4. Quantam oporteat esse scientiam Confessarii. 5. 6. 7. 8. Corollaria. 9. Requiritur præterea in Confessario prudentia. 10. 11. 12. 13. 14. Declaratur pluribus, qualiter Confessario prudentia sit necessaria.

1 DIco primo. Ut Sacerdos licitè administret Sacramentum Pœnitentiæ, sufficienti scientia debet esse instructus. Ratio est evidens: quia fungitur officiis Judicis, Medici, Pastoris ac Doctoris: quibus, ut possit satisfacere, prout oportet, scientiâ pollere debet, sine qua nec æquum judicium ferre; nec animarum morbis opportunè mederi; nec Pœnitentes in viam salutis dirigere poterit. Atque hinc

2 Sequitur primo, graviter peccare Sacerdotem, qui absque scientia sufficienti functioni tam sublimi se ingerit, quamvis aliàs ab Episcopo sit approbatus. Ratio est: quia est intrinsecè malum officio cuipiam se ingerere, cui gerendo quis novit se esse imparem. Accedit, quòd ejusmodi Sacerdos periculo se exponat non ritè administrandi hoc Sacramentum. Vid. Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 4. §. 2. n. 5. Salmantic. tract. 6. cap. 12. pu. 1. n. 3. Abbas Rassler de Pœnit. cap. 8. §. 2.

3 Sequitur secundo, etiam Episcopos, & Prælatos graviter peccare, si absque ulla urgente necessitate ad excipiendas subditorum suorum Confessiones exponant inidoneos. Ratio est: quia tenentur populo sibi subdito providere de bonis pastoribus: quam obligationem graviter violant, si ineptos eligant, aut electos & constitutos non amoveant. Vid. Bonac. n. 6. Salmantic. loco cit. Castropal. tract. 23. disp. un. pu. 16. n. 10. Reding to. 7. q. 9. a. 3. controv. 4. n. 5. Dixi, *si absque ulla &c.* quia, si deficiant idonei ac docti, præstat populum confiteri Sacerdotibus indoctis, quàm omnino nullis, ac diu destitui Sacramento Pœnitentiæ; quo non coguntur subditi carere in tali casu, si habeant Sacerdotes, saltem indoctos. Moneri tamen debet ejusmodi Confessarius ab Episcopo, vel Prælato illum exponente de doctrinæ defectu, deque obligatione per diligens studium comparandi scientiam necessariam. Card. de Lugo disp. 22. sect. 4. n. 74. Reding loco cit.

4 Satis est autem, si Confessarius tantum habeat scientiæ, ut sciat, quæ sit materia necessaria, aut sufficiens; quæ forma hujus Sacramenti; quæ partes illius essentiales & integrales; quæ peccata saltem ex genere suo sint mortalia aut venialia; quæ circumstantiæ mutent speciem peccati; quæ secum afferant obligationem restituendi; quæ Summo Pontifici, aut Episcopis sint reservata; quæ habeant annexam excommunicationem; qualis ex parte Pœnitentis requiratur dispositio ad Absolutionem. Ita Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 13. n. 1. Salmantic. à num. 4. Reding num. 3. & alii communiter. Ratio est: quia tanta scientia sufficit, ut Confessarius possit agere Judicem, Medicum, & Doctorem pœnitentis. Porrò autem opus non est, ut quis omnia recensita, aliave similia sigillatim & exactè cognoscat; cùm alioqui vix reperire esset idoneum confessarium; sed satis est nôsse frequentiùs occurrentia; in difficilioribus verò dubitare, sibi non nimis fidere, libros & peritiores consulere, ut dubium deponat. Ex dictis

5 Colligitur primò, non esse necessarium, ut Confessarius de quolibet individuo & singulari peccato Pœnitentis ferat judicium, sitne mortale, an veniale. Ratio est: quia hoc est nimis difficile & sæpe impossibile. Sufficit ergo ad prudentem sententiam concipiendam, medicinamque, prout res poposcerit, præscribendam, si genus seu speciem peccati, & qualiter commissum fuerit, intellexerit. Vid. Card. de Lugo n. 71. Castropal. n. 6. Reding loco cit. Abbas Rassler §. 3.

6 Colligitur secundo, si Pœnitens, aut Confessarius, vel uterque simul ex ignorantia existiment, peccatum esse veniale, quod reipsa est mortale, confessionem non esse propterea invalidam & repetendam. Ratio est: quia hæc, etiam utriusque, falsa existi-

matio non obstat, quin adsint omnia ad substantiam confessionis sacramentalis necessaria. Bonac. n. 15. Abbas Rassler loco cit. Quòdsi tamen Pœnitens apertè cognoscat, Confessarium non percipere gravitatem mortalem peccati expositi, eum de hac edocere debet. tenetur enim facere, quod in se est, ut Confessarius in causa tam gravi rectè judicet. Castropal. n. 8.

7 Colligitur tertio, neque tunc iterandam esse confessionem, quando Confessarius non intellexit, circumstantias mutare speciem peccati, dummodò Pœnitens eas sufficienter explicaverit. Ratio ex dictis est: quia de valore hujus Sacramenti non est, ut Confessarius & Pœnitens cognoscant omnem gravitatem culpæ. Abbas Rassler loco cit.

8 Colligitur quarto, in Confessario requiri scientiam majorem, vel minorem pro diversitate locorum & personarum confitentium. Ratio est: quia Confessario incumbit scire ea saltem, quæ communiter occurrunt in Confessionali, in quo est expositus. Atqui aliqui Pœnitentes, ut Mercatores, Judices, & Advocati, difficiliores casus afferre solent, quàm alii, ut pueri, rustici, ac homines probi. Similiter in urbibus, præsertim maritimis, difficiliores contractus, & magis ardua negotia fervent, quàm in pagis, ergo Confessarius expositus in uno loco, vel pro personis unius generis, debet pollere majori scientia, quàm expositus in alio loco, vel pro personis alterius generis. Laym. loco cit. Bonac. n. 8. Castropal. n. 4. Card. de Lugo n. 70. ubi etiam judicat contra Navarrum ad audiendas confessiones hominis docti similiter minorem scientiam sufficere. cùm Confessarius ab ejusmodi Pœnitente juvari possit tum in cognoscendo gravitatem peccati, tum alia necessaria. Quodsi Sacerdos dubitet de sufficientia suæ doctrinæ, dubium deponere poterit acquiescendò arbitrio viri docti, & prudentis, aut judicio Prælati, qui ipsum ad audiendas confessiones exposuit. Laym. loco cit. Bonac. n. 6. Castropal. n. 5. Reding n. 6.

9 Dico jam secundo. In Confessario requiritur insuper prudentia, ex cujus directione rectè præstet, quæ ad proprium ipsius officium pertinent. Hæc concl. ipso naturæ lumine est evidens, & à nemine, cui sanâ mens est, negari potest. Quis enim non videat, Judicem, Medicum, ac Doctorem, seu Pastorem spiritualem, cujusmodi est Confessarius, in propriis functionibus non minùs debere prudenter procedere, quàm Judicem sedentem in tribunali fori externi; Medicum ad curandos morbos corporum constitutum &c.

10 Indiget autem prudentiâ Confessarius primo, ad examinandum & juvandum Pœnitentem, ut peccata sua integrè confiteatur. Nam sæpe fit, ut Pœnitentes, sive ob ruditatem, sive ob negligentiam suam, absque ullo, vel saltem sufficienti examine conscientiæ in sacto tribunali comparent. In quo casu incumbit Confessario adjuvare Pœnitentem discretè interrogandò, ut, quantum ejus capacitas admittit, eliciat confessionem integram. Ratio est: quia non licet sacramentaliter absolvere indispositum, cujusmodi planè est, qui citra legitimam causam non integrè confitetur. Neque putes, Confessarium facilè posse hoc opus à se amoliri Pœnitentem dimittendo, ut seipsum examinet, posteaque redeat quamvis enim hoc aliquando expediat, si tamen Pœnitens est valde rudi, hebeti, & tardo ingenio, ut frequenter sunt homines rusticani, aliique plebeii, id non est consultum. talis enim si vel millies se examinaverit, vix redibit paratior. Card. de Lugo disp. cit. sect. 2. n. 20. Eadem obligatio interrogandi urget Confessarium, quando advertit, Pœnitentem quidem debitâ diligentiâ conscientiam discussisse, simul tamen ex circumstantiis probabiliter colligit, eum ex oblivione peccatum aliquod mortale, vel circumstantiam, quæ speciem mutet, non manifestare. Ratio est: quia Confessarius, utpote gerens officium Judicis & Medici, in causam, quantum necesse est, inquirere, & procurare debet, ut morbi & vulnera Pœnitentis, quoad fieri potest, detegantur. cùm neque Judex justè judicare causâ non satis cognitâ, neque Medicus salubriter mederi statu morbi non perspecto possit. Dices. Confessio in casu posito ob debitam diligentiam in examine conscientiæ adhibitam est formaliter integra: ergo nulla est opus ulteriore interrogatione Confessarii. Respondeo neg. conseq. quia Confessarii est materialem quoque integritatem confessionis procurare, quando nihil obstat, idque ipse prudenter potest. Vid. Salmantic. tract. 6. cap. 12. pu. 2. n. 18. & 19.

11 Duo porrò Confessarius in examinatione Pœnitentiam, si videatur necessaria, præcipuè observare debet. Primum est, ut non singulos de singulis, sed de illis tantùm interroget, quæ consideratis circumstantiis personæ, officii, negotii, ac statûs, in unumquemque probabiliter convenire possunt. Secundum est, ut in inquirendo utatur diligentia non accuratissima, ac metaphysica, sed morali tantùm & humanâ. Ratio est: quia illâ diligentissimâ, & ad ultimas usque minutias scrupulosâ omnium investigatione confessionem redderet odiosam, & difficiliorem, quàm est ex sua institutione, quæ ipsa causa est, ut etiam à Pœnitentibus non exigatur summa diligentia in examine conscientiæ. Igitur Confessarius Pœnitentem examinaturus primo omnium diuturnitatem temporis ab ultima confessione elapsi exquirat, docet enim experientia, id nôsse plurimùm juvare

ad

ad statum Pœnitentis, numerumque peccatorum postea meliùs percipiendum. Omissis deinde inutilibus, eas interrogationes format, quas statui, ætati, muneri, & conditioni personæ confitentis intelligit esse accommodatas. in omnibus tamen memor sit honestatis & modestiæ, studeatque, ut etiam in exquirendo turpia, dum id necesse est, utatur verbis honestis & decentibus, quoad fieri potest. Illud maximè caveat, ne peccatorum, præsertim carnalium, nimium particulares, easque impertinentes circumstantias curiosè investiget. hac enim talium investigatione Pœnitenti occasionem præberet vel ea malè discendi, quæ meliùs ignorâsset, & fortè etiam omnino perpetrandi; vel saltem suspicandi, Confessarium ex ejusmodi rerum cognitione delectationem capere. atque hoc in confessionibus juniorum præcipuè attendere oportet. Vid. Laym. lib. 5. tr. 6. c. 13. n. 7. Castropal. tr. 23. disp. un. pu. 19. §. 2. n. 4. Salmantic. pu. cit. Mezger tr. 18. disp. 49. a. 5. n. 6. Abbas Rassler de Pœnit. c. 7. §. 6. ubi etiam docet, quando Confessarius experitur, Pœnitentem ad generalia quæsita nihil confiteri, eum non facilè ad particularia peccata carnis interrogandò debere descendere. Similiter nec debere interrogare de peccatis operum, quando Pœnitens nulla in eodem genere peccata cordis agnoscit; nisi fortè idem ob suam ruditatem vix alia peccata dari putet, quàm operum; ut frequenter putant homines rustici.

12 Indiget quoque prudentiâ Confessarius secundo ad Pœnitentem instruendum & erudiendum. Ratio est: quia lex charitatis, & officium Doctoris & Pastoris, quod gerit Confessarius, exigunt, ut Pœnitentem, cùm errat, aut ignorat, quæ non essent ignoranda, moneat, ac corrigat, quoad expedire judicaverit. Quando proinde deprehendit, Pœnitentem errore quopiam laborare, ut v. g. existimet, rem, quam possidet, esse suam, cùm sit alterius; Matrimonium esse validum, quod est invalidum; attendere debet, sitne error culpabilis, an inculpabilis? Si culpabilis, Confessarius monere tenetur: quia perseverante ejusmodi errore Pœnitens est indispositus ad absolutionem. Si inculpabilis, rursus oportet attendere, an ex ejus delectione fructus sperari possit, an non? Si primum; detegendus est Pœnitenti hic talis error. Si secundum non est detegendus, sed relinquenda erranti sua bona fides, eique, utpote bene disposito, impertienda absolutio. Excipitur tamen error inculpabilis circa impedimentũ dirimens Matrimonium contrahendum, & casus, in quo Pœnitens Confessarium interrogat de valore Matrimonii. Reverentia quippe Sacramenti, multorumque incommodorum evitatio ordinariè postulant, ut detegatur error circa impedimentum dirimens, dum agitur de matrimonio contrahendo. Quando vero Pœnitens interrogat, tunc jam cessavit esse in bona fide, & ignorantia invincibili, teneturque Confessarius ipsi aperire veritatem. Vid. Castrop. à n. 6. Salmantic. pu. 3. à n. 33. Mezger loco cit. Abbas Rassler §. 8. 9. & 10.

13 Indiget præterea prudentiâ Confessarius tertio, ut rectè, debitéque respondeat ad interrogata Pœnitentis. Ratio est: quia sicut Pœnitens habet jus Confessarium, ceu Medicum & Doctorem suum, interrogandi de veritate in iis, quæ ipsum agere, ac scire oportet, ita Confessarius habet obligationem eidẽ rectè & convenienter aperiendi veritatem, quod absque directione Prudentiæ præstare non potest. Atque hinc primo, quotiescunque Pœnitens dubitans de valore sui Matrimonii, jure petendi debitum, obligatione restituendi &c. veritatẽ inquirit ex Confessario, hic eandem tenetur ipsi edicere. Ratio est: tum, quòd ejusmodi Pœnitens jam inceperit habere ignorantiam vincibilem. tum, quòd idem Confessarii silentium aut dissimulationẽ in suum favorem interpretari posset, atque existimare, errorem suum tacitè approbari; quod nunquam fieri licitè potest. Vid. Laym. l. 5. tr. 6. c. 13. n. 6. Castrop. n. 10. Secundo, si Pœnitens interroget, an detur aliqua sententia probabilis, quæ ipsum liberet v. g. ab onere restituendi, Confessarius tenetur manifestare, quando novit talem sententiam. Ratio est: quia alioquin celandô veritatem deciperet interrogantem, esset que immeritò in causâ, ut idem vel restitueret, vel peccaret, si existimans, se obligari ad restituendum, non restitueret. Abbas Rassler §. 11. qui etiam §. 12. monet Confessarium, ne in resolutionibus casuum, qui ipsi proponuntur, sit præceps, sed rem diligenter expendat, & pro qualitate materiæ Authores, vel alios viros doctos consulat, salvô tamen semper sigillô.

14 Indiget demum prudentiâ Confessarius quarto ad emendandos defectus, si quos ipse fortè in administratione Sacramenti Pœnitentiæ commisit. Possunt ejusmodi defectus reduci ad tres classes, ita, ut in prima sint, qui pertinent ad valorem Sacramenti, ut, si absolvit carens jurisdictione, indispositum, &c. in secunda ii, qui cedunt in damnum tertii, vel ipsius Pœnitentis, si obligavit ad restituendũ, qui non debuit, vel non obligavit eum, qui debuit restituere. in tertia demum alii, qui in nullius cedunt præjudicium, sed solùm adversantur integritati Confessionis; ut, si non interrogavit numerum, vel circumstantias peccatorum &c. Quando defectus est ex prima classe, tenetur Confessarius eum emendare, si possit absque magno suo incommodo, aut scandalo aliorum, inducendo Pœnitentem ad iterandam confessionem. Si cõmodè non possit, non tenetur: cùm illa peccata remittantur indirectè per confessionẽ proximè sequen-

sequentem. Excipitur tamen articulus, vel periculum mortis: in quo si Sacerdos Pœnitentem invalidè absolvisset, teneretur eundem de invaliditate Sacramenti admonere, etiam insuperhabito gravi suo incommodo, sicque curare, ne ille in statu peccati mortalis moriatur. Vid. Bonac. disp. 5. q. 7. pu. 6. n. 3. & 4. Card. de Lugo disp. 22. sect. 3. à n. 58. Mezger ubi suprà, n. 8. Quòd si error sit ex secundâ classe, ut ille de obligatione restituendi, tenetur Confessarius monere Pœnitentem, si absque gravi incommodo possit. Si tamen monere omittat, ipse non obligatur restituere, aut damnum reparare: nisi fortè Pœnitentem ex malitia, aut negligentia mortaliter culpabili positivè obligaverit, aut deobligaverit à restitutione, dicendo, non esse restituendum, cùm reverà esset, vel, esse, cùm reverà non esset restituendum. tunc enim ex justitia tenebitur Pœnitentem admonere suæ obligationis, vel ipse restituere; imò damnum Pœnitenti ipsi refarcire, quod is in rebus suis patitur ex restitutione, ad quam faciendam non obligabatur. Vid. Castropal. §. 3. n. 5. Abbas Rassler §. 16. Si denique Confessarius defectum tertiæ classis commisit, eò quòd ex culpabili negligentia non interrogaverit Pœnitentem de circumstantiis, aut aliis ad integritatem Confessionis pertinentibus; vel positivè fuerit causa, ut Pœnitens non confiteretur integrè, dicendô ipsi, non oportere aliter explicare numerum, speciem peccati &c. tenetur Pœnitentem monere de hoc defectu, si possit absque Scandalo, vel gravi suo incommodo. Vid. Card. de Lugo n. 73. Abbas Rassler loco cit. Alii tamen cum P. Suarez apud Card. cit. probabiliter nullam hîc agnoscunt in Confessario obligationem monendi de hoc defectu Pœnitentem, regulariter loquendo. Ratio est: quia Pœnitens nihilominùs fecit Confessionem saltem formaliter integram, estque indirectè saltem absolutus à peccatis omissis. Dixi, *regulariter loquendo*. nam si Pœnitens ob memoratam culpam Confessarii periclitaretur de salute animæ, v. g. si exinde perseveraturus esset in proxima occasione peccandi, Confessarius eum admonere teneretur juxta hos quoque Authores. Observandum est autem Confessario pro omnibus his casibus, ut, priusquàm Pœnitentem de ejusmodi aliquo defectu vel errore admoneat, petat licentiam cum ipso loquendi de re ad præcedentem Confessionem pertinente. Rassler, Mezger locis citt. Et hactenùs de Sacramento Pœnitentiæ.

DISPUTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Dicitur hoc Sacramentum *Unctio* à sua materia proxima, ut postea patebit. Dicitur *Extrema*: tum, quia postrema est omnium sacrarum unctionum, quibus homo viator ungitur in Ecclesia: tum, quia per illud fideles ad ultimam luctam cum Dæmone in articulo mortis ineundam præparantur. De quo Sacramento ita disputabimus, ut agamus primo de ejus Institutione & Definitione. Secundo, de Materia & Forma. Tertio, de Subjecto, sive Suscipiente. Quarto, de Ministro. Quinto, de Effectibus.

ARTICULUS I.

De Institutione, & Definitione hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Extrema Unctio est verum ac propriè dictum Sacramentum novæ Legis.* 2. *Occurritur objectionibus hæreticorum.* 3. *Extremam Unctionem Christus instituit post Resurrectionem.* 4. *Hoc Sacramentum ad salutem non est necessarium per se loquendo.* 5. *An peccent mortaliter, qui adsunt infirmis, si Extremam Unctionem eis procurare negligant?* 6. *Definitio hujus Sacramenti.*

R. P. Babenstuber Theol. moralis.

DIco primo. Extrema Unctio à Christo est instituta, tanquam verum & propriè dictum Sacramentum novæ Legis. Ita definitum habetur à Concilio Florent. sess. ult. & in Decreto Union. à Trid. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1. & can. 1. Constat præterea tum ex traditione, & praxi Ecclesiæ non tantùm Occidentalis, sed etiam Orientalis: tum ex Apostolo Jacobo, cap. 5. ubi scribit: Infirmatur quis in vobis? *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum,* 1

ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. In quibus verbis apertè continetur, quidquid ad verum Ecclesiæ Sacramentum desideratur: nempe suscipiens, qui est infirmus: Minister, qui est Presbyter: materia remota, quæ est oleum, & proxima, quæ est unctio, ritúsque externus ungendi: forma, quæ est oratio fidei: effectus, qui est salvatio, & alleviatio infirmi per gratiam Spiritus Sancti. Deducitur præterea ex eodem testimonio Institutio Christi. cùm enim Apostoli non fuerint auctores gratiæ, adeoque ejus collationem nulli signo, vel ritui externo certò annectere potuerint: S. Jacobus autem certò & absolutè promiserit gratiam remissivam peccatorum iis, qui hoc tali ritu usi fuerint, clarè colligitur, id promissum ipsius in voluntate, ac institutione Christi esse fundatum. Patet igitur veritas totius Conclusionis à nobis statutæ. Vid. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 1. n. 1. Salmantic. tract. 7. pu. 2. Castropal. tract. 26. pu. 1. Mezger tract. 19. disp. 50. a. 1. §. 1.

2 Verùm contra hæc Sectarii, qui negant Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ Legis, objiciunt primo. Quia Epistola illa Jacobi non est Canonica, ergo ejus authoritas nihil valet ad adstruendam Sacramentum hujus Unctionis. Secundo. Unctio, de qua ibi loquitur Apostolus, erat solùm ordinata ad curationem corporis per donum miraculorum tunc concessum Ecclesiæ: ergo non erat verum Sacramentum. Tertio. Extrema Unctio, qua utitur Romana Ecclesia, valdè diversa est ab unctione Jacobi. Nam ille infirmi salvationem tribuit orationi; Pontificii tribuunt Unctioni. Ille requirit fidem in ungente: Pontificii docent, etiam hæreticum posse validè administrare Extremam Unctionem. Ille vult, debere esse plures Presbyteros ungentes: Pontificii dicunt, unum sufficere. Quarto. Nullus Evangelista mentionem fecit Extremæ Unctionis; quam haud dubiè aliquis eorum feciisset, si esset Sacramentum, præsertim à Christo immediatè institutum: cùm Sacramenta sint prima fundamenta Religionis Christianæ.

Respondeo ad Primum neg. Ant. id enim falsum esse ostendunt nostri Polemici Bellarminus lib. 1. de hoc Sacram. cap. 3. Valentia to. 3. disp. 1. q. 1. pu. 7. & alii, quos lege, si lubet. Ad Secundum rursus neg. Ant: quia Unctionem, de qua loquitur Apostolus, valere etiam ad curationem animæ per gratiam remissivam peccatorum, constat ex verbis ipsius, *&, si in peccatis sit, remittentur ei.* Ad tert. dico, Unctionem in Romana Ecclesia hactenùs usitatam neutiquam differre ab illa Apostoli. Ipse enim salvationem infirmi non soli orationi, sed etiam Unctioni tribuit: cùm præscribat Unctionem cum oratione conjungendam. Atqui etiam nos non soli Unctioni, sed orationi quoque eum effectum tribuimus: Unctioni quidem tanquam materiæ, orationi verò tanquam formæ hujus Sacramenti. Deinde falsum est, quòd S. Jacobus requirat fidem in ungente, seu Ministro, subjectivè existentem, sed requirit fidem objectivè in ipso verbo Sacramentali contentam & expressam, prout explicat Reding to. 5. q. 11. a. 1. controv. 1. n. 13. atqui hanc talem fidem nos quoque requirimus. Idem demum Apostolus accusativũ pluralem *Presbyteros* usurpavit pro singulari, aesi diceret: inducat unum ex Sacerdotibus, Ministris Ecclesiæ. Sicut dici solet: si vis confiteri, vade ad PP. Franciscanos, vel Jesuitas, id est, elige unum aliquem ex illis pluribus, cui confitearis. Vid. Salmant. pu. cit. n 8. Ad Quartum respondeo, non fuisse necessarium, ut aliquis Evangelistarum mentionem faceret Extremæ Unctionis ad inferendum, eam esse immediatè à Christo institutam, sed ad hoc sufficere, eam esse per Jacobum Apostolum fidelibus commendatam ac promulgatam, ut loquitur Concil. Trident. ubi suprà cap. 1. Vid. Reding n. 14.

Quo tempore Christus hoc Sacramentum 3
instituerit, non convenit inter Authores. Nam aliqui putant, instituisse Marci 6. quando Apostolos misit ad prædicandum cum potestate sanandi infirmos per Unctionem olei. Sed probabilius est, instituisse post Resurrectionem, quando Joan. 20. instituit Sacramentum Pœnitentiæ. cùm enim sit hujus consummativum, ut loquitur Trident. ante sess. cit. non expediebat, ut priùs, sed potiùs ut posteriùs institueretur. Neque refert, quòd Concil. cap. 1 illius sess. dicat, hoc Sacramentum apud Marcum fuisse insinuatum, hoc enim idem est ac dicere, in quadam sui similitudine seu figura fuisse adumbratum. quo sensu etiam de Baptismo Christi dici potest, fuisse insinuatum per Baptismum Joannis. Vid. Laym. ubi suprà. Reding controv. 3. Mezger n. 2.

Illud hoc loco rectè quæritur, quanta sit 4
Extremæ Unctionis necessitas? Ad quod respondeo, nullam esse ejus necessitatem, seu medii, seu præcepti, per se loquendo. Ratio est: quia nullum exstat præceptum, vi cujus quisquam obligetur ad susceptionem hujus Sacramenti. Unde citra peccatum mortale illud potes non suscipere. vid. Laym. cap. 7. n. 1. Mezger n. 4. Oberascher par. 2. tr. 1. cap. 10. §. 5. q. 1. Dixi, *per se loquendo.* nam per accidens, dum infirmus dubitat de sua contritione, nec potest suscipere aliud Sacramentum, potest esse gravis obligatio suscipiendi Extremã Unctionem, ut ejus beneficiò moribundus ex attrito fortè fiat contritus, sicq; animæ suæ de salute periclitanti consulat. Laym. Oberascher locis citt. ubi etiam advertunt, omittere Extremam Unctionem ex contemptu esse mor-

mortale peccatum. mortaliter quoque peccari, si ex ejus omissione oriatur grave scandalum, vel vilipensio tam sacri ritûs.

5 Corollarium. Qui curam infirmorum gerunt, non peccant mortaliter, licèt absque rationabili causa Extremam Unctionem illis procurare intermittant, dummodò absit contemptus, vel grave scandalum, vel casus extraordinarius necessitatis, ubi nempe infirmus hujus Sacramenti capax aliud ante vitæ suæ finem non posset suscipere. Ita Laym. loco cit. Ratio est: quia, sicut infirmus ipse hoc Sacramentum sine peccato mortali potest non suscipere, ita curam ejus gerentes possunt sine mortali peccato id illi non procurare.

Dico secundo. Extrema Unctio est *Sa-* 6
cramentum novæ Legis, in quo aliquæ partes corporis infirmi unguntur oleô benedictô, sub præscripta verborum forma, ad conferendam salutem spiritualem, vel etiam corporalem â Christo institutum. vid. Laym. cap. 1. n. 1. Filliuc. tract. 3. cap. 4. n. 68. Bonac. disp. 7. pu. 1. n. 4. Oberascher §. 3. pag. 726. Bonitas & sensus hujus definitionis satis patebit ex dicendis per articulos seqq.

ARTICULUS II.
De Materia & Forma hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum.* 2. 3. 4. *Qualiter ad hoc Sacramentum sit necessaria benedictio Episcopalis.* 5. *Materia proxima est Unctio in certis corporis partibus.* 6. *An necessarium sit, ut quinque Unctionibus inungantur quinque partes?* 7. *Item, an Unctio facienda sit in figuram Crucis?* 8. *Præterea, an inter Unctiones debeat servari ordo?* 9. *Statuitur legitima forma hujus Sacramenti.* 10. *Hæc forma necessariò debet esse deprecativa.* 11. *Quænam illius verba sint essentialia.* 12. *An hæc eadem forma ad singulas Unctiones sit repetenda?*

1 Dico primo. Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum idque ab Episcopo priùs benedictum. Ita habetur ex Concil. Florent. in Decr. Un. & Trident. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 1. Prior pars Concl. constat ex cap. 5. S. Jacobi in præced. artic. cit. ubi dicitur, unctionem oleô fieri oportere: propriè autem, & simpliciter loquendo illud solum dicitur oleum, quod ex olivis exprimitur. Posterior pars sumitur ex traditione & praxi Ecclesiæ. Multi tamen existimant, simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ, vel etiam inferioris Episcopi oleum benedicere posse pro usu istius Sacramenti: quod sanè probabile est. Præplacet tamen sententia contraria, cùm sit probabilior, & securior. de qua vid. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 2. n. 1. Filliuc. tr. 3. cap. 4. n. 72. Bonac. disp. 7. q. un. pu. 2. n. 3. Castropal. tract. 16. disp. un. pu. 2. n. 3. Salmantic. tract. 7. cap. 2. pu. 1. n. 6. Mezger tract. 19. disp. 50. a 1. n. 7 Illud omnino certum est, ait Castropal. secluso Pontificis commissione, oleum à simplice Sacerdote benedictum materiam insufficientem esse. Nunc pro praxi aliqua dictis addere oportet.

2 I. Illa specialis benedictio, quam Ecclesia in Pontificali Romano præscripsit ad benedicendum oleum infirmorum, non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm.

II. De valore Sacramenti probabilius est 3
benedictio olei ab Episcopo ordinata ad Extremam Unctionem. Ita Bonac. n 5. Castrop. n. 5. Reding n. 16. Oberascher par. 2. tract. 1. cap. 10. §. 2. pag. 711. Ratio est: quia licèt Christus non præscripserit specialem aliquam formam benedicendi oleum infirmorum, meritò tamen creditur voluisse, ut per intentionem benedicentis Episcopi ordinaretur ad hoc Sacramentum. Ex quo sequitur, non esse licitum hodie (quidquid sit de praxi antiquorum temporum) in defectu olei infirmorum ad Sacramentum Extremæ Unctionis uti oleô Catechumenorum, vel Confirmatorum, seu Chrismate. Ratio est: quia hoc Sacramentum non potest conferri, nisi in oleo, quod consecratum est in ordine ad ipsum. sed oleum Catechumenorum, vel Confirmatorum hodie non consecratur seu benedicitur in ordine ad hoc Sacramentum; ergo &c. Atque hinc idem Sacramentum, si administraretur in sacro Chrismate, vel oleo Catechumenorum, gravi periculo invaliditatis exponeretur. Ita Laym. n. 3. Reding n. 17. Monet tamen cum eod. Laym. Oberascher pag. 713. si Sacerdos per errorem unxisset infirmum sacro Chrismate, nihil fore repetendum, sed rem Domino commendandam: tum propter probabilitatem sententiæ contrariæ: tum, quia repetitio Unctionis plerumque fieri non posset absque scandalo. Illud satis constat, oleum benedictum pro infirmis esse validam materiam hujus Sacramenti, si mixtum sit bal-

balsamo, vel alio liquore in quantitate tam modica, ut communi æstimatione & usu adhuc oleum esse censeatur. Vid. Castropal. n. 6. Salmantic. n. 9.

4 III. Extra casum urgentis necessitatis in administratione hujus Sacramenti non est licitum adhibere oleum antiquum, id est, eodem anno non benedictum. Bonac. n. 6. Castropal. n. 12. Reding n. 19. Mezger ubi suprà n. 9. Illsung tract. 6. disp. 7. a. 1. n. 2. Ratio est: quia ex consuetudine Ecclesiæ, & præscripto Clement. VIII. singulis annis non tantùm aliud Chrisma, sed etiam oleum infirmorum consecratur, perque singulas Ecclesias distribuitur: quod non fieret, si integrum esset uti oleo antiquo. Dixi tamen, *extra casum necessitatis.* tunc enim, quando in promptu non est oleum eodem anno benedictum, adhiberi potest oleum antiquum. Ratio est: quia in cap. *Si quis. de alio. de de Consecrat. dist. 4.* solum Chrisma jubetur comburi quotannis, non verò oleum Catechumenorum, vel infirmorum. ex quo colligitur, hoc oleum antiquum posse asservari, ut in casu necessitatis & defectu olei eodem anno consecrati possit esse usui pro materia Extremæ Unctionis.

5 Dico jam secundo. Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio, in certis quibusdam corporis partibus. Ita cum Divo Th. in Supplem. 3. p. q. 29. a. 5. communiter Theologi. idque satis significat Apostolus Jacobus cap. 5. illis verbis, *ungentes eum oleo,* & Concil. Trident. ubi suprà. Sed & ratio suffragatur in hunc modum, quia illa est materia proxima, quæ per formam proximè determinatur: sed Unctio per formam hujus Sacramenti proximè determinatur ad significationem practicam gratiæ, ergo. maj. supp. ex dictis de Sacram. in communi mi. constabit ex dicendis de forma Extr. Unct. Cæterùm certæ illæ partes corporis, quarum meminit Conclusio, sunt organa quinque sensuum exteriorum, nempe oculi, aures, nares, os, & manus, ut habet usus universalis Ecclesiæ, cujus etiam congrua ratio redditur: quia quinque hi sensus sunt veluti origines & radices peccatorum, quorum reliquiæ per Extremam Unctionem absterguntur. Vid. S. Th. in cit. Supplem. q. 32. a. 5. Meminit quidem Concil. Florent. Unctionis renum quoque seu lumborum, ac pedum: sed servanda hîc est cujusque Ecclesiæ consuetudo: cùm neutra istarum Unctionum sit de essentia Sacramenti. Imò, ut monet cum aliis Laym. n. 5. unctio in renibus convenientiùs omittitur, præsertim in fœminis, ac viris Religiosis. Porrò nomine Unctionis intelligitur talis applicatio olei, & in tanta quantitate, qualis est necessaria, in morali æstimatione, ut infirmus verè unctus denominari possit. vera quippe unctio est de essentia Sacramenti. Satis autem erit, si Sacerdos extremum digiti, vel in casu contagionis extremum alicujus instrumenti, v. g. virgæ, intingat in oleo, sicque liniat partes prædictas, ut ex Dicastillo & aliis tradit Mezger n. 10. Quando ægrotus caret aliquo membro, quod aliàs ungendum esset, ungenda est caro propinqua; si sensu aliquo careat, v. g. visu, ungendus est locus, in quo aliàs naturaliter sensus ille residere solet. Ita ex D. Thoma docent Laym. n. 6. Oberascher pag. 719. & alii. Rationem reddit S. D. q. cit. a. 7. *quia, quamvis* tales *non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur saltem in radice; & interiùs peccare possunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exteriùs.*

6 Sed quæstio adhuc restat, an de necessitate hujus Sacramenti sit, primo, ut quinque Unctionibus inungantur quinque partes? Secundo, ut Unctiones fiant in formam Crucis? Tertio, ut inter Unctiones servetur ordo? Ad Primum respondeo affirmativè cum communi sententia, quam post D. Th. q. cit. a. 6. tenent Sotus, Henriquez, Suarez, Valentia & alii, quos refert & sequitur Castrop. tract. 26. disp. un. pu. 3. n. 6. Ratio sufficiens est: quia Christum sic instituisse hoc Sacramentum, ut memoratæ quinque Unctiones essent de ejus necessitate, colligitur ex universali praxi Latinæ Ecclesiæ. Neque officit praxis contraria Græca Ecclesiæ, in qua, teste Arcadio, ut refert Mezger, inunguntur aliæ partes corporis, nempe frons, mentum, & ambæ genæ: hinc enim plus non sequitur, quàm Christum non omnia, quæ ad practicam significationem effectus in hoc Sacramento pertinent, determinâsse in particulari, sed hanc determinationem reliquisse suæ Ecclesiæ. Vid. dicta in p. 1. disp. 1. a. 2. §. 3. Verùm his non obstantibus, etiam sententia opposita, quæ docet, ad valorem hujus Sacramenti sufficere unam alicujus sensûs Unctionem, sub una tantùm forma verborum exprimente omnes sensus, speculativè saltem probabilis, & in casu necessitatis practicabilis, imò practicanda est. Ita Laym. cap. 3. n. 3. Reding to. 5. q. 11. a. 2. controv. 2. n. 10. Oberascher pag. 717. & alii plures. Pollicem premunt huic sententiæ quædam Pastoralia Ecclesiarum particularium, ut Mechlinienſe, can. 9. Frisingense, pag. 135. Passaviense, can. 11. Illum tamen canonem Mechlinienſis Gonet to. 5. tr. 6. disp. 1. a. 2. n. 33. testatur ex Martino non fuisse in Concil. Synodali Anno 1608. deletum. Sufficere præterea ad valorem Sacramenti ex sensibus duplicatis unum inungere, scilicet unum oculum, unam aurem, &c. docet cum aliis Laym. cap. 2. n. 5. addit tamen, hunc talem modum ungendi, cùm sit consuetudo Ecclesiæ, non esse usurpandum, nisi postulet necessitas.

Ad

7 Ad Secundum respondeo negativè. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia neque S. Jacobus in illa sua Epistola, neque Concilium Florent. & Trident. quamvis materiam & formam Extremæ Unctionis exactè descripserint, de formatione Crucis mentionem fecerunt, sicut tamen fecerunt, cùm agerent de Sacramento Confirmationis. Illam tamen omittere absque justa causa esse peccatum, saltem veniale, colligitur ex cap. *Nunquid. de Consecrat. dist.* 5. Dixi: *absque justa causa.* qualis est periculum mox superventuræ mortis: tunc enim, si commodiùs absque formatione Crucis administrari possit hoc Sacramentum, eam omittere nullum peccatum erit. vid. Laym. n. 7. Castrop. pu. cit. n. 2. Reding n. 2. Mezger n. 14.

8 Ad Tertium rursus respondeo negativè, idque ex communi sententia. Ratio est: quia inversione ordinis inter Unctiones ab Ecclesia præscripti non tollitur perfecta & integra significatio Sacramenti. Graviter tamen peccaret Sacerdos, si hunc talem ordinem inverteret: cùm in re gravi ageret contra consuetudinem Ecclesiæ: ut docent Bonac. disp. 7. q. un. pu. 5. n. 20. Castropal. n. 11. Reding n. 20. & alii.

9 Dico ulteriùs tertio. Forma legitima hujus Sacramenti continetur verbis sequentibus: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum* (& similiter de aliis sensibus) *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Ita habetur ex Concil. Florent. in Decr. Unct. & Trident. sess. illa 14. cap. 1. constat præterea ex perpetua traditione Romanæ Ecclesiæ. Nunc pro praxi.

10 Advertendum est primo; Formam Extremæ Unctionis necessariò necessitate Sacramenti debere esse deprecativam. Deducitur ex verbis S. Jacobi illo cap. 5. ubi postquàm expressit materiam hujus Unctionis dicens, *unguentes eum oleo*, mox subjecit, *& orent super eum.* Huic deinde orationi tribuit efficaciam istius Sacramenti, dum dixit: *Et oratio fidei salvabit infirmum.* Atqui proprium formæ Sacramentalis est, ut in ipsam reducatur efficacia Sacramenti. Consequenter hæc oratio fidei est forma Extremæ Unctionis. nomen autem orationis juxta communem sensum Fidelium, dum magìs propriè sumitur, Deprecationem significat. Ad exempla quarundam formarum in quibus Ecclesiis antiquitus usitatarum, quæ præseferunt modum indicativum; respondetur ex Divo Thoma, in Supplem. q. 29. a. 8. verba illius modi non constituisse formam, sed fuisse solùm dispositionem ad formam, eamque deprecatoriam, quæ postea subjungebatur. vid. Salmantic. tract. 7. cap. 2. pu. 4. Reding controv. 3. n. 6. Mezger n. 16.

11 Advertendum est secundo, non omnia verba Formæ n. 9. expressa esse essentialia. Ratio est: quia illa sola verba sunt essentialia, sive de necessitate Formæ, sine quibus non sufficienter obtinetur essentialis significatio: atqui hæc sufficienter obtinetur sine aliquibus ex verbis memoratis; nempe sine ly *sanctam*, sine ly *per piissimam misericordiam suam*; item, sine expressione *Sanctissimæ Trinitatis*; ergo aliqua non sunt essentialia. Quæ tamen ipsa omitti non possunt citra peccatum; cùm sint de necessitate præcepti. Quamvis, quod attinet ad invocationem SS. Trinitatis, verius videatur, eam ne ex præcepto quidem esse necessariam. de quo vid. Castropal. pu. 4. n. 5.

12 Advertendum est tertio, formam verborum ad singulas unctiones sensuum esse repetendam, idque ex necessitate Sacramenti, ut ex n. 6. colligitur. Sententia contraria, quæ hoc negat, locum habet in casu necessitatis: ubi rectè fecerit Sacerdos, si celeri motu, ait Laym. & brevi verborum forma, omnes formas partiales in se virtualiter complectente, Sacramentum conferat, saltem sub conditione mente retenta, dicendo: *per hanc sacram Unctionem*; vel, *per has sacras Unctiones indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Casus autem necessitatis, ut idem habet, sunt duo præcipuè; nempe Primus, si Sacerdos una, alteravè Unctione peracta, reliquas non speret se absoluturum ritu consueto, eò quòd infirmus fortè priùs sit moriturus. Secundus, si infirmus mox obiturus aliud Sacramentum non accepit. Vid. quæ diximus in artic. præced. n. 4. Quid extra hos casus hîc liceat, aut non liceat, ex Ritualibus quoque Diœcesium disci poterit.

ARTICULUS III.

De Subjecto, sive Suscipiente hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. Statuitur, quodnam sit subjectum capax hujus Sacramenti. 2. Negari debet non baptizatis. 3. Infantibus & perpetuò amentibus. 4. Non tamen pueris doli capacibus. 5. In quali infirmitate conferendum sit istud Sacramentum. 6. 7. 8. 9. Observanda in praxi. 10. Quinam affirmaverint, B. Virginem recepisse Extremam Unctionem. 11. 12. 13. 14. 15. Præfertur

& adstruitur sententia negativa. 16. 17.

18. *Solvuntur Objectiones.*

1 Dico. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, usum rationis adeptus, ex morbo vitâ periclitans, & de quo præsumi possit, quòd aliquando personaliter peccaverit. Ita constat tum ex Conciliis Florent. & Trident. tum ex recepta Ecclesiæ praxi, tum ex communi sensu DD. Ex generali hac doctrina

2 Infertur jam primo, hoc Sacramentum non esse conferendum non baptizatis. Ratio est: quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum: sicut est *janua vitæ spiritualis*, inquit Concil. Florent. in Decr. Eugenii; *quia per ipsum de corpore efficimur Ecclesiæ.* quare sine Baptismo irrita sunt Sacramenta: quippe quæ Christus nonnisi pro salute & profectu Ecclesiæ suæ instituit. Filliuc. tr. 3. cap. 5. n. 101. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 4. n. 1.

3 Infertur secundo, idem hoc Sacramentum non esse conferendum infantibus, & perpetuò amentibus. Ratio est: quia, cùm juxta Concil. Trid. sit consummativum Pœnitentiæ, hujus capacitatem supponit in eo, cui confertur. atqui talis capacitas deest infantibus & perpetuò amentibus. Filliuc. loco cit. Bonac. disp. 7. q. un. pu. 5. n. 1. Dixi, *perpetuò amentibus.* Nam, si amens aliquando habuit usum rationis, & potest de ipso præsumi, quòd peccaverit actualiter, capax est hujus Sacramenti, dummodò ante amentiam in ejus susceptionem consenserit, saltem virtualiter, aut interpretativè, videatúrque probabiliter esse ad illud dispositus: quod semper præsumendum esse, nisi constet oppositum, ex Suárez & aliis docet Filliuc. cit. Bonac. n. 3.

4 Infertur tertio contra Sotum, pueris sufficientem usum rationis habentibus ad peccandum Extremam Unctionem non esse negandam, etiamsi nondum sint in ea ætate ac dispositione, ut Sacrum quoque Viaticum possint suscipere. Ratio est: quia, ut quis capax sit Extremæ Unctionis, sufficit, esse capacem Sacramenti Pœnitentiæ. Atqui tales pueri sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ. mi. est certa. maj. inde colligitur, quòd, qui capax est Sacramenti Pœnitentiæ, sit etiam capax ejusdem consummativi. sed hoc est Extrema Unctio; ut paulò antè audivimus; ergo. Accedit, quòd inter Sacramentum Eucharistiæ & Extremæ Unctionis nulla appareat ordinis connexio, vi cujus ad capacitatem hujus præsupponi debeat capacitas illius. vid. Laym. n. 2. Castropal. tract. 26. disp. un. pu. 6. n. 6. ubi etiam reprehendit consuetudinem contrariam pueris ante annum ætatis decimum quartum, vel decimum quintum hoc Sacramentum negantium: quos tamen ait posse excusari, dum Episcopi talem consuetudinem tolerant.

Infertur quarto, hoc Sacramentum non 5
illis tantùm esse administrandum, quos infirmitas orta ex humorum intemperie, ut febris, hydropisis, aut similis, in morali propinquæ mortis periculo constituit, sed etiam aliis, qui ex vulnere, partu, senectute, aut quacunque debilitate corporali in ejusmodi periculo versantur. Ratio est: tum, quòd etiam hi omnes comprehendantur illis Apostoli verbis, *Infirmatur quis in vobis.* tum, quia Concilia citt. dum loquuntur de iis, quibus conferendum est hoc Sacramentum, utuntur solùm generali vocabulo *infirmi*, quod etiam alia debilitate corporis, quàm morbo propriè ac specificè dicto laborantibus convenit. Aliud sentiendum est de illis, qui non ex infirmitate, sed aliunde de vita periclitantur, ut milites in prælio, navigantes in mari, agendi in furcam &c. his enim talibus Extrema Unctio non solùm illicitè, sed etiam invalidè administraretur. Vid. Castropal. n. 10. Laym. n. 4. Reding to. 5. q. 11. a. 4. controv. 1. n. 14.

Monent autem Authores hîc primo, colla- 6
tionem hujus Sacramenti non esse differendam in supremum usq; mortis articulum, dum infirmus jam usu rationis ac sensuum destituitur; sed debere conferri utenti adhuc integris sensibus. Ratio est: quia sic cum majore fructu & devotione suscipi potest. Ex quo colligitur, Parochos peccare contra reverentiam Sacramenti, quando illud modo dicto differunt. Ratio est: quia sunt in causa, ut infirmus id non suscipiat cum debita devotione. Vid. Bonac. n. 7. Castropal. n. 12. Filliuc. n. 107.

Monent secundo, neq; expectandum esse 7
à collaturo hoc Sacramentum, donec salutis corporalis per vires naturæ recuperatio in infirmo sit desperata; sed illud conferri posse, eo ipso, quòd prudenter judicetur, infirmum versari in periculo vitæ. Ratio est: quia alioquin effectus secundarius, qui est memorata salus corporis, non poterit obtineri, nisi per miraculum, quod non debet expectari. vid. Filliuc. Bonac. Castrop. locis cit. Reding n. 16. Censet autem Castropal. cùm infirmo præbetur Sacrum Viaticum, statim illi conferri posse Extremam quoq; Unctionem; imò hoc expedire ut fiat. tunc enim jam induci judiciò prudentum grave ex infirmitate vitæ periculum.

Monent tertio, quamvis durante eadem 8
infirmitate, seu mortis periculo, non possit iterari hoc Sacramentum; ut ex praxi Ecclesiæ constat, posse tamen iterari, si priori periculò sublatò, novum superveniat secundùm peritorum judicium; esto temporis intervallum non longum, sed paucarum solummodò hebdomadûm, ut habet Laym. interceserit. Ratio ex D. Thoma in Supplem. q. 33. a. 2. hæc redditur: quia istud Sacramentum non respicit tantùm infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum. atqui in casu novi periculi jam est alius status infirmitatis, quamvis non sit

alia

alia infirmitas simpliciter: adeoque infirmus tunc iterum potest inungi: quod confirmat eadem praxis Ecclesiæ. Vid. Laym. n. 5. Castropal. n. 17. Reding n. 17. Salmantic. tract. 7. cap. 4. pu. 1. n. 9. Mezger tract. 19. disp. 50. a. 2. n. 6.

9 Monent quarto plerique, teste Reding, non tantùm ad licitam, sed etiam ad validam hujus Sacramenti administrationem requiri in subjecto infirmitatem, quæ morale mortis periculum secundùm judicium prudentum inducat. Ratio est: quia Christus hoc Sacramentum instituit, ut eodem tanquam firmissimo quodam præsidio finem vitæ nostræ muniret advertus insidias Diaboli. Ergo sequitur, Sacramentum non conferri validè, si suscipiens non laboret tali infirmitate, quæ possit inducere finem vitæ, adeóque ipsum constituat in morali periculo mortis. Vid. Bonac. n. 5. Castropal. n. 15. Reding n. 12.

10 Hactenùs dictis addere juvat quæstionem, an etiam B. Virgo susceperit Extremam Unctionem? cùm putem, ejus resolutionem ad penitùs intelligendam hujus Sacramenti naturam non fore inutilem. In sententia affirmativa sunt B. Albertus Magnus, S. Antoninus, Sylvester, Bernardinus de Busto, Canisius, Henriquez, Suarez, quos refert Illsung tract. 6. disp. 7. a. 3. n. 13. Deinde Filliuc. Diana, Castropal. & ex nostris Oberascher. Negativam tenent Paludanus, Gabriel, Victoria, Vasquez, Gonet, Salmanticenses, Illsung cit. Reding, Mezger, & alii: cum quibus

11 Respondeo. B. Virgo non recepit Sacramentum Extremæ Unctionis. Ratio est primo ex Concil. Trident sess. 14. in proœmio de hoc Sacramento, ubi illud vocat consummativum Sacramenti Pœnitentiæ: sed ista non potuit supponi in B. Virgine; quippe quæ nunquam peccavit etiam venialiter; ergo eidem non fuit collata extrema Unctio.

Confirmatur. Infantibus & perpetuò amentibus non administratur Sacramentum extremæ Unctionis; quia nunquam peccârunt actualiter, sùntque adeò incapaces Sacramenti Pœnitentiæ: ergo nec B. Virgini fuit administratum ex eodem capite.

12 Ratio est secundo ex D. Thoma in supplem. 3. p. q. 30. a. 1. ubi docet, Sacramentum extremæ Unctionis esse institutum per modum medicinæ spiritualis, ad quam supponatur morbus & infirmitas peccati. Sicut proinde hæc sacra & medicinalis unctio non adhibetur nisi infirmis corpore, ita nec adhibenda est, nisi infirmis in anima per peccata, eorumque reliquias. Atqui in B. Virgine nulla unquam fuit infirmitas animæ per aliquod peccatum: ergo. Ratio est tertiò ex eodem S. Doctore in cit. supplem. q. 32. a. 4. ubi sic argumentatur: *Nulli debet dari hoc Sacramentum, cui non competit forma Sacramenti: sed forma hujus Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum & auditum, ut in forma exprimitur; ergo eis non debet dari hoc Sacramentum.* Hoc argumentum de pueris ante usum rationis potest in terminis applicari ad idem probandum de B. Virgine: nam neque ipsi competebat forma extremæ Unctionis, sive non poterant circa illam verificari hæc verba formæ: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.* Quid enim deliquit illa aliquando per visum, auditum, aliúmve sensum, quod Deus indulgere debuit?

13 Ad hoc argumentum respondent authores adverti, formam extremæ Unctionis esse virtualiter conditionatam, neque esse necesse, ut transeat in absolutam; idque probare conantur tum ex verbis S. Jacobi Apostoli in Epist. cap. 5. ℣. 15. ubi promulgans institutionem hujus Sacramenti expressè dicit: *Etsi in peccatis sit, remittentur ei.* Tum ex eo, quòd forma saltem partialis nunquam absolutè verificetur in illis infirmis, qui per aliquem sensum nunquam peccaverunt, vel peccare non potuerunt; veluti contingit, si cæci, v. g. vel surdi à nativitate visum, vel auditum totâ vitâ nunquam receperunt: quibus tamen, ut vult communis sententia, iidem sensus, vel, si iis carent, partes vicinæ inungendæ sunt cum expressione formæ, ut idem ritus, formáque adæquata in omnibus infirmis absque discrimine adhibeatur. Confirmant in Sacramento Pœnitentiæ, ubi, quando pœnitens de multis peccatis sub dubio, sive sub conditione, *si commisit*, vel, *si eorum à Deo sciatur reus*, se so accusavit, forma absolutionis in omnia quidem peccata profertur, & tamen non verificatur absolutè circa omnia, sed tantùm circa unum aliquod certum peccatum absolutè propositum in Confessione, estque adeò circa conditionatè proposita, neque à parte rei commissa virtualiter conditionata, & non absolutè verificata.

Sed respondeo negando, formam extremæ Unctionis esse virtualiter conditionatam, dicóque, omnem formam Sacramentalem, ut sit validè prolata, debere transiisse in absolutam. Et quidem quod attinet ad formam extremæ Unctionis, contra responsionem adversam sic juvat arguere: vel supponitur in dato casu non esse necesse, ut forma extremæ Unctionis respectu ullius sensûs transierit in absolutam, vel supponitur, id non esse necesse respectu alicujus tantùm, ita ut respectu aliorum debeat verificari absolutè? Si prius; manifestè sequitur, nullam dari rationē negandi, pueros usu rationis adhuc carentes esse incapaces extremæ Unctionis, déque eisdem

eisdem posse verificari formam hujus Sacramenti. Si posterius supponatur; palàm est, nihil inde probari de B. Virgine; quippe in qua respectu nullius sensûs forma absolutè verificata fuisset. De cætero licèt quis careat interdum uno vel altero sensu, quia tamen potuit per voluntatem peccare in ordine ad talem sensum, potest in illo sufficienter & absolutè verificari tota forma extremæ Unctionis, dum partes vicinæ unguntur. Ad verba S. Jacobi dico, illa quidem esse conditionata, inde tamen non colligi, etiam formam extremæ Unctionis esse conditionatam. Loquitur autem Apostolus de peccatis actualibus de præsenti existentibus, dum quis recipit hoc Sacramentum, eáque etiam per illud tolli affirmat, & non tantùm peccata præterita quoad eorum reliquias. Ad illud de Sacramento Pœnitentiæ respondeo, formam absolutionis in eo casu verificari absolutè non tantùm circa peccatum certum absolutè propositum, sed etiam circa conditionatè proposita à parte rei commissa, minimè tamen, nec in ullo sensu verificari circa dubia, seu conditionatè proposita, quæ à parte rei non sunt commissa.

14 Jam ulteriùs ratio Concl. est tertio: quia Sacramentum extremæ Unctionis nonnisi illis confertur, qui ex morbo aliquo in periculo mortis constituuntur; ut habet concors Theologorum sententia, tum ex verbis Jacobi, *infirmatur quis ex vobis &c.* tum ex Conciliis Florent. & Trident. docentibus, infirmum tantùm esse subjectum hujus Sacramenti. Atqui B. Virgo, ut cum B. Alberto Magno docent plures graves Theologi, non ex morbo aliquo lethaliter decubuit; vel in periculo mortis fuit constituta, sed ex magnitudine amoris ita defecit, ut moreretur; ergo &c.

15 Ratio est quarto. quia nullus Apostolus fuisset ausus B. Virgini conferre extremam Unctionem: ergo non fuit eidem collata. Conseq. videtur bona: quia non apparet, à quonam alio fuisset collata. Ant. ostenditur ex eo, quòd planè existimandum sit, Apostolis à Spiritu Sancto doctis omnem veritatem ad bonum Ecclesiæ pertinentem non fuisse ignotum, Deiparentem omnis culpæ tum originalis, tum actualis, etiam venialis, vixisse expertem. Ergo non est credibile, aliquem eorum fuisse inventum, qui auderet super illam pronuntiare hanc formam: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, tactum &c.* Ego profectò si adstitissem cum Apostolis ex hac vita migraturæ, id in animum minimè induxissem. Imò nec Adversarii, ut puto, hoc ausi fuissent.

Confirmatur. Da virum quemdam magnæ virtutis, & de quo certum tibi sit, quòd nec homicidium fecerit, nec adulterium, nec furtum. Si jam pro hoc tali ita ad Deum deprecareris, *Indulge Deus huic viro quæcunque homicidia, adulteria, & furta, si quæ talia peccata commisit*; omnes judicarent, te ineptire, & hanc deprecationem eidem fore dedecori. Ergo similiter non satìs honorificè ac decorè de illibata Virgine fuisses locutus, si eidem impertiens extremam Unctionem pronuntiâsses deprecatoriam hanc formam: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* cùm tibi & Apostolis non minùs, imò magis certum fuisset de B. Virgine, quòd nunquam peccâsset etiam venialiter, quàm de quolibet viro magnæ virtutis certum est, illum nec feciisse homicidium, nec adulterium, nec furtum.

Objicies primo. B. Virgo fuit capax 16
Baptismi, eúmque actualiter suscepit, etsi non contraxerit peccatum originale: ergo etiam fuit capax extremæ Unctionis, eámque actualiter recepisse dicenda est, etsi nullum commiserit peccatum actuale, atque adeò nullas habuerit reliquias peccatorum actualium. Conseq. inde prob. quòd non magìs extrema Unctio fuerit instituta contra reliquias peccatorum actualium, quàm Baptismus ad delendum peccatum actuale.

Respondeo conc. ant. neg. conseq. disparitas est; quia susceptio Baptismi, præterquàm quòd sit remedium peccati originalis, simpliciter necessaria est, ut homo capax reddatur ad recipiendum alia Sacramenta, quemadmodum cum cæteris Theologis docet D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. a. 1. quæst. 3. dicens: *Sanctificatus in utero debet baptizari propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda Divina Sacramenta.* Atqui extrema Unctio non est ejusmodi janua in Ecclesiam, & ad alia Sacramenta; sed solùm remedium & medicina spiritualis contra peccatorum reliquias; & ideò qui nullum peccatum commisit, non est capax hujus Sacramenti.

Objicies secundo. Quamvis B. Virgo 17
supponatur nullum commisisse peccatum, nec habuisse reliquias peccatorum, nihilominùs fuit capax effectûs primarii extremæ Unctionis: ergo eandem actualiter recepisse credenda est. Conseq. est bona. ant. prob. quia primarius effectus hujus Sacramenti est corroboratio hominis adversùs insidias & tentationes Dæmonis, quæ tempore mortis solent esse vehementiores. Atqui B. Virgo fuit capax hujus corroborationis contra insultus & tentationes Dæmonis, esto demus, quòd nullas revera passa fuerit; nam pati potuit ab extrinseco saltem.

Respondeo neg. ant. in hujus prob. neg.

maj.

maj. ex D. Thoma, in supplem. 3. p. q. 30. a. 1. illis verbis: *dicendum, quòd principalis effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum* (nempe per gratiam, & Divina auxilia) *quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat.* Cæterùm nomine reliquiarum peccati intelligitur debilitas animi, anxietas, ac metus futurorum ex peccatis præteritis, & recordatione eorum, qui tales affectus eò magis hominem vexant, quò propiùs ad exitum hujus vitæ devolvitur; maximè tamen invalescunt circa mortis articulum, finalémque perseverantiam, & æternam salutem in discrimen adducunt, Dæmone tum gnaviter, ac nunquam magis, rem suam agente. Ad medendum igitur his talibus reliquiis Sacramentum extremæ Unctionis primariò fuit institutum.

18 Objicies tertio. Fieri potest, ut homo, qui peccavit actualiter, nullas habeat reliquias alicujus peccati actualis; & tamen hic talis est capax Sacramenti extremæ Unctionis: ergo etiam capax ejusdem esset, qui nullum unquam peccatum commisisset, & consequenter etiam B. Virgo fuit capax illius. Ant. ostenditur; Nam supponamus, aliquem ante Baptismum nunquam peccâsse actualiter; post Baptismum autem unum tantùm, vel duo peccata venialia commisisse; ac deinde multis annis per speciale privilegium omnis peccati vixisse expertem, inque omni genere virtutum se se constanter exercuisse. Profectò hoc tali exercitio virtutum non possunt non tolli denique omnes reliquiæ duorum illorum peccatorum venialium. Si jam ejusmodi homo in morbum lethalem incidat, petátque extremam Unctionem à suo Parocho optimè gnaro, qualem is vitam duxerit, negabítne Parochus esse capacem extremæ Unctionis, eámque impertire supersedebit? certè non, ut ego quidem existimo.

Respondeo dato ant. neg. conseq. nam factus discursus est huic similis: fieri potest, ut homo, qui post Baptismum peccavit actualiter, nullum habeat peccatum actuale ante receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, eò quòd extra illud per actum contritionis obtinuerit remissionem omnium peccatorum; & tamen hic talis est capax Sacramenti Pœnitentiæ: ergo etiam capax ejusdem esset, qui nullum unquam peccatum commisisset; & consequenter etiam B. Virgo fuit capax illius. Hic discursus utique non valet: ergo nec ille, qui est in objectione, valebit. Ratio sufficienter habetur ex dictis.

ARTICULUS IV.

De Ministro hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Sententia Thomæ Waldensis.* 2. *Solus Sacerdos potest esse Minister Extremæ Unctionis.* 3. *Respondetur ad ea, quæ facere videntur sententiæ contrariæ.* 4. *Ad licitam hujus Sacramenti administrationem requiritur in Ministro jurisdictio.* 5. 6. 7. 8. *Observanda in praxi.* 9. *An Parochus etiam tempore pestis teneatur administrare hoc Sacramentum?* 10. *An Minister incurrat irregularitatem, si curet infirmum revolvi &c. isque inde celeriùs moriatur?*

1 THomas Waldensis, ut perhibet Reding, existimavit, in casu necessitatis, quando non adest Sacerdos, Extremam Unctionem posse validè conferri à non Sacerdote. Huic opinioni videri potest suffragari primo, Innocentius I. in Epistola ad Decentium scribens, *non solùm Presbyteris, sed omnibus etiam Christianis licitum esse uti oleo sacro in sua, & suorum necessitate.* Secundo id, quod de quibusdam Anachoretis in Ægypto legitur, quòd nempe, licèt non essent Sacerdotes, oleum ad infirmos transmiserint, idque eo effectu, ut inde sanati fuerint. Verùm contra

Dico primo. Solus Sacerdos potest validè administrare Extremam Unctionem. Ita omnes Theologi, estque de fide certum, ac definitum in Concil. Florent. & in Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. ubi sic habetur: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos; sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Ad Primum ex Epist. Innoc. respon- 3
detur, non esse ita intelligendum, quasi liceat in necessitate quibuslibet Christianis uti oleo sacro, adjecta quoque forma verborum, & ex intentione conficiendi Sacramentum; sed quòd liceat id etiam extra Sacramentum ex reverentia quadam ac devotione adhibere in morbis; veluti cum aliis explicat Valentia to. 4. disp. 8. q. 2. pu. 1. Ad Secundum similiter dicitur, illas unctiones non fuisse Sacramentales, sed vel ob devotionem eas recipientium, vel ob merita ungentium,

tium, oleumvè mittentium sanitatem attulisse; ut habet D. Th. in Supplem. q. 31. a. 1. ad 2.

4 Dico secundo. Ut Sacerdos licitè administret hoc Sacramentum, debet habere jurisdictionem, eámque non impeditam, in eum, cui administrat. Ita communiter Theologi. Et colligitur ex *Clement. un. de Privileg.* & *Clement. Dudum. de Sepulturis*, ubi sub pœna Excommunicationis prohibetur, ne absque licentia Presbyteri Parochialis ullus, etiam Religiosus Extremam Unctionem morituris administret. Ratio verò Concl. est: quia Sacramenta fidelibus ministrare proprium officium Pastoris est. Unde licèt quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, imò & degradatus, validè administret, cùm ejus valor ex charactere solùm Sacerdotali dependeat; nullus tamen administrat licitè, & absque gravi peccato, nisi sit proprius Parochus infirmi, vel à Parocho habeat potestatem, seu licentiam administrandi: vid. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 6. n. 2. Bonac. disp. 7. q. un. pu. 4. n. 5. Castropal. tract. 26. disp. un. pu. 7. n. 2. & 3. Reding to. 5. q. 11. a. 5. controv. 1. n. 7. & 8. Nunc pro praxi observa sequentia

5 I. Memorata licentia Parochi non debet necessariò esse expressa, sed sufficit rationabiliter præsumpta, etiam ex ratihabitione de futuro. Valent. loco cit. Reding n. 9. Ratio est: quia actiones, quæ non ad sui valorem, sed præcisè, ut licitè fiant, alterius consensum requirunt, licitè fiunt, si talis consensus rationabiliter præsumatur. Unde

6 II. In casu, quo infirmus indiget Extrema Unctione, eámque Parochus aut non potest, aut injustè recusat administrare, alterive dare licentiam, nec adiri pro hac petenda potest ipsius Superior, quilibet Sacerdos alius non excommunicatus, aut suspensus, licitè administrat, imò debet administrare. Valent. loco cit. Laym. n. 2. Castropal. n. 5. Reding n. 10. Ratio est: quia tunc Superior talis Parochi, saltem Sum. Pontifex, facultatem concedere censendus est. cùm non sit præsumendum, Ecclesiam velle, ut quisquam infirmus tam utili mentis & corporis remedio, imò fortè tunc necessario saluris præsidio, ob iniquitatem Parochi, seu Pastoris immediati destituatur.

7 III. Extra casum necessitatis non potest hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus administrari licitè & absque gravi peccato, ut haber communis sententia. Ratio est: quia id fieret contra consuetudinem & praxim Ecclesiæ in re gravi. Urgente verò necessitate non solùm validè, sed etiam licitè administrari potest à pluribus; sive jam necessitas se teneat ex parte Ministri, ut, si inter ungendum ex repentina debilitate deficiat, vel moriatur; sive ex parte infirmi; putà, si periculum mortale sit, ne decedat, antequam omnes Unctiones ab eodem Ministro perficiantur. In primo casu alius debet succedere, nihil repetens, sed, quæ restant, adjiciens, ait Laym. n. 3. In secundo casu, ut apud eundem habet Suarez, & docent alii communiter, possunt plures Sacerdotes simul ungere, unus oculos, & alter aures &c. modò quilibet proferat etiam formam debitam Unctioni, quam ipse peragit. Neque enim validum esset Sacramentum, si unus ungeret, & alter formam proferret, ut patet tum à simili in Baptismo; tum ex verbis S. Jacobi, *Ungentes eum oleo, orent super eum.* quibûs apertè indicatur eundem Sacerdotem & debere ungere & orare, hoc est, formam proferre. Vid. Bonac. ubi suprà, n. 8. & 9. Castropal. n. 7. & 8. Reding n. 12.

8 IV. Parochi, imò etiam Superiores Regulares, tenentur sub mortali hoc Sacramentum administrare suis subditis. Ita communiter Theologi. Et habetur inprimis ex Catechismo Rom. de eod. Sacram. n. 9. ubi dicitur, *gravissimè peccare Pastores, seu Parochos, qui non modò istud Sacramentum ministrare negligunt, sed etiam opportuno tempore, quando infirmus est sui compos, illud non administrant.* Ex quibus vides, confirmari etiam, quæ in artic. præced. n. 6. diximus. Ratio verò est: quia Pastores animarum, maximè dum rogantur, tenentur suis subditis ministrare media salutis à Christo instituta, non tantùm necessaria, sed etiam valdè utilia. Atqui inter ea media valdè utilia vel maximè computatur Extrema Unctio; ergo. Alii Sacerdotes, si absente, vel deficiente proprio Pastore, licitè ac facilè ministrare se posse vident hoc Sacramentum in casu necessitatis, ad id tenentur lege Charitatis, quamvis non sub mortali, sed sub veniali tantùm peccato, nisi infirmus eo graviter indigere videatur; quia nempe alioquin absque omni Sacramento mori deberet. tunc enim tales etiam sub mortali hoc ultimum salutis remedium tenentur adhibere periclitanti. Vid. Laym. loco cit. Castropal. pu. 8. n. 6. Reding n. 9.

9 Quæritur jam primo, an Parochus etiam tempore pestis teneatur hoc Sacramentum administrare? Aliqui respondent affirmativè. Ratio est: quia Parochus ex Justitia suis subditis tenetur ministrare Sacramenta. Obligatio autem Justitiæ, utpote indefinita, videtur urgere etiam tempore pestis. Sed meliùs respondent negativè Suarez, Filliucius, Goner & alii, quos refert & sequitur Reding controv. 2. Ratio est: quia istud Sacramentum non est necessarium ulla necessitate sive medii, sive præcepti: ergo obligatio Parochi non videtur posse extendi ad illud administrandum cum periculo vitæ, quale est tempore pestis. Accedit, quòd fieri posset, ut, si Parochus pestem inde contraheret, non facilè inveniretur, qui

ejus

ejus vices ſubiret: atque adeò moribundi Sacramentis etiam neceſſariis Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ deſtituerentur. Addo tamen ex Tannero apud Salmantic. tract. 7. cap. 5. pu. 2. ſi Parochus certò ſciret, peſte infectum verſari in ſtatu peccati mortalis, haberetque ſpem probabilem adhibito Extremæ Unctionis remedio hominem extam præſenti æternæ ſalutis periculo eripiendi, eum obligatum iri ad miniſtrandum hoc Sacramentum. Ratio eſt: quia tunc moribundus pateretur ſupremam neceſſitatem ſpiritualem: in qua etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis eidem ſubvenire teneretur.

Quæritur ſecundo, an Sacerdos incurrat 10
irregularitatem, ſi curet infirmum revolvi in aliam partem corporis ad Unctiones commodè peragendas, iſque indè moriatur? Reſpondeo negativè. Ita Bonac. diſp. 7. q. un. pu. 4. n. 10. & alii apud ipſum. Ratio eſt: tum, quia acceleratio mortis Sacerdoti illi omnino caſualis eſt. tum, quia hæc irregularitas non habetur in Jure expreſſa. atqui irregularitas non incurritur, niſi in Jure ſit expreſſa. Vid. quæ ſuprà tract 4. diſp. 3. a. 2. n. 22. in ſimili diximus.

ARTICULUS V.

De Effectibus hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Effectus primarius Extremæ Unctionis eſt tollere reliquias peccatorum.* 2. *Inter ſecundarios primus eſt remiſſio peccatorum.* 3. *Secundus remiſſio pœnæ temporalis.* 4. *Tertius alleviatio ægritudinis corporalis, vel etiam perfecta ſanitatis recuperatio.* 5. *Hoc Sacramentum poteſt eſſe validum & informe.*

1 Effectus primarius Extremæ Unctionis eſt tollere peccatorum reliquias, ſive cauſare gratiam, qua tollantur reliquiæ peccatorum. Ita habetur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. & traditur à Divo Thoma, in Supplem. 3. p. q. 30. a. 1. illis verbis: *Dicendum, quòd principalis effectus hujus Sacramenti eſt remiſſio peccatorum quoad reliquias peccati, & conſequenti etiam quoad culpam, ſi eam inveniat.* Nam quemadmodum Baptiſmus animam ſpiritualiter generat, & Confirmatio facit adoleſcere, & Euchariſtia nutrit, & Pœnitentia exſuſcitat ac revocat à morte ſpirituali ad vitam ſpiritualem, ita Extrema Unctio animam ſpirituali quodam modo ſanat. Hoc autem præſtat abſtergendo reliquias peccatorum. quod etiam communiter ſentiunt Theologi: quamvis, quid intelligatur per reliquias peccatorum inter ipſos non conveniat. quid nobis eſſe videantur, in artic. præced. n. 17. breviter declaravimus.

2 Inter effectus ſecundarios hujus Sacramenti primus eſt remiſſio peccatorum, tum mortalium, tum venialium, ſi fortè infirmus illis gravetur, eorumque remiſſioni non ponat obicem. Deducitur ex illis verbis S. Jacobi: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Item ex forma: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti &c.* ac demum ex D. Th. ut antè audivimus. Vid. etiam Valentia to. 4. diſp. 8. q. 1. pu. 3. Laym. lib. 5. tract. 8. cap. 5. n. 2. Bonac. diſp. 7. q. un. pu. 6. n. 1. Caſtropal. tract. 26. pu. 5. n. 7. Salmantic. tract. 7. cap. 3. pu. 1. n. 2. & alii.

Secundus eſt remiſſio pœnæ temporalis 3
ex peccatis quoad culpam jam remiſſis relictæ, non quidem omnis (cùm alioquin vix ullus, qui hoc Sacramento debitè ſuſcepto ſtatim moreretur, haberet, quod lueret in Purgatorio) ſed ſecundùm menſuram inſtitutionis Chriſti. Laym. loco cit. Caſtropal. n. 9. Salmantic. n. 5. Reding to. 5. q. 11. a. 3. controv. 1. n. 22.

Tertius eſt alleviatio quædam ægritudinis 4
corporalis, imò etiam perfecta interdum ſanitatis recuperatio, ſi animæ ſaluti ita expedierit, veluti communiter docent Theologi, tum ex illo S. Jacobi *alleviabit eum Dominus.* tum ex Concil. Florent. in *Decr. Unionis* dicente: *Effectus hujus Sacramenti eſt mentis ſanatio, &, in quantum expedit, ipſius etiam corporis.* tum ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. cit. ubi traditur, *ex hoc Sacramento infirmum ſublevatum interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, ſanitatem corporis conſequi.*

Quæritur, an iſtud Sacramentum poſſit 5
eſſe validum & informe, ita ut recedente fictione conferat ſuum effectum? Reſpondeo affirmativè cum communi DD. Ratio eſt: quia eſt Sacramentum initerabile, ſaltem pro certo tempore; nempe durante eodem morbo, ſeu ſtatu morbi, ut ſuprà in artic. 3. n. 8. advertimus; adeoque, ſi ſine aliquo defectu ſubſtantiali, & cum ſolo obice, ſive defectu diſpoſitionis ex parte ſubjecti requiſitæ, fuit ſuſceptum; poſtea verò obex removeatur, ponatúrque ſufficiens diſpoſitio, effectum ſuum producit, ne infirmus fructu illius totaliter privetur. Vid. Caſtropal. n. 14. Salmantic. pu. 3. Mezger tract. 19. diſp. 50. a. 2. n. 4. &, quæ nos ſuprà docuimus par. 1. diſp. 3. a. 3.

PARS SEPTIMA.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium absolutè sumptum omnibus Sacramentis antiquius est: quippe quod in Mundi jam exordio primi parentes nostri inierunt. Ejus tamen pertractatio communiter ab Authoribus post cæterorum Sacramentorum explicationem suscipitur. Porrò nomen *Matrimonii* provenisse à matre dicitur, tum, quòd in eo mulier hoc fine jungatur viro, ut mater efficiatur: tum, quòd eidem plus laboris ac molestiæ, quàm viro exantlandum sit in procreatione & educatione liberorum. Nos præsens argumentum per quatuor Disputationes versabimus. Prima erit de Sponsalibus. Secunda, de natura & proprietatibus Matrimonii. Tertia, de impedimentis. Quarta de iis, quæ pertinent ad usum Matrimonii.

DISPUTATIO I.

De Sponsalibus.

SPonsalia, quæ à *spondendo* dicta esse testatur Ulpianus in *l. 2. ff. de verbor. oblig.* triplicem potissimùm significationem habent. Nam primo significant munera illa, quæ sibi vicissim conferre solent sponsus & sponsa. quo sensu servi Saulis dixerunt ad David 1 Reg. 18. *Non habet Rex Sponsalia necesse.* Secundo, magis propriè contractus ipse Matrimonii per verba de præsenti celebratus Sponsalia nuncupatur: conjuges verò inde Sponsi dicuntur: quemadmodum B. Virgo Lucæ 2. dicitur fuisse *desponsata uxor* Josephi, quocum jam de præsenti Matrimonium contraxerat. Tertio, in acceptione communissima & usitatissima Sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii, sive contrahendi inter virum & mulierem. Atque secundùm hanc nominis usurpationem de Sponsalibus hoc loco disputabimus.

ARTICULUS I.

Quid sint Sponsalia?

SUMMARIUM.

1. *Definitio Sponsalium.* 2. *An contrahat Sponsalia, qui dicit,* desponsabo te mihi? 3. *An in Confessione concubitûs cum aliena Sponsus explicare teneatur circumstantiam Sponsalium?* 4. *Nomen* Sponsalium *absolutè prolatum significat Sponsalia de futuro.* 5. *Matrimonium validè & licitè contrahitur non præmissis Sponsalibus.*

1 SPonsalia Nicolaus Papa in cap. *Nostrates.* 30. *q.* 5. definit, quòd sint *futurarum nuptiarum promissio.* In qua definitione, quam refert, & approbat D. Th. in Supplem. 3. p. q. 43. a. 1. & alii DD. haud dubiè tacitè subintelligitur particula *mutua*, ita ut Sponsalia sint promissio mutua. Ut tamen habeas definitionem, quæ clariùs exprimat omnes conditiones essentiales Sponsalium, dic, quòd sint *promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo aliquo sensibili expressa, futuri Matrimonii inter personas jure habiles.* Vid. Salmantic. tract. 9. cap. 1 pu 1. n. 2. Castropal. tract. 28. disp. 1. pu. 1. n. 5. & in terminis Illsung tract. 6. disp. 9. q. 1. a. 1. Dicitur autem in hac secunda definitione *Promissio:* quia simplex intentio, propositum, aut desiderium, etiam exteriùs manifestatum, nullam parit obligationem. Dicitur *voluntaria:* quia Sponsalia inducunt obligationem: vis autem obligandi ex voluntate oritur. Dicitur *deliberata*, nempe tanta deliberatione, quanta sufficit ad peccandum mortaliter: quia Sponsalia, ut infrà videbimus, obligant sub peccato mortali. Dicitur *mutua:*

mutua: quia Sponſalia ſunt contractus oneroſus, qui exigit conventionem reciprocam contrahentium, vi cujus iidem ſibi mutuò obligentur. Atque hinc dici ſolet à Canoniſtis, ſponſalia non claudicare, hoc eſt, vel ex parte utriusque ſponſi, vel ex parte neutrius eſſe valida. Dicitur *ſigno aliquo ſenſibili expreſſa.* Quia, cùm ſit promiſſio, quæ ſit homini, debet, ut inducat obligationem, acceptari à promiſſariis: quod fieri non poteſt, niſi per ſignum aliquod exterius utrinque innoteſcat. Dicitur *futuri Matrimonii*, ut ſignificetur differentia hujus contractus ab ipſo contractu Matrimonii. Nam hic eſt immediatè de Matrimonio præſente; ſponſalitius autem de futuro, ſive poſtea celebrando. Dicitur *inter perſonas jure habiles.* Quia, qui vel ad Matrimonium ipſum aliquando validè ſimul & licitè contrahendum, vel ad ſpondendum inhabiles ſunt, non contrahunt vera ſponſalia. Has omnes conditiones in ſeq. artic. ampliùs declarabimus. Interim ex dictis.

2 Infertur primo, dicentem puellæ, *promitto, me deſponſaturum te mihi:* vel, *deſponſabo te,* non contrahere ſponſalia. Ratio eſt: quia verba hæc ſignificant promiſſionem tantùm ſponſalium contrahendorum non autem futuri Matrimonii. Sanchez. lib. 1. de Matrim. diſp. 18. n. 13. & alii apud ipſum. Sed quid, ſi dicat, *nolo te accipere, habere,* aut *ducere in uxorem?* Reſpondet idem Sanchez num. 25. contrahere ſponſalia. At negat Bonac. cum aliis in tract. de Matrim. q. 1. pu. 1. n. 3. & addit ex Gobato Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 184. His verbis nihil effici in Germania, niſi accedat alia actio, v. g. ſtipulatio manuum, exhibitio arrhæ, propinatio poculi &c. Ratio eſt: quia non ſignificant promiſſionem, ſed ſolùm, quòd illa proferens habeat propoſitum promittendi Matrimonium.

3 Infertur ſecundo, quamvis concubitus ſponſi cum aliena, vel ſponſæ cum alieno non ſit adulterium, ſicuti ſuprà in tract. 5. diſp. 7. a. 2. n. 8. Docuimus, utrumque tamen teneri in Confeſſione exponere circumſtantiam ſponſalium. Ita probabiliùs Salmantic. de Matrim. tract. 9. cap. 1. pu. 1. n. 11. Mezger tract. 19. diſp. 52. a. 1. n. 4. & alii. Ratio eſt: quia poſt ſponſalia fornicatio contrahit novam ſpeciem injuſtitiæ contra fidem mutuò datam. Uterque enim ſponſens vi illius contractûs acquiſivit jus inchoatum, & ad rem, id eſt, ad corpus alterius. Hoc autem jus graviter violatur per fornicationem. Unde hæc circumſtantia aperienda eſt in Confeſſione non tantùm à ſponſo & ſponſa, ſed etiam ab eorum complicibus. Dices. Sponſus fornicando cum aliena non infert gravem injuriam ſponſæ, qualem tamen ipſa infert illi fornicando cum alieno: ergo licèt ſponſa teneatur in Confeſſione exprimere memoratam circumſtantiam, non tamen tenetur ſponſus. Reſpondeo neg. Ant. quia jus per Sponſalia acquiſitum utrimque eſt æquale, idque ſponſa fornicando cum alieno non magis lædit, quàm ſponſus. Accedit, quòd ejusmodi injuria ſponſæ illata ſit una ex cauſis ſufficientibus diſſolvendi ſponſalia, ut infrà videbimus, quæ non niſi ex gravi cauſa diſſolvi poſſunt. Salmantic. loc. cit. Sententia, quæ docet, concubitum ſponſorum cum perſona aliena poſt ſponſalia eſſe in ſola ſpecie ſimplicis fornicationis, etiam probabilis eſt, nosque cum aliis eandem tenuimus loco cit.

Infertur tertio, nomen *Sponſalium* ab- 4
ſolutè prolatum ſignificare ſponſalia de futuro, non de præſenti. Atque hinc in dubio, quando de ſponſalibus in Jure, vel aliàs fit mentio, ſponſalia de futuro regulariter intelliguntur, ut habet Magnific. P. Schmier. to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 1. n. 10. Porrò nomina *Matrimonium, Nuptiæ, Connubium, Conjugium,* quamvis vulgò habeantur pro ſynonymis, attenta tamen ſermonis proprietate, diverſa ſignificant. Et quidem *Matrimonium* unde dictum ſit, notavimus in Proœmio Part. præſ. *Nuptiæ & Connubium* dicta ſunt ab obnubendo, quòd olim puellæ, cùm vivis traderentur, pudoris causâ ſolerent velamine quaſi nube quadam obvolui, & obtegi. Quamvis, ut advertit Mezger n. 5. *Nuptiæ* propriè denotent illam ſolemnitatem, qua ſponſa ad virum deducitur. Atque hoc ſolùm ſenſu, ait idem, tempore Adventûs & Quadrageſimæ Nuptiæ prohibentur. *Conjugium* à jugo derivatum eſt, eò quòd duos mittat ſub idem veluti jugum ad ſuſtinenda onera ſtatûs Matrimonialis. Significat autem ſolum vinculum conjugale, & non involvit conſummationem Matrimonii, ut ex cap. *cùm initiati. 5. & ſeq.* obſervat Mezger loco cit.

Quæri demum poteſt, an Matrimonium 5
contrahatur validè & licitè non præmiſſis ſponſalibus? Reſpondeo affirmativè. Ratio eſt: quia inprimis, ſi mas & fœmina conſenſum mutuum in Matrimonium de præſenti explicent, ut oportet, jam intelligitur contractum Matrimonium, ejusque valori nihil deeſt, licèt nulla præceſſerit conventio de illo contrahendo: ſicut nihil deeſt valori emptionis & venditionis, licèt inter emptorem & venditorem nulla de eadem celebranda conventio fuerit præmiſſa. Deinde ità contrahi licitè docet praxis, præſertim in caſu, quo concubinarius ad legitimandam prolem, dum conſtitutus eſt in ultimo vitæ termino, contrahit cum concubina. Vid. Magnif. P. Schmier à n. 24.

ARTICULUS II.

Explicantur conditiones ad Sponsalia requisitæ.

§. I.

Qualiter Sponsalia debeant esse promissio voluntaria, & deliberata?

SUMMARIUM.

1. *Quænam adversentur libertati humanarum actionum.* 2. *Libertas, quæ requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter, etiam requiritur & sufficit ad valorem Sponsalium.* 3. *Sufficit deliberatio etiam virtualis.* 4. *An adfuerit sufficiens deliberatio, si Sponsum postea pæniteat Sponsalium?* 5. *Sponsalia ex gravi metu, etiam injustè incusso inita, jure naturæ sunt valida.* 6. *Solvitur triplex objectio.* 7. *Sponsalia tempore somni, furoris, amentiæ inita sunt invalida, non autem inita tempore iracundiæ.* 8. *Quid si amens aut furiosus contrahat Sponsalia tempore lucidi intervalli?* 9. *Quid in dubio, an talis tempore furoris, vel amentiæ contraxerit?* 10. *Item, quid in dubio, an calor iracundiæ requisitam deliberationem impediverit?* 11. *Explicatur textus allatus ex cap.* Divortium.

1 PRomissio sponsalitia, cùm sit actus moralis & humanus, debet esse voluntaria, & quidem voluntario libero, ut nemo non fatetur. Porrò, ut actus sit liber, requiritur, ut procedat ex prævia deliberatione rationis, & vi electiva ac dominativa voluntatis. nam actus liber est, cujus homo est dominus. Ex quibus colligitur, libertati infesta esse tum ea, quæ turbant, aut impediunt deliberationem rationis, ut ebrietas, somnus, ira & similia: tum ea, quæ vim inter opposita electivam oppugnant, ut metus & violentia. Videndum est igitur in præsenti, an, & qualiter ejusmodi hostes libertatis officiant valori Sponsalium? Priùs tamen

2 Dico primo. Ad valorem Sponsalium requiritur & sufficit tanta deliberatio & libertas, quanta requiritur ac sufficit ad peccandum mortaliter. Ita Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 8. n. 5. Filliuc. tract. 10. cap. 7. n. 238. Bonac. de Matrim. q. 1. pu. 1. n. 4. Castropal. disp. 1. pu. 2. n. 4. Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 2. n. 6. & alii passim. Ratio primi est: quia Sponsalia obligant sub mortali: ergo ad eorum valorem requiritur tanta deliberatio & libertas, quanta requiritur ad peccatum mortale. Ratio secundi est: tum, quia posita ea deliberatione ac libertate Sponsalia sunt actus moralis & simpliciter humanus; quod sufficit. tum, quia nec jus naturæ, nec ullum jus positivum exigit majorem deliberationem ac libertatem in Sponsalibus. tum, quia memorata deliberatio ac libertas sufficit ad Votum, ut suprà tract. 5. disp. 3. a. 4. n. 7. cum communi sententia docuimus: ergo etiam sufficit ad Sponsalia. Ex his

3 Infertur jam primo, deliberationem etiam virtualem sufficere ad valorem Sponsalium. Sanchez n. 21. Reding n. 13. Ratio est: quia hæc deliberatio sufficit, ut promissio sponsalitia sit actio in se formaliter humana & moralis. Itaque validè contrahit, qui ex prævia actuali deliberatione statuit contrahere Sponsalia cum determinata persona, inque hunc finem procedit ad ipsum actum, sed tempore, quo verbis aut aliis signis consensum suum Sponsæ manifestat, ad alia animô distractus non perpendit actualiter negotium præsens. Aliter sentiendum est de deliberatione merè habituali. hanc enim non sufficere ad Sponsalia colligitur à contrario: quia nempe non sufficit, ut sint actio in se formaliter humana & moralis. Reding n. 14.

4 Infertur secundo, non esse sufficiens signum, quòd aliquis Sponsalia contraxerit sine requisita deliberatione, si eum postea pœniteat; ut dixit Angelus & Tabiena. Ita Paludanus, Sotus & alii, quos refert & sequitur Sanchez n. 8. Ratio est: quia sæpe contingit, ut quem pœniteat etiam eorum, quæ ex accurata deliberatione gessit. Admitti tamen potest, quod habet idem Sanchez, in dubio, an vehemens passio uti ratione prohibuerit, esse conjecturam aliqualiter probabilem, si statim pœniteat, quòd abfuerit requisita deliberatio.

5 Dico secundo. Sponsalia ex gravi metu, quantumvis injustè incusso inita, jure naturæ valida sunt, invalidari tamen atque irrita reddi possunt vel authoritate Judicis, vel arbitrio illius, cui metus fuit incussus. Ita Coninck, Dicastillo & alii apud Salmantic. tract. 9. cap. 1. pu. 5. n. 61. deinde Less. lib. 2. de Just. & Jure cap. 17. num. 38. & sequitur ex suprà dictis à nobis in tract. 2. disp. 1. a. 3. num. 46. & 49. Ratio primi est: quia metus quantumvis gravis & injustè incussus non tollit deliberationem, & libertatem sufficientem ad peccatum

tum mortale. Hanc autem talem deliberationem ac libertatem sufficere ad valorem Sponsalium, supponitur ex n. 2. Ratio secundi fundatur in æquitate naturali, quæ dictat, ut ejusmodi Sponsalia, tanquam ad finem ipsius Matrimonii principalem non ita conducibilia, bonisque moribus minùs consentanea, Jure positivo irritentur, utque vim passus gaudeat beneficiò rescissionis, quamvis, si ipse velit, teneatur stare contractu, qui eum metu extorsit.

6 Objicies primo. Si Sponsalia gravi metu extorta essent ualida, adeoque obligatoria de jure naturæ, aliquis vi illorum redderetur coactè obligatus ad contrahendum Matrimonium: quod admitti non potest. Secundo. Matrimonium metu extortum etiam de jure naturæ est invalidum: ergo etiam Sponsalia metu extorta sunt ita invalida. Tertio. Ejusmodi Sponsalia in *cap. ex litteris. de desponsat. impub.* irritantur etiamsi juramento firmentur. Respondeo ad Primum neg. seq. cùm enim metum passus uti possit beneficiô rescissionis, nulla ex illis Sponsalibus oritur vis coactiva ad contrahendum Matrimonium. Ad Secundum respondeo neg. Ant. Nam verius existimo cum Thoma Sanchez & aliis ab ipso relatis, lib. 4. de Matrim. disp. 14. n. 2. Matrimonium metu extortum solo jure Ecclesiastico esse irritum. Ad Tertium dico, inde plus non colligi, quàm ejusmodi Sponsalia jure positivo reddi posse irrita.

7 Dico tertio. Sponsalia, quæ tempore somni, furoris, amentiæ, & ebrietatis contrahuntur, sunt invalida; non tamen, quæ contrahuntur tempore iracundiæ, per se loquendo. Ita Sanchez lib. 1. disp. 8. Castropal. de Matrim. disp. 1. pu. 2. n. 5. Salmantic. n. 58. Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 2. n. 8. & alii communiter. Ratio est: quia per somnum, furorem, amentiam, & ebrietatem impeditur deliberatio & libertas requisita; quæ tamen utraque consistit cum iracundia. Nisi fortè hæc (quod idem intellige de alia quacunque passione) ita sit vehemens, ut omnino obscuret atque obnubilet lumen rationis. Id tamen non contingit ordinariè. Vid. quæ suprà tract. 2. disp. 1. a. 3. n. 4. docuimus.

8 Corollarium I. Si amens, aut furiosus lucida interdum rationis intervalla obtineat, tunc eo tempore validè contrahit Sponsalia, sicut & Matrimonium. Ita ex communi sententia Reding loco cit. Ratio est; quia tunc adest sufficiens deliberatio & libertas. Monet tamen Sanchez n. 10. ex Divo Thoma & aliis, ejusmodi furiosum peccare contrahendo Matrimonium; eò quòd ad prolem educandam non sit idoneus. Id tamen moderatur Sotus, nisi educationi prolis per alias personas conjunctas consuleretur. Quod etiam approbat Sanchez, idque ob justam causam, qualis est amentia parentum, fieri posse non est dubium.

Corollarium II. Si de furioso habente lu- 9
cida intervalla dubium oriatur, an Sponsalia, aut etiam Matrimonium contraxerit tempore amentiæ seu furoris, an sanæ mentis? præsumendum est, contraxisse tempore furoris. Sanchez n. 17. Reding loco cit. Ratio est: quia furor & amentia, ceu morbus suapte natura perpetuus ac insanabalis, præsumitur durare omni tempore. At illa lucida intervalla, cùm obtingant per accidens, nequaquam præsumuntur. Nisi fortè ex ipsa qualitate actûs, quia nempe ita bene gestus est, ut non amentiæ, sed sanæ mentis tempore gestus esse videatur, meritò præsumantur. Sanchez, Reding locis cit.

Corollarium III. In dubio, an calor ira- 10
cundiæ, aliáve animi perturbatio impedierit deliberationem ad valorem Sponsalium necessariam, præsumendum est, quòd non impediverit; adeoque standum pro valore Sponsalium. Sanchez n. 10. Reding n. 7. Ratio est: tum, quòd iracundia, aut alia passio rarò usque adeo hominem occupet, ut rationis usum impediat sufficientem ad mortale peccatum. Tum, quòd qualitas naturalis, ut est sufficiens usus rationis, in dubio adesse præsumitur, donec probetur contrarium. Plura de similibus diximus in tract. 1. hujus operis, disp. 3. a. 3. §. 2. à n. 22.

Objicies. In cap. *Divortium. de Pœnit.* 11
dist. 1. dicitur, *Quidquid calore iracundiæ fit, vel dicitur, non priùs ratum esse, quàm si perseverantia apparuerit, judicium animi fuisse.* Respondeo, hæc esse intelligenda de iracundia, quæ ob suam vehementiam absorbet usum rationis ad mortale peccatum sufficientem: quod tamen rarò contingit. Sicut vix unquam contingit, ut quis ex ira alterum occidens excusetur à peccato mortali. Vel dic cum Salmantic. esse intelligenda in foro externo tantùm, ubi præsumitur caruisse requisito usu rationis, qui in ira promisit, si eum postea promisisse pœnituit. Quod non procedere in foro conscientiæ, patet ex dictis in n. 4.

§. II.

Quomodo Sponsalia debeant esse promissio mutua?

SUMMARIUM.

12. *Difficultates hîc expediendæ.* 13. *Promissio Sponsalitia ut obliget, debet esse acceptata.* 14. *Ante acceptationem non obligat, etiamsi juramentô fuerit firmata.* 15. *Acceptatio promissionis non est semper repromissio.* 16. *Solvitur Objectio.* 17. *Si quis animo*

animo contrahendi dicat puellæ, accipiam te in meam, *ipsaque acceptet sine animo repromittendi, nulla oritur obligatio.* 18. *Quid de promissione Matrimonii gratuita?* 19. *Quid, si in promissione sponsalitia promissarius diu distulerit repromissionem?* 20. *An gratuita Matrimonii promissio obliget sub mortali?* 21. 22. *In quibus casibus fictè promittens Matrimonium teneatur stare promissis.* 23. *Qui promittit Matrimonium animo promittendi, sed sine animo se obligandi, non tenetur stare promissis, quamvis puella repromittat.* 24. *Limitatio hujus doctrinæ.*

12 VEra Sponsalia esse promissionem futuri Matrimonii non qualemcunque, sed mutuam ex parte utriusque contrahentis; 01 consentiunt omnes DD. & colligitur ex *l.* 1. *ff. de Sponsal.* ubi promissio sponsalitia dicitur *repromissio*, id est, utriusque partis promissio. Et ratio est: quia Sponsalia sunt contractus onerosus; adeóque includere debet utriusque partis consensum ad aliquid dandum, vel faciendum, scilicet Matrimonium utrimque celebrandum. Sed hinc emergunt nonnullæ difficultates modò breviter expediendæ. Nam aliqui, quos refert Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 6. n. 23. docent, promissionem sponsalitiam obligare, antequàm acceptetur ab altera parte. Alii cum Vasquez in 3. p. to. 4. disp. 4. à cap. 1. contendunt, non requiri specialem aliquam repromissionem in Sponsalibus, sed ipsam acceptationem promissionis obtinere vim repromissionis. Rursus alii apud Salmantic. tract. 9. cap. 1. pu. 3. n. 27. defendunt, promissionem etiam non seriam, sed fictam parere obligationem justitiæ in fictè promittente. Quæ omnia, an ita se habeant, nunc decernemus.

13 Dico primo. Ut promissio Sponsalitia pariat obligationem, debet ab altera parte esse acceptata. Unde potest, antequàm acceptetur, pro libitu revocari à promittente. Ita Sanchez disp. cit. n. 24. Castropal. de Matrim. disp. 1. pu. 3. n. 2. Salmantic. pu. 2. n. 14. Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 4. n. 7. & alii communiter. Ratio est: quia nulla promissio regulariter obligat, antequàm acceptetur, vel ab ipso promissario, vel ab alio ipsius vices gerente; veluti suprà in tract. 7. a. 2. §. 1. pluribus docuimus: ergo etiam Promissio sponsalitia non obligat ante acceptationem.

14 Corollarium. Promissio Matrimonii, etiam juramentô firmata, non obligat ante acceptationem. Ratio est: quia accessorium sequitur naturam principalis, cùm proinde promissio, ceu principale, non obliget ante acceptationem; sicuti probavimus; neque juramentum, quod eidem in hoc casu accedit, obligationem inducit. Itaque tunc promittens ab ejusmodi Sponsalibus sine peccato resilire potest. Sanchez disp. 7. n. 24. Castropal. Salmantic. locis citt.

Dico secundo. Dari potest promissio 15
Matrimonii, ejúsque acceptatio sine repromissione tacita, vel expressa: ut proinde acceptatio ipsa promissionis non obtineat vim repromissionis. Ita Sanchez disp. 5. n. 5. Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 1. n. 2. Salmantic. n. 18. & alii. Ratio est: quia utique Titia v. g. cui Cajus promittit Matrimonium, potest acceptare hanc promissionem præcisè, quantum est in sui favorem, nempe ut Cajus quidem ipsi obligetur, ipsa verò nolit obligari Cajo. quæ enim in hoc repugnantia? sed hoc est dari posse promissionem Matrimonii, ejúsque acceptationem sine repromissione; ergo &c.

Objiciunt. Si Cajus dicat Titiæ per ver- 16
ba de præsenti: *Accipio te in meam*, & illa dicat, *placet*, vel, *admitto*, Matrimonium est validum, & utrimque obligat: ergo similiter, si Cajus dicat Titiæ per verba de futuro: *Accipiam te in meam*, & illa dicat, *placet* vera sunt Sponsalia, & utrinque obligatoria, istaque talis acceptatio est vera repromissio. Consequenter inde probatur, quod, quemadmodùm Matrimonium claudicare non potest, ita nec Sponsalia claudicare possunt. Respondeo conc. Ant. neg. conseq. Disparitas redditur, quia illa asseveratio per verba de præsenti in contractu Matrimonii, cùm sit traditio juris realis in corpus Caji, non potest acceptari à Titia, quin & ipsa vicissim suo consensu tribuat Cajo jus reale in suum corpus. cùm alioquin illa traditio ex parte Caji & acceptatio ex parte Titiæ esset fornicaria, vique ejusdem conjunx haberet jus proximum ad usum conjugalem cum conjuge non suo. Atqui promissio futuri Matrimonii tribuit promissario solummodò jus ad rem, nec exigit, ut pars altera vicissim consimile jus acquirat: & consequenter in casu nostro Titia illam acceptare potest sine promissione reciproca. Ita Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 3. n. 122. Ad probat. conseq. dic, etiam Sponsalia non posse claudicare, positis omnibus ad ea requisitis: hæc tamen in casu nostro non poni omnia, sed deesse alterius partis promissionem reciprocam.

Corollarium I. Si Cajus animô con- 17
trahendi Sponsalia dicat Titiæ, *accipiam te in meam*, & ipsa quidem acceptet hanc promissionem, sed absque animo repromittendi, nec Cajus, nec Titia obligantur in conscientia ad contrahendum Matrimonium. Non Titia; quia noluit se obligare Cajo, sed solummodò ipsum promittentem sibi habere obli-

obligatum. Non Cajus; quia promissio sponsalitia, ut obliget promittentem, exigit in promissario promissionem reciprocam: quæ deficit in casu præsenti. Ita Laym. ubi suprà. Sanchez disp. cit. n. 14. Castropal. pu. 2. n. 9.

18 Dixi: *si animô contrahendi Sponsalia &c.* Nam, si Cajus promissione absoluta & gratuita Titiæ promittat Matrimonium, si aliquando voluerit, ipsáque hanc promissionem accepter, nihil vicissim promittens, tunc Cajus saltem obligatus erit. Sanchez n. 12. Laym. loco cit. Castropal. n. 11. Salmantic. à n. 19. & alii. Ratio est: quia licèt promissio sponsalitia claudicare non possit, potest tamen claudicare simplex promissio Matrimonii, id est, obligare unam partem, & non alteram. Atqui promissio Matrimonii, de qua loquimur, est vera simplex promissio; ergo. Confirmatur. Si Cajus promittat Titio equum se venditurum certo pretio, quandocunque intra annum ipse emere voluerit, & Titius hanc promissionem acceptet, Cajus in conscientia obligatur, ut servet datam fidem, Titius tamen non obligatur, ut emat equum: ergo similiter, si Cajus gratuitò ac liberaliter modo memorato Titiæ promittat Matrimonium, ipsáque promissionem acceptet; Cajus in conscientia obligatus est, ut eam ducat in uxorem, fœminæ tamen non obligatur, ut illi nubat. Cæterùm in dubio, an quis promiserit animô contrahendi Sponsalia, vel gratuitò ac liberaliter, censetur promisisse priori modo, seu juxta naturam Sponsalium: adeóque non obligatus, ut servet datam fidem, si pars altera non repromisit. Sanchez n. 15. Salmantic. n. 21. Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 4. n. 7. Ratio est: quia in obscuris, atqueadeo in dubiis, præsumendum est id, quod plerumque fieri solet. Atqui tam mares quàm fœminæ, dum promittunt Matrimonium, plerumque habent animum non aliter se obligandi, quàm dependenter à promissione reciproca; quod est re ipsa habere animum contrahendi Sponsalia.

19 Corollarium II. Si alter, cui promissum est Matrimonium, post acceptationem diu distulerit repromissionem, promittens liber erit ab obligatione servandi datam fidem. Sanchez n. 12. Reding loco cit. Ratio est: quia diu differens repromissionem censetur contemnere, ac fastidire promissionem Matrimonii, atqueadeo tacitè remittere obligationem. Porrò tempus ejus dilationis secundùm moralem considerationem circumstantiarum occurrentium arbitriô prudentis metiendum est, ut habent Authores citt.

20 Illa nunc quæstio resolvenda esset; an liberalis ac gratuita promissio Matrimonii, quæ obligat solum promittentem, ut diximus in n. 18. obliget sub peccato mortali? sed quoniam hujus decisio dependet ex illa generali quæstione, an simplex & gratuita promissio legitimè acceptata obliget sub mortali? ad quam suprà tract. 7. disp. 6. a. 2. §. 1. negativè respondimus, saltem per se loquendo, videre, & hùc applicare oportet; quæ ibi à n. 11. diximus.

Ut jam ad tertiam ex difficultatibus in 21
n. 12. indicatis convertamur, observandum est, fictè promittentem posse variè esse animô comparatum. Primo ita, ut animum promittendi non habeat, quamvis verbis exterioribus id præseferat. Secundo, ut habeat quidem animum promittendi, seque obligandi, sed non implendi, quod promittit. Tertio, ut sciens ex promissione obligationem oriri, hujus, dum promittit, non reminiscitur. Quarto, ut ignoret ex promissione nasci obligationem, verè tamen intendat promittere. Quinto, ut sciens per promissionem induci obligationem habeat animum sive intentionem promittendi, sed absque animo se obligandi. In primo casu certum est, promittentem non obligari ad standum promissis. quia verè non promittit. In secundo certum est, eum obligari. quia verè ac seriò promittit: ex promissione autem verè tali semper consurgit obligatio. In tertio casu itidem obligatur. quia, qui vult antecedens, vult etiam consequens, saltem implicitè, consequens autem ad promissionem, quam vult hic talis, est ejus obligatio. In quarto non obligatur. quia ignorat naturam veræ promissionis, hoc ipso, quòd ignoret, eidem essentialiter esse annexam obligationem: adeóque non verè promittit: quidquid erronèe sibi persuadeat. Vid. quæ de his fusiùs in simili diximus suprà tract. 5. disp. 3. a. 3. §. 3. à n. 21.

Supereſt igitur, ut etiam de quinto casu 22
sermonem instituamus. ubi Lessius, Sotus, & alii apud Salmantic. cap. cit. pu. 3. n. 27. docent, ita promittentem obligari ex Justitia ad standum promissis. Ratio est: quia, qui vult antecedens, vult etiam consequens. cùm ergo talis velit atque intendat promissionem, ex qua necessariò consequitur obligatio, hanc quoque velle censendus est; adeóque necessariò obligatur. Confirmatur. Non est in potestate applicantis ignem ad stupam facere, ut ignis comburat, vel non comburat: ergo etiam non est in potestate promittentis facere, ut promissio in ipso pariat, vel non pariat obligationem, sed necessariò parit. Quamvis hæc sententia sit probabilis, præplacet tamen opposita. Itaque consequenter ad ea, quæ in tract. cit. disp. illa 3. a. 3. §. 3. n. 25. docuimus,

Dico tertio. Qui, dum promittit puellæ 23
Matrimonium, habet animum promittendi, non tamen animum se obligandi, non tenetur ex Justitia stare promissis, etiamsi illa repro-

repromittat. Adeoque non tenetur contrahere Matrimonium. Ita Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 5. Bonac. de Matrim. q. 1. pu. 2. n. 2. Salmantic. n. 28. & alii ab his relati. Ratio est: quia, qui ponit conditionem contrariam substantiæ contractûs, invalidè & irritè contrahit, ut patet ex cap. *fin. de cond. apposit.* ergo, qui ponit conditionem contrariam substantiæ promissionis, invalidè & inaniter promittit. Atqui promittens in casu nostro ponit conditionem contrariam substantiæ promissionis, videlicet separationem obligationis repugnantem naturæ promissionis; ergo invalidè & irritè promittit. Ad fundamentum sententiæ oppositæ respondetur, obligationem quidem consequi ex promissione verè tali, at non ex illa, quæ quidpiam includit contrarium substantiæ veræ promissionis; sicut includit promissio, de qua modò loquimur. Ex quibus ad Confirmat. dicitur eam omnino valere, si fetmo sit de promissione verè tali, & quæ nihil importat substantiæ suæ contrarium.

24 Debent autem modò dicta intelligi secluso alio quocunque damno, quod alteri parti ex facta promissione secutum est. Nam rursus alia quæstio est, an ad aliquid, & ad aliquid obligetur, qui puellæ Matrimonium promisit sine animo se obligandi, si abilla sic decepta usum corporis obtinuit? Ad quam quæstionem nos respondimus in tract. proximè superiore, disp. 5. a. 3. §. 2. Unde videnda sunt ibi dicta. non enim opus est hîc repetere.

§. III.

Quomodo Matrimonium futurum sit materia Sponsalium?

SUMMARIUM.

25. *Matrimonium futurum, ut sit materia Sponsalium, debet esse validum & licitum.* 26. *Non valent Sponsalia posteriora, si jam prius sunt contracta alia cum alia.* 27. *Quod etiam verum est, si posterioribus accessit copula carnalis.* 28. *Sponsalia contracta ab habente votum simplex castitatis ordinariè sunt invalida.* 29. *Quid, si ejusmodi Sponsalibus accessit defloratio Sponsæ?* 30. 31. 32. *Quid de Sponsalibus incertis?*

25 MAteriam, sive objectum, ad quod immediatè terminatur promissio sponsalitia, esse Matrimonium futurum, sive suo tempore contrahendum, omnino certum est apud omnes, constatque ex definitionibus Sponsalium in artic. priori, n. 1. adductis. Cæterùm, ut Matrimonium futurum sit materia Sponsalium, non tantùm debet esse validum, sed etiam licitum. Et quidem validum esse debet: quia, quod est invalidum & nullum, nullam parere potest obligationem; adeoque à nemine validè promitti. Licitum verò esse debet: quia ad rem illicitam nemo se obligare potest, sicut nemo se obligare potest ad peccandum. Omnia proindo, quæ Matrimonium reddunt invalidum & illicitum, reddunt Sponsalia ex parte objecti nulla & invalida. Atque hinc

26 Sequitur primo, non valere Sponsalia, quæ quis contrahit cum Sempronia, si priùs jam alia contraxit cum Titia. Ratio est: quia secundùm leges Justitiæ res uni obligata ac debita non potest iterum obligari alteri, eique promitti, quamdiu is, cui priùs est obligata, juri suo non renuntiavit. Neque refert, quòd fortè Sponsalia posteriora juramentô firmata sint, non autem priora. quia juramentum non est vinculum iniquitatis *cap. quanto. 18. de jurejur.* atqui posteriora Sponsalia sunt iniqua, & in præjudicium alterius, nempe Titiæ. Vid. Mezger tr. 19. disp. 52. a. 1. n. 20. Oberascher par. 2. tract. 2. cap. 1. pag. 854.

27 Sequitur secundo, quæ priùs diximus, etiam procedere in casu, quo Sponsalibus posterioribus accessit copula carnalis. Ratio similiter est: quia res uni jam obligata ac devincta, non potest rursus reddi obligata alteri: ergo Sponsalia posteriora non possunt esse obligatoria. Neque obstat, quòd accesserit copula carnalis. quia inprimis per improbitatem & perfidiam sponsi non potest auferri jus priori sponsæ quæsitum. Deinde copula illa post Concil. Trident. & ubi hoc est receptum, non præsumitur ampliùs esse maritalis, sed est fornicaria: adeoque nihil operatur in favorem posteriorum Sponsalium, sicut ante Trident. operabatur. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 49. Mezger loco cit. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 3. sect. 1. §. 3. ubi etiam docet, si Sponsus cum posteriori Sponsa contraxisset conditionatè, nempe sub conditione, si prior sponsa jure suo cesserit, vel contracta cum ea Sponsalia ob aliam justam causam obligare desierint, tunc purificata ejusmodi conditione obligatura posteriora Sponsalia.

28 Sequitur tertio, Sponsalia contracta ab habente votum etiam simplex castitatis regulariter esse invalida. Ratio est: quia votum simplex castitatis illi, quem obstringit, regulariter reddit illicitum contrahere Matrimonium. Dixi *regulariter*. quia, si Matrimonium non propter annexum jus petendi & reddendi debitum promittatur aut ineatur (ut fit ordinariè) sed vel propter legitimationem prolis, vel ex speciali Dei inspiratione, ut contigit in B. V. &c. quod est extraordinarium, tunc votum simplex castitatis non reddit illi-

illicitum illud contrahere. vid. Mezger n. 21. qui etiam docet n. 22. ab illo quoque invalidè contrahi Sponsalia, qui edidit votum vel juramentum ingrediendi Religionem, suscipiendi SS. Ordines, vel non ineundi Matrimonium: quia similiter hæc omnia statum Matrimonialem reddunt illicitum.

29 Sed major jam difficultas exurgit, an valida sint Sponsalia contracta ab habente votum simplex castitatis, vel Religionis, si eisdem accessit defloratio Sponsæ? Negant esse valida Navarrus, Vivaldus & alii, quos refert & sequitur Magnific. P. Schmier sect. cit. §. 2. Econtra esse valida, affirmant alii. Ratio est: quia votum in hoc tali casu non obligat: ergo nihil obstat, quominùs obligent Sponsalia, teneaturque vi illorum deflorator ducere defloratam. Confeq. videtur legitima. Ant. prob. ex eo, quòd votum non obliget rebus notabiliter mutatis, uti doceri solet de voto. Sed in nostro casu supervenit notabilissima mutatio, scilicet fortissimum Justitiæ vinculum, gravissimúmque defloratæ damnum, si votum impleatur; ergo. Ego, salvo meliori judicio, existimo, tam hoc, quàm aliis argumentis, quæ videre licet apud Sanchez lib. cit. disp. 45. solùm probari, quòd defloratur teneatur defloratam ducere, haud sanè vi promissionis sponsalitiæ (quippe quæ nulla est etiam ob defectum requisitæ libertatis in acceptando & repromittendo ex parte deceptæ) sed ex delicto & ratione injustæ damnificationis; ut nos quoque docuimus in tract. proximè præced. disp. 5. a. 3. §. 2. ubi plura alia, quæ huc pertinent, reperire est. Illud tamen notandum est, votum non impediente hac nostra doctrina retinere vim obligandi, ita, ut si sit votum castitatis, obliget defloratorem contracto Matrimonio, ne petat debitum, utque dissolutis ob justam causam Sponsalibus, vel mortua conjuge, abstineat ab ulteriori Matrimonio, &, si sit votum Religionis, illam ingrediatur. Vid. Sanchez n. 1.

30 Sequitur quarto, etiam Sponsalia incerta esse invalida. Dicuntur Sponsalia incerta, quando promissio Matrimonii non fit uni certæ, vel determinatæ personæ, sed uni ex pluribus indeterminatè: ut, si Cajus dicat tribus v. g. puellis: *unam ex vobis ducam*, & illæ acceptata hac promissione repromittant. Nunc ratio consectarii est: quia cum indeterminatione personarum non potest consistere valor Matrimonii: ergo nec Sponsalium. Nulla igitur in dato exemplo sunt Sponsalia, nec operantur impedimentum publicæ honestatis. Vid. Sanchez disp. 26. Filliuc. tr. 10. cap. 7. n. 250. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 3. Castropal. disp. 1. pu. 2. n. 7. Mezger ubi suprà n. 6. Oberascher de Matrim. cap. 1. pag. 759.

Ex memorata tamen promissione Cajus 31
obligatur ad unam ex illis puellis eligendam, & ducendam: ipsa quoque electa vicissim obligatur ad nubendum eligenti, ut habet communis sententia. Ratio est: quia illa promissio, etsi non constituat vera Sponsalia, vero tamen, & non ficta promissio est, eaque mutua, & consequenter mutuam obligationem importans. Facta autem ea determinatione Sponsæ per electionem Sponsalia jam sunt certa, & perfecta, inducúntque impedimentum publicæ honestatis. Bonac. n. 4. Mezger loco cit. Quòdsi illa, quam eligit Cajus, jam renuat ejus nuptias, non tenetur ducere aliam. Ratio est: quia non censetur se obligâsse, nisi ad ducendam eam, quam semel elegerit. adeoque si ista duci nolit, liber est ab obligatione. Bonac. loco cit. Sed quid, si Cajus, penes quem esse supponitur potestas eligendi unam ex tribus, aliquam earum cognoscat carnaliter? In hoc casu Rebellus, Sylvester, Coninck, quos refert & sequitur Bonac. n. 3. docent, consurgere vera ac determinata Sponsalia sine alia electione. quod idem sentit Mezger loco cit. Ratio est: quia præsumitur cognovisse animô eligendi. ipsa quoque præsumitur non aliter concessisse usum corporis, quàm sub conditione contrahendi Matrimonii. Si tamen contra hanc utramque præsumptionem neutra pars quidquam cogitâsset de determinandis, seu perficiendis Sponsalibus, putò cum Magnif. P. Schmier, Sponsalia manere indeterminata. At non manerent, ut idem docet to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 3. sect. 2. n. 98. si Cajus dixisset v. g. *ducam ex vobis unam, quæ mihi serviet in mea ægritudine*, & una earum alias præveniret in implendo hanc conditionem. tunc enim impletio conditionis implenti tribueret jus in solidum, & obligationem indeterminatam promittentis faceret determinatam.

Sed jam aliter formemus casum. Titius 32
pater ex tribus filiabus unam indeterminatè Cajo promittit in Matrimonium, & Cajus vicissim promittit, se unam ducturum, & quidem illam, quam pater determinaverit. Puellæ quoque omnes in ejusmodi promissionem & repromissionem consentiunt. Quæritur nunc primo, si Titius unam ex filiabus à se determinatam offerat, sed Cajus non acceptet, an teneatur dare aliam? Secundo, si ante alicujus traditionem duæ moriantur, an teneatur dare superstitem? Tertio, an teneatur dare aliquam, si Cajus unam cognoscat carnaliter.

Ad I. Respondeo negativè. Ratio est: quia 33
electio seu determinatio tunc pertinet ad patrem, qui ad aliud se non obligavit, quàm ad traditionē unius ex filiabus à se semel electæ. Ad II. Respondeo affirmativè. Ratio est: quia

Titius datam Cajo fidem servare eo modo, quo potest: atqui dando filiam superstitem potest servare fidem; ergo tenetur dare. Sed quid, si Titius, dum promisit verbis absolutè ac indefinitè significantibus tantùm habuit animum se obligandi ad tradendam unam certam ex jam mortuis? Ad hoc respondendum est ex dictis in §. præced. n. 23. non obligari in foro Conscientiæ ad tradendam superstitem, si nullum aliud damnum sequatur: quia facta ejusmodi promissio non parit obligationem. Ad III. Respondeo negativè. Ratio est: quia Titius neque tenetur tradere corruptam. cùm non sit æquum, ut ob crimen Caji obligetur ad faciendum, quod priùs facere non tenebatur. Atqui priùs non tenebatur dare illam determinatè filiam, quam postea Cajus vitiavit: ergo. Neque tenetur dare allam ex integris; quia Cajus per fornicationem contraxit cum illis impedimentum affinitatis. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 26. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 3. à n. 4. Oberascher de Matrim. cap. 1. pag. 760. qui rectè addit, hanc nostram tertii Quæsiti resolutionem procedere, ubi Concil. Trid. receptum est quantùm ad reformationem Matrimonii: alibi verò illam sponsionem patris ratihabitam à filiabus per copulam maritali affectu exercitam (qualis à Jure præsumeretur) transituram in Matrimonium de præsenti, juxta cap. *is, qui fidem. 30. de Sponsal. & Matrim.*

§. IV.

Qualiter Sponsalia debeant esse promissio signo aliquo sensibili expressa?

SUMMARIUM.

33. *Promissio merè interna non sufficit ad Sponsalia.* 34. *Nulla tamen certa verba aut signa, quibus exprimatur, sunt hîc præscripta.* 35. *Quæcunque tamen sint, nulla ex illis consurgit obligatio per se loquendo, si absit internus consensus eadem adhibentis.* 36. *An vera Sponsalia contrahantur per verba negativa?* 37. *An taciturnitas sit signum sufficiens consensus sponsalitii?* 38. *Quid de Sponsalibus, quæ contrahuntur per litteras?* 39. *An valida & licita sint Sponsalia clandestina?*

33 CErtum est primo, promissionem internam non sufficere ad Sponsalia, sed insuper requiri externam, hoc est, sensibilem expressionem internæ per verba, vel signa. Ratio est: quia licèt homo Deo scrutatori cordium obligari possit solo actu interno, putà votô, vel juramentô internô, non tamen homini; quippe in quem non nisi modo humano & sensibili jus aliquod transferre potest. Vid. Mezger tr. 19. disp. 52. a. 1. §. 2.

34 Certum est secundo, ad contractum sponsalitium nulla certa verba, aliáve signa esse præscripta, sed sufficere quæcunque, dummodò per illa consensus internus utriusque contrahentium innotescat. Ratio est: quia in Sponsalibus soli contrahentes sibi dant, mutuoque acceptant fidem: ergo sufficiunt quæcunque verba, aut signa, licèt ex solo contrahentium placito habeant significationem interni consensus, & ab ipsis solis intelligantur. Vid. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 4. n. 1. Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 3. n. 2. In foro tamen externo non attenditur hîc placitum contrahentium, sed statur verbis, quæ vel ex communi acceptione, vel ex consuetudine loci significant promissionem futuri Matrimonii. Quod idem observandum circa alia signa. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 18. n. 4.

35 Corollarium. Qualiacunque verba, vel signa Sponsalium adhibita esse supponantur: nulla inde consurgit obligatio in conscientia per se loquendo, sive secluso alio damno, nisi ille, qui eisdem fuit usus, reverà consenserit. Ratio est: quia, sicut nuptias non concubitus, sed consensus facit, ita etiam Sponsalia non facit locutio per verba vel signa, sed consensus. Vid. Reding a. cit. controv. 6. n. 1. qui ibidem à n. 3. multas regulas proponit ex P. Gobat, qualiter procedendum sit in foro externo, quando adhibitis certis Sponsalium verbis vel signis probari nequit significationis eorum ignorantia, aut verba vel signa in se ipsis sint dubiæ significationis.

36 Quæritur nunc primo, an Sponsalia contrahantur per verba negativa, v. g. *nullam aliam ducam, nisi te?* Respondeo negativè. Ita Sanchez lib. cit. disp. 19. n. 5. Bonac. de Matrim. q. 1. pu. 1. n. 13. Salmantic. tract. 9. pu. 4. n. 44. Mezger n. 10. & alii. Ratio est: quia ejusmodi propositio habet sensum conditionatum, acsi dicerem: *si aliquam ducam, te ducam.* Quare non impediente illa verborum formula ad puellam prolata potest quis liberè abstinere ab ejus nuptiis, & tantùm tenetur non abstinere ex hypothesi, quòd aliquam ducturus sit: sicuti, si dicam: *Nullam Religionem ingrediar, nisi Capuccinorum*, non teneor ingredi hanc Religionem, nisi ex hypothesi, quòd aliquam ingressurus sim.

37 Quæritur secundo, an taciturnitas sit sufficiens signum consensus & promissionis sponsalitiæ? Respondeo, non esse per se loquendo. Atque ideo, siquis puellæ promittat Matrimonium, illaque taceat, non hoc ipso existimanda est consentire aut repromittere. Ita Castropal. ubi suprà n. 11. Bonac. n. 11. Salmantic. n. 45. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 1.

q. 1. a. 1. n. 7. & alii. Ratio est: quia illa Regula Juris in 6. *qui tacet, consentire videtur*, habet quidem locum in favorabilibus, non tamen in præjudicialibus, cujusmodi est sibi imponere aliquam obligationem; sed procedit alia Regula Juris in 6. *Qui tacet, nec consentire, neç dissentire videtur.* Dixi autem, *per se loquendo.* quia in certis casibus aliud est judicandum. ut primo, si alicubi obtineat consuetudo loci, aut lex, ut taciturnitas accipiatur pro signo consensus interni. Sanchez disp. 23. n. 14. Bonac. loco cit. Secundo, si Pater, vel Mater loco filii, aut filiæ in eorum præsentia spondeat, iiçque non contradicant. tunc enim tale silentium pro sensibili acceptatione & repromissione habetur. cùm meritò præsumatur, filios propter naturalem amorem, quo feruntur in parentes, his mentem suam manifestaturos, si nollent inire contractum. Atque ita expressè decisum est in *cap. un.* §. *fin. de desponsat. impuberum in* 6. Extenditur hoc idem probabiliter ad casum, quo parentes spondent pro filiis absentibus, si isti post acceptam vel ab ipsis parentibus, vel à parte altera rei notitiam non contradicant. Salmantic. n. 47. Oberascher de Matrim. cap. 1. pag. 781. Eadem tamen Juris decisio minùs probabiliter à quibusdam extenditur ad sponsionem Fratris, Tutoris, aut Curatoris, si absque expressa commissione facta sit. Nam cap. loquitur de solis parentibus. Ratio quoque ex amore naturali perita pro illis solis probat. Sanchez n. 7. Salmantic. n. 48. Illsung loco cit.

38 Quæritur tertio, quid sentiendum de Sponsalibus, quæ contrahuntur per litteras? Respondeo, illa subsistere, si consensus de futuro Matrimonio in litteris luculenter exprimatur. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 3. sect. 2. n. 87. Ratio est: quia nihil referre censetur, verbisne, an signis, aut litteris suum consensum quis exprimat. Dixi, *si consensus de futuro &c.* Nam quando in litteris non sunt nisi termini amatorii, V. G. *tu es meus charissimus, vel mea charissima: tu es thesaurus meus; tu es cor meum &c.* nondum censentur esse perfecta Sponsalia. Recordare tamen dictorum num. 34.

39 Quæritur quarto, an Sponsalia celebrari debeant publicè, id est, coram Parocho & testibus? Affirmant plures apud Sanchez disp. 12. & 15. & Salmantic. pu. 5. num. 67. quorum aliqui dicunt, Sponsalia clandestinè contracta esse invalida, aliqui tenent, esse quidem valida; sed non licita. Respondeo tamen ad quæstionem negativè, aioque, Sponsalia non tantùm validè sed etiam licitè celebrari sine Parocho & testibus. Ita Sanchez locis cit. Salmantic. n. 68. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 2. n. 15. Oberascher ubi suprà pag. 791. & refert Castropal. ex Farinac. & Barbosa, ita sæpe declaratum esse à Sacra Congregatione Cardinalium. Ratio verò est: quia inprimis Sponsalia clandestinè contracta jure naturæ non sunt invalida; nec exstat jus aliquod positivum, quo invalidentur. Nam decretum Concilii Trid. sess. 24. cap. 1. irritans Matrimonium Clandestinum, cùm sit correctivum juris communis, non debet extendi ultra casum expressum. Deinde nulla etiam datur lex prohibens ejusmodi Sponsalia. Non enim est par ratio prohibendi clandestina Sponsalia & clandestinum Matrimonium: cùm ex isto plurima sequantur absurda, quæ non sequuntur ex illis. Quando autem non est eadem ratio prohibendi, non sequitur, prohibito uno esse prohibitum & alterum. Dices. Sponsalia sunt via & dispositio ad Matrimonium: ergo, prohibito Matrimonio, etiam Sponsalia sunt prohibita. Respondeo dist. Ant. sunt via ad Matrimonium ut debitè ac licitè celebrandum, conc. ut illicitè celebrandum neg. Ant. & consec. De cætero negandum non est, sæpe expedire, ut Sponsalibus celebrandis adhibeantur testes, adsitque Parochus, & de contractu scriptura conficiatur. Vid. Oberascher pag. 792.

§. V.

Quænam personæ sint habiles ad Sponsalia?

SUMMARIUM.

40. *Illi tantùm sunt habiles ad Sponsalia, qui possunt contrahere Matrimonium validè & licitè.* 41. *Neque habentes impedimentum impediens Matrimonium,* 42. *neque pueri ante usum rationis sunt habiles ad Sponsalia.* 43. *An, si cui ante septennium ætatis adsit usus rationis, possit validè contrahere Sponsalia?* 44. *Quandonam in foro Conscientiæ idem sit judicandum, quod in foro externo?* 45. *Ad contractum Sponsalitium non requiritur in contrahente septennium physicè completum.* 46. *Solvitur instantia de Professione Religiosa.* 47. *Non est peccatum mortale Sponsalia contrahere ante septennium.* 48. *Liberi validè ea contrahunt sine consensu parentum.* 49. 50. 51. 52. 53. *Resolvitur quæstio, an, & quomodo Sponsalia contrahi possint per alios?*

40 Dico. Illæ solæ personæ possunt contrahere vera Sponsalia, quæ ad Matrimonium ipsum validè simul & licitè contrahendum sunt habiles. Ita communiter DD. Ratio est: quia Sponsalia sunt promissio

missio futuri Matrimonii: ergo illi tantùm ea possunt contrahere, qui sunt habiles ad Matrimonium suo tempore ineundum, idque validè simul & licitè. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 15. Filliuc. tract 10. cap. 7. n. 256. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 6. n. 1. Salmantic. tract. 9. cap. 1. pu. 6. n. 70. Reding. to. 8. q. 1. a. 1. controv. 5. num. 1.

41 Ex dictis proinde manifestum est, illos etiam, qui laborant impedimento solùm impediente seu prohibente Matrimonium, non contrahere vera Sponsalia. Atque hinc invalida sunt Sponsalia habentis votum simplex castitatis; aut Catholici cum hæretica. Ratio est: quia sunt promissio rei illicitæ; & consequenter nullam pariunt obligationem. Quòd si tamen impedimentum pro eo tempore, quo incundem esset Matrimonium, fuerit oblatum, ut, si alter contrahens in datis exemplis dispensationem voti impetraverit, hæresim ejuraverint, valida, firmáque subsistunt Sponsalia. Quod etiam constat in desponsatione impuberum: quæ valida est; quia Matrimonium promittitur non nisi pro tempore à Jure permisso. Sanchez n. 2. Salmantic. loco cit. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 1. a. 1. n. 9.

42 Inhabiles quoque sunt ad contrahendum Sponsalia pueri ante usum rationis, tametsi annum septimum ætatis compleverint. Ratio est: quia ante usum rationis nemo potest verè promittere, sicut nemo potest peccare. Atque hinc Jus Ecclesiasticum tam in masculo quàm in fœmina ætatem septem annorum ad contractum Sponsalitium requirit, ut patet ex cap. *litteris.* & ex cap. *Accessit. de desponsat. impuber.* quia cum illa ætate usum rationis adesse prudenter judicatur: veluti docet & pulchrè declarat D. Thomas 3. p. in Supplem. q. 43. a. 2. ubi etiam rationem reddit, cur minor ætas sufficiat ad Sponsalia, quàm ad Matrimonium.

43 Sed nunc quæstiones aliquæ sunt expediendæ. Prima est, an, quando malitia supplet ætatem, & usus rationis sufficiens adest ante septennium, validè contrahi possint Sponsalia? Respondeo affirmativè. Ita Sanchez disp. 16. n. 9. Filliuc. n. 258. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 4. n. 2. Salmantic. n. 76. Illsung n. 11. Oberascher de Matrim. cap. 1. pag. 765. contra Castropal. Reding & alios. Ratio petitur ex paritate Matrimonii, ad quod contrahendum duodecim anni pro fœmina, quatuordecim pro mare præscribuntur, & tamen, si malitia supplente ætatem, iidem habeant sufficientem notitiam eorum, ad quæ vi hujus contractûs obligentur, & potentiam generandi, validè contrahunt Matrimonium, ut habetur ex cap. *Juvenis. 7. de Sponsal.* & cap. *un. de desponsat. impuber. in 6.* Ergo idem sentiendum est de Sponsalibus, idque à fortiori; cùm Matrimonii vinculum sit strictius quàm Sponsalium.

Objicies. Idem judicandum est in foro 44
conscientiæ, quod in foro externo: sed in foro externo Sponsalia ante septennium celebrata judicantur invalida; ut constat ex Canonibus num. 42. citt. ergo etiam judicanda sunt invalida in foro conscientiæ, esto malitia suppleat ætatem. Respondeo, maj. esse veram, quamdiu non constat, forum externum niti falsa præsumptione, quod tamen constat in præsenti; cùm usus rationis, quem forum illud præsumit non adesse ante septennium, adsit in nostro casu. Debet igitur præsumptio cedere huic veritati, & Sponsalia in foro conscientiæ judicari valida.

Secunda quæstio est, an ad Sponsalia 45
contrahenda requiratur septennium physicè completum? Respondeo, sufficere moraliter completum. Ita D. Thomas a. cit. ad 7. illis verbis: *In Sponsalibus etiam similiter si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus Sponsalium habet robur: quia secundùm Philosophum in 2. Physic. quod parum deest, quasi nihil deesse videtur.* Divum Thomam sequuntur Salmantic. n. 73. & plures alii apud Sanchez ubi suprà n. 4. qui tenent, valida esse Sponsalia, si duo, vel tres, vel quatuor dies desint septennio; imò si octo, ut habet Cornejo apud Salmantic. quia videlicet facta ejusmodi paucorum dierum detractione septennium adhuc moraliter manet completum.

Objicies. Professio Religionis ante an- 46
num decimum sextum physicè completum est invalida, si vel unicus dies deficiat: ergo similiter Sponsalia sunt invalida ante septennium physicè completum. Respondeo neg. conseq. quia Matrimonium & Sponsalia sunt magis favorabilia, quàm Professio Religionis: cùm major sit inclinatio naturæ ad Nuptias, quàm ad alios actus Politicos. Et ideò jura aliter disposuerunt de Professione, quàm de Matrimonio & Sponsalibus. Vid. Bonac. ubi suprà n. 3.

Tertia quæstio est, an sit peccatum mor- 47
tale Sponsalia contrahere ante septennium? Respondent affirmativè Navarrus, Sylvester, Ledesma apud Reding to. 8. q. 1. a. 1. controv. 5. n. 17. Deinde Bonac. n. 6. & alii. Nituntur cap. 1. *de desponsat. impuberum.* ubi dicitur: *districtiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.*

retur. Quæ prohibitio in re tam gravi haud dubiè graviter obligat. Meliùs tamen respondetur negativè cum Sanchez disp. 17. num. 4. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 6. num. 11. Filliuc. n. 259. Salmantic. n. 79. & aliis. Ratio est: quia nec Sacramento (cùm spondentes nullum recipiant) aliqua injuria irrogatur; nec alicui personæ tertiæ. Ex nullo autem alio capite colligi potest hîc subesse culpam gravem. maximè, cùm illud cap. 2. *de desponsat. impuber.* non de Sponsalibus, sed de Matrimonio loquatur.

48 Quarta quæstio est, an liberi validè contrahant Sponsalia, si parentes non consentiant? Respondeò affirmativè cum communi DD. Ratio est: quia juxta Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. valida sunt Matrimonia liberorum sine consensu parentum contracta: ergo etiam valida sunt Sponsalia, utpote via & dispositio ad ipsum. De cætero fatendum est, ejusmodi Sponsalia communiter esse illicita. debent enim liberi, præsertim filiæ, id honoris parentibus, ut negotium tanti momenti non suscipiant illis inconsultis. Graviter tamen non peccant per se loquendo, si petere negligant eorum consilium; quemadmodum de contracturis ipsum Matrimonium docuimus suprà in tract. 5. disp. 5. a. 1. §. 1. num. 19. Rocolenda sunt etiam, quæ ibi priùs num. 18. diximus. Dixi, *per se loquendo.* Nam per accidens, si prævideant, se parentibus, non exquirendo eorum consilium, vel consensum, daturos occasionem magni mœroris, gravis ac diuturnæ offensæ, aliorumque peccatorum, non excusari poterunt à peccato mortali. Vid. Sporer de Sacram. pat. 4. cap. 1. n. 204.

49 Quinta quæstio est, an, & quomodo per alios contrahi possint Sponsalia? Respondeo primo. Parentes pro liberis possunt Sponsalia contrahere, absque illorum mandato. Ratio est: quia, cùm consilia, quæ parentes capiunt pro liberis, optima esse præsumantur, Jura illis potestatem concedunt pro liberis Sponsalia contrahendi sine mandato. Vid. Magnif. P. Schmier. to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 2. n. 38. Et hoc procedit de liberis etiam emancipatis, sicut & de sputiis, & ex damnato concubitu genitis. Sanch. lib. 1. disp. 23. n. 10. & 11.

50 Verùm circa hanc nostram Responsionem observandum est primo, promissionem Matrimonii factam à parentibus nomine liberorum vel absentium, vel rationis usu sufficienti nondum præditorum non obtinere rationem Sponsalium, antequàm iidem deinde certiores redditi, debitúmque rationis usum assecuti consentiant, veluti habetur ex *cap. un. de desponsat. impuber.* Observandum est secundo ex communi DD. sententia, liberos dicto modo desponsatos non posse postea cogi, ut consentiant in desponsationem. Ratio est: quia in eligendo statu vitæ quilibet naturaliter liber est, & esse debet. Possunt nihilominùs parentes ob rationabilem causam suadendo, rogando, alióve modo libertati non contrario ad consentiendum inducere filium vel filiam. Observandum est tertio, etsi non vi promissionis parentum, vel titulo obedientiæ, ut constat ex dictis; attamen titulo honestatis liberos debere ratum postea habere contractum Sponsalium ab iisdem pro se initum, nisi justa causa suadeat contrarium. Vid. Oberascher de Matrim. c. 1. pag. 769.

Corollarium. Quando parentes filium, 51
aut filiam ante rationis usum, vel in absentia alicui sponsonderunt in Matrimonium, tenentur, quantum in ipsis est, adhibere operam, ut iidem postea præbeant consensum, quem si impetrare nequeant, ad nihil ultrà obligantur, etiamsi addito juramento, vel conditione certæ pœnæ subeundæ promissionem firmaverint. Oberascher pag. 768. Ratio est: quia in ejusmodi promissione parentum censetur involuta hæc conditio, *si filius, aut filia suo tempore, vel acceptâ rei notitiâ consenserit.* cujus proinde conditionis impletionem si præstito sufficienti studio obtinere nequierunt, nihil ultrà ab ipsis jure exigi potest. Aliud esset, si dubitâssent, aut certò nossent, se liberis suis hac in re nihil persuasuros, & tamen pro certo promittentes eorum Matrimonium promissario damnum intulissent. tunc enim tenerentur hoc resarcire. Vid. Sanchez disp. 14.

Respondeo secundo. Neque alii pro- 52
pinqui, neque tutores, aut curatores possunt contrahere Sponsalia pro suis propinquis, pupillis, aut minoribus, sine mandato. Ita Sanchez Disp. cit. n. 7. Magnif. P. Schmier n. 75. & alii plurimi. Ratio est: quia in Jure Ecclesiastico cap. *un.* §. *fin. de desponsat. impuber.* solis parentibus facultas conceditur Sponsalia contrahendi pro liberis sine mandato, idque ob rationem, cujus suprà num. 37. meminimus. Itaque si alius propinquus pro propinquo, tutor pro pupillo, curator pro minori, sciente & tacente, contrahat Sponsalia, sine speciali mandato, nulla consurgit obligatio.

Respondeo tertio. Sponsalia inter absentes 53
possunt contrahi per Procuratorem. Ratio petitur à paritate aliorum Contractuum, quos per Procuratorem perfici posse inter absentes nimis quàm certum est. Cæterùm, ut Procurator nomine absentis contrahat valida Sponsalia, requiritur primo, ut habeat speciale mandatum de Sponsalibus; nec sufficit generale ad quælibet negotia tractanda, quantumvis plenum & liberum. Requiritur secundo, ut idem mandatũ sit de contrahendis Sponsalibus cum certa, & in individuo determinata persona.

Unde

Unde non sufficit mandatum ad contrahendum cum quacunque, prout visum fuerit Procuratori. Requiritur tertio, ut Procurator per se ipsum, & non per alium exequatur mandatum, nisi expressè acceperit facultatem substituendi alium. Requiritur quarto, ut tempore, quo Procurator contrahit, mandatum non sit revocatum. Nam si revocatum sit, invalidè contrahit, quamvis nec ipse, nec altera pars, cum qua contrahit, habeat notitiam revocationis. Valet autem revocatio, redditque irrita Sponsalia, licèt Principalis promiserit juratus, se non revocaturum. Valet insuper in foro conscientiæ, si sit merè interna. Valet denique tacita: qualis ex ipso facto contrario Principalis colligitur, dum nempe dat novum mandatum contrahendi cum alla: tunc enim primum mandatum tacitè revocare censetur. Vid. de his omnibus Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 11. Mezger tract. 19. disp. 52. a. 1. à num. 11. Magnific. P. Schmier. cap. cit. sect. 3.

ARTICULUS III.

De Obligatione Sponsalium.

SUMMARIUM.

1. *Sponsi ex justitia obligantur ad contrahendum suo tempore Matrimonium.* 2. *Ea obligatio an semper sit gravis?* 3. *Sponsi obligantur etiam ad abstinendum ab omnibus, quæ executioni promissionis obstare possunt.* 4. *Quo tempore implenda sit obligatio contractus Sponsalitii?* 5. 6. *Injustè resiliens à Sponsalibus compelli potest à Judice ad standum promissis.* 7. *Etiam Sponsalia conditionata aliquando obligant.* 8. 9. 10. 11. *Illationes practicæ.* 12. *An Sponsalia conditionata priora irritentur, si conditio posterioribus adjecta priùs impleatur?* 13. *An Sponsalibus adjici possit certa pœna à parte injustè resiliente solvenda?* 14. *Quid sit impedimentum publicæ honestatis.* 15. *Illud oritur ex Sponsalibus validis & absolutis.* 16. 17. *Corollaria.*

1 Dico primo. Sponsalia absoluta ex justitia obligant contrahentes ad celebrandum suo tempore Matrimonium. Ita communiter DD. Ratio est: quia omnis contractus onerosus parit in contrahentibus obligationem justitiæ ad præstandum id, quod in contractum fuit deductum: sed Sponsalia sunt contractus onerosus, in quem deducitur Matrimonium suo tempore celebrandum; ergo parit in contrahentibus obligationem justitiæ ad Matrimonium suo tempore celebrandum. Atque hinc

2 Colligitur primo, assertam obligationem Sponsalium esse gravem & sub mortali. Ratio est: quia obligatio justitiæ in materia gravi est gravis & sub mortali: sed obligatio sponsalitia est ex justitia, & in materia gravi; ergo est gravis. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 27. Filliuc. tract. 10. cap. 7. num. 260. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 7. num. 1. Sed quid, si contrahentes intendant se obligare leviter solùm & sub venjali? Ad hoc respondeo, illos tunc fore obligatos solùm sub veniali ad ineundum Matrimonium. Ratio est: quia promissio est quædam lex privata, quam promittens sibi ipsi imponit. Legem autem humanam posse ex intentione Legislatoris etiam in materia gravi obligare non graviter, sed leviter solùm, & sub peccato veniali, docuimus suprà in tract. 3. disp. 2. a. 2. num. 3. Confirmatur. Votum in materia gravi potest ex intentione voventis reddi obligatorium sub veniali tantùm, veluti sacrà in tract. 5. disp. 3. a. 4. num. 57. probavimus: ergo etiam Sponsalia ex intentione contrahentium possunt sub veniali tantùm obligare. Vid. Sanchez disp. 9. num. 6. Salmantic. tract. 9. cap. 1. pu. 7. num. 85. Verùm ejusmodi intentio non præsumitur in foro externo, sed potiùs præsumitur quilibet contrahere juxta naturam materiæ. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 4. num. 5.

3 Colligitur secundo, contrahentes Sponsalia vi hujus contractûs obligari præterea ad abstinendum ab omnibus, quæ datæ fidei, & executioni promissionis obstare possint. Ratio est: quia, qui obligatur præcepto affirmativo justitiæ ad promissionem suo tempore implendam, obligatur etiam præcepto negativo ad abstinendum ab omnibus, quæ impletioni promissionis possunt esse impedimento: sed contrahentes Sponsalia obliganter præcepto affirmativo justitiæ ad promissionem Matrimonii suo tempore implendum; ergo etiam obligantur præcepto negativo ad abstinendum ab omnibus, quæ impletioni hujus promissionis possunt esse impedimento. Castropal. num. 3. Mezger tract. 19. disp. 52. a. 2. num. 1. Excipitur tamen ingressus Religionis. hic enim, cùm solvat Matrimonium ratum, ut infrà dicetur, solvit à fortiori Sponsalia.

Colli-

4 Colligitur tertio, quando contractui Sponsalitio nullum certum tempus pro impletione obligationis fuit adjectum, implendum esse, quamprimùm commodè possit, consideratis circumstantiis personarum locorum, consuetudinis, ipsiusque temporis &c. Ratio est: quia jus alteri quæsitum ex hoc contractu exigit, ut, quod jam debetur ex justitia, præstetur sine mora, nisi hanc tacitè saltem comprobet alter Sponsorum, inque dilationem consentiat. Castropal. n. 2. Salmantic. n. 87. Reding to. 8. q. 1. a. 2. controv. 3. n. 11. Mezger n. 6. Accedit, quòd longa protelatio Matrimonii præbeat ansam variis incommodis, Sponsósque multis periculis carnaliter inter se peccandi exponat; 41 quemadmodùm meritò advertit Gobat in Theol. Experim. tract. 10. num. 124. Dixi, *quando nullum certum tempus &c.* Nam si aliquod fuit adjectum, omnes fatentur, ultra id non posse illæsâ justitiâ differri Matrimonium.

5 Colligitur quarto, Sponsum, vel Sponsam à Sponsalibus injustè resilientem, nolentémque contrahere Matrimonium non tantùm à Confessario non posse absolvi Sacramentaliter, sed etiam à Judice Ecclesiastico; imò interdum à Judice quoque sæculari posse compelli ad standum promissis. Ratio primi est: quia ejusmodi Pœnitens ob conscientiam peccati mortalis, eò quòd detrectet præstare, ad quod sub mortali tenetur, non est dispositus ad Absolutionem recipiendam. Ratio secundi est: quia ad Judicem pertinet curare, ut cuique tribuatur, quod est ei debitum ex 42 justitia, utque innocentes ab injuriis serventur immunes. Et quoniam cognitio causarum Sponsalitiarum & Matrimonialium est fori Ecclesiastici, curare, ut contractus Sponsalitius impleatur, Judici Ecclesiastico incumbit. Ratio tertii est: quia licèt, dum agitatur quæstio juris, an Sponsalia sint valide contracta; vel adsit legitima causa ea dissolvendi? ejus cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum pertineat; tamen, dum supposito valore Sponsalium, nullâque comparente justa causa ea dissolvendi, Sponsus vel Sponsa renuit servare fidem, etiam Judex fori sæcularis est competens, quamvis Sponsalia juramento quoque fuerint confirmata. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 29. Castropal. pu. 8. Salmantic. à num. 89. Reding a. cit. controv. 4. Mezger à num. 2.

6 Dixi tamen, *posse compelli ad standum promissis.* Non enim id semper fieri debet. Nam, si Judex videat, ex Matrimonio plurima incommoda secutura, vel timeat, ne pars compulsa non verè, sed fictè consentiat in Nuptias; conjugem postea deserat, aut rixis, jurgiis, verberibus &c. assiduè malè habeat, non debet censuris, aut aliis pœnis compelere parere renitentem, sed sibi relinquere, sive promissio fuerit jurata, sive non. cùm præstet minus malum violatæ fidei permittere, quàm urgere ad majus coacti Matrimonii. Quòd si tamen absit periculum memoratorum malorum, nec partes induci quoque possint ad Sponsalia mutuò sibi remittenda, Judex non tantùm potest, sed etiam tenetur ex officio nolentem compellere ad Matrimonium. Vid. Salmantic. n. 91. Mezger n. 4. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 4. sect. 1. §. 3.

7 Dico secundo. Etiam Sponsalia conditionata conditione possibili & honesta obligant, idque non minùs, quàm absoluta. Ratio est: quia conditione impleta citra omnem alium consensum transeunt in absoluta. Ante impletam verò conditionem, nisi alter contrahentium sit in mora culpabili, obligant ad exspectationem conditionis, donec videlicet impleatur; prout etiam de Votis conditionatis doceri solet.

8 Infertur primo, Sponsalia conditionata conditione impossibili esse invalida, nec ullam parere obligationem. Ita probabiliùs Castropal. disp. cit. pu. 16. n. 4. Reding a. 2. controv. 1. n. 34. Illsung tr. 6. disp. 9. q. 1. a. 2. n. 14. Magnif. P. Schmier tract. cit. cap. 3. n. 131. & alii. Ratio est: tum, quia impossibile est ejusmodi Sponsalia fieri absoluta: ergo nec obligant impleta conditione; quippe quæ nequit impleri; nec obligant ad exspectandum eventum conditionis: nam sicut nemo obligari potest ad impossibile, ita nec obligari quis potest ad exspectationem rei impossibilis. tum: quia contractus, qui fit sine vero animo contrahendi, est nullus: sed contractus, cui contrahens adjicit conditionem impossibilem, fit sine vero animo contrahendi; ergo. Dices. In Matrimonio conditio impossibilis habetur pro non adjecta, ita ut Matrimonii contractus sub tali conditione initus obliget absolutè, perinde acsi nulla conditio esset apposita: ergo idem sentiendum est de Sponsalibus. Respondeo neg. conseq. quia id, quod Jure positivo singulariter constitutum est in favorem Matrimonii, ut nempe conditio impossibilis habeatur pro non adjecta, & verba sub eadem contrahentis censeantur significare contractum absolutè initum, non licet extendere ad Sponsalia. Aliàs dicere quis posset non valere Sponsalia clandestina, eò quòd juxta constitutionem Concil. Trid. non valeant Matrimonia clandestina: quod tamen nemo ferè dixit, præter Menochium.

9 Infertur secundo, Sponsalia conditionata conditione turpi seu inhonesta ante eventum conditionis nullam parere obligationem: parere tamen conditione impleta & honestata. Reding n. 35. Illsung loco cit.

Ratio primi est: quia tunc neque obligant ad contrahendum Matrimonium; cùm contrahentes non intendant illud inire pendente conditione; neque obligant ad exspectandum conditionis eventum; cùm eventus conditionis turpis potiùs fugiendus est quàm exspectandus, ut habet Castropal. num. 8. Ratio secundi est: quia ejusmodi Sponsalia per eventum conditionis transeunt in absoluta, & quia eadem conditio interea facta est honesta, nihil jam impedit obligationem illis de se congenitam.

10 Infertur tertio, quando duo ligati impedimentô contrahendi Matrimonium, v.g. consanguinei, promittunt sibi mutuo Nuptias sub hac conditione, *si Papa dispensaverit*, Sponsalia aliquando esse invalida, aliquando valida. Ita Sanchez lib. 5. de Matrim. disp. 5. à n. 12. Castropal. à n. 7. Reding n. 25. Illsung n. 16. & alii plurimi. Ratio est: quia illa conditio promissioni adjecta aliquando reputatur pro impossibili, aliquando pro possibili. Pro impossibili habetur, quando ejus impletio non solet contingere, eo quòd impedimentum tale sit, in quo Pontifex non solet dispensare. Pro possibili habetur, quando ejus impletio solet contingere, eo quòd Pontifex soleat dispensare. Itaque ad rem nostram, si Frater Sorori promitteret Matrimonium sub conditione, *si Pontifex dispensaverit*, Sponsalia essent invalida: quia Pontifex non solet dispensare in primo gradu consanguinitatis lineæ transversalis, tametsi hic gradus lineæ transversalis gravibus Doctoribus non videatur intrinsecè indispensabilis, ut advertit Illsung loco cit. Econtra, si duo in tertio v.g. vel quarto gradu consanguinei Sponsalia contraherent sub memorata conditione, validè contraherent; quia Pontifex in his gradibus solet dispensare. Unde per obtentam dispensationem ejusmodi Sponsalia transirent in absoluta, & absolutè obligarent ad contrahendum Matrimonium, sicut antea obligabant ad expectandum responsum, sive dispensationem Pontificis. Sed utri contrahentium tunc incumbat procurare dispensationem; hîc quæri potest. Respondeo cum P. Illsung cit. ex circumstantiis esse colligendum, uter hanc curam in se receperit. Procuranda est autem dispensatio sumptibus utriusque communibus: quia negotium est commune, ait Sanchez num. 37.

11 Infertur quarto, à Sponsalibus conditionatis conditione possibili & honesta nec ante, nec post impletam conditionem, posse resilire aliquem ex contrahentibus alterutro invito. Sanchez n. 13. Castropal. n. 10. Reding n. 25. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 215. Ratio est: quia ante impletionem conditionis ambo obligantur ad eandem exspectandam: eâ verò implerâ contractus jam transivit in absolutum, sive absolutè obligantem ad ineundum Matrimonium. Dices. Impuberes, postquàm pervenerunt ad pubertatem, possunt resilire à Sponsalibus in impubertate contractis: ergo etiam resilire possunt sponsi à Sponsalibus conditionatis, saltem pendente seu nondum impleta conditione. Conseq. videtur bona à fortiori: quia istorum consensus est longe debilior consensu impuberum absoluto. Respondeo neg. conseq. quia impuberibus non jure naturæ, sed jure positivo in favorem ætatis concessum est, ut possint resilire pubertatem adepti; quod non potest extendi ad casum præsentem. Castropal. loco cit.

Sed quæritur nunc primo, utrùm, si 12
quis duabus successivè promisit Matrimonium sub conditione in futurum, (v. g. primæ, *si Pater consenserit*: secundæ, *si officium quodpiam obtinuerit*) & posterioris promissionis conditio impletur, antequàm impleatur conditio prioris, hæc prior promissio irritetur, atque adeo valeant Sponsalia cum secunda contracta? Respondeo, priorem promissionem non irritari, sed manere validam. Ita Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 7. n. 6. Castropal. n. 5 Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 3. n. 125. Sporer n. 211. Ratio est; quia juxta Regulam Juris. 21. in 6. *quod semel placuit, amplius displicere non potest*. Itaque posteriora Sponsalia nec validè, nec licitè contrahi potuerunt, nisi in eventum, si priora dissolvantur, vel conditio eis adjecta penitus deficiat.

Quæritur secundo, an contractui Spon- 13
salitio adjici possit certa pœna ab ea parte solvenda quæ injustè resilierit? Negant Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 30. Filliuc. tract. 10. par. 1. c. 7. n. 263. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. ult. & alii multi. Ratio est: quia ejusmodi conventio repugnat libertati Matrimonii. Nam facilè contingeret, ut quis metu pœnæ solvendæ contraheret Matrimonium, adeoque coactè & non liberè contraheret. Atque hinc ista talis pœnæ adjectio seu constitutio etiam Jure positivo est irrita, scilicet *l. fin. Cod. de Sponsal.* & cap. *Gemma de Sponsal.* Sed præplacet nihilominùs sententia affirmans, quam tenent Laym. tract. cit. par. 1. cap. 1. n. 8. Castropal. pu. 9. n. 3. Salmantic. tract. 9. cap. 1. n. 99. Reding to. 8. q. 2. a. 1. controv. 1. n. 7. Mezger tract. 19. disp. 52. a. 3. § 2. Magnif. P. Schmier cap. cit. à n. 145. Oberascher cap. 1. de Sponsal. pag. 820. & alii. Ratio est à contrario; quia hoc tale pactum solvendæ pœnæ non adversatur libertati Matrimonii; quippe quod ipsimet contrahentes voluntariè inierunt, ejusque obligationi se subjecerunt. Confirmatur. Censura Ecclesiastica in eum ferenda, qui

qui à Sponsalibus injustè vult resilire, non impedit libertatem futuri Matrimonii: ergo multò minùs eam impedit pœna conventionalis ab illo solvenda, qui injustè resilierit. Jus positivum locis citt. non loquitur de pœna adjecta pro injustè, sed pro justè resiliente. Vid. Castropal. loco cit.

14 Quæritur tertio, an, & qualiter ex Sponsalibus oriatur impedimentum publicæ honestatis? Ante responsionem sciendum est, hoc impedimentum lege Ecclesiastica fuisse introductum, & in eo consistere, quòd, si quis cum una (idem est si una cum uno) contraxit Sponsalia, is nec licitè, nec validè, nec ipsa vivente, nec mortua, possit cum proximis ejusdem consanguineis Sponsalia, vel Matrimonium contrahere. Et quamvis idem impedimentum antiquitus ad quartum usque gradum consanguineorum fuerit extensum, hodie tamen ad primum solummodò gradum porrigitur, nempe ad matrem, filiam, & sororem Sponsæ, & vice versa ex parte Sponsæ ad patrem, filium, & fratrem Sponsi, prout habetur ex Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.

15 Nunc respondeo. Ex Sponsalibus validis & absolutis oritur impedimentum justitiæ publicæ honestatis. Ita colligitur ex Trid. loco cit. Dictum est autem, *ex Sponsalibus validis*. Nam ex invalidis non oritur. Atque hinc, si propter simplex votum castitatis v. g. invalidè promisisses Matrimonium Semproniæ, posses deinde sublato eo impedimento Sponsalia contrahere cum ipsius sorore, eamque uxorem ducere. Hoc tamen non procedit, si Sponsalia mutuo consensu fuerunt dissolura; tunc enim manet impedimentum publicæ honestatis, per cap. *Accessit. de desponsat. impuber.* Vid. Mezger disp. cit. a. 2. num. 10. Dictum est, *absolutis*. quia ex Sponsalibus conditionatis, quamdiu conditio non impleta est, non oritur hoc impedimentum. Nam neque olim secundùm Jus antiquum inde oriebatur, ut constat ex cap. *un. de Sponsal. in 6.* neque Concil. Trid. quid aliud statuisse invenitur.

Corollarium I. Impedimentum publicæ 16
honestatis in Sponsalibus de præsenti, sive Matrimonio rato, etiamnum extenditur usque ad quartum gradum. Ratio est: quia restrictio illa, quam fecit Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. intelligenda est de solis Sponsalibus de futuro. quemadmodum declaravit Pius V. in quadam Bulla, ut refertur in Declarationibus Cardinalium apud Gallemartum ad cap. cit. Unde quod attinet ad Sponsalia de præsenti, impedimentum publicæ honestatis relinquitur sub dispositione Juris antiqui.

Corollarium II. Si heri Sponsalia con- 17
traxisti cum Sempronia, hodie verò contrahis cum Caja ejus sorore, teneris ducere Semproniam. Ratio est: quia Semproniæ jus quæsitum auferri non potest per Sponsalia posteriora ob publicam honestatem invalida. Neque publica honestas agit retrò, ut dissolvat Sponsalia priora, ut expressè habetur in cap. *un. de Sponsal.* Aliud judicandum esset, si Cajam insuper carnaliter cognovisses. tunc enim neutram posses ducere uxorem, non Semproniam; quia obstaret affinitas orta ex carnali commercio cum ejus sorore. non Cajam; quia obstaret Justitia publicæ honestatis. Vid. Mezger num. 12. Oberascher pag. 819.

ARTICULUS IV.
De Dissolutione Sponsalium.

PLures causæ, per quas Sponsalia dissolvuntur, afferri solent. Earum aliquæ ita se habent, ut illis positis, Sponsalia ipso Jure solvantur. Aliæ Sponsis dant solummodò facultatem à Sponsalibus resiliendi, si velint. De utroque hoc genere causarum per duos §. §. agemus.

§. I.

De causis, ob quas Sponsalia ipso Jure dissolvuntur.

SUMMARIUM.

1. *Sponsalia puberum mutuo consensu dissolvuntur.* 2. *Quamvis jurata sint, & sine Authoritate Judicis fiat consensus in dissolutionem.* 3. *Sponsalia impuberum non possunt dissolvi mutuo consensu ante pubertatem.* 4. 5. 6. *Quomodo solvantur Sponsalia per Matrimonium cum altera injustè contractum?* 7. *Solvuntur etiam per susceptionem Ordinis sacri.* 8. *An Sponsus possit licitè suscipere talem aliquem Ordinem Sponsa ignorante, vel invita?* 9. *Sponsalia solvuntur per Professionem Religiosam.* 10. *At non per solum ingressum Religionis.* 11. *Sicuti neque per subsequens simplex votum castitatis.* 12. *Corollarium.* 13. *Solvuntur præterea per quodlibet impedimentum dirimens Matrimonium.* 14. *Sicut etiam per lapsum termini eisdem adjecti.*

1 PRima ex his causis est mutuus consensus, vi cujus partes ipsæ vicissim sibi remittunt obligationem contractam. Ratio est: quia contractus dissolubilis dissolvitur per voluntatem contrahentium. Omnis enim res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. *cap.* 1. *de Reg. Juris*, & *cap. Omnis res.* 27. *q.* 2. Atqui Sponsalia sunt contractus dissolubilis; ergo.

2 Neque refert I. si Sponsalia fuerint juramentô firmata. quia juramentum sequitur conditionem contractûs, cui adjicitur. unde si ille, quantus ex se est, mutuo consensu dissolvitur, etiam juratus dissolvitur. Vid. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 52. num. 6. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 2. num. 1. Salmantic. tract. 9. cap. 2. pu. 1. num. 4. Neque refert II. si Sponsalibus votum accessit, etiam juratum, ut, si quis ita vovit, se pauperem puellam ducturum ejus paupertatem sublevandi gratiâ. quia Deus votum in hominis utilitatem redundans nec aliter, nec diutiùs, quàm homo id ratum, gratúmque habuerit, vult esse obligatorium. Sanchez n. 8. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 10. Salmantic. n. 5. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 5. num. 5. Neque refert III. si partes tantùm privatim, & citra authoritatem Judicis Ecclesiastici consentiant in dissolutionem. quia authoritas Judicis non est necessaria ad perficienda Sponsalia: ergo neque necessaria est ad destruenda. Schmier n. 8. ubi tamen advertit, observanda esse statuta & consuetudines locorum. Nam multis in locis ita receptum est, ut Sponsalia publicè contracta, vel postea publicata, non dissolvantur absque præmissa cognitione causæ per Judicem Ecclesiasticum.

3 Intelligenda sunt autem hactenùs dicta de Sponsalibus puberum. Nam Sponsalia impuberum nequeunt dissolvi mutuo illorum consensu ante pubertatem, possunt tamen ita dissolvi post adventum pubertatis; imò tunc sufficit ad hunc effectum; si alteruter resiliat. Constat ex cap. *de illis.* 1 cap. *à nobis. de desponsat. impuber.* Ratio primi est: ne propter ætatis inconstantiam passim & contrahant, & rescindant Sponsalia. Ratio secundi & tertii est: ne cogantur tunc approbare, quod judiciô adhuc immaturo elegerunt. Vid. Sanchez disp. 51. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 17. num. 5. Salmantic. num. 8. qui cum aliis etiam docent, si una pars pubertatem adepta velit resilire, debere id facere statim, saltem intra triduum: nam postea non ampliùs esse facultatem resiliendi singulis, sed solùm utrique per mutuum consensum, sicut in Sponsalibus puberum. Quòd si alterutri contrahentium priùs adveniat pubertas, non tenetur exspectare, usque dum alteri quoque adveniat, sed potest statim resilire. Salmantic. num. 9.

4 Secunda causa est Matrimonium cum altera injustè contractum. Ratio est: quia obligatio fortior superveniens extinguit minùs fortem obligationem præcedentem; quando sunt obligationes ejusdem rationis ac ordinis. Atqui obligatio Matrimonii injustè quidem, attamen validè contracti, est fortior, quàm obligatio Sponsalium præcedens, suntque obligationes ejusdem rationis ac ordinis; ergo. Vid. Laym. ubi suprà n. 22. Mezger tract. 19. disp. 52. a. 4. n. 2.

5 Atque hinc solvitur illa quæstio, si uxor Sempronia v. g. cum qua Cajus contra fidem priorum Sponsalium cum Titia contractorum iniit Matrimonium, moriatur, Titiáque in proposito suo persistat, utrùm Cajus adhuc obligetur illam ducere? Respondetur enim negativè. Ratio est: quia per Matrimonium cum Sempronia initum obligatio Sponsalium cum Titia contractorum non præcisè fuit suspensa, sed extincta; adeoque non ampliùs reviviscit; veluti colligitur ex cap. *quæris. de Consecrat. dist. 4. l. qui res. §. aream. ff. de solut.* Ita Sanchez disp. 48. n. 3. Laym. loco cit. Filliuc. tract. 10. cap. 8. n. 271. Bonac. q. cit. pu. 7. n. 2. Mezger n. 3. & alii. contra Salmanticenses & alios, quos iidem referunt cap. cit. pu. 3. num. 39. Dices. Votum simplex ingrediendi Religionem non extinguitur per subsequens Matrimonium, sed solùm suspenditur ejus obligatio: ergo idem sentiendum de obligatione Sponsalium. Respondeo ex dictis neg. conseq. quia obligationes, quarum fit mentio in Ant. sunt diversæ rationis; cùm una fiat homini, altera Deo. In casu autem nostro sunt obligationes ejusdem rationis, videlicet ambæ erga hominem.

6 Corollarium. Si Cajus in prædicto casu Titiam virginem, aut honestam viduam, cum qua priora Sponsalia contraxit, sub spe Matrimonii carnaliter cognovisset, teneretur eam mortuâ Semproniâ uxore ducere, haud sanè vi Sponsalium, utpote extinctorum, sed ratione damni illati, quando id aliter compensari nequit. Sanchez num. 5. Laym. Mezger locis cit.

7 Tertia causa est susceptio Ordinum Majorum. Ratio est: quia quilibet Ordo facer, seu Major Sponsum reddit inhabilem ad contrahendum Matrimonium: consequenter penitus aufert obligationem Sponsalium antè contractorum. Vid. Sanchez disp. 47. num. 1. Mezger num. 8. Magnific. D. Schmier ubi suprà num. 63. Dixi, *Majorum Ordinum.* Nam certum est, Ordines Minores, cùm non habeant annexum votum continentiæ, post Sponsalia susceptos ea non dirimere.

Sed

8 Sed jam difficultas est, an Sponsus licitè possit suscipere Ordines sacros, Sponsa ignorante, vel dissentiente? Affirmant Sotus, Navarrus, Basil. Pontius & alii, quos referunt, & sequuntur Salmantic. cap. cit. pu. 2. num. 26. Ratio est: quia promissioni Sponsalitiæ inest hæc tacita conditio: *nisi ad statum meliorem Matrimoniô transivero.* Cùm proinde suscipere Ordines sacros sit transire ad statum meliorem, Sponsus eosdem suscipiendo nullam injuriam infert Sponsæ, utpote non habenti jus ad ejus Nuptias, nisi idem ab electione status melioris abstinuerit. Placet nihilominùs subscribere sententiæ negativæ, quam tenent Sanchez disp. cit. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 19. Magnific. P. Schmier à num. 65. & alii. Ratio est: quia illa conditio: *nisi ad statum meliorem Clericalem per* SS. *Ordines transivero*, neque ex natura rei, neque ex dispositione Juris inest promissioni Sponsalitiæ. Non ex primo capite; quia alias ista quoque conditio inesset: *nisi statum cælibatûs elegero*: cùm & iste sit melior statu Matrimoniali. Non ex secundo capite: quia Jus in extravag. *Antiquæ.* Joan. XXII. *de Voto & Voti Redempt.* potiùs prohibet, ne memorati Ordines post Sponsalia suscipiantur, eo ipso, quòd prohibeat, ne suscipiantur post Matrimonium ratum. Unde aliud longè est de Statu Religioso. hic enim cùm ex speciali dispositione Juris dirimat Matrimonium, meritò habetur pro conditione excepta, & imbibita in promissione Sponsalitia. Vid. Castropal. num. 2.

9 Quarta causa est Professio Religiosa in quovis Ordine approbato edita. Ratio est: quia hæc Professio dirimit ipsum Matrimonium ratum, cap. *ex publico. de convers. conjugat.* ergo à fortiori dirimit Sponsalia. Sed quid, si Sponsalia juramentô fuerint firmata? Respondent plures, Sponsum, vel Sponsam non posse licitè ingredi Religionem, antequàm contrahendô Matrimonium fidem suam liberet alteri parti datam per ejusmodi Sponsalia. Verissima tamen est sententia contraria, ait Sanchez disp. 43. n. 3. quæ docet, licitum esse tunc ingredi Religionem non contracto Matrimonio. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam actûs, cui adjicitur: ergo sicut Sponsalia censentur contrahi sub hac tacita conditione, *nisi Statum Religiosum elegero*, ita & jura-
21 mentum sub eadem conditione censetur adjici Sponsalibus: quod proinde non violatur ab ingrediente Religionem non contracto Matrimonio. Vid. Sanchez loco cit. Castropal. pu. 18. n. 5. Salmantic. tract. 9. cap. 2. pu. 2. n. 18. Magnific. P. Schmier n. 36.

10 Nunc ulteriùs dubitatur primo, an Sponsalia dissolvantur præcisè per ingressum Religionis, non secuta Professione? Una sententia absolutè negat. Altera absolutè affirmat. Sed interjicit se duabus his extremis sententia tertia, quæ docet, Sponsalia per ingressum Religionis non secuta Professione dissolvi quidem ex parte remanentis in sæculo, non autem ex parte ingredientis Religionem. Primam ex his sententiis tenet Durandus, Covarruvias, Paludanus & alii apud Salmantic. num. 19. Secundum Sanchez cum pluribus, quos refert disp. 42. n. 2. Tertiam Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 2. num. 3. Castropal. num. 3. Mezger tract. 19. disp. 52. a. 4. num. 7. amplectuntur etiam cum pluribus à se relatis Salmantic. num. 21. estque hodie sententia valde communis: quam proinde aliis duabus præfero. Ratio primæ partis, nempe quoad remanentem in sæculo, est: tum, quia ingrediens Religionem ipso facto censetur cedere jure suo, & alteri obligationem remittere. tum, quia hic est eventus Specialis, ad quem alter Sponsus se obligare non præsumitur, ut nempe debeat exspectare, etiam cum præjudicio suo, si fortè occurrant aliæ Nuptiæ commodæ, donec ille Religionem, quoad libuerit, sit periclitatus, aut ex Religione dimissus, ceu minùs habilis. Ratio secundi est: tum, quia per ingressum Religionis præcisè non redditur quis inhabilis ad contrahendum Matrimonium. cùm possit, si egrediatur, datam fidem servare. tum, quia aliàs janua pateret fraudibus. Nam possent, quos pœniteret Sponsalium, Religionem ingredi ad excutiendam obligationem contrahendi Matrimonium cum ea persona, cui id antè promiserant, posteaque egressi contrahere cum alia pro libitu. Itaque Sponsus Religione egressus non secuta Professione, si datam olim fidem Sponsaliorum servare sponte nolit, cogendus est, ut servet alteri volenti, & hucusque exspectanti. Vid. Laym. loco cit.

Dubitatur secundo, an Sponsalia sol- 11
vantur per subsequens simplex votum castitatis? Affirmant Cajetanus, Suarez, Vasquez, Gonet & alii apud Salmantic. num. 33. estque sententia probabilis. At negant probabiliùs Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 46. num. 9. Laym. cap. cit. num. 6. Less. lib. 2. de Just. cap. 41. dubit. 6. num. 54. Castropal. pu. 20. num. 6. Illsung. tract. 6. disp. 9. q. 1. a. 3. n. 24. Magnific. P. Schmier n. 52. Ratio est: quia ejusmodi votum, utpote editum cum injuria alterius, non est validum, nec à Deo acceptatur. Dices. Promissio Sponsalitia imbibit hanc tacitam conditionem: *nisi statum meliorem cælibatûs assumpsero*: ergo licitè & validè editur post Sponsalia, non minùs, quàm votum Religionis. Respondeo neg. Ant. Nam Jura

soli statui Religioso id indulgent, ut sit conditio excepta, & in Sponsalibus dicto modo inclusa. Neque obstat etiam cap. *pervenit.* 3. *de jurejur.* ubi dicitur: *Promissum non infringit, qui in melius commutat.* quia ibi semper est de promissione facta Deo non in utilitatem hominis eandem quoque acceptantis. hic autem agitur de promissione homini facta. ubi lata versatur disparitas. Deus enim tam bonus est, ut, si promissio ipsi facta commutetur in quid melius, sit contentus. At promissiones homini, vel in utilitatem hominis sibi factas, non voluit ita relinquere in arbitrio promittentis, ut id, quod promisit, cum præjudicio, aut injuria promissarii commutare possit in melius.

12 Corollarium. Si Sponsus post Sponsalia vovit castitatem, Sponsa, quæ non vovit, libera est à fide Sponsalium. Ratio est: tum, quod vovens ipso facto eorum obligationem remisisse censeatur. tum, quòd notabilis rerum mutatio intervenerit. cùm enim Sponsus contracto deinde Matrimonio non posset petere debitum, sed solùm reddere, Sponsæ molestissimum accideret, si ipsa semper cogeretur petere. Quod dictum est de Sponsa, dicendum est vicissim de Sponso, si Sponsa vovit castitatem. Vid. Sanchez num. 5.

13 Quinta causa est quodlibet impedimentum superveniens ex illis, quæ dirimunt Matrimonium. Ratio est: quia ejusmodi impedimentum, cùm efficiat, ut inter personas impeditas nequeat consistere Matrimonium, etiam efficit, ut obligatio ex Sponsalibus præmissis nata exspiret. Exemplum est, si Sponsus cum consanguinea Sponsæ in primo gradu fuerit fornicatus; adeoque contraxerit affinitatem cum sua Sponsa. Sed utrùm tunc Sponsalia solvantur ex parte utriusque contrahentis? non inanis est quæstio. Certum quidem est, ex parte innocentis ea solvi absolutè. Ratio est: quia inducens ejusmodi impedimentum sufficientem causam præbuit innocenti ad judicandum, se liberam esse à fide Sponsalium; cùm Matrimonium reddiderit impossibile. Unde in dato exemplo Sponsa non tenetur acceptare dispensationem, tametsi à Sponso liberaliter offeratur ejus procuratio. Ratio est: quia jam acquisivit jus resiliendi, quod non amittit per hoc, quòd Sponsus dispensationem offerat, & obtineat: quemadmodùm docent cum aliis Salmantic. tract. 9. cap. 2. pu. 5. num. 70. At non æquè certum est ea solvi etiam ex parte nocentis, sive inducentis impedimentum. Ratio est: quia suppositio semel impedimento dirimente, Matrimonium impossibile est etiam ex parte nocentis. ad impossibile autem nemo obligatur. Verùm probabilius est, ex parte nocentis non solvi. Ratio est: quia non est æquum, ut hic talis ex suo delicto reportet commodum immunitatis à servando fidem alteri datam. Itaque sublato per dispensationem impedimento tenetur stare promissis. tunc enim Matrimonium non est amplius impossibile. Vid. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 26. ubi etiam docet cum aliis, eundem obligari ad procurandam dispensationem, si pars innocens exigat. Ratio est: quia, qui voluntario ponit impedimentum Matrimonio à se promisso, lædit jus partis id acceptantis: exgo ex justitia tenetur illud reparare, si potest. Atqui potest reparare procurando dispensationem, per quam auferatur impedimentum; ergo tenetur procurare dispensationem, si pars læsa exigat. Vid. etiam Magnific. P. Schmier cap. cit. num. 71.

Sexta causa est lapsus termini, si præfixus fuit ad obligationem finiendam, ita, ut nisi intra talo tempus Matrimonium contrahatur, cesset obligatio contrahendi: sicuti, si dicant Sponsus & Sponsa: *volumus, ut obligatio nostra duret usque ad Dominicam Pentecostes.* In hoc igitur casu, si per utramque partem stetit, quominùs Nuptiæ intra memoratum tempus fuerint celebratæ, Sponsalia solvuntur utrimque. Si per alterutram stetit, alterâ paratâ ad Nuptias, contractus claudicat, manetque obligatio ex ea parte, per quam stetit, altera verò liberatur ab obligatione. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 53. num. 6. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 2. num. 15. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 6. num. 6. & alii. Ratio primi est: quia hoc ipso, quòd per utrumque steterit (sive culpabiliter, sive inculpabiliter) ne Matrimonium iniretur intra terminum præfixum, uterque censetur jure suo cedere. Ratio secundi est: quia Sponsi ejusmodi terminum Sponsalibus ideo solent præfigere, ne ultra eundem cum incommodo & præjudicio suo debeant abstinere à Nuptiis, sive inter se, sive cum alio compari ineundis: adeoque quilibet sibi tacitè reservat jus resiliendi, si per alterutrum steterit, ut intra præfixum terminum Nuptiæ promissæ non procederent. Ille autem, per quem hoc stetit, non debet ex sua procrastinatione, præsertim culpabili, reportare commodum immunitatis ab obligatione, si alter adhuc velit sibi servari fidem Sponsalium.

14

Dixi, *si terminus fuit præfixus ad obligationem finiendam.* Nam, si inter contrahentes conventum fuit de determinato tempore ad statuendam, vel exequendam obligationem, ut ex illo tempore obligatus existat in mora exequendi promissum, vel ad executionem compelli possit: v. g. si dixerunt: *volumus, ut Nuptiæ celebrentur*

15

tempore

tempore Pentecostes, tunc elapso hoc tempore non solvuntur Sponsalia. Ratio est: quia in isto casu intervenit duplex obligatio: nempe una celebrandi Nuptias, altera celebrandi tali tempore. licèt autem elapso eo tempore cesset hæc secunda obligatio, manet tamen prima, eaque absoluta, ac principalis. Laym. loco cit. Bonac. num. 6. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 24. num. 2. Salmantic. tract. 9. cap. 2. pu. 4. num. 54. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 5. num. 78.

16 Corollarium I. Quando terminus fuit præfixus Sponsalibus non ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam ejus executionem, ut primùm declaravimus; & Nuptiæ ultra eum terminum nimiùm differuntur, tunc pars quæ per nimiam dilationem gravatur ab altera, liberatur ab obligatione Sponsalium, sive ea sint jurata, sive non jurata, sive memorata dilatio ex altera parte sit culpabilis, sive inculpabilis. Ita Salmantic. loco cit. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 1. a. 3. num. 27. Ratio est: quia neuter contrahentium præsumitur se voluisse obligare ad futuras Nuptias cum onere eisdem diu carendi: ergo neuter. illud subire tenetur. Quia tamen, ait Illsung, in propria causa nemo censetur bonus Judex, ideo Ordinarius Judex interpellandus est, ut ipse statuat, an dilatio sit nimia, vel terminum finiendi obligationem, nisi Matrimonium contrahatur, ponat.

17 Corollarium II. Quando Sponsalibus nullus terminus fuit præfixus, tunc non solvuntur per lapsum temporis, nisi Nuptiæ nimis diu differantur. Bonac. num. 7. Castropal. num. 1. Salmantic. num. 52. Illsung loco cit. Ratio est: quia hoc ipso, quòd sint absolutè inita sine definito tempore, nullo non tempore retinent obligationem. Dixi tamen, *nisi Nuptiæ &c.* tunc enim dissolvuntur, non quidem ex parte ejus, qui est causa dilationis, & per quem stat, quominùs celebrentur Nuptiæ, sed ex parte ejus, per quem id non stat, estque paratus ad executionem promissionis. Ratio est: quia ille, qui sic est in mora (sive culpabili, sive inculpabili) meritò præsumitur cedere jure suo, & alteri parti obligationem Sponsalium remittere; cumque nolit servare datam fidem, ipsi quoque fides impunè non
2 servatur. Confirmatur. Sponsa v. g. non præsumitur vi contractus Sponsalitii ita se obligâsse ad Nuptias ineundas, ut iisdem in gratiam Sponsi quantumcunque diu carere velit: ergo Sponsus non habet jus illam gravandi, ut ipso, vel culpabiliter, vel inculpabiliter, procrastinante executionem Sponsalium, nequeat sibi providere de aliis Nuptiis. Porrò statuere, quænam in hoc casu sit mora nimia, ac sufficiens ad solvenda Sponsalia, non debet esse in arbitrio partis gravatæ, sed penès Judicem Ordinarium, ut n. præced. diximus.

§. II.

De Causis, ob quas à Sponsalibus resilire licet.

SUMMARIUM.

18. *Prima causa resiliendi à Sponsalibus est absentia.* 19. *Quid, si Sponsus abscessit consentiente sponsa, vel absit ob causam necessariam?* 20. *Quid hîc disposuerit Jus Civile.* 21. *Quid, si Sponsus non longè discessit?* 22. *An Sponsa teneatur sequi Sponsum vagantem?* 23. *Secunda causa resiliendi & fornicatio alterutrius.* 24. *Etiamsi Sponsalia sint jurata.* 25. 26. *An resiliri possit, si Sponsi post Sponsalia vim passi fuerint ab altero?* 27. *An oscula, tactus &c. præbeant sufficientem causam ad resiliendum?* 28. *Quid, si tam Sponsus quàm Sponsa fornicetur?* 29. *Quid hîc sentiendum de fornicatione spirituali?* 30. *Tertia causa resiliendi est notabilis mutatio superveniens, vel circumstantia priùs ignota, & postea detecta.* 31. 32. 33. 34. 35. *Afferuntur de his varii casus.* 36. *Quid, si post Sponsalia uterque Sponsus incidat in paupertatem?* 37. *Quid, si Sponsus ex insperato fiat opulentior, aut honoratior?* 38. *Discrimen notatu dignum inter promissionem venditionis & Sponsalitiam.* 39. *Unde cognosci possit, quòd Sponsalia non fuissent inita, si circumstantia aliqua non latuisset?* 40. *Quid, si Sponsus perspectâ causâ resiliendi Sponsam carnaliter cognoscat?* 41. 42. 43. 44. 45. *Resolvitur quæstio, an laborans impedimento, vel defectu occulto, quo cognito alter haberet justam causam resiliendi, possit contrahere Sponsalia, posteáque compartem ad executionem compellere?* 46. *Utrùm ad dissolvenda Sponsalia ob aliquam ex causis expositis sit opus Authoritate Judicis?*

PRima ex his causis est absentia. Nam si 1
Sponsus post Sponsalia (idem econtra statue de Sponsa) in Regionem longinquam se transferat animô mutandi domicilium, vel, si absque hoc animo quidem discesserit, certum tamen sit, quòd diu non sit reversurus, & Sponsa statim resilire potest à Sponsalibus. Ita deciditur in cap. *de illis.* 5. *de Sponsal.* ubi dicit Summus Pontifex: *Qui præstito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia se vota trans-*

transferre. Ubi, ut audis, Papa loquitur de Sponsalibus etiam juramentô, firmatis. Ratio verò est: tum, quia Sponsus tam longè discedens, diúque absens juri suo renuntiare censetur. tum, quia Sponsa ad diuturnam exspectationem Sponsi absentis, si hunc talem casum prævidisset, probabiliùs se non obligâsset; ne videlicet periculum incontinentiæ incurreret, vel occasionem alteri commodiùs nubendi amitteret. Vid. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 6. n. 8. Castropal. disp. 1. pu. 23. Salmantic. tr. 9. cap. 2. pu. 4. à n. 58. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4 tr. 1. cap. 5. à num. 89.

19 Intelligenda est autem tradita resolutio I. si Sponsus invitâ, vel insciâ Sponsâ discessit. Nam si de hoc habuit notitiam, & consensit, tenetur exspectare, donec Sponsus rediverit. cùm volenti non fiat injuria. Salmantic. n. 59. Schmier n. 95. Intelligenda est II. citra distinctionem, an Sponsus absit ex causa voluntaria, vel necessaria. Ratio est: quia nec cit. cap. hujus distinctionis meminit, nec altera ex allatis rationibus eandem admittit. Schmier n. 90.

20 Sed jam objicies ex Jure Civili *l. 2. C. de Sponsal.* ubi statuitur, Sponsam debere exspectare per biennium, si Sponsus intra provinciam degat: & *l. 2. Cod. de Repud.* ubi jubetur exspectare Sponsum per triennium, si extra provinciam migraverit. & *l. sæpe. ff. de Sponsal.* ubi deciditur, si Sponsus absit ex causa necessaria, exspectandum esse, donec causa cesset. Ergo Sponsa non potest statim resilire à Sponsalibus, postquàm Sponsus in longinquas terras discessit, quamvis certa esse supponatur, quòd diu non sit rediturus. Respondeo cum Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 54. n. 6. Salmantic. n. 61. & aliis, Jus Civile in hac parte non esse observandum. cùm sit correctum per Jus Canonic. in cap. *de illis* cit. dicit enim Pontifex: *Liberum erit mulieribus ad alia se vota transferre*, sive cum alio contrahere Matrimonium. Sed quomodo hoc liberum esset, si deberet Sponsus per biennium, vel triennium exspectari?

21 Corollarium I. Quando Sponsus non longè discessit, sed versatur in loco propinquo, monendus à Sponsa, urgendúsque est, ut intra certum tempus ad celebrandas Nuptias revertatur. Ratio est: quia non qualiscunque absentia, sed absentia in terram longinquam profecti Sponsi sufficit, ut Sponsa resilire statim possit à Sponsalibus; ut apertè significatur in cit. cap. *de illis.* Sanchez n. 10. Quòdsi ille nihilominùs ob justam causam reditum differat, non est temerè procedendum in dissolvendis Sponsalibus, sed adeundus Judex Ecclesiasticus, qui consideratis qualitate Sponsæ, periculo incontinentiæ, aliisque circumstantiis arbitretur, an subsit sufficiens causa Sponsalia dissolvendi, vel non? Castropal. pu. cit. n. 3. Salmantic. n. 62. Si verò Sponsus nullam habeat tunc causam justam non redeundi, idque constet, Sponsa mox resilire potest. Ratio est: quia sic homo censetur jure suo cedere. Vid. Bonac. loco cit.

Corollarium II. Sponsa de futuro non 22
tenetur sequi Sponsum vagantem. Sanchez n. 14 Salmantic. n. 59. Colligitur ex cit cap. *de illis.* Ratio quoque est: quia vinculum contractus Sponsalitii non censetur adeò strictum, ut ad hoc obliget. Atque hinc Sponsa, ut infert cit. Sanchez, si post Sponsalia cognoscit, Sponsum velle mutare domicilium in alium locum se transferendo, non tenetur cum ipso contrahere Matrimonium, sed habet sufficientem causam dissolvendi Sponsalia. Nam hæc est notabilis mutatio antea non prævisa. De cætero, quæ hactenùs dicta sunt de absentia Sponsi, intelligi quoque debent de absentia Sponsæ, ut in n. 18. insinuavimus. Vid. Castropal. n. 4.

Secunda causa est fornicatio alterutrius. 23
Hac enim post Sponsalitium contractum commissa pars innocens potest resilire, si velit, juxta cap. *Quemadmodum. de Jurejur.* Ratio ibi redditur, tum, quia Sponsus Matrimonium sub ea conditione censetur promisisse, si alter quoque contra fidem Sponsalium non egerit usum corporis præbendô alteri. tum, quia fornicatio conjugis est justa causa divortii: ergo fornicatio alterutrius Sponsorum est justa causa solvendi 71
Sponsalia: idque multò magis. Nam *turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.*

Procedit autem hæc nostra resolutio I. de 24
Sponsalibus etiam juratis. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam actûs, cui adjicitur, ut jam sæpius notavimus. Procedit II. ex parte innocentis tantùm. Ratio est: quia non est æquum, ut etiam nocens pari jure gaudeat, sicque ex iniquitate sua commodum referat. Unde Sponsus fornicator ad Nuptias compelli potest, si alter velit. Procedit III. indifferenter tam de Sponso, quàm de Sponsa. Ratio est: quia æquè violant datam fidem, seque suspectos reddunt, ne violent etiam in statu Matrimonii. Vid. de his Laym. lib. 5. tr. 10. par. 1. cap. 2. n. 10. Castropal. pu. 25. à n. 1. Salmantic. pu. 5. n. 78. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 270.

Sed quæritur nunc ulteriùs I. an Sponsus 25
resilire possit à Sponsalibus, si Sponsa post illa vim passa fuit ab altero? Respondeo affirmativè. Ita Sanchez lib. 1. de Matr. disp. 55. n. 7. Laym. n. 11. Castropal. n. 5. Salmantic. n. 81. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 5. à n. 102. Ratio est: quia licèt Sponsa tunc non violaverit fidem Sponsalium, facta est tamen notabiliter vilior: ut proinde

Spon-

Sponſus meritò ab ipſa abhorrere incipiat ob periculum infamiæ vel dedecoris ſibi quoque ſubeundi. Atque hæc eſt communior DD. ſententia.

26 Quæritur II. An ſimiliter Sponſa reſilire poſſit, ſi Sponſus poſt Sponſalia vi adactus fuit ad fornicandum? Reſpondetur communiùs negativè cum Sanchez num. 8. Bonac. de Sponſal. q. 1. pu. 8. num. 3. Caſtropal. num. 6. & aliis. Ratio eſt: quia, attenta communi hominum æſtimatione, viro ex fornicatione, ad quam per vim fuit adactus, nulla inuritur nota infamiæ, ob quam reddatur vilior. Aliqui tamen apud Caſtropal. loco cit. quos ſequitur Reding to. 8. q. 3. a. 1. controv. 5. exiſtimant, Sponſam ſimiliter poſſe reſilire. Ratio eſt: quia revera fœminæ quoque probroſum ac turpe eſt nubere viro fornicato, quamvis ad hoc per vim ſupponatur compulſus. Nam eſto juxta communem hominum ſenſum in viro tunc minor ſit turpitudo ex parte corporis, major tamen eſt ex parte animi, quàm in fœmina. cùm nulla vis efficere poſſit, ut viro actus fornicationis non ſit voluntarius voluntario ſufficienti ad peccatum mortale. Placet hæc ſententia. quæ extendi etiam debet ad caſum concubitûs Sodomitici, ad quem Sponſus fuit coactus. nam tali nubere eſſet Sponſæ valdè probroſum; & negari non poteſt, inde redditum eſſe viliorem; velut advertit Caſtropal. loco cit.

27 Quæritur III. An oſcula, tactus, & amplexus impudici præbeant ſufficientem cauſam reſiliendi à Sponſalibus? Reſpondent Sanchez num. 5. Bonac. num. 2. Salmantic. num. 80. Sporer num. 273. & alii, eſſe ſufficientem cauſam ex parte Sponſæ admiſſam, ut Sponſus reſilire poſſit, non autem ex parte Sponſi, ita, ut, ſi ille ſimiles actiones exerceat, vel admittat, Sponſa reſilire poſſit, niſi ſint adeò frequentes, ut præbeant indicium propenſioris animi erga alteram, Sponſaque inde colligeret, ſe minùs poſtea amatum, vel omnino deſpectum iri. Rationem reddunt: quia in fœmina, non in viro, tanta inde reſultet turpitudo, ut illa quidem, non verò iſte, citra grave probrum jungi nequeat Matrimonio. Verùm Caſtropal. num. 8. Reding num. 16. meliùs quoad hoc nullum agnoſcunt diſcrimen inter Sponſum & Sponſam. Ratio eſt: quia ambo æqualiter violant fidem Sponſalitiam qua aſtringuntur corpus ſuum alteri non permittere, ſed ſervare intactum illi ſoli, cui reciprocam fidem dederunt. Imò rem verè æſtimando, ſimilia in corpore ſuo tolerare, vel exercere in alieno, idque contra fidem alteri datam, viro longè probroſius eſt, eo ipſo, quòd vir ſit, quàm fœminæ, quæ ob congenitam ſexui fragilitatem, ac mutabilitatem & pronior ad lapſum eſt, & inconſtantior in ſervanda promiſſa.

Quæritur IV. quid tenendum in præſenti, ſi tam Sponſus, quàm Sponſa fornicetur? Reſpondent Sanchez diſp. cit. n. 9. Laym. ubi ſuprà n. 12. Salmantic. n. 84. Sporer n. 271. & alii, tunc Sponſo quidem licitum eſſe reſilire à Sponſalibus, non verò Sponſæ. Ratio eſt: quia licèt utriusque fornicatio ſit æqualis, quantùm ad violationem fidei, juriſque promiſſi, diſparitas tamen eſt quantum ad dedecus, notámque infamiæ. cùm fornicatio Sponſæ fœdior reputetur, eamque viliorem, ac Sponſo deteſtabiliorem reddit, quàm econtra. Reſpondeo tamen, neutrum poſſe reſilire. Ita Bonac. pu. cit. num. 6. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 5. à num. 116. Ratio eſt: quia tunc delicta inter ſe compenſantur, & neuter delinquentium alteri poteſt exprobrare fidem violatam; cùm uterque violaverit: ergo quemadmodùm ob hanc ipſam cauſam nec maritus, nec uxor petere poteſt divortium, ſi uterque commiſit adulterium, cap. *intelleximus*. 6. *de Adulter.* ita nec Sponſo, nec Sponſæ competit facultas reſiliendi à Sponſalibus, ſi uterque poſt illa fornicationem commiſit. Ad rationem ſententiæ relatæ, quam ajunt eſſe cominuem, reſpondetur inprimis per retorſionem in adulterio reciproco, quod ſimiliter turpius & fœdius reputatur in uxore, quàm in marito, & tamen marito non præbet facultatem faciendi divortium; ut primùm audivimus; ergo ſimiliter &c. Deinde, quamvis in æſtimatione vulgari, & etiam Juris Civilis turpior habeatur fornicatio fœminæ, quàm viri, attamen rem penſandô Theologicè æquè fœda, imò fœdior eſt fornicatio viri ob rationem in n. proximè præced. redditam. Vid. Reding num. 17. 28

Quæritur V. An fornicatio etiam ſpiritualis, putà hæreſis, vel apoſtaſia, ſit ſufficiens cauſa diſſolvendi Sponſalia? Reſpondeo affirmativè. Ita Sanchez n. 3. Caſtropal. n. 11. Reding n. 21. Mezger tract. 19. diſp. 52. a. 4. n. 4. & alii communiter. Ratio indo ſumitur, quòd iſta ſit notabiliſſima mutatio, in cujus eventum neuter Sponſorum ſe obligâſſe præſumitur. Itaque, ſi Sponſus poſt Sponſalia deſciſcat à vera Religione, poteſt Sponſa; ſi Sponſa, poteſt Sponſus reſilire ab eo contractu. Neque putes cum Caſtropal. hoc eſſe ſolummodò intelligendum, quando vel hæretici cohabitatio eſt innocenti periculoſa, vel quando iſtud delictum committitur in illis terris, in quibus delinquentem reddit infamem. Nam, ut meritò advertit Reding, hoc crimen adeò per ſe abominabile eſt, ac periculoſum in educatione prolis, ut nullæ circumſtantiæ, 29

quæ ad elevandam rationem solvendi Sponsalia à nobis redditam servire possint, attendendæ sint.

30 Tertia causa est notabilis mutatio, vel circumstantia, quæ, si à principio extitisset, vel fuisset cognita, meritò à contractu Sponsaliorum absterruisset. Ratio est: quia intentio neutrius contrahentis præsumitur se extendisse ad ejusmodi casum, qui quemvis prudentem à Matrimonii promissione absterruisset. Sanchez lib. cit. disp. 62. Laym. num. 18. Bonac. num. 8. Salmantic. num. 63. Sed jam videamus, quænam in specie sint notabiles mutationes, ob quas alterutri Sponsorum resilire liceat à Sponsalibus. Itaque

31 Licitum est resilire I. si Sponsus, vel Sponsa lepram, paralysim, morbum Gallicum, epilepticum, vel alium incurabilem contrahat. item, si oculum, vel nasum amittat, vel ob aliam similem vultûs deturpationem gravem deformitatem incurrat, præsertim Sponsa. nam in viro non habetur tanta ratio pulchritudinis, quanta in fœmina. si tamen Sponsus redderetur valdè deformis, censeretur mutatio notabilis. Bonac. num. 10.

32 Licitum est resilire II. quando deteguntur alterius vitia antè occulta, quæ mutuam cohabitationem redderent oppidò difficilem, veluti propensio ad ebrietatem, ad rixas, ad libidinem &c. asperitas morum, truculentia, sævitia &c. Sanchez disp. 58. Idem est, si inter Sponsum & Sponsam, eorúmve parentes, vel consanguineos graves inimicitiæ enascantur, quia v. g. altera pars obstinatè se opponit Matrimonio, ut proinde infelices exitus habiturum timeatur. Laym. loco cit.

33 Licitum est resilire III. quando alterius fornicatio ante Sponsalia perpetrata alteri contrahentium postea innotescit. Ubi nolim existimes, Sponsum quidem tunc posse resilire propter fornicationem Sponsæ, non tamen Sponsam propter fornicationem Sponsi; veluti docent Sanchez disp. 63. num. 9. & alii. Nam honestæ virgini haud dubiè non perinde placet Sponsus impudicus, & illicito concubitu fœdatus, atque pudicus, & nunquam implicitus sceleratis cujusquam amoribus, præsertim, cùm timere possit, ne semel hoc tali luto inquinatus etiam in Matrimonio ad idem, vel simile volutabrum redire non horreat. Unde censeo, hanc esse notabilem mutationem etiam ex parte Sponsi, inque ejus casum se Sponsam non voluisse obligare. Vid. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 1. cap. 5. à num. 110.

34 Licitum est resilire IV. quando alter contrahentium patitur gravem jacturam famæ, & honoris: ut, si fortè Sponsus ob aliquod delictum antea ignotum, postea verò manifestatum, ab officio deponatur; ideoque passim malè audiat. Vid. Salmantic. num. 68. Schmier num. 142.

Licitum est resilire V. quando super- 35
venit, vel detegitur gravis jactura, vel imminutio bonorum fortunæ: dum nempe vel Sponsus amittit notabilem partem bonorum, vel Sponsa, aut parentes Sponsæ eò paupertatis rediguntur, ut dotem nequeant solvere. Sanchez disp. 59. Bonac. num. 11. Salmantic. num. 75. Neque refert, si nulla fortè dos fuerit promissa: quia promissio Matrimonii non censetur facta, nisi sub conditione dotis. qua proinde deficiente Sponsus resilire etiam in hoc casu potest. quod verum quoque est, licèt Sponsalia juramento firmata sint: cùm juramentum, sicut ipsa promissio, non intelligatur edi, nisi sub conditione, si res non fuerint notabiliter immutatæ. Sanchez num. 4. Atque hinc generaliter ratio redditur omnium, quæ in adductis jam casibus resoluta sunt. Quia nempe contractus adeò difficilis, in quo agitur de ineundo statu nunquam ampliùs abdicabili, ex natura sua tacitè excipit omnes mutationes notabiliter præjudiciosas, quibus cognitis idem contractus Sponsalium non fuisset celebratus: atqui omnes recensitæ mutationes sunt notabiliter præjudiciosæ; ergo. Vid. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 1. a. 3. num. 29. Verùm ex dictis emergit jam

Quæstio I. An dissolvi possint Spon- 36
salia, si post illa uterque Sponsus incidat in paupertatem? Respondeo affirmativè cum Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 28. num. 4. Salmantic. num. 76. contra Bonac. num. 14. Ratio est: quia hæc est notabilis mutatio, & quidem ex parte utriusque Sponsi, quæ, si ab initio fuisset prævisa, Sponsalia probabiliter non fuissent contracta. Utrique proinde resilire licet, sicut uni licet, quando solùm alter ex divite evadit pauper, ut constat ex n. proximè præced. Excipe tamen cum Salmantic. nisi Sponsus v. g. jam redactus ad paupertatem vellet aliam ducere æque pauperem. tunc enim teneretur adhuc fidem servare primæ, cum qua Sponsalia antè contraxerat.

Quæstio II. An Sponsus v. g. si fiat ex- 37
insperato notabiliter opulentior, aut honoratior, Sponsa verò maneat, qualis erat à principio, resilire possit à Sponsalibus? Negant Sanchez num. 6. Castropal. num. 5. & alii. Ratio est: quia Sponsa per ejusmodi incrementa Sponsi utique non fit deterior. quo ergo jure fides ei data non servari poterit? Placet nihilominùs sententia affirmans, quam tenent Illsung loco citato.

Magni-

Magnific. P. Schmier à n. 150. & probabilem esse fatentur Salmantic. n. 77. ubi & alios pro eadem referunt. Ratio est: quia judiciô prudentûm Sponsus de Matrimonio longè præstantiori non solùm potuisset, sed etiam voluisset sibi prospicere, si hanc status sui mutationem prævidisset. Licèt autem
2 Sponsa per ejusmodi exaltationem Sponsi non fiat deterior absolutè, notabiliter tamen inferioris conditionis efficitur, atque adeò comparativè deterior. ex quo solvitur ratio in contrarium.

38 Objicies. Qui promittit alteri, se venditurum equum 100. florenis, quod nunc supponitur esse justum pretium, tenetur ita vendere, quamvis pretium postea notabiliter crescat: ergo similiter, qui puellæ paris conditionis ad statûs nunc promittit Matrimonium, tenetur eam ducere, quamvis ipse postea ad conditionem, ac statum notabiliter opulentiorem, aut honoratiorem evehatur. Respondetur neg. conseq. Ratio discriminis est: quia propter singularem difficultatem contractûs Sponsalitii, in quo agitur de vinculo Matrimonii non ampliùs dissolubili, contrahentes non considerant solas circumstantias, quæ adsunt, quando promittunt Matrimonium, sed etiam illas, quæ occurrunt, dum illud re ipsa ineundum est. Atqui nulla similis ratio suadet, ut in promissione venditionis attendatur aliud pretium, quàm illud, in quod convenitur tanquam justum tempore, quo fit, & acceptatur ea promissio.

39 Quæstio III. Unde cognosci possit, quòd Sponsalia non fuissent inita, si hanc, vel illam circumstantiam adesse, vel abesse non latuisset? Respondeo, examinandum esse Sponsum v. g. quidnam respondisset, si tempore Sponsalium aliquis ipsi dixisset: *sed quid, si tale aliquid postea eveniat?* Si dicat, se responsurum fuisse, quòd nequaquam habeat animum obligationem suam ad talem casum extendendi, huic ejus asseverationi, præsertim juratæ, credendum est etiam in foro externo. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 2. num. 18. Schmier num. 159. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 279. Ex quo proinde satis constaret, quòd tunc non fuissent inita Sponsalia.

40 Corollarium. Si Sponsus cognitâ causâ resiliendi Sponsam nihilominùs carnaliter cognoscat, censetur juri suo tacitè renuntiare, ac ratificare Sponsalia. Ratio est: tum, quòd Sponsa nonnisi sub tali conditione in copulam consentire præsumenda sit. tum, quòd etiam conjunx, si cognitô adulteriô conjugis suæ ad eam accedat, divortium instituere non permittatur: ergo similiter Sponso in casu nostro non est concessum Sponsalia dissolvere. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 66. num. 2. Laym. num. 20. Dictum est tamen, *si cognitâ causâ.* Nam si Sponsus nesciat, se habere justam causam resiliendi, non potest jure suo cedere, Sponsaliaque ratificare velle: nisi fortè hoc ipsum clarè significet, quòd nempe tali animo ad Sponsam accedat, ut, tametsi causam haberet solvendi Sponsalia, ea nihilominùs rata esse vellet. Laym. loco cit.

Quæstio IV. An laborans impedimento, vel defectu occulto, quo cognito alter haberet justam causam dissolvendi Sponsalia, possit Sponsalia contrahere, posteaque compartem ad eorum executionem compellere? 41
Ante resolutionem distinguendum est inter causas resiliendi à Sponsalibus. Nam aliæ sunt ita constitutæ, ut Matrimonium alteri parti reddant solùm minùs commodum, & appetibile: veluti, si mulier sit corrupta, seu pauper, & ignobilis. Item, si sit non bonæ famæ, improbis moribus, ferocique ingenio, parata tamen se corrigere. Aliæ verò causæ sunt ejusmodi, ut Matrimonium reddant positivè incommodum, damnifcrum, atque odiosum, veluti paralypsis, lepra, morbus Gallicus, vel alius contagiosus. Item mores perditi sine animo corrigendi. Infamia quoque ex genere, vel delicto honestæ familiæ dedecus afferre nata. Vid. Castropal. de Sponsal. disp. 1. pu. 30. num. 1. Reding to. 8. qu. 3. a. 1. controv. 7. num. 1.

Respondeo nunc primo. Quando vi- 42
tium aliquod, seu causa est primi generis, licitum est eâ non detectâ Sponsalia contrahere, per se loquendo. Ita Sanchez lib. 6. de Matrim. disp. 27. num. 8. Castropal. num. 2. Salmantic. tract. 9. cap. 2. pu. 6. num. 97. Reding num. 8. Ratio est: quia sic communi usu, & consuetudine receptum est, ut neque contrahentes ejusmodi vitia sibi invicem manifestent, neque mediatores, seu conciliatores Nuptiarum, in pactione Sponsalitia ea detegant, sed cuivis contrahentium incumbat statum & qualitates alterius aliunde sibi reddere perspectas. cùm satis resciat, vel rescire debeat, fœminam (idem cogita de viro) juxta memoratum usum contrahentium non detecturam vitia, quibus fortè laborat, sive naturæ, sive morum, si non positivè quidem sint nociva, minùs tamen commodè in conjugali societate perferenda. Confirmatur. Quia nemo tenetur suos defectus propalare, seque ipsum infamare, quando eos reticendo nulli facit injuriam. Atqui in nostro casu Sponsa v. g. reticendo suos defectus nulli facit injuriam; ergo. Sibi proinde imputet Sponsus, si fortè fuerit deceptus. Confirmatur iterum. Quia

Quia adulter potest à sua uxore petere debitum, licèt cognito adulterio haberet jus ad illud denegandum: ergo etiam potest aliquis contrahere Sponsalia, licèt alter, cum quo contrahit, cognito quodam ipsius defectu haberet justam causam ea dissolvendi.

43 Dixi tamen, *per se loquendo*. Nam si Sponsa v. g. prævideat, Sponsum contracto Matrimonio venturum in notitiam defectûs, eumque ægerrimè laturum, ut proinde periculum sit, ne Matrimonium sortiatur malum exitum, ipsáque à viro durè tractanda sit, aut rixas, & jurgia inter utrosque assiduè futura, non poterit contrahere Sponsalia, tacito tali defectu, sed tenetur lege Charitatis tum erga se, tum erga Sponsum, ab iisdem abstinere. Sanchez num. 10. Castropal. num. 3. Salmantic. num. 98.

44 Respondeo secundo. Quando defectus, seu vitium est secundi generis in n. 41. memorati, illicitum est eo non detecto contrahere Sponsalia. Castropal. num. 4. Salmantic. num. 99. Reding num. 10. Ratio est: tum, quia minimè præsumi potest, communi usu contrahentium esse receptum, ut hujus generis vitia, utpote intentioni Matrimonium inire cogitantium positivè contraria, fas sit occultare. tum: quia iniquum est suum commodum procurare cum alterius incommodo, ac damno. Atqui contrahens Sponsalia non manifestatô ejusmodi vitiô ita procurat suum commodum; ferè sicut ille, qui vendit equum occulto, eoque capitali vitio laborantem, idque non detegit emptori. Itaque Sponsalia contracturus tenetur manifestare posterioris hujus generis defectum; imò ad hoc idem tenetur ante celebrationem Matrimonii, si jam contraxit Sponsalia. de quo vid. Salmantic. loco cit. Hæc tamen intelligenda sunt, nisi fortè & altera pars eodem defectu laboret. tunc enim, cùm defectus mutuò compensentur, is, qui suum occultat, alteri, qui eum ignorat, non infert injuriam. Vid. Castropal. loco cit.

Respondeo tertio. Qui contraxit Sponsalia laborans vitio occulto, quod non tenebatur detegere, potest alteram partem ad eorum executionem compellere. Ita Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 68. num. 8. Bonac. de Sponsal. q. 1. pu. 10. num. 12. Filliuc. tract. 10. cap. 8. num. 298. Castropal. num. 8. Ratio est: quia non obstante hoc tali vitio seu defectu Sponsalia sunt valida: ergo jus tribuunt partem alteram compellendi ad standum promissis. Consèq. prob. quia istud jus necessariò resultat ex Sponsalibus validis. Neque putes, Sponsum per occultationem defectûs hoc jure privari. Nam si adulter per occultationem adulterii non privatur jure petendi debitum, cur Sponsus per occultationem sui defectûs privetur jure compellendi Sponsam ad executionem Sponsalium? 45

Quæstio V. Utrùm ad dissolvenda Sponsalia ob aliquam ex causis hucusque memoratis necessaria sit Auctoritas Judicis Ecclesiastici? Respondeo, non esse necessariam, quando causa dissolvendi moraliter certa est. Quod tamen intellige, nisi aliud exigat periculum scandali, quando Sponsalia fuerunt publica. Hinc enim in multis apud nos Diœcesibus introductum est, teste Laym. ut à Sponsalibus publicè notis non liceat recedere, nisi causa priùs ad Ordinarium delata sit. 46

DISPUTATIO II.

De Natura & Proprietatibus Matrimonii.

Matrimonium humano generi coævum, & in Paradiso terrestri jam institutum esse, satìs constat ex S. Script. Genes. 1. Et quidem ante lapsum Adami fuit ordinatum in officium Naturæ ad liberos procreandos, ac educandos; post illum, in remedium concupiscentiæ, nempe, ut voluptati carnis certus quidam modus secundùm rectam rationem poneretur. In lege demum Gratiæ fuit elevatum, ut esset Sacramentum Ecclesiæ. Ut est in officium naturæ, definitur ex Magistro in 4. disp. 27. hac communiter recepta definitione, quòd sit *Maritalis conjunctio viri & mulieris, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur *conjunctio*, scilicet animorum per mutuum consensum. Dicitur *maritalis*, ut excludantur aliæ conjunctiones fraternitatum,

tatum, filiationum &c. utque significetur, istum consensum esse contractum, per quem uterque conjugum alteri jus tribuit in suum corpus ad usum & finem Matrimonii. Dicitur *viri & mulieris* in singulari, ut removeatur polygamia jure naturæ prohibita. Dicitur *inter legitimas personas*, hoc est, nullo impedimento affectas, quo ab hoc tali contractu arceantur. Dicitur, *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ut exprimatur mutua cohabitatio conjugum, & indissolubilitas Matrimonii. Porrò, quæ definitio conveniat Matrimonio, ut est Sacramentum, in progressu Disputationis videbimus.

ARTICULUS I.

An Matrimonium sit per se res bona & licita?

SUMMARIUM.

1. Sententia veterum hæreticorum. 2. 3. Asseritur, & probatur, Matrimonium per se esse bonum ac licitum. 4. 5. 6. Solvuntur Objectiones. 7. Matrimonium per accidens potest esse malum ratione mali finis extrinseci.

1 IN sententia negativa multi fuerunt antiqui hæretici; ut Saturninus, Marcion, & Tatianus. Deinde Manichæi, & Priscillianistæ; veluti ex SS. Patribus Irenæo, Epiphanio, Hieronymo, & Augustino perhibet Valentia to. 4. disp. 10. q. 1. pu. 2. ubi etiam ex eodem Augustino refert de quibusdam Adamianis, quòd senserint, conjugium ex peccato Adami provenisse, & esse malum; neque futurum fuisse in statu naturæ integræ, sed singulos homines per procreationem à DEO fuisse producendos. Verùm contra horum, aliorúmque similes stultitias

2 Dico cum Fide Catholica. Matrimonium per se bonum est, ac licitum. Probatur primo Authoritate S. Script. Genes. 1. ubi legimus: Benedixitque illis Deus, & ait: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Et Genes. 9. *Benedixitque Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite, &c.* quibus verbis Deus Conjugium à se institutum peculiariter benedixit & approbavit. Deinde Christus Dominus ipse Matth. 19. institutionem Matrimonii rursus stabilivit ex verbis Divinis, quæ habentur Genes. 2. concludens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Nuptias quoque Joan. 2. præsentiâ suâ cum Matre & Discipulis honoravit. Præterea Apostolus 1. Corinth. 7. scribit: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit.* Et, *si nupserit virgo, non peccabit.* Et Hebr. 13. *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Et 1 ad Timoth. 4. doctrinam contrariam vocat *doctrinam Dæmoniorum.*

Prob. secundo ratione naturali in hunc modum. Omne medium per se aptum & necessarium ad finem per se bonum & necessarium, est per se bonum & licitum: sed Matrimonium est medium per se aptum & necessarium ad finem per se bonum & necessarium: ergo est per se bonum & licitum. maj. constat apertè: quia in moralibus, quæ sunt propter finem aliquem, ex fine æstimari debent. mi. prob. quia finis naturalis, isque principalis Matrimonii & procreatio & educatio prolis, eo modo, qui conveniat homini, ut homo est; qui modus juxta Aristotelem 8. Ethicor. cap. 11. & 12. ut parentes filiis suppeditent *Esse, Nutrimentum, & Disciplinam.* Atqui hic finis est per se bonus & necessarius; quia, nisi proles procreetur, & educetur modo conveniente perfectioni naturæ humanæ, eáque digno, aut non propagabitur ejus species, aut non ita propagabitur, ut illius conditio postulat Matrimonium verò ad hunc finem esse per se actum & necessarium facilè perspicitur. Nisi enim vir & mulier perpetuo illius vinculo sibi mutuo obstricti sint, nequaquam certa liberorum procreatio esse poterit, sed vaga solùm; adeoque nec idonea educatio. Vid. Divus Thomas in Supplem. 3. p. q. 65. a. 3. & q. 67. a. 1. ubi etiam ad rem nostram peculiariter notat, ad rectam educationem prolis pertinere, ut *parentes filiis thesaurizent, & filii parentum hæredes sint.* Sed quomodo hæc talia sperare possent filii à parentibus nulla lege Matrimonii obligatis?

Objicies primo. Matrimonium neque 4
cadit sub præceptum, neque sub consilium: ergo non est bonum & laudabile. Patet conseq. quia, quidquid bonum est, cadit sub eorum alterutrum. Ant. prob. quia, si caderet sub præceptum, Christus non implêsset totam legem: quippe qui à Matrimonio abstinuit. Si caderet sub consilium, cælibatus ei contrarius non caderet sub consilium; quia duo contraria non possunt esse de consilio.

Respondeo, Matrimonium cadere sub præceptum, non quidem, quod obliget singulos, sed totam communitatem humanam ad procurandum, ut in aliquibus per liberorum procreationem, & educationem conservetur.

5 Objicies secundo. Quod bonum est, non indiget excusatione, si eligatur: sed Matrimonium indiget excusatione: quia juxta Divum Thomam in Supplem. cit. q. 49. a. 1. excusatur per illa tria bona, quæ ex illo deducuntur, putà per fidem conjugum, per prolem, per Sacramentum, de quibus agit in a. seq. ergo &c. Respondeo ex eodem S. Doctore loco cit. esse quædam suapte natura bona & honesta, quæ nihilominùs habeant annexa quædam incommoda ac detrimenta, ratione quorum à nemine eliguntur citra notam imprudentiæ, nisi per bona inde provenientia excusetur. Atqui inter illiusmodi bona est etiam Matrimonium.

6 Objicies tertio. Actus conjugalis est ejusdem speciei cum actu fornicationis & adulterii: ergo, cùm actus fornicationis, & adulterii sint mali, etiam actus conjugii, adeoque conjugium ipsum est malum. Atque hoc præcipuum fuisse perhibetur Tatiani fundamentum, ut diceret, conjugium nihil differre ab adulterio, & scortatione. Respondeo cum Divo Thoma in cit. Supplem. q. 41. a. 3. ad 5. actum quidem conjugalem esse ejusdem speciei cum actu fornicationis & adulterii in genere naturæ, sive in esse physico, multùm tamen differre in genere moris. cùm ipse sit accessus *ad suam*, illi sint accessus *ad non suam*. Simili ratione cædes hominis publica Judicis Authoritate facta in genere naturæ est ejusdem speciei cum cæde facta authoritate privata, in genere moris tamen longè diversissima est.

Dixi verò in Concl. Matrimonium *per se bonum ac licitum esse*. 7 Nam per accidens, potest esse malum ratione mali finis, ad quem à contrahente ordinatur: veluti facilè colligitur ex communi doctrina de circumstantiis actuum humanorum tradita superiùs in tract. 2. disp. 2. a. 2. & docetur à Divo Thoma in 4. dist. 30. in fine *exposit. litteræ*, ubi ait, peccaturum mortaliter eum, qui propter effrænatam libidinem ad uxorem accederet: quod intelligendum est, si ejusmodi maritus ob æstum libidinis ita esset animo comparatus, ut accederet ad uxorem, tametsi sua non esset. hoc enim affectu secluso Matrimonium contrahere ex inordinata libidine, aut consummare non esset plus quàm veniale peccatum. Vid. Salmantic. tract. 9. cap. 3. pu. 3. num. 22.

ARTICULUS II.

In quo formaliter consistat Matrimonium; & quomodo dividatur.

SUMMARIUM.

1. *Ad Matrimonium septem pertinent consideratione digna.* 2. *Matrimonium accipi potest vel* in fieri, *vel* in facto esse. 3. *In fieri acceptum consistit in mutuo consensu contrahentium.* 4. *In facto esse constituitur per vinculum conjugale.* 5. 6. 7. *Triplex illatio, in quibus consistat, vel non consistat Matrimonium.* 8. *Matrimonium dividitur in* legitimum, *in* ratum, *& in* consummatum. 9. *Qualis copula sufficiat ad consummationem Matrimonii.* 10. *Quid de copula violenta?*

1 EX definitione Matrimonii in proœmio prioris artic. adducta, ejusque analysi deducitur, in eo reperiri, & consideranda esse septem sequentia. Primum est mutuus consensus. Secundum, contractus externus, sive sensibilis expressio consensus. Tertium, mutua traditio & acceptatio corporum. Quartum, vinculum ex contractu ortum. Quintum, mutua obligatio ad reddendum debitum. Sextum, jus in unoquoque erga alterum. Septimum, usus, & consummatio ejusdem. Quæstio nunc oritur, in quonam istorum sita sit essentia Matrimonii? Ante resolutionem

Notandum est, Matrimonium dupliciter accipi posse: semel *in facto esse*, & semel *in fieri*. 2 In facto esse acceptum significat ipsum statum permanentem Matrimonii. In fieri acceptum aliud non est, quàm actualis ingressus in hunc talem statum, sive inchoatio Matrimonii. Vid. Mezger tract. 19. disp. 53. a. 1. num. 4.

Dico primo. Matrimonium *in fieri* 3 formaliter consistit in mutuo consensu, traditione & acceptatione corporum externè manifestata. Ita Salmantic. tract. 9. cap. 3. pu. 1. num. 6. Reding to. 8. q. 4. a. 1. controv. 1. num. 7. Mezger num. 5. & 6. Ratio est: tum, quia Matrimonium in fieri est de genere contractuum: in esse contractûs autem formaliter constituitur per mutuum illum consensum, traditionem, & acceptationem corporum. tum, quia Matrimonium,

de quo

de quo loquimur, Christus elevavit, ut sit Sacramentum novæ Legis: atqui hoc est formaliter ipse consensus & contractus memoratus; utpote solus in Matrimonio aptus, ut sit materia & forma istius Sacramenti; ergo.

4 Dico secundo. Matrimonium *in facto esse* formaliter consistit in vinculo conjugali, quod causatur ex consensu & contractu prædicto. Ita Authores citt. Ratio est: quia Matrimonium in facto esse est conjunctio permanens inter virum & fœminam: atqui hæc conjunctio est ipsum vinculum conjugale; ergo. Confirmatur. Illud est formaliter Matrimonium in facto esse, quo durante formaliter durat & permanet Matrimonium, & quo sublato formaliter cessat. Atqui durante vinculo Matrimoniali formaliter durat & permanet Matrimonium, illo autem sublato formaliter cessat; ergo.

5 Infertur primo, particulam *conjunctio* in definitione Matrimonii positam significare Matrimonium tum *in fieri*, tum *in facto esse*. Si sumatur activè, significat Matrimonium in fieri, scilicet mutuum consensum. Si sumatur passivè, significat Matrimonium in facto esse, hoc est, mutuam coordinationem viri & fœminæ ad officia conjugalia in illo consensu fundatam, & ex eo resultantem, quæ est formaliter vinculum Matrimonii. Mezger num. 7.

6 Infertur secundo, neque in mutuo jure utriusque conjugis in corpus alterius, neque in obligatione mutua ad debitum conjugale Matrimonium consistere formaliter, sive sermo sit de Matrimonio prout *in fieri*, sive prout *in facto esse*. Ratio est: quia Matrimonium *in fieri* debet esse de genere contractuum; sed jus illud, & mutua obligatio non sunt contractus, sed quidam effectus contractûs Matrimonialis. Deinde Matrimonium *in facto esse* subsistit ac permanet, postquàm jus & obligatio memorata cessârunt per adulterium alterius conjugis, vel per ingressum ejus in Religionem. Vid. Gonet de Matrim. disp. 1. a. 1. n. 5. Mezger n. 9.

7 Infertur tertio, neque in consummatione, sive copula carnali sitam esse essentiam Matrimonii. Ratio est: tum, quia usus Matrimonii jam supponit illud in suo esse constitutum: atqui copula carnalis est usus Matrimonii. tum, quia Matrimonium ratum est verum Matrimonium sine copula. tum, quia inter B. Virg. & S. Josephum fuit verum Matrimonium, ut postea docebimus, quamvis nullum inter eos fuerit carnale commercium. Vid. Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 1. n. 4. Mezger loco cit.

8 Dico tertio. Matrimonium dividitur in Legitimum, in Ratum, & in Consummatum. Matrimonium legitimum est, quod quidem ritè juxta leges celebratur, mutuoque contrahentium consensu validè perficitur, non tamen est Sacramentum. Talia sunt Matrimonia, quæ contrahuntur inter infideles & Judæos. Ratum est, quod celebratur inter fideles, observatis Canonum legibus & solemnitatibus, estque Sacramentum. Consummatum est, quod per copulam completur & perficitur, non quidem completione, & perfectione essentiali, sed accidentali; ut ex dictis in n. præced. colligitur. Vid. Salmantic. ubi suprà n. 1. Mezger n. 2.

9 Cæterùm ad consummationem Matrimonii non sufficit qualiscunque copula, sed copula carnalis, id est, apta ad generationem humanam, præstánsque, ut conjuges per commixtionem seminis fiant una caro. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 21. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 2. cap. 1. n. 49. Atque hinc ad consummationem Matrimonii non sufficiunt I. tactus, oscula, vel etiam pollutio extra vas naturale, ut clarè colligitur ex cap. *Extraordinaria*. 35. q. 3. Ratio est: quia per ejusmodi actus non procuratur humana generatio, nec efficitur, ut conjuges sint una caro. Non sufficit II. si vir penetret quidem vas mulieris, semen tamen non effundat intra illud. Ratio est similiter: quia etiam per talem copulam non procuratur generatio humana, aut conjuges efficiuntur una caro. Sanchez n. 5. Non sufficit probabiliter III. si vir solus intra vas naturale fœminæ seminet. Ratio est: quia ad consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest humana generatio: sed ex copula, in qua vir solus, & non etiam fœmina seminat, non potest sequi humana generatio; cùm ad istam non solum virile, sed etiam fœmineum semen probabiliter sit necessarium. Sanchez n. 11. Schmier n. 51. qui etiam notat n. 53. hæc scire prodesse, tum propter dissolutionem Matrimonii. Nam Matrimonium verè consummatum neque Religionis ingressu, neque Pontificia dispensatione potest dissolvi. tum propter affinitatem inde consurgentem. hæc enim non contrahitur ex Matrimonio, nisi dicto modo sit consummatum.

10 Illud adhuc quæritur, an Matrimonium consummetur per copulam vi extortam intra primum bimestre? Affirmat Sanchez lib. cit. disp. 22. n. 4. dicens, id esse tenendum tanquam certum. Rationem reddit: tum, quia per copulam illam vi extortam conjuges efficiuntur una caro. tum, quia ex ejusmodi copula non minùs consurgit affinitas, quàm ex copula voluntaria: ergo non minùs per illam, quàm per istam consummatur Matrimonium. His tamen non obstantibus alii docent contrarium, nempe Panormitanus, Sylvester, P. König, quos refert & sequitur

Magnif.

Magnif. P. Schmier à n. 56. Ratio est: tum, quia ut *Matrimonium* in rei veritate dicatur ratum, exigitur consensus utriusque conjugis: ergo etiam, ut dicatur verè consummatum per copulam, utriusque consensus intervenire debet. tum quia copula, quæ intra primum bimestre violenter extorquetur, non exercetur jure *Matrimoniali*; cùm obligatio reddendi debitum tunc non urgeat. Atqui copula, per quam consummatur Matrimonium, exerceri debet jure Matrimoniali; ergo per copulam illam violentam non consummatur Matrimonium. Ad primam ex rationibus adversis, respondetur, ad consummationem Matrimonii non sufficere, quòd conjuges per copulam fiant una caro, sed insuper requiri mutuum consensum, & jus Matrimoniale. Ad secundam respondetur neg. conseq. quia copula illa extorta neque exercetur mutuo utriusque consensu, neque jure Matrimoniali; adeoque est insufficiens ad consummationem Matrimonii, quamvis ex eadem consurgat affinitas, quæ etiam ex copula non Matrimoniali potest consurgere.

ARTICULUS III.

De Consensu Matrimoniali.

§. I.

Qualis consensus ad Matrimonium requiratur.

SUMMARIUM.

1. *Sine mutuo consensu non potest dari Matrimonium.* 2. *Non sufficit ad illud solus consensus internus.* 3. *Muti possunt contrahere Matrimonium.* 4. *Eorum Matrimonium est etiam Sacramentum.* 5. 6. *Loqui valentes validè & licitè contrahunt Matrimonium per signa, omissis verbis.* 7. *Statuitur, quænam verba sufficiant ad contractum Matrimonii.* 8. *Quid de verbis ambiguis?* 9. *Quid de signis sufficientibus?* 10. *Ad valorem Matrimonii requiritur simultas moralis consensuum.* 11. *Quantum temporis inter unum & alium consensum possit intercedere.* 12. *Consensus debet esse absolutus.* 13. *Aliorum consensus, etiam parentum, non requiritur ad valorem Matrimonii.* 14. 15. *Solvuntur objectiones.*

1 SUpponitur tanquam certum, mutuum consensum ita esse necessarium ad constituendum Matrimonium, ut absque illo nequeat subsistere. Unde nec Respublica, nec Ecclesia potest efficere, ut inter duos detur *Matrimonium*, sive id *in fieri*, sive *in facto esse* consideretur, si iidem non præbeant mutuum consensum. *Matrimonium* namque *in fieri* est quidam contractus, qui sine consensu contrahentium non potest intelligi. In *facto esse* autem eundem consensum essentialiter ceu fundamentum præsupponit; quemadmodùm satis colligitur ex dictis in artic. præced. n. 5. Imò deducitur contra plures, consensum neque Divinitus posse suppleri in *Matrimonio*; nec proinde fore *Matrimonium* formaliter, si Deus viro traderet potestatem in corpus alicujus mulieris nolentis: quamvis esset *Matrimonium* virtualiter vel æquivalenter: quia tunc vir ex concessione Divina æquè haberet jus utendi corpore mulieris ad suscipiendos inde liberos, acsi modo ordinario per contractum & consensum illius acquisivisset. Vid. Sanchez lib. 2. de *Matr.* disp. 27. n. 2. & disp. 26. n. 5. Salmantic. tract. 9. cap. 6. pu. 1. *Mezger* tract. 19. disp. 53. a. 2. n. 1.

Dico jam primo. Ad *Matrimonium* 2
non sufficit solus consensus internus, sed necessarium est eum exprimi verbis, aut signis. Ita communis & certa sententia Catholicorum contra Wiclephum. Ratio est: tum, quia *Matrimonium* est quidam contractus, qui inter homines humano modo celebratur: quod fieri non potest, nisi consensus internus contrahentium verbis aut signis manifestetur. tum, quia *Matrimonium* insuper est Sacramentum; adeoque debet constitui in signo sensibili: solus autem consensus internus non est quid sensibile. Vid. Sanchez disp. 30. Filliuc. tr. 10. par. 1. cap. 3. n. 77. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 7. Salmantic. pu. 3. n. 40. & 41.

Infertur jam primo, mutos optimè posse 3
contrahere *Matrimonium*. Ratio est: tum, quia ita deciditur in cap. *tuæ. 25. de Sponsalibus.* tum, quia licèt hi tales non possint mutuum consensum aperire verbis, possunt tamen aliis signis: hoc autem sufficit ad quemcunque humanum contractum. Imò

Infertur secundo, *Matrimonium*, quod 4
inter loqui impotentes, seu mutos celebratur, esse verum Sacramentum. Ratio est: quia Christus contractum *Matrimonii* elevando ad esse Sacramenti non immutavit ejus naturam: ergo, si in ratione contractus perfici potest per signa, ut posse primùm vidimus, etiam in ratione Sacramenti potest. Deinde in Concil. Florent. *in Decr. Eugenii* dicitur, ad Sacramentum *Matrimonii* *regulariter* verba requiri: ergo non semper requi-

requiruntur: ergo Matrimonium aliquando est Sacramentum, licèt consensus contrahentium verbis non exprimatur, sed aliis signis gerentibus vicem verborum. Sanchez disp. 31. num. 8. Salmantic. num. 45. Castropal. num. 3. contra Sotum, & Canum.

5 Infertur tertio, validum esse Matrimonium etiam loqui valentium, si consensus eorum non verbis, sed signis exprimatur. Ratio est: quia ad valorem cujuslibet contractûs sufficit, si consensus contrahentium per signa exprimatur: ergo etiam sufficit ad valorem contractûs Matrimonii. Conseq. prob. quia Christus ad valorem hujus contractûs non exegit aliam expressionem consensûs, quàm talem, quæ sufficit ad valorem cujuslibet alterius contractûs humani. Sanchez num. 5. Castropal. loco cit. Salmantic. num. 48.

6 Dixi, *validum esse Matrimonium &c.* quia, an licitum quoque sit, dubium est apud Authores: dum alii dicunt, eos, qui loqui possunt, peccare mortaliter, si in contractu Matrimonii non utantur verbis, sed nutibus &c. Alii verò putant, peccare venialiter; alii ne venialiter quidem. Subscribendum judico his postremis, saltem per se loquendo. Ratio est: quia, licèt maximè deceat hos tales suum consensum verbis exprimere, nullum tamen Ecclesiæ præceptum, quo ad hoc obligentur, ostendi posse probat Sanchez disp. cit. num. 9. quamvis nihilominùs doceat, eos peccare saltem venialiter. Dixi, *per se loquendo.* Nam per accidens vel ad evitandum scandalum, vel, si alioqui contractus redderetur dubius, contrahentes sub mortali obligati esse possunt ad mutuum consensum verbis manifestandum. Vid. Castropal. num. 5.

7 Dico secundo. Ad celebrandum contractum Matrimonii sufficiunt verba, vel signa, quibus homines communiter utuntur ad significandum alteri suum consensum de præsenti. Ratio est: quia hæc talia sufficiunt ad celebrandos alios quoque contractus inter homines. Vid. Salmantic. num. 53. & 60.

8 Quando verba, quæ ad consensum exprimendum adhibentur à contrahente Matrimonium, sunt ambigua nec habent ex sua institutione significationem aliquam propriam, judicandum est contra illum, qui tam ambiguè fuit locutus. Quòd si plures habeant significationes, attendi debet propria, non impropria. Si omnes significationes verbi ex se ambigui, & æquivoci sunt propriæ, standum est pro valore contracti Matrimonii. Vid. Castropal. pu. 8. num. 1. Reding to. 8. q. 4. a. 1. controv. 3. num. 24.

9 Ad signa quod attinet, spectari debet, dum sunt ambigua, intentio contrahentium. de qua si non constiterit, judicandum esse in favorem Matrimonii docent cum aliis Salmantic. num. 60. Quando alicubi consuetudo obtinet, ut per immissionem annuli in digitum significetur consensus de præsenti, id sufficit ad Matrimonium. Similiter sufficit, si puella seriò interrogata, an velit tecum hîc & nunc inire Matrimonium? capite annuat, vel manum porrigat. quia tacens consentire censetur, etiam dum agitur de obligatione ipsi imponenda, si actus aliquis positivus concurrat. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 22. num. 6. Sufficit præterea ad significandum consensum de præsenti taciturnitas liberorum præsentium, dum pro ipsis parentes contrahunt Matrimonium. Quamvis probabilius non sufficiat, quando alii à parentibus pro eisdem contrahunt: ut suprà quoque de Sponsalibus dictum est. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 23. num. 3. & 7. Salmantic. num. 61. & 62.

10 Dico tertio. Ad validè perficiendum Matrimonii contractum non est necessaria simultas physica inter consensus utriusque conjugis; requiritur tamen simultas moralis. Ita Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 32. num. 3. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 3. num. 83. Salmantic. num. 63. Reding 2. citat. controv. 2. num. 17. Sporer de Sacrament. par. 4. cap. 1. num. 310. Ratio primi est: quia in aliis omnibus contractibus non est necessaria ejusmodi simultas: ergo neque in contractu Matrimonii est necessaria. Confirmatur. Quia validè contrahitur Matrimonium per litteras, vel procuratorem, ut ex infrà dicendis supponitur, & tamen consensus partium tunc non præstantur simul simultate physica. Ratio secundi est: quia consensus contrahentium sunt partes essentiales contractûs ceu totius cujusdam mortalis: ergo inter illos debet esse moralis conjunctio.

11 Cæterùm, quantum temporis inter unum & alium consensum intercedere possit, ut adhuc subsistere censeatur eorum simultas moralis, controversum est apud Authores. Nam Castropal. pu. 6. num. 2. Sporer num. 311. & 312. dicunt, posse intercedere quodcunque tempus, dummodò consensus priùs datus nec expressè, ut tacitè sit revocatus. Alii, sicut testantur Salmantic. loco cit. dicunt, posse intercedere septennium; alii triennium; alii annum. Sanchez n. 7. Filliuc. Salmantic. locis citt. docent, id esse determinandum prudentis arbitriô, attentis particularibus circumstantiis.

Illud hîc certum est, ab eo, qui interim per verba de præsenti contrahit cum alia, censeri revocatum priorem consensum. Idem dic, dum quis consensit pro determinato tempore. hoc enim transacto judicandum est, consensum saltem tacitè esse revocatum. quia nemo credendus est velle perpetuò expectare alterius consensum, deque suo statu manere in suspenso. Castropal. loco cit. Demum. cùm in aliis contractibus ob lapsum longi temporis non maneat virtualiter consensus, sed tacitè revocetur, ut probat Sanchez loco cit. etiam in Matrimonio non manet virtualiter, sed revocatur ob lapsum longi temporis. Ut proinde non subsistat, quod dicunt Castropal & Sporer, posse intercedere quodcunque tempus, dummodò consensus priùs datus nec expressè, nec tacitè sit revocatus: cùm non possit non esse tacitè revocatus, si intercedat longum tempus: nisi fortè consentiens in hoc ipsum consenserit, quòd velit expectare alterius partis consensum quocunque longo tempore. Sed quis in hoc consentire invenitur?

12 Dico quarto. Ad valorem Matrimonii ulteriùs requiritur, ut consensus contrahentium sit absolutus. Ita communiter DD. Ratio est: quia Matrimonium non potest esse suspensum in eventum alicujus conditionis, sed vel est, vel non est. Nam *actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem*, ut sonat Regula 50. Jur. in 6. Matrimonium igitur statim atque est, habet suum effectum, nec recipit conditiones, quæ suspendunt. Vid. Divus Thomas in Supplem. 3. p. q. 47. a. 5. Valentia to. 4. disp. 10. q. 3. pu. 3. Filliuc. ubi suprà cap. 4. num. 137. Cæterùm de conditionibus, quæ consensui Matrimoniali adjici possunt, agemus in §. proximè seq. Interea

13 Dico quinto. Ad valorem Matrimonii non est necessarius consensus aliorum à contrahentibus, etiam parentum. Ita definitum est in Concil. Trid. *Sess.* 24. initio *Decr. de Reform. Matrim.* contra Calvinum, Lutherum, Bucerum, Brentium, aliósque Sectarios, qui censent, Matrimonia filiorum sine parentum consensu non esse firma & rata, sed posse irritari ab iisdem parentibus. Verùm ratio Catholicæ veritatis est: tum, quia ex S. Script. Tobiæ 7. habetur, Matrimonium Tobiæ cum Sara fuisse omnino ratum, Deoque acceptum & Angelo, antequàm parentes Tobiæ quidquam scirent de illo. tum, quia sic constat ex perpetua praxi & sensu communi Ecclesiæ. tum, quia de re, cujus dominium solus habet filius, potest filius validè disponere sine consensu patris: sed naturalis facultatis ad generandum in se existentis solus filius habet dominium: ergo de illa sine consensu patris potest validè disponere, id est, eam alteri tradere per contractum Matrimonii. Vid. Valentia q. cit. pu. 6. Salmantic. tract. 9. cap. 6. pu. 2.

Objicies primo. Evaristus Papa in cap. 14
Aliter. 30. q. 5. *aliter*, inquit, *non fit legitimum conjugium, nisi à parentibus fœmina desponsetur.* Respondeo, Evaristum ibi hanc, & alias quasdam conditiones tanquam necessarias ad Matrimonium recensere, non ut sit validum in foro conscientiæ, sed ut sit licitum, utque in foro externo possit ac debeat præsumi validum. Sine quibus conditionibus vult conjugium haberi potiùs pro adulterio, stupro, aut fornicatione. De cætero, quando, & qualiter peccent liberi insciis, vel invitis parentibus Matrimonium contrahentes, satìs constat ex dictis de Sponsalibus.

Objicies secundo. Parentes possunt irritare vota liberorum: ergo etiam Matri- 15
monia sine consensu ipsorum ab iis contracta. Respondeo neg. conseq. quamvis enim Deus promissionem voti pendere velit ex consensu parentum; non tamen ex illo vult pendere contractum Matrimonii: cùm ipsemet dicat Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum: & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Demum, quòd consensus ad Matrimonium requisitus debeat esse deliberatus ac liber, probant eædem rationes, quibus id probavimus de Sponsalibus.

§. II.

De conditionibus consensui Matrimoniali adjectis.

SUMMARIUM.

16. *Parochi non debent permittere, ut adjiciantur conditiones consensui Matrimoniali.* 17. *Variæ divisiones conditionum.* 18. *An conditio impossibilis obstet valori consensus?* 19. *An turpis?* 20. *An ista*, si te invenero virginem? 21. 22. *Quid de conditione, quæ est de præsenti?* 23. *Quid de conditione, quæ est de futuro necessario?* 24. *Quid de illa*, si Anti-Christus veniet, *& similibus?* 25. *Quid de conditione, quæ est de futuro contingenti?* 26. *Quid sentiendum, siquis cum duabus contraxit sub ejusmodi conditione?* 27. 28. 29. *Impleta conditione de futuro Matrimonium valet sine novo consensu.* 30. *An*,

30. *An, dum impletur conditio adjecta contractui Matrimonii, requiratur præsentia Parochi & testium?* 31. 32. *Conditiones substantiæ Matrimonii contrariæ, irritum reddunt contractum, sive inhonestæ sint, sive honestæ.* 33. 34. 35. *Statuitur materia consensus Matrimonialis.*

16 QUia post Concilium Tridentinum Matrimonia contrahi debent coram Parocho & testibus, non facilè continget, ut in eorum præsentia adjiciantur conditiones Matrimoniali consensui. Sed neque Parochi id debent permittere, nisi ob raram & urgentissimam causam, præsertim si sermo sit de conditionibus relatis in futurum, ut multipliciter ex Tambur. & Gobato ostendit Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 326. Juvat nihilominùs de his conditionibus hîc disserere: tum, quia id planè utile ad penitus intelligendam naturam Matrimonii. tum, quia eædem conditiones adjici possunt, aut sæpe adjiciuntur Sponsalibus.

17 Cæterùm ex conditionibus, quæ consensui Matrimoniali adjici possunt, aliæ sunt impossibiles, idque vel naturaliter vel moraliter: aliæ sunt de objecto præterito; aliæ de præsenti; aliæ de futuro, eoque vel necessario, vel contingenti. Rursus aliæ substantiæ Matrimonii repugnant, idque vel immediatè, vel mediatè. Immediatè repugnant, in quibus exigitur quidpiam, cujus volitio est incompossibilis cum alterutrius, vel utriusque essentiali consensu in Matrimonium: veluti, dum contrahis sub conditione, *si aliquando dissolvendum sit Matrimonium*: vel, *si non imponenda, aut subeunda sit obligatio reddendi debitum.* Mediatè repugnant, quæ sunt contrariæ fini, vel executioni obligationis Matrimonialis, scilicet generationi, & educationi prolis; fidei conjugali, & simultaneæ cohabitationi, saltem si ea excludatur in perpetuum. Exempla sunt, si dicas: *duco te in uxorem, si partum impedieris, vel sterilitatem procuraveris. contraho tecum, si concedas alteri usum corporis ad quæstum. Accipio te in meum, si semper abfueris.* Vid. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 10. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 2. a. 3.

18 Dico nunc primo. Quando conditio est impossibilis, ut, *si cælum digitô tangas: si licet contrahere inter consanguineos*, & ex circumstantiis colligitur, eam adjicienti non fuisse serium animum contrahendi, nullus efficitur contractus Matrimonii. Ratio est: quia sine intentione contrahendi dari non potest consensus requisitus ad valorem contractûs Matrimonii. Atqui tunc deficit ejusmodi intentio; ergo. Dixi; & *ex circumstantiis colligitur.* Nam, si absint tales circumstantiæ, conditiones impossibiles in foro externo præsumuntur joci causâ adjectæ, adeoque in favorem Matrimonii habentur pro non adjectis, ut dicitur in cap. finali. *de condit. appositis.* consequenter appositis ejusmodi conditionibus æquè validi sunt contractus Matrimoniorum de præsenti, acsi non essent appositæ. Vid. Salmantic. tract. 9. cap. 7. pu. 3. Mezger tr. 19. disp. 54. num. 13. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 337. & 338.

Corollarium I. Quod de conditione 19
impossibili in cit. cap. statuitur, etiam de conditione turpi, & inhonesta intelligendum est. Ratio est: tum, quòd Pontifex eodem modo loquatur de una, quo de altera. tum, quòd conditio turpis habeatur pro impossibili; cùm honestè non sit implebilis. Sporer num. 337. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 2. a. 3. num. 49.

Corollarium II. Hæc conditio: *si te* 20
invenero virginem, in aliquo sensu potest haberi pro non adjecta, in aliquo non potest. Potest, quando intelligitur de inventione per primum concubitum; quia tunc propter inhonestum modum explorandi est turpis. Non potest, sed haberi debet pro suspensiva consensûs, quando intelligitur de inventione per aliam justam indagationem, v. g. per inspectionem factam à matronis. quia tunc est honesta de futuro contingenti. Sanchez lib. 5. de Matrim. disp. 16. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 4. num. 154. Reding to. 8. q. 5. a. 1. controv. 2. num. 9. Sporer num. 329.

Dico secundo. Quando conditio est 21
de præsenti, v. g. *si filia Titii es*, vel de præterito; ut, *si pater mortuus est*, statim valet Matrimonium, si vera est conditio, & non valet, si falsa est conditio. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia quilibet contractus legem & conditionem accipit ex voluntate contrahentium: si ergo inter contrahentes ita conveniatur, ut, si hoc existat, rata sit stipulatio, si non existat, irrita sit, statim ita erit, sicut inter ipsos fuit conventum. Ex quo etiam colligitur, consensum sub memorata aliqua conditione præstitum non esse propriè conditionalem, sed æquivalenter absolutum. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 7. num. 1. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 10. num. 7. Sporer num. 327.

Verùm, an opus sit, ut contrahentibus 22
innotescat, conditionem subsistere, dubitari potest. Respondeo, non esse opus, sed eo ipso, quòd conditio re ipsa subsistat, contractum Matrimonii esse absolutum ac validum.

Quare, si contraxisti cum puella, *si nobilis es*, illaque revera nobilis sit, jam ratum & validum est Matrimonium, antequam de ejus nobilitate accipias notitiam. Quamvis verum sit, te non posse consummare Matrimonium, antequàm cognoscas, conditionem subsistere. Ratio est: quia alioquin te exponeres periculo fornicandi, si fortè conditio non subsisteret. Bonac. loco cit. Sporer num. 329.

23 Dico tertio. Quando conditio est de futuro necessario, v. g. *si cras Sol oriatur*, valet contractus Matrimonii ante rei eventum. Ita communiter DD. Ratio est: quia ejusmodi conditio jam est præsens in determinatione suæ causæ naturalis; adeoque habetur pro jam impleta. Sanchez lib. cit. disp. 2. à num. 5. Salmantic. tr. 9. cap. 7. pu. 2. num. 13. Bonac. num. 6. Castropal. de Sponsalib. disp. 1. pu. 11. §. 2. num. 1. Hæc tamen intelligenda sunt, ut cum aliis communiter monet Bonac. cit. nisi contrahens intendat consensum suum suspendere usque ad conditionis eventum. nam si hoc intendat, non valet adhuc Matrimonium: cùm deficiat mutuus consensus de præsenti.

24 Corollarium. Contractus Matrimonii initus etiam sub hac conditione, *si Anti-Christus veniet*, aliisque similibus non quidem necessariò, attamen infallibiliter eventuris, statim est validus. Sanchez n. 7. Bonac. n. 7. Castropal. n. 2. Ratio est: quia ejusmodi conditiones ob eventus sui infallibilitatem æquivalent hîc necessariis: adeoque non ad suspendendum consensum, sed ad ejus certitudinem demonstrandam apponi censentur; ut sensus sit v. g. sicut certum est, Anti-Christum venturum, ita certum est me accipere te in conjugem. Castropal. loco cit.

25 Dico quarto. Si conditio, sub qua præstatur consensus, sit de futuro contingenti, eoque honesto, v. g. *si pater tuus consenserit: si mille florenis te dotaverit*, valor Matrimonii suspenditur usque ad conditionis eventum. Ita communis & certa doctrina. Habetur ex cap. *de illis.* cap. *super eo.* cap. *final. de condit. appos.* Et ratio est: quia conditionis propriè dictæ, & relatæ in futurum est suspendere actum, cui adjicitur: ut constat ex cit. cap. *de illis.* & cap. *super eo.* Quod tamen intelligi debet, si conditio adjiciatur in ipso actu contrahendi. Nam si postea apponatur, non suspendit, sed jam invenit Matrimonium validum. Aliter se res habet in sponsalibus. hæc enim mutuo consensu, etiam postquam absolutè inita sunt, admittunt conditionem de futuro. Sanchez lib. cit. disp. 6. num. 3. & 4. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 5. num. 146.

Atque hinc colligere licet, eum, qui 26
eum duabus contraxit Matrimonium sub conditione de futuro, illius fieri maritum, cujus conditio priùs impletur; fieri autem neutrius maritum, si utriusque conditio simul impleatur. Ratio primi est: quia utriusque Matrimonii consensus pendebat quoad valorem ab eventu conditionis: ergo ille consensus prævalere dicendus est, & Matri- 27
monium perficere, qui priùs purificatur per impletionem conditionis. Ratio secundi est: quia juxta cap. *in litteris.* incertitudo vitiat Matrimonium: sed in hoc casu Matrimonium incertum est haud secùs, quàm si cum duabus eodem tempore fuisset initum; ergo. Sanchez lib. cit. disp. 8. num. 15. & 16. Bonac. num. 21.

Dico quinto: Impleta conditione de 27
futuro, validum efficitur Matrimonium sine novo consensu contrahentium. Ita probabilior sententia, quam tenent non solùm Canonistæ communiter, sed etiam plurimi Theologi, nominatim Sanchez lib. 5. de Matrim. disp. 8. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 7. n. 2. Filliuc. n. 145. Bonac. n. 20. Castropal. ubi suprà n. 5. Salmantic. tract. 9. cap. 7. pu. 5. dub. 1. à n. 67. Card. de Lugo de Pœnit. disp. 13. sect. 5. Reding. to. 8. q. 5. a. 2. controv. 1. n. 4. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 2. a. 3. n. 47. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 333. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 2. num. 14.

Prob. Conclusio hac ratione. Quia 28
alii contractus conditionales impleta conditione purificantur ac perficiuntur absque novo consensu contrahentium: ergo idem dicendum est de contractu Matrimonii sub conditione inito. Ant. habetur ex Jure Civili, l. *hæc venditio.* 7. ff. de contrah. empr. ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Et l. *potior.* 11. ff. ibi: *Cùm semel conditio extitit, perinde habetur, acsi illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Conseq. inde prob. quòd de contractu Matrimonii nihil speciale inveniatur statutum ullo jure, sive Divino, sive humano. Ergo, cùm alii contractus conditionales impleta conditione evadant puri & absoluti absque novo consensu, etiam contractus Matrimonii ita evadit purus & absolutus. Confirmatur primo. Contractus Sponsalitius sub conditione celebratus per impletionem conditionis fit purus & absolutus sine novo consensu: ergo etiam contractus Matrimonii sub conditione celebratus per impletionem conditionis fit purus & absolutus sine novo consensu. Ant. constat ex cap. un. *de Sponsalib. in* 6. idque omnes admittunt, teste Laym. loco cit. Conseq. ex eo colligitur,

quòd

quòd non minùs ad Sponsalia requiratur consensus purus de futuro, quàm ad contractum Matrimonii consensus purus & absolutus de præsenti. Confirmatur secundo. Quando duo contrahunt Matrimonium, ille, qui prior suum consensum exprimit, semper id facere censetur sub implicita conditione, si alter similiter consentiat. quo consentiente non est opus, ut ille de novo rursus consentiat, sed ejus consensus antè conditionatus præstito alterius consensu, tanquam impleta conditione, transit in absolutum.

28 Objicies. Nisi consensus impleta conditione repetatur, nullus consensus mutuus de præsenti viri & fœminæ assignari poterit, qui sit verum Sacramentum Matrimonii: ergo tunc repetendus est consensus. Ant. probatur: quia ille primus, cùm penderet ex eventu futuro, non habuit de præsenti suam vim quoad effectum obligationis mutuæ, sine qua non est verum Matrimonium; atque ita non fuit sufficiens ad Matrimonium, nisi de novo accedat alius consensus de præsenti. Ita Valentia, qui ait, hoc esse præcipuum fundamentum sententiæ requirentis novum consensum.

Respondetur neg. Ant. ad hujus probat. dicitur, primum consensum, tametsi formaliter transiverit, virtualiter tamen ac moraliter usque ad conditionis eventum perseverare, eoque eventu posito de præsenti sortiri suum effectum mutuæ obligationis, non minùs, quàm si adhuc formaliter perseveraret: & consequenter esse sufficientem ad Matrimonium, licèt non accedat alius consensus de præsenti, & licèt non fuerit sufficiens ante eventum conditionis, utpote necessariò requisitum, ut sortiretur suum effectum.

Corollarium. Contractus Matrimonialis sub conditione initus est etiam verum Sacramentum, posito conditionis eventu. Ratio est: quia omnis contractus Matrimonialis legitimus & perfectus inter fideles est verum Sacramentum: sed contractus Matrimonii sub conditione initus, posito conditionis eventu est legitimus & perfectus: ergo est verum Sacramentum. Vid. Mezger ubi suprà.

29 Sed jam difficultas illa emergit, an in locis, ubi receptum est Concil. Trident. oporteat Parochum & testes assistere non tantùm, quando contrahitur sub conditione, sed etiam, quando contractus Matrimonii per impletionem conditionis perficitur? Negant Sanchez lib. 5. de Matr. disp. 8. n. 24. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 4. n. 146. Reding to. 8. q. 5. a. 2. controv. 1. à n. 8. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 334. & alii, præsertim Canonistæ. Ratio est: quia non requiritur, ut Parochus & testes de Matrimonio plenè testentur, sed sufficit, si de mutuo consensu de præsenti testentur: veluti constat, dum Matrimonii contractus celebratur per procuratorem, ubi non est opus, ut Parocho & testibus exhibeantur litteræ continentes potestatem procuratoris. Similiter, quando duo consanguinei contrahunt obtenta Pontificis dispensatione, non est opus, ut hanc ostendant Parocho & testibus. Ergo similiter non est opus, ut Parocho & testibus constet de impletione conditionis, sed sufficit, eos adfuisse, cùm conjuges præstarent mutuum consensum. Affirmant econtra Laym. lib. 5. tr. 10. par. 2. cap. 7. n. 3. Castropal. de Sponsal. disp 1. pu. 10. §. 2. n. 11. Bonac. de Matr. q. 2. pu. 10. n. 22. Salmantic. tract. 9. cap. 7. dub. 2. à n. 81. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 2. a. 3. n. 47. & alii. Ratio est: quia Parochi, aliorumque testium præsentia requiritur à Concil. Trident. ut intelligant, Matrimonium verè & substantialiter esse contractum, utque hoc ipsum in foro externo ad vitanda multa incommoda testificari possint. Atqui nihil horum possunt, nisi interfint eventui, vel impletioni conditionis, aut saltem à contrahentibus illis significetur, conditionem esse impletam; sed solummodò nôrunt, ac testificari possunt, contractum Matrimonii fuisse inchoatum, & adhuc suspensum in futurum esse atque solubilem; ergo &c. Quod jam dictum est de conditione relata in futurum, etiam extendi debet ad conditionem de præsenti, vel præterito, ut habet Laym. loco cit. & patet ex identitate rationis. Judico hanc sententiam in praxi & foro conscientiæ esse priori præferendam, utpote tutiorem (quod idem dico de illa, quæ requirit novum consensum) quia, ut docuimus in tract. de Conscientia, circa valorem Sacramentorum sequi tenemur tutiora.

Ad fundamentum contrarium respondetur, requiri à Trident. ut Parochus & testes testificentur, Matrimonium esse verè & substantialiter contractum; adeóque non sufficere, si de mutuo consensu tantùm pendente adhuc in futurum ob nondum impletam conditionem testentur: cùm talis consensus non sit Matrimonium verè & substantialiter. Neque obstant exempla producta: quia, licèt nec Parocho, nec testibus constet aliquid de mandato, quod habet Procurator ad contrahendum, vel de dispensatione Pontificis, verè possunt dicere, se assistere vero & perfecto substantialiter Matrimonio, dummodò re ipsa subsistat illud mandatum, & dispensatio. Atqui hoc idem non possunt dicere cum veritate, quamdiu ignorant, conditionem esse impletam, licèt re ipsa sit impleta. Ità Salmantic. n. 83. Sed melius respondetur cum Laym. ad I. quòd longè probabilius sit, esse necessarium, ut Parochus & testes co-

gnoscant mandatum Procuratoris. Et ad II. quòd sufficiat, si Parochus & testes intelligant marem & fœminam vera voluntate, quam vel verbis, vel signis, vel operâ Procuratoris manifestârunt, Matrimonium contraxisse: non autem esse opus, nec requisitum à Trident. ut etiam intelligant, eos contraxisse validè, sive nullo defectu occulto fuisse impeditos; ad quod intelligendum in dato exemplo esset necessaria notitia dispensationis.

31 Dico sexto. Quando conditio adjecta consensui repugnat substantiæ Matrimonii, irritus est contractus Matrimonialis. Et quidem, quod attinet ad conditiones immediatè repugnantes, facilè patet ex dictis in n. 17 eas jure naturali obstare valori contractûs. De conditionibus mediatè repugnantibus substantiæ Matrimonii etiam communis habet sententia per eas contractum Matrimonialem irritari jure Ecclesiastico in cap. fin. *de condit. appos.* ubi dicit Gregorius IV. *Si conditiones contra substantiam Matrimonii inserantur; putà, si alter dicat alteri: contrabo tecum, si generationem prolis evites; vel, donec inveniam digniorem; aut, si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Ratio verò est: quia de substantia contractus Matrimonialis est consensus in societatem perpetuam, ad fidem sibi mutuò servandam, ad prolem suscipiendam: sed memoratæ conditiones tollunt hunc talem consensum; cùm obligent ad eidem contraria; ergo tollunt substantiam contractus Matrimonialis, eumque irritum reddunt. Ex quibus patet, Matrimonium jure etiam naturali esse irritum, si ejus consensui apponantur conditiones, de quibus nunc loquimur. Vid. Sanchez lib. 5. de Matr. disp. 9. Filliuc tract. 10. par. 1. cap. 4. n. 147. Bonac. ubi suprà n. 9. Salmantic. cap. cit. dub. 3. à n. 87. Illsung n. 51.

32 Corollarium. Non solæ conditiones inhonestæ, quæ repugnant substantiæ Matrimonii, irritum reddunt ejus consensum, sed etiam honestæ: quales sunt v. g. *si nunquam nos cognoscamus: si votum castitatis emiserimus: si ante, vel post consummationem in Religione profiteamur.* Colligitur inprimis ex cit. cap. fin. ubi Pontifex indistinctè dixit de omnibus conditionibus substantiæ Matrimonii contrariis, quòd irritum reddant Matrimonium. Neque dicas primo, Pontificem in exempla adduxisse solas conditiones inhonestas; consequenter de his solis id dixisse. Respondetur, attulisse quidem solas inhonestas, at non dixisse, eas ideo irritum reddere Matrimonium, quòd sint inhonestæ, sed quòd illius substantiæ sint contrariæ. Neque dicas secundo, conditionem honestam non esse contrariam substantiæ Matrimonii, quamvis primo aspectu esse videatur. cùm utique votum castitatis aut propositum servandi illam, & abstinendi ab accessu ad conjugem non adversetur valori Matrimonii, ut apertè constat in Matrimonio B. Virg. & S Josephi. Sed contra est: tum, quòd oppositum sentiat Divus Thomas variis locis, ac præsertim in Supplem. 3. p. q. 48. a. 1. ad 3. ubi dicit: *illa conditio explicita* (dum tamen non cognoscàs me) *non solùm actui, sed etiam potestati contrariatur copulæ carnalis: & ideo est contraria Matrimonio.* tum, quòd licèt votum castitatis, aut memoratum propositum non sit contra substantiam Matrimonii, quantum est ex se, est tamen contra substantiam, si addatur tanquam conditio illius, & in pactum deducatur; quia tunc imponit obligationem Justitiæ ad non petendum debitum, & invehit privationem juris petendi illud. Vid. Salmantic. loco cit. Sed adhuc instas. Si talis aliqua conditio addatur post Matrimonium jam contractum, id non solvitur propterea: ergo nec solvitur, aut irritum redditur, si ante illud, vel in ipso actu contrahendi addatur. Respondetur neg. conseq. quia Matrimonium semel contractum est indissolubile; adeoque per nullam additionem conditionis amplius invalidari potest. Atqui potest invalidari, & irritum reddi per aliquid à principio appositum, idque ob rationem contrariam.

33 Dico septimo. Materia circa quam, sive objectum formale immediatum consensus Matrimonialis, est jus mutuum in corpus contrahentium. Ratio est: quia illud est materia, sive objectum alicujus contractus, quod contrahentes expressè declarant, se tradere & acceptare per illum: veluti patet in emptione & venditione: sed contrahentes Matrimonium expressè declarant, se per hunc contractum tradere sibi invicem, & mutuò acceptare jus in sua corpora; ergo.

34 Atque hinc infertur contra Gratianum, in cap. *quod autem.* & cap. *institutum.* 27. q. 2. materiam consensus Matrimonialis non esse copulam, saltem explicitè & expressè. Ratio est: quia materia consensus Matrimonialis debet esse aliquid, quod requiratur ad essentiam & valorem Matrimonii: sed copula carnalis non requiritur ad essentiam Matrimonii: cùm eandem tanquam usus & operatio Matrimonii jam præsupponat aliunde constitutam. Vid. Gonet to. 5. tract. 8. disp. 4. a. 6. Filliuc. cap. 3. n. 71. Mezger tract. 19. disp. 53. a 2. n 4

35 Dixi, *saltem explicitè & expressè.* Nam consensum Matrimonialem ferri debere in copulam implicitè, & quantum est ex vi præsentis contractûs, planè asserendum est.

cùm

cùm enim traditio & acceptatio juris in corpora ex sua natura ordinetur ad copulam tanquam medium necessarium ad susceptionem prolis, qui est finis intrinsecus Matrimonii, contrahentes eo ipso, quòd expressè consentiant in eam traditionem, seu translationem juris, non possunt non consentire saltem implicitè in usum talis juris, ad minùs in actu primo, si non in actu secundo. Atqui usus hujus juris est copula carnalis; ergo.

§. III.

An inter Beatiss. Virg. & S. Josephum fuerit verum Matrimonium?

SUMMARIUM.

36. *Quinam negaverint veritatem hujus Matrimonii.* 37. *Eorum fundamenta tum ex authoritate.* 38. *tum ex ratione.* 39. 40. 41. 42. 43. 44. *Statuitur & prob. sententia affirmans.* 45. *Protegitur ratio S. Ignatii Martyris.* 46. 47. *Respondetur ad fundamenta contraria.* 48. *Cur votum castitatis, quando in pactum Matrimoniale deducitur sit contra substantiam Matrimonii?*

36 REsolvenda suscipitur hæc controversia, ut ea, quæ in §. præced. de materia consensus *M*atrimonialis dicta sunt, majorem lucem accipiant, & votum Virginitatis etiam perpetuæ ab Intemerata *M*atre editum cum ejusdem *M*atrimonio concilietur. Itaque *M*atrimonium illud fuisse verum ac proprium, negavit Julianus Pelagianus contra S. Augustinum totis viribus evincere conatus, ut refert ipse Augustinus lib. 5. cap. 9. adversùs eundem, matrimonium B. Virginis & Josephi non fuisse verum, sed tantùm existimatum: ut adeò Joseph, quemadmodùm existimabatur pater Christi, cùm tamen revera non esset, ita etiam existimaretur esse sponsus & maritus Matris Christi, & tamen non esset. Hoc idem postea sensisse Wiclephum perhibet Vasquez ex Waldensi tom. 2. de Sacram. cap. 130. Ex Catholicis id ipsum docuit Gratianus in cap. *Quod autem.* & cap. *Institutum* 27. quæst. 2. & Michaël Medina lib. 5. de Sacror. hom. continent. cap. 61. quamvis fateatur cap. 64. utramque partem in hac controversia esse probabilem.

37 Huic sententiæ favere videntur complura testimonia SS. Patrum. Nam primo, Hilarius cap. 1. in Matth. de B. Virgine sic ait: *Mater potiùs Christi; quia id erat, non uxor Joseph est nuncupata; quia id non erat.* Secundo, Cyrillus Hierosolymit. catechesi 12. docet; Mariam propter solam desponsationem uxorem Josephi fuisse nominatam. Tertio, Gregorius Nissen. orat. in die Nat. Christi, dicit, conjunctionem Mariæ cum Josepho *sponsalia non esse egressam.* ubi etiam post medium Mariam cum Angelo ita loquentem introducit: *Quomodo sine viro mater ero? Joseph enim sponsum novi, sed virum non cognosco.* Quarto, Chrysostomus homil. 4. in Matth. explicans illud, *Joseph fili David*, notat, Evangelistam, cùm Mariam Josephi conjugem vocavit, nomine conjugis sponsam intellexisse. Quinto, Epiphanius hæresi 78. *Mariam sponsam* vocat, *& non nuptam.* Sexto, Hieronymus in cap. 1. Matth. ℣. 16. scribit: *Cùm virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, quòd sponsi viri, & sponsæ uxores vocentur.* Idem in illud: *antequam convenirent*, appellat Mariam futuram uxorem Josephi. Septimo, Gregorius Magnus homil. 26. in Evangel. de Christo inquit: *habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit.* Octavo, Petrus Chrysologus serm. 175. ita loquitur: *Joseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, prægnantem fluctuans & anxius intuetur.* Nono, Bernardus homil. 2 super *Missus est*, de Josepho ait: *Virum nominat, non quia maritus, sed quòd homo virtutis erat; vel potius quia juxta alium Evangelistam non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est. meritò appellatur, quod necessariò putatur.* Quæ talia Patrum dicta sententiæ relatæ haud obscurè suffragari videntur.

38 Sed neque deest eidem doctrinæ ratio. Prima est: quia B. Virgo, antequàm desponsata fuit Josepho, votum perpetuæ virginitatis nuncupavit; vel saltem nuncupavit cum Josepho post desponsationem; ergo non est credibile, ipsam nupsisse, & matrimonium contraxisse. Conseq. inde prob. quòd post votum virginitatis etiam simplex non liceat nubere, imò nec velle nubere, juxta S. Augustinum cap. 8. de bono viduit.

Confirmatur ex eadem S. P. lib. 19. contra Faust. Manich. c. 26. ubi sic habet: *matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm, ut mater fiat.* Ex quibus sic arguitur: B. Virgo Josepho non fuit desponsata, aut conjuncta hoc fine, ut mater fieret, sed cum voto perpetuæ virginitatis, & animô servandi illud; ergo juxta S. Augustinum non fuit verum matrimonium inter B. Virginem & Josephum, sed domestica societas tantùm.

Secunda ratio est: quia, ubi deficit objectum formale immediatum consensûs matrimonialis, ibi non est verum matrimonium: sed ex parte B. Virginis & Josephi defecit objectum formale immediatum consensûs matrimonialis; scilicet jus mutuum in corpora; cùm enim utrimque editum fuisse supponatur

ponatur votum perpetuæ castitatis, non potuerunt sibi invicem tradere per mutuum consensum jus in corpora; eò quòd hic talis consensus necessariò feratur in copulam carnalem memorato voto contrariam: ergo inter illos non fuit verum matrimonium. Verùm his minimè obstantibus,

39 Dico. Inter B. Virginem & Josephum non sola sponsalia, sed etiam verum & legitimum matrimonium fuit celebratum. Ita communissima Theologorum sententia, quam expressè cum aliis Patribus Ecclesiæ docuit S. Augustinus lib. 23. contra Faust. Manich. cap. 8. & lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 11. & D. Thomas 3. p. q. 29. a. 2.

Et quidem prima pars concl. apertè habetur ex Evangelio. Cùm enim Lucas cap. 1. ℣. 27. dicat: *Ad Virginem desponsatam viro*, & Matthæus cap. 1. ℣. 18. *cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph &c.* & ℣. 19. *Joseph autem vir ejus &c.* planum est inter eos contractum saltem sponsaliorum fuisse celebratum.

40 Ad probandam secundam partem non est opus aliis rationibus, quam iis; quas SS. Patres reddunt, cur Christus ex nupta nasci voluerit? Ea sunt potissimùm quinque. Prima est, ne Maria, si innupta peperisset, stupri rea putaretur. maluit enim Christus videri filius Josephi, quàm impudicæ fœminæ. imò *maluit aliquos* (ait S. Ambrosius lib. 2. in Lucam) *de sua generatione, quàm de matris pudore dubitare; nec putavit ortûs sui fidem matris injuriis adstruendam.*

41 Secunda ratio est, ne Christus ipse spurius videretur, atque ex hoc ipso capite pro vero Messia non reciperetur à Judæis: cùm enim ideo contempserint, quòd filium fabri esse crederent, ut habetur Matth. 13. ℣. 55. & Marci 6. ℣. 3. quamvis putarent, ex legitimo matrimonio procreatum, quantò magis contempturi erant, si illegitimè natum ac spurium dicere potuissent?

42 Tertia est, ut Joseph tam *Mariæ* quàm infanti Jesu adjumento in vitæ necessitatibus esset, & utriusque curam, atque custodiam gereret. Et ideo, cùm quidpiam agendum fuit in illa sacerrima familia, non ad *Mariam*, sed ad Joseph mandata Dei mittebantur: ut patet ex illo *Matth.* 2. ℣. 13. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens, surge; & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi:* & ℣. 19. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens, surge, accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israël.*

43 Quarta est, ut Joseph testis esset virginitatis *Mariæ*. quis enim in asserenda ejus castitate dignior fide esse poterat, quàm custos illius, imò & conjunx virginis, qui unus maximè scire & debuit & potuit? Mirificè pulchra sunt verba S. Bernardi super illud, *missus est Angelus*: quæ proinde non possum non exscribere: *Sicut Thomas*, inquit, *dubitando, palpando constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, ita & Joseph Mariam sibi desponsando, ejúsque conversationem tempore custodiæ studiosiùs comprobando factus pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter & piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. nam & de filii resurrectione citiùs quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de matris ejus continentia faciliùs sponso ejus custodienti & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti.*

Quinta ratio est, ut hoc modo mysterium 44
nati Christi Diabolo celaretur, ne malitiam suam in infantem ante tempus exsereret, eidémque insidias strueret. Hanc rationem, quam fuisse S. Ignatii Martyris refert S. Hieronymus, multi reprehendunt tanquam futilem, & nullius momenti. Quid enim? inquiunt, an Dæmones latere potuit, Virginem absque virili consortio concepisse; cùm non modò fœtum in utero sine virili semine formatum, sed etiam omnia integra, inviolatáque naturali intuitu viderint? Non intelligo, ait Maldonatus, quo modo Diabolus Mariæ virginitatem, si modò animadvertit, potuerit ignorare; cùm integrum & incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre posset.

Verùm ista non tam potenter urgent, ut 45
rationem, quæ multis SS. Patribus placuit, deferere cogamur. Nam sciendum est, non omnia objecta, etiam ordinis naturalis, semper Dæmones cognoscere: dum frequenter vel acerbitas tormentorum ita intellectum absorbet, vel alia, quæ illis accidunt incommoda ita divertunt, ut non nisi ad pauca cogitationem possint adjicere: quo ipso fit, ut omnes aliquando quædam Dei opera lateant. Licèt proinde conceptionem in Virgine factam esse viderint, nullus tamen erat eorum, qui modum, quo facta esset, animadvertisset. Quod ut iisdem accideret, non fuit opus miraculô, sed tali Divinæ providentiæ ordinatione, ut certo temporis spatio nulli ex miserrimis spiritibus de rebus ad Mariam pertinentibus quidquam veniret in mentem. Itaque concedimus, Dæmones naturaliter vidisse integrum & incorruptum Virginis cor-

corpus, ſolúmque ejus ſanguinem in fœtum coaluiſſe : at negamus, eos propterea de Chriſto quidquam certi, quod ſtatuerent, habuiſſe : cùm enim ex altera parte Joſephum eſſe maritum, Mariam verò uxorem viderent, non ſatìs, quid rei ſubeſſet, diſtinguere potuerunt. Patet hæc orci deceptio etiam ex ſignis Chriſti nati. quis enim ignorat, quàm admiranda in ejus ortu geſta ſint, quæ ipſum à Deo promiſſum Meſſiam comprobarent? & tamen tentat jam inchoaturum prædicationem regni cæleſtis Dæmon, ut exploret, ſitne Dei filius, an non? Quòd ſi Maria non fuiſſet cuipiam matrimoniô juncta, nullus Diabolorum dubitâſſet, filium & conceptum, & partum eſſe à Virgine: cùm apud ipſos, licèt peſſimos, nulla potuiſſet eſſe ſuſpicio fornicationis ob innocentiam matris omnibus notiſſimam. Quinque rationibus jam præmiſſis poſſumus addere ſextam in hunc modum. Certum eſt ex dictis, inter B. Virginem & Joſephum contracta fuiſſe ſponſalia. certum eſt inſuper, hunc contractum ſuapte natura continere promiſſionem matrimonii: ergo meritò infertur, id, quod in eo promiſſum eſt, re ipſa fuiſſe ſubſecutum, niſi dicere velimus, aut ſponſos ſibi fidem invicem non ſervâſſe; quod argueret peccatum infidelitatis; vel mutuo conſenſu fidem quoq; ſponſaliorum ſibi invicem ultrò remiſiſſe, ſicq; illa ſponſalia aliquando fuiſſe omnino ſoluta; quod exiſtimâ di nullum prorſus ſuppeditat fundamentum.

46 Nunc ſupereſt, ut ad authoritates Patrum in n. 37. & rationes contrarias in n. 38. productas reſpondeamus. Ad teſtimonium S. Hilarii dico, eum per uxorem non tantùm nuptam per verba de præſenti, ſed etiam cognitam à viro ſuo intellexiſſe; ideóque meritò dixiſſe, *quia id non erat.*

Ad ſecundum reſpondeo, S. Cyrillum nomine deſponſationis intellexiſſe matrimonium legitimum ante conſummationem: quemadmodùm enim ut notat Vasquez, verbum *deſpondere* à Patribus interdum adhibetur pro nubere, ita etiam *deſponſatio* interdum uſurpatur pro nuptiis.

Ad tertium reſpondeo, id eodem modo eſſe intelligendum, ut nomine viri veniat maritus poſt concubitum maritalem cum uxore, nomine ſponſi verò conjunx poſt contractum matrimonium per verba de præſenti. Et ſimiliter explicanda ſunt verba poſteriora S. Gregorii Niſſeni, quibûs dicit, conjunctionem Mariæ cum Joſepho *ſponſalia non eſſe egreſſam.*

Ad quartum reſpondeo, juxta S Chryſoſtomum ideo Matthæum nomine conjugis intellexiſſe ſponſam, ut denotaret, non intellexiſſe jam corruptam in matrimonio, non autem, ut denotaret, inquit Vasquez, ſolam ſponſam de futuro: quod colligitur ex verbis Chryſoſtomi paulò prioribus: dixerat enim: *Nec verò nomen Virginis memorâſſe contentus addidit conjugem, haud ita vocaturus, ſi corrupta fuiſſet: conjugis autem nomine ſponſam intellexit.*

Ad quintum reſpondeo pariformiter, S. Epiphanium nomine *nuptæ* intellexiſſe carnaliter à viro cognitam; & ideo Mariam vocâſſe *ſponſam*, non *nuptam*, per ſponſam intelligendo etiam traditam jam viro per verba de præſenti in matrimonium.

Ad ſextum reſpondeo, poſteriora verba S. Hieronymi apertè favere nobis. Hoc ipſo enim, quod Mariam appellet futuram uxorem Joſephi, ſenſit, aliquando verum inter illos futurum fuiſſe matrimonium: nam ſi nunquâ futurum fuiſſet, ad quid appellâſſet ipſam futuram uxorem? Neque putes, ita appellâſſe ob futura ſponſalia; conſtat enim ex Lucæ 1. v. 27. & Matth. 1. v. 18. Virginem eo tempore, quo inventa eſt in utero habens de ſpiritu ſancto, & antequàm convenirent, jam fuiſſe deſponſatam Joſepho. In prioribus verbis dico, S. Doctorem per *nuptias* intellexiſſe matrimonium non tantùm ratum, ſed etiam conſummatum, aut conſummandum.

Ad ſeptimum reſpondeo, S. Gregorium ſimiliter nomine *nuptiarum* intellexiſſe non præciſè matrimonium legitimum, ſive ratum, ſed ſtatum conjugii poſt conſummationem carnalem: cùm alias deſponſatio Virginis fuiſſet inanis & ludicra, niſi ad vinculum promiſſi matrimonii perventura fuiſſet; prout ſuprà n. 45. advertimus.

Ad octavum reſpondeo, S. Petrum Chryſolog. maritum nominâſſe conjugem poſt conſummationem matrimonii; ſponſum autem conjugem ante conſummationem.

Ad nonum reſpondeo, S. Bernardum idem intellexiſſe per *virum*, quod Chryſologus intellexit per *maritum*, ſcilicet conjugem, qui matrimoniô jam fuit uſus: veluti colligitur ex iis, quæ vicem cauſæ ſubjunxit: *meritò appellatur, quod neceſſariò putatur*: conſtat enim Joſephum putatum fuiſſe maritum & virum Mariæ, qui cum ea conſuetudinem habuiſſet; cùm putaretur Pater Chriſti, quem omnes ſine dubitatione rectè aſſevarabant eſſe filium Mariæ. Ex quibus proinde ſatis patet, Patres relatos non favere contrariæ opinioni.

Sed neque rationes partis adverſæ quid- 47
quam evincunt. Ad primam conc. Ant. neg. conſeq. quæ dum prob. reſpondeo primo poſt votum quidem virginitatis abſolutum non eſſe licitum nubere, uti nec velle nubere, eſſe tamen licitum poſt votum illius ſolùm conditionatum, quale B. Virgo emiſit, antequàm nupſit Joſepho. Hæc ſolutio eſt D. Thomæ 3. p. q. 28. a. 4. ad 3. Reſpondeo ſecundo, poſt votum ſimplex caſti-

ratis esse peccatum nubere, aut velle nubere, solùm ratione propositi, aut periculi violandi id votum. Atqui B. Virgo longissimè abfuit ab omni ejusmodi proposito, uti per se constat; sicut etiam ab omni periculo; quia ut docet Divus Thomas in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. quæst. 2. ad 2. certò ex Divina revelatione novit, se & Josephum Matrimoniô nunquam usuros, sed in perpetua castitate victuros.

Ad Confirmat. respondeo, S. Augustinum in illa etymologia Matrimonii attendisse ad id, quod in eo communiter intenditur tanquam effectus: minimè tamen docuisse, animum utendi conjugiô, ac suscipiendi liberos esse de ratione essentiali contractûs matrimonialis, eundemque sine hoc animo non posse subsistere. Atque hinc conc. Ant. neg. conseq. Ad secundam rationem respondeo conc. maj. neg. min. quæ dum probatur, nego B. Virginem & S. Josephum non potuisse sibi invicem tradere jus mutuum in sua corpora per mutuum consensum: licèt enim consensus matrimonialis necessariò feratur in copulam carnalem implicitè, non tamen est necessarium, ut in eam feratur explicitè; quemadmodùm docet D. Thomas in supplem. q. 48. a. 1. illis verbis: *Benè dixerunt illi, qui dixerunt, quòd consentire in Matrimonium est consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè: non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continetur effectus in causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ; sicut potestas utendi re sua est causa usûs.* Implicitè autem consentire in copulam carnalem, quo modo consentit B. Virgo, & Josephus, non adversatur voto castitatis; velut iterum docet D. Thomas in 4. dist. 3. q. 2. a. 1. quæst. 2. ad 3. dicens: *Copula carnalis cecidit implicitè sub consensum B. Virginis, sicut actus implicitè continetur in potentia: potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati.*

Dices. Si B. Virgo ita dixisset ad Josephum: *contraho tecum, si votum castitatis ediderimus*, Matrimonium fuisset nullum: ergo etiam fuit nullum, si absque ejusmodi pacto id tale votum ediderunt, eóque obstricti contraxerunt. Conseq. videtur bona: quia non apparet, qua ratione votum castitatis in pactum deductum sit contrarium substantiæ Matrimonii, & non etiam, si absque pacto edatur. 48

Respondeo conc. Ant. neg. conseq. nam votum castitatis, quando à contrahentibus Matrimonium additur ut conditio, & in pactum deducitur, tollit jus mutuum petendi debitum, mutuamque obligationem ex justitia reddendi illud, quæ duo sunt de substantia Matrimonii: atqui idem votum, dum non deducitur in pactum, non solvit jus illud & obligationem justitiæ, quæ ex Matrimonio oritur: quia obligatio religionis, cujusmodi est obligatio ex voto, potest consistere cum jure & obligatione justitiæ.

ARTICULUS IV.
De Matrimonio, ut est Sacramentum.

§. I.
De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium est verum & propriè dictum Sacramentum.* 2. *Quandonam à Christo fuerit institutum.* 3. *Materia proxima hujus Sacramenti est mutua traditio corporum; forma, eorum acceptatio.* 4. *Materia remota sunt corpora tradita & acceptata.* 5. *Minister sunt ipsi contrahentes.* 6. *Sacerdos in peccato mortali assistens Matrimonio, vel Nuptias benedicens non peccat mortaliter.* 7. *Peccant tamen ita conjuges, si in tali statu contrahant.* 8. *Matrimonium infidelium non est Sacramentum.* 9. *Definitio hujus Sacramenti.* 10. *Solum Matrimonium in fieri est Sacramentum.* 11. *Solvitur duplex objectio.*

MAtrimonium esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, fide Catholica certum, ac definitum est in Concil. Trident. sess. 24. can. 1. contra plures hæreticos tam antiquos, quam novos, qui dixerunt, illud esse merum contractum humanum, & non Sacramentum. Sed nequo defuerunt ex Catholicis, qui hîc perperam sentirent. Nam Magister sentent. ut refert Divus Thomas in Supplem. 3. p. q. 42. a. 1. ad 4. & Durandus cum pluribus Canonistis docuerunt, Matrimonium non conferre gratiam, ut de illis perhibent Salmantic. tract. 9. cap. 3. dub. 1. cujus doctrinæ contrarium Concil. Trident. similiter definivit in Can. cit. 1

Fuit autem hoc Sacramentum à Christo institutum vel eo tempore quo interfuit Nuptiis in Cana Galilææ, Joan. 2. vel post Resurrectionem, quando ante suam 2

Ascen-

Ascensionem per dies quadraginta apparuit Apostolis & locutus est de Regno Dei. Actor. 1. Primæ opinionis congruentia sumitur à simili de Baptismo. hoc enim Sacramentum à Christo institutum fuisse docuimus suprà in par. 2. disp. 1. a. 1 quando Idem à Joanne baptizatus aquas sanctificavit. Matth. 3. ergo similiter Sacramentum Matrimonii tunc fuit à Christo institutum, quando Nuptias sua præsentia, & miraculosa conversione aquæ in vinum honoravit. Secundæ opinionis ratio est: quia juxta communem DD. sententiam ea intra illud tempus Apostolis à Christo tradita, atque instituta sunt, de quorum institutione nullum aliud determinatum tempus ex Evangelica historia desumi potest. Atqui de institutione Sacramenti Matrimonii nullum aliud determinatum tempus inde desumi potest; ergo. Vid. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 1. n. 2.

3 Dico nunc primo. Materia proxima hujus Sacramenti est mutua traditio corporum; forma est mutua acceptatio, verbis, vel aliis signis expressa. Ita communiter DD. cum Divo Thoma q. cit. a. 1. ad 1. & 2. Ratio est: quia illud in aliquo contractu dicitur & est materia, quod habet rationem determinabilis, seu complebilis, & illud dicitur forma, quod habet rationem determinativi & completivi: sed in contractu Matrimonii traditio corporum habet rationem determinabilis & complebilis, acceptatio mutua habet rationem determinativi & completivi. Traditio namque rei est quid indifferens & imperfectum in esse contractûs; ut patet in venditione, cui similis est contractus Matrimonii, neque enim hoc ipso, quòd per venditionem Cajo tradam jus in meum equum, contractus est perfectus & completus, sed necessaria est insuper ex parte Caji acceptatio, per quam ultimatò determinetur & perficiatur: ergo &c. Vid. plura in par. 1. hujus tract. disp. cit. a. 2. num. 6.

4 Dico secundo. Materia remota hujus Sacramenti sunt corpora contrahentium. Ratio est: quia illud rectè dicitur materia remota, circa quod versatur materia proxima & actio Sacramenti: sed circa corpora contrahentium, tanquam objectum contractûs Matrimonialis, versatur materia proxima, scilicet traditio; ergo. Confirmatur. Materia remota venditionis est id, quod venditur, ergo etiam materia remota contractûs Matrimonialis est id, quod traditur, putà corpus utriusque contrahentis; ergo &c. Vid. Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 5. n. 4. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 1. n. 14. Salmantic. cap. cit. dub. 2. n. 56. Mezger 2. 2. n. 4.

5 Dico tertio. Minister hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes. Ita communiter DD. contra Melchiorem Canum, qui docuit, Ministrum Matrimonii oportere esse personam sacram. Ratio est: quia ille est Minister cujuscunque Sacramenti, qui profert formam verborum supra materiam debitam & à Christo præscriptam: sed hoc præstant in præsenti ipsi contrahentes; ergo. Confirmatur. Quia ante Concil. Trid. Matrimonium erat verum Sacramentum, & tamen ad ejus constitutionem nullus requirebatur Sacerdos, aliáve persona sacra. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 2. n. 2. Filliuc. n. 19. Bonac. de *Matr.* q. 2. pu. 4. n 5. *Mezger* n. 3.

Infertur jam I. Sacerdotem non peccare 6
mortaliter, si in peccato mortali existens assistat Matrimonio, aut benedicat Nuptias. Ratio primi est: quia ipse non ministrat, vel conficit Sacramentum. Ratio secundi est: quia illa benedictio non est Sacramentum, sed Sacramentale quoddam. Sanchez lib. cit. disp. 6. n. 5. Bonac. n. 6.

Infertur II. Conjuges, dum conscii pec- 7
cati mortalis contrahunt *Matrimonium*, mortaliter quidem peccare, quatenùs indignè suscipiunt Sacramentum, de quo non est dubium; non tamen mortaliter peccare, quatenùs administrant hoc Sacramentum. Ratio est: quia non sunt Ministri solemnitatis. Vid. quæ de hoc diximus in p. 1. hujus tr. disp. 2. a. 4. num. 7.

Infertur III. *Matrimonium* infidelium 8
non baptizatorum non esse Sacramentum. Ratio est: quia hi tales sunt incapaces Sacramentorum Ecclesiæ, cùm Baptismus sit janua ad illa. Sanchez disp. 8. Filliuc loco cit. Bonac. pu. 2. n. 2. Sed quid, si ex dispensatione Pontificia *Matrimonium* contrahatur inter fidelem & catechumenam? Respondeo, neque istud *Matrimonium* esse Sacramentum, etiam ex parte fidelis. Ratio est: quia, sicut *Matrimonium* in utroque conjuge est unus numerò contractus, ita est unum numerò Sacramentum: ergo, si in uno non est Sacramentum, etiam in altero non erit. Sanchez n. 2. Filliuc. locò cit.

Infertur IV. Sacramentum *Matrimonii* 9
rectè describi à P. *Mezger* n 7. quòd sit *Sacramentum novæ Legis, quo vir & mulier legitimè invicem tradunt jus in sua corpora, in ordine ad perpetuam vitæ societatem, & prolem Christianè suscipiendam & educandam.* Ratio est: quia per hanc definitionem tam materia remota, quàm proxima, cum forma, sicut & finis intrinsecus Sacramenti istius debitè exprimitur. Ex qua eadem definitione.

Infertur V. solum *Matrimonium in fieri* 10
acceptum esse Sacramentum, non autem *in facto esse*, pro vinculo conjugali remanente inter virum & fœminam. Ratio est: quia *Matrimonium* nonnisi *in fieri* acceptum pro actuali contractu est signum practicum gra-

tiæ ad hoc institutum; ut in sui usu sanctificet ex opere operato. cùm aliàs, si vinculum quoque ex contractu Matrimoniali remanens esset ejusmodi signum, conjuges toties reciperent novam gratiam ex opere operato, quoties in statu gratiæ existentes uterentur; quod nolim admittere. Ita Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 2. n. 3. Salmantic. tract. 9. cap. 3. dub. 1. n. 47. & alii apud ipsos contra Sanchez, Laym. Filliuc. & alios.

11 Objicies. Eucharistia non est Sacramentum accepta *in fieri* pro consecratione, sed *in facto esse*, nempe pro speciebus consecratis, quatenùs continentibus corpus & sanguinem Christi: ergo similiter Matrimonium non solùm est Sacramentum, dum accipitur *in fieri*, sed etiam *in facto esse*. Deinde. Vinculum illud permanens significat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, vel Verbi Divini cum humana natura, idque haud dubiè meliùs, quàm celebratio ipsa Matrimonii: ergo est Sacramentum.

Respondeo ad I. conc. Ant. neg. conseq. tum, quòd Eucharistiæ Sacramentum sit institutum per modum cibi Spiritualis animæ; cibus autem est aliquid permanens. tum, quòd Eucharistiæ *in facto esse* sit signum practicum gratiæ in sui usu sanctificans ex opere operato: quod de Matrimonio *in facto esse* non posse affirmari jam diximus. Ad II. respondetur neg. conseq. quia Sacramentum debet esse signum practicum gratiæ: atqui vinculum Matrimonii permanens non est signum practicum gratiæ, esto significet memoratam unionem Christi; ergo non est Sacramentum.

§. II.

Resolvuntur variæ Quæstiones huc pertinentes.

SUMMARIUM.

12. 13. *Matrimonium infidelium nunquam fit Sacramentum, etiamsi illud, dum baptizantur, novo consensu ratificent.* 14. *Inter Christianos quoque Matrimonium potest non esse Sacramentum.* 15. *Non tamen est licitum ita contrahere, ut ratio Sacramenti separetur à ratione contractûs.* 16. *Ad conficiendum hoc Sacramentum sufficit intentio generalis ac confusa faciendi, quod facit Ecclesia.* 17. *An Matrimonia modernorum hæreticorum semper sint Sacramentum?* 18. 19. 20. *Matrimonium per Procuratorem est validum. quænam ad hoc requirantur, aut non requirantur.* 21. *Hoc Matrimonium est verum Sacramentum.* 22. *Procurator non est Minister Sacramenti, sed Principalis.* 23. *Neque peccat mortaliter, si contrahat in statu peccati mortalis.* 24. *Quid de Matrimonio per epistolam?*

12 Quæritur I. An Matrimonium infidelium, si ambo baptismum suscipiant, fiat Sacramentum? Respondeo negativè. Ità Gonet to. 5. tr. 8. disp. 2. a. 2. n. 59. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 2. n. 14. Salmantic. tract. 9. cap. 3. dub. 3. n. 82. & alii ab his relati contra Sanchez, Laym. Filliuc. Bonac. & alios. Ratio est; quia solum Matrimonium *in fieri* est Sacramentum, ut in §. præced. n. 10. audivimus. Atqui Matrimonium illud infidelium, dum baptizantur non est *in fieri*, sed supponitur jam factum ante Baptismum: ergo non est Sacramentum, seu fit Sacramentum, si baptizentur.

13 Sed dices cum Authoribus adversis. Hoc ipso, quòd hi tales conjuges baptizentur, novo consensu, saltem tacito, ratificant, & approbant prius Matrimonium: quòd proinde hac ratione fit insolubile, & perfectè significativum unionis Christi cum Ecclesia, quale tamen antea non erat. Ergo est verum Sacramentum, & causa gratiæ. Verùm contra hæc est inprimis, quòd illa approbatio, sive ratificatio prioris contractus non sit novus contractus Matrimonii, mutuáque traditio corporũ ad usum conjugalem; adeóque nullum tunc conficitur Sacramentum. cùm aliàs fideles conjuges, quoties contractum Matrimonii priùs initum novo consensu approbarent & confirmarent, novum Sacramentum Matrimonii susciperent: quod utique admitti non potest. Deinde, licèt conjuges fideles consummando Matrimonium efficiant illud omnino insolubile, ut nempe neque per professionem Religiosam, neque per dispensationem Pontificiam ampliùs dissolvi possit, qualem tamen indissolubilitatem ante consummationem non habebat: item, licèt id efficiant perfectè repræsentativum, seu significativum Unionis Verbi Divini cum humana natura, quale ante consummationem non erat, nemo tamen dixerit, eos propterea rursus Sacramentum Matrimonii conficere; quia videlicet non iterum contrahendo sibi invicem tradunt corpora, sed utuntur jam tradito corpore, & contractum anteriorem accidentaliter perficiunt. Ergo similiter; imò à fortiori, infideles facti fideles, per approbationem mutui consensus Baptismõ anterioris non conficiunt Sacramentum Matrimonii, quia non tradunt sibi invicem corpora rursus contrahendo, sed contractum priùs initum per susceptionem Baptismi perficiunt solùm, esto concedamus, illud Matrimonium inde reddi insolubile, & significativum insolubilitate & significatione, cujus meminerunt Authores contrarii. Vid. Castropal. loco cit.

Quæ-

14 Quæritur II. An inter fideles baptizatos dari possit verum Matrimonium, quod non sit Sacramentum? Respondeo affirmativè. Ita Gonet ubi suprà num. 53. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 5. num. 4. Salmantic. dub. cit. num. 78. Reding to. 8. q. 4. a. 2. controv. 3. num. 10. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 1. §. 2. Sporer de Sacrament. par. 4. cap. 1. num. 356. & alii apud ipsum. Ratio est: quia, qui haberet intentionem contrahendi Matrimonium cum expressa intentione non conficiendi Sacramentum, validè contraheret, & tamen non conficeret Sacramentum: ergo tunc daretur verum Matrimonium, quin esset Sacramentum. Ant. prob. Nam inprimis absque intentione formali, vel virtuali Ministri nullum sit Sacramentum: consequenter utraque earum carens, imò expresè nolens conficere Sacramentum, non conficit Sacramentum. Deinde, quia in hoc tali casu adessent mutuus utriusque consensus, isque per verba, vel signa expressus, & omnes aliæ conditiones ad valorem contractus requisitæ, ut supponimus: ergo contractus esset validus.

Confirmatur I. Qui absque intentione faciendi Sacramentum ablueret infantem, prolatâ super ipsum præscriptâ verborum formâ, certè nullum conficeret Sacramentum, & tamen subsisteret Baptismus in esse physico, sive in ratione ablutionis naturalis: ergo similiter, qui absque intentione faciendi Sacramentum contrahit Matrimonium, licèt nullum conficiat Sacramentum, validè tamen contrahit, ita ut hic sit verus civilis contractus. Conseq. Inde colligitur, quòd quemadmodùm Christus elevando aquam ad dignitatem Sacramenti nihil eidem abstulit de sua natura physica, ita nec contractui civili quidquam abstulerit de sua natura morali, dum eundem elevavit ad dignitatem Sacramenti.

Confirmatur II. Contractus Matrimonii tamdiu censendus est esse validus, quamdiu per nullam legem irritatur: atqui contractus Matrimonii sine intentione faciendi Sacramentum celebratus nulla lege, seu naturali, seu Divina, seu humana irritatur; ergo censendus est esse validus. maj. constat. neganti mi. incumbit ostendere ejusmodi legem irritantem. quòd nequaquam præstare poterit. Neque enim juvat dicere primo, ex institutione Christi rationem Sacramenti ita annexam esse contractui Matrimonii inter fideles, seu Christianos, ut ab eo separari nequeat per intentionem contrahentium. Respondetur enim, hoc divinari gratis, & eadem facilitate negari qua asseritur. Neque juvat dicere secundo, juxta Concil. tam Florent. in *decr. Unionis*, quàm Trident. sess. 24. *de Sacram. Matrim.* *can.* 1. & Jus Can. in cap. *quanto.* 7. *de Divort.* Matrimonium inter fideles contractum esse verum ac propriè dictum Sacramentum; adeoque nullum inter fideles dari Matrimonium, quod non sit Sacramentum. Nam respondetur, inde plus non colligi, quàm quòd Matrimonium fidelium ordinariè sit, & debeat esse Sacramentum. id autem minimè obstare, quin aliquando per accidens unum separari possit ab altero. Vid. Salmantic. n. 80. Mezger n. 5. Sententiam nostræ contrariam tenent Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 10. n. 6. Laym lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 2. n. 2. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 2. n. 5. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 2. cap. 1. n. 22.

15 Corollarium I. Non est licitum Christianis inire Matrimonium separando rationem Sacramenti à ratione contractus. Ratio est: tum, quia supposita institutione Christi, & elevatione Matrimonii ad esse Sacramenti, à fidelibus fieri non potest ea separatio sine gravi irreverentia. tum, quia Christiani tenentur contrahere more & ritu Christiano, nec obicem ponere gratiæ, cujus causalitatem Christus annexuit Matrimonio, *ut naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret*, ut habet Concil. Trident. sess. illa 24. *in doctrina de Sacram. Matrim.* Vid. Gonet ubi suprà num. 54. Mezger num. 4. Sporer num. 357.

16 Corollarium II. Matrimonium censetur fieri Sacramentum, quamvis contrahentes id non intendant expresè. Ratio est: quia sufficit illa intentio confusa atque generalis faciendi, quod facit Ecclesia, sive Christus instituit, qui vult Matrimonium esse Sacramentum. Hanc autem ad minimum intentionem habent conjuges Catholici. nam ex Catechismo didicerunt, Matrimonium esse Sacramentum, & monentur à Parochis, ut ad Nuptias tanquam ad Sacramentum suscipiendum prævia peccatorum Confessione se disponant. Ex quibus colligitur, Catholicos nunquam separare rationem Sacramenti à ratione contractûs. Vid. Sporer loco cit.

17 Verùm de temporum nostrorum Acatholicis dubitari potest, an rationes memoratas separent, dum contrahunt Matrimonium? quia nempe negant, Matrimonium esse Sacramentum, ideoque dicunt, se nolle quidquam habere negotii cum Sacramento Papistico in celebratione sui Matrimonii. Respondetur nihilominùs, hoc genus hominum, dum contrahunt Matrimonium, etiam communiter Sacramentum conficere ac suscipere. Ratio est: quia error particularis, quo existimant, Matrimonium non esse Sacramentum, non impedit illam intentionem

generalem faciendi, quod facit Ecclesia; ut vel inde colligitur, quòd communiter intendant Matrimonium contrahere, sicut solent Christiani, & in Ecclesia Christi consuetum est. Vid. Laym. loco cit. Reding to. 8. q. 4. a. 2. controv. 3. à n. 12. ubi de hac re fusè disputat. Dixi autem, *communiter Sacramentum conficere.* Quia vix dubium relinquitur, quin aliqui hæreticorum sint adeò perversi, ut insuperhabita institutione Christi contrahant Matrimonium separando ab illo rationem Sacramenti, præsertim, si sibi persuadeant, in ea fundari indissolubilitatem Matrimonii; velut ex P. Gobat notat Reding num. 13.

18 Quæritur III. an Matrimonium, quod contrahitur per Procuratorem, sit Sacramentum? Ante Responsionem suppono, hoc tale Matrimonium non tantùm fuisse validum ante Concil. Trident. ut constat ex cap. *fin. de Procurat. in* 6. & *l. sufficit. ff. de Sponsal.* sed etiam hodie valere post Trident. si celebretur coram Parocho & testibus, veluti docet praxis Ecclesiæ. Cæterùm ad valorem Matrimonii per Procuratorem quatuor conditiones requiruntur. Prima est, ut Procurator habeat speciale mandatum, & nominatim de Matrimonio. Secunda est, ut sit mandatum ad contrahendum cum certa & individualiter determinata persona. nec sufficit mandatum generale contrahendi cum quacunque. Tertia est, ut Procurator hoc negotium per se exequatur. neque enim potest alium substituere, nisi id expressè contineatur in mandato: quia eligitur industria personæ. Quarta est, ut tempore, quo contrahit Procurator, non sit revocata potestas contrahendi. nam, si revocata sit, etiam ipso, vel altero conjuge ignorante, Matrimonium est irritum, juxta cit. *cap. fin.* Atque hoc verum est, tametsi præcesserit juramentum de non revocando. Item, tametsi revocatio sit merè interna. in foro tamen externo revocanti incumbit probare eam revocationem. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 11. Filliuc. tr. 10. par. 1. cap. 1. num. 24. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 5. à num. 5. Salmantic. tract. 9. cap. 3. pu. 4. Reding a. cit. controv. 4.

19 Ex dictis deducitur primo, non esse necessarium, ut mandans post datum mandatum rursus consentiat, sed sufficere, quòd consenserit, & consensum non revocet. Unde, si interim in amentiam incideret, Matrimonium nihilominùs valeret; sicut valeret Baptismus administratus dormienti, si vigil habuit intentionem eum suscipiendi. Filliuc. num. 25. Deducitur secundo, si mandans, dum dedit mandatum, finxit, se habere consensum, postea tamen, quando Procurator contrahit, habet verum consensum, valet Matrimonium. Ratio est: quia tunc, & non antè hic ejus consensus requiritur necessariò. Sanchez num. 13. Deducitur tertio, diversitatem sexuum nihil facere in Procuratoribus ad valorem Matrimonii, sed posse id fœminam nomine viri cum fœmina, & virum nomine fœminæ cum viro contrahere. Ratio est: quia sexuum diversitas requiritur solùm in ipsis Matrimoniô jungendis. Sanchez num. 15. Salmantic. cap. cit. num. 93. Deducitur quarto, non esse necessarium, ut mandatum Procuratori detur coram Parocho & testibus. Ratio est: quia id neque exigit Concil. Trident. neque observat praxis fidelium. Sanchez num. 23. Salmantic. num. 102.

Quod attinet ad verba, quibus uti debet Procurator in contrahendo Matrimonium, sentio, hæc, vel æquivalentia esse adhibenda, ac sufficere, ut nempe dicat: *Ego te accipio in uxorem nomine N.* & fœmina: *Ego per te procuratorem duco N.* Ratio est: quia his verbis sufficienter exprimitur mutuus consensus contrahentium, & Matrimonium, quod alterius nomine celebratur. Vid. Filliuc. loco cit. Bonac. n. 11. Salmantic. n. 107. 20

Nunc respondeo Matrimonium per Procuratorem esse verum Sacramentum, gratiamque illi conferre, cujus nomine celebratur. Ita communis & vera sententia. Ratio est: quia in ejusmodi Matrimonio datur materia & forma hujus Sacramenti, datur Minister, debitaque intentio, & reliqua ad id requisita: ergo est verum Sacramentum. Vid. Sanchez num. 27. Filliuc. num. 26. Salmantic. cap. 3. pu. 3. dub. 4. à num. 89. Reding, ubi suprà, num. 8. 21

Corollarium I. Procurator non est Minister hujus Sacramenti, sed ipse principalis: similiter, non verba Procuratoris ut exprimentia ipsius consensum, sed, ut exprimentia consensum principalis, seu mandantis sunt materia & forma. Ratio est: quia istud Sacramentum est univocè tale cum eo, quod per propriam personam contrahitur: ergo habet eundem Ministrum, eandemque materiam & formam; videlicet consensus conjugum quatenùs expressos per verba, vel signa. Vid. Sanchez n. 28. Filliuc. loco cit. Salmantic. n. 91. 22

Corollarium II. Procurator non peccat mortaliter, tametsi in peccato mortali contrahat Matrimonium; peccat verò mortaliter mandans, si eo tempore, quo Procurator ipsius nomine contrahit, versatur in statu peccati mortalis. Ratio est: quia Procurator non recipit Sacramentum, recipit verò mandans; qui proinde tenetur tunc esse in statu gratiæ, ne illud indignè 23

recl-

recipiat. Sanchez n. 29. & 30. Bonac. n. 12. Salmantic. n. 92.

24 Quæritur quarto, an similiter Matrimonium, quod contrahitur per epistolam, sit Sacramentum? Et quidem hoc modo validè contrahi posse Matrimonium, etiam post Trident. Concil. communis habet sententia apud Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 9. Ratio est: quia ita contrahi potuit jure antiquo, *l. mulierem. ff. de Ritu Nuptiar.* Atqui jus antiquum quoad hoc non fuit mutatum à Trident. ergo. Debet autem in hoc tali contractu epistolari traditio & acceptatio utriusque contrahentis fieri coram eodem Parocho & testibus. Quod rectè præstabitur, si Titius v. g. scribat Semproniæ, quòd se ipsi tradat in maritum, eamque jam ex hoc tempore accipiat in uxorem: Sempronia verò legat epistolam coram Parocho & testibus affirmans, quòd vicissim se Titio tradat in uxorem, eumque accipiat in maritum. Alium modum consimilem suggerit Sanchez lib. cit. disp. 12. num. 3. His præmissis, ad Quæst. respondeo affirmativè. Ratio est eadem, quæ de Matrimonio contracto per Procuratorem, quam non opus est repetere.

Objicies. Non est licitum administra- 25
re Sacramentum, nisi sufficienter constet, suscipientem esse ad illud, ejusque effectum recipiendum debitè dispositum. Atqui contrahenti per epistolam, vel Procuratorem non constat de debita dispositione alterius; ergo illicitè sic contrahit, & contrahendo administrat Sacramentum. Respondeo, posse prudenter præsumi de altero, quòd sit debitè dispositus, dummodò sit Catholicus. Nam supponitur nósse, Matrimonium esse Sacramentum, & consequenter ad dignam ejus susceptionem requiri statum gratiæ; quem proinde per debita media assecurare haud dubiè allaborabit.

ARTICULUS V.
De Solemnitatibus Matrimonii.

§. I.

Præmittuntur, quæ certa sunt.

SUMMARIUM.

1. *Triplex solemnitas Matrimonii.* 2. *Sola assistentia Parochi & testium est solemnitas substantialis.* 3. *Matrimonium prætermissis denuntiationibus celebratum non est invalidum.* 4. *Matrimonia infidelium sunt valida & licita sine solemnitatibus Ecclesiæ.* 5. *Validum, sed non licitum est Matrimonium clandestinum in locis, in quibus Concil. Trid. non fuit promulgatum.* 6. *Ad valorem Matrimonii æquè necessaria est præsentia testium, ac præsentia Parochi.*

1 TRiplicem solemnitatem, veluti formam extrinsecam Matrimonii, præscripsit Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. verbis sequentibus: *Sancta Synodus . . . præcipit, ut deinceps, antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Et postea: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & ejusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Ex quibus constat, Solemnitates Matrimonii esse primo, trinam denuntiationem præviam: secundo, copulationem seu benedictionem Parochi; tertio, præsentiam Parochi & testium.

Porrò ex eisdem verbis Concil. Trid. 2
certum est primo, ex recensitis solemnitatibus solam assistentiam Parochi cum duobus vel tribus testibus esse de forma substantiali & valore Matrimonii, ita ut ea omissa sit invalidum. Ratio est: quia circa solam omissionem hujus, non autem aliarum solemnitatum, Concilium utitur terminis irritantibus. Aliæ proidde solemnitates sunt cæremoniæ accidentales, quas sine justa causa omittere illicitum quidem est, sed contractum non reddit invalidum. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 9. & 11. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 3. num. 2. Atque hinc

Certum

3 Certum est secundo, non omne Matrimonium clandestinum esse invalidum. Ratio est: quia rectiùs loquendo duæ sunt species Matrimonii clandestini; nempe unum, quod contrahitur sine Parocho & testibus: alterum, quod initur omissis denuntiationibus. Primum esse invalidum audivimus in num. 1. ex Decreto Concil. Trident. Secundum non esse invalidum, quamvis sit illicitum, si contrahatur sine justa causa, satis constat ex n. mox. præced. Vid. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 6. num. 2. & 6. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 13. §. 1.

4 Certum est tertio, Matrimonia infidelium non baptizatorum, etiam illorum, qui degunt in terris Christianorum, subjectis quoque Ecclesiæ quantùm ad dominium temporale, esse valida & licita, si contrahantur sine Parocho & testibus, cæterisque solemnitatibus recensitis. Ratio est: quia lex Concil. Trident illam assistentiam Parochi cum testibus, cæterasque solemnitates præscribens est merè Ecclesiastica, qua non obligantur hi infideles. Vid. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 17. num. 8. Salmantic. tract. 9. cap. 8. pu. 2. num. 11.

5 Certum est quarto, Matrimonium contractum sine Parocho & testibus in locis, ubi Concil. Trident. nunquam fuit promulgatum, esse quidem validum, non autem licitum. Ratio primi est: quia incolæ ejusmodi locorum non tenentur Matrimonium contrahere ex præscripto Concil. Trident. Ergo possunt contrahere, ut fuit contractum ante Concilium. Atqui ante hoc Concilium Matrimonium contrahebatur validè sine Parocho & testibus; ergo etiam hodie ita validè contrahitur ab incolis locorum memoratorum. Ratio secundi est: quia, ut loquitur idem Concilium in Decreto cit. *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa* (Matrimonia nempe clandestina) *semper detestata est, atque prohibuit.* Non autem dici potest, antiquam illam prohibitionem fuisse aliquando revocatam, aut vim obligandi amisisse; ergo semper obligavit, & adhuc obligat. Vid. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 5. num. 166. Castropal. pu. cit. §. 8. num. 3. & 4.

6 Certum est quinto, ad valorem Matrimonii æquè necessariam esse præsentiam testium, atque præsentiam Parochi, ita ut nec præsentia testium sine præsentia Parochi, nec præsentia Parochi sine præsentia testium sufficiat. Ratio est: quia Concil. eodem modo loquitur de una præsentia, quo loquitur de altera. Vid. Mezger num. 6.

§. II.

Resolvuntur variæ quæstiones de Præsentia Parochi & testium.

SUMMARIUM.

7. 8. 9. 10. *Ubi Concil. Trident. est promulgatum, nunquam valet Matrimonium clandestinum.* 11. *Excipitur tamen casus, in quo Parochus & testes haberi nequeunt.* 12. *Quid sentiendum de Matrimoniis hæreticorum sine Parocho & testibus contrahentium?* 13. 14. 15. 16. *Declaratur, qualis debeat esse assistentia Parochi & testium.* 17. *Quale sit peccatum Parochum vi, metu, aut dolo inducere ad assistendum Matrimonio.* 18. *Parochus assistens Matrimonio debet esse proprius.* 19. *Quid, si assistat in aliena Parochia?* 20. *Potest assistere Parochus etiam non Sacerdos.* 21. *Idem suspensus, excommunicatus &c.* 22. *Qui assistit ex commissione Parochi, debet esse Sacerdos.* 23. *Quisnam intelligatur nomine Proprii Parochi.* 24. *Coram quo Parocho contrahere debeant vagabundi.* 25. *Quis sit proprius Parochus militum.* 26. *An valeat Matrimonium, si Parochus assistens contrahentes non noscat, nec intelligat eorum linguam?* 27. *An Parochus Catholicus possit assistere Matrimoniis hæreticorum?* 28. *Quid si contrahens Matrimonium sibi aliud cognomen affinxit?* 29. *Quales debeant adhiberi testes.*

QUæritur I. Utrùm in aliquo casu valeat Matrimonium contractum sine Parocho & testibus in locis, ubi Concil. Trident. est promulgatum? 7 Ratio dubitandi est: quia leges positivæ & humanæ non obligant in casu magnæ necessitatis, sed amittunt epikeiam, ut constat in lege jejunandi, recitandi Officium Divinum, & similibus: atqui lex illa Trident. præcipiens, ut Matrimonium contrahatur coram Parocho & testibus, & lex positiva & humana; ergo non obligat ad ita contrahendum in casu magnæ necessitatis. Confirmatur. Si Matrimonium contrahere sine hac solemnitate esset necessarium ad vitandum v. g. salutis spiritualis periculum ex parte alterutrius contrahentis; vel ad legitimandam prolem; vel ad consulendum honori fœminæ, & Sum. Pontifex de ejusmodi casu aliquo interrogaretur, haud dubiè responderet, legem Trident. tunc non obligare: ergo prudenter existimare possumus, Concil. Trident. hanc legem suam non voluisse extendere ad casus necessitatis.

Respon-

Reſpondeo nihilominùs, ejusmodi Matrimonium in iis locis nunquam eſſe validum inter Chriſtianos, excepto caſu, quo Parochus & teſtes haberi nequeunt. Ita extra hanc exceptionem communiter DD. Ratio eſt: tum; quia Decretum Concil. Trid. Chriſtianos reddit omnino inhabiles ad contrahendum ſine Parocho & teſtibus. contractum quoque declarat omnino eſſe irritum. Atqui nulla neceſſitas poteſt reddere habiles ad contrahendum omnino inhabiles, vel contractum validum, qui eſt omnino irritus; ergo. tum: quia in eodem Decreto dicitur, aliter fieri non poſſe Matrimonium, quàm in præſentia Parochi & teſtium: ergo ſignum eſt, Concilium voluiſſe, ut hæc ſolemnitas ſit de forma ſubſtantiali Matrimonii. Atqui ſine eo, quod eſt de forma ſubſtantiali contractûs, non poteſt contrahi validè; ergo. tum; quia in nullo caſu neceſſitatis validum eſt Matrimonium inter conſanguineos absque diſpenſatione Pontificia: ergo nec validum erit aliquando ſine præſentia Parochi & teſtium. Vid. Sanchez lib. 3. de Matr. diſp. 17. n. 4. Caſtropal. de Sponſal. diſp. 2. pu. 13. §. 8. n 9. Reding to. 8. q. 9. 2. 2. controv. 1. n. 10. Salmantic. tract. 9. cap. 8. pu. 2. à n. 13. Et addit Caſtropal. ex aliis, neque Epiſcopum in caſu memoratæ alicujus neceſſitatis diſpenſare poſſe, ſi noqueat adiri Pontifex.

8 Ad rationem dubitandi reſpondeo, quæ ibi dicuntur in maj. eſſe vera de legibus poſitivis, quæ vocantur præceptivæ, & ſolùm inducunt ſolemnitatem quandam accidentalem. Atqui lex Trident. de qua loquimur, non eſt hujusmodi, ſed induxit illam præſentiam Parochi & teſtium tanquam ſolemnitatem ſubſtantialem, ac inhabilitatem omnimodam aliter contrahentium conſtituit. Ad Confirmat. reſpondeo, Pontificem tunc reſponſurum, ut nos reſpondimus.

9 Ex dictis ſequitur primo, nullum fore Matrimonium, tametſi celebraretur in præſentia Judicis, Notarii, aliorumque teſtium; imò totius viciniæ, vel civitatis, ſi proprius Parochus non aſſiſteret. Ratio eſt: quia aſſiſtentia Parochi eſt de forma ſubſtantiali Matrimonii, quæ poni debet ſpecificè ac propriè, & non ſuppleri per quid æquipollens. Sanchez n. 7. Caſtropal. n. 2. Salmantic. num. 16.

10 Sequitur ſecundo, ignorantiam invincibilem ea laborantibus nihil prodeſſe in præſenti. Atque hinc, ſi duo fideles in loco quopiam, in quo promulgatum eſt Decretum Trident. ob ejus ignorantiam exiſtimarent, ſe poſſe Matrimonium contrahere absque Parocho & teſtibus, ſicque contraherent, invalidè contraherent. Ratio eſt: quia, licèt ignorantia invincibilis excuſet à culpa, actum tamen ex defectu debitæ formæ invalidum non poteſt reddere validum. Confirmatur. Licèt quis invincibiliter ignoraret, ad valorem Profeſſionis Religioſæ requiri annum ætatis decimum ſextum completum, invalidè nihilominùs profiteretur, ſi finito Novitiatu ante completum eum annum profiteretur: ergo etiam invalidè contraherent Matrimonium, qui contraherent ſine Parocho & teſtibus, quamvis invincibiliter ignorarent, eorum præſentiam requiri ad valorem Matrimonii. Vid. Sanchez n. 10. & 11. Salmantic. loco cit. Caſtropal. n. 7. Mezger tract. 19. diſp. 54. a. 3. n. 4.

Dixi autem n. 7. in Reſponſione, *excepto* 11
caſu, quo Parochus, & teſtes haberi nequeunt. quod ajunt contingere in quibusdam locis Hollandiæ. In hoc tali caſu Matrimonium validè contrahi ſine præſentia Parochi docet Coninck apud Salmantic. n. 17. Mezger n. 14. & noviſſimè Vincentius Petra, quem refert & ſequitur Magnific P. Schmier lib. 4. tract. 3. cap. 5. n. 158. ex declaratione quadam Sac. Congregationis Concil. 27 Martii 1632. edita, quam adducit Petra cit. Idem docet Fagnanus in cap. *ſi Clericus. de foro compet.* referens aliam declarationem, in qua ſimul advertitur, in defectu Parochi ſaltem duos aut tres teſtes, aut Notarium, eſſe adhibendos. Vid. Schmier loco cit. Sed audiendus eſt etiam Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 7. ubi ſic loquitur: „ Etſi in aliqua civitate decretum Trid. « promulgatum fuerit, modò tamen expulſis « Catholicis Sacerdotibus non adſint proprii « Paſtores; validè, ſicuti priùs, coram Prædicante, vel ſine Prædicante Matrimonia « contrahi poterunt. Cùm enim his locis « tali rerum ſtatu decretum Trid. ſervari « non poſſit, non eſt exiſtimandum, libertatem Matrimonii validè contrahendi impeditam eſſe; ſicuti Card. Bellarminus reſpondet apud Chapeaville cap. 6. q. 15. «

Quæritur II. Quid ſentiendum ſit de 12
Matrimoniis hæreticorum contractis ſine Parocho & teſtibus? Reſpondeo primo, horum Matrimonia in locis, in quibus Concil. Trid. eſt promulgatum (ſicuti promulgatum fuit in urbibus & pagis Sueviæ, Franconiæ, Rheni, Hollandiæ, Belgii, ubi Acatholici vivunt, aut olim vixerunt permixti Catholicis) eſſe invalida, ſi celebrentur ſine vero Parocho & teſtibus. Ratio eſt; quia vi Baptiſmi facti ſunt ſubditi Eccleſiæ, adeóque obligantur legibus ejus univerſalibus, ſicut alii ſubditi non rebelles, nam & rebelles, cujusmodi ſunt hæretici, tenentur legibus ſui Superioris. Vid. Mezger ubi ſuprà, n. 10. Oberaſcher de Matrim. cap. 3. §. 1. q. 12. Magnif. P. Schmier cap. cit. n. 86.

Respondeo nihilominùs secundo, in praxi posse esse locum sententiæ, quam tradit Laym. loco cit. & approbare videtur Oberascher, existimanti, non esse mentem Summor. Pontificum, ut decretum Concil. Trid. se extendat ad Matrimonia hæreticorum in locis memoratis sine Parocho legitimo & testibus contracta; adeoque Sedem Apostolicam censeri hîc tacitè dispensare, ut videlicet occurratur multis incommodis, quæ orirentur, si talium Matrimonia essent invalida. Itaque non est opus, ut ejusmodi conjuges ad gremium Ecclesiæ redeuntes jubeantur (si aliud nihil obstet) confirmare contractum Matrimonii priùs initum. Vid. Reding to. 8. q. 9. a. 2. controv. 1. n. 25.

Respondeo tertio. In locis, in quibus ob jam tum prædominantem religionem Concil. Trident. promulgari non potuit, v. g. in Anglia, & Saxonia, valida sunt Matrimonia hæreticorum, imò etiam Catholicorum, absque vero Parocho & testibus celebrata. Ratio est: quia nulla lex obligat, nisi sit promulgata. quod præcipuè verum est de præsente lege Trident. irritativa Matrimonii clandestini, de qua dicitur sess. 24. cap. 1. *ut in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.* Vid. Laym. loco cit. Bonac. de Matr. q. 2. pu. 7. n. 1. Mezger n. 5. Magnific. P. Schmier n. 87. ubi etiam notat, Sac. Congregationem Concil. in disceptationibus de valore Matrimoniorum, quæ ibi sunt inita, ubi non constat, vel rationabile dubium est de publicatione Concil. Trid. solere de hac publicatione informationem exquirere.

13 Quæritur III. Qualis assistentia Parochi & testium requiratur? Respondeo, requiri talem, ut per eorum testificationem Ecclesiæ constare possit, Matrimonium esse contractum. Ratio est: quia hic est finis, propter quem ista solemnitas à Concil. Trid.
11 fuit constituta. Atque hinc

14 Sequitur primo, hanc præsentiam debere esse simultaneam, ita ut utrius contrahentis consensui, dum exprimitur, tam Parochus quàm testes eodem tempore adsint. Unde nullum est Matrimonium, si solus Parochus adsit, dum consensum suum exprimit vir, & soli testes, dum consensum exprimit mulier, vel, si uterque nunc consensum suum expriniat coram Parocho, & postea coram testibus primùm adventantibus. Ratio est: quia ex eorum præsentia successiva non satis constare potest de Matrimonio contracto; adeoque requiritur simultanea. Vid. Salmantic. tract. 9. c. 8. pu. 5. n. 57. Mezger num. 7.

15 Sequitur secundò, eandem præsentiam Parochi & testium non tantùm oportere esse physicam seu corporalem, sed etiam moralem, hoc est, ut intelligant & advertant, hîc & nunc contrahi Matrimonium. Ratio est: quia ex mente Trident. requiritur præsentia ipsorum tanquam testium, per quos probari possit Matrimonium, si necessitas postulaverit: sed, qui nescit, & non advertit, quid agatur, non potest esse testis. Itaque ebrii, dormientes, & alii usu rationis destituti, vel etiam animô ita distracti, ut non attendant actualiter ad id, quod agitur, inepti sunt ad istud munus, tametsi corporaliter adsint. Vid. Sanchez lib. 3. de Matr. disp. 39. n. 1. Salmantic. n. 61. & 63. Mezger n. 8.

Sequitur tertio, sufficere ad valorem 16
Matrimonii, si Parochus, vel testes casu, & transeunter intersint Matrimonio: item, si dolo circumventi, aut metu, vel vi compulsi intersint, dummodò plenè percipiant, quid agatur. Ratio est: quia omnes hi tales sunt præsentes præsentia morali, & ante faciem Ecclesiæ testificari possunt de Matrimonio: quod solùm, & non plus requirit Tridentinum. Vid. Sanchez n. 9. 10. & 11. Salmantic. n. 65. & 66. Mezger n. 9.

Corollarium. Contrahentes Matrimo- 17
nium coram Parocho, qui aliquo ex dictis primùm modis detinetur, aut compellitur, ut sit præsens, vel casu & transeunter solùm assistit, peccant mortaliter, nisi urgens adsit necessitas. Ratio est: tum, quia sic præsumunt Matrimonium celebrare, & Sacramentum conficere sine approbatione Ecclesiæ, cujus vices agit Parochus. tum, quia talis modus contrahendi cedit in contemptum, & injuriam Ecclesiæ, ipsiusque Sacramenti, & Parochi, qui ut persona publica assistit Matrimonio. Vid. Sanchez n. 12. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 13. §. 8. n. 11. Salmantic. n. 68. ubi etiam advertunt ex Aversa, in quibusdam Diœcesibus latam esse sententiam Excommunicationis in taliter contrahentes. Coram testibus autem dolo, metu, aut vi inductis, vel casu transeuntibus contrahere existimat Sanchez non esse peccatum mortale: quod tamen improbat Castropal. quia & testes nomine Ecclesiæ Matrimonio assistunt; quamvis non æquè principaliter, sicut Parochus. Dixi tamen, *nisi urgens adsit necessitas.* Hæc enim si adsit, & Parochus nolit assistere, nec adiri possit Superior, à quo compellatur, astu quopiam x
aut artificio licitè induci ad assistendum, dummodò personæ vis non inferatur, docent cum aliis Salmantic. loco cit. Ratio est: quia ex officio tenetur assistere.

Quæritur IV. Qualis debeat esse Paro- 18
chus assistens Matrimonio? Respondeo primo. Hic Parochus debet esse proprius, vel utriusque, vel saltem alterutrius contrahentis.

tis. Itaque communissimè DD. Ratio est: quia inprimis assistentiam proprii Parochi ad valorem Matrimonii exigit ipsum Concil. Trid. sess 24. cap. 1. uti pluribus ostendit Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 19 n. 2. Deinde sufficere Parochum alterutrius contrahentium, constat ex declarat. Cardinalium apud Gallemartum ad cap. cit. Itaque si contrahentes sint ex diversis Parochiis, Matrimonio validè poterit assistere vel Parochus Sponsi, vel Parochus Sponsæ.

19 Infertur ex his primo, validum esse Matrimonium, si Parochus Sponsi v. g. in Parochia Sponsæ assistat sine licentia illius Parochi, vel si assistat in Parochia utrique contrahentium, suorum tamen Parochianorum, aliena, licèt non habeat licentiam ab eo Parocho alieno. Ita Sanchez n. 11. & 14. Laym. lib. 5. tr. 10. par. 2. cap. 4. n. 3. Salmantic. cap. cit. pu. 3. n. 33. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 13. §. 9. Ratio est: quia Concilium Trid. solùm exigit, ut assistat Parochus, non autem exigit, ut assistat in propria Parochia. Confirmatur. Quia Parochus extra Parochiam suis subditis potest validè administrare Sacramentum Pœnitentiæ: ergo etiam validè potest eorum Matrimoniis assistere. Verùm an hoc licitè quoque possit sine licentia Parochi alieni? dubitari solet à quibusdam. tum, quia ex Decreto Pii V. apud Tannerum, ut refert Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 359. ejusmodi Parochus est puniendus. tum, quia Episcopus peccaret, si subditos suos ordinaret extra Diœcesim sine licentia Ordinarii illius loci: ergo etiam peccaret Parochus, si Matrimonio subditorum suorum assisteret extra Parochiam sine licentia Parochi ejus loci, in quo assisteret. Sed nihilominùs ejusmodi assistentiam etiam fore licitam, secluso scandalo, docent Sanchez n. 18. Castropal. n. 5. Salmantic. n. 34. & 35. Ratio illorum est: quia nullum jus, quo prohibeatur, proferri potest in medium. Nam de Decreto illo Pii V. nullam faciunt mentionem. Quod fortè intelligendum est, si exstet, de assistentia in loco publico, cum strepitu, & concursu hominum; quam esse illicitam sine licentia alieni Parochi, in cujus Parochia Matrimonium ita contrahitur, negandum non est. Quòd Episcopus peccet extra suam Dioecesim ordinando etiam proprios subditos sine licentia Ordinarii ejus loci, constat ex prohibitione Concil. Trid. sess. 6. de Reformat. c. 5.

20 Infertur secundo, non requiri ad valorem Matrimonii, ut Parochus assistens sit Sacerdos. Ratio est: tum, quia Concil. Trid. solùm requirit præsentiam proprii Parochi: sed potest, qui non est Sacerdos, esse proprius Parochus; ergo. tum, quia assistere Matrimonio non est actus Ordinis. Atque ita declaravit Congregatio Cardinal. 1 Decembr. Anno 1593. apud Gallemartum, ad cap. 1. Trid. sess. 24. Neque refert, quòd Concil. ibi dicat, *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote &c.* nam ly *alius* non semper repetit similia; ut multis ostendit Sanchez disp. cit. cap. 20. n. 3. & Castropal. §. 10. n. 3. & constat ex illo Lucæ 23. *ducebantur autem & alii duo nequam cum eo.* Vid. præter citt. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 6. n. 203. Bonac. de Matrim. q 2. pu. 8. n. 19. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 3. n. 12.

21 Infertur tertio, etiam Parochum excommunicatum, suspensum, vel irregularem validè assistere Matrimonio. Ratio est: quia Concil. Trid. ut diximus, solùm requirit præsentiam proprii Parochi. Atqui excommunicatus &c. adhuc est proprius Parochus; quia non eo ipso, quòd sit excommunicatus, aliáve censura Ecclesiastica punitus, possessionem Beneficii amittit. Deinde, præsentia Parochi ad hoc requiritur, ut præstet Auctoritatem contractui Matrimonii: sed hanc præstare potest præsentia Parochi etiam excommunicati, suspensi, vel irregularis; cùm nulla ad id necessaria sit jurisdictio; ergo. Vid. Castropal. n. 6. Sanchez disp. 21. n. 4.

22 Infertur quarto, eum, qui ex commissione Parochi assistit Matrimonio, debere esse Sacerdotem. Ratio est: quia Concil. loco cit. dixit: *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia.* quod intelligendum est de vero ac propriè dicto Sacerdote, ut ex communi usu vocis *Sacerdos* comprobatur. Unde si Diaconus assisteret ex licentia Parochi, vel Ordinarii, Matrimonium esset irritum, quamvis non esset irritum, sed validum, si ex ejusmodi licentia assisteret simplex Sacerdos, etiam excommunicatus, suspensus &c. cùm assistere Matrimonio non sit actus jurisdictionis; ut constat ex n. præced. adeoque possit etiam per excommunicatum exerceri, ut habetur ex declaratione Cardinal. quam ex Fagnano citat Magnif. P. Schmier lib. 4. tr. 3. cap. 5. n. 125. & tradunt ex communiori sententia Sanchez disp. cit. Salmantic. tract. 9. cap. 8. pu. 4. à n. 46. Sporer de Sacram. par. 4 cap. 1. n. 362. Mezger n. 13. ubi cum aliis etiam advertit, non sufficere licentiam tantùm præsumptam, vel innixam ratihabitioni de futuro. Requiritur proinde vel comissio generalis ministrandi omnia Sacramenta, vel in hujus defectu licentia specialis & expressa: quemadmodum declaravit S. Congregatio apud Gallemartum ad cap. 1. Conc. Trid. sess. illa 24. Sed, an Parochus excom-

municatus non toleratus possit alteri dare licentiam assistendi Matrimonio? dubitari solet. Negant Suarez, Coninck, Laym. Sotus, & alii apud Salmantic. n. 50. Ratio est: quia concessio hujus licentiæ est actus jurisdictionis. Affirmant econtra, &, ut puto, probabiliùs, Sanchez n. 7. Castropal. n. 8. Salmantic. n. 51. Bonac. ubi suprà n 25. Ratio est ab oppositò: quia ista concessio licentiæ non est actus jurisdictionis, sed potestatis substituendi alium testem qualificatum, quæ etiam ab excommunicato validè exerceri potest.

23 Quæritur V. Quis intelligatur per proprium Parochum? Respondeo, intelligi solum Parochum domicilii habitationis, hoc est, illum, in cujus Parochia vel uterque contrahentium habitat, vel saltem alteruter. Ita communis & vera sententia. Ratio est: quia ille solus est proprius Parochus, cujus Parochia est propria contrahentium: atqui sola Parochia, in qua contrahentes habent domicilium habitationis, est eorum propria; cùm non origo, sed habitatio constituat aliquem Parochianum; ergo. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 23. n. 7. Salmantic. cap. cit. pu 3. n. 25. Magnif. P. Schmier ubi suprà à n. 93. Sporer n. 360. Atque hinc patet, invalidum esse Matrimonium, cui assistit Parochus solius originis, hoc est, ille, in cujus Parochia nati quidem sunt contrahentes, sed non habitant; quando contrahunt.

Verùm, an Parochus domicilii habitationis, quod dicitur quasi tale, sit proprius, atque adeò sufficiat ad assistendum Matrimonio, non ita convenit inter Authores: cùm multi id negent, ut videre est apud Sanchez n. 11. Respondeo tamen affirmativè cum eodem Sanchez à n. 12. Bonac. n. 2. Castropal. n. 9. Salmantic. à n. 30. Sporer loco cit. Schmier à n. 97. ubi etiam refert ex Fagnano, ita sæpissimè decidisse S. Congregationem. Ratio verò est: quia ejusmodi quasi domicilium sufficit, ut quis constituatur Parochianus ejus Parochiæ, in qua illud habet: veluti docet etiam praxis in studiosis, mercatoribus, negotiorum gestoribus, qui in Parochiis, in quibus per majorem partem anni habitant, ab earum Parochis recipiunt Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & etiam sepeliuntur. Ergo nihil obstat, quominùs coram aliquo tali Parocho Matrimonium validè contrahant.

24 Quæritur VI. coram quo Parocho contrahere debeant vagabundi? Respondeo, hos debere contrahere coram Parocho alicujus loci, per quem transeunt. Ratio est: quia nullam habent certam Parochiam, sicut nullum habent certum domicilium, aut quasi-domicilium: ergo pertinent ad Parochiam cujuscunque loci, in quo transeunter existunt, nec habent alium Parochum, qui possit assistere eorum Matrimonio. Confirmatur. Quilibet Parochus locorum, per quæ vagi transeunt, potest eisdem administrare Sacramentum Pœnitentiæ: ergo etiam Matrimonio assistere. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 25. n. 11. Castropal. n. 11. Salmantic. n. 37. Mezger ubi suprà, n. 15. Magnif. P. Schmier n. 102. Vera est autem data responsio primo, licèt unus tantùm contrahentium, v.g. Sponsus, sit vagus, alter verò incola. Ratio est: quia, ut suprà diximus, quilibet Parochus contrahentium potest eorum Matrimonio assistere validè. sed Parochus incolæ in hoc casu est etiam Parochus vagi; ergo potest eorum Matrimonio assistere. Sanchez n. 14. Vera est secundo etiam de illis, qui priori domicilio relicto quærunt, ubi constituant aliud. Ratio est: quia hi tales sunt vagis annumerandi, quamdiu certam sedem non fixerunt actualiter, licèt eam fortè animò jam destinaverint; veluti suprà in tract. 3. disp. 2. a. 4. n. 38. docuimus.

De cætero mortaliter peccat Parochus, qui Matrimonio vagorum assistit, nisi priùs diligenter inquisiverit de statu & conditione ejusmodi hominum, réque ad Ordinarium delata ab eo licentiam assistendi obtinuerit. Ratio est: quia in re gravissima & valde necessaria agit contra præceptum Concil. Trid. talem assistentiam prohibentis. ait enim S. Synodus sess. 24. de Reform. Matr. cap. 7. *Multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, &, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. cui morbo cupiens S. Synodus occurrere &c.* Porrò istud Decretum Trid. ob rationis identitatem intelligi quoque debet de alienigenis alibi fixum domicilium habentibus. cùm enim ignoti sint, non potest constare, an non in alio loco *M*atrimonium jam contraxerint, nisi per diligentem inquisitionem: quando nempe in ea ætate aliunde advenerunt, in qua alibi poterant contraxisse *M*atrimonium. Sanchez n. 8. Salmantic. loco cit. Idem tamen Decretum non debet extendi ad vagos, qui in eodem loco vagantur per diversas Parochias, in quibus sufficienter noti sunt. circa hos enim cessat ratio Decreti. unde præmissis denuntiationibus conjungi licitè possunt à quolibet Parocho sine licentia Ordinarii. Salmantic loco cit.

Quæritur VII. Quis sit proprius Paro- 25
chus militum? Respondeo primo, si milites habeant Curionem, sive Capellanum castrensem, qui authoritate Sedis Apostolicæ, ejúsve Nuntii, vel Ordinarii ad Sacramentorum administrationem sit deputatus (quales habere dicuntur legiones Cæsareæ) tunc Parochum, qui assistat eorum *M*atrimoniis,

esse

esse talem Capellanum. Respondeo secundo. Si milites nullum penitus habeant Curionem, vel non gaudentem memorata deputatione, & per notabile tempus in uno loco, ut in præsidiis, aut hybernis, versentur, tunc coram Parocho ejus loci debent
25 contrahere: si nullibi per notabile tempus morentur, sed continuò migrent de loco in locum, tunc coram Parocho loci, per quem transeunt possunt contrahere Matrimonium. Ita Magnif. P. Schmier lib. 4. tract. 3. cap. 5. à n. 107. ubi etiam meminit declarationis Cardinalium in hanc rem ad instantiam Celsiss. & Reverendiss. Princip. & Episc. Frising. die 29 Jan. 1707. editæ. Ratio primæ partis est: quia per habitationem notabili tempore continuatam efficiuntur subditi illius Parochi. Ratio secundi est: quia tunc æquiparantur vagabundis.

26 Quæritur VIII. Quid sentiendum de Matrimonio eorum, quos Parochus assistens non noscit; vel quorum idioma non intelligit? Respondeo ad utrumque, ejusmodi Matrimonium esse invalidum, nisi in posteriore casu contrahentes loquantur per interpretem. Ratio est: quia, ut suprà docuimus, ad valorem Matrimonii requiritur ex parte Parochi præsentia moralis, ut nempe advertat ac sciat, quid agatur; utque de eo testificari possit: atqui Parochus, qui neque contrahentes noscit, neque eorum linguam intelligit, non est præsens hac tali præsentia morali; ergo. Vid. Schmier n. 136. Dixi, *nisi in posteriore casu &c.* cùm enim cæteri contractus possint per interpretem celebrari, idem de Matrimonio judicandum est. Confirmatur: In Sacramento Pœnitentiæ sufficit, si Sacerdos peccata Pœnitentis intelligat per interpretem, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quando Sacerdos non callet idioma Pœnitentis: ergo etiam in Matrimonio sufficit, si Parochus in simili casu consensum contrahentium intelligat per interpretem. Conseq. inde colligitur, quòd in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos non minùs debeat intelligere peccata Pœnitentis, cùm sit Judex, quàm Parochus consensum Sponsorum, dum assistit Matrimonio. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 39.

27 Quæritur IX. An Parochus Catholicus possit assistere Matrimoniis hæreticorum, si quos habeat in sua Parochia? Respondeo affirmativè. Ratio est: tum, quia post Concil. Constantiense hæreticos nec in sacris, nec in Politicis vitare tenemur, nisi denuntientur: tum, quòd Parochus assistens non concurrat ad sacrilegam susceptionem Sacramenti ut Minister, sed solummodò agat testem: tum, quòd sæpe nimis difficile sit talibus persuadere, ut accedant Prædicantem, & coram eo contrahant, adeoque tunc Parochi Catholici erit non denegare assistentiam. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 8. Reding to. 8. q. 9. a. 2. controv. 2. n. 27. Oberascher de Matr. cap. 3. §. 1. pag. 921. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 3. n. 11.

28 Quæritur X. An valeat Matrimonium, si contrahens aliud cognomen sibi affinxit? Quæstio procedit in casu, quo contracturus Matrimonium à Parocho, vel Ordinario, aut hujus Vicario licentiam obtinuit contrahendi coram alio Sacerdote. Respondeo, hoc tale Matrimonium esse invalidum. Ita Magnif. P. Schmier ubi suprà n. 144. referens ex Card. de Luca ita resolvisse S. Congregat. die 9 Febr. 1669. Ratio est: tum, quia delegatio, quæ stricti juris est, non extenditur ad personam aliam, quàm in illa nominatam. tum, quia sic in fraudem Concil. Trid. Matrimonium probari non posset, deque eo coram delegato Sacerdote contracto convinci ejusmodi personæ, quæ sub larva falsi cognominis contraxissent.

29 Quæritur XI. Quales testes ad Matrimonium contrahendum requirantur? Respondeo, sufficere quoscunque, modò sint duo vel tres, usu rationis præditos; nec opus esse, ut habeant eas qualitates, quæ in causis tum civilibus, tum criminalibus jure ordinario exiguntur. Sanchez lib. 3. de Matr. disp. 41. n. 5. Laym. n. 6. Castropal. de Sponsalib. disp. 2. pu. 13. §. 13. Oberascher pag. 915. Mezger n. 9. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 368. estque sententia communissima. Ratio est: quia Concil. Trid. non exigit ullas certas qualitates eorum testium, nec ullum genus hominum à testimonio hîc dicendo rejicit. Itaque testes hîc agere possunt etiam mulieres, parentes contrahentium, infames, excommunicati, servi, impuberes, infideles &c. tametsi ad id vocati, seu rogati non sint. Imò sufficiunt inviti, vi detenti, contradicentes, dummodò percipiant, quid rei agatur; ut suprà de Parocho dictum est.

Dices. Causa Matrimonialis est gravissima: cùm ergo Concilium Trident. ad probandum Matrimonium exigat testes, intelligi debet de testibus legitimis & omni exceptione majoribus. Respondeo neg. conseq. Quia in hac causa vitium testium aliunde suppletur, tum per præsentiam Parochi, tum per hoc, quòd ordinariè communi contrahentium consensu vocati ac rogati adhibeantur. Vid. Sanchez n. 9. Castropal. n. 3. Laym. loco cit.

§. III.

De Denuntiationibus, & Benedictione Nuptiarum.

SUMMARIUM.

30. *Denuntiationes non sunt de valore Matrimonii.* 31. *Parochus Matrimonium denun-*

denuntiare potest per alium. 32. *In quibus Parochiis fieri debeant denuntiationes?* 33. *Quid intelligat Trident. per dies continuos?* 34. *An denuntiationes semper faciendæ sint in Ecclesia, & die festo?* 35. *Denuntiationes ante contractionem Matrimonii omissæ fieri adhuc debent ante ejus consummationem.* 36. *Episcopus dispensare potest in denuntiationibus; at non Parochus.* 37. *Ob quas causas dispensari possit?* 38. *An conscii alicujus impedimenti teneantur id manifestare?* 39. *Quid observandum de benedictione Nuptiarum?*

30 JAm olim in Concil. Lateran. sub Innocentio III. ut constat ex cap. *ult. de clandest. desponsat.* præceptum fuerat, ut, antequàm Matrimonium contraheretur, trinæ ejusdem denuntiationes, seu proclamationes, fierent à Parocho. sed quoniam vel per desuetudinem, vel malitiam hominum vix non penitus exoleverat talis observantia, Concil. Trid. illud præceptum Lateranensis renovavit Sess. 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. verbis sequentibus: *In posterum, antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.* De quibus denuntiationibus supponitur, quod jam suprà notavimus, eas non esse de necessitate & valore Matrimonii, ita ut illis omissis Matrimonium debeat censeri irritum: veluti contra Menochium tradunt communissimè DD. Sunt igitur de necessitate præcepti Ecclesiastici graviter & sub mortali obligantis, nisi excuset legitima causa, vel interveniat dispensatio. Ratio est: quia finis hujus præcepti est gravis momenti, videlicet securitas legitimi Matrimonii, nè fortè interveniente impedimento occulto sit irritum, vel illicitum. cui malo ne eveniat, commodissimè occurri potest per trinam denuntiationem. hinc enim fieri potest, ut innotescat ejusmodi impedimentum. Sed juvat modò istud præceptum Tridentini per aliquot observationes ulteriùs declarare. Itaque

31 Observandum est I. Concil. Trident. proprio contrahentium Parocho, à quo fieri voluit Denuntiationes, non denegâsse potestatem eas faciendi per alium, cui hoc negotium committat. Ratio est: quia Concil. cap. cit. concedit Parocho, ut per alium Sacerdotem possit assistere Matrimonio: ergo à fortiori concedit, ut per alium possit denuntiare contrahendum Matrimonium. Nam, cui licet, quod est plus, licet, quod est minus. atqui Matrimonium denuntiare per alium est quid multò minus, quàm eidem per alium assistere; ergo. Vid. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 6. num 5. Mezger tr. 19. disp. 54. a. 3. num. 18. ubi ait cum eodem Sanchez, licentiam denuntiandi non tantùm Clerico, non Sacerdoti, sed etiam ædituo committi posse.

Observandum est II. si contracturi Matrimonium spectent ad diversas Parochias, denuntiandos esse per se loquendo in utraque Parochia. Ratio est: quia, si denuntientur in alterutra solùm Parochia, non satisfit intentioni Tridentini volentis ita fieri denuntiationes, ut impedimenta, siqua fortè intercedant, faciliùs innotescant. atqui hoc tam facilè non obtinebitur, si in una tantùm Parochia, in qua alter contrahentium est ignotus, fiant denuntiationes. Vid. Sanchez num. 6. Bonac. de Matrim. q. 2. pu. 5. num. 10. Castropal. de Sponsal. disp. 2. §. 3. num. 2. Reding to. 8. q. 9. a. 1. controv. 1. num. 17. Dixi, *si spectent ad diversas Parochias.* Nam, si tam Sponsus quàm Sponsa habeant domicilium in eadem Parochia, sufficit, si denuntientur in eadem Parochiali Ecclesia. Dixi, *per se loquendo.* Quia per accidens possunt sufficere denuntiationes factæ in alterutra tantùm Parochia: veluti primo, si Parochiæ sint valde propinquæ. Secundo, si alicubi vigeat consuetudo, ut denuntiationes fiant solùm in Parochia unius Sponsi, in qua celebrandæ sunt Nuptiæ. Vid. Oberascher de Matrim. cap. 3. §. 2. à num. 930. 32

Observandum est III. Per dies continuos, quibus faciendæ sunt denuntiationes, intelligi illos, inter quos non intercedunt alii multi dies festi: item, ita continuos, ut tamen unus non succedat immediatè alteri. Ratio primi est: quia, si multi dies intercedant, populus facilè obliviscetur primarum denuntiationum, sicque manifestationem impedimenti nimis diu differet. Vid. Bonac. num. 15. Reding num. 48. ubi etiam refert ex Barbosa, si Sponsi primùm contrahere velint quatuor mensibus post ultimam denuntiationem, repetendas esse priores. Rituale Romanum ait, esse repetendas, si non infra duos menses velint conjungi. Ratio secundi est: quia, si inter unam & alteram denuntiationem intercedat aliquod tempus, faciliùs veniri potest in notitiam impedimenti. Vid. Sanchez num. 8. Castropal. num. 3. Reding. loco cit. Mezger ubi suprà num. 19. Plures existimant, duorum saltem dierum intervallum debere inter unam & alteram denuntiationem intercedere. Observari tamen potest hac in re cujusque Ecclesiæ consuetudo, ait Layn. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 10. 33

Observandum est IV. nihil agi contra præceptum Concil. Trid. si extra Ecclesiam, vel 34

vel die non festo, dum frequens concio habetur, Matrimonium denuntietur. Ratio est: quia Concil. ideo solùm videtur voluisse, ut denuntiationes fiant in Ecclesia inter Missarum solemnia, ac festis diebus, quòd ibi eo tempore convenire soleat magna multitudo fidelium: ergo, si hoc idem contingat interdum extra Ecclesiam, aut diebus non festis in Ecclesia, satisfit intentioni Concilii tunc denuntiando Matrimonium. Vid. Sanchez n. 9. & 10. Bonac. n. 17. & 18. Reding n. 50. & 51. ubi ex Gobato & Marchantio advertit, non esse improbandum morem locorum, in quibus nonnunquam peraguntur denuntiationes post concionem habitam, jam finitâ Missâ, aut in Vesperis, quibus major pars populi interest: præsertim, quando in Missa per inadvertentiam fuerunt omissæ.

35 Observandum est V. si denuntiationes ante Nuptias factæ non fuerunt, esse faciendas post Nuptias ante consummationem Matrimonii. Ratio est: quia sic præscribit Concilium Trid. cap. cit. ut nempe, si fortè subsit impedimentum dirimens, ante copulam fornicariam detegatur. Vid. Laym. n. 11. Unde probabilius est, conjuges peccare mortaliter, quando non exspectatis denuntiationibus consummant Matrimonium. Sanchez lib. cit. disp. 11. n. 3. Oberascher ubi suprà pag. 926. Ratio est: quia Sponsi sub mortali tenentur non contrahere Matrimonium ante peractas denuntiationes, nisi justa causa excusans, aut dispensatio intercedat; ut dictum est in n. 30. Ergo etiam sub mortali tenentur non consummare Matrimonium contractum non præmissis denuntiationibus, nisi istæ fiant ante consummationem, supposito, quòd nulla intercedat justa causa excusans, vel dispensatio. Conseq. inde prob. quòd causa, propter quam Concilium voluit præmitti denuntiationes consummationi Matrimonii ante contractionem omissas, est itidem gravis momenti, scilicet securitas liciti usûs Matrimonii. Confirmatur. Parochus mortaliter peccat, si non præstet, ut fiant denuntiationes ante consummationem, quando non sunt factæ ab initio: ergo etiam conjuges peccant mortaliter, si consumment Matrimonium non expectatis denuntiationibus. Sanchez, Oberascher locis citt. qui posterior rectè monet, si denuntiationes priùs omissæ fieri debeant adhuc ante consummationem Matrimonii, conjuges à Parocho esse monendos, ut interim à thoro abstineant.

36 Observandum est VI. Episcopis à Concil. Trid. ubi suprà concessam esse potestatem dispensandi, ut, si pro sua prudentia & judicio viderint expedire, vel semel tantùm, vel contracto primùm jam Matrimonio, vel omnino nunquam fieri curent denuntiati. Quam eandem potestatem dispensandi posse Episcopum delegare Vicario Generali, Decano rurali, vel Parocho docet cum aliis Mezger ubi suprà n. 20. Propria tamen authoritate Parochum hîc dispensare non posse ex eo satìs colligitur, quòd memoratum Concil. nullam ejusmodi facultatem Parochis concessisse inveniatur; adeoque non immutaverit dispositionem juris antiqui in *cap. fin. de clandest. desponsat.* & Concil. Lateran. juxta quam Parochus dispensare non potest. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 7. n. 17. Castropal. de Sponsal. disp. 2. pu. 13. §. 4. n. 3. Ad Parochum nihilominùs pertinet in casu necessitatis, ubi periculum in mora, & recursus ad Episcopum moraliter impossibilis est, declarare, legem de faciendis denuntiationibus non obligare per epikeiam: ut, si quis morti vicinus cum concubina contrahere velit ad legitimandam prolem, ad securiore animo decedendum &c. Vid. Laym. n. 11. Mezger n. 21. Oberascher n. 917.

Cæterùm causæ, ob quas in denuntia- 37
tionibus dispensare potest Episcopus, variæ afferuntur ab Authoribus. Reding q. 9. a. 1. controv. 1. à n. 23. omnino tredecim adducit ex Gobato. Potissimæ videntur, si Magnates volunt contrahere. si ob nimiam disparitatem ætatis, vel conditionis sponsi notabiliter pudefierent. Si nullum timeatur subesse impedimentum. si Nuptiæ ob propinquitatem temporis, quo benedici prohibentur, commodè differri nequeant. In his casibus Ordinarius dispensare potest, sed non tenetur. Oberascher pag. 938. Aliæ porrò causæ sunt, ob quas Episcopus non tantùm potest, sed etiam tenetur dispensare: ut, si prudenter timeatur, ne Matrimonium malitiosè impediatur. si periculum sit in mora, & ex dilatione Matrimonii magnum in bonis, sive animæ, sive fortunarum, sive famæ detrimentum oriturum prævideatur. si ex factis denuntiationibus magnum scandalum oriretur. Ac denique universim, si bonum commune postulet, ut denuntiationes omittantur. Vid. Laym. Oberascher locis citt.

Nunc illud adhuc quæritur, an conscius 38
alicujus impedimenti teneatur id manifestare, auditis denuntiationibus? Respondeo primo. Quando impedimentum est publicum, vel facilè probari potest, quilibet, qui habet ejus notitiam, manifestare tenetur. Ratio est: quia quilibet tenetur impedire, cùm facilè potest, ne sponsi invalidè, aut illicitè contrahant. Vid. Castropal. pu. cit. §. 6. n. 1. Respondeo secundo. Quando impedimentum est occultum, & contracturi impetrârunt dispensationem pro foro conscientiæ, nulla est obligatio detegendi id impedimentum. Ratio est: quia tunc cessat finis hujus obligationis, qui est, ut impediatur vel peccatum proximi, vel nullitas Matri-

monii.

monii. Vid. Castropal. n. 2. Sanchez lib. cit. disp. 13. n. 8. Respondeo tertio. Qui ex auditu tantùm novit impedimentum, nec recordatur, à quonam acceperit eam notitiam, non tenetur id manifestare; præsertim, si diffamatorium sit. Ratio est: quia inutiliter manifestaretur. Vid. Sanchez n. 7. Castropal. n. 3. Reding a. cit. controv. 3. n. 19. Dixi: *nec recordatur &c.* Nam si recordetur, refert, an persona, à qua id accepit, sit fide digna, vel non? Si primum; tenetur manifestare. Ratio est: quia Episcopus, vel Parochus ejusmodi personam occultè saltem ad se vocare potest, ejusque testimonium recipere. Si secundum; non tenetur manifestare. Ratio est: quia testimonium talis personæ, utpote nullius momenti, non meretur recipi: ergo nulla est obligatio manifestandi: præsertim, si impedimentum sit diffamatorium. Sanchez, Castropal. loc. cit.

Respondeo quarto. Conscius impedimenti occulti tenetur sub peccato mortali id manifestare, quamvis probare non possit. Ita verior sententia. Ratio est: tum, quia quilibet ex præcepto Divino tenetur impedire grave malum & peccatum proximi, quale est contrahere Matrimonium cum impedimento quocunque. tum; quia id exigit reverentia Sacramento debita. tum: quia etiam præceptum Ecclesiasticum ad hoc obligat, & quidem graviter; utpote propter finem momenti gravis. Dices. In aliis rebus nemo tenetur denuntiare, quod probare non potest; ne videlicet reputetur pro impostore vel calumniatore: ergo nec in casu præsenti. Respondeo, Ant. esse verum, quando agitur de punitione, vel condemnatione alicujus; non autem, quando agitur de impediendo gravi damno, vel peccato proximi, ut fit in præsenti. Accedit, quòd detegenti hîc impedimentum non incumbat onus probandi, sed ad Ordinarium, vel Parochum pertineat audita detectione, quid faciendum sit, providere. Vid. Salmantic. tract. 9. cap. 8. pu. 8. num. 98.

De cætero observandum est primo, impedimentum Matrimonii non esse statim deferendum ad Superiorem, sed priùs fraternè admonendum illo laborantem, ut à contractione Matrimonii abstineat, si ejusmodi admonitio profutura speretur, & quamdiu speratur. Ratio est: quia id exigit lex fraternæ Charitatis, ut quàm minimo damno famæ, aut incommodo proximi ejus malum, vel peccatum avertamus. Sanchez num. 3. Castropal. num. 5. Observandum est secundo, conscium impedimenti obligati ad ejus manifestationem, tametsi illud cognoverit sub secreto naturali, & jutaverit, se non manifestaturum. Ratio est: quia præceptum Superioris, reverentia Sacramenti, & salus animæ proximi prævalere debent tam obligationi secreti, quàm juramenti adjecti. Accedit, quòd juramentum non sit vinculum iniquitatis; adeoque hîc non possit obligare ad servandum secretum. Sanchez num. 5. & 6. Salmantic. num. 99. Observandum est tertio, cessare memoratam obligationem manifestandi impedimentum, quando ex manifestatione grave malum, aut damnum in honore, fortunis, vita imminet vel ipsi manifestanti, vel alteri innocenti. Ratio est: quia nemo cum gravi suo incommodo tenetur procurare correctionem proximi: ut satis colligitur ex suprà dictis in tract. 5. disp. 1. a. 5. §. 4. de fraterna Correct. Deinde neque lex Charitatis, neque reverentia debita Sacramenti, neque obedientia erga Superiorem Ecclesiasticum obligant ad manifestationem impedimenti conjunctam cum gravi malo, gravique damno innocentis. Vid. Castropal. loco cit. Gobat apud Reding to. 8. q. 9. a. 1. controv. 3. num. 9. Sanchez num. 4. Oberascher de Sacram. tr. 2. cap. 3. §. 2. pag. 934.

Corollarium. Etiam quilibet contracturus Matrimonium conscius impedimenti occulti tenetur id manifestare, sive de hoc interrogetur à Superiore Ecclesiastico, sive non. Ratio est: quia, si interrogetur, debet obedire, ac respondere ad mentem interrogantis detegendo impedimentum: sicut ordinandus, dum interrogatur ab Episcopo, debet detegere vitium, vel defectum occultum, qui ipsum reddit incapacem Ordinis. Si non interrogatur, tenetur nihilominùs manifestare, ne injustè se ingerat contractui, quem non potest jure celebrare. Vid. Castropal. num. 6. Salmantic. num. 101. Neque refert primo, quòd ex ejusmodi manifestatione sequatur propria infamia manifestantis. cùm enim possit evitare infamiam abstinendo à Matrimonio, nec velit abstinere, ut supponitur, non excusatur ab obligatione manifestandi, & sibi ipsi debet imputare infamiam. Neque refert secundo, quòd juxta cap. *Qualiter & quando. de Accusat.* Judex nequeat inquirere, non præcedente infamia; adeoque nec interrogatus teneatur fateri veritatem. cùm Judici juridicè non interroganti non teneatur obedire. Respondetur enim, in illo Canone esse sermonem de inquisitione, quam Judex exercet in ordine ad puniendum delictum: qualem non exerceret in nostro casu Superior Ecclesiasticus, sed inquirit in ordine ad delictum impediendum. Vid. Sanchez. lib. cit. disp. 14. n. 5. Oberascher pag. 935.

Quæritur demum, quæ de benedictione Nuptiarum sint observanda? Respondeo primo. Non est peccatum mortale, imò probabiliùs nec veniale, Matrimonium con- 39

sum-

ſummare non præmiſſa benedictione Eccleſiæ, ſi abſit contemptus, aut ſcandalum. Ratio eſt: quia Concil. Trident. illa Seſſ. 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. hortatur quidem conjuges, ut ante eam benedictionem non conſumment Matrimonium, ſed non præcipit. adeoque ſolùm conſulit. conſilium autem non ſequi ex ſe peccatum non eſt. Vid Sanchez lib. cit. diſp. 12. num. 7. Caſtropal. pu. cit. §. 5. num. 8. Reſpondeo ſecundo. Benedictio non ſecundis, ſed primis tantùm Nuptiis adhibenda eſt. Ratio ſumitur ex cap. *Vir. de ſecund. Nuptiis:* quia benedictio alicui rei ſemel impertita iterari non debet. Verùm conſuetudo jam obtinuit contrarium, ut videlicet Nuptiæ virginis, ſeu primò nubentis viduo benedicantur: imò, ut alicubi benedicantur, ſi alter conjugum benedictionem non recepetit, quamvis uterque ſit viduus. Optimum proinde fuerit in hac re obſervare conſuetudinem Diœceſis, ut monet Sa *verbo. Benedictio.* & Oberaſcher pag. 942. Reſpondeo tertio. Nuptiæ benedicendæ ſunt à proprio Parocho contrahentium, vel alio Sacerdote de illius licentia; quemadmodum præſcribit Concil. Tridentin. cap. cit. Benedicendæ præterea ſunt in templo inter Miſſarum ſolemnia; ſicut declaravit. ſac. Congregatio Rit. Anno Chriſti 1630. die 13. Julii.

ARTICULUS VI.

De Proprietatibus Matrimonii.

Ex his potiſſimæ ſunt Unitas, & Indiſſolubilitas. quas proinde declarabimus in præſenti Artic. aliaque addemus eódem pertinentia.

§. I.

De Unitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

1. *Quid Monogamia, Polygamia, Bigamia.* 2. *Licita eſt Bigamia.* 3. *Non tamen Polygamia, ſive maſculina,* 4. *ſive fœminina.* 5. *In Lege veteri Polygamia fuit licita ex Divina diſpenſatione.* 6. *In nova Lege penitus ceſſavit ea Diſpenſatio.* 7. *Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in Polygamia.* 8. *An Deus diſpenſare poſſit in Polygamia maſculina?* 9. *Cur Eccleſia benedici prohibuerit ſecundas Nuptias?*

1 UNitas Matrimonii, ſeu Monogamia, in eo ſita eſt, ut ſit unius viri cum una fœmina, & unius fœminæ cum uno viro. Huic oppónitur Polygamia, ſive Matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus, vel unius uxoris cum pluribus viris, qui ſimul ſuperſint, ac retineantur. Ab iſtis diſtinguitur Bigamia in eo, quòd ſit Matrimonium unius cum pluribus ſucceſſivè, ita ut uno conjuge mortuo cum alio contrahatur. Nunc pro declaranda velut ex contrario unitate Matrimonii.

2 Dico I. Licita eſt Bigamia, id eſt: Matrimonium alterum, tertium &c. poſt mortem prioris conjugis licitè contrahitur. Concluſio eſt de fide, contra Montanum, & Cataphrygas, quibus etiam adhæſit Tertullianus, ſecundas Nuptias eſſe fornicationem aſſerentes. Contra quam hæreſim pro veritate Catholica ſufficit audire Apoſtolum 1. ad Corinth. 7. ubi, *ſi dormierit,* inquit, *vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat.* & 1. ad Timoth. 5. ubi de viduis, quæ caſtitatem non voviſſent, inquit: *volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe.* Accedit etiam ratio ex Divo Thoma in Supplem. 3. part. q. 63. a. 2. quia diſſolutum per mortem alterius conjugis primum Matrimonium non poteſt ampliùs impedire, quominùs conjunx ſuperſtes alioquin habilis ad conjugium (uti ſupponitur) inire poſſit novum Matrimonium cum perſona ſimiliter habili.

3 Dico II. Polygamia maſculina, ſive conjugium unius fœminæ cum pluribus viris, prohibita eſt non ſolùm jure Divino, ſed etiam naturali. Ita vera & ab omnibus recepta ſententia. Et quidem prohibitam eſſe jure Divino colligitur apertè ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. ubi ſcribit: *iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* In quibus verbis, ut vides, mulieri à viro ſeparatæ prohibetur, ne Matrimonium ineat cum alio; adeóque multò magis ne plures ſimul viros retineat. Eſſe verò prohibitam jure naturæ, inde deducitur, quòd ſit contra finem primarium, ad quem ex ſua primaria inſtitutione ordinatur Matrimonium. Impedit enim generationem prolis per commixtionem diverſorum ſeminum, prout impediri conſtat in meretricibus. Impedit etiam educationem prolis.

cùm enim nulli maritorum constaret, cujus esset, nullus ejusdem educationem susciperet. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 6. num. 9. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 1. Salmantic. tract. 9. cap. 5. pu. 1.

4 Dico tertio. Polygamia fœminina, sive conjugium viri unius cum fœminis pluribus, prohibita est jure humano, Divino, & naturali. Prima prohibitio habetur in Concil. Trident. sess. 24. de Matrim. can. 2. ubi dicitur: *siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege Divina esse prohibitum; anathema sit.* Ex quibus verbis etiam patet, quàm certum sit, exstare prohibitionem secundam. Exstat autem in illo Genes. cap. 2. *& erunt duo in carne una.* Si enim vir unus plures simul uxores habere posset, non essent duo in carne una, sed potiùs divisio esset in plures carnes. quod optimè annotavit Innocentius III. in cap. *gaudemus. de divortiis.* Unde etiam Christus Dominus Matth. 19. & Marci 10. docuit, adulterium esse, siquis dimissa uxore (& multò magis, si retenta) aliam ducat. Tertia prohibitio traditur à Divo Thoma in citat. Supplem. q. 65. a. 1. quia, licèt pluralitas uxorum non repugnet fini primario Matrimonii, scilicet procreationi, & educationi liberorum, multùm tamen obstat ejus fini secundario, qui est mutuum obsequium viri & mulieris in domestica consuetudine vitæ conjugalis. Non enim facilè pax posset consistere in familia, ubi plures fœminæ uni viro jungerentur. tum, quia, ut fert ingenium mulierum, facillimè inter illas invidiæ, æmulationes, & contentiones orirentur, idque maximè, si alia minùs quàm alia à viro diligeretur. tum, quia vir unus non posset ad votum satisfacere pluribus uxoribus. & quid, si eodem tempore debitum peterent? tum, quia communicatio plurium in eodem officio est causa litium. ex quo capite, ut ait Aristoteles, figuli corrixantur ad invicem. Atque hinc etiam Sara non potuit domi tolerare Agar. Genes. cap. 21. & Rachel propter fœcunditatem invidebat Liæ, Genes. cap. 30. Phenenna quoque Annæ insultabat propter sterilitatem. 1. Reg. 1. Vid. Valent. to. 4. disp. 10. q. 1. pu. 3. Salmantic. pu. citat. num. 20.

5 Objicies. Plures viri Sancti, ut Abraham, Isaac, Jacob, David, & alii habuerunt plures simul uxores, ut ex S. Script. notum est: ergo id ipsis non erat prohibitum lege Divina, aut naturali. Respondeo neg. conseq. Quia non erat illis licitum habere plures uxores, nisi supposita, & per internam inspirationem manifestata dispensatione DEI. Sed quomodo, inquies, Deus hîc dispensare potuit, ac reddere licitum, quod jure naturæ prohibetur? Respondeo, Deum dispensâsse non formaliter & propriè, sed materialiter & improprie, scilicet immutando materiam contractus Matrimonialis, quod præstitit uni marito ex vi supremi dominii sui tribuendo jus non solùm in corpus unius, sed plurium uxorum, cùm tamen ex prima institutione Matrimonii ejus materia sit jus in corpus unius tantùm. Exempla ejusmodi dispensationis materialis plura exhibet Illsung tract. 6. disp. 9. quæst. 5. a. 1. num. 151. Mezger to. 2. tr. 8. disp. 32. artic. 3. Porrò incommoda, ratione quorum pluralitas uxorum obstare nata est fini secundario Matrimonii, Deus temperavit, vel etiam removit specialibus auxiliis, & legibus: ea quoque compensavit excellentiâ finis à se intenti, qui erat multiplicatio populi fidelis ad cultum ampliorem DEI. Vid. Illsung loco cit. Ex dictis

6 Infertur primo, Dispensationem Divinam, per quam in lege antiqua licita erat polygamia fœminina, penitus cessâsse in lege Evangelica. Ratio est: quia Christus locis citt. in num. 4. ac insuper Matth. 5. Matrimonium reduxit ad primævam sui institutionem. Constat etiam ex citat. can. 2. Concilium Tridentin. & cap. *gaudemus. de divortiis.* Dices. Etiam in Lege Evangelica adhuc necessaria est multiplicatio populi ad cultum DEI, quæ fuit finis antiquæ dispensationis: ergo adhuc perseverat hæc dispensatio. Respondeo negat. Ant. quia *veniente Christo fuit tempus plenitudinis gratiæ Christi, per quam cultus DEI in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est: & ideo non est eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi adventum, quando cultus DEI carnali propagatione multiplicabatur, & conservabatur.* Sanct. Thomas in Supplemat. quæst. 65. artic. 2. ad 4.

7 Infertur secundo, Summum Pontificem in hac polygamia, seu pluralitate uxorum, non posse dispensare. Ratio est: tum, quia Papæ non competit dominium in humana corpora. tum, quia Christus non concessit illi potestatem hic dispensandi. nullum enim hujus concessionis habetur fundamentum. Vid. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 10. num. 4. Castropal. ubi suprà num. 5.

8 Infertur tertio, quamvis Deus non inveniatur aliquando dispensâsse in Polygamia masculina, nullam tamen,

quo-

quominùs dispensare possit, apparere repugnantiam. Ratio est: quia Deus tanquam supremus omnium rerum Dominus potest uni fœminæ tribuere jus in corpora plurium virorum, ita ut habeat plures viros simul; sicut uni viro ex vi supremi dominii potest tribuere jus in corpora plurium fœminarum; velut ex dictis supponitur. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 80. num. 15. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 5. num. 9. Salmantic. tract. 9. cap. 5. pu 1. num. 3. Cæterùm Summum Pontificem in hac Polygamia non posse dispensare, constat à fortiori ex dictis in n. proximè priori.

9 Infertur quarto, Matrimonium, quod mortuo priori conjuge initur à superstite cum alio, non esse idcirco improbandum, quòd Ecclesia sanxerit in cap. *vir. de secund. Nuptiis.* secundò contrahentes Matrimonium non esse benedicendos. Ratio est: quia Ecclesia non ideo ita statuit, quòd secundæ Nuptiæ sint illicitæ, sed quia, ut tradit Divus Thomas in Supplem. q. 63. a. 2. ad 2. ejusmodi Matrimonium *non habet plenam significationem. cùm non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi & Ecclesiæ.* Ex qua eadem ratione bigami etiam incurrunt Irregularitatem. cap. *de Bigam.* Neque dicas, in Concil. Laodiceno can. 1. transeuntibus ad secundas Nuptias imponi pœnitentiam; & consequenter reputari illicitas: respondetur enim, solùm imponi ob præsumptam conjugum intemperantiam, Matrimonio cæteroquin minimè improbato. Vid. Castropal. num. 1. Reding to. 8. q. 6. a. 1. contov. 1. num. 1.

§. II.

De Indissolubilitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

10. *Exponitur status quæstionis.* 11. 12. *Statuitur, & probatur, Matrimonium esse indissolubile jure Divino & naturali.* 13. 14. 15. *Solvuntur Objectiones.* 16. *Matrimonium quoad vinculum non potest dissolvi propter adulterium.* 17. *Christus Matth. 19. de sola separatione quoad thorum fuit locutus.* 18. 19. *Summ. Pontifex non potest dispensare in Matrimonio consummato, sive fidelium, sive infidelium.* 20. *Potest tamen dispensare in Matrimonio rato fidelium.* 21. 22. 23. *Solvuntur Objectiones.* 24. *Pontifex nec licitè, nec validè dispensare potest in Matrimonio rato sine justa causa.* 25. *Recensentur justæ causæ dispensandi.*

10 DUplex cogitari potest Matrimonii dissolutio. Prima est quoad thorum solummodò, dum nempe conjuges liberantur ab obligatione cohabitandi & reddendi debitum, manente vinculo, quo prohibentur ad alias Nuptias transire. Secunda quoad vinculum, quando vel utrique, vel alterutri conjugum fit liberum ad alias Nuptias transire; adeoque totus status Matrimonii dissolvitur. Nos in præsenti de indissolubilitate Matrimonii, cui opponitur hæc secunda dissolutio, agemus. Nunc igitur

11 Dico I. Matrimonium est indissolubile. Ita certissima Catholicorum sententia, sive sermo sit de Matrimonio consummato, sive non consummato. Ratio est: tum, quia indissolubilitas numeratur inter præcipua bona Matrimonii. tum, quia in ejus definitione per particulas individuam vitæ consuetudinem continens significatur illud esse indissolubile. tum, quia, ut loquitur Concilium Trident. sess. 24. de Matrim. *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit: hoc nunc os &c.* Vid. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 2. num. 30. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 11. num. 1. Salmantic. tract. 9. cap. 4. pu. 1. num. 11. Unde nullum esset Matrimonium eorum, qui intenderent contrahere solùm ad tempus.

12 Dico II. Matrimonium non tantùm jure Divino, sed etiam naturali est indissolubile. Prima pars constat tum ex illo Genes. cap. 2. *Quamobrem relinquet homo . . . & adhærebit uxori &c.* tum ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* tum ex 1. Corinth 7. *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. quòd si discesserit, manere innuptam.* Ratio secundæ partis est: quia inprimis ipse contractus Matrimonii ex natura sua ordinatur ad mutuum amorem & fidem conjugalem. ad hujus autem perfectionem spectat perpetuitas. Deinde, *quia*, ut argumentatur Divus Thomas in 4. dist. 33. q. 2. a. 1. *Illud præcipuè est de Lege naturali, quod natura bene instituta accipit in suo principio: sed inseparabilitas est hujusmodi, ut patet Matth. 19. ergo est de Lege naturæ.* Demum. Si contrahentes vel pro libitu, vel ex consensu Superioris, quem viderent esse procurabilem, à se mutuò recedere, & ad alios accedere possent, nimiùm laxarentur fœna libidini, nec ulla ferè Matrimonia firma subsisterent. Vid. Bonac. num. 2. Salmantic. à num. 16. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 5. a. 2. num. 153. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 4.

13 Objicies primo. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. cap. 1. *de Reg. Juris.* sed Matrimonium nascitur per mutuum contrahentium consensum; ergo etiam per eundem dissolvitur: & consequenter non est indissolubile jure naturali. Respondeo; illam regulam Juris esse veram de illis, quæ ratione finis, ad quem ex natura sua ordinantur, non exigunt esse perpetua. Atqui Matrimonium ratione finis sui exigit esse perpetuum; ut in n. primùm præced. dictum est; ergo.

14 Objicies secundo. Quod quis potest in perpetuum, id potest etiam ad tempus: sed contrahentes Matrimonium possunt sibi invicem tradere corpora in perpetuum; ergo etiam possunt ad tempus; quo proinde transacto dissolvi potest Matrimonium. Respondeo ex dictis similiter, maj. esse veram, nisi id, quod quis potest in perpetuum, ratione finis exigat perpetuitatem.

15 Objicies tertio. Judæi per libellum repudii poterant dimittere suas uxores: ergo Matrimonium non est indissolubile jure naturali & Divino. Conseq. videtur aperta: quia Deus alioquin non permisisset ejusmodi dimissionem uxorum. Respondent aliqui, repudium fuisse permissum Judæis tanquam minùs malum, ne videlicet occiderent uxores, & à vero Dei cultu desciscerent. Sed meliùs respondetur, id eisdem fuisse concessum ex dispensatione Divina. cùm non videatur credibile, Deum permisisse, ut toto Judaismi tempore Hebræi, etiam pii & sancti, ignorarent esse malum ac peccaminosum dimittere legitimam uxorem, illaque adhuc vivente ducere aliam. Vid. Mezger num. 6.

16 Corollarium. Matrimonium non potest dissolvi propter adulterium. Ratio est: quia jure naturali & Divino est indissolubile vivente altero conjuge; ut in num. 12. probavimus. Docuit hoc etiam Apostolus Rom. 7. illis verbis: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Definivit præterea Concilium Trident. sess. cit. can. 7. anathemate percellens eum, qui dixerit, *Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c.*

17 Objicies verba Christi apud Matthæum cap. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ubi Dominus apertè concedit, propter adulterium esse licitum dimittere uxorem. Neque juvat, si dicas, id esse intelligendum de dimissione solùm quoad thorum, & habitationem: quia sic responsio Christi non fuisset ad rem: cùm Pharisæi interrogaverint de dimissione quoad vinculum. Ita hoc loco abutuntur Lutherus, & alii Sectarii, eoque probare conantur vinculum Matrimonii propter adulterium alterius conjugis dissolvi. sed non favent miseris ea Christi verba. Nam inprimis exceptio, *nisi ob fornicationem* referri potest tantùm ad id, quod præcessit: *quicunque dimiserit uxorem suam;* & non ad id, quod sequitur: *& aliam duxerit:* ita ut sensus sit: Quicunque dimiserit uxorem, quod non licet, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ubi vides Dominum loqui de sola dimissione, sive separatione quoad thorum. nam si in casu excepto fornicationis etiam dimissionem quoad vinculum licitam esse dicit, quomodo verum erit, eum, qui aliam duxerit, aut dimissam duxerit, fieri mœchum? Deinde, illa exceptio referri potest ad utrumque, tam ad id, quod sequitur, quàm ad id, quod præcessit: & tunc sensus est: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi id faciat ob fornicationem illius, mœchatur: & quicunque aliam duxerit, mœchatur. ille quidem mœchiâ alienâ, eò quòd præbeat uxori occasionem mœchandi: iste verò mœchiâ propriâ; quia accedit ad non suam. Atque hæc expositio conformis est aliis Christi verbis Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Vid. Cornel. à Lapide in Matth. cap. 19. Gonet to. 5. tract. 8. disp. 4. a. 3.

18 Nunc illa quæstio resolvenda occurrit, an Matrimonium dissolvi possit per dispensationem Summi Pontificis? Ad quam respondeo I. Matrimonium consummatum fidelium non potest dissolvi per dispensationem Pontificiam. Ita communiter omnes Catholici. Ratio est: tum, quia Matrimonium consummatum significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia per carnem. tum, quia illius dissolutio est contra bonum prolis, & conjunctum cum gravibus damnis partis relictæ. tum, quia nunquam auditum est hactenùs, Summum Pontificem aliquando dispensâsse in Matrimonio consummato, quamvis gravissimæ causæ ad id faciendum urgerent. quod signum est, illum non habere potestatem dispensandi. tum, quia Christus dicit Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet:* quod de Matrimonio consummato intelligendum venit.

19 Respondeo II. Neque Matrimonium consummatum infidelium per dispensationem Summ. Pontif. dissolvi potest. Ratio est: tum, quia etiam de hoc Matrimonio intelligi debet prohibitio Christi primùm addu-

adducta. tum, quia licèt non habeat insolubilitatem ex significatione, & ratione Sacramenti, habet tamen ex eo, quòd per illud conjuges efficiantur una caro, ejusque dissolutio repugnaret bono prolis, & cederet in damnum alterius conjugis. tum, quia infideles non sunt subjecti Pontifici; consequenter nulla ei competit potestas in ipsorum Matrimonia. Quòd si aliquando dissolvatur tale Matrimonium, cùm alteruter convertitur ad fidem, id contingit ex dispensatione Christi, de qua agit Apostol. 1. Corinth. 7. ut in disp. seq. tractantes de Impedimento disparis cultus docebimus. Vid. Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 13. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 4. num. 14. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 5. a. 2. num. 157.

20 Respondeo III. Summus Pontifex in Matrimonio rato fidelium dispensare potest, idque hoc modo dissolvere. Ita hodie ferè communis, & passim recepta sententia. Quæ prob. primo argumento; quod est ab actu affirmativè ad potentiam, in hunc modum: Pontifices jam sæpe dispensârunt in Matrimonio rato: ergo possunt dispensare. Conseq. est bona. Ant. ostenditur inductione, quam exhibet Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 2. cap. 5. à num. 17. ubi ex Authoribus fide dignissimis recenset novem omnino Pontifices, qui dispensârunt. ex quibus Gregorius XIII. id fecit undecies una. His novem Pontificibus addendus est decimus, nempe Innocentius X. qui post longas & acres de hac potestate inter Theologos disputationes ea fuit usus circa vulgarem opificem nullius gratiâ suffultum, ut præter alios refert Reding to. 8. q. 6. a. 2. controv. 3. num. 3. Unde non dixit nimium P. Gobat, quando in sua Theolog. experim. tr. 10. num. 691. asseruit, sententiam oppositam non ampliùs defendi posse sine contumelia Sedis Apostolicæ. Quis autem æquis auribus ferat dicentem, tot Summos Ecclesiæ Pastores in re gravissima, & ad mores maximè pertinente errâsse, & quidem toties, limitesque suæ potestatis excessisse? Unde nullius momenti est, quod respondent Authores contrarii, Pontifices sententiam nostram fuisse secutos tanquam probabilem, ideoque non peccâsse dispensando, utpote excusatos per ignorantiam invincibilem. quia sic jam fatentur, Pontifices errâsse saltem speculativè, reque ipsa in usu suæ potestatis processisse irritè, & plurima Matrimonia, quæ prudenter judicabant, se dissolvisse, minimè dissolvisse: quod sanè absurdum esset, ac rectæ gubernationi Ecclesiæ dissentaneum.

Probatur nostra Responsio secundo. Quia S. Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus cum traditione clavium data est universalis potestas solvendi & ligandi: ergo memorati Pontifices habent potestatem universalem solvendi omnia vincula seu peccatorum, seu obligationum, quibus tenentur fideles, præterquam in casibus, & legibus quibusdam exceptis: ergo etiam habent potestatem solvendi vinculum Matrimonii, nisi quoad hoc indefinita illa potestas inveniatur restricta. Atqui non invenitur restricta quantùm ad Matrimonium ratum, sed solummodo quoad Matrimonium consummatum, illis Christi verbis apud Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed jam audiamus argumenta sententiæ oppositæ.

Objicies primo. Summus Pontifex non 21
potest dispensare in Polygamia: ergo nec in Matrimonio, etiam rato. Ant. supponitur ex n. 7. Conseq. indo colligitur, quòd dissolutio magis repugnet naturæ Matrimonii, quàm Polygamia. Respondeo neg. Conseq. quia Christus summo Pontifici non concessit potestatem dispensandi in Polygamia, ut dictum est in n. cit. sicut tamen concessit potestatem dispensandi in Matrimonio rato.

Objicies secundo. Matrimonium ra- 22
tum jure naturali & Divino, in quorum neutro dispensare potest Pontifex, est indissolubile: ergo idem non potest dispensare in Matrimonio rato. Respondeo primo, hoc argumento, si paullùm immutetur, probari, quòd neque in Sponsalibus, aliisque contractibus, neque in votis Summus Pontifex dispensare possit. hoc autem est probari nimium. Respondeo secundo, Pontificem quidem non posse dispensare in jure Divino absoluto, posse tamen in jure Divino relativo, id est, fundato in libera voluntate, & contractu humano, qualis est etiam Matrimonium ratum. In hoc autem ipso jure Pontifex non dispensat directè, sed indirectè solùm, tollendo videlicet, vel irritando pactum, promissionem, contractum, aut consensum ob jus, quod habet in actus humanos fidelium, quorum voluntates ipsi subjectæ sunt in ordine ad bonum salutis æternæ. Atque hæc eadem de jure naturali intelligenda sunt proportionaliter. Vid. Reding to. 8. q. 6. a. 2. controv. 3. n. 5. & quæ nos suprà diximus parte 3. disp. 2. §. 5. n. 47.

Dices. Si vera est solutio primùm data, 23
sequitur, etiam principem sæcularem posse dispensare in Matrimonio rato, idque dissolvere, præsertim inter infideles, in quibus non est Sacramentum. cùm princeps sæcularis non minorem habeat potestatem in contractus civiles suorum subditorum, eisque leges contrahendi possit statuere non minùs, quàm Sum. Pontifex. Respondeo neg. seq. licèt enim Princeps sæcularis ex memorata potestate in subditos infideles possit eisdem divortium quoad thorum, & cohabitationem

concedere, ipsum tamen contractum Matrimonii irritare, sicque ejus vinculum dissolvere, non potest. Neque enim erat consultum, ut ejusmodi Principes talem à Deo potestatem acciperent. Nam & longè faciliùs eadem fuissent abusi, & subditi ejus exercitium sibi frequenter procurâssent iniquè falsas causas suæ libidini prætexendô. Vid. Salmantic. tr. 9. cap. 4. pu. 2. n. 69. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 5. a. 2. n. 157. ubi etiam notat, olim Romanos, & ipsum etiam Justinianum *Cod. de Repudiis* sibi invalidè usurpâsse potestatem illam in vinculum Matrimonii.

24 Corollarium. Summus Pontifex non solùm ut licitè, sed etiam ut validè dispensset in Matrimonio rato, debet habere justam & gravem causam. Unde per dispensationem absque sufficiente causa impertitam non dissolveretur Matrimonium, nec posset, qui eam impetrâsset, cum alia validè contrahere, uti tenent communiter DD. contra Henriquez, qui docet, ejusmodi dispensationem sine justa causa impertitam fore quidem illicitam, sed non invalidam. Ratio verò est: quia Summo Pontifici facultas hîc dispensandi concessa est à Deo non ad destructionem, sed ad ædificationem, nec ut illâ utatur, prout libuerit, sed prout expedit ad utilitatem fidelium. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 15. num. 6. Salmantic. num. 54. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 403.

25 Cæterùm causæ justæ dispensandi communiter recensentur sequentes. 1. Notabilis in qualitate disparitas. 2. Metus magni scandali, magnarúmque rixarum inter conjuges, eorúmque consanguineos. 3. Lepra, aut aliud grave malum superveniens, ratione cujus alter nunquam posset accedere ad alterum. 4. Impotentia superveniens Matrimonio rato. 5. Ut vir eligatur in Episcopum, dum id valde necessarium est ad bonum publicum Potest autem Pontifex existente aliqua tali causa dispensare, quamvis non consentiat uterque conjunx, sed alteruter sit invitus. Ratio est: quia tunc repugnantia unius non potest impedire potestatem Pontificis, ne consulat alteri ex justa causa petenti dispensationem, & dissolutionem Matrimonii. Sanchez num. 7.

§. III.

De Divortio.

SUMMARIUM.

26. *Exponitur status quæstionis.* 27. *Conjuges per mutuum consensum possunt facere divortium. quot modis id facere possint.* 28. *Adulterium est sufficiens causa divortii.* 29. 30. 31. *Quænam peccata luxuriæ hîc intelligantur vel non intelligantur nomine adulterii.* 32. *In causa divortii pares sunt maritus & uxor.* 33. *Quædam ulteriùs observanda.* 34. *Ob quas alias causas fieri possit divortium.*

NOmine Divortii non intelligimus hîc 26
dissolutionem Matrimonii quoad vinculum, sed dissolutionem quoad thorum, vel etiam quoad cohabitationem, cujus in §. præced. num. 10. meminimus. De hoc igitur divortio, cùm sit inter contraria Matrimonii, nunc breviter agendum esse duximus. Et quidem istud divortium in certis casibus posse licitè institui, vel in perpetuum, vel ad tempus, nemini est dubium. sed quæstio solùm est, quinam sint illi casus, sive quibus ex causis possit institui? Ad quod

Respondeo I. Primus titulus, seu cau- 27
sa, ex qua licitum est instituere divortium, est mutuus consensus conjugum ob majorem vitæ perfectionem, aut aliam causam honestam. Quod fieri potest tripliciter. I. Si conjuges nullo edito voto per mutuum consensum à thoro separentur, vel in perpetuum, vel ad tempus, ut Deo meliùs serviant, vel ne proles eorum supra facultates multiplicentur. Licita est hæc separatio, si non ex odio, vel ira fiat; & quamdiu alterutri periculum incontinentiæ non imminet. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 7. n. 1. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 6. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 413. II. Si ambo conjuges mutuo consensu edant votum continentiæ. Quod laudabiliter feciisse multos conjuges satis constat ex SS. Patribus Basilio, Hilario, & aliis apud Laym. loco cit. qui etiam monet, non esse consultum conjugibus vovere continentiam, nisi præmissa matura deliberatione, & longâ experientiâ, quòd ambo facilè continentes esse possint. Cæterùm edito voto separari debent lectô. III. Si uterque conjunx mutuo consensu, vel unus eorum, consentiente tamen altero, per validam professionem Religionem ingrediatur. Religiosa namque professio licèt non dissolvat vinculum Matrimonii, extinguit tamen jus petendi debitum. Vid. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 4. n. 20. Dixi autem, *consentiente tamen altero.* secùs enim professio esset invalida, & professus teneretur redire ad conjugem, petentique debitum reddere: quamvis ipse petere non posset: cùm præsumeretur ad continentiam se voluisse obligare, quantùm potuit. Quòd si tamen professus ejusmodi non intendisset se obligare ad continentiam, nisi dependenter à valore professionis, ea præsumptio in foro conscientiæ deberet cedere veritati; & consequen-

sequenter ille non tantùm reddere, sed etiam petere posset debitum; imò mortua uxore aliam ducere. Vid. Laym. n.4. Ad hunc tertium modum divortii revocatur susceptio majorum Ordinum: de qua idem, quod de Professione Religionis, sentiendum est proportionaliter. Mezger n. 21.

28 Respondeo II. Secunda causa sufficiens faciendi divortium etiam perpetuum quoad thorum & habitationem, tam in uxore quàm in marito est adulterium, latè sumpto hoc nomine, ut comprehendat omnem concubitum consummatum cum altero supposito. Ita communiter DD. ex illo Matth. 5. & 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ &c.* & ex cap. *significâsti.* cap. *gaudemus.* cap. *ex litteris. de divortiis.* Ratio verò est: quia conjuges ex natura contractûs Matrimonii tenentur sibi mutuò servare fidem quoad thorum & cohabitationem: ergo si unus eorum frangit fidem, alter non tenetur servare ampliùs. cùm frangenti fidem fides servanda non sit. Atqui fidem in Matrimonio datam frangit adulterans sui divisione ab eo, cum quo est una caro, in alienam carnem per seminis communicationem, aut receptionem: ergo alter, qui est innocens, non tenetur ampliùs servare fidem ex sua parte, sed potest licitè facere divortium. Vid. Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 3. & 4. Laym. num. 7. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 5. num. 2. Castropal. pu. cit. §. 1. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 4. a. 2. num. 144. Ex dictis

29 Sequitur primo, neque voluntatem fornicandi, etiam verbis, aliisque signis expressam, neque alios actus impudicos, ut tactus, oscula &c. esse causam sufficientem divortii. Ratio est: quia per similia non violatur consummatè Matrimonium, nec dividitur caro conjugis per aliquem concubitum. Sanchez lib. cit. disp. 4. n. 2. & 12. Bonac. n. 3. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 10. n. 369.

30 Sequitur secundo, Sodomiam completam, sive activam, sive passivam, cum alio, quàm cum proprio conjuge exercitam; itemque bestialitatem completam, esse sufficientem causam divortii etiam perpetui. Ratio est: quia per istos concubitus caro conjugis cum carne alterius supposiți. Filliuc. num. 368 Laym. loco cit. Dixi verò, *cum alio, quàm proprio conjuge exercitam.* quando enim Sodomia exercetur cum proprio conjuge, non est sufficiens causa divortii perpetui. quia per hanc copulam caro conjugis non dividitur in aliam. Potest tamen uxor à viro divertere ad tempus, si ab ipsa monitus nolit desistere ab hoc flagitio. Sanchez num. 8. Bonac. num. 4.

31 Sequitur tertio, pollutionem extraordinariam, quam quis cum alia persona, vel secum ipso tantùm exercet, non esse sufficientem causam divortii. Quod idem dicendum de concubitu cum statua, cum fœmina mortua, cum bestia mortua. Ratio ex dictis est: quia exercens hujusmodi actus non dividit carnem suam cum alio. Bonac. num. 5.

Sequitur quarto, non solum adulterium 32
uxoris viro, sed etiam adulterium viri uxori esse sufficientem causam faciendi divortium. Ita communiter omnes DD. contra Cajetanum, qui in cap. 19. Matth. censuit, solis viris ob adulterium uxoris licitum esse divortium. Ratio est: quia fractio fidei conjugalis, in qua fundatur jus faciendi divortium, reperitur in adulterio tam mariti, quàm uxoris: ergo in hac causa pares esse censeri debent. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 3. num. 6. Filliuc. num. 365. Reding to. 8. q. 7. a. 2. controv. 1. num. 4.

His ita deductis ulteriùs observandum 33
est primo, conjugem innocentem, si moraliter certus sit de adulterio conjugis, posse propria authoritate facere divortium, dummodò absit scandalum, quamvis delictum sit occultum. Ratio est: quia, quod jure naturali concessum est, potest quis facere propria authoritate, & non expectatâ sententia Judicis: sed facere divortium propter adulterium jure naturali concessum est conjugi innocenti; ergo. Vid. Laym. num. 8. Bonac. num. 10. Castropal. de Sponsalib. disp. 3. pu. 6. §. 4. num. 2. & seqq. Reding num. 3. Mezger num. 17. Dixi, *dummodò absit scandalum.* quod plerumque abest in separatione quoad thorum, & negationem debiti; sed non item in separatione quoad habitationem: ista enim in publicam notitiam venire solet. unde tunc opus est judiciò Ecclesiæ: sicuti cum aliis advertit Laym. num. 9.

Observandum est secundo, conjugem innocentem posse invito adultero assumere statum Religionis, vel Ordinis sacri. Ratio est: quia adulter jus conjugale, quod solum obstare posset assumptioni talis statûs, omnino amisit. Vid. Laym. num. 12. Filliuc. à num. 383. Bonac. num. 23. Sed an etiam adulter tunc assumere possit statum Religionis? dubitari potest. Respondeo, in hoc casu posse. Aliud est, si conjunx innocens statum non mutavit, tunc enim sine expressa, aut tacita hujus licentia neque ad Religionem transire, neque Sacrum Ordinem suscipere potest, quamvis divortium per sententiam Judicis sit institutum. Ratio est: quia divortium innocentem, non nocentem eximit ab obligatione thori conjugalis, & cohabitationis. Neque per sententiam Judicis tunc aliquod jus tribuitur nocenti, sed unicè declaratur jus naturale divortii in favorem

votem conjugis innocentis. Itaque ex parte adulteri manet integra obligatio revertendi ad consortium innocentis, si hic petierit. Laym. loco cit. Bonac. num. 23. Reding núm. 25. & alii.

Observandum est tertio, dari plures casus exceptos, in quibus conjugi non permittitur divortium propter fornicationem sive adulterium conjugis. Primus est. Si uxor vim passa non consensit in flagitium. Ratio est: quia tunc non commisit adulterium formaliter. Hinc aliud est, si metu, quantumis gravi, compulsa consensit. hoc enim est vere & formaliter adulterium marito injuriosium. cùm ex obligatione fidei conjugalis uxor (idem vicissim cogita de matito) mortem potiùs oppetere debeat, quàm in violationem thori consentire. Itaque maritus in hoc tali casu divertere potest ab uxore: ut ex communi sententia docent Sanchez lib. cit. disp. 5. num. 16. Laym. num. 13. Salmantic. tract. 9. cap. 16. num. 17.

Secundus casus est. Si conjunx bona fide cum altero concubuit: ut, quia ex invincibili ignorantia credidit esse suum maritum: quomodo Jacob Genes. cap. 29. credidit Liam esse suam uxorem. Idem est, si uxor prudenter persuasa maritum esse mortuum ad alias Nuptias transeat: vel in hoc casu cum alio fornicetur. Ratio est: quia solum formale adulterium est causa divortii. Atqui hîc nullum est formale adulterium; ergo. Sanchez num. 11. 12. & 17. Laym. loco cit.

Tertius est. Si uterque conjunx commisit adulterium. Ratio est: quia paria delicta mutua compensatione abolentur. Neque refert primo, utrùm unus commiserit adulterium propriè, alter Sodomiam, aut bestialitatem; sed sufficit, si certò constet, commisisse aliquod crimen ex iis, quæ hîc nomine adulterii comprehendi suprà notavimus. Neque refert secundo, uter priùs altero deliquerit; vel, an unus sæpius altero; vel unus publicè, seu notoriè, alter occultè. cùm uterque nocens sit, & carnem suam diviserit cum alio. Laym. loco citat. Bonac. ubi suprà num. 14. Salmantic. pu. 2. num. 11. & 12.

Quartus est. Si maritus participem se faciat adulterii uxoris (idem proportionaliter cogita de uxore respectu mariti) vel prostituendo illam, vel dando ei licentiam adulterandi, vel tacitè saltem consentiendo in adulterium, veluti fit, quando ejusdem conscius non vult prohibere, licèt posse sine gravi suo incommodo supponatur. Sanchez ă. n. 3. Filliuc tract. 10. par. 1. cap. 10. n. 371. Bonac. loco cit. Salmantic. n. 15. Ratio est: quia volenti & consentienti non fit injuria. sed neque ulla æquitas patitur, ut vir uxori objiciat adulterium, in quod ipse consentit, utque propter illud se ab ea separet thoro & habitatione. Notant tamen citt. Authores & alii, virum non debere censeri participem adulteriorum uxoris, si solùm indirectè & aliud agens præbuit occasionem adulterandi; ut, si malè illam tractavit; si domo ejecit; si eidem alimenta, vel debitum negavit: ut mulier propterea usum corporis aliis concesserit. Nulla enim adulteræ hinc justa suppeditatur excusatio: veluti decisum habetur in cap. *significâsti. de divort.* cap. *ex litteris. eod. tit.* Et ratio est: quia adulterium semper est intrinsecè illicitum; adeoque ob nullam unquam causam debet committi. Quare in tali casu maritus potest divertere. Quod tamen intellige, nisi ea intentione uxorem domo expulisset, aut alimentis privâsset &c. ut sibi de necessariis per adulteria cogeretur prospicere. hoc enim esset consentire in illius adulteria. Sanchez num. 6. Salmantic. num. 16.

Quintus est. Si conjunx innocens sibi reconciliavit adulterum, idque sive post divortium, sive ante illud. Ratio est: quia per reconciliationem cessit jure divortii, & injuriam remisit. Quòd si reconciliatus postea rursus labatur in adulterium, poterit alter ab eo divertere. Ratio est: quia per priorem reconciliationem Matrimonium fuit reductum in pristinum statum, acsi nullum fuisset commissum adulterium. in illo autem statu quilibet conjugum habebat jus dimittendi alterum, si committeret adulterium. Imò si reconcilians, & qui priùs erat innocens, post reconciliationem perpetret adulterium, poterit & ipse dimitti à reconciliato. Ratio est: quia jam non compensantur injuriæ; cùm prior, quam alter irrogavit, per reconciliationem fuerit condonata. Vid. Sanchez num. 19. & 20. Salmantic. num. 18.

Respondeo III. Aliæ causæ sufficientes ad faciendum divortium continentur in hoc morali principio. Conjunx, qui absque gravi periculo animi vel corporis nequit simul habitare cum altero conjuge, eximitur ab obligationibus Matrimonii. Ratio est: quia lex Charitatis exigit, ut quisque sibi priùs velit consultum, quàm alteri; ergo nemo censetur se obligare alteri ad non cavenda pericula salutis propriæ corporalis, aut spiritualis. Vid. Reding to. 8. q. 7. a. 2. controv. 2. num. 3. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 4. a. 2. num. 146. Atque hinc 34

Sequitur primo, si conjunx labatur in hæresim, in eaque perseveret pertinaciter, alterum posse, imò etiam teneri aliquando ab eo divertere. Ratio est: quia ex cohabitatione conjugis hæresim pertinaciter profitentis

fitentis grave periculum perversionis imminet tum conjugi Catholico, tum proli ipsius. Vid. Salmantic. pu. 3. num. 28. Reding loco citat.

Sequitur secundo, etiam ob periculum aliorum peccatorum, quod ex cohabitatione impendet, licitum est divortium conjugi innocenti, quando alter etiam admonitus non desistit à creando periculo. Ratio est: quia cum periculo salutis æternæ non tenetur servare fidem conjugalem. Itaque uxor licitè se separat à viro, qui lenocinium exercet, sive in domum introducit mœchos, à quibus ipsa sollicitetur. Item ab illo, qui ipsam incitat ad furta tegenda, ad fovendam pellicem, & similia. Similiter ab eo, qui est veneficus. quia propter societatem talis viri cum Dæmone meritò gravia mala tum animæ, tum corporis sibi timere potest. Vid. Sanchez lib. 10. de Matrim. disp. 18. num. 22. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 6. §. 9. num. 3. Reding num. 4. ubi etiam docet cum citt. Authoribus, in ejusmodi casibus non esse opus sententiâ Judicis: cùm ipsum jus naturale tribuat potestatem faciendi divortium, non quidem perpetuum, sed ad tempus, quamdiu nempe durat periculum inductionis ad peccatum.

Sequitur tertio, licitum esse divortium, si conjunx est leprosus, peste, aut alio morbo contagioso infectus. si ob ejus sævitiam, seu iram, & furorem gravia verbera & vulnera assiduè timenda, aut sustinenda sint uxori. Ratio est: quia naturalis obligatio Matrimonii non censetur se obligare ad ejusmodi casus. Vid. Castropal. num. 5. Reding num. 5. qui deinde in num. 16. advertit, ad faciendum divortium ob sævitiam conjugis opus esse authoritate Judicis per cap. *porrò.* cap. *significâsti. de divortiis.* Idem divortium non est naturâ suâ perpetuum, sed cessat cessante sævitia. Unde tunc uxor ad maritum redire tenetur. Mezger tr. 19. disp. 54. a. 4. num. 19.

DISPUTATIO III.

De Impedimentis Matrimonii.

Omne illud dicitur Impedimentum Matrimonii, quod obstat, ne inter aliquas personas contrahi possit validè, aut licitè saltem. Unde duplex genus est talium Impedimentorum. Alia dicuntur minora, sive impedientia tantùm; alia majora, sive dirimentia. Illa sunt, quæ faciunt, ut Matrimonium illicitè contrahatur, quamvis contractum in suo valore subsistat. Hæc sunt, quæ faciunt, ut Matrimonium nec licitè, nec validè contrahi possit; addoque contractus non tantùm sit illicitus, sed etiam nullus & irritus. De quo utroque genere Impedimentorum præsentem Disputationem instituimus.

ARTICULUS I.

De Impedimentis Matrimonii impedientibus tantùm.

SUMMARIUM.

1. *In Ecclesia datur potestas statuendi impedimenta Matrimonii.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Enumerantur & declarantur impedimenta impedientia.* 8. 9. *Specialiter advertenda circa* Votum. 10. 11. 12. *Corollaria.*

1 SUpponimus, in Ecclesia existere potestatem statuendi impedimenta Matrimonii, tum dirimentia, tum impedientia tantùm, eamque esse merè Ecclesiasticam. Quamvis enim spectatâ rei naturâ omnis Magistratus sæcularis, qui habet absolutam potestatem ferendi leges suis subditis, adeoque præscribendi formam celebrandi contractus, possit, secluſa prohibitione Ecclesiæ, introducere impedimenta Matrimonii, quatenùs est contractus quidam civilis; Ecclesia tamen Principibus Christianis respectu fidelium hanc potestatem interdixit, sibique propriam reservavit: sicut & alias causas Matrimoniales: eò quòd Matrimonium inter fideles sit Sacramentum, & non contractus merè politicus. Vid. Concil. Trident. Sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 3. 4. & 12.

2 Hoc suppositio, quæstio jam est, quæ, & quot sint impedimenta impedientia? Respondeo, ea comprehendi his versibus:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechismus, crimen, Sponsalia, votum,
Impediunt fieri; permittunt facta teneri.

Per *Ecclesiæ vetitum* intelligitur prohibitio Pastoris Ordinarii, qui ob gravem causam, v. g. dubium de aliquo impedimento dirimente, vel inhabilitate, certis personis Matrimonium interdicit, donec ejusmodi causa examinetur. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 15. num. 1. ubi etiam advertit, Parochum quidem in tali casu posse inhibere Matrimonium, sed non cognoscere de ejus impedimento. hoc enim pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, nempe Episcopum, ejúsve Vicarium, aut delegatum. Cæterùm, qui contra talem prohibitionem contrahunt Matrimonium, mortaliter peccant: veluti docent Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 2. §. 1. num. 1. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 14. num. 2. Salmantic. tract. 9 cap. 13. pu. un. num. 1. Ratio est: quia in re gravi violant præceptum Superioris.

3 *Tempus feriarum* est illud ab Adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschæ inclusivè; quo Nuptiæ solemnes ab Ecclesia interdicuntur: veluti patet Concil. Trident. Sess. cit. *de Reformat. Matrimon. cap.* 10. ubi tamen notandum est, hanc prohibitionem non obstare, quominùs dictis diebus ipsum contractum Matrimonii celebrare liceat, etiam præmissis denuntiationibus, si omittatur publica solemnitas, scilicet benedictio solemnis, traductio publica sponsæ in domum Sponsi, publica convivia, aliáque lætitiæ signa, quæ tempus, quo orationi ac jejuniis vacandum esset, patùm decent. Vid. Laym. loco citat. ubi etiam monet, ut in hac re attendatur consuetudo Ecclesiarum. apud nos quidem ea obtinet, ut memoratis diebus Parochus absque urgente necessitate non assistat Matrimonio, prætermissa, vel in aliud tempus dilata benedictione nuptiali. Dixi, *absque urgente necessitate.* cujusmodi est, si miles v. g. in periculo vitæ constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit, idque ipsi ad salutem expedire videatur. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 144.

4 *Catechismus* significat illam cognationem spiritualem, quam olim juxta cap. 2. *de cognat. spiritual. in* 6. loco baptizandi respondens Sacerdoti ad quæstiones quasdam Catecheticas contrahebat cum impedimento impediente Matrimonium cum tali persona, licèt non esset Patrinus. Verùm istud impedimentum, ut habet communior sententia, à Trident. Concil. sublatum est, utpote nullam hîc agnoscente cognationem spiritualem, nisi respondens ad memoratas quæstiones sit simul Patrinus, sicut esse solet regulariter. tunc autem non tantùm est impedimentum impediens, sed etiam dirimens Matrimonium. Vid. Laym. loco cit. Castropal. ubi suprà num. 9. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 3. a. 1. num. 61. Oberascher de Matrim. tract. 3. cap. 4. §. 1. pag. 949.

Crimen denotat quædam delicta, quibus obstricti, quasi in pœnitentiam, jubebantur antiquitùs abstinere à Conjugio. 5
Sunt autem septem sequentia. I. Incestus cum consanguineis conjugis, aut sponsæ adhuc viventis, saltem intra secundum gradum post Constitutionem Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. *de Reformat. Matrim.* II. Raptus alienæ personæ, id est, alteri per contractum Matrimonii promissæ, non præcisè sponsæ de futuro. III. Uxoricidium à marito injustè perpetratum, ob aliam tamen causam, quàm alterius Matrimonii ineundi. cùm alioquin esset impedimentum etiam dirimens Matrimonii, ut infrà videbimus. IV. Susceptio propriæ sobolis ex fonte Sanct. Baptismatis facta in fraudem usus conjugalis, ut nempe debitum conjugi negare liceat ob cognationem spiritualem inde exortam. Qui ex eadem intentione baptizat propriam sobolem, hoc ipsum crimen, & impedimentum unquam alterius Matrimonii contrahendi incurrit juxta aliquos. V. Cædes Presbyteri, dum quis de illa convictus est. VI. Pœnitentia publica, quamdiu durat. Non enim decet in illa constitutum lætitia Nuptialis. Et licèt non sit crimen, quia tamen ex crimine ortum habet, in hac classe impedimentorum constituitur. VII. Attentatio Matrimonii cum Moniali. Verùm hæc omnia impedimenta criminis per non usum abrogata sunt; veluti docent communissimè Authores, & comprobat praxis Ecclesiarum. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 17. num. 8. Laym. num. 2. Castropal. §. 2. num. 23. Illsung num. 58. Oberascher pag. 954. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 5. num. 3. Sporer ubi suprà num. 146.

Per *Sponsalia* cum una persona legi- 6
timè contracta ipso jure naturæ induci impedimentum graviter obligans ad non contrahendum Matrimonium cum alia, satìs constat ex disputat. 1. part. præsent. quia nempe manifestè repugnat fidelitati & ju-

& justitiæ rem uni promissam tradi alteri. Unde in hoc impedimento non potest dispensare Episcopus: quippe qui sua authoritate nihil potest disponere contra jus tertio quæsitum. Vid. Castropal. disp. cit. §. 1. n. 14. Salmantic. tract. 9. cap. 13. pu. un. n. 4. Reding to. 8. q. 8. a. 2. controv. 2. n. 5. Illsung num. 62.

7 *Votum*, quod constituit impedimentum impediens, vel ex simplex castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines sacros, vel non incundi Matrimonium. Ratio est: quia observatio talis voti non potest consistere cum adimpletione eorum, ad quæ vi Matrimonii sibi mutuò obligantur conjuges. Itaque adstrictus ejusmodi voto graviter peccat; si contrahat Matrimonium, cùm in re gravi agat contra votum. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 11. Castropal. disp. cit. pu. 2. §. 1. à num. 12. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 14. num. 7. Reding num. 6. Graviter etiam peccat, qui scienter contrahit cum habente ejusmodi votum: quia cooperatur peccato alterius. Sanchez num. 11. Bonac. loco cit.

8 Ut melius intelligatur hoc impedimentum, advertendum est primo, votum simplex castitatis tunc solùm esse impedimentum impediens, quando Matrimonium contrahitur modo ordinario, nempe cum animo consummandi. Nam si contrahatur cum pacto servandi continentiam (quod est extraordinarium) hoc votum non reddit illicitum Matrimonium, sicut non reddit illicita Sponsalia; quod supra in 1. disp. notavimus.

9 Advertendum est secundo, eum, qui post votum non incundi nihilominùs inivit Matrimonium, graviter quidem peccâsse contrahendo; non tamen peccare consummando; sive petat, sive reddat debitum conjugale. Sanchez lib. 9. de Matrimon. disp. 34. num. 7. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 1. num. 113. ex probabiliori sententia. Ratio est: quia hoc votum primariò obligat ad abstinendum ab ineundo Matrimonio, & solùm secundariò ad abstinendum ab usu ejusdem. cùm proinde inito Matrimonio jam reddita sit impossibilis adimpletio obligationis primariæ, cessat etiam obligatio secundariâ, nempe abstinendi ab usu Matrimonii, utpote non intenta à vovente, nisi supposita primaria, & dependenter ab illa. Neque dicas, talem inito Matrimonio adhuc posse satisfacere obligationi abstinendi ab usu Matrimonii per ingressum Religionis ante consummationem Matrimonii. Respondetur enim, posse quidem, sed non teneri, ut probat Sanchez multipliciter num. 3. Ex cujus doctrina idem tenendum est de eo, qui post votum Sacrorum Ordinum inivit Matrimonium, quòd nempe peccaverit quidem contrahendo illud, non tamen peccet consummando. Aliter se res habet in eo, qui ante initum Matrimonium vovit ingressum Religionis. hic enim peccat mortaliter etiam prima vice consummando Matrimonium: cùm hac ratione se constituat in statu, in quo votum non implere potest; quòd aliàs adhuc potuisset. Semel tamen consummato Matrimonio debitum licitè petit & reddit. Sanchez disp. 33. lib. cit. num. 15. Qui votô castitatis obstrictus contraxit Matrimonium, potest quidem licitè reddere debitum, sed non petere; uti præter alios tradit Magnific. P. Schmier num. 111. ex cap. *quidam* 5. *de convers. conjugat.* Ratio est: quia tenetur votum servare eo modo, quo potest: atqui potest servare quantum ad hoc, ut ipse non petat debitum, licèt non possit denegare conjugi justè petenti.

Corollarium I. Impedimentis impedientibus hactenùs expositis, & etiamnum vigentibus meritò annumeranda est clandestinitas contractûs Matrimonii, illis in locis, ubi Concilium Tridentin. non fuit promulgatum. Ratio est: quia, ut loquitur idem Concil. sess 24. cap. 1. *de Reformat. Matrim. Sancta DEI Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est atque prohibuit* Matrimonia clandestina. Unde licèt in locis memoratis validè contrahantur Matrimonia sine Parocho & testibus, non tamen contrahuntur licitè. Vid. Illsung num. 64. 10

Corollarium II. Quamvis impedimentum incestûs cum consanguinea uxoris abrogatum fuerit quantum ad hoc, ut marito reddat illicitum Matrimonium post obitum uxoris cum alia contrahendum, manet nihilominùs quoad privationem juris petendi debitum ab uxore vivente. Ratio est: quia per ejusmodi incestum maritus contraxit affinitatem cum sua uxore. Gonet to. 5. tract. 8. disp. 8. a. 2. num. 15. Oberascher pag. 955. 11

Corollarium III. Vota priùs adducta non desinunt impedire Matrimonium, eò quòd iisdem obstrictus tentationes carnis, etiam vehementissimas, patiatur. Ratio est: tum, quia Ecclesia, ut constat ex praxi, non existimat, talem esse liberum ab obligatione ejusmodi voti, licèt judicet, se habere justam causam dispensandi. tum, quia materiæ eorum votorum sunt adeò perfectæ & excellentes, Deoque acceptæ, ut meritò movere debeant 12

voventem ad ineundam pugnam cum quibuslibet difficultatibus, quas superare adjutus Divino auxilio, quod in similibus periculis deesse non solet, haud dubiè poterit. tum, quòd in Ecclesia non levia scandala, malaque oriretur, si cuilibet propter tentationes, aut omnino etiam lapsus carnis, licitum esset propria authoritate, talibus votis insuperhabitis, ad statum Matrimonialem transire. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 11. num. 9. Castropal. num. 12.

ARTICULUS II.

De Impedimentis Dirimentibus Matrimonium.

Quæ, & quot sint ejusmodi Impedimenta, exhibent sequentes versus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen,
Honestas,
Ætas, Affines, si Clandestinus, & Impos,
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

De his jam Impedimentis per aliquot Paragraphos agemus.

§. I.

De Impedimento Erroris, & Conditionis servilis.

SUMMARIUM.

1. In contractu Matrimonii triplex error potest accidere. 2. Quot modis accipiatur servitus. 3. Quid error antecedens, quid concomitans. 4. Quando error accidit circa substantiam personæ, Matrimonium est invalidum. 5. 6. 7. Triplex illatio. 8. Etiam Matrimonium contractum ex
11 *errore circa conditionem servilem est invalidum. 9. Qui scienter contrahit Matrimonium cum persona servili, validè contrahit. 10. Valet Matrimonium cum servo adscriptitio, vel originario initum, licèt error circa hanc conditionem interveniat. 11. Error circa qualitatem personæ non dirimit Matrimonium. 12. 13. 14. Excipiuntur tamen tres casus. 15. Cur Ecclesia Matrimonium ex errore circa qualitatem contractum non irritet?*

21

1 NOtandum est primo, triplicem errorem in contractu Matrimonii posse contingere. Nempe I. circa substantiam, id est, circa personam: ut, siquis ducat Cajam credens esse Titiam II. circa conditionem, quo nomine intelligitur status servitutis, aut libertatis. Hoc modo errat, qui, cùm sit liber, ducit servam, quam putat esse liberam. III. circa qualitatem personæ: velut accidit, quando quis ducit Cajam, credens esse divitem, nobilem, virginem &c. postea verò comperit esse pauperem, vel ignobilem, vel non virginem &c.

2 Notandum est secundo, servos esse in triplici differentia. Nam alii sunt servi veri; alii adscriptitii; alii originarii. Servus verè ac propriè dictus, seu mancipium est, qui ita subest potestati domini, ut ab eo etiam vendi possit pro libitu. Servus adscriptitius dicitur, qui glebæ, seu prædio colendo in perpetuum ita addictus est, ut inde recedere non possit, nisi remissione gratis facta, vel persoluto ejusdem pretio. Servus originarius est, qui ortum habet à servo adscriptitio.

3 Notandum est tertio, errorem, de quo in num. 1. diximus, esse posse vel antecedentem, vel concomitantem. Error antecedens est, qui dat causam contractui, ita ut contractus non iniretur, si error abesset. Error concomitans est, qui contractui per accidens solùm conjungitur, ita ut is nihilominùs iniretur, licèt error abesset.

4 Dico jam I. Matrimonium, in quo intervenit error circa substantiam personæ, est invalidum jure naturæ, sive error sit antecedens sive concomitans. Ita communis cum Divo Thoma in Supplem. 3. p. q. 51. Ratio est: quia de essentia contractûs, præsertim Matrimonialis est, ut sit liber & voluntarius; idque non solùm negativè, hoc est, non involuntarius, sed positivè. Atqui interveniente errore circa substantiam personæ, sive is sit antecedens, sive concomitans, contractus non est positivè voluntarius; ergo. Atque hinc

5 Infertur primo, invalidum esse Matrimonium, quod quis contrahit cum Caja, quam putat esse Titiam, licèt animo sit ita constitutus habitualiter, ut, si sciret illam esse Titiam, nihilominùs duceret, vel fortè etiam libentiùs duceret, quàm Caiam. Ratio est: quia contrahit cum errore concomitante circa personam; adeoque sine voluntario sufficienti. Vid. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 2. num. 4.

6 Infertur secundo, neque inter infideles validum esse Matrimonium, quod initum est cum errore circa personam. Ratio est: quia hic talis error est impedimentum juris naturalis: atqui cum impedimento juris naturalis non est validum Matrimonium, etiam inter infide-

infideles; ergo. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 18. num. 14.

7 Infertur tertio disparitas inter Matrimonium & alia Sacramenta, quæ cum errore circa personam recipientis collata sunt valida, ut, dum quis baptizat fœmellam, quam erroneè putet esse masculum; absolvit Petrum, quem erroneè credit esse Paulum &c. disparitas videlicet est, quòd in aliis Sacramentis personæ, quibus administrantur, sint solummodò subjecta susceptiva, quorum conditiones individuales nihil conferunt ad finem Sacramenti; adeóque per accidens se habent ad intentionem Ministri. In Matrimonio autem personæ contrahentes, seu corpora earum, sint simul objectum, & materia remota Sacramenti, earúmque conditiones individuæ per se, & suapte natura conferunt ad individuam vitæ consuetudinem inter conjuges retinendam, quod pertinet ad substantiam Matrimonii. Vid. Sanchez num. 12. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 6. num. 5. Oberascher de Matrim. cap. 4. §. 2. pag. 959.

8 Dico II. Matrimonium, in cujus contractu intervenit error circa conditionem servilem, est invalidum. Ita rursus DD. communiter cum Divo Thoma in Supplem. q. 52. a. 1. & habetur ex constitutione Juris positivi cap. 2. *de conjugati servor.* & alibi. Fundatur autem hæc Juris dispositio in æquitate naturali, cui planè consentaneum est, ut contrahentes Matrimonium æqualem corporum suorum potestatem sibi conferant ad finem generationis & vitæ individuam societatem. Atqui hoc non possunt contrahentes, dum unus eorum est liber, alter servus seu mancipium, licèt enim persona libera plenam ac liberam sui corporis potestatem tribuat, talem tamen non tribuit, nec potest tribuere persona servilis; utpote alterius dominio totaliter subjecta, ut ab ipso vendi, & in longinquas terras amandari jure possit. Accedit & illud ingens incommodum, quòd, quando uxor serva est, & maritus liber, proles sequatur conditionem matris; cùm partus sequatur ventrem, ut Jura loquuntur. Itaque Ecclesia justissimam causam habuit irritandi Matrimonium ex errore circa conditionem servilem contractum. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 19. n. 2. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 2. n. 36. Bonac. pu. 3. n. 4. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 5. §. 1. n. 1. Oberascher à pag. 963. Mezger n. 6.

9 Corollarium I. Quando persona libera contrahit Matrimonium cum persona, quam scit esse conditionis servilis, validè contrahit, non minùs, quàm si servus contrahat cum serva: ut habetur in cap. *ult. de conjug. servor.* Atque hoc etiam procedit, si contrahens liber speravit, eam personam libertate donatum iri, illa tamen spe postea frustratus est. Ratio est: quia non erravit circa conditionem servilem. Vid. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 11.

Corollarium II. Validum est Matrimo- 10
nium, quod contrahitur cum servo adscriptitio, aut originario, licèt circa hanc conditionem error interveniat. Ratio est: tum, quia Ecclesia nuspiam invenitur irritâsse talo Matrimonium. tum, quia ejusmodi servi, qui plurimi dantur in Bohemia, Polonia, & etiam Suevia, abusivè solùm vocantur servi & mancipia, cùm reipsa sint homines liberi, & quoad certa solùm obsequia Dominis adstricti. Vid. Sanchez n. 9. Castropal. n. 10. Sporer n. 12. Neque opus est plura dicere de hoc impedimento conditionis servilis: cùm in nostris partibus nunquam possit occurrere in praxi.

Dico III. Error circa qualitatem per- 11
sonæ, quamvis sit antecedens, aut etiam proveniat ex dolo alterius contrahentis, non dirimit Matrimonium. Ita communiter DD. Ratio est: quia hîc error est solùm accidentalis: sed error accidentalis nihil officit substantiæ contractûs Matrimonii. cùm non impediat consensum substantialiter requisitum; ergo. Accedit, quòd alioquin innumera Matrimonia essent irrita & dissolutioni obnoxia; cùm nihil contingat frequentiùs, quàm contrahentes errare ac decipi circa qualitates & accidentia. Vid. Sanchez num. 18. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 2. num. 2. Bonac. q. cit. pu. 2. num. 5. Reding to. 8. q. 10. a. 1. controv. 1. num. 19. Mezger num 7. Castropal. pu. 4. num. 3. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 2. à num. 178.

Limitatur tamen statuta Conclusio per 12
aliquot casus, in quibus error circa qualitatem dirimit Matrimonium. Primus est, si contrahens qualitatem aliquam adjecit per modum conditionis, v. g. duco te, si es nobilis, si es dives &c. tunc enim hic talis non consensit in personam absolutè, sed conditionatè; adeoque, si postea non subsistat conditio, contractus est nullus. Bonac. n. 6. Reding n. 22. Schmier n. 183. Illung tract. 6. disp. 9. q. 3. a. 2. n. 68.

Secundus est, si qualitas intendatur 13
tanquam finis Matrimonii, ità ut Matrimonium assumatur tanquam unicum medium ad qualitatem illam, ceu finem, obtinendam. Exemplum est in eo, qui cupiditate ad divitias perveniendi stimulatus videt, se eò non posse pertingere, nisi ducendo divitem uxorem, ideoque ducit Cajam, quam erroneè credit esse divitem. ubi vides, consensum contrahentis non ferri in personam propter se, sed propter qualitatem eidem conjunctam. qua proinde non subsistente

& errore detecto, Matrimonium meritò judicatur esse nullum: cùm deficiat consensus in personam substantialiter requisitus, qui per se & principaliter non in qualitatem, sed in personam ferri debet. Reding n. 21.

14 Tertius est, si qualitas illa sit quædam individualis determinatio ipsius personæ; adeoque error in illa sit error in persona. veluti contingeret, si velles contrahere cum filia Sempronii primogenita, ita ut tua intentio ferretur in illam quatenùs primogenitam, quamvis de cætero tibi ignotam; Sempronius verò substitueret secundo genitam, aut aliam ex filiabus, tuque cum illa contraheres: Hic contractus esset nullus, eò quòd error in ea qualitate individuali esset error in persona. crederes enim te contrahere cum primogenita, inque eam solam consentires, & non in aliam ullo modo. Vid. Castropal. n. 5. Bonac. n. 9. Illsung loco cit. Sporer ubi suprà n. 8.

15 Sed adhuc contra Concl. sic objicies. Matrimonium compellente injusto metu contractum Jure Ecclesiastico est irritum: ergò etiam contractum ex errore circa qualitatem per dolum inducto censeri debet irritum. Conseq. videtur bona: cùm non minùs dolus quàm metus causet involuntarium. Respondeo neg. conseq. Ratio discriminis est: quòd injusta vis, ex qua processit gravis metus, facilè probetur, at non ita dolus. Adeoque expediebat Jure Ecclesiastico irritari Matrimonium ex metu, non verò ex errore per dolum inducto contractum, ne plurima Matrimonia dubii valoris essent, atque litibus obnoxia. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 2. n. 2. Castropal. n. 4.

§. II.

21

De Impedimento Voti, & Ordinis.

SUMMARIUM.

16. *Votum castitatis aliud simplex, aliud solemne.* 17. *Votum simplex non dirimit Matrimonium.* 18. 19. *Excipiuntur duo casus.* 20. *Votum solemne in Religione emissum dirimit Matrimonium, etiam contractum.* 21. 22. 23. *Triplex Corollarium.* 24. *Ordo Sacer dirimit Matrimonium contrahendum, non verò contractum.* 25. *Debet tamen, ut hoc præstet, esse susceptus in sufficiente ætate.* 26. *Quid, si fuerit susceptus ante pubertatem &c.* 27. *Debet insuper esse susceptus citra vim, aut gravem metum.* 28. *Ordines Minores non dirimunt Matrimonium.*

16 SUpponitur, Votum castitatis aliud esse simplex, aliud solemne. Votum solemne est illud, quod emittitur in Professione Religionis, vel annexum est susceptioni Sacrorum Ordinum. Simplex est, quod editur ad libitum cujuscunque, vel saltem non habet firmitatem ex speciali acceptione Ecclesiæ: veluti diximus suprà in tract. 5. disp. 3. a. 4. §. 1. n. 4. ubi differentiam inter hæc Vota ampliùs declaravimus.

17 Dico nunc I. Votum simplex castitatis etiam perpetuæ non dirimit Matrimonium contrahendum. Ita unanimis omnium sententia. Quæ sumitur ex cap. *memini mus.* cap. *consuluit.* cap. *rursus. qui Clerici, vel voventes.* cap. un. *de Voto. in* 6. Ratio est: quia per tale votum homo non se ita DEO tradit, ut censeatur mutare statum: cùm nullam edat promissionem, quam Ecclesia specialiter acceptet.

18 Excipitur tamen primo votum simplex castitatis, quod cum aliis duobus paupertatis & obedientiæ emittitur in Societate Jesu post biennium Novitiatûs. Istud enim juxta Bullam Ascendente Domino, quam edidit Gregor. XIII. vim habet dirimendi Matrimonium contrahendum.

19 Excipitur secundo communiter ille casus, in quo uxor in sæculo manens edito voto castitatis matito dedit licentiam suscipiendi sacros Ordines. hæc enim defuncto marito non potest validè contrahere aliud Matrimonium, ut constat ex Jure Ecclesiastico, cap. *quia sunt. dist.* 28. cap. *seriatim. dist.* 32. & alibi. Vid. Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 40. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 3. num. 5. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 43.

20 Dico II. Votum solemne, quod emittitur in Professione Religionis approbatæ, non solùm dirimit Matrimonium contrahendum, sed etiam solvit contractum ac ratum non consummatum. Ita definitum est in Concil. Trident. *sess.* 24. *de Matrim. can.* 9. neque de hoc est dubium inter Catholicos. Ratio est: quia Ecclesia conveniens esse judicavit, eos, qui per obligationem perpetuam suscepto vitæ perfectioris statu totos se Deo tradunt & consecrant ad statum Matrimonii, utpote valde repugnantem religiosæ ejusmodi obligationi, efficere inhabiles. Vid. Laym. num. 1. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 117.

21 Corollarium I. Sempronia v. g. in sæculo relicta licitè & validè contrahit Matrimonium cum alio, si Cajus, cum quo prius Matrimonium contraxerat, ingressus est Religionem, fecitque Professionem ante consummationem Matrimonii. Ratio est: quia per votum solemne castitatis à Cajo emissum vinculum prioris Matrimonii fuit dissolutum. Vid. Bonac. de Matrim. q. 3. p. 4. n. 5.

22 Corollarium II. Qui post editum à se votum ingrediendi Religionem, in eaque profitendi Matrimonium contraxit, & consummavit, debitum non solùm reddere, sed

etiam petere licitè potest. Ratio est: quia nondum obstringitur votô castitatis, sed voto solemniter vovendi castitatem: cujus voti adimpletio tamdiu est ei impossibilis, quamdiu Matrimonium non solvitur. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 33. n. 15. Laym. n. 6. Unde illud est de eo, qui cum voto simplici castitatis Matrimonium contraxit. hic enim ante dispensationem non potest petere debitum conjugale, licèt reddere possit, ut infrà videbimus.

23 Corollarium III. Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur etiam per votum castitatis, quod in sua Professione emittunt Equites Ordinum militarium, quales sunt Equites S. Joannis; quamvis non vivant in communi. Ratio est: quia hi Equites sunt verè ac propriè Religiosi, eorumque Professio est solemnis. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 18. num. 8. Bonac. loco cit. & alii apud ipsos.

24 Dico III. Ordo Sacer ob votum solemne castitatis, quod ex constitutione Ecclesiæ habet annexum, dirimit Matrimonium contrahendum; non verò contractum, seu ratum non consummatum. Ita communissima & certa sententia. Ratio primæ partis est: quia congruum videbatur Ecclesiæ, Ministros Christi degere vitam cælibem, eaque propter eorum Ordinibus Majoribus annectere votum perpetuæ castitatis. Neque constat, in Ecclesia aliquando fuisse permissum, ut in Sacro quopiam Ordine constitutus contraheret Matrimonium. Unde etim Græci talibus Ordinibus initiati post Matrimonium non possunt uxore mortua validè transire ad alias Nuptias; quamvis Matrimonio semel inito illis sit licitus ascensus ad Sacros Ordines, usúsque Matrimonii, Latinis verò minimè. Neque obstat, quòd in cap. *aliter. dist.* 31. ex Stephano Papa referatur, in Orientali Ecclesia solere Clericos Matrimonio copulari. Respondetur enim, per Matrimonio copulari intelligi usum Matrimonii jam contracti. Vid. Filliuc. n. 121. Bonac. q. cit. pu. 9. n. 13. Ratio secundæ partis est: quia in susceptione Sacri Ordinis non reperitur ejusmodi perfecta traditio suiipsius & reciproca obligatio instar Matrimonii cujusdam spiritualis, sicut reperitur in Professione Religionis. Unde per hanc voluit Ecclesia dirimi Matrimonium ratum, non tamen per susceptionem Sacri Ordinis. Accedit, quòd hoc idem habeatur definitum in Extravag. *Antiquæ* Joan. XXII. *de Voto.* Vid. Laym. n. 3 Bonac. n. 12. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 44.

25 Cæterùm Ordo Sacer non qualitercunque susceptus dirimit Matrimonium. Ut enim præstet hunc effectum, necessarium est primo, ut fuerit susceptus in legitima ætate, nempe illa, in qua suscipiens debitè perpendere potuit obligationes statûs tam ardui atque perfecti. Ratio est: quia Ecclesia nec voluit, nec potuit rationabiliter Ordinibus Sacris ante talem ætatem susceptis annectere obligationem servandi continentiam. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 30. num. 3. Bonac. num. 14. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. num. 4. Unde ordinatus ante usum rationis, licèt receperit characterem, non tenetur manere in cœlibatu, sed potest liberè, si postea nolit uti Ordine, inire Matrimonium.

Sed quid sentiendum de eo, qui Ordi- 26
nem Sacrum suscepit post annos discretionis, sed ante pubertatem, vel ante annum 16. ætatis? Respondent Sanchez n. 8. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 128. & alii ab his relati, talem non teneri ad servandam continentiam, nisi pubertatem adeptus ratificet votum; & consequenter posse uxorem ducere. Ratio est: quia votum solemne castitatis in Professione Religionis ante pubertatem, imò post illam, sed ante annum 16. completum ætatis, emissum non obligat: ergo nec votum castitatis annexum Sacris Ordinibus obligat, si iidem ante annum 16. fuerint suscepti. Mihi tamen præplacet sententia Bonacinæ num. 16. & aliorum docentium, talem obligari voto castitatis, sicut & onere recitandi Divinum Officium. Ratio est: quia, qui vult principale, etiam vult accessorium. Cùm proinde ejusmodi adolescens ante annum 16. velit Ordinem sacrum, qui est principale, etiam vult votum castitatis, aliásque obligationes Ordini annexas, quæ sunt accessorium. Atque hinc patet, hunc talem non posse contrahere Matrimonium. Ad fundamentum contrarium respondetur conc. Ant. neg. Conseq. quia specialis constitutio Ecclesiæ, ob quam non valet Professio Religionis ante annum 16. non rectè extenditur ad susceptionem sacrorum Ordinum.

Necessarium est secundo, ut fuerit su- 27
sceptus citra vim illatam, aut gravem metum injustè incussum. Ratio est: quia inprimis Ordo per vim collatus non est validus; adeoque nullum præstat effectum Ordinis proprium vel annexum. Deinde, licèt ex gravi ejusmodi metu susceptus supponatur esse validus, sicuti revera est, Ecclesia tamen taliter ordinatum non vult esse obligatum ad servandam continentiam, utpote rem tam arduam, & non nisi sponte parere volentibus præcipiendam, si expedire videatur. Sanchez lib. citat. disp. 29. num. 5. Filliuc. ubi suprà num. 124. Bonac. num. 12. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. à numer. 10. Sporer num. 47.

Corol-

28 Corollarium. Ordines Minores non sunt Impedimentum dirimens Matrimonii. Ratio est: quia hoc ex nullo jure probari potest. Sed quid? si aliquis susciperet istos Ordines erroneè existimans, illis esse annexum solemne votum castitatis, non minùs, quàm Ordinibus sacris, & durante hac sua existimatione duceret uxorem? Respondeo, hunc talem graviter quidem peccaturum contrahendo Matrimonium propter conscientiam erroneam de gravi peccato, Matrimonium tamen fore validum. Ita Sanchez lib. cit. disp. 31. num. 5 Filliuc. num. 129. Bonac. num. 2. Sporer num. 48. & alii communiter. Ratio est: quia talis non vellet principaliter votum continentiæ, sed quatenùs existimaret esse annexum Ordinibus minoribus, & accessoriè ad illos. Cùm ergo re ipsa non sit annexum, illo non obligaretur, & consequenter Matrimonium non esset irritum.

§. III.

De Impedimento Cognationis.

SUMMARIUM.

29. *Quid sit Cognatio, & quotuplex.* 30. *Quid sint lineæ, quid gradus consanguinitatis.* 31. *Triplex regula dignoscendi distantiam graduum.* 32. *Amplior declaratio dictorum.* 33. *Matrimonium intra quartum gradum consanguinitatis invalidum est jure Ecclesiastico.* 34. *Jure naturæ invalidum est in linea recta in primo tantùm gradu.* 35. *In linea transversa etiam in primo gradu non est irritum jure naturæ.* 36. 37. 38. *Exponuntur impedimenta Cognationum Spiritualis & Legalis.*

29 COgnatio est triplex: naturalis, spiritualis, legalis. Cognatio naturalis, sive Consanguinitas, ex Divo Thoma in Supplem. 3. p. q. 54. a. 1. definitur, quòd sit *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, vel ascendentium carnali propagatione contractum.* Dicitur *Vinculum*, id est, colligatio seu conjunctio eorum, qui ab eodem sanguine oriuntur. Unde etiam consanguinei vocantur. Dicitur, *ab eodem stipite.* Ubi nomine stipitis intelligitur illa persona, à qua reliquæ oriuntur. Maritus & Uxor, cùm sint una caro, sumuntur hîc pro una persona, & constituunt unum stipitem. Solus autem stipes proximus in præsenti attenditur, non remotus, qui respectu omnium est Adam & Eva: cùm alioquin omnes homines essent consanguinei. Dicitur, *carnali propagatione contractum.* quia per illam solam fit ejusdem sanguinis communicatio, in qua fundatur ea singularis animorum, & affectuum conjunctio, quam inter consanguineos experimur.

Porrò autem ex stipite ducuntur lineæ 30
& gradus. Linea est ordinata quædam collectio personarum sanguine junctarum, sive in eodem sanguine communicantium, dividiturque in rectam, & transversam. Recta subdividitur in lineam descendentium, & ascendentium. Hæc est, in qua progredimur à genitis ad progenitores quærendo eorum stipitem, ut à filio ad Patrem, Avum, Proavum &c. Illa est, in qua progredimur à progenitoribus ad genitos, ut à Patre ad filium, nepotem, pronepotem &c. Linea transversa, sive collateralis, est collectio ordinata personarum, quæ nec à nobis ducunt originem, nec nos ab ipsis, ab uno tamen communi stipite nobiscum descendunt: ut frater & soror, duo fratres, duæ sorores; patrueles, & consobrini, & horum filii ac nepotes. Hæc linea est itidem duplex; nempe æqualis, & inæqualis. Primo est, in qua collocatæ personæ æqualiter distant à stipite communi; ut in datis mox exemplis. Posterior est, in qua personæ inæqualiter distant à communi stipite, ut frater & fratris filius, si ad invicem comparentur. Gradus nihil est aliud, quàm distantia unius personæ ab altera in eadem linea. Vid. de his omnibus Divus Thomas q. cit. a. 2. Valentia to. 4. disp. 10. q. 5. pu. 3. à colum. 2148. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 50. num. 1. & 2. Gonet tract. 8. disp. 9. a. 3. num. 35. & 36. Laym. lib. 5. tract. 10. cap. 4. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 5. §. 1. à num. 3. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 6. §. 2. Wigandt tract. 16. exam. 6. q. 4.

Cæterùm ut facilè intelligi possit, quo- 31
to gradu consanguinitatis una persona distet ab alia, tres regulæ statuuntur à Divo Thoma loco cit. quas etiam communiter recipiunt reliqui Theologi. Prima est. *In linea recta tam descendentium, quàm ascendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ, demptâ una;* videlicet stipite. Pater enim (qui unàcum Matre est stipes) secundùm se non constituit gradum, sed simul cum persona descendente. Unde pater & filius in primo; avus & nepos in secundo; proavus & pronepos in tertio; abavus & abnepos in quarto gradu sunt consanguinei, & sic deinceps.

Secunda regula est. *In linea transversa æquali quot gradibus personæ singulæ distant à communi stipite, totidem distant inter se.* Itaque duo fratres, vel duæ sorores distant inter se, sive sunt consanguinei in primo gradu lineæ transversæ; quia uno tantùm gradu à communi stipite, nempe patre & matre distant in linea recta. Patrueles, & consobrini sunt in secundo gradu lineæ transversæ; quia in linea recta duobus gradibus distant à communi stipite, & sic discurrendo de cæteris.

Tertia

Tertia regula est. *In linea transversa inæquali quot gradibus persona remotior à communi stipite distat, totidem gradibus personæ ipsæ distant inter se.* Sic patruus, & nepos ex fratre, vel etiam sorore, distant, sive sunt consanguinei in secundo gradu; quia nepos ceu persona remotior in eodem gradu secundùm lineam rectam distat à communi stipite: & sic de aliis. Ternas has regulas sequuntur etiam Canonistæ, suntque observandæ in materia Matrimonii, omissa computatione Juris Civilis, quod in ordine ad successionem hæreditariam gradus in linea transversa duplicat statuendo duos, ubi Canonistæ statuunt unum; octo, ubi illi statuunt quatuor. Vid. Bonac. n. 6. Oberascher de Matrim. cap. 4. §. 4. pag. 978. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 2. à n. 20.

32 Tota hæc doctrina de lineis & gradibus consanguinitatis adhuc clarior tibi reddetur, si ob oculos habueris, quæ sequuntur. In linea recta, dum ascendis, occurrunt in I. gradu consanguinei Filiuś, Pater, Filia, Mater. In II. Avus, Avia. In III. Proavus, Proavia. In IV. Abavus, Abavia. Descendenti in I. gradu occurrunt Pater, Filius, Mater, Filia. In II. Nepos, Neptis. In III. Pronepos, Proneptis. In IV. Abnepos, Abneptis. In linea transversa ascendenti in I. gradu occurrunt Frater, Soror. In II. Patruus, seu Patris Frater. Patris Soror, sive Amita. Matris Frater, sive Avunculus. Matris Soror, sive Materera. In III. Magnus Patruus, sive Avi Frater. Magna Amita, sive Avi Soror. Magnus Avunculus, sive Aviæ Frater. Magna Materera, sive Aviæ Soror. In IV. Magnus Propatruus, sive Frater Proavi. Magna Proamita, sive Soror Proavi. Magnus Proavunculus, sive Frater Proaviæ. Magna Promaterera, sive Soror Proaviæ. Descendenti autem in I. gradu occurrunt Frater, Soror. In II. Filii, & Filiæ Fratris. Filii, & Filiæ Sororis. In III. Nepotes, & Neptes ex Fratre. Nepotes, & Neptes ex Sorore. In IV. Pronepotes, & Proneptes ex Fratre. Pronepotes, & Proneptes ex Sorore. Ultra hos gradus ascendi, vel descendi non solet in præsenti, idque non esse necessarium, brevi constabit. Quibus sic explicatis,

33 Dico I. Jure Ecclesiastico invalidum est Matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum, tam in linea recta, quàm in linea transversa. Ita habetur ex cap. *non debet. de consanguinitate.* Rationem, ob quam Jus novum consanguinitatis impedimentum ita restrinxerit ad quartum gradum inclusivè, quod olim extendebatur ulteriùs, ac præcipuè usque ad septimum, reddere licet ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim. illis verbis: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia: in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Et ista quidem de Jure positivo, sed ulteriùs

Dico II. Jure naturæ Matrimonium 34
in linea recta est irritum inter personas consanguineas in primo tantùm gradu; putà inter patrem & filiam; vel inter matrem & filium; non verò inter avum & neptem, vel inter aviam & nepotem &c. Ita Divus Thomas in Supplem. 3. p. q. 54. a. 3. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 51. num. 19. Bonac. ubi suprà num. 8. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 7. à num. 8. Salmantic. tract. 9. cap. 12. p. 1. à num. 15. Reding to. 8. q. 12. a. 1. controv. 2. à num. 6. & alii contra alios, qui jus naturæ hìc extendunt etiam ad secundum, quartum, imò plures gradus. Et quidem Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ esse nullum, certissimum est toti humano generi, nec à quoquam revocatur in dubium. Ratio est: tum à priori; quia principio per se & immediato nostræ naturæ, quod sunt pater & mater, debetur maximus honor & reverentia: huic autem reverentiæ repugnat actus conjugalis; utpote habens conjunctam turpitudinem aliquam; adeoque irreverentiam unius ad alterum. Unde dicitur Levitici 18. *Turpitudinem patris tui & turpidinem matris tuæ non discooperies: mater tua est.* Tum à posteriori; quia omnes gentes, in quibus lumen naturæ non penitus obvolvunt tenebræ libidinis, Nuptias in primo gradu lineæ rectæ exsecrantur tanquam nefandas. Imò & bestiæ quædam abhorrent ab ejusmodi inter se commixtionibus; quemadmodum de equo, & camelo refert ex Aristotele Divus Thomas a. cit. ad 3.

Quòd autem in nullo alio gradu lineæ rectæ Matrimonium sit irritum jure naturæ, ratio est: quia avus, cæterique ascendentes non sunt principium per se nepotum; sed per accidens. filius quippe solùm exigit procreari à patre, sive iste procreatus fuerit ab alio patre, sive non. certè enim Abel & Cain erant verè filii Adæ, quamvis carerent avo, à quo genitus esset Adam. Unde etiam reverentia avis non est per se debita, se per accidens. adeoque merito reputatur non esse tanta, ut usui Matrimonii possit obsistere, idque reddere invalidum. Atque ex his

Sequitur primo, infideles validè contrahere Matrimonium in secundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ. Ratio est: quia inprimis impedimenta Jure Ecclesiastico inducta non afficiunt infideles non baptizatos.

Jure autem naturæ Matrimonium in dictis gradibus contractum non est irritum. Unde tales, si postea convertantur ad fidem, non sunt separandi: nisi fortè contra suas leges, aut consuetudines Matrimonium irritantes contraxerint. Sanchez lib. citat. disp. 5. 1. num. 21.

Sequitur secundo, fideles consanguineos posse Matrimonium contrahere in linea recta ascendentium & descendentium ultra quartum gradum. Ratio est: quia jure naturæ nonnisi primus gradus interdicitur: prohibitio verò Ecclesiæ non extenditur ultra quartum gradum. Sanchez n. 22. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 5. §. 1. n. 10.

35 Dico III. In linea transversa Matrimonium neque in primo gradu, putà inter fratrem & sororem, est invalidum jure naturæ. Ita tursus Divus Thomas a. cit. & pluribus relatis Castropal. n. 11. Salmantic. n. 20. Reding controv. 3. à n. 6. Magnif. P. Schmier to. 3. lib. 4. tr. 3. cap. 3. à num. 62. contra Sanchez, Sotum, Valent. Laym. & alios. Ratio est: tum, quia, ut refertur 1. Reg. 13. Thamar Ammoni fratri suo dissuadens violentam oppressionem dixit inter alia: *loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* credidit itaque puella Matrimonium cum fratre non futurum fuisse ex se irritum; cùm licitum fieri potuerit ex concessione Regis parentis. Tum, quia in exordio mundi inter fratres & sorores, ut per liberos Adami propagaretur genus humanum, contracta sunt Matrimonia; idque factum fuisse validè spectato jure naturæ, inde colligitur, quòd non videatur credibile, Deum in tali statu tunc collocâsse nostram naturam à se conditam, ut ad inchoandam ejus propagationem necessarium esset violari jus naturæ. Tum præterea: quia nec frater sororis, nec soror fratris est principium, sed ambo ab alio communi principio descendunt: adeoque non debent sibi mutuò tantam reverentiam, ob quantam jus naturæ valori Matrimonii resistit. Vid. Salmantic. loco citat. Authores adversi inter alia objiciunt capit. *gaudemus. de divort.* ubi Innocentius III. dicit, conversos ad fidem, si in secundo, vel ulterioribus gradibus contraxerunt, non esse separandos: adeoque tacitè innuit, inquiunt, fore separandos, si in primo gradu contraxissent. Sed respondetur, Pontificem respondisse solùm ad id, de quo erat consultus: atqui erat consultus de secundo & tertio gradu, non de primo. Schmier num. 70.

36 Dico IV. Cognatio spiritualis est *propinquitas quarumdam personarum Jure Ecclesiastico introducta propter collationem Baptismi vel Confirmationis, susceptionémve recipientis aliquod ex his Sacramentis.* Ita definiunt communiter DD. Neque opus est analysi operosiori tam claræ definitionis. Dirimit autem hæc cognatio Matrimonium subsequens, sive contrahendum, non verò præcedens, sive jam contractum, cui fortè supervenit: veluti contingit, si alter conjunx fuit Patrinus alterius, vel filium alterius, vel communem levavit de sacro Fonte. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 54. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 5. num. 185. 188. 189. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 5. §. 2. num. 1. & 35. Rationem congruentiæ, ob quam Ecclesia constituerit in Baptismo & Confirmatione cognationem spiritualem, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonii, Divus Thomas in citat. Supplem. q. 56. a. 2. ad 1. reddit ex quadam analogia istorum Sacramentorum ad duplicem generationem naturalem, unam in utero, cui assimilatur regeneratio per Baptismum, alteram ex utero, cui assimilatur Confirmatio. Sicut proinde per generationem naturalem contrahitur cognatio naturalis, per quam dirimitur Matrimonium, ita etiam per generationem spiritualem, quæ fit in his Sacramentis, Ecclesia voluit contrahi cognationem spiritualem, quæ similiter habeat vim dirimendi Matrimonium. Cæterùm, quæ conditiones requirantur ad contrahendam cognationem spiritualem, & inter quas personas Jure novo Concil. Trident. contrahatur in memoratis Sacramentis, dictum est suprà in par. 2. disp. 1. a. 5. §. 2. & disp. 2. a. 4. Illud adhuc observandum est, hoc impedimentum Cognationis spiritualis esse perpetuum, & non extingui morte personæ, qua mediante contractum est, videlicet baptizati, vel confirmati, sed adhuc permanere inter baptizantem & Patrinos, parentesque baptizati &c. Ratio est: quia Jura, quæ de eo loquuntur, non limitant ad tempus, quo illa persona sit superstes. Sanchez num. 8. Filliuc. num. 189.

37 Dico V. Cognatio legalis est *propinquitas quarumdam personarum ex adoptione proveniens.* Ita communiter definitur. Adoptio autem, quæ est causa hujus cognationis, definitur legitima assumptio personæ extraneæ in filium, aut filiam, nepotem, aut neptem. Ubi nomine *personæ extraneæ* intelligitur, quæ non est ex descendentibus adoptantis, sive alioquin sit ejus consanguinea, sive non. *Legitima* verò, & non qualiscunque, *assumptio* dicitur; quia legibus civilibus est constituta, Canonicis approbata. Porrò adoptio est duplex. Una perfecta, quæ etiam arrogatio dicitur, in qua persona extranea sui juris existens per Principis rescriptum transfertur in potestatem & familiam adoptantis, ut instar legitimorum liberorum esse incipiat. Imperfecta, sive simplex est, in qua authoritate

ritate cujusdam Judicis jurisdictionem habentis persona extranea sub parentis sui potestate constituta in filium, vel filiam; in nepotem, vel neptem assumitur, absque jure adoptanti succedendi necessariò ex testamento, sicut succedit arrogatus; sed ab intestato tantùm. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 7. Filliuc. num. 198. Castropal. de Sponsal. disp. 4 pu. 9. à num. 3.

Ex qualibet adoptione triplex cognatio oritur. Prima est in linea recta inter adoptantem & adoptatum. Secunda in linea collaterali, seu transversa inter adoptatum, & filios naturales legitimos adoptantis. Tertia est, quæ se habens ad instar cujusdam affinitatis, reperitur inter adoptantem & uxorem adoptati; sicut & vice versa inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Vid. Castropal. num. 6. Reding to. 8. q. 12. a. 2. controv. 2. num. 2. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 3. a. 2. num. 73. Oberascher de Matrim. cap. 4. pag. 993. Neque dubium est inter Authores, quin unaquæque ex his speciebus cognationis sit impedimentum dirimens Matrimonii contrahendi: sed

38 Quæstio est primo, an cognatio legalis, ut sit impedimentum dirimens, debeat provenire ex adoptione perfecta? Respondeo affirmativè cum probabiliori sententia, quam tenent Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 63. num. 9. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 7. num. 3. Salmantic. tract. 9. cap. 12. pu. 3. num. 40. Illsung num. 72. Oberascher pag. 994. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 3. num. 282. Ratio est: tum: quia textus Juris Civilis, per quod introductum est impedimentum cognationis legalis, loquuntur de adoptione, per quam adoptatus transfertur in familiam adoptantis, ejusque potestati subjicitur, & jus filiationis acquirit, velut ostendit Schmier n. 283. Atqui talis est sola adoptio perfecta. tum, quia impedimenta Matrimonii, utpote odiosa, in ejus favorem sunt restringenda ad significationem verborum propriam & perfectam: atqui simplex adoptio, & cognatio ex illa proveniens, non dicitur ita propriè adoptio & cognatio, sicut arrogatio, & cognatio inde consurgens; ergo.

Quæstio est secundo, quamdiu duret hoc impedimentum inter cognatos legales? Respondeo primo, in prima & tertia specie ex recensitis in n. proximè præced. nempe inter adoptatum & adoptantem; inter uxorem adoptati & adoptantem; inter uxorem adoptantis & adoptatum, durare perpetuò; adeoque nunquam inter illos posse contrahi Matrimonium. Ita Divus Thomas in Supplem. q. 57. a. 3. Ratio est: quia illa reverentia, quam sibi mutuò debent istæ personæ, & ob quam ipsis interdictum est Matrimonium, perpetuò durare debet. Respondeo secundo, in secunda specie, videlicet inter adoptatum, & filios naturales legitimos adoptantis impedimentum cognationis legalis tamdiu durare, quamdiu exiltunt sub patria potestate adoptantis, & non ulteriùs. Sic iterum Divus Thomas loco cit. Ratio est: quia cognatio inter has personas constituta fuit propter interpretativam filiationem ex adoptione provenientem: quæ proinde durante ea filiatione durat, cessante verò, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii adoptivi, cessat. Quare facilis est modus efficiendi, inquit Laym. ut filius adoptivus cum filia carnali adoptantis contrahere possit, si eorum alteruter secundùm formam civilium legum emancipetur.

Quæstio est tertiò, ad quotum gradum extendatur cognatio legalis? Respondeo primo, eam, ut est impedimentum dirimens, in linea recta non extendi ultra adoptatum, & illos, qui tempore adoptionis sub ejus patria potestate fuerint constituti. Ita Laym. loco cit. Castropal. ubi suprà n. 14. Salmantic. n. 43. Illsung n. 73. Respondeo secundo, eandem cognationem in linea transversa extendi ad adoptatum, & filios carnales legitimos, sicut & filias adoptantis: item, ad adoptantem & uxorem adoptati; atque vice versa ad adoptatum & uxorem adoptantis, & non ulteriùs. Castropal. n. 15. & 16. Oberascher pag. 997. Ratio utriusque responsionis est: quia Jura nonnisi de recensitis personis loquuntur.

Corollarium. Non statim quis censendus est adoptatus, & legaliter cognatus, eò quòd fortè gratuitò, & ex misericordia in defectu propriorum parentum instar filii alatur & tractetur. Ratio est: quia hæc cognatio non contrahitur, nisi per adoptionem legalem, in qua observantur conditiones ac solemnitates Jure civili præscriptæ. Laym. n. 1. Oberascher loco cit.

§. IV.

De Impedimentis Affinitatis, Publicæ honestatis, & Ligaminis.

SUMMARIUM.

39. *Definitio Affinitatis cum sua analysi.* 40. *Ex quali copula contrahatur Affinitas.* 41. *Declaratur hoc idem per plura consectaria.* 42. *Ad quotum usque gradum Affinitas dirimat Matrimonium.* 43. *Regulæ cognoscendi Affinitatem & gradus ejusdem.* 44. *Affinitas in nullo gradu dirimit Matrimonium jure naturæ.* 45. *Solvuntur argumenta adversa.* 46. *Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & ad*

quotum gradum se extendat? 47. *An oriatur ex Matrimonio rato ex certa causa invalido?* 48. *An remaneat post Sponsalia mutuo consensu dissoluta?* 49. *Quid sit Ligamen, & quo jure dirimat Matrimonium?* 50. 51. 52. *Resolvuntur nonnullæ quæstiones.*

39 DIco I. Affinitas est *propinquitas quarumdam personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.* Ita communiter definitur ex Divo Thoma in Supplem. q. 55. a. 1. & 3. Dicitur *propinquitas personarum.* quia in hac genericè convenit cum consanguinitate, & aliis cognationibus. Dicitur *ex copula carnali proveniens, &c.* per quæ differt ab illis cognationibus. Illud, *omni carens parentela* intelligendum est per se loquendo, & ex natura affinitatis. nam per accidens etiam consanguinei possunt contrahere affinitatem. Durat autem affinitas etiam post mortem ejus, à quo traxit originem. Unde mortuo alterutro conjuge v. g. adhuc remanet inter consanguineos ipsius & conjugis superstitis. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 64. n. 1. & 2. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 6. n. 206.

40 Quòdsi jam quæratur, ex quanam copula carnali contrahatur affinitas? Respondeo, contrahi ex omni & sola copula perfecta, sive ad generationem prolis ex se sufficiente, qualis est omnis illa, ac sola, in qua effunditur & recipitur semen virile intra vas naturale mulieris. Ratio est: quia affinitas oritur ex illa copula, per quam vir & fœmina efficiuntur una caro: sed talis est omnis & sola perfecta, quam descripsimus; ergo &c. Sanchez n. 8. Filliuc. n. 208. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 12. n. 12. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 8. n. 2. Atque hinc

41 Sequitur primo, affinitatem oriri ex copula carnali tam illicita, seu fornicaria, quàm licita, seu conjugali. Ratio est: tum, quia non minùs una, quàm altera earum est apta ac sufficiens ad generationem. tum, quia in definitione affinitatis indefinitè dicitur, illam oriri ex copula carnali. Sanchez n. 16. Castropal. n. 4.

Sequitur secundo, affinitatem non oriri ex copula, in qua seminat sola fœmina, licèt oriatur ex copula, in qua seminat solus vir. Ratio est: quia emissio seminis fœminini non est sufficiens ex se ad generationem, est autem sufficiens emissio seminis virilis. Filliuc. n. 209. & 210. Bonac. n. 13.

Sequitur tertiò, affinitatem oriri, dummodò semen virile recipiatur in vase fœmineo, quacunque arte immittatur, sive humana, sive etiam Diabolica; sive cum violatione claustri, sive sine illa; sive ex proposito, sive casu. Ratio est: quia hinc sequi potest generatio, quamvis non sequatur. Sanchez n. 15. Filliuc. n. 209. qui tamen dubitat, si semen à viro non sit ministratum ea intentione, ut recipiatur in vase mulieris. Bonac. n. 14.

Sequitur quarto, ex congressu Spadonum, saltem utroque testiculo carentium, quamvis supponantur seminare intra vas legitimum, non oriri affinitatem. Ratio est: quia non emittunt semen aptum generationi. Sanchez n. 11. Bonac. n. 15. Wigandt tract. 16. exam. 6. n. 72.

Sequitur quinto, ex nulla pollutione extra vas legitimum, etiam Sodomitica, oriri affinitatem. Ratio est: quia inde non potest procedere generatio. Sanchez num. 13. Filliuc. loco cit. Aliqui tamen existimant, ex congressu Sodomitico oriri impedimentum Matrimonii propter enormitatem criminis. Sed non est illis assentiendum: quia nihil de hoc in Jure habetur expressum; imò potiùs contrarium; ut ostendunt Authores citt.

Sequitur sexto, affinitatem oriri ex commixtione cum fœmina prorsus invita, insana, dormiente, ebria. Ratio est: quia quævis ejusmodi copula sufficit ad generationem. Sanchez n. 17. Wigandt loco cit. Ex copula verò cum muliere mortua, ut habet ibid. Sanchez, non oritur affinitas, idque ob rationem contrariam.

Sequitur septimo, ex Matrimonio rato tantùm non oriri affinitatem, nisi quis largè loquendo vocare velit affinitatem initium illius, quatenùs potestas corporum per contractum Matrimonii tradita est id, quod postea mediante actu conjugali inchoat propriam affinitatem. Ratio est: quia affinitas oritur ex eo, quòd vir & mulier efficiantur una caro: sed hoc non contingit in Matrimonio rato; ergo. Sanchez n. 25. Filliuc. n. 210. Bonac. n. 18. Jam ulteriùs

Dico II. Affinitas orta ex Matrimonio 42
consummato dirimit Matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusivè: orta verò ex fornicatione, aliáve copula illicita dirimit usque ad secundum gradum inclusivè. Primum membrum Concl. habetur ex cap. *non debet. de consanguinit. & affinit.* Alterum ex Concil. Tridentin. *Sess. 24. cap. 4.*

Ut meliùs hæc intelligantur, observan- 43
dum est primo, duplicem esse affinitatem: nempe unam lineæ rectæ; alteram lineæ transversæ. In linea recta sunt ascendentes & descendentes ejus personæ, cum qua copula fuit habita. In transversa sunt ejusdem consanguinei lineæ transversæ. Ita quando Cajus v.g. cognovit Titiam conjugem suam, quæ habet patrem & matrem; fratres & sorores, pater & mater Titiæ facti sunt affines

Caji

Caji in linea recta, frater autem & soror in linea transversa. Porrò stipes in affinitate sunt duæ illæ personæ, quæ se carnaliter cognoverunt, ut in dato exemplo Cajus & Titia: quæ proinde non dicuntur affines, sed principium affinitatis.

Observanda est secundo ad cognoscendam affinitatem duplex Regula. Prima est. Per Matrimonium omnes consanguinei mariti fiunt affines uxoris, & econtra omnes consanguinei uxoris fiunt affines mariti, ita ut nec uxor mortuo marito possit contrahere Matrimonium cum aliquo ejus consanguineo, nec econtra usque ad quartum gradum. At non propterea consanguinei utriusque conjugis fiunt affines inter se affinitate, quæ sit impedimentum Matrimonii sive impediens, sive dirimens; quamvis vulgò se vocare soleant affines. Hinc duæ germanæ sorores v. g. ejusdem familiæ nubere possunt duobus germanis fratribus alterius familiæ, sive mortui sint illi conjuges, sive adhuc vivant. Ratio est: quia affinitas, quæ inter ejusmodi personas intercedit, est affinitas per accidens; utpote cui neutra earum media copulâ carnali per se causam dedit. Unde ulteriùs 1. Potest filius mariti ex alia uxore ducere filiam uxoris ex alio marito, sive, privignus potest ducere filiam novercæ, & privigna potest nubere filio vitrici. 2. Potest quis ducere matrem sui vitrici, sicut etiam suæ novercæ. 3. Potest quis successivè ducere duas fœminas, quarum viri fuerunt germani fratres. 4. Potest pater sponsi ducere filiam, vel matrem sponsæ. Vid. Oberascher de Matrim. cap. 4. n. 1002. Wigandt n. 73. Secunda Regula est. Inter virum & affines uxoris non datur impedimentum affinitatis; uti nec econtra inter uxorem & affines viri. Ratio est: quia affinitas non parit affinitatem, ut docet Divus Thomas in Supplem. q. 55. a. 5. Unde vir mortua uxore sua potest ducere quamcunque affinem ejusdem: similiter uxor mortuo viro potest nubere cuivis ex affinibus mortui.

Observanda est tertio ad dignoscendos gradus affinitatis sequens Regula. In quoto gradu consanguinitatis aliqua persona est juncta viro, in eodem etiam gradu affinitatis jungitur mulieri: & econtra, in quoto gradu consanguinitatis aliqua persona est juncta mulieri, in eodem etiam gradu affinitatis jungitur viro. Quando proinde cupis cognoscere, in quo gradu sis affinis Titiæ, cum qua Cajus consanguineus tuus habuit copulam, inspice gradus consanguinitatis Caji, quem si videas tibi esse consanguineum in secundo, vel tertio &c. gradu, in eodem gradu judica te esse affinem Titiæ.

44 Dico III. Affinitas in nullo gradu, sive lineæ transversæ, sive rectæ, Matrimonium dirimit Jure naturæ: adeoque solùm dirimit Jure positivo. Ita Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 66. num. 7. & 11. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 8. num. 11. & 12. Bonac. de Matrim. q. 3. p. 12. num. 7. Salmantic. tract. 9. cap 12. pu. 8. Oberascher num. 1004. Magnif. P. Schmier lib. 4. tract. 3. cap. 3. num. 161. aliíque plures ab his relati. Docet hoc idem Divus Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. Continet autem Conclusio duas partes. Ratio primæ partis est: tum, quia Summi Pontifices sæpe dispensârunt in primo etiam gradu lineæ transversæ: ut Innocent. III. cap. fin. de divort. Alexander VI. cum Rege Lusitaniæ, Julius II. cum Henrico VIII. & Catharina Arragonia Regibus Angliæ, licèt Henricus postea Catharinam repudiaverit falsò prætexens, Pontificem non potuisse dispensare: quam dispensationem fuisse validam Clemens VII. authoritativè declaravit. Tum, quia Jacob Genes. 29. duxit Liam & Rachelem duas sorores. tum, quia Deuter. 25. jubetur frater ducere uxorem fratris sine liberis mortui. tum, quia inter consanguineos in primo gradu lineæ transversæ, & multò magis in secundo, non est invalidum jure naturæ: ergo nec inter affines est invalidum jure naturæ. Conseq. est bona à fortiori: cùm inter consanguineos in secundo quoque gradu lineæ transversæ fortius sit vinculum, quàm inter affines in primo gradu ejusdem lineæ.

Neque refert primo, quòd Matrimonium contrahere cum affine in primo gradu lineæ transversæ fuerit prohibitum Levitici cap. 18. Nam respondetur, legem illam per novam Legem cessâsse in morte Christi: cùm translato Sacerdotio legis translatio facta fuerit. Hebr. 7. Accedit, quòd ex illa prohibitione plus non colligatur, quàm ejusmodi Matrimonium fuisse itritum jure Divino positivo. Neque refert secundo, quòd S. Joannes Baptista Marci 6. dixerit ad Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Respondetur enim, Matrimonium illud à S. Joanne fuisse reprehensum, quia Herodes duxerat uxorem fratris sui adhuc viventis; ut apertè agnoscit Ecclesia in responsorio ad 2. Lect. Festi Decollationis: *Joannes Baptista arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo viventi uxorem.*

Ratio secundæ partis est. Primo, quia in Concil. Epaumensi, can. 30. & in Aurelian. III. can. 10. præcipitur, ut Matrimonium vitrici cum privigna in infidelitate contractum non dissolvatur, sed servetur: adeoque supponitur esse validum. Secundo, quia constat ex Sanct. Script. 3. Reg. 2. ab Adonia filio Davidis Abisaag Sunamitidem novercam in Matrimonium fuisse petitam.

Tertio. quia ejusmodi conjunctio inprimis non repugnat substantiæ Matrimonii, & bonis ejusdem. Deinde, cùm affines non à se invicem, sed ab alio principio descendant, cessat in illis fundamentum ejus reverentiæ, ob quam Matrimonium jure naturæ redditur irritum. Confirmatur. Affinitas in primo gradu lineæ rectæ, si sit orta ex copula illicita, non dirimit jure naturæ Matrimonium: ergo nec ita dirimit, si sit orta ex copula licita: ergo nulla affinitas in linea recta Matrimonium dirimit jure naturæ. Ant. tanquam certum communiter admittitur. Secunda Conseq. infertur legitimè, si probetur prima: quod inde præstatur; quia illæ affinitates solummodò differunt penès magis & minùs perfectum. Atque hinc validum est jure naturæ Matrimonium inter privignum & novercam; inter vitricum & privignam; inter socerum & nurum; inter generum & socrum; inter filium & concubinam patris. Sed jam

45 Objicies primo. Conjugia cum novercis pridem communi omnium Gentium judiciô sunt improbata: veluti colligitur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 5. *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Secundo. Levitici 20. rogus decernitur in illum, *qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus.* quæ pœna tam gravis satis arguit, ejusmodi Matrimonium juri naturæ adversari. Tertio. Pater & ejus uxor per Matrimonium fiunt una caro: ergo eâdem ferè reverentiâ filius prosequi ex jure naturali tenetur novercam, qua patrem: ergo jure naturæ ipsi interdictum est Matrimonium cum noverca. Quarto. Inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ Matrimonium est invalidum jure naturæ: ergo etiam inter affines in primo gradu lineæ rectæ. Conseq. prob. ex cap. 1. *de consanguinit. & affinit.* ubi affines & consanguinei æqualiter excluduntur à Matrimonio. Quinto. Nullus unquam Pontifex dispensavit in primo gradu affinitatis lineæ rectæ: ergo signum est non posse dispensari ob prohibitionem juris naturalis.

Respondeo ad primum negat. Antec. Nam inprimis ea conjugia non fuisse penitùs inusitata apud Judæos, indicat exemplum Adoniæ in n. proximo adductum. Deinde Valerius Maximus lib. 5. cap. 7. & Plutarchus in vita Demetrii referunt, Seulevcum Antiocho filio uxorem suam Stratonicen in Matrimonio collocâsse: quod factum laudat idem Valerius Maximus. Persæ quoque, ut memorat Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 66. num. 5. mortuo patre ejus uxorem ducebant. Ad illud ex 1. Corinth. dicitur, Apostolum loqui de uxore patris adhuc viventis, & quidem inviti ac reclamantis contra illud Matrimonium: aliàs non dixisset, ejusmodi peccatum non fuisse auditum inter Gentes: cùm Antiochus vivo adhuc patre, sed volente, Persæ autem mortuo duxerint novercam. Ad secundum dicitur, inde plus non evinci, quàm ejusmodi conjugium esse indecentissimum, ac proinde homines ab eodem esse absterrendos, nec permittendum, ut à quopiam ineatur, nisi adsit urgentissima causa. Ad tertium respondetur neg. conseq. cùm enim filius ex illa unitate carnis nihil de suo esse hauriat à noverca, minorem ei debet reverentiam; ac proinde ad hoc non sufficientem, ut invehat impedimentum juris naturalis irritans Matrimonium cum illa. Ad quartum respondetur itidem neg. conseq. Ad cujus probat. dic, juxta illud cap. affines & consanguineos æqualiter excludi à Matrimonio, si spectetur jus positivum, secùs, si jus naturale. Ad quintum respondetur similiter negat. conseq. Non enim Pontifices hactenus nunquam dispensârunt in primo gradu affinitatis lineæ rectæ ob defectum potestatis dispensandi in illo, sed propter defectum causæ satis gravis ad præponderandum maximæ indecentiæ, quam secum fert ejusmodi Matrimonium.

Dico III. Impedimentum publicæ hone- 46
statis, quando oritur ex Sponsalibus, dirimit Matrimonium cum consanguineis alterius Sponsi in primo gradu; quando oritur ex Matrimonio rato, dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Quid sit hoc impedimentum, jam dictum est suprà disp. 1. de Sponsalib. ex quibus, & ex Matrimonio rato illud oriri, non jure naturali, sed jure positivo Ecclesiastico, certum est apud omnes. Prima pars Concl. constat ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reformat. Matrim.* ubi etiam traditur, huic impedimento non esse locum, si Sponsalia fuerint invalida. Itaque siquis post Sponsalia valida cum Sempronia, Matrimonium contraheret cum ejus sorore, vel matre, vel filia, invalidè contraheret. Secundam partem declaravit Pius V. in illa Bulla *ad Romanum Pontificem*, edita Kalend. Junii Anno 1568. Si proinde Cajus contraxit Matrimonium per verba de præsenti cum Sempronia, quamvis nondum consummaverit, non poterit, seu viva, seu mortua Sempronia, Matrimonium contrahere cum ulla ex ejus consanguineis usque ad quartum gradum. Similiter Sempronia non poterit nubere ulli ex consanguineis Caji usque ad quartum gradum, sive is adhuc vivat, sive sit mortuus. Sed jam

Dubitatur I. an ex Matrimonio rato in- 47
valido oriatur impedimentum publicæ honestatis? Respondetur affirmativè; dummodò.

non sit invalidum ob defectum consensûs. Ratio est: quia Jure antiquo in cap. *Sponsam. de Sponsal.* cap. *Accessit. de desponsat. impuber.* ex hoc tali Matrimonio, si non esset invalidum defectu consensûs, oriebatur impedimentum publicæ honestatis: Jure autem novo nihil aliud reperitur statutum: ergo inde nunc quoque oritur id impedimentum. Vid. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 70. n. 5. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 11. Oberascher de Matrim. cap. 4. pag. 1012. Atque hinc

Sequitur primo, ex Matrimonio rato, quod celebratum est per metum gravem, vel per errorem circa personam; vel cum persona indeterminata; vel consensu ficto, non oriri impedimentum publicæ honestatis. Ratio est: quia quodlibet tale Matrimonium est invalidum defectu debiti consensûs. Vid. Sanchez à num. 9. Bonac. à num. 13.

Sequitur secundo, hoc impedimentum non oriri ex Matrimonio celebrato sub conditione pendente in futurum, antequàm impleatur conditio. Ratio est: quia contrahentes non intendebant se obligare, antequàm impleretur conditio. Unde hic contractus dici potest invalidus ob defectum consensus, antequàm impleatur conditio. Vid. Sanchez disp. 71. n. 21. Bonac. n. 16. Adimpleta verò conditione statim oritur impedimentum publicæ honestatis sine novo consensu: quia Matrimonium ejusmodi fit validum sine novo consensu, ut in disput. proximè priori docuimus.

Sequitur tertio, idem impedimentum non oriri ex Matrimonio celebrato inter impuberes. Ratio est: quia Matrimonium inter tales contractum irritatur à Jure; eò quòd præsumantur carere sufficienti judicio & consensu ad contrahendum. Cæterùm Matrimonio post pubertatem ratificato consurgit impedimentum, de quo hîc agimus. Vid. Bonac. num. 17. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. num. 61.

Sequitur quarto, impedimentum publicæ honestatis oriri ex Matrimonio contracto sine Parocho & testibus. Ratio est: quia hoc tale Matrimonium non est invalidum ex defectu consensus, sed ex defectu solemnitatis à Concil. Trident. præscriptæ. Contrarium tenet Sanchez disp. 7. lib. cit. num. 13. quem alii quidàm sequuntur. Sed præter rationem à nobis adductam illis restitit declaratio Sac. Congregat. apud Gallemartum ad *cap. 3. sess. 24.* cit. Concil. *de Reformat. Matrim.* concepta in hæc verba: *Præsuppositâ declaratione per constitutionem Pii V. super hoc decreto, censuit Congregatio, oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex Sponsalibus per verba de præsenti etiam nulliter contractis, omissâ formâ decreti Concil. Trident. cap. 1. hujus Sess.*

Sequitur quinto, cum, cujus prius Matrimonium fuit invalidum ob impedimentum voti, sacri Ordinis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, criminis &c. incurrisse impedimentum publicæ honestatis; adeoque non posse contrahere Matrimonium cum aliqua consanguinea putatitiæ uxoris mortuæ intra quartum gradum. Ratio est: quia illud Matrimonium fuit invalidum ex alio quodam capite, quàm ex defectu consensûs, ut supponitur. Vid. Bonac. num. 19. Sporer num. 60.

Sequitur sexto, Cajum, si post Sponsalia absolutè contracta cum Titia contrahat Matrimonium per verba de præsenti cum Sempronia sorore Titiæ, manere obligatum ad ineundum Matrimonium cum Titia. Ratio est: quia Matrimonium hoc irritum non inducit impedimentum derogans Sponsalibus priùs contractis cum Titia. Quòdsi deinde Cajus post mortem Titiæ Matrimonium contraheret cum sorore Sempronia, aliáve consanguinea illius intra quartum gradum; invalidè contraheret. Ratio est: quia ex Matrimonio invalido cum Sempronia remaneret impedimentum publicæ honestatis respectu quarumcunque consanguinearum Semproniæ intra quartum gradum, licèt non respectu ipsius Semproniæ daretur hoc impedimentum. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 68. num. 24. Oberascher ubi suprà pag. 1013.

Dubitatur II. An impedimentum pu- 48
blicæ honestatis remaneat post Sponsalia mutuo consensu dissoluta? Respondeo, adhuc remanere. Quæ sententia hodie omnino tenenda est propter declarationem Sacræ Congregat. ab Alexandro VII. approbatam Anno 1658. die 10. Julii, quam videre est apud Fagnanum in cap. *Ad audientiam. de Sponsal. & Matrim.* Neque obstat alia declaratio ejusdem Congregationis, quam ex Rebello refert Reding to. 8. q. 12. a. 3. controv. 2. num. 9. in hæc verba: *Si Sponsalia solvantur de consensu, Congregatio censuit esse invalida.* Ex Sponsalibus autem, quæ censentur invalida, non oritur, adeoque nec potest remanere impedimentum publicæ honestatis. Respondetur enim, declarationem ab Alexandro VII. approbatam esse hac altera posteriorem, & correctivam ejusdem. Vid. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 3. a. 2. num. 104. Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 3. sect. 3. §. 3.

Sed quid, si Sponsalia priora publicè nota fuerint invalida ob defectum solummodò occultum, nec sufficienter demonstrabilem? Ad hoc respondent Sanchez disp. cit. num. 14. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 9.

num.

num. 2. & alii, ex ejusmodi Sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis; & consequenter Matrimonium subsequens cum consanguinea prioris Sponsæ fore invalidum. Ratio est: quia hoc impedimentum ab Ecclesia introductum fuit propter indecentiam, quam secum trahit Matrimonium cum consanguinea prioris Sponsæ: hæc autem indecentia in existimatione hominum, quos latet defectus occultus, eodem modo incurritur, acsi nullus subesset defectus. Verùm rectiùs respondent Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 10. n. 7. Illsung n. 105. & alii ab ipsis relati, ex iis Sponsalibus non oriri hoc impedimentum. Ratio est: quia Concil. Trid. universaliter dicit; ex Sponsalibus invalidis nullum impedimentum contrahi, nec ullibi excipit casum defectus occulti: ergo non rectè limitatur propter indecentiam falsò existimatam; saltem pro foro conscientiæ. in hoc enim, quantùm attinet ad impedimenta, attenditur status rei, ut est in se talis, & non, ut est tantùm apparenter talis.

49 Dico IV. Ligamen, quod nihil est aliud, quàm vinculum Matrimonii inter duas personas validè contracti, id efficit ex omnium Catholicorum consensu, ut durante priori Matrimonio, neque pro eodem tempore, neque pro futuro, sive in diem, quo ipsum tolletur, apud Matrimonium possit iniri licitè, vel validè. De quo impedimento plura diximus in disput. proximè priori, ubi egimus de Unitate Matrimonii. Illud modò superest, ut nonnullas quæstiones huc pertinentes resolvamus.

50 Quæritur autem primo, qualis certitudo de morte conjugis requiratur, ut superstes possit cum alio contrahere Matrimonium? Respondeo, requiri certitudinem moralem, id est, talem, vi cujus, attentis circumstantiis, ita prudenter creditur, priorem conjugem esse mortuum, ut oppositum non videatur probabile ullo modo. Ita habetur ex cap. *in præsentia. de Sponsalib.* cap. *Dominus. de secundis Nuptus.* Et ratio est: quia in contrahendo Matrimonio evitari debet periculum peccati: sed, nisi in casu nostro adsit exposita certitudo, non evitatur periculum peccati, scilicet contrahendi invalidè, & adulterandi; ergo. Ex his

Sequitur primo, unum testem de morte mariti non sufficere, ut uxor cum alio possit contrahere Matrimonium. Ratio est: quia in cit. cap. *in præsentia* requiritur *certum nuntium*, ubi ly *nuntium* sumitur in genere neutro. Sed nuntium, quod habetur ex voce unius tantùm, non potest dici certum. Nam *vox unius vox nullius*, ut ajunt Jura. Imò tametsi ille accusativus *nuntium* caderet à masculino *nuntius*, nihilominùs subsisteret adducta ratio: quia nuntius certus est, qui affert nuntium certum: sed unicus testis non potest dici afferre certum nuntium, saltem per se loquendo. Quod addo, quia aliquando cum testimonio unius concurrunt aliæ conjecturæ, quæ cum illo sumptæ sufficere possunt ad efficiendam moralem certitudinem de morte conjugis: ut, si propter nimiam distantiam locorum non possint facilè haberi aliæ probationes. in hoc casu sufficit nuntius; sive testis unicus asseverans, virum esse mortuum, si considerata qualitate personæ videatur loqui verisimilia. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 46. n. 12. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 13. §. 1. n. 7.

Sequitur secundo, etiam famam de morte conjugis non sufficere ad celebrandas novas Nuptias, nisi fulciatur quibusdam adminiculis. Ratio est: quia fama, utpote oriri solita ab incerto authore, & plerumque fallaci, non gignit moralem certitudinem; veluti decisum habetur in cap. *vestra. de cohabit. Clericor.* Dixi, *nisi fulciatur quibusdam adminiculis.* cujusmodi sunt v. g. si vir mortuus esse feratur in bello, in naufragio, in loco distanti; vel, si fuerit senex, vel æger; vel, si non rediverit tempore, quo promisit, se rediturum. his enim circumstantiis adjuta fama sufficere videtur ad reddendam uxorem moraliter certam de morte mariti, & honestandas alias Nuptias; dummodò probetur duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponant, se audivisse publicè, & à fide dignis, seque credere, rem ita se habere. Vid. Castropal. n. 8. Reding to. 8. q. 11. a. 3. controv. 1, n. 44. & præsertim Sanchez n. 16. ubi plura in rem præsentem congessit.

Sequitur tertio, præsumptionem præcisè probabilem de morte mariti non sufficere, ut uxor licitè possit inire novum Matrimonium. Ratio est: tum, quia Canones antè citt. expressè requirunt certitudinem, haud dubiè moralem. tum, quia lumen naturæ dictat, in materia tam obnoxia gravibus damnis & incommodis necessariam esse moralem certitudinem. Unde licèt in aliis materiis moralibus, quæ in nullius tertii vergunt præjudicium, ad operandum procedi possit ex probabilibus, non tamen in præsenti. Vid. Castropal. num. 3. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 3. a. 2. num. 102.

Sequitur quarto; tametsi maritus, vel uxor abfuerit jam longo tempore, v g. quinquennio, septennio, vel decennio, nondum haberi sufficiens fundamentum credendi esse mortuum, & consequenter neque jus transeundi ad alias Nuptias, nisi hujusmodi diuturna absentia fulciatur alio argumento, quidquid olim in contrarium statuerit Jus civile *l. uxores. ff. de divort.* Ratio est: quia ex longa conjugis absentia non oritur certi-

certitudo de ejus morte, sed solùm incertitudo & dubium. In dubio autem melior est conditio prioris Matrimonii possidentis. Mors quoque non præsumitur; sed probari debet: quilibet enim vivere præsumitur. *l. ult. C. de sacrosanct. Eccles.* Peccat itaque conjunx, quando tunc contrahit aliud Matrimonium. Vid. Sanchez num. 1. Reding num. 16. Oberascher de Matrim. cap. 4. pag. 1037. ubi etiam rectè monet, Parochis cavendum esse, ne durante incertitudine de morte prioris conjugis aliquos conjungant non obtenta facultate Ordinarii, ad quem pertinet hujus causæ cognitio.

51 Quæritur secundo, quid agendum sit uxori, si credens priorem maritum esse mortuum, contraxit Matrimonium cum alio, sed postea comperit, illum priorem adhuc vivere? Respondeo, esse obligatam ad recedendum à posteriore marito, quamvis optima fide, & habita morali certitudine de morte prioris mariti, etiam per sententiam Judicis, contraxerit. Ratio est: quia posterius Matrimonium est invalidum propter impedimentum ligaminis. Vid. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 10. n. 17. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 52. Sed quid, si tempore, quo initum est posterius Matrimonium, adhuc vixit prior maritus, qui jam tum certò credebatur mortuus; cognoscatur verò, nunc primùm esse mortuum? Respondeo, etiam in hoc casu recedendum esse à posteriore marito. Ratio est: quia tunc quoque posterius Matrimonium fuit invalidum. *Non* enim *firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit:* ait Regula Juris. Vid. Sporer num. 53. ubi etiam advertit, non teneri ejusmodi conjuges illud posterius Matrimonium validare per novum consensum, quamvis, ut id facerent, omnino conveniens esset, si unam, vel plures jam proles suscepissent.

52 Quæritur tertio, an validum sit Matrimonium, quod vir contraxit falsò credens, priorem uxorem adhuc vivere; cùm tamen revera jam esset mortua? Respondeo cum distinctione. Vel enim hic talis credidit, se posse validè contrahere, habuitque intentionem contrahendi, quantùm ex sua parte posset? vel non habuit talem intentionem saltem implicitè conditionatam? si primum; validum est Matrimonium; si secundum; non est validum. Bonac. n. 18. Ratio est: quia in primo casu adest sufficiens consensus inter personas habiles; secùs in secundo.

§. V.

De Impedimento Criminis.

SUMMARIUM.

53. *Præsens impedimentum comprehendit crimen homicidii & adulterii.* 54. 55. 56. *Conditiones, quibus positis interfectio conjugis dirimit Matrimonium.* 57. *An Matrimonium dirimatur ob interfectionem conjugis non conjunctam cum adulterio?* 58. 59. *& seqq. assignantur conditiones, quibus positis adulterium dirimit Matrimonium.* 65. *Adulterium adulteros non reddit simpliciter inhabiles ad quodvis Matrimonium.* 66. *An promissio Matrimonii post mortem conjugis ineundi non solùm sit illicita sed etiam invalida?*

53 HOc impedimentum, quod solo Jure Ecclesiastico introductum est, duplex crimen comprehendit. Primum est adulterium conjunctum cum interfectione proprii conjugis. de quo in cap. *super hoc, de eo, qui duxit in Matrim.* ita deciditur: *quòdsi adultera est aliquid in mortem uxoris machinata, sive fidem dedit, sive non, quòd ea defuncta, hanc esset ducturus, secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur.* Alterum crimen est Adulterium conjunctum cum Matrimonio, vel promissione Matrimonii mortuo conjuge contrahendi. De hoc in cap. fin. *de eo, qui duxit.* ita statutum habetur: *siquis uxore vivente, fide datâ promisit, aliam se ducturum; vel cum ipsa de facto contraxit, si nec antè, nec post, legitima ejus superstite, cognovit eandem, non est Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris obitum, dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Quibus animadversis,

54 Dico 1. Ut ex interfectione conjugis adulterio juncta oriatur impedimentum dirimens Matrimonii requiruntur sequentes conditiones.

55 Prima est, ut mors non tantùm attentata, sed etiam re ipsa secuta sit. Ratio est: quia verba legis pœnalis cum effectu oportet intelligere. Neque opus est, ut adulter mortem physicè intulerit, sed sufficit, si ad eam concurrerit moraliter, putà consilio, mandato &c. dummodò ex tali concursu fuerit secuta. Sola tamen ratihabitio cædis patratæ non sufficit ad contrahendum hoc impedimentum. quia ratihabitio non est causa cædis, sed eam supponit. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 10. n. 1. Castrop. de Sponsi. disp. 4. pu. 12. n. 4. Reding to. 8. q. 13. a. 1. controv. 1. num. 7. & 8.

56 Secunda conditio est, ut mors conjugi illata fuerit ex intentione Matrimonii cum criminis consorte ineundi. Ratio est: quia hoc impedimentum fuit introductum, ne cupiditate alieni Matrimonii conjuges occidantur. hæc autem ratio non habet locum, quando quis ex alia intentione, v. g. liberiùs vacandi libidini, conjugem sustulit è medio.

Vid. Divus Thomas in Supplem. q. 60. a. 2. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 78. num. 13. Laym. loco cit. Neque refert, maritúsne uxorem, an uxor maritum occiderit ex memorata intentione ineundi Matrimonium, ut contra alios advertunt Sanchez, Laym. locis citt. Castropal. n. 6. Reding n. 11. cùm utrobique sit eadem ratio, dispositumque in uno correlativo debeat censeri dispositum in altero. Neque refert etiam, si unus ex mortem machinantibus sit infidelis: sufficit enim alterum criminis consortem esse fidelem, quia tunc directè fidelem, indirectè verò infidelem istud impedimentum constringit, ut nequeat cum complice contrahere Matrimonium, utpote invalidum ex parte ejusdem. Quòdsi uterque supponatur esse infidelis, neuter afficitur hoc impedimento, utpote quod est juris Ecclesiastici tantùm, cui non baptizati non subjiciuntur. Unde tales etiam ad fidem conversi nequeunt ob ejusmodi scelus in infidelitate patratum arceri à conjugio complicis. Vid. Laym. n. 6. Castropal. n. 6. & 7. Reding n. 12.

57 Sed dubium nunc oritur, an etiam ex interfectione proprii, vel alieni conjugis sine interventu adulterii nascatur impedimentum dirimens, ita ut Matrimonium ab interfectore cum conjuge superstite contrahatur invalidè? Neque enim desunt Authores, tam qui id negent, quàm qui affirment, ut videre est apud Reding n. 5. Verùm placet distinctio, qua utitur Sanchez disp. cit. num. 9. Castropal. num. 3. idemque Reding num. 6. nempe ita, ut, si uterque machinatus sit mortem conjugi, inhabiles sint ad Matrimonium inter se contrahendum, quamvis non commiserint adulterium: si verò unus tantùm eorum, qui conjuge occiso desiderant inter se inire Matrimonium, sit reus homicidii, non sint inhabiles, nisi etiam adulterium præcesserit. Prior pars distinctionis sumitur ex cap. *laudabilem. 1. de convers. infidel.* ubi Saracenis, qui ex mandato & consilio uxorum fidelium occiderant maritos, postea baptizatis interdicitur Matrimonium cum illis mulieribus, jubenturque separari, quì jam contraxerant; nec ulla fit mentio adulterii. Posterior pars colligitur ex cap. *siquis vivente. 30. q. 1.* & aliis juribus, ubi semper machinationi mortis adulterium adjungitur.

58 Dico II. Ut ex adulterio, quod habet adjunctum Matrimonium vivente conjuge alterius, vel promissionem id contrahendi post mortem conjugis, oriatur impedimentum dirimens Matrimonii, sequentes conditiones debent adesse.

59 Prima est, ut vivente eodem conjuge fides de Matrimonio data sit, & adulterium commissum. Unde, si fides data fuit sub priore conjugio, adulterium verò commissum sub posteriore, vel si adulterium fuit commissum sub priore, promissio verò facta sub posteriore, non adest impedimentum dirimens. Vid. Laym. n. 4. Reding a. cit. controv. 2. num. 3. Similiter non adest impedimentum dirimens, si promissio Matrimonii fuit revocata ante adulterium; adest autem, si fuit revocata ante mortem mariti, & non ante adulterium. Ratio est: quia in priori casu fides Matrimonii omnino extincta est, adeoque non influit cum adulterio ad inducendum impedimentum. In posteriore autem jam supponitur contractum ante revocationem. Sanchez lib. cit. disp. 79. num. 7. Reding loco cit. & alii.

60 Secunda conditio est, ut ex parte utriusque adulterium formaliter committatur. Atque hinc, si mulier v. g. nesciat, eum, quocum contrahit, & concumbit, esse conjugatum, non incurritur impedimentum dirimens. Ratio est: quia adulterium non utrimque committitur formaliter. Sanchez n. 31. Reding n. 2. Laym. loco cit.

61 Tertia est, ut interveniat copula perfecta cum immissione seminis in vas. Ratio est: quia crimen adulterii debet esse consummatum, quod importat perfectam copulam. Sanchez n. 2. Laym. loco cit.

62 Quarta est, ut promissio Matrimonii sit expressa signo quopiam exteriori. Ratio est: quia promissio interna, utpote alteri ignota non præbet ansam machinandi mortem conjugi, ad quam præcludendam jus induxit istud impedimentum. Sanchez n. 9. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 6. n. 9. Sufficit autem, licèt ea promissio fiat animo ficto, ut præter alios tradit idem Sanchez n. 10. dummodò altera pars non advertat fictionem. Ratio est: quia ex promissione ficta non minùs captari potest ansa innocenti conjugi machinandi mortem, quàm ex seria.

63 Quinta est, ut promissio ab altero sit acceptata. Ratio est: quia ante acceptationem non est propriè pactum & promissio. Bonac. loco cit. ubi etiam rectè addit, debere acceptari, expressè: cùm non sit simpliciter favorabilis acceptanti, sed de re onerosa.

64 Sexta est, ut eadem promissio sit absoluta & pura, aut saltem per eventum conditionis purificata ante mortem conjugis. Ratio est: quia jus, quod hoc impedimentum promissioni conjugii annexuit tanquam pœnam, intelligi debet de promissione propriè ac simpliciter dicta, qualis non est promissio conditionata, adhuc suspensa, & pendens ab eventu futuro. Laym. loco cit. Castrop. de Spons. disp. 4. pu. 12. n. 13. Reding n. 6.

65 Corollarium I. Hoc impedimentum adulteros sibi fidem dantes Matrimonii ineundi, vel de facto id ineuntes non reddit sum-

simpliciter inhabiles ad quod vis aliud Matrimonium, sed ad illud tantùm, quod inter se contrahere statuunt, vel re ipsa contrahere conantur. Vid. Sanchez n. 41. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 114. Ratio est: quia sic habetur cap. *ex litterarum.* in fine. *de eo, qui duxit.*

66 Corollarium II. Non solùm graviter peccat, qui alteri promittit Matrimonium post mortem conjugis ineundum, sed probabilissimè promittit invalidè ac irritè ipso jure, quamvis promittat sine interventu adulterii, vel occisione conjugis. Ratio primi est: quia hujusmodi promissio repugnat bonis moribus, utpote præbens ansam vitæ conjugis insidiandi. Qui acceptat promissionem, similis peccati reus efficitur ob consensum alterius malitiæ præbitum. Ratio secundi est: quia huic tali promissioni jus resistit, ut præcludat ansam machinandi mortem conjugi innocenti. Vid. Sanchez n. 40. Castropal. n. 14. Laym. n. 7. Reding n. 18.

§. VI.

De Impedimento Impotentiæ.

SUMMARIUM.

67. *Quænam, & quotuplex impotentia hîc consideranda.* 68. *Peculiariter notanda de impotentia perpetua.* 69. *Impotentia perpetua antecedens & absoluta dirimit subsequens Matrimonium.* 70. *Non tamen dirimit impotentia temporalis.* 71. *Sterilitas.* 72. *aut impotentia superveniens.* 73. 74. *& seqq. Illationes ex dictis.* 78. 79. *Etiam impotentia respectiva, perpetua, & antecedens dirimit Matrimonium.* 80. *Quid agendum conjugibus certis de impotentia antecedente & perpetua?* 81. *Quid in dubio, sitne impotentia perpetua, vel temporalis?* 82. *Quid in casu erroris commissi in separatione conjugum propter impotentiam?* 83. *An constitutus in articulo mortis possit contrahere Matrimonium?*

67 NOmine hujus impedimenti intelligitur impotentia ad copulam carnalem, & semen generationi aptum intra vas muliebre effundendum. Hæc autem impotentia alia est superveniens Matrimonio; alia id antecedens. Alia præterea est perpetua; alia temporanea. alia quoque est naturalis, & ab intrinseco; alia ab extrinseco & accidentalis. Porrò naturalis alia provenit ex defectu ætatis; alia ex defectu, vel etiam excessu caloris in viro, vel membris ad usum conjugii necessariis; alia ex coarctatione partium ad eundem finem deservientium in fœmina. Rursus naturalis alia est respectiva, ut in viro respectu harum vel illarum fœminarum; in fœmina respectu horum vel illorum virorum: alia absoluta, nempe in viro respectu omnium fœminarum; in fœmina respectu omnium virorum, ita ut vir nullam possit cognoscere, fœmina à nullo cognosci carnaliter. Impotentia accidentalis alia est à natura, ut in senibus ob nimiam ætatem; alia ab homine inducta; ut in eunuchis, membróque abscissis: alia à Dœmone per maleficium procurata.

Circa impotentiam perpetuam peculiariter notandum est, esse illam, quæ neque arte Medica, nisi fortè cum periculo vitæ, aut gravissimi morbi; neque consuetis Exorcismis Ecclesiæ; neque aliter, quàm illicitè tolli potest. Vid. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 3. n. 68. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 11. n. 1. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 13. à n. 1. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 14. §. 1. n. 2. Atque hinc 68

Sequitur primo, impotentiam, quæ non potest auferri, nisi per illicitam incantationem, aut aliud medium peccaminosum, v. g. per copulam cum aliis viris, esse perpetuam. Ratio est: quia censetur non posse auferri arte humana. quod enim non potest fieri licitè, reputatur impossibile. Filliuc. num. 69. Bonac. num. 2. Sequitur secundo, illam quoque impotentiam habendam esse pro perpetua, quæ non nisi per miraculum auferri potest. Ratio est: quia non potest auferri arte humana. Bonac. n. 3. Laym. loco cit. ubi & etiam advertit, ablationem impotentiæ per consuetos Ecclesiæ exorcismos, quamvis sit supernaturalis, non reputari miraculosam; cùm fiat velut ordinariè. quod idem de oblatione per orationes procurata tradit Bonac. n. 4. Sequitur tertio, si Medici judicent, mulierem propter arctitudinem v. g. laborare impotentiâ perpetuâ, standem esse hoc tali judicio, licèt per incisionem graviter periculosam subveniri posse supponatur, eamque mulier sufferre parata sit. Ratio est: quia tunc impedimentum non potest auferri arte humana, nisi cum periculo vitæ. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 93. n. 20. Unde contrarium asserendum est, si mulier reddi possit apta viro per incisionem absque gravi periculo vitæ, quamvis illa renuat ejusmodi curationem subire. Bonac. n. 5. Nunc

Dico I. Impotentia perpetua ad copu- 69
lam carnalem antecedens & absoluta dirimit Matrimonium subsequens. Ita communis & certa sententia. Constat inprimis ex cap. 2. *de frigid. & malefic.* & aliis. Deinde ex ea ratione, quòd contractus Matrimonii essentialiter importet obligationem dandi inter se corpus ad copulationem carnalem. Atqui hoc obligatio non potest subsistere cum memorata impotentia. cùm *impossibilium nulla sit obligatio;* & *inhabilis ad solvendum sit etiam inhabilis ad promittendum,* ut dicitur

in Jure. Ex quibus adeò vides, hoc impedimentum impotentiæ non solùm esse juris Ecclesiastici, sed eiam naturalis; & consequenter inter infideles quoque dirimere Matrimonium. Laym. loco cit. Salmantic. tract. 9. pu. 9. cap. 12. num. 107.

70 Dixi autem, *impotentia perpetua.* temporalis quippe non dirimit Matrimonium. Ratio est: quia pro aliquo solùm tempore impotens est absolutè potens: ergo ad usum Matrimonii obligari potest pro illo tempore, quoad eundem erit potens. Graviter tamen peccat, qui conscius suæ impotentiæ temporalis, & quidem diu duraturæ, contrahit Matrimonium, quin eandem priùs conjugi manifestaverit. nam graviter illam decipit, & injuriâ afficit; eò quòd privanda sit usu conjugali, & exponenda periculo incontinentiæ; prout advertunt Sanchez lib. cit. disp. 92. n. 5. Castropal. pu. cit. §. 2. n. 9. Bonac. n. 12. Salmantic. n. 113. Reding to. 8. q. 13. a. 2. controv. 1. n. 23. Excipitur autem Matrimonium impuberum, quod irritum est Jure Ecclesiastico, quamvis eorum impotentia ex defectu ætatis proveniens sit temporalis. Sanchez n. 2. Bonac loco cit.

71 Dixi, *ad copulam carnalem.* quia impotentia ad prolem generandam, quæ sterilitas dicitur, non impedit aut dirimit Matrimonium, si sola sit, ut habet certissima sententia. cujus ratio est: tum, quia Ecclesia nunquam audita est dissolvisse aliquando Matrimonium aliquod propter sterilitatem. tum, quia inter parentes S. Joan. Baptistæ fuit verum Matrimonium, quamvis Mater esset sterilis, Luc. 2. tum, quia licèt ejusmodi Matrimonium frustretur fine primario, qui est generatio prolis, consequitur tamen finem secundarium, qui est sedatio concupiscentiæ per veram copulam. Dicitur quidem in cap. *solet.* 32. *q.* 2. Matrimonium non esse, quando spes sobolis deficit: sed hic textus intelligendus est de casu, quo in pactum Matrimonii deducitur, ut evitetur susceptio prolis. tunc enim irritum esse Matrimonium constat ex priori disp.

72 Dixi, *impotentia antecedens.* quia illa, quæ advenit post Nuptias, neque dirimit Matrimonium consummatum: quippe quod sola morte dissolvi potest: neque ratum tantùm: hoc enim nonnisi per Professionem Religiosam, aut dispensationem Pontificiam dissolvi posse docuimus disp. cit. ubi de Indissolubilitate Matrim. egimus. Ex dictis

73 Infertur primo, invalidum esse Matrimonium inter impotentes, vel inter potentem & impotentem impotentiâ perpetuâ, sive sciatur, sive nesciatur à contrahentibus hæc talis impotentia. Ratio est: tum, quia Jus Ecclesiasticum, quod impotentes dicit incapaces Matrimonii, loquitur absque facto discrimine inter scientes, vel nescientes hoc impedimentum. tum, quia inanis & nugatoria est obligatio ad usum Matrimonii impossibilem, tametsi contrahentes supponantur cedere suo jure. tum, quia Sixtus V. in Bulla *cùm frequenter*, edita Anno 1587. penitùs irrita esse declaravit Matrimonia eunuchorum perfectorum. Sanchez lib. cit. disp. 97. n. 2. Laym. ubi suprà, Castropal. pu. cit. §. 6. n. 1. Salmantic. n. 111.

74 Infertur secundo, validum esse Matrimonium, quando fœmina potest reddere debitum, licèt non absque gravissimo sanitatis periculo: item, licèt non possit parere citra magnum vitæ periculum: item, licèt prævideat, vel experientiâ didicerit, se non edituram, nisi liberos mortuos. Ratio est: quia ista quantumvis difficilia non constituunt veram & perpetuam impotentiam. Sanchez lib. cit. disp. 92. n. 6. & disp. 102. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 3. n. 65. Bonac. n. 16.

75 Infertur tertio, validum esse Matrimonium, quod ineunt senes decrepiti. Ratio est: quia vix ullus est senex, qui non vel incitamento naturæ, vel medicina quapiam, vel arte disponi possit ad usum Matrimonii. Unde Ecclesia nullos senes ab incundo Matrimonio repellit. Sanchez disp. 92. à n. 19. Castropal. pu. cit. §. 2. n. 4. Bonac. n. 18. Reding ubi suprà n. 18. Addit porrò cum aliis Castropal. de fœminis certissimum esse, quòd nulla ob senectutem censenda sit impotens ad Matrimonium. Quòdsi tamen judiciò Medicorum senex omnino haberetur pro impotente ad copulam, ejus Matrimonium non esset validum, ut rectiùs docent Authores citt. quàm alii apud eundem Castropal. contrarium tenentes.

76 Infertur quarto, si fœmina possit semen debitè recipere, sed non retinere, Matrimonium nihilominùs esse validum. Ratio est: quia impotentia, per quam dirimitur Matrimonium, est sola impotentia seminandi in vase debito. unde semination supposita per accidens est, si effuso semine non sequatur generatio. Imò ejusmodi fœmina solùm est sterilis; quod valori Matrimonii non obstare constat ex n. 71. Sanchez n. 11. Filliuc. n. 64.

77 Infertur quinto, invalidum esse Matrimonium cum perpetua impotentia, sive ex parte viri, sive ex parte fœminæ contractum, licèt ea impotentia postea per miraculum, aut aliam curationem non ordinariam & consuetam auferatur: neque convalescere, nisi conjuges edito novo consensu contrahant. Ratio est: quia semper verum manet, Matrimonium propter impotentiam perpetuam fuisse irritè contractum. Sanchez lib. cit. disp. 93. n. 20. Laym. ubi suprà n. 2. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 124. Jam ulteriùs

Dico II.

78 Dico II. Etiam impotentia respectiva, si sit perpetua, & antecedens, dirimit subsequens Matrimonium. Ita communis & certa sententia: quæ colligitur ex cap. *fraternitatis. de frigid. & malefic.* & cap. *fin.* 33. *q.* 1. *eod. tit.* Ratio est manifesta: quia Matrimonium essentialiter importat mutuam inter conjuges obligationem, ut per copulationem maritalem fiant una caro, ut constat ex n. 69. Hæc autem obligatio non potest subsistere inter personas, respectu quarum copula est impossibilis, quamvis supponatur possibilis respectu aliarum; ergo.

79 Corollarium. Si fœmina quæpiam adeò sit arcta respectu alicujus viri, ut ab eo cognosci non possit, possit tamen ab alio, validè cum hoc tali contrahit Matrimonium, non autem cum illo. Similiter, si vir ob debilitatem virtutis, vel nimiam caliditatem non possit cognoscere virginem, possit tamen cognoscere corruptam, validum erit Matrimonium ab ipso contractum cum corrupta, non autem contractum cum virgine. Ratio est: quia in prioribus casibus obstat impedimentum impotentiæ, non tamen in posterioribus. Vid. Sanchez n. 4. Filliuc. n. 67. Salmantic. tract. 9. cap. 12. pu. 10. n. 118.

80 Quæritur nunc primo, quid faciendum sit; quando conjuges certi sunt de impotentia antecedente perpetua? Respondeo primo, ejusmodi conjugibus nec debitum reddere, aut petere esse licitum, nec tactibus, osculis &c. delectari. Ratio est: quia actus conjugales non sunt liciti inter conjuges re ipsa non conjuges: sed tales re ipsa non sunt conjuges; utpote non conjuncti conjugio valido. Vid. Bonac. n. 20. Respondeo secundo, eosdem conjuges esse statim separandos, saltem quoad thorum. Ratio sumitur ex periculo incontinentiæ, cui sedandæ inter ipsos non sunt liciti actus conjugibus consueti. Dixi, *quoad thorum.* Nam si mutuo consensu cohabitare velint instar fratris & sororis abstinentes ab omni commixtione carnis, tactibus impudicis &c. id eis permissum est juxta cap. *laudabilem.* & cap. *consultat. de frigid.* Monent tamen Authores, Judicem non facilè debere consentire in talem cohabitationem, præsertim, si adhuc juvenes sint. de quo vid. Sanchez lib. cit. disp. 97. à n. 4. Castropal. de Sponsal. disp. 4. pu. 14. §. 6. n. 1. Oberascher de Matrim. cap. 4. pag. 1047.

81 Quæritur secundo, quid juris in dubio, an impotentia antecedens sit perpetua, vel temporalis? Respondeo, tunc conjugibus in cit. cap. *laudabilem* concessum esse spatium triennii, intra quod eis licitum sit experiendi causâ conari ad copulam, quamvis per accidens inde sequatur pollutio; elapsô autem citra emendationem triennio separandos esse quoad thorum, & concedendam alteri conjugi, qui potens est, licentiam ad alias Nuptias transeundi; vel etiam utrique, si utrumque erga alias personas potentem esse possit ostendi, vel præsumi. Ad hæc tamen opus esse Authoritate Ecclesiæ, tum, ut scandalum vitetur, tum ut erroris periculum. Vid. Laym. ubi suprà n. 4. Bonac. Oberascher locis citt. Verùm inde

82 Quæritur tertio, quid agendum, si in memorata separatione, novique Matrimonii concessione commissus fuerit error; eò quòd conjuges revera ad invicem essent potentes, ideoque Matrimonium valuerit; isque error postea detegatur, quando alter, vel uterque conjunx jam transivit ad alias Nuptias? Respondeo, tunc posterius Matrimonium, utpote invalidum, debere dissolvi, & prius redintegrari. Divus Thomas in Supplem. q. 58. a. 1. Laym. n. 5. Bonac. n. 8. Salmantic. cap. cit. pu. 12. n. 139 Oberascher pag. 1048. Sed quid, si fœmina, quam Ecclesia judicavit impotentem & non aptam viro, facta sit apta per fornicationem cum alio? Respondeo, talem non posse restitui priori conjugi ad redintegrandum Matrimonium. Ratio est: quia censetur laborare impotentiâ perpetuâ: ut constat ex dictis n. 68. & docent Sanchez lib. cit. disp. 93. n. 12. Bonac. loco cit. & alii.

83 Quæritur quarto, utrùm ex morbo in vitæ periculo constitutus possit Matrimonium contrahere? Respondeo, posse, per se loquendo, ut habet communis sententia. Ratio est: tum, quia sic obtinet consuetudo Ecclesiæ, secundùm quam morituris non raro, ut id faciant, suaderi ac persuaderi solet. tum, quia morti ob infirmitatem propinquus habet per se loquendo potentiam ad actum conjugalem exercendum, licèt per accidens impeditam. Quòdsi tamen accidat ipsam potentiam ad eum actum secundùm se vi morbi esse destructam, ejusmodi infirmus non potest contrahere Matrimonium. Vid. Laym. n. 6. Oberascher pag. 1049.

§. VII.

De reliquis Impedimentis dirimentibus.

SUMMARIUM.

84. *Quid intelligatur per Disparitatem Cultûs.* 85. *Inter hominem baptizatum & non baptizatum non valet Matrimonium: valet autem inter Catholicum & hæreticum.* 86. *In quibus casibus Matrimonium inter Catholicum & hæreticum sit etiam licitum.* 87.

84 EX impedimentis, quæ adhuc supersunt, primum occurrit Disparitas cultûs, sive diversitas Religionis seu Fidei inter contrahentes Matrimonium: ut, si unus eorum hominum sit baptizatus, alter non baptizatus: vel, si unus est Catholicus, alter hæreticus. Quod genus impedimenti ut declaretur,

85 Dico I. Matrimonium inter hominem baptizatum & non baptizatum, etiam Catechumenum, Jure Ecclesiastico est invalidum: inter hominem verò Catholicum & hæreticum est quidem validum, sed graviter illicitum, per se loquendo. Prima pars colligitur ex cap. *cave.* 28. *q.* 1. communiqúe DD. sententia & hodierna praxi Ecclesiæ. Secunda pars colligitur ex cap. *decrevit. de hæret. in* 6. & traditur itidem communiter à DD. Ratio hæc redditur: quia Matrimonium cum hæretico rite baptizato initum est verum Sacramentum: ergo Ecclesiæ meritò visum est, id non esse ita infirmandum, sicut Matrimonium cum infideli. Ratio tertiæ partis sumitur tum ex prohibitione Ecclesiæ in Concil. Chalcedon. can. 14. Eliber. c. 16. Laodic. can. 10. & 31. Carthag. III. c. 12. Agathensi, c. 67. tum ex periculo perversionis inde imminens conjugi Catholico & proli.

86 Dixi tamen, *per se loquendo*. Nam per accidens in quibusdam casibus Matrimonia Catholicorum cum hæreticis sunt licita: ut primo, si hæretici mixti Catholicis communi jure vivant; sicut in Germania, aliisque partibus Septentrionalibus. Secundo, si absit periculum perversionis, proliqúe suscipiendæ satis caveatur de educatione in Fide Catholica. Tertio, si hæreticus promittat, se post Nuptias Fidem Catholicam susceptorum; Nuptiásque ob justam causam absolutioni ab hæresi præmittere oporteat. Quarto, si celebratio ejusmodi Matrimoniorum ad pacem inter Christianos Principes conciliandam, aut conservandam conducere judicetur. Vid. Laym. lib. 5 tract. 10. par. 4. cap. 14. n. 2. Oberascher de Matr. cap. 4. pag. 1017. & seq. ubi etiam ádvertit, periculum perversionis semper abesse debere in relatis casibus. Porrò illud pactum in Matrimonio Catholici cum hæretica, ut proles mascula Fidem patris, fœminina Fidem matris sequatur, impium, scandalosum, atque irritum esse omnes fatentur apud Laym. n. 3. His expositis sese offert impedimentum Vis, sive Metûs, ut hîc accipitur. de quo

87 Dico II. Matrimonium ex gravi metu, à causa libera injustè incusso ad extorquendum consensum est invalidum Jure Ecclesiastico. Ita communiter DD. constátque ex cap. veniens. 2. de Sponsal. & cap. 2. de eo, qui duxit in Matrimonium &c. Usu præterea ita receptum est in Ecclesia. Ratio verò, ob quam Ecclesia ejusmodi Matrimonia voluit esse irrita, hæc redditur; quòd nempe soleant difficiles habere frequenter exitus, & adversentur procreationi atque educationi prolis, mutuæ cohabitationi, amori conjugali, paci &c.

88 Dixi autem, *ex gravi metu*. Nam levis metus, cùm nulla ejus habeatur ratio in Jure, non irritat Matrimonium. Accedit, quòd alioquin ob frequentiam talis metus omnia essent plena litibus & controversiis Matrimonialibus. Dixi, *à causa libera*. quia Matrimonium ex metu quantumvis gravi, qui ortum habet à causa naturali, contractum censetur sufficienter liberum, adeóque & validum: ut, siquis ex metu gehennæ, vel metu infamiæ ducat suam concubinam. Dixi, *injustè incusso*. quia metus gravis justò incussus non censetur præjudicare libertati ad valorem Matrimonii requisitæ. Atque hinc validum est Matrimonium in sequentibus casibus: nempe primo. Si lata sit lex, ut violator virginis sub pœna mortis compellatur ad Matrimonium cum violata ineundum. Secundo. Si pater deprehendat aliquem cum sua filia peccantem, eíque minetur accusationem, nisi eam ducat. Tertio. Si Judex juveni ad mortem justè damnato faciat optionem, ut vel moriatur, vel ducat filiam carnificis, aut aliam, etiam meretricem. Vid. Sanchez lib. 4. de Matr. disp. 13. Bonac. de Matr. q. 3. pu. 8. à n. 9. Laym. tract. cit. par. 2. cap. 5. n. 2. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 1. n. 18. Wigandt tract. 16. exam. 3. n. 33. Dixi præterea, *ad extorquendum consensum*, scilicet in Matrimonium. Nam, si metus ad quid aliud, v. g. ad pecuniam extorquendam, sit incussus, Matrimonium non est irritum. quia hic metus per accidens se habet respectu Matrimonii, nec est causa per se ejus involuntarii, quod reperitur in consensu alterius contrahentis. Unde, si Princeps v. g. ab alio Principe in urbe sua obsessus, ut evadat imminens exitium, contrahat Matrimonium cum filia, vel sorore obsessoris, validè contrahit. Similiter viator, cui latro ad pecuniam extorquendam intentat mortem, validè promittit, se filiam ejus ducturum in uxorem, ut hac ratione vexationem ejusmodi redimat. Vid. Bonac. à n. 16. Sporer n. 19. Wigandt loco cit. Dixi demum, *jure Ecclesiastico*. quia stando in jure naturæ validum esse hoc tale Matrimonium docuimus suprà in tract. 2. disp. 1. a. 3. §. 5. n. 46. Jure autem Divino nullibi reperitur irritatum.

89 De Impedimento Clandestinitatis vide quæ dicta sunt in disp. proximè priori, ubi de consensu & Matrimonio clandestino tractatum fuit. Ut Raptus sit impedimentum dirimens, debet esse violenta abductio fœminæ ex intentione contrahendi cum illa Matrimonium, & non sufficit, si abducta sit ex alio fine, v. g. explendæ libidinis gratiâ: quemadmodùm à Sacra Congregat. die 23. Januar. 1586. resolutum esse ex Pyrrho Corrado refert Magnific. P. Schmier to. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 4. num. 92. Cætera de hoc impedimento colligere licet ex suprà dictis in tract. 5. disp. 7. a. 2. §. 5.

ARTI-

ARTICULUS III.

Resolvuntur nonnullæ quæstiones ad prædicta pertinentes.

SUMMARIUM.

1. *A quo, & in quibus impedimentis Matrimonii dispensari possit.* 2. *An, & quando ad revalidandum Matrimonium requiratur Præsentia Parochi & testium?* 3. *Ut Matrimonium ex defectu interni consensûs irritum revalidetur, sufficit suppletio ejus consensûs.* 4. *Resolvitur quæstio, an Parochus teneatur admonere Pœnitentem, quem scit Matrimonium contraxisse cum impedimento dirimente?* 5. *Quid, si videat, eum contracturum ex ignorantia invincibili talis alicujus impedimenti?*

1 QUæritur primo, quisnam possit dispensare in impedimentis Matrimonii? Respondeo primo. In impedimentis, quæ jure Divino, aut naturali dirimunt Matrimonium, neque Summus Pontifex dispensare potest. Ratio est: quia non constat, Deum Ecclesiæ, aut ejus Summo Pontifici hanc talem potestatem concessisse. Atque ita sentiunt communissimè DD. Respondeo secundo. In Impedimentis Jure solùm Ecclesiastico dirimentibus Summus Pontifex dispensare potest. Ratio est: quia quilibet Superior in sua lege, dispensare potest, ut est certissimum. sed Summus Pontifex est Superior respectu omnis juris ac legis Ecclesiasticæ. Respondeo tertio. In impedimentis non dirimentibus dispensare potest etiam Episcopus, excepto voto castitatis, & Religionis absoluto & perfecto. Ratio est: quia ita habet recepta consuetudo, ut dispensatio in his impedimentis non petatur à Summo Pontifice, exceptis voto castitatis & Religionis, quæ Papam sibi reservâsse satis constat ex privilegiis concessis in Bullis ac Jubilæis, ubi semper excipiuntur hæc vota, ac proinde nunquam censetur concessa potestas in iisdem dispensandi, nisi exprimatur. Vid. Bonac. de Matrim. q. 3. pu. 15. n. 3. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 10. n. 305. & 306. Respondeo quarto. Etiam in impedimentis dirimentibus Episcopus interdum dispensare potest. Videlicet primo, si vel propter paupertatem petentium, vel locorum distantiam, aliámve legitimam causam recursus ad curiam Romanam sit nimis difficilis; nec conjuges separari possint citra magnum scandalum, cohabitatio verò non permitti absque periculo incontinentiæ. Secundo, si post Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, & communi opinione hactenùs pro valido habitum, ad Episcopum deferatur impedimentum occultum. Tertio. Si Matrimonium, in quo intervenit impedimentum, ab altero saltem conjugum sit bona fide contractum. Quarto. Si in aliquo tali impedimento aliàs dispensari soleat. Ratio est: quia non videtur credibile, Summ. Pontificem in recensitis casibus velle potestatem dispensandi sibi reservatam esse; adeoque rectè præsumitur eam Episcopis tacitè concedere pro foro conscientiæ. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 40 Bonac. à num. cit. Mezger tract. 19. disp. 54. a. 7. n. 4. Oberascher de Matrim. cap. 4. pag. 1057. qui DD. concedunt, Episcopum posse dispensare etiam ante contractum Matrimonium, si hoc postulet valdè urgens necessitas. In dubio quoque, an inter conjuges sit aliquod impedimentum, posse Episcopum declarare, quòd nullum adsit, aut etiam pro majori cautela dispensare, observat cum aliis Oberascher loco cit.

2 Quæritur secundo, an ad Matrimonium, quod propter impedimentum aliquod irritum erat, sublatô vel per dispensationem, vel aliter impedimentô, revalidandum necessaria sit præsentia Parochi & testium? Respondeo primo. Si impedimentum in facie Ecclesiæ fuit publicum seu notorium, necessarium est rursus adhibere Parochum & testes, & coram ipsis celebrare Matrimonium. Ratio est: quia præsentiam Parochi & testium esse de valore Matrimonii constat ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrim.* ut jam pridem vidimus: ergo Matrimonium antea invalidè contractum nequit de novo contrahi validè, seu revalidari, nisi de novo adhibeantur Parochus & testes. Vid. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 14. num. 4. Bonac. num. 7. Mezger num. 1. Oberascher pag. 1062. Debet hæc nostra responsio extendi etiam ad casum, quo periculum est, ne in foro externo, vel in facie Ecclesiæ impedimentum aliquando innotescat. Item ad casum, in quo etiam solus Parochus, vel testes requisiti habuerunt notitiam extra Confessionem de impedimento, quia hi tales non poterant auctoritatem, vel testimonium præbere Matrimonio, quod sciebant esse nullum, ait Laym. loco cit. & notat Sanchez lib. cit. disp. 37. num. 10.

Respondeo secundo. Si impedimentum omnino sit occultum, Matrimonium revalidari potest sine Parocho & testibus de novo adhibitis. Ratio est; quia causa, ob quam Concil. Trid. ad valorem Matrimonii requi-

requisivit præsentiam Parochi & testium, erat, ut impedirentur gravia peccata & incommoda, quæ ex Matrimoniis clandestinis plerumque oriri solent. Hæc autem ratio penitus cessat in casu nostro. Imò potiùs è contrario gravia scandala & incommoda sequerentur, si Matrimonia, quæ publicè habebantur pro validis, iterum coram Parocho & testibus celebrari deberent. Meritò proinde censetur, illud decretum Tridentin. ad præsentem casum non extendi. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 38. n. 3. Laym. Bonac. Mezger locis citt. Oberascher pag. 1060.

3 In tali itaque casu ad revalidandum Matrimonium sufficit, si conjuges ipsi prioris impedimenti conscii mutuum inter se consensum renovent privatim, eumque verbis, aut facto aliquo declarent. Quòdsi hujus praxim aliquam desideres, eam collige ex doctrina, quam cum aliis tradit Oberascher à pag. 1061. Si ambo conjuges conscii sunt impedimenti, & impetratæ super illud dispensationis, negotium in expedito erit: quia tunc citra tergiversationem mutuum sibi invicem consensum de novo exhibebunt, vel formaliter, vel virtualiter per copulam maritali affectu exercitam. Si unus tantùm, v. g. uxor, habet ejus notitiam, res paulò difficilior est; adeoque cautè procedendum. Quando ejusmodi conjuges ita concorditer & constanter se mutuò diligunt, ut nullum subsit probabile periculum vel resiliendi à Matrimonio priori, vel minùs pacificè in posterum convivendi &c. tametsi parti impedimenti, & obtentæ dispensationis ignaræ res delegatur, id faciendum erit saltem generatim, simili aliquo modo, ut habet Laym. num. 5. *Suspicor, ex causa aliqua non valuisse inter nos Matrimonium: ideo rogo te ad pacandam conscientiam meam, ut, quatenùs opus est, denuò in Matrimonium consentiamus.* Atque hic modus haud dubiè securior est: cùm aliquin ab ignorante non facilè præstabitur consensus de præsente absolutus & efficax, qualis ad valorem Matrimonii exigitur. Quòdsi autem probabile periculum subsit, ne maritus v. g. cognita Matrimonii invaliditate, ab eo resiliat, aliáve gravia incommoda oriantur, sufficiet, si uxor oblata opportunitate interroget, dicendo v. g. *Nonne ita me amas, ut, si Matrimonium inter nos nullum esset, jam illud contraheres? adeoque jam me accipis in conjugem, etiamsi antea non accepisses.* tunc enim si vir dicat, *accipio te*, & mulier vicissim, *& ego te*, consensus sufficienter renovatus esse censetur. Aliud esset, si vir diceret solùm, *acciperem te:* quia non esset consensus de præsenti; adeoque non constitueret validum Matrimonium: veluti notat Sanchez lib. cit. disp. 36. num. 5. Denique si Matrimonium fuit irritum, quia alter Sponsorum internum consensum non præbuit, nisi vel simulatè, vel coactè, vel erroneè, ad validandum Matrimonium nihil aliud requiritur, quàm ut ille Sponsus consensum internè suppleat. Rratio est: quia sic ponitur illud totum, quod solum deerat valori Matrimonii. Vid. Laym. loco cit.

4 Quæritur tertio. An Confessarius teneatur admonere Pœnitentem, à quo novit, esse contractum Matrimonium cum impedimento dirimente? Respondeo primo. Quando Confessarius deprehendit, Pœnitentem ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili invalidè contraxisse Matrimonium, tenetur eum admonere. Ratio est: quia Confessarius ex officio tenetur instruere, & admonere Pœnitentem ignorantem, qui indiget instructione & admonitione: sed his indiget Pœnitens, de quo hîc sermo est; ergo. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 38. num. 2. Bonac. q. cit. pu. ult. num. 2. Neque dicas, admonitionem fortè non profuturam: respondetur enim, non posse non prodesse, vel ad hoc, ut Pœnitens ignorantiam illam dedoctus agnoscat malum animæ suæ statum; utque fortè per conscientiæ stimulos ad resipiscendum aliquando adigatur: vel ad hoc, ne ob denegatam sibi Absolutionem in querelas erumpat: vel certè, ut Confessarius suo officio debitè fungatur. Sanchez loco cit.

Respondeo secundo. Quando Pœnitens ex ignorantia invincibili juris, vel facti invalidè contraxit Matrimonium, nec ulla spes fructûs ex admonitione affulget. Confessarius non tenetur admonere, nisi intermissio admonitionis cessura videatur in damnum boni communis. Ratio est: tum, quia nulla lex obligat ad actus inutiles & otiosos. Unde est illud S. Augustini, quod habetur *cap. siquis autem. de Pœnit. d. 7. si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem.* tum, quia nemo tenetur corrigere proximum, quando videt, correctionem nihil profuturam; ut suo loco docuimus: ergo etiam Confessarius in casu nostro non tenetur admonere Pœnitentem. tum, quia tunc admonere Pœnitentem aliud non esset, quàm ejus conscientiæ injicere laqueos. qui enim antè non peccavetat, nec deinceps peccaturus esset, si relinqueretur in sua ignorantia, & bona fide, peccaret post admonitionem. Vid. Sanchez n. 7. Bonac n. 4. Dixi: *nisi intermissio admonitionis cessura videatur in damnum boni communis:* velut accidit, quando est publica fama de invaliditate Matrimonii, indeque scandalum oritur in populo. tunc igitur Confessarius tenetur admonere Pœnitentem, etiamsi ex parte ipsius nullum fructum speret. Ratio est: quia

tunc

tunc illa ignorantia adversatur bono communi; quod præferendum est bono privato. Sanchez n. 15. Bonac. loco cit.

5 Corollarium. Quando Confessarius videt, Pœnitentem invincibili ignorantia impedimenti laborare, nec habet probabilem spem, fore, ut admonitioni acquiescat, aut fidem adhibeat; adeoque periculum est, ne homo insuperhabita admonitione Matrimonium contrahat in mala fide; nec ab ejus contractu destiturus esse credatur, nisi cum maxima difficultate, gravique scandalo, prudentissimè agit idem Confessarius, si taceat. Quod sanè probant rationes pro secunda Responsione in n. primùm præced. adductæ. Vid. Sanchez. n. 7.

DISPUTATIO IV.

De iis, quæ pertinent ad usum Matrimonii.

Usus Matrimonii per se quidem licitus est atque honestus; quippe cui Deus ipse benedixit Genes. 1. v. 28. *crescite, & multiplicamini*; per accidens tamen ob depravatam ex lapsu primorum Parentum naturam nostram non caret quibusdam incommodis, eisque non levibus. Eorum præcipua videntur, quòd conjugalis copula secundùm physicam considerationem nihil differat à turpi, fœdoque fornicationis opere; sicuti notat Divus Thomas in Supplem. 3. part. q. 49. a. 2. & quòd ardor concupiscentiæ & immoderata voluptas in concubitu conjugem humanam rationem absorbeat; quemadmodùm testatur Aristoteles 7. Ethic. cap. 11. Quare operæ prætium est breviter declarare, qua ratione fieri possit, ut hæc, aliaque incommoda honestati usûs Matrimonii non officiant.

ARTICULUS I.

De debito, ac licito usu Matrimonii.

SUMMARIUM.

1. *Adstruitur, & declaratur obligatio reddendi debitum conjugale.* 2. 3. *Conjunx ex Justitia tenetur non se reddere impotentem ad usum Conjugii.* 4. *Conjunx non potest diu abesse à conjuge sine ejus licentia.* 5. *Neuter conjugum tenetur petere debitum regulariter loquendo.* 6. *Conjuges obligantur ad opus Conjugii rectè peragendum quoad substantiam, & quoad modum.* 7. 8. *An liceat petere debitum tempore fluxus menstrui.* 9. *An ab uxore gravida.* 10. *An à lactante infantem?*

1 Dico I. Conjunx conjugi debitum conjugale seriò, & rationabiliter petenti, sive id faciat expressè, sive tacitè, sub mortali peccato reddere tenetur. Ita communiter Catholici cum Divo Thomâ in Supplem. 3. part. q. 64. a. 1. ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 7. *uxori vir debitum reddat; similiter autem & uxor viro.* Et ratio est: quia uterque conjunx habet jus petendi hoc debitum, ejusque negatio est circa rem gravem.

Dixi autem, *seriò petenti.* Nam uti tergiversatione aliqua ad avertendum petentem à petitione, vel pauxillùm differendum, aut nulla est, aut levis tantùm injuria: cùm non sit absoluta negatio debiti. idque præsertim, si vir petat debitum: fœminæ quippe ob naturalem verecundiam, qua petunt. minùs repellendæ sunt per tergiversationem; sicut ex Divo Thoma monet Illsung tract. 6. disp. 9. q. 4. a. 1. n. 127.

Dixi, *rationabiliter*, nempe tempore, loco opportuno; item non nimis frequenter & immoderatè. Ratio est: quia petitio debiti obligans ad reddendum debet esse humana & rationabilis. Hinc etiam, quando petens ebrius est, aut amens, alter non tenetur reddere per se loquendo, & nisi aliàs grave malum oriretur, ut habet Illsung loco cit. quamvis ipse uti possit jure suo, debitúmque petere & reddere.

Dixi, *sive id faciat expressè, sive tacitè.* Nihil enim hîc refert, qualiter voluntas petentis innotescat. Censetur autem uxor tunc petere tacitè, *quando vir percipit per aliqua signa, quòd uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet*, ait Divus Thomas q. cit. a. 2. quod quidem in hoc sexu sæpe potest accidere, sed non ita in viris. unde uxor licitè expectat petitionem viri expressam. in casu tamen, quo

quo clarè adverteret, virum præ verecundia non audere petere, suamque voluntatem exprimere, ipsa similiter teneretur reddere. Vid. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 2. à n. 3. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 10. n. 303. Ex dictis

2 Sequitur primo, mortaliter contra justitiam peccare maritum, qui se ipsum crebrò polluit, vel ad alias accedit animadvertens, se notabiliter inde reddi impotentem ad usum conjugalem: ut proinde hanc circumstantiam in Confessione exprimere teneatur. Sanchez lib. cit. disp. 3. n. 3. Filliuc. n. 305. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 1. n. 2.

3 Sequitur secundo, conjugem similiter peccare contra justitiam, & quidem mortaliter ex genere suo, si immoderatis vitæ asperitatibus, ut jejuniis, vigiliis &c. se dedat animadvertens, se hac ratione notabiliter vires extenuare ad commodè reddendum debitum requisitas. Sanchez n. 4. Filliuc. n. 306. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 1. n. 2. Ratio & hujus & prioris Consectarii est: quia conjunx eadem obligatione justitiæ, qua tenetur reddere debitum, etiam tenetur non efficere se impotentem ad ejus redditionem.

4 Sequitur tertio, conjugem non posse diu abesse ab altero conjuge, nisi hic consentiat, vel talem absentiam exigat necessitas. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 4. n. 11. Bonac. loco cit. Ratio est: quia per absentiam impeditur usus Matrimonii.

5 Dico II. Neuter conjugum tenetur petere debitum, regulariter loquendo. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia nemo tenetur uti jure suo, sed potest quivis illo cedere. cap. *ad Apostolicam. de Regul.* Dixi tamen, *regulariter loquendo.* Nam per accidens ob periculum incontinentiæ, quod conjunx advertit in se, vel in altero conjuge, potest esse obligatio petendi. Vid. Filliuc. num. 304.

6 Dico III. Debitum rectè persolvendum est, quoad substantiam sub mortali, quoad modum sub veniali peccato. Vid. Illsung n. 128. Ratio primi est: quia debitum conjugale tunc rectè persolvitur quoad substantiam, quando cavetur, ne semen extra vas legitimum effundatur: quæ cautela sub gravi peccato adhibenda est, ne alioquin committatur peccatum pollutionis contra naturam, & finem, propter quem licita est copula conjugalis. Atque hinc etiam fœmina retinere obligatur semen receptum; sicut & expectare seminationem viri, quando ipsa prior seminavit: cùm semen fœmineum solum sit inutile & insufficiens ad generationem. Ratio secundi est: quia, quando peccatur in modo, adhuc obtinetur finis à natura intentus, & solùm intervenit inordinatus affectus, atque voluptas ex re licita: adeoque non est hîc locus obligationi gravi. Illsung loco cit.

Quæritur jam primo, an licitus sit usus 7
Matrimonii tempore fluxus menstrui? Ante resolutionem notandum est, duplicem esse fluxum sanguinis, quem patiuntur fœminæ. Unus dicitur *innaturalis*, quo veluti morbo quasi continuè laborant: sicut etiam viri quidam frequentem, & quasi continuum fluxum seminis patiuntur. Alter dicitur *naturalis*, qui secundùm ordinem naturæ quibusdam fœminis tertio quovis mense, aliis etiam singulis mensibus solet accidere, & durat frequenter octo diebus circiter. Vid. Illsung num. 130. Nunc Respondeo primo. Tempore menstrui innaturalis licitum est petere & reddere debitum conjugale. Ita cum Divo Thoma omnes Theologi, quemadmodùm testatur Sanchez lib. cit. disp. 21. num. 1. Ratio est: tum, quia durissimum esset conjuges tam frequenter & continuè adstringere ad abstinendum ab usu Conjugii. tum, quia nullum inde proli periculum creatur. Imò pleræque fœminæ, dum fluxum hunc patiuntur, non possunt concipere. Vid. Sanchez, Illsung locis citt.

Respondeo secundo. Non est peccatum mortale, sed veniale tantùm, per se loquendo, accedere ad uxorem tempore menstrui naturalis. Ita communiter DD. Ratio primæ partis est: quia fundamentum sententiæ contrariæ desumptum ex periculo concipiendæ prolis, aut seminis incassùm effundendi non urget. Quia inprimis innumeri conjuges coëunt tempore menstrui, & tamen rarissimè damnum aliquod proli evenit; uti tradit Sanchez num. 7. Et quid, si eveniret? an non melius esset proli esse defectuosam, leprosam &c. quàm omnino non esse? Deinde conjuges non tenentur à copula semper abstinere, quando ex illa non secutura est generatio, adeoque semen frustra effunditur: cùm alioqui senes & steriles nunquam uti possent Matrimoniô. Ratio secundæ partis est: tum, quia videtur esse quædam turpitudo & inhonestas accedere ad uxorem eo tempore, quo ejus natura vacat consuetæ purgationi, ipsáque minùs apta est commodæ seminis receptioni & retentioni. tum, quia sapit aliqualem incontinentiam non expectare tempus generationi aptius, cùm brevi affuturum sit. Vid. Sanchez loco cit. Filliuc. ubi suprà num. 336. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 4. §. 4 num. 7. & 8. Salmantic. tract. 9. cap. 15. pu. 6. num. 77. Illsung num. 130. & 131. Dixi verò, *per se loquendo.* Nam si adsit justa causa accedendi, qualis est periculum fornicationis, aut alterius incontinentiæ, ejusmodi accessus omni culpa vacabit. Similiter uxor licitè reddit debitum eo tempore, 8

imò

imò etiam tenetur reddere, si maritus de periculo prolis concipiendæ admonitus nolit desistere. Filliuc. loco cit. Castropal. n. 9.

9 Quæritur secundo, an licitum sit petere & reddere debitum tempore prægnationis? Respondeo primo. Quando subest probabile periculum abortûs, usus Matrimonii illo tempore mortaliter est illicitus. Ita communis & certa sententia. Ratio est manifesta: quia tunc concubitus conjugum vergit in interitum prolis innocentis. Advertit tamen Illsung n. 132. probabilitatem ejus periculi debere constare per experientiam. nam per se & ordinariè nullum esse periculum propinquum; ideoque non timendum, inquit Castropal. num. 10. neque propter illud usu juris sibi debiti conjugem privandum. Respondeo secundo. Secluso abortûs periculo probabiliùs neque veniale peccatum est tempore prægnationis petere & reddere debitum. Ita Sanchez lib. cit. disp. 22. num. 5. & 6. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 6. num. 11. Salmantic. num. 78. Ratio est: tum, quia nulla exstat lex in contrarium. tum, quia esset gravissimum onus, vel periculum frequentissimè peccandi venialiter, si vir toto tempore prægnationis, nempe per novem menses, idque singulis plerumque annis, teneretur abstinere ab usu suæ uxoris, cum qua dormit in eodem lecto. Authoritates, quæ afferuntur in oppositum, intelligendæ sunt vel de consilio; vel de casu, in quo est periculum abortûs. De usu Matrimonii immediatè post partum, quando adhuc durat illa immunditia corporalis in puerpera, idem sentiendum videtur, quod de conjuge menstruata dictum est in num. proximè præced. Vid. Castropal. num. 13.

10 Quæritur tertio, an conjuges ab usu Matrimonii teneantur abstinere tempore, quo lactatur infans? Respondeo non teneri. Ita Sanchez n. 24. Filliuc. n. 337. Salmantic. n. 79. Castropal. ubi suprà n. 14. Illsung n. 133. Ratio est: quia periculum, quod timeri posset, ne videlicet per novam conceptionem exsiccatis uberibus matris infanti alimentum subtrahatur, incertum est & rarum, & potest eidem per aliam nutricem, vel per aliud medium subsistentationis provideri. Accedit, quòd conjugibus esset difficillimum, & moraliter impossibile habitare simul, inque eodem lecto dormire, & nunquam se cognoscere tanto tempore. Illud tamen adverto ex Salmantic. loco cit. nutrices, quæ infantes nobilium, adeoque magìs delicatos, suscipiunt lactandos, quando perspiciunt, lac suum per novam conceptionem lactentibus effici insalubre & pernicioſum, vel exsiccari, debere id manifestare parentibus, & talem lactationem abdicare, ut damnum innocentibus ex illa consecuturum impediatur.

Dico IV. Tactus impudici, quos conjuges in proprio, vel mutuò in alterius corpore exercent cum periculo pollutionis, & absque urgente causa, sunt peccata mortalia. Ita communis, & vera sententia. Ratio est: quia pollutio est peccatum mortale contra naturam, ut suprà in tr. 5. disp. 7. a. 2. §. 6. ostendimus: ergo etiam tactus impudici, ex quibus tanquam mediis ex natura sua ad se proximè ordinatis probabiliter secutura prævidetur. Quòdsi absit periculum pollutionis, interest, an ejusmodi actus referantur ad copulam conjugalem, vel non? Si prius: vacant omni culpa, & sunt liciti: quia, sicut Matrimonium licitam reddit copulam, ita etiam omnia reddit licita, quæ ad illam ex natura sua ordinantur. Si posterius; sunt peccata venialia, nisi ob alium finem conjugibus licitum & honestum exerceantur. Ratio est: quia tunc intervenit inordinata delectatio in re alioquin (si nempe conjungatur cum copula) conjugibus licita: quod non fit sine peccato veniali. Vid. Salmantic. n. 84. & 86. Tambur. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. n. 10. & 42. Illsung n. 129. Dixi autem in Conel. *& absque urgente causa.* de quo videantur, quæ diximus artic. cit. §. 8. num. 105. 11

ARTICULUS II.

De usu Matrimonii non licito.

SUMMARIUM.

1. *Adulterium aufert conjugi adultero jus petendi debitum.* 2. *Quod idem præstat incestus cum consanguinea conjugis.* 3. 4. 5. *Casus excepti.* 6. *Conjugi innocenti licitum est debitum petere ab incestuoso.* 7. *Per cognationem spiritualem non adimitur jus petendi debitum.* 8. *Obstrictus votô castitatis tenetur non petere debitum.* 9. *Declaratur, quid hîc agendum conjugibus in dubio de valore Matrimonii.* 10. *Conjunx certus de nullitate Matrimonii non potest reddere debitum in ullo casu.*

VAria hîc occurrunt, de quibus disputari solet, an, & qualiter usum Matrimonii reddant illicitum? Primum est adulterium. Secundum, Affinitas ex incestu. Tertium, Cognatio spiritualis. Quartum, Votum castitatis. Quintum, Dubium de valore Matrimonii. Ut ordine declaremus, quidcirca unumquodque sentiendum, sit,

1 Dico I. Si viri (& econtra) adulterium notum est uxori, & hæc est innocens, adulter non potest petere debitum, nec uxor tenetur reddere. Ita communis & certa sententia. Ratio est: quia talem maritum adulterium privavit jure petendi usum corporis tanquam debitum: uxor autem frangenti fidem meritò non servat fidem. Dixi tamen: *si adulterium uxori notum est.* quia, quamdiu ipsam hoc crimen latet, tamdiu maritus potest exigere debitum, idque illa tenetur reddere: cùm adulter non privetur jure petendi, sive exigendi, nisi suppositâ voluntate, & quasi sententia uxoris, quæ hîc obtinet quasi locum Judicis. Vid. Sanchez lib. 1. de Matr. disp. 68. Laym. lib. 5. tr. 10. par. 3. cap. 1. n. 3. & 4. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 4. §. 10. n. 10. Reding to. 8. q. 7. a. 1. controv. 3. n. 2. Dixi præterea, *si uxor est innocens.* Nam si ipsa quoque in eodem genere deliquit, non potest maritum repellere per exceptionem adulterii: quia duo adulteria mutua compensatione tolluntur, ait cum Gobato Reding loco cit.

2 Dico II. Conjunx, qui per incestum commissum cum conjugis consanguinea in primo, vel secundo gradu contraxit affinitatem, amisit jus petendi debitum. Et quidem, quòd amiserit hoc jus, constat ex cap. *transmissæ.* cap. *tuæ fraternit. de eo, qui cognovit.* cap. *siquis viduam,* & seqq. 3. q. 7. Quòd autem hæc amissio juris non extendatur ultra affinitatem in secundo gradu, declaravit Sac. Congregatio Cardin. cujus verba recitat Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 27. num. 14. & confirmat hodierna praxis, ut habet Reding num. 3.

3 Non desunt tamen casus excepti, in quibus privatio juris petendi debitum non incurritur propter incestum memoratum. Primus est, si conjunx cum ignorantia juris, vel facti commisit id scelus. Ignorantia facti est, si ignoravit, se committere incestum, eò quòd nesciverit, personam, cum qua rem habuit, conjugi suæ esse junctam in gradu tam propinquo. Ignorantia juris est, si ignoravit, ejusmodi incestum esse prohibitum sub peculiari pœna Ecclesiæ, vel sub pœna privationis juris ad debitum. Ratio est: quia hæc privatio est gravis pœna: ergo meritò dicitur non incurri ab ignorante esse statutam; & multò minùs à committente incestum dundaxat materialem. Vid. Sanchez lib. 7. de Matr. disp. 15. n. 9. & lib. 9. disp. 32. à n. 47. Laym. n. 14. Bonac. de Matr. q. 4. pu. 2. n. 6. Reding n. 5.

4 Secundus casus est, si conjunx violenter cognita fuit à consanguineo conjugis, vel gravi metu, v. g. mortis, adacta consensit in incestum. Ratio est: quia inprimis æquum non est, ut, qui caret culpa, subeat pœnam privationis petendi debitum, ut habetur cap. *discretionem. de eo, qui cognovit.* Deinde, non est credibile, quòd Ecclesia hac pœna gravi punire velit eos, qui ex gravi metu non observant ipsius legem. Vid. Bonac. Laym. locis citt. Illsung tract. 6. disp. 9. q. 4. n. 135.

5 Tertius est, si conjunx incestuosus super petendo debito impetravit dispensationem. Ratio est: quia tunc jus exigendi debitum plenè recuperavit. Vid. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 6. n. 10. Laym. n. 15. Castropal. pu. cit. §. 6. n. 5. ubi etiam advertit, ad impetrationem talis dispensationis non requiri consensum conjugis innocentis. Cæterùm potestate ordinaria hîc dispensandi, saltem per consuetudinem acquisita, gaudent Episcopi, uti multis relatis testatur Laym. loco cit. Eandem potestatem habere omnes Ordines Mendicantes, eorumque privilegiis fruentes, tradit ex Gobato Reding num. 6. Confessarii tamen Societ. Jesu, teste Illsung loco cit. hac potestate uti non possunt, nisi ex consensu Provincialis.

6 Corollarium. Alteri conjugi, qui innocens est, licitum est ab incestuoso debitum petere, non minùs, quàm antea. Ratio est: quia, ut deciditur in cap. *tuæ fraternitatis. de eo, qui cognovit. Affinitas post Matrimonium iniquè contracta illi nocere non debet, quæ iniquitatis particeps non existit.* Atque hinc rectè inferunt Sanchez num. 12. Laym. loco cit. Castropal. n. 7. conjugem innocentem non peccare, si incestuoso petenti debitum reddat. cùm enim sit in plenissima possessione juris conjugalis, potest eo uti & petendo & reddendo debitum, perinde acsi nulla affinitas intercederet. Neque tunc reddens debitum peccato petentis cooperatur formaliter, sed actui ex se licito conjugatis, sibique debito, licèt aliunde sit peccatum, quatenùs injustè petitur, ad quod innocens non cooperatur.

7 Dico III. Quamvis conjunx scienter & cum gravi culpa, durante Matrimonio, contraxerit cum altero conjuge cognationem spiritualem, non tamen idcirco amisit jus petendi debitum. Ita Castropal. pu. cit. §. 5. n. 5. Salmantic. tract. 9. cap. 15. pu. 3. n. 24. Reding n. 7. Illsung n. 138. & alii ab his relati contra Sanchez, Bonac. & alios, quorum sententia censetur communior. Ratio est: quia ex nullo textu Juris satìs constat, propter ejusmodi cognationem hanc pœnam ad eò gravem ab Ecclesia fuisse constitutam; quemadmodùm ostendit Castropalaus luculentè dissolvendô omnes textus Juris Canonici, quibûs nititur sententia contraria.

8 Dico IV. Qui votum castitatis ante, vel post Matrimonium contractum emisit, sive cum consensu alterius conjugis, sive sine illo, tenetur sub mortali abstinere à petitione debi-

debiti. Ita ex communi Laym. à num. 10. Illsung num. 136. Sporer de Sacram. par. 4. cap. 2. à num. 176. Ratio est: quia vi voti tenetur servare continentiam; quantùm ex sua parte potest absque præjudicio conjugis: atqui hoc potest non petendo debitum; ergo. Talis tamen tenetur debitum petenti reddere: excepto tempore primi bimestris: tunc enim in favorem Religionis conjuges non adstringuntur ad reddendum. Castropal. pu. cit. §. 7. num. 2.

9 Dico V. Non tantùm, qui mala fide, & dubius de valore, sed etiam, qui bona fide Matrimonium contraxit, & postea dubitat de ejus valore, tenetur abstinere à petitione, donec adhibita diligenti veritatis inquisitione dubium practicè deposuerit. Ita communiter DD. Ratio est: quia nunquam est licitum operari cum conscientia practicè dubia; veluti supponitur ex tract. 1. disp. 3. a. 1. §. 2. num. 12. sed petere debitum in utroque casu nostro ante sufficientem veritatis inquisitionem est operari cum conscientia practicè dubia; ergo non est licitum. Tenetur nihilominùs ejusmodi conjunx ante inquisitionem veritatis reddere debitum alteri conjugi petenti, qui bona fide contraxit, & de valore Matrimonii non dubitat. Nam iste habet jus petendi, nec potest ejus usu privari, donec constet, Matrimonium esse invalidum. Vid. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 42. num. 2. Bonac. de Matrim. q. 4. pu. 4. num. 10. Quòdsi uterque mala fide, & in dubio contraxit, vel postea dubitat de valore, neuter potest petere, neuter reddere, antequàm in priori casu emergat certitudo, vel occurrat opinio probabilis de valore Matrimonii: in posteriori autem inquisita sufficienter veritate dubium practicè deponatur; quod optimè fit beneficiô possessionis, quæ tunc utrique suffragatur. His positis, aut præstitis uterque potest petere, uterque reddere. Vid. Sanchez num. 9. Bonac. num. 5. & 10.

Corollarium. Quamvis unus conjugum 10
optima fide, & syncerissima persuasione credat, Matrimonium esse validum, alter tamen, cui planè, & physicè certò constat, Matrimonium esse invalidum, non potest sine peccato mortali reddere debitum, etiamsi ad id compellatur per comminationem mortis, vel Excommunicationis. Ratio est: quia fornicationem committere peccatum mortale est in quocunque casu excogitabili: sed conjunx tunc reddendo debitum fornicationem committeret propriè & Theologicè dictam; ergo. Atque hinc dicitur in cap. Inquisitioni. de sent. Excomm. *Debet potiùs sententiam Excommunicationis humiliter sustinere, quàm per commercium carnale peccatum operari mortale.* Ex quo cap. etiam colligitur contra nonnullos, nostram sententiam tunc quoque veram esse, quando Matrimonium est invalidum ob impedimentum jure humano introductum: quia indistinctè loquitur de impedimento, ac dicit, conscium impedimenti nullo modo posse reddere. Vid. Sanchez lib. cit. disp. 39. num. 5. & 6. Bonac. num. 17.

ARTICULUS III.
De usu Matrimonii non debito.

SUMMARIUM.

1. *Enumerantur causæ excusantes à redditione debiti.* 2. *An, quoties est illicitum petere, etiam sit illicitum reddere debitum?* 3. *Uxor marito votô castitatis obstricto licitè reddit debitum; at non petenti in loco sacro.* 4. *Conjunx aliquando tenetur debitum reddere, licèt alter petendô peccet mortaliter.*

1 USum Matrimonii non debitum faciunt justæ causæ denegandi debitum conjugale. Earum Prima est, si unus conjugum commisit adulterium. de quo dictum est in artic. primùm præced. num. 1. Secunda est. Si divortium legitimè factum sit. de quo vide dicta in disp. 2. a. 6. §. 3. Tertia est. Si conjunx jus petendi debitum amisit ob incestum: de quo diximus in §. cit. à num. 2. tunc enim alter, qui est innocens, liberatur ab obligatione reddendi. Quarta est. Si petens careat usu rationis, ut amens, vel ebrius: veluti docuimus in a. 1. Quinta. Si alter cessit jure proximo petendi debitum: quemadmodùm ordinariè cedere supponitur, qui emittit votum castitatis contractô jam Matrimoniô. Sed credo, ait Illsung, num. 139. hanc cessionem communiter ab alio conjuge non acceptari. Sexta. Si parentes advertant, prolem adeò multiplicandam, ut eam difficulter alere possint: dummodò absit periculum incontinentiæ. Cæterùm Laym. lib. 5. tract. 10. par. 3. cap. 1. n. 16. Castropal. de Sponsal. disp. 3. pu. 4. §. 10. n. 9. & alii ab his relati non remittunt hîc obligationem reddendi debitum. Quos tamen nobiscum conciliari posse putat Illsung loco cit. si sermo sit de difficultate alendi valdè magna, præsertim, si honestæ familiæ in grave dedecus cederet ex eleemosynis, vel aliunde miserè vivere. Septima causa est. Si reddenti debitum timeatur grave periculum salutis

lutis corporalis. Quia conjungales præpagationi speciei in contractu Matrimonii promittunt operam se daturos salva incolumitate individuorum. Unde, si petens, sit peste, lepra, lue Gallica, aliove morbo contagioso infectus, alter nequaquam tenetur reddere, si probabile infectionis periculum inde impendeat. Vid. de his causis excusantibus Laym. cap. cit. Castropal. §. cit. Reding to. 8. q. 7. a. 1. controv. 3. num. 3.

2 Quæritur denique, an, quoties conjunx debitum illicitè petit, alter illicitè reddat? Respondeo, non semper illicitè reddere, ut satis constat ex dictis in decursu hujus Disp. aliquando tamen reddere illicitè. Quæ ut rectè percipiantur, observandæ sunt sequentes Regulæ. Prima est. Si petitio est illicita ob circumstantiam tenentem se ex parte solius petentis, tunc licitum est ei reddere. Secunda est. Si petitio est illicita ratione circumstantiæ tenentis se ex parte actus conjugalis, tunc ordinariè & per se loquendo reddere erit illicitum. Tertia est. Si petere debitum est solùm venialiter illicitum, reddere omni culpâ vacat: cùm semper adsit justa causa excusans. Vid. de his Regulis Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 6. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 10. à num. 308. Laym. num. 17.

3 Corollarium I. Marito incestuoso, aut votô castitatis obstricto debitum petenti uxor licitè reddit; at non petenti in loco sacro; cum periculo prolis, vel ipsorum conjugum. Ratio est; quia in priori casu petitio debiti est illicita ratione circumstantiæ se tenentis ex parte solius petentis; in posteriori; ratione circumstantiæ se tenentis ex parte actus conjugalis. Verùm hîc interdum necessitas excusat ab omni culpa. Unde dixi in 2. Regula, *per se loquendo*. Vid. Laym. loco citato.

4 Corollarium II. Conjunx aliquando tenetur, & non tantùm potest reddere debitum, quando petere est mortale peccatum. Exemplum est, si petat votô castitatis obstrictus. Nam talis petit quidem illicitè, sed non injustè: cùm non amiserit dominium in corpus alterius conjugis vi contractûs Matrimonii acquisitum. Adeoque in altero est obligatio justitiæ ad reddendum debitum si instanter petatur. Hinc aliud est, si petat conjunx, qui contraxit affinitatem cum altero conjuge per copulam cum ejus consanguinea: hic enim talis lege Ecclesiæ amisit jus petendi, petitque injustè. Unde alter ex nulla obligatione Justitiæ tenetur reddere debitum. Vid. Sanchez num. 7. & 8. Laym. loco cit. Castropal. pu. cit. §. 11. num. 3. Et hactenùs quidem de Matrimonio disputandum esse putavimus.

Beati, qui ad cœnam Nuptiarum Agni vocati sunt. Apocal. 19. vers. 9.

Omnia ad majorem DEI, Deique Matris Gloriam.

INDEX ALPHABETICUS

Rerum notabilium in hoc opere contentarum.

Numerus Romanus Tractatum, p. Partem, d. Disputationem, a. Articulum, n. Numerum marginalem illius Tractatûs, & Disputationis demonstrat.

A.

Abortus.

Abortûs periculum reddit usum Matrimonii mortaliter illicitum. VIII. p. 7. d. 4. a. 1. n. 9.

Absolutio.

Forma Absolutionis consistit essentialiter in solis his verbis: *Absolvo te.* Tr. VIII. d. 3. a. 1. n. 2.
Qua ratione ea verba determinentur ad significandam Absolutionem à peccatis. n. 5.
Pronomen *Ego* non est de essentia formæ Absolutionis. n. 6.
Sicuti nec particulæ *à peccatis suis*, & multò minùs particulâ *omnibus*, quam aliqui addunt. n. 7. & 8.
Etiam in nomine Patris &c. non sunt essentialia. n. 9.
Invalida est Absolutio deprecatoriè prolata. n. 10.
Sicut & illa, cui additur conditio de futuro. n. 11.
Sensus verborum Absolutionis?
Proponitur Ratio difficultatis. VIII. d. 3. a. 2. n. 1.
Statuitur legitimus sensus verborum Absolutionis. n. 2.
Cur sacramentum matrimonii non sit iterabile circa eadem corpora, sit autem iterabile sacramentum pœnitentiæ circa eadem peccata. n. 6.

Impertitio Absolutionis absenti.

Sententia negativa statuitur & probatur. VIII. d. 3. a. 3. n. 2.
Quid te Sacerdote, qui in peccato mortali sæpius absolvit, aut celebrat. II. d. 3. a. 2. n. 16. & 17.

Absolutio à Casibus Reservatis.

In quibus sit Potestas ordinaria absolvendi à Casibus reservatis. VIII. d. 6. a. 4. n. 19.
In quibus delegata. n. 20.
Quid agendum Confessario, dum Pœnitens affert casum reservatum, à quo ipse non potest absolvere, n. 23.

An in-

An incurrat casum reservatum ignorans esse reservatum n. 24.
An Confessarius possit absolvere peregrinum, qui affert casum reservatum in sua Diœcesi, non autem in Diœcesi ipsius confessatii n. 25.
An vicissim possit absolvere peregrinum, si affert casum reservatum in Diœcesi ipsius confessarii, non autem in sua n. 26.
An etiam per Absolutionem invalidam habentis potestatem absolvendi tollatur reservatio n. 27.
An liberetur à reservatione Confessus Potenti absolvere, inculpabiliter tamen oblitus peccati reservati n. 28.
An cesset reservatio in articulo vel periculo mortis n. 29.
An aliquem absoluturus à reservatis teneatur omnia audire ipsius peccata, etiam non reservata n 30.
An Regulares possint absolvere à casibus Episcopalibus, sive licentia Episcoporum? n 31.
An Episcopi suos subditos possint absolvere à casibus Papalibus? n. 32.

Acedia.

Quid sit? V. d. 1. a 6. n. 30.
Et quale peccatum? n. 31. & 32.

Accessio.

Quid sit? VII. d. 2. a. 2. n. 41.
Accessio per nativitatem tribuit Dominium n. 42.
Quid de Accessione industriali? n. 44.

Abstinentia.

Vide *Jejunium.*

Actus humanus.

Quinam actus hominis, qui humani? I. d. 1. a. 1. n. 1.
Definitio Actûs humani ibidem.
Alius elicitus, alius imperatus n. 2.
Deliberatio rationis alia latè, alia strictè dicta n. 3.

Actûs humani specificatio.

Quinam Actus humanus sit moraliter bonus, quinam malus II. d. 2. a. 1. n. 1.
Objectum dat speciem Actui, ut substans judicio practico Rationis n. 4.
Species essentialis Actui humano provenit ex objecto n. 5.
Quomodo tolerantia Passionis, aut mortis specificet Actum fortitudinis? n. 6.
Actus externus dat speciem interno, ut est in intentione n. 7.
Quodnam sit objectum hujus Actûs, volo honestè vivere n. 8.

Actûs humani indifferentia.

Quæstio procedit de Actu humano deliberatè exercito II. d. 2. a. 3. n. 1.
Item de differentia ad bonum & malum intra ordinem naturalem n. 2.
Ac de Actu humano vestito omnibus circumstantiis n. 3.
Ostenditur auctoritate & ratione dari quidem Actus humanos secundùm speciem, non tamen in individuo indifferentes n. 4. & seqq.
Ex quonam Præcepto teneatur homo suos Actus ordinare in finem honestum n. 13.
An suppositâ saltem ignorantiâ invincibili Præcepti, vel sequela sententiæ scotisticæ dari possit Actus indifferens n. 14.
Darine possit pura omissio libera in individuo indifferens n. 19.

Ejusdem Actûs bonitas & malitia moralis.

Statuitur sententia negativa II. d. 2. a. 4. n. 1.
Idem numerô Actus potest esse in duplici specie bonitatis, vel malitiæ moralis n. 8.

Ejusdem Actûs transitio de bono in malum.

Probatur negativa II. d. 2. a. 5. n. 3.
Idem Numero Actus externus potest ex bono reddi malus moraliter n. 5.

An Actus externus superaddat interno novam bonitatem, vel malitiam.

Respondetur negativè II. d. 2. a. 6. n. 3.
Admittitur tamen Actus externos superaddere bonitatem, vel malitiam secundùm quid n. 5.

Adjuratio.

Variè accipitur V. d. 3. a. 2. n. 1.
Explicatur, quid sit? n. 2.
Alia imperativa, alia deprecativa n. 3.
Differt ab oratione & juramento n. 4. & 5.
Adjuratus ex vi Adjurationis nullam contrahit obligationem n. 6.
Facta cum debitis conditionibus est actus honestus n. 7.
Quænam sint illæ conditiones? n. 8.
Creaturæ irrationales secundùm se non possunt adjurari, possunt tamen in alio n. 9.

Adjuratio Dæmonum.

Dæmones nequaquam sunt adjurandi, ut quidpiam faciant, vel omittant divini honoris causâ n. 10.
Licitum est eosdem adjurare imperativè, ne hominibus noceant n. 11.
Debet tamen in ejusmodi adjuratione caveri omnis societas, vel pactio n. 12.
Dæmonem adjurare, ut nobis opem ferat, semper illicitum est, quamvis abesse supponatur societas, & pactum cum illo n. 13.
Potestas Dæmonem adjurandi solemniter solis Exorcistis competit in Ecclesia n. 15.
Parochus urgente necessitate Parochiani tenetur vel per se, vel per alium adjurare Dæmonem obsidentem n. 16.
Corollaria ex dictis n. 17.
Varia pro praxi exorcizandi advertenda n. 10. & seqq.
An Dæmoni, si ex obsesso egressurus aliquid petat, sit faciendum? n. 27.
An licitum sit, à Dæmone petere signum egressionis ex obsesso n 28.
An exorcista Dæmonem amandare possit in infernum, aut locum desertum n. 29.
Unde proveniat, quòd Dæmon per adhibitos exorcismos non semper ejiciatur? n. 30.

Adoratio.

Quid sit? V. d. 2. a. 1. n. 1.
Divisio Adorationis n. 2.
Solus Deus cultu latriæ est adorandus n. 3.
Etiam Christus, ut homo n. 4. & 5.
Et quidem absoluto n. 6.
Humanitas Christi non est adorabilis solo cultu hyperduliæ n. 7.
An præscindi possit à Personalitate verbi? n. 8.
Sanctissimum Nomen Jesu adorandum est cultu latriæ respectivo n. 9.
Cultum Sanctorum, Sacrarum imaginum Christi, & Sanctorum, ac reliquiarum, vide Verbo *Cultus.*

Advocatus.

Quinam possint esse Advocati? V. d. 8. a. 2. n. 54.
Ad quæ Advocatus teneatur ex justitia? n. 55.
De qualitatibus & obligationibus Procuratoris, Assessoris, Notarii n. 56. & seqq.

Adulterium.

Quid sit Adulterium? V. d. 7. a. 2. n. 21.
Tam vir, quàm mulier per Adulterium dupliciter peccat contra castitatem n. 22.
Adultetium tripliciter committi potest n. 23.
Adulterium est grave peccatum etiam contra justitiam n. 24.
Etiamsi maritus consentiat in concubitum suæ Uxoris n. 25.
Adulterium aufert Conjugi adultero jus petendi debitum VIII. p. 7. d. 4. a. 2. n. 1.

Affinitas.

Vide *Matrimonium.*

Alluvio.

Quid sit? VII. d. 2. a. 2. n. 41.
Alluvio latens & patens n. 43.

Apo-

Apostasia.

Quid & quotuplex V. d. 1. a. 2. n. 33.

Arbitrium.

Asseritur existentia liberi Arbitrii II. d. 1. a. 2. n. 22.
Quid sit liberum arbitrium? n. 23.

Aspectus.

Quid de Aspectu partium non turpium humani corporis? V. d. 7. a. 2. n. 109. & seqq.
Partes obscænas in corpore diversi sexûs sine justâ causâ deliberatè aspicere, semper est peccatum mortale n. 111. & seqq.
Corollaria n. 113. & seqq.

Attentio.

Quid sit? V. d. 2. a. 3 n. 116.
Attentio, intentio, & devotio quomodo differant ibidem.
Attentio alia superficialis, alia litteralis, alia spiritualis n. 117.

Attritio

Concepta ex metu gehennæ.

Attritio, qualis hîc requiritur, debet esse supernaturalis VIII. d. 4. a. 3. n. 1.
Duplex timor servilis n. 2.
Etiam Attritio concepta ex metu pœnarum temporalium est actus honestus, & supernaturalis, si pœnæ illæ repræsententur tanquam à Deo justo judice intentatæ n. 13.
Similiter Attritio ex metu amittendi beatitudinem concepta est actus supernaturalis n. 14.
Aliud sentiendum de dolore, quem quis elicit, quia peccatum est dissentaneum naturæ rationali n. 15.

Attritio intra sacramentum.

Attritio extra sacramentum nunquam est dispositio sufficiens ad justificationem VIII. d. 4. a. 3. n. 16.
Asseritur, ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non requiri contritionem perfectam n. 18.
Concluditur, ad justificationem in hoc obtinendam sufficere meram attritionem sine ulla dilectione Dei super omnia n. 19.
Quo sensu Catechismus Romanus dicat, contritionem deletivam peccati debere esse vehementem, acrem &c. n. 30.
Potest adultus in hac lege gratiæ, aliquando salutem consequi sine actu dilectionis Dei n. 31.
Ex sententia requirente ad sacramentum Pœnitentiæ aliquam formalem dilectionem Dei, sequitur, idem sacramentum esse inutile ad remissionem peccatorum n. 32.
Ad Justificationem in hoc Sacramento sufficit Attritio etiam cognita ut talis n. 33. & 34.
Et quidam in articulo mortis per se loquendo n. 35.

Attritio Universalis.

Quid intelligatur nomine Universalis . . . VIII. d. 4. a. 3. n. 36.
Ad remissionem peccatorum mortalium necessaria est Attritio universalis n. 37.
Non tamen ad remissionem venialium n. 38.
Etiam propositum debet esse universale circa mortalia, non tamen circa venialia n. 40.
An habens dolorem universalem de peccatis venialibus possit habere propositum evitandi omnia? n. 41.

Dolor sufficiens ad valorem insufficiens ad effectum sacramenti.

Exposito statu difficultatis referuntur sententiæ VIII. d. 4. a. 3. n. 42.
Ostenditur pluribus insufficientia doloris particularis n. 44. & seqq.

Quædam Conditiones, ut dolor sit pars sacramenti.

Dolor potest esse pars hujus sacramenti, etsi non procedat ex intentione recipiendi illud VIII. d. 4. a. 3. n. 51.
Dolor non debet necessariò procedere confessionem n. 53.
Quomodo in hoc Sacramento Dolor fiat sensibilis & confessio dolorosa? n. 54.
Dolor post absolutionem elicitus est insufficiens n. 55.
Periculosè differtur ad tempus confessioni & absolutioni intermedium n. 56.
Idem Dolor potest sufficere ad plura sacramenta Pœnitentiæ n. 57.
Adhibenda tamen duplex cautela n. 58.
Statuitur, quanto tempore Dolor possit præcedere confessionem n. 60.
Attritio habet vim delendi peccata venialia etiam extra sacramentum n. 61.

B.

Baptismus.

Institutio Baptismi.

BAptismus quid nominis? VIII. d. 1. a. 1. n. 1.
Quid rei? n. 2.
Allata definitio convenit soli Baptismo fluminis n. 3.
Cur non conveniat Baptismo Sancti Joannis n. 4.
Nec Pœnitentiæ? n. 5.
De institutione Baptismi triplex sententia n. 6.
Asseritur, Baptismum fuisse institutum ante Passionem Dominicam n. 7.
Cur Christus Apostolis contulerit sacramentum Ordinis ante Confirmationem? n. 8.
Christus Baptismum instituit, cùm in Jordane baptizabatur n. 10.

Baptismi materia Remota.

Materia remota Baptismi est omnis & sola aqua elementaris VIII. d. 1. a. 2. n. 1.
Quid Matthæi 3. intelligatur per Baptismum in igne n. 2.
Aqua certò naturalis est materia certò valida n. 3.
Aqua marina, item ex pruina, nive, glacie, grandine resoluta est materia valida n. 4.
Licitum est aliquando baptizare in aqua calida n. 5.
Quid de Baptismo in vino, lacte, luto n. 6.
Item, quid de Baptismo in aqua rosacea n. 7.
In aqua ex sale resoluta n. 8.
In cerevisia, jusculo, lixivio, grandine, nive, glacie, pruina n. 9. & seqq.
Sine necessitate baptizare in aqua impura grave est peccatum n. 13.
Similiter mortale est, non baptizare in aqua certò naturali, quando est in promptu n. 14.

Baptismi Materia proxima.

Ablutio est proxima materia Baptismi VIII. p. 2. d. 1. a. 2. n. 15.
Minima aquæ gutta probabilius non est materia sufficiens ad valorem Baptismi n. 16.
Quid observandum baptizanti per trinam immersionem aut affusionem n. 17.
Resolvitur quæstio de Baptismo occisivo, ut vocatur n. 18. & seqq.
Quatuor casus, in quibus Baptismus est invalidus defectu veræ ablutionis n. 21.
Talis aliqua pars abluì debet, secundùm quam homo dici possit simpliciter ablutus n. 22.
Validus est Baptismus, qui confertur homini nondum perfectè nato n. 23.

Forma Baptismi.

Tribus modis efferri solet forma Baptismi VIII. p. 2. d. 1. a. 3. n. 1.
Valida est forma Græcorum n. 2.
Adstruitur valor formæ Latinorum n. 3.
Statuitur, quænam exprimi, vel non exprimi debeant in forma Baptismi n. 4.
Quænam verba illius sint essentialia n. 5.
Assignatur forma conditionata n 6.
Quomodo exprimenda persona, quæ baptizatur n. 7.
Exempla formarum invalidarum n. 8.
Quid de illa forma: *Ego te baptizo in Nomine Christi* n. 9.
Item de illa: Ego te baptizo in virtute, majestate, vel authoritate patris &c. n. 10.

Quotuplex sit Baptismus.

Sanctus Damascenus octo Baptismos recensuit VIII. p. 2. d. 1. a. 4. n. 1

Baptismus est triplex, fluminis, flaminis, sanguinis; explicantur singuli n. 2

Conditiones ad martyrium requisitæ n. 3

Bonus Latro cum Christo crucifixus non fuit martyr. n. 4

Quid de illis, qui mortem oppetunt ex obsequio Pestiferis exhibito n. 5

Quid de militibus, qui pro fide Catholica pugnantes occumbunt n. 6

Nullus hæreticus fit martyr, quando occiditur propter religionem, quam ipse profitetur n. 7

Quid si Catholicus in odium fidei occidatur inter dormiendum n. 8

Triplex sententia, qua ratione Baptismus sanguinis conferat gratiam n. 9.

Probatur martyrium ex opere operato justificare parvulos n. 10. & seqq.

Imò etiam adultos, si debitè ad illud sint dispositi n. 13. & 14

Exponitur illud Apostoli: *si tradidero corpus meum &c.* n. 15

Ad effectum martyrii requiritur confessio peccatorum mortalium post Baptismum commissorum n. 16

Quando martyrium conferat gratiam n. 17

Quid de puero, qui matre martyre adhuc in utero occiditur n. 18

Baptismi Minister.

Alia est potestas Baptizandi validè tantùm; alia baptizandi validè & licitè VIII. p. 2. d. 1. a. 5. n. 1

In casu necessitatis quilibet rationis compos baptizat validè & licitè n. 2

In ejusmodi casu, ut licitè procedatur, servari debet ordo inter ministros in Rituali Romano præscriptus n. 3

Omnis & solus sacerdos habet potestatem ordinariam ex officio baptizandi n. 8

Hæc tamen potestas in solo sacerdote proprio est completa n. 9

Parochus extra suam Parochiam, Episcopus extra suam Diœcesin illicitè baptizant n. 10

Parentes non possunt sine gravi peccato prolem suam baptizandam offerre alieno Parocho sine licentia proprii n. 11

An idem baptizare possit se ipsum? n. 12

An unus baptizari possit à pluribus? n. 13

An & quomodo plures simul baptizari possint ab uno? n. 16

Semper mortale peccatum est, si plures simul eundem baptizent n. 17

Baptismi Patrinus.

Ceremoniæ Baptismi in triplici classe VIII. p. 2. d. 1. a. 5. n. 1

In baptismo solemni adhibendus est Patrinus n. 2

Non autem in privato n. 3

Quid, si in privato quis teneat infantem cum intentione fungendi officiô Patrini n. 4

Omnes baptizati rationis compotes officium Patrini validè obire possunt n. 5

Non tamen omnes licitè n. 6

Unus tantùm, vel ad summum unus & una adhiberi possunt in patrinos n. 7

Afferuntur conditiones necessariæ, ut quis efficiatur verus patrinus n. 8

Graviter obligatur Patrinus ad filium suum spiritualem in rebus fidei instruendum n. 9

Baptismi Necessitas.

Error hæreticorum & sententia Cajetani VIII. p. 2. d. 1. a. 6. n. 1

Baptismus in re, vel in voto omnibus ad salutem est necessarius necessitate medii extra casum martyrii n. 2

Adultis Baptismus est necessarius etiam necessitate Præcepti n. 4

Præceptum Baptismi obligat omnes, obligationis capaces n. 5

Graviter peccant Parentes, dum non curant, ut infantes, quamprimùm fieri potest, baptizentur n. 6

Adulti graviter obligantur, ut suscipiant baptismum, quamprimùm sufficienter instructi sunt n. 7

Subjectum Baptismi, & dispositio ad illum necessaria.

Sententia de subjecto Baptismi VIII. p. 2. d. 1. a. 6. n. 8

Declaratur difficultas de baptismo monstrorum n. 10. & seqq.

Asseritur contra Anabaptistas, parvulos valide & licitè baptizari ante usum rationis n. 13

In adulto, ut validè baptizetur, requiritur positiva intentio hoc sacramentum suscipiendi n. 14

Corollarium de Baptismo amentium n. 15

Baptismus adulto violenter collatus est invalidus II. d. 1. a. 3. n. 29

Baptismus infantium infidelium invitis Parentibus.

Infantes infidelium quorumcunque validè baptizantur parentibus invitis VIII. p. 2. d. 1. a. 6. n. 16

Infantes Parentum infidelium Baptizatorum quantumcunque reclamantium etiam licitè baptizantur n. 17

Quod idem asseritur de infantibus parentum non baptizatorum Principi Christiano despoticè subjectorum, si tamen ab eorum cura abstrahantur n. 18

Aliud concluditur de infantibus infidelium non baptizatorum Principi Christiano vel nullo modo, vel civiliter tantùm subjectorum n. 19

Baptismi Reiteratio.

Quid in hac re senserint hæretici n. 25

Asseritur, homini semel valide baptizato non potest iterum conferri Baptismus n. 26

Id, si fiat sive absolutè, sive conditionatè, gravissimum sacrilegium committitur n. 27

In dubio rationabili de baptismo alicujus baptismus debet repeti sub conditione n. 29

Item, ab obstetricibus n. 30

Parochos oportet esse validè cautos in admittendo mulieres ad obstetricandum n. 31

Quid de infantibus expositis absque testimonio collati baptismi n. 32

Aliæ duæ quæstiones n. 33. & 34

Baptismi Effectus.

Quales effectus Baptismo tribuerint hæretici VIII. p. 2. d. 1. a. 7. n. 1

Per baptismum remittuntur omnia peccata mortalia & venialia, quoad culpam n. 2

Imò etiam quoad omnem pœnam debitam pro culpa n. 3

Idem Sacramentum tribuit jus ad auxilia specialia, quibus homo in observatione Præceptorum Christi & Ecclesiæ adjuvatur n. 4

Corollaria de aliis effectibus Baptismi n. 5. & 6

Bellum.

Bellum unde dictum sit V. d. 6. a. 4. n. 1

Bellum ex natura sua licitum est n. 2

Christiani bellum gerunt contrà Turcas justissimè n. 3

Adducuntur tres conditiones belli liciti n. 4. & seqq.

Ob tres fines licitè geritur bellum n. 12

In bello omnia licet facere contra hostes, quæ apta sunt ad obtinendos istos fines n. 13

Fallationes ex dictis n. 14. & seqq.

Ad quos pertinere debeant spolia, & prædæ ex hoste reportatæ? n. 21

Utrum in bello captis fugere liceat? n. 22

Quibus Potissimùm modis in bello peccari soleat? n. 23

An hosti injustum bellum gerenti servanda sit fides publica? n. 24.
An & quibus Clericis liceat bellum gerere, & in eo pugnare n. 25.
Tempore induciarum, dierúmque festarum illicitum est bellare n. 26.

Bestialitas.

Quid sit? V. d. 7. a. 2. n. 80.
In ejus confessione non est necesse exprimere speciem, vel sexum bestiæ n. 81.
Quid & quotuplex innaturalis concumbendi modus, & quando mortaliter peccaminosus n. 82.

Bigamia.

Quid? VIII. p. 8. d. 2. a. 5. n. 1.
Licita est bigamia n. 2.

Blasphemia.

Quo sensu hic accipiatur V. d. 3. a. 1. n. 1.
Definitio, & ejus declaratio n. 2.
Mali potissimi, quibus committitur n. 3.
Est ex genere suo peccatum mortale n. 4.
Quales contumeliæ sint, ex contemptu Dei in cœlum spuere, dentibus frendere &c. n. 11.
An in confessione explicari debeat qualitas Blasphemiæ? n. 12.
An omnes sint ejusdem speciei n. 13.
Quænam debeat confessarius inquirere ex pœnitente, dum dicit absolutè se blasphemâsse n. 14.

C.

Castitas.

Quid sit? V. d. 7. a. 1. n. 2
Castitas alia perfecta, alia imperfecta n. 3

Castratio.

An licita sit castratio ad conservandam suavitatem vocis VII. d. 3. a. 3. n. 10

Casuum Reservatio.

Vide *Reservatio.*

Charitas Dei.

Definitio charitatis V. d. 1. a. 4. n. 1
Deus super omnia diligi potest intensivè & appretiativè n. 3
Deus ex præcepto charitatis diligendus est super omnia appretiativè & non intensivè n. 4
Triplex modus peccandi mortaliter contra hoc præceptum n. 5
Diligere Deum propter æternam gloriam, tanquam finem principalem, est illicitum n. 6
Mortale est, finem ultimum in hac vita constituere n. 7
Præceptum charitatis graviter obligat ad Deum frequenter diligendum, dilectionémque non diu differendam n. 9
Obligat per se in primo instanti usus rationis & in articulo mortis n. 11. & seqq.
Per accidens autem obligat, quoties obligatio alterius præcepti sine actu dilectionis impleri nequit n. 14. & seqq.

Charitas Proximi.

Datur Præceptum diligendi Proximum n. 16
Non tenemur proximum diligere æqualiter, ut nos ipsos n. 17
Quinam intelligantur nomine proximi n. 18
Triplex genus bonorum, quæ nobis & aliis velle possumus n. 19
Statuitur debitus ordo erga nos & proximum n. 20
Unus ex proximis magis est diligendus quàm alius n. 27
Quoad bona corporis ac temporalia, persona publica magis diligi debet quàm quævis privata n. 31

Charitas Inimicorum.

Tenemur inimicos ex charitate diligere V. d. 1. a. 4. n. 32
Ex quibus capitibus inimici nobis non sint contrarii n. 33
Communia dilectionis signa inimicis sunt exhibenda non autem specialia per se loquendo n. 34
Interdum etiam specialia n. 35
Inimico petenti veniam tenemur ex animo condonare offensam, eamque non ulcisci privatâ authoritate n. 39. & 40
Tenemur præterea condonationem offensæ declarare signis externis n. 41
An & quando sit obligatio petendi veniam ab offenso n. 42
Uter duorum, qui se mutuò offenderunt, prior teneatur reconciliationem quærere aut veniam petere n. 43
An statim post acceptam injuriam sit danda venia petenti n. 44
An inimicum non resalutaturum salutare teneamur n. 45
Qualem se gerere debeat confessarius inimicorum n. 46

Censura.

Definitio Censuræ IV. d. 1. a. 1. n. 2
Triplex Censura. Nempe excommunicatio, suspensio, & interdictum n. 4
Accidentales divisiones censurarum memoratarum n. 5. & 6
Unde dignosci possint censuræ latæ & ferendæ sententiæ n. 7

A quibus & in quos censura possit ferri?

Potestas ferendi censuras; alia ordinaria, alia delegata IV. d. 1. a. 2. n. 1
Quinam jure ordinario ferre possint censuras? n. 2. & 3.
Quinam potestate delegatâ? n. 4
Conditiones necessariæ, ut quis capax sit potestatis ferendi censuras n. 5
Statuitur generaliter, in quosnam ferri possint censuræ n. 6
Pagani, Judæi, Catechumeni non possunt affici censuris, possunt autem Hæretici & Schismatici n. 7.
An mortuo possit infligi censura? n. 8. & 9
Quid de amentibus, ebriis, dormientibus n. 10
Summus Pontifex non potest ligari aliquâ censurâ n. 11

Censuræ Causa.

Finis censuræ est correctio illius, in quem fertur IV. d. 1. a. 3. n. 1
Propter peccatum merè internum nulla ferri potest censura n. 2
Non potest ferri censura gravis nisi ob peccatum grave seu mortale n. 3
Ut peccatum mereatur censuram, debet esse contra aliquod præceptum Ecclesiæ, ab eâque specialiter prohibitum sub comminatione censuræ n. 5
Actus peccati, propter quod incurritur censura, debet in suo genere esse perfectus & consummatus n. 12

Censuræ Absolutio.

Censura tolli non potest, nisi per legitimam absolutionem IV. d. 1. a. 4. n. 1
Quinam absolvere possint à censura Juris non reservatâ? n. 2
An etiam Parochus? n. 3
Quinam absolvere possint à censura Juris reservatâ n. 4
Observanda in Praxi n. 5
Quis à censura ab homine specialiter, uti & generaliter lata, possit absolvere n. 6. & 7
Varii modi absolvendi à Censuris n. 8
Quæ sint conditiones ad validam absolutionem à censuris requisitæ, tum ex parte ipsius absolutionis, tum absolventis, tum ejus, qui absolvitur n 9
An agens ex invincibili ignorantia incurrat Ecclesiasticam censuram I. d. 2. a. 2. n. 29

Cessatio à Divinis.

Unde dicta IV. d. 2. a. 3. n. 26
Quid sit? n. 27
Enumerantur ejus effectus n. 28. & seq.
Ob quale crimen indici possit n 32
Ad quid teneatur, qui eidem indicandæ causam dedit n. 33

Circumstantiæ.

Circumstantiæ actui humano tribuunt aliquam speciem bonitatis vel malitiæ moralis II. d. 2. a. 2. n. 1.
Septem sunt circumstantiæ n. 2.
Ex his aliæ mutant speciem, aliæ aggravant, vel minuunt bonitatem vel malitiam n. 3.
Declarantur singulæ circumstantiæ n 4. & seqq.
Cur circumstantia loci & non item temporis sacri tribuat novam speciem n. 12.

Commixtio.

Quid sit? VII. d. 2. a. 2. n. 41.
Regula de mixtione & confusione n. 46.

Concubinatus.

Quid sit? V. d. 7. a. 2. n. 11.

Concupiscentia.

Quid intelligatur nomine concupiscentiæ, ejus divisio in antecedentem & consequentem II. d. 1. a. 3. n. 1.
Concupiscentia consequens, nec tollit, nec minuit voluntarium n. 2.
Non semper dedecet etiam viros sanctos n. 3.
Concupiscentia antecedens voluntarium liberum aliquando minuit vel omnino tollit n. 4.
Motus primò primi ex passione concitati non sunt peccaminosi n. 5.
Peccata ex passione facta sunt leviora aliis n. 6.
Promissiones contractûs vel ex spe, vel amore orti subsistunt n. 7.

Confessio.

Confessio auricularis à Christo instituta VIII. p. 6. d. 5. a. 1. n. 1.
Ejus definitio n. 2.
Omnes post baptismum in peccatum mortale lapsi tenentur confiteri n. 3.
Beata Virgo nunquam fuit confessa n. 4.
An in articulo mortis confiteri teneatur nullius peccati mortalis sibi conscius n. 5.
Præceptum confitendi est Juris Divini & Ecclesiastici n. 6.
Quoties urgeat obligatio confitendi n. 7.
Etiam pueri & puellæ obligantur n. 8.
Circa horum capacitatem, quid observandum Confessario n. 9.
Præcepto annuæ confessionis satisfit quocunque anni tempore n. 13.
Statuitur quomodo computandum sit hoc tempus n. 14.
Nullum constat præceptum confitendi peccata venialia n. 22.
An præceptum Ecclesiasticum obliget ad confitendum in scripto, vel per interpretem n. 23.

Confessionis integritas.

Integritas confessionis alia materialis, alia formalis VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 1.
Formalis est simpliciter necessaria ad valorem confessionis, non autem materialis n. 2.
Hinc invalida est confessio non formaliter integra n. 3.
Urgente præcepto confitendi voluntariè reticens peccatum mortale committit duplex peccatum mortale n. 4.
Omnia peccata mortalia in confessione sunt aperienda, quorum quis meminit post diligens Examen n. 5.
Declaratur necessitas examinis conscientiæ n. 6. & seqq.
Omnia peccata mortalia tam interna quàm externa n. 10.
Eorumque differentiæ specificæ n. 11.
Et numericæ explicari debent in Confessione n. 12.
Modus declarandi numerum peccatorum n. 13.

Circumstantiæ ad integritatem Confessionis.

Circumstantiarum aliæ speciem mutantes, aliæ aggravantes VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 14.
Hæ circumstantiæ sunt de integritate confessionis n. 15.
Difficultas de circumstantiis notabiliter aggravantibus n. 18.
Sententia affirmans esse explicandas in Confessione n. 19.
Quid de circumstantiis notabiliter minuentibus n. 22.

Particulares circumstantiæ Confessionis.

Numerus Septenarius circumstantiarum VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 24.
Quando & qualiter explicari debeat circumstantia: *Quis* n 25. & seqq.
In circumstantia: *Quid* explicanda est qualitas personæ complicis n. 29.
An in peccato odii declaranda qualitas mali desiderati n. 30.
Item. An malitia peccati, de quo quis se jactavit n. 31.
Ubi, quando exprimenda n. 32.
Quid de circumstantia, *quibus auxiliis*, & reliquis n. 35. & seq.

Excusatio ab integritate materiali Confessionis.

Ignorantia aut inculpabilis oblivio excusat VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 40.
Excusat etiam impotentia tam physica quàm moralis n. 41. & 42.
Quænam requirantur, ut in præsenti inducatur impotentia moralis n. 43.
An habenti casus reservatos liceat dimidiare confessionem? n. 44.
Item. An confitenti in magno concursu aliorum Pœnitentium? n. 45.
An aliquando manifestari debeat complex peccati? n. 46.

Confessionis integritas in Articulo mortis.

Absolvi debet moribundus, qui impotens plura dicere, non nisi de unico peccato se accusat VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 47.
Aut in genere tantùm se peccasse dicit n. 48.
Aut etiam signa tantùm doloris in præsentia, n. 49.
Imò etiam in absentia Confessarii ediderit, aut confiteri petierit n. 50.
Sententia, moribundum, si sensibus destitutus, nullum prorsus doloris signum exhibet, non posse absolvi n 51.

Confessio fidelis.

Mentiri in confessione contingit tripliciter VIII. p. 6. d. 5. a. 2. n. 59.
Mentiri circa impertinentiam est solùm veniale peccatum n 60.
Mentiri circa materiam non necessariam, aliquando veniale, aliquando mortale est n. 61.
Mentiri circa materiam necessariam semper mortale est, per se loquendo n. 62.

Confessio Secreta.

Duplex secretum confessionis VIII. p. 6. d. 5. a. 2 n. 63
Præceptum confitendi intelligi debet de confessione secreta n. 64.
Sine justa causa publicam confessionem instituere non est licitum n. 65.
An ad talem confessionem quis obligetur in articulo mortis n. 66.
Reprehenditur Praxis quorundam Sacerdotum n. 67.

Confessarii Approbatio.

Quid sit VIII. p. 6. d. 6. a. 2. n. 1.
Approbatio, alia est per prævium examen, alia per collationem beneficii curati n. 3.
Qui non habet amplius beneficium Parochiale, indiget novâ approbatione n. 4.
Etiam Doctores & Licentiati indigent Approbatione Episcopi n. 5.
Ad audiendas confessiones Regularium nulla requiritur approbatio n. 6.
Sacerdos non approbatus invalidè absolvit sæcularem quemcunque n. 7.
Tali Sacerdoti invalidè delegatur Jurisdictio à Parocho n. 8.

Approbatio peti debet ab Episcopo n. 9.
Quid, si Episcopus approbavit quem non judicavit Idoneum n. 10.
An valeat approbatio pretio obtentâ n. 11.
A quonam Episcopo petenda approbatio n. 12.
Non sufficit approbatio petita, sed non obtenta n. 13.
Approbatus pro una diœcesi non est hoc ipso approbatus pro alia n. 14.

Confessarii Jurisdictio.

Quid sit VIII. p. 6. d. 6. a. 3. n. 1.
Alia est ordinaria, alia delegata n. 2.
Ad validè absolvendum ultra potestatem ordinis requiritur jurisdictio n. 3.
Quomodo Summus Pontifex subjiciatur jurisdictioni Confessarii n. 4.
An ad validè absolvendum sufficiat licentia Ordinarii præsumpta? n. 5.
An petita, sed non obtenta? n. 6.
An per gravem metum extorta? n. 7.
An liceat absolvere cum Jurisdictione dubia? n. 8. & 9.
An quilibet etiam non approbatus Sacerdos habeat potestatem absolvendi à venialibus n. 16.
An ejusmodi sacerdos possit à peccatis mortalibus absolvere saltem indirectè? n. 17.

Confessarii scientia & prudentia.

Ad licitè absolvendum requiritur in sacerdote sufficiens scientia VIII. p. 6. d. 6. a. 6. n. 1.
Graviter peccat, qui cùm sit inidoneus, munus confessarii suscipit n. 2.
Graviter etiam peccant Prælati, quando ad confessiones exponunt inidoneos n. 3.
Quantam oporteat esse scientiam Confessarii n. 4.
Requiritur præterea prudentia n. 9.
Declaratur, qualiter Confessario prudentia sit necessaria n. 10. & seqq.
In Confessione exprimi debet numerus objectorum II. d. 3. a. 2. n. 19.

Confirmatio.

Definitio ejus VIII. p. 2. d. 2. a. 1. n. 1.
Hoc Sacramentum immediatè à Christo fuit institutum n. 2.
An per impositionem manuum ab Apostolis usurpatam rectè intelligatur Confirmatio n. 4.
Eadem Confirmatio falsò dicitur instituta à Concilio Meldensi n. 5.
Fuit instituta quoad substantiam in nocte ultimo cœnæ, completè post resurrectionem Christi n. 6.

Confirmationis Materia.

Materia remota essentialis hujus Sacramenti est Chrisma VIII. p. 2. d. 2. a. 2. n. 1.
Necessarium necessitate sacramenti est, ut oleum Chrismatis sit oleum olivarum, idemque chrisma habeat admixtum balsamum, & sit ab Episcopo benedictum n. 2.
Chrisma à simplici sacerdote benedictum neque ex dispensatione Papæ potest esse materia validâ confirmationis n. 4.
Cur Papa simplici sacerdoti possit committere potestatem administrandi hoc sacramentum, & non etiam potestatem benedicendi chrisma? n. 5.
Materia proxima confirmationis est Unctio chrismatis in fronte confirmati, facta per manum Episcopi in figuram crucis n. 9.
Declaratur, quænam in hac Unctione, sint de necessitate sacramenti, & quo non n. 10. & 11.

Confirmationis Forma.

Cur Patres Ecclesiæ de formis sacramentorum non satis apertè scripserint? VIII. p. 2. d. 2. a. 2. n. 12.
Forma consueta confirmationis: *signo te signo crucis &c.* est quidem sufficiens, n. 13.
Non tamen essentialis n. 14.
Cæremoniæ, quæ in hoc sacramento adhibendæ? n. 16.

Confirmationis subjectum & effectus.

Omnes baptizati nondum confirmati confirmantur validè VIII. p. 2. d. 2. a. 3. n. 1.
Pueri ante usum rationis non debent confirmari regulariter n. 2.
Possunt tamen occurrente justâ causâ n. 3.
Si puer usum rationis adeptus est, non expedit confirmationem differri diutiùs n. 4.
Amentibus hoc sacramentum non debet denegari. n. 5.
Sicuti nec moribundis regulariter loquendo n. 6.
Nemo tenetur per se loquendo illud suscipère, per accidens tamen potest esse obligatio suscipiendi. n. 7.
Graviter peccat, qui omittit suscipere ex Contemptu n. 8.
Probabilius non est gravis obligatio suscipiendi confirmationem ante primam tonsuram & Ordines n. 9.
— — — Effectus Confirmationis n. 11.

Confirmationis Minister & Patrinus.

Variæ sententiæ de ministro confirmationis VIII. p. 2. d. 2. a. 4. n. 1.
Statuitur, ordinarium ministrum esse solùm Episcopum n. 2.
Minister extraordinarius potest ex delegatione Papæ esse simplex sacerdos n. 4.
Non tamen ex commissione Episcopi inferioris n. 15.
An aut quomodo verum sit illud: quidquid Papa potest in universa Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi n. 6.
Graviter peccat Episcopus, si Diœcesanos suos longo tempore non confirmet n. 10.
In confirmatione adhibendus est Patrinus, idque ex præcepto graviter obligante n. 11.
Observanda de Patrino confirmationis n. 12. & seqq.

Conscientia.

Quid nominis? I. d. 1. a. 1. n. 1.
Definitio ejus n. 2.
Conscientia nec est actus synteresis, nec scientiæ moralis n. 4.
Est actus prudentiæ vel imprudentiæ n. 5.
Ad formandam conscientiam alii quoque habitus concurrunt n. 6.
Varii actus & munera conscientiæ n. 7.

Conscientia quotuplex?

Divisio conscientiæ in quinque membra I. d. 1. a. 1. n. 1.
Conscientia dubia non est formaliter conscientia n. 2.
Conscientia scrupulosa reduci potest vel ad dubiam vel erroneam n. 3.
Quid sit conscientia bona vel mala? n. 4.

Operatio contra conscientiam erroneam.

Objectum voluntatis est bonum & malum, ut ratione cognitum I. d. 2. a. 2. n. 6.
Non licet operari contra conscientiam erroneam n. 7.
An agere contra conscientiam sit speciale peccatum n. 11.
Item cujusdam speciei sit peccatum? n. 12.
Modò est mortale, modò veniale n. 13.
Quid si conscientia proponat objectum sub ratione mali in genere n. 14. & 15.
Ad peccandum contra conscientiam erroneam requiritur ablatio impedimentorum extrinsecorum n. 16.
Neque ex divina dispensatione agere contra conscientiam potest fieri licitum n. 17.

Conscientia erronea an obliget ut secundùm ipsam operemur?

Conscientia consulens non obligat I. d. 2. a. 2. n. 18.
Nec conscientia vincibiliter errans obligat ad sui sequelam n. 19.
Perplexitas ex illa proveniens non excusat à peccato n. 20.
An dari possit medium inter operari juxta conscientiam, & non operari contra conscientiam? n. 21.
An prohiberi possit actus dilectionis DEI n. 22.

Tenemur operari secundùm conscientiam invincibiliter erroneam n. 23.
Quomodo hac conscientia conformis sit legi divinæ? n. 24.
Plus obligat, quàm præceptum superioris n. 25.
Perplexitas ex eadem orta tollit libertatem peccandi n. 26.
An Conscientia erronea deponi possit pro libitu? n. 27.
An opus conforme conscientiæ invincibiliter erranti sit honestum, & quali honestate? n. 28.
An agens in invincibili ignorantia incurrat Ecclesiasticam censuram n. 29.

Conscientia recta.

Ultimum dictamen conscientiæ rectæ debet esse certum & infallibile I. d. 2. a. 2. n. 1.
Secùs non ultimum n. 2.
Unde desumatur rectitudo conscientiæ? n. 3.
Cur conscientia dicatur practicè vel speculativè vera aut falsa? n. 5.
Quomodo conscientia invincibiliter erronea non sit eadem quæ recta? n. 6.

Conscientia dubia.

Vide *Dubium.*

Conscientia Probabilis.

Probabile quid nominis? I. d. 4. a. 1. n. 1.
Quot modis veritas apparere possit intellectui? n. 2.
Definitio Probabilitatis, n. 3.
Et improbabilitatis. n. 4.
Divisio ejus in intrinsecam & extrinsecam; quid sit extrinseca? n. 5.
Quid intrinseca? n. 6.
Quid sit Probabilioritas? n. 7.
Definitio, conditiones, & proprietates sententiæ probabilis n. 8.
Divisiones opinionis probabilis n. 9. & 10.
An duæ opiniones contradictoriæ possint esse simul probabiles? n. 11.
Sententia probabilis fieri potest improbabilis, & econtrà n. 13.
Non omnis opinio speculativè probabilis est etiam practicè probabilis n. 14.
Opinio directè non probabilis fieri potest probabilis indirectè n. 15.
Non omnis opinio probabilis quoad se, est probabilis quoad nos, & neque econtrà n. 16.
Contra contradictorium alicui certum non potest reddi probabile alterum contradictorium n. 17.

An Authoritas unici doctoris possit constituere sententiam probabilem?

Damnatæ cujusdam propositionis, circa præsentem quæstionem laxitas I. d. 4. a. 1. n. 18.
Quinam author sit omni exceptione major? n. 19.
Nostra sententia probatur primò à priori n. 20.
Secundò ad hominem n. 21.

Conscientiæ Formatio ex opinione probabili.

Ostenditur modus formandi conscientiam ex probabilibus I. d. 4. a. 2. n. 2.
An sententia probabilis sit Regula proxima operandi? n. 3.
Sensus hujus propositionis, qui operatur ex conscientia probabili, honestè operatur n. 4.
An possit formari recta conscientia ex opinione probabiliter, vel solùm tenuitur probabili? n. 5.

An sequi liceat in praxi sententiam minùs probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori & tutiori?

Quæ sententia tutior, quæ minùs tuta? I. d. 4. a. 2. n. 9.
Intellectus assentiri potest opinioni minùs probabili in occursu probabilioris n. 10.
Opinionum aliæ sunt circa actiones & jus, aliæ circa res & factum n. 13.
Licitum est sequi in praxi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliori. Authorum de hac doctrina judicium n. 14.
Quando agitur de honestate actionis, licitè amplectimur partem minùs tutam relictâ tutiore n. 21.
Secus dicendum, quando opiniones oppositæ versantur circa rem & factum, & adest speciale præceptum charitatis justitiæ &c. n. 22.
Licita est à fortiori praxis opinionis minùs tutæ & æquè probabilis n. 23.
In aliquo sensu omnes sententiæ probabiles sunt æqualiter tutæ n. 24.
Praxis benignæ sententiæ etiam in articulo mortis habet locum. n. 25.
Quænam sententia sit certò probabilis? n. 26.
An usus sententiæ probabilis sit licitus in materia fidei? n. 27. & 28.

An liceat relictâ opinione propriâ, probabiliori, ac tutiori, sequi alienam minùs probabilem, minusque tutam; item, an hanc liceat consulere vel docere?

Licitum est, relictâ propriâ sententiâ, sequi alienam minùs probabilem, minusque tutam, imò etiam consulere. I. d. 4. a. 3. n. 1.
Quid, si expressè rogêris tuam sententiam? n. 2.
Quid hîc liceat, vel non liceat Professori publico n. 3. & seqq.
Quid Confessario? n. 6. & seqq.
Quomodo peccet confessarius non absolvendo pœnitentem, qui sequitur opinionem suæ contrariam? n. 8.
Subditus tenetur obedire, licèt probabiliter, vel probabiliùs existimet, rem præceptam esse illicitam n. 9.
Quid si existimet in aliquo casu se non esse obligatum ad obediendum? n. 10.
An subditus teneatur obedire superiori, quem putat, non esse legitimè electum? n. 12

An Minister Sacramenti vel recipiens sacramentum licitè sequatur sententiam probabilem minùs tutam relictâ tutiore?

Circa essentialia sacramenti tenetur minister sequi sententiam tutiorem I. d. 4. a. 3. n. 14.
Quod tamen intelligendum est extra casum necessitatis n. 15.
Minister extra necessitatem sequens sententiam minùs tutam circa essentialia sacramentorum peccat mortaliter n. 17.
Etiam recipiens sactamentum tenetur hic sequi sententiam tutiorem n. 18.
Confessarius non absolvit licitè cum Jurisdictione merè probabili n. 21.
Quando Ecclesia suppleat defectum Jurisdictionis in casu opinionis probabilis de ipsa? n. 22.

Quam sententiam sequi teneatur Medicus vel Chirurgus?

Medicus vel Chirurgus tenetur ægroto adhibere medicinam certam, si possit I. d. 4. a. 3. n. 23.
Si non possit, tenetur adhibere probabilem n. 24.
An liceat Medico experiri in ægroto vim Pharmaci dubii? n. 25.
Quid, si salus patientis sit penitus desperata? n. 26.
Ex medicinis probabilibus adhibendæ sunt probabiliores n. 27.
Cautela pro illis, qui adsunt ægrotis n. 28.

Quam Sententiam Judex & Advocatus?

Quæstionum alia juris, alia facti I. d. 4. a. 3. n. 29.
Quid hîc Judici tenendum in caulis criminalibus? n. 30.
Quid in civilibus? n. 31.
Quid, si argumenta partium utrimque sint æqualia? n. 32.

Quid, si partes se se vincant alternatim? n. 33.
Advocatus licitè patrocinatur causæ minus probabili n. 34.
Limitatio communis sententiæ n. 35. & 36.
Cautela pro advocato n. 37.

Conscientia scrupulosa.

Quid scrupulus, quid scrupulosus? I. d. 5. a. 1. n. 1.
Causæ scrupulorum intrinsecæ, n. 2.
Et extrinsecæ. n. 3.
Varia signa scrupulorum n. 4.
Asseruntur octo remedia scrupulorum generalia n. 5.

Remedia particularia, & Confessarius scrupulosorum.

Quomodo curandi sint scrupuli de consensu tentationibus præstito? I. d. 5. a. 2. n. 1.
Quomodo scrupuli de confessionibus præteritis? n. 2.
Quomodo scrupuli de recitatione Breviarii n. 3.
Monita ad Confessarium Scrupulosi n. 4. & seqq.
Quomodo tractare oporteat scrupulosos laxæ Conscientiæ? n. 7.

Contentio.

Quid sit? V. d. 1. a. 6. n. 35.
Tribus modis veritas per contentionem impugnari potest n. 36.
Est ex suo genere mortale n. 37.

Contritio.

Definitio contritionis generatim acceptæ VIII. p. 6. d. 4. a. 1. n. 1.
Ejus divisio in perfectam & imperfectam n. 2.
Tria capita motivorum, propter quæ detestati solemus peccata n. 3.
Essentia contritionis neque consistit in proposito n. 4.
Neque in detestatione & dolore simul n. 5.
Neque in detestatione sola n. 6.
Sed in solo dolore de peccatis n. 7.
Odium seu detestatio per se primò opponitur peccato sub ratione malitiæ, non autem sub ratione offensæ n. 8.

Quale propositum ad dolorem sit necessarium?

Propositum non peccandi de cætero aliud formale, aliud virtuale VIII. p. 6. d. 4. a. 1. n. 10.
Propositum ad efficacem dolorem necessarium per se loquendo debet esse formale, per accidens tamen sufficit virtuale. n. 11.
Cur ad sacramentum pœnitentiæ nunquam sufficiat dolor virtualis? n. 12.
Ad efficaciam propositi non requiritur, ut pœnitens sibi persuadeat, se nunquam ampliùs peccaturum n. 13.
Qualiter necessarium sit propositum obediendi Confessario? n. 14.

Quale debeat esse propositum vitandi occasiones peccandi?

Occasio peccandi alia remota, alia proxima VIII. p. 6. d. 4. a. 1. n. 15.
Propositum vitandi peccata non debet necessariò se extendere ad vitandas occasiones remotas n. 16.
Bene autem ad proximas per se loquendo n. 17.
Aliud sententiendum loquendo per accidens n. 18.
Unde Confessarius possit cognoscere pœnitentem suum relabi solitum habere hic & nunc sufficiens propositum n. 25.

Propositum in Confessione venialium.

Etiam ad remissionem peccatorum venialium necessarius est intra sacramentum pœnitentiæ aliquis dolor formalis, isque supernaturalis VIII. p. 6. d. 4. a. 1. n. 26.
In confitente mera venialia requiritur etiam propositum saltem virtuale ea vitandi n. 27.
Triplex discrimen inter propositum necessarium in confitente peccata mortalia, & necessarium in confitente venialia n. 28.
Facilius absolvi possunt sæpius relabentes in eadem venialia, quàm relabentes in eadem mortalia n. 29.
Quomodo illis consulendum, qui ex plurimis, aut ferè innumeris confessionibus venialium vix ullum fructum emendationis proferunt? n. 30.
An per peccatum veniale ante absolutionem noviter commissum corrumpatur propositum circa confessa priùs conceptum? n. 31.

Contritio perfecta.

An includat actum dilectionis Dei?

Quorundam sententia, dari posse hanc sine dilectione DEI VIII. p. 6. d. 4. a. 2. n. 1.
Probatur, dilectionem DEI necessariò debere includi in contritione perfecta n. 2.
Ea dilectio debet esse formalis, sive actualis n. 3.
Contritio perfecta semper conjuncta est cum remissione peccatorum n. 6.
Differt essentialiter ab attritione n. 7.
Attritio non potest formaliter fieri contritio n. 8.

Quanta debeat esse Contritio?

Ad perfectam contritionem neque requiritur certa duratio temporis, neque determinatus gradus intensionis VIII. p. 6. d. 4. a. 2. n. 10. & 11.
Perfecta contritio debet esse summa appretiativè. n. 13.
An ad eandem contritionem, ut sit summa appretiativè, requiratur comparatio inter peccatum, & alia mala? n. 14.
An pro singulis peccatis requirantur singulæ & speciales contritiones? n. 15.
An ad perfectam contritionem requiratur distincta recogitatio peccatorum? n. 17.
An ejusmodi recogitatio requiratur ex aliis capitibus? n. 18.
An perfectè contritus debeat unum peccatum magis detestari, quàm aliud n. 19.
An dolor de peccatis aliquando possit esse nimius? n. 20.
Dolor sensibilis non est necessarius ad contritionem perfectam n. 21.

Quando elicienda sit Contritio?

Præceptum pœnitentiæ aliquando per se obligat, aliquando per accidens VIII. p. 6. d. 4. a. 2. n. 22.
Statuitur, illud per se obligare in articulo mortis, n. 23.
Dum quis sibi conscius est peccati mortalis, & deest facultas suscipiendi pœnitentiam? n. 24.
Idem præceptum non obligat statim post commissum peccatum n. 25.
Similiter non obligat diebus Dominicis & festivis n. 27.
Obligat per se etiam extra articulum mortis n. 28.
Nulla tamen hic datur certa determinatio temporis n. 29.
Quænam in hoc dilatio sit longa & notabilis? n. 30.

Contumelia.

Quid & quotuplex sit, & quale peccatum, definitur & dividitur VIII. p. 6. d. 5. a. 4. n. 2. & seqq.
An qualitas contumeliæ sit exprimenda in Confessione? n. 4.
Cuilibet contumeliæ aliunde potest accedere nova species malitiæ n. 5.
Exponitur malitia contumeliæ n. 6. & seqq.
Quid de agnominibus, quæ parentes imponunt liberis n. 8.

Contractus.

Triplex acceptio contractus VII. d. 6. a. 1. n. 1.
Donatio & promissio sunt minùs propriè contractus n. 2.
An valeat contractus sine animo contrahendi? n. 3.
Item sine animo se obligandi n. 4.
Quid de contractu inito ex errore circa qualitatem rei accidentalem n. 5. & 6.
Contractus ex spe vel amore orti subsistunt II. d. 1. a. 3. n. 1.

Correctio fraterna.

Definitio ejus V. d. 1. a. 5. n. 29.

Adstrui-

Adstruitur præceptum fraternæ correctionis n. 30. & 31.
Obligat sub mortali ad corrigendum proximum in mortali, vel morali periculo constitutum n. 32.
Quomodo obliget propter peccatum veniale? n. 33.
Quinam potissimùm obligentur hoc præcepto? n. 34
Non omnes, qui correctione indigent, corrigendi sunt æqualiter n. 39.
Quænam Circumstantiæ adesse debeant, ut hoc præceptum obliget n. 40
Quo ordine institui debeat? n. 46
An peccatum fratris per secretam monitionem jam emendatum liceat indicare Prælato? n. 47

Cultus Sanctorum.

Ostenditur, Sanctos piè coli & adorari V. d. 2. a. 1. n. 11
Exponuntur Textus sacræ scripturæ n. 12
Beatissimæ Virgini Mariæ debetur cultus hyperduliæ. n. 13

Cultus sacrarum imaginum Christi, & Sanctorum.

Probatur sacrarum imaginum usum in Ecclesia esse rectissimum V. d. 2. a. 1. n. 16
Adstruitur, sacras imagines esse colendas propter prototypa n. 18
Et eodem cultu, qui debetur Prototypis n. 21

Cultus sacrarum Reliquiarum.

Quænam veniant nomine sacrarum Reliquiarum? V. d. 2. a. 1. n. 26
Asseritur, reliquias Christi & Sanctorum esse in veneratione habendas n. 27
Et colendæ sunt cultu respectivo n. 28
Instrumenta Dominicæ Passionis adoranda sunt cultu latriæ respectivo n. 30
Quid de crucibus factis ad similitudinem crucis, in qua Christus pependit? n. 32
Quid de particulis illius primæ crucis, aliorumque Passionis instrumentorum n. 33

D.

Decimæ.

Quinam negaverint obligationem pendendi decimas? VI. d. 2. a. 1. n. 1
Adstruitur obligatio n. 2
Cur Ecclesia Ministros suos sustentari velit per decimas? n. 3
Omnes baptizati graviter obligantur ad solvendas decimas, præter legitimè exemptos n. 4
Judæi & alii non baptizati nullam habent obligationem personalem pendendi decimas n. 5
Habent autem hæretici n. 6
An ejusmodi obligatio sit in summo Pontifice? n. 7
An in aliis clericis? n. 8
An in pauperibus? n. 9

Decimarum solvendarum locus, tempus, aliæque circumstantiæ.

Decimæ aliæ prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ? VI. d. 2. a. 2. n. 1
De jure communi nulla est obligatio deferendi decimas ad horreum Ecclesiæ vel Parochi n. 2
Decimæ à solo separatæ, & collectæ statim offerri debent n. 3
Non est opus, ut Parochus exigat, aut petat, sibi solvi decimas n. 4
Decimæ solvi debent ex fructibus integris n. 5
Qualiter peccent fraudatores earum? n. 6

Delectatio morosa.

Definitio ejus II. d. 3. a. 6. n. 1
Non est delectatio morosa, quando delectamur de modis mirificis, seu artificiosis actionum malarum n. 2
Morosa debet esse de re mala apprehensa ut præsente n. 3
Motus sensualitatis alii primo primi, alii secundo Primi, alii plenè deliberati n. 4
Quid ratio inferior & superior n. 5
Neque fames concupiscentiæ, neque ejus motus inde liberati sunt peccata mortalia n. 6
Ostenditur eosdem motus etiam non esse peccata venialia n. 7. & 8

Delectatio morosa quale peccatum?

Delectatio alia est de cogitatione rei malæ, alia de re mala cogitata, alia de modo rei malæ II. d. 3. a. 6. n. 10
Quid delectatio sensualis, quid rationalis n. 11
Delectatio de cogitatione, vel modo rei illicitæ ingenioso non est peccatum per se loquendo n. 12
Potest tamen esse per accidens n. 13
Delectatio voluntaria de re mala cogitata semper est mala mortaliter vel venialiter n. 15
In materia verò luxuriæ semper est mala mortaliter n. 16
An licitum sit aliquando delectari de Pollutione n. 17
Quæ circa delectationem morosam prohibita aut licita sint conjugatis n. 18. & seq.
An licitum sit delectari de ideo malis, quia prohibitis n. 25
Discrimen inter desiderium & delectationem n. 26
Nunquam licitum est delectari de ideo prohibitis, quia malis n. 27
Quale peccatum sit gloriari de opere malo? n. 29

Non nullæ quæstiones?

Conditionum appositarum rei illicitæ alia tollit alia non tollit malitiam II. d. 3. a. 6. n. 30
Non est peccatum re moraliter mala delectari sub conditione auferente malitiam n. 31. & 32
Plerumque tamen est veniale n. 33
Delectatio peccatum mortale est, si conditio apposita non tollit malitiam n. 34. & 35
Explicatur difficultas, an delectatio morosa contineat omnes malitias operis externi n. 36. & seqq.
An peccatum sit tristari de bono? n. 45

An homo carnis tentationibus teneatur positivè resistere?

Quid sit voluntatem negativè se habere erga motus carnis II. d. 3. a. 6. n. 46
Refertur sententia, Negativa & affirmativa n. 47. & seqq.
Quid resistentia efficax, quid inefficax n. 52
Negative se tollens erga turpes motus peccat mortaliter, si nullo modo resistat n. 53
Non tamen ita peccat, dum resistit inefficaciter saltem n. 54
Non positivè resistere turpibus motibus mortale est n. 56

Quas causas venereæ delectationis vitare teneamur.

Variæ causæ delectationis venereæ II. d. 3. a. 6. n. 60
Voluntaria pollutio semper est mortale n. 61
Vitanda etiam est causa honesta, dum subest proximum periculum consensus n. 63
Causa turpis intra genus luxuriæ sub mortali vitari debet n. 64
Seclusô periculô consensûs nulla est obligatio vitandi causam venereæ delectationis necessariam vel convenientem corpori n. 69
Quid de causa peccaminosa extra genus luxuriæ n. 71

Delectatio.

Alia venera alia sensibilis sive naturalis V. d. 7. a. 2. n. 96
Delectatio venerea ex osculis &c. alia est cum tendentia ad copulam, vel pollutionem, alia sine ejusmodi tendentia n. 97
Moraliter impossibile est, delectationem sensibilem ex osculis, tactibus &c. voluntariè quæsitam dari sine delectatione venerea, vel proximo periculo ejusdem n. 98. &c.
Oscula, tactus, amplexus inter solutos exerciti ob delectationem carnalem semper peccata mortalia sunt, quamvis in eadem delectatione sistatur n. 100
Turpia loqui, canere, scribere, audire venereæ delectationis causa sunt itidem peccata mortalia n. 116

Quid de choreis n. 120
Oscula tactus &c. ob delectationem carnalem exercita etiam inter sponsos & sponsas sunt peccata mortalia n. 121
In genere luxuriæ nulla datur parvitas materiæ n. 123
Quid agendum confessario de modica delectatione n. 124
Remedia contra vitium luxuriæ n. 125

Debitum conjugale.

vide Matrimonium.

Detractio
quid sit & quale peccatum?

Quot modis fieri soleat detractio VII. d. 5. a. 4. n. 22
Ejus definitio n. 23
Et malitia n. 24 & seqq.
Per se loquendo non est peccatum revelare alterius defectus naturales n. 26
Nec mortale propalare peccata venialia n. 27
Aut loqui de alterius peccatis per verba generalia n. 28
Quando graviter peccetur narrando alterius peccatum mortale? n. 29
Casus, in quibus hoc fit licitè n. 31
An liceat injuriam sibi illatam aperire amico consolationis causâ n. 32
Quomodo peccet gravem defectum proximi manifestans uni, vel duobus tantùm rem non ulteriùs evulgaturis n. 33
Quomodo peccetur, vel non peccetur narrando alterius crimina, vel defectus notarios? n. 34. & seq.
Quale peccatum sit infamatum in uno crimine infamare in alio n. 38
Detrahere mortuis an & quale peccatum n. 39
An liceat historicis aliorum crimina tradere Posteris? n. 40
Quid de narrante alterius crimina audita, ut audita? n. 41
Quid de audiente alterum detrahentem? n. 42
Variæ causæ, ob quas talis excusari potest à peccato mortali n. 43
Seipsum infamare an & quando sit licitum vel illicitum? n. 44
Agitur de reis in Judicio sibi imponentibus falsa crimina ad evitanda tormenta n. 47. & seqq.

Degradatio.

Definitio ejus IV. d. 2. a. 1. n. 18
Degradatio alia verbalis alia realis n. 19
Quænam crimina digna sint degradatione n. 20
Degradatus in sacris constitutus non excusatur à recitatione horarum & servanda castitate n. 21

Depositio.

Ejus definitio IV. d. 2. a. 2. n. 18
Quænam crimina sint depositione digna n. 20

Desperatio.

Definitio desperationis V. d. 1. a. 3. n. 16
Ex genere suo est peccatum mortale n. 17
An aliquando possit esse licita n. 18
Aliquando est conjuncta cum hæresi, aliquando non n. 19

Discordia.

Quid sit? V. d. 1. a. 6. n. 33
Aliquando est peccatum veniale aliquando nullum n. 34

Dispensatio.

Definitio ejus III. d. 3. a. 4. n. 2.
Differentia ejusdem ab absolutione, indulgentia, licentia, & privilegio n. 3
Dispensatio quomodo se habeat erga abrogationem & derogationem legis n. 4
Divisio ejus in totalem & partialem n. 6
Tacitam & expressam n. 7
Notabilia circa dispensationem tacitam n. 8. & 9
In directam & indirectam n. 10

A quibus dispensari possit.

Potestas dispensandi alia ordinaria, alia delegata III. d. 3. a. 4. n. 11
Omni legislatori competit potestas dispensandi in sua lege n. 12
Extra casus exceptos Prælatus inferior non potest dispensare in lege superioris n. 16
Dispensatio impertita sine justa causa, valida quidem est, non tamen licita n. 21
Quale peccatum sit dispensare sine justa causa n. 22
Dispensatio inferioris in lege superioris sine justa causa invalida est, & illicita mortaliter, si lex graviter obliget n. 23
Quomodo peccet subditus sine justa causa petens dispensationem n. 24

Quibus impertiri possit beneficium dispensationis.

Prælatus secum ipso dispensare potest, nisi id expressè sit prohibitum n. 26. & 27
Ordinarius loci dispensare potest cum vagis non tamen cum peregrinis n. 29. & 30
An Archiepiscopus aliquando dispensare possit cum subditis suorum suffraganeorum? n. 31
Episcopis non potest dispensare cum religiosis exemptis n. 32

An, cessante causa dispensationis & ipsa cesset?

Triplex status dispensationis III. d. 3. a. 4. n. 33
Delegatus invalidè dispensat, si post indultum dispensandi ipsi concessum cesset justa causa? n. 34
Cessat dispensatio, si antequam sortiatur effectum, cessat ejus causa finalis n. 35
Dispensatio ultimum suum effectum sortita non cessat cessante causa n. 37

Divinatio.

Quid Nominis V. d. 2. a. 4 n. 14
Definitio ejus cum sua analysi n. 15
Malitia divinationis, in quo consistat n. 16
An superstitiosum sit à Dæmone petere notitiam rerum, quas ident naturaliter comprehendit n. 17
Divinatio alia importat pactum expressum, alia tacitum cum dæmone n. 18
Qui ad comparandam notitiam rei occultæ utitur vanis mediis, non excusatur per protestationem quod nullam intendat societatem cum Dæmone n. 19
Species variæ divinationis n. 20
Divinatio per expressam Dæmonis invocationem instituta, semper peccatum mortale est n. 21
Quamvis divinatio cum pacto implicito ex genere suo peccatum mortale sit, aliquando tamen efficitur veniale n. 23
Divinatio per pactum expressum, & divinatio per pactum tacitum sunt ejusdem speciei moralis n. 24
An omnes Prædictiones Astrologicæ sint prohibitæ n. 25. & 26
An licita sit divinatio physiognomica n. 31. & 32
An licitum sit interrogare zingaros n. 33
An licita sit conjectio ex somniis n. 34
Unde dignosci possint somnia divinitùs immissa à Dæmoniacis n. 35
An & qualiter licitus sit usus sortium n. 36. & seq.

Divortium.

vide Matrimonium.

Dominium.

Dominium quid VII. d. 2. a. 1. n. 3
Ejus divisio in dominium jurisdictionis & proprietatis n. 4
Variæ divisiones & subdivisiones Dominii proprietatis n. 5. & seq.

Modus acquirendi dominium per occupationem.

Animalium alia mansueta, alia fera, alia naturali libertate gaudent, alia inclusa tenentur VII. d. 2. a. 2. n. 1
Animalia domestica non licet capere n. 2
Quid de animalibus usu humano mansuefactis? n. 3
Animalia omnino fera & sylvestria, quæ Domino carent, fiunt primò occupantis n. 4

Expe-

Expediuntur quæsita ad hanc materiam pertinentia.

Columbaria ex se licita sunt VII. d. 2. a. 2. n. 11
Principes ex justis causis possunt sibi solis reservare jus venandi n. 13
An Principes prohibere possint, quod omnibus jure naturæ est licitum n. 14
Aucupatio animalium potest esse illicita ratione Personarum, temporis, publicæ utilitatis, & loci n. 15
Ex aucupatione illicita ratione loci oritur obligatio restituendi n. 16
Quânam pœna in foro externo affici possint injusti venatores n. 17
Principes non possunt prohibere subditis, ne agros, eorumque fructus defendant contra feras n. 18
Principes per se loquendo tenentur subditis resarcire damna, quæ iidem ex venatione, vel nimia ferarum multiplicatione patiuntur n. 19
Respublica, justè prohibere potest etiam suis civibus, ne pascant, aut lignentur in certo loco n. 20
Qui pascit aut lignatur in loco communi suæ reipublicæ prohibito non peccat mortaliter nisi inferat grave damnum n. 21
Sylva aut pascuo ad Dominum particularem pertinente nemo alius uti potest citra furtum n. 23

Quomodo acquiratur Dominium rerum inventarum, quæ non habent Dominum.

Quatuor classes rerum inventarum VII. d. 2. a. 2. n. 24
Res inventæ, quæ carent Domino, sunt inventoris n. 25
Bona naufragantium non sunt habenda pro derelictis n. 26
An aliquid, locò mercedis possit exigere, qui rem alterius ex periculo eripuit n. 27
Dispositiones jurium de bonis vacantibus n. 28
Mineralia & venæ metallicæ in loco publico de jure naturæ sunt inventoris, non autem de jure positivo n. 29
Idem sentiendum de invento thesauro n. 30
Quid, si fundus, in quo inventus est thesaurus habeat duos Dominos? n. 31
Quid de thesauro qui invenitur in loco sacro vel religioso? n. 32
Cujus sit thesaurus inventus in re mobili alicui donata, vel empta ab ipso? n. 33

An dominium rerum incertarum transeat ad inventorem?

Quid hîc certum, quid incertum? VII. d. 2. a. 2. n. 35
Fundamenta sententiæ negativæ & affirmativæ n. 36. & 37
Ista præfertur n. 38
Observatio pro praxi nostræ sententiæ n. 40

An dari possit Dominium ejusdem rei penes duos in solidum?

Status quæstionis VII. d. 3. a. 1. n. 1.
Formalis essentialis conceptus perfecti Dominii n. 2
Fundamenta sententiæ affirmativæ n. 2
Statuitur negativa n. 4
Corollarium de Dominio penes duos donatarios n. 6

An usus rerum uno usu consumptibilium distinguatur à Dominio?

Usus alius est juris alius facti VII. d. 3. a. 2. n. 1
Rerum aliæ unico usu consumuntur, aliæ non n. 2
In rebus unico usu non consumptibilibus usus facti distinguitur à Dominio n. 3
Quod idem asseritur de usu in rebus uno usu consumptibilibus? n. 4
In his rebus etiam tota communitas FF. minorum non habet Dominium sed nudum usum n. 5
Franciscanus invitatus ad mensam nullum habet jus in cibos appositos n. 8

An homo sit Dominus vitæ & membrorum.

Homini naturaliter competit jus custodiendi suam vitam VII. d. 3. à. 3. n. 1
Homo non est Dominus vitæ & membrorum n. 2
Nunquam est licitum seipsum occidere propria authoritate n. 3
Quid si Deus vel Judex præciperet, ut quis seipsum occideret? n. 4. & seqq.

An in homine sit Dominium hominis, famæ, honoris, bonorúmque spiritualium?

Bonorum spiritualium alia externa alia interna VII. d. 3. a. 5. n. 1
In homine est dominium omnium istorum bonorum n. 2
Homo est etiam Dominus famæ & honoris n. 3. & seqq.
Non tamen habet ex jure naturæ Dominium proprietatis in alium hominem n. 5
Licèt habere possit jure gentium & civili n. 6
Dominium tamen jurisdictionis jure naturæ competit homini in alium hominem n. 7

In quænam bona Dominium conveniat filiofamilias, Uxori, servo.

Peculium aliud castrense, aliud quasi castrense, aliud adventitium, aliud profectitium VII. d. 3. a. 6. n. 1
Filiusfamilias habet dominium peculii castrensis & quasi castrensis n. 2
In bona adventitia filio competit dominium proprietatis non tamen utile n. 3
In bona profectitia filius nullum habet. Quomodo & quando peccet filius furripiendo vel consumendo bona Patris n. 4
Quid si filius extraordinaria obsequia Patri præstet in administratione rerum ipsius n. 5
Declaratur, in quæ bona Dominium competat Uxori n. 6
Quomodo & quando peccet Uxor furripiendo ex bonis mariti? n. 7
Servi de jure communi nullum habent Dominium rerum temporalium n. 8

Dominium Clericorum.

Bona, quæ clerici possident, alia sunt Patrimonialia, alia quasi Patrimonialia, alia Ecclesiastica VII. d. 3. a. 7. n. 1
Quænam necessaria ad congruam sustentationem? n. 2
Varii status bonorum Ecclesiasticorum n. 3
Quos penes sit disponere de decimis n. 4
Clerici habent verum Dominium bonorum Patrimonialium, & quasi Patrimonialium n. 5. & seqq.
Bonorum immobilium Ecclesiasticorum Dominium est penes Ecclesias n. 7
Clerici in particulari sunt veri Domini reddituum Ecclesiasticorum ad congruam sustentationem necessariorum n. 8
Superfluorum probabiliter non sunt Domini n. 9
Probatur tamen contrarium tanquam probabilius n. 10

An & quo jure Clerici superflua teneantur erogare in pias Causas.

Quænam intelligantur nomine piarum causarum? VII. d. 3. a. 7. n. 16
Clerici graviter obligantur reditus superfluos erogare in pios usus n. 17
Quænam hîc notabilis quantitas ad mortale peccatum requisita? n. 18
Clerici probabilius solo jure positivo superflua tenentur expendere in pios usus n. 19
Clericus superflua profanè expendens peccat contra charitatem, & religionem n. 21
Ad quid clericis prosit assertum Dominium reddituum superfluorum Ecclesiasticorum n. 22
Variæ Resolutiones ex dictis de Dominio Clericorum VII. d. 3. a. 7. f. 590

Dominium Religiosorum.

An & quibus religiosis competat Dominium.

Aliqui ordines Religiosi habent verum Dominium bonorum temporalium VII. d. 3. a. 8. n. 2. & seqq.

Nullus Religiosus in particulari solemniter professus est capax Dominii rerum temporalium n. 5.
Quid de non solemniter professis in Societate Jesu n. 6.
Religiosus, dum fit episcopus, non fit capax Dominii in temporalia n. 7
Illicitæ dispositiones religiosi de temporalibus sunt etiam invalidæ n. 8
Religiosus non potest validè testamentum condere n. 9
Resolvitur, an incapacitas hæc proveniat ex voto solemni, vel ex ordinatione Ecclesiæ n. 10 & seqq.

Donatio.

Definitio ejus VII. d. 6. a. 2. n. 16
Divisio donationis n. 18
Invalida est donatio omnium omnino bonorum, præterquam in casibus exceptis n. 19
Valet donatio omnium bonorum præsentium n. 20
Quid de donatione ultra 500. solidos n. 21. & 22
In quibus casibus revocari possit donatio inter vivos n. 23
Quando revocetur donatio mortis causâ n. 24

Duellum. Vide Homicidium.

E.

Ebrietas.

Ebrietas in sacra scriptura aliquando sumitur pro satietate VI. d. 1. a. 4. n. 2
Definitio ejus n. 4
Ejus malitia est mortalis n. 5
Etiam unica vice se inebriare peccatum mortale est n. 7
Differentia inter ebrietatem & crapulam n. 8
Non solùm ex potatione vini, sed etiam cerevisiæ &c. inducitur vera ebrietas n. 9
Mortale est alterum inducere ad se inebriandum n. 10
An hoc non possit esse licitum saltem ad avertendum magnum aliquod malum? n. 11
An liceat aliquando inebriare se ipsum n. 12. & seqq.
An ad ebrietatem requiratur, ut quis potet voluptatis causâ n. 15
Unde cognosci possit aliquem fuisse ebrium n. 16

Emptio.

Definitio ejus VII. d. 6. a. 3. n. 1
Analysis ejusdem n. 2
Emptor ante traditionem non habet jus in re sibi vendita n. 4
Neque fit dominus rei traditæ, antequam solvat Pretium n. 5
Quid si determinatio pretii rejiciatur in arbitrium tertii? n. 7

Eleemosina.

Definito ejus V. d. 1. a. 5. n. 2
Alia corporalis alia spiritualis n. 4
An sepelire mortuos sit opus misericordiæ n. 5

Obligatio subveniendi proximo.

Præceptum subveniendi proximo per eleemosinam corporalem V. d. 1. a. 5. n. 6
Bona corporalia alia sunt necessaria ad naturam, alia ad statum n. 7
Necessitas in corporalibus alia est extrema, alia gravis, alia communis n. 8
In quibus casibus nulla sit obligatio dandi eleemosinam n. 9
De necessariis naturæ nemo tenetur largiri eleemosinam n. 10
Proximo extremè indigenti succurrendum est etiam de necessariis statui n. 11
Ex eadem classe bonorum subveniendum est graviter indigenti, si modicum solùm detrimentum sequatur n. 12
Gravi necessitate laboranti succurri debet ex bonis naturæ & statui superfluis n. 13
Explicatur obligatio dandi eleemosinam in communibus necessitatibus n. 19. & 20
Per superflua statui intelliguntur superflua statui præsenti n. 21
An omnibus egentibus danda sit eleemosina? n. 22
An excludi possint ex civitatibus pauperes peregrini? n. 23
An dari possint eleemosina ex illicitè acquisitis n. 24
Quinam facere possint eleemosinam? n. 25
An fingens se pauperem fiat Dominus acceptæ eleemosinæ? n. 26
An gratis dare teneamur proximo, quod eidem damus extremè indigenti? n. 27. & 28

Eucharistia.

Recensentur hæretici reali præsentiæ corporis Christi in SS. Eucharistia adversarii in toto hoc summario VIII. p. 3. d. 1. §. 1. n. 1
Probatur cathólica veritas multipliciter VIII. p. 3. d. 1. §. 2. n. 5
Solvuntur variæ objectiones VIII. d. 1. §. 3. n. 17.

Eucharistiæ materia.

Statuitur catholica veritas, & errores circa hujus sacramenti materiam VIII. p. 3. d. 2. §. 1. n. 1

Qualis panis sit materia?

Panes sunt in triplici genere VIII. p. 3. d. 2. §. 2. n. 4
Solus triticeus est materia consecrationis n. 5
Quid de pane ex leguminibus n. 6
Regulæ in praxi observandæ n. 7
Quid de pane partim triticeo partim non triticeo n. 9
Quid de pane ex amylo, n. 10
Quomodo confici debeat panis, ut sit materia consecrationis n. 11. & seqq.
Tam fermentatus, quàm azymus est materia valida n. 13

Quale vinum sit materia Eucharistiæ?

Statuitur sententia catholica VIII. p. 3. d. 2. §. 3. n. 16
Quid de vino adusto, lora & aceto &c. n. 17
Quid de succo adhuc clausa in uvis n. 18
Quid de vino congelato n. 19
Quid de vino corrupto & pani imbibito n. 20. & 23

Utrum aqua vino mixta immediatè convertatur in sanguinem Christi?

Vino consecrando debet misceri aqua VIII. p. 3. d. 2. §. 4. n. 24

Utrum liceat aliquando in una tantùm specie consecrare?

Quo jure consecrandum sit sub utraque specie VIII. p. 3. d. 2. §. 5. n. 44
Licita est aliquando sacerdoti sumptio unius tantum speciei n. 43
Non est intrinsecè malum sub una specie tantum consecrare ideóque licet ad evitandum mortem n. 49. & seqq.

Eucharistiæ forma.

Hæc consistit in verbis proprie dictis & a Christo præscriptis VIII. p. 3. d. 3. §. 1. n. 2. & 3
Neque totus canon, neque verba antecedentia, neque subsequentia ea, quibus usus est Christus, sunt de essentia formæ n. 4. 5. & 6

In quibus verbis essentialiter consistat forma consecrationis Panis?

Sententia scoti VIII. p. 3. d. 3. §. 2. n. 11
Hæc sola verba: hoc est corpus meum sunt essentialia n. 12
Quid de particula *enim* n. 14. & seqq.

In quibus verbis essentialiter consistat forma consecrationis calicis?

Certa supponuntur, & referuntur sententiæ VIII. p. 3. d. 3. §. 3. n. 17
Concluditur, & Probatur ex Sancto Thoma hæc sola verba esse essentialia: hic est calix sanguinis mei n. 18
Probatur veterius ab absurdo in sententia contraria admittendo n. 19
Probatur nostra sententia authoritate Patrum n. 27

Asseritur existentia transubstantiationis.

Referuntur varii errores tum hæreticorum, tum aliorum VIII. p. 3. d. 4. §. 1. n. 1
Statuitur catholica veritas n. 2
Illationes contra errores recensitos n. 5. & 6

Qualis actio sit transubstantiatio?

Referuntur sententiæ VIII. p. 3. d. 4. §. 2. n. 7
Et quædam scitu necessaria præmittuntur n. 8. & 9.
Concluditur, transubstantiationem esse actionem productivam corporis Christi n 10. & 11
Quisnam sit formalis terminus transubstantiationis! n. 16
An transubstantiatio fiat in instanti n. 21

An panis & vinum per consecrationem annihiletur?

Concluditur & probatur duplici argumento panem & vinum non annihilari VIII. p. 3. d. 4. §. 3. n. 21. & seqq.
In quale nihilum res debeat desinere per annihilationem? n. 25
An reproductio substantiæ per consecrationem destructæ esset creatio? n. 26
An sit contra conceptum annihilationis habere terminum ad quem positivum n. 27
An forma materialis posset reproduci per creationem? n. 28

De accidentibus Eucharisticis?

Error hæreticorum VIII. p. 3. d. 5. §. 1. n. 1
Probatur accidentia Eucharistica existere sine subjecto substantiali n. 2

An quantitas panis & vini sit subjectum aliorum accidentium & quomodo existat?

Rejicitur sententia Arriagæ VIII. p. 3. d. 5. §. 2. n. 5
Concluditur accidentia Eucharistica subjectari in quantitate n. 6
An quantitas Eucharistica existat per modum positivum superadditum, nostra sententia de conservatione quantitatis extra subjectum n. 10

An & quomodo ex speciebus sacramentalibus generari possit aliqua substantia?

Ratio præsentis difficultatis VIII. p. 3. d. 5. §. 3. n. 12
Ostenditur ex speciebus Eucharisticis posse generari substantiam n. 14
An materia, dum generatur substantia ex speciebus, sit prævie dispositа? n. 16
Quomodo hæc generatio sit mutatio n. 17
An distinguatur realiter ab alteratione prævia n. 18
An in illa simul fiat corruptio substantialis n. 19
An corrumpatur quantitas n. 20

Quamdiu corpus & sanguis Christi maneant sub speciebus panis & vini!

Christum in S. Eucharistia permanere etiam extra usum, fide certum est VIII. p. 3. d. 5. §. 4. n. 26
Statuitur, quamdiu permaneat n. 27
An recedat corpus Christi, dum ad illud accedit indignus n. 28
An recedat, si species cadunt in cœnum &c. n. 29
An percipiat fructum Sacramenti, qui nihil specierum trajicit in stomachum n. 30
Resolvitur casus, in quo speciebus miscetur aliis liquor non consecratus? n. 31
Statuitur, quamdiu Christus maneat in stomacho sumentis n. 32
Corollaria de miraculosis apparitionibus in S. Eucharistia n. 33. & seqq.
Quid tunc agendum esset celebranti? n 37

Quinam possint suscipere SS. Eucharistiam?

Tres modi suscipiendi SS. Eucharistiam VIII. p. 3. d. 6. a. 1. n. 1
Hi soli homini viatori conveniunt n. 2
Solvitur duplex dubium n. 3
Declaratur prefius, quinam & quibus modis possint suscipere hoc Sacramentum n. 4
Quid de cathechumenis n. 5
quid de infantibus n. 6
quid de amentibus n. 7. & 8
qui de semifatuis n. 9
qui de surdis & mutis n. 10
quid de energumenis n. 11
quid de furiosis? n. 12
quid de epilepticis n. 13
quid de ebriis n 14
quid de pueris rationis usum adeptis? n 15

Communis sententia de necessaria dispositione animi?

Duplex effectus Sacramenti Eucharistiæ VIII. p. 3. d. 6. a. 2. n. 1
Ad obtinendum ejus effectum primarium non requiritur devotio actualis n. 2
Non est peccatum mortale communicare in culpa veniali n. 5
An sit peccatum veniale saltem? n. 6
Ut quis licitè communicet, debet habere probabilem certitudinem de statu gratiæ n. 7
Accedere cum conscientia noxæ mortalis quale peccatum? n. 8
An accedere in mortali & simul non jejunum sit duplex peccatum? n. 9

Quomodo se gerere debeat peccati mortalis sibi conscius, antequam sacramentum Eucharistiæ suscipiat?

Lutheri error VIII. p. 3. d. 6. a. 2. n. 10
Conscius peccati mortalis tenetur confiteri prius, quàm communicet n. 11
Et hinc non sufficit, fuisse prævie contritum n. 12
Quænam excuset necessitas à præcepto præmittendi confessionem? n. 13
An excuset consuetudo eo tempore communicandi? n. 14
Quid agendum jam accedenti, si recorderur peccati mortalis &c. n. 15
Quid Parocho, dum ex officio celebrare tenetur n. 16
Quid sacerdoti gravis culpæ reo, dum die festo non habet aliam missam, quam audiat! n. 17
Quid celebranti, si post consecrationem peccet mortaliter! n. 18
Quomodo excuset à memorato præcepto absentia confessarii? n. 19
Quanta ad hanc absentiam requiratur distantia? n. 20
Quid agendum habenti peccatum reservatum, à quo præsens confessarius nequit absolvere? n. 21
Infertur, solos sacerdotes obligari Præcepto trident quamprimùm confitendi n. 22

An Sacerdos denegare debeat SS. Eucharistiam peccatori petenti?

Quinam peccatores habendi sint publici VIII. p. 3. d. 6. a. 2. n. 23
Publico peccatori deneganda est S. Eucharistia n. 24
At non occulto, si publicè eam petat n. 25
Quid si peccator occultus hoc Sacramentum petat occultè? n. 28
Præsertim, quando minister ejus peccatum novit ex sola confessione sacramentali n. 29 & seqq.

De dispositione corporis ad S. Communionem requisita?

Ob nullam corporis immunditiam per se loquendo abstinendum est à S. Communione VIII. p. 3. d. 6. a. 2. n. 32
Quid de pollutione nocturna? n. 33
Statuitur, Communicantem debere esse Jejunum, idque jejunio naturali n. 34
Quinam excusentur à præcepto communicandi jejunè n. 40

Excommunicatio.

Quid & quotuplex sit?

Triplex communicatio fidelium IV. d. 2. a. 1. n. 1
Definitio ejus n. 2
Ejus divisio in majorem & minorem n. 3
Excommunicatio major est pœna Ecclesiastica omnium gravissima n. 4
Quàm cautè & tardè procedendum ad eam infligendam n. 5

Anathema non differt essentialiter ab excommunicatione majore n. 6
Excommunicatus alius toleratus, alius non toleratus n. 7

Ob quam causam incurratur & quas effectus habeat excommunicatio minor?

Cur hæc excommunicatio dicatur minor. n. 9
Ejus definitio & effectus n. 10
Grave peccatum est in minori excommunicatione absque justa causa sacramenta suscipere n. 11
Alius effectus indirectus minoris excommunicationis n. 12
Propter solam culpabilem communicationem cum excommunicato incurritur minor excommunicatio n. 13
Quinam possint absolvere ab excommunicatione minori n. 14

Qui sint effectus excommunicationis majoris?

Vide IV. d. 2. a. 1. n. 15. & seq. usque ad 45.

Ob quas causas incurratur excommunicatio major?

Tres classes excommunicationum IV. d. 2. a. 1. n. 46
Quinam Imæ classis, quinam secundæ, quinam tertiæ excommunicatione excommunicentur n. 47. 48. & 49
An & quomodo bulla cœnæ recepta sit in Germania? n. 50
Absolvens quempiam illegitimè ab excommunicatione bullæ cœnæ, & ipse excommunicatur n. 51
In privilegio absolvendi ab omnibus censuris non comprehenditur absolutio ab excommunicatione bullæ cœnæ n. 52
Quænam requirantur, ut excommunicationem incurrant scienter retinentes, legentes &c. libros hæreticorum &c. n. 53
Resolutiones practicæ de hac materia n. 54. & seq.

Quomodo intelligenda sit excommunicatio, quæ incurritur ob percussionem Clerici?

Recitatur cap. siquis suadente IV. d. 2. a. 1. n. 59
Quinam intelligantur per particulam *siquis* n. 60, & seqq.
Quinam intelligantur nomine Clerici, nomine monachi? à n 64. usque ad 70
Quid significent verba, manus violentas injecerit? n. 71. & seqq.
Quænam excusent ab ista excommunicatione n. 74. & seqq.
Percussio clerici alia levis, alia gravis, alia enormis n. 78
Quinam à præsenti excommunicatione possint absolvere? n. 79
Quid in dubio de qualitate percussionis? n. 8

F.

Fama.

Quando & quomodo fama sit restituenda? separantur certa ab incertis VII. d. 5. a. 4. n. 63
Ad quid teneatur, qui famam alterius læsit inculpabiliter n. 64
Obligatio ejus, qui est in mora culpabili restituendi famam n. 65
Item ejus, qui alteri crimen falsum scienter imposuit n. 66
Item ejus, qui de proximo crimen verum narravit n. 67
An injustus infamatur apud auditores etiam mediatos teneatur reparare famam læsam n. 68. & seqq.
An hic etiam teneatur ad damna realia? n. 70
An hæredes quoque detractoris ad restitutionem obligentur n. 71
Fama etiam mortuis est restituenda n. 72
Causæ à restitutione famæ excusantes n. 73

Famulus.

Quæ famulorum obligatio erga Dominos & econtra? V. d. 5. a. 3. n. 16
Dominus justè subtrahere potest mercedem famulo ægrotanti, quamdiu ægrotat n. 17

Fides.

Quid sit fides? V. d. 1. a. 1. n. 1
Necessitas alia medii, alia præcepti n. 2
Salus alia prima alia secunda n. 3
Fides habitualis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem n. 4
Fides verò actualis omnibus & solis adultis ratione utentibus n. 5
Fides necessaria est ad salutem tam primam quam secundam n. 6
Fides actualis est etiam necessaria necessitate Præcepti n. 7
Cur aliquando ad salutem non sit necessarius baptismus, aut Sacramentum pœnitentiæ in re semper autem ita necessaria sit fides actualis n. 8

Quænam necessariò credenda sint?

Fides actualis alia explicita, alia implicita V. d. 1. a. 1. n. 9.
Explicitè credere, Deum existere, & esse remuneratorem bonorum operum, est necessarium necessitate medii ad salutem n. 10. & 11
Non fuit ita necessarium ante legem gratiæ? n. 12
Uti nec post adventum Christi nondum satis divulgato evangelio, fides explicita in Christum & SS. Trinitatem n. 13
Eadem tamen fides explicita necessaria est facta necessitate medii post evangelium sufficienter divulgatum n. 14
Adultis necessitate præcepti necessarium est explicitè credere articulos symboli Apostolorum n. 17
Articulus de communione Sanctorum excipitur n. 18
Non sufficit credere in communi, quæ credit Ecclesia Catholica n. 19

Quorum mysteriorum scientia sit necessaria?

Articuli fidei sciri possunt quoad substantiam quoad modum, & quoad difficultates occurrentes V. d. 1. a. 1. n. 21
Omnes fideles adulti explicitè nôsse tenentur mysteria Symboli Apostolorum n. 22
Quinam hæc mysteria primo saltem, qui secundo qui tertio modo ex memoratis n. 21. scire teneantur n 23
Quænam ultra dicta mysteria scire teneantur explicitè n. 24. & 25
Qualis sit obligatio articulos symboli, præcepta Decalogi & Ecclesiæ & orationem dominicam discendi memoriter n. 26
Praxis agendi cum pœnitente ignorante, quæ scire tenetur n. 29

Quando & quoties eliciendus sit actus internus fidei?

Obligatio eliciendi actum fidei alia directa, alia indirecta, & per accidens V. d. 1. a. 1. n. 30
Obligatio per accidens toties urget, quoties actus fidei est necessarius ad impletionem alterius præcepti n. 31
Omittens actum fidei & contritionem, ad quam tenetur, non fit reus duplicis peccati n. 33
Omnes adulti obligantur directè ac per se elicere actum fidei, quamprimùm eis articuli credendi sufficienter fuerunt propositi n. 34
Quandonam mysteria fidei censeri debeant sufficienter proposita? n. 35
Probabilius est extra tempus in n. 34. designatum non urgere ampliùs obligationem directam eliciendi actum fidei n. 39
Pœnitens dum examinat conscientiam, non debet esse sollicitus de impletione Præcepti affirmativi fidei n. 40

Quando & quomodo obliget Præceptum fidem externè non negandi?

Negatio fidei alia directa, alia indirecta. Confessio fidei alia materialis, alia formalis V. d. 1. a. 1. n. 42
In nullo unquàm casu licitum est negare fidem n. 43
Quinam peccent contra præceptum non negandi fidem n. 44. & seqq.
Quinam non peccent contra idem præceptum n. 53. & seqq.

Quando

Quando & quomodo obliget Præceptum affirmativum fidem exteriùs confitendi?

Datur Præceptum divinum fidem exteriùs confitendi n. 59
Hoc præceptum per se, & non per accidens solùm obligat n. 60
Plurium præceptorum obligationes sæpè cadunt supra eandem materiam n. 61
Declaratur, quandonam fidelis teneatur fidem confiteri exteriùs n. 62
Etiam ex præcepto Ecclesiastico certæ personæ certis temporibus tenentur fidem externè confiteri n. 70
An violans istud præceptum peccet contra unam tantùm virtutem? n. 71

Formatio.

Quid formatio VII. d. 2. a. 2. n. 41
Quid de formatione seu specificatione n. 45

Fornicatio.

Triplex acceptio fornicationis V. d. 7. a. 2. n. 1
Ejus definitio n. 2
Est peccatum mortale n. 3. & 4
Non potest fieri licita per ullam dispensationem etiam Dei n. 5
Plures illationes ex dictis n. 6. & seq.
Expeditur quæstio, quid sit concubinatus n. 11

Furtum.

Definitio furti VII. d. 5. a. 5. n. 1
An furtum sit aliter uti re commodata, locata &c. quàm fuit conventum n. 2
An semper sit furtum accipere rem alienam invito Domino? n. 3
In extrema, non autem in gravi necessitate licitum est furari n. 4. & 5
Divisio furti n. 6
Rapina specie essentiali differt à furto n. 7

Quæ sit malitia & gravis materia furti?

Furtum ex genere suo est peccatum mortale n. 8
De quantitate ad mortale furtum sufficiente variæ sententiæ n. 9
Materia furti gravis alia absoluta, alia respectiva n. 10
Nostra circa utramque resolutio n. 11. & 12
Etiam per oblationem rei modicæ potest aliquando peccari mortaliter n. 13
Monitum ad confessarium furati modicum n. 14
Alia de modicum auferente corollaria n. 15. &c.
Quantitas materiæ ad mortale furtum sufficiens non rectè mensuratur juxta dignitatem, vel divitias ejus, cui aufertur.

Quomodo per minuta furta graviter peccetur?

Varii modi, quibus fieri solent minuta furta VII. d. 5. a 5. n. 18
Quid de furante eidem sæpiùs modicum animo furandi magnam quantitatem? n. 19
Quid de furante sæpiùs modicum absque illo animo? n. 20
An sufficiat ad evitandum peccatum mortale de tota summa id solum restituere, per quod in ultimo furto facta est notabilis n. 22
Quid de illo, qui successivè modica furatus pervenit ad materiam gravem? n. 23
Quid de furante modicum pluribus animô diteſcendi n. 24
Notantur quædam ad praxin utilia n. 26
Cui restituendum ob modica furta diversis facta? n. 27
Quid sentiendum si plures eidem furentur singuli modicum? n. 28. & seq.

Qualiter ex furtis Domesticorum obligatio restituendi oriatur?

Graviter peccant domestici peccato furti dum ex re domestica notabilem quantitatem auferunt. VII. d. 5. a. 5. n. 32
Quænam respectu illorum sit quantitas notabilis n. 33. & 34
Resolutiones de filio familias, Uxore, famulis & ancillis n. 35. & seqq.
Resolvitur quæstio an licita sit occulta compensatio? n. 38 & seq.
An Sartores licitè retineant segmenta remanentia? n. 41

H.

Hæresis.

Quid V. d. 1. a. 2. n. 16
Quid pertinacia hæresi essentialis n. 17
An hæretici tolerandi n. 27
An Ecclesia habeat jus puniendi hæreticos? n. 28
Hæretici propter susceptum baptismum subjecti sunt Ecclesiæ n. 29
Hæreticos vi compellere ad fidem Catholicam est licitum n. 30
Quomodo fiat, ut hæretici veritati Catholicæ sufficienter perspectæ dissentiant? n. 32

Homicidium.

An liceat aliquando occidere innocentem? directè nunquam V. d. 6. a. 1. n. 1
Aliquando indirectè licet n. 2
Quid agendum, si tyrannus civitati minetur excidium, nisi occidat innocentem illi invisum n. 3
Quid si petat virginem ad violandum n. 4
An liceat expugnare arcem hostium cum periculo innocentium? n. 5
Fœminæ prægnanti nunquam licet directè procurare abortum n. 6
An liceat indirectè, præsertim, si fœtus jam sit animatus n. 7
Quid de fœtu jam corrupto n. 8
Quando Proles incipiat animari anima rationali? n. 9

An liceat occidere ex titulo Defensionis?

Sententiæ quorundam communiter displicitæ V. d. 6. a. 2. n. 1
Pro defensione vitæ & membrorum licitum est privatâ authoritate occidere injustum aggressorem n. 2. & 3
Etiam pro defensione bonorum fortunæ & honoris n. 4. & 5
Servari tamen debet moderamen inculpatæ tutelæ n. 6
Etiam pro vita, cæterisque bonis proximi licitum est occidere injustum invasorem n. 9
Idem licitum est mulieri pro defensione vitæ n. 10
Item Clericis, & Religiosis pro rerum suarum defensione n. 11
Expeditur quæstio, an licitum esse possit duellum n. 12

Homicidium casuale.

Homicidium aliud voluntarium, aliud casuale. Et hoc posterius, vel simpliciter & omnino vel non omnino V. d. 6. a. 3 n. 1
Non omnino casuale fieri potest vel dando operam rei licitæ, vel illicitæ n. 2
Homicidium simpliciter casuale non est peccatum est autem peccatum mortale vel veniale homicidium non omnino casuale n. 3
Corollaria ex dictis n. 4. & seq.
Praxis in confessione tractandi injustum homicidam n. 8
Quid sit homicidium directe voluntarium? IV. d. 3. a. 2. n. 1

Honor.

Quid sit honor VII. d. 5. a. 4. n. 1
Pro honore injustè oblato satisfaciendum est n. 9
Afferuntur modi quibus id fieri debeat n. 10
An honor læsus sufficienter reparetur per familiarem conversationem cum inhonorato? n. 11
An petitio veniæ semper sufficiat pro satisfactione? n. 12
Quid si offensus irroget contumeliam reciprocam? n. 13

Index Alphabeticus Rerum notabilium in hoc opere contentarum.

Horæ Canonicæ.

Quid? & earum analysis V. d.2. a. 3. n.1
In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis & Regularibus, officium divinum publicè recitari debet n. 2
Publica recitatio divini officii peragi debet in templis n. 7
Si absque justa causa extra chorum, vel templum fiat, mortaliter peccatur n. 8
Quo tempore publicè recitandum sit officium n. 9
Quale peccatum sit præscriptum ordinem temporis invertere n. 10
An tardè veniens in chorum teneatur supplere quod jam recitatum est? n. 11
In recitatione publica omittere partem notabilem peccatum mortale est n. 12
Quænam in recitatione publica sit pars notabilis n.13
Expediuntur nonnullæ quæstiones huc pertinentes n. 14. & seq.

Quinam teneantur horas canonicas recitare privatim?

Omnes Clerici in sacris constituti tenentur recitare privatim horas Canonicas, si publicè non recitent V. d. 2. a. 3. n. 19
Hæc obligatio incumbit etiam Religiosis professis ad chorum deputatis, etiamsi non sint constituti in sacris ordinibus n. 25
Ejusmodi Religiosi toties peccant mortaliter, quoties omittunt horas Canonicas recitare privatim, quas non recitárunt in choro n. 33
Ad horas Canonicas similiter tenentur omnes beneficiati, etiam non initiati sacris ordinibus, si beneficium sponte susceperint, & ex illo fructus annuos percipiant n. 34
Quinam ex talibus beneficiatis excusantur à recitatione horarum n. 35 & seq.
An eodem die teneatur recitare pluries, qui habet plura beneficia n. 39
An teneatur recitare, qui habet beneficium tenue n 40
Quodnam beneficium censendum sit tenue n. 41
Quid de habente vicariam, seu substitutam n 42
Quid de habente capellaniam non sacram n. 43
Expediuntur duæ aliæ quæstiones n. 44. & 45

Quanta sit obligatio recitandi horas Canonicas?

Omittens totum officium Canonicum vel partem ejus notabilem peccat mortaliter n. 47
Omnes horas ejusdem diei omittere unum tantum peccatum est n 48. & 49
Qualiter omittens integrum breviarium accusare se teneatur in confessione n. 50
Interna voluntate toties quis peccat mortaliter, quoties omittere officium Canonicum vult totum vel partem notabilem quandam n. 51
Pars notabilis est probabiliùs integra hora parva, vel pars æquivalens horæ parvæ n. 52. & 53
Obligatus ad recitandum horas Canonicas ratione beneficii, & non recitans tenetur restituere fructum n. 54

Quænam excusent â recitatione horarum?

Infirmitas impediens attentionem in orando, excusat à recitatione horarum V. d. 2. a. 3. n. 62
Excusat etiam gravis occupatio. Qualis hoc esse debeat n. 67
Varii casus resolvuntur n. 68. & seq.
Excusat etiam præterea impotentia, sive intrinseca illa sit, sive extrinseca n. 72
Demum excusat dispensatio. quis possit dispensare n. 78
Non excusatur à recitatione breviarii degradatus IV. d. 2. a. 1. n. 21

Quale officium sit recitandum?

Ex jure antiquo recitandum officium juxta Breviarium in Diœcesi, vel ordine approbatum & receptum V. d. 2. a. 3. n. 80
Ex jure novo autem juxta Breviarium Romanum à Pio V. n. 81
Quale officium recitare debeat habens duo beneficia in distinctis Ecclesiis, ubi est diversus modus recizandi? n. 86
Non est licitum recitare unum officium particulare pro alio n. 87
Probabiliùs tamen non est peccatum mortale extra chorum, licèt fiat aliquoties n 89
Mortaliter autem peccaret, qui frequenter, vel constanter absque justa causa recitaret unum officium pro alio n. 92
Resolutiones practicæ n. 93. & seq.

Quomodo recitandum sit?

Præceptum Innocentii III. in cap. dolentes de celebratione Missarum V. d. 2. a. 3. n. 96
Officium recitandum est integrè n. 97
Recitandum est sine interruptione n. 102
An & quale peccatum sit interrumpere divinum officium n. 103
Recitandum est ordinatè n. 104
An sit peccatum mortale celebrare Missam ante recitatum matutinum n. 109
Recitandum est tempore, quod vel â jure, vel consuetudine præfixum est n. 110
Resolutiones casuum n. 111. & seq.
Quid de loco recitationis privatæ n. 114
Recitandum est denique cum debita intentione & attentione n. 115
Quomodo differat attentio, intentio & devotio n. 116
Attentio alia specialis, alia litteralis, alia spiritualis n. 117
Refertur sententia negantium hic esse necessariam attentionem internam n. 118
Asseritur affirmativa n. 119

I.

Jejunium Ecclesiasticum.

Quadruplex acceptio Jejunii VI. d. 1. a. 1. n. 1
Ad Jejunium Ecclesiasticum requiritur abstinentia à carnibus, & à duplici refectione & certum tempus refectionis n. 2
Quænam hîc veniant nomine carnium n 3
An præter carnes adhuc alii cibi sint prohibiti diebus Jejuniorum n. 4
Quid de lardo porcino, pinguedine anserum &c. n. 5
Quomodo intelligenda sit abstinentia plurium refectionum? n. 6
Qui per binam refectionem jam violavit Jejunium, non tenetur abstinere à tertia n 11
Qui manè sufficienter jentavit die Jejunii, etiam per inadvertentiam tenetur abstinere ab alia refectione n. 12
An sorbitio Cocholatæ frangat Jejunium n. 13
Licita est in diebus Jejuniorum collatio vespertina n. 14
Determinatur quantitas, & qualitas cibi in ea licitè sumenda n. 15 & seq.
An liceat aliquando collationem capere circa meridiem, refectionémque differre in vesperum n. 18
Hora determinata refectionis die Jejunii est undecima n. 19
Qualiter peccet, qui hanc refectionem notabiliter anticipat? n. 20
Quid de eo, qui anticipat non notabiliter n. 21

Obligatio jejunandi.

Omnes baptizati & usu rationis Præditi, atque completè septennes tenentur diebus præscriptis abstinere à carnibus VI. d. 1. a. 2. n. 2
Et â duplici refectione, quamprimùm egressi sunt annum ætatis 21. n. 3
Utraque obligatio est gravis, & sub mortali n. 6
An peccet contra præceptum Jejunii, qui post alteram refectionem sumit tertiam, quartam n. 7

Causæ excusantes â Jejunio.

Infirmitas excusat â Jejunio, sed qualis? VI. d. 1. a. 3. n. 1
Etiam senectus. hinc non tenentur ampliùs jejunare sexagenarii n. 2
Rejicitur sententia excusans fœminas quinquagenarias n. 3
Exercentes opera per se laboriosa excusantur à Jejunio n. 4
Non tamen exercentes opera per se non laboriosa n. 5

An excusentur Concionatores, Confessarii, Professores, Medici, Advocati? n. 6
An iter agentes? n. 7
Qualiter excusent opera misericordiæ, justitiæ, religionis, charitatis? n. 8
Excusantur omnes, qui carent alimentis ad unam justam refectionem sufficientibus n. 9
Afferuntur speciales causæ ab abstinentia carnium excusantes n. 10
Quinam dispensare possint in dubio, an adsit sufficiens causa non jejunandi? n. 11
Quid possit Episcopus circa dispensationem in Jejunio, ejusve translationem respectu totius populi n. 12
An infantibus & perpetuo amentibus licitè præbeantur carnes diebus Jejunii, item etiam ignorantibus invincibiliter & ebrius III. d. 2. a. 4. n. 12. & 13

Idololatria.

Unde dicta V. d. 2. a. 4. n. 6
Definitio ejus & actus ad eam concurrentes n. 7
An sit idololatrium in theatro invocare Jovem scenicum n. 8
Neque in cultu Sacræ Eucharistiæ, neque in cultu Sanctorum, aut sacrarum imaginum, & reliquiarum committitur idololatria n 11
Idololatria alia perfecta, alia imperfecta, alia simulata n. 12
Idololatria aliquando est, aliquando non est conjuncta cum infidelitate n. 13

Ignorantia.

Quid sit ignorantia puræ negationis, privationis, & puræ dispositionis I. d 2. a. 1. n. 1
Quid juris & facti n. 2
Quotuplex ignorantia facti n. 3
Quid vincibilis & invincibilis n. 4
Quomodo hæ duæ dignoscendæ n. 5
Statuitur invincibilis ignorantia facti, & juris positivi; tam divini, quàm humani I. d. 2. a. 1. n. 7. & 8
Utraque hæc ignorantia excusat à peccato n. 9

An detur invincibilis ignorantia Juris naturalis?

Triplex genus Præceptorum naturalium n. 10
Prima principia practica non possunt invincibiliter ignorari n. 11
Neque ad longum tempus præcepta naturalia ex illis deducibilia, si absolutè sumantur n 12
An & quomodo aliqui gentiles ignoraverint præcepta Decalogi n. 13. & 14
Hæc præcepta possunt invincibiliter ignorari si cum certis circumstantiis conjungantur n. 15
Adstruitur invincibilis ignorantia juris naturalis quoad conclusiones remotas & probatur ejus existentia ratione n. 16. & seq.
Ignorantia invincibilis juris naturalis excusat â peccato n. 26

Ignorantia vincibilis.

Quæ sit ignorantia affectata, crassa, notabilis, levis I. d. 2. a. 2. n. 1
An hæc excuset à peccato n. 2
Ignorantia primitùs vincibilis fieri potest invincibilis n. 3
Similiter impotentia implendi præceptum liberè contracta fieri potest inimputabilis n. 4
Inæqualitas peccatorum ex ignorantia n. 5

Ignorantia an & quando causet involuntarium.

Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter II. d. 1. a. 3. n 10
Consequens causat involuntarium secundum quid n. 11
Concomitans causat involuntarium negative n. 12
Idem actus diversa ratione potest esse voluntarius & involuntarius n. 13
Cur ignorantia concomitans non causet voluntarium saltem secundum quid n. 14
Ignorantia consequens minuit peccatum n. 15
Nisi sit affectata n. 16
Qualiter ignorantia excuset à pœna n. 17. & seq.

Impedimenta matrimonii.

Vide matrimonium.

Impotentia.

Alia physica, alia moralis, & reliqua &c. III. d. 3. a. 3. n. 1

Impudicitia.

Quænam intelligantur nomine impudicitiæ? V. d. 7. a. 2. n. 94
Oscula, tactus, amplexus, & aspectus secundum se sunt actiones indifferentes n. 95

Infamia.

Quid & quotuplex sit IV. d. 3. a. 2 n 46
Quibus modis tollatur infamia n. 48. & 49

Incestus.

Definitio ejus V. d. 7. a. 2. n 32
Casus, in quibus committitur incestus n. 33
Incestus est grave peccatum n 34
Corollaria practica n. 35. & seq.
Variæ sententiæ de differentia incestuum & graduum propinquitatis n. 37

Infidelitas.

Definitio infidelitatis V. d. 1. a. 2. n. 1
Non omne peccatum contra fidem est infidelitas n. 2
Errans contra fidem ex ignorantia culpabili, etiam crassa, non est infidelis n. 3
Infidelitas est formaliter peccatum commissionis n. 4
Deliberatè dubitare de aliquo articulo fidei est peccatum infidelitatis n 5
Quanta sit gravitas peccati infidelitatis n. 6
Cur fideles damnati gravius puniantur in inferno quàm infideles n. 7.
Species infidelitatis sunt Paganismus, Judaismus, & hæresis n. 8
Recensitæ species differunt essentialiter n. 10
Catholicus incidens in hæresin non potest deinde incidere in Judaismum, vel Paganismum formaliter n. 11
Ex speciebus infidelitatis hæresis intensivè, & Paganismus extensivè est pessima
In peccato infidelitatis non datur parvitas materiæ V. d. 1. a. 2. n. 31

Injustitia seu injuria.

Definitio ejus VII. d. 1. a. 1. n. 20
Voluntas cessiva juris alia efficax, alia inefficax n 21
Consentienti voluntate efficaci non fit injuria n. 22
Explicantur varii casus, in quibus volenti fieri videtur injuria n. 23
Volenti voluntate inefficaciter cessiva juris sæpè fit injuria n. 24

Interdictum.

Quid & quotuplex sit IV. d. 2. a. 3. n. 1. 2. & 3.
An interdicta civitate, interdicta sint etiam suburbia n. 4
Quænam intelligantur sub interdicto locali alicujus Ecclesiæ n. 5
Quid de celebratione officiorum in civitate interdicta? n. 6
An interdicta communitate omnes illius personæ censeantur interdictæ? n. 7
Quinam interdicti intelligantur interdicto populo n. 8

Interdicti effectus.

Interdictum non semper accipitur secundum omnes suos effectus n 9
Quænam prohibeantur per interdictum absolutè latum? n. 10
Tempore interdicti licitus est usus Sacramentorum baptismi, confirmationis, pœnitentiæ & Eucharistiæ. Notari tamen debet limitatio n. 11
Illicitus verò est usus extremæ Unctionis & collatio Sacramenti ordinis n. 12. & 13
Sacramentum matrimonii tum non est prohibitum n. 14

Quæ-

Quænam veniant nomine divinorum officiorum per interdictum prohibitorum? n. 15
An concio quoque tunc sit prohibita? n. 16
Quænam Clericis & Religiosis tempore interdicti concesserit Bonifacius VIII? n. 17
Ad quodnam extendatur privatio Ecclesiasticæ sepulturæ? n. 18

Quis ferre vel aufferre possit interdictum?

Qui jure ordinario possunt excommunicare, vel suspendere, etiam possunt ferre interdictum n. 1
Ob quam & quorum culpam feratur interdictum? n. 20
Quinam absolvere possint ab interdicto locali n. 21
Interdictum personale latum in communitatem hac dissoluta tollitur, non autem locale destructo loco n. 22
Quinam absolvere possint ab interdicto personali speciali n. 23
Quomodo tollatur interdictum latum pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione n. 24
Qualiter peccent violantes interdictum n. 25

Invasor injustus.

Vide homicidium.

Invidia.

Quid sit V. d. 1. a. 6. n. 27
Est ex genere suo peccatum mortale n. 28
Non omnis tristitia de bono alterius est invidia n. 29

Involuntarium.

Vide de hoc & ejus caulis II. d. 1. a. 2. n. 1. & seq.

Judaismus.

Quid sit V. d. 1. a. 2. n. 15
Judæi an inter Christianos tolerandi? n. 26

Judex.

Definitio & divisio Judicis V. d. 8. a. 2. n. 1
Inquisitio alia generalis, alia specialis, alia mixta n. 2
Inquisitio generalis est licita, sicut & mixta, qua citra determinationem personæ de delicto inquiritur n. 3
Ad inquisitionem specialem & mixtam, qua de persona determinata inquiritur, ut sit licita, antecedat infamia ejusdem personæ n. 4
Quid requiratur ad infamiam n. 5
Casus excepti, in quibus ad inquisitionem etiam specialem non requiritur, ut antecedat infamia personæ n. 6
Licitum est aliquando reum examinare per torturam n. 7
Ad torturam sufficit semiplena probatio, si crimen sit grave, & persona non excepta n. 8. & 9
Reus semel competenter tortus, & nihil confessus, non potest torqueri iterum n. 10
Similiter per testes legitimè convictus non potest subjici tormentis. dantur tamen casus excepti n. 11
Quid de Judice, qui reum non juramento adstringit ad dicendam veritatem n. 12
Item, qui confessionem criminis extorsit injustè n. 13
An Judex semper debeat judicare secundùm allegata & probata n. 14
Statuitur & probatur sententia affirmans in causis non solum civilibus sed etiam criminalibus n. 15. & seq.
Judex non tenetur abdicare officium, quamvis existimet, hoc modo reum liberandum, quem privatâ scientiâ scit esse innocentem n. 25
Etiam carnifex in executione sententiæ sequi debet allegata & probata, non obstante suâ privatâ notitiâ de rei innocentia n. 26
Declaratur quænam indies possint, vel non possint à litigantibus n. 27. & seq.
Judex, qui tulit sententiam injustam, tenetur eam revocare & parti læsæ damna compensare n. 33

Judicium temerarium.

Quid sit fama VII. d. 5. a. 4. n. 14
Dubitatio, suspicio, opinio, & firmum judicium quomodo differant n. 15
Malitia Judicii temerarii, opinionis, suspicionis, dubitationis de probitate alterius n. 16. & seq.
De proximo sinistrè sentire aliquando est licitum n. 19
Explicatur ala regula, dubia in meliorem partem interpretari oportet n. 20
Quomodo reparanda sit fama modis prædictis læsa? n. 21

Irregularitas.

Quid in præsenti significet irregularitas IV. d. 3. a. 1. n. 1
Definitio & ejus analysis n. 2
Nulla irregularitas incurritur extra casus in jure expressos? n. 3
Solus Papa, vel Concilium generale est causa efficiens irregularitatis n. 4
Etiam prima tonsura hic venit nomine ordinum n. 5
Propter actum merè internum nemo fieri potest irregularis n. 6
An beneficium Ecclesiasticum validè conferatur irregulari n. 7
An beneficia ante irregularitatem possessa auferantur eadem superveniente? n. 8
Divisiones irregularitatis n. 9. & seq.

Irregularitas ex homicidio injusto directè voluntario?

Quid sit homicidium directe voluntarium? IV. d. 3. a. 2. n. 1
Quinam præsentem speciem irregularitatis non incurrant n. 2. 3. & 4
An eandem incurrat procurans abortum n. 5
Item an homicidium exequentes, cooperantes physicè vel moraliter n. 6
Qui nam tollere possint hanc irregularitatem n. 7

Irregularitas ex injusta & voluntaria mutilatione.

Qualis hic intelligatur mutilatio n. 8
Quid veniat Nomine membri per mutilationem inscissi n. 9
An fiat irregularis, qui sibi ipsi membrum abscindit n. 10
Qui pedem, manum, linguam alterius abscindit irregularis efficitur n. 11
Non fit irregularis, qui alteri digitos, auriculas, nasum abscindit n. 12
Quid de illo, qui membrum alicujus reddit inutile n. 13
Item de illo, qui parato quempiam occidere consulit mutilationem n. 14
In præsenti irregularitate præter Papam dispensare potest etiam Episcopus n. 15

Irregularitas ex homicidio & mutilatione casuali.

Duplex homicidii casualis acceptio IV. d. 3. a. 2. n. 16
Eventus homicidii prævideri potest ex opere tam licito, quàm illicito n. 17
Ob homicidium omnino casuale non incurritur irregularitas, sed ob non omnino casuale n. 8
Exercens opus licitum, ex quo timet, ne sequatur homicidium non contrahit irregularitatem, si moralem diligentiam adhibeat, ne sequatur, licèt reipsa sequatur n. 19
Qui exercet opus prohibitum tanquam periculosum, redditur irregularis, si mors inde sequi soleat ut plurimùm, secùs si rarò sequatur, adhibeaturque sufficiens diligentia ne sequatur n. 23
Corollarium de Clerico, ex cujus pugna aut venatione mors alicujus sequitur n. 24
Dans operam rei aliunde prohibitæ, quàm quia periculosa, non fit irregularis, secuto homicidio n. 25
Quid de irregularitate, quæ incurritur ob excessum moderatæ tutelæ in justa sui defensione?

Irregularitas ex iteratione Baptismi, abusu ordinis, & violatione censuræ?

Tam culpabiliter rebaptizans, quàm repabtizatus incurrit regularitatem. IV. d. 3. a. 2. n. 27.
An ex iteratione confirmationis, aut ordinis similiter contrahatur irregularitas. 32.
Item, an contrahatur aliquando ob indignam susceptionem Baptismi. n. 33.
Furtive se ordinandis immiscens, dum ordinatur, fit irregularis, ut non possit ad ordinem altiorem promoveri. n. 34.
Irregularis fit etiam clericus, qui in ordine, quo caret, scienter & solemniter ministrat. n 35.
Ille præterea clericus fit irregularis, qui exercendo actum proprii ordinis violat censuram majoris excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti. r. 39.
Quis dispensare possit in irregularitatibus hoc expositis. n. 45.

Irregularitas ex infamia.

Quid & quotuplex infamia. n. 46.
Ob infamiam sive juris, sive facti illa sit, contrahitur irregularitas. n. 47.
Quibus modis tollatur infamia eique annexa irregularitas. n. 48. & 49.
Quid de dispensatione in irregularitate ob infamiam contracta. n. 50.

Irregularitas ex defectu corporis & animæ?

Statuitur regula cognoscendi, quandonam ex defectu, aut vitio corporis contrahatur irregularitas. IV. d. 3. a. 3. n. 1.
Ad defectus, quibus irregularitas inducitur, reducitur etiam defectus ætatis. n. 8.
Ob quos defectus animæ contrahatur. n. 9.
Quid de irregularitate Neophytarum. n. 10.
Quid de irregularitate, quam invehit paupertas. n. 11.

Irregularitas ex defectibus Sacramenti, natalium, & libertatis.

Quid & quotuplex sit bigamia. IV. d. 3. a. 3. n. 12.
Quinam sint illegitimi. n. 13.
Quinam patiantur defectum libertatis. n. 14.
Omnis bigamus est irregularis. n. 15.
Quid de dispensatione in irregularitate ex bigamia. n. 22.
Etiam omnes illegitimè nati sunt irregulares. n. 23.
Tales tamen ut sint, debent esse certi, quòd sint illegitimi. n. 24.
Quibus modis tollatur hæc irregularitas. n. 25.
Quid in eadem irregularitate auferenda possit Episcopus. n. 26.
Qui defectum libertatis patiuntur, ut in numero 14. notatum est, non possunt fieri clerici vel ordinati. n. 27.

Irregularitas in defectu lenitatis.

Ministri Ecclesiæ imitari debent mansuetudinem Christi. IV. d. 3. a. 3. n. 1.
Irregularitatem præsentem contrahunt, qui in bello justo suis manibus aliquem hostium occidunt vel mutilant. n. 2.
Eam tamen non contrahunt, qui ob necessariam defensionem injustum aggressorem ita tractant. n. 3.
Hanc eandem irregularitatem incurrunt, qui in judicio justo ad mortem vel mutilationem concurrunt. Qualis debeat esse hic concursus. n. 4.
Quænam personæ in judicio contrahant ipsam irregularitatem. n. 7. & seqq.
Quid de Confessario. n. 13.
Solus Papa in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare potest. n. 15.

Juramentum.

Unde dictum. V. d. 3. a. 1. n. 1.
Definitio ejus, cum sua analysi. n. 2.
Juramentum aliud verbale, aliud reale, aliud mixtum. n. 9.

An & quomodo jurare sit licitum?

robatur id esse licitum. n. 11.
Ad juramentum licitum acquiruntur tres conditiones, nempe veritas, justitia, & judicium. n. 13.
Qualiter in jurando peccetur ob defectum justitiæ. n. 14.
Qualiter ob defectum judicii. n. 15.
Juramentum assertorium, in quo deficit veritas, semper mortale est. n 16.
Mortale quoque est jurare, rem esse certam, de qua juratus dubitat, an ita se habeat. n. 17.
An aliquando liceat exigere juramentum ab eo, quem perjeraturum esse constat. n 18.
Quid de inducente quempiam ad jurandum de re falsa, quam inductus bona fide putat esse veram. n. 19.
Quomodo homines simplices aliquando excusentur à peccato perjurii. n. 20.

Juramentum fictum.

Tribus modis in juramento potest accidere fictio. V. d. 3. a. 2. n. 21.
Juramentum fictum aliud est cum, aliud sine dolo. n. 22.
Jurare sine animo jurandi nunquam est licitum. n. 23.
Jurare falsum sine animo jurandi non tantùm in materia gravi, sed etiam in materia levi peccatum mortale est. n. 24. & 25.
Jurare verum sine animo jurandi non est mortale, quantum est ex vi religionis n. 26. & 27.
In juramento promissorio non habere animum se obligandi non est semper mortale. n. 28.
Jurare cum intentione jurandi, seque obligandi, sed non servandi non est excusabile à mortali. n. 29. & 30.
Juramentum promissorium duas veritates includit, unam de præsenti, alteram de futuro. n. 31.
Juramentum fictum cum dolo parit obligationem servandi, quod juratum est. n. 32.

Juramentum amphibologicum.

Restrictio mentalis alia est purè, alia non purè mentalis. n. 34.
Sine justa causa nunquam est licitum uti amphibologiâ. n. 35.
Ex justa causa etiam in juramento licitum est uti restrictione non purè mentali. n. 36.
Quænam sit justa causa. n. 37.
Usus restrictionis purè mentalis semper est illicitus n. 38.
Quid hic liceat reo criminis capitalis, si juridicè interrogetur. n. 46.

Juramenti Promissorii obligatio.

Quænam circa præsentem obligationem observanda. n. 47.
Juramentum de opere moraliter, vel venialiter malo, aut indifferenti, quatenus indifferens est, nullam parit obligationem. n 48. & seqq.
Quid si tale opus illicitum, vel indifferens, mutatis circumstantiis, evadat honestum vel utile. n. 51.
Juramentum de opere honesto, minus tamen bono in Dei honorem præcisè editum non parit obligationem, quando oppositum est melius. n. 52.
Juramentum de opere honesto editum in utilitatem alterius hominis semper obligat. n. 53.
Quid si is, in cujus gratiam juratum fuit rem inique accepiet, vel juramentum ipsum injuriosè extorserit. n. 55.

Juramenti Promissorii conditiones tacitè subintellectæ.

Omne juramentum promissorium etiam absolutè factum implicitè involvit aliquas conditiones. V. d. 3. a. 2. n. 60.
Declarantur hæ conditiones. n. 61. & seqq.
Qualiter obliget juramentum de servando statuta alicujus collegii, universitatis, vel alterius communitatis. n. 67.
Quomodo obliget juramentum medicorum se obligantium ad monendum infirmos de confessione peccatorum. n. 68.
An consuetudo jurandi hominem constituat in statu peccati mortalis. n. 69.

Jurisdictio Confessarii.

Vide confessarius.

Juris divisio, & definitio.

Quid intelligatur nomine juris. VII. d. 2. a. 1. n. 1.
Divisio juris in jus in re, & in jus ad rem. n. 2.

Justitia.

Definitio & analysis ejusdem. VII. d. 1. a. 1. n. 1.

Quid sit habitus justitiæ n. 2
Refertur inter virtutes, & quidem speciales n. 3.
Qualiter versetur inter duo extrema vitiosa n. 4.
Est virtus ad alterum n. 5
Nemo potest actum justitiæ exercere erga se ipsum n. 6

Justitiæ objectum.

Variæ juris acceptiones VII. d. 1. a. 1. n. 7.
Definitio juris prout hic à nobis accipitur n. 8
Debitum aliud est morale, seu simplicis honestatis, aliud legale, seu rigorosum n. 9
Objectum formale justitiæ est justum specificè acceptum pro æqualitate inter debitum unius, & jus activum alterius n. 10
Motivum formale ejus est honestas memoratæ æqualitatis n. 11
Materiale proximum operatio, per quam ponitur æqualitas: remotum res æqualiter debita n. 12
Objectum, cui est ipsa persona, quatenus habens jus activum n. 13
Tres conditiones ad objectum justitiæ necessariæ n. 17
Quo sensu juxta Divum Thomam justitia medium rei, cæteræ virtutes medium rationis n. 18
Medium justitiæ est invariabile n. 19

Justitia quotuplex.

In republica triplex reperitur habitudo ad alterum VII. d. 1. a. 2. n. 1.
Divisio justitiæ in legalem, distributivam, & commutativam n. 2
Justitia distributiva semper exigit plures personas, quas inter se comparet n. 3. & 4
Justitia legalis est virtus specialis n. 5.
Reperitur etiam in Principe n. 6
Singulæ species justitiæ definiuntur n. 7
Discrimen inter justitiam distributivam & commutativam n. 8
Non datur justitia vindictiva, quæ sit quarta species formaliter diversa à recensitis n. 9

L.

Lex.

Definitio legis & analysis III. d. 1. a. 1. n. 3.
Conditiones seu proprietates legis n. 4
An peccet, qui non observat injustam, aut inutilem n. 5
Injusta est lex de tributo ab omnibus æqualiter pendendo n. 6
Religiosus ante externum præceptum non tenetur obedire prælato n. 7
Aliquæ leges in executione ita respiciunt bonum particulare, ut in intentione Principaliter referantur in bonum commune n. 8.

Lex quotuplex?

Divisio legis in divinam & humanam, & utriusque subdivisiones III. d. 1. a. 2. n. 1
Dividitur præterea in affirmativam & negativam. n. 2
Actus proprii legis sunt imperare, vetare, permittere, & punire n. 3
Quomodo lex differat à præcepto, privilegio, & consilio? n. 4

Legis promulgatio an sit de essentia?

Quid sit promulgatio III. d. 1. a. 3. n. 1
Duplex acceptio promulgationis n. 2
Statuitur promulgationem activè acceptam esse de essentia legis n. 3. & 4
Non est necessarium, ut lex promulgetur in scripto n. 6
Aliud est promulgari legem, aliud divulgari n. 7
Invalidè contrahit, qui contra legem, qua contractus irritatur, contrahit n. 8
An conscius legis de vilius vendendo proximè promulgandæ peccet vendendo carius? n. 9

Quanta debeat esse promulgatio legum?

Leges imperatoriæ promulgari debent in singulis provinciis III. d. 1. a. 4. n. 2
Non tamen leges civiles non imperatoriæ n. 3
Nisi alicubi constet de opposito vel ex jure, vel consuetudine n. 4
Quid de legibus municipalibus? n. 5
Leges imperatoriæ primum obligant post lapsum duorum mensium à promulgatione n. 6
Ut obligent leges Pontificiæ, sufficit promulgatio Romæ facta n. 10
Ex privilegio vel consuetudine ad leges Pontificias necessaria esse potest promulgatio in singulis diœcesibus n. 19
Lex Pontificia Romæ promulgata statim obligat omnes fideles n. 20
Nisi legislator quid aliud exprimat n. 21

An valor legis dependeat ab acceptatione populi.

Statuitur negativa tam de lege ecclesiastica quàm civili. III. d. 1, a. 5. n. 2
Limitatio nostræ sententiæ n. 5
Reservantur quædam in praxi utilia n. 6. & seqq.

An leges humanæ obligent in conscientia?

Probatur affirmans de lege tam civili quàm ecclesiastica III. d. 2. a. 1. n. 2
Declaratur ad quidnam in conscientia obligent leges humanæ n. 3. & 4
Differentia inter leges & simplices constitutiones n. 5
Quid de regulis sacrarum religionum ibid.
Quid de legibus tributorum & vectigalium n. 7. & 8

Quanta sit obligatio legis humanæ?

Unde dignosci debeant materia gravis & levis III. d. 2. a. 2. n. 1
Lex humana obligat sub peccato modò veniali, modò mortali n. 2
In materia levi non potest obligare graviter, potest tamen in materia gravi leviter, sive sub veniali n. 3
Transgressio humanæ legis in formali contemptu semper mortale est n. 4
Transgressio præcepti de re tam materialiter quàm formaliter levi nunquam peccatum mortale est n. 5
Aliud sentiendum si res levis fiat formaliter gravis n. 6
Unde colligi possit, legem aliquam obligare sub mortali n. 7

Circa quam materiam detur, vel dari possit oligatio legis humanæ?

Materia legis humanæ sunt actiones humanæ III. d. 2. a. 3. n. 1
Lex humana non potest absolutè præcipere omnes actus omnium virtutum n. 2. & 3
Sicuti nec prohibere omnia peccata n. 4
Etiam actus indifferentes possunt esse materia legis n. 5
Peculiaris difficultas de actibus internis n. 6
Actus humani purè interni neque lege civili, neque ecclesiastica directè præcipi, vel prohiberi possunt n. 7. & seqq.
Actus interni per se connexi cum externis, vel ad moralem eorum substantiam necessarii lege humana indirectè præcipi vel prohiberi possunt n. 10
Actus internus per accidens tantùm conjunctus externo non est materia legis humanæ n. 27

An Legislator teneatur suis legibus?

Legislator alius absolutus, alius non absolutus. III. d. 2. a. 3. n. 1.
Materia quarundam Legum communis est Principi & subditis. n. 2.
Quid vis directiva legis, quid coactiva? n. 3.
Legislator indirectè obligatur suis legibus. n. 4.
Quo sensu Princeps in jure dicatur solutus esse legibus. n. 5.
Princeps legem suam in gravi materia transgrediens peccat mortaliter. n. 6.
Peccat etiam contra eandem virtutem, contra quam peccant subditi? n. 7.
An Princeps teneatur legibus municipalibus Provinciarum subjectarum? n. 8.

An & quomodo pueri, amentes & ebrii?

Ex duplici capite fieri potest, ut quis non peccet contra legem. n. 9.
Infantes & pueri ante usum rationis non obligantur humanis

nis legibus. n. 10.
Infantes & perpetuò amentes non possunt puniri propriè. n. 11.
An infantibus & perpetuò amentibus licitè præbeantur carnes diebus jejunii. n. 12.
Item, an ebriis, aut invincibiliter ignorantibus? n. 13
Pueri rationis usum adepti obligantur humanis legibus quoad culpam. n. 14.
An obligentur etiam quoad pœnam? n. 15.
Quid in dubio, an puer habeat sufficientem usum rationis? n. 16.

An subditi extra proprium territorium existentes obligentur legibus illius?

Præsentia in territorio proprio alia physica, alia moralis est. n. 17.
Subditus tam physicè, quàm moraliter absens non obligatur legibus sui territorii n. 18.
Resolvuntur multi casus. n. 19. & seqq.

Quomodo legibus peregrini, advenæ, vagi?

Qui animo vel perpetuò vel ad longum tempus inhabitandi venit in alienum territorium tenetur ejus legibus. n. 31.
Advenæ & peregrini, qui non animo inhabitandi versantur in alieno territorio, non obligantur legibus illius propriis. n. 33.
Vagi obligantur legibus locorum, in quibus reperiuntur. n. 38.

An & quomodo legibus civilibus obligentur Clerici & Regulares?

Exponitur status quæstionis III. d. 2. a. 4. n. 39.
Clerici legibus civilibus non obligantur directè, obligantur tamen eisdem indirectè secundùm vim directivam. n. 40. & 41.
Clerici legibus civilibus quoad vim coactivam nullo modo obligantur. n. 43.
An clericus in materia gravi transgrediens legem civilem peccet mortaliter? n. 48
Clerici non possunt puniri à magistratu civili, etsi violent legem civilem? n 45.
Clerici non comprehenduntur legibus civilibus, quæ in pœnam alicujus criminis reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum &c. n. 46.

Qua intentione implendæ sint leges?

Alia est intentio faciendi rem præceptam, alia satisfaciendi præcepto. III. d. 3. a. 1. n. 1.
Ad satisfaciendum obligationi legis necessaria est intentio faciendi opus præceptum. n. 2.
An dormiens, vel ebrius. n. 3.
An metu impulsus. n. 4.
An vi coactus exequendo opus præceptum satisfaciat obligationi? n 5.
Quid de eo, qui Breviarium recitat addiscendi solùm vel legendi causâ. n. 6.
An requiratur aliqua intentio ad satisfaciendum præceptis negativis? n. 7.

An necessaria sit intentio implendi legem?

Voluntas facientis opus præceptum potest erga impletionem legis negativè se habere, vel eandem positivè nolle. III. d. 3 a. 1 n. 8.
Negativè se habens ad impletionem obligationis dum præstat opus præceptum, satisfacit legi? n. 9.
Leges & præcepta obligant ad obedientiam materialem tantùm. n. 10.
Ignorans esse diem festum, dum audit missam die festo, satisfacit Præcepto. n. 11.
Etiam ille satisfacit obligationi legis, qui opus præceptum exequitur cum expressa voluntate non satisfaciendi. n. 13.

Quibus actibus implendæ sint leges?

Per actum etiam moraliter malum obligatio legis impleri potest. III. d. 3. a. 2. n. 1.
Qui jejunat, audit missam &c. ob vanam gloriam &c. satisfacit obligationi legis aut præcepti. n. 2. 3. & 4.
Possunt per unicum actum impleri plures obligationes. n. 5.
Quæ doctrina declaratur exemplis n. 6. & 7.
Eadem tamen non præcedit in materia justitiæ. n. 8.
Quid de eo, qui eleemosinam ex voto debitam dat extremè indigenti? n. 9.
Eodem tempore per diversos actus possunt impleri plura præcepta. n. 10.

An & quomodo excuset impotentia?

Impotentia alia est physica, alia moralis. III. d. 3. a. 3. n. 1.
Quid sit res individua, quid dividua? n. 2.
In materia præcepti quædam se habent accidentaliter. n. 3.
Impotentia non tantum physica, sed etiam moralis excusat à transgressione legis. n. 4.
Teneris servare principale, si non possis accidentale rei præceptæ. n. 5.
Quid de impotentia servandi præceptum circa rem indivíduam. n. 6. & 7.
Quid itidem circa rem dividuam? n. 8.
Quo sensu accipiendum sit illud: major pars trahit ad se minorem. n. 12.

An & quomodo excuset dispensatio?

Vide verbum dispensatio. III. d. 3. a. 4. n. 1. & seq.

Liberum.

Triplex acceptio liberi. II. d. 1. a. 2. n. 21.

Libertas.

Alia exercitii, alia specificationis. ibidem.

Liberorum obligatio erga Parentes.

Genera officiorum pietatis erga Parentes. V. d. 5. a. 1. n. 1.
Liberi tenentur amare parentes. n. 2.
In quibus casibus contra allatam obligationem liberi graviter peccent? n. 3. & seq.
An filius ad sublevandam egestatem parentum teneatur non ingredi religionem, vel egredi jam ingressus. n. 7
Obligationes filii ob dictam causam egressi, post professionem. n. 8.
An filius teneatur ex propriis solvere debita Patris, si nulla ipsi bona reliquit. n. 9.
Liberi tenentur revereri Parentes. n. 10.
Casus, in quibus liberi graviter peccent contra jam dictam obligationem. n. 11. & seqq.
Liberi tenentur parentibus obedire in omnibus, in quibus sunt illis subditi, & quamdiu sunt. n. 15.

Ludus.

Ludus per se loquendo est contractus licitus. VII. d. 6. a. 5. n. 1.
Jure positivo aliqui ludi sunt prohibiti. n. 2.
Statuuntur conditiones ad justum ludum requisitæ n. 3.
Resolvuntur nonnullæ quæstiones n. 4. & seqq.

M.

Magia.

Quid sit? V. d. 2. a. 4. n. 62.
Definitio magiæ superstitiosæ n. 63.
Est ex genere suo peccatum mortale n. 64.
Crimina alia magiæ socia n. 65.
Quæ magi possint circa elementa n. 66.
Quæ circa hominum corpora n. 67.
Quæ circa animas hominum n. 68.
Opera magorum non sunt miracula n. 69.
Sagæ physicè & realiter à dæmone transferri de loco in locum possunt n. 70.
An re ipsa sic transferantur n. 71.

Magister.

Explicatur obligatio magistrorum ac præceptorum erga discipulos, &c. V. d. 5. a. 3. n. 18.

Maleficium.

Quid? V. d. 2. a. 4. n 72.
Ejus præcipuæ ſpecies ſunt philtrum, & veneficium n. 73.
Aſſignantur remedia contra effectus maleficii n. 74.
An & quando liceat uti operâ maleficii ad ſolvendum maleficium n. 75. & ſeq.
An liceat deſtruere ſigna, quibus poſitis fiunt maleficia n. 80.
Item an liceat ad diſſolvendum pactum diabolicum ponere ſigna contraria n. 81.
Unde colligi poſſit, aliquam perſonam eſſe maleficam n. 82.
De quibus maleficium confeſſarius examinare debeat n. 83.
Quid agendum maleficio de pecunia, quam à Dæmone accepit n. 84.

Maritus.

Ad quid teneatur? V. d. 5. a. 3. n. 12.
In quibus caſibus graviter peccet contra ſuam obligationem n. 13.

Matrimonium

An ſit per ſe res bona & licita?

Probatur matrimonium per ſe eſſe bonum, ac licitum VIII. p. 7. d. 2. a. 1. n. 2.
Matrimonium per accidens poteſt eſſe malum ratione mali finis extrinſeci n. 7.

In quo conſiſtat matrimonium, & quomodo dividatur?

Ad matrimonium ſeptem pertinent conſideratione digna VIII. d. 2. a. n. 1.
Matrimonium accipi poteſt vel in fieri, vel in facto eſſe n. 2.
In fieri acceptum conſiſtit mutuo conſenſu contrahentium n. 3.
In facto eſſe conſtituitur per vinculum conjugale n. 4.
Dividitur in legitimum, in ratum, & in conſummatum n. 8.
Qualis copula ſufficiat ad conſummationem matrimonii n. 9.
Quid de copula violenta? n. 10.

Matrimonialis conſenſus.

Sine mutuo conſenſu non poteſt dari matrimonium VIII. p. 7. d. 2. a. 3. n. 1.
Non ſufficit ad illud ſolus conſenſus internus n. 2.
Muti poſſunt contrahere matrimonium n. 3.
Eorum matrimonium eſt etiam Sacramentum n. 4.
Loqui valentes validè, & licitè contrahunt matrimonium per ſigna omiſſis verbis n. 5. & 6.
Statuitur, quænam verba ſufficiant ad contractum matrimonii n. 7.
Quid de verbis ambiguis? n. 8.
Quid de ſignis ſufficientibus? n. 9.
Ad valorem matrimonii requiritur ſimultas moralis conſenſuum n. 10.
Quantum temporis inter unum & alium conſenſum poſſit intercedere n. 11.
Conſenſus debet eſſe abſolutus n. 12.
Aliorum conſenſus, etiam Parentum non requiritur ad valorem matrimonii n. 13.

Conditiones conſenſui matrimoniali adjectæ.

Parochi non debent permittere, ut adjiciantur conditiones conſenſui matrimoniali VIII. d. 2. a. 3. n. 16.
Variæ diviſiones conditionum P. 7. n. 17.
An conditio impoſſibilis obſtet valori conſenſus n. 18.
An turpis? an iſta, ſi te invenero Virginem? n. 19. & 20.
Quid de conditione, quæ eſt de præſenti n. 21. & 22.
Quid de conditione, quæ eſt de futuro neceſſario? n. 23.
Quid de illa: ſi Antichriſtus veniet & ſimilibus? n. 24.
Quid de conditione, quæ eſt de futuro contingenti? n. 25.
Quid ſentiendum, ſi quis cum duabus contraxit ſub ejusmodi conditione? n. 26.
Impleta conditione de futuro matrimonium valet ſine novo conſenſu n. 27. 28. & 29.
An dum impletur conditio adjecta contractui matrimonii, requiratur præſentia Parochi, & teſtium? n. 30.
Conditiones ſubſtantiæ matrimonii contrariæ irritum reddunt contractum, ſive inhoneſtæ ſint, ſive honeſtæ n. 31. & 32.
Statuitur materia conſenſus matrimonialis n. 33. &c.

An inter Beatiſſ. Virg. & S. Joſephum fuerit verum matrimonium?

Quinam negaverint veritatem hujus matrimonii. VIII. p. 7. d. 2. a. 3. n. 36.
Statuitur & probatur ſententia affirmans n. 39. & ſeq.
Cur votum caſtitatis, quando in pactum matrimoniale deducitur, ſit contra ſubſtantiam matrimonii n. 48.

Matrimonii materia, forma, & miniſter.

Matrimonium eſt verum, & proprie dictum Sacramentum VIII. p. 7. d. 2. a. 4. n. 1.
Quandonam à Chriſto fuerit inſtitutum. n. 2.
Materia proxima hujus Sacramenti eſt mutua traditio corporum, forma eorum acceptatio n. 3.
Materia remota ſunt corpora tradita, & acceptata. n. 4.
Miniſter ſunt ipſi contrahentes n. 5.
Sacerdos in peccato mortali aſſiſtens matrimonio, vel nuptias benedicens, non peccat mortaliter n. 6.
Peccant tamen ita conjuges, ſi in tali ſtatu contrahant n. 7.
Matrimonium infidelium non eſt Sacramentum n. 8.
Definitio hujus Sacramenti n. 9.
Solum matrimonium in fieri eſt Sacramentum. n. 10.
Reſolvuntur variæ quæſtiones huc pertinentes à n. 12. usque ad 24.

Matrimonii Solemnitates.

Triplex Solemnitas matrimonii VIII. p. 7. d. 2. a. 5. n. 1.
Sola aſſiſtentia Parochi, & teſtium eſt ſolemnitas ſubſtantialis n. 2.
Matrimonium prætermiſſis denuntiationibus celebratum non eſt invalidum n. 3.
Matrimonia infidelium ſunt valida, & licita ſine ſolemnitatibus Eccleſiæ n. 4.
Validum, ſed non licitum eſt matrimonium clandeſtinum in locis, in quibus Concilium Trid. non fuit promulgatum n. 5.
Ad valorem matrimonii æquè neceſſaria eſt præſentia teſtium, ac præſentia Parochi n. 6.
Reſolvuntur variæ quæſtiones de præſentia Parochi, & teſtium à n. 7. usque ad 29.

De denuntiationibus, & benedictione Nuptiarum.

Denuntiationes non ſunt de valore matrimonii VIII. p. 7. d. 2. a. 5. n. 30.
Parochus matrimonium denuntiare poteſt per alium n. 31.
In quibus Parochiis fieri debeant denuntiationes? n. 32.
Quid intelligat Trident. per dies continuos? n. 33.
An denuntiationes ſemper faciendæ ſint in Eccleſia, & die feſto? n. 34.
Denuntiationes ante contractionem matrimonii omiſſæ fieri adhuc debent ante ejus conſummationem n. 35.
Epiſcopus diſpenſare poteſt in denuntiationibus; at non Parochus n. 36.
Ob quas cauſas diſpenſari poſſit? n. 37.
An conſcii alicujus impedimenti teneantur id manifeſtare? n. 38.
Quid obſervandum de benedictione nuptiarum? n. 39.

Matrimonii unitas.

Quid monogamia, poligamia, ligamia VIII. p. 7. d. 2. a. 6. n. 1.
Licita eſt bigamia, non tamen polygamia, ſive maſculina, ſive fœminina n. 2. 3. & 4.
In lege veteri polygamia fuit licita ex divina diſpenſatione n. 5.
In nova lege penitus ceſſavit ea diſpenſatio n. 6.
Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in polygamia. n. 7.
An Deus diſpenſare poſſit in polygamia maſculina n. 8.
Cur Eccleſia benedici prohibuerit ſecundas nuptias? n. 9.

Matrimonii Indiſſolubilitas.

Statuitur & probatur, matrimonium eſſe indiſſolubile jure divino, & naturali n. 11. & 12.
Matrimonium quoad vinculum non poteſt diſſolvi propter adulterium n. 16

Chriſtus

Christus Matth. 19. de sola separatione quoad thorum fuit locutus n. 17.
Summus Pontifex non potest dispensare in matrimonio consummato, sive fidelium, sive infidelium n. 18. & 19.
Potest tamen dispensare in matrimonio rato fidelium n. 20.
Pontifex nec licitè, nec validè dispensare potest in matrimonio rato; sine justa causa n. 24.
Recensentur justæ causæ dispensandi? n. 25.

Divortium.

Exponitur status quæstionis VIII. p. 7. d. 2. a. 6. n. 26.
Conjuges per mutuum consensum possunt facere divortium, quot modis id facere possint? n. 27.
Adulterium est sufficiens causa divortii n. 28.
Quænam peccata luxuriæ hic intelligantur, vel non intelligantur nomine adulterii n. 29. & seq.
In causa divortii pares sunt maritus, & uxor n. 32.
Ob quas alias causas fieri possit divortium n. 34.

Matrimonii impedimenta impedientia tantùm.

In Ecclesia datur potestas statuendi impedimenta matrimonii VIII. p. 7. d. 3. a. 1. n. 1.
Enumerantur impedimenta impedientia 2. & seq.
Specialiter advertenda circa votum n. 8. & 9.

Matrimonii impedimenta dirimentia impedimentum erroris, & conditionis servilis.

In contractu matrimonii triplex error potest accidere VIII. p. 7. d. 3. a. 2. n. 1.
Quot modis accipiatur servitus? n. 2.
Quid error antecedens, quid concomitans &c. n. 3.
Quando error accidit circa substantiam personæ, matrimonium est invalidum n. 4.
Etiam matrimonium contractum ex errore circa conditionem servilem est invalidum n. 8.
Qui scienter contrahit matrimonium cum persona servili, validè contrahit n. 9.
Valet matrimonium cum servo adscriptitio, vel originario initum, licèt error circa hanc conditionem interveniat n. 10.
Error circa qualitatem personæ non dirimit matrimonium n. 11.
Excipiuntur tamen tres casus n. 12. 13. & 14.
Cur Ecclesia matrimonium ex errore circa qualitatem contractum non irritet? ibid.

Impedimentum voti, & ordinis.

Votum castitatis aliud simplex, aliud solemne n. 16.
Votum simplex non dirimit matrimonium n. 17.
Votum solemnè in Religione emissum dirimit matrimonium, etiam contractum n. 20.
Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non verò contractum n. 24.
Debet tamen, ut hoc præstet, esse susceptus in sufficiente ætate n. 25.
Quid, si fuerit susceptus ante pubertatem n. 26.
Debet insuper esse susceptus citra vim, aut gravem metum. n. 27.
Ordines minores non dirimunt matrimonium n. 28.

Impedimentum cognationis.

Quid sit cognatio, & quotuplex n. 29.
Quid sint lineæ, quid gradus consanguinitatis? n. 30.
Triplex regula dignoscendi distantiam graduum n. 31.
Matrimonium intra quartum gradum consanguinitatis invalidum est jure ecclesiastico n. 33.
Jure naturæ invalidum est in linea recta in primo tantum gradu n. 34.
In linea transversa etiam in primo gradu non est irritum jure naturæ n. 35.
Exponuntur impedimenta cognationum spiritualis & legalis.

Impedimenta affinitatis, publicæ honestatis & ligaminis.

Definitio affinitatis cum sua analysi n. 39.
Ex quali copula contrahatur affinitas n. 40.
Ad quotum usque gradum affinitas dirimat matrimonium? n. 42.
Regula cognoscendi affinitatem & gradus ejusdem n. 43.
Affinitas in nullo gradu dirimit matrimonium jure naturæ n. 44.
Quid sit impedimentum publicæ honestatis? & ad quotum gradum se extendat? n. 46.
An oriatur ex matrimonio rato, ex certa causa invalido? n. 47.
An remaneat post sponsalia mutuo consensu dissoluta? n. 48.
Quid sit ligamen, & quo jure dirimat matrimonium? n. 49.

Impedimentum criminis.

Præsens impedimentum comprehendit crimen homicidii, & adulterii. n. 53.
Conditiones, quibus positis interfectio conjugis dirimit matrimonium n. 54. 55. & 56.
An matrimonium dirimatur ob interfectionem conjugis non conjunctam cum adulterio? n. 57.
Assignantur conditiones, quibus positis adulterium dirimit matrimonium n. 58. & seqq.
Adulterium adulteros non reddit simpliciter inhabiles ad quodvis matrimonium n. 65.
An promissio matrimonii post mortem conjugis ineundi non solùm sit illicita, sed etiam invalida?

Impedimentum impotentiæ.

Quænam & quotuplex impotentia hic consideranda? n. 67.
Peculiariter notanda de impotentia perpetua n. 68.
Impotentia perpetua antecedens & absoluta dirimit consequens matrimonium n. 69.
Non tamen dirimit impotentia temporalis n. 70.
Sterilitas n. 71.
Aut impotentia supervenions n. 72.
Etiam impotentia respectiva, perpetua, & antecedens dirimit matrimonium n. 78. & 79.
Quid agendum conjugibus certis de impotentia antecedente & perpetua? n. 80.
Quid in dubio, sitne impotentia perpetua, vel temporalis? n. 81.
Quid in casu erroris commissi in separatione conjugum propter impotentiam? n. 82.
An constitutus in articulo mortis possit contrahere matrimonium? n. 83.

Reliqua impedimenta dirimentia.

Quid intelligatur per disparitatem cultûs? n. 84.
Inter hominem baptizatum, & non baptizatum non valet matrimonium: valet autem inter Catholicum & hæreticum n. 85.
In quibus casibus matrimonium inter Catholicum & Hæreticum sit etiam licitum n. 86.

Resolvuntur quæstiones ad prædicta pertinentes.

A quo, & in quibus impedimentis matrimonii dispensari possit? VIII. p. 7. d. 3. a. 3. n. 1.
An & quando ad revalidandum matrimonium requiratur præsentia Parochi, & testium? n. 2.
Ut matrimonium ex defectu interni consensûs irritum revalidetur, sufficit suppletio ejus consensûs n. 3.
An Parochus teneantur admonere pœnitentem, quem scit matrimonium contraxisse cum impedimento dirimente? n. 4.
Quid si videat, eum contracturum ex ignorantia invincibili talis alicujus impedimenti? n. 5.

Matrimonii debitum an licitus usus?

Declaratur obligatio reddendi debitum conjugale VIII. p. 7. d. 4. a. 1. n. 1.
Conjux ex justitia tenetur non se reddere impotentem ad usum conjugii n. 2. & 3.
Conjux non potest dici abesse à conjuge sine ejus licentia n. 4.
Neuter conjugum tenetur petere debitum regulariter loquendo n. 5.
Conjuges obligantur ad opus conjugii rectè peragendum quoad substantiam, & quoad modum n. 6.
An liceat petere debitum tempore fluxûs menstrui? n. 7. & 8.
An ab uxore gravida? n. 9.
An à lactante infantem n. 10.

Matrimonii usus non licitus.

Adulterium auffert conjugi adultero jus petendi debitum VIII. p. 7. d. 4. a. 2. n.

Quod idem præstat incestus cum consanguinea conjugis n. 2.
Conjugi innocenti licitum est debitum petere ab incestuoso n. 6.
Per cognationem spiritualem non adimitur jus petendi debitum n. 7.
Obstrictus voto castitatis tenetur non petere debitum. n. 8.
Declaratur, quid hic agendum conjugibus in dubio de valore matrimonii n. 9.
Conjux certus de nullitate matrimonii non potest reddere debitum in ullo casu n. 10.

Matrimonii usus non debitus.

Enumerantur causæ excusantes à redditione debiti VIII. p. 7. d. 4. a. 3. n. 1.
An, quoties est illicitum petere, etiam sit illicitum reddere debitum? n. 2.
Uxor marito voto castitatis obstricto licitè reddit debitum, at non petenti in loco sacro n. 3.
Conjux aliquando tenetur debitum reddere, licèt alter petendo peccet mortaliter n. 4.

Martyrium.

Vide apud verbum Baptismus.

Missa

An sit obligatio audiendi die Festo?

Datur tale præceptum V. d. 4. a. 1. n. 2.
Hoc præcepto obligantur sub mortali omnes fideles ratione præditi n. 14.

Quænam excusent ab auditione Missæ?

Impotentia, & quodvis motivum rationabile n. 20.
Ex alterutro horum capitum excusantur excommunicati, vel interdicti n. 21.
Non habentes facultatem audiendi, nisi à Sacerdote notariè excommunicato, vel notorio concubinario n. 22.
Ægroti, carcere detenti n. 23.
Custodientes castra, urbem, pregem &c. n. 24.
Victores, procul dissiti à loco Sacrificii n. 25. & 26.
Et hanc obligationem audiendi Missam vide pariter VIII. p. 4. d. 10. a. 1. n. 1.
Et etiam causas excusantes ibidem.

Obligatio vacandi ab operibus servilibus, & aliis quibusdam.

Quænam opera servilia, quæ liberalia, quæ naturalia V. d. 4 a. 2. n. 1.
Omnes fideles tenentur sub mortali per totum diem Festum vacare ab operibus servilibus n. 2.
Aliqua tamen ejusmodi opera tunc licita sunt ipso jure & consuetudine n. 3.
Prohibetur etiam jure Ecclesiastico, mercatus, placitum, & juramentum in diebus festivis n. 10.
De mercatu attendi debet mos & usus Patriæ n. 11.
Quid nomine placiti intelligatur n. 12.
Quodnam juramentum prohibitum sit die Festo n. 13.

Causæ, ob quas licita sunt opera servilia in diebus Festis.

Excusat necessitas tum privata, tum publica, tum proximi, sicut & pietas in eum n. 14. & seqq.
Excusat etiam pietas in DEUM sive cultus divinus n. 17.
Item consuetudo n. 18.
Quando causa excusans est dubia, peti debet à superiore licentia faciendi opus servile die festo n. 19.

De nomine Missa.

Nomen missæ displicet Hæreticis VIII. p. 4. d. 1. a. 3. n. 1.
Lutherani illud derivant ab Hebraico Maozim n. 2.
Quidam Catholici ab Hebraico Mizah n. 3.
Missa probabilius est vox latina n. 4.
Aliqui derivant à verbo mitto n. 5.
Alii à dimittendo populum n. 6.
Et plura in eodem articulo &c.

Quid nomine Sacrificii Missæ intelligant Hæretici.

Hæretici nomine Sacrificii intelligunt quodvis opus bonum VIII. p. 4 d. 1. a. 1. n. 1.
Communi tamen generis humani judicio sacrificium propriè est aliquid distinctum ab aliis bonis operibus n. 2.

Sacrifi ii Missæ definitio.

Sacrificium est actus externus Religionis VIII. p. 4. d. 1. a. 2. n. 1.
Ejus definitio n. 2.
Sacrificium debet esse actio rei oblatæ transmutativa n. 3.
An sacrificium falso Deo oblatum sit propriè sacrificium n. 7.

Ostenditur Missam esse verum & proprium sacrificium.

Quàm execrabilis sit Hæreticis Missa nostra VIII. p. 4. d. 1. a 4. n. 1.
Missa est Sacrificium verè & propriè n. 2.
Et probatur vario modo à n. 3. usque 12.
Et respondetur ad argumenta Hæreticorum VIII. p. 4. d. 1. a. 5. n. 1. & seqq.
Ad quid necessarium Sacrificium Missæ n. 6. 7. & 8.

An Missæ Sacrificium sit propotiatorium & impetratorium.

Statuitur tripliciter esse propitiatorium VIII. p. 4. d. 1. a. 6. n. 2. & seqq.
In lege antiqua non dabantur sacrificia propitiatoria sine effusione sanguinis n. 6.
Discrimen inter sacrificium Crucis Christi, & mosaicum n. 7.
Probatur esse etiam impetratorium n. 8.

Missæ Sacrificii essentia.

Recensentur potissimæ actiones Missæ VIII. p. 4. d. 2 a. 1. n. 1.
Essentia sacrificii Missæ non consistit in oblatione verbali post consecrationem n. 2.
Nec etiam consistit in fractione n. 4.
Nec in distributione n. 5.
Refellitur paulò operosius sententia celebrior Sacrificium Missæ in sumptione constituentium. n. 6. 7. & 8.

Nostra sententia de essentia Sacrificii Missæ.

Refertur & eligitur communis sententia Thomistarum VIII. p. 4. d. 2. a. 2. n. 1. & 2.
Sumptio est de integritate Sacrificii Missæ n. 7.
Idque potiori jure, quàm aliæ actiones n. 8.
Cur incarnatio non fuerit de essentia Sacrificii Crucis n. 9.
Quomodo Consecratio supponat victimam productam, n. 13.
An fuisset Sacrificium, si Apostoli intra triduum mortis Christi consecrâssent n. 14.
An exhibitio tragica sacrificii Jephte esset Sacrificium n. 15.
An satisfaceret præcepto audiendi Missam, qui soli interesset consecrationi n. 16.
An die Paraseeves celebretur verum sacrificium n. 17.

An consecratio unius vel utriusque speciei sit de essentia Missæ Sacrificii?

Eligitur affirmans VIII. p. 4. d. 2. a. 3. n. 2.
Et probatur tam authoritate, quàm ratione D. Thomæ n. 3. & 4.

Illationes ex dictis.

Valida est consecratio unius speciei tantùm VIII. p. 4. d. 2. a. 4. n. 1.
Adhibenda tamen huic asserto distinctio n. 2.
Ejusmodi consecratio est illicita de jure ordinario n. 3.
An possit fieri licita ex dispensatione Ecclesiæ n. 4.
An Apostoli in triduo mortis Christi consecrare potuerint n. 5.
Quomodo Sacrificium Missæ differat à sacrificio crucis & ultimæ cœnæ n. 6.
Definitio Sacrificii Missæ n. 7.

Quinam offerant vel offerre possint Sacrificium Missæ?

Statuitur & probatur authoritate & ratione. Christum esse principalem offerentem VIII. p. 4. d. 3. a. 1. n. 2.

Adstruitur præterea, ipsum propriè ac immediatè offerre n. 5.
Post Christum soli & omnes Sacerdotes ritè ordinati immediatè per se ac validè offerunt n. 8. & 9.
Alii fideles etiam offerunt Sacrificium Missæ n. 11.
Sed mediatè solum & minus propriè n. 12.
Triplex modus offerendi mediatè n. 13.

Pro quibus ex modo viventibus possit offerri Sacrificium Missæ.

Quotupliciter Sacrificium offerri possit pro alio VIII. p. 4. d. 3 a. 2. n. 1.
Variæ classes hominum, de quibus hic quæri solet n. 2.
Sacrificium offerendum est generaliter pro Ecclesia membrisque eidem colligatis n. 3.
Graviter peccat Sacerdos aliquem excludens ab hac generali oblatione n. 4.
An Sacrificium offerri possit pro infantibus baptizatis n 5.
An pro peccatoribus fidelibus n. 6.
An pro energumenis n. 7. & 8.
Offerri potest pro Cathechumenis n. 9. & seqq.
Ostenditur Sacrificium offerri quoque posse pro quibuscunque infidelibus non excommunicatis n. 15.
Non tamen pro excommunicatis n. 16.

Pro quibus defunctis offerri possit?

Tres classes defunctorum VIII. p. 4. d. 3. a. 3. n. 1.
Pro beatis Sacrificium Missæ non nisi impropriè offerri potest n. 2.
Rectè & fructuosè offertur pro animabus Purgatorii n 3.
Non item pro damnatis n. 4.

Utrum anima Trajani precibus Sancti Gregorii magni liberata fuerit ex inferno?

Relatio de liberatione Trajani ex inferno VIII. p. 4. d. 3. a. 4. n. 1.
Eam esse veram variè suaderi solet n. 2.
Refellitur multipliciter eadem relatio n. 7.

An sacrificium missæ sit infiniti valoris?

Quid sit valor sacrificii? VIII. p. 4. d. 4. a. 1. n. 1.
Concluditur esse simpliciter infinitum n. 3.
Non limitatur à persona finita ministri n. 4.
Asseritur, esse infinitum intensivè, & extensivè n. 5.
Eidem valori adstruitur infinitas quoad sufficientiam, & negatur quoad efficaciam n. 7.

Quosnam effectus causet?

Quid & quotuplex sit effectus? VIII. p. 4. d. 4. a. 2. n. 1.
Quando hoc sacrificium se habet erga effectus ex opere operantis? n. 2.
An idem ex opere operato causet immediatè remissionem peccatorum mortalium? n. 3.
An augmentum gratiæ? n. 4.
An remissionem venialium? n. 5.
An collationem bonorum temporalium n. 6.
An remissionem pœnæ temporalis pro culpis dimissis n. 7.

Quomodo prosit sacrificium missæ ab uno oblatum pro pluribus, aut à pluribus oblatum pro uno?

Notanda VIII. p. 4. d. 4. a. 3. n. 1.
Missa pluribus æqualiter offerentibus æqualiter prodest n. 2.
Hujus exemplum est in pluribus eandem hostiam consecrantibus n. 3.
Missa pro pluribus oblata non tantum prodest singulis, quantum prodesset uni oblata pro illo n. 4.

An & qualis requiratur intentio applicandi fructum missæ.

Alia intentio sacrificandi, alia applicandi fructum VIII. p. 4. d. 4. a. 4. n. 1.
Ad obtinendum fructum sacrificii requiritur applicatio Sacerdotis n. 2.
Fructus generalis, & specialissimus non dependet ab applicatione Sacerdotis n. 3. & 4.
Valida est applicatio facta contra justitiam, & obedientiam n. 5. & seqq.
Applicatio fieri debet vel ante consecrationem, vel in illa. n. 9.
Quid sentiendum de applicatione duorum Sacerdotum successive complentium idem sacrificium? n. 10. & 11.
Quid de fructu per oblivionem nulli applicato n. 12.
Quid de applicatione fructûs sub conditione de futuro contingenti n. 13 & 14.
Quid de anticipatione missarum ex fundatione pro singulis hebdomadibus n. 15.
Ad applicationem sacrificii sufficit intentio habitualis n. 16.

Quo titulo Sacerdotes accipere possint stipendium pro missa?

Licitum est Sacerdoti recipere stipendium pro celebratione missæ VIII. p. 4. d. 5. a. 1. n. 1.
An obligatio sacrificandi pro stipendio sit ex justitia n. 3.
An collatio stipendii sit donatio sub conditione missa n. 4.
An stipendium conferatur pro obligatione celebrandi n. 5.
An pro labore, qui impenditur in eo n. 6.
Nostra sententia n. 7.
Quid de Sacerdote divite n. 9.
Quid de legente tres missas in natali Domini n. 10.
Quid de beneficiatis n. 11.

Quodnam sit justum missæ stipendium?

Justa stipendia sunt, quæ taxantur vel lege, vel consuetudine, & usu communi n. 2. & 3.
Stipendium missæ aliud infimum, aliud medium, aliud summum n. 4.
De celebratione pro stipendio non est tractandum, sicut de rebus venalibus n. 5.
Sacerdos minus stipendium semel acceptatum, an possit reducere ad majus? n. 6.
Justum stipendium non mensurandum est penes integram sustentationem unius diei n 7.
Majus stipendium taxatur pro missa solemni, quàm pro privata n. 8.
An Sacerdos accepto pinguiori stipendio possit alteri à se substituto dare minus pro legenda missa n. 10. & 11.
Resolvuntur varia dubia circa receptionem stipendii, & obligationem celebrandi ex illa oriam VIII. p. 4. d. 5. a. 3. n. 12. & seq.

An & quoties Sacerdos ad sacrificandum obligetur ratione ordinis?

Unde oriatur obligatio celebrandi VIII. p. 4. d. 6 a. 1. n. 1.
In tota collectione Sacerdotum est, & datur hæc obligatio n. 2.
Sententia negans singulos Sacerdotes obligari ad sacrificandum n. 3.
Eligitur affirmans, & probatur authoritate n. 4 & seqq.
Quoties urgeat prædicta obligatio n. 13.

Qualiter ad celebrandum obligetur Capellanus.

Capellanus tenetur celebrare secundum intentionem fundatoris VIII. p. 4. d. 6. a. 2. n. 1.
An Capellanus possit variare dies Missarum præscriptos n. 2.
Vn possit celebrare anticipato n. 3.
Quid de Missis in hebdomade sancta n. 4.
An Capellanus ex fundatione obligatus ad quotidie celebrandum possit aliquoties celebrare pro seipso n 6.
An obligatus ad celebrandum aliquoties in hebdomade satisfaciat celebrando diebus festialibus n. 7.
An Capellanus ægrotans teneatur alium substituere ad celebrandum n. 8.

Qualiter hic obligentur Parochi, Episcopi, aliique Prælati &c.

Parochus tenetur celebrare Missam, quando populus tenetur audire. VIII. p. 4. d. 6 a. 3. n. 1.
An etiam teneatur aliis diebus n. 2.
An & qualiter Parochus teneatur celebrare pro populo n. 3. & 4.
Episcopus tenetur sæpius celebrare, quàm simplex Sacerdos n. 5.
Non tamen tenetur quotidiè n. 6.
Episcopi aliique Prælati tenentur curare, ut in suis Ecclesiis quotidiè sacrificetur n. 7.

An

An Religiosus teneatur ad certam applicationem missæ conventualis, quam canit? n. 8.
Declaratur obligatio Canonicorum. n. 9
Superiorum Regularium n. 10
An isti teneantur aliquando offerre pro subditis? n. 11.

De statu necessario gratiæ an licitè celebrandum.

Ad licitè celebrandum requiritur probabilis certitudo de statu gratiæ VIII. P. 4. d. 7. a. 1. n. 2
Sine hac certitudine Sacerdos celebrationi tenetur præmittere confessionem. n. 3
Explicatur an & quomodo à præcepto confitendi excuset necessitas. n. 4. & 5
Item quomodo excuset absentia confessarii. n. 6
Sacerdos non confessus ob causas jam dictas tenetur confiteri, quam primùm potest. n. 7

Utrum Sacerdos teneatur ante missam recitare matutinum?

Sententia esse obligationem sub mortali. VIII. P. 4. d. 7. a. 2. n. 1.
Præfertur negativa sententia. n. 9
Quid de recitatione matutini & laudum in choro ante missam solemnem. n. 12.

Dispositio ex parte corporis.

Ea dispositio corporis est necessaria, per quam excludatur omne periculum irreverentiæ. VIII. P. 4. d. 7. a. 3. n. 1
Quid de morbo caduco &c. laborantibus statuerit jus canonicum. n. 2
De lotione manuum an sit necessaria? n. 3.
Jejunium aliud ecclesiasticum, aliud naturale. n. 4
Statuitur necessitas jejunii naturalis. n. 5
Limitatur asserta conclusio. n. 7
Respondetur ad varia quæsita, quorum resolutio hîc utilis. n. 9.

An Sacerdos possit, vel debeat singulis diebus celebrare?

Singuli Sacerdotes non tenentur celebrare quotidiè. VIII. P. 4. d. 8. a. 1. n. 2
Id tamen facere est eis licitum & consulendum n. 3
An licitum sit missam privatam celebrare feria quinta hebdomatis sanctæ? n. 4
An die Parasceves, an Sabbatho sancto, an tunc ante missam solemnem. n. 5. 6. & 7

An & quomodo liceat eadem die plures missas eidem Sacerdoti celebrare;

Olim erat licitum eidem Sacerdoti eodem die sæpiùs celebrare. VIII. P. 4. d. 8. a. 2. n. 1
Id neque hodie prohibitum est jure naturali & divino. n. 2
Est tamen prohibitum jure ecclesiastico. n. 3
Offeruntur variæ exceptiones hujus prohibitionis. n. 4. & seq.

Qua hora licitum sit celebrare?

Quod sit initium diei naturalis. VIII. P. 4. d. 8. a. 3. n. 1
Ante auroram & post meridiem non licet inchoare missam. n. 2
Licitum est autem toto tempore intermedio. n. 3
Quid nomine auroræ intelligendum sit, quid nomine meridiei? n. 4. & n. 5.
Exceptiones aliquot ab obligatione non celebrandi ante auroram. n. 6
An in hac obligatione detur parvitas materiæ? n. 7

An Sacerdos teneatur celebrare in loco sacro?

Publica loca ad Dei cultum rectè destinantur. VIII. P. 4. d. 9. a. 1. n. 1
De jure ordinario celebrandum est in loco sacro. n. 2
Idque sub mortali peccato. n. 3
Prima exceptio ab hac lege est necessitas. n. 4
Quæ non debet esse summa. n. 5
Secunda exceptio est per dispensationem. n. 6
Potestas dispensandi Episcopis non est adempta per concilium Tridentinum. n. 7
Tertia exceptio est Privilegii concessi Episcopis, & Religiosis quibusdam ordinibus. n. 9
Quod Privilegium respectu religiosorum non est revocatum à Concil. Trident. n. 10
Ad licitè celebrandum in Ecclesia requiritur, ut non sit pollura. n. 12
Quot modis polluatur Ecclesia. n. 13
Quid faciendum sacerdoti dum ipso celebrante violatur Ecclesia? n. 14

Quale requiratur altare ad celebrandum?

Altare aliud fixum, aliud portatile. VIII. P. 4. d. 9. a. 2. n. 1
Utrumque debet esse lapideum. n. 2
Continere SS. reliquias & esse consecratum. n. 3. & 4.
Sterni debet præterea duplici mappa linea & corporali. n. 5
Necessarium est etiam lumen in illo, dum celebratur. n. 6
An insuper imago Christi crucifixi. n. 7.

Qua ratione ad celebrandum requirantur vasa & vestimenta sacra?

Quænam hîc vasa, quæ vestimenta sacra? VIII. P. 4. d. 9. a. 3. n. 1
Opus est ad sacrificandum calice & patena. n. 2
Aureis, vel argenteis, vel stanneis, vel cupreis. n. 3
Consecratis ab Episcopo. n. 4.
Quid de pyxide venerab sacramenti. n. 5
Adstruitur necessitas sacrarum vestium. n. 6
Notabilia circa easdem n. 7

Mendacium.

Quid. V. d. 8. a. 1. n. 1.
Quatuor modi committendi mendacium. n. 2
Divisio mendacii. n. 3
Omne mendacium est peccatum. n. 4
Et intrinsece, sive ex genere suo malum. n. 5
An sit peccatum loqui verbis æquivocis. n. 7
Respondetur ad argumenta eorum, qui dixerunt, mendacium esse licitum. n. 8. & 9
Mendacium per se & ex genere suo est peccatum veniale. n. 10.
Ex accidenti tamen & dum trahitur in aliud genus, sæpe fit peccatum mortale. n. 11. & seq.

Metus.

Definitio & differentia à violentia. II. d. 1. a. 3. n. 30.
Metus alius ab intrinseco, alius ab extrinseco proveniens. n. 31
Item alius levis, alius gravis. n. 32
Quænam mala sint digna gravi metu. n. 33.
Metus gravis aliter explicandus pro foro conscientiæ, aliter pro foro externo. n. 34
An etiam metus reverentialis sit gravis. n. 35
Quod metu fit simpliciter est voluntarium, secundùm quid involuntarium. n. 36
Pœnitentia ex metu gehennæ est purè voluntaria. n. 37
Nullus metus per se loquendo excusat à peccato. n. 38
Præcepta naturalia negativa obligant in quocunque metu. n. 39
Aliud sentiendum de præceptis naturalibus affirmativis. n. 40
præcepta divina aliquando non obligant in gravi metu. n. 41
Quandonam cesset obligatio alicujus præcepti divini. n. 42
Præcepta humana non semper obligant in gravi metu. n. 43
Contractus, promissiones, & vota metu facta sunt valida de jure naturæ. n. 46.
Quænam de contractibus, donationibus, votis &c. metu factis disposuerint leges humanæ. n. 48. & 49

Merx.

Quænam intelligantur nomine mercis. VII. d. 6. a. 3. n. 20
Monogamia vide matrimonii unitas.

Mutilatio.

Illationes de mutilatione, vel abscissione membri. VII. d. 3. a. 3. n. 7. & seqq.

Mutuum.

Definitio ejus cum sua analysi. VII. d. 6. a. 4. n. 1.
Commoda ex re mutuò accepta cedunt mutuatario. n. 2
In quibus rebus possit constitui mutuum. n. 3.
Mutuans non potest mutuum repetere ante statutum tempus. n. 4.

Quando nullum tempus reddendi mutuum fuit præfixum, id arbitrio prudentis determinari debet n. 5.
Ad quid teneatur mutuatarius, qui fuit in mora culpabili reddendi mutuum n. 6.
Bonitas rei alia intrinseca, alia extrinseca n. 7.
Declaratur, in quarum rerum mutuò acceptarum restitutione attendi debeat bonitas intrinseca, vel extrinseca n. 8. & 9.

O.

Odium proximi.

Odium aliud inimicitiæ, aliud abominationis V. d. 1. a. 4. n. 47.
Præcepto negativo charitatis prohibetur odium inimicitiæ contra proximum n. 48.
Odium abominationis est aliquando licitum & laudabile n. 49.
Odisse proximum odio inimicitiæ ex suo genere mortale peccatum est n. 50.
An licitum sit propter bonum spirituale alteri velle malam pœnam temporalem n. 51.
An liceat aliquando desiderare mortem alterius n. 52.
An Turcis, Hæreticis, aliisque hostibus Ecclesiæ, vel Reipublicæ n. 53.
An aliquando sibi ipsi n. 54. & 55.
Observantia vana vide apud litteram V. vanam observantiam.

Opinio probabilis.

Vide Conscientia probabilis.

Oratio.

Definitio orationis V. d. 2. a. 2. n. 2.
Divisio ejusdem & subdivisio n. 3.
Oratio est necessaria ad salutem n. 4.
Necessitate medii & præcepti:
Quando præceptum orandi obliget per se & quando per accidens n. 5.
Datis conditionibus debitis, oratio vim habet infallibilem impetrandi n. 6.
Quinam præter DEUM orandi sint, aut orari possint n. 7.
Solis creaturis, iisque rationalibus convenit orare n. 8.
Omnis homo in præsenti vita, quamvis peccator sit potest ac debet orare n. 9. & 10.
Pro omnibus orandum est, qui necdum in termino sunt vitæ præsentis n. 15.
Necessaria ad salutem in oratione petenda sunt absolutè, cætera sub conditione n. 16.

Ordo

Quid & quotuplex sit?

Quid hic intelligatur nomine ordinis? VIII. p. 5. d. 11. a. 1. n. 1.
Asseritur existentia hujus Sacramenti n. 2.
Fuit institutum in ultima cœna n. 3.
Ejus definitio & numerus ordinum n. 4. & 5.
Proponitur cum suis fundamentis sententia contendentium. esse plures ordines, quàm septem n. 6.
Probatur Episcopatum non esse ordinem realiter distinctum à Presbyteratu n. 7.
Prima tonsura non est ordo n. 9.
Non potest quis validè ordinari Episcopus, antequam sit Sacerdos n. 10.
Ordo inferior suscipiendus est ante superiorem n. 11.
An omnes ordines sint Sacramenta?
Variæ sententiæ VIII. p. 5. d. 11. a. 2. n. 1.
Statuitur ordinem Presbyteratus, imò & alios omnes tam majores, quam minores esse verè Sacramenta n. 2. & 3.
Probatur doctrina asserta n. 4.

Ordinis materia & forma.

Quænam generaliter loquendo sit materia & forma hujus Sacramenti VIII. p. 6. d. 11. a. 3. n. 1.
Designatur materia, & forma Episcopatûs n. 2.
Materia & forma Præsbyteratûs n. 5.
Materia & forma Diaconatûs n. 10.
In potestate secundaria Diaconi intelligatur etiam primaria n. 11.
Officia Diaconi n. 12.
Materia & forma subdiaconatûs n. 14.
Quid si ordinando in subdiaconum porrigitur calix non vacuus n. 15.
Munera subdiaconi n. 16.
Materiæ, & formæ minorum ordinum & eorundum officia n. 17. & 18.
Quæ sit materia & forma primæ tonsuræ n. 19.
Resolvitur affirmativè quæstio, an physicus contactus materiæ traditæ in ordinatione sit de necessitate Sacramenti n. 20.
Observanda in praxi nostræ sententiæ n. 22.
Quando repeti debeat ordinatio n. 23.
Monitum pro scrupulosis n. 24.

Ordinis Minister.

Omnis & solus Episcopus legitimè consecratus est Minister ordinarius validæ ordinationis VIII. p. 5. d. 11. a. 4. n. 2.
Quilibet simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ esse Minister ordinum minorum n. 4.
Quid hodie post Concil. Tridentinum in conferendis minoribus possint Abbates n. 5. & seqq.
An Abbas validè possit conferre ordines minores Regulari non subdito, aut sæculari subdito n. 8.
Probabile est, diaconatum, & subdiaconatum posse ex commissione Papæ, vel privilegio conferri à simplici Sacerdore n. 9.
Conditiones requisitæ, ut Episcopus etiam licitè conferat ordines n. 10.

Ordinis subjectum & effectus.

Omnis mas baptizatus potest validè suscipere ordines VIII. p. 5. d. 11. a. 6. n. 1.
Hinc etiam pueri validè ordinantur n. 2.
Ad quænam ejusmodi puer post obtentum rationis usum obligetur n. 3.
Fœminæ nec alicujus ordinis, nec primæ tonsuræ sunt capaces n. 4. & 5.
Quid de hermaphroditis n. 6.
Hæretici validè ordinari possunt n. 7.
Ad validam ordinationem adulti requiritur positiva voluntas ipsius suscipiendi hoc Sacramentum n. 8.
An puer ante usum rationis validè consecrari possit etiam in Episcopum n. 9. & 10.
Enumerantur conditiones, ad licitam susceptionem hujus Sacramenti requisitæ n. 11. & seqq.
Quale peccatum sit, si clericus sæcularis non gestet tonsuram, & habitum clericalem n. 20.
Quo jure sacri ordines habeant annexum votum perpetuæ castitatis n. 21.
Recensentur effectus Sacramenti ordinis n. 22.

Oscula.

Vide verbum delectatio.

P.

Paganismus.

Definitio Paganismi V. d. 1. a. 2. n. 13.
Observanda circa communicationem fidelium cum paganis n. 14.
An pagani vi compelli possint licitè ad fidem Catholicam V. d. 1. a. 2. n. 25.

Parentum obligatio erga liberos.

Cur nulla de hac obligatione mentio fiat in Decalogo V. d. 5. a. 2. n. 1.
Parentes graviter obligantur ad liberos diligendos & conservandos n. 2.
Declaratur amplius hæc obligatio n. 3. & seqq.
Parentes sub gravi peccato tenentur liberos honestè educare, bonisque moribus imbuere n. 7.
Amplior declaratio n. 8. & seqq.
Graviter peccant parentes, dum filiis, aut filiabus non relinquunt liberam electionem statûs vitæ n. 11.

Passio.

Passio. Vide concupiscentia II. d. 1. a. 3. n. 5.

Peccatum.

Peccata ex passione facta sunt leviora aliis II. d. 1. a. 3. n. 6.
Definitio peccati II. d. 3. a. 1. n. 2.
Varia prædicata, & epitheta peccati n. 4.
Ejus multiplex divisio n. 5.

Peccatorum differentia specifica.

Species peccati alia physica, alia moralis II. d. 3. a. 2. n. 1.
Malum sub ratione boni per se intendi potest n. 2.
Diversitas præceptorum ex parte rei præceptæ, & ex parte principii n. 3.
Specifica distinctio peccatorum sumitur ex objectis n. 4
Etiam ex præceptis diversis ex parte rei præceptæ oritur formalis diversitas peccatorum n. 7.
Non tamen ex præceptis diversis ex parte præcipientis tantum n. 8.

Unde specie differant peccata omissionis n. 14.
Peccatum commissionis in genere moris non semper distinguitur essentialiter à peccato omissionis n. 15.
Sicuti nec peccatum mortale & veniale n. 16.
Semper tamen sic distinguuntur peccatum per excessum, & peccatum per defectum n. 17.
Infertur resolutio variorum casuum circa præsentem materiam n. 20 & seqq.
An per occultam seminis effusionem polluatur Ecclesia n. 24.
Item an per impudicos tactus n. 25.

Peccatorum numerica distinctio.

Quot modis interrumpantur actus peccaminosi II. d. 3. a. 2. n. 3.
Pluritas objectorum ejusdem rationis fundat pluritatem malitiarum purè numericam n. 4.
Alterum fundamentum distinctionis numericæ est interruptio moralis n. 7.
Quandonam voluntas peccandi censeatur interrupta n. 8.
Variæ resolutiones practicæ circa interruptionem aut continuationem actuum n. 9. & seqq.
Consilium salubre pœnitentibus n. 18.
In Confessione exprimi debet numerus objectorum n. 19.

Peccatum omissionis

An omnis actus omissioni culpabili conjunctus & incompossibilis cum impletione præcepti sit peccatum.

Duplex conjunctio actûs cum omissione peccaminosa II. d. 3. a. 4. n. 1.
Actus conjunctus per modum causæ &c. sit malus malitia omissionis n. 2.
Non tamen conjunctus concomitanter solùm n. 3.
An semper malum moraliter, quod sit tempore indebito n. 4. & 5.
Quandonam actus supponens efficacem voluntatem omittendi vitietur ex omissione n. 6.

Qualem malitiam habeat actus causans omissionem.

Statuitur actum, qui causat omissionem, esse in eadem specie malitiæ cum omissione n. 13.
Qualiter sit circumstantia vitiosa n. 14.
Per se loquendo non est obligatio in confessione explicandi actum, qui est causa omissionis peccaminosæ n. 18.
Potest tamen obligatio esse per accidens n. 19.

Quandonam ad culpam imputetur omissio actus debiti.

Peccato omissionis peccatur tum, quando ponitur causa omissionis n. 21.
Tum quando omittitur opus præceptum, etiam impeditâ potentiâ ponendi idem opus n. 22.
Ut omissio imputetur in peccatum, sufficit esse liberam in causa n. 23.
Quid hic sentiendum de votis, & formis Sacramentorum in ebrietate pronuntiatis n. 24.

Peccatum mortale & veniale.

Unde peccatum mortale appelletur mortale II. d. 3. a. 4. n. 1.
Peccatum mortale aliud ex genere suo, aliud ex accidente n. 2.
Cur peccatum aliquod dicatur veniale n. 3.
Divisiones peccati venialis n. 4.
Declarantur variæ differentiæ peccati venialis à mortali n. 5. & 6.
Quænam sit differentia primaria n. 7.
Unde colligi possit, an peccatum aliquod sit mortale, vel veniale n. 11.
Additamentum de peccatis mortalibus ex genere suo n. 12.

Utrum peccatum mortale possit fieri veniale?

Quænam requirantur ad peccatum mortale II. d. 3. a. 4. n. 13.
Unde quis possit colligere, an & qualiter tentationi consenserit n. 17.
Non in omnibus peccatis datur parvitas materiæ n. 18.
In quibus peccatis detur, aut non detur parvitas materiæ n. 19. & seqq.
Unde colligi debeat materiam esse gravem vel levem. n. 24.
Peccatum mortale fit veniale ob imperfectionem actus n. 29.
Et parvitatem materiæ. n. 30.

An & quomodo ex peccato veniali possit fieri mortale?

Idem numero actus in genere moris nequit ex veniali fieri mortale peccatum n. 34.
Per nullam hic multiplicationem peccata venialia possunt constituere unum mortale n. 36.
Solvitur objectio de pluribus minutis furtulis n. 37.
Peccatum veniale aliquando directè, aliquando indirectè disponit ad mortale n. 38.
Peccatum ex objecto veniale nunquam fit mortale nisi accedat aliqua circumstantia mutans speciem n. 39.
Declarantur modi, quibus per additionem circumstantiæ veniale mutatur in mortale n. 40. & seqq.

Unde desumenda sit gravitas peccatorum.

Ostenditur, non omnia peccata esse æqualia in gravitate. II. d 3. a. 4. n. 55.
Gravitas essentialis peccatorum oritur ex eorum objectis n. 56.
Eadem quoque superadditur à circumstantiis speciem mutantibus n 57.
Ostenditur, tantò gravius esse peccatum, quantò præstantiori virtuti opponitur n. 58. 59. & 60.
Peccata contra Deum sunt omnium gravissima n. 61.
Quid de peccatis oppositis eidem virtuti n 62.
Gravitas accidentalis est sumenda ex circumstantiis solùm aggravantibus n. 65.

Peccatorum subjectum.

Præsens difficultas procedit de subjecto proximo II. d. 3. a. 5. n. 1.
Peccatum secundùm rationem voluntarii accipitur in voluntate n. 2.
Sicut etiam secundùm formalem malitiam n. 3.
Peccatum formaliter sumptum non subjectatur in sensibus, vel potentiis externis n. 4.
Subjectatur tamen in ratione & appetitu sensitivo n. 5.

Pertinacia.

Hæresi essentialis quid V. d. 1. a. 2. n. 17.

Pœnitentia

Ejus existentia.

Asseritur existentia Sacramenti Pœnitentiæ VIII. p. 6. d 1. a. 1. n. 2.
Hoc Sacramentum est omnino quid aliud à Baptismo in memoriam revocato n. 5.
Sacramentum pœnitentiæ Christus instituit in forma judicii n. 7.
Et post Resurrectionem n. 8.

Pœnitentiæ necessitas.

Suscipi potest vel in re, vel in voto VIII. p. 6. d. 1. a. 2. n. 1.
Necessarium est ad salutem necessitate medii vel in re, vel in voto suscipiendum n. 2.
Illud non debet necessariò esse explicitum n. 3.
Idem Sacramentum est etiam necessarium necessitate præcepti n. 4.

Pœnitentiæ forma.

Sententia, quorundam existimantium formam hujus Sacramenti non debere esse necessariò verba formalia VIII. p. 6. d. 2. a. 1. n. 1.
Forma sunt verba absolutionis sacramentalis: ego te absolvo &c. n 2.
Non consistit essentialiter in sola absolutione hoc Sacramentum n. 3.
Verba propriè dicta sunt de essentia absolutionis n. 5.

Pœnitentiæ materia proxima.

Materia proxima est Confessio, Contritio, & satisfactio pœnitentis. VIII. p. 6. d. 2. a. 2. n. 1.
Contritio & Confessio sunt partes essentiales hujus Sacramenti, non autem satisfactio in re n. 6.

Materia remota.

Omnia & sola peccata post Baptismum commissa sunt materia remota Pœnitentiæ n. 7.
Materia necessaria sunt peccata mortalia clavibus Ecclesiæ nondum subjecta n. 8.
Etiam peccatum fictionis est materia necessaria. n. 9.
Peccatum primario sub ratione culpæ est materia remota n. 10.
Nulla est obligatio confitendi venialia n. 11.
Non expedit frequenter in Confessione repetere peccata à quibus

quibus quis jam semel est legitimè absolutus n. 12.
In Confessione generali non est obligatio confitendi omnia peccata mortalia jam semel ritè confessa? n. 13.
Non est contra valorem Sacramenti uni Confessario confiteri mortalia, alteri deinde sola venialia n. 14.
An interrogatus de peccato mortali jam ritè confesso teneatur Confessario dicere veritatem? n. 15.
In Confessione generali tenetur pœnitens explicare, quænam ex peccatis commissa fuerint post Confessionem ultimam n. 16.

An mortalia dubia sint materia necessaria Pœnitentiæ

Quid & quotuplex sit dubium VIII. p. 6. d. 2. a. 2. n. 17. & 18.
Quot modis dari possit dubium de peccato n. 19.
Exponitur status quæstionis n. 20.

Corollaria ex dictis.

Certus quòd peccaverit mortaliter, dubitans autem an illud fuerit confessus, tenetur confiteri n. 42.
Peccata dubia explicanda sunt ut dubia n. 43.
Confessus peccatum mortale ut dubium, si postea compereat esse certum, tenetur id rursus confiteri n. 44.
Confessus peccatum certum ut certum, de quo dubitabat an esset mortale? non tenetur id rursus confiteri, licèt postea comperiat fuisse mortale? n. 47.
Quid agendum Confessario, si pœnitens confiteatur mera peccata dubia n. 48.
Non est idem dicere: obligatio confitendi peccatum dubium est dubia? & dicere peccatum est dubium n. 49.

Pœnitentiæ forma.

Nempe de absolutione vide verbum absolutio.

Obligatio imponendi Pœnitentiam seu satisfactionem.

Quid intelligatur nomine satisfactionis, seu pœnitentiæ sacramentalis VIII. p. 6 d. 5. a. 3. n. 1.
Regulariter loquendo Confessarius tenetur confitenti injungere Pœnitentiam n. 2.
Afferuntur duo casus communiter excepti, quibus adduntur duo alii n. 3. & 4.
Asserta obligatio Confessarii gravis est non tantum quando pœnitens confitetur mortalia, antea nunquam subjecta clavibus n. 5.
Sed etiam probabilius, quando confitetur solum venialia, aut mortalia jam semel confessa n. 6.

Qualis & quanta injungi debeat Pœnitentia?

Opus in satisfactionem injungendum oportet esse pœnale, sive afflictivam VIII. p. 6. d 5. a. 3. n. 7.
Declaratur quænam in specie opera possint injungi n. 8. & seqq.
Confessarius debet per se loquendo injungere pœnitentiam secundum proportionem peccatorum n. 14.
Causæ, ob quas injungi debet levior pœnitentia n. 15.
Monita Confessariis in praxi observanda n. 16. & seqq.

Obligatio acceptandi & peragendi Pœnitentiam.

Pœnitens justam pœnitentiam tenetur acceptare & implere VIII. p. 6. d. 5. a. 3. n. 20.
Quid si Pœnitentia sit injusta seu nimis gravis? n. 21.
Tota pœnitentia non potest imponi sub consilio tantum n. 22.
An non acceptare justam pœnitentiam, eamque non exequi sit semper peccatum mortale? n. 23.
Quando impleri debeat pœnitentia n. 24.
An possit impleri per alium? n. 25.
An in statu peccati mortalis? n. 26.

Pœnitentiæ commutatio.

Pœnitens non potest authoritate propria sibi commutare pœnitentiam. VIII. p. 6. d. 5. a. 3. n. 28.
An & quomodo Confessarius commutare possit pœnitentiam ab alio impositam n. 32.
Quando ad commutationem pœnitentiæ requiratur iterata Confessio peccatorum? n. 33. & 34.
Quid agendum pœnitenti injunctæ satisfactionis oblito? n. 35.

Sacramenti pœnitentiæ Minister.

Solus Sacerdos est Minister pœnitentiæ VIII. p. 6. d. 6. a. 1. p. 2.
Invalidè ordinatus in Sacerdotem non potest absolvere à peccatis n. 3.
In nullo unquam casu quis tenetur confiteri non Sacerdoti n. 4.
Ecclesia non potest facere, ut non Sacerdos possit absolvere sacramentaliter n. 5.
Quid sit potestas clavium n. 6.
Non omnis Sacerdos est Minister sufficiens hujus Sacramenti per se loquendo n. 7.
Quando & quomodo possit esse per accidens n. 8.

Obligatio Sigilli.

Unde ortum habeat obligatio sigilli VIII. p. 6. d. 6. a. 5. n. 1.
Differentia inter hanc obligationem & secretum naturale n. 2.
Violatio sigilli oppidò grave peccatum est n. 3. & 4.
Nec ullam admittit parvitatem materiæ n. 5.
Ex quanam Confessione nascatur, vel non nascatur obligatio sigilli n. 6. & seqq.
Quid si dubitet Confessarius, an pœnitens manifestaverit peccatum animo consequendi absolutionem n. 11.
Supposità licentiâ pœnitentis cessat obligatio sigilli n. 12.
Ea licentia debet esse formalis & expressa, pieneque voluntaria n. 13.

Materia Sigilli.

Materia sigilli ad sex classes reducitur VIII. p. 6. d. 6. a. 5. n. 15.
Varii casus, in quibus Confessarius frangeret sigillum n. 16. & seqq.
An Confessarius illi, quem ob justam causam non absolvit negare possit schedam confessionis n. 22.

Quinam teneantur obligatione sigilli.

Pœnitens non obligatur sigillo n. 23.
Obligatur Sacerdos fictitius, cui quis bonâ fide confessus est n. 24.
Item interpres, consiliarius Confessarii n. 25. & 26.
Prælatus, à quo petitur licentia absolvendi peccato reservato n. 27.
Ille cui Confessarius sacrilegè manifestavit peccatum in Confessione auditum n. 28.
Non tamen ille, qui invenit, & legit chartam, in qua scripta erant peccata ad confitenduni se præparantis n. 29.
Exceptis duobus casibus n. 30.

Nonnullæ quæstiones.

An & quando liceat Confessariò loqui cum pœnitente de Confessione peractâ? VIII. d. 6. a. 5. n. 31.
Quid si Confessarius deprehendat errorem in confessione præterita commissum n. 32.
Illustratur quæstio de licito, vel illicito usu notitiæ ex confessione sacramentali comparatæ n. 33. & seqq.
Resolvitur quid agendum sit Confessario scienti, pœnitentem scienter retinere aliquod peccatum n. 41. & seqq.

Pollutio.

Ejus definitio V. d 7. a. 2. n. 54.
Est intrinsecè malum & in nullo casu potest fieri licitum. n. 55.
Observanda circa pollutionem nocturnam n. 56.
Etiam ob vitæ conservationem non est licitum procurare pollutionem n. 60.
An liceat expellere semen corruptum n. 63.
Quid de commotione spirituum genitalium, & distillatione n. 64.
Quid de voluntaria pollutione inter conjuges n. 65.
An omnes polluriones sint ejusdem speciei n. 66.
An per occultam seminis effusionem polluatur Ecclesia II. d 3. a. 2. n. 24.
An & quomodo licitum sit aliquando delectari de pollutione II. d. 3. a. 3. n. 17.
Voluntaria pollutio semper est peccatum mortale II. d. 3. a. 6. n. 61.

Possessor & Possessio

Vide conscientiam dubiam, & verbum Restitutio.

Pretium justum.

Pretium aliud legitimum, aliud naturale; item aliud summum, aliud infimum, aliud medium VII. d. 6. a. 3. n. 8.
Pretia rerum ex quinque capitibus solent crescere, vel decrescere n. 9.
Per se loquendo servari debet pretium publicâ authoritate Magistratûs constitutum n. 10.
In illius defectu servari debet pretium naturale n. 11.

Prælatus.

Vide Religiosus.

Præscriptio

An valeat etiam in foro interno?

Definitio ejus VII. d. 2. a. 3 n. 1.
Legitima præscripta etiam in foro conscientiæ liberat ab onere restituendi n. 2.
Cur Præscriptio non ipso jure naturæ & independenter à lege positiva sit modus acquirendi dominium n 3.
Per præscriptionem nemo fit locuplex cum injuria alterius n. 4.
An præscriptio sit introducta propter virandam segnitiem? n. 5.
Solvitur instantia de sententia in falsa præsumptione fundata n. 6.
An tempus quinquennii à die professionis determinatum sit ad præscribendum contra religiosum professum n. 7.

Conditiones ad præscriptionem requisitæ.

Quatuor conditiones legitimæ præscriptionis VII. d 2. a. 3. n. 8.
Quid bona Fides? n. 9.
Quid & quotuplex titulus? n. 10.
Quid possessio? n. 11.
Quænam præscribi non possint? n. 12. & seqq.
Bona fides necessaria est ad omnem præscriptionem n. 14.
Declaratur necessitas tituli n. 15 & 16.
Quanto tempore opus sit ad præscribendum n. 17. & seqq.
Ad præscriptionem requiritur continuata possessio, quid sit præscriptionem non currere n. 21.

Præsumptio.

Definitio præsumptionis V. d. 1. a. 3. n. 12.
Est peccatum mortale n. 13.
In Spiritum Sanctum n. 14.
Quandonam conjunctum cum hæresi n. 15.

Promissio.

Definitio ejus VII. d. 6. a. 2. n. 1.
Non obligat promissio facta cum semiplena deliberatione n. 2.
Uti nec facta sine intentione se obligandi n. 3.
Quid si res partim sit licita, partim illicita, partim possibilis, partim impossibilis? n. 4.
Promissio ante acceptationem non parit obligationem n. 5.
Estque ante eandem semper revocabilis n. 6.
An obliget promissio, meræ interna n. 7.
Invalida est promissio, sicut & donatio promissario, aut donatio mortuo ante acceptationem n. 8.
Quomodo promissio, aut donatio acceptari possit, & debeat n. 9 & 10.
Simplex promissio sub veniali solùm obligat per se loquendo n. 11. & 12.
Per accidens tamen obligare potest sub mortali n. 13.
Cur votum in materia gravi obliget graviter, non autem promissio homini facta n. 14.
Quando status rerum notabiliter mutatur, desinit obligare promissio n. 15.

Pudicitia.

Pudicitia quid? vide V. d. 7. a. 1. n. 2.

Polygamia.

Vide matrimonii unitatem.

Promulgatio.

Vide verbum legis Promulgatio.

R.

Rapina.

Vide furtum.

Raptus.

Definitio Raptus. V. d. 7. a. 2. n. 40.
Raptus est mortale peccatum n. 41.
Illationes ex dictis n. 42. & seq.
Recensentur pœnæ jure ecclesiastico in raptores constitutæ n. 47.
An concubitus cum fœmina dormiente sit raptus n. 43.
Item, an abductio puellæ invitæ, cum qua contractum est matrimonium, sed nondum consummatum, sit Raptus, dum illa vult uti privilegio duorum mensium; n. 49.

Reus.

Reus non tenetur fateri veritatem, antequam ipsi certò constet, se juridicè interrogari V. d. 8. a. 2. n. 47.
Tenetur autem, ubi constat n. 48.
An reo ejusve advocato ad labefactandam fidem testis liceat detegere occultum ejus crimen? n. 49.
An reo liceat fugere è carcere, ne subire cogatur pœnam mortis, aut mutilationis, ad quam est condemnatus n. 50.
Item, an ob hunc finem licitè perfringat vincula, aut carcerem n. 51.
An alii reo licitè consulant fugam, & suppeditent instrumenta ad effringendum carcerem n. 52.
Reus non peccat, quando custodes donis sibi reddit benevolos, ut sic occasionem elabendi nanciscatur n. 53
Et plura de reo vide verbum Judex.

Religiosus.

An Religiosus peccet contra paupertatem, quando invitatus à sæculari comedit sine licentia superioris VII. d. 3. a. 2. n. 9.

Quomodo Religiosi acquirant monasterio?

De quibus Religiosis procedat quæstio VII. d. 3. a 8. n. 14.
Omnes Religiosi sunt capaces legati n. 15.
Quidquid acquirit Religiosus, monasterio acquirit, & quidem immediatè n. 16. & 17.
An Religiosus sine voluntate Prælati possit repudiare legatum vel hæreditatem delatam? n. 20. & seq.
An peccet contra Justitiam Religiosus, dum volenti ipsum, vel monasterium instituere hæredem id dissuadet? n. 22.
Monasterium potest adire hæreditatem, etiam mortuo Religioso professo, post eam delatam n. 23.
Cuinam acquirant Religiosi beneficiarii, fugitivi, Apostatæ, ejecti n. 24. & sqq.

Quænam sit obligatio Religiosi ex voto paupertatis.

In quo consistat Religiosa paupertas VII. d 3. a. 8. n. 27.
Qualis esse debeat licentia Prælati, ut Religioso reddat licitum usum rei temporalis n. 28.
Licentia obtenta ad usus superfluos valida est, quamvis sit illicita n. 29.
Licentia Prælati alia expressa, alia tacita, alia præsumpta n. 30.
Quando à transgressione voti paupertatis excuset licentia tacita? quando præsumpta n. 31. & seq.

Quomodo Prælatus se gerere debeat in administrandis bonis temporalibus, ne violet votum paupertatis.

Prælatus Religiosus habet solùm potestatem administrandi bona monasterii VII. d. 3. a. 8. n. 45.
Eámque non absolutam, sed juxta regulas præscriptas n. 46.
Regula generalis Prælato observanda in administratione temporalium n. 47.
Prælatus non tenetur omnia superflua erogare in pauperes n. 49.
Etiam ex bonis necessariis monasterii potest, imò aliquando tenetur dare eleemosinam n. 50.
Non potest facere donationes solo titulo liberalitatis n. 51.
Potest tamen, si accedant alii tituli honesti n. 52.
Potest etiam facere donationes remuneratorias titulo gratitudinis n. 53.
Prælatus faciendo sumptus superfluos peccat contra justitiam, & paupertatem n. 55.
In donatione remuneratoria potest excedere valorem obsequii, vel beneficii n. 56.
Quantum Prælatus donare possit donatione liberali n. 57.
Prælatus nomine monasterii potest dare mutuum n. 58.
Non potest accipere sine consensu Capituli n. 59.
Quando Prælatus teneatur ipse solvere mutuum sine consensu Capituli acceptum n. 61.
Licitum est Prælato moderatam quantitatem pecuniæ in lusu exponere n. 62.

Reservatio casuum.

In Ecclesia datur potestas reservandi peccata VIII. p. 6. d. 6. a. 4. n. 1.
Quid sit Reservatio n. 2.
Ejus divisio in pœnalem, & non pœnalem n. 3.
Quinam possint reservare peccata? n. 4. & 5.
Episcopi non debent abuti potestate reservandi n. 6.
Prælati regulares undecim tantùm casus reservare possunt n. 7.
Potestas reservandi Parochorum non est in usu n. 8.
Sola peccata mortalia externa, eáque specialem gravitatem habentia reservari solent n. 9.
Ita tamen ut ipso opere consummata & perfecta sint n. 10.

Qua-

Quænam in particulari peccata sint Papæ reservata n. 16.
Quænam Episcopis n. 17.
Quænam juxta Bullam Clementis octavi reservare possint Prælati regulares n. 18.

Reservatorum casuum absolutio.

Vide verbum absolutio

Regula.

Regula morum, ejusque divisio II. d. 2. a. 2. n. 2.

Restitutio.

Definitio ejus VII. d. 4. a. 1. n. 1.
Est actus solius justitiæ commutativæ n. 2.
Quomodo ex justitia distributiva oriatur obligatio restituendi n. 3.
Quomodo restitutio differat à solutione, & satisfactione n. 4.
Præceptum restituendi est principaliter affirmativum n. 5.
Retinere, & non restituere sunt unicum peccatum n. 8.
Restitutio est ad salutem necessaria necessitate præcepti non medii n. 9.
An & quomodo defunctis prosit restitutio, quam pro ipsis faciunt hæredes n. 10. & seqq.
Restitutio ne quidem in voto est necessaria necessitate medii ad salutem n. 13.

An quis teneatur restituere rem alienam bona fide possessam.

Duæ sunt generatim radices restituendi VII. d. 4. a. 2. n. 1.
Quid sit bona, mala, vel dubia fide possidere n. 2.
Possessor bonæ fidei, quando sit certus, rem esse alienam, tenetur restituere n. 3.
Ad quid teneatur; si rem alterius durante bona fide consumpsit n. 4.
Quid de vendente rem alienam bona fide emptam? n. 5.
Quid de vendente ejusmodi rem sibi prius donatam? n. 6.
Quid de donante illam rursus alteri n. 7.
Quid si res pereat apud possessorem bonæ fidei? n. 8.
Quid de invitato ad cœnam ex cibis furtivis n. 9.
Ad quid teneantur milites, postquam eis constat bellum fuisse injustum n. 10.
Dominus rem exstantem apud bonæ fidei possessorem potest repetere n. 11.
Qui rem furtivam emit modico pretio, ut reddat domino, potest modici talis pretii refusionem exigere n. 12.
Utrum, qui emit rem furtivam, possit illam furi reddere? VII. d. 4. a. 2. n. 13.
Quomodo se gerere debeat, qui rem furtivam dono accepit n. 18.

An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus rei alienæ?

Fructus alii naturales, alii industriales, alii mixti VII. d. 4. a. 2. n. 19.
Fructus merè industriales non tenetur restituere possessor bonæ fidei n. 20.
Cujus sit artefactum alieno instrumento productum n. 21.
Cujus sit lucrum ex negotiatione vel venditione alienæ rei perceptum n. 22. &c.
Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus naturales, & mixtos, si adhuc exstant, & nondum præscripti sunt n. 24.
Deductis tamen expensis, & melioramentis n. 25.
Tres classes expensarum, & melioramentorum n. 26.
Quid, si Dominus ob suam negligentiam nullos fructus fuisset percepturus n. 27.

Quos fructus teneatur restituere possessor malæ fidei?

Malæ fidei possessor tenetur restituere fructus naturales, & mixtos, etiamsi non exstent amplius n. 29.
Non tamen tenetur restituere fructus nec à se, nec à Domino perceptos n. 30.
Tenetur autem restituere à se perceptos, etiamsi à Domino non fuissent percipiendi n. 31.
Quomodo Dominus ab injusto possessore damnum patiatur circa fructus, quos non erat percepturus? n. 32.
Etiam possessor malæ fidei potest in restituendo fructus deducere expensas n. 33.
Ad quid teneatur possessor, partim bonæ, partim malæ fidei? n. 34. & seq.

Ad quid dubiæ fidei?

Quid dubium speculativum, quid practicum? quid vincibile, quid invincibile? n. 36.
Rem acceptam cum dubia fide à bonæ fidei possessore tenetur quis eidem restituere, si dubium perseveret n. 37.
Tenetur etiam restituere, qui superveniente dubio fuit negligens in inquirenda veritate, quamvis cœperit bona fide possidere n. 38.
Sed non tenetur, si facta diligenti inquisitione veritatis non potuit deponere dubium n. 39.
Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei, qui culpabiliter omissa veritatis inquisitione, aliunde comperit, quis sit rei Dominus n. 40.

Utrum ad obligationem restituendi ex damno dato requiratur culpa theologica.

Culpa alia theologica, alia juridica Tr. VII. d. 4. 2. 3. n. 1.
Ut quis titulo injustæ acceptionis obligatur in conscientia ad restituendum ante sententiam Judicis, requiritur culpa theologica? n. 2.
Quid de inferente damnum cum ignorantia mere concomitante n. 7.
Quid de dante operam rei formaliter injustæ, & cavente, ne damnum sequeretur? n. 8.
Post sententiam Judicis sufficit etiam culpa mere juridica, ut quis in conscientia teneatur compensare damnum datum n. 9.
Quot modis injusta damnificatio possit esse peccatum veniale n. 10.
Ex damnificatione venialiter ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali n. 11.
Qui grave damnum intulit ex culpa solùm veniali, non tenetur ad compensationem totius damni, aut partis gravis n. 12. &c.
Imò probabiliter nec partis levis ex gravi damno n. 14.
Respondetur ad objectionem de damnificatione gravi per plura minuta furta n. 15.
Quid de illo, qui subita ira correptus, alium occidit, aut negligens est, in custodiendo rem alterius? n. 16.
Disparitates de pœna purgatorii, & excommunicationis minoris n. 17. &c.
Quid de pluribus gravem summam eidem furantibus? n. 19.
Cautela pro confessariis n. 20.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in quasi contractu.

Quid sit quasi contractus VII. d. 4. a. 3. n. 21.
In quasi contractu nemo obligatur per se loquendo ad restitutionem, nisi ob culpam theologicam gravem n. 22.
Per accidens tamen quis potest obligari ad diligentiam exactissimam n. 23.
Quid de dante consilium damnifernm n. 24.
Quid de suadente sententiam probabilem? n. 25.
Quid de consiliario indocto, & tamen consulto? n. 26.
Aliæ illationes de confessario, medico, Doctore, & similibus n. 27. & seq.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi in contractu?

Status quæstionis VII. d. 4. a. 3. n. 30.
Tria genera contractuum hic observanda n. 31.
Sicut & tres dispositiones juris de illis n. 32.
De jure naturæ nemo tenetur resarcire grave damnum, nisi ob culpam latam, & theologicè gravem in contractu admissam n. 33.
Quod idem dicendum spectato jure positivo ante sententiam judicis n. 34. & seq.
Asseruntur nonnulli casus excepti n. 36.
Non teneris res alienas in communi periculo præferre tuis æquè vel magis pretiosis n. 37. &c.
Quid si adsit spes recipiendi pretium n. 39.
An tenearis rem alienam tunc præferre tuæ viliori cum tuo notabili damno n. 40.
An cum damno non notabili n. 41.
Si damnum aliquod grave à domesticis illatum sit cum gravi culpa domini hic tenetur ad restitutionem n. 42.
Secùs, si talis culpa absit n. 43.
Quid post sententiam Judicis n. 44.
Statuuntur obligationes restituendi ex indirecta damnificatione consequentes n. 45.

Restituere an & quando teneantur cooperantes ad damnum.

Ad damnum inferendum alii sunt cooperantes positive, alii negativè tantùm VII. d. 4. a. 4. n. 1.

Positivè cooperantes tenentur ad restitutionem n 2.
Quando teneantur negativè concurrentes? n. 3.
Non excusatur concurrens ad damni illationem, si ipso non concurrente alius concurrisset n. 4.
Quid de famulis non impedientibus damna herorum n. 5.
Mandans inter concausas damni morales præcipua est n. 8.
Tenetur ad restitutionem n. 9.
Quando revocatio mandati innotuit mandatario re adhuc integra, mandans ad nihil tenetur n 10.
Alia de revocatione mandati in praxi tenenda n. 11. & seq.
An mandans tenetur mandatario resarcire damnum, quod is propter executionem mandati incurrit? n. 14.
Ratum habens damnum datum, an tenatur ad restitutionem? n 15.
Quinam intelligantur nomine consulentis n. 16.
Consulens tenetur compensare damnum ex suo consilio secutum n. 17.
Quid de suadente illationem damni ad id inferendum aliunde determinato n 18.
Quid de suadente inferre minus damnum volenti inferre majus n. 19.
Quid de suadente furi, v. g. ut Titio, de cujus læsione nihil cogitabat, auferat 50. cùm statuerat Cajo auferre 100 n. 20.
Quid de proponente in genere id, quod est minus, dum alter alterutri duorum damnum inferre paratus est? n. 21.
Revocato consilio noxio, quod fuit falsum, Consiliarius ad nihil tenetur n. 22.
Tenetur autem ad restitutionem, si tale consilium fuit verum n. 23.
Quis consentiens? quis palpo? n. 26.
Qui efficaciter consensit in damni illationem, tenetur restituere n. 27.
Quid de non consentiente, qui tenebatur consentire n. 28.
Quid de consentientibus in damni illationem jam decretam n 29.
Qui fert iniquum suffragium post suffragia sufficientia ad inferendum damnum, non tenetur restituere n. 30.
An, & quando contra justitiam peccent senatores in senatu non comparentes n. 33.
Palpo, adulator, exprobrator, irrisor, quando teneantur ad restitutionem n. 34. &c.
Quis recursus? quis participans n. 36.
Dans recursus. quando est efficax causa damni, tenetur ad restitutionem n. 37.
Quid de advocatis furum sit sentiendum n. 38.
Quid de receptante malefactorem, si ad hoc metu sit adactus n. 39.
Quid de occultante furem, dum à lictoribus quæritur n. 40.
Quid de cauponibus filiosfamilias, qui paternam pecuniam abliguriunt, recipientibus n. 41.
Etiam participans tenetur ad restitutionem n. 42.
An ad aliquid teneatur, qui damnificanti præstat auxilium non necessarium n. 43.
An qui metu compellitur ad præstandum auxilium n. 44.
Quis hic mutus, quis non obstans, quis non manifestans n. 46.
Omnes istæ causæ tenentur resarcire damnum, quod ex earum negligentia consequitur n. 47.
De Principibus, Belliducibus &c. non impedientibus furta, latrocinia &c. n. 48.
Testis juridicè interrogatus, quando teneatur ad compensationem damni ex suo testimonio secuti n 49.
De accipiente pretium à fure, ne furantem impediat n. 50.
De custodibus vinearum, saltuum &c. n. 51.

Quo ordine sit restituendum?

Ordo in restituendo vel ex parte debitoris, vel ex parte creditoris considerati potest VII. d. 4. a. 5. n. 1.
Statuitur ordo servandus ex parte debitorum n. 2.
Quando principalis damnificans restituit, causæ secundariæ fiunt liberæ ab onere restituendi n. 3.
Similiter, si principali damnificanti debitum restituendi remittatur, secundariis quoque remissum censetur: sed non vicissim. n. 4.
Quando bona debitoris sufficiunt ad solvendum omnibus creditoribus nullus inter hos servandus est ordo n. 5.
Spectari debet jus uniuscujusque creditoris in bona debitoris n. 6.
Debita realia sine ordine integrè solvenda sunt jus proprietatis in illa habentibus n. 7.
Quid de re empta, nondum verò soluta apud debitorem obæratum exstante n. 8. & seq.
Secundò loco, si debitor sit defunctus, solvendæ sunt expensæ funeris n. 11.
Declaratur ordo servandus inter creditores hypothecarios & non hypothecarios n. 12. & seq

Quo tempore, & quo loco sit restituendum?

Obligatus ex contractu debet restituere tempore, in quod fuit conventum VII. d. 4. a 5. n. 14.
Obligatus ex re accepta, vel injusta acceptione tenetur statim restituere, id est, quamprimùm commodè potest n. 15.
Alioquin manet in statu peccati mortalis, quamdiu non restituit, nisi excuset parvitas materiæ, vel brevitas temporis n 16.
Obligatus ex contractu, & non restituens præfixo tempore, quando condemnandus peccati mortalis? n. 17.
Resolutiones observandæ confessariis n 18. & seq.
Obligatus ex re accepta potest restituere ibi, ubi res est n. 21.
Ubi restituere debeat obligatus ex debito n. 22.
Ubi obligatus ex contractu n. 23.

Causæ excusantes à restitutione.

Quotuplex impotentia, & necessitas VII d. 4. a. 5. n. 1.
Impotentia tam physica, quam moralis, à restituendo excusat, quamdiu datur n. 2.
Quod idem extendi debet ad necessitatem saltem extremam debitoris n. 3.
An cessante hac necessitate reviviscat restituendi obligatio n. 4.
Quid, si tam creditor, quàm debitor versantur in extrema necessitate n. 5.
Ob gravem necessitatem debitoris differri potest restitutio n. 7.
Limitationes hujus doctrinæ n. 8.
Cur in gravi necessitate liceat aliquando retinere alienum; non autem accipere? n. 9.
An sit obligatio restituendi cum damno in bonis superioris ordinis n. 10.
Explicatur triplex ordo bonorum n. 11.
Non tenetur statim restituere, qui propterea statu suo deberet excidere. hæc tamen intelligenda cum suis limitationibus n. 12.
Debitor tenetur compensare damna creditoris orta ex dilatione restitutionis n. 13.
Etiam gravis necessitas, si sit perpetua, à restitutione excusat in perpetuum n. 14.

Utrum excuset remissio creditoris & cessio bonorum?

Remissio creditoris, ut sit valida, duas habere debet conditiones n. 15.
Quid cessio bonorum, & quos habeat effectus n. 16.
Remissio creditoris, etiam præsumpta, excusat à restitutione n. 17. & seq.
Quid, si debitor per minas obtineat remissionem n. 19.
Quid, si fingat se pauperiorem, quàm re vera est n. 20.
An valeat remissio blanditiis, vel precibus obtenta n. 21.
Cessio bonorum à restitutione non excusat in foro conscientiæ n. 22.
Debitor potest, imo interdum tenetur differre restitutionem, quando hæc graviter noceret creditori n. 25.
Solvens crediteri creditoris excusatur à restitutione n. 26.
Statuitur, quando & quomodo excuset à restitutione interitus rei debitæ n. 27. &c.
Resolvitur specialis difficultas de interitu rei transmissæ per nuntium &c. n. 29.
Etiam authoritas juris, & judicis in quibusdam casibus excusat à restitutione n. 30.

De ingressu Religionis & reliquis causis excusantibus.

Professio religiosa debitoris quantumcunque obærati est valida VII. d. 4. a. 5. n. 31.
Tenetur differre ingressum Religionis, qui intra breve tempus potest in sæculo satisfacere creditoribus n. 32.
Si ad hoc opus sit longo tempore, non tenetur n. 33.
Quando ad satisfaciendum obligationi naturali prætermitti debeant, quæ sunt meri consilii? n. 34.
Dispositiones juris positivi circa debitores religionem ingredi volentes n 35.
Excommunicatio creditoris non excusat à restitutione n. 36.
Excusat compositio cum Papa, quando obligatio restituendi provenit à jure positivo n. 37.
Excusat etiam compensatio, extra casus jure positivo exceptos n. 38.

Resti-

Restitutio in specie.

Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis animæ naturalibus?

Qui alterum in bonis animæ naturalibus graviter lædit, tenetur ad restitutionem. VII. d. 5. a. 1. n. 1
Quid de eo, qui alterum veneno, philtro &c. usu rationis privavit. n. 2
Quid de impedientibus studiosos à studio litterarum. n. 3
Quid de docentibus alios falsa, vel improbabilia? n. 4
Quid de oblato usu rationis, alicujus sensûs vel memoriæ sit restituendum. n. 5

Ad quid teneatur, qui alteri damnum intulit in bonis supernaturalibus?

Sententia quorundam antiquiorum. n. 6
Qui alterum absque vi, vel fraude induxit ad peccatum, ad nihil tenetur ex justitia, nisi ipsum peccatum fuerit in materia justitiæ. n. 7.
Qui vi, vel fraude induxit, ex justitia tenetur istas tollere & procurare, ut inductus emendetur. n. 8
Quid de eo, qui alterum pretio, precibus, vel per metum reverentialem induxit ad peccatum? n. 9. &c.
Aliquem vi; vel fraude inducere ad peccandum venialiter potest aliquando esse graviter injuria. n. 11
Illationes de turpiloquiis, & superioribus Regularibus. n. 12

An teneatur ad Restitutionem, qui retraxit aliquem ab ingressu Religionis, vel jam ingressum extraxit?

Quænam hic discutienda. VII. d. 5. a. 1. n. 13
Retrahere quempiam ab ingressu religionis aliquando est licitum, n. 14
Neque, qui novitium n. 15
Neque, qui professum sine vi, & fraude extraxit è religione ad aliquid tenetur ex justitia. n. 16
Ad quid teneatur, qui memoratos vi, vel fraude abduxit? n. 18. & seqq.
Quomodo peccet, qui sine sufficienti causa novitio negat suffragium ad professionem? n. 21. & seqq.
An egrediens ex noviciatu teneatur religioni solvere expensas. n. 24. & seq.

De Restitutione in bonis vitæ & membrorum?

An & quomodo liceat occidere malefactores?

Sententia Scoti. VII. d. 5. a. 2. n. 1.
Licitum est publica authoritate occidere malefactores. n. 2.
An liceat judici occidere reum extrà statum gratiæ existentem. n. 6.
An liceat aliquando occidere malefactores ex aliena republica? n. 7
Quid liceat circa proscriptos? n. 8
Quid liceat marito circa uxorem in adulterio deprehensam. n. 9.
An liceat occidere tyrannum? n. 10

An aliqua restitui debeat pro vita, membro, vel cicatrice?

Declaratur status quæstionis. VII. d. 5. a. 2. n. 11.
Eligitur & probatur sententia negativa, saltem ante sententiam judicis. n. 12
Solvuntur objectiones. n. 13
An aliquid restituendum pro fustuario vel alapa inflicta? n. 14
An plus restituendum ob eædem personæ dignioris? n. 15
An aliquid compensandum pro deformitate & cicatrice? n. 16
An aliquid pro anima occisi? n. 17.

Damnum famæ & honoris an compensandum in alio genere bonorum?

An & cuinam restitui debeat pro damnis realibus?

Pro damnis realibus est restituendum. VII. d. 5. a. 2. n. 18.
Quid de mercedibus medicorum, chirurgorum &c. item de lucris cessantibus & sumptibus exequiarum. n. 19. & seq.
Cuinam hæc omnia restituenda. n. 22
An quid restituendum hæredibus non necessariis. n. 23
Crediroribus occisi nihil tenetur homicida solvere ex justitia.
An aliquid debeat homicida hæredibus necessariis occisi si nullos dari existimaverit? n. 27
Ad quid teneantur hæredes homicidæ. n. 28. & seq.
Quæ obligatio illius, qui occidit injustum aggressorem cum excessu moderaminis? n. 30. & seq.
Item illius, qui alterum occidit in duello? n. 32
An occisus ante suam mortem possit homicidæ remittere obligationem restituendi. n. 33. & seqq.

Restitutio ex injuriis stupri & adulterii.

Ad quid teneatur corruptor virginis, si non promisit illi conjugium?

Quo modò hic accipiatur stuprum. VII. d. 5. a. 3. n. 1
Si puella liberè consensit, violator ad nihil tenetur in foro conscientiæ. n. 2
Quid si puellà compensationem damni condonet? n. 3
Aut non sit seducta, sicut credebatur in foro externo? n. 4
Qui puellam seduxit precibus, blanditiis, muneribus, ad nihil tenetur, nisi ista extra modum fuerint importuna n. 5. & seq.
Quid si præ verecundia non ausa est dissentire? n. 7
Vel consensit ex metu justè incusso. n. 8
Ad quid teneatur, qui consensum vi vel fraude extorsit? n. 9. & seq.
Quid si puella non fuit virgo velut communiter credebatur? n. 14
Quid, si post violationem æquè, commodè nupsit. n. 15. &c.
Qui injustè manifestat corruptionem virginis aliàs non propalandam tenetur ad compensationem damnorum inde ortorum? n. 17

Ad quid teneatur corruptor virginis, si illi promisit matrimonium?

Quadruplex sensus præsentis quæstionis. n. 18
Qui sub spe conjugii serio promissi vitiavit virginem, tenetur eam ducere. n. 19
Ad idem tenetur, qui fictè promisit loquendo ordinariè. n. 20
Afferuntur casus excepti. n. 21
Quid, si puella recusat nuptias sibi promissas? n. 22
Defloror promittens matrimonium tenetur defloratam ducere, tum si ante, quàm post defloration em votum castitatis, aut religionis ediderit. n. 23. & seq.
Ad quid teneatur, qui ex non conjugata, quam violavit, prolem suscepit? n. 29
Papa in alio impedimento consanguinitatis nunquam dispensare solet, in alio solet dispensare. n. 30
Resolutiones de obligatione consanguineam violantis sub pacto conjugii. n. 31

Ad quid teneatur adulter & adultera, si nata sit proles ex adulterio?

An aliquid compensandum pro ipsa injuria adulterii. VII. d. 5. a. 3. n. 32.
Adulter ad nihil tenetur, quamdiu non est moraliter certus, prolem esse suam. n. 33. & seq.
Ad quid teneatur, si de hoc sit moraliter certus? unde peti soleat hæc certitudo. n. 35. & seq.
Quid in dubio, uter sit Pater prolis, quando adultera cum duobus consuevit? n. 38. & 39
Statuitur obligatio adulteræ. n. 40
An teneatur prodere suum delictum, sit id necessarium sit ad compensanda, vel evitanda damna mariti, vel legitimorum. n. 41. & 42
Quando filius teneatur credere, se esse illegitimum. n. 43
An Parentes, qui criminis tegendi causâ Prolem ex illicito concubitu genitam orphanotrophio alendum exponunt, teneantur orphanotrophio compensare expensas? n. 44.

S.

Salus.

Alia prima, alia secunda. V. d. 1. a. 1. n. 3.

Sacramenta in genere.

Definitio Sacramenti. VIII P. t. d. 1. a. 1. n. 2
Sacramentum ratione sui debet esse signum efficax. n. 3
Aliqua excluduntur à ratione sacramenti. n. 4. & seq.
An Sacramentum necessariò debeat esse signum stabile & permanens. n. 8
Aut discretivum Ecclesiæ ab Ecclesia. n. 9
Sacramenta sunt septem. n. 10
Alia dicuntur mortuorum, alia vivorum & quare. n. 11

An omnia sacramenta constent de rebus & verbis?

Quid

Quid hic intelligatur nomine rerum & verborum? VIII. P. 1. d 1. a. 2. n. 1

Cur res vocentur materia in sacramentis? n.2

Asseritur sententia affirmans. n.3.

Quo sensu actus spirituales pœnitentis dici possint res sensibiles in sacramento pœnitentiæ n.4

Nomina rerum & verborum in Præsenti non debent accipi strictè. n.5

Cur in sacramento matrimonii traditio potiùs, quàm acceptatio dicatur æquivalenter res. n.6

In sacramentis alia est forma totalis, alia partialis. n.7

Materia sacramentorum alia remota, alia proxima. n.8

Ut res & verba componant unum aliquod sacramentum sufficit illa simul existere simultate morali. n.10

An & qualiter materia & forma sacramentorum sint determinatæ?

Materiæ & formæ sacramentorum à Christo sunt determinatæ. n.19

Christus quorundam sacramentorum materiam & formam determinavit quoad speciem, aliorum quoad rationem genericam tantùm. n.22

Quænam mutatio materiæ vel formæ obsit valori sacramenti?

Essentialis mutatio materiæ, vel formæ tollit valorem sacramenti, non autem accidentalis. VIII. P. 1. d. 1. a. 1. n. 24

Statuitur quænam mutatio materiæ sit essentialis. n.25

Octo modis potest contingere mutatio formæ sacramentalis. n.30

Statuitur, unde colligi possit, mutationem formæ esse essentialem, vel accidentalem n.31

Quale peccatum sit quidpiam mutare in formis sacramentorum. n.40

Quid agendum ministro in dubio, an formam sacramentalem rectè protulerit? n.41

Quid sentiendum de formis sacramentorum in ebrietate pronuntiatis. VI. d.3. a.3. n.24

Quid hic tenendum, si mutatio formæ sacramentalis fiat inducendi erroris causâ?

Referuntur sententiæ. VIII P. 1. d. 1. a. 2. n. 42

Validum est sacramentum, si minister debitam formam applicet debitæ materiæ cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licet simul velit inducere errorem. n.43

Non obest valori sacramenti, si minister putet, aliquid esse vel non esse de essentia formæ, dummodo intendat facere, quod facit Ecclesia. n.45

Sacramentorum Minister.

Ille est tantùm minister sacramentorum, quem Christus sua institutione designavit. VIII. P. 1. d. 2. a. 1. n. 1

Talis autem est solus homo, neque angelus sive bonus, sive malus. n. 2. & 3

Neque anima separata, neque quilibet homo baptizatus est minister Sacramentorum. n. 4 & 5.

Homo tamen comprehensor est minister idoneus, licet extraordinarius. n 6

An in ministro requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

Probatur sententia affirmans. VIII. P. 1. d. 1. a. 2. n. 2

Non sufficit intentio faciendi ritus externos meriè materialiter. n. 3

Intentio faciendi sacramentum formaliter est virtualiter intentio conferendi effectum illius. n. 4

Melior est intentio particularis baptizandi, consecrandi &c. sufficit tamen generalis faciendi, quod facit Ecclesia. n 5

Sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia particularis falsa, quam minister putat esse veram. n 6

Ac nulla est intentio faciendi, quod facit Ecclesia falsa, quam credit esse falsam, & non faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quam credit esse veram Ecclesiam. n. 7

Deus non supplet defectum intentionis in ministro Sacramenti. n 12

Qualis esse debeat intentio Sacramenti?

Quotuplex intentio. VIII. P. 1. d. 2, a. 3. n. 1

Ad valorem Sacramenti sufficit ex parte ministri intentio virtualis. n. 2

Corollaria practica. n. 5. & seq.

Intentio ministri debet esse vel formaliter, vel æquivalenter absoluta. n. 9

Resolutiones de administratione sacramentorum sub conditione. n. 10. & seqq.

Grave peccatum est absque rationabili causa administrare sacramentum sub conditione. n. 15

Intentio ministri ferri debet in materiam, & personam determinatam. n. 16

Unde provenire possint intentiones contrariæ in administratione sacramentorum. n. 20

Quando intentio recta est efficacior intentione erronea, contraria, valet Sacramentum. n. 21

Unde colligendum, utra intentionum contrariarum sit efficacior. n. 22

Intentio ministri non est pars sacramenti, sed solùm conditio extrinseca. n. 23

Quænam requirantur in ministro, ut Sacramentum licitè conficiat, vel ministret?

Minister alius solemnitatis, alius necessitatis. VIII. P. 1. d. 2. a. 4. n. 1

In ministro solemnitatis ad licitam administrationem sacramenti requiritur status gratiæ. n 2

Minister solemnitatis sibi conscius gravis peccati non potest licitè sacramentum conficere cum sola attritione cognita ut tali. n. 3.

Quoties peccet ejusmodi minister in statu peccati mortalis sacramentum solemniter conficiens. n 4

Minister necessitatis probabiliter non peccat, nisi venialiter, si in statu mortalis sacramentum administret. n 5

Quænam alia requirantur ad licitam administrationem sacramentorum. n. 11

Quid requiratur ad validam receptionem sacramenti?

Ut adultus validè recipiat Sacramentum, debet habere positivam intentionem recipiendi illud VIII. p. 1. d. 3. a. 1. n. 1.

Præter intentionem jam dictam ad validè recipiendum Sacramentum nulla requiritur alia dispositio in recipiente, si excipiatur Sacramentum pœnitentiæ n. 6.

Quid requiratur, ut Sacramenta licitè & fructuosè recipiantur.

Ut licitè & cum fructu recipiantur Sacramenta mortuorum præter intentionem recipiendi requiritur tanquam dispositio actus fidei, & spei, & aliquando attritio VII. p. 1. d. 3. a. 2. n. 1.

Ad licitè recipiendum Sacramenta vivorum præter intentionem recipiendi requiritur status gratiæ n. 2.

Ut quis licite recipiat Sacramentum aliquod vivorum, si mortalis est reus, non sufficit sola attritio per se loquendo n 3.

Qui sumit Hostiam consecratam nesciens esse consecratam non sumit sacramentaliter & cum fructu n. 4.

An & quomodo sacramenta fictè suscepta conferant gratiam remota fictione?

Quid hic fictio & quotuplex VIII. p. 1. d 3. a 3. n. 1.

Sacramenta characterem imprimentia gratiam conferunt remota fictione. n. 2

Quod idem probabiliter asseritur de aliis sacramentis in usu consistentibus. n. 3

Quomodo hæc sacramenta adhuc existunt, dum removetur obex. n. 4

Etiam sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum confert aliquando gratiam remota fictione. n. 5

Eucharistia & Sacramenta characterem imprimentia probabiliter physicè conferunt gratiam remota fictione. n. 8

Reliqua probabilius moraliter tantùm. n. 9

Sacramentalis gratia.

Difficultas de gratia sacramentali, quid superaddat non sacramentali ratione cujus ab illa differat. VIII. P. 1. d. 4. a. 1. n. 1

Concluditur gratiam sacramentalem superaddere jus quoddam morale ad specialia auxilia. n. 3

Quid sit gratiam conferre ex opere operantis? quid ex opere operato? n 7.

Sacramenta nostra conferunt gratiam ex opere operato. n. 8

Sacramenta mortuorum per se primam, vivorum per se conferunt secundam gratiam, per accidens tamen illa secundam, hæc primam gratiam conferunt. n. 10

Sacra-

Sacramenta ejusdem speciei conferunt æqualiter dispositis æqualem gratiam n. 11.
Secus Sacramenta diversæ speciei n. 12.

Sacramentalis character.

Definitio characteris Sacramentalis VIII. p. 1. d. 4. a. 2. n. 1.
Tria Sacramenta imprimunt characterem n. 2.
Affertur alia definitio characteris n. 4.
In morte hominis non cessat omnis finis characteris n. 5.
In Christo nullus unquam character fuit, nec modo est n. 6.
In Beatissima Virgine est character Baptismi, & Confirmationis, non autem ordinis n. 7.

Satisfactio Sacramentalis.

Vide Sacramentum pœnitentiæ de obligatione imponendi eam

Sacrilegium.

Primæva acceptio sacrilegii V. d. 2. a. 5. n. 9.
Ejus definitio & declaratio n. 10.
Sacrilegium aliud personale, aliud locale, aliud reale n. 11.
Personale quatuor actionibus committitur n. 12.
Clericus in majoribus, qui fornicatus est, debet in Confessione exprimere circumstantiam ordinis sacri n. 13.
Exponitur, quænam, si fiant in loco sacro, sacrilegia censeantur n. 14. & 15.
Sacrilegium reale quinque actionibus committi solet n. 16.
Sacrilegium ex genere suo mortale est n. 24.
In Confessione explicandum est circa quam materiam patratum est sacrilegium n. 25.
Sacrilegium est aliquando peccatum omissionis n. 26.
Et plura vide pariter de sacrilegio V. d. 7. a. 2. n. 83. & seqq.

Scandalum.

Definitio scandali V. d. 1. a. 5. n. 2.
Divisio scandali n. 3. 4. & 5. & seqq.
Scandalum activum ex genere suo mortale est n. 9.
Scandalum directum est speciale peccatum contra charitatem n. 10.
Quid de scandalo indirecto n. 11.

Quænam facere, vel omittere debeamus scandali vitandi gratiâ?

Nunquam est licitum proximi peccatum impedire, exercendo actionem intrinsecè malam n. 18.
Ob justam causam licitum est exercere actionem bonam aut indifferentem, ex qua proximi peccatum providetur secuturum n. 19. & 20.

Sententia probabilis.

Vide conscientiam probabilem.

Schisma.

Quid V. d. 1. a. 2. n. 34. & 35.
Aliud purum, aliud conjunctum hæresi n. 36.

Scrupulus.

Vide conscientia scrupulosa

Seditio.

Quid, & quale peccatum V. d. 1. a. 6. n. 38.

Spes.

Definitio spei V. d. 1. a. 3. n. 1.
Spes habitualis omnibus omnino hominibus, actualis omnibus adultis ad salutem est necessaria necessitate medii n. 2. & 3.
Datur præceptum naturale, positivum, negativum, & affirmativum spei n. 4.
Præceptum negativum nunquam non obligat n. 5.
Affirmativum obligat per se sub initium usûs rationis n. 6.
Per accidens obligat, quoties obligatio alterius præcepti impleri non potest sine actu spei n. 7.
Omittere contritionem una cum actu spei non est duplex peccatum n. 8.
Spes habet adjunctum timorem, eumque vel filialem, vel servilem n. 9.
Datur præceptum de utroque hoc timore, quod tamen non est speciale n. 10.

Vitia spei opposita.

Vide hæc: V. d. 1. a 3. n. 11. & seqq.

An homo, cui Deus revelâsset suam æternam damnationem, posset adhuc sperare salutem.

Deus ordinariè loquendo nulli reproborum revelat in particulari damnationem suam æternam V. d. 1. a. 3. n. 20.
Ad actum spei necessarium est prudens dictamen de beatitudine futura n. 21.
Homo revelata sibi æterna damnatione sua non posset amplius sperare beatitudinem n. 22. & 23.

Secretum

Quando & quomodo peccetur per revelationem secreti?

Quid & quotuplex secretum? VII. d. 5. a. 4 n 53.
Revelare secretum alterius quale peccatum n. 54.
Quinam obligentur ad servandum secretum? n. 55.
Causæ ab hac obligatione liberantes n. 56.
Etiam cum jactura vitæ aliquando servari debet secretum n. 57.
Quid de legentibus alienas litteras n. 58. & seqq.
Obligatio restituendi ex violatione secreti orta n. 62.

Simonia.

Nomen & origo Simoniæ V. d. 2. a. 5. n. 27.
Definitio ejus cum sua analysi n. 28.
Quænam concurrere debeant, ut committatur n. 29.
Varia corollaria n. 30. & seqq.
Alia mentalis, alia conventionalis, alia realis n. 37.
Item alia juris naturalis, alia juris positivi Ecclesiastici, enumerantur simoniæ juris positivi n. 38.
Est ex genere suo mortale n. 39.
An quid & cui restitui debeat ex simoniace acceptis n. 40.

Simulatio.

Quid de simulatione V. d. 8. a. 1. n. 6.

Sobrietas.

Triplex acceptio sobrietatis V. d. 1. a. 4. n. 1.
Sobrietatis propriè acceptæ definitio n. 3.

Sodomia.

Definitio Sodomiæ V. 1. d. 7. a. 2. n. 78.
Ejus execranda malitia n. 74.
Plures resolutiones n. 75. & seqq.

Somnium.

Vide divinatio.

Sponsio.

Sponsio per se loquendo est contractus licitus VII. d. 6. a. 5. n. 1.

Sponsalia.

Definitio sponsalium VIII. p. 7. d. 1. a. 1. n. 1.
An contrahat sponsalia, qui dicit: desponsabo te in illum 2.
An in Confessione concubitûs cum aliena sponsus explicare teneatur circumstantiam sponsalium? n 3.
Nomen sponsalium absolutè prolatum significat sponsalia de futuro n. 4.
Matrimonium licitè & validè contrahitur non præmissis sponsalibus n. 5.

Conditiones sponsalium.

Quænam adversentur libertati humanarum actionum VIII. p. 7. d. 1. a. 2. n. 1.
Libertas, quæ requiritur, & sufficit ad peccandum mortaliter etiam requiritur, & sufficit ad valorem sponsalium n. 2.
Sufficit deliberatio etiam virtualis n. 3.
An adfuerit sufficiens deliberatio, si sponsum postea pœniteat sponsalium? n. 4.
Sponsalia ex gravi metu etiam injustè incusso inita, jure naturæ sunt valida? n. 5.
Sponsalia tempore somni, furoris, amentiæ inita sunt invalida, non autem inita tempore iracundiæ n. 7.
Quid si amens aut furiosus contrahat sponsalia tempore lucidi intervalli n. 8.
Quid in dubio, an talis tempore furoris, vel amentiæ contraxerit? n. 9.
Item quid in dubio, an calor iracundiæ requisitam deliberationem impediverit n. 10.

Quomodo sponsalia debeant esse promissio mutua.

Difficultates hic expediendæ VIII. p. 7. d. 1. a. 2. n. 12.
Promissio sponsalitia ut obliget, debet esse acceptata n. 13.
Ante acceptationem non obligat, etiamsi juramento fuerit firmata n. 14.
Acceptatio promissionis non est semper repromissio n. 15.
Si quis animo contrahendi dicat puellæ, accipiam te in meam, ipsaque acceptet sine animo repromittendi, nulla oritur obligatio n. 17.
Quid de promissione matrimonii gratuita? n. 18.
Quid si in promissione sponsalitia promissarius diu distulerit repromissionem n. 19.
An gratuita matrimonii promissio obliget sub mortali n. 20.
In quibus casibus fictè promittens matrimonium teneatur stare promissis? n. 21. & 22.

ui promittit matrimonium animo prómittendi sed sine animo se obligandi; non tenetur stare promissis, quamvis puella repromittat n. 23.
Limitatio hujus doctrinæ n. 24.

Quomodo matrimonium futurum sit materia sponsalium?

Matrimonium futurum, ut sit materia sponsalium, debet esse validum & licitum VIII. p. 7. d. 1. a. 2. n. 25.
Non valent sponsalia posteriora, si jam prius sunt contracta alia cum alia n. 26.
Quod etiam verum est, si posterioribus accessit copula carnalis n. 27.
Sponsalia contracta ab habente votum simplex castitatis ordinariè sunt invalida n. 28.
Quid si ejusmodi sponsalibus accessit defloratio sponsæ n. 29
Quid de sponsalibus incertis? n. 30. & seqq.

Qualiter sponsalia debeant esse promissio signo aliquo sensibili expressa?

Promissio meré interna non sufficit ad sponsalia VIII. p. 7. d. 1. a. 2. n. 33.
Nulla tamen certa verba, aut signa, quibus exprimatur, sunt hic præscripta n. 34.
Quæcunque tamen sint, nulla ex illis consurgit obligatio per se loquendo, si absit internus consensus eadem exhibentis n. 35.
An vera sponsalia contrahantur per verba negativa n. 36.
An tacitumitas sit signum sufficiens consensus sponsalitii n. 37.
Quid de sponsalibus, quæ contrahuntur per litteras n. 38.
An valida & licita sint sponsalia clandestina n. 39.

Quænam personæ sint habiles ad sponsalia?

Illi tantùm sunt habiles, qui possunt contrahere matrimonium validè & licitè VIII. p. 7. d. 1. a. 2. n. 40.
Neque habentes impedimentum impedicus matrimonium n. 41.
Neque pueri ante usum rationis sunt habiles ad sponsalia n. 42.
An, si cui ante septennium ætatis adsit usus rationis, possit validè contrahere sponsalia n. 43.
Quandonam in foro conscientiæ idem sit judicandum, quod in foro externo n. 44.
Ad contractum sponsalitium non requiritur in contrahente septennium physicè completum n. 45.
Solvitur instantia de professione religiosa n. 46.
Non est peccatum mortale sponsalia contrahere ante septennium n. 47.
Liberi validè ea contrahunt sine consensu parentum n. 48.
Quomodo sponsalia contrahi possint per alios n. 49. & seqq.

Sponsalium obligatio.

Sponsi ex justitia obligantur ad contrahendum suo tempore matrimonium VIII. p. 7. d. 1. a. 3. n. 1.
Ea obligatio an semper sit gravis n. 2.
Sponsi obligantur etiam ad abstinendum ab omnibus, quæ executioni promissionis obstare possunt n. 3.
Quo tempore implenda sit obligatio contractûs sponsalitii n. 4.
Injustè resiliens à sponsalibus compelli potest à Judice ad standum promissis n. 5 & 6.
Etiam sponsalia conditionata aliquando obligant n. 7.
An sponsalia conditionata priora irritentur, si conditio posteriotibus adjecta prius impleatur n. 12.
An sponsalibus adjici possit certa pœna à parte injustè resiliente solvenda n. 13.
Quid sit impedimentum publicæ honestatis n. 14.
Illud oritur ex sponsalibus validis & absolutis n. 15.

Sponsalium dissolutio.

Sponsalia puberum mutuo consensu dissolvuntur VIII. p. 7. d. 1. a. 4 n. 1.
Quamvis jurata sint & sine authoritate Judicis fiat consensus in dissolutionem n. 2.
Sponsalia impuberum non possunt dissolvi mutuo consensu ante pubertatem n. 3.
Quomodo solvantur sponsalia per matrimonium cum altera injustè contractum n. 4. 5. & 6.
Solvuntur etiam per susceptionem ordinis sacri n. 7.
An sponsus possit licitè suscipere talem aliquem ordinem sponsa ignorante, vel invita n. 8.
Sponsalia solvuntur per professionem religiosam n. 9.
At non per solum ingressum religionis n. 10.
Sicuti neque per subsequens simplex votum castitatis n. 11.
Solvuntur præterea per quodlibet impedimentum dirimens matrimonium n. 13.
Sicut etiam per lapsum termini eidem adjecti n. 14.

Causæ, ob quas à sponsalibus resilire licet.

Prima causa resiliendi à sponsalibus est absentia. VIII. P. 7. d. 1. a. 4. n. 18
Et plures tales causas vide eodem folio, 1143.

Superstitio.

Superstitio unde dicta. V. d. 2. a. 4 n. 1
Definitio ejus, ejusque declaratio. n. 2
Divisio & subdivisio superstitionis. n. 3
Quinam committant superstitionem cultus pernicios. n 4
Quinam superstitionem cultûs superflui. n. 5

Suspensio.

Definitio suspensionis. IV. d. 2. a. 2. n. 1
Differentiæ ejusdem ab aliis pœnis ecclesiasticis. n. 2
Suspensio alia totalis, alia partialis. n 3
Suspensus ab officiis non hoc ipso suspensus est à beneficio. n. 4
Uti nec econtra. n. 5
Similiter suspensus ab ordine non hoc ipso suspensus est à jurisdictione. n. 6
Sicuti nec econtra. n. 7
Non est prohibitum communicare cum suspensis. n. 8

Ob quam causam, & quomodo ferenda sit suspensio.

Suspensio non incurritur, nisi propter aliquod peccatum n. 9.
Suspensio gravis requirit culpam gravem n. 10.
Incurri potest etiam propter culpam alienam n. 11.
Ob quænam debita in specie incurri soleat suspensio n. 12.
Eadem censura ferri potest ob culpam meré præteritam n. 13.
Ut licitè feratur, debet dari in scripto n. 14. & 15.
Quinam ab ea absolvere possint. n. 16.
Quale peccatum sit exercere actum per suspensionem prohibitum n. 17.

Stuprum.

Tripliciter accipitur V. d. 7. a. 2. n. 12.
Stuprum violentum malitiæ fornicationis superaddit gravem malitiam contra justitiam n. 13.
An ejusmodi specialem malitiam contineat etiam stuprum non violentum n. 14. & seqq.
Hoc stuprum absque consensu parentum sæpè continet gravem malitiam contra charitatem, & pietatem n. 18.

T.

Tactus.

De hoc vide verbum delectatio
An per impudicos tactus polluatur Ecclesia II. d. 3. a. 2. n. 25

Tentatio Dei.

Alia dicitur seductionis; alia probationis V. d. 2. a. 5. n. 1.
Definitio ejus, ut hic sumitur n. 2.
Dividitur in expressam, implicitam, sive interpretativam n. 3.
Ob rationabilem causam à solo Deo exspectare effectum non est tentare Deum n. 4.
An sit tentare Deum coram Hæreticis petere miracula ad confirmandam fidem n. 5.
Quid de illo, qui martyrio se offert sine justâ causa n. 6.
Quid de purgatione ferri candentis, aquæ fervents &c. n. 7.
Tam interpretativa, quàm formalis Dei tentatio mortale peccatum est ex suo genere n. 8.

Testes in judicio.

Ad plenam in judicio probationem regulariter requiruntur, & sufficiunt duo testes V. d. 5. a. 2. n. 40.
Quibus qualitatibus testes debeant esse instructi n. 41.
Declaratur, quando sit & non sit obligatio dicendi testimonium n 42. & seqq.
Qui sciens dixit falsum testimonium alteri damniferum, tenetur damna impedire, vel reparare, & testimonium revocare, quando id videtur profuturum. n. 45.
Quid de eo, qui subterfugit dicere testimonium n. 46.

Tutor.

Quæ sit obligatio tutoris erga pupillum & vicissim. V. d. 5. a. 3. n. 15.

V.

Vana observantia.

Quid & quotuplex V. d. 2. a. 4. n. 41.
Quis ars notoria n. 42.
An licitus sit usus scientiæ operâ Dæmonis acquisitæ n. 43.
Quid observatio sanitarum, & unde dignosci possit n. 44.
Deducuntur in praxi utilia n. 46. & seqq.
De vana observantia, quatenus per illam adhibentur media naturalia insufficientia tanquam sufficientia n. 52.
Quid si adhibeantur artificialia, ut artificialia n. 53.
Quid in dubio, an medio applicando insit virtus naturalis n. 54.
Quid in dubio, an in medio sit vis divina, vel diabolica n. 55.
Nunquam licitum est, uti causa ad procurandum aliquem effectum, si certò constet esse superstitiosam. n. 56.
Quid sit observatio eventuum n. 57.
Quinam arguendi sint hujus superstitionis n. 58. & seqq.
Omnes vanæ observantiæ eventuum, & aliæ ex genere suo sunt peccata mortalia; contingit tamen, ut sint venialia tantùm n. 61.

Venditio.

Definitio ejus VII. d. 6. a. 3. n. 1.
Venditio ante traditionem rei non transfert dominium actualiter n. 3.
Exempla venditionis invalidæ ex indeterminatione pretii n. 6.
Vendens rem alienam acquirit dominium pretii, rei tamen dominium non transfert n. 21.
Statuuntur observatu necessaria circa obligationem manifestandi vitia occulta rerum venialium n. 22. & seq.
De vitio rei per se manifesto venditor non tenetur monere emptorem n. 27.
Declaratur, si res vendita pereat post, vel ante traditionem, cuinam pereat n. 28. & seqq.

Violentia.

Explicatur definitio violenti II. d. 1. a. 3. n. 22.
Differentia violenti à coacto necessario, & involuntario n. 23.
Violentum aliud simpliciter, aliud secundum quid tale n. 24.
Voluntas in solis actibus imperatis pati potest violentiam n. 25.
Violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter n. 26.
Vis illata non excusat à peccato, nisi debitis modis retituatur n. 27.
Statuitur regula ad dignoscendum, quantum fieri debeat resistentia n. 28.
Baptismus adulto violenter collatus est invalidus n. 29.

Virginitas

Propriè dicta non distinguitur reipsa à castitate perfecta V. d 7. a 1. n. 4.
Quot modis amittatur memorata virginitas n. 5. & seq.

Vita

An liceat aliquando vitam exponere periculo?

Contra præceptum conservandi vitam peccari potest positive, & negativè VII. d. 3. a. 4. n. 1.
Statuitur, & probatur sententia affirmans n. 2.
Quando sit obligatio exponendi vitam pro fide Christi n. 3.
Qualis debeat esse intentio ultro se offerentium in martyrium n. 4.
Quid hic liceat pro salute spirituali proximi, item qualiter gerere se debeant, vel licitè possint milites? n. 6.
An justè damnato ad mortem liceat non fugere ex carcere, etsi possit? n. 7.
Item an liceat se ultro offerre judici ad puniendum pro delictis n. 8.
An liceat cum prævisione abbreviandæ vitæ ingredi religionem n. 9.
An Carthusianus licitè abstineat à carnibus, etiam in morbo periculosissimo? n. 10.

Unctio extrema.

Extrema Unctio est verum ac proprié dictum sacramentum novæ legis VIII. p. 6. d. 7. a. 1. n. 1.
Extremam unctionem Christus instituit post resurrectionem n. 3.
Hoc Sacramentum ad salutem non est necessarium perse loquendo n. 4.
An peccent mortaliter, qui adsunt infirmis, si extremam eis procurare negligant n. 5.
Definitio hujus Sacramenti n. 6.

Unctionis materia, & forma.

Materia remota extremæ unctionis est oleum olivarum VIII. p. 6. d. 7. a. 2. n. 1.
Qualiter ad hoc Sacramentum sit necessaria benedictio episcopalis n. 2. 3 & 4.
Materia proxima est unctio in certis corporis partibus n. 5.
An necessarium sit, ut quinque unctionibus inungantur quinque partes n. 6.
Item an unctio facienda sit in figuram crucis? n. 7.
Præterea, an inter unctiones debeat servari ordo? n. 8.
Forma hujus Sacramenti n. 9.
Hæc forma necessariò debet esse deprecativa n. 10.
Quænam illius verba sint essentialia? n. 11.
An hæc eadem forma ad singulas unctiones sit repetenda n. 12.

Subjectum Unctionis.

Statuitur subjectum capax unctionis VIII p. 6. d. 7. a. 3. n. 1.
Negari debet non baptizatis n. 2.
Infantibus & perpetuò amentibus n. 3.
Non tamen pueris doli capacibus n. 4.
In quali infirmitate conferendum sit illud Sacramentum n. 5.
Observanda in praxi n. 6. & seq.
Quinam affirmârunt Beat. virginem recepisse extremam unctionem n. 10.
Præfertur negativa n. 11. & seqq.

Unctionis extremæ Minister.

Solus Sacerdos potest esse minister VIII p. 6. a. 4 n. 2.
Ad licitam hujus Sacramenti administrationem requiritur in Ministro jurisdictio n. 4.
Observanda in praxi n. 5. & seq.
An Parochus etiam tempore Pestis teneatur administrare hoc Sacramentum n. 9.
An minister incurrat irregularitatem, si curet infirmum revolvi &c. isque inde celerius moriatur? n. 10.

Unctionis effectus:

Effectus primarius est tollere reliquias peccatorum VIII. p. 6. d. 7. a 5. n. 1.
Inter secundarios primus est remissio peccatorum n. 2.
Secundus remissio pœnæ temporalis n. 3.
Tertius alleviatio ægritudinis corporalis, vel etiam perfecta sanitatis recuperatio n. 4.
Hoc sacramentum potest esse validum, & informe n. 5.

Voluntarium.

In quo sensu accipiatur voluntarium II. d. 1. a. 2. n. 1.
Definitio voluntarii n. 2.
Excluduntur a ratione voluntarii motus cognitione destituti n. 3.
Item actus intellectus omnium primi n. 4.
Actus necessarii amoris, & fruitionis beatificæ sunt perfectissimè voluntarii n. 5.
Motus verò primò primi voluntatis imperfectè tantum n. 6.
Quid de operationibus quibusdam brutorum n. 7.
Declarantur per exemplum variæ conditiones voluntarii n. 8.
Adducitur multiplex divisio voluntarii n. 9.

Notabilia de voluntario.

Actus voluntatis physicè præteritus remanere potest virtualiter, & habitualiter n. 10.
Ut effectus sit voluntarius in causa, prævideri debet secuturus n. 11.
Nec sufficit illum potuisse impediri, sed requiritur insuper obligatio impediendi n. 12.
Effectus physicè voluntarius, potest moraliter esse non voluntarius n. 13.
Effectus ortus ex causa libere posita nec ne tractata probabiliter non imputatur ad culpam, dum non amplius impediri potest n. 14. 15. & 16.
Sed præfertur sententia opposita tanquam probabilior n. 17.
Illationes circa obligationem confitendi omissiones, & effectus ortos ex causa libere volita n. 19. & 21.

Votum.

Quid sit V. d. 3. a. 4. n. 1.
Ad votum non requiruntur verba, aliave signi externa n. 2.

Votum essentialiter, & in recto consistit in promissione n. 3.
Divisio voti n. 4.
Declarantur membra dividentia n. 5.

Quænam & quanta deliberatio ad votum requiratur?

Talis deliberatio sufficit ad vovendum, qualis sufficit ad peccantum mortaliter n. 7.
Qualiter votum imprudens Deo displiceat n. 8.
Ad valorem voti requiritur, & sufficit libertas, quæ requiritur, & sufficit ad peccatum mortale n. 9.
Debet tamen hac libertate actus promissionis constitui liber formaliter, aut virtualiter n. 10.
Cur libertas in causa sufficiat ad peccatum mortale, & non etiam ad votum n. 11.
Resolutiones Practicæ n. 12. & seq.

De proposito, & promissione ad votum necessariis; dequeco, cui fieri debet votum.

Quomodo differant propositum, & promissio V. d. 3. a. 3. n. 18.
Ad votum non sufficit solum propositum n. 19.
Propositum nullam inducit obligationem etiam sub veniali n. 20.
Resolutiones practicæ n. 21. & seq.
Votum soli Deo faciendum est n. 26.
Quomodo intelligi debeant vota, quæ Sanctis interdum fieri audimus n. 27.

Voti materia.

Alia proxima, alia remota n. 28.
Nulla actio moraliter mala potest esse materia voti n. 29. & 30.
Quomodo actus indifferens possit fieri materia voti n. 36.
Materia voti debet esse in potestate voventis n. 39.
Agitur de voto nunquam peccandi venialiter n. 40. & seqq.
Quid de voto, cujus materia partim turpis, partim honesta: partim possibilis, partim impossibilis n. 44. & 45.
Resolutiones casuum n. 46.
Invalidum est votum disjunctum de materia, cujus una pars apta, altera inepta n. 47.
Votum quoque de re quapiam contra prius votum validum est invalidum n. 48.
Materiam voti oportet esse de meliori bono n. 49.
Religiosus invalide vovet religionem laxiorem, si profiteatur strictiorem n. 50.
An matrimonium possit esse materia voti n. 51. & 52.

Voti obligatio.

Quinam negaverint, vota obligare sub peccato n. 53.
Votum obligat sub peccato n. 54.
Estque ejus obligatio ex genere suo gravis n. 55.
Potest tamen esse levis in materia levi n. 56.
Imo etiam in materia gravi si vovens intendat, se obligare leviter solum n. 57.
An in materia levi se possit quis obligare sub mortali n. 58.
Quo tempore vota implere oporteat n. 59.
Declaratur per varios casus quæstio, an votum obliget alios quoque a vovente n. 63. & seqq.
De interpretatione votorum n. 71.
Qualis obligatio voti conditionati n. 73.

An & quomodo reddatur votum irritum?

Homo per legem ecclesiasticam impediri potest, ne valide voveat n. 74.
Irritatio voti alia directa, alia indirecta n. 75.
Qui habet voluntatem dominativam in voluntatem alicujus, omnia illius vota directè validè irritare potest n. 76.
Declaratur regula tradita per plures resolutiones practicas n. 77. & seqq.
Quinam vota indirectè irritare possint n. 82. & 83.
Obligatio votorum indirectè solum irritatorum revivi-scunt, quando desinunt præjudicare alteri n. 84.

Voti commutatio.

Quid n. 85.
Ad commutationem operis promissi in manifestè melius non requiritur authoritas superioris n. 86.
Limitatio hujus doctrinæ n. 87.
Declaratur in quibus casibus ad commutationem voti requiratur authoritas superioris n. 88.
Quænam requiratur causa ad commutationem voti tum ut licitè, tum ut validè fiat n. 89.
Qui habent potestatem dispensandi in votis, habent etiam commutandi, sed non econtra n. 90.

Voti dispensatio.

Quid sit n. 91.
Quibus conveniat potestas dispensandi, tum ordinaria, tum delegata n. 92.

Voti violati peccatum.

Violans duo vota simplicia unum specie peccatum committit II. d. 3. a. 2. n. 18.
Violans autem votum simplex cum solemni duplex specie peccatum committit n. 19.
Quid sentiendum de votis in ebrietate prolatis II. d. 3. a. 3. n. 24.

Usura.

Definitio ejus, ac analysis VII. d. 6. a. 4. n. 10.
Divisio usuræ n. 11.
Usura est jure naturæ illicita n. 12.
Et ex genere suo peccatum mortale n. 13.
Ex titulo damni emergentis, & lucri cessantis licitum est aliquod accipere supra sortem n. 14. & seqq.
Idem licet propter proximum, & probabile periculum amittendi sortem n. 16. & 17.
Etiam titulo pœnæ conventionalis potest aliquis excusari à peccato usuræ n. 21.
Quomodo expediùs à labe usuræ immunis præstari possit emptio censualis n. 23.

Uxor.

Ad quid teneatur erga maritum V. d. 5. a. 3. n. 14.
Et ejus dominium, vide apud verbum Dominium &c.

F I N I S.

Errores crassiores sic corrigendi.

Fol.	Colum.	Error.	Correctio.
2.	2.	induat	judicat
eod.	ead.	eâs	ea
4.	1.	curentiam	carentiam
5.	2.	pulsurum	passurum
8.	1.	semel	semet
9.	2.	sagrum	sayrum
10.	1.	procurrit	provenit
eod.	2.	delectum	detectum
12.	2.	Tom.	Rom.
eod.	ead.	erunt	erant
15.	2.	contractui	contractus
22.	1.	post ly *dictamen* inseratur	secutus
24.	1.	illicitum	licitum
25.	1.	Doctor	Divus
27.	1.	fingitur	figitur
28.	1.	in	id
eod.	ead.	respondes	respondeo
31.	1.	intellectus	intellectum
34.	2.	post ly *bonâ* inseratur	fide
36.	2.	dubitandi	dubitanti
42.	2.	quia	qui
43.	2.	vovetis	vovens
44.	2.	auidens	accidens
45.	2.	&	ut
46.	2.	quia	qua
eod.	ead.	post *rumorésque* inseratur	de
48.	2.	&	ut
53.	1.	delecta	derecta
55.	2.	se	si
eod.	ead.	unius Athor	unicus Author
59.	2.	Respondes	Respondeo
62.	2.	corruerunt	docuerunt
63.	2.	pauperos	pauperes
64.	2.	tenes	tenens
67.	2.	quomodo	quando
eod.	ead.	contra contrarium	omittatur ly *contra*
69.	1.	sint	sit
eod.	ead.	pro	pu.
71.	2.	habeat	habebat
73.	2.	se	te
81.	2.	extrino	extremo
86.	1.	respicibile	respuibile
90.	1.	arbitrium	arbitrariam
92.	1.	magistratui	magistratus
94.	1.	probabilem	probabili
95.	2.	sitare	stare
96.	1.	bonus	malus
101.	2.	Ita	Ista
103.	1.	prædictos	prædictos
105.	1.	moderatæ	modetatè
106.	1.	post ly *cùm* inseratur	non
107.	1.	&	ut
eod.	ead.	virtuti præceptæ	virtutis præceptâ
110.	1.	ejusmodi	cujusmodi
eod.	2.	contrarij	voluntarij
113.	1.	Cùr	Cùm
114.	2.	habitantibus	habitantis
119.	1.	declarationê	delectationê
125.	1.	oblatum	ablatum

Fol.	Colum.	Error.	Correctio.
131.	1.	aut	ut
133.	1.	aliquis	atque
eod.	ead.	transgressionem	transgressionũ
138.	2.	dominatione	comminatioñe
142.	2.	post ly *progreditur*	inseratur ad
145.	2.	tóque	adeóque
146.	2.	indicant	incidant
152.	1.	quia	quin
eod.	2.	ad	ac
eod.	ead.	ista	ita
153.	2.	Ex	Et
154.	1.	post ly *lybidinosi*	inseratur sicut
167.	2.	injuriam	incuriàm
170.	2.	qua	quàm
173.	2.	post ly *peteret*	inserat, ergo
174.	2.	si	sic
177.	1.	ut	&
eod.	2.	post ly *acta*	inseratur &
eod.	ead.	significantur	dignificantur
184.	2.	nos	non
187.	2.	Quis	Qui
eod.	ead.	præceptum	prævidet
192.	2.	videbitur	tuetur
193.	1.	aut	ut
eod.	2.	verborum	verberum
194.	1.	materiam	materialem
199.	2.	mortaliter	moralitet
203.	1.	post ly *quia*	inserat, juxta
eod.	ead.	quia	qua
206.	2.	Salmanticenses	Salmanticensibus
218.	2.	permitti	præmitti
219.	2.	absolvendis	absolvens
227.	2.	est probabilem esse probabilem	probabilem
229.	1.	potuerunt	poterunt
230.	2.	est	&
235.	1.	objecto	abjecto
eod.	2.	cui ut	cujus
239.	1.	quid	quia
244.	2.	propter	præter
252.	1.	post ly *ejusmodi*	inser. casu
255.	1.	incurritur	incutrit
257.	2.	conservandi	consecrandi
268.	1.	Notandum	Notanda
275.	1.	quà	quàm
276.	1.	etiam	aliam
281.	2.	magis	magnus
286.	1.	venerabuntur	venerabantur
291.	1.	esse	est
292.	1.	virtutis	virtutum
294.	2.	seu	nec
298.	1.	Respondes	Respondeo
eod.	ead.	multorum	mediorum
300.	1.	æterna	extrema
302.	1.	beneficia	benefica
304	1.	quæ	qui
eod.	ead.	tenetur	tenemur

309.

Fol.	Colum.	Error.	Correctio.
309.	2.	Ita	Ista
315.	1.	promisivè	promiscuè
322.	1.	oritur	oritura
325.	1.	ponitur	opponitur
cod.	2.	nudo	nullo
332.	1.	curemus	juremus
336.	1.	etiam	enim
338.	1.	illud	aliud
346.	1.	post *ly Officium* inseratur non	
348.	1.	post *ly ut* inseratur non	
349.	2.	acceperit	acceperint
352.	2.	aurescant	accrescant
355.	2.	post *ly propos.* inseratur 20.	
367.	2.	Quia	Qui
372.	1.	ut	&
374.	2.	&	est
381.	1.	præcessionem	processionem
385.	1.	Pap.	Pop.
386.	2.	post *ly permissione* insera. Dei	
cod.	cad.	illatas	illata
cod.	cad.	vel	ut
387.	2.	effectum	affectum
388.	2.	Aruyrano	Ancyrano
389.	1.	definitio	definito
391.	2.	Solent	Solet
396.	2.	contiosæ	contentiosæ
397.	1.	post ly *habet* inseratur ut	
cod.	cad.	ab	ac
403.	1.	præferendo	proferendo
407.	1.	factam	factum
411.	1.	præfert	profert
412.	2.	restitutionem	restrictionẽ
cod.	cad.	S.	P.
414.	1.	post *ly etiam* inseratur non	
418.	2.	demittatur	dimittatur
424.	1.	justitiæ	justitia
429.	2.	Moneat	Monet
430.	2.	Respondeat	Respondent
435.	1.	quod	quo
437.	2.	contradictionẽ	conditionẽ
441.	1.	Charitatis	Clatitatis
443.	1.	decreta	decepta
448.	1.	prohibiti	prohibitum
454.	2.	Conservationẽ	Cõsecrationẽ
458.	2.	locutionum	locationum
cod.	cad.	involuit	invaluit
cod.	cad.	probita	probibita
461.	1.	quia	qui
451.	1.	autis	auditis
cod.	2.	Specula	Spectacula
cod.	cad.	indigno	digno
467.	1.	moros	mores
473.	1.	ad	id
475.	1.	tausæ	cautelæ
cod.	cad.	post ly *lethaliter* inferatur &	
481.	2.	distis	dictis
485.	1.	post ly *autem* inseratur ex	
492.	1.	cognitionem	cognationem
cod.	2.	post *ly &* inseratur non	
497.	2.	superfluitatis	superfluitatibus
498.	1.	corruptio	corrupti
cod.	2.	imperfectum	interfectum

Fol.	Colum.	Error.	Correctio.
505.	1.	post ly *delectationem* inseratur non	
506.	2.	earumque & carni	
510.	2.	equô	æquô
513.	1.	videt	videtur
516.	2.	indicis	indiciis
cod.	cad.	post ly *Atqui* inseratur causa	
528.		quibus	quibusdam
535.	1.	qui	quia
cod.	2.	memoratus	memoratas
cod.	cad.	etiam	enim
543.	1.	qua	quam
554.	1.	post ly *non* inseratur est	
577.	2.	Moneat	Maneat
584.	2.	dole	dote
587.	1.	post *ly &c.* inseratur ergo	
592.	2.	Aliud	Ratio
593.	1.	est	esse
597.	2.	medio	modico
611.	1.	peregrinandô	pergræcandô
619.	2.	obligare	obligari
cod.	cad.	injuriam	incuriam
623.	2.	possessionis	professionis
624.	1.	injuria	incuria
cod.	cad.	movendo	removendo
cod.	2.	post ly *ut* inseratur non	
637.	2.	qui	quia
644.	1.	externa	extrema
648.	2.	debito	delicto
653.	2.	&	ut
659.	2.	damnanda	damnata
661.	2.	post ly *damnum* inseratur non	
663.	2.	ipsi	ipsum
664.	1.	Atqui	Aliqui
665.	2.	infertur	infert
668.	1.	post ly *incurrit* inseratur non	
678.	2.	post ly *temerarium* inseratur est	
680.	2.	&	est
683.	2.	connivendo	convivendo
686.	1.	post ly *recensuimus* inseratur etiam	
			hũc excusant
699.	2.	minori	majori
704.	1.	sitque	sitne
707.	1.	jura	juribus
711.	1.	in	is
717.	2.	post V. ly inseratur ut	
738.	1.	quia	quin
cod.	cad.	scriptum	spiritum
756.	1.	post ly *Sacramentalis* : inser. quia	
759.	2.	distribuitas	distruibilitas
762.	1.	contra	cætera
768.	1.	relatâ	relictâ
777.	1.	de	te
778.	1.	post ly *nondum baptizatus* inseratur	
			periclitatur de vita
806.	1.	quæ	qua
810.	1.	post ly *adoratio* inseratur contra	
cod.	2.	præsentia	substantia
812.	2.	nobis	nos
816.	1.	Non	Nam
820.	1.	post ly *mixta* inseratur triplex	
826.	2.	Non	Nam
829.	1.	&	est

Fol.	Colum.	Error.	Correctio.
831.	1.	loquitur	legitur
cod.	2.	poſt ly *Demum* inſeratu.	neque
851.	1.	ſine	ſub
cod.	ead.	conſecrationis	converſionis
856.	1.	poſt ly *inhærentem*	inſeratur non in tertia
864.	2	præbendô	loqnendô
879.	2	illum & verba ejus impium	& impietatem ejus
880.	2.	non eſſe non fuiſſe	
883.	1.	poſt ly *ſed*	inſeratur quia
888.	2.	inſipere	deſipere
890.	1.	vel	nec
900.	2.	poſt ly *ſit*	inſeratur ſine
905.	1.	reſtitutione	reſtrictione
913.	1.	poſt ly *oraret*	inſeratur donec exoraret
918.	1.	infinita	finita
947.	2.	de	ſe
949.	2.	carenda	cavenda
954.	2.	nunc	tunc
963.	2.	ut	&
966.	2.	poſt ly *celebrare*	inſeratur etiam liceat
977.	1.	Patenæ	Patenam
991.	1.	tuam	meam
997.	2.	*promoretur*	*promoveatur*
1009.	1.	ſcrupuli	ſcrupuloſi
1014.	1.	non	nomen
1016.	1.	poſt ly *&*	inſeratur non
1023.	2.	revelatione	relatione
1036.	2.	nunquam	nonnunquam
1041.	1.	poſt ly *inferius*	inſeratur omnes fatentur
1044.	1.	ut	aut
1045.	2.	poſt ly *quòd*	inſeratur DEUS
1048.	2.	mortalia	venialia
1051.	1.	extendat	extendere
1053.	2.	&	ut
1059.	1.	explicata	explicanda
1071.	2.	qui	quia
1073.	1.	volens	valens
cod.	ead.	poſt ly *hoc caſu*	inſeratur non
1074.	1.	ad	ac
cod.	2.	ex	eo
1076.	1.	per prius	per poſterius
1080.	1.	&	ex
1087.	2.	Abbatiſſa	Abbatiſſæ
1092.	2.	poſt ly *approbati*	inſeratur venialia
1093.	1.	ad	ac
1094.	2.	temerè	merè
1095.	2.	ſtaturæ	ſtateræ
1096.	2.	ut	&
1103.	2.	poſt ly *ſe accuſat*	inſeratur cadit
1105.	2.	ſola	tota
1112.	1.	delectione	derectione
1116.	2.	ſit	obſtet
1117.	2.	quibus	quibusdam
1119.	2.	incapaces	capaces
1120.	2.	actuale	originale
1125.	1.	*nolo*	volo
cod.	2.	vivis	viris
1129.	1.	fæmmæ	fœmina
1132.	1.	poſt ly *Titius*	inſeratur tenetur
1147.	1.	ad	ac
1149.	2.	&	eſt
cod.	ead.	poſt ly *& 12.*	inſeratur in eo conſiſtit
1158.	1	IV.	IX.
1168.	2.	amittunt	admittunt
cod.	ead.	& lex eſt	lex
1170.	1.	religionem	hæreſim
cod.	ead.	utrius	utriusque
1185.		addóque	adeóque
1187.	1.	vel ex	vel eſt
832.	2.	poſt *integritati*	inſeratur, *materiali, nunquam verò dimidiatione oppoſita integritati formali.*

Pro Doct. legatur ubique *D.* ſive *Divus.*

NB. Error ex fol. 879. colum. 2. & fol. 1170. colum. 1. notatus malitiæ correctoris imputari debet.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Babenstuber, Ludwig,

Ethica supernaturalis Saliburgens

Augusta Vindelicorum 1718
2 Mor. 12
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10496697-4
VD18 14389967-001